image
not
available

Digitized by Google

R. P. IACOBI

DE BORDES

ELVCIDATIO PARAPHRASTICA APOCALYPSIS BEATI IOANNIS APOSTOLI

DVOBVS TOMIS DIVISA.

Digitized by Google

INTERPRETATIO ICONIS EX altera parte depictæ.

IDES, optime Lector, hanc Iconem ex altera parte depictam, quid ipsa velit attentiùs perspice. Saluator est, quem S. Ioannes videt in medio septem candelabrorum aureorum, id est Ecclesiæ Catholicæ, in qua dicitur regnans & triumphans. Ecclesia est quæ designatur in muliere amicta sole & duodecim stellis coronata, Lunam habens sub pedibus. In vtroque latere vides in dextro S. Petrum, in sinistro S. Paulum; vt scias in Petro Christum regnare & triumphos agere per autoritatem in Petro Ecclesiæ collatam, in Paulo hoc item fieri per Euangelij promulgationem. In Epistylio columnæ dextri lateris vides Leonem, in basi columnæ sinistri lateris alium vides, vt in primo recorderis victoriæ Christi in redemptione hominum, de quo dicitur: Ecce vicit Leo de tribu Iuda, ad manifestationem operum diuinæ misericordiæ. In secundo opera iustitiæ Diuinæ in punitione malorum proponuntur intuendæ, cùm audis Christum Leonem rugientem, Leo rugit quis non timebit? Tigna descripta habes tum in Epistylio columnæ sinistri lateris, tum in basi columnæ lateris dextri non sine consona mysterio ratione. Tigna Origeni & Bernardo symbola sunt cuiusdam protectionis, hoc sensu sacerdotes doctrinâ & sanctitate tegunt Ecclesiam, de quibus dicitur; Tigna domorum nostrarum cedrina, id est manent Ecclesiæ particulares in participatione luminis incorruptibilis vniuersalis Ecclesiæ per sanctitatem & doctrinam sacerdotum qui eisdem præsunt, & sic fideles in tuto sunt, & quasi passer solitarius in tecto. At quid innuit B. Pater Seraphicus, quem vides stigmata Christi excipientem? monet te omnia perfici vt in Christum transformeris, vt cum Paulo & Francisco dicas, Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus. Restat denique vt rationem reddam propter quam S. Ioannes videtur reuelationem suam scribens sub icone S. Petri ad Christum & Ecclesiam respiciens, sanctus autem Iacobus frater eius sub icone sancti Pauli; id fit quia sanctus Ioannes authoritatem suæ Prophetiæ mutuatur ab Ecclesiæ authoritate, quæ Apocalypsim vt eius legitimum fœtum agnoscit: sanctus autem Iacobus, cui dum adhuc viueret virgo apparet super columnam ex iaspide constructam in Hispania prope Cæsaraugustam, docet nos fructum prædicationis plurimum promoueri ex patrocinio Virginis Mariæ, vt isti duo fratres Virgini obsequium præstent, Ioannes illi seruitia exhibendo, Iacobus eius cultum promouendo, dum in eius honorem Ecclesia Deo consecratur in Hispania, prout illi à Virgine sibi apparente fuit præscriptum, quæ nunc Nostra Domina de Pilari ab incolis indigitatur.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

8. 25. M. 4

R. P. IACOBI

DE BORDES

PRÆDICATORIS CAPVCINI,

ELVCIDATIO PARAPHRASTICA

APOCALYPSIS

BEATI IOANNIS APOSTOLI.

Cum Annotationibus permultis vtilibus ad difficiliorum locorum elucidationem adhibitis.

Opus Concionatoribus valde neceſſarium: Et Indicibus locupletiſſimis accommodatum.

TOMVS PRIMVS.

PARISIIS,

Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, Regis & Reginæ Architypographum: Et GABRIELEM CRAMOISY, viâ Iacobeâ, ſub Ciconijs.

M. DC. LVIII.

CVM PRIVILEGIO CHRISTIANISSIMI REGIS.

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO AC RELIGIOSISSIMO

ARCHIPRÆSVLI

FRANCISCO DE HARLEY,

ARCHIEPISCOPO ROTHOMAGENSI,

ET NORMANIÆ PRIMATI.

DECET, Illuſtriſſime, & Religioſiſſime Archipræſul, Religioſum ſancti Franciſci filium, non modò Summum Pontificem, ſed & ſacros Eccleſiæ Antiſtites præcipuo honore proſequi; quis enim ignorat illum ſanctiſſimum virum erga Prælatos etiam inferioris ordinis tam bene affectum, vt de hac reuerentia erga ipſos ab Eccleſia laudari mereatur, dum canit in eius officio, Franciſcus vir Catholicus, & totus Apoſtolicus, Eccleſiæ teneri fidem Romanæ docuit, preſbyteróſque docuit præ cunctis reuereri. Qui igitur tanti Patris ſequi veſtigia, deſiderat, in ſummo pretio ipſos habere tenetur, ne veluti degener & ſpurius à tanto Patre abdicetur.

Fateor, longè abſum à pietate, & eminenti ſanctitate tam ſanctiſſimi viri, vt mihi rubori ſit eius me dicere filium, illius me profiteri ſectatorem; quod enim honori cederet viro virtutum ipſius imitatori, hoc vituperio cedit ei qui tam exilia habet ſanctitatis eius lineamenta: dum enim dico me filium Sancti Franciſci, timendum ne quis in me inſurgat, & his me compellat verbis: Si tu es filius Myſtici iſtius Abrahæ, qui tot legitimos, & ſanctiſſimos filios Bonauenturam, Antonium, Bernardinum, & innumeros alios Eccleſiæ protulit, Abrahæ huius opera fac. Quicquid ſit, qualis qualis exiſtam, gratiæ Dei ingratum me exhibe-

rem, si non dicerem quòd statim atque Sancti Francisci regulam professus sum, hanc erga sanctissimam Sedem Romanam, Summúmque Pontificem Deus mihi indiderit deuotionem, & erga Prælatos Ecclesiæ obseruantiam, vt nihil habuerim in votis præstantius quàm vt possem specimen aliquod exhibere meæ seruitutis & reuerentiæ erga ipsorum reuerendam dignitatem & auctoritatem: quod cùm occasio sese obtulit vt potui adimpleui; non absque quorumdam rem non satis attentè intuentium suspicione me aliquatenus assentationi potius locum dare quàm religiosæ obseruantiæ.

Hinc est, Religiosissime Præsul, quod videns ab hæreticis S. Ioannis Apocalypsim non alio titulo inter sacros libros reponi, quàm quia ineptè existimant auctoritatem Summi Pontificis aliorúmque Ecclesiæ Prælatorum ipsam præscindere, apud me dicerem; Possetne reperiri huius prophetiæ quædam satis dilucida expositio, qua manifestum fieret hæreticos toto cœlo aberrare à scopo dum talia in mente reuoluunt, præcipiti & audaci lingua effutiunt, & scriptis mendacissimis produnt? Et ecce factum est vt dum quædam delineare incipio vt mihi soli facerem satis, ex surgit opus pedetentim quo & Summi Pontificis suprema auctoritas, & Prælatorum suspicienda dignitas, non ab Apocalypsi denigrari, sed ab ipsa fulciri summopere, vt arbitror, videntur.

Cuinam quæso, Illustrissime Præsul, hoc opus consecratem? nonne inter Præsules eminentissimum locum tenes, qui ad Archiepiscopatum & Primatiam sedis adeò insignis fœliciter & suaui quadam prouidentiæ diuinæ agendi ratione euectus es pro bono & ornamento totius Ecclesiastici ordinis & vtilitate vniuersalis Ecclesiæ? nonne erga Sedem Sancti Petri tam bene affectus es, vt eius auctoritatem sartam tectam conseruare, vt ne in minimo lædatur, satagere cupias? Hoc nuperrimè innotuit toti Galliæ, dum nouæ sectæ Caluinistam ab inferis reuocare impudenter ac imprudenter conantis sub specie veri, & recti callidis machinationibus venena detegis, iacula retundis in celeberrimo Præsulum cœtu, quibus sanctissimam Innocentij decimi constitutionem de quinque Propositionibus impugnare Nouatores audacter volebant, in quo certè apparuit quanta sit animi tui generositas, mentis claritas, acumen ingenij, memoriæ tenacitas, ratiocinationis vigor, qui meditatis ratiocinationibus tam validè respondes, auctoritates Patrum in præiudicium veritatis adductas, tam fœliciter & dilucidè exponis, & auctoritates auctoritatibus opponis, quibus quæ fuerit Patrum antiquorum sententia de vero sensu Propositionum prædictarum omnes agnoscere possent

poſſent & deciſioni ſanctiſſimi ſibi eſſe religiosè deferendum in omnibus exiſtimarent : nec de hac integerrimæ fidei tuæ ac fidelitatis teſtatione litteris Summum Pontificem certiorem feciſti, quaſi gratiam illius captare volens ſub ſpe auguſtioris cuiuſdam dignitatis, quam aliis titulis quilibet præclaras animi tui dotes optimè calens deberi tibi fatebitur, tibi, inquam, potius offerenda quàm à te flagitanda. Sed ſufficit tibi teſtimonium conſcientiæ tuæ, vt zelo diuini honoris pulſus omnia quæ præſtanda ſunt pro bono ſtatu Eccleſiæ præſtare non pigeat.

Madian à iudicium litigans.

Non vnus certè ex filiis Iſraël, ſed, proh dolor! multi ingreſſi ſunt ad mulierem Madianitidem videnteMoïſe, & omni turba filiorum Iſraël, qui flebant ante fores Tabernaculi, id eſt hæreſim litigantem amplexati ſunt videnteSummo Pontifice & tota Eccleſia cum eo ingemiſcente, tu, Præſul digniſſime, gladio verbi & hæreſim & ei aſſentientem vno ictu transfixiſti. Quid dicet Deus omnia de cœlo proſpiciens Moïſi populum Dei regenti, niſi Phinees zelo meo facie confidentiæ in me præditus commotus eſt contra veritatis hoſtes; idcirco loquere ad eum: Ecce do pacem fœderis mei, & erit ipſi pactum ſacerdotij ſempiternum, & ſiquid eminens ſit in medio Eccleſiæ, hoc illum poſſidere volo, quia zelatus eſt pro veritate, nec acquieuit carni & ſanguini, vt tandem ad Petrum veniat, non Ieroſolymam, ſed Romam, honorem quem promeruit percepturus. Ita fiat, & ſemper ſanctiſſimæ Sedi Petri firmiſſimè adhærens dic doctor cum Doctore S. Hieronymo epiſtola ad Damaſum; Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens beatitudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri communione conſocior, ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio, quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus eſt; ſi quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio. Et paulò poſt; Non noui Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum, quicumque tecum non colligit, ſpargit, hoc eſt qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt. Nunc igitur, proh dolor! poſt Nicenam fidem, poſt Alexandrinam, juncto pariter Occidente, decretum trium hypoſtaſeon ab Arianorum Præſule & campenſibus nouellum à me homine romano nomen exigitur! & poſtea, Decernite, ſi placet, obſecro, non timebo tres hypoſtaſes dicere, ſi jubetis condatur noua poſt Nicenam fides, & ſimilibus verbis confiteamur vniuerſi, &c. ita S. Hieronym. vt ſic profiteariscum Romana ſede te eandem profiteri fidem & doctrinam, vnitatis ac pacis amator, dicas Epiſcopus cum Epiſcopo S. Cypriano Epiſtola 7. de Eccleſiæ vnitate aduerſus Nouatianum: Vnus Deus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia, eius fides vna, & plebs in ſolidam corporis vnitatem concordiæ glutino copulata, ſcindi vnitas non poteſt, nec corpus vnum

Phinees facies confidentiæ.

Digitized by Google

diſſidio compaginis ſeparari, diuulſis laceratione viſceribus in fruſta diſcerpi, quicquid à Matrice diſceſſerit ſeorſum viuere & ſpirare non poterit, ſubſtantiam ſalutis amiſit, ita Cyprianus. Vnde apud eum Epiſtola ad Cornelium, Ad vnitatem redeuntes clamabant; Nec ignoramus vnum Deum eſſe, vnum Chriſtum eſſe Dominum noſtrum, quem confeſſi ſumus, vnum Spiritum ſanctum, vnum Epiſcopum in Catholica Eccleſia eſſe debere, ita Cypria. Quòd ſi quis conqueri auderet quod ob vnitatis amorem à cuiuſuis amicitia diſiungi, à cuiuſuis familiaritate abrumpi, à cuiuſuis ſententia diſcedere voluerit, certe reſponſio facilis; quòd non ſufficit tibi vt cum aliquo amicitiam ineas, familiaritatem ſerues, & in eius ſententiam conſentias, ſi ex matre Iſraëlitica natus patrem eius Ægyptium animaduertas & Primas cum Patriarcha S. Cyrillo Alexandrino l. 14. in Leuiticum dicas; Non mirum ſi ego hodie veritatem defendo, ſi pugno pro Eccleſiaſtica fide aduerſus eum qui ex parte quidem credit Chriſto, & recipit ſcripturas, ſed non integrè ſenſum earum nec fideliter recipit; litigo aduerſus eum qui ex matre quidem Iſraëlitica eſt, ex patre vero Ægyptius: ſi quis ergo & fidei credulitate, & profeſſione, & nomine Chriſtianus eſt & Catholicus, iſte ex vtráque parte Iſraëlita eſt; qui verò profeſſione quidem Chriſtianus eſt, intellectu autem fidei hæreticus & peruerſus eſt, matrem quidem Iſraëliticam, patrem vero Ægyptium habet, ita Cyrillus, tali non conſentio, tales námque educendi extra caſtra, & ab vniuerſa Eccleſia quinque limpidiſſimis lapidibus de torrente in capite cum Goliath percutiendi, vt corruant in faciem & cœlum non valeant aſpicere; periculum enim ſemper in falſis fratribus: quinque enim plagis Chriſti falſi conuincendi omnes qui dicant pro omnibus ipſum non eſſe mortuum, contra Apoſtolum dicentem 1. ad Tim. 4. Quia ſperamus in Deum viuum, qui eſt ſaluator omnium hominum, maximè fidelium: quin etiam quinque anathematibus tanquam lapidibus feriendi qui quinq; propoſitiones erroneas, falſas ſuſtinere vellent, contra iudicium Summi Pontificis, ad quem de doctrina iudicare potiſſimum pertinet. Rationem reddit huius prærogatiuæ, vt optimè noſti, Præſul eruditiſſime, Papa Marcus Epiſtola ad Athanaſium & Epiſcopos Ægypti, dum ait; Hæc ſancta & Apoſtolica mater omnium Eccleſiarum Chriſti Eccleſia, quia per omnipotentis Dei gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur, nec hæreticorum nouitatibus deprauanda ſuccubuit, ſed vt in exordio normam fidei Chriſtianæ percepit, ab authoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti Principibus illibata fide tenuit, manet ſecundùm ipſius Domini Saluatoris diuinam pollicitationem, qui ſuorum diſcipulorum Principi in ſuis fatus eſt Euangeliis, Petre, inquiens, ecce

1. Regum 17.

Digitized by

ſatan expetiuit te. ita ille. Videre mihi videor, ſapientiſſime Antiſtes, Innocentium decimum in his temporibus his verbis te cæteróſque Galliæ Epiſcopos compellantem, quibus olim idem Marcus Athanaſium & Epiſcopos Ægypti compellabat. Conſideret itaque veſtra excellens prudentia quàm bonum ſit perſiſtere in diſpenſatione vobis credita & in fide recta, atque hæreticis & æmulis Chriſti repugnare, & nunquam à veritatis tramite declinare; quoniam Dominus & Saluator omnium, cuius fides eſt, qui pro nobis mori non dubitauit, & proprio nos ſuo ſanguine redemit, qui fidem B. Petri non defecturam promiſit, & confirmare cum fratres ſuos admonuit, quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter feciſſe ſemper cunctis eſt cognitum, quorum & puſillitas mea, licet impar ſit & infirma, pro ſuſcepto tamen diuinæ dignationis miniſterio pediſſequa cupit exiſtere, ita Marcus. Quæ quidem, religioſiſſime Antiſtes, obaudiens, video te decreta Pontificis benigna excipientem, fortiter propugnantem, eáque recipienda eſſe aſſerere non dubitaſti; & dum cum cæteris Illuſtriſſimis Antiſtitibus te ſubſignatum animaduerto in illa Epiſtola inſigniab eiſdem ſcripta Innocentio X. pro acceptatione Bullæ de quinque Propoſitionibus, in qua inter alia hoc præclarum dogma reperio, Eccleſiam perſpectum habere non ſolum ex Chriſti Domini pollicitatione Petro facta, ſed etiam ex actis priorum Pontificum & ex anathematiſmis aduerſus Apollinarium & Macedonium nondum ab vlla ſynodo œcumenica damnatos à Damaſo paulò antea iactis, iudicia pro facienda regula fidei à ſummis Pontificibus lata ſuper Epiſcoporum conſultatione, ſiue ſuam in actis relationis ſententiam ponant, ſiue omittant, prout illis collibuerit; diuina æque ac ſumma per vniuerſam Eccleſiam auctoritate niſi cui Chriſtiani omnes ex officio ipſius quoq; mentis obſequum prẽſtare teneantur, ita Epiſtolla illa ſempiternę memoriæ digna. Hoc inquam dum animaduerto, video te veſtigia ſequi ſanctiſſimi viri pro veritate tuenda dira paſſi Flauiani Archiepiſcopi Conſtantinopol. epiſtol. ad Leonem, & in hanc eius ire ſententiam, nempe literas Pontificis ſummi vallidiſſimas eſſe ad deſtruendas hæreſes. Cauſa enim, inquit, Flauiani eget ſolummodo veſtro ſolatio atque deffenſione, qua debeatis conſenſu proprio ad tranquillitatem & pacem cuncta perducere. Sic enim hæreſis quæ ſurrexit, & turbæ quæ propter eam factæ ſunt, facillimè deſtruentur, Deo cooperante, per veſtras ſacratiſſimas literas. Remouebitur autem & concilium quod fieri diuulgatur, quatenus nequaquam vbíque ſanctiſsimæ turbentur Eccleſiæ, ita Flauian. Ita fit vt ſi ſupremum Eccleſiæ caput quaſi corona duodecim ſtellarum vniuerſitatem Prælatorum

in hoc numero deſignantium, decoretur ex obedientia quam ei alij Eccleſiæ ſuperiores Prælati exhibent, eorumdem dignitas auctoritate ipſius fulciatur : quod cùm non animaduerterint olim Græci ſchiſmatici ſub tyrannide imperij Turcici gemere coacti ſunt, & totaliter corruit in Anglia Epiſcopalis dignitas, quia à ſummo capite Eccleſiæ ſemetipſos per ſchiſma & hæreſim diuiſerunt.

Sed & aliud habeo motiuum quo impellor vt hoc opus tale quale eſt tibi conſecrandum eſſe exiſtimem ; illud autem eſt quod ſis, eruditiſsime Præſul, lectionis ſacræ Scripturæ & Sanctorum Patrum amantiſsimus : hoc proclamant & teſtantur ſacræ conciones quibus tot vicibus plebem tuam erudire ſatagis, locorum ſacræ Scripturæ & Sanctorum Patrum refertiſsimæ, vt ad te illud S. Cyrilli in expoſitione Symboli Niceni dirigi poſsit, Charitatem, inquiebat, veſtram eruditionis ſimul ac virtutis amantem, nunc quoque haud mediocriter commendare poſſum, atque adeo omni encomio dignam eſſe dico ; etenim diuinas doctrinas deſiderare & vt ſacrorum dogmatum rectitudinem aſſequamini omnem operam impendere, quo pacto quis non valde admiraretur hoc opus vitam ſine termino ac beatam conciliat, neque irremuneratum erat tale ſtudium, ita Cyrillus. Hoc tuum lectionis ſacrarum Scripturarum & Patrum ardens ſtudium teſtantur etiam illæ celeberrimæ collationes, in quibus dogmata Eccleſiaſtica proponis & explicas adeo luculenter, & clarè, vt nihil deſiderari valeat, adeo validè retundis argumenta in contrarium propoſita tam fœlici memoria à te percepta, vt in dubium reuocari poſsit num ex conducto ea tibi proponi contingat: ea enim reſumis cum tanta fidelitate vt nec ſeriem nec ordinem argumentorum negligas aut prætermittas ; iſta certe minora ſunt, nec æquare videntur ſummas animi tui dotes vt fere illa omittenda eſſe putauerim ; ſunt tamen quaſi quædam veſtigia quibus agnoſci poſsit quid valeas in diſquiſitione ſacræ doctrinæ, & indicant te eſſe illum ſcribam doctum in regno cœlorum ; qui ſimilis eſt patriſamilias qui profert de theſauro ſuo noua & vetera, Matth. 13. hoc denique teſtantur tot horæ quas in lectione ſacrorum voluminum quotidie inter alia innumera & grauia negotia inſumis ; ſcis enim illud S. Cyrilli lib. 2. Theſauri cap. 4. magna diligentia & cura exponendas eſſe ſacras ſcripturas.

S. Cyrillus in expoſit. Symboli Niceni ad Anaſtaſium, Martinianũ, Patogonum preſbyteros, & ad Maximum diaconum cæteróſque Orthodoxæ fidei patres.

Quod cùm ita ſit, non dubito tibi gratum fore opus in quo pro viribus conor exponere, authoritate Patrum fultus, librum Apocalypſis tam multiplici ænigmate obſcurum, quod dicatur ab omnibus poſt S. Hieronymum tot habere myſteria quot verba.

Animaduertit S. Cyrillus lib. 9. contra Iulianum Pythagoram

olim ęnigmatum manifeſtationem non contempſiſſe, ſed magni feciſſe, vnde inter alia ęnigmata hoc proferebat, Deorũ imagines in annulis ne feras, hoc eſt ſentẽtiam & ſermonem de diis ne facile manifeſtes & diuulges. Symbola huius Prophetiæ, vt optime noſti ſapientiſsime Præſul, rerum diuiniſsimarum ſunt imagines, eaſne manifeſtare ac diuulgare audebo? audebo nihilominus, quia ipſa Prophetia clamat; Beatus qui legit & audit verba Prophetiæ huius, & ſeruat ea quæ in ea ſcripta ſunt, cap. 1. Eijciantur certe canes, abigantur porci, ſed audiant ſimplices in fide, audiant mundi corde, ad tales enim ſub tua protectione diriguntur mei ſermones, talibus res diuiniſsimas ſub Symbolis præclaris abſconſas manifeſtare deſidero: interprætantur Symbola iſta hæretici, interprætantur Catholici; ſed quod de Iuliano S. Cyrillus ait, hoc de quolibet hæretico dicendum eſt; deſiderabat Iulianus haberi inter Philoſophos & magnæ eruditionis opinionem venabatur: hinc quædam ſacrificiorum nomina recenſebat & ſuis ſermonibus immiſcebat, nec tamen ſententias ſcripturæ vllo modo intelligebat; ignorabat autem quòd nihil difficile eſt iis qui in legis verſantur ſcripturis, vt decet, inacceſſa autem omnino ipſi & ſuis quæuis ſententiarum in illis vnde alicubi Deus per vnum ſanctorum Prophetarum dixit, Quis ſapiens & intelliget hæc, & intelligens etiam cognoſcet hæc, eo quod rectæ viæ Domini & iuſti ambulabunt in illis; impij autem in illis infirmabuntur: quare quamvis plurimas nobis ſententias ex diuina Scriptura opponat, ſciat ſe nihil intelligere, ita Cyrillus. ita ſciant hæretici ſe nihil intelligere dum tam inſulſas huius Prophetiæ expoſitiones adducunt. non eſt licitum vt verbis S. Cyrilli dialogo de Trinit. cap. 1. vtar; in tam eximiis rebus ludere dum à via recta neſcio quomodo excidunt & in alteram mouentur ac deflectunt, regia enim via incedendum eſſe non aliud eſſe dixerimus quàm in dextram nec in ſiniſtram declinare, ita Cyrillus. Ludunt autem hæretici in his grauiſſimis rebus, dum vt genio indulgeant ſummum Pontificem Antichriſtum eſſe ex hac Prophetia probare contendunt: in dexteram deflectunt hæretici dum neglecta fide Catholica & communi Patrum conſenſu prætermiſſo, vt ſibi blandiantur & auram popularem expiſcentur, noua promittentes expoſitiones afferunt fidei Catholicæ deſtructiuas, ipſique contrarias: ad ſiniſtram mouentur dum odio Eccleſiaſtici ordinis, quod in eius gloriam magnificè S. Ioannes adducit in hac Prophetia, hoc in eius vituperium trahunt ineptè. Cum talibus loqui nolo moniti Saluatoris memor dum ait, Nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus ſuis & conuerſi dirumpant vos, Math. 7. Quibus verbis oſtendit

qui doceri non debeant, nempe canes & porci, 1. impudentes, ſtolidi, inuidi & immundi, impugnatores veritatis; illiúſque contemptores, oblatrantes & detractores hæretici, & in paſſiones ignominiæ iuſto Dei iudicio traditi: peruerſi denique & obſtinati, ne forte affectibus prauis conculcent quod ſanctum eſt, id eſt, quod corrumpere nefas eſt, verbi gratia ſacramenta, cęleſtémque doctrinam, Eccleſiæ auguſtiſſimam autoritatem, conculcent etiam margaritas, id eſt Myſteria ſancta, abſtruſas rerum diuinarum cognitiones, quia ſicut margaritę incluſę cochleis, poſitę ſunt in profundum maris; ſic myſteria diuina verbis incluſa poſita ſunt in altitudine ſenſus ſacræ ſcripturæ: talia ſunt quæ ſub Symbolis huius Prophetiæ includuntur, quæ non ſunt proponenda canibus, ideſt hæreticis, quibus a quæ furtiuæ, nempe praui ſenſus ſacræ ſcripturæ dulciores ſunt, dum verba ſapientiæ ſurripiunt & vſurpant, & ad ſuos ſenſus diſtorquent, neglecto communi Patrum conſenſu; nec porcis, id eſt infidelibus, qui cum faſtidio illa audirent obturatum habentes intellectum, animales ea quæ Dei ſunt minimè percipientes.

Eos igitur alloquor qui cum S. Cyrillo lib. 6. in Leuiticum dicent ad hæc exponenda non humani ingenij viribus nitendum eſſe, ſed orationibus & precibus animos noſtros ad Deum eſſe conuertendos, ad eos, inquam, qui cum Georgio Trapezuntio in opuſculo, in quo diſputat an S. Ioannes ſit mortuus, fatebuntur diligenter in omnibus ſcripturis canonicis obſeruari oportere quod nihil fruſtra, nihil ſuperfluè, nihil ſine cauſa in ipſis ſcriptum ſit: Spiritu enim ſancto dictante omnes ſcriptæ ſunt, Spiritus verò ſanctus omnia ſcit, omnia pręuidet, omnia breuiter & vt oportet, & quantum oportet, & ſicut oportet, diſponit, dictitat, edit: non eſt ergo quidquam in Euangeliis abſque magno Myſterio dictum, ita Trapezuntius. Quod potiſſimum verificari poteſt in libro Apocalypſis, tu, ſapientiſſime Præſul, qui omnium antiquorum ſapientiam exquiris, qui narrationem virorum nominatorum conſeruas, qui occulta prouerbiorum exquiris, iudex eris an expoſitio apta, an Catholicam redoleat fidem, an admittenda timeo equidem, vt verbis Iſychij Preſbyteri Ieroſolymitani vtar, ne calamum pro tuba in me reperias, ne ad pinguem atque altam terram multáque aratra ad culturam habentem neceſſaria effodiendam bidentem, qui vix arenam valeat effodere, percipias; ſed ſpero te, beneuolum experturum, multi diuites eminenti & multiplici eruditione ac doctrina præditi in gazophylacium Eccleſiæ multa congerunt volumina, ego pauper duo tantum minuta ingero, id eſt, omnia quæ habeo pro exigua animi capacitate totum victum meum; quia in hoc opere conficiendo meliorem vitæ partem inſumpſi, tu benigne Præſul cum Saluatore Euangelicæ

Iſychius Preſbyter Ieroſolym. præfatione in Leuiticũ ad Euthychium venerabilem diaconum Tom. 7. Biblioth. Patrum.

viduæ duo minuta in gazophylacium mittentis laudatore, hoc opus beneuolo adſpice intuitu, protectione tua foue, & ſi quid boni in eo reperiatur, hoc totum ſit vt ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex vobis. Quòd ſi quis videns aut audiens hoc opus à te benignè ſuſceptum, ad eius lectionem ſe accingat, hoc apud ſe cogitans non debere contemni quod à tanto viro & eximio ac doctiſſimo Antiſtite probatur, ſpero non abſque quadam delectatione hoc præſtiturum. Dicebat olim Philo iudæus libro de opificio mundi; Quemadmodum Colloſſorum ſimilitudines vel in exiguo exprimuntur annulo, ita etiam Scripturæ creationem Mundi prodeuntis pulchritudo eximia ſplendore quodam percellens lectorum animos mediocri ſtylo enarrabitur, hæc Philo. Ita dico tot magna Myſteria, tot ſæculorum curricula, tot rerum geſtarum varietates, tot in mundo & Eccleſia viciſſitudines, tot ab ea tolleratas perſecutiones, tot eius pia exercitia ad Dei cultum pertinentia, tot illius certamina, victorias, triumphos, S. Ioannes veluti quaſdam Colloſſorum ſimilitudines in vno depingit, & exprimit libello, vt ſperem eadem lectorem fruiturum delectatione, qua fruuntur qui res magnas in paruulo annulo expreſſas intuentur.

Inter res illas magnas à Sancto Ioanne quaſi in annulo deſcriptas, eſt Eccleſia Catholica per vniuerſum orbem diſperſa; illa enim per ſeptem Eccleſias Epheſum, Smyrnam, Pergamum, Thyatiram, Sardan, Philadelphiam & Laodiceam, vt interpretibus placet, deſignauit, per quas, inquit Alexander de Hales vniuerſæ Eccleſiæ ſignantur, notat irrefragabilis ille doctor Minorita Sanctum Ioannem primò Eccleſiæ Epheſi ſcripſiſſe, quia Metropolis & principalis, & eius Angelus erat Metropolitanus & Archiepiſcopus totius Aſiæ, ſicut in hac Prouincia Normaniæ ſeptem inſignes ſedes Epiſcopales Rothomagenſis, Bajocenſis, Ebroicenſis, Conſtantienſis, Lexouienſis, Sagienſis, Abrincenſis, inter quas Rothomagenſis tua ſedes, ampliſſime Præſul, Archiepiſcopali dignitate fulget, vt tu eius Angelus inter ſeptem ſplendidiſſimas ſtellas tanquam ſol refulgeas, & exemplo, & verbo, ac doctrina aliis præluceas, vt ſi quid forte reprehenſione dignum, vt in quibuſdam Epiſcopis Aſiæ, reperiretur, reſcindatur, & corrigatur; ſi quid laude, & Chriſti approbatione dignum ſit, & hoc idem foueatur & integrum & illæſum. Nonne igitur appoſitè aliquid facio dum tibi hoc opus conſecro, quod vniuerſali Eccleſiæ per has Epiſcopales ſedes, & Epiſcopos Normaniæ deſignatæ proficuum eſſe peropto? Sed quàm libenter, quàm alacri animo hoc aggredior dum ſuſpicio claritatem generis, præclaras animi dotes, memoriam fertilem & tenacem, acre ingenium, firmum iudicium, ſuauitatem morum, ſingu-

larem eruditionem, qua fit vt rediuiuus videatur beatæ memoriæ patruus tuus clariſſimus Franciſcus in Franciſco rurſus viuens dici poſſit, quia virtutes illius in iſto refulgeant & operentur. Quis enim non alliceretur ad colendam, & omni honore proſequendam dignitatem tuam tot ſplendoribus refulgentem, tot virtutibus ornatam? ſed ſcio tuam modeſtiam nihil minus appetere quàm laudem apud homines; ſed nullis maiore merito perſoluitur laus quàm his qui laudem ab hominibus non expetunt: ſat autem mihi eſt ſi meæ inclinationi, & præcipuæ erga te obſeruantiæ ſatisfaciam quantum in me eſt, quamvis meritis tuis impar ſit totum id quod tibi offero animo ſyncero, corde pleno & affectu. Quod ſi munuſculum gratanter accipias, hoc mihi erit pro corona, præter illam mercedem quam à bonorum omnium largitore ſperare poſſum, quæ tamen ſola ſufficeret. Quòd ſi ex tua protectione & tutela opus ita excipiatur vt aliquis fructus ex eo colligatur, tunc plenè, & cumulatiſſimè erit mihi ſatisfactum. Laude dignos exiſtimabat Gerſonius qui ex inſpecto exemplari libro transferunt in ſcripturam ſibi propriam quæ legunt, vel quæ ex pronuntiantis ore ſuſcipiunt, ſicut Barach de ore Ieremiæ ſcripſit omnes ſermones eius, ſiue ſenſum percipiant eorum quæ legunt, vel audiunt, ſiue nullum prorſus habeant intellectum eorum quæ ſcribunt, quos quaſi pictores appellamus: maiori laude dignos qui ſimul ſunt ſcrutatores, & conquiſitores diuinæ legis, & dictatores ſacrorum librorum, ſcribæ, & ſcriptores, qualis, inquit Gerſonius, fuit S. Ambroſius. Abſit à me ex Dei miſericordia, vt laudem aliquam ex non modico labore in inquirendis, ſcrutandis, tranſcribendis his ænigmatibus impenſo exoptem; vtilitates tamen quas Gerſonius tribuit ſcriptoribus librorum Eccleſiaſticorum licebit mihi exoptare.

Erasmus Epiſtola nuncupatoria D.D. Guillem. Vuaramo Archiepiſ. Cantuar. Angliæ Primati, & Legato, quę præfigitur tomo vltimo Epiſtol. S. Hieronymus.

Tractatu de laude ſcriptorum ad fratres Cæleſtinos & Carthuſienſes.

Prædicat, inquit, atque ſtudet ſcriptor, largitur & orat,
Affligitur, ſal dat, fontem lucémque futuris,
Eccleſiam ditat, armat, cuſtodit, honorat.

Certe ſi verbi Dei Prædicator prædicanda quærat, multa offendet, ſtudioſus ſacræ, Scripturæ plurima elucidata reperiet, cui tot euoluendi libros copia non datur, ſuo labori conſultum fuiſſe comperiet, qui orationi inſiſtere cupit multa de Deo, & mirabilibus eius meditanda inueniet: faxit Deus vt labor inſumptus in ſatisfactionem peccatorum meorum mihi obueniat. Multi hunc vltimum Scripturæ librum, & vnicum noui Teſtamenti Prophetiæ ſcriptorem negligunt, quia intellectu difficilem, alij, vt hæretici, illum vel reſpuunt, vel impiè ac inſulsè interpretantur: dabit, vt ſpero, noſtra interpretatio ſal ſapientiæ, vt qui eam

Digitized by Google

eam legerit fateatur; non abſque cauſa Sanctum Ioannem dixiſſe, Beatus qui legit, & audit verba Prophetiæ huius, & ſeruat ea quæ in ea ſcripta ſunt, Apoc. 1. Fons quippe eſt hæc Prophetia ex Chriſti pectore, ſuper quod S. Ioannes recubuit in cœna vltima manans, cuius hauſtus lucem dat futuris: ad quam aquam epotandam hortatur B. Ioan. dum ait, Et qui ſitit veniat, & qui vult accipiat aquam vitæ gratis. Quantæ ſint Eccleſiæ diuitiæ ditatæ tot fauoribus, auxiliis, victoriis, triumphis, coronis, animaduertet & quæ hæretici aſſumunt ex hac Prophetia ad eam denigrandam, comperiet eſſe arma validiſſima ad eam vindicandam ab iniuriis, & contumeliis quibus illam appetunt, ad eam cuſtodiendam ab eorum cauillationibus, & inſidiis, & ad promouendum in omnibus eius honorem, & gloriam, vt pote quæ apparebit ex hac Prophetia vera Chriſti regis regum, & Domini Dominantium ſponſa fideliſſima hoc totum, Illuſtriſſime Præſul, ſpero ſi illud opus à te benigne excipiatur, & tua protectione foueatur quod in teſtimonium meæ ſeruitutis, & obſequij & obſeruantiæ lubenti animo tibi offero & dedico, vt pote

Tuus obſequentiſſimus Religioſus & humillimus ſeruus IACOBVS DE BORDES Concionator Capucinus.

SVMMA PRIVILEGII REGIS CHRISTIANISSIMI.

CAutum'est auctoritate Regis, ne quis in Regno eius, aliisve locis ditioni suæ subditis, Librum qui sic inscribitur, R. P. IACOBI DE BORDES Prædicatoris Capucini, Elucidatio Paraphrastica Apocalypsis B. Ioannis Apostoli, &c, *quovis charactere, aut forma excudere, alioue quolibet modo distrahere possit, intra annos septem, computandos à die absolutæ primæ editionis, præter* SEBASTIANVM CRAMOISY, *Reginæ ac Regis Architypographum, Regiæ Typographiæ gubernatorem, nec non vrbis Exconsulem. Qui secus fecerit, mulcta est indicta, prout fusius in diplomate Regio continetur. Datum Parisiis, die 27. Nouembris 1656. Sic signatum.*

De Mandato Regis. CRAMOISY.

Hæc prima Editio absoluta fuit 15. die Nouembris 1657.

FACVLTAS R. P. GENERALIS.

NOs Frater Fortunatus à Cadoro Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capucinorum Generalis Minister licet imm. Præsentium tenore facultatem elargimur, vt opus à R. P. IACOBO DE BORDES Argentinensis Monasterij in Prouincia Normaniæ Guardiano, Ordinisque nostri Concionatore, compositum, quod inscribitur, *Elucidatio Apocalypsis Paraphrastica cum annotationibus*, quodque olim gallico idiomate excudi curauerat, authoritate nostra à duobus Ordinis nostri Theologis reuisum atque approbatum, nunc denuò in lucem edi, ac typis mandari possit, seruatis aliàs de iure seruandis. In quorum fidem præsentes sigillo officij nostri munitas, & manu propria subsignatas dedimus Aurelianis. 5. Idus Decembres 1651.

PERMISSIO R. P. PROVINCIALIS.

NOs Frater Fulgentius Vernonensis Fratrum Minorum Capucinorum Prouinciæ Normaniæ Prouincialis, iuxta placitum R. adm. Patris nostri Generalis, visis approbationibus Theologorum nostrorum ad id deputatorum, facultatem facimus R. P. IACOBO DE BORDES *Prædicatori Ordinis nostri, imprimendi Librum à se super* Apocalypsim D. Ioannis compositum, *quem latere nefas, in lucem verò edi iustissimum arbitramur. Non diffidentes quod ex eius lucubratione, nox sicut dies illuminabitur, & nox illuminatio nostra in delicijs nostris. Datum in Conuentu nostro Rothomagensi die 12. Ianuarij anno 1655.*

F. Fulgentius Prouincialis indig.

Digitized by Google

APPROBATIONES CENSORVM.

EGo infra ſcriptus ordinis Fratrum Minorum Capucinorum ſactæ Theologiæ Lector, fidem facio me accuratè legiſſe *Paraphraſim & Commentarios in Duodecimum & ſequentia Apocalypſis B. Ioannis Apoſtoli Capita*, A R. P. IACOBO DE BORDES eiuſdem Ordinis Concionatore compoſitos, in quibus nihil niſi fidei Orthodoxæ conſonum, & bonis moribus conſentaneum comperi; immo plura eruditione pleniſſima, & quæ prælo mandentur digniſſima perſpexi. Datum in Conuentu Capucinorum Alenconienſium 6. die Nouembris, anno 1651.

F. Hippolytus Sagienſis Capucinus.

NOs infra ſcripti Ordinis Capucinorum Lectores Theologi, fidem facimus ex mandato R. Patris Spiritus de Boſcroger Prouincialis noſtri, accuratè legiſſe Elucidationem Paraphraſticam cum Annotationibus in vndecim priora capita Apocalypſis à R. P. IACOBO DE BORDES eiuſdem Ordinis Prædicatore compoſitum, *in qua nihil reperimus quod fidei Orthodoxæ aut bonis moribus aduerſetur, imo multa, quæ ſacræ Scripturæ ſtudioſis erunt vtiliſſima, cùm ad tam obſcuræ prophetiæ veram intelligentiam plurimum conducere poſſint, vnde dignam cenſemus, quæ in lucem prodeat. Datum in Conuentu Argentinenſi, die 23. Menſis Nouembris, anni 1651. in quorum fidem propria manu ſubſignauimus.*

F. Nicolaus Falezienſis Lector Theologus.

F. Bernardinus de Hotot Lector Theologus.

NOus frere Marc de Baudren Capucin, & Prouincial des Capucins de la Prouince de Prouence, auons veu aſſez exactement, & leu auec attention quelque partie du liure du R.P. IACQVES DE BORDES Prædicateur Capucin, le Titre duquel porte, *Elucidatio Paraphraſtica cum Annotationibus in Apocalypſim.* Ie l'ay trouué digne de l'Impreſſion, eſtant rempli d'vne Doctrine, & de recherches auſſi ſçauantes que curieuſes, en foy dequoy i'ay ſigné. Fait à Roüen, ce 9. Ianuier 1654.

F. Marc de Baudren Capucin.

10

EGo infra ſcriptus F. Bernardinus de Hotot inter Capucinos Sacræ Theologiæ Lector, omnibus fidem facio me ſecundam partem expoſitionis, vel Commentariorum in Apocalypſim, à R. P. IACOBO DE BORDES noſtri Ordinis Concionatore compoſitorum, quæ duodecimum caput & ſequentia complectitur, *accuratè & diligenter Superiorum meorum iuſſu per legiſſe, & tum propter inſignes notas, quæ ad ſacri Textus huius tam obſcuræ parumque hominibus apertæ Prophetiæ euidentiam, notitiam, & elucidationem multum conducunt, tum propter ſanam authoris doctrinam, quæ non tantum fidei & bonis moribus non aduerſatur, ſed illis fauet & omnino tuetur, hoc magnum opus ſummè dignum vt typis mandetur, & libenter & facillimè iudicaſſe: Datum Rothomagi in noſtro Montis Caluariæ Conuentu prima die Decembris anno* 1654.

F. Bernardinus Capucinus Lector Theologiæ.

PRIMA PARS ELVCIDATIONIS APOCALYPSIS SANCTI IOANNIS.

CAPVT PRIMVM.

§. 1. *ARAPHRASIS Cap. 1. Apocalypſis commendatio, excellentia & finis,* pag. 1

§. 2. *De modo, tempore, & loco, quo facta fuit hæc revelatio.* p. 2

§. 3. *Sub qua forma Chriſtus aparuit,* ibid.

QVORVMDAM QVÆ IN Paraphraſi continentur explicatio & diffuſior corroboratio.

Punct. 1. *DE modo quo Chriſtus gloriam ſuam manifeſtat,* 3

Punct. 2. *Qua ratione S. Ioannes de Chriſto teſtimonium reddit,* 4

Punct. 3. *De utilitate lectionis huius Prophetiæ, & obſervatione eorum quæ docet,* ibid.

Punct. 4. *Qua ratione Spiritus Dei qui vnicus eſt, multiplex etiam dicitur,* ibid.

Punct. 5. *Propter Chriſti reſurrectionem, Regiam Majeſtatem, Redemptoris dignitatem, nihil nobis timendum à morte, à Regibus, à peccatis,* 5

Punct. 6. *Quomodo plangent ſuper Chriſtum, qui eum videbant, & venire dicitur in nubibus,* ibid.

Punct. 7. *Qua ratione Chriſtus dicitur α, & ω. Principium & finis,* ibid.

Punct. 8. *Paſſiones pro Chriſto, & receſſus in ſolitudinem aptiores nos reddunt ad audienda Dei ſecreta,* 6

Punct. 9. *Quid ſit eſſe in Spiritu, & cur in dominica die facta fuit hæc revelatio, & cur vox magna tanquam tubæ provocat S. Ioannem ad audiendum,* ibid.

Punct. 10. *Convenientiæ, propter quas per ſeptem Eccleſias Aſiæ tota Eccleſia deſignatur,* ibid.

Punct. 11. *Per Zonam auream iuſtitia Chriſtiana deſignatur,* 7

Punct. 12. *Cur vox Chriſti tanquam vox aquarum multarum, & pedes eius quaſi aurichalcum in camino ardenti,* ibid.

PRIMÆ PARTIS Elucidationes Apocalypſis.

Annotationes in Cap. 1.

Annot. 1. *IOannes ſeptem Eccleſiis,* 7

Annot. 2. §. 1. *Quantum ſit bonum vocationis,* 9

§. 2. *Quanam bona ex vocatione nobis proveniant,* ibid.

§. 3. *A quo fonte hæc bona emanant,* 10

§. 4. *Cur Eccleſia exoptatur gratia & pax, ſeu quo fine Deus Eccleſiam ſuam gratia replet, eique pacem tribuere intendit,* ibid.

§. 5. *Deo homo gloriam exhibet gratiam ſuſcipiendo. Qui huic divinæ intentioni ſeſe oppoſuerit, non impunè facit,* 11

Annot. 3. *Quia Chriſtus eiuſdem cum Patre potentiæ, non dubitandum eſt gratiam & æternam pacem hominibus elargiendam fore; quo Deo gloria reddatur & imperium,* 12

Annot. 4. §. 1. *Quibus mediis Deus gratiam & pacem Eccleſiæ tribuat, ſibique*

Digitized by Google

gloriam & imperium comparare intendat, 13
§. 2. *Expoſitio formæ ſub qua Chriſtus Dominus S. Ioanni apparuit,* ibid.
§. 3. *Primum medium per quod Deus fidelibus gratiam & pacem largitur, eſt participatio tribulationum filij Dei,* 16
§. 4. *Secundum medium exterius, quo Deus vtitur, vt gratiam & pacem Eccleſiæ largiatur, eſt paſtorum in regimine Eccleſiæ peruigil cura & ſolicitudo,* 17
Punct. 1. *Quod Paſtores ſunt ſtellæ in dextera Chriſti,* ibid.
Punct. 2. *Paſtores Eccleſiæ ſunt in manu Chriſti, quaſi planeta Solis, quia illuminant, & ſpirituali fidelium generationi inſeruiunt.* ibid.
Punct. 3. *Per planetam Lunæ Prælatorum prudentia in agendis deſignatur,* 18
Punct. 4. *Propter Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem & pœnarum iniunctionem, Prælati per Planetam Saturni deſignantur,* ibid.
Punct. 5. *Propter adminiſtrationem Sacramenti Euchariſtiæ, rectè Paſtores Planetæ Iouis aſſimilantur,* 19
Punct. 6. *Per Sacramenti Confirmationis adminiſtrationem rectè Paſtores per Planetam Martis deſignantur,* 20
Punct. 7. *In Planeta Veneris vtilitates quas affert benedictio Prælatorum, Matrimonio iunctis optimè deſignantur: quin & eorum charitatiua compaſſio & conſolatio ex Sacramento Extremæ vnctionis,* 20
Punct. 8. *Planeta Mercurij Paſtorum influxus in fideles, in adminiſtratione Sacramenti Ordinis ſignificat,* 21
§. 5. *Tertium medium per quod Deus nobis gratiam & pacem largitur, & ſibi gloriam & imperium comparat, eſt Verbum Dei per ora Paſtorum Eccleſiæ adminiſtratum.*
Punct. 1. *Plurimis Symbolis Verbum Dei ſignificatur in ſacris Scripturis, inter alia per gladium,* 21
Punct. 2. *Efficacia Verbi Domini gladio ſignificatur,* 22
Punct. 3. *Quàm efficax ſit Verbum Diuinum ſcriptum, cùm piè & attentè legitur,* 22
Punct. 4. *Quàm efficax ſit Verbum Diuinum ore prædicantium prolatum,* ibid.
Punct. 5. *Quàm efficax ſit Verbum Diuinum à Deo inſtitutum ad quorumdam affectuum productionem,* 23
Punct. 6. *Quibuſdam competit Verbum Dei legere, prædicare, aut ad quemdam effectum vſurpare,* ibid.
Punct. 7. *De diſpoſitione requiſita in ſuſcipientibus verbum diuinum,* 24
Annot. 5. *Quàm eximius ſit futurus dignitatis gradus in Eccleſia, ex communicatione cum Chriſti Paſſione, paſtorum regimine & verbi diuini adminiſtratione.*
§. 1. *Quod ex apparitione Moyſis & Eliæ in Transfiguratione hac dignitas Eccleſiæ optimè fuit adumbrata,* 25
§. 2. *Quod dignitatis temporalis Eccleſiæ fulgor, vt ſol refulgens optimè in Elia adumbratur,* 26
§. 3. *Quod ſtatus fulgoris Eccleſiæ in vita æterna optimè adumbratur in Moyſe,* 27
§. 4. *Qua ratione illam Beatitudinem conſequi poterimus, & huius ſolaris ſplendoris faciei Chriſti fieri participes,* 29

PROLOGVS

In 2. & 3. Cap. Apocalypſis.

CAPVT II.

Paraphraſis Epiſtolæ Epiſcopo Epheſino ſcriptæ, 32

Paraphraſis Epiſtolæ ad Epiſcopum Epheſinum explicatio, in quibuſdam diffuſior, ac corroboratio.

Humanitatis Chriſti dignitas Epiſcopo Epheſino proponitur cognoſcenda & prædicanda, 33

Prologus in Epiſtolam ad Epiſcopum Smyrmenſem, 34

Paraphraſis Epiſtolæ ad Epiſcopum Smyrnenſem, explicatio profuſior, & corroboratio.

Punct. 1. *Effectus primus redemptionis vocatio, vltimus luminis gloriæ infuſio, & corporis glorioſa reſurrectio,* 35
Punct. 2. *Quænam potiſſimum nos Deo gratos & acceptos reddant,* ibid.
Punct. 3. *Si de Dei gloria agitur, omnia ſunt toleranda,* 35
Punct. 4. *Tribulationes iuſtorum virtutis eorum ſplendorem manifeſtant,* ibid.

Prologus in Epiſtolam ad Epiſcopum Pergamenſem, 36

Paraphraſis Epiſtolæ ad Epiſcopum Pergamenum, 36

Paraphraſis Epiſtolæ ad Epiſc. Pergam.

INDEX.

Explicatio diffusior & corroboratio.

Punct. 1. *Quanta sit vis & efficacia Verbi Domini ostenditur in his Verbis*, Hæc dicit qui habet Romphæam vtráque parte acutam, 37

Punct. 2. *A corruptione morum ad apostasiam à fide, facilis est transitus*, 38

Punct. 3. *Quisnam sit sensus horum verborum*, Pugnabo cum illis in gladio oris mei, ibid.

c 2

Prologus in Epistolam ad Episcopum Thyatirensem, 38

13

Epistola ad Episcopum Thyatirensem, ibid.

Paraphrasis Epistolæ ad Episcopum Thyatirensem, explicatio profusior & corroboratio.

Punct. 1. *Optimi indicij præclara virtutes*, 40

Punct. 2. *Cæremoniæ Iudaïcæ comparantur idololatriæ post Domini aduentum, & cur Synagoga nomine Iezabel designatur*, 40

Punct. 3. *Negligit Deus, qui eum negligunt*, 41

Punct. 4. *Quæ timebat mala Synagoga illi euenerunt, ejecto abea Christo*, ibid.

Punct. 5. *Ex repudiatione Synagogæ clarè dignoscitur Christum esse iudicem*, 41

Punct. 6. *In quo consistat libertas Christiana*, ibid.

Annotationes in Cap. 2. Apocalypsis.

Annot. 1. *ADmonitiones in his Epist. factæ, tam Episcopis quàm Ecclesiis, ad omnes tum Episcopos tum Ecclesias vniuersalis Ecclesiæ pertinent*, 41

Annot. 2. *Cum Christus Dominus dicit se habere septem stellas in dextera, & ambulare in medio septem Candelabrorum aureorum, nos ad exaltationem humanitatis suæ per humiliationem comparatam meditandam excitat.*

§. 1. *Diuersæ Expositorum sententiæ & nostra expositio*, 42

§. 2. *Exaltatio humanitatis Christi per septem stellas in dextera Christi designatur*, ibid.

§. 3. *Quomodo conijcere possumus Christum in omnes fideles influere, & effectus producere diuersos, compatiendo nostris infirmitatibus, ex eo quod dicitur ambulare in medio septem Candelabrorum aureorum*, 43

Annot. 3. *Imbecillitas nostra maximè corroboratur ex cognitione seu bono testimonio conscientiæ nostræ, quòd nostræ actiones Deo acceptissimæ existant*, 44

Annot. 4. *Argui & increpari debent, qui à proficiendi studio deficiunt, quod dum permittit Deus, hoc facit maiorit boni exinde eliciendi intuitu.*

§. 1. *Cur permittit Deus sanctos in aliquibus defectibus cadere*, 46

§. 2. *Quid sit, Primam charitatem tuam reliquisti*, 47

§. 3. *Quòd turpe sit & vituperio dignum in via Dei non progredi*, ibid.

§. 4. *Nocet gregi si pastor propriæ perfectioni serio non incumbat, ideo, oportet vt sibi attendat diligentissimè*, 49

§. 5. *De studio perfectionis ne in deteriorem statum incidamus*, 50

Annot. 5. *Auersio & odium voluptatum carnis optima est dispositio ad exercitium virtutis*, 51

Annot. 6. *Multa fruuntur animi voluptate, qui à carnis voluptatibus abstracti, Deo fideliter seruire conantur*, 53

In Epistolam ad Episcopum Smyrnensem.

Annot. 1. *AD perseuerandum Episcopus Smyrnensis prouocatur. Quòd Christus sit primus & nouissimus, ideſt, Deus qui nos admirabili modo à seruitute peccati & mortis eripuit*, 54

Annotat. 2. *De tribulationis bono, quo fideles reddimur ei qui pro nobis mori & tribulari dignatus est.*

§. 1. *Quomodo crucem post Christum ferre debemus*, 56

§. 2. *Tribulationis pro Christo commendatio*, ibid.

§. 3. *Quàm necessaria sit & vtilis voluntaria paupertas vt Deo placeamus & acceptabiles reddamur.*

Punct. 1. *Qua ratione Spiritus paupertatis optimè conspiret ad nostram perfectionem cum patientia in tribulationibus*, 58

Punct. 2. *Quàm opportunus sit paupertatis spiritus ad perfectionem Christianam adipiscendam*, ibid.

Punct. 3. *Tres insignes paupertatis spiritus prærogatiuæ, sicut & tribulationis*

Digitized by Google

INDEX.

pro Chriſto tolerata, 60
Punct. 4. *Digreſſio de felici ſtatu ſectatorum Euangelicæ paupertatis*, 61
Annot. 3. *Vera animi diuitiæ in charitate conſiſtunt*, 62
Annot. 4. *Honorem mundanum parui pendat qui Dei honorem promouere ſtudet, nec propter carceres & tormenta à Chriſto recedat*, 63
§. 1. *De contemptu honorũ & vituperiorum*, ibid.
§. 2. *Paruipendenda ſunt etiam mala pro Chriſto*, 65
Annot. 5. Ecce miſſurus eſt diabolus, &c. *Horum verborum expoſitio ex diuerſis authoribus*, 66
Annot. 6. *De neceſſitate boni perſeuerantiæ*, ibid.
Annot. 7. *Quodnam ſit præmium promiſſum perſecutiones non timenti & perſeueranti*, 68

Annotationes in Epiſtolam ad Epiſcopum Pergamenum.

Annot. 1. *QVanta ſit vis & efficacia Verbi Diuini, Chriſti nempe, qui vocatur ab Eſaia Conſiliarius.*
§. 1. *Efficacia hæc ſignificatur per actionem*, 69
§. 2. *Diuerſæ authorum expoſitiones de Romphæa vtraque parte acuta*, 69
§. 3. *Dum hac Romphæa vtuntur Prælati, Chriſtum verum fuiſſe Conſiliarium demonſtrant, qui hanc Romphæam in manu & ore eorum poſuit*, ibid.
§. 4. *Cum magna conſtantia & fiducia hac Romphæa Prælati vti debent, cùm ſit efficaciſſima*, 70
Annot. 2. *Vis & efficacia Verbi Diuini maximè innotueſcit cùm quod corde credimus ore profitemur, etiam inter perſecutiones & tormenta*, 71
Annot. 3. *Præter morum & vitæ integritatem Prælati de Verbi Diuini prædicatione ſolliciti eſſe debent, vt ſint irreprehenſibiles*, 73
Annot. 4. *Quod ex negligentia prædicandi Verbum Dei, multorum exoritur ſubuerſio à fide & ſanctitate*, 74
Annot. 5. *Eccleſiam à Chriſto non deſeri aſſerimus, quòd in locum Paſtorum negligentium vigilantiores plerúmque ſubſtituat*, 76
Annot. 6. *Veram & permanentem percipit voluptatem, qui pro animarum ſalute laborat: hac via inæſtimabiles diuitiæ comparantur, necnon & præclari honoris & gloriæ tituli.*
§. 1. *Qua de cauſa hæc promittuntur Epiſcopo Perg.* 77
§. 2. *Quòd maximam delectationem percipiunt, qui animarum ſaluti ſeriò incumbunt*, ibid.
§. 3. *Quanam ſint inæſtimabiles diuitiæ, quæ promittuntur iis, qui in Euangelio laborant pro ſalute proximorum promouenda.* 78
Punct. 1. *Quid ſit calculus candidus, & quid ſignificet*, 80
Punct. 2. *Quanta ſunt diuitiæ quæ includuntur in hac ſapientia per calculum candidum ſignificata*, 81
Punct. 3. *Quàm neceſſarium fuit Eccleſiæ hac diuina ſapientia à Chriſto ditari*, 82
§. 4. *Plurimum ſibi conciliat honorem magnamque gloriam, qui procurandæ ſaluti proximorum operam dederit*, 83

Annotationes in Epiſtolam ad Epiſcopum Thyatirenſem.

Annot. 1. *IEſum eſſe ſupremum Iudicem quibus verbis innuatur.* 48
§. 1. *Chriſtus Iudex*, 85
§. 2. *De claritate iudicij diuini eiuſque veritate, nec non eius ſeueritate*, 86
§. 3. *Quòd ſententiæ huius vltimi iudicij nunquam reſcindi aut reuocari poterunt.* 78
Punct. 1. *Quid ſit aurichalcum & quid per pedes ſimiles aurichalco ſignificetur ſecundùm interpretes*, 88
Punct. 2. *Irreuocabilitas ſententiarum vltimi iudicij ſignificatur*, 89
Annot. 2. *Quod Iezabel eſt Synagoga antiqua Iudæorum repudiata ſeu reprobata ob perfidiam*, 91
Annot. 3. *Quanam potiſſimum Iudæi obijciebant fidelibus vt eos ſeducerent, & ad ſpiritualem fornicationem inducerent, & quanto odio Synagoga Chriſtianam religionem proſequereiur*, 93
Annot. 4. *Ex periculo ſubuerſionũ ob conuerſationem cum perfidis Iudæis, conijcere licet quantum ſit periculoſam Catholicis familiariter conuerſari cum hæreticis*, ibid.
Annot. 5. *Quodnam periculum ſeu quænam pœna his verbis*, Ecce mittam eam in lectum, *ſignificatur*, 95
Annot. 6. *Expunitione Iudæorum Deus ſe Iudicem eſſe oſtendit*, 97
Annot. 7. *Diaboli ſtudium potiſſimum in hoc occupari, vt nos in errorem & mendaciorum abyſſos præcipitet & immergat*, 97
Annot. 8.

Digitized by Google

INDEX.

Annot. 8. *Firmiter adhærendum eſt doctrinæ Saluatoris vt errores euitemus,* 99

Annot. 9. *Nulla alia lex danda eſt poſtquam Chriſtus nobis Euangelicam dare ſemel voluit,* 100

Annot. 10. *Quænam merces ſeu remuneratio repromittitur iis, qui fideliter legem Euangelicam ſeruare ſtudent & ſeruandam eſſe intrepidè annuntiant.*

§. 1. *Diuerſæ huius loci authorum expoſitiones,* 103

§. 2. *Noſtra de hac remuneratione ſententia,* 104

Annot. 11. *Amor Chriſti, quam operibus oſtendimus, benignos Patris æterni aſpectus ad nos conuertit, qua quidem ratione ad ſummum honoris apicem euehimur,* 106

CAPVT III. *In quo Epiſtolæ ad Sardenſem, Philadelphenſem & Laodicenſem Epiſcopos continentur.*

Prologus in Epiſtolam ad Sardenſem Epiſcopum, 108

Paraphraſis Epiſtolæ ad Epiſcopum Sardenſem.

IESVS author & origo meriti & gratiæ, 109

Paraphraſis Epiſtolæ ad Epiſcopum Sardenſem; fuſior explicatio & corroboratio.

Punct. 1. *Quid ſit Chriſtum habere ſeptem Spiritus Dei & ſeptem ſtellas,* 110

Punct. 2. *Dei ſeueritas liberè agit erga homines,* ibid.

Punct. 3. *Quænam bona in anima in ſtatu peccati exiſtente, adhuc poſſunt remanere confirmanda ne pereant,* 111

Punct. 4. *Fides abſque ſpe & charitate mortua eſt,* ibid.

Punct. 5. *Qua via redeundum ſit in gratiam ſecundum doctrinam Concilij Trid. ſeſſ. 6. c. 6. & c. 14.* ibid.

Punct. 6. *In quo conſiſtat operum bonorum plenitudo iuxta doctrinam Concilij Trid. ſeſſ. 6. c. 7.* ibid.

Punct. 7. *In Baptiſmo baptizati recipiunt veram iuſtitiam ſollicitè ſeruandam,* 112

Prologus in Epiſtolam ad Epiſcopum Philadelphium, 112

Paraphraſis Epiſtolæ ad Epiſcopum Philadelphiam, 113

Paraphraſis Epiſt. ad Epiſc. Phil. fuſior explicatio & corroboratio.

Punct. 1. *Chriſtus ſummus Sacerdos, vt nos ad filiationem Dei adoptiuam euehat,* 115

Punct. 2. *Ad quoſnam effectus extendatur Chriſti Domini poteſtas per clauem Dauid ſignificata,* 115

Punct. 3. *Hi omnes ſupradicti effectus ita à Dei arbitrio pendent, vt nullus illos impedire valeat cùm eos producere voluerit,* 116

Punct. 4. *Quanam potiſſimum impediunt conuerſionem peccatorum,* 117

Punct. 5. *Quantum emineat Chriſti poteſtas in conuerſione obſtinatiorum peccantium,* ibid.

Punct. 6. *Chriſtus maximè diligit eos, qui conuerſioni animarum ſtudent,* ibid.

Punct. 7. *Dilectio proximorum & maximè inimicorum, hominem aptiorem reddit ad onus Paſtoris ſubeundum,* ibid.

Punct. 8. *Quid ſit inſcriptio nominis Dei & nouæ Ieruſalem & nominis Chriſti Domini,* ibid.

Prologus in Epiſtolam ad Epiſcopum Laodicenſem, 118

Paraphraſis Epiſtolæ ad Epiſc. Laodic. 119

Eiuſdem Epiſtolæ fuſior explicatio & corroboratio.

Punct. 1. *Qua ratione Chriſtus Dominus ſit teſtis fidelis,* 121

Punct. 2. *Amor diuinus cum amore proprio inordinato conſiſtere nequit,* 122

Punct. 3. *Quid ſit tepiditas in bonis operibus exponitur,* ibid.

Punct. 4. *Qua ratione charitas dicatur aurum probatum,* ibid.

Annotationes in Cap. 3. Apocalypſis.

IN Epiſtolam ad Epiſc. Sard.

Annot. 1. *Ieſus author eſt gratiæ à quo remiſſionem peccatorum expectare debemus,* 123

Annot. 2. *Deo occultiora ſunt notiſſima,* 124

Annot. 3. *Quàm neceſſarium ſit examen actionum & cogitationum noſtrarum,* 126

Annot. 4. *Cùm peccatum ſit maligna natura, curandum ſollicitè ne radicem in mentibus figat, ſed quantocyus illud à mente expellere debemus, ne cuncta deuaſtet,* 127

43

INDEX.

Annot. 5. *Charitas neceſſaria eſt, vt opera noſtra plenitudinem & perfectionem ſuam obtineant.*

§. 1. *De plenitudine requiſita actionibus humanis, vt meritoriæ exiſtant,* 128

§ 2. *In quo potiſſimum conſiſtat charitatis perfectio,* 130

Annot. 6. *Quid præcipitur in his verbis,* In mente ergo habe qualiter acceperis, &c. *Ex diuerſis Authorum expoſitionibus,* 132

Annot. 7. *Non eſt retardanda conuerſio, ne in damnabili ſtatu mortis intercipiamur,* ibid.

Annot. 8. *Cur Deus vult nos ignorare diem mortis & iudicij,* 133

Annot. 9. *Difficillimum eſt per totum vitæ ſpatium à peccatis poſt baptiſmi gratiam abſtinere, ſeu potius à baptiſmi gratia non excidere,* 134

§. 1. *Tria ponderanda ex interpretibus. 1. quid velit per* pauca nomina. *2. quid ſit* non inquinaſſe veſtimenta. *3. quid velit per iſta verba* ambulabunt mecum in albis, ibid.

§. 2. *De difficultate perſeuerandi in gratia poſt baptiſmum,* 134

Annot. 10. *Quo modo per reditum in Dei gratiam, omnia damna noſtra reſarciantur, & reparentur,* 138

Annotationes in Epiſtolam ad Angelum Phaladelphiæ.

Annot. 1. IESVS *Sacerdos & Rex per quem ſanctificamur, & à ſtatu peccati erigimur,* 139

Annot. 2. *Deus habet domum, cuius clauem Ieſus in manu tenet,* 141

Annot. 3. *De clave Dauid.*

§. 1. *Quid ſignificetur per clauem Dauid,* 143

§. 2. *Prima ratio propter quam Chriſtus dicitur habere clauem Dauid, quia in Eccleſia ipſe Paſtores conſtituit, & vnicuique proprium donum Miniſterij diſtribuit,* 144

§. 3. *Secunda ratio propter quam clauis domus Dauid Chriſto Domino tribuitur, ſcilicet propter poteſtatem remittendi peccata, quæ poteſtas ab ipſo collata eſt Eccleſiæ,* 145

§. 4. *Tertia ratio propter quam clauis domus Dauid Chriſto tribuitur, nempè quia mala pœna prout opus & vires ſuppetunt, diſtribuit,* 146

§. 5. *Quarta ratio propter quam clauis Dauid Chriſto Domino tribuitur, quia diuinorum conſiliorum ſuos auditores facit participes,* 147

§. 6. *Quinta ratio propter quam Chriſtus dicitur habere clauem Dauid, eſt, quia eſt diſtributor præmiorum & ſupplicio-rum,* 148

§. 7. *Sexta ratio propter quam clauis Dauid Chriſto Saluatori tribuitur, quòd ad ipſum pertineat peccatorum conuerſio, eius nempè auxilium omnino neceſſarium ad hunc præclarum effectum obtinendum his, qui ad hoc miniſterium vocati ſunt, ne in vanum currant aut laborent,* 151

Annot. 4. *Per humilem patientiam & reſignationem ſpecialiori fauore, & protectione diuina digni efficimur,* 152

Annot. 5. *Perſeuerantia eſt neceſſaria vt fructum ex laboribus noſtris capiamus,* 153

Annot. 6. *Magno honore à Deo afficimur dum nos in cooperatores procurandæ ſalutis, & conuerſionis proximorum euehit,* 154

Annotationes in Epiſtolam ad Epiſcopum Laodiceæ.

Annot. 1. QVa ratione *Chriſtus Dominus teſtis fidelis & verus,* 157

Annot. 2. *Qua de cauſa Chriſtus Dominus ſeipſum vocat principium creaturæ Dei,* ibid.

Annot. 3. *Gratia eſt qualitas realis per quam noua creatura nuncupamur,* 160

Annot. 4. *Quia veram ſanctitatem nos habere vult Chriſtus Dominus, omnem teporem, & diſſimulationem ſeu prauam intentionem à nobis eſſe expellendam decernit,* 161

Annot. 5. *Audienda eſt vera conſcientia ſeu ſyndereſis, vt à falſa & erronea cauemus, quam Deus qui eſt teſtis fidelis & verax, detegit,* 163

Annot. 6. *Ex arrogantia, ſuperbia & præſumptione facile conijcitur nos Dei honorem & gloriam prætermittere vt propriam gloriam aucupemur,* 166

Annot. 7. *Tria genera ſuperbiæ euitanda ſunt in quæ hic Laodicea Epiſcopus incidiſſe videtur,* 167

Annot. 8. *Per ſuperbiam ab omni virtute & merito ſpolianur,* 168

Annot. 9. *Quid per aurum ignitum & probatum intelligant interpretes, & quomodo à Chriſto emendum ſit,* 169

Annot. 10. *Aurum ignitum probatum ſapientia eſt diuina, terrena deſpiciens,*

Digitized by Google

ad cæleſtia aſpirans : ea autem emitur per Chriſti imitationem, 170
Annot. 11. *Per iſtam ſapientiam à charitate ortam, fit vt anima & innocentiæ reddatur & bonis operibus induatur, & præteritæ ingratitudines obliuioni tradantur,* 171
Annot. 12. *Humilitate tanquam collyrio mens à ſui præſumptione ſanatur,* 172
Annot. 13. *Perutiles & maximè ſalutares ſunt reprehenſiones, & caſtigationes Dei Opt. Max.* 173
Annot. 14. *Fructus diuinarum reprehenſionum eſt ſalutaris pœnitentia & emendatio vitæ,* 174
Annot. 15. *Vtile eſt diuinis obedire motionibus ſeu inſpirationibus & gratiæ præuenienti cooperandum, ne in vacuum eam recipiamus.*
§ 1. *Diuerſæ huius loci expoſitiones,* 175
§. 2. *De obedientia præſtanda diuinis inſpirationibus, de gratia præueniente, & diuino auxilio,* 176
§. 3. *Gratiam Dei non debemus in vanum recipere, & de bono perſeuerantiæ,* 179
Annot. 16. *Qui ſpreto proprio honore per puritatem intentionis Dei honorem intenderit, ſummum horrorem à Deo conſequetur,* 179

Præludium ad 2. Partem 181.

Partis 2. Elucidationes Apocalypſis Paraphraſis.

Paraphraſis Cap. IV.

Eccleſiæ Chriſtianæ fundatio, in qua Dei miſericordia & ſumma iuſtitia ex electorum ſalute, & reproborum electione effulgere cernuntur.

Notatiúncula. 186.

Paraphraſis corroboratio.
Punct. 1. *Quid*, ſimilis; *quid*, facere, *in hoc capite innuunt,* 189

Paraphraſis Cap. V.

De perfecta Eccleſiæ per Chriſtum illuminatione, 170

Paraphraſis eiuſdem Capitis corroboratio.

Punct. 1. *Ex his quæ S. Ioannes à verſu 2. vſque ad 5. refert, conijcere poſſumus quo ordine Eccleſia debeat procedere in reſolutione dubiorum emergentium de fide,* 191

Annotationes in Caput IV. De Throno.

Annot. 1. *Idea Throni,* 192
Annot. 2. *Sedes in aëre non in cælo Empyreo cernitur,* 193
Annot. 3. *Hæc ſedes ſignificat Eccleſiam Militantem non Triumphantem,* 194
Annot. 4. *De Throni firmitate, & de ſedente in Throno,* 198
Annot. 5. *De idea & ſignificatione lapidis Iaſpidis, & Sardinis, & Iris ſmaragdini Thronum ambientis.*
§. 1. *De idea & ſignificatione in genere,* 200
§. 2. *De ſignificatione viſionis lapidis Iaſpidis & Sardinis & Iridis ſpecialius,* 201
§. 3. *Dilucidior & latior Iridis ſignificatio, ad perſonam Spiritus ſancti denotandam,* 203
Annot. 6. *Quòd ex Iride ſmaragdino conijcere poſſumus quid Deus tandem ſit operaturus in Throno Eccleſiæ ſedens, vt ſimilis dicatur aſpectui lapidis Iaſpidis, & Sardinis, id eſt, miſericors & iuſtus appareat,* 205
Annot. 7. *De viginti quatuor Senioribus.*
§. 1. *Notatio perutilis ad intelligentiam eorum, quæ infra dicentur,* 212
§. 2. *Idea & ſignificatio 24. Seniorum,* ibid.
§. 3. *Quæ officia, quæ virtutes, qui præclari actus Paſtorum & Sanctorum per 24. Seniores deſignantur.*
Punct. 1. *Quodnam ſit officium ſeu munus per Seniores deſignatum,* 215
Punct. 2. *Quænam ſint virtutes per veſtimenta ſignificatæ,* 218
Punct. 3. *Quinam actus ſeu operationes per coronas deſignantur,* 219
Annot. 8. *De fulgure & Tonitru.*
§. 1. *Idea Symboli,* 221
§. 2. *Quid per fulgura, voces & tonitrua è Throno procedentia, intelligere debemus.*
Punct. 1. *De totius Symboli ſignificatione,* 223
Punct. 2. *De ſignificatione fulgurum,* ibid.
Punct. 3. *De ſignificatione vocum,* 225
Punct. 4. *De ſignificatione tonitrui,* 226
§. 3. *Cur fulgura, voces & tonitrua è Throno procedere dicuntur &c fulgura,*

Digitized by Google

INDEX.

voces & tonitrua precedunt, 227
Annot. 9. *De septem lampadibus ante Thronum.*
§. 1. *Idea Symboli.* 228
§. 2. *De significatione Symboli septem lampadarum.*
Punct. 1. *Connexio eorum quæ diximus, cùm ijs quæ per hoc Symbolum significantur,* 229
Punct. 2. *Quid per septem lampades intelligit S. Ioannes,* ibid.
Punct. 3. *Probatur ex D. Hilario & Augustino quòd per Spiritum Dei virtutem diuinam omnia moderantem possumus intelligere,* 230
Punct. 4. *Quòd illa diuina virtus de tribus personis diuinis indiuisibiliter ad extra operantibus intelligi debet,* 231
Punct. 5. *Quòd diuina Trinitatis virtus mundum gubernans, varijs vtatur instrumentis diuersosque producat effectus, optimè per 7. Spiritus Dei designatos, & per 7. lampades conuenienter adumbratos,* 232
1. *Interpretatio de Angelis,* ibid.
2. *Interpretatio de Episcopis,* 233
3. *Interpretatio de Ministris Altaris,* 234
4. *Interpretatio de effectibus proprijs Sacramentorum,* 237
5. *Interpretatio de ornamento virtutum infusarum,* 237
6. *Interpretatio de septem donis Spiritus sancti,* 239
7. *Interpretatio de septem Prouidentiæ diuinæ virtutibus,* 240
Annot. 10. *De mari vitreo simile crystallo.*
§. 1. *Idea Symboli,* 240
§. 2. *Pulchræ & valde conuenientes rationes propter quas S. Ioannes post visionem 7. Lampadarum statim visionem maris vitrei proponit,* 241
§ 3. *Quid intelligatur per mare vitreum simile crystallo,* ibid.
§. 4. *Mare vitreum optimum esse gratiæ, & meritorum Christi Symbolum demonstratur,* 243
§. 5. *Cur vitreum mare illud dicitur: & cur crystallo tantùm simile,* 246
Annot. 11. *De quatuor animalibus in medio sedis & in circuitu sedis.*
§. 1. *Idea Symboli,* 247
§. 2. *Cùm plurimæ sint huius Symboli interpretationes, quanam ratione verisimilem eius sensum eruere è tot latebris poterimus,* 248
§. 3. *Quid igitur tandem per 4. Animalia significetur,* 248
Punct. 1. *De prima interpretatione, nempe de quatuor Euangelistis, Doctoribus ac Prædicatoribus,* 252
Punct. 2. *De secunda interpretatione, nempe 4. Sedibus Patriarchalibus,* 253
Punct. 3. *De tertia interpretatione, nempe de Sanctis eminentioribus,* 254
§. 4. *Symboli quatuor Animalium, cùm rebus quas ipsa significare diximus, collatio,* ibid.
Punct. 1. *Collatio 4. Animalium cum Euangelistis, Doctoribus, Concionatoribus, Pastoribus,* 254
Punct. 2. *Qua ratione Symbolum hoc 4. Animalium, quatuor sedibus Patriarchalibus conueniat,* 256
§. 5. *Quòd hac visa etiam adeos, qui aliquo modo ad Christi notitiam propagandam inseruierunt, & Apostolicæ sedi fide & obedientia adhæserunt extendi possit,* 263
Annot. 12. *Quòd qualitates, virtutes & dona, quibus quilibet eorum, quos diximus per 4. Animalia designari, possunt suum implere officium, & ex eorum descriptione possint optima ratione conijci.* 264
§. 1. *Quanam virtutes seu animi dotes in Prælatis aut sanctis designentur per figuram Leonis, aut Vituli, aut Hominis, aut Aquilæ,* ibid.
§. 2. *De primo genere virtutum, quibus potissimum moderantur passiones appetitus irascibilis, & fortiter quilibet suum munus exequitur, quæ per Leonem designantur,* 265
§. 3. *De 2. genere virtutum, quibus moderantur passiones appetitus concupiscibilis, & ijs quæ ad eas reducuntur: quæ per bouem designantur,* 267
§. 4. *De 3. genere virtutum, quibus voluntas hominis ornatur, quæ per hominis figuram designantur,* 268
§. 5. *De 4. genere virtutum, nempe intellectualium quæ per Aquilam designantur,* 270
§. 6. *Mentes supradictis virtutibus ornatæ, capaces reddantur diuinarum illustrationum,* 272
§. 7. *Cum cognitione rerum diuinarum, ijs affectus sunt adiungendi,* 273

In Caput V.

Summa huius Capitis.

In Cap. 5. *Annotatio prima.*
§ 1. *Idea Symboli,* 276
Annot. 2. *Quid sit liber scriptus intus & foris.*

Digitized by Google

INDEX.

Punct. *Primum*, 277
Punct. 2. *Doctrina de scientia Christi, ad huius loci faciliorem explanationem*, 279
Punct. 3. *Quanam in libri Symbolo notanda*, 280
Punct. 4. *Quanam ratione Christus liber dici potest, nempe ratione eorum quæ nouit, vt ea reuelet Ecclesiæ*, 281
Punct. 5. *Qua de causa liber dicitur scriptus intus & foris*, 283
§. 2. De 7. *Sigillis huius libri, seu de sigillatione eius, ac difficultate sciendi quæ in eo continentur.*
Punct. *Primum*, 285
Punct. 2. *Variæ de sigillis plurimorum authorum sententiæ*, 286
Punct. 3. *Quanam sint sigilla huius libri, iuxta data à nobis illius libri significationes*, 718
Annot. 3. *Ecclesiam per orationem, ad diuinorum mysteriorum cognitionem, & secretorum quæ in libro mirabili continentur, deuenire*, 290
§. *Primus.*
§. 2. *Quinam sit Angelus fortis*, 291
§. 3. *Qua ratione Spiritus sanctus Ecclesiam ad orandum impellens per Angelum fortem optimè repræsentetur*, 293
Annot. 4. *Efficaciam orationum Ecclesiæ pro cognitione diuinorum in summo Pontifice potissimum apparere.*
§. *Primus*, 294
§. 2. *Explicatio huius oraculi* : Ecce vicit Leo de tribu Iuda radix Dauid, aperire librum & soluere signacula eius.
Annot. 5. *De Christo sub Symbolo agni Ecclesiam illuminante.*
§. 1. *Christum sub diuersis Symbolis in scriptura exprimi, vt multiplices suæ virtutis effectus facilius concipiamus*, 297
§. 2. *Quòd per Agnum stantem in medio Throni tanquam occisum, Christum in Eucharistia existentem debemus intelligere*, 298
§. 3. Punct. 1. *Optimè Christus, vt in Eucharistia existens, per Symbolum Agni stantis tanquam occisi exprimitur*, 299
Punct. 2. *Cur in medio Throni*, 300
Punct. 3. *Cur in figura Agni*, ibid.
Punct. 4. *Cur stans*, 302
Punct. 5. *Cur tanquam occisus*, ibid.
Punct. 6. *Quid per 7. cornua & oculos 7. intelligendum.*
Varia de hac re authorum sententiæ, 303
Punct. 7. *Quomodo Christo in Eucharistia existenti, cornua 7. & 7. oculos tribui queant*, 304
§. 4. *Idea accessus Agni ad Thronum*, 307
Punct. *Primum.*
Punct. 2. *De modo quo Christus constituitur præsens in Sacramento Eucharistiæ*, ibid.
Punct. 3. *Qua ratione Christus, vt in Sacramento existens, accipit librum de dextera sedentis in Throno*, 308
Annot. 6. *Quid tandem emolumenti & commodi nobis obueniat, ex eo quod Christus in medio Ecclesiæ in Eucharistia existat*, 309
Annot. *vltima. Sanctorum etiam in hac vita degentium, eminens sanctitas, singularis dignitas, & tandem immensa potestas in his verbis describuntur*, 311.

Paraphrasis Capitis VI.

DE *admirandis Christi operationibus, tam circa animarum sanctificationem, quàm circa Ecclesiæ gubernationem : vt inimicos nominis eius sub pedibus suis conterat.*
Sigillum. 1. *Symbolum effectus Baptismi, determinationis Ecclesiæ de diuinitate verbi, & omnipotentia Dei*, 315
Sigil. 2. *Symbolum effectus Sacram. Confirm. & determinationis Ecclesiæ de diuinitate Spiritus sancti, & diuinæ bonitatis seu diuini amoris*, 316
Sigil. 3. *Symbolum effectus Sacram. Matrim. in obedientia legi diuinæ præstanda : & humiliationis Verbi in Incarnatione, & diuinæ æquitatis seu diuinæ Iustitiæ*, 317
Sigil. 4. *Symbolum effectus Sacramenti Ordinis, & exaltationis humanitatis in Verbo, & diuinæ sapientiæ*, 319
Sigil. 5. *Symbolum effectus Sacramenti Eucharistiæ & communionis Sanctorum, & patientiæ diuinæ*, 320
Sigil. 6. *Symbolum effectus Sacramenti Pœnitentiæ, & permissionis peccatorum ad diuinæ longanimitatis*, 321

Prologus in Caput VI. *Seu connexio & series eorum, quæ dicta sunt in Capitibus 4. & 5. cum iis, quæ in hoc capite pertractantur*, 323

Annot. 1. *Quod in hoc capite de Sacramentis à Christo institutis agitur*, 323
Annot. 2. *Quod etiam præter effectus Sacramentorum quidam alijs insigniores euentus, seu diuinæ ergo Ecclesiæ bonum prouidentiæ effectus significantur*, 324

Digitized by Google

Annot. 3. *Quid per apertionem sigillorum intelligere debemus*, 324
Annot. 4. *De idea Symb. Cap. 6.* 325
Annot. 5. *Quo ordine S. Ioannes de Sacramentis agat in hoc 6. Cap.* ibid.
Annot. 6. *De prima Christi Hierarchia in Ecclesiâ operatione ad nostram sanctificationem*, 326
Annot. 7. *Optimè Baptismi Sacramentum sigillum nuncupatur, sicut & alia Sacramenta sigilla dicuntur*, 327
Annot. 8. *Quodnam mysterium sub hoc sigillo contineatur, nempe supremus Christi dominatus in fideles, per fidem, quæ in Baptismo infunditur*, 328
Annot. 9. *Idea hominis Christiani Christo obsequentis sub Symbolo equi albi: & cur per equum homo Christianus designatur*, 330
Annot. 10. *Qualia reluceant diuinæ potentiæ opera in fideli Baptizato, vbi explicantur ad hoc demonstrandum Baptismi ritus & ceremoniæ*, 331
Annot. 11. *Qualis est fidelis Christianus qui gratiam Baptismi accepit, eaque bene vtitur, vt hæc omnia diuinæ potentiæ opera in eo reluceant*, 336
§. 1. *Equo assimilatur propter primum fidei effectum*, ibid.
§. 2. *De 2. effectu fidei, nempe purificatione cordis*, 337
§. 3. *Cur sessor equi non describitur & minimè videatur*, ibid.
Annot. 12. *Quid significatur per arcum, & quod fides Christiani operibus sit comprobanda*, 341
Annot. 13. *Coronatus Christus Dominus, & in eo, & per eum coronam accipimus*, 344
Annot. 14. *Quomodo Christus & Christi fidelis exire dicuntur vincentes vt vincant*, 345

De 2. Sigillo, in cuius apertione effectus Sacramenti Confirmationis intelligitur.

Annot. 1. *De Confirmationis Sacramento.*
§. 1. *Quòd sigillum dicatur, & de alijs eius nominibus*, 345
§. 2. *De Authore & Ministro huius Sacramenti, ac de eius materia remota & proxima*, 346
Annot. 2. *De apertione sigilli, & ideæ Symboli ad apertionem sigilli apparentis*, 347
Annot. 3. *Quod & quale mysterium sub Symbolo equi rufi significetur*, 348
Annot. 4. *Conuenientia Symboli cum fideli Christiano Deum supra omnia diligente.*
§. 1. *Cur secundum animal simile vitulo, ad videndum Mysterium secundi sigilli prouocat*, 349
§. 2. *Quòd Christianus per gratiam Sacramenti Confirmationis alius efficitur*, ibid.
§. 3. *Effectus præcipuus huius Sacram. in colore huius equi designatur, & qua ratione hic effectus causetur & producatur*, 350
Annot. 5. *Quænam sint signa, quibus dignosci queat diuinam Charitatem in anima Christiani regnare*, 352
§. 1. *Primum signum, pacis possessio*, ibid.
§. 2. *De bello ineundo cum inimicis diuini nominis*, 354
Annot. 6. *Quo gladio seu instrumento boni & mali se inuicem interficiant*, 355

De tertio Sigillo.

Annot. 1. *Quodnam Sacramentum in hoc sigillo tertio significari asserimus, & cur animal tertium habens figuram hominis hîc assumatur, vt dicat:* Veni & vide. 356
Annot. 2. *Quomodo Sacramentum Matrim. rectè sigillum dicatur*, 357
Annot. 3. *Quale mysterium sub hoc sigillo contineatur*, 358
Annot. 4. *Fidelis mandatorum Dei obseruator optimè in hoc Symbolo depingitur*, 358
§. 1. *Quòd perfectus legis diuinæ cultor debet inspirationibus diuinis, præceptis Dei ac Ecclesiæ promptè & ad nutum obedire*, 359
§. 2. *Verus legis Christianæ cultor debet Christo in aduersis æquè ac in prosperis, in laboribus vt in quiete obtemperare, & ardua quæque pro eius gloria aggredi ac tolerare*, ibid.
§. 3. *Mandatorum Dei fidelis obseruator debet Pastoribus Ecclesiæ humiliter obedire*, 362
§. 4. *Perfectus legis diuinæ obseruator, in veritate, iustitia & iudicio debet ambulare, quæstibet actiones animæ & corporis, cum denario æternæ mercedis, iuxta præscriptum Pastorum ponderando*, 365
§. 5. *Imperium legis diuinæ iustitiam cum misericordia temperare intendit: fidelis legis diuinæ obseruator debet esse,*

religiosus ac pius Sacramentorum diuinorum susceptor, ac prudens administrator, 367
Annot. 5. *In Sacramenti Matrimonij speculatione, vis diuinæ legis, in hominum appetitus, potissimum conspicitur,* 367
§. 1. *Per legem Matrimonij, hostis diuinæ legis occultè insidians manifestatur,* ibid.
§. 2. *Per Sacramentum Matrimonij libidini medetur, & concupiscentia rationis inimica compescitur,* 368
§. 3. *Quòd omnis actus libidinosus extra vsum legitimum Matrimonij prohibetur: in quo apparet quantùm in hominum appetitus sibi vendicat imperium lex diuina,* 369
§. 4. *Quòd ex multitudine legum, quæ pro Matrimonio feruntur, facilè intelligere possimus legis diuinæ imperium in hominum appetitum,* 370
§. 5. *Quòd præcipuè leges, quæ in Matrimonio conspiciuntur, nos ducant ad cognitionem strictæ obligationis, quam habemus obseruandi legem Euangelicam,* ibid.
Annot. 6. *Huius Symboli cum sancto vinculo coniugatorum, collatio,* 371

De 4. Sigillo.

SAcramentum Ordinis in hoc quarto sigillo significatur.
Annot. 1. *De eius essentia, materia, forma, ministro & effectu,* 374
Annot. 2. *Quale & quantum Mysterium in reseratione huius sigilli dignoscitur.*
§. 1. *Quòd fide opus sit ad illud mysterium percipiendum,* 375
§. 2. *Magnitudo huius Mysterij,* 376
§. 3. *Quomodo hæc authoritas humanitati Christi conueniat,* 378
Annot. 3. *Per ideam mortis summa Christi authoritas, Ecclesiæ communicata, designatur.*
§. 1. *Idea Symboli,* 378
§. 2. *Qua ratione hæc authoritas sub tam horrenda figura repræsentatur,* 379
§. 3. *Quis sessor equipallidi, & quibus de causis mortis figuram & nomen assumat,* 381
§. 4. *Quòd mors Christi conuenientissimum fuit medium, quo summa Christi potestas reluceret & manifestaretur per præcipuos illius effectus,* 282
§. 5. *Quòd effectus potentiæ Christi, qui ex morte illius prodeunt, secundum eum respectum quem habent ad nostram vtilitatem, optimè per mortem repræsentatur,* 384
§. 6. *Quòd effectus potestatis Christi optimè per mortis figuram repræsentantur, ex eo quòd morte sua tanquam medio vsus est, vt eos causaret,* 385
§. 7. *Per mortis figuram Christi potestas repræsentari debuit, quia contumaces & rebelles pœna mortis plectere, & quos vult à morte potest liberare,* 386
§. 8. *Quòd per mortis figuram Christus in Pastoribus Ecclesiæ rite adumbratur, quia prædicatores Verbi eius mortem potissimum annuntiare debent,* 387
Annot. 4. *Qua ratione effectus potestatis excellentia, Humanitati Christi Domini collata, in explicatione gratiæ seu potestatis quæ confertur in Sacramento Ordinis, eluceant ac manifestentur,* 388
§. 1. *Quomodo potestas, quæ in Sacramento Ordinis confertur, specimen sit seu quædam imago viua potestatis Christi,* ibid.
§. 2. *Quomodo Potestas Ordinis, figura & nomine mortis, ritè exprimatur,* 390
§. 3. *Quòd diuersi actus, etiam inferiorum ordinum, possint optimè per mortis imaginem adumbrari,* ibid.
§. 4. *Quòd propter iurisdictionem fori interioris, figura mortis ad sacerdotum repræsentandum sit aptissima,* 392
§. 5. *De potestate iurisdictionis in foro externo, propter quam etiam mortis figuram Ecclesiæ Pastores induere possunt,* ibid.

De 5. Sigillo.

Annot. 1. *IN hoc sigillo quinto agitur de Sacramento Altaris,* 395
Annot. 2. *De Mysterio huius Symboli.*
§. 1. *Idea Symboli,* 396
§. 2. *Quodnam sit mysterium sub hoc Symbolo reconditum, nempe sanctorum communio,* ibid.
§. 3. *Magnitudo huius Mysterij nempe communionis sanctorum,* 397
Annot. 3. *Communio Sanctorum optimè adumbratur in eo, quòd singuli Electorum, tum in cœlis, tum in terris, tum in Purgatorio degentium, sub eodem altari recondantur,* 398
Annot. 4. *Huius Communionis Sacramentum est sanctissima Eucharistia,* 399

Digitized by Google

INDEX.

Annot. 5. *Symboli cum re ſignificata, nempe Euchariſtia & Sanctorum Communione conuenientia.*

§. 1. *Ex mentione altaris, de Euchariſtia & Sanctorum Communione agi oſtenditur,* 401

§. 2. *Declaratio modi quo omnes fideles à Chriſto, vt eſt in Euchariſtia, dependent in quocumque ſtatu gratiæ ſeu gloriæ conſtant,* 402

Annot. 6. Vidi ſubtus altare, &c. *Hæc verba de quibuſlibet ſanctis debent intelligi,* 403

Annot. 7. *Vota Sanctorum, Communionem ipſorum ad inuicem teſtantia.*

§. 1. *Quænam ſint vota Sanctorum in hac vita exiſtentium,* 404

§. 2. *Quænam ſint vota Sanctorum, qui iam Beatitudinem ſunt adepti,* 405

§. 3. *Quænam ſint vota animarum in Purgatorio exiſtentium, vt à pœnis ſoluantur, quibus votis Communio eorum cum Eccleſia militante manifeſtatur,* 406

Annot. 8. *Exanditio voti ſeu deſiderij, cum modificatione quadam, aperte Communionem abſolutiſſimam Sanctorum indicante,* 409

De 6. Sigillo.

Annot. 1. *Sub hoc ſigillo 6. de Sacram. Pœnitentiæ agi oſtenditur,* 410

Annot. 2. *Sacramentum Pœnitentiæ rectè ſigillum nuncupatur,* 411

Annot. 3. *Quale Myſterium ſub hoc ſigillo abſconditur, & in apertione eius agnoſcitur,* 412

Annot. 4. *De difficultatibus ſuperandis, vt mens fide illuſtrata, apprehendat quomodo Deus permittat vt remittat peccata.*

§. 1. *Quænam ſit difficultas ſuperanda ex parte naturæ peccati, vt credamus peccatorum permiſſionem aut remiſſionem,* 412

§. 2. *Cur homines propriam non fatentur culpam, ſed in diuerſas cauſas eam reijciunt, cum tamen hæc confeſſio neceſſaria ſit ad eius remiſſionem,* 414

Punct. 1. *Peccatum non eſt à Deo, nec Deus eſt cauſa peccati,* ibid.

Punct. 2. *Non datur aliqua cauſa naturalis peccati, nec à natura ipſa Dæmonis peccatum cauſatur,* 415

Punct. 3. *Aſtra non ſunt cauſa peccatorum,* 416

Punct. 4. *Corpus non eſt cauſa peccati in voluntate exiſtentis,* 417

Punct. 5. *Quòd nec ſpiritus ſecundùm ſuam naturam, eſt cauſa peccati; & cur homines cum difficultate peccaſſe ſe confitentur,* 419

§. 1. *Quòd difficillimum ſit etiam concipere & credere, qua ratione Deus voluerit homini legem imponere, quam infringere præſciret, aut ſi permittit infractionem, eam remittere velit,* 420

Annot. 5. *Ad apertionem ſeu intelligentiam Sacramenti Pœnitentiæ, quam ſextum ſigillum eſſe diximus, oſtenditur quantum ſit myſterium, quod Deus peccata aut permittat aut remittat,* 423

Annot. 6. *Conuenientia Symboli ad ſignificandos peccati effectus, vt ex eius malignitate probè cognita, videamus quàm admirabile ſit Myſterium, quod Deus peccata permittat aut parcat.*

§. 1. *Quænam mala ex peccatis cauſata per terræ motus ſignificantur,* 425

§. 2. *Mentis obſcuratio ex peccato proueniens,* 426

§. 3. *Malignitas peccati dignoſcitur ex corruptione rectitudinis & ſynceritatis intentionum voluntatis,* 427

§. 4. *Facillimus eſt in alia peccata & ſcelera lapſus, ſi ſemel in graue aliquod peccatum inciderimus, quod quidem eſt alius malignitatis peccatorum effectus,* 428

§. 5. *Oblitio diuinorum, pernicioſus malignitatis peccati effectus,* ibid.

§. 6. *Alius malignitatis peccati effectus, rerum naturalium perturbatio in punitionem peccatorum,* 429

Annot. 7. *Quodnam ſit remedium, quo à nobis ſupplicia amouerentur, ſi eo vteremur, ex cuius contemptu apparet quanta ſit peccati malignitas, quæ adeò occupat hominum mentes, vt illud remedium malorum ſuorum contemnere velint,* 430

§. 1. *Ira agni remedium illud deſignat.* ibid.

§. 2. *Quomodo Sacramentum Pœnitentiæ ſit verè thronus Agni irati, quo habemus optimum remedium contra peccatum,* 432

§. 3. *Malignitas peccati maximè manifeſtatur, quod tam præſens remedium contra peccatum peccator reijciat,* 433

De

De ſecunda interpretatione Capitis ſexti, quæ eſt de quibuſdam inſignioribus euentibus, quibus Eccleſiæ fides ſtabilita fuit, & Chriſti Domini gloria valere innotuit.

Annot. 1. *Noſtram mox adducendam interpretationem, æque eſſe aliis interpretationibus veriſimilem oſtenditur,* 434
Annot. 2. *Quænam potiſſimum fuerunt debellanda ad ſtabiliendam Chriſtianam religionem,* 435
Annot. 3. *Quàm neceſſaris fuerit ſupradictorum myſteriorum fides,* ibid.
Annot. 4. *Harum veritatum determinationes, factæ in 4. Conciliis œcumenicis, ſub 4. primis ſigillis adumbrantur,* 437
Annot. 5. *Chriſtum eſſe filium Dei determinatur in Conc. Niceno, illiuſque fidei præclari effectus prophetantur ſub primo ſigillo,* 438
Annot. 6. *Concilij Conſtantinop. determinatio de diuinitate Spiritus ſancti, cuius prouidentia totum corpus Eccleſiæ ſanctificatur & regitur, prædicitur ſub 2. ſigillo, & præclari huius determinationis effectus adumbrantur,* ibid.
Annot. 7. *Dignitas quam adepta eſt natura humana, ex unione ipſius cum Verbo, defenditur in Concilio Epheſ. & huius veritatis effectus deſignantur in Symbolo viſo in apertione tertij ſigilli,* 440
Annot. 8. *In Concilio Chalcedonenſi definitum fuit contra Eutychem naturam humanam in ſuis proprietatibus remanſiſſe, poſt unionem hypoſtaticam: Cuius definitionis effectus ſignificantur ſub Symbolo viſo in apertione quarti ſigilli,* 444
Annot. 9. *De apertione 5. ſigilli, in quo præuiſum eſſe aſſerimus Concilium in Nicæa Bithyniæ celebratum, pro defenſione ſanctarum imaginum,* 447
Annot. 10. *Quinam euentus ex apertione ſexti ſigilli prædici poſſunt,* 449

De felici operationum Chriſti ſucceſſu, in animarum ſanctificatione, & electorum ad numerum debitum multiplicatione. 451

CAPVT VII.

In Caput 7. *Apoc. Annotationes. Præfatio, in qua, quæ dicta ſunt optimè connecti cum dicendis, oſtendimus,* 453
Annot. 1. *Scopus Capitis 7.* 454
Annot. 2. Vidi 4. Angelos. *Quinam ſint iſti 4. Angeli,* 457
Annot. 3. Tenentes 4. ventos terræ. *Quidnam ſignificent venti, qui tenentur ab Angelis, qui præſunt vniuerſo orbi.* 459
§. *Primus.*
§. 2. *An iſti Angeli tenentes ventos ijdem ſint cum iis, quibus dicetur poſtea:* Nolite nocere terræ, &c. 463
Annot. 4. *Quid per terram, mare & arbores intelligendum,* ibid.
Annot. 5. *Eccleſiæ per terram, mare & arb. deſignatæ, nihil eſt ab hominibus aut dæmonibus timendum,* 465
Annot. 6. Vidi alterum Angelum aſcendentem, &c. *Quis ſit ille Angelus aſcendens,* 466
Annot. 7. *Quid intelligat S. Ioannes in his verbis.* Ab ortu ſolis, 470
Annot. 8. *Quodnam ſit ſignum Dei viui, quod ab Angelo aſcendente tenetur,* 473
§. 1. *Quænam ſit idea, ſeu viſio imaginaria illius ſigni in manu Angeli,* 473
§. 2. *Quænam dona Spiritus ſancti, in animis noſtris per ſignum Crucis deſignantur, dum eo ſigno exterius ab Angelo conſignamur,* 474
Annot. 9. *Qua mala arceat per hanc prohibitionem Angelus, ſignum Dei viui tenens,* 478
Annot. 10. *Qua ratione Angelus ſigno iſto mirabili vtitur, ad nos conſignandos in fronte,* 479
Annot. 11. *Qua ratione participes eſſe poſſumus gratiæ eminentis, quæ in Chriſto eſt, capaceſque ſumus impreßionis tam nobilis ſigilli, & quænam in nobis cum eo intercedat ſimilitudo, cùm eo conſignamur,* 480
Annot. 12. *Quænam ſit illa ſimilitudo ſpecialis, quæ reperitur in his, qui ſignantur in frontibus.*
§. 1. *De varijs ſigillis, in quibus reperiri poteſt diuina ſimilitudo,* 482
§. 2. *De effectibus prædeſtinationis,* 484
§. 3. *De ſigno prædeſtinationis, ſeu de heroicis & inſignioribus actionibus, quibus conijcere poſſumus effectus ſupernaturales gratiæ in aliquo, eſſe effectus prædeſtinationis,* 486
§. 4. *Quod actus beatitudinum, ſpiritum gratiæ ſupernaturalis maximè redoleant,* 490
Annot. 13. *De quonam ſigno inter eos de quibus ſupra, hic locus potiſſimum ſit intelligendus,* 491
Annot. 14. *De ſignis perfectorum in fronte quæ ſine ſanctitatem, ſine autho-*

Digitized by Google

ritatem exprimunt, 494
Annot. 15. *Quinam sint isti centum quadraginta quatuor millia signati.*
§. 1. *Doctrina S. Dionysij de Ecclesiastica Hierarchia, ad intelligentiam dicendorum perutilis*, 496
§. 2. *Quinam sint illi signati*, 497
§. 3 *Cur per centum quadraginta quatuor millia, præcipuè Sacerdotes & sanctos eminentiores aut notiores intelligimus*, 498
§. 4. *Cùm sacerdotes & sancti, ex omni tribu & lingua & populo & natione dicantur redempti, cur specialiter dicantur assumi ex omni tribu filiorum Israël*, 500
Annot. 16. *Non ex una tribu oriri dicuntur sancti & Sacerdotes, sed ex 12. tribubus; tum vt diuersitas donorum, quibus decorantur, significetur; tum vt eorum generatio spiritualis, ad 12. Apostolos, veluti ad duodecim progenitores, per 12. antiquos Patriarchas significatos, referatur*, 501
§. 1 *Cur in enumeratione tribuum, ordinem in alijs scriptura locis seruatum, sanctus Ioannes immutarit. Cur tribum Dan omiserit, tribum Manassem expresserit, Ephraim non expresserit*, 502
§. 2. *In duodecim classes seu ordines electi reponuntur, propter diuersitatem donorum*, 505
§. 3. *Antiquorum Patriarcharum populi Israëlitici progenitorum, cum Apostolis noui Israëlis progenitoribus collatio*, 507
§. 4. *Quenam desiderantur ad prædestinationem manifestandam, ad gratiam conseruandam, & effectus illius declarandos*, 510
Annot. 17. *De signis quæ communia sunt omnibus electis & prædestinatis, quæ si semel clarè & diluciде innotuerint, Ecclesiam inducere possunt ad eos canonizandos in quibus reperiuntur*, 513
§. 1. *An ijdem sunt signati in fronte cum turba magna*, 514
§. 2. *Quenam actiones virtutis ac pietatis ab Ecclesia requiruntur, tanquam signa & indicia sanctitatis & æternæ beatitudinis*, ibid.
§. 3. *Qua ratione omnes actus quarumlibet virtutum, qui ab Ecclesia requiruntur pro indicijs specialis sanctitatis ad actus beatitudinum possint reuocari*, 516
§. 4. *Qua ratione actus beatitudinum exprimuntur à S. Ioanne in hoc 7. Capite*, 517
Annot. 18. *Certissimum est Angelos Ecclesiam circundare, protegere, & custodire*, 520
Annot. 19. *Ad quem pertineat de actibus sanctorum in specie & in individuo, iudicium ferre*, 521

CAPVT VIII.

De summa Dei clementia, de auxilijs, & remedijs prouidente: & iusta Dei seueritate pœnas pro contemptu tantæ clementiæ exigente.

Paraphrasis Cap. 8. 525

In Caput VIII.

Præfatio, 528
Annot. 1. *Qua de causa S. Ioannes reserationem septimi sigilli vsque ad octauum hoc caput distulerit*, ibid.
Annot. 2. *Quale mysterium manifestatur in apertione huius sigilli, nempe quanta & quàm iusta sit Dei seueritas in puniendis & castigandis hominum delictis*, 529
Annot. 3 *Quodnam sit illud sigillum, & quod sub isto sigillo agatur de Sacramento Extremæ-vnctionis, de Missæ sacrificio, ac supplicijs impiorum.*
§. 1. *De Sacramento Extremæ-vnctionis* 531
§. 2. *Quòd agatur etiam sub hoc sigillo septimo de sacrificio Missæ*, 532
§. 3. *Agitur etiam sub hoc sigillo de medio, quo Deus vtitur ad auertendos homines à peccatis, nempe cominationibus suppliciorum, quorum quatuor in hoc capite describuntur*, 534
Annot. 4. *De apertione sigilli*, ibid.
Annot. 5. Factum est silentium, &c. *quid sit istud silentium*, 535
§. 1 *Quid sit in genere silentium, de quo agit S. Ioannes*, ibid.
§. 2. *De hoc silentio specialim*, 536
Punct. 1. *Ira Dei prouocatur quia silet primò conscientia*, ibid.
Punct. 2. *De secundo silentio iram Dei prouocante, reticentiâ peccatorum in confessione*, 537
Punct. 3. *De 3. Silentio iram Dei prouocante, cum ad Deum per orationem non recurrimus*, 539
Punct. 4. *De 4. silentio iram Dei prouocante, cum videlicet hominum scelera non corripiuntur ab eis quorum interest*, ibid.
Punct. 5. *De 5. silentio iram Dei indicante, nempe cessatione prædicationis*

Digitized by Google

INDEX.

verbi diuini, 540
Punct. 6. *De 6. silentio iram Dei indicante, nempe impunitate criminum, seu retardatione vindictæ*, 541
Punct. 7. *De vltimo silentio ex sex præcedentibus constato, nempe effrenata male agendi licentia*, ibid.
§. 3. *Quomodo plagæ futuræ cum his silentijs conueniant & relationem habeant*, 542
§ 4. *Alia interpretatio huius silentij, de admiratione sanctorum*, 543
§. 5. *De duratione illius silentij*, 544
Annot. 6. *De medijs quibus vtitur diuina prouidentia, vt homines à peccandi libidine abstrahat, antequam mala & plagas immittat*, 545
§. 1. *De primo medio à Deo ordinato pro abstrahendis hominibus à peccatis, nempe prædicatione Verbi Dei*, 546
Idea Symboli, 550
§. 2. *De duobus medijs alijs quibus Deus homines à peccatis conatur auertere, ne in eos plagas, quas propter peccata demerentur, immittat in hoc Symbolo designatis, nempe Sacramento Extremæ vnctionis & Missæ sacrificio.*
Punct. 1. *Quinam Angelus habens thuribulum aureum*, 551
Punct. 2. *Quid per altare, incensa, & ignem significatur*, 552
Punct. 3. *Applicatio Symboli cum secundo medio, quo Deus vtitur, vt à nobis peccatorum pœnas amoueat, nempe Sacramento Extremæ-vnctionis*, 553
Punct. 4. *Symboli huius cum sacrificio Missæ collatio*, 555
Punct. 5. *Diuersa authorum expositiones, nostra est, quod ex participatione sacrificij corporis Christi, bonis bona malis mala contingant*, 557
Annot. 7. *Deus habet plagas paratas, ad probationem & correctionem electorum, & ad vlciscenda etiam in hac vita reproborum crimina*, 558
§. 1. *Quòd plagæ istæ prædicantur & de eis moneantur fideles, antequam immittantur*, ibid.
§. 2. *Quibus potissimum plagis Deus hominum crimina vlciscitur*, 559
§. 3. *De prima plaga nempe fame*, 560
Punct. 1. *Fames sub Symbolo grandinis & ignis cum sanguine mixti denotatur*, ibid.
Punct. 2. *Cur tertia tantùm pars terræ & arborum dicatur comburi & omne fœnum concremari*, 161
§. 4. *De 2. plaga videlicet bello*, 563
Punct. 1. *Quid per montem magnum & mare intelligitur*, ibid.
Punct. 2. *De effectibus belli*, 566
§. 5. *De tertia plaga, peste videlicet*, 567
Punct. 1. *Quid per stellam magnam, flumina & fontes hic intelligitur*, ibid.
Punct. 2. *Plaga pestes optimè in hoc Symbolo describitur*, ibid.
§. 5. *De 4. plaga, nempe de ignorantia & cæcitate mentis*, 572
Punct. 1. *Idea Symboli*, ibid.
Punct. 2. *Quid per Solem, Lunam, Stellas & eorumdem planetarum obscurationem, aut diem & noctem, sit intelligendum ex diuersis interpretibus*, ibid.
Punct. 3. *Quartam plagam esse ignorantiam eorum, quæ ad salutem consequendam necessaria sunt asserimus*, 573
Punct. 4. *Ignorantia rerum diuinarumque, scitu ad salutem sunt necessaria, hic optimè describitur*, 574
Punct. 5. *Quid per diem & noctem ad tertiam partem non lucentes intelligatur*, 577
Annot. 8. *Quanam sit aquila volans & quæ claues*, 578
§. 1. *Variæ authorum expositiones*, ibid.
§. 2. *Quis tandem per aquilam volantem & clamantem, væ, væ, væ, &c. designetur*, ibid.

De tribus aliis plagis horrendis quibus Deus hominum in malo pertinaciam vlciscitur.

CAPVT IX.

Annotationes in Cap. IX.

Præfatio, 582
Annot. 1. *Disceptatio pro vero sensu huius Capitis noni, in quo de effectibus passionum dominantium, de hæresibus, obcæcatione mentis & voluntatis obduratione agi asserimus*, ibid.
Annot. 2. *Idea Symboli, cum summaria interpretatione illius*, 583
§ 1. *Idea Symboli*, ibid.
§. 2. *Summaria Symboli interpretatio*, 583
Annot. 3. *De quibusnam passionibus hoc Symbolum sit intelligendum*, ibid.
§. 1. *Radix, origo & causa passionum earumque numerus*, ibid.
§. 2. *Hæ passiones tribus modis consi-*

derari possunt, vel vt rationi subiecta, vel vt eius imperium prænenientes, vel vt ad imperium voluntatis peccato consentientis, in actum prodeuntes, 585

Annot. 4. *Qua ratione homines in concupiscentiæ suæ captiuitatem redigantur,* 586

Annot. 5. *Explicatio Symboli,* 587

§. 1. *Stella de cælo cadens est diabolus,* ibid.

§. 2. *Quid per clauem, quid per puteum abyssi intelligendum sit,* 588

Annot. 6. *De potestate tentandi permissa diabolo,* 589

§. 1. *Qua ratione Deus homines tentari à Diabolo permittat, & quomodo dæmon hac permissione vtatur,* ibid.

§. 2. *De primo medio quo dæmon aperit aut claudit cor humanum, nempe per sensus externos,* 591

§. 3. *De 2. medio, quo tanquam claue dæmon consensum cordis aut dissensum exigit,* 592

§. 4. *De tertio medio, quo diabolus mentem & cor hominis inducit ad peccati consensum, nempe commotione passionum,* ibid.

§. 5. *De septemplici modo tentandi homines. Qua de causa sub varijs bestiarum formis, à Scriptura & Patribus dæmon depingitur,* 593

§. 6. *Quomodo per hanc potestatem tentandi dæmon consensum exquirat & extorqueat, & de quibusdam remedijs tentationum,* 597

Annot. 7. *Quid consequitur ad apertionem putei abyssi, seu inductionem dæmonis in peccati consensum,* 598

§. 1. *Idea Symboli,* ibid.

§. 2. *Quid per fumum, per magnam fornacem, per solem & aream intelligatur.*

Punct. 1. *Variæ authorum expositiones,* 598

Punct. 2. *Quid nos per fumum, magnam fornacem, & solem & aërem intelligamus,* 599

Annot. 8. *Passiones consequentes liberam voluntatis electionem, seu mali actus externi intensiores propter concomitantiam illarum passionum, per locustas intelliguntur.*

§. 1. *Variæ authorum expositiones de locustis & quæ tandem nostra sit sententia,* 601

§. 2. *Locustarum natura, earumque, quæ è fumo putei exeunt, descriptio, vt ex hac descriptione Symboli cum re significata conuenientiam melius percipiamus,* 602

§. 3. *De fœtida & spurca peccandi libidine, & quàm sit impudens, audax, multiplex & insatiabilis,* 603

§. 4. Et data est illis potestas sicut potestatem habent scorpiones terræ. *Quòd peccata mortifera conscientiam cruciatibus torqueant,* 605

§. 5. *Non corpus, aut externa hominis bona per peccatum læduntur, sed anima,* 606

§ 6. *Cur mali dicuntur tantùm cruciari mensibus quinque,* ibid.

§. 7. *Peccata blandè ingrediuntur, sed in fine crudeliter diuexant conscientiam,* 608

§. 8. *Descriptio actuum peccatorum ex concupiscentia consequente rationis imperium: qua descriptione videtur quàm formidabilis sit plaga pronitas ad peccandum, per quam facile perpetrantur peccata, propter insatiabilem peccandi libidinem,* 610

§. 9. *Peccatum rationi imperium adimit, crudelitatem sub specie humanitatis contegit, lumen rationis obnubilat, libertatem arbitrij vinculis quibusdam innodat,* 611

Punct. 1. *Peccator imbecillem habet rationis vsum,* ibid.

Punct. 2. *Peccati crudelitas & sæuitia,* 612

Punct. 3. *Peccatorũ pertinacia,* ibid.

Punct. 4. *Mali exemplo suo alios veneno peccati interimunt, dum imitantur,* 613

Punct. 5. *Amor proprius radix omnium malorum,* 614

Annotio 1. De 6. Plaga, nempe hæresi.

§. 1. *Connexio eorum, quæ dicenda sunt, cum ijs quæ supra dicta sunt,* 615

§. 2. *Conuenienter agitur de plaga hæresis, post plagam inordinati appetitus inferioris, quo peccatis liberè indulgemus,* ibid.

§. 3. *Quàm formidabilis sit plaga hæresis,* 616

§. 4. *Cùm inter præcipuos euentus, qui, Deo permittente, Ecclesiæ fidem probant, simulque manifestant, sint hæreses, debuit S. Ioannes de hæresibus specialem habere reuelationem,* 618

§. 5. *Cur Deus Ecclesiam inter scandala & hæreses cursum transigere permittat,* 619

Digitized by Google

§. 6. *Ex hac contrarietate, quam patitur Eccleſia à ſpinis hæreticorum & aliorum hoſtium, magis emitet illius pulchritudo,* 621
§. 7. *Idea Symboli, & ſummaria illius expoſitio, de hareſum origine, natura, proprietatibus & effectibus,* 622
Annot. 2. *Quinam ſit ſextus Angelus & quæ tuba ſeu prædicatio, &c.* 923
Annot. 3. Et audiui vocem vnam ex 4. cornibus altaris aurei. *Quodnam ſit illud altare,* 923
Annot. 4. *De origine hæreſeon & errorum quorumlibet,* 624
Præfatiuncula ad elucidationem dicendorum.
§. 1. Et audiui vocem. *Quænam ſit illa vox & cuius; & ad quos dirigatur: quinam ſunt Angeli ſoluendi,* ibid.
§. 2. *Quid alligatio 4. Angelorum, & quid eorumdem ſolutio,* 622
Annot. 5. *Quænam ſit cauſa legitima, quæ inducat diuinam bonitatem vt permittat Angelorum malorum ſolutionem, dum miniſterio Paſtorum rebelles à cœtu fidelium ſegregat & reſcindit,* 628
§. 1. *Quænam ſint media quibus Eccleſia veritatem tuetur, per 4. cornua altaris deſignata, quorum contemptu fit ſolutio 4. Angelorum,* ibid.
§. 2. *Quænam ſint vitia quæ oriantur ex contemptu doctrinæ Euangelicæ,* 629
Annot. 6. *De hù vitijs ſigillatim, ex quibus oriuntur hæreſes, quæ in hu 4. Angelis ſolutis repræſentantur: ſecundùm quod diuerſimodè nobis Chriſtus Dominus ab Eccleſia propoſitus, ab hominibus contemnitur.*
§. 1. *De vitijs errorum cauſis, ad quæ nos dæmon impellit, ex contemptu Chriſti in Eccleſia regnantis,* 630
§. 2. *De 4. alijs vitijs errorum cauſis, ad quæ nos dæmon impellit, ſi ſemel Chriſtum Dominum vt in carne cum hominibus conuerſantem contempſerimus,* 632
§. 3. *De vitijs ad errorem impellentibus, quæ ex contemptu Chriſti Domini in cruce pendentis exoriuntur,* 637
§. 4. *De vitijs ad errores inducentibus, ex contemptu Chriſti Domini, vt in ſacramento altaris exiſtentis,* 639
§. 5. *De vitijs ad errores inducentibus ex contemptu Chriſti Domini, in quantum ſedet in dextera Patris, quatuor potiſſimum virtutibus inſignitus,* 644
§. 6. *Quam ſint nociua vitia, per quæ dæmones nos continuò ad errores impellunt,* 649
§. 7. *Quanam ratione inducti fuimus ad hanc coniecturam, viginti nempe vitia origines eſſe errorum & hæreſum,* 650
Annot. 7. *Hæreticorum deſcriptio.*
§. 1. *Cur hæretici per equos deſignentur,* 652
§. 2. *Sedentes ſuper equos potiſſimum ſunt dæmones,* 653
§. 3. *Habebant loricas igneas & hyacinthinas, & ſulphureas, quos prætextus aſſumant hæreſiarchæ, vt ſuos errores diſſeminent,* 654
§. 4. *Quales exiſtant dæmonibus & hæreſiarchis credentes,* 656
§. 5. *Quoſnam potiſſimum hæretica prauitas corrumpat,* 657
§. 6. *Duo in hæreticis cauenda, doctrina eorum & illorum praua actiones, quibus ad defectionem à fide vi aut aſtutia alios peruertere contendunt,* ibid.
Annot. 8. *Quinam pietati noceant præter hæreticos,* 658

De miranda ac tremenda Dei potentia, in executione prædeſtinationis electorum, & iuſta reproborum punitione. 659

CAPVT X.

Prologus in Caput decimum. 660.
Annot. 1. *Aptiſſimo Symbolo Deus manifeſtat magnitudinem potentiæ, qua vtitur in ſaluandis electis & reprobis puniendis,* 661
§. 1. *Idea Symboli,* ibid
§. 2. *Compendiaria huius Symboli explicatio,* 662
Annot. 2. Et audiui alium Angelum, &c. *Angelus iſte Chriſtum repræſentat vt Eccleſiæ moderatorem,* 664
Annot. 3. *Apparet Angelus amictus nube ad denotandam Dei protectionem & gratiæ copioſam effuſionem: nec non ad denotanda diuerſa ſupplicium genera,* 665
Annot. 4. Et iris in capite, &c. *Quid iris hîc denuntiet,* 667
Annot. 5. Et habebat in manu libellum, &c. *Quòd libellus iſte alius ſit à libro ſignato, & quid contineat,* ibid.
Annot. 6. *Inimicorum proſtratio, in opere firmitas affectuum Miſericordiæ*

& iuſtitiæ demonſtratio, per pedes ſignificantur, 668
Annot. 7. Et clamauit voce magna, &c. *Cur clamat Angelus voce magna; & quid voces ſeptem tonitruum ſignificent,* 669
Annot. 8. *Cur Angelus leuet manum ſuam ad cælum,* 671
Annot. 9. Tempus non erit amplius, &c. *Tempus illud non amplius futurum, intelligitur de tempore ad bene operandum & ad pœnitentiam hominibus conceſſo: quod quidem finitur, cùm tempus iudicandi homines aduenit,* 672
Annot. 10. *An myſticè vel phyſicè tempus, hora, dies, menſis, annus, in hac prophetia ſumantur,* 673
Annot. 11. Et audiui vocem, &c. *varia authorum expoſitiones,* 678

De ſpeciali Dei prouidentia erga Eccleſiam in extremo periculo, ac de fortitudine, ſanctitate, ſapientia & eminente virtute electorum, in eiſdem periculis. 680

CAPVT XI.

PRologus in quo ſcopus huius capitis vndecimi explicatur, 682
Annot. 1. *Probatio tertiæ ſententiæ ſupra allatæ ſcopi huius capitis, nempe quod agitur in eo & in 20. Apocalypſis capite de vltimis temporibus,* 683
Annot. 2. Et datus eſt mihi calamus, &c. *Quid per calamum intelligere oporteat,* 685
§. 1. *Variæ expoſitiones de calamo,* ibid.
§. 2. *Quanam eſt illa menſura, qua cuiuſlibet electi virtus explorari debet, vt pro ratione virtutis tentationibus probetur,* 686
Annot. 3. *Idoneus fuit S. Ioannes ad metiendam Eccleſiæ virtutem, quia habuit ſigna prædeſtinationis electorum cognita, æque ac ſigna eorum, qui reprobari merentur, vt conijceret quinam poſſent permanere ad coronam, quinam poſſent in ſempiternum abire infernum,* 688
Annot. 4. *De templo, altari & adorantibus in eo, & atrio foris eijciendo,* 690
§. 1. *Diuerſæ authorum expoſitiones de templo & altari & atrio,* ibid.
§. 2. *Quid intelligant authores per menſurationem templi & altaris & adorantium in ea, & de eiectione atrij abſque menſuratione,* 691
Annot. 5. *Quid propriè per templum & altare & adorantes in eo hîc ſignificari certemus? Quid ſit horum menſuratio & quid ſignificet atrium & eius eiectio,* 692
Annot. 6. *Quantum coarctabitur Eccleſia temporibus Anti-Chriſti & de fiducia eius in Deum & duratione perſecutionis Anti-Chriſti,* 695
§. 1. *Eccleſia valde coarctata,* ibid.
§. 2. *De duratione vltimæ perſecutionis,* 697
Annot. 7. *Qua ratione Deus Eccleſiæ ſanctæ à gentibus oppreſſæ, auxilia ſuppeditabit opportuna,* 698
§. 1. *Paratum ſemper habet Deus pro ſua Eccleſia auxilium,* ibid.
§. 2. *Variæ de duobus teſtibus authorum ſententiæ,* 699
Annot. 8. *Probabilius eſt illas veras perſonas, eſſe Enochum & Eliam,* 701
Annot. 9. *Quid Deus daturus ſit duobus teſtibus, & de temporis ſpatio prophetiæ illorum, & quo fine appareant amicti ſaccis,* 740
Annot. 10. *Digreſſio de vilitate habitus fratrum Minorum: & quod probabile ſit indumentum Enoch & Eliæ futurum eſſe indumento Minorum conforme,* 705
Annot. 11. *Quales ſe exhibebunt duo teſtes erga electos; & de inunctione perfectæ gratiæ in eis, & diffuſione Charitatis,* 708
Annot. 12. *Quales ſe exhibebunt illi duo teſtes erga Chriſti hoſtes,* 710
Annot. 13. *De multiplici duorum teſtium virtute ad patranda miracula, ad reſtaurandum Dei cultum, & hoſtes Chriſti conterendos neceſſaria,* 712
Annot. 14. *De fine & felici conſummatione vitæ & miniſterij duorum teſtium,* 714
Annot. 15. *Mors duorum teſtium omnibus debet eſſe conſpicua; quo certior appareat & glorioſior eorumdem reſurrectio,* 717
Annot. 16. *Gaudium iſtud Gentium non erit de morte myſtica doctrinæ aut pietatis, ſed ex vera morte corporali duorum teſtium,* 719
Annot. 17. *Quo magis res fidelium in deploratiori videntur ſtatu reductæ, eò citius feliciorem obtinent exitum; & quò magis impij liberius genio ſit poſſe indulgere exiſtimant, eo promptius ineuitabili perimantur exitio,* 721
Annot. 18. *De reſurrectione duorum teſtium, & affectibus eam ſubſequentibus,* 722

INDEX.

Annot. 19. *Status rerum Eccleſiæ poſt mortem & reſurrectionem Enoch & Eliæ Chriſti teſtium,* 723
§. 1. *Idea 2. partis cap. vndecimi & de tertio væ veniente cito,* 726
§. 2. *Quid tuba ſua canere debeat ſeptimus Angelus,* 727
Annot. 20. *Cum Monarchia viſibilis Eccleſiæ, poſt Anti-Chriſti mortem, ſuam obtinebit perfectionem, tunc fiet regnum huius mundi, regnum Domini noſtri & Chriſti eius,* 728
Annot. 21. *Poſt Anti-Chriſti mortem magna erit libertas Paſtoribus Eccleſiæ ſuo fungendi officio,* 733
Annot. 22. *Iudicium accelerabitur propter ingratitudinem hominum, & vt citius electi corporis glorificationem obtineant,* ibid.
§. 1. *Qualis erit Eccleſiæ ſtatus, à nece Anti-Chriſti vſque ad diem iudicij,* 734
Annot. 23. *Eccleſia in tranquillo ſtatu conſtituta, ſanctis virtutibus refulgebunt, qui ſuaui prædicatione peccatores allicient, & in eis morum mutationem exoptabunt: & credere & conuerti nolentes comminationibus terrere conabuntur,* ibid.

Applicatio Symboli hæreticorum Cap. IX. Apocalypſis ad Ianſeniſtas.

Summarium huius tractatus, 736
Motiuum huius tractatus, ibid.
Artic. 1. *Quòd Ianſeniſtæ habendi ſunt hæretici,* 737
Artic. 2. *Vt Ianſeniſtæ cenſeantur hæretici, ſufficit autheritas ſummi Pontificis,* ibid.
Artic. 3. *Rationes quibus fulcitur ſententia, quæ aſſerit Pontificem, vt Pontificem, errare non poſſe in materia fidei,* 739

Symbolum hæreticorum ex IX. Capite Apocalypſis.

Artic. 1. *Ianſeniſtæ optimè per equos deſignantur,* 473
Artic. 2. *Quinam ſint equorum ſeſſores,* 746
Artic. 3. *Quinam ſint prætextus Ianſeniſtarum, propter quos à communi ſententia Eccleſiæ diſcedere velint,* 748
Artic. 4. *Zelo falſo diuini honoris, & zelo propriæ exiſtimationis, quo facile in turpitudinem homines incidunt, accenduntur Ianſeniſtæ, igne inferni tandem puniendi,* 750
Artic. 5. *Damnationem æternam quorumlibet hæreticorum meditatur diabolus, dum illos ad hæreſes inducit ſub hîs coloribus,* 752
Artic. 6. *Scopus dæmonis, dum errores diſſeminat, & animarum perditio, & ad hunc finem mouet hæreſum inuentores,* 753
Artic. 7. *Quid per caudam & caput iſtorum equorum ſignificetur,* 755
Artic. 8. *Cùm tales ſint Ianſeniſtæ, meritò cenſendi ſunt ab vnitate Eccleſiæ reſciſi,* 757

Libellus charitatiuæ prouocationis ad certamen, &c.

Caput I.

Prolegomenicum, neceſſitatis, occaſionis & originis huiuſce libelli prouocatorij declaratiuum, 760
Cap. 2. *De Theſibus libelli, tam generalibus quàm particularibus,* 761
Cap. 3. *De rationibus fundamentalibus & fundatricibus prædictarum Theſium, ex principijs eſſentialibus Caluiniſmi naſcentibus, in ſyllogiſmum reductis,* 762
Cap. 4. *De confirmatione iſtorum Caluiniſmi principiorum,* 762
Cap. 5. *De conſequentijs neceſſario illatis ex ſupradictis principijs, confirmatis per applicationem hypotheſeos ad Theſim.*
Argumentum 1. *Quo inferuntur conſequentiæ ſiue Theſes ſupradictæ ex dictis principijs,* 763
Cap. 6. *De monito Caluiniſtæ facto ob periculum illi imminens, ex deductis per præcedens argumentum.*
Argumentum. 2. 764
Cap. 7. *De 2. argum. ex præfatis principijs & dogmatibus deducto,* ibid.
Cap. 8. *De 3. argumento illatiuo abſurdorum ex præfatis dogmatibus, ad theſium iuſtificationem,* 764
Cap. 9. *De 4. argumento illatiuo Theſium ſupradictarum ex præfatis principijs,* 765
Cap. 10. *De argumento 5. è ſupradictis eruto & inſolubili, Theſium tamen confirmatiuo,* 765
Cap. 11. *Reductiuum Hugnotiſmi ad*

Eccleſiam Chriſtianiſmi, quam deſeruit, ibid.
Cap. 12. *De ampliori confirmatione theſis generalis remouentis Hugnotiſmum à Chriſtianiſmo, & profeſſorem Hugnotiſmi à qualitate Chriſtianiſmi,* 765
Cap. 13. *Arguens tergiuerſationem miniſtri pro tota ſua Synodo ſtipulantis, dum renuit agitare Theſes oblatas, pratextans non eſſe conſuetudinem diſputandi contra Theſes, aut contra argumenta, aut contra diſcurſum ex argumentis contextum,* 766
Cap. vltimum. *De Theſibus acromaticis, pro refutatione deblaterationum miniſtralium in fuga diſputandi contra Theſes oblatas,* 768

Motiua quibus quilibet Hæreticus induci poteſt ad reuerſionem ex Parabola filij prodigi, de hæretico homine optima ratione interpretata.

Artic. 1. *Parabola filij prodigi de hæretico eſt exponenda,* 769
Artic. 2. *Primus ad miſerandum ſtatum greſſus eſt libertatis abuſus,* 770
Artic. 3. *Qui duo filij? qui maior, quive minor?* 771
Artic. 4. *Quanam ſit illa regio longinqua in quam proficiſcitur filius adoleſcentior diſcedens à veritate & hareſim amplectens, vt proprio indicio & electioni propria adhæreat?* 771
Artic. 5. *Quanta detrimenta patiatur in exercitio virtutum, qui veram fidem deſerit, vt errori adhæreat,* 772
Artic. 6. *Quàm horrenda ſit fames hæreticorum, in quibus nulla ſpes certa ſalutis aterna, nec gaudium in Spiritu ſancto, inter tot mundi angustias,* 774
Artic. 7. *In quàm miſerando ſtatu reducitur, qui ſpe æternorum & gaudio & pace charitatis priuatus eſt,* 776
Artic. 8. *Ad conuerſionem mouetur filius prodigus ex conſideratione bonitatis & benignitatis Patris ſui. Secundum motiuum conuerſionis, quo hæreticus ad pœnitentiam prouocari poteſt,* 777
Artic. 9. *De tertio motiuo conuerſionis. Immenſa Dei liberalitas erga verè conuerſos & pœnitentes, quos in priſtinum ſtatum reſtituit & redintegrat.*
§. 1. *Ad quem pertineat hæreticum admittere in Eccleſiæ ſinum,* 779
§. 2. *Quæ dona hæretico reuertenti conferantur?* 780
§. 3. *Secundum bonum. Fides per charitatem operans cum perſeuerantia,* 781
§. 4. *Tertium bonum reſtitutum vere pœnitenti eſt alacris in via Dei progreſſus,* 782
§. 5. *Quartum bonum reſtituendum verè pœnitenti eſt ſtricta mentis & voluntatis vnio cum Deo,* 782
§. 6. *Quid potiſſimum parabola iſta doceat, in his quæ ſequuntur,* 784
§. 7. *Quòd hæreſis ſeu apoſtaſia à fide ſit grauiſſimum crimen, quo ſit vt hæreticus non debeat admitti, niſi attente ponderando verè an ſincerè ad Eccleſiam accedat: quia difficilis & rara eſt vera hæretici conuerſio,* 784
§. 8. *Scopus tandem parabola aperitur, nempe nullum eſſe peccatorem repellendum, quamvis graviori crimine reus ſit, neminemque contra Dei & Eccleſiæ lenitatem meritò ſuccenſere debeat,* 786
§. 9. *Nulla iuſta cauſa adduci poteſt, qua Eccleſiæ lenitas in receptione hæreticorum pœnitentium vituperari poſſit,* 787
§. 10. *Quomodo recipiendi ſunt hæretici cum reuertuntur,* 788

FINIS.

Digitized by Google

PRÆLVDIVM
AD INTELLIGENTIAM
INTERPRÆTATIONIS LIBRI
APOCALYPSIS PERVTILE[illegible].

AD GLORIAM Nominis Domini noſtri Ieſu Chriſti aggreſſurus interpretationem Apocalypſis factæ Chariſſimo diſcipulorum, ipſius immentiam eius clementiam deprecor vt ſi ſcopum non attingam, à ſcopo tamen me longè aberrare non permittat. Fulgeat in mente diuinum lumen Eccleſiæ fides, præluceat ratio interpretandi, doctrinæ Patrum ac vnanimi eorum conſenſui conueniat. Hoc à me exigit pietas, fides poſtulat, Catholica animi exquirit modeſtia. Opus proculdubio ſublime & arduum, non quia ex Philoſophorum pecu & ſcriniis depromptum, aut Rhetorum [illegible] ornatum, aut humanioribus litteris ac politicorum multiplici eruditione locupletatum: ſed quia in omnibus ſimplicitatem fidei exigit, opus perinde tanto ſublimius quanto notitia ex fide emanans omni Philoſophia ſit certior, Dialectica acutior, Rhetorica elegantior, qualibet tandem eruditione illuſtrior. Illud Eccleſiæ iudicio, quæ columna eſt & firmamentum veritatis, humillimè ſubmittens & probandum aut corrigendum reliquens, tibi optime lector offero, faxit Deus vt ad Ieſu Chriſti gloriam & tuam vtilitatem in lucem prodeat; quod vt fœlicius ſuccedat has quæſo monitiones benignus ſuſcipe, & imprimis dico quod

Multa mihi dicenda eſſent de authore huius libri, de eius authoritate ac dignitate, ſcopo ac fine, niſi hæc adeo luculenter ac ſolidè pertractata fuiſſent à tot doctiſſimis & eruditiſſimis viris Baronio anno 97. Bellarmino lib. 1. Franciſco Feuardentio in lib. 5. Irenæi. Franciſco Titelmanno Ordinis fratrum Minorum, qui ſanctiſſimè obiit Capucinus lib. 2. de Auctoritate Apocalypſis. Cornelio, aliiſque commentatoribus, vt ſuperuacaneum ſit hic tranſcribere quæ ab iis annotata fuere. Ex multis pauca hæc accipe.

Ioannis Theologi Apoſtoli & Euangeliſtæ (vt eum vocat Dionyſius Areopag. epiſt. 10.) ſeu puriſſimæ Theologiæ Organi, vt appellatur à Ioanne Damaſceno Orat. de transfiguratione, prophetia eſt non Hebraïcè, non Latinè, ſed Græcè, ſcripta poſt excidium Hieruſalem cùm exularet in Pathmo ſub finem imperij Domitiani, nimirum ſub annum Chriſti 97. qui fuit imperij Domitiani 14. antequam ſcriberet Euangelium, quod equidem ſcripſit reuerſus ab exilio Pathmos ſub annum Chriſti 99. proinde de fide eſt Scripturam eſſe Canonicam, vt pote ab Apoſtolo & diſcipulorum chariſſimo conditam ac nobis conſignatam, & vt canonicam ab Eccleſia in Conciliis Romano ſub Damaſo, Florentino, Tridentino, item Ancyrano, Carthaginenſi 3. cap. 47. & Toletano 3. receptam & nobis propoſitam. Et meritò vt de eius dignitate aliquid dicamus Richardus à ſancto Victore lib. 7. cap. 12. aſſerit librum hunc non ſolum eſſe Euangelium, ſed in Euangelica doctrina ſicut vltimum, ita & ſummum locum obtinere, ac in ipſo ſanctam Scripturam ad modum arboris cacumen extuliſſe. Hæc ille. Cùm enim finis legis ſit Chriſtus, & ad Chriſtum omnia quæcunque ſcripta ſunt referantur, recte Apocalypſis cacumen Scripturarum proponitur; Spiritus enim huius Prophetiæ eſt vt de Chriſto teſtimonium fideliter reddat, vt videbimus. Cùm igitur totus in eo ſit hic liber, & Chriſti gloriam nobis proponat ſuſpiciendam, ad quem cæteræ ſcripturæ ordinantur, recte erit apex, & cacumen omnium ſcripturarum. Hunc igitur librum & Canonicum, & à Ioanne conſcriptum agnoſcunt imprimis ſanctus Dionyſius, qui illum laudans illum appellat Arcanam ac Myſticam omnino viſionem dilecti Diſcipuli, diuinámque Domini Ieſu, & altiſſimam Theologiam, Eccleſiaſt. Hierarch. cap. 3 Diuus Irenæus lib 4. & 5. aduerſus hæreſes, & pluribus aliis locis. Tertullianus lib. 3. aduerſus Marcionem cap. 14. Cùm, inquit, & Apoſtolus Ioannes in Apocalypſi enſem deſcribit ex ore Dei procedentem. Tandem omiſſis aliis authoribus qui à Sancto Ioanne Apocalypſim conſcriptam dicunt, eamque laudant, eam maxima dignitate præſtare nemini dubium erit ſi eius obſcuritatem contempletur; quo enim altiora ſunt eius Myſteria, eo videntur profundius ſcripta, vt obſcuritas litteræ altitudini myſteriorum reſpondeat. hinc

Dico ſecundò obſcuram eſſe hanc Prophetiam, quod nemo non videt, tot habet ſecreta quot

verba, ait Diuus Hieronymus Epiſt. ad Paul. cap. 7. parum dixi pro merito voluminis, huius laus omnis inferior eſt, in verbis ſingulis multiplices latent ſententiæ. Cauſam huius obſcuritatis expendit Cornelius, ex libri ſublimitate, ex Symbolis, & ænigmatibus, & quia omnis Prophetia quandiu eius executio pendet, obſcura eſt, at quæ in Apocalypſi reuelantur multa adhuc reſtant implenda.

Quædam alia fortaſſe Diuum Ioannem vnicum poſt Euangelij promulgationem Prophetam impulerunt vt obſcurè ſcriberet. Diuus Chryſoſtomus hom. de Prophetiarum obſcuritate, olim dicebat ſermones Prophetico ænigmatibus ac multis difficultatibus eſſe obſeptos, neque faciles intellectu; cauſam reddit, quia multa mala Iudæis prædicebant; fore vt eiiciantur illi, nos recipiamur, Templum euertatur, nec amplius excitetur, vt concidat Hieroſolyma & omnibus ſint perui. Ne igitur manifeſtè hæc audientes eos interficerent qui hæc dicebant interpretationis difficultate prædictiones occultabant Pari ratione D. Ioannes multa mala vibi Romæ ac imperio Romano prædicens, ne odium Chriſtianis conciliaret ex ſua Prophetia, ænigmatibus, & obſcuris Symbolis conſignatam eam nobis tradidit. Hac de cauſa obſcurè locutum fuiſſe de imperij Romani diſſolutione D. Paulum 2. ad Theſſalonicenſes 2. cùm ait, Tantum vt qui tenet, teneat, donec de medio fiat, interpretes agnoſcunt ne in eum Nero & Romani inſurgerent ac viuum defoderent, aliosque fideles cum eo tanquam qui ſuper tanti Imperij demolitione Prophetatent & lætarentur Multo magis hæc pertimeſcenda erant diuo Ioanni, qui tot tantáque mala huic Imperio imminentia prædixit ac de eius vrbis excidio laudes & gratiarum actiones fidelium expreſſit. Aliam cauſam obſcuritatis Prophetiarum affignat idem ſanctus doctor altera de Prophetiarum obſcuritate homilia. Hæc, inquit, eſt dignitas Prophetiæ non vt res præſentes denunciet; ſed vt futuras prænunciet. Prophetia porro cùm occultè prolata fuerit, poſt rerum euentum fit manifeſtior, ante euentum verò minimè, quod quidem majorem Prophetiis conciliat fidem, cùm quæ prædicantur eueniunt, poſſunt enim cùm res prædictæ eueniunt doctores Eccleſiæ fideles docere vt intelligant rem nouam non eſſe quæ geritur, neque recentem diſpenſationem, ſed hæc olim & ante multos annos fuiſſe prænunciata, id quod, inquit D. Chryſoſtomus, non mediocriter valet ad illos ad fidem alliciendos. hoc potiſſimum erit neceſſarium temporibus Anti-Chriſti, nec mediocriter fides Chriſtianorum roborabitur cùm perſpicient ea mala quæ illos tolerare neceſſarium erit longè ante fuiſſe prænunciata & ab initio naſcentis Eccleſiæ fuiſſe à Deo ſignificata: Et nunc dixi vobis priusquam fiat, vt cùm factum fuerit credatis quia ego dixi vobis, dicebat Dominus noſter diſcipulis Ioan. 14. multa igitur poteſt prædicere quæ non intelliguntur, hac potiſſimum ratione, vt cùm euenerint ex prædictione majorem fidem ingenerent. Tertiam cauſam addo hoc Chriſti Domini verbo admonitus Math 7. Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis & conuerſi dirumpant vos. Sanctam Eccleſiæ auctoritatem, Chriſti in Euchariſtia præſentiam, Eccleſiæ illuminationem, Sacramentorum operationes, in gratia perſeuerantiam, aliaque huiuſmodi ſublimi ratione tractat Diuus Ioannes, quæ quidem ab animali homine percipi nequeunt, quin potius deprauatione affectuum inducti eos qui talia proponunt credenda irrident & ad modum apri dente recuruo quidquid occurrit diſcerpentes eos dente maligno ac inuido diſcindunt.

Et quidem Apoſtoli diuina Myſteria fidelibus explicabant & eadem credenda ipſis infidelibus proponebant, prædicabant Verbum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam. Attamen cùm Diuus Ioannes ex inſtituto ea proponat veluti aliquid quo Chriſtus Dominus ſummum honorem & nominis ſui exaltationem ſibi conciliet, ea ſapientibus ſæculi deridenda magis exponit quàm ſi nudè tantum ipſa vt credibilia proponeret: quid enim oculis carnis ſtolidius quàm ſi quis digito oſtendens ſpeciem panis in altari in hoſtia conſecrata dicat ex hoc Chriſto ſupremum obuenire honorem? quid oculis carnis obtruſius & magis inuiſibile, quàm interna animi ſanctificatio in Sacramentorum adminiſtratione, & cætera huiuſmodi quæ à Diuo Ioanne proponuntur vt Chriſto valde honorificæ & quorum ratione pro ſua humiliatione gloriam & nominis exaltationem in terris recipiat? Ne igitur infidelibus occaſio daretur Chriſti nomen proſcindendi aut eius Myſteria irridendi, ea Diuus Ioannes inuolucris quibuſdam circumvelata & objecta proponit, beatúmque prædicat eum qui audet & legit verba Prophetiæ huius, & ſeruat ea quæ in ea ſcripta ſunt, ſiue eorum memoriam in mente ſeruando pro temporum opportunitate, ſiue quoſdam pietatis ac virtutis actus in hac Prophetia expoſitos exercendo, veluti qui fide & animi puritate præditi ſint: nemo namque contemplari poterit Myſteria in hoc libro contenta niſi qui cor ſuum fidei Catholicæ adhibens ab omni vacillatione aut errore ac animi depraua to affectu liberum reddiderit.

Alias accipe ex Diuo Baſilio obſcuritatis ſcripturarum & Prophetarum cauſas viſione prima in Iſayam, Quemadmodum, inquit, in his opifex noſter haudquaquam inuidens nobis vitæ commoditates, non paſſus eſt eodem modo naſci quo bruta, ſed rerum neceſſariarum inopiam data opera addidit nobis velut ingenij exercitamentum; itidem & in Scripturæ ſtudio voluit eſſe obſcuritatem ad vtilitatem mentis humanæ, ſuam ipſius iudicans virtutem & efficaciam, primum quidem vt his occupata à deterioribus auocetur, deinde quòd quæ labore parta ſunt neſcio quo pacto magis amantur, quæque longo tempore contingunt conſtantiùs permanent. Porro quæ facile parantur his non perindè auidè fruimur; negligitur enim rerum obuiarum copia, neque eas vlla cuſtodia dignas ducit qui poſſidet, quapropter & ſomniorum obſcura & inuoluta eſt ratio ita vt non mediocrem deſideret animi intentionem, habeatque inſomniorum ænigmata plurimum affinitatis cum iis quæ in Scriptura ſub inuolucro ſignificantur, hæc D. Baſil. qui addit ad moralis virtutis exercitationem pertinere quod in Scripturis obuolutum eſt iudicare. Requiritur aſſidua in Scripturis exercitatio, vt majeſtas atque arcanorum diuinorum verborum perpetua meditatio-

Digitized by Google

ne animo imprimatur. Exempla etiam proponit Moſis & Eliæ qui totam vitam impenderunt ad diuinorum verborum exercitationem. Quare, inquit, hi ſancti cum omni principalis animæ partis tranquillitate ad veſtigandam veritatem elaborarunt, an non abſurdum eſt innumerabilium laborum fructus nullo negotio velle acquirere? Vt igitur mens exerceatur in rerum ſpiritualium meditatione, & intentionis acie ad eas exquirendas feratur vt à malis auertatur, ac dulcius Chriſti gloriam contempletur, eiuſque cognitione auidius fruatur, eaque firmius menti inhæreat; ideo diuus Ioannes eum nobis meditandum proponit ſub obſcuris Symbolis ſeu ænigmatibus.

Similia docet D. Auguſt de doctrina Chriſtiana cùm ait: Sed multis & multiplicibus obſcuritatibus & ænigmatibus decipiuntur qui temerè legunt aliud pro alio ſentientes, quibuſdam autem locis quid vel falſo ſuſpicentur non inueniunt. Ita obſcurè quædam dicta denſiſſimam caliginem obducunt, quod totum prouiſum diuinitus eſſe non dubito ad edomandam labore ſuperbiam & intellectum à faſtidio reuocandum, cui facile inueſtigata vileſcunt plerumque. & paulò poſt; Magnificè igitur & ſalubriter Spiritus ſanctus ita Scripturas ſanctas modificauit vt locis apertioribus fami occurreret, obſcuriocibus autem faſtigia deterreret; nihil enim fere de illis obſcuritatibus eruitur quod non planiſſimè dictum alibi reperiatur.

Si quæ tamen cauſa particularis obſcuritatis huius Prophetiæ dari poteſt, exiſtimo eam potiſſimum eſſe quòd tota ſit ex variis Symbolis & ænigmatibus compacta, ex quibus litteralis ſenſus erui debeat: nec enim exiſtimandum litteralem ſenſum eum eſſe quem verba ipſa ſecundùm propriam eorum ſignificationem ſumpta præ ſe ferunt, vt bene notauit Perrerius, alioquin continerent res abſurdas & impoſſibiles, vt ſunt loqui animalia, mulierem amictam ſole pedibus ſuis conculcans lunam: cumque commodè & aptè illæ viſiones & imagines ad res multas & inter ſe admodum diuerſas applicari poſſe videantur, difficillimum eſt conjectare quænam earum explicatio alteri prævaleat, ſiue aliis præponenda, maxime cùm auctorum interprætandi ratio varia ac diuerſa ſit, vt patet eos perlegentibus, & multi ſcopum & finem huius Prophetiæ non perſpexerunt, aut ſaltem ſufficienter non ponderauerunt.

Vt autem è tot tantiſque difficultatibus quantum licet imbecillitati mentis noſtræ nos expediamus, plurimos Canones ſeu multas regulas quidam auctores adduxerunt, quibus ſi interprætandi ratio reguletur, veritas è latebris erui ac detegi queat ab his præcipue qui humiliter & pie eam indagare & inquirere ſatagunt.

Dico igitur 1. Dantur quædam regulæ vt interprætandi ratio certior & dilucidior eſſe poſſit, quibus ſi modus interprætandi fulciatur, ſaltem quidam ſenſus pius & Catholicus erui poterit, qui præcipuum Spiritus ſancti finem non euertat, ſed ad eum potius inueniendum & aperiendum fideles tandem perducat; & hoc tantum ſperare debent qui ſe ad hanc Prophetiam interprætandam accingunt. Sicuti enim S. Ioannes non cognouit ea quæ traduntur in hoc libro niſi per reuelationem, ita earum rerum veram & certam intelligentiam nemo poterit adipiſci ſine Dei aliqua ſingulari mentis illuminatione ac directione quæ à Deo precibus & humilitate poſtulanda & demerenda eſt. At cùm Deus reuelet ſecreta ſua pedetentim, prout talis ſecretorum reuelatio fidelibus profutura eſt, huic vera & germana cognitio eorum quæ in libro hoc continentur totaliter vnicuique non datur, ſed Deus diſtribuit ſingulis prout vult & ſcit pro temporum ratione & opportunitate Eccleſiæ profuturum.

Plurimas huiuſmodi regulas Diuus Aug. lib. 2. & 3. de doct. Chriſt. nobis propoſuit valde vtiles & tanto ingenio dignas, quas apud eum perlegere, optime lector, poteris. Regulas octo poſuit Pererius, quatuor Cornelius, quas breuitatis cauſa non recenſeo. Aliquas accipe ab his auctoribus mutuatas, & alias quaſdam quas mihi præſcripſi & præ oculis habui in his ænigmatibus enucleandis.

Prima Regula ſit, Propria locutio quaſi tranſlata aut figurata non eſt accipienda, quidquid tamen in ſermone diuino neque ad morum honeſtatem, neque ad fidei veritatem proprie referri poteſt, figuratum eſſe cognoſcas. Ita D. Aug. lib. 3. de doct. Chriſt. & pro primo Canone à Cornelio ponitur prolegomen. in Apocalypſ.

Secunda Regula. Cùm per eas viſiones quæ in libro Apocalypſis commemorantur, certum ſit præſignificari memorabiliores & inſigniores caſus euentuſque tam proſperos quàm aduerſos in Eccleſia Chriſti futuros ab eius excidio ad finem vſque mundi, in quo conſentiunt meliores huius libri explanatores, & non obſcurè ſignificauit Dominus Ioanni in his verbis; Scribe quæ vidiſti, & quæ ſunt & quæ oportet fieri poſt hæc; in iis quæ iam completa ſunt poteſt B. Ioannis Prophetia applicari & accommodari facilius quàm ad ea quæ expectantur impoſterum futura, cùm tamen multa & varia ſint ad quæ aptari queat, videntur præcipuè ea fuiſſe ab illo præſignificata quæ tres huiuſmodi conditiones habuerunt; Vnam, vt ſint communia aut toti Eccleſiæ aut maximæ illius parti. Alteram, vt ea fuerint maxime inſignia vel proſperitate vel aduerſitate. Tertiam, vt ad ea B. Ioannis verba & ſententiæ in ſingulis viſionibus planiùs & congruentiùs aptari & accommodari queant, vel ex toto, vel certe maxima in parte. Ita Pererius.

Tertia Regula, ſit ex Diuo Aug. deprompta lib. 3. de doctrina Chriſtiana. Vnaquæque res earum quæ in Scripturis ſunt, non ſolum duo aliqua diuerſa, ſed etiam nonnunquam multa ſignificat pro loco ſententiæ ſicut poſita reperitur; vbi autem apertius ponuntur ibi dicendum eſt quomodo in locis intelliguntur obſcura.

Quarta Regula ſit ex eodem D. Auguſt. ibidem. Quando ex iiſdem Scripturæ verbis non vnum aliquid, ſed duo vel plura ſentiuntur, etiam ſi latet quid ſenſerit ille qui ſcripſerit, nihil periculi eſt ſi quodlibet eorum congruere veritati ex aliis locis ſanctarum Scripturarum doceri poſſit; id tamen eo conante qui diuina ſcrutatur eloquia vt ad voluntatem perueniatur Authoris per quam Scripturam illam ſanctus eſt operatus Spiritus, ſiue hoc aſſequatur, ſiue aliam ſententiam de illis verbis

quæ fidei rectæ non refragatur, exculpit testimonium habens à quocunque loco alio diuinorum eloquiorum. Ille quippe auctor in eisdem verbis quæ intelligere volumus & ipsam sententiam fortitan vidit, & certe Dei Spiritus qui per eum hæc operatus est, etiam ipsam occursuram lectori vel auditori sine dubitatione præuidit, imo vt occurreret quia ipsa est veritate subnixa, prouidit. Nam quod in diuinis eloquiis largiùs & vberius potuit diuinitus prouideri quàm vt eadem verba pluribus intelligantur modis quos alia non minus diuina contestantia faciant approbari. Vbi autem talis sensus eruitur cuius incertum certis sanctarum Scripturarum testimoniis non possit aperiri, restat vt ratione reddita manifestus appareat, etiam si ille cuius verba intelligere quærimus, eum forte non sensit: sed hæc consuetudo periculosa est; per Scripturas enim diuinas multo tutius ambulatur, quas verbis translatis occupatas cùm scrutari volumus aut hoc inde exeat quod non habeat controuersiam, aut si habeat ex eadem Scriptura vbicunque inuentis atque adhibitis eius testibus terminetur. Similia docet lib. 11. Confessionum. Cùm alius dixerit hoc sensu quod ego & alius, imo quod ego religiosius me dicere arbitror, cur non vtrumque potius si vtrumque verum est, & si quid tertium, & si quid quartum, & si quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videt, cur non illa omnia vidisse credatur per quem Deus sacras literas vera & diuersa visuris multorum sensibus temperauit.

Quinta Regula, satius & religiosius esse arbitror censeri ac dicere D. Ioannem optimum ordinem temporum ac rerum gerendarum obseruasse, & debita ac conuenienti serie cuncta significasse, quàm dicere ipsum nullum seruasse ordinem temporis ac rei gestæ vel gerendæ, ita vt prius gesta postponantur, & posterius gerenda præponantur, nec semper cum visionis enarratio inchoatur eam continuari vsque ad finem, sed interrumpi nonunquam interjectis aliis rebus satis diuersis, & postea ad visionem quæ inchoata fuerat tractandam redire: frequentesque esse in hoc libro anticipationes, recapitulationes, transgressiones, item & regressiones atque repetitiones earumdem rerum, atque retractationes quin etiam & repentinæ translationes, vt voluerunt Pererius & Cornelius. Tum quia D. Ioannes expressis verbis significat omnia eo ordine quo conscripta sunt ei fuisse reuelata: cùm cap. 4. dicat Posthæc vidi, &c. & cap. 7. etiam dicit, Posthæc vidi quatuor Angelos, &c. & cap. 15. Et posthæc vidi, & ecce apertum est templum. & cap. 18 Et posthæc vidi alium Angelum, & cap. 19. Posthæc audiui. Seruasse igitur videtur ordinem temporum & rerum gerendarum, sicuti seruauit ordinem quendam in enarratione earum; & ille ordo visionum adeo religiosè seruatur à B. Ioanne, quasi manu nos ducat ad earundem intelligentiam: nec enim frustra post quarundam visionum enarrationem addit, posthæc, vt scilicet doceat alias præcessisse, quasdam esse subsecutas & quæ præcesserant ponderanda esse vt sequentia melius intelligerentur. Nec enim video alios Prophetas quamvis quarundam visionum tempus designarint, eadem formula vsos fuisse, vt vna completa visione dicant, Post hæc vidi, sed Diuo Ioanni hoc peculiare videtur; quippe qui futuros prosperos & aduersos Ecclesiæ successus ordine conuenienti describat. Deinde D Basilius grauiter inuehitur in eos qui dicunt Prophetas extra seraptos Prophetare humana mente à Spiritu absorpta, id ait, ille abhorret à professione diuinæ præsentiæ vt amens reddatur qui à numine corripitur, cúmque plenus diuinorum decretorum esse cœperit, tum à propria quoque mente excidat, & qui aliis ex sese præbeat vtilitatem, ipse ex propriis sermonibus nihil capiat vtilitatis. In summa quî consentaneum est vt quis ex sapientiæ spiritu similimus insano reddatur, vt quæ intelligentiæ spiritus cohærentiam excludat, quin potius neque lumen cæcitatem parit, verum videndi vi à natura insitam expergefacit: neque spiritus tenebras inducit animis, sed ad contemplationem rerum intelligibilium mentem à peccati macula puram exigit. Non dissimile veri est improbam dæmonum naturæ humanæ insidiantem confundere mentem: verum si quis dicat Spiritus diuini præsentiam hoc efficere, hoc impiè dixerit. At hæc si sapientes sunt sancti, quî fit vt non respondentia congruentia iis quæ prophetantes edebant? sapiens enim intelligit, inquit, quæ ab ore proprio proficiscuntur, in labris autem portat intelligentiam, hæc D. Basilius hom. 1. in Isaiam. Similia docet D. Hieronymus proœmio in Isaiam. Si enim sapientes erant Prophetæ, quod negare non possumus, inquit, & Moyses eruditus sapientia loquebatur ad Dominum, & Dominus respondebat ei: & de Daniele ad principem Tyri dicitur; Numquid tu sapientior es Daniele? & Dauid sapiens erat qui gloriabatur in Psalmo, Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. quomodo sapientes Prophetæ instar brutorum animalium quod dicerent ignorabant. Legimus & in alio Apostoli loco, Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt vt in sua habeant potestate quando taceant, quando loquantur, &c. & paulò post; Hi ergo intelligebant quæ dicebant, cuncta sapientiæ rationisque sunt plena, nec aër verò pulsatus ad aures eorum perueniebat, sed Deus loquebatur in animo Prophetarum, iuxta illud quod alius Propheta dicit; Angelus qui loquebatur in me. hæc Hieronymus.

At tot anticipationes, recapitulationes, transgressiones, regressiones, repetitiones, retractationes, repentinæ translationes non videntur tantam sapientiam ac rationem redolere qualem in Prophetis desiderant hi sancti Doctores, imo potius quandam leuitatem animi & non necessariam obscuritatem denotant, ideo satius esse dicimus censere ac dicere nos ordinem à Prophetis seruatum minime percipere ex ignorantia nostra & stupiditate, quàm asserere eos omnem ordinem inuertisse, satis superque obscuræ ex se sunt Prophetiæ, quàm vt sine necessaria causa maiorem Prophetæ excogitarint aut affectarint obscuritatem per tot tantasque rerum & verborum ac temporum inuersiones. Quòd si aliquando Prophetiæ quæ primo ponuntur, sint de rebus quæ in executione futuræ sunt posteriores, hoc forte fit propter sensum spiritualem, ad quem veluti ad scopum præcipuum tota Prophetia dirigitur. Igitur ratio propter quam aliquando ordo rerum, aut verborum, aut visionum, aut temporum inuerteretur erit vt ex tali inuersione mens facilius ad præcipuum Prophetiæ scopum perueniat: & quod talis narratio aptior sit & conuenientior ad spirituales sensus

Digitized by Google

eruendos. Fauet D. Hieronymus cum procœmio in Iſaiam ait, quòd poſt Hiſtoriæ veritatem ſpiritualiter accipienda ſunt omnia, & ſic, inquit, Iudæa & Ieruſalem, Babylon & Philiſtiim, Moab & Damaſcus, Ægyptus & deſertum, Mare Idumeæ & Arabia ac vallis Sion, vel vallis viſionis: & ad extremum ignis & viſio quadrupedum intelligenda ſunt, vt cuncta quæramus in ſenſu, & in his omnibus quaſi ſapiens architectus Paulus Apoſtolus iaciat fundamentum, quod non eſt aliud præter Ieſum Chriſtum. At non ita frequentes, vt puto, debent eſſe iſtæ inuerſiones, vt prædicti auctores voluerunt. Denique Diuus Ambroſius loquens de ſacris Scriptoribus ait, eos ſi non ſecundùm artem ſcripſiſſe, tamen ſecundùm gratiam quæ ſuper omnem artem eſt: negant, inquit, plerique noſtros ſecundum artem ſcripſiſſe, nec nos obnitimur; non enim ſecundùm artem ſcripſerunt, ſed ſecundùm gratiam quæ ſuper omnem artem eſt: ſcripſerunt enim quæ Spiritus eis eloquebatur, ſed ij qui de arte ſcripſerunt de eorum ſcriptis inuenerunt artem, condiderunt commentaria artis ex magiſterio, hæc Ambroſ. At quid mirum ſi plurimi Rhetorum artificia quibus ſenſus ſuos exprimunt vix diſcernunt? Si ordo tranſitionum ſuarum quas diuerſis figuris obtegunt, vix à perſpicacioribus percipiatur, ſi multo magis imbecille hominum ingenium ordinem optimum à Spiritu ſancto in ſuis reuelationibus poſitum penetrare non valeat? Melius igitur eſt ſi noſtros conceptus Scripturæ accommodemus, eum quem tenet ordinem in narratione eorum quæ proponit religioſe ſeruantes, quàm ſi Scripturam ad ſenſus noſtros & conceptus attrahamus, eam peruertiſſe ordinem debitum rerum ac temporum dicentes, quia videlicet ordo quem tenet interpretationi noſtræ minime faueat. hanc autem regulam plenius diſcuſſimus, vt rationem redderemus cur religioſè ſeriem & ordinem aliquem tenendum eſſe duximus in interpretatione noſtra, quam non ſolum capitibus, ſed verſiculis etiam alligauimus. An vero ordo à nobis expoſitus conueniat, optimorum lectorum relinquimus iudicio, ad ſextam tranſimus regulam.

Sexta Regula, Materia huius Prophetiæ eſt diligenter attendenda, finiſque ac ſcopus libri quantum fieri poteſt indagandus. Si autem quæras quænam ſit materia, ipſe Dominus Chriſtus docebit cùm cap. 1. Diuo Ioanni præcipit, Scribe ergo quæ vidiſti, & quæ ſunt & quæ oportet fieri poſt hæc, quaſi diceret ſimilitudines, viſiones, ænigmata & Symbola ſub quibus tibi ſignifico quæ audiui à Patre ſcribe; ea autem continent & ſignificant tum quæ iam facta ſunt & adimpleta in fundatione Eccleſiæ meæ quam cernis iam radices firmas egiſſe, & quæ oportet fieri poſt hæc, nempe memorabiliores & inſigniores caſus euentuſque tam proſperos quàm aduerſos in Eccleſia mea futuros. Non igitur præcipit vt res longe ante tranſactas deſcribat, aut etiam opera & miracula Chriſti in Euangelio conſcripta, quæ egit dum in terris degeret, ſed ea opera quæ ſignificabantur in ea figurâ ſeu formâ non propria & naturali, ſed Symbolica, in qua Beato Ioanni Dominus apparuit cap. 1. vnde ei præcipitur, quod vides ſcribe in libro, nempe Chriſti ſibi apparentis, formam præſentem rerum ſtatum Eccleſiæ ac futurum repræſentantem.

Scopus autem libri ſeu finis, eſt vt de Chriſto teſtimonium reddat; colligitur hoc facillime ex his verbis cap. 1. Teſtimonium Ieſu Chriſti quæcunque vidit, id eſt, quæcunque in hac reuelatione vidit Ioannes, ad hoc ordinantur vt de Chriſto teſtimonium reddatur; tum etiam ex his verbis cap. 19. Teſtimonium enim Ieſu eſt Spiritus Prophetiæ, quaſi diceret in omni Prophetia conſiderantor littera & Spiritus, & littera occidit, Spiritus autem viuificat, Corinth. 3. Spiritu igitur in Prophetia attendendus eſt, non litteræ tantum immorandum, & ideo Chriſtus nos fecit idoneos miniſtros noui teſtamenti non littera, ſed Spiritu, ideſt, vult vt non tantum litteram prædictam, ſed litteræ ſenſum potiſſimum attendamus & ponderemus, Spiritus autem in omni Prophetiæ littera nihil aliud potiſſimum reuelat quam Chriſtum, quo fit vt qui Chriſtum non vident aut quærunt in Prophetiis, velamen poſitum ſit ſuper cor eorum. Si autem conuerſi ſemel fuerint ad Dominum, auferetur velamen. Dominus autem Spiritus eſt, vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas, ideſt, ſi ſenſum à Spiritu ſancto in littera ſignificatum penetremus, non amplius ſimplici litteræ adhæreamus, libet eſt intellectus à craſſitie & obſcuritate litteræ, vt ad res ſpirituales ſpeculandas conuolare queat, quo fit vt non amplius litteræ adhærentes reuelata facie gloriam Domini ſpeculemur ac in eandem imaginem transformemur à claritate in claritatem tanquam à Domini ſpiritu: ſenſus igitur ſpiritualis à Domini Spiritu reuelatur & ſub his Symbolis ſignificatus eſt reddere teſtimonium Ieſu. Nunc quodnam teſtimonium reddendum eſt, de Chriſto proculdubio, non de his quæ in vita geſſit, quæ iam ſatis fuerunt in Euangeliis explicata, ſed potius quæ operaturus eſt impoſterum ad ſui nominis gloriam & exaltationem. Vidit hoc D. Irenæus lib. 4. aduerſus hæreſes cùm ait, Sed & Ioannes Domini diſcipulus in Apocalypſi Sacerdotalem & glorioſum regni eius videns aduentum, nam in hoc Sacerdotali & glorioſo regni aduentu gloria & clarificatio Chriſti à Patre promiſſa denotatur, patet ſi hæc Prophetiæ verba ponderet; Ego autem conſtitutus ſum Rex ſuper montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius, Pſal. 2. & illud, Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. Pſal. 109. Quicquid enim operatur Chriſtus vt ſummus & perpetuus Sacerdos in Eccleſia ad ſanctificationem animarum, aut vt Rex regum & Dominus dominantum in externo regimine Eccleſiæ ſuæ, hoc totum cedit in eius gloriam & honorem. Confirmatur ex eo quòd Sacerdotalis dignitas ab eo vel ablata fuit in vindictam, vel conceſſa in gloriam & honorem, vt patet ex primi Reg. 2. Loquens locutus ſum vt domus tua & domus patris tui, aiebat Dominus ad Heli, miniſtraret in conſpectu meo in ſempiternum: nunc autem dicit Dominus, abſit hoc à me, ſed quicunque glorificauerit me glorificabo eum: qui autem contemnunt me erunt ignobiles, &c. & paulò poſt, Et ſuſcitabo mihi Sacerdotem fidelem, &c. Et de Phinees Numer 25. Locutus eſt Dominus ad Moyſen, Ecce do ei pacem fœderis mei & erit tam ipſi quam ſemini eius pactum Sacerdotij ſempiternum, quia zelatus eſt pro Deo ſuo & expiauit ſcelus filiorum Iſraël. Vnde rantopere D. Paulus cap. 8. 9 & 10. ad Hebræos exaltat Chriſti Domini Sacerdotium: Talem habemus Pontificem qui conſedit in dextera ſedis magnie

Littera occidit, ſi nudis verbis Scripturæ ad errores abutaris, ſi quæ metaphoricè dicuntur, ad litteram, vt ſonat capiantur, ſi littera à Spiritu ſeparetur. Lege D. Aug. 3. de Doct. Chriſt. c. 4.

tudinis in cœlis, ſanctorum miniſter, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo, cap. 8. & cap. 10. hic autem vnam pro peccatis offerens hoſtiam in ſempiternum, ſedet in dextera Dei, de cætero expectans donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius: vna enim oblatione conſummauit in æternum ſanctificatos. Finis igitur huius libri, vt ſub Symbolis, & ænigmatibus Eccleſiæ proponantur quæcúmque Chriſtus Dominus iam tunc operatus fuerat, & operaturus impoſterum, erat in ipſa, vt ſummus Sacerdos, & Rex regum ac Dominus dominantium ad ſui nominis exaltationem & gloriam.

Septima Regula. Cùm Chriſto Domino gloria obueniat ex his quæ ipſe operatur in Eccleſia, & membris ſuis, tum ex his quæ Eccleſia aut pro eius gloria tolerat aut fideles operantur, vt ipſi honorem exhibeant: ideo primum caput Apocalypſis cum 11. conſiderandum venit: nam in primo Chriſtus apparet vt Eccleſiæ ſponſus, facie refulgens ſicut ſol lucet in virtute ſua in 12. Eccleſia ſponſa, vt mulier amicta ſole, quia deambulante ipſo in medio ſeptem candelabrorum aureorum vniuerſam Eccleſiam denotantium eam ſuo lumine circumueſtit, & colluſtrat, vt dicat optimè Eccleſia, Dilectus meus mihi & ego illi: ita vt quæcunque Chriſtus operetur pro Eccleſia à primo vſque ad 11. præcipue deſcribantur: quæcunque autem Eccleſia patiatur aut agat, vt fidem ſponſo poſſit ſeruare à 13. vſque ad 20. deſcribantur, & ſummatiè tanquam in quodam prologo cuiuſdam tragœdiæ ea in primo & 12. exprimantur: hac Regula poſita octauam ponere, & præſcribere poſſumus.

Octaua Regula hæc eſt, nempe in duobus capitibus potiſſimum de 11. & 20. vt quæ Chriſtus parat auxilia Eccleſiæ in extremis laboranti in 11. perſpiciantur; quæ autem ipſa patiatur, & quem exitum tandem obtineat Eccleſiæ patientia ad anguſtias redacta, videatur in 20. eo ordine quem in notationibus aſſignabimus, verſuum horum duorum cohærentiam debito ordine collocantes. hinc etiam.

Nonam Regulam ſtatuimus de malis pœnæ fieri mentionem, ſed conſideratis diuerſimodè; primò, vt à Deo aſſumuntur ad expurgandam à vitiis, & à peccatorum contagione Eccleſiam ſuam, quod fit cap. 8. & 9. 2. vt à Deo aſſumuntur ad ſeuerè caſtigandam, & puniendam obduratorum in malo audaciam, quod cap. 18. in euerſione Ciuitatis Babylonis deſcribitur.

Decima Regula. Semper inſigniora in vnoquoque genere conſiderari debent, verbi gratia ſi de gratia D. Ioannes agat, agit de gratia inſigniori, nempe perſeuerantia finali cap. videlicet 7. ſi de euerſione alicuius ciuitatis, agit de ea quæ magis conſideranda venit; capite nempe 18. ſi de perſecutionibus agit, de inſigniori, nempe de vltima Anti-Chriſti, cap. 11. & 2. & ſic de cæteris.

Vndecima Regula. De eodem agi, nempe de ſummo Pontifice, cap. 12. in filio maſculo mulieris, qui recturus erat gentes in virga ferrea, & raptus eſt ad Deum, & ad Thronum eius, & cap. 14. in eo qui apparet ſedens ſuper nubem candidam ſimilem filio hominis, habentem in capite coronam auream; qui enim puer fuit in exordio Eccleſiæ naſcentis, & recturus gentes, raptus ad Thronum Dei, Thronus enim eius eſt in columna nubis, iam vir & perfectæ ætatis eas regit, vnde coronam habet in capite, & cap. 19. in Angelo ſtante in ſole, vt plenitudo, & perennitas auctoritatis Pontificiæ denotetur, cuius quidem quatuor poteſtates, ad quas cæteræ referri poſſunt, in Apocalypſi deſignantur. Decidendi de rebus fidei, in 3. cap. de moribus in cap. 7. in quibus ſummi Pontifices per illud vnum, & ſenioribus ſignificatur, principes, & poteſtates ſæculi ad Chriſtum colendum, & adorandum promouendi cap. 12. ſummamque potentiam in adminiſtratione omnium bonorum ſpiritualium quæ in Theſauris Eccleſiæ repoſita ſunt 14. & 19.

Duodecimá Regula eſt. Tota Apocalypſis plena eſt illuſionibus ad veteris inſtrumenti locos, hiſtorias, & figuras, ac præſertim ſæpe alludit ad Templum Salomonicum, Candelabrum, Arcam, veſtes Sacerdotales, vnde quilibet interpres iuuari poterit, vt ſi apud probatos Auctores quid myſticè Templum, Arca, Candelabrum, & cætera huiuſmodi ſignificent, inuenerit, vt ſenſum pium, & conuenientem Apocalypſi tribuat.

Decimatertia Regula eſt. Non omnia referenda ſunt ad tempora Anti-Chriſti, nam continet hic liber Eccleſiæ præcipuos, & inſigniores ſucceſſus à primaria ſua inſtitutione vſque ad conſummationem mundi, nec de Anti-Chriſto ſpecialiter, ac in individuo loquitur D. Ioannes, niſi in quibuſdam locis vltimum tantum caput conſtituit vltimæ earum beſtiarum quæ cum ſeptem capitibus deſcribuntur Imperia Chriſti regnum in tertis perſequentia deſignantis. Tres quippe ſunt beſtiæ ſeptem capita habentes. Prima Diabolum repræſentans. Secunda animam in malo obduratam, & reproborum collectionem. Tertia animam quæ cum excœcatione mentis, & obdurationè voluntatis in malitia annexam, habet aliquam temporalem poteſtatem qua abutatur, vt Chriſti regnum ſi poſſit euertat.

Decimaquarta Regula. Sufficienti auctoritate fulciri ea Symboli explicatio, ſi ex alio Scripturæ loco talis explicatio dari colligatur, vt cùm gladium pro Dei Verbo ſumitur: habemus enim ex ſancto Paulo talem gladij explicationem cùm ait, ſermonem Dei penetrabiliorem eſſe gladio ancipiti.

Si ex natura aut proprietatibus Symboli aliqua conuenientia aut ſimilitudo eliciatur quæ optimè quadrat cùm re ſignificata. quippe in rebus ſingulis præter earum naturam quædam latet ſignificandi vis, propter eam quæ à ſapienti conditore data eſt optimam rebus omnibus connexionem, & concordiam vt mundum vniuerſum ſuis partibus omnimodè perfectum reddant. Si denique ex Patribus talis detur huius Symboli enodatio. Primum docet ſanctus Aug. 2. de Doct. Chriſt. cùm ait, ad obſcuriores locutiones illuſtrandas de manifeſtioribus ſumantur ex Epiſtola, vt quædam certarum ſententiarum teſtimonia dubitationem de incertis auferant. Secundum docet Origenes hom. 3. in Cantica, cùm plures ſunt v. g. in grano ſynapis virtutes quæ rerum cæleſtium imagines teneant; vltimus, & extremus vſus eius eſt iſte qui habetur apud homi-

Digitized by Google

nes miniſterio corporali, & ita etiam in reliquis, vel ſeminibus, vel virgultis, vel radicibus, vel animantibus intelligi poteſt, vt vlum quidem, & miniſterium hominibus præbeant, habeant autem incorporalium rerum imagines quibus doceri anima poſſit & inſtrui ad contemplanda ea quæ ſunt inuiſibilia: & paulò poſt. Cuncta igitur ex viſibilibus referri poſſunt ad inuiſibilia, & a corporalibus ad incorporea, & à manifeſtis ad occulta, vt ita creatura mundi tali quadam diſpenſatione condita intelligatur per diuinam ſapientiam, quæ rebus ipſis, & exemplis inuiſibilia nos de viſibilibus doceat, & à terrenis nos transferat ad cæleſtia: hæc Origen. Lege Alcaz. in Notat. in Apocal. Diſces inſuper interpretationem ænigmatis optimam eſſe, ſi conuenienter cuncta adaptentur rei quam per illud ſignificari intendimus, & cùm Theologia Symbolica non ſit Argumentatiua, vt docet Dion. Epiſt. 9. ad Titum, non à clariſ, & euidentibus procedat ad incognita, ſed ab incognitis, & obſcuris ad euidentem rei ſignificatæ notitiam deueniat propter optimam partium ſingularum ænigmatis proportionem cum ipſa re ſignificata. Tertium huius regulæ punctum requirit, vt ſacro Concilio Tridentino inhæreamus, quo ſancitur, vt nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & motum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum quem tenuit, & tenet ſancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum ſanctarum, aut etiam contra vnanimem conſenſum Patrum ipſam Scripturam ſacram interpretari audeat. ſeſſ. 4. cap. 2.

Decimamquintam Regulam adiicio propter eos qui fortaſſe dicent non videri probabile Spiritum ſanctum attendiſſe ad ſingulas rerum quæ pro Symbolo aſſumuntur proprietates, nempe nec iota vnum in Scriptura ſacra eſſe negligendum. Huius regulæ & praxis in interpretandis ſacræ Scripturæ locis Auctorem habeo ſanctum Ioannem Chryſoſtomum, cuius interpretandi Scripturam rationem Eccleſia maxime commendat, dum in eius vita in Romano Breuiario dicitur, multitudinem, pietatem ac ſplendorem concionum, cæterorúmque eius ſcriptorum, interpretandi etiam rationem, & inhærentem ſententiæ ſacrorum librorum explanationem omnes admirantur, dignúmque exiſtimant cui Paulus Apoſtolus, quem ille mirificè coluit, ſcribenti, & prædicanti, multa dictaſſe videatur. Itaque illius decretis inſiſtere in expoſitione ſacræ Scripturæ opportuniſſimum eſt, cuius Auctoris ſcripta Ribera aſſerit miranda eſſe tam ſuauitate & copia, quam omnis generis eruditione, eumque vocat nuſquam non ingenioſum, & doctum. Hic igitur Chryſoſtomus qui talis ac tantus eſt vir, hom. 2. de verbis Iſaiæ, Vidi Dominum, hanc nobis regulam ſerio proponit ſequendam hæc verba exponens, Et factum eſt anno quo mortuus eſt Ozias Rex. Operæ pretium eſt inquirere primùm qua gratia Propheta nobis tempus deſignauit, neque enim hoc fortuito temereve facit: nam Prophetarum ora Dei ſunt os: tale verò os nihil dixerit obiter, & extra rem; ne igitur nos obiter, & aliud agentes audiamus. Etenim ſi ij qui fodiunt metalla ne minima quidem fruſtula prætereunt, verùm vbi nacti fuerunt aliquam venam auri, meatus omnes exactè circumſpiciunt: Multo magis hoc facere nos oportet in Scripturis, & tamen in metallis difficile eſt inuenire quod venantur. Etenim cùm & metalla ſint terra, & aurum nihil aliud ſit quàm terra, ipſa quoque naturæ communio ſimilitudoque eorum quæ quæruntur, oculos fallit; attamen nec ſic quidem deſiſtunt illi, ſed omnem adhibent diligentiam, etiam ſi poſteaquam inſpexerunt ſciant quid verè ſit terra, quid verè aurum: in Scripturis autem non eſt eadem ratio, neque enim proponitur aurum terræ permixtum, ſed tantum eſt aurum. Eloquia, inquit, Dei pura, argentum igni exploratum, probatum terræ, ſiquidem Scripturæ non ſunt metalla quæ indigeant operario, ſed theſaurum præbent paratum iis qui quærunt opes in ipſis reconditas: ſatis eſt enim introſpexiſſe, vt omni expleti fructu diſcedatis: ſatis eſt tantum aperuiſſe, vt illico videas gemmarum ſplendorem. Hæc autem mihi non temerè dicta ſunt, neque fortuito produxi ſermonem, ſed ob id quòd ſunt homines quidam opifices, qui poſtea quàm ſacros libros in manus ſumpſerunt, deinde reperierunt, vel annorum numerum poſitum, vel nominum recenſionem illico prætercurrunt, & incuſantibus reſpondent, nomina tantum ſunt, neque quicquam habent vtilitatis, quid ais? Deus loquitur, & tu audes dicere nulla eſt dictorum vtilitas. Etenim ſi ad nudam inſcriptionem aſpexeris tantum, dic mihi, nonne reſiſtes cum ſtudio repoſitaſque ſcrutaberis opes? ſed quæ loquor de temporibus, & nominibus, titulíſque, diſce quantum valeat vnius tantum litterulæ adjectio, ac deſine tota contemnere nomina. Patriarcha noſter Abraham (noſter enim potius eſt quàm Iudæorum) hic priùs dictus eſt Abram, quod interpretatum ſonat tranſitorem; poſthæc verò nomine commutato dictus Abraham, Pater factus omnium gentium, & vnicum elementum adjectum tantum principatum vindicant iuſto: quemadmodum enim reges præfectis ſuis aureas porrigunt tabellas Magiſtratus ſignum, ſic & Deus iuſto illi honoris ſignum dedit litteram; hæc ita Chryſoſt. Ex quo videmus quomodo nec nomina nec numeros, nec litteras in Scripturis prætermittere debemus, ſed omnia ad amuſſim ponderanda. Quod de nominibus, & litteris, hæc de proprietatibus rerum quæ in Symbola aſſumuntur mihi videtur eſſe dicendum: cùm enim ad ea Spiritus ſanctus velit nos ad ſpiritualium rerum contemplationem inducere, & naturæ, & proprietates earum videntur ſedulo ponderari debere, vt melius percipiamus ea quæ in eis recondita deliteſcunt.

Decimamextam Regulam huic adjungo ex eodem ſancto Chryſoſt. Enarratione in Iſaiæ cap. 5. nimirum oportere nonnunquam aliquot Scripturæ diuinæ loca allegoricè interpretari, & quòd earum quidem legum ipſi nequaquam auctores ſumus, quin potius conuenit nos more pedario ſubſequi mentem Scripturæ, & ad eum modum vti allegoriæ tropo, quod autem dico tale eſt. Commeminit Scriptura nunc vineæ, ſepis item ſiue maceriæ, & torcularis, non alioqui permiſit, vt penes auditorem eſſet auctoritas accommodandi à ſe dicta, quibus velit rebus aut perſonis; ſed Scriptura ipſa præuertens ſe ipſam interpretata eſt dicens; Vinea enim Domini exercituum Domus Iſrael eſt, &c. Proinde hæc lex vbicunque locorum diuinæ Scripturæ eſt, ſi quando

allegorico ſenſu quidvis tegit ſubnectere conſueuit,& interpretationem allegoriæ, vt ne qui volunt pro ſua interpretandi libidine citra delectum, &, vt fere contigit, trahere omnia ad allegoriam, in errore verſentur, & quaquaverſum ferantur præcipites, &c. ex hac regula plurima loca Apocalypſis, & ſi allegorica ſuam habent interpretationem annexam à qua fas non erit recedere. v. g. in primo cap. per ſeptem ſtellas ſeptem Angelos, id eſt, Epiſcopos Eccleſiarum intelligit, per ſeptem candelabra ſeptem Eccleſias, & cap. 12. Draco magnus ſerpens Antiquus, qui, inquit, vocatur diabolus, & ſatanas.

Denique quòd ſanctus Hieronymus dixit de fine capitis primi Michææ, nempe multum, inquit, Hebraïcum à 70. interpretatione diſcordare, & tantis tam mea quàm illorum tranſlatio difficultatibus inuoluta eſt, vt ſi quando indiguimus Spiritu Dei, ſemper autem in exponendis Scripturis ſanctis illius indigemus aduentu nunc, vel maxime adeſſe cupiamus. hæc Hieronymus. Certe hoc dicere merito poſſumus de tota hac Prophetia, nos indigere ſpeciali diuini Spiritus auxilio ad eam interpretandam, quòd mihi ad fuiſſe non poſſum diffiteri ne ingratus exiſtam. Sanctus Ambroſ. in Proœmium Euangelij ſecundùm Lucam, expendens illa verba; Quoniam quidem multi conati ſunt ordinare rationem rerum quæ in nobis completæ ſunt; docet rerum diuinarum tractationes non ita eſſe ſuſcipiendas, vt fiduciam noſtram in propriis conatibus reponamus, quaſi proprio conatu, & niſu earum veritatem eruere, & exponere nobis poſſibile exiſtat, ſed ſi quid fœliciter dici de eis contingat hoc totum diuino dono eſſe adſcribendum; quoniam, inquit, multi conati ſunt, conati vbique illi ſunt qui implere nequiuerunt: ergo multos cœpiſſe, nec impleuiſſe etiam ſanctus Lucas teſtimonio locupletiore teſtatur dicens plurimos eſſe conatos; qui enim conatus eſt ordinare, ſuo labore conatus eſt, nec impleuit ſine conatu; ſunt enim donationes, & gratia Dei, quæ vbi ſe infuderit rigare conſueuit, vt non egeat, ſed redundet ſcriptoris ingenium. Non conatus eſt Matthæus, non conatus eſt Marcus, non conatus eſt Ioannes, non conatus eſt Lucas, ſed diuino Spiritu vbertatem dictorum rerumque omnium miniſtrante ſine vllo molimine cœpta compleuere. ita Ambroſius. Multi quidem magna eruditione viri conati ſunt exponere Apocalypſim. At dicere mihi liceat quòd ſi quid reperiatur in toto hoc opere quod ab auctoribus aliis emendicatum minimè cernatur, hoc totum abſque vllo conatu poſitum eſt, calamo vix ſubſequente quæ menti occurrebant, vt vix meum dici queat quod tam facili negotio perſenſi exaratum. Sigitur illud reperiatur verum, bonum, fidei Orthodoxæ conſonum, moribus proficuum, ab interpretandi ratione Patrum, & communi doctorum conſenſu minime alienum hoc totum Deo, & Patri luminum à quo omne bonum deſcendit, adſcribat, cuius Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audit, ſed neſcit vnde veniat aut quò vadat Ioan. 3.

At dices, nunquid Saül inter Prophetas? te igitur iactitas diuino afflatum Spiritu? cogitet quæſo qui talia dixerit non maiorem eſſe iactantiam dicere aliquid verum à Deo eſſe inſpiratum, quam ſi dicam Deo mouente manum iaculum eſſe manu mea proiectum, Deo afflante ore meo ſermonem eſſe prolatum; in eo nempe viuimus, mouemur, & ſumus, & illius ſancti Pauli recordetur primo ad Cor. 12. Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus, & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus, & diuiſiones operationum ſunt, idem autem Deus qui operatur omnia in omnibus, quibus addit ſanctus Ambroſ. proœmio in Lucam, operatur enim omnia, & in omnibus Filius, ſicut habes alibi, quia omnia, & in omnibus Chriſtus, operatur etiam & Spiritus ſanctus quia omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult, ita Ambroſ. Si quæ dixerimus vera ſunt, recta ſunt; cur non hoc à Deo proficiſci profiteremur? quia dices indignus es cui Deus aliquid boni conferat, fateor, indignus ſum, ſed in hoc maior eſt Dei dignatio ſi indigno aliquod conferat bonum. Sanctarum, inquit Rupertus in Apocalypſim, ſpatioſus ager Scripturarum, omnibus Chriſti confeſſoribus communis eſt, & tractandi illas nulli iure negari poteſt licentia, dummodo ſalua fide quod ſentit dicat aut ſcribat. Ita Rupertus. Quod ſi alicui qui hoc aggreditur diuina lux affulſerit mentem corroborans in inquiſitione veri, an oculus tuus nequam eſſe debet quia Deus bonus ſit? qui ſuper malos, & bonos ſolem ſuum oriri facit? qui per os Balaam quamvis nequiſſimi hominis de Aduentu Chriſti Prophetauit dicens, Videbo eum, ſed non modo, intuebor illum, ſed non prope; orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael, Num. 24. qui per Aſinam ipſum Balaam redarguit Num. 22. Vnde ad interpretationem tam obſcuræ Prophetiæ me accingens, verè dicere mihi liceat quod de ſe cum maxima animi modeſtia olim dixit ſanctus Ambroſ. initio libri de virginitate: Equidem ingenio diffiſus, ſed diuinæ miſericordiæ prouocatus exemplis ſermonem meditari audeo, nam volente Deo aſina locuta eſt; quod ſi mihi ſub iſtius ſæculi oneribus conſtituto adſiſtat Angelus, ego quoque muta diu ora laxabo: poteſt enim ſoluere impedimenta imperitiæ qui in illa Aſina ſoluit naturæ. In Arca veteris Teſtamenti virga floruit Sacerdotio, facile Deo eſt vt in ſancta Eccleſia de noſtris quoque nodis flos germinet. Cui autem deſperandum quod Dominus loquatur in hominibus, qui locutus eſt in ſentibus? Deus nec rubum eſt dedignatus, atque vtinam meas quoque illuminet ſpinas: erunt fortaſſis qui etiam in noſtris ſentibus aliquem mirentur lucere fulgorem: erunt quos ſpina noſtra non vrat: erunt quibus de rubo audita vox noſtra ſoluat de pedibus calceamentum, vt impedimentis corporalibus exuatur mentis exceſſus. Ita Ambroſ.

Non igitur conatu proprio, ſed Dei fultus auxilio, non arte conquiſita, ſed ingenua mentis ad diuina meditanda, & conſcribenda applicatione hæc exaraui, vt iuxta ſanctum Ambroſium Epiſt. 10. lib. 1. ad Iuſtum, non ex arte, ſed quæ ſpiritus Dei eloqui dedit ſcripſerim. Negant plerique noſtros ſecundùm artem ſcripſiſſe, necnos obnitimur; Non enim ſecundùm artem ſcripſerunt, ſed ſecundùm gratiam quæ ſuper omnem artem eſt, ſcripſerunt enim quæ Spiritus iis eloquebatur. ita Ambroſ. Nec mihi tamen nec vlli alteri exiſtimandum eſt poſſe exhauriri theſaurum illum myſteriorum, cùm vt diximus ex ſancto Hieron. tot ſunt myſteria quot verba, ſufficiat vnicuique

cuíque ſi aliquem ſenſum inueniat qui fidei ac morum probitati, & pietati inſeruiat, nec aliorum ſententiam deprimere audeat, vt ſibi blandiatur, ſed totum ad Deum referat, qui pro rerum ac temporum exigentia myſteria reuelare dignabitur, & Eccleſiæ iudicio quæ profert, humillimè ſubiiciat. Optimè Dionyſius Carthuſ. poſt ſuam de 24 ſenioribus ſententiam in medio prolatam ait. Veruntamen iſta atque ſimilia ſolum probabiliter ſentio plenam certámque notitiam Deo, & hic quibus ipſe reuelare dignatur, committens, nec aliorum atque maiorum meorum, quorum comparatione nihil ſum dicta in aliquo reprehendens & audens. Cæſarienſis. At verò exactam certámque horum omnium notitiam & interpretationem diuinæ ſapientiæ libenter relinquimus, hæc vna enim eſt, quæ & tempora, & momenta, quando libri huius oracula certum exitum ſortientur exquiſitè nouit, in quo etiam tempora & momenta ne curioſius inquireremus per Apoſtolos nobis inhibitum voluit. Recordetur itaque quiſquis interpres modeſtiæ Diui Auguſt. qui lib. 11. Confeſſ. cap. 31. dicebat: Ego certè quod intrepidus de corde meo pronuntio, ſi ad culmen auctoritatis aliquid ſcriberem, ſic mallem ſcribere, & quod veri quiſque de his rebus capere poſſet, mea verba reſonarent, quàm vt vnam veram ſententiam ad hoc apertius ponerem, & excluderem cæteras; & de Diuo Ioanne dicat quod Diuus Auguſt. de Moyſe dixit verba iſta ex Geneſis 1. In principio creauit Deus cœlum & terram ponderans, ſenſit ille omnino in his verbis atque cogitauit, cùm ea ſcriberet, quidquid hîc veri potuimus inuenire, & quidquid nos non potuimus, aut nondum poſſumus, & tamen in eis inueniri poteſt.

Denique nos ad Deum oratione recurrendum eſſe exiſtimemus; multa dicebat Diuus Auguſt. cap. 12. Confeſſ. cap. 1. Satagit, Domine, cor meum in hac inopia vitæ meæ pulſatum verbis ſanctæ Scripturæ tuæ, & ideò plerumque in ſermone copioſa eſt egeſtas humanæ intelligentiæ, quia plus loquitur inquiſitio quàm inuentio, & longior eſt petitio quàm impetratio: & operoſior eſt manus pulſans quàm ſumens: tenemus promiſſum, quis corrumpet illud? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Petite, & accipietis; quærite, & inuenietis; pulſate, & aperietur vobis: omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, inuenit, & pulſanti aperietur. Promiſſa tua ſunt, & quis falli timeat, cùm promittit Veritas? orandum igitur aſſiduè, & pia meditatione inquirendum ac flagranti deſiderio pulſandum, vt ea myſteria aliquatenus deguſtare liceat, his potiſſimùm regulis adiuti, iſtam interpretationem concinnauimus, eamque in lucem edere non reformidâmus, nihil ſiquidem à fide bona, moribus, aut pietate alienum proculdubio continet, vnum nunc mihi reſtat præſtandum, vt de ordine ac ſerie totius operis aliquid dicamus.

In quatuor partes rectè totum opus diſtribuitur. Prima continet tria tantum capita, & Saluatorem repræſentat, non in propria ſeu naturali figura, ſed in quadam ſpecie, quæ quid operaturus ſit in Eccleſia ſignificat, cum glorioſis titulis, ſub quibus coli & in Eccleſia honorari vult, vt videbimus. Secunda complectitur omnia capita à quarto incluſiuè vſque ad vndecimum incluſiuè, in qua quid operetur in gratiam Eccleſiæ ſponſæ perſpicitur; eam fundat, illuminat, ſanctificat, perficit, regit, purgat ab omni labe, aut peccatorum fæce aut contagione, probat tentationibus, & tandem in arcto poſitæ, opportuna auxilia ſuppeditat. Tertia continet omnia capita à duodecimo incluſiuè vſque ad vigeſimum incluſiuè, in qua Eccleſia ſuas agit partes, oppugnata quidem, ſed fortiter dimicans, ad bellum optimè inſtructa, inimicos expugnat, & piis ac variis exercitiis Deo & ſponſo obſequitur, & cum eo regnat in terris, vſque dum in obſequio eius conſtantes perſeuerans, tempus veniat reddendi vnicuique iuxta opera ſua. Quarta autem pars continet caput vigeſimumprimum & vigeſimumſecundum, in quibus graphica fit deſcriptio Cœleſtis Hieruſalem, & ſub eius deſcriptione nobis præmia & eſſentialia & accidentalia patriæ meditanda proponuntur, vt ad ea cum Diuo Ioanne votis ac deſideriis ardentiſſimis ſuſpiremus, cum ipſo dicente: Tu dixiſti, Domine Ieſu, Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt reddere vnicuique iuxta opera ſua. Ego ſum Alpha & Omega, Primus & Nouiſſimus, principium & finis; perfice in nobis quæ incepiſti. Ecce ſponſa Eccleſia tua & Spiritus dicunt, Veni; & nos audientes dicimus, Veni ad noſtros clamores; benignè reſponde, Etiam venio citò, & nos id exoptamus, id petimus. Amen. Veni Domine Ieſu. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.

Digitized by Google

SYNOPSIS TOTIVS APOCALYPSIS.

REVELATIONEM iſtam in quatuor partes diuidendam eſſe iam in Prologo diximus. Prima pars tria priora capitula complectitur; quorum primum quaſi in Epilogo continet quidquid Deus per Chriſtum operaturus ſit in Eccleſia, cui ſanctus Ioannes exoptat gratiam & pacem, vt Deo ſit gloria & imperium; quod quidem fœliciter adimpletur, vt ex forma, & modo ſub qua & ſub quo apparet Chriſtus, diſcere poſſumus, nempe per participationem tribulationum filij Dei, per regimen Paſtorum, per adminiſtrationem verbi Diuini; habet enim tanquam vocem aquarum multarum, ecce participatio tribulationum; habet ſeptem ſtellas in manu, ecce regimen Paſtorum; habet in ore gladium acutum, ecce prædicatio verbi: hinc illi gloria & imperium: vnde facies eius ſicut ſol lucet in virtute ſua. Alia duo capita, nempe ſecundum & tertium, exponunt quanam intentione Deus ad hæc operanda moueatur, nempe vt eius filius Chriſtus Dominus ab omnibus hominibus adoretur, & inſuper ad hunc finem Prælatorum munus ordinarit. Quibus in Epiſtolis in his duobus capitulis contentis, ſignificatur quid de Chriſto annunciare debeant, vt honor promiſſus à Patre, illi exhibeatur, nempe iuxta prophetiam Iſayæ, quòd ille ſit paruulus nobis natus, & filius datus; cuius factus eſt principatus ſuper humerum eius. Quod debeat vocari vt ſic, Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis, Iſa. 9. quia videlicet ſit caput Angelorum & hominum, ecce quomodo factus eſt Principatus ſuper humerum eius: paruulus nobis natus, & filius datus, quia ſit hominum Redemptor, ecce quomodo rectè dicitur Admirabilis; quia eorum Doctor & Legiſlator, ideo Conſiliarius vocatur; Iudex ſupremus, hac de cauſa Deus indigitatur Autor & fons omnium meritorum, ideò fortis nuncupatur; ſummus Rex & Sacerdos, ideò Pater futuri ſæculi, & tandem idea & exemplar omnium virtutum; hac de cauſa denique Princeps pacis dicitur, nam per virtutum exercitium ad æternam pacem & beatitudinem conſequendam diſponimur. Hæ ſunt præclaræ Chriſti Domini dignitates à Prælatis inculcandæ fidelibus, hinc titulos in ſingulis Epiſtolis ad hos effectus deſignandos, aptos ex figura ſub qua apparuit, in primo capite potiſſimùm deſumptos aſſumit, v. g. qui tenet ſeptem ſtellas, qui ambulat in medio ſeptem Candelabrorum aureorum, in prima Epiſtola, & ſic in cæteris. Secunda pars incipit à capite 4. & vſque ad vndecimum incluſiuè extenditur, in quibus deſcribitur, quibus donis & fauoribus ſeu prærogatiuis Deus Eccleſiam ſponſam cumulauerit, & colluſtrauerit, dum in ea per inſignes quoſdam effectus quanta ſit erga homines eius Miſericordia, nec non Iuſtitia, innoteſcit.

SYNOPSIS TOTIVS APOCALYPSIS.

In 4 igitur capite cernitur Ecclesiæ dilectæ filij Dei sponsæ fundatio, seu institutio, dum in Throno erecto, & in 24. senioribus, & 4. animalibus Pastorum Authoritas, & seniorum Christi sanctitas, & potentissima auxilia, & conuenientia media, & heroïcæ virtutes, quibus muniuntur, vt officia & munera sua fœliter exequantur, adumbrantur.

In 5. cap. qua ratione maneat in Ecclesia iuxta hanc promissionẽ, Ego vobiscũ sum vsque ad consumationẽ sæculi, Matth. vltimo, perspicitur; vt tanquã sol in medio eius ambulans, & existens, Ecclesiam suis illuminet splendoribus, sponsus est Ecclesiæ, cui dicit, Heb. 13. Non te deseram, neque derelinquam; itaut ipsa cernens ipsum in medio sui existentem per Sacro-sanctũ Eucharistiæ Sacramentum, confidenter dicat: Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo, Heb. 13. Ipse est agnus, qui aperit sigilla libri signati, nobis reuelans mysteria, exequens omnia quæ Deus decreuit pro salute hominum esse perficienda.

In sexto capite, Redemptionis & salutis effectus proponuntur, dum Sacramentorum effectus describuntur sub Symbolis quæ apparent ad apertionem sigillorum libri signati; sub quibus Symbolis insuper præcipuæ veritates super quas fides Christiana firma consistit, quæ in insignioribus Concilijs fuerunt determinatæ, etiam describuntur. Sic Baptismi effectus in Equo Albo, Confirmationis in Rufo, Matrimonij in Nigro, Ordinis in Pallido, Sacramenti Altaris in apertione sigilli quinti, Pœnitentiæ in apertione sigilli sexti; effectus autem Sacramenti Extremæ-vnctionis describitur in cap. 8. ad quod remittitur apertio sigilli septimi.

Quod si de decisione veritatum super quas fundata est Christiana Religio, loqui oporteat; in Equo Albo diuinitas filij Dei asseritur in Concilio Niceno, diuinitas Spiritus sancti in Equo Rufo, in Concilio Constantinopolitano; Dignitas humanæ naturæ ex vnione ipsius cum Verbo, in Concilio Ephesino, Humiliatio Verbi natura humana ab eo assumpta in suis proprietatibus remanente, in Concilio Calcedonensi. At quàm verè dixerit Propheta, Nimis honorati sunt amici tui Deus, cernitur in apertione quinti sigilli, vbi prædicitur quæ determinata fuerunt in Concilio celebrato in Nicea Bithyniæ pro cultu sanctarum Imaginum. In apertione autem sexti sigilli aut septimi, vt dicemus, non est necesse vt alia Concilia significentur, sed alij affectus diuinæ prouidentiæ circa regimen Ecclesiæ, aut animarum sanctificationem. Et sic ad septimum caput transimus.

In 7. capite cernuntur illi, in quibus effectus iustificationis, seu gratiæ iustificantis fuerunt recepti, Alij signati apparent in frontibus ad designandos præcipuos sanctos, qui fructus abundantiores ex tot donis diuinis patienter & manifestè protulisse agnoscuntur, Alij gerentes Palmas in manibus, ad designandos omnes fideles prædestinatos, qui reuera salutem æternam consecuturi sunt, quamvis inpræsentiarum eorum salus non sit Ecclesiæ specialiter reuelata in individuo; & hîc sistit præcipua descriptio effectuum Misericordiæ.

In cap. 8. Igitur fit transitus ad descriptionem effectuum Iustitiæ, quorum æquitas tantò clarius apparet, quòd Deus satis ostendat quàm strictissimo amoris vinculo cum hominibus coniungatur, ex indicibili patientia qua illos ad pœnitentiam expectat iuxta piam eius voluntatem, & ex longanimitate quâ minas intentat vt desiderio ardenti salutis hominum, quo vult omnes saluos fieri, ipsimet obtemperet, & dum eis peccantibus spatium pœnitentiæ concedit, media suppeditat hominibus etiam in extremis laborantibus per Sacramentum Extremæ-vnctionis ad supplendos defectus aliorum Sacramentorum: Et per

Augustissimum Missæ sacrificium, & per continuam verbi Diuini prædicationem, vt illorum infirmitatibus & ignorantiis subueniat Certè non mirum, si his omnibus spretis & neglectis, Ecclesiam suam visitare incipiat in spiritu ardoris & iudicij, sordes filiorum Israël purgat, sanctorũ patientiam exercet, constantiam probat pœnis & afflictionibus variis, fame, bello, peste, animi angoribus, ex cæcitate & obscuritate mentis prouenientibus.

Tum in capite 9. perspicitur quomodo qui ex his afflictionibus & pœnis nullum referunt emolumentum, seu qui flagellis ad correctionem immissis non corriguntur, in pœnas incidant formidabiliores, in insignem videlicet morum corruptionem, in passiones ignominiæ, in hæreses, atheismum & obstinationem; quod quidem cedit in magnum Ecclesiæ bonum, quæ tanquam grauissimo pondere onerabatur, dum intra sinum & pectus pessimos homines continebat, quibus purgatur cùm ab ea per apostasiam à fide discedunt; oportet siquidem & hæreses esse, vt probati manifesti fiant. hæc autem sub symbolis præclaris locustarum è fumo cuiusdam putei exeuntium, & equorum prodigiosorum adumbrantur: obstinatio autem insinuatur in his qui non egerunt pœnitentiam de operibus manuum suarum, vt dicitur in fine c. 9.

In cap. 10. quia mali cũ bonis permixti sunt in hoc mundo, sancto Ioanni signa electionis & prædestinationis notificantur: sed vetatur illa scriptis mandare; expedit enim ne indifferenter omnibus, ne distinctè singulis aperiantur. Sunt quidem, ait Sapiens Ecclesiastes c. 9. iusti atque sapientes, & opera illorum in manu Dei, tamen nescit homo vtrum amore vel odio sit dignus, sed omnia in futurum seruantur incerta, eò quòd vniuersa æquè eueniant iusto & impio.

Tamen in capite vndecimo, quæ ad profectum pietatis & virtutis conducere possunt, aperiuntur; in eo siquidem capite videtur proprium donum electorum esse, si Christo crucifixo fiant conformes; si dum vehementioribus quatiuntur persecutionibus, fortes in confessione nominis Dei permaneant. hoc etenim euidentius esse apparet prædestinationis signum & donum excellentius, quo Deus Ecclesiam suam ditat, si videlicet tam fortis & constans sit, vt in medio tormentorum Christum confiteri non timeat; in quo certamine duces habebit Enoch & Eliam, qui doctrinâ & exemplo & miraculis Ecclesiæ opem præstabunt; quæ quidem fidelitas erga Dei cultum & Christi obsequium, vltimum est beneficium in vita præsenti, quo Deus seruorum suorum virtutem coronat honore & gloria; est enim securior ad vitam æternam semita laborum ac tormentorum pro Christo tollerantia, iuxta illud, Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Hæc sunt quæ in secunda parte tractantur. Ad tertiam veniamus.

Tertia pars huius reuelationis continetur à capite 12. vsque ad 20. in qua quidem declaratur qua ratione Ecclesia ex altera parte respondet gratijs sibi collatis fidelitate sua, & describuntur præcipui euentus, qui intra totum illud temporis spatium militiæ suæ super terram euenient.

Itaque in capite duodecimo apparet mulier amicta sole, Lunam habens sub pedibus, & duodecim micantibus coronata stellis, Symbolum Ecclesiæ, quæ vna est Catholica, Apostolica, à sole iustitiæ in primo capite in medio septem candelabrorum, id est, in medio ipsius vniuersalis Ecclesiæ ambulante collustrata, ita vt ex eius luminis exuberantia splendore solis videatur amicta, quæ exposita inuidiæ diaboli dum authoritatem Pontificiam conatur ad summum gloriæ apicem euehere, ab inuido satana oppugnatur, odio acerbo synagogæ; atrocibus persecutionibus Imperatorum Romanorum; vexationibus Schismaticorum, hæresum dissemination, profluuio corruptionis morum, sed saluatur tum in

deſerta ſe recipiens, tum in ſolitudinem eorum, qui conſiliorum Chriſti ſectatores diuitias ſpernunt, caſtitatem colunt, in omnibus Deo obedire ſatagunt ſecedens, vbi ſuam ſanctitatem & doctrinam ſartam tectam cuſtodit, fremente licet diabolo, ſeu dracone liuore & inuidiâ, qui ſtans in littore maris è cœlo delapſus.

Ecce in capite 13. quomodo nimio furore percitus aſciſcit ſibi in auxilium duos potentiſſimos fideliũ hoſtes, nempe duas Beſtias, vnã è mari aſcendentẽ, Symbolum eorum, de quibus ait S. Ioannes, Et nunc Anti-Chriſti multi ſunt; alteram aſcendentem de terra, nempe ſuperbiam carnis, quarum ope, ſi fieri poſſit, diabolus impediat Regni viſibilis Chriſti in Eccleſia erectionem, & ſtabilitatem, & ne quæ Eccleſia concipiebat & parturiebat in initio, tandem euenant; id eſt, ne legitimum fœtum adhoc regnum ſtabiliendum in lucem edat parturiendo filium maſculum, qui recturus ſit gentes in nomine Chriſti, cuius perſonam gerit in terris, in virga ferrea. 1. inflexibili iuſtitia, cuius dignitatis ſunt participes pro recta portione omnes Eccleſiæ paſtores inferiores in partem ſollicitudinis vocati, cuius ille ſummus Paſtor habet plenitudinem, quibuſque vt ipſi omnes fideles obedientiam præſtare debent.

At in capite 14. contra tam atroces hoſtes congregat Agnus glorioſiſſimum exercitum, qui Duce Chriſti Vicario ſummo Pontifice, Mundum & Carnem conculcabit, & ſatanam conteret ſub pedibus, qui exercitus in tres turmas diuiditur; Prima eorum qui vel integritate fidei, vel corporis & mentis puritate dici poſſunt virgines; 2. eſt Martyrum, qui pro fide Chriſti & iuſtitia mortem fortiter pertulerunt. 3. eſt eorum, qui voto, officio, aut miniſterio obſequio Dei ſunt conſecrati, vt Sacerdotes, Doctores, Prædicatores, Religioſi, qui omnes mundum, carnem, & diabolum conculcant, ſub duce militantes qui videtur in fine capitis ſedens ſuper nubem candidam, ſimilis filio hominis, habens in capite coronam auream, & in manu falcem acutam, & qui fuerat puer maſculus in 12. capite, nunc ad perfectam deductus adimplet quod in futurum in cap. 12. de eo dicebatur, nempe quòd recturus erat gentes in virga ferrea.

In capite 15. deſcribitur quibus armis, vel ad ſui defenſionem, vel ad inſultum in hoſtes inſtrui debeant, huius generoſi exercitus ſtrenui milites, qui ſpe erecti, quaſi iam reportatâ victoriâ cantant Canticum quoddam præclarum, certè quòd quæ vult Dominus fieri ad ſuam gloriam, tandem perficientur, quidquid obganniant contradicentes, & moliantur hoſtes, veſtiti ſunt lino mundo & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis, ad ſui defenſionem, & recipient ſeptem phialas aureas ad hoſtium oppugnationem.

His armis inſtructi committitur prælium in capite 16. deſcriptum, Eccleſiæ paſtores effundunt phialas, ad Chriſti Regnum fundandum, promouendum, ſtabiliendum, dum vtuntur poteſtatibus quibuſdam ſibi datis, in his phialis deſignatis, verbi gratia primò recurrendi ad Deum per orationem, ſecundò prædicandi verbum Dei omni creaturæ, tertiò adminiſtrandi Sacramenta ad hominum ſanctificationem 4. offerendi dona & ſacrificia pro peccatis, & ad Deum ſupremo cultu colendum. 5. condendi leges & obligandi fideles ad quorumdam præceptorum ad eorum ſalutem conducentium obſeruationem 6. poteſtatẽ iudicandi de actionibus fideliũ, an legibus ſint conformes, denique poteſtatẽ puniendi cõtumaces per gladium excõmunicationis, & aliis pœnis Eccleſiaſticis. At reſiſtunt homines peruerſi ſeptemplici ratione, 1. ſtupiditate quadã mentis omnibus S. Spiritus inſpirationibus reſiſtẽte, 2. peruerſitate inclinationis, qua sẽſus & cogitatio cordis humani in malũ prona ſunt abadoleſcẽti a. 3. contẽptu mediorũ quæ à Deo ordi-

nata ſunt vt à malis auertamur. 4. Seductione mentis per errores & mendacia quæ libenter admittimus & amamus, ne à peccatis recedere cogamur. 5. Contemptu legum ex malitia deliberata 6. Contemptu authoritatis eorũ quos Deus poſuit regere Eccleſiam Dei, per ſuperbiam, & 7. tandẽ Manifeſtâ ab Eccleſiæ diſceſſione. hoc modo ſecum dimicant Eccleſiæ paſtores & Mundani homines.

Sed excommunicatis & reſciſſis qui ab Eccleſia diſcedunt, in cap. 17. & 18. cernuntur euentus tum præliorum, tum molitionis, ſiue niſus, tam malitiæ humanæ, quàm pietatis fidelium Chriſti militum erga Dei cultum. Et licet in capite 17. Mundus & vitæ ſuperbia Eccleſiam ſuppeditare & opprimere videantur, tam citò euaneſcit vtriuſque inſultus, vt meritò dici debeat, Quomodo perierunt, ſubitò defecerunt propter iniquitatem ſuam. Etenim in cap. 18. omnis hæc arrogantia & ſuperbia proſternitur, & Dei conſilia in Chriſto per Eccleſiam exequenda fœlicem tandem obtinent exitum.

Vnde in cap. 19. audiuntur Dei laudes & gratiarum actiones ob reportatam victoriam. Et quia non ſemel decertandum fuit, ſed pluribus viribus cum hoſtibus manus conſerere oportuit; ita nec vna fuit victoria ſemel obtenta: certandum enim fuit ab initio Eccleſiæ, & certandum erit vſque ad ſæculi conſummationem. Hac de cauſa neceſſe fuit vt S. Ioannes ante oculos proponeret pia quælibet Eccleſiæ exercitia, quibus & fideliter decertat, & victoriam referat de hoſtibus ſuis, & ſponſo ſuo Chriſto Domino honorem & reuerentiam exhibet, dum in ijs omnibus elucent Miſericordiæ & Iuſtitiæ ſuæ effectus. Et ſic in hoc cap. videtur Verbum diuinum quaſi Triumphum agere de victorijs, quas quotidie reportat de hoſtibus, dum Fidelis & Verax cum iuſtitia iudicat & pugnat, & pro omni generatione agnoſcitur in omnibus fidelibus tanquam Rex Regum & Dominus dominantium, cuius regni & dominationis in fideles manifeſtum apparet ſignum. Vnus enim Angelus ſtans in ſole, per quod ſignum cernitur, quòd honor Chriſto exhibendus in hoc viſibili Eccleſiæ regno ad ſuam perfectionem deductus eſt, dum ille Puer Maſculus, qui recturus erat gentes, ad plenitudinem ætatis Chriſti peruentus, eâ authoritate & poteſtate fulgeat, vt in ſole ponat tabernaculum ſuum, & maneat firmus & immobilis contra omnium hoſtium inſultus; & in veritate ſtans ſemper valeat confirmare fratres, & omnes hæreticos, & ſchiſmaticos, & morum corruptores, & legum violatores ac contumaces debellare.

His omnibus deductis, oriri poſſet in mente deſiderium ſciendi quantum temporis ſpatium inſumetur in his certaminibus, victorijs, triumphis &, pijs Eccleſiæ exercitijs, quin & quantũ temporis durare habeat & manere in terris viſibile Regnum Chriſti, ſeu Monarchicum Eccleſiæ ſtatum viſibilẽ, donec conſummatis omnibus tradat illud regnũ Deo & Patri, vt ſit Deus omnia in omnibus.

Huic deſiderio fit ſatis 20. cap. in quo videmus Angelum Eccleſiæ protectorem tenentem catenam in manibus, qua ſucceſſio Præſulum Eccleſiæ, ſed maximè Romanorum Pontificum; quæ ſucceſſio legitima & concatenatio Pontificum impedimento fuit, & rurſus vſque ad finem impedimento erit quominus ſatan poſſit imperium Chriſti in terris viſibile euertere, prout in votis habebat. Sicque durabit illud imperium per totum illud ſpatiũ temporis, quod per mille annos myſticè, vt videbimus, intelligendos ſignificatur. Et tandem Deo, cuius eſt noſſe tẽpora & momenta, ita permittente, ſoluetur ſatanas, & illa ſuprema Pontificũ authoritas conculcabitur per breui Antichriſti Tyrannide, à quo publicus Chriſti cultus vſque huc à ſuprema potiſſimùm ſede ſemper in mundo in ſplendore conſeruatus prohibebitur, & ad tempus publico vſu impedietur.

SYNOPSIS TOTIVS APOCALYPSIS.

Qua Tyrannide breui tempore elapsâ, omnes contradicentes in infernum demergentur, & tandem Christus coadunatis duobus populis in vnum, ab omnibus glorificabitur, cùm præcipuè ad iudicandum aduenerit reddere vnicuique secundùm opera sua.

Vsque huc tertia pars huius reuelationis; nam in cap. 21. & 22. describuntur præmia Ecclesiæ danda pro laboribus suis, & legitimis certaminibus, quibus sua parte respõdere conata est gratijs & fauoribus quibus à Deo præuenta fuerat, nec non proprijs omnibus exercitijs, quibus Deo cultum exhibere conata est, & pro perseuerantia & constantia sua in obsequio sponsi dilectissimi. Et in hac præmiorum descriptione completur quarta & vltima pars huius reuelationis.

Hanc autem Prophetiam posse hoc modo interpretari Deo dante probabilissimum esse videbitur, cuicúmque attente perspexerit nos nostram interpretationem confirmare, siue ex alijs locis sacræ Scripturæ, siue ex authoritate sanctorum Patrum, & eorum qui hanc Prophetiam interpretati fuerunt, siue ex optima Symboli cum re significata conuenientia & applicatione, siue ex sono & acoluthia capitum, imò & versuum, denique ex connexione visionum & rerum significatarum, quæ adeò religiosè obseruatur, vt dici nequeat, quod ne vnus quidem versiculus ab hac connexione discrepare possit.

PARS PRIMA

PARS PRIMA ELVCIDATIONIS APOCALYPSIS S. IOANNIS.

Apocalypſis Commendatio, Excellentia, & Finis, quo tempore & loco ſancto Ioanni facta fuerit, & ſub quâ forma Chriſtus Dominus, illi apparuerit, vt quæ operaturus erat in Eccleſia ſua, ipſi ſignificaret.

CAPVT I.

Paraphraſis Cap. 1. Apocalypſis Commendatio, Excellentia & Finis §. 1.

Textus. *Apocalypſis Ieſu Chriſti, quam dedit illi Deus palã facere ſeruis ſuis, quæ oportet fieri cito: & ſignificauit, mittens per Angelum ſuum ſeruo ſuo Ioanni.*

HÆC eſt reuelatio Ieſu Chriſto, in quantum homini, à Deo Patre data gloriæ, quam adepturus erat, ſecundum promiſſiones ſibi ab ipſo Patre factas, cum vox illius de cœlo intonuit, clarificaui, & iterum clarificabo; quam gloriam adeptus eſt, non vt eam apud ſe abſconſam retineret, imo potius, vt eam ſeruis ſuis manifeſtam redderet. A

Hæc autem gloria, & omnia media ad eam conſequendam à Deo ordinata, ſub profunda inſcitiæ humanæ rerum diuinarum, ac futurarum caligine occultata, & velata deliteſcebant. At ea Chriſtus Dominus ſeruo ſuo Ioanni detegere voluit, per ænigmata quædam mirificè eadem exprimentia; ſeu per ſigna, in quibus ingens erat vis, & energia; vt fortiter ea menti objicerentur ſpeculanda. Et ad hunc finem miſit Angelum ſuum, cuius ope veluti quodam penicillo vſus, in imaginatione mea, certa quædam ſimulachra graphicè depinxit, ad quæ mens mea conuerſa, ſtatim eadem futura, ac ſi præſentia clarè & perſpicuè intuita eſt, ac ea tam perfectè intellexi, vt eadem valeam nunc tranſcribere, & quæ per ea percepi, fidelibus proponere. C

Qui teſtimonium perhibuit Verbo Dei, & teſtimonium Ieſu Chriſti, quæcunque vidit.

Eadem ratione poſſum de veritate Verbi Dei autenticum præbere teſtimonium, ac de dignitate, & ſumma Ieſu Chriſti Maieſtate, & exaltatione (quæ ex his quæ vidiſſe me teſtor conjicitur) fidem facere præclaram: mihique fides tanto magis adhibenda eſt, quò libentiùs ad omnia toleranda, nec non ad mortem obeundam me obtulerim, & nunc etiam adhuc exilium pro eius nomine ſuſtineam. B

Beatus qui legit, & audit verba prophetiæ huius; & ſeruat ea quæ in ea ſcripta ſunt: tempus enim prope eſt.

Beatus qui legit & audit verba prophetiæ huius, quis enim ſapiens & intelliget hæc? non in cortice literæ remaneat, intima penetret, medullam requirat, & cum ea captum hominum excedant, non ſecundum primariò occurrentem ſignificatum ea expendat, ſed ſecundum quod Spiritus ſanctus, cuius ſunt partes omnem edocere veritatem, mentibus fidei obſequio conſecratis, & proprio iudicio, ac particulari ſenſu expoliatis dictauerit, eiſque tam alta myſteria aperire dignatus fuerit, & qua ratione illis viuendum fuerit, vt tantorum bonorum fiant participes, breuis namque vitæ noſtræ decurſus, & quæ prophetantur celeriùs adimplenda. Itaque vigilandum ne negligatur vſus gratiarum, quæ promittuntur, aut ne ex improuiſo veniant mala, quæ prædicuntur. C

Ioanni ſeptẽ Eccleſiis, quæ ſunt in Aſia. Gratia vobis, & pax, ab eo

Ego igitur Ioannes, cum certò comprehendam, quantum vtilitatis percipi valeat, ex hac rerum tum cognitione, tum fideli obſeruatione, ardenter percupio toti Eccleſiæ, per me impertiri earumdem notitiam, eo ipſo quo ſeptem Eccleſiis Aſiæ, quarum regimini ſpecialiùs incumbo, hanc Apocalypſin dirigo. B

qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt; & à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni eius ſunt.

Hæc autem eſt vtilitas, quam ab ea elici vehementer deſidero, nempè vt omnes gratia, & pace abundè potiantur, quam vobis expoſtulo, primò ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, nempe à Patre æterno, ſecundò à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni eius ſunt, nempè ab eius diuino amore, qui dona ſua, per totum vniuerſum multipliciter effundit, ac diſpergit. A Patre inquam æterno, vobis gratia & pax obueniant, qui nunc adimplet, quæ ab æterno fuerat meditatus, quique opus ſuum, vſque ad vltimum perfectionis gradum deducet, ſicut & olim promiſerat, & figuris præſignarat. Ab eius inquam amore ſit vobis gratia & pax, nihil enim ad extra operatur Deus omnipotens, quod ab eius voluntate non dependeat. D.

Et à Ieſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ: qui dilexit nos & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.

Et à Ieſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis; nam cum illuſtrior huius diuini ſpiritus effectus, & quo ſemel dato, cætera nobis donari cenſendum eſt; ſit quod verbum æternum ac diuinum carnem aſſumpſerit, ſic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret; vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam; ſicque oſtenderet, in ſæculis ſuperuenientibus, abundantes diuitias gratiæ ſuæ, in bonitate ſuper nos in Chriſto Ieſu, ea ratione ductus, non tantum à Patre, non D tantum à Spiritu ſancto, vobis gratiam, & pacem expoſco, ſed etiam à Ieſu Chriſto, qui eſt teſtis Fidelis; quis enim ſinceriùs teſtimonium redderet, de immenſa bonitate, ac miſericordia, qua Deus erga nos vſus eſt, aut expreſſiùs exprimeret, quam rigoroſa, & ſeuera ſit eius iuſtitia, cum ad vlciſcenda noſtra crimina propemodum cogitur, quam ipſe qui miſericordiæ abyſſus, vt peccata nobis condonaret, ſupra ſe noſtra ſcelera pertulit, & pro eis à Deo fuit tam ſeuerè percuſſus, & humiliatus. Primogenitus eſt mortuorum, ſperate reſurrectionem corporum veſtrorum, princeps regum terræ, nihil timete à potentibus ſæculi; qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, ne igitur propter peccata veſtra animum deſpondeatis, nam E qui peccata condonat vobis, etiam regnum inſuper promittit.

Et fecit nos regnum & ſacerdotes Deo & patri ſuo: ipſi gloria, & imperium, in ſæcula ſæculorum! Amen. Ecce venit cũ nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Et plangent ſe

Quapropter ex gratia tam abundanti, vt fecerit vos regnum & ſacerdotes, gloria ei obueni[illegible] ex pace tam latè diffuſa imperium illi ſit in ſæcula ſæculorum, amen. E

Non ſecus ac de parte veſtra nil formidandum, quin hæc bona vobis obueniant, ita nec ex parte Dei. Certò enim certiùs, quod incæpit perficiet; conſtans, & vniformis eſt eius operatio, eodem modo ſe gerit in fine ſicut in initio. Opus manifeſtationis gloriæ, cuius iam erat poſſeſſor, incipere voluit in die Aſcenſionis glorioſæ; vt throni ſibi debiti ac præparati in dextera Patris poſſeſſionem

Digitized by Google

Textus. *ſuper eum omnes tribus terræ : etiam : amen.*

ſumeret, aſcendit cum nubibus, vt hac ratione diſcerent, hanc gloriam dum viuerent, ſub ænigmate & obſcuritate fidei ſibi fore ſpeculandam; eadem ratione hoc opus manifeſtationis ſuæ perficiens veniet, circumamictus nubibus in die iudicij, vt & mali æque ac boni, quanta ſit eius poteſtas præſentiant, ac experiantur, & velint nolint, agnoſcant, & fateantur, ſingulari ac excelliſſima à Patre ſuo gloria donatum fuiſſe.

Interim venit cum nubibus, id eſt, in apoſtolis & prædicatoribus, quos ad irrigandam terram, pluuia ſalutaris doctrinæ diſcurrere fecit, per totum orbem, poſt ſuum aſcenſum in cælum, vt enarrarēt mirabilia eius. Audient qui ei credent, audient qui eum crucifixerunt, plangent contriti ex dolore peccatorum, plangent ex rabie, qui credentes perſequentur, in die iudicij. Dum percipient numquam ſe viſuros in gloria, quem videre noluerunt ſub fidei velamine, & obſcuritate, tanquam ſub nubibus. F

Ego ſum α & ω, principium & finis, dicit Dominus Deus, qui eſt & qui erat, & qui venturus eſt, omnipotens.

Tunc effectu comprobabitur, quod ipſe ſit α & ω, principium & finis, & quo iure nuncupatur qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt omnipotens, effectus namque comprobabit nos in præſenti, iure ac merito ab eo expectare ea quæ dixi ipſum eſſe patraturum, cum videlicet viuos & mortuos veniet dijudicaturus. G

De modo, tempore, & loco, quo facta fuit. Hæc reuelatio. §. 2.

Ego Ioannes frater veſter, & particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Chriſto Ieſu; fui in inſula, quæ appellatur Patmos, propter Verbum Dei, & teſtimonium Ieſu.

VT autem ſciatis, quonam modo iſta omnia ad meam deuenerint notitiam, conſiderare vos oportet, quod ego Ioannes frater veſter, ratione charitatis, quæ nos eundem Patrem agnoſcentes ad inuicem connectit; & particeps in tribulatione, & regno, & patientia, in Chriſto Ieſu, fui in inſula Patmos propter Verbum Dei, & teſtimonium Ieſu: quia mali, æquè ac boni, humiliationis æque ac exaltationis Chriſti particeps effectus, quia diuinis. Omnipotentis Dei diſpoſitionibus morem gerens, hoc me honore condecorauit, vt imitator patientiæ Ieſu Chriſti factus regnum eius in me; & per me firmius ſtabiliretur, & amplius dilataretur, quod ex exilio meo in inſulam Patmos pro eius nomine comprobari poteſt. H

Fui in ſpiritu, in dominica die, & audiui poſt me vocem magnam tanquam tubæ dicentis.

Cum igitur eſſem in hac inſula, accidit vt in contemplatione rerum diuinarum ſerio occupatus, tandem ab omni rerum externarum, & phantaſmatum commercio abſtraherer; ſiquidem in dominica die, totus in rebus diuinis fixus, audiui poſt me vocem magnam, me ad alia cogitanda quam quæ in mente voluebam compellentem, voce forti, quia magna erant, quæ me audire inuitabat, tanquam tubæ quia prælia victorias, & triumphos nunciabat. I

Quod vides, ſcribe in libro; & mitte ſeptem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſia Epheſo, & Smyrnæ, & Pergamo & Thyatiræ & Sardis & Philadelphiæ & Laodiciæ.

Talia autem mihi tuba hæc loquens præſcripſit, quod vides, ſcribe in libro, & mitte ſeptem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſia Epheſo, & Smyrnæ, & Pergamo, ac Thyatiræ & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiciæ, quaſi diceret, hæc quæ oculis vides, quæ mente comprehendis, non ad tuam tantum inſtructionem ordinata à Deo ſunt; ſed etiam ad totius Eccleſiæ ſuæ illuminationem tibi reuelantur: Ideo ea ſolicitudi cura tibi ſcriptis mandanda ſunt, vt eadem valeas his ſeptem Eccleſiis, & in earum nomine toti Eccleſiæ per orbem vniuerſam diffuſæ inculcare. Ea enim in his ſeptem Eccleſiis optime adumbratur. L

Et conuerſus ſum, vt viderem vocem quæ loquebatur mecum: & conuerſus vidi ſeptem candelabra aurea.

Cum autem hæc omnia in mente mea verſarentur, ab omni alia re abſtrahens animum, totus in hoc vno fui, vt clariùs, ac diſtinctiùs perciperem quæ potens, & ſonora iſta vox præciperet. Conuerſus igitur vt viderem vocem, id eſt, vt viderem ea quæ per hanc vocem me alloquentem exprimebantur. Vel ad quæ intuenda fortiter prouocabat. Vidi ſeptem candelabra aurea ſeptem Eccleſiarum Aſiæ ſymbola, in quibus vniuerſa fidelium congregatio, ſeu Catholica deſignabatur Eccleſia. Textus.

Sub qua forma Chriſtus apparuit. §. 3.

Et in medio ſeptem candelabrorum aurorū ſimilem filio hominis, veſtitum podere, & præcinctum ad mammillas zona aurea.

IN huius meditullio animaduerti mundi Saluatorem iuxta hanc promiſſionem, ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi, inhabitare ac commorari ſ hunc vidi non in ea forma ſeu figura, quam poſſidet ſecundum gloriam perſonæ propriæ congruam, in quantum ſcilicet ſingularis eſt quædam perſona, ſed in ea quæ in eo qui apparebat ineſſe gratiam capitis totius Eccleſiæ ſignificaret. In quantum in ipſa eccleſia operatur, in quantum ipſi compatitur, in ipſam influit, in ipſa opus ſuæ prouidentiæ ſpecialius perficit. Hac ratione Angelus qui eius gerebat perſonam, filij hominis formam & ſimilitudinem præ ſe ferebat, & oculis meis viſus eſt, ac ſi verè eſſet homo, & adhuc noſtra mortalitate indutus, veſtitus erat podere, ſeu indumento ex ſubtili lino confecto, & ad talos vſque demiſſo, vt hac via diſcerem, quod per gratiam baptiſmi Eccleſiam ſuam ſine macula aut ruga reddere intendebat innocentia, & ſanctitate conſpicuam. Præcinctus erat ad mammillas zona aurea, vt ad ea quæ Deus de ipſa diſpoſuerat, ſiue pro tempore vitæ præſentis, ſiue pro ſæculis æternis, quin & ad omnia eius iuſſa adimplenda ipſam paratam & accinctam eſſe notificaret. M

Caput autem eius, & capilli erant candidi tanquam lana alba & tanquam nix, & oculi eius tanquā flamma ignis.

Nec tiara, nec mithra, aut corona Caput gerebat redimitum, vt addiſcerem quanam intentione impulſus in medio Eccleſiæ taliter demoraretur, & quid potiſſimum animo volueret, ac meditaretur omnium nempe ſalutem; vult ſiquidem omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire; ex hac enim intentione, ex hac voluntate tanquam à capite fluit quidquid agit, quidquid in Eccleſia operatur, capillos igitur habet lana alba nitidiores, niue fulgidiores candida, quia cogitat cogitationes pacis, & non afflictionis, quia quicquid peragere intendit, & ſapientiam limpidiſſimam, & animi candorem, & ſinceritatem fragrantiùs redolet, nam ſi conſolationibus corda repleat, hoc fit vt deuotionis ſenſum & ardorem foueat, ac ſi molli, ac delicata veſte fideles circumueſtiret, ſi afflictiones immittat, velut terra niue decidente refrigerata calidiores in ſinu continet halitus; ita rore gratiæ irrorat, vt ardores ſuos compeſcat, & ipſemet & non alius, qui dat niuem ſicut lanam, animos omnium actionum laudabilium feraces reddat: eadem de cauſa oculos ſuper populum ſuum apertos habet, vt quantum paterna ipſius prouidentia ſuper eos attentè inuigilet, enucleatius oſtendat; ipſe enim, qui nihil non agit ſine ſumma ſapientia, oculos intentos dirigit; vt perſpiciat, quinam aliquid emolumenti hauriant ex tot gratiarum ac donorum profuſione, ad quid enim quæſo oculos non tantum apertos habere deſignatur, ſed & ſcintillantes ac igneis micantes fulgoribus gerat, niſi vt nos admoneat ſibi perfacillimum eſſe diſcernere electos à reprobis, frumentum à paleis, cum enim iuſtus ſit & æqui amans æquitatem intuetur vultus ipſius vt reddat vnicuique ſecundum opera ſua.

Et pedes eius ſimiles aurichalcho, ſicut in camino ardenti.

Cuius caput nudum, cuius capilli candidi, cuius oculi aperti, huius pedes ſimiles aurichalco, veluti in camino ardenti apparuerunt, vt operis ſui conſummationem veluti initia & progreſſus agnoſceret, vtpote qui ſit, & Creator, & Moderator, & Remunerator. Cum igitur tandem finem imponet præcellenti operi, quo Eccleſiam ſuam gubernat eo zelo ductus quo electorum ſuorum ſalutem peroptat, præmia ipſis abſque dubio eſt elargiturus ſecun-

Textus. dum propoſitum quo fimiter decreuit ipſos ad ſalutis portum adducere. At è contra, quam diſtrictè quam ſeuerè pœnas repoſcet ab iis qui dona ſua contempſerunt, ex ſententia minimè retractanda, quam in ipſos proferet clare perſpicietur: zelus quippe honoris Diuinæ Majeſtatis veluti ignis accenſus, eius affectus inflammat, vt abundantiùs hos muneribus cumulet alios ſeueriùs puniat. Interim donec illud tempus adueniat, reddendi vnicuique ſecundum opera eo ipſo quo percepi vocem ipſius ad modum aquarum multarum reſonantem didici, quibus mediis vteretur, vt quod potiſſimum intendebat feliciter exequeretur. Hæc autem ſunt. Baptiſmus, Pœnitentia, & quarumlibet rerum moleſtarum humilis tollerantia. Animaduerti ſiquidem eum ad Baptiſmi aquas omnes inuitantem, ad pœnitentiæ lachrymas cunctos compellentem, per ſe & per Apoſtolos ſuos quos miſit prædicare baptiſmum & pœnitentiam, quin & per ſe & eoſdem ad pœnas & tribulationes alacriter ſubeundas ſeriùs prouocantem oportere multa pati, & ita intrare in gloriam ſuam. Hæc namque via ſuis ineunda vt tandem torrente voluptatis potari & inebriari valeant; ne fluctibus ſupliciorum quos omnes in capita reproborum inducet obruerentur, ne fluuio rapido ignis iracundiæ ſuæ ex ore eius egrediente, tandem in ſtagnum ignis & ſulphuris raperentur. Ne autem ad tot tantarumque afflictionum ſeu tribulationum aſpectum in vehementem inciderem ſuſpicionem, fideles animos ita deſponſuros, vt ſibi perſuadeant ipſarum tollerantiam vires eorum longe excedere, ne inſuper exiſtimarem horum mirabilium prædicatores ſore contemnendos veluti quoſdam ſemini verbios, & nebulones, & quia incredibilia humano captui, impoſſibilia viribus humanis, ſenſui & appetitui aduerſa nempe pœnitentiam, & carnis mortificationem prædicarent, neminem eis fidem adhibiturum: apparuit habens in dextera ſua ſeptem ſtellas, & de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat, quibus omnem metum ab Eccleſia ſua longius repelleret: ſiquidem qui in ea autoritate pollent non minori difficultate ab eius protectione auelli valeant quam ſi ab eius manu potentiſſima annulum pretioſum, & ſibi cariſſimum auferre quis attentaret, nec non verbum eius adeo eſſe efficax, & præpotens, vt omnia impedimenta, & obſtacula euerteret; qua ratione tandem Eccleſia ſua ad tantum ſplendorem peruenirent, & ſole lucidiora poteſtatis, autoritatis, ſanctitatis, & gloriæ ſigna ederet; vt ſi minori lumine quam ſolis in virtute ſua lucentis huius rei ſymbolum proponeret, non ſatis expreſſiſſe videretur, quanto ſplendore Eccleſiam ſuam illuſtraturus eſſet, ideo facies eius ſicut ſol lucet in virtute ſua, micans apparuit.

Et vox illius tanquam vox aquarum multarum.

Et habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem: & de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat: & facies eius ſicut ſol lucet in virtute ſua.

Tunc admiratione, & ſtupore nimio ego perterritus cum vidiſſem eum cecidi ad pedes eius tanquam mortuus, & vt verum fatear iudiciorum & conſiliorum eius abyſſus, tanti operis exequendi moles, ac ſumma difficultas, ſupereminens ſanctitatis & gloriæ gradus ad quem Eccleſia peruentura erat, viæ inueſtigabiles, media ſtupenda quibus Deus vti propoſuerat vt prædicta adimpleret (nec enim aliis viis aut mediis vti in animo habebat, quam vt per ignem perſecutionum, & aquam afflictionum Eccleſiam probaret, quam vt ſola vi ac efficacia verbi ſui prolatione, ipſius munita potenter cuncta ſibi aduerſantia conculcaret) ad tantum ſtuporem mentem adduxerant, vt timore ac tremore perculſus, coactus fuerim pedibus ipſius obuolui ob eius imperſcrutabilia iudicia prædeſtinationis quorumdam, ac aliorum reprobationis; ſed vt animum A ac vires reſumerem ipſe perfecit, poſuit dexteram ſuam ſuper me, vt hac ratione perciperem me ex eorum eſſe numero quos ſpeciali protegebat auxilio; itavt omnis amouendus eſſet timor, omnis propellendus tremor. Textus.

Et cum vidiſſem eum, cecidi ad pedes eius tanquam mortuum. Et poſuit dexteram ſuam ſuper me dicens: Noli timere: ego ſum primus, & nouiſſimus.

At cum ſimul ſuauiter, & tanquam de ſua poteſtate certus dixit, ego ſum primus & nouiſſimus, tunc manifeſtè mihi innotuit, nullam in opere reperiri difficultatem, quam non vinceret ipſe; nullum opus tam excelſum ipſum aggredi, quod non perficeret; & cui extremam manum non apponeret. Nec mirum & rerum initia, & earumdem complementa ab eius pendent arbitrio, quo fit vt Eccleſia ad eam ſanctitatem perueniat, quæ requiritur vt ipſi dignum ac debitum exhibeat obſequium, B & tandem ad eam deueniat gloriam, quæ ex claritate vultus ipſius, ad inſtar ſolis refulgentis, conjectari valet.

Et viuus, & fui mortuus & ecce ſum viuens in ſecula ſeculorum, & habeo claues mortis & inferni.

Quod ſi de impedimentis ſeu obſtaculis ſermo ſit, cum addidit, & fui mortuus, & ecce ſum viuens &c. Didici duo potiſſimum mentem perturbare poſſe, nempe ſi conditio vitæ huius fragilis ac mortalis attentiùs ſpectetur: Secundo ſi peccati fœditas & abominatio ponderetur, nihilominus propter hæc de eius benignitate, ac potentia minimè diffidendum, nam ſi vitæ mortalitatem attendas, euaneſcit hæc miſeranda mortalium conditio eo ipſo quo, ipſe qui mortuus fuerat potenter reuixit, itavt mors C illi deinceps dominari nequeat, ſperandum ſiquidem fidelibus ſuis qui capitis glorioſi membra agnoſcuntur, ipſos tandem reſurgendos, ſi enim ipſe reſurrexit & nos reſurgemus.

Si autem peccati rationem habeamus quo eius oppugnatur propoſitum, animaduerti ex peccato nihil damnationis obuenire iis qui Chriſti ſunt, nam cum omnem in mortem habeat poteſtatem, minime permittet eam ex improuiſo iacula ſua immittere in electos, & cum habeat claues inferni, eos tantum deglutire permittet, qui eum repellentes ab eo repelli meruerunt, amicos autem ſuos & ſibi obſequentes ab eius faucibus eripiet, ipſe enim eſt in cuius manu & arbitrio eſt mortem dare corporibus, & D qui iuſto iudicio poteſt animas in gehennam mittere, & quos voluerit à morte & ſuppliciis liberare.

Scribe ergo quæ vidiſti, & quæ ſunt & quæ oportet fieri, poſt hoc ſacramentum ſeptem ſtellarum quas vidiſti, in dextera mea & ſeptem candelabra aurea. Septem ſtellæ Angeli ſunt, ſeptem Eccleſiarum, & ſeptem candelabra ſeptem Eccleſiæ ſunt.

De nulla igitur propriè alia re mihi eſſe curandum, quam vt fideliter ſcriptis mandarem ea, quæ videram, ſiue iam eſſent inchoata veluti Eccleſiæ Chriſtianæ fundationem, ſanctitatem quæ in fidelibus Eccleſiæ Primitiuæ relucebat; ſiue ea quæ oportet fieri poſthæc, inter quæ atroces perſecutiones Tyrannorum reponendæ, omnia in mundo aduerſa annumeranda, Eccleſiæ gloria, eius ſummus ſplendor ex tollerantia calamitatum & tribulationum oriundus potiſſimum erit exprimendus, quod quidem Sacramentum eſt ſeptem Stellarum, quas in manu eius perſpexeram, & ſeptem Candelabrorum inter quæ eum deambulantem agnoueram. Septem enim ſtellæ, Paſtores & Epiſcopi ſunt. Et ſeptem Candelabra ſeptem ſunt Eccleſiæ, quæ ipſi materiam ampliſſimam præbent, in qua poſſit quæ ad ſui nominis gloriam manifeſtandam conducunt feliciter adimplere.

QVORVMDAM QVÆ IN PARAphraſi continentur explicatio diffuſior & corroboratio.

De modo quo Chriſtus gloriam ſuam manifeſtat. Punct. I.

A. EQuidem cum mortalis hominibus apparuit, cum variis paſſionum & dolorum fluctibus expoſitus fuit eius gloria obumbrata reman-

ſit; ſed modico poſt tempore ex his quæ euentura erant, ex infallibili Dei decreto clara, & perſpicua reddenda erat, itavt eius fulgor omnium oculos perſtringeret, donec tandem emicantioribus radiis refulgeat. Cum in die iudicij extremi coram eo curuabitur omne genu, tunc enim operi clarificationis ſuæ extremam manum imponet, nec longa reputanda eſt temporis inter capedo, quæ intercedit inter gloriæ huius primam manifeſtationem, ac eius conſummationem, mille quippe anni ante oculos Dei, tanquam dies heſterna quæ præteriit, & ſi ad æternitatem totum commenſures, tempus durationis vniuerſi pro momento certè reputabitur.

Qua ratione S. Ioannes de Chriſto teſtimonium reddit. Punct. 2.

B. Si quæras dicet S. Ioannes, qua ratione teſtimonium reddam quanti faciam promiſſorum ipſius fidelitatem, ſeu in quanto pretio habeam Ieſu exaltationem, dico patiendo exilium. In quibus quidem promiſſis fidelibus, veracibus verbis exaltationis Ieſu Chriſti, quaſi ſummariè continentur ea omnia quæ me vidiſſe enarro, ac percepiſſe profiteor ſub his ſymbolis admirandis quæ mihi per Angelum fuerunt menti obiecta.

De vtilitate lectionis huius Prophetiæ, & obſeruationis eorum quæ docet. Punct. 3.

C. Beatus qui legit, &c. Quid enim beatius quàm ad veram diuinarum pertectionum agnitionem peruenire? Quid felicius quam Ieſu Chriſti exaltationem ſuſpicere, ac contemplari? In hoc vita æterna conſiſtit? Quid iucundius inſuper ac dulcius, quam ob oculos habere ea quæ nos allicere valeant ad amorem miſericordiarum ipſius? Quid conducibilius quam perceptio eorum quæ nobis timorem incutere poſſint ſuppliciorum, quæ eius ſeuera iuſtitia de peccatoribus expoſcet? Beatus is igitur, qui hæc Diuinæ Prouidentiæ eius opera continuo in mente verſabit & vitam ſuam taliter inſtituerit, vt facile ipſum has veritates præclaras ac ſublimes probè agnouiſſe, & earum lumini dediſſe manum percipi valeat. Breuis eſt totius vitæ noſtræ decurſus, & quid mirum cum adeo breue ſit totum illud temporis ſpatium, quo duraturus eſt mundus, cuiuſuis hominis vita totum illud decurrat ſpatium quam cito ad metam perueniet: tunc quidem quanta gloria donatus fuerit filius à Patre æterno manifeſtabitur, ſed interim in vanum tempus illud conterere, ac conſumere, quam periculoſum ac ſaluti æternæ contrarium? Igitur expedit vt iſta & legamus & credamus, & ad eorum fidem mores & actus noſtros componamus, ne repentina ſuper nos ſuperueniat dies illa in qua veniet iudicaturus qui venit olim iudicandus.

Qua ratione Spiritus Dei qui vnicus eſt, multiplex etiam dicitur. Punct. 4.

D. Omnia à Dei voluntate dependent. Quæ voluntas licet in ſua eſſentia ſit ſummè ſimplex in diuerſos tamen quos producit effectus multiplicari videtur. Exinde diuinus ſpiritus Sapientiæ 7. dicitur vnicus, multiplex ſiue abundans, hic enim eſt cuius opera, miſericordia & Iuſtitia Diuina ſummè reſplendent, ſiue ex diuerſitate effectuum quos producit circa hominum gubernationem, ſiue quia vt ea quæ ad hominum ſalutem ſpectant, ſuauiter adimpleat, Angelorum miniſterio vtitur, & potiſſimum ſeptem ex ipſis eligit, qui in conſpectu eius adſtant, per quos omnia inferiora moderatur, & cuncta diſpenſat; ſiue quia hic diuinus ſpiritus ſeptem adinuenit ſacramenta, vt vnicuique ipſorum A hominum iuxta exigentiam ſtatus & conditionis eorum tanquam per inſtrumenta idonea, & naturæ ipſorum conſentanea gratias ipſis neceſſarias conferat, ſiue tandem quia mentes fidelium donis præclaris exornat, nempe Spiritu timoris, Fortitudinis, Scientiæ, Pietatis, Conſilij, Intellectus, Sapientiæ: Siue igitur in fauorem fidelium effectus inſuperabilis potentiæ, bonitatis infinitæ, inflexibilis æquitatis, imperſcrutabilis ſapientiæ exerat ſalutares; ſiue eius patientia, permiſſione peccatorum, quaſi limata reſplendeat, ſiue in eorum tolerantia variis ſuppliciorum comminationibus eius longanimitas fulgidos emittat radios, ſiue omni pœnarum & ſuppliciorum genere ad comprimendam, ac com- B peſcendam hominum inſolentiam vtatur, vt eius ſeueritas eniteat, quam maximam fieri poterit ex his vtilitatem vos conſequi peropto. Vtinam ex his gratia in vobis vacua non ſit: vtinam identidem incrementa capiat, perficiatur, conſumetur, quidquid obuenerit, quidquid occurrerit illibata, & inconcuſſa remaneat, licet ambuletis in medio tribulationum; licet ſuper capita veſtra omnes iracundiæ ſuæ fluctus inducat, quibus obrui pertimeſcatis, hac gratia viuificati pacem, & animi tranquillitatem integram ſeruate, altiſſimam iudiciorum eius abyſſum profundè adorantes.

Horum igitur Angelorum præſidio fulti. Sacramentorum quæ inſtituit; vt gratiam vniuſcuiuſque C neceſſitati, ſtatui, ac conditioni congruam, elargiatur participes; his donis cumulati, ita eius gratia in vobis abundet, vt illa pace fruamini, quæ exuperat omnem ſenſum, quæ ſupra omnem rationem præteruolans, delectamenta æterna jamjam præguſtare facit; ita vos ille ſpiritus in omni tribulatione veſtra confirmet, ita vos virtutibus exornet, ita vos in omnibus anguſtiis veſtris colluſtret, vt ſumma ac perfecta pace potiamini, ſicut & eſſe, & viuere, & ſentire, quin & intelligere dedit iis creaturis, quæ diuinæ naturæ per gratiam poſſunt eſſe conſortes, ſicut eius virtute omnia conſeruantur; ſicut ab eo tanquam à limpidiſſimo pulchritudinis fonte, totus hic Cælorum ornatus prodiit; ſicut ab ipſo tanquam ab inexhauſto dulcedinis fonte, voluptate D terra inebriatur; dum corda hominum viuentium ſatietate, ac lætitia replet: Hac ratione gratiam & pacem habebitis à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni eius ſunt.

Propter Chriſti reſurrectionem, Regiam Maieſtatem, Redemptoris dignitatem, nihil nobis timendum à morte, à Regibus, à peccatis. Punct. 5.

E. Quæ igitur in Chriſto patiente peracta fuerunt conſiderate, acutiori mentis acie penetrate, vt in amorem tantæ bonitatis alliciamini, & iuſtitiam adeo ſeueram reformidetis, & probè calentes, quod ſi peccatum in eo adeo ſeuerè fuit punitum, hoc totum factum eſt, vt in veſtram cedat vtilitatem, & E vt commodum quam maximum exinde reportetis, propter tantum rigorem animo non deficiatis, nec mente excidatis, quin potiùs tantus rigor omnem repulſæ à vobis formidinem expellat, vt cum fiducia accedatis ad thronum gratiæ, vt miſericordiam, & gratiam inueniatis in auxilio opportuno.

Vt autem ad tantæ gratiæ, ac pacis omnibus vobis expetendæ ſpem, animum erigere valeatis, nec veſtra ſpes vana appareat. Tria quæſo mecum diligentiùs perpendite, nempè quod ſit primogenitus mortuorum, 2. quod ſit Princeps Regum Terræ, 3. quod dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Primogenitus mortuorum dicitur: attendite igitur, quia licet reſurrectio mortuorum opus ſit peraduum, & difficillimum, eius tamen

ſubiacet potentiæ, in ſeipſo mortuo mortem deuicit A ribus, ac doloribus amantiſſimum, & caſtiſſimum
reſurgendo primus, amplius non moriturus, hoc cor eius pupugerunt, plangent, & lamentabuntur
opus reſurrectionis in aliis conſummabit, & perfi- ſuper eum: regimini nempe totius vniuerſi tandem
ciet, noſtræ reſurrectionis exemplar ſe conſtituit aliquem terminum conſtituens, contra ipſos emit-
ſicut ipſe reſurrexit, & nos reſurgemus, & refor- tet reformidandam ſententiam, ite maledicti in
mabit corpus humilitatis noſtræ configuratum cor- ignem æternum; qua quidem ratione, ſicut dicitur
pori claritatis ſuæ. Reuera quis corpora tot infir- venille cum nubibus, cum ad iſtud opus primo ſe
mitatibus obnoxia, morti deſtinata, in cinerem & accinxit, eò quod fideles poſt eius aſcenſum tan-
puluerem reducta, tanta gloria circumdari, & cir- tum ſub obſcuritate fidei eius gloriam ſpeculantur,
cumueſtiri exiſtimaret? at nolite aliquem diffiden- ita venturum cum nubibus ipſum proponimus, nam
tiæ locum tribuere, imo potius in ſpem ſolidam poſt iſtam ſententiam quolibet ablato lumine, à re-
animos erigite, tanta gratia animæ veſtræ reple- proborum oculis, & mentibus quo aliquod ſola-
buntur, vt in ipſa corpora pleniſſimè redundet, & men poſſent percipere, tenebris offuſum habebunt
perfecta pace in anima, & corpore vobis cum om- & intuitum, & intellectum, vt numquam valeant
ni ſecuritate perfrui licebit, in æternum ſed inte- B Deum ac Dominum in gloria ſua intueri, dicente
rim, donec iſtud obueniat noui, quod imperij ipſo, auferatur impius, ne videat gloriam Dei. *Iſ. 26.*
Chriſti promotio, & ampliatio vobis in animo exi-
ſtat, tot beneficiis deuincti, ſi omnes Nationes vo-
biſcum illi reuerentiam, ſummum ac debitum ob-
ſequium præſtarent, hoc vobis pergratum, ac iu-
cundum foret, tamen de oppoſitione, & contradi-
ctione Poteſtatum ſæculi, & Regum terræ rationa-
bilis in vobis exſurgit timor, inſtabunt Reges, &
Principes conuenient in vnum aduerſus Dominum,
& aduerſus Chriſtum eius: verùm in vanum fre-
ment Gentes & populi meditabuntur inania. Prin-
ceps Chriſtus eſt Regum Terræ, nihil ab ipſis vobis
eſt pertimeſcendum, ab eo igitur vobis gratiam & C
pacem exopto, cuius poteſtati nemo reſiſtere po-
teſt, fremant ira, tabeſcant inuidia, contradicant
malitia aduerſarij, opus inceptum ipſe perficiet,
conſummabitque.

At redeunt in memoriam peccata veſtra, quan-
tum fuiſtis Deo ingrati, inceſſanter cogitatis: de
veſtris meritis diffiſi, licet eius agnoſcatis poteſta-
tem ſanè pertimeſcitis, ne propter tot obices mini-
mè dignetur aliquid moliri in gratiam veſtri. Sed
quid vobis expectandum non eſt ab eo, qui non ſo-
lum vos prior dilexit, ſed qui vt omnem à vobis
amoueret odij occaſionem, lauit vos à peccatis in
ſanguine ſuo, cuius oſſa, inquit Propheta, ſicut
aqua effuſa ſunt. Et bene poſuit aquam, quia nihil
nouit Corpus Chriſti niſi peccata lauare, & deni- *Arnobius in Pſ. 11.*
que ad tantum honorem prouexit, vt fecerit vos D
regnum Deo, & Patri ſuo, ipſi igitur ex gratia tam
abundanti in vos effuſa gloria obueniat, ex pace
tam latè diffuſa imperiù in ſecula ſeculorum: Amen.

Quomodo plangent ſuper Chriſtum, qui eum videbunt, & Venire dicitur in nubibus. Punct. 6.

F. Rumor huius gloriæ ad omnium aures perue-
niet. Fulgor illius omnium oculos perſtringet, ſed
ij potiſſimum eo gaudebunt lumine, & cognoſcent
authorem, & conſummatorem fidei noſtræ, qui ad
Deum conuerſi lachrymas effundent, & intima cor-
dis ſuſpiria emittent ob ſcelus enorme commiſſum,
ſiuè ipſum verè crucifigentes, ſicut quidam ex Iu-
dæis, & Gentilibus ipſius contemporanei fecerunt,
ſiuè myſticè materiam, & anſam morti & paſſioni E
eius præbentes per varia ſcelera ac crimina, quibus
Dei maieſtatem offendunt, ſicuti & Iudæi, & cæ-
teræ Nationes fecerunt, & faciunt in qualibet diffe-
rentia temporum ac ſeculorum.

Hac ratione venire dicitur cum nubibus, cum
opus manifeſtationis ſuæ aggreſſus eſt, & pari ra-
tione cum eiſdem venturum aſſerimus, cum eidem
operi extremam manum imponet. In die quippe
judicij nubibus circumdatus apparebit, & omnis
oculus eum videbit ad ingentem bonorum conſola-
tionem, & ineffabile ipſorum gaudium, & ad ter-
rorem, & omnimodam conſternationem reproba-
rum: tunc qui eum cruci affixerunt, qui tot vulne-

Qua ratione Chriſtus dicitur α. & ω. Principium & Finis. Punct. 7.

G. Tunc enim electos benignis, ac beneuolis ocu-
lis aſpiciens, talibus eos affatibus condecorabit.
Olim ó dilecti mei! mihi gratum paraſtis in menti-
bus veſtris hoſpitium, & in ſinu, ſeu recondito
mentis veſtræ ſeceſſu iucundum, ac decorum ſtra-
uiſtis Thalamum; ibi me ſub velamento fidei dul-
ciſſimos, & caſtiſſimos charitatis amplexus, & fi-
deliſſima oſcula mihi præbuiſtis; Ibi mihi poculum
ex vino condito, & muſtum granatorum propina-
ſtis, meam amplectentes miſericordiam, Iuſtitiæ
meæ decreta adorantes, in præliis contra Mundum,
Carnem, & Diabolum fideliter vos geſſiſtis, victo-
riam reportando, ſemper me ſupremis honoribus
coluiſtis, ſub ænigmate fidei, quæ initium fuit iuſti-
ficationis veſtræ, cum ego qui α vocor, & Princi-
pium, mei nominis notitiam mentibus veſtris infun-
dendæ, illum vobis impertitus ſum; nunc omni ve-
lamine ablato, reuelata facie ad meos amplexus
æternos properate, datur enim vobis, vt beatitu-
dinis æternæ ſitis compotes, & omnium bonorum
meorum participes; itaut opus meum conſummando,
dici valeam ω & Finis: Cum me per fidem hu-
manitate mea, & carne indutum olim contemplati
fuiſtis; quam nunc micanti lumine gloriæ fulgen-
tem cernitis, me quaſi nubibus inuolutum, & ami-
ctum videbatis; & tamen licet oculis carnis me non
exhiberem præſentem licet ſupra rationis captum
de me, ac de gloria mea, multa vobis credenda
proponerem, nihilominus talis fidei obſcuritas, &
obnubilatio non fuit impedimento quominus in
me, veluti in inexhauſtum fontem, & totius boni,
quo cumulati eratis authorem, oculos mentis ve-
ſtræ direxeritis, ardore nimio amoris mei ſuccenſi:
affectus veſtri quaſi pellucidæ, & emicantes flam-
mulæ in altum ſe erigentes, omne nubilum diſſipa-
runt, vt in me vno requieſcerent: nunc in præmium
tantæ fidelitatis pleniſſime tam in corpore, quam
in anima liceat vobis perfrui illa æterna beatitudi-
ne, quæ ab antiquis diebus præparata in præſentia-
rum vobis copioſè confertur, vt & fateri, & experi-
ri oporteat, me eum eſſe, qui actu, & effectu elar-
gior quæcumque olim promiſeram, qui pro nomi-
ne hanc mihi vendico nuncupationem, Qui eſt,
cum nunc experiri faciam me verum eſſe redem-
ptorem, qui non ſolum animam à peccatis redeme-
rim, ſed corpus etiam ab omni corruptione eximam
vt etiam dicar Qui erat, vt hoc nomine mens ve-
ſtra concipiat, eum, qui ſe Redemptorem veſtrum
conſtituit, eundem eſſe, qui ab æterno in ſinu Patris
conquieſcit, & per quem omnia creauit, fecit, &
produxit. Vt tandem dicar Qui venturus eſt, eo
quod nouum producam effectum in glorificatione
corporum veſtrorum, & in ipſorum collocatione,

Digitized by Google

in æternis mansionibus ipsis designatis, ac deputatis, pro mensura meritorum vniuscuiusque vere Omnipotens, ad manum quippe omnipotentem tantummodo præcisè spectat, ea gloriosè exequi, quæ audacter & absque timore infausti successus olim promiserat.

Quod si electi mei ea de causa fateri debeant quod ego sum « & » qui est, & qui erat, & qui venturus est, etiam & reprobi hoc fateri necesse est. Sciunt nunc se à me, solo bonitatis impulsu creatos, nunc sentiant me omnipotentia præditum, vt de eis ad libitum disponere valeam ; iam intuentur fuisse per meam sapientiam ordinatos ad finem præcellentem : & eo ipso quo ipsis vsum rationis elargitus fueram, incæperam eis impertiri id quod in primis requiritur, vt creatura capax sit immortalis gloriæ, qua ratione « nuncupari debeo. Nunc experientes se pœnis affici per iustitiam meam, quia male ratione sua vsi fuerunt, fateantur me iure vocari ». Id est, is qui omnibus finem aliquem imponere valeam, qui ad meum cedat honorem, sicuti & ea omnia ad meam gloriam perduxeram, me inquam eum esse, qui suorum scelerum vindex sum acerrimus, sicuti toties monueram eadem supplicia à me tandem impiis, & peccatoribus esse infligenda : & cum ibi sim vbi operor rursus in ipsis venio per effectum seueritatis meæ eos in corpore & anima deducendo in perpetuos inferni carceres, à quibus nunquam erui poterunt, sic & ratione ipsorum damnatorum dici possum « & ». Principium & Finis qui est, & qui erat, & qui venturus est sicut & ratione electorum, sic nuncupari debeo.

Passiones pro Christo. Et secessus in solitudinem aptiores nos reddunt ad audienda Dei secreta. Punct. 8.

H. Ac ne quis merito dubitare valeat, me esse Christi imitatorem, attendat qui voluerit, ideo me exilio mulctatum esse, & in insulam Patmos relegatum ; tum quia Prædicationi Euangelij serio incumbebam ; tum quia pro eius confessione mortem oppetere per me non stetit ; Occidat Tyrannus, modo imperet Christus. Et quidem non sine diuina voluntate factum est, vt multa passus, in hanc secessum solitudinem ; ex tali enim secessu, & ex passione, ac voluntatis conformitate aptior euasi, vt eius secreta perciperem : vbi enim arctior amicitia contrahitur, ibi maior ad secretorum communicationem inter amicos propensio, & quo magis ab omni rerum humanarum commercio abstrahimur, eo magis cum Deo familiariùs conuersari licet ; ex passionum igitur tolerantia pro amore. Eius, arctiori amicitia contracta, tamquam amico, ac dilecto decuit, vt quæcumque audiuit à Patre, nota mihi faceret ; & quasi ex industria ab eo ductus in solitudinem, liberius ei ad cor meum loqui, & vicissim mihi cum ipso colloqui libuit.

Quid sit esse in spiritu, & cur in Dominica die facta fuit hæc reuelatio. Et cur vox magna tanquam tubæ prouocat S. Ioannem ad audiendum. Punct. 9.

I. Fui in Spiritu in Dominica die. Congruum reuera tempus reuelationi gloriæ Christi, cuius gloriosæ Resurrectionis in hac die memoria recolitur. Amore nempè ac desiderio illius fauciatus, intimis cordis suspiriis dicebam : facessant omnia hæc quæ videntur, abeant istæ rerum humanarum cogitationes, solus ipse dilectus meus menti meæ occurrat, mihi enim adhærere Deo bonum est ; & quia qui adorant eum in spiritu, & veritate oportet adorare, ad ipsum conuersus dicebam intimo cordis affectu : Otiantur quæso, ô mi dilecte & oculi, & aures, & cæteri sensus, & imaginatio, & ratio mea, ne momento quidem temporis à te aliquatenus distrahi valeam. Hac ratione tui in spiritu, & totus in rebus diuinis fixus, cum ecce audiui post me vocem magnam tanquam tubæ dicentis, nunc ad alia animum tuum applicare oportet. Sancta reuera sunt quæ cogitas, sed secretiora, & voluntati diuinæ magis consentanea te audire ac videre necesse est. Ne igitur tempus in his amplius insumas, audi quæ tibi loquatur Dominus Deus, quæ nunquam menti occurrerunt, amore dilecti tui vulneratus, cuncta alia tibi sunt molesta, & de eo solo loqui, & cogitare iucundum tibi est ; hinc magnopere scire desideras, qua ratione, & quouis modo eius honor promoueri queat, sed cum hoc humanum excedat captum, & specialem à Deo requirat gratiam, non dico vide, per ingenij acumen, sed audi per fidem & reuelationem, & accipe. Deus igitur qui pios suorum affectus benigno semper fauore prosequitur, huic meo desiderio obsequi piissima bonitate sua impulsus desiderans reuelatione ista speciali fecit, vt conciperem, & animaduerterem distinctè, & clarè in quo potissimùm consisteret illius gloria, qui die Dominica resurgens, omnia quæ in cælo, & in terra sunt, hac ipsa resurrectione sua redintegrarat, & in debita perfectione reposuerat ; prout in die creationis in eadem die Dominica completæ, seu peracta tanti operis iecerat fundamenta ; quique iam à mortuis suscitatus, vt Ecclesiæ suæ copiosissimum, & inexhaustum totius sanctificationis, & gloriæ fontem communicaret, in eadem die Spiritum sanctum in discipulos miserat. In hac igitur die tam insigni, in qua hominibus esse in creatione, sanctificationem, & gratiam in die missionis Spiritus sancti dedit, in iudicio consummatam gloriam resurrectione corporum daturus, placuit ipsi notum facere mihi, in quo consisteret gloria ista filij Dei, nempe in fundatione, & ædificatione Ecclesiæ suæ vsque ad vltimum complementum.

Arduum, & grauissimum proculdubio opus, quod significare voluit cum voce vehementiori vsus est, siue cum Spiritum sanctum emisit ad animarum sanctificationem siue cum mihi consummationem sui operis ex resurrectione corporum, in hac reuelatione significare voluit : Etenim vbi in creatione vno quasi verbulo suauiter prolato omnia creauit. Dixit enim, & facta sunt, cum misit Spiritum sanctum, factus est repentè sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis, & cum hæc reuelatio mihi facta est, vox magna fuit tanquam tubæ fortiter resonantis.

At non tantum opus illud, per quod sibi ingentem Christus Dominus comparat gloriam, magnum est, & mirabile, sed etiam medium quo vtitur, vt tot tantaque perficiat mirandum videtur, libera namque Euangelij prædicatio adeo insignes suæ potentiæ producet effectus, vt exinde ipsi summa obueniat gloria, sicut ex præliis, victoriis, & triumphis quos reportabit, cum omnem aduersarium gloriæ suæ expugnauerit. Et Satanam contriuerit sub pedibus nostris ; quæ quidem omnia menti meæ occurrerunt, cum non solum magnam vocem auribus meis percepi, sed eius sonum similem esse tubæ animaduerti : Tuba enim vtimur, siue cum aliquid omnibus manifestari volumus, siue milites in prælio inuitantes vt animosè congrediantur, siuè cum de victoria exultamus, siuè cum de ipsa præclaros agimus triumphos.

Conuenientiæ propter quas per septem Ecclesias Asiæ tota Ecclesia designatur. Punct. 10.

L. Sub nomine septem Ecclesiarum tota Ecclesia designatur. In qua reperiuntur qui voluntates meas

Digitized by Google

fideliter exequantur, mandatis meis obtemperando, meis obſequendo conſiliis: ſcribe igitur Epheſo, quæ interpretatur voluntas mea, in qua inueniuntur, qui omnes cordis amaritudines, omnes præſentis vitæ anguſtias, omnia ſuppliciorum, ac pœnarum genera fortiter ſuperantes, Cantica pro victoriis præcinere valent; Smyrnæ igitur ſcribe, quæ interpretatur amara cantico eorum, quaſi dicatur amara quidem, ſed eius amaritudo materia erit cunctis cantici præclari. In hac exiſtunt, qui aduerſatiorum vires, ac conatus diſcindunt vi & efficacia ſermonis mei. Scribe igitur iis, qui dici poſſunt Pergama diuidés cornua, gladio quippe verbi mei ab animo omnis præſcinditur ſuperbia, & à ſpiritu carnis petulantia diſiungitur. Attingit enim vſquè ad diuiſionem carnis ac ſpiritus. Scribe Thyatiræ, quæ illuminata dicitur, id eſt iis, qui meo illuſtrati lumine, coràm me ſolliciti ambulant, & qua ratione mihi gratiores reddantur, identidem cogitant, optimè ſcientes ſibi eſſe apud me de omni cogitatu, & verbo otioſo reddendam rationem. Scribe Sardis, quæ dicitur princeps ſeu principium pulchritudinis, id eſt, imperfectis, qui vel tantum initium pulchritudinis habent; ſiue quia ſolis naturæ dotibus decorati ſunt; ſiue quia fidem habent charitate ac operibus vacuam. Scribe Philadelphiæ, quæ dicitur ſaluans hærentem Domino, id eſt, iis qui charitate ducti fratrum ſuorum amatores, ſaluti ipſorum inuigilant, vt qui fide iam Deo adhæſerunt, perfectam ſalutem tandem conſequantur. Scribe denique Laodiciæ, quæ dicitur fuerunt in vomitu, vel tribus amabilis Domino, id eſt, iis qui iam ad me conuerſi, poſtea à me receſſerunt, & ex abuſu gratiæ ſibi collatæ, reiici & euomi mererentur; niſi quia dilecti, & electi rurſus renouantur ad gratiam. Omnibus igitur ſcribe, incipientibus, & imperfectis, proficientibus ſiue ad perfectionem totis deſideriis anhelantibus, vel iam ad eminentem perfectionis gradum peruentis, quos ad certamina, ad victorias, ad trophæos, ad præmia, ad coronas, ad gratiarum actiones, ad iubilationes tuba hæc prouocat, ſicut terribilia ſupplicia reprobis, & maledictis intentat.

Per Zonam auream iuſtitia Chriſtiana deſignatur. P.11.

M. Præcinctus ad mamillas zona aurea, quia eas zona hæc lacte copioſiſſimo miſericordiarum Dei plenas aliquo modo & ſuſtinere & colligere videbatur: quo ſchemate ſeu ſymbolo mens mea inſtruebatur, quod per Chriſtianam iuſtitiam, quam ipſe Dominus & docuit, & in praxim reduxit, & factitandam omnibus propoſuit, ita omnes fidelium cogitatus, deſideria, & affectus colligatos retineret intra terminos ac limites iuſtitiæ, adeo perfectæ, & præcellentis, per quam & res diuinas ſapere, & Deum & proximum charitate perfecta diligere daretur, vt omnia bona, ſiue corporalia, ſiue ſpiritualia contineret, vt de congregatione iſta fidelium dicere poſſet. Voluntas mea in ea; ad omnia enim iuſta, & conſilia exequenda paratiſſimi erant eius fideles, & quamdiu ſe continuerunt intra limites huius iuſtitiæ, & innocentiam baptiſmalem, ſartam tectam ſeruare, & ad inſignem ſanctitatis gradum peruenire facillimè poterunt.

Cur Vox Chriſti tanquam Vox aquarum multarum. Et pedes eius quaſi aurichalcum in camino ardenti. P.12.

N. Hæc omnia fortius menti meæ inculcata fuere, cum audiui hanc eius vocem, ad modum aquarum rapido curſu per ſaxa & loca fragroſa currentium, ac turbinibus vehementiùs agitatarum aures meas percutientem. Tantus autem fragor non aliunde excitabatur, quam ex inceſſu Verbi incarnati in quo omnia loquuntur, quia Verbum eſt Patris, cuius pedes ſimiles aurichalco, ſeu æri clarius reſonanti, in camino ignis, quia ardentiori zelo hominum ſalutem procurare concupiſcit, & minas propterea frequenter intentat, & tribulationes multas proponit tolerandas, & labores innumeros electis in hac vita decernit ſubeundos, vt eos tandem ad vitæ fontes aquarum deducat æternis gaudiis potituros: hæc mundo annuntiauerunt Euangelij æterni promulgatores, hi nempe ſunt pedes eius per quos per totum diſcurrit orbem, quorum ſonus in omnem terram exiuit, quorum verba in finibus terræ audita fuere ad modum æris clariùs reſonantis, vt gratiarum copiam & ſuppliciorum grauitatem inculcarent. Optimè igitur à deſcriptione pedum eius, ad vocem eius exprimendam, prout mihi dictabatur tranſiui; vt perciperem quod diuini affectus tum iuſtitiæ, tum miſericordiæ, zelo honoris diuinæ Maieſtatis accenſi, Deum impulerunt, vt Apoſtolos quoſdam mitteret populis, qui aquæ multæ dicuntur, ipſos Dei affectus annuntiaturos, ſicque pedes fuerunt ſimiles aurichalco in camino ardenti, quia & affectus mittentis, & inceſſus miſſorum ad hoc deſtinantur, vt zelo diuini amoris ac hominum ſalutis vox illorum ſit, vox aquarum multarum, id eſt, vox baptiſmi, vox pœnitentiæ, vox tribulationum, vox gratiarum, vox præmiorum, ac tandem vox ſuppliciorum.

PRIMÆ PARTIS ELVCIDATIONES
APOCALYPSIS ANNOTATIONES.
IN I. CAPVT.

Vniuerſalis Eccleſia per hanc diuinam reuelationem inſtruitur, & illuminatur.

ANNOTAT. I.

Ioannes ſeptem Eccleſiis.

IVVS Prophetiæ ſcopus præcipuus eſt, vt quam Deus Pater Filio Incarnato conceſſit gloria, manifeſta appareat. Vt quod Pater æternus eidem dedit imperium pro tanta humiliatione, & vſque ad crucis mortem obedientia, ſupra cuncta eminere regna cognoſcatur. Ideo S. Ioannes vniuerſalem alloquitur Eccleſiam, vtpotè quæ talis ſit, vt per eam, & in ea hanc gloriam, & hoc imperium Chriſtus conſequatur; ſiue gratiarum profuſionem, quibus per Chriſtum cumulatur à Deo ſpectemus; ſiue ſummam quam per Eccleſiæ Miniſterium exercet in homines poteſtatem Chriſtus Dominus Rex Regum & Dominus Dominantium, conſideremus. Cur autem per ſeptem Eccleſias vniuerſalem Eccleſiam intelligamus fuſiùs explicandum.

Cur per 7. Eccleſ. Vniuerſalis Eccleſia ſignificetur.

Quando, inquit Dionyſius Carthuſianus, *Ioannes hæc ſcripſit, erant in Aſia ſeptem Eccleſiæ particulares & principales. Videlicet ſeptem Congregationes fidelium, in ſeptem Ciuitatibus Aſiæ minoris cuius Epheſus fuit Metropolis, quæ Eccleſiæ & Ciuitates infra exprimuntur.* Has

Digitized by Google

alloquitur S. Ioan. totas Asiæ gubernans Ecclesias, & in his vniuersalem Ecclesiam per easdem designatam.

1. Conuenientia. Plurimæ de hac afferuntur conuenientiæ, prima quod septenario numero vniuersitas significari solet: eoque septem dierum numero omne tempus comprehenditur, & septem diebus omne tempus euoluitur, ita rectè concordat S. Greg. lib. 23. in Iob cap. 1. *Septem*, inquit, *Ecclesiis, septenario numero solet vniuersitas designari, vnde Ioannes in Apocalypsi septem Ecclesiis scribit, sed per eas quid aliud nisi vniuersalem Ecclesiam intelligi voluit?* Hæc Greg. Secunda conuenientia quod Ecclesia vniuersalis septiformi gratia Spiritus repleatur, ideo per septem designari debuit, vnde Greg. *Septem*, inquit, *igitur Ecclesiis scribit Apostolus* Ioannes, vt *vnam Catholicam septiformis gratiæ plenam Spiritu designaret*, quod eodem docente Gregorio, signauit Heliseus, cum super puerum mortuum septies oscitasse describitur super *extinctum quippe populum Dominus veniens, quasi septies oscitat, quoniam ei dona spiritus septiformis gratiæ misericorditer aspirat.* Hæc Greg. Denique, inquit Dionys. Carthus. *Vniuersæ Ecclesiæ sunt vna Ecclesia Catholica, quæ per septem Ecclesias explicatur, propter septem dona Spiritus sancti, quibus illustrata in mundo refulget.* Tertia conuenientia est, propter numerum septem Sacramentorum, quorum author est Christus, qui ea Ecclesiæ dedit, vt per eadem Spiritus sancti gratiam fideles consequantur: hinc idem Gregor. *Et de Domino nouimus dixisse Salomonem, sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, qui vt id de septem Ecclesiis dixisse innotesceret, secutus etiam Sacramenta ipsa diligenter inseruit dicens, immolauit victimas miscuit vinum, & proposuit mensam, per septem quippe columnas, omnes Ecclesias non inconuenienter accipimus quæ vnam Catholicam faciunt toto orbe diffusam.* Aliam conuenientiam accipe ex Primasio, *Anima & Corporis, inquit, diuersitas ipsam vnitatem numeri huius complectitur, ad animam enim tria pertinent, ad corpus quatuor dicitur namque diligendus est Deus ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente; Corporis autem notas habemus quatuor qualitates, calidum & frigidum siccum, & humidum*: Autor quidam Anonymus lib. cui titulus in Apocaly. Sacratissimarum Christi, & totius militantis Ecclesiæ reuelationũ melliflua explanatio. Huic conuenientiæ aliam superaddit, vel *propter*, inquit, *ternarium animæ scilicet, rationis, memoriæ, & voluntatis, & quaternarium corporis scilicet quatuor elementorum, vel quia in fide Trinitatis sunt fundatæ omnes Ecclesiæ, & per quatuor mundi partes diffusæ*: hæc ille. Denique Ambrosius, ex interpretatione nominum septem Ecclesiarũ ad quas & Epistolas & reuelationem suam dirigit S. Ioannes, vniuersalem Ecclesiam designari debere conijcit; *per hæc*, inquit, *septem Ecclesias, vna Ecclesia Catholica, sicut interpretatio nominum docet, designatur. Ephesus namque Voluntas, siue consilium interpretatur. Smyrna Canticum eorũ, Pergamus diuisio cornu, Thyatira illumina ta, Sardis Principium pulchritudinis, Philadelphus saluans hæreditatem Dei, Laodicea Tribus amabilis Domino: Ephesus igitur, quæ primo ponitur initium conuersionis vniuscuiusque demonstrat, interpretatur namque Voluntas siue Consilium, quod enim melius Consilium quam Voluntas bona quæ homini suadet abrenunciare diabolos, & sequi Christum relinquere vitia, & apprehendere virtutes; Vt quia qui ad Deum conuerti volunt, necesse est vt Domini misericordiam implorent, vt perficere possint quod desiderant; Smyrna huic supponitur, quæ Canticum eorum interpretatur; Ille enim bene cantat, qui misericordiam conditoris sui corde contrito, & humiliato spiritu deprecatur: de quo cantu Apostolus loquitur dicens, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino; Et quia qui à Deo exaudiri vult, necesse est vt vitia derelinquat, & ad bona opera agenda in quantum virtus suppetit, semetipsum conuertat: Pergamus in ordine sequitur, quæ diuisio cornu interpretatur, duo cornua in hoc loco malum & bonum significant; cornua diuidimus quando inter bonum & malum discernentes malum à bono repellimus, & bonum amplectimur. Et quia quandiu in peccatis iacemus, in tenebris sumus, à tenebris ad lucem progredimur; non inconuenienter post Pergamum, Thyatira sequitur, quæ illuminata interpretatur, & quia ex operatione mandatorum Dei pulchritudo animæ accrescit, & quantò quis plus in operatione mandatorum Dei crescit, tantò ampliorem pulchritudinem animæ suæ confert: non incongruè post Thyatiram Sardis sequitur, quæ Principium pulchritudinis interpretatur. Principium pulchritudinis, ideo dicitur, quia Sanctorum pulchritudo in hac vita inchoatur, & in æterna beatitudine perficitur: sequitur Philadelphia, quæ saluans hæreditatem Dei dicitur, quid est autem hæreditas Dei, nisi omnis multitudo electorum? sicut dicit Dominus ad Prophetam, hæreditas autem mea Israël, & in quo salus electorum consistit, nisi in operatione mandatorum Dei? nam ille qui venit quærere, & saluare quod perierat, illis salutem animarum largitur, qui mandata eius singuli secundum propriam virtutem custodiant; Laodicea septima ponitur; quæ Tribus amabilis Domino interpretatur. Tribus autem amabilis Domino, est omnis multitudo electorum, quæ est Ecclesia quæ per abrenunciationem vitiorum, & per virtutum operationem ad hoc peruenit, vt tribus amabilis Domino vocetur. Hæc Ambros.*

2. Conuenientia. Greg. Magnus

S. Gregor. Magnus. Dionys. Carthus.

Primas.

Anonymus.

Ambros.

Dico 2. Hanc Ecclesiam viuis coloribus depingi, si dicas quod Ecclesia est, quarumdam personarum congregatio seu cœtus eorum, qui vocantur ad cultum Deo exhibendum, & ad præmia in cælo hac de causa consequenda. Congregatio, inquam, in qua membra strictis vinculis inuicem colligata, & vnita sunt: siue fidem per Christum prædicatam & annunciatam, & Apostolis ac successoribus eorum concreditam, vt per vniuersum orbem prædicetur spectes: siue eorumdem Sacramentorum communem vsum consideres; siue quia illa congregatio omnis sub iisdem legitimis Pastoribus, & præcipuè sub visibili Capite totius Ecclesiæ Christi Vicario Petri successore Pontifice Romano Deo, & Christo militat; qua quidem ratione omnis ille cœtus, quoddam corpus est mysticum, constans ex capite, & membris; Corpus, inquam, viuificandum non alio quam Christi Spiritu, qui quidem operatur in capite, & in membris, vt eum finem, ad quem omnis ille sacratissimus cœtus vocatur, quilibet eorum quibus componitur & constat, consequi valeat; quò fit, vt si quod membrum tale reperiatur, cum vitæ suæ cursum adimpleuerit, vt eo Spiritu nec vegetari, nec viuificari possit, proculdubiò abscindetur, licet quædam exteriora lineamenta habeat, quo membrum huius corporis censeri potuerit, v. g. eamdem exterius fidem profitendo, eisdem Sacramentis communicando, eidem visibili capiti subiectionem externam conseruando: sic in membra Ecclesiæ coaptantur, & reponuntur infideles occulti, peccatores publici, moribus corrupti, imperfecti, reprobi, dum ista exteriora lineamenta custodiunt, nec ab hac exteriori communicatione, aut subiectiuè discedunt. At quænam, quæso, membra nisi inanimata, insensibilia, putrida, tortuosa, deformia secundum se? quod nihilominus non impedit, quominus Ecclesia suam pulchritudinem, & puritatem obtineat, eo quod ratio sub qua Ecclesiæ adhuc membra reputantur, nempe externa eiusdem fidei professio, eisdem Sacramentis communio & participatio, eidem capiti subiectio quibus omnibus adinuicem cuncta colliguntur membra: res

Ecclesia pulchra describitur.

Digitized by

bra ; res est præstantissima, pulcherrima gratissima, quippe quæ plurimum inseruiat ad manifestandam Christi gloriam, & ad eius imperium stabiliendum, licet nemo percipere valeat fructus, qui expectari possunt, ex eo quod quis in numero Christianorum censeri non potest nisi Christi Spiritu animetur. Huius definitionis, seu descriptionis partes fusiùs essent explicandæ, sed ne opus in immensum accrescat, ad authores, qui de hac materia ex industria tractant, Lectorem benevolum remittimus.

Gratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est; & à septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt, & à Iesu Christo, &c. Ipsi gloria & imperium, &c.

Quid commodi Ecclesiæ, quid honoris Christo Domino obueniat, ex Ecclesiæ ad Dei cultum vocatione.

ANNOTAT. II.

Quantum sit Bonum Vocationis. §. 1.

MAGNVM certè hominibus contingit bonum, ac ingens eis à Deo præstitum est beneficium, quod ad Dei Opt. Max. cultum vocati fuerint, & tantò maius, quod gratuitum, & ex mera Dei bonitate, & liberalitate procedens. Hoc proprium inter omnes omnium Mortalium congregationes Ecclesiæ nomen, quod vocetur, cœtus vocatorum; hæc enim vocatio tot, tantorumque bonorum fons est, & origo: vt meritò hoc beneficium extollere, ac summopere commendare debeamus. Inter alia beneficia, istud primum obtinet locum. *Quos vocauit*, inquit S. Paulus Roman. 8. *hos & iustificauit, & quos iustificauit, illos & glorificauit*, hinc toties de hoc beneficio fit mentio, *quoscumque aduocauerit Dominus noster.* Act. 2. Ac si diceret quibus hoc primum continget bonum eis cætera expectanda sunt bona; *Vocatis Sanctis* Roman. 1. vt intelligamus eos esse Sanctos non alia ratione nisi quia à Deo vocati sunt; sic & 1. ad Corinth. c. 1. *In Christo Iesu Vocatis Sanctis*: Tantò, inquam, maius beneficium quantò gratuitum. Et enim alij terreni Principes aliquando quosdam in consortium authoritatis, ac Potestatis asciuerunt, vel vt eam sibi fartam tectam seruare possent, & ne ab ea omnino decciderent, vel alia commodi, aut honoris consideratione ducti, at non ita summus ille Rex ac omnium Dominus fratres vult habere adoptatos suæ gloriæ consortes. Bonorum nostrorum non indiget, manu nostra Thronus eius minimè fulcitur, propria & innata Maiestate, firmitatem obtinet. Nullum timet, cui omnia subiacent, & sub quo cuncta curuantur Imperia. Si ad suorum laborum consortium aliquos aduocat, est vt coronas adipiscantur fulgentiores, & proœmia ampliora percipiant; est vt cum maiori gloria, & honore ea comparare valeant; & vt appareat, quod non ex suprema authoritate ea distribuat, sed cum summa æquitate ac iustitia cuncta disponat; quæ potenter agit, cum æquitate perficit, iuxta admirabilem sapientiam media adinueniens, quibus hoc mereri possimus, vt illius beatitudinis ac potestatis fieri possimus consortes. Olim Plinius magnificiebat illam sinceritatem qua vsum fuisse contendit Neruam cum Traianum ad Imperij consortium promouere voluit. *Nulla*, inquit, *adoptati, cum eo qui adoptabat cognatio, nulla necessitudo, nisi quod vterque optimus erat, dignusque alter eligi alter eligere*, hæc ille. Verè an falsò hoc dixerit nihil interest. At hoc verissimum in nostra adoptione, nulla erat inter adoptantem, & adoptatos cognatio, nulla necessitudo: At si dignus ille qui gloriam ex bonorum suorum communicatione consequeretur, nos omnino indigni, quibus ea communicarentur. *Commendat*, inquit Apostolus, Rom. 8. *Deus charitatem suam in nobis, quod cum adhuc peccatores essemus Christus pro nobis mortuus est.* Quod si nulla ex parte nostra præsuppositæ offensa; nec tanto beneficio eramus digni: supra enim naturæ dignitatem eminet gratia, quantò magis ea indigni inuenti fuimus, cum per Adam constituti simus peccatores, & peccata peccatis accumulando, tam longè à Deo discessimus, abeuntes in regionem longinquam, sedentes in tenebris & in vmbra mortis.

Et quia hoc beneficium vocationis maximè in vocatione gentium eluxit quibus nullæ factæ fuerant de Christo promissiones, ideo eorum vocatio dicitur misericordia. Micheæ 7. *Dabis Veritatem Iacob, misericordiam Abraham, quæ iurasti Patribus nostris à diebus antiquis*, In Abraham quippe gentes significantur, in Iacob Iudæos ex duodecim Patriarchis eius filiis oriundos, dicente S. Hierony. *Vt supplantatori populo & nouello & semper in lacte posito reddat in Christo Veritatem suam, & multitudini gentium (Abraham quippe Vocatur Pater multarum gentium) reddat misericordiam.* Hæc Hieron. Et reuera in vocatione gentium tanto magis elucet Dei misericordia, quod eorum electio Iudæorum reprobationem manifestauit, dicente Apostolo, *Vobis quidem oportebat primum loqui Verbum Dei, sed quia repellitis illud ecce transgredimur ad gentes.* Hinc dicitur Deus Amos c. 4. facere matutinam nebulam: Matutina quippe nebula solem tegit, & lucem eius abscondit, sed paulatim exurgente sole radiorum suorum fulgore dissoluitur. Mysticè nebulam facit Deus, quia quos vult indurat subtractione gratiarum, ac quibus vult illa obcæcatio est nebula matutina, id est facilè dispergenda, & dissoluenda, cum quos vult illuminat. *In Hebræo*, inquit Ribera, *est faciens auroram, & nebulam, sine caliginem, Vt norint homines, quantum eius misericordia indigeant, cumque semper sibi placare curent, quod latenter dictum esse arbitror; quoniam cum ipse, qui Sol est Iustitiæ ortus est, nebula interposita est, Deo permittente, ne à Iudæis videretur, & agnosceretur, quomodo etiam intellexit Eusebius l. 4. de demonstrat. Euangelic. c. 22. sed nebula illa paulatim euanescere cœpit prædicantibus Apostolis, donec Vesperè, id est, ad finem mundi penitus auferatur.* Hæc Rib. Facit inquam auroram quia illuminat, nebulam quia subtractione luminis, & gratiæ velamen remanet super corda incredulorum, & infidelium: vt misericordia quam erga eos, quos vocat in admirabile lumen suam exhibet, clarius eluceſcat.

Quænam bona ex Vocatione nobis proueniant. §. 2.

Ab hoc beneficio vocationis, cætera vt diximus prodeunt beneficia; quæ duobus vocabulis videntur comprehendi à S. Ioanne cum ait, *Gratia vobis, & pax*, qua precandi formula vtitur etiam S. Petrus tam 1. c. 1. *electis aduenis*, &c. *gratia vobis, & pax multiplicetur*, quam 1. c. 2. *Simon Petrus seruus & Apostolus Iesu Christi, iis qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem in iustitia Dei nostri, & Saluatoris Iesu Christi, gratia vobis, & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Christi Iesu Domini nostri*, ac si diceret, tunc quidquid boni, quidquid commodi quicquid honorificum vobis obuenire potest, ex eo quod vocati estis in cognitionem Dei, & Christi vobis obueniet; cum gratia, & pax in vobis eam quæ haberi potest, obtinebunt perfectionem: hinc addit, *Quomodo omnia nobis diuina Virtutis suæ, quæ ad Vitam, & pietatem donata sunt per cognitionem eius qui Vocauit nos propria gloria, & Virtute*

Rom. 8. — Act. 2. — Rom. 1. — 1. ad Cor. c. 1. — Plinius. — Rom. 8. — Amos c. 4. — Ribera. — S. Petrus 1. c. 1.

Digitized by Google

per quem maxima, & pretiosa nobis promissa donauit, vt A per ea efficiamini diuinæ consortes naturæ, fugientes eius quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem. Gratia vobis, & pax detur, inquit S. Anselmus, *quæ peccata vobis remittantur, & virtutes infundantur, vel gratia id est fauor Dei sit vobiscum in omnibus agendis, & pax, id est, quies ab omni vitio, vel pax qua Deo, & sanctis Angelis semper concordetis per bonam voluntatem, & sanctam actionem.* S. Ansel. Anonymus. Ita Anselm. Gratiam autem Anonymus mellifluè explanat. In Apocalyp. 1. *Peccatorum remissio, & pax quantum ad futura præmia, vel gratia id est formatio virtutum, & pax, id est, tranquillitas mentis, & quies animarum, ea gratia ablatio omnis mali, ex pace adeptio omnis boni, gratia enim est diuinæ miserationis donum gratuitum, per quod bona voluntatis initium, & operis promeremur B effectum, vt dicit Isidorus, l. de differentiis. Vel gratia operans iustificando, cooperans merendo; consummans perseuerando, de qua 1. ad Corinthios c. 15. gratia sum id quod sum, & pax scilicet temporis exterius, & pax pectoris interius, pax æternitatis superius de qua August. 19. de ciuitate c. 13. Est autem,* addit ille autor, *pax secundum Ioannem, serenitas mentis, tranquillitas animæ, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis, hæc est quæ simulatos colligit, bella compescit, lites comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placida, amare instruit, odire non nouit, nescit extolli, non nouit inflari, hanc qui accipit teneat, qui perdit repetat, donec de medio fiat, sunt enim quatuor, per quæ quis potest præcisè pacem retinere, scilicet promptitudo obe- C dientiæ in honestis obsequiis, fortitudo constantiæ in perferendis molestiis, mansuetudo eloquentiæ in mutuis colloquiis, dissimilitudo (forte legendum dissimulatio) displicentiæ in visis vel auditis contumeliis.* Hæc ille. Quibus omnibus clarè videmus in gratia, & pace omnia spiritualia bona comprehendi; in gratia quidquid ad nostræ iustificationis complementum aliquo modo concurrit, & cooperatur, gratiam iustificantem, & gratias gratis datas vt vocant; in pace quidquid ad internam facultatum intellectualium, & appetituum tranquillitatem conciliandam aliquatenus inseruit, tum etiam quidquid externam conciliat pacem, vt ea omnia, per quæ Dei regnum & stabiliti & promoueri potest, libere exer- D ceri queant, & quibus nos ad Dei cultū consecratos esse palam innotescit. De hac pace quā attulit Christus intelligit, hunc Zachariæ locum c. 14. S. Hier. S. Hiero. in Zach. c. 14. *In die illa erit quod super frænum equi est sanctum Domino, Tempore,* inquit, *solemnitatis perpetuæ, & regni Hierusalem pacatis omnibus, & tranquillis, nequaquam opus esse equitatu, quod genus bellantium fortissimum est, sed omnem ornatum, & decorem phalerarum ad cultum Dei conferendum.* Ita Hier.

Et cum de regno Ecclesiæ visibili & externo tota hæc prophetia tractet, ideo rectè per gratiam diuinam, & manifestam illius protectionem; & per pacem, eam externam tranquillitatem qua libere omnia sua munia exercere potest potissimum intelligi censere possumus.

Ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est.

A quo fonte hæc bona emanant. §. 3.

Licet autem hæc pax ab omnibus personis diuinis exoptetur, quia opera Trinitatis sunt indiuisa dum dicitur, gratia vobis, & pax ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est; tamen quia in hac prophetia de Christi gloria agitur; de Christo specialiùs exposuit hæc verba Minorita seu Franciscanus Anony. Minorita Anony. in serm. in Apocaly. *Ab eo,* inquit, *qui est æternaliter genitus, cuius nomen est, Qui est.* Exod. 3. *Et hoc est contra Iudæos, qui dicunt ipsum ante esse, sed mortuum: & qui erat apud Patrem incommunicabiliter antequam mundus fieret contra Arianos qui dicunt ipsum non fuisse ante mundi constitutionem; & qui venturus est,* scilicet ad iudicandum æquanimiter secundum meritum suum reddituros; *contra Manichæos, qui dicunt generale tantum iudicium, propter illud, Qui non credit, iam iudicatus est; vel contra Saduceos, qui dicunt animas perire cum corpore: In hoc igitur quod erat, patet quod ipse est autor creationis, & qui est, quod est autor conseruationis, & qui venturus est, quod est autor retributionis.* Ita autor Anony. Christum significatur in hu verbis.

Christus autem postea dicitur testis fidelis, primogenitus mortuorum, Princeps Regum Terræ, *Testis fidelis,* inquit Richardus à S. Victore, *veritatem prædicando, primogenitus ex mortuis resurgendo, Princeps Regum terræ in cœlis regnando. Testis fidelis, quia de omnibus, quæ per eum testificanda erant in mundo, testimonium fidele perhibuit; Testis fidelis, quia quæcumque audiuit à Patre fideliter discipulis suis nota fecit; Testis fidelis, quia viam Dei in veritate docuit, nec ei de aliquo cura fuit, nec personas hominum respexit; Testis fidelis, quia reprobis damnationem, & electis salutationem nunciauit; Testis fidelis, quia veritatem quam verbo docuit, miraculis confirmauit. Testis fidelis, quia testimonium sibi à Patre creditum, nec in morte negauit; testis fidelis, quia de operibus malorū, & bonorum in die iudicij testimonium verum dabit.* Ita Rich. Richard. à S. Victore. In 2. Apoc. Dicitur autem *Primogenitus mortuorum,* id est, inquit S. Anselmus, *ante genitus ad vitam, non iterum moriturus, vel omnium mortuorum dignior, vel mortuorum mundo, quia ipse immunis fuit à peccato.* Ita Anselm. Princeps autem Regum terræ, ait idem Anselmus ad literam, *quia sine velint terreni Reges, sine non, non possunt nisi inquantum ipse permittit, & est caput, & princeps omnium bene regentium terram suam.* Ita Anselm. vel, vt vult Lyranus, *quia potens est eos rem uere, & ad vtilitatem suorum & sanctorum, permittens impios sæuire.* Ita Lyran. S. Ansel. Lyran.

Ipsi gloria, & imperium.

Cur Ecclesia exoptatur gratia, & pax, seu quo fine Deus Ecclesiam suam gratia replet, eique pacem tribuere intendit. §. 4.

Ecclesiæ S. Ioannes duo exoptat. Gratiam, & pacem; Saluatori Christo Ecclesiæ sponso duo alia desiderat, gloriam, & imperium; quæ duo vota ad inuicem optima ratione referūtur. Tantò siquidem maior Deo gloria obuenit ex creatura sua, quantò maior & excellentior est bonitatis eius erga eam communicatio; At gratiæ infusio, & communicatio, est modus communicationis dignior, & eminentior; nam gratię donum est omnem naturę ordinem excedens, & quædam naturæ diuinæ participatio. Hanc itaque gratiam conferre creaturæ, est maiorem ex ea sibi gloriam comparare, quam vnquam alio titulo tota naturæ series possit Deo tribuere, per donorum, & beneficiorum susceptionem. Vnde S. Ioannes, tanquam de effectu præstantiori Christi in mundum venientis dixit de eo, *Gratia, & veritas per* E *Iesum Christum facta est.* Propter quem effectum præstantissimum, ecce Christo desiderat S. Ioannes gloriam, & imperium; vt ipso, videlicet imperante, frat pax in virtute eius, & abundantia in turribus Ecclesiæ, cui exoptauerat gratiam, seu diuinæ naturæ quandam participationem.

Et certè, & alij principes pacem possunt aliquatenus conferre subditis, sed sicut Christi Maiestas, & imperium aliorum Principum maiestatem, & imperium longè excedit, ita pax ab eo danda, est perfectior, constantior, permanentior exuberantior, securior, & ordinis dignioris: vnde aiebat ipse, *pacem meam do vobis, non quomodo Mundus dat ego do vobis.* Ioan. 14. Illam dat mundus belligerando, ex bello pax; Illam dat mundus delitias, & diuitias suppe- Ioan. 14.

Digitized by G

Quomodo mundus dat pacem.

ditando; Illam dat mundus peruerſis conſentiendo, A vt vnuſquiſque faciat ſecundum quod elegerit, & ambulet liberè in prauitate cordis ſui ; ideo dubia, quia incerta victoria ; fluxa, quia omnia ſunt tranſitoria ; Ideo mala, nec integra & perfecta ; quia non eſt pax impiis, quorum cor quaſi mare feruens. At illam dat Chriſtus certã, permanentem, & optimam, quia dat ſpiritum pacis, & dilectionis, ſpiritum veritatis arguentem mundum de peccato, de iuſtitia, &

Quam pacem dat Chriſtus.

de iudicio ; ſpiritum qui maneat in æternum , *Ego,* inquit, *rogabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum ſpiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere ; quia non videt eum, nec ſcit eum, vos autem cognoſcetis eum , quia apud vos manebit, & in*

Ioan. 14.

vobis erit. Ioan. 14. hoc donum proprium electorum, B proprium eorum , qui ad gloriam prædeſtinati ſunt, vt eam ſecundum omnem ſuam amplitudinem, & quoad omnes eius effectus poſſideant ; vt Deus in

S. Ireneus.

ipſis manifeſtetur. Vnde S. Ireneus lib. 3. Aduerſus hæreſes c. 22. Dicit, hominem operationis, ſapientiæ, & virtutis Dei receptaculum. *Hæc ergo fuit, inquit, Magnanimitas Dei, vt per omnia pertranſiens homo, & morum agnitionem percipiens, de hinc venires ad reſurrectionem , quæ eſt à mortuis ; & experimento diſcens, vnde liberatus eſt , ſemper gratus exiſtat Deo , munus incorruptelæ conſecutus ab eo , vt plus diligeret eum : cui enim plus dimittitur, plus diligit ; cognoſcat autem ſemetipſum, quoniam mortalis, & infirmus eſt. Intelligat autem & dominum , quoniam in tantum immortalis , & potens eſt,* C *vti & mortali immortalitatem, & temporali æternitatem daret , intelligat autem & reliquas virtutes Dei omnes in ſemetipſum oſtenſas, per quas edoctus ſentiat de Deo, quantus eſt Deus ; gloria enim hominis Deus ; operationis vero Dei , & omnis ſapientiæ eius , & virtutis receptaculum homo: Quemadmodum medicus, in his qui agrotant probatur, ſic & Deus in hominibus manifeſtatur.* Ita Iren.

Deus gloria hominis. Homo operationis Dei receptaculum.

Et vt verum fateamur, res eſt digniſſima, ob quam homo infinitis modis ſe Deo gratum , ob beneficia exhibeat : ex eo quod perſentiat talem ſe à Deo creatum, qui poſſit in ſe omnes modos, quibus Deus creaturæ ſeſe communicare vult, in ſeipſo omnino ſuſcipere , & admittere , per quos diuinæ potentiæ operationes , ſapientiæ Dei artem inexplicabilem , D inexhauſtos, & nunquam exhauriendos diuitiarum, & virtutum eius theſauros manifeſtare poſſit; ſit tanquam tabula , in qua ille diuinus pictor pingere valeat, quod libuerit : ſit lignum ad quamlibet figuram efficiendam aptiſſimũ , ſit receptaculum in quo omnes theſauros ſuos recondat : ſit materia ſeu ſubiectum, in quo poſſit omnium mirabilium ſacrum compendium, & ſummam conſtituere, & in eo cunctarum diuiniſſimarum perfectionum ſuarum veſtigia imprimere , & Magnanimitatis, patientiæ , longanimitatis ſigna apertiſſimè demonſtrare , quod in Angelis animaduerti non poteſt; nec enim eos ad pœnitentiam Dei patientia expectat ; præſtat namque homo Angelis , vt ſit capax ſuſcipiendi effectus miſericordiæ , vt in eo miſericordiæ Dei ſplendor E eniteat , dum per patientiam eius tolerat ſcelera, per longanimitatem eum ad pœnitentiam expectat , per benignitatem illum ad ſe redeuntem amplectitur, per miſericordiam illius condonat delicta, & per exceſſum inæſtimabilis cuiuſdam bonitatis eum coronat, quin & remunerat ea omnia, quæ pro expiatione peccatorum ſuorum homo tolerare adigitur.

In quo homo Angelis præſtet.

Ecce venit cum nubibus , & videbit eum omnis oculus , & qui eum pupugerunt , & plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ. Etiam : Amen.

Deo homo gloriam exhibet gratiam ſuſcipiendo. Qui huic diuinæ intentioni ſeſe oppoſuerit, non impune fecit. §. 5.

At, ſi multa materia homini præſtatur , gratias Deo agendi , ex eo quod ſit quoddam receptaculum vt loquitur S. Ireneus , operationum ſeu effectuum, quibus Dei ſapientia, & bonitas manifeſtantur: dum homo Dei fauores admittit; pari ratione homo Deo gloriam, & honorem exhibet, illos fauores, ſeu effectus bonitatis , & ſapientiæ Dei ſuſcipiendo ; nam ſi quid ſummum Dei in res creatas imperium declarat, illud eſt, quod quaſdam inter illas ad hunc gradum capacitatis , ſuſcipendi eius communicationes ad extra euehat , vt ſummam ſibi gloriam comparare valeat , dominationemque ſuam ſupremam , in totam rerum naturam manifeſtare queat. Quod ita intendit, vt ſi quis huic diuinæ intentioni ſeſe opponere voluerit, hoc non faciat impunè, quod docere videtur S. Ioannes, dum ſtatim atque dixit , *ipſi gloria & imperium*, addit, *Ecce venit cum nubibus* quod de aduentu eius ad iudicandum intelligitur , iuxta illud Euangelij , *Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus* , tunc ſiquidem videbunt eum non modo electi , ſed etiam reprobi , qui eum pupugerunt , & plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ , electis nunc in hac vita , ſeu multitudo gentium ad Chriſtum conuerſa, plangendo peccata ſua ad veniam impetrandam; reprobi tunc in die iudicij, plangent inquam ſe, vt vult Ambroſius, qui poſt- *Ambroſius.* quam hunc locum de eccleſia conuerſa ad Chriſtum, interpretatus eſt, poſtea addit, *Soli*, inquit, *reprobi intelliguntur. Plangent autem ſe cur præcepta Dei contempſerint , cur propter breue gaudium perpetuam triſtitiam acquiſierint* ; Ita Ambr. Videbunt eum igitur impij ad ſiniſtram in iudicio conſtituti, in ea forma qua in mundo conſtitutus, ab hominibus videri potuit ; ſed non in ea qua Deus eſt. Iuſti autem in ea claritate eum videbunt , quomodo in cæleſtibus poſiti eum vident , & viſuri ſunt poſt finem mundi in perpetuum , gloriamque eius manifeſtabunt , quia dona ſua cum omni humilitate ſuſceperunt. Mali autem gloriam dabunt , quia iuſtiſſimas pœnas exſoluent reiectionis, & contemptus donorum ſuorum ; In die videlicet iudicij vltimi : Poſſet quidem & nunc eorum audaciam reprimere, ſcelera punire ; nam vt ait S. Hierony. in Eccleſiaſten , *excelſum quippe ſuper excelſum reſpicit Deus, qui Angelos ſuos ſuper iudices, & reges terræ poſuit, qui poſſunt vtique prohibere iniuſtitiam, & magis in terra valere quam quæuis hominum poteſtates, ſed quoniam ſeruat in finem iudicium, & in conſummatione mundi , quando cum matura ſeges fuerit, & meſſores venerint, iuſſurus eſt, vt ſeparetur triticum , & lolium tradatur incendio ideo nunc expectat & differt ſententiam , quandiu ager iſtius mundi excolitur. Ita S. Hieron.* Cum igitur, ait, *Ecce venit in nubibus, & videbit eum omnis oculus & qui eum pupugerunt, & plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ,* idem eſt ac ſi diceret, niſi volueritis gratiam, & pacem accipere ab eo qui eſt, nempe gubernans omnia , & cuncta creata ſapientiſſima bonitate , ad electorum ſuorum bonum ordinans ac dirigens, ab eo , inquam , qui olim erat promittens , multa quæ in tempore congruo perficere non prætermittit ; ab eo qui ſe venturum aſſerit , ſeque ipſum vobis daturum promittit, pro mercede magna nimis laboſum , & obſequiorum veſtrorum : niſi volueritis gratiam & pacem accipere ab eo , qui ſpiritum ſuum effudit ſupra omnem carnem , vt manifeſtaret effectus prouidentiæ ſuæ, & maxime miſericordiæ, & iuſtitiæ in quibus non minus elucent : immenſa Dei potentia ſapientia , patientia , longanimitas , quin & ſeueritas , quia miſericordia non

Hieronym. in Eccleſ.

37

præstatur, nisi cum duris quibusdam conditionibus, carnis concupiscentias coërcentibus; si contempseritis, inquam, illum qui venit vt testimonium redderet; Deum, qui charitas est, nihil tantopere exoptare, quam vt de plenitudine gratiarum ipsius accipiamus: dum misit filium suum in terras, sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum daret, vt omnis qui viuit, & credit, id est, quia credit, in ipsum, habeat vitam æternam; qui de se dicebat, ego sum resurrectio, & vita, qui credit in me etiamsi mortuus fuerit viuet; & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Ab eo insuper quem nulla in terra potestas impedire potest, quominùs quæ semel decreuit, non possit perficere, nec à proposito resiliet pedem; quamuis multi eius voluntati obsistere audeant, tanto enim ardet desiderio vobis vitam gratiæ elargiendi, vobisque impertiendi pacem, quam nemo auferre valebit; nullaque eam terrena potestas perturbare poterit, quod potius eliget mortem subire, propter nimiam erga vos ipsos charitatem, quam à profusione donorum suorum, quæ sunt indicia certissima summæ illius dilectionis erga vos cellare. Ab eo denique vobis exopto gratiam, & pacem, qui vos obiequio æterni patris mancipauit, & consecrauit: dum vos fecit regnum sibi, & sacerdotes, vt per obsequia ei honorem exhibeatis: quod si ea dona nolueritis accipere, nec ad sui nominis gloriam illum, & saluatorem, & liberatorem conhteri, eique obedire, tanquam legitimo, & supremo Regi, & Imperatori; certi estote tempus affuturum, in quo illum videbitis tanta gloria coronatum, tanto splendore circumdatum, tanta maiestate terribilem, & formidandum, vt vobis plangendi vrgentissima sit occasio, quod ei repugnare ausi fueritis, quod ei gloriam, & honorem dare recusaueritis, dum eius dona, dum eius fauores respuere, ac reiicere voluistis.

Timendum his qui gratiam & pacem exptatam contemnunt.

Scopus diuinarum profusionum.

Hic igitur finis seu scopus diuinarum profusionum, nempe quod Christus Iesus glorificetur, & agnoscatur vniuersorum Dominus, ad manifestationem perfectionum Diuinæ Prouidentiæ, per effectus Misericordiæ, & Iustitiæ, quos producere in Ecclesia Deus Opt. Max. non desistit.

Ego sum α & ω principium & finis, dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est, omnipotens.

Quia Christus eiusdem est cum Patre potentiæ, non dubitandum est gratiam, & æternam pacem, hominibus elargiendum fore; quo Deo gloria reddatur & imperium.

ANNOTAT. III.

NE quis dubitare audeat gratiam & pacem hominibus esse dandam, gloriam, & imperium Deo fore tribuendum asserit Christus, ie esse α & ω. Principium & finem, & cum eiusdem sit cum Patre potentiæ, & Maiestatis, Deum se & Dominum profiterur; quin & eiusdem essentiæ existens ait, qui est, & qui erat, & qui venturus est: cum enim supra S. Ioannes gratiam & pacem exoptasset fidelibus, vel à tota Trinitate, vel à Patre; à tota Trinitate, quia omnia opera ad extra sunt indiuisa, & ad tres Trinitatis sanctissimæ personas referuntur; à Patre quia pater fons est totius Trinitatis, & Principium sine principio; qua de causa expositores modò de tota Trinitate exponunt, modò de persona Patris quod dictum est supra gratia vobis, & pax ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est. De tota Trinitate exponit Andreas Cæsariens. *Gratia vobis & pax inquit, à Diuinitate qua in tribus hypostasibus subsistis, & quidem per eum qui est, pater designatus videri potest: Moysi enim respondet Deus: Ego sum qui sum, per eum vero qui erat, Verbum: Verbum namque in principio erat apud Deum; per eum denique, qui venit, & venturus est Spiritus Paraclitus, hic enim per sanctissimum baptisma, ad Ecclesiæ filios sæpe iam olim venit, neque vnquam vsque ad seculi consummationem venire desines, interim in altero illo æuo maiori copia, & vbertate in suos sese effundet.* Ita Andr. Cæsar. De persona Patris intelligit Ambrosius, itaut in his verbis qui est, & qui erat, & qui venturus est, pater intelligatur. Spiritus sanctus cum dicitur, & à septem spiritibus: filius autem in his verbis, & à Iesu Christo qui est testis fidelis; vnde Ambrosius ita exponit. *Hic tota Trinitas demonstratur, per eum namque qui erat, & qui est, & qui venturus est, pater designatur; erat namque ante constitutionem mundi sine vllo initio, est modo post constitutionem mundi, regens omnia quæ creauit, & gubernans: Venturus est post finem mundi cum filio, & Spiritu sancto, vt regnet cum sanctis in secula seculorum.* Ita Ambros. Quod etiam placuit Andreæ Cæsar. Qui priori expositioni hanc subnectit, sed *fortasse*, inquit, *possunt hæc alio etiam modo, & sensu non omnino incommodè exponi, nempè vt per eum qui est, & qui erat, & qui venturus est, solum Patrem significatum intelligamus; siquidem is vnus omnium quæ vsquam in rerum natura exstant principia, & media, & fines in sese complectitur. Per septem autem spiritus, septem vinifici spiritus charismata, vel totidem eius opera; per eum autem qui mox subjungitur, Christum Deum, & Dominum nostrum, qui nostri causa factus est homo. Pluribus namque locis diuinæ hypostases apud Apostolum citra certum aliquem delectum & præponuntur, & postponuntur.* Ita Andr.

Ambrosius.

Andreas Cæs.

Hic tamen filius hæc verba sibi appropriat, vt sciamus; quia quæcumque Pater operatur, ea similiter & filius facit; nec dubitandum opus suum esse perfecturum, cum sit eiusdem cum Patre potentiæ, ait ergo, Ego sum α & ω, principium & finis, dicit Dominus Deus, qui est inquit Richard. à S. Victore, essentialiter coæternus Patri, qui erat cum Patre in creatione mundi, qui venturus est in gloriâ Patris in die iudicij, qui est per incommutabilitatem æternitatis, qui erat per potentiam creationis; qui venturus est per iustitiam retributionis; qui est, quia super omnia Deus benedictus in secula, idem subsistit; qui erat, quia de nihilo cuncta creauit, qui venturus est, quia viuos & mortuos, in fine mundi iudicabit. Ita Richar. quod etiam voluit Victorinus antiquus interpres, qui est, quia permanet, & erat quia cum Patre omnia fecit, non ex Virgine sumpsit; venturus est vtique ad iudicandum. Ita Victorinus. Authoritatem igitur dicendis posthæa S. Ioannes sibi conciliat, & credibilia esse demonstrat, licet sint omnem humanam fidem excedentia, ex eo quod qui rebus omnibus dedit initium per creationem, eas reparare vult per redemptionem; & tandem operi prouidentiæ suæ finem imponere, per rerum omnium innouationem; quod fateri debemus, quia Christus Ecclesiæ Christianæ conditor, & fundator eiusdem est cum patre æterno, & Spiritu sancto maiestatis, & potentiæ. Hoc præsuppositio, tanquam dicendorum omnium inconcusso fundamento incipit postea narrare S. Ioannes, quando & quomodo facta fuerit illi hæc reuelatio, & simul declarat, quibus mediis Deus vti debeat, vt Ecclesiæ suæ pacem, & gratiam tribuat.

Cur filius sibi appropriat quæ communia sunt Trinitatis.

Victorinus.

Andreas Cæsar.

Ego Ioannes frater vester, & particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Christo Iesu, fui in insula, quæ appellatur Patmos, propter Verbum Dei, & testimonium Iesu.

Digitized by Google

Quibus mediis Deus gratiam, & pacem Ecclesiæ tribuat, sibique gloriam, & imperium comparare intendat.

ANNOTAT. IV.

Quibus mediis gratia & pax Ecclesiæ dantur.

NON modo hæc prophetia authoritatem sibi conciliat, ex eo quod Christus sit, qui incepturus, & perfecturus sit ea, quæ in ipsa narrantur; sed quia scriptor huius Prophetiæ talis sit, qui gratiam, & pacem à Christo abundè acceperit, Mediorum siquidem, quibus gratia, & pax à Deo Ecclesiæ dantur, particeps factus est, hæc autem ad tria reducuntur, nempe tribulationem, regnum, & patientiam: qui enim Crucis Christi particeps fuerit, qui mandatis eius obtemperauerit, & tanquam supremo omnium Regi & moderatori obediendo, qui B cũ patientia in eius seruitute & obsequio perseuerauerit, vsq; in finem patiẽter tolerando quidquid euenerit, in patientia animam suam possidens, etiamsi à propinquioribus prodi & traduci, & vsque ad mortem vexari, etiam si ab omnibus odio haberi contigerit; certus sit quisquis [illegible]erit, per patientiam, & participationem in tribulatione cum Christo patiente, & mandatorum ipsius regnantis super nos fideli obseruatione se tantam, ac talem mercedem recepturum in anima, & corpore, vt nec capillus capitis illi defuturus sit. Seipsum autem S. Ioannes exhibet, tanquam quoddam exemplar ad imitandum, dum se fratrem nostrum agnoscit, & se tribulationis, & regni, & patientiæ in Christo præ- C dicat participem.

Ioannes quomodo Martyr.

Nam quod particeps fuerit passionum Christi cum omnibus, qui tribulationem patiuntur in Christo, patet ex fragmento responsionum S. Polycarpi, incerto inter opera S. Irenei, cura & diligentia doctissimi Minoritæ Francisci Feuardentij: Ibi enim dicitur, quod afflictiones plurimas & exilia tolerauit; & quamuis cursum vitæ suæ per martyrium minimè consummauerit, tamen vt ibidem asseritur, præparata martyrio mens Christi martyrem indicauit. Ita Polycarp. Hoc desiderio martyrij flagrarunt serui Dei insigniores, & magno amoris impetu, ad mortem pro amabili saluatore subeundam properarunt. Quod si desiderij ali- D quando compotes fieri nequiuerint, tamen occasionem subeundi mortem exquisierunt. Sic S. Romualdus audiens S. Bonifacium suum discipulum, martyrium fuisse adeptum, Pannoniam seu Hungariam petiit, vt vitam suam adeo asperam martyrij corona cumulare valeret. Sic Beatus Pater Franciscus, qui pane lachrymarum, & compunctione cordis, & compassione dolorum Christi, cuius passionem in corde gerebat profundiùs insculptam nutriebatur, sanguinem suum cum lachrymis suis coniungere exoptabat, vt plenissimè particeps fieret passionis Christi; fortè quod quærebat inuenisset (Deo qui pauperũ preces exaudit, eius votis fauente) nisi Dei amor modum quemdam adinuenisset nobilissimum illum crucifigendi admirabiliorem certè, quam for- E midabilior existat quorumlibet tyrannorum ingens sæuitia: Seruatus enim fuit, vt amori Christi crucifixi, esset hostia viua sancta, beneplacens, & accepta, feliciter adimplens in semetipso, quod ab Apostolo fidelibus suadetur. Rom. 12. Obsecro itaque, *fratres, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum; Talis hostia fuit diuino amori* sanctus Franciscus, dum mente amore crucifixi flagrante, corpus ipsius signatum fuit sacris stigmatibus Christi crucifixi, & stigmata corporis Christi in proprio corpore portauit.

S. Polycarp. citatus à Francisco Feuardentio.

S. Franciscus qua ratione Martyr dici possit.

Igitur quando S. Ioannes ait, Ego Ioannes, frater vester, & vestrarum afflictionum socius sum, vt inquit Andreas Cæsarienſis, *meritò apud vos fidem & authoritatem obtinere debeo, nam propter testimonium Iesu Christi, ad insulam Patmos relegatus, & vt ibi etatem agerem condemnatus, mysteria, & arcana, quæ in illa vidi, vobis denuncio.* Ita Andr. Cæs. *Discipulos,* inquit Ambros. *vocat fratres, quia vno Christi sanguine redempti, & vna scilicet matre Ecclesia scilicet generati erant socium se eorum in persecutione etiam dicit, quia omnes Ecclesias Domitiani persecutio turbauerat; socium in regno, quia & se membrum Ecclesiæ, sicut & ipsi erant, quos Deo acquisierat, fatebatur; socium se eorum etiam in patientia testatus est, quia & ipsi æquanimiter aduersa tolerabant sicut & ipse, qui pro amore Christi in Patmos insula relegatus tenebatur.* Ita Ambros. Hæc autem participatio est, primum Medium, quo gratia, vt pax obtinetur: fuit autem, particeps in regno, non solum quia fideliter mandata Christi adimpleuit; sed etiam quia ad regimen Ecclesiæ vocatus (totas enim Asiæ rexit Ecclesias) eius ministerio Christus in fidelibus regnauit. Regimen siquidem Prælatorum, secundum est medium, quod adhibet Christus ad gratiam, & pacem fidelibus dandam, sibique gloriam, & imperium comparandum, quod cum nequeat fieri absque patientia, quæ requiritur, vt Verbum Dei quo Pastores regnum Christi promouere debent, tanquam medio aptissimo ad regnum Christi promouendum, se etiam participem in patientia annuntiat; & ita tribulatio refertur ad id, quod de Christo postea dicitur, nempe quod habeat vocem tanquam aquarum multarum, regnum autem refertur ad id, quod de eo etiam dicitur, & habebat in dextera sua septem stellas, Angelos nempe, seu Episcopos septem Ecclesiarum.

Andreas Cæsariensis.

Ambros.

Et quia in Parabola seminantis, in Euangelio pro dispositione requisita, vt semen, nempe verbum Dei fructum afferat; quod autem, inquit, cecidit in terram bonam, hi sunt qui in corde bono, & optimo verbum retinent, & fructum afferent in patientia: Patientia cuius sit particeps, refertur ad gladium ex ore Christi prodeuntem, nempe Verbum Dei, quo sibi gloriam, & imperium comparat; & gratiam, & pacem hominibus largitur. Et de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat; sed quia hæc symbola ad hunc sensum explicata, non possunt sufficienter intelligi, nisi totius formæ seu figuræ, in qua in hoc capite Christus Dominus S. Ioanni apparet sensum habeamus, quod in hac forma seu figura Christus Dominus nos de se cogitare intendat, tam ex nobis quam ex interpretum expositionibus fusiùs expendamus, & ad hoc hunc secundum instituimus Paragraphum.

Fui in spiritu, in dominica die, & audiui post me vocem magnam tanquam tubæ dicentis; Quod vides, scribe in libro; & mitte septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia Epheso, & Smyrnæ, &c. Et conuersus sum, vt viderem vocem quæ loquebatur mecum: & conuersus vidi septem candelabra, &c.

Expositio formæ sub qua Christus Dominus S. Ioanni apparuit. §. 2.

Dicimus igitur primum medium, quo gratia, & pax datur, esse tribulationem, seu participationem passionum Christi; Secundum esse obedientiam exhibendam Pastoribus, eorumque sapientem directionem; Tertiam modum esse fructum quem afferimus & inspirationibus internis, & externa auditione verbi Dei, cum Dei verbo obedimus, illudque sicut verè est verbum Dei cum reuerentia suscipimus quibus certè mediis Ecclesiam suam sanctificat,

1. Medium quo gratia & pax datur est participatio tribulationum.

Digitized by Google

Quod vt melius intelligamus, figuram istam, in qua Dominus noster S. Ioanni in hoc capite apparet exponamus.

Cum igitur dico Christum Dominum Ecclesiam suam sanctificare per media supradicta, statim ratio occurrit, propter quam Christus amictus veste talari conspicitur, & præcinctus zona aurea supra pectus, nempè quia omnes affectus, & motus animarum cohibere, & coercere, & continere debet intra limites iustitiæ Christianæ per charitatem, & dilectionem Dei, & proximi: At quia vt hoc eueniat, Ecclesiæ suæ notificare debet omnia diuina consilia ad manifestationem misericordiæ, & iustitiæ; quibus virtutibus in Ecclesia thronũ regni sui stabilire intendit. Non habet Caput tiara circumuelatum aut obtectum, sed capilli eius parent candidi tanquam lana alba, oculos autem habet tanquam flammam ignis, quia non dormit, neque dormitabit, qui custodit Israël; quia habet oculos apertos supra filios hominum, vt videat, si quis sit intelligens, aut requirens Deum, & actiones & intentiones eorum discutit diligentissimè: Opus autem prouidentiæ suæ absoluet, tum sententia mercedem decernente, zelo charitatis erga suos accensus, tum sententia pœnas decernente, zelo iustitiæ inflammatus; vnde dicitur, *Et pedes eius similes aurichalco, velut in camino ardenti*: interim Ecclesia cum multo fulgore ac splendore doctrinæ & sanctitatis in hoc mundo refulgebit, qua de causa S. Ioannes postquam affectus diuinarum operationum, & media ista exposuit Christi faciem asserit, esse velut solem lucentem in virtute sua.

Cur Christus amictus veste talari & Zona præcinctus.

Cur oculi tanquam ignis.

Cur pedes in camino ardenti.

Cur facies sine sol.

Igitur S Ioannes, talis ac tantus in insula Patmos relegatus propter verbum Dei, & testimonium Iesu, in spiritu raptus in Dominica die, audit vocem magnam, tanquam tubam dicentem, *quod vides scribe in libro; & mitte septem Ecclesiis quæ sunt in Asia*, &c. Sic docet locum in quo accepit suam reuelationem, subiectum in quo illam recepit, non enim solos oculos hæc visio perstrinxit, sed etiam mentem illius penetrauit; Tempus, in quo illam suscepit, Præceptum eandem aliis manifestandi, denique quibus illam manifestare iuxta Dei mandatum debuit.

Cur in die Dominico.

Diuino itaque spiritu afflatus, auremque nactus spiritualem die Dominico, qui propter Christi resurrectionem præ cæteris celebris habetur, vt ait Andr. Cæsar. audit, *Quod vides scribe, Dominica autem dies inquit Ambrosius, tempus Euangelij designat, de quo tempore Apostolus loquitur dicens, ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, in quo tempore prophetæ mysteria diuina gentibus esse pandenda prædixerunt.* Ita Ambros. Vox autem, quam audit, magna dicitur, *quia*, inquit, *veritas fidei non angulos amat, non in occulto, sed palam omni mundo loqui desiderat, rectè non per qualemcumque vocem, sed per vocem tubæ magnam, id quod iam dictum est significare dicebat.* Ita Rupert. vel, vt ait Minorita Anonymus, *tuba inuitat ad bellum, ad comitium, ad festa vocat, & ad castra mouenda, & expugnanda*; vnde versus *In festis epulis, bellis, castrisque mouendis excitat hebræos legis tuba, clangit & ipsa.* Dum autem ait S. Ioannes, *Et conuersus sum, vt viderem vocem*, illud dicitur, *quia etsi visio, & auditio in rebus corporalis non conueniant, in spiritualibus tamen reciprocant*, ait And. Cæsar. Hinc conuersus, vt videret vocem, id est, vt videret ea quæ vox illis præcipiebat scribere, videt septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis; quænam sint illa candelabra aurea, explicat in fine capitis ipse filius hominis; similiter, & quænam sint stellæ, quas in manu habere mox dicemus, dum ait, *septem stellæ Angeli sunt, septem Ecclesiarum, & candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt*; itavt in illis nulla sit difficultas, nunc sub qua figura Christus apparuit, vt designaret præclaros effectus, quos in Ecclesia producere debet, ex expositionibus plurimorum interpretum, ad maiorem huius capitis enucleationem videamus.

Minorita Anony.

Andreas Cæs.

Et in medio septem candelabrorum aureorum, similem filio hominis vestitum podere, &c.

Dum audis similem filio hominis Angelum personam Christi gerentem intellige hic apparentem tali ornatu vestitum, vt ex amictu conjicere valeamus, quid in Ecclesia operaturus sit Christus; vestitus podere dicitur, vtpote, inquit Andreas, Pontifex secundum ordinem Melchisedech in cælestibus.

Et præcinctum ad mamillas zona aurea, inquit Anselmus cingulo charitatis, & Dei dilectionis: Vidit Daniel eundem Angelum, scilicet, in persona Christi præcinctum. Renes in veteri testamento *Daniel* 10. quia ibi carnalia opera constringuntur, hic mamillas præstringit, quia Euangelio etiam cogitationes iudicantur, ex quo significatur nobis, vt nos cogitationes perstringamus. Anselm. At S. Gregor. l. 21. c. 2. in Iob. post medium, & lib. 34. c. 13. non procul à Principio ex coll. Paterij *Redemptor*, inquit, *noster veniens, & legis præcepta transcendens, vt ab electis suis non solum luxuriam carnis, sed etiam cordis aboleret; Iussit non tantum lumbos carnis succingi, id est luxuriam ab effectu refrænari; sed etiam lumbos mentis præcipit succingi, id est hanc etiam à cogitatione restringit: hinc est quod Angelus qui Ioannem in Patmos insula relegatum alloquitur, Zona aurea super mamillas cinctus esse perhibetur, solet enim nomine auri plerumque charitas intimari: quia ergo testamenti mundicia etiam cordis luxuriam refrenat, Angelus, qui in eo apparuit in pectore cinctus venit, quem bene aurea Zona restringit, quia quisquis supernæ patriæ ciuis est: non iam timore supplicij, sed amore charitatis, immunditiam deserit. Vel ideo ad mamillas Zona aurea cinctus Ioanni Angelus apparuit, quia superiorum ciuium pectora, dum pœnali iam nequaquam timori subiecta sunt, & à se vicissim nulla scissione soluuntur ex sola charitate constringuntur; Zonam quippe auream circa mamillas habere, est cunctos mutabilium cogitationum motus, per solius iam amoris vinculum restringere.*

Non circa lumbos, inquit And. Cæs. *vt cæteri mortalium ad comprimendas carnis illecebras, & voluptates, solent (illis namque diuina caro obnoxia non erat) sed ad pectus circa mamillas; tum vt hinc ostendatur, opus nobis esse clementia, quæ iustam Dei iram, quæ tolerari alioqui non posset, contineat; tum etiam, vt veritas quæ duo testamenta, per quæ fideles tanquam per duo Domini vbera nutriantur, vndequaque cingat, hoc quasi symbolo commonstretur.* Ita Andreas.

Præcinctum ad mamillas, inquit Rupertus, *intelligimus authoritatem regiam, de qua Psalmista, Præcinxit se virtute; decorem, & fortitudinem, quam indutus est*; vel qua præcinxit se Dominus, regnans regno peccati destructo, & superata morte per zonam aureã intelligamus. Ita Rupert. Caput autem eius, & capilli erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix, Caput Christi est eius diuinitas, vel superior portio ab omni labe peccati, instar lanæ ac niuis, immunis, per capitis quoque albiformem candorem antiquitas seu æternitas, ac immortalitas maiestatis Christi ostenditur: vnde in Daniele scribitur, *Antiquus dierum sedit; capilli capitis eius, quasi lana munda*; Per capillos autem designantur fideles, Christo capiti proximè inhærentes, qui Christi munditiem, & sanctimoniam imitantur, & loti ab eo super

Digitized by Google

niuem dealbabuntur, quibus Petrus in ſua ſcribit Canonica, *ſecundum eum, qui vocauit vos ſanctum, & vos ſancti in omni conuerſatione ſitis. At vero ſicut lana eſt alba, mollis, & calefactiua, ſic iſti ſunt albi per cordis munditiem, molles per docilitatem, ac mititatem, habentes cor carneum ad ſuſceptionem deuotionis aptiſſimum, calefactiuum propriæ mentis, ac proximorum, per infuſum ſibi diuinum amorem.* Ita Dionyſ. Carthuſ.

Dionyſius. Carthuſ.

Nix vero eſt frigida. Ita *& ipſi concupiſcentiæ carent feruore, & frigidi ſunt ab mundi huius amore.* Ita rurſus Dionyſ. At dum per capillos intelligimus Dei conſilia, & cogitationes, ſiquidem ſancti altiſſimæ ſunt cogitationes Dei, ſeu gratiora & iucundiora quæ videat Deus in rebus creatis ſecundaria obiecta; à Dionyſio minime diſſentimus. Ruperto *Capilli ſunt Dei verba, quæ de vno, vel per vnum Dei verbum, tanquam ab vno capite proceſſerunt lanæ ſimilia, quia de eis tanquam quædam veſtis contexta eſt ſacra ſcriptura.* Ita Rup.

Ruperti.

Et oculi eius tanquam flamma ignis. Quamuis enim, inquit Andreas Cæſ. *hi ſanctos illuſtrant, & recreant, homines tamen profanos, & ſceleratos incendunt, direque excruciant.* Ita Andreas.

Andreas Cæſar.

Et pedes eius ſimiles aurichalco, ſicut in camino ardenti. Per pedes Nazianzenus, Chriſti ſecundum carnem œconomiam ſignificatam exiſtimat. Siquidem ſacroſancta caro diuinitati illius pedum loco, quo animal extat; nam per illam ad nos venit, & noſtram rurſus ſalutem per eandem patrauit: ſunt autem pedes iſti ſimiles chalcolibano, id eſt thuri maſculo, hoc enim incenſum gratiſſimum odorem ſpargere ſolet, quod ſi voces, vnde nomen hoc conflatur, ſeorſum interpretoris, per æs humana Chriſti natura, per thus autem diuina eiuſdem ſubſtantia denotatur; per vtramque vero, & fidei fragrantia, & inconfuſa naturarum inter ſe vnio, atque coniunctio; aut per æs ſuauis prædicationis ſonus ſignificatur; per thus autem, gentium ad fidem conuerſio, ad quam ſponſa in Canticis inuitatur. Alio etiam ſenſu Apoſtoli Chriſti pedes dici poſſunt, vt qui ſolida Eccleſiæ ſint fundamenta, & ad magiſtri exemplum in tentationis camino egregiè probati, & examinati. Ita Andreas Cæſ. *Æs in fornace,* inquit Ambroſius, *quibuſdam medicaminibus admixtis tandiu conflatur, vſque dum colorem auri accipiat, & dicitur aurichalcum, &c.* & poſt pauca, *æs igitur in aurichalcum eſt conuerſum, quando ex Iudæis Apoſtoli ſunt electi; per fornacem autem, ſiue mundum in quo aliquantum Chriſtus conuerſatus eſt, ſiue tribulationes quas ſuſtinuit, poſſunt deſignari: In hac ergo fornace per doctrinam Euangelij, ſplendorem auri accipere meruerunt.* Ambroſ.

Gregor. Naz.

Andreas Cæſar.

Ambroſius.

Et vox illius tanquam vox aquarum multarum. Inquit Anſelmus, *admonitio illius continet vim doctrinarum multarum, quæ doctrinæ lauant ſicut aqua: vel tanquam vox quam recipiunt populi multi qui comparantur aquæ propter fluctuationem: vel vox datrix multarum gratiarum.* Anſel.

Anſelmus.

Et habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem. Victorinus. *Iſtæ ſunt ſeptem ſtellæ ſeptem Eccleſiæ, quas nominatim vocabulis ſuis vocat, ad quas & facit epiſtolas: non quia ipſæ ſint Eccleſiæ Principes; ſed quod vni dicit, omnibus dicit; nihil enim differt, vt quis vexillationem paucorum nullum maiori numero anteponat. In toto orbe ſeptem Eccleſias omnes eſſe, & ſeptem nominatas, vnam eſſe Catholicam Paulus docuit; Primo quod vt ſeruaret ipſe & ipſum ſeptem Eccleſiarum non exceſſit numerum; ſed ſcripſit ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, ad Theſſalonicenſes. Poſtea ſingulis perſonis ſcripſit, ne excederet modum ſeptem Eccleſiarum, & in breui contraheret prædicationem ſuam, ad Timotheum ait, vt ſcias qualiter debeas conuerſari in Eccleſia Dei viui, hunc typum à Spiritu ſancto per Iſaiam prædicari legimus de ſeptem mulieribus, quæ apprehenderunt hominem vnum.* Ita Victorinus. At neſcio quid in mentem venerit Victorino, vt per ſeptem ſtellas, ſeptem Eccleſias intelligat, non autem Eccleſiarum principes; cum Angelus hoc ſtellarum Sacramentum exponens, *Septem ſtellæ Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum*; niſi forte velit cum S. Ignatio Eccleſiam in Epiſcopo, & Epiſcopum in Eccleſia inexiſtere: vel vt extenderet ea quæ dicuntur Epiſcopis ad plebes illis commiſſas, vnde ſeipſum explicare videtur dum ait. *Non quia ipſe ſint Eccleſiæ principes, ſed quod vni dicit omnibus dicit.* Clarius igitur Richardus à S. Victore, ſeptem ſtellæ ſeptem Eccleſiarum Epiſcopi ſunt; ſicut ipſe liber in ſequentibus exponet; qui videlicet Epiſcopi, vniuerſos matris Eccleſiæ Paſtores deſignant, qui rectè ſtellis comparantur, non Planetis; quia in eodem ſtatu iuſtitiæ debebant ſtare, non per diuerſa vitia ſemetipſos permutare, & conuerſationem habere in cœlo per contemplationem, & ſubditis præbere lumen per cæleſtis ſapientiæ prædicationem, & bonorum operum claritatem? *Qui bene etiam in manu redemptoris, id eſt, in poteſtate dicuntur fuiſſe, vt ipſo cooperante Eccleſias ſibi commiſſas dignè poſſent gubernare: quod autem eos habet in manu, non ad puniendum malum, ſed ad bonum conficiendum declaratur, cum dicitur in dextera ſua; in dextera namque ſunt electi, quia adiuti in bono; in ſiniſtra enim ſunt reprobi, quia derelicti in malo.* Ita Richard. cui conſentit Minorita Anonymus ſer. in Apocal. *Tenet,* inquit, *Chriſtus ſeptem ſtellas in dextera ſua, quia ſeptem Epiſcopos Eccleſiarum conſeruat in gratia: ſed errauerunt. In hoc enim admiranda, ſed adhuc laudanda Dei clementia; quia peccatores conſeruat, fugientes reuocat, negligentes increpat, torpentes excitat, lapſos erigit, demos reducit, ignaros inſtruit, redeuntes ſuſcipit, ſuſceptos cuſtodit, Tenet Chriſtus in dextera ſua ſeptem ſtellas, id eſt ſeptem dona Spiritus ſancti ad inflammandum, vel ſeptem virtutes ad informandum, vel ſeptem dotes ad glorificandum, paratus conferre omni volenti accipere.* Prælati autem dicuntur ſtellæ quadruplici ratione, *quia enim ſtella habet pulchritudinem in viſu, celſitudinem in ſitu, rectitudinem in motu, firmitatem in ſtatu ſuo, Prælatus debet habere ſanctitatem in conuerſando, dignitatem in imperando, æquitatem in gubernando, firmitatem in defendendo.* Ita ille.

Victorinus.

Richard à S. Victore.

Minorita Anonymus.

Cum autem ſupra Victorinus S. Pauli Epiſtolas recẽſens prætermittat Epiſtolam ad Hebræos, fortè eſt quia cum agat de ſeptem particularibus Eccleſiis, quæ vniuerſalem Eccleſiam repreſentant, in qua diuerſi ſunt fidelium ſtatus, quia Hebræi diſperſi erant per omnes mundi regiones & Eccleſias particulares, ipſos indicat particularem nullatenus conſtituere Eccleſiam: Quinam autem ſint illi diuerſi fidelium ſtatus, per ſeptem Eccleſias deſignari docet idem Victorinus, cum ait. *In his ergo ſeptem Eccleſiis patet fieri de vna Eccleſia ſeptem, & per qualitatẽ fidei & electionis: aut ad eos ſcripſit, qui & laborant in ſæculo & operantur de frugalitate laborum ſuorum, & patientes ſunt, & cum viderint homines quoſdam in Eccleſia diſpenſatores præpoſteros, ne diſperſio fiat, portant. Admonet tamen eos de amore, vt in quibus fides eorum deeſt, agant pœnitentiam. Aut ad eos qui locis crudelibus inhabitant inter perſecutores, & perſeuerant eſſe fideles, aut ad eos, qui ſub prætextu miſericordiæ, illicita peccata in Eccleſia faciunt; aut ad eos qui negligentes nomine tamen Chriſtiani ſunt; aut ad eos qui humiliter inſtructi in fide, fortiter perſeuerant; aut arguit illos, qui ſtudent ſcripturæ, & laborant cognoſcere arcana prædicationis, & Dei opus facere nolunt, id eſt, miſericordiam & amorem.* Ita Victor.

Victorinus.

Et de ore eius gladius vtraque parte acutus.

Richardus. *Quia*, inquit Richardus, *in Veteri Testamento amputatus vitia carnalia, in nouo etiam spiritualia, vtraque parte acutus est, quia qui foris in nobis amputat luxuriam carnis, intus resecat malitiam cordis, vtraque parte acutus est; quia in his qui contemnunt quæ præcepit, corpus & animam punit, vtraque parte acutus est. Quia malos à bonis discernit, & singulis quid merentur reddit.* Ita Richard.

Richardi *Et facies eius sicut sol: Quatuor sunt principalia quibus nobis describit similitudinem filij hominis, qui sibi apparuit, habitus, forma, potestas, gloria.* Richard. *Quidam autem*, inquit Dionys. Carthus. *per solem intelligunt Ecclesiam, quantum ad statum suæ glorificationis post generalem resurrectionem, quando Christo testante iusti fulgebunt, vt sol in regno patris eorum.* Ita Dionys.

Dionys.

Et cum vidissem eum cecidi ad pedes eius tanquam mortuus. Idem passus est Apostolus, quod Iosue filius Naue, & Prophera Daniel; quem proinde Christus ob naturæ imbecillitatem corroborauit, talique oratione compellauit, *Nihil metuas; neque enim ob id huc veni, vt morti te dedam: Etenim cum principij finisque expers essem, mortem hominum causa vltro subire non dubitaui: quia mortis quoque, & inferni claues, hoc est absolutam in animæ & corporis mortem potestatem habeo.* Ita Andreas Cæs.

Andreas. *Ego sum primus, & nouissimus, primus per creationem, nouissimus per retributionem, primus quia ante me non est formatus Deus, nouissimus quia post me alius non erit. Primus quia à me sunt omnia, nouissimus quia ad me sunt omnia; a me principio, ad me finem. Primus quia ego sum causa originis, nouissimus quia ego sum Iudex, & finis.* Richard. à S. Victor. l. 1. c. 4.

Richard. à S. Victor. Hæc iuxta istos interpretes de Christo apparente S. Ioanni, quæ fusius explicantur in hoc libro, secundum quod ista symbola, siue in titulis Epistolarum, siue in pluribus visionibus sparsim adhibentur. Nunc quatuor præcipuè expendere licet, primùm cur eius vox dicatur tanquam aquarum multarum; secundò quid per stellas septem in dextera Christi designetur; tertium quid significet gladius vtraque parte acutus; quartum cur facies eius sicut sol resplendeat. In primo symbolo tangitur primùm medium, quo gratia & pax à Deo conferuntur. Nempe participatio tribulationum filij Dei. In secundo symbolo stellarum septem, secundum medium adducitur, nempe Pastorum Ecclesiæ cura, & sollicitudo in regenda Ecclesia. In tertio symbolo gladij scilicet tertium medium, quo hæc gratia & ista pax dantur: describitur nempe Verbum Dei dum illud à Pastoribus adhibetur ad illuminationem, & informationem, & sanctificationem fidelium promouendam. Denique quid tandem gloriæ Ecclesiæ obueniat, significatur, dum facies sicut sol, Christo in ea operanti & regnanti tribuitur.

Et vox eius tanquam vox aquarum multarum.

Primum medium per quod Deus fidelibus gratiam, & pacem largitur est, participatio tribulationum filij Dei. §. 3.

Cum passio Christi Domini quoslibet dolores, & quascumque hominum molestias longè superarit, antonomasticè tribulatio nuncupari debet. Tribulo siquidem seu tribulatio deriuatur à tribula qua granum à palea secernitur, tale namque instrumentum trilaterale est, vel à vocabulo Tribulus, herba quædam spinosa, vel à muscipula, quæ tribus aculeis constat, vt in quamcumque partem illum conuertas, semper ad pungendum parata existat: hinc verbum Tribulo deriuatur, quod idem est ac affligere, opprimere, pungere, & nomen Tribulatio quo designatur ipsamet afflictio, oppressio, & punctio.

A Fuit autem passio Christi tanquam aculeatus quidam tribulus, à traditore Iuda paratus, nam licet optimè sciret, quæcumque illi eunti in Ierusalem obuentura erant; quasi de ijs non cogitaret, easque nesciret visus est ab ijs qui nesciebant ipsum voluntariè morti sese offerre dicentes, *Deus dereliquit eum, persequimini & comprehendite eum, quia non est qui eripiat.* Ps. 70. Passio igitur hæc fuit Christo tribulus spinosus propter flagella, spineam coronam, & claues; Crux tanquam tribula grana, seu spicas frumenti comprimens: in ea enim positus iucredibilia sustinuit tormenta, & mortis expertus est angustias, donec anima eius tanquam granum ab exuuiis corporeis tanquam à palea se-
B iungeretur: caro enim toto exhausto sanguine tuit tanquam palea arida; vnde de se ait apud Psalmistam, *Aruit tanquam testa virtus mea*; hinc clamabat. Psal. 68. *Et ne auertas faciem tuam à puero tuo, quoniam tribulor velociter exaudi me.* Ps. 68. De Christo enim hunc psalmum esse exponendum docet S. Ioannes Euangelista dum ait felle, & aceto fuisse potatum, vt consummaretur scriptura: At non alibi hoc prædicitur, sed distinctis verbis in hoc Psalmo dicitur, *Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* Solam hanc consolationem accepit à peccatoribus in tribulatione passionis, vnde ad patrem ait: *In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me, improperium expectauit cor meum &*
C *miseriam, & sustinui qui simul contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non inueni.* Quin & in Psalmo 21. quem totum cum esset appensus in cruce, recitasse volunt quidam authores, passionem suam vocat tribulationem, *Deus Deus meus, inquit, respice in me quare me dereliquisti, longè à salute mea verba delictorum meorum, quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adiuuet.*

Meritò igitur S. Ioannes innuere volens, quo Medio gratiam, & pacem obtinuit; & nos gratiam, & pacem expectare debemus, se esse participem tribulationis in Christo pronunciat: ad quam nos prouocat illa Christi vox aquarum multarum, siue
D dum clamat: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum*; vel *Nisi pœnitentiam egeritis omnes similiter peribitis*; seu, *beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*, vel dum ait, *In mundo pressuram habebitis, &c.* Et tursus, *Amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, &c. Oportuit enim Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*, Et per multas tribulationes intrandum in regnum cælorum; & sic fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, dum per baptismum, & pœnitentiam, & dolorum, & persecutionum tolerantiam, aqua nobis datur saliens in vitam æternam, in qua sedebimus in pulchritudine pacis, & in requie opulenta: interim portio veri Christiani
E erunt tribulationes, sicuti mundanorum, vt pluri-mum, mundi huius honores: Optime namque Sidonius Apolinaris l. 7. Epist. Epist. 6. ad Basilium. *Ordinis res est, vt & diues hic purpura byssoque vestiatur, & Lazarus hic vlceribus, & paupertate prematur. Ordinis res est vt dum in allegorica versamur Ægypto, Pharao incedat cum diademate, Israël cum cophino. Ordinis res est, vt dum in hac figurata Babylonis fornace derelinquimur, nos cum Ieremia spiritualem Ierusalem suspiriosis plangamus vlulatibus, & Assur fastu regio tonans sanctorum sancta proculcet: quibus præsentium ego futurarumque beatitudinum vicissitudinibus inspectis communia patientius incommoda fero: primum quod mihi quæ merear introspicienti, quæcumque aduersa prouenerint, leuiora reputabantur; deinde quod certum sit maximum esse remedium interioris hominis, si in hac area mundi vary, passio-*

Sidonius Apolinaris.

num

Sidonius.

num flagellis trituretur exterior. Ita Sidonius, qui rursus eleganter prouocat ad tolerantiam tribulationum Epis. 1. 469. ad Græcum Massilienſem Episcopum. *Nam,* inquit, *super, quorumpiam fratrum necessitate multos pertulerius angores flebili ad flentes relatione peruenit. Sed eu fios sacerdotum gemma Pontificum, scientia fortis, fortior conscientia: minas undaſque mundialium sperne nimborum, quia frequenter ipse docuisti, quod ad promissa connubia patriarcharum, vel ad nectar cælestium poculorum, per amaritudinum terrenarum calices perueniretur. Velis, nolis, quisquis contempti Mediatoris consequitur regnum, sequitur exemplum, quantumlibet nobis anxietatum pateras vita præsentis propinet afflictio. Parua toleramus, si recordamur quid biberit ad patibulum qui inuitat ad cælum.* Ita Sidonius.

Et habebat in dextera sua stellas septem.

Secundum Medium externus, quo Deus vtitur, vt gratiam & pacem Ecclesiæ largiatur, est, Pastorum in regimine Ecclesia pernigil cura & solicitudo. §. 4.

Quod Pastores sunt stellæ in dextera Christi. Punct. 1.

Horum verborum explicatio inquirenda non est; Christus enim Dominus illa ipsemet exponit; dum ait, *septem stellæ Angeli sunt septem Ecclesiarum*, nempe Episcopi vt videre & conjicere possumus ex his, quæ continentur in epistolis ad eosdem missis: ea enim non ad Angelos naturâ, sed tantum vita moribus, puritate, ministerio Angelis similes propriè pertinent, quibus autoritas data, & ministerium quoddam iniunctum est propter eos qui hæreditatem capiunt salutis.

Secundo Pastores Angeli dicuntur.

At clarum est tales Angelos, nempe Pastores esse media externa efficacissima, quibus Christus tanquam cooperatoribus, & ministris Idoneis vtitur, vt quæ decreuit fieri executioni mandentur. Legatione funguntur pro Christo, vt mundum ad Dei reconciliationem prouocent. Ministri sunt noui Testamenti, & dona gratuita recipiunt, quibus gratia gratificans in nouo fœdere cum hominibus a Deo inito promissa conciliatur, & promouetur: ab eorum ore exquirere debemus scientiam eorum quæ ad nostram pertinent salutem, eorum authoritate leges nobis præscribuntur, quas seruare necessario debemus si hanc adipisci voluerimus; dispensatores sunt mysteriorum Dei, data est ipsis potestas ligandi, & soluendi, remittendi, aut retinendi peccata, aperire nobis debent vias & semitas cœlorum: Et cum sanctitate & doctrina sicut & authoritate præcipui sint, idonei sunt Ministri noui Testamenti, & stellæ ipsis planetis in cœlis fixis splendidiores; stellæ inquam in dextera saluatoris, vt sciamus ipsum eorum ministerio vti, & in nobis operari, suamque regere & gubernare Ecclesiam; quia & eorum authoritatem, ac personas ipsorum in sua reponit protectione, nam & in eis, & per eos regnat vt videbimus in cap. 20. *Sed erunt sacerdotes Dei, & Christi; & regnabunt cum illo mille annis*, sed cum multi sunt, qui se dicunt Pastores & non sunt, sed tantum lupi & mercenarij, si quæras qua ratione explorare possimus, quos existimare debemus esse stellas in dextera Christi, & legitimos Pastores, quorum doctrinæ adhæreamus, præceptis obtemperemus; Ecce adest S. Ireneus l. 3. aduersus hæreses c. 3. viam illos discernendi à fallis prophetis, qui veniunt in vestimentis ouium aperiens dum ait. *Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia adest perspicere omnibus, qui vera volunt audire: & habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eorum vsque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognouerant quale ab his deliratur.* Ita Iren. Et quia per longum fuisset exquirere successionem Episcoporum, in omnibus Ecclesiis particularibus per totum orbem dispersis, successionem Episcoporum Romanorum proponit eumque vocat maximam, magis autenticam, & notissimam omnium aliarum, & per eam ait Ireneus, *Confundimus omnes, qui quoquomodo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam præterquam oportet colligunt; ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam; hoc est eos, qui sunt vndique conseruati in ea, quæ est ab Apostolis traditio* & lib. 4. c. 43. *Quapropter eis qui in Ecclesia sunt Presbyteris, obaudire oportet his qui successionem habent ab Apostolis sicut ostendimus, qui cum Episcopatus successione charisma veritatis certum secundum Patris placitum acceperunt, reliquos verò, qui absistunt à principali successione, & quocumque loco colliguntur suspectos habere, vel quasi hæreticos, & malæ sententiæ, vel quasi scindentes & elatos, & sibi placentes, aut rursus vt hypocritas quæstus gratia, & vanæ gloriæ hoc operantes: omnes autem decidunt à veritate*, denique cap. 65. *agnitio*, inquit Ireneus, *vera, & Apostolorum doctrina, & antiquus Ecclesiæ status in vniuerso mundo, & character corporis Christi secundum successiones Episcoporum, quibus illi eam, quæ in vnoquoque loco est Ecclesiam tradiderunt, quæ peruenit vsque ad nos.* Ita Ireneus. Si quæras igitur quænam sint stellæ in dextera Christi, seu veri Pastores quorum opera Christus vtitur, tanquam medio aptissimo ad gratiam, & pacem nobis obtinendam; & sibi gloriam & imperium comparandum; Respondeo esse illos Pastores, qui cum sede Romana optimè consentiunt, vt pote in qua clarè apparet Apostolica successio, vbi enim talis successio est, ibi charisma veritatis, ibi agnitio vera, ibi Apostolorum doctrina, ibi antiquus Ecclesiæ status, ibi character corporis Christi iuxta Ireneum: Apostoli namque fecerunt sibi successores, qui successiuè alios in suum locum reliquerunt, quod manifestum est in successione Romanorum Pontificum à Petro vsque ad eum, qui nunc hanc obtinet sedem.

S. Irenæus.

Pastores Ecclesiæ sunt in manu Christi, quasi Planeta solis, quia illuminant, & spirituali fidelium generationi inseruiunt. Punct. 2.

Certum est in ordine rerum naturalium, Deum optimum vniuersi conditorem, & Moderatorem, voluisse ministerio septem Planetarum rebus his inferioribus, imprimere qualitates quasdam requisitas ad rerum productionem, earumque inter se connexionem, quin & ad earumdem conseruationem conducibiles: Potiori iure dicere audemus proportionaliter loquendo, modo admirabiliori fideles gubernare per ministerium Episcoporum & Prælatorum.

Solis vicem subeunt, qui lumen effundunt, morbosque animorum propulsant: irradiationes sanctitatis, & doctrinæ ipsorum motus ingerunt fidelibus, quibus ad cælestia, vitamque supernaturalem adspirent: fidei lumen quod annunciant, authoritas quæ in manu eorum existit, zelus honoris Christi, quem vt Dominum colunt, & reuerentur, potentiæ amplitudo, verbi ipsorum energia, diuini spiritus specialis assistentia, quæ animantur, & agitur eos eminentiores reddit: Et sicut sol in mundo splendet, ita hi in firmamento Ecclesiæ rutilant: si Solis propria seu germana functio esse dicitur, vt foueat calorem radicalem, & terram calefaciat, vt viuido calore fota cuncta germinet, & producat; quin & homini in productione sibi similis cooperetur, dicente Aristotele *sol & homo generant hominem*; Aristoteles. l. 1. Phys. Auscult. si mediante sole spiritus vitales

Digitized by Google

& animales, qui corporibus motus præstant, sensus vegetant & excitant; productioni cogitationum inseruiunt, ex eo quod quanto puriora sunt phantasmata, tanto faciliùs intellectus concipit ea, quæ per phantasmata represententur: spiritus namque prædicti purificantur, & vegetiores redduntur, ex eo quod aër quem haurimus, valde conducit, si purissimus exiliat, ad humorum & sanguinis puritatem. At ex tali sanguine puriori, spiritus vitales formantur in sinistro cordis ventriculo. Sol autem aëri præstat hanc serenitatem, & puritatem. Deniq; sicut sol dominatur cordi, in quo sedem habet calor ille vitalis, & à quo emittuntur spiritus illi vinificantes per totum corpus dispersi, sic cura & solicitudine seu vigilantia perspicaci Pastorum zelus hominis, & cultus Dei conseruatur, quo impellimur ad bonorum operum productionem: ab iis pastoribus spiritualiter generamur, iuxta illud Pauli, *filioli mei, quos iterum parturio donec Christus formetur in vobis*. Ipsi sunt qui fidei dogmata, disciplinam morum quodammodo digerunt, doctrinamque tum fidei tum morum ad omni errorum fœce purificant, discutiunt namque varias & diuersas opiniones, & veras à falsis discernunt, vt aërem præstent doctrinæ cuiusdam purissimæ, & diuinæ, quam non hauriunt à carne, aut sanguine; sed quæ eis reuelatur & ingeritur à Deo patre, qui in cœlis est. Hi sunt qui dominationem quamdam, si ita dici liceat, habent in cor Ecclesiæ, ipsum viuificantem nempe spiritum sanctum: siquidem ipsorum ministerio datur & communicantur fidelibus: nonne ex his dicere possumus, ipsos esse in manu saluatoris ad instar solis, vt hæc opera administratione digna in fidelibus operetur?

A

B

C

Per Planetam Lunæ, Prælatorum prudentia in agendis designatur. Punct. 3.

Sunt etiam in Christi manu Prælati ad instar Lunæ mysticæ, etenim si Luna hæc visibilis prouidentiæ Dei obsequitur, vt per suum motum, suosque influxus res sublunares moderentur; & à superiore parte lumen accipiens, radios suos nocturno tempore eiaculat, abundantiamque humidi materiæ necessariam in rerum productione suppeditat, dum corpora abundè humectat, sicuti sol caloris abundantiam subministrat; (Luna siquidem materiam disponere videtur, sol autem ad formæ productionem seu eductionem suppetias ferre: vnde Luna dicitur solis socia, vicaria & soror). Si ex motu Lunæ coniectari potest, quæ infirmis accidunt in quibusdam diebus, quidam enim dies salubriores infirmantibus dicuntur; dum coniungitur aliis planetis benignioribus, aut minus salutaribus, dum malignioribus astris copulatur, vt videre est apud Anton. Mizaldum in Planetologia; Si ostium medulla incrementa capit crescente Luna, patitur detrimenta ipsamet decrescente; quin & corpora minus vegetiora reddantur, dum ipsa decrescit; ex eius siquidem incrementis & defectibus plantæ, & animalia augmenti, aut detrimenti vicissitudinis persentiunt; Si oceanus fluxus, & refluxus sui motum excitat aut compescit iuxta diuersos Lunæ ad solem adspectus: etenim cum à sole directè illuminatur, radij lunares vim ac virtutem intensiorem habent, qua corpus humidum, cui Luna præest, mouere queant: Si inter corporis animalis partes maximè influit in matricem, in qua perficitur conceptio fœtus, quin & in mammis in quibus cõficitur alimentum fœtus ex vtero emissi: Si supra oculum præsit sinistrum, sole supra dextrum influente; si supra stomachum Luna præsit, fit namque digestio per calorem in humido; si cerebro præsit propter humidum illius temperamentum, quo fit vt qui cerebrum debilitatum habent, ex Lunæ mutationibus multa patiantur incommoda; dicere certè possumus multa in prælatis animaduerti, quæ commodè per hos Lunæ effectus adumbrari possunt.

D

Mizaldus.

E

Prælatis Ecclesiæ duo debent esse luminaria, ad instar Solis & Lunæ, luminare quoddam maius, vt præsit dici; illa nempè eorum auctoritas, qua possunt errores dissipare, de fidei articulis iudicare, de rebus credendis, & speculatiuis tractare, & determinare; aliud lumen minus vt præsit nocti ignorantiæ rerum, quas practicare seu factitare debemus, quo lumine possint fideles regere, eorumque actiones ad optimum finem inducere & dirigere: Prima autoritas per solem designatur, secunda per Lunam, quæ Prudentiam designat non terrestrem sed diuinam, non animalem, sed spiritualem, non malignam, quæ per astutiam proximum decipiat, sed sanctam & benignam, quæ solum bonum & salutem fidelium, quantum in se est promouere studet. Sicut igitur Luna à græcis dicitur σελήνη vel quia lumen desuper accipit, τὸ σέλας αἰεὶ νέον vel quia videtur nouam semper accipere lucem σελήνη ἀπὸ τοῦ σέλας αἰεὶ νέον ἴσχειν vt ait Ant. Mizaldus: sic prælatorum prudentia de sursum est, omnino diuina: quam continuo accipiunt, prout necessitas exigit, Spiritu sancto illam infundente, prout opus est directioni Ecclesiæ, quam regit, & illuminare dignatur. Si lux Lunę rebus sublunaribus præsit, pari ratione prudentia hæc diuina actionibus præest humanis: si lux Lunæ lunaris humidi abundantiam corporibus præstat, Prudentia hæc rationũ, & argumentorum fœcunditatem suppeditat, quibus hominibus suadet vt fidem adhibeant, seu adhæreant doctrinæ fidei quæ illis annunciatur; quin etiã vt perficiant ea omnia, quæ ab Ecclesia ipsis iniungitur, vt ad cælum pertingant. Hac prudẽtia prælati sagaciter præuident sanitates, aut morbos spirituales eorum, qui eorum curæ committuntur, vt de remediis conuenientibus eisdem prouideant. Huius prudentiæ influxus benignissimi sunt, si animos docibiles & mites iuueniant: acriores redduntur, si animos acerbiores, & sanæ doctrinæ obsistentes reperiant; si seriò applicetur, & adhibeatur à prælatis titè ac vigilanter suo muneri incumbentibus deuotionis sensus incrementa capit: si longiùs absit, multa detrimenta experitur pius deuotionis affectus.

Denique sicut oceanus ad motum Lunæ mouetur, ita quales sunt prælati, talis est vt plurimum rerum humanarum cursus. Hac prudentia mediante plurimos Ecclesia Christo parit filios, hac instruitur quibus alimentis eosdem generatos enutriat, & tanquam paruulis lac eis potum dat, non escam. Hæc mundi laqueos manifestos reddit, nec sinit nos sinistras & infaustas mundi illecebras consectari; hac confortati acerbiores & crudiores cibos digerimus, dum multa quæ vix, ac ne vix quidem aliàs sustineri possent, nobis occurrunt deglutienda.

Denique quibus cerebrum validum est, & mens sana conceditur, prudentem Prælatorum directionem sustinent, eisque obediunt; ac quibus debilior est mentis vsus, statim offenduntur, & contradictionibus suis ostendunt, quam ægrè prælatorum autoritati, & regimini sese subiiciunt. Hoc igitur modo, ad instar Lunæ prælati dici possunt esse in manu Christi.

Propter Sacramenti pœnitentiæ administrationem, & pœnarum iniunctionem, Prælati per Planetam Saturni designantur. Punct. 4.

At in administratione Sacramenti pœnitentiæ, & iniunctione pœnarum, & satisfactionum Prælati vi-

Digitized by Google

Propter ad miniſtrationē Sacramenti pœnitentiæ Planetæ Saturni Paſtores aſſimilantur.

dentur eſſe in manu Chriſti, ad inſtar planetæ Saturni: planetam iſtum volunt eſſe malignum, & nocentem, fortè ex eo quod humori melancholico fauet, itaut eius influxu hic humor ad redundantiam vſque in corporibus incrementa ſumat vimque inſuper præſtet ſiccitati, & frigiditati huius humoris in preiudicium caloris, & humidi temperamenti æquioris. Nihilominus licet verum ſit planetam Saturni malignum eſſe, ſi ſolitariè ſpectetur, ſi tamen cum aliis ſuos inſtillet influxus, conuenienter temperatos permixtione irradiationum aliarum ſtellarum, multas confert vtilitates. Videmus ſiquidem melancholicos ad quodcumque mentem, & ingenium applicuerint, illud feliciſſime abſoluere; & voluit Ariſtoteles nullum hominem vnquam fuiſſe inſignem, ſiue in rerum naturalium ſpeculatione, ſiue in adminiſtratione Reipublicæ, ſiue in arte Poëtica, aut ſimilibus, qui non fuerit hoc humore melancholico intinctus: hic nempe humor firmitatem quamdam imprimit cogitationibus, aſſiduitatem in ſtudiis ingerit, laborem infatigabilem ſuſtinere facit, quod nec abſque non modica animi voluptate perficitur; itaut ſæpe tales ſolicitudines rerum temporalium obliuioni tradant, vt his mentis, & ingenij functionibus occupentur. Denique ſicut videmus vinum diuerſos producere effectus, in iis qui eo vtantur cum aliquali exceſſu, hoc etiam dicendum de humore melancholico. Quidam ex vino ad riſum proclines vt Democritus, alij ad fletum vt Heraclitus, alij ad multiloquium vt Therſites, alij facundi redduntur vt Neſtor, alij pauca verba proferūt, & patientes ſunt vt Socrates, & Vlyſſes, alij audaciores redduntur vt Aiax, alij timidiores vt Piſander, alij vanas quaſdam oblectationes conſectantur, vt huius humoris malignitatem effugiant, vt Lucullus, alij triſtitiæ ſe dedunt vt Iraſſus, alij cogitabundi & profundæ meditationi addicti ſunt, vt Archimedes, ita Ant. Mizald in Planetologia. At iſta incommoda prætereuntes, quid effectus huiuſmodi humoris, ſymbolicè ſignificet fidelibus vtiliſſimum & miniſterio Paſtorum ipſis à Deo immittendum aperiamus.

A di deridet, ad fletus, & lachrymas, pro peccatis quæ committuntur, & propter hominum cæcitatem qui ſe ad barathrum præcipites dedunt, inducitur. His adde quod paſtores pœnas ſeu ſupplicia peccatoribus præparata annunciant cum abundantia, & feruore ſpiritus, pœnas pro peccatis iniungunt, patientes ſunt in afflictionibus, magnanimi in tentationibus, pauidi ſi cadendi in peccatum occaſio ſeſe obtulerit; triſtes cum Deum vident offendi, alacres vero ſi aliquid pro Dei gloria, aut proximorum ſalute pati contingat, denique facillimè in contemplationem rerum cæleſtium, & myſteriorum diuinorum euehuntur. Quæ cum ita ſint nonne verum eſt, per prælatos, & Paſtores quibus competit prædicare B Pœnitentiam, & homines inducere, vt laboriosas ſatisfactiones ſuſcipiant, Deum inſtillare ſpiritum compunctionis? Ita enim Petro prædicante factum eſt. *Hu auditu*, inquit S. Lucas, Act. 2. *compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, &c.* Et propterea optimè dixi eſſe in manu Dei, vt ſicut per Planetam Saturni humor melancholicus in corporibus abundat, ita per Prælatos fideles ſpiritu compunctionis repleantur, & hac ſalutari iuſtitia afficiantur de qua S. Paulus 2. ad Corinth. 7. *Gaudeo non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam, triſtitia enim quæ ſecundum Deum eſt pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.*

Act. 2.

S. Paul. 2. ad Corinth. 7.

C *Propter adminiſtrationem Sacramenti Euchariſtiæ, vtiliſ Paſtores Planetæ Iouis aſſimilantur.* Punct. 5.

Ad Iouis Planetam nunc deueniendum eſt. Proprium illius planetæ eſſe volunt fouere benigno influxu naturales facultates, & cum ſole quaſcumque alias vires ſeu facultates, quæ in corporibus humanis inueniri poſſunt; quò fit vt hic Planeta vocetur ab antiquis ſoſpitator, ſeruator, fructifer, ſator, hoſpitalis, beneficus, ſalutare numen & benignum, & quod maius eſt Pater deorum, & hominum & grammatici vocant eum ζῆν quaſi ζωὴ hoc eſt vita, Iupiter quaſi iuuans Pater, hinc & eum præſidere volunt cum ſole, vitæ; propter inſigne radiorum ſuorum temperamentum; vitam ſiquidem conſiſte-

D re volunt in quadam ſymmetria calidi & humidi. His adde, quod partes corporis in quas fortius influxus illius agunt, ſunt pulmo quo aër attrahitur, quo aëre attracto aptior redditur, vt per eum cor refrigeretur; quin & arterias in quas vitalis ſpiritus tranſmittitur cum ſole, vitalem intuetur facultatem; cum Luna animalem, & ſenſitiuam, & ſpecialiter influit in naturalem facultatem ſanguificam, & in concoctionem, & in vegetatiuam, quæ accretioni deſeruit; multus enim calor neceſſarius eſt accreſcentibus. Denique influxus benignioris Planetæ iſtius humores attemperantes homines reddunt mitiores faciliores, amabiliores, & ad conuerſationem cum aliis propenſiores, quibus ita poſitis.

Deus namque miniſterio Paſtorum, quorum eſt prædicare baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, ſpiritum compunctionis, & contritionis, mentibus fidelium largitur: qui quidem ſpiritus quoſdam in eis producit effectus, qui quandam proportionem, ſeu ſimilitudinem habent cum prædictis humoris melancholici effectibus. Hic contritionis ſpiritus carnis & ſenſualitatis inimicus conſtituitur, carnem namque, & ſenſualitatem in captiuitatem redigit: hic deſiccat concupiſcentias, calores, & caſtus appetitum inordinatorum refrigerat, Denique corpus ieiuniis, ciliciis, diſciplinis, & auſteritatibus variis diſcruciat. Nihilominus cum hæc pœnitentiæ opera coniunguntur cum ſpe veniæ peccatorum, & propoſito efficaci mores ita componendi, vt conformes reddamur Chriſto crucifixo; E ſanctorumque Martyrum, & aliorum beatorum actiones imitandi, & cum expectatione ſempiternæ retributionis: quò magis mens noſtra fuerit hoc ſpiritu compunctionis tacta, eò magis in virtute, & deuotione incrementa ſumet: quò plus addicti fuerimus exercitio virtutum, eò fortiores euadimus ad tolerantiam laborum huius vitæ: hoc ſpiritu pœnitentiæ afflati, vitæ huius amorem, & delectamenta deſerimus, & temporalia deſpicimus, vt ad æterna perueniamus; qui verè de peccatis præteritis dolet, ſoli Deo placere perfectè deſiderat, & hoc modo cunctis rebus humanis renuncians, capax redditur magna, & miranda ad Dei creatoris ſui gloriam patrandi. Hoc ſpiritu plenus, vanitatem mun-

Meminiſſe oportet in hymno ſanctiſſimi Sacramenti, Eccleſiam canere, *ſic ſacrificium iſtud inſtituit, cuius officium committi voluit. Solis Presbyteris, quibus ſic congruit vt ſumāt & dent cæteris.* Cum igitur Sacerdotes, & Paſtores poteſtate ſibi tradita vtentes, corpus Chriſti fidelibus diſtribuunt; eum certè nobis exhibent, qui & ſalus & ſaluator noſter eſt, eum inquam nobis exhibent ſine quo nullum poſſumus bonum producere fructum; cum quo multa bona accumulamus opera; à quo in nobis ſemen vitæ æternæ immittitur; qui nos in ſuo fouet ſinu ſeu gremio; qui omnia nobis elargitur bona. Denique hac communicatione tanti Sacramenti, Deum & Authorem ſalutis recipimus, patrem Angelorum, & hominum, Patrem inquam futuri ſe-

Propter adminiſtrationem Sacr. Euchariſtiæ Paſtores Planetæ Iouis aſſimilantur.

Digitized by Google

culi, vitam, & auxiliatorem. & potentiſſimum opitulatorem, qui per ſuas diuinas inſpirationes, & irradiationes fouet in nobis Charitatem Dei, Spiritu ſancto viuificante nos replet, ad profectus in exercitio cunctarum virtutum nos impellit, ſenſus viuidos reddit; qui nos cibat & nutrit; quo omnes anguſtias, & tædia cuncta concoquimus, quo in nobis gratia & merita incrementa ſumunt, quo boni & perfectiores ad Charitatem & beneuolentiam erga proximum propenſiores reddimus, Patrem imitantes æternum, iuxta hanc Chriſti Domini admonitionem, & inuitationem, *Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt.*

A

Per Sacramenti Confirmationis adminiſtrationem veſtes Paſtores, per Planetam Martis deſignantur. Punct. 6.

B

Quod ſi Martis Planetam igneæ naturæ contemplemur, à græcis Mars πυρὸς dicitur quia calorem quemdam comburentem, & incommodum ingerentem obtinet, quò fit vt flauæ præſideat bili, inter humores corporeos calidiori: & proinde qualitates, quas ſuo immittit radio, mortem potius quam vitam conciliant. Vnde Ἄρης dicitur ſiue ἀπὸ τῶ ἀείρειν ſuſtollendo, & corrumpendo, ſiue ἀπὸ τῆς ἀρῆς à damno & interitu, calor quippe huius planetæ proprius potius eſt perdere quam fouere: propterea ex eius influxu multæ inordinatæ actiones, multæ violentiæ, multi affectus irrationabiles prodeunt, quin & homicidia plærumque ſubſequuntur, non coactione, aut determinatione neceſſaria voluntatis, ſed quia homines vt plurimum ſequuntur qualitatem humoris in alios corporeos humores prædominantis, nec vllam adhibent operam, vt ſenſus, & inclinationes ſuas ad debitam, & requiſitam rationis redigant obedientiam. Iſtam Martis qualitatem depingit Ptolomeus apud Anton. Mizaldum. Stella Martis & arefacit, & vrit ſicut congruit igneo ipſius calori, & ſolis vicinitati, vt qui illius ſpheræ ſubiectus ſit.

C

Vis in Planeta Martis picturam quandam verum Chriſtianum exhibentem animaduertere? Reduc in memoriam obſecro, Chriſtianum qui zelo honoris Dei inardeſcit, & Chriſtum crucifixum ſaluatorem ſuum ſequi, & imitari exoptat; omnes ſenſus ſuos mortificare, omnes corporeas voluptates abjicere, vitam ſpernere, multaſque actiones apud carnales & mundanos irrationabiles elicere, & quæ exiſtimantur potius ex cæco quodam furore, & animi impetu prodire quam ex prudenti, & circumſpecta mentis deliberatione. Tot actiones huiuſmodi ſanctus Pater Franciſcus olim operatus eſt, quæ corpus ſuum vehementer afflixerunt, & ad multas infirmitates adigerunt vt ab eo in extremis agente veniam petierit: Quis neſcit Martyres plærosque ſe in tormenta, in ignes, in flumina præcipites dediſſe, vel ſancta Apollonia teſte, quia ardentiori igne diuini amoris intus accenſa, ſe in ignem proiecerit, itaut maior eſſet ardor ignis diuini intùs quam ignis exterioris, cuius ardore comburendam eſſe carnifices minitabant. Proculdubio calor huius zeli diuini amorem voluptatum, omnium rerum ſenſum in fauillam redigit, eo nempe accenſus nec vitæ propriæ parcere ſtudet, *Zelus* inquiebat ille, *domus tuæ comedit me.* Hoc ardore magnanimus redditur, inter quæuis certamina plenitudine gratiæ oppletus. Cum autem hæc gratiæ plenitudo, qua mortem ſubire pro Chriſto non pertimeſcimus, in Sacramento Confirmationis conferatur, niſi obicem ponamus, eoque Sacramento Chriſti milites efficiamur, in eius aſcripti militiam, vt libere homen illius confiteri valeamus coram hominibus; hocque Sacramentum ab Epiſcopis, & Prælatis adminiſtretur, certè dicendum eſt eos eſſe in manu Chriſti, tanquam Planetam Martis, ſiquidem eorum miniſterio zelum hunc honoris diuini recipimus: his adde quod cum Epiſcopi, contumaces per excommunicationem reſcindunt à corpore myſtico Chriſti, ne alia inficiantur membra, ipſos ingerere calorem noxium omnia deuaſtantem, & ipſos contumaces impellentem, plærumque ad actiones quaſdam irrationabiles furioſas, & violentas, dum ex hoc ſalutari remedio vtilitatem capere neſciunt, & à ſuis exceſſibus recedere nolunt, vt cæleſti rore gratiarum Dei perfundi valeant.

Propter adminiſtrationem Sacramenti Confirmationis Paſtores Planetæ Martis aſſimilantur.

In Planeta Veneris vtilitates quas affert Benedictio Prælatorum, Matrimonio iunctis optime deſignantur: quin & eorum charitatiua compaſſio, & conſolatio ex Sacramento extremæ Vnctionis. Punct. 7.

Quod ſi oculos conjiciamus in qualitates, quas imprimere volunt Planetam Veneris ſuis irradiationibus, ex illarum contemplatione dicere nobis licet, Deum Prælatorum opera vti, vt per illorum miniſteria, & benedictiones nuptiarum fidelibus coniugio copulatis, benedictionem prolis feliciſſimè largiatur, quam in timore Dei educare poſſint: Itaut Dei beneuolentiam, & amicitiam ſibi conciliet, prout de Abraham hac de cauſa Geneſ. 18. dicitur, *Num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum, cum futurus ſit in gentem magnam ac robuſtiſſimam, & benedicendæ ſint in illo omnes nationes terræ, ſcio enim quod præcepturus ſit filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe vt cuſtodiant viam Domini, & faciant iudicium, & iuſtitiam vt adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus eſt ad eum.* Sicut igitur volunt hunc Planetam Venerem nuncupari, quod ad res omnes veniat, per ſuos ſcilicet influxus, quibus omnibus rebus præſentiſſimum fieri dicunt, eumque dicunt prolificum propter humidi ab eo cauſati optimum temperamentum, & virtutem quandam beneficam, quæ in humido ab eo Planeta excitato reperitur, ſuppeditat namque corporibus, & ſubſtantiis inferioribus, cum generantur, aut fouentur, benigniorem ſuccum rori potius, quam humiditati pluuiæ ſimillimum; qua de cauſa Venerem dixerunt almam ab alendo, ex eo quod humidum à Venere cauſatum nutriat corpora: cuius humidi frigiditas minime noxia, aut malefica ſit, quodam tepore videlicet attemperata. Denique volunt hunc Planetum Iecori præſidere, quod quidem dicunt eſſe primum inſtrumentum quo ſanguis generatur, & elaboratur, & venarum principium, & partis concupiſcibilis ſedes & domicilium, & tandem odoratui & guſtui præſidere. His poſitis.

Geneſ. 18.

Dico quod licet verior ſit ſententia eorum, qui aſſerunt contrahentes Matrimonium eſſe huius Sacramenti miniſtros, hoc tamen non impedit, quominus Prælatorum, vt ità dicam in fluxus non hic requirantur vt ſacramenti gratiam plenius obtineant: in primis vt ad contrahendum idonei reddantur, ſecundò vt contractus Matrimonij eorum præſentia firmetur, tertio vt illorum nuptiæ benedicentur; quæ benedictio proculdubio multas affert vtilitates, vt gratia ſacramentalis ſuos producat effectus, nam qui benedictionem illam ſpernunt, gratiæ obicem ponunt; & ita mutuus illorum conſenſus non erit ſignum actu ſanctificans, qui talis eſt cum fideles actu recipiunt gratiam Sacramentalem Matrimonij, dum ſcilicet ſeſe legibus Eccleſiaſticis humiliter ſubmittunt, contrahentes & conſummantes Matrimonium in timore Domini: leges ſibi à Deo,

Propter benedictionem ſacerdotalem nuptiarum Paſtores Planetæ Veneris aſſimilantur.

Digitized by Google

& ab Eccleſia præſcriptas fideliter ſeruantes, tunc enim experiuntur benignos influxus gratiæ Dei; ſiue, quia eos ditat prole fœcunda: ſiue dum eis ſolatia ſuppeditat in labore & cura educationis, ſiue dum intitgat in eis ardorem concupiſcentiæ, ſiue quia non permittit vt à voluptate ſenſuum, ita abſtrahantur, vt officio ſuo deſint; eſt ſiquidem in eis gratia huius Sacramenti quaſi ros viuificans, qua eo ipſo quo eis permittit, vt generationi filiorum vacare poſſint, in eis ardores appetitus concupiſcibilis refrigerat, quibus certè abſque illa gratia homines in exceſſus horribiles abominationum & fœditatum abſtrahuntur. Hoc modo Planeta Veneris Prælatorum munus adumbrat.

Aſſimilantur etiam propter charitatem compaſſiuam.

Quin etiam & alia optima ratione poteſt adumbrare, charitatem compaſſiuam Prælatorum, qua neceſſitatibus corporalibus, & ſpiritualibus ouium compatiuntur: itaut illis per opera miſericordiæ, tam corporalia, quam ſpiritualia ſubueniant, cum ingenti cura, ſagaci vigilantia, tenerrimo cordis affectu, itaut libentiſſime ſeipſos tradere vellent, vt ſuis ouibus ſubuenirent, iuxta illud Apoſtoli 1. ad Theſſalonic. 2. *Cum poſſemus vobis oneri eſſe vt Chriſti Apoſtoli ſed facti ſumus paruuli in medio veſtrum, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos ita deſiderantes vos cupidè volebamus tradere vobis non ſolum Euangelium Dei ſed etiam animas noſtras, quoniam chariſſimi nobis facti eſtis.*

1. Theſſ. c. 11.

Hæc magnus ille Apoſtolus & bonus & verus Paſtor; hæc præſtitit S. Paulinus Epiſcopus Nolanus, dum ſe pro filio viduæ vendi permiſit, & ſeruilem ſuſcepit conditionem.

Aſſimilantur denique propter adminiſtrationem Sacramenti extremæ vnctionis.

Denique dicere poſſumus per rorem benignum, qui ab ipſo Planeta excitatur, optimè poſſe deſignari illam conſolationem internam, quæ in mente inducitur per gratiam Sacramenti Extremæ vnctionis. Hac enim gratia fideles idonei efficiantur, vt ad nouam vitam æternitatis perueniant, qua fit vt dies mortis eorum corporalis dies natalitius nuncupetur, ſic enim Eccleſia vocat feſta Martyrum, & dies obitus eorum natalitia: hæc enim gratia moribundos, ſeu mox morituros conſolatur propter ſpem cæleſtis gloriæ, & dum incipiunt ad vitam æternam generari, in eis fouet & nutrit deſiderium quo ad gloriam æternam inceſſanter aſpirant.

Planeta Mercurij Paſtorum influxus in fideles, in adminiſtratione Sacramenti Ordinis ſignificat. Punct. 8.

Supereſt Planeta Mercurij, de quo dicunt, ipſum eſſe in ſuis effectibus varium & multiplicem, radio ſiquidem ſuo, & influxu, nunc ardorem excitat, nunc concitat flatus; natura ſolis modo induitur, modo Lunæ ſequitur naturam, modo alicuius alterius Planetæ, cui coniungitur proprietates conſectatur. Motus Mercurij velociſſimus eſt, qua de cauſa ſubitaneos motus, ac mutationes, ſeu alterationes diuerſas inſerit corporibus. Quem excitat humorem acris eſt & penetratiuus, quò fit vt in quos dominatur ingenium in eis ſit forte mens ſolers, & ſagax, cogitatio velox, & promptiſſima, vt facilè concipiant quæ audiunt, inueniant quæ prætauere debeant, & ea facillimè negotio ſcriptis mandare queant. Hinc veteres voluerunt Mercurium rationi opitulari in ſuis operationibus, hominesque diſertos, & facundos reddere, ſupra fel & bilem flauam, & cholericam præſidere, acri & viuida, natura ſua: Homines igitur reddit idoneos, vt promptè inueniant, concipiant, & intelligant, & verbis enuncient quæcumque ſibi objiciuntur intuenda; hinc vetus prouerbium poſt Ariſtotelem illum ingenio carere, & mente obtuſum eſſe in quo bilis ſeu cholericus humor non inuenitur: Melancholiam etiam ingerit, ſed ſubtilem & velociſſimam, qualem videas in apibus & formicis, quo melancholico humore homines, & veloces in opere, & induſtrij in cogitationibus ſuis redduntur. Tales proculdubio ſunt Prælati in manu Dei ratione Sacramenti Ordinis, per hoc namque Sacramentum adimplétur omnes illæ ſanctiſſimæ functiones, quas cum irradiationibus aliorum planetarum contulimus, & per eas irradiationes ſignificari diximus. His adde quod operationes Sacramentorum fiant in inſtanti, & abſque vllius moræ intercapedine, ſiue ſi Baptiſmi operationem ſpectes, ſiue abſolutionis ſacramentalis effectum conſideres, quod optimè quadrat cum velociſſimo motu iſtius modi Planetæ. Denique optimi habitus quibus facultas ratiocinandi & diſcurrendi induitur, propter ſubtilitatem humoris melancholici, quem ingerit planeta iſte, maximè neceſſarij ſunt iis, qui à Deo deſtinantur ad has functiones ſacras obeundas. Bene igitur diximus Chriſtum Dominum in dextera ſua habere Prælatos, veluti ſeptem ſtellas, nam ſicut per ſeptem Planetas mundum regit inferiorem, ita per vniuerſalitatem Prælatorum Eccleſiam ſuam gubernare non deſinit: Cum has exercent functiones, quas ſignificari voluimus per influentias iſtorum Planetarum. Et ita videre licet nos optima de cauſa dixiſſe, quod regimen Paſtorum per quod Deus in Eccleſia regnat, medium eſt idonеum à Deo Opt. Max. ordinatum, quo gratia & pax nobis conferatur, & Saluatori gloria & imperium aduenіat, & huiuſmodi regno particeps fuit B. Ioan. nam in ſeipſo habuit fructus & emolumenta talis regiminis. Habuit ſiquidem gratiam & pacem quam nobis exoptat, & inſuper particeps factus eſt tam altiſſimæ, & excellentiſſimæ dignitatis Epiſcoporum, vt pote Apoſtolus Euangeliſta, & Paſtor & Epiſcopus vigilantiſſimus.

Propter Ordinis Sacramentum Prælati Planetis hierarchy aſſimulantur.

Et de ore eius gladius vtraque Parte acutus exibat.

Tertium Medium per quod Deus nobis gratiam & pacem largitur & ſibi gloriam & imperium comparat, eſt Verbum Dei per ora Paſtorum Eccleſiæ adminiſtratum. §. 5.

Plurimis Symbolis Verbum Dei ſignificatur in ſacris ſcripturis, inter alia per gladium. Punct. 1.

Conueniunt omnes interpretes per gladij ſymbolum, verbum Dei ſignificari, & concinna quædam intercedit relatio inter ea, quæ de ſe aſſerit S. Ioannes, nempe quod fuerit Particeps in tribulatione; & inter illum vocis ſaluatoris ſonum, quem aſſimilat ſono aquarum multarum: inſuper quod ſit particeps in regno; & illas ſeptem ſtellas, quæ in dextera Chriſti videntur, cum per eas ſtellas vt diximus Epiſcopi per quos in Eccleſia regnat denotentur. Pari ratione non minus apta interuenit relatio his inter patientiam, in qua ſe Ioannes profitetur, ſicut & in regno particeps; & hunc gladium: nam ſicut per hunc gladium ſignificatur vis & efficacia verbi Dei, ita per patientiam declaratur quænam in nobis diſpoſitio requiratur, vt verbum Dei in nobis effectum ſuam obtineat.

Multis autem ſymbolis Diuinum verbum in ſcripturis deſignatur, v. g. lumen dicitur quia mentes illuminat. Pſ. 118. *lucerna pedibus meis verbū tuum, & lumen ſemitis meis*: Panis nuncupatur, quia appetitum rationalem ſatiat, *non in ſolo pane viuit homo ſed ex omni verbo quod procedit de ore Dei.* At duo ſunt ſymbola præcipuè hic notanda, vnum per quod illius vis & efficacia deſcribitur, de quo hic agitur, iuxta illud Pauli Epheſ. 6. *& gladium ſpiritus aſſumite quod eſt Verbum Dei*, alterum quo modus per quem

Pſ. 118.

Epheſ. 6.

Digitized by Google

tunt, quod curiositate, aut præsumptione spiritus percipere aliis non valerent : Ita enim præcepit Dominus Apostolis, & Ecclesiæ Pastoribus : *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, cuius prædicationis vis & efficacia tanta est, vt miros producat effectus, vt patet experientia, & satis innotuit ex conuersione tot magnatum, tot philosophorum, & sapientum huius seculi, qui per stultitiam prædicationis salui facti sint credentes verbo Dei, dum ipsis proponeretur iuxta illud S. Pauli 1. ad Thessal. 2. *Ideo nos gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non vt verbum hominum sed sicut est verè verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.* Ita Petro prædicante vna vice tria millia hominum, alia vice quinque millia fuerunt ad fidem conuersi.

1. ad Thessal. c. 2.

Quam efficax sit Verbum diuinum à Deo institutum ad quorumdam effectuum productionem. Punct. 5.

At non solum verbum Dei scriptum, aut verè prolatum mirabiles producit effectus, dum spiritualiter mortuos reuocat ad vitam ; sed etiam mirabili quadam ratione, si quædam verba à Deo instituantur ad productionem quorumdam effectuum, hæc eadem verba suos obtinent effectus, cum iuxta modum à Deo præscriptum legitimè assumuntur, & vsurpantur : formulæ enim verborum quæ in Sacramentorum administratione adhibentur, nisi ponatur obex, operantur quod significant, iuxta illud. S. Pauli ad Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret . mundans lauacro aquæ in verbo Vitæ.* Quodnam autem est illud verbum vitæ adhibitum in lauacro aquæ ad Ecclesiæ sanctificationem ? illud nempe, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Idem dicendum de aliis formulis verborum, per quæ alia sacramenta administrantur, qualia sunt hæc verba, *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus noui & æterni Testamenti.* De quorum verborum efficacia dicendum est, quod docet S. Hilarius l. 3. de Trinit. de mutatione aquæ in vinum, *non permixtio fuit sed creatio, & creatio, non à se cæpta, sed ex alio in aliud existens, non per tran fusionem potioris obtinetur, quod infirmius est, sed aboletur quod erat, & quod non erat cæpit.* Ita Hilar. Intellige in Sacramento Eucharistiæ, quod scilicet ibi non erat nempè sub his speciebus, quamuis iam alibi existeret. Quocumque autem modo ex his tribus Verbum Dei spectes certè vim & efficaciam admirandam continet, siue ad efficaciter operandum, siue ad potentissimè protegendum, *omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se, ne addas quisquam verbis illius, ne arguaris inueniarisque mendax.* Ignis igitur est, cuius præclaros effectus elucidat S. Ambrosius, in Psal. 118. *Quem ignem,* inquit, *Dominus in nouo sparsit testamento, qui secretos mentium diuinæ ardore cognitionis inflammaret affectus, Qui vaporem fidei ac deuotionis adoleret, qui cupiditatem virtutis accenderet,* &c. Et paulo post: *bonus ignis qui calefacere nouit, nescit exurere, nisi sola peccata. Hoc igne Apostolicum illud aurum probatur, hoc igne illud morum vel operum examinatur argentum, hoc igne pretiosi illi lapides illuminantur ; fœnum autem & stipula consumuntur : mundat ergo hic ignis animam, consumit errorem.* Ita Amb. Ex his perspicere licet, quanta sit efficacia verbi diuini, tanta siquidem est vt ait Chrysostm. homilia 55. ad populum, *vt opera creatione aquè admiranda perficiat.*

Ephes. 5.

Hilarius l. 3. de Trinit.

Ambros. in Ps. 118.

Quibusnam competit Verbum Dei Legere, Prædicare, aut ad quemdam effectum Vsurpare. Punct. 6.

At aduertendum est, non ab omnibus temerariè perlegendam esse sacram scripturam, tot enim mirabilia continet vt infirmiores obtundat obtutus; quid dico infirmiores ; cum & acutiores retundat, vel fatente hanc veritatem ipsomet Augustino l. 1. retractat. c. 25. *Caperam,* inquit, *in Epistolam ad Romanos, sed quoniam si perficeretur opus, plures futuri erant libri, & ipsius operis labore ac magnitudine deterritus in alia faciliora deflexus sum.* Ita Aug. nec mirum ; de Epistolis namque S. Pauli docuit S. Petrus 2. Epist. c. 3. *in eis esse quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles deprauant sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem.* Pondera S. Petrum loqui non solum de Epistolis D. Pauli ; sed etiam de aliis sacris scripturis, vt videas sacram scripturam non debere temere tractari à mulierculis, tutoribus, & rudioribus ingeniis : Ad quod cum non attendant hæretici falluntur sæpè, & alios fallunt, dum scripturam sacram iuxta proprium sensum interpretari audent. Optimè enim S. Hilarius dixit, *de intelligentia enim hæresis non de scriptura est, & sensus non sermo fit crimen* Ita Hil. Eos propterea S. Augustinus in Ps. 67. vocat, *feras arundinis* quod videlicet scripturarum sensum pro suo errore peruertant, per calamum quippe seu arundinem tam cõuenienter scripturæ significantur, quam sermo per linguam. Fera fuit calami scripturarum sensum peruertens Simon Magus, qui verba sancti Pauli, *induite thoracem fidei, & galeam salutis* de concubina sua Helena interpretabatur, quam Mineruam esse dicebat, eamque insuper vocabat ouiculam Euangelij perditam, & à bono pastore quæsitam, & propter hanc inquit descendi, hæc enim illa est in Euangelio scripta erronea ouicula : feræ fuerunt etiam calami Saturniliani, qui ab his verbis scripturæ *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram* hanc particulam (Nostram) rescindebant, & hæc verba non à Deo Trino & vno dici, sed ab Angelis afferebant, feræ fuerunt calami impuri Gnostici, qui hæc verba, *nisi comederetis carnem meam, & biberitis meum sanguinem*, &c. de horribili & abominanda manducatione sanguinis menstrualis, & aliarum immunditiarum interpretabantur : feræ denique fuerunt calami tum Manichæi suas ineptias per scripturas sacras probare conantes, tum Arriani impia sua dogmata. Vnde merito dicendum sit scripturæ sacræ lectionem vtilem fore, sed humilibus, sed religiosè eam, & deuotè legentibus. Humilis autem & religiosus ac deuotus est, qui ad eius Lectionem iuxta Ecclesiæ sanctæ leges & præscripta sese accingit ; superbus & temerarius, qui contra Ecclesiæ leges, proprio innixus iudicio, illam aut intelligere aut legere non timet : quo fit, vt facilè in errorem labatur, nec præclaros effectus huius lectionis experiatur.

Augustinus.

Petrus Ep. 2. c. 3.

Hilarius.

Augustinus.

Aduertendum 2. & omnibus non licere verbum diuinum prædicare, *Quæ enim à Deo sunt ordinata sunt,* Ex quo conficitur oportere, vt in Ecclesia ordo aliquis constituatur in administratione rerum diuinarum, sint verbi gratia qui audire debeant & doceri, sint qui prædicent & doceant, itaut sicut in hierarchia cœlesti sunt Angeli illuminantes, & alij Angeli qui illuminantur ita sint in Ecclesiastica hierarchia : quibus autem competat alios illuminare monet Apostolus, dum ait, *omnis enim quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit ; quomodo ergo inuocabunt eum in quem non crediderunt ? aut quomodo credent ei quem non audierunt ? quomodo autem audient sine prædicante ? quomodo vero prædicabunt nisi mittantur* Rom 10. quibus verbis quatuor docet necessaria S. Paulus, Dei inuocationem ad salutem, fidem ad inuocationem, prædicationem ad fidem, Missionem ad prædicationem : Si quis igitur legitimè huic prædicandi officio incumbere voluerit, Missus sit à sinu Patris, vt sicut filius Dei è sinu Patris exiit, & venit in mundum,

Rom. 10.

Digitized by Google

ita Verbi Prædicator authoritate polleat. Missus sit à vulneribus Christi ad modum Apostolorum, qui post resurrectionem Christi ab eo missi sunt ad prædicandum populis mundi redemptionem per crucem, qualiter fuit missus sanctus Paulus à Patre & filio, vt ipse testatur ad Galat.1. *Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem*: habeat igitur prædicator characterem Ordinis, & potestatem iurisdictionis, licet enim velint quidam munus prædicationis committi posse per Episcopum etiam Clerico, qui non sit in sacris, vt notat Gauant. In Enchirid. seu Manuali Episcoporum, tamen ordinarie & conuenientiùs committitur munus istud in sacris iam constituto. Missus sit ab ardore spiritus sancti id est ab iis qui in Ecclesia præsunt, quos Spiritus sanctus constituit regere Ecclesiam Dei, vt de S.Paulo dicitur. Act. 13. *Ministrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus dixit illis Spiritus sanctus, Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus ad quòd assumpsi eos, tunc ieiunantes, & orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos, & ipsi quidem missi à Spiritu sancto abierunt Seleuciam*, &c. Vel quia sicut gratis accipiunt, gratis etiam dare debeant quod acceperunt, & absque vlla spe mercedis aut commodi temporalis se ad tantum munus fideliter exequendum accingunt, seu non turpis lucri gratia, sed amore Dei, & charitate proximi inducti. Hac ratione Spiritus sanctus vt docet S.Tho. 2. 2. q.177. art.1. qui omnibus rebus prouidere non desinit, quas necessarias qualitates ad Ecclesiæ vtilitatem, & profectum esse optimè nouit concionatoribus tribuit, vt illorum verba vim & efficaciam obtineant: efficit enim vt vtiliter concionator mentem auditorum instruat, aut suauiter voluntatem moueat, dum illum acceptum & gratum reddit ad Dei gloriam auditoribus, siue tandem ea quæ dicit, tam vera & amabilia ostendat vt auditores ad illa adimplenda persuadeantur, Spiritu sancto lingua prædicatoris vtente tamquam instrumento seu calamo scribæ velociter scribentis, eius namque est intus operari vt verbum vim & effectum obtineat dicente S. Greg. in homil. Pentecostes. *Nisi corda auditorum Spiritus sanctus repleat, ad aures corporis vox docentium incassum sonat.*

Aduertendum denique non omnibus licere, vel sacrificia Deo offerre, res Deo oblatas consecrare, per certas verborum formulas, aut sacramenta administrare, rectè enim S. Paulus ad Hebr. 5. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo quemadmodum & Aaron: Sic & Christus non semetipsum clarificauit vt Pontifex fieret, sed qui loquutus est ad eum filius meus es tu ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Nemo siquidem debet sese dignitatibus ingerere, aut priuata authoritate honorem Episcopatus aut sacerdotij sibi vsurpare, sed qui vocatur à Deo immediatè, aut à Deo per proborum electionem: aut aliquo indicio, si ita placitum visumque fuerit Spiritui sancto instigatori, vt cum cecidit sors super Mathiam, aliquo signo Deus manifestat velle aliquem fieri sacerdotem, sicut Aaron signo florentis virgæ manifestatus est sacerdos à Deo electus, sic S.Gregorius Magnus post electionem delitescens in spelunca ne hunc honorem acciperet deprehensus indicio igneæ columnæ fuit postea consecratus in Pontificem supremum.

Ita sanctum Nicolaum Myræ Episcopum fecerunt Episcopi Prouinciales Lyciæ, diuinitus admoniti vt cum eligerent, qui postridie mane primus in Ecclesiam ingrederetur Nicolaus nomine: hac ratione puero Ambrosium Episcopum exclamante, populi vox erupit Ambrosium Episcopum depositis, vnde Goffridus Abbas Vindocinensis l. 3. Epist. Ep. 11. *Episcopus siue canonica electione est, quasi arbor sine radice, arbor autem quæ radicem non habet, etiam si folia habeat, fructum ferre nullatenus valet; ad huiusmodi arborem Christus quidem accessit, & cum ibi fructum non inuenisset, eam maledixit. Tota vtique ordinatio Episcopi in sola electione consistit, & consecratione. Si tamen illam electio recta præcesserit, Hæc autem prius per semetipsum facit Christus, deinde vero Vicary eius. Et in Apostolis quidem à Christo facta sunt, quoniam ab ipso electi, & consecrati fuerunt. In aliis vero omnibus à nullis aliis fieri licet, nisi à Vicariis Christi: sunt autem Vicarij Christi in electione Clerici; Episcopi in consecratione. Cæteri omnes petere quidem possunt, eligere vero vel consecrare non possunt, quicumque igitur aliter modo quasi sub nomine Pontificis Ecclesiam vel potestatem Ecclesiasticam sibi vendicare præsumit, hic iam non per ostium intrat, sed aliunde ascendit, vt merito non inter Episcopos computetur, sed inter fures & latrones connumeretur.* Ita Goffridus, to. 13. Bibliothecæ Patrum. Et certe multa sunt attendenda, vt quis in Sacerdotem, aut Episcopum consecretur, genus, persona, ætas institutio, mores, doctrina, fides: & à iure multi excluduntur ab ordinatione, illegitimè nati, Neophyti intra biennium, corpore vitiati, insigniter deformes, epileptici, amentes, serui, infames, vsurarij, periuri, criminosi, solemniter pœnitentes, ebriosi, impudici, minores natu, rudes & ignari, peregrini, & ignoti, bigami, irregulares, aliis modis censuris ligati, ratiocinii obligati. Ita ex Enchiridio Episcop. nec mulieres possunt vlla ratione ad ordines promoueri. Ita S.Epiphanus l. 3. contra hæreses, to. 2. *Agens contra Collyridianos, Si*, inquit, *mulieribus præceptum esset sacrificare, aut regulare quicquam operari in Ecclesia, oportebat magis ipsam Mariam sacrificium perficere in nouo Testamento, quæ digna facta est suscipere in propriis sinibus Vniuersorum Regem, Deum cœlestem, filium Dei, cuius Vterus templum factum est, ac domicilium, ad Domini in carne dispensationem per Dei benignitatem, & admirandum mysterium præparatum est; at non complacuit, sed neque baptisma dare concreditum est, alioqui potuisset Christum ab ipsa baptizari, potius quam à Ioanne.* Ita Epipha.

Igitur vt verbum diuinum omnem suum effectum (quocumque modo administretur) valeat plene obtinere, in legentibus illud scriptum, in annunciantibus, & proponentibus ipsum, in vsurpantibus, & assumentibus ad quemdam sacrum effectum; & debita authoritas, in administrantibus; & optima dispositio, in suscipientibus tam authoritatem quam effectum ad quem obtinendum legitur, prædicatur vsurpatur, requiruntur.

De dispositione requisita in suscipientibus verbum diuinum. Punct. 7.

Quantum autem ad dispositionē requisitam in suscipientibus vt verbum diuinum fructum afferat, semini comparatur; quia sicut semen terræ mandatum quandam dispositionem requirit, vt terra ex semine iacto fructificet, ita in suscipientibus verbum diuinum dispositio exigitur conueniens, vt ex illo semine suscepto fructum afferre queant. Aranda est terra, vt semen in sinu suo suscipiat; humore sufficienti, abundare debet, vt semen foueat; spinis, & tribulis, & herbis terræ pinguedinem exhaurientibus, & semen iam exortum, & crescens præfocantibus expurgari debet. Pari ratione anima mortificatione aranda est: rore, & pluuia gratiæ Spiritus sancti irriganda: omnibus curis, ac solicitudinibus, & voluptatibus huius seculi expurganda, vitæ temporalis, diuitiarum, honorum, & dilitiarum contemptu, vt fructum adferre possit: hoc enim ratione erit terra

bona,

Galat. 1.

Act. 13.

S. Thomas.

S. Gregor. Magnus.

Hebræo. 5.

Goffridus Abbas.

S. Epipham.

bona, & optima : bona cum nulla alia intentione quis aut legit, aut audit verbum Dei, aut sacramentalia verba veneratur, quam vt vitam emendet, vitia in se extinguat, ad omne bonum opus patrandum, prout edocetur, sit paratissimus : & insuper Dei gratiam, & spem vitæ æternæ anteponat quibuslibet rebus mundi huius etiam excellentioribus. Optima autem cum Verbum Diuinum suscipitur, non modo vt meliores euadamus, sed etiam vt aliis possimus opitulari, & cum tanta animi constantia, vt potius mori eligamus, quam verbi diuini documenta negligamus aut deseramus. His similes effecti de quibus Apostolus ad Hebr. c. 10. *rememoramini pristinos dies in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum, & in altero quidem opprobriis, & tribulationibus spectaculum facti, in altero autem socij talium conuersantium effecti, nam & vinctis compassi estis & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem, & manentem substantiam : nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.* Terra igitur bona & optima sit mens bene disposita, talis nempè qualem describit S. Basilius in Hexaemeron hom. 1. *nempè liberrimam, & purpurgatam ab impura omnis carnis affectione, minimè caligantem temporariæ ipsius vitæ curis, sed expromptam, & alacrem ad tolerantiam laborum, singulis disquirendis attentam, quæ vndequaque circumspiciat, contempletur cuncta & exploret, sic vnde notio quæpiam conceptione : nihil Deo indignum affulgeat menti.* Ita Basil. Semen autem erit verbum Dei receptum, id est, mentis conceptus audito verbo Dei exterius; paruum quidem, quia cum humilitate, & mansuetudine cordis suscipitur, & inseritur : sed in quo sit calor viuificans, vt est vis illa prolifica in omni semine, id est, pius mentis affectus & charitatis zelus, quo fit vt licet minimum sit semen tamen in mille prodeat effectus præclaros, vt vere dicatur, *Et quomodo descendit imber & nix de cælo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terram & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti, sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo : non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud.*

Hebr. 10.

S. Basil. hom. 1 in Hexaem.

At quia quicquid recipitur, ad modum recipientis recipitur, hoc verbum suum obtinet in tempore effectum, quod videlicet successiuè animus corpori coniunctus, & pedetentim in cognitionem, & caritatis perfectionem perueniat : ideo patientia opus est iuxta illud Iacob. 5. *Patientes igitur estote fratres vsque ad aduentum Domini, ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum ac serotinum : patientes igitur estote & vos, & confirmate corda vestra, quoniam aduentus Domini appropinquauit.* Patientia quippe opus est, tum suscipienti, quia fructum suum dabit in tempore suo, *Quod autem*, inquit sanctus Lucas c. 8. *in bonam terram, hi sunt qui in corde bono, & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia*; Seminanti iuxta parabolam arboris fici plantatæ in vinea, pro qua cultor vineæ Dominum rogabat conquerentem, quod iam ab anno tertio nullum fecerat fructum dicens, *Domine dimitte illam, & hoc anno vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora, & si quidem fecerit fructum, sin autem in futurum succides eam.* Luc. 13. quia omne agens in suo effectu determinatur à conditione materiæ in qua operatur, seu subiecti circa quod occupatur : cum igitur homo non statim acquirat suam perfectionem, sed successiuè iuxta illud Psal. 83. *Ibunt de virtute in virtutem*, & istud Pauli, *Transformamur de claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu*, vnde & Marci 4. dicitur, *sic est regnum Dei quemadmodum si homo iaciat sementem in terram, & dormiat & exurgat nocte & die, & semen germinet & increscat dum nescit ille. Vltro enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.* Ideo seminanti verbum opus est patientia, vt se accommodet naturæ suscipientis illud ; huius patientiæ participem se esse profitetur S. Ioannes. *Ego Ioannes frater vester, & particeps in tribulatione, & regno, & patientia, in Christo Iesu : fui in insula, quæ appellatur Patmos propter Verbum Dei, & testimonium Iesu.* Quantus autem, & quinam sit fructus Verbi Diuini cum patientia expectandus videri potest, ex eo quod sequitur,

Iacob. 5.

Luc. 8.

Luc. 13.

Marc. 4.

Facies eius sicut Sol lucet in virtute sua.

Quam eximius sit futurus dignitatis gradus in Ecclesia, ex communicatione cum Christi Passione, Pastorum regimine, & Verbi Diuini administratione.

ANNOTAT. IV.

Quod ex apparitione Moysis & Eliæ, in transfiguratione hæc dignitas Ecclesiæ optime fuit adumbrata. §. 1.

Iam viderat S. Ioannes faciem Christi in propria persona resplendentem ad instar solis, cum transfiguratus est ante Petrum Iacobum & Ioannem ipsum in monte Thabor, *Et resplenduit*, inquit S. Matthæus, *facies eius sicut sol*, quia enim induxerat eos ad passionis suæ sequelam, vt directè per viam hanc difficillimam asperam, & laboriosissimam vsque ad finem, eum sequerentur, illius viæ terminum voluit Christus discipulis suis ostendere, ostendendo ipsis gloriam animæ & corporis, dum ostendit claritatem corporis sui à gloria animæ emanantem : quam corporis gloriam licet iam sibi debitam ob dignitatem vnionis hypostaticæ, & visionem beatificam, per passionem suam voluit sibi comparare, vt tot titulis præclarissimis illam meritò haberet, aliis suis fratribus communicandam in tempore cõgruo, dum videlicet configurabit corpus humilitatis nostræ, cori claritatis suæ in resurrectione : vt hæc videntes Apostoli, & hæc credentes hi quibus nunciata sunt hæc ab Apostolis fortiùs aduersa tolerarent, & directiùs videntes scopũ, faciliùs suas intentiones ad cœlum dirigerent ; *Pia*, inquit Beda, *promissione factum est, vt contemplatione semper manentis gaudij ad breue tempus delibata fortiùs aduersa tolerarent.* Fuit autem claritas illa in transfiguratione signum gloriæ, non modo corporis, sed etiam animæ, quia vt diximus deriuata est à diuinitate ipsius, & à gloria animæ eius, non tamen per modum qualitatis permanentis, seu immanentis, & afficientis ipsum corpus, sed magis per modum passionis transeuntis, sicut aër illuminatur à sole.

Beda.

Adhibere autem voluit testes gloriæ suæ, tam de numero eorum, qui eum præcesserunt, nempe Moysen & Heliam ; quam de iis qui eum sequebantur scilicet Petrum, Iacobum, & Ioannem, vt in ore duorum & trium testium staret hoc verbum, & quod ad gloriam æternæ beatitudinis adducuntur homines per Christum, non solum qui post eum fuerunt, sed etiam qui eum præcesserunt.

At cur inter tot sanctos Patriarchas, & Prophetas, qui Christum præcesserunt, selecti fuerunt Moyses & Helias, multas rationes adducit S. Thom. 3. q. 45. ar. 4. ad. 3. Prima est hæc : quia enim turbæ dicebant eum esse Heliam, vel Hieremiam, aut vnum ex Prophetis, capita Prophetarum secum ducit, vt saltem hinc appareat differentia seruorum, & Domini : 2. ratio est, quia Moyses legem dedit, Helias pro gloria Domini æmulator fuit, vnde per hoc quod simul cum Christo apparent excluditur calumnia Iudæorum accusantium Christum tanquam

S. Thom. 3. q. 45. ar. 3. ad 3.

Digitized by Google

transgressorem legis, & blasphemum, Dei gloriam sibi vsurpantem; 3. ratio est, vt ostendat se habere potestatem vitæ & mortis, & esse iudicem mortuorum, & viuorum, per hoc quod Moysen iam mortuum, & Heliam adhuc viuētem secum ducit. Quarta ratio est, quia sicut Lucas dicit *loquebantur cum eo de excessu, quem completurus erat in Ierusalem*, id est, de passione & morte sua & ideo vt super hoc discipulorum animos confirmaret, inducit eos in medium qui se morti expoſuerunt pro Deo, nam Moyses cum periculo mortis obtulit se Pharaoni, Helias verò Regi Achab. Quinta ratio est, quia volebat vt discipuli tui æmularentur Moysis mansuetudinem, & Heliæ zelum. Sextam rationem addit Hilarius, vt ostenderet se, per legem quam dedit Moyses, & per Prophetas inter quos fuit Helias, esse prædicatum. Ita S. Thom. Septimam rationem adducere mihi liceat quod cum Christus discipulis suis repromiserit, non modo æternam retributionem, sed & temporalem, Luc. 18. *Amen dico vobis nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios, propter regnum Dei, & non recipiat multo plura in hoc tempore, & in seculo venturo, vitam æternam*; seu vt ait S. Matt. *centuplum accipiet & vitam æternam possidebit*: Cumque ipsemet Christus exaltari voluerit per passionem, non modo per sessionem ad dexteram patris, sed etiam per temporarium honorem, qui illi exhibetur, & exhibebitur in Ecclesia militante, operæ prætium fuit, vt duplicis huius remunerationis signum aliquod præstaret, & transfiguraret in se corpus suum mysticum, dum eos qui eum in Ecclesia representant, & vices eius gerere debent docet æterna gloria & temporalis honoris fulgore fore decorandos. Hanc enim gloriam temporalem clarè prædici voluit, Is. 60. Ibi enim, & diuitiæ gentium, & obedientia populorum, & Regum erga eam cultus & abundantia pacis, & iustitiæ decor, & pietatis splendor, & lumen sole splendidius Ecclesiæ promittuntur, Non erit, inquit, *tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor Lunæ illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam*; quod cum ita sit nulli Patriarcharum, aut Prophetarum magis idonei erant, ad hunc duplicem remunerationem designādam Moysē & Helia, ideo assumendi fuerunt, vt in eorum contemplatione visis ipsis cum Christo in maiestate possent discipuli conjicere, quid in æternum sperare debebant ex laboribus suis, & quid dignitatis, & honoris Ecclesiæ obuenturum esset, si suo munere ritè ipsi, eorumque successores fungerentur: in Helia siquidem temporalem maiestatem Ecclesiæ contemplari licet, in Moyse vero, æternæ gloriæ imago optimè depingitur: Vtrumque patebit ex sequentibus.

Luc. 18.

Is. 60.

Quod dignitatis temporalis Ecclesia fulgor, vt sol refulgens optimè in Helia adumbratur. §. 2.

Quantum ad temporalem Ecclesiæ dignitatem in Helia designatam, vt eam videamus adducenda sunt, quæ de eo dicuntur; Ecclesiastici 48. *Et surrexit Elias Propheta, quasi ignis, & verbum ipsius, quasi facula ardebat, qui induxit in illos famen, & irritantes illum inuidia sua pauci facti sunt. non enim poterant sustinere præcepta Domini. Verbo Domini continuit cælum, & dedecies de cælo ignem ter, sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis; Et quis potest similiter sic gloriari tibi? Qui sustulisti mortuum ab inferis de sorte mortis in Verbo Domini Dei. Qui deiecisti reges ad perniciem, & confregisti facilè potentiam ipsorum, & gloriosos de lecte suo. Qui audisti in Sina iudicium, & in Horeb iudicia ultionis. Qui vnxisti Reges ad pœnitentiam & Prophetas facis successores post te, qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum ignorum, qui scriptus es in iudiciis temporum lenire ira-*

Ecclesiastici 48.

cundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob. Beati sunt qui te viderunt, & in amicitia tua decorati sunt: nam nos vita viuimus tantum, post mortem autem non erit tale nomen nostrum. Has laudes sapiens Eliæ tribuit, in quibus Ecclesiæ militantis insignia, & prælarae dotes optimè adumbrantur.

Elias viuet vsque ad seculi consummationem, Ecclesiæ igitur vsque ad consummationem Mundi duraturæ figura esse poterit. Nec immeritò de Elia dicitur *surrexit Elias quasi ignis*, dicitur namque de Ecclesia in Apostolis, & in suis prælatis Apostolorum successoribus Matt. 5. *Vos estis lux mundi, non potest ciuitas abscondi supra montem posita, neque accendant lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt*, nec enim electi sunt, vt diuina luce nempe doctrina Euangelica donati lateant, aut ad imminentes persecutiones metu correpti deserant aliquando prædicandi officium; sed vt conspicui omnibus constanter orbi luceant vniuerso errorum tenebris depulsis, verbumque ipsorum ad modum Eliæ sit quasi facula, non modo lucens, sed & ardens, hostes veritatis in cineres redigendo. Sicut igitur Elias, vita, exemplo, verbo, & operibus potenter veritatem vnius diuinæ Maiestatis, quæ in Ecclesia Catholica, in spiritu, & veritate adoratur, Iudæis annunciabat: ita Ecclesiæ Prælati doctrina & opere Deum trinum, & vnum annunciant, ab eo videlicet tempore, quo super Apostolos descendit Spiritus sanctus; vt dicitur, Act. 2. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum, & repleti sunt omnes spiritu sancto, & cæperunt loqui variis linguis prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis*, itaut meritò ab Isaia dictum sit, *Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas.*

Matt. 5.

Act. 2.

1. *Ecclesia militantis cum Helia conuenientia.*

De Elia dicitur *qui induxit in illos famem, & irritantes illum*, &c. Hoc in Ecclesia adimpletur, dum enim hæretici Ecclesiæ maiestatem, ad quam pertinet veritatis doctrinam populis proponere (est enim ipsa firmamētum, & columna veritatis) imitari contendunt, eam ad iracundiam prouocat, vnde abscisi ab Ecclesia, iam de siliquis porcorum satiari cupiunt; nec illis datur extra Ecclesiam ad veritatis cognitionem deuenire: si quis enim ab Ecclesiæ doctrina separatus; si quis eius determinationes, decisiones, & dogmata contemnit ei in errore versari necessarium est, & anima apetitu sciendi & cognoscendi verum auida satiari nunquam poterit, nisi ad hanc mulierem accesserit de qua dicitur Prouerb. 31. *Facta est quasi nauis institoris de longe portans panem suum.* Panem enim hunc veritatis è cœlo haurit, & è sinu Patris æterni in sinum suum suscipit per Spiritum sanctum, qui datus est ei, vt nos omnem edoceat veritatem: quò fit vt hæretici, qui ab eius vberibus auulsi sunt, nec veræ fidei, nec sanæ doctrinæ vnquam compotes fieri valeant, sed famelici remaneant, & tandem pauci fiant; quia non possunt sustinere præcepta Domini: non enim captiuare volunt intellectum in obsequium fidei, aut mandatis Ecclesiæ obtemperare desiderant: & sicut Elias verbo Domini continuit cœlum, vt non pluerat super terram, ita Ecclesiæ maledictio omnia externa dona sacrificiorum, sacramentorum, orationum aufert ab hæreticis, vt nequeant his donis irrigari, quibus fructus boni operis possent producere, & ligati remanent vinculis peccatorum, dum à peccatis suis ab Ecclesia non soluuntur iuxta illud *Quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis*, &c.

2. *Conuenientia.*

Prouerb. 31.

Elias deiecit de cælo ignem ter, sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis. Si per ignem vis, & efficacia Spiritus sancti, ineffabili ratione in Ecclesia operantis rectè designari potest, rectè dicere possumus ter,

Tertia Eliæ cum Ecclesia conuenientia.

Digitized by Google

ſeu tribus modis Eccleſiam hunc ignem è cœlo euocare, ad inſtar Heliæ, qui ignem è cœlo ter deſcendere fecit; bis, vt deuoraret duos quinquagenarios cum ſuis turmis, qui ei nomine Ochoziæ regis imperare auſi fuerant, vt deſcenderet ad regem. 4. Reg. c.1. ſemel autem ad deuorandum holocauſtum, & ligna, & lapides, puluerem, & aquam quæ erat in aquæ ductu lambens, *Vt ſciret populus quia Dominus ipſe erat Deus & non Baal.* 3. Reg. c. 18. ita Eccleſia operationem Spiritus ſancti punientem adducit, vel in conſumptionem & internecionem hoſtium veritatis, & contumacium: per excommunicationem in hæreticos, ſchiſmaticos, & contumaces; vel eandem operationem ſaluantem per deuorationem peccatorum, dum conſumit ea per abſolutionem ſacramentalem. At dum in conſecratione panis, & vini, ſacerdotes immutant totam ſubſtantiam panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, nonne clarum eſt Spiritum ſanctum tanquam ignem efficaciſſimum operari, qui tam ſubitò hanc admirabilem tranſmutationem perficit?

4. Reg. c.1.

3. Reg. c. 18.

4. Conuenientia. De Elia dicitur, *qui ſuſtuliſti mortuum ab inferis de ſorte mortis in Verbo Domini*: Quod fecit ſemel Elias, hoc quotidiè facit Eccleſia dum mortuos ſpiritualiter reuocat ad vitam per abſolutionem à peccatis; ſed quam formidanda ſit, & terribilis, vt caſtrorum acies bene ordinata Eccleſiæ Maieſtas, à Regibus ipſis ſuſpicienda, patet ex eo quòd fecit Elias famem ſuper terram inducendo, Prophetas Baal occidendo, Hazael & Iehu vngendo in reges, & Heliſeum in Prophetã poſt ſe, ad internecionem Regum, & populorum Deo rebellantium, *Et erit*, inquit ſcriptura 3. Regum c. 19. *quicumque fugerit gladium Hazael, occidet eum Iehu, & quicumque fugerit gladium Iehu; interficies eum Elizeus.*

5. Conuenientia.

3. Reg. c. 19

Qui deiecisti reges ad perniciem, & confregiſti facilè potentiam ipſorum. Reges ipſos ſibi eſſe ſubiectos oſtendit: Certè quanta ſit in imperatores, & Reges hæreticos, & ſchiſmaticos Eccleſiæ poteſtas, ex hiſtoriis facilè erit conjicere, & ſicut Ochozias ad vocem Eliæ de lectulo ſuo, in quo iacebat, ſurgere non potuit; ita nec ipſimet reges poſſunt à languore peccatorum vnquam ſanari, cum ab Eccleſia anathematizantur, & ab eius vnitate ſeparantur: hæc ſunt iudicia, quæ audit Eccleſia ad inſtar Eliæ in Sinu, & in Horeb, dum ei data eſt ignea lex in manu, quam populis prædicare, & ad eius obſeruationem eos inducere debet, quin & contradicentes apertè omnibus modis coercere. Addit ſapiens in laudem Eliæ, *qui vngis reges ad pœnitentiam, & Prophetas facis ſucceſſores poſt te*, nec deeſt illa dignitas, & autoritas in Eccleſia vngendi Reges & Prophetas, dum Chriſtianos reges vngit, & Epiſcopos, & ſacerdotes conſecrat, ſibi inuicem ſuccedentes. Ex libro namque, qui dicitur Ordo Romanus de officiis diuinis to. 10. Bibliothecæ Patrum cernitur, quomodo Reges ſunt vngendi de oleo ſanctificato in capite, pectore, & ſcapulis, ambabuſque compaginibus brachiorum cum hac formula verborum *Vngo te in regem de oleo ſanctificato in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*: Et ad vnctionem manuum, *Vngantur manus iſtæ de oleo ſanctificato, Vnde Vncti fuerunt Reges, & Prophetæ, & ſicut Vnxit Samuel Dauid in Regẽ: Vt ſis benedictus & conſtitutus Rex in regno iſto ſuper populum iſtum, quem Dominus Deus tuus dedit tibi ad regendum, & gubernandum quod ipſe præſtare, &c.* Vnctio autem Epiſcoporum, & ſacerdotum notior eſt, quam vt de ea aliquid dicere debeamus, vt videre eſt in eodem libro, qui inſcribitur Ordo Romanus, & in Pontificali.

6. Conuenientia.

Ordo Romanus.

Huic tantæ dignitati addenda eſt alia plenitudo luminis, in dono Prophetiæ, interpretatione ſcripturarum, cõtemplatione myſteriorum diuinorum, reuelationibus abſconditorum, & raptu mentium, & affectuum in Deum, quæ dona in Eccleſia reperiuntur pluribus collata, qui puritate mentis, doctrina, contemplatione, & piis affectibus erga Deum reſque diuinas dici poſſunt in cœlis conuerſari, & ad cœlum euehi, quod quidem etiam repreſentatur in Elia de quo dicitur, *qui receptus eſt in turbine ignis, in curru equorum igneorum.* Sed & de Elia additur, *qui ſcriptus es in iudicijs temporum, lenire iracundiam Domini, & conciliare corda patrum in filios*: hoc verè in Eccleſia adimplebitur, quæ quotidie vſque ad conſummationem ſeculi placere Deum ſtudet per ſacrificia, cum Elia adueniente poſtquam gloriosè mortem pro Chriſto obierit, interfecto poſtea antichriſto Eccleſia gentium Iudaicum populum in ſuo ſinu recipiet, vt fiat ex duobus populis vnum ouile, ſitque vnus Paſtor: Et populus Iudaicus qui genuit fidelem populum, quia de Sion exiuit lex, & verbum Domini de Ieruſalem, quo in Chriſto generati ſumus ad fidem; per Euangelium ab Apoſtolis promulgatum, ad hunc filium ſuum conuerſus fuerit illi adhærendo: tunc enim reſtituentur tribus Iacob, quia vt Apoſtolus Paulus docet *tunc omnis Iſrael ſaluus fiet*, vt alibi fuſius dicendum erit. Certe ſi de Elia tandem dicitur. *Beati qui te viderunt, & in amicitia tua decorati ſunt*; etiam beati reges, beati populi qui Eccleſiæ maieſtatem ſuſpiciant, eiuſque amicitia decorantur, *gens enim & regnum, quod non ſeruierit Eccleſiæ peribit: populus autem eius omnes iuſti in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis Domini opus manus altiſſimi ad glorificandum*, vt loquitur Iſaias. c. 6. Ad Moyſen æternam vitam deſignantem veniamus.

Iſa. 6.

Quod ſtatus fulgoris Eccleſiæ in vita æterna optimè adumbratur in Moyſe. §. 3.

Refert S. Epiphanius de prophetarum vita, & interitu, quod Elia recenter nato talem pater ipſius habuit viſionem: cernebat quoſdam veſtimentis candidiſſimis ad inſtar niuis indutos puerulum benignè ſalutantes, vberaque matris liquido igne aſpergentes, quo aleretur. Optimum certè ſymbolum ardentiſſimi zeli huius prophetæ, qui foueri & nutriri debebat igne amoris diuini: tali igne omnes fideles inardeſcere debent, quibus neceſſe eſt per multas tribulationes intrare in regnum Dei, vt illas decoquere valeant, tranſire enim debent per ignem, & aquam antequam inducantur in refrigerium, iuxta illud, *tranſiuimus per ignem, & aquam, & induxiſti nos in refrigerium.* Nec enim aquæ afflictionum extinguere debent charitatem, vt quis non modo temporalem, ſed etiam æternam accipiat remunerationem, quæ in Moyſe deſignatur, qui aquis expoſitus ab eis fuit ſublatus, vt ſic ſeruatus aliquando fieret dux populi, & facie ad faciem cum Deo colloqueretur: ſic nos ab aquis Baptiſmi, & pœnitentiæ & afflictionum, à peccatis, à pœnis æternis, & temporalibus præſeruati, futurum eſt ſi vigeat in nobis ignis charitatis, vt videamus Deum deorum in Sion, & poſt hanc temporalem in centuplum remunerationem cum pro temporalibus bonis ſpretis ſpiritalia accipimus, æternam habeamus; quæ eſſentialiter conſiſtit in viſione, & amore Dei, cuius quidem æternæ retributionis Moyſes poteſt eſſe imago quædam præclara: ad complementum ſiquidem æternæ Beatitudinis quatuor requiruntur.

S. Epiphanius.

Quatuor ad beatitudinem requiruntur.

Primum eſt viſio beatifica, id eſt viſio diuinæ eſſentiæ, cum videbimus Deum ſicuti eſt. Hac enim viſione, mens noſtra attingit vſque ad eſſentiam primæ cauſæ & bonum hoc ineffabile ſibi obiectum voluntate complectitur, & in eo tanquam in vlti-

Primum viſio beatifica.

dico per claritatem, corporum gloriam optimè deſignari. At hoc poſito plurima videmus in Moyſe facta, quæ in nos ingerunt huius gloriæ ſpem maximam. Tantus enim fuit ſplendor vultus eius ex conſortio ſermonis Dei Exod. 34. *itaut non poſſent filij Iſrael intendere in faciem Moyſi propter gratiam vultus eius*; his adde, quod dicitur Deut. 34. Deum ſepeliſſe corpus Moyſi in valle Moab, ex quo conjicio corpora noſtra coram Deo in prætio eſſe, vtpote ab eo ſuſcitanda ad potentiæ ſuæ oſtenſionem & liberalitatis manifeſtationem.

2. ad Corinth. Deut. 34.

Denique vt plena, & perfecta ſit beatitudo, quæ conſiſtit in cognitione Dei, Deus cognoſcit debet, tum in ſeipſo, tum in ſuis effectibus; qua de cauſa requiritur vt quis præclariores Dei operantis adextra cognoſcat effectus; quis autem neſcit ſacroſanctam Chriſti humanitatem, præclariorem eſſe effectum diuinæ bonitatis; illius igitur cognitio, & viſio neceſſaria ad complementum, & perfectionem beatitudinis, cuius rei ſpem Moyſes ingerit, dum Chriſtum videt in transfiguratione claritate refulgentem, ſecundum quod illi promiſſum fuerat, ſi Tertulliano fidem adhibemus, dicenti, lib. 4. aduerſus Marcionem, *Etſi commemoremur promiſſionis Moyſi hic inuenietur expunctа, cum enim deſideraſſet conſpectum Domini Moyſes dicens, ſi ergo inueni gratiam coram te, manifeſta te mihi, vt cognoſcenter videam te, cum conſpectum deſiderans, in quo hominem eſſet allaturus, quod propheta ſcribat*, ita Tertull.

4. Conditio effectuum de Deo in Deo cognitio.

Tertullian.

Ex his igitur patet, cur Moyſes apparuit in Transfiguratione Domini, nempè vt ex illius conſideratione Apoſtoli mentem attollerent ad ſpem optimam, de obtinenda gloria æterna, quæ integraliter in his quatuor conſiſtit, vt ſic fortiùs quæcumque aduerſa tolerarent.

O beatus terque beatus cuius in hac vita non caligat oculus, ad inſtar Moyſis, quia videlicet nubeculæ phantaſmatum mentis eius acumen non obtuderunt, quia imaginationibus non adhæſit, quia per ſenſationes rerum materialium ad ima depreſſus non fuit, ſicut oculus Moyſis corporeus ab intenſiori lumine corporeo non fuit obtuſus: beatus cuius ratiocinationes, non fuerunt vacillantes, aut fluctuantes, quia ſummo bono firmiter adhærere apud ſe ſtatuit, nec aliud quàm Deum appetere decreuit, dicendo cum Propheta, *Mihi autè adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam*, vel etiam dicendo *quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*, hic firmas habet, & inconcuſſas animi ſacras determinationes, immotas ad inſtar dentium Moyſis, de quibus dictum eſt, nec dentes eius motæ ſunt, & optimè, quia beatitudinem, ſeu bonum quod exoptat, & ad quod aſpirat tandem conſequetur. Audiamus igitur Clementem Alexandrinum nos ad tanti boni adeptionem exhortantem oratione ex hortatoria ad gentes, ita Deum nos alloquentem inducens, *Do tibi, ô fili, terram, & mare, & cælum, & quæ in eis ſunt tibi omnia largior animantia, ſolummodo, ô fili, Patrem ſitas, Deus tibi gratis oſtenditur: homo es, quare, quod eſt maximè commune, cum qui te eſt fabricatus; filius es, id quod eſt maxime proprium, agnoſce Patrem, &c.* Et paulo poſt, *eſt enim alioqui hominis à natura ingeneratum, vt ei quædam intercedat cum Deo conſuetio, quemadmodum ergo equum non cogimus arare, neque taurum venari, ad id autem quod natura aptum eſt vnumquodque trahimus, ſic certè hominem qui natus eſt ad cæli contemplationem, & vere eſt planta cæleſtis adhortamur ad Dei cognitionem, id quod eſt eius proprium, eximium, & peculiare comprehendentes, vt ſufficiens ſeculorum viaticum pietatem, & Dei cultum comparet conſulentes: terram cole dicimus ſi es agricola, ſed cognoſce Deum terram colens, & nauiga qui teneris amore nauigationis, ſed cæleſtem aſſumens gubernatorem. Te militantem deprehendis cognitionē audi imperatorem qui tibi iſta ſignificat.* Ita Clem. O præclara ſors noſtra, ſi funes noſtri ceciderint in tantis, & tam amabilibus bonis. *Eſt*, inquit Clem. Alexand. eadem adhortat. *pulchra, & amabilis hæreditas non aurum, non argentum, non veſtis, in qua ſunt tineæ, nec res terrenæ quæ ſubit latro in diuitiis terreſtribus cæcutiens, ſed theſaurus iſte ſalutis, ad quem oportet eos contendere, qui verbi fuerint amatores: hinc autem nobiſcum abeunt bona opera, & veritatis pennis ſimul euolant, hanc nobis hæreditatem æternam, Dei tradidis teſtamentum, donum æternum ſuppeditans, hic autem amore noſtri prædium noſter pater, verè pater, non ceſſat adhortari, admonere, docere, diligere, neque enim ceſſat dare ſalutem, contulit autem ea quæ ſunt optima*, ita Clem. Alexand. Infelices proculdubio, & digni certè æterno ſupplicio, ſi tantum bonum nobis gratis oblatum neglexerimus, *Cur*, inquit ibid. Clem. Alexand. *non ſupplicium effugimus, cur non donum ſuſcipimus, cur non eligemus ea quæ ſunt præſtantiora, Deum malo & idolatriæ præferentes, ſapientiam, & vitam morte commutantes?* Ita Clem. Certè legitimè eſt certandum, ſiquidem non proponitur, nobis paruum certaminis præmium immortalitas, & Dei viſio & fruitio.

Clemens Alexand. Clemens Alexand.

Qua ratione illam Beatitudinem conſequi poterimus, & huius ſolaris ſplendoris facēis Chriſti fieri participes. §. 4.

Ad fortaſſe ad tantum bonum adſpiras: Vis illud conſequi? Oportet vt montem ſubeas cum Chriſto transfigurandus, vt ſub nube ſic diuinæ protectionis, & iuxta patris æterni mandatum, Chriſtum ſemper audias, & nunquam ab eius obedientia recedas, particeps factus cum S. Ioanne tribulationis, regni, & patientiæ ipſius.

Subeundus igitur mons per deſiderium Chriſtianæ perfectionis, & immutanda eſt facies tua; at qualis quæſo, eſt illa dum in actibus peccaminoſis perſeueras? Audi Ieremiam Threno. 4. *denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis.* Threnorum 4.

Hæc facies nigra in candidam immutanda eſt. Id eſt praua opera abdicanda per modeſtiam externam in geſtu, in verbo, & actionibus, *omni tempore*, inquit Salomon, *ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.* Eccleſ. 9. id eſt opera tua mundiſſima ſint. At candida ſicut nix: Habet ſiquidem mortificatio membrorum, & ſenſuum, & abſtinentia à carnalibus deſideriis, quæ militant aduerſus animam, quandam frigiditatem; nihilominus ſicut frigiditas niuis calorem terræ repercutiens eum intenſiorem reddit, vt magis terra fructificet, ita frigiditas mortificationis, animæ calorem ſeu boni, & æquiſamorem fortiorem reddit, vt in opera bona exterius deineeps prorumpat. Has virtutes nempè Temperantiæ, Continentiæ, Caſtitatis, & Modeſtiæ Deus præparat, vt per eas mens in die pugnæ & belli carnis aduerſus ſpiritum muniatur, ne ſuccumbat voluptatibus & delitiis; per mortificationes namque, & afflictiones Deus ſpiritum à peccatis reuocat, itaut iſtæ virtutes mortificationi ſeruientes, & à Deo immiſſæ afflictiones, dici poſſint theſauri Dei, quos præparat in die belli iuxta illud Iob. 38. *nunquid ingreſſus es theſauros niuis, aut theſauros grandinis adſpexiſti, quæ præparaui in tempus hoſtis in diem pugnæ & belli?* Sit igitur illa prima trāsfiguratio noſtra, nempe abiectio operum malorum in morum optimorum candorem, & munditiem: & qui brutis, & animalibus ſimiles eramus, verbo diuino aſſimilemur: qui per iram & furorem Leones, per inuidiam canes, per gulam ſues, per luxuriam vrſi, per ſegnitiem Aſini, per ſuperbiam Pantheres & Pauones,

Eccleſ. 9. Iob.

Digitized by Google

per Auaritiam Gryphi fuimus, per manſuetudinem, charitatem, ſobrietatem, caſtitatem, ſtrenuitatem, humilitatem, liberalitatem in Chriſtum transformemur, inclinationi, ſenſuum voluptatibus non obtemperantes, nec precipites agamur in quæcumque obuia, ſed in lumine veritatis ambulantes, cum matura deliberatione & recta intentione omnia peragamus, Paulum monentem audiētes, *Vos autem non ita didiciſtis Chriſtum, ſi tamen illum audiſtis & in illo edocti eſtis, ſicut eſt Veritas in Ieſu: deponentes Vos ſecundum priſtinam conuerſationem Veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris, renouamini autem ſpiritu mentis Veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate Veritatis.* Sunt equidem, qui omnia agunt cum ratione, & matura deliberatione, nec precipites feruntur in actus; tamen hi Verbo diuino propriè ſimiles non dicuntur; quia eorum ratio tantum occupatur in meditatione eorum, quæ paſſionibus, & appetitibus eorum inordinatis inſeruire poſſet, vt ineptam lætitiam, immoderatam triſtitiam, vanam ſpem, phanaticum timorem nutriant: & foueant: hi Verbo ſimiles non ſunt, ſed muſcis aſſimilantur per lætitiam ineptam, Buſonibus per triſtitiam, ſtellionibus per vanam ſpem, talpis per timorem, nec enim in Deo lætantur, de eius offenſa non contriſtantur, non in eum totam ſuam ſpem collocant, non eius iudicia timent, non ſunt Aquilæ, vt ſolem iuſtitiæ fixis oculis intueantur, non ſunt turtures, vt poſt ſponſum ingemiſcant, non ſunt columbæ, vt ad eum pernici volatu adſpirent; non ſunt Paſſeres vt à facie Milui ſub alas Chriſti velut ſub tecto munitiſſimo confugiant, ſed horribiles beſtiæ à Verbo diuino alienæ: has pernicioſas animalium figuras (ô Bone vir) tranſmuta, & in Chriſti imaginem transfigurari ſatage, vt hominem perfectum redoleas. Time itaque, Deum, & mandata eius obſerua, hoc enim eſt omnis homo, id eſt, perfectus homo, verus Chriſti ſectator, & imitator per tolerantiam laborum, certa pro iuſtitia, nullus enim perfectè ſequi Chriſtum poterit, niſi qui paratus fuerit quamlibet perſecutionem pro iuſtitia ſubire, & ſtudio, & labore continuo ad omnem virtutem comparandam ſeſe accingere. Cur enim Moyſes & Elias cum Chriſto loquuntur de exceſſu quem completurus erat in Ieruſalem, dum in forma apparet glorioſa niſi vt diſcamus nulli aliam viam ad gloriam eſſe apertam, quam per laborum & perſecutionum tolerantiam? *Quare ergo*, inquit S. Auguſt. ſer. 6. de verbi Domini, *vis peruenire delicatus ad eam rem ad quam non perducit niſi labor? attende Chriſtum pati, ſed & glorificari.* Ita Aug. Quid enim ſunt labores ſanctis, & iuſtis niſi futuræ remunerationis certiſſima pignora, virtuti namque præmia debentur, at non comparatur virtus abſque labore, vnde intempeſtiua fuit illa vox Petri in monte Thabor dicens, bonum eſt nos hic eſſe. Quaſi mercedem metere vellet ante ſeminationis laborem. *Meritò*, inquit Clemens Alexand. l. 4. ſtrom. *ſcribit Simonides, Fortior virtus dicitur habitare in rupibus aditu difficilibus, nunc autem eam celerem caſtum locum tenere, & quæ nec aſpici poſſit omnium mortalium oculis, ſed ab eo demum ad quem ſudor venerit, qui medetur iracundiæ, & proceſſerit ad ſummam animi magnitudinem: Et Pindarus: Iuuenum autem curâ quæ verſantur cum laboribus gloriam inueniunt, tempore autem reſplendent facta in æthere illuſtrata, hanc cum apprehendiſſet Æſchylus dicit laborem qui perpetitur, debetur huic labori, gloria.* Ita Clemens Al. At reuera laborare piget in tempore præſenti, & cariori prætio vendi gloriam exiſtimamur; ſed cum metemus mercedem laboris non deficientes, tunc fatebimur miſericorditer actum fuiſſe cum nobis à Deo qui tam mediocri pretio tantum premium nobis vendiderit. Iuxta illud Prouerb. 20. *Malum eſt, malum eſt dicit omnis emptor, & cum receſſerit tunc gloriabitur,* quem locum explanans, Gloſſa ait, *qui æterna præmia deſiderat, malum eſt, malum eſt dicit, quia in præſenti debes ſuſtinere, vt cum receſſeris de mundo glorietur, perſpiciens quia non ſunt condigna paſſiones ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Ita Gloſ. hac ratione fiet illa transfiguratio pleniſſima cum abſorbebitur quod mortale eſt à vita, & in futuram tranſierimus claritatem iuxta illud 2. ad Cor. 3. *Nos Vero omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu.*

Prouerb. 20. Gloſſa. 2. ad Cor. 3.

Sed quia nec Apoſtoli nec nos cum ipſis hoc ſolis viribus aſſequi poſſemus, ideo in ſignum tum diuini auxilij tum diuinæ protectionis nubes lucida obumbrauit eos, auxilij inquam, ad operandum; protectionis, ne tentationibus ſuperemur; ſed ſi tentari oporteat, faciet Dominus qui non ſinit nos tentari ſupra modum cum tentatione prouentum. *Nubes autem lucida*, inquit S. Thomas 3. q. 45. art. 2. ad 3. *ſignificat Spiritus ſancti gloriam, vel Virtutem paternam vt Origenes dicit Homil. 3. in Matthæum, per quam ſancti in futura gloria protegentur. Quamuis etiam conuenienter ſignificari poſſit claritatem mundi innouati, quæ erit ſanctorum tabernaculum.* Ita S. Thomas. Cur non, & gratiam Spiritus ſancti cooperantem, & diuinam etiam in præſenti ſeculo protectionem, ſicut protecti ſunt Moyſes & Aaron nube, cum in tabernaculum confugerent murmurantibus contra eos Iſraëlitis, & dicentibus, Num. 16. *Vos interfeciſtis populum Domini: cumque oriretur ſeditio & tumultus increſceret, Moyſes & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis, quod poſtquam ingreſſi ſunt operuit nubes, & apparuit gloria Domini.*

S. Thomas. Numer. 16.

Sub hac protectione confugientes, Chriſtum audiamus nobis gloriam promittentem cum pauperibus ſpiritu regnum cœlorum, cum mitibus terram, flentibus conſolationem, eſurientibus & ſitientibus iuſtitiam, ſatietatem, miſericordibus, miſericordiam, mundis corde Dei viſionem, pacificis adoptionem filiorum, & pro iuſtitia certantibus cæli gloriam repromittit. Quod ſi Maieſtate loquentis exterriti cadimus & timor nos corripuerit, Chriſtum audiamus fiduciam nobis præbentem dum ait, *ſurgite, nolite timere*, & ſi cum Ioanne videntes faciem ſicut ſolem lucentem in virtute ſua, cadimus ad pedes eius tanquam mortui, ſentiamus dexteram illius nos tangentem, ipſumque dicentem, *Nolite timere ego ſum primus & nouiſſimus, & Viuus, & fui mortuus, & ecce ſum Viuens in ſecula ſeculorum, & habeo claues mortis & inferni.*

S. Auguſt.

Clemens Alexand.

Finis Annotationum Capitis I.

PROLOGVS
IN 2. ET 3. CAPVT APOCALYPSIS,
Exponens ſcopum ſeptem Epiſtolarum, quæ in his duobus capitibus continentur.

POSTQVAM S. Ioannes indicauit ſcopum reuelationis ſuæ, eſſe manifeſtationem gloriæ Ieſu Chriſti, & in prima viſione inſinuauit, qua ratione ſemetipſum eſſet manifeſtaturus: exigebat optima ratio differendi de hac manifeſtatione, vt doceret quænam eſſet Chriſtus operaturus; vt coram oculis noſtris plenus gloria, & honore appareret: hæc docet in ſeptem Epiſtolis ſubſequentibus, quæ in 2. & 3. capite continentur, in quibus S. Ioannes dicere videtur. Cum mihi reuelatum fuiſſet oportere Chriſti gloram manifeſtari per ea omnia, quæ operaturus eſt in medio Eccleſiæ ſuæ, iniunctum mihi fuit, vt quaſdam Epiſtolas ſcriberem, in quibus exprimeretur, quænam erant de ipſo cognoſcenda, & credenda ipſum operaturum: vt honorem à Patre æterno illi promiſſum, in præmium humiliationis ſuæ, ab hominibus acciperet.

Nunc quæſo, quænam credenda, & prædicanda ſunt de eo, quibus honorari ſe exiſtimet ab hominibus? Hoc certè melius percipere non poterimus, quam ſi Prophetam Euangelicum Iſaiam conſulamus. Qui capite 9. præclaros, & honorificos futuri Meſſiæ Chriſti Ieſu titulos declarat, quibus nomen illius ſupra omne nomen extollere debemus, dum ait: *Parvulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius, vocabitur nomen eius, Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps Pacis.* In his, dico, appellationibus declarantur; quæ credere debemus de Verbo increato, & incarnato, de eius dignitate & excellentia, vt honorificetur à nobis: quin & aſſerimus ea inſinuari à S. Ioanne his ſeptem Epiſcopis in titulis Epiſtolarum; & in his quæ in ipſis Epiſtolis continentur; ex his enim admonentur, vt ex effectibus quos per eos & in ipſis operaturus eſt, ad horum notitiam, & cognitionem perueniant.

Iſaiæ 9.

Docet autem Iſaias Chriſtum eſſe hominem perfectum ſupra omnem creaturam eleuatum, *Factus eſt*, inquit, *principatus ſuper humerum eius*; ac ſi diceret, ex eo quod ſuper humeros eius poſuit Deus omnes iniquitates noſtras, & peccata noſtra, & infirmitates noſtras portauit, hac de cauſa principatum obtinuit, & promeruit. 2. Dum ait; *Vocabitur nomen eius admirabilis*, redemptorem eum eſſe demonſtrat: admirabile namque eſt, quod per mortem vita nobis reſtituta fuerit. 3. Doctorem, & Legiſlatorem eum eſſe indicat, eum dicendo eſſe *Conſiliarium*; 4. Iudicem ſupremum, dum vocat *Deum*, ſic 5. Authorem, & fontem meritorum, à quo habemus gratiam & virtutem agendi meritoriè, quia dicit eum *fortem*; 6. Docet eum eſſe ſummum ſacerdotem, & habentem regale ſacerdotium, habentem poteſtatem in cælo, & in terra, ad omnia adminiſtranda & ordinanda ad Dei gloriam & electorum ſalutem; proinde vocat eum *Patrem futuri ſeculi*. Denique illum eſſe ideam, ſeu exemplar, ſecundum quod omnes actiones noſtras componere debemus, ſatis declarat, dum ait eum eſſe *Principem Pacis*; pacificauit namque Chriſtus Dominus, ea quæ in cælo, & in terra ſunt nos reformando, & in eſſe nouum in ordine gratiæ reſtituendo. Hæ ſunt optimæ, & per pulchræ Chriſti Saluatoris dignitates, quæ apud Iſaiam hoc ſeruato ordine, in his nominibus deſignari exiſtimo, & quas abſque mutatione, aut variatione ordinis, quo S. Ioannes enumerat Epiſcopos, ad quos ſuas dirigit Epiſtolas ſignificari dico in titulis, quos aſſumit Dominus, dum ad hunc aut illum ſcribit per Ioannem ſecretarium ſuum. v. g. cum ad Epiſcopum Epheſinum ſcribit, hunc aſſumit titulum, *Hæc dicit, qui tenet ſeptem ſtellas in dextera ſua, qui ambulat in medio ſeptem Candelabrorum aureorum.* Dico hunc titulum quadrare cum his verbis Iſaiæ, *factus eſt principatus ſuper humerum eius*, vt videbimus, & ſic de cæteris. In ſecundo Capite quatuor ſunt Epiſtolæ, ad Epiſcopum Epheſinum; ad Smyrnenſem, ad Pergamenum, ad Thyatirenſem. In 3. Capite tres, ad Sardenſem, ad Philadelphienſem, ad Laodicenſem.

Chriſti dignitates ex Iſaia.

Digitized by Google

CAPVT II.

Paraphrasis Epistolæ Episcopo Ephesino scriptæ.

IESVS VERVS HOMO, CAPVT ANGELORVM, ET HOMINVM.

Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, cuius principatus super humerum eius. Is. 9.

Textus.

NON ad tuam solum vtilitatem, & consolationem, ô dilecte & discipulorum charissimè! quæ vidisti, & quæ visurus es, tibi manifestantur, sed vt Ecclesiam meam in septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia designatam instruar; quamobrem ea quæ nunc vidisti, mitte eisdem Ecclesiis ad eorum Episcopos litteras dirigendo, quibus addiscant, quæ populis sibi commissis de me annunciare debeant, vt clarificatione à Patre promissam in terris, ob profundam mei ipsius abiectionem percipiam.

Angelo Ephesi scribe: Hæc dicit qui tenet septem stellas in dextera sua.

Et primo sciant in vero homine me apparuisse, vt essem caput Angelorum, & hominum, sub hoc præcellenti Titulo n. *hæc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua,* Id est, Angelos seu Pastores Ecclesiæ, *qui ambulat in medio septem Candelabrorum aureorum*, Ecclesiæ in septem Ecclesiis Asiæ designatæ. Hoc scribe Angelo seu Episcopo Ephesino, sciat me paruulum vobis natum, agnoscat me filium Dei vnicum vobis datum, qui suscipiens vestras infirmitates, sibi comparauit principatum super omnes creaturas. A.

Qui ambulat in medio septem Candelabrorum aureorum.

At ne altitudo tantæ dignitatis fulgore suo mentis tuæ aciem aliquomodo obtundat, paululum eius intuitum deflecte, & vide me in medio septem candelabrorum aureorum deambulantem, percipies proculdubio me adhuc memorem infirmitatis illius, quam olim vestram induendo naturam assumpsi, corporis siquidem infirmitates non respui, pœnas, ac labores vitæ humanæ, & mortis dolores patienter subeundo, nec animi imbecillitates penitùs abieci, passionibus variis angorum, tristitiarum, tædij ac lætitiæ propulsari mentem permittendo: visus in terris, & vobiscum conuersatus, humanum à me nihil alienum existimaui. Legi, somno, fami subiectus, ex itinere fatigatus, quasi vnus ex hominibus apparui, per omnia tentatus, ac probatus pro similitudine absque peccato vt tibi compatiar, vt tibi præbeam auxilium. B.

Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuã & quia non potes sustinere malos & tentasti eos qui se dicunt Apostolos & non sunt. Et inuenisti eos mendaces.

Cum autem in multis operibus laude dignis te frequenter exercens, fortè dubitares, num ad opera tua attenderem, cum te ad meliora prouoco, cum prohibeo, ne feruor, aut deuotionis ardor in te tepescat. Non me latent certè quæcumque agis, *scio opera tua, & laborem & patientiam.* At summoperè desidero, vt tuas semper ad me intentione dirigas. Itaut nunquam tibi quiescendum putes, donec ad me peruenias eadem via, eisdemque rationibus, quibus tuam salutem operatus sum in terris: itaut sicut vsque ad mortem noua semper pro te fui perpessus; ita nec tu fatigeris, si mihi vsque ad supremum vitæ halitum in rebus etiam arduis ac molestis obsequi tibi sit necessarium, nec cedas infirmitati tuæ; nec instabilitati cordis humani sæpè sæpius sese ab iis quæ feruido etiam spiritu incœpit resilientis, vllo modo acquiescas.

Scio igitur opera tua, & laborem, & patientiam, & quia non potes sustinere malos, & probasti eos qui se dicunt Apostolos, & non sunt, ac adeo diligenti perquisitione eorum fidem mores, & actus examinasti, quod inueneris eos mendaces, & patientiam habuisti, & sustinuisti propter nomen meum, & minimè defecisti: quæ cum enumero, & sigillatim recenseo, absque negotio concipies nihil me latere de his, quæ tam ad tuam, quam ad proximi salutem operati, ac perficere valeas: nec fallor cum dico de aliorum salute te esse solicitum: vt eis plurima conferas bona plurimum laboras, eorum imbecillitates patienter sustines, persecutiones ipsorum suffers æquanimiter: nec insuper me fugit, quam fideliter munus tuum ac officium exequaris: virtutis siquidem, æqui, ac iusti zelator acerrimus minimè permittis malos suam exercere malitiam; imo potius, & monitionibus, & correptionibus, & punitionibus eos reprimere sedulo conaris, quæ quidem peruigilans attentio ac circumspectio circa ea, quæ tui sunt muneris in causa est, cur non permittas aliquos sub ouina pelle alios decipere, ne postea si semel essent introducti veluti lupi rapaces gregem tuum inuaderent, autoritatis tuæ nullam habentes rationem; & quod me magis delectat hæc peragis, nec cæca ambitione ductus, nec proprij commodi studio pulsus, sed vt partes tuas agas, ac tuo muneri seu officij respondeas, nec propter difficultatem operis, renitentiam, contradicentiam ab incepto desisti, sed magnanimiter & patienter in labore tuo perseueraſti. C.

Textus.

Et patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti.

Sed habeo aduersum te pauca quod charitatem tuam primam reliquisti.

Nihilominus etsi hæ actiones gratissimæ mihi sint easque in tuam reuocare memoriam ac menti objicere libeat, vt hac ratione potissimum efficiam, ne in te zelus, & ardor vllo modo tepescat, cogor quædam tibi exprobrare, nempe primam tuam charitatem reliquisse: nec enim de tuo in virtutis studio progressu, dum aliorum saluti consulere cupis, æquè es solicitus ac eras antea: notitia igitur quam tibi ingero, quod tua obsequia mihi, qui Dominus tuus sum, sint gratissima, non permittat quod zelus propriæ salutis tuæ, in te tepescat.

Memor itaque esto, vnde excideris, scias non modicæ ignominiæ tribui si retrò respicias, qui te ad anteriora extendere debuisti, & sicuti ex quo audis me tua grata habere obsequia, multa fit accessio roboris ac constantiæ, quibus fretus instabilitati cordis potenter obsistas; ita ex verecundia quam contrahere debes, ex eo quod è tam sublimi perfectionis gradu dilapsus es, non minori stimulo excitaris ad ea aggredienda, & rursus peragenda, quæ olim perficiebas; Memor, itaque, esto vnde excideri, & prima opera fac. Est plurima apud me fragilitatis humanæ compassio, eam accusationibus vrgere nolo, imo potius excuso, creaturæ siquidem peruium ac familiare nimis ad imperfectionem declinare, ad mala proclinior, quam pronior ad virtutes descendit potius quam ad superna ascendat consuetudine namque adiuncta fragilitatis naturæ fit, vt qui gratia à Deo bonorum fonte impertita ad superiora tendit, citiùs in malum prorumpat. Hinc te admonitum

Memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam & prima opera fac: sin autem venio tibi & mouebo candelabrum tuum de loco suo nisi pœnitentiam egeris.

Digitized by Google

Textus.

nitum volo, quatenus, seriò pœnitentiam agas, nisi A
malueris pro tua negligentia, & incuria, qua à perfectionis studio te retrahis ineuitabiles luere pœnas, pertimescendum siquidem tibi est, si pœnitentiam neglexeris, ne subtractione auxiliorum & gratiæ, viuaciori ac vegetiori sensu percipias, quantum detrimentum Ecclesia tua patiatur; sicuti enim ex eorum concursu labores, ac solicitudines vigilantis Pastoris plurimum iuuantur: ita ex ipsorum ablatione paulatim à feruido bonorum operum exercitio tepescens tandem eueniet, vt æquè pietas in iis quos regis & pascis torpescat: nullus exinde obueniet tibi honor, nulla proximo vtilitas, quin potius plurima perfusus ignominia, proximum nocumento insigni afficies: quæ si attentè consideras, te ad

Sed hoc habes quia odisti facta Nicolaitarum quæ & ego odi.

B prosequenda cum maiori contentione ac feruore quæ incæpisti, prouocare ac excitare debent.

At ne vires tuas hoc excedere existimes, attende quas in te habeas optimas ad feruentius mihi inseruiendum dispositiones, vt potè nihil adeo præparat animos ad spirituales actiones sicuti ab affectibus carnis & sensuum ab alienationes. At odio prosequeris implacabili Nicolaitarum actiones, qui nimia profusione libidini, ac voluptatibus carnis indulgent, ideo facilè spiritui meo morem geres ac obtemperabis, vt ea quæ ad talem feruorem fuerint necessaria largiatur; nam sicut aufugit ab animabus carni obsequentibus, sic iucundum sibi præparat habitaculum in his, qui puritati & integritati stu-

Qui habet aures audiat quid spiritus dicat Ecclesiis

C dent.

Quam vellem omnes qui inspirationibus meis autem præbent accommodam hæc audire, & hac ratione percipere ea de quibus Ecclesias omnes instrui, ac informari vehementer desidero. Scirent proculdubio ex iis, de quibus te admoneo, cuncta animi solatia: omnes desideriorum, & appetituum, & cupedinum fruitiones parem non afferre animam satietatem ei, quam elargior, iis omnibus, qui absque tædio infatigabili cursu ad virtutis brauium peruenire desiderantes, cunctam cordis instabilitatem, ac animi inconstantiam potenter reprimunt, conculcant ac vincunt, & rerum spiritualium fastidium procul exulare cogunt; quod se præstare posse sperare debent; tum audiunt me eos habere in protectione speciali eorumq; infirmitatibus compati: siquidem habeo illos in manu mea dextera tanquam stellas, & ambulo in medio eorum. Si igitur meo auxilio illis parato non abutantur, dabo eis vt prægustare ac prælibare valeant ea suprema gaudia, quibus inebriantur in cœlis incessabiliter hi, qui perfectè ac planè superarunt quidquid impedimenti aut obstaculi obuenire poterat ex fragilitate carnis; quominùs in amore ac timore nominis mei incunctanter proficerent. Hoc meum consilium, hæc mea voluntas: hac ratione ductus ac impulsus, cum filius essem æterni Patris, volui infantilibus membris indui, & licet sim filius à Patre datus, vt puer apparui: nulla alia ratione supremæ authoritatis, ac eminentis potestatis humanitati meæ collatæ exercitium assumens, quàm per participationem ad vestras imbecillitates ac infirmitates, & hoc modo datum est mihi nomen, quod est super omne nomen; itaut si aliquando contigerit me vestrarum infirmitatum fuisse participem; nunc & in perpetuas æternitates hoc præclaro titulo gaudebo, quod sim Caput Angelorum & hominum, acquisita principatus seu dominationis meæ manifestatione, ex eo quod in meos humeros imposuerim omnes dolores & labores, quos ratione peccatorum vestrorum sufferre debebatis.

Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.

D

E

PARAPHRASIS EPISTOLÆ AD Episcopum Ephesinum explicatio, in quibusdam diffusior, ac corroboratio.

Humanitatis Christi dignitas Episcopo Ephesino proponitur cognoscenda, & prædicanda.

A SCRIBE Episcopo Ephesino, vt me verum hominem confiteatur quem vnxit Deus oleo exultationis præ participibus suis, gratiâ hypostaticæ vnionis super omnia visibilia, & inuisibilia sublimatus, infirmitatem humanæ naturæ, æque ac eius B naturalem perfectionem assumpti, cui tantam adieci dignitatem, vt nihil in rebus creatis sublimiùs reperiri queat: inanimata omnia, cuncta sensibilia, vniuersa intelligibilia à longè supergredior: quin etiam & ea quæ sunt superioris ordinis, & naturas rerum transcendentia, quibus creaturæ intellectuales diuinæ fiunt consortes naturæ ita transcendo, vt Caput sim Angelorum, & hominum, & Episcopos ac Pastores Ecclesiæ in manu mea teneam, vt de ipsis ad libitum & per eos quidquid libuerit adimpleam.

Christus est in medio Ecclesiæ, vt ei compatiatur, & auxilium præbeat.

C B Vt numquam è memoria tua excidat me fuisse participem infirmitatum vestrarum, ignorantiâ & peccato omnino exclusis, tuo adspectui me videndum exhibui, ac si adhuc essem in medio vestri. Noui siquidem quibus rationibus vobiscum compatiar; exiis enim quæ in memetipso passus didici, quanta sit infirmitas carnis vestræ: licet enim tanquam luminaria quædam fulgore gratiæ meæ rutilantia luceatis in hoc mundo, thesaurum tamen istum repositum habetis in vasis fictilibus, charitate quidem firmati, & corroborati, eius purpura decorati multum reuera nobilitata est vilis & abiecta ex luto puluere vestri origo, & terrena inhabitatio. At adhuc persecutionum ictibus concuti, D igne tribulationum ex aminari, tentationibus, turbationibus exagitari, ac variis pressuris angustiari contigit, vt sæpè vos tædeat viuere. At ecce ego adsum in medio vestri, vt consolationibus vos repleam, vt fortitudine mea vos reficiam. Mirum in modum instabile & inconstans est cor humanum, vult & non vult in eodem ferè instanti; hinc sæpius à bono proposito deficit, pia exercitia deserit, frigidè quæ mei sunt honoris prosequitur. At vt hanc cordis instabilitatem vincas, nec fatigatus tædiis ac laboribus tantisper à studioso virtutum exercitio decidas, frequenter cogita, ac firmiter crede me hominem propter vos factum, me vestram naturam ad summam euexisse dignitatem, me corde E amantissimo in omnibus vobis compatientem.

Syncera intentio in bono opere perseuerantiam & prudentiam parit, & prauorum pertinaciam vincit.

C Syncera intentione ad opus accinctus, ô Ephesine Pastor! omnia quantâ fieri potuit maturitate, & circumspectione, & prudentiâ compleuisti, quæ vera erant in his quæ inquirebas & studiosè inuestigabas, tandem agnouisti; & in his te laudo, & tuam probo patientiam & longanimitatem, & prædico magnanimitatem; non enim qui futè agunt vt illi falsi Apostoli tali genio sunt, vt prima vice statim ad se redeant, sed sæpè sæpiùs obdurata mente omnia respuunt monita: ipsorum igitur quia simplici corde ambulas, & nihil aliud quam meam

Digitized by Google

gloriam expetis contradictiones ac vituperia sereno vultu excepisti, & patienter expectasti eos, num tandem resipiscerent, & ad meliorem frugem, & saniorem doctrinam redirent. Hinc laudo quod ab incœpto opere nullo modo desisti, donec illos impostores & nugatores esse euidenti ratione probares: tuas itaque in hac parte actiones mea approbatione obsigno vtpote quæ mihi sint gratissimæ, exulto insuper cum video in te viuidum sensum eius dignitatis ac autoritatis quam contuli tibi: sed quia bonum oportet esse ex integra causa, ecce aliquid aliud adhuc in te desidero, tuum nempe profectum cum salutis aliorum promotione.

PROLOGVS IN EPISTOLAM ad Episcopum Smyrnensem.

Iesus Redemptor.

Vocabitur nomen eius admirabilis. Is. 9.

CHRISTVS Dominus in 1. Epistola indicauit optare à nobis, vt instabilitati cordis mederemur, firmo & constanti animo inhærentes sancto feruori, & ardori charitatis; & hac de causa declarauit nostram naturam eousque eleuasse, quò altiùs extolli nequiret: cuius dignitatis agnitio animum incitare debebat, ne à tam excellenti gradu honoris decideremus; ita tamen vt doceat voluisse fieri participem infirmitatis. At ne fragilitatis nostræ agnitio & sensus nimium deprimeret animos nostros, & ne sub prætextu, & sub fucato colore humanæ imbecillitatis tepiditatem nostram tegere conaremur, dicentes nos nimia fragilitate oppressos, vnde non esse mirum, si aliquando ab attentione, & diligentiori circumspectione supra actiones nostras cessemus, permittamusque mentem aliquantisper à pietate, & deuotione refrigescere; Eodem modo, quo præcepit Dominus in prima Epistola, vt primam charitatem deperditam recuperemus, omnibus deiectis internis contradictionibus, quas causare posset conditio naturæ nostræ, in hac Epistola ad Episcopum Smyrnensem vult, & præcipit vt generosè decertemus contra omnes exteriores, & extrinsecas contradictiones & oppugnationes, quæ occurrere vndequaque possunt; & vt ad hoc excitet, seipse exhibet ante oculos nostros tanquam saluatorem, & redemptorem suscipientem omnes infirmitates nostras, vt ab omnibus peccatis, & infirmitatibus nos redimeret; qua de causa acquisiuit sibi nomen, quod est supra omne nomen, & proinde meritò vocatur ab Isaia Admirabilis, quia Saluator & Redemptor est, qui nos modis admirandis à morte à peccatis & diabolica captiuitate eripuit, & caro redemit pretio, nempe sanguine suo. Scopus igitur huius Epistolæ videtur esse, vt nos excitet ad perseuerantiam, & vt tyrannorum persecutionum metum excutiamus: ad hoc inducti, quia scimus eum esse redemptorem & saluatorem, qui nos à peccato, à morte, à malis peccatum & mortem subsequentibus redimere potest. Quod nos & agnoscere & fateri vult vt à nobis honorificetur, non solum cum eum dicimus esse Caput Angelorum, & hominum, sed insuper verum & potentissimum saluatorem, & redemptorem. Smyrna autem interpretatur Amara, seu Myrrha, seu Canticum eorum, quasi indicans cantandum esse illis, qui per redemptionem supra omnes amaritudines victoriam sunt reportaturi.

A *Iesus Redemptor. Vocabitur nomen eius admirabilis.* Is. 9.

Insuper *Episcopo Smyrnensi scribe. Hæc ait primus, & nouissimus*; Primus in quantum Creator, nouissimus in quantum glorificator. Primus quia homo factus, vt opus Redemptionis inciperet, mori voluit; nouissimus quia vt eidem operi vltimam manum imponeret, resurrexit; & nunc immortalitate gaudens in æternum viuit: ego te vocaui ad admirabile lumen meum, & sic sum primus: ego vt me videas lumen gloriæ infundam, & sic nouissimus qui perficio quæ incipio admirabili ratione. Vnde admirabilis dicor quia moriendo vitam tribuo immortalem. A.

Textus. *Et Angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe. Hæc dicit primus, & nouissimus, qui fuit mortuus & viuit.*

B His prælibatis tibi dico me tua nosse opera, quin & approbo, & laudo maximè quod possideas omnes optimos mores quibus instrui percupio eos, qui meo mancipantur obsequio: voluntariam nempè tribulationum tolerantiam, paupertatis spiritum charitatis diuitias. Calumniatorũ blasphemantium tuum ministerium neglectum, contradicentium impios insultus contemnis, eorum præcipue qui sub prætextu pietatis, contra me aceruatim insurgunt. Cum talis sis, de mea erga te dilectione nemini dubitare licet, blasphemaris siquidem ab his qui se dicunt Iudæos, & meum confiteri nomen gloriantur, & Iudæi non sunt sed congregatio aduersarij mei. B.

Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam, sed dines es: & blasphemaris ab his qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt, sed sunt Synagoga Satanæ.

C Quæ quidem in memoriam reuoco, vt animosè cuncta sufferas, nihilque timeas horum quæ pati contingerit: grauia quidem erunt, sed nec pœnas, nec labores pertimescas, siquidem licèt vehementiores fuerint, vis & energia gratiæ meæ maior erit, nec à laboribus, aut pœnis superari te permittam. C.

Nihil horum timeas quæ passurus es.

D Præmoneo etiam quod *missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, vt tentemini, & habebitis tribulationem diebus decem*, vt hac notione præmunitus, scias tibi vsque ad vltimum vitæ halitum opus esse fidelitate in recta muneris & officij tui administratione: & quidquid euenerit, nullo modo tibi esse dimittendam curam eorum, qui tuæ solicitudini addicti sunt; etiam si me permittente diabolus infidelium corda propulset, vt quidam ex vobis in carcerem detrudantur: quod quidem totum ad vestram ordinatur probationem, & vt magis ac magis virtus vestra eniteat. D.

Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem vt tentemini & habebitis tribulationem diebus decem.

Esto igitur in hoc negotio promouendo vsque ad mortem fidelissimus. Quod si hoc fideliter præstiteris de præmio sis securus, nam si perseueranter munus tuum executus fueris, harumque virtutum exercitium minimè prætermiseris, præmia tibi non deerunt, dabo namque tibi coronam vitæ, qua in anima & in corpore omni gloria, & felicitate cumulatus & circumdatus, mortem æternam valeas deuitare.

Esto fidelis vsque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ.

Audiat igitur hæc quicunque habet aurem, quid videlicet spiritus dicat Ecclesiis: *qui vicerit non lædetur à morte secunda.*

E Sic te à peccato & morte redimendo, iusto titulo mihi arrogare possum nomen Admirabilis. Quid enim maiori admiratione dignum censeri potest, quam si carnis imbecillitatem ad quælibet tormenta sufferenda disponam; ab omni terrenarum rerum affectu, & contagione abstraham, licet caro de terra originem & alimenta trahens, nihil aliud ex se quam quod terrenum est sapere queat quid admirabilius quàm si eum, qui propter peccata ab omni participatione boni spoliari merebatur, in totius boni plenam possessionem mittam, meipsum ipsi communicando; quàm si eundem qui sui ipsius amator in seipsum recurrus & reflexus pondere proprio & innato omni creaturæ, nihil supra se diligere

Qui habet aurem audiat.

Qui habet aurem audiat quid spiritus dicat Ecclesiis: qui vicerit non lædetur à morte secunda.

Digitized by Google

meditabatur, ad meum vnicè primouendum, & deſiderandum honorem promoueam; quam ſi creaturam adeo in meam tanta animi fortitudine exornem, vt contra cuncta inſurgat pericula, quin & vſque ad mortem valeat fidem & fidelitatem ſuam ſeruare, quamuis labores & conatus ſuos fruſtra exantlatos & ſuſceptos exiſtimari poſſit, & oculis carnis & humanæ rationi videatur nihil proſpere, ac feliciter ex tot laboribus ſucceſſurum: qui igitur per redemptionem peccatum vicerit, qui proprio amore neglecto, meum honorem omnibus aliis rebus prætulerit, qui vſque ad mortem fideliter certauerit, & in me omnem ſpem ſuam proiecerit, hic non lædetur à morte ſecunda, quia à damnatione æterna prorſus erit immunis.

PARAPHRASIS EPISTOLÆ ad Epiſcopum Smyrnenſem, explicatio profuſior & corroboratio.

Effectus primus redemptionis Vocatio. Vltimus luminis gloriæ infuſio, & corporis gloriosa reſurrectio. Punct. 1.

NAM ſicut Chriſtus initium dedit redemptionis in electis, eos ad nominis ſui & Dei notitiam aduocando; ita etiam redemptionem perficit cum ſemel mentem lumine gloriæ inſtruit, vt electi Deum videntes ſicuti eſt, beatitudine potiantur. Hæc igitur luminis gloriæ infuſio, erit quaſi vltimus diuini penicilli tractus, quo in eis Deus imaginem & ſimilitudinem ſuæ perfectionis in eis exprimere intendit, addit autem qui fuit mortuus & viuit, ne electos mors terreat, qui ex reſurrectione illius poſt mortem ſuam ſperare poſſunt reſurrectionem, ſi enim Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus.

Quanã potiſſimũ nos Deo gratos & acceptos reddant. P. 2.

B. Scio tribulationem, &c. Ac ſi diceret, perfectio quam potiſſimùm exopto in meis ineſſe illa eſt, vt voluntariè varias ſufferant tribulationes, nec enim rationi conſonum videtur, ſi per eas ego ipſe gloriam mihi propriam adeptus ſim aliquem reperiri qui alia via in eam ingredi valeat. Scio igitur tribulationem tuam, & quæ perpeſſus fuiſti, & quæ quotidie pateris libenter ego intueor. Nec minori ſtudio à meis exquiro, vt animum gerant ab omni affectu rerum terrenarum liberum. Hanc in te ſpiritus paupertatem agnoſco, quâ fit vt ita animum à qualibet creatura auulſum habeas, vt facilè flecti queat in quamcumque voluero partem. Et ſicut cum omnimoda flexibilitate liberiùs mihi obedientiam præſtat, ita voluntati meæ cum magna animi ſubmiſſione, & feruidè & firmiter vnitus adhæret. Quis proinde te diuitem eſſe non fatebitur, virtutibus repletum, meritis locupletem, charitate potiſſimum abundantem, quâ ditatus quicquid tolerare contigerit, merita tua cumulatiora reddit, & quò plus omnibus aliis rebus ſpoliatus, aut nudatus appareas, eò magis bonis cumulatioribus augearis? hac enim ſola charitate præhabita omnia poſſides. Cum enim Deus ipſe charitas dicatur, ſi charitatem habeas, Deus in te eſt, & tu in ipſo.

At quod potiſſimum mihi arridet illud proculdubio eſt, quod calumniis minimè à bono propoſito demoueri queas, quinimò parum eſt tibi maledicentiam malorum ſpernere, nec dicacitate quorundam, qui zelo indiſcreto mei honoris ducti, de te multa ſub ſpecie recti effutiunt, multas contra te commouent contrarietates: gratiſſimum ſiquidem mihi eſt, ſi nihil de pietatis ac virtutis exercitio remittatur ob maledicentias, & benigno proſequor intuitu eum, qui licet impetatur; & à quibuſlibet vituperetur, nihilominus conſtanter in meo perſeuerat obſequio: eas vero animas veluti mea dilectione indignas procul rejicio, quæ quæ ſua ſunt tantum inquirentes, & propriæ gloriæ amatores, nec in minimis vituperari ſe patiuntur, fremunt, ſtrepunt, indignantur, ſi tantillo verbulo aliquid eis in vitium, & culpam vertitur, quin & animum deſpondent eadem de cauſa, tales libenter grauia quæque tolerabunt, omnium detrimentum facient ſi eos laudari, ipſis congratulari contingat. At ſi pro laudibus vituperia præſtes, mox omnem ſpem melioris boni abjiciunt. Nec illos quoque diligo, qui circumferuntur omni vento doctrinæ in fide vacillantes, qui ſi præſenſerint quoſdam doctrinæ ſanæ contradicere, qui nihilominus ſibi ob fucatæ cuiuſdam pietatis laruam ſibi aliquam conciliarunt exiſtimationem, iſti in fide vacillantes, quia etiam propriam appetunt exiſtimationem, non audent ipſis ſeſe opponere, ne propriæ officiant exiſtimationi. At eos ſummoperè diligo qui firmi & ſtabiles in doctrina à me tradita permanentes, etiam ſi Angelus de cœlo contraria nunciaret nequaquam fidem adhiberent, ſiquidem certiores ſunt me nunquam mentiri, nihilque à me contrarium proponi poſſe iis, quæ iam vt vera & credenda propoſui; vnde in hac fide certiſſima ſtabiles, nec vanitate efferuntur, vt alia ſentiant, nec blanditiis decipiuntur, vt fidem abjiciant, ſicque per ignominiam æquè ac per bonã famã mihi placere, & obſequi exoptant.

Si de Dei gloria agitur, omnia ſunt toleranda. Punct. 3.

C. Igitur ne te tormenta ad veritatis profeſſione & tuitione auertant, fortiter pro eius defenſione decerta, & ſi occiſiones patiendi ſeſe obtulerint, contra potius audentior ito, quam terga vertas, pedem ne retrahas, ſis te vt te opponas occurrenti, ſi conſiſtant aduerſum te caſtra; non timeat cor tuum. Quæcumque mala ab aliis inferri contigerit, patienter ſuſtine; ſed etiam hoſtium cuneos penetra ſecurus, pati & aggredi partes ſunt eximiæ fortitudinis; quam te habere deſidero: præſto ſum vt tibi auxilium præbeam; vno verbo dicam, ſi vnquam de meo honore, & obſequio agitur, quæcumque grauia, & inſupportabilia ſeſe obtulerint, nihil tanquam impoſſibile ſuſpicias: omnia enim poteris in me, qui te confortare, & tibi auxiliari paratus ſum, itaut cantare tibi liceat, *benedictus Deus qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.*

Tribulationes inflectum virtutis eorum ſplendorem manifeſtant. Punct 4.

D. Hâc de causâ dicit tribulationem de quâ hic loquitur per decem tantummodo dies fore duraturam, non modo vt eam breuiſſimam fore denotet, ſed etiam vt indicet ipſam ceſſuram in emolumentum, & commodum eorum, qui tali perſecutioni ſubiacebunt; ſiquidem per eam educet tanquam lumen eorum iuſtitiam, & iudicium eorum tanquam meridiem: tribulatio igitur eis non erit velut nox obſcura obtegens virtutis ſplendorem, eorumque probitatem tenebris obuoluens, totum hoc tempus erit velut lux & dies, ipſorum magnanimitatem & heroicam virtutem clare manifeſtans, quod quidem ad hanc vineam Eccleſiæ, quæ tot taleſque ſuauiſſimos fructus productura eſt, colendam animos addere debet, cum nihil optatiùs exquirat Dominus vineæ ab eis, qui eius addicti ſunt obſequio, & quos habet chariores, quam vt pro viribus ſuis enitantur, vt conſerui ac fratres eorum, qui Dei mandatis obtemperant, donorum ſpiritalium, capaciores identidem reddantur.

PROLOGVS IN EPISTOLAM ad Episcopum Pergamensem.

Iesus Legislator, & Veritatis Doctor, Consiliarius, Is 9.

NVLLVS est qui attentè consideret, quantas repugnantias patimur interiùs in exercitio virtutum, & quanta, qualisque est inconstantia voluntatis mutabilis, ad modum cameleontis colorem identidem permutantis; insuper nullus est qui percipiat quanta, & quam frequentia sunt obstacula, quæ mundus, quæ caro propria, quæ diabolus objicit, vt mentis generositatem deprimat, qui non statim fateatur graue & durum esse præcipere cuilibet homini, ne tantisper sinat ardorem Charitatis refrigescere in exercitiis spiritualibus, & vt submisso capite obuiam eat cunctis obstaculis & impedimentis, nec timeat ignes, aut lannienam, aut quælibet tormentorum genera, sed sese alacriter ad ea expugnanda exponat. Optimo igitur consilio fit, vt in hac epistola Dominus noster Iesus Christus doceat nos, quod si plurimæ, & permagnæ contradictiones, & difficultates occurrant siue interiores, siue exteriores, interiores de quibus actum est in epistola ad Episcopum Smyrnensem; sciamus ipsum esse sufficienter potentem ad eas vincendas, & exscindendas, aut etiam perimendas: habet enim in ore Rhomphæam vtraque parte acutam, quo symbolo monet, quod sicut ex nihilo per solum verbum omnia creauit, pari ratione per idem verbum suum opus perficere poterit, iuxta illud, *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis*; qua de causa nulla sunt nobis pertimescenda impedimenta, prouenientia ex nostra fragilitate interiori & innata: Omnipotens enim Dei Verbum in æternum permanens pascendo mentes illas corroborat contra omnem inconstantiam, & instabilitatem, dicente Christo, *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Deinde ad deuincenda omnia extrinseca impedimenta hoc verbum potentissimum est, itaut nemo illi resistere valeat quin nec verbo ex ore seruorum suorum prolato, cuiquam resisterelicet; quando Deus videt hoc necessarium pro sui nominis gloria manifestanda v. g. Verbo martyrum suorum idola corruerunt; instrumenta tormentorum confracta sunt, Leonibus ora obturata, nihil eis nocere potuit, etenim, *Fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum* Heb. 11. Denique nulla sapientia eis resistere potest, iuxta illud, *Dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes aduersarij vestri.* Quis igitur dubitabit hoc potentissimo verbo munitis, posse nos vitæ rationem ingredi quæ conformis existat dignitati nominis Christiani quo gloriamur, & si fides nostra probationi exponatur, posse nos ipsam audacter profiteri nonobstantibus quibuscumque tormentis aut afflictionibus. Quod si in nobis verbum istud potest talem demonstrare vim, & efficaciam, par est nos existimare, & eadem posse præstare etiam in aliis, quò fit vt Pastor qui talis est, vt vitam transigat, qualem agere & ducere debeat verus Christi sectator, & qui eo animo est, vt velit audacter fidem suam confiteri etiam inter tormenta, pusillanimis esse non debeat, itaut resistere pertimescat iis, qui vel errore inducti, vel morum corruptione impulsi, impedire vellent alios, ne ad Christi exemplum mores suos componerent; aut si sese offerat occasio, non profiteatur honorem Christo exhibendum fore pro ratione dignitatis, ac magnitudinis suæ. Imo potius cum in potestate sua tanquam in manu gladium habeat audacter verbum veritatis prædicare, cuius præco & minister est, illudque ad euertendos errores, prauatque actiones, applicare, cum bona spe & expectatione, quod sicut in se hoc diuinum verbum præclaros produxit effectus, pares & consimiles etiam in aliis producere poterit. Quod Christus significare volens, Episcopo Pergamensi (qui vt verus Christi sectator & confessor gloriæ eius, etiam in medio persecutionum in seipso experiri poterat vim, & virtutem verbi diuini ante eius oculos proponit Antipam qui glorioso Martyrio pro Confessione nominis suis occubuit: ac si innueret, quod hoc diuinum verbum eadem præstaret in aliis, quæ in seipso præstitisset: vnde animaduertere poterat; quanta sit eiusdem verbi vis, & efficacia, & quod reuera Christus qui verbo suo nos illuminat, qui lege sua nos regit, & vjam salutis demonstrat, qui eodem verbo cum sacramentis adiuncto nos purificat, sanctificat, viuificat, & corroborat, optimo iure appellari possit, & Doctor, & Legislator, imo & verus Consiliarius, qui optimè, & sapientissimè nouit inuenire medium adeo idoneum ad euertenda, & præscindenda omnia obstacula tam extrinseca, quam intrinseca salutis nostræ. Hæc igitur scribit Episcopo Pergami, quod vocabulum interpretatur, Diuisio Cornuum; ad declarandum quod illa suprema bonitas potest diuidere, & separare animi nostri arrogantiam, carnis superbiam, appetituum rebellionem, qui praui motus simul coniuncti omnem pietatem euertunt, at hoc verbum hos diuidit, & virtutem illorum euacuat, & euanidam reddit, vt mens voluntati diuinæ subdita, & caro spiritui seruiens, & in se & in aliis imperium Christi Iesu promoueat, & stabiliat.

PARAPHRASIS EPISTOLÆ ad Episcopum Pergamenum, *In cap. 2.*

Textus. *Et Angelo Pergami scribe, Hæc dicit qui habet Romphæam vtraque parte acutam.*

HÆC *dicit qui habet Romphæam vtraq; parte acutã; seu de cuius ore procedit gladius vtraque parte acutus.* Id est, cuius sermo cum ipsissima sit veritas adeo præpotens est, vt ab omnium animis, ea rescindere valeat obstacula, quæ suarum voluntatum adimplectionem impedire possent, & ex alia parte euertit quidquid caro ex propria infirmitate reformidare potest, tanquam nimis durum, & asperum, vt omni sublato impedimento rationis imperium minimè refugiat; quæ quidem præstat per verbum suum is, qui per verbum omnia creauit optimis legibus, præceptis lucidis, sanctissimis mandatis, sapientissimis consiliis, præclarà certarum formularum verborum operantium quod significant adinuentione, vt meritò dici debeat Legifer, Doctor, præceptor & optimus Consiliarius illudmet Dei Verbum. A.

Scio vbi habitas, vbi sedes est satanæ: & tenes nomen meum & non negasti fidem meam.

Hæc autem verbum illud dicit tibi ô Pastor gregis Pergameni. *Scio vbi habitas, vbi sedes est satanæ*, eo quippe in loco habitas vbi sui nominis & honoris aduersarius conquieuit, siue quia mendacium, cuius pater est, hoc in loco viget, siue quia malitia peccati, quod ipse suggerit & instigat ibidem dominatur; quò fit, vt nequeat Christus Dominus tuam reticere laudem; etsi dilatauerint super te peccatores os suum, ipse non silebit à te, sed de te gloriabitur dicens, seruus meus es tu, in te gloriabor, sic tuam virtutem & fidem prædicabit; quamuis enim tanta & talis sit morum corruptio in eo, quo degis loco, nihilominus in medio nationis illius prauæ verbum vitæ continens lucet virtus tua, tanquam luminare magnum Iesu Christi perfectus imitator effectus, ne bonum nomen Christiani inter infideles

Digitized by Google

Textus. blaſphematur, quin & fides tua adeo firma eſt, quod nullo tormentorum metu, ad eam negandam adduci valeas.

Et in diebus illis Antipas teſtis meus fidelis qui occiſus eſt apud vos, vbi ſatanas habitat.

Terrore perculſus es ex eo quod *in illis ipſis diebus Antipas teſtis meus fidelis occiſus eſt apud vos, vbi ſatanas habitat*, quod non modicæ laudi tibi imputari debet: cum enim ipſe crudeliſſimo ſupplicio fuerit enecatus pro confeſſione nominis mei (fuit enim in bouem æneum ardentem viuus iniectus) cumque perſecutio eo in tempore & loco grauiſſima fuerit (Ibi enim morabatur tyrannus, qui mendacio ſeductus, malitia plenus, ſumma autoritate & poteſtate pollebat, vt quæcumque vellet ad erundicandam fidem nominis mei exequeretur; tamen *non negaſti fidem meam*, nullo pauore aut terrore tormentorum perterritus.

Sed habeo aduerſus te pauca quia habes illic tenentes doctrinam Balaam qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filiis Iſrael edere & fornicari ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.

At hoc non impedit, quin habeam aduerſum te pauca, licet enim talis ſim, vt experimento tuo ſcire valeas, quanta ſit verbi mei vis & efficacia, cuius lumine illuſtratus, cuius ſapientia edoctus, cuius energia roboratus, ita acerbiora contempſiſti ſupplicia, vt nulla timeas; ita morum corruptionem deuitaſti, vt nullo malorum exemplo à virtutum tramite dimoueri potueris, vt tantiſper à mandatorum meorum obſeruatione deficeres, tamen à te aliquid exquiro, cuius defectu te reprehenſione dignum iudico, nimirum quod error, & corruptio morum inter fideles tibi commiſſos ſerpere inceperint ex eo quod gladio ad iſta reſecanda aptiſſimo vti neglexeris.

Hinc fit, vt habeas illic *tenentes doctrinam Baalam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filiis Iſraël edere, & fornicari, ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.* B.

Similiter pœnitentiam age ſi quominus veniam tibi cito, & pugnabo cum illis in gladio oris mei.

Humiliter pœnitentiam age, *ſi quominus, veniam tibi citò, & pugnabo cum illis in gladio oris mei*; tunc diſces tanta mala exorta fuiſſe in medio populi tibi commiſſi, ex eo quod neglexeris vti poteſtate tibi tradita prædicandi verbum meum, ac poteſtate exerendi hunc gladium, quo quidem omnis doctrina erronea reſcindi poteſt, ſed & reſecari etiam valet omnis corruptelæ morum progreſſus. Veniam igitur ad te, ſiue ſeuera caſtigatione hanc negligentiam puniendo, ſiue etiam morte te afficendo, vt alium in loco tuo ſubſtituam, niſi correctus pugnare inciprias cum illis in gladio oris mei. Pugnabo namque cum illis, vel per te, vel per alium. C.

Quæ cum ita ſint, animosè in eos inſurge hoc gladio munitus contra hæreticos & malos fortiter decerta, nec ſuperari ab eis reformides; non enim impoſſibile eſt apud Deum omne verbum, nec eſt qui valeat ei reſiſtere, ſicque omnes ſciant, & audiant *quid ſpiritus dicat Eccleſiis.*

Qui habet aurem audiat quid ſpiritus dicat Eccleſiis Vincenti dabo manna abſconditum & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum ſcriptum quod nemo ſcit niſi qui accipit.

Quibus enim contigerit propriam ſuperare puſillanimitatem totius diffidentiæ fontem pro certo habeant. Quod iuxta quem inſumpſerunt laborem, *dabo illis manna abſconditum*, nempe intimas in anima conſolationes, eo ipſo, quo inter maiores verſabuntur anguſtias, & maioribus laboribus meo ſeruitio incumbere tentabunt: Addam & aliud donum calculum candidum, ſeu adamantem pretioſiſſimum, ac lucidiſſimum cum eum conſtituam in miniſterio mei perfectiſſimum imitatorem, eique meipſius cognitionem limpidiſſimam impertiam: itaut de nulla alia notitia gloriari nequeat: imo dicat, *nihil arbitratus ſum me ſcire niſi Ieſum, & hunc crucifixum.* Ac in hoc adamante inſculpam *nomen meum nouum, quod nemo ſcit niſi qui accipit*, id eſt ſentiet quandam particularem participationem meæ dignitatis, meorumque meritorum in ſeipſo ineſſe, quæ ſupra hanc nominis mei notitiam ſtabile habeat fundamentum, & licet ſplendor huius participationis foris appareat ex heroicis, & condignis actionibus, nihilominus eius excellentiam ij tantum qui eam acceperunt ſentient, & dignoſcent; Quo quidem bono perfruentes, omnia arbitrabuntur vt ſterriora, vt me ſolum lucrifaciant; vt tandem inter beatos vnuſquiſque eorum relatus, nomen illud accipiat quod nemo ſcit niſi qui accipit, in quantum nullus cognoſcit, nullus præguſtat, aut experitur, quale ſit gaudium, quo quiſque Beatorum perfunditur, cum aduertit Deo ex propria ſibi beatitudine data ſpecialem obuenire honorem, quo nomine ab eo *qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat*, nuncupabitur, cum omnes *iuſti fulgebunt, tanquam ſtellæ in perpetuas æternitates.* D.

Hac ratione vnuſquiſque ſeruorum meorum in medio tribulationum & laborum ambulans in hac vita, replebitur ingenti conſolatione, & optime percipiens, quanti ſint apud me prætij animæ hominum, pro quorum ſalute meipſum tormento mortis acerrimæ addixi, & crucem aſcendi, quidquid in animo voluat, quidquid ore depromat, quidquid tandem exteriùs agat, ad hunc ſcopum dirigi ſataget; vt hac ratione ſaluti hominum conſulat, licet prudentiores ſeculi tale negotium vires ſuas multùm excedere exiſtiment. Cum enim de vi & efficacia ſermonis mei nullatenus dubitet, quinimò de me plurimum confidat, ſciatque me ſibi non defuturum in auxilio opportuno, cum negotium mihi gratiſſimum tractare incœperit: hinc ſe totum negotio addicere non prætermittet, fideliter omnia ad implebit quæ putauerit peragenda, vt felicem exitum tale negotium conſequatur, omnem à ſe expellendo puſillanimitatem. Quod ſi ſapientibus mundi myſteria fidei appareant ſtultitiâ referta; & imitationem illius humilitatis quam exhibui in cruce patiendo, exiſtimêt multùm diſtare ab imbecillitate & fraglitate hominum, ſeu excedere eorum vires, rationibus omninò repugnare, ea tamen myſteria proponere, eam imitationem inculcare tamen non deſinet, omnibus ſuadere conabitur verè me eſſe fidelem Cõſiliarium, & veritatis doctorem, qui animas ad ſalutis portum peruenire facio, tum eaſdem vias & ſemitas, quas primus calcaui, eis ſectandas proponendo, tum energia verbi mei, vitæ ac morum mutationem omnibus perſpicuam in eis operando.

PARAPHRASIS EPISTOLÆ ad Epiſc. Pergam. explicatio, diffuſior, & corroboratio.

Quanta ſit vis & efficacia verbi diuini oſtenditur in his verbis, hæc dicit qui habet Romphæam vtraque parte acutam. Punct. 1.

A. HÆC dicit, inquam, is cuius ſermo mentes illuminat, hinc q; ex vna parte ab intellectu quemlibet præſcindit errorem, ex alia ſenſuum ea quæ Dei ſunt non percipientium, audaciam frangit, ne fidei opus quoquo modo retardent. Gladius rurſus ex vtraque parte acutus, ſiue quia illuminat, ſiue quia efficaciter operatur, cum accedit verbum ad elementum, & fit ſacramẽtum. Qua quidem ratione gratia producitur corruptionis morum inimica, quam ſua præſentia exulare cogit. Cuius, inquam, ſermo poſitus pro lege & regula humanarum voluntatum, ex vna parte peruerſum liberi arbitrij vſum in volubili & deambulatoria voluntate exſcindit, & ex alia indomitarum, & effrænatarũ paſſionum impetum, & inſolentiam reprimit. Cuius ſermo materiæ ſacramentorum applicatus, inſignem illam voluntatis malitiam, & peruerſam in peccatum, & mandatorum Dei tranſgreſſionem pronitatem ſeu

Digitized by Google

inclinationem res erat ex vna parte, ex alia vero fomitem peccati seu inferioris appetitus repullulascentem rebellionem, qua ratione imperium refugit, vsum illius irrationabilibus suis motibus præueniens, quo iure optimè verbum illud diuinum cum suum producit effectum, dicitur, vel animorum audaciam comprimere; vel carnis petulantiam conculcare, & ancipiti gladio assimilari, siue cum mentem illuminat, siue cum eo gladio Deus vtitur, vt tam mirabiliter in animabus hominum operetur, ac in eis virtutes fidei, spei, & charitatis infundat, gratiam suam per sacramenta conferendo. O omnipotentia verbi quà per consilia, monita, documenta, leges, ac præcepta adeo admirabiles in animabus hominum producit effectus! non ita promptè gladius vtraque parte acutus corpora penetrat, eaque ab inuicem separat, non ita efficaciter mortem, & dissolutionem animæ à corpore operatur, ac verbum istud diuinum citò corda hominum peruadit, eis quæ intendit suggerens, eorum affectus, & cogitationes à nociuis abstrahit, errori, ignorantiæ, malitiæ peccato interitum infert, docet mala opera euitare, docet à prauis cogitationibus mentem auertere, quæ sunt spiritus, ab iis quæ sunt carnis disiungit, & vt Deus solus in nobis regnum suum firmet, omnia naturæ iura disiungit. Venit enim *separare hominem aduersus Patrem suum, & filiam aduersum matrem suam, &c.* Et fortiter inculcat *qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus*, &c. Insuper ab amore animæ propriæ auocat, cum ait, *qui amat animam suam perdet eam*, vt ita minimè permittat naturæ affectus, si semel mandatorum Dei obseruationem impedierint, tantisper vigere, vt spiritus gratiæ, opus suum vsque ad vltimum perfectionis gradum tandem prosequatur, & sicut bonum à malo, prætiosum à vili docuit separare, ita finaliter præmia, & pœnas decernat, bonos à malis, oues ab hædis disiungat: à bonis omnem lachrymam carnis dolorem amouendo, à malis omnem spem solatij omnimodè auferendo.

A corruptione morum ad apostasiam à fide, facilis est transitus. Punct. 2.

B. Balac quippe instigante ac suggerente Balaam ad gulam & luxuriam filios Israël prouocauit cum decepti filiarum Madianitarum pulchritudine ad earum sacrificia se contulerunt, & cum eis fornicati sunt, quam doctrinam Nicolaitæ sectantes, illecebris appetituum allecti dederunt se concupiscentiis, vt tandem erroribus, ac hæresibus, & apostasia à fide, à veritate excideren, & à Deo omnimodè discederent.

Quisnam sit sensus horum Verborum, Pugnabo cum illis in gladio oris mei. Punct. 3.

C. Dupliciter hæc verba explicari possunt, primo quod Episcopus Pergamenus ex correptione & reprehensione proficiens assumat gladium spiritus, vel si neglexerit correptionem, alius in locum illius substitutus, fideliter & constanter errori & corruptioni morum se opponat, verbum Dei importunè & opportunè prædicando, arguendo obsecrando peccatores, vt ab coribus & malis moribus resipiscant, & ad veritatis lumen conuertantur.

PROLOGVS IN EPISTOLAM ad Episcopum Thyatirensem.

SEries istarum Epistolarum consideratione digna est. In prima obfirmatur cordis instabilitas, & boni propositi inconstantia. In secunda ad perseuerantiam prouocamur contra omnes extrinsecas oppugnationes. In tertia suppeditantur nobis media, quibus contra hostes dimicare possimus, ne pusillanimitate à prælio, & certamine retardemur. In hac quarta Epistola docemur non sufficere, vt magno animo aggrediamur quæcumq; ardua sunt, & difficilia, aut ad sustinenda quæcumque aspera; nisi operam nostram prudenter & viriliter impendamus. Ex quo discere licet, quantum formidabilia sint Dei iudicia, siquidem culpa, quæ adeò facilè committi potest, qualis est quædam inaduertentia in vsu donorum, & gratiarum quæ nostræ fidelitati committuntur, correctioni, & reprobationi exposita est, etsi ardenti zelo moueamur ad ea omnia amplectenda, quæ existimamus diuini cultus promotioni necessaria. Hac ratione perspicimus excellentiam legis Christianæ in hoc consistere, quod à nobis exigat actiones magnæ & altæ perfectionis; vt sic quanto perfectiora sectamur tanto magis à transgressione mandatorũ diuinorum alieni simus. Talis est adimpletio præceptorum de dilectione inimicorum; de represione iræ, cupiditatis bonorum aliorum, & concupiscentiæ. Pari modo videre licet quam seuerum, & strictum sit Dei iudicium, in quo, & de verbo otioso reddemus rationem; deinde quod Deus non solum de prauis actionibus feret iudicium, sed & iustitias iudicabit etiam eminentiores, quas si repererit factas cum nimio impetu, cum indiscretione, imprudentia, inconsideratione, eas non sinet elabi absque correctione, & reprehensione. Quod videmus factum in persona Episcopi Thyatirensis, cuius zelus strictè examinatur, itaut S. Petrus meritò dixerit; *quoniam tempus est vt incipiat iudicium à domo Dei, si autem primum à nobis, quis finis eorum, qui non credunt Dei Euangelio, & si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt.* 1. c. 4. Quod si vir tam insignis perfectionis, qualis describitur Episcopus Thyatirensis reprehensione dignus habetur in iudicio Dei, quid erit de iis qui oppleti sunt sceleribus?

At satis appositè Thyatira interpretatur, illuminata, quasi exoptetur ipsi mens bene collustrata vt possit fideliter discutere, & diiudicare, num quędam tacita, & occulta præsumptio, & in propria virtute fiducia causa existat, quod ita præcipitanter & imprudenter prorumpat in actionem, & optimo iure Christus saluator, Dei nomen sibi assignat; siquidem agitur hic de potestate scrutandi corda, & renes huius Episcopi, vt quo motiuo ad agendum inducatur, cognoscat. At hæc potestas Deo competit, qui dicitur, *scrutans renes, & corda.* Igitur vt sciamus, quod hic titulus iudicis supremi ad eum pertinet: precipuè & principaliter ratione Diuinitatis, Exordium huius Epistolæ tale est. *Hæc dicit filius Dei qui habet oculos tanquam flammam ignis, & pedes eius similes aurichalco.*

EPISTOLA AD EPISCOPVM Thyatirensem.

Iudex viuorum & mortuorum. Deus. Ps. 9.

IAm ô dilecte! ex Epistolis quas scripsisti, didicerunt fideles omnem in bono proposito amouendam esse cordis instabilitatem, eisdem suasisti perseuerandũ esse, licet multos pati debeant in via Dei aduersarios: iam eis quibus armis hostes deuincere possint inculcasti, ne pusillanimitate quadam occupati arma deponant & certare desinant, nunc ne imprudentiori zelo cum quadam animi præcipitatione ferantur, & ad opus inutile se accingant eos monere percupio. Nolo quippe seruos meos esse

Digitized by Google

puſillanimes, ſed nec in eis minimam in viribus propriis fiduciam reponere deſidero, Ego ſum Deus ſcrutans corda & renes qui intentiones animi & ſenſus diiudico. Ne igitur Angelus Thyatiræ ſibi blandiatur, de ſe pluſquam par eſt præſumendo, ipſi Angelo Thyatiræ ſcribe, *Hæc dicit filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis; & pedes eius ſimiles aurichalco.*

Textus. *Et Angelo Thyatire Eccleſie ſcribe. Hæc dicit filius Dei qui habet oculos tanquam flammam ignis, & pedes eius ſimiles aurichalco.*

Hæc inquam dicit, qui *non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*, licet ſeipſum exinaniuerit formam ſerui accipiendo, qui filius Dei eſt dilectus, in quo ſibi bene complacuit, cui omnem dedit iudicandi poteſtatem, *omne enim iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant Patrem*, vt ſicut Pater omnia per verbum fecit, cum ſit ars & ſapientia Patris, ita & omnia diſcernat & iudicet, in quantum ſapientia, & veritas eius eſt. Itaque exopto vt ſcias, quod cum omnem à Patre æterno iudicandi acceperim poteſtatem & authoritatem, omnibus optimo iudici requiſitis conditionibus ſeu virtutibus inſtructus ſum, ſapientia, veritate immutabili, rectitudine inflexibili, exequendi iudicium meum poteſtate. A.

Noui opera tua & fidem, & charitatem tuam & miniſterium & patientiam tuam, & opera tua nouiſſima plura prioribus.

Cum igitur cuncta mihi clare innoteſcant, nihilque aciem effugiat oculorum meorum, nullatenus tibi dubitare licet, me omnia opera tua, & perſpexiſſe, & ponderaſſe. Vidi fidem, ponderaui charitatem, probaui tuam in miniſterio tuo ritè peragendo fidelitatem, laudaui patientiam, quin etiam zelo tuo delectatus ſum, quo infatigabili curſu proficis in bonis operibus, vt vocationem, & electionem tuam certiorem reddas, fidem quippe non mortuam, ſed viuam; in mente geris; talis enim eſt quo per charitatem operetur; addo aliud mihi gratiſſimum, ritè fungeris miniſterio tuo, plenè tuo incumbis munori: quod quidem fideliter præſtas, licet multos tibi ſubire labores neceſſe ſit, licet multos aduerſarios patiaris, & contradictores; ſed omnia ſuperas animum tuam in patientia poſſidendo, ſicque in te gratia mea vacua non exiſtit; quà de die in diem multis bonis operibus iam peractis alia itidem accumulas, vt numerus eorum quotidie accreſcat, & fiant opera tua nouiſſima plura prioribus. Nihilominus ſcias velim non ſuperuacuè tibi in memoriam reuocari, quod ego ſim filius Dei: hoc ſiquidem intimatum eſt, vt memor exiſtas me tuum eſſe iudicem, qui clarè intueor quoſlibet minuſculos defectus, qui iuſto iudicio quoſdam repello, alios eligo; qui ſynagogam Iudæorum repudiaui, vt gentilitatem mihi in ſponſam ſeligerem, qui è duobus populis vnam coadunaui Eccleſiam, ita tamen vt perfidam Iudæorum ſynagogam mihi ihimicam reiecerim, *facta eſt enim hæreditas mea, qua Leo in ſylua.* Herem. 12. *dedit contra me vocem, ideo odiui eam.* Hinc de te conqueror, nam cum honorem meum promouere, & mei nominis cognitionem amplicare debeas, & me eſſe Deum omnibus potenter annunciare, vt per meam cognitionem cuncti veniant ad Patrem, *nemo enim venit ad Patrem niſi per me: Permittis mulierem Iezabel, quæ ſe dicit Prophetem, docere, & ſeducere ſeruos meos, fornicari, & manducare de idolothytis.* Permittis, inquam, ſynagogam Iudæorum nominis mei inimicam familiari conuerſatione fidelibus commiſceri, itaut eius colloquia praua, & peruerſa dogmata haurire valeant, quibus ipſi Iudæi, quotidie cognitioni meæ aduerſentur, meque exſibilent, & tanquam nugacem, & ſeductorem rejiciant, & iugiter tota die nomen meum ab eis blaſphematur. Quod quidem non modicæ imprudentiæ, & indiſcretæ prouidentiæ tribuendum eſt, ob manifeſtum ouium tibi commiſſarum ſubuerſionis periculum: nam cum & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa apud ſe eſſe Iudæi glorientur, iactent ſe præterea tanquam veritatem & ſanctarum ſcripturarum intelligentiam poſſideant, perfacile poteſt ſynagoga ipſa nouiter ad fidem conuerſos ſeducere, & ad ſuam ſpiritalem fornicationem inducere, cum ei fidem adhibentes, ac ſi eos veritatem edoceret, eos impellit ad legalium ceremoniarum obſeruantiam, non ſecus ac ſi adhuc non eſſent liberati à lege, nec adhuc iugum huiuſce oneris excuſſiſſent vocati in libertatem filiorum Dei, à quo onere ipſos redemi, cum meipſum legi olim ſubieci: quod æquè mihi moleſtum eſt, veluti ſi de his cibis, qui idolis immolantur, comederent. B.

Hac ratione tibi ſuccenſeo, quia imprudenter egiſti: cum tuos ſubditos à tali ſocietate abhorrere non ſatis diligenter præcepiſti. Nec te eximes à culpa, aut vituperium effugies, ſi dicas hoc te permiſiſſe ſub ſpe emendationis illius, *dedi illi tempus, vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à ſua fornicatione*: iam elapſum eſt tempus illud ad reſipiſcentiam benignè conceſſum, & adeo obdurata apparuit in peccato ſuo cum me abiecit & à ſe repulit, vt omnis ſpes emendationis, aut correctionis ablata exiſtat. Libellum repudij itaque dedi ei, & ab ea meos fideles omnino ſeparari iubeo, quos ſub ſpe correctionis & emendationis ipſius aliquantulum benignè permiſi cum ea commiſceri: & familiaritet conuerſari, quibuſdam etiam eius ceremoniis vti, vt cum honore aliquo eam ſepelirem. At illa emendationis ſpe ſublata eam dereliqui, negligi volo, ac iubeo: ne ſeducat ſeruos meos, ſicuti ipſa ſemper eſt in inſidiis vt quoſdam ex eis ad ſe alliciat, & ſuis mendaciis ſubuertat. C.

Textus. *Et dedi illi tempus vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicatione ſua.*

Quin etiam vani erunt eius conatus, quibus etiam mei nominis gloriam extenuare, offuſcare, aut ſi fieri poſſet ab hominum memoria penitus eradere; ſentiet profecto, quis ego ſim, quam potens, quam iuſtus, quam metuendus: experietur me iudicem ſeuerum; quem contempſit habere benevolum, & fideliſſimum ſponſum; *ecce enim eam mittam in lectum*, non introducam eam in cubiculum meum, non in thalamos nuptiales eam intromittam, imo potiùs ipſam in lectum dolorum & tormentorum indicibilium languidam decumbere faciam: nihil aliud ei expectandum poſt repudiationem. D.

Ecce mittam eam in lectum

Sed habeo aduerſus te pauca.

Quia permittis mulierem Iezabel quæ ſe dicit Prophetem docere, & ſeducere ſeruos meos fornicari, & manducare de idolothytis.

Quinimo qui ei ſe adiunxerint, & cum ea mœchati fuerint, *in tribulatione maxima erunt, niſi pœnitentiam egerint ab operibus ſuis. Et filios eius interficiam in morte*, non ſolum quia cum obſeſſa & capta fuit ciuitas Hieruſalem à Romanis fame, & gladio multi in ea perierunt; ſed etiam quia omni gratiâ diuinâ deſtituta inceſtum eius abominatio erit apud me: Neomeniam, & ſabbathum, & feſtiuitates alias non feram, cætus eius reputabuntur iniqui, kalendas eius & ſolemnitates odio proſequar, facta ſunt mihi omnia moleſta, eruntq; inutilia & infructuoſa, nam cum extenderit manus ſuas ad me, auertam oculos meos: cum multiplicauerit orationem, non exaudiam, manus eius ſanguine plenæ ſunt, pœnarum & dolorum eius non recordabor. *Fecit Dominus quæ cogitauit, complenit ſermonem ſuum quem præceperat à diebus antiquis, deſtruxit & non pepercit*, longè erit ab eis conſolator, & Meſſias, quem vanè expectat, non redimet eam: quin & peribunt omnes qui cum ea mœchantur, *& ſcient omnes Eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutans corda & renes*, cum viderint quomodo eam abiecerim & repudiarim, perſpicient me eſſe Deum de Deo, & vere filium Dei, quia proprium Dei eſt iudicare. *Qui do vnicuique ſecundum opera ſua.* E.

Et qui mœchantur cum ea in tribulatione maxima erunt niſi pœnitentiam ab operibus ſuis egerint, & filios eius interficiam in morte.

Et ſcient omnes Eccleſiæ quia ego ſum ſcrutans renes & corda & dabo vnicuique veſtrum ſecundum opera ſua.

At ne hoc accidat, vt in eiſdem cum ea inuoluamini ſupplicijs, cum filios eius interficiam in morte,

Digitized by Google

Textus. exite ab ea, ne participes sitis delictorum eius, iugum legis excutite, animos spiritui gratiæ submittite, vt opera vestra vitificentur: ego vos redemi à maledicto legis, factus pro vobis maledictum, vt pollicitationem spiritus accipiatis per fidem, *state & nolite iterum iugo seruitutis contineri, Vobis quippe dico, & ceteris qui Thyatirę estis*, & qui Ecclesiæ quam meus illumina spiritus, quam omnem edocet veritatem filij estis dilectissimi, iis inquam dico, *quicumque non habent doctrinam hanc* nec acceperunt nec admiserunt huius synagogæ dogmata, & qui tamen adhuc *non nouerunt altitudines satanæ*, nec illius astus & faces, quibus eos fascinare attentat satis perspectos habent seu non nouerunt profunda nimis satanæ consilia, quibus eos circumuenire meditatur vt non obediant veritati, omnibus inquam dico quemadmodum dicunt ij quos spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Quod si quis vobis dixerit, quod rursus debeatis imponere onus legis super capita vestra, & quia nisi circumcidamini secundum morem Moysis, non potestis saluari, eum audire non debetis, sed meos Apostolos, Pastores vestros & Episcopos, qui à Spiritu sancto edocti hoc decreuerunt, & taliter sanxerunt. *Visum est spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, à quibus custodientes vos bene agetis*: Hæc sanxerunt, *non mittam super vos aliud pondus*, Audite eum quem ab antiquis diebus ego elegi, vt per os eius audiant gentes verbum Euangelij & credant, nempe Petrum, meum in terris Vicarium, cui aliquando dixi, *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*, cui pascendarum ouium curam dedi, & ab eo discetis nullum super ceruices vestras imponendum fore iugum, sed per gratiam meam vos omnes saluari.

Vobis autem dico, & ceteris qui Thyatirę estis quicunque non habent doctrinam hanc, & qui non cognouerunt altitudines satanæ.

Quemadmodum dicunt non mittam super vos aliud pondus.

Tamen id quod habetis tenete, donec veniam, nempe doctrinam, fidem, sacramenta, præcepta, & opera vobis præscripta. F.

Tamen id quod habetis tenete, donec veniam.

Quicumque autem hoc fideliter præstiterit, & *vicerit, & custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur, sicut & ego accepi à patre meo. Et dabo illi stellam matutinam.* Certiores quippe vos omnes esse volo, quod si quis sui animi fregerit arrogantiam, omnem à se amouerit præsumptionem, vt inter tot tentationes inter tot diaboli laqueos, meo lumine collustratus securus ambulare queat; & qui firmus & stabilis in fide, perseuerantiam in iis operibus, quæ ego ipse perfeci & quæ imitanda proposui, & sectanda iniunxi, fidei suæ adiunxerit, sicuti mihi honorem deferre hac ratione studuerit; ita ego vicissim honorem illi rependam, qui enim glorificauerit me honorificabo eum, secuti qui me contemnunt erunt ignobiles, particeps erit eius potestatis & authoritatis, quam in populos & nationes exerceo. Erit dignitate aliqua aliis fulgidior. v. g. Episcopi munere, Pastorali cura, doctrinæ splendore, sermonis & eloquij nitore fulgebit; vel miracula patrare, vel heroicas virtutes exercere poterit, plenus gratia & fortitudine faciet signa, & prodigia in populo, itaut ad pœnitentiam, & fidem plurimos conuertat; & licet dura quæque credenda & facienda proponat, fidem tamen illi adhibebunt, adeo virtutem eius suspicient, cunctosque nominis mei aduersarios sub pedibus conteret, & tanquam vas figuli confringet, sicut & ego accepi à Patre meo. Authoritatis igitur, & potestatis à patre acceptæ, quin & sanctitatis meæ adeo clarè, & perspicuè particeps apparebit, vt omnibus appareat tanquam stella matutina: nam sicut vos apparente aurorâ proximum fore solis accessum cognoscitis,

Et qui vicerit & custodierit vsque in finem opera mea dabo illi potestatem super gentes & reget eas in virga ferrea & tanquam vas figuli confringentur sicut & ego accepi à patre meo.

Et dabo illi stellam matutinam.

A sic ex heroicis actionibus & virtutibus eius facillimum erit colligere, ipsum tanquam solem in domo Patris mei fore refulsurum, quin etiam tam eminenti sanctitate, & doctrina, & authoritate apud homines præditus erit, vt cognitionis nominis mei, & amoris, quo fideles me prosequi possunt, velut præcursor existat: omnibus siquidem dicere poterit (adeò erit perfectus) *imitatores mei estote sicut & ego Christi.* Per me non stet, quin Christi solis iustitiæ perfecti sitis sectatores: refulgeat in opere, refulgeat in mente in hac vita, vt in perpetuum eius lumine collustrati, de eius fruitione gaudere valeatis. *Qui igitur habet aurem, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis*, nempe Iesum supremum esse iudicem, qui alios iustè reprobat pro demeritis, alios eligit ex misericordia, filius Dei est, & Deus cum Patre, & Spiritu sancto, *qui habet oculos tanquam flamma ignis, & pedes similes aurichalco, cui sit honor, & gloria in sæcula sæculorum, Amen.*

Textus.

Qui habet aurem audiat quid spiritus dicat Ecclesiis.

PARAPHRASIS EPISTOLÆ ad Episcopum Thyatirensem, explicatio profusior & corroboratio.

Optimi iudicis præclaræ virtutes. Punct. 1.

A. Prima in his est lex sapientiæ, & veritatis immutabilis, secundum quam cuncta dijudicare valeat, in qua fita est potissimum forma iudicij, quâ quidem præditum se esse dicere videtur Christus, dum ait; *hæc dicit, &c.* vt agnoscas meos intueri oculos tanquam flammam ignis collucentes, vtpote qui cuncta perspicuè & certissimè & nosco & discerno, itaut falli nullo modo quam: At parumper oculos deflecte, & pedes attende, eos similes aurichalco conspicies, qua ratione disce me zelo inflexibilis rectitudinis ad omnia progredi; itaut de nulla re iudicium feram odio aut inuidia pulsus, sed solo iustitiæ amore incitatus; quò fit vt si aliqua correctione mihi vti opporteat totum hoc cum paterno affectu erga filios charissimos adimpleam; *quem enim diligit, Dominus corripit, & quasi pater in filio complacet sibi.* Quin etiam agnosce apud me summam iudicia mea exequendi inesse potestatem. Vltima nempe de omnibus à me profertur sententia, cuius vis & energia talis est, vt non tam citò proferatur, quin eodem momento effectum obtineat. Nec est qui meæ resistat voluntati, aut impedimentum objicere audeat. Vt hæc igitur cõjiceres pedes aurichalco similes me habere vides, simbolum genuinum. 1. affectuum meorum, meique in operando, progressus, officio pedum. 2. inflexibilis in operando rectitudine ex duritie æris. 3. Cælestis sapientiæ iustitiæ sectatricis, & eam peramantis ex aureo colore, 4. vltimæ sententiæ, ex pedum in corpore collocatione. 5. efficacis propositi mei executionis ex eorum aurea & ærea firmitate. 6. altitudinis consiliorum meorum ex loco quo aurichalcum effoditur, nempe ex præaltis montibus. Siue enim misericordiâ ductus fauorabili sententiâ crimina condonem, siue iustitiæ zelo pulsus pœnas, aut præmia decernam; semper voluntatis meæ affectus ineffabilem sapientiam, charitatem nimiam, paternum affectum, summam potestatem redolent. Itaut omnia quæcumque perficiam ad hoc ordinentur, vt mea eniteat sapientia, eluceat veritas, bonitas refulgeat.

Cæremoniæ Iudaicæ comparantur idololatriæ post Domini aduentum, & cur synagoga nomine Iezabel designatur. Punct. 1.

B. Ad lucis exortum disparuerunt vmbræ, & veritate de Terra ortâ cum iustitia de cælo prospexit,

figuræ

figuræ euanuerunt, ad quid igitur illæ ceremoniæ, quæ Messiam futurum adhuc promittunt? earum proculdubio cultus & religio æque à Deo reprobatur ac seruitus idolorum: in iis Messiam sperare futurum, & hac vana spe pascere animum, æque vanum & impium est, ac si quis de idolothytis manducaret. Synagoga autem nomine Iezabel designatur. Nam sicut Prophetas illa alia antiqua Iezabel vexabat, & vsque ad mortem persequebatur, hæc vetat ne quis Christum filium Dei agnoscat & confiteatur, & eos qui eius nominis gloriam audacter annunciant, morte afficit; & sicut olim impia Iezabel concitauit Achab, vt seruiret Baal, & adoraret eum, & idola sequeretur, ita hæc ceremonias legales obseruari volens futurum Messiam significantes, ad cultum cuiusdam idoli homines prouocat: sicut enim idolum nihil est in mundo, ita nullus Messias denuò venturus est, qui coli debeat. Vanæ igitur sunt hæ ceremoniæ, impiæ, sacrilegæ, & mendaces, nihil veri prænuntiantes aut significantes, & qui in eis futurum Messiam colunt & venerantur, vana spe delusi idolothyta comedunt. Ponunt enim mendacium spem suam, & mendacio se protegi sperant. Tandem sicut olim impius cætus contra Naboth à Iezabel concitatus eum lapidibus obrui decreuit, vt Achab vineam Naboth possideret, ita nùc synagoga Gentilibus fauet, vt regnum Christi euertere possint. Nonne igitur imprudenter agitur, si eius commercium exoptetur, societas requiratur, conuersatio oblectet? Fugienda est potius & abhorrenda, & cauendum omnino ab eius contube vnio.

Negligit Deus, qui eum negligunt. Punct. 3.

C. Non est aliud nomen sub cælo in quo oporteat homines saluos fieri: Dicere potest Christus: A meo nomine alium à me Messiam sibi fingentes, eumque expectantes fornicatione spiritali coinquinantur, hac vana spe & expectatione me rejicientes, quidni eos non rejicerem, & vicissim repudiarem? quia igitur me repulerunt, ego etiam abieci eos; Ego inquam qui summa sum veritas in sponsam mihi asciscere exoptauem synagogã. At mendacio adhærere maluit impia fornicatrix & adultera, & si eam ad me allicere conatus fui, ipsa me reiecit & contempsit, quidni igitur eam non contemnerem, & à connubio & thalamo meo procùl repellerem?

Quã timebat mala synagoga, illi euenerunt eiecto ab ea Christo. Punct. 4.

D. Dicebat olim, *Quid facimus, quia homo ille multa signa facit? si dimittimus eum sic omnes credent in eum, & venient Romani & tollent nostrum locum & gentem;* A Et Christi Domini mortem meditata est; dixitque, *Venite occidamus eum, & nostra erit hæreditas*, sibique quietem & comparare hac ratione arbitrata est: eum illum tanquam seductorem rerumque perturbatorem crucifigendum esse conclamauit: at pro quiete laborem, pro tranquillitate rerum suarum euersionem, & omnimodam perturbationem sibi conciliauit. *Mittam*, inquit, *illam in lectum* non solatij, sed mæroris, euersa namque & prostrata, squallida, & oppressa amaritudine humi iacebit, ponam eam desertam, desolatam, tota die mœrore confectam.

Ex repudiatione synagogæ clarè dignoscitur Christum esse iudicem. Punct. 5.

B E. Cum ait hîc Dominus, *ego sum scrutans corda & renes*, idem est ac si diceret: Cum Dei sit proprium iudicare, ex iudicio quod exercebo aduersus eam, (siquidem & sensus, & intentiones peruersas huiusce synagogæ discutiam) videbunt, quod etsi me exinanuerim formam serui accipiens, non tamen arbitror rapinam, si me Deo æqualem prædicem, & hanc de me fidem ab omnibus meritò exigam, *constitutus à Deo iudex viuorum, & mortuorum. Non enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio: vt omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem.* Sic ex repudiatione synagogæ ex ablatione ceremoniarum informarum & inutilium, ex subtractione influxus C gratiæ ab omnibus operibus legis, & suppliciis quibus crimina eius puniam, *scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes & corda, & dabo vnicuique secundum opera sua*, erit in portentum & exemplum omnibus gentibus, vt sciant omnes, quod si Deus naturalibus ramis non pepercit, quia illius notitiæ suauissimos fructus à se excusserunt, nec ramis insertis parcet aliquãdo, si in eis fructum expetitum non inuenerit. *Vide ergo bonitatem, & seueritatem Dei, in eos qui ceciderint seueritatem, in vobis autem bonitatem si permanseritis in bonitate, alioquin & tu excideris.*

In quo consistat libertas Christiana. Punct. 6.

F. Estis quidem in libertatem vocati, non ita tamen vt libertatem in occasionem detis carnis, spiritui enim meo in omnibus obedire debetis, cuius fructus sunt gaudium, Charitas, Pax, Patientia, Benignitas; Bonitas, Longanimitas, Mansuetudo, Fides, Modestia, Continentia, Castitas, & cum mei sitis carnem vestram crucifigere cum vitiis, & concupiscentiis, & quia meo spiritu viuitis, spiritu etiam ambulare debetis, sermones meos fideliter seruando, vt ad vos veniamus; & mansionem apud vos faciamus.

ANNOTATIONES
IN CAPVT II. APOCALYPSIS.
ANGELO EPHESI SCRIBE.

Admonitiones in his Epistolis factæ tam Episcopis quam Ecclesiis ad omnes tum Episcopos tum Ecclesias vniuersalis Ecclesiæ pertinent.

ANNOTAT. I.

Richardus à S. Victore.

ADVERTENDVM ex Richardo à S. Victore. l. 1 c. 12. quod factâ superius instructione generali de eo quod sibi, filio hominis similis apparuit, S. Ioannes ad singulares admoniti-

nes, quæ singulis Episcopis siue Ecclesiis factæ sunt describendas accedit. In quibus videlicet admonitionibus vniuersales omnium Episcoporum, atque Pastorum, & Ecclesiarum Christi exhortationes continentur & per has rectè signantur: multa namque, quæ in his admonitionibus singulariter inseri-

Digitized by Google

buntur ad omnes qui intra ſanctam Eccleſiam negligenter agunt pluraliter referuntur, ſcriptum quippe eſt, *quod vobis dico omnibus dico.* Primo itaq; Epiſcopo Epheſi Eccleſiæ ſcribit, qui cæteris prælatione & dignitate ſublimior extitit, vt dum ille qui in ciuitate Metropoli reſidebat increpatur omnibus aliis emendatus in exemplum correptionis proponatur. Ipſi autem Epiſcopi in Prophetia Angeli, id eſt, nuncij nuncupantur, quia per eos præcepta diuina nunciantur. Sed in ſequentibus viſionis huius verbis aliquando ipſos quibus diriguntur laudat, aliquando increpat vt laudando in bono confortet increpando de malo caſtiget. *Et Angelo Epheſi ſcribe.* Quaſi diceret: non ſolum quæ tibi ſuperius præcepta ſunt ſcribendo perfice, ſed & ea quæ ſequuntur diligenter ſcribe, vt bonum quod tibi ſacra viſio manifeſtat per ſcriptum tuum aliis notum fiat: Et qui hic geris perſonam diſcentis, illic geras perſonam docentis, hic videndo exiſtens in perſona diſcipuli, illic ſcribendo exiſtens in perſona magiſtri. Ita Achar. Audiamus igitur Chriſtum per Ioannem vniuerſalem Eccleſiam in paſtoribus & ſubditis docentem.

Quod vni dicitur omnibus dicitur.

Hæc dicit, qui tenet ſeptem ſtellas in dextera ſua, qui ambulat in medio ſeptem candelabrorum aureorum.

Cum Chriſtus Dominus dicit ſe habere ſeptem ſtellas in dextera, & ambulare in medio ſeptem candelabrorum aureorum, nos ad exaltationem humanitatis ſuæ per humiliationem comparatam meditandam excitat.

ANNOTAT. II.

Diuerſæ expoſitorum ſententiæ, & noſtra expoſitio. §. 1.

Chriſti benignitas.

BENIGNITATEM Chriſti erga electos in his verbis ſignificari vult S. Anſelmus, nec non & Richardus à S. Victore, quamuis enim multa ſint, in quibus hi Epiſcopi, qui per ſtellas ſignificantur reprehenſibiles oſtendantur eos tamen manu tenere non deſiſtit, vel ſi qui boni, & irreprehenſibiles exiſtant, eos promouet & adiuuat potenter & clementer in bono; *ſignificat*, inquit Anſelmus, *his qui peccauerunt non eſſe deſperandum, ſed per pœnitentiam poſſe reconciliari quia non proiecit eos Deus de manu ſua: bonis vero monſtrat vt patienter laborent conſiſi de corona.* Ita Anſel.

Anſelmus.

Richardus à S. Victore.

Fiduciam probet.

At Richardus à S. Victore fuſius ait, *præbet inquit fiduciam ſeptem Eccleſiis & ſeptem Epiſcopis, & in Epiſcopis ſanctæ Eccleſiæ fidelibus vniuerſis, ac ſi dicat, ſi quis ſuperiorem gradum amiſerit, & per negligentiam ad inferiora decideriſ non deſperet, ſed ad ſuperiora ſe ſubleuet agat pœnitentiam, & inueniet priorem gratiam, quia ego qui ſeptem ſtellas etiam poſt commiſſam negligentiam teneo, qui in medio ſeptem candelabrorum aureorum ambulo, ego eos qui peccant ſi pœniteant minimè diſero, minimè contemno, ſed ad bonum amiſſum recuperandum manu teneo, & ad potiora promerenda prompues, eripio clementer de malo, adiuuo potenter in bono; ipſi enim peccauerant, ipſi enim negligenter egerant, quos adhuc in dextera tenebat, & in quorum medio ambulabat. Et tamen eos nequaquam deſerebat ad pœnam, ſed mouebat ad pœnitentiam. O quam mira circa nos diuinæ pietatis dignatio, qui in ſanctiſſimis etiam ſi diſtrictè vellet ergà eos agere inueniret vnde eos iuſtè damnaret, peccantes conſeruat, fugientes reuocat, diſperſos congregat, peccantes liberat, mortuos viuificat, impios iuſtificat, negligentes increpat, irrepentes excitat, lapſos erigit, ignorantes inſtruit deuios reducit, redeuntes ſuſcipit, ſuſceptos cuſtodit: quiſquis ergo diuinam clementiam conſiderat, de venia nullatenus diffidat.* Ita Richard. l. 1. c. 5.

Dionyſius Carthuſianus conſeruationem, & directionem Epiſcoporum in his verbis denotari vult qui tenet ſeptem ſtellas, id eſt, Epiſcopos ſeptem Eccleſiarum Aſiæ conſeruat ac dirigit, at dum in medio ambulare dicitur, quia in eis diuerſos effectus operatur; *dicitur*, inquit Dionyſius, *Chriſtus ambulare in medio fidelium, non hinc inde localiter progrediendo, ſed corda credentium viſitando varioſque in eis effectus agendo* ita Dionyſ. *Ambulat quaſi diuidens*, inquit S. Anſelmus, *ſanctis Spiritus dona.*

Dionyſ. Carthuſ.

Conſeruat & dirigit.

Diuidit dona.

Andreas Cæſarienſis vero in his verbis diuinam gubernationem agnoſcit. *Probabile ſit*, inquit, *per ſeptem ſtellas ſeptemue Angelos, quos Ireneus, & Epiphanium intelligentiarum calorum nomine alicubi exprimunt totius vniuerſi gubernationem, quæ in dextera Chriſti, ſicut omnes quoque terræ fines ſita eſt, hoc loco ſignificari. Siquidem, id eſt, quia iuxta promiſſionem ſuam in medio Eccleſiarum ambulat mundumque per ſanctos Angelos adminiſtrat.* Ita And.

Diuina gubernatio.

At ego exiſtimo in his verbis deſignari exaltationem Chriſti per ſucceſſionem infirmitatis carnis de quo dicitur *paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, cuius principatus ſuper humerum eius*, Iſ. 9. filius eſt, non cuiuſuis ſed Patris æterni. Habet principatum ille filius, quia Dominus eſt vniuerſi: ſed paruulus quia caro factus, ſed qui portet ſui principatus inſigne ſuper humerum, qui voluit nobis aſſimilari portans crucem ſuam ſuper humeros, vnde & ambulat in medio noſtrum in ſimilitudinem carnis peccati factus. Ex his igitur duobus formulis loquendi diſcimus Chriſtum Dominum hominem factum duobus modis conſiderari debere, vel inquantum ad eminentiſſimum dignitatis gradum noſtram naturam ſublimauit Caput Angelorum & hominum effectus, quod indicat cum ait, *hæc dicit qui tenet ſeptem ſtellas in dextera ſua*; ſeu inquantum infirmitatum noſtrarum dignatus eſt fieri particeps, quod innuit dum ait, *qui ambulat in medio ſeptem Candelabrorum aureorum*; Illam enim ſublimitatem iam ex dignitate perſonæ ſibi debitam, quoad exercitiũ promereri voluit per humiliationem carnis: factus eſt enim principatus eius ſuper humerum eius dum Pater æternus voluit conterere eum in infirmitate. Iſ. 53. Nam vt antea dicit Iſ. *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit*, &c. *& poſuit Dominus in eo iniquitates omnium noſtrum*, vnde & exaltari promeruit vt ibidem dicitur, *Pro eo quod laborauit anima eius videbit & ſaturabitur: in ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos & iniquitates eorum ipſe portabit, ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt.* Hæc Iſ. Certè ambulat in medio noſtri qui & moritur, & velut ſceleratus reputatur, & vt antea caput 52. dicebat idem Propheta. *Ecce intelliget ſeruus meus exaltabitur, & elevabitur, & ſublimis erit valde*, at quomodo ſublimatur explicat poſtea dum addit, *ſicut obſtupuerunt ſuper te multi, ſic in gloria erit inter viros aſpectus eius, & forma eius inter filios hominum.* Ecce exaltatio per humiliationem.

Exaltatio humanitatis Chriſti per ſeptem ſtellas in dextera Chriſti deſignatur. §. 2.

Quod autem per ſeptem ſtellas in dextera Chriſti eminens dignitas humanitatis ipſius deſignari poſſit patet ex eo quod per ſtellas Eccleſiæ Prælatos ſeu Epiſcopos ſignificari diximus.

Exaltatio Chriſti per ſuſceptionem infirmitatis carnis.

Equidem ſi ſeptem ſtellæ ſignificare poſſunt ſeptem Planetas, quorum influxu ſublunares cauſæ à cælis mouentur, & quodammodo reguntur, ſi per ſtellas vt dictum eſt, Epiſcopi omnes per quos Chri-

Eminens Chriſti dignitas per ſtellas in manu deſignatur.

Digitized by Google

ſtùs Eccleſiam militantem regit deſignantur; ſi huius Eccleſiaſticæ hierarchiæ exemplar eſt cæleſtis & Angelica hierarchia inqua ſunt ſeptem Angeli præcipui iuxta illud Angeli Raphael. Tobię 12. *Ego enim ſum Raphael Angelus vnus ex ſeptem qui aſtamus ante Dominum*: quâ de causâ Eccleſiæ Prælati Angeli dicuntur, quia ſicut in cæleſti hierarchiâ ſeptem ſunt Angeli præcipui adminiſtratores diuinorum decretorum, pari modo in Eccleſiaſticâ hierarchiâ Prælati à Deo poſiti ſunt vt eorú miniſterio ſuas voluntates adimpleat & exequatur; cum dicimus ſaluatorem tenere in dexterâ ſuâ ſeptem ſtellas idem eſt ac ſi diceremus ipſum omnem poteſtatem exercere in cælo, & in terrâ, & tam res naturales quam ſupernaturales à ſuo dependere arbitrio ſeu in ſuâ eſſe diſpoſitione iuxta illud, Matt. vltimo, *data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra: euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*: Angeli igitur ſtellæ dici poſſunt, ſtellæ iſtæ Paſtores etiam ſignificant quia Paſtores Angelorum miniſteria imitantur.

Tobiæ 12.

Matt. vltimo.

Et reuerâ ſicut ſtellæ præter propriam, & ingenitam lucem maiori lumine à ſole decorantur, ita Angeli præter cognitiones inditas ab inſtanti creationis, à verbo æterno recipiunt lumen gloriæ: & præter illud lumen gloriæ, quo ad viſionem beatificam euehuntur, per ſpecialem reuelationem recipiunt cognitionem eorum quæ ad Eccleſiæ regimen pertinent vt clarè ex huius Prophetiæ initio conjicitur: & ſicut Planetarum motus talis à diuinâ ſapientiâ præſcribitur, qualem illum eſſe exigit motus ſolis, ad cuius motum aliorum planetarum motus regulari debent, hoc modo Angeli mouentur in ſuis circa hominum gubernationem operationibus prout opus eſt ad gloriæ Chriſti ſolis iuſtitiæ manifeſtationem, & prout ipſe vult & decernit. Denique ſicut per ſtellarum influxus multi producuntur in inferiori orbe effectus, ita per Angelorum inſpirationes & irradiationes, quas mentibus ingerunt; & ſolatia, quibus corda noſtra confirmant: multi effectus gratiæ in Eccleſia producuntur. Tales debent eſſe Prælati, ſtellæ recipientes lumen gratiæ præter naturalem rationis lucem & ſcientiam, qui puritate vitæ mereantur percipere diuinas illuſtrationes neceſſarias ad regimen Eccleſiæ; qui motus ſuos ita optimè ordinatos habeant, vt illorú miniſterio gloria Chriſti Ieſu manifeſtetur, iuxta illud S. Pauli ad Epheſios 4. *Qui deſcendit, ipſe eſt qui aſcendit ſuper omnes cælos vt impleret omnia, & ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, &c.* Denique ſicut ſtellæ Prælati influunt in fideles ſibi inferiores, ſiquidem effectus gratiæ producuntur per adminiſtrationem ſacramentorum, quorum adminiſtratio pendet à prudenti & fideli miniſterio prælatorum qui ex officio & ratione muneris ſui ea adminiſtrare fidelibus tenentur: ſicque tanquam ſtellæ ſeu potius tanquam Angeli dici poſſunt miſſi & deſtinati in opus miniſterij propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis, dum ab Angelo noui Teſtamenti Chriſto Domino mitti perhibentur, dum v. g. dixit: *Sicut miſit me Pater & ego mitto vos*. Et reuerâ ſicut in initio Geneſis Moyſes ſub nomine ſeu vocabulo cæli, & cælum empyreum & Angelos complexus eſt, alioquin de illorum creatione nihil dixiſſet aut indicaſſet; ita ſanctus Ioannes nominibus Angelorum & ſtellarum, & ſpiritus Angelicos & homines intelligit, qui in Eccleſia Angelicas functiones exercent, quorum omnium Caput eſt Chriſtus. Quæ dignitas cum magna ſit & excellentiſſima cum dicitur ipſum habere in ſua diſpoſitione & poteſtate ſeptem ſtellas, idem eſt ac ſi diceretur ipſum eſſe mundi rectorem, Angelorum & hominum gubernatorem. Vnde optimè Andreas Cæſarienſis: *Probabile ſit autem per ſeptem ſtellas ſeptemue Angelos quos Ireneus & Epiphanius intelligentium cælorum nomine alicubi exprimunt, totius vniuerſi gubernationem, quæ in dextera Chriſti ſicut omnes quoque terræ fines ſita eſt hoc loco ſignificari: ſiquidem is eſt qui iuxta promiſſionem ſuam in medio Eccleſiarum ambulat, mundumque per ſanctos Angelos adminiſtrat.* Ita And.

Angelorum cum ſtellis collatio.

Paſtores ſtellæ & Angeli.

Epheſ. 4.

Andr. Cæſar.

Quomodo conjicere poſſumus Chriſtum in omnes fideles influere & effectus producere diuerſos, compatiendo noſtris infirmitatibus, ex eo quod dicitur ambulare in medio ſeptem candelabrorum aureorum. §. 3.

Quod autem per aliam formulam loquendi, *Qui ambulat in medio ſeptem candelabrorum aureorum*, cum per candelabra Eccleſias intelligere debeamus, id eſt, diuerſas quaſdam fidelium congregationes; in medio eorum exiſtere, eſt quaſi iis omnibus participare, & in eas omnes influere: ſicut enim omnes lineæ circumferentiæ in centro coeunt, quo fit vt centrum cum iis omnibus conueniat; ita omnes fideles tanquam lineæ cum Chriſto, qui in medio eorum conſiſtit conueniunt, quia eiuſdem naturæ cum eo exiſtunt: & ſicut ille omnium infirmitatum eorum ſit particeps, ita etiam virtutum & meritorum ipſius participes euadunt. Ambulat autem in medio ipſorum propter diuerſitatem donorum, quia ratione diuinitatis deſcribitur, cuius centrum vbique eſt, circumferentia vero nullibi: nullis enim effectibus circumſcribitur quamuis in omnibus diuerſu operetur, ad innumeros nempe alios effectus ſuam potentiam extendere poteſt, qui hos aut illos varios & diuerſos in his aut iſtis effectus operatur. Licèt igitur alterius nunc ſit glorię, quamuis eiuſdem ſit naturæ iuxta illud Pauli 2. ad Corinth. 5. *Etſi cognouimus ſecundum carnem Chriſtum ſed nunc iam non nouimus*: nunc enim impaſſibilis eſt & immortalis poſt reſurrectionem qui antea erat paſſibilis & mortalis, hac de causâ dicere poſſumus ipſum adhuc ambulare in medio noſtrum licet penetrauerit cælos, quia qui olim mortalis fuit & nunc etiam compatitur infirmitatibus noſtris, iuxta illud Pauli ad Hæbreos c. 4. *Habentes ergo Pontificem magnum qui penetrauit cælos Ieſum filium Dei teneamus confeſſionem, non enim habemus Pontificem qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato: Omnis namque Pontifex*, vt ipſe ait. c. 5. *ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis, qui condolere poſſit iis qui ignorant & errant, quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate*, &c. Itaque Chriſtus Dominus iam in ſtatu gloriæ poſitus, ſacerdos in æternum factus compati debet infirmitatibus noſtris, omnis namque Pontifex condolere debet iis qui ignorant & errant & compati infirmitatibus eorum, Chriſtus ſuo modo tanquam peccati expers alij ſacerdotes modo ſibi conuenienti vt; pote peccatores. In hoc enim excellentia & bonitas Chriſti manifeſtatur quod licet ſit liber ab omni peccato tamen alienis peccatis indoluerit, circumdatus non lenocinio & concupiſcentiâ carnis vt cæteri puri homines qui ſunt ſacerdotes, ſed ſolâ infirmitate carnis: qui habuit carnem infirmam, & mortalem ſed abſque peccato, lege Guillaudium in Paulum. Vnde non pro ſe ſed pro noſtris peccatis hoſtiam obtulit ſeipſum viuum & verum ſacrificium, & quamuis nunc immortali carne ſit indutus in gloria, non tamen oblitus eſt infirmitatis quam pro nobis olim ſuſcepit: vnde agit nobiſcum quaſi adhuc noſtras experiretur infirmitates, nullam enim

2. ad Cor. 5.

Hebræorum 4.

Hebræorum 5.

Qua ratione Chriſtus nobis compatiatur.

Guillaudius in Paulum.

Digitized by Google

aliam ob cauſam carnem aſſumpſit niſi vt per eam noſtri miſereretur, & humi iacentes attolleret: natura ſiquidem ipſa comparatum eſt vt pronior ad miſerendum miſericorſque magis ſit ac εὐπαθὴς qui miſerias & pericula eaque omnis generis expertus eſt, quàm qui nunquam indoluit. Homines qui nihil aduerſi ſunt experti duriores ſunt & nullo affectu miſericordiæ ducuntur erga eos quos calamitatibus & malis premi conſpiciunt. At talis non eſt Chriſtus, qui per omnia tentari voluit, & periculum infirmitatum noſtrarum ſubire, quò tentatis nobis, & diuerſis malis vndecumque iactatis ſubſidio eſſe poſſit, tam pronus eſt ad miſerandum vt nos vehementiſſime amet, & maximo erga nos miſericordiæ affectu tangatur, iuxta illud S. Paul. ad Heb. 2. *nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abraham vnde debuit per omnia fratribus ſimilari, vt miſericors fieret & fidelis Pontifex ad Deum vt repropitiaret delicta populi: in eo enim quo paſſus eſt ipſe & tentatus, potens eſt & eis qui tentantur auxiliari.*

Hebr. 2.

Huius igitur ſuſceptionis infirmitatum noſtrarum memor, quibus circumdatus in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationeſque obtulit vt dicitur ad Hebræos c. 5. quamuis in gloriæ ſtatu exiſtat, tamen eſt in medio noſtrum, ambulat in medio vt noſtris compatiatur infirmitatibus, & auxilia opportuna ſuppeditet. Ille eſt Aaron qui currens ad mediam multitudinem, & ſtans inter mortuos & viuentes pro populo deprecatur vt plaga ceſſet. Num. 16. *Si quis enim peccauerit*, inquit S. Ioannes 1. c. 2. *aduocatum habemus apud patrem Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum ſed etiam pro totius mundi*. Ille eſt verus Moyſes, imo Moyſe ampliore dignior honore, qui in domo Patris fideliſſimus eſt ſeruus imo & filius, qui in medio noſtrum eſt tanquam qui miniſtrat, agnus in medio Throni ſtans, mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui ſicut in vita mortalis conuerſabatur in medio hominum, nunc nec eos deſerit, quia promiſit ſe nobis vſq; ad conſummationem ſeculorum affuturum, *ambulabo*, inquiebat, *ipſe inter vos & ero Deus veſter, voſque eritis populus meus*, Leuit. 26. Tantæ promiſſionis memor Propheta Regius dicebat, *ſi ambulauero in medio vmbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es*. Quod à ſapiente olim Eccleſ. 7. dictum fuit *non deſis plorantibus in conſolatione, & cum lugentibus ambula*, hoc præſtat pius Dominus erga nos, in valle lachrymarum degentibus ambulat nobiſcum vt nos conſolationibus ſuis reficiat, ne in via deficiamus. Hæc ſcribenda erant Epiſcopo Epheſino vt ad primam Charitatem refrigeſcentem in ſeipſo rediret propriæ ſalutis memor, quæ prima charitas eſt, id eſt præcipuè à nobis eligenda: qui enim ſibi nequam eſt propriam contemnens ſalutem, cui verè & vtiliter bonus erit? Et quid illi proderit, *ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ autem detrimentum patiatur*. Huius certè charitatis memor erit quiſquis ſuam agnouerit dignitatem, & ſe in dextera Dei teneri ſenſerit, nihil expaueſcet, quòd iuſtorum animæ in manu Dei ſint: ſed ibit de virtute in virtutẽ, etſi mori pro Chriſto neceſſarium fuerit: ad quem profectum inuitatur dum Chriſtum videt non ſtantem ſed ambulantem. Ac ſi illi diceretur à Domino: Ambulandum tibi non ſiſtẽdum, in via mandatorum meorum proficiendum ne deficias: in viâ enim meâ nõ progredi retrogradi eſt: ne retro reſpicias ſed ad anteriora te extendas deſiderio, affectu, intẽtione, actu & opere illius imitator factus, qui dicebat *vnum autem quæquidem retro ſunt obliniſcens, ad ea verò quæ ſunt priora extendens meipſum ad deſtinatum perſequor ad brauium ſuperna vocationis Dei in Chriſto Ieſu*. Ad Philipenſes c. 3. Ecce adeſt ipſemet Chriſtus ſol myſticus potentiſſimus auxiliator, qui auxilia ſua neceſſitatibus noſtris accommodans ſuis ſplendoribus nos colluſtrare dignatur, ſemper mortificationem eius in corporibus noſtris portantes, vt & vita eius manifeſtetur in carne noſtra mortali, quoniam *Deus*, vt ait Apoſtolus 2. ad Cor. 4. *qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Chriſti Ieſu. Habemus autem theſaurum iſtum in vaſis fictilibus vt ſublimitas ſit virtutis Dei & non ex nobis*, & adimpletur hac ratione Prophetia Zachariæ c. 2. *abſque muro habitabitur Ieruſalem præ multitudine hominum, & inmentorum in medio eius, & ego ero ei ait Dominus murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eius*. Et rurſus. *Lauda & lætare filia Sion, quia ecce ego venio & habitabo in medio tui ait Dominus, & applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & habitabo in medio tui, & ſcies quia Dominus exercituum miſit me ad te, &c.* Fauet autem noſtræ interpretationi Richardus à S. Victore dum ait, *Chriſtus itaque in medio ſuorum ambulat, qui in omnibus gratiam ad profectum virtutum & bonorum operum diſpenſat, in medio ambulat, quia dum ad alios venit aliis bona ſua diſtribuit: aliter: ſtat per diuinitatis æternitatem, ambulat per humanitatis conuerſationem, ambulat ergo in medio candelabrorum dum electis omnibus humanæ conuerſationis ſuæ ad imitationem ſanctitatis proponit exemplum*. Ita Richardus.

2. ad Cor. 4.

Zach. c. 2.

Richard à S. Victore.

Quomodo Chriſtus in medio ambulat.

Scio opera tua & laborem & patientiam tuam.

Imbecillitas noſtra maximè corroboratur ex cognitione ſeu bono teſtimonio conſcientiæ noſtræ quod noſtræ actiones Deo acceptiſſime exiſtãt.

ANNOTAT. III.

PRIMVM *laudat*, inquit Richardus à S. Victore, *deinde increpat, vt laudando ad bonum erigat, & increpando de malo corripiat, laudat vt confortet, increpat vt caſtiget*. Et paulo poſt: *ſcio quia bona accepta libenter indigentibus erogas, & corpus affligendo labores, & quod his excellentius eſt in aduerſitatibus patientiam ſeruas*. Ita Richard.

Richard à S. Victore.

Tolerantiam, inquit And. Cæſar. *laboremque ac moleſtiam, quam pro fide ſuſceperat, tum odium quoque quo improborum ſcelera & impoſturas perſequebatur laudat, laudat æque quod non omni ſpiritui fidem habeat: verùm in eos qui pro Apoſtolis ſe vendicabant diligenter inquirat, falſoſque compertos prudenter repudiet. Laudat tandem quod impura Nicolaitarum opera auerſetur palámque deteſtetur*. Ita Andr. Verus ſiquidem Paſtor non ſolum fulgere debet bonis operibus, ſedulam operam nauare in acquirendis virtutibus, necnon patienter multa tolerare aduerſa, ſed vt laudem conſequatur vero Paſtori proprium eſt vt malis hominibus aduerſetur, impiiſque eorum conatibus obſiſtat; nam nequaquam perfectè bonus erit: ſi malos in ſua malitia æquanimiter ſuſtinet, quiſquis etenim malos in malitia eorum patienter ſuſtinet ipſe malitiæ eorum conſenſum præbet, inquit Richard. De hæreticis præcipuè debemus intelligere iuxta Ambroſ. *Omnis enim*, inquit ille, *qui Paſtor eſt Eccleſiæ ſocietatem hæreticorum quantum poteſt vitare debet, ne per occaſionem familiaritatis eorum corda ſimplicium veneno ſuæ malitiæ corrumpant, ſicut enim lupus quietas inter oues ſine laceratione earumdem ouium verſari non poteſt, ſic nec hæreticus inter ſimplices*. Ita Ambroſ.

Andr. Cæſar.

Hæretici vt Lupi. Ambroſius.

His igitur laudibus Chriſtus Dominus Epiſcopum Epheſinum excitat, vt in ſeipſo ſpiritum gratiæ ſuſcitet, nec patiatur ignem diuinæ Charitatis in ſuo extingui pectore: & merito: dum enim approbat opus, laborem laudat, patientiam extollit,

1. Charitas propria ſ. ſalutis ſtudium.

Eccleſ. 7.

Leuit. c. 26.

Num. 16.

1. Ioan. 2.

Hebræos 5.

Ad Philip. c. 3

Digitized by Google

zelum, prudentem circumſpectionem, & magnanimitatem cum quâ plurimas ſuſtinendo contradictiones in ſuo obſequio fideliter perſeuerat, nec deficiat quamuis plurima aduerſa pati contingat, duplici vtens patientiâ, vnâ quâ attediationem quandam quæ in arduo virtutum exercitio plærumque inuenitur vincit, alterâ quâ exteriores quaſdam contradictiones generoſum propoſitum Deo obſequium præſtandi oppugnantes, ſuperat; Illum ad perſeuerandum promouet: etenim hæc laus & approbatio quâ certus redditur opera ſua Deo eſſe gratiſſima maximam ingerit conſolationem menti ſuam imbecillitatem ſentienti. Hac ratione mens noſtra experitur eum ordinem & gradum obtinere qui ei præſcriptus eſt à Deo vt ad finem ſuum perueniat. *Ordo nempe eſt*, inquit S. Auguſt. lib. 1. de ordine c. 9. *quem ſi tenuerimus in Vita perducet ad Deum, & quem niſi tenuerimus non perueniemus ad Deum.* Ita Aug. Cum igitur mens agnoſcit ſe eſſe conuenienter diſpoſitam vt ad finem ſibi præſcriptum perueniat, nec ad ſiniſtram nec ad dexteram deflectitur ſed recto tramite pergit, & alacriter progreditur in adimplendis mandatis diuinis, iiſque omnibus perficiendis per quæ ſcit ſe fore Deo acceptiorem. Cum Chriſtus hic laudat opera Epiſcopi Epheſini; ad illa identidem perficienda cum vrget & impellit, ea namque Deus ignorare dicitur quæ reprobat, illa vero noſſe quæ eligit & probat, *Amen dico vobis neſcio vos omnes, operarij iniquitatis*, ecce reprobatio malorum quos ignorat, alibi autem, *Noui te ex nomine*, ecce cognitio iuſtorum, quorum Deus approbat vitam, opera laborem & patientiam. Quid autem ſeruo laboranti acceptius eſſe poteſt quam ſi nouerit laborem ſuum à Domino ponderari, qui adeo ſit iuſtus & æquus vt quo plus laborauerit eo maiorem ipſi largiatur remunerationem nec ſolum mercedem repromiſſam pro laboribus ſuis rependens ſed copioſiorem cum animaduerterit ſeruum, cum maiori ſollicitudine, vigilantia & ſolertia operi perficiendo ſeſe accinxiſſe, ponderare igitur non ſolum opera ſed etiam laborem?

Auguſt.

Cum quid laus bonorum operum inferuiat.

Et reuerâ ſi quis attentè perſpexerit quantis inuoluatur infirmitatibus, perſenſerit ſenſuum ſuorum repugnantias, paſſionum ſuarum inſultus frequentiſſimos, mentis imbecillitates, carnis infirmitatem animo prorſus deficiet perſentiens cum ſancto Paulo bonum ſe minime perficere quod optat, malum autem operari quod abhorret & execratur: ſæpius à bono propoſito cadere, quæ ſtrenuè incœpimus oſcitanter deſoluimus, & plærumq; ab incœptis deſiſtimus, nec ſatis fideliter exequimur quæ ab optimo Magiſtro & Domino noſtro iuncta fuerunt. Quis talia agnoſcés Domini ſui indignationem non pertimeſcerit? Quis diuino correptus timore cum gemitibus & ſuſpiciis non exclamabit: *Si iniquitates obſeruaueris Domine Domine quis ſuſtinebit? Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo.* Aut, *miſer ego homo quis me liberabit à corpore mortis huius*, cum Apoſtolo: aut denique, *ne projicias me à facie tua, & ſpiritum ſanctum ne auferas à me*, cum Propheta Regio. Sed adhuc adduci poſſunt aliæ rationes propter quas vtilis & conſolatoria multũ eſt noſtrorum operum à Deo approbatio. Quas hic adferre non piget v. g. adeo frequentes & quotidiani ſunt lapſus noſtri, adeo abſconſæ ſunt nobiſque ipſis incognitæ manent animi infirmitates, tot experimur in virtutum exercitio difficultates, tam infideliter gratiæ præuenienti cooperamur vt valde timendum ſit ne à Domino cui ſeruire debemus repulſam patiamur, vtpotè qui indigni ſimus eius adſtare conſpectui, & addici obſequio, & cum ſæpius animus deficiat dum timidè & ſegniter cum hoſtibus decertamus zona, ſeu cingulo militari, & aliis militiæ noſtræ inſignibus ſpoliari demeremur: hinc plærumque tædio afficimur, & animaduertentes nos ſæpius ad prima conuerſionis noſtræ recurrendum eſſe, mens obtunditur, voluntas circa bonum proſequendum tepeſcit, & neſcio quo pondere grauati, anima ad ea quæ faciliora ſunt exercenda deprimitur: laborioſum nobis videtur fixum tenere gradum in aſcenſu viæ, in altiſſimum & arduum virtutis cuiuſdam maſculæ verticem tendentis, quinimo prolabimur plærumque & retrogrado paſſu à termino conſequendo retardamur. Hac de causâ inuincibilis nobis neceſſaria eſt patientia ad ſuperandas has omnes ſenſuum noſtrorum reſiſtentias, & alias quaſcumque tribulationes, impugnationes, paſſiones: quâ audentiori animo, maiori conamine & contentione contra omnes animi imbecillitates inſurgamus, qua fortiores redditi, infirmitatibus noſtri minimè impediamur quominùs iter incœptum proſequamur in acquirendæ virtutis ſemita fortius pedem figentes, itaut tandem ſcopum attingamus & ad eum ad quem vocati ſumus perfectionis gradum per perſeuerantiam perueniamus iuxta illud S. Pauli ad Philip. c. 3. *Non quod iam perfectus ſim, ſequor autem ſi quomodo comprehendam, ſicut & comprehenſus ſum à Chriſto Ieſu*, Agricolæ imitantes patientiam qui vt ait S. Iacobus, c. 5. *Expectat pretioſum fructum terræ patienter ferens donec accipiat temporaneum, & ſerotinum.* Ita nos fructum exercitiorum piorum virtutis, & deuotionis patienter expectemus. At nihil conducibilius eſt ad talem patientiam, per quam in bono perſeueramus conſequendam, quam ſi nouerimus nos optimo obſequi Domino, qui erga ſeruos non Domini ſed Patris piiſſimi locum tenet, eoſque paterno amplectitur affectu, quo infirmitatibus compatiatur, imbecillitates ſuſtineat iuxta illud Dauidis, *quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognoſcit figmentum noſtrum.* Quæ benignitas Domini erga ſeruos, quos vt filios diligit Epiſcopo Epheſino objicitur, vt eius animus in ſpem erigatur dum Chriſtus ipſius laudat & probat opera, dum eius labores tanquam mercede promiſsâ digniſſimos admittit, dum fatetur ipſi patientiâ opus eſſe propter ingentes quæ occurrunt in exercitio virtutum difficultates, quo fit vt ipſius infirmitati compatiatur: delectatur enim Chriſtus in eo, quod videat illum, nonobſtantibus quibuſcumque imbecillitatibus & contradictionibus in bono opere perſeuerantem, & fructum laborum ſuorum patienter expectantem.

Ad Phil. c. 3.

Iacobi 5.

Quod ſit tanta apud Deum erga nos benignitas reperiatur vt velit etiam ſuis donis gratuitò nos præuenire & cumulare dum adhuc illum offendimus, nonne credibile eſt quod ſi ſemel quæ Dei ſunt quæramus & zelo honoris ſui accendamur ipſum nobis fore propitium, gratumque ſeſe erga nos exhibiturum qualem ſe exhibuit erga Phineos vt dicitur Num. 23. *Quia Zelo meo commotus eſt contra eos Vt non ipſe delerem filios Iſrael in Zelo meo, idcirco loquere ad eum, ecce do ei pacem fœderis mei & erit tam ipſi quam ſemini eius pactum ſacerdotij ſempiternum, quia Zelatus eſt pro Deo ſuo & expiauit ſcelus filiorum Iſrael?* Videſne Deum honorificare, qui eum honorat, gloriam repromittere iis qui zelo gloriæ ſuæ accenduntur? Non mediocris igitur eſt illa conſolatio data Epiſcopo Epheſino dum audit Deum probare & laudare ſuum zelum quo non poterat ſuſtinere malos.

Num. 23.

Rurſus ſi quis perfectè animaduerterit, quam facilè decipimur in iudiciis & cogitationibus noſtris quod innumeræ ſint in actionibus humanis circunſtantiæ, quæ ſciri, expendi, & ponderari debent vt

Digitized by Google

ſanum & verùm de eiſdem feramus iudicium, hominum quippe occultæ ſunt intentiones, dubij ſunt rerum humanarum euentus, propenſiones & inclinationes eorum diuerſæ, & multiplices; quâ de causâ quod vni conducit alteri nocet; quod virtuti aliquando adſcribitur, aliàs vitio imputatur; quod aliquando alicui malo medetur, locum alteri morbo præbebit in alio temporis momento; ſi facilitate animi quoſdam ſuſtineas eoſque tolerare bonum eſſe exiſtimes, erunt qui ex hoc maiori temeritate ad peccata perpetranda properabunt, ſi ſeueriùs ergà eos agas iugum excutere attentabunt; criminum impunitas ad liberiùs eadem patrãda voluntatem & mentem inducit; ſi cum ſeueritate eadem punias puſillinamitatem in corda timidorum ingeris: qua de cauſa proculdubio difficillimum eſt cuilibet moderatori hominum ita ſuas commenſurare actiones & ſolicitudines cum omnibus circunſtantiis quæ occurrere poſſunt, vt optimum effectum & exitum ſortiantur; non enim diligit Deus ãnimas vagas & imprudentes, nec delectatur in cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu: quâ de causâ non modo Apoſtolis ſimplicitatem commendat in ſuis intentionibus, & fidelitatem in miniſterio, ſed & prudentiam laudat, quæ adhiberi debet in omnibus quæ facienda eſſe decreuimus: & proinde ſapiens à Deo efflagitabat ſapientiam, *Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis, quoniam ſeruus tuus ſum ego & filius ancillæ tuæ: homo infirmus & exigui temporis, & minor ad intellectum iudicij & legum: nam & ſi quis erit conſummatus inter illos, quoniam ſi ab illo abſuerit ſapientia ſua in nihilum computabitur.* Et paulo poſt: *quis enim hominum poterit ſcire conſilium Dei? Aut quis poterit cogitare quid velit Deus? Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ.* Sap. 9. In his dubiis & fluctuationibus mentis & naturæ defectibus, & euentuum contingentium incertâ futuritione: habere pro comperto omnia bene fuiſſe incœpta, meliori quam fieri potuit ratione diſpoſita & ordinata, & feliciori modo abſoluta quicquid ſit quod præuidere ſeu prouidere aut decernere voluerimus, certe hoc magnam ingerit menti iucunditatem & lætitiam. Hoc animum impellit ne torpeſcat, ne deponat curam & ſollicitudinem quam adhibet vt Dei obſequium promoueatur, quia perſpicimus ipſum Dominum intentiones noſtras ſuo fauore proſequi, noſtras determinationes ſua fouere protectione, quin & manum nobiſcum adhibere vt efficaciter perficiamus quæ ſemel in mentem noſtram induximus. Huius rei gratia Epiſcopus Epheſinus certior redditur eius obſequia non eſſe inutilia, *Quia*, inquit, *tentaſti eos qui ſe dicunt Apoſtolos & non ſunt & inueniſti eos mendaces.*

Sap. 9.

Denique ſi in aliquo Deus mentes noſtras replet dulcedine conſolationum ſuarum, illud eſt quod dum ad virtutis experimentum, & ſolidationem permittit nos tentari, & reſiſtentias & contradictiones in bonis actionibus experiri, ſtatim ſuaui diſpoſitione prouidentiæ ſuæ paratas habet conſolationes pro menſurâ pœnarum & tædiorum, iuxta illud: *Secundum multitudinem dolorum meorum conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Hoc autem præſtat cum ſpiritus teſtimonium reddit quod ſimus filij Dei grati & accepti, & quod apud eum omnia noſtra obſequia in prætio habentur, *Et patientiam*, inquit, *habes, & ſuſtinuiſti propter nomen meum, & non defeciſti.* Hæc igitur inculcanda erant Epiſcopo Epheſino qui pauliſper à primo Charitatis feruore diſceſſerat, vt vires reſumeret, & priſtinum vigorem, dum audit actiones ſuas Deo ſuo, Domino ſuo, Magiſtro optimo gratas fuiſſe & acceptiſſimas.

A

B

C

D

E

Sed habeo aduerſum te pauca quod Charitatem tuam primam reliquiſti.

Argui & increpari debent qui à proficiendi ſtudio deficiunt, quod dum permittit Deus hoc facit maioris boni exinde eliciendi intuitu.

ANNOTAT. IV.

Cur permittit Deus ſanctos in aliquibus defectibus cadere. §. 1.

Richardus à S. Victore.

SVPERIVS, inquit Richardus à S. Victore, *præmiſit laudem, nunc ſubiungit increpationem: in quâ euidenter edocemur vt ſi quem noſtris verbis emendare volumus, priùs ſi qua habet bona ei commemorare debemus, ne ſi eum primum per increpationem exaſperemus non ad recuperandum bonum erigamus, ſed in barathrum deſperationis præcipitemus.* Ita Richard. Cum autem Deus aliquem perfectioni acquirendæ ſeriè incumbentem permittit in aliquam prolabi negligẽtiam aut culpam, hoc facit intuitu maioris boni ex hac culpâ eliciendi à bono Deo qui ex malis noſtris poteſt ſolus elicere bona, quod docet fusè S. Ireneus dum hanc ſoluit obiectionem, *At nonne ſatius fuiſſet Deum neque Angelos, neque homines procreaſſe talis naturæ vt poſſint præcepta eius violare.* lib. 4. c. 72. Poſtquam enim docuit Deum conſilium dare quædam quidem facere, à quibuſdam vero abſtinere, quoniam liberæ ſententiæ eſt homo & liberæ ſententiæ eſt Deus cuius ad ſimilitudinem factus eſt: ex quo fit vt ſemper conſilium detur ei continere bonum quod perficitur ex eâ, quæ eſt ad Deum obedientiâ, addit Ireneus, & non tantum in operibus, ſed etiam in fide liberum & ſuæ poteſtatis arbitrium homini ſeruauit Dominus dicens, *Secundum fidem tuam fiat tibi*: propriam fidem hominis oſtendens quoniam propriam ſuam habet ſententiam, &c. ad quæſtionem propoſitam ita reſpondet, *Quod hominibus ſi ad modum irrationabilium quæ ſua voluntate nihil poſſunt agere ſed cum neceſſitate & vi ad bonum trahuntur, ipſi ad bonum vno ſenſu, vno more inflexibili & ſine iudicio & ipſi traherentur; nec ſuaue eſſet eis quod eſt bonum, neque pretioſa communicatio Dei, neque magnopere appetendum bonum quod ſine ſuo proprio motu & curâ & ſtudio proueniſſet, ſed vltro & otioſè inſitũ: itaut eſſent nullius momenti boni, eo quod naturâ magis quàm voluntate tales exiſtiterint, & vltroneum haberent bonum, ſed non ſecundum electionem. Et propter hoc, nec hoc ipſum intelligentes quoniam pulchrum ſit quod bonum, neque fruentes eo. Quæ enim fruitio boni apud eos qui ignorant? Quæ autem gloria his qui non ſtuduerint illud? Quæ autem corona his qui non eam vt victores in certamine conſecuti ſunt?* Et ponderans S. Ireneus adhortationes S. Pauli ad pugnam 1. ad Corinth. 8. *Non ſcitis quoniam hi qui in ſtadio currunt, &c.* addit, *bonus igitur agoniſta ad incorruptelæ agonem adhortatur nos vt coronemur, & pretioſam arbitremur coronam videlicet quæ per agonem nobis acquiritur, ſed non vltrò coalitam & quanto per agonem nobis aduenit tanto eſt pretioſior: quanto autem pretioſior tanto eam ſemper diligamus.* Ita Ireneus. Diliguntur certe magis quæ cum multâ ſollicitudine adinueniũtur. Ex cognitione cæcitatis, mali, & morbi percipimus quàm deſiderabile ſit videre, bonum poſſidere, frui ſanitate vt fuſiùs ibidem docet Ireneus. Qui tandem concludit, *Pro nobis igitur omnia hæc ſuſtinuit Dominus vti per omnia eruditi in omnibus in futurum ſimus cauti, & perſeueremus in omni eius dilectione, rationabiliter edocti diligere Deum: Deo quidem magnanimitatem præſtante in apoſtaſia hominis, homine autem erudito per eam quemadmodum & Propheta ait: Emendabit te abſceſſio tua: præſiniente Deo omnia ad hominis perfectionem, & ad ædificationem &*

Ireneus.

1. ad Cor. 8.

Digitized by Google

manifeſtationem diſpoſitionum, vti & bonitas oſtendatur, & iuſtitia perficiatur, & Eccleſia ad figuram imaginis filij eius coaptetur & tandem aliquando maturus fiat homo, in tantis matureſcens ad videndum, & capiendum Deum. Ita Ireneus.

Quid ſit, Primam Charitatem tuam reliquiſti. §. 2.

Quid autem ſit, *primam Charitatem tuam reliquiſti*, docet Richardus à S. Victore, *id eſt*, inquit, *quod te ſine in dilectione Dei, ſiue in dilectione proximi minoraſti, non dixit abſolute quod charitatem reliquiſti: hinc ergo aduertere poſſumus, quod in bono quidem fuit minoratus ſed non omnino bono euacuatus, in gratia igitur accepta nimis ſecure vixerat, & quædam negligenter egerat, & ideo de culmine ſuæ perfectionis deſierat ad minorationem imperfectionis.* Ita Richard. *Multi enim ſunt*, inquit Ambr. *qui in initio conuerſionis ſuæ in ſeruitio Dei feruentes exiſtunt ſed proceſſu temporis tepeſcunt*, ita Amb. Vnde Lyranus primam Charitatem interpretatur opera charitatis quæ habuerat in principio ſuæ conuerſionis, exiſtimat autem hæc verba ſeu hanc reprehenſionem ad perſonam Epiſcopi Epheſini non eſſe extendendam, quia forte cum ſcriberetur hæc Epiſtola erat tunc Epheſi Epiſcopus S. Timotheus chariſſimus S. Pauli diſcipulus: vnde veriſimile non eſt quod proceſſerit in ſpiritualibus deficiendo, ſed magis proficiendo, *Propter quod*, inquit, *iſtud intelligitur de populo ſibi ſubdito, conſueuerant enim ſuſtentare pauperes Chriſtianos feruenter & deuotè & eleemoſynas mittere fidelibus in Ieruſalem habitantibus qui ſuas poſſeſſiones vendiderant ad ſuſtentationem Chriſto credentium vt patet*, Act. 4. *Et refrigeratus erat ab hoc feruore ideo non dicitur quod reliquerit ſimpliciter charitatem, ſed primam, id eſt, feruoris gradum prius habitum ad quem reducitur cum dicitur memor eſto itaque* &c. Ita Ly. Tamen ſi ad propriam perſonam Epiſcopi hæc verba extendas forte fuit non S. Timotheus, ſed aliquis alius Timothei ſucceſſor, qui antea cum feruore opera charitatis exercebat à quo feruore tepuerat.

Ludouicus ab Alcazar vult ipſam tepefactionem intelligendam eſſe de quadam indulgentia, & remiſſione in quam frequenter incidunt plurimi qui prudentia videntur inſignes, cum enim plærumque pluſquam oportet humanas quaſdam ponderant rationes, non ſemper expedire exiſtimant omnia ad amuſſim dirigere, aut vſque ad viuum reſecare iuxta ſpiritus feruorem, ſed propter bonum pacis quædam eſſe toleranda quæ fragilitati carnis conueniant, ne ſi omnia reſcindere voluerint aut ad amuſſim regulare, ſubditi murmurationibus & contradictionibus pacificam illorum gubernationem perturbent ſicque multis commotionibus agitentur, & infinitis inuoluantur anxietatibus ſeu perplexitatibus. Quæ quidem prudentia culpabilis eſt vtpote Dei inimica, de feruore integritate & perfectione charitatis aliquid minuens, veniâ nihilominus digna, quod facillimum ſit in hanc culpam incidere propter noſtram imbecillitatem, difficillimum quippe eſt concitato gradu ſemper ad altiora tendere, non exhauſto ſpiritu. Vnde veriſimile illi videtur primam illam Charitatem eſſe intelligendam de actionibus circa curam & ſollicitudinem ſui muneris paſtoralis, quas actiones non exerceret cum eodem feruore cum quo primis temporibus illas exercebat.

At nihilominus exiſtimo derelictionem primæ charitatis minimè eſſe intelligendam de actionibus ad munus Paſtorale pertinentibus, ſiquidem hic Epiſcopus laudatur de his omnibus virtutibus quæ requiruntur vt aliquis Paſtor vigilantiſſimus cenſeatur, qualis eſt patientia in opere, zelus honoris Domini cuius obſequio mancipatur, qualis eſt prudentia, circumſpectio, vigilantia, malorum odium ſibi conciliatum ex munere ſuo rite perſoluto, patientia non ſolum in opere, ſed & in tolerantia perſecutionum, & contradictionum, quæ illi fiebant ne propoſiti ſui compos euaderet. Quæ omnia ſatis indicant ipſum cum magno feruore ea omnia perficere, quæ ad ſuum munus paſtorale ſpectabant: ideo exiſtimo primam hanc charitatem intelligendam eſſe de his operibus ſeu actionibus, quæ ad proprium profectum Epiſcopi pertinebant, hæc eſt enim prima, id eſt, præcipua Charitas, ſi quis propriæ perfectioni ſedulò incumbat, & de propria ſalute ſit ſolicitus: vt quam circa aliorum ſalutem promouendam curam impendit ea effectum obtineat, valdè enim nocet ſubditorum profectui ſi paſtor propriæ perfectionis ſit immemor, licèt cum magno feruore & ardore omnia charitatis opera ad aliorum ſalutem promouendam neceſſaria exerceat. Viſne videre Paſtorem omnia quæ ad munus Paſtorale ſpectant fideliter & ſtrenuè exercentem, & tamen primam ſeu præcipuam illam charitatem propriæ perfectionis non relinquentem? Attende Paulum 1. ad Cor. 9. cum enim dixiſſet, *factus ſum infirmis infirmus vt infirmos lucrifacerem, omnibus omnia factus ſum vt omnes facerem ſaluos, omnia autem facio propter Euangelium vt particeps eius efficiar*, poſtea vt ſcilicet Euangelicæ promiſſionis quam annunciabat foret particeps docet quomodo ſtuderet propriæ perfectioni, *Ego igitur ſic curro non quaſi in incertum, ſic pugno non quaſi aërem verberans, ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo ne forte cum aliis prædicauerim ipſe reprobus efficiar.* Certe ſi Paulus iam ad tertium cælum raptus cum hæc ſcriberet tot donis adauctus à gratia excidere timet, quomodo alij talibus donis minimè ditati non timebunt, ſi præcipuè opera hæc prima id eſt ad propriam perfectionem conducentia relinquerint, licet aliorum ſaluti procurandæ ſerio incumbant? Et cõfirmatur quod detali charitas hæc 1. charitas intelligenda ſit, quod dicat primam ſuam charitatem, quaſi dicat charitatem qua ſeipſum diligit non alios. Et certe duabus de cauſis omnes Eccleſiæ paſtores à ſtudio perfectionis acquirendæ ceſſare non debent: prima eſt quod turpe ſit retrogradi, quod quidem ſit ſtatim atque primam iſtam charitatem reliquimus nec vlterius progredi volumus: in via enim Dei non progredi retrogradi eſt, 2. eſt quod nunquam Eccleſiæ Paſtor huiuſmodi ſtudium propriæ ſalutis aut perfectionis deſerit quin mox à ſtudio munus ſuum fideliter exequendi facile amoueatur, & malo ſuo exemplo deſtruat quæ verbis ſuis ædificare & conſtruere conatur, hinc dicitur, *ſin autem venio tibi & mouebo candelabrum tuum*, &c. *Memor eſto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.*

Richardus à S. Victore.

Prima Charitas intelligenda eſt de operibus ad proprium ſalutem pertinentibus.

Ambroſius.

Lyranus.

1. ad Cor. 9.

Alcazar.

Quod turpe ſit & vituperio dignum in via Dei non progredi. §. 3.

Iuſta de cauſa hic Epiſcopus arguitur qui tot præclaras, & vtiliſſimas actiones pro aliorum ſalute exercens propriæ ſalutis immemor ſtudium perfectionis reliquerat, ex illis enim actionibus comparare poterat quandam ad bene operandum facilitatẽ: vnde proculdubio pudore ſuffunderetur dum in imperfectiorem ſtatum dilabitur, ſi ratio ipſius non diſtraheretur à conſideratione ſuarum actionum, turpe namque eſt in facilioribus deficere ſi præſtantiora, & difficiliora præſtare valeamus. Multa ſiquidem homini à bono deficienti pudorem ingerere poſſunt v. g. quod vnuſquiſque amator ſit propriæ excellentiæ, quod appetitu ſciendi continuè pungatur, quod magnopere exoptet proprios celari de-

Digitized by Google

fectus: ſi male egerit, hoc omnes latere deſiderat: ſi cum aliquo contendat & certamen ineat vinci turpe & indecorum exiſtimat, ægre aliis cedere cogitur, primas partes in quolibet negotio appetit, & quia propriam induſtriam aliorum ſolertiæ anteponit, & quæ proprio marte inuenit, præfert quorumlibet conſiliis & determinationibus, gloriatur ſi primus quodlibet opus aggrediatur, difficillime ab incœpto negotio deſiſtit, fortiter reſiſtit cuilibet propoſiti executionem impedire volenti, & dum in Templum honoris primus ingreditur fores claudere, & poſt ſe attrahere cupiret, nequis eiuſdem honoris & gloriæ fieret particeps, laudemue ob præclaras actiones conſequeretur. Quo fit vt erubeſcat, ſi quis eum à vero aberraſſe oſtendat, ſi eius propalentur defectus, ſi quis eius induſtriam & artem, aut fortitudinem & magnanimitatem vincat; & quicquid laudis & honoris aliis tribuitur ob præclare geſta, hoc ſibi ſubripi exiſtimat: quaſi nullum putet laudis ſolidiora iecciſſe fundamenta ab iis quæ ipſe poſuiſſe arbitratur.

Error grauiſſimus bonum deſerere.

At cum grauiſſimus ſit error bonum deſerere quod in manu tenemus; defectus omni redargutione dignus, ſi quis à bono deſiſtat: inconſtantiæ & leuitatis indicium à bono propoſito reſilire, deridenda imprudentia ſi inimicorum conſiliis acquieſcamus, nimia puſillanimitas illorum debiles inſultus pertimeſcere, denique indignum ſe præbere mercede & præmio laborum, ſi dum ſcopum prope attingimus pedem reuocemus. Certe indecorum erat huic Epiſcopo primam Charitatem, primum feruorem, primum proficiendi in melius ſtudium abſque vlla cauſa reliquiſſe, necnon graue ipſi imminet periculum imponendi finem ſuis laboribus infauſtum, & in termino curſus ſui inueniendi potius præcipitium, quam brauium aut coronam conſequendi ob exantlatos in bonis operibus labores immenſos. Quapropter illi opus eſt ad pœnitentiam recurrere, cuius proprium eſt damna noſtra reſarcire, & ad priſtinum nos dignitatis gradum reuocare.

Conſueuit quippe iuſtiſſimus Deus paulatim propter continuationem quandam ingratitudinum noſtrarum ſubtrahere diuinas ſuas illuſtrationes, quibus mens colluſtrata, voluntas noſtra firma conſiſtebat in delectabili poſſeſſione virtutis, pietatis, & deuotionis. Niſi enim Deus per infinitam miſericordiam ex profundâ quadam iudiciorum ſuorum abyſſo ſuam tetenderit manum ſi quis per ingratitudinem ei terga verterit & non tantum per fragilitatem ſed per deliberatam voluntatem virtutis profectum reliquerit, proculdubio timendum eſt ne quæ primo perpetrantur per inaduertentiam & ſurreptionem, poſtea perficiantur per voluntariam in malo complacentiam quæ ad ſcelera atrociora præparet viam propter quæ ſalus certe certius periclitetur.

Periculoſa eſt ingratitudo donorum Dei.

Certe qui feruore ſemel repuerit, tepeſcendo tandem charitatem paulatim amiſerit, vmbram demum tantum virtutis conſectabitur non veritatem, & à veritate deficiens quæ nos liberat ab omni errore & vitio, exitum tandem infauſtum obtinebit, qualem ſcilicet obtinent virtutis fucatæ ſectatores. Viſne in antiquis virtutis tantum vmbratilis ſectatoribus intueri qualem finem & exitum demerentur qui vmbram ſolum virtutis ſectatur non veritatem? Lege Diogenem Laertium l. 7. de vita Philoſophorum narrantem quomodo celebris ille Zeno ſtoicus miſerè obierit, nam cum ſemel in terram decidiſſet fracto ex caſu digito manu terram percutiens ait, en adſum quid me oro vocas? impatientiâ ductus continuo ſe ſtrangulans interiit: at quiſnam erat ille quæſo virtutis ſectator, quem propter ſingularem virtutem & temperantiam Athenienſes coronâ aureâ decorauerunt & cui poſt obitum erectus fuit impenſis publicis tumulus vt omnes intelligerent prout ferebat decretum Athenienſium plebem bonos vitos viuos & defunctos honorare? Virtutis nempe tantum vmbratilis ſectator, quomodo enim vere temperans dici poſſet de quo Laertius dicit, *Pueris raro vſus & ſemel aut bis ancillula quadam ne ſexum muliebrem odiſſe videretur.* Quid mirum igitur ſi infauſto exitu finem vitæ impoſuit? Viſne iſtud intueri etiam in his qui fidem receperunt? attende Lutherum nouæ, & impuræ ſectæ authorem quem in errore perſeuerantem hæreticum & hæreſiarcham miſerè obiiſſe non miraberis perpetuis tormentis in inferno cruciandum ſi ponderes ipſum non virtutem, ſed virtutis laruam induiſſe: hæc enim ſunt illius verba relata à doctiſſimo Feuardentio Minoritâ in 4.c. lib. tertij. S. Irenei, *Namquam, dicebat Lutherus, eas cogitationes ex animo dimitto, nimirum quod optarem negotium hoc à me incœptum non eſſe, in hac tentatione ſæpe numero ad ipſum infernum demerſus ſum, quod tamen cauſam hanc ingreſſus ſum videndum mihi nunc eſt & dicendū eam iuſtam eſſe.* Ita ille Talem exitum qualem Zeno ſtoicus Lutherus hæreticus promeretur ingratitudine beneficiorum diuinorum & contemptu gratiæ Dei, à vera enim deuotione receditur per teporem per amiſſionem charitatis; ita remaneat tantum quædam pietatis larua, quo fit vt in grauiſſima quæque ſcelera prorumpere facillimum ſit, & niſi extraordinarium quoddam Deus præſtet auxilium in certiſſimam perditionem homo deducitur. Hæc ſuperborum iuſta punitio, qui de errore & deceptione erubeſcentes defectus ſuos fateri nolunt & potius pertinaciùs in errore perſiſtunt quam ab eo malint recedere. Optima de cauſa igitur piiſſimus Magiſter & Dominus antequam ad tam deplorabilem ſtatū deueniamus de imminenti periculo nos admonet ſi ab exercitio virtutum & priſtino feruore recedamus, & adhortatur nos ad pœnitentiam ob primos defectus commiſſos ne nouos prioribus addamus ſed primis languoribus medelam adhibeamus ne morbus inualeſcat, & fiat inſanabilis plaga noſtra: veriſſimum namque eſt quod quo plura accumulamus peccata tanto magis anima debilior reddatur in exercitio virtutum: & è contra quo plures exercemus virtutum actiones, eo magis virtus nobis gratios eſſe videtur, & eius exercitium facilius eſſe perhibetur. Non vult Deus vt ſibi manus alligentur aut claudantur dicendo ſat eſt illud quod egimus: qui ambulat in latitudine cœlorum corda requirit ampliſſimain quibus ſpatietur: audiamus S. Hilarium in hunc verſum Pſ. 118. *Et ambulabam in latitudine*, vel vt ipſe vertit, *& ingrediebar in dilatationem: Non eſt*, inquit, *anguſtus propheta, & ſuperius iam dixerat: Viam præceptorum tuorum cucurri cum dilataſti cor meum. Scit inter humanarum tribulationum paſſiones ſemper ad Deum patulo ſe eſſe corde oportere, quod idipſum Apoſtolus dotes dicens, in omnibus tribulari ſed non anguſtiari. Nouit hac ipſa amplitudine cordis de ſe idem Apoſtolus gloriari cum ad Corinthios ait, non anguſtiamini in nobis ſed anguſtiamini in vobis: patet hic quoque Prophetia dicente Deo: Et inhabitabo in eis, & inambulabo in ipſis. Anguſta igitur peccantium ſunt corda, & hoſpitio Deum mens ſolluta non recipit, patulum enim domicilium inconcuſſili Deo opus eſt, & ideirco in amplitudine propheta ambulat, quia in eo Dei in ſe loquentis habitatio eſt: cauſam vero amplitudinis ſuæ docet dicens; quia mandata tua perquiſiui: naturæ noſtræ conſuetudinem recordemur quotiens lectioni vacantes mandata Dei & præcepta ſcrutamur. In quantam amplitudinem intelligentiæ mentium noſtrarum dilatan-*

Quid de Luthero feruor datur referat.

Et S. Hilarius.

Diogenes Laertius.

Digitized by Google

tur angustiæ, & quam patulus animi noſtræ humilitatis in deſideria diuina ſit ſenſus, per peccatorum autem noſtrorum conſcientiam coarctatur nobis animi amplitudo, ac difficilia omnia & angusta ſunt cum diuini Verbi habitatione ſumus indigni, ſed ambulans in latitudine prophetæ verſari in officio digno adeptæ amplitudinis debet, & verſatur plane, ſequitur enim: Et loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu Regum & non confundebar, hoc officium dilatati cordis eſt vt ex eo in abundantiâ diuinæ doctrinæ verba procedant. Hæc Hilarius.

Sin autem venio tibi & mouebo candelabrum tuũ.

Nocet gregi ſi Paſtor propriæ perfectioni ſerio non incumbat, ideo oportet vt ſibi aſtendat diligentiſſime. §. 4.

Mirari minimè debemus ſi Chriſtus indignatur contra hunc Paſtorem alioqui vigilantiſſimum vt patet ex laudibus quæ illi dantur: aliquid certe in eo reprehenſibile deprehendit. Minuſcula enim imperfectio in paſtoribus, quæ in aliis nullius cenſeretur momenti, maximum poteſt ſecum trahere boni ſpiritalis detrimentum, eſtque nociuum gregi ad quem regendum fuerunt à Deo propoſiti, hinc fit vt ſæpe Deus eos auferat è vita vt ſaltem peiores non euadant, & maiorem non incurrent damnationem; aut ne grex illorum grauiora patiatur detrimenta, *Sin autem*, inquit, *venio tibi: Vt anima & corpore interficiam*, inquit gloſſa interlinearis, ſaltem corpore interficit vt ſpiritus ſaluus fiat, dum eos Deus è vita ſubtrahit antequam charitatem, quæ in eis tepuerat omnino amittant; nam cum in ſcriptura Deus dicitur venire, vel copioſiora gratiarum dona promittuntur, vel delictorum coërcitio & punitio prædicitur, ſi de Deo tanquam propitio fiat ſermo dona promittuntur, ſi de Deo irato mentio fit prædicitur punitio. Cum igitur hîc Chriſtus ex reprehenſione huius Epiſcopi videatur iratus cum ait, *ſin autem veniam tibi*, minatur proculdubio niſi egerit pœnitentiam illum eſſe puniturum. His igitur verbis, diem dicit quo ante eum apparere neceſſe erit vt de ſuis actionibus rationem reddat apud ſeuerum iudicem qui in articulo mortis videtur venire, & quaſi de cælo deſcendere vt præmia aut pœnas morienti decernat, dum menti morientis cognitionem ingerit ingratitudinis ſuæ erga Deum propter quam & ſeipſum homo iudicat miſericordiâ indignum & merito pœnis æternis addicendũ.

Gloſſa interlinearis.

At non modo ſibi nocet qui propriæ perfectioni non ſtudet, & in charitate tepeſcit, quod periculum illi ſit amiſſionis Charitatis, & ex ea amiſſione æternæ damnationis; ſed etiam gregi ſuo nocet qui videt opera paſtoris ſui ſermonibus ipſius non conuenire; & quia difficillimum eſt vt ſtatim atque aliquis propriæ ſalutis immemor euadit in fideli adminiſtratione muneris ſui longius perſiſtat, negliguntur namque bona opera, tædet laboris, cito patientia deſeritur, malis conſentitur vigilantia torpeſcit, facile in iracundiam prouocatur, recta offuſcatur intentio, omnia mutantur in deterius vnde opus habet admonitione vt prima faciat opera, patet ergo quod iam à bonis operibus conſuetis ceſſabat quia primam charitatem nempe præcipuum proficiendi ſtudium deſeruerat. Non itaque mirum erit ſi gregi nociuum fuerit quod Paſtor propriam negligat ſalutem, zelum enim ſalutis aliorum facilè abjiciet qui propriæ ſalutis non erit amator ſtudioſiſſimus. Iuxta illud ſapientis Eccleſiaſtic. 14. *Qui ſibi nequam eſt cui alij bonus erit, & non iucundabitur in bonis ſuis.*

Detrimentum autem quod gregi aduenit ex negligentiâ Paſtoris exprimitur in his verbis, *Mouebo candelabrum tuum*, id eſt, Eccleſiam tuam: ſeptem enim candelabra ſeptem Eccleſiæ ſunt. Quid autem ſit moueri candelabrum ex variis authorum expoſitionibus eſt inquirendum: Victorinus, *diſpergam plebem tuam.* Lyranus: *obedientiæ tuæ ſubtrahaam ſubditos tuos.* Dionyſ. Carthuſ. *Eccleſiam tuam tollam à te itaque non præeris ei, nec quieſcet in te ſicut in Patre & capite, ſecundum quod per Eſaiam Dominus indigno ait prælato: expellam te de ſtatione tua & de miniſterio tuo deponam te.* Ita Dionyſ. Richard. à S. Victore, *Auferam Eccleſiam tibi commiſſam de manu tua; ne eam amplius manu teneas nec cuſtodias: dictum eſt enim ſupra per candelabra Eccleſias figurari, rectè ergo candelabrum eius de loco ſuo moueretur ſi Eccleſia de manu eius auferretur, & alteri ad gubernandum traderetur: aliter, auferam tibi dona, & virtutes quas adhuc habes, & præmium tibi promiſſum alteri dabo.* Ita Rich. Andreas Cæſarienſis. *Eccleſiam loco moueri haud incommodè aſſeritur cum gratiâ diuinâ denudatur, ſiquidem hoc vno gratiæ præſidio deſtituta per nequitiæ ſpiritus hominesque ſceleratos efficacia eorumdem ſpirituum organa & adminiſtros in fædos fluctus & tempeſtates facilè conjicitur.* Ita And. Itaque motio candelabri eſt aut ipſius Paſtoris amotio à munere ſiue per mortem, exilium, ſiue aliâ quacumque ratione ſuſpenſione, deſtitutione, degradatione, itaut de tali Paſtore dicendum ſit quod de Iechonia dicitur, Ierem. 22. *Si fuerit Iechonias filius Ioakim Regis Iuda annulus in manu dextera mea inde euellam eum, &c.* Vel aptius quod de Sobna præpoſito templi dicitur, Iſ. 22. *Hæc dicit Dominus exercituum, vade ingredere ad eum, qui habitat in tabernaculo ad Sobnam præpoſitum templi & dices ad eum, quid tu hic, aut quaſi quis hic? qui excidiſti tibi hic ſepulchrum, excidiſti in excelſo memoriale diligenter in petra tabernaculum tibi: ecce Dominus aſportare te faciet ſicut aſportetur gallus gallinaceus & quaſi amictum ſic ſubleuabit te, coronans coronabit te tribulatione quaſi pilam mittet te in terram latam & ſpatioſam ibi morieris, & ibi erit currus gloriæ tuæ ignominia domus Domini tui, & expellam te de ſtatione tua, & de miniſterio tuo deponam te.* Ita Iſ. At percuſſo paſtore facile eſt moueri candelabrum, id eſt, turbari Eccleſiam: Secundo intelligitur hoc de perturbatione gregis & Eccleſiæ, etiam ſi Paſtor ſuperſtes remaneat quia propter malum eius exemplum torporem aut negligentiam, in quæ incommoda prolabitur facillime ſtatim atque deſeruerit ſtudium proficiendi in melius, & morum corruptio; ſchiſmata & hæreſes facile introducuntur & ſuſcitantur, necnon plurimæ perturbationes, odia, diſcordiæ, inimicitiæ, litigia, perſecutiones: ſicque minores defectus qui nullius eſſe momenti videbantur in ſcelera formidabiliora degenerant propter quæ tandem moueatur candelabrum de loco ſuo. Id eſt, fidei lumen quod ab Eccleſia accipimus auferatur gratiæ auxilia ſubtrahantur, ceſſet publicus Dei cultus, transferatur denique regnum Dei ab illa gente in aliam vt detur genti facienti fructus illius. Hunc ſenſum odoratunt quidam apud Andream Cæſarienſem, qui motionem candelabri exponens præter ea quæ iam de eo attulimus addit, *ſunt nihilominus qui per candelabri motionem ſedis Pontificiæ, quæ in Epheſina ciuitate quondam exſtabat in regiam ciuitatem tranſlationem intelligunt.* Ita And. Quod de ſolâ tranſlatione Pontificiæ dignitatis ipſi intellexerunt, hoc de fide, pietate, iuſtitia, cultu diuino intellige. Hæc enim omnia auferuntur propter hominum ingratitudinem, & gratiæ diuinæ contemptum, iuxta illud Pſ. 77. *Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum ſuum vbi habitauit in hominibus. Eleganter*, inquit S. Auguſt. *expoſuit quare depulerit tabernaculum ſuum cum ait, vbi habitauit in hominibus, cum ergo digni non eſſent in quibus habitaret cur non repelleret tabernaculum, quod vtique propter ſe non inſtituerat, ſed propter ipſos quos ibi indicabat*

Victorinus. Lyranus. Dionyſ. Carthuſ.

Richardus. Andreas.

Ierem. 22.

Iſ. 22.

Andr. Caſ.

Pſ. 77. S. Auguſt.

Digitized by Google

subjecta in partes habitantes. Ita Aug. Deus namque unus, & bonus, non cognoscitur, nec gentibus impugnatis aut vanquisitis omnium religionum, hoc est, regionum vanquisitarum diuersitas penitus tollitur, homines sunt propter Deum. 1. Tolleda est diuersitas religionum, quia non nisi vnus Deus bonitate infinita, est, intra quem omnes homines, & omnes gentes, & omnes nationes sint coercendi & ad vnum Deum adorandi per omnia secula & absque fine. Tert. 7. Deo adorandum opportebat. Hinc Isaiæ 7. ait, Ecclesiam non posse in duas gentes diuidere, Non est Israel nomen nouum in Ecclesia, sed nomen antiquum, quod ante Christum habuit, & post Christum habuit. Et paulo post: Quod ergo dicitur, Ecclesia diuisa est in duas gentes, non est ex quo hoc habere debuit, & non habuit. Quod autem dicitur, Ecclesia diuisa est in duas gentes, ex quo habere debuit, & habuit. Ecclesia vna est, & vnum habet nomen, & vnum habet corpus. Et Aug. 8. Ciuit. 18. Ecclesia non habet duas gentes, sicut habuit Israel, quæ ex vna gente Iudæa duas fecerunt, Iudæam & Samariam. Et in Psal. 86

geras quia *nemo coronatur niſi qui legitime certauerit,* imitare Paulum, qui ſic currit vt comprehendat & ſic luctatur non quaſi aera verberans, ſed macerat corpus ſuum, & ſeruituti ſubiicit ne forte aliis prædicans ipſe reprobus efficiatur.

Attende tibi, id eſt, deſine mala aliena diſcutere, deſine aliorum actibus tua perſtrepere & concelebrare conuiuia, deſine poculis tuis aliena probra miſcere, & inter epulas ac fercula tua alterius vitæ innocentiam lacerare, ad perſcrutationem tui conuerte oculos animæ tuæ quia multi ſecundum verbum Domini feſtucam in oculo fratris ſui vident, trabem vero quæ in oculis eorum eſt non conſiderant, circumſpice ergo teipſum, non eorum qui extra te ſunt culpas & peccata dinumeres ſed teipſum diſcutere non ceſſes, multa inuenies quo intra te debeas emendare, & pro quibus debeas pœnitudinem gerere & dicere, *Deus propitius eſto mihi peccatori.*

Attende tibi inſuper, memento quia mortalis es, & in terram ibis, nullus enim etiam ex regibus ab hac lege excipitur, vide animæ tuæ dignitatem, mirumque corporis tui artificium, ſi horum ſingula quæque diligenti examinatione conſideres ſatis ſuperque ſufficient itineris vitæ tuæ rectum tibi tramitem demonſtrare, qui te abſque errore vllo vſque ad ipſa cœli regna perducat. Denique ſi attendas tibi non requires vt ex vniuerſæ creaturæ contemplatione conditorem eius agnoſcas, ſed in temetipſo velut quodam paruo ac minori mũdo deprehendes magnificam creatoris tui ſapientiam & ſtupens exclamabis: admirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, attende ergo tibi vt poſſis attendere Deo. Hæc excerpſimus & compilauimus ex ſermone prolixiori ſancti Zenonis Veronenſis Epiſcopi vt habeas ante oculos quæ tibi agenda ſunt præcipuè vt propriæ perfectioni acquirendæ incumbas, & primam charitatem excolas, ac potiora & conducibiliora tuæ propriæ ſaluti opera perficias.

Prælatum volebat S. Gregorius l. 4. indict. 13. Epiſtola 37. ad Anaſtaſ. eſſe ambidextrum, temporalia videlicet ad ea quæ ſunt ſpiritus inſeruire ſatagens, *quia inquit dum terrena opera ad cæleſtem vtilitatem pertrahit in vſum dextra vertit ſiniſtram, vt & cæleſtis intentio opus ſuum videlicet dextra peragat, & cura temporalium dum ad inſtitiæ vtilitatem ducitur, ad fortitudinem dextræ ſiniſtra permutetur*, ita S. Greg. At ego dico prælatum debere eſſe ambidextrum quia ſaluti proximorum ita debet prouidere vt propriæ ſalutis promouendæ nunquam immemor exiſtat, rectè namque idem S. Greg. in Paſtorali part. 2. c. 3. Super humerale ſacerdotis veteris exponens quod quidem erat ex cocco bis tincto, ait, *qui igitur ſic ad auctoris ſpeciem anhelat vt proximorum ſalutem negligat vel ſic proximorum curam exequitur vt à diuino amore torpeſcat, quia vnum horum negligit in ſuperhumeralis ornamento habere coccum bis tincti neſcit.* Ita Greg. Huius cocci bis tincti neceſſitatem perſpiciens S. Hilarius lib. 8. de Trinitate in initio dixit, *quia non ſtatim boni atque vtilis ſacerdotis eſt, aut tantummodo innocenter agere aut tantummodo ſcienter prædicare, cum & innocens ſibi tantum proficiat, niſi doctus ſit, & doctus ſine doctrinæ ſit autoritate niſi innocens ſit*, quibus addit S. Hilarius quod *ſanctus Paulus perfectum Eccleſiæ principem perfectis maximarum virtutum bonis inſtruit, vt & vita eius ornetur docendo, & doctrina viuendo.* Ita Hilar. omnis igitur amouenda eſt negligentia prælatis Eccleſiæ, vt & ſibi & aliis proficiant perfectique reddantur mandatorum & conſiliorum diuinorum conſectatores effecti, audiant S. Hilarium in p. 118. rationem reddentem cur abrogatis præceptis ceremonialibus legis antiquæ manſerunt in ſuo vigore Dei mandata, vt fideliter obſeruentur; *non enim*, inquit, *in eo ſpecies futuræ imaginis continetur, ſed præſentem operationis habet effectum: tu mandaſti mandata tua cuſtodiri valde: nihil iniuriose agendum eſt, ſed ſollicitos atque anxios curam mandatorum Dei exequi oportet vt id quod agimus in profectum fidei noſtræ, in reuerentiam eius cuius negotium agimus exequamur. Caterum ſi aliquid remiſſa voluntate & occupata in res alias cogitatione egerimus officia quidem corporis in agendo occupabuntur, ſed deuotionis meritum per negligentiam non conſequemur.* Ita S. Hilarius. Tria igitur nobis neceſſaria ſunt 1. vt ante omnia propriæ ſalutis curam, & ſollicitudinem quantum fieri poteſt habeamus. Secundum vt de proximi ſalute ſolliciti ſimus maxime ſi ratione officij aut muneris illius ſalutem prouocare aut promouere teneamus. Tertium vt cuncta quæ tam ad noſtram propriam perfectionem pertinent quam quæ ad aliorum bonum & vtilitatem cum feruore perficiamus ſemperque in melius proficiamus. Quod ſi perfectam imaginem optimi ſacerdotis perlegere volueris lege laudes ſanctorum ſacerdotum apud S. Proſperum l. 2. de vita contemplatiua c. 2. *Ipſis enim*, inquit, *propriè animarum curandarũ ſollicitudo commiſſa eſt, qui pondus populi ſibi commiſſi viriliter ſuſtinentes pro peccatis omnium velut pro ſuis infatigabiliter ſupplicant Deo, ac velut quidam Aaron incenſum contriti cordis & humiliati ſpiritus offerentes quo placatur Deus auertunt iram futuræ animaduerſionis à populo, qui per Dei gratiam fiunt diuinæ voluntatis indices, Eccleſiarum Chriſti poſt Apoſtolos fundatores, fidelis populi duces, veritatis aſſertores, pranæ doctrinæ hoſtes, omnibus bonis amabiles, & male ſibi conſciis etiam ipſo viſu terribiles, vindices oppreſſorum, patres in fide catholica regeneratorum, prædicatores cæleſtium, primi phalanges inuiſibilium præliorum, exempla bonorum operum, documenta virtutum & forma fidelium: ipſi ſunt Eccleſiæ decus in quibus amplius fulget Eccleſia, ipſi columnæ firmiſſimæ quibus in Chriſto fundatis innititur omnis multitudo credentium, ipſi ianuæ ciuitatis æternæ per quas omnes qui credunt ingrediuntur ad Chriſtum, ipſi ianitores, quibus claues datæ ſunt regni cælorum, ipſi etiam diſpenſatores regiæ domus, quorum arbitrio in aula regis æterni diuiduntur gradus & officia ſingulorum, hi ſunt qui non ambiendo ſed ſpiritualiter viuendo ſacerdotium meruerunt, quique non fauoris humani ſuffragio, ſed diuino munere ſublimati, nihil ſibi de præſentiâ ſui principatus applaudunt quos non inflammat honor acceptus ſed exercet labor impoſitus, qui non excellentiam ſuam cogitant prouecti ſed ſarcinam, nec gloriantur de officij dignitate ſed ſudant potius conſtituti ſub onere. Tales diuina ſcriptura ſpeculatores appellat qui ſpeculantur actus omnium & qualiter vnuſquiſque cum ſuis in domo, qualiter in ciuitate cum ciuibus viuat intentione religioſæ curioſitatis explorant. Quos bonos probauerint honorando confirmant, quos deprehenderunt vitioſos arguentes emendant, aut ſi emendari noluerint æquanimiter portant, habituri vberrimum fructum aut de ſua ſtrictione ſi correpti profecerint aut de ſua patientia etiam ſi illi quos ſuſtinent emendari noluerint.*

S. Hilarius. S. Gregorius. S. Proſperus.

Sed hoc habes quia odiſti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.

Auerſio, & odium voluptatum carnis optima eſt diſpoſitio ad exercitium virtutis.

ANNOTAT. V.

EX prædicta increpatione & comminatione patet quanta ſit culpa poſt acceptam gratiam negligenter agere nec in ipſa proficere, ſed magis deficere, vnde & Paulus nos ad monet dicens, *hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, in vacuum namque gratiam Dei accipit, qui in ea proficere 2. Corint. 6.

Digitized by Google

negligit, sed magis deficit vt notat Richardus à S. Victore. Si quid tamen mentem iuuat, vt ab hoc defectu ad meliorem profectum transeat, est si carnis delectationes auersetur, ideo reuertitur Christus ad eum laudandum & commendandum; *Vt si animus eius*, inquit Richard. *ex his quæ præcedunt nimio terrore concuteretur per laudem quæ sequitur confortaretur.* Ita Richard. Laudat autem illum de odio factorum Nicolaitarum qui vt patet ex Epistola ad Episcopum Pergamenum tenebant doctrinam Baalam qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israël edere & fornicari, similia namque docebant Nicolaitæ, si sancto Epiphanio credimus l. 1. hæres. c. 25. nisi quis singulis diebus venerem exerceret, non potest particeps fieri vitæ æternæ. O impium & impurum dogma plane indignum quod ad aures Christianorum perueniret: & tamen illud postea admiserunt Gnostici, quorum facta tam turpia, & in honesta fuerunt vt ea narrare pudeat S. Epiphanio. Et reuera si quid deuotionem euertit, pietatem è corde euellit, mentem in captiuitatem sensuum adigit, itaut amittat omnimode libertatem filiorum Dei est amor voluptatis, gulæ vel luxuriæ. *Vinum, & mulieres Apostatare faciunt sapientes, & arguent sensatos & qui se iungit fornicariis erit nequam, putredo & vermes hæreditabunt illum, & extolletur in exemplum maius, & tolletur de numero anima eius* Ecclesiastic. 19. & Prouerbio. 20. *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: quicunque his delectatur non erit sapiens*, hoc ita verum est per experientiam vt probatione non indigeat. At contra si quis à vino abstineat, & amator sit castitatis, is certe magnam ad virtutem exercendam habet dispositionem: Hic adducendæ essent laudes sobrietatis, Castitatis, & Temperantiæ, quibus cerneretur, quantum hæ virtutes inseruiant claritati & perspicacitati mentis, puritati cordis, passionum mortificationi, morum honestati: sufficiat nobis asserere rerum diuinarum cognitionem, & mandatorum Dei fidelem custodiam tribui iis qui se à voluptatibus abstrahunt. Postquam enim Esa. c. 28. dixit: *Verum hi quoque præ vino nescierunt, præ ebrietate absorpti sunt à vino, errauerunt in ebrietate nescierunt videntem, ignorauerunt iudicium, omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu, sordiumque, itaut non esset vltra locus*, mox addit, *quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte auulsos ab vberibus.* Et hoc optime & verissime, *neque enim*, ait Tertull. c. 2. de spectaculis, *oculos ad concupiscentias sumpsimus, neque linguam ad maliloquium & aures ad exceptaculum maliloquij, & gulam ad gulæ crimen, & venerem ad gulæ satietatem, & genitalia ad excessum impudicitiæ, & manus ad vim, & gressus ad vagam vitam aut spiritus ideo insitus corpori vt insidiarum, & fraudum, & iniquitatum cogitatorium fieret non opinor, nam si omnem malignitatem, & si tantam malitiam excogitatam Deus exactor innocentiæ odit, indubitate quæcunq; condidit non in exitium operum constat condidisse quæ damnat licet eadem opera per ea quæ condidet administrentur, quando hæc sit tota ratio damnationis peruersa administratio conditionis à conditis.* Tertull.

Quod si innocentes delitiæ Paradisi terrestris adeo fuerunt primis parentibus periculosæ, licet essent iustitiâ originali ditati, licet nullam adhuc carnis aut sensuum rebellionem experirentur, itaut sola animi curiositate ducti Dei præceptum violauerint, & rei constituti tot malis & incommodis sese subiecerunt cum omni sobole sua, attracti & illecti pulchritudine & suauitate fructus arboris scientiæ boni & mali; qua de causa ne miseram vitam longiori tempore ducerent opus fuit vt è paradiso delitiarum expellerentur, & inter spinas & tribulos ablegarentur ne fortè sumerent de ligno vitæ de quo edentes in multam ætatem vitam protraxissent iuxta illud Genesis 3. *Nunc ergo ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum: & emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis vt operaretur terram de qua sumptus est.* Certe in statu in quo nunc sumus periculosior erit vsus rerum delectabilium, vtilius erit nobis inter spinas versari quam inter violas & rosas, honorabilius erit sensus domare quam illis obedire, fugientes quæ in mundo est concupiscentiam mundus enim totus est in maligno positus, & quot habet obiecta delectabilia tot habet laqueos quibus implicemur tot habet præcipitia mentis in quæ incidamus. Nec ex eo quod rejicimus sensuum voluptates proinde reprobamus sensus viuacitatem qua verum à falso discernimus in rebus corporeis; nec vtilitatem quam ex sensibus haurimus per quos rejicimus quæ nobis nociua existant, & quæ vtilia sunt corpori & vitæ prosequimur, nec damnamus illam necessitatem, qua nobis inuitis cogimur multa audire videre, sentire quæ mens auersatur & abhorret, sed rejicimus & damnamus inordinatam illam sensuum concupiscentiam, qua voluptate carnali allecti, etiam consensu suspenso, ad peccandum tamen prouocamur. Talis enim concupiscentia semper est periculosa, qua de causa S. Augustinus lib. 4. contra Iulianum c. 14. De concupiscentia loquens asserit illam contrarium esse sapientiæ, & virtutum inimicam, vnde S. Hilarius in Ps. 118. *Homo*, inquit, *tentatur vndique cum ex per naturam corporis vitiorum ineſt cognata materies, est enim nobis laqueus in otium, pecunia ambitio, lasciuia, hæc prætenduntur, hæc blandiuntur, hæc fallunt, sed ab his omnibus voluntas nostra est refrenanda, omnibus enim hi laques prætenti sunt sicut scriptum est, non enim inuste in terram prætenduntur retia auibus: perfecta enim gloria ab his laqueis, qui prætensi sunt euolare.* Ita S. Hilarius. Et vt verum fateamur, gloria est animæ rationis compoti quod à sensibus alliciatur, & inter pedicas & laqueos ambulet, & nihilominus quamuis corpori proxima eique immersa à laqueis se eximat, nec carni obediat aut consentiat per quandam spiritus impassibilitatem, qua à culpâ immunis Deo proxima fieri potest, qui spiritus est, & amator puritatis & integritatis, *nec habitat in corpore subdito peccatis*, & voluptatibus inseruiente. Vtilissimum est igitur odio habere facta Nicolaitarum, id est, elongari à voluptatibus carnis vt capaciores simus Dei gratiâ repleti & ad eius cognitionem & amorem valeamus peruenire. Nec putandum est cum hæreticis, de quibus S. Ireneus, fieri posse vt carni & spiritui simul seruiamus caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, itaut qui carni obedire voluerit spiritum extinguat. Hæc enim duo sibi aduersantur. *Quemadmodum aurum in æno depositum non amittit decorem suum sed suam naturam custodit cum æneum nihil nocere auro possit, sic & semetipsos dicunt licet in quibuscumque materialibus operibus sint nihil semetipsis nocere neque amittere spiritualem substantiam, quapropter & intimorate omnia quæ vetuntur hi qui sunt ipsorum perfecti operantur, de quibus scripturæ confirmant quoniam qui faciunt ea regnum Dei non hæreditabunt, & carnis voluptatibus insatiabiliter inseruientes carnalia carnalibus, spiritualia spiritualibus dicunt*, ita Ireneus. O execranda mentis cæcitas, qua tamen percussi alios decipiebant trahentes post se mullerculas quibus abutebantur & eas à propriis maritis diuellebant, vt eis adhærerent, quin & alia multa impia & execranda perficiebant, eos tanquam idiotas & ignauos dicentes qui timore Dei perculsi à peccatis abstinebant tam actu quam affectu, se autem esse perfectos & electionis semina prædicabant. Tales odio habebat Episcopus Ephesinus, tales etiam odit

Richardus à S. Victore. — Epiphanius. — Ecclesiast. 19. Proverb. 20. — Esa. c. 28. — Tertullianus. — Genes. 3. — S. Augustinus. — S. Hilarius. — S. Irenæus.

Digitized by Google

Deus, qui adorari vult in ſpiritu & veritate, & ideo ſpes erat Epiſcopum iſtum facilius priſtinum ſtatum recuperaturum, & pro ſimilitudine affectuum Deum illi fore cito propitium.

Qui habet aurem audiat quid ſpiritus dicat Eccleſiis: Vincenti dabo edere de ligno vitæ quod eſt in Paradiſo Dei mei.

Multâ fruuntur animi voluptate, qui à carnis voluptatibus abſtracti Deo fideliter ſeruire conantur.

ANNOTAT. VI.

Richardus à S. Victore.

ILLE, inquit Richardus à S. Victore, *habet aurem, qui ſenſum habet intelligendi, & retinendi, & affectum diligendi & promerendi ea quæ promittuntur; ille namque quodammodo auribus caret, qui de cæleſtibus bonis quæ ſibi promittuntur curam non habet: Quod ſpiritus dicat Eccleſiis, ſpiritus in hoc loco nequaquam perſonam Spiritus ſancti tantum, ſed ipſam ſanctam & individuam Trinitatem deſignat, quæ vna deitas creditur & vnus Deus adoratur: ſpiritus enim eſt Deus, ait ergo: quid ſpiritus dicit, id eſt, quid Deus promittit & bene in fine ſingularum admonitionum quæ ſingulis Epiſcopis fiunt, vbi ſubiungit præmium quod dabitur non dicit quid ſpiritus dicat huic Eccleſiæ, vel illi aut Epheſi ſoli aut Smyrnæ ſingulariter, & ſic de cæteris, ſed quid ſpiritus dicat Eccleſiis pluraliter, quia enim promiſſum præmium omnibus erat commune in ſingulis ammonitionibus non vnam tantum, ſed omnes ſimul Eccleſias debuit comprehendere, vt dum omnes communem audirent promiſſionem feſtinarent pariter ad retributionem.* Ita Richar.

At quænam eſt retributio promiſſa Epiſcopo Epheſino? Promittitur illi eſus de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei, *Vincenti*, inquit Chriſtus, *dabo edere de ligno vitæ quod eſt in paradiſo Dei mei.* Equidem de fide eſt arborem vitæ de qua loquitur Moyſes in Geneſi fuiſſe veram arborem non myſticam, quæ arbor ſeu lignum vitæ dicitur, quia fructus eius erat viuificans, conſeruans & prorogans, cuius vſu homo ducere poterat vitam longiſſimam, ſanam, robuſtam, conſtantem, alacrem & iocundam abſque vllo morborum aut infirmitatum incommodo, cuius vis erat naturalis, qualem videmus in herbis medicinalibus: attamen minime hominem reddidiſſet immortalem, eius enim vires erant finitæ, & limitatæ, & fructus huius ligni erat corruptibilis, & ideo non poterat hominem reddere omnimodè incorruptibilem; ſed per reiteratam pluries eius comeſtionem ſemper vitam vlterius prolongaſſet, vires & facultates naturales corporis in integrum, & priſtinum ſtatum reparando, & quod de humore radicali deperditum fuerat reſtituendo, caloremque vitalem acuendo, & corroborando, eum in meliorem ſtatum reducendo, & conſeruando licet debilior fuiſſet redditus propter continuam actionem, & reactionem in alia alimenta quibus homo vſus fuiſſet. Hæc tamen æternitas non fuiſſet abſoluta, ſed ad quædam annorum millia reſtricta & idem lignum fructum vitæ afferens, vtpote corpus mixtum tandem virtutem ac vigorem amiſiſſet, quâ de causâ præſtare non poterat homini quod non haberet, ſicque & homo, & lignum defeciſſent: præueniente autem Deo, homo & hoc ſenium & mortem euaſiſſet hominem nempe in paradiſum cœleſtem transferendo. Hoc præſuppoſito dico ad hoc lignum alludere beatum Ioannem: tamen de illo ligno ſicut nec de paradiſo terreſtri ſanctus Ioannes eſt intelligendus, ſed myſticè exponendus, primo pro ſpiritu veritatis, & ſapientiæ cœleſtis, Secundo pro ipſomet Chriſto Domino qui ſe præſtat manducandum fidelibus in ſacramento altaris.

Lignum igitur vitæ in medio Paradiſi, id eſt, Eccleſiæ Catholicæ plantatum, eſt ſpiritus veritatis ferens in armis fructus duodecim ſuauiſſimos donorum ſpiritus ſancti nempe ſapientiæ, intellectus, ſcientiæ, Conſilij, Pietatis, Fortitudinis, & timoris, quos fructus enumerat S. Paulus ad Galat. 5. *Fructus autem, inquit, ſpiritus eſt Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Benignitas, Longanimitas, Manſuetudo, Fides, Modeſtia, Caſtitas: aduerſus huiuſmodi non eſt lex,* qui his fructibus veſcuntur, miris fruuntur mentis oblectationibus, hæc eſt illa Sapientia, & intellectus, quæ nos Deo intimè conjungit, eumque nobis proximum exhibet dicente Moyſe Deuter. 4. *Hæc eſt enim veſtra ſapientia & intellectus coram populis vt audiens vniuerſa præcepta hæc dicant: eſt populus ſapiens & intelligens, gens magna, nec eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquante ſibi ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris,* hæc eſt illa diuina ſapientia qua efficimur beati dicente Salomone Pro. 3. de vera ſapientia, *lignum vitæ eſt his qui apprehenderunt eam, & qui tenuerit eam beatus.* Qui igitur huius ſpiritus veritatis & ſapientiæ diuinæ fructus comedunt, ab his omne tædium amouetur, & quaſi iam deſiderio compotes vitâ viuunt delitiis puriſſimis fertiliſſimâ: nam dum charitatis repleti Deo vniuntur, gaudio fruuntur inenarrabili propter ſpiritus ſancti præſentiam iuxta illud Petri 1. c. 1. *Credentes autem exaltabitis lætitia inenarrabili, & glorificata reportantes finem fidei veſtræ ſalutem animarum,* etenim ſpe erecti iam ſe obtinere autumant quod illis promittitur, *ſpes enim quæ differtur affligit animam; lignum vitæ deſiderium veniens,* Pro. 13. At cum iam propter certitudinem ſpei bona promiſſa prægustent ad quorum perfectam poſſeſſionem inceſſanter à ſpiritu ſancto mouentur, hinc non modo gaudent in Spiritu ſancto, ſed & ſumma pace & animi tranquillitate potiuntur, & ſi quid aduerſi aut moleſti illis pati contingat, quia voluntati diuinæ in omnibus conformari volunt, ſcientes Deum in ſeipſis glorificari, ſatiantur etiam pane lachrymarum, & quarumlibet moleſtiarum, ſufficit enim ipſis, ſi animaduertant Deum in ſeipſis glorificari iuxta illud Dauidis, *ſatiabor cum apparuerit gloria tua,* in patientia poſſident animas ſuas, benigni ſunt erga omnes nemini dantes vllam offenſionem, ex aliorum ineptiis non triſtantur, nihil ipſis iucundius, quam ſi aliis benefacere poſſunt, de aliorum bonis quaſi de propriis lætantur, ſi eorum pia exercitia per oppoſitiones & contradictiones malorum impediuntur aut retardantur, pacifica longanimitate omnia vincunt, & omne ſuperant tædium; ſi contumeliis & iniurijs appetuntur, manſuetudine omnia condonant, nec propter hoc perturbantur, fideles ſunt erga proximum in verbis, in pactis & conuentionibus vnde nemini querelæ dant occaſionem qui eorum tranquillitatem conuitiis & exprobrationibus perturbaret, auelluntur ab eis occaſiones quarumlibet commotionum quæ exoriuntur plærumque ex exteriori immodeſtia plurimorum aliorum oculos offendentium: per modeſtiam & per continentiam motus inordinati appetitus compeſcuntur, per caſtitatem proprios ſenſus comprimentes in ſeipſis ſicut in Deo & in proximo pacem & tranquillitatem inueniunt, & ſummâ mentis lætitiâ ſic ſemper perfruuntur: hoc illud eſt præmium promiſſum ei qui ſedulò perfectioni acquirendæ incumbit. At ſi quis voluerit hunc ſpiritum haurire recurrat ad fontem; recurrat ad Chriſtum de cuius plenitudine nos omnes accipimus qui olim clamabat, *ſi quis ſitit veniat ad me & bibat, qui credit in me ſicut dicit ſcriptura flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ,* Ioan. 7. Hinc Andreas Cæſ. & Anſelmus lignum

Ad Galat. 5.

Deuter. 4.

Prouerb. 3.

1. Pet. 1.

Prouerb. 13.

Pſ. 16.

Ioan. 7.

Digitized by Google

vitæ de Chriſto interpretantur. *Homini itaque*, inquit Andreas, *ex prælio quod contra dæmones geritur victoriam referenti eſca de ligno vitæ decerpta promittitur nempe æternorum bonorum communicatio, ſiquidem per æternæ vitæ lignum eiuſmodi bona deſignari ſolent, vtrumque autem vt Salomon inſinuat; & præſens Euangeliſta alicubi diſertè affirmat eſt Chriſtus. Ille enim de ſapientia verba faciens in qui apprehenderunt illam inſtar ligni vitæ eſſe pronuntiat. Ioannes autem de Chriſto in hunc modum ſcribit: Hic eſt verus Deus & vita æterna: ſi igitur illa æterna bona conſequi deſideramus contra animi perturbationes carnisque voluptates acre certamen ineamus victoriaque potiri animo contendamus.* Ita Andreas. Anſelmus autem: *Chriſtus lignum vitæ dicitur quia idem facit in Eccleſia quod lignum vitæ in paradiſo, erat officium ligni illius vt conſeruaret fruentes fructu ſuo à morte & ſenio. Idem explet Chriſtus in Eccleſia ſua cuſtodit enim fideles ſuos, & à vera morte & ab omni defectu.* Ita Anſelmus.

Andreas. Anſelmus.

Vere igitur Chriſtus animarum ſaluator lignum eſt vitæ, qui per communicationem diuini ſpiritus efficit vt actus donorum ſpiritus ſancti eliciamus, quin & præguſtemus ſuaues præſentiæ ſuæ effectus, ipſemet enim eſt qui operatur in nobis & velle & perficere, quin & ſpiritu ſuo nos viuificans, nos filios Dei reddit facitque inſuper vt ſciamus quam ſua uis ſit ſpiritus eius in nobis, & vt dulcedinem ſuam in filios demonſtret pane ſuauiſſimo corporis ſui nos reficit. Huius cibi ſuauitatem ſentiunt ij qui carnem mundum & dæmonem vicerunt; hic cibus in medio Eccleſiæ poſitus, tanquam olim lignum vitæ in medio paradiſi dicente ipſo: *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* Quam dulce quam ſuaue eſt animæ Deo ſeruienti oculis fidei intueri Chriſtum, nihil aliud ab eo in hoc mundo amare aut proſequi, Paulum imitari dicentem, *omnia arbitratus ſum vt ſtercora vt Chriſtum lucrifaciam*, ex hoc vnico bono gloriam ſibi comparare, vnici iſtius boni per cognitionem amorem & imitationem & ſimilitudinem poſſeſſione contentum eſſe, cui viuere Chriſtus erat, & pro eo mors & occumbere lucrum quod morte Chriſto vniretur, numquam deinceps ab eo auellendus. Qui hunc panem manducat non ſolum oris manducatione vt faciunt etiam mali, ſed cum fide & deuotione, & debita charitate nunquam in bonis operibus faticeſcit, ſemper virtuosè fortiter & conſtanter operatur, non anguſtiatur, nulla animi anxietate à ſemita acquirendæ virtutis auertitur aut in itinere ſiſtit pedem, ſemper progreditur in melius, ambulat in latitudine, quia mandata Dei ſemper exquirit, nihil eſt illi in virtutis exercitio inſipidum (habet hic panis omnem ſaporis ſuauitatem) nullis terretur tentationibus, menſam illam habet contra omnes hoſtium inſultus paratam, nullo mærore deprimitur, nihil enim animam triſtitiâ afficere poteſt quæ ſolum Deum deſiderat, quem planè poſſidet in hoc auguſtiſſimo Sacramento. Cum igitur omnis mentis imbecillitas, animi anguſtia, nauſea, diffidentia, mæſtitia exulent ab iis qui tanti Sacramenti effectus percipiunt, quia per fidelem mandatorum Dei obſeruationem digni ſunt percipere huius diuini ſacramenti ſacratiſſimas delitias, quis non videt magnam eum percipere mentis voluptatem, qui Deo fideliter ſeruit? fideli quidem obſequio hæc bona promeretur. Hoc quippe ſacramento tanquam fructu arboris vitæ corroboramur, in priſtinum reuocamur vigorem, charitas nullum patitur detrimentum. Præmium certe digniſſimum pro pœnitentia eorum qui conantur ad priſtinum aut primarium redire feruorem, quos mundus diuerterat, caro infirmarat, ſeduxerat diabolus, itaut in medio curſus gradum ſiſterent, & inſtabilitati cordis acquieſcerent, & in hoc vigore ſeu in hac recuperata fortitudine cernimus quomodo ſaluator damna noſtra reſarciens verè ſit puer natus & filius nobis datus, noſque in eius eſſe protectione in ſua dextera collocaros, ipſumque in medio noſtri ambulare, quos ſuis illuſtrationibus corroborat, gratiâ confortat, donis cumulat, & diuinis replet conſolationibus. Vſu ſiquidem tanti ſacramenti, patet ipſum omnino noſtrum fieri, & ad bonum & commodum noſtrum & vtilitatem ordinaſſe huius ſacramenti inſtitutionem, abſolutè enim, & ſimpliciter in hoc ſacramento conſtituitur pro hominibus qui in hac vita mortali exiſtant, non autem pro Angelis & ſanctis qui eum palàm & ſine ænigmate aut velo intuentur in cælis.

IN EPISTOLAM AD EPISCOPVM Smyrnenſem.

Et Angelo Smyrnæ Eccleſiæ ſcribe. Hæc dicit primus & nouiſſimus qui fuit mortuus & viuit.

Ad perſeuerandum Epiſcopus Smyrnenſis prouocatur. Quod Chriſtus ſit primus & nouiſſimus, id eſt, Deus qui nos admirabili modo à ſeruitute peccati & mortis eripuit.

ANNOTAT. I.

DOMINE quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui reuelatum eſt? Deus fuit mortuus vt homo vitâ capelleret, & infirmus redditus, vt quod fortius, & formidabilius erat in terra conculcaret, hic fuit admirabilis modus quo Deus hominem à peccato & morte eripuit, quem ſatis explicat, dum ſe dicit primum, & nouiſſimum, olim mortuum, nunc autem viuum, altitudinem diuinitatis ſuæ indicans, & depreſſionem ſuam per aſſumptionem carnis inſinuans, ſecundum quam mortuus fuit vt per ſuam reſurrectionem ſecum nos ad vitam reuocaret. *Idem Chriſtus*, inquit And. Cæſar. *eſt primus & nouiſſimus. Primus quidem vt Deus, nouiſſimus vt homo, qui ſuâ etiam poſt triduanam mortem reſurrectione certum ad vitam aditum nobis aperuit.* Ita Andr. Hunc ſenſum Rupertus amplectens ad opprobria, & plagas patienter ſuſtinendas exemplo Chriſti Domini qui factus eſt nouiſſimus, id eſt viliſſimus prouocat, dum ait, *Tu à quolibet culmine temporali deiectus propter iuſtitiam quaſi homo ignobilis, opprobriis & inſuper plagis veteris ſeruilibus: ſed quantum hoc eſt, ſi ad illum reſpicias, qui pro te paſſus eſt tibi relinquens exemplum, vt ſequaris? veſtigia eius ille namque cum apud Deum eſſet primus & pretioſiſſimus ſecundum naturam filius Dei, ſecundum alteram naturam filius intemerate virginis, cum inquam ſic eſſet primus & optimus & præ filiis hominum ſpecioſiſſimus, apud homines nouiſſimus fuit, id eſt, viliſſimus quemadmodum & Propheta dicit gemebundum vidimus eum, &c.* Ita Rup.

Andreas Cæſ. *Rupertus.*

At alius mihi occurrit ſenſus germanior & aptior ni fallor, vt pote conueniens iis quæ ab hoc Epiſcopo ſanctiſſimo poſtulantur. Nempe vt in bono opere vſque in finem perſeueret, *Eſto fidelis*, inquit, *vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*, nihil enim fortius illum ad perſeuerantiam inducere poteſt, quam ſi cogitet Deum eſſe qui opus incœpit, & qui poteſt opus à ſe incœptum conſummare, ait igitur, hæc dicit primus & nouiſſimus, ac ſi diceret: opus incœpi in te excellentiſſimum dum tibi meam contuli gratiam, vacua non fuit, ſcio enim quam paſſus fuiſti propter me tribulationem, & quâ nunc etiam toleres paupertatem, ſed reuoca in mentem

quod nunquam opus meum deſero, & proprium mihi eſſe quod incœpi perficere, ſum enim primus quia omniũ quæ ſunt principium exiſto, ſum etiam nouiſſimus, quia vltimam manum culcumq; operi meo appono: ſed quia opus gratiæ tuum requirit continuum aſſenſum, ideo eſto fidelis vſque ad mortem, gratiæ meæ cooperando, & hac ratione opus meum in te perficiam, dabo ſiquidem tibi coronam vitæ ſi perſeueraueris vſque in finem: ac ne aliquod inſurgat in mente dubium, cogita quomodo ego fui mortuus, & nunc viuo, nam quis non exiſtimaſſet videns me in cruce expiraſſe, omnes meos conatus in morte mea fore extinctos? At quod viſum fuit oculis mundanorum & infidelium opus incœptum redemptionis hominum à morte ad nihilum reduxiſſe, medium fuit quo poſſunt commode homines ſuam ſperare reſurrectionem, viuo enim ego qui fui mortuus, per reſurrectionem: vt & vos à morte reſurgere poſſitis, membra enim capiti conformari debent.

Olim Chriſtus, cæcis lumen, ſurdis auditum claudis greſſum leproſis ſanitatem impertiens, præuidens multos ſcandalum paſſuros propter ſuam paſſionem & mortem, illum beatum prædicabat qui in ſua morte minime ſcandalizaretur, nec propter ea quod nouiſſimus virorum, & abiectiſſimus appareret à fide Maieſtatis ſuæ decideret, cuius Maieſtatis omnipotentis euidentia exhibebat ſigna dum tot tantaque patrabat miracula: Pari ratione ne Epiſcopus Smyrnenſis mortem timeat incurrere, ſeu ſcãdalizetur ob periculum mortis, in mentem ei reducit quomodo fidem reſurrectionis numquam deſerere debeat, quod ille potens ſit à morte reuocare qui primus eſt & nouiſſimus, id eſt, qui initium dedit creaturis per creationem, & qui eas ad præſcriptum finem perducere poteſt, nouiſſimam & vltimam manum operibus ſuis imponendo. Deo enim vni proprium eſt dici primus & nouiſſimus Iſ. 41. *Ego Dominus, primus & nouiſſimus ego ſum*, quapropter damnati fuerunt olim qui hunc locum de ſolo Patre intelligi volebant vt Dei filius excluderetur. *Smyrnæ*, inquit S. Hilarius de Synod. aduerſus Arianos, *tentatum ac laboratum eſt, dum Pater vnus & ſolus omnium Deus prædicatur, Deus eſſe filius negaretur*, ad quod probandum hunc Iſaiæ locum vſurpabant contra decretum Concilij Smyrnenſis, in quo anathema fuerat pronunciatum ab Epiſcopis contra Photinum congregatis, in eos qui hunc locum vſurparent in eo ſenſu vt Pater ſolus diceretur non filius; *Si quis*, inquit Concilium, *Ego Deus primus, & ego Deus nouiſſimus, & præter me non eſt Deus: ad diſtinctionem idolorum dictum & eorum qui non ſunt Dei, in deſtructionem vnici ante ſecula Dei Iudaicè dictum intelligens, anathema ſit.* Cuius decreti ſenſum S. Hilarius oſtendit dum ait, *Deorum numeroſitate damnata, & Deo tantum vno prædicato negari Deus filius Dei non poteſt: Verum naturæ iſtud præſtat genuina proprietas vt nomen quod negatur ad numerum debeatur eſſentiæ*: Et id, *quod non eſt Deus præter me, non poſſe auferre filio quod Deus eſt, quia Deus alius quam qui ex Deo nullus eſt. Et præter hanc vocem Patris non poteſt non Deus eſſe qui ex ſe indifferenti ad naturam ſuam eſt natus eſſentiâ, quod idcirco Iudæi ad vnionem Dei referunt quia vnigenitum Dei neſciunt, &c.* Ita Hilar. Se igitur Chriſtus dicit eſſe primum & nouiſſimum ac ſi præuideret fore aliquando vt Iudæi ac hæretici illi ex hoc loco Iſaiæ, ſurripere vellent deitatis gloriam, & ſic ſe Deum eſſe profitens omnem metum ab hoc Epiſcopo depellit, vt nihil timeat horum quæ paſſurus eſt: Deus eſt enim omnipotens reparator & reſtitutor, qui fuit omnipotens creator & vitæ largitor in initio. Solus enim Deus dici debet primus, & primum principium, creaturæ omnes cum Deum cauſam & ſui eſſe & operationis habeant rationem primi principij obtinere nequeunt: ſolus etiam debet dici nouiſſimus, à nullo quippe alio tota natura operum ſuorum perfectionem expectat, q à m à ſuo authore, cuius eſt omnibus operibus vltimam manum imponere, & ſine quo in lucem natura producere non poſſet hominem; excellentius proculdubio opus quod in ſinu ſuo complectatur, cuius cum efformauerit corpus & ad formam recipiendam aptum reddiderit, Dei ſolius eſt in corpus diſpoſitum & organizatum animam creando infundere, & infundendo creare. Deus itaque primus eſt: cælum non erat, terra non erat, non erant Angeli, non erant homines, & ecce qui omnium rerum principium eſt dixit & facta ſunt, mandauit & creata ſunt: dat eſſe, facultates diſtribuit, vt vnaquæque creatura operetur iuxta propriam naturam, omni agenti in actione propria cooperatur, nihil enim abſque eo ſubſiſtere poteſt: ſolus qui gratuitâ voluntate ſuâ gratiam infundit, quæ principium eſt meriti: cum igitur omnia ab eo & per eum exiſtant merito ait, *ego ſum primus.*

Eſt præter ea nouiſſimus: nam cum natura laborat vt extra cauſas educat rem aliquam viuentem mediante aliquâ cauſâ vitâ carente, qualia ſunt animalcula quædam quæ ex corruptione generantur per calorem ſolis; ecce prima illa cauſa, quæ naturæ ſupplet defectum: nam ſtatim atque requiſitas ex parte materiæ diſpoſitiones natura produxit Deus vitæ author formam qua viuant è materia educit: quod ſol vita carens ex ſeipſo præſtare non poteſt. Producit reuera ipſa natura è materiæ potentiâ formam in animalibus perfectis, ſed materialem materiæ immerſam, diuiſibilem, & diſſolutâ materiâ extinguendam: ſed dum ad corporis humani organizationem procedit, vt illud reddat aptum ad receptionem eius rei, quæ prætioſitate, pulchritudine ſuauitate, cætera quæ in ſe continet longe excedit, ad hoc vſque attingere non poteſt vt extrahat è potentia materiæ eſſe aliquod intellectuale & immortale: cum ecce Deus qui primus eſt, nouiſſimus etiam exiſtit dum infundit animam illam creando, eam in corpore organizato inducit, & naturæ ſupplet defectum, quæ nunquam potuiſſet in ſuum gremium aduocare tam excellentem creaturam abſque infinitâ creatoris ſui potentiâ.

Rurſus homo capax eſt cognitionis cuiuſlibet rei, capaxque virtutis naturalis, tamen eius facultas reſtringitur intra cognitionem eorum quæ ex ſenſibilibus obiectis percipi poſſunt; ad pure & ſimpliciter intelligibilia cæcutit, & dum ea percipere tentat acumen ingenij obtunditur, quo fit vt dum intelligibilia ad amuſſim ſenſibilium commenſurare audet fallitur potius, quam ad eorum veram attingat cognitionem, & præterea etſi verum ſit quod modo vno, modo alio aliquam actionem poſſit elicere moraliter bonam, tamen fieri non poteſt, adeo imbecilles ſunt eius vires vt omnes omnino eius actiones debitam obtineant perfectionem, nec dignus habetur, qui propriis viribus ad cognitionem & poſſeſſionem ſupremi boni perueniat itaut illud vt par eſt & cognoſcat & diligat, id eſt, ſupernaturaliter attingat: ſed Deus qui vt primus dedit cognoſcendi & amandi facultatem, vt nouiſſimus dat fidem infundit in cordibus Charitatem, quin & actionum noſtrarum paruitatem in ordinem plane diuinum eleuat per gratiam iuſtificantem, qua ad ſtatum perfectionis erigimur.

Sed vlterius progrediamur vt videre liceat quomodo Deus vere ſit primus, id eſt, incipiens, deinde nouiſſimus, id eſt, perficiens. Si homo iam gratia de-

Iſ. 41.

S. Hilarius.

Digitized by Google

coratus poteſt aliquid meritoriè & cælo dignum operari, theſaurum certè gerit in vaſe fictili, naturali quippe inconſtantiâ non longè progredietur, niſi diuino fuerit fultus auxilio & potenti manu Dei confortatus, at quod incœpit Deus per infuſionem gratiæ iuſtificantis, hoc perficit per donum gratiæ perſeuerantis vt ſic operi ſuo vltimam manum imponat.

Denique tota natura ad hunc ſcopum omnia ſua ordinat & dirigit vt auctori ſuo omnibus quibus fieri poteſt modis gloriam & honorem tribuat: ſed pleniſſime gloriam Deo non tribueret, ſi ipſe rerum moderator & æquiſſimus ac ſapientiſſimus gubernator concatenationem quandam euentuum non efficeret, qui cum proportione & conuenientiâ & harmoniâ ſimul ita conueniant vt ſuauiſſimum conficiant concentum: quem percipientes in admirationem nimiam prouehamur, dum in futuro iudicio perſpicietur cum quantâ ſapientiâ iuſtitiâ, æquitate Deus omnia decreuerit, inſtituerit, præceperit, permiſerit, effecerit, reddendo vnicuique hominum præmia aut ſupplicia pro ratione eorum, quæ vnuſquiſque geſſit in corpore ſuo.

His adde quod ſi natura poſſit conſeruare ſpecies conditas per generationem & corruptionem indiuiduorum, deficeret tamen tandem virtus eius, nec in æternum poſſet has viciſſitudines rerum protelare ac producere; & ſi deficiant & diſſoluantur iuxta propriam naturam illas reparare non poteſt. At ecce qui eſt primus & nouiſſimus, ea quæ corrumpuntur rurſus renouans, nam homines in cineres redactos in priſtinum renouabit ſtatum, eorumque corpora immortalia reddet, præſtante ipſo infinitâ virtute ſuâ, quod natura præſtare non poteſt nempe mortalibus rebus de ſe corruptilibus.

Optimâ igitur de causâ Filius Dei, Verbum Patris ſe primum eſſe & nouiſſimum aſſerit vt ab Epiſcopo Smyrnenſi omnem expellat timorem eorum quæ paſſurus erat, eumque ad perſeuerandum inducat, certus & ſecurus quod ſi eius vires non ſint ſufficientes, Dei auxilio fretus poterit vſque in finem perſeuerare, itaut Deus illi coronam vitæ imponens opus redemptionis tam mirabile in eo perficiat abſolutiſſimè, ſine quo nec incipere, nec proſequi, nec perficere aliquid valemus: Ad hunc ſenſum dixit Richardus à S. Victore, *ne deficiatis ſi contingat pro nomine meo tribulationem ſuſtinere vel mortem ſubire quia ego qui ſum primus & nouiſſimus potens ſum in tribulatione adiuuare, & qui ſui mortuus & viuo potens ſum de morte ſuſcitare: dum ergo me talem audiſis de vtroque fiduciam ſumite & ſi quid propter me contigerit aduerſi viriliter ſuſtinete.* Ita Richard.

Richardus à S. Victore.

Scio tribulationem tuam & paupertatem tuam.

De tribulationis bono, quo fideles reddimur ei, qui pro nobis mori & tribulari dignatus eſt.

ANNOTAT. II.

Quomodo Crucem poſt Chriſtum ferre debemus. §. 1.

DVOBVS modis crucem poſt Chriſtum tollere poſſumus, primus eſt per tolerantiam perſecutionum, iniuriarum, vexationum, & malorum, quæ ab hominibus additâ dæmonum malitiâ nobis inferuntur; alius eſt per voluntariam abnegationem eorum quibus vita hæc commode & iocundè tranſigi poſſet, & quibus voluptates carnis foueri valerent: itaut nomine tribulationis intelligamus quicquid ab extrinſeco mali & aduerſi nobis inſligitur, & nomine paupertatis quicquid per propriam electionem pati, & tolerare ſeligimus, quo mens omnibus affectibus terrenis exuta, & carnis voluptatibus abſtracta vegetior ſit ad ea quæ ſpiritui ſunt amplectenda, & proſequenda. *Graue equidem eſt*, vt ait Richardus à S. Victore, *in corpore tribulari, ſed grauius eſt cum tribulatione corporis penuriam pati ſubſtantiæ corporalis. Duplici itaque laude iſte dignus extitit; qui duplicia pro Chriſto mala ſuſtinuit, niſi enim pro Chriſto ſuſtinuiſſet, ipſe Chriſtus eius tribulationem & paupertatem ſe ſcire minimè dixiſſet, quia in hoc quod dixit ſcio illam, vtramque monſtrauit propter ſe ſuſtinere, & ſe vtramque deſignauit approbare.* Ita Richard. Richardus à S. Victore.

Andreas Cæſarienſis ad Eccleſiam Smyrnenſem, quæ Smyrna dicitur, id eſt, Canticum (ſi Anſelmo credimus) quia hæc tota Deo placebat, hæc verba dirigi exiſtimat; *Noui*, inquit, *afflictionem & paupertatem quam in rebus, quæ ad carnis ſenſum faciunt pateris, nam & flagellis meis causâ ab infidelibus ceſſa, & ab omnibus facultatibus exuta es; interim ſpiritualibus opibus affluis, vt pote theſaurum abſconditum in pectoris agro defoſſum aſſeruans.* Ita Andr. Sed quod de Eccleſia intelligit hoc etiam de Epiſcopo & Angelo Smyrnæ dicitur qui extrinſecè afflictus, & intrinſece ab omni affectu rerum terrenarum & corporearum propria electione & voluntate abſtractus, iuſtè à Chriſto laudatur ob tribulationem & paupertatem voluntariam. De hac enim paupertate hunc locum intelligit Ambroſius, *poteſt & hoc voluntaria paupertas*, inquit, *intelligi de qua Dominus dicit in Euangelio, Beati pauperes ſpiritu quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Ita Ambr. De hac tribulatione & paupertate nobis aliquid dicendum vt clariùs videamus merito hunc Epiſcopum à Chriſto laudari qui per tribulationem patienter toleratam & paupertatis amorem Chriſto placere ſtuduit. Andr. Cæſ. Ambroſius.

Tribulationis pro Chriſto commendatio. §. 2.

Omiſſis omnibus, quæ de fructu tribulationum ſparſim ab authoribus adducuntur, tres tantummodo eius excellentias è textu noſtro erutas & extractas adduco.

Prima eſt tribulationem pro Chriſto toleratam obiectum eſſe digniſſimum, quod oculos benignos Dei moueat vt nos intueri velit, oblectatur enim ſi nos videat pro nomine ſuo aliquid voluntarie pati. Secunda eſt tribulationem medium eſſe aptiſſimum ſeu inſtrumentum conquirendorum meritorum, & comparandæ virtutis: ſi enim pro iuſtitiâ aliquid pati contingerit aliæ virtutes fartæ tectæ conſeruantur, corroborantur etiam, & maiorem emittunt ſplendorem. Tertia eſt quod tribulatio via ſit ſecurior & breuior, qua ad vitam perueniamus æternam. Primum agnouit Philoſophus Ethnicus Seneca de Prouidentia, lib. 1. *Non video quid habeat in terris Iupiter pulchrius, ſi conuertere animum velis, quam vt ſpectes Catonem iam partibus non ſemel fractis ſtantem nihilominus inter publicas ruinas. En ſpectaculum dignum ad quod reſpiciat intentus operi ſuo Deus, ecce par Deo dignum, vir fortis cum malâ fortunâ compoſitus.* Ita Senec. Et vt verum fateamur, ſi Deus lætatur in operibus ſuis tanquam in iis quæ manifeſtant eius gloriam, & potentiam, lætabitur proculdubio in iis per quæ eius gloria, & omnipotens Majeſtas ſplendidiores emittunt radios, quales ſunt actiones heroicæ & inſigniores virtutum patientiæ & magnanimitatis; quod ſi hi actus Deo grati & accepti eſſe poſſint, cum tantum à principiis virtutum moralium eliciuntur, cum ipſe cuiuſlibet boni naturalis & moralis author ſit (omne enim bonum à Deo omnium bonorum fonte originem trahit) multo magis tales actus grati erunt ſi à principiis ſupernaturalibus motiuo etiam ſupernaturali eliciuntur, & ab agente Deo gratiſſimo prodeant, Seneca.

Digitized by Google

prodeant, certè digni erunt, qui ab eo approben-
Pſal. 33. tur, & benigno adſpiciantur intuitu, hinc cecinit
Dauid, *Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius ad preces eorum.* Multa dura & acerba vexabant olim
Hieroſolymitanam ciuitatem derelictam, & de-
ſolatam, ſed nihil eam acerbius diuexabat, quam
quod videret ſe tanquam indignam à Deo deſpui,
oculoſque eius ab ea auerti, hinc Thren. 1. dicebat,
Threni 1. *Vide Domine quoniam tribulor*, ac ſi eam Deus non
dignaretur adſpicere, dicere igitur mihi videtur,
heu Domine de me amplius non cogitas, ingentes
ſunt afflictiones quibus premor, at intolerabiles
mihi redduntur ſiquidem nec vis tantum ad me
reſpicere. Patior veluti contempta, & neglecta,
nec quidquid tolero pro debito erga te obſequio B
computabitur. Hæc namque patior, quod oculos
tuos à me auerteris nec tuam deinceps poſſim ſpe-
cialem ſperare protectionem. Hæc illa deſolata ci-
uitas profiteri videtur dum ait, vide Domine quo-
niam tribulor; & reuera hæc eſt differentia inter
bonos & malos in eo quod Deus iuſtorum reſpicit
prælia & labores, tanquam obſequia ſibi ab eis ex-
hibita, mali autem mala plurima tolerare cogun-
tur tanquam qui ea mereantur, vtpote Dei hoſtes
reputati, quos Deus odio proſequitur & negligit
& de quibus nullam amplius curam gerere aliam
decreuerit quam vt de iis pœnas exigat promeritas.

Saluianus. Quod ſi Deus talis ſit qualis à Saluiano vere deſ-
cribitur lib. 1. de prouidentia, *Vt qui ſentiat omnia per*
C *ſubtilitatem, & moueat per fortitudinem, & rogat per*
poteſtatem, & cuſtodiat per benignitatem; Quonam
tempore magis apparere poterit eum omnia ſentire
per ſubtilitatem quam dum tanguntur ij, quos cu-
ſtodit vt pupillam oculi ſui, itaut ſtatim atque ipſi
tacti fuerint mox ad illos oculos conuertat? Quonã
tempore aderit, vt ipſis ſuppetias ferat, & fortitu-
dine ſua illos confirmet, & corroboret, quam dum
pro tuitione honoris ſui fideliter, & conſtanter de-
certant? Quonam temporis articulo, Regem ſe eſſe
potentiſſimum oſtendet, quam dum ſerui eius vt
obedientiam, & fidelitatem ſuam teſtentur, oſten-
dunt ſe ſeculi poteſtates & dignitates nullatenus
reuereri? Denique quando eius benignitas æquius D
propenſiorem ſe exhibebit erga eos qui Deum dili-
gunt, quam dum in agone contendunt, & vltimos
exhalant ſpiritus vt in conſpectu cæli & terræ pro-
fiteantur & teſtentur excellentiam, & magnifecen-
tiam Dei ſe præponere omnibus commodis, nec-
non & propriæ vitæ? Hinc quia eos illo oculo
benigniſſimo intuetur quo reſpicit ea quæ non ſunt,
vt ſint & exiſtant, quo viuificat ea quæ vita carent,
quo ad vitam reuocat mortuos, reſtaurat perdita,
& quo amicos ſuos continuè reſpicit, vt in tempo-
re opportuno ipſis præbeat auxilium, Epiſcopum
iſtum adhortatur vt nihil timeat, *Nihil horum ti-*
meas quæ paſſurus es: quia ipſe attentè conſiderat
quid patiatur pro ſuo nomine ſiue extrinſece ſiue E
intrinſecè, ſiue ab extrinſeco agente, ſiue propria
electione.

Quod ſi tribulationes hoc titulo commendabiles ſunt, quod libenter Deus tribulatos intuetur: commendari etiam poſſunt, ex eo quod per eas diuitias virtutum & meritorum comparamus: *Virtus in infirmitate perficitur*, inter certamina roboratur, ſolidiora ſunt merita, quo generoſiores ſunt actiones in quibus fundantur, & charitas intenſior eſt in eo qui Deum non ſolùm colit in pace & tranquillitate, ſed inter turbines & tempeſtates in eius obſequio fidelis perſeuerat, clauum non amittit fluctibus iactatus, à ſtatione non dimouetur, vehementer appetitus pede fixo hoſtium expectat inſultus, gaudet ſi occumbere contingat in prælio, modo

Tom. I. H

honorem Domini ſui conſtanter tueatur, hinc ſanctus Hilarius hunc Pſalmi Verſiculum exponens, Pſ. 133. S. Hilarius.
Si ambulauero in medio tribulationis viuificabis me, ait, *Non abnuit iuſtus iſte ne in mediis tribulationibus ambulet, ſcit enim quia tribulatio patientiam ſecundum Apoſtolum operatur, ſcit improbabilem virum non placere, ſcit victorem militem niſi bello non futurum, ſcit intentatam fidem languere, ſcit tribulationibus ſecundum Apoſtolum gloriandum, ſcit imparem ſe tribulationibus ſine auxilio Dei eſſe, & idcirco per Deum ſalutis ſuæ certus eſt, & cum in mediis tribulationibus ambulet per eaſdem ſe viuificandum eſſe confidit.* Ita S. Hilar. Quæ cum ita ſint quis non videt tribulationes media & inſtrumenta eſſe aptiſſima ad infallibilem bonorum animi comparationem? At dum in actionibus meritoriis aliquid plus ineſſe aut minus aſſero, ſemper præſupponendum eſt diuinam gratiam principium illarum exiſtere, hoc enim præſuppoſito dubium non eſt hominem tantò magis ditiorem fieri meritis, quantò actiones in quibus hæc merita fundantur, virtutem requirunt in eminentiori gradu, & multiplices accumuant formalitates in ſe moralis bonitatis, & exigunt fortiorem in bono determinationem, & intenſiorem animi applicationem, maiorem etiam à ſenſibus & voluptatibus carnis abſtractionem, & pleniorem abnegationem omnium, & perfectiſſimam noſtri inter manus Dei reſignationem, quæ quidem omnia facile inueniri poſſunt in
C tolerantia tribulationum, quas cum patientia & reſignatione toleramus, iuxta illud S. Petri 1. c. 2. *Hæc eſt enim gratia ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias patiens iniuſtè, quæ eſt enim gloria ſi peccantes, & colaphizati ſuffertis? Sed ſi bene facientes patienter ſuſtinetis hæc eſt gratia apud Deum, in hoc enim vocati eſtis; quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius*, hinc tertia exſurgit tribulationum excellentia nempe quod ſit via ſecurior & breuior ad vitam æternam promerendam.

Certum eſt namque tolerantiam paſſionum compendiariam nobis parare viam ad gloriam, & ſecuriùs agere qui inter tribulationes verſatur, quàm qui
D inter delitias & proſperitates vitam degit, quo enim fortius Chriſto coniungimur eo magis ſecuriores reddimur, & citiùs votorum compotes euadimus: at quiſnam ſtrictius Chriſto coniungitur, quam is qui cum eo patitur? Cum igitur meritorum noſtrorum origo ſit Chriſtus, & actio qua nobis merendi gratiam comparauit inſignior fuerit eiuſdem paſſionis & mortis imitatio, quanto intimius Chriſto patienti & morienti per imitationem & affectum coniungemur, tanto facilius ab eo fonte hauriemus copioſiora merita, quibus gloriam promereamur. Vnde Petrus auſus eſt dicere 1. c. 3. Petrus 1. c. 3.
Sed & ſi quid patimini propter iuſtitiam beati, ſiquidem pro Iuſtitia tolerati labores aptiora ſunt inſtrumenE ra conquirendorum meritorum, quibus vitam mereamur æternam, quin etiam via hæc magis eſt compendiaria ad gloriam; qui enim charitate diuina inflammatus pro eo pati deſiderat, ſicut & ipſe pro nobis pati dignatus eſt, hic preſſioribus veſtigiis poſt Chriſtum viam carpit, quia paſſionis Chriſti particeps efficitur maiori cum ardore & vehementiori affectu: & ſic ſemitas aberrantes amatorum ſeculi dereliquit, deuia amatorum ſui ipſius deſerit, vt rectâ & compendiariâ viâ ad cælum tendat, vtpote qui ſolum Dei honorem & amorem præ oculis habeat. Hinc Petrus 1. c. 4. præſentiam Petrus 1. c. 4.
diuini ſpiritus in nobis conjicit ex communicatione paſſionibus Chriſti, *Communicantes Chriſti paſſionibus gaudete vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes: ſi exprobramini in nomine Chriſti beati eritis,*

Digitized by Google

quoniam quod eſt honoris gloriæ & virtutis Dei, & qui eſt eius ſpiritus ſuper vos requieſcit, nemo autem veſtrum patiatur vt homicida, aut fur aut maledicus, aut alienorum appetitor, ſi autem vt Chriſtianus non erubeſcat; glorificet autem Deum in iſto nomine quoniam tempus eſt vt incipiat iudicium à domo Dei. Hæc Petrus. Sicut autem paſſionibus communicant, & eodem ſpiritu quo Chriſtus viuificantur, ita cum eo facillime gloria & honore coronantur, & ſuper opera manuum Dei conſtituuntur. Hic fructus patientiæ, quæ vere vt ait S. Iacobus, *opus perfectum habet*, quod tam facilem nobis ad cæli gloriam promerendam, præbeat ſemitam. *Hoc Dei donum*, inquit S. Iuſtinus vel ſancto Paulo teſte ad Philipp. c. 1. *Vobis*, inquit, *donatum eſt non ſolum vt in eum credatis ſed etiam vt pro illo patiamini; Paſſi ſunt*, inquit Iuſtinus in explicat. q. 96. *pro Chriſto pueri* (ſcilicet innocentes) *diuino igitur munere digni habiti ſunt: quis ergo eos non iure laudet, qui diuini muneris largitione laudati ſunt à Deo à quo laus & iis qui præter conſilium & voluntatem boni ſunt, large tribuitur?* Ita Iuſt. Ac ſi diceret multo magis eos eſſe laudandos & promptè coronandos qui ſponte pro illo patiuntur, ſiquidem & laude non iudicauerit indignos iſtos pueros, qui abſque propriâ electione, aut proprio conſenſu digni reperti fuerunt qui pro illo paterentur.

Ad Philipp. c. 1.

S. Iuſtinus.

Et paupertatem tuam.

Quam neceſſaria ſit & vtilis voluntaria paupertas vt Deo placeamus, & acceptabiles reddamur. §. 3.

Qua ratione ſpiritus paupertatis optime conſpiret ad noſtram perfectionem cum patientia in tribulationibus.

Punct. 1.

OPTIMA de cauſa poſtquam Chriſtus Dominus de tribulatione patienter tolerata Epiſcopi Smyrnenſis locutus eſt immediatè de paupertate ipſius mentionem facit, veriſſimum quidem eſt nihil eſſe quo melius anima præparetur ad toleranda patienter omnes perſecutiones externas, al ſubeundas diuitiarum & facultatum mundi jacturas, ad incurrenda honoris & ſanitatis etiam detrimenta, quàm paupertatis ſpiritum: quo enim longius abſumus ab affectu rerum huius ſeculi, & ab earum amore fortius abſtracti, tanto facilius toleramus, ſi actu & reipſa eadem nobis auferantur. hinc fit vt ſpiritus paupertatis, & ſpiritus patientiæ ſimul coëuntes, & in via regni cælorum ſociabiliter & amicabiliter properantes intra ſe complectantur ſex alias beatitudines, *Beati pauperes ſpiritu*, inquit Chriſtus Dominus, *quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*, deinde alias beatitudines ex ordine recenſens tandem octauam ait eſſe tolerantiam perſecutionum pro Iuſtitia, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter Iuſtitiam quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*: ac ſi prima perfectionis delineatio ſit paupertatis ſpiritus, vltima vero linea, ſeu vltimus penicilli ductus ſit pro Iuſtitia perſecutionum patiens tolerantia; per paupertatis ſpiritum nihil ſit in hoc mundo delectabile quod nos alliciat, per ſpiritum patientiæ in tolerandis perſecutionibus nihil ſit terribile quod nos à via cæli capeſſenda deterreat. Cum igitur Chriſtus ad hunc Epiſcopum ait: *Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam*: idem eſt ac ſi diceret: Non mirum eſt, ſi cum patientia multas tribulationes ſuſtineas, ad hanc tolerantiam optimè paratum geris animum quia ab affectu rerum omnium auulſus per ſpiritum paupertatis, facilè earumdem iacturam pateris: hinc opera tua laudo & approbo & paupertam tuam æque ac prædicationem prædico.

Quam opportunus ſit paupertatis ſpiritus ad perfectionem Chriſtianam adipiſcendam. Punct. 2.

Chriſtiana perfectio in hoc conſiſtere videtur vt pro Chriſto quis tribulationes patiatur, iuxta illud S. Petri, *ſed & ſi quid patimini propter iuſtitiam beati*: At nemo libentius pro Iuſtitia patitur quam qui paupertatis pro Chriſto ſpiritu viuificatur, vt omnium rerum amore abdicato, amor Dei in nobis inhabitet quo omnia aduerſa facillime ſuperantur. & ſic Deo grati & accepti per Charitatis ſpiritum in nobis inhabitantem Deus ſemper in nobis maneat cuius delitiæ ſunt eſſe cum filiis hominum, & nos in eo maneamus iugiter, Deus namque Chriſtus eſt & qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo. At qualis quæſo eſſe debet qui hanc Charitatem poſſit obtinere vt tanti hoſpitis poſſit eſſe ſacrum domicilium, & vt in ſe maneat omnia poſſit repellere tanti hoſpitis præſentia indigna eiuſque honori aut amori contraria? Hic proculdubio ſpiritu paupertatis debet eſſe inſigniter decoratus. Certe hoſpes ille magnus & immenſus, magna igitur & ampliſſima debet eſſe manſio ipſius. Lux eſt, & tenebræ eum comprehendere non poſſunt, itaque domus eius lucidiſſima ſit & ſole veritatis amicta & circumfuſa. Sapientia eſt infinita, *quæ attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter, emanatio eſt ſyncera claritatis Dei, & nihil inquinatum in eam incurrit, in maleuolam enim animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis, ſpiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur à ſuperueniente iniquitate.* Sit igitur mens quæ illius cupit eſſe domicilium in ſuis actionibus bene ordinata, ſit puritatis amantiſſima vt tanquam Cælum Thronus ſit diuinæ Maieſtatis. Inter corpora cœlum magnitudine cætera præcellit, ſit magna illa mens: lucidiſſimum eſt Cælum, lucidiſſima etiam ſit: ordinatiſſimi ſunt cæli in ſuis motibus, & quandam ſuauem reddunt harmoniam, anima ſit in omnibus ſuis motionibus bene ordinata ne ſpiritus coinquinetur per intemperantiam, vt ſicut cæli nihil ab inferioribus patiuntur ſuntque incorruptibiles, ita anima à carnis voluptatibus & ſenſuum oblectationibus minimè inficiatur. Hæc omnia præſtat facillime qui ſpiritu paupertatis eſt præditus vt ex ſequentibus videre licet.

1. Petri 1. c. 3.

Sap. 7.

Et primò, eo ſpiritu ampliſſima mens efficitur. Fatendum eſt in anima noſtra ineſſe quandam capacitatem naturalem latæ & longæ, profundæ & altæ amplitudinis, ineffabili quadam ratione authoris ſui immenſitatem infinitam redolet, naturam habet elementis & elementatis cunctis excellentiorem, quæ proinde nec concipi nec probè cognoſci poteſt ex imaginibus aut corporeis phantaſmatibus ſeu ſpeciebus, quas ex ſenſibus haurimus. Solus intellectus abſtractione quadam ab omni re corporea & materiali de ea aliquid percipere poteſt, vel certè experientia ſola actionum ſeu functionum vitalium, aliquid de natura & eſſentiâ ſubſtantiæ animi conjici poteſt; *Habet naturam*, inquit S. Auguſtinus de ratione animæ ad Hieron. inter opera S. Hieron. to. 4. *omnibus his mundanæ molis elementis excellentiore ſubſtantia creatam, quæ veraciter non poſſit in aliqua phantaſia corporalium imaginum, quas per carnis ſenſus percipimus cogitari, ſed mente intelligi vitaque ſentiri.* Ita Aug. Sed ſi ſemel adhæſerit per affectum rebus terrenis, quamuis ſit ampla & miræ capacitatis, reſtringitur, coarctatur, & cum libertate naturaliter indita vti deſiderat, ſentit ſe captiuatam, & conſtrictam, & veluti extra connaturalem ſtatû poſitam: inquieta & turbata perci-

S. Auguſtinus.

Digitized by Google

pit ſe tenebris inuolutam, & confuſam, à quibus malis eximitur ſi ſpiritu paupertatis ab affectu rerum terrenarum abſtrahatur, vt fiat Dei immenſi habitatio, à quo lumine replebitur, & omnes animi ſui motus in optimum hominem redigentur.

Hac auulſione dilatatur, vt diuinæ allecurationis effectum in ſemetipſa experiatur, *Dilata*, inquit, *os tuum & implebo illud*. Hac abſtractione animaduertit diuinam ineſſe nobis animarum originem vt ait S. Hilarius, cum non exiguam cæleſtis in ſe generis cognationem mens ipſa cognoſcat. *Cælum mihi ſedes eſt*, inquit Iſaias, *anima autem iuſti*, inquit Sapiens, *ſedes eſt Sapientiæ*, Chriſti videlicet, qui dicitur à S. Paulo Dei virtus & ſapientia, magna igitur imo immenſa debet eſſe anima iuſti, *quia ſi Deus ſapientia, anima autem iuſti ſedes ſapientiæ, dum cælum dicitur ſedes Dei, cælum ergo eſt anima iuſti, hinc per Pſalmiſtam de ſanctis prædicatoribus dicitur Cæli enarrant gloriam Dei, regnum ergo cælorum eſt Eccleſia iuſtorum, quia enim eorum corda in terra nihil ambiunt, per hoc quod ad ſuperna ſuſpirant iam in eis Dominus quaſi in cæleſtibus regnat.* Ita S. Greg. admiratur Propheta Regius quod Deus extenderit cælum ſicut pellem, Pſ. 103. ſicut corticium in rotundum ſinum abſque rugâ, ſummâ æqualitate ample & latè; at mirabiles ſunt ſpiritus paupertatis effectus, qui animam adeo extendit vt dignæ fit quæ fiat Dei, quamuis immenſi tentorium ſeu tabernaculum, regnetque in anima non equidem clarè cognitus, & charitate indiſſolubili coniunctus ſed certa cognitione & quadam forti dilectione apprehenſus.

S. Hilarius.

S. Gregorius magnus.

Pſ. 103.

At non ſolum ampla redditur per paupertatem ſpiritus anima iuſti ſed & ſplendore nimis colluſtratur vtpote apud quem Deus inhabitet Pater luminum, *lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, & ſpiritus veritatis, vnus Deus Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Duo ſunt proculdubio quibus acies oculorum obtunditur ne obiecta ſibi propoſita vere apprehendat. Primum eſt ſi cæno oculus inficiatur, aliud eſt ſi ſplendor lucis intenſior ſit, itaut viſualis radius tantum ſplendorem ſuſtinere nequeat iuxta axioma: nimium ſenſibile lædit ſenſum. Pari ratione ſi mens nimio affectu terrenis obnubiletur res diuinas percipere nequiuerit, animalis enim homo non percipit quæ Dei ſunt, ſi inſuper nimis curioſè res diuinas indagare, & perſcrutari audeat nimia ſui præſumptione elata experietur quod à ſapiente dictum eſt, *ſcrutator maieſtatis opprimetur à gloria*. Duobus his incommodis occurrit ac medetur ſpiritus paupertatis, quo & verum cognoſcere & lumen ipſum in propriæ fonte contemplari poſſumus, dum enim nos auellit ab affectu terrenorum dum propriæ imbecillitatis nos admonet, capaces & idoneos nos reddit qui diuinis ſplendoribus illuſtremur, ab omnibus enim creatis auulſi profundè ſub potenti manu Dei humiliati & depreſſi, *docet nos ſupra iumenta terræ*, id eſt, excellentiori modo ad contemplationem veritatis eucluimur quam animalia ad obiecta ſenſibus ſuis conuenientia apprehendenda ferantur, & ſuper volucres cæli erudit nos, quia promptius mens obiecta ſibi percipit quam volatu perniciori auis alta petere valeat, & vt ait S. Gregor. modo, qui à terrenis rebus abſtracti ſunt, excellentiori ratione quæuis obiecta percipiunt quam percipiant hi qui vita animali & carnali depreſſi nihil aliud quam terrena, & corruptibilia concupiſcunt, promptiori etiam modo veritatem attingunt, quam ij qui curioſitate quadam præſumptuoſa ad ſublimium rerum cognitionem peruenire nituntur, eaſque penetrantius & intimius contemplantur, docet inquam nos ſuper eos, qui per vitam animalem ſeu ſenſualem reptimuntur infra ea quæ ſibi ſunt inferiora, erudit nos ſupra eos, qui curioſis indagationibus ſuis ea quæ ſupra ſe exiſtunt comprehendere perfecte arbitrantur, nam ſtatim atque per ſpiritum paupertatis à carne, & ſenſuum voluptatibus auellimur, & quanta ſit noſtra imbecillitas apprehendimus dignitatem noſtram ex vna parte percipientes, nihilitatem vero ex alia, nec ad carnis delectationes ſectandas deprimimur, nec per ſuperbiam & vanitatem ſupra vires ſublimamur: ſcientes nihil eſſe in nobis tanquam ex nobis cum tota noſtra ſufficientia ex Deo ſit, ſicque mites, & humiles effecti Deus qui in humilibus requieſcit vultum ſuum irradiat ſupra nos, & tanquam ſol ſplendens & viuificans ſplendoribus colluſtrat, & vitam infundit ſpiritualem, qua ad eum ſolum tendamus & adſpiremus tanquam ad vltimum finem, in quo remanentes fit vt eum ordinem teneamus, qui nobis fuit ab authore præſcriptus, vnde fieri non poteſt quin omnes animi noſtri motus bene ordinati ſint, ſiquidem omnia quæ in nobis ſunt ad debitum finem ordinantur.

Iob. 35.

Dicunt Aſtrorum ſpeculatores decem motus diuerſos in cælis reperiri, vnicuique cælorum ſeptem Planetarum proprium motum aſſignantes, & vnicuique ſuperiorum cælorum etiam proprium. Quibuſdam cæli ſunt vndecim, ſeptem pro Planetis, & quatuor ipſis ſuperiores, omnes illi motus præſcriptas habent ſuas periodos, nec terminos vnquam ab authore naturæ datos tranſgrediuntur, & ita optime regulantur, vt abſque authoris ſpeciali arbitrio ab hoc bene ordinato motu non diſcedant. Dicamus autem nos vndecim paſſiones in nobis poni quibus anima mouetur, ſex pro appetitu concupiſcibili, quinque autem pro iraſcibili, hæ autem ſunt Amor, Odium, Fuga, Gaudium, Triſtitia, ſpes, ira, audacia Timor & Deſperatio: vt hi animi motus bene ordinentur, neceſſè eſt vt eis vtamur ad hunc finem ſcilicet, quod per eos ad Deum perueniamus, amando quæ amat odiendo quæ odit, deſiderando, quæ illi placeant, fugiendo, quæ ipſi diſpliceant, gaudendo eius poſſeſſione, triſtes ſi ab eo ſeparari contigerit, Denique hi motus bene erunt ordinati ſi ſpes noſtra ad æterna erigatur, ſi iuſta commoti iracundia contra hoſtes ſalutis inſurgamus cum Dauide dicentes, *tabeſcere me fecit Zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei*, ſi audacter aggrediamur quæ ardua, & difficilia exiſtunt vt Deo obtemperemus iuxta illud, *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras*, ſi timeamus aliquid peragere quod ei diſpliceat, ſi de propria virtute plurimum diffidamus per cordis humilitatem vt omnem noſtram ſpem & expectationem in Deo collocemus. At talis eſt qui vere pauper eſt ſpiritu, ſolum Deum vnicè amat, eius tantum gratiam deſiderat, ea tantum refugit quibus illum amittere contingeret, ſola illius lætatur poſſeſſione, de Dei offenſa tantumodo contriſtatur, in incerto diuitiarum ſpes ſuas non collocat, contra nullum iraſcitur niſi fuerit gloriæ Dei inimicus, audax eſt vt ſeipſum vincat, nihil aliud timet quam à Deo ſeparari & de ſolis propriis viribus deſperat in Dei ſolius virtute & fortitudine ſecurus. Præterea quatuor motus præcipui animaduertuntur in ſuperioribus cælis, vnus qui rapidus & diurnus dicitur primi videlicet mobilis ab oriente in occidentem, ſecundus motus eſt trepidationis ſphæræ decimæ à meridie in ſeptentrionem, & à ſeptentrione in meridiem. Tertius eſt motus trepidationis nonæ ſphæræ ab occidente in orientem. Denique quartus valde tardus in octaua ſphæra ſeu firmamento ab occidente in orientem. Ita Clauius. Quatuor item motus in animabus noſtris animaduertere licet, qui per

Pſ. 118.

Digitized by Google

quoniam quod eſt honoris gloriæ & virtutis Dei, & qui A *eſt eius ſpiritus ſuper vos requieſcit, nemo autem veſtrum patiatur vt homicida, aut fur aut maledicus, aut alienorum appetitor, ſi autem vt Chriſtianus non erubeſcat; glorificet autem Deum in iſto nomine quoniam tempus eſt vt incipiat iudicium à domo Dei.* Hæc Petrus. Sicut autem paſſionibus communicant, & eodem ſpiritu quo Chriſtus viuificantur, ita cum eo facillime gloria & honore coronantur, & ſuper opera manuum Dei conſtituuntur. Hic fructus patientiæ, quæ vere vt ait S. Iacobus, *opus perfectum habet*, quod tam facilem nobis ad cæli gloriam promerendam, præbeat ſemitam. *Hoc Dei donum*, inquit S. Iuſtinus vel ſancto Paulo teſte ad Philipp. c. 1. *Vobis*, inquit, *donatum eſt non ſolum vt in eum credatis ſed etiam vt pro illo patiamini; Paſſi ſunt*, inquit Iuſtinus in explicat. B q. 96. *pro Chriſto pueri* (ſcilicet innocentes) *diuino igitur munere digni habiti ſunt: quis ergo eos non iure laudet, qui diuinis muneris largitione laudati ſunt à Deo à quo laus & iis qui præter conſilium & voluntatem boni ſunt, large tribuitur?* Ita Iuſt. Ac ſi diceret multo magis eos eſſe laudandos & promptè coronandos qui ſponte pro illo patiuntur, ſiquidem & laude non iudicauerit indignos iſtos pueros, qui abſque propriâ electione, aut proprio conſenſu digni reperti fuerunt qui pro illo paterentur.

Ad Philipp. c. 1.

S. Iuſtinus.

Et paupertatem tuam.

Quam neceſſaria ſit & vtilis voluntaria paupertas vt Deo placeamus, & acceptabiles reddamur. §. 3. C

Qua ratione ſpiritus paupertatis optime conſpiret ad noſtram perfectionem cum patientia in tribulationibus. Punct. 1.

OPTIMA de cauſa poſtquam Chriſtus Dominus de tribulatione patienter tolerata Epiſcopi Smyrnenſis locutus eſt immediatè de paupertate ipſius mentionem facit, veriſſimum quidem et nihil eſſe quo melius anima præparetur ad tolerandas patienter omnes perſecutiones externas, al ſubeundas diuitiarum & facultatum mundi jacturas, ad incurrenda honoris & ſanitatis etiam detri- D menta, quàm paupertatis ſpiritum: quo enim longius abſumus ab affectu rerum huius ſeculi, & ab earum amore fortius abſtracti, tanto facilius toleramus, ſi actu & reipſa eadem nobis auferantur: hinc fit vt ſpiritus paupertatis, & ſpiritus patientiæ ſimul coëuntes, & in via regni cælorum ſociabiliter & amicabiliter properantes intra ſe complectantur ſex alias beatitudines, *Beati pauperes ſpiritu*, inquit Chriſtus Dominus, *quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*, deinde alias beatitudines ex ordine recenſens tandem octauam ait eſſe tolerantiam perſecutionum pro Iuſtitia, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter Iuſtitiam quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*: ac ſi prima perfectionis delineatio ſit E paupertatis ſpiritus, vltima vero linea, ſeu vltimus penicilli ductus ſit pro Iuſtitia perſecutionum patiens tolerantia; per paupertatis ſpiritum nihil ſit in hoc mundo delectabile quod nos alliciat, per ſpiritum patientiæ in tolerandis perſecutionibus nihil ſit terribile quod nos à via cæli capeſſenda deterreat. Cum igitur Chriſtus ad hunc Epiſcopum ait: *Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam*: idem eſt ac ſi diceret: Non mirum eſt, ſi cum patientia multas tribulationes ſuſtineas, ad hanc tolerantiam optimè paratum geris animum quia ab affectu rerum omnium auulſus per ſpiritum paupertatis, facilè earumdem iacturam pateris: hinc opera tua laudo & approbo & paupertam tuam æque ac prædicationem prædico.

Quam opportunus ſit paupertatis ſpiritus ad perfectionem Chriſtianam adipiſcendam. Punct. 2.

Chriſtiana perfectio in hoc conſiſtere videtur vt pro Chriſto quis tribulationes patiatur, iuxta illud S. Petri, *ſed & ſi quid patimini propter iuſtitiam beati:* Petrus 1. c. 3. At nemo libentius pro Iuſtitia patitur quam qui paupertatis pro Chriſto ſpiritu viuificatur, vt omnium rerum amore abdicato, amor Dei in nobis inhabitet quo omnia aduerſa facillime ſuperantur. & ſic Deo grati & accepti per Charitatis ſpiritum in nobis inhabitantem Deus ſemper in nobis maneat cuius delitiæ ſunt eſſe cum filiis hominum, & nos in eo maneamus iugiter, Deus namque Chriſtus eſt & qui manet in charitate in Deo manet & Deus B in eo. At qualis quæſo eſſe debet qui hanc Charitatem poſſit obtinere vt tanti hoſpitis poſſit eſſe ſacrum domicilium, & vt in ſe maneat omnia poſſit repellere tanti hoſpitis præſentia indigna eiuſque honori aut amori contraria? Hic proculdubio ſpiritu paupertatis debet eſſe inſigniter decoratus. Certe hoſpes ille magnus & immenſus, magna igitur & ampliſſima debet eſſe manſio ipſius. Lux eſt, & tenebræ eum comprehendere non poſſunt, itaque domus eius lucidiſſima ſit & ſole veritatis amicta & circumfuſa. Sapientia eſt infinita, *quæ attingit à fine* Sap. 7. *vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter, emanatio eſt ſyncera claritatis Dei, & nihil inquinatum in eam incurrit, in maleuolam enim animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis, ſpiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur à ſuperueniente iniquitate.* Sit igitur mens quæ illius cupit eſſe domicilium in ſuis actionibus bene ordinata, ſit puritatis amantiſſima vt tanquam Cælum Thronus ſit diuinæ Maieſtatis. Inter corpora cœlum magnitudine cætera præcellit, ſit magna illa mens: lucidiſſimum eſt Cælum, lucidiſſima etiam ſit: ordinatiſſimi ſunt cæli in ſuis motibus, & quandam ſuauem reddunt harmoniam, anima ſit in omnibus ſuis motionibus bene ordinata ne ſpiritus coinquinetur per intemperantiam, vt ſicut cæli nihil ab inferioribus patiuntur ſuntque incorruptibiles, ita anima à carnis voluptatibus & ſenſuum oblectationibus minimè inficiatur. Hæc omnia præſtat facillime qui ſpiritu paupertatis eſt præditus vt ex ſequentibus videre licet.

Et primò, eo ſpiritu ampliſſima mens efficitur. Fatendum eſt in anima noſtra ineſſe quandam capacitatem naturalem latæ & longæ, profundæ & altæ amplitudinis, ineffabili quadam ratione authoris ſui immenſitatem infinitam redolet, naturam habet elementis & elementatis cunctis excellentiorem, quæ proinde nec concipi nec probè cognoſci poteſt ex imaginibus aut corporeis phantaſmatibus ſeu ſpeciebus, quas ex ſenſibus haurimus. Solus intellectus abſtractione quadam ab omni re corporea & materiali de ea aliquid percipere poteſt, vel certè experientia ſola actionum ſeu functionum vitalium, aliquid de natura & eſſentiâ ſubſtantiæ animi conjici poteſt; *Habet naturam*, inquit S. Auguſtinus de ratione animæ ad Hierony. S. Auguſtinus. inter opera S. Hierony. to. 4. *omnibus hu mundanæ molis elementis excellentiore ſubſtantia creatam, quæ veraciter non poſſit in aliqua phantaſia corporalium imaginum, quas per carnis ſenſus percipimus cogitari, ſed mente intelligi vitaque ſentiri.* Ita Aug. Sed ſi ſemel adhæſerit per affectum rebus terrenis, quamuis ſit ampla & miræ capacitatis, reſtringitur, coarctatur, & cum libertate naturaliter indita vti deſiderat, ſentit ſe captiuatam, & conſtrictam, & veluti extra connaturalem ſtatũ poſitam: inquieta & turbata perci-

Digitized by Google

pit ſe tenebris inuolutam, & confuſam, à quibus malis eximitur ſi ſpiritu paupertatis ab affectu rerum terrenarum abſtrahatur, vt fiat Dei immenſi habitatio, à quo lumine replebitur, & omnes animi ſui motus in optimum hominem redigentur.

Hac auulſione dilatatur, vt diuinæ aſſecurationis effectum in ſemetipſa experiatur, *Dilata*, inquit, *os tuum & implebo illud*. Hac abſtractione animaduertit diuinam ineſſe nobis animarum originem vt ait S. Hilarius, cum non exiguam cæleſtis in ſe generis cognationem mens ipſa cognoſcat. *Cælum mihi ſedes eſt*, inquit Iſaias, *anima autem iuſti*, inquit Sapiens, *ſedes eſt Sapientiæ*, Chriſti videlicet, qui dicitur à S. Paulo Dei virtus & ſapientia, magnâ igitur imo immenſa debet eſſe anima iuſti, *quæ ſi Deus ſapientia, anima autem iuſti ſedes ſapientiæ, dum cælum dicitur ſedes Dei, cælum ergo eſt anima iuſti, hinc per Pſalmiſtam de ſanctis prædicatoribus dicitur Cæli enarrant gloriam Dei, regnum ergo cælorum eſt Eccleſia iuſtorum, quia enim eorum corda in terra nihil ambiunt, per hoc quod ad ſuperna ſuſpirant tam in eis Dominus quaſi in cæleſtibus regnat.* Ita S. Greg. admiratur Propheta Regius quod Deus extenderit cælum ſicut pellem, Pſ. 103. ſicut corticium in rotundum ſinum abſque rugâ, ſummâ æqualitate ample & latè; at mirabiles ſunt ſpiritus paupertatis effectus, qui animam adeo extendit vt dignæ ſit quæ fiat Dei, quamuis immenſi tentorium ſeu tabernaculum, regnetque in anima non equidem clarè cognitus, & charitate indiſſolubili coniunctus ſed certa cognitione & quadam forti dilectione apprehenſus.

S. Hilarius.

S. Gregorius magnus.

Pſ. 103.

At non ſolum ampla redditur per paupertatem ſpiritus anima iuſti ſed & ſplendore nimis colluſtratur vtpote apud quem Deus inhabitet Pater luminum, *lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, & ſpiritus veritatis, vnus Deus Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Duo ſunt proculdubio quibus acies oculorum obtunditur ne obiecta ſibi propoſita vere apprehendat. Primum eſt ſi cæno oculus inficiatur, aliud eſt ſi ſplendor lucis intenſior ſit, itaut viſualis radius tantum ſplendorem ſuſtinere nequeat iuxta axioma: nimium ſenſibile lædit ſenſum. Pari ratione ſi mens nimio affectu terrenis obnubiletur res diuinas percipere nequiuerit, animalis enim homo non percipit quæ Dei ſunt, ſi inſuper nimis curioſè res diuinas indagare, & perſcrutari audeat nimia ſui præſumptione elata experietur quod à ſapiente dictum eſt, *ſcrutator maieſtatis opprimetur à gloria*. Duobus his incommodis occurrit ac medetur ſpiritus paupertatis, quo & verum cognoſcere & lumen ipſum in propriæ fonte contemplari poſſumus, dum enim nos auellit ab affectu terrenorum dum propriæ imbecillitatis nos admonet, capaces & idoneos nos reddit qui diuinis ſplendoribus illuſtremur, ab omnibus enim creatis auulſi profundè ſub potenti manu Dei humiliati & depreſſi, *docet nos ſupra iumenta terræ*, id eſt, excellentiori modo ad contemplationem veritatis euehimur quam animalia ad obiecta ſenſibus ſuis conuenientia apprehendenda ferantur, & ſuper volucres cæli erudit nos, quia promptius mens obiecta ſibi percipit quam volatu perniciori auis alta petere valeat, & vt ait S. Gregor. modo, qui à terrenis rebus abſtracti ſunt, excellentiori ratione quæuis obiecta percipiunt quam percipiant hi qui vita animali & carnali depreſſi nihil aliud quam terrena, & corruptibilia concupiſcunt, promptiori etiam modo veritatem attingunt, quam ij qui curioſitate quadam præſumptuoſa ad ſublimium rerum cognitionem peruenire nituntur, eaſque penetrantius & intimius contemplantur, docet inquam nos ſuper eos, qui per vitam animalem ſeu ſenſualem reprimuntur infra ea quæ ſibi ſunt inferiora, erudit nos ſupra eos, qui curioſis indagationibus ſuis ea quæ ſupra ſe exiſtunt comprehendere perfectè arbitrantur, nam ſtatim atque per ſpiritum paupertatis à carne, & ſenſuum voluptatibus auellimur, & quanta ſit noſtra imbecillitas apprehendimus dignitatem noſtram ex vna parte percipientes, nihilitatem vero ex alia, nec ad carnis delectationes ſectandas deprimimur, nec per ſuperbiam & vanitatem ſupra vires ſublimamur: ſcientes nihil eſſe in nobis tanquam ex nobis cum tota noſtra ſufficientia ex Deo ſit, ſicque mites, & humiles effecti Deus qui in humilibus requieſcit vultum ſuum irradiat ſupra nos, & tanquam ſol ſplendens & viuificans ſplendoribus colluſtrat, & vitam infundit ſpiritualem, qua ad eum ſolum tendamus & adſpiremus tanquam ad vltimum finem, in quo remanentes fit vt eum ordinem teneamus, qui nobis fuit ab authore præſcriptus, vnde fieri non poteſt quin omnes animi noſtri motus bene ordinati ſint, ſiquidem omnia quæ in nobis ſunt ad debitum finem ordinantur.

Iob. 35.

Dicunt Aſtrorum ſpeculatores decem motus diuerſos in cælis reperiri, vnicuique cælorum ſeptem Planetarum proprium motum aſſignantes, & vnicuique ſuperiorum cælorum etiam proprium. Quibuſdam cæli ſunt vndecim, ſeptem pro Planetis, & quatuor ipſis ſuperiores, omnes illi motus præſcriptas habent ſuas periodos, nec terminos vnquam ab authore naturæ datos tranſgrediuntur, & ita optime regulantur, vt abſque authoris ſpeciali arbitrio ab hoc bene ordinato motu non diſcedant. Dicamus autem nos vndecim paſſiones in nobis poni quibus anima mouetur, ſex pro appetitu concupiſcibili, quinque autem pro iraſcibili, hæ autem ſunt Amor, Odium, Fuga, Gaudium, Triſtitia, ſpes, ira, audacia Timor & Deſperatio: vt hi animi motus bene ordinentur, neceſſe eſt vt eis vtamur ad hunc finem ſcilicet, quod per eos ad Deum perueniamus, amando quæ amat odiendo quæ odit, deſiderando, quæ illi placeant, fugiendo, quæ ipſi diſpliceant, gaudendo eius poſſeſſione, triſtes ſi ab eo ſeparari contigerit, Denique hi motus bene erunt ordinati ſi ſpes noſtra ad æterna erigatur, ſi iuſta commoti iracundia contra hoſtes ſalutis inſurgamus cum Dauide dicentes, *tabeſcere me fecit Zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei*, ſi audacter aggrediamur quæ ardua, & difficilia exiſtunt vt Deo obtemperemus iuxta illud, *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras*, ſi timeamus aliquid peragere quod ei diſpliceat, ſi de propria virtute plurimum diffidamus per cordis humilitatem vt omnem noſtram ſpem & expectationem in Deo collocemus. At talis eſt qui vere pauper eſt ſpiritu, ſolum Deum vnicè amat, eius tantum gratiam deſiderat, ea tantum refugit quibus illum amittere contingeret, ſola illius lætatur poſſeſſione, de Dei offenſa tantummodo contriſtatur, in incerto diuitiarum ſpes ſuas non collocat, contra nullum iraſcitur niſi fuerit gloriæ Dei inimicus, audax eſt vt ſeipſum vincat, nihil aliud timet quam à Deo ſeparari & de ſolis propriis viribus deſperat in Dei ſolius virtute & fortitudine ſecurus. Præterea quatuor motus præcipui animaduertuntur in ſuperioribus cælis, vnus qui rapidus & diurnus dicitur primi videlicet mobilis ab oriente in occidentem, ſecundus motus eſt trepidationis ſphæræ decimæ à meridie in ſeptentrionem, & à ſeptentrione in meridiem. Tertius eſt motus trepidationis nonæ ſphæræ ab occidente in orientem. Denique quartus valde tardus in octaua ſphæra ſeu firmamento ab occidente in orientem. Ita Clauius. Quatuor item motus in animabus noſtris animaduertere licet, qui per

Pſ. 118.

Digitized by Google

iſtos cælorum motus optimè delineari poſſunt, qui ordinari debito modo nequeunt niſi adſit Paupertatis ſpiritus. Primus motus eſt virtutis Prudentiæ, qua moueri debet cælum ſtellatum ſeu firmamentum, id eſt, qua animari ſeu impelli debent omnes noſtræ cognitiones ad praxim, cognitiones inquam quibus mens ornatur tanquam micantibus ſtellis, & quibus mens propellitur ab occidente in orientem, id eſt, ab hac vita mortali in æternam, ſi ſemel per ſpiritum paupertatis ab amore ſeculi auulſi fuerimus. Secundus motus eſt virtutis Temperantiæ, quo ita mouemur verſus orientem æternæ vitæ, vt nihilominus corporis curam omino non negligamus, motu quodam retrogradationis ab illicitis voluptatibus, quibus impedimur, ne ad cælum noſtra deſideria ferantur, vt infirmitatis naturæ recordemur, itaut ea quæ corpori neceſſaria ſunt ad vitæ conſeruationem, ei non ſubtrahamus, hæc autem moderatio proculdubio cauſatur à ſpiritu paupertatis, neceſſarius quippe eſt ad tales motus optimè dirigendos. *Diuidantur*, inquit S. Bernardus, ſer. 32. in paruis ſermon. *aquæ ab aquis quatenus anima quoque vt dignum eſt partem ſibi vendicet ſollicitudinis, & meditationes ſanè inferiores certis limitibus cœrceantur, certis contineantur alueis, neceſſitatis terminos non excedant, proinde ſuperiores copioſius dilatentur, ex hoc ſane dat Dominus benedictionem; & terra noſtra dabit fructum ſuum.* Ita Bernard. Cui conſolationes diuinæ aquæ ſuperiores ſunt, neceſſitates vitæ, inferiores, quia ita certis quibuſdam terminis limitari debent, vt vltra motus neceſſitatis non progrediantur, fiatque hoc modo anima capacior vt in ſinu ſuo aquas diuinæ gratiæ excipiat.

S. Bernardus, Ser. 32. in paruis.

Tertius motus eſt motus decimæ ſphetæ à meridie in aquilonem, ab aquilone in meridiem, actus virtutis fortitudinis deſignans, quâ fit vt patientiâ aduerſitates toleremus, & præterea propter proſperitatis ſplendorem meridianam non efferamur, nec ab officio noſtro recedamus. Denique præparat nos ad agendum fortiter, & patiendum conſtanter: agere autem & pati ſunt duæ fortitudinis partes, ad quod proculdubio perficiendum plurimum conducit ſpiritus paupertatis ea quæ ſenſibus gratiora ſunt paruipendens.

Denique motus primi mobilis deſignat virtutem Iuſtitiæ, quæ tanquam virtus quædam vniuerſalis ſecum trahere & rapere debet omnes motus inferiores, Deo, Proximo, & nobis ipſis reddens quod iuſtum eſt: Quis autem non videt, quod vt hæc facillimè perficiantur neceſſarium eſt vt per paupertatis ſpiritum ab affectu eorum quæ noſtra ſunt, & propriæ fauent cupiditati auellamur? Ex quibus omnibus ſatis patet qua ratione ad modum cælorum, omnes animi noſtri motus optimè ordinentur.

Tres inſignes paupertatis ſpiritus prærogatiuæ ſicut & tribulationis pro Chriſto tolerata. Punct. 3.

Adſunt adhuc aliæ ſpiritus paupertatis prærogatiuæ. Diximus ſupra quomodo mala extrinſecus illata patienter tolerata tres à Deo ſpeciales fauores nobis conciliabat v. g. benignos diuinæ maieſtatis intuitus, virtutum & meritorum diuitias, & quod hac ratione velocius, & facilius verſus beatitudinem currentes illam conſequi poſſemus. Eadem præſtat ſpiritus paupertatis de 1. audi Pſalmiſtam, *Oculi eius in pauperem reſpiciunt.* Pſ. 10. audi & Iſaiam c. 25. *Super hoc laudabit te populus fortis, ciuitas gentium robuſtarum, quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione ſua, ſpes à turbine vmbraculum ab æſtu.* At non ſolum benigno intuitu ad pauperem reſpicit, eumque protegere gaudet, ſed ſi quis ad pauperem attendit & pro paupere vices rependere promittit; *Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem in die mala liberabit eum Dominus.* Pſ. 40.

Pſ. 10. Iſ. c. 25.

Si autem de diuitiis virtutum & meritorum verba faciamus quomodo paupertatis ſpiritus tales accumulet diuitias habemus ex Tertulliano ad Marty. dum ait: *Nihil intereſt eſt vbi ſitis in ſæculo, extra ſæculum eſtis, eſſe aliqua amiſiſtis vitæ gaudia, negotiatio eſt aliquid amittere vt maiora lucretis.* Ita Tertull. Quam vtilis eſt iſta negotiatio, quæ pro ſpinis pungentibus, pro ſollicitudinibus diſcruciantibus, pro bonis tranſitoriis & vmbratilibus gaudiis, (hæc enim ſunt diuitiæ, ſpinæ, ſollicitudines anxietates, & tranſitoria gaudia) nobis comparat veras animi voluptates, & æterna præmia, omnia igitur amittant ſancti pauperes, diuites ſemper erunt, quia non amittunt ea quæ verè bona ſunt exoptanda. *Sancti*, inquit Auguſtinus, *amiſerunt omnia quæ habebant. Numquid fidem? Numquid pietatem? Numquid interioris hominis bona, qui eſt ante Deum dines: hæ ſunt opes Chriſtianorum,* Aug. l. de Ciuit. c. 10. Optimè Clemens Alexand. l. 3. Pædag. c. 6. *Is ſolum dines eſt qui quæ ſunt longe prætioſiſſima poſſidet, magni autem ſunt prætij non gemmæ non argentum, non veſtis pulchritudo; ſed virtus.* Ita Clem. Nec aliâ viâ virtutibus & meritis dilatari poſſumus quàm ſpiritu paupertatis, eâ enim vſus eſt Chriſtus ipſe vt nos ditaret dicente Paulo 2. ad Corinth. 1. *ſcitis gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, vt illius inopia vos diuites eſſetis.* Quod quidem ingens beneficium ponderat Auguſt. in Pſ. 40. *Quid eſt hoc? Intellige quia vbi tibi expoſita eſt infirmitas ibi latet diuinitas, dines quia ſic eſt, pauper quia tu ſic eras; ſed tamen paupertas ipſius diuitiæ noſtræ ſunt, quomodo ſtultum ipſius ſapientia noſtra eſt; quomodo infirmitas ipſius fortitudo noſtra eſt, quomodo mortalitas ipſius immortalitas noſtra eſt; quis ſit pauper attende, non eum ex aliorum paupertate metiaris, implere venit pauperes qui pauper effectus eſt, propterea apertum ſinum fidei, ſuſcipe pauperem ne pauper remaneas.* Ita S. Aug. At non ſolum per ſpiritum paupertatis imitando Chriſtum pauperem diuites euadimus, ſed etiam per eundem expeditior nobis ad cælum paratur ſemita.

Tertullianus.

2. ad Cor. 1.

Auguſt.

Non eadem ratione ædificia conſtruuntur ſpiritualia qua magnifica palatia & altiſſimæ turres extruuntur. In his terrenis ædificiis exædificandæ imitanda eſt Dauidis prouidentia, qui ad ædificandum domum Domini multa præparauit neceſſaria, ferrum plurimum æris pondus innumerabile, ligna cedrina, lapides, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum, artifices, latomos, cæmentarios, artificeſque lignorum, & omnium artium ad faciendum opus prudentiſſimè 1. Paralip. c. 22. Sic omni ædificare volenti multa ſunt præparanda. At non ita res ſe habet ædificantibus nobis in cælis domum cæleſtem eamque exornare percupientibus, ad hoc enim præſtandum fæliciſſimè omnia ſunt relinquenda. Nec minus diuerſa eſt agendi ratio in certaminibus, & præliis, quæ ineant reges terræ cum aliis principibus, & iis quæ nos inire neceſſe eſt cum ſaluris noſtræ infeſtis hoſtibus: quanti debeant eſſe belli apparatus non eſt facile explicare inequis & equitibus, in militibus & armis, in curribus & copioſa ſupellectile, in commeatu, & pecuniis, ſhi cum decem tantum millibus occurreret hoſti, qui cum viginti millibus accederet temerarius potius cenſeretur, quam generoſus. At ſi quis cum hoſte inuiſibili certare contendit nudus cum nudo luctare debet, ſolus ſit, amicis parentibus pecuniis ſpoliatus. Hoc modo liber currat poſt Chriſtum, ſicut enim ille qui ædificium aliquod inſigne inciperet conſtruendum abſque pecunia imprudens cenſeretur, quia non haberet quo ædifi-

1. Paralip. c. 22.

Digitized by Google

cium incœptum conſummaret, & ſicut ille temera-
rius reputaretur qui congredi vellet cum copioſiſ-
ſimo exercitu paucis ſecum ductis militibus, ita ille
imprudens habetur in negotio ſalutis æternæ pro-
mouendo qui ad tantum opus ſe parat non relictis
pecuniis, agris & omnibus terrenis facultatibus, &
adhuc carnali affectu cum parentibus patre, matre,
fratribus, ſororibus aut vxore coniunctus: vno ver-
bo dicam, ſicut ille qui multas habet paratas pecu-
nias poteſt ſe ad ædificiorum & turrium altiſſima-
rum conſtructionem accingere, & qui copioſum,
& optime inſtructum habet exercitum poteſt hoſti
ſuo occurrere, ita qui omnia dereliquit pro Dei
amore idoneus eſt qui domum ſibi conſtruat in cæ-
lis, & contra hoſtes ſalutis feliciter decertet. Hic
eſt ſenſus ni fallor duarum parabolarum S. Lucæ
c. 14. De volente ædificare turrim, nec computan-
te ſumptus qui neceſſarij ſunt, & de rege ituro com-
mittere bellum aduerſus alium regem non cogitan-
te ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum
viginti millibus venit ad ſe, irriſioni enim ſe expo-
nit, qui poſito fundamento non poteſt ædificium
conſummare deficientibus ſumptibus neceſſariis, &
ad pacem turpiter poſtulandam cogitur, qui cum
debiliori exercitu inuadere putaret fortiorem, *ſic er-
go*, inquit Chriſtus, *omnis ex vobis qui non renunciat
omnibus quæ poſſidet non poteſt meus eſſe diſcipulus*, ab
omnibus igitur operibus expediti corde dilatato, &
cælorum inſtar ampliſſimo, alacres in via Dei pro-
peramus, quid dico properamus? nec cælum ipſum
in ſuo rapido motu velocius fertur ipsâ animâ Deo
ſeſe promptiſſimo animo motu coniungente, ſolo
Deo contentâ, cæteris omnibus derelictis.

Optime equidem Plato apud S. Ambroſium cæ-
lum vocabat currum velocem, velox currus pariter
erit mens noſtra & veluti Elias in curru igneo rapie-
tur ſi Dei amore, & zelo honoris ſui ſemel fuerit
accenſa, de qua animi velocitate idem S. Ambro-
ſius lib. 3. de Virginibus, *habet ergo anima ſpiritales
volatus. Quo breui momento totum percurrit orbem, li-
bera enim ſunt cogitationes prudentum, quanto ad altiora,
& diuiniora ſe ſubrigunt, tanto magis ſine vllo terrenæ
molis impedimento feruntur, itaque adhærens Deo, &
imaginis in ſe referens cæleſtis effigiem, vbi curſus ſuos ab
æquorum perturbatione placidauerit in illum æthereum pu-
rumque locum plauſu ſpiritalium euectæ pennarum deſpi-
cit omnia quæ in hoc mundo ſunt, & æternis intenta vir-
tutibus ſupra mundum labitur: ſupra mundum enim inſtitia
eſt, ſupra mundum veritas, ſupra mundum caſtitas, ſupra
mundum bonitas, ſupra mundum ſapientia; & ſi in hoc
mundo ſit ſupra mundum tamen eſt.* Hinc Amb. Ne igi-
tur pigritemur omnia deſerere: alarum proprium
eſt agitatione & motu vim & vigorem ſibi compa-
rare, ita mens noſtra in ſuo volatu multum iuuatur
à voluptate quam percipit ex propria actione, quod
ſi continuo Deum ſequatur, in domum Dei habita-
re contendat, Dei delectatione reficiatur, nutriatur,
miraculis virtutum cæleſtium extra ſe expellit inui-
diam, quæ à choris Angelicis omnino abeſt, extra
ſe projiciet corporis cupiditates, quibus indecenter
nimis fædaretur Dei Templum, & quia eius Tem-
plum ſumus longe à nobis projiciamus cunctas re-
rum materialium curas, & ſolicitudines.

Ambroſius.

Digreſſio de felici ſtatu ſectatorum Euangelicæ Paupertatis. Punct. 4.

O fælix anima quæ hoc ſpiritu paupertatis poſſi-
detur, quo digna ſit quam Deus reſpiciat quæ tot
opibus dicatur virtutum ac meritorum, quæ tam
facile & prompte cælum conſequitur. Ad vos igi-
tur conuertatur oratio mea ô altiſſimæ paupertatis
ſectatores Seraphici Patris filij amantiſſimi. Hæc eſt
illa celſitudo altiſſimæ paupertatis quæ vos chariſ-
ſimos fratres meos hæredes & Reges Regni cælo-
rum inſtituit, pauperes rebus fecit, virtutibus autem
ſublimauit. Hæc ſit portio veſtra quæ perducit in
terram viuentium, huic dilectiſſimi fratres totaliter
inhærentes nihil aliud pro nomine Domini noſtri
Ieſu Chriſti in perpetuum ſub cælo habere velitis.
Quam fælix qui talis eſt cum tam facile & prompte
intret in poſſeſſionem ſummi boni, nam ſtatim atq;e omni affectu ſuiſ̃ipſius rerumq; creatarum fue-
rit vacuus Deum cunctis rebus anteponendo ab ip-
ſo replebitur. *Itaque ſit ſpes noſtra Deus noſter*, inquit S. Auguſt. hunc verſum Pſ. 39. *exponens beatus Vir
cuius eſt nomen Domini ſpes eius, & non reſpexit in vani-
tates & inſanias falſas: qui fecit omnia melior eſt omnibus,
qui pulchra fecit pulchrior eſt omnibus, qui fortia fortior
eſt, qui magna maior eſt: diſce amare in creatura creatorem,
& in factura factorem, ne teneas te quod ab illo factum
eſt ne amittas à quo & ipſe factus es.* Ita Aug. *Vnde datur
intelligi*, vt ait S. Proſper de vita contemplat. c. 5. *quod qui temporalia bona, qui ſeculi gaudia peritura ſe-
ctatur ea diligit, quæ & quanta ſit multitudo ſuperna dul-
cedinis non didicit, quis enim cui Deus dignatur eſſe poſ-
ſeſſio aliud quærit? aut quis non pro amore illius omnia
quæ putantur magna contemnit? ergo qui vult Deum poſ-
ſidere renunciet mundo, vt ſit illi Deus, beata poſſeſſio: nec
renuntiat mundo is, quem terrenæ poſſeſſionis adhuc dele-
ctat ambitio; quia quandiu ſua non reliquit mundo cuius
bona retinet ſeruit: & vtique non poteſt mundo ſeruire
ſimul & Deo; ac ſic propterea voluit Deus cultores ſuos
omnibus renunciare propter quæ diligitur mundus vt exi-
ſa cupiditate mundi, diuina in eis charitas poſſit augeri
vel perfici.* Ita S. Proſp. Hac de cauſa itaque Chriſtus
pauper factus eſt, vt per eius inopiam diuites eſſe-
mus. Vt bene S Petrus Chryſolog. ſer. 25. de terre-
norum cura deſpiciẽda: nam poſtquam dixit, *Tibi er-
go Rex, tibi ſacerdos, tibi Paſtor, tibi ſacrificium, tibi ouis,
tibi agnus, tibi totum factus eſt, qui fecerat totum, & qui
ſibi nunquam, nibi toties immutatur, propter te varias mon-
ſtratur in formas, qui manet vnicâ ſuæ maieſtatis in formâ.
Et quid plura? dat ſe tibi Deus homo vt ferre poteſ, quia vt
eſt tu non potes ſuſtinere*, poſtea S. Petrus declarat
quid Chriſtus dare vult nobis pro voluntaria pau-
pertate nempe regnum: *Nolite*, inquit Dominus,
*timere puſillus grex, quia complacuit patri veſtro da-
re vobis regnum. O bonitas effuſa, ô inaudita pietas,
ô ineffabilis affectio in ſocietate cenſus paſtor oues aſſumit,
atque ad conſortium dominationis ſeruos Dominus aſciſcit,
ad participationem regni rex gregem populi totius admittit,
ſic ſic dat cui deficere cenſus, cui regnum minui, vacuari
poteſtas non poteſt largiendo, prouidenter autem cæpit Do-
minus dicendo nolite timere, &c. promiſſionem regni ſine
timore ſeruilis ſtatus. Audite non ſufficit, quia qui liber-
tate vir dignus eſt capere non valet inſulas principatus,
Dominus ergo ſeruorum mentes tali voce confirmat ne eos
repentinus promiſſi regni proſternat auditus, Regnum vel-
le ſeruum crimen eſt, audire periculum, temeritas non ti-
mere, ſed hoc ad Chriſtum quantum eſt? Aut quam mi-
rum quod dat ſeruis regnum, quod ſibi ſeruos facit in do-
minatione conſortes qui ſeruorum pedes lauat vt extrema
ſeruis ſeruiat ſeruitute.* Hæc Chryſol. Quibus ſatis de-
clarat quantas diuitias Chriſtus nobis dederit cum
propter nos egenus fieri voluit. Adde Arnobium
in Pſ. 33. Ita differentem, *non confundentur in pauper-
tate facies veſtræ ſi conſideretis omnium rerum Dominum,
illum cæli terræque diuitem pro noſtra paupertate pauper-
rem factum, pro noſtra tribulatione tribulatum, ipſi nec in
paupertate erubeſcetis, nec in tribulatione deficietis, nam
ipſe pauper clamauit in cruce: quis pauper? Qui vt diuitem
faceret pauperem factus eſt, factus obediens vſq; ad crucem, vt
te à cruciatibus liberaret. Clamauit & Dominus exaudi-
uit eum, miſit Angelum ſuum in circuitu timentium eor-*

Auguſtinus.

S. Proſper.

*Petrus Chry-
ſolog.*

Arnobius.

Digitized by Google

pus eius, & reuoluit lapidem à monumento & eripuit eum, &c. Ita Arnob. Eſto igitur pauper & tu, tolera libenter huius ſæculi pœnas & labores & Dominus exaudiet vocem tuam, & eripiet animam tuam ab omnibus malis gloriosè cum Chriſto reſurgendo qui cum eo paupertatem & labores ferre non pertimuiſti.

Quam bene actum eſt tecum ó beatiſſime paupertum Patriarcha Franciſce, qui Chriſti paupertatem abiectionem & humiliationem elegiſti pro vnico cogitationum tuarum & affectionum ſcopo qui Chriſtum pauperem quàm propiùs fieri potuit ſequi & imitare ſtuduiſti. Hac ratione in diuinæ Maieſtatis imaginem totus transformatus extitiſti, zelo diuini honoris indutus apparuiſti, mens tua ad vnionem cum ea ſtrictiſſimâ ſublimata fuit. Hic paupertatis amor te Chriſto in ſuis actionibus conformem effecit, hic te feliciori modo quàm Elias in altum ſuſtulit non curru ſubuectus igneo, ſed diuina charitate qua iam gloriam conſummatam, & perfectam obtinuiſti, hic Elias tantum adhuc viator eſt, tu vero iam comprehenſor exiſtis: audito Euangelio in quo diſcipulis ad prædicandum miſſis inquit S. Bonauentura Euangelica norma in viuendo præſcribitur ne videlicet poſſiderent aurum vel argentum, nec in zonis pecuniam, nec peram deferrent in via, nec duas haberent tunicas, nec calceamenta nec virgam; mox in huius modi verborum auditu tanta cum virtute ſpiritus Chriſti perunxit & induit vt in formam viuendi præfatam non ſolum notitia & affectu verum etiam vita & habitu ſe transformaret; illico enim calceamenta depoſuit reiecit baculum, peram & pecuniam abdicauit. Vnaque contenſus tunica dimiſſa corrigia pro cingulo funem ſumpſit, omnem ſollicitudinem cordis apponens qualiter audita perficeret, & apoſtolicæ rectitudinis regulæ ſeipſum per omnia aptaret, denique ſpiritus Chriſti vi flammea totus accenſus cæpit vt alter Elias veritatis emulator exiſtere, &c. Ita eſt velut alter Elias igne ſpiritus paupertatis accenditur, igne inquam, in eo abſumente omnem mundi ſuique, ipſius affectum, igne quo nutritur, quo transformatur, quo mirandum in modum gloria & honore illuſtratur, reuocate in memoriam quomodo ſanctus his cum primum collegiſſet quoſdam diſcipulos ab ipſis viſus fuerit curru igneo in aërem ſubuectus in ſymbolum eorum omnium effectuum quos ſpiritus paupertatis in eo operabatur.

S. Bonauentura.

Refert S. Epiphanius lib. de prophetarum vita & interitu patrem Prophetæ Eliæ hanc in eius natiuitate viſionem habuiſſe. Videbat quoſdam viros veſte candidiſſima indutos mammillas matris pueri igne liquido & fluido reſpergentes, vnde pro lacte ignem emittebant quo puer aleretur. Optimum reuera ſymbolum ipſum fore quaſi ignem, & verbum ipſius futurum quaſi faculam ardentem vt ait ſapiens Eccleſiaſtici 49. Aliquid video in B. Franciſco ſimillimum Gitflerius in Cantica vbera ſponſæ exponens vult Eccleſiæ mammas eſſe ſanctos Petrum & Paulum, de quibus dicitur, duo vbera tua ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, c. 7. hæc vbera certe igne amorem rerum caducarum abſumente repleta fuerunt vt patet de Petro qui audacter dicebat Chriſto: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis?* Et etiam de Paulo dicente: *omnia detrimentum feci vt Chriſtum lucrifaciam.* Cum autem B. Franciſcus Romam adiiſſet à ſummo Pontifice confirmationem ordinis & inſtituti ſui poſtulaturus cum qua approbatione Eccleſiæ libere poſſit in partem & hæreditatem Chriſti crucifixi paupertatem introire hi duo Apoſtoli ipſi oranti apparuerunt, eumque amplexati fuerunt & benigne exceperunt quin & ipſi promiſerunt fauorem auxilium & protectionem, & in ſuo propoſito confirmarunt. Certe hac ratione illum nutriebant, & eodem quo lactauerant & aluerant Eccleſiam naſcentem lacte ipſum aluerunt, primis namque Chriſtianis omnia erant communia, nec quiſquam eorum quæ poſſidebat aliquid ſuum eſſe dicebat, nihil mirum igitur ſi S. Franciſcus fuerit plenus igne conſumente, transformante, ſplendente, ſi eius verbum fuerit tanquam facula ardens, quæ tot filios illuminauit, qua prole fæcunda eſt, & ampliſicata Eccleſia, vt per eam recordentur fideles Chriſti Domini, qui in terris pro nobis egenus factus eſt vt eius inopia ditaremur.

Sed dives es.

Veræ animi diuitiæ in charitate conſiſtunt.

ANNOTAT. III.

TAM verum eſt à paupertate veras pendere diuitias vt mentes impietate & infidelitate cæcutientes hæc lux nihilominus perſtrinxerit. Lucianum illum atheum videas inducentem Timonem hoc modo de paupertate diſſerentem, *Paupertas*, inquiebat, *optima me laboribus viro digniſſimis exercens mecumque verè & liberè conuiuens, & quibus opus erat ſuppeditauit laboranti, & vulgaria iſta docuit contemnere, effecitque vt mihi vitæ ſpes omnis ex meipſo penderet, demonſtrans quænam eſſent opes veræ meæ, quas neque adulator aſſentans, neque ſycophanta minitans, neque plebs irritata, neque concionator ſuffragiorum autor, neque tyrannus intentis inſidiis queat eripere.* Hæc ille. Tales namque animi diuitiæ vt à nullo nolentibus nobis eripi queant; his bonis diues Epiſcopus Smyrnenſis qui licet tribulatus, & pauperrimus diues eſſe aſſeritur. *Lucianum.*

Et quamuis S. Ioannes expreſsè non dicat quibus affluat diuitiis quo nihil ſibi timendum ſit, exiſtimo nulli in mentem venire ipſum abundaſſe vitæ oblectamentis, quia in tribulatione verſabatur, vel opibus mundanis ſiquidem & affectu, & reipſa, pauper erat bonorum temporalium: nec animis huius mundi gaudebat, quia à mundi amatoribus perſequebatur, & blaſphemabatur: ſi igitur diuitiis quibuſdam abundat erunt ſpiritales animi diuitiæ, at inter omnia alia animi bona nullum eſt quo quis diues verius dici poſſit, quam charitate, quæ regina eſt omnium virtutum, eas præſupponit, eas includit, in ſinu ſuo fouet & amplectitur, eas tanquam aſſeclas, & pediſſequas ſecum ducit, nec enim fieri poteſt, vt quis Deum diligat ſupra omnia, & proximum tanquam ſeipſum niſi cuius animus fuerit bene diſpoſitus & præparatus per aggregationem omnium virtutum, quibus paſſiones refrenantur, compeſcantur appetitus, retunduntur eorum inſultus, intellectus decoratur vt Deum cognoſcat, voluntas exornatur vt eundem diligat. Hinc Apoſtolus tot encomia, & pulchra Epitheta Charitati aſſignat vt facile ſit conjicere oportere ipſam omnes alias virtutes continere. Vis patientiam? *Charitas*, inquit Paulus 1. ad Corinth. 13. *patiens eſt*, deſideras benignitatem? *benigna eſt, non æmulatur*, concupiſcis animi candorem & ſinceritatem? *charitas non agit perperam*, tortuoſitatem & peruerſitatem expellit: adſpiras ad humilitatis & modeſtiæ bonum? *non inflatur*, inquit, *non eſt ambitioſa*, amas benevolentiam? non videbis charitatem ad ea quæ ſibi ſunt vtilia adſpirantem cum alterius detrimento, *non quærit quæ ſua ſunt*, placet tibi animi mititas ſeu manſuetudo? nunquam videbis Charitatem iracundia commoueri, *non irritatur*, quantum in te eſt conaris cogitationes tuas ab om- *1. ad Cor. 13.*

Digitized by Google

ni ſpecie mali abſtrahere: certe *Charitas non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati. Denique omnia ſuffert, omnia credit*, quæ à Deo reuelantur, *omnia ſperat*, quæ ab ipſo promittuntur, imo ingenuitate quadam nullum mentiri exiſtimat, ab omnibus bona expectat, cunctos ſibi ſimiles arbitratur, ſimplices & rectos, nihil doli ſuſpicatur, de omnibus ſemper meliora ſperat, & ſi à proximo fallatur & à ſpe excidat, *omnia ſuſtinet*, quin etiam abſque Charitate perſeuerantia coronari non poteſt.

S. Zeno. Merito itaque S. Zeno, ſer. de fide ſpe, & Char. has laudes Charitati inter alias tribuit. *O charitas quam pia & quam opulenta, ô quam potens! nihil habet, qui te non habet. Tu Deum in hominem demutare valuiſti. Tu cum breuiatum pauliſper ab Maieſtatis ſuæ immenſitate peregrinari feciſti. Tu Virginali carceri nouem menſibus religaſti. Tu Euam in Mariam redintegraſti. Tu Adam in Chriſto renouaſti. Tu ſacram crucem in ſalutem perdito iam mundo prouidiſti. Tu mortem Deum mori docendo vacuaſti. Tuum eſt quod cum occiditur ab hominibus omnipotens Dei filius, nullus iraſcitur de duobus. Tu populi cæleſtis animam tenes cum ornas pacem; fidem cuſtodis, amplecteris innocentiam, veritatem colis, patientiam diligis, ſpem repræſentas. Tu diuerſos homines, moribus ætate, conditione, ex vna natura vnum ſpiritum vnum efficis corpus. Tu martyres glorioſos à confeſſione Chriſtiani nominis nullis tormentis, nulla nouitate mortis, nullis præmiis, nullis amicitiis, nullis affectibus omni ſane tortore pietatis mordacitate peioribus ſeparari permittis. Tu vt nudum veſtias unda eſſe contenta es. Tibi fames ſaginatio eſt, ſi panem tuum inops eſuriens manducauerit, tuus cenſus eſt totum in miſericordiam habere quod habes. Tu ſola rogari non noſti. Tu oppreſſos vel cum diſpendio tui incunctanter eripis in qualibet anguſtia conſtitutos; tu cæcorum oculus, Tu pes claudorum, Tu ſcutum fideliſſimum viduarum, Tu melior pupillorum pluſquam vterque parens. Tibi oculos nunquam ſiccos eſſe aut miſericordia permittit aut gaudium. Tu tuos ita diligis inimicos, vt inter eos, caroſque tibi quod diſtet nemo diſcernat. Tu inquam cæleſtia humanis, humana cæleſtibus iungis, Arcana Tu diuina cuſtodis, Tu in Patre imperas, tu in Filio obtemperas: tu in Spiritu ſancto exultas, tu cum in tribus vna ſis nullo pacto diuideris, nulla humanæ curioſitatis calumnia commoueris, à paterno fonte in filio tota refunderis, & tamen tota vbi refunderis nec recedis. Recte Deus diceris; quia Trinitatis potentiam ſola conuertis.* Hæc Zeno Veronenſ. Epiſc. Et optime ſanctus Martyr dicit Charitatem quæ Deus eſt ad ſe conuertere totam Trinitatis potentiam; à patre enim & filio ſpiritus ſanctus procedit, qui eſt amor & nexus vtriuſque: Sed ſi Charitatis diuitias rurſus ponderare volueris non pigeat hic legere quæ ait S. Proſperus lib. 3. de vita contemplatiua c. 13. *Charitas vt mihi videtur, recta voluntas ab omnibus terrenis, ac præſentibus prorſus auerſa; iuncta Deo inſeparabiliter & vnita, igne quodam ſancti ſpiritus à quo eſt, & ad quem refertur incenſa, inquinamenti omnis extranea, corrumpi neſcia, nullo vitio mutabilitatis obnoxia, ſupra omnia, quæ carnaliter diliguntur excelſa, affectionum omnium potentiſſima, diuinæ contemplationis auida in omnibus ſemper inuicta, ſumma actionum bonarum, ſalus morum, finis cæleſtium præceptorum, mors criminum vita virtutum virtus pugnantium, palma victorum, anima ſanctarum mentium, cauſa meritorum bonorum, præmium perfectorum, in peccatis ſuis mortuos ſuſcitat, languentes ſanat, perditos inſtaurat, ſpem deſperatis inſpirat, pacificas mentes inhabitat; fructuoſa in pœnitentibus, læta in proficientibus, glorioſa in perſeuerantibus, victorioſa in martyribus, operoſa in omnibus fidelibus, quam fides concipit, ad quam ſpes currit, cui profectus omnium ſeruit, ex qua quicquid eſt boni operis viuit, ſub qua obedientia creſcit, per quam* S. Proſper. *patientia vincit, propter quam carnalia blandimenta deuotio religioſa contemnit, ſine qua nullus Deo placuit, cum qua nec potuit aliquis peccare nec poterit. Hæc eſt charitas vera, germana, perfecta, quam excellentiorem viam nominat Apoſtolus. Et vere ipſa eſt via quæ ducit per ſe ambulantes ad patriam, quia ſicut ſine via peruenis nullus ad viam quo tendit, ita ſine charitate quæ dicta eſt via, non ambulare poſſunt homines ſed errare.* Ita S. Proſp. Hæ ſunt charitatis opes, ac diuitiæ, per quam Deo fruimur eique inſeparabili nexu coniungimur, ſi igitur verè diuites eſſe cupitis has veras diuitias cum S. Auguſt. l. 13. c. 8. totis viribus concupiſcite, & ad Deum his cum eo vocibus clamate. *Da mihi te Deus meus, redde mihi te, te enim amo & ſi parum, amem validius: non poſſum metiri vt ſciam quantum deſit mihi amoris, ad id quod ſatis eſt: vt currat vita mea in amplexus tuos, nec auertatur donec abſcondas in abſcondito vultus tui, hoc tantum ſcio, quia male mihi eſt præter te, non ſolum extra me, ſed & in meipſo, & omnis mihi copia quæ Deus meus non eſt egeſtas eſt.* Ita Aug.

Sed blaſphemaris ab his qui ſe dicunt Iudæos, & non ſunt.

Honorem mundanum paruipendat qui Dei honorem promouere ſtudet, nec propter carceres & tormenta à Chriſto recedat.

ANNOTAT. IV.

De contemptu honoris & vituperiorum. §. 1.

PAtet in iis verbis ſicut in aliis plariſq; ſacræ ſcripturæ locis, quod antiquus hoſtis bonũ quod non poteſt impedire, ac malum quod non valet efficere per ſua ſuperbia complices dæmones, hoc conatur implere per ſua prauitatis imitatores homines, vnde non inconuenienter ſynagoga ſatanæ dicuntur, quia eos ſatanas in vnam malitiam congregat vt per eos contra ſanctos robuſtius confligat. Ita Richard. à S. Victore.

Hos aduerſarios fuiſſe Iudæos cenſet Andreas Cæſar. dum ait, *Nam cum Iudæos ſe eſſe iactent, reipſa ſunt ſynagoga ſatanæ, neque enim, qui in manifeſto Iudæus eſt ille ſtatim pro germano Iudæo habendus eſt, ſed qui in occulto huiuſmodi eſt: Iudæi namque ſi interpreteris confeſſionem & reſipiſcentiam ſonat, qua illi deſtituuntur.* Ita And. Quanto ſiquidem cum odio Iudæi perſequerentur Chriſtianos patet ex Epiſtola S. Pauli ad Theſſalon. 1. c. 2. *Vos enim*, inquit, *imitatores facti eſtis fratres Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Iudæa in Chriſto Ieſu, quia eadem paſſi eſtis & vos à contribulibus veſtris, ſicut ipſi à Iudæis, qui & Dominum occiderunt Ieſum, & Prophetas, & nos perſecuti ſunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus aduerſantur: prohibentes nos gentibus loqui vt ſaluæ fiant; vt impleant peccata ſua ſemper, peruenit enim ira Dei ſuper illos vſque in finem*, Id eſt, vſque ad effectum deſertionis diuinæ. Hos autem S. Ioannes vocat ſynagogam, quia ſi Anſelmo credimus, ſynagoga dicitur congregatio, quod videtur pertinere ad irrationabilia quaſi pecorum ſit, ſed Eccleſia dicitur conuocatio, quod manifeſtè de rationabilibus dicitur.

At cum audis iſtos Iudæos Epiſcopum Smyrnenſem blaſphemare, intelligis eos ipſum improperiis impetere, eiuſque miniſterium ſanctum veluti impium prædicare, quibus improperiis & blaſphemiis mox adiungere debebant perſecutiones, vnde addit, *Nihil horum timeas quæ paſſurus eſt: Prædicit ei aduerſa vt venientia facilius tolerare poſſet*, inquit Ambroſ.

Sed vituperia & blaſphemias, & mala inferenda timere non debet, qui zelo honoris diuini accenſus ad coronam vitæ properat, fideliter muneri ſuo incumbendo, & in primis curare debet ne propter

Digitized by Google

mundanæ laudis appetitum aliquid omittat promotioni cultus diuini neceſſarium, neue aliquid agat, quo gloriam ab hominibus accipiat: ſi quis enim gloriæ Dei cupidus exiſtit gloriam hominum omnino paruipendere debet, nullum enim maius impedimentum dari poteſt quo retardari poſſit pius erga Dei cultum affectus, & quo à fidelitate ſeruitutis noſtræ auocemur, quam ſi hominibus placere appetamus: amore huiuſmodi gloriolæ plures è principibus populi Iudæorum Chriſto non crediderunt nec illum confeſſi ſunt, *dilexerunt enim*, inquit S. Ioan. c. 12. *gloriam hominum magis quam gloriam Dei* c. 12. fortis eſt ille gloriæ appetitus in nobis, quia nos naturali quodam amore impenſius diligimus, & quo maior eſt erga nos ipſos iſta dilectio, eo intenſior eſt cupiditas honoris & gloriæ, vnde toto ſtudio ab omnibus in prætio haberi naturaliter volumus, niſi ab hac inclinatione auerti contingat, fortiori aliquo amore cuiuſdam maioris boni inducti. Quod ſi amore ipſo ſpoliati fuerimus amor noſter erga nos reflexus aliorum dilectionem & æſtimationem ſecum attrahere pertentabit, & ægrè ſemper patietur, ſi ſe negligi perſentiat, vel odio haberi quod tantopere amat. Conatus eſt igitur omni laude dignus animæ zelanti Dei honorem ſi proprium contemnat: vt Dei gloriam quem ſupra ſe diligit conſtanter promoueat quod factitaſſe Epiſcopum Smyrnenſem credibile eſt qui dies erat charitate, vnde ad contemptum vituperiorum, & perſecutionum hic inuitatur. *Nihil timeas horum quæ paſſurus es.*

Ioan. 12.

Et reuerà quantum ad contemptum blaſphemiarum, quia gloriam mundanam non quærimus multis de cauſis tollerandæ ſunt. Primò quia qui blaſphemias & vituperia pro Chriſto tolerat, Dei laudes vice laudum humanarum promeretur. Audiamus autorem Epiſt. ad Oceanum de ferendis opprobriis, inter opera S. Hierony. *Hominum*, inquit, *opprobria detractionesque patienter & leuiter toleremus vt Domini laudibus digni eſſe poſſimus, nam ſi humanam laudem quærimus, diuinam amittimus, quiſquis enim ab hominibus laudatur culpatur à Chriſto, ſicut ſcriptum eſt: Væ vobis diuitibus, &c. Væ cum benedixerint vobis homines, &c. Vide ergo quam grauis, & moles ſit humana laudatio cui ita Dominus comminatur. Homines enim animales, atque terreni non niſi quæ temporalia & terrena ſunt diligunt, & quæ diligunt hæc laudare videntur. De illis ſcriptum eſt: Omne animal diligit ſimile ſibi; & ſic omnis homo ſecundum genus ſuum laudat opes, epulas, & diuitias, & eos qui pretioſis & mollibus gloriantur in veſtibus: quæ omnia lex ſancta prohibet atque contemnit.* Ita ille. Pari modo hi Iudæi ſeculi amatores qui Meſſiam expectabant terrenis diuitiis ac mundana gloria & potentia inſignem, & Chriſto vero Meſſiæ, qui pauper & mitis in terris apparuit non credebant hunc Epiſcopum blaſphemabant amatorem paupertatis & improperium crucis fortiter annunciantē. Sed ſi quis Dei laudes vt par eſt deſiderat hic talia improperia libenter contemnat: audiat ſapientem, Prouerb. 22. dicentem, *Melius eſt nomen bonum, quam diuitiæ multæ, ſuper argentum & aurum gratia bona*: At, inquies, quodnam eſt illud nomen bonum? *Nomen bonum*, inquit Comment. in Prouerb. inter opera S. Hierony. *dico non quod à turbis vulgi imperitè ſed quod à fidelium quamuis paucorum teſtimonio laudatur*: Et poſtea verba illa ponderās, *Super argentū & aurum gratia bona, illam*, ait, *ſignificat gratiam cum quis pro bono opere laudatur à bonis, imo pro collatis ei donis meritorum glorificatur pater qui in cælis eſt.* Hæc ille. Quod ſi laus bonorum grata eſſe debet, multò magis gratiſſimum eſſe debet, ſi à Deo ipſo laudari contingat dum ait, *ſeruus meus es tu Iſrael in te gloria-*

Prouerb. 22.

Iſ. 40.

bor, ſcribatque Deus Optimus Maximus nomen noſtrum in libro vitæ. Alia occurrit ratio propter quam meritò laudes humanæ contemni debeant, nempe vt contemptis humanis laudibus mercedem æternam conſequi mereamur, ea enim eſt admonitio Chriſti Domini, Matth. 6. *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum qui in cælis eſt*, quam ſententiam expendens S. Petrus Chryſ. ſer. 9. ait, *Agit nobiſcum Deus, agit in hoc ſeculo ne quid pereat in futuro, iuſtitia lux rerum conſiliis non velatur obſcuris, iuſtitia cum ſibi facto claret omnes illuſtrat exemplo; ſic luceat lux veſtra coram hominibus vt videant opera veſtra bona & glorificent Patrem veſtrum, qui eſt in cælis. Quomodo iuſtitiam vult celare, cuius opera vult ſic elucere? fratres, hæc præceptio cæleſtis vult iactantiam tollere, auferre pompam, vanitatem demere, ſummouere inanem gloriam: ſic iuſtitiam vult celare. Iuſtitia quæ per ſe ſibi abundat ad gloriam, ſpectaculum populi, vulgi laudes, fauores hominum, mundi gloriam non requirit: à Deo genita cælum ſpectat, in oculis agit diuinis, ſupernis virtutibus mixta ſemper à Deo ſolo vt glorificetur expectat, ſed hæc eſt iuſtitia quæ ex Deo eſt, illa vero iuſtitia quæ eſt hypocriſis iuſtitia non eſt, mentitur oculis fallit adſpectum, videntibus illudit, decipit audientes, ſeducit turbas, trahit populos, famam vendit, emit clamorem, ſit ſeculo, Deo non ſit, mercedem rapit præſentem, præmium non quærit in futuro, cæcat oculos cæca ipſa, non videns vult videri, iuſtitia quæ ſe humanis oculis locat, diuini Patris non poteſt expectare mercedem, voluit videri & viſa eſt, voluit hominibus placere & placuit: habet mercedem quam voluit, præmium quod habere noluit non habebit.* Hæc Chryſ. Si autem vis ſcire quomodo actiones noſtras facere poſſimus coram hominibus, & nihilominus mercedem ſperare æternam, lege S. Auguſt. ſerm. 17. de dedicat. Ibi namque ait. *Quando bona opera etiam, quæ propter Deum fiunt hominibus oſtenduntur, cum ea faciunt boni & religioſi non laudes humanæ appetuntur, ſed imitanda proponuntur: duplex eſt enim miſericordia qua fit in bono opere, corporalis & ſpiritalis: eſurientibus, ſitientibus, nudis, peregrinis corporali miſericordia ſubuenitur, eadem tamen iſta cum oſtenduntur, & ad imitationem cæteros prouocant, etiam ſpiritus menteſque paſcuntur.* Ita Aug. Et concilians hæc duo loca, *Cauete ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Matth. 6. & illud Matth. 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus vt videant opera veſtra bona*, docet notandum eſſe Chriſtum dixiſſe: *Vt videamini ab eis*: hoc enim prohibuit Deus vt viſionem quæramus hominum pro fructu boni operis; ſed dum ait, *luceant opera veſtra bona coram hominibus, vt videant bona facta veſtra*, Addit, *Et glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt*, oſtendens quo fine debeamus opera bona facere coram hominibus nempe vt Deus glorificetur, & ſic vt ait S. Aug. *Quando quæris laudem Dei æternam gloriam acquiſiuiſti, ſic ergo faciamus vt non videamur ab hominibus, hoc eſt ſic faciamus vt viſionem hominum pro mercede non quæramus, ſed ſic faciamus vt videntibus & imitantibus gloriam Dei cognoſcamus: quod ſi nos tales non faceret nihil eſſemus.* Ita Aug.

Matth. 6.

Petrus Chryſ. ſer. 9.

Auguſti ſer. 17. de dedicat.

Tertia occurrit ratio, propter quam libenter improperia ferre patienter debeamus, nempe ſi ea pro Chriſto, & eius gloria inferantur, ex hoc enim maximus in nos redundat honor, ſi pro Chriſto quis ſuſtineat paſſiones, quia vt dicitur in epiſtola illa ad Oceanum. *Nihil eſt quo nobis pro Chriſti nomine ſine præmio irrogetur, vide ergo quam beati ſint atque felices, quibus etiam inſipientium riſus proficiat ad ſalutem; Ita enim Dominus diligentes ſe diligit, ita ſe timentes honorat, vt nec irrideri eos gratuito ſinat, quibus & pro ſubſannatione*

Epiſtola ad Oceanum.

Digitized by Google

ſubſannatione retribuit Vltionem. Hæc igitur tu ſapiens ſanctaque anima vide, ne inſipientium & infidelium fabulis terrearis quominus ea quæ ſunt legis facias. Hæc ille. Parum eſt ſi pro eo qui tot pro nobis pertulit mala quaſdam perferamus iniurias: languidus eſt amor erga eum & ferè nullus, qui pro eo aliquid ſufferre abnuit, ſe numero diſcipulorum eius eximit. Exinaniuit ſemetipſum vt nos exaltaret, ingrati animi eſſet indicium, ſi pro nominis eius exaltatione aliquod in propria fama pati detrimentum refugeremus, ſanctus ſiquidem Paulus Chriſto ſeruiebat non modo per bonam famam ſed etiam per ignominiam, & Moyſes olim improperium Chriſti antepoſuit diuitiis & theſauris Ægyptiorum. Non confuſionis occaſio datur viris probis, quæ enim in eis vituperantur ab improbis, laudes immortales promerentur. Hi vituperiis locum præſtant qui male agunt, hi rubore ſuffundi debent: At boni quorum actus præclari ſunt, iuſti & ſancti, Dei approbationem expectare poſſunt & coronam iuxta illud, *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Vnde certum eſt vt dicitur in ſupradicta Epiſtol. ad Ocean. *Hominibus non placendum ſed Chriſto, nec humanam laudem quæri debere, ſed diuinam. Quid nobis prodeſt ſi illi nos laudant, quibus placere peccatum eſt? quidue obeſt ſi vituperent ſi quorum non plus vituperario obeſt quam prodeſt laudatio? Audiamus magis quid ille vas electionis Doctor Gentium dicat, & quo nos ne hominibus placere vellemus hortetur exemplo: Si hominibus, inquit, placere vellem, Chriſti ſeruus non eſſem. Vnde nulli dubium eſt eos Chriſto ſeruire non poſſe qui hominibus optant potius quam Chriſto placere: contenti ergo interim ſimus hominibus diſplicere, tantum vt Chriſto placeamus, nec eorum laudibus delectemur qui non alios quam ſibi ſimiles laudant, nos potius laudent Prophetæ, & Apoſtoli, laudet in Euangelio ſuo Chriſtus, tunc erimus vere felices ſi à talibus laudari digni erimus.* Hæc ille inter op. S. Hier. to. 4.

Epiſtola ad Oceanum.

Quod autem Epiſcopus Smyrnenſis vituperaretur in quantum erat Chriſti ſeruus, patet ex eo quòd ei dicitur: *Blaſphemaris ab his qui ſe dicunt Iudæos eſſe & non ſunt:* Blaſphemia enim eſt vituperium cuiuſuis rei ad Deum pertinentis, ſiue ratione creationis aut redemptionis aut aliquo alio titulo. *Non de bono opere,* dicebant Iudæi, *lapidamus te ſed de blaſphemia quia tu homo cum ſis facis teipſum Deum.* Ioan. 10.

Ioan. 10.

Paruipendenda ſunt etiam mala pro Chriſto. §. 2.

Nec etiam pertimeſcenda ſunt mala, quæ ab hoſtibus cultus diuini inferuntur, ſed intrepidè opus quodlibet pro eius promotione aggrediendum eſt. Ab eo inſtanti quo Spiritus ſanctus in Apoſtolos illapſus eſt, in alios viros mutati ſunt, ex timidis magnanimes, ex infirmis fortes. *Qui ante verbis terrebantur,* vt ait S. Aug ſer. 2. in Pentec. *nunc pœnis & cruciatibus roborantur, & Chriſtum Dominum non iam vocibus ſed moribus confitentur, ac dilectionis magnitudinem ſanguinis effuſione teſtantur: hoc muſto ſpirituales animæ inebriatæ & penitus commutatæ abſtinentiam deliciis, vigilias dulcibus ſomnis, paupertatem diuitiis anteponunt, arduum contra vitia laborem iucundiſſimam computant voluptatem, dulceſcunt eis vilia, & quæ prius fuerant pretioſa vileſcunt. Diligunt inimicos ſuos, & bene faciunt his qui ſe oderunt, non conuicijuntur indignantibus, non irritantur in opprobriis, non franguntur in iniuriis, prorſus horum nihil ſentiunt propter feruorem Spiritus ſancti, & propter æternam retributionem. Hoc ſpiritali mero calebant martyres quando abjicientes, & poſt ſe jactantes omnia ſeculi blandimenta ibant ad paſſiones obliuiſcentes facultates & affectiones, patrimonia, & matrimonia ſua, & vincentes armatam contra ſe parulorum pignorum fletibus pietatem, vociferantes quidem parentes, puluerem mittentes in capita ſua, & matres facies ſuas auulſis crinibus dilacerantes. Sed illi hæc omnia tanquam ebrij non videbant nec cognoſcebant ſuos quin infuſo præcordiis ſuis Spiritu ſancto, ad dolores, ad ſupplicia tanquam ad conſolationes & ad præmia feſtinabant.* Hæc Auguſt. Nihil igitur non audent qui Chriſtum diligunt, nec metu ab officio deterrentur: *Si iuſtum,* eſt inquiebant Apoſtol. Act. 4. *in conſpectu Dei vos potius audire quam Deum iudicate: non enim poſſumus quæ vidimus aut audiuimus non loqui.* Sciebant ſiquidem quod dixit Petrus c. 5. *Quod obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Dicitur itaque Epiſcopo Smyrnenſi vt rite ſcio fungatur officio, *Eſto fidelis vſque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ.* Quæ autem paſſurus ſit declarat S. Ioannes dum ait *Ecce miſſurus eſt diabolus aliquos ex vobis in carcerem, & habebitis tribulationem diebus decem?* Sed quid eſt carcer Ieſu Chriſti ſeruis? quid tormenta poſſunt in his qui amore Dei & Chriſti Domini accenduntur? Audiamus Tertullianum lib. ad Martyres in carcere conſtitutos, *Nec hos,* inquit, *vos conſternet quod ſegregati eſtis à mundo, ſi enim recogitemus ipſum magis mundum carcerem eſſe, exiſſe vos è carcere quam in carcerem introiſſe intelligemus. Maiores tenebras habet mundus, quæ hominum præcordia excæcant, graniores catenas induit Mundus quæ ipſas animas hominum conſtringunt. Peiores immunditias expirat mundus libidines hominum, plures poſtremo mundus reos continet ſcilicet vniuerſum hominum genus, indicia denique non proconſulis, ſed Dei ſuſtinet. Quo vos benedicti de carcere in cuſtodiarium? Si forte tranſlatos exiſtimetis, habet tenebras, ſed lumen eſtis ipſi, habet vincula, ſed vos ſoluti Deo eſtis. Triſte illic expirat, ſed vos odor eſtis ſuauitatis, index expectatur de iudicibus ipſis Iudicaturi.* Ita Tertull. Quis igitur non videt nihil timendum iis, qui in carcerem pro Chriſto mittuntur, qui tandem aliquando ſuos iudices iudicabunt? *Iudicabunt enim ſancti nationes, & dominabuntur populis,* Sap. 3. *Contriſtetur illic,* addit Tertullianus, *qui fructum ſeculi ſuſpirat. Chriſtianus etiam extra carcerem ſeculo renunciauit, in carcere autem carceri: nihil intereſt vbi ſitis in ſeculo, qui extra ſeculum eſtis, etſi aliqua amiſiſtis vitæ gaudia, negotiatio eſt aliquid amittere vt maiora lucretis.* Ita Tertull. At non tantum carcer contemnendus fideli Chriſtiano, *Quia,* vt ibidem Tertullianus, *hoc præſtat carcer Chriſtiano, quod eremus Prophetis: ipſe Dominus in ſeceſſu frequentius agebat vt liberiùs oraret, vt ſeculo cederet: gloriam denique ſuam diſcipulis in ſolitudine demonſtrauit: Auferamus carceris nomen, ſeceſſum vocemus, etſi corpus includitur & ſi caro detinetur omnia ſpiritus patent: Vagare ſpiritu, ſpaciare ſpiritu, & non ſtudia opaca, aut porticus longas proponens tibi, ſed ad illam viam, quæ ad cælum ducit, quotiens cum ſpiritu deambulaueris, totiens in carcere non eris,* &c. Sed etiam contemnenda ſunt ſupplicia & tormenta, ſpernendi dolores, paruipendendæ quæcumque moleſtiæ, *Sit nunc,* addit Tertull. *benedictus carcer etiam Chriſtianis moleſtus: Vocati ſumus ad militiam Dei vini iam nunc cum in ſacramenti verba ſpondimus. Nemo miles ad bellum cum deliciis venit nec de cubiculo ad aciem procedit, ſed de papilionibus expeditis & ſubſtrictis vbi omnis duritia, & imbonitas & inſuauitas conſtitit: etiam in pace: labore & incommodis bellum pati iam diſcunt, in armis deambu'ando, campum decurrendo, foſſam moliendo, teſtitudinem deſiccando, ſudore omnia conſtant: ne corpora atque animi expaueſcant de vmbra ad ſolem, de ſole ad cælum, de tunica ad lorícam, de ſilentio ad clamorem de quiete ad tumultum: proinde vos benedicta* (loquitur Tertull. ad fœminas etiam in carcere incluſas) *quodcumque hoc durum eſt ad exercitationem virtutem animi & corporis deputate, bonum agonem ſubituræ eſtis in quo agono the-*

Auguſtinus.

Tertull.

Tertull.

Tertull.

Tertull.

Digitized by Google

tes Deus vnus eſt, Xiſtarches Spiritus ſanctus, corona aeternitatis brauium, Angelicæ ſubſtantiæ politia in cælis gloria in ſecula ſeculorum. Ita Tertull. At congrediendum tandem cum tormentis, nec vmbratilis erit pugna aut futura, ſed vera & præſens: audiamus rurſus Tertull. *Timebit forſitan caro gladium grauem, & crucem excelſam, & rabiem beſtiarum, & ſummam ignium pœnam, & omne carnificis ingenium in tormentis: ſed ſpiritus contrà ponat ſibi & carni, acerba licet iſta à multis tamen æquo animo excepta, imo & vltro appetita famæ & gloriæ causâ, nec à viris tantum, ſed etiam à fœminis, vt vos quoque benedictæ ſexui veſtro reſpondeatis,* Ita Tertull. Qui exempla plura adducit v. g. Lucretiæ gladio pectus transfodientis, Mutij dexteram in arâ cremantis, Heracliti ſeipſum exurentis in bubulo ſtercore oblitum, Empedoclis in Æthnæ montis ignes diſſilientis, Peregrini cuiuſdam philoſophi in rogum ſe immittentis, Didonis vxoris Aſdrubali in ignes ſe projicientis, & aliorum: tandem concludit, *Igitur ſi tantum terrenæ gloriæ licet de corporis & animi vigore, vt gladium, ignem, crucem, beſtias, tormenta contemnant ſub præmio laudis humanæ poſſum dicere, modicæ ſunt iſtæ paſſiones ad conſecutionem gloriæ cæleſtis & diuinæ mercedis. Tanti vitium? quanti verum Margaritum? quis ergo non libentiſſimè tantum pro vero habeat erogare, quantum alij pro falſo.* Ita Tertull. Vnde meritò dixit Hormiſdas Papa ad Ioann. Epiſcop. Nicepolitanum. to. 2. Concil. part. 1. *Non deſitant milites Dei impetus fragiles, & caduci. Qui aſſiſtit ſtrenuis non delectatur ignauis: facilè contemnuntur iſta quæ tranſeunt, ſi illa quæ ſunt manſura cogitentur: amplectenda eſt probationis occaſio, quia licet ſint dura onera laborum, præmia tamen maiora virtutum. Quemadmodum par erit ei remuneratio, qui ſe imparem monſtrat examini? Non ſimus ſegnes ad fortia, ſi peruenire cupimus ad promiſſa.* Ita Hormiſdas. Ne timeant igitur fideles nec carcerem nec tribulationem de quibus hic dicitur.

Tertull. Hormiſdas Papa.

Ecce miſſurus eſt diabolus aliquos ex vobis in carcerem vt tentemini: & habebitis tribulationem diebus decem.

Horum verborum expoſitio ex diuerſis auctoribus.

ANNOTAT. V.

Rupertus. CVM autem, inquit Rupertus, *non dixit: miſſuri ſunt homines mali, ſed ait, miſſurus eſt diabolus ex vobis in carcerem videlicet quia ſic dicere, & ſic docere debuit ſpiritus pietatis, ad hoc inſtruens pium martyrem vt intrinſecus agitatori diabolo totum imputet quod extrinſecus facit homo perſequens, & condoleat homini perſequenti quod eum diabolus obſedit, optetque illum à diabolo liberari, memor eius qui dixit: orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* Ita Rup.

Richardus. *Diabolus,* inquit Richard. à S. Victore, *ea quæ miniſtri eius eo inſtigante faciunt facere dicitur; Quemadmodum Rex aliquis ciuitatem aliquam expugnare vel ſuccendere dicitur, cum non hoc vel illud ipſe, ſed ipſo præcipiente eius exercitus potius operetur. In carcerem, id eſt, in quamlibet tribulationem: carcer namque pro qualibet tribulatione accipi poteſt. Vt tentemini, id eſt, vt per tentationem probemini vtrum vere ſitis mei, & virtutes quas habetis modò ad propriam vtilitatem, aliis manifeſtentur ad imitationem, virtutes enim quæ patent non ſolum poſſidentibus valent ad meritum, ſed & intuentibus ad exemplum: in tentatione namque non tantum ille qui per eam exercetur & probatur proficit, ſed & alij multi, quibus eius patientiæ virtus innoteſcit.* Ita Richard. à S. Victore.

Dionyſ. Carthuſ. *Per hoc,* inquit Dionyſ. Chartuſ. *intelligi poteſt quod tribulatio hæc decem diebus durius ſeuiebat.* Ita Dionyſ.

Andreas. *Hoc eſt breuiſſimo temporis ſpatio,* inquit And. Cæſar.

A At Anſelmus: *diebus decem omni tempore vitæ veſtræ, & hoc eſt diebus decem, vel ſeptem, id eſt, omnibus diebus quibus obſeruabuntur præcepta legis, id eſt, omni tempore præſentis vitæ: vita iuſti denario ſignificatur, quia ipſa ſubiacet decem præceptis legis, vita ſecularis bene ſeptenario ſignificatur, quia ſeptem diebus tranſigitur.* Ita Anſelm. *Quid veriùs accipimus,* inquit Richard. à S. Victore, *per dies decem, quàm decalogi claritatem? Diebus igitur decem, electi quique tribulationem habent, qui pro diuinæ legis (quæ in decalogo continetur) cuſtodia in præſenti vita perſecutionem ſuſtinent: dicat ergo, & habebitis tribulationem diebus decem, quaſi diceret: quandiu in lucem meæ legis ambulare voluerit is ſemper in eius obſeruantia propter me tribulationem habebitis: ſcriptum quippe eſt: Omnes qui volunt piè viuere in Chriſto perſecutionem patientur.*

Anſelmus.

B

Eſto fidelis vſque ad mortem & dabo tibi coronam vitæ.

De neceſſitate Boni perſeuerantiæ.

ANNOTAT. VI.

Rupertus. HÆC cum dicit, inquit Rupertus, *manifeſtat ipſe cur præmiſerit de ſemetipſo dicens, Qui fuit mortuus & viuit: eiuſdem namque perſeuerantiæ quam perſuadet dicens, eſto fidelis vſque ad mortem, in ſemetipſo exemplum præbuit, factus obediens vſq; ad mortem, mortem autem crucis. Item remunerationis quam promittit dicens, & dabo tibi coronam vitæ, certitudinem atque fiduciam in ſuo præſentat capite, Apoſtolo ibidem proſequente; propter quod & Deus exaltauit illum.* Ita Rup. Richardus à S. Victore. *Prædictâ perſecutione hortatur eum ad longanimitatem patientiæ, & obtinenti victoriam ſpondet coronam quaſi diceret: Quicquid mali ingerant tu patienter ſuſtine, tolerantia namque tranſitoria, corona æterna, pugna modica merces immenſa, pœna leuis gloria inæſtimabilis. Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi poſt mortem pro morte vitæ æternitatem.* Ita Richard. Ex quibus patet quantum bonum, & quàm exoptandum, vtpote omnino ad coronam conſequendam neceſſarium ſit perſeuerantiæ bonum, quod fuſiùs nobis eſt demonſtrandum.

Richardus à S. Victore.

C

D

Conſecratis Aaron, & filiis eius in ſacerdotes, & veſtibus eorum, præceptum fuit Moyſi vt tolleret adipem de ariete, & caudam, & aruinam quæ operit vitalia, ac reticulum iecoris, ac duos renes atque adipem qui ſuper eos eſt, armumque dextrum eo quod ſit aries conſecrationis. At quæſo cur inter cætera cauda exprimitur? Optimâ de causâ certe, dum enim in obſequium Dei conſecramur, & quicquid in nobis eſt commodi & gratiæ, vitæ & facultatum, quin etiam quicquid producere operari & ſuſtinere poſſumus, hoc totum vſque ad caudam quæ eſt extremitas animalis id eſt vſque ad finem præſtandum eſt. Optimè propterea S. Gregorius: *Ille bene immolat qui ſacrificium boni operis vſque ad finem debitæ perducit actionis.*

S. Gregorius Magnus.

E

Multa proculdubio ſunt quæ nos excitare debent vt tempus fideliter & impenſe in obſequio Dei inſumamus, at inter ea præcipuè quod incerti ſumus an odio vel amore digni ſumus an Deo placeamus. Nulli datur ſcire cognitione certa, certitudine fidei, quod tandem gloriam æternam ſit conſequuturus, vel quod in ſtatu gratiæ actu exiſtat, niſi hoc per reuelationem ſpecialem didicerit. Ex coniecturis moralibus cum teſtimonio bonæ conſcientiæ, certitudo, tantum moralis eruitur non abſoluta & totalis: ſiquidem nec Apoſtolus ex tot præclare ab eo geſtis, nec ex eo quod nihil ſibi conſcius erat ex hoc ſe iuſtificari exiſtimabat. *Nihil,* inquit, *mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum,* Magna igitur

Digitized by Google

ſemper aliqtid quod timeamus manet, cuius intuitu A animus tædio afficitur, niſi Deus auxilia ſua renouare ſeu de nouo ſuppeditare dignetur. *Contriſtatus ſum*, inquit Pſalmiſta, *in exercitatione mea, deponentes*, igitur vt ait S. Paulus Heb. 12. *omne pondus & circumſtans nos peccatum*, id eſt, inclinationes illas peruerſas ad peccandum proniſſimas, & male agendi occaſiones frequentiſſimas, *per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in autorem fidei & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contemptâ, atque in dexterâ Dei ſedet. Recogitemus enim eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem vt ne fatigemur animis noſtris deficientes, vſque ad ſanguinem aduerſus peccatum repugnemus*, fideles ſimus cum Chriſto vſque ad mortem, & cum eo coronam accipiemus.

Pſ. 54. Hebr. 12.

Prouerb. 28. ſollicitiores ſimus in bonis operibus continuo & inceſſanter occupati, & conſequamur bonum gratiæ de cuius poſſeſſione adhuc non ſumus ſecuri: ne propter præſumptuoſam quandam ſecuritatem in inſenſibilitatem conſcientiæ prolabamur, quâ fieret vt in ſtatu peccati inſcientibus & non aduertentibus nobis remaneremus, ſegniter examinata conſcientia, & obtuſo mentis acumine aliqua deprauata affectione: vnde ſapienter dictum eſt à ſapiente, *Beatus homo qui ſemper eſt pauidus, qui vero mentis eſt duræ corret in malum*, Prouerbior. 28. At eſto nos certos, & ſecuros eſſe & pro comperto habere nos eſſe in ſtatu gratiæ, num ex hoc à bono opere eſſet ceſſandum? Minime proculdubio: certe niſi B foueretur illa ſecuritas per bona opera reos nos conſtitueremus. Quomodo enim abſq; bono opere quis peccata euitare poſſet? At inquit Ezechiel c. 18.

Ezechiel c. 18. *cum auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem ſecundum omnes abominationes, quas operari ſolet impius, nunquid viuet? omnes iuſtitiæ eius quæ fecerat non recordabuntur, in præuaricatione qua præuaricatus eſt, & in peccato ſuo quod peccauit, in ipſis morietur.* Perſeuerantia igitur in bonis operibus opus eſt; ſiue vt digniores ſimus, eliminatis omnibus obicibus & impedimentis gratiæ, qui eam recipiamus ex bona & gratuita Dei voluntate, cum de eius adeptione incerti ſimus; ſiue vt eam foueamus & conſeruemus, ſi ex coniecturis moralibus ſeu ex ſpeciali reuelatione eam habere dignoſcamus: ſiquidem nullus abſque huiuſmodi perſeuerantia coronam adipiſcete poterit.

Conſiſtit autem donum perſeuerantiæ non in quadam habitudine ſupernaturali quæ ſuperaddatur gratiæ, ſed per donum perſeuerantiæ intelligentes cauſam tam optabilis effectus, dicimus illam eſſe quemdam ſpecialem modum prouidentię quæ talis ſit, vt quoquomodo hoc præſtetur homo iuſtus à ſtatu gratiæ in quo eſt non excidat: ſiue nos à tentationibus liberando, optimis immiſſis cogitationibus & inſpirationibus; ſiue obiecta allicientia ſemouendo ne ſenſibus obiciantur; ſiue eorum memoriam eradendo & oblitterando, ſeu expungendo à mente ne eorum nos perturbet recordatio, ſiue ſuggerendo in memem ea, quæ præcedentia quo- C tum amore mens detinebatur captiua, ingrata, & inſuauia eſſe conuincant; ſiue detegendo quaſdam perfectiones in rebus, quas diligere debemus, quæ vſque huc nobis incognitæ aut abſconſæ fuerant; ſiue coërcendo motus appetitus inferioris, humores cohibendo ne vnus alteri inſolentius dominetur, quo à temperamentô quodam ſpiritui gratiæ & virtutis accommodatiori retraheremur: Quæ omnia certè potius ad quandam actualem gratiam ſpectant, quàm ad habitualem: ad cuius conſeruationem ne fiat progreſſus in infinitum, non requiritur alia gratia habitualis, at tantum generalis concurſus, ex eo quod quidquid creatum eſt indiget operatione diuina, tum vt fiat & producatur, tum vt D creatum & productum, conſeruetur. His addè omnia creata virtute diuina indigére vt præſeruentur ab omni re ſibi contraria & repugnante. Denique cum ex conditione ſuâ liberum arbitrium, quo ſæpius abutentes in peccatum incidimus, appetitui obtemperando, immutabile in bono ſe ſolo perſeuerare nequeat, opus eſt ſpecialibus quibuſdam auxiliis, quibus iuuetur, & appetitus ſub iugo redigantur & ſpiritus gratiæ foueatur, ne tandem extinguatur aut obruatur aquis concupiſcentiæ. Itaque donum perſeuerantiæ nihil eſt aliud quam protectio, & directio Dei fixuſque & permanens Dei adſpectus in mentes ſuorum, ne ex tot tantiſq; ſubuerſionis occaſionibus, ex tot animi deliquiis & de- E fectibus fiat vt à curſu ſuo ad patriam retardantur aut etiam diuertantur abſolutè: vnde de neceſſitate huiuſmodi doni ſacrum Concil. Trident. dixit, *Si quis dixerit iuſtificatum in acceptâ iuſtitiâ perſeuerare ſine ſpeciali Dei auxilio anathema ſit.* Ita Conc. *Niſi quia Dominus adiuuit me*, clamat Propheta regius, *paulominus habitaſſet in inferno anima mea.* Ac ſi diceret: Si non Deus habuiſſet paratum auxilium, occaſio certe peccandi me in peccatum induxiſſet: alibi fatetur iam pedem in altum ſuſtuliſſe paratum ad præcipitium niſi Deus tetendiſſet manum, *Si dicebam*, inquit, *motus eſt pes meus miſericordia tua adiuuabat me*, hinc Pſ. 26. clamat ad Deum: *Ne auertas faciem tuam à me, ne declines in ira à ſeruo tuo, adiutor meus eſto ne derelinquas me, neque deſpicias me Deus ſalutaris meus. Orate ne intretis in tentationem*, dicebat Chriſtus diſci-

Conc. Trid.

Pſ. 93. Pſ. 26.

Digitized by Google

pulis, monet præterea vt oremus Deum ne nos in-
ducat in tentationem, & apud Ioan. c. 8. Ipſemet
Ioan. 8. Patrem orat pro diſcipulis vt illos ſeruaret, *ſerua eos in nomine tuo quos dediſti mihi.* Ex quibus omnibus ſatis videtur nos abſque diuinæ gratiæ ſpeciali auxilio nunquam in gratiâ eſſe perſeueraturos.

Et vt verum fatear ille ſaluti ſuæ optimè conſulit qui cum inſtantia à Deo hoc donum expoſcit, nulla eſt promiſſio, nullum eſt diuinum pactum illud nobis à Deo donari, & quidem ſi de bonis operibus loquamur eis vita æterna promittitur, at non certitudo aut aſſecuratio quod voluntas noſtra ſtatim atque gratiam acceperit in eâ perſeueratura ſit, aut in eo bono ſtatu permanſura. Et quamuis rationi ſatis conſonum exiſtat vt hi, qui ſemper in bonis operibus exercentur & talentum acceptum fideliter multiplicare ſtudent, donumque perſeuerantiæ à Deo inſtanter petunt, illud ex congruo promereri poſſint: tamen certum eſt nullum in nobis meritum ex condigno ineſſe, quo illud nobis debeatur.

Magnum eſt, & immenſum beneficium, quod Deus operibus noſtris tranſitoriis vitam promittat pro mercede condignâ æternam, & hoc diuinum munus ſufficit vt illa ad cumulum præmiata cenſeâtur, vnde alia merces non videtur neceſſaria qua fieret, vt ſtatim atque quis opus aliquod meritorium patrauerit à gratiâ excidere non debeat, & certus ac ſecurus efficiatur gloriæ æternæ, quin & hoc experientiæ contrarium eſt, quod quis numquam in peccatum labatur gratiâ ſemel acceptâ, & falſiſſimum eſt quod ſtatim atque aliquis opus aliquod meritorium perfecerit, nunquam damnationem æternam incurrere poſſit. Igitur clarum eſt, & euidentiſſimum timore iudiciorum Dei omnem elationem mentis eſſe comprimendam, illudque præſtandum quod monet Apoſtolus 2. ad Corinthios 7.
2. ad Cor. 7. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus perficientes ſanctificationem in timore Dei,* & ad Philipp. c. 2. *Cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini,*
Ad Philipp. c. 2. vt hac ratione ſi non ex condigno ſaltem ex congruo & ex quadam conuenientiâ, vt pote rationi quodammodo congruum Deus licet ad hoc nullâ obligationis lege teneatur tantum donum concedat, nos ſuâ protectione à peccatis præſeruando, & in bonis operibus conſeruando, quod Philadelphiæ Epiſcopo videbimus promitti dum ei dicitur, *Quoniam ſeruaſti verbum patientiæ meæ, & ego ſeruabo te ab horâ tentationis.*

Quæ quidem fidelitas in bonorum operum exercitio ad tantum meriti apicem peruenire poteſt, quod quamuis homo in peccatum mortale lapſus, nunquam ex condigno poſſit mereri gratiæ recuperationem aut reditum, quia omnia obliuioni traduntur, cum quis in peccatum mortale lapſus fue-
Ezechiel c. 18. rit iuxta illud Ezechiel c. 18. *Iuſtitiæ illius non recordabuntur amplius*: nihilominus per plura bona opera, ieiunia, orationes & eleemoſynas, & longiſſimum virtutis exercitium, ſi hæc omnia in gratiâ perfecta fuerint, eo potiſſimum fine eaque intentione vt nunquam in peccatum mortale incidamus, aut ſi ex occaſione, fragilitate, aut vehementi tentatione tantum malum contigerit congruâ quadam ratione mereamur apud Deum ne obliuiſcatur operis noſtri ſeu bonæ voluntatis, & dignatione ſuâ, ac benignitate velit non ſuppeditare media, & gratiæ auxilia, quibus à peccato reſipiſcamus; valde conſentaneum eſt bonitati diuinæ vt talia auxilia Deus ſuppeditare velit, quibus de facto quis redeat in gratiam. His adde quod bona opera in charitate facta æqualem ad minus valorem habere poſſunt cum bonis operibus, quæ à peccatore in peccato mortali exiſtente perficiuntur. At verum eſt hominem fidelem in ſtatu peccati exiſtentem mereri de congruo quædam media quibus in gratiam redire poſſit per quædam bona opera quæ operatur hac intentione vt Deo reconciliari valeat, eleemoſynas tribuendo, ieiunando orando, ex motiuo quodam ſupernaturali ad quod per fidem infuſam inclinatur. Poterit igitur æque homo iuſtus in gratia exiſtens aliqua bona opera facere cum hac intentione, vt ſi in peccatum incidat poſſit in gratiam redire quæ de congruo illi auxilia impetrabunt quibus de facto in gratiam redeat. Quod ſi hoc modo poteſt quis in gratiâ exiſtens aliorum conuerſionem promereri, nulla videtur ratio cur non & ſuam propriam promereri poſſit, & quominus dignus non inueniatur qui à Deo obliuioni non totaliter detur, quem ardenter dilexit, cuius honorem & gloriam promouere vehementer deſiderauit, & de facto quantum poſuit promouit: hoc amicitiæ leges exigere videntur, ex tam pia benignâ, & miſericorde Bonitate quæ noſtris plurimum compatitur infirmitatibus, quæ gratiam ſuam offert & præſtat vt à peccatis reſurgamus quo occaſionem præbeat fateri quod miſericordia eius ſit ſuper omnia opera eius, ſuper cuncta pietatis ac deuotionis exercitia exuperet dignitate ſeu dignatione omnes noſtras etiam rectiores, & puriores animi intentiones, *Quoniam,* Pſal. 62. inquit Propheta Regius, *melior eſt miſericordia tua ſuper vitas labia mea laudabunt te*: quaſi diceret, plus confido de bonitate & miſericordiâ, quam de meis quibuſcumque actionibus aut intentionibus: ideo, *exultabunt labia mea cum cantauero tibi, & anima mea* Pſal. 70. *quam redemiſti.*

Qui habet aurem audiat quid ſpiritus dicat Eccleſiis: Qui vicerit non ladetur à morte ſecundâ.

Quodnam ſit præmium promiſſum perſecutionem non timenti, & perſeueranti.

ANNOTAT. VII.

QVI tam generoſo eſt animo vt quæcumq; ſeſe obtulerint aduerſa patienter ſuſtineat, & in bonis operibus perſeueret, is nequaquam peccato mortali inquinabitur nec damnationem incurret æternam, etiam ſi contigerit aliquando vt in peccatum mortale incidat, iuxta ea quæ modo diximus de bono perſeuerantiæ: pro primâ expoſitione ſtat Rupertus dum mortem ſecundam de peccati morte Rupertus. intelligit dicens, *Mors*, inquit, *animæ quæ per peccatum animam à Deo ſeparat cauſâ quidem vel origine prima eſt, ſenſu autem vel experimento mors ſecunda.* Ita Rupert. Quin & Andreas Cæſar. de morte peccati quæ in Andr. Cæſar. gehennam deducit hanc ſecundam mortem interpretatur dum ait: *Qui ſpirituali auditu præditus pranas diaboli ſuggeſtiones deuicerit etſi primam mortem quæ tantum in carnem cadit ſubierit: attamen à ſecundâ quæ in gehennam mittit non offendetur.* Ita And. Richardus à S. Richardus à S. Victore. Victore de damnatione æternâ hanc ſecundam mortem interpretatur, *Vbi*, inquit, *concluſit: qui vicerit non ladetur à morte ſecundâ, & hunc & alios electos ſecuros à damnatione fecit.* Ita Richard. Vtramque expoſitionem Dionyſ. Carthuſ. amplectitur, *A morte* Dionyſ. Carthuſ. *ſecundâ id eſt à damnatione ſeu pœnâ inferni, quæ infrà mors ſecunda vocatur: poteſt quoque per mortem ſecundam intelligi culpa quæ animam lædit ac perimit. Forte ſecundum Albertum peccatum rectè mors dicitur, quoniam ſicut mors corporalis ſeparat animam à corpore ab amicis à diuitiis à viſu, imo ab omni corporeo ſenſu, ſic peccatum ſeparat mentem à Deo, ab Angelis, cunctiſque ſanctis, à ſpiritalibus diuitiis, à viſo interno, ac cæteris ſpiritalibus ſenſibus: rurſus mors animæ (puta peccatum) morti corporis aſſimila-*

tur in multis. Nam primo corpus diſtemperatur, deinde infirmatur, poſtea moritur, efferitur, ſepelitur, lapide operitur, nouiſſimè à vermibus conſumitur, ſic anima primo deſtemperatur per malam affectionem, infirmatur per noxiam delectationem, moritur per conſenſum effertur, per opera, ſepelitur per conſuetudinem malam, operitur lapide per obdurationem ignibus vermibuſque gehennæ torquetur in finem. Ita Dionyſ. Amplector eorum ſententiam qui de morte æternâ mortem ſecundam intelligunt: ratio eſt quia promittitur corona vitæ nempe æternæ, *Et tibi dabo coronam vitæ*, Quam nemo accipit niſi qui à morte ſecundâ, id eſt, æternâ præſeruatur.

ANNOTATIONES IN EPISTOLAM ad Epiſcopum Pergamenum.

Et Angelo Pergami ſcribe: Hæc dicit qui habet Rompheam vtraque parte acutum.

Quanta ſit vis & efficacia verbi diuini Chriſti nempe, qui vocatur ab Eſaia Conſiliarius.

ANNOTAT. I.

Efficacia hæc ſignificatur per actionem. §. 1.

IDOLOLATRIÆ erat dedita Ciuitas ad quam Euangeliſta hæc ſcribit. *Interim fideles, qui in illa degebant, propter tolerantiam quam ei in tentationibus oſtenderant, commendat.* Andr. Cæſar. Et appoſitè fit, cum in hac epiſtolâ de efficaciâ Verbi diuini ad præliandum contra hoſtes veritatis & infideles fiat mentio, vt hæc ipſa Epiſtola ad Angelum Pergami dirigatur, nam vt ait Anſelmus, Pergamus diuiſio cornuum interpretatur: proponuntur quippe cornua vbi ſignificatur pugna, in hac quippe Eccleſia quædam mala pars bonum impugnabat. Inter ſacra Epitheta, quibus Iſaias Propheta Chriſti Domini in carne diſpenſationem explicate voluit illud vnum eſt quod dicat ipſum eſſe Conſiliarium, quod quidem Epithetum optimè quadrat cum titulo huius Epiſtolæ, quo intendit Eccleſiæ ſuæ manifeſtare qualis ſit, & quàm potenter in Eccleſia ſua operatur, nempe dum ait, *hæc dicit qui habet Rompheam vtraque parte acutam*, ac ſi diceret, Ecce ego adſum quem agnoſcetis ſummâ cum poteſtate, & magnâ cum efficaciâ operantem multa admiratione digna in Eccleſiâ quam ego vocaui, & congregaui ex omnibus orbis partibus.

Andr. Cæſar.

Anſelmus.

Sermo namque meus, Conſilia mea, Monitiones meæ, inſtructiones & documenta, leges ac præcepta, tam inſignem in mentes effectum generabunt, vt nec gladius vtraque parte acutus nullatenus poſſet aut penetrare, aut res quaſcumque ab inuicem ſeparare adeò prompte, ac cito & velociter verbum meum ad quemcumq; iſtorum prolatum corda tranſuerberabit, ipſis perſuadens quæ ſuggerit. Diſcindens & diſiungens cogitationes & affectus hominum ab obiectis nociuis, peccati mortem interimens, errorem diſſipans, ignorantiam fugans, malitiam eradicans, peccata expungens, ex vna parte romphæa iſta mala præſcindet opera, ex alia peſſimas cogitationes fugiendas eſſe docebit, diſcindet ab inuicem ſpiritus dignitatem & carnis fœditatem, ſeparabit prætioſum à vili, ea quæ ſunt ſpiritus ab iis quæ ad carnem pertinent: mentem ex vna parte illuminabit, voluntatem ex aliâ parte excitabit ad bonum proſequendum, bonos à malis diuidet, quin etiam hoc præſtabit vt pro maiori Dei obſequio felicius ipſi exhibendo fiat ſeparatio à patre, à matre, à fratribus, ſororibus, filiis & filiabus vt Deus ſolus in nobis regnare dignetur, dum A ſermo diuinus nec illud permittit quod naturæ concedi licitè videretur, ne talis affectus prædominans nos ab obedientiâ Deo præſtanda reuocare poſſit, aut impedire ſpiritum gratiæ à ſui operis conſummatione.

Diuerſæ authorum expoſitiones de Romphæâ vtraque parte acutâ. §. 2.

Hæc quæ de vi & efficaciâ verbi diuini diximus ſatis conueniunt cum expoſitionibus quorundam interpretum quas hic ponere operæ pretium duco ad maiorem huius loci elucidationem. *Videtur*, inquit Ambroſius, *diuinam ſcripturam debere intelligi, quæ propter reſecanda vitia, acuta eſſe dicitur, & propter duo teſtamenta vtraque parte acuta demonſtratur: nam vetus, & nouum Teſtamentum hoc nos indeſinenter admonent vt vitia relinquamus, & in bonis operibus noſmetipſos exerceamus quatenus ſaltem animarum noſtrarum inuenire poſſimus.* Ita Ambroſ. *Ambroſius.*

B Rupertus: *Sermo*, inquit, *Dei eſt: diſcernit enim inter animam & ſpiritum, quia videlicet ipſe nouit quid homo animalis cogitet aut faciat propter terrena commoda, & quid ſpiritalis propter cæleſtia, & vt ſecundum præſentem locum & cauſam loquamur, ipſe diſcernit inter benedictiones Balaam, & inter benedictiones Moyſis, quorum vterque quidem filiis Iſrael benedixit, ſed in cæteris doctrinis longe diſcrepauit.* Ita Rup. *Rupertus.*

C At veram expoſitionem huius romphææ exiſtimo eſſe ſi præter hos effectus ſalutares qui per illam perficiuntur, etiam vim & efficaciam ipſius ad perimendos veritatis hoſtes intelligamus, quod huic Epiſcopo duo dicuntur, Primum quod niſi pœniteat Chriſtus ad eum veniet cito, qui aduentus intelligitur vt videbimus de aduentu ad caſtigationem & punitionem: ſecundum quod pugnaturus ſit cum hoſtibus in gladio oris ſui, miniſterio ſcilicet alterius, iſto è medio ſublato, ſiue ad eorum conuerſionem, ſiue ad ipſorum ſi conuerti noluerint extinctionem. Fauent huic expoſitioni tum Andr. Cæſar. dum ait, *qui habet romphæam*, &c. *aut Euangelij doctrinam credentium corda circumcidentem fideleſque ab infidelibus ſecernentem inſinuat: aut peremptoriam iudicis contra impios ſententiam.* Ita Andr. Tum etiam D Richard. à S. Victor. *Quaſi*, inquit, *diceret, iſte quem audis habere romphæam ex vtraque parte acutam, potens eſt te ſi velis corrigi in corpore & ſpiritu adiuuare, vtriuſque vitia reſecare,* (ecce ſecundum Richard. effectus ſalutares huiuſmodi gladij) *Potens eſt*, vt ipſe addit, *te in vtroque cõdemnare. Romphæa enim ex vtraque parte acuta eſt ſermo Dei viuus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, qui non ſolum prauam actionem, verum etiam & prauam cogitationem cordis reſerat, & incorrigibiles permanentes in vtroque condemnat.* Ita Rich. Ecce quomodo ad punitionem adhibetur pro iis qui à verbo nullam capere volunt vtilitatem. *Andr. Cæſar.* *Richardus à S. Victore.*

E Anſbertus, per romphæam vetus & nouum Teſtamentum intelligit, vtraque parte acutam, *Quia*, inquit, *hinc Iudæos dum percutit littera occidit, illinc credentes dum iugulat ſpiritu viuificat, recte vtraque parte acuta deſcribitur, quia hinc hoſtem necat illinc militem armat, vel certe quia hinc culpas operis illinc reſerat illicitas cogitationes.* Ita Anſbertus. *Anſbertus.*

Dum hæc Romphæâ Prælati vtuntur, Chriſtum verum fuiſſe Conſiliarium demonſtrant qui hanc Romphæam in manu & ore eorum poſuit. §. 3.

Non eſt dubium talem romphæam dari Prælatis Eccleſiæ, iuxta illud Ierem. c. 1. *Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes*, & illud etiam Iſaiæ c. 51. *Poſui verba mea in ore tuo, & in vmbra manus meæ protexi te*

Digitized by Google

Vt plantes cælos, & fundes terram, & dicas ad Sion: populus meus es tu. Quin & cap. 59. *Hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus, ſpiritus meus, qui eſt in te, & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, dicit Dominus à modo, & uſque in ſempiternum.* Ita Iſ. Eoque proinde Prælati conſtanter vti debeant ad præſcindendos errores, & malitias è cordibus fidelium: ad quod præſtandum prouocatur Angelus Pergami, ne error aut malitia vltra proficiant in peius. Hunc Epiſcopum Chriſtus Dominus certiorem reddit vi & efficacia verbi ſui, eſt enim verus Conſiliarius, Doctor & Legiſlator de quo dicitur apud Iſ. c. 30. *Non faciet auolare à te vltra doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum*, & de quo apud Iob. c. 36. dicitur, *Ecce Deus excelſus in fortitudine ſua, & nullus eſt ei ſimilis in legiſlatoribus.* Talem cum eſſe demonſtrant dum verbum adminiſtrant Prælati Eccleſiæ, de cuius efficacia hunc Epiſcopum certiorem reddit vt diximus, ne pertimeſcat veritatis hoſtes, ſed quantum in ſe eſt conetur vt conuincantur errores, vitia impugnentur, cognitio nominis diuini accreſcat & multiplicetur & dilatetur, ſecreta cælorum & diuina pateſcant myſteria, ad patriam æternam exoptandam excitetur mentis affectus, & media per quæ ad illam perueniri poſſit addiſcantur. Hæc ſunt pij Conſiliarij monita, eruditiſſimi Doctoris documenta, Legiſlatoris peritiſſimi præcepta, cui certe nullus eſt ſimilis in Legiſlatoribus, ſiue quia nullus eſt qui penetrare valeat abſtruſa illius conſilia, intentionum ſuarũ ſublimitatem in legibus ſuis ferendis; ſiue quia omnes alij Legiſlatores erroribus plurimis leges ſuas conſpurcarunt, nec abſque culpa reprehenſione digna quaſdam leges iniuſtas tulerunt ac ſi bonæ fuiſſent, ſiue quia ipſimet præuaricatores legum ſuarum iuſtarum fuerunt peccatis obnoxij, & criminibus plurimis implicati, nec enim ad modum Chriſti fuerunt irreprehenſibiles de quo Iob. c. 36. dicitur, *quis poteris ſcrutari vias eius? aut quis poteſt ei dicere operatus es iniquitatem?* hic piiſſimus legiſlator noſtram ſalutem exoptãs de quo Iſaias c. 33. *Dominus enim Iudex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus rex noſter, ipſe ſaluabit nos*, tanquam Iudex, tãquam legifer, tanquam Rex potentiſſimus ſuis miniſtris gladium dat in manibus ad diſcernendum bonum à malo, ad decernenda præmia, & ſupplicia, ad ſeparandos malos à bonis, & ipſemet per ſe & per miniſtros ſuos ab vnã parte à bonis præſcindit quidquid eos reos conſtituere poſſet, eoſque tandem miſeros & infelices redderet, & ex alia parte per iuſtitiam æquiſſimam à malis præſcindit per ſubtractionem gratiarum benedictionum ſuarum affluentiam, quin & quidquid eis aliquod ſolamen præſtare poſſet quia ſe indignos diuinis conſolationibus exhibuerunt, iuxta illud: *Dilexit maledictionem, & veniet ei: noluit benedictionem, & elongabitur ab eo*, Pſ. 108. Ac præcipuè & finaliter cum approbantibus ſanctis, & ei aſſidentibus hanc vltimam proferet in impios ſententiam: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* O ter quaterque beatus, qui diuini huius Legiſlatoris de quo S. Iacobus, c. 4. ait, *Vnus eſt legiſlator & Iudex qui poteſt perdere & liberare* ſaluberrima conſilia, præcepta legeſque fideliter adimpleuerit cuius legis præconia narrat Pſalmiſta Pſ. 18. *Lex Domini immaculata conuertens animas. Teſtimonium Domini fidele ſapientiam præſtans paruulis:* Et dicet aliquando, *Etenim ſeruus tuus cuſtodit ea in cuſtodiendis illis retributio multa.*

Iſ. c. 30. *Iob. c. 36.* *Iob. 36.* *Iſ. c. 33.* *Pſ. 108.* *Iacob 4.* *Pſ. 18.*

Cum magnâ conſtantiâ & fiducia ac Romphaâ Prælati vti debent cum ſit efficaciſſima. §. 4.

At cum quanta fiducia & conſtantia, qui huius legis præcones à Deo conſtituti ſunt debeant eam mentibus inculcare patet ex eo quod tam potentiſſimus ſit iſte gladius: certe ſi eo vti voluerint ſperandum eis eſt quod illud diuinum verbum non redibit ad eos vacuum ſed faciet fructum. Cuius rei in hac epiſtola teſtis proponitur fideliſſimus Antipas de quo hic fit mentio, qui vt hiſtoriæ tradunt in taurum æneum ardentem iniectus fuit: teſtis inquam non modo efficaciæ verbi diuini, quo ad tantum tormentum fortiter tolerandum inductus fuit, ſed & conſtantiæ & fiduciæ ad hoc verbum proponendum, & cum eo dimicandum: ſiquidem potius mori voluerit, quam huius verbi diuini confeſſionem & prædicationem prætermittere. *Dicitur*, inquit Dionyſ. Carthuſ. *Teſtis Chriſti, quoniam verbo, facto & ſanguinis ſui effuſione teſtimonium perhibuit veritatis fidei Chriſtianæ.* Ita Dionyſ. Illum igitur gladium adhibere debebat Angelus Pergami contra Nicolaitas, & ſpem bonam concipere non inutiliter iſtud præſtiturum. *Dionyſ. Carthuſ.*

Et reuera licet diuinus ſermo lampas ſit contempta apud cogitationes diuitum, ſeu mundanorum qui ſub cortice vili, & ſimplicitate vocabulorum perſpicere, & penetrare non poſſunt quantæ ſit energiæ (prudentia namque ſeculi huius mentes humanarum ſcientiarum cognitione elatæ mundana eloquentia gloriantes præguſtare non valent documentorum veritatem) ſeueris eius ad monitionibus, & reprehenſionibus acquieſcere nolunt, ſublimitatem myſteriorum nequeunt attingere nec perſuaſiones ipſius nullo fuco illitas admittere: nihilominus ſi attentè perſpiciamus quàm fuerit efficax in conuerſione nationum & populorum, occaſio nobis dabitur propportuna aſſerendi appoſitè & optime gladio aſſimilari polito, limato & vtraque parte acuto. Quàm efficax fuit dum primæuos Iudæos ad Chriſtianam fidem conuerſos ſeparauit ab incredulitate & cordis duritiâ, & à ſuis legalibus inſtitutis ac ceremoniis! Quàm potens cum nationes & populos ab infidelitate ſegregauit & incredulitatem, & infidelitatem ad nihilum redigens, quibus nulla erat ſubſiſtentia niſi tantum in peruerſitate intentionum ſeu affectionum & corruptione morum, Iudæos & Gentiles tales reddidit vt capaces redderentur vnionis ſtrictiſſimæ cum Deo, acumine mentis & intentionis, & ſecretiora cæli myſteria penetrantes, & intimam Dei erga nos dilectionem perſpicaciter intuentes! Hinc vna vice tria millia Iudæorum, altera quinque millia ad fidem conuertuntur in primis S. Petri concionibus, & legis antiquæ obſeruantias libenter deſerunt ad vocem illius qui olim humilitate paruulus Chriſto dicebat: *Recede à me quia homo peccator ſum*: vt Iſaiæ Prophetia adimpleretur, *Minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortiſſimam: ego Dominus in tempore eius ſubitò faciam iſtud*, videlicet eo tempore quo S. Petrus nouas præteritis addens victorias, eo gladio munitus ſub baculo ſuo paſtorali ſubiecit eos qui intra imperium orbis ſublimius inhabitabant, & ſub pedibus ſuis proſtrauit Ciuitatem ſublimiorem, humiliauit namque vſque ad terram Romam ſuperbam, & idololatria fœdatam, eam ita proſtrauit vt puluere conſpergeretur, legibus Chriſti ſeſe aſtringendo qui ſuis & mititatem, & cordis humilitatem potenter inculcat, ſic pede fuit conculcata non pede imperatoris cuiuſlibet victorias reportantis, ſed pede Pauperis Chriſti nempe qui propter nos egenus factus eſt vt nos diuitiis cumularet: eam inquam proſtrauerunt & conculcauerunt greſſus egenorum, dum eorum doctrina & exemplis edocta eſt omnem ſuam gloriam puluerem eſſe à vento diſpergendam, omnem denique hominem *Iſa. 60.*

Digitized by Google

vanũ eſſe ad cuius infirmitatis auxilium nõ aduolat aut adeſt perfecta cognitio & ſcientia Dei viui & veri: ſic Eccleſia ad huius magnitudinis gradum tandem euecta eſt vt de ea dicatur apud Iſa. c.61. *Pro eoquod fuiſti derelicta, & odio habita ponam te in ſuperbiam ſeculorum.*

Iam ſi Eccleſia vi & efficaciâ verbi diuini tantâ eminentia ditatur vt obiectum reddatur admiratione digniſſimum cunctis ſeculis, proculdubio non minus admirabiles exiſtunt illius progreſſus, ſiue celeritatem qua ramos ſuos extendit vndequaque ſpectes, ſiue amplitudinem per vniuerſas totius orbis partes conſideres, ſiue altitudinem perfectionis ad quam ſuos eleuat filios ſuſpiceris; ſiue tandem humilitatem & infirmitatem eorum qui tot mirabilium fuerunt adminiſtri intuearis. *Statim atque*, inquit S. Gregor. Nyſſ. *hic ſermo diuinus fuit promulgatus, mox Aegyptij, Syri, Parthi, Meſopotami, Itali, Illyrici, Macedones Chriſtum agnouerunt, & hic ſermo orbem vniuerſum percurrens ad fidem cunctas adduxit nationes,* Eadẽ docet S. Baſilius Seleuciæ, orat. 30. *Eodem modo, Paleſtinis adhamatis artem gratiæ tranſportant in inſulas, & a continenti in mare retro trajicientes, Tyrum viderunt, Antiochiam obtinuerunt, Pamphilia denique occupata eſt, Macedonia vaſtata, accurrit Thracia, Gracia cum ſua eloquentia capta eſt, Roma ſuppreſſo diademate crucis prædicationem exoſculata eſt, ordine denſiſſimo ciuitates ſponte ceſſerunt in prædam Apoſtolicorum retium.* Lege Hierony. in Micheam in c. 4. illud exponens: *Mons domus Domini præparatus & fluent ad eum populi: id eſt*, inquit, *in morem fluuiorum turbæ innumerabiles congregabuntur: feſtinarunt autem populi quando in eum pariter crediderunt Parthi & Medi, & Elamitæ, &c.* Perſæ ſcilicet. Et paulo poſt: *poſtquam autem ad imperium Chriſti ſingulare imperium Roma ſortita eſt, Apoſtolorum itineri pernius factus eſt orbis, & apertæ ſunt eis portæ vrbium, & ad prædicationem vnius Dei ſingulare imperium conſtitutum eſt.* Ita S. Hierony. Rationem tantæ virtutis reddit S. Ambroſius l. 1. de Abel & Cain c. 8. dum ait: *Cito dat Deus, quia dixit & facta ſunt, mandauit & creata ſunt; verbum enim Dei non ſicut quoddam opus eſt, ſed eſt operans, ſicut habes ſcriptum: pater meus vſque modo operatur, & ego operor. Præuenit omnia, eſt enim ante omnia ſicut pater, & in omnibus ſicut idem Pater, penetrans omnia, validum enim & acutum, & omnis gladius acutus eſt penetrans vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus artuumque & medullarum*, &c. Ita Ambroſ. Vnde non mirum ſi ſtatim atque Dei verbum proponitur multum afferat fructum, & plærumque plurimi reperiuntur qui hoc gladio feliciter percuſſi cito ad Deum conuertantur, itaut Eccleſiæ dici poſſit illud Iſaiæ c. 6. *Leua in circuitu oculos tuos & vide: omnes iſti congregati venerunt tibi, filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent*, &c. Nec mirum inquam, ſi dum homines abſque Dei notitia vitam tranſigentes, & tanquam bruta animalia muſcas & cicadas adorabant, tanquam ciniphes & minuta animalia conterebantur vt notat S. Hierony. Epiſtol 3. ad Heliodorum: *Ad Deum per fidem conuerſi Chriſti nomen alta voce prædicant. Totum: Vna vox Chriſtus eſt nec medioris cuiuſdam perfectionis contenti, ad altioris, perfectionis gradum aſpirant, Euangelicæ perfectionis optimi ſectatores.* Hinc S. Hieron. ait quod fide in cunctis orbis partibus plantatâ, de India, Perſide, Æthiopia, Monachorum quotidie turmas ſuſcipiebat in Bethleem, ibidem confluentibus vt terram ſanctam viſitarent.

Sed ſi quid admiratione dignum videtur, illud potiſſimum eſt, quod hi qui hanc fidem plantauerunt non alij proculdubio fuerunt quàm homines, qui nullis aliis inſtrumentis aut armis vſi ſunt, ſiue ad aggrediendum, quàm patientia, aut tolerantiâ maleſtiarum, ſed qui nihilominus victoria potiti ſunt dum victi & proſtrati putabantur, & morte propriâ Chriſti nomen ſuſcitarunt, & proprio ſanguine in terram effuſo ac ſi ſemen eſſet fertiliſſimum in millia millium pullulare & ſuccreſcere fecerunt eos qui eum adorant eique ſeruiunt & obſequuntur. v. g. cum proſtratus fuit S. Stephanus tunc hoſtium vires contriuit: tunc vigor, inquit Greg. Nyſſ. brachiorum ipſorum diminutus eſt, & ex Hieruſalem diſcipuli egrediente s per vniuerſum orbem diſperſi cunctas nationes peragrarunt, cœpitque excellentiſſima Chriſti doctrina omnibus prædicari: adeo verum eſt quod illud ſemen granum videlicet ſinapis quo in Euangelio regnum cœlorum deſignatur, ſi ſemel comminutum fuerit tunc vim ſuam maiori cum efficaciâ exeret. Hinc Romæ firmas egit radices per Martyrium viginti & octo Pontificum, qui ſibi inuicem ſuccedentes Martyres occubuerunt propter verbum Dei & teſtimonium Ieſu Chriſti: etenim inter ſanctum Petrum, & ſanctum Sylueſtrum tres tantum inueniuntur Hyginus nempe Dionyſius & Euſebius qui martyrium non ſubierunt. In quo perſpicuè cernitur quàm admirabilis ſit Dei omnipotentis vis & efficacia, quâ factum eſt vt fidelium numerus adauctus fuerit per infirmitatem, & imbecillitatem eorum, qui non reſiſtendo ſed omnia tolerando, diuinam doctrinam dictis & exemplis promulgarunt per vniuerſum orbem.

Gregorius Nyſſenus.

Baſilius Seleuc.

Hieron. in Micheam.

Ambroſius.

Iſ. c. 6.

Hieronym. ep. 3. ad Heliodorũ.

Scio vbi habitas, vbi ſedes eſt ſatanæ, & tenes nomen meum & non negaſti fidem meam.

Vis & efficacia verbi diuini maxime innoteſcit cum quod corde credemus ore profitemur, etiam inter perſecutiones & tormenta.

ANNOTAT. II.

SI phantaſtica & ſtulta Manichæi opinio de duobus principiis quorum vnum bonum dicebat ſpiritus creatorem, aliud malum corporis formatorem, poſſit admitti (ſicut è contra meritò eſt explodenda) cordis obſequia autori corporis denegari poſſent, & corporis ſeruitia mentium creatori. At cum Deus ſummæ Maieſtatis & præcellentis gloriæ, vnicum & ſolum ſit primum rerum omnium princ ipium quem colimus & adoramus, & vt creatorem rerum viſibilium & inuiſibilium agnoſcimus, quippe cuius ſanctiſſimæ manus ex malla ſeu limo terræ voluerunt cum arte, & ſcientiâ quadam admirabili noſtrum plaſmare & effingere corpus, qui & ſuperabundanti quadam bonitate voluit halitu ſeu ſpiritu ſuo nobis animam ſpirare & vitam, animam creando, & eamdem in corpus perfecte organizatum infundendo, vt illud viuificaret, hinc fit vt oporteat & corpus & animam concorditer ſimul ad eius obſequium & ad eum glorificandum adſpirare.

Hac de causâ ſicut Phariſæi hypocriſis, quæ ſolam externam faciem pietatis prætendit valde diſplicet ſynceritati increatæ veritatis, ita amor ille diuinus propriæ gloriæ meritò æmulator & zelator exiſtens contriſtatur, ſi cum omnia benignè & ſyncerè contulerit ſeu dederit aliquid ſit quod impendere recuſemus, & ad alium vſum aut finem quam ad ſuum obſequium aut honorem detorqueamus. Improbat eum cuius os erubeſcit confiteri quod corde credit. Deſiderat nos ne ſimus ingrati ſequi hanc Pauli doctrinam Rom. 10. *Hoc eſt verbum fidei quod prædicamus, quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris quod Deus illum excitauit à mortuis ſaluus eris, corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem*, quæ Apoſtoli Rom. 10.

Digitized by Google

retur, vt docet S.Cyprian. Ep. ad plebem Thiburi S. Cyprianus. consiſtentem, *Spectat militem ſuum Chriſtus vbicunque pugnantem, & perſecutionis cauſa pro nominis ſui honore morienti præmium reddit quod daturum ſe in perſecutione promiſit, nec minor eſt martyrij gloria non publice & inter multos periiſſe, cum pereundi cauſa ſit propter Chriſtum perire: ſufficiat ad teſtimonium martyrij ſui teſtis ille qui probat martyres & coronat.* Ita S.Cypr. Quanto igitur magis coronæ debebantur Antipæ qui non in occulto ſed apertè vbi impietas prævalebat & dominabatur pro Chriſto fortiter occubuerat, martyrio ſuo teſtimonium perhibens veritati cui corde adhærebat, & quam ore profitebatur? Quod tam gratum & acceptum fuiſſe videtur Chriſto Domino, vt de eo glorietur, *Ibi lætatur miles ſuus Dominus, lætatur teſte nominis ſui Chriſtus*, vt loquitur S. Cyp. de laude Martyrij. Quis quæſo Antipâ felicior qui diuinæ gratiæ diſpoſitione concrematus fuit ne in æternas incideret flammas, & igne in cinerem redactus ne pabulum fieret ignis æterni? Equidem ſi defuiſſent ipſi ignes & ſupplicia cum maiori libertatis ſuæ ſecuritate vitam hanc tranſigiſſet, at defuiſſet hac ratione illi gloria magnanimi certaminis vt de S. Laurentio dixit. S.Maximus Hom.3. Proponitur itaque Antipæ exemplum Epiſcopo Pergami vt ad prelium animetur & ad veritatem legis ſupremi legiſlatoris tuendam corroboretur. *Ad hoc enim*, vt ait S.Maximus, *exemplis atque doctrinis in Eccleſia ſua Chriſtus erudit nos, non vt nihil patiamur in mundo, ſed vt mundum multimoda paſſione vincamus. Summum eſt*, inquit S. Petrus Chryſolog. ſer. 128. *fratres, pro Domino præſentem vitam ſi neceſſe eſt contemnere, ſed glorioſum eſt etiam cum vitâ mundum contemnere, & conculcare cum principe.* Qui etiam ſer. 56. compendium fidei proponit dum ait, *Quando inter cor & linguam totum ſalutis humanæ verſatur & geritur ſacramentum, habes homo vnde credere debeas: corde creditur ad iuſtitiam; habes vnde debeas confiteri, ore confeſſio fit ad ſalutem: & quid dicam? totum in ſe habet qui Deũ habet, Deum vero habet qui cum ſuum credit, & confitetur autorem.* Ita Chryſol.

S. Maximus. S. Petrus Chryſologus.

Sed habeo aduerſum te pauca.

Præter morum & vitæ integritatem, Prælati de verbi diuini prædicatione ſolliciti eſſe debent, vt ſint irreprehenſibiles.

ANNOTAT. I.

INCVLPABILITER certe videretur Epiſcopum Pergami induxiſſe ſibi in mentem iam perfectionis apicem attigiſſe, nihilque deinceps ſibi eſſe exoptandum dum percepit laudes, quæ ſibi dantur ab eo qui quantum valent opera noſtra ipſe ritè & certo cognoſcit, qui diſcretor eſt cogitationum, & intentionum cordis in cuius manu eſt Romphæa illa veritatis, diuini verbi ſymbolum, qua abſque periculo erroris diſcernere poteſt quid boni, quid mali reperiatur in cogitationibus & intentionibus noſtris: de quo Hebræor. 4. dicitur, *Et non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius.* Hebræor. 4.

Scit iſte Epiſcopus ſua probari à Chriſto opera, audit ſuam laudari conſtantiam, fidelitatem, magnanimitatem, perſeuerantiam, tanto magis laudabilem, quod bonus ſit in medio nationis prauæ quod vitam tranſigat in exercitio virtutum in medio eorum, quorum corruptiſſimi ſunt mores & actus, quod fidelis ſit obſeruator eorum omnium quæ obſeruari debent ab iis qui profitentur velle ſe credere in Chriſtum, eumque ſequi & imitari pro viribus fatagunt. Denique adeo fortis, magnanimis & perſeuerans in fide, & doctrinâ, & ſanctiſſimis legibus, ac inſtitutis Chriſtianæ fidei, quod fidem ſuam inter tribulationes, & perſecutiones poſitus nunquam negauerit. At Chriſtus Dominus, qui omnia æqua lance ponderat ponderator ipſe ſpirituum, dum nihilominus illum arguit, oſtendit velle vt eo ſpiritu ambulet, quo ambulauit Paulus, omnia detrimentum faciens vt Chriſtum lucrifaceret, paſſionibus & doloribus Chriſti particeps, & in virtutum omnium exercitio Chriſtum imitari fatagens, qui tamen dicebat, quia ſemper ad meliora anhelabat, *Non quod iam acceperim, aut iam perfectus ſim, ſequor autem ſi quomodo comprehendam in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Ieſu.* Philipp. 3. Philipp. 3. Qua de cauſâ nunc admonet ipſum ex ſanctitate abſolutâ non eſſe immunem à culpâ, quod Epiſcopo ſatis non ſit, ſi pro ſeipſo bonus euadat, niſi & aliis bonus exiſtat, munus enim Paſtoris ſibi collatum ad aliorum ſalutem, non ad propriam tantum ordinatur.

Hinc duo illi Dominus noſter ante mentis oculos proponit. Primum eſt quod reuera cum magnanimitate fidem confeſſus fuerit, ſibi tamen minime perſuadeat ex hoc titulo plenè & integre Deo cuncta quæ debebat perſoluiſſe, nec de ſe ſibi eſſe præſumendum, adhuc enim non erat adeptus conſtantiæ gradum ad quem Antipas peruenerat, is namque præter confeſſionem, & profeſſionem fidei mortem crudeliſſimam paſſus fuerat, pro eiuſdem fidei tuitione & dilatatione: Ac ſi diceret: Fortaſſe ſi audias Apoſtolum meum Paulum dicentem, *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem: vt ne fatigemini animis veſtris deficientes, nondum enim vſq; ad ſanguinem reſtitiſtis aduerſum peccatum repugnantes.* Hebr. 12. dices hoc vires tuas excedere, carnis infirmitate obuolutus ſequi Chriſtum tibi difficillimum eſſe videtur, ecce habes exemplar propriæ imbecillitati propinquius, Antipam teſtem meum fidelem, hoc tibi familiare, hoc domeſticum exemplum & ob oculos poſitum, erat homo ſimilis tui, qui non ſolum nomen meum confeſſus eſt, quod etiam prætitiſti, ſed inſuper crudeliſſime interemptus eſt. Nondum igitur ſcopum attigiſti ex ſola confeſſione nominis mei, ad maiora & meliora deſideria tua extende, & cordis humilitatem ex maiori alterius perfectione probè perſpectâ retine. Secundum autem quod Chriſtus illi ob oculos proponere dignatur; illud eſt, quod etſi ſanctiſſimus eſſet quoad ſe, nondum tamen obligationi paſtorali ſatisfecerat, quod negligentiâ ſuâ Nicolaitarum hæreſis pullularet, contra quam inuehere & inſurgere debebat, cum in eius manibus repoſitus fuiſſet gladius acutiſſimus, quo omnes hæreſes, impietates, & errores reſcindi poſſunt, nec ei tantum eſſet collata directiua tantum poteſtas, ſed & coactiua, ad malorum & peruerſorum coercitionem & repreſſionem. Hebræor. 12.

Meritò igitur Epiſcopi vel per ſeipſos verbum diuinum tanquam cæleſte pabulum ſuis populis adminiſtrant, vel ſi hoc præſtare nequeunt, diuerſis negociis tum circa regimẽ ſpirituale tum circa temporalium bonorum adminiſtrationem diſtracti & occupati, ad quæ ratione munetis & dignitatis ſuæ vacare coguntur, maximâ ſollicitudine procurãt vt per perſonas idoneas quibus hoc onus prædicandi verbum committunt, vel quas admittunt hoc verbum annuncietur, iuxta decretum Concilij Lateranenſis ſub Innocentio 3. Cano. 10. *Vt Epiſcopi viros idoneos ad ſanctæ prædicationis officium ſalubriter exequendum aſſumant, potentes in opere & ſermone, qui plebes ſibi commiſſas vice ipſorum cum per ſe idem nequiuerint ſolicitè viſitantes, ſana verbo ædificent & exemplo.* Et Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. c. 4. idem decretum emiſit, *Prædicationis munus quod Epiſcoporum proprium eſt cupiens ſancta ſynodus, quo frequentius poſſit ad* Concilium Lateranenſe. Con. Tridnt.

Digitized by Google

*Ecclesiæ Ephesinæ nomen, cum fuerit hoc tempore ad Petri successionem translata: atque proinde complectatur, sub commendatione huius Ecclesiæ, omnes illos, qui legitime successi fuerint per ea quæ ad prædecessores Ephesinos dicuntur. Quod si quis dicat, Ecclesiam Ephesinam non successisse in locum Apostolorum, nec præsidere omnibus qui Apostolorum successerunt: is sciat, quod Ecclesia, in omnium Apostolorum locum successerit, quibus omnibus simul tradita est potestas, quam Petro soli Christus dedit, inquiens ad Petrum: Quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cœlis. Hæc ergo Ecclesia Ephesina, qui successit Apostolis, quibus tradita est potestas ligandi & solvendi, ligat & solvit, quos ligat & solvit quos ecclesia Petri ligat & solvit, quos ligat & solvit quos ecclesia Petri ligat & solvit, quos ligat & solvit quos ecclesia Petri

firmanda eſt probationibus, nam cum propoſitiones etiam veriores, iuxta Ariſtotelem, ſæpe ſæpius non videantur idiotis & ignaris veriſimiliores, & quia ſenſus effugiunt, etiam & fidem populorum, qui nimium ſenſibus ſuis adhæreſcunt, & de omnibus fere iudicant prout ſenſus dictauerit, quo fit vt error facilius rudiorum mentes inuadat veritate expulſa, quàuis certior ſit & quoad ſe euidentior, decipimur enim ſub ſpecie recti. Hinc neceſſarium eſt vt gladius ſpiritus veritatis aſſumatur nempe Verbum Dei, quod quidem feliciori modo & certiori veritatem nobis proponit, quàm concluſionibus ex philoſophorum penu ſeu principiis naturalibus deductis poſſet manifeſtari. *Angelus iſte*, inquit Rupertus, *admonetur vt iuxta nomen Eccleſiæ ſuæ quæ dicitur Pergamus, id eſt, diuidens cornua, ipſe diuidat per gladium ſpiritus, nempe doctrinam Balaam ſeu doctrinam Nicolaitarum à doctrinâ ſanâ & ſanctiſſimâ, vt errores detegat, & ſumum quo mentibus illudere attentabat ſub ſpecie veri auferat, ne contra Veritatem inſoleſcat aut præualere poſſe ſibi perſuadeat Veritatis coloribus induta.* Rupertus.

Secundò inſtructioni ignorantium incumbere debet Prælatus. Monebat ſanctus Gregorius Magnus Agnellum quem Tarracinæ Epiſcopum creabat, vt diuinarum literarum ignaros, quæ à Deo præcepta ſunt edoceret, ne diceretur: *Parvuli petierunt panem, & nullus erat qui frangeret eis*: Ac ſi dicereturvt ipſemet exponit in 1. c. Iob. *Infirmi petierunt vt ſententiæ ſcripturarum difficiliores ſibi enuclearentur. At nullus repertus qui eas ipſis exponere vellet, inueniuntur tamen aliquando, qui hoc fideliter præſtat, non enim Eccleſia ſuos adhuc in nidulo exiſtentes deſerit, quia alas ad hûc & illûc volandum aptas vt ſibi vitam conquirant nondum obtinent, ipſamet cibo cæleſti reficit.* Hinc Pſalmiſta ait: *Paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum vbi ponat pullos ſuos.* Quem locum Gregorius lib. 4. in caput 29. Iob, capite 10 in hoc ſenſu accipit. S. Gregorius in Iob.

Tertiò neceſſe eſt vt in Eccleſia ea præſtent Paſtores & Prælati quæ de ſe dicebat Iob. *Oculus fui cæco & pes claudo.* Sit Prælatus oculus cæco, verbo Dei illuminet ignaros: ſit pes claudo, eodem verbo confirmet vacillantes & dubitantes, pes enim fulcrum ſeu fulcimentum innuit, cæcus eſt ille, qui quam carpere ſemitam debeat ignorat, claudus eſt qui vix ad locum, quem oculis intuetur petuenire nequit, ignorantia namque aut infirmitate hominesin peccata dilabuntur. At dum Eccleſia per Prælatos doctiſſimos ignaros inſtruit, & per ſacramenta illos corroborat, certe & oculus cæcis eſt & pes claudicantibus vt ad debitum finem rectà ambulent, & in ſemita cæli firmo greſſu properantes nequaquam titubare queant. Lege Gregor. in hunc locum Iob.

Quartò, incrementa ingentia pietas acquirit dum prælatus curam adhibet, nec laboribus ſuis parcit, nec occaſionem negligit, ſi quaſdam inueniat ad bonum amplectendum, ſeu meliori ratione fouendum optimas diſpoſitiones. Certe aliquando fieri poteſt vt prælati prædicationem verbi populis merito ſubtrahant, cum videlicet illud reſpuunt, vel cum faſtidio illud audiunt, & ſi audierint ſtatim per contemptum quod audierunt obliuiſcuntur: quibus de cauſis olim S. Ambroſius voluit ſubtrahere plebi ſuæ dominicæ prædicationis eloquia vt ipſe ait, ſer. 25. vt Euangelicam ſententiam cuſtodiret: *Qui habet dabitur ei, & abundabit: ab eo autem qui non habet, id quod habet auferetur ab eo.* Videbat ſuos auditores nullum fructum ex prædicationibus ſuis facere: *Dicite enim mihi*, dicebat ille, *quis de vobis cum ad hoſpitium redierit dicit: hodie audiuimus Epiſcopum de eleemoſynis diſputantem, rem vtilem prædicauit, debemus pau-* S. Ambroſius ſer. 25.

peribus miſereri, &c. Nemo de Dei rebus cogitat, nemo de die Iudicij loquitur, quaſi aut per omnia victuri aut per omnia morituri, &c Propterea dicit voluiſſe ſubtrahere prædicationis eloquia, non tanquam iratus, ſed vt prædictam Euangelij ſententiam cuſtodiret. At ſi vtilitas ex prædicatione ſperati queat, ſi fructus ex labore, à prædicatione & labore non eſt deſiſtendum: vnde docet Ambroſius quomodo habenti dari debeat, & non habenti auferri id quod habet dum ait: *Meretur plane accipere qui ita laborauit vt propriâ ſolicitudine animæ ſuæ diuitias ſpirituales acquireret, vt puta qui continentiæ fortis propoſito cœpit caſtimoniæ cuſtodire virtutem, meretur audire quæ caſtitatis remuneratio ſit futura, vt ad virtutis obſeruantiam audiens remunerationis gloriâ facilius poſſit pugnam quam cœpit conſummare.* Similia philoſophatur idem S. Ambr. de eo qui eſſet ad miſericordiam promptus qui debet audire, quia ipſi miſerebitur Deus, vt ſic detur ei qui habet, hoc eſt qui diues fuerit bonis operibus hic magis Euangelica prædicatione ditetur, vt ſic Paſtor occaſionem non negligat prædicandi verbum cum expectat fructum, & auditores paratos eſſe ad fructuoſe audiendum animaduertit: quod ſi tales eos non inueniat itaut prædicationem ridiculam exiſtiment, ſi fornicatori virginitatem prædices, auaro bonorum ſuorum diſtributionem ſubtrahe prædicationem, *Tale enim eſt*, ait S. Ambroſ. *in prædicare quod perfectum eſt quaſi ſi mendicum panno obſitum holoſerica velis induere, & eſurientem ruſticum placento delectare, neceſſe eſt ab vtroque recuſetur: oblato illi enim diſplicet holoſerica, qui neceſſaria magis frigoris veſtimenta deſiderat: huic placentum erit amarum dum eſcam magis ſatuitatis exquirit: iſtis ergo perſonis auferenda potius quæ ſua ſunt ſicut ait Euangelium: etiam id quod habet auferetur ab eo, hoc eſt, cogendus eſt fornicator pannos ſuæ corruptionis abjicere, compellendus eſt auarus panem ſuæ cupiditatis exponere.* Ita Amb.

Quintò nec minas ſeu comminationes prætermittere debet prælatus ſi emendationem ſperet. Exemplum illis datur in Epiſtolis, quas Chriſtus dirigit ad Epiſcopos Epheſi, Pergami, Sardis & Laodiceæ, quos grauibus commonitionibus & comminationibus terret & ad pœnitentiam inducit. Vindictæ ſeueritas nullam admittet excuſationem per quam eam effugere valeamus, ſi poſt primam correctionem & admonitionem indomita cervice colla flectere ſub iugo ſuaui noluerimus, propria perit malitia qui autoritate comminantis admonitus ad ſatisfactionem condignam faciendam proteruus & contumax collum ſubmittere noluerit. Lege Ambroſ. 1. de pœnitentia. S. Ambroſ. de pœnitentia.

Denique aperto marte cum hæreticis eſt congrediendum, clamore valido Lupi illi arcendi, ſunt eos pelle ouina qua ſe contegunt ſpoliare oporter, vt errores eorum, mendacia, perfidiæ & malitiæ detegantur: deſiderandum namque vt omnes hæretici à Catholicis ſacerdotibus vigore ſemper rationeque compeſcantur, vt loquitur S. Gregor l. 4. Epiſt Ep. 2. ad Dominicum. Hoc modo agere debebat Pergami Epiſcopus ne doctrina Nicolaitarum ſenſibus gratiſſima plurimos ſubuerteret, & cum Apoſtolo Paulo ad Epheſ. 5. potenter inculcare fidelibus: *Hoc enim ſcitote intelligentes quod omnis fornicator aut immundus, aut auarus, quod eſt idolorum ſeruitus non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei: nemo vos ſeducat inanibus verbis: propter hoc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ, nolite ergo effici participes eorum*, Ita Apoſtolus. Imo potius coarguendi erant, nam ſi admonitio, aut correctio abfuerit in tali caſu, quis non videt pietatem proſtrandam fore, dum error ſerpit, dum ignorantia mentes obnubilat, dum in fide imbecilliores deſeruntur, dum boni contem- S. Gregorius. Epheſ. 5.

Digitized by Google

ptui habentur, dum contumaces nullo modo reprimuntur, dum nullus eſt qui contra hæreticos arma ſalutaria capiat, dum eorum crimina impunita remanent. Et Deo occaſio datur vltionem ſumendi de iis qui ex officio & munere tenebantur his occurrere malis, qua de cauſa Epiſcopum Pergami his verbis alloquitur: *Si quominus veniam tibi cito*, ac ſi diceret: Ego ſum qui de crimine tantæ negligentiæ vltionem ſumam, nec alteri hanc vindictam perficiendam committam: Ad hunc ſenſum dixit S. Gregorius Homil. 17. in Euangelia *Veniet veniet profectò ille dies nec longe eſt, in quo Paſtor Paſtorum appareat, & vnuſcuiuſque facta in publicum deducat, & qui modo ſubditorum culpas per præpoſitos vlciſcitur, tunc præpoſitorum mala per ſemetipſum ſeuiens damnat: Vnde & ingreſſus in templum per ſemetipſum quaſi flagellum de funiculis fecit, & de domo Dei prauos negotiatores ejiciens cathedras vendentium columbas euertit, quia ſubditorum quidem culpas per Paſtores percutit, ſed Paſtoris vitia per ſemetipſum ferit.* Hæc Greg. Hac comminatione vtitur ni fallor Chriſtus erga hunc Epiſcopum dum ei dicit, *ſi quominus veniam tibi cito*, vt timore tam formidabilis vltionis diligentior euadat. *Horrendum eſt enim incidere in manu Dei viuentis*, ait Apoſtolus, Hebræ. 10. Quam vltionem certe pertimeſcere debent ij quos S. Greg. alloquitur dum addit: *Ad exteriora negotia delapſi ſumus, & aliud ex honore ſuſcipimus atque aliud ex officio actionis exhibemus: Miniſterium prædicationis relinquimus, & ad pœnam noſtram vt video Epiſcopi vocamur, qui honoris nomen, non virtutis tenemus: relinquunt namque Deum hi qui nobis commiſſi ſunt, & tacemus, in prauis actibus iacent, & correptionis manum non tendimus, quotidie per multas nequitias pereunt, & eos ad infernum tendere negligenter videmus. Sed quomodo nos vitam corrigere valemus alienam, qui negligimus noſtram? Cum enim ſecularibus intenti tanto inſenſibiliores intus efficimur, quantum ad ea quæ foris ſunt ſtudioſiores videmur, vſu quippe curæ terrenæ à cæleſti deſiderio obdurefcit animus, & dum ipſo ſuo vſu durus efficitur per actionem ſeculi, ad ea emolliri non valet quæ pertinent ad Charitatem Dei.* Ita Greg.

S. Gregorius. Hebr. 10. S. Gregorius.

Sin autem veniam tibi cito.

Eccleſiam à Chriſto non deſeri aſſerimus, quod in locum Paſtorum negligentium vigilantiores plærumque ſubſtituat.

ANNOTAT. VI.

S. Gregorius Magnus.

OMNIPOTENS Deus, inquit S. Gregorius lib. 26. in c. Iob 36. cap. 28. *Eccleſiam ſuam dignâ ſine adminiſtratione non deſerit, nam cum fortes ad præmium vocat, eorum vice debiles ad certamina roborat, cum illos ſuſcipiendos remunerat, iſtis laborum vires quas remuneret ſubminiſtrat, de quibus eidem ſanctæ Eccleſiæ dicitur: Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij conſtitues eos principes ſuper omnem terram: in virtute quippe antiquorũ Patrum, hi qui poſtmodum Prælati ſunt, ſubrogantur, quia & cum annoſa arbuſta ſuccidantur, in eorum robore tenera virgulta ſuccreſcunt.* Ita Greg. Hæc reuera eſt Dei erga Eccleſiam Prouidentia. Sed nunquid dormitare videtur aliquando Deus Iſraël cum ſinit in Eccleſiæ regimine multos torpentes, negligentes, quin & moribus perditos ſublimari? Certe ſi pro culpis ſubditorum hoc demerentibus illud permittat, expergiſcitur tamen memor gloriæ nominis ſui & ſalutis electorum ſuorum & citò venit, vt malos ramos oliuæ fructiferæ ſuccidat, & bonos in illorum locum inſerat, legimus Eſa. c. 22. dictum fuiſſe ad Sobnam præpoſitum templi: *Expellam te de ſtatione tua, & de miniſterio tuo deponam te, & erit in die illa vocabo ſeruum meum* Eſ. c. 22.

A *Eliacim filium Helciæ, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo conſortabo eum, & poteſtatem tuam dabo in manu eius, & erit quaſi pater habitantibus Ieruſalem & domui Iuda.* Ita Iſ. Similia dicit Dominus pauciori-
bus verbis dum ad Epiſcopum Pergami ſcribit, *Sin autem veniam tibi cito. Id eſt*, inquit Ambroſius, *alium in loco tuo ponam, & ponam gladium verborum meorum in ore eius in quo dejiciam aduerſarios veritatis.* Et Dio-
nyſ. Carthuſ. *Te de ſtatione tuâ amoto meliorem in loco tuo ſubſtituam, per cuius verba aduerſarios veritatis dejiciam, ac deceptos reducam.* Ita Dionyſ. Ansbertus vult Ambroſius. Dionyſ. Carthuſ.
hæc verba, & ad Epiſcopum, & ad prauos hæreticos
extendi, quos cum torpenti prædicatore ad lamen-
tum venire hortatus erat, quos eodem torpore
B periiſſe cognouerat. *Pari enim reatu*, inquit, *aſtringitur & ille qui praua docet, & ille qui praua docere tacens permittit.* Ita Ansb. Si igitur reperiatur quidam Paſtor negligens & torpens, auferatur Sobna, in locum illius veniat Eliakim filius Helciæ, Eliakim inquam, qui interpretatur à S. Hieronymo Reſurgens Deus ſiue Dei reſurrectio, qui filius eſt Helkiæ id eſt partis Domini, ex amore enim quo Deus populum ſuum de quo dicitur: *Pars autem Domini populus eius: Nouit Dominus qui ſunt eius*, proſequitur, fit vt Deus ſuſcitet bonos Prælatos, per quos reſurgat in mentibus peccati morte à Deo ſeparatis, vt nouam induant vitam, & in cognitione & amore Dei perſeuerent, vſque in finem. Hæc eſt cura, &
C ſollicitudo præcipua eius qui ſe vineæ nempe Eccleſiæ Dominum profitetur, vt bonos agricolas ad vineam ſuam excolendam eligat, & ſi quos negligentes, ingratos, & male viuentes reperiat, malos male perdat, & vineam ſuam locet aliis Agricolis qui reddant ei fructum temporibus ſuis. Matt. 21. Hic Matth. 21.
diuinus architectus opus ſuum continuo intuetur obtutu vt illud abſolutum, & conſummatum tandem exhibeat. Ædificare cœpit Eccleſiam in coſtâ Adæ ſubtractâ. *Adam*, inquit S. Ambroſius, *Chriſtus eſt. Coſta Chriſti vita Eccleſiæ eſt*, lib. 2. in Lucâ hæc verba S. Ambroſius l. 2. in Lucã.
exponens, *Et Ieſu baptizato & orante apertũ eſt cælum*, c. 3. Luc. Vt hæc vita Eccleſiæ incrementa capiat & perfectè videatur ædificata, duo neceſſaria ſunt, 1.
D vt Deum vnuſquiſque habeat cooperatorem abſque cuius gratia nihil poſſimus, ſicut abſque eo nihil omnino ſumus: nemo enim ædificare hanc ciuitatem poteſt ſine Domino, nemo illam cuſtodire, nemo abſque Deo viam ſcire, viam carpere poteſt qua ad cælum peruenitur; veniat columna ignis in nocte huius ſeculi, diuinæ illuminationes exeuntibus ex Ægypto, veniat nubes deducens per viam in die, vt neque ad ſiniſtram neque ad dexteram declinemus, nubes autem illa eſt ſalutaris Eccleſiæ doctrina de rebus & myſteriis fidei; veniat Angelus Domini in circuitu timentium Deum non modo Angelus Cuſtos inuiſibiliter adiuuans, ſed bonus Paſtor exterius erudiens, & præcipiens. Veniat Dei gratia adiu-
E uans & cooperans vt poſſimus opus conſummare noſtræ ſalutis, his enim omnibus modis Deus nobis viam parat ad ſalutem æternam conſequendam vt bene dixerit S. Ambroſ. in 3. caput Luc. lib. 2. *Vides vtique quia vbique Domini virtus ſtudiis cooperatur humanis, vt nemo poſſit ædificare ſine Domino, nemo cuſtodire ſine Domino, nemo quicquam incipere ſine Domino & ideo iuxta Apoſtolum, ſiue manducatis, ſiue bibitis, ſiue quid facitis omnia in gloriam Dei facite, & in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Ita Amb. Sic bene dixit Apoſtolus. *Dei enim ſumus adiutores: Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis.* 1. ad Cor. 3. Adiutores 2. S. Ambr. in 3. Luc. 2. 1. ad Cor. 3.
nos per conſenſum gratiæ præſtandum, Dei tamen agricultura & ædificatio, quia gratia eius in nobis operatur & velle & perficere. 2. quod neceſſarium eſt ad Eccleſiæ ædificationem eſt quod Deus bonos

Digitized by Google

in Eccleſia ſua conſtituat Paſtores, qui eam optimis moribus, & doctrinis inſtruant: hoc præſtat dum vel pro bonis Paſtotibus, alios etiam bonos Eccleſiæ ſubminiſtrat, vel ſi qui mali fuerint illos exſcindat, & alios in locum ipſorum ſubſtituat *ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti*, vt loquitur S. Paulus ad Epheſios c. 4. De qua ædificatione pulchra ſuggerit S. Ambroſ. lib. 2. in 3. cap. Lucæ dum ait, *Mater ergo viuentium Eccleſia eſt, quam ædificauit Deus in ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ſtructura compaginata creſcit in templum Dei. Veniat ergo Deus, ædificet mulierem, illam quidem adiutricem Adæ, hanc vero Chriſti, non quia Chriſtus adiumentum requirit, ſed quia nos quærimus & deſideramus ad Chriſti gratiã per Eccleſiam peruenire, & nunc ædificatur, & nunc formatur, & nũc mulier figuratur, & nunc creatur, & ideo nouo verbo vſa eſt ſcriptura, quia ſuperædificamur ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum. Et nunc domus ſpiritalis ſurgit in ſacerdotium ſanctum. Veni Domine Deus ædifica mulierem iſtam, ædifica ciuitatem, veniat & puer tuus, tibi enim credo dicenti: ipſe ædificabit ciuitatem mihi*, &c. Hæc ciuitas, vt docet ibidem Ambroſius, vt Enoch & Elias transferetur tandem & rapietur, vel Paulo teſte: *Rapiemur in nubibus obuiã Chriſto in aëra & ſic ſemper cum Domino erimus. Ad hanc igitur ædificandam mittuntur quidem plures, mittuntur Patriarchæ, mittitur Gabriel Archangelus, innumeri Angeli diriguntur & multitudo exercitus cæleſtis Deum laudat, quia ciuitatis huius ædificatio propinquat, mittuntur plures ad eam ſed Chriſtus eam ſolus ædificat.* Ita Amb. Ædificat inquam, quia & gratiam præſtat, & Paſtores ipſe conſtituit, qui regant Eccleſiam donec opus ſuum conſummauerit.

Epheſ. 4.

S. Ambroſius.

S. Ambroſius.

Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum.

Veram & permanentem percipit voluptatem, qui pro animarum ſalute laborat: Hac via inæſtimabiles diuitiæ comparantur, nec non & præclari honoris & gloriæ tituli.

ANNOTAT. VII.

Quâ de cauſâ hæc promittuntur Epiſc. Perg. §. 1.

CVM Chriſtus manna proponit pro mercede, aut calculum candidum, id eſt, carbunculum aut adamantem in quo ſculptum erit inſigne aliquod nomen, certe hunc Epiſcopum cui ſit hæc promiſſio allicere vult ex magnitudine mercedis, vt obtemperet ſuis inſpirationibus, & vocationi obediat & admonitionibus ſuis in melius proficiat, & ita eum ſic affari præſumo. Fortè inerit timor amiſſionis quietis tuæ, & internæ conſolationis, ſi ſolicitus fueris ſedulò & continuò prædicandi verbum Dei, & pugnandi contra errores; & morum deprauationes fortaſſis pertimeſces, quod ſi in talibus occupationibus vitam tibi tranſigere oportuerit, innumeras & prope infinitas patiaris perplexitates & animi anxietates: ſecurum & liberum te reddo ad omnibus iſtis: nam ſi propriæ commoditatis & temporariæ quietis rationem non habeas, vt fortiùs bono ſpirituali aliorum, & animarum ſaluti incumbas, certò certius in tuis laboribus incredibilem inuenies requiem, in medio tribulationum viuificaberis: quo maiores fuerint, eo ampliores erunt & abundabunt in te conſolationes, nam vt ea omnia dura & aſpera vincas, dabitur tibi in corde lætitia & alacritas talis ac tanta, quod nihil tibi reputabitur moleſtum, ex his omnibus quæ pati contigerit pro honoris mei amplificatione. Timebis detrimenta temporalium rerum, tuoſque imminui cenſus aut reditus, multaque tibi fore toleranda; eorumque quæ ad victum & veſtitum pertinent penuriam tibi eſſe ſubeundam, ſed certiorem te reddere cupio, quod licet omnium detrimentum feceris, à me accipies centuplum. 1. maiora munera, omnia terræ bona exuperantia præ nimio valore: accipies inquam, ineſtimabiles diuitias, bona videlicet ſpiritualia, quæ in hoc vno conſiſtunt vt opus Dei perficere ſtudeas per imitationem actionum meorum, *Quærite enim primum regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis.* Quod ſi audies conuitia & vituperia in te jactari, dum ea quæ ad meum obſequium promouendum pertinent perficere ſtudes, ſcias pro certo, quod exinde honor inſignior tibi obuenturus ſit, quàm ex poſſeſſione dignitatum quarumlibet, quas tibi mundus offerre aut afferre poſſet. Hæc ſunt quæ paucilſimus verbis Chriſtus promittit dum ait: *Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum, quod nemo ſcit niſi qui accipit.* Tria igitur promittuntur, indicibilis quædam animi voluptas, immenſæ & ineſtimabiles diuitiæ, dignitas & honor ſpecialis, iis videlicet qui prò animarum ſalute in Domino fideliter laborant. De animi voluptate nunc differamus, de diuitiis & dignitatibus poſtea aliquid dicturi.

Quod maximam delectationem percipiunt qui animarum ſaluti ſeriò incumbunt. §. 2.

Dum attente conſidero quælibet obiecta quæ ſenſus noſtros afficiunt & alliciunt, itaut ex coniunctione potentiæ & obiecti conuenientis anima noſtra delectationem quandam percipiat, videre mihi videor naturam omnem rerum ſenſibilium, nouo huic hoſpiti animæ nempe in corpus aduenienti congratulari. Hæc namque toti naturæ corporali datur pro abſoluti ſſimo ornatu, & parte nobiliori totius huius mundi viſibilis, quâ de cauſâ dum obiecta ſenſibilia hunc aut illum ſenſum dulciter afficiunt pro poſſe, ac ſi æmulatione quadam ſecum decertarent, vt ei gratum præſtent obſequium, quodammodo eidem congratulantur. Viuidi colores florum & gemmarum aliorumque obiectorum oculos hominis in adſpectum ſuum occupatos retinere ſatagunt, vt in quem ſe vertant neſcire videantur; diuerſi accentus & ſuaues cantus auium induſtriam ſuam exacuant vt tonos adinueniant, & concentus harmoniâ gratiſſimos, quibus aures delectentur, impenſiſſime putares naturam omnem ſuas vires exhauſiſſe vt & animalium carnibus, & piſcibus & alitibus & herbis & fructibus arborum diuerſos daret ſapores, quibus hominis guſtus ex diuerſitate illa multipliciter delectaretur. Quid dicam de tactu cui adulari videntur lineæ, laneæ & ſericæ veſtes delicatiores cũ aëris optimâ temperie & aurâ leni, Zephiri gratiſſimis afflatibus tactum oblectantes contendentes vt ſe gratiores exhibeant? At interim non animaduerto quantâ ſuauitate aer odoribus florum & aliorum aromatum imbutus odoratum afficiat. Hæc ſunt quæ animam incantant, quæ facile ea quæ ſenſum tangunt conſectatur, etſi noxia dum eis eo fine non vtitur, cuius gratiâ à Dei munificentia ipſi collata fuere, & quia eis nimis adhæreſcens oblectationibus ſenſuum, quæ ſuam dignitatem deprimunt illigata, à ſenſibilium perceptione minimè ſe erigit ad intelligibilium cognitionem.

At iſtæ ſenſuum oblectationes aliquando cum quadam innocentia, & abſque vlla culpa percipi poſſunt, ſi ipſis anima cum moderatione vtatur, quamuis vt dicitur Sap. 14. *Creaturæ Dei videantur factæ in odium, & in tentationem animabus hominum, &*

Digitized by Google

in muſcipulam pedibus inſipientium, propter frequentem & multiplicem earumdem abuſum, ſed eam video periculoſius laborantem, & grauiori pondere depreſſam, fortiorique impetu in innumera mala præcipitatam ex delectatione quadam, quæ tanto formidabilior eſt, quanto cæteris voluptatibus vtilior, dum perfrictâ fronte prodit in medium, ac ſi naturæ iura, & prærogatiuas inſigniores conſeruaret, nec alium intenderet finem, quam nobilioris effectus, quem natura educere poſſit, productionem: Illa nempe voluptas quam homo pati & experiri cogitur in productione hominis ſibi ſimilis, talis eſt, vt libenter naturam ipſam incuſarem, tanquam manifeſto periculo ſeſe imprudenter exponentem auelliendi è manibus rationis ſceptrum dominationis & imperij, quo ſenſus ſuos regere, eiſque imperare debet, dum tam viuidum voluptatis ſtimulum in hac actione iniecit (ſi quod Ariſtoteles effatur verum exiſtat huius voluptatis ſenſum ſubitaneam eſſe amentiam, & mentis alienationem) quod in eo inſtanti in quo regnat & exercetur, ratio expulſa videtur è throno, & à regio & generoſo ſtatu deturbata, & vigore innato ſpoliata. De quâ voluptate (quamuis pauliſper extra metam) dico, quod *S. Auguſtinus.* hæc voluptas, vt docet S. Auguſt. lib. 4. in Iulianum, non eſt peccatum, aut malum in Brutis, quod in ipſis rationi quâ carent, ipſa non repugnet: At in homine malus eſt illius voluptatis appetitus, ex eo quod ab ipſo appetitu ſæpe retrahitur à bono rationis: & tanto formidabilius malum, quod ab ipsâ voluptate ſæpe ſæpius impeditur homo, ne actiones excellentiæ animi plane diuini & cæleſtis conuenientes & conformes eliciat aut exerceat: peior ſiquidem redditus eſt ſtatus conditionis humanæ poſt peccatum Adæ quam antea fuerat, tunc enim diuinitus homini poterat concedi vt tranquillâ motione, & coniunctione & commixtione membrorum ſine vllâ libidine filios procrearent; aut in eis ſaltem libido talis eſſet, cuius motus, nec præcederet nec exceederet voluntatem, vt loquitur S. Auguſt. lib. 4. in Iulian. c. 5. Nullus fuiſſet voluptatis ſenſus, qui rationem impeteret, & à ſtatione ſua dimoueret, ſicut nec ex motu pedis, aut manus nullatenus perturbatur: vel ſi ad fuiſſet voluptatis titillans commotio, talis fuiſſet, vt nec rationem præcederet, nec vltra imperium voluptatis procederet: omnia ad præſcriptum & imperium rationis & voluntatis peracta fuiſſent. At ſtantibus rebus vt ſunt malum eſt quod refrenari, & compeſci debeat, quod moderandum ſit & pudicitiâ coniugali & gratiâ Chriſti, quæ in Matrimonij ſacramento confertur, quâ quidem gratiâ fit vt licet concupiſcentia ſeu libido viuido impetu rationem impugnet, ipſa tamen libertatem innatam non amittat, ſed omnes circumſpiciat circumſtantias ſiue loci, ſiue temporis, ſiue perſonarum, quibus ſeruatis hic actus honeſtus, & licitus & mundus redditus, dicatque proinde S. Paulus de Matrimonio loquens, honorabile eſſe cõnubium & thorum nuptiarum immaculum exiſtere, naturamque immunem eſſe ab omni culpa, & hanc optimo iure prætexere excuſationem, ſi manui Dei omnipotentis inſeruiens ad nobilioris effectus ſeu operis productionem, rationem ad hanc adigat neceſſitatem vt Dei auxilium cogatur emendicare, quo vehementer reprimat ad talem actum inclinationem, vel quo illius vſum aut moderari aut omnino exſcindi poſſit.

At vt verum fatear omnes iliæ voluptates nullius ſunt momenti, ac indignæ quæ appetantur aut requirantur, ſi eas comparare velis cum his delectationibus quas Chriſtus Dominus repromittit iis qui ſeriò & ſedulò occupantur in promouendâ proximorum ſalute, & omnem ſuam operam & induſtriam in eo collocant, vt adeo excellens & nobilis producatur effectus qualis eſt peccatorum iuſtificatio. Hæc eſt ſcilicet delectatio immenſa, quæ in his verbis ſignificatur: *Vincenti dabo manna abſconditum.* At quibuſnam quæſo promittitur? Iis nempe de quibus ait Saluator Matth. 17. *Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum*, qui videlicet ſeſe à connubij voluptatibus retraxerunt vt cœlorum regnum impleatur. *At qui poteſt capere capiat*, non enim hoc omnibus conceditur, ſed ſi quis hac benedictione à Deo præuentus fuerit non exiſtimet quiſquis ille fuerit, omnem à ſe amouendam voluptatem, omnem à ſe abjiciendam lucri & commodi expectationem, aut nullum ſibi exinde prouenire honorem. *Et non dicat filius aduenæ, qui adhæret Domino dicens: ſeparatione diuidet me Dominus à populo ſuo. Non dicat Eunuchus: ecce ego lignum aridum, quia hæc dicit Dominus Eunuchis, qui cuſtodierint ſabbatha mea & elegerint quæ ego volui & tenuerint fœdus meum: Dabo eis in domo meâ, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus, nomen ſempiternum dabo eis quod non peribit.* Iſ. 56. Et paulo poſt: *Adducam eos in montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ, holocauſta eorum & victimæ eorum placebunt mihi ſuper altari meo, quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis.* Hæc Iſa. *Dabo*, inquit, *eis in domo meâ locum*: Quantæ quæſo diuitiæ? *Et nomen melius à filiis & filiabus*: Quantus honor quantaue gloria? *Gloria enim & diuitiæ in domo eius: Lætificabo*, inquit, *eos in domo orationis meæ*: Quanta quæſo delectatio de quâ dicitur Pſalm. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos?* Si igitur his Eunuchis datur locus in domo Dei in quâ fluuij decurrunt voluptatum, diuitiæ immenſæ reconduntur, vera gloria reperitur, certe veriſſime dictum fuit: *Dabo illi manna abſconditum*, id eſt indicibilem voluptatem ſub amaro & duro cortice anxietatum, quietem pacificam in turbulentis laborabus, immenſam gloriam nunc præguſtandam, pro eo quod nunc tanquam purgamenta huius mundi fiant illi Eunuchi omnium peripſema, & à cunctis abiiciuntur per contemptum: quod autem hæc gaudia hic promittantur patet ex interpretibus.

Dabo, inquit Menochius, *manna abſconditum conſolationum ſpiritualium, quæ dantur fortiter pugnantibus contra vitia & hæreſes: Dicitur abſconditum id eſt, ignotum inexpertis, vel repoſitum vt ſolent quæ ſeruantur in loco abdito.* Hæc ille. *Menochius.*

Concinit Titinus: *dabo manna abſconditum ſpiritualium conſolationum & gaudiorum.* Ita Titin. Sed quomodo gaudia hæc non ſuperarent cunctas carnis delectationes, ſi hic vt quibuſdam placet per manna abſconditum intelligamus cum Gagnæo panem vitæ ad nos de cælo allatum qui vitam dat mundo, nimirum Ieſum Chriſtum, qui vincenti mundum, carnem & diabolum à Deo promittitur? Eſt enim hic omnium gaudiorum fons, qui exhauriri non poteſt: Si igitur hic fons ille inexhauſtus nec vnquam exhauriendus promittitur, quis dubitat eos qui in hoc fonte hauriunt aquas ſalutares gratiæ ſpiritualis percipere proinde immenſam conſolationem ex digna perceptione & communione corporis Chriſti in Euchariſtiæ ſacramento? Appoſitè enim ille dicitur conſolationem accipere ex hac perceptione corporis veri Chriſti Domini, qui fideliter collaborat vt Chriſti corpus myſterium ad perfectum conſummetur, eumque digne corpori Chriſti reali communicare, & intimam conſolationem ex eius perceptione percipere, qui quantum in ſe eſt conatur proximos ſuos ad æterna gaudia paradiſi promouere,

Titinus.

Gagnæus.

Digitized by Google

Quis, inquit Apoſtolus 1. ad Corinth. 9. *militat ſuis ſtipendijs vnquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Hac de cauſa ad Ieſum attinet ſtipendia ſuppeditare, nam propter eum initur certamen, vinum lætitiæ nobis propinare debet, vinea ſiquidem illius colitur, conſolationes in laboribus & ærumnis ipſum ingerere par eſt, paſcitur enim grex ipſius: impenſas hoſque ſumptus promittebat ipſe, Ioan. 16. *Et vos igitur nunc quidem triſtitiam habetis, iterum autem videbo vos & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Et in fine capitis: *In mundo preſſuram habebitis, ſed confidite, ego vici mundum.*

1. ad Cor. 9.

Ioan. 16.

Huius rei veritatem percipiunt fideles Chriſto collaborantes in ſalute hominum promouenda, dum ſi bellum ingruat, ſi moleſtiæ ſeſe offerant, ſi labor immenſus impendendus ſit audiunt ipſum exhortantem vt ad orationem recurramus: *Petite & accipietis vt gaudium veſtrum ſit plenum*: audiunt ipſum promittentem: *Dabo manna abſconditum, id eſt*, inquit Dionyſ. Carthuſ. *refectionem internam, conſolationem occultam, panem cæleſtem de quo in Euangelio legitur: Beatus qui manducabit panem in regno Dei, vel manna abſconditum eſt ipſemet dulciſſimus Dominus Ieſus, cuius figura ſuis manna filiis Iſrael præſtitum, hunc panem dat nobis Deus ſeu ipſemet Chriſtus in via, per quendam dulcem praguſtum, per contemplationem & ſpem, per quotidianam appropinquationem, in patria autem per plenariam communicationem ac beatificam refectionem. Denique Chriſtus ſuo corpore & ſanguine nos in præſenti exilio fouet, conſolatur ac reficit tanquam per gratiæ inſtrumentum, gratiæ veraciter contentiuum, per Diuinitatem vero nos alit tanquam per principale obiectale, beatificum edulium.* Ita Dionyſ. Carth.

Dionyſ. Carthuſ.

Poteſt etiam per illud manna abſconditum intelligi ſpiritus ſanctus, qui dum à Domino promittitur promittuntur nobis fluuij aquæ viuæ ſalientis in vitam æternam, & proinde ingentem quandam conſolationem, quæ proculdubio percipitur ex intuitu ſanctiſſimæ huius congregationis fidelium, quos vna fides coniungit, vna & eadem ſpes erigit, vna ſimul coadunat & coaptat Chriſtus, eadem ſacramenta ſanctificant, eædam ceremoniæ manifeſtant. Ad quæ omnia promouēda laborat ſeruus ille fidelis, qui Chriſto cooperatur in procuranda fidelium ſalute æterna, ſicque cum Chriſto eiſdem paſcitur cibis, qui olim dicebat: *Cibus meus eſt vt faciam voluntatem patris*, non certe aliam quam ſalutis animarum promotionem. Paſcit igitur Chriſtus ſponſam, & potum illi dat gratiſſimum iucunditatis ſingularis, dum ipſa incumbit ſaluti animarum, at & ipſa illius ſitim extinguit viciſſim iuxta quod dicebat ſponſa Cant 8. *Dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum meorum*, per quandam compenſationem ſi ita dici liceat illius bonitatis erga ipſam, quia videlicet ſponſus eam mellis, lactis & vini quibus ipſe paſcitur vult fieri participem, vt dicitur Cant 5. *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo, comedite amici & inebriamini chariſſimi*, ſatis eſt enim conſonum rationi vt ſi Chriſtus Ieſus cognitionis diuinitatis ſuæ nos faciat participes, necnō & eminentis dignitatis humanitatis ſuæ, ſi nos ſatiare velit corpore & ſanguine ſuo ad manifeſtationem tum iuſtitiæ tum miſericordiæ ſuæ, conemur nos quantum in nobis eſt aliquas ſibi in nobis parare delitias, quibus oblectetur, dum cum cura & ſolicitudine laudamus ipſum ob ſuas diuinas & infinitas perfectiones, & hanc adiungimus ſolicitudinem vt proximos ad eius cognitionem & amorem alliciamus, & quia nos corpore & ſanguine ſuo reficit vt vnum quid cum eo fiamus, in ipſum transformati ſtudeamus diligentiſſimè vt ipſo regnet in fidelibus, per fidem, ſpem & charitatem, interius & exterius per vnanimem profeſſionem ipſi obſequium & cultum exhibendi. Et hac ratione fit quod ſi Chriſtus Ieſus gaudium & ſolatium ſuum reponat in his quæ noſtræ ſaluti ſunt vtilia veluti cum gaudebat abfuiſſe dum Lazarus mortuus eſt eo quod ſciret hoc ad maius emolumentum Apoſtolis futurum, etiam ipſe ſui gaudij nos efficit participes ſi cum ipſo laboremus in procurandâ proximorum ſalute, *Pater ſancte*, dicebat Chriſtus, Ioan 17. *ſerua eos in nomine tuo quos dediſti mihi vt ſint vnum ſicut & nos.* Et paulo poſt: *Vt habeāt gaudium meum impletum in ſemetipſis:* Quale quæſo eſt gaudium filij Dei niſi ipſorum Apoſtolorum ſalutem, & cæterorum quos per ipſos exoptabat adduci ad ſalutem? Hoc gaudium igitur Chriſti implemus, ſi de ſalute propriâ ſolliciti, & alios ſaluari procuremus. *Non alligabis os boui trituranti*, inquit Apoſtolus 1. ad Corinth. 9. Certe ſi ſtudiorum & ſollicitudinum Chriſti reddamur participes, proculdubio & conſolationum ipſius erimus conſortes: quidni? in conuerſione vnius peccatoris cæli & terra lætantur, cæli inquam, *Amen dico vobis, quia gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*; Terra vt patet ex parabola Prodigi, *Epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit, perierat & inuentus eſt*, Luc. 15. Quomodo igitur gaudere & lætari non poſſet, qui omnipotentis manus Dei cooperator eſt ſeu inſtrumentum vt tam nobile opus quale eſt peccatoris ſanctificatio producatur? In hoc quippe opere Deus perfectiſſimè honoratur, omnemque gloriam quæ ex creatura ei obuenire poteſt accipit, quod ſi pro menſurâ gloriæ quæ Deo aduenit ex noſtrâ cooperatione & actione commenſurandum eſt gaudium noſtrum, non ne indicibile erit? hoc gaudio afficiebatur Apoſtolus dum Philipenſes nuncupabat, *Gaudium ſuum ſuamque coronam.* c. 4. Hac lætitiâ dilatabatur cor eius 2. ad Corinth. 6. *Cor noſtrum dilatatum eſt.* Cordis dilatatio eſt delectatio ex Iuſtitiâ prouenies. Hoc Dei donum vt in præceptis eius ambulemus non timore conſtricti ſed amore & delectatione Iuſtitiæ dilatati, *Licet enim*, ait S. Anſelmus, *caro noſtra ſit tribulationibus & preſſuris angusta, cor tamen latitudine liberū gaudet exterioribus pœnis: charitas enim non angustatur.* Ita Anſel. Hinc Apoſtolus aiebat, *repletus ſum conſolatione ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra: Videns enim*, inquit S. Ambroſius, *eſſe ſpem in his pro quibus angustias patitur gaudet, cum tribulatur, certus mercedem ſe acceptarum acquiſitæ ſalutis eorum.* Ita Ambroſ. Et quia Titus diſcipulus Pauli in eorum conuerſione valde lætatus fuerat, profitetur quod cum iam multam percepiſſet conſolationem manifeſtando ſollicitudinem ſuam quam haberet pro Corinthiis, in conſolatione tamen iſtâ abundantius gauiſus fuerat ſuper gaudio, Titi quia refectus fuerat ſpiritus eius ab omnibus illis, 2. ad Corinth. 7. *Quantum*, inquit S. Ambroſius, *affectum haberet circa eos oſtendit Apoſtolus, vt nec ima carceris nec plagarum dolorem computaret ſciſſi corporis, neq; neruum quo pedes eius concluſi erant, ſed audita correctione eorum lætaretur & immemor factus paſſionum, Deo gratias ageret pro eorum ſalute, ſic hæc æſtimans quaſi remunerationem paſſionum?* Ita S. Ambroſ.

Cant. 8.

Cant. 5.

Ad Philipp. 4

2. ad Cor. 6.

S. Anſelmus.

2. ad Cor. 7.

Ambroſius.

Ambroſius.

Hoc igitur manna abſconditum gaudium eſt quo fruuntur qui ſalutis proximi accenduntur, qui abſq; timore verbum Dei diſſeminant, & importune, opportune cum infatigabili labore illud annunciant vt errores, & morum corruptiones reſcindant. Gaudium certe ſolidius, maius & viuidius cunctis oblectationibus, quæ per ſenſus percipere licet, ſpiritu ſancto plerumque nec de ea re cogitantibus aduenientes, vt neſciant vnde veniat aut quo vadat, qui

Digitized by Google

corda eorum, qui fideliter ſaluti proximorum promouendæ incumbunt ingenti perfundit lętitiâ, itaut felices ſeſe arbitrentur ſi tantum donum à Deo accipiant vt ipſi in re ſibi gratiſſimâ obſequantur, pro tanto ſiquidem negotio & pati & mori non recuſant.

Et dabo illi calculum candidum.

Quænam ſint ineſtimabiles diuitiæ quæ promittuntur iis qui in Euangelio laborant pro ſalute proximorum promouendâ. §. 3.

Quid ſit calculus candidus, & quid ſignificet. Punct. 1.

HÆ diuitiæ ſignificantur in calculo iſto candido. Vbi 1. notandum quid per calculum candidum intelligamus. Alcazar gemmam prætioſam ad modum carbonum ignitorum ſplendentem intelligit, nempe carbunculum, cuius duæ ſunt ſpecies, prima eſt carbunculus ſeu Rubinus, ſecunda eſt Adamas: Adamãtem hic intelligi cenſet quod lapis de quo hic agitur candidus dicitur, id eſt, candore ſplendenti refulgens. Nam ſicut videmus ferrum candens tanquam argentum perlucere, dicere calculum iſtum candidum, idem eſt ac ſi deſignaretur Adamas, qui coloris eſt flammæ ignis puriſſimi, dum perfectè aliquid incenditur: carbo enim non ita fortiter & intenſe accenſus colorem refert cæruleum; ſi fortius & intentius, rubeum; ſi perfectè & intentiſſimè accendatur iam candorem lucis induit, quæ inter qualitates nobiliorem locum tenet. Huic expoſitioni fauet Plinius lib. 37. c. 7. poſt Calliſtiatum qui carbunculi colorem vult eſſe candidum, & tanquam lucem reſplendentem. Calculum hoc modo exponit S. Hierony. in c. 6. Iſaiæ poſt 70. Interpretes, qui illum Iſaiæ calculum vocant λίθον, id eſt carbunculum. Cornelius à Lapide Calculum propter nomen græcum ψῆφος, lapillum interpretatur cum terrâ aut argilla commixtum: Ita dictum, inquit Seruius, quod ſua breuitate ſine moleſtiâ calcetur. Hanc ſignificationem amplectitur Emmanuel Sa dum ait. *Calculam, id eſt, lapillum. Olim*, addit ille, *res fauſtæ lapillo candido notabantur, vt victoriæ, dieſque natalis, & res huiuſmodi, itemque in ſuffragiis qui fauebant, calculo albo id ſignificabant.* Concinit Menochius: *Calculus candidus veteribus ſignum erat rei feſtæ & felicitatis, abſolutionis in iudicio, & in comitiis pro Magiſtratibus creandis calculus candidus dabatur, eius nomine ſignatus cui ſuffragabantur.* Ita Menoch.

Ex hac diuersâ calculi acceptione, in diuerſas expoſitiones huius calculi abeunt interpretes, & pro prima expoſitione, calculus iſte ſit abſolutionis in iudicio Dei ſignũ; ſit victoriæ reportatæ ſymbolum; ſit electionis ad gloriam inſigne: & ſicut calculis vtimur ad ſupputationem tum eorum quæ debentur, tum eorum quæ ſoluuntur, ita ſit nota illius ſupputationis laborum præmiorum, vt pro menſura laborum, ſit largitio præmiorum: vnde Menochius, *Eſt autem*, inquit, *calculus candidus ſententia felicitatis, quam Chriſtus proferet in vincentes, ipſaque æterna felicitas, qua vincentes donabit.* Cui concinit Tirinus: Certe vides quantæ diuitiæ promittuntur illi, qui vicerit omnem animi puſillanimitatem, vt contra hæreticos gladio verbi Dei inſtructus fortiter inſurgat, ſed quia ad magna præmia peruenire non poteſt niſi per magnos labores, nec Deus clare videbitur niſi ab eo, qui iam in hoc mundo munditiâ & puritate cordis præditus fuerit, nec ſapientię fontem intuebitur, niſi qui iam per Dei timorem initium ſapientiæ habuerit; nec coronabitur, niſi qui ſapientiâ diuinâ repletus præſentia ſpernere, æterna ſapere verbo & exemplo docuerit, hinc ſatis aptè, qui per calculum, aut carbunculum aut adamantem intelligunt, alias admittunt huius calculi expoſitiones.

Calculus, inquit Ambroſius Ansbertus lib. 2. in Apocalyp. *lapis eſt pretioſus, qui alio quoque vocabulo vſitatius carbunculus vocatur, vtrumque autem nomen in diuina ſcriptura & pro lapide pretioſo; & pro carbone ſæpius ponitur. Lapis igitur ille ideo calculus vel carbunculus appellatur, quia nimirum à carbone ſimilitudinem ducere videtur: ſicut enim carbo ſuccenſus, quâ magnitudine ſubſiſtit ea in tenebris poſitus refulget, ita & hic lapis à multis facere perhibetur. Quisnaque per hunc, niſi Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus deſignatur? Bene autem per lapidem calculum qui ſecundum hanc reuelationem candidus eſſe, & naturæ ſuæ atteſtatione in tenebris lucere perhibetur incarnata Veritas exprimitur: qui videlicet & iuxta humanitatis noſtræ naturam, ſine vlla peccati obfuſcatione mundus inter homines apparuit, & diuinitatis ſuæ luce tenebras noſtræ mortalitatis illuſtrauit. Proponitur itaque lapis hic figuraliter de hoſte humani generis, triumphantibus ad ſimilitudinem illius margaritæ, quam negociator inueniens venditis omnibus comparauit. Alia denique tranſlatio pro calculo margaritam poſuit, & notandum quod in his omnibus locutionibus ſe Dominus in præmium vincentibus dare promittit, fratrem ſcilicet & comparticipem in regno & paterna hæreditate futuram.* Ita Ansbertus.

Ludouicus ab Alcazar exiſtimat per calculum intelligendum eſſe inſignem, & perfectiſſimum gradum gratiæ coram Deo inappretiabilis, ad quem hic Epiſcopus peruenire debeat, ſi fideliter congrediatur cum hoſtibus Euangelij: conſiſtit autem hic gradus gratiæ in altiſſima quadam filij Dei imitatione, qua plenitudine gratiæ ipſius particeps effectus quælibet obſtacula, quaſcumque oppoſitiones, & difficultates occurrentes vincat, itaut dicere queat cum Apoſtolo, *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Seipſum Chriſtus totum deuouit & conſecrauit ad Patris gloriam vt contra inimicos gloriæ ipſius vſque ad mortem decertaret: Qui gloriæ Dei cupidus in hoc certamine Chriſtum ſequutus & imitatus fuerit, proculdubio ad ſummum perfectiones apicem peruenit, & virtutibus Chriſtianis magis heroicis ſeu altioribus præditus eſſe perhibetur: quas cum ad praxim & actum deducit meretur pro præmio laboris hunc carbunculum perfectæ imitationis Chriſti accipere; quod quidem rarum, prætioſum & inappretiabile eſſe perhibetur. Et quia hic lapis Saluatoris imitatori perfecto datur, vt ad omnia facienda, & toleranda potens & fortis, reddatur vt ad ſuum exemplar Chriſtum nempe conformetur, protinus additur, *Et in calculo nomen nouum quod nemo ſcit, niſi qui accipit.* Nomen nouum inquam, id eſt, Ieſus. Nomen, ad denotandum quod in virtute & in nomine Domini Ieſu quaſcumque actiones virtutum, & aggredi & perficere poterit, vt pote qui ſupremi Principis ſigillum gerat in manibus, quo conſignet grauiora, & maioris momenti negotia: & quia optimè differere ſpeculatiuè de hac imitatione multum diſtat à praxi: additur, *Quod nemo ſcit, niſi qui accipit.* Soli ſiquidem imitatores legitimi Saluatoris guſtare & experiri poſſunt quantum valeat iſta imitatio perfecta, & quantum ex ea quis potens, dines & conſolatione repletus exiſtat. Talis eſt Alcazari expoſitio, nec mirum ſi has imitationes perfectiſſimas Chriſti habeat ipſe, tanquam vniuerſi rotius potentiſſimus Rex in manu pro calculis, ad ſupputationem ſumptuum & impenſarum, laborum & præmiorum adamantes & carbunculos. Habeant mediocres æreos, ditiores argenteos aut aureos,

Chriſtus

Alcazar. *Plinius.* *S. Hieron.* *Cornelius à Lapide.* *Menochius.* *Tirinus.* *Ansbertus.* *Ludouicus ab Alcazar.*

Chriſtus Rex Regum omnium ditiſſimus & potentiſſimus habebit lapides pretioſos, quidquid enim terreni reges pro ſuo obſequio poſſunt exigere à ſubditis aut miniſtris ſuis comparari non poteſt cum actionibus iſtis per quas Chriſtus imitari poteſt, iſta enim quæ exigunt temporalem tantum reſpicium felicitatem & pacem, illæ vero imitationes Chriſti qua Dei gloria procuratur, & ſalus æterna acquiritur ad æternam ſpectant beatitudinem. Sed quia duobus modis Chriſtus imitari poteſt, nempe ſi virtutes humilitatis, patientiæ, obedientiæ ejus imitemur, ſecundo ſi eius ſumus cooperatores in procuranda proximorum ſalute.

De primâ imitatione hic præcisè agi non exiſtimamus, niſi in quantum inſeruit ſecundæ qua totis viribus Chriſti cognitione & amore accenſi, quæ ad Dei gloriam, & proximi ſalutem pertinent fideliter exequimur. Hæc eſt enim vera ſapientiâ pro quâ de populo Chriſtiano vere dici poteſt, *Hic eſt populus ſapiens & intelligens:* Quam ſapientiam certe per adamantem aut carbunculum deſignari exiſtimo promiſſam à Chriſto, *Ego dabo vobis os & ſapientiam cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri*, Luc. 21. Qua repletus ſanctus Stephanus: *Non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui qui loquebatur.* Act. 6. Chriſtum imitans in ſeipſo nihil aliud quam Chriſtum prædicabat qui eſt veritas quæ prævalet in æternum, *Veritas enim Domini manet in æternum.* Quam diues autem ſit qui hanc habet ſapientiam nunc diſcutiendum.

Quantæ ſint diuitiæ quæ includuntur in hac ſapientiâ per calculum candidum ſignificatâ. Punct. 2.

O quam diues qui hac Sapientia prædituſ eſt, *Infinitus eſt theſaurus hominibus, quo qui vſi ſunt participes facti ſunt amicitiæ Dei*, Sap. 7. & cap. 8. *Si diuitiæ appetuntur in vitâ, quid ſapientia locupletius, quæ operatur omnia.* Tali ſapientiâ Paulus prædituſ erat, qui dicebat, *Prædicamus Chriſtum crucifixum:* Et paulo poſt, *Sermo meus & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & veritatis, vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei, ſapientiam autem loquimur inter perfectos:* Quam quæſo ſapientiam? Eam ſcilicet, quam laudat 1. ad Cor. c. 1. *Verbum enim crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt, iis autem qui ſalui fiunt, id eſt, nobis, Dei virtus eſt: ſcriptum eſt enim, perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.* Et paulo poſt: *Nam quia in Dei ſapientiâ non cognouit mundus Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes.* Ita Paul. O quam Sapiens eſt iſta ſtultitia quâ efficacius ad Dei cognitionem euehimur, ad eius amorem accendimur, quam ex cognitione totius operis creationis, in quo nihilominus infinita Dei ſapientia plurimum elucet: non mirum ſi Apoſtolus hanc Chriſti crucifixi cognitionem appellat, *Inueſtigabiles diuitias*, ad Epheſ. c. 3. *Mihi autem ſanctorum minimo data eſt gratia hæc in gentibus Euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſæculis in Deo, qui omnia creauit vt innoteſcat principatibus & poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei:* Id eſt, inquit S. Anſelmus, *prioribus & poſterioribus Angelorum ordinibus, qui ſunt in cœleſtibus quantum ad varia & multa opera quæ facit in Eccleſiâ, non in quantum eſt in Deo ſimplex & incommutabilis, in hoc enim cum ab initio cognouerunt qui ei ab initio adſtiterunt, in ſe enim non multiplex ſed ſimplex eſt iſta ſapientia: ſed propter multiplicia opera ſua, quæ ſapienter diſponit dicitur multiformis, quia multas operum formas aptat. Et ſecundum hoc in cognitione huius ſapientiæ etiam Angelici ſpiritus per Eccleſiam profecerunt, quia dum eam per ſe vel per Apoſtolos inſtrueret plurima ſecreta didicerunt Angeli, quæ ignorabant: Magna eſt igitur diſpenſatio Sacramenti vbi diſcunt vel diſcent etiam virtutes Angelicæ & magis adhibenda fides verbis illius, qui tantum Sacramentum diſpenſat.* Ita S. Anſel.

Et reuerâ quis mortalium etſi humanarum ſcientiarum peritiſſimus, & ſeculi prudentiâ præditus reſiſtere valeret iis qui tanto lumine diuino colluſtrati ſunt, vt ea norint, quæ ab ipſis Angeli addiſcunt? Hæ ſunt diuitiæ quibus ditari promittitur qui vicerit omnem puſillanimitatem vt contra veritatis hoſtes decertare audeat. Cum enim tria ſeſe offerant, quæ timorem incutiunt iis qui falſam aliquam doctrinam impugnare volunt, nempe timor amittendi quietem & animi tranquillitatem, ſecundum quædam propriarum virium, & ſufficientiæ capacitatis ingenij & ſcientiæ diffidentia. Tertium timor ne labor noſter inanis euadat, qua de causâ detrimentum quoddam propriæ exiſtimationis incurramus, & ex noſtra concertatione nullum conſequamur honorem: Certè ad expellendum primum timorem promiſſum fuit manna abſconditum, id eſt, internum quoddam gaudium, quod non ex ſenſibus, non ex terrenis affectibus hauriimus, ſed diuinitus infuſum: non enim promittitur aurum vel argentum quæ è terra effodiuntur, ſed illum panem de quo dicitur *Panem Angelorum manducauit homo:* E cœlo enim manna deſluebat. Ad expellendum ſecundum timorem promittitur hæc ſapientia, quæ theſaurus eſt diuitiarum animi, quas qui poſſidet talis euadit, vt nulli valeant ei reſiſtere inimici, non enim res terrenas; & tranſitorias proponit, ſed æternas & permanentes: vnde calculus eſt ſeu Adamas lapis ſolidus & fortiſſimus: Et quia hæc ſapientia ordinatur ad aliorum illuminationem, & non ad ſolam ſui ipſius ſanctificationem, ideo dicitur lapis candidus & ſplendens, iuxta illud, *Sic luceat lux veſtra coram hominibus vt videant opera veſtra bona & glorificent patrem veſtrum qui eſt in cœlis.* Tertium autem timorem expellit nomen in calculo ſcriptum, *Quod nemo ſcit niſi qui accipit: Nomen meum à filiis & filiabus*, nomen illud celeberrimum quod *Filij Dei nominemur & ſimus.*

Has autem diuitias per quas ad tantum honorem euehimur exoptabat, & à Deo poſtulabat pro cunctis fidelibus Apoſtolus Paulus dicens, *Huius rei gratia flecto genua ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, vt det vobis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ virtute corroborari per ſpiritum eius in interiorem hominem. Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris in charitate radicati, & fundati, vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum, ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Quam pretioſus ille carbunculus ſapientiæ diuinæ, quâ plene cognoſcimus Chriſtum, & hunc crucifixum, & eius cognitionem & amorem cordibus inſerere ſatagimus, quo ad cumulum implemur iis potioribus donis & muneribus quibus Deus creaturam rationalem cumulare poteſt! Hæc eſt illa præcellens cognitio & ſcientia per quam percipimus mente latitudinem Templi myſtici Eccleſiæ, corda ſcilicet ſanctorum charitate plena, qua cunctos diligunt amicos, & inimicos, peccatores, & iuſtos, fideles & infideles, credentes, & incredulos, quibus omnibus totis viribus ſeruire contendunt, longitudinem longanimitatis, & patientiæ ipſorum, quâ patienter expectant promiſſorum Dei adimpletionem, cum mentis vigore, & ſummâ animi alacritate: Sublimitatem vitæ, qua Angelis pares efficiuntur, in animi & corporis puritate, & diuinarum rerum contemplatio-

Sap. 7. & 8.

1. ad Cor. 2.

Epheſ. c. 3.

S. Anſelmus.

Epheſ. 3.

ne, profunditatem fidei, & mysteriorum seu sacramentorum quibus Deus iustificationem ipsorum absoluit. Hæc est illa scientia Christi qua cognoscere licet latitudinem charitatis Dei erga homines, quâ cum inimicis pacem, & reconciliationem inire exoptat: Longitudinem charitatis ipsius quâ cum patientiâ eos ad pœnitentiam expectat: Sublimitatem charitatis Christi, quæ cognitionem Angelicorum spirituum transcendit, licet ipsum clare intueantur, ea enim pertinet ad secreta & incomprehensibilia Dei consilia, quæ prout sunt libera, & est ipse speculum voluntarium, iis tantum reuelatur, quibus vult reuelari: Profunditate denique tantæ charitatis, quæ cum nihil eorum quæ fecit odio habeat tot tamen creaturas inscrutabili quodam & formidabili iudicio ad inferni pœnas condemnat.

Quis in cruce in quâ Christus affixus huius Charitatis latitudinem non videt? Quis tanto tempore illum extremas pœnas subeuntem videt, & patientię ipsius longitudinē non intuetur? Quam alte distat à nostris conceptibus sublimitas finis cuius gratia tanta mala sustinere voluit! Et quam profunda sunt iudicia, quibus Deus decreuit vt lapillus iste excisus è monte crescens, omniatandem euertens mundi imperia, aliis occasio sit quâ manifestius agnoscatur! Quanta sit æquitas reprobationis malorum, quam profunda sunt inquam, & inuestigabilia prudentioribus, & astutioribus huius sæculi hæc Dei iudicia. Dico itaque ei qui apud se statuit hæreticos, & errantes conuincere & impugnare nihil esse pertimescendum, si enim zelo honoris diuini pulsus firmus & constans permaneat in fide Iesu Crucifixi non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in virtute spiritus sancti Iesum Christum & hunc crucifixum eiusque Euangelium prædicare studuerit, omnes conuincet errores, nullæque hæreses contra veritatem vnquam prævalere poterunt.

Hanc sapientiam, & diuinam scientiam promitti huic Episcopo asserimus. Hæc autem non erit inutilis, sed ex ore eius Deo consecrato, vt sit organum vocis omnipotentis prodire compellet verba viuacissima, acuta, penetrantia, sapientiam eximiam redolentia, ad cuius lucem errores aufugient, cedent veritati, & errorum sectatores in rabiem & furorem versi confusi recedent: Quo furore armata fuit turba illa impio Iudæorum de quibus dicitur Act. 6. *Surrexerunt autem quidam de synagogâ quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum, qui erant à Ciliciâ & Asiâ disputantes cum Stephano,* Libertinorum inquam qui videlicet libertatem recuperauerant quam patres eorum è quibus oriundi erant amiserunt in captiuitatem & seruitutem à Pompeio redacti & Romam deducti, cum iis qui Cyrenem in Affricâ & Alexandrâ habitabāt, vel in Asiâ Ciliciam, hi omnes insurrexerunt in Stephanum, *sed non poterant resistere sapientiæ, & spiritui qui loquebatur.*

Act. 6.

Quàm necessarium fuit Ecclesiæ hac diuinâ sapientiâ à Christo ditari. Punct. 3.

Hac sapientiâ certe opus erat Ecclesiæ ad omnes errores conuincendos, quibus impugnata fuit à inuentute suâ, hac inquam opus fuit ad oppugnandam audaciam, arrogātiam & perfidiam istorum Iudæorum, ad eludendas illusiones, & detegenda præstigia Simonis magi, qui inter Samaritanos degens se Deum Patrem proclamabat, inter Iudæos se filium Dei nominabat. Ad propalandas Menandri fraudes qui sibi Dei virtutem arrogabat, vt homines eximeret ab Angelorum dominatione, qui mundi (vt falso asserebat) erant creatores; ad manifestandas Basilidiorum & Saturnianorum Menandri sectatorum impostura, qui volebant hominem ab Angelis productum fuisse, & affectatâ quadam abstinentiâ plures allicere conabantur ad suos errores, nihil enim animatum comedebant, Incarnationis & passionis veritatem abnegabant, Christumque Dominum fictè tantum apparuisse asserebant. Gladius ille bis acutus certè erat necessarius ad rescindendam intemperantiam, & turpitudinem Nicolaitarum qui volebant salutem à nemine consequi posse, qui quotidie luxuriæ operam non daret, ad eradicandam Gnosticorum vanitatem, qui sic appellari affectabant propter scientiæ quam sibi affingebant excellentiam, & turpitudines incredibiles exercebant, Testis est falsa illa deitas quam venerabantur sub nomine Prumici, quo nomine significantur excogitatæ quædam illecebræ ad peccandum allicientes, qui à nonnullis Borboritæ vocantur, quasi cænosi, propter nimiam turpitudinem, quam in suis mysteriis exercere dicebantur. Hoc mucrone confodiendi erant plurimi errores qui ex præcedentibus ortum habuere, ne grassarentur, quales fuerunt errores Carpocratianorum qui docebant omnem turpem operationem, omnemque adinuentionem peccati, nec aliter euadi atque transiri principatus & potestates, quibus hæc placent vt possit ad cælum superius peruenire; errores etiā Cerinthiorum, Nazariorum, Ebionitarum, splendore huius gladij euitandæ erant semitæ inextricabiles Valentinianorum cum suis æonibus, & fictis & fabulosis Deitatibus, Eustanda etiam figmenta Secundianorum, qui dum se sapientiores esse iactitant stultiores & ineptiores extiterunt. Hac Romphæâ conquassanda erant capita Marcionitarum, Colarbasiorum, Heracleonitarum, Ophitarum, Caianorum, Sethianorum, Archonticorum, Cerdonianorum, Lucianistarum, Apellianorum, Seuerianorum & similium serpentum, qui innumeros, & pestiferos errores euomuerunt. Quàm profunda opus fuit doctrina Ecclesiæ, vt Nouatianorum, Samosateorum, Manichæorum errores confunderet, vt audaciam, & temeritatem hostis diuinitatis Christi Arij nempe cuius hæresis tot seculis per vniuersum pene orbem Ecclesiam diuexauit, retunderet: vt subtiliter discuteret contra Pelagianos, gratiæ & liberi arbitrij concordiam: Denique vt rapidus cursus fluuij pestiferi errorum, & aliarum hæresum in abyssum inferni detruderet, ne Ecclesiam obtuerent errores qui Euangelij veritatem offuscare pertentarunt. Et certe in his vltimis temporibus in quibus Anabaptistæ, Lutherani & Caluinistæ Ecclesiæ patientiam exercuerunt, necesse fuit vt Ecclesia doctrinâ singulari prædita reperiretur, & sicut istæ hæreses impietates præcedentium in se recapitulabant, sic fortiori lumine Ecclesia collustraretur ad eas nebulas dispergendas, quibus satan impedire volebat, ne radij benigni veritatum supernaturalium quibus sol iustitię per spiritum veritatis Ecclesiam collustrat, ad nos vsque peruenirent.

Habeas igitur in manu ô amator veritatis hanc adamantem, id est, perfectam Christi incarnati cognitionem, dilectionem, imitationem, prædicationem, est enim Christus incarnatus prætiosus Adamas seu Carbunculus. Nam si sanctus Iustinus & S. Ioannes Damascenus vt nobis mysterium incarnationis explicarent, vti sunt comparatione vel carbonis ardētis, vel ferri candentis, ex eoquod in eodem supposito duplex quædam natura appareat vnita, ligni & ignis, seu ferri & ignis, itaut diceret lignum aut ferrum esse ignem, quod ignis intimè adhæreat, & lignum aut ferrum in ignem transformatum appareat: certo multo melius hoc mysterium adumbrari potest per adamantem, aut carbunculum,

S. Iustinus. S. Ioannes Damasc.

ſplẽdor enim ferri igniti extinguitur, at carbunculi splendor durabilis: ignis in ligno aut ferro tandem materiam cui inhæret abſumit, at verbum humanitati coniunctum, illam perficit, & in meliori eſſe conſtituit, & quod ſemel aſſumpſit nunquam dimittit. Non ita ferrum Magneto tactum vertitur ad aquilonem, ac anima cognitione tanti myſterij tacta citò ad omnia pro Chriſto tolerãda conuertitur, nec gelidos aquilonis pertimeſcit ventos, nec refugit quaſlibet pati perſecutiones, in ſolâ cruce gloriatur, Deo protectore gaudet, & ſpem in eum totam collocans, ad quælibet dura & periculoſa certamina parata exiſtit. *Pone me*, inquit, *iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contrà me.* Cyprius carbunculus ſi Plinio credimus, qui ad æris colorem vergit medicinalis eſt. Nullum eſt remedium efficacius contra omnes animi infirmitates & puſillanimitates, quam ſi ſemel quis incarnationis, & paſſionis Chriſti meminerit. Adeo durus eſt Adamas vt reſiliat malleus, incus contremiſcit potius, quam inter incudem & malleum Adamas confringatur. Nonne amator Chriſti crucifixi fortior eſt tormentis, deridet Tyrannos, eorumque ſupplicia, & potius ipſi iracundia, & furore conturbantur, quam ipſe à Chriſti amore tantiſper abſcedat: audiuit enim Chriſtum dicentem, *Confidite ego vici mundum*, & in fide Chriſti mundum vincere ſperat. Attamen ſi Adamas inter duo inſtrumenta ferrea contundi contingerit in puluerem redigitur, quo puluere quodlibet duriſſimum penetratur. Symbolum certe voluntatis amatoris crucifixi, quæ ære ſolidior, ferro durior, calybe denſior, nullis cedit aduerſitatibus aut tormentis. Nihilominus, dum inter firmum propoſitum elicitum ab eâ cuſtodiendi Dei iudicia, dum dixit, *Iurauí & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ*, & ſceptrum illud Chryſti myſticum de quo dicitur, *Reges eos in virga ferrea*, conſtituitur ad nihilum fere redigitur: dicet cum Abraham, *Loquar ad Dominum cum ſim puluis & cinis*: quis ſum vt Dei reſiſtam voluntati? Et dum ſeculi poteſtates contemnit vt Deo obediat dicens cum Apoſtolo Petro, *Oportet obedire Deo magis quam hominibus*, in puluerem redacta per omnimodam ſubiectionem facilè omnes ſuperat difficultates, quæ occurrere poſſunt, & impedire ne Dei cultus & honor quem promouere toto deſiderio concupiſcit incrementa capiat. Denique ſicut Adamas igne non accenditur, ita amator crucifixi igne concupiſcentiæ malæ non exardeſcit, ignes odiorum hominum mundanorum contemnit, quin & inferni deuorantes flammas non pertimeſcit perfecta enim, *Charitas foràs pellit timorem.*

Et reuerâ ſi quis hæreticis, & præcipuè impuriſſimis Nicolaitis eiſque ſimilibus bellum indicere cupit, cum hæreſis ſit impudens & perfrictæ frontis, illaque mulier de qua dicitur, *Frons meretricis facta eſt tibi noluiſti erubeſcere*: Oportet vt accipiat illum adamantem cum Ezechiele cui à Deo dicitur, *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum & frontem tuam duriorem frontibus eorum: vt adamantem, & vt ſilicem dedi faciem tuam.* Quem locum exponens. S. Hieronym. ait, *Domus Iſraël attritæ frontis eſt, & procacis audaciæ, & duro ſic corde vt ſcorpionibus comparetur. Ideo dedi tibi vultum duriſſimum & frontem quæ nullo pudore ſuperetur. Ex quo diſcimus interdum gratiæ Dei eſſe impudentia reſiſtere, & cum res poposcerint frontem fronte concutere. Hoc autem tribuitur ne noſtra verecundia, & humanus pudor pertimeſcat inſidias æmulorum.* Ita S. Hierony. Et certe ſi aliqua hæreſis impudentem habeat frontem, maximè ea quæ carni & luxuriæ fauet, totum cor hominis poſſidet & in eo profunde inſculpitur, vt deleri nequeat, aut locum dare ſi ita dici licet ne minimum quidem diuinis motionibus quibus à peccatis reſilire impelleremur. De tali miſerando ſtatu ſcribit Hierem. c. 17. *Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in vnque adamantino qui Hebraicè dicitur Samir, non quod vllus vnguis ſit, qui appelletur Samir, ſed quod lapis adamantinus, qui ex eo quod indomitus ſit & infringibilis hoc nomen accepit, tantam & lenitatem habeat, vt abſque vllo impedimento in eo ſcribi poſſit ſtylo ferreo, vt dura ferri materia ſcribat in duriori tabulæ adamantina, & duret quod ſcriptum eſt in perpetuum.* Ita Hieronym. Nonne igitur vt huic durities aliquid conueniens opponatur, oportet vt detur Adamas in quo ſpinis, & clauis paſſionis Chriſti inſculpatur nomen potentiſſimum, & honore digniſſimum, In cuius virtute omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum? Vt qui illud in ſe ſuſcipit nomen per perfectam Chriſti imitationem in vitâ & moribus, & ſacris miniſteriis itaut dicat, *Viuo ego iam non ego, viuit vero in me Chriſtus*, & Dei inimicis contradicere valeat, & ſibi ex fideli certamine coronam & gloriam comparare.

Hieremiæ c. 17

S. Hieronym.

Et in calculo nomen nouum quod nemo ſcit niſi qui accipit.

Plurimum ſibi conciliat honorem, magnamque gloriam qui procurandæ ſalutí proximorum operam dederit. §. 4.

Non exiſtimet ille qui ſalutem proximi procurare, intendit ex labore ſuo nullum ſibi honorem obfuturum, etſi paucos ad ſalutem efficaciter adduxerit manet tamen ei ingens præmium, & honor ſublimis, accipiet enim nomen nouum, *Quod nemo ſcit, niſi qui accipit.*

Omnibus equidem fidelibus Chriſtianis cor nouum à Deo promittitur apud Ezechiel c. 3. *Et effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamẽtis veſtris, & ab vniuerſis idolis veſtris mundabo vos, & dabo vobis cor nouum & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini ea.* Ita Ezechiel: Ad omnes etiam promitti videtur calculus candidus, in quo ſcriptum ſit nomen nouum, qui in præceptis diuinis cum finali perſeuerantiâ ambulant, cui expoſitioni fauent multorum interpretum expoſitiones.

Ezechiel 3.

Rupertus hoc nomen omnibus redemptis dari cenſet. *Hoc vtique*, inquit, *nomen nouum, id eſt, ex nouo homine Chriſto, per ſanguinem eius redemptis datum eſt.* Ita Rup. Alij expoſitores nomen illud adoptatis in gratia aſſignant. Ita Ambroſ. Ansbertus. *In qua*, inquit, *videlicet adoptionis gratia nomen etiam nouum datur, ſubaudis nomen Chriſtianum, nomen pridem inauditum: à Chriſto enim Chriſtiani vocantur, ſicut ab Iſraël Iſraëlitæ, à Iuda Iudæi*; Ita Anſ. Cuius noui nominis impoſitio prædicta fuit. Iſ. 62. *Et videbunt gentes iuſtum tuum, & cuncti reges inclytum tuum, & vocabitur tibi nomen nouum quod os Domini nominabit; & eris corona gloriæ in manu Domini & diadema regni in manu Dei tui: Tunc enim*, vt docet S. Hierony. in hunc locum, *Eccleſia hoc nomen accepit cum Apoſtolo Petro dictum fuit, Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: hoc nomen nouum à Chriſto traxit vt dicatur Dominicum, nec populus eius antiquo Iſraëlis nomine vocabitur, ſed nomine nouo nempe Chriſtiani.* Sed preſſiùs, & ſtrictiùs hoc nomen nouum prædeſtinatis, & in gratia perſeuerantibus promittitur. Ita Anſbert. *Sed cum multi hoc nomine cenſeantur*, inquit, *qui victi à diabolo ſuperantur, quomodo ſolis vincentibus idipſum datum ſe Dominus pollicetur, niſi quia illa hic datio ponitur, qua prædeſtinatos ad vitam nouimus ſuper-*

Rupertus.

Ansbertus.

Iſ. 62.

S. Hieronym.

Ansbertus.

Digitized by Google

næ ciuitatis electos, qua quiſque fidem operibus ornat moribus ornat? Non illa quæ ſecundum Apoſtolum habentes quidam formam pietatis virtutem eius abnegant: vbi adhuc aperte ſubiungitur, quod nemo nouit niſi qui accipit, tanquam ſi diceretur: Nullus dignitatem nominis Chriſti vitâ & moribus defendit, niſi qui idipſum nomen diuina prædeſtinatione ad æternam vitam promeruit: noſſe etenim Ieſu Chriſti nomen ad cuſtodiam mandatorum pertinet. Ita Ansb. His concinunt, ſiue hoc nomen redemptis, adoptatis, aut prædeſtinatis dari aſſeramus, variæ authorum expoſitiones. Gagnæus: *Nomen iſtud nomen eſt filiorum Dei, quod nemo ſcit quantæ dignitatis ſit, & virtutis, niſi qui accipit & filius Dei factus eſt.* Ita ille. Eſtius: *Non excluditur is qui dat, ſed is qui non accipit, quia ſoli & omnes electi accipiunt.* Ita Eſt. Menochius: *Nomen nouum, ſcilicet vt ſit & dicatur filius & hæres Dei.* Denique Tirinus: *Nomen nouum atque inexpectatum honorem quo filius & hæres Dei nominetur, & reuerâ ſit, verbo vno centuplum his, & in futuro vitam æternam.* Ita Tirinus.

Gagnæus. *Eſtius.* *Menochius.* *Tirinus.*

Certe commune eſt omnibus electis, & prædeſtinatis, vt tali gaudeant nomine filiationis diuinæ, & hæredum Dei. Nomen quod nemo ſcit, niſi qui accipit, ſiue quia nullus ſcit quale ſit illud nomen niſi qui accipit hunc carbunculum aut adamantem, cum veriſſimum ſit nullum cognoſcere perfectè, qualis ſit dignitas, quantus ſit honor huius filiationis aut hæreditatis diuinæ, niſi cum, qui per praxim & experientiam nouit quid & quantum valeat perfecta cognitio, & omnimoda imitatio Ieſu Chriſti. In hoc ſenſu dicit Anſelmus, *In calculo nomen nouum ſcriptum, id eſt, filius Dei, quod nemo ſcit niſi qui accipit, quod nomen nemo agnouit plenè ſecundum ſuam proprietatem, niſi qui accipit calculum, id eſt, niſi in quo habitat ſermo diuinus.* Ita Anſelm. Siue quia vt vult Rupertus, *Nominis huius ſcientiam, non alienum extrinſecus documentum ſed proprium intrinſecus efficit experimentum.* Ita Rup. Nullus ſiquidem experiri poteſt illam mentis oblectationem particularem, quam quiſque beatorum pro ſeipſo, in ſeipſo percipit ex honore illo ſpeciali, quem Deo obuenire agnoſcit, ex particulari prædeſtinatione ſua. Sicut enim quælibet creatura in ſuo genere, in ſuâ ſpecie & exiſtentiâ aliquid honoris ſpecialiter confert diuino nomini, ſic quilibet beatus Deo particularem dat honorem ex ſua beatitudine, & cum Deus nunquam aliquid agat abſque ratione, nullus eſt inter beatos de cuius beatitudine agens ille infinitæ virtutis & intelligentiæ rationem non reddat, cur illum videlicet ad nominis ſui gloriam particulariter elegerit: quam rationem habet apud ſe. At apprehenſio & experientia quam quilibet beatus percipiet quod Deo honorem quemdam particularem tribuit in tantâ beatorum multitudine, qui ab aliis Deo non tribuitur; cum hoc modo ſentiat ſe eſſe quid neceſſarium vt ille modus perfectiſſimus & integerrimus, quo Deus vult ſibi honorem & gloriam conciliare ex productione creaturarum & prædeſtinatione ſanctorum, habeat ſuam integritatem; indicibile eſt quanta afficiatur delectatione ex acceptione nominis cuiuſdam hunc ſpecialem honorem deſignantis, cuius nominis rationem nullus cognoſcet per experientiam niſi is qui accipit hanc ſpecialem dignitatem. Nec hoc excedit infinitam Dei ſapientiam, quod ſicut omnibus ſtellis nomina vocat, quod ſicut Adæ hanc indidit ſcientiam vt nominibus conuenientibus quælibet animalia vocaret, ita Deus cuilibet prædeſtinatorum det nomen deſignans modum particularem, in qua glorificatur in electi huius electione & prædeſtinatione, & ſicut dicimus de quolibet ſancto Confeſſore, *Non eſt inuentus ſimilis illi*, propter quandam virtutem, aut virtutis gradum, aut modum alicuius actus virtuoſi particularem qui effulſit in illo; ita dicere poſſimus, quod nullus poſſidere valeat tale nomen niſi is tantum, qui hoc modo ſeu hac ratione ſpeciali Deum glorificauerit, & voluntatem ſuam adim pleuerit, itaut de eo dicat Deus. *Seruus meus es tu, ô dilecte, in te hac ratione ſeu hoc modo gloriabor,* itaut in indiuiduo cuilibet beatorum dicatur quod toti Eccleſiæ à Deo dicitur. Iſ. 62. *Non vocaberis vltra derelicta, & terra tua non vocabitur amplius deſolata, ſed vocaberis voluntas mea in eâ, & terra tua inhabitata, quia complacuit Dominus in te, & terra tua inhabitabitur.* Et in fine capitis: *Et vocabunt eos populus ſanctus, redempti à Domino, tu autem vocaberis quæſita Ciuitas & non derelicta.* Iſa. 62.

B At cum ſpecialiter agatur hic de eo qui vicerit hæreſes verbo & exemplo, exiſtimarem libenter hoc nomen deſignare particularem quandam Aureolam Doctoris, quæ pro ratione & menſura laboris impenſi ad confundendos & vincendos errores, tali victori à Deo deberetur. Nec mirum ſi Deus aureolas præparet huiuſmodi militibus, optimè namq; dixit S. Greg. Hom. 12. in Ezech. l. 1. *Nullam omnipotenti Deo tale eſt ſacrificium quale eſt zelus animarum*; Ita ille. Nec aliud opus excellentius fieri poſſit quale eſt conuerſio animarum ad fidem, dicente ipſemet Greg. l. 3. Dial. c. 7. *Quia maius eſt miraculum prædicationis verbo atque orationis ſolatio peccatorem conuertere, quam carne morituros reſuſcitare. In iſto enim reſuſcitatur caro iterum moritura, in illo vero anima in æternum victura.* Ita Greg. Et appoſitè dixit etiam S. Ambroſ. in 1. ad Theſſ. c. 3. *Gloria prædicantium eſt quando auditores facilè credunt.* Ita Ambr. Hæc igitur gloria particularis quæ vnicuique eorum, qui in conuertendis hæreticis operam nauant per aliquod nomen deſignata, cauſa eſt vt is qui illum accipit habere dicatur nomen quod nemo ſcit, &c. Ad tantum enim munus à Deo ſpecialiter vocatus, ſpecialiter adiutus, pro eo opere ſpeciali quadam mercede, & gloria remuneratur.

S. Gregorius in Ezechiel. *S. Gregor. l. 3. Dial. c. 7.* *S. Ambroſius.*

Quis igitur tanti honoris ſpe allectus certamen inire cum hæreticis recuſabit? Et cum in tam excellenti opere quale eſt conuerſio animarum ad fidem Deum habeat adiutorem, quis fructum ſui laboris non expectabit? Et dũ mittit falcem in meſſem copioſam, manipulos colligere denſiſſimos minimè ſperabit? Audiat Deum ſibi gratulantem Iſ. 41. *Et tu Iſrael ſeruus meus Iacob quem elegi, ſemen Abrahã amici mei, in quo aprehendi te ab extremis terræ, & à longinquis eius vocaui te; Et dixi tibi ſeruus meus es tu, elegi te, & non abieci te, ne timeas, tecum ſum, ne declines, quia ego Deus tuus: confortaui te, & auxiliatus ſum tibi, & ſuſcepit te dextera iuſti mei: ecce confundentur, & erubeſcent omnes qui pugnant aduerſum te, erunt quaſi non ſint, & peribunt viri qui contradicunt tibi*, &c. Promittitur Dei auxilium, promittitur Victoria, quis in arenam cum hæreticis pertimeſcet, Gladio verbi Dei munitus & bene inſtructus? *Non erres*, inquit S. Hierony. in hunc Iſaiæ locum, *neque à veritate declines, nec te falſâ perſuaſione decipias, quod tuis vocibus imperitus & nudus ſyluam gentium penetres & ferociſſimas nationes ad manſuetudinem voces, ego ſum confortans te, & auxiliatus ſum: & ſuſcepit te ſiue protexit dextera iuſti mei, id eſt, Domini ſaluatoris, ſiue dextera mea.* Ita S. Hierony. Hac dexterâ proſtrabit inimicos, hoc gladio ſeparabit prætioſum à vili, dum errantes ab erroribus liberabit. *Quomodo*, inquit, *deſcendit imber & nix de cælo, & illuc vltra non reuertitur ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & das ſemen ſerenti, & panem comedenti: ſic erit verbum meum quod egredietur de ore meo: non reuertetur ad me vacuum ſed faciet quæcunque volui & proſperabitur in his ad quæ miſi il-*

Iſa. 62. *Iſ. 41.* *Iſ. 55.*

Digitized by Google

lud. Iſ. 55. Ad hanc bonam expectationem optimi fructus, ex quo honorem, & gloriam haurire poſſunt omnes qui in Euangelio laborant, erigebat animos Baſilius Seleuciæ Epiſcopus Orat. 30. hunc locum Matt. 4. ponderans: *Venite poſt me faciam vos piſcatores hominum: Venite ego verbis veſtris eſcas implicabo, ego populos & ciuitates verbis veſtris docibus conuertam, vos ego ſagenæ meæ primitias faciam ipſe enim in vobis per vos rem conficio. Fas mihi fuit regibus potius vti miniſtris, fas mihi fuit Rhetorum linguas doctrinæ adminiſtras trahere, potui Angelorum ordinibus prædicandi munus credere, ſed tum ſamulantium ſplendor gloriam famamque meam ad ſe rapiet, De eius enim exiſtimatione qui rem gerit ſamulorum potentia occultum quiddam detrahit. recuſo diuitiarum obſequium, ne ſi operam conferant, rem tam mirandam extenuent. Vos ego comperio fidos miraculorum meorum cuſtodes, quibus enim nullum humanum præſidium præſens eſt, apud hos Dei poteſtas retinetur integrior. Propterea namque miraculo eſt miles, cum vilibus armis ad victoriam vtitur. Vult enim cum illo virtus qui præclare quid fecit gloriam parere*, &c. Hæc Baſil. Quibus ſatis perſpicitur non eſſe timendum certamen cum hæreticis, ſi verbo Dei quis inſtructus pro Dei gloria contra eos certare voluerit: certanti enim aderit Deus qui dabit victoriam, & vincenti dabit manna abſconditum conſolationum cæleſtium, & calculum candidum ſapientiæ diuinæ, & nomen nouum filiationis æternæ & ſpecialis cuiuſdam honoris propter zelum quem habuit pro animarum conuerſione ad Deum.

Et hæc de iis quæ annotanda veniunt in Epiſtol. ad Epiſcopum Pergami. Ad ea quæ ſcribuntur Epiſcopo Thyatirenſi, tranſeamus.

ANNOTATIONES IN EPISTOLAM ad Epiſcopum Thyatirenſem.

Hæc dicit filius Dei qui habet oculos tanquam flammam ignis, & pedes eius ſimiles aurichalco. Deus, Iſ. 9.

Ieſum eſſe ſupremum Iudicem his verbis innuitur.

ANNOTAT. I.

Chriſtus Iudex. §. 1.

IN hac Epiſtolâ deſignari iudiciariam Chriſti Domini poteſtatem patet tum ex hoc titulo Epiſtolæ præfixo: *Hæc dicit qui habet oculos*, &c. Tum ex hoc quod poſtea ait, *Et ſcient omnes Eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutans renes & corda, & dabo vnicuique ſecundum opera ſua*: Ac ſi diceret: Ex iudicio quod exercere intendo aduerſus perfidam Iudæorum ſynagogam, omnes cognoſcent me eſſe iudicem, & poteſtatem habere reddendi vnicuique ſecundum opera ſua; Tum quia tandem ait, *Dabo illi poteſtatem ſuper gentes*: *Sanctis enim*, ait Dionyſ. Carthuſia. *ſecundum Apoſtolum de hoc mundo iudicabunt, quibus & Chriſtus promiſit, Sedebitis ſuper ſedes iudicantes duodecim tribus Iſrael.*

Dionyſ. Cart.

At dum dicimus hunc titulum optimè conuenire cum nomine Dei quod Iſaias c. 9. tribuit paruulo qui natus eſt nobis & filio qui datus eſt nobis, tale nomen appoſitè coniungitur cum officio & qualitate ſupremi iudicis, Dei enim proprium eſt de actionibus hominum vltimam & abſolutam proferre ſententiam, *Tu quis es*, dicebat Apoſtolus Rom. 14. *qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat aut cadit:* Hominum non eſt iudicare, qui cum ſint rei & criminibus variis implicati, iudicio & pœnæ ſubduntur; *Tu autem*, ait Apoſtolus, *quid iudicas fratres tuum, aut tu quare ſpernis fratrem tuum? Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti: ſcriptum eſt enim, Viuo ego dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo; Itaque vnuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo.* Et quomodo quis alios iudicare poſſet, qui ſemetipſum iudicare aut diſcernere non poteſt? *Sed neque*, ait rurſus Apoſtol. 1. ad Cor. 4. *meipſum iudico, nihil enim mihi conſcium ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum, qui autem iudicat me Dominus eſt: itaque nolite ante tempus iudicare quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vnicuique a Deo.*

Iſ. 9:

Rom. 14.

1. ad Cor. 4.

Quod ſi rationem exquiras, propter quam hæc iudicis ſupremi dignitas ſoli Deo competat, optimam habebis ſi recogites neceſſarium eſſe eum, qui tam ſublimi dignitate decoratur ab omni culpa & reprehenſione eſſe immunem, & ſicut videmus oportere linguam nullo ſapore particulari eſſe conditam ſeu imbutam, vt diuerſitates ſaporum percipiat & diſcernat; oculum nullo particulari colore affici vt ſpecies omnes colorum recipiat; mentem oportere eſſe abſtractam à materia vt de eſſentiis & naturis & proprietatibus rerum materialium iudicare queat: pari ratione neceſſe eſt iudicem ab omnibus defectibus & imperfectionibus, qui vel quæ occurrere poſſunt in actionibus hominum, non tantum in actu ſed & in potentiâ abſtrahi, & longiſſime ab eis diſtare, ne vel inclinatione pulſus vel compaſſione ductus à rectitudine iudicij diſtrahatur: ſicut nec propter ſtatum impeccabilitatis, quem tanquam proprium poſſidet nimiam ſeueritatem adhibere debet, ſe ſolum ab omni culpa liberum & impeccabilem eſſe perſpiciens. At talis perfectiſſima ſanctitas ſoli Deo competit, qui nec actu nec potentiâ peccare poteſt, & qui tanquam impeccabilis ſolus bene cognoſcit, ſolus abſolute vult, eligit, ſolus ſapit perfectiſſime & operatur facillime quodlibet bonum, & cum eius voluntas ſit omnis rectitudinis regula poteſt abſque vllâ deceptione iudicare an hæc aut illa actio habeat omnes conditiones, integræ ſuæ perfectioni neceſſarias. Vnde Origenes Homil. 2. in Lucam beatum dixit illum qui iuſtus eſt coram oculis Dei, nam etſi quidam inter homines dici poſſint habere iudicium optimum & certiſſimum, non ita tamen vt poſſint clarè, nitidè & exactiſſime de omnibus quæ ſeſe offerunt iudicare, & terre ſententiam: fieri enim poteſt vt eum laudent, qui nullâ laude dignus reperietur, aut ei detrahent quem ab omni vituperio immunem eſſe oporteret; *Solus Deus*, inquit ille, *& in laude, & in vituperatione iuſtus eſt.*

Origenes.

Quantum autem ad exercitium huius iudicij, illud à Patre datum eſt filio ſuo incarnato: *Neque enim*, ait Chriſtus Ioan. 5. *Pater iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium ſicut honorificant Patrem.* Et reuerà ſolus filius eſt inter homines abſque peccato, abſque maculâ, abſque fraude & dolo aut quolibet mendacio. *Nuſquam viſum fuerat ante Moyſen quod ſerpens inanimis à mortis periculo liberaret, donec ipſe aneum ſerpentem exaltauit in deſerto: ita corpus nouum à peccato immune non apparuit in mundo vſque ad Chriſtum*, inquit S. Macarius Hom. 2. Neceſſe eſt Principes populorum tales exiſtere vt ſuperbi non ſint, ſed etiam vt omnem oderint ſuperbiam. *Id eſt*, inquit Origenes Hom. 2. in Exodum, *vt non ſolum abſque vitio ſint, ſed & in aliis oderint vitia*; Ita Origenes. Quis autem neſcit Chriſtum Principem Regum Terræ quem repleuit ſpiritus timoris Domini vt loquitur Iſ. c. 2. non ſolum eſſe humilem & mitem corde, ſed etiam omnem odientem arrogantiam, iuxta illud Prou. 8. *Timor Domini odit malum, arrogantiam & ſuperbiam &*

Ioan. 5.

Macarius Hom. 2.

Origenes Hom. 2. in Exod. Iſ. c. 2.

Prou. 8.

viam pravam, & os bilingue deteſtor. Hinc patet quomodo qualitas ſeu dignitas Iudicij ſupremi optimè Chriſto conueniat, nam cũ Deus ipſe ſit impeccabilis, omnes actiones humanitatis ſuæ & ipſe deificat, propter vnionem hypoſtaticam verbi æterni cum carne noſtra, *Verbum* enim *caro factum eſt & habitauit in nobis*. Optimè igitur Optatus Mileuitanus

Optatus Mileuit. nus lib. 1. ait, *Fidei pars eſt credere filium Dei Deum*

Act. 10. *iudicem ſeculi eſſe venturum*, & S. Petrus Act. 10. dixit, *Et præcepit nobis prædicari populo, & teſtificari, quia ipſe eſt qui conſtitutus eſt à Deo Iudex viuorum, & mortuorum.*

Vtrumque autem innuit, & quod Deus ſit, & quod Iudex ſit dum ait, *Hæc dicit filius Dei qui habet oculos tanquam flammam ignis, & pedes eius ſimiles aurichalco*: Primum cum ſe dicit filium Dei, ſecundum in his quæ ſubſequuntur, nec ex filiatione temporali diuinam amiſit, vt præclarè docet S. Athanaſ. orat. 2. contra Arianos; *Sicut enim homo mortuus eſt, & ſuperexaltabitur, ita quoque id vt homo accipere dicitur, quod vt Deus ſemper habuit, quo gratia ita ſemel accepta ad nos perueniret: non enim diminutum eſt verbum carnem aſſumendo, vt gratiam quoque deſideret accipere, ſed potius deificauit quod induerat, & idipſum humano generi ſuperaddidit, vt quemadmodum ſemper adorabatur quatenus verbum erat, & in forma Dei exiſtebat, ita quoque ille idem iam homo factus & Ieſus appellatus, nihilominus haberet omnem creaturam pedibus ſuis ſubiectam, ſibique in ſuo nomine genua flectentem pariterque confitentem verbum carnem factum, mortemque in carne ſuſtinuiſſe non ad ignominiam deitatis, ſed ad gloriam Dei Patris.* Ita Athanaſ.

Athanaſ. Orat. 2. contra Arianos.

Cum igitur hic ſe filium Dei profitetur Deum ſe eſſe affirmat. At cum dicit ſe habere oculos tanquam flammam ignis, & pedes ſuos ſimiles aurichalco declarat ſe iudicis habere eximias proprietates, & virtutes, & optimâ ratione. In hac enim Epiſtolâ agitur vt bene notat Ribera de iudicio. Mulieris Iezabel myſticæ, profitetur ſe ſcrutaturum renes & corda, id eſt, hominum ſenſus & intentiones, promittit Eccleſiæ prælatis ipſis daturum virgam ferream, nempe ſummam poteſtatem qua omnes aduerſariorum conatus euertunt & conterant, eoſque tanquam vaſa figuli confringant, vt ſcientiam & poteſtatem Patris habere intelligatur, cuius ſcientiæ & poteſtatis fiant participes ij ad quos dicitur: *Sedebitis ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſraël*. Scientia denotatur in oculis, poteſtas in pedibus aurichalco ſimilibus, ſicut enim claritas, & veritas & diſcuſſio certa cui reſpõderi non poterit per oculos igneos deſignatur, ita firmitas inconcuſſa ſententiarum, quæ in iudicio proferentur tanquam æs puriſſimum altè reſonantium, in pedibus ſimilibus aurichalco deſignatur. Tria igitur in hoc titulo deſignantur, primum eſt claritas & veritas huius iudicij, ſecundum ſeueritas iudicij per quam exactiſſimè omnia diſcutientur, tertium ſententia huius iudicij finalis irreuocabilis ab eo inſtanti quo alte pronuncietur coram Angelis & hominibus quos adeſſe oportet in hoc finali & vltimo iudicio.

Ribera.

Qui habet oculos tanquam flammam ignis.

De claritate Iudicij diuini, eiuſque veritate, nec non eius ſeueritate. §. 2.

Ad hunc ſenſum plurimæ ſpectant interpretum expoſitiones. Gagnæus in 1. c. Apocalyp. *Oculi tanquam flamma ignis vis eſt diuina intelligentiæ*, inquit, *omnia & luſtrans & illuminans abſcondita cordis, bene autem tanquam flamma ignis, qui iuſtis quidem luceat, improbos autem incendat.* Ita Gag. *Flammã* ait Sa, *ſignificatur ira contra peccantes*, in c. 1. Menochius. *Oculi*

Gagneus.

Sa.

A *Chriſti flammantes ſignificant Chriſti iram & vindictam in perſecutores Chriſtianorum alioſque impios.* Ita ille. In c. 1. Vnde in cap. 2. ait ſpecialiter: *Qui*, inquit, *videt ſcelera Iezabelis, de qua mox tacitè etiam redarguitur Epiſcopus Thyatirenſis quod huius mulieris ſcelera non videret aut ad illa connueret.* Ita ille.

Tirinus: *Oculi tanquam flamma ignis indices ſunt iræ* *Tirinus.*
Chriſti & vindictæ in hoſtes Eccleſiæ & omnes impios, à
quo nemo ſubduci vel abſcondi poteſt iuxta illud Ieremiæ, *Ierem. c. 32.*
c. 32. *Oculi eius aperti ſunt vt reddat filiis Adam ſecundum fructum adinuentionum eorum.* Ita ille.

At dum Chriſtus dicat, *Noui opera tua*, fidem, Charitatem, Miniſterium, Patientiam Epiſcopi Thyatirenſis, illius tamen actus deſtrictiùs diſcutiendo eundem reprehendat, mulierem Ieſabel iudicet & condemnet, & filios eius interficiat, vt ſciant omnes Eccleſiæ, quia ipſe ſit ſcrutans corda & renes, & qui dat vnicuique ſecundum opera ſua: certè verior erit vt arbitror expoſitio, ſi per oculos Chriſti intelligamus in genere illam claritatem & veritatem iudicij qua dijudicat tam bonos quam malos, & exactiſſimè cuncta diſcutit, vt tam bonis quam malis reddat ſecundum opera eorum: iuxta expoſitionem Andreæ Cæſarienſis, *Igneam*, inquit, *Andr. Cæſar.*
oculorum ſpeciem vtrumque præ ſe ferre dictum eſt ſplendorem nimirum & ardorem, & hunc quidem ſignificare ſupplicia in impios & peccatores conſtituta, illum vero lucem qua iuſti & ſancti perfunduntur. Ita ille.

Cum igitur oculi Chriſti flammei eſſe dicuntur dubitandum non eſt nos à Spiritu ſancto manu duci vt cogitemus ignem ſuo lumine non ita ſplendeſcere, ac claræ, nitidæ & veræ ſunt cognitiones, & notitiæ ſaluatoris de cunctis actibus quorumcunq; hominum, & ſicut cum lumine habet ignis calorem commixtum, pari modo iudicium quod Chriſtus fert de his actionibus zelo veritatis accenditur vt reddat vnicuique ſecundum opera ſua, valde exactiſſimè omnia circumſpiciens Nihil omittit quod non liberaliter remuneret, nihil prætermittit quod non puniat ſeueriſſimè, videt manum potum aquæ frigidæ porrigentem, & qui numerat capillos numerat etiam pias mentis cogitationes, & voluntatis intentiones, vt ſicut capiti ornatus debitus non deerit in corporum reſurrectione, ita nec merces deerit vllis actionibus noſtris audit etiam omnia malorum opera, *Quoniam*, ait ſapiens Sap. c. 1. *Spiritus Domini* *Sap. 1.*
repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia ſcientiam habet vocis: propter hoc qui loquitur iniqua non poteſt latere, nec præteriens illum corripiens iudicium, in cogitationibus impij interrogatio erit, ſermonum autem illius auditio ad Deum veniet ad correptionem iniquitatũ, illius quoniam auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abſcondetur. Ita Sap. Quin & de omni verbo otioſo reddent homines rationem in die iudicij, nec minori ſeueritate caſtigabit malos, quam liberali & munifica manu præmiabit bonos. Bene igitur de his oculis ait in hũc locũ Cælius Pannonius, *oculi Domini ſunt limpidiſſima cognitiones eius & iudicia, reuera tanquam flamma ignis, quia præcipua eſt eis cognitio, & ſenſus vinaciſſimus penetrans vſque ad intima medullarum, cogitationumque cordis humani: vident omnia, omnia propiciunt, etenim nulla creatura imperſcrutabilis eſt apud Deum.* Hæc ille. Quæ iudicis perfectio nec fugit Platonem qui Minoem & Rhadamanthum apud *Plato.*
antiquam gentilium ſuperſtitionem iudices, & thronum illorum in campo veritatis collocabat. *Vocauit*, inquit, *hunc campum veritatis, in eoque iudices ſedent recognoſcentes eorum qui aduenerint vniuſcuiuſque vitam, qua quiſque ratione corpus inhabitans ætatem peregerit, nec mentiendi illis vlla facultas.* Hæc Plato. Multo verius à throno Dei iudicis abſunt ignorãtia, neſcientia, obſcuritas, malignitas, omnia ſunt clara pura,

B

C

D

E

Cælius Pannonius.

veriſſima, optima, & falleretur proculdubio, qui ei aliquid proponeret fuco aut fallacia tectum : videt cuncta prout in ſe ſunt : *Verbi proprium, eſt*, inquit S. Athanaſ. oratione 4. *cognoſcere quæ fecerit, horumque principium & finem non ignorare cum eius ſint opera, nouitque quos, & quam diuturna ea in condendo eſſe voluerit, quapropter is nec rerum ſingularium principia nec terminos ignoret, omnino etiam nouerit Vniuerſalem, & communem omnium finem.* Ita Athanaſ. Nihil igitur latet iudicem, & ſicut excedit in cognitione alios iudices, ita & autoritate, vt nec falli poſſit nec eius ſententiæ aliquis poſſit refragari. Audiamus Origenem lib. 9. in c. 14. Ep. ad Rom. *Sicut iudex is* (terrenus ſcilicet) *tenens celſiorem quendam locum quod tribunal appellatur, aſcendit vt ex eo alios, & eminentior cæteris quis iudicandi ſunt fiat, ne conſpectum eius lateant vel malorum ſupplicia, vel allegationes innocentium, intelligamus & iudicem omnium Chriſtum natura, & maieſtate cæteris eminentem inſpicere corda, & conſcientiam ſingulorum, manifeſtare occulta, & obiecta reuelare, vt & bonis actibus laudem tribuat, & malis pœnam quam merentur accipiant.* Ita Origen.

Et reuerà ſicut claritas ignis diuini in oculis ſaluatoris delignat claritatem notitiarum Chriſti quo fit vt falli nequeat, & ſynceritatem & puritatem intentionis tam iuſti Iudicis, qui ſemper veritati adhæret itaut nihil falſi imponere iudicandis valeat : pari modo calor illius ignis mentem erigit, vt concipiamus zelum diuinum quo ſaluator noſter accenditur vt veritatem tueatur, & ab ea nunquam ne latum vnguem imo nec lineolam abſcedat, vnde non timet inſimulari adulationis, aut conniuentiæ dum ſuos exactè erit remuneraturus, diſcutiendo, & ponderando diligentiſſimè bonas eorum cogitationes, intentiones ſermones & actus, aut accuſari iniuſtitiæ dum ſeuere plectit omnes abominationes impiorum : eodem graditur pede eodemque fertur deſiderio dando ſibi gloriam in ſua creatura ſiue remunerat ſiue puniat, reddendo vnicuique ſecundum propria opera, per in flexibilem affectum iuſtitiæ in tuendâ & ſeruanda in omnibus rerum veritate. Hinc S. Paulus ad Rom. c. 8. poſtquam myſteria prædeſtinationis, vocationis iuſtificationis & glorificationis electorum tetigit exclamat: *Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis quis contra nos? Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Quis accuſabat aduerſus electos Dei? Deus eſt qui iuſtificat quis eſt qui condemnet? Quam optime.* Nam cum Deus cognoſceret omnia, *prout in ſe ſunt*, fatendum eſt niſi impio velimus accuſare iniuſtitiæ, iuſte ipſum remunerate iuſtos, quos ante oculos ſuos præmio dignos reperit, dilexit Iacob Ioſeph filium plus cæteris, eſtne proinde reprehenſione dignus? *Minimè*, inquit S. Ambroſ. *quia plus merebatur, maiora in eo videbantur virtutum reprehendendus Iacob quia præferebat vnum cæteris, ſed nec libertatem poſſumus auferre parentibus ne eos diligant, quos plus credant mereri, nec filiis reſecare debemus ſtudium plus placendi : Denique & Iacob illum plus amabat in quo maiora virtutum inſignia prænidebat : vt non tam filium Pater prætuliſſe videatur, quam prophetæ myſterium, meritoque variam tunicam fecit ei quo ſignificaret cum diuerſarum virtutum amictu patribus præferendum, denique in puero adhuc refulſit diuina gratia.* Ita Ambroſ. l. de Ioſeph c. 2.

Dico igitur ſimili de cauſâ dici non poſſe iniuſtum eſſe ſi Deus ex gratuitâ voluntate maiora dona largiens, vehementius amet eos, qui donorum ſuorum ſerie exhibent digniores, ne fidelibus libertas auferatur pij conatus, quo ſtudent fieri Deo gratiores & maiorum donorum identidem capaciores : *Si merces opus eſſet Dei ſolius*, inquit S Chryſ. Homil. de petitione filiorum Zebedæi, *nulla eſſet inter homines differentia, eſt enim ſingulorum hominum creator, & ei æqualis eſt cura de omnibus. At non eſt ſolius Dei dare mercedem, oportet vt qui in ſtudio, & in certamine exiſtunt tales ſint quibus merces dari debeat.* Quidquid ſit, veriſſimum eſt quod ad amuſſim omnia ponderabit, omnium bonorum actuum electorum exactiſſimam habebit rationem, & cum bonitati diuinæ quæ nos benedictionibus gratiarum ſuarum præuenire dignata eſt antequam eas promereri poſſemus, maximè congruat ampliſſimas donare coronas mercedemque conferre copioſiſſimam, hæc abſque iniuſtitiâ proculdubio in fine præſtabit.

At in hoc non eſt difficultas : Ideo tranſeundum ad alia, nempe ad ſeueritatem ponderandam cum qua diſcutiet, & puniet malas actiones à rectitudine, & æquitate diſtortas. Habet ſtateram in manu ſecundum Iſaiam vt cuncta æqua lance ponderet : *Et licet infinite ſit miſericors*, inquit S. Gregor. Nazianz. orat. 15. *eius bonitas Iudicio ac delectu non caret, quamuis qui in vinea laborabant comprehendere non poſſent imparem illam in æqua mercedis perſolutione rationem : ita eius cum quadam proportione criminibus reſpondet, quandoque iræ meracum benignitate temperat, itaut ex ſeueritate ad lenitatem & gratiam iis inclines qui metu erudiantur & ex paruâ calamitate concipiunt ac morum correctionem pariuntur, perfectumque ſpiritum ſalutis pariunt, facem autem hoc eſt id quod intra extremum eſt vt eam totam in illos effundat, qui benignitate atque clementia minimè ſanantur, imo etiam obdurantur.* Ita Greg. Naz. *Ita eſt*, inquit Theodoretus in Pſ. 37. *quod in primo aduentu filij Dei copioſiſſima effuſa eſt miſericordia, veniet ſecundus iuſtitiam ſibi in partem propriam aſſumens.* Quod ſi & nunc Deus iudicia exercet ſeueriſſima erga homines pro rebus quæ parui momenti eſſe cenſerentur, ſi nullam patitur in amicis ſuis culpam abſque correctione, ſi nec ignorantiâ aut inaduertentiâ aut inconſideratione protegimur, quominus iracundiæ eius non experiamur effectus, quid quæſo erit de iis qui ſcelera ſceleribus accumulant, qui obdurato corde ſemper Deo inimicantur? Quid obſecro dicendum de his qui ſcienter peccant? Si (addit ipſe) ſancto Petro minæ intentantur ineuitabilis ſupplicij ob peccatum obmiſſionis, niſi prompte imperio Chriſti morem geſſiſſet, quis facile non ſibi perſuadebit, quod in die iudicij crimina quæ abſque numero impudenter perpetrantur diris vlciſcenda eſſe ſuppliciis cum ſeueritate formidandâ à quâ nullus effugere poterit? Hanc ſeueritatem graphice depictam videamus ex S. Greg. Naz. orat. 15. *Mitto dicere futura vitæ tribunalia, quibus puniſce vitæ indulgentia & impunitas eos tradit, itaut ſatius ſit nunc taſtigari ac puniri, quam ad cruciatum illum tranſmitti cui iam tempus pœnæ erit non purgationis, quemadmodum enim qui Dei memor hîc eſt, morte ſuperior eſt, idque a Dauide optimè dictum eſt, ita his qui è vitâ exceſſerint non eſt in inferno confeſſio nec morum correctio, his enim Deus vitam & actionem, illis rerum geſtarum cenſuram* : Concluſit : *quid faciemus in die ſubductionis terretme quidam Prophetarum* (hoc eſt diuinæ ad nos expoſtulationis) *ſiue in montibus & collibus quemadmodum audiuimus, ſiue quæcumque tandem illa, & quorumque loco futura ſit cum nos coarguet atque ex aduerſo ſtabit, peccata noſtra hoc eſt acerbos & amarulentos accuſatores nobis in faciem ſtatuens, acceptaque beneficia cum iis quæ inique admiſimus ex aduerſo conferens, & cogitatione cogitationem verberans, & actione actionem examinans, & imaginis vitio contaminatæ atque confuſæ dignitatem à nobis expoſcens : poſtremo nos abducet à nobis metipſis condemnatos, hucque addutos, vt ne id quidem*

dicere queamus nos inique supplicio affici, quod quidem hic apud eos qui pœnas luunt nonnunquam hanc vim habet, vt eorum condemnationem, & cruciatum leniat. Illis autem quis patronus? Quæ causificatio? Quæ falsa defensio? Quod artificiosorum verborum lenocinium? Quæ consilij solertia tribunal illud circumscribet ac rectum iudicium eludet, quod omnia omnibus in statera collocat actionẽ, sermonem, cogitationem, virtutesque cum vitiis ex aduerso expendit, vt quod propendet victoriam obtineat, atque ab ampliore parte sententia stet postquam non iam pronocatio supereſt, non sublimior Iudex, non alia opera per quæ quispiam pœnam deprecetur, non deficientibus lampadibus oleum à prudentibus Virginibus aut à vendentibus acceptum, non diuitis illius pœnitentia flammæ ardore liquescentis ac propinquis suis correctionem requirentis, non denique præstitutum vitæ in melius commutandæ tempus, sed & solum & postremum ac formidabile illud tribunal eris magisque etiam iustum quam formidabile, imo vt rectius dicam idcirco formidabilius quia iustum. &c. Ita Greg. Naz. Sed & alium Gregorium Nyſſ. nempe de hoc Iudicio differentem audiamus in ſtctum Pſ. de octauâ.

S. Gregorius Nyſſenus.

Quis, inquit, *enim terribilis iudicij Christi recordatus non statim in conscientia sua quasi conuellitur, ac terrore & angore non constringitur? Atq; etiam si vitæ melius, quam deterius actæ sibi conscius sit, attamen ad exactam diligentiam & rigorem Iudicij respiciens in quo minima quoque culpæ in quæstionem adducuntur, ac prorsus expectatione terribilium pœnarum perhorrescit ignorans quisnam sibi Iudicij exitus & euentus futurus sit: idcirco quasi in oculis habens terribilia supplicia, gehennam illam & tenebrosum ignem, & conscientiæ vermem, & nunquam emorientem, qui animam semper pudore sugillat, ac recordatione malæ actæ vitæ cruciatus renouat atque reintegrat, Deo iam supplex sit orãs ne illo furore tradatur ad quæstionem & iudicium neu per illam iram adhibeatur sibi castigatio propter delicta (nam ab iis qui acerba castigatione terribilis illius supplicij condemnati sunt furoris esse opus & iræ iudicium illud existimatur) atque idcirco quasi iam in doloribus atque cruciatibus constitutus dolentium voces imitatur, quibus furor esse videtur & ira quidquid ad puniendum impios adhibetur. Dicis igitur, non expecto donec ex illo furore per terribilia flagella de me occultorũ delictorum quæstio habeatur, sed præoccupo reuelatione atque spontanea confessione necessitatem ex illa ira mihi imponendam. Quod cruciatus facit in arbitrium fauit seipsum per pœnitentiam, & flagellans & puniens publicasque atque diuulgans in occultis abscõditum peccatum.* Ita Greg. Nyſ. Salubre prorsus consilium in praxim reducendum.

Et pedes eius similes aurichalco.

Quod sententiæ huius vltimi Iudicij nunquam rescindi aut reuocari poterunt. §. 3.

Quid sit aurichalcum, & quid per pedes similes aurichalco significetur secundum interpretes. Punct. 1.

VT istius loci sensum feliciùs eruamus quod S. Athanasius Synaita Orat. 1. de Trinit. docuit in praxim est reuocandum: *Iura*, inquit, *Patrum nostrorum accipimus tanquam ex lege optimè constituta, de eorum laboribus gloriam captantes, ac si nostra propria essent huiusmodi bona*: Interpretum igitur qui ante nos hunc librum commentati sunt diligentia vtamur, & omissis antiquioribus ex Riberâ Vrega. Cornelio à Lapide & aliis, dicimus legi posse vel aurichalcum, quasi compositum ex ære & auro, siue quod colorem habeat aureum secundum Sextum Pompeium, vel aurichalcum, id est, ex montium cauernis erutum ab ὄρος id est, mons, & χαλκὸς id est æs. Denique quidam legunt calcolibanum, id est, æs Libani, quia in monte Libani æs repetitur quam optimum prætiosius omnibus metallis

Athanaſ. Synaita.

A fuit vt habet Ambros. Calepinus quod & splendorem auri & æris duritiem possideret. Vnde Menochius & Tirinus in bibliâ magnâ, ex aurichalco græce inquiunt Χαλκολίβανος ære quod aureum habet colorem, inquit Sextus Pompeius & Plinius, & forte ex Libano aliisq; similibus mõtibus eruebatur, inquit Aretas, & Thesaurus linguæ græcæ, vnde Syrus vertit similes æri Libanico, non frigido non etiam liquato, sed calenti, candenti, & coruscanti.

Quid autem intelligunt per pedes similes aurichalco nunc videndum. Gagnæus pedes eius Ecclesiæ fundamenta Apostolos, Gregorius Theologus intelligit qui purgationis igne purgati sunt similes aurichalco, quia & de auri puritate, & æris robore ac soliditate in martyrio participans.

Gagnæus.

B Emanuel Sa camino ardenti græce ardentes seu igniti, significatur autem Christi humanitatis fortitudo & splendor.

Sa.

Menochij sensus est pedes Christi similes fuisse aurichalco non frigido sed calenti, candenti, & coruscanti, quale esse solet cum liquatur in fornace. Humanitas Christi quæ per pedes significatur, vt deitas per caput, per caminum passionis & crucis facta est splendidissima ad conculcandum domitianum, tuosq; hostes, & ad eos comburendum: Hanc expositionem sequitur etiam Tirinus in cap. 1. At in

Menochius.

Tirinus.

C hunc locum capitis secundi Menochio pedes ex aurichalco ignito, significare videntur pœnam ignis inferni scelestis illis inferendam de quibus hic loquitur, vel mentio fit pedum similium aurichalco vt Episcopum Thyatiræ consoletur in afflictionibus, quas propter Christum ferebat, doceatque illis puriorem eum fieri, & maiori gloriâ dignum. Ita Menoch. Sed vetustiores interpretes audiamus. Andreas Cæsariensis vult per pedes & chalcolibanum denotari Christi humanitatem, eiusdem in his qui salui fiunt veluti spiritualis cuiusdam vnguenti fragrantiam: Videtur Andreas Chalcolibanum interpretari eo modo quo illud interpretatur Antonius Nebrissentis apud Riberam æreum thus, id est, masculum thus aut forte, cum videlicet fragrantiæ vnguenti facit mentionem addit Andreas indiuiduam

Andreas Cæſ.

D illam, & inconfusam, planeque admirabilem diuinæ humanæque naturæ inter se vnionem: ea enim tanquam diuini spiritus igne conflata, miroque modo coagmentata humanis rationibus comprehendi omnino non potest.

Rupertus, *Aurichalcum in camino ignis longa decoctione, & diuturna tunsione hoc habet, vt auri similitudinem teneat, sic denique ipse qui hæc dicit filius Dei quasi pedes suos, id est, finem suum de quo Iacobus Apostolus dicit, patientiam Iob audistis & finem Domini vidistis, fortiter in camino suæ passionis ardenti consummauit & resurgens carnem suam in immortalitatis aureæ gloriam trãsmutauit, ac deinde gentem suam, terram & ciuitatem suam Hierusalem in magno Zelo non parcens igni hostili conflagrauit, ergo exigit vt post omne opus bonum sit & etiam erga delinquentes alios districta iusti Zeli fortitudo.* Ita Rup.

Rupertus.

Ambrosius Ansbertus: *Qui sunt isti oculi flammæ ignis comparatione radiantes, quinæ pedes Angeli aurichalco similes in principio huius operis latius diximus, oculi enim Angeli vt flamma ignis, sunt autem Spiritus mediatoris nostri illuminans, & accendens corpus eius quod est Ecclesia: Aut sancti eiusdem Ecclesiæ prædicatores, qui & lumen fidei, & incendium illi præbent amoris: aut certe eloquia scripturarum, quæ idem lumen, idemque cum fidis incendium subministrant,* &c. *pedes vero eius similes aurichalco esse perhibentur, id est, omnes prædicatores sancti per quos mundum circuit igne tribulationis probati, aut certe extrema ac nouissima illius membra vltima persecutione candentia* Ita Ansbert. Et hæc de aliorum expositionibus satis: Ad nostram veniamus.

Ansbertus.

Irreuocabilitas

Irreuocabilitas ſententiarum Vltimi Iudicij ſignificatur.
Punct. 2.

His autem omnibus expoſitionibus prætermiſſis vt conſequenter loquar, dico per hos pedes deſignari duas illas celebres ſententias ſupremi Iudicis, quas proferet in die vltimi iudicij cum dicet his qui erunt à dextris, *Venite benedicti patris mei*, &c. his autem qui erunt à ſiniſtris, *Ite maledicti in ignem æternum*, &c. Hoc conjicio ex figura in qua apparet Chriſtus ambulans in medio ſeptem candelabrorum aureorum, quæ vt diximus illum nobis exhiber, non in forma naturali, nec in ſtatu in quo vel inter homines conuerſatus eſt, aut in quo nunc ſedeat in dextera patris, ſed in forma ex qua conjicere licet, quid operaturus ſit pro gubernatione Eccleſiæ ſuæ: Ex quo conjicitur per pedes rectè deſignari illas duas ſententias, quæ totum opus gubernationis vniuerſi complebunt: confirmatur ex his quæ diximus in hac Epiſtola Chriſtum velle vt eum credamus iudicem ſeculi eſſe à Deo patre conſtitutum, quod clarè perſpicietur dum has duas ſententias irreuocabiles proferet, tunc manifeſtum erit quo zelo Deus electos ſuos dilexerit, qui non permiſit vt è ſuis manibus raperentur, & quantà cum ſeueritate caſtigabit impietatem eorum qui ſupra ſe iram ſuam attraxerunt. Etenim ſi zelo iſto charitatis eximiæ omnem corruptionem, & imperfectionem tollit, & abſumit in electis ſuis, eoſque abſorbet in igne diuinæ cognitionis & dilectionis, ita per zelum iuſtitiæ in ignem impios inimicos ſuos præcipitabit, qui in eis omnem conſolationis, aut voluptatis occaſionem abſument, vt nihil aliud in æternum perſentiant, quam miſeriam, & cruciatus, quod perſpicuum erit meditanti quæ mox dicenda ſunt.

Pedes extremæ ſunt partes corporis humani, ita illæ duæ ſententiæ, duæ ſunt extremæ actiones celeberrimæ quas filius Dei perficiet, vt finem, & terminum ponat omnibus operibus quæ perficienda decreuerat ad gloriæ ſuæ manifeſtationem ſecundum illud Pauli 1. ad Corinth. c. 15. *Et ſicut in Adam omnes moriuntur ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. Vnuſquiſque autem in ſuo ordine, primitiæ Chriſtus, deinde ij qui ſunt Chriſti, qui in aduentu eius crediderunt; Deinde finis cum tradiderit regnum Deo & Patri, cum euacuauerit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem: oportet autem illum regnare donec ponat inimicos ſuos ſub pedibus eius, nouiſſima autem inimica deſtruetur mors.* Videſne Apoſtolum docere totum opus prouidentiæ compleri in die iudicij in quo electi reſuſcitabûtur ad gloriam, dæmones conterentur ſub pedibus, & futiles fuiſſe eorum aſtutias & malitias quibus Chriſti regnum euertere conabantur, apparebit: ſeculi poteſtates proſternentur quæ tam impio ſatanæ conamini opem ferre auſæ fuerant, & voluntati Dei ſeſe opponere non pertimuerant, eludetur humana induſtria, omnis hominum fortitudo conculcabitur, qui ſuppliciorum rigorem effugere ſe poſſe arbitrabantur? Incurrent enim mala à quibus nunquam eripi poterunt, ſic euacuabitur omnis principatus, & poteſtas, & virtus, & inimici proſtrati iacebunt ſub pedibus, nec mors vltra in electos habebit vllam poteſtatem qui cum Chriſto regnabunt in æternum glorioſi. Per pedes ex S. Bernardo affectus ſignificãtur, & pes dexter Dei illi eſt affectus miſericordiæ, ſiniſter autem affectus iuſtitiæ, non male itaque per pedem Chriſti dextrum intelligimus ſententiam latam in electos, qui per miſericordiam Dei ſaluabuntur, per ſiniſtrum ſententiam latam in reprobos, qui Dei iuſtitiæ condemnabuntur. Pedes iſti ſunt æris ſonantis, quo deſignatur illas duas ſententias

1. ad Cor. 15.

S. Bernardus.

A altiſſimâ, & ſonorâ voce eſſe proferendas adſtantibus omnibus Angelis & hominibus, *Deus*, inquit Dauid, *manifeſte veniet Deus noſter & non ſilebit: ignis in conſpectu eius exardeſcet.* Coruſcant illi pedes, æquitas ſententiarum iuſtarum clariſſima erit, & omnibus notiſſima. Æs cui pedes iſti aſſimilantur ex altis montibus eruitur: Vltimæ iſtæ determinationes circa electos & reprobos eliciuntur ex altiſſimis, & imperſcrutabilibus iudiciis Dei, & ex ſyncerâ dilectione qua afficitur erga iuſtitię, & veritatis tuitionẽ: vnde & præcipue ex môte libano, qui interpretatur candidatio erui dicitur. Æs iſtud non frigidum ſed calens, & candens aſſeritur: procedunt illæ ſententiæ, ex zelo Dei tum honoris ſibi exhibendi ab hominibus, & creaturis cunctis, tum ſalutis electorum: vel ex zelo odij, & indignationis, quo implacabiliter perſequitur iniquitatem, & peccatorum abominationem: Æs iſtud coloriſeſt aurei ob infinitam ſapientiam iſtud iudicium concomitantem & ſummam charitatem Dei & electorum, ſed candens ab ira in peccatores.

Psal. 49.

B

Denique æs firmum ſymbolum eſt aptiſſimum conſtantiæ, & efficaciæ harum ſententiarum, quæ reſcindi aut reuocari non poterunt, non iam prouocatio ſubeſt non ſublimior Iudex, non alia opera quibus veniam promereri poſſimus aut Dei iudicium aut voluntas immutari. 1. Quia nihil de nouo apud eum adferri poterit, quod diſcuſſum non fuerit ante ſententiæ prolationem. 2. Quia iudex inflexibilis eſt, quippe qui nec odio nec amore particulari mouetur ad aliquid moliendum, quod æquitati repugnet 3. Quia nullus reperietur qui eius decreta non perſpiciat tunc eſſe æquiſſima. Etenim actiones bonæ quas remunerabit approbationem vniuerſalem omnium merentur, malæ autem ab omnibus iis etiam qui illas perpetrarunt abominationi erunt, nec enim coram cunctis tunc adſtantibus aſſerere ſe hæc aut illa abominanda perpetraſſe rationabiliter: quæ cum ita ſint patet has ſententias eſſe irreuocabiles.

C

O felices illi qui hanc diem terribilem præuenerunt, & emolumenta ſibi compararunt ex amore Chriſti, qui in altari crucis tanquam thus forte, & odoriferum ſemetipſum obtulit Patri in remiſſionem peccatorum, Beati inquam illi, qui orationes ſuas cum orationibus ſaluatoris coniunxerunt, vt iſtud tempus ſeueritatis, & rigoris anticiparent, qui ex humiliatione ſaluatoris vtilitatem capere ſatagerunt, Apoſtolorum exempla, & doctrinam ſecuti, Deoque laudes & gratiarum actiones ob immenſa beneficia reddere non neglexerunt & alta voce Chriſtum confeſſi ſunt, ne Dei irati pedibus in iudicio conculcentur ſed potius tanquam lapides pretioſi ei inſeruiant vt coronam gloriæ & honoris ſibi componat, ex eo quod ille ipſe eſt, qui eos vocauit iuſtificauit & glorificauit, nam cum hæ ſententiæ ſint irreuocabiles optandum certe vt ſub ſententia benigna & bonorum operum remuneratiua comprehendamur.

D

E

Dixi igitur has ſententias eſſe irreuocabiles, & optima de cauſa 1. Quia vt dictum eſt nihil de nouo adduci poterit. Non eadem dicere poſſumus de Chriſto iudice, quæ de Iuda filio Iacob dici poſſunt. Iudas enim, ex annullo, armilla, & baculo agnitus eſt particeps criminis Thumar ſocrus ſuæ, vnde iudicium, quod contra eam tulerat vt igne comburetur tanquam adultera retractare coactus eſt: nam ſi Chriſtus annulum nobis racionationis contulit, ſignando ſuper nos lumen vultus ſui, ſi nos armillæ libertatis, qua ad ea quæ volumus libere conuolamus, nec ad vnum neceſſitate coactiua & abſoluta determinamur in noſtris actionibus, ſed poſitis om-

Digitized by Google

nibus neceſſariis ad agendum hoc aut illud eligimus, ſi in noſtris operationibus fulcrum fuit & fulcimentum tanquam baculus, quia nihil abſque Deo agere poſſumus, non proinde crīminum noſtrorū fit particeps: peccatum namque eſt à lumine rationis defectus, libertatis abuſus, & rectitudinis priuatio in noſtris operationibus. Quid enim de nouo proferre poſſemus quo iuſtificari contingeret? Videt frīuolas ratiocinationes quibus inducti mendacio adhæſimus, intuetur abuſum dignitatis potioris, qua à Deo præuenti fuimus, dum nos liberos creauit, eâ vtentes ad conſentiendum peccatis, ac ſi in hoc libertas conſtitueretur vt captiui & ſerui peccati reddemur, & dum manum protendit qua fulciri poſſemus ne moueremur, & in peccatum laberemur, ab eius brachiis & charis amplexibus noſmetipſos excuſſimus, vt præcipites ageremur in quælibet nefanda: & membra noſtra, ac omnes animi facultates, & potentias ſeruire fecimus iniquitati, & cum Deus (qui adeſſe nobis paratiſſimus erat, vt pote qui cooperatur omnibus actionibus, naturaliter cunctis creaturis præſentiſſimus, quatenus noſtræ actiones, & rectitudine & ſanctitate præditæ eſſent, quod quidem fieret ſi iuxta ſuam voluntatem totius rectitudinis regulam elicerentur) ſcit ipſe & nouit quâ ratione è contrario maliciosè voluntatem noſtrā ab hac rectitudine auertimus & actiones noſtras vitioſas per defectus & lapſus, & à regula recti & æqui receſſus, quibus defectibus nō cooperatur, in quibus nihil eſt realę aut poſitiuum: iſte namque voluntarius defectus nihilum eſt de quo dicitur, *Ad nihilum redactus ſum & neſciui.* Cum igitur ſupremus ille iudex vias, & ſemitas noſtras obſeruauerit, intentiones diſcuſſerit, greſſus dinumerauerit, attentè cuncta opera vitæ noſtræ intuitus fuerit, mirari non debemus ſi verbum æternum per quod omnia facta ſunt, qui ex intellectu Patris ab æterno genitus pro prærogatiua ſingulari dignitatis filiationis æternæ, hanc habet dignoſcendi omnia omnimodam poteſtatem, iudicare poteſt an res creatæ conformes ſint ideæ ſeu exemplari, quam ſeu quod recipit dum ab æterno patre generatur, ſuam non retractat ſententiam: veriſſimum enim tulit Iudicium, meriti aut demeriti cuiuſlibet actionis omneſque actiones cognoſcit, & ſpecificè & indiuidualiter tam ſecundum eſſentiam, quam actualem earundem exiſtentiam, tam abſolutè quam reſpectiuè, tam in cauſis & motiuis quam in effectibus, & conſequentiis exinde ſecutis omnibuſque aliis circunſtantiis, ſi quæ excogitari poſſunt. Ex perfecta igitur cognitione eorum de quibus fertur Iudicium ſententia fit irreuocabilis.

Secundo diximus Iudicem eſſe inflexibilem, qui nulla paſſione odij aut amoris ſeu cuiuſlibet alterius animi motus ſeu affectus inducitur, ſed eum induit affectum, qui ex cognitione certiſſimâ cuiuſcumque actionis elici debet, itaut ſi odio videatur digna ex ſe illam odio proſequitur, eamque deteſtatur, ſi digna ſit amore eam probat & diligit, eo tamen modo quod ex amore Iudicium non alteratur vt melior exiſtimetur; ex odio iudicium non proferatur de ea deterius: vnde nec maior merces tribuatur quam actio meteri poſſit ex amore, nec ſupplicium ſeuerius exigatur, quam enormitas ſceleris patiatur ex odio.

l. Digeſt. tit. 18. l. 19. præſcribitur Iudicibus quomodo ſe gerere debeant in Iudiciis, *Neque,* ait lex, *in cognoſcendo excandeſcere aduerſus eos quos malos putat, neque precibus calamitoſorum illacrymare oportet, id enim non eſt conſtantis & recti Iudicis, cuius animū vultus detegit.* Ita ille textus. Inſenſibilis eſt Iudex Chriſtus nec amore nec odio ducitur, vnde in ſententiâ A ſuâ permanet firmus. Iudicium prolatum de actionibus hominum non mutabit: Carnem ſuam Iob quia ſenſibilis erat doloribus dicebat non eſſe æneam c. 6. At pedes Chriſti ænei ſunt quiâ inſenſibilis eſt in iudicio, nec affectus ductus contra id quod optimè perноſcit fert ſententiam, ſed prout ſyncere de cunctis iudicat, ſynceram etiam & inalterabilem, & immutabilem profert ſententiam, nam cum Iudicium proferat ſecundum veram rerum naturam, cum eſſentiæ & naturæ rerum ſint inuariabiles, & æternæ veritatis, ſemper verum erit actionem virtuoſam eſſe laudabilem, & remuneratione dignam; malam eſſe vituperabilem & ſupplicio dignam, ſicque latâ ſemel ſententiâ de rebus prout in ſe ſunt, nunquam illam immutabit.

B Denique quis de eius ſententiâ prouocare merito poſſet? An boni? Nullo equidem modo: nam cum percipiant ſe vltra condignum remuneratos quamnam haberent prouocandi rationem, qui vltra quod meriti fuerunt recipiunt ex liberalitate gratuitâ dantis, quin etiam in eis erga Deum ineſt maior charitas, & amor gloriæ eius, quam vt de gradu gloriæ ſibi collatæ conqueri valeant: An mali? At condemnat, & arguit eos propriâ ipſorum conſcientiâ, & vermis eorum ſemper corrodens non moritur, quo fit vt quamuis cum rabie & furore id faciant fateantur tamen in penetralibus cordis ſe citrâ condignum puniri, minoremque eſſe pœnam quam eo-
C rum nequitiæ promeruerint, quibus Deum infinitæ maieſtatis offenderunt: Et ſi ratio ipſorum proprio amore quo quæ ſua ſunt tantum ſpeculātur, minimè eſſet offuſcata, aut ex vehementia dolorum omnimode à conſideratione veri diſtracta, pro horrendis blaſphemiis quas contra Deum euomere non ceſſant, in approbationes diuinorum iudiciorum, & laudes diuinas prorumperent, quin & agnoſcerent perditionem ſuam ex ſeipſis ortum habuiſſe; audirentur dicentes, vel, *Digna factis recipimus*, vel, *Juſtus es Domine & rectum Iudicium tuum.* Aut iſtud Sapiens c. 5. *Ergo errauimus à via veritatis, & Juſtitiæ* Sapient. 5.
lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Et paulo poſt: *Et virtutis quidem nullum ſignum*
D *valuimus oſtendere, in malignitate autem noſtra conſumpti ſumus, talia dixerunt in inferno hi qui peccauerunt.* Et quis cauſam reproborum tueri aut defendere auderet? Crimina eorum publica, ſeu publicum offendentia, quæ à nullo tolerari aut approbari valent, imo potius cum naturam omnem, naturæque autorem offendant nullus conqueri poteſt ob pœnam ſeu ſupplicia, quæ peccatores ſupra capita ſua attraxerunt, dum hæc perpetrarunt ſcelera. Dicitur 4. inſt. l. 4. textu 18. Quod publica Iudicia ſunt, quod cuiuis ex populo executio eorum plerumque datur, qualia ſunt crimina eorum qui aliquid moliuntur, contra imperatorem, regem aut rempublicam, qualia ſunt adulteriā, aliæque fædæ & turpiores voluptates, qualia ſunt homicidia parricidia
E falſitates & fraudes, violentiæ, ſacrilegia, liberum eſt vnicuique talium criminum procurare punitionem, vt ex Iuſtiniano patet. At quid dicemus? Certe in Iudicio finali talia multa punienda erunt, ſed inſuper de quolibet mortali peccato dicendum eſt ipſum eſſe crimen læzæ Maieſtatis diuinæ, ordinem vniuerſi peruertens. Eſt enim adhæſio ad creaturam cum detrimento fidelitatis, quæ creatori reddenda eſt. Eſt verum adulterium contra fidem vero ſponſo Chriſto ab vnoquoque fidelium ſeruandam; eſt verum homicidium Patris, nam ſi Deus poſſet occidi, per peccatum mortiferum vita illi eriperetur, fraudem facimus peccando mortaliter toti naturæ, quæ nos ſuſtentat & alit ea ſpe & expectatione quod laudes Deo pro ipſa ſeu vice eius exſoluemus. Eſt

Digitized by Google

furtum & ſacrilegium manifeſtum abutentes creatu-
râ, quæ ad Dei gloriam manifeſtandum creata eſt,
imo & nobis ipſis qui eius obſequio deuouemur:
Cur non igitur natura omnis iure & merito contra
nos non intentaret accuſationem vehementiſſimam
& contra nos non inſurgeret, & notoriè criminoſos
noſtræ contlemnationi non ſubſcriberet & ſenten-
tiam qua reprobi inflammas inferni detrudentur
non approbaret? Iuſte igitur tunc pugnabit vniuer-
ſus orbis contra inſenſatos.

Quod ſi antiquitus parricidæ hac pœna plectebantur vt in ſacco coriaceo includerentur cum cane, & gallo, viperâ & ſimiâ, & in aquam hoc modo incluſi immergerentur vt omnium elementorum vſu viuus carere incipiat & ei cælum ſuperſtiti, & terra mortuo auferatur, ſiquidem verum ſit quod quilibet peccator parricida eſt nonne merebitur quilibet peccans obliuionem æternam, & priuationem omnium è quibus aliquod ſolamen haurire poſſet? In hoc tantum miſeriores quod quamuis cum omni rigore puniantur, nulla tamen conquerendi cauſa occurrere poterit, quod tamen vertitur aliquando in ſolatium iis qui in hac vita damnantur ad mortem, ſi eis dicere liceat immerito has pœnas ſibi infligi, gloriarique poſſint de vitæ integritate, & innocentiâ. Cum igitur nec reprobis vlla cauſa adſit prouocandi à ſententiâ Iudicis, manebit certe firma & inconcuſſa, nec vnquam reſcindi poterit.

Sed habeo aduerſus te pauca, quia permittis mulierem Iezabel.

Quod iſta Iezabel eſt Synagoga antiqua Iudæorum repudiata ſeu reprobata ob perfidiam.

ANNOTAT. II.

QVænâ ſit illa Iezabel inquirimus, vt verum huius loci ſenſum elicere poſſimus: & recentiorũ adduco expoſitiones, & 1. Gagneus ait: *Hanc Iezabel quidam putant hæreticam quandam fuiſſe mulierem ſic appellatam; quidam ſynagogam vniuerſam pſeudo-Apoſtolorũ. Græca ſcholia hæreſim Nicolaitarum, tropice Iezabelis nomine impiæ mulieris de qua 3. Regum 22. ſignificari putant, quæ vere Dei ſeruos ſeducebat, ac fornicaci docebat, ac idolothyta manducare: fornicationem autem & corporalem, & ſpiritualem ſcilicet ipſum à Domino Deo defectionem intelligere poſſumus.* Ita Gagneus. Conſentit his Emanuel Sa: *Secta*, inquit, *aliqua hæreticorum vel certe aliqua mulier ſecta Nicolaitarum.* Quin & Menochius: *Fuit hæc Iezabel nobilis & potens aliqua mulier hæretica quæ prophetice mentiendo propagauit ſectam Nicolaitarum docens licere fornicari & edere idolothyta, ſicut Ieſabel propagauit cultum Baal: porro Ieſabel dicitur, non quod ita appellaretur, ſed quod antiquæ illius reginæ Iezabelis mores imitaretur.* Ita Menochius, & Tirinus poſt Bedam, Rupertum, Primaſeum & Peretium, quos citat Tirinus.

Melius vt arbitror Ludouicus ab Alcazar putat per Iezabel accipi ſynagogam, id eſt, Iudæos qui inexpugnabili odio proſequebantur Apoſtolos, & Chriſtianos ſicut Iezabel proſequebatur Eliam, & Dei cultores, eoſque vel in mortem vel in ſuam hæreſim adigebant, contendentes vt ſaltem Chriſtiani legem Moyſis obſeruarent, itaque Iudaiſmum cum Chriſtianiſmo miſcerent vnde multos ſeducebant: Ita etiam ſenſit Cornelius à Lapide, quibus addo, quod ſicut illa antiqua Iezabel olim Nabuthem occidit, vt vineam eius poſſideret ita ſynagoga occidit Chriſtum vt vineam poſſideret: *Ecce*, dixit ipſa, *hæres, veuite occidamus eum, vt noſtra fiat hæreditas.* Huic igitur ſynagogæ optimè conuenit nomen Iezabel, quod à Cælio Pannonio & Ambroſ. Anſberto interpretatum legimus, ſanguinis fluxus, vel fluens ſanguine, vel etiam ſterquilinium: ſiue ob ſanguinolenta ſacrificia antiquæ legis, & carnales ceremonias, quibus erant addictiſſimi, ſiue ob impuritatem vitæ, quam exprobrabat Phariſæis, & ſcribis Chriſtus Dominus, Matth. 23. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis eſt calicis, & paropſidis, intus autem pleni eſtis rapinâ, & immunditiâ*, vel fluens ſanguine, id eſt, deficiens ob ſanguinem iuſtum iniuſtè effuſum dum clamauerunt: *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Vel etiam ſterquilinium, quia ablata ab eis verâ fide & religione remanet illis tantum ignominia & confuſio, iuxta illud Malachiæ 2. *Ecce ego projiciam vobis brachium, & diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolemnitatum veſtrarum, & aſſumet vos ſecum*; Quaſi dicat, Armum quo lege præceperam vobis ſeparari & dari Leuit. 7. v. 31. indignanter vobis projiciam commotus quia victima mihi non placuerit, quia immunda, & manca, & vt armus debebatur Sacerdotibus in hoſtia pacifica ita etiam ventriculus vt ibidem habetur, ſenſus ergo eſt: Offenſus peccatis veſtris, non tam dabo vobis ventriculum, quam eius ſtercus proiiciam in vultum veſtrum, vel ſimplicitèr ſenſus eſt: Solemnitates veſtras quas vt ſtercus abominos rejiciam indignabundus, & in vultum veſtrum projiciam, & aſſumet vos ſecum, id eſt, ſtercus inuoluet vos ſeu adlunget vos ſibi & ſe vobis, vt ſemper ſordidi illo ſitis idemque contemptibiles & execrabiles. Ita ex Emanuel Sa, & Menochio. Sed vt puto idem eſt ac ſi Deus diceret: Honor veſter erat quod me Deum ſacrificiis colere poteratis, ſed quia nunc ſacrificia veſtra abominabilia facta ſunt mihi, hic Dei cultus vobis olim honorificus vertetur in ignominiam & confuſionem, ac ſi ſtercus hoſtiarum veſtrarum in vultum veſtrum projiceretur. Optime igitur repudiata ſynagoga nuncupatur ſterquilinium, nam ſi olim ſub Antiocho Epiphane aliiſque Tyrannis vexandi, ridendi, illudendi traditi ſunt Iudæi, multo magis deridendi & illudendi erant ſub Tito & Veſpaſiano, itaut ſynagoga eorum futura ſit tantum ſterquilinium, id eſt, locus ſtercorum immunditiarum ſeu ignominiæ & confuſionis. Denique ſicut infauſtum fuit connubium Achab cum Iezabele filia Ethbaal Rege Sidoniorum de quo dicitur 3. Regum 16. *Nec ſuffecit ei vt ambularet in peccatis Ieroboam filij Nabat. Inſuper duxit Iezabel filiam Ethbaal Regis Sidoniorum.* Ex tali enim affinitate factum eſt, quod addit ſcriptura: *Et abiit, & ſeruiuit Baal, & adorauit eum*, itaut ſceleribus & peccatis ſuis quibus imitabatur Ieroboam & hoc ſcelus addidit vt duceret vxorem, cuius gratiâ, & impulſu ad idololatriam manifeſtam ſe contulit: ita infauſtum fuit poſt repudiatam ſynagogam illi adjungi aut fuere, ſiquidem quos coniunctos habebat eos ad impium cultum falſi Meſſiæ, quam expectat propellebat, ſe enim dicit Propheten dum alium Meſſiam à Chriſto expectandum prædicit: & cum ceremoniæ antiquæ legis ad quarum obſeruationem volebat addicere, & compellere primos Chriſtianos, conſummatis omnibus in Chriſto, nullam amplius haberent veram ſignificationem, prædicare alium Meſſiam futurum, velle adigere ad ceremoniarum legalium obſeruationem Dei cultores perinde erat, ac ſi eos vellet compellere ad fornicationem & manducationem ciborum, qui idolis immolabantur, à qua doctrina peruerſa ſedulo vult Chriſtus Dominus fideles Chriſtianos diſtrahi, vt non ſecundum carnem ambularent: nec luxuriæ aut gulæ inſeruirent, imo ne idololatræ efficerentur, dum ſub his ceremoniis falſum Meſſiam

Gagneus. Sa. Tirinus. Alcazar. Malach. 2. Leuitic. 7. 3. Reg. 16.

colerent. A familiaritate igitur societate, aut amicitiâ synagogæ repudiatæ deterret Christus in hac epistolâ propter manifestum periculum subuersionis.

Quantum autem synagoga Iudæorum promulgationi Euangelij contradiceret patet ex libro Actuum Apost. Et quàm periculosum esset ei in all-
Ad Galat. 1. quo consentire patet ex graui reprehensione Galatarum S. Pauli eos ita compellentis: *O insensati Galatæ quis vos fascinauit non obedire veritati ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est in vobis crucifixus? Hoc solum à vobis volo discere, ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei? Sic stulti estis vt cum spiritu cœperitis nunc carne consummemini.* Vides quam
Ad Galat. 5. grauiter & serio sanctus Paulus Christianos deterret ab operibus legis, vnde c. 5. ad Galatas absolutè ait: *State & nolite iterum iugo seruitutis contineri. Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini Christus nihil vobis proderit.* Et paulo post: *Vtinam abscindantur qui vos conturbant, vos enim in libertatem vocati estis fratres, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis:* Vnde tandem concludit, *quod si spiritu ducimini non estis sub lege, manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, &c. Quæ prædico vobis sicut prædixi quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur.* Vides quomodo qui adhærent Iezabel, id est, operibus carnis ab ea seducuntur, & in has immunditias & impietates propellantur, vt merito ab ea secedere & separari optimum sit, nisi velimus eius supplicij fieri participes qui eius criminibus sociaremur. Nam cum non iustificetur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, vt docet S. Paulus, Iudæi autem qui tunc erant opera legis non perficerent in fide veri Messiæ cui credere nolebant, hæ omnes obseruantiæ legales falsitatem, & errorem redolebant. Itaut qui illas obseruabant fornicationem admittebant spiritualem, & qui de carnibus immolatis eorum manducabant, edebant de idolothytis: erant enim carnes immolatæ intuitu Messiæ cuiusdam venturi, id est, intuitu alicuius rei quæ non est futura, non enim est aliud nomen in terra in quo nos oporteat saluos fieri præter nomen Iesu Christi qui iam aduenit, & pro nostra salute mori dignatus est. In hac igitur Epistolâ S. Ioannes declarat repudiationem mysticæ Iezabel, quæ cum fidem vero sponso fregerit non solum crimine adulterij sese polluit, sed etiam semetipsam prostituit quibuslibet immunditiis, diciturque hic docere fornicationem, quia quicquid operabatur erat continua quædam vaga libido eam contaminans: *Omnia enim*, ait S.
Ad Titum c. 1. Paul. ad Titum. c. 1. *munda mundis, coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum mens & conscientia, confitentur se nosse Deum factis autem negant cum sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.* Ita Paulus. Et reuerâ ante Christi aduentum illæ ceremoniæ mundæ erant, quia verum Messiam designabant, & ideo suos obseruatores sanctificabant: at post eius aduentum & ascensum in cælum eædem ceremoniæ inquinabant suos cultores propter infidelitatem eorum qui illas obseruabant, qui increduli verum respuebant Messiam, & seducti & seducentes alium falsum expectabant & adhuc expectant: quâ de causâ quidquid Iudæi de antiquis suis institutis in praxim redigebant, quæ olim instituta fuerant ad annunciandum veri Messiæ aduentum, & figurandam veritatem gratiæ quam adferre debebat, hoc totum post eius aduentum erat purum putum mendacium, erat im-
1. ad Cor. 8. pium: *Scimus*, enim ait Paulus, *quod idolum nihil est*, huic igitur in posterum adhærere synagogæ nihil est aliud quam supra caput suum pares attrahere cala-

A mitates, quæ olim Achab oppressерunt ob sibi matrimonio coniunctam Iezabelem. Vnde in hac epistola dicitur; *Et qui mœchantur cum ea in tribulatione magna erunt.*

Cum igitur hæc Iezabel designet synagogam Iudæorum, quæ contradicebat iis quæ ab Apostolis dicebantur & prædicationi Euangelij, & totis viribus conabatur extinguere charitatem & fidem in Christum verum Messiam merito reprehensibilis erat Episcopus Thyatirensis qui sub aliqua spe conuersionis illius permittebat fidelibus vt cum Iudæis familiariter conuersarentur, nec audacter sese opponebat synagogæ docenti. Et sic cum Dominus ait, *Quia permittis*, &c. Idem est ac si diceret: Per-
B mittis synagogam quæ iactatur se sedere supra Cathedram Moysis & in fidem Messiæ futuri adhuc obseruare legalia instituta, adhuc docere, quo fit vt multi seducti ab ea, auertantur à vera fide, & fornicentur cum erroribus variis, imo & idololatræ efficiantur expectantes seductorem, obseruantes ea quæ Messiam futurum designant, quod idem est ac si quis manducaret de cibis qui idolis immolantur, & sic proinde attendentes variis erroribus facilius luxuriâ, & gulâ coinquinentur. Quibus luxus & venter pro Deo est, facillimè enim ab errore & hæresi fit ad vitam luxuriosam transitus, sicut etiam vicissim ex intemperantia facillimè fit in hæresim lapsus. Fundamentum enim impietatis proculdubio
C est vitæ improbitas ex Theodoreto l. 2. hæretic. fabul. Vnde non mirum fuit si synagoga antiqua à Christo defecerit eiusque repulerit doctrinam, quæ superbiam deprimebat, auaritiam conculcabat, vitia carnis prohibebat, nam vt legere est apud Baron. in apparat. n. 8. Grassabantur temporibus Christi, hypocritæ, ambitiosi, iniqui, & praui homines gloriam mundi magis quam gloriam Dei quærentes, quos arguebat saluator vocans eos hypocritas, cæcos, serpentes genimina viperarum Matt. 23. Et in-
Matt. 23. tanto numero erant vt Baronius in apparatu n. 16. dicat: *Fere cunctis in errorem adductis, vix exiguus numerus illorum remansetat qui sacramentum veræ religionis, quod à sanctis Patriarchis, & Prophetis acceperant retinerent atque seruarent: pusillus plane grex iustorum redemptionem Israël expectantium.* Hæc ille. Erat ex hac morum deprauatione ortæ plurimæ sectæ Pharizæorum Sadduceorum, Essenorum Samaritanorum, Ossennorum, Herodianorum, quibus addere possumus Nicolaitarum sectam quæ statim post promulgationem Euangelij sese his adiunxit, vt sanæ doctrinæ Euangelij aduersaretur, fieretque synagoga satanæ, vt fornicationem corporalem doceret, sicut synagoga perfida Iudæorum fornicationem spiritualem prædicabat, dum legem Moysis falsâ traditione corrumpebat, vt tradit S. Ireneus l. 4. c. 25.
S. Ireneus. *Seniorum*, inquit, *ipsorum traditio, quam ex lege obseruare fingebant, contraria erat legi, qua data est per Moysem propter hoc, & Esaias ait, Caupones tui miscent vinum aqua, ostendens quod auferto Dei præcepto miscerent sermones aquatam traditionem, id est, aggredientes adulteram legem, & contrariam legi, sicut & Dominus fecit manifestum dicens eis: Quare transgredimini præceptum Dei propter traditionem vestram.* Ita S. Iren. Quin & docebat manducare de idolothitis dum falsum Messiam prædicabat venturum, de quo S. Athanas. oratione
S. Athanas. orat. 3. 3. *Non enim conueniebat per alium quempiam istum redemptionem fieri sed per eum qui natura Dominus erat: Nec tametsi per filium creati essemus alium tamen Dominum nobis agnosceremus, lapsis in Arianorum Gentiliumque deliria creaturæ potius quam Deo creatori cultum seruitiumque præstaremus. Iudæi contra deerrantes à veritate, expectationem quidem venturi Christi habent, sed illum passurum non arbitrantur, dicuntque prout sentiunt, nos scri-*

Digitized by Google

mus Chriſtum vbi venerit in æternum permanſurum eſſe. A Cur igitur tu dicis quod eum oporteat exaltari? Deinde non verbum in carne genitum, ſed qualem omnes reges eum hominem futurum eſſe ſuſpicantur. Ita S. Athanaſ. Cum igitur Iudæi expectẽt pro Meſſia merum hominem, clarum eſt iſtos Meſſiæ futuri cultores vere eſſe idololatras qui creaturam pro Creatore & Domino colant, & venerentur: docendo itaque Synagoga talem Meſſiam ſeducebat, docens tum fornicationem, tum manducationem de idolothytis.

Seducere ſeruos meos.

Quænam potiſſimum Iudæi obijciebant fidelibus vt eos ſeducerent, & ad ſpiritualem fornicationem inducerent, & quanto odio ſynagoga Chriſtianam religionem B proſequeretur.

ANNOTAT. III.

PATET ex B. Iuſtino Dialogo contra Triphonem, Iudæos attentaſſe Chriſtianos ſeducere, quod eorum inſtitutum plane ſimillimum eſſet Gentilium inſtitutis, ſuoſque mores componere viderentur ad mores gentium. Textum S. Iuſtini Ioachimus Perionius in obſeruationibus ſuis in Iuſtinum, ad hanc argumentationis formam reduxit. Qui nec feſtos dies agunt nec Sabbatha ſancta habent, nec carnis præputium amputant, & in homine ſpem ponunt non in Deo qui eam legem tulit, eorum nec vita nec religio à gentium vita religionemque differt: vos autem nec feſtos dies agitis, nec Sabbatha ſancta habetis, nec carnis veſtræ præputium amputatis, & in homine, qui cruci ſuffixus eſt ſpem collocatis. Veſtra igitur ô Chriſtiani vita, veſtraque religio, nec à gentium vitâ, nec à religione differt. *Iuſtinus Dial. cum Tryph.*

At quid efficaciùs potuiſſet viros prudentes, & ſapientes, & veri Dei cultores auertere à religione Chriſtianâ, quàm ſi conſtaret Chriſtianam religionem gentilium moribus eſſe plane ſimillimam? Vnde has calumnias S. Iuſtinus refellere voluit, & ab iis improperiis vindicare Chriſtianam religionem, dum in hoc dialogo 1. docet quod antiquata lege veteri vt noua lex ſuboriretur, ab vno & eodem Deo vero lata, non amplius ſeruanda ſunt præcepta antiquatæ legis, ſed nouæ legis præceptis omnino eſt vtendum: Secundò docendo Chriſtianos perfectiori modo obſeruare legem veterem, quam Iudæi qui legem ſuam exterius tantum ſeruandum eſſe ſibi perſuadebant, nec ad finem propter quem à Deo præſcripta erat attendebant, Chriſtiani vero non carne ſed ſpiritu prout intelligenda erat, illam ſeduló obſeruabant. Tertiũ docendo Chriſtianos non in hominem ſpem ſuam collocare, ſed in Deo: vnus enim erat & idem Deus veteris legis conditor, & nouæ inſtitutor. Adde quod cum ille cruci affixus in quo ſperant Chriſtiani verè ſit Deus, manifeſtè apparet ipſos non in homine ſed in Deo ſpem ſuam collocare, quæ tria S. Iuſtinus probat. Et Triphoni objicienti Chriſtum verum illum eſſe qui ab Eliâ Prophetâ inungi, & annunciari debet; at Chriſtus quem nos recipimus non fuit ab Eliâ vnctus, ergo noſter Chriſtus non eſt Chriſtus verus: Reſpondet Iuſtinus, Duos Chriſti aduentus à vatibus prædici, vnum in quo & naturam ad patiendum idoneam habeat, & ignominiâ afficiatur, deformiſque videatur: alterum in quo clarus, & Iudex omnium veniet. Cum autem dicitur Eliam venturum apud Zachariam hoc intelligitur de aduentu horribilis & magni diei in quo Iudex apparebit. Vnde quod adhuc non venerit Elias ante hunc ſecundum aduentum, prior illius aduentus non eſt denegandus. 2. Reſpondet in Ioanne Baptiſta veniſſe Eliam, quia Dei ſpiritus qui in Elia fuerat in Ioanne fuit. Siquidem Ioannes venit primi aduentus præcurſor in ſpiritu & virtute Eliæ, Matth. 17. In quo ceſſarunt Prophetiæ veteris Teſtamenti, fuit enim vltimus Prophetarum, qui annunciauit Chriſtum noui Teſtamenti inſtitutorem, Prophetiâ veteris Teſtamenti finem habente cum regno Iuda, adueniente Chriſto de quo dictum fuerat: *In eum gentes ſperabunt.* Nam gentes quæ in Chriſtum credunt, & ex omnibus nationibus Chriſti fide, iuſti piique effecti ſunt cum iterum in ſecundo aduentu adfuturum ſperant. 3. Oſtendit Iuſtinus in Chriſto adimpleta eſſe omnia quæ de vero Meſſia prædicta erant, quod ſi ſcripturæ promittant Chriſtum clarum & magnum & regem gloria refulgentem hoc verificari ex reſurrectione eius glorioſa, & triumphali aſcenſione in cælum. Hæc ſufficiant ad noſtram interpretationem vt videamus quomodo myſtica Iezabel ſeducere conabatur fideles Chriſti Dei & Saluatoris cultores.

Quanto autem odio proſequeretur Chriſti nomen, refert idem Iuſtinus in eodem Dialogo dum ait: *Non modo non vos pœnituit cum eum à mortuis excitatum eſſe didiceritis, ſed viros electos in totum orbem miſiſtis qui prædicarent & nunciarent ſectam quandam impiam & legibus contrariam excitatam eſſe à Ieſu quodam Galilæo impoſtore, quem cum in crucem egiſſetis diſcipuli eum furati eſſent in ſepulchro in quò à cruce ablatus conditus fuiſſet vt errorem homines implerent, ac deciperent quod eum excitatum eſſe, & in cælum recediſſe dicant, voſque contradicendo eos docuiſſe: hæc ne in eos qui eum Chriſtum doctorem deique filium eſſe profitentur, apud omne genus hominum, impia, flagitioſa, & nefaria dicitis: præterea capta vrbe veſtra deſertaque regione non vos pœnitet horum ſcelerum, ſed etiam eum eoſque qui in eum credunt deteſtari minimè dubitatis.* Ita Iuſtinus. Hoc odio pulſus, vt refert idem Iuſtinus Apolog. ſecundâ, quidam Barchochebas defectionis cuiuſdam Iudæorum princeps, Chriſtianos ſolos ad grauia ſupplicia niſi Ieſum Chriſtum negarent maledictiſque & contumeliis afficerent, rapi iubebat. Non mirum ergo ſi illa miſera Iezabel quia pœnitentiam agere noluit à fornicatione ſuâ, mittatur in lectum infirmitatis incurabilis & ſi qui mæchantur cum ea in tribulatione ſint maxima, & filij eius in morte interficiantur vt hic prædicit & docet S. Ioannes. Sanctiori & meliori modo ſe gerebant Chriſtiani primitiui, quorum nomine ait S. Iuſtinus ibidem: *Noſque vos & eos qui veſtra opera hæc de nobis exiſtimarunt nullo odio proſequimur, ſed precamur vt vel nunc omnes vos pœniteat, miſericordiamque à Deo rerum omnium parente qui magna miſericordia præditus eſt, conſequamini.* Ita Iuſt. Hac charitate flagrantes non modo non fuerunt ſeducti, ſed mirabiliter multiplicati totum orbem inuaſerunt quod fuſiùs docet ibidem S. Iuſtinus.

Docere & ſeducere ſeruos meos.

Ex periculo ſubuerſionis ob converſationem cum perfidis Iudæis, conjicere licet quantum ſit periculoſum Catholicis familiariter converſari cum hæreticis.

ANNOTAT. IV.

CAVETE vos, dicebat Magnus Baſilius de vera fide, *ab iis qui habent de fide cogitationes ex mente depravatâ prodeuntes, tanquam ab his qui fide Euangelica, & Apoſtolica, & Charitate deſtituti ſunt, & rememoremini verborum Apoſtoli dicentis, Sed & ſi Angelus de cælo Euangelizauerit vobis præter id quod accepiſtis à nobis anathema ſit: vt obſeruetis præceptum* S. Baſilius.

Digitized by Google

iſtud: *Attendite à falſis Prophetis. Et aliud etiam Apoſtoli, Vt ſubtrahatis vos ab omni fratre inordinatè ambulante, & non ſecundum traditionem quam acceperunt à nobis: Ordine incedamus in regula ſanctorum, ne ſi aliter fecerimus inconſideratâ familiaritate cum hæreticis ſubuertamur.* Didicerat certe S. Polycarpus verbis & exemplis ſanctiſſimi Apoſtoli præceptoris ſui Ioannis hæreticos velut manifeſtos Dei hoſtes nec eſſe in ædibus admittendos, nec ſalutatione Chriſtiana conueniendos, nec vllo modo audiendos effutientes ſua dogmata ſacrilega & impia vt ex S. Ireneo patet. *Ireneus apud Euſebium.* Epiſtol. ad Florinum apud Euſeb. l. 5. hiſto. c. 19. *Atque*, inquit, *eorum certe iam Deum conteſtari poſſum illum beatum & Apoſtolicum Presbyterum Polycarpum, ſi eiuſmodi dogmata forte audiuiſſet continuo exclamaturum, & aures obturaturum ac de more ſuo dicturum fuiſſe, ô bone Deus in quæ me tempora reſeruaſti vt iſta patiar? Atque ex eo loco quo vel ſedens vel ſtans ea audiuiſſet, extemplò plane aufugiturum.* Ita ille. Nec immerito: *S. Ephrem.* rectè eum S. Ephrem in teſtamento ſuo ait, *Modicam eſſe differentiam, ſi quis dicatur habitare cum dæmonibus aut cum homine apoſtata, & malo deſertore, namſi dæmonem abiuraueris timore auſugiet nec enim ſtare poteſt, ſi Chriſti nomen contra illum aut nominetur aut inuocetur. At ſi hominem iniquum & infidelem coniurare volueris reduplicabit malitiam, nec à ſtultitia ſua reſiliet, & ſicut cancer carnem corrodit redetentim cui adhæret, ſic ſermo eorum paulatim amorem veritatis expungit, mentiſque flexibilitatem, qua veritati acquieſcimus ſtatim atque proponitur. Sermo eorum unquam cancer ſerpit. Fugite*, inquiebat S. Ephrem, quem S. Chryſoſtomus nuncupat *S. Chryſ.* dormientium excitatorem, torpentium ſeu ſtupidorum ſtimulum, afflictorum conſolationem, iuuentutis inſtructorem & exhortatorem per diſciplinam quam tradit iuuenibus, Monachorum ſpeculum, pœnitentiæ ductorem, enſem & lanceam ad concertandum cum hæreticis, virtutum receptaculum ac Spiritus ſancti habitaculum, & reclinatorium. *Fugite*, inquam dicebat ille tantus vir, *chariſſimè fratres hominum hæreticorum & laſciuorum conſuetudinem*, &c.

Tanto magis etiam fugienda ſi ipſi hæretici bonis moribus fuerint præditi, vnde male ſonat in ore Catholicorum cum eorum mores laudant & actus, & dicunt: Cur conuerſationem eorum fugiemus? Bonis ſunt moribus. At latet anguis ſub herba, & venenum cum vino miſcetur: audiamus & Origenem *Origenes.* homil. 7. in Ezechiel. Et quam periculosè audiantur hæretici ſua dogmata proferentes perſpiciemus. *Accepiſti*, inquit, *veſtimenta varia, & operuiſti illa, varia veſtis eſt, & his vnus de ſcripturis locus quo induimur aſſumentes viſcera miſericordiæ, benignitatis humilitatis, manſuetudinis, longanimitatis ad ſufferendum inuicem: has varias veſtes, & pulchros amictus, quos nobis largitus eſt Deus ſi laceramus atque conſcindimus, & circumdamus falſæ doctrinæ ad deceptionem hominum, non dubium eſt, quin variis veſtibus operiamus idola, intelliges autem hoc quod dicitur ſi ipſam rem manifeſtius deſcribamus. Videamus mihi aliquem Marcioniſtam, ſiue diſcipulum Valentini, aut certe cuiuſlibet hæreſis defenſorem, & conſidera quomodo idola ſua, id eſt, figmenta, quæ ipſe compoſuit manſuetudine, & caſtitate veſtiat vt in aures audientium facilius ex vitæ bonitate ornatus ſermo ſubrepat, & cum hoc fecerit intellige eum aſſumpſiſſe veſtem variam morum, & conuerſationis optimæ, & idolis ſubieciſſe, quæ ipſe conſtruxit. At iuxta mei quidem animi ſenſum multo nocentior eſt hæreticus bonæ vitæ, & plus in doctrina ſua habet autoritatis eo, qui doctrinam conuerſatione maculet: qui enim vitæ peſſimæ eſt non facilè homines ad falſum dogma ſollicitat, nec poteſt per vmbram ſanctitatis audientium decipere ſimplicitatem, qui vero ſermone peruerſus eſt, & diſciplinis ſaluti contrarius, mores autem compoſitos, & ornatos habet, nihil facit aliud niſi accipit indumenta varia inſtituti boni & conuerſationis quietæ, & circumdant ea idolis ſuis, vt magis decipiat audientes. Idcirco ſollicitè cauendi ſunt hæretici qui conuerſationis optimæ ſunt, quorum ſorte vitam non tam Deus, quam diabolus inſtruxit, nam quomodo quaſdam illecebras eſcarum aucupes proponunt vt facilius aues capiant per oblectamentum gulæ, ſic (vt audacius dicam) eſt quædam caſtitas diaboli, id eſt, decipula humanæ animæ vt per iſtiuſmodi caſtitatem & manſuetudinem & iuſtitiam poſſit facilius capere & falſis ſermonibus irretire.* Ita Orig. Dicamus igitur cum S. Ignatio Martyre: *Si quis aliquid dixerit præter ea quæ iam conſtituta ſunt, etſi dignus appareat cui fides habeatur etſi ieiunet, etſi colat per totam vitam virginitatem, etſi prodigia operetur, etſi Prophetiæ dono præditus ſit eum nihilominus habeas pro Lupo, qui ſub ouina pelle ouibus mortem, & peſtem infert. Si quis crucem neget, & crucem erubeſcat, eum pro inimico repute, etſi omnia bona ſua pauperibus diſtribueret, quod ſi etiam corpus flammis traderet eum tamen deteſtari non omittas.* *S. Ignatius.*

Nec etiam dicere tibi liceat: Conſuetudinem hæreticorum non effugio, audio enim ipſos multos optimos proferre ſermones, ſemper in ore gerunt ſcripturam ſacram. Heu! tantò magis ſunt formidabiliores. Certo ſi quis viderit Hæreticum locos ſcripturæ ſacræ connectentem, & adducto vno mox alium proferre, diceres ſermones illius veritatem & pietatem omnino redolere, ſed illos tam male connectunt & peruerſe, tam inconcinne omnes illas ſcripturæ particulas collocat, quod dum putant aliquam veritatis effigiem componere, ſimiam & larvam effingunt veritatis, eos imitantur de quibus S. Ireneus lib. 1. aduerſus hæreſes: *Qui quædam de iis quæ literarum ſacrarum monumentis haudquaquam prodita ſunt lectitantes, & (quod dici ſolet) funem ex arena nectere ſtudentes, probabiliter interim atque ad faciendam fidem appoſitè vel parabolas quaſdam Dominicas, vel Propheticas voces vel Apoſtolica verba iis quæ dicta ſunt accommodare conantur, vt ne commentum ſuum nullius teſtimonij autoritate niti videatur: Ita tamen vt ſcripturarum ordinem ſeriemque tranſiliant, ac, quantum in ipſis eſt, veritatis membra diſſoluant. Transferentes enim ac refingentes, atque aliud ex alio facientes, pleroſque per diuinorum oraculorum quæ figmentis ſuis adaptant, prauè conſarcinatam argutiam in fraudem inducunt, perinde ſcilicet ac ſi quis Regis imagine ex inſignibus gemmis ab induſtrio quodam artifice pulchrè, & eleganter elaborata, ſubiectam hominis formam deleat, ac gemmas illas transferat atque in diuerſum accommodet, canisq; aut vulpis formã efficiat & quidem malè conſtructam ac deinde ſerò affirmet hanc eſſe pulchram illam Regis imaginem, quam pertus ille artifex condiderat (oſtendens nimirum gemmas illas quæ à priori quidem artifice ad Regis imaginem præclarè compoſitæ fuerant, verum à poſteriore ad canis formam improbè tranſlatæ:) Atque per lapillorum ſpeciem imperitiores homines, quique regiam formam haudquaquam norint circumſcribas fidemque ipſis faciat putidam vulpis ſimulachrum pulchram illam Regis imaginem eſſe. Ad eundem m. iſti quoque modum anilibus quibuſdam fabulis conſutis, ac deinde verbis, & vocibus & parabolis hinc atque hinc auulſis oracula diuina fabulis ſuis accommodare ſtudent.* Ita Ireneus, ex verſione Iacobi Billij. Hunc locum S. Irenei ponderauit S. Epiphanius, ſed dum hæc figmenta canis, vulpis aut ſimiæ confingunt quibus vt canes adlatrent veritati, vt vulpes fallere contendant, vt ſimiæ hypocriſi ſua decipiant, ſi quis attentius cuncta perſpexerit animaduertet ſubito eos voluiſſe aliquod rete componere quo ſimpliciores irretirent, ſed quod tamen tam malè conſutum eſt vt nullus ſit omnium iſtorum locorum nexus, nectuntur enim tantum ſicut calculi arenæ, qui ad inuicem nullo annectuntur vinculo, quo fit vt irritus ſit eorum conatus erga eos qui vera *S. Irenæus.* *S. Epiphan.*

Digitized by Google

fide prædicti ſunt qui alis contemplationis volitant ſupra eorum fallacias & circumuentiones, *Fruſtra enim*, vt ait Sapiens, *iaciuntur rete ante oculos pennatorum*: animaduertunt namque quod docet S. Ireneus lib. 3. ad hæreſes c. 2. hæreticos, neque ſcripturis neque traditioni conſentire, *Aduerſus tales*, ait S. Iren. *certamen nobis eſt ô dilectiſſime more ſerpentum lubrici vndique effugere conantes. Quapropter vndique reſiſtendum eſt illis ſi quos ex his retuſione confundentes ad conuerſionem veritatis adducere poſſimus. Etenim ſi non facile eſt ab errore apprehenſam reſipiſcere animam; ſed non omnimodo impoſſibile eſt errorem effugere appoſita veritate.* Ita Iren. S. Ireuens.

Nihilominus nec ſub ſpe conuerſionis temere eſt affectanda cum illis conuerſatio, licet ſit optimum ſtatim atque perſpicimus aliquem errore abduci à via veritatis, conari eum ab errore retrahere, ſi tamen error ſemel imbutus mentem infecerit ſeu incoxerit vix remedium reperies, vnde Apoſtol. Epiſt. ad Titum c. 3. *hæreticum hominem poſt vnam, & ſecundam correptionem deuita, ſciens, quia ſubuerſus eſt qui huiuſmodi eſt, & delinquit cum ſit proprio iudicio condemnatus.* Et quis poſt iſtud Apoſtoli conſilium temere poſſet exiſtimare inolitum, & inueteratum errorem poſſe à mente hæretici deleri facillimè? Itaque non debet quis ſibi facilè & leuiter perſuadere conſuetudinem cum hæreticis affectandam eſſe ſub ſpe conuerſionis. Ad tantum opus, nec ſufficiunt ſanctiores, aut in fide firmiores, aut in doctrina ſublimiores; adeo peſſima eſt diſpoſitio quam hæreſis in mentem ingerit quæ conuerſioni eorum contradicit, & timori Dei & Charitati opponitur. Ad Titum 3.

Inter miracula quæ fiunt in ordine gratiæ conuerſio hæreticorum eſt reponenda: *Si ergo*, inquit S. Ephrem, *fieri poteſt vt ſterilis ſalix in loco arido, & ſicco germinet, fieri quoque poteſt vt aliquando apoſtata erudiatur, nam elatæ mentis conſilia, & ſenſus humiliabuntur ſicut Prophetiæ videtur Eſaiæ prædicanti, omnis mons, & collis humiliabitur, & erant prana in directa, & aſpera in vias planas, ſi igitur ſalix ſterilis in aſpreto quandoque germinabit, etiam Propheticus nobis ſermo confirmabitur, & plura atque maiora iis euenient & accedent prædones, & iniuſti ad diſcendam veritatem. Sicut autem coruus aliquandiu albus viſus fuerit, licet alias ſua natura ſit obſcurus ac niger eſſet, ſimul atq; enim ſeſe ad volandum incitauit, totumque à ſe niuem excuſſit, eodem quo antea colore videntibus apparuit. Similes huic quoque ſane peccatores quippe qui cum ad breue tempus compuncti oſtenderint temporaneos pœnitentiæ fructus futuri iudicij verba formidantes, eo quod in tempore atque propoſito compunctionis eorum ſtabiles non permanſerunt, paulo poſtea quaſi omnium obliti iterum ad priſtinum vitiorum locum abripiuntur.* Hæc S. Ephrem. Tales certe ſunt hæretici, ſalices ſteriles, corui nigri, qui difficille germinare poſſunt aut albeſcere, quod alio colore imbui aliquando cernantur, quaſi coruus niue coopertus, dum ex prædicatione aut lectione Orthodoxæ doctrinæ aliquas bonas cogitationes induunt, attamen propriæ opinioni proprioque iudicio ex conſuetudine nimium adhærentes ſtatim atque volare incipiunt per propriam ratiocinationem mox excutiunt omnia luminis fidei principia, & dogmata, & in obſcuritatem, & nigredinem proprij ſenſus, & tenebras ignorantiæ naturalis redeunt. Quo fit vt ſicut hîc arguitur Epiſcopus Thyatirenſis ex vano, & inutili conatu conuertendi ſynagogam repudiatam à perfidiâ per quandam tolerantiam, & conniuentiam, quod multis erat periculum ſubuerſionis, quia exinde aliqua effulgeret ſpes conuerſionis, ita certè quidam argui poſſent, qui plus propriæ induſtriæ & ſcientiæ, & virtuti innitentes, quam gratiæ Dei ſibi perſuadent eos poſſe conuertere quos Deus aliquando poſuit in terribile & horrendum exemplum ſubtractionis auxilij diuini, permittit enim hæreſes vt poſſint filij lucis diſcerni à filiis perditionis & vt ſeuere puniat temeritatem, & arrogantiam aliquorum, qui omnia ſe ſcire arbitrantur, & qui Iudicia Dei ad ſuam trutinam ponderare, aut eius potentiam commenſurari volunt prout fert ingenij paruiſſima capacitas, & iuxta imbecillitatem propriæ comprehenſionis. S. Ephrem.

Ex his mirari non licet ſi Chriſtus Dominus minas intentat his, qui temerè ſeſe ingerunt in familiaritatem, & malam conſuetudinem cum hæreticis, vel eis adhærent eos tolerant, vel obſtinationem eorum excuſare contendunt, dum ait, *Ecce ego mittam eam in lectum, & qui mœchantur cum eâ in tribulatione magna erunt, niſi pœnitentiam ab operibus ſuis egerint: Vituperabilis enim eſt* (vt ait Rupertus in hæc verba, *ſed habeo aduerſum te pauca,*) *qui propriâ ſalute contentus hæreticam perfidiam quæ alios perdit non digna increpatione redarguit, multo magis vituperabilis eſt qui eos excuſat aut laudat.* Maledictionis enim hæreticæ prauitatis fit particeps. Quapropter audiamus S. Chryſoſtomum ſerm. aduerſus impios hæreticos, & de conſummatione ſeculi hunc locum S. Iacobi expendens. *Quicumque voluerit amicus eſſe huius ſeculi inimicus Dei conſtituetur. Audite*, inquit, *ergo omnes, qui cum hæreticis comeditis aut converſamini ſententiam dolore plenam, quoniam Chriſti inimici eſtis, neque enim qui cum inimicis Regis amicitiam init poteſt eſſe regis amicus, ſed ne vita quidem dignus habetur, ac cum inimicis perditur, & deteriora expectat. Audite igitur, qui cum iis verſamini, vt à ventura ſuper eos fugiatis ira, qui cum his vna in cibo potuque commaculamini, quomodo ad diuina ac tremenda Chriſti audetis accedere myſteria? An non B. Paulum clamantem audiſtis quod non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum? Exite ergo de medio ipſorum & ſeparamini, & immundum ne tetigeritis, nunquid vobis hoc perſuaſimus, aut in vanum laboramus? Attamen propter eos qui volunt, & dant operam vt audiant ac faciant non ſuperſedimus, audite igitur verba Pauli, & nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim ſocietas luci ad tenebras? Et quidem beati iſti Theologi hæc, & plura his de impiis atque infidelibus locuti ſunt hæreticis.* Ita Chryſ. Denique vt ad eos impugnandos prædicationibus calcaria adderet, addit, *Audite ergo qui rectam fidem ſententiamque tenetis, & hæreticis nec conſentitis, audite Paſtores, contremiſcite, & ne ſileatis ſed verum Dei prædicate, &c.* S. Chryſ.

Ecce mittam eam in lectum.

Quodnam ſupplicium ſeu quænam pœna his verbis ſignificatur.

ANNOTAT. V.

EA potiſſimum de cauſâ Chriſtus Dominus non tam citò pœnam ſumpſit, ſed longiori tempore ſupplicium diſtulit ob nefandum crimen læſæ Maieſtatis diuinæ, quo ſe obſtrinxerat ciuitatis Hieruſalé dum illum cruci affixit quod vellet ei concedere aliquod tempus pro agenda pœnitentia de præuaricatione ſua, & quo tempore durante vacare poſſet attentius conſiderationi eorum quæ ab Apoſtolis ei proponebantur vt legem amplecteretur Euangelicam, antiquas ceremonias, & vanum alterius futuri Meſſiæ expectationem omnino deſerens crederet in eum quem impiè, & ad euerſionem ſuam cruci affixerat: At finalis impœnitentia illius ciuitatis tale à diuinâ ſeueritate exegit ſupplicium. *Ecce ego mittam eam in lectum.*

Quænam autem pœna in his verbis contineatur, variæ ſunt autorum expoſitiones. Cornelius à Lapi- Cornelius à Lapide.

Digitized by Google

de hanc mulierem ſumens pro aliquâ Muliere famoſiſſimâ hæreticâ putat intelligendam eſſe infirmitatem aliquam, qua è lecto in quo decumbere coacta fuerit ob infirmitatem tranſeat in infernum.

Gagnæus. Gagneus ait: *in lectum græca ſcholia explicant ἀσθένειαν i. infirmitatem hoc eſt talem ei ægrotationem immittam vt iacere in lecto cogatur.* Emanuel Sa: *Quaſi diceret, morbo afficiam, quidam tamen infernum intelligunt.*

Sa.

Tirinus. Hæc ille. Tirinus: *mittam eam in lectum agritudinis, & ni reſipiſcat transferam in lectum inferni vbi ſubter eam ſternetur tinea, & operimentum eius erunt vermes: Idem Beda, Rupert. & Richardus Victor.* Hæc Tirinus.

Dionyſ. Carthuſ. Dionyſ. Carthuſian. *Graui languore eam viſitabo, & per mortem corporalem mittam eam ad mortem ad lectum infernalem vbi ſepultus eſt dives.* Ita ille. Alcazar cenſet per hanc comminationem intelligendam eſſe morborum diuerſitatem, bellorum tumultus & ingentia mala quibus Iudæorum populus afflictus fuit tum ante deſtructionem ciuitatis, tum poſt eius euerſionem.

Ansbertus. Ambroſ. Ansbert. ſecuritatem delinquendi ſignificari vult. *Quid itaque*, inquit, *hoc loco appellatione lecti niſi audaciam ac ſecuritatem delinquendi accipere debemus?* Et poſt pauca: *Hanc enim deceptoriam ſecuritatem vel audaciam tunc reprobi incurrunt cum peccantes experti non fuerint iræ vindictam, & pœnitentiam eo vſque negligunt donec eis repentinus ſuperueniat interitus ſicut dolor parturientis & non effugient.* Hæc ille: cui concinit Menochius: *Percutiam eam graui aliquo morbo, vel ſenſus eſt, Quando quidem illa non vult pœnitere à fornicatione ſua non cogam illam cum relinquam cuilibet ſuæ voluntatis arbitrium, ſed permittam illam vias ſuas tenere & in ſuis turpibus delitiis volutari.* Ita ille, & optime Anſbert. ponderans ea quæ ſubſequuntur, nempe: *Et qui cum ea mœchantur, in tribulatione magna erunt*: addit, *quæ videlicet reproborum peccandi ſecuritas, non ſolum peccatum eſt ſed peccatum & pœna peccati, quia præcedens peccatum quod per pœnitentiam deletum non eſt hoc eſt IEZabelis videlicet fornicatio hoc de ſe genuit: quaſi enim quædam ſunt peccatoris ſupplicia ipſa vitiorum incrementa, vnde & bene ipſe meretricis lectus tribulatio magna vocatur, quæ videlicet ſupplicium præcedentis dilecti eſſe cognoſcitur, hinc namque per Pſalmiſtam dicitur, non audiuit populus meus vocem meam, & Iſrael non intendit mihi, & dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, & ibunt in voluptatibus ſuis, alias voluntatibus.* Ita Anſbertus.

Menochius.

Libenter tamen ad has expoſitiones, & hanc quam magis literalem exiſtimo adduco. Per lectum in quem mittenda eſt ſynagoga repudiata intelligendo infirmitatem ceremoniarum legalium inſtitutorum, quæ nihil aliud ſunt hodie, quam cortex gratia, & vnctione Spiritus ſancti vacuis, & egena elementa, quæ ad ſalutem æternam nihil omnino conducunt, quo fit vt qui in his iacent, & volutantur eorum omnium obſeruationi addicti ſint tanquam infirmi, quos ardentiſſima febris conſumpſit, quorum & ſanguinem, & ſpiritus ebibit, & vſque ad medullas oſſium corroſit, qui abſque vlla vi aut vigore iacerent in lecto aliorum malorum quæ ſubſecuta fuere ſynagogâ poſt ſuam repudiationem: Et vt à morbis corporalibus ad ſpirituales tranſeamus, certum eſt ſynagogam Iudæorum tanquam febri ac phreneſi quadam ſpiritali correptam, ea dicere & agere, quæ alij audire vel videre erubeſcant, adeo abſurda ſunt portenta figmentorum, quæ pro vera doctrina Cabala Rabinorum eis tradit credenda; alia autem mala corporalia & temporalia imo & æterna ſatis indicantur in his verbis ſubſequentibus; *Et qui mœchantur cum ea in tribulatione magna erunt, & filios eius interficiam in morte*, non enim viua manebit & abſque tribulatione, quæ aliis cauſa fuit ſeductionis eoſque ad fornicationem & manducationem de idolothytis induxit. Quàm graue autem ſit ſupplicium Iudæis, in hac permanere infirmitate perhdiæ qua Chriſtum deſerentes alium expectant Meſſiam patet è contrario ſitu ſanctæ Eccleſiæ: iacet in lecto ſynagoga, at Eccleſia ſtat erecta fide, oculos ad cælum ſublimes gerit, è cælo enim ſcit omne datum optimum, & omne donum perfectum redemptionem, & ſalutem ad ſe deſcendiſſe, graditur alacris & vigore plena, currit in ſemitam mandatorum Dei, ad pugnam parata firmo pede congreditur cum hoſtibus veritatis, admirabiles facit in via perfectionis progreſſus, ambulat de virtute in virtutem donec per donum perſeuerantiæ tandem volatu celerrimo cælum petat videatque Deum deorum in Sion: hinc Cant. 1. ad Eccleſiam dicitur, *Surge propera amica mea*. Et inſuper: *Surge amica mea ſpecioſa mea & veni*. Ne iaceas ò ſponſa ſed ſurge, ne ſiſtas, potius propera; obedit voci excitantis, & vigore plena ſurgit & circuit ciuitatem, aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi, progreditur quaſi aurora conſurgens, ſtat terribilis vt caſtrorum acies bene ordinata, & grellu maieſtatem regiam redolente ad cælum tanto citius properat, quanto promptius flexibili quadam mentis ſubmiſſione obedire parata eſt quibuſlibet mandatis, & inſpirationibus diuinis: vnde de ea Cant. 7. dicitur, *Quid videbis in ſulamite niſi choros caſtrorum? Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia principis! Iunctura femorum tuorum ſicut monilia quæ fabricata ſunt manu artificis.* Eodem modo Eccleſiam excitat Euangelicus Propheta vt ſurgat: *Conſurge, conſurge*, inquit, c. 51. *induere veſtimentis gloriæ tuæ Hieruſalem ciuitas ſancti, & c. 52. Excutere de puluere conſurge ſede Hieruſalem.* Vt ſurgat antequam ſedeat prouocatur, nec enim ad quietem peruenire debet ante labores, nec vt quieſcat recumbēs, & iacens in lecto, ſed ſedens, non enim vt languida quieſcere incitatur ſed ſedere debet in ſignum quietudinis mentis ſuæ, & firmitatis ac conſtantiæ animi & proximæ præparationis ad laborem & pugnam, citius enim ad arma currit qui ſedet, quam qui recumbit, vnde adhuc vt ſurgat compellitur Iſ. 60. *Surge illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum*: quo lumine colluſtratæ gentes & reges ambulabunt & ipſi, *& ambulabunt*, inquit, *gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui.* Denique certum eſt hunc corporis ſitum ſtandi videlicet, animæ ſtatum adumbrare quæ gratia Dei prædita parata eſt ad ambulandum in ſemita mandatorum Dei, & quæ vigilat vt perſeueret iuxta illud Apoſtoli 1. ad Cor. c. 16. *Vigilate ſtate in fide viriliter agite & confortamini*, etenim vt & ipſe monet, *qui ſtat videat ne cadat* 1. ad Cor. 10. *Induite igitur vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli* Epheſ. 6. & per perſeuerantiam, *Sic ſtate in Domino charissimi*. ad Philipp. 4. Cum igitur hic ſitus proprius ſit ſponſæ Chriſti ad deſignandum fidei vigorem, ſpei ſuæ ſublimitatem, animi magnanimitatem, charitatis ardorem, determinationis ad bonum firmitatem, fidelitatis ſuæ perſeuerantiam, non mirum ſi inimica Eccleſiæ ſynagoga proſtrata, & languida iacet, deiecta, puſillanimis, infirma, morbida, & ad omne opus bonum reproba. Itaque dum hic dicitur: *Mittam eam in lectum*: Hac loquendi formulâ docemur, quod ſtatim atque ſynagoga repudiata fuit, nulla amplius vis, nullus vigor remanſit in legalibus inſtitutis, quæ abrogata fuerunt, vt per fidem, ſpem, & charitatem ad Deum adſpiremus, quo fit vt abrogata lege Moſaica, & in hoc languore derelicta qui ei adhærere voluerint in tribulatione magna remancant; eis tantum manet neceſſitas multas patiendi tribulationes, & inſuper

1. ad Cor. 16.

1. ad Cor. 10.

Epheſ. 6. Philipp. 4.

mortem

mortem incurrunt æternam, addit enim Chriſtus: *& filios eius interficiam in morte.*

Certe hæc gens incredula per vniuerſas orbis partes diſperſa omnibus odibilis, nec ex tot malis aliud ſolamen nec ex tot obſequiis quæ Deo præſtare ſe exiſtimat aliam mercedem expectare valens quam æternam confuſionem, optime in Achab adumbratur qui Iezabel duxerat in vxorem, & ſicut ille ex tali connubio dictus eſt venundatus ſub peccato, ex eo quod vt placeret vxori, ingentia & plurima perpetrauit ſcelera, & Dei maledictionem ſupra ſe attraxit, vnde ſtirps eius eradicata, & exterminata fuit; ita gens Iudæorum, & ipſi conſentientes, qui ſynagogæ Rabbinorum adhærent ſteriles redduntur, in cæcitate remanent, vt nihil boni operis perficere valeant ſed potius maledictionem temporalem, & æternam incurrant.

Eadem philoſophandum de ſectis hæreticorum, nam ſtatim atque aliquis à fide Eccleſiæ ſeparatur & à participatione ſacramentorum ſit alienus, nulla in eo vis, nullus vigor ad bonum opus meritorium patrandum, quin & ſibi Dei maledictionem conciliat qui errores ſectatur, & omnibus hæreſum ſectatoribus niſi egerint pœnitentiam damnatio æterna certo, certius incurrenda. Et eo libentius annecto perfidiam hæreticorum cum ſynagogæ perfidia, quod ex S. Epiphanio habemus ab initio promulgationis Euangelij contra veritatem Euangelicam inſurrexiſſe Cerinthium hæreticum, qui præcipiebat ſeruari legis ceremonias. *Quid igitur dicunt*, inquit S. Epiphan. l. 1. to. 2. hæreſ. 28. *circunciſus eſt Ieſus, circumcidere etiam tu, Chriſtus ſecundum leges conuerſatus eſt, & tu ipſe eadem facito?* Ita ille. Et inſuper docet fuiſſe ipſummet Cerinthium qui contra ſanctum Petrum commouit Iudæos eo quod deſcendiſſet in domum Centurionis: hic addo Ebionitas adhuc eadem docuiſſe vt ait Epiphan. hæreſ. 30. lib. 1. to. 2. Vnde Lyranus dixit ſanctum Ioannem in hac Epiſtola taxare Cerinthianos & Ebionitas qui cum Euangelio miſcere volebant circumciſionem & legales ceremonias. Quod ſi vt tradit Theodoret. hæretic. fabul. c. 2. temporibus S. Ioannis Euangel. zizania ſuperſeminauit Cerinthus, quem in balneo inueniens exclamauit Apoſtolus: *Fugiamus hinc*, inquit, *ne ſi balneum propter Cerinthium ruerit nos quoque ſimus damni participes.* Non abs re erit conjicere ſanctum Ioannem fideles inſtruere ne cum his hæreticis ſicut nec cum Iudæis conſuetudinem vllam haberent.

S. Epiphanius. Lyranus. Theodoret.

Et ſcient omnes Eccleſiæ quia ego ſum ſcrutans renes & corda, & dabo vnicuique veſtrum ſecundum opera ſua.

Ex punitione Iudæorum Deus ſe Iudicem eſſe oſtendit.

ANNOTAT. VI.

HIS verbis ſe Chriſtum iudicem eſſe oſtendit actionum cunctorum hominum ſcrutans ſenſus, & intentiones eorum, dum ſynagogam mittit in lectum dum Iudæos viſibiliter puniti & hæreſes permittit: Ex punitione ſiquidem Iudæorum, clare percipitur quanta ſit æquitas iudiciorum Dei, qui eorum vota, orationes, & ſacrificia nunc reſpuit, ex eo quod ex vero ſenſu pietatis minimè prodeunt ſed ex cultu ſuperſtitioſo, vt pote intuitu cuiuſdam falſi Meſſiæ procedunt, & cum Apoſtolus doceat quod oportet eſſe hæreſes hoc fit vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes, vt ſcilicet ij, quorum fides probata eſt & examinata quæ mendacio ſeſe opponat manifeſti fiant, quorum eſt ſupra rete expanſum A ſeductorum volare, vt verum ſit quod fruſtra iacitur rete fraudum & fallaciarum falſæ doctrinæ ante oculos pennatorum, qui fide vera, & charitate non ficta in cælum ſpe erecti euehuntur. Ad ampliorem autem horum verborum explicationem has quorumdam interpretum ſubnecto interpretationes. Gagneus: *Interiores hominum cogitationes penetrans & intelligens. Et dabo vnicuique veſtrum ſecundum opera ſua. Hinc manifeſtum eſt operibus mercedem reddi vel ſupplicium*, Ita ille. *Renes & corda, hominis intima*: inquit Emm. Sa. Menochius ad Iezabelem horum verborum ſenſum reſtringit: *Id eſt*, inquit, *abditiſſima cordis Iezabelis arcana, eiuſque cogitationes ſecretiſſimas. Vnicuique veſtrum, id eſt vnicuique illorum: tranſit enim à tertia perſona ad ſecundam licet de eiſdem ſermo ſit.* Ambroſius Ansbertus: *Quia in præcedenti Verſiculo non perſpicua ſed occulta morte idololatras atque adulteros omnipotens Deus prædixerat morte damnandos, nunc in conſequenti fidem Eccleſiæ demonſtrat, quæ etiam non viſa iam credit: Ac ſi de fidelibus diceret: Cum in abditis atque occultis reprobos condemno etiam tunc cunctorum me acta cognoſcere non ambigunt.* Ita ille. Qui & docet in renibus deſignari fornicationem corporalem, in cordibus ſpiritualem.

Gagneus. Menochius. Ansbertus.

Alius Ambroſius: *Per renes qui intra corpus continentur, & ex quibus libido procedere dicitur, peccata abſcondita, per corda autem cogitationes occultæ deſignantur.* Ita ille.

Ambroſius.

Vobis autem dico, & cæteris qui Thyatiræ eſtis: quicunque non habent doctrinam hanc, & qui non cognouerunt altitudines ſatanæ quemadmodum dicunt, non mittam ſuper vos aliud pondus.

Diaboli ſtudium potiſſimum in hoc occupari vt nos in errorum, & mendaciorum abyſſos præcipites & immergat.

ANNOTAT. VII.

CONSEQVENTER loquitur S. Ioannes ad ea quæ in Concilio Apoſtolorum decreta fuerunt, Act. 15. In quo id optime ſuadente S. Iacobo iuxta S. Petri deciſionem, *Placuit Apoſtolis & ſenioribus ſcribere fratribus ex gentibus qui erãt Antiochiæ, & Syriæ & Ciliciæ: Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis nihil vltra imponere vobis quam hæc neceſſaria, &c.* Quaſi dicerent: Non mittemus ſuper vos aliud pondus. Quid adhuc ô Iezabel & ſynagoga vultis meos fideles ad veſtras adigere ceremonias, inquit nunc Dominus in hac Epiſtola, nullum aliud pondus mittam ſuper eos quam quod per meos Apoſtolos iam impoſitum eſt. Sed quia locus hic difficilis eſt non piget eorum autorum quos ad manum habeo adferre expoſitiones. Menochius: *Conuerrit Ioannes ſermonem à Iezabele cum ſuis ad alios veri Dei cultores qui erant Thyatiræ: Particula (Et,) ponitur pro (id eſt.)*

Act. 15. Menochius.

Quicumque non habent doctrinam hanc: Id eſt, inquit Gagneus, *quicumque Iezabelis tropicæ doctrinam non ſequuntur. Iezabelis & Nicolaitarum*, inquit Menochius, ita & Tirinus.

Altitudines ſatanæ ſiue profunditates Græcè τὰ βάθη, inquit Gagneus, *Latini enim alium, & latitudines ipſam etiam profunditatem appellant, profunditatem autem ſatanæ, ſi ita vertere libet, immenſum pelagus flagitiorum poſſumus intelligere, de quo ſcriptura: Peccator cum in profundum malorum venerit contemnit: Altitudines autem ſatanæ elatam eius ſuperbiam, qua Deo ſimilis eſſe voluit intelligemus.* Ita Gagn.

Gagneus.

Emanuel Sa. *Altitudinem, id eſt. profunditatem ſcilicet errorum, & flagitiorum.* Menochius: *Profundi-*

Sa.

77

Digitized by Google

tates: Vtitur vocabulo ipſo ſectatorum Iezabel, qui doctrinam ſuam magnam altitudinem habere iactabant, id eſt, mirè profundam, & ſubtilem eſſe. Ita enim de ſuis erroribus loqui ſolent hæretici & irridere Euangelicæ doctrinæ ſimplicitatem.

Tirinus. Tirinus: *Id eſt, dogmata abſtruſa & diabolica Nicolaitarum, quæ ipſi vocant altiſſima profundiſſima, ſublimiſſima, myſteria diuina, inquit Ribera, hoc ſuco velabant ſuas ſæditates, & exercebant leges omnes diuinas, & humanas quaſi pondus ſuperfluum & intolerabile.* Ita Tirinus.

Gagneus. *Quemadmodum dicunt Græce ὡς λέγουσι*, inquit Gagneus, *ſic intelligendum eſt: Qui non cognouerunt altitudines & profunditates ſatanæ. (Vt appellent) Iis ergo inquit, vobis ſcilicet (id eſt ſuper vos) non mittam.* Ita Gag.

Sa. Emanuel Sa: *Quemadmodum dicunt, id eſt, vt vulgo dici ſolet: apparet fuiſſe phraſim vulgo tunc vſitatam cum vellent ſatanæ fallacias ſignificare, quidam tamen dicunt eſſe phraſim hæreticorum illorum, qui ſuos errores profunda myſteria vocabant.* Ita Emm. Sa. *Menochius.* Menochius: *Quemadmodum dicunt, vt loqui ſolent hæretici, qui profundam eſſe dicunt ſuam doctrinam, cum tamen hæ profunditates ſint profunditates ſatanæ hoc eſt profunda illius & callida conſilia quæ excogitauit & inſpirauit membris ſuis ad perditionem multorum.* Ita ille.

Non mittam ſuper vos aliud pondus. Andreas Cæſ. *Andr. Caſ.* *Quandoquidem aduerſus homines vſque adeo malignos, & callidos ob ingenij morumque ſimplicitatem conſiſtere non valetis, vt pote profundarum fraudum ſatanæ vt aſſeritis ignari, non exigam à vobis verborum pugnam ſed fidem tantum doctrinæ quam accepiſtis cuſtodiam, donec tandem vos huc ad me aſſumpſero.* Ita Andr.

Ambroſius. Ambroſius: *Hoc quod dicit videtur mihi non ad doctrinam mulieris, ſed ad falſos Apoſtolos pertinere, qui docebant eos, qui ex gentibus crediderant, vt in legem & in circumciſionem verterentur, & quia Iudei de legis obſeruantia ſuperbiebant; & poſt Euangelium datum cuſtodia legis ſecundum literam, nihil eſt aliud quam ſeruitus diaboli, poſſumus per altitudinem ſatanæ ipſam legem ſi carnaliter impleturintelligere. Non mittam ſuper vos aliud pondus niſi quod ab Apoſtolis præceptum eſt vobis, vt abſtineatis vos ab eſcis quæ idolis immolantur, & à ſuffocato & ſanguine & fornicatione,* Ita Ambroſius, qui ita loquens ſententiam noſtram confirmat vt videre eſt.

Dionyſ. Cart. Dionyſius Carthuſ. *Non mittam, &c. Id eſt, non ego imponam vobis obſeruationem legalium quam Petrus vocat importabile pondus, quemadmodum hæretici iam præfati dixerunt, & me miſſurum aſſeruerunt. Docuerunt enim legalia cum Euangelio obſeruanda, ita quod Deus mitteret hoc pondus ſuper ceruices diſcipulorum vltra pondus Euangelicæ legis.* Ita Dion. Carthuſ.

Cornelius à Lapide. Plures interpretationes coaceruat Cornelius à Lapide, videlicet altitudinem ſatanæ eſſe ſuperbiam illius qui dixit: *Aſcendam ſuper altitudinem nubium.* Eas altitudines non agnoſcere idem eſſe, ac ipſi non adhærere, vel has altitudines eſſe mare profundum criminum, vel fraudum & aſtutiarum ſatanæ, vel eſſe legem Moyſis ſumptam & impletam carnaliter, vel eſſe hæreſes Ebionitarum, & Cerinthianorum qui diuinitatem, & æternitatem Ieſu Chriſti negabant, vel hæreſes Nicolaitarum: Siquidem ſolent hæretici doctinam ſuam vocare altam & profundiſſimam, & tandem videtur S. Ioannem tangere Spiritu Prophetico Valentinum, qui triginta Deos confinxit, quorum primus erat βυθὸς, i. profundum, & iſtud quemadmodum dicunt ad hæreticos refert, quod illi ſolent ſuam iactare doctrinam. Ita ex Corn.

Gagneus. Gagneus: *Non mittam aliud pondus id eſt, non nouo iudicio, nouoque ſupplicio vos onerabo, qui hæreticos toleratis per metum magis quam per conſenſum, per infirmitatem magis quam per malitiam: ſatis eſt enim quod hoc hæreticorum vos perſequentium onere grauamini.* Ita Gag. Menochius: *Veriſimile eſt Iezabelem, & eos qui dicebant fas eſſe veſci idolothytis in inuidiam vocaſſe Apoſtolos, quod ea prohiberent. Dicit ergo Dominus: non mittam ſuper vos aliud pondus, id eſt, non grauabo vos illa veteris legis ceremonia, tamen id oneris quod impoſui per Apoſtolos meos, tenete donec veniam. Alludit S. Ioannes ad Act. 15. Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis nihil vltra imponere vobis oneris, &c.*

Tirinus. Tirinus: *Non mittam ſuper vos, id eſt, non imponam vobis de nouo aliud pondus ſeu alias leges quam abſtinentiæ à fornicatione, & ab idolothytis q. d. Pondus quidem aliquod impoſuerunt vobis nuper Apoſtoli meo nomine ſed pondus longe minus & mitius quam ſit vel gentilium vel Iudæorum.* Ita Tirinus.

Ex diuerſitate interpretationum patet huius loci difficultas. Ambroſij, Menochij, Tirini autoritate fultus mentem meam iam ante eorum lectionem conceptam, libentius ſic explico. Vobis qui ex quibuſlibet Eccleſiis eſtis, & cæteris, qui ſunt Thyatiræ, qui mulieri Iezabel adhærent, eique fidem adhibent, qui non habent hanc doctrinam itaut vel per fidei principia aut per effectus quoſdam iuſtitiæ vindicatiuæ, adhuc minimè ſciant quod ego ſum ſcrutans renes & corda, & quod ego dabo vnicuique veſtrum ſecundum opera ſua, & qui non cognouerunt altitudines ſatanæ, multimodas ſeducendi vias diaboli, qui non ſolum aperto marte congreditur, non ſolum mala, & peccata ſecundum ſe manifeſta ſuadet, ſed ſub prætextu pietatis, & melioris boni, cultus & obſequij diuini plærumque fallit, & decipit, vobis inquam dico quemadmodum dicunt ij videlicet, qui dixerunt, *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis nihil vltra imponere vobis oneris*, ſic dico, *non mittam ſuper vos aliud pondus.* Interrogate autem quinam fuerint qui conformiter ad hæc mea verba loquuti fuerint, inuenietis fuiſſe meos Apoſtolos in Concilio contra Cerinthum celebrato, qui dixerunt hæc, & præceperunt tantum hæc neceſſaria: *Vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine & ſuffocato, & fornicatione, à quibus cuſtodientes vos bene agetis.* Nolite igitur de cætero adhærere vel ſynagogæ vel hæreticis qui cum ea mæchantur, docentes ſicuti faciunt Cerinthiani, quod legalia inſtituta ſunt à fidelibus Chriſtianis adhuc obſeruanda: facite tantum ea quæ vobis præſcripta ſunt ab Apoſtolis meis donec veniam vobis redditurus ſecundum opera veſtra. Sicque conſtructio huius textus talis eſſe debet. Dico autem quemadmodum dicunt vobis & cæteris qui Thyatiræ eſtis, quicumque non habent doctrinam (nempe quod ſim ſcrutans renes & corda) & qui non cognouerunt altitudines ſatanæ: non mittam ſuper vos aliud pondus, &c.

Altitudines autem ſatanæ ſunt errores, mendacia, ſeductiones, & fallaciæ dæmonis, qui alta & profunda contemplatione eorum omnium per quæ quod decreuit perficere, poſſit exequi vt Deo ſimilis ex arrogantia nimia appareat, aut ſaltem eius voluntati reſiſtere aut repugnare valeat, hos errores hæcque mendacia excogitauit, & in mente ſua accumulauit, vt ſi hac via voti non ſit compos, alia ſtatim propoſiti ſui compotem eſſe pertentet, quos quidem errores, quæue mendacia ore vomit tanquam rapidum flumen quo (ſi fieri fas eſt) Eccleſiam proſternat, euertat, ſubmergat, abſorbeat, & quæ ſole veritatis eſt amicta fiat innumeris ſi fieri poſſet inuoluta, vnde dicitur c. 12. *Et miſit ſerpens ex ore ſuos poſt mulierem aquam tanquam flumen, vt eam, faceret trahi à flumine,* & vt ait Chriſtus, *Itaut in errorem inducantur ſi fieri poteſt etiam electi.* Fides namque Eccleſiæ eſt veluti quædam cautes, quæ aſſiduis vndique fluctibus in medio maris tunditur, in qua ſtans

quilibet à naufragio ſeruatur, ſi quis autem ab ea diſcellerit ac fluctibus turbulentis maris errorum fidem oppugnantium ſeſe commiſerit, pati naufragium ipſi neceſſarium erit, iuxta illud Apoſtoli Pauli 1. ad Timoth. c. 1. de Hymenæo & Alexandro quos excommunicauerat & ſatanæ dederat loquens: *Habeas*, inquit, *fidem & bonam conſcientiam quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt, ex quibus eſt Hymenæus & Alexander*: Diſcedentes enim à ſaxo immobili inconcuſſæ fidei & propoſitionibus reuelatis à Chriſto per Eccleſiam quæ ſempiternæ ſunt veritatis, certè incidunt in abyſſum profundiſſimum mendaciorum, quæ Satan adinuenit vt homines etiam ſub prætextu pietatis ſeducat & ſecum trahat in abyſſum interni. Nam cũ mendacia promit quæ ſibi ſunt propria profert, eſt enim mendax & mendacij pater: ſaluatur tamen qui in naue Petri ſuper vndas fluctuantium & phantaſticarum opinionum, & adinuentionum hæreticorum vel etiam humanarum philoſophorum rationum fertur. Audiamus igitur S. Ireneus ſapienter dicẽtem eos eſſe monendos S. Irenæus. vt ab amentiæ blaſphemiæque in Chriſtum voragine ſibi caueant; lib. 1. in præfatione ſeu initio c. 1. Satan quippe totus in eo eſt vt nos ſi fieri poteſt in Theodoret. errores immergat: lege Theodoretum in compendio hæreticarum fabularum lib. 1.

Quod ab initio præſtitit dæmon hoc inceſſanter deinceps operatus eſt, & ex vna hæreſi aliam germinare fecit, hoc ſatis perſpiciet qui legerit S. Epiphanium vel S. Auguſt. de hæreſibus, videbit namque quomodo ex vna hæreſi alia pullulauerit, itaut vnâ extinctâ altera in medium prodierit, quod & in modernis hæreſibus fieri clarum eſt.

Tamen id quod habetis tenete.

Firmiter adhærendum eſt doctrinæ ſaluatoris vt errores euitemus.

ANNOTAT. VIII.

DICTA *eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*, dicebat Chriſtus Apoſtolis Matt. vltimo: *euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis*. Simile præceptum fit hic Thyatirenſibus in his verbis: *Tamen id quod habetis tenete*: Quod equidem facientes, ſeruantes traditam doctrinam, mendacij & corruptionis morum implacabilem hoſtem, à ſeductione & ſubuerſione Iezabelis mendacis & impię immunes reddebantur. Hoc modo S. Paulus & S. Timotheus, *Pertranſeundo per ciuitates & oppida tradebant eis cuſtodire dogmata quæ erant decreta ab Apoſtolis & ſenioribus qui erant Hieroſolymis*. Act. 16. *Act. 16.*

Quam autem neceſſaria ſit illa obſeruantia mandatorum quæ tradita ſunt à Chriſto, & Apoſtolis patet ex eo quod ſi quis tantiſper ab eis diſcellerit corruet ſtatim in errorum abyſſum. Vna & ſimplex eſt veritas, mendaciem autem multiplex, vna eſt veritatis linea recta, cæteræ exorbitantes & deflectentes curuæ ſunt, obliquæ, errantes & mendaces, qui per eas incedent numquam ad veritatis cognitionem peruenient. *Vt animæ*, inquit S. Macarius S. Macarius. hom. 28. *cum verum gubernatorem Chriſtum in ſe non habuerit, quoniam in acerbiſſimo mari tenebrarum verſatur, & ex procellis affectionum fluctuans, & à ſpiritibus nequiſſimis velut tempeſtate iactata tandem conſequitur interitum*. Hæc Mac. Abſque illo gubernatore ſapientiſſimo periculum naufragij euitari non poteſt, morbi incurabiles redduntur ſi abſit ille medicus experientiâ pollens, ſteriles erunt animæ noſtræ, ſi diligens manus iſtius agricolæ adhibita non fuerit, ſpinas & tribulos tantum germinabunt; tenebris operientur ſi ille ſol benignè non illuxerit; niſi fidiſſimus ille comes & ductor manum & dexteram noſtram apprehenderit ad cælum peruenire non poterimus, ſi hæc veritas increata ſemetipſam ſubduxerit, aut ſubtraxerit, ſtatim in errorem incidemus, & ſeducemur: nunquam à morte eripiemur, ſi ille fons vitæ non effluxerit. Vt autem hæc ſint in nauicula Eccleſiæ quam regit eſſe debemus, vt nos deducat, Sacramentis ab eo inſtitutis vti oportet, vt ab infirmitatibus liberemur, propria eius manu coli oportet per obedientiam conſiliorum & præceptorum eius ſi fructum optimum afferre voluerimus; in hunc ſolem adſpicere iuxta illud: *Ambulate dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant*: ſi è tenebris ignorantiæ erui percupiamus, ſequenda ſunt eius veſtigia ne oberrare contingat, doctrinæ ipſius acquieſcendum & mandatis eius obediendum ſi dubia, & mentis fluctuationes & voluntatis noſtræ peruerſitates effugere velimus. Denique vnitos nos eſſe conuenit cum vitæ autore, ſi eius ſpiritu & viuificari & animari exopremus. Hac de causâ ait: *Tamen id quod habetis tenete*. Quod idem ac ſi diceret: Habetis paſtores quos ego conſtitui, fidem illis habetote, eorum enim miniſterio vos regere volo: Sacramenta habetis, vti eis non negligatis cum omni reuerentia, talibus enim mediis ſanctificare vos ſtatui, dedi præcepta & conſilia ſeruate illa ſi velitis eſſe ſalui, & perfectionem Chriſtianam obtinere: finem ad quem tendere debetis vobis propoſui, ad hunc ſcopum totas veſtras intentiones, & voluntates dirigite, & ſi deſideratis corpus operum veſtrorum clarum & luminoſum exiſtere dedi vobis exemplum vt quemadmodum feci, ita & vos faciatis & ab omni deceptione eritis immunes, mihi adhærete indiſſolubili nexu ſpiritus charitatis, & vita æterna & gloria dabuntur vobis: id quod habetis tenete. Et iuſta de cauſa exigit à nobis hãc firmitatem & conſtantiam in obſeruatione eorum quæ tradita ſunt nobis, nam vt ait S. Macarius, *Quemadmodum ex vna ligni natura naues conſtruuntur, quibus moleſtum mare poterunt homines trajicere, ſic omnes animæ Chriſtianorum vnica diuinitate, lucis cæleſtis variis gratiarum donis vniuerſi ſpiritus confirmatæ omnem præternolant nequitiam*. Ita ille.

At vbi reſidet hoc lumen diuinum, vbi eſt quæſo ille diuinus ſpiritus totius boni & optimi datum, quin & omnis gratiæ fons & origo & autor? Certe in Eccleſia catholica in nauicula Petri in qua Chriſtus ſua maxime exercet officia. Naucleri ſeu Gubernatoris contra Dæmonum inſultus, Tyrannorum fæuitiem, procellarum ſeu tempeſtatum huius mundi impetus; Medici contra infirmitates carnis, & peccatorum languores; Agricolæ vt fructum boni operis per eius culturam in patientiâ afferamus: etenim Chriſtus Eccleſiæ ſanctæ principale caput, inuiſibile, æternum, in ſuo vicario viſibilis Eccleſiæ capite & in paſtoribus aliis qui in partem ſollicitudinis vocati ſunt regit & gubernat Eccleſiam, per eorumdem manum & operam medetur peccatis & infirmitatibus, hanc vineam curæ illorum commiſſam colunt vt fructum afferat.

Et reuerâ ſi Eccleſia hoc deſtituatur Gubernatore confeſtim procellis quæ contra eam ex inuidia diaboli excitantur obruetur, ſed tanto Gubernatore munita nec ventos vehementiores, nec procelloſos fluctus, nec quoſcumque aduerſariorum impulſus pertimeſcit. Adſit igitur continuò, ſiquidem inquit S. Macarius, *Abſq; cæleſti Gubernatore Chriſto non datur cuiquam mare nequam poteſtatum cæli gyris & moleſtarum afflationes tentationum tranſire*. Ita Mac. At non tantum eſt Gubernator, ſed & Medicus: vnde eum S. Macarius.

ſic loquentem inducit Macarius, *Ego ſum verus Medicus & bonus Paſtor qui pono animam meam pro ouibus, habens facultatem curandi omnem morbum, & omnem animi mollitiem: Ego ſum ouis immaculata ſemel oblata, & venientes ad me curare valeo. Vera enim ſanitas anima*, addit Macar. *proficiſcitur à Domino ſolo: verus animarum Pontifex futurorum bonorum ad animas lepra peccati laborantes ingreditur in tabernaculum corporis eorum, medetur & curat eorum affectus*, & hac ratione fit vt anima ingreſſum obtineat in Eccleſiam cæleſtem ſanctorum in Iſrael. In eam ciuitatem in qua non amplius ænigmaticè ſed clarè prout in ſe eſt Deus videtur. Cæleſtis autem ille Medicus tunc ingreditur in animam noſtram cum in ſacramento altaris ſeipſum exhibet, vt ſit & cibus & medicina ad reſtaurandas vires & incrementa vitæ ſuppeditanda, *Vt vitam habeant & abundantius habeant.*

Hinc agricolæ vicem ſubit, in hac enim terra ad cultum idonea receptus ibi areolas diſtinguit aromatum, ſerit & plantat herbas & arbores eaſque irrigat, myrrham colligit, herbaſque odoriferas, poma noua & vetera colligit & ſeruat, & vineæ botros fructuſque delicatiores quorumlibet actuum virtutum Moralium & Theologicarum, & operum corporis & animæ. Vt hoc præſtet inſtrumenta ſumpſit & habitus ad hos neceſſarios, & conuenientes, non ſolum quia caro factus eſt ſed etiam quia admirando modo in ſanctiſſimo Sacramento Euchariſtiæ ſit præſens quod in memoriam paſſionis ſuæ inſtituere voluit, cuius morti & paſſioni nos configurantes per imitationem vult vt animas noſtras colamus, & corpora ad dolores & patientiam coaptemus, vt fructus dignos pœnitentiæ faciamus: & optimè S. Macarius homil. 28. *Sicut enim agricola qui ſe confert ad excolendam terram tum inſtrumenta, tum indumenta ad culturam neceſſaria debet habere, ita Chriſtus Rex & verus agricola accedens ad humanitatem per vitium diſſolutum corpus induit, ac pro inſtrumento crucem portauit, quibus excoluit animam deſertam, ex ea ſpinas & tribulos prauorum ſpirituum excerpſit, & cuuſſis vitiorum peccati omne denique ſanum peccatorum eius igne exuſſis, cumque ſic exercuiſſet illum ligno crucis, plantauit in ea hortum ſpiritus pulcherrimum fructus ſuauiſſimos Deo gratiſſimos veluti Domino referentem. Væ igitur animæ cum non habuerit Chriſtum, qui accuratè excolat illam vt bonos fructus ſpiritus referre valeat, quia cum ſit deſerta ſpinis ac tribulis referta tandem exuſſionem ignis pro fructu decerpit.* Hæc Macar. Denique cum ipſe ſit lux mundi, via, veritas & vita: cum S. Paulo, *Flectamus genua ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur, vt det nobis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ virtute corroborari per ſpiritum eius in interiorem hominem, Chriſtum habitare per fidem in cordibus noſtris in charitate radicati & fundati, vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis qua ſit latitudo, longitudo, ſublimitas & profundum, ſcire etiam ſupereminentem ſcientia claritatem Chriſti: vt impleamini in omnem pleniudinem Dei*, Epheſ. 5. Quod ſi ſemel eum habeamus ne ſinamus eum à nobis ſecedere, ſed cum deuotâ ſponsâ pleno affectu dicamus; *Tenui eum nec dimittam*: Et merito, totum enim bonum noſtrum in eo conſiſtit.

Macarius.

Epheſ. 5.

Donec veniam.

Nulla alia lex danda eſt poſtquam Chriſtus nobis Euangelicam dare ſemel voluit.

ANNOTAT. IX.

VT huius propoſitionis veritas clarius eluceſcat præſupponendum 1. totum Eccleſiæ decurſum tres ſtatus comprehendere, primum ſtatum legis naturæ, ſecundum ſtatum legis ſcriptæ, tertium ſtatum legis gratiæ: Agit enim Deus ſecundum ſuauitatem prouidentiæ ſuæ, & naturæ hominum accommodat ſuam cooperationem, cauſa enim vniuerſalis determinatur in ſuis effectibus à cauſis particularibus, pedetentim eos ad hunc dignitatis gradum euexit, videlicet vt cum eis non agat tanquam cum alienis à gratia ſua, quibus nulla datur intentionum ſuarum notitia, non tanquam cum ſeruis, quibus præcepta dantur cum comminatione verborum virgæ aut baculi niſi quæ præcipiuntur ſtatim adimpleantur; ſed tanquam cum amicis & filiis, quibus ſecretiora committuntur conſilia, & quibus hæreditas præclarior promittitur iuxta illud: *Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hereditas mea præclara eſt mihi.* Vnus & idem eſt Dominus & ſapiens legiſlator, *Similis Patrifamilias qui profert de theſauro ſuo noua & vetera*, non vnus qui vetera alter qui noua: *Pater-familias enim Dominus eſt*, inquit S. Ireneus lib. 4. cap. 21. *qui vniuerſæ domui paternæ dominatur, & ſeruis quidem & adhuc indiſciplinatis condignam tradens ſeruo, liberis autem, & fide iuſtificatis congruentia dans præcepta, filiis adaperiens ſuam hæreditatem.* Et in fine capitis addit, *Vtraque teſtamenta vnus & idem pater-familias produxit verbum Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui & Abrahæ & Moyſi loquutus eſt, qui nobis in nouitate reſtituit libertatem & multiplicauit ei qui ab ipſo eſt gratiam.*

S. Ireneus.

Notandum 2. quod vetus Teſtamentum duobus modis ſumi poteſt vt bene notauit Iacobus Boducus c. 3. de Eccleſia poſt legem primo vt ſignificetur temporis antiquitas & ſic Teſtamentum pro tempore legis naturæ vetus nuncupari, id eſt, antiquum, ſecundo ſumi pro re attrita & prope conſumpta: Hoc modo lex ſcripta Moyſis dicitur vetus Teſtamentum iuxta illud S. Pauli ad Hebræos c. 8. *Teſtamentum quod antiquatur & ſenecſcit ac prope interitum eſt.* Nouum vero Teſtamentum nouum nuncupati, ex eo quod lex antiqua naturæ inſigni quadam ratione diligendi innouatur, ſiue quia dum in eadem vi & vigore permanet rem nouam nec adhuc attritam aut infirmatam deſignat, quo fit vt lex naturalis etſi ratione antiquitatis dicatur vetus Teſtamentum tamen ratione inflexibilitatis, immutabilitatis, & perpetui vigoris dicatur lex noua: & è contrario lex Euangelica dicetur antiqua, ex eo quod ſolum ſit renouatio quædam legis antiquæ naturalis iuxta illud S. Ioannis 1. c. 2. *Chariſſimi non mandatum nouum ſcribo vobis, ſed mandatum vetus quod habuiſtis ab initio: Non nouella*, inquit Euſeb. l. 1. hiſtor. c. 1. *neque peregrina eſt Chriſtianorum Religio, & nuper exorta, ſed ſi fas eſt libere iudicare quod verum eſt prima omnium atque ex ipſa ſimul mundi origine ac natiuitate deſcendens, eodem Chriſto Deo, doctore, & inſtituente iam inde ab initio ſpeciem formamque ſuſcipiens.* Ita Euſeb. Vnde aſſerit omnes qui Abrahamũ anteceſſerunt vſq; ad Adamum Chriſtianos fuiſſe, ſi non nomine ſaltem effectu, & religione. Denique lex Moſaica vetus dicitur, non tam ex multiplicitate annorum in quibus vigorem obtinuit in ſuis ceremonialibus & iudicialibus præceptis, ſed quia in his præceptis ceremonialibus, quo propius accedebat tempori aduentus Meſſiæ, eo citius properabat ad interitum, ab eo enim abrogari debebat quantum ad hęc ceremonialia, figuras in veritates, vmbras in res ipſas commutando: quibus præſuppoſitis.

Dico itaque data noua lege Euangelica mundo, nullam aliam legem eſſe expectandam, tum quia innouauit & manifeſtius declarauit primam & principalem legem immediate à Deo, Adamo & poſteritati eius habitam, quin & gratiam ſecum adducendo qua lex illa adimpleri valeat modo ſublimiori, & cum eminentiori & excellentiori motiuo, quo

Iacobus Boldacus.

Iohan. 1. c. 2.

Euſeb. l. 1. hiſtor.

Digitized by Google

quis ad eius obſeruantiam induci poſſet, tum quia annunciat eas veritates eaque myſteriâ pandit quæ tantum in lege ſcripta in figuris & vmbratilibus ſignis continebantur.

Prima igitur ratio cur nulla alia ſit expectanda lex poſt promulgationem Euangelij, eſt quia lex Euangelij eſt lex amoris & charitatis, quæ eſt lex quædam immutabilis, ab omni tempore, & pro omni tempore omnibus hominibus data, vnde optimè Tertullianus: *Tertull. Aduerſ. Iudæos.* *Ante legem ad Iudæos Moyſi ſcriptam in tabulis lapideis legem fuiſſe cõtendo non ſcriptam, quæ naturaliter intelligebatur, & à patribus cuſtodiebatur. Nam vnde Noe iuſtus inuentus, ſi non illum naturalis legis iuſtitia præcedebat? Vnde Abraham amicus Dei deputatus, ſi non de æquitate, & iuſtitia legis naturalis? Vnde Melchiſedech ſacerdos Dei ſummi nuncupatus, ſi non ante Leuitica legis ſacerdotium Leuita fuerint qui ſacrificia offerebant? Cur etenim Deus vniuerſitatis conditor, mundi totius gubernator, hominis plaſmator vniuerſarum gentium ſator legem per Moyſen vni populo dediſſe credatur, & non omnibus gentibus attribuiſſe dicatur* &c. *nec adimamus hanc Dei poteſtatem pro temporum conditione legis præcepta reformantem in hominis ſalutem.* Ita Tertull. Decet enim bonitatem & æquitatem Dei vt pote omnium Creatoris toti generi humano eandem legem præſcribere, quam certis quibuſdam temporibus ſeruandam præcepit ſecundum quoſdam modos quorum duratio à ſua dependebat, voluntate itaut hunc illis modum eam ſeruandi præſcriberet, alium iſtis. Hæc autem lex quam homini præſcripſit ſtatim atque creatus eſt, lex charitatis & amoris Dei & proximi, quam in hominum mentibus inſculpſit vt eam inuiolabiter ſeruarent, & ne vetuſtate memoria legis iſtius oblitteraretur eam renouauit in Abraham, dum dedit ei ſignum circumciſionis quo poſteritas ſua ab aliis ſecerneretur nationibus eamq; ab idolotriâ procul ſummoueret, vt aptior redderetur quæ fideliter hoc primum amoris Dei præceptum adimpleret, & à ſe progenitos arctiori vinculo charitatis ad inuicem conſtringeret, percipientes ſe ex vna radice prodire eamdemque habere conditionem generis & ſanguinis, quo facilior redderetur ſecundi præcepti executio: Et dum vnam gentem, certumque populum in vnum collegit eum aptum redderet ad ſuſceptionem clarioris, & diſtinctioris cognitionis voluntatum ſuarum. Quod quidem perfecit cum per Moyſen huic genti eadem lex declarata fuit & manifeſtata diſtinctius, ad Deum quippe pertinebat legem docere cuius obſeruantiam ipſemet iniunxerat, *Eiuſdem*, inquit Tertullianus ad Iudæos, *eſt enim poſtea docere legem, qui antea præmiſerat præceptum, quoniam & ipſius eſt erudire poſtea, qui ante iuſtos formare inſtituerat.* Ita Tertull. *Quid igitur* *Ad Galat. 3.* *lex?* ait Sanctus Paulus ad Galat. 3. *Propter tranſgreſſiones poſita eſt, donec veniret ſemen cui promiſerat, ordinata per Angelos in manu Mediatoris*: Et ad Ti- *1. ad Timot. 1.* moth. 1. c. 1. *Scimus autem, quia bona eſt lex ſi quis ea legitimè vtatur, ſciens hoc, quia iuſto non eſt poſita, ſed iniuſtis & non ſubditis impiis & peccatoribus ſceleratis, & contaminatis, parricidis & matricidis, homicidis, fornicariis, maſculorum concubitoribus, plagiariis & mendacibus & periuris, & ſi quid aliud ſanæ doctrinæ aduerſatur*; Quia igitur videbat Deus hanc legem pene deleri ex hominum recordatione per innumeras tranſgreſſiones legis naturalis mentibus impreſſæ, neceſſarium fuit vt exterius illam legem per Moyſem ruſſus in hominum reuocaret recordationem.

Quod ſi homines Iuſtitiam legis naturalis fideliter ſeruaſſent Deo in omnibus obedientes, alia lege opus non fuiſſet, ſed quia contra primam legem dilectionis impuri, & ſcelerati plura perpetrarunt peccata, neceſſarium fuit vt Deus per legem ſeuerio-

A rem, Moſaicam nẽpe, eorum compeſceret crimina, lex ſiquidem Moyſis nihil aliud eſſe videtur, quam quædam reformatio aut manifeſtior declaratio ſcripto expreſſa legis naturalis, quæ per traditionem Patrum in aures filiorum viua voce inſtillabatur. Lex inquam quæ poſtea perfecta & conſummata fuit per Chriſtum ſaluatorem, qui non modo exſuſcitauit in nobis ſcintillam illam luminis rationis, quo naturaliter poſſemus apprehẽdere Deum vt pote autorem & principium omnium, eſſe ſummum bonum ſupra omnia diligendum, ſed etiam rationem per gratiam corroborare, & confortare poteſt vt huic adhæreat veritati, & vt quod iſtud lumen ſuggerit tanquam creaturæ intellectuali proprium, & decentiſſimum hoc homo valeat perficere, & præſtare.

B Et hæc eſt ſecunda ratio propter quam poſt Euangelij legem nulla alia lex eſt expectanda, quia hoc immutabile præceptum dilectionis non poteſt dilucidius & expreſſius explicari, nec perfectiori modo obſeruari quam exprimitur in lege Euangelica & obſeruari præſcribitur. Chriſtus namque docuit diſtinctè quod Deus ſit ſupra omnia diligendus ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex tota fortitudine, & inſuper declarauit hunc amorem Dei in ſocium ſibi aſciſcere amorem proximi eum tanquam noſmetipſos diligentes, quin & ſemetipſum

C præbuit in exemplum modi quo Deus eſſet amandus, & proximus diligendus: dum vt patri obediret mortem ſubire voluit & pro ſalute hominum ſemetipſum obtulit in ſacrificium ſupra aram crucis. Inſuper docuit qua ratione lex iſta obſeruari debeat, docuit namque non modo actiones contra Deum aut proximum aut verba eſſe peccata, ſed etiam cogitationes malas, oculum impudicum reos apud Deum nos conſtituere. Denique obſeruantiam iſtorum præceptorum in tanta latitudine, in gradu adeo eminenti perfectionis, in motiuo adeo præcellenti ſolius gloriæ Patris conſtituit: nos ipſos exiſtimantes velutis ſeruos inutiles, etſi omnia quæ mandata fuerint fideliter fecerimus, vt nihil vltra requirendum ſit aut exoptandum pro perfectione acquirenda cuilibet homini: Quo fit vt accepta hac lege noua

D gratiæ quæ non ſolum docet quæ agenda ſunt, ſed etiam dat & præſcribit media efficacia quorum ope & auxilio omnia quæ ipſa præcipit perficere poſſumus aliam legem expectare non debeamus, hæc enim primam naturæ legem in perfectum adduxit ſtatum, itaut doctrina Chriſtiana optime dicatur conſummatio abreuiata Iſaiæ quæ inundauit iuſtitiam, id eſt, legis naturalis vim & vigorem adauxit, & huius primæ legis iuſtitiam induit gratiâ & meri- *Ioan. 10.* to abundantiori iuxta illud, *Veni vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Denique quia lex Euangelica eſt ipſa prima lex perfectionem ſuam conſecuta, hoc agit iuxtà S. Auguſtinum de ſpiritu & litrera c. *Auguſt. de ſpiritu & litera.* 27. vt imaginem Dei in qua naturaliter facti ſumus

E inſtauret in nobis, ſic per gratiam natura reparatur, & in cordibus fidelium ſcribitur per renouationem quod non omnimode deletum eſt per vetuſtatem. *Quidquid ſit*, ait S. Aug. *conſtat gratiam Dei promiſſam eſſe in teſtamento nouo etiam per Prophetam eamdemque gratiam in eo definitam vt ſcribantur leges Dei in cordibus hominum, perueniantque ad eam cognitionem Dei vbi non docebit vnuſquiſque ciuem ſuum, vel frater ſuum dicens cognoſce Deum, quia omnes cognoſcent eum a minore vſque ad maiorem eorum: hoc donum Spiritus ſancti eſt, quo diffunditur charitas in cordibus noſtris, charitas non qualibet ſed charitas Dei de corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta, ex qua iuſtus in hac peregrinatione viuens ad ſpeciem quoque perducitur per ſpeculum & ænigmata, & quicquid erat ex parte, vt facie ad faciem cognoſcat ſicut & cognitus eſt: vnam enim petiit a Domino, & hanc requi-*

Digitized by Google

vit vt in habitet in domo Domini per omnes dies vitæ ſuæ ad hoc vt contempletur delectationem Domini. Ita Aug. Cum igitur Dominus noſter ſignauerit, & ſigillauerit morte ſua hanc legem æternam æterni teſtamenti dilectionis Dei & proximi, & exemplo ſuo confirmauerit hanc religionem mundam & immaculatam vt abſtineat vnuſquiſque ab omni ſpecie mali, & ſecundum latitudinem omnem induſtriæ & virtutis bonum quodlibet exerceat erga quemcunque proximum, & autoritatem præbuerit legi regali vt eam vocat S. Iacobus diligendi proximum ſicut ſeipſum, dum de hac dilectione præceptum poſuit particulare, hoc eſt inquit præceptum meum vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos adoptatos per gratiam in filios Dei, tribuendo nobis hanc legem pertectam libertatis filiorum Dei vt non amplius ſeruiamus deſideriis & concupiſcentiis noſtris, ſed Deum in ſpiritu & veritate adoremus. Denique cum gratiam attulerit & promeruerit nobis participationem gratiæ, vt de plenitudine eius accipiamus, ac ſacramenta inſtituerit quibus ea nobis efficaciter confertur, vt alacriter corde dilatati curramus in via mãdatorum Dei, bonum inſuper certamen ineamus pro eius tuenda gloria, & honoris eius dilatatione, & tandem omnem impleamus iuſtitiam reſtat vt de eius donis gaudeamus, & in his fauoribus quieſcamus, alteras de nouo cognitiones è cælo nullo modo expectantes, aliam præterea Meſſiam minimè ſperantes, nec nobis perſuadeamus aliud futurum eſſe verum pietatis myſterium ab eo quod a Verbo Dei & Saluatore noſtro iam accepimus. Hoc docet fuſius S. Gregor. Nyſſen. orat. 1. contra Eunonium: *Chriſtianorum fides, quæ ſecundum Domini mandatum à diſcipulis omnibus gentibus in toto terrarum orbe prædicata eſt, neque ex hominibus eſt neque per homines ſed per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui eſt Dei Verbum & vita & lux & veritas, & Deus & ſapientia, & hæc omnia per naturam: propter hoc maximè in hominis ſimilitudine factus, naturæque noſtræ particeps per omnia ſecundum ſimilitudinem abſque peccato, ſecundum autem ſimilitudinem, quia cum anima & corpore totum hominem aſſumpſit, vtrunque nobis factus ſit ſalus. Hic in terris vſus eſt & cum hominibus converſatus vt non amplius homines pro animi ſui ſententia de eo quod eſt opinentur, eos ſuſpiciones, opiniones quas ex leuibus quibuſdam coniecturis aſſequuntur pro veris & firmis decretis habeãt, ſed perſuaſi quod vere Deus in carne apparuit illud ſolum verum pietatis myſterium eſſe credamus quod ita per ipſum Verbum & Deum noſtrum traditum eſt, qui per ſeipſum Apoſtolis locutus eſt.* Ita S. Greg. Nyſſ.

Tertia ratio cur poſt Euangelicam legem alia non ſit expectanda, eſt quia ſi nunc veterem legem non ſecundum antiquitatem conſideremus, ſed veluti antiquatam, debilem, infirmam in ſuis ceremoniis, quæ tantum figura erant veritatis, cum tranſlatio iam facta fuerit tum ſacerdotij tum legis in nouum ſacerdotium nouamque legem in qua alia inſtitura ſunt ſacramenta, aliæ præſcriptæ ſunt ceremoniæ iam compotes veritatis rerum promiſſarum & figuratarum iuxta illud Apoſtoli Pauli 2. ad Corinth. 5. *Si qua ergo in Chriſto noua creatura, Vetera tranſierunt, ecce facta ſunt, omnia noua, &c.* Dicere poſſumus quod cum veritas iam aduenerit ſicut non amplius ad has antiquas figuras aut ceremonias adſtringimur, *Reprobatio quidem fit* inquit Apoſtolus ad Hebræos c. 7. *præcedentis mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem nihil enim ad perfectum adduxit lex*, Ita nihil adimpleta veritate in poſterum eſt de nouo expectandum, quia omnia in perfectum ſtatum adducta ſunt quod non potuit facere lex antiqua. Remuneratione v.g. legis antiquæ vt plurimum erant rerum temporalium, at nunc inquit Apoſtolus, *Introductio ſit melioris ſpei per quam proximamus ad Deum*, Pari modo ſaluator non eſt facere dos ſecundum legem mandati carnalis vt ait S. Paulus, id eſt, ſecundum mandatum quo præceptum erat vt omnes ſacerdotes ex tribu Leui aſſumerentur, ſed ſecundum virtutem vitæ indolubilis ſeu nunquam perituræ ſacerdos factus ſecundum ordinem Melchiſedech & ſecundum illam vitam diuini ſpiritus, qui operatur omnia in omnibus, quique gratia ſua viuificauit cunctos qui fideles fuerunt obſeruatores primæ, & primariæ legis eius dilectionis Dei & proximi, talis enim lex æterna eſt & non perit ſed permanet in æternum. Hinc ſtatim atque Chriſtus Apoſtolus dixit: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra, euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti docentes eos ſeruare omnia quæcunque præcepi vobis*. Matth. vlt. Et ſicut ait S. Marcus vlt. c. *Prædicate Euangelium omni creaturæ, quicunq; crediderit & baptizatus fuerit ſaluabitur, qui autem non crediderit condemnabitur* Ipſi autem Apoſtoli his præceptis obtemperando poſt Spiritus ſancti deſcenſum promulgarunt hanc legem Euangelicam, abrogata fuerunt tunc & ſacerdotium legis veteris, & omnia ſacrificia ceſſarunt, omnes ceremoniæ vmbræ, & figuræ, ceſſauit etiam tota obligatio eas ſeruandi paucis exceptis, quas Apoſtolis ad tempus tolerarunt vt ſynagogam antiquitate ſua venerabilem cum honore aliquo ſepelirent. quod faciendum erat quia ſaluatorem per tot annorum curricula prædixerat & deſignarat, ſed nunc nihil melius, nihil verius, nihil vtilius ipſo cum quo omnia donata ſunt nobis, eſt nobis expectandum: hinc optimè S. Ireneus lib. 4: c. 27. *Et quia Dominus naturalia legis per quæ homo iuſtificatur quæ etiam à legiſlatione cuſtodiebant, qui fide iuſtificabantur & placebant Deo non diſſoluit ſed extendit, ſed & implenit vt ſermonibus eius oſtenditur.* Ita Iren. Impletis igitur & præceptis moralibus iudicialibus & ceremonialibus fruſtra aliquid de nouo expectatur: docuit Chriſtus credere in filium ſicut & in patrem, veluti qui hominem conducit ad communionem & vnionem Dei, docuit non tantum bene loqui ſed & bene agere & operari, nec ſolum à malo abſtinere præcepit, ſed & concupiſcentiam mali prohibuit, quæ certe ſunt non ſoluentis legem ſed adimplentis & extendentis & dilatantis, inquit S. Ireneus: *Etenim ea quippe ſeruis poſita per ea quæ foris erant corporalia animam erudiebat velut per vinculum attrahens eam ad obedientiam præceptorum, vti diſceret homo adſeruire Deo: verbum liberans animam & per ipſum corpus voluntatem emundari docuit, quo facto neceſſe fuit auferre quidem vincula ſeruitutis, quibus iam homo aſſueuerat & ſine vinculo ſequi Deum, ſuperextendi vero decreta libertatis, & augeri ſubiectionem, qua eſt ad Regem vt non retrorſum quis recidens indignus appareat eis qui ſe liberauit.* Ita Ireneus ibidem. Verum eſt ſeruos, & filios eadem pietate, & obedientia ferri debere erga Patrem-familias, tamen filij hoc præſtant maiori quadam fiducia: *Quod*, inquit S Ireneus, *ſit maior & glorioſior operatio libertatis, quam ea quæ eſt in ſeruitutem obſequentia.*

Igitur ſi Ieſus Chriſtus liberauit nos à iugo ſeruitutis legis veteris per legem ſpiritus, obſeruantias veteris & ceremonias abrogando, iuſta de cauſa prouocantur Thyatirenſes Chriſtiani, & in eis omnes fideles vt ſeruent hanc legem ſpiritus & dilectionis donec veniat Chriſtus qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua: *Non enim*, inquit S. Ireneus, *propter hoc liberauit nos vt ab eo abſcedamus, nec enim quiſquam extra Dominica conſtitutus bona ſibimetipſis acquirit ſalutis alimenta, ſed vt plus gratiam eius adepti plus eum diligamus, quanto autem eum plus dilexerimus hoc maiorem ab eo gloriam accipiemus, cum ſimus ſemper in con-*

S. Gregorius Nyſſenus orat. 1. S. Eunonium.

S. Ireneus.

2. ad Corint. 5

Hebr. 7.

Hebr. 7.

Matth. vlt. Marc. vlt.

S. Ireneus.

S. Ireneus.

Digitized by Google

ſpectat Patris. Ita Ireneus.

Concludendum itaque quod ſi præcepta naturalia, & ceremonialia habuerunt accrementum & adimpletionem conſummatam, & perfectam in lege noua, nullum aliud de nouo præceptum expectandum eſt nec aliam legem, ſed quod traditum eſt mandatum, quæ lex lata eſt hoc totum fideliter in his vltimis temporibus obſeruandum: lex quidem tempore poſterior, ſed abundantia gratiæ, & perfectionis prior & antiquior, ne ſi eius obſeruationem neglexerimus maius incurramus ſupplicium, iuxta illud S. Pauli ad Hebræos 10. *Irritam quis faciens legem Moyſi ſine vlla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur, quanto magis putatis deteriora meretur ſupplicia qui filium Dei conculcauerit & ſanguinem Teſtamenti pollutum duxerit in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim qui dixit: mihi vindicta, & ego retribuam: & iterum, quia iudicabit Dominus populum ſuum: Horrendum eſt incidere in manu Dei viuentis.* Et reuera cui plus dabitur plus exquiretur ab eo obſequij & fidelitatis, reddenda eſt nobis ratio ei qui in hac epiſtola profitetur ſe ſcrutaturum eſſe renes & corda, & daturum vnicuique iuxta opera ſua. Seruemus igitur quæ præcepit donec veniat, vt per fidelem ſuarum voluntatum obſeruantiam participes ſimus honoris quem confeſtim promiſſurus eſt iis qui per perfectam & inſignem victoriam ſe dignos huius honoris & gloriæ exhibebunt.

Hebr. 10.

At cum dicit: *Donec veniam*: In duas partes abeunt expoſitores, quidam de iudicio particulari per mortem intelligunt vt Gagneus, Emanuel Sa: Alij de iudicio finali vt Menochius, quia ſemper illicitum eſt & erit idolothytis veſci ſi ſcandalum inde oriatur infirmorum præſertim inter recens conuerſos, licet ſimpliciter loquendo ſpectatâ rei naturâ cibis illis veſci peccatum non ſit. Vide S. Thomam 2. 2æ. 12. q. 103. ar. 4. Conſentit Tirinus poſt Ambroſ. Richardum, Primaſ. Rupertum, Bedam. Et reuera probabiliſſimum eſt hoc intelligi vſque ad vltimum iudicium in quo plena fiet remuneratio bonorum aut vindicta malorum. At id, (*Quod habetis tenete*) non ſolum de fide aut charitate nobis intelligendum eſt, ſed etiam de omnibus aliis quæ tradita ſunt nobis ab Apoſtolis, vno verbo dico de totâ lege Euangelica quæ ſeruanda eſt vſque ad iudicium, nec enim aliam legem expectare debemus ſicut lex Euangelica olim expectata fuit pro perfectione legis vel naturalis vel Moſaicæ.

Gagneus. Sa. Menochius.

1. 2æ. 12. q. 103. art. 4.

Qui vicerit & cuſtodierit opera mea vſque in finem dabo illi poteſtatem ſupra gentes & dabo illi ſtellam matutinam.

Quænam merces ſeu remuneratio repromittitur iis qui fideliter legem Euangelicam ſeruare ſtudent & ſeruandam eſſe intrepidè annunciant.

ANNOTAT. X.

Diuerſa huius loci authorum expoſitiones. §. 1.

Eſtius: *Ex eo quod additur, Vſque in finem, patet hanc promiſſionem non pertinere ad ſanctos pro tempore quo hic viuunt, vt hæreticorum quidam (quo Catholicorum argumentum quod hinc pro ſanctorum ope & gubernatione noſtri ſumitur effugerent) interpretati ſunt: quanquam & vincendi vocabulum ſatis hoc ipſum includit; nam & vincere hoc & ſequenti capite non tribuitur niſi his qui victoriam finalem ſunt conſecuti, Vincenti inquit dabo edere de ligno vitæ quod eſt in paradiſo Dei; Qui vicerit non lædetur à morte ſecunda Vincenti dabo manna abſconditum, &c. Accedit quod regnum & poteſtas ſuper* A *gentes in hac vita communis eſt bonis & malis: quod proinde hic non promittitur in præmium ſanctorum.* Ita Eſtius: tamen vt videbimus ſunt qui hunc locum de præmio in hac vita etiam ſanctis dando intelligunt.

Eſtius.

Et reges eas in virga ferrea. Eſtius: *Poteſt virga ferrea duobus modis intelligi: Vel rectiſſima iuxta illud Pſal. Virga directionis, id eſt, iuſtitiæ & æquitatis virga regni tui; Vel dura ſecundum id quod ſequitur, Et tanquam vas figuli confringentur.* Ita Eſt.

Sa.

Emanuel Sa: *Dabo illi, &c. q. d. faciam mecum imperare ſcilicet ex capite Chriſto & membris vnum corpus conſtat totumq; regnum reges ſcilicet mecum particeps regni. Ferrea.* J. *inflexibili ad malum & valida ad ſupplicium confringentur ſcilicet irreparabiliter.* Ita Sa.

Menochius.

B Menochius: *Et qui vicerit qui non ceſſerit terroribus aut blanditiis impiæ Iezabelis, & eius comitum, ſed ſemper cuſtodierit mandata mea, &c. Opera mea.* J. *præcepta mea quæ opere impleri iubeo.*

Sap. 3.

Dabo illi poteſtatem ſuper gentes: loquitur de poteſtate quam ſancti exercebunt in die iudicij in omnes gentes quæ Chriſto non paruerunt, iudicantes eos cum Chriſto & æternæ mortis ſupplicio trădentes, iuxta illud Sapient. 3. Iudicabunt nationes, & dominabantur populis. Et reges eas ſcilicet mecum regni particeps. In virga ferrea. J. *inflexibili ad malum & valida ad ſupplicium: alludit imo vtitur verbis Pſ. 2. Et tanquam vas figuli confringentur irreparabiliter quemadmodum vas fictile igne duratum ſi confringatur iterum fingi non poteſt & reformari ſicut & ego* C *accepi à Patre meo, ſcilicet hanc poteſtatem iudicandi gentes.* Ita Menochius.

Pſ. 2.

Tirinus.

Tirinus: *Qui vicerit impietatem, & opera ſeu mandata mea cuſtodierit vſque in finem huius vitæ, dabo illi regiam in omnia poteſtatem, qua pro libito regnabit mecum ſuper terram vt c. 5. v. 10. clarius exprimitur, ac tandem quoque dabo illi in extremo iudicio iudiciariam poteſtatem ſuper gentes omnes impias, & vna mecum reges imo conteret eas virgâ ferreâ, nempe ſeuerâ & irreuocabili ſententiâ damnationis perdet omnes & præcipitabit in gehennam: Alludit enim, vt ipſemet ait. v. 20. ad illud Pſ. 2. Reges & confringes eos irreparabiliter & in fruſta inutilia. Ita Victorinus, Aretas, Lyranus, Ribera, à Lapide & alij.* Hæc Tirin.

Pſ. 2.

Gagneus.

D *Dabo illi ſtellam matutinam.* Gagneus: *Stellam matutinam vel Chriſtum vel rerum diuinarum claram intelligentiam poſſumus accipere, quam Luciferum Petrus vocans ait: Cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in loco caliginoſo, donec dies illuceſcat, & Lucifer oriatur in cordibus veſtris.* Ita Gag.

Sa.

Sa: *Stellam.* J. *cæleſtem lucem ei in futurâ vitâ orienti, & velut diem gloriæ incipienti: vide 2. Petri.* Ita Sa.

Menochius.

Menochius: *Per quam videtur intelligere lumen gloriæ, claram viſionem Dei quam anima victrix per Chriſti gratiam adipiſcitur poſt mortem.* Alij aliter explicant quorum plurimas interpretationes videat qui vult apud Cornel. à Lap.

Tirinus.

E Tirinus: *Et dabo illi ſtellam matutinam, puta lumen gloriæ & claram Dei viſionem, quæ inſtar Luciferi poſt obſcuram huius vitæ noctem illuceſcet vnicuique victrici animæ, ſimul atque è corpore demigrabit, ſed commutabitur in lucidiſſimum ſolem meridianum, quando in generali reſurrectione etiam in omnia corpora ſimul & ſemel & æternam gloriam & ſplendorem ſuum effundet. Ita Victorin. Primaſ. Aretas, & à Lapide & hoc ſenſu dicit Chriſtus infra, Ego ſum ſtella ſplendida & matutina.* Ita Tirin.

Rupertus.

Hæc recentiores interpretes. Antiquiores conſulamus, inter quos adeſt mihi primus Rupertus: *Qui vicerit, nimirum qui talis eſt qui omnes carnis affectus, & iſtas vincit paſſiones, & iſta cuſtodit opera Domini vſque in finem, id eſt, vſque in perfectionem, iſte dignus & idoneus eſt qui præſit, qui aliorum ductor & rector ſit & imperet atque cogat tyrones ad militiam Domini, ait ergo:*

Digitized by Google

Dabo illi: Et reget eos in virgâ ferreâ, id eſt, rectâ & ſeuerâ Iuſtitiæ diſciplinâ. Quæ non ciuo flectatur in gratiam vel in odium, quia vicit hæc, quia prædictarum eſt victor paſſionum, bonumque habet zelum nunquam odiendo hominem, & amando vitium, ſed ſemper amando hominem & odiendo vitium. Sicut accepi, inquit, dabo illi, vt quorum remiſerit peccata remittantur eis, & quorum retinuerit retenta ſint. Et dabo illi ſtellam, id eſt, poſt laborem quo in præſenti vita, quaſi in noctis laborat ſollicitus & pernigil in animarum ſibi commiſſarum cuſtodiâ, manifeſtabo ei meipſum qui ſum ſtella matutina. Hæc Rup.

Ambroſius Ansbertus: *Et qui vicerit, &c. Dabo illi poteſtatem, &c. Hanc poteſtatem tunc Chriſtus à Patre accepit, cum pro nobis incarnatus paſſus ac ſuſcitatus per Apoſtolorum prædicationem totum ſibi mundum ſubiugauit.* Ita Ansbert. Qui & ibidem docet hoc non intelligendum ſecundum diuinitatem, ſecundum quam poteſtas eius poteſtas æterna, ſed ſecundum humanitatem ſecundum quam dictum eſt: *Data eſt mihi omnis poteſtas: Et dabo tibi gentes*, quam poteſtatem quam in tempore homo factus à patre accepit vnigenitus Dei electis ſuis ſe dare repromittit, ſed in ſe à quo totum regitur corpus, & cui totum Eccleſiæ inhæret corpus, ipſe enim ſecundum Apoſtolum caput eſt omnium electorum. Si quod ergo membrorum digne capiti inhæſerit veraciter habere dicitur quod ipſum caput hæreditario pollidere probatur. *An non Eccleſia*, addit Ansber. *in capite ſuo poteſtatem ſuper gentes accepit, quæ in ſanctis prædicatoribus ipſæ gentes ex quibus conſtat autoritate capitis ſui ſententia cantus ſui docet & regit, atque ab illicitis operibus cenſura diſtrictionis coercet? Sed nec mirum ſi ſuper gentes poteſtatem Eccleſia habet in terris, quæ ligandi atque ſoluendi poteſtatem accepit in cælis pariter & in terris.* Ita Ansb. Docet præterea virgâ ferreâ prædicatores alios regere, quia in ſeipſis coercent vitia, nec ſibi, nec aliis contra Iuſtitiam parcere nouerunt, qui & in ſe, & in aliis tantum Iuſtitiæ tramitem diligere ſtudent. Eorum autem virga in Eccleſia mollis eſt, & diſtorta, dum in ſimili operatione delictorum & Paſtor & grex deprehenditur, ſeque is qui præeſt molliter delinquens palpati, ſubditos vero temporali potentia grauiter exaggerat ſicque mollem & flexibilem vrgam portat.

Ansbertus.

Et dabo illi ſtellam matutinam. In ſcripturâ ſacrâ cum ſingulariter dicitur, ſtella matutina per hãc ipſe mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus figuratur. Cũ vero plurãliter aſtra matutina interſeruntur Angelicam naturam deſignant, ſed & cum ſimpliciter ac ſine additamento ſtellæ ponuntur Doctores Eccleſiæ nonnunquam exprimunt: ſtella Matutina Mediatorem Dei & hominum hominem Chriſtũ Ieſum deſignat ſicut in hac Apocalypſi ipſa magna & fulgida ſtella apertiſſimè determinat dicens, *Ego ſum genus & radix Dauid, ſtella ſplendida & matutina: quia enim diſcuſſis tranſactæ noctis tenebris diem mox affuturum ſtella matutina denunciat, recte per eam ſiue natiuitas redemptoris noſtri in carne, ſeu reſurrectio eiuſdem poſt mortem figuratur.* Ita Ansbertus.

Noſtra de hac remuneratione ſententia. §. 2.

Quantum Dei bonitas eluceat erga nos dum nobis mercedem tribuit pro operibus bonis patet ex S. Ireneo lib. 4. c. 28. *Igitur initio non quaſi indigens Deus hominis plaſmauit Ádam, ſed vt haberet in quem collocaret ſua beneficia, non enim ſolum ante Ádam, ſed & ante omnem conditionem gloriſicabat Verbum Patrem ſuum, manens in eo, & ipſe à Patre glorificabatur, quemadmodum ipſe ait, Pater clarifica me claritate quam habui apud te priuſquam mundus fieret, nec noſtro miniſterio indigens iuſſit vt eum ſequeremur, ſed vt nobis ipſis attribueret ſalutem, ſequi enim ſaluatorem participare eſt ſalutem, & ſequi lumen, participare eſt lumen: qui autem in lumine ſunt, non ipſi lumen illuminant, ſed illuminantur, & illuſtrantur ab eo: ſic & ſeruitus erga Deum, Deo quidem nihil præſtat, nec opus eſt Deo humano obſequio, ipſe autem ſequentibus, & ſeruientibus ei vitam, & incorruptelam, & gloriam æternam attribuit beneficium præſtans ſeruientibus ſibi, ob id quod ſeruiunt, & ſequentibus ob id quod ſequuntur, ſed non beneficium ipſe ab eis percipiens, eſt enim diues & perfectus, & ſine indigentia. Propter hoc autem exquirit Deus ab hominibus ſeruitutem vt quoniam eſt bonus & miſericors beneſaciat eis qui perſeuerant in ſeruitute eius. In quantum enim Deus nullius indiget in tantum homo indiget Dei communione, hoc enim gloria hominis, perſeuerare ac permanere in Dei ſeruitute.* Ita Iren. Ex abundantiâ inæſtimabilis huius bonitatis promittit hic Dominus fidelibus legis Euangelicæ obſeruatoribus has magnificas, & ampliſſimas mercedes, quæ in his verbis; *Qui vicerit & cuſtodierit, &c. Dabo illi poteſtatem, &c. Dabo illi ſtellam matutinam*, continentur. Deus enim optimus qui profusè poteſt ſeſe ad extra effundere, homo autem capax eſt in ſe ſuſcipere bonitatis iſtius infinitæ profuſiones, vt docet S. Ireneus lib. 4. c. 24. *Et hoc Deus ab homine differt, quoniam Deus quidem facit, homo autem fit: Et quidem qui facit ſemper idem eſt, quod autem fit, & initium, & medietatem, & adiectionem, & augmentum accipere debet. Et Deus quidem bene facit, bene autem fit homini, Deus quidem perfectus in omnibus, ſibi ipſi æqualis & ſimili, totus cum ſit lumen, & totus mens & totus ſubſtantia, & fons omnium bonorum, homo vero profectum percipiens & augmentum à Deo. Quemadmodum enim Deus ſemper idem eſt, ſic & homo in Deo intentus ſemper proficiet ad Deum, neque enim Deus ceſſat aliquando in beneſaciendo & locupletando hominem, neque homo ceſſat beneficium accipere & ditari a Deo; exceptorium enim bonitatis, & organum clarificationis eius homo gratus ei qui ſe fecit, & æternum exceptorium iuſti iudicij eius homo ingratus, & ſpernens plaſmatorem, & non ſubiectus verbo eius, qui plurimum ſemper fructificantibus, & plus habentibus dominicum argentum daturum ſe pollicitus eſt: Euge, inquit, ſerue bone & fidelis, quia in modico fidelis fuiſti ſupra multa te conſtituam intra in gaudium Domini tui.* Ita Iren. Quidni? nonne remuneratio hic promiſſa ſatis manifeſtat hominem vas eſſe aptiſſimum ad excipienda præclariora Dei beneficia effectuique bonitatis? Siquidem promittitur homini vincenti eamdem ſe poteſtatem accepturum pro mercede, quam & ipſe Chriſtus accepit à Patre. Sed & ex hoc quod dicitur hic quoſdam eſſe confringendos, contemptores videlicet autoritatis, & directionis inflexibilis iuſtitiæ tanquam vaſa figuli, manifeſtè apparet hominem ingratum vas eſſe aptiſſimum ad excipienda diuinæ ſeueritatis ſupplicia, ſeu exceptorium eſſe iuſti iudicij Dei. Cui autem generi victoriæ tribuenda eſt remuneratio hic promiſſa, exiſtimo dicendum eſſe illam remunerationem commenſurandam eſſe victoriæ cuidam, quæ conformis ſit iis quæ in hac epiſtola pertractantur. Igitur ſi vt vidimus ſupra in hac epiſtola agitur de ſynagoga repudiata quia non recepit ſaluatorem, ille victoriam obtinebit, qui illius perfidiam, & fidelitatis infractionem vicerit per rectam & viuam fidem in Chriſtum iuxta illud S. Ioann. Epiſt. 1. c. 5. *Quis eſt qui vincit mundum, niſi qui credit quoniam Ieſus eſt Filius Dei?* Et in fine capitis: *Et ſcimus quoniam filius Dei venit & dedit nobis ſenſum vt cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero filio eius. Hic eſt verus Deus & vita æterna.* At quanam ratione manifeſtare poſſumus nos hanc fidem habere, nos Deum cognoſcere, nes in vero filio Dei eſſe, quem ſcimus verum Deum & vitam æternam? Non alia proculdubio, quam ſi mandata eius

S. Ireneus.

S. Ireneus.

1. Ioan. 5.

vſque

vſque in finem cuſtodiamus iuxta illud etiam ſanctiIoannis Ep. 1. c. 2. *In hoc ſcimus quoniam cognouimus eum ſi mandata eius obſeruamus.* Et paulo poſt: *Qui autem ſeruat verbum eius verè in hoc charitas Dei perfecta, & in hoc ſcimus, quoniam in eo ipſo ſumus.* Quicumque igitur credit Ieſum eſſe filium Dei ita in eum credat vt cuſtodiat opera Chriſti eum ſequendo & imitando, qui enim in ipſo manet, *Debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare*, vt ait S. Ioan. Quod vt feliciter præſtet non ſolum operare debet cum perſeuerantiâ & cuſtodire opera eius vſq; in finem, ſed etiam opera & actiones elicere quæ ſint maioris perfectionis, quales ſunt actus heroici octo beatitudinum, quales ſunt actus conſiliorum quæ in Euangelio dantur. Qui talia perfecerit mercedem accipiet tanquam qui vicerit & fideliter cuſtodierit opera Chriſti vſque in finem, id eſt, ad perfectum & cum finali perſeuerantiâ. Quænam autem ſit illa poteſtas promiſſa pro remuneratione, dico primò eſſe poteſtatem iuriſdictionis tam in foro interiori quam exteriori, iuxta quod tanquam perfecto victori, poſtquam Petro ter dixit: *Simon Petre diligis me plus his?* Tandem ei hanc poteſtatem contulit, reſpondente Petro, *Domine tu ſcis quia amo te*, dum ipſi dictum eſt: *Paſce agnos, paſce oues*, ille ſiquidem meretur agnos & oues paſcere Chriſti, qui eum amando illum ſequitur & imitatur, & non tantum Dei præcepta adimplere ſatagit. ſed & Euangelij conſilia. Et hac de causâ, quia tales debent eſſe Eccleſiæ Paſtores, Epiſcopalis ſtatus dicitur ſtatus perfectionis.

Dico 2. hanc poteſtatem eſſe poteſtatem quamdam iudiciariam, quæ data eſt ſanctis omnibus, de qua Pſalmiſta Pſ. 144. *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus & nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant in eis iudicium conſcriptum, gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius.* Hæc perficiunt in præſenti vitam & perficient in vltimo iudicio; In præſenti dum non ſinunt, aut permittunt reges etiam potentiores ſubſequi peruerſitatem inclinationum, & affectionum humanarum, ſic alligant eos in compedibus; aut eos impediunt quominus exerceant, quidquid malè decreuerint, ſic injiciunt manicas ferreas in eorumdem manus. Hac porentiâ fretus S. Ambroſius vt pote & ſanctus & Epiſcopus imperatori dicere non pertimeſcebat, audiens ipſum permiſſurum Paganis vt altaria ſua rurſus erigerent: *Epiſcopi*, inquit, *hoc æquo animo pati & diſſimulare non poſſumus: licebit tibi ad Eccleſiam conuenire, ſed illic non inuenies ſacerdotem aut inuenies reſiſtentem.* Ita ille. Hac poteſtate inquam præditus cauſas fidei coram Laicis pertractare renuebat, tunc vigore Apoſtolico imperatorem ſic alloquitur; *Quando audiuiſti clementiſſime Imperator in cauſa fidei laicos de Epiſcopo iudicaſſe? Ita ergo quadam adulatione curuamur vt ſacerdotalis iuris ſimus immemores, & quod Deus donauit mihi hoc ipſe aliis putem eſſe credendum.* Ita Ambr. In causâ quippe fidei ſolent Epiſcopi de impecatoribus Chriſtianis iudicare, non imperatores de Epiſcopis. Hæc & ſimilia magnus ille Epiſcopus dicens nonne in pedes imperatoris compedes, aut in manus eius ferreas injiciebat manicas, quibus impediretur ne iret in ſententiam Symmachi præfecti qui altaria idolorum reſtaurari ſuggerebat, aut hæretici Auxentij Arriani qui diſputationem de rebus fidei coram iudicibus ſecularibus poſtulabat? Hac diuina poteſtate munitus idem S. Ambroſ. Theodoſij magni manum alligat fortiter ne reſcriptum contra quemdam Epiſcopum & quoſdam monachos, qui ſynagogam Iudæorum comburi fecerunt datum ab ipſo ſuum effectum obtineret, nec vnquam ad altare voluit accedere vt diuinum offerret ſacrificium in præſentiâ imperatoris, quin antea imperator ſuum fidem dediſſet ſe eſſe reuocaturum & annullaturum tale reſcriptum. Actio certe quæ adeo gratiſſima fuit, & accepta diuino numini vt in epiſtola ad ſororem Marcellinam atlerat, *Quod vere tanta ſint oblationis gratia vt ſentirem, inquit ipſe, eam Deo noſtro commendationem fuiſſe gratam & diuinam præſentiam non defuiſſe.* Ita S. Ambr. Eminens igitur authoritas, ſeu eminens quædam ſanctitas, quæ ſanctos dignos reddit qui reuereantur, quibus obediatur tum etiam à Monarchis & Regibus; eſt illa poteſtas ſupra gentes quæ promittitur Euangelicæ legis cultoribus.

Hæc autem poteſtas in duos ramos protenditur: primus deſignatur in his verbis: *Et reges eos in virga ferrea*, Secundus dum addit, *Et tanquam vas figuli confringentur.* Iuſtitia enim inflexibilis qua Eccleſia regitur quæ conformis eſt inuariabili, & inuiolabili legi dilectionis Dei & proximi; à qua iuſtitia non permittitur fidelibus in ſuis actionibus deuiare: ab his duobus principiis motiuis, aut præceptis ferrea virga nuncupatur, & præterea propterea quod hæc duo præcepta ritè, & debitè adimpleri non poſſunt abſque contritione proprij amoris ſeu intereſſe ſuperbiæ animæ tumentis & appetitus carnis, & ſanguinis. Deinde ferrea eſt virga pro reprobis, qui aut iuſtitiæ leges conculcarunt & carnis & ſanguinis concupiſcentiis obtemperarunt, ea enim poteſtate confringentur abſque ſpe reparationis vt ex interpretibus ſupra videre licet. Optimè ſanctus Ambroſius de regimine prælatorum loquens in ſermone quem habuit coram Theodoſio, vt reſcinderet reſcriptum de quo antea locuti fuimus, regimen paſtorum aſſimilabat virgæ illi amygdalinæ, quæ reflorúit in manibus Aaron: *Nam*, inquit, *per virgam videtur ſignificari quod directa eſſe debeat prophetica vel ſacerdotalis authoritas vt non tam delectabilia quam vtilia perſuadeat: ideo vero nucinum baculum ſumere iubetur propheta, quia membratæ pomum arboris amarum in cortice durum in teſta intus eſt fructuoſum: vt ad eius ſimilitudinem propheta quoque amara & dura præſendat, & denuntiare triſtia non formidet: ſimiliter etiam ſacerdos quia præcepta eius etſi ad tempus aliquibus amara videntur, & tanquam virga Aaron repoſita diu in auribus diſſimulãtium tamen aliquando æſtimatur aruiſſe floreſcat: vnde & Apoſtolus ait: Quid vultis? In virga veniam ad vos an in charitate ſpirituque manſuetudinis? Prius enim virgam duxit, & tanquam virga nucina percuſſit errantes vt poſtea conſolaretur eos ſpiritu manſuetudinis. Itaque quem virga Sacramentis abdicauit cæleſtibus eumdem manſuetudo reſtituit. Diſcipulo quoque talia præcepta dedit dicens: Argue, obſecra, increpa: Duo dura, vnum mite ſed ideo dura, vt etiam ipſa moliret, quia ſicut ægris redundãti felle corporibus, ciborum aut potus amaritudo dulceſcit, & è contra epularum ſuauitas amaritudini eſt: Ita vbi animus eſt ſaucius voluptuario ſatu adulationis agreſcit, & rurſum correptionis temperatur amaritudine.* S. Amb. l. 2. epiſt. epiſ. 18. ad Marcellinã ſororem.

Æquitas igitur & rectitudo legis Chriſtianæ ſecundum quam Paſtores exercere debent autoritatem & poteſtatem ſibi traditam & commiſſam, illius æquitatis inflexibilitatem vim, & fortitudinem ad conterendos errores, & falſas opiniones, voluntatum contradictiones & repugnantias, Appetituum rebelliones, & importunos impulſus poteſtatum terrenarum huius ſeculi, etiam inuiſibilium poteſtatum oppoſitiones, hic in virga ferrea deſignatur: Siue paſtores hanc poteſtatem obtineant ratione miniſterij ſiue ipſi ſunt, qui ſeipſos, & appetitus ſuos deuicerunt, qua de cauſa promeruerunt vt illis tri-

1. Ioan. 2.

Pſ. 144.

Ambroſius.

Ambroſ.

S. Ambroſ.

Ambroſ. epiſt. ad ſororem.

81

bueretur hæc inſignis poteſtas propter eminentem A ſanctitatem, poteſtas inquam, quæ non ſolum in prætium haberi debet ſi regimen aut directionem ſpectes, ſed inſuper quia per eam conterere poſſumus gloriæ Dei hoſtes: Quod quidem manifeſtum eſt, ſiue quia hac virga peccata deſtruuntur, & contumacibus pœnæ infliguntur, quales ſunt iniunctiones duræ cuiuſdam ſatisfactionis & pœnitentiæ, quin & etiam ipſæmet excommunicationes, ſed maximè hæc poteſtas eluceſcet cum in iudicio finali, *Indicabunt ſancti nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum.* Sap. 3. *Sap. 3.*

Quod ſi de ſtella matutina ſermonem inſtituamus, per ſtellam matutinam intelligimus exercitium huius poteſtatis ſcilicet pro eo tempore, & inſtanti in quo Ieſus quodammodo in animabus fidelium B ſpiritualiter generatur. ipſe enim eſt vera aurora ſeu ſtella matutina. Cum igitur promittitur quod detur ſtella matutina perfecto legis Euangelicæ cultori idem eſt ac ſi diceretur, quod ſua auctoritate, doctrina, & exemplo in multis progignet Chriſti notitiam, & pium Chriſtum ſequendi & imitandi affectum, qua quidem ratione & prælatis, & ſanctis & eorum opera ad Chriſti fidem, & imitationem conuerſis mane illud exoptandum, & in perpetuum eluceſcens exurget, dum ſcilicet in mane ſeu primo inſtanti gloriæ æternæ lumen gloriæ infundetur, quo Deum clare, & intuitiuè videbimus vt in ſe eſt. Chriſtus autem Dominus dicitur ſtella matutina, nam ſicut illa ſtella ſolis eſt præuia, pari ratione impreſſio luminis fidei aut gloriæ ſecundum quam verbum æternum mitti inuiſibiliter perhibetur in animabus ſeu mentibus, præuia dicitur actus perfectæ cognitionis Dei, qui ſequitur tum fidei habitum tum lumen gloriæ quo mens idonea redditur ad videndum & contemplandum Deum.

Et ex Cornelio à Lapide hic annotare licet his *Cornelius à Lapide.* remunerationibus talia nomina aſſignari quæ diuerſas excellentias deſignent certaminibus & victoriis proportionatas: verbi gratia Epiſcopo Epheſino ſeneſcenti, & qui à primo feruore receſſiſſe videbatur promittitur gloria ſeu merces, ſi ad priſtinum redeat feruorem ſub nomine ligni vitæ cuius fructu vigor D corporum reſtaurari debebat. Epiſcopo Smyrnenſi cuius virtus probata & perfecta erat promittitur merces ſub nomine coronæ, quæ circulum integrum & perfectum conficit variis gemmis pretioſis, & floribus exornatum. Epiſcopo Pergami, qui contra animi puſillitatem, & timiditatem decertare debebat promittitur lapis pretioſiſſimus Adamas adeo ſplendens vt eius ſplendore videre valeat, quod nihil eſt, quod ei timorem incutere poſſit. Epiſcopo Thyatirenſi, qui imprudentiam vincere debebat, & qui conniuere hoſtibus nominis Chriſti prohibebatur promittitur merces ſub nomine ſtellæ matutinæ. Epiſcopo Sardenſi qui mortuus erat ſpiritualiter promittitur ſi ad vitam redire ſtuduerit per pœniten- E tiam quod ſcribetur in libro vitæ ſeu viuentium. Epiſcopo Philadelphiæ qui virtutem non ſatis robuſtam habebat dicitur quod ſi corroborari & confirmari ſtudeat ipſe erit tanquam firma columna in cælo. Epiſcopo Laodicenſi tepido & pigro promittitur quod ſi acediam vincat ſedebit ſuper thronum Chriſti Domini, ex quibus perſpicere licet quomodo iſtæ remunerationes quandam habeant proportionem cum certaminibus & victoriis quæ inire, & quas promereri debent hi omnes Epiſcopi.

Si quis habet aurem audiendi audiat quid ſpiritus dicat Eccleſiis.

Amor Chriſti quem operibus oſtendimus benignos patris æterni adſpectus ad nos conuertit, qua quidem ratione ad ſummum honoris apicem euehimur.

ANNOTAT. XI.

QVID potiſſimum velit vt audiamus eſt illud: *Qui vicerit & cuſtodierit opera mea vſque in finem*, hac enim ratione merces nobis reddetur ampliſſima & honorificentiſſima & benignos Patris æterni in nos intuitus promerebimus. Dixit olim Chriſtus: *Qui diligit me ſermonem meum ſeruabit, &* Ioan. 14. *pater meus diliget eum & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*: Huius rei veritatem in hac mercede promiſsâ percipere licet: ſi enim promittitur iis qui Chriſti opera cuſtodiunt, & conſequenter promittitur iis qui oſtendunt ſuis operibus quod eum diligunt, qua dilectione Deus vt ita dicam ad manendum in eis inuitatur: vbi enim charitas & amor ibi Deus eſt.

Et reuerà quid impellere poteſt Deum Maieſtatis ſupremę vt in tam ſublimem gradum dignitatis creaturam adeo imbecillem extollat, niſi quia ſpiritus noſter in libertatem vocatus per apprehẽſionem veritatis non amplius in ſeruitutem adigitur ſub vmbris & figuris legis veteris, & inſuper quia vicerit C concupiſcentias peccari dum à quolibet peccatorum genere aut actu conſenſum ſuum omnimodè ſubtrahens nec rebus præſentibus aut momentaneis vllatenus adhærens ad cælum tantum adſpirat, & ad ſolam cæleſtis gloriæ poſſeſſionem anhelat, in qua nobis frui liceat eo ſummo bono in quo omnem ſuam ſpem ſeu fiduciam collocauit? Nam cum hac ratione Deus nos vacuos reperiat ab omni affectu à ſuo amore alieno, congruum illi videtur vt nobiſcum vnus efficiatur ſpiritus per quoddam vinculum inuiolabilis amicitiæ, in quo experiamur nullum nobis obuenire poſſe præſtantius bonum quam ſi Deo adhæreamus, & in eo omnem noſtram ſpem collocemus illius exempla & documenta ſectando, qui ſe viam nobis exhibuit, vt nos deduceret ad veritatem, quique nos eximendo à iugo legis & peccati, per veritatem quam nobis aperuit, promittit exinde ab omni corruptione libertatem per donum immortalitatis vt reuera nobis appareat via, veritas & vita. O felix qui iſtam diligit viam, & verbis illius fidem adhibet, & mandatis obtemperat, quæ per verbum illi iniunguntur! Veritas illum illuminat, & peccati mendacio quod quidem mors eſt animæ ad veritatis radios aufugiẽte, à vita poſſidetur, vt fit Dei viuentis gratum, & iocundum domicilium: complacet enim ſibi pater in hoc opere potẽtiſſimę manus ſuæ. Illuminati à filio qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, eiuſque viuificati ſpiritu per charitatem qua eum diligimus in Deo ſumus, & Deus in nobis eſt, & cum eo hac ratione vnus ſpiritus efficimur. Eſt ne aliquis honor, quem expectare non valeat talis creatura, quæ tam benigno & fauorabili intuitu à patre æterno reſpicitur? Siquidem ſibi tantopere complacet in filio quod ſi aliquod lineamentum exquiſitæ illius pulchritudinis conſpexerit, ſtatim figat intuitum cum complacentia, ſtatim in tam grato ſibi obiecto ſuas capit delitias, nec enim in aliquo obiecto delitiari poteſt quam in eo qui omnes excellentias, & prærogatiuas diuinarum perfectionum in ſe conſignatas continet. Complacet itaq; ſibi in eo obiecto in quo verbum æternũ à Patre genitum exiſtit ſiue perſonaliter ſeu hypoſtatice qualis eſt Chriſti humanitas, ſiue repre-

Digitized by Google

ſentatiue quomodo inuenitur in omnibus electis Christi Ieſu imitatoribus & quibus dicere licet: *Viuo ego iam non ego vivit vero in me Christus*: Quia nullus ibi alius amor viget quam Chriſti amor & dilectio. Nec admiratione dignum exiſtit, ſi Chriſti amor attrahat ad nos benignos Patris adſpectus itaut nos euehat ad ſummos honores, ſuorumque ſplendorum participes efficiat, non enim alia ratione melius poſſumus teſtari qua reuerentia Patrem colamus, quo amore erga eum afficiamur, quam ſi quod ipſe diligit infinite, illud idem ſumme diligamus filium videlicet ſupra omnia amabilem: rectè enim Gregor. Nyſſ. de filio loquens dixit contra Eunomium: *Bonum ſupra omne bonum vnigenitus Deus*, Cum igitur eum diligimus amorem Patris ſui nobis conciliamus qui ſeipſum in nobis reperiens per charitatem qua filium diligimus, cum Pater & filius vnum ſint, fieri non poteſt, quin fauorabiles ſuos adſpectus in nos fixos teneat, ſiquidem filius eſt ille dilectus in quo ab æterno Pater ſibi complacuit. O felix circulus diuini amoris cum à Deo dilecti amore beneuolentiæ quo inductus abſque ſpe remunerationis filium ſuum nobis donauit, eo ipſo quo nos ad filij euehit amorem, Pater deinceps vult etiam nos eodem amore complacentiæ diligere quia complacet ſibi in filio, in quo nos inuenit cum filium diligimus: amans ſiquidem magis eſt in re amata quam in ſeipſo: O inſignis animæ cum Deo familiaritas, cum is idem amor qui nexus eſt & Patris, & Filij nos coniungit Deo! Hoc modo fit, quod exoptabat diſcipulus quem diligebat Ieſus 2. Ep. c. 1. *Et ſocietas noſtra ſit cum Patre & cum filio eius Ieſu Chriſto*, Nam dum Ieſum diligimus, quem diligit Pater ſocietatem cum Patre habemus per charitatem quæ nos cogit ad eius imitationem vſque ad mortis eius configurationem, poſſidendo hunc pattis dilectum, & dum Pater diligit eos qui filium diligunt in ſocietatem cum filio ingredimur diligendo filium quem Pater diligit, & ſic diligentes & dilecti à filio Patri tradimur vt eo ipſo quo toti Patri erimus ingrediamur in fruitionem totius boni quod ipſe poſſidet. Etenim hoc modo fit quod dum Ieſus manifeſtat ſemetipſum his quos ipſe diligit, nullum maius bonum illis conferre valens, quam vt Patri eos deuoueat & tradat, tunc perfectè Patris ſumus ipſi à filio traditi, iuxta illud Apoſtoli: *Cum tradiderit regnum Deo, & Patri, vt ſit Deus omnia in omnibus.* Hæc eſt origo honoris qui ſanctis tribuitur imitatoribus Chriſti, hac de cauſa ſupra omnes dominantur nationes, hoc titulo poteſtatem habent ſupra gentes, fiuntque ſtellæ ſplendentes, quia in eis inuenitur depictus is qui dicit: *Ego ſum ſtella ſplendida, & matutina*, & per quem fit vt ineant ſocietatem cum Patre & filio eius Ieſu Chriſto, id eſt nullum aliud poſſident bonum, quo beati reddantur, quam illudmet bonum, in cuius poſſeſſione Pater, & Filius & Spiritus ſanctus ſunt fons, & origo totius boni & beatitudinis infinitæ, & ita bene dixit S. Ireneus, *Maiorem ab eo gloriam accipiemus cum ſimus ſemper in conſpectu Patris, paucis dictionibus res maiores ſignificans.* Ita Ireneus. S. Ireneus.

Hæc dicenda ſunt Eccleſiis, & audienda Eccleſiis, qui habent aurem ſpiritualem vt diuina addiſcant à Spiritu ſancto inſpirante myſteria, nempe quod ſi in Chriſtum credamus, ſi eum dilexerimus, ſi eum ſequamur, & imitemur, certe diligemur à Patre qui ſummis honoribus nos honorificabit quia filium eius dilectum dileximus.

Ioan. 2. c. 1.

Digitized by Google

CAPVT III.

IN QVO EPISTOLÆ AD SARDENSEM, PHILADELPHENSEM ET LAODICENSEM EPISCOPOS CONTINENTVR.

Prologus in Epiſtolam ad Sardenſem Epiſcopum.

CVM perpendo, quomodo Sardenſis Epiſcopus valde arguatur, & vituperetur tanquam peccati inſignis reus, nullam rationem inuenio propter quam permiſceatur inter Epiſcopos vel eximiæ ſãctitatis, vel certe ſi in aliquo reprehenſibiles exiſtant, res non tanti momenti ipſis obiiciuntur, quanti eſt peccatum quod Sardenſi objicitur (vides namque eum reponi in Smyrnenſem. Thyatirenſem præcedentes eum, & Philadelphium ſubſequentem) niſi hanc rationem admiſeris dari nobis occaſionem cogitandi, quod in qualicumque gradu eminenti iuſtitiæ collocati fuerimus cauendum eſt nobis à caſu, *Qui ſtat videat ne cadat*; Quod ſi hoc malum euenerit nec nobis eſſe deſperandum, poſſe ſiquidem fieri vt in gratiam redeamus, & Deo reconciliemur vt qui fuerit in iuſtitiâ Smyrnenſi ſimillimus cadat ad modum Sardenſis in peccatum, & poſt caſum amicus denuo fiat Dei optimi Maximi vt Philadelphienſis. Igitur abſque mutatione ordinis Epiſtolarum.

Dico hanc Epiſtolam ex induſtriâ hic eſſe collocatam, vt cogitemus nos poſſe in peccatum incidere pro eo etiam tempore in quo ſanctitatem talem eſſemus adepti, vt ſi dicere liceat digito cælum tangeremus, non impediente caſum nec gratia gratis data, qualis eſt participatio autoritatis Chriſti promiſſa Epiſcopo Thyatirenſi; nec gratia gratificante impediente, quæ ſecundum ſe non habet hanc efficaciam vt donum perſeuerantiæ ſecum trahat. Qui igitur (dico iterum) ſtat, videat ne cadat, & qui ceciderit ne deſperet, ſed audiat Apoſtolum, *Surge qui dormis & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus* Epheſ. 5.

Secundo hoc fit vt in mercede, quæ ei promittitur, ſicut & in remunerationibus, & præmiis quæ promittuntur Epiſcopis & Philadelphienſi & Laodicenſi qui ſubſequuntur, videamus quænam nobis neceſſario ſuperanda ſunt vt præcedentibus præmiis potiamur, & victorias reportemus quæ eaſdem remunerationes cauſant ſeu merentur. Nec enim quis victorias præcedentes promiſſas Epiſcopis præcedentibus obtinere poterit, ſi ſubſequentes victoriæ obtinẽdæ ab Epiſcopis Philadelphienſi & Laodicenſi non fuerit obtentæ. Nemo namque dominabitur inconſtantiæ voluntatis, niſi integram de peccato victoriam obtinuerit: nemo tormentis reſiſtere poterit, niſi perfectè dominatus fuerit voluptatibus, & oblectamentis ſenſuum, & carnis ſuæ fuerit inimicus eam omnimodè ſubjiciendo ſpiritui: Et cum proprius amor ſeu peruerſa illa propenſio amoris erga nos ipſos ad duo nos inclinet, 1. ad neſcio quam quietem, & cuiuſlibet rei incommodæ, & moleſtæ fugam, 2. ad certam quandam præſumptionem noſtri, & nimiam adhæſionem proprio iudicio quo fit vt ſingularitati ſtudeamus in omnibus, ſingulares eſſe, & apparere volentes; quin & ſingulare aliquid habere aut dicere aut facere, quod alij nec habeant nec dicant nec faciant appetentes; Nemo ſuperare poterit puſillanimitatem propter quam pertimeſcimus ab hac peruerſa quiete dimoueri, & propter quam euitare ſtudemus quaſcumque moleſtias, & difficultates: Nec vllus vincere poterit iſtam animi ſingularitatem præſumptuoſam niſi iam vicerit omnem amorem proprij intereſſe per intentionem rectam, & ſinceram qua deſideramus diuinæ voluntatis ſolius adimpletionem. Hac de cauſa vt videbimus præmium Epiſcopo huic Sardenſi promiſſum docet nos victoriam, quæ ab eo expetitur, exoptatur, & exigitur eſſe vt peccatum, vincat quæ victoria Epiſcopo Epheſino neceſſaria eſt vt referat victoriam ab eo referendam vt Dei obediat voluntati nempe ſupra inſtabilitatem cordis. Rurſus præmium Epiſcopo Philadelphienſi propoſitum nos inducit vt conjiciamus victoriam ab eo deſideratam, eſſe eam quæ habetur ſupra omnia oblectamenta ſenſuum, quæ victoria neceſſaria eſt vt vincamus omnia tormentorum genera, quod exigitur ab Epiſcopo Smyrnenſi. Denique ex præmio Laodicenſi Epiſcopo promiſſo conjicimus victoriam ab eo requiſitam eſſe vt vincat proprium amorem, & propenſionem erga ea quæ ſua ſunt; quæ victoria neceſſaria eſt ad vincendam omnem puſillanimitatem, quod exigitur ab Epiſcopo Pergamenſi, & omnem etiam præſumptionem quod poſtulatur & etiam exigitur ab Epiſcopo Thyatirenſi, à quo poſtulatur vt proprium iudicium abnegans alios Epiſcopos imitetur, qui à Synagoga recedebant, & ab omni conuerſione & familiaritate cum Iudæis, & ab omnibus eorumdem ceremoniis legalibus abſtinebant, quia videlicet eorum miniſterio ea omnia contraria iam erant & nociua. Hac de cauſa cunctæ iſtæ victoriæ ſupra peccatum, ſupra delectamenta ſenſuum ſupra proprium amorem quæ exiguntur ab Epiſcopo Sardenſi, Philadelphienſi, Laodicenſi neceſſariæ ſunt Epheſino, Smyrnenſi, Pergamenſi, Thyatirenſi vt præmiis ſibi promiſſis potiantur: quas victorias proponit Spiritus ſanctus eo ordine obtinendas, vt ſciamus quid nobis in certamine ſuperandum vt magnifica præmia antea propoſita obtineamus & quo ordine nobis ſit procedendum in certaminibus noſtris: Prius enim debellandum eſt peccatum, 2. Senſuum noſtrorum titillationes ad peccatum inducentes. Tertio totius peccati & deordinationis ſenſuum fontem & originem proprium amorem.

Quantum autem ad Sardenſem Epiſcopum ſcopus Epiſtolæ quæ ad eum dirigitur eſt vt à peccatis reſiliat. In quo cernimus appoſitè in ordine Epithetum ſeu Titulorum quos Iſaias Chriſto Domino aſſignat titulum ſeu nomen fortis inueniri, ſiquidem Dei fortitudo ſeu potentia magis elucet in conuerſione peccatoris, quam in mundi creatione in qua nihil fuit quod Deo reſiſteret: At in iuſtificatione, peccator Deo ſæpe reſiſtit, ij præcipue qui poſtquam ſemel gratiam acceperunt cum voluntariè amiſerant quos

Digitized by Google

reste Apostolo impossibile est moraliter & ordinariè loquendo ad Deum rursus conuerti, Hebræor. 6. *Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste & participes facti sunt Spiritus sancti gustauerunt nihilominus bonum Dei Verbum virtutesque seculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam*, &c.

Talis erat hic Episcopus vt probabile est: Ei igitur per quam necessarium erat Deum omnipotentiâ suâ vti vt à peccato retraheretur, quamuis vt de Hebræis Paulus dicebat de eo meliora & viciniora saluti videantur speranda, Deo non tradente oblivioni eius opera & primam dilectionem. De aliis etiam peccantibus eadem sperare possumus, & quod si præstiterint quod in se est, gratia Dei cuius Iesus Christus autor est, & meritum passionis eius efficient vt à peccatis retrahantur, & peccatorum remissionem accipiant, præcipue cum apud nos semper maneat liberum arbitrium, cuius cooperatio prorsus necessaria est vt in gratiam redeamus si à Spiritu sancto moueatur per gratiam præuenientem & adiuuantem. Vnde apposite Sardis interpretatur, principium pulchritudinis, & quia fides quæ in eo remanserat initium est iustificationis quæ vera est pulchritudo, quam assequuntur ij quorum opera plena inueniuntur coram Deo.

PARAPHRASIS EPISTOLÆ ad Episcopum Sardensem.

Iesus author & origo meriti & Gratiæ. Fortis Isaiæ 9.

Textus. *Et Angelo Ecclesiæ Sardis Scribe.*

AT non tantum ab hominibus, ô dilecte, cognosci volo vt caput Angelorũ, & hominũ qui meam promerui exaltationem factus vestræ humiliationis particeps; vt eorum Redemptor, qui admirando modo eos à peccato & morte liberaui, qua ratione rectè Admirabilem me prædicare debent; Vt eorum Doctor & legislator, quia Consiliarius fidelis omnia quæ audiui à Patre nota feci eis, vt recta via ad cælum aspirent, vt eorum iudex vt pote qui sim filius Dei vnigenitus, & eorum diiudico actus: Quin etiam exopto vt me tanquam fontem & originem & autorem omnis meriti & gratiæ agnoscant, sine quo nullum fructum afferre, nihil boni agere valeant. Solus inter homines fortis, & potens ab omni peccato immunis, alios quoscumque à peccatis redimens, ideo nulli gloriandum si gratia & meritis fulgeat, stella sit candida & matutina, tamen semper inuigilet. Si stet videat ne cadat, stellæ enim è cælo clariores cadere possunt: cecidit quidam ex meis Angelus Sardensis, admone eum vt resipiscat, vt in eo animaduertant fideles in viribus propriis minime esse confidendum, & me solum fortem, totius salutis eorum autorem. Scribe ei igitur vt misertimum animæ suæ statum exploret, & ad me redeat per pœnitentiam ne deleam nomen eius de libro vitæ.

Hæc dicit qui habet septem spiritus Dei & septem stellas.

Et vt meæ recordetur fortitudinis quâ possum eum ad vitam reuocare ita eum nomine meo alloquere: Hæc dicit qui habet septẽ spiritus Dei & septem stellas, id est, omnes diuinæ prouidentiæ virtutes, omnia Spiritus sancti dona, omnes Angelicos spiritus administratorios, omnes Ecclesiæ Pastores mysteriorum & sacramentorum meorum fideles dispensatores. Non igitur diffidat de venia si ad eos recurrat, qui nomine meo & sacramenta gratiam operantia conferre possunt: electos meos tanquam stellas in manu habeo, non peribunt in æternum, nec rapiet eos quisquam de manu mea si ceciderint non collidentur, quia ego suppono manum meam vt tandem eos à morte peccati eripiam: sic possum illustrare mentem impellere voluntatem, & sensus internos & externos confortare, vt vero & bono homines adhæreant, & si gratiæ non desint præuenienti ad sacramenta recurrendo suo statui conuenientia proculdubio iustificationem, & inhærentem recipient. A

Textus.

Hæc meditetur ille Angelus, qui è gratiâ excidit, quamuis de hac re non cogitet, ideo vt sibi attendat scribe, & ante dictis adde nomine meo. *Scio opera tua quia nomen habes quod viuas & mortuus es.* Clamor iniquitatum tuarum in aures meas qui sum Dominus exercitium introiuit, prospexi de cælo & vidi quod tu non es intelligens & requirens Deum, nec ego surdus auditor ad clamorem iniquitatum, nec cæcus inspector eorum quæ fiunt, non secundum faciem veluti homines cuncta diiudico, falluntur qui te vident, & te vt bonum & pium prædicant: Nomen apud eos habes quod viuas, sed ego qui vt Deus cuncta prospicio qui vestigia pedum considero, qui gressus hominum dinumero, sensus & corda disquiro scio optime quia nomen tantum habes at reuera mortuus & falluntur homines, ego decipi nequeo, certe peccato mortifero video te à me separatum. B

Scio opera tua quia nomen habes quod viuas & mortuus es.

At ego misericordiâ motus, cum in tam miserando statu deueneris vt nemo morbo tuo mederi valeat, nec à peccato resipiscere vllo modo ex te solo queas, ecce gratia mea te præuenio mea fortitudine & potestate in peccatorum ad pœnitentiam reductione vtens, omnipotentiam quippe meam maximè in parcendo & miserando manifesto. Ecce, inquam, clamo fortiter: Esto vigilans, surge qui dormis & exurge à mortuis & illuminabo te, qui cum omni circumspectione intentiones tuas & sensus discerno. In memoriam reuoca tuas actiones, cogita vias tuas & conuerte pedes tuos in testimonia mea: satis vsque hac in peccatis obdormisti, nunc à somno euigilandũ vt in meam redeas gratiam. Adhuc quædam bona in te remanent, sed peccatum malignæ est naturæ, vbi semel resederit, animamque imbuerit omnia subuertit, & cum charitatem & gratiam exulare coegerit cætera postea paulatim disperdit. C.

Esto vigilans & confirma cætera quæ moritura erãt

Hanc autem necessitatem inuigilandi super res tuas ne tandem in deploratissimum statum obdurationis, & extinctionis omnimodæ pietatis, & studij virtutis deuenias, cognosces, si semel cogites te esse charitate spoliatum, de quo minime tibi dubitandum est. *Non enim inueni opera tua plena coram Deo meo*, Cum ad te oculos meos direxi. Tuis siquidem operibus deest ipsa charitas sine qua quæcunque agis, coram Deo consequi plenitudinem nequeunt, nam plenitudo legis est charitas, quæ per peccatum mortiferum deperditur licet fides remaneat. D.

Non enim inueni opera tua plena coram Deo meo.

Quod si scire volueris qua via hanc plenitudinem recuperare poteris in mente habe qualiter acceperis & audieris & serua & pœnitentiam age; quod equidem cooperante gratia mea tibi facillimum erit. Quid autem accepisti? Nonne fidem, qua ea quæ diuinitus fuere reuelata & tibi promissa vera esse credidisti? Hac fide adhuc imbutus libere accede ad eum qui te patienter expectat. Pœnitentiam age vt accepisti eam esse necessariam post peccati perpetrationem, & audisti per eam omnia condonari peccata si debitè fiat, nullaque esse peccata quæ Pater meus propter me non dimittat si ad eius misericordiam in nomine meo fideliter reuertatur. Hac ratione opera tua plenitudinem debitam accipient. E. F

In mente ergo habe qualiter acceperis & audieris, & serua & pœnitentiam age

Digitized by Google

Textus. *Si ergo non vigilaueris veniam ad te tanquam fur, & nescies qua hora veniam ad te.*

Si autem non vigilaueris venio ad te tanquam fur, & nescies qua hora veniam ad te in nocte peccati obdormiscentem, improuisa morte è medio viuorum te sustollã, quod quidem si euenerit tibi, periculosissimum erit tuæ saluti, cum pro neglectu monitionum mearum gratia mea destitutus vitam tibi surripiam, & in peccato tuo è vita decedens pro eo statu in quo repertus fueris iudicaberis, flammisque deputaberis æternis.

Sed habeo pauca nomina in Sardis qui non inquinauerunt vestimenta sua, & ambulabunt mecum in albis quia digni sunt.

At ne abundantiori absorbeatis tristitiã ex consideratione tanti periculi imminentis, aut ingratitudinis quã erga me vsque hac vsus fuisti, in memoriam tuam reuoca, quod quemadmodũ miseretur Pater filiorum, misereor ego super timentes me. Optime quidem noui figmentum vestrum vt fragilitati vestræ plurimũ compatiar, rarissimè accidit quod quis post gratiam in baptismo acceptam, ita fideliter cautè ac circumspectè incedat, vt à gratia accepta minimè excidat. Ideo notum tibi facio pauca nomina electorum meorum esse in Sardis qui nõ inquinauerint vestimenta sua, licet nomina eorum nequaquam sint è libro vitæ delenda: nec enim de reprobis loquor, quos non est mirum si à gratia mea excidant cum sint vasa apta ad interitum. Sed de Electis quos nemo rapit de manu mea. G.

His autem electis qui non inquinauerunt vestimenta sua hanc elargior gratiam, vt mecum ambulent in albis tum quia possunt de virtute in virtutem ire, & gratiam pro gratia obtinere, merita meritis accumulare, tum quia de numero illorum sunt de quibus dicitur, *Virgines sunt & sequuntur agnum quecunque ierit*: Hoc enim pro fidelitate suã promeruerunt.

Qui vicerit sic vestietur vestimentis albis & non delebo nomen eius de libro vitæ, & confitebor nomen eius coram patre meo, & coram Angelis eius.

Nihilominus tanta polleo bonitate & clementia quod licet hanc primam innocentiam in te non inueniam cum ad tua opera discutienda post mortem tuam deuenero, si per pœnitentiam eam recuperare conatus fueris, senties proculdubio, quam benignus, quam munificus quam misericors sim erga eos, qui me peccatis suis irritauerũt cum seriò ad agendam pœnitentiã se accinxerint. Nec enim in dubium reuocare licet quod quicunque eas difficultates, quæ in vincendis peccatis, & in conuenienti pœnitentia & satisfactione peragenda reperiantur superauerit, dabo ei si fideliter cooperari voluerit, talem gratiam qua valeat ad æqualem gradum gloriæ peruenire ad quem peruenerunt ij qui nunquã primum amiserunt. Qui nẽpe sic vicerit vestietur vestimentis albis. Quin etiam dabo ei idem ius ad gloriam quod adeptus fuerat antequam in peccata laberetur, cum omnia eius bona opera per peccatum mortificata reuiuiscere faciam, sicque non delebo nomen eius de libro vitæ. Ac tãdem in die iudicij cum venero vt vnicuique reddam iuxta opera sua pro eo quod non erubuit meum nomen confiteri voluntati meæ humiliter se submittendo, dignos videlicet faciendo pœnitentiæ fructus: ego vicissim non erubescam cõfiteri eum esse vnum ex membris meri licet multa digna vituperio & verecundia commiserit. Confitebor inquam talem esse cui spiritum vitæ infudi, vt eius opera viuificarem dignaque redderem æternæ retributionis in cælo, confitebor inquam eum coram Patre meo & Angelis eius qui eum collaudant & pauent ad nutum eius, veluti fidelissimum seruum, charissimum amicum, filium amantissimum.

Qui habet aurem audiat, quid spiritus dicat Ecclesiis.

Quicunque igitur in peccato mortali existens fidem habet vt verbo Dei auditum præbeat, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis nempe quod ego Iesus Saluator & Redemptor vester fortis sum vt vos à peccatis redimam, & autor sum gratiæ & meriti vt à peccatis redempti opera vitæ æternæ meritoria A producere valeatis, habeo enim septem spiritus Dei & septem stellas.

PARAPHRASIS EPISTOLÆ ad Episcopum Sardensem, fusior explicatio & corroboratio.

Quid sit Christum habere septem spiritus Dei & septem stellas. Punct. 1.

Nempe habere prouidentiæ virtutes & dona spiritus Angelos, & Ecclesiæ Pastores.

A. HÆC dicit qui habet septem spiritus Dei & septem stellas: Ac si diceret: Non ad mensuram dedit mihi Deus spiritũ. Pater diligit filium, & omnia dedit in manus eius, vnde de plenitudine mea omnibus accipere licet spiritum gratiæ salutaris, quod facile quis sperare poterit si me omnes perfectiones diuinæ prouidentiæ possidere animaduertat, si meam bonitatem, sapientiam, potestatem & iustitiam attendat, nihil odi eorum quæ feci, & pro nimia bonitate omnium salutem exopto, mediã quibus consequi possit sapienter præscribo. Non est impossibile apud me omne verbum, æquè ac iuste omnia attempero, meo consulens honori & creaturæ fragilitati compatiens, itaut si non abutatur patientiã, si longanimitatem meam non spernat, seueritate erga eam non vtar, imo potius peccata condonem gratiam elargiar. Recordetur igitur ille de plenitudine spiritus homines hauriré è tõtibus meis spiritum sapientiæ & intellectus, spiritum scientiæ & consilij, spiritum pietatis & fortitudinis, spiritum timoris Domini quo valeant tandem ad me peruenire. Recordetur etiam me habere in manu Angelos custodes qui sunt administratorij spiritus quos mitto in ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt saluti, qui homines suis inspirationibus ad pœnitentiam inducunt & prompte & efficaciter quidquid præcipio adimplent.

Cumque non solum interno lumine, & impulsu & auxilio Ecclesiã regam, sed insuper externo regimine ipsam gubernem, ideo sicut per stellas & planetas mundum inferiorem moderari percipitis, ita ego per Pastores & seruos meos Ecclesiam dirigo, eisque hac ratione dedi potestatem super gentes vt eas regant in virga ferrea: dedi etiam stellam matutinam nempe summam doctrinam & sanctitatis & autoritatis splendorem, qua ratione possint meos esse cooperatores in sanctificatione hominum. Sciat igitur me tales stellas habere in manu mea vt faciant quæcumque decreui & potestate sibi collata vtantur in remissionem peccatorum, facti mysterium meorum & sacramentorum fideles dispensatores.

Dei seueritas liberè agit erga homines. Punct. 2.

B. *Deus vltionum Dominus, Deus vltionum liberè egit.* canit Propheta, Ps. 93. Non modo quia à nullo impediti potest ne superbis tetributionem tribuat, sed etiam quia non naturali quodam impetu fertur in vindictam, sed libere itaut cui vult misereatur, & misericordiam præstet. Hinc Dominus Episcopũ Sardensem expectat & inducit ad pœnitentiam eumque ita alloqui videtur: Iam satis in multa patientia sustinui iniquitates tuas, à multo tempore vsque nunc ex mea longanimitate expectaui vt pœniteret, thesaurisasti tibi iram. At vt tibi & omnibus innotescat quod seueritas qua erga te vti ex iustitia oporteret ob tuam temeritatem & in animi ingratitudine & peccatis continuationem, non in me est ad modum cuiusdam naturalis & inuoluntariæ pro-

Digitized by Google

penſionis ſeu inclinationis ſed liberè virtutis ſuæ producit effectus. Nolo ſagittas iracundiæ meæ emittere ſtatim atque quiuis peccator hoc promeruit. Hac ratione volo vt nunc ſentias & experiaris quod in charitate perpetua te diligam, quo fit vt licet plurima offenſione me ad iracundiam prouocaueris, nihilominus in promptu eſt gratia, ſto ad oſtium cordis tui & pulſo, miſericordia eſt in ianuis vt ingrediatur ſi audias, ſic iræ pondus contineo, ſic cum iratus ſum miſericordiæ recordor, ſeueritatemque iudiciorum in manu habeo vt pro arbitrio puniat, aut effectus ſuos ſuſpendat ſecundum altitudinem ſapientiæ meæ, & ardoris ſui flammas continet vt locum & tempus pœnitentiæ iis concedat quos in gratiam redire peropto.

Quænam bona in anima in ſtatu peccati exiſtente, adhuc poſſunt remanere confirmanda ne pereant. Punct. 3.

C. Dum Saluator ait: *Confirma cætera quæ moritura erant.* Satis innuit in anima in peccato exiſtente adhuc quædam bona remanere conſeruanda peccatori, & iſti Epiſcopo dicere videtur: At fortè tibi blandieris nec res tuas adeo eſſe deſperatas exiſtimabis, luſtrando quidquid in animo geras, ſenties fortaſſe adhuc igniculum quemdam apud te vigere rationis: pius erga virtutem impulſus & affectus omnino non erit extinctus, adhuc retines quandam ingenij verecundiam ſi labi in culpam contingat, & eadem verecundiâ motus non omnia perpetras quæ alioquin perpetrares ſi abeſſet pudor & verecũdia. Non omnino immemor es illius dignitatis quam adeptus fuiſti cum charactere meo in baptiſmo fuiſti inſignitus, cum inſuper Epiſcopali charactere ſummam adeptus fuiſti in Eccleſia mea autoritatem, multos hinc elicis Religionis actus, multa quæ muneris & officij tui ſunt adimples. Non plane fidem abieciſti, licet peccato mortifero charitatem amiſeris, quin & ſublatâ diuinâ gratiâ adhuc manent in te plures virtutes tum intellectuales tum morales: Talia in animo reuoluens meam miſericordiam non longe abeſſe arbitratis. At noueris volo per continuationem & perpetuitatem in peccatis hæc omnia pedetentim deperire. Heu! in ſtatu peccati quanta eſt peccati corruptio, quam debilis ad boni & virtutis exercitium inclinatio, quæ tandem auferetur, & nulla fere remanet licet ex radice naturæ bene à Creatore inſtitutæ germen aliquod emittat? Heu quã perfrictâ fronte tandem euadit anima impudẽs! Frons meretricis facta eſt illi, non vult erubeſcere quãuis iniq; agat, & ingentia perpetret crimina, non amplius curam ſui nominis, non amplius ſuæ recordatur profeſſionis, conditionis, dignitatis: animo irreuerenti & infrunito ad malum currit quo fit vt tanta corruptione morum inquinata in perfidiam incidat, & apoſtaſiam à fide contrahat. Eſto ergo vigilans peccata promptè excutiendo, & ſic confirma cætera iſta quæ moritura erant niſi cito reſipueris.

Fides abſque ſpe & charitate mortua eſt. Punctum 4.

D. Eſt doctrina Concilij Tridentini. ſeſſ. 6. c. 7. *Fides*, inquit, *niſi ad eam ſpes accedat, & charitas, neque vnit perfectè cum Chriſto, neque corporis eius viuum membrum efficit: qua ratione veriſſime dicitur, fidem ſine operibus mortuam & otioſam eſſe; Et in Chriſto Ieſu neque circunciſio aliquid valere neque præputium ſed fidem quæ per charitatem operatur.* Ita Trid.

Iac. 2. & ad Gal. 5.

Quâ viâ redeundum ſit in gratiam ſecundum doctrinam Concilij Tridentini, ſeſſ. 6. c. 6. & c. 14. Punct. 5.

E. Nota quod in puncto verba ſacri Concilij Tridentini vſurpo, quia licet Apocalypſis à longæuo tempore illud præceſſerit, doctrina tamen Concilij Apocalypſi eſt antiquior, ſic igitur Dominum hunc Epiſcopum alloqui dico.

Cogita in primis à Deo impium iuſtificari per gratiam eius, per redemptionem quæ eſt in me, & dum te eſſe peccatorem intelliges, à diuino iuſtitiæ timore vtiliter concuſſus, ad conſiderandam Dei miſericordiam te conuerte ac in ſpem erige fidens Deum tibi propter me propitium fore, illumque tanquam omnis iuſtitiæ fontem diligere incipe, ac propterea aduerſus peccata fortiter inſurge per odium, & deteſtationem, veluti olim feciſti per pœnitentiam, quam tibi agere ante baptiſmum oportuit vt nouam vitam inchoares, & diuina ſeruares mandata. Hæc omnia accepiſti & audiſti ea, nunc in mente habe, & licet valde tibi timendum ſit ob nimiam ingratitudinem, qua erga me vſus es gratiam in baptiſmo receptam paruipendendo, tamen ne deſperes. Sed inſuper reuoca in memoriam, quod qui ab acceptâ iuſtificationis gratiâ per peccatum exciderunt, rurſus iuſtificati poterunt cum excitante Deo per pœnitentiæ ſacramentum meis meritis amiſſam gratiam recuperare procurauerint. Hic enim iuſtificationis modus eſt lapſis reparatio, quam ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ tabulam peccatoribus conceſſi, cum ſacramentum pœnitentiæ inſtitui, quæ non modo à peccatis ceſſationem, & eorum deteſtationem contineat, aut cor contritum, & humiliatum, verum etiam ſacramentalem eorundem confeſſionem ſuo tempore faciendam, & ſacerdotalem abſolutionẽ: adde ſatisfactionem per ieiunia, eleemoſynas & orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia, non quidem pro pœna æterna, quæ vel ſacramento vel ſacramenti voto vna cum culpa remittitur, ſed pro pœna temporali, quæ non tota ſemper (vt fit in baptiſmo) dimittitur illis qui gratiæ Dei templum violare veriti non ſunt.

In quo conſiſtat operum bonorum plenitudo iuxta doctrinam Concilij Tridentini. Seſſ. 6. c. 7. Punct. 6.

F. Ex concilio Tridentino ſciendum quod iuſtificatio non eſt ſola peccatorum remiſſio ſed & ſanctificatio & renouatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum, vnde homo ex iniuſto fit iuſtus, ex inimico amicus, vt ſit hæres ſecundum ſpem vitæ æternę: Cuius iuſtificationis cauſæ ſunt finalis quidem gloria Dei & Chriſti eius ac vita æterna; efficiens vero miſericors Deus qui gratuito abluit, & ſanctificat ſignans & vngens ſpiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ; meritoria autem dilectiſſimus vnigenitus Dei filius Dominus noſter Ieſus Chriſtus qui cum eſſemus inimici, propter nimiam charitatem qua dilexit nos ſua ſanctiſſima paſſione ligno crucis nobis iuſtificationem meruit, & pro nobis Deo Patri ſatisfecit; Inſtrumentalis autem ſacramenta; formalis vnica cauſa iuſtitia Dei non quâ ipſe iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit, qua videlicet ab eo donati renouamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modo reputamur ſed vere iuſti & ſumus & nominamur, iuſtitiam in nobis recipientes, vnuſquiſque ſuam ſecundum menſuram, quam Spiritus ſanctus ſingulis partitur prout vult, & ſecundum propriam cuiuſque diſpoſitionem & cooperationem. Quamquam enim nemo poſſit eſſe iuſtus niſi cui merita paſſionis Chriſti communicantur id tamen fit in iuſtificatione impij, dum paſſionis Chriſti merito, per Spiritum ſanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui iuſtificantur, atque ipſis inhæret: per quam plenitudinem accipimus, quia fides niſi ad eam accedat charitas perfectè nos non vnit Chriſto, nec quis per eam ſolam viuum Chriſti membrum efficitur. Si

Digitized by Google

igitur quis pœnituerit charitate recuperatâ plenitudinem operum iuſtificatus accipiet. Sic dabit Dei potentiæ gloriam monitionibus Chriſti obtemperando vt ſeueritatem effugiat : bonitati Dei honorem, totam ſuam ſpem in miſericordia Dei collocando & eum diligendo ; æquitati & iuſtitiæ Dei virtutem, peccata deteſtando & puniendo ; ſapientiæ diuinæ benedictionem, media præſcripta vt ad gratiam redeamus aſſumendo : At quod maius eſt ſole clarius apparebit quod iure Chriſtus dixerit habere ſe ſeptem Dei ſpiritus, patientiæ cum peccatorem in peccata labi permiſit ; longanimitatis cum eum ad pœnitentiam multo tempore expectauit ; ſeueritatis cum eam intra limites benignitatis continuit, nec laxauit habenas vt impetu quodam in peccantem rueret, ac eum contereret, cum in ſe Dei ſeueritatem excitaret ; Potentiæ ſupremæ cum peccatorem ad pœnitentiam reduxit & vim rectè operandi illi elargitus eſt ; Bonitatis cum ſpe miſericordiarum Dei peccator erectus Deum diligere incœpit ; iuſtitiæ cum pro menſura delictorum in eo fuit dolor & compunctio cordis, & conatus eſt ſatisfacere iciuniis eleemoſynis & orationibus ; Sapientiæ cum media neceſſaria vt in gratiam rediret & voluntati Dei obtemperaret ſedulo & ſeriò aſſumpſit. Sed & clare apparet Chriſtum habere in manu ſeptem ſtellas nempe iuſtos & ſanctos quos lucere vult in perpetuas æternitates, vnde eos è manu ſua rapi non permittit, ſed per ſacramenta quorum adminiſtratio eſt in manu eorum quibus commiſit autoritatem dimittendi peccata, ſi ceciderint ad vitam reuocat ne pereant.

In baptiſmo, baptizati recipiunt veram iuſtitiam ſollicite ſeruandam. Punct. 7.

Baptizati recipiunt veram iuſtitiam Chriſtianam, cum Chriſtum induunt in baptiſmo, & vnuſquiſque eorum dicere poteſt : *Gaudens gaudebo in Domino & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.* Iſ. 61. Talia veſtimenta candida & immaculata cuſtodire debent prout eis iniungitur, vt ea impolluta repreſentent ante Tribunal iudicij cum mori contigerit. At pauci ſunt qui non ea inquinant.

PROLOGVS IN EPISTOLAM ad Epiſcopum Philadelphium.

NE quis exiſtimaret promiſſiones factas Epiſcopo Sardenſi nempe ſi reſipiſceret à peccatis ei dandam eſſe talem gratiæ gradum eminentiorem, qualem adipiſcuntur plæriq; qui poſt baptiſmi gratiam nullum peccatum mortale perpetrarunt, & ſeruata proportione gradũ gloriæ æque ſublimem) eſſe fruſtratorias, quaſi is qui promittit non vellet aut nequiret promiſſa implere, Spiritus ſanctus nobis repræſentat in hac Epiſtola filium Dei vt ſummum ſacerdotem ſupremum regem, & patrem futuri ſæculi vt ſciamus datam ei fuiſſe poteſtatem in cælo, & in terra & conſequenter poteſtatem ſanctificandi, & munda faciendi quælibet immunda, eaque ab omni abiectione ad ſummum honoris gradum euehere. Hinc nominat ſe ſanctum & verum, vt oſtendat ſe eſſe ſummum Pontificem, qui ſemetipſum obtulit in ara crucis vt nos in veritate ſanctificaret : tum quia nos liberat à ſanctificationibus legalibus, vt nobis ſpiritus diuini ſanctificationem largiatur, qui dicitur ſpiritus veritatis, tum quia gratiam largitur per ſacramenta quæ ſigna ſunt non vmbratilia, qualia fuerunt cæremoniæ legis, ſed vera quia efficiunt in veritate, & operantur eam quam ſignificant gratiam, quo fit vt ſanctificemur in veritate cum gratia per paſſionem & merita Chriſti acquiſita applicantur nobis mediantibus his inſtrumentis ſalutis quæ præſcribit, & inſtituere voluit. At cum principalis effectus huiuſmodi ſacerdotij ſit animarum ſanctificatio, Spiritus ſanctus in hac Epiſtola declarat, ſeu oſtendit poteſtatem quam ipſe habet conuertendi ad Deum obſtinatiores, dum de conuerſione Iudæorum memoriam facit verſu 9. In quo certe manifeſtat excellentiam huiuſmodi poteſtatis cuius finis eſt ſanctificatio & conſecratio omnium ad honorem diuinæ Maieſtatis vnde vocatur ſanctus, & quia hæc ſanctificatio efficitur per ſpiritum gratiæ, qui etiam eſt ſpiritus veritatis hac de cauſa dicitur verus. Sed quia hoc negotium nec fieri nec ad finem perduci poteſt niſi per eum qui omnimodam habeat autoritatem in ea quæ in terra ſunt, & quæ in cælo : vt indicet authoritatem Regiam dicit eum habere clauem Dauid, id eſt, independentem ab alio omnium rerum diſpoſitionem ſeu diſpenſationem. Vnde mirum non erit ſi aſſumat & eligat quoſdam in terra vt eos ſanctificet, ſi ad hunc finem aliquorum miniſterio vtatur, & ad hunc effectum & excellentiſſimum opus ſanctificationis in quo elucet ſumma authoritas & poteſtas, quoſdam Deo conſecrat quos eligit, quos ad Eccleſiam vocat, quos ſanctificat mediantibus quibuſdam rebus creatis quas ipſe præſcripſit, vt ſunt aqua, oleum, verbum ; & per miniſterium eorum quos ad hoc opus deſtinare & deputare voluerit vt ſunt Epiſcopi & alij Eccleſiæ Paſtores. Habet etiam poteſtatem in cælo tum quia Spiritum ſanctum emittit ſpiritum veritatis, tum quia vtitur miniſterio Angelorum vt ſuas adimpleat voluntates : hunc igitur pulcherrimam qualitatem filij Dei ſupremi Regis, ſumni ſacerdotis in hac epiſtola expreſſam videmus, quæ poteſtas tam excellens ad ſalutem hominum ordinata eſt : vnde ſatis appoſitè Philadelphia interpretatur, Amator fraternitatis : Vel ſecundum S Hierony. de nominibus Hebr. in Act. Apoſtolo : *Saluans hærentem Domino.* Hæc enim optimè conueniunt ei qui fratres ſuos per ſuum regale ſacerdotium adduxit ad gloriam, & ſaluat eos qui ſibi adhærent : & vt ad tantum miniſterium idoneus fieret Epiſcopus Philadelphius & intentionibus Chriſti ſubſeruiret tanquam eius miniſter & inſtrumentum, authoritatis Chriſti particeps effectus, ei proponitur quænam ſit victoria quam referre debet, ſcilicet vt omnes ſenſuum oblectationes ſuperet. Quam victoriam deſignari exiſtimo cum ei dicitur quod ſeruauerit verbum patientiæ Ieſu Chriſti : quod nullum aliud eſſe videtur quam iſtud : *Pater ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt.* Nullus enim magis idoneus eſſe poteſt ad procurandam proximi ſalutem quam is qui ſeipſum vicerit, nemo autem melius ſeipſum vincit quam qui vindictæ appetitum omnino reprimit & coercet, cæteros namque appetituum motus facile ſuperabit qui iracundiam cohibuerit & obiectum de ſe moleſtum & odioſum qualis eſt inimicus amauerit : nulla ſiquidem paſſio magis viget quam iniuriarum quæ inferuntur cum contemptu ſenſus & memoria.

PARAPHRASIS

PARAPHRASIS EPISTOLÆ ad Episcopum Philadelphium.

Iesus Rex & summus Sacerdos.
Pater futuri seculi, Is. 9.

Textus.

MIrabitur fortasse aliquis, quod qui in peccatũ labuntur post baptismum possint æqualem cum iis qui nunquam ceciderunt gradum accipere gratiæ, & gloriæ. At cessabit omnis admirationis occasio si semel perspexerit quænã sit mea autoritas, & potentia circa ea quæ statum gratiæ aut gloriæ respiciunt, quod quidem volo omnes Ecclesias scire & agnoscere vt nomen meum reuereantur, mihique debitum reddant honorem. Hac de causã scribe Episcopo Philadelphiæ, & ex his quæ ipsi meo nomine scribenda sunt facile percipient summam in me residere potestatem, vt quæ promisi Sardensi Episcopo redeunti ad gratiam per pœnitentiam vt sic vestiretur vestimentis albis sicut hi qui vestimenta sua in baptismo suscepta non inquinauerunt vestiuntur feliciter adimpleam, dando illi tam exuberantem gratiam vt appareat quod vbi abundauit delictum possit abundare & gratia.

Et Angelo Philadelphiæ scribe.

Angelo igitur Philadelphiæ scribe: *Hæc dicit sanctus & verus.* Hoc mentibus vestris objicio & potenter inculco vt me Patrem futuri sæculi, & omnium electorum parentem agnoscatis, quos quidem parturio donec potenti virtute efformati ad meam imaginem & similitudinem ad mensuram plenitudinis ætatis meæ perueniant vt digni inueniantur gloria æterna. Hoc nimirum perficio quia summo sacerdotio, & regia dignitate insignitus vniuersa quæ in cælis sunt, & quæ in terris meæ voluntati subdita pedibusque subiecta teneo, vt ea instaurare valeam, constitutus caput super omnem Ecclesiam quæ corpus meum, & plenitudo mea est, qui omnia in omnibus adimpleo: Cõstitutus in cælestibus supra omnem principatum & potestatem, & virtutem, & dominationem & omne nomen quod nominatur non solum in hoc seculo sed etiã in futuro. Vt omnium igitur rerum instaurator eas ad debitum finem promouere debeo, & inter eas præcipuè electos, quorum finis & consummatio est vt sancti sint & perfecti sicut pater meus sanctus est, & perfectus, scriptum est enim: *Sancti estote quia ego sanctus sum,* quod vt eueniat cum sanctitatis totius autor sim summo sacerdotio potior, quo quidem meipsum offerendo hostiam viuam, & honori paterno meipsum deuouendo sacerdotio veritatem coniungo: Sanctus & verus vt in veritatem cætera omnia sanctificem, quia non amplius per egena elementa externam aliquam operor sanctificationem, sed per signa operatiua eorum quæ significant internam perficio in omnibus sanctitatem. A.

Hæc dicit sanctus & verus.

Qui habet clauem & Dauid.

At quia hoc fieri non potuit nisi in manu potenti & brachio excelso, & cum summa & regia quadam de omnibus disponendi, & ad hunc finem ea ordinandi autoritate, sciat me habere clauem Dauid, id est, omnimodam in domo Patris mei autoritatem vt omnia auferam obstacula, media conferam congrua, aperiam ostia quibus ad hanc sanctificationem & gratiam consummatam in gloria cælesti peruehiri queat, quod enim in diuinitate mea cum plenissima autoritate residet hoc eminenti, ac excellenti ratione datum est humanitati meæ quæ instrumentum est immediatum, & coniunctum quo pater æternus opus suum perficere, & consummare intendit, sic in femore meo scriptum habeo, Rex Regum & Dominus Dominantium, quia rex sum omnium seculorũ, sic data est mihi omnis potestas in cælo & in terra vt vos iustificare valeam & gratiam conferre ad quam possidendam vocati estis à patre æterno. B.

Textus.

Qui aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperuit.

Quod si in actus & proprios effectus huiusmodi potentiæ seu autoritatis prorumpere cæperim nemo obsistere poterit, quibus aperuero vias salutis nemo eas excludere valebit, quibus propter demerita clausero secundum profunda iudicia mea nemo aperire poterit cum nemo possit corrigere quem Deus despexerit. Quod quidem ante mentis tuæ oculis propono vt scias quod perfacile cuncta exequi possum in cælis, & in terra & in omnibus abyssis quæ saluti seruorum meorum conducere aliquo modo possunt, & vt eorum sanctitas ad gradum requisitum tándem verissimè perueniat, vt sint mihi in populum & ego eis sim in Deum, vt in eis ego & Pater meus, tanquam in thalamo iucundissimo commoremur eosque summopere diligendo dilectio nostra in eis sit in æternum, vt sint vnum sicut & nos vnum sumus: obturabo & occludam os inferni ne aliquid euomat quo euertatur consilium meum; *Consilium enim meum stabit & omnis mea voluntas fiet.* Isa. 46. C.

Scio opera tua. Ecce dedi coram te ostium apertum quod nemo potest claudere quia modicam habes virtutem. Et seruasti verbum meum & non negasti nomen meum.

Volo autem vt per experientiam sentias me esse veracem, quod vt sit audi quæ dico. Scio opera tua. ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere, quia modicam habes virtutem, id est, ad quid virtus tua & fortitudo se extendat apprimè noui, quali & quanta scientia quali industria præditus existas vt corda allicias, quali prudentia veteris in quibuslibet euentibus clarè perspicio, morum tuorum affabilitatem, animi mititatem, qua in conuersatione aliis placeas, dicendi peritiam qua persuadeas, virtutes morales, quibus prælucere aliis valeas, & exemplum bonorum operum præbere iis qui te audierint, quos hac ratione quodammodo compellis vt te diligant, & tibi fidem adhibeant hæc plane dignosco, nec sedulam mandatorum meorum obseruantiam & in confessione nominis mei constantiam prætermittere volo. At cum hæc omnia non sufficiant vt corda hominum alliciantur, & à statu peccati ad gratiam conuertantur, meum est tuæ fauere industriæ, has animi tui dotes iuuare, te in ministrum, & cooperatorem voluntatum mearum seligendo, & assumendo, vt quos elegi, & præordinaui vt vitam consequantur æternam ad me conuertantur, & ad meam perueniant notitiam. Intelligisne modo cur dixerim tibi: *Ecce dedi coram te ostium apertum quod nemo potest claudere quia modicam habes virtutem?* Nempe quia corda eorum quos elegi diuinis motionibus adeo suauiter tetigi vt facile hedem adhibeant iis quæ eis innotescere per tuum ministerium decreui. Licet igitur modicam habeas virtutem, & minime sufficientem ad hunc præclarum effectum conuersionis eorumdem producendum, nihilominus fretus peculiari gratiæ meæ auxilio, vt dicere possis, omnia possum in eo qui me confortat, plurimos ad me conuerto, cum gratiæ gratum te reddenti ante oculos diuinæ Maiestatis qua mandata mea fideliter obseruas, nec non nomen meum confiteri nullatenus times si qua occasio illud profitendi occurrat. gratiam insuper addo gratuitam ad Ecclesiæ sponsæ vtilitatem qua proficias qua & monitiones tuæ, & instructiones, & exempla tantam energiam accipiant vt eorum, quos aduoco ad fidem, & præcipuè quos præordinaui ad vitam facillimè credant tibique obediant.

Ecce dabo de synagoga satanæ qui dicũt se Iudæos esse & non sunt sed mentiũtur.

Ne autem in animum inducas potentiam meam quibusdam terminis coarctari, ego qui sigillatim finxi corda hominum, ego qui intelligo omnia opera eorum, ea quo libuerit flectere valeo, tanta po-

Digitized by Google

Textus. tentia præditus, ecce dabo de ſynagoga ſatanæ, id est, aduerſaria mea, qui dicunt ſe Iudæos eſſe, & non ſunt ſed mentiuntur, ecce faciam illos vt veniant & adorent ante pedes tuos, faciam inquam vt qui videbantur obſtinatiores, & ad conuerſionem ad fidem ineptiores tandem per tuum miniſterium ad me cõuertantur: Nam te cooperatore vtens vnicuique fiet manifeſtum quod non tantum inueniri poſſum ab iis qui me non inquirunt, quin etiam ad terram proſternere & conterere valeo indomita corda eorum qui recalcitrant, & meæ voluntati reſiſtere & contraire meditantur, nam non tantum eos benigne ſuſcipio qui in humilitate cordis ad me conuertuntur, ſuaque peccata confitentur, ſed inſuper audaciores & præſumptiores ſubjicere poſſum, & eos iugum meum & onus meum ſubire compello quibus etiam plurima amoris mei ſigna dare non prætermittam eos in ſocietatem miniſtrorum meorum aſcribendo.

Ecce faciam illos vt veniãt & adorent ante pedes tuos.

Lumine igitur fidei irradiati pleno affectu voluntati meæ ſubiecti venient vt mihi obſequium præſtent meque in ſpiritu & veritate adorent cum regimini tuo addicti fuerint & libere ſubditi, venient inquam & te ſciente ac oculis perſpiciente ac ſi ante pedes tuos eſſent proſtrati mihi cultum, & honorem exhibituri ſunt, tum quia tibi tanquam vices meas gerenti honorem reddent, tum quia vt in numerum fidelium adſcribantur ſacramentiſque Eccleſiæ meæ conſignentur à te obnixis præcibus poſtulabunt, tũ quia ſacrificiis mihi oblatis intereſſe, quin & in numerum miniſtrantium ac deſeruientium altaribus meis aſcribi ipſis erit gratiſſimum. E.

Et ſcient quia ego dilexi te.

At ex hac gratia gratis data qua potes animas obſtinatiores conuertere eoſque in numerum fideſium aſcribere, eoſque regere & moderari, eorumque actionibus regulas & modos præſcribere ſcient omnes quia ego dilexi te, cum plures ſint qui gratia gratum faciente gaudeant, mihique chariſſimi ſunt plurimaque ſunt repleti gratia quos tamen non decoro ea gratia vt mihi ſint cooperatores manifeſtè & aperte in procuranda & promouenda electorum ſalute, aut quibus autoritatem quam habeo ſupra omnes homines, quos mihi pater tradidit in hæreditatem non communico. F.

Quoniam ſeruaſti verbum patientiæ meæ.

Si igitur talem tibi gratiam conferam vt te cooperante plurimi ad patris mei notitiam deueniant, eique talem exhibeant honorem, & obedientiam libenter præſtent iis quos ipſe conſtituit vt regant Eccleſiam ſuam, quis ſpecialiorem amorem & fauorem meum erga te agnoſcere & confiteri recuſabit? Qua quidem dilectione ſpeciali te proſequor quoniam ſeruaſti verbum patientiæ meæ pro conuerſione Iudæorum qui te perſequebantur plurimum laborando, pro eis orando, multa mala patiendo. Hac ratione ego te potius quã alium ſeligam & aſſumam vt per te mea fulgeat omnipotentia in animarum conuerſione, vt numerus electorum meorum compleatur: congruum quippe eſt vt ad tale negotium perfectioris charitatis ille potius aſſumatur qui maiori dilectione erga proximum fertur quam alius qui minus diligit. At talis eſt qui proximum licet inimicum propter me ita diligit vt pro eius ſalute procuranda mori ac pati non dubitet, congruum igitur vt qui hoc præſtat mihi inſeruiat in opere excellentiori, quale eſt vt quis ſalute æterna potiatur nec enim aliud bonum excellentius conferri poteſt creaturæ rationali. At huic honori dato propter eminentem charitatem, & aliud addo bonum, quoniam ſeruaſti verbum patientiæ meæ nempe quod ego ſeruabo te ab hora tentationes quæ ventura eſt. Moneo namque te (ne cum venerit tentatio obſtupeſcas) grauem imminere tentationem. G.

Imminet igitur vehemens tentatio aduerſus fideles meos per vniuerſum orbem Romani Imperij diſperſos, in qua eadem patientur quæ electi mei perpeſſuri ſunt in fine & conſummatione ſeculorum, tunc enim potiſſimum per vniuerſum orbem tradent vos omnes nempe vobis ſimiles in tribulationem. *Eboccident vos & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et tunc ſcandalizabuntur multi & inuicem tradent & odio habebunt inuicem. Et multi pſeudoprophetæ ſurgent & ſeducent multos. Et quoniam abundabit iniquitas refrigeſcet charitas multorum, qui autem perſeuerauerit vſque in finem hic ſalus erit.* Talia mala imminent ſed hanc tibi dabo in malis fortiter tolerandis & exercitiis charitatis & laboris in procuranda aliorum ſalute perſeuerantiam, vt vbi multorum charitas refrigeſcet, quibuſve animarum conuerſione vacare non erit liberum, quod tot odia tot auerſiones, tot perſecutiones tolerare non valeant, te tamen qui eadem nunc toleras ſeruabo, ne charitas tua refrigeſcat ob varias tentationes, & hac ratione patebit quod ego in manu mea teneo omnia mala, quæ infernus euomere poteſt itaut poſſim ea cohibere ne te abſorbeant aut impediant quominus perſeueres in exercitio operum Charitatis. Non ſinam te tentari ſupra modum ſed faciam cum tentatione prouentum itaut & charitatem tuam augeas, & in nullo detrimentum patiaris cum bonum pro malo reddideris, quia & in medio odiorum & perſecutionum quibus te impeti contigerit huius verbi mei memor exiſtes, *Non eſt ſeruus maior Domino ſuo, ſi me perſecuti ſunt & vos perſequentur.* Et ſic ſi quid vires tuas ſuperet hoc auertam, cætera fortiter feres, & ſuperabis.

Ecce venio cito tene quod habes, vt nemo accipiat coronã tuam.

Cum autem ei qui perſeuerauerit certa ſit ſpes ſalutis hoc vnum inter tot prælia inter has pias occupationes reſtat tibi præſtandum, nempe vt in his ſanctis ac piis exercitiis conſtanter perſeueres vt pote qui idoneus ſis Miniſter, ac aptum inſtrumentum tantæ poteſtatis qua de omnibus diſpono ad hunc potiſſimum finem vt ſalus Electorum meorum tandem perficiatur. *Ecce igitur venio cito, tene quod habes vt nemo accipiat coronam tuam*, Coronas quippe paratas habeo, & honores præcipuos, ac ſingulares pro iis qui fideliter cooperantur æternæ proximorum ſaluti, dicant hoc eſſe ſuum gaudium, hoc coronam ſuam vocitent, iure ac merito hoc præſtabunt. Tales namque actiones, & gaudia & honores indicibiles ſuis cultoribus ingenerant, hoc igitur perſeueranter faciant ne cogar alios ſeligere, qui tali ac tanto negotio pro nomine meo vacent. Cum enim verum ſit quod quidam ſe ſubtrahunt, ne mihi ſuppetias ferant, ego noui quomodo alios ſubſtituam, qui felicius hoc negotium adimpleant, meæque voluntati obſequantur. Si igitur tanta te ornaui gratia vt efficaciter valeas occupari in conuerſione animarum, cum ad ianuam prope exiſtam vt tibi coronam reddam iuſtitiæ, tene quod habes vt nemo in locum tuum ſubſtituam, qui tuam coronam accipiat.

Qui vicerit faciam illam columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius.

Qui igitur vicerit faciam illam columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius. Hoc eſt, qui animi paſſiones ita ſubdiderit rationi & fidei vt vi. uaciores, & petulantiores cohibuerit quales, ſunt vindictæ appetitus ac vlciſcendi ſe deſideria de iis qui nos odijs proſcindunt, & perſequuntur, ſentiet ſe in numerum amicorum meorum reponi, cum ſecretorum ac conſiliorum meorum ipſum participem efficiam eoquod charitate perfecta decoratus ſit. Nam vt vero amico omnia quæ audiui à Patre nota ei faciam, qua quidem ratione non egredietur, in quantum nec ad phantaſmata ſpeculanda, nec ad ſenſus externos, vt ſpecies ab obiectis hauriat con-

Textus. *Et ego ſeruabo te ab hora tentationis quæ ventura eſt in orbem vniuerſum tentare habitantes in terra*

Digitized by Google

Textus.

uerti ipsi minime necessarium erit: aperiam ei ostium per species infusas vt intelligat mysteria, vt mea consilia, ac voluntates percipiat loquar ad cor eius: eumque in meo obsequio tanquam firmam columnam stabiliam vt exemplo, documento, oratione in fide debiles, moribus fragiles sustentare, quin & ea, quæ ad meum pertinent honorem & cultum fortiter sustinere valeat ne decidant & conculcentur ab impiis & peccatoribus, nec non mens eius nullatenus titubabit conscia consiliorum meorum ac voluntatum, sed firmiter in bono proposito erecta ac sublimis per rectam intentionem & contemplationem permanebit: hac ratione apparebit in me inesse potestatem illuminandi spirituque intelligentiæ replendi ac de consilis secretioribus, ac voluntatibus Patris mei instruendi quos ego voluero, vt qui semel ita fuerit instructus interno lumine collustratus quicquid exterius percipere posset negligere valeat: Foras inquam non egredietur amplius sed interioribus spiritus & animi operationibus assuetus vt verus spiritualis de omnibus iudicare poterit, nullus autem eum iudicare poterit quia tanquam firma columna stans vt veritatem fulciat potens erit exhortari omnes in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere: quin etiam charitate abundantiori repletus vt infirmitati aliorum compatiatur eadem qua intus replebitur consolatione a Patre misericordiarum, & Deo totius consolationis: itaut sensuum externorum consolationibus & delectationibus non indigeat: alios consolari poterit in quacunque angustia seu pressura extiterint per exhortationem qua & ipse exhortatur à Deo & tandem columna erit immobilis per perseuerantiam vt præmia consequatur æterna.

Et scribam super eum nomen Dei mei, & nomen Ciuitatis Dei mei nouæ Hierusalem quæ descendit de cælo à Deo meo & nomen meum nouum.

Ea autem præmia ei profusissime conferam illa potestate vtens quia ex paternis bonis præmia copiosissima haurire possum pro militibus meis, cum videlicet scribam super eum nomen Dei mei: etenim eius actiones commendatione adeo dignas reddam vt perspicuum sit omnibus super eum scribi nomen Dei quia filius erit Dei adoptiuus, & nomen ciuitatis nouæ Hierusalem quæ descendit de Cœlo, quia viuum membrum existet Ecclesiæ meæ militantis, id est, corporis mei mystici & tale membrum & adeo dignum vt signis ac notis perspicuis coniectari ac conijci poterit eum fore tandem gloria æterna potiturum. Scribam insuper super eum nomen meum nouum quia omnes agnoscent euasisse ipsum idoneum Ministrum, & fidelissimum cooperatorem in promouenda electorum meorum salute æterna itaut nomen meum Iesu seu Saluatoris impressum esse, & quodammodo insculptum videbitur in omnibus suis actionibus, quæ tanquam quoddam optimum exemplar omnibus proponentur imitandæ, plurimosque attrahent & inuitabunt vt salutis semitas ingrediantur, dignusque reddetur qui mediator intercessionis sit apud Patrem. *Scribam super eum nomen Dei mei*, nempe Adonai quia per eius actiones manifeste cernetur quod me colat tãquam omnium Dominum, *scribam super eum nomen ciuitatis Dei mei nouæ Hierusalem*, quæ dicitur visio pacis quia erit vere Philadelphius id est amator fraternitatis & pacificus vt tanquam Dei filius cælestis Hierusalem & hæreditatis diuinæ fiat particeps: scribam super eum nomen meum nouum quia erit de numero eorum de quibus olim dixi: dabo eis Saluatores. H.

Qui habet aurem audiat quid spiritus dicat Ecclesiis

Qui habet igitur in Ecclesia aurem audiat quid spiritus dicat Ecclesiis nempe quod ego Iesus vetus autor sum salutis, & Pater futuri sæculi, cuius humanitati data & commissa à Patre omnimoda autoritas administrandi omnia, eaque ordinandi ad iustificationem & sanctificationem, & glorificationem electorum, qui obstinatiores peccatores ad bonum conuerto, qui Ecclesiam condo eamque per Pastores à meo spiritu positos rego ac moderor, qui fidelibus leges & sacramenta præscribo quibus ipsis subdi & subiacere necesse sit, qui mala & tentationes tempero vt omnia diligentibus Deum cooperentur in bonum, & tandem qui & temporalibus & sempiternis præmiis remunero eos qui omnes appetitus inferioris motus inordinatos optimè cohibent vt zelo honoris mei & salutis proximorum, ac feruida charitate impulsi & magnanimi animo laborant vt illum honorem & proximorum salutem quantum in se est feliciter promoueant: his autem qui hæc impedire contendunt supplicia decerno.

PARAPHRASIS EPISTOLÆ ad Episcopum Philadelphium, fusior explicatio & corroboratio.

Christus summus Sacerdos, vt nos ad filiationem Dei adoptiuam euehat. Punct. 4.

A. CVm Christus Dominus in hac Epistola dicit: *Hæc dicit sanctus & verus*: Idẽ est ac si diceret: Sum quippe ille summus Pontifex qui consedeo in dextera sedis magnitudinis, in cælis sanctorum minister, & Tabernaculi veri quod fixit Dominus & non homo, nam quia Pater meus hostias & oblationes & holocautómata pro peccato nolebat, nec placita erant ei quæ secundum legem offerebantur tunc dixi ecce venio vt faciam Deus voluntatem tuam: Abstuli primum & sequens statui, & in hac voluntate sanctifico electos per oblationem corporis mei semel factam, vnam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedens in dextera Dei, de cætero expectans donec ponantur inimici mei sub pedibus meis, vna oblatione sic consummando in sempiternum sanctificatos. Et reuera Pater meus per quem omnia, & propter quem omnia, qui videlicet omnia perfectissime facit propter suam gloriam multos filios in gloriam adducere decreuit, at quia hoc opus non adimplet nisi per me quem vt autorem salutis eorum voluit in passione consummare, ideo cum eis per passionem meam veram sanctitatem, filiationis diuinæ gratiam promeruerim, iure ac merito nuncupari valeo Pater eorum qui in sæculo futuro vt filij adoptionis hæredes futuri sunt gloriæ æternæ, & hunc mihi arrogare honorem quod per me fuerint ad hanc gloriam euecti.

Ad quosnam effectus extendatur Christi Domini potestas per Clauem Dauid significata. Punct. 2.

B. Dum ait Christus Dominus: *Qui habet clauem Dauid*: Idem est ac si diceret: Potestatem habeo fundandi Ecclesiam, Pastores constituendi, mysteria reuelandi, peccata & pœnas remittendi, præmia & supplicia decernendi, omnia mala ad electorum bonum ordinandi, & peccatores etiam obstinatiores ad me conuertendi. Penès me plena & summa autoritas fidelium cætum congregandi, & in vnam coadunandi Ecclesiam, quam firmam & stabilem supra Petram inconcussam stabiliam, quæ externo cultu, Patrem meum meque cum eo & Spiritu sancto colat, quibus mandata, & præcepta sedulo seruanda præscribam, quos sacramentis & certis quibusdam signis ac ceremoniis religiosè seruandis subjiciam, quibus Pastores & Ministros constituam per quos de meis voluntatibus & consiliis certiores reddi valeant, diuersa munera, & gratias recipiant, & qui de quocumque dubio emergente ne erroribus pateant, aut de quocumque negotio ne dissidiis

Digitized by Google

proſcindantur vltimam proferre poſſint ſententiam qua ratione veritatem à mendacio diſcernere, æquum ac iuſtum ab iniuſtitia in omni cogitatione aut negotio ſecernere queant. Penès me plena, & ſumma autoritas eorum mentes euehendi ad perfectam diuinorum myſteriorum cognitionem donec tandem ea quæ in ænigmate tantum, & per fidem cognouerunt clare & aperte contemplentur. Penès me plena & ſumma autoritas omnia obſtacula auferendi quibus retardari valerent electi ne gloria potirentur æterna, peccata & peccatorum pœnas, & ſatisfactiones poſt ipſorum remiſſionem exigendas ac ſoluendas remitto, ſicque ex theſauro meritorum paſſionis meæ non ſolum gratiam quâ fugantur peccata, ſed etiam pœnarum indulgentiam exhaurio, vt ſic peccatum, & peccati pœnam quæ introitum in gloriam æternam impedirent potenter ab eis amoueam. Repoſita ſunt apud me præmia meritorum vt vnicuique pro meritis coronas decernam, nihil tanta remuneratione dignum quod non poſſim vltra condignum illud remunerare. Mecum enim ſunt diuitiæ, & gloria opes ſuperbæ & iuſtitia, vt ex inexhauſto fonte bonorum omnium quod iuſtum eſt vnicuique tribuam; diſpono electis meis ſicut diſpoſuit mihi pater; inſuper bona & mala vita & mors in manibus meis ſunt, *Ego enim Dominus & non eſt alter formans lucem & creans tenebras faciens pacem, & creans malum. Ego Deus faciens omnia hæc.* Iſ. 45. Neminem ex meis ſupra vires tentari permittam, nec aduerſus eos prævalebit inimicus licet fraudulentus, licet gigantea & enormi præditus fortitudine, eius omnes conatus erumpere non ſinam, veluti ſi eos ſub claue obſeratos tenerem, & ſi ſemel eruperint inertes & inutiles faciam: nullus infernus è ſuis faucibus euomet, niſi quos liberauero à peccatis quibus eos illaqueatos & irretitos conſtringebat, & ſuper eos tantum infernus vrgebit os ſuum, qui gratiam meam repellendo in malo obdurauerint, vt à voracibus ignis æterni flammis tandem depaſcantur. Denique penès me eſt clauſa oſtia aperire, id eſt, corda duriora penetrare & ad me conuertere.

Prou. 7.

Iuc. 22.

His omnes ſupradicti effectus ita à Dei arbitrio pendent vt nullus illos impedire valeat cum eos producere voluerit. Punct. 5.

C. Si enim aliquem iuſtificauerit quis cõdemnabit? ſi aliquid præſcribere aut ſtabilire voluerit quis immutare attentabit? ſi quædam ſacramenta inſtituere decreuerit, quis ea variare aut auferre audebit? Si ſua conſilia aut ſuas determinationes miti & humili animæ notificare voluerit, quis huius diuini luminis radios obtundere poterit? Quis de manu eius rapere valebit quem dono perſeuerantiæ decoratum ad cælum peruenire ſtatuerit? Vno verbo dicam: quis eius voluntati aliquatenus obſiſtere auſus fuerit quem non ſtatim dejiciat ac conterat? Dicit igitur: Ego ſum ille potentiſſimus qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit, qui potenti virtute gratiæ meæ corda hominum occlusa, & ſerpente vecte fortiter obſerata ne mandatis meis obtemperarent, aut inſpirationibus meis aurem præberent accommodant poſſum aperire vt gratiæ meæ conſentiant: Viſitato in die illo in gladio meo duro grandi & forti ſuper Leuiathan ſerpentem vectem: ſtimulis acutioribus homines exagitati licet vehementer ſint in malo obdurati recalcitrare non poterunt: ſentient me potenter vocantem, ſuauiter impellentem, benignè ſuadentem, efficaciter compellentem, penetrabilior quippe eſt ſermo meus viuus & efficax omni gladio ancipiti vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus pertingens, duriora etiam corda penetrare poteſt, & quis ea occludere poterit aut impenetrabilia reddere aut miſericordiarum mearum riuos inundantes intercludere ne ſuper eos ſpiritum gratiæ copioſiſſimè effundam? Sed ſi per gratiæ ſubtractionem prauis moribus ac ſuperbia mentis demeritam, prohibeam ne pluat ſuper eos pluuia voluntaria gratiæ ſalutaris hæreditati meæ ſegregata, quis eos iuſtificare valebit cum nemo poſſit corrigere quem Deus deſpexerit?

Quod ſi ſapientiæ meæ theſauros adaperiens Eccleſiam meam condam ſuprà petram fidei inconcuſſæ tum ſacramentorum eadem ſemper permanentium, tum autoritatis Paſtorum, quos ad eam regendam conſtituam, quis manibus meis vincula injiciet ne valeam ex his inexhauſtis fontibus haurire quid. quid neceſſarium fuerit ad eam optimè regendam, & in tantorum poſſeſſione bonorum conſeruãdam? At cum occluſero oſtia ſapientiæ aliis quibuſcumq; ſectis, ſocietatibus, congregationibus, quis eis media ſuppeditabit, quibus conſeruari queant? Electos meos & fideles non vt ſeruos habeo, eos potius vt amicos ac familiaritate nimia mihi arctiſſimè copulatos proſequor; ac eis omnia quæ didici à patre cum opus eſt benigniſſimè nota facio, eorumque mentes lumine meo illuſtrans ſpiritu intelligentiæ cum lubet repleo nec eſt qui prohibeat aut tenebras offundat. At ſi è contra ſuperbis ac prudentibus ſeculi conſilia mea abſcondere ſtatuero quis ea reuelabit? Erunt ſemper diſcentes ad veritatis tamen cognitionem, nunquam peruenient. His addo quod ſi per inueſtigabiles vias prouidentiæ meæ cuius ſemitæ in aquis multis, cuius veſtigia non cognoſcuntur animam cælo deſtinatam ad brauium vitæ æternæ peruenire fecerim eius dexteram manum apprehendens, in voluntate mea eam deducens vt illam tandem cum gloria ſuſcipiam, quis eam à cæli introitu arcere valebit? Omnia ei in bonum cedent, eius ſaluti cooperabuntur quamuis dura quamuis moleſta, me ſiquidem diligentibus cuncta cooperantur in bonum. At ſi ſemel neglectis & ob finalem impœnitentiam reprobis ianuam occluſero quis eis introitum in regnum meum æternum miniſtrabit? Qui parati erunt intrabunt mecum ad nuptias, clauſâ ſemel ianuâ in vanum ad fores pulſabunt in vanum clamabunt imparati, *Domine Domine aperi nobis* · audient, *Amen dico vobis neſcio vos*, Et quis oſtia recludet?

At cum earum rerũ quæ malæ ſunt à rebus bonis diuerſa ſit natura & ratio, ſi exoptandum bonum ſit abſque negotio gratiam meam conſequi, Eccleſiæ meæ coadunari, & in corporis mei myſtici membrum reputari, ſecretorum meorum ac conſiliorum fieri participem, in gloriam meam introduci, Malum eſt proculdubio & reformidandum nimis ſi quis à gratia mea repellatur ſi à ſocietate fidelium quis prohibeatur, ſi mea iudicia ei non manifeſtantur, denique ſi à gloriâ æternâ penitus excludatur. Bonum igitur ſi infernus aperiatur ſi mortis oſtia pateant vt quos infernus iam deuorauerat per peccatum, & mors iam abſorbuerat, tandem eos redimam per remiſſionem peccatorum ab inferno, & à morte per reſurrectionem cum abſorpta fuerit in victoria. At grande malum ſi vrgeat ſuper vos puteus inferni & mortis os ſuum; in quo mea poteſtas maxima elucet quod eos quos diligo redimam ab inferis & ab omnibus per quæ quis illaberetur in os eius, à morte & à quibuſlibet ærumnis & pœnis, denique quod quælibet mala ita attempero & ordino pro rerũ & temporis opportunitate vt ſi quæ meos electos tetigerint ſaluti eorum cuncta inſeruiant, & eiuſdem poteſtatis Maieſtate deſertus à reprobis illos derelinquo & trado in deſideria cordis in paſſiones ignominiæ, in reprobum ſenſum, vt fa-

Digitized by Google

ciant ea quæ non conueniunt quia commutauerunt veritatem in mendacium & seruierunt creaturæ potius quam Creatori, & sic à facie mea reiectos iusta seueritate motus eos in infernum detrudo miserè cruciandos. Quis autem siue hoc siue illud faciam obsistere audebit aut poterit? Aperio & nemo claudit claudo & nemo aperit.

Quanam potissimum impediunt conuersionem peccatorum. Punct. 4.

D. Sane tria sunt quæ potissimum illam impediunt; videlicet ingratitudo beneficiorum, secundo veritatis cognitæ oppugnatio, tertio præsumptio spiritus: proinde magna apparuit Christi potentia cum tantam gratiam contulit Episcopo Philadelphio vt Iudæos posset conuertere. Quis enim (dicere posset Christus Dominus) ignorat inter omnes populos gentem Iudæorũ arctioribus vinculis mihi esse deuinctam, plurimisque titulis ad fidem meis dictis adhibendam, meque suscipiendum ac summo honore prosequendum obligari? At quæ natio impudentius me à se expulit? Et licet ei dederim multa & vrgentia testimonia missionis meæ à Patre non modo cũ in terris visus sum & cum hominibus conuersatus, sed etiam post mortem & Resurrectionem & ascensionem meam, vt veritas illi innotesceret: attamen tanto conatu nititur mei nominis memoriam eradere ac euellere ex hominum cordibus vt veritatis cognitæ apertè se faciant proterui oppugnatores. Tandem iactitant se esse Iudæos, notum tãtum Deum in Iudæa prætendunt, non veritate ducti sed præsumptione spiritus impulsi, de Dei notitia; ac nominis eius confessione gloriantur. Ingrati, veritatis oppugnatores, de se nimium præsumentes proculdubio repelli nullosque misericordiarum mearum effectus experiri deberent; nihilominus ex illa Synagoga mei nominis inimica ex his inquam qui se dicunt Iudæos esse & non sunt quia non nouerunt Patrem neque me, aliquos assumam quos curæ, & sollicitudini tuæ gũbernandos committam cum tuo ministerio vtens semel fuerint ad mei nominis confessionem adducti, & hac ratione omnes percipere poterunt summam apud me residere virtutem; vt animas hominum ad gratiam adducam, eorum dico qui etiam longius ab ea distabant & imparatiores erant ad eam suscipiendam, vt ab iis qui prope, & ab iis qui longe Deum vident agnosci ac coli valeam.

Quantum emineat Christi potestas in conuersione obstinatiorum peccantium. Punct. 5.

E. Hoc indicat Christus Dominus dum hunc Episcopũ ita alloquitur: Ecce faciam illos vt veniant, & adorent ante pedes tuos. Ac si prædiceret modum quo Ecclesia vtitur in celebratione Missarum & subiectionem fidelium erga suos Pastores in foro interno & etiam externo, videtur enim dicere: In medio eorum stabis populum à tergo habens, & clerum ante oculos tuos laudes meas concinentem & in tempore adorationis ante pedes tuos me adorantem, vt sciant omnes quod Iudæorum corda non solum ad me conuertere queam, quin etiam eis honorem impertiri, & amoris, ac dilectionis signa ac monumenta dare exoptem, eos in societatem Ministrorum meorum ascribendo, & meo obsequio specialius astringendo. Hac ratione etiam cognoscent omnes qualis sit mea potestas in regimine totius Ecclesiæ eos quos eligo sollicitudini ac regimini eorum quos volo assignando, cum à meo spiritu, qui Pastores & Episcopos ad regendam Ecclesiam Dei constituit electus fueris in Episcopum & curam geras eorum qui maiori contradictione & animo obstinatiore contra me dimicarunt, & qui maiori odio propter nomen meum olim te prosequuti fuerint. Denique hæc mea potestas omnibus manifesta erit in eo quod iurisdictionem & auctoritatem tibi tribuam de eorum fide ac moribus etiam in foro externo iudicandi.

Christus maxime diligit eos qui conuersioni animarum student. Punct. 6.

F. Dum ait: *Et scient quia ego dilexi te:* ostendit quam gratum illi sit si quis in conuersione animarum operam suam impendat, nam cum summo amore Patrem suum prosequatur quidquid illi gloriam & honorem confert vehementer diligit, inter ea autem quæ illi honorem conciliant hoc vnum merito reponi debet, nempe vt quis plurimum fructum afferat in peccatorum ad Deum conuersione, & quod tam efficaciter ad ipsum conuertantur vt prompto animo ei obsequantur eorumque iudicio ac directione sese submittant quos ipse elegerit & constituerit vt locum suum teneant, & vice sua homines regant & mandatis ac legibus moderentur. At quicumque in his Christo Domino seruierit nempe vt homines ad Deum conuertantur, & eius voluntati pareant in omnibus, hunc Christus ardentiori, & vehementiori amore diligit & speciali quadam dilectione prosequitur, eum in numerum discipulorum suorum ascribit quos ipse cõuerterat, & sibi arctissimo vinculo dilectionis astrinxerat, qui illi olim seruierant vt talem fructum ipse afferret, quo fit vt sicut Pater diligit filium ob fructum quem attulit in promotione honoris sibi debiti, sic Christus diligit suos discipulos qui se exhibent cooperatores illi in tanto negotio quo Pater cælestis multum ab hominibus honorificatur.

Dilectio proximorum & maxime inimicorum hominem aptiorem reddit ad onus Pastoris subeundum. Punct. 7.

G. Iuxta nempe ea quæ olim Apostolis & discipulis intimabat Christus Dominus ne ab eis amor ipsius erga eos discederet, *Manete*, aiebat, *in dilectione mea, si præcepta mea seruaueritis manebitis in dilectione mea sicut & ego Patris mei præcepta seruaui & maneo in eius dilectione.* Nam inter præcepta Christi illud præcipuum est vt nos inuicem diligamus sicut & ille nos dilexit, cuius dilectionis actus laudabilior & magnificentior is est, quo quis pro aliis animam suam ponit, *Maiorem*, enim, *charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis*, quanto magis si ponat pro inimicis? Hoc autem præstitisse videtur Episcopus Philadelphius. Nam pro conuersione Iudæorum qui eum persequebantur plurimum laborauerat & multa patienter sustinuerat, quin & probabile est quod vt conuerterentur frequenter feruenti, oratione Deum orauerat; quod quidem præstando verbum patientiæ Christi seruauerat, hoc enim præstitit Christus cum tormenta patiens pro iis qui eum crucifigebant orauit: dilectione igitur Christi dignus erat qui eius præcepta & verba duriora fideliter custodierat potenti virtute vim & impetum passionum suarum reprimendo.

Quid sit inscriptio nominis Dei, & nouæ Ierusalem & nominis Christi Domini. Punct. 8.

H. Præter ea qua diximus in paraphrasi non malè dicemus Christum Dominum in his verbis promittere vt sequitur: *Scribam super eum nomen Dei mei:* Nam cum nullum maius signum appareat supremæ illius dominationis, qua Pater meus vniuerso orbi, & rebus cunctis creatis imperat, omniaque moderatur prout vult, quam quod potestatem mihi dederit omnimodam in cœlo, & in terra mihique in hæ-

Digitized by Google

pellatum germen, & paulatim crescendo increscens & humanitatis ac candoris ac caput fuo Angelorum Archangelorumque Principi Domino Deo noftro Jesu Christo, ut qui solus legis alienus regno, cibo, ira, quem vult dignitate, caelibet constituendus nutu dispensator & dominus est, ultimus consummatus, quo filiorum vir adhuc parvulus, jesus etiam ipse ad ætatem perfectam adolescens, & ad mensuram plenitudinis ætatis Christi perveniens, quo tandem ipse Christus noster, ac si ego jesus dicerem, ego Christus, ego Dominus, ego Deus, ego Salvator, ego Rex, ego Sacerdos, ego Pontifex, ego Sanctus, ego Immortalis, ego Æternus, ego Omnipotens, ego Creator omnium rerum visibilium & invisibilium, ego Redemptor humani generis, ego Judex omnium hominum & angelorum, ego Alpha & Omega, ego Principium & finis, ego Primus & Novissimus, ego Vita & Resurrectio, ego Via, Veritas & Vita, ego Lux mundi, ego Panis vivus qui de cœlo descendi, ego Vitis vera, ego Pastor bonus, ego Agnus Dei qui tollo peccata mundi, ego Leo de tribu Juda, ego Radix David, ego Stella matutina, ego Sol justitiæ, ego Rex regum & Dominus dominantium

intentionibus, laboribus & pœnis, etiam participes erimus honoris, & gaudij & præmij. Hoc certũ licet in hac Epistola in qua Christus seipsum nuncupat. *Amen, Testis fidelis & verus, principium Creaturæ Dei*. ex eo quod per hanc puritatem intentionis testimonium reddit obedientiæ & fidelitatis quæ in veritate reddenda sunt Diuinæ Maiestati, per quam puritatem intentionis vere nos reddit & sanctos & perfectos optimum fundamentum ponens nostris actionibus vt acceptæ sint Deo si nobis hanc præstet intentionem, & quod cum facit vere dicitur principium creaturæ Dei, & si cætera præcederent per illam vltimam manum operi suo apponeret. Huius acquirendæ puritatis, virtutis, fidelitatis & veræ perfectionis factus est exemplar vt ad eius similitudinem nouus homo qui secundum Deum creatus est perficiatur, innouetur, reformetur & fit principium creaturæ Dei.

PARAPHRASIS EPISTOLÆ ad Episcopum Laodicenum.

Iesus exemplar virtutis. Princeps pacis, Is. 9.

Textus. VNVM restat mihi vobis inculcandum, nempe quod ego sim omnium virtutum exemplar tanto melius imitandum, quanto expressius in me omnes virtutes ad debitum finem præclare diriguntur: Cum enim omnis creatura ad Deum vt ad vltimum finem referri debeat, necesse est vt ad eum omnes homines actus suos dirigant, eiusque honorem præ oculis habeant, ne ab eo euomentur si in se reflexi propriam quærant gloriam. Vult omnia suæ voluntati subdi, cui voluntati proculdubio contradicunt, qui sui ipsius amatores non Dei gloriam sed propriam inquirunt. At quis ei restitit & pacem habuit? Ego autem sum Princeps pacis, qui homines edoceo quomodo debeant ad Dei gloriam omnes intentiones suas dirigere vt cum eo pacem habeant, euadantque Tribus amabilis Domino, nec sint amplius in vomitu, id est digni, qui ab eius pectore & ore ejiciantur.

Et Angelo Laodicæa Ecclesiæ scribe. Quapropter vt ad mei nominis gloriam omnes sciant me esse exemplar omnium virtutum & Principem Pacis scribe cuidam Episcopo, qui in hoc maximè deficit quod tantum propriam gloriam quærit, & hominibus non Deo placere satagit, is autem est Angelus Laodiceæ cui nomine meo scribe: *Hæc dicit Amen testis fidelis, & verus.* Hæc ego ipsissimum verbum seu ipsissima veritas, qui idcirco sum testis fidelis & verus, & Principium Creaturæ Dei: præclaros autem istos titulos ante oculos tuos propono vt in memoriam tuam reuoces nullomodo posse me falli aut decipi nec vicissim neminem vnquam à me posse decipi aut falli. Exinde tibi non præsumendum est sola rerum quæ videntur facie mihi satisfieri, aut aliquam tibi mercedem à me sperandum fore, nisi sincero corde coram me ambulaueris.

Amen. Cum igitur per verbum veritatis in æternum permanentis hoc est per memetipsum semel iurauerim quod te ad perfectionis gradum requisitum promouerem & ad honorem aliquem insignem elenarem non pœnitebit, imo potius cum te charitate perpetua diligam, si quæ obstacula se obtulerint ea auferam. Vnam proinde super alia præcipuum se offert, illud auferre exopto erga te admonitione & correctione vtens.

Testis fidelis & verus. Vt ipsamet veritas, & veritatis amator magnopere desiderarem apud te veras spiritualium bonorum diuitias reperiri, vero te lumine mentis collustrari. Hoc equidem de te præsumis & te vere diuitem tantorum bonorum existimas. At reuera falleris penitus: Ego sum amen testis fidelis & verus, adulari nescio fidelis sum amicus non palpans aut decipiens, scio meliora esse vulnera amici quam blanda oscula inimici, ideo malo meis reprehensionibus vulnera infligere vt sanitati animæ tuæ consulam quam te blandis osculis adulationum decipere. Imperfectum tuum vident oculi mei, scio in quo deficis, idea sum & exemplar omnium quæ sunt & existunt in esse naturæ & in esse gratiæ & ea prout sunt repræsento, & de eis loquor & testimonium præbeo. Principum ego sum omnis creaturæ. Et ideo oportet vt mihi fidem adhibeas. A. Textus.

Qui est principium Creaturæ Dei. At dices mihi: Omnino impossibile est intueri illud diuinum exemplar secundum quod omnia procreantur, quomodo igitur elaborare & conari potero, vt eam attingam perfectionem seu perfectionis gradum quo plenè ideæ diuinæ respondeam? Certe si aliqua caream perfectione, propter quam in me non refulgeat integra diuinitatis similitudo aut conformitas mihi necessaria pro qualitate status, conditionis aut finis non ero culpabilis aut reprehensione & animaduersione dignus, latet exemplar imitandum, quomodo eius similitudinem exprimere potero vt eam in meipso repræsentem? Audi quæ dico, & in memoriam reuoca me etiam esse principium Creaturæ Dei secundum meam humanitatem in qua omnes omnino perfectiones, aut perfectionis gradus, quibus ad diuinitatis similitudinem creatura accedere possit insignioribus characteribus repræsentantur. Ego sum ille secundus Adam seu nouus homo secundum quem in nouam creaturam debetis efformari, manifestæ sunt omnibus actiones meæ imitandæ, patent exempla quæ sequamini; *Exemplum enim dedi vobis vt quemadmodum ego feci ita & vos faciatis.* Ad hoc non tantum factis, sed etiam sermonibus vos inuitaui cum dixi: *Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est*, gratiam promerui, & dedi; gratia enim & veritas per memetipsum facta est, qua decorati hoc efficere valeatis, & sic sum causa exemplaris, inductiua, & moralis meritoria & efficiens diuinæ similitudinis; ideo optimo iure dici possum principium Creaturæ Dei secundum meam humanitatem. Cum igitur exemplar imitandum ante oculos propositum ac manifestum habeatis non absque graui culpa erit si qua perfectio vobis desit ob neglectum sedulæ imitationis.

Hæc dicit. Hac ratione optimè noui quam graui labores culpa, nec enim ambulas sicut ego ambulaui neglectis proprij amoris iuribus, quibus ego renunciaui: imo potius sinistræ ac peruersæ sunt intentiones tuæ, ac de hoc non dubites.

Scio opera tua. Scio opera tua, species & circunstantias actuum tuorum ego dignosco, imo & motiua quæ te ad agendum impellunt clare perspicio, quo fit vt cum agnoscam non meam nec patris gloriam te quærere, sed tuum tantum commodum & propriam gloriam à meo te expellere seruitio cogitem. B.

Quia neque frigidus es neque calidus. Et vt verum fatear ad hoc tantum aptus es vt abjiciaris, quia nec frigidus nec calidus es, vellem autem vt frigidus esses aut calidus sed quia tepidus es incipiam te euomere ex ore meo, otiosos in meo seruitio negligo, quia infideles; qui media ad finem conducibilia negligunt respuo quia imprudentes: Non otiosum te esse scio quia plurimum laboras, sic non es frigidus, media plurima ad finem conducibilia assumis, sed pro alio fine omnino ab eo quem debeas tibi præscribere, sic non es calidus. Optarem tamen quod tibi in vtrumis horum defectuum labi contingeret nempe vt frigidus, aut calidus esses,

Digitized by Google

Textus. Et quæcunque ego facio vobis, gaudeo & gaudebo propter Christum, id est, meo exemplo, ut agnoscatis quo pacto Christus sit vobis omnia, & ut ad eum vos quoque transferatis quæ cum eo copulare licebit & expedit. Ita fiet ut & vobis ipsis gaudium pariatis, & vobis quoque gaudeo, quia ad eum tendetis, & ita me ipso lætiores fiam. Quæ quidem ita dicta esse puto, ut quæ mihi ex Christi gratia contingunt, ea vobis communia esse intelligatis.

Textus. Et hoc ipsum orabo, quod charitas vestra proficiat plus & plus, cum sensu & omni experientia. Ut probetis vos ipsos, ut sitis in diem Christi sinceri & sine offensa. Ita enim ex charitate vestra in me & mea in vos gaudia mutuo augebuntur. Quod ut fiat, ego quoque pro vobis orabo. Ac cum orationis materia sit, quod charitas vestra proficiat, id est, ut ea quotidie augeatur, & ad omnem cognitionem & experientiam, hoc est, ut ad omnia quæ ad Christum cognoscendum & experiendum

Textus. procurat, si spes hominibus placendi, & gloriam & laudem ab eis accipiendi refulgeat, & calorem feruidum potius concipiat quo inflammatus & meum honorem, & proximi salutem totis viribus promoueat, & dicat, *Zelus domus tuæ comedit me, tabescere me fecit Zelus tuus, quia obliti sunt verba tua inimici mei, Quis scandalizatur, & ego non vror?* Hæc illa est Charitas non quæ sua sunt quærens sed quæ mei sunt sollicite procurans, vt illud verum aurum ignitum & probatum, quo omnem superando torporem, & omnem excutiendo segnitiem impigre ad opus prorumpis, quo instructus cum felicem successum tuis exoptes laboribus vt videlicet mihi laus sit, & gloria, proximis salus æterna adueniat, omnes tuas actiones cum tanta prudentia ac sapientia dirige vt tandem exoptatum finem obtineas. D.

Et vestimentis albis induaris & non appareat confusio nuditatis tuæ & collyrio unge oculos tuos vt videas.

Hac sapientia ditatus, hac charitate ornatus albis gratiæ meæ vestimentis indui, & stola iucunda operum, quæ sunt entitate integra, specie perfecta meritis aucta circumuestiri poteris itaut splendor tuæ virtutis omnem illam amoueat verecundiam, ac mentis confusionem quæ ex tot tantisque vitiis ac imperfectionibus tibi obueniebat. Non apparebit confusio nuditatis tuæ. Et collyrio inunge oculos tuos vt videas, impuræ ac sinistræ intentionis vitio laboras, inordinato tui ipsius amore quasi noxio humore ad mentis oculos fluente excæcatus fuisti, assume collyrium puræ & simplicis intentionis, ex spuma subnigra cognitionis tui ipsius, aqua rosacea lachrymarum pœnitentiæ quam ignis amoris diuini exprimit, ex consideratione illius præcipui, quem erga vos exhibui pro vobis mortem subeundo, illiusque zeli quo peccata castigare decreui: & saccharo spei quam cognitio dulcedinis diuinæ misericordiæ conciliat compositum, & inunge oculos tuos vt videas te esse despiciendum, meque solum dignum ad cuius gloriam & honorem tui cogitatus & actus dirigantur. Si oculus tuus simplex fuerit totum corpus operum tuorum erit lucidissimum.

Ego quos amo arguo & castigo.

Quod si semel in animum tuum induxeris meipsius amorem esse expetendum, nihilque adimpletioni voluntatum mearum esse præferendum, agnitio huius veritatis faciet vt ingenue fateaD ris quod summe te diligam, vt fatearis insuper omne bonum tibi optari cum à te requiritur vt pura sit & simplex intentio tua, quæ tanquam sol irradians nubeculas omnes imperfectionum, & vitiorum dissipat, Etenim tibi ad perfectionem & mei imitationem facilis via sternitur; quid optabilius quid conducibilius saluti tuæ quam vt mei imitator existas? Vide igitur quod ego arguo & castigo quos vehementer diligo cum pati non valeam ipsos ne latum vnguem à mea voluntate discedere, eiusque adimpletionem pro vnico scopo ad quem tendant ipsis præscribam.

Æmulare ergo & pernicitatem age.

Æmulare ergo & studiosè meam charitatem measque actiones, & intentiones imitari satage, omnia E propter zelum paterni honoris feci & perpessus sum, vt te saluum & incolumem à periculo mortis æternæ eriperem: repende mihi hanc amoris & fidelitatis vicissitudinem honoris mei æmulator existe, collabora vt mea intentio adimpleatur, & si tãto tempore in hoc infidelis fuisti serio age pœnitentiã.

Ecce sto ad ostium & pulso.

Ego sto ad ostium & pulso. Vt ingrediendi aliquam nanciscar occasionem, nocte ad die tot luminibus mentem tuam collustro, tot inspirationibus voluntatem tuam solicito vt de mea fidelitate, dubitare aut de ea conqueri nunquam audeas, adeo solicitè salutem tuam procuro, tanto cum ardore ad veram & solidam perfectionem conquirendam te prouoco quæ in hoc potissimum consistit vt vnus sic nobiscum conformitate mentis, vnione voluntatis gra-

dumque ardentissimæ charitatis acquiras. Cur igitur libenter non agnoscis vt erga nos fidelitatem seruare valeas, quia quicquid habes à nobis accepisti & esse & viuere & operari, & gratiam & meritum, & denique omne datum optimum, & donum perfectum à nobis descendisse? Cur inquam non agnoscis tanta excellentia diuinam naturam super cætera creata eminere, tantisque te præuentum esse beneficiis, arctissimo obligationis vinculo te constrictum sic fideliter omnia adimplendi ad mei nominis honorem & gloriam. Textus.

Si quis audierit vocem meam & aperuerit mihi ianuam introibo ad illum, & cænabo cum illo & ipse mecum.

Nec existimes, quod si à te ipso recesseris vt in meam diuinitatem quodammodo felicissime absorbearis tibi aliquid detrimenti accessurum, aut quiete ac solatio fore destitutum, imo cum Deus centrum sit totius creaturæ in quo omnia conquiescunt B velut in vltimo fine, si semel voci meæ obedieris tandem percipies, quanta iis maneat voluptas qui perfecto Deo vniri satagunt, nam si quis illuminationi meæ, mentis ianuam aperuerit eam admittendo, si cum inspirationibus voluntatem pulso, eius ostium per consensum patefecerit, *Introibo cum illo, & cænabo*, &c. Cænabo inquam cum illo, cum de eius bonis operibus, ac syncerîs intentionibus tanquam de cibo selecto delectabor, & ipse mecum quia suauitatis ac iucunditatis, & delitiarum mearum participem illum efficiam: cibus meus suauissimus est, vt faciam voluntatem Patris, ita ei nulla erit maior iucunditas aut suauitas quam si eius voC luntati planè fuerit conformis, eamque in se adimpleri experiatur. Intrabo igitur per iustificationem, cænabimus simul ex mutua incunditate & suauitate Dei & hominis ex conscientia iam iustificata prodeunte, quæ initium erit cænæ cælestis & delitiarum æternarum.

Qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici & sedi cum Patre meo in throno eius.

Qui igitur vicerit proprium & inordinatum sui amorem, illamque ad proprium commodum importunam curuitatem, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici & sedi cum patre meo in throno eius, nam sicut pater meus me honorificauit, & glorificauit, hancque gloriam æternam contulit, vt à dextris eius in perpetuum sedeam ex eoquod adeo humiliatus fui vt quæ mea erant perfectè abiecerim, vt eius honorem & gloriam promouerem mortẽ subiens ignominiosissimam, & doloribus atrocissimam, omnia quæ sunt proprij amoris conculcans vt eius imperio ac voluntati obtemperarem, ita proculdubio partem illius honoris & gloriæ clargior ei qui sui commodi & propriæ gloriæ oblitus seipsum humilians omnia sua desideria ac vota diriget vt patris voluntas in cælo & in terra adimpleatur, qua quidem ratione altissima pace etiam in hac vita perfruetur donec tandem æterna luce, perfecta quiete, inenarrabili gaudio, sempiterna gloria cum Beatis potiatur.

Qui habet aurem audiat quid spiritus dicat Ecclesiis

Qui igitur mentis ac cordis aures aperuerit sciat me esse principem Pacis, exemplar perfectionis, hoc E enim spiritus dicit & reuelat Ecclesiis vt omnes mei actionibus & intentionibus conformari studeant vt in hac vita trãquillitate securæ Cõscientiæ gaudeãt, in alia pace sempiterna in cælis perfruantur. Amen.

PARAPHRASIS EPISTOLÆ ad Episcopum Laodicenum, fusior explicatio & corroboratio.

Qua ratione Christus Dominus sit testis fidelis. Punct. 1.

A. CVM Dominus dicit se esse testem fidelem hoc accipe ac si diceret: Nihil me latet eorum quæ aut cogitas, aut intendis, aut perficis, licet inscrutabile sit cor hominum, cunctas illius amba-

Digitized by Google

ges discerno, consilia absconsiora disquiro, mentis determinationes secretiores dijudico, intentiones subriliores penetro. Possum igitur testem esse fidelem, tibique omnia prout sunt representare, nec aliter fieri potest: speculum sum sine macula, qui omnia eo modo quo sunt oculis me intuentium objicio, si peruersa sint peruersa esse apparebunt, si recta, recta videbũtur. Et certe dignus insuper sum cui fides omnimoda adhibeatur, adeo enim sum verax in omnibus verbis ac sermonibus meis vt à meo ore & mendacium & dolus & fraus longissimè absint, omnia prout sunt fideliter represento, & oculis & mentibus speculanda objicio: sic etiam de eisdem verissime loquor, nec aliquid aut detraho, aut adjicio quo veritas minimum aliquod patiatur detrimentum, & ideo sicut tibi in mentem venire non debet aliquid esse quod ignorare me contingat, ita nec imaginari debes, quod tibi aliquid falsi imponam, quidquam tibi objiciẽs quod non sit verissimũ.

Ita est proculdubio vt dico, fieri enim nequaquam potest quod peruersum proferam iudicium de quacumque alicuius creaturæ perfectione, secundum eius statum, conditionem, ordinem, mensuram, modum aut finem, ad quem ex sua creatione ordinatur. Nam sicut fatemini patrem meum effectiuum esse principium rerum omnium ex eo quod omnipotentia ei attribuitur, ita omnes fatentur me esse principium ideale & exemplare omniũ quia sapientia mihi assignatur. Cum igitur sim exemplar secundum quod omnia creata efformata fuere iuxta eam similitudinem, qua diuinitatis quædam vestigia in semetipsis impressa gerunt, optimè noui si qua careant perfectione, quæ necessaria sit vt ideæ secundum quam perfici habeant absolutè respondeant, & comprehendant seu attingant scopum siue naturalem siue supernaturalem ad quem destinantur. Siue ergo creentur in esse naturæ, siue noua regenerationis spiritualis creatione producantur in esse gratiæ de eorum perfectione optime iudicare queo: scio itaque opera tua, perfectum tuum, & imperfectum tuum vident oculi mei.

Amor diuinus cum amore proprio inordinato consistere nequit. Punct. 2.

B. Angustum est enim stratum cordis nostri, vtrumque operire non potest: ideo dicit Dominus: Sicut me repulisti, & ex corde tuo reiecisti, amore tui inordinato meum amorem excludens, & quia quæ tua sunt nimia affectatione in præiudicium honoris mei prosequeris necesse est vt te à mea dilectione repellam, nec pax, vnio, aut concordia esse potest vbi tanta voluntatum contrarietas inuenitur. Ille ego sum qui zelo honoris Patris mei ductus in tui gratiam, ac in tuum commodum vitam, & animam perdere non dubitaui, tu autem is es, qui ne in minimo quidem, tuis commodis aut vtilitatibus renunciare vis vt aliquem ei honorem exhibeas, quinimo ea quæ ipsius sunt iniustè aufers: Nam cum id actibus virtutum nihil proprium habeas, *Quid enim habes quod non accepisti?* gloriaris tamen quasi non acceperis, & in his proprium honorem auidè requiris, iniuste patri meo gloriam sibi debitam auferendo. At cum dicat: *Gloriam meam alteri non dabo*, ne existimes cum te vane extollis cordis tranquillitatem tibi conciliare, hac potius via à me qui Deus pacis & dilectionis nuncupor eiici te oportet, nempe quia tepidus es: Quæ tepiditas mihi ingratior est quam frigiditas nihil operandi qua detinentur hi qui gratiam receperunt & ei non cooperantur, brachiis complexis otiosi remanentes. Qui potenti brachio meo quo manũ porrigo ac præbeo omnibus vt bene operantur gloriam dare renuit, ingratior est quam calor zeli cuiusdam non ad distamen rationis ac prudentiæ in actum prodeuntis sed cum quodam impetu nulla habita personarum temporum negotiorum ac circunstantiarum ratione, qui agendi modus sapientiæ meæ gloriam non tribuit, quæ suauiter omnia disponit. Hic porro zelus sus deque omnia subuertit ac cuncta confundit, nec finem licet laudabilem consequitur quia non est secundum scientiam: qui tali zelo impelluntur plantant & rigunt sed incrementum non impetior, opera quippe mea vtpote perfecta omnium virtutum requirunt concentum, & quia in operibus suis non habent scientiam nec sapientia regulantur pereunt cuncta propter suam insipientiam. Ingratior tamen mihi est tua tepiditas quæ frigiditatem non habet quia multum laboras, sed calorem requisitum non habet quia pro peruerso fine multum laboras. Et aliquid aliud à me desiderans, amorem meum à corde tuo excludis quia angustum est cordis tui stratum, vtrumque operire non potest.

Quid sit tepiditas in bonis operibus exponitur. Punct. 3. C. Tepidus licet exterius obsequiũ Deo præstare videatur tamen infideliter se gerit in Dei obsequio, nihil enim nisi ad suum gloriam, commodum ac vtilitatem perficit, nullo feruore nullo calore charitatis ad virtutis exercitia se confert, certe omnia negligeret nisi præsentiret hoc sibi prodesse & aliquod emolumentum afferre. Quo fit vt sicut stomachus tepida cogitur euomere cum moderato calore eorum titillatus expanditur & dilatatur, ac sic fit debilior vt cibos intra se contineat; sicut manus expansa aut laxata debilior est ad sustinenda onera, ipsâmet compressâ seu constrictâ, sic Deus qui de bonis operibus gaudet, si de bonitate essentiali, entitatiua, & obiectiua alicuius boni operis incipiat gaudere statim cogitur illud euomere cum in illo calorem debilem reperit & pondus proprij amoris nimium gravans stomachum inuenit.

Qua ratione Charitas dicatur aurum probatum. Punct. 4. D. Vere aurum probatum est perfecta & ardẽs charitas, quæ cum fortiores nos aliis reddat facit etiam vt infirmitates & imbecillitates aliorum sustineamus nullũq; licet debilem aspernemur, omnia sufferimus omnia sustinemus, nec persecutionibus, nec calumniis nec vituperiis ab amore proximi dimouemur aut auellimur. Istud proprium est Charitatis, quæ syncera intentione omnia libenter operatur, quo fit vt si semel præstiterit quæ præstare potest licet effectus non succedat, tamen quieta, & in se tranquilla remanet suorum laborum prosperos successus à Deo expectans, laudetur vel vituperetur, æquali animo laudem ac vituperium intuetur aliã exoptat & inquirit mercedem quam proculdubio tandem recipiet. A Christo autem Domino illud aurum illud bonum expectandum est, hanc gratiam ab eo emendicare & postulare necesse est, in eum etiam oculos conjicere oportet & facere secundum exemplar quod nobis in monte Caluariæ olim monstrauit cum penitus quidquid suum erat abiecit vt semetipsum Patri in holocaustum suauissimum offerret, sic nobis cuncta contemnere oportet Dei, honorem & voluntatis eius adimpletionem tantummodo diligentes: Non igitur in vanum Christus ait, *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum*, omnibus namque aliis diuitiis præferendum est quæ pro eius acquisitione & dandæ & deferendæ veniunt. Laboribus igitur ô fidelis anima non parcas, omne otium fugias, *non taceat pupilla oculi tui*, per vias & plateas quære quem diligis donec eum inuenias, omnia mundi solatia contemnas, commoda temporalia respuas, internas etiam consolationes ne requiras, gloriæ mundanæ & laudis hominum aspernator sis strenuissimus: hac ratione emes à Christo aurum illud ignitum & probatum quod tibi proponit comparandum.

Digitized by Google

ANNOTATIONES
IN CAPVT III. APOCALYPSIS.
IN EPISTOLAM AD EPISCOPVM SARDENSEM.

Hæc dicit qui habet ſeptem Spiritus Dei & ſeptem Stellas. Fortis Eſ. 9.

Ieſus autor eſt gratiæ à quo remiſſionem peccatorum expectari debemus.

ANNOTAT. I.

Andreas Cæſarienſis.

PER *ſeptem ſtellas*, inquit Andreas Cæſarienſis, *ſeptem Angelos denotari iam indicatum eſt, per ſeptem autem ſpiritus, vel illi ipſi, aut ſeptem certe viuifici ſpiritus vires, & energiæ innuuntur: vtraq; enim in Chriſti manu & poteſtate ſunt, nam & Angelis tanquam vniuerſorum Dominus imperat, & Spiritum ſanctum tanquam eadem cum illo eſſentia & potentia præditus largitur.* Andreas Cæſar.

Dionyſ. Carth.

Dionyſ. Carthuſ. *Et ſeptem ſtellas, id eſt, ſeptem Epiſcopos Eccleſiarum Aſiæ, per quos vniuerſorum ſignificantur Eccleſiarum Epiſcopi, & Prælati: quia omnes in manu ſunt Saluatoris, vnde in fine primi capitis ſcribitur: Septem ſtellæ, Angeli (id eſt Epiſcopi) ſunt ſeptem Eccleſiarum Dei.* Ita Dionyſ.

Igitur ſi ſeptem ſpiritus Dei dona Spiritus ſancti ſignificant per quæ plenitudinem communicationis ipſius accipimus, ſeptemque ſtelli Epiſcopis & Paſtores, qui autoritatem diuinam præ manibus habent deſignantur, dum S. Ioannes aſſerit filium Dei ſeptem habere ſpiritus & ſeptem ſtellas admonet nos proculdubio filium Dei autorem, & fontem eſſe gratiæ, quam dona Spiritus ſancti ſequuntur ſeu concomitantur, & inſuper Eccleſiæ prælatos vt Dei cooperatores ſint in noſtra iuſtificatione ab eo omnem ſplendorem ſuum & autoritatem accipere.

Clemens Alexandr.

Dum autem ſub hac breui loquendi formula S. Ioannes nobis magna proponit meditanda, agit ad modum illorum Græciæ ſapientum de quibus Clem. Alexand. lib. 5. ſtromatum, qui quidem certis apophtegmatibus vtebantur, quibus pauculis verbis res maioris momenti quam prima fronte cernerentur, innuebantur, vt cum dicebant, *Parce tempori*; Vel vt de breuitate vitæ admonerent, aut tempus non eſſe in vanum terendum, vel docerent bona cum frugalitate eſſe diſpenſanda, ne ſi inutiliter facultates noſtræ conſumerentur, tandem propter vitæ longioris diuturnitatem, ea quæ ad victum eſſent neceſſaria deeſſent. Simile erat hoc apophtegma: *Noſce teipſum*, Quo in memoriam cuiuſlibet hominis reuocabant ſe eſſe ad mortem deſtinatum eo ipſo quo naſci contingeret. Inſuper innuere volebant paruipendendam eſſe omnem mundi gloriam, & opum abundantium, nec ob eas nobis eſſe nimis gloriandum, ſi attentè perſpexerimus multa in vita reperiri bona potiora & excellentiora, quibus maior gloriâ amplioreſque opes nobis obuenire poſſent. Denique admonebant ſi diuitiæ affluerent, & cæteris ditiores eſſe contingeret de iis non eſſe pariter gloriandum, ſed videndum potius ad quid nati ſumus, cuiuſnam imaginem refetamus, quænam ſit natura aut eſſentia noſtra, quænam ſit tanti operis dignitas, quamnam habeamus cum Deo conuentionem aut affinitatem. Hoc modo agit S. Ioannis in titulis epiſtolarum, vtitur apophtegmatibus quibus paucis dictionibus res maiores ſignificat vt v. g. dum ait in principio huius epiſtolæ ad Epiſcopum Sardenſem: *Hæc dicit filius Dei qui habet ſeptem Spiritus Dei & ſeptem ſtellas*: Et ſic de cæteris titulis epiſtolarum quæ præcedunt aut ſubſequuntur.

Iam vidimus in primum caput Apoc. qua ratione Chriſtus Dominus dicitur habere ſeptem ſtellas in manu, ex eo quod ab eo dependent omnis dignitas, autoritas, poteſtas, doctrina, & ſanctitas Epiſcoporum imo omnes Paſtorum, & Prælatorum functiones ſacerdotales: hîc autem ponderandum venit qua ratione dicitur habere ſeptem ſpiritus Dei.

Dico igitur. 1. idem eſſe ac ſi diceret: Hæc dicit qui habet ſeptem virtutes optimi rerum omnium Moderatoris ſeu Gubernatoris, Bonitatem qua omne bonum amplectitur, ſapientiam qua nouit quibus mediis, & rationibus bonorum ſuorum participationem quibus voluerit impertiat; Potentiam qua quæ nouit efficiat, Iuſtitiam per quam cum æquitate cuncta diſtribuat prout expedit ad gloriæ ſuæ manifeſtationem, & prout exigit creaturæ cuiuſlibet natura aut conditio, cui naturæ cum patientia ſuum accommodat concurſum, quam cum longanimitate tolerat, & erga illam abſoluto & mero vtitur imperio, nulli creaturæ parcens etſi excellentiſſimæ & præſtantiſſimæ, ſi ab ordine ſibi præſcripto deuiare voluerit, omnes creaturas ſeruire cogens cum exactiſſima ſeueritate ad gloriæ ſuæ manifeſtationem.

Dico ſecũdo idem eſſe ac ſi diceret: hæc dicit qui omnes Angelos habet ad ſibi obſequẽdum paratiſſimos, qui manum ſuam, & operam adhibeant vt decreta eius perficiantur, ordinationes ſuas exequantur, voluntates ſuas adimpleant, à quibus tanquam ſupremus omnium rerum Dominus adoratur, colitur, laudatur iuxta illud ad Hæbræos c. 1. *Et cum introducit primogenitum ſuum in terris dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos ſuos dicit: Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis.*

Denique idem eſt ac ſi diceret: Hæc dicit qui Spiritum ſanctum effudit ſuper nos, qui datus conueniens nos ad finem diſponit per ſeptem dona præſentiam ſuam concomitantia, quique dona gratuita largitur prælatis & paſtoribus, quibus idonei reddũtur miniſtri noui Teſtamenti, & fideliter ſua obeunt munera. Quamcumque rationem ex iſtis adduxeris certe merito dicere poſſumus ipſum eſſe autorem gratiæ, à quo peccatorum noſtrorum remiſſionem expectare debemus, quippe qui habeat ſeptem ſtellas in manus, ſiquidem nos ſua prouidentia gubernat per Angelos ſuos, auxilia ſuppeditat, ſuo nos viuificat & illuminat ſpiritu, eo repletos idoneos reddit ad cultum & obſequium ſibi fideliter exhibendum. Quod ſi Spiritus ſancti donum omne donum optimum in ſe contineat (quo enim bono indigere poſſet, qui diuinæ charitatis diuitias acce-

Digitized by Google

perunt, per quas ſocietatem, & communicationem bonorum cum Deo habemus) certe cum Ieſus Dei filius hunc ſpiritum largitur ſe autorem gratiæ, & cuiuſlibet doni è cælo deſcendentis à patre luminum fontem profitetur. Quod Epiſcopo Sardenſi ante oculos mentis ponendum fuit qui Deo & gratiæ eius mortuus erat, vt ſciret ad quem recurrere debebat, vt vitam recuperaret, quin & de propriis diffidens viribus, à quo ſperare haberet facultatem bene & laudabiliter agendi, nec ex eo quod ſecundum hominum exiſtimationem viuus dicebatur ſeſe præſumptuosè erigeret; nam etſi hoc verum eſſet quod viueret, non tamen exinde ſibi complacere debebat in ſemetipſo etenim de plenitudine ſaluatoris nos omnes accipimus. De ſolo namque Mediatore Dei & hominum Ieſu Chriſto in veritate dici poteſt Spiritum ſanctum ſuper eum requieſcere, ſeu repleri ſpiritu timoris Domini, vt ait Beda in 1. caput Ioan. De plenitudine quidem eius omnes ſancti accipiunt, non autem illius plenitudinem: ſcilicet prout vnicuique tribuere lubet, aliis donum ſapientiæ, aliis donum ſcientiæ, & ſic de cæteris. *Hæc enim omnia vnus & idem operatur ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. Quia igitur,* addit Beda, *non hoc aut iſtud ſed omnino quæ habemus à plenitudine creatoris ſuſcipimus cauendum eſt ſedulo ne erigamur in ſuperbiam ob quamuis actionem bonam & laudabilem aut bonam cogitationem, ne ſi erga datorem bonorum omnium ingrati ſimus, quæ ab eius liberalitate munifica accipimus amittamus.* Ad Chriſtum igitur recurramus cum iſto Epiſcopo ſcientes ipſum nobis factum fuiſſe à Deo vt ait Paulus 1. ad Corinth. 1. *Sapientiam, iuſtitiam, ſanctificationem, & redemptionem.* Inſuper ſcientes gratiam quam ſecundum omnem plenitudinem habuit illi fuiſſe conceſſam, vt eam plenè ſecundum ſufficientiam reciperemus prout videlicet exigit ſalus propria vniuſcuiuſque, aut eius poſtulat miniſterium, *Et gratiam pro gratia,* inquit S. Ioann. c. 1. *Id eſt,* inquit Beda, *geminam erga nos gratiam accepiſſe teſtatur vnam videlicet in præſenti, alteram vero in futuro, in præſenti quidem fidem quæ per dilectionem operatur in futuro autem vitam æternam.* Ita Beda. Denique notum nobis ſit quod non ſolum dedit legem quam ſeruare debemus, ſed etiam poteſtatem, & facultatem & gratiam qua eam ſeruare poſſimus. Dedit olim Moyſes legem in qua iure diuino decernitur quæ facienda ſunt, quæue fugienda; at & Ieſu Chriſti perficit quæ lex Moyſis iniungebat. Hæc lex Moſaica demõſtrabat quidem hoc vel illud eſſe peccatum, docebat iuſtitiam, tranſgreſſores illius reos & criminis obnoxios, & ſupplicio dignos obtendebat; at Ieſu Chriſti gratia per Spiritum ſanctum diffuſa in cordibus fidelium præſtat & efficit, vt quod lex iubet adimpleatur: hinc dictum eſt à S. Ioanne: *Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt: Gratia,* inquit Beda, *fit per Chriſtum, cum quod præcipitur adimpletur, & veritas efficitur, cum Chriſtus pro vmbra veritatem contulit, pro figura legis eandem rerum figuratarum veram imaginem.* Dabat Moyſes leges quæ ſignificabant nos Chriſti ſanguine fore mundandos, at Ieſus lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Dabat Moyſes ſalutaria præcepta, & obſeruatoribus terram repromittebat promiſſionis gratia autem & veritas facta eſt per Chriſtum, nam cum donum Spiritus ſancti effudit dedit & gratiam, vt lex antiqua intelligatur, & ſpiritualiter ſeruetur, noſque in veram terram promiſſionis nempe vitam æternam introducit, ſi eam ſecundum ſpiritum obſeruemus. Dabat Moyſes tantum ſacramenta, & ceremonias, quæ erant ſolum vmbræ aut figuræ gratiæ Ieſu Chriſti: at Ieſus confert ſacramenta, quæ operantur quod ſignificant, & efficaciter conferunt & producunt gratiam, veluti cum ſuis dixit Apoſtolis: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis:* Quo fit vt ſacramentum pœnitentiæ in quo peccatorum abſolutio datur efficiat, & operetur quod hæc verborũ formula in abſolutione ſignificat, hæc eſt lex gratiæ quæ vſque ad conſummationem ſeculorum permanſura eſt. Lex iuxta Clementem Alexandrinum per Moyſen ſeruum ſuum, hinc fuit hæc lex ſolummodo ad tempus: at gratia, & veritas æterna facta eſt per Ieſum Chriſtum ponderate ſcripturæ verba, de lege ſolum dicitur quod data fuit, ſed veritas quæ nihil eſt aliud quam opus Patris opus eſt verbi æternum, nec veritas dari ſed fieri dicitur per Ieſum ſine quo nihil vnquam factum fuit.

Clemens Alexand.

Sit igitur nobis conſtans & verum cum S. Greg. Nazianz. Orat. j. *Quod Ieſus eſt ſpiritalis legis perfectio, & finis,* Et iuſta de tauſa dici quod habeat ſeptem ſpiritus & ſeptem ſtellas, ſiquidem ipſe eſt qui diuino ſuo ſpiritu Eccleſiam gubernat, per Angelos illi auxilia præſtat, donis ſuis illam ſanctificat, gratia ſua vim & efficaciam dat mandata Dei & præcepta adimplendi. Vt gratiam hanc homo obtineat inſtituit Sacramenta, Miniſtros idoneos tanquam inſtrumenta per quæ hæc Sacramenta adminiſtrari poſſint ſubminiſtrat, & per eoſdem fideles Chriſtianos de iis quæ neceſſaria ſunt vt his Sacramentis recte vtantur plene inſtruit. Hi ſunt Eccleſiæ Paſtores & Epiſcopi quos habet in manu tanquam ſeptem ſtellas, quos hac ratione cuſtodit, & protegit contra quoſlibet ſui honoris & gloriæ inſenſiſſimos hoſtes.

S. Gregor. Nazianz.

Beda.

1. ad Cor. 1.

Scio opera tua, quia nomen habes quod viuas & mortuus eſt.

Deo occultiora ſunt notiſſima.

ANNOT. II.

1. Ioann. 1. Beda.

SCIO *opera tua, &c.* Rupertus: *Ac ſi dicat: homines qui in facie vident putant quod viuas: ego autem qui in corde video, & occultorum cognitor ſum ſcio quia mortuus es.*

Rupertus.

Dionyſ. Carthuſ. *Famam bonam per hypocriſim fortitus es, fama autem nomen vocatur.* Ita Dionyſ. Ex his conjicitur quod ſi reus ſit iſte Epiſcopus, Deo eius reatus notiſſimus erat qui hominibus erat incognitus: homines vident ſecundum faciem ea quæ parent, Deus autem videt ea quæ ſunt in corde etiam occultiora, oculi Domini ſole ſunt lucidiores ut abſtruſiora penetrare queant, tenebræ in eo non ſunt vllæ, nec per tenebras aliquid ei abſconditur apud quem non eſt aliqua viciſſitudinis obumbratio, nullum eſt objectum qui ratione diſtantiæ eius aufugiat conſpectum, nullo intermedio pariete aut velo eius obtutus retunditur, nec ex parte intellectus diuini cognoſcentis adeſt aliqualis debilitas aut infirmitas, omnibus ad eſt præſentiſſimus, nec tenebris offenditur apud quem tenebræ lumen ſunt, penetrat abyſſos, vegetior & fortior eſt oculus eius, vt acies illius aliquid effugere poſſit. Quod ſi ei non eſſe, ſeu inexiſtentia rerum futurarum quarũ cognitio ſublimiorum Angelorum mentibus abſconditur, patet tamen menti diuinæ propter acumen forte & viuidum, quo cuncta etiam antequam ſint ſeu exiſtant intuetur ratione coexiſtentiæ cum nihil futurum ſit cui Deus ratione ſuæ æternitatis non coexiſtat, quo ſit vt nihil eius intuitum effugiat imo omnia ſint illi præſentiſſima; *Deus,* inquit, Theodoretus in Pſ. 70. *vbique præſens eſt & omnibus adeſt.* Si præſens itaque eſt omnibus, & vbique, & immobiliter in puncto inuariabili æternitatis nullum erit obiectum quod ab eo poſſit

Dionyſ. Carth.

elongari aut diſtare : lux præterea, *In tenebris lucet* Ioan. 1. *& tenebræ eam non comprehenderunt*, Ioan. 1. Hæc eſt illa lux quæ ſplendores ſuos emittebat dum res creatæ adhuc non erant ſeu non exiſtebant, quæ à Spiritibus tenebroſis, & per ſuperbiam excæcatis intueri non potuit in ſuis ſplendoribus, eo ipſo quo illos è nihilo creauit, & extraxit. Hæc lux radios ſuos ejaculat in mentibus ignorantiæ inuolucris obnubilatis per lumen ſcilicet rationis qua naturam noſtram intellectualem exornauit. Hæc lux adhuc lucet inter tenebras peccatorum nec extingui poteſt reclamante & obmurmurante ſyndereſi dum voluntariè mentem auertimus à rectitudinis aut æquitatis tramite. Hæc lux eſt quæ incarnata dum verbum caro factum eſt, inter tenebras, vmbras, & viciſſitudines mundi huius variabilis, & nunquam in eodem ſtatu permanentis hominibus apparuit, quam ſæculi amatores obcæcati amore quo ea quæ ſentibus fauent proſequuntur, & nimium adhærentes obiectis craſſioribus & materialibus rerum præſentium nunquam comprehendere potuerunt, nec eam admittere aut recipere voluerunt. Hæc inquam ſcit & intuetur, omnes intentiones abſconſiores, penetralia cordis, abſtruſiores cogitationes, occultiores actiones, quo facile cuilibet peccatori dicere poteſt. *Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas & mortuus es.* Adeo verum eſt Ioan. 1. c. 1. Ioan. dictum 1. c. 1. *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ.* Penetrat equidem radius ſolaris diaphana ſeu tranſparentia corpora, at faciliori negotio diuinus oculus parietes penetrat & abyſſos, ſiquidem Deus cum ſubſtantialiter omnibus in quacumque temporis differentia exiſtentibus vbique adſit, & coexiſtat nullo obſtaculo impediri poteſt quominus quoduis obiectum non poſſit intueri : ne dicat propterea homo peccator, *Forſitan tenebræ conculcabunt me*, ſeu obſcurabunt ſua caligine aut denſitate, & ab oculis diuinis me abſcondent, ne inquam iſta effutiat etenim lux nos inuoluit, & circumdat : Dicat potius ſi ſapiens exiſtat, *Et nox illuminatio mea in deliciis meis* : Quod aliqui ita interpretantur : Dum liberiori mente indulgeo voluptatibus ex eo quod nox ab oculis hominum me ſubtrahat & ſubducat, ſi de Deo fiat mentio eædem tenebræ lux ſunt, qua oculis ſuis manifeſtus apparebo. Ne dicat igitur ſecundum verſionem S. Hieron. *Et non eſt lux circa me : quod noctis tenebris videas te eſſe obuolutum.* Sicut igitur lux corporea à tenebris impediri nequit, proprium quippe lucis eſt fugare tenebras, pari ratione, nec tenebræ, nec abyſſi, nec rei alicuius craſſitas aut ſpiſſitudo impedire poteſt Dei oculos, quod proprium ſit oculorum diuinorum omnia proſpicere & contemplari, *Quia tenebræ non obſcurabuntur à te*, ſeu iuxta Hebræos, *Tenebræ non tenebreſcent apud te, & nox ſicut dies illuminabitur : ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius : ſic tenebræ ſicut lumen*, ſecundum Hebræos. Indifferens igitur eſt Deo ſi dies aut nox ſit, ſiquidem apud Deum, *Nox ſicut dies illuminabitur*, Pſ. 138.

Pſ. 138.

S. Hieron.

Pſ. 138.

Nec mirum ſi res præſentes, aut exiſtentes ab eo cognoſcentur, nec futuræ ſeu nondum exiſtentes ab eius fugere conſpectibus vt iam tetigimus. Videntur ab hoc diuino oculo cui & præterita, & præſentia, & futura notiſſima ſunt, abſque vlla actus intelligendi multiplicatione, eſt enim inceſſanter in actu ſecundo per actualem intellectionem cuiuſcumque rei iam exiſtentis aut futuræ iuxta modum proprium exiſtendi præſentem aut futurum in potentia aut in actu, in cauſa aut extra cauſam. Non enim neceſſarium eſt vt obiectu quod quidem actu cognoſcitur, concurrat effectiue per ſe vel propriam ſpeciem cum cognitione diuina. Eſt enim intellectus diuinus infinitæ virtutis, & perfectionis, quo fit vt non indigeat vllo concurſu extrinſeco vt intelligat, nec indiget vt aliqua ratione determinetur vt hoc aut illud intelligat, cum ſemper ſit in actu ſecundo circa quæcumque intelligibilia obiecta : aliter hæc in nobis peraguntur. Mens noſtra vim, & virtutem habet limitatam, & ſecundum ſe tantum eſt in actu primo, nec in actum ſecundum prorumpere poteſt niſi determinetur per exiſtentiam aut præſentiam obiecti, vbi diuina eſſentia veluti actualis quædam ſpecies expreſſa omnium rerum quæ à Deo cognoſcuntur, & quas repreſentat tanquam actu cognitas, omnia ſimul repreſentat ſecundum omnes temporum differentias, & ſecundum quoſlibet modos, ſecundum quos videri aut contemplari poſſunt. Sic vt recte quidam vir doctiſſimus ait, futuras res in ſola futuritione conſideratas præciſe cognoſcit ſcientia ſimplicis notitiæ ſeu intelligentiæ. Vt conſideratas in ſeipſis eas cognoſcit ſcientia viſionis ex quacumque cauſa ſint productæ. Si conſiderentur in cauſis, vel illæ cauſæ ſunt neceſſariæ v. g. quod ſol cras mane exorietur, vel in decreto Dei determinante rei euentum v. g. iudicium vniuerſale : cognoſcuntur etiam in cauſis ſcientia viſionis. Si in cauſis contingentibus aut liberis ſed iam ad effectum determinatis, cognoſcuntur etiam ſcientia viſionis v. g. quod pluuia quam hodie ventus propellit ad nos, circa veſperam nos adſpergat ; Quod homines in Ceila commorantes Dauidem eſſent prodituri vt pote qui iam in voluntate ad hoc erant determinati, & hoc agere apud ſe ſtatuerant. Quod ſi res conſiderentur in cauſis contingentibus & liberis nondum determinatis hac ratione nec ſcientia viſionis aut ſimplicis intelligentiæ certo cognoſcit non poſſunt, vnde aliquando Deus in ſcriptura vt notat S. Hieron. ambiguè loqui videtur ſi forte inquit conuertantur, cognoſcuntur tamen ratione coexiſtentiæ cum Dei æternitate modo ineffabili & qui à nobis concipi nequit, quibus impoſſibile eſt comprehendere amplitudinem & indiuiſibilitatem æternitatis diuinæ, quæ nulla metitur temporum viciſſitudine in qua non eſt prius aut poſterius, cum omnia excedat tempora. Audiamus igitur Dauidem optimum Theologum dicentem digniſſime, de hac diuina ſcientia loquens. *Intellexiſti*, inquit, *cogitationes meas de longe, & omnes vias meas præuiaſti.* Audiamus & ſapientem Eccl. 23. *Domino Deo antequam crearentur omnia ſunt aperta.* Conſentit Theodoretus q. 38. in Geneſ. *Deus quæ nondum facta ſunt perinde nouit ac ſi iam facta eſſent.* Ita ille. Notus Clemens Alexand. l. 5. ſtrom. Ægyptios olim conſecraſſe figuras aurium, & oculorum & ex pretioſa materia fabricatas, & templis Deorum ſuorum deuouiſſe, & appendiſſe : hoc vtique tacitè ſignificantes quod Deus omnes videt & audit iuxta illud, Pſ. 93. *Qui plantauit aurem non audiet ? aut qui finxit oculum non conſiderat ?* Et bene Theodoretus q. 20. in Geneſ. *Ad inſtar Dei omnium conditoris regnat homo & iudicat : Verum Deus accuſatoribus aut teſtibus minime indiget, quando iudicat : ſic enim eum condemnauit tanquam ſceleris eius inſpector, hic uero iudicando teſtibus opus habet & accuſatoribus quum ignoret quæ perpetrata ſunt.* Ita Theodor. Hac de cauſa hic Chriſtus ad conuincendum hunc Epiſcopum nullos adhibet aut aduocat teſtes, ſed tantum ait : *Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas & mortuus es*, iam cum ei nihil ſit incognitum ſufficit cognitio quam ipſemet habet vt aliquem condemnet, aut vt noſtras approbet actiones ſiue internas ſiue externas, ſiue in die factas ſiue in nocte perpetratas, ſiue in publicis viis, ſiue in angulis, ſiue in medio platearum, ſiue in deſertis locis, & inter

Pſ. 93.

Theodoret.

Clemens Alexand.

denſiſſimas arbores nihil eius obtutum fugit, omnia aperta ſunt coram oculis eius.

Eſto vigilans.

Quam neceſſarium ſit examen actionum, & cogitationum noſtrarum.

ANNOTAT. III.

Dionyſ. Carthuſ. HIS verbis: *Eſto vigilans*: Æſtimat Dionyſius Carthuſ. cuſtodiam cordis, & ſubditorum Epiſcopo Sardenſi iniungi, *Eſto diligens in cuſtodia cordis tui, ac ſubditorum & quo pluribus præes tanto ſolicitior, & agilior conſiſtas.* Ita Dion. Ad hanc autem cuſtodiam cordis & ſubditorum, negari non poteſt ſtrictum examen actionum & cogitationum eſſe magnopere neceſſarium.

Certe ſi quis perſpexiſſet Epiſcopum hunc in medio gregis reſidentem, vt vndequaque ſupra gregem ſuum oculos ſuos conuertere poſſet, plurimas actiones & functiones ſui miniſterij præclari & ſublimis exercentem, prædicationi verbi inſiſtentem, præsbiteros ordinantem & conſtituentem, oues ſuas vilitantem, eum certe credidiſſet maxima laude digniſſimum. At non ita eſt ante Dei oculos; nam in hoc formidali iudicio reus & pœnæ obnoxius reprehenſibilis & mortuus reputatur & declaratur, & in tali ſtatu conſtitutus itaut niſi remedium adhibeat præſentiſſimum, imminens periculum propriæ ſalutis incurrere paratus ſit, *Si ergo*, inquit, *non vigilaueris veniam ad te tanquam fur, & neſcies qua hora veniam ad te.*

Quam formidabile autem ſit diſtrictum ſupremi iudicis examen patet, quod probabile non ſit hunc Epiſcopum aliquo peccato luxuriæ fuiſſe inquinatum vt putat Rupertus, vel hypocriſi laboraſſe vt cẽſet Lyranus, vel nimia adhæſione ad bona temporalia ea conſectatum fuiſſe affectu auaritiæ vt alij autores exiſtimant, nec peccata peccatis accumulaſſe: reprehenditur enim tantum, quod opera ſua vt probabile eſt aloquin bona, plena non erant coram Deo, vel quia omnes virtutis, ſeu boni operis qualitates integrè & plenè non haberent, bonum enim ex integra cauſa, malo ex minimo defectu; vel quia aliquos ex grege ſuo negligeret, qui erga omnes circumſpectam habere debebat ſollicitudinem. Quis igitur ex Paſtoribus, non pertimeſcet hanc diſcuſſionem exactiſſimam? vnde Auila alicubi dixit tot & tales eſſe Prælati ſeu Paſtoris obligationes vt ſi quis tertiam partem earum adimpleret, poſſet haberi pro ſancto, qui ſi hac diligentia contentus cæteras conſulto omitteret, nec ad eas perficiendas pro poſſe adſpiraret damnationis æternæ reum ſeſe indubitanter conſtitueret.

Rupertus. Lyranus. Auila.

Quidquid ſit certum eſt illum fuiſſe reprehenſibilem, ſiquidem de eo conqueritur Dominus quod opera illius non inueniebantur plena, ſiue quia carebant motiuo charitatis, quæ plenitudo legis eſt, ſed ex affectu hypocriſis, ambitionis, auaritiæ iuxta quorumdam mentem, & opinionem; ſiue quia negligeret puritatem cordis interiorem, ſolis operibus bonis operibus exterioribus, quibus oculos hominum perſtringeret contentus; ſiue quia vt probabile eſt incumbebat ſui Miniſterij functionibus ſeu erga plurimos ſe bonum Paſtorem exhibebat & quaſdam functiones neceſſarias exercebat, ſed ita vt quoſdam ex grege ſuo ope ſua indigentes per quandam inaduertentiam aut negligentiam prætermittebat: vnde magna ipſi inerat neceſſitas Deum exclamandi cum Dauide. *Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte, nequando dicat inimicus prænalui aduerſum eum.* Certe ſi ſupra ſe attente inuigilaſſet, & interius conſcientiæ receptaculum circumluſtraſſet ſollicitè, audiſſet forte Deum inclamantem: *Adam vbi es?* O Paſtor vbi es? *Qui alios doces teipſum non doces, qui prædicas non furandum furaris, qui dicis non mœchandum mœcharis, qui abominaris idola ſacrilegium facis, qui in lege gloriaris per prænaricationem legis Deum inhonoras.* Rom. 2. In mente ergo habe qualiter acceperis & audieris, & ſerua & pœnitentiam age.

Pſ. 12.

Rom. 2.

Nullum incurrimus detrimentum (dicebat Plato de fortitudine) ſi in memoriam reuocauerimus ſi quid non rectè fecerimus, vel facimus, imo potius exinde magnum referimus emolumentum. Ex tali namque examine quiſquis ſit cautior in futurum, & quo plus vixerit, eo magis addiſcit, quæ ſui muneris ac miniſterij exiſtunt, iuxta illud Solonis: Tandiu diſcendum quandiu viuitur. Abſolutâ vnaquaque die, & conſummato opere agendum eſt quod dicebat S. Baſilius de inſtitutio. Monachor. *Antequam in lectum decumbas optimum eſt diligentem facere conſcientiæ tuæ inquiſitionem, & diſcuſſionem, ac ſi quod quis dixerit, vel cogitaueris, vel etiam operatus fueris eorum quæ non decent, vel ſi inter orandum minus attentus, aut in pſalmorum decantatione tadio anxius fueris, aut communis vitæ deſiderio ſe ſenſerit titillatum, admiſſum à ſe delictum nullo modo occultum teneto, ſed in medium audientibus cunctis enuntiato, vt per communem orationẽ ſanetur morbus illius qui in eiuſmodi malum inciderit.* Ità S. Baſil. Audiendus eſt S. Ephrem Baſilij contemporaneus ſerm. de vita Religioſ. de hoc examine diſſerens, *Perpendite*, inquit, *quæ dico fratres: negociator ſecularis damna, & lucra quotidie computat, & ſiquidem damna perpeſſus fuerit ea reſarciri ſollicitè ſtudet, ſic etiam tu chariſſime ſerio facias ac cures. Diebus ſingulis veſpere & mane diligenter conſidera quo pacto ſe habeat negotiatio tua, ac mercimonij ratio, & veſpere quidem ingreſſus cubiculum cordis tui, examina temetipſum ac dicito: Putas ne hodie in aliquo Deum exacerbaui? nunquid verba otioſa protuli? Num per contemptum negligentiamue peccaui? Num in re aliqua fratrem irritaui? Num alicuius famam detractionibus laceraui? Num quando ore pſallebam res ſeculares mente verſabam? Num quando carnalis in me concupiſcentia irruit blandum virus ego lubens ſuſcepi? Nunquid à curis atque ſolliciudinibus terrenis aliquando ſuperatus ſum? Quod ſi in ipſis compereris te detrimenta perpeſſum, futuris lucris præterita dãna ſedulo reſarcire cura, ingemiſce ex intimo corde, & plange & lacrymas funde, ne eadem rurſus detrimenta atque incommoda ſuſtineas. Nam niſi de ſingulis negligentiæ peccatis ex animo doluerimus, diabolum haud quaquam a nobis repellere, vel etiam euadere poterimus. Et facto iam diluculo rurſus eadem ſecum meditare, & dicito: Quomodo puta iſta mihi nox præterijt? lucratus ne ſum in ea mercimonium meum? Nunquid mens mea vna cum corpore vigilauit? Nunquid oculi mei lacrymas fuderunt? Nunquid cum genua noctu ad orationem flecterem ſomno depreſſus ſum? Nunquid improbæ ac ſordidæ cogitationes inuaſerunt me, atque in illis libenter immoratus ſum? Et ſi te in eiuſmodi victum eſſe ſenſeris ſolliciè curari ſtude cordique tuo cuſtodiam ſtatue, ne eadem rurſus patiaris: quod ſi curaueris, & pro ſalute animæ tuæ ſolicitus fueris, negotiationem tuam cum lucro hic exercueris, gratus & acceptus tuo eris Domino, & tibi ipſi magnopere profici es.* Ita S. Ephrem.

Plato. Baſilius. S. Ephrem.

Hanc ſupra ſe attentionem, & vigilantiam habere debebat Sardenſis Epiſcopus vt in ſtatu peccati mortalis non permaneret, & ſollicitè inquireret an diligentiam adhibuiſſet neceſſariam circa ea quæ ad ſuum munus & officium pertinebant, an ea quæ illi tradita erant fideliter adimpleuiſſet ne in peccatum laberetur, tale enim examen adeo neceſſarium eſt quamuis conſcientia nos non reprehendat, vt nunquam prætermitti debeat: ſiquidem dixit Apoſtolus,

Digitized by Google

Nihil mihi conſcius ſum ſed non in hoc iuſtificatus ſum, Hinc S. Basil. interrogat. 30. *Quod ſi quis dixerit conſcientia me non reprehendit*; Appoſitè ad hæc dixit. *Hoc accidit etiam in morbis corporis, ſiquidem multi ſunt morbi quos non ſentiunt, qui in illis ſunt: Verumtamen maiorem ij adhibent fidem medicorum peritis, quam ſuo ipſorum ſtupori; ſimiliter etiam in morbis animi peccatis videlicet, licet quis ſeipſum non reprehendat quod peccatum ſuum non ſentiat, nihilominus tamen adhibere fidem iis debet, res eius prouidere melius poſſunt quam ipſe. Quod animaduertimus factum fuiſſe ab Apoſtolis quo tempore de ſua erga Dominum ſyncera animi affectione nihil dubitantes dici ſibi audiuiſſent: Vnus ex vobis me tradet. Maiorem Domini verbis quam conſcientiis ſuis autoritatem tribuerunt alterabanturque ac dicebant, nunquid ego ſum Domine? Sed apertius hoc videmus in Petro qui cum ex vehementi humilitate myſterium Domini Dei ac Magiſtri ſui nollet admittere tamen vbi illud audiuit niſi lauero te non habebis partem mecum, biſce Domini verbis ſumma adhibita fide dicit: non tantum pedes meos ſed & manus & caput.* Ita S. Basil. Fieri igitur poteſt vt rei ſimus, & reprehenſibiles, quamuis nihil nobis in conſcientia conſcij ſumus, ex eo quod ſicut ſunt corporis infirmitates quæ ſtuporem inducunt, ita & animi reperiantur morbi qui animaduerti nequeunt, qua de cauſa continuo exclamandum: *Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo*, & vt ait S. Basil. cum Apoſtolis defectus metuere incognitos, & denique nos ſæpius diſquirere, & examinare debemus. Itaque ſi hoc examen neceſſarium eſt etiam innocentioribus, optimo iure hic Epiſcopus ad hoc faciendum incitatur, ſiquidem ſi ſupra ſe reflectens attendiſſet ea quæ in pectore gerebat abſcondita, Deo tamen notiſſima, animaduertere potuiſſet ſe reum eſſe & peccato inquinatum, & in quanto verſaretur periculo ſalutis ſi morte temporali prœuentus fuiſſet, nam æternam propter peccatum nondum deletum per pœnitentiam incurriſſet.

1. Cant. 4. S. Baſilius.

S. Baſil.

Confirma cætera quæ moritura erant.

Cum peccatum maligna ſit natura, curandum ſollicitè ne radicem in mentibus figat, ſed quantocitiùs illud à mente expellere debemus, ne cuncta deuaſtet.

ANNOTAT. IV.

Ambroſ. CONFIRMA *cætera quæ moritura erant. Quia*, inquit Ambroſ. *ſicut corpus mortuum eſt ſine anima ita & nos, ſi quælibet bona videamur habere mortua ſunt ſi charitas defuerit.* Ita Amb. Dionyſius Charthuſ.

Dionyſ. Cart. *Opera tua parua quæ facis, & de genere bona ſunt, maiori bonitate exerce vt ex charitate naſcantur, & meritoria comprobentur, quæ alias nihil tibi proficient ad ſalutem.* Ita Dion. Car.

Hoc certe præſtare non poterit qui examen præditum neglexerit, quo quæ dolenda, & abolenda ſunt omnino, & quæ confirmanda, & conſeruanda ſunt dignoſcamus reſpiciuntur enim mentis infirmitates quæ facilè dignoſci non poſſunt, quo fit vt excitatore opus habeamus qui à ſomno corporis, & negligentiæ nos eruat, & cui fidem adhibeamus excitanti. Quis enim optimè nouit, an à culpa, & peccato ſit immunis itaut vere cum Dauide dicat, *Iniquitatem odio habui & abominatus ſum.* Pſ. 118. aut fideliter adimpleat; quod ipſe præſtitit Pſ. 110. *Non adhæſit mihi cor prauum declinantem à me malignum non cognoſcebam*, Vel qui zelo armatus peccatoribus compatiatur, & ſi viderit malitiam prævalere, zelo tabeſcat. *Vidi*, inquiebat ille, *prævaricantes & tabeſcebam, quia eloquia tua non cuſtodierunt.* Hæc tamen ſunt ſigna, quibus dignoſci poteſt an anima perfectè ſit à peccatis expurgata, ſi his aut ſimilibus afficiatur affectibus vt monet S. Basilius in regulis breuioribus in reſponſione ad interrogationem 286. *Qua ratione certior poſſit fieri anima quæpiam, quod à peccatis libera ſit & expurgata? Si quis*, inquit, *in ſeipſo animi affectionem illam ſimilem Dauid ineſſe animaduerterit apud quem eſt: iniquitatem odio habui, ſi illud Apoſtoli perficiat ad Coloſſ. 3. Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, &c. itaut verè dicere illud poſſit: non adhæſit mihi cor prauum. Porro*, addit S. Baſilius, *intelligit aliquis ſe in huiuſmodi affectione poſitum, ſi etiam aduerſus peccantes admirabilem, & horrore plenam ſanctorum virorum miſericordiam illum imitatus ſit, cum Dauide dicens: Vidi prævaricantes & tabeſcebam, vel cum Paulo exclamans, quis infirmatur, & ego non infirmor? etenim ſi vt veritas credere ſuadet animus nobilior eſt corpore, in corpore autem videmus conſueuiſſe nos fœditatem omnem odiſſe reſpuereque, item animam noſtram adſpectu immanis cuiuſuis carnificinæ, & inſidiarum quarumuis naturaliter vehementer ſolere commoueri, triſtarique, quî non tandem credibilium ſit ea quæ ante diximus aduerſus peccantes in animis eorum euenire in quibus Chriſtiana fraternaque charitas vigeat, quotieſcumque eorum qui peccant animam velut à feris beſtiis fauciari abſumique animaduertunt, ac veluti cruore vndique ac tabe repleri cum ſcriptum ſit apud Dauid: iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum.* Ita Baſ. Si quis igitur mentem ſuam ſimili modo ſenſerit bene affectam ſperet ſe fore à peccatis expurgatum, at quis eſt ille? illum vſque ad cœlum extollemus laudibus. Obcæcamur amore proprio, Gehenna plærumque opus eſſet qua adigeremur ad fatenda peccata & ſententiam condemnationis contra nos proferendam. Mundanus amor nos ita conuertit cum iis quæ ſui juris ſunt vt vix ac ne vix quidem vituperare poſſimus actiones eorum quos amore carnali aut mundano diligimus, & qui zelo armati inſurgere deberemus in eos qui peccant adulatione quadam & complacentia eis acquieſcimus, & quia iniquitatem ſecundum ſe non abhorremus quantum meretur, ſed tantum propter quemdam ſeruilem timorem iudiciorum Dei, hinc fit vt per quamdam conformitatem inclinationum conniuemus & conſentimus iis quos odio habere & condemnare deberemus, eadem libenter perpetraturi ſi fræno timoris non retineremur. Vnde ſæpius incogitantibus fere nobis aut ſaltem non animaduertentibus inſenſibili quadam propenſione ad malum contaminamur & polluimur in moroſis quibuſdam cogitationibus & mês noſtra in tam praua reperitur diſpoſitione vt aduentante peccato potius recipiatur quam rejiciatur, ac ſi proprium & familiare adiret domicilium, & non alienum inuaderet, à quo tanquam hoſtis infenſiſſimus quantocyus expelli deberet: vnde manifeſtum eſt maxima opus eſſe attentione ne à tam pernicioſo hoſte ex improuiſo circumueniamur, quo certe incauti excipimur dum circa ea quæ in mente gerantur non attendimus. Cum autem à peccato incauti deprehendimur quis damna, & detrimenta & pericula dinumerere queat, quæ ex peccato in anima inſidente obueniunt? *Nullum*, inquit S. Basil. in reſponſione ad interrog. 4. in regulis breuioribus, *reputes parvum aut leue, nam vt docet Apoſtolus transgreſſione legis Deus inhonoratur, & offenditur; qua de cauſa ille crudelis & inhumanus cenſetur, qui de peccato ſilet, nec illud reprehendit, eo modo quo quis crudelis haberetur, qui venenum expellere valens, illud non impedit, dentem venenoſam beſtiæ cuiuſdam in alienum corpus infigere ſinens, nonne proinde crudelior erit, qui ſe peccato infectum ſentiens à ſe tantum malum projicere non curat: ſane ſicut is qui ſeipſum interficit crudelior habetur, quam ſi vitam alteri eriperet aut vitæ aliena inſidias ſtrueret.* Ita Baſ. Inhumanior igitur eſt qui à ſe peccatum cito non ejicit, quam ſi per

Pſ. 118. Pſ. 110.

S. Baſilius.

Digitized by Google

correctionem aut admonitionem illud à proximo non expellat.

Sæpe euenit quosdam in grauissima quædam cadere peccata, qui hoc quia quid insolitum & inexpectatum admirantur, quasi istud ab eorum intentione longius abesset aut proposito: vnde quæso tantum infortunium, nisi quod forte iam in conscientia gerebant aliquod peccatum antea commissum, quod corrigere aut emendare neglexerant, eisque euenit quod custodientibus castella aut proprias domus aliquando euenire solet. Nempe vt dormientibus ipsis intret latrunculus qui aliis latronibus & hostibus fores aperiat. *Qui*, inquit S. Basil. in moralibus regul. 23. *præter animi sui voluntatem trahitur ad peccatum is intelligere debet, se ab alio prius à se commisso* B *peccato constrictum teneri, cui inuitus cum seruiat ab eo ad ea etiam pertrahitur, ad quæ minus vult.* Et ad hoc propositum adfert locum S. Pauli ad Rom. 7. *Scimus quia lex spiritualis est, ego autem carnalis sum venundatus sub peccato, quod enim operor non intelligo, non enim quod volo bonum hoc ago sed quod odi malum hoc facio.* Igitur valde vtile est ad pœnitentiam recurrere statim atque peccaueris vt admonet S. Basil. adm. ad filium spiritualem, *Quotidie*, inquit, *actus tuos discute curiosius, & si te peccatis obnoxium censeris pœnitentiam age, & velociter de corde tuo seca illud: ne velis dicere, non est grande hoc facinus quod cogitaui tantummodo: quia in conspectu Domini manifesta, & aperta sunt omnia. Ne vt spinas ac tribulos in te crescere sinas cogitationes malas, neque tan-* C *quam minima negligas, qui enim spernit minima paulatim desinet, noli spernere morsum serpentis, ne venenum conspergat in cor tuum, abscinde virgulta spinarum de agro cordis tui, ne defigant in te altas radices: scito quod cor tuum ager est Domini excole eum cœlestibus disciplinis, & non sinas zizania seminari, si igitur taliter vigilaueris facile poteris ascendere ad perfectionem.* Ita Bas. Sequamur itaque præclara Clem. Alexand. l. 1. c. 2. Pædagogi documenta, *Conandum est animam nostram fieri similem filio Dei, qui ab omnibus perturbationibus humanis liber fuit, & qui solus iudex est, in eo enim solo peccatum non est inuentum. Nobis autem omni studio incumbendum vt quantum fieri possit à peccatis abstineamus. Nihil enim maiori cura ac studio esse debet quam vt ab animi* D *perturbationibus morbisque primum liberemur, deinde vero vt prohibeamus ne in peccatorum consuetudinem facile prolabamur. Atque optimum quidem est nullo modo peccare penitus, quod Dei esse dicimus, secundum autem nullum ex voluntariis attingere maleficiis, tertium in inuoluntariorum non adeo multa incidere, quod est proprium eorum qui bene deducti & à pædagogo recte instructi fuere, peccatis autem non diu immorari loco vltimo ponatur, sed & salutare fuerit si ad pœnitentiam vocantibus nequaquam repugnet.* Ita Clem. Quod si peccatum etiam inuoluntarium, id est, peccatum ex ignorantia inuincibili procedens cito abjiciendum est statim atque fugatâ ignorantiâ animaduertitur, quanto magis voluntaria citissime sunt retractanda per veram pœnitentiam. *Si quis*, vt dicitur Numer. c. 6. *mortuus fuerit subito coram eo* E *qui Deo consecratus est, polluetur caput consecrationis eius, quod radet illico in die purgationis suæ, & rursum septima.* Per hanc mortem subitaneam intelligit Clemens peccatum inuoluntarium seu ex ignorantia cui remedium adhibetur si capilli radantur; *Nempe*, inquit, *ignorantiæ comas quæ vmbram rationi offundunt, amouere & abstergere suadens, vt à densa vitij materia nuda relicta ratio (ea autem sedem collocat in cerebro) quam ocyssimè redeat ad pœnitentiam.* Ita Clem. Quod si secus factum fuerit timendum est peccato remanente, quod si quid boni Moralis aut supernaturalis superfuerit post admissum peccatum illud totum amittamus: Vnde his dicitur, *Confirma cætera quæ mo-* A *ritura erant*; Si enim moniti peccatum esse illud, quod ex ignorantia commisimus voluntariè illud rursus perpetremus, ex reiteratione impudentiam & obstinationem in malo contrahere facillimum erit itaut à peccatis resilire, nisi extraordinario quodam Dei beneficio non valeamus: hinc pluribus in locis S. Basilius monet v. g. in Ps. 1. & 61. in appendice, & in concione 7. de peccato, cito ad pœnitentiam esse recurrendum; *In primis*, inquit, *sane optandum est vitium non attingere quidem, post quam autem attigeris, vt venenati serpentis ictum effugere, noui enim quosdam ab incunte ætate in corporis libidinem delapsos ad extremam vsque senectutem, quod vitiis insueuerant in his perseuerasse: quemadmodum enim in luto volutati sues, cæno se semper magis fadant, sic illis voluptatum assuetudo magis in dies probrum ac dedecus inuris, peccatum enim quandiu parturit pudorem quemdam incutit: vbi autem perfectum tum imprudentiores eos facit qui commiserunt, quandiu enim parum raroque peccamus leui quadam aura veluti plantæ tactati aliquantulum agitamur, postquam vero, & plura, & grauiora mala existunt pro peccatorum incrementi ratione agitatio etiam intendi atque increscere solet: atque aly vehementius iactantur, aly autem donec extirpatis radicibus subuersi deiiciantur, quomodo vitiorum afflatus ipsas animi veluti radices, quibus fide in Deum confirmatur nititurque omni procella violentius perfringunt.* Ita Basil. Ne igitur huiusmodi radices pietatis fidem verbi gratia, quosdam bonos, & laudabiles virtutum Moralium habitus euellantur, si diutius in peccatis grauioribus immoremur, recurrendum est ad pœnitentiam per quam confirmari poterunt cætera bona quæ alioquin moritura erant, *Esto igitur vigilans & confirma cætera quæ moritura erant.*

S. Basilius.

Rom. 7.

S. Basil.

Ecclesiast. 19.

Clemens Alexand.

Numer. c. 6.

Clemens Alexand.

S. Basilius.

Non inuenio opera tua plena coram Deo meo.

Charitas necessaria est vt opera nostra plenitudinem & perfectionem suam obtineant.

ANNOTAT. V.

De plenitudine requisita actionibus humanis vt meritoriæ existant, §. 1.

NON inuenio opera tua plena. Dionys. Carthus. *Id est veraciter virtuosa coram Deo meo secundum quod homo sum, qui enim vana intentione quæ bona sunt agit, mente est vacuus, peccato exhaustus, vere pauperrimus. Tales sunt qui quærunt placere hominibus, qui apparentiam magis, quam existentiam sanctitatis assumant.* Dionys. Carth.

Dionys. Cart.

Richardus à S. Victore lib. 1. c. 9. *Patenter cum redarguit de Charitate amissa, vbi enim Charitas est plenitudo est, nam: non adulterabis, &c. & si quod est aliud mandatum in hoc verbo instauratur, plenitudo enim legis est dilectio: dicit itaque, non inuenio opera tua plena quia cuncta quæ facis Charitate sunt vacua, in qua qui offenderit multa opera perdit, & omnium reus existit. Igitur quamuis opera tua coram hominibus videantur per ostentationem plena, coram Deo meo propter absentiam Charitatis sunt vacua: quia ergo opera tua pro humana laude exhibita Charitate amissa coram Deo meo propter absentiam dilectionis fraternæ minimè sunt plena; in mente habe qualiter acceperis à Deo per gratiæ spiritualis infusionem, & audieris ab homine per Euangelicam prædicationem, & seruа vtrumque per bonam actionem, & pœnitentiam age de omisso bono & de commisso malo per emendationis satisfactionem.* Ita Richard.

Richardus à S. Victore.

Quatuor in actionibus humanis considerari possunt. 1. Esse Physicum in quantum actio est in genere qualitatis, non autem substantiæ, aut quantitatis.

Digitized by Google

tis. 2. Quod hæc aut illa actio ab hac aut illa potentia eliciatur, & circa hoc vel illud obiectum verſetur. 3. Vt talis actio cum electione perficiatur. 4. Quod in tali actu ordo verſus rationem ſufficienter de bonitate aut malitia morali actus inſtructam obſeruetur, ſeu aliter, quod ille qui talem elicit actionem ea cognitione præditus ſit, qua vel mereri, aut reum ſe conſtituere poſſit. Primo modo actio habet bonitatem entitatiuam, in quantum quidquid eſt bonum eſt, bonum enim & ens reciprocantur. 2. Modo habet bonitatem quid ditatiuam formalẽ ſeu eſſentialem, ſuam perfectionem recipiens tum à potentia eliciente & intentione cum qua producitur, tum ab obiecto potentiam ad agendum determinante. 3 Modo dici poteſt habere illam bonitatem moralem inchoatiuè & fundamentaliter in quantum fingere poſſumus voluntatem ferri verſus aliquod obiectum, abſque aduertentia diſtincta ſed tantum confuſa bonitatis aut malitiæ, quo fit vt talis actus de ſe ſit inſufficiens ad meritum aut vt quis culpam contrahat ſupplicio dignam, hoc enim modo nec laudis nec vituperij talis actus dignus reputatur, vt pote qui abſque prævia ſufficienti cognitione inconſiderate & veluti impulſu quodam naturali voluntatis eliciatur; actiones namque hominum liberæ concipi poſſunt ſub hac formalitate libertatis nullo habito reſpectu ad obiectum. 4. Modo actus humanus habet bonitatem ſeu meritum moraliter, id eſt, dignus eſt laudis aut vituperij, præmij aut ſupplicij virtuoſus eſt aut vitioſus nam tunc vere moraliter agimus ſi cum plena libertate, & matura deliberatione circa aliquod verſemur obiectum, cuius ſufficienter nobis perſpecta ſit bonitas aut malitiâ.

Dicendum igitur eſt actiones noſtras plenitudinem non habere, ſeu plenas non eſſe ad merendum, ſi præter bonitates, entitatis, quid ditatis, electionis ſeu potius determinationis ad hoc aut illud, quæ repetiri etiam poſſunt in actibus potentiarum animalium, non ſint plene liberæ ſeu non ſint cum matura & perfecta deliberatione elicitæ ex aduertentia diſtincta conuenientiæ, honeſtatis, decori, & bonitatis obiecti circa quod potentiæ noſtræ occupantur. At talis plenitudo Moralis non ſufficit vt per eam vitam poſſimus promereri æternam, ad hoc enim primo requiritur vt Deus velit ſemetipſum adſtringere ad illam dandam per promiſſionem huiuſmodi præmij cuicumque hanc vel illam elicuerit actionem. Nullum ei ex actionibus noſtris commodum acquiritur, noſtrorum non indigens bonorum, nihil nobis reddere debet titulo gratitudinis aut compenſationis à quo omnia accipimus: *Quis enim prior dedit ei & retribuetur?* Cum omnia bona in noſtrum abeunt emolumentum & dona ſint Dei potius ex huiuſmodi bonis ei adſtringimur, quod illa nobis conferat quam ipſe aliquis nobis debeat, quod hæc bona ab eo accipere voluerimus. Secundo in bono opere vt meritorium ſit vitæ æternæ requiritur quædam condignitas quæ talis ſit vt ſecundum ſapientiſſimam Dei ordinationem, etſi opera noſtra non valeant vſque ad hunc perfectionis & excellentiæ apicem peruenire vt habeant abſolutam commenſurationem, & valoris æqualitatem cum repromiſſa mercede, ex eo quod Deus qui dixit: *Ego ſum merces tua magna nimis*, infinitus ſit, ſaltem habeant quamdam proportionem propter quam aliquod opus verè & abſolutè dignum habeatur mercedis huiuſmodi, licet ſi hæc ad rigorem ponderentur, *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis*, Et 2. ad Corinth. c. 4. *Id*, inquit, *quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Eſt enim Deus merces, ſed merces magna nimis, vt ipſemet dixit ad Abraham.

2. ad Cor. 4.

Vt autem opera noſtra hanc habeant proportionem præter bonitatem moralem obiecti præſupponendum eſt primo vt operans in eo conſtituatur ſtatu, quod gratus & acceptus ſit ei qui per promiſſionem adſtringere ſe voluit ad ei dandam hanc mercedem, & ex conſequenti neceſſarium eſt vt gratiam obtineat, Dei ſit filius & Ieſu Chriſti membrum, eſt enim gloria æterna hæreditas quædam, quæ ſolis debetur filiis. *Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me*, inquit S. Paulus ad Rom. 8. *à lege peccati & mortis*; Et paulo poſt: *Vos autem in carne non eſtis ſed in ſpiritu, ſi tamen ſpiritus Dei habitat in vobis, ſi quis autem ſpiritum Chriſti non habet hic non eſt eius: ſi autem Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum ſpiritus vero vivit propter iuſtificationem*, &c. Et rurſus: *Quicumq; enim ſpiritu Dei aguntur hi ſunt filij Dei, &c. Si autem filij & hæredes, hæredes quidem Dei cohæredes autem Chriſti*; Hac tamen conditione, *Si compatimur & conglorificabimur.* Tantum bonum emendum eſt nec abſque labore ſperandum: Dij, inquiebant antiqui gentiles laboribus omnia vendunt, igitur gratia habenda eſt, viuificari oportet Chriſti ſpiritu, qui non modo præuenientes gratias nobis promeruit per quas bona opera meritoria perficimus, ſed etiam vt vere pœnitentes gratiam ſuſcipiamus habitualem, per quam efficimur & adoptamur in filios ſeu per quam adoptionem filiorum Dei recipimus, & inſuper opera noſtra vim merendi & ſatisfaciendi accipiunt. Rom. 8.

Secundo requiritur, vt opus bonum, non ſolum ſupernaturale ſit ſecundum quemdam modum, ſeu quandam agendi rationem, ſed etiam vt ſupernaturale ſit ſecundum propriam ſubſtantiam, ſiquidem opus bonum moraliter quod produceretur ab homine iuſto, ſed ex motiuo tantum honeſto & mere naturali non eſt ſufficiens ad meritum, etenim integram proportionem non ſeruat cum mercede, quæ purè & ſimpliciter ſupernaturalis eſt. Neceſſarium eſt igitur vt opus ſupernaturale ſit & ex principio ſupernaturali prodiens; *Nemo*, inquit Apoſtolus, *poteſt dicere Dominus Ieſus niſi in Spiritu ſancto*, 1. ad Cor. 12. Sit itaque finis noſtri operis ſupernaturalis propter quem in actionem prorumpimus, vt huiuſmodi opus proportionem non ſolum cum mercede obtineat, ſed etiam cum ſtatu gratiæ, & filiationis diuinæ, & ſupernaturalis: & ita agamus vt filij non autem vt captiui & ſerui. Agamus inquam ſecundum virtutes Morales Theologicas, quæ iuxta Theologos probabiliter nobis infunduntur, cum gratia nobis confertur, qua ratione verè fit vt per opera miſericordiæ, & aliarum virtutum moralium iuſti valeant regnum cælorum promereri, ſi tamen huiuſmodi actus à principio ſeu ab habitu ſupernaturali prodeant, vt perfectionis plenitudinem obtineant. 1. ad Cor. 12.

Tertio quamuis probabile ſit quod non requiritur, vt opus reddatur meritorium, quod eliciatur aut imperetur à Charitate, tum quia ſcriptura & ſancti Patres abſolute docent opera miſericordiæ, & ſimilia meritoria eſſe vitæ æternæ, quod falſum eſſet ſi ſola opera à Charitate prodeuntia, aut ab ea imperata illam promererent, etenim ſi hoc neceſſarium eſſet nempe vt ab ea emanarent aut imperarentur, non eſſet abſolutè & ſimpliciter verum quod actus aliarum virtutum illam demererentur. Hoc enim tantum aliquando fieret, & ex accidenti ſcilicet quando & in quantum charitas hæc opera imperaret. His adde quod ſcriptura ait, *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ mercedem prophe-* Matt. 10.

Digitized by Google

te accipiet, & qui recipit iuſtum in nomine iuſti mercedem iuſti accipiet, & quicumque potum dederit vni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli, amen dico vobis non perdet mercedem ſuã, Matt. 10. Deinde ſi ſola opera imperata à charitate eſſent meritoria, carerent homines mercede plurimarum actionum bonorum, quas ſæpe perficiunt, ex eo quod vt plurimũ homines nõ operantur ex ſolo motiuo charitatis ſed plærumque ex motiuo aliarum virtutum ad agendum impelluntur v. g. ob ſpem remunerationis iuxta illud: *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas propter retributionem.* Sicque mercede ſperata fraudarentur. Denique ille cenſetur promeruiſſe coronam Martyrij qui potius mortem oppeteret & eligeret quam pateretur fidei, iuſtitiæ aut caſtitatis amiſſionem, ex quo conjicitur opera ex motiuo aliarum virtutum à charitate, mercedem etiam promereri.

Eſto, hæc vera ſint: tamen probabilius eſt, vt opus aliquod vitæ æternæ meritorium ſit, neceſſarium eſſe vt ſaltem indirectè ad Deum referatur, in quantum elicitur ex motiuo quodam pertinente ad fidem infuſam, ſpem aut charitatem, Religionem ſeu ſtatum hominis Chriſtiani in quantum Chriſtus vult in nomine ſuo omnia eſſe relinquenda, diligendos eſſe inimicos propter Deum Matt. 5. *Si diligitis*, inquit, *eos qui vos diligunt quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt?* Oportet itaque vt opus referatur ad finem aliquem ſupernaturalem, quod fieri non poteſt abſque charitate, non enim alia ratione opera fieri poſſent pro Dei obſequio. At vt aliquid promerear ab aliquo oportet me operari intuitu & pro eius obſequio, alias ſi ſolum & præcisè pro meo emolumento aliquid peragerem, nec apud eum mereri nec jus aliquod mihi acquiro, quo ex iuſtitia aliquid ab eo exigere & repetere poſſem. Nobis itaque agendum non eſt ſolum in quantum homines rationales & Philoſophi naturales, ſed in quantum ſumus Chriſtiani & Ieſu Chriſti membra, qui omnes ſuas actiones ad Patris gloriam referebat, ſi propter actiones noſtras velimus eius gloriæ fieri participes.

Matt. 5.

Dico igitur tunc actiones noſtras integram plenitudinem habere cum expreſſe actualiter, & directè à Charitate imperantur vel ab ea ſunt elicitæ, & ad hanc plenitudinem adſpirare debemus ſtatim atque tenemur ad perfectionem tendere. Vt obediamus Chriſto præcipienti, Matt. 5. *Eſtote perfecti ſicut & pater veſter perfectus eſt*. Et alibi dictum eſt, *Sancti eſtote quoniam ego ſanctus ſum.* Quod vt melius intelligamus inquirendum nobis eſt in quo potiſſimum conſtituatur charitatis perfectio ſeu plenitudo.

Matt. 5.

In quo potiſſimum conſiſtat charitatis perfectio, §. 2.

Charitatis perfectio conſiderari debet, vel ſecundum ſuum eſſe Phyſicum, vel ſecundum eſſe Morale. Si ſecundum eſſe Morale charitas conſideretur, perfectionem eius inquirere poſſumus iuxta Regulam à S. Thoma traditam, nempe rem aliquam eo magis eſſe perfectam quo conformior eſt ſuæ regulæ. Hæc autem regula duplex eſt, prima ſumitur ex fine cuiuſlibet rei ſeu actionis, etenim quo magis aptior erit, vt ad hunc finem aut vſum ad quem deſtinatur perueniat, eo perfectior cenſebitur: Melior eſt calceus, qui ad iter faciendum commodior exiſtit, ſeruus melior eſt, qui libentius, & alacrius Domini ſui imperia adimplere conatur. Altera regula ſeu menſura eſt quod in vnoquoque genere aliquid reperitur, quod ſit menſura cæterorum, & perfectius, & ſimpliciùs, & excellentius, veluti ſol inter corpora luminoſa, etenim quo propius aliquod corpus luminoſum ad ſolis claritatem acceſſerit eo perfectu, quantum ad claritatem cenſebitur.

S. Thomas.

Habet vero ſimiliter voluntas duas regulas, prima eſt recta ratio, ſeu potius ipſa natura rationalis in quantum rationalis, ſeu prout eſt capax bonitatis ſeu honeſtatis Moralis, tunc enim actio humana bona dicitur, eo quod optimum ſit, & conueniens rationi ſi talem induat rationem, modum, & naturam, quod quidem ſemper eodem modo ſe habet etſi aliquando iudicium operantis eo inſtanti quo hanc elicit actionem, aliter iudicet, ex deceptione & præoccupatione quadam. Alia regula eaque præcipua, eſt diuina voluntas, quæ tanto excellentior eſt, quanto vniuerſalior: ea ſiquidem nos adſtringit ad id omne ad quod recta ratio naturalis nos obligare aut quod nobis ſuggerere poteſt, imo ad maiora nos adſtringit, nempe ad alia multo plura, quæ omnem rationis capacitatem exuperant. Voluntas autem Diuina duobus modis regula eſt actionum noſtrarum, vel in quantum Deus Dominus eſt ſummo cum imperio voluntatis noſtræ, noſque ſerui ab eo omnino dependentes ſumus diuinæ ſuæ Maieſtatis, quo fit vt eius voluntas beneplacita ſit regula ſumma & inuariabilis cui noſtra voluntas ſe omnibus conformare debeat, ea omnia volentes & eligentes quæ Dei voluntas vult & intendit nos velle & eligere. 2. Voluntas diuina regula eſt quia inter omnes voluntates rectior, & perfectior eſt, vnde cæterarum debet eſſe regula & menſura. Quo fit vt quanto plus voluntas creata voluntati diuinæ conformior extiterit tanto magis erit perfectior, volens in omnibus quod Dei voluntas vult determinat & decernit ipſam creatam voluntatem velle debere; ea omnia eligendo, vel reſpuendo pro eadem met ratione ſeu eodem met motiuo propter quod Deus illa vult aut reſpuit, vel vt aliter dicam prout ei placent vel diſplicent.

Ex his facile eſt conjicere quænam exiſtat perfectio Charitatis, nulla ſiquidem virtus eſt qua aptiores reddamur ad finem noſtrum vltimum conſequendum, & cum Deus charitas ſit, nihil nos Deo proximiores reddit, quam Charitas per quam Deo adhæremus, & vniuerſalius & perfectius voluntati diuinæ ſociamur & connectimur, itaut quo magis voluntas noſtra huic primariæ, & præcipuæ regulæ erit conformior, tanto magis conformior erit regulæ primæ poſitæ nempe rectæ rationi. Nam cum res ſe ita habeat quod rationis noſtræ honeſtas ſecundum ſe grata ſit Deo inquantum noſtra voluntas conformior diuinæ concipitur, ſi voluntas noſtra illam habeat honeſtatem quam vult diuina voluntas noſtram habere vtpote naturæ rationali conuenientem, dum voluntas noſtra vult perfectè honeſtatem quam Deus probat, & in qua delectatur, & illam vult propter Deum, conformior redditur regulæ intrinſecæ & naturali cui Dei voluntas hanc honeſtatem præſcripſit vt ſibi conuenientem.

Hæc eſt illa virtus Charitas videlicet quæ in caſto ſuo ſinu omnes complectitur virtutes, nihil ipſi nimis arduum in opere, tam ardenter deſiderat Deo obſequi vt præceptorum adimpletione ſatiari nequeat, vix poſſit adimpletione conſiliorum; noſtros conatus inutiles reddi non ſinit, efficaciter vult, & efficaciter præſtat vt manum operi adhibeamus, ſi adfuerit amor otiari neſcit, difficultatibus occurrentibus non retrogreditur imo obuiam currit, & magnamiter eas tranſcendit, vbi charitas eſt nihil reſiſtere poteſt, & ſicut ignis exagitatus magis ac magis accenditur, ita charitas incrementa ſumit propriis motionibus; obſequia Deo præſtita ad noua præſtanda inceſſabili quodam appetitu eam im-

Digitized by Google

pellant nihil ſibi impoſſibile exiſtimat : *Omnia*, inquit vetus amans, *poſſum in eo qui me confortat*, dilectum vnicè reſpicit quia valde amabilis, ad manus eius non attendit an habeat remunerationes aut coronas, ſufficit ei quod ſpecioſus ſit & ſuper omnia deſiderabilis, vt ſe totum eius amori abſque vlla exceptione deuoueat & conſecret.

At licet ſpes quadam ratione vniuerſaliter diuinæ voluntati noſtram ſubdat voluntatem ex eo quod omnium virtutum actus fini à Deo intento inſeruiunt, qui vult omnes homines ſaluos fieri, ſeu vt merentur, & obtineant gloriam, non tamen adeo vniuerſaliter hoc præſtat veluti Charitas, quæ de ſe parata eſt ad omnia ſua opera perficienda, quamuis nullam pro eis expectaret remunerationem, nullumue fructum. Deum amat abſque vlla mixtura proprij commodi aut amoris, amore complacentiæ non concupiſcentiæ illum proſequitur, & inquirit, & hoc vnico bono contenta veluti expletis omnibus ſuis deſideriis in hoc vnico ſupra omnia diligendo conquieſcit, nec aliam ab eo poſtulat mercedem, quam vt ipſum inuiolabiliter, & inſeparabiliter diligat : ſic charitasdicitur plenitudo legis, ſic eminenter continet omnes alias virtutes eiſque vltimam perfectionis lineam tribuit, vnde & forma alias virtutes perficiens dicitur. Et primo, quia actus aliarum virtutum, ad proprium dirigit finem, & hoc non ſolum accidentario ex intentione operantis, ſed quodammodo ex rei natura, inquantum actiones quarumlibet virtutum ex natura ſua Deo gratiſſimæ ſunt, & ad ſuum honorem ordinantur, & hac ratione quædam bona ſunt quæ ad eam pertinent, & hoc modo operantem gratiſſimum Deo reddunt ex quo ſequitur quod eæ actiones tendunt ad finem Charitatis germanum, quæ ſibi arrogat & tribuit hunc honoris titulum, quod Dei bonum toto ſtudio procurare ſtudeat, vt ei omnes ſe Deo gratos exhibeant totis viribus contendit. Cæteræ itaque virtutes nihil aliud habent maiori conſideratione dignum, vel quo commendabiliores reddantur in ſuis actibus, quam vt poſſint attingere aliquatenus, ad id quod charitatis proprium eſt videlicet vt bonum Dei, honorem Deo debitum promoueant, etſi à Charitate ad hunc finem ordinantur, tunc obtinent eo ipſo vltimam, & conſummatam plenitudinem & perfectionem. Secundo Charitas dicitur forma aliarum virtutum ; inquantum dignitatem quandam moralem, & eſſe meritorium confert quibuſlibet actibus, & hac ratione illos informare dicitur moraliter loquendo. Licet enim verum ſit alias virtutes in quantum concipiuntur à Charitate diſtinctas habere veram rationem ſeu naturam virtutis, ſecundum ea quæ eſſentialia ſunt virtutibus(ſunt enim optimæ mentis qualitates quibus homo bene viuit, & de quibus abuti non poteſt) attamen non attingunt vltimum, id eſt, ad plene perfectum virtutis ſtatum abſque Charitate eo quod abſque ea ſunt infructuoſæ & mortuæ inquantum efficere non poſſunt vt qui eorum elicit actus vitam obtineat nec referunt ex ſe fructum vitæ æternæ ſed tantum ratione Charitatis ſi ipſa adſit.

Ex hac doctrina perſpicere licet, qua de cauſa huic Epiſcopo dictum fuit, *Non inuenio opera tua plena coram Deo meo*, & cur admonetur vt caueat ne cætera deperdantur, & vt confirmet cætera quæ moritura erant, ſiquidem quantum ad primum etſi illius opera bona eſſent naturaliter & ex conſequenti laude digna, quia fiebant cum plenitudine aduertentiæ, & matura deliberatione, & ex hoc ſibi compararet bonam exiſtimationem itaut nomen haberet quod viueret; Etſi inſuper haberent bonitatem ſupernaturalem, quia erant opera ad Religionem pertinentia, qualia ſunt verbi prædicatio, ſacramentorum adminiſtratio, ea potiſſimum intentione vt audientes verbum conuerterentur ad fidem & crederent, ſuſcipientes ſacramenta iuſtificarentur, ad quod præſtandum ſacramenta inſtituta ſunt, nihilominus mortuus erat. Deerat enim Charitas quæ virtus ſola confert dignitatem & meritum cæteris virtutibus. Quod ad ſecundum attinet cum virtutes vt iam dictum fuit conſeruare poſſint quod ſibi eſſentiale eſt & proprium ſine charitate, exempli gratia fides non amiſitur per peccatum mortale, & manere poteſt ſine charitate & gratia iuſtificante iuxta, illud S. Anguſt. lib. 15. de Trinitat. c. 18. *Sine Charitate quippe poteſt quidem eſſe, ſed non & prodeſſe*, Perſpicere facillimum eſt quomodo poſt peccatum mortale admiſſum quo gratia, ſeu Charitas à nobis auulſa eſt reſtat adhuc timendum ne alias virtutes amittamus, ſi peccatum mortale diutius immorari ſinamus in miſerando peccati mortalis ſtatu permanentes : erum namque eſt quod diximus peccatum mortale malignæ naturæ exiſtere, qui pedetentim deſtruit omnem amorem boni & honeſti Moralis, & omnem guſtum & ſenſum rerum diuinarum & ſupernaturalium minuit & aufert. *S. Auguſt.*

Concinit his quæ mox diximus Gagneus dum ait : *Nomen habes quod viuas. j. cenſeris viuus per fidem quam profiteris, & mortuus es quia congruentia fidei opera non facis, fides autem ſine operibus mortua eſt in ſemetipſa, mortuum autem dicit propter negligentiam vigilandi circa ſubditos.* Ita Gagneus. *Gagneus.*

Et Menochius : *Nomen habes, &c. Scio mores tuos, & quod videaris viuere, & multa bona operari cum reueramor tuus ſis, quia excidiſti à gratia per peccatum. Videtur huius Epiſcopi peccatum fuiſſe negligentia in munere Epiſcopali in docendo, monendo, & corrigendo populo, in confirmandis infirmis, ſcandalis, auertendis hæreſibus reprimendis, &c. Non inuenio opera tua plena, &c. j. perfecta: quaſi dicat : non plene viuis vt debes, non reſpondens opera perſonæ ac muneri tuo.* Ita Menoch. *Menochius.*

Tirinus : *Confirma cætera 1. reliquum tibi commiſſum gregem in fide & virtute corrobora, tua alioquin incuria & ſegnitia etiam ſpiritualiter moriturum, &c.* Et in hæc verba : *Non inuenio, &c. quia non explent quæ tui ſunt muneris & officij, & quia intus vacua ſunt ſpiritu, charitate, meritis.* Tiri. Hæc vel fauent noſtris expoſitionibus vel ſuppeditant alios ſenſus ſi noſtri non tibi arrideant. Quantum autem ad bonitatem entitatiuam aut Phiſicam charitatis, primum ordinem tenet inter alias virtutes in ſtatu huius vitæ, ſiue illæ ſint intellectuales ſiue illæ ſint voluntatis, nam cum Deus concurſum ſuum, & operationem ſuam accommodet, & adaptet rerum naturis, ex hoc inſtituere ſolet certos quoſdam modos fini proportionatos. Cum autem dona naturæ, & actus naturales vltimam non habeant cum fine ſupernaturali propter quem homo creatus eſt proportioné, Deus infudit in facultates intellectuales habitus quoſdam ſupernaturales quibus homo capax eſt producendi actus ſupernaturales tam excellenti fini proportionatos. Itaque cum ita ſit quod charitas inter omnes viatorum virtutes finem ſeu obiectum nobiliſſimum & excellentiſſimum obtineat Deum videlicet, in quantum in ſeipſo optimus eſt, & inſuper Deo adhæreat, ipſumque attingat nobiliori quadam ratione, non eſt reuocandum in dubium quin Deus habitum charitatis produxerit in nobilius eſſe quam habeant cæteri habitus aliarum virtutum, vt poſſit elicere actum in ſua entitate perfectiorem, & in hac vita proportionatum quantum fieri poteſt cum obiecto adeo præcellenti. Dicimus autem conſultò *Tirinus.*

Digitized by Google

actum charitatis perfectionem eſſe inter actus viatorum, probabile enim quibuſdam videtur actum viſionis Dei beatificum in ſua entitate perfectiorem eſſe actu charitatis, ea namque viſio Deum attingit prout in ſe eſt, & ſecundum rationem perfectiorem, qua poſſit à creatura intellectuali attingi: vnde nos diuinos, & Deo ſimiles reddit iuxta illud S. Ioan. *Similes ei erimus quia videbimus eum ſicuti eſt*, Videlicet quia hic actus quantum creaturæ licet perfectiſſimè Deum exprimit in nobis noſque participes efficit diuinæ beatitudinis, ex quo conjicitur quod hæc viſio perfectior erit quam actus voluntatis in patria, ex hoc potiſſimum quod plures volunt actum intellectus in ſuo genere pertectiorem eſſe actu voluntatis.

Quidquid ſit dicendum eſt opera huius Epiſcopi non dici plena quia deerat illis hæc entitas phyſica quæ eum determinaſſet ad Deum ſupra omnia diligendum, & eum adornaſſet dono excellentiori inter cætera dona quæ habere aut poſſidere potuiſſet: licet, inquam, habuiſſet omnem ſcientiam, & Angelorum ipſorum loquelam, omnia dona gratuita patrandi miracula & prophetandi, & cætera talia dona, etſi inſuper habuiſſet omnes affectiones naturales quam optimè ordinatas ad proximis ſubueniendum, aut ad conſtanter & generosè tolerandum omnes grauiores pœnas aut intolerabiles dolores, & atrociora ſupplicia.

Ex his omnibus ablatâ charitate tantum ſonum tanquam cymbalum tinniens expectare debebat, id eſt, famam bonam, & hominum laudem, *Nomen habes quod viuas.* Reuera tamen mortuus erat coram Deo qui nulla opera acceptat quæ æterna vita remuneret niſi fuerint informata, & conſummata per perfectam charitatem, & ſuo ſpiritu & anima viuificata exiſtant. Ne igitur contenti ſimus ſola bonitate naturali & rationabili per animi ſegnitiem & qua vincere nolimus quaſdam contrarietates, aut repugnantias quæ vincendæ ſunt: vt veluti ſuſpenſi inter cælum & terram, ſupernaturaliter & diuinè operando terram & affectus terrenos relinquamus, ad cælum adſpiremus, quæ retro ſunt obliuiſcamur, ad anteriora extendamur. Quod ſi hæc facere neglexerimus omnia bona opera noſtra moralia & fidem amittemus, rectè enim Sapiens Prouerb. 18. *Qui mollis, & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opere diſſipantis*, Vtique hoc veriſſimum eſt: qui enim per gnitiem aut vinculo vel cingulo charitatis ligare aut adſtringere non vult ſuas bonas actiones is proculdubio aſſimilari debet ei qui vna manu deſtrueret, & alia ædificaret, id eſt, amittit cætera bona pedetentim qui primo charitatem amiſit.

Prou. 18.

Ne quæſo ſimus vaſa vacua, ſed tam pretioſum theſaurum charitatis feramus in cordibus: hic charitatis fulgor, & ardor exterius illuceat, & inardeſcat; imperemus membris, & ſenſibus corporis ne regnet peccatum in mortali noſtro corpore, portemus Deum in corporibus noſtris, quia corpora noſtra templum ſunt ſpiritus ſancti dum in vaſis fictilibus illum pretioſum charitatis theſaurum repoſitum habemus. Denique vt plene & perfecte Deo gratiores reddamur hanc Dei imaginem quæ leuiori ſtylo impreſſa videtur in potentijs intellectualibus, viuis coloribus depingamus per perfectam Dei dilectionem, vt perfectiones diuinæ quas Deus ſupra nos quodammodo deſignauit in creatione iam in recreatione eluceant ad imaginem & ſimilitudinem illius per charitatem efformati.

A

In mente ergo habe qualiter acceperis & audieris, ſerua & pœnitentiam age.

Quid præcipitur in his verbis ex diuerſis authorum expoſitionibus.

ANNOTAT. VI.

AMBROSIVS: *Qualiter fidem Chriſti in baptiſmate perceperis.* Ita Ambr. *Ambroſ.*

Andreas Cæſarienſ. *Memento proinde traditionis quam ab Apoſtolis accepiſti & audiuiſti.* Ita And. *Andr. Cæſ.*

Dionyſius Carthuſ. *Gratiam Dei in baptiſmo, deinde ſacerdotium Epiſcopatuſque gradum.* Ita Dion. *Dionyſ.*

B

Rupertus: *Acceperis exemplo, audieris præcepto, accepiſti enim pudicorum exemplum Apoſtolorum, audiſti tale præceptum eorum: Oportet Epiſcopum eſſe irreprehenſibilem, ſobrium, &c.* Ita Rup. *Rupertus.*

Ambroſius Ansbertus. *Hæc ſententia, &c. Illis aptari poteſt qui reliquis virtutum actionibus vinunt ſed vno quolibet facinore tabeſcunt, & illis qui exercitio virtutum ab omni crimine vitam cuſtodiunt, ſed praua intentione ipſas actionum virtutes confundunt: non ſolum autem ſed & iis conuenit quæ ſine matre virtutum quæ eſt charitas, ceſſi operationum germina pariunt, non tamen vt caſta & in æternum victura educunt, ſed vt adulterina gladio æternæ animaduerſionis tradenda præparant.* Ita Ansbert. Quâobrem vt ipſe monet, nec vnius criminis impunitas peccanti promittitur, etiamſi multorum admiſſionem caueas: & praua intentio præcedere non debet virtutum opera ſi vis vt ad mercedem retributionis ipſa opera perueniant: & ob charitatis amiſſionem recurrendum eſt ad lamentum pœnitentiæ, cum qui ea non habent extra fundamentum charitatis ſuper arenam conſtruere viſi fuerint domum virtutis, vt loquitur Ansbertus. *Ansbertus.*

C

Qualiter acceperis: Menochius: *Qualiter ſic inſtitutus, & qualem te vitam agere docuerunt, qui te baptizauerunt & Eccleſiæ iſti præfecerunt, & ita viue.* *Menochius.*

Tirinus: *In mente habe. j. memineris qualiter græce quomodo acceperis à tuis præceptoribus Ioanne & aliis Apoſtolis meis, & quæ accepiſti circa muneris Epiſcopalis exercitium diligenter obſerua: alioquin ſi dormitare perrexeris veniam ad te ſpoliandum, & perdendum tanquam fur. j. inexpectato & ex improuiſo.* Ita Titi. Quæ vltima verba fuſius nobis explicanda & ponderanda ſunt. *Tirinus*

D

Si ergo non vigilaueris veniam ad te tanquam fur & neſcies qua hora veniam ad te.

Non eſt retardanda conuerſio, ne in damnabili ſtatu morte intercipiamur.

ANNOTAT. VII.

E

SI ergo non vigilaueris, &c. *Merito illud*, inquit Andreas Cæſ. *nam vt communis præſentis ſeculi conſummatio eſt incognita, ita vnuſquiſque mors quoque eſt incerta. Caterum qui corporis mortem adducit, iis quidem qui parati ſunt quietis à laboribus auctor eſt, iis vero qui ſecus comparati ſunt fur eſt.* Ita Andr. *Andr. Cæſ.*

Dionyſ. Carthuſ. *Niſi officium tuum ſolerter fueris exequutus, oculoſque tuos direxeris ad conſiderandos defectus tuos ac ſubditorum, veniam ad te per potentiæ meæ effectum, & æquitatis vindictam tanquam fur. j. improuiſo, iuxta illud Apoſtoli: dies Domini tanquam fur in nocte ita veniet.* Vigilare Ambroſio Ansberto lib. 2. in Apocalyp. eſt à peccati ſomno per pœnitentiæ fletum ad iuſtitiam exurgere eſt ſagaci diſcretione vnicuique ab humanæ laudis appetitu intentionem *Dionyſ. Cart.* *Ansbertus.*

Digitized by Google

operationis ſuæ cuſtodire, & nihil fauoris in hac vita quærere, ſed ſolo conditoris vel amore, vel terrore cuncta peragere, elit negligentiarum torporem excutere, atque aduentum ſuperni iudicis pauida conſideratione præſtolari: *Apta autem*, inquit ille, *ſunt comparatio hoc loco introducitur, qui dum improuiſus aduenit dormientes quoſcunque reperiens iugulat, & bona illorum depradatur; ſic nimirum ſic cæleſtis Iudex dum inſperatus occurrit, impœnitentes ac negligentes animaduerſionis ſententia perimit, eorum acta velut fortiſſimus prædo diſperdit.* Ita Ansb. Menoch. *Veniam, &c. cum minimè operaberis moreris & ad iudicium vocaberis*, ita Menoch. Quam autem formidabilis ſit illa improuiſa mors nemo dubitare poteſt, *Magnum myſterium adimpletur*, inquit S. Macarius hom. 22. *dum anima à corpore hominis ſeparatur, nam ſi rea inueniatur & peccato obnoxia chori dæmonum, & malorum Angelorum & poteſtates tenebrarum illam apprehendunt & ſub ſua conſtituunt & adigunt poteſtate, ad ſuas eam attrahunt partes, quod tamen mirum eſſe non debet, Si enim*, inquit Macarius, *dum viueret homo, & in hoc ſæculo ageret ſubditus fuit obtemperanti, & inſeruiuit illis, quanto magis cum egreditur ex hoc mundo detinetur & poſſidetur ab ipſis* Ita Macar.

Menochius.

S. Macarius.

Confirmat hanc veritatem Macarius à contrario: Etenim ſi boni Angeli in hoc ſæculo aſſiſtunt, circumſtant, & cuſtodiunt Sanctos Dei amicos eorumque cum mortem ſubeunt, animas excipiunt exportant, & ad ſuas attrahunt partes, & ante Dei conſpectum addvcunt, certe probabile eſt malos Angelos eo modo excipere, exportare, & ad ſuas partes attrahere, & ad gehennam deducere eos qui Dei inimicos propter mundi amicitiam ſeſe conſtituunt. Quo fit vt valde periculoſum ſit in articulo mortis in tale ſtatu peccati deprehendi, ſiquidem incidimus in manus maleuolam, & in poteſtatem crudelium & inhumanorum hoſtium, à quorum poteſtate liberari aut eximi nulla ſpes, aut bona exiſtit expectatio. Fauet S. Gregorius Taumaturg. hæc verba Eccleſiaſtici 8. paraphraſticè exponens. *Non eſt*, inquit Sapiens, *in hominis poteſtate prohibere ſpiritum, nec habet poteſtatem in die mortis. Nemo*, inquit Greg. Taumath. *tantis viribus futurus eſt vt Angelum animam ſuam eripientem arcere, ac prohibere poſſit, nec ars omnino vlla & aſtutia inuenietur, quæ mortis tempus repellat ac velut exceptione ſubmoueat. Verum quemadmodum in medio bello captis, fuga omnis vndique perclusa perſpicitur, atque omnis hominis inuicta simul perit.* Ita Greg. Taum. O quam cæci ſunt homines qui ſe ſemper acturos exiſtimant, & peccatis peccata accumulando non animaduertunt oculum ipſum criminum mortalium vindicem tanquam furem illos deprehendere inexpectantibus ipſis vt eos inter manus altiſſimæ, & iuſtiſſimæ ac ſeueriſſimæ iuſtitiæ ſuæ Miniſtrorum conſtituat. Quod ſi patiens Dei bonitas illos ad tempus abſque ſupplicio derelinquit, pertæſus pertinaciæ & contumaciæ eorum qui in ordine miſericordiæ reponi neglexerunt, ad ordinem iuſtitiæ vindicatiuæ illos adiget vt dignis plectantur ſupplicij.

S. Gregor. Taumaturg. Eccleſ. 8.

Eccleſ. 8.

Certe hic Epiſcopus quamuis pro bono & iuſto habitus, ſapientis dictum Eccl. 8. ponderare debebat, *Vidi*, inquit, *impios ſepultos qui etiam cum adhuc viuerent in loco ſancto erant, & laudabantur in ciuitate quaſi iuſtorum operum. Etenim quia non profertur cito contra malos ſententia abſque timore vllo filij hominum perpetrant mala, attamen peccator ex eo quod centies facit malum & per patientiam ſuſtentatur, ego cognoui quod erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem eius: non ſit bonum impio, nec prolongentur dies eius, ſed quaſi vmbra tranſeant qui non timent faciem Domini.* Si ad hoc attendiſſet certe de aliorum exiſtimatione non multum gloriatus fuiſſet, ſed potius pertimuiſſet vitæ ſuæ abbreuiationem, vel ſi Deus prolongaret occulto quodam iudicio illi vitam, ineuitabilem nihilominus pœnam pertimeſceret. Rectè namque dixit S. Greg. Taum. hunc ſapientis locum Paraphraſticè exponens. *Quoniam Dei prouidentia propter ſummam animi æquitatem & patientiam haudquaquam omnes confeſtim perſequitur, nec malus ſtatim poſt admiſſa flagitia pœnis afficitur, ob eam cauſam ſibi fas eſſe putat vir prauus diutius peccare quaſi impunitus diſceſſurus: illud videlicet non intelligens quod etiam poſt longum à perpetrato ſcelere tempus Dei ſcientiam tam ſui quàm illius vero præſtantiſſimum bonum eſt Dei metu affici à quo cum impius exciderit haud diu ſtultitia ſua abuetur.* Ita Greg. Non inquam diu quia vt plurimum & cito, & ex improuiſo timorem Dei excutiens ſupplicio afficietur, iuxta illud Matt. 24. *Si dixerit malus ſeruus ille in corde ſuo, moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere conſeruos ſuos, manducet & bibat cum ebriosis veniet Dominus ſerui illius in die qua non ſperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis: illic erit fletus & ſtridor dentium.* Quæ certè cum hoc loco conueniunt vbi dicitur, *Si g. non vigilaueris*, &c. Ideo vt dixit Chriſtus, Matt. 24. *Eſtote parati quia neſcitis qua hora filius hominis veniet.*

S. Gregor. Taumat.

Matt. 24.

Et neſcies qua hora veniam ad te.

Cur Deus vult nos ignorare diem mortis & Iudicij.

ANNOTAT. VIII.

PRIMA ratio eſt vt incognita illa hora in qua nobis reddenda erit ratio actionum noſtrarum ſemper parati ſimus ad eam reddendam ne deprehendamur in culpa propter quam è libro vitæ deleremur. Certe Chriſtus Dominus ſe diem iudicij ignorare profeſſus eſt vt ſe hominem profiteretur cui ſecundum diuinitatem nihil incognitum erat, vt ſapienter aſſerit ſanct. Athanaſ. orat. 4. *Sed tamen cur ita ſermonem temperauit ne filium quidem hoc cognitum habere, quum hæc omnia optime cognoſceret? Ne id quidem infidelibus obſcurum: arbitror enim hic per carnem hominis more & ex perſona hominis locutum eſſe, neque eſt vt aliquid detrimenti verbo Dei accidiſſe putes, quia ignoratio iſta ad humanam naturam cui id peculiare eſt ſolummodo pertineat.* Ita Athanaſ. Hoc autem Chriſtus fecit primo iuxta Athanaſ. ad noſtram vtilitatem ne videlicet dæmoni aut anti-Chriſto fidem adhiberemus dicentibus, *Ecce hic eſt Chriſtus aut ecce illic eſt.* Sed ſecundam rationem nobis ſuppeditat ſanctus Athanaſ. cur Deus velit nos ignorare diem mortis & iudicij, dum ait: *Sed eſt & alia ratio cur inutile ſit finem, aut finis diem præſcire, ne ſi maturè prænoſcatur tempora intermedia neglecta habeantur, & comperendinationibus vtantur vſque ad dies finis conterminos, ac tum demum cauſam ſe habere exiſtiment cur vigilantes ſint: ideoque & finem cuiuſque quæ per mortem obuenit ſilentio texit ne occaſione ipſius ſcientiæ inflati pro maiori parte temporis ſeſe negligenter habeant. Ergo vtrumque & vniuerſitatis rerum mundique finem, & vniuſcuiuſq; exitum celatum voluit: Nam in vniuerſitatis fine finis quoque ſingulorum, & in ſingulorum fine vniuerſitatis finis conſumitur: vt rerum incerti & ſemper expectatione ſuſpenſi quotidie quaſi citati proficiamus, enitamurque ad ea quæ à fronte ſunt, obliti eorum quæ à tergo relinquuntur. Quis enim certus dies in quem finis deſtinatur non mediis temporibus ſupereſſedere ſolet? Contra, qui eius rei ambiguus eſt ſingulis diebus ſe promptum exhibet, eaque de cauſa dictis iſtis ſubiunxit Saluator: Vigilate igitur, &c. Et qua hora, &c. Ergo ob vtilitatem, quæ in ignoratione ſola erat dictum eſt hoc à Saluatore, his enim verbis*

S. Athanaſ. orat. 4.

induti, in albis quoque. j. corporibus glorificatis, ac ſplendidiſſimis gloriæ donis in Eccleſia etiam militante ambulabunt mecum. j. eorum me & veſtigia mea ſequendo, &c. In albis. j. innocentiæ indumentis ſi gratiam baptiſmalem non perdiderunt vel in bonis operibus, vnde vt aſſerit non ſolum qui in innocentia permanſerunt ſed & hi qui per pœnitentiam ſurrexerunt puta omnes electos ambulabunt cum Chriſto in albis, qui dicit: Pater quos dediſti mihi volo, &c. Ita Dionyſ. Carthuſ.

Eſtius. *In candore innocentiæ & puritatis ſuæ; vel in albis. j. in candore glorificati & clarificati corporis.*

Ambroſ. Anſbertus: *Quo Domine tecum ambulaturi ſunt? Vnde, & quo ibis cum eis niſi de te, in te, niſi per te ad te? tecum enim quotidie ambulant, qui paſſionis tuæ veſtigia ſequentes obſeruant, tu certe præcedis dando exempla illi ſequuntur imitando exempla, &c.* Et paulo poſt: *Cauſam quoque ſubnectis cur in albis cum illo ambulent cum dicis, quia digni ſunt: ſubaudis vel quia mundi, vel quia mea dignatione cõdigni. Sed quid de illis dicendum eſt qui poſt lauacri vndam maculis criminum vitam coinquinant nunquid non deſperandi ſunt? abſit: currant itaque ad ſanguinem agni, non quo rurſum aqua baptiſmatis in eo inuingantur, ſed quo lanymarum fontibus peccatorum maculis abluuntur. Non ſolum enim hi tantum in ſanguine agni baptizantur, qui per aquam regenerationis tranſeunt, verum etiam hi qui lachrymarum fletibus prioris vitæ maculas detergunt, ſicut enim duo ſunt martyriis genera ſic quoque ſunt duo baptiſmata.* Ita Ansbertus.

De difficultate perſeuerandi in gratia poſt baptiſmum. §. 2.

Equidem verum eſt gratiam baptiſmalem in multis mederi fomiti peccati qui in nobis eſt, & iis omnibus quibus nutritur, fouetur, & conſeruatur: quin & præter ea ex indignis peccatoribus morti & damnationi addictos, nos Deo gratos exhibet, iuſtos & cæli gloria dignos: amici conſtituimur ſupremi illius Monarchæ, filij reddimur tam optimi Patris, ſi quæ bona opera perpetramus, eidem gratiſſima redduntur ex gratia prodeuntia, itaut vi, & virtute huius gratiæ nobis conceſſæ in primis gratuito, poſtea eâ acceptâ opera noſtra meritoria gloriæ redduntur, quin & nos ipſi grati & accepti coram oculis diuinæ Maieſtatis efficimur, eo inſtanti quo infunditur, vt ei gratam exhibeamus ſeruitutem, qui effectus præclari abſque dubio à gratia proficiſcuntur.

Attamen gratia non in tam ſublimi eminentia, ſeu gradu ordinariè confertur vt ea prædíti ab omni periculo eam amittendi, & in peccati dilabendi eruamur; nos certe iuſtificat, at nos non reddit impeccabiles: hac de cauſa Chriſtus ad paucos reſtringit numerum eorum qui veſtem innocentiæ baptiſmalis abſque contaminatione impollutam ſeruauerunt, habes pauca nomina in Sardis, &c. Vnde quæſo hoc malum? forte quia difficillimum eſt ſemper incedere armati, & nihilominus militia vita eſt hominis ſuper terram, diu noctuque cum hoſtibus noſtris eſt decertandum, forte difficillimum eſt aſcendentibus in montem lubricum & arduum ita firmiter pedem figere vt aliquando retro non abeamus, lubrica eſt via prolabi facillimum eſt non conſiſtente pede, & tamen ſemper aſcenſiones diſponere debemus & non progredi retrogadi eſt. Reuera gratia in regeneratione ſpirituali aufert & tollit legem illam moleſtiſſimam, quæ in carne noſtra eſt, qua captiuamur ſub lege peccati, ſcilicet quantum ad culpam, ſed eam non tollit quantum ad pœnam, ſuperſunt adhuc culpa ablata motus illi inordinati ad noſtrum exercitium, noſtramque probationem, qui nobis non imputantur ad peccatum modo eiſdem per ſegnitiem & puſillanimitatem non conſentiamus, aut acquieſcamus. Sed quæſo quam rari ſunt qui primis hic motibus inordinatis ſtatim cum magnanimitate obſiſtunt. Inſuper verum eſt libertatem in qua Deus conſtituit hominem eum in manu conſilij ſui relinquendo, non omnino fuiſſe per peccatum ablatam ſed tantum debilitatam, at non ita vt adigatur ad faciendum, aut eligendum malum, ſed quia efficaciter perficere non poteſt omne ſeu quolibet bonum ſibi oblatum: *Velle adiacet mihi*, inquit Apoſtolus, *perficere autem bonum non inuenio*, Rom. 7. Ac ſi diceret: Meæ libertatis eſt velle, at ego ſolus niſi auxilium præſtet Dei gratia, quod volo perficere nequeo. Poteſt itaque noſtra libertas huic peruerſæ inclinationi reſiſtere, poteſt peccato ad fores pulſanti januam occludere per diſſenſum itaut non ingrediatur intus per conſenſum, deſideria carnalia determinationes noſtras oppugnare poterunt, & caro deſideriis ſpiritui contrariantibus diffluet; At voluntas cum interuenerit ſua prædita libertate eam quam voluerit partem ſeliget, & in partem ſpiritus declinans fortis redditur, vt repellere, oppugnare, & proſtrare valeat hoſtium aduerſariorumque phalanges, & pro tunc adiuta Dei gratia omne bonum ſibi propoſitum & ad ſalutem neceſſarium proſequi & perficere. Neſcio nihilominus qua ratione fit vt homines propria infirmitate & ſympathia quadam animi cum carne quam diligunt (nemo enim carnem ſuam odio habuit) eadem ſeu æquali lege arbitrantur ſe adſtrictos eſſe, vt ſenſuum & carnis oblectamenta conſectentur (vt pote naturæ conſentaneæ;) Ac ſe adſtrictos eſſe fatentur & agnoſcunt, vt ſpiritus deſideria perficiant & propoſitionibus ſpiritus firmiter adhæreant. Quo fit vt ſæpe ſæpius cadant iuxta illud ſapientis: *Septies in die cadit iuſtus.* Prouerb. 24. At è contra hi qui veſtimenta ſua candida conſeruare ſtudent carnem tanquam ancillam, & eius motus velut ſeruos intuentes ſciunt iura ſpiritus ſibi eſſe conſeruanda in præiudicium carnis, hinc ſupra motus carnales, ſupra ſenſus interiores, & exteriores ſeſe extollunt, plus dico, ſcient es Dei mandata naturæ, proprij amori eſſe præferenda, ſi quid ſpiritui contrarium ſeſe offerat, ſi quid mandatis Dei repugnans proponatur illud reſpuunt, & adimpletur in eis quod dixit Ieremias Thren. 3. *Bonum eſt viro cum portauerit iugum ab adoleſcentia ſua: ſedebit ſolitarius & tacebit, quia leuauit ſuper ſe.* Aſſuetus enim obedire Deo quidquid raro concupiſcit aduerſus ſpiritum Deo per charitatem coniunctum aſpernatur, quidquid mandatis Dei contrarium animaduertit licet naturæ conueniens contemnit, videt fructum ligni ſcientiæ boni & mali pulchrum & ad veſcendum ſuauem, ſed in throno optimæ ratiocinationis ſedens iudicat Deo magis eſſe obediendum, & ſic ſedet ſolitarius & tacet, quia ad conſultationem nec ſenſus ſuos nec rationem inferiorem vocat, vt ſe ad agendum determinet, Dei voluntati ſolum adhærens, quod Deus præcipit & hoc ſolum eligit: Quod ſi motus ſenſuales ſtrepitum edant, & obmurmurent vt conſenſum extorqueant tacet, nam conſenſum cohibet vt Deo ſempet adhæreat leuando ſemetipſum ſupra ſe dum propter Deum quidquid Deo minus eſt negligit ac contemnit.

Rom. 7.

Proverb. 24.

Thren. 3.

Et certe non mediocri admiratione dignum exiſtimo gratiam tam paruo tempore fuiſſe à primo parente diligenter cõſeruatam. Quidam enim arbitrantur per ſex dierum ſpatium à die conditionis in paradiſum primos parentes tantum remanſiſſe, quidam per octo dies, vt cẽſet Pererius: alij denique in ipſa die ſuæ creationis defeciſſe exiſtimant, lege Cornel. in Geneſ. Non diu S. Petrus permanſit in obſeruatione propoſiti ſui generoſi poſt tam magnifica promiſſa, adeo voluntas noſtra mutationi eſt

Digitized by Google

obnoxia, vt manus non tam cito moueatur, nec oculi ictus, ac cito noſtræ obligationis memoriam amittimus, & primis motionibus quæ ſeſe offerunt, doloris voluptatis, vtilitatis, aut ambitionis (quæ omnium peccatorum & delictorum cauſæ ſunt & ſpecies diuerſæ) acquieſcimus. Ad eiuſmodi nempe motus Plato dial. 9. de legibus omnia peccatorum genera reuocat. Cum igitur nimis ſit familiare hominibus vt iracundia aut timore inutili, aut voluptatibus aut cupiditatibus, aut concepta de propria ſapientia opinione moueantur, mirum non eſt ſi paruus ſit numerus eorum, qui gratiam baptiſmalem immaculatam cuſtodiant, *Congregate ad me*, inquiebat Moyſes Deutero. 31. *omnes maiores natu per tribus veſtras, atque doctores & loquar audientibus eis ſermones iſtos, & inuocabo contra eos cœlum & terram, noui enim quod poſt mortem meam inique agetis, & declinabitis cito de via quam præcepi vobis.* O quanta eſt certe hominum imbecillitas, ſeu fragilitas qui tam modico temporis ſpatio ſalutis ſuæ negotia procurare poſſunt tam pretioſo dono ſeu theſauro, qualis eſt creatoris gloria ad blandiri nequeunt, quod accidit, vel ad caſtigationem ſuperbiæ, vel ad libertatis noſtræ manifeſtationem, vel vt ſollicitiori cura gratiam Dei colere addiſcamus, quantum ſit illius prætium ponderantes.

Plato. *Deutron. 31.*

Audiamus ad hoc propoſitum beatum Macarium hom. 27. *Nouit Dominus imbecillitatem hominis nempe confeſtim extolli ſolere, propterea ſubtrahit, & hominem exerceri iactariquepermittit: nam ſi te modicum accipientem tolerare nemo poteſt ſed intumeſcis, quanto magis, ſi quis tibi concederet prorſus ad ſatietatem nemo te ferret. Atqui Deus perſpectam habens infirmitatem te cum moderamine tribulationibus exponit, vt humilis euadas, ac ſtudioſus inquirendi Dei.* Hæc ille. Deus hoc modo per concurſus ſui ſubtractionem à nobis repetit collatam gratiam quaſi ſibi propriam veluti bonum ſibi proprium, ad eum modum quo quis eriperet ctumenam pecunia plenam de cuius inuentione aliquis extolleretur, & ad eum modum quo princeps aliquis diuitem propter diuitiarum abundantiam ſe ſe efferentem, & proximos arroganter, & iniurioſe tractantem humiliaret, & in ordinem redigeret. Sic quia propter nimiam ſuperbiam gratiam Dei bene diſpenſare non valemus, tam erga Deum ingrati, quam circa proximum duri & moleſti ſæpius amittimus quidquid fauoris aut gratiæ à Deo ſuſcepimus, *Non quod*, vt ait Macarius, *extinguatur gratia, vel infirmetur, ſed vt liberum arbitrium tuum, ac libertas probetur quo vergat permittit te vitio vinci, tuque rurſus voluntate appropinquans Domino ad moneris vt perpendas gratiam.* Et paulo poſt: *Ego vero dico tibi vel ipſos Apoſtolos qui conſummati erant in gratia non fuiſſe prohibitos a gratia quo minus agerent quæ vellent, etiam ſi illi ipſi committere voluiſſent, quæ gratiæ diſplicebant, nam boni malique capax eſt natura noſtra, ac poteſtas aduerſaria exhortandi vim habet, non cogendi. In reliquo liberum habes arbitrium inclinandi quo libuerit.* Ita Mac.

Macarius. *Macarius.*

Qui magis ſpirituales cernuntur, à tentationibus non ſunt immunes, nec hoſtes noſtri ab oppugnationibus continuis ceſſabunt quandiu in hac vita erimus, ſufficit quod liberum eſt nobis ipſis reſiſtere vt hæc innocentiæ veſtimenta impolluta ſeruemus. Quod cum præſtiterint hi de quibus hic ſermo habetur, qui potuerunt tranſgredi, & non ſunt tranſgreſſi facere mala, & non fecerunt, potuerunt terga vertere & fugere & noluerunt, imo potius in faciem reſtiterunt, legitimè decertarunt vnde laudem promeruerunt, & agno ſociari dicente ipſo: *Ambulabunt mecum in albis quia digni ſunt.* Si quis autem male vtendo conceſſa libertate terga verteret, victus fuerit merito niſi reſipiſcat rejicietur vt profuga, & militiæ deſertor etiam antequam per mortem è medio viuentium ſuſtollatur: verſatilis enim eſt natura, ac ſi quis velit euadit filius Dei, ſin contra filius perditionis, eo quod permaneat liberum arbitrium inquit Macar hom. 27. & vt ipſe addit, *Aliud eſt pane menſa appoſito veſci & delicatiori vino potari, aliud comedendo, & bibendo vires aſſumere, & læſicari, aliud eſt pulchros de bello, & præliis miſcere ſermones, aliud eſt manus conſerere cum hoſte, eum arctare, eius phalanges penetrare & diſpergere è medio victorque egredi & victoriam reportare. Denique aliud eſt notitia quadam, & intellectu ſermones explicare, & aliud in hypoſtaſi opere certitudine, & in interiori homine & animo habere theſaurū, gratiam, guſtum, & efficaciam ſancti ſpiritus: quorum abſentia cum exiſtimabunt cœli theſauros ſibi fore aperiendos iamnam ſibi occludi perſentient, & cum gemitibus & lachrymis proclamabunt: Theſaurum nacti ſumus ac perdidimus: quandoquidem cum diſpenſatione ſubducit ſe gratia, vt maiore ſtudio inquiramus, patefit enim theſaurus pro modo indaganti.* Ita S. Macar. *Macarius, Tom. 27.*

Qui vicerit ſic veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ & confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram Angelis eius.

Quomodo per reditum in Dei gratiam omnia damna noſtra reſarcianiur & reparantur.

ANNOTAT. VII.

QVI vicerit peccatum, & è ſtatu peccati in quo verſatur emerſerit, inquit Menoch. *& in hoc perſtiterit*, inquit Tirinus, *non delebo nomen eius de libro vitæ. Liber vitæ*, inquit S. Anſel. *præſcientia dicitur diuina in qua ſecundum ſuam diuinitatem nihil adſcribitur, vel inde deletur, ſed dicitur hic ſecundum præſentem ſtatum cuiuſque, vt ſi quis ſe habeat in bono dicitur adſcriptus in libro vitæ, ſi ad malum ſe habeat dicitur deletus de libro vitæ. Et confitebor, &c. dicendo: venite benedicti, &c. vel remunerando ſecundum placitum Dei: Et coram Angelis Dei vt gaudeant Angeli de conſortio eorum.* Ita Anſel. *Menoch. Tirinus. S. Anſelm.*

Dionyſ. Carthuſ. *Secundum Thomam aliquis dicitur ſcriptus in libro vitæ dupliciter, primo ſecundum ordinationem prædeſtinationis, vt hi quos Deus ſaluare decreuit, & ſic nullus deletur. Secundo quantum ad prædeſtinationis effectum ſcilicet charitatem & gratiam quam qui habet dignus eſt vita aterna. Idèo ſcriptus dicitur in libro vitæ, & cum eam peccando amittit deletur ſecundum iſtum reſpectum videlicet quoad effectum prædeſtinationis*, Ita Dion. *Dionyſ. Car.*

His adſtipulatur primo Eſtius, *Deletur*, inquit, *nomen alicuius de libro vitæ non quando ex prædeſtinato fit reprobatus, quod fieri non poteſt; ſed quando ſecundum præſentem iuſtitiam in eo fuit aſcriptus & iuſtitiam deſerit. Eſt enim liber vitæ ſecundum iuſtitiam, & alius ſecundum prædeſtinationem: prior ſæpe mutatur, poſterior nunquam.* Ita Eſt. 2. Menochius: *Omnes Chriſtiani in baptiſmo ſcribuntur in libro vitæ inchoate, & quoad præſentem iuſtitiam, qui ergo peccando amittunt gratiam delentur de libro vitæ eodem ſenſu ſcilicet quoad præſentem iuſtitiam: vide S. Tho. 1. p. q. 24. ar. 3. itaque ſententia eſt: pergam illum habere ſcriptum in libro vitæ, modo explicato.* Ita Menoch. Tertio Tirinus: *Secundum*, inquit, *præſentem ſtatum iuſtitiæ omnes inſcribuntur in baptiſmo, & quoties per pœnitentiam reſurgunt à peccatis, completè vero quando in iuſtitia vſq; ad mortem perſeuerant. En quam variis quam ſplendidis titulis, quam amœnis coloribus depingit nobis gloriam cæleſtem c. 2. vocat lignum vitæ vitam æternam, manna abſconditum, calculum candidum, nomen nouum, poteſtatem ſuper gentes, ſtellam matutinam c. 3. veſtimenta alba,*

alba, librum vitæ columnam fiue trophæum, cænam diuinam, thronum Dei, quibus nominibus insinuantur variæ dotes & excellentiæ quas includit quæ vnico nomine exprimi non possunt. Ita Tirinus 4. Ambrosius Ansbert. *Non delebo nomen eius de libro vitæ quem victorem futurum scio, nomen eius scriptum in cœlis iam teneo & confitebor, &c. Ac si diceret: qui nominis mei proprietatem lingua simul & opere coram hominibus fuerit executus, cum in sede paterna Angelis ministrantibus ad iudicandum sedero tunc illum non inaniter nomen meum vsurpasse monstrabo.* Ita Ansbert.

Igitur: *Qui vicerit, sic vestietur vestibus albis*, ac si aliis verbis diceretur iuxta eumdem Ansbertum. *Qui pro recipiendis vestibus cum inimico fortiter dimicauerit, dimicans vicerit, ita rursus eisdem indutus splendebit vt illi qui eas immaculatas seruauerunt aut post maculas abluerunt.* Ita Ansb. Nemo igitur in desperationem abeat, abeat ille qui multitudinem miserationum diuinarum numerare poterit, & magnitudini misericordiæ eius mensuram qua comprehendi, & in sinu suo contineri poterit, inuenerit, ait S. Basil. in S. Basilius. resp. ad 13. interrogat. *An quis desperare debeat ob peccatorum multitudinem, si post susceptum baptisma peccauerit? Quod si*, addit Basil. *peccata nostra limitari possunt, & secundum magnitudinem & secundum numerum; verum præterea sit nullos præscribi limites miseratienibus & misericordiis Dei, procul dubio absque causa desperationis locus concederetur imo potiùs agnoscenda est misericordia Dei, peccata perpetrata detestanda & abhorrenda veniunt quorum remissio nobis proponitur in scriptura in sanguine Christi. Hanc veritatem addiscimus ex parabola filij prodigi, & ex lætitia cum qua Pater eum in sinu suo suscepit, & complexus est, & Deus per Esaiam ait: si fuerint peccata vestra vt coccinum quasi niuem dealbabo, & si fuerint rubra sicut vermiculus, quasi lanam dealbabo. Ne igitur desperemus etsi post baptismum in peccatum dilapsi fuerimus, & per peccatum damnum fecerimus trium excellentissimorum donorum, quibus cumulantur & decorantur ij qui digne & efficaciter baptismum suscipiunt.*

Primum est quod gratia adornantur & vestiuntur, qua veste peccatum nos spoliat: secundum est quod ius nobis ad gloriam æternam comparamus, quod etiam amittimus per peccatum: tertium est quod agnoscimur à Deo, & ab eo efficimur serui, amici & filij diuinæ Majestatis, quas prærogatiuas peccatum aufert sed restaurantur per pœnitentiam, sicut videmus in parabolâ illius adolescentis, cui redditur stola prima, & datur annulus in manu eius & calceamenta in pedibus eius. Perfecta namque obseruantia mandatorum consiliorum & inspirationum designatur in annulo illo quem pœnitentia digitis nostris inserit, dicente saluatore: *Si quis diligit* Ioan. 14. *me sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus.* O felix circulus cum nos per charitatem & amorem in Deum erigimur, ipse ad nos deprimitur, & dum in eo sumus ipse manet in nobis, in hoc annulo seu circulo, charitas quæ donum est spiritus sancti, in cordibus nostris diffunditur. Hæc est illa pia & recta animi affectio, quæ dum proximum intuetur viam parat vt Deo vniamur, & dum manet in nobis nos cum eo vnum efficit spiritum. Hæc foras pellit timorem; *Non enim*, inquit Apostolus, *accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei*, &c. Sicut enim videre licet eos qui annulum & sigillum principis gerunt ea omnia adimplere quæ sibi sunt iniuncta, omnibus obtemperantibus voluntati principis, cuius insigne vident expressum in annulo, ita charitate informate cæteras actiones virtutum eas meritorias & cælo dignas exhibet, quo fit vt recte Dei annulus seu sigillum nuncupetur cuius virtute cælum aperitur & nomen nostrum inscriptum cernitur in libro vitæ nunquam delendum. Hinc vere dixit S. Bernardus Serm. in Pentecoste, *Spiritus sanctus donat* S. Bernard. *animæ primò pignus salutis scilicet testimonium quod filius Dei sit, 2. Robur vitæ vt in laboribus, vigiliis & aliis obseruantiis delectabiliter incedat, 3. Scientiæ lumen vt cum omnia beneferis te seruum inutilem putes, & quidquid boni in te inueneris illis tribuas à quo omne bonum est.* Ita Bernardus. Ita bene calceati magnos in virtutis acquisitionem progressus faciemus, pulchri & perfecti erimus vt Christus nos benignè adspiciat & confiteatur nos esse digna membra corporis sui mystici, quin & seruos, amicos & filios reputabit. *Intelligant*, inquit S. Augustinus de correpte & gratia c. 2. *si filij Dei sunt, se spiritu Dei agi vt quod agendum est agant, & cum egerint, illi à quo aguntur gratias agant, aguntur enim vt agant, non vt ipsi nihil agant, & ad hoc eis ostenditur quid agere debeant vt quando agunt sicut agendum est id est cum dilectione & delectatione iustitiæ, suauitatem quam dedit Dominus vt terra eorum daret fructum suum accepisse se gaudeant.* Ita Aug. Quis igitur non prouocabitur ad pœnitentiam si semel perspexerit qua ratione propter illam nostra restaurantur damna, & efficimur filij, amici & serui Dei viui quos animat, impellit, viuificat, vnit sibi arctissimo, & inseparabili charitatis beneuolentiæ & amicitiæ nexu & vinculo? Qui habet aurem audiat quid spiritus dicat Ecclesiis nempe pœnitentiam lapsis esse faciendam vt in gratiam Dei redeant, quæ omnia damna resarciat, & maiora plerumque dona afferat.

ANNOTATIONES IN EPISTOLAM ad Angelum Philadelphiæ.

Et Angelo Philadelphiæ scribe: hæc dicit sanctus & verus, Pater futuri sæculi, Es. 9.

Iesus sacerdos & Rex per quem sanctificamur, & à statu peccati erigimur.

ANNOTAT. I.

HÆC *dicit sanctus, & verus. 1.* inquit Menochius, *qui sanctus est, & autor atque amator sanctitatis, qui est verax, & constans in promissis suis, vel qui habet verum sanctitatem: Proponit enim Christus Episcopo Philadelphiensi, qui erat modicæ virtutis suam sanctitatem perfectam quasi speculum, & quasi scopum vt ad eam adspiret atque contendat.* Ita Menoch. *Hæc dicit sanctus*, inquit Tirinus, *ille per antonomasiã ille verus, id est, perfectus per excellentiam. q.d. ille perfectè sanctus: sæpe enim verum in scripturis non opponitur falso sed imperfecto. Vt cum dicit Christus, ecce verè Israëlita, ego sum vitis vera, Panis de cælo verus, &c. proponit autem Christus Philadelphio qui erat adhuc imperfectæ virtutis suam absolutè perfectam sanctitatem quasi speculum & scopum ad quem collimet.* Ita Tiri. Menochius. Tirinus.

Existimo autem in his duobus Epithetis quibus se designat Christus in initio huius Epistolæ significari duas illas eximias dignitates, quas complectitur in se potestas excellentiæ, & eminens autoritas quæ humanitati sacratissimæ Christi data est in omnem Ecclesiam, nempe dignitatem Pontificalem & Regiam, dignitatem inquam Pontificiam, deuouendo, & consecrando perfectissimè hanc Christi humanitatem vt Deo honorem specialiter & generaliter priuatim & publice exhiberet, ad hanc finem tendentem, vt homines sanctos reddat sicut & ille sanctus est. Hinc iure & merito ad designandam il-

97

Digitized by Google

dignitatem dicit & proclamat ſe eſſe ſanctum. Regiam inquam dignitatem cuius functio eſt regere & gubernare populos & politicas leges tribuere cuidam communitati ſeu reipublicæ, ad hunc finem ſeu ſcopum videlicet vt pacem & tranquillitatem publicam tueatur & defendat vnde dicitur verus. Hac regia dignitate fulgere debet Chriſtus qui Eccleſiam moderatur, & gubernat, quique Eccleſiæ præcipuam pacem dare ſe teſtatur quam nemo alius dare poteſt, quæ omnia cum perficiantur per veritatis ſeu veri amorem & tuitionem iuxta illud Prouerb. 29. *Rex qui iudicat in Veritate pauperes thronus eius in æternum firmabitur*, optime per veri Epithetum ſuam regiam deſignat dignitatem: Ipſe enim vt ait S. Epiphanius eſt Pontificum omnium moderator & Princeps per quos videlicet gubernat Eccleſiam, & eam adſpirare facit ad eam pacem conſequendam quæ omnem exuperat ſenſum, de qua Pſalmiſta ait: *poſuit fines tuos pacem.*

S. Epiphan.

Has duas excellentiſſimas dignitates trahit, ex ſua diuina origine ſeu generatione, *Quod naſcetur ex te ſanctum*, inquiebat Angelus ad Mariam dignißimam illius matrem, *Filius Dei vocabitur.* Luc. 1. Quo Angeli verbo docemur & ipſum ſanctum eſſe, & vnde hanc habeat ſanctitatem videlicet ex eo quod filius Dei ſit diuino quodam balſamo perunctus in ſua humanitate, oleo inquã ſanctiſſimo quo conſecratus fuit perfectiſſimè vt Patris poteſtati ſubderetur cum omnibus qui de plenitudine gratiæ eius accipientes filij erunt Dei adoptiui ſicut ille filius eſt naturalis Dei Patris. Quantum autem ad regiam dignitatem: *Eam habet*, inquit ſanctus Epiphanius, *non tantum quia filius eſt Dauid ſed modo altiori & eminentiori nempe quia filius Dei eſt.* Optimo iure igitur ait, *Hæc dicit ſanctus & verus*. Nam cum ſanctitas propria ſit Pontificiæ dignitati, veritas per opportuna & neceſſaria regiæ dignitati (quas duas dignitates ſimul coniunxit in ſemetipſo) vt ſuam autoritatem ſupra omnem Eccleſiam perpetuam & æternam redderet his duobus Epithetis indigitati debuit. Exercitium vero tum auctoritatis Pontificiæ tum regiæ dedit Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus adminiſtrandum dum illos miſit ſicut & ipſe miſſus fuerat, *Sicut miſit me pater & ego mitto vos*, Qua miſſione factum eſt vt habeant per gratiam, quod ipſe poſſidet per naturam, vt habeant per participationem quod ipſe poſſidet tanquam ſibi proprium, habeant per partes, quod ille pleniſſimè poſſidet per generationem, & hypoſtaticam vnionem humanitatis ſuæ cum verbo; habeant tanquam Miniſtri, & inſtrumenta diſiuncta, quod illi conuenit tanquam inſtrumento cum diuinitate coniuncto, & præcipuo agenti; habeant in tempore, quod ille poſſidet in æternitate. Hinc S. Epiphanius ait: *Thronus ille Dauidis ac regale ſolium nihil eſt quam Eccleſiæ ſanctæ ſacerdotium, quod regia ſimul & pontificia dignitate in vnum contracta ei Dominus attribuit, ac Dauidis æternum illum neque perituram vnquam ſolium in eamdem contulit.* Ita S. Epiph. Hoc autem factum fuit cum Petro Apoſtolo claues à Chriſto collatæ fuerunt, vt notat S. Auguſt. ſer. 3. de beatis Apoſtolis Petro & Paulo, *Hæ enim claues*, inquit, *non homo vnus, ſed vnitas accepit Eccleſiæ: hinc ergo Petri excellentia prædicatur, quia ipſius vniuerſitatis, & vnitatis Eccleſiæ figuram geſſit, quomodo ei dictum eſt: tibi trado, quod omnibus traditum eſt.* Ita S. Aug.

Luc. 10.

S. Epiphan.

S. Epiphan.

S. Auguſtin. Serm. 3. de Pet. & Paul.

At eum vt ſummum ſacerdotem, & ſupremum regem Patrem futuri ſeculi cum Eſaia nuncupamus nempe qui gigniturus eſt omnes prædeſtinatos vt filij ſint Dei adoptiui ſuique cohæredes. Etenim cum optimi Patris conditio has duas res in ſuo conceptu contineat, prima eſt vt qui Pater eſt generet, & producat filios ſibi perſimiles, ſecunda eſt vt poſtquam eos genuit, eoſdem regat cum cordis intimo affectu, ſuppeditando ipſis cum maxima ſollicitudine quæ ad victum & ſuſtentationem neceſſaria ſunt, ſeu ſubminiſtrando neceſſarios ſumptus, & inſuper prouidendo eorum educationi, vt digni inueniantur qui hæreditatem ſuam capiant, & dignitates ac officia quibus incumbit poſſideant; hæc omnia præſtat Chriſtus Dominus. Vt ſupremus ſacerdos genuit nos verbo veritatis, vt per mortem ſuam nobis vitam donaret ſempiternam; tanquam Rex ſummus regit nos, & alimenta præſtantiſſima ſuppeditat dicente Dauid, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit in loco paſcuæ ibi me collocauit.* Denique media ſubminiſtrat quibus per gratiam adoptionis conſortes facti & participes diuinæ naturæ tanquam filij participes etiam ſimus etiam hæreditatis, hæredes quidem Dei cohæredes autem Chriſti. Merito itaque veluti ſummus ſacerdos & Rex ſupremus nuncupabitur Pater futuri ſeculi, *Hic eſt Ieſus æternus*, inquit Clem. Alexand. admonit. ad gentes, *vnus qui magnus Pontifex & vnus Dei, ipſius & Patris orat pro omnibus.* Ita Clem. Videlicet vt eos ſpiritualiter gignat impetrando ipſis gratiam reconciliationis & ſanctificationis. Hic eſt, inquam, Rex de quo Dauid cecinit, *Thronus eius in ſeculum ſeculi virga directionis virga regni tui.* Qui ipſiſſima veritas eſt, quæ obuianti ſibi miſericordiæ benigne occurrens fecit vt iuſtitia & pax exoſculatentur, hic ille eſt per quem, & cum quo omnia nobis donata ſunt, à quo gignimur, fouemur gubernamur. Optime proinde S. Baſil de Spiritu ſancto. c. 8. dixit: *Eos qui in tenebris ignorantiæ detinentur illuminat propterea lumen Verum dicitur; iudicat iuxta operum dignitatem remetiens præmium ob id iudex iuſtus dicitur pater enim neminem iudicat ſed omne iudicium dedit filio, erigit è ruina qui è ſublimitate vitæ ad peccandum de lapſi ſunt, ob id vocatur reſurrectio, omnia facit contactu virtutis ac voluntate bonitatis operans, paſcit, illuminat, alit, deducit, medetur, erigit, quæ non ſint ea facit vt ſint, condita conſeruat: hos modo bona ex Deo, per filium ad nos perueniunt maiore celeritate in ſingulis operantem, quam vllus ſermo proferri valeat.* Hæc Baſilius. Et hac ratione ſuam dignitatem & Pontificalem & regalem Eccleſiæ communicans tot reges & ſacerdotes conſtituit, quot re generat fideles, vel ſancto Leone teſte dum ait, *Omnes in Chriſto regeneratos crucis ſigrum efficit Reges, ſancti vero ſpiritus vnctio conſecrat ſacerdotes, vt præter iſtam ſpecialem noſtri myſterij ſeruitutem vniuerſi ſpirituales & rationales Chriſtiani agnoſcant ſe regni generis, & ſacerdotalis officij eſſe conſortes.* Ita S. Leo. Hoc modo Pater eſt futuri ſeculi tanquam nouus Adam, qui cælo gignit, quos vetus Adam generat filios iræ, & gehennæ. Ad quod intendere videtur S. Ephrem cum ait ſerm. de pœnitentia? *Duo Adami efficiuntur vnus Pater noſter in mortem, quia mortalis factus eſt peccans: ſecundus Pater noſter in reſurrectionem quoniam immortalis cum eſſet per mortem deuicit mortem atque peccatum, primus Adam hic Pater, poſterior illic cuam primi Adam eſt Pater: non ego hoc ſolum dico, ſed & Eſaias magnus inter Prophetas de Chriſto ait, quia puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & Deus fortis pater futuri ſeculi, quemadmodum & Euangelium dicit. Sed qui in carne propter præſentem ſtatum filius cernitur Patris, his Pater efficitur ob ſtatum futurum. Quid iſta? Quoniam mori regenerat, & in vitam æternam humanam naturam parit, O maximum myſterium! ô diſpenſationem ineffabilem! filius Adæ pater ipſius efficitur, nam regeneratio expellit naturam, eius loco gratiam diuinitatis inducens. Coercet ac reprimit gratia naturam, quando mortem delet immortalitas, reſurrectio generationem, quando corruptionem è medio ſuſtulit in corruptio ſicut & dixit Paulus. Nouum quoque ac inauditum vſum*

S. Leon.

S. Ephrem.

S. Baſil.

Pſalm. 22.

Clemēs Alex.

Pſalm. 44.

Digitized by Google

eſt Nicodemo hoc myſterium quoniam à Chriſto ſibi enarrari A *andinis quod niſi quis renatus fuerit deſuper non poſſit videre regnum cælorum, & dicit: quomodo poteſt homo renaſci cum ſit ſenex? iſta reſurrectio imago eſt reſurrectionis, Vtrumque autem Chriſtus conſtituit ait Paulus: In Chriſto Ieſu ego vos genui, etenim quicumque in Chriſto, inquit, baptizati ſumus conſepulti cum ipſo ſumus per baptiſmum, Vt in ipſo ex mortuis reſurgamus. Cernis quod principium reſurrectionis ab inferis ſit baptiſma, Vides quod Dominus pater ſit reſurrectionis, filius genitus & puer, natus nobis tantam habet virtutem Vt cunctos homines ipſe in reſurrectionem regeneret.* Ita S. Ephrem. Si igitur merito ille pater dicitur qui parit, Ieſus pater erit eorum omnium qui ad gloriam ſuſcitandi ſunt, eos namque regenerat. Quod ſi tam admirabilis generatio per mortem illius perficitur, mors autem ipſius effectus ſit ſui ſacerdotij, ſeu ſuæ abſolutæ, & integræ conſecrationis ad obtemperandum voluntati Patris ſui, pro Patris gloria & honore omnia perficiendo vt pote qui honorificauerit, & glorificauerit patrem, certum eſt & euidentiſſimum per ſanctificationem ſacerdotij ſui ipſum reddi Patrem futuri ſæculi, nam cum ſeipſum tanquam ſacerdos obtulerit Deo patri pro ſanctificatione noſtra per mortem ſuam nos genuit, & ſanctificauit, ſeu Deo deuouit, & conſecrauit. Sanctus igitur eſt & verus & Pater futuri ſeculi quod maxime pateſcet, *Cum tradiderit regnum Deo & patri Vt ſit Deus omnia in omnibus*, 1. ad Cor. 15. Poſtquam ſuper terram regnauerit fideles ſuos regendo paſcendo & fouendo, & contra hoſtes viſibiles & inuiſibiles fortiter defendendo. Qua ratione autem nos ad modum optimi Patris moderetur videndum, ſiquidem clauem habet diuitiarum & theſaurorum Patris ditiſſimi à quo dona accepit in hominibus, id eſt, ad hominum vtilitatem.

1. ad Cor. 15.

Qui habet clauem Dauid.

Deus habet Domum cuius clauem Ieſus in manu tenet.

ANNOTAT. II.

CVM clauem audis domum certe in qua ſit ianua ſerra occluſa fingere debes. Si autem quæras quænam ſit illa domus Dauid, cuius clauem gerit Chriſtus, Reſpondeo eſſe Eccleſiá cuius Templum olim à Salomone conſtructum fuit figura, quod domus Dauid dici poteſt tum quia conſtructum eſt iuxta illius præſcriptum tum quia omnes impenſas ſubminiſtrauit, & illius templi videtur primus & principalis autor. Igitur per domum vel Templum Dauid certum eſt intelligi Eccleſiam vt rectè hic notat Tirinus. Eſt autem domus Dei iuxta illud Apoſtoli 1. ad Timoth. c. 3. *Vt ſcias quomodo te oporteat in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui*, Dei inquam Patris, veri Salomonis Chriſti nempe qui tabernaculum ſibi fixit, qui domum ſibi conſtruxit, cuius fundamenta ſunt in montibus ſanctis.

Tirinus.
1. ad Tim. 3.

Deus reuera admirabilem ſe exhibuit dum in medio aëris fundauit terram propriæ firmitati ſolum innixam, ſuiſque tantum libratam ponderibus, eamque voluit locum eſſe mortalium, & ad eorum vſum præcipuè illam ordinauit Ita tamen quod dum terram dat hominibus in poſſeſſionem, ſibi plenum retineat dominium, terram namque dedit filiis hominum, nihilominus, *Domini eſt terra & plenitudo eius orbis terrarum, & qui habitant in eo.*

Pſalm. 23.

At dum decreuit ſibi in terra erigere, & conſtruere templum ex viuis lapidibus templum inquam viuum & rationale in quo ſemper ſentiatur præſens, & operans, in quo cognoſcatur, ametur, adoretur & obſequia quædam à creatura ſua ſuſcipiat fecit opus omnipotentis manus ſuæ, ſapientiæ infinitæ & bonitatis immenſæ digniſſimum. Ita eſt prorſus, ſapientia ædificauit ſibi domum, nam ſicut terram appenſam poſuit in medio vaſti aëris quod animaduertere licet, tum ex eo quod cum aër per omnes ſui partes nitidus & purus exurgente ſole, vel occidente & occumbente apparet, apparent omnibus ſtellæ eiuſdem eſſe magnitudinis, tum ſex ſemper videntur Zodiaci ſigna ſupra horizontem eleuata, ſex autem alia ſuperſunt quæ à nobis videri eodem tempore quo alia ſex intuemur non poſſunt, pari ratione dicimus Deum Eccleſiam poſuiſſe quaſi quoddam totius vniuerſi centrum, eſt quidem terra, quia in medio poſita, quaſi mundi centrum, ita & Eccleſia. Sicut enim omnes lineæ in centro coeunt, B omnes lineæ vaſtæ illius magnitudinis cælorum in terram concurrunt, ita Eccleſia centrum eſt in quam coeunt & concurrunt omnes influentiæ gratiarum, & donorum Dei vt pote quæ ſit amabile obiectum in quo ſibi complaceat Deus, *Omnia namque*, ait S. Paulus Paulus, *propter electos*, ſi quod ſit hoc totum ordinatur ad illius bonum, commodum progreſſum vt finem ſuum contingat, vt virtutibus exornetur, vt donis ſupernaturalibus gratiæ Dei ditetur & ſublimis reddatur, vt optimis legibus ſapienter reguletur, & gubernetur, vt appareat bene ordinata in ſuis miniſteriis & officiis & terribilis tanquam caſtrorum acies bene ordinata, vt fructus afferat multiplices ſecundum diuerſitatem donorum Spiritus C ſancti, vt nutriri, foueri, & ſuſtentari valeat in tuo exilio, vt infirmitatibus ſuis efficacia remedia adhibeantur, vt in laboribus ſuis & ærumnis & pœnis reficiatur & conſoletur. Hac ratione in medio poſita tanquam in centro ad quod omnes lineæ donorum Dei collimare cernuntur, omnes veritates reuelatæ videntur nobis eiuſdem ſemper magnitudinis id eſt eiuſdem certitudinis, earum enim certitudo, & veritas eodem nititur fundamento, nempe diuina reuelatione, quæ proponitur per Eccleſiam cunctis hominibus, omnes namque veritates ſupernaturaliter æque diſtant ab imbecillitate humanæ ratiocinationis, ad nullas enim earum attingere poteſt mens humana niſi reuelatione diuina D adiuuetur, *Quæ enim*, inquit S. Thomas. lib. 1. contra gentiles. c. 9. *ſupra rationem humanam ſunt non credimus niſi Deo reuelante.* Fatendum eſt tamen per eam quædam myſteria nobis proponi altioris dignitatis, qualia ſunt myſteria ſanctiſſimæ Trinitatis, & incarnationis, quæ ſi ſemel creduntur facilius ad alias veritates credendas adducimur.

S. Thom.

Hæc autem fides ad modum Zodiaci in duodecim ſigna diuiditur, intra quæ ad modum ſolis remanere debet, nec ad dexteram aut ſiniſtram vlterius declinare intra eundem circulum curſum ſuum conficiendo, ſex enim articulos qui ad diuinitatem pertinent credere debemus per quos Deum ſupra nos eleuari cernimus, ſex in quibus videmus eum E deprimi, & quaſi magnitudinem ipſius occultari. Primi ſunt vnius Dei fides, fides Trinitatis, id eſt, triũ perſonarum in vnitate naturæ & eſſentiæ ſubſiſtentium, fides creationis omnium rerum ex nihilo, Eccleſiæ fundatio, ſacramentorum inſtitutio, & remiſſionis peccatorum promiſſio, ſextus denique mortuorum reſurrectio cum retributione bonorum operum, & ſupplicio malorum. Hæc enim omnia ſatis teſtantur quantum emineat ſumma illa Dei maieſtas quæ vnica eſt ſupra omnia adoranda, & in tribus perſonis realiter diſtinctis, quarum tamen æqualis eſt dignitas, Maieſtas, Magnitudo, potentia, ſummo honore colenda: Teſtantur præterea quanta ſit eiuſdem vnius & trini Dei poteſtas in mentione omnium ex nihilo, quanta ſit eius boni-

Digitized by Google

tas, qui nos in participationem & conſortium diuinæ ſuæ naturæ per gratiam vocauit, vt vnum corpus myſticum per eiuſdem fidei profeſſionem conſtitueret. Quanta ſit eius ſapientia in ſacramentorum inſtitutione per quæ gratia ad quam per fidem vocamur nobis confertur. Quam miſericors ſit peccata remittendo; fidelis in promiſſis, corpora noſtra è mortuis ſuſcitando; iuſtus vnicuique ſecundum opera ſua tribuendo. Hæc ſunt ſigna ſupra nos eleuata ex quibus Deus ſuperexaltatus apparet. At cernere cupis qua ratione Deus magnitudinem ſuam abſcondat in exaltatione humanitatis noſtræ à verbo aſſumptæ vt dicatur de eo verè tu es Deus abſcõditus, conceptionem Verbi incarnati in vtero virginis attende, attende eius natiuitatem, conſidera mortem & paſſionem, ad inferos deſcenſum, reſurrectionem, aſcenſionem, & aduentum ſecundum, vt viuos iudicet & mortuos. Quis eius immenſitatem, & infinitam maieſtatẽ, ſi eum hominem factum attendat; quis eius æternitatem cogitabit, cum viderit ipſum naſci & oriri in tempore? Quis impaſſibilem cum eum doloribus & infirmitatibus circumueſtitum circumſpiciet? Quis immortalem exiſtimabit, cum expirantem viderit in cruce? Quis immutabilem dicet, cum eum mortuum, & poſtea reſſuſcitatum perſpexerit? immobilem, ſi attenderit eum in cælum aſcendentem, ita independentem vt nulla de ſuis operibus rationem reddere teneatur, iuxta illud Sap. 12. *Quis enim dicet tibi: quid feciſti? Aut quis ſtabit contra iudicium tuum, &c.* Cum perſpexerit ipſum in diſcutiõne bonorum, & malorum operum in iudicio extremo cum ſeruis creaturis ſuis diſceptare; cum hominibus intrare in iudicium, rationemque reddere quibus inductus & his nempe bonis, præmia decernat, & aliis nempe reprobis ſupplicia.

Sap. 12.

O præcellens Zodiacus in cuius medio ſtat Eccleſia vt diuinitatem contempletur ad quam noſtra fuit eleuata humanitas, & humilitatem & abiectionem humanitatis noſtræ ad quam depreſſa fuit pro noſtra ſalute diuinitas. Intra hæc duo puncta ſeu duas lineas, fides noſtra perambulat nec extra ferri debet, eius namque diſcurſus plenè & integre perficitur dum hos duodecim articulos fideliter credit.

In hoc medio Eccleſia firma & ſtabilis conſiſtit ſicut terra immobilis eſt in medio aëris iuxta illud Pſ. *Qui fundaſti ſuper terram ſuper ſtabilitatem ſuam non inclinabitur in ſeculum ſeculi.* Pſ. 103. Exiſtimabat Xenophon hanc immobilitatem terræ cauſari ex eo quod ex altera parte erat infinitæ cuiuſdam profunditatis, ſed abſurdè: nullum eſt corpus actu infinitũ. Anaxagoras & Democritus dicebant hoc fieri ex latitudine illius plana & expanſa per quam ſuſpenſa tenebatur. At hoc impertinenter aſſeritur, deprimeretur pedetentim ex natiuo pondere, deinde forma ſeu figura terra rotunda eſt. Alij exiſtimant eam æqualiter ab omnibus cæli partibus attrahi, ac ſi cæli adamantini ſeu potius magnetici eſſent & ipſa tota ferrea, quo fieret, vt quam in partem declinaret ipſa neſciret. At falſa ſunt iſta, & meræ fabulæ, nulla eſt in cælis ſimilis virtus attractiua ad hunc finem ordinata, & in terra contrariam cernimus inclinationem, ſiquidem particulæ terræ in cælum ſublatæ, ſtatim decidunt verſus centrum. Itaque ſola, & vnica cauſa huiuſmodi immobilitatis, eſt ipſiuſmet terræ pondus ſeu grauitas, qua depreſſa ſemper quærit locum depreſſionem, & ab omnibus partibus cæli longius diſtantem, & ita centrum vniuerſi requirit vt pote locum æqualiter diſtantem ab omnibus cæli partibus. Quod ſi contingat aliquas terræ partes concuti, & in altum ſuſtolli per terræ motus aut alias artes, quantum ad totale manet immobilis, nec mouetur motu directo nec circulari, nec naturali nec violente vt verum dixerit Pſ. ſupra Pſ. 103. qui fundaſti terram, &c. & Eccleſiaſ. c. 1. *Terra in æternum ſtat: oritur ſol & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, &c.* Immobilis igitur terra ſed excellentioti ratione Eccleſia immobilitatem quandam & ſtabilitatem obtinet.

Pſ. 103.

Eccleſ. c. 1.

Ita ſit quod mentes fidelium habeant quemdam motum directum verſus cælum ad modum ignis cælum petentis in ſuo motu, dum videlicet profitentur omnem ſuam conuerſationem ſeu cogitationem eſſe in cælis veluti qui ad cælum tanquam ad ſcopum, & terminum omnium ſuorum deſideriorum adſpirent, & locum in quo coronas, & retributiones expectant poſtquam vitæ ſuæ curſum compleuerint. Attamen fideles cum perſentiunt ſe creatos ex nihilo abiectiorem tenent locum, propriæ humilitatis conſcij, itaut nulla extollantur ſuperbiá: ſciunt ſe è terra formatos & in terram vnde ſumpti ſunt reuerſuos, ſciunt ſe vitam tueri è terræ fructibus, & mortalitatis & infirmitatis ſuæ memores nunquam caput per arrogantiam extollunt, ad modum filiarum Iſrael quas Propheta Iſaias ſuggillat dicens c. 3. *Pro eo quod eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant & plaudebant, ambulabant pedibus ſuis, & compoſito gradu incedebant, decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit, &c.* Eccleſia namque potius humilitate deprimitur, non ambulat in magnis neque in mirabilibus ſuper ſe, os ſuum contra cælum non aperit, vt murmuret ob mala quæ ſibi neceſſario ſunt toleranda, huc aut illuc non conuertit oculos vt animaduertat ſi quis admiratione pulchritudinis ſuæ in eam oculos figat, non applaudit ſuis operibus per iactantiam, non propriis innititur viribus vt dicatur ambulare pedibus ſuis, ambulat ſimpliciter abſque vlla fraude vlloue artificio, & ideo ſemper à Deo adſpicitur, qui ad humilia reſpiciens firmat ſuper eam oculos ſuos vt firma conſiſtat. Scit namque, quod ſi oculos auerteret ſtatim turbaretur & diuerſis quateretur commotionibus, & in puluerem reduceretur, ſemper ad eius aures reſonant illa Dei verba Ezech. c. 16. *Proiecta es ſuper faciem terræ in abiectione animæ tuæ in die qua nata es, tranſiens autem per te vidi te conculcari in ſanguine tuo & dixi tibi cum eſſes in ſanguine tuo: Viue,* videlicet cum originalis culpa in baptiſmo deleta fuit in ſanguine Chriſti, qui ſanguis eſt noſter, quia ex eadem maſſa Adami formatus eſt. Et qui in ſanguine peccatorum eramus geniti, vt filij Adami & mortui, in ſanguine Chriſti ſumus regenerati vt viuamus. Hoc agnoſcens Eccleſia & ſuæ originis non immemor gratias agit Deo, ab eius bonitate ſciens ſibi hanc miſericordiam fuiſſe conceſſam, vt quæ erat filia iræ & gehennæ dignitatem obtinuerit filiationis diuinæ imo & dilectiſſimæ ſponſæ. Hac ratione cernere eſt quomodo Eccleſia nullum habeat motum directum arrogantiæ aut præſumptionis. Quod ſi aliquando ſpe reſurrectionis & retributionis æternæ in altum erigitur, ad centrum tamen cognitionis ſuæ profundiſſimæ abiectionis ſtatim deprimitur vt firma conſiſtat in Dei timore & dilectione.

Ezech. c. 16.

Nullo inſuper motu circulari opinionum phantaſticarum hominum vanitati ſubditorum monetur, quibus imprudentes feruntur prout variis agitantur & impelluntur paſſionibus & affectionibus, vt mox vnum aſſerant, modo aliud ſentiant, & in fide vacillantes tanquam fluctus feri matis quæ nunc affirmabunt, ſtatim negant, quæ mox negabant ſtatim aſſererẽ non dubitant. Fundata eſt Eccleſia in ſua fide ſupra Petram immobilem veritatem nempe immutabilem diuinæ reuelationis: *Veri-*

Digitized by Google

tes, namque, *Domini manet in æternum.* Si terra moueretur, vt aiunt, circulariter cuncta corruerent ædificia: pari ratione ſi Eccleſia quaſlibet amplecteretur opiniones & ſententias certe tota euerteretur pietas, ſi fides nempe quæ fundamentum eſt ædificij mutaretur, omnes animæ quæ grata ſunt Deo palatia in quibus habitat, à pietate exciderent propter quam Deus in eis ſuas capit delitias. Si inſuper, inquiunt, terra circulariter moueretur, ſagitta in altum emiſſa numquam eumdem repeteret locum: pari ratione opera quæ à recta fide prodeunt numquam ad nos redirent mutatos in peius, vt adferrentur ad nos de cælo benedictiones & præmia quibus cumulantur omnes qui in rectitudine fidei permanent immobiles, ſecundum eam ambulantes, ait enim Propheta: *Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, iuſtitiarum ſuarum non recordabor amplius.* Ezech. 18. O quam beata eſt Eccleſia quæ inter dubia non vacillat, ſed in nuda & conſtanti vetitate fundata, charitate viuificata, firma conſiſtit in adimpletione mandatorum ſponſi dilectiſſimi! Iudicia Dei cum profunda intellectus demiſſione adorans ab eius obedientia ſe ſubtrahere neſcit, quo fit vt ſicut terra non mouetur naturaliter, quia in ſuo centro conquieſcit, à quo motu naturali nullatenus dimoueri appetit, quod proprium ſibi locum obtineat, ad quem ſi per impoſſibile dimoueretur ſemper inclinaretur, ita Eccleſia nullum habet motum naturalem diſcedendi à tali ſtatu ſubmiſſionis & obſeruantiæ voluntatum Dei, & mandatorum eius, eo videlicet ſenſu quo dixit S. Ioann. 1. c. 3. *Omnis qui natus eſt ex Deo peccatum non facit quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare quoniam ex Deo natus eſt, in hoc manifeſti ſunt filij Dei à filius diaboli.*

Ezech. 18.

1. Ioan. 3.

Denique ſecundum omnes ſuas partes Eccleſia nullum motum violentum patitur, domus eſt ædificata ſupra petram, quam non vincunt in ferorum portæ, *Deſcendit pluuia, & venerunt flumina & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam & non cecidit fundata enim erat ſupra Petram.* Matth. 7. Sic ſancti per fidem, *Vicerunt regna operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones.*

Matth. 7.

Deus igitur ſuam ſtabiliuit Eccleſiam ſicut terram & immobilis manet in medio aëris etſi concutiatur diuerſis perſecutionum agitationibus. Hoc modo firma & conſtans totius orbis fines complectitur, & omnes in ſinu ſuo recipit, qui ad eam accedere cupiunt credentes quod credidit, facientes quæ docet & præſcribit. Et ſicut perſpicere eſt Deum rotunditatem terræ contuliſſe vt capacior & maior reddatur, vt diuerſos cæli adſpectus cum maiori varietate ſuſcipiat, & ita ſit aptior ad producendos diuerſos effectus iuxta diuerſitatem climatum & regionum, hoc enim iſtud territorium progignit, aliud vero alia producit regio; ita dico Eccleſiam hanc rotundam figuram quodammodo obtinere: annunciat ſiquidem cunctas veritates, cunctaque myſteria incomprehenſibilia & ſublimiora: quia inſuper domus eſt ſeu domicilium eius cuius hæc datur definitio: Cuius centrum vbique eſt circumferentiâ autem nullibi, baptizata in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, quia deinceps quod ipſa credit initium totius cognitionis natutalis, nempe ſenſus eorumque ſenſationes excedit, imo & ipſius rationis ſeu intellectus acumen præcipuum, credit nempe Deum eſſe ſuum principium & circulo quodam ineffabili ad eum tanquam ad finem vltimum recurrit ſicque comprehendit quidquid credendi, docet & iniungit quidquid neceſſario faciendum eſt ad ſalutem conſequendam complectitur omnia quæ neceſſaria ſunt ad ſpiritualem regenerationem, conſeruationem protectionem propagationem & multiplicationem & conſummationem fidelium, ſuſcipit in ſuo ſinu omnia genera donorum ſupernaturalium quæ Deus communicat & effundit ad ſeipſum manifeſtandum ſecundum omnes modos ſeu rationes quibus eum communicari decet ad ſui nominis honorem & gloriam, bonos & malos continet, terræ in qua degit conditionem induens in qua homines boni & mali ex quibus componitur ſeu coadunatur commorantur, per omnes orbis partes extenditur, ſicq; fundata ædificatur, conſtruitur, perficitur, vſquequo completa & perfecta in numero electorum & prædeſtinatorum qui templum futuri ſunt Dei viuentis in ſecula ſeculorum. Videmus igitur quid ſit domus, ſeu quænam ſit domus Dei: nunc diſquirendum quid ſit clauem habere huius ſacratiſſimæ domus.

Qui habet clauem Dauid.

De Clue Dauid.

ANNOTAT. III.

Quid ſignificetur per clauem Dauid. §. 1.

SIGNIFICATVR, inquit Eſtius, *plena poteſtas gubernationis ſuper Eccleſiam Dei:* Iſa. 22. *Aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit*, id eſt, ratum & fixum eſt quidquid agit, nec poteſt quiſquam impedire quominus quod aperit apertum ſit & quod claudit clauſum ſit, maneatque quandiu voluerit, ſic Iob. 12. de Deo dicitur, *Si incluſerit hominem, nullus eſt qui aperiat*, Non autem excludit hæc ſententia poteſtatem clauium Eccleſiaſticarum, nam hæc poteſtas competit Chriſto per excellentiam: at eiuſdem rei poteſtas miniſterialis fuit in Petro, permanetque in eius ſucceſſoribus nec minus vere ea verba quæ hic dicuntur in Petrum dixeris, quam ea quæ Petro dicta ſunt à Chriſto Matth. 16. Quid enim aliud eſt habere clauem Dauid quam habere claues regni cælorum, & quid aliud ſibi vult iſtud: *Qui aperit & nemo claudit: claudit & nemo aperit*; Quam illud: *Quodcunque ligaueris ſuper terram? &c.* Et conſuetudo ſcripturarum eſt vt quæ propriè de Chriſto dicuntur ea participate atribuantur Petro, vel aliis etiam Apoſtolis vt eſſe Petram, fundamentum, paſtorem, magiſtrum, lucem, &c. Vocatur autem clauis Dauid non quod eamdem illam Dauid habuerit, ſed quia eſt poteſtas Dauidi ſeu familiæ Dauidicæ promiſſa & in Chriſto completa, iuxta Gabrielis ad virginem Euangelium Luc 1. nam Iſaiæ 22. ad quem locum hic reſpicitur promittit Dominus ſe daturum Eliacim in typo Chriſti clauem domus Dauid ſuper humerum eius vt aperiat & non ſit qui claudat & claudat nec ſit qui aperiat.

Menochius: *Clauis hæc eſt templi Dauidis & Salomonis. j. clauis Eccleſiæ, cuius typus erat Verus Iudaorum templum: aperit & nemo claudit. j. quos ipſe adducit ad templum nemo poteſt excludere, claudit & nemo aperit quibus ipſe propter eorum incredulitatem forè occludit nemo poterit eas aperire vt in Eccleſiam ingrediantur.* Ita Menoch.

Tirinus: *Qui habet clauem, id eſt, plenum dominium & regni & domus & templi Dauidis. Dauid enim primus & principalis autor fuit templi, nam Salomoni totius Templi ideam delineauit, & omnes impenſas ſubminiſtrauit, per domum Vero, vel Templum Dauid certum eſt intelligi Eccleſiam quam aperit Chriſtus omnibus iis & ſolis quos ad eam vocat per gratiã ſuam: claudit & eis acceſſum facit quibus & quando voluerit, non ſinens illam infeſtari ſeu ab hæreticis ſeu à tyrannis niſi quo tempore, quomodo qua menſura placuerit, ita ferè S. Hieron. Cyrillus, Procopius S. Thomas & alij. Simili phraſi promiſerat olim Eliacimo*

Digitized by Google

ſummum Pontificatum & abſolutum ſpirituale imperium in Eccleſiam. Iſ. 22. v. 22.

Gagneus. Quidam apud Gagneum per clauem intelligunt facultatem ſcripturas aperiendi & explicandi de quibus bene ait: *claudit & nemo aperit*, & contra: quia niſi illum ſigillatim diuinarum intelligentiarum librum ipſe aperiat nemo intelligit: contra, cui ille aperuerit facile omnia intelliget, *græca ſcholia*, addit Gagneus, *quæ Dauid poteſtatem regiam interpretantur aiunt aperire ſumi pro iuſtificare, claudere pro condemnare.* Ita Gagneus.

Quidquid ſit cum hic agi diximus de dignitate ſacerdotali & regia Chriſti, per clauem intelligo exercitium huiuſmodi ſummæ autoritatis & poteſtatis quæ ad ſeu potiſſimum extenditur. Primo vt Chriſtus tanquam ſupremus Rex & ſacerdos omnia officia, munera, & dignitates neceſſarias ad bene & feliciter exequenda omnia in regio Dei palatio diſtribuat, maior eſt præfectus domus regiæ qui hæc omnia diſtribuat prout neceſſaria ſunt ad patris ſui obſequium fideliter abſoluendum, & vt ipſi obediatur ipſe honoretur & colatur ab hominibus. 2. vt ipſe Chriſtus diſtribuat theſauros gratiarum diuinarum remittendo peccata, & infundendo dona Spiritus ſancti, & hanc etiam poteſtatem dando Eccleſiæ vt in virtute ſpiritus ſui etiam illa peccata dimittat iuxta illud: *Inſufflauit & dixit: accipite Spiritum ſanctum, quorũ remiſeritis peccata remittantur eis & quorum retinueritis retenta ſunt.* 3. Quia poteſtatem habet ſuper omnia mala pœnæ infligenda mortalibus ad eorum correctionem, purgationem, probationem, & conſummationem. 4. Quia abſconſa tenet in manibus patris ſui conſilia & myſteria quæ prout vult, & quibus vult, & quando vult pandit & propalat 5. Quia ſupplicia & coronas in manibus tenet vt pro arbitrio patris, eius exequendo decreta iis qui vicerunt præmia largiatur, his qui contumaces fuerunt infligat ſupplicia. Denique quia ad eum pertinet ingreſſum in hanc domum concedere, eius enim eſt animus ad Deum conuertereo: Et de hac poteſtate, ſpeciali ratione hîc agi probabiliſſimum eſſe exiſtimo vt videbimus poſtea, diſcuſſis antea cæteris quæ ſignificari diximus per hanc clauem domus Dauid.

Prima ratio propter quam Chriſtus dicitur habere clauem Dauid, quia in Eccleſia ipſe Paſtores conſtituit, & vnicuique proprium donum Miniſterij diſtribuit, § 2.

Dicimus Chriſtum tanquam præfectum maiorem domus Dei altiſſimi quam ſibi fundauit & quam quotidie ædificat habere domus iſtius clauem, quia ipſe eſt qui in ea diſtribuit dignitates & officia. Et reuera opus iſtud excellentiſſimum, ſicut omne aliud opus ad extra, opus eſt totius ſanctiſſimæ Trinitatis, quod animaduertit S. Athanaſius tractatu de electione, agens de naturali communione ſimilis eſſentiæ inter Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, & de Patre intelligit hunc locum S. Pauli 1. ad Corinth. 12. *Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertio Doctores, deinde Virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum.* De filio autem locum S. Pauli ad Epheſ. 4. *Qui deſcendit ipſe eſt qui aſcendit ſuper omnes cælos vt impleret omnia, & ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Euangeliſtas alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem ſanctorum in opus Miniſterij in ædificationem corporis Chriſti donec occurramus omnes in Virtutem fidei, & agnitionis filij Dei in Virum perfectum in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Et de Spiritu ſancto intelligit merito locum Act. 2. *Attendite vobis & vniuerſo gregi in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Hoc proculdubio verum eſt, & Patrem & Filium & Spiritum ſanctum miniſtros deſtinare & deſignare Eccleſiæ, quibus regatur, & paſcatur, & quorum miniſterio ad iuſtificationem & glorificationem perueniat. Nihilominus nunc in hoc loco Filio ſpecialiter huius poteſtatis exercitium aſſignamus, non alias excludendo perſonas diuinas, ſed abſque earum excluſione per particularem attributionem, quia Pater per Filium in Spiritu ſancto exequitur omnem œconomiam, & diſpenſationem regiminis totius Eccleſiæ, ſicuti per filium cuncta creauit ex nihilo, noſque per ipſum redimere voluit à morte, & peccatis. Fauet S. Athanaſius ad Serapionem, docens ſpiritum non eſſe creaturam & hæc S. Pauli verba ponderans; *Diuiſiones gratiarum, idem autem ſpiritus, & diuiſiones miniſteriorum, idem vero Dominus, & diuiſiones operationum, idem autem Deus qui operatur omnia in omnibus. Quæ enim*, inquit S. Athan. *ſpiritus ſingulis diuidit ea à Patre per Verbum ſuppeditantur. Omnia enim quæ patris ſunt filij ſunt ideoque à filio in ſpiritu dantur. Patris donaria ſunt, & donaria ſpiritus qui eſt in nobis, vnaque & verbum quod hæc muneratur in nobis eſt, & in eo ipſo pater eſt atque ita ſe habet verum illud dictum: Veniemus pater & ego, & manſionem apud eum faciemus, quemadmodum diximus, vbi enim lux, ibi & radius, & vbi radius, ibi eius vis & operatio, & lucida gratia*, &c. Et paulo poſt adhuc hæc verba ponderans 2. ad Corint. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti & communicatio Spiritus ſancti ſit cum omnibus vobis*, addit Athanaſ. *Gratia enim, & donum quod datur in Trinitate datur per Filium in Spiritu ſancto.* Igitur quia per verbum cuncta Pater operatur rectè aſſerimus patrem per verbum regere Eccleſiam, ſicut per verbum mundum creauit, & per verbum homines redemit, & proinde illi attribuimus hanc poteſtatem conſtituendi Epiſcopos & Paſtores pro regimine ipſiuſmet Eccleſiæ. Deinde opus eſt proprium ſapientiæ recte ordinare officia miniſtrantium, quæ neceſſaria ſunt, vt optima ratione principi obſequia debita exhibeantur, talia enim reginam Saba in admirationem non modicam rapuerunt ſcilicet poſtquam vidit ſapientia Salomonis, & domum quam ædificauerat, nec non & cibaria menſæ eius, & habitacula ſeruorum, & officia miniſtrorum eius, & veſtimenta eorum 2. Paralip. 9. Nunc ſi ſapientia filio appropriatur, certe merito illi attribuere poſſumus poteſtatem deputandi, & deſtinandi aptos & idoneos miniſtros intra Eccleſiam. Denique cum ſit caput Eccleſiæ cui poteſtas Excellentiæ data eſt propter vnionem hypoſtaticam, merito aſſerimus ipſum Eccleſiam conſtruere, ædificare donec illam reddiderit adeo decoram habitationem, vt in ea ſuperadoranda Trinitas in perpetuum habitare delectetur. Ad hanc ædificationem autem abſolutè neceſſarij ſunt diuerſi miniſtri iuxta ea quæ ex 4. cap. ep. ad Epheſios adduximus. Quapropter optima de cauſa hic attribuimus Chriſto Domino hanc poteſtatem per clauem domus Dauid deſignatam conſtituendi Miniſtros qui theſauros Eccleſiæ diſpenſare valeant, qui regias pecunias adminiſtrent, & ærario præficiantur, qui actorum tabulis perſcribendis præſint, qui apothecis, & armamentariis ſummi Regis præficiantur. Ita ſapienter igitur nos geramus vt ad illud ædificium coaptemur membra corporis myſtici huius nempe Eccleſiæ effecti, & pro capite Chriſtum habeamus, hac ſiquidem ratione Deus altiſſimus in nobis habitabit. *Veritatem*, inquit Apoſtolus ad Epheſ. 4. *autem facientes in charitate creſcamus in illo per omnia qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus com-*

S. Athanaſ.

1. ad Cor. 12.

Epheſ. 4.

Act. 2.

1. Paralip. 9.

Epheſ. 4.

pactum & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis ſecundum operationem in menſuram vnuſcuiuſque membri augmentum corporis facientis in ædificationem ſui in charitate. Vt pote, inquit S. Gregor. Nyſſenus oratione in hæc verba (*Quando ſibi ſubiecerit omnia tunc ipſe quoque filius ſubiicietur ei qui ſibi ſubiecit omnia*) *quod per eos qui fidei ſemper adiunguntur Chriſtus ſeipſum ædificet, qui tunc deſinet ſeipſum ædificare, quando ad propriam menſuram pervenerint eius corporis augmentum, & perfectio, & nihil amplius defuerit corpori ad ædificium quod ædificatur, omnibus ſuperædificatis ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, & fidei adiectis*, &c. Et paulo poſt. *Sicque cum ſit ipſe caput, quod eſt deinceps ſuum corpus ædificat per eos qui ſemper adduntur compingens & connectens omnes ad ea quæ natus eſt vnuſquiſque ſecundum menſuram operationis, vt ſit manus vel pes, vel oculus vel auris vel aliquid aliud ex iis quæ complent corpus conuenienter proportioni vnuſcuiuſque fidei. Hæc autem faciens ſeipſum ædificat ſicut dictum eſt: per hæc eſt perſpicuum quod cum fuerit in omnibus in ſeipſum ſuſcepit omnes ſibi vnitos per communicationem corporis, & omnes facit membra ſui corporis, adeo vt ſint quidem multa membra, vnum vero corpus. Qui ergo nos ſibi vnit & nobis eſt vnitus, & per omnia nobiſcum vnum effectus omnia noſtra ſua efficit propria. noſtrorum autem bonorum ſumma eſt vt Caput Deo eſſe ſubiectum, quando vniuerſa creatura ſibi fuerit conſonans & omne genu ei ſe inflexerit cæleſtium, terrenorum, & inferorum & omnis lingua confeſſa fuerit, quod Dominus eſt Ieſus Chriſtus: tunc omnis creatura vnum corpus fuerit effecta, & omnia per obedientiam inter ſe inuicem & coniuncta & coalita fuerint, ad ſe refert ſui corporis Patri obedientiam.* Ita Greg. Nyſſ. & vt antea dicebat ipſe. *Quando ergo bonum per omnia pernaſerit tunc totum eius corpus vinificæ ſubiicietur poteſtati, & ſic huius corporis ſubiectio dicitur eſſe ſubiectio ipſius filij cum ſuo corpore contemperati, quod quidem eſt Eccleſia ſicut Apoſtolus dicit ad Coloſſ. Nunc gaudeo in paſſionibus meis, & adimpleo ea quæ deſunt afflictionibus pro Chriſto in carne mea pro corpore eius quod eſt Eccleſia.* Ita Nyſſ. Ad hunc ſcopum tendit conſtructio eius alti & ſuperbi ædificij adeo ſolide fundati tantæ capacitatis, & amplitudinis, adeo in ſublime erecti, tam magnificè ditati & exaltati, quod quotidie ædificatur & perficitur à Chriſto Ieſu donec tandem hanc quam prædiximus obtineat conſummationem. Quod cum ædificari non valeat niſi per idoneos miniſtros, cum Chriſti ſit eam ædificare eius erit etiam ad hunc finem Miniſtros conſtituere, vnde ad deſignandam hanc poteſtatem dicimus eum habere clauem domus Dauid.

S. Greg. Nyſſ.

Clem. Alex.

Qui habet clauem domus Dauid, claudit & nemo aperit.

Secunda ratio propter quam clauis domus Dauid, Chriſto Domino tribuitur, ſcilicet propter poteſtatem remittendi peccata, quæ poteſtas ab ipſo collata eſt Eccleſiæ, §. 3.

SIgnum huius poteſtatis, quæ diuinitati filij Dei propria eſt, & humanitati illius communicata fuit, nec non delegata & commiſſa per eam Paſtoribus Eccleſiæ præclarum edidit Chriſtus cum paralyticum ſanauit. Illud enim ſanitati reſtituit, vt hoc miraculo doceret eadem facilitate qua eum ſanabat verbo, poſſe etiam peccata dimittere: *Vt autem ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata dixit paralytico, ſurge & ambula. Hoc proprium, & peculiare eſt Chriſto*, inquit Clemens Alexand. *Scit enim ipſe ſolus ſyncere diſcernere inter obedientiam Deo præſtandam, & inobedientiam.* Quod

A ſi Deus quæ ſua ſunt committere cuiquam debebat, perſonam certe fidelem eligere debuit, talis eſt Chriſtus, *Qui*, inquit Apoſtolus ad Heb. 3. *fidelis eſt ei qui fecit illum ſicut & Moyſes in omni domo eius.* Nihilque intereſt an Miniſtri qui poſtea in ſuo nomine, & ex autoritate ab ipſo eis commiſſa hoc negotium pertractabunt, eius vicem gerentes, cum fidelitate exoptata munus ſuum non obeant. Non enim loquimur de iis qui abſque autoritate legitima hoc munus ſibi arrogant præſumptuoſè, ſed de his qui autoritate pollent, nihilque quod ad ſe non pertineat vſurpant, nec ſemetipſos ingerunt muneri obeundo quod non acceperint vis legitimis ab his qui primatio iuriſdictionem obtinent in foro interiori & exteriori; nam ſi authoritate debita polleant, peccatori non vt oportet pœnitenti imputandum erit ſi beneficio & fructu huiuſmodi poteſtatis à Chriſto Eccleſiæ traditæ non gaudeat, non enim bonitas aut malitia miniſtri agentis quod intendit Eccleſia in adminiſtratione Sacramentorum, ſi autoritatem habeat aliquid confert aut obeſt, vt effectus tam excellentis poteſtatis qualis eſt illa remittendi peccata obtineatur, aut non obtineatur. Habet itaque Chriſtus poteſtatem remittendi peccata qui ſolus optimè nouit quam infelices ſint homines, qui Deo non obediunt, ex qua inobedientia ſubtrahuntur ipſis tot & tantæ benedictiones, quas ſupra capita noſtra inducit & attrahit perfecta ſubiectio voluntati Dei: Qui optimè, inquam, nouit quam temeratij ſint inobedientes qui Deum tantæ Maieſtatis oppugnare audent, & nihilominus diſcernens acutiſſimo intuitu inter obedientiam & inobedientiam, licet Dei partes ac iura tueatur, poteſt tamen compati humanæ infirmitati, *Didicit enim ex iis quæ paſſus eſt obedientiam.* Vnde æqua lance cuncta ponderando cum videat nihil exigi ab hominibus quod tolerare aut perficere nequeant, minimè indulget affectatæ malitiæ peccantium, retinendo, non remittendo peccata eorum, qui erecta ceruice & perfricta fronte cum pertinacia in peccatis obdurantur, nec ab eis abſtinere, aut de eis pœnitere volunt prout oportet: ſed iis tantum remittit peccata ex compaſſiua charitate infirmitatis noſtræ qui Dei timore concutiuntur, & in ſpem miſericordiarum illius eriguntur, *Quoniam ſpiritus timens Dominum viuet*, inquit Clem. Alexand. l. 1. Pædag. c. 8. *Spes enim eſt in eum qui ipſos ſaluos facit, hæc ipſe autem, verbum inquam, qui pœnas imponit eſt Index de quo dicit etiam Eſaias: Dominus tradidit ipſum peccatis noſtris, peccatorum ſcilicet correctorem & directorem, & ideo ſolus his poteſt peccata remittere, noſter à Patre vniuerſorum conſtitutus Pædagogus, qui ſolus ab obedientia poteſt diſcernere inobedientiam.* Ita Clem. Certe nihil magis in votis habet, quam vt noſtra remittat peccata, hoc totis deſideriis peroptat, vel S. Baſilio Seleuciæ Epiſcopo teſte qui Deum Eliam prohibentem ne ros aut pluuia deſcenderet ſuper terram, ex quo grauis fames exorta eſt, & conceſſa pluuia zelo armatus gladio falſos Prophetas poſtea interfecerat, ita alloquentem inducit Orat. 2. *Miror equidem Elia zelum tuum, ac virtutem probo, proclive eſt in peccatum hominum genus & ſi vindictam cum criminibus confligere patiar deficiet, diutius tractari neſcium. Tibi peccantes cernere grave ſpectaculum, mihi vero qui ſum Dominus lex de humanitate ſcripta eſt, meipſum debitorem clementiæ conſtitui: quod ſi ad pœnas vnquam ſpectauero vereor legem de humanitate clamantem: Nolo mortem peccatoris, ſed vt ad me conuertatur à via ſua, & viuat. Tu ergo ſubi diuerſorium à peccato liberum, carne veſtitus cum Angelis conuerſare, ego vero ad homines per incarnatio nem veniam, ego in eorum ſalutem curram, naturam ego ex hominibus delibatam aſſumam, & paſſione paſſiones*

S. Baſil. Seleu.

Digitized by Google

mortalium curabo, morte mortem frangens. Hoc enim ante te Prophetæ Esaias hominibus Euangelium prædicabat: liuore eius sanati sumus, cui gloria sempiterna, Amen.

Basil. Seleuc. Orat. 29. Ita Basil. qui alibi nempe orat. 29. exhortatur peccatores vt ad hanc Clementiam recurrant dum ait, *Factus Christus humanitatis Pelagus profusis aquis omnes inundat: Venite ad me omnes qui laboratis, qui diaboli aciem contra me muniueratis, me cum bonis meis delitiisque vtimini, qui bellis in me excitatis estis fatigati quietem me dante capite, diabolicam seruitutem meo mutate regno, Vos ille instructa in me acie delassauit, armauit Vos hostis legis violatione, impietatis panopliam induistis, verum funestarum tadio thoracem circumiecit, sagittis iniquitatis manus colligauit, ad libidinosas actiones Vestras fluctus concitauit atrociores, ad cultum idolorum exercitus legit, nec Vobis mecum pugnantibus remissio fuit Vlla, sed ecce adsum, Vos compello, Venite ad me omnes. O Mira Dei clementia! nihil interest an amici sint aut inimici, quos ad se Vocat Vt quietem illis tribuat, armatis in se hostibus æque ac eum diligentibus dicit, Venite omnes, omnes inquam, amici & hostes. Huius Clementiæ præclarum effectum diuina Misericordia edidit dum ab initio conditionis Adamo peccante planta hæc ingrata extirpanda erat non fouenda, at obstitit diuina Clementia tam iustæ Vindictæ, & Adamo Dei præsentiam fugiente eum his Verbis Deus interpellauit: Adam Vbi es? Adam opus manuum mearum, carissimus mihi amicus in quam te coniecisti miseriam? Adam, amores meos requiro, animatum meæ dignitatis simulachrum? noui Diaboli contra te machinamenta, noui inuidentiam, quæ sanctatus excidisti, liberiore tecum colloquio? fede in fugam concitas quem colloquio suo Deus honorat, & quam in medio creaturarum imaginem statuo, eam Vertens in fugam occultauit. Planta in medio collocata fraudum telis iaculatus est, præuaricationis onus imposuit, belligerare cum bonorum auctore docuit, pietati seruientem, peccati seruum fecit: sed te duntaxat præsentem siste, & mali remedium cape, lapsus tui repositum in pœnitentia pharmacum: Vbi es?* Ita Basil. O immensa bonitas! putas ne solum Adamum eum compellere & prouocare vt veniat? minime: certè nullum à se repellit quamuis immensis & innumeris oppressum sceleribus, nemini misericordiæ ianuam occludit, aperit cuicumque petenti, quærenti, pellenti, pulsanti cum perseuerantia. *Quam multi*, inquit Basil. Seleuciæ, *quotidianis offensionibus iram in me accendit, quam multi peccatorum incendio legibus meis iniuriam faciunt? hic pecuniarum raptiones adamas, alter proximo dolos texit alius alienas nuptias spoliat, alius lites consuit ius depradans, alius ex periurio diuitias arrogat, alius animum ad alterius eadem intentum dum habet lingua adulatur, alius inuidiæ iaculum immittit in proximum, alius damnum intulisse gloriæ ducit, & iustum potentia reputat: at Venite omnes, &c. In me duntaxat propensi estote, & curationem referte, apud Vos crimina, apud me medicamenta, apud Vos Vulnera, apud me pharmaca, solam pœnitentiam quæro, & Vulnus sano: ostendite mihi mutatos mores & à molestia este liberi.* Ita ille. Iam non vrget illa lex austera & rigorosa quæ prævaricatorem morti absque remissione addicebat, eumque cum suo crimine exterminabat, *Ego Vero*, inquit Christus apud Basil. Seleu. *peccatum quidem odi peccatoris autem facti pœnitentis me miseret & si lacrymas fluentes videro debitum remitto. Quæ inspicio malefacta, dum morum conuersionem adspicio, despicio, & præsentem offensionem oblitero dum spem de futuris facinoribus concipio*, &c. hæc Basil. Et ne de tanta misericordia diffidamus, vt signum aliquod remissionis criminum habeamus, in Apostolorum & successorum ipsorum ore posuit criminum & scelerum abolitionem, & absoluendi nos plenam autoritatem si veniam ad eos recurrentes petere voluerimus, ait enim ad Apostolos eorumq; successores: *Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis*, &c. Quibus verbis certe designatur illa autoritas remittendi peccata data Apostolis quam annunciari omnibus præcepit Christus cum prædicatione mortis suæ & resurrectionis. Luc. vltimo. *Et dixit eis: quoniam sic scriptum est & sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertia die & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierosolyma. Huius Vocis hæreditatem*, inquit S. Basil. Seleuc. *obtinuit Apostolorum cætus, hanc in manibus habentes, non in flata tuba cælum hominibus peruium reddiderunt, terras integras peruasit, ea Vox insulas occupauit, Vocatæ sine vi captæ sunt Ciuitates, Prouinciæ cucurrerunt, cessit in prædam Græcia, admisit eam Vocem Barbaria, Reges adorarunt, Imperatores ceruices iugo subiecerunt, populi eam Vocem suam fecerunt, Idola collapsa sunt, ara euersa, dæmones locum Voci cedentes fugerunt.* Hæc ille, & paulo post: *O Vocem quæ commune quoddam de hominibus trophæum statuit! ô Vocem salutis fontem! ô Verbum quod Verbi res propter Verbum stabiliuit! Ea Voce participemus cum bonorum fructu, sanctorum requiem sequamur, iuxta Christi Verba: Venite ad me omnes qui laboratis.* Ita Basil. Seleuc.

Hac ratione Christus dicitur, *Pater futuri seculi*, non solum quia Pastores constituit quorum ministerio per Euangelium ipse nos genuit, non enim *Qui plantat aut qui rigat est aliquid sed qui incrementum dat Deus*, sed etiam quia tanquam pius Pater compatitur infirmitatibus nostris iuxta illud: *Quoniam sicut pater miseritus est filiorum, miseritus est Dominus timentibus se quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.* Et quia Christus habet potestatem remittendi peccata, eamque contulit Apostolis, merito illi adsignauimus clauem domus Dauid, claudit & nemo aperit: nulli enim patet aditus ad peccatorum remissionem nisi per Christum adhibitis mediis quæ ipse instituit, & nemo claudit, *Deus est qui iustificat, quis est qui condemnet*, inquit Apostol.

Qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit: scio opera tua, &c.

Tertia ratio propter quam clauis domus Dauid Christo tribuitur nempe quia mala pœne prout opus est & Vires suppetunt distribuit, §. 4.

Quoniam seruasti Verbum patientiæ meæ & ego seruabo te ab hora tentationis.

Qui attente perspexerit ad quot sensus extenderimus significationem clauis Dauid statim perciciet eos omnes inseruire ad elucidationem eorum quæ in hac Epistola tangantur; vltimam rationem his apponere deberemus si ordinem textus sequi necesse esset, siquidem hæc ratio explicat versum 8. *Scio opera tua: ecce dedi coram te ostium apertum*, Vt videbimus, sicut quarta ratio exponit versum 9. & quinta versum vndecimum. Sed ne ordinem iam positum inuertamus tertia hæc ratio adducenda, quæ exponit versum 10. præcipue cum quæ mox dicemus, ad aliorum versuum expositionem inseruiant.

Dicimus igitur quod Christus Dominus mala pœnæ habet in manu, nam cum sit causa suum libere producens effectum absque vlla coactione, & omnia perficiat in numero, pondere & mensura propter suam infinitam sapientiam, nec inconsulto aut absque matura deliberatione aliquid agat in distributione malorum, ea habere in manu dicendus est iuxta illud Amos 5. *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit*, Et illud Ecclesiastici c. 2. *Bona & mala, Vita & mors, paupertas & honestas à Deo*

Amos 5. Ecclesiast. c. 2.

Deo ſunt, Mala autem immittit Dominus vel ad vindictam, vel ad probationem. *Indignamini*, inquit S. Cyprianus ad Demetrium, *quaſi aliquid boni male viuendo mereamini, quaſi non omnia iſta quæ accidunt minora adhuc ſint & leuiora peccatis veſtris, &c.* Et paulo poſt, *Aut enim ſuperbia inflatus es, aut auaritia rapax, aut iracundia ſenus, aut alea prodigus, aut violentia temulentus, aut liuore inuidus, aut libidine inceſtus, aut crudelitate violentus, & miraris in pœnas generis humani iram Dei creſcere, cum creſcat quotidie quod puniatur.* Ita Cypr.

S. Cyprian.

Harum autem pœnarum clauem habere dicitur Chriſtus Dominus, quia pro menſura delictorum debet eſſe plagarum modus, & oſtia inundantium aquarum aperienda prout ſcelera exigunt: vnde quia totum fere genus humanum temporibus Noë erat peccatorum aquis ſuffocatum cataractæ cæli apertæ ſunt vt omnium hominum genus aquis diluuij ſubmergeretur, & in quinque ciuitates Sodomorum pluit ignis & ſulphur è cælo ad eorum conſumptionem, & non alibi, quia harum ciuitatum habitatores erant præ cæteris hominibus peccatores.

B

At non ſolum propter punitionem, ſed etiam propter probationem immittit Dominus pro menſura virium diuerſas afflictiones, *Ideo*, inquit S. Cyprian. Epiſt 56. *perſecutiones fieri vt probemur, & vt dilectioni Dei inſtorum præcedentium exemplo, nos etiam morte & paſſionibus copulemur.* Ita Cyp. Siue igitur puniat ſiue probet, pœnas & ſupplicia appendit in ſtatera, *Pondus & ſtatera iudicia Domini ſunt, & Iſaiæ 28. Et ponam in pondere iudicium, & iuſtitiam in menſura.* Hinc quia Iob fortis erat & conſtans, omnibus diaboli tentamentis exponitur. Ecce, dixit Dominus ad Satan c. 2. *In manu tua eſt, verumtamen animam illius ſerua.* Quia vero hic Epiſcopus Philadelphiæ modicam habebat virtutem contemperat illi Chriſtus ſollicitudines & tentationes, *ſcio* inquit illi Chriſtus, *opera tua, ecce dedi coram te oſtium apertum quod nemo poteſt claudere, quia modicam habes virtutem.* Ac ſi diceret: Ne ſis ſollicitus de modo quo mihi obſequium præſtare poteris, offeram tibi occaſiones in quibus iuxta propriam virtutem poteris mihi inſeruire efficaciter & vtiliter. Appoſitè Menochius: *Scio opera tua, ſcio quam ſtrenuè pro me laboraueris, & dedi coram te oſtium prædicationis & conuerſionis gentium apertum, habeo enim clauem Dauid, & pandam fores coram te, vt inducas multos in Eccleſiam quia modicam habes virtutem, ideo ego aperiam coram te oſtium, quia virtus tua infirma eſt & imbecillis, & idcirco tibi vires ſufficiam, vt obſtantes difficultates ſuperare poſſis.* Ita Menoch. Ecce quomodo contemperat viribus illius ſollicitudines, contemperat etiam labores, *Ecce ego faciam illos vt veniant, & adorent ante pedes tuos, & ſcient quia ego dilexi te*, Contemperat etiam, & tentationes, *quoniam*, inquit, *ſeruaſti verbum patientiæ meæ, & ego ſeruabo te ab hora tentationis quæ ventura eſt in vniuerſum orbem tẽtare habitantes in terram.* Omnium ipſorum Chriſtus clauem gerit, vt pro modulo virium hæc permittat. Quia Paulus magnus erat caritate ſollicitudinem gerebat omnium Eccleſiarum, quia Petrus plus cæteris amabat Chriſtum totius Eccleſiæ accipit curam & gubernationem, quia Paulus erat feruentiſſimus plus cæteris laborauit & erat in tentationibus ſupra modum. Hic autem quia modicam habet virtutem ſeruatur ab hora tentationis quam ſingulis diebus permittit Deus, ita euenire vt non tentemur ſupra id quod poſſumus, tentationes permittens fortes, violentas, mediocres pro menſura fortitudinis animi, & fidelitatis ſuorum: ſicut igitur temerarij & præſumptuoſi eſſe non debemus vt aliquid vires noſtras excedens aggrediamur iuxta illud Apoſtoli,

C

Prou. 16.
Eſ. 28.

Iob. 2.

D

Menoch.

E

A Tentatio non vos apprehendat niſi humana, Ita in hac ſubmiſſione, & mentis dimiſſione, ac de propriis viribus diffidentia ambulantes ſperare debemus à Dei bonitate & fidelitate, quod ſi aliquando quamdam immiſerit afflictionem, aut permiſerit quamdam obuenire tentationem hoc procul dubio vires & facultates noſtras non excedet, & hoc modo maximè apparet quam inſigne ſit Chriſti imperium in omnia, cumque omnibus rebus vti prout vult ad noſtram ſanctificationem tanquam ſummus ſacerdos, Rexque ſupremus: ſiquidem mala & bona in manu tenet vt his ad libitum pro ſua bona voluntate vtatur, vt recte dictum fuerit aliquando ab admirantibus turbis, *Quis eſt hic quia venti & mare obediunt ei?* Immittit procellas, inducit tranquillitatem, certe Rex eſt ſeu Monarcha vniuerſi qui hoc modo temperat turbulentiora elementa. Ad hoc propoſitum faciunt ea quæ adducit Amos c. 4. *Ego quoque prohibui à vobis imbrem cum adhuc tres menſes ſupereſſent vſque ad meſſem, & plui ſuper vnam ciuitatem, & ſuper alteram ciuitatem non plui, pars vna completa eſt, & pars ſuper quam non pluit aruit, &c.* & cap. 5. *Facientem arcturum & Orionem, & conuertentem in mane tenebras, & diem in noctem mutantem, qui vocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ, Dominus nomen eſt eius.* Arcturus ſtella eſt in conſtellatione quam bootes vocant, ſituata in cauda maioris vrſæ: Orion autem ponitur in ſigno tauri, & quia hæ duæ ſtellæ apparentes excitant pluuias & tempeſtates, facit Propheta de illis mentionem vt indicet in Dei manu eſſe clauem ſeu poteſtatem excitandi tempeſtates eaſque compeſcendi: lege S. Hieron. & Riberam in hunc locum. Amos. Cum iſta igitur mala omnia ſint in manu eius non mirum eſt ſi vt Amos loquitur c. 5. ille ſit Rex potentiſſimus qui ſubridet vaſtitatem ſuper robuſtum & de populationem ſuper potentem adfert, & è contra ſi promittat huic Epiſcopo quod eum ſeruabit ab hora tentationis, omnia ſiquidem mala ſunt in manu eius. Dicat igitur ille Epiſcopus audita tam benigna præmiſſione, *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* Nec reuocet in dubium ſe à tentatione fore immunem, nec laborem ſuum fore inutilem quem ad conuerſionem animarum impendere voluerit, Deum namque habet adiutorem omnium rerum moderatorem, cui omnia obediunt, & qui in manibus ſuis mala & bona continet.

1. ad Cor. 10.

Amos c. 4.

Amos 5.

S. Hieron. & Liber.

Qui habet Clauem Dauid.

Ecce dabo de Synagoga ſatanæ, &c. Ecce faciam illos vt veniant, & adorent ante pedes tuos.

Quarta ratio propter quam Clauis Dauid Chriſto Domino tribuimus quia diuinorum conſiliorum ſuos amicos facit participes, §. 5.

Hanc poteſtatem reuelandi diuina myſteria per clauem deſignari dico propter Prophetiam quam hic Chriſtus exprimit de conuerſione falſorum Iudæorum ad Chriſtianiſmum, ſicut olim noluit ſubuerſionem Sodomorum celari Abrahamo quia amicus Dei erat Geneſ. 18. *Num celare potero Abraham quæ geſturus ſum?* Nam cum res futuræ ſolummodo à Deo cognoſcantur pertinet ad ſuauitatem diuinæ prouidentiæ eas aliquando reuelare amicis, ſiue vt illis det amicos in iis quæ aggrediuntur, dum Deo reuelante ſciunt quod ſuus labor non erit inanis in Domino, ſiue vt mala quæ vident & inſtantia ſentiant, intolerabilia ipſis non appareant ſpe concepta futuræ liberationis. Denique ne ex improuiſo fetiantur, tela enim præuiſa minus feriunt, æquiori animo omnia ſuffeiant. Primam ob cauſam in hoc

Geneſ. 18.

loco prædicit Epiſcopo Philadelphienſi conuerſionem Iudæorum vt ex fructu laborum ſuorum præuiſo huic negotio fortius incumbat, *Ecce*, inquit, *faciam illos vt veniant & adorent ante pedes tuos*, Et olim dicebat Apoſtolis Ioan. 16. *In mundo preſſuram habebitis, ſed confidite ego vici mundum*, & Luc. 12. *nolite timere puſillus grex quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum*. Propter ſecundam cauſam ipſis dicebat Chriſtus, *Amen amen dico vobis quia flebitis, mundus autem gaudebit vos vero contriſtabimini ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium*. Ioan. 16. Denique ne terreamur ex improuiſis aggreſſionibus facit quod prædixit Paulus 1. ad Theſſalon. c. 5. *De temporibus autem & momentis fratres non indigetis vt ſcribamus vobis, ipſi enim diligenter ſcitis, quia dies Domini ſicut fur in nocte ita veniet, cum enim dixerint pax, & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus, ſicut dolor in vtero habenti, & non effugient, vos autem fratres, non eſtis in tenebris, vt vos dies illa tanquam fur comprehendat, omnes enim vos filij lucis eſtis & filij Dei, non ſumus noctis neque tenebrarum, igitur non dormiamus ſicut & cæteri ſed vigilemus & ſobrij ſimus*. Recte igitur ait Amos c. 3. *Quia non faciet Dominus Deus verbum niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos Prophetas*. Horum itaque ſecretorum clauem habet Chriſtus vt eorum notitiam aperiat, eamque è contra claudat quibus voluerit iuxta illud: *Confiteor tibi Pater quia abſcondiſti hæc à prudentibus & ſapientibus & reuelaſti ea paruulis, ita Pater quia ſic placitum fuit ante te: omnia mihi tradita ſunt à Patre & nemo nouit Patrem niſi filius & cui voluerit filius reuelare* Matth. 2.

Ioan. 16. — Luc. 12. — Ioan. 16. — 1. ad Theſſ. c. 5 — Amos 3. — Matth. 2.

Qui habet clauem Dauid, &c. Ecce venio cito tene quod habes vt nemo accipiat coronam tuam.

Quinta ratio propter quam Chriſtus dicitur habere clauem Dauid eſt quia eſt diſtributor præmiorum & ſupplicionum, §. 6.

Quadrat hæc ratio cum iſta admonitione Chriſti: *Ecce venio cito*, & cum exhortatione; *Tene*, inquit, *quod habes vt nemo accipiat coronam tuam.* Hac de cauſa adducendæ ſunt hic expoſitiones huius loci ex diuerſis autoribus.

Gagneus: *Ecce venio cito nimirum auxilio tibi futurus, interim vero tene quod habes, 1. fidem tuam conſtanter ſerua vt nemo accipiat coronam gloriæ ac mercedis tuæ.* Ita Gagneus.

Eſtius: *Tene quod habes, &c. 1. tene fortiter ne quis auferat tibi coronam tuam, non ipſe habeat ſed ne tu habeas aut vt eam amittas. Sic prouerb. 5. monetur adoleſcens vt fugiat amores meretricios ne forte det alienis honorem ſuum non quia alieni ſint habituri ſed quia per eos & propter eos adoleſcens ſit amiſſurus: vide huius loci annot. & noſtra in 1. diſt. 4. ſimile eſt in 2. Epiſtola Ioannis: Videte ne perdatis quod operaſti eſtis ſed vt mercedem plenam accipiatis: vide annot. huius loci ſimili phraſi dictum Ioan. 10. nemo rapit eas de manu mea, quomodo rapit oues lupus non retinens ſed perdens,* Ita Eſtius.

Menochius: *Ecce venio cito te adiuturus, & coronaturus, tene quod habes, &c. Conſerua fortitudinem & patientiam tuam, perge vt cæpiſti, & nullis cede terroribus perſecutionum, ne ſi iis ſuccumberes alius pro te ſubſtituatur, qui mercedem, & coronam vitæ æternæ referat, quam tibi paraueram.* Ita Menoch.

Titinus: *Ecce venio cito te adiuturus, & imminenti periculo ſubtracturus. Richardus & Rupertus putant hoc verbo ſignificari hunc Epiſcopum cito moriturum, ſed non deſunt Chriſto alia viæ quibus poſſit ſeruos ſuos tyrannorum potentiæ ſubtrahere, & fortè diuino inſtinctu pulſus eſt S. Quadratus quia nominatim quærebatur Philadelphia hac occaſione Athenas demigrare vt ſupra inſinuaui v. 7.*

Gagneus. — Eſtius. — Menochius. — Titinus.

A *Tene, id eſt, retine conſtanter quod habes nempe fidem, charitatem Zelum, patientiam, cæteraſque virtutes hactenus obtentas vt nemo accipiat ſeu adimas tibi coronam tuam. i. mercedem virtuti tuæ (ſi perſeueraueris) promiſſam ac præparatam, iam manibus illam pene tenes, fac retineas, nec tibi ab alio eripi ſinas v. g. à Tyrannis, à ſeductoribus, à dæmonibus &c. Accipere enim hic non aliud deſignat quam adimere, tollere, auferre, quomodo improbi accipiunt, id eſt, adimunt piis coronam ſuam quando illos à pietate diuellunt, neque neceſſario connotat transferre in proprium caput ex alieno capite, quod ſolis piis adſcribi poteſt ad quos hic non videtur alludi, vnde licet ſapiſſimè accidat, vt vno cadente alius eius loco ſubſtituatur, v. g. homines Angelis, Gentiles Iudæis Dauid Sauli,*

B *Matthias, Iudæ, Cyprianus Tertuliano, Cyrillus Origeni, Hieronymus Ruffino, Auguſtinus Pelagio, &c. Id tamen perpetuum non eſſe docet quotidiana experientia: neque poteſt ex hoc verſu ſolidè colligi vt iam oſtendi, multo minus ex eo colligi poteſt, quod Primaſius, Beda, Ansbertus & quidam alij volunt, certum & prædefinitum eſſe numerum ſaluandorum ante præuiſam ſingulorum finalem perſeuerantiam, adeo vt ne plures ſaluandi ſint nec pauciores nec alij quam qui de dicto numero ſint. Quin potius cum Vaſquez, Gregorio à Valentia, Leſſio, Cornelio à Lapide & aliis plane contrarium hinc colligo nempe Deum non abſolutè nos eligiſſe ad gloriam cæleſtem niſi*

C *poſt præuiſa ſingulorum merita & perſeuerantiam, poſſe etiam quemcumque iuſtum ei ſanctiſſimum à ſanctitate & gratia excidere: cur enim alioqui moneret, tene quod habes? cur periculum inculcaret amittendæ coronæ? cur omnibus his Epiſtolis nulli niſi vincenti promitteret coronam? cur tot minas intentaret? tot monitis, tot præmiis excitaret?* Ita Tirin.

Exiſtimarem tamen libenter hic non agi primario ſenſu de præmio vitæ æternæ, ſed de illo honore quem adipiſcitur quiſquis conuerſioni infidelium, aut incredulorum incumbit. Exhortatur igitur Epiſcopũ Philadelphiæ ne propter peruicaciam Iudæorum, eorumque contradictiones derelinquat ſedem ſuam, fore enim vt ipſi conuertendi eſſent ſicut illi promittitur in his verbis: *Ecce faciam illos vt veniant, &c. Et ſcient quia ego dilexi te*, Quod cito

D ſe præſtiturum Chriſtus aſſerit dum ait: *Ecce venio cito, &c.* Et hac de cauſa exhortatur vt teneat quod habet nempe ſuum Epiſcopatum, munus, & miniſterium, quin & non ſinat fruſtra elabi occaſionem & facilitatem eos conuertendi quam deſignat in his verbis: *Ecce dedi coram te oſtium apertum, &c.* Ne videlicet eo honore priuetur ipſos ad Chriſtum conuertiſſe, quem acciperet ille qui & in hoc miniſterio, & in hac functione ſuccederet. Quod-ſi de ſancto Quadrato hic agatur potuit obtemperare huic admonitioni ſeu exhortationi, & poſtea vt volunt ad ſedem Athenienſem pro maiori vtilitate Eccleſiæ transferri.

Quidquid ſit, ſi de corona gloriæ æternæ hic agatur ſiue primario ſenſu ſiue ſecundano, certe dicere poſſumus penes Chriſtum hanc eſſe poteſtatem diſtribuendi præmia & coronas & decernendi ſupplicia pro menſura bonorum operum aut delictorum. Equidem Deus ratione Diuinitatis ſupremus eſt iudex omnium, proprium & peculiare eſt illi abſolutè iudicare de cunctis hominibus, & quia Pater & Filius & Spiritus ſanctus quoad ſubſtãtiam vnũ ſunt, actus vnus & idem actus eſt tum perſonarum. Nihilominus ſi attendamus ad modũ quo hoc iudicium exercetur ab humanitate ſaluatoris, alio modo à tribus perſonis hoc iudicium profertur, alia ratione à Chriſto Deo & homine. Quando enim Pater & Spiritus ſanctus per Chriſti humanitatem illud proferunt & exercent iudicium, hoc præſtant tanquam per inſtrumentum ſeparatum, id eſt, non pertinens ad

eorum perſonalitatem. At quando verbum filius hoc idem exercet iudicium per ſuam humanitatem hoc præſtat tanquam per inſtrumentum ſuæ perſonæ coniunctum per vnionem hypoſtaticam. Et huiuſmodi vnionis ratione duplicem in Chriſto iudicandi poteſtatem contemplamus, vnam quam communem habet cum Patre & Spiritu ſancto ratione diuinitatis, aliam quæ cõmunicata eſt per poteſtatem excellentiæ humanitati ſuæ quæ ſecundaria eſt & ſubordinata illi poteſtati quæ ei competit in quantum Deus eſt: itaut iudicare debeat homines duplici titulo, & prout Deus eſt & prout homo eſt, cuius humanitati hæc a patre & deitate fuit communicata iudicandi poteſtas. Et ex hac ſpeciali ratione exercendi iudicium per humanitatem tanquam per inſtrumentum coniunctum dictum eſt, *Pater non iudicat quemquam ſed omne iudicium dedit filio*, quaſi ſi munus ſibi proprium demitteret ſeu cõmitteret Chriſto inquantum homini exequendam, cui omne iudicium, id eſt, omnium hominum iudicium commiſit.

Propter iſta dicimus ſaluatorem habere clauem domus Dauid ſeu theſaurorum in quibus coronæ & præmia reconduntur, quas quæue vnicuique deſtinauit diſtribuenda pro ratione meritorum, vt eas, eaue tandem diſtribuat eo modo & in ea menſura & quibus pater æternus decreuerit, proinde nec iſta contrariantur iis quæ Chriſtus Dominus Ioanni & Iacobo petentibus, vt vnus aſſideret ſibi à dextris alius à ſiniſtris reſpondit, nimirum *Sedere autem a dextris, aut a ſiniſtris non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt Patre meo*. At ſi diceret: oportet vt eas ſeſſiones conferam quibus hunc honorem Pater præparauerit, id eſt, iis qui tali præmio digni habebuntur, qui tantum commeruerunt honorem: etenim cum de merito vniuſcuiuſque ſententiam & iudicium ferat cum Patre & Spiritu ſancto præmio ſemel conſtituto & decreto pro menſura ſeu ratione meritorum, cum exercere cæperit hoc iudicium & executioni tradet æterna diuinæ maieſtatis decreta, ea non alterabit aut aliqua ratione immutabit, ſed vnicuique præmia largiturus eſt prout decretum fuit.

O quam felices ſerui tam optimi Domini! Nam ſi eos vigilantes inuenerit, *Præcinget ſe & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis*. Luc. 12. Suppeditando videlicet quæcumque conuenientia, & neceſſaria extiterint, vt completam poſſideant beatitudinem, id eſt, ſtatim atque beati quietem perpetuam conſecuti fuerint & ad menſam ſplendidi conuiuij quod illis paratum fuit ſederint ſeu diſcubuerint, viſionem beatificam illis Chriſtus communicabit, non vni aut alteri in hoc aut in illo à communicatione ceſſando cæteris prætermiſſis, ſed omnibus qui ad cænam hanc vocati digni reperti fuerint, qui admittentur à primo ad vltimum, & hac ratione Chriſtus, qui per meritum ſanguinis ſui gratiam contulit, qui opera noſtra in tam alto gradu dignitaris, & meriti euexit vt digna ſint altiſſima, & ſplendidiſſima hac remuneratione accommodando lumen gloriæ illud intendendo aut remittendo ad proportionem meritorum noſtrorum, & ad capacitatem intellectus creati cui competit totum Deum videre at non totaliter, videtur in hac actione ſimilem ſe exhibere, illi qui longiori & ampliſſima toga veſtitus ſuccingeret ſe vt expeditius iter inceptum conficeret, aut cuidam actioni incumberet facilius. Pari ratione verbum æternum Dei filius qui infinito lumine gloriæ collucet eoque quaſi amicto præclaro circumueſtitur, lumen gloriæ infundendo in mentibus creatis veſtem illam accommodare & ſuccingere videtur, vt hunc admirabilem effectum viſionis beatificæ in nobis producat quo beati efficiemur, dum in hoc lumine videbimus lumen, ſeu luminis fontem, cunctis reuera lumen gloriæ eiuſdem ſpeciei infundet, ſed cum illud lumen diuerſos gradus admittat intentiores aut remiſſiores pro ratione & proportione meritorum vniuſcuiuſque vt ait Barradius, *Infinitam eſſentiam quodammodo contrahit, neque ita aſcendunt beati vt illum comprehendant, neque enim poſſunt ſed ſingulis vt capaces ſunt, & ſingulare merita.* Barradius. Hæc Barrad. Si igitur per illud lumen intuſum connotans verbum æternum ſeipſum accommodans mentibus ſingulorum Deum nobis videre licet, optimo iure dicimus ſaluatorem clauem præmiorum æternæ gloriæ habere, ſicut enim clauis aperit nobis & pandit quæ erant abſconſa & inuiſa, ita lumen gloriæ aperit, & pandit nobis eum qui erat inuiſibilis nobis ob nimium luminis ſui ſplendorem & mentium noſtrarum imbecillitatem, ſi hoc lumine gloriæ ſpoliatæ aut priuatæ fuerint.

Magna itaque cum attentione & circumſpectione ambulare coram Deo debebat ille Epiſcopus, ſiquidem ab eo, ad quem ſpectat coronarum & præmiorum diſtributio admonetur, vt teneat quod habet ſollicitè ne alius in locum illius ſubſtituatur, & coronam mereatur, quæ ſecundum præſentem iuſtitiam illi præparata erat: nobis autem ponderanda eſt huius coronæ, & huiuſmodi præmij magnitudo amplitudo & dignitas, ne tædio afficiamur, ob nimios labores ſubeundos, ingenteſque ſollicitudines adhibendas, vt ſalutis noſtræ negotia feliciter pertractemus. Et aures accommodas, & obedientes verbo æterno præbentes vias nobis ab eo propoſitas licet aſperas difficiles ſpinoſas carpere alacriter, non attendentes ad earum aſperitatem & ad labores & ſudores, talis erat vt pie docet S. Baſilius Seleuciæ orat. 24. mater ſanctorum Ioannis & Iacobi dum ſedes honorarias pro filiis petit à Chriſto dum eum de cruce ſolum loquentem, & differentem audit, *Quid ais?* inquit Baſilius, *o mulier crucem audis & thronum rogas? De paſſione ſermo eſt, & regno inhias, ſine diſcipulos vacare timori, ſine ſuas in periculum curas partiri: Vnde tibi tantæ dignitatis quæſtio? Quid eorum quæ dicuntur fiuntue te commouit ad regni poſtulationem? Paſſionum commemoratio? crucis expectatio talia te quærere pepulit?* Ita ille. Hoc autem Baſilius fidei huius mulieris adſcribit, quam ita loquentem inducit, *Video*, inquit, *paſſionem animo autem reſurrectionem præuideo, video crucem pangi ſed video cælum pandi, video clauos ſed & thronum imaginor.* Ita Baſil. Qua fide iſta mulier ſecundam Chriſti ex virgine cernebat natiuitatem, ſtellam quæ Perſidem ad hunc partum emouit (exiſtimat ille autor cum Clemente Alexand. Reges Chriſtum adoraturos ex Perſide aduentaſſe) audieratque Ioannem exclamantem, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*, multaque miracula & audierat & videre potuerat, & quanto cum imperio creaturis imperabat. Denique audierat Chriſtum promittentem diſcipulis, *ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim*, qua de cauſa licet eum differentem ſolum de cruce, laboribus & pœnis audiat, quæ ex his præmia obuentura ſint intuetur; *Futura*. ait illa apud Baſ. *Video fidei oculis: Attenerit*, addit Baſ. Sel. *Vt apparet, latronis voces mulier, ille in cruce orationem efferebat, memento mei in regno tuo: hac ante crucem pro regno ſupplicat, dic vt ſedeant, &c. O deſideriam paſſione maius, & deſiderium in ſolam futuri cogitationem intentum, quæ temporis intercapedo remonebat à cognitione fides intuebatur.* Ita Baſil. Præmium intuetur mulier, at Chriſtus Dominus vult vt ad labores oculos conuertamus. *Via*, inquit Chriſtus apud Baſil. *eſt paſſio, labores pro religione ſuſcepti regnum merentur, non tenuis hæc poſtulatio, ſed paſſionis imitatio regnum conciliat: ſi dignitatem amas accede ad*

A B C D E

Luc. 12.

S. Baſilius Seleucia.

S. Baſilius Seleucia.

Digitized by Google

paſſionis ſocietatem, oſtende te cum Chriſto crucifixum & in regni conſeſſu ſpectaberis imis mercare ſumma. Ita ille. Et prout quiſque ſeipſum dignum præſtabit, Chriſtum fidelem, veracem & æquiſſimum honorum & graduum diuerſorum, dignitatis & gloriæ inueniet diſtributorem. Hinc ita Chriſtum loquentem inducit S. Baſ. Seleuc. *Non eſt meum dare quia remuneratio accipientis meritum conſequitur, non ſolum facultatem dantis; thronus laborum præmium eſt, non ambitionis donum gratuitum, & recte geſtis thronus comparatur, nudam poſtulationem datio non conſequitur, monſtra meritum tuum & meam intuere poteſtatem: Si peccatorem peccati tædet, ægritudinem leuo, debitum remitto, ſi ploras meretrix remiſſionem concedo, ſi publicanus pectus feris errata non exquiro: Si leproſus curationem quæris virtutem excero, volo: mundare, ſi mortuum è tumulo reſurgere neceſſe eſt poteſtatem exprimo, Lazare veni foras: ſi cæcus luminis orbitatem gemit, ſecundum fidem veſtram fiat vobis. Quod ſi thronum vero quis petat & regiam poteſtatem quærat & ſedere ad dexteram affectet, tunc quid poſſim curioſè diſpicio, ſuſum pro pietate ſudorem teſtibus repoſco, nam eorum merces eſt in meo verſari conſeſſu, ſi reperero quod his condignum ſit, tunc eſt meum dare; vocant enim dantis poteſtatem accipientis merita: Idco non eſt meum dare, ſed patris eſt dare, ſed paratum eſt à Patre meo, Pater dum probat parat, non ſimpliciter gratificatur, expectat mores noſtros, donum enim parat: non leuiter effundit gratiam, ſed donum recondit: non eſt meum dare, neque enim patris eſt temere gratiſque talia largiri.* Ita Baſ. Ac ſi diceret: Si Pater ſolum promerentibus & laborantibus præparat præmia, nec ego qui omnia à Patre accepi coronas abſque meritis præcedentibus diſtribuo.

S. Baſ. Seleuc.

Si igitur in via ſalutis incedamus, ſi vt filio Eccleſiæ effectos Deus nos præuenerit in benedictionibus miſerationum & dulcedinum ſuarum, itaut viuamus in fide ſpe & charitate & adimpletione mandatorum & conſiliorum ipſius, non abeamus retro, pedem à progreſſu non reuocemus, imo potius quæ anteriora ſunt attendamus & in via iſta progrediamur, ſatagentes vt per bona opera noſtra multiplicata certam noſtram vocationem & ſalutem faciamus, audiamuſque vocem præfecti Magni domus Regiæ qui in hac Patris domo diſtribuit gradus officiorum & dignitatum pro meritis ſingulorum, qui in his Epiſtolis magnitudinem, amplitudinem præmiorum quæ electis & amicis præparat quæ ſub diuerſis rationibus exprimit, nobiſque proponit modò per diuinam ſpiritum ſuum dicens: *Vincenti dabo edere de ligno Vitæ*: Quaſi diceret: Quicumque vicerit omnem animi ſtuporem, attediationem, & laſſitudinem in bonis operibus patrandis dabo illi in hac vita gratiam qua excutiet ſtuporem, alleuiabitur, & confortabitur, & reficietur, dum per effectus dignæ perceptionis corporis mei perſentiet vigorem ſuum vireſque ſpirituliter reparari & reſtaurari pleniſſime ſicut olim vires corporeas perſenſiſſent reparatas, qui de fructu ligni vitæ comediſſent in Paradiſo Terreſtris. Cibus namq; corporis mei has vires ſuppeditat, modo homines obicem non ponant abutendo libero arbitrio, dum abundantiæ gratiæ in hac manducatione oblatæ deſunt, eique cooperari nolunt: In altera autem vita dabo illi beatitudinem, Dei nempe viſionem & fruitionem cum immortalitate corporis coniunctam. Modo per eundem ſpiritum ait, *Dabo tibi coronam vitæ*, id eſt cumulum, & aggregationem omnium bonorum, omnium gaudiorum, quibus veluti coronatus, & circundatus omnia propelluntur mala, quæ innumeris modis cruciant eos, qui à Deo ſeparantur in æternum, *Qui vicerit*, inquit, *non lædetur a morte ſecunda*; Modo rurſus ait, *Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum ſcriptum quod nemo ſcit niſi qui accipit*, Ac ſi diceret, ſi vnquam in hac vita mens perſenſerit & perceperit ſuauitatem quandam & indicibiles delitias, quas percipiunt ij qui dignè ſumunt, & deguſtant panem Euchariſticum videlicet corpus meum verum vitæ panem, qui ſub ſpeciebus ſacramentalibus proponitur, & datur manna vere abſconditum, quanto magis delectabitur ille, qui hunc panem, non iam ſub ſpeciebus delitescentem, ſed diſcoopertum & nudum deguſtabit, nullis inuolucris coopertum? Certe ſummas delicias, gaudiaque immenſa percipiet, quamuis nunc de tantis delitiis dicere debeatis, *Quod oculus non vidit, & auris non audiuit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparauit diligentibus ſe.* Vnde eas manna abſconditum dicere debetis, quia omni generi cognitionis vobis in hac vita abſcondite ſunt illæ deliciæ, percipiuntur autem, & deguſtabuntur tanto abundantius, quanto ſtrictius mecum quis fuerit vnitus, & mecum crucifixus, & me ſequi & me imitari voluerit: propter quam perfectam imitationem & ſimilitudinem dabo illi calculum candidum ſeu pretioſiſſimum Adamantem Magnanimitatis Chriſtianæ, quæ nunquam quieſcere poteſt niſi perſpexerit ſe in omnibus fieri Saluatori Chriſto omnimodè conformem, & ſicut laborum meorum particeps euadit, pari ratione, & honoris & gloria reddetur particeps: Hunc inſuper honorem conſequetur, vt tanquam ſtella matutina ductoris vice fungatur erga eos, qui eius actus & ſermones ſpeculaturi ſunt, ipſiſque lumen præbeat quo illuſtrati recta via ſecuri ad finem properent. Hoc modo cum ipſum perſpexero innocentiæ, & iuſtitiæ veſte indutus, nulla mihi cauſa incurret propter quam nomen eius coram Deo & Angelis eius non confitear, eum & ex mea familia, & ex mea ſocietate, & generis propinquitate eſſe profitebor, eum pro filio dilecto reputabo, & tanquam qui ad me pertineat eum tanquam columnam firmabo in pacifica poſſeſſione gaudij ſempiterni, quod nemo tollet ab eo. Et tunc agnoſcetur, & pro filio Dei viuentis, & pro ciue regni cælorum, & domeſtico Dei, qui mei ſit iuris & poſſeſſionis vt pote viuum membrum corporis myſtici cuius ego ſum caput, & hoc modo ſedebit in throno meo per participationem meæ beatitudinis, gloriæ & honoris, voluptatis & ſatietatis, mecumq; immortalitate donatus regnabit in ſecula ſeculorum.

A B C D

O magnificæ promiſſiones! ò merces exoptanda! quis non audiet libenter quod ſpiritus dicat Eccleſiis, quod dicat per Spiritum ſanctum ille iuſtiſſimus diſpenſator Theſaurorum Patris? Quis ei obedire reculabit? Siquidem ſi ei obedire voluerit omnem proculdubio inueniet honorem & gloriam. Optime Clemens Alexand. admonitione ad gentes circa finem: *Audite gentes innumerabiles, vel potius quicunq; ex hominibus eſtis ratione præditi, & Barbari, & Græci, omne genus hominum voces, quorum ego ſum opifex voluntate Patris, Venite ad me ſub vno Deo collocandi, & vno Dei verbo, nec expertia rationis animantia ſola ratione ſuperate, ſed etiam vniuerſis moralibus ad fruendam vobis immortalitatem volo enim volo vobis hanc quoque impertiri gratiam plenam & integram præbens beneficium vt ab omni vindicemini corruptione, ſed & verbum vobis largior Dei ſcilicet cognitionem perfectam, meipſum largitor, hoc ſum ego, hoc vult Deus, hoc eſt conſenſus, hic eſt concentus & harmonia Patris, hoc Filius, hoc Chriſtus, hoc Verbum, & Dei brachium Domini poteſtas, & vniuerſorum voluntas Patris.* Ita Clem. Alexand.

E Clem. Alex.

Simili modo Philoloſophandum de diſtributione

Digitized by Google

ſuppliciorum iuxta exigentiam culparum quorum Chriſtus vt ſupremus Iudex clauem tenet, vnde hanc ab eo latam ſententiam videbimus poſtea contra rebellem Babilonem, *reddite illi ſicut & ipſa reddidit vobis & duplicate duplicia ſecundum opera eius, in poculo quo miſcuit miſcete illi duplum, quantum glorificauit ſe & in deliciis fuit, tantum date illi tormentorum & luctum*, Apoc. 18. Timendus certe tantorum ſuppliciorum iuſtiſſimus diſtributor, & ſceleribus quibuſcumque abſtinendum, ſicut diligendus eſt vt æquiſſimus præmiorum largitor & eius mandatis ſeruandis ſerio incumbendum.

Qui habet clauem Dauid, &c. Ecce dedi coram te oſtium apertum quod nemo poteſt claudere, &c. Ecce dabo de ſynagoga ſatanæ qui dicunt ſe Iudæos eſſe & non ſunt ſed mentiuntur: Ecce faciam illos vt veniant & adorent ante pedes tuos & ſcient quia ego dilexi te, &c.

Sexta ratio propter quam clauis Dauid Chriſto Saluatori tribuitur quod ad ipſum pertineat peccatorum conuerſio, eius namque auxilium omnino neceſſarium ad hunc præclarum effectum obtinendum his qui ad hoc miniſterium vocati ſunt ne in vanum currant aut laborent. §. 7.

HANC rationem germanam eſſe non dubito propter quam Chriſtus Dominus Epiſcopo Philadelphienſi ob oculos ponit ſe habere clauem Dauid. Loquitur huic Epiſcopo qui quia modicam ſentiebat ſe habere virtutem videbatur timore cadente in conſtantem & prudentem virum poſſe abſque reprehenſione concuti. Graues patiebatur aduerſarios Iudæos nempe, qui zelo quodam amaro religionis ſuæ leges & ceremonias tuebantur, & ex Actuum libro diſcimus quanta cum animoſitate tales prædicationi Euangelij obſiſtebant. Omitto primas illas contradictiones Principum ſacerdotum in initio poſtquam viderunt ad Petri prædicationem quinque millia hominum fuiſſe ad fidem Chriſti conuerſos, omitto illam in Apoſtolos excitatam commotionem ob multitudinem miraculorum & ægrotantium copioſum numerum qui ad eos adducebantur & vndique affluebant vtique ſanandos: qua de cauſa in carcerem coniecti & detruſi fuerunt & eorum mors meditata fuit; omitto rurſus grauem illam perſecutionem in qua S. Stephanus, captus, accuſatus, condemnatus & lapidatus fuit & propter quam diſperſi ſunt fideles qui Hieroſolymis commorabantur per vniuerſam Iudæam & Samariam, nec loquor de martyrio & nece S. Iacobi aut incarceratione Apoſtoli Petri. Si Paulum ſequamur Antiochiam aut Iconiam videbimus quomodo Iudæi, qui erant Antiochiæ & Iconiæ cum furore & odio implacabili illum perſequebantur, Liſtris turbas populorũ concitant vt eum lapidibus obruerent extra ciuitatem illum trahentes, & pro mortuo derelinquentes. Apud Theſſalonicenſes fit contra eum vehemens commotio, accuſatur & ad Gallionem conſulem deducitur, Ieroſolymis agens Iudæi Aſiani inſurrexerunt in eum & plebem concitarunt vt illum morti traderent, & niſi Tribunus ſuperueniens obſtitiſſet, à verberibus nunquam deſtitiſſent. Apud Felicem & Feſtũ ardenter procurata eſt illius peditio, & vno verbo dicam nec Paulus nec alij Apoſtoli, in initio promulgationis Euangelij nunquam duriores, aut infeſtiores Iudæis paſſi aut experti fuerunt hoſtes & aduerſarios.

Quæ cum ita ſint mirandum non eſt ſi hic Epiſcopus timebat parum ex ſuis laboribus emolumentum ſe conſecuturum, nec magnum fructum habiturum ſi in conuertendis cordibus adeo induratis operam ſuam collocaret. Vt igitur hunc timorem expelleret Chriſtus Dominus proponit ipſi, quod habeat ipſe clauem Dauid & præſtiturum quæ neceſſaria forent vt labor illius infructuoſus non eſſet, promittit ſe cordium ipſorum oſtium eſſe aperturum, quò facile verba Epiſcopi huius corda illorum penetrare poſſent. Iaciat igitur confidenter quod in ſe eſt, offerat ſe per Euangelij prædicationem ad januam, pulſet, inſtet, prædicare non deſinat importunè, opportunè, & ſperet Chriſto iuuante, quod eorum animas ſeu mentes optimè diſpoſitas inueniet, itaut eius verba ſuſcepturi ſint cum incredibili amoris & beneuolentiæ ſignificatione conuerſi ad fidem, itaut veniant & adorent ante pedes eius. Et reuera in eundem ſenſum hoc oſtium apertum ſumere & intelligere poſſumus quo S. Anſelmus ſumit & intelligit hunc locum Pauli 1. ad Corinth. c. 16. *Oſtium enim mihi apertum eſt magnum & euidens & aduerſarij multi, Id eſt*, inquit ſanctus Anſelmus, *oſtium manifeſtum prædicationis meæ per quod poſſim prædicando ad corda audientium intrare & ad fidem Chriſtianam introducere, & aduerſarij multi obſiſtunt mihi qui conantur opus meum impedire, & ideo me neceſſe eſt cum illis adhuc confligere.* Ita Anſel. Quales erant hi de quibus hic dicitur: *Ecce dabo de ſynagoga ſatanæ, qui dicebant ſe Iudæos eſſe & mentiebantur.* itaut oſtium apertum, nihil aliud ſit ſecundum Anſelmum, quam multa corda ad audiendum aperta: hic autem agi præcipue de conuerſione Iudæorum cenſent interpretes. Eſtius; *Qui dicunt ſe Iudæos, &c. Id eſt falſum dicunt, non tamen vt apparet contra mentem quia ſe putabant eſſe veros Iudæos, imo & forte reuera ſecundum carnem Iudæi erant qui hoc dicebant. Mentiri tamen eos dicit ſpiritus, quia non competebat eis ille Iudaiſmus in quo mente gloriari potuiſſent: de quo Apoſtolus ad Rom. 2. Non qui in manifeſto Iudæus eſt, ſed qui in abſcondito: cuius laus non ex hominibus ſed ex Deo: Vnde Dominus in Euangelio: ſi filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite: Et iterum: Pater veſter diabolus eſt. Ecce faciam illos, &c. Dupliciter hoc intelligi poteſt, vel vt ſignificetur ex Iudæis quoſdam conuertendos ad fidem Chriſti, qui prius in carnali & falſo Iudaiſmo confidebant, vel futurum tandem vt Iudæi vel inuiti agnoſcant populum Chriſtianum à Deo dilectum & electum fuiſſe. Quomodo multa dicuntur in Prophetis maximè apud Ezechielem ſubinde repetentem illud: Et ſcient quia ego Dominus*, ita Pſ. 82. *imple facies eorum ignominia, & quærant nomen tuum Domine, erubeſcant & conturbentur in ſæculum ſeculi & confundantur & pereant, & cognoſcant quia nomen tibi Dominus. Forte & illud huic ſimile eſt in Iſ. 71. Et inimici terra lingent.* Ita Eſt.

Menochius: *Dedi coram te oſtium. i Prædicationis & converſionis gentium apertum, habeo enim clauem Dauid, & pandam fores coram te vt inducas multos in Eccleſiam quia modicam habes virtutem, ideo ego aperiam coram te oſtium quia virtus tua infirma & imbecillis & idcirco vires tibi ſufficiam vt obſtantes difficultates ſuperare poſſis. Et ſeruaſti verbum meum ſ. fidem retinuiſti & doctrinæ Euangelicæ adhæſiſti, & non negaſti nomen meum ſed illud confeſſus es & profeſſus es te eſſe ſectatorem meum, ecce dabo vt conuertantur de Synagoga de Iudæis & Iudaiſantibus qui ſunt Synagogæ, non Dei, quia contra Chriſtum & Chriſtianos conſpirant, adorent ante pedes tuos, ad pedes tuos procident, parati facere quidquid iuſſeris, & ſcient quia ego dilexi te: tunc intelligent & confitebuntur te veracem & pium fuiſſe, & Deo carum.* Hæc Menoch.

Tirinus: *Quia modicam habes virtutem Nempe id eſt, potentiam, id eſt, modicas vires ſeu naturales ſeu*

Digitized by Google

supernaturales ad conuersionem infidelium maximè Iudæorum, ideo times trepidas, & angeris: opus enim ad id est non modo scientia, & facundia, sed insuper etiam robusto zelo, & insigni sanctitate, & magnanimitate, qua difficultates omnes, & molestias occurrentes exhauries, sed bono sis animo, quod ex tua parte deest ego ex mea supplebo. Ecce dedi coram te ostium apertum meæ claue, id est, opportunam occasionem, & commoditatem conuertendi infideles tibi subministro, quia seruasti verbum seu præceptum meum, id est, in fide constanter perstitisti cum tentareris, & persecutionem patereris, modica licet potentia bene & fideliter vsus; ideo nunc augebo vires tuas, vtarque illis ad res per te maximas perficiendas. Ecce de Synagoga Satanæ quoque, non iam amplius Dei, sed Satanæ 9. ex numero obstinatissimorum, tibique infestissimorum Iudæorum dabo tibi in filios, faciamque vt adorent ante pedes tuos, id est, accedant tibi supplices tanquam Patri & Episcopo suo, vt eos in numerum filiorum tuorum admittas, vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent. Ita Tirin.

Quod autem hoc propriè pertineat ad Christum nempe conuertere corda, eaque aperire, sufficit ad huius veritatis probationem hic adferre ea quæ docet, S. Anselm. in c. 3. 1. ad Corinth. hæc verba exponens: *Itaque neque qui plantat, &c. Nos*, inquit, *qui forinsecus loquimur ad aures vestras, ita sumus quasi operarij adhibentes culturam forinsecus ad arborem, sed incrementum dare non possumus, nec fructus formare, ille autem qui vos creauit & redemit, & vocauit per fidem, & Spiritum sanctum habitantem in vobis intus: sine causa nos perstrepimus, interior ergo Magister est qui docet, Christus docet, inspiratio ipsius docet, vbi illius inspiratio, & illius vnctio non est, forinsecus inaniter perstrepunt verba: Num & agricola arborem potest plantare, aquam foris adhibere, & diligentiam cultura? Sed non potest folia, pomaque formare, excedit enim hoc humanam humilitatem, excedit angelicam sublimitatem, nec omnino pertinet nisi ad creatorem, quia solus Deus dat incrementum. Itaque neque qui plantat, id est, qui fidem fundat, est aliquid, dando quidquam ex se, neque qui rigat, id est, qui vel baptizat, vel postea mores instruit, sed Deus qui dat incrementum ipse valet ad salutem, id est, illius vnctio, qui vos docet intrinsecus. Frustra quippe operarius omnia moliretur extrinsecus, nisi creator intrinsecus latenter operaretur; neque plantator neque rigator est aliquid ad salutem eorum qui riguntur siue plantantur, quia & plantata solent mori, & rigata ad effectum fœcunditatis non peruenire, nisi Deus det vegetantem gratiam.* Ita Anselm.

S. Anselmus in c. 3. 1. ad Corinth.

Cum autem ita beneplacitum est Deo hoc fauore aliquem præuenire vt sit aptum & idoneum instrumentum seu Ministrum ad tam arduum, & excellentissimum opus, certe in seipso gerit cuiusdam dilectionis Dei erga se speciale specimen, rarissimè enim fit vt Deus magnas multiplices & extraordinarias conuersiones perficiat ministerio improborum, sed ad hoc sæpe sæpius vtitur viris probitate insigni, & præcipua sanctitate præditis, licet aliquando verbi ministratio suum effectum obtineat, etsi huius verbi Minister & præco peccatis sit inuolutus. Loquimur igitur de extraordinario quodam verbi diuini fructu, quem non afferunt nisi Apostolici viri, hac de causa addit Christus: *Et scient quia dilexi te*: Multos per te ex obstinationibus quales erunt Iudæi conuertendo ad fidem. Ex qua conuersione satis cerni potest Deum habere in se inhabitantem, & operantem, cuius erat idoneus minister & cooperator insignis. In hoc sensu dicebat Paulus 2. ad Corinth. 13. *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis?* Ex conuersione illorum efficace per suum ministerium vult conji-

2. ad Cor. 13.

A ciendum Christum esse in ipso, & per ipsum loqui & operari, si enim eius non esset fretus auxilio eos nunquam tam efficaciter conuertisset ad Christum.

Quoniam seruasti verbum patientiæ meæ, & ego seruabo te ab hora tentationis.

Per humilem patientiam & resignationem specialiori fauore & protectione diuina digni efficimur.

ANNOTAT. VI.

OPTIMA de causa Christus Dominus insinuat motiuum protectionis specialis qua hunc Episcopum protecturum esse asserit, fuisse patientiæ obseruantiam, hac enim virtute cæteras fulcit seu sustentat virtutes. *Sicut*, inquit S. Ansel. *fides est fundamentum omnium virtutum: sic patientia quodammodo est sustentaculum.* Verum gratiæ domicilium est mens virtutibus exornata, nec enim gratia cum peccato fœdus inire potest, indignabunda omnem à se fugare tentat imperfectionem, si adsit, contristatur, veluti quæ natiuum offuscet splendorem, & retundat generosum illud acumen quo incessanter ad cælestia fertur, nihil adeo timet quam si mens affectu quodam terrenorum à cælestium rerum amore, & meditatione abstrahatur. Multum igitur illam patientia iuuat quæ prohibet ne quid gratiæ diuinæ contrarium animam possideat, dum cæteras virtutes gratiam concomitantes tuetur, vt gratia ramos suos extendat in omnes animæ facultates, quin & micantes radios etiam extrinsecus emittat nescio quo splendore virtutis, qui etiam oculos intuentium hominem iustum & pium, & gratia Dei repletum percellit. Hæc patientia vitæ incommoda contemnit, iniurias despicit, bonorum iacturam negligit, & animæ confert auri puritatem, & soliditatem, itaut in fornace non euaporetur, quin & flexibilitatem vt sub mallei ictibus ad voluntatem artificis in tenuissimas etiam bracteas & filos dilatetur, vnde quo plus retunditur eo magis dispositionibus & ordinationibus diuinis submittitur, si variis tunsionibus pressuris, & afflictionibus Deus velit fidelitatis ipsius experimentum sumere. Recte igitur de patientia dicitur: *Patientia opus perfectum habet*, siquidem dubitandum non sit in hac submissione animi perfectionem consistere, iuxta illud Gregorij Nysseni: *Nostrorum bonorum summa est & caput, Deo esse subiectum.*

S. Anselmus.

Greg. Nyss.

At vt talis sit patientia notandum est Christum laudibus non extollere talem, qualem volueris patientiam, non ait: quoniam seruasti patientiam, sed, *Verbum patientiæ meæ, Id est*, inquit S. Anselm. in 3. Apocalyp. *ea quæ narrantur de patientia mea vt etiam diligant inimicos exemplo mei.* Ita Ansel. Quidam exponunt, *Verbum patientiæ meæ, Id est*, inquit Gagn. *Verbum propter quod asserendum & prædicandum passus sum*, ita Gagn. Menochius: *Hæc omnia tibi euenient quoniam fecisti id quod ego præcepi de patientia vbique seruanda & tenenda, vel scient te dilectum fuisse à me quoniam æquo animo incommoda pro me pertulisti. Patientiæ meæ: Patientiam suam vocat quam ipse præcepit & exemplo suo docuit, seruabo te ab hora tentationis ne scilicet in tempore futuræ tentationis, & persecutionis succumbas: videtur loqui de persecutione sub Traiano, quæ valida fuit, & vniuersalis.* Ita Menoch.

S. Anselmus.

Gagneus.

Menochius.

Tirinus: *Quia seruasti verbum seu præceptum patientiæ meæ, id est longanimis sustinentiæ laborum, miseriarum, persecutionem à me Christianis omnibus, ac præsertim Ecclesiæ Pastoribus præcepis, ego vicissim seruabo te immunem ab hora tentationis, id est à tempore crudelissimæ persecutionis, quæ sub Traiano & Hadriano*

Tirinus.

Digitized by Google

ventura eſt in orbem vniuerſum, pondus enim quod modicis viribus tuis ſuſtinere non potes ab humeris tuis ſubmouebo, inquit Alcazar & Ribera. Ita Tirinus. Et quia nunquam Chriſti patientia magis illuxit, quam cum in crucem actus pro inimicis ad Patrem orauit,

Anſbertus. ideo, *Verbum patientiæ meæ*, rite Ambroſius Anſbertus, cum Anſelmo ſupra, verbum patientiæ exponit de oratione Chriſti pro perſecutoribus. *Verbum patientiæ*, inquit Ansbertus, *eſt quod ipſe Dominus exemplo monſtrauit cum poſitus in cruce pro perſecutoribus exoranit, quodque verbis edocuit, cum in commune generaliter omnibus dixit: in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Hinc & Apoſtolus admonet dicens patientes eſtote ad omnes, quod videlicet patientiæ verbum in omni preſſura in omni anguſtia ſibi proponit Chriſti ſponſa.* Ita Ansb.

Ut maxime eam ſibi proponere debent Eccleſiæ Paſtores, qui conuerſioni infidelium & peccantium incumbunt, & maximè conuerſioni eorum qui manifeſtè ſe hoſtes Euangelij eſſe profitentur, quales erant illi qui erant de Synagoga Satanæ aduerſarij nempe Chriſti & Euangelij quos tolerare debuit ſpe conuerſionis exemplo Chriſti, *Qui*, Apoſtolo teſte, *talem ſuſtinuit aduerſus ſemetipſum à peccatoribus contradictionem*, Compatiantur ipſis exhortante ad

Ad Galat. 6. hoc Apoſtolo Paulo: *Vos*, inquit, *qui ſpirituales eſtis debetis infirmitates aliorum ſuſtinere.* Imitentur Chriſtum, qui debiles & laſſos ad ſe alliciebat vtique recreandos & refocillandos, *Venite*, inquit, *ad me qui laboratis & onerati eſtis.* At quæſo quinam magis laborant, quam qui ſubingo infidelitatis & peccati gemunt, quam qui peccatorum onera portare coguntur. Quod ſi ab eis aliquid pati contingat, & dum eorum ſalutem temporalem, & æternam procuramus ab ipſis mala nobis inferantur, memores ſimus bonitatis Dei viui, qui ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, eoſque tenere diligamus, & quanta poterimus aſſiduitate & fidelitate ſalutem ipſorum procurare non deſinamus. Hæc virtus vt vera ſit ſuauitatem ſemper, & beneuolentiam erga proximum conſeruat, Dei imitatur facta, qua propter recte S. Cyprian. fugillat Philoſophorum veterum

S. Cyprianus. patientiam. *Apparet*, inquit, *illis veram non eſſe patientiam vt ſit inſolens affectatæ libertatis audacia, & exerti ac ſeminudi pectoris inuerecunda jactantia.* Ita ille. Et reuera euidentiſſimum eſt in eis non fuiſſe veram patientiam, vbi enim audacia & jactantia, ibi certe animi ſuauitas & erga proximum manſuetudo & beneuolentia vix reperiri poteſt. Chriſtianorum igitur virtus eſt vera patientia, patientiæ Chriſti ſectatrix & imitatrix, *Qui*, vt ait S. Cyprian. *Philoſophi non verbis ſed factis ſumus, nec veſtem ſapientiæ ſed veritatem proferimus, qui virtutum conſcientiam magis quam iactantiam nouimus, qui non loquimur magna ſed viuimus quaſi ſerui & cultores Dei, patientiam quam magiſterijs cæleſtibus diſcimus, obſequijs ſpiritualibus præbeamus: eſt nobis cum Deo virtus communis, inde patientia incipit, inde claritas eius & dignitas caput ſumit, origo & magnitudo patientiæ Deo autore procedit, diligenda res homini qua Deo chara eſt, bonum quod amat Maieſtas diuina commendat, ſi Dominus & Pater Deus eſt ſectemur patientiam Domini pariter & Patris, quia & ſeruos oportet eſſe obſequentes & Filios non decet eſſe degeneres.* Ita Cyp. Et maximè Eccleſiæ Paſtores Dei patientiam imitari debent qui vt addit S. Cyprian. *Cum habeat in poteſtate vindictam mauult diu tenere patientiam, ſuſtinens clementer & differens, vt ſi fieri poteſt multa malitia protracta aliquando mutetur, & homo*

S. Cyprianus. *in errorum & ſcelerum contagione voluntas, vel ſero ad Deum conuertatur, ipſo monente & dicente nolo mortem peccatoris, &c.* Ita Cyp. Hoc modo ſe gerere debent Eccleſiæ rectores erga criminoſos, & ſceleratos, & huius patientiæ & manſuetudinis fuiſſe hunc Epiſcopum exiſtimare poſſumus, qua de cauſa promittit illi Chriſtus fructum patientiæ hinc reportaturum in conuerſione eorum. *Faciam*, inquit, *vt veniant, & adorent ante pedes vtos. Id eſt*, inquit, Anſel. c. 3. in Apoc. *parati imitari opera tua, vel vt timos fideles.* Ita ille. Et vt exemplo huiuſmodi patienti manſuetudinis ſenſibile haberemus Chriſtus deſcendere voluit, *Quia*, inquit S. Cyprianus, *Ad hoc deſcendere ſe dixerat, vt voluntatem patris faceret, inter cætera admirabilia virtutum ſuarum quibus inde ſa diuinæ Maieſtatis expreſſit paternam quoque patientiam ſolerantiæ tenore ſeruauit, omnes denique actus eius ad ſtatim aduentu patientia comite ſignantur.* Ita Cyprian. Quia igitur Epiſcopus Philadelphiæ ſecundum extenſionem virtutis ſuæ, Dei & Saluatoris Chriſti patientiam imitatus fuerat, hac de cauſa ſeruauerat verbum patientiæ eius, & promeruerat ſpecialem & particularem protectionem: beati quippe miſericordes, quoniam & ipſi miſericordiam conſequentur. Et quis quæſo attente poſſet contemplari patientiam & manſuetudinem Chriſti, qui harum virtutum amore non raperetur? *Clamorem Domini* inquit Cyprianus, *confundantur ſydera, contremiſcat terra, nox diem clamat, ne Iudæorum ſ cinus aſpicere cogatur, & otiosos & ſolos ſuos iubilat ille non loquitur, nec mouetur, nec Maieſtatem ſuam ipſa ſaltem paſſione profitetur. Vſque ad finem perſeueranter, ac iugiter tolerantur omnia, vt conſummetur in Chriſto plena & perfecta patientia, & poſt iſta omnia adhuc interfectores ſuos ſi conuerſi ad eum venerint ſuſcipit & patientia ſalutari ad conſeruandum benignus & patiens Eccleſiam ſuam nemini claudit, illos aduerſarios, illos blaſphemos, illos nominis ſui ſemper inimicos, ſi pœnitentiam dolentes agant ſi admiſſum facinus agnoſcant, non ſolum ad indulgentiam criminis ſed ad præmium regni cæleſtis admittit. Quid poteſt patientius, quid benignius dici? Vnificatur Chriſti ſanguine, qui ſudit ſanguinem Chriſti: talis eſt ac tanta Chriſti patientia, quæ niſi talis, ac tanta exiſteret, Paulum quoque Apoſtolum Eccleſiam Dei non haberet.* Hæc S. Cyp. Ex quibus conjicere licet quod ſicut Epiſcopus Philadelphiæ præter quod dignum ſe exhibuit particularis cuiuſdam protectionis propter ſuam manſuetudinem & patientiam erga peccatores quorum imbecillitati compatiebatur, eorumque contradictiones patienter tolerabat, Deo modicæ illius virtuti compatiente inſuper promeruit Iudæorum conuerſionem, ſicut S. Stephani Charitas patiens Pauli conuerſionem de congruo promeruiſſe probabiliſſimum eſt, hinc huic Epiſcopo dicitur: *Et faciam vt veniant & adorent ante pedes tuos, & ſcient quia ego dilexi te, quoniam ſeruaſti verbum patientiæ meæ.*

Ecce venio cito, tene quod habes vt nemo accipiat coronam tuam.

Perſeueramia eſt neceſſaria vt fructum ex laboribus noſtris capiamus.

ANNOTAT. V.

IAM iſta verba expoſuimus ſupra, reſtat vt de perſeuerantia aliquid dicamus neceſſaria vt coronam non amittamus.

Viis ac mediis humanam comprehenſionem excedentibus diuina vtitur ſapientia in diſpenſatione gratiarum ſuarum ad probandam liberi arbitrij noſtri ſententiam ſeu determinationem, vt manifeſtè agnoſcantur ij qui Deum ex toto corde diligunt, & qui apud ſe decreuerint conſtanter potius eſſe ſubi-

turos quodcumque periculum, quascumque tolerare pœnas, quam ab eius amore discessuros. Inueniuntur namque quibus sancti Spiritus gratiæ dona conceduntur ipsis non petentibus, aliis statim atque ad ea inhiauerint desiderio eaſque postulauerint, ad nullum laborem pro eorum donorum comparatione & possessione eos addicentes, quod nec inutiliter nec temerarie fit, sed ex incomprehensibili sapientia hoc fieri decernit; *Scilicet*, inquit Macarius hom. 29. *probandi viri gratia, liberaque voluntatis eorum, qui confestim gratiam diuinam consequuntur: an senserint beneficium, benignitatem ac dulcedinem à Deo sibi exhibitam, iuxta proportionem gratiæ suæ propriis laboribus collatæ qui dignitati debent cursum, conatum, ac dilectionis fructum à voluntate & proposito nascentem emittere, vicemque charismatum rependere, hoc est se totos ac deuotos in dilectionem Domini conferre, solam illius voluntatem peragere & ab omni carnali desiderio prorsus recedere.* Ita Macar. *S. Macarius.*

Hac ratione forte Episcopus Philadelphiensis fuerat à gratia Dei eiusq; benedictionibus præuentus, at si sine labore aut sudore gratia ipsi concessa fuerit vult tamen Diuina Maiestas vt cum cura & sollicitudine eam conseruare studeat. Apertum equidem illi fuit ostium perfectionis, id est, expeditiora fuerunt illi concessa media perfectionis acquirendæ & suo munere felicius fungendi, eius est ingredi, eius curæ est emolumentum & lucrum ex datis sibi talentis procurare, eius est dona concessa conseruare Deo fideliter quantum in se est cooperando vt donum perseuerantiæ paratus sit accipere & coronam sibi pro statu præsentis iustitiæ promissam feliciter reportare. Aliquando autem Deus vult, vt piis laboribus hæc dona mereamur, quod dum fit nec vanè nec temerariè similiter hoc fieri censendum est, nam etsi Deus non tam cito gratiam, animi tranquillitatem & alacritatem concedat, donorum suorum & liberalitatum profusionem ad tempus cohibendo, erga eos etiam qui illa peterent & longiusculo tempore in oratione, ieiuniis piisque laboribus & exercitiis perseuerarent antequam Deus eorum desideria, & postulationes exaudiret, *hoc etiam fit non temerarie; Sed*, vt ait S. Macarius, *occulta quadam sapientia ad probandam liberi arbitrij voluntatem, vt videat an fidelem, veracemque Deum existimauerit, qui pollicitus sit daturum petentibus, & pulsantibus vitæ fontes aperturum; vt agnoscat, an vere credant verbo suo & ad finem vsque permaneant in integritate fidei, studiisque postulantes, ac quærentes, an non afflicti & remissi auertantur, ne diffidentes ac desperantes contemnant, non perferentes vsque ad finem propter interiectum tempus & probatam voluntatem atque propositum.* Ita Macar. *S. Macarius.*

Siue autem gratis Deus dona largiatur, siue ad solum nutum seu desiderium ostia pandat, siue exigat vt diu januam pulsemus & laboribus plurimis dona sua vendere decernat, perseuerantia semper in bonis operibus & fideli cooperatione nobis necessaria est vt coronas & remunerationes referamus, securi quod si permanserimus vsque ad finem in cultu & expectatione ipsius cum omni diligentia vt loquitur Macarius quod Deus non fraudabit nos dono Spiritus sancti, sed cælestem promerebimur gratiam, etiam adhuc in hac vita degentibus & postea morte corporali aduenient vitam æternam. Audiamus ergo Paulum exhortantem; *Ergo*, inquit, *dum tempus habemus operemur quod bonum est ad omnes, maximè verò ad domesticos fidei, bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes.* *Ad Galat. 6.* *Admonet*, inquit S. Cyprianus de bono patientiæ, *ne quis impatiens in operatione deficiat, ne quis tentationibus, aut auocatus aut victus in medio laudis, & gloriæ itinere desistat & pereant prætera, dum quæ cœperat desinunt esse perfecta sicus scriptum est Ezechiel 33. Iustitia iusti non liberabit eum in quacumque die peccauerit, & iterum: tene quod habes ne alius accipiat coronam tuam: Quæ vox adhortatur patienter & fortiter perseuerare vt qui ad coronam laude iam proxima nititur durante patientia coronetur.* Ita Cyp. Ad hanc perseuerantiam prouocabat idem S. Cyprian. epist. 70. ad Rogationum. *Quantum*, inquit, *dolemus ex illis quos tempestas inimica prostrauit, tantum lætamur ex vobis quos diabolus superare non potuit. Hortamur tamen per communem fidem, per pectoris nostri veram circa vos & simplicem charitatem vt qui aduersarium prima hac aggressione victistis gloriam vestram forti & perseueranti virtute teneatis: ad huc in seculo sumus, adhuc in acie constituti de vita nostra quotidie dimicamus: danda opera est, vt post hæc initia ad incrementa quoque veniatur, consummetur in vobis, quod iam rudimentis felicibus esse capistis. Parum est adipisci aliquid potuisse, plus est quod adeptus es posse seruare, sicut & fides ipsa & natiuitas salutaris non accepta sed custodita viuificat, nec statim consecutio sed consummatio Deo seruat.* *S. Cyprianus.* Concludamus igitur cum Cypriano paulo post dicente, *Perseuerandum nobis est in arcto & in angusto itinere laudis & gloriæ.* *Cypriani.* Ita Cyp. Ne videlicet amittamus coronam donis gratiæ in hac vita à Dei bonitate concessis proportionatam, nec sinamus alium nobis honorem eripere è manibus, qui honor sane obuenit iis qui conuersioni animarum fideliter operam & industriam suam collocant, sed pro Dei amore & proximi dilectione quidquid possumus adhibeamus, vt ij qui nostræ curæ commissi sunt per Dei ordinationem ad Deum conuerti valeant, quos cum Apostolo Paulo vocare possimus, *coronam nostram & gaudium nostrum, Itaque*, dicebat ille ad Philippenses c. 4. *fratres mei charissimi & desideratissimi gaudium meum & corona mea, sic state in Domino charissimi*: Et ad Thessalonic. 1. c. 2. *quæ est enim nostra spes aut gaudium aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum estis in aduentu eius? Vos enim estis gloria nostra & gaudium.* *Ad Philipp. 4.* *Ad Thessal. 1. c. 2.* Tales futuri erant illi Iudæi conuertendi Episcopo Philadelphiensi si suo munere cum perseuerantia fungeretur, studendo serio eorum conuersioni. Sequitur quidnam præmij ex hoc labore consecuturus sit dum ait, *qui vicerit faciam illum columnam.*

Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei ac foras non egredietur amplius, & scribam super eum nomen Dei mei & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Ierusalem & nomen meum nouum.

Magno honore à Deo afficimur dum nos in cooperatores procurandæ salutis & conuersionis proximorum euehit.

ANNOTAT. VI.

LIBET hic expositiones quorumdam interpretum adducere ad pleniorem horum verborum intelligentiam. Gagneus: *Qui vicerit mundum & diabolum faciam illum columnam. i. confirmabo illum & fortem faciam in templo Dei mei. i. Vel in Ecclesia militante vel etiam in Ecclesia triumphante, & foras non egredietur amplius. Si de Ecclesia militante præcedens locus intelligatur, nunquam inde egredietur, quia qui sic victor euasit superior mundo & diabolo nunquam ab Ecclesia fide recedet firmatus & fundatus supra firmam Petram, imo Ecclesiæ ipsius columna factus, nam columnæ Ecclesiarum sunt boni & fideles Episcopi: si de Ecclesia triumphante præcedens locus intelligatur, multo minus à gloria in qua perpetuum stabilietur, egredietur. Et scribam super eum, &c. græca scholia* *Gagneus.*

nomen

nomen Dei Patris, nomen nouæ Hieruſalem, & nomen filij pro eodem vſurpant, pro Dei ſcilicet gloria & celebri cognitione, ſicut in illo Dauid: Quam admirabile eſt nomen tuum gloria tua, celebris fama tua in vniuerſa terra: glorioſum enim & celebrem vnuεῦν Græci nominant ἀπὸ τῦ ὀνόματος. i. à nomine explicant enim Græca ſcholia, ſcribam ſuper eum nomen Dei mei. Vt Sanctus Bonus & Juſtus dicatur, ſicut & Deus dicitur. Et nomen ciuitatis nouæ Hieruſalem de cœlo deſcendentis Templum & Tabernaculum Dei ſicut & illa. Et nomen meum nouum vt filij Dei ſint & dicantur quemadmodum & ego, nomen autem filij Dei quod Chriſtus ſecundum naturam humanam, nouum eſt omni homini quod nemo vnquam habuit ante Chriſti Incarnationem aut certe non niſi per eius Incarnationem. Ita Gag.

Tirinus. Tirinus: *Qui vicerit tentationum & perſecutionum* B *inſultus faciam illum in templo cæleſti columnam id eſt trophæum victoriæ ex hoſtibus parta, vt fuerunt in templo*
3. Reg. 7. *Dei mei terreno Boos & Iachin de quibus 3. Reg. 7. v. 15. & 21. quæ erant trophæa victoriarum Danidis, inquit Alcazar & Viegas. ad. Extollum illum ſupra alios, & victoriis ac trophæis celebrem, glorioſum ac famoſum reddam tota æternitate, & foras extra cæleſte Palatium meum extra gloriam & beatitudinem ſemel adeptam non amplius egredietur aut efferretur, vt ex Templo Salomonis ſunt à Chaldæis & Romanis columnæ illæ Boos & Iachin. Nota qui inſtar nobilis columnæ vult excellere in Eccleſijs tum militante tum Triumphante neceſſe reſtus ſit per æquitatem, firmus per fidem & fiduciam, ſolidus per Charitatem,* C *Craſſus per deuotionem, ſublimis per contemplationem, rotundus per ſimplicitatem, lauis per manſuetudinem, Marmoreus per conſtantiam, Variegatus omni genere Virtutum, ſcientiarum, & aliorum ſpiritalium ornamentorum: ſuper talem columnam ſcribam nomen Dei mei tanquam primi & ſupremi auctoris victoriæ & nomen ciuitatis Dei mei puta Ieruſalem non illius antiquæ per totum iam in cineres conuerſæ, ſed nouæ, ſpiritalis imo cæleſtis, quia de cœlo deſcendit à Deo producta, erecta, ſtabilita tam aliis fundamentis vt à cœlo ad terram vſque deſcendant, hanc ciuitatem vt pote vi captam, quaſi ſpoliam victoriæ, inſculpam, & nomen meum nouum Ieſu, id eſt, Salu-* D *atoris in terra, & beatificatoris in cælo, nam meis auſpiciis, meis meritis, à me acceptis gratiis, viribus, virtutibus obtenta eſt victoria in omnibus, & per omnes, ego vici, omnes per me & vicerunt ita vt triumphabunt. Meo nomine omnes gloriabuntur imo & nominabuntur à Ieſu Ieſuita, id eſt, filij & clientes Ieſu Saluati & glorificati per Ieſum.* Ita Tirinus poſt alios Ieſuitas Pererium, Riberam, Viegam à Lapide poſt Hugonem Cardinal. & Landulphum Carthuſ. Et ideo ſicut pater ſocietatis Ieſu ſoli non fuerunt Chriſti cooperatores, ita nec excluſis aliis cooperatoribus qui eos præceſſerunt, aut qui cum eis in Euangelio laborant, poſſunt hoc nomine gloriari. Ad noſtras obſeruationes veniamus.

Qui vicerit faciam illum columnam. Habemus ex Nonno in collectione, & expoſitione profanarum hiſtoriarum quarum meminit S. Greg. Nazianz. E in priori inuectiua in Iulianum quod antiquitus columna olim erigebatur oblonga quadrata figura in qua inſcribebatur eius qui inuectiua oratione proſcindebatur contumelia. Qua de cauſa talis oratio vocabatur ſteliteutica ἐκ τῦ ςηλῖ. j. columna Zeliten qui Græcos pecunijs corruptos eo adduxerat vt Perſarum regi parere, quam liberi eſſe mallent in columna inſculpſerunt, eum cum toto genere ignominia notantes atque ipſius obtruncandi licentiam publico edicto cuiuis concedentes cauſamque in columna inſcribentes. In hoc ſenſu ait S. Greg.
S. Greg. Na Nazianz. Orat. 3. aduerſus Iulianum. *Quis mihi Herodoti ac Thucydidis otium linguamque ſuppeditabit, vt iſtius improbitatem futuro quoque tempore tradam, atque huius temporis Hiſtoriam quaſi in Columna inſculptam poſteris relinquam?* Ita Greg. *Scire autem*, addit Nonnus, *eſt operæpretium quod eorum quoque qui de Republica præclare meritis fuerunt beneficia in columnam incidebantur, ſic egregia Leuconis, Boſphori in Rempublicam merita Athenis inſculta ſunt.* Hæc Nonnus. Nonnus

Quis nunc innumera Chriſti Domini beneficia in homines enumerare valeret, dum nos ſanctificat, & ad æternam gloriam adducit, aut ad eam adipiſcendam nos præparat per redemptionis ſuæ effectus? Certe columna illi eſt erigenda inqua tot eius beneficia inſcribantur. Hunc honorem confert Chriſtus Dominus ſuis amicis vt ſint quædam: Columnæ in quibus inſculpta cernantur manifeſtè tot & tanta Chriſti Domini in naturam humanam collata beneficia ſiquidem in eis & per eos tanquam per digniſſimos cooperatores & idoneos Miniſtros fidelium ſalutem operatur. Hunc honorem promittit Epiſcopo Philadelphienſi. *Qui vicerit faciam illum columnam.*

Diuinæ igitur maieſtatis ſeruus & Chriſti miniſter patientia ditatus qua vtilis & fructuoſus redditur ſibi & proximis, duos honores ſeu duas ſingulares prærogatiuas ex patientia ſua elicit, vna propriam reſpicit perfectionem, nempe perſeuerantiæ donum, *Faciam*, inquit, *illum columnam*, alia quod agnoſcatur & habeatur tanquam qui fulcierit, & ſuſtentauerit Dei cultum & obſequium apud eos videlicet qui patientiæ ſuæ materiam ſeu exercitium ſubminiſtrarunt: quod etiam deſignatur in his verbis *Faciam illum columnam*, nam ſicut columnæ ſuperba fulciunt ædificia, pari ratione huiuſmodi viri, mites, manſueti & patientes ſpiritale Eccleſiæ ædificium ſuſtentant, quod dum plane cognoſcitur maximo honore digni reputantur. Hoc modo præterquam quod tanquam filij Dei reputantur, in his verbis: *Scribam ſuper eum nomen Dei mei*, & inſuper habeantur pro hæredibus gloriæ tanquam electi & domeſtici Dei ciuesque cæleſtis Hieruſalem, & nomen inquit ciuitatis Dei nouæ Ieruſalem, inſuper agnoſcantur vt Ieſu Chriſti fideles cooperatores in ſalute hominum procuranda & hac de cauſa addit & ſcribam ſuper eam nomen meum nouum, id eſt, nomen illud auguſtiſſimum, *Quod vocatum eſt ab Angelo priuſquam in vtero conciperetur*, Nomen Ieſu ſcilicet: ipſe enim ſaluum fecit populum ſuum à peccatis eorum. Huius nominis participationem promerebuntur qui cum conſtantia, magnanimitate, & patientia Chriſto cooperantur in ſalute hominum promouenda. Magnus certe honor & ingens gloria. Certe ſi res honore digna eſt morbis corporeis mederi dicente ſcriptura, *Honora medicum propter neceſſitatem*, Honore digni ſunt qui à Deo ad modum Apoſtolorum eliguntur, quibus imponatur cura medicamenta applicandi morbidis mentibus mortalium? *Maiori certe*, inquit S. Baſilius Seleuc. *admiratione digni cenſentur medici qui morbis ſuccurrunt, non adhibito igne, aut ferro, ſed remediis benignioribus, pari ratione maiori commendatione & laude dignus eſt qui morbos impietatis, perfidiæ & idololatriæ, non igne de cælo deſcendente, non inundatione aquarum diluuij, ſed miraculis, beneficijs, ac benefactis & verbis ac ſermonibus amicabilibus noſtris infirmitatibus ſuccurrere voluit & quod maius eſt viros elegit humiles in ſeculo abiectos, quibus curam committeret operibus miraculoſis & ſermonibus infirmitates curandi, imo vero*, inquit Baſil. Seleuc. *diſcipulos quoque minimi pretij delegit, eorum manibus & linguis curationem orbis terrarum credit.* Ita ille. Ecclef. 38. S. Baſil. Seleuc

Huius honori ſicut & muneri & oneri participarunt Apoſtoli & participant quicumque fideliter his morbis ſpiritualibus curandis incumbunt, & quod magiſtratibus ciuitatum, Regnorum adminiſtratori-

Digitized by Google

bus, ſapientiſſimis & acutiſſimis oratoribus, aut philoſophis non dedit, quod ducibus, & imperatoribus eximiis non conceſſit, quod nec Angelis pro officio tribuit, hoc piſcatoribus largitus eſt, hoc fœneratori & publicano omnibus propter exactiones forte odioſo conceſſit. *O vere*, inquit Baſil. *conſilium excelſum, & ſapientiam immortalem, rem peregrinam & doctrinam novam, deque cælo allatam politiam! Cum mortales inſtituiſſet edocere, & huiuſmodi doctrinæ idoneos quæreret adminiſtros deſpexit vrbes, populos non conſcripſit, regni miniſteria repudiauit, diuitiarum potentiam deteſtatus eſt, exoſam habuit vim Rhetorum, non philoſophorum linguas exoptauit, gentes perturrebat, & neque armorum apparatum, neque manuum dexteritatem delegit, neque ad curſum pedum celeritatem. Quid vero humana præſidia recenſeo? Angelorum ordines perpetem quietem ſinens agitare, portus & fluuios, & litora & officinas obibat, inde doctrinæ adminiſtros decretum habens mutuari, & adſtans hortabatur dicens, Venite poſt me, & faciam Vos fieri piſcatores hominum*, &c. *addit ille*, inquit, *Venatum venio, piſcatores non reges requiro, an non dynaſtas adhortor? deſinite cum mari anima expertem certamen habere, artem feras captandi mihi in continentem conuertite, mare quoddam impietatis terra continet, eo mihi tractis retibus prædam pietatis adhamate: Venite poſt me Vos diſcipuli mei, & huius vniuerſi magiſtri artem veſtram ad cæli commercium vtendam mihi date.* Ita S. Baſ. Sel. orat. 30. Ex his patet magnam eſſe dignitatem fungi officio medici Magiſtri & Doctoris ad ſanitatem vulneratorum, inſtructionem paruulorum, & directionem errantium.

S. Baſil. Seleu.

His adde creaturam tanto maiori honore dignam exiſtere, quod felicius inſeruiat conſecutioni finis propter quam creata eſt, at finis cuiuſlibet creaturæ eſt gloria creatoris vniuerſorum. *Omnia enim propter ſemetipſum fecit Dominus, impium quoque ad diem malum*, Igitur qui conuerſioni animarum dat operam is profecto honore dignus eſt, nihil enim Deo tam glorioſum quam animarum peccantium conuerſio, in hoc enim omnipotentia illius ſapientia & bonitas maximè elucent. Faciet his S. Baſilius Seleuc. dum ait, *Venite, ego verbis veſtris eſcas implicabo, ego populos & ciuitates veſtris vocibus conuertam, Vos ego ſagenæ meæ primitias faciam, ipſe enim in Vobis per Vos rem conficio, ſed mihi fuit rhetorum linguas doctrinæ adminiſtras trahere, potuit Angelorum ordinibus prædicandi munus credere, ſed tum famulantium ſplendor gloriam famamque meam ad ſe rapiat, de eius enim exiſtimatione, qui rem gerit famulorum potentia occultum quiddam detrahit. Recuſo diuitarum obſequium, ne ſi operam conferant rem tam mirandam extenuent, Vos ego comperio fidos miraculorum mearum cuſtodes, quibus enim nullum humanum præſidium præſens eſt apud hos Dei poteſtas retinetur integrior: propterea namque miraculo eſt miles cum lenibus armis ad victoriam vtitur, vult enim cum illo virtus qui præclare quid fecit gloriam partiri: comprimantur vires infidelitatis, occludatur lingua, nec ſit calumniis locus, ne dicat impius quis regionatim, & oppidatim cum homines vltro confugere videt ad Euangelij prædicationem, quomodo potuit Chriſtus non perſuadere? præcones perquam ingenioſos præmiſit, armorum terrore ſibi adiunxit animos, pecuniarum obiecto fulgore oculos inſcauit, terrore ad aſſentiendum ſibi comparauit, copijs copias ſibi ſubiecit, his omnibus nudatis Vobis ab iuſtis accuſationibus iuſtos ſycophantas repellit.* Ita Baſil.

Prouerb. 16.

Cum igitur ita ſit, nullum ad quem adſpiremus ampliorem inueniri honorem quam vt Deo creatori noſtro ſeruiamus, eiuſque gloriam pro viribus quæramus & promouamus, nullaque alia actione, ſeu nullo alio miniſterio hoc felicius contingat quam ſi animarum ſaluti procurandę incumbamus, ſiquidem in hoc opere bonitas, & miſericordia Dei plurimum A refulgent, totis viribus exoptemus vt opera noſtra exempla & verba huic propoſito inſeruiant, quod maximè præſtare debent, qui ex officio, & propria vocatione ad hoc munus à Deo deſtinantur, & ad quos hæc verba pertinere aliquatenus poſſunt: *Venite poſt me faciam Vos fieri piſcatores hominum*, nec fatigemur ſed cum patientia in hoc opere perſeueremus iuxta ea quæ monet S. Chryſoſtho. homil. 1. de Lazaro, *Sunt nonnulli*, inquit, *qui dicunt, deſine bene conſulere, deſine monere, nolunt tibi auſcultare: quoniam ergo ſunt quidam iſta loquentes, inhumanam hanc ſententiam, inſidiaſque diabolicas excutere volens multorum animis, pluribus hac de re diſſero, ſiquidem & heri noui multos, qui talia verba protulerant, qui cum conſpicerent aliquos in caupona detrimiſſe tempus cum riſu ſannisque dicebant ſcilicet: omnino perſuaſi ſunt, nemo prorſus cauponam ingreſſus eſt, omnes ſobrij ſunt redditi, quid vis homo? videlicet illud pollicitis ſumus nos vno die omnes illos rete capturos? Nam ſi decem modo perſuaſi fuerint, ſi quinque tantum, ſi vnus nonne nobis hoc ſufficit ad conſolationem? Quod ſi vt rurſus ait non confeſtim malos habitus dereliquerint rediit in memoriam noſtra obiurgatio, & erubuerunt tacita cogitatione, nec ſimili impudentia fecerunt ea quæ ſolebant, hoc autem initium eſt ſalutis optimæque mutationis, ſi quem penitus ſui pudeat. Deinde non erexi ægrotantes, attamen eos qui valent reddidi firmiores. Denique qui hodie quod audiuit repulit cras fortaſſis audiet & recipiet, tum qui hodierno die craſtinoque contempſerit fortaſſis poſt dies complures præbebit animam his quæ dicentur. Et ſicut piſcator qui per diem totum aut noctem laborauerit, dum redire cogitat, & ſibi proponit à vano labore ſibi parcere, rete pro vltima vice quaſi deſperabundus projiciens piſcem capit, ita ſit vt prædicator aliquando effectum prædicationis ſuæ obtineat, dum qui eam per totum vitæ ſpatium contempſit in articulo mortis poſitus ad horum memoriam quæ olim audiuit compungitur, & ad Deum conuertitur. At eſto nullum ex prædicatione & labore ſuo fructum habeat tamen à mercede non defraudabitur. Si ſemen per te iactum auditor non receperit, nec obedientiæ fructum retulerit, tu tamen communicati conſilij mercedem feres à Deo, nec minus accipies præmij non auditus quam accepturus eras ſi ille obtemperaſſet: quod erat in te præſtitiſti, cæterum ad id vt perſuadeamus auditoribus non ſumus obſtricti ſed tantum vt admoneamus, noſtra quidem ſunt partes admonere, illorum vero obtemperare: quod ſi non auſcultauerint, ad ipſos ſolos redibit omnis vltio, nobis vero nihil imputabitur ſed copioſa merces redibit à Deo, nihil aliud inbemur quam apud menſarios deponere pecuniam ne diſtuleris donec perſuadeas, donec ſpiritum afflarent, terminus monendi ſit obedientia monitionem tuam recipientis.* Ita Chry.

B

C

D

E

Verbi diuini præcones & præceptores ſimiles non ſunt agricolis, qui poſt tot ſudores totque labores, nullum poſtea referunt fructum, nec adeſt qui eis mercedem largiatur pro exantlatis laboribus: at verbi Dei prædicator ſi nullum fructum ferat tamen à Deo mercedem accipit ſui laboris. *Vnuſquiſque*, ait S. Chryſoſth. hom. 2. in Ioannem, *propriam mercedem accipies ſecundum proprium laborem, non ſecundum rerum euentum, nec ex hoc minus ægre fert cum agricola ſi ex labore nullum referat fructum, hoc magiſtri miſericordia eſt, hoc patris cura, quod ſi diabolus gloriæ Chriſti hoſtis infeſtus ac boni cuiuſuis inimicus, ſaluiſque hominis aduerſarius totas adhibet vires vt hi Chriſti fideles miniſtri contradictionibus ſuccumbant, quin & neti aliquando tradantur, in hoc glorientur, meminerint ſaluatorem dixiſſe, Nolite mirari ſi odit Vos mundus, ſcitote quia me priorem Vobis odio habuit. Si me perſecuti ſunt & Vos perſequentur.* Quin etiam plærumque euenit vt ſua expectatione non fraudetur, qui enim occumbunt pro Chriſto exemplo, oratione, miraculis, ſæpius multo plures ad Chriſtum conuertunt quam dum viuerent vn-

S. Chriſoſtom. Hom. 1. de Lazaro.

S. Chriſoſt.

Digitized by Google

S.Baſil.Sel. quam conuertiſſent. Hæc præclarè S. Baſilius Seleuc. orat. 30. circa finem, *Verum*, inquit, *res inopina, & ſupra naturam, his enim viſis territus diabolus, neque ſalutem tam late diffuſam videre ſuſtinens, præcones morte circumuenit, agreſtioribus quibuſdam piſcibus in piſcatores concitatis. At mortem excipiunt quidem, nec piſcatus tamen abſtinent vel obita morte, quin etiam poſt fata, Domini faciunt imperata, nec preſti ſepulchro prædationis oblii ſunt, nam & ſepulchra volente gratia loquuntur, Verax enim qui dixit, Venite poſt me & faciam vos fieri piſcatores hominum cui gloria, & imperium in ſecula ſeculorum, amen.* Ita Baſil. Sel. Ac ſi dum eos ad cæli euocauit gaudia illis æque promitteret fore vt fierent hominum piſcatores, orationibus & miraculis cooperantes animarum conuerſioni ſicut cum Apoſtolos vocauit è litore maris illis hoc miniſterium contulit vt videlicet per prædicationem animas ad fidem conuerterent. Et hoc modo clare percipitur qua ratione ſcripſerit ſuper eos & patris ſui nomen, & nomen nouæ Ieruſalem, & nomen ſuum nouum, id eſt qua ratione ſint & dicantur filij Dei, eius gloriæ cohæredes, ciues & domeſtici Dei, denique Chriſti cooperatores fideliſſimi in procuranda hominum ſalute cui ſit honor & gloria in ſecula ſeculorum, amen.

ANNOTATIONES IN EPISTOLAM ad Epiſcopum Laodiceæ.

Hæc dicit amen Teſtis fidelis & verus qui eſt principium creaturæ Dei Princeps pacis. Eſ. 9.

Qua ratione Chriſtus Dominus dicitur teſtis fidelis & verus.

ANNOTAT. I.

Tirinus. TIRINVS: *Hæc dicit Chriſtus cuius vt ex Iſaia patet nomen eſt Amen, ſtabilis fidelis & verus, ſupple teſtis, Immo*, inquit Menoch. *ipſa ſtabilitas veritas & fidelitas. Ideo*, addit Tirinus, *hic inculcat Chriſtus ſuam fidelitatem & veritatem, vt dictis ſuis mox proferendis, & minis & promiſſis ſanè admirandis fidem conciliet.* Subdit Menochius: *Vt ſint explicatio Amen vocis obſcuræ. Præmittit itidem Chriſtus aſſeuerationem ſuæ veritatis, & fidelitatis, quia huic Epiſcopo dicturus eſt quædam, quæ minus veriſimilia videntur, vt quod præſtet frigidum eſſe quam tepidum, quod Epiſcopus hic miſer eſſet & miſerabilis, pauper cæcus & nudus, quodque tali tam ingentia promittat. j. canaturum ſe cum illo, ipſumque collocaturum in throno ſuo.* Ita Menoch. Menoch.

Non dubitandum certe Chriſtum Dominum facili negotio poſſe verum aurum à falſo diſcernere, veram ſanctitatem à falſa, eius namque nomen eſt amen. j. veritas ipſa eſſentialis teſtis igitur eſt fidelis, & verus. Primo quia filius eſt Patris ipſi conſubſtantialis, & in quantum talis eſt dat in diuinis verum & fidele teſtimonium, omnium veritatum & perfectionum in patre coexiſtentium ſeu quæ eminenti ratione in patre exiſtunt. Imago eſt & character & figura ſubſtantiæ eius, nihil ei deeſt ex perfectionibus Patris, quomodo igitur illum non verè & fidelitur repræſentaret? *Qui*, inquit, *videt me, videt & Patrem.*

2. Cum ad extra pater per filium operetur rectè dicitur teſtis fidelis, & verus rerum omnium quæ ſunt ſeu exiſtunt in toto orbe, ſiquidem Pater non operatur ad modum cauſæ inſciæ eorum quæ producit, imo potius ſcit & optime cognoſcit omnia quæ facit, operatur namque per infinitam ſapientiam quæ verbo appropriatur de quo dicitur: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Ioan. 1.

Denique cum ſit filius, *principium creaturæ Dei.* Vt hic dicitur, id eſt, vt mox dicemus, cauſa idealis & exemplaris omnium rerum, illas tales quales reuera ſunt repreſentat in ipſarum natura ſeu naturali perfectione, quo fit vt poſſit facillime diſcernere, videre & teſtari quomodo creatura quælibet conformis & proportionata ſit ſuo exemplari, & exinde dicere poſſumus quod verbum Dei carnem factum in ſua humanitate exprimere voluit veram imaginem perfectæ iuſtitiæ & ſanctitatis quæ exemplari in omnibus ſuis partibus reſponderet, qua de cauſa ad eius imaginem reformari debemus; vnde & diſcernere optime poteſt bonas noſtras actiones à prauis, videndo ſcilicet num ambulemus ſicut & ipſe ambulauit, itaut teſtis ſit verus & fidelis an actiones noſtræ moreſque noſtri talem redoleant ſanctitatem qualem oportet vt ſancti in veritate ſimus & non tantum fucatè & fictè verus itaque cum ſit eſſentialiter ſecundum ſuam productionem & generationem, & in quantum eſt principium effectiuum omnium rerum creatarum, quin & exemplar & idea earumdem, merito dicit; *Amen teſtis fidelis & verus.*

Ne exiſtimet aut ſibi igitur perſuadeat hic Epiſcopus qui tantum fictam, & fucatam habebat ſanctitatem debere ſe eſſe immunem à ſua correctione & redargutione, nimio amore fertur erga opera ſua vt illorum perfectionem procurare & promouere ceſſet. Hac de cauſa ita primo ipſum interpellat, *Amen qui teſtis ſum verus & fidelis ſcio opera tua, quia neque frigidus neque calidus, &c.* Deus enim ſcrutator cordium eſt & in his verbis vt videbimus redarguitur de impuritate intentionis, cuius perfecta cognitio Deo competit. Secundo vocatur teſtis fidelis & verax vnde merito ei exprobrat, quia dicit quod diues ſum & locupletatus, cum eſſet pauper & cæcus, &c. Dei enim proprium iſta diſcernere qui omne bonum in nobis operatur, *Sine me*, inquit, *nihil poteſtis facere*, vnde ſcit quid faciat quidue non operetur, ſcit in eo non operari actiones requiſitas ad veram ſanctitatem quia ſe ſubtrahebat ille Epiſcopus à veritate, & proinde cognoſcit ipſum decipi & falli qui ſe tanquam diuitem, & bonis ſpiritualibus redundantem exiſtimabat, vnde de Chriſto dictum eſt: *Ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine. Omnia enim*, vt ait Iſaias, *opera noſtra operatus eſt nobis.* Tertio cum ſit, vt mox videbimus, principium creaturæ Dei eum facile inſtruere poteſt de iis quæ neceſſaria ſunt ad acquiſitionem veræ ſanctitatis, quod equidem in hac Epiſtola præſtat cum eum ita alloquitur. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum & probatum vt locuples fias.*

Principium creaturæ Dei.

Qua de cauſa Chriſtus Dominus ſeipſum vocat principium creaturæ Dei.

ANNOTAT. II.

Gagnus. GAGNEVS: *Qui eſt principium creaturæ Dei, & græce ἀρχὴ dicitur origo rei alicuius, itaque Chriſtus principium creaturarum Dei, quia per ipſum omnia pater condidit, Græci ſumunt ἀρχὴν τῶν βασιλειῶν. j. pro principatu quod principetur Chriſtus omnibus creaturis & dominetur.* Ita Gagn.

Eſtius. Eſtius: *Id intelligo ſitus illud Coloſſ. j. Primogenitus omnis creaturæ, id eſt, omni creatura maior & ſuperior, atque in omnem creaturam primatum tenens, quanquam & de homine aſſumpto accipi poteſt, qui vt talis eſt creatura ſed omnium præſtantiſſima.* Ita Eſtius. Coloſſ. 1.

Menochius: *Qui ſcilicet Chriſtus eſt cauſa efficiens,* & Menochius.

Digitized by Google

[illegible] [illegible] [illegible] [

tendit & adſpirat vt pote quæ optimè ſit diſpoſita vt ad eum perueniat, quo fit vt Chriſtus illius pacis cum Deo & amicitiæ autor ſicut & gratiæ optimè dicatur Princeps pacis, ſiquidem cum gratiam qua reconciliamur Deo promeruit, cum illam infudit nos Deo reconciliauit, rurſus Princeps pacis dicitur quia hanc qualitatem nobiliſſimam qua homines amicitiæ & beneuolentiæ diuinæ digni reddantur ipſe poſſidet ſecundum omnem ſuam plenitudinem in ſupremo gradu, itaut menſura ſit cæterorum qui de eius plenitudine illam accipiunt.

Scio opera tua quia neque frigidus es neque calidus, vtinam frigidus eſſes aut calidus, ſed quia tepidus es nec frigidus nec calidus incipiam te euomere ex ore meo.

Quia veram ſanctitatem nos habere vult Chriſtus Dominus omnem teporem & diſſimulationem ſeu prauam intentionem à nobis eſſe expellendam decernit.

ANNOTAT. IV.

HVIVS textus varias expoſitiones attexere opere pretium eſt, cum multiplices pariant ſenſus: antequam quem amplectamur ſenſum in medium adducamus.

Gagneus. Gagneus: *Quod neque frigidus es neque calidus ſiue feruidus (id enim ſignificat propriè ζεστὸς: frigidus dicitur, qui Spiritus ſancti gratia & illuminatione plane deſtitutus eſt, feruidus qui ſpiritu feruet ſicut Paulus ait Rom. 12. ſpiritu feruentes: tepidus autem dicitur, qui Spiritus ſancti quidem gratiam habet, ſed rerum ſecularium cura & ſtudio illum ſinit emori & extingui, vnde Paulus ait: ſpiritum nolite extinguere: vel frigidus qui ignem fidei plane non habet, feruidus qui inſignem fidem habet, tepidus qui fidem quam habet profiteri vbi eſt opus non audet. Vtinam autem inquit frigidus eſſes aut calidus, non quod velit eſſe frigidum ſed quod præſtat, aut minus malum eſt frigidum quam neceſſitatis tempore tepidum ſe præbere, quia ſeruus ſciens voluntatem Domini ſui & non faciens vapulauit plagis pluribus. Sed quia tepidus es, &c. ſumpta metaphora à Medicis, qui cum cibum crudum & incoctum auferre volunt ab agroti ſtomacho aquam illi tepidam potandam præbent quod nauſeam illi pariat & ad vomitum pronocet, ita inquit quia tepidus es ac mihi nauſeam paris incipiam te euomere ex ore meo j. vt græca ſcholia explicant procul à familiaritate & amicitia mea abjicere, quia dicis diuerſum &c. falſo ſe diuitē putabat ſola fide inſtructus quum bonis operibus ſpiritualibus quæ veræ ſunt diuitiæ plane indigeret, cæcuſque eſſet non animaduertens in quibus ambulabat peccati vias & ſemitas, & nudus j. bonis omnino operibus ſpoliatur.* Ita Gagneus.

Eſtius. Eſtius: *Vtinam frigidus eſſes: quidam intelligunt frigidam qui viam veritatis nunquam cognouit, calidum vero fidelem, tepidum malum Chriſtianum, ſed loci circunſtantia ſignificare videtur per calidum verè bonum, per frigidum manifeſtè malum, per Tepidum hypocritam, qui ſibi & aliis bonus videtur & ſanctus: in quo cum plerumque dominetur ſuperbia, talis deterior eſt quam ſi in manifeſta peccata eſſet prolapſus, additur enim, dicis quia diues es, nullius eges & neſcis quia pauper & cæcus eſt, &c. Simile eſt quod ad Phariſæos ait Dominus: Vtinam cæci eſſetis, nunc autem dicitis, quia videtis, peccatum veſtrum manet, Ioan. 9. Qui ibi cæci hic frigidi dicuntur, id eſt, manifeſtè peccatores: de quorum conuerſione maior eſt ſpes, quam de iis qui ſpeciem habent ſanctitatis; item tepidus deterior quam frigidus quia ſimulata ſanctitas duplex eſt iniquitas. Dicit autem, Vtinam aut frigidus &c. Non quia optabile ſed quia potius optandum quam eſſe tepidum, id eſt minus deteſtandum. Incipiam te euomere ex ore meo: perſiſtit in figurato ſermone. Eſt enim alluſio ad aquam tepidam, quæ hauſta vomitum pronocat: poteſt etiam accommodari hæc ſententia ad eos qui quaſi inter Catholicos & hæreticos medij ita componere, & conciliare eos nituntur, vt velint vtroſque de ſui dogmatis aliquid remittere; quomodo faciunt qui ſuas controuerſias arbitrorum iudicio ſubmittunt. Vide de hac ſententia S. Gregor. Par. 3. curæ Paſtoralis Adm. 25.*

Emanuel Sa: *Frigidus. j. per infidelitatem, Calidus. Sa. j. per charitatem: Vtinam, &c. q. d. minus eſſet malum non noſſe viam veritatis, quam agnitam ſpernere, illud vt peccatum ignorantiæ interdum excuſans, id vero maliuæ: vide S. Petri c. 2. quidam calorem ad charitatem referunt, frigus ad pœnitentiæ fletum, quo velut aqua peccata lauantur. Forte per calorem intelligitur Prælati vigilantia, & feruor in commiſſo munere, per frigus ineptitudo ad officium, quæ cum deprehenditur deponi ſolet & ſubrogari eius loco alius, at cum Tepidus eſt & videtur nonnihil facere malè eſt ſubditis, quia Prælatum habent negligentem, nec eis idoneus alius datur.* Ita Em. Sa.

Menochius: *Tepidus ille dicitur, qui Deum quidem non audet mortaliter ſciens & volens offendere, ideoque ſe putat iuſtum, ſed purioris & perfectioris vitæ ſtudium negligis vnde ſe facile propriis concupiſcentiis permittit, & quæuis peccata deuorat quæ ſibi tantum venialia videntur: at quomodo de Tepido dici poteſt, Vtinam frigidus eſſes, &c. Cornelius à Lapide reſpondet bonum eſſe hoc deſiderium quo optatur vt aliquis ſocors obſtirmatus in ſocordia & proximus ruinæ labatur in peccata aliqua grauiora & manifeſta vt in iis lapſus ſuos agnoſcat, ſerioque & plane corrigatur & ſaluetur.* Hinc S. Aug. lib. 14. de Ciuit. c. 13. *Audeo*, inquit, *dicere ſuperbis eſſe vtile cadere in aliquod apertum manifeſtumque peccatum vnde ſibi diſpliceant, qui iam ſibi placendo ceciderunt. Incipiam te euomere: ſumpta Metaphora ab aqua tepente quæ ſi bibatur vomitum pronocat. Porro Tepidus incipit euomi cum permanens in tepore ſuo nec miſeriam ſuam agnoſcens quam facile poſſet agnoſcere, Deo diſplicere & quaſi nauſeam mouere incipit & paulatim magis ab eo per ſocordiam & contemptum ſpiritualium bonorum recedit donec tandem omnino in morte ſua euomatur, & à Chriſto in æternam ſeparetur.* Ita Menoch.

Tirinus. Tirinus: *Neque frigidus, id eſt, neque ſenſibiliter, aut manifeſtè malus itaut vel à te vel ab aliis aduertantur te eſſe in graui peccato: neque calidus, id eſt, neque feruens aut venera virtuoſus. Atque vtinam talis eſſes. Tunc enim vel calore accenderetis ad fortiter progrediendum, vel frigore exſtimulareris ad celeriter reſiliendum à probroſo, periculoſo & damnabili ſtatu: ſed quia tepidus es, id eſt, partim malus, partim bonus; malus occultè, bonus apparenter, hinc teipſum palpas, tibi places, ſuperbè præſumis, ſecurè torpes, otio & deſidiæ quaſi bene omni ex parte tecum ageretur. Dicis enim, diues ſum virtutibus, meritis & gratiis & nullius egeo ad perſeuerantiā & ſalutem conſequendam, quod ſi frigidus eſſes tum ipſo frigore pungente ſentires quod ſis nudus cæcus, pauper, & miſerabilis, id eſt, quod priuatus ſis veſte Charitatis, & gratiæ iuſtificantis, deſtitutus prudentia, ſpoliatus omnibus virtutibus, oppletus ſordibus, expoſitus certiſſimo æternæ mortis periculo. Vnde Rupertus virgini flaccidæ, & ſuperbienti: Vtinam, aiebat, eſſes potius corrupta & humilis, & ſanctus Aug. vt ſupra iam adduximus: ſimilia habent Caſſan. Anſelm. Haymo, Lyranus, Pererius, Alcaſar, Ribera à Lapide. Incipiam te euomere non ex gratia meæ ſtomacho (in quem te inſipidum hypocritam non admiſi) ſed ex ore meo extra curam meæ ſingularis prouidentiæ ac tutelæ, cum irreconciliabili deteſtatione ac derelictione, ad quæ mala euitanda ſuadeo tibi, &c.* Hæc Tirinus, nunc ad noſtra veniamus.

Ex his autoribus frigidus eſt, vel qui gratia Spiritus ſancti eſt deſtitutus, vel infidelis, vel qui viam veritatis nunquam cognouit, vel manifeſte malus,

Digitized by Google

vel pœnitentiæ fletu compunctus, vel ad officium ineptus.

Calidus, id eſt, feruens, vel qui ſpiritu feruet vel qui inſignem fidem habet, vel qui habet charitatem, vel qui feruenter aut reuera eſt virtuoſus.

Tepidus autem vel qui gratiam habet, ſed rerum ſecularium cura illam ſinit emori, vel qui fidem quam habet profiteri non audet, vbi eſt opus, vel qui agnitam veritatem ſpernit, vel qui nõnihil boni habẽs deprehẽditur ſegniter officio fungi, vnde hoc nocet ſubditis, vel qui ſe exiſtimat iuſtum, ex eo quod non audet ſciens & volens offendere mortaliter, & purioris tamen vitæ ſtudium negligit, vel denique partim bonus partim malus, malus occultè bonus apparenter, & ex bono apparenti ſuperbiens & gloriabundus. Alias hunc textum exponendi rationes inuenies, ſiue apud Ludouicum ab Alcazar ſiue apud Cornel à Lapide. Ad tres tamen reduci poſſunt, vel eorum qui calorem, & frigiditatem in bonam partem accipiunt, qualis eſt ſententia S. Bernardi qui per calidum intelligit eum qui Deo obſequium & cultum exhibet eumque offendere non vult, quia eum videlicet amat; per frigidum eum qui eum offendere non audet eius timore perculſus. Tepidum autem illum eſſe qui nec amore nec timore in officio continetur. Alij calorem in bonam partem accipiunt, frigiditatem vero in malum, qualis eſt ſententia S. Gregorij qui calidum dicit illum qui charitate feruet, frigidum vero qui in peccato mortali cum aduertentia & ſcienter exiſtit, tepidum vero in peccato mortali exiſtentem abſque tanti mali cognitione & aduertentia ſeu animaduerſione. Sed perpenſis omnibus liceat mihi dicere calorem & frigus ſeu calidum & frigidum in malam partem ſumi, quæ quidem eſt tertia exponendi rario. Quam amplector, hac ratione ad hanc ſententiam amplectendam impulſus.

Deus ſeueriſſime tepidum damnat eumque rejicit ſtatim atque eum præſentit in ore ſua amicitia indignum, vnde nunquam eum in pectus tranſmiſit, quin & exoptat ipſum potius calidum fore aut frigidum quam tepidum, & hoc modo comparat ad inuicem & frigiditatem & calorem & teporem, ea tamen lege vt teſtetur indifferens apud ſe exiſtimari ipſum Epiſcopum fuiſſe aut frigidum aut calidum potius quam tepidum, nec ad vnum potius quam ad aliud animum habere inclinatum, ſtudiumue propenſum, nec apud eum magni intereſt vtrum ſit frigidus vel calidus vt eum magis gratum aut acceptum aut minus ingratum habeat, quam ſi foret tepidus. Exinde conficio quod ſi iuxta vniuerſaliorem frigidi acceptionem aliquid mali frigiditas hæc deſignet, ſiquidem ipſa ſit quædam imperfectio, item imperfectio quædam erit oppoſitus huic frigiditati calor, non enim videtur rationi conſonum Deum æquali propenſione velle hos aut frigidos aut calidos eſſe, ſi calor aut frigus aliquid boni deſignarent, vno ex illis imperfectionem deſignante. Itaque ſi frigiditas imperfectionem dicit vtique & calor aliquid imperfectum denotat, Deo namque non videtur eſſe indifferens & indeterminatum quod charitatem eius habeamus aut non habeamus, vult enim abſolutè & ſimpliciter loquendo bonum, & malum ac peccatum tantummodo permittit, quod tanto veriſſimilius exiſtimo, quod vocabulum frigidus primo loco collocatur, deinde calidus ſubſequitur, ſi namque calidus primo loco collocaretur dici poſſet hoc ita accipiendum eſſe ac ſi diceret, vellem equidem vt haberes charitatis feruorem, ſed cum illum non habeas exoptarem ſaltem vt haberes frigiditatem: quæ frigiditas ſi quid boni ſignificaret timorem v. g. Deum offendi denotaret, aut certe cuiuſlibet actionis ceſſationem, quod dici non poteſt ſi frigidus primo loco reponatur: non enim commodè interpretari hæc verba poſſumus vt dicas, Vellem te eſſe frigidum aut ſaltem calidum: quod euidentiſſimum ſit calorem ſi in bonam partem accipiatur ſicuti accipitur pro charitate, magis eſſe expetendam quam frigiditatem qua deſignatur priuatio huiuſmodi qualitatis actiuę, & ideo aſſero calorem & frigiditatem æque denotare quaſdam imperfectiones quã tepiditatem, quæ diſtincte & præcipuè hic reprehenditur, ſed tales, quæ ante Dei oculos reputentur tolerabiliores quam ſit tolerabilis tepiditas. Itaque ſuus cuique ſit ſenſus, meus erit hic frigiditatem vſurpari pro quadam negligentia in operatione, & exercitio eorum omnium quæ Dei gratia cooperante vel etiam quæ naturalibus viribus abſque ſupernaturali auxilio perficere poſſemus; calorem autem hic vſurpari pro zelo quodam indiſcreto, quo certe impelleremur ad multa bona opera perpetranda, ſed non cum requiſita attentione & neceſſaria circumſpectione, propter quã rationem ſæpe ſæpius quilibet labor inutilis, & infructuoſus euadit. Ex zelo imprudenti namque potius oriuntur perturbationes quam pax & tranquillitas, plura damna cauſantur, quam capiantur emolumenta, quamuis quis intentione ſyncera in has prorumpat actiones. Tepiditatem vero vſurpo pro ſiniſtra & peruerſa in agendis intentione qua impellimur ad agendum cum quodam feruore, & calore imperfecto proprij amoris, proprij commodi, aut honoris vel cuiuſcumque alterius rei quæ ſenſibus aut propriæ voluntati arrideat.

Qua praua intentione fidelitas quam erga pium Dominum ſeruare debemus honorque violatur quo creatorem & Patrem optimum colere, & proſequi, æquiſſimum eſt, ad cuius honorem & gloriam neceſſarium eſt deuouere, & conſecrare quidquid ſumus, quidquid poſſumus, quidquid operamur ni velimus graui nos reddere crimini obnoxios. Qui hoc modo tepidus eſt cum maximo ardore & feruore vt apparet exterius multas præclaras perficit actiones, ſi ſibi perſuadeat aut credat per iſtas actiones aliquid commodi aut honoris aut oblectamenti ſibi obuenturum: ſed facile tepeſcit & à bono opere abſtinet, ſtatim atque animaduertit non plene ſibi ad votum obuenire quæ ſperabat, ad frigiditatem namque mox reuertitur, quia calor quo ad agendum mouebatur erat imperfectus. Tales mentes Deus abhorret, eorumque ſæpe deregit turpitudinem & verecundiam, ficto namque & diſſimulato animo, ea quæ ad ſuum cultum pertinebant perfecerunt. Deus equidem bonus eſt, ſed his qui recto ſunt corde vt canit pſalmiſta. Quod ſi aliquando citiſſime ad iracundiam prouocatur maxime contra hypocritas & diſſimulatos, qui omnia agunt vt appareant & aliquid laudis & emolumenti ab hominibus aucupentur & quibus nihil minus cordi eſt quam Dei honor & obſequium.

Cum igitur Chriſtus Dominus exoptet nos vere ſanctos ſicut & ipſe vere ſanctus eſt, hunc calorem imperfectum proprij amoris, ſeu propriæ cupiditatis expellere vult, imo potius vult ac præcipit vt eum quæramus in ſimplicitate cordis, ſuumque regnum aduenire peroptemus, omnia nobis obuentura repromittens ſi eius regnum primò quærere ſtudeamus.

Cur autem tales malè intentionatos, ſeu peruerſa intentione ambulantes Deus euomere paratus ſit paret ex hoc quod eorum iuſtitia potius eſt iuſtitia phariſaica, quam Chriſtiana: libenter namque ad actiones externas feruntur per quas ſibi famam, & autoritatem apud homines conciliare poſſunt: at ſi

quæ

quæ intus ſunt ſpectes, negligentiſ-maxima & ſo-
cordia ſupina,& craſſa ignorantia laborant, de qui-
bus Saluator Luc. 11. *Nunc vos Phariſæi quod deforis eſt*
Luc. 11. *calicis, & catini mundatis, quod autem intus eſt veſtrum*
plenum eſt rapina & iniquitate, ſtulti nunquid qui fecit
quod deforis eſt, etiam id quod deintus eſt fecit? 2. Huiuſmodi homines ſæpius omittunt ea quæ ad propriam ſpectant obligationem,& quæ magis neceſſaria ſunt,vt rite ſuo fungantur munere; vt ea faciant quæ temporale commodum promouere poſſunt, vel maiorem famam ſibi comparare, de quibus rurſus ibidem ait Dominus: *Væ vobis phariſæi, quia de-*
cimatis mentam & rutam, & omne olus & præteritis iu-
dicium, & charitatem Dei. Hæc autem oportuit facere,
& illa non omittere. Quis quæſo non ſuſpexiſſet Phariſæum velut religioſiſſimum, & valde pium quem B
vidiſſet adeo exactè decimantem olera hortorum, Deum inceſſanter orantem, legis ſedulum obſeruatorem, ſecundum maiorum traditiones ſæpius ſeipſum lauantem & purificantem? At qui talis erat nec Deum toto corde amabat, nec proximum; viduæ aut orphano quorum ſubſtantiam deuorabat, quorum bonis inhiabat parcere aut compati aut ſuccurrere neſciebat, ignorabat quomodo præceptis Dei fideliter ſit obediendum, dum auaritia pulſus ſub prætextu, & vmbra Religionis & pietatis, erga Deum, erga parentes carnales ſe exhibet crudelem & impium & eos fame enecari potius vellet, quam ſibi ſubtrahere aliquid ex ſuperfluis & abundanti vt eorum ſuccurreret neceſſitati. Denique huiuſmodi homines quorum intentio deprauata & peruerſa eſt, quiduis boni faciant exterius,ſiue parui ſiue magni momenti exiſtat, nihil in his actionibus quærunt, quam propriam gloriam & exiſtimationem apud homines eorumque laudes & fauores, quo fit vt perpetuis tenebris inuoluantur,&quidquid agunt vitiatur & corrumpitur ex praua intentione:& licet opera quæ perpetrant ſecundum ſe ſint honeſta & laudabilia, propter operantis ſeu agentis malitiam qua diſtrahuntur à debito fine ad quem dirigi deberent,hominem hæc operantem non reddunt iuſtum nec vere ſanctum ſed tantum apparenter, dicente
Luc. 11. ſaluatore, *Si oculus tuus fuerit ſimplex totum corpus tuum*
lucidum erit, ſi autem nequam fuerit, etiam corpus tuum
tenebroſum erit. Hi creatorem inſigni afficiunt iniuria, alium ab ipſo ſibi præſcribentes vltimam finem, hi aduerſus legitimum Dominum infideles ſe eſſe declarant, dum talentum ſibi creditum ad ſuum commodum procurandum impendunt, non ad proprij Domini vtilitatem & lucrum,perfidi erga ſuum Regem cuius honorem procurare deberent. Qua de cauſa ſi mercedem ab eo expectare voluerint, ad Magiſtrum ſeu Dominum cui ſeruierunt remittuntur. Sentientque tandem ſe in vanum laboraſſe telaſque aranearum ſolummodo texuiſſe in quibus muſcas vanitatis tranſitoriæ implicarunt,quæ vehementi ſtatu ſupremæ Dei Maieſtatis cum eorum miſerabili vita diſrumpentur & auferentur, cum contra eos iratus vehementer dicet, *Neſcio vos vnde ſitis,*
Luc. 13. *diſcedite à me omnes operarij iniquitatis.*

O infelices ſerui qui tot ſudores tot labores impenderunt pro re adeo labili & tranſitoria qualis eſt gloria mundana,nec ex ſuis laboribus aliud emolumentum quam perpetuam confuſionem obtinebunt iuxta illud: *Qui hominibus placent confuſi ſunt quo-*
Matth. 6. *niam Deus ſprevit eos. Attendite igitur,* dicebat Chriſtus, *Ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus vt vi-*
deamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud
patrem, Arbitrantur ſe diuites bonis operibus, & meritis, ſed tandem perſentient ſe Dei gratia deſtitutos, meritis ſpoliatos, charitate priuatos.

Cum autem ad Deum ſolum pertineat cognoſcere & diſcernere intentiones hominum vt pote qui ſit ſcrutator cordium, quæ ſingillatim fecit, & qui ſolus nouit abſcondita cordis noſtri & probat renes & corda,hac de cauſa Chriſtus adhortari nos cupiens ad veram ſanctitatem quæ interiora & exteriora requirit, res magni momenti præcipit, quæ minima ſunt nó omittit aut negligit, quæ omnia ad Dei gloriam & honorem perficere fatagit ſiquidem propter eũ creati ſumus, ideo ſe hoc nomine Amen nuncupat, id eſt, is qui eſt ipſamet veritas & fidelitas, qui nec fallere poteſt eos qui fideliter illi ſeruiunt, nec falli aut decipi ab iis qui vocant eum Dominum, & quæ ſua ſunt tantum nihilominus quærunt. Omnes enim cordis motus optimè cognoſcit, qua de cauſa ſcit quinam agant ad tui nominis gloriam, quinam autem è contra proprium honorem quærant in ſuis actionibus, vnde olim reiecit pœnitentiam Ffau ſi ſancto Ephrem de pœnitentia fidem adhibeamus; *Quia*, inquit, *videbatur pœnitentia,* S. Ephrem. *at non erat pœnitentia ſed impoſtura, lachrymatus eſt non*
quia peccauit, ſed quod Deum non illuſerit, plangebat po-
ſtulans benedictionem, non vt Deo gratias ageret verum vt
carnalibus frueretur: intus erat radix amaritudinis,at folia,
id eſt verba in ore: mente impietatem cogitabat,& ore be-
nedictionem curabat: occupabatur mens malitia, & per
ſolam linguam voluit benedictionem lucrari. Ita S. Ephrem. Idem dicendum eſt de omnibus aliis actionibus quæ cum impura intentione fiunt, nec eas Dei qui eſt Amen,id eſt,veritas approbationem C
mereri. nec ab eo qui eſt Amen, id eſt, fidelis mercedem obtinere.

Quia dicis quod diues ſum, & locupletatus &
nullius egeo, & neſcis quia tu es miſer & miſe-
rabilis, & pauper & cæcus & nudus.

Audienda eſt vera Conſcientia ſeu ſyndereſis, vt à falſa
& erronea caueamus, quam Deus qui eſt teſtis fidelis
& verax detegit.

ANNOTAT. V.

Luc. 12. MIRANDVM non eſt ſi hic Epiſcopus ſe D
Diuitem & locupletem & ſibi ſufficientem exiſtimet, Dei locum vſurpauit eo ipſo quo in iis quæ agit, ad ea quæ ſua ſunt non ad Deum reſpicit, *Initium ſuperbiæ hominis*, inquit Sapiens, *eſt apoſtatare* Eccleſ. 10.
à Deo, quoniam ab eo qui fecit eum receſſit cor eius: Sed ſe miſerum & miſerabilem, & pauperem & cæcum, & nudum perſentiet, ſi lumen à Deo inditum ſyndereſim nempe vt actionum noſtrarum cenſor exiſtat ſeuerus, audierit, cohibeatque prauos animi motus, ne tanquam equi freno ſoluti præcipites agamur in æternam damnationem. At vt iſta melius percipiantur, in ſtatu ſeptem Epiſcoporum ad quos hæ diriguntur Epiſtolæ ſeptem genera Conſcientiarum ſpeculari poſſunt ad quæ reuocari valent ſtatus conſcientiarum quorumlibet fidelium. Iuxta ea quæ Cælius Pannonius in cap. 2. Apocaly. Sectio 11. puncto 1. tetigit, & fuſiàs Alcazar pertractauit. E

Primus ſtatus eorum eſt qui Deum mortaliter offendere minimè pertimeſcunt, qualis fuiſſe videtur Sardenſis Epiſcopus de quo dicitur: *Nomen habes*
quod vivas & mortuus es, Peſſimi mercatores qui iacturam bonorum omnium faciunt iocis ac diſſolutionibus vocantes. 2. Status eorum eſt quibus ineſt maior Deum offendendi timor, & in quibus calor viger circa quædam bona opera facienda,at tantum tepidus, & non perfectus, ſiue quia etſi peccatum ſcienter committere nolint, tamen viam perfectionis capeſſere negligunt, quibus ſæpius contingit vt cum concupiſcentiis liberius indulgeant facile la-

Digitized by Google

bantur in peccatum mortale, tamen tale vt illud non animaduertant maneatque ipsis incognitum, affectibus & concupiscentiis suis obcæcatis; vel certe tepidi sunt eo quem adduximus sensu, quod sibi persuadeant præclara se patrare opera, quæ tamen nihil ad salutem æternam consequendam conducant, non enim propter cælum laborant sed propter quædam temporaria commoda, propter varios honores aucupandos, qua de causa in pessimo & periculoso statu conscientiæ existunt à gratia Dei excluſi, quod vltimum constituunt finem in re creata cum insigni creatoris iniuria & facilè labuntur in multa peccata siue commissionis, siue omissionis ab opere desistentes si nihil commodi percipiant sibi obuenturum, vel si credant aliquod detrimentum esse passuros; vanæ existimationis & quemdam colorem fucatum actionibus suis prætexunt, quo vel excusari possint vel approbari & laudari, licet conscientia illis suggerat periculum esse offensionis diuinæ nec se suo munere fúgi. Talis proculdubio videtur fuisse Episcopus Laodiceæ cum ad eum directa fuit hæc Epistola. Infelices certè tales existunt qui crassa, & supina negligentia rei tam parui momenti nimium adhærétes, nempe commodis temporalibus, lucrum ingens deperdunt cælestium donorum, quæ in æternum possiderent. Pessimi æque ac primi mercatores, ex suis namque laboribus nullum aliud capient emolumentum quam æternam confusionem, quæ absque dubio aduenier eis nisi puritati cordis & intentionis studuerint. At cum perfectio comparari nequeat ex S. Bonauentura in breuiloquio c. 6. absque perfecta à malo elongatione, tales in malo profundius absorbentur, vt ad perfectionem consequendam adsurgant difficiliùs, ingressus enim semitæ & viæ ad perfectionem occluditur iis qui à malo declinare nolunt.

S. Bonauentura.

Alij inueniuntur, qui vt verum fateamur cum diligentia prætiosum gratiæ diuinæ monile conseruare studeant, ita tamen vt in eis reperiatur quædam ad creaturas adhæsio eos impediens ne in omnibus obaudiant diuinam vocationem, prout certe quamplurimum expediret in quibuscumque negotiis & euentibus se gerere saltem necessariis vt in via perfectionis spiritualis progrediantur, etsi non ita hæc necessaria sint ad gratiæ conseruationem: ex quo vituperio digni sunt, esto in aliis actionibus virtutum laudabiles & approbatione digni censeantur. Hoc autem contingit vel ex eo quod homo vanitati & mutationi obnoxius, aliquid patitur eiusmodi conditionis & naturæ, in exercitio deuotionis & pietatis fatigatur, & tædio afficitur in exercitiis quotidianis, & quia in opus prodit potius per quandam consuetudinem, quam per virtutis synceram dilectionem, seu per impulsum spiritus gratiæ viuificantis, refrigescit cito ab ardore intentiori charitatis. Hi videntur designati in Episcopo Ephesino cui hæc fit exprobratio quod primam charitatem reliquerit. Ad hunc ordinem reuocari debent ij omnes qui omittunt & negligunt media, quibus in via Dei progredi & proficere possent vel quibus Dei cultum promouere deberent, occupati quodam pauore timore seu pusillanimitate, dum sibi persuadent tale propositum seu consilium, vires suas longe excedere, talis videtur fuisse Episcopus Pergami, qui contra Nicolaitas inuerecundos & impudicos honestatis hostes inuehere & insurgere timebat.

In tertio autem ordine repouendi sunt, qui reuera feruore calent, difficultates non pertimescunt, sed quia proprio iudicio, & voluntati & complacentiæ sui nimis adhærescunt zelum & animum applicant ad ea quæ felicem non valent obtinere, exitum, nec fructum possunt adferre spiritualem. In his tamen inutilibus & infructuosis occupationibus tempus conterunt, & operam & industriam perdunt. Quam non perderent si quid agerent quod ad Dei gloriam & salutem valde conduceret. Talis esse debuit Episcopus Thyatirensis, is nempe videbatur operam & industriam suam collocare ad conuersionem Iudæorum in propria perfidia & malignitate obstinatorum procurandam, quos si neglexisset & prætermisisset vt gentilium conuersioni incumberet ostium sane apertum inuenisset ad eorum conuersionem, nec suum zelum aut animum inutiliter huic negotio applicuisset. Tales diuitiarum spiritualium plurimam faciunt iacturam, vel propter inconstantiam, vel propter pusillanimitatem, vel denique imprudentiam, nec necessarium valent facere progressum quo perfectionem adipiscantur, quæ continuum & indefessum exigit in bono progressum.

Denique vltimi sunt optimi mercatores qui ne minimam quidem vellent prætermittere proficiendi occasionem, nam si tantæ virtutis non sint vt valeant maria transfretare & remotiores adire regiones, vel si ita ditiores non existant vt negotiationes maioris ponderis audeant aggredi, agant tamen fideliter iuxta propriam virtutem propriasq; facultates quæcumque possunt, vel si virtute, & opibus valent labori non parcunt, omnia incommoda, & quaslibet difficultates euincunt, nihil ipsis impossibile censetur, omnia se posse in eo qui eos confortat autumant & ad omne sufficere arbitrantur. In hoc ordine primi designantur in Episcopo Philadelphiensi, cuius Deus probat sanctas intentiones, piosque conatus, eiusque protectioni inuigilare promittit, ac seruaturum eum à tentatione quæ superuentura erat, & hoc modo sub vmbra alarum suarum positus functiones suas libere exercere valebat, faciente enim quod in se erat, & pro mensura virium laboranti, Deus suum nec auxilium nec fauorem ei denegabat: Habebat itaque virtutem non adhuc probatam sed protectam. Vltimi dignitate & merito sunt qui probatæ sunt, & eximiæ virtutis, quodcumque potest manus eorum facere illud incessanter, & indefesse operantur. Nullas contradictiones, nullos aduersariorum insultus, nullisque difficultatibus superantur, & cum quadam mentium suarum submissione ad Deum, eius adiuti gratia, prospere omnia eorum consilia succedunt, ad mortem paratissimi si pro Magistri & Domini gloria illa obeunda esset. Talis erat Episcopus Smyrnensis cui dicitur: *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*, hi duo posteriores siue quia proteguntur, siue quia probati sunt tanquam aurum in fornace manent, & perseuerant in statu perfectionis, qui à S. Bonauentura definitur perfectus status in optimo. Non tamen eo ordine reponuntur in his Epistolis ad designandam illam mixtionem perfectorum & imperfectorum, malorum & bonorum quam in Ecclesia cernimus.

Interroget autem nunc quisque propriam conscientiam vt percipiat in quo statu existat an in primo, an in secundo & sic de aliis, vt sciat quæ sibi agenda veniunt vt perfectionem consequatur secundum tria genera vitarum, purgatiuæ ad quam duo priores reuocandi sunt, aut illuminatiuæ ad quam tres subsequentes reducuntur, aut vnitiuæ ad quam duo vltimi pertinent, *Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam suam à malo, & labia eius ne loquantur dolum, declinet à malo* (ecce quod priorum proprium est) *& faciat bonum* (hoc ad subsequentes & medios pertinet) *inquirat*

1. Petri 3. Ps. 33.

Digitized by Google

pacem & ſequatur eam. (Hoc perfectorum eſt.) Hæc conſulit etiam S. Petrus poſt pſalmiſtam. Ad hanc interrogationem interioris conſcientiæ Chriſtus prouocat Epiſcopum Laodicenſem, qui ſui amore obcæcatus ſe diuitem, locupletem gratia & meritis, ſibique ſufficientem iactitabat quaſi propriis viribus poſſet adipiſci beatitudinem, dum videlicet illi exprobrat ſuam tepiditatem, eumque in peſſimo conſcientiæ ſtatu conſiſtere aſſerit. Dum huic Epiſcopo dicenti: *Quia diues ſum*, &c. Ob oculos ponit miſeriam, cæcitatem, paupertatem & nuditatem, *Et neſcis quia tu es miſer*, &c. Dicebat ille vt ſibi placeret: Quicumque multa bona opera perficit diues & locuples eſt meritis, nec aliquo indiget, vt ad cæli gloriam perueniat; at ego multa bona opera quotidie facio, ſum igitur diues & locuples meritis nec aliquo indigeo cuius auxilio ad cælum perueniam: Falleris ô miſer! bonum, vt bonum ſit, omnes debet habere conditiones requiſitas, bonum namque ex integra cauſa, at opera tua carēt conditionibus requiſitis ad meritum; non ſunt igitur meritoria. Eſto, ſecundum propriam ſpeciem, & ſubſtantiam bona exiſtant, illis ingeris malitiam dum ea ex peruerſa & praua intentione operaris, & dum illa à fine diſtrahis ad quem ea dirigere debebas, deficiunt ab integritate requiſita, vt per ea gloriam æternam promerearis. Veniet Dominus in die qua non ſperas, & hora qua ignoras, & diuidet (euomet te ex ſuo ore) & partem tuam ponet cum hypocritis terræ. Interroga tuam conſcientiam, adhæreas lumini rationis ab autore menti impreſſo vt videas quid appetas, quid concupiſcas, & confeſtim percipies quam longe aberres à ſcopo.

Quod vt intelligamus reuocandum eſt in memoriam bonitatem aut malitiam actus interioris voluntatis noſtræ pendere à iudicio practico ſeu à dictamine rationis noſtræ, nam ſi prout verum eſt actiones bonitatem ab obiecto ſumant, & obiectum voluntati proponatur per intellectum, euidentiſſimum eſt voluntatem bonitatem ſuam conſequi non poſſe niſi mediante intellectu, & cum voluntas nunquam feratur in incognitum, antequam in actionem prorumpat neceſſe eſt intellectum iudicare de bonitate aut malitia obiecti; ac ſicut lex naturæ à qua omnes leges Eccleſiaſticæ & Politicæ originem ſumunt, prima eſt & vniuerſalior regula actionum noſtrarum, ita proxima & immediata regula earumdem actionum, eſt cognitio practica intellectus. At illud iudicium practicum vel verum eſt aut fallax & erraneum, ſi verum fuerit, applicatio huius regulæ ſeu veri iudicij practici conſcientiam noſtram bonam reddet abſolutè & ſimpliciter dum illud iudicium ſecuta fuerit, eique conſenſerit ſeu adhæſerit, ſi falſum aut erroneum fuerit, fallax & erronea erit etiam conſcientia noſtra. Quod ſi aliquando qui ad hoc lumen erraticum actiones ſuas direxerit nouam non incurrat culpam, quæ contraheretur ſi aliquid peccatum eſſe exiſtimaret nec ab eius perpetratione deſiſteret, tamen noſtra conſcientia non eſt ſecura, quæ huic lumini conſenſerit, ex eo quod forte in has tenebras ex negligentia propria incidimus, & ſi fallimur ſpecie recti hoc fit culpabiliter ex craſſa, ſupina & affectata ignorantia: Et hac de cauſa hic Epiſcopus culpabilis reputatur, quia ex propria negligentia ſuam non agnoſcebat miſeriam, ſiue quia ignorabat conditiones requiſitas, vt aliquod opus bonum meritorium eſſet, quas ſcire ex officio debebat, ſui enim muneris & officij erat aliorum conſcientiam dirigere, ſubditoſque docere quænam opera bona erant, & ad ſalutem acquirendam vtilia, quibuſue circumſtantiis comitari debebant vt ab hoc fine non aberrarent: vel ſi boni operis conditiones optimè ſciebat, motus inordinatos animi ſui, quia examen conſcientiæ ſuæ prætermittebat, non animaduertebat, nec interiora cordis ſatis profundè perſcrutabatur quæ vitiata erant per ſiniſtras intentiones, quibus ad alias operationes propellebatur: qua de cauſa etſi conditiones boni operis meritorij ſatis ſuperque perſpectas haberet, hanc cognitionem ad ſuas actiones regulandas, & dirigendas, non applicabat, proprio obcæcatus amore & inſigni quadam ſuperbia, quodammodo adorans ſua opera & conſilia, quod grauiter Iob. cap. 31. reprehenſibile iudicat his verbis: *Si vidi ſolem cum fulgeret, & lunam incedentem clarè & lætatum eſt in abſcondito cor meum & oſculatus ſum manum meam ore meo qua eſt iniquitas maxima, & negatio contra altiſſimum.* Hoc faciebat ille Epiſcopus: quæ intellectu percipiebat vera, quæ voluntate proſequebatur, bona videbat, & in propria gaudens conſcientia non ad Deum à quo eſt omne bonum referebat gloriam boni operis cogniti & voliti & in praxim redacti, ſed ad propriam ſibi gloriam comparandam: de eo gloriabatur dicens: *Quia diues ſum & locupletatus*: qua iniquitate & negatione altiſſimi euadebat miſer & miſerabilis, & cæcus & pauper & nudus, & in hac permanebat miſeria. Iob. c. 31.

Nam cum ita ſit quod conſcientia nec ſit potentia, nec facultas aut ſpecialis habitus, ſed tantummodo actus ſyndereſis, id eſt, applicatio ſcientiæ propriæ ad iudicandum & diſcernendum aliquid ad mores pertinens, itaut ſit vel ſit quædam concluſio ſyllogiſmi qua iudicamus aliquid bonum eſſe vel malum, vel bene aut malè quid factitatum fuiſſe, hic hanc ſcientiam ſeu concluſionem ad ſuam actionem non applicabat, quæ ex tali ſyllogiſmo elici poterat: Nullus vitam æternam promereri poteſt, qui opera omnibus circumſtantiis ad meritum requiſitis exornata non fecerit; at inter conditiones requiſitas vt opus ſit meritorium una hæc eſt, & quidem valde neceſſaria vt ſcilicet opus iſtud fiat ex impulſu alicuius motiui ſupernaturalis & recta in Deum intentione: Qui igitur opus fecerit hac conditione carens, meritorium opus non faciet. Hinc ille qui actiones elicit ex ſiniſtra & deprauata intentione, huius ſyllogiſmi concluſionem ad ſuas actiones applicet, & hoc modo ratiocinetur: Quælibet actio vt meritoria ſit fieri debet ex impulſu motiui ſupernaturalis; at ad nihil ſupernaturale intendo nec de ea re tantiſper cogito dum in opus prorumpo: non igitur opera mea erunt meritoria & fatendum mihi eſt ea vita æterna eſſe indigna, & me deceptum exiſtimare dum me meritis diuitem reputo & alta voce proclamo, ex eo quod multa opera alioquin bona ſecundum ſe ſeu ſecundum ſubſtantiam perficio.

Talis redargutio conſcientiæ hoc iudicium practicum ſequens, & ex eo pendens dicitur actus ſyndereſis quo carebat hic Epiſcopus: nam hæc applicatio concluſionis practicæ fit tribus modis. Vt diſcernamus an conueniat & oporteat hic & nunc aliquam actionem elicere aut non elicere: primus modus eſt vt hæc concluſio alliget hominem ad agendum, aut non agendum ſecundum quod illi conſcientia dictat, aut præſcribit, ſecundus modus vt ille actus ſyndereſis reuocet in memoriam an talem actionem fecerimus aut non fecerimus, quod quidem eſt teſtari an actus factus fuerit necne: hoc ſenſu fratres Ioſephi dicebant. Geneſ. 42. *Non eſt in conſcientia noſtra quis poſuerit pecuniam*, &c. Tertius modus eſt vt per illum actum ſyndereſim diſcernamus ac dijudicemus, an quod factum fuit bene an male fecerimus, quomodo con-

scientia dicitur nos arguere aut excitare, excusare aut accusare.

Hic vero Episcopus qui ad proprias actiones applicare debebat hanc conclusionem, nempe vt actio quæuis sit meritoria vitæ æternæ ex motiuo supernaturali procedere debet, ex hac applicatione redargutiones conscientiæ infidelis erga Deum sentire poterat. At tam cæcus erat vt non animaduerteret se non agere vt oporteret, imo ex motiuo proprij interesse operabatur, sibique arrogabat quod Deo erat proprium qui finis est vltimus rerum creatarum, & omnium actionum. Vnde ratione istius arrogantiæ & præsumptionis seu propter istum tepidum calorem proprij amoris, quo non propter Deum, sed propter seipsum operabatur, à Deo rejici vt quid abominabile merebatur.

Ecce itaque quomodo is qui in seipso ipsissima est veritas, & proinde subtilissimus cordium scrutator & disquisitor, merito hunc sibi arrogat titulum vt dicatur testis fidelis & verax dum in hac Epistola istum Episcopum excitat vt suam agnoscat miseriam, & stimulum conscientiæ acuit vt agnoscat se in periculoso existere statu. Testis ideo fidelis quia fideliter & veraciter suam illi manifestat mentis cæcitatem, in qua detinebatur dum de se bonam conceperat opinionem existimando se diuitem, vt cognito periculoso statu, & agnita miseria & paupertate ad meliorem intentionem eligendam excitetur, & deinceps operari incipiat nobiliori motiuo inductus propter Deum, eiusque gloriam propriamque salutem operando: tale siquidem motiuum apud Theologos necessarium est vt actiones nostræ meritoriæ censeantur. *Non est satis*, inquit Gamacheus in D. Thom. 12. q. de actibus humanis. pag. 153. *ad bonitatem aut malitiam actionis moralis vt referatur quocumque modo ad vltimum finem bonum aut malum, alioqui nulla iam esset actio indifferens, sed oportet vt referatur meritoriè aut demeritoriè ad obtinendum aut amittendum. Ad actiones quidem malas sufficit prauitas vltimi finis quia malum ex minimo defectu, at vero vt actio sit bona plura sunt necessaria &c.* Et paulo post. *Etenim vt actio indifferens reddatur meritoria non est satis vt in Deum referatur quocumque modo habitualiter aut per intentionem nimis remotam, sed opportet actu vel saltem virtute id fieri positis ponendis, & per intentionem recentem quæ non ita diu preterierit, sed moraliter reputetur vt præsens.* Ita ille.

Gamacheus in D. Thoma.

A cum verax est & iniustitia in illo non est. Quod si Dei filius tum propter generationem æternam, tum quia à Patre missus profitetur se propriam gloriam non quærere, ex seipso nihil agere, omnia facere quæ patri placita sunt, iuxta quod didicit & audit iudicium practicum determinare, suam voluntatem non quærere sed voluntatem & beneplacitum eius qui misit eum, & in hoc veracem, & omni iniustitiæ labe immunem videri, quod gloriam hanc illius videlicet qui eum misit quærat fideliter & syncere; certe hic Episcopus, & mendax & iniustus reputandus est, qui dona, quæ collata ei fuerunt sibi arrogat, qui de suis gloriatur actionibus, qui nemini quidquam se debere existimat, sibi sufficiens esse arbitratus, & eo

B ipso quo tanta extollitur vanitate, euidentissimum est scopum actionum suarum non esse Dei gloriam, sed proprium amorem: etenim absque dubio si pro Deo laboraret non extolleretur iactantia ob diuitias, non in propriis viribus præsumptuose fiduciam suam collocaret, imo potius seruum se inutilem proculdubio inclamaret: *Cum feceritis hæc omnia*, dicebat Christus, dicite quia serui inutiles sumus. Ad summum itaque superbiæ gradum se extulit, qui de dotibus animi gloriatur, qui se propria industria existimat locupletatum, & nullius rei nulliusue ope indigere. Insuper euidentissimum est quamuis actiones illius bonæ apparerent ipsas esse lepra vanitatis & superbiæ infectas, siquidem propriam tantum

C gloriam affectabat iuxta illud, *Qui à semetipso loquitur propriam gloriam quærit*, Quod de loquela Christus dicit, dicite & de cæteris hominum actionibus: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid de nobis tanquam ex nobis*, Ita nec aliquid boni dicere, vel aliquid boni facere de nobis tanquam ex nobis. Qui igitur vel aliquid boni cogitare, dicere, vel facere ex seipso cogitat gloriam propriam quærit, eadem enim dicendum de cogitatione ac de actione quæ Dominus asserit de sermone dicens, *Qui à semetipso loquitur propriam gloriam quærit.* Hæc est causa tepiditatis, quia tantum factitabat ea ex quibus laudem aucupari aut quid commodum sibi comparare putabat, magnum huius prauæ intentionis indicium

D erat eius iactantia, *Quia dicis quod diues sum*, talia enim non proferret profecto nisi exinde gloriam sibi procurare vellet.

Ioan. 7.

2. ad Cor. 3.

Hæc iactantia valde displicet Deo, qui in humilibus requiescit. *Ad quem autem respiciam nisi ad pauperculum & contritum Spiritu & trementem sermones meos?* Is. 66. *Superbia*, inquit S. Ephrem de virtut. c. 5. *latibulo similis est, in quo draco libenter moratur, & eum qui ad illud accesserit interficit.* Ita ille. Et reuera multa secum trahit mala superbia, *Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*: At è contra qui superbus est à Deo recedit, & Deus ab ipso, *Initium*, inquit S. Ephrem de recta viuendi ratione, *desertionis hominis est recessus ab humilitate: qui à Deo deseritur ab improbo*

E *spiritu præfocabitur sicut Saul.* Certe vbi Deus est omnia: abundant bona è contra vbi dæmon residet per superbiam ibi cuncta mala redundant ibi ignorantia sui ipsius quam Plato lib. 1. de summo bono vocat quoddam improbitatis vniuersæ genus vtpote contraria præcepto oraculi Delphici nempe, *Nosce teipsum.* Hanc namque ignorantiam superbiam esse vuult quam in tres partes diuidit v. g. cum quis se ditiorem existimat, pulchriorem se reputat, denique pluribus animi dotibus aut maiori sapientia præditum se iactat quam reuera sit. *Quod si*, inquit Plato, *affectionem illam omne malum quiddam vocas rectè nimirum appellabis?* Recte igitur S. Basilius responsionum ad interrogat. 289. putat, *Originem esse rixarum, dissidiorum, dissensionum, inuidiarum: Si quis enim humanam gloriam aucupatur, is ex æmulatione*

Isa. 56.

S. Ephrem.

S. Ephrem.

Plato.

S. Basilius.

Quia dicis quod diues sum, & locupletatus & nullius egeo.

Ex arrogantia superbia & præsumptione facile conjicitur nos Dei honorem & gloriam prætermittere vt propriam gloriam aucupemur.

ANNOTAT. VI.

HOMO peccator, Dicebat Seraphicus Pater Franciscus, *omnia præstare potest quæ possunt serui Dei, ieiuniis, orationibus vacare potest: vnum quid præstare non potest nempe vt Deo fidelitatem seruet*, hæc enim fidelitas in eo consistit vt omnia propter Deum operetur & dicat cum saluatore, *Ego autem non quæro gloriam meam, vel à meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater hæc loquor, & qui me misit mecum est, & non reliquit me solum quia ego quæ placita sunt ei facio semper*: vel denique, *non possum ego à meipso facere quidquam, sicut audio iudico, quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Verum namque est illum verum esse & iustum, qui Dei gloriam exquirit, *Qui* inquiebat Christus, *à semetipso loquitur gloriam propriam quærit, qui autem quærit gloriam eius qui misit*

Ioan. 8.

Ioan. 7.

Digitized by Google

ei obtrectat quem in gloria eſſe animaduerit, aut à quo in ea ſuperari ſe videt, inuidet, Ita ille. Omnia bona inficit
S. Ephrem. ſuperbia, *Verſutus*, inquit S. Ephrem, *autem ac callidus multiformisque eſt hic immundus ſpiritus, vnde etiam in cunctos dominari nititur ſingulisque per quas tranſire contigerit vias, in his laqueos conſtituit. Sapienti per ſapientiam, forti per fortitudinem, diuiti per diuitias, formoſo per pulchritudinem, eloquenti per loquelam: ſonoro atque vocali, per vocis præſtantiam, bono opifici per artis excellentiam, Agili per agilitatem. Similiter autem & ſpirituales tentare non ceſſat, cum qui renunciauit ſeculo, per abrenunciationem, temperantem ac continentem per temperantiam, & continentiam, in quiete ac ſilentio viuentem per quietem ac ſolitudinem, paupertatem colentem per paupertatem, diſcendi ſtudioſum per addiſcendi facilitatem, apprehenſu facilem per apprehenſionis facilitatem, Religioſum per Religionem & eruditum per eruditionem, quæ autem vera cognitio eſt atque ſcientia humilitati coniuncta reperitur. Sicque in cunctis ſua ſtudet ſeminare Zizania, ideo Dominus noſter ſciens paſſionis huius difficultatem, quod vbi radices egerit ibi hominem illum cum ſuo exercitio inutilem plane reddat, ſuppeditauit nobis aduerſus ipſum pro tropheo atque vexillo humilitatem dicens: quando omnia feceritis quæ præcepta ſunt vobis dicite, ſerui inutiles ſumus.* Sed vt tanto malo occurramus, alia nobis idem S. Ephrem ad euerſionem ſuperbiæ tradit documenta, *Vana*, inquit, *eſt omnis*
S. Ephrem. *exercitatio, omnis temperantia, omnis obedientia, omnis voluntaria paupertas, omniſque diſciplina multi inga humilitate deſtituta, nam quemadmodum principium & finis bonorum eſt humilitas, ita malorum initium finiſque exiſtit ſuperbia,* Ita ille. Pulchre equidem, nam vt Dei gratiam obtineamus indigentiam noſtram aduertere, & agnoſcere oportet, vt ea preſſi ad Deum omnium bonorum fontem per orationem recurramus & cum ad perfectionis apicem peruenerimus fatendum eſt ingenue omnia noſtra à Deo eſſe bonorum autore, & quia ab eo cuncta ſuſcepimus bona, noſtras ei debemus in omnibus ſubdere voluntates: quod ſi mens in ſuperbiam extollitur à Deo recedere incipit & præter mala ſupra allata ad hanc animi ſtoliditatem & ſtultitiam adducitur vt ab ipſo dependere nullatenus putet, imo dicit talis, *inſipiens in corde ſuo non eſt Deus.* Fuge ô dilecte hanc amentiam, & Deo omnium bonorum autori in omnibus & omni tempore gratias age.

Dicis quod dines ſum & locupletatus & nullius egeo.

Tria genera ſuperbiæ euitanda ſunt in quæ his Laodiceæ Epiſcopus incidiſſe videtur.

ANNOTAT. VII.

PRIMVM eſt non agnoſcere dona naturalia ſeu ſupernaturalia quæ habemus, à Deo bonorum omnium fonte emanare, de iis gloriantes ac ſi
1. ad Cor. 4. noſtra eſſent, illius dicti S. Pauli immemores, *Quid habes quod non acceperis? ſi autem acceperis, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* In quod vitium incidiſſe perſpicuum eſt cum gloriabundus ait, Diues ſum, quod intellige donorum animi, acuti ingenij, intellectus perſpicacis, facilis memoriæ, facundiæ & cæterorum huiuſmodi. Secundum eſt ſi credamus propriis viribus ac induſtria poſſe nos cæli gloriam promereri ſeu aliquid agere meritorium, contra illud ſaluatoris dicentis, *Nihil ſine me poteſtis facere*, Quo vitio ſe maculatum oſtendit dum addit, *Et locupletatus*, quod intelligendum arbitror de bonis quibuſdam operibus, quibus ſibi famam bonam comparauerat, per complacentiam in his operibus, ac ſi illa perfi-

A ceret propria induſtria propriiſque viribus. Tertium genus ſuperbiæ eſt, ſi quis videatur adeo prudens ſapiens & diſcretus adeo potens & magnanimus, vt nullius ope, nullius auxilio aut conſilio indigeat, contradicente huic ſuperbiæ Paulo dum ait: *Non poteſt autem oculus dicere manui, opera tua non indigeo,* 1. ad Cor. 12.
aut iterum caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarij. 1. ad Corinc. 12. Nomen namque Sadai, id eſt, ſibi ſufficiens, ad Deum ſolummodo pertinet. Hanc ſuperbiam contraxiſſe videtur, dum addit, *Et nullius egeo*, forte ratione donorum animi, famæ iam ſibi conciliatæ, multis virtutum diuerſarum actionibus, experientiâ contractâ ſe ab omni correctione & redargutione immunem reputat, quia quidquid meditatur, quidquid agit quodammodo ſuſpicit & ado-
B rat iuxta illud Prouerbio. 12. *Via ſtulti recta in oculis* Prouerb. 12.
eius, qui autem ſapiens eſt audit conſilia. Hac de cauſa ei dicit Chriſtus: *Ego quos amo arguo & caſtigo*, Putaſne nullius indigere quod ſis ſapiens expertus in negociis? ſed ſcias cenſore & correctore tibi opus eſſe quo corrigaris, nec enim eâ qua putas præditus es ſapientiâ aut experientiâ.

Contra primum genus ſuperbiæ ita Macarius homil. 15. *Quemadmodum ſi Rex apud quemdam theſau-* Mac. Hom. 15.
rum ſuum deponat, is qui accepit cuſtodiendum non reputat illum vt ſuum ſed vbique fatetur inopiam ſuam, nec audet diſpergere quippiam ex alieno theſauro ſemper hoc habens in animo, quia non ſolum theſaurus eſt alienus, ſed
C *quod Rex & vir ſummæ potentiæ depoſuit illum apud me qui quando volet à me repetet: eiuſdem debent eſſe ſententiæ qui gratiam Dei ſunt adepti nempe vt humiliter de ſe ſentiant, & mendicitatem ſuam confiteantur: quemadmodum enim mendicus qui theſaurum à rege depoſitum accepit ſi de alieno theſauro confidens tanquam de propriis opibus extollatur & ſuperbiam cor eius concipiat, aufert ab eo Rex theſaurum ſuum, & qui loco depoſiti illum acceperat talis manet, qualis erat antea, nempe mendicus: ita qui gratia Dei ſunt præditi ſi efferantur, & ſuperbiam eorum corda recipiant tollit ab eis Dominus gratiam ſuam & tum remanent ij qui prius erant antequam à Domino gratiam accepiſſent.* Ita Macarius. Certe eadem dicendum de donis naturalibus æque ac de donis gratiæ, ſi is
D qui vtrorumque eſt largitor & dator magnificus ea à nobis auferre vellet, *Auferes ſpiritum eorum & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur.* Pſ.

Contra ſecundum ſuperbiæ genus inuehitur idem S. Macarius homil. 24. *Quæcumque*, inquit, *videtur* Mac. hom. 24.
anima per ſe agere, elaborare, atque exequi ſolis viribus freta exiſtimans ſe poſſe opus perfectum edere à ſeipſa non cooperante ſpiritu procul aberrat, neque enim eſt locis apta cæleſtibus, nec pertinet ad regnum quæ à ſe & per ſe ſolum ſine ſpiritu ſancto exiſtimat perfectam puritatem efficere. Niſi enim homo, qui affectionibus torquetur acceſſerit ad Deum repudiato mundo, & in ſpe ac patientia credat ſe ſuſcepturum quoddam bonum aliud à ſua natura,
E *quod eſt virtus Spiritus ſancti, ac deſurſum Dominus impreſſerit omnino vitam diuinam, talis nequaquam percipiet veram vitam, neque reſipiſcet ab ebrietate materiæ, nec ſplendeſcet in anima obtenebrata fulgor ſpiritus, aut diem ſanctum in ea illuſtrabit, nec à ſomno ignorantiæ profundiſſimo illam expergefaciet vt hoc modo per virtutem Dei & efficaciam gratiæ verè Deum agnoſcat. Itaque niſi meruerit homo ſic per fidem aſſequi gratiam inutilis eſt nec aptus regno Dei: contra vero qui gratiam ſpiritus acceperit nullatenus auerſus, aut per negligentiam aut delictum gratiam contumelia afficiet, & ita temporum ſucceſſu decertans Spiritum ſanctum non contriſtet vitam æternam conſequi poterit.* Ita Macar. Pro comperto igitur habeamus quod abſque ſpiritu gratiæ diuinæ locupletari non poſſimus opibus meritoriis gloriæ cæleſtis, nec poſſe ad debitam, & conuenientem fini noſtro vltimo perfectionem peruenire: *Qui,* Mac. hom. 25.

Digitized by Google

inquit S. Macarius Hom. 25. *non sunt armati verbo Dei, nec in lege diuina eruditi, frustrà inflati putant proprio libero arbitrio abdicare occasiones peccati, quod quidem per solum mysterium in cruce celebratum damnatum est, illa enim libertas quæ est in facultate hominis sita est in eo vt diabolo resistere possit, non autem vt plane possit dominari affectionibus: nam, Nisi Dominus ædificauerit domum, & custodierit ciuitatem frustrà vigilat qui custodit, & frustrà laborat qui ædificat.* Ita Mach. Et ideo Deo danda est gloria ex eo quod nos ex nihilo fecit esse quod sumus, sed etiam ex eo quod per eum operemur quidquid boni, nec agere contigerit ad meliora semper adspirantes, nec propterea aliquid nos fecisse existimantes. *Mens*, inquit S. Ansel. in c. 4. ad Ephesios, *quæ igne superni amoris exequitur, semper in se seruat claritatẽ pulchritudinis quotidiana innouatione feruoris: nescit enim mens per torporem inueterascere quæ studet per desideria semper inchoare.* Ita Ans. Similia habet S. Macar. Hom. 26. *Cæterum*, inquit, *Christianismi hoc est indicium cum quis elaborauerit, aut quascumque iustitias peregerit, ita affectum esse, ac si nihil egisset: cum ieiunauerit dicere, non ieiunaui: adhuc exercere me ac elaborare, incipere debeo: ac licet iustus sit apud Deum dicere debet, non sum iustus, neq; laboraui sed incipio quotidie.* Ita Macar. Ab hac animi demissione longe aberat hic Episcopus, qui se locupletatum bonis operibus, virtutibus ac meritis existimabat, & in medio studij cursum suum absoluebat, & propter reporem potius erat euomendus & rejiciendus, quam vt ad scopum perueniens posset accipere brauium, coronam ac victoriæ palmam, quidquid certe egisset vt maiores diuitias aggregaret, eo certe spiritu viuificari debebat, quo animatus Seraphicus Pater Franciscus iam acceptis plagis quasi quibusdam aperturis per quas immensus ardor charitatis pectus eius adurens aërem refrigerantem attrahebat, solebat dicere: incipiamus fratres mei, incipiamus: ac si nihil vnquam egisset, aut pro Christo passus fuisset.

S. Anselmus. *Mac. hom. 26.* *S. Franciscus.*

Denique tertium genus superbiæ fugiendum, quo laborabat hic Episcopus dum ait: *Nullius egeo*, Ac si diceret: nullo egeo excitatore ad bonum, ea enim quæ mihi grata sunt, & quæ probo tantum perficiam, iam sum determinatus ad ea quæ scio esse facienda, mihimet leges præscripsi, posui terminos quos præterito nolo, meo modo viuam, nec alicui elaborandum vt me persuadeat à proposito discedere aut re quæ proposui perficiam. Nullius indigeo iudicio aut consilio, habeo consilium & rationes apud me eorum quæ acturus sum. O quam periculosa est ista lepra siue propriæ voluntatis siue proprij iudicij, & consilij! De lepra propriæ voluntatis audiamus S. Bernardum eam viuis coloribus depingentem, *Illa*, inquit, *est quæ non est communis cum Deo & hominibus, sed nostra tantum, quando quod volumus non ad honorem Dei, non ad vtilitatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere Deo, & prodesse fratribus, sed satisfacente propriis motibus animorum.* Ita ille. Hæc Dei inimica, hæc in nobis spiritum charitatis & amoris omnino extinguit, *Quid enim*, ait ad hæc S. Bernard. *odit aut punit Deus præter propriam voluntatem: cesset propria voluntas, & infernus non erit, in quem enim ignis ille desæuiet nisi in propriam voluntatem?* Ita Bern. Hæc intolerabiles reddit in hac vita quoslibet euentus, in pruritu namque propriæ volũtatis patimur quidquid ægrè & inuiti pati contigerit, hæc se subtrahit, & subducit dominatui Dei, cui tanquam autori seruire debuerat scilicet dum efficitur sua, in se omnia quoque quæ Dei sunt tollit & diripit: tam cupide quæ sua sunt quærit, vt ei totus non sufficiat mundus, hæc contra Deum ira & rabie fertur, & si pugione pectus illius peccatoris confoderet, nullo alio quam propria voluntate vteretur. *Omnino enim vellet*, inquit S. Bernard. *Deum peccata sua aut vindicare non posse aut nolle, aut ea nescire: vult ergo eum non esse, quæ quantum in ipsa est vult eum aut impotentem aut iniustum esse, aut insipientem. Crudelis plane & omnino execranda malitia, quæ Dei potentiam, iustitiam, sapientiam perire desiderat, hæc est crudelis bestia, fera pessima, rapacissima lupa & læna sæuissima, hæc est immundissima lepra animi propter quam in Iordane mergi oporteat, & imituri eum qui non venit facere voluntatem suam.*

S. Bernard. *S. Bernard.* *S. Anselmus.*

Quantum ad Lepram proprij consilij, *Eo perniciosior est*, inquit S. Bernardus, *quo magis occulta, & quanto plus abundat tanto sibi quisque sanior esse videtur, hæc propria est eorum qui zelum habent sed non secundum scientiam, hi vnitatis sunt diuisores, inimici pacis, charitatis experies, vanitate tumentes, placentes sibi & magni in oculis suis ignorantes Dei iustitiam & suam volentes constituere: Et quæ maior superbia quam vt vnus homo toti congregationi iudicium suum præferat tanquam ipse solus habeat spiritum Dei?* Ita Bern. Eorum etiam propria videtur, qui ad modum istius Episcopi ad ea tantum determinantur quæ sciant sibi fore vtilia, nec patiuntur vt aliquid in præiudicium istorum ipsis proponatur, quamuis multum conducens ad Dei cultum & obsequium promouendum: De his loquitur S. Macarius Hom. 27. Vt autem Christus sumptâ serui formâ per humilitatem vicit diabolum, sic initio serpens per arrogantiam & superbiam Adamum profligauit, nunc quoque ille ipse serpens intus latens in cordibus per superbiam destruit ac dissoluit genus Christianorum; *Quemadmodum enim si quisliber & ingenuus more seculi ac valde locuples reditum insuper cogas & fructus inferat ille arrogans est, & sibi ipsi fidit, cumque sit intolerabilis omnes calcitrat, & colaphis afficit: ita sunt quidam nulla discretione præditi, qui cum paululum quietis precationisque fuerunt adepti extolli incipiant, rebelles esse, ac de aliis iudicium ferre & hoc pacto delapsi sunt in profundissimo terræ: serpens enim ille qui deturbauit Adamum per arrogantiam dum diceret, Eritis sicut dij, ipse nunc quoque in cordibus suggerit arrogantiam his verbis, perfectus es, sufficit tibi, factus es locuples, nullius indiges, beatus es.* Hæc Macarius, hæc sunt verba huius superbi de quo hic dicitur: *Quia dicis, quod diues sum, &c.*

S. Macarius.

Et nescis quia tu es miser & miserabilis & pauper & cæcus & nudus.

Per superbiam ab omni virtute & merito spoliamur.

ANNOTAT. VIII.

EADEM, dicebat Christus Dominus, *mensura qua mensi fueritis remetietur vobis*, Hoc accidit superbis: cum Deo gloriam rapere contendunt, & quod proprium Dei est sibi arrogare audent, ignobiles & infames redduntur, & bona ipsis à Deo gratuito concessa auferuntur. At ille Deo quod proprium illi est auferre conatur, qui voluntatem suam Deo subdere non vult, ac si sibi liceret propria vti voluntate, *Propria voluntas*, inquit S. Anselm. de similit. c. 7. *superbia nuncupatur, quia voluntati Dei se subdere non vult, & quoniam homo illam habet à se, neque voluntatem Dei quam sequatur vult habere super se, ipsa Deo aufertur quod propriè & singulariter debet habere.* Et reuera vt ipse docet, *Solus Deus quidquid vult debet velle propria voluntate, itaut aliam quam sequatur non habeat supra se: cum igitur homo vult aliquid per propriam voluntatem Deo aufert quasi suam coronam, sicut enim corona soli Regi competit, sic propria voluntas soli Deo, & sicut Regem aliquem inhonoraret qui suam & coronam*

Matth. 7. *S. Anselmus.*

Digitized by Google

auferret, ſic homo inhonorat Deum qui aufert ei propriæ voluntatis priuilegium, habere volens, quod ille debet habere ſolus. Ita Anſel. Quæ cum ita ſint mirum eſſe non debet, ſi Deus ab hominibus ſuperbis ſuam ſubtrahat gratiam, meretur quippe ſuperbus vt ab eo dona gratuita auferantur, quæ ex mera Dei liberalitate conceſſa fuerunt, ſiquidem ipſe quod Deo proprium eſt auferre conatur, Dei enim proprium eſt proprio iudicio, & propria voluntate vti, eſt enim eius voluntas, omnis veritatis, rectitudinis & æquitatis initium, & ad eam regulam omnes hominum voluntates regulari debent, qui igitur voluntatem ſuam ab illius ſubiectione ſubtrahit fur eſt & latro merito donis conceſſis ſpoliandus, *Nouit Dominus*, inquit S. Macar. hom. 27. *imbecillitatem hominis nempe confeſtim extolli ſolere: propterea ſubtrahit, & hominem exerceri iactarique permittit, nam ſi te modicum accipientem tolerare non poteſt ſed intumeſcas, quanto magis ſi quis tibi concederet prorſus ad ſatietatem, nemo te ferret: atqui Deus perſpectam habens infirmitatem te cum moderamine tribulationibus exponit vt humilis euadas ac ſtudioſior inquirendi Dei.* Ita Macar. *Sunt quidam*, vt ipſe ait, *qui vbi modicum quietis acceperunt adminiſtrare neſciunt, ſed perdunt etiam id quod adepti ſunt, ſentiat enim eos peccatum, ac tenebræ obduxit animum eorum.* Comparat S. Ephrem, de recta viuendi ratione, ſuperbiam magnæ & elatæ arbori, ſed putredine conſumptæ, cuius rami facilè diſrumpantur ſi quis ad eum aſcendere voluerit, vel ab ea fulciri deſideret, eo promptius & grauiori lapſu cadit quo altius conſcenderit: pari ratione qui donis cæleſtibus præſumptuoſe locupletem ſe exiſtimat, quanto namque plus de iiſdem extollitur, Deo ob beneficia ingratus, maiori ſubtractione eadem dona auferuntur. Diceres animam ſuperbam eſſe quandam ciuitatem vi & violentia captam, & prædæ expoſitam, Deus enim contra illam iraſcitur & omnia ab ea & fortunæ & corporis & animi bona auferuntur, *Verum*, inquit S. Ephré, ad auertionem ſuperbiæ, *quid eſt ſuperbia ſimile efferri? Ac ſi quis Deo exprobret propia velle facta: ſicut enim in rebus humanis ſi quis cum aliquid proximo donauerit mox aduerſum ipſum efferri ſupra modum incipiat, beneficia ſane huius inania redduntur amicitiamque cum proximo ſic dirimet, vnde etiam talis abominabilis redditur.* Ita S. Ephrem. Pari modo ſi contra Deum extollamur ratione donorum amicitiam dirimet, nos à ſe projiciet, euomet ex ore, pauperes, cæcos, & nudos deſeret, ſuam à nobis gratiam ſubtrahendo, ſuas inſpirationes cohibendo, lucem auferendo, ornamenta virtutum, merita bonorum operum, dona quælibet gratiarum. Amen dico vobis quia omni habenti dabitur, ei autem qui non habet & quod putat habere auferetur ab eo.

His adde quod ſi quid apud ſuperbum boni naturalis remaneat, hoc tantum quadam ratione amittet dum eius libertatem captiuam detinebit malignus Spiritus iuxta illud Apoſtoli, *Captiui ad ipſius diaboli voluntatem*, Qui ei tot inquietudines, animi perturbationes, noxias occupationes, moleſtas diſtractiones ſuppeditabit, vt vix ac ne vix quidem poſſit à peccatis reſilire, tempus & otium illi eripit, quo de Deo, & conuerſione ſua poſſet cogitare. *Noli igitur*, inquit S. Eprem, *ſuperbiæ morbum admittere, ne forte mentem tuam deprædetur inimicus: reſipiſce ergo ab elata cogitatione propria complacentiæ, nolis retia propriis inicere pedibus, mentem tuam ab hoc veneno mortifero per humilitatem deterge.* Hæc Ephrem.

S. Macarius.

S. Ephrem.

A *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum vt locuples fias, & veſtimentis albis induaris.*

Quid per aurum ignitum, & probatum intelligant interpretes, & quomodo à Chriſto emendum ſit.

ANNOTAT. IX.

GAGNEVS: *Græci addunt ex πυρὸς ſ. ex igni, aurum autem ignitum quidam non malè intelligunt feruorem charitatis, preſſurarum flamma tanquam igni probatum, quem emere iubet à ſe pretio piæ confeſſionis & ingi memoria propriæ fragilitatis, eme ergo huiuſmodi aurum vt locuples fias, & veſtimentis albis induaris. ſ. candore innocentiæ, vt non appareat confuſio, & turpitudo nuditatis tuæ: nudus eſt enim vtcumque fidem iactet qui bonis operibus non eſt ornatus.* Ita Gagneus. Gagneus.

Eſtius: *Aurum ignitum, id eſt, igne probatum, eſt charitas, hac enim carebat iſte Angelus Laodicenus vt ex præcedenti increpatione liquet, emere ſ. acquirere, comparare ſeu gratis ſeu pretio catechreſis, ſicut Iſa. 55. Emite abſq; argento & c. 52. Grati venundati eſtis & abſq; argento redimemini. Ita hoc loco, nam charitas nullo pretio aut merito acquiritur, ſed gratis obtinetur. Maximè ſi conſideretur ſecundum initium ſuum, id eſt, primum motum bonæ voluntatis. Nam charitas S. Auguſtino eſt bona voluntas, ſed quia dicit, ſuadeo tibi emere, ſignificatur aliquod ſtudium præcedens quo ambiat charitatem, quod tamen etiam ex Deo eſt, vnde ſtatui poteſt meritum congruum reſpectu iuſtificationis.* Ita Eſt. Eſtius. Eſa. 55. & 52.

Emmanuel Sa: *Aurum. ſ. Charitatem ardentem emendum pœnitentia, boniſque operibus; id eſt, per hæc à Deo obtinetur, ignitum, probatum, pro igne probatum. ſ. tribulationibus. Veſtimentis q. d. vitæ puritate quam gratia affert peccatis remiſſis, confuſio. ſ. ignominia ſeu turpitudo.* Sa.

Menochius: *Vtitur autem idoneè verbo emendi quaſi dicat, etiam cum voluptatum diſpendio cura vt habeas aurum hoc, etiam ſi dolores pœnitentiæ ferendi ſint, & iucundis abſtinendum: auruto igne probatum hoc auro ſignificatur ardens charitas, qua tollitur ſpiritalis paupertas: & veſtimentis albis induaris, ſcilicet innocentia, vitæ puritate ſanctis & puris virtutum operibus, quibus nuditatem tuam ſpiritualem tegas.* Ita Menoch. Menoch.

Tirinus: *Extractum ex igne prorſus ignitum & conſequenter plane purgatum & probatum ab omni ſcoria hypocriſis & latentis malitiæ. Per quod aurum Richardus, Beda, Auſbertus, Hugo, Alcaſar, à Lapide intelligunt charitatem non talem qualem ſed præſtantiſſimam ad inſtar auri: non tepentem, ſed feruentem imo ardentem inſtar ignis. Emere inquam vtique argento, non tamen tuo (peccator enim nullo opere mereri condignè poteſt primam gratiam) ſed Chriſti, nempe pretio ſanguinis ipſius, inquit S. Ambroſius: Vel vt Dionyſ. Carthuſ. eme pretio non condigno ſed congruo, nempe per actus fidei, ſpei, pœnitentiæ, orationis & aliorum piorum operum, quibus tanquam præuiis & infallibilibus diſpoſitionibus gratia iuſtificans comparatur. Hoc auro primo pelles paupertatem & inde ſubmatas tibi miſerias: ſecundo nuditatem, comparatis ex eo veſtimentis albis non lanæ vel byſſi (quibus abundat Laodicea teſte Strabone & Tacito, ſed innocentiæ caſtæ & puræ vitæ. Tertio cæcitatem.* Ita Tirinus: Tertium hoc vt debimus ex eodem autore in interpretatione collyrij. Tirinus.

Ego autem vt dicam quod ſentio, per hoc aurum intellige ſapientiam cæleſtem ex copioſo charitatis fonte reſilientem, ſicut & alia dona ſpiritus quæ illam comitari ſolent, qua cæleſtia præguſtamus, ad Dei fruitionem inhiamus, terrena libenter amittimus, vt adipiſcamur cæleſtia, tranſitoria contemnimus vt æterna poſſidere liceat, qua ſapientia prædi-

Digitized by Google

tus erat Paulus qui omnia detrimentum faciebat vt Christum lucrifaceret, cuius conuersatio erat in cælis, qui posteriora post se relinquens ad anteriora sese extendebat, quin & illi de quibus loquitur Heb. 10. *Nam & vinctis compassi estis & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam.* Hæc Paulus.

Heb. 10.

Hæc est sapientia quæ tantum à perfectis bene percipitur, iuxta illud Pauli 1. ad Cor. 2. *Sapientiam autem loquimur inter perfectos, sapientiam vero non huius seculi neque principum huius seculi qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante secula in gloriam nostram, quam nemo principum huius seculi cognouit, si enim cognouissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent, &c.* Ex hoc loco S. Pauli quasi manu ducimur vt sciamus quonam pretio emenda sit illa sapientia nempe per Christi imitationem, hæc est enim sapientia abscondita de qua idem Paulus c. 1. 1. ad Corinthios: *Nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis* (crucis nempe) *saluos facere credentes*, Itaque pretium talis sapientiæ est perfecta Christi crucifixi imitatio, *Qui factus est nobis*, inquit ibidem in fine cap. S. Paul. *sapientia à Deo & iustificatio & redemptio, vt quemadmodum scriptum est, qui gloriatur in Domino glorietur.*

1. ad Cor. 2.

4. ad Cor. 1.

Suadeo tibi emere aurum ignitum probatum

Aurum ignitum probatum sapientia est diuina, terrena despiciens, ad cælestia adspirans: ea autem emitur per Christi imitationem.

ANNOTAT. X.

OPTIMVM sane consilium, vtilissimum insuper ei, qui se nullius consilij indigum reputabat himia præsumptione elatus. Quod cum à Christo Domino datur certe perspicitur quanta sit Dei erga electos beneuolentia, eos namque nunquam deserit, sed si eos repererit in periculoso statu salutis, per gratiam præuenientem vt ab eo statu recedant admonet & prouocat: hunc igitur de se præsumentem mónet, vt si amator sit diuitiarum veras inquirat & à quo eas accipere debeat docet, modo ab eo illas emere proponat. Ratione enim consentaneum esse videtur, quod qui prima gratia abusus fuerit si ei hæc culpa per Dei misericordiam relaxanda fuerit, tantoque fauore donandus vt eius ingratitudinis nulla ratio habenda sit reddendo ei quod per præsumptionem perdiderat, tantum bonum emat: & quod in baptismo gratuito ei collatum absque vllo labore fuerat illud recuperet cum labore pœnitentiæ & præuiis quibusdam præparationibus & dispositionibus licet duris & molestis. Iam igitur videndum quod illi promittitur & proponitur emendum, nempe aurum ignitum, &c. Secundo quo pretio illud emendum sit.

Quantum ad primum iam diximus per istud aurum sapientiam non Philosophorum sed sanctorum esse intelligendam, sapientia namque thesaurus est desiderabilis, & sicut auro res temporales comparãtur & emuntur, ita sapientiâ æterna promeremur eaque emimus, *Si enim sapientiam inueneris*, inquit Sapiens, Pro. 2. *& inclinaueris cor tuum prudentiæ, si quæsieris eam quasi pecuniam & sicut thesauros effoderis illam tunc intelliges timorem Domini & scientiam Dei inuenies, quia Dominus dat sapientiam & ex ore eius prudentia & scientia.* Certe hæc expositio non militat contra aliorum expositionem, qui in hoc auro designari volunt charitatem vt vidimus, imo & Christum Dominum ignitum igne passionis, vt vult Hay-

Proverb. 2.

A mo apud Cornel. à Lapide, ipse enim est charitas, ipse est sapientia; sed cum scriptura loquitur de charitate eam dari per spiritum sanctum asserit, iuxta illud Epistol. ad Rom. c. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum qui datus est nobis.* Rom. 5. Sapientia autem emenda proponitur quia cum labore effodienda, quia negotiationi argenti & auri acquisitio eius comparatur Pro. 3. *Melior est acquisitio eius negotiatione auri & argenti, primi & purissimi fructus eius, prætiosior est cunctis opibus & omnia quæ desiderantur huic non valent comparari:* Quin etiam si aliquando sapiens de sapientia sermonem instituat, continuo de emptione aut venditione mentionem facit. *Quid*, inquit ille, Prouerb. 17. *prodest stulto habere diuitias cum sapientiam emere non possit*, & Pro. 23. *Veritatem eme & vols vendere sapientiam, doctrinam & intelligentiam.* Veritas autem vera est sapientia quæ nobis emenda est, sed gratis communicanda: iuxta illud Sap. 7. *Quam sine fictione didici & sine inuidia communico, & honestatem illius non abscondo.* Cur autem non emeretur, cum tam pretiosa sit, vt nec lapis pretiosus nec aurum nec argentum, nec diuitiæ, nec regna, nec throni, nec sedes iudicantium cum ea comparari valeant, sintque arena exigua vile lutum in comparatione illius, quæsi adsit omnia bona pariter cum illa veniunt & innumerabilis honestas, infinitus denique thesaurus est hominibus quo qui vsi sunt participes facti sunt amicitiæ Dei? Et hunc laboribus parcere velles? Eam emere recusares? Cum tantum sit bonum quo vere Deus super omnia diligitur, cæteris bonis anteponitur: *Certe si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Cant. 8. Hæc est prætiosa margarita in agro recondita, *Quam qui inuenit homo vadit & vendit omnia quæ habet, & emit agrum illum.* Et reuera hic præcipue sub titulo venditionis & emptionis hæc diuina sapientia proponi debuit, nam cum duobus modis Deus gratiam suam conferat vel liberaliter vel gratuito, nobis non laborantibus vt in baptismo, in quo absq; labore gratia datur charitas infunditur, vel cum labore & pœnis vt in pœnitentia: quia primum bonum seu primam gratiam hic Episcopus per superbiam amiserat eius recuperatio vt iam præmiimus emenda est illi per laborem pœnitẽtiæ. Vidimus igitur quid nobis sit emendum nempe veram sapientiam & emendam esse labore: sed quo labore vt pretium sit rei emendæ proportionatum, nunc nobis est videndum.

A

B

Prouerb. 17.

Prouerb. 23.

Sap. 7.

C

Cant. 8.

Matt. 13.

D

Dicimus igitur vt labor noster non sit inanis in Domino, sed dignus sit qui pro iusto pretio sapientiæ diuinæ acceptari valeat, oportere vt in hoc emptor totus sit, vt Christum & hunc crucifixum imitari studeat, huiusmodi namque sapientiæ qua terrena despicimus, & Deum cæteris rebus anteponimus eum supra omnia diligentes, qua Deum gustamus, vt videamus quoniam suauis est Dominus iustum prætium est Christi imitatio. In eo enim tanquam in speculo cernere licet quomodo gloriam propriam requirere non oporteat, cum pro patris gloria mori dignatus est: subtiliter discernere possimus quinam sit valor rerum creatarum quas deserere docet vt cælestia amemus, euidenter demonstrat nihil esse in hac vita appetendum sed recta intentione ad Deum adspirandum & in eo solo conquiescendum. Si enim eum perfectè imitemur verè sapienter erimus. Audiamus Clementem Alexand. Admoni. ad gentes: *Volo vos corrigere, ad exemplar vt sitis mihi quoque similes, vnguento fidei vos vngam per quod interitum exuitis & corruptionem, & iustitiæ nudam ostendam figuram, per quam ad Deum ascenditis, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis & ego reficiam vos, tollite iugum meum, &c. festinemus, curra-*

E

Clement. Alex.

mus

mus ô religioſi & Dei ſimiles homines, verbi imagines, feſtinemus, curramus, tollamus iugum eius, &c. Ita Clem. Audiamus & Paulum Epheſ. 4. *Renouamini autem ſpiritu mentis veſtræ & induite nouum hominem qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis: Id eſt*, inquit S. Anſelmus, *accipite velut indumentum conformitatem conuerſationis Chriſti quo vos vndique ſic cooperiat, vt nihil in moribus veſtris appareat niſi ſimilitudo operum quæ Chriſtus egit*; Et rurſus Apoſtolus c. 5. ait; *Eſtote ergo imitatores Dei ſicut filij chariſſimi & ambulate in dilectione ſicut & Chriſtus dilexit nos & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam in odorem ſuauitatis*: Quicumque hoc modo Chriſtum imitatus fuerit, hic profecto emit ſapientiam illam ignitam & probatam, iuſto pretio. *Eſt autem*; inquit Clem. Alexand. admonit. ad gentes, *Verbum adiutor, bono animo ſimus, & in eo ponamus fiduciam, nec nos vnquam tantum auri & argenti & gloriæ ſubeat deſiderium, quantum ipſius verbi veritatis: neque enim Deo gratum eſt ſi nos ea quidem quæ ſunt maximi pretij minimi faciamus, amentias autem & ignorantias & ſocordias, ac voluptates, & cultus ſimulachrorum, manifeſta probra & dedecora & impietatem extremam pluris faciamus*, Ita Clem.

Tantum bonum igitur quale eſt ſapientia iſta per Chriſti imitationem acquiſita maximi faciamus, locupletes erimus, Deum enim per eam poſſidentes quid nobis deerit? Vel eodem Clemente Alexand. admonit. ad gentes teſte, dum ait: *oportet autem veritati fortiter adhærentes Deum ſequi totis viribus, moderate ſe gerentes & exiſtimare omnia eius eſſe ſicut ſunt, præterea autem nos quoque cum didicerimus eſſe rem pulcherrimam eius poſſeſſionem, ſeipſos Deo permittere Dominum Deum diligentes, & hoc noſtrum eſſe munus per totam vitam exiſtimantes: ſi autem ſunt communia ea quæ ſunt amicorum (eſt autem homo religioſus & Dei amicus verbo intercedente) fiunt omnia hominis, quia ſunt Dei omnia & amicorum communia, Dei & hominis.* Hæc Clem.

Nullus autem perfectè Chriſtum imitari poterit niſi qui mandatis Dei obediens fuerit vſque ad mortem, ſicut & ipſe Chriſtus Patri obediens factus eſt vſque ad mortem, mortem autem crucis. Ad quam obedientiam mandatorum nos prouocat S. Macarius Hom. 19. dicens, *Quicumque igitur optat verè Deo placere & ab eo conſequi cæleſtem ſpiritus gratiam & creſcere ac perfici in ſpiritu ſancto, debet ad omnia præcepta Dei ſeipſum compellere, & vel inuitum animum ſubingare, quemadmodum dictum eſt: Propterea ad omnia mandata tua dirigebar omnem viam iniquam odio habui. Quemadmodum enim quiſpiam ſe compellit & cogit ad perſeuerandum in impetrando precandi deſiderio donec id obtinuerit: eodem modo ſi volet ad [illegible]um virtutum officia ſeipſum adiget & vrgebit, aſſ[illegible]adinem bonam induens, & ita vbi poſtulauerit aſſidue donum deprecatus, & poſtulata conſecutus Deum guſtare caperis ac ſpiritus ſancti particeps fueris ille ipſe ſpiritus largietur, & vt creſcat impleat & foueat gratiam ſibi donatam requieſcentem in humilitate, charitate, & manſuetudine; eius docebitque eum veram precandi rationem, veram dilectionem ac veram manſuetudinem, ad quæ prius vi ferebatur, quærebat cum ſollicitudine & meditabatur quæ denique donata ſunt ei, & ita auctus & conſummatus in Deo hæres eſſe regni merebitur.*

A *Vt locuples ſias & veſtimentis albis induaris & non appareat confuſio tua.*

Per iſtam ſapientiam à charitate ortam, ſit vt anima & innocentiæ reddatur & bonis operibus induatur, & præteritæ ingratitudines oblitioni tradantur.

ANNOTAT. XI.

PSELLVS apud Theodoretum diuinam charitatem nuncupat agri potentiam & vim, Adiuro vos inquit, per agri potentiam, hoc eſt per diuinæ charitatis vim: Et optimè, amor quippe Dei, cauſa eſt omnium rerum, quæ in latiſſimo vniuerſi campo procreantur. Hac appellatione etiam appellari poteſt charitas creata infuſa in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis, ipſa namque rectè dicitur agri potentia & vis animarum videlicet, quæ excultæ ſunt ſenſuum mortificatione, quin & paſſionum & affectuum, & purgatæ ab omnibus ſenſibus & ſpinis ſollicitudinum ſeculi, & proprij amoris. Hæc namque charitas in animabus cauſat omnes actiones bonas & meritorias, quibus quotidie ditiores reddantur, ſi amor cor poſſideat, illud nec vacuum nec otioſum eſſe permittit, ignis eſt maximè actiuus: qua de cauſa mens hoc amore accenſa, rite, ſtrenuè laborat vt veſtem ſibi gloriæ conficiat, quæ dãna præterita reſarciens eam eximit ab omni verecundia, vt nuda non appareat coram cariſſimo & nobiliſſimo ſponſo, ſed cooperta lumine gratiæ & amicta varietatibus diuerſarum virtutum, & multiplicium bonorum operum & meritorum prout decet ornatam, & veſtitam eſſe tanti Regis ſponſam digniſſimam.

Negari non poteſt vt docet Theodoretus lib. 12. de virtute actiua, cognitionem rerum diuinarum eſſe bonum maximum, attamen talis cognitio non ſufficit ad reddendum hominem qui dignus habetur poſſeſſionis illius, conſummatum & perfectum. Huic cognitioni addendi ſunt optimi mores, ineunda eſt egregia & ſancta viuendi ratio, vt præclare nos geramus in quibuſcumque euentibus ſeu occaſionibus quæ ſeſe obtulerint. Veritatis namque cognitio, & conſtans firmaque rerum diuinarum fides, id ſunt mentibus perficiendis quod radix arbori, oculus corpori, ſubtegmen laneum aut lineum quod extenditur vt cætera ſtamina fulciantur & intexentur ad telæ aut panni confectionem. Sed quid arbori vtile eſſet ſi bonas haberet radices productionis fructus capaces, ſi præciderentur rami? Quid oculus inſeruiret homini quo ſe per viã deducere valeret, ſi pedes abſcinderentur? Et vt telæ vel panni fiant manum adhibere oportet vt fila & ſtamina inſerantur; pari ratione dicimus cognationem, & ſcientiam abſque bono propoſito faciendi, & in praxim reducendi ea quæ ſcimus; fidei oculus abſque piis affectibus, quorum impulſu alacriter curramus in ſemitam mandatorum Dei; diſcretio boni & mali, mentis ſagacitas, qua optimè iudicamus & penetramus, quid bonum, quid honeſtum, quid vtile; niſi ad opus applicentur & adhibeantur inutiles prorſus erunt & potius condemnationem nobis cauſabunt quam ſalutem, *Itaque*, ait Theodoretus, *oportet non ſolum ſcire quid de Deo ſentiendum ſit, verum etiam ad illius leges vitam moreſque inſtituere. Sicut enim qui picturam, quinc ſutoriam vel quamuis aliam artem perdiſcunt, non vt ſolam earum rationem teneant illi dant operam, verum multo magis vt eas manibus ſuis exerceant ſeque opere aliquo Magiſtrorum imitatores oſtendant; ita decet operarium pietatis non ſolum Theologiam, rationemque naturæ, ſed*

Digitized by Google

practicæ quoque virtutis leges ac instituta perdiscere, quæque didicerit quantum queat seruare ad eaque conari, animæ speciem componere ac effingere, qui enim animam sic componit atque informat non solum diuinarum legum exprimit characteres, sed ipsius quoque legislatoris Dei viua quædam imago rationalisque efficitur: hoc & veritatis præco docens exclamat, estote imitatores Dei, denique præterea Dominus & Magister nos monet, estote inquit, imitatores patris vestri, qui in cælis est, & iterum, estote perfecti sicut pater vester perfectus est. Theodoret. l. 12. de virtute actiua.

Hæc est illa pretiosa vestis propter quam conficiendam aurum emere debemus vt Regina Christi sponsa à dextris sponsi assideat in vestitu deaurato circumdata varietate: omnes namque virtutes animam exornant quæ hac charitate seu amorosa & seraphica scientia seu cognitione Deo similis redditur. Quam lata Cyclade seu toga, quam amplo pallio seu amictu anima illa vestitur, itaut cooperta non nuda amplius appareat, & ex nuditate sua verecundiam deinceps non contrahat. Mulier est fortis de qua Prouerb. 31. dicitur: *Quæsiuit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum*: Et paulo post: *non timebit domui suæ à frigore niuis, omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus: stragulatam vestem fecit sibi, byssus, & purpura vestis illius.* Hæc Sapiens. Stragula vestis Vlpiano est pallium, quod aliis indumentis superponitur, quale erat pallium Græcorum, seu tegmen quo dormientes noctu operimur vnde prouerbium vt stragula semper conuoluta habeamus, id est, ne vnquam verecundiæ fines, seu limiter transiliamus. Certe anima inducta, & operta seu inuoluta pura & syncera charitate Dei, forti proximi dilectione, induta innocentia zelo honoris sponsi itaut pro eo mori parata sit, continua tandem & nullo modo interrupta occupatione in actibus charitatis, & exercitio quarumlibet virtutum, fecit sibi proculdubio stragulatam vestem, qua semel accepta iam non amplius rubore, confusione aut verecundia suffunditur. Vnde hîc dicitur: *Et vestimentis albis induaris, vt non appareat confusio nuditatis tuæ.* De hac diuina charitate S. Petrus 1. c. 4. ait: *Ante omnia mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum.* O quam pulchrum est illum indumentum charitatis, quæ efficit vt Deus oculos suos in electos conjiciat, ac si illum nunquam offendissent! ô præclara charitas per quam Iesus Christus applicando nobis merita dolorosæ passionis nos cooperit, id est, nos protegit ab iracundia patris, *Scriptum est enim*, inquit Clem. Alexand. lib. 1. stromatum c. 6. *Beatus cui non imputauerit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus. Hæc beatitudo facta est super electos à Deo per ipsum Christum Dominum nostrum. Operit enim charitas multitudinem peccatorum.* Ita Clem. Operit inquam primo, quia efficit vt per contritionem peccata dimittantur, diuini namque amoris actus peccatum fugat; secundo dispositiuè in nobis causans dolorem propter diuinam offensam; tertio formaliter nos iustificans & actu Deo gratos reddens meritoriè. Denique animæ iustæ in gratia existentes merentur remissionem peccatorum venialium per amoris diuini actum, vnde patet optimis de causis charitatem dici operire & abscondere multitudinem peccatorum non tantum quo ad culpam, cuius Deus amplius recordari non vult, nec ad eam attendere, sed etiam aliquando & pœnæ relaxationem quam Deus remittit & relaxat pro mensura, proportione, & magnitudine feruoris charitatis & dilectionis: vnde quia Magdalena diligebat multum dictum est de ea: *Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum.* Iuxta illud Dauidis: *Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum: mitigasti omnem iram tuam*, Charitas namque omnem iram mitigat cum culpam & pœnam relaxat, cum non tantum nos amplius in numerum inimicorum reponit, sed vt amicos & filios nos in partem & societatem bonorum & suæ hæreditatis vocat & coaptat. Ps. 84.

Et collyrio inunge oculos tuos.

Humilitate tanquam collyrio mens à sui præsumptione sanatur.

ANNOTAT. XII.

COLLYRIVM medicamentum est aduersus lippitudinem oculorum, fit autem collyrium ex saccharo, aqua rosacea & tuzia quæ est spuma argenti subnigra &, friabilis instar arenæ, pituitam & malignam humorem oculos offuscantem dum effluit coercens.

Quidam volunt Collyrium significare considerationem, seu mentis meditationem. Ita Em. Sa. Alij quodcumque genus tribulationis, tribulatio namque cæcutientes oculos illuminat iuxta illud Sal. *Vexatio dabit intellectum auditui.* Ita Estius, præsertim cum sequatur, *Ego quos amo arguo & castigo*: Vt sensus sit: Tribulationibus quas Dominus te castigans immittit vtere, vt mundentur oculi mentis tuæ & videas: habent enim tribulationes magnam vim ad purgandas mentes hominum à vitiis & erroribus quibus per affluentiam & prosperitatem rerum sordidantur: vnde filius prodigus in inopia ad se reuertitur, filij Israël post idololatriam flagellati ad Deum verum recurrunt, & psalmista ait, *Imple facies eorum ignominia & quærent nomen tuum*, item, Cum occideret eos quærebant eum, &c. Sa. Estius.

Alij munerum & donorum seu bonorum temporalium contemptũ necessarium certe iis qui præsunt & regimini populorum incumbunt, dicitur enim quod munera excæcant sapientes. Alij volunt significare meditationem & obseruationem mandatorum Dei. Ita Ambros. Ansbert. *At si*, inquit, *aperte diceret: adhibe diuina præcepta ad mentem cæcam quatenus virtutum nuditatem quam pateris videas, vidensque operire festines, nisi enim quoddam esset collyrium diuina mandata nunquam psalmista diceret, præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Ita Ansb. Quasi diceret psalmista: Qui timore Dei inductus diuina mandata custodit is sane indicat bonam ipsum habere mentem & recte & ex veris principiis ratiocinantem. Ansbertus.

Alij istud coryllium designare volunt passionum mortificationem, cordis munditiem, intellectus nostri captiuitatem sub obsequium fidei. Ansbertus.

Alij collyrium istud volunt esse redemptoris nostri egestas. Ita Ansbert. Qui etenim, per terrena delectamenta defluit, temporalem redemptoris sui egestatem ad mentem reducat, ipsius consideratione remota carnali concupiscentia interioribus oculis contempletur sanctorum futura præmia in cælo. At non solum meditatio egestatis Christi sed etiam cæteræ eius humiliationes in vita & passione. Et quia collyriũ componitur ex saccharo, aqua rosacea tuzia, *Quæ*, inquit Tirinus, *symbola sunt dulcissimorum attributorum Dei, fragrantis passionis Christi & mordicantium quatuor extremorum hominis: horum meditatio & contemplatio videtur esse optimum collyrium contra lippitudinem mentis nostræ.*

Denique alij per collyrium significari volunt cognitionem paupertatis nostræ & humiliationis. Ita Gagneus. *Verum autem collyrium*, inquit, *est propria* Gagneus.

Digitized by Google

fragilitatis agnitio ſuique abiectio & humiliatio, qui enim in ſe tanquam ex ſe nihil boni videt atque agnoſcit, is ſtatim viſum quem per ſuperbiam perdiderat recuperauit. Ita Gag. Et Menochius: *Eſt autem inquit collyrium hoc humilitas, quæ oculos noſtros aperit vt videamus & agnoſcamus miſerabilem ſtatum animæ noſtræ.* Ita ille.

Menoch.

At cum hoc medicamentum ſimplex non ſit ſed ex pluribus compoſitum, dicendum arbitror Chriſtum Dominum hoc medicamentum contra cæcitatem mentis nobis ſapienter proponere adhibendum, vt ſciamus omnia media nobis eſſe amplectenda quibus efficaciter peruenire poſſumus ad veram agnitionem miſeriæ, paupertatis & cæcitatis & nuditatis noſtræ. Et proinde cum poſt cognitionem quod nihil habemus ex nobis tanquam ex nobis nihil adeo potenter mentem noſtram humiliare valeat quamſi percipiat quantum erga Deum ingrata fuerit, qui ſola & gratuita voluntate inductus cum ſumma miſericordia & manſuetudine nos ad gratiam Baptiſmi vocauit, qui flagrante & ſuaues emittente odores charitate, quæ in aquam paſſionum & dolorum tota reſoluta fuit, (in paſſione namque Chriſtus veluti roſa ſtillatitia totum ſuccum ſanguinis ſui calore charitatis accenſus expreſſit) denique qui tot amata & dura & probroſa ſuſtinere voluit vt nos à pœnis amaris interni eriperet. Hæc omnia mens recogitans ex horum meditatione collyrium componet efficaciſſimum contra cæcitatem cordis nempe ſuperbiam & præſumptionem, percipiendo quam male vſa fuerit tot benedictionibus tot beneficiis tot donis gratiæ quibus præuenta fuit & quid pro tanta ingratitudine mali ſibi acquiſierit. Hac ratione à ſe proficiet omnem arrogantiam, incedet non in magnis deinceps nec in mirabilibus ſuper ſe ſed in abiectione ſui ipſius coram oculis Domini, omnia bona ab eo habere fatebitur, nunquam exiſtimabit ſe aliquid præſtare condignum & magnitudini Dei proportionatum, iure & merito pœnas & ſupplicia & caſtigationes pertimeſcet. Qui enim proprio filio ſuo non pepercit parcet ne abiectiſſimo ſeruulo niſi humiliato & contrito? Denique bene vtetur ſanctis inſpirationibus, optimis conſiliis & monitis, ſalutaribus correctionibus, & pœnis quæ à diuina prouidentia illi præparabuntur, vt aptam periculoſo ſtatu peccati recedens & ab omni ſuperbia & vanitate ſeculi abſtractus totus ad Deum conuertatur: ad quod præſtandum fideliter exhortatur & prouocatur à Chriſto dum poſtea ita eum alloquitur.

Ego quos amo arguo & caſtigo: Æmulare ergo & age pœnitentiam.

Perutiles & maxime ſalutares ſunt reprehenſiones & caſtigationes Dei Opt. Max.

ANNOTAT. XIII.

INTERROGANT quidam Clementem Alexand. l. v. 1. Pedagogi c. 8. Si Deus homines diligat & adeo bonus ſit, cur contra eos iraſcitur, eoſque pœnis ac ſuppliciis afficit? Quibus reſpondit Clemens, *Quod multæ animi affectiones curantur ſupplicio, & præceptorum acerborum inſſu, atque etiam per doctrinam nonnullarum ſpeculationum: eſt autem reprehenſio veluti quædam Chirurgia affectionum animæ, abſceſſus autem veritatis alterationes, quas ſectione diuidentem oportet coarguere. Medicamentorum autem potioni aut applicationi eſt ſimilis probri inſimulatio, quæ recoluit affectiones quæ iam incaluerant, impudicæque ac libidinoſæ vitæ ſordes expurgat, faſtuſque ac ſuperbiæ carnes quæ excreuerint, exæquat ſanum & verum hominem reparans ac reſtituens. Iam vero admonitio eſt veluti quædam diæta agrotantis animæ, quæ ea quæ ſunt ſumenda conſulit & quæ non ſunt prohibet: Hæc autem omnia tendunt ad ſalutem, & ſanitatem æternam. Quin etiam dux exercitus cum in eos qui maleficium admiſerunt & mulctis pecuniariis, & pœnis, quæ cum vinculis & extrema ignominia ad corpus uſque perueniant animaduertit, & nonnullos etiam nonnunquam morte punit, finem habet id quod bonum eſt vt qui eius imperio parent duces admoneantur. Ita etiam magnus ille imperator vniuerſorum dux verbum, eos qui præter ſuam legem efferationi impetu efferuntur & auriga non parent, vt à ſeruitute & errore, & ab aduerſarij captiuitate liberentur, vt animi perturbationes coerceant admonens ad ſanam reipublicæ concordiam eos pacificè deduxit, &c.* Et paulo poſt: *Benevolentiæ autem non odij ſignum eſt reprehendere, ambo enim probrum obiiciunt & amicus & inimicus, ſed inimicus quidem irridens, amicus autem benevolens, non ergo propter odium Dominus homines maledictis inceſſit, quos cum propter noſtra ipſorum ſcelera licuiſſet perdere, ipſe pro nobis paſſus eſt. Pædagogus enim vt qui ſit bonus admodum artificioſe vel per maledictum ad virtutem hortandum increpat, maledicto tanquam flagello mentis ſocordiam excitans, quos enim laus non monuit, eos inuitat vituperatio & quos tanquam mortuos vituperatio non excitat ad ſalutem, eos ad veritatem expergefecit maledictio.* Ita Clem. cap. 8.

Clemens Alexand.

Ex charitate itaque procedit quod Chriſtus maledictis hunc Epiſcopum inceſſit, vnde merito ait: *Ego quos amo arguo & caſtigo.* Plures autem modos reprehenſionis coaceruat c. 9. Clem. Alexan. & eas variis illuſtrat exemplis. Primus eſt admonitio, id eſt, cum curâ coniuncta vituperatio, quæ menti inſerit ſapientiam, vt Matth. 3. *Quoties volui congregare filios tuos & noluiſti?* &c. Secundus increpatio ἐπιτιμία propter turpia vituperatio, iis quæ ſunt honeſta coniungens Ierem. 5. *Equi inſanientes in fœminas facti ſunt*, & Oſe. 4. 3. Modus querela, eſt autem vituperatio vt pote eorum qui contemnunt vel negligunt μέμψις δι' ἐπιψόγης, vt Iſa. 1. 4. ὀνειδισμός. 5. inuectiua increpatio vel inuehens vituperatio vt Iſ. 30. *Væ filij deſertores.* 5. ἔγκλησις accuſatio. 5. peccati prolatio, ipſum proferens in medium vt Iſa. 30. *Dereliquiſti Dominum*, &c. Ierem. 2. *Obſtupeſcite cœlis.* 6. Modus, cum ſupplicium adhibet, vituperatio quæ affert intelligentiam ἔλεγχος δι' ἐπιψόγης τριῶν ἐμπλοκή, vt Ierem. 9. & 11. 7. Modus, viſitatio ἐπισκοπή. 5. vehemens redargutio, nihil prætermittens indiſcuſſum ἐπιπληξις ἐφοδική, vt Matth. 25. *Hieruſalem, Hieruſalem quæ occidit Prophetas & lapidas eos qui miſſi ſunt ad te*, &c. 8. Modus κατάρα: 5. maledictum intenſa & vehemens oratio vt Iſa. 1. *Væ genti peccatrici*, & Matt. 3. *Genimina viperarum*, &c. 9. Cum accuſatione vtitur, id eſt, vituperatione eorum qui faciunt iniuriam, vt Pſal. 17. *Populus quem non cognoui ſeruiat mihi*, &c. 10. Modus eſt ex alterius malo conceptus dolor, ſeu ex poſtulatio ἀλγηδών quæ artificiali auxilio clam peragitur vituperatio, vt apud Ieremiam: *Quomodo ſedet ſola ciuitas plena populo?* 11. Eſt διασυρμός, id eſt, obtrectatio ſeu obſtrectans vituperatio, vt apud Ieremiam, *Frons meretricis facta eſt tibi*, Fuit tibi aſpectus meretricis apud Clem. Alex. 12. Modus eſt indignatio ἀγανάκτησις legitima increpatio veluti cum pater cum iracundia filios redarguit qui pluſquam oportet extollantur: vt Deuter. 32. Moyſes, *Generatio prauа atque peruerſa, populе ſtulte & inſipiens.* Quoquo modo ex his Deus ſe gerat erga nos, vt in ſumma dicam inquit Clemens, eius in incutiendo timore artificium, eſt fons ſalutis. Itaque etſi amicis iraſcitur non proinde minus bonus exiſtimetur. Optime enim rurſus idem autor: *Boni autem eſt dare*

Digitized by Google

salutem, misericordia autem Domini est super omnem car-
nem dum arguit, castigat & docet sicut pastor gregem
suum, eorum qui disciplinam suscipiunt miseretur, &
eos qui sunt ardenti studio sibi conglutinat, & hac du-
cendi ratione sexcenta millia pedium, qui coacti erant
in ea quam habebant cordis duritie flagellans, miserans, ver-
berans, medens in miseratione & disciplina custodiit, prout
enim est eius multa misericordia multa eius reprehensio.
Ita Clem. Si optimum est non peccare, bonum est post peccatum pœnitere, si optima est sanitas bonum est laboranti infirmitate si ab ea liberetur: puerum à morte liberas, si eum cum opus fuerit flagellis percutias, *Noli*, inquit Salomon Prou. 23. *subtrahere à puero disciplinam, si enim cum percusseris*
virga non morietur. Tu virga percuties eum, & animam
eius de inferno liberabis. Reprehensiones autem virgæ sunt animam percutientes, sed castigantes, & à morte redimentes, vt qui immoderatius se gerebant ad moderationem conuenientem reuocentur: Eum autem qui locum reprehensioni dare renuit existimabat apud Clem. Alexand. Plato ad summum impuritatis, & malitiæ gradum peruenisse: *Omnibus*, inquit, *reuera bene fit qui dant pœnas, iu-*
mantur enim dum eis punitis melior euadit anima. Si
qui autem corriguntur iis à iusto benè fit, & ex sen-
tentia Platonis in confesso est bonum esse quod est in-
stum, ipse timore prodest, & vt hominibus bono es-
set inuentus est, quoniam spiritus timens Deum Do-
minum viuet, spes enim in eum qui ipsos saluos fe-
cit. Ita ille. Vis non reprehendi, ne pecces, qui bene agunt non timent eos, qui gladium portant, iis soli sunt timori qui peccare audent, bonum igitur facientes, Deus qui natura bonus est non erit timendus, sed si male egerimus sciamus quod sit iustus & vindex malefactorum. *Quemadmodum autem*
qui sani sunt, inquit Clem. *non opus habent Medico,*
quatenus relictè valent, qui autem ægrotant arte indigent,
ita nos quoque in vita laborantibus probrosis cupiditati-
bus, vituperandisque impudicitiis ac libidinibus, alio-
rumque vitiorum inflammationibus saluatore opus habe-
mus, is autem non solum lenia, ac mitia adhibet medica-
menta, sed etiam acria, peccatorum quidem per serpentum
corrosiones sistunt amatæ metus radices, quamobrem salu-
taris est metus licet amarus: iure ergo qui ægrotamus seruа-
tore opus habemus, qui autem aberrauimus eo qui nos de-
ducat; & qui cæci sumus, eo qui nos ad lucem deducat; &
qui sitimus vitali fonte, cuius qui sunt participes non am-
plius sitient, & qui mortui sumus vita egemus, & qui
oues pastore, & qui pueri pædagogo, quin etiam vniuersa
Natura Iesu. Ne qui insolentes & peccatores sumus inci-
damus in finem condemnationis, à palleis autem segre-
mur & in apothecam recondamur. Hæc Clemens Alexand. Quæ ex tam graui autore antiquo fidelium Magistro & Doctore satis appositè adduximus ad horum verborum intelligentiam. *Ego quos amo arguo*
& castigo. Nec minus apposite Basilius Seleuciæ de
Basil. Seleuc. zelo Heliæ mentionem faciens, ait: *Videns Iudæo-*
rum populum propheta bonis tum è cælo quam è solo partis
immodicè luxuriantem, alimenti autorem ignorantem &
Dei erga se charitatem in impietatis materiam conuertentem,
cultumque Deo debitum in dæmones transferentem,
ira pietatis auxiliatrice assumpta vocem emisit qua cælo le-
gem siccitatis imposuit & sententiam iureiurando affir-
mans claustra nubibus iniecit, Vixit Dominus non erit per
vos annos vos nec; pluuia super terram. O ira pietatis plena!
ô lingua quæ cælum frænas! ô Domini in homines Chari-
tas! sermo permittit vt res conditas gubernet. Ita Basil.

Talis proculdubio est hæc vox reprehensiua Christi Dominicitatus videtur contra Laodicensem Episcopum sed eius ira in auxilium venit pietatis, vt videlicet is qui obcæcatus erat sua superbia ob bona sibi collata, hac reprehensione lumen recipiat quo A ab hac insipientia liberetur, nec similis sit superbo dicenti: *Ascendam & ero similis altissimo.* Quanta quæso est Dei charitas erga hunc Episcopum cæteroſq; qui audire voluerint suas reprehensiones exterius aut interius datas? Clamat enim etiam in nobis gemitibus inenarrabilibus, clamat per suos præcones & Ecclesiæ Ministros, clamat per tot beneficia, imo per morbos aut alias calamitates vt beneutamur acquisitis & datis ad eius gloriam, & pro acceptis gratias agentes futura bona & maiora ab eo expectemus.

Æmulare ergo & age pœnitentiam.

B *Fructus diuinarum reprehensionum est salutaris pœnitentia & emendatio vitæ.*

ANNOTAT. XIV.

PLVRIMIS de causis nos Deus corrigit & reprehendit, ex Tirino: Primo vt peccata expiet, 2. Vt à peccato deinceps absterreat, 3. Vt in humilitate perpetuo conseruet, 4. Vt merita & coronas adaugeat, 5. Vt gloriam & virtutem suam amplius manifestet, hoc autem certe adimpletur si dignos pœnitentiæ fructus faciamus per veram Christi crucifixi imitationem, ipse enim est exemplar verum secundum quod Dei imaginem in nobis reformare
C debemus, vnde diximus illum esse principium creaturæ Dei, etiam in hoc sensu vt tanquam exemplar principium det operibus nostris, quibus in nouum hominem ipsum videlicet Christum transformamur. Vnde satis appositè ad hunc sensum Emmanuel Sa in hæc verba: *Æmulare*, &c. *Æmulare*, inquit, *id est imitare scilicet meliora*: quæ autem meliora esse possunt quam quæ in Christo reperiuntur è cuius plenitudine meliora charismata haurire debemus? hanc autem imitationem cum ardenti zelo procurare debemus, de præteritis malis pertæsi ad futura bona adspirantes? *Tirinus.* *Sa.*

Vani quidem sunt omnes homines in quibus non subest
scientia Dei. Sap 13. Sed insipientior est ille qui cum
D Deum cognouerit: ei gloriam dare renuit, nec eum offendere pertimescit, talis ad iracundiam sapientem incitabat. *In duobus*, inquit Eccles. 26. *contristatum est cor meum, & in tertio iracundia mihi aduenit: vir*
bellator deficiens per inopiam, & vir sensatus contemptus
& qui transgreditur à Iustitia ad peccatum, Deus parauit
eum ad Romphæam. At stultissimus est ille qui postquam peccauerit admonitus & ad pœnitentiam excitatus à peccato abstinere non vult: ne in hanc imprudentiam omnium stultissimam & periculosissimam hic Episcopus incidat, ei dicitur: *Æmulare ergo & age pœnitentiam*: Ac si ei diceretur vt se tanquam in speculo sine macula, in verbo increato intueatur & in omnibus mores actusque suos studeat
E ad illius imitationem componere & conformare per veram pœnitentiam. Aurum proculdubio illi offeret ignitum & probatum & acceptissimum qualia fuerunt munera Auri, Myrrhæ & Thuris Regum Arabum & Saba; Arabum inquam quod est ab Arabiâ, in quâ vt referunt historici regnabant vitia, virtus deprimebatur, in qua impudicitia laudabatur, mulieresque ibi erant communes omnibus, in qua incestus cum matribus etiam permittebatur, superstitio dæmoniaca sortilegiorum & maleficiorum & ariolorum plurimum vigebat, vindictæ crudeles, rapinæ & latrocinia frequentabantur, tanquam optimi ingenij monimenta; in qua vastissima sunt deserta, qua de causa Arabia deserta nuncupatur; in qua terra sterilis quia caret iis quæ necessaria sunt ad vitam; in qua nec ligna, nec aquæ dulces *Sap. 13.* *Eccles. 26.*

Digitized by Google

reperiuntur. Quod ſi de felici Arabia ſermo ſit, ea tantum de cauſa felix nuncupatur, quod in ea aromata reperiuntur, qualia ſunt incenſum & myrrha. Et tamen à regione tantopere criminibus fædata, tam ſterili, tam infructuoſa veniunt reges ad adorandum Chriſtum & ipſe primitias Gentilitatis ex hoc loco accipere vult, nonne hoc omni admiratione dignum cenſeri debet? Sed non minori admiratione dignum eſt quod Deus munera ab animabus ſceleratis, & à Deo vt videbatur ſpretis & derelictis velit accipere, niſi hoc verum eſſet quod ex animabus tantopere deturpatis, immundis, ſterilibus obduratis plærumq; Deus tanquam à felici Arabia multas præclaras & ratiſſimas virtutes producit & procreat, tam ſuauiter flagrantes. Ad gloriam Dei namque pertinet vt de maioribus malis maiora etiam bona extrahat, qui poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine. Non igitur Græciæ ſapientes elegit quos philoſophia erudierat, non Senatores Romanos quos commendabat multarum rerum experientia, & in bello fortitudo, ingens & ſagax prudentia, ſed Magos Arabiæ quos etiam quidam volunt fuiſſe vere Magos, id eſt, Magiæ addictos, vt ſciamus nullum eſſe ſtatum miſerandum ad quem nos adegerit peccatum è quo ſi velimus per pœnitentiam erui non poſſimus, & ſi ad eum redire voluerimus nos à facie ſua & amabili præſentia & perfecta amicitia ac beneuolentia minimè projiciet, de quo opere omnipotentia ſua digniſſime gloriari videbatur apud Ezech. c 16. *Radix tua & generatio tua de terra Chanaam, pater tuus Amorrhæus & mater tua Cethæa.* Quaſi diceret. E radice maledicta, aſpera, rebelli, contumaci, idololatriæ dedita, propter impietatem ſtultam & inconſideratam diffamata ortum ducis, attamen, *Vidi te conculcatam in ſanguine tuo, tranſeundo per te adſpexi te benignis oculis, & dixi; in ſanguine tuo vive.* Nolo ad vltimum vſque ſpiritus tui halitum ſanguinem tuum effundas, nolo mortem tuam: dixi proinde tibi, *In ſanguine tuo vive.* Hoc autem fit vt qui ceciderint in peccatis grauioribus non deſpondeant animo cum audiunt Deum ita benignum vt atrociora crimina eum non impediant quo minus in eius gratiam redeamus & offenſarum veniam obtineamus. O bonitas infinita, ô Dei benignitas immenſa! Coralium dicunt perpulchrum in Arabia petroſa inueniri, ac intus concauum, quod in aquis adhuc poſitum ex quibus extrahitur tenerum ac pallidum videbis, extractum ab aquis tanquam petra induratur & purpureo ſanguinis colore tingitur. O animæ peccatrices in aquis peccatorum ſubmerſæ, in mari rubro carnalitatum poſitæ, quam molles & effœminatæ eſtis! Nihil generoſum, nihil fortitudine Chriſtianâ dignum in vobis apparet palido colore tinctis, timor namque mortis æternæ vos vrget, depaſcituræ vos cum illis ad quos beatiſſima Agnes dicebat olim, *Diſcede à me pabulum mortis.* Heu ſi ſerio ab affectu peccati extrahi velletis, ſi cum Dauide diceretis: *Iuraui & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ,* Quam cito firmi & conſtantes admodum corallij è mari rubro extracti. Color ille pulcherrimus de quo Agnes dicebat, *Sanguis eius ornauit genas meas,* Vos etiam exornaret, omnes laudibus extolleret decorem veſtrum & pulchritudinem: quod ſi rubor & verecundia ob delicta commiſſa faciem veſtram ſuffunderet, iam exinde pulchriores eſſetis, cum propter verecundiam iſtam ab omni malo abſtinere & malas conſuetudines deſerere vobis eſſet in deſiderio. Iam audio ſpiritum ſanctum in Canticis c. 4. laudes veſtras celebrantem, *Sicut fragmen mali punici ita gena tua.* Hic color purpureus facie occupat, quod recorderis te quæ Reginæ nomen adepta eras, & ſicut malum punicum coronam geſtabas fracta & diſſipata per peccatum fuiſti & tuam amiſiſti dignitatem, perdidiſti coronam. At hoc gratum eſt ſponſo. Corallium vacuum eſt non ſolidum: placet ſponſo quod vacua ſis ab omni arrogantia & præſumptione ex recordatione ingratitudinis tuæ, apta vt ſuper altare cordis tui ſacrificia laudis accepter. Præcipiebat Deus olim Exodi 27. Vt altare ſibi erigeretur non ſolidum ſed inane & cauum, *Facies*, inquit, *illud ſicut tibi in monte oſtenſtratum eſt.* Cor tuum Deus vult ſibi erigi in altare, ſed vanitate & ſuperbia & rerum creatarum amore vacuum, ſit ad modum altaris, cordis Chriſti in cruce pendentis qui proprio amore vacuus ſe totum Deo patri obtulit pro mundi redemptione.

Dicunt corallium fluxum ſanguinis ſiſtere, epilepſiæ & phreneſi mederi, negotiationes, vt fabulantur, reddit feliciores, ſi cum eas incipis illud geſtes, fructus multiplicare, fulgura & tempeſtates ab omnibus arcere & procul repellere: hæc fabuloſa potius ſunt quá veritati innixa aut experientiâ, ſed veriſſimum eſt pœnitentiam verecundam & quæ ſplendorem è ſanguine Chriſti ſuſcipit fluxum ſanguinis ſiſtere peccatorum & concupiſcentiarum à quo curari poſtulabat ille qui dicebat: *Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ,* Illuſiones illas diſſipat de quibus conquerebatur idem propheta: *Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus & non eſt ſanitas in carne mea,* Fulmina iracundiæ diuinæ à capitibus noſtris auertet, *Si conuertimini*, inquit, *ad me & ego conuertar ad vos*, Et Iſaiæ 1. *Si fuerint peccata veſtra vt coccinum quaſi nix dealbabuntur & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt*, Quaſi innueret: Etſi carnalibus concupiſcentiis fædati & ſanguinolenti fueritis ſi tamen erubeſcatis per pœnitentiam vere dealbabimini ſicut nix & ſicut lana, alba innocentiæ & integritati vos reſtituam, veſtimentis albis induemini donec vos immortalitas ſtola exornem, nec lana ouium Arabiæ quæ valde candida & delicata eſt pulchrior veſte illa candida qua te veſtiri continget ob verecundiam paſſionis Chriſti imitatricem & æmulam. Sic ô anima in Dei gratiam rediens Chriſto Domino tuo, & ſaluatori offerre non deſinas aurum iſtud diuinæ ſapientiæ, ob Dei amorem ſupra omnia omnia mundana faſtidientis, offer myrrham memoriæ ſeu recordationis dominicæ paſſionis, offer incenſum affectionum ex amore diuino prodeuntium ob infinitas perfectiones quas inuenies contemplando ſupremam hanc & ſuperadorandam Dei maieſtatem. Hic erit fructus reprehenſionis & ſcies per experientiam iſtud ſapientis dictum, quod meliora ſunt vulnera amicis quam blanda oſcula inimici, id eſt, magis ſalutares eſſe Dei reprehenſiones quam mundi & ſeculi huius applauſus.

Ezech. c. 16.

Iſaiæ 10.

Ecce ſto ad oſtium & pulſo: ſi quis audierit vocem meam & aperuerit mihi ianuam intrabo ad illum, & cœnabo cum illo & ipſe mecum.

Vtile eſt diuinis obedire motionibus ſeu inſpirationibus & gratiæ præuenienti cooperandum ne in vacuum eam recipiamus.

ANNOTAT. XIII.

Diuerſa huius loci expoſitiones. §. 1.

QVIDAM hunc locum intelligunt de aduentu ad iudicium particulare, Ita Eſtius: *Et*, inquit, *bene conſiderata videtur his verbis id ſignificari quod in Euangelio Matt. 24. & 25. Marci 13. & Luc. 12. vbi & ſimilitudine ſerui vigilantis ad Domini ſui aduen-* Eſtius.

Cant. 4.

tum, Vt cum venerit confeſtim aperiant ei, Chriſtus adhortatur omnes fideles, Vt ſemper vigilent in bonis operibus, Vt Domino ad iudicium veniente, cuius incertus eſt dies ſemper inueniantur parati, atque ita mercantur cum illo diſcumbere & canare, id eſt, aeterna requie & gaudio frui, &c. Et paulo poſt: *Ego ſto ad oſtium, &c. Id eſt, iam veniam ad iudicium pulſaturus oſtium more Domini redeuntis; ſi quis audierit, id eſt, ſi quis paratus fuerit & vigilauerit ad meum aduentum per bona opera, intrabo ad illum & canabo cum illo & ipſe mecum, id eſt, particeps erit gaudiorum atque bonorum meorũ. Dicit, Intrabo ad illum & non ille intrabit in me, quia loquitur more Domini expectati à ſeruo & pulſantis ad oſtium qui intrat in domum ſuam in qua ſeruus vigilabat. Promittit ergo, quod etiam eum adhibebit cenæ ſuæ, non enim loquitur de Domino redeunte à cœna ſed à negotio. Nihil ergo facit hic locus pro gratia Dei pulſantis & expectantis & quoad effectum dependentis à noſtra acceptatione, quam gratiam ſana doctrina non recipit. Cæterum Deum eſſe qui aperiat docet S. Auguſtinus q. 9. ſuper Exodum, dicens ipſam etiam aperitionem ad Dei voluntatem & gratiam pertinere Ad illud: Ego aperiã os tuum facit etiam ad huius loci declarationem id quod mater ad filium Melitonem martyrem dicebat, Fili pauliſper ſuſtine ecce Chriſtus ad ianuam ſtat adiuuans te, Vt habetur in feſto 40. Martyrum: ſenſim iam iam te recipiet in gloriam coronaturus te & interim te adiuuat in certamine. Denique huic ſententiæ ſimilis eſt illa Iacobi 5. loquentis de metuendo Dei iudicio. Ecce iudex ad ianuam aſſiſtit.* Hæc Eſtius.

Hoc dicit Eſtius quia de aduentu ad iudicium hunc locum exiſtimat intelligendum.

Sa. At Emanuel Sa per, *Pulſo*, intelligit vocationem ad pœnitentiam & in his verbis, *Et ipſe mecum*, hominis cooperationem ſignificari ait, hinc alij autores non de iudicio vt Eſtius ſed de inſpirationibus diuinis hunc locum interpretantur. Menochius: *Ecce ſto ad oſtium & pulſo: quaſi*, inquit, *dicat: Etiamſi a te ſim excluſus, ad te iterum ſalutis tuæ ſtudio redeo & quaſi hoſpes oſtium tuum pulſo Vt mihi aperias, & me in animam tuam recipias. Pulſare autem eſt internarum inſpirationum vocibus petere Vt admittatur. Intrabo ad illum & cœnabo cum illo: Perſtat in eadem metaphora hoſpitis noctu venientis & ſignificat ſe incuriarum & repulſæ oblitum amice & familiariter cum eo victurum & obſequia eius accepturum. Et ipſe mecum: Non dedignabor ad menſam meam illum adhibere, loquitur Vt hoſpes, ſed Vt maior & locupletior qui veniens in domum alterius beneficium potius det quam accipiat.* Ita Menoch.

Menochius.

Tirinus. Tirinus: *Ecce ſalutis tuæ zeloſiſſimus iam pridem ad cordis tui per deſidiam aliaq; peccata mihi occluſi, oſtium; ad intellectum & voluntatem ſto & per crebras illuminationes, atque excitationes internas, atque externas pulſo, ſi tu vel ſi quis alius hoc oſtium mihi reſeraris inſpirationes meas libero ſuo arbitrio admittens, intrabo per gratiam iuſtificantem ad illum, (Vt olim ad Zacheum) quaſi ad gratiſſimum hoſpitem & cœnabo cum illo, familiariter, amicè, iucundè, cum illo me oblectans & ipſum vicißim mecum, primum in cella huius vitæ vinaria, cœleſtium oblectationum ex vſu ſacramentorum & diuinarum rerum contemplatione: deinde in futuræ vitæ aula nuptiali ad torrentem diuinarum voluptatum, ex plena fruitione Dei æternùm ſcaturientium: ibi menſæ meæ aßidebunt, non in vili ſcamno, vel plebeia ſede, ſed in throno.* Ita Tirinus. Iuxta hanc ſententiam vltimam hic nobis aliquid diſſerendum de obedientia præſtanda diuinis inſpirationibus, de gratia præueniente, & quam vtilitatem ſeu quem fructum, auxilium gratiæ cauſet in nobis.

De obedientia præſtanda diuinis inſpirationibus de gratia præueniente & diuino auxilio. §. 2.

Non eſt reuocandum in dubium Chriſtum Dominum ſtare ad oſtium noſtrum, ſiquidem cælum & terram implet maieſtate ſua, ſed cum vbique ſit præſentiſſimus cur ita ſtat ad oſtium, vt quaſi foris eſſet illum cogitemus? cur pulſat ad oſtium cordis veluti ab eo excluſus cuius eſſentia omnia ſunt repleta? In hac loquendi formula ni fallor, optime lector, deſignari arbitror libertatem hominis, docereque nos in hoc vniuerſo quaſdam inueniri creaturas in quibus Deus certas quaſdam & determinatas operationes non operatur non conſentientibus ipſis. Negari non debet voluntatem noſtram æque à Deo pendere in operatione, ac dependet in eſſentia, & exiſtentia: *In ipſo viuimus mouemur, Act. 17. ad & ſumus*, Act. 17. *Operatur in nobis & velle, & perficere.* Ad Philipp. c. 2. Et phyſicè actualiter & effectiue Deus mouet, & impellit voluntatem noſtram noſtraſque electiones & deliberationes; ſiue concurſus actui voluntatis neceſſarius vt actio ſit realiter diſtincta ab illo actu, & qualitas quædam impreſſa in voluntate ad modum nouarum quarumdam habitudinum & virtutum ſiue naturalium ſiue ſupernaturalium, per quas voluntas alacrior & vegetior & prõptior reddatur ad agendum, ad cuius qualitatis productionem voluntas ex ſe nihil afferat; ſiue ſit ad modum quarundam qualitatum habitualium quæ ponuntur in potentiis inferioribus appetitus tum concupiſcibilis, tum iraſcibilis, qui extrinſecè voluntatem iuuarent paſſiones appetitus coercendo; ſiue ille actus concurſus ſit vt vult S. Tho. quod Deus immediatè tangat & per ſe actionem voluntatis, actio namque creaturæ ſeu inſtrumenti eadem eſt cum actione creatoris, & primæ cauſæ ſeu primarij agentis, Deo mouente creaturas, non modo illas è nihilo educendo, & in eſſe conſtituendo, non modo illas conſeruando, ſed etiam ad actum applicando illarum virtutem, ſicut qui ligna cædit, ſecurim applicat ad arborem incidendam, & influendo etiam immediatè, & per ſe ad actionem, abſque vlla actione præuia quæ ceſſare & finiri debeat ante productionem & quæ realiter diſtinguatur ab hoc actuali concurſu. *Philipp. 2.* *S. Thom. 2.*

Quod ſi quæras qua ratione Deus ſit præſens ad oſtium cordis, duo ſunt ponderanda: primũ eſt quod ſit intime præſens, ſecundum quomodo nihilominus dicitur non intra ſed quaſi extra cor exiſtere, ſiquidem pulſat vt intrare valeat.

Quantum ad primum, certum eſt quod Deus ſit ſuprema cauſa efficiens, & cauſa cauſarum, cauſa vniuerſalis: nullum eſſe creatum exiſtit abſque reali relatione dependentiæ & participationis ad illud eſſe diuinum: autor eſt & conſeruator & intimè voluntati noſtræ & actioni illius coniunctus, ſicut & vnitur & coniungitur cæteris rebus creatis, non ſolum per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, ſed quod plus eſt per quemdam illapſum eſſe dantem voluntati, & conſeruando in quolibet temporis momento voluntatem non modo immediatione virtutis ſed & ſuppoſiti. Qua ratione igitur non poſſet eſſe præſens ad oſtium cordis? Sic igitur eſt præſens cordi noſtro.

Quantum ad ſecundum, certe mirum eſt quomodo fiat vt tam intime vniatur menti & voluntati, & tamen de eo loquamur quaſi in ea non ſit admiſſus, quaſi ad oſtium foris ſtans, vt pulſans, non autem vt deintus in ea operans. Sed ponderandum eſt quod etſi verum ſit Deum vniri & conjungi operationibus voluntatis, actiones tamen voluntatis ſeu operationes Deus ſe ſolo minimè producit: actiones ſunt vitales, à principio formaliter ſubſtantialiter ſubſtantiæ coniuncto emanant, à principio inquam interno & viuente, & inſuper voluntas, noſtra principium eſt liberum, quod Deus ad actionem ſuam mouet modo quodam conformi & proportionato naturali ipſius libertati, eam non neceſſitante, nec vim aut violentiam illi inferendo,

Digitized by Google

aut eam vllatenus cogendo.

Quapropter mirari non debemus ſi eius petit conſenſum, ſi vt præbeat facultatem ingrediendi eam inducit & vrget, quam præbet voluntas cum fertur ad conſenſum rei quæ illi proponitur, talis namque voluntatis motus Dei operantis præſentiam requirens tunc in corde ingredi dicitur, cum cor noſtrum actualiter fertur ad bonum ſibi propoſitum.

Dicendum igitur Deum ad januam ſtare ſolum, pulſare cum omnia diſponens prout ſolet voluntati proponit per quandam mentis illuſtrationem bonum ad quod ferri debet, eamque vt ita dicam titillat ſeu ſtimulat illa forti inclinatione innata, qua in bonum fertur, ſtatim atque ſufficienter objicitur. Hoc faciens ſolum ad januam ſtat. Quomodo autem ingrediatur fuſius explicandum.

Hoc fit cum voluntas conſentit quamuis hoc non fiat abſque Dei cooperatione his videlicet motionibus, inſpirationibus, impreſſionibus: tunc enim Deus per talem actum conſenſus cui etiam cooperatur cordis poſſeſſionem aſſumit, & cum cuiuſlibet objecti poſſeſſio & fruitio delectationem afferat fruenti & poſſidenti ſeu facultati obiectum ſuum attingenti, ipſique vnitæ, tunc voluntas fruendo cum quadam complacentia, bono quod proſecuta fuerat per deſiderium & inclinationem, quaſi in quodam epulo ſeu conuiuio cum verbo æterno conſtituitur, ille namque, *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et quia dona gratiæ poſteriora ſunt donis naturalibus, ſeu ipſa dona naturalia ipſis præſupponuntur, ideo hoc conuiuium cænam vocamus vt quid vltimũ, non autem prandium quod precedere ſolet. Et quia hic loquimur de bonis gratiæ non dicit ſe pranſurum cum illo quem non ſolum illuminat lumine naturali quod idem eſt ac cum ipſo prandere, dum lumine naturali bonum morale, & honeſtum rationi conſentaneum apprehendimus, & eo apprehenſo illud per voluntatem amplectimur, vt ſecundum rectam rationem mores & actus noſtros inſtituamus; ſed illuminat nos lumine infuſo ſupernaturali, quo bonum ſupernaturale voluntati objicitur, ad quod amplectendum velut finem vltimum ferri debeat, & tunc voluntas ad illud bonum vltimum tendendo propter quod creata eſt, verbum diuinum dicitur vltimum conuiuium cum anima ſumere, cum illa cænare, illamque frui bonis inſignioribus quæ deſiderare poſſet: bona quippe gratiæ antecellunt quæcumq; bona naturæ, vel ſi mauis dicendum hic mentionem fieri finalis gratiæ ſeu doni perſeuerantiæ, itaut ſicut hîc Spiritus ſanctus perſeuerantiæ donum comparat cænæ, nobis comparare liceat gratiam præuenientem jentaculo, auxiliantem autem & cooperantem prandio quod circa meridiem ſumere ſolemus.

S. Bernardus. Triplex hæc benedictio nobis neceſſaria eſt, inquit S. Bernardus, prima nempe præueniens vt effectus miſericordiæ habeamus. Secunda vt hæc gratia vacua non ſit aut inanis. Tertia vt perſeuerantes ad gloriam perueniamus, id eſt, ad illam cæleſtem cænam ſeu vltimum conuiuium paratum non iam vt in ſinu Abrahæ conquieſcamus in Limbo, ſed in ſinu Ieſu Chriſti qui verus eſt Pater credentium & beatorum à dextris Patris aſſidentis vt in eo in æternum feliciter quieſcamus: *Beati qui ad cænam nuptiarum agni vocati ſunt*, Apocal. 19. *Niſi trinam hanc benedictionem dederit Deus*, inquit S. Bernardus, *non poteſt terra noſtra dare fructum ſuum, neque enim aut inchoare bonum niſi miſericordia præueniamur, aut agere bonum donec adiuuemur à gratia, aut conſummari in bonis poſſumus donec gloria repleamur*, Bernard. Serm. 34. inter paruos ſermones in hunc verſ. *Do-*

S. Bernardus.

A *mine præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis: per primam gratiam Deus ſtat ad januam, & inceſſanter pulſat per ſecundam ingreditur, per tertiam tam Deus quam creatura rationalis fruuntur perfecto, & conſummato gaudio ex mutua concordia, reciproca dilectione percepto. Deuſque concurrit ſpecialiter ad productionem actionum dilectionis, & perfectæ ſanctitatis & iuſtitiæ.*

Et vt verum fateamur Deus ad oſtia cordium cunctorum hominum pulſat, ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, in omnium mentes lumen impreſſit rationis vt dicant cuncti, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*, Syndereſim nempe conſcientiæ quo bonum à malo diſcernere poſſumus; omnibus porrigit ſeu extendit manum, auxilia videlicet ſufficientia, quæ præparat cunctis, per quatuor orbis partes exiuit ſonus prædicantium, verbum ipſius; & in petra, & in ſpinis, & in viis publicis æquè ac in terra bona iacitur ſemen & defluunt fructiferi imbres, ſed hi claudunt oſtium, hi aures non aperiunt, hi lumen refugiunt, nec conſcientiæ ſtimulis obediunt, auxilia ſpernunt, verbum Dei audire negligunt, & ſi pulſantem audierint aperire recuſant, ad clamores obſtruunt aures, lumen diſpergunt, ſpiritum extingunt, gratiæ dona rejiciunt, & ita in propriis miſeriis perſeuerant; Et licet Deus benedictiones effundat, ſuas dulcedines amore digniſſimas manifeſtet, ipſi è contra per contemptum gratiarum ſatis indicant malitiæ ſuæ magnitudinem eamque ad vltimum improbitatis gradũ deueniſſe, eique materiam ſuppeditant, in qua poſſit manifeſtari tanta pollere ſe iuſtitia, vt de eis pœnas & ſupplicia ſumat, quibus bonitate & liberalitate propoſuerat dona & gratias conferre. At alij benedictionibus ſuis præuenti aperiunt ſtatim atque audiunt pulſantem, cor dilatant & effundunt cum huius ſolis benignos radios percipiunt ſicuti faciunt flores ſolares qui ad ſolem conuertuntur cum ſupra noſtram Horizontem ſeu Hemiſpherium fertur, audiunt quid loquatur in eis Deus, auxiliis ſuis bene vtuntur, amant & auidè ſuſcipiunt diuinum verbum, & in ſinu ſuſcipientes diuinum verbum, ſemen pluuiaſque, dignos pœnitentiæ fructus producunt ad Deum toto corde conuerſi.

Hoc modo cum gratia cooperante idonei ſunt qui incrementa faciant de bono in melius proficientes, beatus namque homo cuius auxilium eſt Deo, ibit de virtute in virtutem donec ad finem perueniat, id eſt: vt videat Deum deorum in Sion: audiet S. Paulum dicentem, *Videte ne gratiam Dei in vacuum recipiatis*, cumque imitari fataget qui vere dixit: *Gratia eius in me vacua non fuit.*

In hac autem cooperatione noſtra bona voluntate opus eſt. Deus namque ad oſtium ſtat, nec deeſt gratia eius, ſed quæ nihil operabitur ſine nobis, cum iſta reuerentia diſponit de nobis: deſtruere non intendit in nobis, promouendo nos ad vitam æternam, quod largitus eſt vt nos in eſſe naturali conſtitueret, eminentiori quidem cæteris rebus iſtis viſibilibus ſed ad altiorem ordinem extollendum per gratiam. *Qui ſpirituale hoc ſignaculum*, inquit S. Cyrillus, Hieroſol. Catech. 1. *& ſaluare accipiunt oportet vt voluntarie hoc faciant: vt enim calamus ſcripſerit aut telum, vt ad aliquid impellatur neceſſe eſt ſic & gratia indiget à credentibus.* Ita Cyrill. Quaſi diceret: Qui ſuſcipiunt talem impreſſionem, qua ſignantur ſecundum typum monetarum principis ad ſalutem æternam, qua ratione ad veram imaginem & ſimilitudinem principis ſignantur, oportet vt hanc impreſſionem voluntariè ſuſcipiant, ſeſe offert gratia voluntati noſtræ ad modum calami vt characteribus inſignioribus actionum laudabilium, & meritoria-

Cyrillus Hieroſolymit.

rum Charitatis Dei erga nos magna & præclara indicia, vel tanquam telum quo vulneremus pijſſimum cor Dei noſtri iuxta illud, *Vulnerasti cor meum ſoror mea ſponſa*: Vt velit nobis conferre gloriam. Sed vt calamus vt telum aliquid efficiant, & non inaniter telum feriat & percutiat, neceſſe eſt vt manus reperiatur quæ eis vti velit; pari ratione gratia indiget voluntate flexibile & obediente fidei vt in opus prodeat & effectum obtineat.

Quod Deus ſtet ad ianuam, quod Deus pulſet hoc totum perficitur abſque tuis mentis, præuentiones ſunt bonitatis ipſius, effectus miſerationum ſuarum infinitarum, ſola Charitate & propenſione ad benefaciendum creaturæ ſuæ ad hoc mouetur. At ſi illum ingredi volueris teipſo indiget, ſi velis vt adiuuet manum extende vtſuam apprehendas; ſi ſatiari velis æterno eius conuiuio, hoc ſuum in te gaudium ſit plenum, vt illum admittas, excipias, præpara te in occurſum Dei tui, ſtatim atque eius præſentiam perſenſeris eum audieris pulſantem iuxta illud Amos c. 4. *Præpara te in occurſum Dei tui Iſrael.*

Amos c. 4.

Non ex omni materia ſpecula fiunt, non quælibet materia ſpecies facierum & obiectorum remittit & eiaculat, oportet materiam eſſe æqualem, & læuigatam ſeu expolitam, itaut lumen ex ea reflectatur abſque vlla interciſione ſimplicitatis & puritatis radij luminoſi, cum in tali materia ſuſceptus propter illius ſoliditatem & ſpiſſitudinem vlterius progredi non poterit, & in ſe reflecti cogitur. Hac de cauſa licet nix compoſita (ex vaporibus condenſatis à frigore ſeu aëre incluſo oppletis, motu & agitatione ſicut vndæ maris litora contundentes forti impetu in ſpumam condidam albicantes) alba exiſtat, tamen quia nix non habet ſuperficiem ſatis æqualem & expolitam, ideo non exhibet aut reddit imagines obiectorum: idemque de lacte dicendum propter quaſdam particulas inæquales coniunctas: aqua verò licet nigredinem quandam habeat propter leuigationem, & æqualitatem partium imagines rerum quos ei imprimimus fideliter exhibet. Pari ratione vt hunc diuinum ſpiritum, hanc diuinam impreſſionem & imaginem excipias, & in te exprimas excludenda eſt omnis inæqualitas, iniuſtitia, iniquitas, obliquitas, & intentionis diſtorſio & deprauatio, *Nam*, vt ait S. Baſilius in Iſaiam, *Vitæ inæqualitas nequaquam idonea eſt ad recipiendum diuinam operationem, vnde oportet mundo ſit corde, innocens manibus, abſit dolus, adſit ſyncerita & Veritas in Verbis, Vt huius benedictionis effectus præclaros plene percipias.*

S. Baſilius.

Vtinam vere ô fidelis Chriſtiane! cum conſcientia ſtimulo ſuo te pungit & cogitat monetque, cum te inuitat, cum diuinus ille ſpiritus ſuis gemitibus qui ſentiri poſſunt enarrari & explicari nō poſſunt, clamat in intimo cordis tui, cum Deus infundit in mente tua quoſdam motus; id eſt, multimodas bonas cognitiones circa aliquod obiectum ſeu verum ad animæ ſalutem pertinens, tunc mens tua expurgata à qualibet errorum fæce alibi non diſtraheretur vt ſolet diſtrahi inter ſtultas & ineptas & erroneas cogitationes, quibus hæ veritates lucidæ ſimiles reddunt fulgetris cito oculos perſtringentibus & mox euaneſcentibus, non autem ſecundum propriam naturam permanentes & durabiles, ex ſe capaces multos in te præclaros producere effectus. O ſi his virtutis ſplendoribus dare locum eligeres, vt horum ſplendore intellectus tuus perſtrictus & conuictus iudicium practicum emitteret pietati fauens, quo determinaretur voluntas tua vt redderetur capax aliquod bonum propoſitum amplectendi quod dignum iudicares proſecutione & amore voluntatis tuæ; faxit Deus vt cum agit cum ſuauitate, & eodem motu inſpirat, mouet, & excitat tuam voluntatem, certis amoris, timoris aut ſimilium affectibus ſupernaturalibus diuinæ huiuſmodi inſpirationes voluntatem tuam non inueniāt ligatam, præoccupatam iam deprauata quadam affectione, quo fit vt qui dicere debueras, ſurrexi vt aperirem dilecto meo vt loquutus eſt, ſtatim atque ad oſtium pulſauit, maneat voluntas tua recalcitrans contra ſtimulū, Deum à ſe repellens clamoribus ſuis ſurda, ad tactum eius inſenſibilis. Vtinam pro illa ſurditate & inſenſibilitate ad tactum eius, gaudio & ac[illegible]ratione exultares ad modum S. Ioannis Baptiſtæ, qui in vtero exultauit ad præſentiam Saluatoris & poſtea propter vocem ſponſi cum ſcilicet vidit ſuper eum ſpiritum tanquam columbam deſcendentem. Certe hæc gratiæ dona caperent incrementa, & ex gratia ſimpliciter excitatrice quæ in ordine rerum ſupernaturalium ſuam non eſt adepta vltimam perfectionem, imo potius valde imperfecta eſt & debilis, nam neceſſaria eſt non libera, deliberationem noſtram præueniens & à mera & gratuita liberalitate Dei qui fons eſt & autor gratiæ dependens, qui hac præuentione initium dat operi iuſtificationis noſtræ & ſalutis; fieret ex hac, gratia perfecta. Cum enim ipſa detur accommodata, & idonea ad effectum ſuum obtinendum in voluntate vt hoc motu videlicet voluntas præparetur & paulatim eleuetur, vt ſupernaturalem præbeat conſenſum; ſi hunc acceptares motum, ſi huic gratiæ arrideres per liberum voluntarium, perfectum & integrum conſenſum, certe illa gratia euaderet benedictionis gratia, id eſt, gratia multiplicata, & multiplicans & abundans copioſè effluens & extendens ſe ad innumeros eoſque præclaros effectus, ſeu diffundens ſe in opera præclara, cæli meritoria, & ita ex his motionibus ſeu actibus neceſſariis qui à pura Dei miſericordia prodeunt, alios produceres, qui ex te prodeuntes cum hoc ſupernaturali auxilio ita voluntarij effecti, meritorij redderentur & actiones ad ſalutem conducibiles, eo videlicet ſenſu quo ſanctus Paulus dixit: *Non ego ſolus ſed gratia Dei mecum*: Sicque rurſus ex his actualibus gratiis datis vt te excitarent, reciperes gratiam habitualem quæ te gratum Deo redderet & progreſſu tuo in virtute & gratia cooperando omnia tibi verterentur & cooperarentur in bonum & in ſalutem; cauſæ denique extrinſecæ & obiecta extrinſeca, quæ animum mouent, & excitant, vt ſunt verbi Dei prædicationes, lectiones librorum, tranſirent in formalem excitationem afficiendo & mouendo ſeu tangendo animam formaliter modo vitali & viuificante: Et cum plærumque excipiantur prædicationes cum deriſione & cachinnis, mens tua illuſtrata his ſplendoribus; excitata à ſomno dulciſonis Dei clamoribus amoroſe clamantis ad aures cordis tui: *Aperi mihi ſoror mea ſponſa, ſi quis verbi aperuerit intrabo*: Flexibilis & docibilis & obediens redditus, voluntatem tuam de ſe pigritem moueret vt ad illa bona ſupernaturalia & diuina totis deſideriis & votis anhelaret.

Optimâ igitur de cauſâ Saluator hîc monet nos vt non contemnamus gratias illas excitantes externas aut internas, per quas & propter quas ad oſtium ſtare dicitur & ad fores pulſare: ad ianuam inquam ſtare per ſplendores & illuſtrationes infuſas in mente, pulſare autem per excitationes & motiones voluntatis. Optima inſuper de cauſa promittit ſeipſum præſentiſſimum exhibiturum in intimis cordis ſeu mentis penetralibus cum perſentimus auxilia gratiæ adiuuantis, eumque fatebimur ad dexteram noſtram aſſiſtere ne commoueamur aut perturbemur, aut retrorſum abeamus: quomodo ſecunda nobis aduenier benedictio nempè fructificatio & multiplicatio

Digitized by Google

plicatio ſecundarum gratiarum ex bono & libero vſu primæ gratiæ, ſicque Dei gratia cooperante nobiſcum operabimur ſeu faciemus opera cælo digna, opera inquam meritoria Deo grata & voluntati Dei conſona.

Gratiam Dei non debemus in vanum recipere & de bono perſeuerantiæ. §. 2.

Ne igitur his ita deductis charissimi, has gratias in vanum excipiamus, *Si excipiuntur venti intra velum laxum, & remissum nihil operatur*, inquit S. Chriſoſt. *pari ratione ſi Spiritus ſanctus mentem remiſſam & ſegnem inuenerit, nihil operabitur.* Nec telæ aranearum excipere valent & ſuſtinere ventorum fortiores impulſus, ita anima amore ſeculi capta, homo animalis & ſenſibus obſequens, non poteſt ſuſtinere fortes diuini ſpiritus impetus qui cum vehementia adeſt et cordium noſtrorum poſſeſſionem capiat iuxta illud Act. 2. *Factus eſt repente de cælo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis.* Nec enim vult vbi obſiſtatur, optimè nouit infinitam ſuæ Maieſtatis dignitatem quæ tanta eſt vt nulla creatura ei reſiſtere aut contradicere debeat: vult igitur vt eius obediatur voluntati & quam cito creatura ad nutum & beneplacitum ſuum huc & illuc moueatur & impellatur neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia. Corda igitur noſtra extendamus, pectora dilatemus, non amplius cogitatione noſtræ exiſtant inanitæ, ſtolidæ, inconſideratæ circa ſeculi vanitates occupatæ, ſapientiam redolebant, circumſpectionem & ex plena & matura procedant deliberatione, veritati & lumini fidei innixæ, vt diuina ſapientia in nobis maneat & domicilium ſuum eligat, ſint affectus voluntatis puri, ſancti, iuſti, diuini. *Nec enim in maleuolam animam intrabit ſapientia.* Scilicet diuina. Quot dedens conſenſus liberos & voluntarios his inſpirationibus, tot erunt vaſa capacia excipiendi & continendi abundantiam olei effluentis ex cæleſtibus Dei benedictionibus, & quo plus hauſies ex diuinis illis fontibus tanto abundantius effluent aquas ſalientes in vitam æternam: accedite, properate itaque ô corda hominum vacua terrenis affectibus. Vſquequo graues eritis corde, ô mortales! aquis cænoſis, turbidis & fætidis oppleti? Eas euomite, vaſa expurgate, ad vitæ fontes accedite, ad fontes inquam ſaluatoris, *Hauritis aquas in gaudio*, Aquas ſalutares, diuites eritis gratiarum cæleſtium & quo ardentiori deſiderio ea dona excipere volueritis, quo vigilantiori ſtudio ipſa volueritis, eo magis Deus dona ſua effundet, quibus ditati ad cumulum, omnem bonorum omnium aggregationem poſſidebitis. *Ea namque eſt natura ſtudiorum ſpiritualium*, inquit S. Chryſoſt. *vt eo magis ſcaturiat & accreſcat ſpiritualis gratia quoquis magis haurire ſtudet, nam quando videt gratia ſpiritus feruens deſiderium & vigilem mentem tunc & gratiam opulentam liberalius largitur.* Ita Chryſ. Hæ igitur approbationes, conſenſus & ſubmiſſionis gratiæ diuinæ vaſa ſunt in quibus haurire poteritis multiformia dona, & merita adaugere poteritis. Vt hoc indicaret ſcriptura dixit ſpiritum Domini ferri ſuper aquas. *Hac ratione ſignificans*, inquit S. Chryſoſtomus, *quod affuerit quædam vitalis operatio aquæ & non fuerit aqua ſtans, & immobilis, ſed mobilis, & vitalem quamdam vim habens nam quod immobile omnino inutile eſt, quod vero mouetur ad multa conducit.* Ita Chryſ.

Pari ratione dicendum in noſtra iuſtificatione ſicut & in creatione oportere ſpiritum Domini ferri ſuper aquas voluntatis noſtræ mutationi & volubilitati obnoxiæ, vt eas reddat virales & fœcundè mobiles per diuerſos in virtutis ſtudio motus & progreſſus, aliàs hic ſpiritus gratiæ inutilis eſſet nec vltimum & principalem effectum conſequeretur nempe perſeuerantiæ donum, & quod conceſſum fuit pro benedictione in ingratitudinem inſignem verteretur quo maiorem & formidabiliorem cauſaret maledictionem.

Ambulemus itaque Chriſtum ſequentes quia via veritas eſt & vita: Angeli videntur in ſcala Iacob aſcendentes & deſcendentes vt ſciamus animas ſeu mentes ad cælum adſpirantes vel oratione eleuati ad cælum, vel operibus miſericordiæ deprimi ad terram vt proximis indigentibus ſuccurrant: at ſiue aſcendant, ſiue deſcendant nunquam deprehenduntur otioſi. His iam comparatis perſeuerantiæ, magnum Dei donum appellat quo cæteris dona conſeruantur, hoc dono prædi[ti] ſumus cum veſte talari candid[itatem] polymita propter mul[titudinem] bonorum operum, ſ[ine] propter iuſtitiæ noſtræ perfectionem inop[inatum]. Denique ſi duplicem hanc benedictionem acceperimus, hac veſte nuptiali induti ad cænam nuptiarum agni introduci contingit non audiemus hanc exprobrationem, *Quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem?* Imo potius confuſio præteritæ nuditatis cooperietur ex abundantia præſentis iuſtitiæ, benigne excipiemur à ſponſo, in eius amplexu & ſinu ſuſcipiemur, denique ad eius conuiuium introducemur iuxta eius promiſſionem: *Si quis audierit vocem meam & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum & cænabo cum illo & ipſe mecum.*

Qui vicerit dabo illi ſedere mecum in throno meo ſicut & ego vici & ſedeo cum patre meo in throno eius.

Qui ſpreto proprio honore per puritatem intentionis, Dei honorem intenderit, ſummum honorem à Deo conſequetur.

ANNOTAT. XVI.

QVI vicerit dabo illi mecum ſedere in throno meo! *Id eſt*, inquit Gagneus, *participem illum faciam regni Patris mei ſicut me iuxta humanitatem participem fecit quia vici mundum & mundi principem.* Ita Gagneus.

Menochius: *Qui aduerſus diabolum dimicauerit & frigus & teporem excuſſerit & ſtrenue laborauerit vt calore Spiritus ſancti concepto ferueat, dabo illi ſedere in throno, id eſt, participem eſſe regni & coheredem cæleſtis beatitudinis Sicut & ego vici, id eſt plurima pro Dei gloria & pro hominum ſalute toleraui & ſedi cum patre meo, propter quod pater exaltauit me & participem me fecit regni ſui & ſedere me fecit ad dexteram ſuam.* Ita Menoch.

Tirinus: *In throno meo regio, particeps regni, gloriæ, honoris, gaudij & deliciarum mearum quiſque pro captu & meritis ſuis. Ex dictis patet Chriſtum ad ſeptem hos Epiſcopos & conſequenter fideles omnes à ſordido torpore, deſidia, negligentia excitandos, animandos & erigendos ad fortiter pro Deo, pro Eccleſia, pro ſalute ſua decertandum alludere vbique ad agones, victorias & coronas Athletarum maxime Pythias & Olympicas (de quibus fuſè Carolus Paſchalis & Petrus Faber) in Græcia totaque Aſia celebres vt teſte Cicerone palmam in iis retuliſſe prope maius & glorioſius, ibi cenſeretur, quam Romæ triumphaſſe. Quanti ergo Chriſtianis ſua eſſe debet non iam ὀλυμπιὰς ſed οὐράνιος non id eſt olympi, id eſt cæli, victoria ſui, mundi, peccati, diaboli: inferni debellati triumphus?* Ita Tirinus.

A

B

C

D

E

1. Chryſoſt.

Act. 2.

3. Chryſ.

3. Chryſ.

S. Auguſt.

Gagneus.

Menochius.

Tirinus.

Vt ad hunc triumphum autem feliciter & facile A bilem, ea firma & ſtabilis eis permanebit, & de iis peruenias, contemne honores & mundanam huius ſeculi gloriam. Ex hoc contemptu accipies honorem, quem exprimere fas non eſt: ad hoc elabora totis viribus, non enim alia ratione victoriam reportare, triumphum agere licet.

Et quia hic Epiſcopus propter vanitatem & intentionis ſuæ deprauationem, per quam ſuam non Domini ſui gloriam affectabat, honoris videbatur eſſe cupidiſſimus, attende quæſo ſuauitatem diuinæ bonitatis, quæ eum ad ſe allicere pertentat promiſſione gloriæ, honoris, cuius erat cupidus: contemnat propriam mundi gloriam, Domini ſui gloriam profutur. ſtudeat & certus ſit centies maiorem illi adſemel dom quam propria acquiuiſiſſet induſtria, ſi gloriæ, pro Dei appetitum, & titillationem propriæ propoſitum in mente heat, nullo alio moueri apuiatur, colatur, adoretur: & ſe in eo ſit, vt Deus ſeria fore cumulandum, quæ tanta honore & glovt Dauid in admirationem ex ea raptus exclamet. *Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum.* Pſ. 138. Et reuera quid maius, Quid glorioſius? Quid honoratius quam ſi ad thronum filij Dei eueharis. j. aſſumi contingat in partem gloriæ, & dignitatis quam ipſe poſſidet ad dexteram Patris reſidens? Quod ſi Dei Thronus permanet in ſeculum ſeculi, certe quorum gloria & dignitas fundatur non ſuper arenam mobilem terrenorum bonorum ſed ſuper illum thronum fixum, & immo- Pſ. 138.

B

bilem, ea firma & ſtabilis eis permanebit, & de iis optimo iure dicitur, *Nimis confortatus eſt principatus eorum*: peribunt Throni Regnorum & regna fugient cum omnibus rebus terrenis à facie Throni iſtius immobilis permanentis in æternum.

Reuocanda itaque ſunt hîc in memoriam quæ diximus in Epiſtolam ad Epiſcopum Smyrnenſem, honorem videlicet mundanum contemnendum eſſe ſi mercedem cæleſtem exoptemus: illum igitur ſpernamus ad cæleſtia adſpiremus; ſcias optime Lector nullam viam ſecuriorem eſſe ad patriam cæleſtem, nullum efficacius medium tibi proponi, vt ad hanc peruenias quietem, vt ad hunc honoris gradum extolli poſſis, vt fruaris dignitatibus & honoribus, quam ſi ſectaris veſtigia Saluatoris, qui exemplo, laboribus, abiectionibus humiliationibus demonſtrauit qua via nobis eſſet gradiendum ad gloriam, & quid te pati oporteat vt ſuæ gloriæ, ſuique honoris reddaris particeps prout à patre poſtulabat: *Volo pater vt vbi ego ſum ibi ſit & miniſter meus.*

Certe ex his videre licet optima de cauſa nos pro titulo huius Epiſtolæ dixiſſe Chriſtum Dominum eſſe omnium exemplar virtutum, quæ ſunt neceſſariæ ad victoriam obtinendam, propter quam coronemur & mercedem accipiamus: vnde hanc laudit Epiſtolam dicens: *Sicut & ego vici & ſedi cum patre meo*, Ac ſi diceret: fac quod feci, & mei honoris eris particeps. Præſtet hoc Chriſtus Dominus, cui ſit honor & gloria, & poteſtas cum Patre & Spiritu ſancto in ſecula ſeculorum. Amen.

FINIS PRIMAE PARTIS.

Digitized by Google

PRÆLVDIVM,

AD EA QVÆ DICENDA SVNT IN HAC SECVNDA PARTE nostræ Elucidationis neceſſarium, in quo diſcutitur, quanam ratione finis huius libri intentus nempe manifeſtatio gloriæ Chriſti ob ſuam humiliationem promiſſæ, per ea quæ ab Epiſcopis credenda & prædicanda ſunt obtinebitur; Scilicet authoritatem ipſis collatam, ſcientiam qua decorabuntur, per officia ſeu functiones quibus deſtinantur.

DE fine huius libri iam diſſeruimus in prologo totius Operis, ſextam regulam quam nobis ad explanationem huius libri ſeruandam propoſuimus exponentes. Diximuſque illum eſſe manifeſtationem Gloriæ Chriſti, itaut optimè dixerit S. Dionyſius Eccl. Hierar. c. 3. de iis quæ in ſynaxi perficiuntur: *Apocalypſim eſſe abſtruſam, myſteriorumque plenam; diſcipulorum chariſſimi, Vatiſque viſionem, ſummamque ac cæleſtem Ieſu Theologiam.* Hæc ille. Hanc gloriam obtinet ex prædicatione, ex cognitione eorum, quæ à S. Ioanne in ſeptem Epiſtolis declarantur, & per omnimodam ſubiectionem Eccleſiæ quæ quidem illi vt Capiti adhæret, vt ſponſo copulatur. Nunc qua ratione ea & prædicari & innoteſcere poterunt, eique Eccleſia erit ſubdita & obſequens, & quæ tandem bona exinde Eccleſiæ obuenient nobis differendum ex his quæ poſtea ſe vidiſſe teſtatur: Maximam Eccleſiæ gloriam obuenturam eſſe, ex cognitione Chriſti, & ex obedientia illi præſtita & præuidebat olim, & etiam totis deſideriis exoptabat Iſaias cum aiebat, c. 62. *Propter Sion non tacebo, & propter Ieruſalem non quieſcam, donec egrediatur vt ſplendor iuſtus eius, & ſaluator eius vt lampas accendatur, & videbunt gentes iuſtum tuum, & cuncti Reges inclytum tuum & vocabitur tibi nomen nouum quod os Domini nominabit, & eris corona gloriæ in manu Domini & diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis vltra derelicta, & terra tua non vocabitur amplius deſolata, ſed vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua inhabitata: quia complacuit Domino in te & terra tua inhabitabitur.* Hæc ille.

Tria hoc loco Iſaiæ addiſco, finem Apocalypſis in his verbis; *Donec egrediatur vt ſplendor iuſtus eius, & ſaluator eius vt lampas accendatur, & videbunt Gentes iuſtum tuum & Reges inclytum tuum.* Quod exponens S. Hieron. ait: *Lumen in te accenſum eſt, quod egreſſum ex Patre in tuis capit ardere finibus, omnes gentes illuminabit; & cuncti Reges videbunt inclytum tuum ô Hieruſalem, ô Sion, qui de tua ſtirpe generatus eſt, qui in te exaltatus patibulo omnes traxit ad ſe, itaut gentes videant iuſtitiam eius, qua cunctorum creator miſertus eſt gentibus: Et Reges gloriam eius qua glorificatus in cruce eſt, & omnia ſua imperio regna ſubiecit.* Hæc Hier. Gloriam itaque ſecundum S. Hier. expoſitionem, habet Chriſtus ex ſubiectis ſibi gentibus & regnis, hæc gloria ab omnibus & gentibus & regibus videbitur. In regnum quippe ſibi aſciſcens Eccleſiam ex omnibus gentibus congregatam, ſibi obſequentem & omnes eius voluntates fideliter & ſubmiſſe adimplentem, in ea gloriabitur, cum Pater æternus qui Chriſto filio promiſerat ſe ei daturum omnes gentes in hæreditatem & omnes terminos terræ in poſſeſſionem, Eccleſiam quaſi coronam capiti eius imponet, aſcribendo meritis Chriſti quidquid eſt in ea virtutis, quicquid gratiæ, quicquid tandem gloriæ Eccleſiæ obueniet; denique quod ſit à Deo poſſeſſa, & Chriſto vnita qui pro eius Redemptione paſſus eſt. Finis igitur Apocalypſis eſt iuſti & Saluatoris ſplendor cognitus.

Dyon. Areop.

Iſaias c. 64.

S. Hieron.

2. Quod addiſco ex verbis Iſ. eſt medium quo hic finis obtinetur. Signatur autem in his verbis: *Et vocabitur tibi nomen, quod os Domini nominauit*, videlicet illud quod poſtea declarat Eccleſiæ impoſitum nempe, *Vocaberis voluntas mea in ea.* Itaut Eccleſia dicatur, Chriſti Eccleſia in qua Dei voluntas adimpleatur ſicut in cœlo adimpletur: adimpletur autem cum ad Chriſti imitationem, & ſimilitudinem efformata veluti gratia illius inuncta Chriſtiana appellatur. Quod quidem præſentit S. Hieronymus cum ait: *Denique nequaquam vocabitur Hieruſalem & Sion ſed nomen nouum accipiet, quod ei Dominus impoſuerit dicens ad Apoſtolum Petrum, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, quæ vocabulum à Domino derinauit vt dicatur Dominicum & populus illius, nequaquam veteri nomine appelletur Iſrael ſed nouo, id eſt Chriſtianus.* Hæc Hier. Et merito pro nomine nouo S. Hieron. Chriſtiani nomen reponit, ſicut enim populus eius non eſt qui Chriſtum negaturus eſt, ita populus eius eſt qui eum eſt confeſſurus, nemo autem eum clarius confitetur, quam qui hoc nomine inſignitur: vnde S. Lucas in actibus Apoſtolorum ſedulò obſeruat primam huius nominis impoſitionem Antiochiæ fuiſſe factam, *Itaut*, inquit, *cognominarentur primo Antiochiæ Diſcipuli Chriſtiani.* Nec non S. Petrus de eo nomine nobis eſſe gloriandum docet, ſi ratione eius aliquid pati contingat: *Nemo*, ait ille, *veſtrum patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor, ſi autem vt Chriſtianus non erubeſcat, glorificet autem Deum in iſto nomine*, 1. Petri c. 4. Tali medio nempe quod aliquis cœtus ſeu populus videatur clare ab aliis diſtinctus, moribus, fide, religione ac nomine, Gloria Chriſti videlicet quod ſit Rex Regum omnia imperia ſibi ſubjiciens, manifeſtatur: ex quo Tertium quoddam ex verbis Iſaiæ dicimus nempe Eccleſiæ felicitatem ex fine obtento per media perſcripta.

Act. 11.

1. Petri c. 4

Tertium igitur eſt ſi ex iis quæ agit Eccleſia Chriſto gloria obueniat, illud namque in magnum Eccleſiæ cedit honorem, ac maximam exinde reportat vtilitatem, quinimo felicitatem ſibi comparat indicibilem. Hac enim ratione fit Dei regnum, Dei habitatio ac ſacrum domicilium, & in ea is qui delitias ſuas eſſe cum filiis hominum profitetur, conquieſcit, & delectatur tanquam ſponſus in thalamo ſuo, quod quidem Propheta innuit in his verbis: *Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui: non vocaberis vltra derelicta, & terra tua non vocabitur amplius deſolata, ſed vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua habitata, quia complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur.* Quando, inquit S. Hieron. *eam coronauerit turba credentium, & diadema Imperij quod martyres gemmarum*

Iſa. 64.

S. Hieron.

Digitized by Google

ſuarum varietate diſtinxerunt ſuerit in manu Dei, vt filium ſuum eorum coronet victoriis: vnde & Apoſtolus Paulus loquebatur ad ſanctos, Gaudium & Corona mea. Hæc Hieron. Vides Eccleſiæ felicitatem cum Chriſti honore & gloria eſſe coniunctam, & quaſi indiuiſam, cum victoriæ ac Triumphi Eccleſiæ, Chriſti Domini ſint & Gaudium, & Corona? itaut optimè à nobis dictum fuerit totum hunc librum, qui prælia victorias, ac Thriumphos Eccleſiæ continet Prophetiam eſſe gloriæ & exaltationis nominæ Chriſti ob ſuam humiliationem illi à Patre repromiſſæ. Sic vt loquitur Propheta, *habitabat iuuenis*, id eſt, Chriſtus qui nunquam ſeneſcit, *cum virgine*, nempe Eccleſia quæ reparata, & reſtituta in priſtinam integritatem eum vocat ducem virginitatis ſuæ, *Ergo ſaltem à modo*, inquit Hieremias, c. 3. *Vocabis me Pater meus, dux Virginitatis meæ tu es.* Virgo quippe Eccleſia permanet quia fides eius nunquam corrumpi poterit: addit Iſaias, *Et habitabunt filij tui in te*, nempe ij qui in fide illius virginis permanſerunt. Et ſic, vt proſequitur Propheta: *Gaudebit ſponſus ſuper ſponſam, & gaudebit ſuper te Deus tuus.* Ad hoc laborare debent omnes Eccleſiæ Paſtores ac Miniſtri vt Eccleſia talis ſit, quod ex ea, & per eam Chriſto laus ab omnibus detur, & ipſa viciſſim laudetur: vnde ſubdit Propheta. *Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes, tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt, qui reminiſcimini Domini ne taceatis, & ne detis ſilentium ei donec ſtabiliat, & donec ponat Ieruſalem laudem in terra: laudabilis quippe populus quem Dominus Iſrael benedixit dicens, opus manuum mearum tu es, hæreditas mea Iſrael.*

Ieremi. 3.

Per Eccleſiam igitur ſicut per idoneum inſtrumentum aut Medium, ſiue etiam ſubiectum Chriſtus ſuam gloriam manifeſtat, cum Paſtores Eccleſiæ & ſancti, Capita populorum vtuntur poteſtate, officio, Iuriſdictione authoritate, ſiue cum Imperio conjuncta, ſiue ob excellentiam & eminentiam ſanctitatis conciliata ſecundum perfectionem quam ex Chriſti imitatione & ſimilitudine obtinent, vt populos participatione illius perfectionis, per illuminationem & purgationem ad Dei vnionem & amorem promoueant.

Eſt enim Eccleſia multitudo quædam Deo ſacra, bene ordinata, ac ſub vno Principe conſtituta, vnum habens principium, à quo procedens ad finem ſupernaturalem nempe Dei cognitionem & amorem conſtanter adſpirat per Chriſti imitationem & ſimilitudinem ac mandatorum eius obſeruationem, prout vnuſquiſque proportionaliter ſecundum ſibi inditum lumen & collatam gratiam operari poteſt. Definitur enim Hierarchia à S. Dionyſio 3. de cæleſt. Hier. hoc modo: *Eſt*, inquit, *hierarchia, mea quidem ſententia, ſacer ordo, ſcientia & actio, quæ ad diuinitatis ſimilitudinem, quoad fieri poteſt accedit, & proportione illuſtrationum, quæ ei diuinitus datæ ſunt ad Dei imitationem traducitur.* Cum dicit ordinem, multitudinem denotat, ordo nempe non poteſt reperiri niſi vbi plures ſint qui ordinentur: dicit quandam eorum qui ordinantur ſubordinationem ad inuicem ne in multitudine adſit confuſio: ſint qui præſint, alij qui ſubdantur: & ne in infinitum detur progreſſus vnus ſit à quo cæteri pendeant, & ad quem reducantur, qui ſupremum gradum obtinens, per eos qui in medio gradu conſiſtunt influat in infimos quidquid impertiendum aliis recipit à ſupremo omnium hierarchiarum autore, acceptâ ad id exequendum poteſtate, officio, ſeu munere, iuriſdictione, & autoritate. *In ordine*, inquit S. Bonauentura opuſcul. de Eccleſ. Hierarch. p. 1. titul. 7. *notatur diſtinctio illorum, qui per ordinatum officium à Domino maiorem vel minorem recipiunt poteſtatem.* Hæc ille. Dicitur ordo ſacer à S. Dy. quia hæc poteſtas non datur ob finem aliquem politicum, ſed vt ad Dei ſimilitudinem & vnionem hæc multitudo perueniat, & quia hanc ſimilitudinem & cum Deo coniunctionem non conſequemur, *Niſi*, vt ait S. Dyon. de Eccleſ. Hierar. c. 2. *auguſtiſſimorum præceptorum amore atque effectione, Si quis enim, inquit, diligit me mandata mea ſeruabit, & pater meus diliget eum & ad eum Veniemus & manſionem apud eum faciemus.* Ita Dionyſ. Inſuper Chriſti imitatione, ſacramentorum ab eo inſtitutorum participatione, ideo Eccleſia optimo iure ordo ſacer dicitur; ordo, quia pluribus conſtat ſibi inuicem ſubordinatis; quæ ſub vno principe conſtituitur, quia ab vno dependet; ſacer quia ad eundem ſupernaturalem finem tendit; quia per media ſacra præceptorum, imitationis Chriſti & ſacramentorum ad talem finem peruenit.

S. Dyon. Arc.

Cum autem nullus hunc finem noſſe aut hæc media aſſumere valeat niſi ea cognoſcat, nec ſatis ſit ea noſſe niſi ad opus & actionem vnuſquiſque ſe accingat, ideo additur, ſcientia & actio. Nam qui in ordine ſunt conſtituti ſcire debent quomodo erga alios ſe gerant, & actiones quaſdam ſacras circa eos exercere debeant. Qui ſubdantur ſcire debent qua ratione ad finem ſibi præſcriptum ac propoſitum perueniant & operi manum admouere, ne de eis dicatur, *Seruus qui ſcit Voluntatem Domini ſui & non facit, vapulabit multis.* Addit S. Dionyſius, *Quæ ad Dei ſimilitudinem, quoad fieri poteſt accedit,* S. Dyon. Arc. Quia ſcientia & acto ſacra eſſe debet ſicut & ordo. τάξις ἱερὰ ἐ ἐπιστήμη ἐ ἐνέργεια, inquit Dyoniſius: vbi adiectiuum ἱερὰ, tribus his nominibus aſſignari poſſe exiſtimo, ordo ſacer, ſcientia ſacra, energia ſeu operatio ſacra, quaſi dicat: Hi perfecti, & in ordine conſtituti non loquuntur quæ humanam tantum ſcientiam aut ſapientiam redoleant, ſed quæ prorſus diuinam illuminationem annunciant, non actionibus phyſicis quæ intra limites facultatum naturalium continentur finem aſſequi contendunt, ſed ſacris quibuſdam actionibus & functionibus ad quas conſecrantur. Idem dicendum de his circa quos agere debent, illuminantur enim diuinorum cognitione, ſanctificantur ſacra quadam operatione: Hierarchia enim quæ perfectos & perficiendos, illuminantes & illuminandos, purgantes & purgandos complectitur finem ſibi propoſitum, quantum hoc licet, habet Dei imitationem & cum illo coniunctionem eumque omnis ſacroſanctæ ſcientiæ atque actionis ducem ſequitur vt ait S. Dionyſius. Et ideo rectè diximus ſcientiam & actionem ſacram eſſe, æque ac ordo ſacer dicitur: cum in ſcientia & actione Deum habeat ducem hierarchiæ, & quia vt ordo optimè ſeruetur vnuſquiſque ſecundum datam ſibi gratiam operari debet, *Vnicuique*, inquit Apoſtolus, Epheſ. 4. *autem noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti*: Ne confuſio exoriatur ſi in alterius miniſterium quis irrueret, aut alterius officium vſurparet: ideo S. Dionyſius addit: *Et proportione illuſtrationum quæ ei datæ ſunt ad Dei imitationem traducitur.* Ita Dyon. Hæc eſt illa diſcretio quam S. Bonauentura loco citato in ſcientia notari dicit cum addit. *In ſcientia notatur diſcretio, in actione vero miniſterium: ſine ordine enim præſumptio eſt actio, ſine actione negligentia eſt ordo.* Hæc Bonau. Qui enim functiones ſuperiorum attingeret ille proculdubio præſumeret de ſe eam exercendo functionem, ad quam exercendam nulla præditus eſſet autoritate: & qui poteſtate accepta nunquam in actum prorumperet negligentiæ eſſet arguendus. Proſequitur S. Bonauentura & addit, *Sine ſcientia & diſcretione, eſt actio reprehenſibilis & ordo inutilis.* Etenim ſi v. g. quis neſciat ſub qua formula ſacramenta ſunt admini-

S. Dyon. Arc.

S. Bonauent.

Epheſ. 4.

S. Dyoniſ.

S. Bonauent.

S. Bonauent.

Digitized by Google

ſtrandã, aut quibus ſunt adminiſtranda, actio illius qui adminiſtraret digna eſſet reprehenſione : & licet haberet ordinem ſeu autoritatem nihil prorſus efficeret. *Et ideo*, inquit S. Bonauentura, *tam in ordine quam in ſcientia & actione & Angelorum & hominum, poteſtas, Dei vniformitatem imitatur & ſecundum modum & menſuram ſiue illuminationis in ordine ſuo proficit, & ritè diſcernendo & bene operando ad Dei conformitatem quantum poſſibile eſt aſcendit.* Hæc S. Bon.

Hanc Hierarchiæ definitionem, Eccleſiæ Chriſtianæ quæ hoc nomen nouum adepta eſt facili negotio aptare poſſumus, vt ſit cœtus quidam à Deo vocatus ſub vno Principe nempe ſummo Pontifice, à Chriſto conſtitutus ; in quo cœtu reperiatur ordo quidam poteſtatis, officij & autoritatis & ſubiectionis ; & in quo rurſus ſuperiores ſecundum gradum ſuum, proportione ſui officij aut autoritatis facti Chriſto ſimiles in perfectione, per eius imitationẽ, mandatorum illius obſeruationem & ſacramentorum ab ipſo præſcriptorum participationem alios ſibi ſubditos Chriſto etiã ſimiles efficere conantur, illos diuina ſcientia illuminantes, & ſacris quibuſdam operationibus ſanctificantes, itaut tam ſuperiores quam inferiores ad diuinam ſimilitudinem efformentur, & ad Dei vnionem & coniunctionem perducantur pro rata portione officiorum, miniſteriorum & actionum ſeu operationum diuinarum ad quas vnuſquiſque ſiue ſuperior ſiue ſubditus ſacris quibuſdam ritibus deſtinantur ſeu ſubjiciuntur. Deſtinantur nempe ſuperiores ad agendum, ſubjiciuntur nempe inferiores ad recipiendum quibuſdam ritibus ſeu ceremoniis ſacris ac determinatis, vt videre eſt in iis quæ præſcribuntur ſiue ad ſacramenta adminiſtranda ſiue ad eadem ritè ſuſcipienda. Ex his colligere licet, partes eorum qui ſunt in hierarchia eſſe vel perficere vel illuminare vel purgare ſeu ſanctificare ; aut perfici, illuminari aut purgari ſeu ſanctificari quod docet S. Dionyſ. de cæleſti Hierarch. c. 3. *Vnuſcuiuſque eorum qui in Hierarchia coaptati ſunt in eo poſita perfectio eſt, vt pro ſua quiſque virili parte ad Dei imitationem contendat, & id quo nihil diuinius eſt vt ſacra ſcriptura loquitur fiat adiutor, diuinamque in ſe actionem quantum poteſt oſtendat: ita quoniam ordo Hierarchiæ hoc poſtulat vt alij purgentur alij purgent, quidam luce doctrinæ illuſtrentur nonnulli, illuſtrent & aliqui perficiantur alij perficiant, vnicuique hac quidem ratione diuina imitatio accommodè dabitur.* Hæc Dy. Quicunque igitur in Eccleſia ſunt, vel agunt vel patiuntur, vt diuinam ſimilitudinem imitentur vel conſequantur, tandemque Deum imitantes eique ſimiles effecti, intimè & inſeparabiliter cum eo coniunguntur.

S. Dyon. Arc.

Talis diſpoſitionis, adeo præcellentis autoritatis, luminis & actionis autor nullus eſt quam Deus ipſe ſacra omnia dignitate antecellens, *Huius*, inquit Dionyſius, *Hierarchiæ principium eſt trinitas, quæ eſt fons vitæ, bonitatis eſſentia, vna cauſa rerum omnium, à cuius bonitate & ſtatus & bonus ſtatus iis quæ ſunt conceditur.* Hæc Dionyſ. Vnde licet S. Thomas neget dari ſupercæleſtem Hierarchiam, quod in diuinis perſonis nulla ſit quæ purgari, illuminari aut perfici debeat 1. q. 108. ar. 1. admittit tamen S. Bonauentura illam ſupercæleſtem Hierarchiam (ex eo quod ſanctiſſima trinitas cauſa ſit ac principium huius ſacræ Hierarchiæ, ei omnem autoritatem ac poteſtatem conferens, à cuius bonitate tanquam à fonte emanat quilibet ordo & ſtatus rerum ſacrarum, principatus ſeu cœtus multorum ſub vno Principe ac capite conſtitutus) ordinem naturæ in perſonis conſiderans, quæ ad inuicem referuntur, à quibus tanquam ab vno fonte & principio indiuiſo hic præclarus diuinæ potentiæ ſapientiæ & bonitatis effectus emanat, quo potenter homines purgantur & ſanctificantur, ſapienter gubernantur, & per illuminationem quam recipiunt ad debitum finem diſponuntur, & tandem feliciter conſummantur & perficiuntur per Dei charitatem: in quo clarum ſanctiſſimæ trinitatis veſtigium contemplandum objicitur, quæ in diuinis proceſſionibus, in ſpiritu ſancto conquieſcens, ad extra per ſummam bonitatem ſe effundens, tandem nos diuina charitate ad ſe reducit à qua proceſſimus. Sicque ſuæ poteſtatis & ſummæ autoritatis fulgurantis & emicantiſſimi ſplendoris, energiæ & efficacis operationis, magnificẽtiſſimum, ſplendidiſſimum & præclariſſimum opus producere voluit, ipſa exemplar nobiliſſimum & præſtantiſſima forma omnium quæ ad ſuam gloriam ad extra producit, cui licet nulla creatura poſſit conformari ad integrum tamen ad eius ſimilitudinem quoad fieri poteſt adſpirat, cum perfectionem ſibi à Deo præſcriptam attingere contendit. Vnde S. Dyon. *Huius autem diuiniſſimæ beataque naturæ voluntas eſt à ratione profecta, ſalus naturarum & quæ noſtri generis ſunt & quæ nobis antecelluntſalus autem non aliter exiſtere poteſt niſi ij qui ſalutem conſequuntur dij fiant.* Hæc Dyon. Hæc eſt enim voluntas Dei ſanctificatio noſtra, quam non adipiſcimur niſi Dij amore & charitate quodammodo efficiamur, vt in nobis adimpleatur illud quod dictum eſt : *Ego dixi dij eſtis & filij excelſi omnes.* Vnde addit S. Dionyſ. *Dei porro effectio eſt, Dei quoad eius fieri poteſt imitatio & cum eodem coniunctio, atque ita dicam vnio.* S. Dyon. Arc. S. Dyon.

Sed cum Deus longè à creatura diſtet, eminentioris ſit naturę, altioris, ordinis quærendus eſt nobis alius Hierarcha & princeps qui cauſa ſit & principium & exemplar huius noſtræ Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, ſicut enim dantur cauſæ ſecundæ licet Deus ſit cauſa 1. omnium & in vnoquoque Regno Rex datur licet ipſe ſit Rex Regum, ita licet ſanctiſſima trinitas Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ſit auctrix, & cauſa principalis eminens, caput tamen requirimus qui cum membris conueniat. Hic eſt Ieſus Chriſtus homo Deus qui Eccleſiam ſibi aſciuit cuius eſſet caput & Princeps qui hunc ordinem conſtituit, ſtabiliuit ſumma ipſe poteſtate autoritate ſcientia, & operatione præditus, natura cum hominibus qui cum componunt arctiſſimè coniunctus. *Ieſus*, inquit S. Dyoniſius Eccleſ. Hier. c. 1. *etiam ipſe qui mens eſt, & diuina maxime & eſſentia ſuperior, omniſque hierarchiæ tum ſanctitatis tum diuinæ actionis principium viſque diuinitatis particeps, maximè naturas illas beatas, nobiſque præſtantiores euidentius pariter & intelligentius illuſtrat, facitq; quoad eius fieri poteſt vt ad luminis ſui ſimilitudinem accedant. Noſtras autem quæ multa ſunt diſſimilitudines ac varietates, honeſtarum rerum amore, qui & in ipſum excitatur, & non excitat, coniungit ac conſtringit: atque vbi nos in vita vniuſmodi atque diuina perfecerit habitum atque efficaciam, gratiæ ſacerdotibus dignam, id eſt, vim diuini ſacerdotij ex qua ad ſanctum ſacerdotij munus & officium venientes, ipſi ad naturas illas cæleſtes, quæ nobis præſtant propius accedamus : conſtantis, immutabiliſque earum, quæ ſancta eſt firmitatis quam præſtare poſſumus imitatione, atque ex hac cum in beatum diuinumque Ieſu radium aciem mentis intenderimus & omnia quæ ſanctè cerni poſſunt ſanctè viderimus, myſticaque contemplationum ſcientia illuſtrati fuerimus, tum conſecrari & conſecrare, illuſtrari & illuſtrare, perfici & perficere poſſimus.* Hæc Dyon. Conſentit Dionyſio Clemens Alexand. cum ait. l. 7. ſtromatum paulo poſt initium, *Fides ergo eſt noſſe Deum, quæ eſt prima poſt fiduciam doctrina ſeruatoris, nullo modo iniuſta facere, idque exiſtimare decere Dei agnitionem. Eo reſpectu in terra quidem res eſt præſtantiſſima homo, qui eſt maxima in Deum pietate. In cælo autem res eſt præſtantiſſima Angelus, qui loco pro-* S. Dyoniſ. Clem. Alex.

Dyo. de cæleſti Hierarch. c. 1. S. Thom. S. Bonauent.

Digitized by Google

piùs, & iam puriùs eſt æterna & beata vitæ particeps. Perfectiſſima autem & ſanctiſſima & maxime principalis & quæ maxime imperat, & eſt maximè regia, & longe beneficentiſſima, eſt natura filij, quæ eſt ſoli omnipotenti propinquiſſima. Hæc eſt maxima excellentia quæ omnia ordinat ex voluntate Patris & optimè gubernat vniuerſum, indefeſſa & inexhauſta poteſtate cuncta operans, propterea quod agit arcanas & abditas reſpiciens notiones, nunquam enim a ſua excedit ſpecula Dei filius vt qui non diuidatur, non diſſecetur, non tranſeat à loco ad locum, ſit autem ſemper vbique & contineatur nuſquam: tota mens, tota lux paterna, totus oculus, qui omnia videt etiam audit ſcit etiam, poteſtate ſcrutatur poteſtates, ei ſubiecta eſt vniuerſa militia Angelorum & deorum, verbo inquam paterno, quod ſanctam ſuſcepit diſpenſationem propter eum qui ſubiecit, per quæ ſunt etiam omnes eius homines, ſed alij quidem per agnitionem, alij vero nondum, & alij quidem vt amici, alij vero vt ſerui fideles, alij vero vt abſolute ſerui. Hic eſt magiſter qui myſteriis quidem erudit eum qui præditus eſt cognitione & ſpe bona eum qui eſt fidelis, & corrigente diſciplina per ſentientem operationem eum qui eſt duro corde, &c. Vides ne Chriſtum ex Clemente & Angelis & hominibus ſuperiorem? vides ne illum mundum gubernantem, magiſtrum homines erudientem, vt optimo iure dicamus illum tanquam caput Eccleſiæ & autoritatem & ſcientiam & ſacram operationem influere? Habemus igitur huius ſacræ & Eccleſiaſticæ Hierarchiæ autorem, qui homo factus eius poſſit eſſe ſupremus Hierarcha, eiuſdem cum hominibus naturæ, ſed ratione diuinitatis, eminentioris, potentiæ vnde dicit, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Principium ſe eſſe vt Deus aſſeuerat, *Principium*, inquit, *qui & loquor vobis.* Cuius autoritatis magnitudinem ſi exquiras recogita illa verba: *Cum exaltaueritis filium hominis tunc cognoſcetis quia ego ſum, & à meipſo facio nihil, ſed ſicut docuit me pater hæc loquor, & qui miſit me mecum eſt & non relinquit me ſolum, quia ego quæ placita ſunt ei facio ſemper*, & Ioan. 3. *Qui de cælo venit ſuper omnes eſt, & quod vidit & audiuit hoc teſtatur.* Et paulo poſt: *Amen amen dico vobis, non poteſt filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit patrem facientem, quæcumque enim ille fecerit, hæc & filius ſimiliter facit: pater enim diligit filium & omnia demonſtrat ei quæ ipſe facit, & maiora his demonſtrabit opera vt vos miremini, ſicut enim pater ſuſcitat mortuos & viuificat, ſic & filius quos vult viuificat.* Ex quibus vides quanta potentia ac ſcientia & efficacia ſeu energia ſit præditus vt Eccleſiam fundare potuerit, quæ ſuo nomine vocetur Eccleſia Chriſtiana, in qua quis mirari non debeat ordinem pulchrè & decore conſtitutum, Chriſtianæ doctrinæ abyſſum, ſacrarum functionum efficaciam & miniſteriorum energiam preſentiſſimam, quibus Deus animas ſanctificat, conſecrat, illuminat, perficit, dignaſque reddit, vt ad ſuam ſimilitudinem, imitationem, & vnionem perueniant, ad prototypi & exemplaris ſimilitudinem nempe Chriſti imaginam reformati & effecti qui caput eſt omnium electorum. Cum autem hanc de Eccleſiaſtica Hierarchia breuiter quantum fieri potuit diſſertatiunculam his inferere opus fuit paucis accipe benevole Lector. Hæc adducenda fuerunt vt videas S. Ioannem in viſionibus ſuis optimum ſeruaſſe ordinem ad explicandam ipſius Hierarchiæ Eccleſiaſticæ naturam, cum enim quæ in Eccleſia peragenda eſſent prophetare deberet, narrationem eorum non potuit meliori modo exponere quam ſi iuxta ipſius Eccleſiaſticæ Hierarchiæ naturam prædicta exponat: exponit autem, nam cum definiatur à S. Dionyſ. Hierarchia, *Sacer ordo ſcientia & actio ad diuinam ſimilitudinem accedens*, In ordine officium, in ſcientia illuminatio, in actione ſanctifi-

Ioan. 8.

Ioan. 3.

catio cernitur, & in acceſſione ad diuinam ſimilitudinem totius Hierarchiæ finis intentus.

Hæc ſub ſymbolis congruis S. Ioannes proponit, nam cum in 1. Cap. Dominum Chriſtum ſub tali figura repreſentauerit, qua facillime conjiciamus ipſum eſſe tum ſanctitatis, tum diuinæ actionis principium eumque nuncuparit α & ω principium & finem, cum Dionyſio conſentit qui Ieſum vocat omnium Hierarchiarum autorem, en quomodo eſt, α, & principium: vocat etiam omnium Hierarchiarum perfectionem, en qua ratione dicitur ω, & finis, quo fit vt his titulis gaudere debent, qui ei ex Epiſtolis ſeptem Epiſcopis directis conuenire conjiciuntur v. g. quod ſit verus homo, Angelorum & hominum caput, hominum Redemptor, ipſorum Doctor ac Legiſlator, autor meriti & gratiæ, iudex viuorum & mortuorum, Rex & ſacerdos ſummus, exemplar virtutum omnium, illemet & idem de quo Iſ. 9. dicitur. *Factus eſt principatus ſuper humerum eius cuius nomen Admirabilis, Deus Fortis, Pater futuri ſeculi, princeps pacis.* Nunc qua ratione agat vt talis qualis ſit opere demonſtret S. Ioannes proſequitur, cum eum & autorem ordinis & fontem luminis & initium operationis quibus ad Deum accedimus per ſymbola idonea repreſentat: Super petram ſe ædificaturum Eccleſiam ſuam Petro promiſerat; Ecce Thronus videtur in c. 4. Sedis Petri nempe Eccleſiæ Romanæ ſymbolum. Hic ſtatus Eccleſiæ viſibilis, hîc concinna ordinum, poteſtatum, autoritatum diſpoſitio, hîc diuerſorum graduum, autoritatis, & ſanctitatis delineatio, hic ſacramentorum Eccleſiæ ſigna, hîc donorum præcipuorum & eminentioris dignitatis adumbratio, hîc diuinarum illuſtrationum coruſcatio, hic omnium meritorum & gratiarum fons & origo ſub diuerſis ſymbolis exprimuntur, ſic vt ex Dionyſ. diximus, *Chriſtus dat habitum & efficaciam gratiæ ſacerdotibus, dignam vim diuini ſacerdotij, ex qua ad ſanctum ſacerdotij munus & officium venientes ipſi ad naturas illas cæleſtes, quæ nobis præſtant propius accedamus, conſtantis immutabiliſque earum quæ ſancta eſt firmitatis quam præſtare poſſumus imitatione.* Hæc Dyon. Ad quæ proponenda mentibus noſtris Deus certis vtitur ſymbolis vt conuenienter nos edoceat, qui per ſenſibilia ad intelligibilia cognoſcenda erigimur, recte namque Dionyſius ait, aliam eſſe rationem Angelorum aliam hominum. Angeli quippe nullis indigent ſignis, quibus illuminari valeant, quia incorporei ſunt, nos autem corpore depreſſi his indigemus.

Iſ. 9.

Sed, inquit, *cæleſtes quidem naturæ, & ordines quorum iam ſanctam mentionem fecimus incorporei ſunt & eorum Hierarchia & mente cernitur & cæleſtis eſt, noſtram autem ſacerdotalem functionem, ſignorum quæ ſub ſenſum cadunt varietate pro captu noſtro multiplicem fieri vidimus, quibus pontificis munere ad diuinitatis ſocietatem, quæ vnius modi eſt ſecundum merita noſtra traducimur, Deum etiam diuinamque vim illæ quidem vt mentes ſicut eis fas eſt intelligunt, nos autem exemplis, imaginibus ſenſum mouentibus ad diuinas contemplationes vt poſſumus transferimus.* Hæc Dion.

S. Dyonif.

Poſt ſymbola ſub quibus ordo, & autoritas Eccleſiæ depingitur, ſequitur 5. caput huius reuelationis, in quo ſub aliis ſymbolis modus quo illuminari & etiam illuminare debet Eccleſia deſignatur: nam cum vt ait Dionyſ. *Ea ſit vis, & energia Hierarchiæ in omni functione Hierarchica vt & ipſe Pontifex pro ſua natura, modo & ordine in diuinis myſteriis ac rebus perficiatur atque diuinitatem conſequatur, eoſque qui ipſi parent diuinam ſimilitudinem, quæ in eo diuinitus ineſt pro ſua cuiuſque dignitate imitentur.* Hæc Dyon. Poſtquam S. Ioannes nobis pontifices vt perfectionem iam adeptos deſcripſit, quomodo poſſint alios inſtruere

S. Dyonif.

Digitized by Google

& illuminare docet, cum vnum è ſenioribus docentem proponit agni eſſe officium, *Aperire librum & ſoluere ſignacula eius*, quem cum aperit, & dum libri ſoluit ſignacula, totam illuminat agnus Eccleſiam.

Sed quia non ſufficit ſcire quæ agenda ſunt, ſed oportet operationibus quibuſdam ſacris mentes purgari ac ſanctificari, ideo S. Ioannes in 6. capite has diuinas operationes quibus ſanctificari poſſumus ſub diuerſis ſymbolis explicat, non ſolum diuinæ originis & generationis nempe Baptiſmi ſigna proponendo quo in eſſe & ſtatu diuino quodammodo collocamur, ſed etiam aliorum ſacramentorum effectus ſub aliis ſymbolis exprimendo, aliaſque ſanctas, & Hierarchicas actiones ſub iiſdem ſymbolis mirabili prorſus ratione proponendo. *Hierarchia quippe noſtra*, vt ait Dionyſ. *pro modo noſtro ſignis conſtetur, cum egeat rebus quæ ſenſum mouent, ad diuinioremnoſtri ex ipſis ad eas quæ mente comprehenduntur reuocationem.* Ita Dionyſ. S. Dionyſ.

Propoſitis igitur ſignis, quibus & autoritas & ſcientia & actio Eccleſiæ exprimuntur, ordine debito exponendus venit quinam futurus ſit exitus talis autoritatis in actum prodeuntis ſecundum ſcientiam & modum agendi præſcriptum & a Deo ordinatum. Hoc facit S. Ioannes in 7. capite, eorum qui propter perſeuerantiam in gratia gloriam adepturi ſunt ſymbola ob oculos objiciendo, nempe cum videt S. Ioannes quoſdam in fronte ſignatos, & turbam illam magnam quam dinumerare nemo poterat amictam ſtolis albis, & palmas in manibus geſtantem.

Hæc eſt ſeries & connexio iſtorum viſionum & capitum huius reuelationis, quam ſi recipias vt eſſe recipiendam arbitror, dicendis in poſterum lucem plurimam ſubminiſtrabit. His decurſis ad interpretationem pleniorem tranſitum faciamus pro modulo noſtro has viſiones exponentes: nam ſicut ſapienter S. Gregorius Nazianz. ait orat. 49. *Nemo eſt enim qui ſibi tam arroganter ſummam doctrinæ cæleſtis aſſumat, vt putet omnia myſteria liquido comprehenſa continere.* Ita Greg. Ita exiſtimo neminem abſque arrogantia inſigni reperiri qui putet ſe omnia huius libri myſteria digne & vt par eſt aut intelligere aut exponere poſſe. S. Gregorius Nazianz.

Digitized by Google

piùs, & iam purius eſt æternæ & beatæ vitæ particeps. Perfectiſſima autem & ſanctiſſima & maxime principalis & quæ maxime imperat, & eſt maximè regia, & longe beneficentiſſima, eſt natura filij, quæ eſt ſoli omnipotenti propinquiſſima. Hæc eſt maxima excellentia quæ omnia ordinat ex voluntate Patris & optimè gubernat vniuerſum, indefeſſa & inexhauſta poteſtate cuncta operans, propterea quod agit arcanas & abditas reſpiciens notiones, nunquam enim a ſua excedit ſpecula Dei filius vt qui non diuidatur, non diſſecetur, non tranſeat à loco ad locum, ſit autem ſemper vbique & continetur nuſquam: tota mens, tota lux paterna, totus oculus, qui omnia videt etiam audit ſcit etiam, poteſtate ſcrutatur poteſtates, ei ſubiecta eſt vniuerſa militia Angelorum & deorum, verbo inquam paterno, quod ſanctam ſuſcepit diſpenſationem propter eum qui ſubiecit, per quæ ſunt etiam omnes eius homines, ſed alij quidem per agnitionem, alij vero nondum, & alij quidem vt amici, alij vero vt ſerui fideles, alij vero vt abſolute ſerui. Hic eſt magiſter qui myſteriis quidem erudit eum qui prædictus eſt cognitione & ſpe bona eum qui eſt fidelis, & corrigente diſciplina per ſentientem operationem eum qui eſt duro corde, &c. Vides ne Chriſtum ex Clemente & Angelis & hominibus ſuperiorem? vides ne illum mundum gubernantem, magiſtrum homines erudientem, vt optimo iure dicamus illum tanquam caput Eccleſiæ & autoritatem & ſcientiam & ſacram operationem influere? Habemus igitur huius ſacræ & Eccleſiaſticæ Hierarchiæ autorem, qui homo factus eius poſſit eſſe ſupremus Hierarcha, eiuſdem cum hominibus naturæ, ſed ratione diuinitatis, eminentioris, potentiæ vnde dicit, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Principium ſe eſſe vt Deus aſſeuerat, *Principium*, inquit, *qui & loquor vobis.* Cuius autoritatis magnitudinem ſi exquiras recogita illa verba: *Cum exaltaueritis filium hominis tunc cognoſcetis quia ego ſum, & à meipſo facio nihil, ſed ſicut docuit me pater hæc loquor, & qui miſit me mecum eſt & non relinquit me ſolum, quia ego quæ placita ſunt ei facio ſemper*, & Ioan. 3. *Qui de cælo venit ſuper omnes eſt, & quod vidit & audiuit hoc teſtatur.* Et paulo poſt: *Amen amen dico vobis, non poteſt filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit patrem facientem, quæcumque enim ille fecerit, hæc & filius ſimiliter facit: pater enim diligit filium & omnia demonſtrat ei quæ ipſe facit, & maiora his demonſtrabit opera vt vos miremini, ſicut enim pater ſuſcitat mortuos & viuificat, ſic & filius quos vult viuificat.* Ex quibus vides quanta potentia ac ſcientia & efficacia ſeu energia ſit prædituſ vt Eccleſiam fundare potuerit, quæ ſuo nomine vocetur Eccleſia Chriſtiana, in qua quis mirari non debeat ordinem pulchrè & decore conſtitutum, Chriſtianæ doctrinæ abyſſum, ſacrarum functionum efficaciam & miniſteriorum energiam preſentiſſimam, quibus Deus animas ſanctificat, conſecrat, illuminat, perficit, dignaſque reddit, vt ad ſuam ſimilitudinem, imitationem, & vnionem perueniant, ad prototypi & exemplaris ſimilitudinem nempe Chriſti imaginam reformati & effecti qui caput eſt omnium electorum. Cum autem hanc de Eccleſiaſtica Hierarchia breuiter quantum fieri potuit diſſertatiunculam his inſerere opus fuit paucis accipe beneuole Lector. Hæc adducenda fuerunt vt videas S. Ioannem in viſionibus ſuis optimum ſeruaſſe ordinem ad explicandam ipſius Hierarchiæ Eccleſiaſticæ naturam, cum enim quæ in Eccleſia peragenda eſſent prophetare deberet, narrationem eorum non potuit meliori modo exponere quam ſi iuxta ipſius Eccleſiaſticæ Hierarchiæ naturam prædicta exponat: exponit autem, nam cum definiatur à S. Dionyſ. Hierarchia, *Sacer ordo ſcientia & actio ad diuinam ſimilitudinem accedens*, In ordine officium, in ſcientia illuminatio, in actione ſanctificatio cernitur, & in acceſſione ad diuinam ſimilitudinem totius Hierarchiæ finis intentus.

Ioan. 8.

Ioan. 3.

Hæc ſub ſymbolis congruis S. Ioannes proponit, nam cum in 1. Cap. Dominum Chriſtum ſub tali figura repreſentauerit, qua facillime conjiciamus ipſum eſſe tum ſanctitatis, tum diuinæ actionis principium eumque nuncuparit α & ω principium & finem, cum Dionyſio conſentit qui Ieſum vocat omnium Hierarchiarum autorem, en quomodo eſt, α, & principium: vocat etiam omnium Hierarchiarum perfectionem, en qua ratione dicitur ω, & finis, quo fit vt his titulis gaudere debent, qui ei ex Epiſtolis ſeptem Epiſcopis directis conuenire conjiciuntur v. g. quod ſit verus homo, Angelorum & hominum caput, hominum Redemptor, ipſorum Doctor ac Legiſlator, autor meriti & gratiæ, iudex viuorum & mortuorum, Rex & ſacerdos ſummus, exemplar virtutum omnium, illemet & idem de quo Iſ. 9. dicitur. *Factus eſt principatus ſuper humerum eius cuius nomen Admirabilis, Deus Fortis, Pater futuri ſeculi, princeps pacis.* Nunc qua ratione agat vt talis qualis ſit opere demonſtret S. Ioannes proſequitur, cum eum & autorem ordinis & fontem luminis & initium operationis quibus ad Deum accedimus per ſymbola idonea repreſentat: Super petram ſe ædificaturum Eccleſiam ſuam Petro promiſerat; Ecce Thronus videtur in c. 4. Sedis Petri nempe Eccleſiæ Romanæ ſymbolum. Hic ſtatus Eccleſiæ viſibilis; hîc concinna ordinum, poteſtatum, autoritatum diſpoſitio, hîc diuerſorum graduum, autoritatis, & ſanctitatis delineatio, hic ſacramentorum Eccleſiæ ſigna, hîc donorum præcipuorum & eminentioris dignitatis adumbratio, hîc diuinarum illuſtrationum coruſcatio, hîc omnium meritorum & gratiarum fons & origo ſub diuerſis ſymbolis exprimuntur, ſic vt ex Dionyſ. diximus, *Chriſtus dat habitum & efficaciam gratiæ ſacerdotibus, dignam vim diuini ſacerdotij, ex qua ad ſanctum ſacerdotij munus & officium venientes ipſi ad naturas illas cæleſtes, quæ nobis præſtant propius accedamus, conſtantis immutabiliſque earum quæ ſancta eſt firmitatis quam præſtare poſſumus imitatione.* Hæc Dyon. Ad quæ proponenda mentibus noſtris Deus certis vtitur ſymbolis vt conuenienter nos edoceat, qui per ſenſibilia ad intelligibilia cognoſcenda erigimur, recte namque Dionyſius ait, aliam eſſe rationem Angelorum aliam hominum. Angeli quippe nullis indigent ſignis, quibus illuminati valeant, quia incorporei ſunt, nos autem corpore depreſſi his indigemus.

Iſ. 9.

Sed, inquit, *cæleſtes quidem naturæ, & ordines quorum iam ſanctam mentionem fecimus incorporei ſunt & eorum Hierarchia & mente cernitur & cæleſtis eſt, noſtram autem ſacerdotalem functionem, ſignorum quæ ſub ſenſum cadunt varietate pro captu noſtro multiplicem fieri vidimus, quibus pontificij munere ad diuinitatis ſocietatem, quæ vnius modi eſt ſecundum merita noſtra traducimur, Deum etiam diuinamque vim illa quidem vt mentes ſicut eis fas eſt intelligunt, nos autem exemplis, imaginibus ſenſum mouentibus ad diuinas contemplationes vt poſſumus transferimus.* Hæc Dion.

S. Dyonif.

Poſt ſymbola ſub quibus ordo, & autoritas Eccleſiæ depingitur, ſequitur 5. caput huius reuelationis, in quo ſub aliis ſymbolis modus quo illuminari & etiam illuminare debet Eccleſia deſignatur: nam cum vt ait Dionyſ. *Ea ſit vis, & energia Hierarchiæ in omni functione Hierarchica vt & ipſe Pontifex pro ſua natura, modo & ordine in diuinis myſteriis ac rebus perficiatur atque diuinitatem conſequatur, eoſque qui ipſi parent diuinam ſimilitudinem, quæ in eo diuinitus ineſt pro ſua cuiuſque dignitate imitentur.* Hæc Dyon. Poſtquam S. Ioannes nobis pontifices vt perfectionem iam adeptos deſcripſit, quomodo poſſint alios inſtruere

S. Dyonif.

Digitized by Google

& illuminare docet, cum vnum è ſenioribus docentem proponit agni eſſe officium, *Aperire librum & ſoluere ſignacula eius*, quem cum aperit, & dum libri ſoluit ſignacula, totam illuminat agnus Eccleſiam.

Sed quia non ſufficit ſcire quæ agenda ſunt, ſed oportet operationibus quibuſdam ſacris mentes purgari ac ſanctificari, ideo S. Ioannes in 6. capite has diuinas operationes quibus ſanctificari poſſumus ſub diuerſis ſymbolis explicat, non ſolum diuinæ originis & generationis nempe Baptiſmi ſigna proponendo quo in eſſe & ſtatu diuino quodammodo collocamur, ſed etiam aliorum ſacramentorum effectus ſub aliis ſymbolis exprimendo, aliaſque ſanctas, & Hierarchicas actiones ſub iiſdem ſymbolis mirabili prorſus ratione proponendo. *Hierarchia quippe noſtra*, vt ait Dionyſ. *pro modo noſtro ſignis conſtetur, cum egens rebus quæ ſenſum mouent, ad diuinioremnoſtri ex ipſis ad eas quæ mente comprehenduntur renocationem.* Ita Dionyſ. S. Dionyſ.

Propoſitis igitur ſignis, quibus & autoritas & ſcientia & actio Eccleſiæ exprimuntur, ordine debito exponendus venit quinam futurus ſit exitus talis autoritatis in actum prodeuntis ſecundum ſcientiam & modum agendi præſcriptum & a Deo ordinatum. Hoc facit S. Ioannes in 7. capite, eorum qui propter perſeuerantiam in gratia gloriam adepturi ſunt ſymbola ob oculos objiciendo, nempe cum videt S. Ioannes quoſdam in fronte ſignatos, & turbam illam magnam quam dinumerare nemo poterat amictam ſtolis albis, & palmas in manibus geſtantem.

Hæc eſt ſeries & connexio iſtorum viſionum & capitum huius reuelationis, quam ſi recipias vt eſſe recipiendam arbitror, dicendis in poſterum lucem plurimam ſubminiſtrabit. His decurſis ad interpretationem pleniorem tranſitum faciamus pro modulo noſtro has viſiones exponentes: nam ſicut ſapienter S. Gregorius Nazianz. ait orat. 49. *Nemo eſt enim qui ſibi tam arroganter ſummam doctrinæ cæleſtis aſſumat, vt putet omnia myſteria liquido comprehenſa continere.* Ita Greg. Ita exiſtimo neminem abſque arrogantia inſigni reperiri qui putet ſe omnia huius libri myſteria digne & vt par eſt aut intelligere aut exponere poſſe. S. Gregorius Nazianz.

Digitized by Google

PARTIS II. ELVCIDATIONIS

APOCALYPSIS PARAPHRASIS.

PARAPHRASIS CAPITIS IV.

Eccleſiæ Chriſtianæ fundatio, in qua Dei miſericordia, & ſumma iuſtitia ex electorum ſalute & reproborum electione effulgere cernuntur.

NOTATIVNCVLA.

MVLTA Propheta noſter in hoc vocabulo (*poſt hæc*) in memoriam noſtram reuocat ex his quę iam illi oſtenſa fuere, imo omnia quæ vſque hac vidit ſeu audiuit per hoc verbum conſiderare nos admonet vt facilius iis quæ dicturus eſt fidem adhibeamus. Perinde enim eſt ac ſi diceret: Cum ſaluator noſter homo propter homines factus oculis meis ſe exhibuiſſet videndum, non in ea forma in qua cum hominibus conuerſatu erat, dum eſſet nobiſcum; nec in ea in qua pro nunc ſedet in dextera patris, ſed talis formæ ſeu figuræ, quæ animum meum pulſaret ad inueſtigandum, manu duceret ad concipiendum, iuuaret ad intelligendum, quæ operaturus erat in poſterum in Eccleſia ſua, quam quidem ſummo complectens amore in medio eius deambulans rore gratiarum reſpergebat, lumine irradiabat, calore fouebat, & continuo benignitatis ſuæ influxu inter tot anguſtias poſita ſummè recreabat.

Textus.

Poſt hæc vidi.

Cumque inſuper animaduertiſſem ex præcedenti viſione, quibus initiis, quoue progreſſu & quonam exitu verbum illud per quod facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil, quique chariſſimæ ſuæ ſponſæ introitum & exitum cuſtodit, ex hoc, nunc, & vſque in ſæculum; opus ſuum eſſet incæpturum, proſecuturum, adimpleturum, vt homines agnoſcerent Deum omnium Creatorem, cunctorum Moderatorem, vniuerſi rectorem, iuſtorum remuneratorem, malorum vindicem: quod vt præſtaret ſumma illa bonitas ipſum dilectum filium in terras miſerat vt ab ipſius cognitione ad cognitionem ſummi Patris deuenirent, *Qui enim*, vt aiebat olim ipſe, *me videt videt & Patrem meum, & ſi cognouiſſetis me vtique & Patrem meum cognouiſſetis.*

Denique cum ex hac cauſa iniunxiſſet mihi vt Eccleſiæ ſuæ & Paſtoribus eius annunciarem quæ de ipſo credenda & prædicanda forent vt gloriam & charitatem à Patre promiſſam acciperet, nempe vt credatur, prædicetur, & omnes confiteantur, quod ſit puer nobis natus, filius nobis datus cuius imperium ſuper humerum eius eo ipſo quod infirmitates noſtras ipſe ſuſcepit, & dolores noſtros ipſe portauit, vnde pro tam profunda humiliatione ſuper omnia exaltatus conſtitutus eſt caput Angelorum, & hominum: qui licet ineffabilis à Propheta nihilominus vocatur Admirabilis, quia redemptor hominum. Quid enim tam ſtupendum quam per mortem, ſuam à mortis imperio nos vindicaſſe? Conſiliarius, quia cum ſit verbum Patris omnia quæ audiuit à Patre nota fecit nobis, vt ſit Doctor & Legiſlator noſter quem ſemper ſuſpiciamus, nec enim à nobis auolare faciet ipſum quem fecit eſſe Emmanuelem, vt inhabitet ſcientia æque ac gloria in terra noſtra. Tum vocatur Deus, Deus enim ex Deo, omne iudicium accepit à Patre, *Vt omnes honorificent filium ſicut & honorificant Patrem*, vnde conſtitutus eſt à Deo iudex mortuorum atque viuorum, Tum fortis, vt ab eius plenitudine accipientes, licet omni gratia exterius deſtituti & ſpoliati, & à peccato debilitati & infirmati gratiam & principium meriti accipiamus, nec non & fortitudinem ad verum percipiendum, & bonum operandum & tentationes ſuperandas neceſſariam; tum Pater futuri ſæculi: cum enim ſit ſummus Rex & Sacerdos, non dicit ſicut ille regnum abnuens, apud Iſaiam: *In domo mea non eſt panis*, ipſe enim eſt panis viuus qui de cœlo deſcendit & datur nobis vt perfecte Deo noſtro non ſolum ſubiiciamur, ſed etiam intimè vniamur reconciliati Deo, vt dignitatem de qua deiecti fueramus per vitia & peccata recuperemus, ordinem noſtrum in hac vniuerſi concinna diſtributione naturarum & gratiarum tenentes. Quod vt feliciter adimpleatur vocatur tandem Princeps pacis, cum enim ſit exemplar virtutum omnium, quibus coniungimur Deo, vt pacem habeamus cum ipſo (quis enim ei reſiſtit ab ea ſeparatus & pacem habuit?) Exemplum ſiquidem dedit nobis vt quemadmodum ipſe fecit ita & nos faciamus, omnia pacificauit, ſiue quæ in cælis, ſiue quæ in terris ſunt. Quibus omnibus perfectè cognitis optime perſpexi quid intenderet Deus cum homines vocaret ad montem Eccleſiæ, & ex quatuor mundi partibus quoſdam ſibi ſeligeret qui ipſum agnoſcerent, agnitum confiterentur, confitendo adorarent, ipſique ſummopere, fideliterque inſeruirent.

A

B

C

D

Textus.

Paraphraſis Capitis quarti.

Et ecce oſtium apertum in cælo.

EX his igitur viſis, ô res miranda! nec non ſermo omni acceptione dignus! animaduerti Ieſum olim, à diebus nempe æternitatis qui erat in ſinu Patris verbum abſconditum, qui in tertis apparens verbum caro factus putabatur filius Ioſeph, nunc ad dexteram Patris conſtitutum, audacter & apertè in Eccleſia prædicari Deum de Deo, lumen de lumine, vt ſit omnibus in ea intrantibus ianua patens ad plenam, & perfectam omnium myſteriorum Dei cognitionem. Gratia enim hæc data eſt nobis in Chriſto Ieſu, quod in omnibus diuites facti ſumus in illo in omni verbo, & in omni ſcientia itaut nihil nobis deſit, eo probe cognito, quominus ad veram & ſapidam Dei & operum eius contemplationem aſcendamus.

Et vox prima quam audiui.

Exinde factum eſt, vt vox prima quam audiui (omnimodè ſimilis ei quam audiuimus quondam de cœlo allatam cum eſſemus cum ipſo in monte ſancto, neceſſaria vt ad fidem celſitudinis illius deuenirem, & talem qualem ipſum deſcripſimus, & in Eccleſia cognitum aſſerimus, poſſem annunciare) aures meas fortiter perculſerit & clare & diſtincte dixerit,

Digitized by Google

Textus. *Tanquam tuba loquentes mecum dicēs: aſcende huc.*

dixerit, huc aduola. Ad hanc Chriſti fidem accurre mentem applica, totum ſiſte ingenium, ſenſus omnes, phantaſmata cuncta relinque, ſupra omnia humana teipſum extolle: vno verbo dicam, Chriſtum apprehende, non ſecundum quod in carne nouiſti olim ipſum, ſed ſecundum quod à ſpiritu Prophetatus, à ſpiritu declaratus, à ſpiritu modo tibi eſt reuelatus, & certè quanta operaturus ſit facile perſpicies. Ad hoc tamen noua tibi opus eſt reuelatione, cum enim res ſint futuræ quæ tibi oſtenduntur, & in ſerie temporum ſucceſſiuè euenturæ, hæc videre non poſſes ac ſi eſſent preſentes niſi aurem fidei mihi præbueris vt te quæ futura ſunt edoceam.

Et oſtendam tibi quæ oportet fieri poſthac.

Iam quis & quantus eſſet tibi intimaui, nunc forti & diſtincta voce quanta ſit operaturus oſtendere cupio, nihil tamen quod carnem ſapiat cogites, & quamuis ſub ſpecie phantaſtica multa tibi objiciam, vi tamen intelligentiæ ſpiritu prophetico intimè colluſtratus vide quid ſub his ſpeciebus notificare tibi intendam.

Et ſtatim fui in ſpiritu.

Quo audito, *ſtatim fui in ſpiritu*, quid enim non poteſt efficere vox Dei in nobis? vocat enim Deus ea quæ non ſunt tanquam ea quæ ſunt, eius verba ſpiritus ſunt, itaut hi qui animales & carnales ex ſe non poſſent ea quæ Dei ſunt percipere, ad hanc vocem ſpirituales quodammodo effecti nihil niſi quod ſpiritale eſt redoleant. Hac ratione factum eſt vt quamuis cætum fidelium ex quibus componitur Eccleſia homines fragiles, peccatis obnoxios, miſeriis refertos, temporis luſum eſſe animaduerterem, nihilominus in iis nihil niſi diuinum conſiderans, vt pote qui fuerunt à ſpiritu ſancto in vnum congregati tanquam membra vnius corporis ſimul coadunati, non eos tanquam terrenos, ſed cæleſtes viros, qui pro fine cœlum & cæleſtia habeant quamuis cæteris mortalibus ſimiles videantur, eſſe exiſtimarem.

Et ecce ſedes poſita erat in cœlo.

Quod cum intime contemplarer, & nimia ſuauitate perfruens perciperem bonitatem Dei qui ſuas delitias voluit eſſe ſi hominibus Deus vt eſt agnoſceretur & diceretur, ſi cum eis deambularet ſi in ipſis maneret, Deus bone! quanta admiratione perculſus fui, quanto gaudio perfuſus cum animaduerti Deum, cuius cœlum ſedes, cuius pedum ſcabellum tetra eſt, ſedem ſibi in medio fidelium ſtabilem & firmam poſuiſſe? Statim enim tali repreſentatione meam imaginationem imbuit.

In medio enim vaſti aëris huius ecce ſedes quædam poſita apparuit, ſupra quam ſedebat Deus cuius vox poteſt audiri, forma autem non poteſt videri. Deuter. 4. Quo quidem Symbolo intellexi Deum velle autoritatem Paſtorum Eccleſiæ quâ vult regnum ſuum viſibile ſtabilire inter homines, ita eſſe firmam & inconcuſſam vt nulla vi vnquam poſſit à ſua ſtabilitate dimoueri: quod quidem clarè apparet adimpletum in ſede Petri Apoſtolica quæ tanquam ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem molemque continet ac ſuſtentat, in cuius autoritate Dei Patris Poteſtas, in cuius optima totius Reipublicæ Chriſtianæ gubernatione Dei Filij Sapientia, in cuius benigna omnium myſteriorum Dei diſtributione ac diſpenſatione Dei Spiritus ſãcti bonitas ſummè reluacebat vt per multiplices effectus tùm poteſtatis, tum ſapientiæ, tum bonitatis, quantus ſit Deus, quam admirabilis, quam amabilis & laudabilis nimis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis, omnibus innoteſcat.

Et ſupra ſedem ſedens.

Agnoui igitur Eccleſiam Romanam Deum elegiſſe, vt eſſet ſibi in ſedem ſeu Thronum ſupra quem in perpetuum ſederet, vt per eam homines perciperent quantum curæ ac ſolicitudinis haberet

A eius prouidentia circa eorum ſalutem, qui firmiter fidei illius Eccleſiæ (quæ eſt columna & firmamentum veritatis) in perpetuum adhærerent, cum ei diuina credita ſint myſteria, vt per eam cæteris ſiue reuelentur ſiue abundè diſpenſentur. Textus.

Et qui ſedebat.

At quamuis in nulla determinata forma mihi Deus apparuerit, vt per hoc addiſcerem omnes omnino effectus gratiæ in Eccleſia ſua ipſum eſſe adimpletum, nihilominus benignitate ſua voluit vt cogitationes meæ ad aliquos præcipuè effectus ſuæ potentiæ, ſapientiæ ac bonitatis quodammodo coarctarem. Ita qui ſedebat ſupra ſedem viſus eſt mihi ſimilis adſpectui lapidis Ialpidis & Sardinis & iris erat in circuitu ſedis ſimilis viſioni Smaragdinæ.

Similis erat adſpectui Iaſpidis & Sardinij.

B Qua quidem viſione intellexi duos effectus præcipuè intendi à Deo ad quorum perfectionem cæteri ordinarentur. Igitur quem fides nobis adorandum proponit, quique licet oculis ſit inuiſibilis ſicuti & mente incomprehenſibilis, præſentem ſe exhibet in Eccleſia magnificis & admirandis operationibus, quem audiui, quem intellexi, quem diuino lumine infuſo clarè agnoui clauum tenere Nauis huius præcellentis, Eccleſiæ nempe ſuper vndas ſeculi feliciter fluctuantis ita tamen vt mergi nequeat, nec fluctibus obrui, licet ventis, ac procellis idemtidem quatiatur, imo vero quæ veluti ſaxum immobile, veluti domus ſupra Petram fundata præſentia huius ſummi omnium moderatoris corroborata, eius

C auxilio, ac patrocinio gaudens, nihil per omnem orbem diffuſa: timet charitſima ſiquidem Dei ſponſa, Romana videlicet Eccleſia omnes aduerſarios deſpicit nec contra ipſam prævalebunt omnes inferorum portæ, nec impedimento eſſe aliquo modo poterunt quominus in ea ipſe Dominus omnes omnino effectus producat, qui ad eius gloriam manifeſtandam neceſſarij ſunt, & per quos ſanctiſſima & indiuidua trinitas ab omnibus coli & adorari ſummo & religioſo cultu valeat. Ob hanc potiſſimum cauſam duos præcipue effectus intendere animaduerti, primum miſericordiæ in animarum & corporum glorificatione; ſecundum ſummæ iuſtitiæ in ſeuera peccatorum & offenſionum animaduerſione in

D perſona Chriſti pro peccatoribus in cruce patientis, & in reproborum iuſta ad inferni pœnas condemnatione. Hoc aquea & marina Ialpidis viriditas, hoc eius ſolidiras ac pelluciditas, hoc eius contra venena, contra pleroſque morbos efficacia; hoc color carnis humanæ ſanguine viuifico perfuſæ lapidis Sardinis, hoc eiuſdem lapidis igneus color teris ac ſpectris effugandis valde idoneus me docuit. A. B.

Et iris erat in circuitu ſedis ſimilis viſioni Smaragdinæ

Quid enim miſericordiæ non ſperandum iis qui arcu Smaragdino, id eſt, crucifixi Domini protectione circumdati ſunt, quibus inſignum perpetuæ reconciliationis ſemper viret meritum paſſionis? Quid non æque timendum iis qui tam inſigne diuinæ erga homines beneuolentiæ vt gratia diuina perfunderentur teſtimonium neglexerunt, contempterunt, &

E ſanguinem teſtamenti tanquam pollutum duxerunt ac ſpiritui gratiæ contumeliam adeo grauiſſimam fecerunt? Clamat quidem arcus ille ſeu iris Dominicæ crucis, reconciliationem & miſericordiam in primis: ſed Dominus iuſtitiam dilexit, eius vultus æquitatis eſt, perſpicax & fixus contemplator, vt reddat vnicuique ſecundum opera ſua, vt qui ſagittis amoris corda hominum dulci plaga ſauciauerit ad eorum perpetuam felicitatem, idem ipſe ſagittas ſummæ iracundiæ emittat in contemptores, quibus vulnerati cadunt eius inimici in ſtagnum ſulphureum & in tartareos ignes detruduntur.

At quantopere Deus ſalutem omnium deſiderat mihi clare innotuit, nam & materia & principium & figura ac color huius arcus Smaragdini ad con-

Amos. ...ouse of Israel, and I will not cause the ...
...ouse of Israel to return any more unto the land which I gave unto their fathers.
...ye shall be left few in number, whereas before ye were as the stars of heaven for multitude: because ye would not hearken unto the voice of the Lord your God.
...ye shall be plucked from off the land whither ye go to possess it.
...Lord hath sworn by his holiness, that, lo, the days shall come upon you, that he will take you away with hooks, and your posterity with fishhooks.
...ye shall go out at the breaches, every cow at that which is before her, and ye shall cast them into the palace, saith the Lord.
...ye shall go to Bethel, and transgress; at Gilgal multiply transgression, and bring your sacrifices every morning, and your tithes after three years:
...offer a sacrifice of thanksgiving of that which is leavened, and proclaim and publish the free offerings: for this liketh you, O ye children of Israel, saith the Lord God.
...I have given you cleanness of teeth in all your cities, and want of bread in all your places: yet have ye not returned unto me, saith the Lord.
...I have withholden the rain from you, when there were yet three months to the harvest: and I caused it to rain upon one city, and caused it not to rain upon another city: the one piece was rained upon, and the piece whereupon it rained not withered.
...two or three cities wandered unto one city, to drink water; but they were not satisfied: yet have ye not returned unto me, saith the Lord.
...I have smitten you with blasting and mildew: when your gardens and your vineyards and your fig trees and your olive trees increased, the palmerworm devoured them: yet have ye not returned unto me, saith the Lord.
...I have sent among you the pestilence after the manner of Egypt: your young men have I slain with the sword, and have taken away your horses; and I have made the stink of your camps to come up unto your nostrils: yet have ye not returned unto me, saith the Lord.
...I have overthrown some of you, as God overthrew Sodom and Gomorrah, and ye were as a firebrand plucked out of the burning: yet have ye not returned unto me, saith the Lord.
...I will do unto thee this: and because I will do this unto thee, prepare to meet thy God, O Israel.
...he that formeth the mountains, and createth the wind, and declareth unto man what is his thought, that maketh the morning darkness, and treadeth upon the high places of the earth, The Lord God of hosts is his name.

Cap. V.

...Hear ye this word which I take up against you, even a lamentation, O house of Israel.
...The virgin of Israel is fallen; she shall no more rise: she is forsaken upon her land; there is none to raise her up.
...For thus saith the Lord God, The city that went out by a thousand shall leave an hundred, and that which went forth by an hundred shall leave ten, to the house of Israel.
...For thus saith the Lord unto the house of Israel, Seek ye me, and ye shall live:
...but seek not Bethel, nor enter into Gilgal, and pass not to Beersheba: for Gilgal shall surely go into captivity, and Bethel shall come to nought.
...Seek the Lord, and ye shall live, lest he break out like fire in the house of Joseph, and devour it, and there be none to quench it in Bethel.
...Ye who turn judgment to wormwood, and leave off righteousness in the earth,
...Seek him that maketh the seven stars and Orion, and turneth the shadow of death into the morning, and maketh the day dark with night: that calleth for the waters of the sea, and poureth them out upon the face of the earth: The Lord is his name:
...That strengtheneth the spoiled against the strong, so that the spoiled shall come against the fortress.
...They hate him that rebuketh in the gate, and they abhor him that speaketh uprightly.
...Forasmuch therefore as your treading is upon the poor, and ye take from him burdens of wheat: ye have built houses of hewn stone, but ye shall not dwell in them; ye have planted pleasant vineyards, but ye shall not drink wine of them.
...For I know your manifold transgressions and your mighty sins: they afflict the just, they take a bribe, and they turn aside the poor in the gate from their right.
...Therefore the prudent shall keep silence in that time; for it is an evil time.
...Seek good, and not evil, that ye may live: and so the Lord, the God of hosts, shall be with you, as ye have spoken.
...Hate the evil, and love the good, and establish judgment in the gate: it may be that the Lord God of hosts will be gracious unto the remnant of Joseph.
...Therefore the Lord, the God of hosts, the Lord, saith thus; Wailing shall be in all streets; and they shall say in all the highways, Alas, alas! and they shall call the husbandman to mourning, and such as are skilful of lamentation to wailing.
...And in all vineyards shall be wailing: for I will pass through thee, saith the Lord.
...Woe unto you that desire the day of the Lord! to what end is it for you? the day of the Lord is darkness, and not light.
...As if a man did flee from a lion, and a bear met him; or went into the house, and leaned his hand on the wall, and a serpent bit him.
...Shall not the day of the Lord be darkness, and not light? even very dark, and no brightness in it?
...I hate, I despise your feast days, and I will not smell in your solemn assemblies.
...Though ye offer me burnt offerings and your meat offerings, I will not accept them: neither will I regard the peace offerings of your fat beasts.
...Take away from me the noise of thy songs; for I will not hear the melody of thy viols.
...But let judgment run down as waters, and righteousness as a mighty stream.
...Have ye offered unto me sacrifices and offerings in the wilderness forty years, O house of Israel?
...But ye have borne the tabernacle of your Moloch and Chiun your images, the star of your god, which ye made to yourselves.
...Therefore will I cause you to go into captivity beyond Damascus, saith the Lord, whose name is The God of hosts.

Cap. VI.

...Woe to them that are at ease in Zion, and trust in the mountain of Samaria, which are named chief of the nations, to whom the house of Israel came!
...Pass ye unto Calneh, and see; and from thence go ye to Hamath the great: then go down to Gath of the Philistines: be they better than these kingdoms? or their border greater than your border?
...Ye that put far away the evil day, and cause the seat of violence to come near;
...That lie upon beds of ivory, and stretch themselves upon their couches, and eat the lambs out of the flock, and the calves out of the midst of the stall;
...That chant to the sound of the viol, and invent to themselves instruments of musick, like David;
...That drink wine in bowls, and anoint themselves with the chief ointments: but they are not grieved for the affliction of Joseph.
...Therefore now shall they go captive with the first that go captive, and the banquet of them that stretched themselves shall be removed.
...The Lord God hath sworn by himself, saith the Lord the God of hosts, I abhor the excellency of Jacob, and hate his palaces: therefore will I deliver up the city with all that is therein.
...And it shall come to pass, if there remain ten men in one house, that they shall die.
...And a man's uncle shall take him up, and he that burneth him, to bring out the bones out of the house, and shall say unto him that is by the sides of the house, Is there yet any with thee? and he shall say, No. Then shall he say, Hold thy peace: for we may not make mention of the name of the Lord.
...For, behold, the Lord commandeth, and he will smite the great house with breaches, and the little house with clefts.
...Shall horses run upon the rock? will one plow there with oxen? for ye have turned judgment into gall, and the fruit of righteousness into hemlock:
...Ye which rejoice in a thing of nought, which say, Have we not taken to us horns by our own strength?
...But, behold, I will raise up against you a nation, O house of Israel, saith the Lord the God of hosts; and they shall afflict you from the entering in of Hamath unto the river of the wilderness.

Cap. VII.

...Thus hath the Lord God shewed unto me; and, behold, he formed grasshoppers in the beginning of the shooting up of the latter growth; and, lo, it was the latter growth after the king's mowings.
...And it came to pass, that when they had made an end of eating the grass of the land, then I said, O Lord God, forgive, I beseech thee: by whom shall Jacob arise? for he is small.
...The Lord repented for this: It shall not be, saith the Lord.
...Thus he shewed me: and, behold, the Lord God called to contend by fire, and it devoured the great deep, and did eat up a part.
...Then said I, O Lord God, cease, I beseech thee: by whom shall Jacob arise? for he is small.
...The Lord repented for this: This also shall not be, saith the Lord God.
...Thus he shewed me: and, behold, the Lord stood upon a wall made by a plumbline, with a plumbline in his hand.
...And the Lord said unto me, Amos, what seest thou? And I said, A plumbline. Then said the Lord, Behold, I will set a plumbline in the midst of my people Israel: I will not again pass by them any more:
...And the high places of Isaac shall be desolated, and the sanctuaries of Israel shall be laid waste; and I will rise against the house of Jeroboam with the sword.
...Then Amaziah the priest of Bethel sent to Jeroboam king of Israel, saying, Amos hath conspired against thee in the midst of the house of Israel: the land is not able to bear all his words.
...For thus Amos saith, Jeroboam shall die by the sword, and Israel shall surely be led away captive out of their own land.
...Also Amaziah said unto Amos, O thou seer, go, flee thee away into the land of Judah, and there eat bread, and prophesy there:
...But prophesy not again any more at Bethel: for it is the king's chapel, and it is the king's court.
...Then answered Amos, and said to Amaziah, I was no prophet, neither was I a prophet's son; but I was an herdman, and a gatherer of sycomore fruit:
...And the Lord took me as I followed the flock, and the Lord said unto me, Go, prophesy unto my people Israel.
...Now therefore hear thou the word of the Lord: Thou sayest, Prophesy not against Israel, and drop not thy word against the house of Isaac:
...Therefore thus saith the Lord; Thy wife shall be an harlot in the city, and thy sons and thy daughters shall fall by the sword, and thy land shall be divided by line; and thou shalt die in a polluted land: and Israel shall surely go into captivity forth of his land.

Cap. VIII.

...Thus hath the Lord God shewed unto me: and behold a basket of summer fruit.
...And he said, Amos, what seest thou? And I said, A basket of summer fruit. Then said the Lord unto me, The end is come upon my people of Israel; I will not again pass by them any more.
...And the songs of the temple shall be howlings in that day, saith the Lord God: there shall be many dead bodies in every place; they shall cast them forth with silence.
...Hear this, O ye that swallow up the needy, even to make the poor of the land to fail,
...Saying, When will the new moon be gone, that we may sell corn? and the sabbath, that we may set forth wheat, making the ephah small, and the shekel great, and falsifying the balances by deceit?
...That we may buy the poor for silver, and the needy for a pair of shoes; yea, and sell the refuse of the wheat?
...The Lord hath sworn by the excellency of Jacob, Surely I will never forget any of their works.
...Shall not the land tremble for this, and every one mourn that dwelleth therein? and it shall rise up wholly as a flood; and it shall be cast out and drowned, as by the flood of Egypt.
...And it shall come to pass in that day, saith the Lord God, that I will cause the sun to go down at noon, and I will darken the earth in the clear day:
...And I will turn your feasts into mourning, and all your songs into lamentation; and I will bring up sackcloth upon all loins, and baldness upon every head; and I will make it as the mourning of an only son, and the end thereof as a bitter day.
...Behold, the days come, saith the Lord God, that I will send a famine in the land, not a famine of bread, nor a thirst for water, but of hearing the words of the Lord:
...And they shall wander from sea to sea, and from the north even to the east, they shall run to and fro to seek the word of the Lord, and shall not find it.
...In that day shall the fair virgins and young men faint for thirst.
...They that swear by the sin of Samaria, and say, Thy god, O Dan, liveth; and, The manner of Beersheba liveth; even they shall fall, and never rise up again.

Cap. IX.

...I saw the Lord standing upon the altar: and he said, Smite the lintel of the door, that the posts may shake: and cut them in the head, all of them; and I will slay the last of them with the sword: he that fleeth of them shall not flee away, and he that escapeth of them shall not be delivered.
...Though they dig into hell, thence shall mine hand take them; though they climb up to heaven, thence will I bring them down:
...And though they hide themselves in the top of Carmel, I will search and take them out thence; and though they be hid from my sight in the bottom of the sea, thence will I command the serpent, and he shall bite them:
...And though they go into captivity before their enemies, thence will I command the sword, and it shall slay them: and I will set mine eyes upon them for evil, and not for good.
...And the Lord God of hosts is he that touched the land, and it shall melt, and all that dwell therein shall mourn: and it shall rise up wholly like a flood; and shall be drowned, as by the flood of Egypt.
...It is he that buildeth his stories in the heaven, and hath founded his troop in the earth; he that calleth for the waters of the sea, and poureth them out upon the face of the earth: The Lord is his name.
...Are ye not as children of the Ethiopians unto me, O children of Israel? saith the Lord. Have not I brought up Israel out of the land of Egypt? and the Philistines from Caphtor, and the Syrians from Kir?
...Behold, the eyes of the Lord God are upon the sinful kingdom, and I will destroy it from off the face of the earth; saving that I will not utterly destroy the house of Jacob, saith the Lord.
...For, lo, I will command, and I will sift the house of Israel among all nations, like as corn is sifted in a sieve, yet shall not the least grain fall upon the earth.
...All the sinners of my people shall die by the sword, which say, The evil shall not overtake nor prevent us.
...In that day will I raise up the tabernacle of David that is fallen, and close up the breaches thereof; and I will raise up his ruins, and I will build it as in the days of old:
...That they may possess the remnant of Edom, and of all the heathen, which are called by my name, saith the Lord that doeth this.
...Behold, the days come, saith the Lord, that the plowman shall overtake the reaper, and the treader of grapes him that soweth seed; and the mountains shall drop sweet wine, and all the hills shall melt.
...And I will bring again the captivity of my people Israel, and they shall build the waste cities, and inhabit them; and they shall plant vineyards, and drink the wine thereof; they shall also make gardens, and eat the fruit of them.
...And I will plant them upon their land, and they shall no more be pulled up out of their land which I have given them, saith the Lord thy God.

Textus.

gant, spiritualia temporalibus præponant, ad alios lucrifaciendos circa salutem suam ita inuigilent, né cum aliis prædicauerint ipsi reprobi efficiantur: quia vt his donis gaudere valeant orationi & contemplationi continuo vacant, sibique tandem vtiles sunt sincera confessione peccatorum, seria satisfactione, castitate corporis, animi puritate, proximi amore, Dei supra omnia dilectione, his aliis euecti siue Pastores siue sancti semper in Dei laudes euehuntur.

Et requiem non habebant die ac nocte dicentia Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est.

Hinc est quod audiui ista animalia absque requie aut cessatione dicentes die ac nocte: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Deus omnipotens, qui erat*, promittens; *qui est*, promissa adimplens; *& qui venturus est*, totum opus suæ prouidentiæ non tantum in vno aut altero, sed in omnibus perficiens: quod tale, tantumque gaudium ingerit in mentibus eorum, qui Deo perfectè sunt ex charitate vniti, vt in gratiarum actiones prorumpant, adeo sunt zelo honoris & gloriæ Dei accensi.

Et cum darent illa animalia gloriam & honorem, & benedictionem sedenti super thronum viuenti in sæcula sæculorum, procidebant 24. seniores ante sedentem in throno & adorabant viuentem in sæcula sæculorum & mittebant coronas suas dicentes digne es Domine Deus noster accipere gloriam & honorem & virtutem, quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant & creata sunt.

Sic enim vidi, *Cum darent illa animalia gloriam & honorem & benedictionem sedenti super thronum viuenti in sæcula sæculorũ:* Quod viginti quatuor seniores qui omnes tum sacerdotes tum Episcopos tum sanctos in Ecclesia representant, procciderent ante sedentem in throno, & adorarent viuentem in sæcula sæculorum, & agnoscentes quidquid sanctitatis, quidquid luminis & claritatis, quidquid gratiæ singularis, quidquid autoritatis, & potestatis haberent se à Deo habere, hoc testarentur ac profiterentur mittentes coronas suas ante thronum dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam & honorem & virtutem, quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant & creata sunt: Et sic seipsos, & omnia perfectè Dei seruitio vt pote omnium creatori deuouerent ac consecrent in perpetuum, quod equidem perficiunt cum Missæ sacrificium Deo offerunt, per hoc enim & Dei omnipotentiam, & ab eo omnium rerum dependentiam agnoscunt.

PARAPHRASIS CORROBORATIO.

Quid, similis; quid, facies, in hoc capite innuunt. Punct. 1.

A NOTANDVM quod sicut ex delineatione vultus vnusquisq; dignoscitur, & ab aliis distinguitur, ita in agentibus intellectualibus ex intentione quam habent dignoscitur quæ & qualis sit eorum operatio. Si igitur de Deo dicatur quod similis sit lapidi Iaspidi, æque est ac si diceretur: Cum tot & tantos & adeo diuersos effectus Deus operaturus sit regnans in Ecclesia & in ipsa sedens ad duos præcipuè intendere videtur, qui per lapidem Iaspidem & lapidem Sardium possunt adumbrari, eius enim intentio est, quosdam glorificare, alios qui indigni habiti fuere ex propria culpa tãti boni, pœnis æternis cruciandos in tartarum mittere, qui effectus testes sunt omni exceptione maiores suæ seueritatis & acerbi odij in peccata.

Et cum Animalia dicuntur habere faciem sicut Leonis siue vituli, &c. Æque est ac si diceretur: Inter tot sedilia quæ Thronum circumdant quatuor præcipuè Deus erexit ac stabiliuit in quibus clare dignoscetur se opus adimpleturum, quæ quidem per Leonem vel aliud animal adumbrari & significari queat, seu inter tot sanctos aut Episcopos quatuor selegisse per quos mira quædam esset operaturus per eadem animalia designanda.

Duo effectus nempe misericordiæ & iustitiæ in Lapidibus Iaspide & Sardio designantur. Punct. 2.

B. Fauet nobis Pererius disput. 3. ex decem interpretationibus quas adducit istam amplectés. Eo ait, potissimum visio hæc spectare ac dirigi videtur vt in ea per varias similitudines & imagines ostendatur exactissima Dei prouidentia circa res humanas; præsertim vero Ecclesiam suã. Hæc autem Dei prouidentia duabus maximè virtutibus insignita multifariam notificatur, & magnificatur in sacra scriptura, misericordia scilicet & iustitia: & plurimis vtriusque virtutis commemoratis exemplis, & traditis documentis luculenter ostenditur quam sit terribilis & formidabilis, simulque ob vtrumque admirabilis atque venerabilis: Et in fine huius disputationis ita concludit: Idcirco in principio huius visionis inducitur Deus habens similitudinem Iaspidis & Sardij, Iaspidis quidem, quod eius iucunda viriditas quasi prætendat spem & fiduciam diuinæ misericordiæ; Sardij vero quod eius rubeus & tanquam igneus color præsignet ardorem & seueritatem diuinæ iustitiæ ad puniendum impios: de lapide Iaspide vide S. Hier. in Is. c. 54. in hunc versiculum: *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos*, & Plinium l. 37. de Iaspide. De iride autem Pererius docet communem esse explanatorum libri huius sententiam, similitudine & mysterio iridis significatam esse Dei misericordiam, quæ ex omni parte atque omni tempore circumdat eam sedem quæ est Ecclesia, &c.

De Viginti quatuor senioribus. Punct. 3.

C. Disputatione vndecima Pererius Petri Aureoli interpretationem de sede & 24. senioribus & animalibus sententiam (quam nouam appellat sed ingeniosam neque ineruditam) affert, quamuis illam non admittat, rationibus quibusdam inductus, sed quas ex annotationibus nostris optime Lector videbis vt spero parui esse momenti. Cælum namque pro Ecclesia militante non pro triumphante (vt putat esse sumendum) hîc sumitur, quo semel concesso ruit illius obiectio, quod personæ viuentes inducuntur hic à B. Ioãne: quod autem ait sedes græcas Patriarchales à fide defecisse, hoc non impedit quin intelligi non possint in istis animalibus, sufficit enim vt pro quadam satis notabili temporis diuturnitate plurimum contulerint ad fidem stabiliendam, vt propterea S. Ioannis verificari valeat: Et mea coniectatio est quod hi 24. seniores sint quidam sancti veteris testamenti, & proinde ad corroborationem eorum quæ dicimus in Paraphrasi, Petri Aureoli interpretationem hic appono: *Post hæc vidi & ecce ostium apertum in cælo: cælum enim signat hic Ecclesiam militantem in qua singulariter residet Deus, omnibus sectis cæteris & congregationibus reprobatis, ad cuius decursum & statum intuendum ascendit Ioannes. Deinde describitur Dei magnificentia quantum ad suum Thronum, quia sequitur: Et ecce sedes posita erat in cælo, quæ designabat sedem Romanam, quæ principalis & caput est in Ecclesia & in qua tanquam in capite principaliter Deus sedet habens adspectum Lapidis Iaspidis & Sardinis propter stabilitatem fidei: quare nunquam sedis illa protegente Deo & beato Petro cecidit à fides firmitate, nec cadet: Iris etiam fœderis æterni est in circuitu istius sedis, promittente Domino, Petro Luc. 22. Ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua. Deinde vero describitur Dei magnificentia quantum ad concomitantem ratum: Vidi, & in circuitu sedis sedilia 24. quæ designabant vniuersitatem Episcopalium sedium in toto orbe existentium super quibus sedebant 24. seniores, hoc est vniuersi Episcopi, &c.* Et de quatuor animalibus loquens: *Quæ*, inquit, *designant 4. Euangelistas tanquam testes idoneos maiestatis diuinæ; Vel 4. sedes Patriarchales*

Digitized by Google

scilicet Antrochenam, Hierosolymitanam, Alexandrinam & Constantinopolitanam, quæ sunt in circuitu sedis Romanæ. Et habent alas senas quia plenitudinem potestatis, tamen ab ipso throno Romano cui debent subesse. Hæc Petrus Aureolus.

PARAPHRASIS CAPITIS V.

De perfecta Ecclesiæ per Christum illuminatione.

Textus. *Et vidi in dextera sedentis supra Thronum librum scriptũ intus & foris.*

AVTORITATE Ecclesiæ iam feliciter, & optimè fundata, nec non & eius sanctitate in iis qui primitias spiritus accepere in summo collocata fastigio apparente, ostio mihi aperto, id est, Christo perfectè cognito, agnoui ipsum esse ad dexteram Patris, in quo erant omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi, qui cum sit character & figura substantiæ eius & speculum sine macula diuinæ Maiestatis, liber est scriptus intus & foris propter scientiam increatam eorum quæ ad manifestationem tam Misericordiæ eius infinitæ, quam iustitiæ eius æquissimæ in Ecclesia est operaturus.

Cùm autem sit speculum voluntariũ, itaut decretaDei libera in eo videantur & legi valeant, in quantum voluerit Beatis Angelis, siue hominibus sanctis tam gloria & visione Dei fruentibus, quam adhuc in terra vel sub terra degentibus reuelare, animaduerti librum istum signatum esse, id est, neminem ea decreta nosse in quantum filius Dei ea siue Angelis siue hominibus reuelauerit. Sed cum insuper illud omnipotentis Dei verbum per quod omnia facta sunt non solum Deus sit, sed etiam homo, *Quia Verbum caro factum est & habitauit in nobis*, Animaduerti ipsum accepisse à Patre scientiam infusam eorum, quæ audiuit ab ipso, vt ea nobis nota faceret: hinc eius animam contemplatus sum non solum quasi altissimâ instructam scientiâ, sed etiam tanquam librum in quo ea quæ audiuit scripta essent, ad hunc potissimum finem, vt ea nobis significaret: quæ quidem secundum intellectus, liber scriptus esse dicitur intus propter species intelligibiles infusas, quibus eius intellectus munitus in actum prodeat cognitionis, ac producat suum verbum mentis; ac liber scriptus foris secundum phantasiam, ob nitida & pulchra eorumdem quæ intelligit phantasmata, quibus componere valeat optima symbola eorum quæ hominibus notificare intendit.

Signatum.

Sed signatus est liber iste sigillis septem. Est enim eorum quæ Deus liberè decreuit sibi esse ad suam gloriam manifestandam peragenda; est rerum futurarum à causis liberis & contingentibus dependentium; est etiam determinationum voluntatum humanarum & cordis humani absconditorum clara ac certa intuitio. Est œconomiæ & dispensationis admirandæ eius incarnationis, nec non & omnium donorum quæ per ipsum Deus hominibus elargitus est perfecta comprehensio, est totius Ecclesiæ processus & regiminis, aut gubernationis eius à principio vsque ad finem optima designatio ac determinatio, est incomprehensibilis iudiciorum Dei in reprobatione hominum scientiæ notitia, est tandem inuestigabilium viarum eius in efficaci electorum prædestinatione prosecutio, quæ omnia tam altissima sunt, vt à nullo intellectu creato penetrari queant absque Dei reuelatione.

Sigillis septem

Et vidi Angelum fortem & prædicantem voce magna quis est dignus aperire librum &

Igitur cum istorum notitia adeo humanum captum sicut & Angelicum superaret, & nihilominus apprime necessarium foret, vt Ecclesia sciret quæ & quanta Deus operaturus esset pro hominum salute, quinam futuri essent impetus impiorum contra eam bellantium, quibus victoriis potitura esset, quænam futura esset hominum dispositio in acceptatione legis Euangelicæ adeo strictæ, adeo cõtrariæ humano appetitui & carni omnimodè aduersariæ, ad quantam dignitatem ex perceptione donorum supernaturalium euehenda foret, quid necessarium erat, vt Christo tanquam capiti intimè & inseparabiliter coniungatur, quam honore tantorum donorum participes, sed eorundem donorum perfecti cultores prosequerentur; Hinc est quod vidi & animaduerti spiritum sanctum corda fidelium intimè ac fortiter pulsantem vt suam infirmitatem agnoscerent ac profiterentur, dicerentq; magna voce, id est, feruenti admodum oratione: Quis est dignus aperire librum & soluere signacula eius? Deus bone, qui homines supra iumenta doces qui miseriis & ignorantiis hominum compatiens verbum tuum misisti in terras vt erudires eos, qui promisisti eis Spiritum sanctum tuum Paraclitum qui omnem ipsis veritatem edoceret.

Textus. *Soluere signacula eius.*

Vides quam imbecillis sit mens nostra in tantorum mysteriorum perceptione, quam indigni sumus tantorum donorum participatione. Effunde igitur super nos misericordiam tuam vt aperias librum, & soluas signacula eius. Nemo enim potest neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum, neque respicere illum. Quis enim nouit sensum Domini & brachium eius cui reuelatum est vt ea quæ decreuerit facienda agnoscat, & agnita adimpleat, nec non conuenienti & accommodato modo intelligenda proponat?

Et nemo poterat neque in cælo neque in terra neque subtus terrã aperire librũ neque respicere illum.

Et certe cum vehementer exoptarem scire quomodo Iesus meus esset honorem inter homines consecuturus, & regnum Israël restituturus, inter alios fideles qui gemitibus inenarrabilibus à Spiritu sancto ad talia postulanda pulsabantur lachrymas desideriis & orationibus meis coniungebam, in hac siquidem visione videbar ego mihimetipsi, quasi adhuc flens vehementer & inter alios commilitones & condiscipulos ardentius suspirans, vt Dominus Iesus (qui olim nos alloquens dicebat, *Adhuc multa vobis habeo dicere, quæ non potestis portare modo*) de talibus ad suam maiorem gloriam Ecclesiam suam instrueret per Spiritum sanctum quem nobis promiserat dicens: Cum autem venerit ille docebit vos omnem veritatem.

Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inuentus est aperire librum nec videre eum.

Cum ecce in mentem venerunt ea quæ dixerat Petrus primus inter Apostolos, statim atque effusus est in nos Spiritus sanctus, nam talibus verbis in visione me alloquens, *Ne fleueris ecce vicit Leo de Tribu Iuda radix Dauid aperire librum & soluere signacula eius*, Quasi resonabant adhuc in auribus meis ipsissima verba quibus olim Israëlitas adorsus est dicens in feruore animi ac spiritus, *Viri Israëlitæ audite verba hæc: Iesum Nazarenum virum approbatum à Deo in vobis virtutibus & prodigiis & signis quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut & vos scitis: hunc definito consilio & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affigentes interemistis, quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri eum ab eo.* Videtisne quomodo verè vicit Leo de Tribu Iuda? Sed cum addidit, Radix Dauid, ea insuper, quæ de ipso Dauide Petrus audenter tunc prosecutus est aures meas adhuc percellebant, *Viri fratres*, inclamabat ille (vt Christum Dauidi anteponerent & ipsum omnium bonorum, quæ Dauidi à Deo collata fuerunt auctorem & principium proclamarẽt) *Liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid quoniam defunctus est & sepultus & sepulchrum eius est apud nos vsque in hodiernum diem. Propheta igitur cum esset, & sciens quia iuramento iurasset illi Deus de fructu lumbi eius sedere super sedem eius, præuidens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno neque caro eius vidit corru-*

Et vnus de senioribus dixit mihi: ne fleueris, ecce vicit Leo de Tribu Iuda radix Dauid aperire librum & soluere signacula eius.

Digitized by Google

Textus. *tionem.* En quomodo ipse est radix Dauid, qui à Dauide secundum carnem oriundus ipsius est Creator & Redemptor & à morte suscitator. Sed cũ adlecit: *Dextera igitur Dei exaltatus & promissione Spiritus sancti accepta à Patre effudit hunc quem vos videtis & auditis: non enim Dauid ascendit in cælum, dixit autem ipse: dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum: certissimè sciat ergo omnis domus Israël, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis;* Nonne planè ea sunt quæ summariè mihi in hac mea visione ab ipso dicta sunt cum ait, *Aperire librum & soluere signacula eius.* Aperit enim librum ea adimplens, quæ de illo ordinata ab æterno fuerunt. Soluit signacula Spiritum sanctum emittens, qui tot & tantorum mysteriorum intelligentiam Ecclesiæ suppeditat secundum exigentiam temporum & sapientissimam eius ordinationem.

Sed quia propriè tota Christiani hominis scientia & claritas in hoc consistit vt nihil arbitretur se scire nisi Iesum, & hunc crucifixum, ecce quale prodigium mihi apparuit vt de modo quo Deus ad suam plenissimam cognitionem per Iesum homines deduceret ego instruerer, & per me eius Ecclesia de tali modo plane edoceretur, & eadem ratione sciret quanam via Deus omnia exequeretur, quæ ad hominum salutem & suam gloriam manifestandam meditatus fuerat.

Et vidi: Et ecce in medio throni & quatuor animalium & in medio seniorum Agnum stantem tanquam occisum habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem Spiritus Dei missi in omnem terrã.

Vidi, siquidem, *& ecce in medio Throni, & animalium, & in medio seniorum Agnum stantem tanquam occisum habentem cornua septem & oculos septem.* Quo quidem symbolo didici desiderium Isaiæ Prophetæ iam esse adimpletum cum ad Deum inclamabat, *Emitte agnum Domine Dominatorem terræ de Petra deserti ad montem filiæ Sion. Et præparabitur in misericordia solii, & sedebit super illud in veritate in tabernaculo Dauid iudicans, & quærens iudicium, & velociter reddens quod iustum est*, Is. 16. Quin & Dominum Iesum promissis suis stare quibus à nobis discedens benigne dimulcebat nostram de eodem discessu mœstitiam dicens, *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Matt. vltimo. Et sub hoc symbolo innotuit mihi excellẽtia admirandi huius Mysterij fidei Christianæ nempe præsentiæ Christi Domini in Sacro sancto Eucharistiæ Sacramento. In quo quidem existit in medio totius Ecclesiæ militantis, Agnus est quia quotidie immolatur: stans, quia licet vt sit nobiscum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi sacrificetur, integer perseuerat & viuus: tanquam occisus, quia licet sit viuus, & fons vitæ, & panis viuus & mortuos viuificans, nihilominus in hoc eius sacramento nullum apparet vitæ vestigium: habet cornua septem, multiplicis suæ potentiæ, & instrumentorum quibus ad exequenda sua iussa vtitur symbola, & oculos septem summæ eius sapientiæ in suauissima dispositione Ecclesiæ, & circa nos sincera eius intentione, quin & donorum omnium, quæ largissime per totam terram per suam in Ecclesia præsentiam effundere intendit, & Ministrorum suæ prouidentiæ nec non virtutum eius clarissima signa: Venit, quia per consecrationem in hoc sacramento nouam præsentiam acquirit: *Et accepit de dextera sedentis in Throno librum*, quia cum vi verborum tantum eius caro & sanguis in hoc sint Sacramento per Dei Ecclesiam regentis omnipotentiam, nihilominus eius anima omni scientia & cognitione instructa per concomitantiam ibi adest cum plenitudine diuinitatis. B

Et venit, & accepit de dextera sedentis in throno librum.

Et cum aperuisset librum, quatuor animalia, & vi-

At quam admirabiles sunt effectus tantæ præsentiæ! quid non nobis suspiciendum ex cognitione & adimpletione eorum quæ in libro hoc continentur per hoc Venerabile Sacramentum expe-

A riari debet? Exinde siquidem cum ex fide huius Mysterij optimè perspiciatur quam suaues sint erga homines Dei dispositiones, & quam tremenda sunt etiam eius iudicia, pignusque sit hoc Mysterium vitæ æternæ sicut & memoria passionis eius & omnium gratiarum fons & origo: omnes eminentiores in Ecclesia Auctoritates per quatuor animalia potissimum adumbratæ, sicut & hi qui in ea sunt sanctiores & reliqui Ecclesiæ Pastores & sancti ipsum agnoscunt verum hominem, Deum verum, summum Sacerdotem, Regem Regum & Dominum Dominantium: vnde in signum suæ submissionis, ac totalis ab ipso dependentiæ cadunt proni in terram ipsum adorantes. Hinc prædicatione & oratione & bonis operibus, & sacrificiis B eius Maiestatem agnosci coli, obediri, adorari contendunt, habent enim in manibus, *Cytharas, & Phialas aureas plenas odoramentorum quæ sunt orationes sanctorum.* Hinc cum Missæ Sacrificium sit Sacrificium Eucharisticum, sicut & propitiatorium, & verum holocaustum, in laudes & gratiarum actiones prorumpunt dicentes, *Dignus es Domine accipere librum, & apetire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu & lingua, & populo & Natione, & fecisti nos Deo nostro Regnum & sacerdotes & regnabimus super terram.* Quam quidem gratiarum actionem Angeli Ecclesiæ Custodes suis etiã laudibus corroborant. *Vidi*, enim, & C *audiui vocem Angelorum multorum in circuitu Throni & animalium & seniorum, & erat numerus eorum millia millium dicentium voce magnâ: Dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem, & Diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem & honorem & gloriã & benedictionem,* quibus concinit, *Omnis Creatura quæ in cælo est & super Terram, & sub Terra, & quæ sunt in Mari, & quæ in eo omnes audiui dicentes: sedenti in Throno & Agno Benedictio, & Honor & Gloria & potestas in secula seculorum.* Hinc tandem omnis Ecclesia Deo & Agno se protestatur omnimode subdita, & in signum perpetuæ seruitutis audiui quatuor animalia dicentia, Amen: Et viginti quatuor seniores vidi cadentes in facies suas, & adorantes viuentem in secula seculorum. Quid enim aliud ageret Ecclesia in tanta profusione gratiarum quæ illi ex Christi præsentia & tanti Sacramenti vsu prouenit? Per hoc enim perfectè sanctificatur, Deo tota fit, ad summam dignitatem & potestatem euehitur, Angelis sociatur & ad Deum laudandum & honore prosequendum à cæteris iuuatur creaturis, & tandem ad Dei intimam vnionem quem velut vltimum finem suspicatur feliciter perducitur.

Textus *ginti quatuor seniores cecidernnt coram agno habentes singuli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum: & cantabant canticum nouum dicentes.*

Dignus es Domine accipere librum & aperire signaculum eius: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu & lingua & populo & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes & regnabimus super Terram, &c.

PARAPHRASIS C. V. CORROBORATIO.

Ex his quæ S. Ioannes à versu 2. vsque ad 5 refert, conjicere possumus quo ordine Ecclesia debeat procedere in resolutione dubiorum emergentium de fide. Punct. 1.

IDEM enim ac si diceret: Nunquid nunc ex his iam peractis quæ ego vidi, & quæ ego scribo vt huic mandato obtemperem (*scribe ergo quæ vidisti & quæ sunt*) nunquid inquam percipietis optimum à Deo constitutum ordinem quem vult obseruari vt omnia circa fidei mysteria insurgentia dubia enucleantur, nempe vt ad Deum precibus & orationibus à Spiritu sancto inspiratis (nemo enim potest dicere Dominum Iesum cum felici aliquo successu nisi à Spiritu sancto inspiratus) ad Deum inquam identidem recurratur? Et hoc præstito ab eius

Digitized by Google

Vicario quem ab antiquis diebus Deus inter alios Eccleſiæ Paſtores elegit vt per os eius gentes audiant verbum Euangelij & credant, audiatur, quid in iſto dubio tenendum ſit. Sicut enim Petrus in iſto primo dubio quinam eſſet qui Dei ſecreta, ac eius determinationes liberas circa Eccleſiæ gubernationem & hominum ſalutem procurandam ab omni mente creata incognitas aperiret & exequeretur, & conuenienti modo Eccleſiæ notificare poſſet, hoc dubium abſtulit dicens: *Certiſſime ſciat ergo domus Iſraël quia & Dominum eum & Chriſtum fecit Deus*: quod quidem in hac viſione mihi fuit repreſentatum & menti obiectum ſub hac verborum formula: *Ecce vicit Leo, de Tribu Iuda Radix Dauid*, Vnde ſedere debeat ſuper ſolium eius vt appareat Dominum omnium. Ita in poſterum ſi qua emerſura ſint dubia, oratione prævia infallibiliter eius ſucceſſores æque feliciter proponent Eccleſiæ A vniuerſali quid in vnoquoque dubio credendum erit.

Quod agnus qui hic videtur tanquam occiſus ſignificat Chriſtum Dominum in Euchariſtia.

B. Gratum mihi fuit reperiſſe Petrum Aureolum hanc noſtram ſententiam ſuâ corroborare dum ait. *Significabat autem hæc omnia quod agnus hic eſt Chriſtus, qui eſt in medio Romanæ Eccleſiæ & quatuor Patriarchalium ſedium & viginti quatuor ſeniorum, hoc eſt vniuerſalium Epiſcopalium Eccleſiarum ſub ſacramento Euchariſtiæ, in quo continuè immolatur, ac repreſentatur occiſus: innuit apertionem libri diuinæ præſcientiæ quantum ad decurſum omnium quæ circa Eccleſiam erant ventura, & deſcriptionem eorum in libro præſenti per miniſterium Ioannis, ſuper quo etiam hodie ſedes Romana & vniuerſa Eccleſia gratias exhibet Deo Patri & agno filio Domino Ieſu Chriſto.* Ita Aureolus.

ANNOTATIONES IN CAP. IV.

DE THRONO.

Throni idea, locus, ſignificatio.

Idea Throni.

ANNOTAT. I.

Alcazar. THRONVM quadratum eſſe voluit Alcazar ad ſimilitudinem Sancti Sanctorum, & proinde Sedilia 24. Seniorum in quadrum fuiſſe diſpoſita, itaut ſeni eſſent è quolibet latere: decentius tamen & elegantius in ſemicirculum fuiſſe diſpoſita cenſet Cornelius. *Sic enim,* inquit, *omnes erant ante thronum in conſpectu Dei eum videntes & ab eo viſi, nam in quadro ſedentes tantum in tribus quadrilateribus Deum ante faciem habere potuiſſent, ſedentes enim in quadro latere quod claudebat quadrum ea parte quâ erat Thronus Dei, vel dorſum vel certè latus obuerteſſent Deo, aut certè fuiſſent à tergo Dei. Triangulatem tamen fuiſſe ſedem exiſtimo, coniecturis mox adducendis ad hoc ſentiendum inductus?*

Cornelius à Lap.

Vt autem melius quæ dicturi ſumus intelligantur totius ſedis hanc accipe ideam. Non ſphericam thronus habet figuram, non quadratam non ſemicircularem ſed triangularem, itaut in angulo ſuperiori eoque obtuſo ſedes collocetur in parte poſteriori ſeu reclinatorio, rotunda ad modum Throni Salomonis: ad duo latera huius ſedis præcipuæ collocantur 24. ſedilia, duodecim ex vna parte & 12. ex alterâ ſuper quæ ſedeant 24. Seniores, in extremitate lineæ ductæ ex illo ſuperiori angulo ad alium angulum efformandum: in parte dextrâ collocetur Leo, ducatur linea in interiori parte Throni ad latus ſiniſtrum vt ex illa lineâ & alia ex ſuperiori angulo identidem ducta ſiniſter exurgat angulus ibique figura vituli ponatur: tertium autem animal habens faciem quaſi hominis dorſo ſedis ſeu reclinatorio adhærens & veluti ſedenti propius accedens in angulo ſuperiori collocetur. Si quartum animal illud nempe quod ſimile dicitur Aquilæ volanti, quaſi alis expanſis thronum cooperire, ad modum cuiuſdam conopei ſeu vmbellæ & volitare ſupra medium throni, habens ſub ſe Agnum illum ſtantem tanquam occiſum repreſentemus, quatuor animalia dici poterunt in medio & in circuitu ſedis: in medio propter Aquilam ſupra medium volantem, Agnumque in medio ſedis exiſtentem, cooperientem in circuitu, quia alia tria animalia tres angulos ſedis iſtius triangularis poſſident ipſum: in medio lineæ illius anterioris ponantur ſeptem illæ lampades veluti oppoſitæ ſedi ſeu Cathedræ ſedentis, ad cuius conſpectum mare vitreum appareat ſimile Cryſtallo; viſio ſit ſedentis qualis tandem figura apparuerit ſimilis aſpectui lapidis Iaſpidis & Sardinis, & iris deſcribatur ſimilis viſionis ſmaragdinæ totam ſedem in circuitu ambiens, totalem meo iudicio habebis ſedis ideam ſeu deſcriptionem textui ſatis conformem & interpretationi accommodam.

Throni deſcribitur.

Cur idea Throni triangularis.

Coniecturæ autem quæ me ad hanc ideam efformandam impulerunt, tres ſunt potiſſimùm. 1. Quod ſi cum Riberâ Aquilam in altum extollas, nulla conuenientior & aptior aliorum trium animalium videtur collocatio quam ſi ipſa Aquila ſupra medium volitante alia in tribus angulis collocemus, vt rectè dicantur & in medio & in circuitu ſedis. 2. Quia ſi rectè perpendamus deſcriptionem throni Salomonis, 3. Reg. 10. quæ talis eſt: *Fecit etiam Rex Salomon Thronum de ebore grandem & veſtiuit eum auro fulvo nimis, qui habebat ſex gradus & ſummitas Throni rotunda erat in parte poſteriori, & duæ manus hinc atque inde tenentes ſedile, & duo Leones ſtabant iuxta manus ſingulas & duodecim Leunculi ſtantes ſuper ſex gradus,* Hinc atque inde figuram habuiſſe triangularem conjiciemus. Nec enim videtur proportio conueniens vt gradus omnes per quos fiebat ad ſedem aſcenſus eſſent æqualis longitudinis, ſed aptior videtur proportio ſi quo propius ad ſedem accedebant eo eſſent minoris longitudinis, vt debita configuratione Thronus ille magnificus efformetur, & liberior eſſet ſedenti aſpectus quibuſlibet ipſum adire volentibus. Cum enim illi Domino leones ſtantes iuxta manus ſedile tenentes, mihi videantur eſſe quaſi duo brachiorum ſedentis fulcra ſeu ſuſtentacula ea diſtantiâ fuiſſe collocatos, exiſtimandum eſt vt commoda ac conueniens eſſet tum brachiorum ipſius ſedentis extenſio, tum eorumdem ſuper Leones poſitio, quod quidem non magnam æquirit diſtantiam. Quo fit vt

3. Reg. 10.

Digitized by Google

eo magis debuerint ampliari, dilatari gradus, ſuper quos alij leuncluli politi erant quo magis ad inferiorem loci in quo thronus erat erectus planitiem protendebant & ſic triangularem aliquo modo figuram exprimere, vt conueniens quædam Throni configuratio appareat quæ vt dictum eſt ſedentem liberius contpiciendum exhibent. At ille Thronus Salomonis figura fuit huius magnifici Throni quem ſibi Deus in Eccleſia conſtruxit, igitur videtur potius ipſi adſcribendum eſſe figuram triangularem vt res figurata figuræ reſpondeat. Tertia coniectura ſumitur ex hac regula Nicolai de Lyra in hunc verſiculum, *Et qui ſedebat ſimilis erat aſpectui &c. Tales* inquit, *apparitiones fiunt ſecundum conuenientiam ad id quod reuelatur.* Si hoc verum eſt, dico Thronum, Eccleſiæ ſymbolum debere eſſe figuræ triangularis vt conuenientiam habeat ad id quod in Eccleſia reuelatur, nam quod potiſſimum in Eccleſia reuelatur trinitatem quandam ſemper complectitur, verbi gratia, Deus vnus in eſſentia Trinus in perſonis vnus Dominus qui in cœlis, in terris & in abyſſis dominatur, qui fide ſpe & charitate colitur qui hominum creator eſt, en tempus præteritum; illorum eſt in preſenti tempore moderator, en tempus præſens; & tandem illorum eſt iudex & remunerator, en futurum tempus ab hominibus intuendum qui beneficiorum memores gratiæ Dei cooperantes in præſenti, ab eo in futurum ſi fideliter omnia præſtiterint debent expectare mercedem.

At, inquies, cum olim Moyſes & Aaron Nadab & Abia & ſeptuaginta de ſenioribus Iſraël ſimul aſcenderunt ad Dominum: *Viderunt*, inquit ipſe Moyſes, Exod 24. *Deum Iſraël, & ſub pedibus eius quaſi opus lapidis Saphirini & quaſi cœlum cum ſereno eſt.* Hic autem tale ſcabellum pedibus ſedentis minime adſcribitur, in cœlo quidem poſitam eſſe ſedem exprimit ſed de ipſius eleuatione & ſublimitate nullam aliam mentionem ſpecialiter facit. Nec vt Iſaias dicit: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum.* cap. 6. Quaſi ſufficiat vt in cœlo poſita eſſe ſedes dicatur vt alta ac ſublimis cenſeatur. Nec duo Cherubim veluti ij qui propitiatorium, aut duæ manus veluti illæ quæ thronum Salomonis tenebant hanc ſedem in cœlo poſitam fulciunt, eam non dicit ex Saphiro fabricatam ad modum illius Throni quem Ezechiel c. 1. deſcribit: *Quaſi aſpectus lapidis Saphiri ſimilitudo Throni*, Cuius ſcabellum ſit veluti firmamentum & qui rotis quibuſdam citeumferatur, nec ea ſedes flammea aut ignea eſſe dicitur ſicut Thronus à Daniele viſus. *Thronus eius*, inquit *c. 7. flamma ignis, rota eius ignis accenſus.* Nec tandem illam ſedem deſcribit ſimilem lectulo Salomonis quem ſexaginta fortes ambibant ex lignis libani fabricatum cuius erant columnæ argenteæ, reclinatorium aureum, aſcenſus purpureus; aut ad modum illius quem ſupra deſcripſimus ex 3. Reg. 10. eam ex ebore factam & auro veſtitam affirmat. Cur, inquies S. Ioannes, nullum ſimiliter ſedis huius figuram clarius & diſtinctius expreſſit? Mihi certè videtur hoc ex induſtria factum, vt videlicet intelligamus in hac ſede complecti quidquid in aliis Thronis poteſtatis autoritatis, firmitatis, ſublimitatis, excellentiæ, maieſtatis cogitari poteſt. In hoc quippe Throno omnipotens rerum moderator ſedens cunctis leges imponet; mandata præſcribet quæ neceſſaria fuerint, vitæ & temporali & ſpirituali ſubditorum ſuorum abunde ſubminiſtrabit, in puluere iacentes excitabit vt ſedeant cum principibus populi ſui, in ſtercore iniquitatis volutatos, ad ſummum ſanctitatis gradum adipiſcendum prouocabit, Chriſti Domini hoſtes conteret donec eos ponat ſcabellum pedum ipſius, omniaque mundi Regna ſuo imperio ac dominationi ſubiiciat, ſapientiæ ſuæ iuſtiſſima decreta promulgabit, alta exponet conſilia, myſteriorum diuinorum pandet notitiam, viaſque perfectionis ac ſalutis æternæ aperiet, ſententias abſolutionis & condemnationis emittet, præmia & pœnas decernet, ſicque verè de Sion exibit lex & verbum Domini de Hieruſalem: habet & nunc Saphirum ſub pedibus, quia cum in Saphiri abundantiori ac decoro ſplendore veritas denoteur, ſub pedibus ſuis rectè habere dicitur quaſi opus lapidis Saphirini quia ad hoc venit in mundum vt teſtimonium perhibeat veritati. O quam excelſa & eleuata nimis hæc ſedes quæ ideo ſtabilitur vt homines ad Cœlum tandem perueniant, quæ rectè Cherubinis fulcitur manibus, cum ex ea Deus nobis propitius tanquam ex quodam propitiatorio cuncta nobis conuenientia prouideat: hæc verè ex Saphiro fabricata, verè in ea veluti in Ezechielis curru glorioſo Deus terribilis apparet, verè flammea vere ignea ob veritates reuelatas, Charitatis præcepta, hoſtium Chriſti proſtrationes, peccatorum remiſſiones, obſtinatorum condemnationes, pœnarum ac præmiorum diſtributiones: quin & in ea Deus conquieſcit, reclinatur ſeu recumbit tanquam in lectulo Salomonis, vt qui exiſtat ſanctitatis ac puritatis amator, veritatis protector, ſapientiæ ac charitatis præceptor, honoris diuini ac zeli ſalutis animarum promotor, vt tandem quos dignos repererit poſt certaminà & labores fortiter exantlatos ſedere ſecum faciat & ad ſuum Thronum euehat ſicut olim ad Thronum patris ſui Dauidis, Salomonem filium glorioſè euexit. Veniamus ad locum in quo illa ſedes cenſenda ſit fuiſſe à S. Ioanne conſpecta:

Et ecce ſedes poſita erat in Cœlo.

Hæc ſedes in aëre non in Cœlo Empyreo cernitur.

ANNOTAT. II.

IN Cœlo poſitam eſſe ſedem Propheta noſter aſſeuerat? At an in aëre vel in Empyreo minimè declarat: ego dicam quod ſentio. Species Throni quæ imaginationi S. Ioannis vel etiam ſi libet oculis eius corporeis exterius exhibita fuit, collocari viſa eſt in Cœlo aëreo non autem in Empyreo. Coniecturæ quæ ad hoc dicendum me mouent hæ ſunt. 1. Quia Iris apparet in circuitu ſedis. 2. Quia de Throno procedunt fulgura & tonitrua, at in aëre iſta meteora potiſſimum efformantur. 3. Quia ſicuti Eccleſ. 24. ad denotandam eius ſummam poteſtatem in rerum ſublunarium moderatione dicitur quod *Thronus eius eſt in Columna nubis. Thronus meus*, inquit Lyranus, *poteſtas mea in columna nubis per ipſam enim diffonitur generatio nubium in aëre.* Ita Lyranus. Quæ ad plurimos effectus naturales ordinantur & ſicut Pſalmo 103. de ipſo ſummo rerum moderatore dicitur: *Qui ponis nubem aſcenſum tuum, qui ambulas ſuper pennas Ventorum*, vt qui celeriter ferat it in totum orbem ad omnium prouidentiam, inſtar nubis & ventorum, & qui vtatur nubibus & ventis ad exercenda ſuæ prouidentiæ & operum ſuorum operatrices nubibus pro curru vt adſit celerius ac tempeſtiuè opportuneque aduenial, & ex improuiſo vt rectè interpretatur Genebrardus: ita optimè S. Ioannis repreſentatur ſedes veluti in aëre ſeu Cœlo aëreo poſita, cum Dei ſumma prouidentia circa Eccleſiam toto orbe diffuſam eiuſq; ſumma poteſtas in ea regenda & protegenda illi notificanda fuit. Deduxit olim populum ſuum, *in nube diei & tota noſte in illuminatione ignis*, Pſ. 77. Et nunc per Eccleſiam ſuam lumine ſuo circumueſtitam & diuinâ

Exod. 24.

Iſa. 6. 1.

Ezech. 1.

Daniel. 7.

Cantic. 3.

3. Reg. 10.

Throni à S. Ioanne viſus complectitur quodcumque magnificum in eorum de quibus in ſcripturis ſacris.

Eccli. 24. Lyranus.

Pſalm. 103.

Genebrard.

Pſal. 77.

Digitized by Google

ac in ea quæ sequuntur.

Ver. 2. Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes sustinere malos: & tentasti eos qui se dicunt Apostolos esse, & non sunt, & invenisti eos mendaces.

Ver. 3. Et patientiam habes, & sustinuisti propter nomen meum, & non defecisti.

Ver. 4. Sed habeo adversum te pauca, quia charitatem tuam primam reliquisti.

Ver. 5. Memor esto itaque unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: alioquin venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.

Ver. 6. Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.

Ver. 7. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.

Ver. 8. Et angelo Ecclesiæ Smyrnæ scribe: Hæc dicit primus & novissimus, qui fuit mortuus & vivit.

Ver. 9. Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam, sed dives es: & blasphemaris ab eis qui se dicunt Judæos esse, & non sunt, sed synagoga Satanæ.

Ver. 10. Nihil horum timeas quæ passurus es. Ecce missurus est diabolus quosdam ex vobis in carcerem, ut tentemini: & habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

Ver. 11. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. Qui vicerit non lædetur a morte secunda.

Ver. 12. Et angelo Ecclesiæ Pergami scribe: Hæc dicit qui habet rhomphæam utrumque acutam.

Ver. 13. Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanæ: & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam. Et in diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos, ubi Satanas habitat.

Ver. 14. Sed habeo contra te pauca: habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, manducare, & fornicari.

Ver. 15. Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum similiter.

Ver. 16. Pœnitentiam age: si quo minus, venio tibi cito, & pugnabo cum illis in gladio oris mei.

Ver. 17. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit.

Ver. 18. Et angelo Ecclesiæ Thyatirenæ scribe: Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tamquam flammam ignis, & pedes ejus similes auricalco.

Ver. 19. Scio opera tua, & fidem, & charitatem, & ministerium, & patientiam tuam, & opera tua novissima plura prioribus.

Ver. 20. Sed habeo adversum te pauca: quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit prophetissam, docere, & seducere servos meos, fornicari, & manducare idolothyta.

Ver. 21. Et dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere a fornicatione sua.

Ver. 22. Ecce mittam eam in lectum, & qui mœchantur cum ea in tribulationem magnam, nisi pœnitentiam egerint ab operibus suis.

Ver. 23. Et filios ejus interficiam in morte, & scient omnes Ecclesiæ quia ego sum scrutans renes & corda, & dabo unicuique vestrum secundum opera sua.

Ver. 24. Vobis autem dico, & cæteris qui Thyatiræ estis, quicumque non habent doctrinam hanc, qui non cognoverunt altitudines Satanæ, sicut dicunt, non mittam in vos aliud pondus.

Ver. 25. Tamen quod habetis, tenete donec veniam.

Ver. 26. Et qui vicerit, & custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes,

Ver. 27. & reget eas in virga ferrea, & tamquam vasa figuli confringentur, sicut & ego accepi a Patre meo,

Ver. 28. & dabo illi stellam matutinam.

Ver. 29. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

habeat quem de eius progreſſu proſequatur, vt pro coronide totius operis tandem in fine libri Eccleſiam Triumphantem ſub ſymbolo ciuitatis nouæ Hieruſalem nobis depingat. 2. Angeli hic repreſentantur in circuitu ſedis & 24. Seniorum & animalium, & hac ratione homines in ſede, & 24 Senioribus & animalibus adumbrati, Deo eſſent viciniores, quod non videtur rationi conſonum: licet enim Chriſtus Dominus vt potè caput Angelorum & hominum, ſedeat ad dexteram Patris; licet beatiſſima Virgo vt cœli Regina & gratiâ potiori adaucta ſedem obtineat Angelis ſuperiorem; licet plurimi ſancti æquales ſint Angelis in beatitudine & ſedem paris dignitatis conſequantur; tamen Angeli non debent omnes collocari ita vt omnes homines beati Deo eſſent ipſis proximiores. Quod ſi hic videantur à Deo elongatiores vt potè qui circumdent Thronum & ſeniores & animalia, Ratio eſt quia mittuntur in circuitu timentium Deum durante ſtatu Eccleſiæ militantis, vt Eccleſiam protegant & quia per ea quæ Deus Eccleſiæ reuelauit & in ea operatur, innoteſcit ipſis multiformis ſapientia Dei, illius diuinæ ſapientiæ quam in cœlis in fonte conſpiciunt effectus præclaros in Eccleſia contemplantes. 3. Coniectura eſt: Fit mentio ſignati libri: at in cœlo empyreo omnia reſerata ſunt electis. Quod ſi ſanctus Ioannes dicitur flere quia nemo eſt qui aperiat librum & ſoluat ſignacula eius, neque in cœlo, neque in terrâ neque ſubtus terrâ; aliud eſt dignum inueniri qui Dei & diuinæ ſapientiæ ac prouidentiæ erga homines decreta & conſilia Eccleſiæ manifeſtet, aliud eſt ignorare eadem decreta & conſilia. Poſſunt igitur ſancti & Angeli ea cognoſcere quæ Deus operaturus eſt in Eccleſiâ, & tamen non erunt digni qui ea hominibus manifeſtent: ſolus enim ille qui dixit: *Nemo nouit Patrem niſi filius, & cui voluerit filius reuelare.* dignus eſt accipere librum & ſoluere ſignacula eius. 4. Coniectura eſt: Agnus videtur ſtans tanquam occiſus, quod conuenit Eccleſiæ militanti, in quâ Chriſtus in ſacramento altaris eſſe videtur tanquam mortuus & occiſus, vt hanc promiſſionem adimpleat: *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi, Panem quippe Angelorum*, inquit S. Cyprianus ſerm. de cœnâ Domini, *Sub ſacramento manducamus in terris, eundem ſine ſacramento manifeſtius edemus in cœlis, non miniſterio corporali ſæpe repetitis actionibus, ad eandem reuertentes, ſed conſummato ſacerdotio noſtro erit & permanebit perpetua & ſtabilis implens & reficiens nos ſufficientiâ, qua proferet ſe palam abſque vllis tegumentis omnibus conſpicabilis ſummi præſentia ſacerdotis.* Hæc Cyprianus. At ſi appareret in cœlo tanquam Agnus occiſus, non ſe palam, abſque vllis tegumentis conſpicabilem profiteret: ergo hoc de Eccleſia militante intelligi debet non de Triumphante. Tandem illi 24. Seniores qui Dei in Throno ſunt aſſeſſores, in ſuo cantico quod pro hominum redemptione concinnunt, dicunt regnaturos ſe non in cœlo ſed ſuper terram: *Feciſti*, inquiunt, *nos Deo noſtro Regnũ & Sacerdotes, & regnabimus ſuper Terram*, Apoc. 5. Ergo de eorum ſeſſione in Eccleſiâ militante non de æternâ requie hic fit mentio.

S. Cyprian.

Soluuntur obiectiones Cornelij à Lapide.

Nec obſtat quod ait Cornelius à Lapide: *Porro*, inquit, *agi hic de Throno Dei quem habet in cælo non in Eccleſiâ, patet ex ſequentibus, vbi docet in circuitu Throni huius fuiſſe cœleſtes ſpiritus, ac beatos veſtitos albis & coronis aureis coronatos clamantes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Rurſum ex eo quod ait Vers. 5. De Throno proceſſiſſe fulgura, voces & tonitrua: hæc enim è Cælo prodeunt non è Terrâ.* Ad primum dico: quod in hoc capite 7. in quo Angeli & Sancti repreſentantur clamantes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c.* Non tam deſcribuntur, vt dicemus poſtea, coronæ aut præmia electis à Deo præparata, quàm inſinuatur quænam ſit origo beatitudinis ipſorum: nempe quod ſignati ſint ſigno Dei viui, ob eorum ad gloriam electionem & prædeſtinationem; quam enumerentur media neceſſaria vt ad eandem peruenire valeant: verbi gratia 1. veſtimenta alba gratiæ iuſtificantis. 2. palmæ, ob victorias comparatas contra ſeipſos, mundum ac diabolum. 3. perſecutionum, tribulationum & afflictionum tolerantia; quam proponatur declaratio quæ ab Eccleſiâ fit, quod quicumque ambulauerint vt iſti ambulauerunt, & ſimilia præſtiterint, in numerum eorum coaptari poterunt, vel quod hic aut ille gerat euidenter ſigna prædeſtinationis, ſicuti ſit in Canonizatione ſanctorum. Quapropter colligi ex hoc non poteſt quod de Eccleſiâ triumphante loquatur, cum iſta omnia pertineant ad ſtatum Eccleſiæ militantis. Cum igitur S. Ioannes non tam deſcribat ſtatum & conditionem electorum, in quantum coronis ac præmiis donantur, quam beatitudinis eorum cauſam, media & manifeſtationem, ſiue declarationem; eoſque proinde non coronatos repræſentet, ſed tantum in fronte ſignatos (ſeniores enim coronas habent, ſed propter regnum temporale in quo cum Chriſto regnant) concludere debemus S. Ioannem de Eccleſiâ militante loqui non de Triumphante: quod tanto libentius amplector, quanto facilius omnia quo in hoc capite 7. dicuntur, optimè conuenire poſſunt cum ſtatu beatorum in hac vitâ adhuc viuentium: Verbi gratia, in fronte ſignati apparent, ecce eorum electio quæ ſignis euidentibus Eccleſiæ manifeſta ſit: Cum veſtibus albis, ecce qua ratione Eccleſia declarat gratiam neceſſariam eſſe vt ad præmia quis perueniat, & opera ſupernaturalia exerceat: Palmæ in manibus dantur, ecce neceſſitas vincendi quidquid ſaluti noſtræ contrarium exiſteret: Et cum vnus ex ſenioribus dicit: *Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magnâ*, Declarat S. Ioannes ſolam Eccleſiam determinare poſſe, quis cenſeri ac credi debeat dignus poſt mortem filiationis diuinæ & hæreditatis æternæ, & quæ media ſecurè ſunt amplexanda vt ad eam perueniatur. At per hæc omnia concludi non poteſt S. Ioannem loqui de regno quod habet Deus in cœlo, imo potius concluderetur ipſum loqui de regno quod habet in Eccleſiâ militante, ergo loquitur de Militante non de Triumphante. Hinc ſancti dicuntur ſtare tantum ante Thronum cum tamen in patriâ debeant ſedere in throno, dicente Domino: *Qui vicerit dabo ei ſedere mecum in Throno meo*, cap. 3. Hinc Angeli dicuntur eſſe in circuitu Throni, licet beatitudine æternâ & viſione Dei perfruantur, videlicet quia à Deo conſtituti ſunt protectores & Cuſtodes Eccleſiæ, iuxta illud Pſalm. 33. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum & eruiet eos.* Hebræi dicunt, *caſtrametatur.* Hæc autem Eccleſiæ protectio adumbrata fuit in Eliſæo: Nam cum Rex Syriæ eum comprehendere volens, miſiſſet exercitum qui circumdaret ciuitatem Dotham in quâ erat, orante Eliſeo ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Eliſei, 4. Reg. 6. Ipſi enim Angeli ſunt *adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi, propter eos qui hæreditatem capiunt ſaluti.* Hæbr. Quod autem ad Sanctos attinet, in cap. 7. deſcribuntur ſecundum illam communionem & conuentionem quam ſeruant cum Eccleſiâ Militante, ob beneficia vocationis, electionis & iuſtificationis, & propter ſigna prædeſtinationis quæ in eiſdem in præſenti vitâ apparuerunt: vt ſunt, videlicet, character tum Baptiſmi tum confirmationis, victoria fœliciter de inimicis ſalutis eorum reportata, donum finalis perſeuerantiæ: vnde ſi dicuntur eſſe ante Thronum, hoc nimirum fit quia Eccleſia militans ſemper eos præ oculis habet ac intuetur vt exemplaria quæ imi-

Apocal. 3.

Pſalm. 33.

Digitized by Google

tetur; mediatores quos in patronos aſſumat; Dei opera perfectiora propter quæ Deum laudibus proſequatur: ad quod inuitatur à Regio pſalte cum ait, *laudate eum in Sanctis eius*, & quorum intuitu ad fortiora quæque audenda & duriora perpetienda animetur: Eos autem præ oculis habere ſatis demonſtrat ex feſtis in eorum memoriam inſtitutis, ex quotidianis eorumdam commemorationibus: Et ſic nec ex eo quod Angeli ſunt in circuitu Throni & Sancti ante Thronum clamantes, poteſt colligi vt vult Cornelius, quod de Eccleſiâ Triumphante hic loquatur noſter Euangeliſta & Propheta.

Ad 2. dico, nos conuenientius colligere de Eccleſiâ militante heri mentionem ex eo quod de Throno procedant fulgura & tonitura: quia hæc non in cœlo empyreo ſed in aëreo efformantur, & Eccleſia melius adumbratur in Throno in aëre apparente, quam in cœlo empyreo: nam ſtatus eius eſt vt à terrenis affectibus abſtracta ad cœlum aſpiret ad quod nondum eſt eleuata, qui ſtatus optimè adumbratur in nubibus quæ ad cœlum quidem non pertingunt, ſed à terra longiſſimè abſunt.

De Eccleſia Militante agitur prout à Chriſto inſtituta.

Dico 2. Non de Eccleſia militante in quolibet ſtatu ſeu tempore hic mentio fit: ſed tantùm de ſtatu in quo poſita eſt poſt Chriſti Domini Aſcenſionem, *Nunc*, inquit D. Dionyſius Carthuſianus, *deſcribitur Eccleſiæ ſtatus prout à Synagogâ diſtinguitur, vt potè prout à Chriſti aduentu & Euangelicæ legis prædicatione ſeu nouo teſtamento ſumpſit exordium.* Hæc Dionyſ. Et reuera ſtatus veteris Synagogæ ſufficienter fuerat in veteri teſtamento expreſſus, vt opus non fuerit B. Ioanni illum nouis ſuis ſymbolis aut ænigmatibus adumbrare. Hac de cauſa ipſi præcipitur vt ſcribat, non quæ præterierant, ſed quæ viderat: verbi gratia, candelabra ſeptem aurea, & illum filio hominis ſimilem in medio ipſorum deambulantem; Et quæ iam exiſtebant: verbi gratia, Eccleſiæ fundatio quæ iam exiſtebat, vt patet ex literis quas ad ſeptem Epiſcopos Eccleſiam vniuerſam repræſentantes dirigit S. Ioannes; & quæ oportebat fieri pòſt hæc, ea omnia nempe quæ ex viſione illius filio hominis ſimilis, augurari aut coniectare poſſumus ipſum operaturum fore in regimine Eccleſiæ. Ex Epiſcopis quippe per ſeptem candelabra ſignificatis, Eccleſiam tunc fundatam conjicimus; ex titulis quos aſſumit Chriſtus Dominus in Epiſtolis, quæ operaturus ſit intelligimus: & ſic non de præteritis agit S. Ioannes, ſed de rebus iam exiſtentibus aut mox futuris. Igitur nec ad propitiatorium, nec ad ea quæ fuerunt in veteri teſtamento recurrendum, pro verâ interpretatione eorum quæ S. Ioan. videt, ſed ad ea quæ ſunt aut futura ſunt in Nouo Teſtamento, oculos & mentem dirigere debemus, juxta illud: *Si quæ ergo in Chriſto noua Creatura, Vetera tranſierunt: ecce facta ſunt omnia noua.* 2. Cor. 5.

2. ad Corin. 5.

Dico 3. Cum Thronus cuiuſdam dignitatis ſublimioris, Majeſtatis, autoritatis, ac poteſtatis firmæ, ſtabilis & inconcuſſæ ſint Symbolum, hic Thronus in Cœlo poſitus Symbolum debet eſſe illius rei, per quam in Eccleſia fidei lumine illuſtrati cognoſcere poſſumus quanta ſit Dei ſummi Majeſtas, autoritas & poteſtas in regimine Eccleſiæ: Duo autem ſunt potiſſimùm in quibus relucet Dei Majeſtas, autoritas & potentia. Primo eſt euectio animarum ad eminentem aliquem ſanctimoniæ gradum. Secundum eſt dignitas, auctoritas ac poteſtas Paſtoribus Eccleſiæ à Chriſto collata. De 1. interpretatus eſt hanc ſedem Andreas Cæſarienſis cum ait: *Per hanc autem ſedem, Chriſti in Sanctis requies deſignatur: ſi quidem in Sanctis veluti in Throno quodam inſideat.* Quin & Dionyſ. Carth. cum ait: *Si per Cœlum intelligamus Eccleſiam Militantem, ſedes in eo poſita, eſt quæuis congregatio deuota, ſeu corda Dei amore accenſa, in quibus Deus regnat, reſidet & quieſcit, dicente Apoſtolo: Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Natus & anima iuſti ſedes eſt ſapientiæ.* Ita Dyon. De 2. etiam rectè interpretatur hic Thronus: Nam ſi, vt vult Nicolaus de Lyra, per hanc ſedem intelligitur autoritas & poteſtas Dei Eccleſiam Regentis, cum Deus eam non alia ratione regat, quam per eam quam contulit Paſtoribus ipſius autoritatem, rectè dicemus illam Dei autoritatem ac poteſtatem in Eccleſiæ regimine cognoſci, per autoritatem Paſtoribus Eccleſiæ collatam. Vtrumque autem nobis fides reuelat: homines quippe ſiue fideles ſiue infideles vident exterius illos qui tum ſanctitate tum autoritate vigent, veluti alios homines conuerſari: eos perſpiciunt ſitù, fami, calori, frigori, morbis, ſomno ac morti ſicuti cæteros homines addictos; at niſi lumine fidei quis illuſtretur, internam animi juſtificationem ac ſanctificationem quæ Sanctos ſupra ſapientiſſimos ac potentiſſimos ſæculi etiam euehit, minimè intuetur aut agnoſcit. Cuncti vident ſummos Pontifices, Epiſcopos ac alios Paſtores ac Sacerdotes cum illo externo ornatu quo exterius decorantur; At niſi fides ſuggerat, character ille indelebilis qui ſacerdotes & Epiſcopos ſupra omnem terrenam poteſtatem & autoritatem conſtituit manet inuiſibilis nec apprehendi poteſt: & nihilominus magna eſt diſtãtia inter virum aliquem ſanctum & hominem peccatorem, inter ouium paſtorem & animarum Rectorem. Igitur cum & ſanctitas & Paſtorum autoritas illud ſit quo Dei auctoritas & poteſtas hominibus innoteſcit, Thronus ille ſymbolum erit eminentis ſanctorum ſanctitatis & ſupremæ Paſtorum auctoritatis. Dico 4. cum ſanctus Ioannes externum Eccleſiæ ſtatum potiſſimum proponat, vt Paſtores Eccleſiæ hic ſignificentur, ſufficit vt habeant illam ſanctitatem quæ exurgit ex fide quam profitentur, ex doctrinâ quam annunciant, ex miniſterio ac munere cui ſunt addicti, id eſt, ſanctitatem per quam Eccleſia ſancta prædicatur, licet ſit ex hominibus peccatoribus, ac plurimis vitiis laborantibus aliquando fœdata. Patet hoc ex Chriſti doctrinâ, Matt. 23. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi: Omnia ergo quæcumque dixerint vobis ſeruate & facite: ſecundum vero opera eorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt.* Quem locum explanans S. Ioannes Chriſ. Hom. 73. optimè ait: *Corruptis vitiendi moribus & inanis gloriæ cupiditate à credendo repellebantur: cum igitur præcepta emendationis gratiâ tradere voluerint, quod præcipuè ad ſalutem conducit, ne quis ſcilicet dogmata negligat, neue in Sacerdotes inſurgat: id ſummoperè iubet, nec iubet ſolùm, verùm etiam facit: non enim à docendi gradu corruptos dejecit, illis quidem indicium grauius efficiens, auditoribus vero nullam inobedientiæ occaſionem relinquens. Ne quis enim dicat, propter Doctoris improbitatem ſe negligentiorem fuiſſe, hunc quoque prætextum auffert. Sic igitur quamuis nequam eſſent principatum eis confirmauit, vt vel poſt increpationem dixerit: facite quæcumque illi vobis eſſe facienda confirment: non enim ſua ſed quæ per Moyſem Deus imperauit prædicant.* Ita D. Chryſoſt. Licet igitur Paſtores aliquando reperiantur, in Throno ſedentes, aut ſi voluerit, qui dicantur Dei Thronus, in quo ſuæ autoritatis ac poteſtatis ſigna & effectus manifeſtet, qui corruptis ſint moribus, nihilominus quia quæ prædicant, quæ exequantur ſuo fungentes miniſterio ſancta ſunt, ſanctitatem nanciſcuntur ſufficientem vt Dei Thronus ſint & dicantur, per quem ſua auctoritas ac poteſtas eluceat. Et in hoc magis ac magis firmitas Throni ſui tantæ autoritatis apparet, quod nec mortalitas eorum qui illum conſtituunt, quorum vita tanquam aqua dilabitur, nec flumina concupiſcentiarum quibus ad mala perpetranda impelluntur, eam obruere aut euertere valeant: defendit pluuia aduerſitatum, venerunt flumina

Dyrannus.

Sanctitatis hic deſignata eſt illa quæ oritur ex profeſſione veræ fidei rectè doctrinæ, & ſacri cuiuſdam miniſterij

Matt. 23.

1. Chriſtom. Hom. 73.

Deſignantur in Throno ſanctitas eminens & autoritas præcellens. Andreas Cæſarienſis. Dionyſ. Cart.

Digitized by Google

concupiſcentiarum, venti ſuggeſtionum mundi, A carnis & diaboli flauerunt & irruerunt in domum iſtam, in iſtam altiſſimam ſedem, & non cecidit:

Matt. 7. *Fundata enim erat ſupra firmam Petram.* Math. 7. Quod autem D. Ioannes Eccleſiæ ſtatum potiſſimum delignet, patet ex expoſitionibus eorum qui volunt decurſum & ſtatum Eccleſiæ hoc libro deſcribi, vt Dionyſ. Carth. Primaſius in 1. cap. cum ait:

Decurſus ſtatus Eccleſiæ in hoc libro deſcribitur ſub ſymbolis. *Poſt exortum autem Eccleſia quæ jam fuerat Apoſtolorum prædicatione fundata, reuelari oportuit qualiter ſuiſſet latius propaganda, vel quali etiam fine contenta, vt prædicatores Veritatis, huius cognitionis fiducia freti indubitanter pauci multos aggrederentur, inermes armatos, humiles ſuperbos, infirmi nobiles, viui tamen ſpiritualiter mortuos.* Et Richardus à S. Victore, cum ait, *Sanctum Ioannem loqui de iis quæ Eccleſia in hoc ſæculo ſunt ventura, ſine proſpera, ſine aduerſa, ſiue de his quæ in fine ſæculi ſunt retribuenda.* Hæc Richardus. At iſta omnia ad ſtatum externum Eccleſiæ pertinent. Patet etiam veritas huius propoſitionis ex eo quod Chriſtus promittit Epiſcopo Thyatirenſi cap. 2. *Et qui vicerit & cuſtodierit vſque in finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes, & reget eas in virgâ ferreâ, &c.* Et tandem ex Cantico 24. Seniorum vbi dicitur, cap. 5.

Apoc. Apoc. 2. Apocalypſ. 5. *Feciſti nos Deo noſtro Regnum & Sacerdotes & regnabimus ſuper Terram.*

Dico 5. & vltimò: firmitas autoritatis & poteſtatis Eccleſiæ à Chriſto datæ vt Thronus Dei ſit, maximè relucet in ſede Petri ſeu in Eccleſiâ Romanâ: Nam ei ſedilia 24. Seniorum, id eſt, ſanctorum & aliorum Paſtorum Eccleſiæ, quos Spiritus ſanctus poſuit regere Eccleſiam Dei, coniungi debent, vt firmitatem & ſtabilitatem obtineant. *Cælum*, inquiunt Aureolus & Lyranus, *eſt Eccleſia militans; Dei ſedes eſt Eccleſia Rom. in quâ ſedet Romanus Pontifex quaſi Vicarius Chriſti: 24. Seniores ſunt omnes Epiſcopi in ſuis ſedibus, id eſt, Epiſcopatibus.* Ita Aureolus. Cum igitur hæc ſedilia Throno Dei vniantur, qui ex Aureolo & Lyrano, eſt Eccleſia Romana, rectè eorum firmitatem adſcribendam eſſe dicimus firmitati eiuſdem Eccleſiæ. Hinc S. Auguſtinus Serm. 16. de ſanctis. *Denique pro ſoliditate deuotionis Eccleſiarum Petra dicitur, ſicut ait Dominus: Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Petra enim dicitur eo quod primus nationibus fidei fundamenta poſuerit, & tanquam ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem mollemque continet.* Hæc Aug. Videtiſne ex Auguſtino Eccleſiam ſuæ vnitatis ac magnitudinis firmitatem ab hac ſede obtinere? Siquidem ſaxum ſit quod eius compaginem ac molem ſuſtineat, ſerm. 3. de diuerſis idem S. Doctor ait: *Dominus Ieſus diſcipulos ſuos ante paſſionem ſuam, ſicut noſtis elegit: quos Apoſtolos appellauit. Inter hos penè vbique ſolus Petrus totius Eccleſiæ meruit geſtare perſonam, propter ipſam perſonam quam totius Eccleſiæ geſtabat audire meruit: tibi dabo claues regni cœlorum. Has enim claues non homo vnus ſed vnitas accepit Eccleſia. Hinc ergo Petri excellentia prædicatur, quia ipſius vniuerſitatis & vnitatis Eccleſiæ figuram geſſit quando ei dictum eſt, tibi trado quod omnibus traditum eſt.* Hæc Aug. Si ſolus Petrus totius Eccleſiæ geſtat perſonam, in firmitate Petri Eccleſia certe firmitatem obtinebit, nec firma eſſet columna veritatis Eccleſia, niſi Petro à Domino dictum fuiſſet, *Ego rogaui pro te Petre vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Luc. 22. Nec antiquis patribus res adeo parui momenti viſa eſt præcellentis huius autoritatis & poteſtatis Petro traditio, vt eius fundationis ac conſtitutionis memoriam neglexerint: imo potius apud eos memoria tanti beneficij celeberrima fuit: patet hoc ex ſermonibus D. Aug. in feſto Cathedræ. D. Petri verbi gratia, ſerm. 15. de ſanctis in append. 74.

In ſede Petri maximè relucet poteſtas Eccleſiæ & autoritas.

S. Auguſtin. ſerm. 16. de Sanctis.

Auguſt. ſer. 3. de diuerſis.

Luce 22.

Inſtitutio ſolemnitatis hodiernæ à Senioribus noſtris Cathedræ nomen accepit, ideo quod 1. Apoſtolorum Petrus hodie Epiſcopatus Cathedram ſuſcepiſſe referatur. Rectè ergo Eccleſiæ natalem ſedis illius columen, quam Apoſtolus pro ſalute Eccleſiarum ſuſcepit, dicente Domino: Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Petrum itaque fundamentum Eccleſiæ Dominus nominauit, & ideo dignè hoc fundamentum colit Eccleſia, ſupra quod Eccleſiaſtici ædificij altitudo conſurgit, vnde conuenienter pſalmus qui lectus eſt dicit: Exaltent eum in Eccleſia plebis, & in Cathedra ſeniorum laudent eum. Benedictus Deus qui beatum Petrum Apoſtolum in Eccleſiâ exaltari præcepit, quia dignum eſt vt fundamentum hoc in Eccleſiâ honoretur, per quod ad cælum conſcenditur. Quod natalis ergo Cathedræ hodie colitur, ſacerdotale honoratur officium, ſibi hoc Eccleſia inuicem præſtans, quia tanto neceſſe plus habet Eccleſia dignitatis, quantò ſacerdotale officium plus honoris. Hæc Aug. Hanc firmitatem veluti poteſtatem remittendi peccata Eccleſiæ datam, ipſi per Petrum obuenire agnouit D. Chryſoſt. hom. 55. in Math. 16. Nam poſtquam rationem reddidit cur præclaram Petri de Chriſto confeſſionem Chriſtus Dominus reuelationi Patris ſui aſſignauit, *Ne videlicet quoniam vehementer amoris vinculo Petrus Chriſto coniungebatur, aſſentatiunculâ gratificans hæc verba dixiſſe multis videretur, in medium Patrem produxit, qui ad confeſſionem veritatis animum Petri commouit: ita Petrus quidem locutus eſt. Pater autem illi quod loqueretur ſubiecit, vt non humanam opinionem ſed diuinam ſententiam diuinitus dictam Petrum crederes enunciaſſe, &c.* Et poſtquam ponderauit Chriſtum Dominum S. Petro duo promiſiſſe, nempe claues regni cœlorum & quod portæ inferi non præualerent aduerſus Eccleſiam, *Vt non dixit*, inquit, D. Chryſoſt. *rogabo patrem vt tibi det, ſed quamuis magna erat poteſtas, & doni magnitudo ineffabilis, Et ego tamen dabo tibi, &c.* Et paulo poſt: *Animaduertis quo pacto ipſe etiam ad altiorem de ſe opinionem Petrum adduxit & ſeipſum his duabus pollicitationibus filius eſſe reuelat & oſtendit.* Statim os illud aureum aurea iſta verba proponit nobis conſideranda. *Nam*, inquit, *quæ Deus concedere ſolus poteſt, peccatorum ſcilicet remiſſionem & vt Eccleſia tot tantiſque fluctibus impetu irrumpentibus maneat immobilis, cuius Paſtor & caput piſcator homo atque ignobilis terrarum orbe reluctante, adamantis naturam firmitate ſuperet, hæc inquam, omnia quæ ſolius Dei ſunt, ſe pollicetur daturum.* Hæc D. Chryſoſt. Animaduerte optime Lector, quod quamuis D. Chryſoſt. antea hæc verba: *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, expoſuerit, id eſt, fidem atque confeſſionem: nihilominus agnoſcere ipſum Petrum veluti Petram duriſſimam & adamantis naturam firmitate ſuperantem, licet vniuerſus orbis reluctetur, qui Eccleſiæ Paſtor & caput illam firmitatem à Chriſto ſibi datam ipſi Eccleſiæ quodammodo influat, quâ prædita tot tantiſque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat. Hinc optimè addit S. Chryſoſt. *Ita & Pater ad Hieremiam dicebat: ſicut columnam ferream & ſicut murum æneum poſui te. Sed ipſum quidem genti vni Pater, hunc autem vniuerſo orbi terrarum Chriſtus præpoſuit.* Hæc Chryſoſt. Petrus igitur ſeu ſeder Petri columna eſt ferrea & murus æneus, Eccleſiam toto orbe diffuſam fulciens & protegens firmitate & fortitudine ſibi à Chriſto Domino collata. Et hæc de Throno dicta ſint: tranſeamus ad alia.

S. Auguſtinus. S. Chriſoſtom. Hom. 55. in Matth.

Digitized by Google

Et ſupra ſedem ſedens.

De Throni firmitate & de ſedente in Throno.

ANNOTAT. IV.

Leuit. 11. OLIM quidem Deus Leuit. 11. cum hominibus ſe moraturum profitebatur, ac Tabernaculum tantùm facile auferendum ſibi arrogabat, ſeque non feſſurum ſed deambulaturum cum eis promittebat, *Ponam*, inquit, *tabernaculum meum in medio veſtri, & non abjiciet vos anima mea, ambulabo inter vos & ero Deus veſter, voſque eritis populus meus.* Cur; inquies, Thronum tunc ſibi non erexit aut poſuit, veluti nunc in Eccleſia militante Thronum firmiſſimum ſibi conſtituit in quo reſideat, de quo dicitur: *Pſalm. 44.* *Thronus, ſedes tua Deus in ſeculum ſeculi.* Pſalm. 44. Facilis eſt ad quæſtionem hanc, vt mihi videtur, reſponſio: quia figuræ in veritatem, Synagogâ in Eccleſiam commutandæ erant: ideo Thronum in Synagogâ poſuiſſe non dicitur, ſed in Eccleſiâ, quæ vſque ad conſummationem ſæculorum, in ea autoritate & poteſtate quæ illi data eſt permanere debet immobilis, veluti quæ ſupra firmam Petram ædificata eſt, & contra quam non prævalebunt omnes inferorum portæ. Hoc præfiguratum ſeu adumbratum fuiſſe mihi videtur, & à Salomone præuiſum in dedicatione Templi, cum intulerunt ſacerdotes arcam fœderis Domini in locum ſuum 3. Reg. 8. vbi *3. Reg. 8.* dicitur: *Factum eſt autem cum exiſſent ſacerdotes de ſanctuario, nebula impleuit Domum Domini, & non poterant ſacerdotes ſtare & miniſtrare propter nebulam, impleuerat enim gloria Domini domum Domini.* Cur enim Templo dedicato nebula implet Templum, niſi ad denotandum Templum hoc licet lapidibus quadris & ſolidis conſtructum, figuram tantum eſſe rei alicuius permanentis nempe *Tabernaculi veri quod fixit* *Hebr. 8.* *Dominus & non homo.* Hebr. 8. tabernaculo antiquo vmbratili veteraſcente & vt nebula tandem aliquando ad interitum properante? Quod præſentiens Salomon tunc ait, *Dominus dixit vt habitaret in nebulâ: ædificans ædificaui domum & habitaculum tuum firmiſſimum, ſolium tuum in ſempiternum.* Clarius 2. Paral. 6. *Tunc Salomon ait: Dominus pollicitus eſt vt* *2. Paralip. 6.* *habitaret in caligine, ego autem ædificaui domum nomini eius, vt habitaret in perpetuum.* Senſuum elicies ſi hos ſcripturæ textus vt ſequitur diſponas: 1. Ædificans ædificaui domum & habitaculum tuum firmiſſimũ, ſolium tuum in ſempiternum, Dominus dixit vt habitaret in nebulâ. 2. Ego autem ædificaui domũ nomini eius vt habitaret ibi in perpetuum, Dominus pollicitus eſt vt habitaret in caligine. Ac ſi diceret: Cum toto ſtudio hanc ædificaui domum, eamque lapidibus, & ſaxis duriſſimis optimè compactâ extruxi, exiſtimabam me ædificaturum Deo habitaculum firmiſſimum & ſolium in ſempiternum; At dominus dixit ibi tantum ſe habitaturum quaſi in nebula tranſeunte. Ego ædificaui domum nomini eius vt habitaret ibi in perpetuum, ſed animaduerte illas pollicitationes in nobis commorandi, non de perpetuâ inhabitatione intelligi ſed de ambulatoriâ & tranſitoriâ. Dominus enim pollicitus eſt vt inhabitaret in caligine: vmbræ ſiquidem & figuræ in veritatem ſunt commutandæ, & tranſlato ſacerdotio, legis fiet tranſlatio, & tabernaculum amouendum, in firmiſſimum Thronum commutabitur. Hinc D. Paulus ait Hebr. 7. *Conſtatur enim, quo-* *Heb. 7. & 8.* *niam tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Reprobatio quidẽ fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Heb. 7. & 8. *Nam ſi illud prius culpâ vacaſ-*

A *ſet, non vtique ſecundi locus inquireretur, vituperando enim eos dicit: Ecce dies venient, dicit Dominus, & conſummabo ſuper domum Iſrael & ſuper Domum Iuda teſtamentum nouum, non ſecundum teſtamentum quod feci patribus eorum, &c.* Et in fine huius capitis concludit: *Dicendo autem nouum, veteranit prius; quod autem antiquatur & ſeneſcit prope interitum eſt.* Quia igitur nunc Deus nobiſcum eſſe debet vſq; ad conſummationem ſæculi, Thronum ſibi poſuiſſe in cœlo dicitur non tabernaculum aut ſubitarium quoddam tectum frõdibus aut ſtragulis opertum, cuiuſmodi ſunt quæ in caſtris excitantur & modo huc modo illuc transferuntur, ſicut huc & illuc tabernaculum Moyſis transferebatur, vt patet Numer. 4. ad cuius mi- *Numer. 4.*
B niſterium & onera portanda fuerunt ſimul octo millia quingenti octoginta numerati, ibidem iuxta Verbum Domini Moyſes recenſuit eos vnumquemque iuxta officium ſuum & onera ſua. Ex trãſlato igitur ſacerdotio, legis factâ tranſlatione, cathedra Moyſis in cathedram Petri commutatâ, Deo non in lapide Sapphirino ſed in tabulis cordis carnalibus leges ſuas inſcribente, non in nebula habitare dicitur ſed in columnâ nubis, non tabernaculum erexiſſe ſed Thronum poſuiſſe in quo ſedeat vſque ad conſummationem ſæculi: In quo tanta emineat autoritas & maieſtas vt conterat quoſcumque qui eum concutere attentabunt, vt homines ſentiant æquitatem Dei precibus aut minis minimè
C flecti, ſapientia eius nec inueterari aut decipi aut circumueniri poſſe, nec eius bonitatem exhauriri, & talem eius eſſe poteſtatem vt nullus ei reſiſtere valeat. Reget gentes in virgâ ferreâ, quæ vt efficax eſt ad ea omnia quæ voluit peragenda, pertimeſcenda eſt valde ſi ſe ad vindicanda hominum peccata ſemel applicuerit. Hoc itaque Throno poſito & firmato quæritur quis in ea ſedere debeat? Tres ſunt hac de re ſententiæ. 1. Eſt Alcazar qui vult ſeſſorem eſſe Deum Patrem tantum, & in hac ſententiâ olim fuit Andreas Cæſarienſis cum ait, *Cæterùm* *De ſedente in Throno tres ſententiæ 1. Andreæ Cæſ. & Ruperti.* *Patri, quem hoc loco viſum inducit, nullum omnino corporeum figuram affingit, vt in prima viſione filio affinxerat:* Et Ruperti: *Supra ſedem ſedens Deus eſt & pater,*
D *nam & perſona filij Agnus eſt, qui vt in ſequentibus narratur librum accepit &c.* 2. Eſt Ambroſij, qui Chriſtum ſeſſorem eſſe dicit. 3. Videtur probabilior, *1. Ambroſ. 1. Lyranus probabilior.* quæ eſt Nicolai de Lyra qui ait: *Sedens ſcilicet Deus Trinus & vnus.* Itaut ſedens Deus ſit abſolutè. Probatur hoc ex Trisagio quem concinunt quatuor animalia, nempe Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Quod quidem commune eſt Sanctiſſimæ Trinitati. Probatur ſecundo. Thronus hic vt vidimus ponitur in Cœlo ſeu in Eccleſiâ, vt Deus ſuam autoritatem & poteſtatem hominibus inculcare valeat; at Deus ſeipſum nunc non manifeſtat niſi ratione effectuum
E & mirandarum operationum: ergo ſedere debet vt vnus & Trinus. Patet conſequentia, quia opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa; eodem enim intellectu, eadem voluntate, eadem poteſtate Deus omnia operatur: igitur cum in Eccleſiâ in quâ ſedet tanquam in Throno, excellentiora ſapientiæ ſuæ opera exerceat, charitatis ſuæ erga homines ſigna ſuauiora edat (opera enim gratiæ quæ cæteris naturæ operibus præſtant vt pote ordinis ſuperioris) in Eccleſiâ producit, tum in iuſtificatione hominum tum in eorum gubernatione, in quantum eos ordinat & per media ſupernaturalia inducit ad vitam æternam & finem ſupernaturalem conſequendum; ideo non ſolus Pater, aut ſolus Filius, aut ſolus Spiritus Sanctus operatur, ſed vnus Deus nempe Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Et opti-
F Cornelius tationi Ruperti & Alcazar reſpondet Chriſtum nos reconciliaſſe ſibi æquè ac Patri;

orationem Filij ex Psalm. 39. *Hostiam & oblationem noluisti*, non tantum Patrem & Spiritum sanctum sed & filium respicere, & ad omnes dirigi: & quando in cruce clamauit: *Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me?* Mat. 27. non tantum à Patre, sed à seipso vt Deus erat suam humanitatem in tormentis & morte derelictam significasse; & cum docuit nos orare, Matt. 6. *Pater noster qui es in Cœlis*, vtique Patrem non personaliter sed essentialiter intellexisse, puta Deum ipsum qui suæ humanitatis & omnium hominum est pater, id est, Creator & Deus, qualis est tam Filius & Spiritus sanctus quam Pater æternus.

Psalm. 39. *Matt. 27.* *Matt. 6.*

Si igitur Agnus dicitur accedere ad sedentem, non ideo solus Pater erit sedens, cum filius sedere possit, & vt homo dici valeat accedere ad seipsum, vt Deus est, vnde ipse dicit: *Sicut & ego vici & consedi cum Patre meo in Throno eius.* Adde quod iuxta interpretationem quam amplectimur, Agnus est ipsemet saluator, in quantum est sub speciebus sacramentalibus panis & vini, qui Deo immolatur & offertur, vnde facillimè concipi potest quâ ratione & in throno sedeat, & tamen secundùm substantialem corporis sui præsentiam, tanquam Agnus ante Thronum representetur.

At vt de sedente in Throno quæ dicenda occurrunt in medium afferamus, quod de personâ Patris Andreas Cæsariensis hic notauit, hoc de Deo absolutè sumpto annotemus. *Caterum Patri*, inquit Andreas, *quem hoc loco visum induxit, nullam omnino corpoream figuram affingit, vt in 1. visione filio affinxerat:* Dicamusque sanctum Ioannem Deo nullam affinxisse figuram proculdubio non absque mysterio. Equidem Ezechiel c. 1. in figurâ hominis Deum apparuisse dicit, & super similitudinem Throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper; Et Daniel c. 7. antiquum dierum sedentem representat, cuius vestimentum candidum, quasi nix, & capilli capitis eius, quasi lana munda. S. verò Ioan. tantùm ait: *Et supra sedem sedens.* 1. Ratio est, vt mihi videtur, vt eundem esse regnaturum in Ecclesiâ discamus, qui olim populo Iudaico legem dedeat. *Vocem verborum eius audistis*, dicebat Moyses, Deuter. 4. *& formam penitus non vidistis.* Optimè nempe de Deo loquens Isaias c. 40. dixit, *Omnes gentes quasi non sint sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei; Cui ergo similem fecistis Deum? Aut quam imaginem ponetis ei?* Et paulo post: *Et cui assimilastis me, & adæquastis: Dicit Sanctus?* Vt igitur intelligeremus Deum inuisibilem oculis, & incomprehensibilem cogitatu, regere Ecclesiam, sicuti olim regebat Synagogam, Diuus Ioannes nullam ipsi affingit similitudinem. 2. Ratio est, vt apprehendamus fide non sensibus inuestiganda esse opera, quæ Deus in Ecclesiâ suâ operatur, vt eorum operum magnificentiam cognoscamus, dicamusque cum psalmistâ: *Quam magnificata sunt opera tua, Domine, nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ!* Nam vt fides erat necessaria ils, qui Christum Dominum in carne cum hominibus conuersantem videbant, vt eum Deum crederent, ita nunc fide opus est, vt intelligamus, Deum sedere & residere in Pastoribus Ecclesiæ, vt potestatis & auctoritatis suæ effectus producat, cum ipsi sint homines mortales, fragiles, lutea vasa portantes; imò etiam aliquando fœdi peccatores. 3. Ratio est; quia cum Ecclesia à Deo sit constituta; vt in ipsa appareat multiformis Sapientia Dei, propter multiplicet effectus quibus ipsa manifestari debet, nulla ei assignatur figura peculiaris, vt pro exigentia effectuum conuenientem ei similitudinem adscribere valeamus: Et sicuti Throni similitudinem expresse non designauit, vt iam vidimus, vt Thronum istum ad modum Templi alicuius sacrarij aut propitiatorij, in quo Deus inuocetur, super quod sedeat cuncta gubernans, concipiamus, instar alicuius tribunalis, in quo Rex, seu Monarcha aut iudex vices illius gerens, iudicia exerceat, leges populis imponat; Cathedræ, in quâ omnem doceat veritatem; Lectuli, in quo conquiescat, veluti qui delitias suas testatus est, suam in hominibus mansionem; currus triumphalis, in quo sedens, se de hostibus superatis præclara erexisse trophæa, & triumphos peregisse gloriosos testetur; aut illius Throni Salomonici, quem sexaginta fortes ambiunt (vt maiestatem suam ostentaret, & se securum esse ac liberum ab omni aduersariorum machinatione, aut circumuentione demonstraret) tenentes gladios, *Vniuscuiusque enim ensis super femur suum, propter timores nocturnos:* Ita sedens nullam figuram habere dicitur, vt omnes illi affingamus sub quibus aliquando hominibus apparere voluit; sicque cum vel vt Nubem protegentem ad modum illius, in quâ Dominus apparuit. Num. 16. cum fugerint Moyses & Aaron ad tabernaculum fœderis, quod postquam ingressi sunt, operuit Nubes & apparuit gloria Domini: aut ad modū vel Antiqui seu Senis, Danieli cum candido vestimento, & candidis capillis apparentis: vel columbæ super caput Christi Domini descendentis: seu ignis in figuram linguæ, super capita discipulorum sedentis; in quacumque figurâ Deum apparere vel apparuisse scriptura dixeris cogita eum in hoc Throno sedentem, omnes producere effectus, quos producturum ad sui nominis manifestationem; tales figuræ Nubis, columbæ, ignis, & similium significarent.

Andr. Cæsar. Cur Deo hîc nulla adscribitur figura. *Ezech. c. 1.* *Daniel. 7.* *Deut. 4.* *Esa. c. 40.* *Deus inuisibilis & incomprehensibilis.* *Psalm. 91. Fide, non sensibus inuestiganda opera Dei.*

Nulla Deo hîc adscribitur figura, quia omnium, quæ assignata illi fuerunt olim, vim & virtutes hæc sedes complectitur.

Numero 16.

Nec obstat, quod ait Cornelius S. Ioannem Deum vidisse in humanâ figurâ: tum quia dicitur cap. 5. Agnum accepisse librum de dexterâ sedentis in Throno: tum quia dicitur sedere, quod propriè situs est corporis humani. Nam quoad. 1. non dicimus Deum Patrem humanam habere figuram, ex eo quod Christus Dominus dicitur sedere ad dexteram Patris; nec ex sessione hanc similitudinem colligere licet. Nam sedere hic sumitur non pro situ alicuius corporis; sed pro aliquâ quiete permanentæ, aut ab agendo cessatione, aut firmâ & inconcussâ alicuius status possessione: veluti cum Deus dicitur sedere super Cherubim: *Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Beniamin & Manasse.* Psal. 79. Et postquam Isaias c. 40. negauit vllam de Deo dari imaginem; nihilominus de eodem dicit paulò pòst, *Qui sedes super gyrum terræ.* Itaque ex eo quod D. Ioannes dicat, *Et supra sedem sedens*; non possumus conjicere Deum necessariò ipsi in figurâ humanâ apparuisse, imò potius (cum Deum nunc in Ecclesia adorare debeamus in spiritu & veritate) nullam ei affingere similitudinem, vt mens nostra illum inuisibilem & incomprehensibilem esse meditetur; & fides eum nobis proponat in Ecclesiâ fixum, constanter & permanenter residentem, vt eam regat, sanctificet & protegat. Igitur cum dicit, *Et supra sedem sedens*: Est quasi dicat: Et supra hanc Ecclesiam & potissimum Romanam, Deum sedem fixam sibi elegisse animaduerti; vt per eam hominibus manifestum redderet, quo studio eius diuina prouidentia salutem eorum procuraret, qui in fide & doctrinâ illius Ecclesiæ perseuerarent, cum ipsa sit firmamentum & Columna totius veritatis, quæ hominibus reuelatione innotuit, vt ad beatitudinem æternam peruenire possint.

Psalm. 79. *Isa. 40.*

Digitized by Google

scilicet Antrochenam, Hierosolymitanam, Alexandrinam & Constantinopolitanam, quæ sunt in circuitu sedis Romanæ. Et habent alas senas quia plenitudinem potestatis, tamen ab ipso throno Romano cui debent subesse. Hæc Petrus Aureolus.

PARAPHRASIS CAPITIS V.

De perfecta Ecclesiæ per Christum illuminatione.

Textus. *Et vidi in dextera sedentis supra Thronum librum scriptū intus & foris.*

AVTORITATE Ecclesiæ iam feliciter, & optimè fundata, nec non & eius sanctitate in iis qui primitias spiritus accepere in summo collocata fastigio apparente, ostio mihi aperto, id est, Christo perfectè cognito, agnoui ipsum esse ad dexteram Patris, in quo erant omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi, qui cum sit character & figura substantiæ eius & speculum sine macula diuinæ Maiestatis, liber est scriptus intus & foris propter scientiam increatam eorum quæ ad manifestationem tam Misericordiæ eius infinitæ, quam iustitiæ eius æquissimæ in Ecclesia est operaturus.

Cùm autem sit speculum voluntariū, itaut decreta Dei libera in eo videantur & legi valeant, in quantum voluerit Beatis Angelis, siue hominibus sanctis tam gloria & visione Dei fruentibus, quam adhuc in terra vel sub terra degentibus reuelare, animaduerti librum istum signatum esse, id est, neminem ea decreta nosse in quantum filius Dei ea siue Angelis siue hominibus reuelauerit. Sed cum insuper illud omnipotentis Dei verbum per quod omnia facta sunt non solum Deus sit, sed etiam homo, *Quia Verbum caro factum est & habitauit in nobis*, Animaduerti ipsum accepisse à Patre scientiam infusam eorum, quæ audiuit ab ipso, vt ea nobis nota faceret: hinc eius animam contemplatus sum non solum quasi altissimâ instructam scientiâ, sed etiam tanquam librum in quo ea quæ audiuit scripta essent, ad hunc potissimum finem, vt ea nobis significaret: quæ quidem secundum intellectus, liber scriptus esse dicitur intus propter species intelligibiles infusas, quibus eius intellectus munitus in actum prodeat cognitionis, ac producat suum verbum mentis; ac liber scriptus foris secundum phantasiam, ob nitida & pulchra eorumdem quæ intelligit phantasmata, quibus componere valeat optima symbola eorum quæ hominibus notificare intendit.

Signatum.

Sed signatus est liber iste sigillis septem. Est enim eorum quæ Deus liberè decreuit sibi esse ad suam gloriam manifestandam peragenda; est rerum futurarum à causis liberis & contingentibus dependentium; est etiam determinationum voluntatum humanarum & cordis humani absconditorum clara ac certa intuitio. Est œconomiæ & dispensationis admirandæ eius incarnationis, nec non & omnium donorum quæ per ipsum Deus hominibus elargitus est perfecta comprehensio, est totius Ecclesiæ processus & regiminis, aut gubernationis eius à principio vsque ad finem optima designatio ac determinatio, est incomprehensibilis iudiciorum Dei in reprobatione hominum scientiæ notitia, est tandem inuestigabilium viarum eius in efficaci electorum prædestinatione prosecutio, quæ omnia tam altissima sunt, vt à nullo intellectu creato penetrari queant absque Dei reuelatione.

Sigillis septem

Et vidi Angelum fortem & prædicantem voce magna quis est dignus aperire librum &

Igitur cum istorum notitia adeo humanum captum sicut & Angelicum superaret, & nihilominus apprime necessarium foret, vt Ecclesia sciret quæ & quanta Deus operaturus esset pro hominum salute, quinam futuri essent impetus impiorum contra eam bellantium, quibus victoriis potitura esset, quænam futura esset hominum dispositio in acceptatione legis Euangelicæ adeo strictæ, adeo cōtrariæ humano appetitui & carni omnimodè aduersariæ, ad quantam dignitatem ex perceptione donorum supernaturalium euehenda foret, quid necessarium erat, vt Christo tanquam capiti intimè & inseparabiliter coniungatur, quam honore tantorum donorum participes, sed eorundem donorum perfecti cultores prosequerentur; Hinc est quod vidi & animaduerti spiritum sanctum corda fidelium intimè ac fortiter pulsantem vt suam infirmitatem agnoscerent ac profiterentur, dicerentq; magna voce, id est, feruenti admodum oratione: Quis est dignus aperire librum & soluere signacula eius? Deus bone, qui homines supra iumenta doces qui miseriis & ignorantiis hominum compatiens verbum tuum misisti in terras vt erudires eos, qui promisisti eis Spiritum sanctum tuum Paraclitum qui omnem ipsis veritatem edoceret.

Textus. *soluere signacula eius.*

Vides quam imbecillis sit mens nostra in tantorum mysteriorum perceptione, quam indigni sumus tantorum donorum participatione. Effunde igitur super nos misericordiam tuam vt aperias librum, & soluas signacula eius. Nemo enim potest neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum, neque respicere illum. Quis enim nouit sensum Domini & brachium eius cui reuelatum est vt ea quæ decreuerit facienda agnoscat, & agnita adimpleat, nec non conuenienti & accommodato modo intelligenda proponat?

Et nemo poterat neque in cælo neque in terra neque subtus terrā aperire librū neque respicere illum.

Et certe cum vehementer exoptarem scire quomodo Iesus meus esset honorem inter homines consecuturus, & regnum Israël restituturus, inter alios fideles qui gemitibus inerrabilibus à Spiritu sancto ad talia postulanda pulsabantur lachrymas desideriis & orationibus meis coniungebam, in hac siquidem visione videbar ego mihimetipsi, quasi adhuc flens vehementer & inter alios commilitones & condiscipulos ardentius suspirans, vt Dominus Iesus (qui olim nos alloquens dicebat, *Adhuc multa vobis habeo dicere, quæ non potestis portare modo*) de talibus ad suam maiorem gloriam Ecclesiam suam instrueret per Spiritum sanctum quem nobis promiserat dicens: Cum autem venerit ille docebit vos omnem veritatem.

Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inuentus est aperire librum nec videre eum.

Cum ecce in mentem venerunt ea quæ dixerat Petrus primus inter Apostolos, statim atque effusus est in nos Spiritus sanctus, nam talibus verbis in visione me alloquens, *Ne fleueris ecce vicit Leo de Tribu Iuda radix Dauid aperire librum & soluere signacula eius*, Quasi resonabant adhuc in auribus meis ipsissima verba quibus olim Israëlitas adortus est dicens in feruore animi ac spiritus, *Viri Israëlitæ audite verba hæc: Iesum Nazarenum virum approbatum à Deo in vobis virtutibus & prodigiis & signis quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut & vos scitis: hunc definito consilio & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affigentes interemistis, quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri eum ab eo.* Videtisne quomodo verè vicit Leo de Tribu Iuda? Sed cum addidit, Radix Dauid, ea insuper, quæ de ipso Dauide Petrus audenter tunc prosecutus est aures meas adhuc percellebant, *Viri fratres*, inclamabat ille (vt Christum Dauidi anteponerent & ipsum omnium bonorum, quæ Dauidi à Deo collata fuerunt autorem & principium proclamarēt) *Liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid quoniam defunctus est & sepultus & sepulchrum eius est apud nos vsque in hodiernum diem. Propheta igitur cum esset, & sciret quia iureiurando iurasset illi Deus de fructu lumbi eius sedere super sedem eius, prauidens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno neque caro eius vidit corru-*

Et vnus de senioribus dixit mihi: ne fleueris, ecce vicit Leo de Tribu Iuda radix Dauid aperire librum & soluere signacula eius.

Digitized by Google

Textus. ptionem. En quomodo ipse est radix Dauid, qui à Dauide secundum carnem oriundus ipsius est Creator & Redemptor & à morte suscitator. Sed cũ adiecit: *Dextera igitur Dei exaltatus & promissione Spiritus sancti accepta a Patre effudit hunc quem vos videtis & auditis: non enim Dauid ascendit in cælum, dixit autem ipse: dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum: certissimè sciat ergo omnis domus Israël, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis;* Nonne planè ea sunt quæ summariè mihi in hac mea visione ab ipso dicta sunt cum ait, *Aperire librum & soluere signacula eius.* Aperit enim librum ea adimplens, quæ de illo ordinata ab æterno fuerunt. Soluit signacula Spiritum sanctum emittens, qui tot & tantorum mysteriorum intelligentiam Ecclesiæ suppeditat secundum exigentiam temporum & sapientissimam eius ordinationem.

Sed quia propriè tota Christiani hominis scientia & claritas in hoc consistit vt nihil arbitretur se scire nisi Iesum, & hunc crucifixum, ecce quale prodigium mihi apparuit vt de modo quo Deus ad suam plenissimam cognitionem per Iesum homines deduceret ego instruerer, & per me eius Ecclesia de tali modo plane edoceretur, & eadem ratione sciret quanam via Deus omnia exequeretur, quæ ad hominum salutem & suam gloriam manifestandam meditatus fuerat.

Et vidi: Et ecce in medio throni & quatuor animalium & in medio seniorum Agnum stantem tanquam occisum habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terrã.

Vidi, siquidem, *& ecce in medio Throni, & animalium, & in medio seniorum Agnum stantem tanquam occisum habentem cornua septem & oculos septem.* Quo quidem symbolo didici desiderium Isaiæ Prophetæ iam esse adimpletum cum ad Deum inclamabat, *Emitte agnum Domine Dominatorem terræ de Petra deserti ad montem filiæ Sion. Et præparabitur in misericordia solium, & sedebit super illud in veritate in tabernaculo Dauid iudicans, & quærens iudicium, & velociter reddens quod iustum est*, Isa. 16. Quin & Dominum Iesum promissis suis stare quibus à nobis discedens benigne dimulcebat nostram de eodem discessu mœstitiam dicens, *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Matt. vltimo. Et sub hoc symbolo innotuit mihi excellẽtia admirandi huius Mysterij fidei Christianæ nempe præsentiæ Christi Domini in Sacro sancto Eucharistiæ Sacramento. In quo quidem existit in medio totius Ecclesiæ militantis, Agnus est quia quotidie immolatur: stans, quia licet vt sit nobiscum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi sacrificetur, integer perseuerat & viuus: tanquam occisus, quia licet sit viuus, & fons vitæ, & panis viuus & mortuos viuificans, nihilominus in hoc eius sacramento nullum apparet vitæ vestigium: habet cornua septem, multiplicis suæ potentiæ, & instrumentorum quibus ad exequenda sua iussa vtitur symbola, & oculos septem summæ eius sapientiæ in suauissima dispositione Ecclesiæ, & circa nos sincera eius intentione, quin & donorum omnium, quæ largissime per totam terram per suam in Ecclesia præsentiam effundere intendit, & Ministrorum suæ prouidentiæ nec non virtutum eius clarissima signa: Venit, quia per consecrationem in hoc sacramento nouam præsentiam acquirit: *Et accepit de dextera sedentis in Throno librum*, quia cum vi verborum tantum eius caro & sanguis in hoc sint Sacramento per Dei Ecclesiam regentis omnipotentiam, nihilominus eius anima omni scientia & cognitione instructa per concomitantiam ibi adest cum plenitudine diuinitatis. B

Et venit, & accepit de dextera sedentis in throno librum.

Et cum aperuisset librum, quatuor animalia, & vi-

At quam admirabiles sunt effectus tantæ præsentiæ! quid non nobis suspiciendum ex cognitione & adimpletione eorum quæ in libro hoc continentur per hoc Venerabile Sacramentum expe-

A ctari debet? Exinde siquidem cum ex fide huius Mysterij optimè perspiciatur quam suaues sint erga homines Dei dispositiones, & quam tremenda sunt etiam eius iudicia, pignusque sit hoc Mysterium vitæ æternæ sicut & memoria passionis eius & omnium gratiarum fons & origo: omnes eminentiores in Ecclesia Auctoritates per quatuor animalia potissimum adumbratæ, sicut & hi qui in ea sunt sanctiores & reliqui Ecclesiæ Pastores & sancti ipsum agnoscunt verum hominem, Deum verum, summum Sacerdotem, Regem Regum & Dominum Dominantium: vnde in signum suæ submissionis, ac totalis ab ipso dependentiæ cadunt proni in terram ipsum adorantes. Hinc prædicatione & oratione & bonis operibus, & sacrificiis eius Maiestatem agnosci coli, obediri, adorari contendunt, habent enim in manibus, *Cytharas, & Phialas aureas plenas odoramentorum quæ sunt orationes sanctorum.* Hinc cum Missæ Sacrificium sit Sacrificium Eucharisticum, sicut & propitiatorium, & verum holocaustum, in laudes & gratiarum actiones prorumpunt dicentes, *Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu & lingua, & populo & Natione, & fecisti nos Deo nostro Regnum & sacerdotes & regnabimus super terram.* Quam quidem gratiarum actionem Angeli Ecclesiæ Custodes suis etiã laudibus corroborant. *Vidi*, enim, *& audiui vocem Angelorum multorum in circuitu Throni & animalium & seniorum, & erat numerus eorum millia millium dicentium voce magnâ: Dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem, & Diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem & honorem & gloriã & benedictionem,* quibus concinit, *Omnis Creatura quæ in cælo est & super Terram, & sub Terra, & quæ sunt in Mari, & quæ in eo omnes audiui dicentes: sedenti in Throno & Agno Benedictio, & Honor & Gloria & potestas in secula seculorum.* Hinc tandem omnis Ecclesia Deo & Agno se protestatur omnimode subdita, & in signum perpetuæ seruitutis audiui quatuor animalia dicentia, Amen: Et viginti quatuor seniores vidi cadentes in facies suas, & adorantes viuentem in secula seculorum. Quid enim aliud ageret Ecclesia in tanta profusione gratiarum quæ illi ex Christi præsentia & tanti Sacramenti vsu prouenit? Per hoc enim perfectè sanctificatur, Deo tota fit, ad summam dignitatem & potestatem euehitur, Angelis sociatur & ad Deum laudandum & honore prosequendum à cæteris iuuatur creaturis, & tandem ad Dei intimam vnionem quem velut vltimum finem suspicatur feliciter perducitur.

Textus *ginti quatuor seniores cecidérunt coram agno habentes singuli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum: & cantabant canticum nouum dicentes.*

Dignus es Domine accipere librum & aperire signacula eius: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu & lingua & populo & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes & regnabimus super Terram, &c.

PARAPHRASIS C. V. CORROBORATIO.

Ex his quæ S. Ioannes à versu 2. vsque ad 5 refert, conjicere possumus quo ordine Ecclesia debeat procedere in resolutione dubiorum emergentium de fide. Punct. 1.

IDEM enim ac si diceret: Nunquid nunc ex his iam peractis quæ ego vidi, & quæ ego scribo vt huic mandato obtemperem (*scribe ergo quæ vidisti & quæ sunt*) nunquid inquam percipietis optimum à Deo constitutum ordinem quem vult obseruari vt omnia circa fidei mysteria insurgentia dubia enucleantur, nempe vt ad Deum precibus & orationibus à Spiritu sancto inspiratis (nemo enim potest dicere Dominum Iesum cum felici aliquo successu nisi à Spiritu sancto inspiratus) ad Deum inquam identidem recurratur: Et hoc præstito ab eius

Digitized by Google

Vicario quem ab antiquis diebus Deus inter alios Ecclesiæ Pastores elegit vt per os eius gentes audiant verbum Euangelij & credant, audiatur, quid in isto dubio tenendum sit. Sicut enim Petrus in isto primo dubio quinam esset qui Dei secreta, ac eius determinationes liberas circa Ecclesiæ gubernationem & hominum salutem procurandam ab omni mente creata incognitas aperiret & exequetur,& conuenienti modo Ecclesiæ notificare posset, hoc dubium abstulit dicens : *Certissime sciat ergo domus Israël quia & Dominum eum & Christum fecit Deus* : quod quidem in hac visione mihi fuit representatum & menti obiectum sub hac verborum formula : *Ecce vicit Leo, de Tribu Iuda Radix Dauid*, Vnde sedere debeat super solium eius vt appareat Dominum omnium. Ita in posterum si qua emersura sint dubia, oratione præuia infallibiliter eius successores æque feliciter proponent Ecclesiæ vniuersali quid in vnoquoque dubio credendum erit.

A

Quod agnus qui hic videtur tanquam occisus significet Christum Dominum in Eucharistia.

B. Gratum mihi fuit reperisse Petrum Aureolum hanc nostram sententiam suâ corroborare dum ait: *Significabat autem hæc omnia quod agnus hic est Christus, qui est in medio Romanæ Ecclesiæ & quatuor Patriarchalium sedium & viginti quatuor seniorum, hoc est vniuersalium Episcopalium Ecclesiarum sub sacramento Eucharistiæ, in quo continuè immolatur, ac representatur occisus: innuit apertionem libri diuinæ præscientiæ quantum ad decursum omnium quæ circa Ecclesiam erant venturæ, & descriptionem eorum in libro præsenti per ministerium Ioannis, super quo etiam hodie sedes Romana & vniuersa Ecclesia gratias exhibet Deo Patri & agno filio Domino Iesu Christo.* Ita Aureolus.

B

ANNOTATIONES IN CAP. IV.

DE THRONO.

Throni idea, locus, significatio.

Idea Throni.

ANNOTAT. I.

Alcazar.

THRONVM quadratum esse voluit Alcazar ad similitudinem Sancti Sanctorum, & proinde Sedilia 24. Seniorum in quadrum fuisse disposita, itaut seni essent è quolibet latere : decentius tamen & elegantius in semicirculum fuisse disposita censet Cornelius. *Sic enim,* inquit, *omnes erant ante thronum in conspectu Dei eum videntes & ab eo visi, nam in quadro sedentes tantum in tribus quadrilateribus Deum ante faciem habere potuissent, sedentes enim in quadro latere quod claudebat quadrum ea parte quâ erat Thronus Dei, vel dorsum vel certè latus obuertissent Deo, aut certè fuissent à tergo Dei. Triangularem tamen fuisse sedem existimo, coniecturis mox adducendis ad hoc sentiendum inductus?*

Cornelius à Lap.

Vt autem melius quæ dicturi sumus intelligantur totius sedis hanc accipe ideam. Non sphericam thronus habet figuram, non quadratam non semicircularem sed triangularem, itaut in angulo superiori eoque obtuso sedes collocetur in parte posteriori seu reclinatorio, rotunda ad modum Throni Salomonis: ad duo latera huius sedis præcipuæ collocantur 24. sedilia, duodecim ex vna parte & 12. ex alterâ super quæ sedeant 24. Seniores, in extremitate lineæ ductæ ex illo superiori angulo ad alium angulum efformandum : in parte dextrâ collocetur Leo, ducatur linea in interiori parte Throni ad latus sinistrum vt ex illa lineâ & alia ex superiori angulo identidem ducta sinister exurgat angulus ibique figura vituli ponatur : tertium autem animal habens faciem quasi hominis dorso sedis seu reclinatorio adhærens & veluti sedenti propius accedens in angulo superiori collocetur. Si quartum animal illud nempe quod simile dicitur Aquilæ volanti, quasi alis expansis thronum cooperire, ad modum cuiusdam conopei seu vmbellæ & volitare supra medium throni, habens sub se Agnum illum stantem tanquam occisum representemus, quatuor animalia dici poterunt in medio & in circuitu sedis : in medio propter Aquilam supra medium volantem, Agnumque in medio sedis existentem, cooperientem in circuitu, quia alia tria animalia tres angulos sedis istius triangularis possident ipsum : in medio lineæ illius anterioris ponantur septem illæ lampades veluti oppositæ sedi seu Cathedræ sedentis ; ad cuius conspectum mare vitreum appareat simile Crystallo ; visio sit sedentis qualis tandem figura apparuerit similis aspectui lapidis Iaspidis & Sardinis, & iris describatur similis visionis Smaragdinæ totam sedem in circuitu ambiens, totalem meo iudicio habebis sedis ideam seu descriptionem textui satis conformem & interpretationi accommodam.

Thronus describitur.

C

Coniecturæ autem quæ me ad hanc ideam efformandam impulerunt, tres sunt potissimùm. 1. Quod si cum Riberâ Aquilam in altum extollas, nulla conuenientior & aptior aliorum trium animalium videtur collocatio quam si ipsa Aquila supra medium volitante alia in tribus angulis collocemus, vt recte dicantur & in medio & in circuitu sedis. 2. Quia si rectè perpendamus descriptionem throni Salomonis, 3. Reg. 10. quæ talis est: *Fecit etiam Rex Salomon Thronum de ebore grandem & vestiuit eum auro fuluo nimis, qui habebat sex gradus & summitas Throni rotunda erat in parte posteriori, & duæ manus hinc atque inde tenentes sedile, & duo Leones stabant iuxta manus singulas & duodecim Leunculi stantes super sex gradus,* Hinc atque inde figuram habuisse triangularem conjiciemus. Nec enim videtur proportio conueniens vt gradus omnes per quos fiebat ad sedem ascensus essent æqualis longitudinis, sed aptior videtur proportio si quo propius ad sedem accedebant eo essent minoris longitudinis, vt debita configuratione Thronus ille magnificus efformetur, & liberior esset sedenti aspectus quibuslibet ipsum adire volentibus. Cum enim illi Domino leones stantes iuxta manus sedile tenentes, mihi videantur esse quasi duo brachiorum sedentis fulcra seu sustentacula ea distantiâ fuisse collocatos, existimandum est vt commoda ac conueniens esset tum brachiorum ipsius sedentis extensio, tum eorumdem super Leones positio, quod quidem non magnam requirit distantiam. Quo fit vt

Cur idea Throni triangularis.

D

E

3. Reg. 10.

Digitized by Google

eo magis debuerint ampliari, dilatari gradus, ſuper quos alij leuiculi poſiti erant quo magis ad inferiorem loci in quo thronus erat erectus planitiem protendebant & ſic triangularem aliquo modo figuram exprimere, vt conueniens quædam Throni configuratio appareat quæ vt dictum eſt ſedentem liberius contpiciendum exhibent. At ille Thronus Salomonis figura fuit huius magnifici Throni quem ſibi Deus in Eccleſiâ conſtruxit, igitur videtur potius ipſi adſcribendum eſſe figuram triangularem vt res figurata figuræ reſpondeat. Tertia coniectura ſumitur ex hac regula Nicolai de Lyra in hunc verſiculum, *Et qui ſedebat ſimilis erat aſpectui &c. Tales* inquit, *apparitiones fiunt ſecundum conuenientiam ad id quod reuelatur.* Si hoc verum eſt, dico Thronum, Eccleſiæ ſymbolum debere eſſe figuræ triangularis vt conuenientiam habeat ad id quod in Eccleſiâ reuelatur, nam quod potiſſimum in Eccleſia reuelatur trinitatem quandam ſemper complectitur, verbi gratia, Deus vnus in eſſentia Trinus in perſonis vnus Dominus qui in cœlis, in terris & in abyſſis dominatur, qui fide ſpe & charitate colitur qui hominum creator eſt, en tempus præteritum; illorum eſt in præſenti tempore moderator, en tempus præſens; & tandem illorum eſt iudex & remunerator, en futurum tempus ab hominibus intuendum qui beneficiorum memores gratiæ Dei cooperantes in præſenti, ab eo in futurum ſi fideliter omnia præſtiterint debent expectare mercedem.

A

B

At, inquies, cum olim Moyſes & Aaron Nadab & Abiá & ſeptuaginta de ſenioribus Iſraël ſimul aſcenderunt ad Dominum: *Viderunt*, inquit ipſe Moyſes, Exod 24. *Deum Iſraël, & ſub pedibus eius quaſi opus lapidis Saphirini & quaſi cœlum cum ſerenum eſt.* Hic autem tale ſcabellum pedibus ſedentis minime adſcribitur, in cœlo quidem poſitam eſſe ſedem exprimit ſed de ipſius eleuatione & ſublimitate nullam aliam mentionem ſpecialiter facit. Nec vt Iſaias dicit: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum.* cap. 6. Quaſi ſufficiat vt in cœlo poſita eſſe ſedes dicatur vt alta ac ſublimis cenſeatur. Nec duo Cherubim veluti ij qui propitiatorium, aut duæ manus veluti illæ quæ thronum Salomonis tenebant hanc ſedem in cœlo poſitam fulciunt, eam non dicit ex Saphiro fabricatam ad modum illius Throni quem Ezechiel c. 1. deſcribit: *Quaſi aſpectus lapidis Saphiri ſimilitudo Throni*, Cuius ſcabellum ſit veluti firmamentum & qui rotis quibuſdam circumferatur, nec ea ſedes flammea aut ignea eſſe dicitur ſicut Thronus à Daniele viſus. *Thronus eius*, inquit c. 7. *flamma ignis, rota eius ignis accenſus.* Nec tandem illam ſedem deſcribit ſimilem lectulo Salomonis quem ſexaginta fortes ambibant ex lignis libani fabricatum cuius erant columnæ argenteæ, reclinatorium aureum, aſcenſus purpureus; aut ad modum illius quem ſupra deſcripſimus ex 3. Reg. 10. eam ex ebore factam & auro veſtitam affirmat. Cur, inquies S. Ioannes, nullum ſimiliter ſedis huius figuræ clarius & diſtinctius expreſſit? Mihi certè videtur hoc ex induſtria factum, vt videlicet intelligamus in hac ſede complecti quidquid in aliis Thronis poteſtatis autoritatis, firmitatis, ſublimitatis, excellentiæ, maieſtatis cogitari poteſt. In hoc quippe Throno omnipotens rerum moderator ſedens cunctis leges imponet; mandata præſcribet quæ neceſſaria fuerint, vitæ & temporali & ſpirituali ſubditorum ſuorum abundè ſubminiſtrabit, in puluere iacentes excitabit vt ſedeant cum principibus populi ſui, in ſtercore iniquitatis voluntatos, ad ſummum ſanctitatis gradum adipiſcendum prouocabit, Chriſti Domini hoſtes conteret donec eos ponat ſcabellum pedum ipſius, omniaque mundi Regna ſuo imperio ac dominationi ſubiiciat, ſapientiæ ſuæ iuſtiſſima decreta promulgabit, alta exponet conſilia, myſteriorum diuinorum pandet notitiam, viaſque perfectionis ac ſalutis æternæ aperiet, ſententias abſolutionis & condemnationis emittet, præmia & pœnas decernet, ſicque verè de Sion exibit lex & verbum Domini de Hieruſalem: habet & nunc Saphirum ſub pedibus, quia cum in Saphiri abundantiori ac decoro ſplendore veritas denoteretur, ſub pedibus ſuis rectè habere dicitur quaſi opus lapidis Saphirini quia ad hoc venit in mundum vt teſtimonium perhibeat veritati. O quam excelſa & eleuata nimis hæc ſedes quæ ideo ſtabilitur vt homines ad Cœlum tandem perueniant, quæ rectè Cherubinis fulcitur manibus, cum ex ea Deus nobis propitius tanquam ex quodam propitiatorio cuncta nobis conuenientia prouideat: hæc verè ex Saphiro fabricata, verè in ea veluti in Ezechielis curru glorioſo Deus terribilis apparet, verè flammea vere ignea ob veritates reuelatas, Charitatis præcepta, hoſtium Chriſti proſtrationes, peccatorum remiſſiones, obſtinatorum condemnationes, pœnarum ac præmiorum diſtributiones: quin & in ea Deus conquieſcit, reclinatur ſeu recumbit tanquam in lectulo Salomonis, vt qui exiſtat ſanctitatis ac puritatis amator, veritatis protector, ſapientiæ ac charitatis præceptor, honoris diuini ac zeli ſalutis animarum promotor, vt tandem quos dignos repererit poſt certamina & labores fortiter exantlatos ſedere ſecum faciat & ad ſuum Thronum euehat ſicut olim ad Thronum patris ſui Dauidis, Salomonem filium gloriosè euexit. Veniamus ad locum in quo illa ſedes cenſenda ſit fuiſſe à S. Ioanne conſpecta:

C

D

E

Et ecce ſedes poſita erat in Cœlo.

Hæc ſedes in aëre non in Cœlo Empyreo cernitur.

ANNOTAT. II.

IN Cœlo poſitam eſſe ſedem Propheta noſter aſſeuerat: At an in aëre vel in Empyreo minimè declarat: ego dicam quod ſentio. Species Throni quæ imaginationi S. Ioannis vel etiam ſi libet oculis eius corporeis exterius exhibita fuit, collocari viſa eſt in Cœlo aëreo non autem in Empyreo. Coniecturæ quæ ad hoc dicendum me mouent hæ ſunt. 1. Quia Iris apparet in circuitu ſedis. 2. Quia de Throno procedunt fulgura & tonitrua, at in aëre iſta meteora potiſſimum efformantur. 3. Quia ſicuti Eccleſ. 24. ad denotandam eius ſummam poteſtatem in rerum ſublunarium moderatione dicitur quod *Thronus eius eſt in Columna nubis. Thronus meus*, inquit Lyranus, *poteſtas mea in columna nubis per ipſam enim diſponitur generatio nubium in aëre.* Ita Lyranus. Quæ ad plurimos effectus naturales ordinantur & ſicut Pſalmo 103. de ipſo ſummo rerum moderatore dicitur: *Qui ponis nubem aſcenſum tuum, qui ambulas ſuper pennas ventorum*, vt qui celeriter ferat ſe in totum orbem ad omnium prouidentiam, inſtar nubis & ventorum, & qui vtatur nubibus & ventis ad exercenda ſuæ prouidentiæ & operum ſuorum opera; vtitur nubibus pro curru vt adſit celerius ac tempeſtiuè opportuneque aduenias, & ex improuiſo vt rectè interpretatur Genebrardus: ita optimè S. Ioannes repreſentatur ſedes veluti in aëre ſeu Cœlo aëreo poſita, cum Dei ſumma prouidentia circa Eccleſiam toto orbe diffuſam eiuſq; ſumma poteſtas in ea regenda & protegenda illi notificanda fuit. Deduxit olim populum ſuum, *in nube diei & tota nocte in illuminatione ignis*, Pſ. 77. Et nunc per Eccleſiam ſuam lumine ſuo circumueſtitam & diuina

Exod. 24.

Iſa. 6. 6.

Ezech. 1.

Daniel. 7.

Cantic. 3.

3. Reg. 10.

Eccleſ. 24.

Lyranus.

Pſalm. 103.

Genebrard.

Pſal. 77.

Throni à Ioanne viſus complectitur quodcumque magnificum aliorum de quibus in ſcriptura fit mentio.

Digitized by Google

Ad Ecclesiam quæ est Ephesi
Ad Ecclesiam quæ est Smyrnis
Ad Ecclesiam quæ est Pergami
Ad Ecclesiam quæ est Thyatiris
Ad Ecclesiam quæ est Sardis
Ad Ecclesiam quæ est Philadelphiæ
Ad Ecclesiam quæ est Laodiciæ

habeat quem de eius progreſſu proſequatur, vt pro coronide totius operis tandem in fine libri Eccleſiam Triumphantem ſub ſymbolo ciuitatis nouæ Hieruſalem nobis depingat. 2. Angeli hic repreſentantur in circuitu ſedis & 24. Seniorum & animalium, & hac ratione homines in ſede, & 24 Senioribus & animalibus adumbrati, Deo eſſent viciniores, quod non videtur rationi conſonum: licet enim Chriſtus Dominus vt potè caput Angelorum & hominum, ſedeat ad dexteram Patris; licet beatiſſima Virgo vt cœli Regina & gratiâ potioti adaucta ſedem obtineat Angelis ſuperiorem; licet plurimi ſancti æquales ſint Angelis in beatitudine & ſedem paris dignitatis conſequantur; tamen Angeli non debent omnes collocari ita vt omnes homines beati Deo eſſent ipſis proximiores. Quod ſi hic videantur à Deo elongatiores vt potè qui circumdent Thronum & ſeniores & animalia, Ratio eſt quia mittuntur in circuitu timentium Deum durante ſtatu Eccleſiæ militantis, vt Eccleſiam protegant & quia per ea quæ Deus Eccleſiæ reuelauit & in ea operatur, innoteſcit ipſis multiformis ſapientia Dei, illius diuinæ ſapientiæ quam in cœlis in fonte conſpiciunt effectus præclaros in Eccleſiâ contemplantes. 3. Coniectura eſt: Fit mentio ſignati libri: at in cœlo empyreo omnia reſerata ſunt electis. Quod ſi ſictus Ioannes dicitur fiere quia nemo eſt qui aperiat librum & ſoluat ſignacula eius, neque in cœlo, neque in terrâ neque ſubtus terrâ; aliud eſt dignum inueniri qui Dei & diuinæ ſapientiæ ac prouidentiæ erga homines decreta & conſilia Eccleſiæ manifeſtet, aliud eſt ignorare eadem decreta & conſilia. Poſſunt igitur ſancti & Angeli ea cognoſcere quæ Deus operaturus eſt in Eccleſiâ, & tamen non erunt digni qui ea hominibus manifeſtent: ſolus enim ille qui dixit: *Nemo nouit Patrem niſi filius, & cui voluerit filius reuelare*, dignus eſt accipere librum & ſoluere ſignacula eius. 4. Coniectura eſt: Agnus videtur ſtans tanquam occiſus, quod conuenit Eccleſiæ militanti, in quâ Chriſtus in ſacramento altaris eſſe videtur tanquam mortuus & occiſus, vt hanc promiſſionem adimpleat: *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi, Panem quippe Angelorum*, inquit S. Cyprianus ſerm. de cœnâ Domini, *Sub ſacramento manducamus in terris, eundem ſine ſacramento manifeſtius edimus in cœlis, non miniſterio corporali ſæpe repenis actionibus, ad eamdem reuertentes, ſed conſummato ſacerdotio noſtro erit & permanebit perpetua & ſtabilis implens & veſticiens nos ſufficientiâ, quâ proferet ſe palam abſque vllis tegumentis omnibus conſpicabilis ſummi præſentia ſacerdotis.* Hæc Cyprianus. At ſi appareret in cœlo tanquam Agnus occiſus, non ſe palam, abſque vllis tegumentis conſpicabilem proferret: ergo hoc de Eccleſia militante intelligi debet non de Triumphante. Tandem illi 24. Seniores qui Dei in Throno ſiunt aſſeſſores, in ſuo cantico quod pro hominum redemptione concinnunt, dicunt regnaturos ſe non in cœlo ſed ſuper terram: *Feciſti*, inquiunt, *nos Deo noſtro Regnũ & Sacerdotes, & regnabimus ſuper Terram*, Apoc. 5. Ergo de eorum ſeſſione in Eccleſiâ militante non de æternâ requie hic fit mentio.

S. Cyprian.

Soluuntur obiectiones Cornelij à Lapide.

Nec obſtat quod ait Cornelius à Lapide: *Porro*, inquit, *agi hic de Throno Dei quem habet in cœlo non in Eccleſiâ, patet ex ſequentibus, vbi dicit in circuitu Throni huius fuiſſe cœleſtes ſpiritus, ac beatos veſtitos albis & coronis aureis coronatos clamantes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Rurſum ex eo quod ait Vers. 5. De Throno proceſſiſſe fulgura, voces & tonitrua: hæc enim è Cœlo prodeunt non è Terrâ.* Ad primum dico: quod in hoc capite 7. in quo Angeli & Sancti repreſentantur clamantes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c.* Non tam deſcribuntur, vt dicemus poſtea, coronæ aut præmia electis à Deo præparata, quàm inſinuatur quænam ſit origo beatitudinis ipſorum: nempe quod ſignati ſint ſigno Dei viui, ob eorum ad gloriam electionem & prædeſtinationem; quam enumerentur media neceſſaria vt ad eandem peruenire valeant: verbi gratia 1. veſtimenta alba gratiæ iuſtificantis. 2. palmæ, ob victorias comparatas contra ſeipſos, mundum ac diabolum. 3. perſecutionum, tribulationum & afflictionum tolerantia; quam proponatur declaratio quæ ab Eccleſiâ fit, quod quicumque ambulauerint vt iſti ambulauerunt, & ſimilia præſtiterint, in numerum eorum coaptari poterunt, vel quod hic aut ille gerat euidenter ſigna prædeſtinationis, ſicuti fit in Canonizatione ſanctorum. Quapropter colligi ex hoc non poteſt quod de Eccleſiâ triumphante loquatur, cum iſta omnia pertineant ad ſtatum Eccleſiæ militantis. Cum igitur S. Ioannes non tam deſcribat ſtatum & conditionem electorum, in quantum coronis ac præmiis donantur, quam beatitudinis eorum cauſam, media & manifeſtationem, ſiue declarationem; eoſque proinde non coronatos repræſentet, ſed tantum in fronte ſignatos (ſeniores enim coronas habent, ſed propter regnum temporale in quo cum Chriſto regnant) concludere debemus S. Ioannem de Eccleſiâ militante loqui non de Triumphante: quod tanto libentius amplector, quanto facilius omnia quo in hoc capite 7. dicuntur, optimè conuenire poſſunt cum ſtatu beatorum in hac vitâ adhuc viuentium: Verbi gratia, in fronte ſignati apparent, ecce eorum electio quæ ſignis euidentibus Eccleſiæ manifeſta fit: Cum veſtibus albis, ecce qua ratione Eccleſia declarat gratiam neceſſariam eſſe vt ad præmia quis perueniat, & opera ſupernaturalia exerceat: Palmæ in manibus dantur, ecce neceſſitas vincendi quidquid ſaluti noſtræ contrarium exiſteret: Et cum vnus ex ſenioribus dicit: *Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magnâ*, Declarat S. Ioannes ſolam Eccleſiam determinare poſſe, quis cenſeri ac credi debeat dignus poſt mortem filiationis diuinæ & hæreditatis æternæ, & quæ media ſecurè ſunt amplexanda vt ad eam perueniatur. At per hæc omnia concludi non poteſt S. Ioannem loqui de regno quod habet Deus in cœlo, imo potius concluderetur ipſum loqui de regno quod habet in Eccleſiâ militante, ergo loquitur de Militante non de Triumphante. Hinc ſancti dicuntur ſtare tantum ante Thronum cum tamen in patriâ debeant ſedere in throno, dicente Domino: *Qui vicerit dabo ei ſedere mecum in Throno meo*, cap. 3. Hinc Angeli dicuntur eſſe in circuitu Throni, licet beatitudine æternâ & viſione Dei perfruantur, videlicet quia à Deo conſtituti ſunt protectores & Cuſtodes Eccleſiæ, iuxta illud Pſalm. 33. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum & eruet eos*. Hæbræi dicunt, *caſtrametatur*. Hæc autem Eccleſiæ protectio adumbrata fuit in Eliſæo: Nam cum Rex Syriæ eum comprehendere volens, miſiſſet exercitum qui circumdaret ciuitatem Dotham in quâ erat, orante Eliſeo ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Eliſei, 4. Reg. 6. Ipſi enim Angeli ſunt *adminiſtratorij Spiritus in miniſterium miſſi, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis*. Hæbr. Quod autem ad Sanctos attinet, in cap. 7. deſcribuntur ſecundum illam communionem & conuentionem quam ſeruant cum Eccleſiâ Militante, ob beneficia vocationis, electionis & iuſtificationis, & propter ſigna prædeſtinationis quæ in eiſdem in præſenti vitâ apparuerunt: vt ſunt, videlicet, character tum Baptiſmi tum confirmationis, victoria fœliciter de inimicis ſalutis eorum reportata, donum finalis perſeuerantiæ: vnde ſi dicuntur eſſe ante Thronum, hoc nimirum fit quia Eccleſia militans ſemper eos præ oculis habet ac intuetur vt exemplaria quæ imi-

Apocal. 3.

Pſalm. 33.

Digitized by Google

tetur; mediatores quos in patronos assumàt; Dei opera perfectiora propter quæ Deum laudibus prosequatur: ad quod inuitatur à Regio psalte cum ait, *laudate eum in Sanctis eius*, & quorum intuitu ad fortiora quæque audenda & duriora perpetienda animetur: Eos autem præ oculis habere satis demonstrat ex festis in eorum memoriam institutis, ex quotidianis eorumdam commemorationibus: Et sic nec ex eo quod Angeli sunt in circuitu Throni & Sancti ante Thronum clamantes, potest colligi vt vult Cornelius, quod de Ecclesiâ Triumphante hic loquatur noster Euangelista & Propheta.

Ad 2. dico, nos conuenientius colligere de Ecclesiâ militante fieri mentionem ex eo quod de Throno procedant fulgura & tonitura: quia hæc non in cœlo empyreo sed in aëreo efformantur, & Ecclesia melius adumbratur in Throno in aëre apparente, quam in cœlo empyreo: nam status eius est vt à terrenis affectibus abstracta ad cœlum aspiret ad quod nondum est eleuata, qui status optimè adumbratur in nubibus quæ ad cœlum quidem non pertingunt, sed à terra longissimè absunt.

De Ecclesia Militante agitur prout à Christo instituta.

Dico 2. Non de Ecclesia militante in quolibet statu seu tempore hic mentio fit: sed tantùm de statu in quo posita est post Christi Domini Ascensionem, *Nunc*, inquit D. Dionysius Carthusianus, *describitur Ecclesiæ status prout à Synagogâ distinguitur, vt potè prout à Christi aduentu & Euangelica legis prædicatione seu nouo testamento sumpsit exordium.* Hæc Dionys. Et reuera status veteris Synagogæ sufficienter fuerat in veteri testamento expressus, vt opus non fuerit B. Ioanni illum nouis suis symbolis aut ænigmatibus adumbrare. Hac de causa ipsi præcipitur vt scribat, non quæ præterierant, sed quæ viderat: verbi gratia, candelabra septem aurea, & illum filio hominis similem in medio ipsorum deambulantem; Et quæ iam existebant: verbi gratia, Ecclesiæ fundatio quæ iam existebat, vt patet ex literis quas ad septem Episcopos Ecclesiam vniuersam repræsentantes dirigit S. Ioannes; & quæ oportebat fieri pòst hæc, ea omnia nempe quæ ex visione illius filio hominis similis, augurari aut coniectare possumus ipsum operaturum fore in regimine Ecclesiæ. Ex Episcopis quippe per septem candelabra significatis, Ecclesiam tunc fundatam conjicimus; ex titulis quos assumit Christus Dominus in Epistolis, quæ operaturus sit intelligimus: & sic non de præteritis agit S. Ioannes, sed de rebus iam existentibus aut mox futuris. Igitur nec ad propitiatorium, nec ad ea quæ fuerunt in veteri testamento recurrendum, pro verâ interpretatione eorum quæ S. Ioan. videt, sed ad ea quæ sunt aut futura sunt in Nouo Testamento, oculos & mentem dirigere debemus, juxta illud: *Si quæ ergo in Christo noua Creatura, Vetera transierunt: ecce facta sunt omnia noua.* 2. Cor. 5.

2. ad Corin. 5.

Dico 3. Cum Thronus cuiusdam dignitatis sublimioris, Majestatis, autoritatis, ac potestatis firmæ, stabilis & inconcussæ sint Symbolum, hic Thronus in Cœlo positus Symbolum debet esse illius rei, per quam in Ecclesia fidei lumine illustrati cognoscere possumus quanta sit Dei summi Majestas, autoritas & potestas in regimine Ecclesiæ: Duo autem sunt potissimùm in quibus relucet Dei Majestas, autoritas & potentia. Primo est euectio animarum ad eminentem aliquem sanctimoniæ gradum. Secundum est dignitas, auctoritas ac potestas Pastoribus Ecclesiæ à Christo collata. De 1. interpretatus est hanc sedem Andreas Cæsarienſis cum ait: *Per hanc autem sedem, Christi in Sanctis requies designatur: si quidem in Sanctis veluti in Throno quodam insideret.* Quin & Dionys. Carth. cum ait: *Si per Cœlum intelligamus Ecclesiam Militantem, sedes in eo posita, est quæuis congregatio deuota, seu corda Dei amore accensa, in quibus Deus regnat, residet & quiescit, dicente Apo-*

Designantur in Throno sanctitas eminens & autoritas præcellens. Andreas Cæsarienſis. Dionys. Cart.

stolo: Templum Dei sanctum est, quod estis Vos. Nam & anima iusti sedes est sapientiæ. Ita Dyon. De 2. etiam rectè interpretatur hic Thronus: Nam si, vt vult Nicolaus de Lyra, per hanc sedem intelligitur authoritas & potestas Dei Ecclesiam Regentis, cum Deus eam non alia ratione regat, quam per eam quam contulit Pastoribus ipsius autoritatem, rectè dicemus illam Dei autoritatem ac potestatem in Ecclesiæ regimine cognosci, per autoritatem Pastoribus Ecclesiæ collatam. Vtrumque autem nobis fides reuelat: homines quippe siue fideles siue infideles vident exterius illos qui tum sanctitate tum autoritate vigent, veluti alios homines conuersari: eos perspiciunt sitù, fami, calori, frigori, morbis, somno ac morti sicuti cæteros homines addictos; at si lumine fidei quis illustretur, internam animi justificationem ac sanctificationem quæ Sanctos supra sapientissimos ac potentissimos sæculi etiam euehit, minimè intuetur aut agnoscit. Cuncti vident summos Pontifices, Episcopos ac alios Pastores ac Sacerdotes cum illo externo ornatu quo exterius decorantur; At nisi fides suggerat, character ille indelebilis qui sacerdotes & Episcopos supra omnem terrenam potestatem & autoritatem constituit manet inuisibilis nec apprehendi potest: & nihilominus magna est distàtia inter virum aliquem sanctum & hominem peccatorem, inter ouium pastorem & animarum Rectorem. Igitur cum & sanctitas & Pastorum autoritas illud sit quo Dei auctoritas & potestas hominibus innotescit, Thronus ille symbolum erit eminentis sanctorum sanctitatis & supremæ Pastorum auctoritatis. Dico 4. cum sanctus Ioannes externum Ecclesiæ statum potissimum proponat, vt Pastores Ecclesiæ hic significentur, sufficit vt habeant illam sanctitatem quæ exurgit ex fide quam profitentur, ex doctrinâ quam annunciant, ex ministerio ac munere cui sunt addicti, id est, sanctitatem per quam Ecclesia sancta prædicatur, licet sit ex hominibus peccatoribus, ac plurimis vitiis laborantibus aliquándo fœdata. Patet hoc ex Christi doctrinâ, Matt. 23. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: Omnia ergo quæcumque dixerint Vobis seruate & facite: secundum Vero opera eorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt.* Quem locum explanans S. Ioannes Chrisost. Hom. 73. optimè ait: *Corruptis Viuendi moribus & inanis gloriæ cupiditate à credendo repellebantur: cum igitur præcepta emendationis gratiâ tradere voluerint, quod præcipuè ad salutem conducit, ne quis scilicet dogmata negligat, neue in Sacerdotes insurgat: id summoperè iubet, nec iubet solùm, Verùm etiam facit: non enim à docendi gradu corruptos dejecit, illis quidem iudicium graue efficiens, auditoribus Vero nullam inobedientiæ occasionem relinquens. Ne quis enim dicat, propter Doctoris improbitatem se negligentiorem fuisse, hunc quoque prætextum auffert. Sic igitur quamuis nequam essent principatum eis confirmauit, Vt Vel post increpationem dixerit: facite quæcumque illi Vobis esse facienda confirment: non enim sua sed quæ per Moysem Deus imperauit prædicant.* Ita D. Chrysost. Licet igitur Pastores aliquando reperiantur, in Throno sedentes, aut si voluerit, qui dicantur Dei Thronus, in quo suæ autoritatis ac potestatis signa & effectus manifestet, qui corruptis sint moribus, nihilominus quia quæ prædicant, quæ exequantur suo fungentes ministerio sancta sunt, sanctitatem nanciscuntur sufficientem vt Dei Thronus sint & dicantur, per quem sua auctoritas ac potestas eluceat. Et in hoc magis ac magis firmitas Throni sui tantæ autoritatis apparet, quod nec mortalitas eorum qui illum constituunt, quorum vita tanquam aqua dilabitur, nec flumina concupiscentiarum quibus ad mala perpetranda impelluntur, eam obruere aut euertere valeant: descendit pluuia aduersitatum, venerunt flumina

Dyranus.

Sanctitatis hic designata est illa quæ oritur ex professione veræ fidei rectæ doctrinæ, & sacri cuiusdam ministerij

Matt. 23.

2. Chrisost. Hom. 73.

Digitized by Google

concupiſcentiarum, venti ſuggeſtionum mundi, carnis & diaboli flauerunt & irruerunt in domum iſtam, in iſtam altiſſimam ſedem, & non cecidit:

Matt. 7. *Fundata enim erat ſupra firmam Petram.* Math. 7. Quod autem D. Ioannes Eccleſiæ ſtatum potiſſimum deſignet, patet ex expoſitionibus eorum qui volunt decurſum & ſtatum Eccleſiæ hoc libro deſcribi, vt Dionyſ. Carth. Primaſius in 1. cap. cum ait:

Decurſus ſtatus Eccleſiæ in hoc libro deſcribitur ſub ſymbolis. *Poſt exortum autem Eccleſiæ quæ jam fuerat Apoſtolorum prædicatione fundata, reuelari oportuit qualiter fuiſſet latius propaganda, vel quali etiam fine contenta, vt prædicatores veritatis, huius cognitionis fiducia freti indubitanter pauci multos aggrederentur, inermes armatos, humiles ſuperbos, infirmi nobiles, viui tamen ſpiritualiter mortuos.* Et Richardus à S. Victore, cum ait, *Sanctum Ioannem loqui de iis quæ Eccleſia in hoc ſæculo ſunt ventura, ſiue proſpera, ſiue aduerſa, ſiue de his quæ in fine ſæculi ſunt retribuenda.* Hæc Richardus. At iſta omnia ad ſtatum externum Eccleſiæ pertinent. Patet etiam veritas huius propoſitionis ex eo quod Chriſtus promittit Epiſcopo Thyatirenſi cap. 2.

Apoc. Apoc. 2. *Et qui vicerit & cuſtodierit vſque in finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes, & reget eas in virgâ ferreâ, &c.* Et tandem ex Cantico 24. Seniorum vbi dicitur, cap. 5.

Apocal. Apoc. 5. *Feciſti nos Deo noſtro Regnum & Sacerdotes & regnabimus ſuper Terram.*

Dico 5. & vltimò: firmitas autoritatis & poteſtatis Eccleſiæ à Chriſto datæ vt Thronus Dei ſit, maximè relucet in ſede Petri ſeu in Eccleſiâ Romanâ: Nam ei ſedilia 24. Seniorum, id eſt, ſanctorum & aliorum Paſtorum Eccleſiæ, quos Spiritus ſanctus poſuit regere Eccleſiam Dei, coniungi debent, vt firmitatem & ſtabilitatem obtineant. *Cælum*, inquiunt Aureolus & Lyranus, *eſt Eccleſia militans; Dei ſedes eſt Eccleſia Rom. in quâ ſedet Romanus Pontifex quaſi Vicarius Chriſti: 24. Seniores ſunt omnes Epiſcopi in ſuis ſedibus, id eſt, Epiſcopatibus.* Ita Aureolus. Cum igitur hæc ſedilia Throno Dei vniantur, qui ex Aureolo & Lyrano, eſt Eccleſia Romana, rectè eorum firmitatem adſcribendam eſſe dicimus firmitati eiuſdem Eccleſiæ. Hinc S. Auguſtinus Serm. 16. de ſanctis.

In ſede Petri maxime relucet poteſtas Eccleſiæ & autoritas.

S. Auguſtin. ſerm. 16. de Sanctis. *Denique pro ſoliditate deuotionis Eccleſiarum Petra dicitur, ſicut ait Dominus: Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Petra enim dicitur eo quod primus nationibus fidei fundamenta poſuerit, & tanquam ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem mollemque contineat.* Hæc Aug. Videtiſne ex Auguſtino Eccleſiam ſuæ vnitatis ac magnitudinis firmitatem ab hac ſede obtinere? Siquidem ſaxum ſit quod eius compaginem ac molem ſuſtineat, ſerm. 3. de diuerſis idem S. Doctor ait: *Dominus Ieſus diſcipulos ſuos ante paſſionem ſuam, ſicut noſtis elegit: quos Apoſtolos appellauit. Inter hos penè vbique ſolus Petrus totius Eccleſiæ meruit geſtare perſonam, propter ipſam perſonam quam totius Eccleſiæ geſtabat audire meruit: tibi dabo claues regni cœlorum. Has enim claues non homo vnus ſed vnitas accepit Eccleſia. Hinc ergo Petri excellentia prædicatur, quia ipſius vniuerſitatis & vnitatis Eccleſiæ figuram geſſit quando ei dictum eſt, tibi trado quod omnibus traditum eſt.* Hæc Aug. Si ſolus Petrus totius Eccleſiæ geſtat perſonam, in firmitate Petri Eccleſia certe firmitatem obtinebit, nec firma eſſet columna veritatis Eccleſia, niſi Petro à Domino dictum fuiſſet, *Ego rogaui pro te Petre vt non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Luc. 22. Nec antiquis patribus res adeo parui momenti viſa eſt præcellentis huius autoritatis & poteſtatis Petro traditio, vt eius fundationis ac conſtitutionis memoriam neglexerint: imo potius apud eos memoria tanti beneficij celebertima fuit: patet hoc ex ſermonibus D. Aug. in feſto Cathedræ. D. Petri verbi gratia, ſerm. 15. de ſanctis in append. 74.

Auguſt. ſer. 3. de diuerſis.

Luca 22.

A *Inſtitutio ſolemnitatis hodiernæ à Senioribus noſtris Cathedræ nomen accepit, ideo quod B. Apoſtolorum Petrus hodie Epiſcopatus Cathedram ſuſcepiſſe referatur. Rectè ergo Eccleſiæ natalem ſedis illius colunt, quam Apoſtolus pro ſalute Eccleſiarum ſuſcepit, dicente Domino: Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Petrum itaque fundamentum Eccleſiæ Dominus nominauit, & ideo dignè hoc fundamentum cœli Eccleſia, ſupra quod Eccleſiaſtici ædificij altitudo conſurgit, vnde conuenienter pſalmus qui lectus eſt dicit: Exaltent eum in Eccleſia plebis, & in Cathedra ſeniorum laudent eum. Benedictus Deus qui beatum Petrum Apoſtolum in Eccleſiâ exaltari præcepit, quia dignum eſt vt fundamentum hoc in Eccleſiâ honoretur, per quod ad cœlum conſcenditur. Quod natalis ergo Cathedræ hodie colitur, ſacerdotale honoratur officium, ſibi hoc Eccleſia inuicem præſtant, quia tanto nec ceſſe plus habet Eccleſia dignitatis, quanto ſacerdotale officium plus honoris.* Hæc Aug. Hanc firmitatem veluti poteſtatem remittendi peccata Eccleſiæ datam, ipſi per Petrum obuenire agnouit D. Chryſoſt. hom. 55. in Math. 16. Nam poſtquam rationem reddidit cur præclaram Petri de Chriſto confeſſionem Chriſtus Dominus reuelationi Patris ſui aſſignauit, *Ne videlicet quoniam vehementer amoris vinculo Petrus Chriſto coniungebatur, aſſentatiunculâ gratificans hæc verba dixiſſe multis videretur, in medium Patrem produxit, qui ad confeſſionem veritatis animum Petri commouit: ita Petrus quidem locutus eſt, Pater autem illi quod loqueretur ſubiecit, vt non humanam opinionem ſed diuinam ſententiam diuinitus dictam Petrum crederes enunciaſſe, &c.* Et poſtquam ponderauit Chriſtum Dominum S. Petro duo promiſiſſe, nempe claues regni cœlorum & quod portæ inferi non prævalerent aduerſus Eccleſiam, *Vt non dixit*, inquit, D. Chryſoſt. *rogabo patrem vt tibi det, ſed quamuis magna erat poteſtas, & doni magnitudo ineffabilis, Et ego tamen dabo tibi, &c.* Et paulo poſt: *Animaduertis quo pacto ipſe etiam ad altiorem de ſe opinionem Petrum adduxit & ſeipſum his duabus pollicitationibus filius eſſe reuelat & oſtendit.* Statim os illud aureum aurea iſta verba proponit nobis conſideranda. *Nam*, inquit, *quæ Deus concedere ſolus poteſt, peccatorum ſcilicet remiſſionem & vt Eccleſia tot tantiſque fluctibus impetu irrumpentibus maneat immobilis, cuius Paſtor & caput piſcator homo atque ignobilis terrarum orbe reluctante, adamantis naturam firmitate ſuperet, hæc inquam, omnia quæ ſolius Dei ſunt, ſe pollicetur daturum.* Hæc D. Chryſoſt. Animaduerte optime Lector, quod quamuis D. Chryſoſt. antea hæc verba: *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, expoſuerit, id eſt, fidem atque confeſſionem: nihilominus agnoſcere ipſum Petrum veluti Petram duriſſimam & adamantis naturam firmitate ſuperantem, licet vniuerſus orbis reluctetur, qui Eccleſiæ Paſtor & caput illam firmitatem à Chriſto ſibi datam ipſi Eccleſiæ quodammodo influat, quâ prædita tot tantiſque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat. Hinc optimè addit S. Chryſoſt. *Ita & Pater ad Hieremiam dicebat: ſicut columnam ferream & ſicut murum æneum poſui te. Sed ipſum quidem genti vni Pater, hunc autem vniuerſo orbi terrarum Chriſtus præpoſuit.* Hæc Chryſoſt. Petrus igitur ſeu ſedes Petri columna eſt ferrea & murus æneus, Eccleſiam toto orbe diffuſum fulciens & proregens firmitate & fortitudine ſibi à Chriſto Domino collata. Et hæc de Throno dicta ſint: tranſeamus ad alia.

S. Auguſt. ſerm. 74.

S. Chryſoſtom. Hom. 55. in Matth.

Digitized by Google

Et ſupra ſedem ſedens.

De Throni firmitate & de ſedente in Throno.

ANNOTAT. IV.

Leuit. 11. OLIM quidem Deus Leuit. 11. cum hominibus ſe moraturum profitebatur, ac Tabernaculum tantùm facile auferendum ſibi arrogabat, ſeque non ſeſſurum ſed deambulaturum cum eis promittebat, *Ponam*, inquit, *tabernaculum meum in medio veſtri, & non abjiciet vos anima mea, ambulabo inter vos & ero Deus veſter, voſque eritis populus meus.* Cur, inquies, Thronum tunc ſibi non erexit aut poſuit, veluti nunc in Eccleſia militante Thronum firmiſſimum ſibi conſtituit in quo reſideat, de quo dicitur: *Thronus, ſedes tua Deus in ſæculum ſæculi.* Pſalm. 44. *Pſalm. 44.* Facilis eſt ad quæſtionem hanc, vt mihi videtur, reſponſio: quia figuræ in veritatem, Synagogâ in Eccleſiam commutandæ erant: ideo Thronum in Synagogâ poſuiſſe non dicitur, ſed in Eccleſiâ, quæ vſque ad conſummationem ſæculorum, in ea autoritate & poteſtate quæ illi data eſt permanere debet immobilis, veluti quæ ſupra firmam Petram ædificata eſt, & contra quam non prævalebunt omnes inferorum portæ. Hoc præfiguratum ſeu adumbratum fuiſſe mihi videtur, & à Salomone præuiſum in dedicatione Templi, cum intulerunt ſacerdotes arcam fœderis Domini in locum ſuum 3. Reg. 8. vbi *3. Reg. 8.* dicitur: *Factum eſt autem cum exiſſent ſacerdotes de ſanctuario, nebula implenit Domum Domini, & non poterant ſacerdotes ſtare & miniſtrare propter nebulam, implenerat enim gloria Domini domum Domini.* Cur enim Templo dedicato nebula implet Templum, niſi ad denotandum Templum hoc licet lapidibus quadris & ſolidis conſtructum, figuram tantum eſſe rei alicuius permanentis nempe *Tabernaculi veri quod fixit* *Hebr. 8.* *Dominus & non homo.* Hebr. 8. tabernaculo antiquo vmbratili veteraſcente & vt nebula tandem aliquando ad interitum properante? Quod præſentiens Salomon tunc ait, *Dominus dixit vt habitares in nebulâ: ædificans ædificaui domum & habitaculum tuum firmiſſimum, ſolium tuum in ſempiternum.* Clarius 2. Paral. 6. *Tunc Salomon ait: Dominus pollicitus eſt vt* *2. Paralip. 6.* *habitaret in caligine, ego autem ædificaui domum nomini eius, vt habitaret in perpetuum.* Senſuum elicies ſi hos ſcripturæ textus vt ſequitur diſponas: 1. Ædificans ædificaui domum & habitaculum tuum firmiſſimũ, ſolium tuum in ſempiternum, Dominus dixit vt habitaret in nebulâ. 2. Ego autem ædificaui domũ nomini eius vt habitaret ibi in perpetuum, Dominus pollicitus eſt vt habitaret in caligine. Ac ſi diceret: Cum toto ſtudio hanc ædificaui domum, eamque lapidibus, & ſaxis duriſſimis optimè compactã extruxi, exiſtimabam me ædificaturum Deo habitaculum firmiſſimum & ſolium in ſempiternum; At dominus dixit ibi tantum ſe habitaturum quaſi in nebula tranſeunte. Ego ædificaui domum nomini eius vt habitaret ibi in perpetuum, ſed animaduerte illas pollicitationes in nobis commorandi, non de perpetuâ inhabitatione intelligi ſed de ambulatoriâ & tranſitoriâ. Dominus enim pollicitus eſt vt inhabitaret in caligine: vmbræ ſiquidem & figuræ in veritatem ſunt commutandæ, & tranſlato ſacerdotio, legis fiet tranſlatio, & tabernaculum amouendum, in firmiſſimum Thronum commutabitur. Hinc D. Paulus ait Hebr. 7. *Conteſtatur enim, quo-* *Hebr. 7. & 8.* *niam tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Reprobatio quidẽ fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Hebr. 7. & 8. *Nam ſi illud prius culpâ vacaſ-*

A *ſet, non vtique ſecundi locus inquireretur, vituperando enim eos dicit: Ecce dies venient, dicit Dominus, & conſummabo ſuper domum Iſraël & ſuper Domum Iuda teſtamentum nouum, non ſecundum teſtamentum quod feci patribus eorum, &c.* Et in fine huius capitis concludit: *Dicendo autem nouum, veteraſti prius; quod autem antiquatur & ſeneſcit prope interitum eſt.* Quia igitur nunc Deus nobiſcum eſſe debet vſq; ad conſummationem ſæculi, Thronum ſibi poſuiſſe in cœlo dicitur non tabernaculum aut ſubitarium quoddam tectum frõdibus aut ſtragulis opertum, cuiuſmodi ſunt quæ in caſtris excitantur & modo huc modo illuc transferuntur, ſicut huc & illuc tabernaculum Moyſis transferebatur, vt patet Numer. 4. ad cuius mi- *Numer. 4.*
B niſterium & onera portanda fuerunt ſimul octo millia quingenti octoginta numerati, ibidem iuxta Verbum Domini Moyſes recenſuit eos vnumquemque iuxta officium ſuum & onera ſua. Ex trãſlato igitur ſacerdotio, legis factâ tranſlatione, cathedra Moyſis in cathedram Petri commutatâ, Deo non in lapide Sapphirino ſed in tabulis cordis carnalibus leges ſuas inſcribente, non in nebula habitare dicitur ſed in columnâ nubis, non tabernaculum erexiſſe ſed Thronum poſuiſſe in quo ſedeat vſque ad conſummationem ſæculi: In quo tanta emineat autoritas & maieſtas vt conterat quoſcumque qui eum concutere attentabunt, vt homines ſentiant æquitatem Dei precibus aut minis minimè
C flecti, ſapientia eius nec inueterari aut decipi aut circumueniri poſſe, nec eius bonitatem exhauriri, & talem eius eſſe poteſtatem vt nullus ei reſiſtere valeat. Reget gentes in virgâ ferreâ, quæ vt efficax eſt ad ea omnia quæ voluit peragenda, pertimeſcenda eſt valde ſi ſe ad vindicanda hominum peccata ſemel applicuerit. Hoc itaque Throno poſito & firmato quæritur quis in ea ſedere debeat? Tres ſunt hac de re ſententiæ. 1. Eſt Alcazar qui vult ſeſſorem eſſe Deum Patrem tantum, & in hac ſententiã olim fuit Andreas Cæſarienſis cum ait, *Cæterùm* *De ſedente in Throno tres ſententiæ 1. Andrea Cæſ. & Rupert.* *Patri, quem hoc loco viſum inducit, nullum omnino corpoream figuram affingit, vt in prima viſione filio aſſinxerat:* Et Ruperti: *Supra ſedem ſedens Deus eſt & pater,*
D *nam & perſona filij Agnus eſt, qui vt in ſequentibus narratur librum accepit &c.* 2. Eſt Ambroſij, qui Chriſtum ſeſſorem eſſe dicit. 3. Videtur probabilior, *2. Ambroſ. 3. Ayrans probabilior.* quæ eſt Nicolai de Lyra qui ait: *Sedens ſcilicet Deus Trinus & vnus.* Itaut ſedens Deus ſit abſolutè. Probatur hoc ex Triſagio quem concinunt quatuor animalia, nempe Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Quod quidem commune eſt Sanctiſſimæ Trinitati. Probatur ſecundo. Thronus hic vt vidimus ponitur in Cœlo ſeu in Eccleſiâ, vt Deus ſuam autoritatem & poteſtatem hominibus inculcare valeat; at Deus ſeipſum nunc non manifeſtat niſi ratione effectuum & mirandarum opetationum: ergo ſedere debet vt vnus & Trinus. Patet conſequentia, quia opera
E Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa; eodem enim intellectu, eadem voluntate, eadem poteſtate Deus omnia operatur: igitur cum in Eccleſiâ in quâ ſedet tanquam in Throno, excellentiora ſapientiæ ſuæ opera exerceat, charitatis ſuæ erga homines ſigna ſuauiora edat (opera enim gratiæ quæ cæteris naturæ operibus præſtant vt pote ordinis ſuperioris) in Eccleſiâ producit, tum in iuſtificatione hominum tum in eorum gubernatione, in quantum eos ordinat & per media ſupernaturalia inducit ad vitam æternam & finem ſupernaturalem conſequendum; ideo non ſolus Pater, aut ſolus Filius, aut ſolus Spiritus Sanctus operatur, ſed vnus Deus nempe Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Et opti- Cornelius
F mi Cornelius tationi Ruperti & Alcazar reſpondet Chriſtũ nos reconciliaſſe ſibi æquè ac Patri;

Digitized by Google

oratiõnem Filij ex Psalm. 39. *Hostiam & oblationem noluisti*, non tantum Patrem & Spiritum sanctum sed & filium respicere, & ad omnes dirigi: & quando in cruce clamauit: *Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me?* Mat. 27. non tantum à Patre, sed à seipso vt Deus erat suam humanitatem in tormentis & morte derelictam significasse; & cum docuit nos orare, Matt. 6. *Pater noster qui es in Cœlis*, vtique Patrem non personaliter sed essentialiter intellexisse, puta Deum ipsum qui suæ humanitatis & omnium hominum est pater, id est, Creator & Deus, qualis est tam Filius & Spiritus sanctus quam Pater æternus.

Psalm. 39. *Matt. 27.* *Matt. 6.*

Si igitur Agnus dicitur accedere ad sedentem, non ideo solus Pater erit sedens, cum filius sedere possit, & vt homo dici valeat accedere ad seipsum, vt Deus est, vnde ipse dicit: *Sicut & ego vici & sedi cum Patre meo in Throno eius.* Adde quod iuxta interpretationem quam amplectimur, Agnus est ipsemet saluator, in quantum est sub speciebus sacramentalibus panis & vini, qui Deo immolatur & offertur, vnde facillimè concipi potest quâ ratione & in throno sedeat, & tamen secundùm substantialem corporis sui præsentiam, tanquam Agnus ante Thronum representetur.

B

At vt de sedente in Throno quæ dicenda occurrunt in medium afferamus, quod de personâ Patris Andreas Cæsariensis hic notauit, hoc de Deo absolutè sumpto annotemus. *Cæterum Patri*, inquit Andreas, *quem hoc loco visum induxit, nullam omnino corpoream figuram affinxit, vt in 1. visione filio affinxerat:* Dicamusque sanctum Ioannem Deo nullam affinxisse figuram proculdubio non absque mysterio. Equidem Ezechiel c. 1. in figurâ hominis Deum apparuisse dicit, & super similitudinem Throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper; Et Daniel c. 7. antiquum dierum sedentem representat cuius vestimentum candidum, quasi nix, & capilli capitis eius, quasi lana munda. S. verò Ioan. tantùm ait: *Et supra sedem sedens.* 1. Ratio est, vt mihi videtur, vt eundem esse regnaturum in Ecclesiâ discamus, qui olim populo Iudaico legem dedit. *Vocem verborum eius audistis*, dicebat Moyses, Deuter. 4. *& formam penitus non vidistis.* Optimè nempe de Deo loquens Isaias c. 40. dixit, *Omnes gentes quasi non sint sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei? Cui ergo similem fecistis Deum? Aut quam imaginem ponetis ei?* Et paulo post: *Et cui assimilastis me, & adæquastis? Dicit Sanctus?* Vt igitur intelligeremus Deum inuisibilem oculis, & incomprehensibilem cogitatu, regere Ecclesiam, sicuti olim regebat Synagogam, Diuus Ioannes nullam ipsi affingit similitudinem. 2. Ratio est, vt apprehendamus fide non sensibus inuestiganda esse opera, quæ Deus in Ecclesiâ suâ operatur, vt eorum operum magnificentiam cognoscamus, dicamusque cum psalmistâ: *Quam magnificata sunt opera tua, Domine, nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ!* Nam vt fides erat necessaria iis, qui Christum Dominum in carne cum hominibus conuersantem videbant, vt eum Deum crederent, ita nunc fide opus est, vt intelligamus, Deum sedere & residere in Pastoribus Ecclesiæ, vt potestatis & auctoritatis suæ effectus producat, cum ipsi sint homines mortales, fragiles, lutea vasa portantes; imò etiam aliquando fœdi peccatores. 3. Ratio est, quia cum Ecclesia à Deo sit constituta, vt in ipsa appareat multiformis Sapientia Dei, propter multiplicet effectus quibus ipsa manifestari debet, nulla ei assignatur figura peculiaris, vt pro exigentia effectuum conuenientem ei similitudinem adscribere valeamus: Et sicuti Throni similitudinem expresse non designauit, vt iam vidimus, vt Thronum istum ad modum Templi alicuius sacrarij aut propitiatorij, in quo Deus inuocetur, super quod sedeat cuncta gubernans, concipiamus, instar alicuius tribunalis, in quo Rex, seu Monarcha aut iudex vices illius gerens, iudicia exerceat, leges populis imponat; Cathedræ, in quâ omnem doceat veritatem; Lecticuli, in quo conquiescat, veluti qui delitias suas testatus est, suam in hominibus mansionem; currus triumphalis, in quo sedens, se de hostibus superatis præclara erexisse trophæa, & triumphos peregisse gloriosos testetur; aut illius Throni Salomonici, quem sexaginta fortes ambiunt (vt maiestatem suam ostentaret, & se securum esse ac liberũ ab omni aduersariorum machinatione, aut circumuentione demonstraret) tenentes gladios, *Vnusquisque enim ensis super femur suum, propter timores nocturnos*: Ita sedens nullam figuram habere dicitur, vt omnes illi affingamus sub quibus aliquando hominibus apparere voluit; sicque eum vel vt Nubem protegentem ad modum illius, in quâ Dominus apparuit. Num. 16. cum fugerint Moyses & Aaron ad tabernaculum fœderis, quod postquam ingressi sunt, operuit Nubes & apparuit gloria Domini aut ad modũ vel Antiqui seu Senis, Danieli cum candido vestimento, & candidis capillis apparentis: vel columbæ super caput Christi Domini descendentis: seu ignis in figuram linguæ, super capita discipulorum sedentis; in quacumque figurâ Deum apparere vel apparuisse scripturâ dixeris cogita eum in hoc Throno sedentem, omnes producere effectus, quos producturum ad sui nominis manifestationem; tales figuræ Nubis, columbæ, ignis, & similium significarent.

C

Andr. Cæsar. Cur Deo hic nulla adscribitur figura. *Ezech. c. 1.* *Daniel. 7.* *Deut. 4.* *Esa. c. 40.* *Deus inuisibilis & incomprehensibilis.* *Psalm. 91.* *Fide, non sensibus inuestiganda opera Dei.*

Nulla Deo hic adscribitur figura, quia omnium, quæ assignata illi fuerint olim, vim & virtutes hæc sedes complectitur.

Numero 16.

Nec obstat, quod ait Cornelius S. Ioannem Deum vidisse in humanâ figurâ: tum quia dicitur cap. 5. Agnum accepisse librum de dexterâ sedentis in Throno: tum quia dicitur sedere, quod propriè situs est corporis humani. Nam quoad. 1. non dicimus Deum Patrem humanam habere figuram, ex eo quod Christus Dominus dicitur sedere ad dexteram Patris; nec ex sessione hanc similitudinem colligere licet. Nam sedere hic sumitur non pro situ alicuius corporis, sed pro aliquâ quiete permanente; aut ab agendo cessatione, aut firmâ & inconcussâ alicuius status possessione: veluti cum Deus dicitur sedere super Cherubim: *Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Beniamin & Manasse.* Psal. 79. Et postquam Isaias c. 40. negauit vllam de Deo dari imaginem, nihilominus de eodem dicit paulò post, *Qui sedet super gyrum terræ.* Itaque ex eo quod D. Ioannes dicat, *Et supra sedem sedens*, non possumus conjicere Deum necessariò ipsi in figurâ humanâ apparuisse, imò potius (cum Deum nunc in Ecclesiâ adorare debeamus in spiritu & veritate) nullam ei affingere similitudinem, vt mens nostra illum inuisibilem & incomprehensibilem esse meditetur; & fides eum nobis proponat in Ecclesiâ fixum, constanter & permanenter residentem, vt eam regat, sanctificet & protegat. Igitur cum dicit, *Et supra sedem sedens*: Est quasi dicat: Et supra hanc Ecclesiam & potissimum Romanam, Deum sedem fixam sibi elegisse animaduerti; vt per eam hominibus manifestum redderet, quo studio eius diuina prouidentia salutem eorum procuraret, qui in fide & doctrinâ illius Ecclesiæ perseuerarent, cum ipsa sit firmamentum & Columna totius veritatis; quæ hominibus reuelatione innotuit, vt ad beatitudinem æternam peruenire possint.

D

Psalm. 79. *Isa. 40.*

Digitized by Google

Et qui ſedebat ſimilis erat adſpectui lapidis Iaſpidis & Sardinis.

De idea & ſignificatione lapidis Iaſpidis, & Sardinis, & iris Smaragdini Thronum ambientis.

ANNOTAT. V.

De ideâ & ſignificatione in genere. §. 1.

CVIVS non expreſſit S. Ioannes figuram, huic colorem affingit, quaſi quid & aduentitium. *Similis*, inquit, *erat aſpectus Iaſpidis*, quaſi diceret: videbar mihi videre lapidem Iaſpidem, & Sardium, & iridem Smaragdinam in circuitu Throni: nec enim quem dixi ſedere, lapis eſt, ſed oculos in eum conjicere cupiens, ſpecies & ſimilitudines horum lapidum mihi obiectæ fuerunt, vt qui oculis inuiſibilis eſt, vt pote incorporeus & mente incomprehenſibilis, vt pote ſupra omnem ſenſum, rationem & intellectum, exiſtens; qualis & quantus eſſet nihilominus cogitarem & conjicerem tum ex fide, quam de illo profiteri debemus; tum ex effectibus quos producere intendit: ſiquidem qui vnus in eſſentiâ, Trinus in perſonis dicitur, Pater nempe Filius & Spiritus ſanctus, vnus eſt Deus omnipotens, qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt, adorandus. Is Ipſe opera miſericordiæ & juſtitiæ, ex ſumma erga homines charitate completurus eſt, quæ ei ſummum debent conciliare honorem, & omnes ſanctos & electos ad eius laudes decantandas prouocare. Hæc ſummatim perſtringo pro intelligentiâ & interpretatione huius loci, *Et qui ſedebat ſimilis erat aſpectui lapidis & Iaſpidis.* Ad planiorem illius elucidationem properamus, ideam & ſignificationem horum lapidum & arcus proponentes, in hoc Paragrapho ideam & ſignificationem in genere deſcribentes, ſpecialem ſignificationem in aliis Paragraphis remittentes.

Cur Colorem Deo affingit. quem vt inuiſibilem ſedentem deſcripſit.

Quantùm ad ideam ſeu ſpeciem 1. occurrentem, & oculos D. Ioannis ferientem horum lapidum, cum S. Propheta ſolum dicat, *Similis erat*, non Iaſpidi aut Sardio, *Sed aſpectui Iaſpidis & Sardij*, colorem indicare videtur. Color igitur ſeu ſpecies Iaſpidis & Sardinis eius obtutui eſt exhibitus. Hebræis enim oculus, vel aſpectus ponitur, pro colore & ſpecie. Quiſnam autem ſit color lapidis Iaſpidis, interpretes ſubuiridem ſeu viridem colorem, & etiam aqueum illi affingunt; quoſdam dicunt inueniri purpureos, cæruleos, candidos, rubros: & ſæpè Iaſpis eſt pellucens. Sardius autem eſt coloris rubei, ſanguinei & ignei, & colore ſimilis eſt carni perſpicuæ & pellucidæ, quaſi ſi caro in gemmam ſplendentem eſſet conuerſa. Quoad iridem autem ſedem ambientem, dicitur eſſe ſimilis viſioni Smaragdinæ. Smaragdus autem viridis eſt coloris, iridem igitur naturalem quoad formam & figuram, non quoad colorem imitabatur arcus ille thronum ambiens, tres enim colores exhibet arcus cœleſtis, cæruleum, viridem & rubicundum. At iſte quem videt S. Ioannes, colorem tantùm habet lapidis Smaragdini; igitur viridis tantùm apparet: Smaragdi nempe viriditate herbas ſuperant. Qui Deum in formâ humanâ apparuiſſe volunt, hos colores vt Pererius in corpore Dei ſeſſoris cenſent fuiſſe permixtos. Concinnius inquit Cornelius, Alcazar cenſet non commixtos ſed partitos fuiſſe, ſcilicet corpus Dei ab imo ad lumbos fuiſſe ſimile Iaſpidi, à lumbis vero ſurſum Sardio, & alludere vult S. Ioannes ad Ezechiel 1. vbi de ſedente in Throno Cherubino dicitur: *Ab aſpectu lumborum eius & deorſum ignis, & à lumbis & ſurſum vt viſio electri.* Nos vero qui hic Deo

Pererius.

Cornelius, Alcazar.

Ezech. 1.

A nullam aſſignamus figuram, *Vt ea ſpecie videri dicatur.* Vt loquitur D. Ambroſius apud S. Auguſtinus. Epiſt. 111. de videndo Deo c. 7. *quam voluntas elegerit, non natura formauerit. Potuit*, inquit D. Auguſt. *dicere, Non natura monſtrauerit: ſed maluit dicere formauerit; ne ipſam ſpeciem in qua Deus elegit apparere, de ſua naturâ formare putaretur.* Hæc Aug. Hos colores permixtos eſſe dicimus, vt illud Chriſti Domini ad Philippum cogitemus: *Philippe qui videt me videt & Patrem. Non creditis quia ego in Patre & Pater in me eſt?* Ioa. 14. & ſic circumínceſſionem diuinarum perſonarum quarum fides hic deſignatur melius repreſentetur, & quia effectus miſericordiæ ita ſunt effectus miſericordiæ vt in eis juſtitia reluceat, & effectus juſtitiæ ita ſunt juſtitiæ effectus vt miſericordia in eis eniteat. Quod ſi diſtinctè viſos malueris, nec hoc alienum erit à quacumque ſpecie in quâ Deus hic apparere cenſeatur, ſiue nubis, ſiue ignis, ſiue columbæ, ſiue hominis, vt partim fuerit nubes viridis partim rubea; partim ignis flammulas viridiores, partim cæruleas, partim rubeas emittat. Columba etiam ſit diuerſicolor ad modum illius de quâ dicitur: *Penna columbæ deargentatæ & poſteriora dorſi eius in pallore auri.* Et ſi figuram hominis cogites, vt ſicut diximus ſupernè ſit igneus, infernè ſit viridi colore indutus. Veniamus ad ſignificationem.

Ambroſius apud Auguſt.

Ioan. 14.

Pſalm. 67.

Et notandum 1. Quod licet Deus, vt docet doctor Angelicus, 1. q. 12. a. 3. nec ſenſu nec imaginatione videri poſſit ſed ſolo intellectu, nec vt docet a. 12. intellectus ex ſenſibilibus poſſit vſque ad hoc pertingere, quod diuinam eſſentiam videat, quia creaturæ ſenſibiles ſunt Dei effectus, virtutem cauſæ non adæquantes, vnde ex ſenſibilium cognitione non poteſt tota Dei virtus cognoſci, & per conſequens nec eius eſſentia videri: tamen quia ſunt effectus eius à cauſa dependentes, ex eis in hoc perduci poſſumus, vt cognoſcamus de Deo an eſt, & vt agnoſcamus de ipſo ea quæ neceſſe eſt ei conuenire; ſecundum quod eſt 1. omnium cauſa excedens omnia ſua cauſata. Hinc dicitur à S. Paulo Rom. 1. *Quod notum eſt Dei*, id eſt; quod cognoſcibile eſt de Deo per rationem naturalem, *Manifeſtum eſt illis*, nempe Philoſophias.

S. Thomæ 1. q. 12. ar. 3. & 12.

Significare Lapidum.

Deus per effectus cognoſcibilis.

Rom. 1.

Notandum 2. ex eodem S. Doctore a. 13. altiorem & perfectiorem cognitionem de Deo haberi per gratiam quàm per rationem naturalem, iuxta illud 1. Cor 2. *Nobis reuelauit Deus per ſpiritum ſuum*, illa ſcilicet quæ nemo principum huius ſæculi nouit, id eſt, philoſophorum vt exponit gloſſa, quod ſic patet; cognitio enim quam per naturalem rationem habemus duo requirit, ſcilicet phantaſmata ex ſenſibilibus accepta, & lumen naturale intelligibile, cuius virtute intelligibiles conceptiones ab eis abſtrahimus: At quantum ad vtrumque iuuatur humana cognitio per reuelationem gratiæ. Nam & lumen naturale intellectus confortatur per infuſionem luminis gratuiti, & interdum etiam phantaſmata in imaginatione hominis formantur diuinitus magis exprimentia res diuinas quam ea quæ naturaliter à ſenſibilibus accipimus, ſicut apparet in viſionibus prophetalibus: Et interdum etiam aliquæ res ſenſibiles formantur diuinitus, aut etiam voces ad aliquid diuinum exprimendum, ſicut in baptiſmo viſus eſt Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ, & vox patris audita eſt: hic eſt filius meus dilectus.

S. Thom. ibid. Cor. 13.

1. ad Cor. 2.

Altiorem de Deo cognitionem habemus per gratiâ quàm per effectus naturales.

Notandum 3. hac ratione ſanctum Ioannem ad res diuinas concipiendas fuiſſe confortatum, cum diuinitus fuerunt illi ſpecies Iaſpidis, Sardinis & ſimilium oculis obiectæ vel imaginationi impreſſæ: vt licet in viſione imaginaria vel ſenſibili non videretur Dei eſſentia, tamen aliqua forma vel oculis eius intuenda vel eius imaginationi imprimenda;

Digitized by Google

quæ menti prophetæ repræsentaretur diuinitus formabatur, Deum repræsentans secundum aliquem modum similitudinis prout in scripturis diuinis diuina, vt notat D. Thom. 1. p. q. 12. a. 3. ad. 3. per res sensibiles metaphoricè describuntur. Hinc patet quomodo licet Deus sit inuisibilis, propter quod de sedente loquens tantum dixit: *Et supra sedem sedens.* Nullam ei peculiarem designans figuram: tamen de eo nunc dicit, *Et qui sedebat similis erat aspectui lapidis Iaspidis & Sardinis*, Vt secundum aliquam similitudinem ex colore, & proprietatibus ipsorum lapidum depromptam, eum in suis effectibus contemplemus. *Inuisibilis quippe*, vt optimè docet D. August. Epist. 112. de videndo Deo c. 7. *non tantum pater sed & ipsa Trinitas Vnus Deus: & quia non tantum inuisibilis, verum etiam incommutabilis, sic apparet quibus voluerit, in quâ voluerit specie, vt apud eum integra maneat eius inuisibilis incommutabilisque natura.* Hæc S. Aug. In qua igitur vult specie, nempe Iaspidis & Sardinis nunc D. Ioanni apparet, licet nullam ei figuram affinxisset cum dixit: *Et supra sedem sedens.* His præsuppositis quærimus quid per hos lapides significare intendit, & dicimus 1. cum multa alia sint viridis coloris, multa rubescant, non absque tamen ratione viriditatem Iaspidis aut ruborem Sardij proponi, vt videlicet ex proprietatibus horum lapidum quæ similitudinem quandam habeant cum iis quæ significantur, ea conjicere valeamus.

S. Thom. 1. p. q. 12.

S. August.

Dicimus 2. Nihil dissonum ab iis quæ iam dicta fuere supra (cum diximus Deo nullam figuram specialem tribui) à nobis proponi, si nunc dicamus cum Propheta nostro Deum similem videri aspectui lapidis Iaspidis & Sardinis: aliud siquidem est loqui de figurâ aut formâ aut situ alicuius rei, aliud loqui de colore quo sit imbutus: figuram particularem negamus, vt omnes quas scriptura adducit Deo vt in Ecclesia operanti conuenire asseramus, vt effectus potentiæ ipsius ac virtutis, iustitiæ & æquitatis, sapientiæ & scientiæ, bonitatis & clementiæ, patientiæ & longanimitatis, seueritatis & iudicij, maiestatis & amoris explicemus. At in quacumque appareat figurâ, quâ eius potentia aut æquitas, sapientia aut bonitas aut alia similis perfectio denotetur, ei colorem siue Iaspidis siue Sardinis affingamus. Sit vt Nubes protegens, & spiritus viuificans, vt ignis purificans, vt columba fœcundans, vt homo opus suum perficiens, duos potissimum colores obtinebit: quibus tandem prouocamur, ad meditandum ea quæ in Ecclesia sedens aut regnans operaturus est.

Ad duo reducuntur omnia quæ de Deo cognoscit possit.

Dicimus 3. secundum doctrinam D. Thom. superiùs allatam, nempe sensibiles effectus Dei virtutem causæ non adæquare, quo fit vt ex sensibilium cognitione non possit tota Dei virtus cognosci; nullum dari singulare signum aut symbolum sufficiens ad omnes similitudines efformandas, quæ necessariæ sunt vt quæ de Deo credere aut cognoscere debemus perfectè consequamur. Ideo plura requiri signa vt eam quæ haberi potest de eius magnitudine & gloriâ inhac vitâ notitiam adipiscamus: tot conceptus necessarij sunt vt Dei summam perfectionem explicemus, vt signa innumera requirantur quorum ope & auxilio mens nostra ad aliquid Deo dignum concipiendum euehatur. Hac de causâ scriptura multis vtitur symbolis, ænigmatibus ac similitudinibus, vt nos ad eius cognitionem sapientissimè deducat: *Inuisibilia enim Dei per ea quæ facta sunt visibilia cognoscuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas*, inquit S. Paulus. Hinc Angelus qui D. Ioanni signa exhibere iussus est, quibus mens eius lumine intellectuali prophetico irradiata perciperet quæ Christus Dominus volebat seruis suis palam fieri, tot vtitur signis: hinc tot Angeli mittuntur qui diuersas induunt figuras, vt multiplices effectus diuinæ prouidentiæ, & Dei ac Christi Domini in Ecclesiâ operantis significent. His in genere de significatione horum lapidum dictis, ad specialiorem significationem veniamus.

De significatione visionis lapidis Iaspidis & Sardinis & Iridis specialius.

Regula 4. ex D. Aug. deprompta, quam in prologo posuimus ad intelligentiam huius prophetiæ conducens, in memoriam hic & deinceps sæpius reuocanda est; eisdem videlicet Scripturæ verbis, addo & signis, non vnum aliquid sed duo vel plura exprimi: quâ præsuppositâ.

Dicimus 1. Deum hic sedentem & similem aspectui lapidis Iaspidis & Sardinis apparentem repræsentari, vt discamus quid de eo credere debemus vt in se est, & quid etiam operaturus sit in Ecclesiâ ad sui ipsius manifestationem. Hinc quantum ad id quod de eo credere debemus.

Dico 2. fidem Sanctissimæ Trinitatis veluti fundamentum totius Christianitatis nobis adumbrari in aspectu lapidis Iaspidis & Sardinis & Iridis Smaragdini: hæc enim fides, est Christiana fides, & per hanc fidem verè sumus Christiani. *In hoc*, dicebat D. August. *Christianus sum, quia Vnum Deum in Trinitate confiteor.* Tract. 1. in Ioan. Et paulo post *Sic autem huius Vnicæ deitatis præcelsa insignia prædicamus, vt tamen non sicut Iudæi, sed sicut Christiani Trinitatis diuina Mysteria pariter fateamur:* Debuit igitur hæc fides inculcari statim atque S. Ioan. descriptionem fundationis Ecclesiæ in positione Throni aggressus est, vt sicut Moyses Trinitatem insinuauit, initium Creationis rerum aggrediens, dicendo: *In principio creauit Deus Cœlum & Terram, Spiritus autem Domini ferebatur super aquas*, Ita nunc D. Ioannes Ecclesiæ fundationem quæ in nomine sanctissimæ Trinitatis ex omnibus mundi partibus vocatur aggrediens, fidem tanti mysterij proponere debuit dicendo: *Et qui sedebat similis erat aspectui lapidis Iaspidis & Sardinis, & Iris erat in circuitu Throni similis visioni Smaragdinæ.* Quod autem Moyses Trinitatem insinuauerit in verbis supradictis, D. Basilium & Ambrosium habeo autores. *Est*, inquit Basilius Hom. 1. in Gen. *principium eorum operum quæ arte conficiuntur, ipsa ars & sapientia Beseelis principium fuit totius ornatus qui circa Tabernaculum conuisebatur*: Et paulo post subdit; *Occurret menti Verbum illud rerum artifex, quo præeunte in suum quæque ordinem oculis subjecta atque conspicua distincta sunt. In principio*, igitur erit ex Basilio, ac si diceret: in verbo & cum verbo: hæc interpretatur, *Spiritus Dei ferebatur super aquas*, hoc manifestè de personâ Spiritus sancti intelligendum esse docet cum ait: *Spiritus ille, Spiritus Dei sanctus dictus est, propterea quod obseruatum est talem de illo peculiari modo scripturam præcipueque facere mentionem, sic nihil aliud Dei Spiritum appellare quam ipsum Spiritum sanctum, qui diuinæ beataque Trinitatis numerum complet.* Et paulo post: *Super aquas*, inquam; *Spiritum Dei ferri, id est, ad fœcunditatem, vitalem aquæ naturam ipsum Spiritum sanctum præparasse: quare satis est, per hoc id ostenditur quod quæritur à nonnullis, nec ab actu creandi Spiritum sanctum abfuisse.* Hæc D. Basilius. Vides optime lector, Moysem ex D. Basilio Sanctam Trinitatem nobis proposuisse veluti rerum opificem, ac si Moyses dicat: In principio, id est, in verbo Dei filio, Deus Pater creauit Cœlum & Terram, cuius sicuti & Filij Spiritus rebus fœcunditatem vitalem erat suppeditaturus. Audiamus D. Ambrosium lib. 1. Hexamer. c. 4. *Est etiam principium mysticum, vt illud est: ego sum primus & nouissimus, principium & finis: Et illud in Euangelio,*

S. Basilius.

S. Ambros.

Digitized by Google

Diuerſæ autorum iſtorum lapidum ſignificationes.

ſubſtantiæ per emanationes & proceſſiones diuinas intellectus & voluntatis, quarum Pater (generans Filium, & cum Filio producens Spiritũ ſanctum) fons eſt, optimè adumbrat. Ad Sardium veniamus, quo filius ſignificatur, ſiue quia per Sardij igniformem ruborem diuina ſapientia quæ filio appropriatur poteſt intelligi, vt vult Dionyſ. Carthuſ. vel quia ſaluator in ſe continet ruborem Sardij, quia vt ait Ambroſius, ſecundum humanitaté homo perfectus exiſtit: vel quia ſi Patrem Andreas Cæſarienſ. Sardio aſſimilauit, ob terrorem quem hoſtibus incutere ſolet (aiunt namq; Sardiũ teris ſpectriſque videri terribilem) cum omne iudicium Pater dederit Filio, eiuſque inimicos ponat ſub pedibus ſuis, quâ ratione dæmonibus & malis terribilis apparebit, rectè ipſum filium Sardio ſignificari dicere poſſumus. Habet etiam Sardius, ſi Andreæ Cæſarienſi credimus, vim à natura inſitam ægra corpora ſanandi: *Et magnæ*, inquit Andreas Cæſarienſ. *Epiphanio placet, non modo tumoribus ſi commodè adhibeatur medetur, verum etiam ferro illatis vulneribus.* Quid conuenientius dici poſſet, ad ſignificandam eam quam à Chriſti ſanguine vulnerum medelam accipimus? medicamentum eſt quippe ſanguis Chriſti. ac pretioſum vnguentum omnem ſuperbiæ tumorem deprimens, omnia paſſionum vulnera conſtringens. Venio ad Iridis ſignificationem. *Per Iridem ſeu arcum*, inquit Dionyſ. Carthuſ. *Clementia & fœdus amicitiæ Dei ad Eccleſiam inſinuatur.* Itaque Iris erat in circuitu ſedis, id eſt, Eccleſiæ ſeu electorum qui Thronus ſunt Dei, quoniam miſericordia Dei & pactum amicitiæ eius circumdat, munit tuetur Eccleſiam: & vt vult Ambroſius, per viriditatem Smaragdi quæ perſpicua eſt, miſericordia Domini deſignatur rectè, vt nullus homo ſanam mentem poſſidens hanc ignorare valeat. At cum homines Dei clementiam experiantur, cum eis Deus fœdus amicitiæ ineat ipſiſque miſericordiam impendat, ex ſincerâ erga eos charitate (*Sic*, enim, *Deus dilexit mundum vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam*) rectè per Iridem, Spiritus ſanctus qui amor eſt, & cauſa omnis bonitatis creatæ deſignatur.

Ioan. 3.

Dilucidior & latior Iridis ſignificatio, ad perſonam Spiritus ſancti denotandam. §. 3.

Natura planè beata Deus, exuberantiſſimè abundans ac luculenta bonitas, inquit D. Baſilius Hom. 1. Hexamer. *cuique rationis capaci mirè amabilis pulcritudo, flagrantibus votis & exæſtuanti deſiderio nulli non expetenda, omnium quæ ſunt primiceria ortus, fons vitæ ſpiritualis omnis intelligentiæ, lux, ſapientia nattingibilis nec vlli perniæ mortalium ἀναφὴς ἐφικτὸς ille eſt qui cælum & terram creauit, idque in principio.* Ita Baſilius. Idem ipſe qui fundauit Eccleſiam & Thronum ſibi in ea collocauit, ac in ea quaſi in ſede gratiſſimâ reſidet & conquieſcit: at cum infinita & incomprehenſibilis illa eſſentia ibi eſſe dicatur vbi operatur, quid in Eccleſia operetur vt in ea reſidere potiſſimum dicatur inquirendum eſt. Hoc fortaſſe conjiciemus ſi ſignificationem iridis adipiſci potuerimus. Et dico 1. idem perfectiſſimum eſſe ſymbolum naturæ, principij & perſonæ Spiritus ſancti. Iam diximus Iridem Spiritus ſancti perſonam adumbrare, & ſicut olim arcus ille cœleſtis poſitus eſt in ſignum fœderis inter Deum & terram; *Erit*, inquit Deus, *arcus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis ſempiterni quod pactum eſt inter Deum & omnem animam viuentem vniuerſæ carnis quæ eſt ſuper terram.* Gen 9. ita dicimus Iridem quæ Thronum Dei circumdat ſignum eſſe clementiæ, fœderis, amicitiæ & miſericordiæ Dei erga Eccleſiam, cui amore inſeperabili vnitur, iuxta quod olim dicebat Ozeæ 2. *Et ſponſabo te mihi in ſempiternum: & ſponſabo te mihi in iuſtitia & iudicio & in miſericordia & in miſerationibus; & ſponſabo te mihi in fide & ſcies quia ego Dominus: ter*, inquit S. Hieron. repetit, *ſponſabo te, vt oſtendat 1. quod deſponſat eam in Abraham ſine in Ægypto. 2. in monte Sinai duns ei pro ſponſalibus legis Iuſtitiam: 3. in fide & gratia Euangelij. O quanta Dei clementia! Meretrix quæ cum multis amatoribus eſt fornicata, & ob crimen beſtiis tradita, poſtquam reuertitur ad virum nequaquam reconciliari ei dicitur, ſed deſponſi: & vide quid ſit inter Dei coniunctionem & hominum: homo cum vxorem acceperit de Virgine mulierem facit, id eſt, non Virginem; Deus etiam meretricibus copulatus eas mutat in Virgines, &c.* Addamus S. Hieron. non ſolum Virginem reddit Eccleſiam quam ſibi aſciuit in vxorem ſed eam munit, tuetur, protegit, & amore præcipuo complectitur; & in ſignum amicitiæ ſempiternæ ſui ſpiritus præſentia eam viuificat, vegetat, illuminat, fouet, perficit, fœcundat. Hanc diuini ſpiritus præſentiam inſinuat D. Ioannes cum ait; *Et iris erat in circuitu ſedis ſimilis viſioni Smaragdinæ*: Et rectè, nam optimè iris in ſuâ materiâ, in ſuo principio productiuo, & in natiuo colore ac figura; naturam, principium & perſonam diuini ſpiritus adumbrat.

Iris clementiæ ſignum.

Genes. 9.

Oſee 2.

S. Hieron.

Dico 2. diuinam naturam ſeu eſſentiam ſeipſam in ſcripturâ ſpeculandam proponere, ſub ſignis aut ſymbolis nubis, vaporis, roris. Exod. 16. *Ecce gloria Domini apparuit, in nube*: Et de ſapientia Dei Eccleſ. 24. dicitur: *Ego in altiſſimis habitaui, & Thronus meus in columna*, Nubis, Et Sap. 7. de ea dicitur: *Vapor eſt enim virtutis Dei, & emanatio quædam eſt claritatis omnipotentis Dei ſyncera, & ideo nihil inquinatum in eâ incurrit.* Ros etiam nuncupatur, Ozeæ. 14. *Ego quaſi ros Iſraël*: Et Iſa. 26. *Ros lucis, ros tuus.* Videſne nube, vapore, rore Deum adumbrati, vt eius naturam ac diuina attributa eo modo quo poſſimus in hac vitâ cognoſcamus nempe ſub ænigmatibus & obſcuritate fidei: *Poſuit*, enim, *tenebras latibulum ſuum, in circuitu eius tabernaculum eius: tenebroſa aqua in nubibus aëris.* De Deo namque ac eius eſſentiâ loquimur, non prout in ſe eſt ſed vt à nobis concipi poteſt in hac vita cum ab effectibus ad ſupremæ cauſæ notitiam deuenimus, vel ea ſub obſcuritate fidei in ſpecie & ænigmate reuelatur: nam ſicuti ex terrâ plurimi eleuantur vapores quibus quidem condenſatis nubes efformatur, ſic ex notionibus diuinarum perfectionum quas haurimus ex notitiâ rerum creatarum viſibilium ac ſenſibilium, vel etiam ex reuelatione fidei, accipimus ænigmatica & ſimilitudinaria: vel obſcura, licet certiſſima in nobis exurgit Dei cognitio, ſub quâ quaſi ſub quadam nube naturam diuinam ac diuina eius attributa contemplamus. Nec enim eum intuitiuè conſpicimus, ſed tantum in ænigmate aut ſimilitudine eum ſupra omnia creata excellere apprehendimus, concipimus, iudicamus, credimus aut ſcimus.

Eccleſ. 24.

Sap. 7.

Oſee 14.

Iſ. 26.

Qui cælum & terram creauit idem & Eccleſiam fundauit.

Dico 3. in hac lucidiſſimâ nube cognitionis diuinæ eſſentiæ ex multis conceptibus noſtris quodammodo efformatâ, nos quaſi quandam columnam firmiſſimam concipere, ne ſit nubes vaga & errabunda quæ huc aut illuc impellatur, aut propulſetur; quæ huc aut illuc à ventis per aëre impellatur aut diſpergi & diſſolui queat, ad modum illarum nubium quæ orto ſole euaneſcunt & diſſipantur. Hanc columnam in nube conſpiciamus. Cum primam Trinitatis perſonam in naturâ ſubſtatiali naturaliter ſubſiſtere credimus (requirit & exigit nempe diuina ſubſtantia vt ſubſiſtat in quadam perſonâ) fit vt in diuinâ naturâ tanquam columnam firmiſſimam, perſonam primam diuinitatis ſubſiſtere dicamus, vt verum ſit quod à filio in ſinu paterno cognoſcente

Diuina ſubſtantia quaſi columna firmiſſima in qua ſubſiſtere 1. dicitur patris perſona.

optimè dicitur: *Ego in altissimis habitaui & Thronus meus in Columna nubis*: Id est, in primâ personâ subsistente diuinitatis, in cuius sinu & gremio ab æterno conquiesco. Etenim cum diuina natura substantia sit infinita, fœcundissima & bonis omnibus refertissima, hac de causâ illa 1. diuinitatis persona absoluta minime concipitur, sed relatiua ob suam fœcunditatem & communicabilitatem: Et ideo Pater dicitur quod generet filium, qui vt suam emanationem, productionem & generationem nobis proponat speculandam, & egressum è columna nubis nempe è sinu Patris significet, vaporem se esse profitetur, non turbidum, non sorde contaminatum, non aliqua re alienâ aut disconuenienti permixtum, sed purum & sincerum: *Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera, & ideo nihil coinquinatum in eam incurrit.* Vapor est non è terrâ exurgens, sed ex Dei virtute, nempe ex fœcunda paterni intellectus generandi sibi similem potestate, quo fit vt optimo iure cum filius sit semper in sinu patris vt pote immanente actu genitus, sicuti pater in filio esse dicitur, filius dicit se habere Thronum suum in columnâ nubis, cum se æqualem Patri & omnia habere quæ Patris sunt apertè profitetur: *Omnia mea tua sunt & mea tua sunt*, inquiebat ipse.

Filius vaporis purissimo assimilandus.

Dico 4. hanc lucidissimam præterea nubem non ita condensatam concipi ac si nunquam in pluuiam diffluere nequiret, sed eam vt roridam, id est, capacem quæ in rorem & pluuiam aut imbrem guttatim diffluat, quâ quidem ratione monemur diuinam naturam talem esse vt bonitatis suæ infinitos effectus communicet. At sicut antequam nubes in pluuiam aut rorem dispergantur apparet in nubibus arcus ille cœlestis, ita antequam ad extra hæc lucidissima nubes bonitatis suæ participationes effundat, in ea diuinitatis nube apparet pulcherrimus Iris nempe persona Spiritus sancti. Si, inquiunt philosophi, vapor in nube conclusus antequam actu fluat imber, in rorem & pluuiæ guttas dissoluatur incidatque in nube solis radius ex aduerso sole nubi opposito, tunc radius directus ac identidem reflexus arcum quem oculis conspicimus efformabit: pari ratione antequam communicationes ad extra diuinæ bonitatis actu effundi concipiamus, quæ ad tantam talemque profusionem tandem deuenerunt vt præ nimiâ charitate quâ dilexit nos Deus filium suum vnigenitum nobis dederit, & cum eo omnia nobis donauit (quæ tanta ac talis communicatio rori assimilatur Oseæ 14. & Isa. 26 vt vidimus) antequam has, inquam, communicationes ad extra concipiantur, cum amor suipsius præcedat amorem eorum quæ extra existunt, concipere debemus processionem Spiritus sancti necessario præcedere: quem quidem in natura diuina subsistere cognoscimus, sicut Irim seu arcum cœlestem in nube rorida ac semicirculari existere conspicimus. Sit igitur materiale veluti subiectum Iridis (nempe nubes) symbolum illius diuinæ naturæ, in quâ Spiritus sancti persona subsistere creditur. Veniamus ad principium, vt perfectam Iridis habeamus cum Spiritu sancto conuenientiam, quo discamus conuenienti symbolo hanc diuinam personam à S. Ioanne adumbrari. Et ideo,

Nubes rorida Spiritus sancti personam designat.

Dico 5. Nubem istam lucidam esse, & ad modum cuiusdam solis radios emittentis. *Nubes lucida obumbrauit eos*, Ait D. Math. transfigurationis Domini historiam narrans. Sit igitur tanquam sol Pater radium suum emittens in nube incidentem, cum suam deitatem & se in ea subsistentem cognoscit; filius hac ratione genitus vapor erit vicutis Dei luminosus, velut lumen de lumine, & emanatio quædam claritatis Dei syncera, in quâ nihil inquinatum nihil à Dei Maiestatis alienum incurrit, cum sit eiusdem cum Patre substantiæ ac naturæ. *Candor est enim lucis æternæ & speculum sine maculâ Dei maiestatis & imago bonitatis illius, splendor gloriæ & figura substantiæ eius.* Heb. 7. *Sap. 7. Heb.*

Dico 5. Radium directum & reflexum nos concipere ex hoc sole vibrari, directum quidem cum Pater Filium generat, perfectissimâ & absolutissimâ, comprehensiuâ & intuitiuâ cognitione diuinitatis, subsistentiarum, attributorum, quin & omnium effectuum possibilium quæ à Deo produci queunt; (omnis quippe cognitio rei absoluta & intuitiua eam prout in se est & secundum totalem suam virtutem comprehendere debet) reflexum cum sicuti Pater suam essentiam cognoscendo generat filium, ita Pater & Filius suam diligendo diuinitatem producunt Spiritum sanctum. Et sicuti Verbum minimè producitur ex indigentiâ intelligentis sed potius fœcunditate diuini intellectus, sic Spiritus sanctus non producitur ex indigentiâ diligentis sed ex fœcunditate diuinæ voluntatis, quâ Pater & Filius suam diligunt diuinitatem, Patre hujus dilectionis principium absque productione aliqua possidente, Filio illud idem principium per viam generationis habente, quam quidem diuinitatem diligunt prout in se est aut existit, & per consequens prout est subsistens in tribus personis diuinis. Producunt igitur Pater & Filius Spiritum sanctum dilectione sibi maximè naturali, & quæ in primo signo existentiæ seu originis cujusuis personæ diuinæ in ea esse concipitur: verbi gratiâ, producit Spiritum sanctum Pater eodem amore quo seipsum amare intelligitur in eo instanti quo concipimus eundem subsistere in diuinâ essentiâ, & consequenter essentialem possidere amorem: eadem ratione Filius producit Spiritum sanctum eadem dilectione qua seipsum diligit in eo instanti quo concipimus essentialem amorem in eo esse per viam generationis. Hic igitur radius supra seipsum reflectitur cum propter cognitionem quam habent Pater & Filius supremæ illius bonitatis, in eandem diuinam essentiam amore ac dilectione feruntur: quin etiam Pater & Filius seipsos inuicem diligunt, cum vterque seipsum amat & diligit: Dilectio quippe suipsius necessario coniuncta est cum amore correlatiui, cum correlatiua se inuicem ponant & simul coexistant: Etenim quomodo Pater, Patrem se esse vellet nisi vellet habere Filium? aut quomodo Filius Filium esse gauderet qui Patrè nollet agnoscere? Cum igitur Pater & Filius producunt Spiritum sanctum ea dilectione quâ ipsos ac se inuicem reciprocè diligant, & eo amore quo suam diligunt naturam, diuinitatem ac essentiam prout in se est, & quibuslibet modis considerari queat, rectè diximus Iridem hunc produci ex directo reflexo radio luminoso & calido huius solis, per viam generationis filij intellectum & voluntatem communicantis.

Cum directo & reflexo radio solis comparatur generatio Filij & Spiritus sancti processio.

Dico 6. Quod sicut ex materiâ iridis ad naturam & essentiam Spiritus sancti speculandam euecti fuimus, & ex principio iridis principium Spiritus sancti contemplati fuimus, ita ex figurâ & ex formâ Iridis personam Spiritus sancti à Patre Filioque procedentem contemplari possumus. Iris, inquiunt, est velut quædam solis confusa imago aut species, quod quidem fit ex guttularum paruitate quæ sunt paratissimæ vt diffluant & decidant, & ex inæqualitate, raritate, densitate, dissimili situatione, aut positione, figura diuersa, perturbatione, mixtione lucis quæ Iridem causat & talem qualem habet existentiam confert. Decipiuntur quippe illum contemplantes ex refractione & multimoda tran-

In forma & figura iridis personæ Spiritus sancti designatur.

Digitized by Google

ſitione radij luminoſi huc & illuc tranſcurrentis. Abſit à mentibus & ſermonibus noſtris vt in tam ſublimi diuinæ & adorandæ Maieſtatis natura aliquid confuſum eſſe aut ſentiamus aut dicamus: Cuius ſapientiſſima ordinatione omnia in perfecto ordine conſtant nihil inordinatum in ſe habere poteſt: ſed aliud eſt Deum concipere aut de eo cogitare ſicuti in ſe eſt, aliud de eo loqui aut cogitare ſecundum quod vel eum concipere vel de eo loqui poſſumus, nempe in ænigmate, *Per ſpeculum enim ambulamus & non per ſpeciem*, 2. Cor. 5. Et hoc præſuppoſito, dico quod illa imago non diſtincta ſed confuſa ſolis quæ in Iride eſt ex commixtione radiorum prouenientes, mentes noſtras quodammodo excitat vt concipiamus Spiritum ſanctum, licet ſit ſimilis Patri non tamen ex vi proceſſionis poſſe dici imaginem Patris, ſicut filius dicitur imago Patris, ſed tantùm identicè, quod nullam aliam habeat naturam ſeu eſſentiam ſed eam quæ communis eſt Patri & Filio: quo fit vt idem ſit cum Patre & Filio in eſſentia, natura, majeſtate, immenſitate, potentiâ, æternitate. Quod igitur Iris ſit imago confuſa ſolis, aptum eſt ſymbolum ad ſignificandum perſonam Spiritus ſancti ſimilem eſſe quidem Patri, ſed non eius eſſe imaginem, quia tantum hanc ſimilitudinem identicè habet ratione eiuſdem naturæ, at non ex vi proceſſionis quia procedit per modum amoris.

Dico vltimo, Incomprehenſibilitatem huius diuinæ perſonæ quæ ineffabilis eſt & incomprehenſibilis, optimè adumbrari in Iride. Sphærica quippe figura, Dei infinitatis ſymbolum eſt. Comprehenſio circuli, cognitionis adæquatæ infinitatis illius ſymbolum eſſe vtique exiſtimandum. Cum igitur Iris circulum perfectum non efficiat, cognitio & apprehenſio Iridis qui ſit tantum ſemicirculus, imperfectæ comprehenſionis circuli erit ſignum. Etenim ex Philoſopho diſcimus Iridem apparere per modum ſemicirculi, quia centrum Iridis eſt punctus quem tangit radius procedens à centro ſolis: ideo ſi ſol eſt in puncto orizontis, maior eſt Iris quæ eſſe poſſet, & centrum illius Iridis erit in puncto orizontis ex oppoſita parte corporis luminoſi, & ſic non relinquitur niſi ſemicirculus, ſupra orizontem. Petrus Tataretus lib. 3. meteor Ariſtotelis. Iris autem cum ſit in circuitu Throni non perfectus circulus, ſi per Iridem Spiritum ſanctum deſignari optimè diximus, eum non adæquatè prout in ſe eſt nobis apparere nec à nobis agnoſci dicendus eſt, ſed tantum pro modulo noſtro ſecundum quod imperfectè & ex parte cognoſcitur. Nam ſecundum ſe eſt incomprehenſibilis. Propter hanc incomprehenſibilitatem exclamat S. Greg. Nazianz. Orat. 37. *Quæ eſt proceſſio*, inquit, *dic tu, quæ Patris genitura ſit: ego Spiritus ſancti proceſſionem aggrediar, vt ambo mentis veſania agamur præcipites, in Dei myſteria oculos conjicientes*: D. Auguſtinum audiamus, de ineffabilitate Diuinæ huius perſonæ, poſt explicationem illius proceſſionis optimè differentem lib. 3. contra Maximum Arrianum c. 14. *Quæris à me ſi de ſubſtantia Patris eſt Filius, de ſubſtantia Patris eſt etiam Spiritus ſanctus, cur vnus Filius ſit, & alius non ſit Filius? Ecce reſpondeo ſine capias, ſine non capias. De Patre eſt Filius, de Patre eſt Spiritus ſanctus ſed ille genitus eſt iſte procedens. Ideo ille Filius eſt Patris, de quo eſt genitus. Iſte autem Spiritus vtriuſque, quoniam de vtroque procedit. Sed ideo cum de illo Filius loqueretur ait: de Patre procedit: quoniam Pater proceſſionis eſt auctor qui talem Filium genuit, & gignendo ei dedit vt etiam de ipſo procederet Spiritus ſanctus. Nam niſi procederet & de ipſo, non diceret diſcipulis: Accipite Spiritum ſanctum, eumque inſufflando daret, vt à ſe quoque procedere ſignificans aperte oſtenderet flando, quando ſpirando dabat occulte: quia ergo ſi naſceretur non tantum de Patre, nec tantum de Filio ſed de ambobus vtique naſceretur, ſine dubio Filius diceretur amborum: an per hoc quia filius amborum nullo modo eſſet, non oportuit eum naſci de ambobus. Amborum eſt ergo Spiritus procedendo de ambobus. Quid autem inter naſci & procedere interſit, de illa excellentiſſima natura loquens explicare quis poteſt? Non omne quod procedit naſcitur, quamuis omne procedit quod naſcitur: ſicut non omne quod bipes eſt homo eſt, quamuis bipes ſit omnis qui homo eſt: hoc ſcio: diſtinguere autem inter illam generationem & hanc proceſſionem neſcio, non valeo; non ſufficio: ac per hoc quia & illa & iſta ineffabilis eſt ſicut Propheta loquens ait, generationem eius quis enarrabit? Satis ſit ergo nobis quia non eſt à ſeipſo filius ſed ab illo de quo natus eſt, non eſt à ſeipſo Spiritus ſanctus ſed ab illo de quo procedit, & quia de vtroque procedit, &c.*

Ex dictis igitur clarum eſt optimè & genuine D. Ioannem nobis perſonam & præſentiam ſancti Spiritus, prout à nobis in viâ cognoſci poteſt per Iridem adumbraſſe. Nunc ad effectus quos Deus Opt. Max. in Eccleſiâ producit, ex eo quod eam ſummoperè diligat ac in ea maneat & reſideat, veniamus.

Quod ex iride Smaragdino conjicere poſſumus quid Deus tandem ſit operaturus in Throno Eccleſiæ ſedens, vt ſimilis dicatur aſpectui lapidis Iaſpidis & Sardinis. j. miſericors & juſtus appareat.

ANNOTAT. V.

QVOD de viſibilibus miraculis narrat D. Proſper in ſuis ſententiis ex D. Aug. collectis, hoc de ſignis & ſymbolis dicere poſſumus. *Viſibile*, inquit, *miraculum ad illuminationem vocat, inviſibile autem eum qui vocatus venit illuminat. Omnis ergo narrat mirabilia Dei, qui credens viſibilibus ad intelligenda inviſibilia tranſitum facit.* Sentent. 134. Ita dicimus nos narrare mirabilia Dei, ſi ex his ſignis quæ oculis S. Ioannis apparuerunt ad intelligendas admirabiles Dei operationes tranſitum faciamus. Certè Chriſtus Dominus hanc Spiritus ſancti diuinam præſentiam quam per Iridem deſignari diximus olim Eccleſiæ ſuæ promiſerat, Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum ſpiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum nec ſcit eum. Vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit & in vobis erit.* Videtiſne diuini ſpiritus manſionem optimum eſſe ſignum fœderis ſempiterni inter Deum & Eccleſiam? Vbi Charitas & amor ibi Deus eſt, manet Pater, manet & Filius vbi Spiritus dilectionis inhabitat, itaut quibus Spiritus præſens eſt in iis tanquam in Throno ſedeat & maneat qui ſimilis dicitur lapidi Iaſpidis & Sardinis. O quot quantiſque donis Eccleſia cumulatur ex eo quod Iris, nempe Spiritus ſanctus eam circumdat & complectitur! *Amor Dei*, ait D. Thom. 1. 1. q. 20. a. 2. *eſt infundens & creans bonitatem in rebus.* Quid non igitur ſperandum iis cum quibus manere debet in æternum? Nec enim otioſus eſſe poteſt amor ille viuificus, vbicumque fuerit ibi proculdubio infundet, creabit & producet ſuæ bonitatis innumeros effectus. Hinc

Dico 1. Omnia quæcumque ſunt & excogitari poſſunt dona, per Spiritus ſancti præſentiam Eccleſiæ conferri. At hæc ſunt præcipua ad quæ velut ad quædam capita cætera mihi videntur poſſe reduci, & quæ per Iridem Smaragdinum denotantur, quod

S. Proſper.

Ioan. 14.

S. Thom.

Omnia dona ex Spiritus ſancti præſentia.

S. Greg. Naz.

S. Auguſtin.

mundum arguat de peccato & de iuſtitiâ & de iu- A habebitis quidem Spiritum ſanctum docentem quidnam vobis ſit agendum vt meis inhæreatis veſtigiis & iuſti efficiamini. Denique arguet mundum de iudicio, *Nam princeps huius mundi iam iudicatus eſt.* Id eſt, ſi mundus obcæcatione mentis & obduratione voluntatis in peccatis perſtiterit, demonſtrabit Spiritus ſanctus quodnam ſit illi expectandum iudicium, qui eum principem ſequatur qui tanquam ſeductor & pater mendacij iam iudicatus eſt, & velut homicida & peſtifer hoſtis ad pœnas damnatus. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*, vt ait S. Petrus 2. Pet. 2. *in iudicium reſeruari*, &c. Iniquos vt poſtea proſequitur, in diem iudicij nouit reſeruare cruciandos, *Magis autem eos qui poſt carnem in concupiſcentiâ immunditiæ ambulant, damnationem contemnunt, ſibi placentes ſectas non metuunt introducere, vbi Angeli fortitudine & virtute cum ſint maiores non portant aduerſum ſe execrabile iudicium*, &c. Quod autem iam iudicatus ſit Princeps Mundi oſtendet Spiritus ſanctus ex ſcripturis & Prophetiis quas inſtigante Spiritu ſancto ſcripſerunt ſancti Dei homines. De quâ condemnatione clarum habebimus teſtimonium cap. 12. huius prophetiæ; tum etiam ex eiectione & expulſione dæmonum è corporibus, ex vanitate idolorum confutatâ, ex potenti virtute qua regnum eius in cordibus fidelium fuit deſtructum cum fortior illo in mundo aduenit & arma eius diripuit in quibus confidebat. Luc. 11. Quia hic locus difficultatem ſpecialem patitur, ideo illum explicare non piguit, cætera perfunctoriè explicamus quibus præſentiæ Spiritus ſancti effectus explicatur. Igitur Spiritus S. docebit omnẽ veritatem, ſiue vt græcè eſt deducet in omnem veritatem. Ἐκεῖνος ὁδηγήσει ὑμᾶς ἐν τῇ ἀληθείᾳ πάσῃ Ioan. 16. Nã vt doctor & magiſter timo ordine nos quaſi diſcipulos ad omnem quam nobis ſcire conuenit veritatem deducet, documenta vitæ purgatiuæ, poſtea illuminatiuæ, tandem vnitiuæ tradet, faciliora prius, mox difficiliora ſuo quidque tempore prout profecerimus edocebit, iuxta iudicium & voluntatem Patris qui verax eſt loquetur, & vt Deus cui futura æquè ac præſentia innoteſcunt quæ ventura ſunt annunciabit: Et nequis exiſtimet Spiritum ſanctum in aliquo defuturum quod ſciri neceſſarium Eccleſiæ fuerit, iam Chriſtus Dominus dixerat cap. 14. *Hæc locutus ſum vobis apud vos manens. Paraclitus autem Spiritus ſanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Quibus verbis duo promittit Chriſtus, nempe quod Spiritus ſanctus docturus ſit ea quæ ipſe aut propter anguſtiam temporis, aut quod capere illi non poſſent, aut quod ſciri adhuc non erat expediens; & ea quæ docuiſſet in memoriam ſit reuocaturus: Similiter & de Chriſto teſtimonium reddet non voce vllâ; ſed cum in Chriſti diſcipulos illapſus ea per eos omnibus loquebatur linguis, eaque faciebat quæ incredibiliſſimum quemque vt in Chriſtum crederet facile permouerent. Spiritus enim Sanctus erat qui per Apoſtolos omnia & faciebat & loquebatur: *Non enim vos eſtis*, inquit, *qui loquimini ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Tunc reuera de Chriſto teſtimonium reddidit. De charitate autem & gratiâ in cordibus diffuſâ clarum habemus D. Pauli teſtimonium. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus veſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Quod autem diſponat homines ad vitam æternam conſequendam, ex ſeptem donis quæ infundit cum charitate, colligitur: De quibus hic dicendi non eſt locus. Fortitudo autem quâ debeant omnes hoſtium impugnationes & tentationes vincere qua quidem ratione tandem perſeuerantiæ donum obtineant, ab alio fonte non

infuſione luminis & prædicatione.

S. Pet. 2. c. 2.

Apoc. 12.

Luc. 11.

Ioan. 16.

Spiritus ſanctus Eccleſiæ Doctor.

Ioan. 14.

Charitatem infundit. S. Paul. Rom. 5.

Quomodo ſpiritus ſanctus mundum arguat.

2. ad Cor. 5.

Lege maldonatum in hunc locum. Ioan. 12.

D. Thom. in parum ſermonibus duobus modis docet Spiritum ſanctum arguere

B C D E

neat. Arguet igitur mundum de iuſtitiâ, *Quia*, inquit Chriſtus, *ad Patrem vado & non videbitis me.* Quaſi diceret: licet abſens à vobis mea ſenſibili ac corporali præſentiâ priuatis, nihilominus vobis non deero nec vos abſque competenti auxilio deſeram,

oritur. Hæc enim eſt illa virtus quâ induti fuerunt Apoſtoli in die Pentecoſtes, de quâ dicebat Chriſtus, Luc. 14. *Vos autem ſedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto*, nempe Spiritu ſancto qui vobis coniunctiſſimus erit & adhærebit inſeparabiliter, vobiſque virtutem & robur tribuet vt nihil vobis nocere queat, quin imo zelo vos armabit contra impios vt eos tandem debellare valeatis: Hoc zelo armatus D. Petrus Ananiam & Saphiram vxorem potenti virtute morti adiudicauit, quia mentiti fuerant Spiritui ſancto. Act. 5. Tales futuri ſunt duo illi teſtes de quibus ſit ſermo, Apoc. 11. *Et ſi quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum & deuorabit inimicos eorum.* Hæc fuſius explicare opus non eſt, nunc quâ ratione hæc ſigna præſentiæ Spiritus ſancti poſſint per Iridem ſignificari nobis declarandum eſt, non omnia quæ de Iride aut Smaragdo dici poſſent accumulando, ſed quæ neceſſaria ſunt tantum, vt demonſtremus non abſque ratione nos dicere hoc donum, Spiritus effectus per Iridem Smaragdinam ſignificari.

Luc. 14.

Zelo armat. Act. 5.

Dico igitur 2. Cum arcum intueor pugnæ & belli recordor. Nam in ſcriptura arcus, belli ſymbolum exiſtit plurimis in locis Pſ. 7. *Arcum ſuum tetendit & paravit illum*, Pſ. 45. *Arcum conteret & confringet arma*, & Pſal. 59. *Dediſti metuentibus te vt fugiant à facie arcus.* Et Iſ 7. *Cum ſagittis & arcu ingredientur illuc, tanta erit formido vbique ſauientibus gladiis, vt abſque arcu & ſagittis* (ait D. Hieron.) *nullus ſuum agrum inuiſere audeat.* Si igitur in Iride Spiritus ſancti perſonam fuimus contemplati, eum in figurâ arcus apparentem contemplantes rectè conjicimus, ei eſſe decertandum cum Eccleſiæ quam protegit hoſtibus. At non alia ratione pugnat Spiritus ſanctus cum inimicis Eccleſiæ, quàm eos arguendo de peccato, de iuſtitiâ, & iudicio. Igitur per iſtam arcus figuram, illud Spiritus ſancti bellum deſignari rectè dicetur.

Pſ. 7. Pſ. 45. Pſ. 59. Iſ. 7.

S. Hieron.

Dico 3. Per arcum Smaragdinum cuiuſque veritatis manifeſtatio optimè adumbratur; Smaragdus quippe ſua viriditate oculos mirè recreat. Nihil autem animam & mentem adeo recreat quam veritatis cognitio, ex quo Beatitudo à D. Aug. definitur, *gaudium de veritate*. Vnde etiam Ribera apud Cornelium ait, quod Smaragdus ſignificat Dei & creaturarum in Deo quaſi in ſpeculo pulcherrimo viſionem, quæ mentem contemplantis iucundiſſimè implet, numquam ſatiat.

Arcus Smaragdinus veritatis manifeſtationem ſignificat. S. Aug.

Dico 4. Futurarum rerum manifeſtatio per arcum Smaragdinum ſignificari poteſt. Iris ſeu arcus cœleſtis ſignum eſt naturale nubium roridarum & conſequenter pluuiæ futuræ, & Iulius Scaliger exercit. 80. docet Iridem matutinam portendere pluuias, veſpertinam vero ſerenitatem: Quod cum ità ſit erit proculdubio Iris cognitionis rerum futurarum aptiſſimum ſymbolum. Fauet Georgius Venetus Cantici 3. Tono 8. concentu 2. cum de Smaragdo loquens eiuſque proprietates deſcribens, inter plurimas hanc illi adſcribit, vt ad futurorum cognitionem inſeruiat: *Proſequuntur*, ait, *de Smaragdo quod ſatis conferat cognitionibus futurorum*, &c. Sit hoc verum aut falſum nihil intereſt, ſufficit enim, ait Alcazar alicubi, vt hoc ab hominibus taliter eſſe exiſtimetur, ac ſi ſacra Scriptura diceret: Vos ô homines exiſtimatis talem in Smaragdo ineſſe proprietatem vt futurorum cognitioni inſeruiat, ecce vobis propono arcum Smaragdinum cuius influxu verè ad futurorum cognitionem deuenire poteritis.

Arcus Smaragdinus ſignificat futurorum manifeſtationem. Scaliger.

Georgius Venetus.

Alcazar.

Dico 5. Spiritus ſancti de doctrinâ Chriſti, de actionibus ipſius ac de diuinitate eius ſuggeſtio aut teſtimonium optimè per arcum Smaragdinum ſignificatur. Hoc rectè poſſumus coniicere ſi conſideremus Deum Gen. 9. de Iride dicentem, *Ecce arcus*

Arcus Smaragdinus ſignificat teſtimonium quod Spiritus ſanctus reddit de Chriſto.

in nubibus, & videbo illum & recordabor fœderis ſempiterni, quod pactum eſt inter Deum & omnem animam viuentem vniuerſæ carnis quæ eſt ſuper Terram. Nam ſi arcus ille qui apparet in Nubibus, quaſi excitare Deum dicatur ad recordationem fœderis ſui quod olim cum genere humano pepigit, ſatis congruè dicere poſſumus ex viſione arcus Smaragdini nos recordari poſſe illius noui fœderis ac teſtamenti quod pepigit nobiſcum Deus, cum filium ſuum miſit in Terras, vt doctrinâ & exemplo & miraculis nos ad effectus miſericordiæ ſuæ cum omni gratiarum actione ſuſcipiendos prouocaret. Fauet nobis D. Gregor. lib. 1. hom. 8. in Ezechiel, hæc verbâ ponderans, *velut affectus arcus cum fuerit in Nube in die pluuiæ. In arcu*, inquit, *quippe ſicut præfatus ſum, aqua & ignis apparent: Et poſt mediatoris aduentum eo virtute Spiritu ſancti in humano genere claruit, quo electos Dei & aqua baptiſmatis lauit, & igne diuini amoris incendit. Quaſi enim admixto colore aquæ ſimul & ignis, quidam arcus in nube ad probationem ponitur cum Veritas dicit: Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Qui arcus in nube eſt in die pluuiæ, quia in Dominica Incarnatione & in effuſione prædicationis oſtenditur, vt ad veniam corda credentium Domino parcente reuocentur. Nubem enim Redemptoris carnem non inconuenienter accipimus, de quâ per Pſalmiſtam dicitur: Qui ponit Nubem aſcenſum ſuum. Nubem quippe aſcenſum ſuum poſuit, quia is qui diuinitate vbique eſt, carne ad cœleſtia aſcendit.* Hæc S. Greg. Fauet etiam S. Hieron. in Cap. 1. Ezechiel. *Iris enim*, inquit, *quæ in ſanctâ Scriptura vocatur arcus, & in Apocalypſi Ioannis eodem nomine Iris dicitur, niſi in pluuiâ & in aquoſâ nube non poteſt apparere diuerſorum colorum & pulcherrimorum & ſenſim in alios tranſeuntium. Vnde & Poëta: Mille trahit varios aduerſa luce colores: ſed & morem vulgi ſequens idem Poëta: Cum bibit, inquit, arcus. Ex quo ſignificat nunquam arcum apparere niſi in Nube & in aquis. Hic arcus ſignum eſt clementiæ & Teſtamenti Dei, quod fecit cum hominibus, vt quando apparuerit in nube ſciamus nos ſecundum antiquitatis exemplum nequaquam perituros eſſe diluuio. Ex quo oſtenditur poſſe pœnas atque ſupplicia & purgationem peccatorum futuram miſericordiam duntaxat in his qui Deum meruerint videre regnantem*, &c. Hæc Hieron. Ex quo clare habemus arcum ſignum eſſe clementiæ & Teſtamenti Dei. Sic ille antiquus, antiqui Teſtamenti ſignum. Cur nouus iſte noui Teſtamenti ac fœderis ſignum non diceretur aptiſſimum, in quo Deus minas potius electis intentat quam ſagittas in eos iracundiæ emittat? Vnde optimè ſanctus Ambroſius. De Noe & Arcâ cap. 27. *Arcum dicit Virtutem eſſe inuiſibilis Dei, quæ & ſpecie iſtius arcus extendendi & remittendi moderatur, pro diuinâ voluntate, miſericordia, poteſtate: quæ neque omnia confundi nimia ſolutione neque dirumpi nimia irruptione patiatur: quam ideo in nube dicit poni, quia tunc maximè opus eſt diuinâ auxilio prouidentiæ, quando agmina nubium in procellas tempeſtateſque coguntur. Ideoque dicit: Arcum meum ponam in Nube, non ſagittam ponam. Arcus enim inſtrumentum iaculandæ ſagittæ eſt, itaque non ipſe arcus vulnerat ſed ſagitta. Et ideo Dominus in Nube arcum magis quam ſagittam ponit, id eſt, non illud quod vulneret ſed quod habeat terroris indicium, cum vulneris affectum habere non ſoleat.* Hoc autem libentius in medium adduco, nempe quod Iris ſymbolum ſit fœderis ac teſtamenti noui: vt ſic ea quæ Chriſtus docuit egit, inſtituit, promeruit, in memoriam reuocare & de ipſo teſtimonium perhibere valeat: quo video per arcum nobis cœleſtem crucem ſignificari poſſe. Cum enim radius ſolaris luminis à centro ſolis procedens in eadem ſit linea cum centro Iridis, illa linea directa qua progreditur radius luminis & incidit in centrum

S. Gregorius Magnus.

S. Hieronym. in 1. Ezech.

S. Ambroſ.

Digitized by Google

Iridis,e ſformare nobis videtur crucis lõgitudinem; progreſſus autem & expanſio luminis ex vtraque parte vſque ad extremitates Iridis, eius latitudinem. Arcus igitur cœleſtis,crucis in qua Dominus ſuauiſſimi ac nobiliſſimi ſui amoris ac reconciliationis fœderiſque ſempiterni ſignum exhibuit, euidentiſſimum erit aptiſſimumque ſymbolum. Itaque cum ſol noſter myſticus, Chriſtus videlicet ſit ſol oriens ex alto, in occidentem verſus radium emiſit, cum Spiritum ſanctum in dextera Patris ſedens miſit vt ſuam regeret ac circumdarat Eccleſiam, quæ in occidente poſita erat mortis æternæ: *Ambulantibus*, enim, *in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis*. Iſ. 9. Cuius quidem luminis expanſio ad meridiem & ſeptentrionem vergit,cum electis & reprobis propoſitum eſt ſanctum Chriſti Euangelium, vt eorum, nempe iuſtorum iuſtitia educatur tanquam meridies in die iudicij, aliorum autem improbitas in eodem tempore manifeſta appareat: vel ſi mauis ſicut S. Auguſtinus de latitudine crucis differens, ſerm. de Annunciatione qui 75. eſt in appendice, latitudinem crucis tum de dilectione proximi,tum de totius mundi ad Chriſtum attractione intellexit; ita & nos per latitudinem arcus noſtri dicamus intelligi dilectionem proximi, quæ non tantum vſque ad amicos, ſed etiam extendenda eſt vſque ad diligendos inimicos. *Significauit*, vt ait Auguſtinus,vel quiſquis ſit autor illius ſermonis,*hanc charitatis latitudinem Dominus Ieſus in cruce, caput ad orientem erigens, pedes ad occidentem ſubmittens, manus ad aquilonem & auſtrum extendens, vt adimpleret quod de ſe ante paſſionem ſuam prædixerat: Cum exaltatus fuero a terra, id eſt, cum crucifixus fuero omnia trahã ad meipſum, id eſt, vocabo ad me totum mundum.* Hæc Aug. Ita illa Iridis thronum ambientis à dextris & ſiniſtris expanſio, ſignificat cunctis Spiritus ſancti adeſſe auxilium ac protectionem. Per Iridis igitur iſtius contemplationem ad crucis myſteria meditanda prouocemur. Recordemur illius dilectionis quam Chriſtus nobis in cruce exhibuit, cogitemus nos per crucem Deo eſſe conciliatos,& ex inimicis amicos deueniſſe. Sicut enim ſol in nube irradians facit Iridem,qui fuit in ſignum fœderis Dei & hominum, ita amor ille diuinus in Chriſto patiente irradians in cruce, nos ſui fœderis ac reconciliationis optimè admonet & ſecuros eſſe exoptat. Viriditas quippe Smaragdi ſemper virentis & nunquam marceſcentis amoris & miſericordiæ ſymbolum eſt, rorifque gratiarum omnium verum eſt prognoſticum, ſeu præſagium. Et ne quis exiſtimet hæc omnia ingenij eſſe tantum figmenta nec ſufficienti ſoliditate fulciri, ponderet quæſo iſtum Iſaiæ locum cap. 54. audiatque S. Hieronymum ſuper hunc locum & infra differentem. *In momento*, inquit, *indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordiâ ſempiternâ miſertus ſum tui, dixit Redemptor tuus Dominus, ſicut in diebus Noe iſtud mihi eſt cui iuraui ne inducerem aquas Noe vltra ſuper terram: Sic iuraui vt non iraſcar tibi & non increpem te: montes enim commouebuntur & colles contremiſcent. Miſericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur, dixit miſerator tuus Dominus.* Vides optime lector, Deum nouum ſuum pactum illi antiquo cum Noe contracto comparare, ſicut & nos arcum illum Eccleſiam ambientem cum arcu cœleſti comparauimus, & ex ſignificatione iſtius ex ſcriptura notiſſima,illius noui Iridis ſignificationem expiſcamur ſeu indagamus. Fauet nobis plurimum expoſitio S. Hieronymi cum ait: *Vt credat ſanctorum congregatio miſericordiam Domini ſempiternam, & ideo ad punctum & breue eos eſſe deſertos, vt in amicitiam Dei æterno fœdere inugerentur ponit exempla maiorum dicens: Quomodo vniuerſo orbe peccante, poſtquam corrupit omnis terra viam Domini inductum eſt diluuium, & cum auctoribus cunctis peccatorum cuncta deleta ſunt & in vno homine Noe humanum ſeruatum eſt genus, cui iurauit nequaquam terris inducendum eſſe diluuium & ſponſio mea huc vſque ſeruata eſt nec vnquam irrita fiet, ſic iuro Eccleſiæ meæ quam mihi redemi ſanguine meo, nequaquam me iratum fore his quorum miſertus ſum, nec meam clementiam vlla increpationis duritia commutandam. Facilius enim montes mouebuntur & colles quam mea ſententia commutabitur. Iuxta quod & in Euangelio loquitur: cœlum & terra tranſibunt verba autem mea non præteribunt. Hæc eſt autem, inquit, miſericordia mea, vt fœdus pacis quo mihi reconciliatus eſt mundus, non merito eorum quibus datum eſt ſed mea clementia conſeruetur.*

Hæc S. Hieron. Ex hac autem Chriſti Crucifixi memoria quam ingerit præſentia ſpiritus, multa nobis bona proueniunt quæ quidem tangit autor illi ſerm. de Annunciatione ſeu 75. ſerm. in appendice, cum ait: *Hoc ſignum præſidium eſt amicis, obſtaculum eſt inimicis, huius crucis myſterio rudes catechiſantur, eodem myſterio fons regenerationis conſecratur, eiuſdem crucis ſigno per manus impoſitionem baptizati dona gratiarum accipiunt, cum eiuſdem crucis charactere Baſilicæ dedicantur, altaria conſecrantur, altaris ſacramenta cum interpoſitione Dominicorum verborum conficiuntur. Sacerdotes & Leuita per hoc idem ad ſacros ordines promouentur, & vniuerſaliter omnia Eccleſiaſtica ſacramenta in huius veritate perficiuntur. Qui hoc mare magnum & ſpatioſum in quo ſunt reptilia quorum non eſt numerus abſque naufragio tranſire deſiderat crucem ſequatur, crucem teneat, & eam non deſerat, donec ad optatum ſalutis portum perueniat: Hoc curſum dirigit, hoc ad agonem nos inſtruit, hoc in certamine adiuuat, hoc ad victoriam prouehit, hoc ad coronam peruehit, hoc maleficia deſtruit & omnia dæmonum machinamenta ad nihilum redigit. Et quod faciebat in terris corpus Chriſti præſentis hoc facit cum fideli inuocatione nominis Chriſti victorioſæ crucis inſignita memoria.* Hæc ille. At iſta nominis Chriſti inuocatio quæ memoriam crucis comitatur, non fit niſi per ſuggeſtionem Spiritus ſancti qui de Chriſto teſtimonium perhibere debet, *Nemo enim*, inquit Apoſtolus, *poteſt dicere: Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto.* 1. Cor. 12. Verè igitur dicere poſſumus illum arcum Smaragdinum amoris Chriſti in cruce patientis ſymbolum, nobis illam Spiritus ſancti de Chriſto teſtificationem inſinuare: cum nihil aliud teſtificetur Spiritus de Chriſto quam ipſum eſſe Dei filium Crucifixum. *Nos autem*, inquit Apoſtolus 1. Cor. 1. *prædicamus Chriſtum Crucifixum.* Æque igitur arcus Smaragdinus ſymbolum erit teſtimonij Spiritus ſancti ſicut eſt Chriſti Crucifixi, cum teſtimonium Spiritus de nullâ aliâ re ſit quam de Chriſto Crucifixo, nec Crucifixus à Chriſto nec Chriſtus à Crucifixo ſeparari debet, vt plenum ſit ſpiritus teſtimonium, nam vt ait noſter S. Ioannes Epiſt. 1. c. 4. *In hoc cognoſcitur ſpiritus Dei. Omnis ſpiritus qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe ex Deo eſt, & omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum ex Deo non eſt, & hic eſt Anti-Chriſtus.*

Dico 6. Infuſionis gratiæ charitatis ac donorum Spiritus ſancti quibus homines ad gloriam adipiſcendam rectè diſponuntur, ac finalis perſeuerantiæ ſymbolum eſt conueniens Arcus ille Smaragdinus. Pater hoc ex proprietatibus quas ſiue Iridi ſiue Smaragdo interpretes ſcripturæ affingunt. Dicuntque primo aſpalathum, id eſt, ſpinam candidam magnitudine arboris modicæ flore roſæ vnguentis expetitam, aliaſque herbas odoratiores fieri per Iridem. *Tradunt*, inquit Plinius lib. 12. c. 24. *in quacumque frutice curuetur Arcus cœleſtis eundem quæ ſit aſpalatho ſuauitatem odoris exiſtere, ſed in aſpalatho quandam inenarrabilem.* Addit Plinius liber 17. cap. quint. *Terra cum à ſiccitate continua immaduit imbre, & in*

Arcus crucis ſymbolum.

Iſa. 9.

S. Auguſt.

S. Hieronymo in Iſ. c. 54.

S. Hieronym.

Crucifixi memoria pernecetia.

S. Hieron. ſerm. de Annunciatione.

1. ad Cor. 12.

1. ad Cor. 1.

Arcus Smaragdinus ſymbolum inſignis gratiæ charitatis, &c

Plinius.

Digitized by Google

quam arcus cæleſtis dejecerit capita ſua, tunc emittit ſuum balitum diuinum ex ſole conceptum cui comparari ſuauitas nulla poſſit. Hæc ex Plinio Cornelius. At quis ignorat animam quæ olim gratia ſpoliata dicere poterat, *Aruit tanquam Teſta Virtus mea:* & rurſus, *Anima mea ſicut terra ſine aquâ tibi,* eo ipſo quo in eam Spiritus ſanctus benignè ſe inclinauerit, illum optimum efflare odorem quo Deus affici dicitur cum ei ſe aliquod gratiſſimum offertur ſacrificium? *Odoratuſque eſt Dominus,* (inquit Scriptura Gen. 8. loquens de ſacrificio Noë poſt diluuium) *odorem ſuauitatis.* Virtutum enim quibus anima tanquam floribus exornatur præclari actus, à gratia hunc recipiunt odorem quo imbuti digni cenſentur mercede æternâ, vt de eadem dicatur, *Odor Vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata,* Cantic. 4. Spina eſt candida magnitudinis arboris modicæ, vt tanquam humilis & patiens in innocentia & integritate ſua dicat: *Nardus mea dedit odorem ſuum.* Cantic. Flore tamen vt roſa flagrans propter charitatem, quia omnes alias virtutes ſecum vt Regina trahit, vt anima iſta ſit tanquam hortus & Paradiſus de qua dicatur: *Emiſſiones tuæ Paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus: Cypri cum Nardo & Crocus & Fiſtula, & Cinnamomum cum Vniuerſis lignis libani, myrrha & Aloe cum omnibus primis Vnguentis;* Quæ gratiam à Spiritu ſancto recipiat, veluti radicem omnium bonorum Spiritualium ad quælibet pretioſa meritorum vnguenta conficienda non tantum expetitam ſed abſolutè neceſſariam. Optimè ſiquidem S. Greg. expoſitione in Cant. 4. hæc verba exponens: *Et odor veſtimentorum tuorum ſuper omnia aromata: Per Vnguenta quippe ipſæ Virtutes quæ ex charitate oriuntur intelliguntur. Habent quippe etiam reprobi aliquando aromata quibus redolent, quia Virtutes quaſdam poſſident & bona opera perpetrant. Sed quia ſine charitate viuunt, in conſpectu Dei nulla quæ faciunt, placent. Vnde in iudicio cum dicent: Domine in nomine tuo prophetauimus & in nomine tuo Virtutes multas fecimus: reſpondebitur eis: Nunquam noui Vos. Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis. Bene ergo Vnguenta Eccleſiæ ſuper omnia aromata redolere dicuntur, quia etſi opera reproborum aliquando hominibus placent, hæc quæ ſancta Eccleſia ex charitate conficit in diuinis naribus ſine ceſſatione redolent.* Et poſt pauca exponens, *Hortus concluſus, &c. Hortus,* inquit, *Sancta Eccleſia exiſtit quia dum populos multos in fide gignit, quaſi flores pulcros bona terra emittit. Qua hortus concluſus bene eſſe dicitur, quia charitatis vallo circumquaque munitur, ne intra numerum electorum reprobus aliquis ingrediatur. Vnaquaque anima ſancta etiam hortus concluſus eſſe intelligitur, quia dum Virtutes nutrit, flores gignit, & dum Virtutum ſe exhilaratione reficit, fructus quos generat eadem cuſtodit. Concluſus enim hortus eſſe dicitur, quia dum bona ſua, intentione Vitæ æternæ abſcondit, dum humanas laudes omnes contemnit, ipſa bona intentione ſe circumſepit, ne ad interiora rapienda hoſtis antiquus irrumpere poſſit.* Hæc S. Greg. His addit in hæc verba: *Cypri cum Nardo, &c. Quid enim per has diuerſas aromatum ſpecies deſignatur, niſi ſanctarum Virtutum odor & profectus qui in ſanctis habetur?* Hæc ille. Qua quidem Sancti Greg. doctrina vides quam neceſſarium ſit vt Arcus ille Cœleſtis nempe Spiritus ſanctus incuruetur ſuper hos virtutum flores, vt odorem ſuauiſſimum veri meriti ex luminis gratiæ influxu ſibi concilient.

Genes. 8.

Cant. 4.

Nardus eſt herba humilis quæ guſtata frigus expellit & calefacit membrum. Ita D. Greg. expoſitione in Cant. 1.

S. Greg.

Dicunt etiam ex Ariſtotele, Iridem multùm conferre ad generationem Mannæ ſiue mellis aërij. Quis ſimiliter ignorat Spiritus ſancti præſentiam plurimum conferre ad generationem cœleſtis deſiderij ac diuinæ ſapientiæ, quâ cœleſtia prægustamus? Quo deſiderio flagrabat & qua ſapientia erat prædita ſponſa quæ in Cant. exclamabat: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Ac ſi diceret, ait D. Greg. expoſit. in Cant. c. 1. *Ille quem ſuper omnia, imo ſolum diligo, veniat: qui dulcedine ſuæ inſpirationis me tangat, quia cum eius oſculum ſentio ſubita mutatione me derelinquo, & in eius ſimilitudinem illico liquefacta transformor.* Videſne igitur quomodo Iris charitatis infuſionem optimè ſignificet? Quin & ex proprietatibus Smaragdi cæterorum donorum Spiritus ſancti poteris recordari. Illas accipe ex Georgio Veneto, Cant. 3. Tono. 8. concentu 3. Smaragdus adeo intenſæ viriditatis eſt, vt nec ſubjectus cuiquam lumini aut radiis ſolaribus quin potius omnem virorem ſuperans ſua ipſius virtute totum circumcirca aërem inficit. Eſt enim conſperſus notulis diuerſorum colorum: hinc adeo delectabilis vt nulla gratior oculorum recreatio. Confert vt diximus jam cognitionibus futurorum, auget ſubſtantiam, motus laſciuiæ compeſcit, tempeſtates eliminat, in cauſis vim eloquentiæ præſtat. His addo quod ſpeculi vicem adimplere valet. Vnde aiunt Neronem in Smaragdo gladiatores ſpeculari ſolitum fuiſſe. In notulis variorum colorum diuerſitatem donorum; in ſpeculi ratione & cognitione futurorum dona ſapientiæ & intellectus; in eloquentia donum ſcientiæ; in ſubſtantiæ augmento, donum conſilij & pietatis; in compeſcendis laſciuiæ motibus donum fortitudinis; in tempeſtatum eliminatione donum timoris, fugat quippe anima timorata omnes diaboli tentationes cum habeat Deum in ſeipſa conquieſcentem. *Super quem,* inquit, *quieſcam niſi ſuper humilem & trementem aduerbi mea?* Iſa. 66. In intensâ viriditate perſeuerantiam in exercitio & vſu donorum meditanda veniunt, vt quicumque hunc Iridem Eccleſiam ambientem perſpexerit ſperet ſe ex præſentiâ Spiritus ſancti omnibus bonis ac donis poſſe cumulari. *Hinc,* ait Georgius Venetus, *veri Chriſti concentores, qui Crucifixum regem vbique prædicant tantum hauriunt ſapientiam Paulo teſte, vt nulla maior.*

S. Greg. in 1. Cant.

Geor. Venetus

Dico vltimo, Per arcum illum Smaragdinum vltimum iudicium ſignificari. Pro hac ſignificatione autorem habeo Richardum à S. Victore cum ait: *Iris itaque in circuitu apparens iudicium Maieſtatis eſſe deſcribitur, quia hinc inde à dextris & à ſiniſtris, id eſt, bonis & malis iuſto iudicio iudicante debita merces donatur. Sed Iris ſimilis viſioni Smaragdinæ dicitur, quia bonis & malis diuino iudicio examinatis iuſti introducuntur ad paſcua virentis æternitatis, mali traduntur in ignem rubentis conflagrationis.* Hæc Richardus. Et nota quod ei Smaragdus viret & ruber. Huic interpretationi nempe quod per Arcum iudicium & punitio peccatorum ſignificetur, fauet modus quo ſacra Scriptura deſcribit eam quam Deus in peccatoribus puniendis, init rationem. *Accipiet,* inquit Sapient. 5. *armaturam Zelus illius, &c.* Et paulo poſt: *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos: ibunt directi emiſſiones fulgurum, & tanquam à bene curuato arcu nubium exterminabuntur & ad certum locum inſilient, &c.*

Vltimum iudicium per arcum Smaragd. ſignificatur.

Richardus à S. Victore.

Sap. 5.

Satis ſuperque explicauimus qua ratione Spiritus ſanctus per Iridẽ repreſentetur, & cum Deus pro bonâ voluntate ſua & dilectione quam erga nos habet ipſum ad regendam & protegendam Eccleſiam ſuam miſerit, quomodo omnes eius operationes quibus ſuò fungitur munere per Iridem etiam adumbrentur fuſè demonſtrauimus. Nunc tandem.

Dico has omnes operationes ad hunc finem adimpleri, vt Deus ſimilis videatur aſpectui lapidis Iaſpidis & Sardinis, id eſt, miſericors & iuſtus nobis appareat. Quod quidem duobus modis fieri poſſe dicimus: primus modus eſt ſi miſericordiam

Omnes Spiritus ſancti operationes ad hoc ſpectant vt Deus miſericors & iuſtus appareat.

Digitized by Google

in glorificatione animarum, iustitiam in corporum glorificatione dicamus. Prima siquidem gratia qua ad gloriam prouehimur cum sit opus misericordiæ, ipsa animarum glorificatio misericordiæ tribuitur. Iustitiæ autem glorificationis corporum opus tribuimus, iustum enim est vt quibus misericordiam largitus est condonans eis omnia delicta, eosque ad gloriam eleuans, ipsis corpora in integrum glorioſa restituat. 2. Modus est vt dicamus Iaspidem totum opus glorificationis animarum & corporum significare, in quo relucet summa Dei misericordia; Sardium autem reproborum iudicium & ad æternos ignes condemnatio, in quo eminet seuera & districta iustitia.

Non sufficit igitur pro significatione Iaspidis si dicamus cum Andreâ Cæsariensi significari diuinitatem quæ semper floret & viret, vel altissimam & sublimem Dei naturam, cuius efficax virtus & potentia per igneum & viuidum Sardij colorem denotetur. Hic enim Deus non prout in se est aut vt potens ad operandum repræsentari debet, sed vt actu operans & effectus dignos se ad extra producens. Nec item sufficienter attingeretur scopus visionis istius, si ad opera creationis & naturæ recurratur: hæc enim opera præsupponuntur. De productione enim rerum quæ sunt superioris ac supernaturalis ordinis hic proculdubio agitur. Ideo Alcazari non assentior, qui lapidem Iaspidem de creatione intelligit: de rebus futuris potissimùm non de præteritis hic agitur, de operibus naturæ perficiendis & consummandis per accessum gratiæ & gloriæ, *Gratiam, quippe, & gloriam dabit Dominus.* Quibus dabit? Certe iis quos iam creauit ac condidit. Non de operibus quibusdam inchoandis hic mentio fit, *Ego sum Alpha & Omega, principium & finis, dicit Dominus, qui est, qui erat, & qui venturus est omnipotens*; futura intuetur vt præterita & iam facta perficiat. Nec etiam sufficienter scopum visionis mihi videntur attingere, qui solam Dei iustitiam & in peccatores vindictam respiciunt, vt Victorinus, Primasius, Beda & Rupertus, qui apud Cornelium volunt per Iaspidem qui coloris est aquei, significari diluuium sub Noe, quo Deus omnes peccatores submersit: Per Sardium qui rubeus est, significari ignem conflagrationis mundi qui peccata & peccatores exuret. Pari ratione scopum non attingunt qui sola misericordiæ opera intuentur, vt Lyranus cum ait: *Tales apparitiones fiunt secundum conuenientiam ad id quod reuelatur: Deus autem sic apparebat vt gubernans Ecclesiam Militantem, circa quam se habet vt consolator & incensor charitatis, propter quod in primitiuâ Ecclesiâ super Apostolos misit Spiritum sanctum in similitudine ignis. Ideo dicitur hic coloris Iaspidis; id est viridis (color est confortatiuus visus) & Sardinis, id est rubei coloris, qui propter similitudinem ad ignem significat incendium charitatis.* Melius sentiunt qui in Iaspide virente volunt significari misericordiam, in Sardio rubente iustitiam: hisce enim duobus omnis Respublica & totus mundus à Deo regitur. Vnde ait Psaltes: *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Vnde Deus Ecclesiæ suæ in qua sedet & regnat potestatem soluendi & ligandi, dimittendi & retinendi peccata contulit, vt iam in præsenti tempore ex effectibus misericordiæ & iustitiæ eum misericordem & iustum prædicemus, donec perfectissimè & absolutissimè post quam reddiderit vnicuique secundum opera sua in die iudicij, duo hæc quæ audiuimus nempe, *Quia potestas Dei est & misericordia*, clarè perspiciamus. Et reuera licet cum Aureolo vere dicere valeamus quod etiam nunc misericordia & iustitia in Ecclesia vigeant, (*Sedes*, inquit ille apud Cornelium, *est Cathedra*

Aureolus apud Cornelium.

A *Ecclesiæ Romanæ quæ est Caput Ecclesiæ Militantis. Ita hæc est Iaspis virens puta misericordia, & potestas soluendi peccata. Est & Sardius, id est, potestas eadem retinendi & puniendi; sedes eum Dei est sedes Ecclesiæ & Vicarij eius scilicet summi Pontificis: Vnde de ea canit Psaltes: Et in Cathedra seniorum laudent eum.* Hæc Cornelius) Tamen existimo Prophetam hic vltima respicere, vt 1. intenta, licet in executione postrema, nempe animarum & corporum glorificationem, retributionem iustorum & malorum punitionem, quibus quidem perfectè misericordia & veritas Dei quæ in Passione Christi obuiauerunt, & iustitia & pax quæ in peccatorum iustificatione oscula sibi mutuo præbuerunt, tandem eluceſcant & manifestè appareant, cum Deus opus inceptum gubernationis
B Ecclesiæ, vocationis & electionis illius, vt eam sibi exhiberet sanctam & immaculatam, perficiet consummabitque, oues ab hœdis separando & coronam iustitiæ electis repositam tanquam iustus iudex elargiendo. Et reuera nunc sunt iusti & sapientes & opera eorum in manu Dei, inquit Eccles. 9. *Tamen nescit homo vtrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta: eo quod vniuersa æquè eueniant iusto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas & sacrificia contemnenti. Sicut bonus sic & peccator, vt periurus ita & ille qui verum dejerat. Hoc est pessimum inter omnia quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eueniunt.* Hæc Sapiens. Ideo existimo S. Ioannem ad vltima diuinæ prouidentiæ
C opera respicere cum ait: *Et qui sedebat similis erat aspectui Iaspidis & Sardinis*: Quasi diceret: Animaduerti quod ex vniuersali & continuo Ecclesiæ regimine, quod Spiritus sancti præsentia tanquam Iride coronabit, Deum velle tandem se Angelis & hominibus exhibere misericordem & iustum vt ei misericordiam & iudicium in æternum decantare valeant. At quomodo eius misericordia & iustitia per Iaspidem & Sardium nunc repræsententur nobis differendum est.

Eccles. 9.

Si Iaspidem pro ea Dei misericordia quæ elucet in animarum glorificatione sumamus eam non obtinuerunt nisi quia misericorditer à Deo fidem charitate formatam receperunt. Et rectè Georg. Venet. Cant. 3. Ton. 8. concentu 3. de Iaspide dixit. *Iaspis multigenis & rubeis guttulis conspersus, quid aliud significas nisi fidem formatam conspersam charitate, & multimodam in diuersis fidelibus?* Hæc ille. Per quam fidem primus in regnum æternum introitus datur dicente Christo: *Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit.* Rectè etiam hæc Dei misericordia in salute animarum per Iaspidem significabitur. Et reuera æterna salus misericordia vocatur non autem iustitia, tum quia prima gratia iustificans & efficax non est ex meritis, sed ex gratia Dei misericorditer nobiscum agentis, cum plerumque etiam detur quibusdam qui eâ omnimode indigni videbantur, & quibusdam data fuit olim histrionibus actu sacras
E cæremonias Christianorum deridentibus, vt patet in Genesio. Dioscoro, Ardeleone, Theophilo, apud Baronium ann. 303. n. 118. & ann. 304. n. 66. & 70. Tùm quia multimode Deus compatitur misericorditer infirmitatibus & imbecillitatibus hominum, quin & multa eorum horrenda crimina patienter tolerat (propter quæ ab eo rejici deberent) vt horam & momentum inueniat in quo suauiter omnia disponens corda eorum efficaciter tangat, & ad se tandem conuertat. *Quomodo*, enim, inquit Psaltes, *miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.* Cum igitur ea gratia 1. qua ad vitam æternam via sternitur, merè gratuitò & liberè conferatur, rectè opus hoc misericordiæ non iustitiæ tribuitur. Hinc optimè

S. August.

Georgius Venetus.

Dei misericordia in glorificatione in Iaspide designatur.

Baron. an. 303. & an. 304.

S. Auguſt. in Pſalm. *Multæ ſunt vitæ humanæ, ſed Deus vnam vitam promittit: & non illam dat nobis quaſi propter merita noſtra ſed propter miſericordiam ſuam: Quid enim boni egimus vt illud mereamur? Aut quo bona noſtra facta proceſſerunt vt Deus nobis gratiam ſuam daret? Nunquid inuenit iuſtitias quas coronaret & non delicta quæ donaret? Vtique delicta quæ donauit ſi punire vellet non eſſet iniuſtum. Quid enim tam iuſtum quam vt puniatur peccator? Cum iuſtum ſit vt puniatur peccator, pertinuit ad miſericordiam ipſius non punire peccatorem ſed iuſtificare, & de peccatore facere iuſtum & de impio facere pium: Ergo miſericordia ipſius melior eſt ſuper vitas.* Hæc Aug. Tum quia denique Chriſtus, *Qui factus eſt nobis a Deo Patre ſapientia & iuſtitia & ſanctificatio & redemptio* 1. Cor. 1. ex Dei charitate & erga genus humanum miſericordia noſtram aſſumpſit naturam. Vnde Apoſtolus Paulus Epheſ. 1. *Gratificauit nos pater in Filio ſuo dilecto, in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius & remiſſionem peccatorum, ſecundum diuitias gratiæ eius quæ ſuperabundauit in nobis.* Epheſ. 1. Quæ quidem miſericordia rectè adumbrari per Iaſpidem dicimus. Etenim primus inter lapides pretioſos Iaſpis eſt inuentus & ab hominibus cognitus, venena & phantaſmata expellit & diſcutit, fluxum ſanguinis ſiſtit, impreſſiones quarum volueris imaginum facile ſuſcipit, vnde ſigillis efformandis eſt aptiſſimus; viriditate præcipuâ, linea candidâ diuerſiſque coloribus & potiſſimùm notulis quibuſdam ſanguineis variegatus. Ita in hominum ſalute procuranda amor & miſericordia Dei primo occurrunt. Hæc peccata expellit, hæc ſupra ſenſum & phantaſmata hominum in cordibus eorum operatur, concupiſcentiarum ſiſtit fluxum, noui hominis nempe Chriſti ac perinde quarumlibet virtutum imaginem & figuram in nobis inſculpit, lumine gloriæ & cæteris animæ dotibus quæ ſtatui beatifico conueniunt beatos decorat. Viget tamen inter cæteras dotes illud omne per quod illius ſummæ charitatis qua Deus dilexit homines, cum filium ſuum pro eis ſanguinem fundere decreuit, beati recordari queunt: vt cum gratiarum actione in æternùm vnuſquiſque beatorum dicat, *Qui dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me.* Gal. 3. In hoc enim maximè elucet Dei miſericordia, vt tantis tormentis filium ſuum addixerit vt ad hanc gloriam homines eucheret: qua quidem ratione optimè notulis ſanguineis Iaſpis hic pretioſus miſericordiæ Dei reſperſus dicitur. Hæc pro Dei miſericordia in homines meditanda veniunt cum ſimilis dicitur hic aſpectui lapidis Iaſpidis.

1. ad Cor. 1.

Epheſ. 1.

Ad Galat. 3.

Georg. Venet.

Sardius ſecundum Georg. Venet. acuit ingenia animumque accendit ad gaudium, cuius color ſimilis eſt carni pellucidæ ac perſpicuæ, itaut caro humana in gemmam pellucidam & ſplendentem videatur conuerſa. Plinius lib. 37. c. 6. *Qui generatur in ſaxi corde, qui nullam habet maculam aut vaporem qui ipſius ſplendorem hebetet.* In Sardio contemplati poſſumus iuſtitiam qua Deus corpus cum animâ in reſurrectione beabit. *Abſit enim*, vt ait Tertullianus de reſurrectione carnis, *Vt Deus manuum ſuarum operam, ingenij ſui curam, adſtatus ſui vaginam, molitionis ſuæ reginam, liberalitatis ſuæ hæredem, Religionis ſuæ ſacerdotem, teſtimonij ſui militem, Chriſti ſui ſororem in æternum deſtituat interitum.* Hæc Tertull. Tot enim titulis caro noſtra ſuam mercedem à Deo expectare poteſt, vt pro laboribus exantlatis & pœnis toleratis dicat: *Bonum certamen certaui curſum conſummaui. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex.* 2. Timoth. 4. itaut & miſericordia & iuſtitia in hominum integrâ beatitudine manifeſtè appareat. Vnde optimè ad noſtrum propoſitum S. Baſilius illud Iſa. 9. ſecundum verſionem 70. interpretum exponens, nempe: *Plurimam partem populi deduxiſti in lætitia tua, & lætabuntur in conſpectu tuo ſicut qui lætantur in meſſe, & quemadmodum qui diuidunt ſpolia, quia ablatum eſt iugum quod ipſis erat ſuppoſitum, & virga de collo eorum.* Bona duplicis generis beatis conferri ait, vnum retributionis quæ iuſtitiam reſpicit, alterum gratiæ quæ ad miſericordiam refertur. *Quod vnuſquiſque ſeminat hoc & metet, Siquidem die illa futuræ retributionis, qui verbum fidei exceperunt & fructus vberes ediderunt proportione eorum quæ hic prærogata ſunt, à iuſto iudice mercedem condignam recipientes, admirabili iucunditate perfruentur, vt qui in meſſe lætantur, & ſicut ij qui diuidunt: ſpolia: Atque ij quidem qui in meſſe lætantur primitiuos lætitiæ fructus è laboribus propriis obtinent: è diuerſo qui ſpoliis & occiſorum eximiis diteſcunt hi repentinam ex ſpoliis occaſionem diuitias acquirendi nanciſcuntur. Ob hoc vtraque dicens connexuit & quæ ex retributione affutura eſſent bona, & quæ per eius gratiam qui ingentia dona elargitur eſſent prouenturæ.* Hæc Baſilius. Vides in retributione iuſtitiam, in gratia miſericordiam. In hac igitur retributione cum recipiet vnuſquiſque ſecundum id quod geſſit in corpore ſiue bonum ſiue malum iuſtitia elucebit. Nam ſi nunc propter vnionem ad corpus anima aggrauata ingemuit, tunc propatientiâ & tolerantia perficietur eius operatio, cum corpus animæ perfectè ſubditum poſſidebit: ſi paſſionibus obnoxia nunc turbari contingit, tunc mitis reddita ob omnimodam paſſionum ad rationem ſubiectionem, tranquillitate animi perfruetur; ſi triſtitiis nunc vexata, lætitia è gaudio inenarrabili perfundetur; ſi obſcurum, ſqualidum & multis infirmitatibus ac morbis obnoxium corpus habuit, tunc illi glorioſum omnimodum & decoro lumine fulgens reſtituetur, & hoc ob reſurrectionem Chriſti cuius ſepulchrum glorioſum mortalitatem deuorauit. Vnde exclamat D. Petrus Chryſologus: *Mutatur hic rerum ordo, mortem non mortuum deuorat hoc ſepulchrum.* Etenim, *Si Chriſtus reſurrexit. g. & nos reſurgemus*, Apoſtolus argumentatur. Sardius igitur, id eſt, caro hominis glorioſa in ſaxo generatur, cum reſurrectio noſtra ex reſurrectione capitis noſtri dependeat. Iuſtum quippe eſt vt membra capiti conformentur. Et ſicut dicunt Sardium vulneribus ferro inflictis ac tumoribus medeti, ita Chriſtus omnibus corporum noſtrum vulneribus medebitur cum noſtra corpora impaſſibilia ſuſcitabit, dicente Apoſtolo. Rom. 8. *Quod ſi ſpiritus eius qui ſuſcitauit Ieſum à mortuis habitat in vobis, qui Ieſum ſuſcitauit à mortuis viuificabit & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem ſpiritum eius in vobis:* Vt bene Deus ſimilis aſpectui Sardij dicatur cum illum corpora noſtra reſurgentem contemplamur.

S. Baſilius.

Petr. Chryſol.

In Sardio corporum reſurrectio denotatur.

Plinius.

Tertullianus.

Quod ſi cum aliis totum opus glorificationis in Iaſpide ſignificari volueris, in Sardio autem reproborum ſupplicium, non abnuo, ſufficit quod in vtroque & miſericors, & iuſtus appareat. Hinc ex Richardo Cornelius: *Virore*, inquit, *Iaſpidis ſignificatur ſemper virens ſanctorum gloria in cœlo, per Sardium incendium gehennæ, quæ duo ſunt hominis nouiſſima, eaque Deus hic & alibi hominum oculis ſubijcit vt ea ingiter inueantur.* Quin & apud eundem Cornelium, Viegas & Pererius inquiunt Iaſpide virente ſignificari miſericordiam, Sardio rubente iuſtitiam. Quod miſericordia rectè adumbretur per iaſpidem ſatis perſpeximus: de Sardio dico ſignificare iuſtitiam. *Aiunt*, inquit Andreas Cæſarienſis, *Sardium feris ſpectriſque terribilem videri: nonne etiam Dei iuſtitia puniens & ſæuiens terribilis apparet reprobis & dæmonibus?*

Digitized by Google

De viginti quatuor Senioribus.

Et in circuitu sedis sedilia 24. Et super Thronos 24. seniores sedentes circumamicti vestimentis albis, & in Capitibus eorum Corona aurea.

ANNOTAT. VI.

Notatio perutilis ad intelligentiam eorum quæ infra dicentur. §. 1.

NVNC incipit S. Ioannes declarare quibus mediis Deus suam auctoritatem ac potestatem in Throno adumbratam exercere ac manifestare intendit. Quod vt melius intelligatur valde nobis notandum est quid S. Dionysius Areopagita doceat de Hierarchiâ c. 3. cælestis Hierarch. *Hierarchia*, inquit, *est sacer ordo, scientia & actio quæ ad diuinitatis similitudinem, quoad fieri potest accedit, & proportione illustrationum quæ ei diuinitus datæ sunt ad Dei imitationem traducitur.*

S. Dionys. Finis Hierarchiæ Dei similitudo & imitatio.

Ecclesiæ fundationem ac statum diuersum à S. Ioanne ænigmatibus describi ac depingi certissimum est, in qua sacer aliquis principatus elucet superiores ac subditos complectens. Siquidem docet S. Greg. Nazianz. Orat. 10. *Quod Deus æquitatis lege quæ meritum cuiusque perpendit, vel etiam prouidentia per quam omnia inter se velut deuinxit, vult vt alij pascantur & pascant, alij ad Ecclesiæ perfectionem Pastores ac Magistri sint: nimirum qui virtute, coniunctione ac familiaritate apud Deum vulgo sublimiores sunt, rationem animæ ad corpus aut mentis ad animam obtinentes, per æquè inordinatum est & omnes præesse atque imperare velle, & neminem id suscipere. Deus non coleretur mysticis sacris ac sursum ferentibus, quibus nec maius quidquam nec præstantius apud nos est, si nec Rex nec præfectus esset, nec sacerdotium, nec sacrificium, nec alia omnia, quibus olim inobedientes homines & contumaces ob ingentia peccata mulctati sunt.* Hæc Greg. Qui quidem superiores & inferiores, Pastores & pasti, magistri & discipuli, præfecti & subditi vnam tantùm Ecclesiam veluti multa membra vnum corpus efficiunt, dicente Apostolo 1. Cor. 12. *Sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa vnum tamen corpus sunt; ita & Christus. Neq; dixit,* inquit S. Chrysost. *quæ exuperant & quæ sunt minora, sed cum sint multa, quod est commune omnibus. Et cum oporteret dicere: ita etiam Ecclesia, hoc enim erat consequens, hoc quidem non dicit; Pro illâ autem posuit Christum, in altum extollens orationem, & Auditorem magis pudore afficiens (nempe eum qui se deterioris esse conditionis existimaret, si non caput aut oculus esset sed pes aut membrum ignobilius) hoc est autem quod dicit: ita etiam Christi corpus quod est Ecclesia; sicut enim & corpus & caput vnus est homo, ita etiam Ecclesiam & Christum vnum esse dixit, quamobrem & Christum pro Ecclesiâ posuit, corpus suum sic nominat.* Hæc Chrysost.

S. Greg. Naz.

1. ad Cor. 12.

S. Chrysost.

Hierarchia igitur Ecclesiæ ex capite & membris, ex superioribus & inferioribus componitur. Quales autem debeant præesse, & quâ auctoritate præditos, quâ scientia ornatos, cui muneri, functioni aut actioni addictos, quibus ad hæc fœliciter exequenda donis oportet esse adauctos, nunc S. Ioannes vult nobis ante oculos ponere cùm & 24. Seniores & 4. animalia nobis in circuitu Throni repræsentat. Tria nempe sunt in quibus relucere debet quædam subordinatio superiorum & inferiorum à S. Dionysio tacta; ordo siue vt puto dignitas seu auctoritas, scientia & actio, quæ S. Ioan. explicat in 4. 5. & 6. cap. Ecclesiasticam Hierarchiam nobis hac ratione describens: videlicet cum Thronum & sedentes, librum sigillatum & agnum sigilla referantem, & adapertionem sigillorum, equos & sessores stupenda operantes, vel multos alios euentus mirandos nobis proponit speculandos vt fusius supra. Nunc nobis ad ideam & significationem 24. Seniorum properandum, cætera in locum proprium remittentes.

A

Idea & significatio 24. Seniorum. §. 2.

Thronum triangularem angulo superiori in quo collocatur Dei sedes obtuso affinximus. Ad duo latera eius reponi debere sedilia 24. existimamus, 12. à dextris, alia 12. à sinistris sedentis, super hæc sedilia videt S. Ioan. 24. Seniores albis vestimentis circumamictos, & in capitibus eorum coronas aureas. An autem sedilia sint eodem tractu & in eadem lineâ depingenda, vel an vnum sit alio superius veluti si per quosdam gradus distincta essent, vt sentire supra videmur, parum interesse existimo. Nam æque proximitas ad sedentis thronum distinctionem quandam auctoritatis aut dignitatis potest adumbrare, quàm quædam maior aut minor eleuatio Throni quæ exurgeret si per gradus quosdam distinctos in quibus collocarentur sedilia ad præcipuam sedem progressus fieret. Qui enim regi proximius assident hi censentur dignitate præstantiores. De ideâ igitur 24. Seniorum hæc dicta nunc sufficiant. Si quid restat dicendum vbi hoc necessarium fuerit postea explicabimus. Nunc ad significationem huius visionis transeamus.

B

Idea Throni.

C

Quoad igitur significationem 24. Seniorum planè assentiri non valeo Pererio nec Cornelio, qui simplicissimè ac planissimè putant à Ioanne hic in Cœlo visos fuisse præcisè 24. illustriores sanctos & heroes tam noui quam Veteris Testamenti, puta ex nouo 12. Apostolos, vbi pro S. Ioanne adhuc viuente oportet Paulum substituere: Ex veteri vero hos aut similes Abelem, Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Mosem, Samuelem, Dauidem, Isaiam, Ieremiam, Ezechielem & Danielem. Ita hic Cornelius. At optimè S. Anselmus cuius hic mentem amplectimur: *Non accipitur hic numerus secundum personas, sed secundum officium.* Hinc

S. Anselm.

D

Dico 1. Significantur hic omnes qui munere & officio horum seniorum quodcumque illud sit perfuncturi sunt. Patet hoc primo quia non satis conueniens videtur, vt S. Ioannes veras & existentes quasdam personas videat hos 24. Seniores intuendo, & mox ad symbolicas & ænigmaticas transeat, 4. animalia eodem intuitu videndo. Quis enim dicat hæc animalia vera esse animalia, vt puta verum Leonem, verum vitulum, non autem symbolica? 2. Nulla ratio dari potest, quâ potius hic in 24. Senioribus determinatas & indiuiduas quasdam personas, vt puta Petrum & Paulum intelligamus, & in aliis locis huius Prophetiæ veluti cum centum quadraginta quatuor millia signati apparent, & deinde turba multa quam dinumerare nemo poterat à S. Ioanne videtur, tantum ideæ aut figuræ symbolicæ eorum omnium qui per illam turbam & illa centum quadraginta quatuor millia signatorum denotantur: Quis enim dicat veros fuisse homines qui in illâ visione S. Ioanni apparuerint, cùm de numero electorum nondum existentium visio intelligatur? Sint si volueris cum Alcazare, ij qui tempore Apostolorum erant ad fidem conuersi: An probabile est omnes conuersos in eo articulo temporis quo hæc visio contigit vita fruentes vel eadem functos simul congregari, vt oculis S. Ioannis obicerentur? An corpora mortui resumerent in quibus apparerent? Sentiebantne se alicubi transferri, vt simul in eodem momento vide-

Probatur primo quod non sunt singulares personæ sed omnes qui munere & officio eorum sensuum fungentur.

Secundo.

Symbolica sunt figura non determinatæ personæ nisi in quantum in eis figuris designantur.

E

Digitized by Google

rentur ? vel quomodo ſi diſperſi remaneant in A toto orbe oculus S. Ioannis ſufficeret vt vndequaq; illos videret ? Et ſi de omnibus ſolis electis qui erant eo tempore viuentes intelligeretur viſio, nec ad alios qui poſtea exiſtere debebant extenderetur, tamen numerus eorum adeo non excreſceret vt diceretur de ipſis turbam eſſe adeo copioſam vt dinumerari nequiret, cum paulo ante Imperio Auguſti & electi & reprobi per vniuerſum orbem deſcripti fuiſſent. *Factum eſt*, inquit D. Lucas; *in diebus illis exiit edictum à Cæſare Auguſto vt deſcriberetur vniuerſus orbis.* 3. Nihil in iſtorum 24. Seniorum viſione eſt, quo cogamur potius ſentire veras & determinatas eſſe perſonas, quam illam turbam innumerabilem. Seniores deſcribuntur ſedentes, hi vero ſtantes, ſeniores in Thronis, hi autem ante Thronum, Seniores phialas in manibus geſtant, hi vero palmas. Omnes dicuntur circumamicti ſtolis albis. Si ſeniores clamant : *Dignus es Domine accipere gloriam, &c.* Hi introducuntur clamantes voce magna : *Salus Deo noſtro qui ſedet ſuper Thronum, & Agno.* Cum igitur nullus cenſeat hanc turbam veros fuiſſe homines, ſed tantum ideas & repræſentationes ſymbolicas verorum hominum ; vel certè quoſdam Angelos perſonas electorum repræſentantes (quod nihilominus vix concederetur. Vnde ipſemet Cornelius in cap. 7. cenſet ſignationem illorum centum quadraginta quatuor millium non eſſe realem ſed imaginariam : *Nec enim hæ animæ erant beatæ ſed beandæ, nec veſtes habebant aut habituræ erant coronas, palmas & ſtolas, cum ſint animæ & ſpiritus, ſed per hæſce ſymbolicè repræſentabatur Ioanni earum victoria & gloria.* Hæc ille.) Non video cur hic cogamur viſionem 24. Seniorem de certis & determinatis quibuſdam perſonis intelligere potius quam in hac centum quadraginta quatuor millium ſignatorum. Denique cum de Eccleſia Militante non de Triumphante viſio Throni & eorum omnium quæ in hoc capite continentur intelligi debeat vt vidimus, abſurdum eſt dicere illos Seniores eſſe quoſdam ſanctos iam beatitudinem cœleſtem adeptos. His adde quod ſi in hac Ioannis Prophetiâ de Eccleſiâ Triumphante fit mentio, maximè in duobus vltimis capitibus : At in his capitibus nulla amplius fit mentio nec 24. Seniorum nec 4. animalium ; tranſacta enim erunt & præterita ea omnia quæ per Seniores & animalia ſignificantur, cum ſemel in patriam cœleſtem fuerimus introducti. Signum igitur eſt viſionem iſtam ad Eccleſiam Militantem pertinere non ad Triumphantem. Nec vrgent rationes à Cornelio adductæ. 1. *Vbique in ſequentibus*, inquit, *definitè inducuntur hi 24. Seniores, illique Deum celebrant. Imo & S. Ioanni loquuntur*, cap. 7. verſ. 13. Reſpondeo : Definitè vbique inducuntur, quia hic Seniorum munerus certas & quaſdam functiones & operationes deſignat, quæ hic & in ſequentibus deſcribuntur. Vnde ſemper requiritur vt definitè 24. Seniores nec plures nec pauciores repræſententur. Deum celebrant ſed eo modo quo in Eccleſiâ etiam Militante. v. g. ſacrificiis & oratione colitur. Ioanni loquuntur ; at loquuntur etiam animalia, clamare etiam videtur illa turba magna cap. 7. & tamen non ſunt vera animalia, & illa turba eſt tantùm imaginaria. 2. Ratio Cornelij eſt : omnes conſentiunt 4. animalia eſſe 4. Angelos & 4. Euangeliſtas : ergo 24. Seniores ſunt inſigniores ſancti. Certe non video quomodo dicat omnes conſentire, cum ipſemet tot alias interpretationes adducat, vt pote ſedium 4. Patriarchalium ; 4. Virtutum Cardinalium ; 4. facultatum animæ humanæ, & alias vt videbimus. Igitur ſi alia dari poſſit horum animalium interpretatio, itaut præcisè nec Angeli ſint nec Euangeliſtæ, Ratio Cornelij non vrget. 3. Ratio ; quia hi 24. Seniores in hac viſione non inducuntur vt iudices ſed vt conſcij & interpretes myſteriorum diuinæ prouidentiæ erga Eccleſiam. At ſi hoc gratis dicitur, corruit certè hæc ratio. Siquidem vt dicemus verè hîc ſunt iudices, & ad opus & munus ſibi injunctum exequendum paratiſſimi.

Dico igitur 2. Seniorum tantum repræſentantur ideæ ſeu imagines, ſimulacra & ſimilitudines, quæ Angelorum miniſterio vel oculis vel imaginationi S. Ioannis objiciuntur : vt per ea quæ illi apparent exterius vel in eius imaginatione efformantur ſimulácra: diſcat ea quæ ipſi per Angelum ſignificantur. Hoc ſequitur ex præcedenti concluſione, non ſunt veræ & reales perſonæ, ſunt ergo tantum vmbratiles & fictitiæ, Angelis quibuſdam ſub his formis ac figuris eorum qui per ſeniores repræſentari debent perſonam gerentibus, vel tantum hæc ſimulacra efformantibus quæ ſedere, ſtare, loqui videantur, vt S. Ioanni innoteſcat quidnam peragere aut operari valeant ij qui per has imagines repræſentantur. Quo fit vt ſeipſum inter illos intueri potuerit, v. g. ſe per aquilam ſi volueris ſignificari intelligat.

Dico 3. cum Dionyſio Carthuſiano, non hic recurrendum eſſe ad Patriarchas aut Sanctos veteris teſtamenti. Noui teſtamenti ſtatus deſcribitur, ergo ad vetus non eſt recurrendum. Hinc optimè rejicit opinionem cuiuſdam Berengandi, quem nos exiſtimamus eum eſſe qui citatur ſub nomine Ambroſij, qui vult ſignificari Patres veteris Teſtamenti, & per ſedilia 24. inſinuari 24. libri veteris Teſtamenti, in quorum lectione ac meditatione quaſi in ſedibus veteres Sancti à laboribus curiſque ſæculi quieſcebant. Sed vt ait Dionyſ Carthuſianus, cum ſecundum hunc expoſitorem per ſedem intelligatur Eccleſia militans, cuius decurſus & ſtatus hoc libro deſcribitur ; non videtur quod Patres vetetis Teſtamenti tempore huius reuelationis dicti ſint eſſe in circuitu Eccleſiæ militantis, qui iam ad Eccleſiam Triumphantem in Chriſti Aſcenſione erant tranſlati. Cum igitur ex ipſo Dionyſio vt iam antea notauimus, nunc deſcribatur Eccleſiæ ſtatus, prout à Synagogâ diſtinguitur, vt pote prout à Chriſti aduentu & Euangelicæ legis prædicatione ſeu nouo Teſtamento ſumpſit exordium, per iſtos Seniores minime intelligimus aliquos Patriarchas aut Sanctos Veteris Teſtamenti. Hinc Andreæ Cæſarienſis & aliorum qui ad 12. Patriarchas recurrunt, Ruperti qui ad 12. iudices qui poſt Ioſue vſque ad Saül Iſraëli præfuerunt, ſententiam non amplectimur.

Dico 4. Status Eccleſiæ prout Eccleſia à Chriſto fundata eſt, & vſque ad conſummationem ſæculorum eſt duratura, hic adumbratur. Vnde per iſtos Seniores tum ij qui eo temporis momento quo viſio hæc S. Ioanni fiebat Eccleſiam conſtituebant, tum ij qui poſtea in eorum locum ſufficiendi & ſubſtituendi erant, veluti eorum ſucceſſores, ipſi repræſentabantur. Nec enim alia erit rerum facies in Eccleſiâ ab ea quæ ei indita eſt à Chriſto ab initio. Semper erit in ea Thronus erectus in quo Deus ſedeat, nempe ſedes Romana à quâ nunquam diuelletur aut ſeparabitur. Semper hic Thronus aliis Thronis erit circundatus : Semper erunt Epiſcopatus & Epiſcopi : Semper erunt qui ſanctitate præcipua vigeant : Semper erunt oues quæ paſcantur & obediant : Semper erunt qui donis gratuitis ad aliorum ſalutem procurandam gaudeant : Semper erunt qui animi puritate, innocentia vitæ, ac victoriis de ſalutis hoſtibus reportatis, lauabunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni, dignâ Sacramentorum perceptione quæ à Deo inſtituta & Eccleſiæ tradita

Lucæ 2.

Probatur 3.

Confirmatur præcedens

Cornel. in c. 7.

Dionyſ. Carthuſ.

Non ad Patres veteris Teſtamenti applicanda eſt hæc viſio.

Probatur 4.

Soluuntur obiectiones Cornelij.

Status Eccleſiæ prout à Chriſto inſtitutus hic deſcribitur.

Digitized by Google

sunt, vt quædam salutis pignora & infusionis gratiæ efficacia signa, donec tandem Agnus qui regit eos, ipsos deducat ad vitæ fontes aquarum, & abstergat Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: Fauet Augustinus seu Ticonius cum ait: *Seniores totam Ecclesiam dicit, sicut Isaias dicit: Cum in medio senum fuerit glorificatus: 24. seniores præpositi & populi sunt. In duodecim, Apostolos & præpositos, & in aliis duodecim, reliquam Ecclesiam intellige.* Hæc ille. Fauet Dionysius Carthusianus cum ait: *Alij ergo per 24. sedes intelligunt vniuersas Euangelicæ legis cathedrales Ecclesias, & per totidem seniores earum Episcopos; & hoc propter concordantiam noui testamenti ad vetus. Nam 1. Paralip. scriptum est, quemadmodum, Dauid diuinum cupiens cultum augere, constituit 24. Sacerdotes succedentes per hebdomadas in templo ministrantes; & sic rursus per numerum determinatum indeterminatus exprimitur. Interdum siquidem septenario quandoque denario, subinde centenario, aliquando millenario, nonnunquam & aliis numerorum speciebus vniuersitas designatur, secundum varias considerationes numerorumque proprietates vel perfectiones: sed quia præfacti 24. seniores à Dauid dispositi non erant Pontifices, imo sub Pontifice, apparet quod per eos conuenientius vniuersitas sacerdotum Euangelicæ legis exprimeretur. Per sedes autem eorum potestas & gratia, seu virtus & merita eis collata, in quibus velut in sedibus spiritualiter conquiescunt. Dicuntur quoque ista sedilia & eorum sessores esse in circuitu sedis, puta Ecclesia, quia eorum est alios ab antiquo hoste, cunctisque veræ salutis aduersis tueri.* Hæc Dionys.

Ticonius seu Aug.

Dionys. Cart.

Numerus determinatus pro indeterminato ponitur.

Dico 5. Iuxta regulam 10. à nobis in proœmio positam, probabile est per seniores eos intelligi qui præcipuâ auctoritate aut sanctitate in Ecclesiâ vigent. Fauet Ribera hîc cum ait: *Existimo non omnes Sanctos sed præstantissimos quosque & selectissimos comprehendi.* Hæc ille. Hinc existimo vniuersalitatem Prælatorum & Episcoporum qui Sedi Romanæ adhærent & cum Sede Apostolicâ communicant intelligi, quin etiam sanctos illos nempe qui præterquam summum & eminentem sanctitatis gradum & apicem adepti sunt aliquo modo in gratiâ confirmati sunt, vt ab ea non decidant sed perseuerantiæ sint donum consecuturi, vt eorum sanctitas æquè ac Prælatorum auctoritas quæ fundata est supra firmam Petram inconcussa remaneat, siue intelligant & sciant (Deo ipsis reuelante) siue ignorent Deo ita disponente se in gratiâ esse confirmatos. Nec hoc absurdum videri debet, vt duodecim ex his 24. senioribus pro Episcopis designandis sumamus, & 12. pro iis designandis qui sanctitatem fuerint adepti. Nam si Augustinus, seu Ticonius vt vidimus, in præpositos & populum hunc numerum diuisit, & alij hunc numerum tta partiti sunt, vt 12. ad sanctos veteris Testamenti, 12. ad sanctos noui Testamenti distribuant; nihil absurdi proponimus si 12. ad designandum simpliciter & præcisè summam Sacerdotum & Prælatorum auctoritatem pertinere dicamus, 12. ad significandum sanctitatem quorumdam, qui licet auctoritate sacerdotali præditi non fuerint, ad talem nihilominus sanctitatem euecti fuere vt omnia eis fuerint propter eam quam contraxerunt cum Deo strictam amicitiam ac familiaritatem subiecta: sicuti cuncta autoritati Prælatorum, vt potè qui Dei vices gerant, subdi ac parere debent. Fauet Hugo Victorinus lib. 7. cum ait: *Duplicem esse debere assumptionem eorum qui præficiuntur, scilicet vt primùm intus per gratiam assumantur per excellentiam virtutis, postmodum foris per obedientiam vocentur ad excellentiam dignitatis.* Existimo igitur hic sanctum Ioannem cum intendat depingere ac adumbrare fundationem seu statum Ecclesiæ à Christo institutum, prout erat iam firmatus & stabilitus, & prout erat in futurum permansurus, & iuxta hoc præceptum (*Scribo ea quæ sunt & quæ futura sunt*, ea proponens quæ iam constituta erant, & quæ euentura erant, seu in eo statu permansura: ea non quasi imperfecta repræsentando, sed vt in termino suæ perfectionis à Deo posita; *Dei enim perfecta sunt opera*) velle & intendere ante oculos mentis nostræ proponere optimas virtutes, dispositiones & qualitates, quibus ornari debebant omnes ij qui à Spiritu sancto assumendi erant ad regendum Dei Ecclesiam, & ad conuertendos tam efficaciter ad Deum homines, vt gratiam Dei in vanum non susciperent, sed eâ bene vtentes cum perfectionis gradum adipiscerentur vt in iis verum esse appareat quod à B. Petro dicitur 1. Pet. 5. *Deus autem omnis gratiæ qui vocauit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu modicum passos ipse perficiet, confirmabit solidabitque.* Itaut eorum in bono perseuerantia sicuri & Prælatorum inconcussa & immobilis auctoritas in Thronis repræsentetur.

Optimæ virtutes & qualitates Pastorum & sanctorum describuntur in 24. Senioribus

Dicimus igitur vt paucis mentem nostram explicemus; per 4. seniores designari tum Prælatos & præcipuè qui bene præsunt & duplici honore digni sunt (nec enim ab iis senioribus excludimus eos qui licet moribus corrupti sanctitatem tamen ministerij seruant & inconcussam sacerdotij autoritatem indefessè tuentur, quamuis ad eos qui sanctitate æquè ac auctoritate pollent præcipuè sanctum Ioannem respicere censeamus) tum etiam designari sanctos, & præcipuè eos qui in exercitio heroicarum virtutum, quæ ex descriptione seniorum coniici possunt, perseuerant: licet etiam adumbrari dicamus eos qui pro præsenti iustitiâ quam possident, Ecclesiam verbo & exemplo ædificant, perseuerantes tamen in iustitiâ potissimùm respicit Prophetia, quæ statum Ecclesiæ quoad auctoritatem & sanctitatem, ab eo instanti quo fuit fundata à Christo vsque ad consummationem sæculorum, nobis ante oculos mentis proponit aptissimo symbolo 24. seniorum. Optimè siquidem ad institutum nostrum D. Hieron. in cap. 1. Aggæi, ponderans reædificationem Templi factam fuisse 24ª. mensis, ait: *Ex duobus enim duodecim numeris, vigesimi quarti numeri summa consistit: quia tam ex circumcisione quam ex Gentibus Christi Ecclesia ædificata est. Sed & hoc dicere possumus, quia octauus numerus qui sanctus est, & in vera circuncisionis typo accipitur; triplicatus, 24. numerum facit: figuraliter nos docemur, vt domum Domini in amputatione carnis & vitiorum circumcisione ædificemus, & veram puritatem esse credamus in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Hæc Hieron.

Pastores qui sanctitatem ministerij seruant & sanctis secundum præsentem iustitiam designantur.

S. Hieron. in Aggæum.

Hi sunt intelligendi maximè qui præcipua autoritate aut sanctitate in Ecclesia vigent. Ribera.

Duodecim ex Senioribus significant autoritate pollentes, 12. alij sanctiores.

Hug. à S. Vict.

Dico 6. Nos ab iis senioribus non excludere summum Ecclesiæ Sacerdotem nempe sanctum Pontificem seu Papam: Etenim cum per seniores non tam peculiares quædam personæ designentur, quam sub hoc symbolo significentur officia, qualitates, virtutes, dotes ac præclari actus eorum qui per seniores intelligi debent, vt quales futuri sunt ac esse debeant doceatur, nullus qui sacerdotio & autoritate præditus sit excludi debet: quo fit vt etiam summi Pontifices in his senioribus depingi ac repræsentari etiam possint, in quibus summa & præcipua inest autoritas, & in quorum pluribus maxima etiam aliquando enituit sanctitas. Eadem enim ratione quâ videmus Angelos superioris ordinis ac hierarchiæ, perfectionem eorum qui inferioris sunt ordinis continere, quo fit vt perfectio inferiorum sit quasi basis ac fundamentum perfectionis eorum qui superiores sunt; Sic enim Seraphini habere dicuntur quidquid perfectionis aut Cherubini aut Throni possident, & aliquid addere: Ita Cherubini possident quidquid in Thronis perfecti conspicitur, &

Digitized by Google

quid amplius ; ita dicimus perfectionem deſignatam in 24. ſenioribus, in his quæ per 4. animalia repræſentantur ineſſe : quin & perfectiones quæ per illa 4. animalia ſignificantur in eo qui in ſede præcipuâ collocatur exiſtere. Igitur ſi in 24. ſenioribus inſit quædam auctoritas & ſanctitas firma & ſtabilis, nonne hæc reperitur in eo cui dicitur : Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam ? In 4. animalibus, vt videbimus, contemplari poſſumus dona gratuita quæ inſeruiunt ad aliorum ſalutem promouendam : Nonne hæc dona in eo ſunt cui dicitur ? *Caro & Sanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cœlis eſt ?* Inſuper *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua : & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Cum autem hæc auctoritas & hæc dona gratuita ſubiectum aptiſſimum ac conueniens reperiant, nonne in Petro hoc repertum eſt, cui dictum fuit à Domino omnimodam illi poteſtatem conferens : *Simon Ioannis diligis me plus his ? Paſce Agnos meos. Paſce oues meas.* Thronus igitur eſt auctoritatis firmitate, Cherub diuinarum rerum cognitione, Seraph ardentiſſima charitate : & ideo licet eum ſedere dicamus in præcipuâ ſede veluti per quem Chriſtus regit & gubernat ſuam Eccleſiam ; Tamen ipſum etiam ſignificari dicimus in ſenioribus & animalibus, quia in eo quidquid per ſeniores aut animalia in Paſtoribus Eccleſiæ & ſanctis inexiſtere dicitur poteſt eminenti ratione reperiri. Sic non abſurdè eum dicemus infra eſſe vnum, id eſt, 1. ex ſenioribus. His optimè quadrat quod ipſe Epiſcopos ſeniores & ſeipſum conſeniorem nuncupat in ſuâ epiſtola 1. cum ait c. 5. *Seniores ergo qui in vobis ſunt obſecro conſenior & teſtis Chriſti paſſionum, qui & eius quæ in futuro reuelanda eſt gloriæ communicator, paſcere qui in vobis eſt gregem Dei.* 1. Pet. c. 5.

Dico 7. Etſi potius virtutes & functiones requiſitas ad ſacerdotale & Epiſcopale munus fœliciter exequendum, hîc in ſenioribus & animalibus ſanctus Ioan. repræſentare intendat, nihilominus eos qui Eccleſiæ præeſſe & prodeſſe debent reſpicit prout alij aliis ſuccedere debent. Videt igitur in 1. Eccleſiæ fundatione Petrum Antiochenam Eccleſiam moderantem, 4. Euangeliſtas (inter quos ipſe Ioan. reponitur) Euangeliũ vbique ſcriptis æquè ac verbis promulgantes, nempe Ioannem, Mathæum, Lucam & Marcum. Videt in ſenioribus Paulum prædicantem, Iacobum minorem Hieroſolymitanam Eccleſiam gubernantem, Andream, Philippum, Bartholomeum, Simonem, Iudam, Mathiam, Iudam cognomento Barſabam & Silam qui Act. 16. dicuntur ἡγούμενοι id eſt, viros primos, primarios & præeminentes, quaſi duces cæterorum, quos in locum Iacobi maioris iam occiſi, & Ioannis quem in numero Euangeliſtarum reponimus, fideliter collaborantes Euangelio, vt Chriſti Euangelio fides adhiberetur. Videt quoſdam ſanctitate florentes in illo Eccleſiæ crepundio : Et hæc pro illis 1. temporibus.

Videt poſtea in Throno præcipuo Petrum Romæ ſedem Apoſtolicam conſtituentem, in ſenioribus Apoſtolos multas per totum orbem Eccleſias fundantes, in quibus & ipſi ſederent & poſt ſe ſucceſſores relinquerent, qui Eccleſiæ ſtatus prorogari debebat temporibus futuris abſque vllâ interruptione vſquequo fides Chriſtiana toto orbi innoteſceret, & radices adeo firmas ageret vt nullâ vi aut violétiâ euerti aut diuelli queat. Videt hos plurimum adiuuari meritis & orationibus plurimorum, qui Deo gratiores & acceptiores in gratiâ perſeueraturi erant : hinc non omnimodè abſonum eſt exiſtimare S. Ioan. videre conſeſſum Cardinalium cum ſummo Pontifice, vt latè hic Cornelius explicat. Videt in ſede Alexandrinâ per Leonem deſignatâ, diuinitatis Chriſti ſplendorem fulgere : in Antiochenâ per bouem figuratâ, naturæ humanæ dignitatem agnoſci ex vnione hypoſtatica cum verbo proueniente : verbi diuini exinanitionem ex aſſumptâ humanitate, in hieroſolymitana ſede per faciem hominis adumbrata percipi : in ſede Romanâ per Aquilam ſignificata auguſtum Chriſti regnum & imperium ſtabiliri. Videt denique in his ſymbolis ſeniorum & animalium, quales futuri ſunt plurimi qui ad Eccleſiam regendam & homines ad fidem conuertendos à Spiritu ſancto aſſumendi ſunt ; omnes nempe qui fide & obedientiâ, quaſi arctiſſimo quodam vinculo, cum ſede Rom. 1. coniunctiſſimi ſacrificiis, ſacramentorum participatione & adminiſtratione, prædicationibus cultum Dei promouere debebant. Videt Eccleſiæ doctores, Religionum fundatores, in animalibus : ex quorum ſeniorum & animalium proprietatibus ac graphica diſcuſſione nobis nunc exquirendum eſt quales virtutes qualiaque dona requirantur in Paſtoribus & ſanctis, qui ad Dei cultum promouendum à diuinâ eius prouidentiâ ordinantur. Et hæc de ſignificatione 24. Seniorum dicta ſufficiant.

Quæ officia, quæ virtutes, qui præclari actus Paſtorum & Sanctorum per 24. Seniores deſignantur. §. 1.

PVNCTVM I.

Quodnam ſit officium ſeu munus per Seniores deſignatum.

SENIORES ſunt, ſedent in Thronis, circumamicti ſunt veſtimentis albis, habent coronas aureas in capitibus. Ex his conjiciamus officia, virtutes & actus Prælatorum & Sanctorum.

Dico 1. Senectus optimum eſt ſymbolum ſanctitatis ac muneris paſtoralis, hinc optimè Lyranus exponens hunc locum : *Et ſupra Thronos 24. Seniores,* inquit : *Per quos deſignantur vniuerſi Epiſcopi, in quibus debet eſſe ætatis & morum maturitas. Non autem ſufficit vt ætate ſint prouectiores niſi etiam hanc adepti ſint ſenectutem de quâ Sap. 4. Senectus enim Venerabilis eſt non diuturna ; neque annorum numero computata. Cani autem ſunt ſenſus hominis & ætas ſenectutis vita immaculata.* Sap. 4.

Secundum Apoſtolum Neophytus non ſit quiſquis ad ſublimem illum Thronum conſcendit : Hoc eſt, vt exponit D. Ambroſius de dignitate ſacerdotali c. 5. *Qui nuper ad fidem ex gentilitate aduenit, aut certè ex militia ſæculari ad clericatus officium eſt ſociatus. Hi ergo non tam paſſim ſacerdotalem accipiant gradum, ne elati in ſuperbiam in iudicium incidant & in laqueum diaboli : quia quod nec paruo tempore didicerunt, in longo tempore ſeruare non poſſunt.* S. Ambroſ.

Hæc Ambroſ. Prudenter Iuſtinus imperator, vt refert Zonaras, cum principe ſenatus aliquando eum rogarent vt Iuſtinianum collegam aſciſceret, purpurâ prehenſâ reſpondit : *Vobis,* inquit, *optandum eſt ne hanc iunior aliquis induat.* Iuſtinus Imperatorꝰ præclarum dictum apud Zonaram.

Innuens eum qui imperij habenas moderaturus eſſet ætatis maturitate debere eſſe præditum, ne ardore iuuenili & inexperentiâ cuncta non regat ſed ſubuertat. Hæc proculdubio in iis qui animas regere & ad æternam ſalutem promouere debent tanto magis requiruntur, quanto æterna ſalus temporali præſtat. *Nam,* inquit D. Gregorius Nazianz. orat. 1. *Extrema quidem Senectus huic rei præſtituta longum tempus cenſeri debet, Senectus enim cum prudentiâ conuncta imperita, iuuentuti præſtat, & conſiderata tarditas inconſultæ temeritati, & breue regnum diuturnæ tyrannidi, quemadmodum parum auri multis plumbi libris. Væ tibi ciuitas cuius Rex iunior. Eccleſ.* 10. Hæc Gregor. Et reuera nullus ad hoc munus ſacerdotale promouen- S. Gregor. Nazianz.

deberet, qui non esset iam diu in virtute exercitatus: hinc ipsemet Gregorius inuehitur ibidem in eos qui sese ad tanta mysteria pertractanda imparatos licet ingerebant, rationem reddens cur ipsemet detrectaret & refugeret. *Aliorum*, inquit, *me puduit qui cum plerisque nihilo meliores sint, atque vtinam non etiam multo peiores, illotis, vt dici solet, manibus, prophanisque animis in sanctissima mysteria sese inferunt; ac prius quam*

S. Gregorius Nazianz.

digni sint qui ad res sacras accedant, sacrarium ipsum ambiunt, & circum sacrosanctam mensam sese inuicem premunt ac protrudunt, tanquam non virtutis exemplum sed victus parandi occasionem & subsidium hunc esse ordinem iudicantes, ac non munus referendis rationibus obnoxium, sed imperium ab omni censura immune. Qui etiam eos quibus praesunt numero iam fere superant, ob pietatem vtique miseri, ob splendorem infœlices. Hæc Gregorius.

Quod Senectus sanctitatis ac Episcopalis auctoritatis symbolum sit conueniens & aptissimum, patet ex dictis: Senectus requiritur ætatis & morum in Episcopis, ergo per seniores qui ad hanc ætatem peruenerunt possunt Episcopi optimè significari, quibus quidem illa Senectus competit quam in S. Ocholio Episcopo Thessalonicensi commendat S. Ambrosius Ep. ad Anysium eius successorem; *Cuius*, inquit Ambrosius, *benedicta etiam senectus ipsa est. Vere senectus illa venerabilis, quae non canis sed meritis albescit, ea est enim reuerenda canicies quae est canicies animae, in cogitationibus & operibus refulgens. Quae est enim vere atas senectutis nisi vita immaculata, quae non diebus aut mensibus sed saeculis propagatur, cuius sine fine est diuturnitas, sine debilitate longaeuitas? Quo enim diuturnior eo fortior, & quo diutius eam vitam vixerit, eo fortius in virum perfectii excrescit.* 2. Cum sancti & Ecclesiæ Pastores Deo similes esse debeant, eumque imitari, non mirum si eodem symbolo repræsententur quo ipsemet Deus, cui assimilari & quem imitari debent, in scripturâ repræsentatur: At Deus apud Danielem vt senex apparet, Dan. 7. *Antiquus dierum sedit, capilli capitis eius quasi lana munda.* Optimè igitur per quosdam seniores hic sancti & Pastores significantur. Restat vt videamus quodnam officium seu munus, ex hac figurâ seniorum, Pastoribus aut sanctis proprium esse conjicere valemus.

Ocholij Episc. Thessal. qualis Senectus.

S. Ambrosius.

Daniel. 7.

Dico 2. Seniores sedentes dicuntur, potissimum quia Episcopi & Pastores Ecclesiæ ac sâcti sunt verè iudices. D. Hieron. in Dan. 7. illum locum exponens: *Antiquus dierum sedit*, ait, *Vetustus autem dierum ille est qui apud Ioan. solus in Throno sedet.* Et paulo post: *Sedens autem & vetustus dierum dicitur Deus, vt aterni iudicis habitus demonstretur.* Item paucis interiectis lineis. *Quodque capilli eius lanae mundissimae comparantur, purum ostenditur syncerumque iudicium, & nullam personam in iudicando respiciens. Senex quoque describitur vt maturitas sententiae comprobetur.* Hæc Hieron. Habemus igitur ex S. Hier. figuram senioris sedentis habitum esse iudicis puri & sinceri, maturi & prudentis, eundemque esse qui S. Ioanni & Danieli apparuit. Audiamus nunc D. Dionys. c. 3. de cælesti Hierarch. docentem nos, *Quod finis Hierarchiae est Dei imitatio & cum illo coniunctio, eumque omnis sacrosancta scientia atque actionis sequi ducem, diuinissimumque eius decorem constanter intueri & exprimere. Item suos*, inquit, *in rebus diuinis collegas simulacra diuina efficit, specula maxime pellucida & ab omni labe pura, quae diuinum primae lucis radium recipere possunt.* Addit Dionys. *Facit vt eadem nempe simulacra, lucis quidem quae eis data est plena sunt, eam autem rursus ex diuinis legibus sine inuidia in ea quae sequuntur infundant.* Denique ait, *perfectio eorum qui in Hierarchia positi sunt est contentio ad Dei imitationem, & (id quo nihil diuinius est) Dei, vt sacra scriptura loquitur, fiat aditor, diuinamque in se actionem quantum potest ostendat.* Hæc Dionys.

S. Hieronym. in 7. Daniel.

S. Dionys. Areopag.

Seniores sunt quia Dei imitatores.

Statum Hierarchicum Ecclesiæ à D. Ioanne describi iam diximus. Non mirum igitur si dicamus eum in senioribus adumbrari: Nam si quilibet sacer Principatus Deum imitari debet, cum eo conjungi, eumque in scientiâ & actione ducem sequi; si Deus quasi antiquus sedet, quicumque hunc obtinebunt principatum, vt senes apparere & cum eo sedere debent: At illa Dei sessio significat secundum S. Hieronimum Deum esse iudicem, purum, sincerum, maturum. Seniorum igitur sessio significare debet ipsos esse iudices, puros, sinceros, prudentes ac maturos. Ideo in circuitu sedis ipsi assident, vt decorem tanti iudicis constanter intueantur, vt eius possint esse Collegæ in rebus diuinis. Sic sunt diuina simulacra Deum repræsentantia, eiusque veluti imagines, quæ tanquam specula perlucida & ab omni labe pura diuinos eius fulgores ac radios solares primi in se suscipiant. Habemus igitur ex illa sessione seniorum qualenam sit eorum munus & officium, nempe vt sint iudices. Quod quidem tam de Sanctis quam de Ecclesiæ Pastoribus dicendum est. De Sanctis enim dicitur Sap. 3. *Iudicabunt nationes & dominabuntur Populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum.* Sacerdotes autem esse iudices nemo potest inficiari, tam in veteri quam in noua lege. Patet hoc ex Deuter. 17. *Qui superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Deo tuo; & decreto iudicis, morietur homo ille, &c.* Et optimè Abulensis apud Cornelium in Deuter. *Decet summum Pontificem vocari hic iudicem, eo quod ipse solus in Concilio audito aliorum iudicio proferre soleret sententiam mortis.* Sic Caiphas in Christum, Ananias Pontifex præcepit percuti Paulum. Act. 23. Et Deuteron. 21. *Accedentque ad Sacerdotes, &c. Ad verbum eorum omne negotium iudicetur.* Et Ezech. 44. vbi latè Propheta de Sacerdotibus differit, inter alia dicit: *Et cum fuerit controuersia stabunt in iudiciis meis & iudicabunt.* Quæ verba exponens D. Hieron. ait: *Et cum fuerit controuersia de omni re, sive vt 70. transtulerunt, sanguinis (hoc est quod ad mortale crimen pertinet) stabunt Sacerdotes in iudiciis meis, vt non iudicent secundum honorem nec accipiant personam pauperis sibe diuitis in iudicio, sed stent in iudiciis Dei & recordentur illius psalmi: Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat, Deos appellans qui habent iudicandi potestatem, &c.* At non est existimandum Sacerdotes noui Testamenti deterioris esse conditionis aut inferioris potestatis, habent ligandi & soluendi potestatem, & de re grauissimâ iudicant sententiâ definitiuâ nempe de remissione & detentione peccatorũ, *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, &c.* Ioan. 20. Hoc est vere iudicare de sanguine. Peccata quippe per sanguinem in scripturâ significari clarum est, Propheta Deum deprecante vt eum liberet de sanguinibus, Ps. 50. Et quia hoc posset ad peccatum homicidij restringi quod commiserat, hunc Ezechielis locum c. 16. adduco: *Transiens autem per te vidi te conculcatam in sanguine tuo, Id est*, inquit D. Hieron. *ream mortalium criminum, & prouocans te tribuens pœnitentiam, dixique tibi: licet sis in sanguine, tamen vive conuersa:* Hæc Hieron. Iudicant de sanguine cum iudicant de peccato: ergo sacerdotes noui testamenti sunt veri iudices potiori titulo quam alij qui de rebus minoris momenti iudicant. Quanto enim præstat illa potestas aliis terrenis potestatibus, tanto potiori gaudent titulo vt iudices dici possint. Audi D. Chrisost. hac de re copiosius differentem libi 3. de sacerdotio c. 5. *Nam siquis consideret quantum id sit mysterium, vt is scilicet qui homo ipse sit carne &*

Digitized by Google

ſanguine etiamnum conſtans, iiſque inuolutus, beatæ atque immortali naturæ illi fieri propior queat; tum probe intelliget quanto ſacerdotes honore, quanta dignitate ſpiritus ſancti gratia dignata fuerit. Operantibus enim illis tum ſacra hæc quæ dico initiantur perficiunturque, tum etiam alia his nihilo inferiora quæ ipſa ad dignitatis ſalutiſque noſtræ rationem ſpectant, etenim qui terram incolunt atque in ea verſantur, iis commiſſum eſt vt ea quæ in cœlis ſunt diſpenſent, iis datum eſt vt poteſtatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis neque Archangelis datam eſſe voluit. Neque enim ad illos dictum eſt: Quæcumque alligaueritis in terrâ erunt alligata & in cœlo, & quæcumque ſolueritis in terrâ erunt ſoluta & in cœlo: Habent quidem terreſtres principes vinculi poteſtatem, verum corporum ſolum. Id autem quod dico ſacerdotum vinculum ipſam etiam animam contingit, atque ad cœlos vſque penetrat vſque adeo vt quæcumque infernè ſacerdotes confecerunt, illa eadem Deus ſupernè rata habeat ac ſeruorum ſententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hic aliud eſſe dicas niſi omnem rerum cœleſtium poteſtatem illis ab eo conceſſam? Quorumcumque enim, ait, peccata remiſeritis remittuntur eis, & quorumcumque retinueritis retenta ſunt. Quænam, obſecro, poteſtas hac vnâ maior eſſe queat? Pater omne iudicium filio dedit. Cæterum video ipſum omne iudicium à Deo filio illis traditum. Nam quaſi iam in Cœlum tranſlati ac ſupra naturam humanam poſiti, atque noſtris ab effectibus exempti, ſic illi ad principatum iſtum perducti ſunt. Hæc Chryſoſt. Nihil proculdubio melius ad propoſitum: ſacerdotes ex D. Chryſoſt. beatæ atque immortali natura propiores fiunt, noſtri ſeniores Deo fiunt propinqui: Sunt enim in circuitu Throni, ipſi aſſident ſacerdotes, ſententiam ferunt & iudicium accipiunt. Noſtri ſeniores ſedent vt iudices, & ſunt veluti in cœlum tranſlati, cum ſedeant in Thronis, illum auguſtiſſimum Thronum ambientes qui in cœlo collocari dicitur: *Et ecce*, inquit, *ſedes in cœlo erat poſita.*

Dico 3. Hæc iudicandi poteſtas cæteras omnes poteſtates aut autoritates quodammodo præſupponit, v. g. leges condendi, præmia decernendi pro fideli earum obſeruatione, pœnas infligendi pro earum tranſgreſſione, bella indicendi, pacis conditione præſcribendi & cætera eiuſmodi quæ ſupremam aliquam redolent auctoritatem. Sequitur quippe poteſtas iudicandi naturam illius auctoritatis, quâ aliquis præditus eſt: vt quo maior erit auctoritas, eo auguſtior ſit iudicandi poteſtas. Hinc Pſalmiſta vt ſupremam Dei poteſtatem indicet ſolummodo ait: *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos dindicat.* Pſ. 81. Deus Elohim notat Genebr. quaſi iudex & vltor, tanquã iudex primus cuius vices gerũt. Dij enim analogicè ſunt iudices, quod Dei vices gerant & ſuſtineant, ac eiuſmodi adminiſtratio res ſit diuina non humana. *Neque enim*, dicebat Chriſtus Dominus Ioan. 5. *Pater iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium ſicut honorificant Patrem.* Videtiſne æqualitatem honoris cum Patre, filio prouenire ex collatâ ſibi iudicandi poteſtate? Qua quidem ratione D. Petrus Act. 10. nihil aliud Apoſtolis à Chriſto præceptum fuiſſe dicit, quam quod prædicarent populo & teſtificarentur, *quia ipſe eſt qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum & mortuorum*, Et Petro Chriſtum Dominum interrogante quid daturus eſſet præmij ex eo quod omnia reliquiſſent & ſecuti illum fuiſſent? Pro ſupremo honore & ampliſſima mercede ob iſtam omnimodam rerum mandanarum abiectionem reſpondit: *Amen dico vobis, quod vos qui reliquiſtis omnia & ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes iudicantes duodecim tribus Iſraël*: Quaſi hoc cæteros honores aut præmia præſupponat. Hinc populo Iſraël duces à morte Ioſue vſque ad regem Saul iudices vocantur, & liber de eorum geſtis liber iudicum nuncupatur.

Poteſtas iudicandi aliàs præſupponit.

Pſ. 81. Genebrard.

Ioan. 5.

Petr. Act. 10.

A Cum igitur ſeniores eſſe iudices dicimus, omnem à Chriſto ipſis ad Eccleſiam regendam & gubernandam autoritatem datam eſſe inſinuamus, & aſſerere intendimus.

Neque enim arridere ſententiæ Cornelij à Lapide libenter valeo, cum ait: *Hi 24. ſeniores in hac viſione non inducuntur vt iudices, ſed vt conſcij & interpretes myſteriorum diuinæ prouidentiæ erga Eccleſiam & quæ in Eccleſia vſque ad finem mundi futura ſunt, vt ſint ſicuti paulò infra ait quaſi ſenatus Eccleſiæ Triumphantis & aſſeſſores Dei.* Cur enim ipſi in ſuo cantico c. 5. dicunt: *Feciſti nos Deo noſtro Regnum & Sacerdotes & regnabimus ſuper terram*; Si tantum Deo in cœlis aſſident? Et ſufficienter hæc regendi & iudicandi poteſtas ex ſeſſione ſuper Thronos colligitur. Nullus enim dubitat quod qui dicitur, *Supra ſedem ſedens*, Vniuerſam Eccleſiam tanquam ſupremus Rex & Monarcha regat: At de eo tántum dicitur quod ſit ſedens. Sic Dan. 7. dicitur. *Antiquus ſedit, iudicium ſedit.* Nec aliâ ratione ſacra ſcriptura regnandi auctoritatem explicat quam per ſeſſionem ſupra ſolium aut Thronum: Pſ. 100. *Dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis. Filius tuus quem dabo tibi ſuper ſolium tuum.* 3. Reg. 5. Et Angelus ad Virginem dicebat Luc. 1. *Dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob.* Cum igitur hic de ſenioribus dicatur quod ſint ſedentes ſupra Thronos, eorum ſuprema regnandi & regendi Eccleſiam autoritas ſufficienter innuitur.

Reſcitur Cornelij ſententia.

Daniel. 7.

Pſ. 100.

3. Reg. 5. Luc 1.

Dico 4. Si de Sanctis loquamur qui pro quolibet temporum ſucceſſu Eccleſiam ſanctitate ſua decorarunt aut decoraturi ſunt, ſedilia ſeu Throni diuerſa & diſtincta dona ſignificant, per quæ tandem deuenere ad aliquem eminẽtiorem aliis ſanctitatis gradum, & propter quæ de quolibet Sanctorum canit Eccleſia: *Non eſt inuentus ſimilis illi qui conſeruaret legem excelſi.* Quin etiam ſignificant donum perſeuerantiæ in quolibet eorum, quod quidem adepti ſunt fideliter gratiæ ſibi collatæ cooperantes. Etenim ſicuti à Saluatore diſcimus diuerſas in cœlis eſſe manſiones, ita diuerſæ ſunt viæ, diuerſi ſunt gradus gratiæ & meritorum in terris, quibus ad has manſiones euehuntur, cum in gratia & virtutum exercitio perſeuerant. Sedilia igitur in quibus ſancti in terrâ ſedere dicuntur, quæ proportionem ſeruant & relationem habent ad has æternas manſiones & Thronos in cœlo paratos, & victoriam reportantibus repromiſſos, diuerſi ſunt meritorum gradus quos Sancti adipiſcuntur in Terris in gratia perſeuerantes. Si autem de Paſtoribus & Epiſcopis loquamur repræſentant eam participationem quam quilibet eorum, pro ratione ſui muneris, habere poteſt illius ſummæ auctoritatis ac poteſtatis, quæ in vniuerſum toti Eccleſiæ à Chriſto collata fuit, prout integra & ſecundum totalem ſuam extenſionem manet in ſede Romana, quæ propter poteſtatem Petro & ſucceſſoribus datam vna habet quidquid per partes aliis diſtribuitur. Optimè igitur & iuxta mentem noſtram Dionyſ. Carth. ait: *Per ſedes autem, eorum poteſtas & gratia, ſeu virtus & merita eis collata, in quibus velut in ſedibus ſpiritualiter conquieſcunt. Dicuntur quoque iſta ſedilia & eorum Seſſores eſſe in circuitu ſedis puta Eccleſiæ quia eorum eſt alios ab antiquo hoſte cunctiſque veræ ſalutis aduerſis tueri.* Et optimo iure per ſedilia in circuitu magnifici illius Throni in Cœlo poſiti in quo Deus ſedet, Epiſcoporum & Sacerdotum auctoritatem deſignari dicimus: *Etenim*, vt ait D. Chryſoſt. lib. 3. de Sacerdotio c. 4. *Sacerdotium ipſum in Terrâ quidem peragitur, ſed in rerum cœleſtium claſſem ordinemque referendum eſt: atque id perquam merito; quippe non mortalis quiſquam, non Angelus, non Archangelus, non alia quæ-*

Dionyſ. Carth.

S. Chryſoſt.

Digitized by Google

uis creata potentia, sed ipse Paracletus ordinem huiusmodi A *disposuit, qui mortalibus hominibus etiamnum in carne manentibus, auctor fuit vt Angelorum ministerium animo conciperetur. Idcirco necesse est Sacerdotem sic esse purum, vt si in ipsis cælis collocatus inter cælestes illas virtutes medius staret.* Hæc Chrysost.

Vides quâ ratione sedes in cœlo posita est, nempe vt sciamus hanc Ecclesiæ auctoritatem non humani esse consilij sed plane diuini. Supra Thronos igitur in cœlo positos sedent Sancti, quos sol mysticus omnes ætates percurrens illustrat, (sicut sol iste per 24. horas cursum diurnum conficiens, omnes mundi oras seu partes suo lumine recreat) vt quantâ fruantur pace internâ, animi quiete ac tranquillitate meditemur, ex eo quod omnibus passionibus & inclinationibus prauis superatis, ad intimam mentis ac voluntatis cum Deo adhæsionem peruenerunt, vt merito dicant: *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Deo spem meam,* & in abundantiâ tantæ gratiæ vnusquisque eorum dicit apud semetipsum: *Non mouebor amplius,* itaut speciali gratiæ auxilio fieti, etiam primos motus non tantum reprimere valeant: quin etiam plerumque impedire ne insurgant, omnesque tentationes fortiter propulsare, quibus sæpius alij succumbere solent. Non titubant diffidentia in Petrâ exaltati, itaut securi ab hoste, à casu, circumuentionibus hostium supra sui custodiam inuigilant: fugat in eis omnem ignorantiam lumen gratiæ quo illustrantur, eum sequentes qui ait: *Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ:* Abest omnis malitia ab eis in quorum cordibus Spiritus sanctus totius bonitatis fons & origo inhabitat, vt in eis verificari possit illud D. Ioan. 2. c. 3. *Omnis qui in eo manet non peccat.* Quo fit vt nulla intermissione facta virtutes exerceant, & nunquam ab operibus earum desistant: experiuntur quam bonum illis fuit quod insenuerunt in exercitio virtutum, iugum portantes ab adolescentiâ suâ.

Ad quid denotandum sedere dicantur sancti.

Dico 5. Si de Episcopis loquamur, Throni seu sedes significant primo eorum auctoritatem & dignitatis maiestatem. D. Gregor. apud Cornelium in Apoc. 3. *Quia iudicij principatum ex Christi virtute percipiunt, hinc veluti in Throno residēt.* Fauet D. Ambros. cum ait, c. 6. de dignitate sacerdotum: *Nunquid aliud interpretatur Episcopus nisi desuper inspector? maximè cum solio in Ecclesiâ editiore resideat, & ita cunctos respiciat vt & cæterorum oculi in ipsum respiciant.* 2. Eam firmitatem quæ Ecclesiæ data est, itaut contra eum hostes prævalere non valeant, nec à suâ firmitate illam dimouere queant. 3. Quod ab omni negotiò seculari feriari debent. Optimè D. Ambros. in 1. Timoth. c. 3. Diaconos eligendos præcepit, quos constat ministros esse Sacerdotum: Quales vult esse Episcopos nisi sicut ipse ait irreprehensibiles, *negotia publica, turpia, vtia lucra non habentes? Scit enim ideo negotiari vt cupiant lucra nec aliud* E *profitentur quàm gerunt. Turpia autem lucra hæc dicit esse, si sub pia professione quæstibus studeatur. Turpis enim deprehenditur cum se purum ostentat.* Hæc Ambros. Et expressè D. Paulus ait: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* 2. Timoth. 2. *vt placeat ei cui se probauit.* Quod exponens Ambros. ait: *Manifestum est quod dicit, Quia nemo potest duobus Dominus seruire. Negotia enim sæcularia auaritiæ seruiant necesse est, & nisi mentiis fuerint transfigi se non possunt. Est ergo sed leue peccatum. Ecclesiasticus autem idcirco Deo se probat, vt huic deuotus officium impleat quod spopondit, in Dei rebus solicitus à sæculari negotio alienus. Non enim conuenit virum duplicem professionem habere.* Hæc Ambros. Ideo sedent solitarij ab omni rerum humanarum affectu segregati, quia leuauerunt se

S. Greg. apud Cornelium.

S. Ambros. Quid sedes significent si senores sunt Episcopi & Sacerdotes.

S. Ambrosius.

1. ad Tim. 2.

Ambros.

supra se, quæ carnis ac mundi sunt obliuiscentes vt sub vmbrâ Crucifixi (quem solum requirunt ac desiderant cum D. Paulo dicentes, *Omnia arbitratus sum vt stercora, vt Christum lucrifaciam*) sedeant firmiter Deo adhærentes & ita perseuerent vsque in finem, vt ad hanc quietem perueniant de quâ Isai. 32. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia.* *Isa. 32.*

Quænam sint virtutes per vestimenta significatæ.
Punct. 2.

Officium seniorum vidimus, nunc ad eorum virtutes potiores indagandas transeamus, quibus potissimùm ad eam puritatem supra à D. Chrysost. requisitam peruenire possint.

B Dico igitur primo in vestimentis albis quibus indui cernuntur seniores, tum sancti tum Ecclesiæ Pastores, multæ virtutes quibus decorari debent possunt significari. v. g. morum integritas, conscientiæ puritas, castitas tum mentis tum corporis, intentionum synceritas, denique & honor ille qui ex bonis operibus & rectâ ac syncera muneris sui functione exurgit. *Gloria*, quippe, *& honor omni operanti bonum*, inquiebat Apostolus. Hinc variæ sunt apud authores horum vestimentorum explicationes. Andreas Cæsariens. *Candidæ stolæ*, inquit, *symbolum sunt integræ puræque vitæ, tum perpetuæ quoq; festiuitatis solidæque lætitiæ quâ beati potientur.* Dionys. Carth. *Quia ad litteram albis tempore Sacrificij induuntur, castitate quoque corporis ac mentis puritate debent* C *fulgere.* Appositè autem vestimentis albis induuntur tum Sancti tum Episcopi qui Deo sunt viciniores. *Nam*, vt vult Synesius Epist. 146. ad Ioan. *candidum indumentum splendidissimæ naturæ dicatum & consecratum est: quod in his quæ percipiuntur sensu, purius atque lucidius est.* Si igitur color candidus splendidissimæ naturæ dicatus est vt pote purior ac lucidior, rectè tribuitur iis qui strictiori vinculo Dei seruitio mancipantur eique intimius & perfectius coniungūtur. Hinc quia intentio est quæ nos intimius Deo coniungit, facitque vt opera nostra Deo grata existant,

Virtutes in vestimentis designantur.

Andreas Cæs.

Dionys. Carth.

Synesius.

D Dico 2. Quod vestimentum album syncerè intentionis & honoris, quem sibi comparant qui Deo syncerè seruiunt, est symbolum. Patet ex eo quod Saluator docet: *Si oculus tuus simplex fuerit* (per quem oculum intentionem intelligit) *totum corpus tuum* (videlicet operum) *lucidum erit. Si autem nequam fuerit etiam corpus tuum tenebrosum erit.* Luc. 11. Videsne rectitudinem intentionis per oculum lucidum significari, & lumine claritatis suæ quasi indumento quodam corpus totum operum circumuestire, sicut tenebrosus oculus sinistræ intentionis omnia opera nostra tenebris obuoluit & offuscat? Quod autem ea sinceritate pollere debeant Episcopi, patet ex D. Ambrosio c. 6. de dignitate Sacerdotali. *Si oculus tunc simplex fueris, id est, si Epis-* E *copus qui lumen promeruit præesse in corpore, simplicitate est sancta & innocentia decoratus, omnis Ecclesia splendore luminis irradiatur. Si autem oculus tuus nequam est, &c. Id est, si Episcopus qui videbatur corpori subdito lucem præbere obnubiletur nequitiæ cæcitate, quid cætera facient membra quibus lux adempta est oculorum?* Hæc Ambrosius.

Syncerasintentio in candore vestimenti.

Luc. 11.

S. Ambros.

Cum igitur seniores hi induti apparuerint vestimentis candidis, signum est ipsos Deo syncere seruire & obsequi, ac pro eius gloriâ suo munere ritè ac debite fungi. Hinc videbimus postea quomodo coronas suas ante eius Thronum deponant, vt hac ratione significent quidquid habent, quicquid possunt ac valent, quidquid operantur aut agunt ad Dei honorem esse ordinatum. Quo fit vt

In candore etiam honor insimus.

sicut

ſicut eo modo honorem quantum in ſe eſt exhi-
beant, vicißim etiam ab eo honorem accipiant, ip-
ſo dicente. 1. Reg. 3. *Quicumque glorificauerit me glo-*
1. Reg. 3. *rificabo eum: Qui autem contemnunt me erunt ignobiles.*
Vnde & rectæ intentionis, & honoris exinde ſan-
ctis & Eccleſiæ Epiſcopus prouenientis, veſtimen-
tum candidum optimum eſt ſymbolum. Iuſtum
quippe eſt vt Deus finis ſit actionum noſtrarum:
nec iniuſtus ipſe eſt vt obliuiſcatur operis noſtri.
Qui quærit gloriam eius qui miſit eum hic verax eſt, &
Rom 7. *iniuſtitia in illo non eſt*, dicebat Saluator. Ioan. 7. Vt
olim Apoſtoli miſſi à Chriſto fuere (*Sicut miſit me*
Pater & ego mitto vos, inquiebat ipſe.) Ita nunc Epiſ-
copi mittuntur. Vt Apoſtoli quærebant gloriam
Chriſti & iniuſtitia perinde in illis non erat, quæ-
rant eam gloriam Eccleſiæ Rectores, & Sancti &
iuſti erunt. Nec enim Apoſtoli pro nominis ſui
exaltatione laborauerunt, ſed pro Chriſti nomine
omnia perpeti gaudebant, omnia peragere ſatage-
bant, ideo ab eo honorari meruerunt. Pulchrè
D. Auguſtinus iſta nobis meditanda proponit in
S. Auguſt. in Pſ. 44. Pſ. 44. illum verſiculum exponens: *Delectauerunt te*
filiæ regum in honore tuo, cum ait: *Etenim omnes ani-*
mæ quæ illis (nempe Apoſtolis) *prædicantibus & euan-*
gelizantibus natæ ſunt, filiæ Regum ſunt, & Eccleſiæ filiæ
Apoſtolorum. Filiæ Regum ſunt, ille eſt enim Rex Re-
gum, illi autem Reges de quibus dictum eſt: Sedebitis ſu-
per ſedes duodecim iudicantes 12. Tribus Iſrael. Prædica-
uerunt Verbum Veritatis & genuerunt Eccleſias, non ſibi
ſed illi. Ad hoc ſacramentum pertinet quod ſcriptum eſt
in lege: ſi mortuus fuerit frater eius, ſuſcitet ſemen non
ſibi ſed fratri ſuo. Dixit Chriſtus: Dic fratribus meis: Di-
xit & in alio Pſalmo: Narrabo nomen tuum fratribus
meis. Mortuus eſt Chriſtus, reſurrexit, aſcendit, abſentau-
it ſe corpore. Suſceperunt fratres eius vxorem eius, prædi-
catione Euangelij generarunt filios non per ſemetipſos ſed
per Euangelium propter nomen fratris. Ego vos genui.
Itaque ſuſcitant propter nomen fratris ſemen fratri ſuo,
quotquot genuerant non Paulianos, aut Petrianos, ſed
Chriſtianos nominauerunt. Hæc Aug. Ex illa ſyncerâ
intentione quærendi gloriam eius qui miſerat eos
honorem adepti ſunt. *Nimis*, enim inquit Pſalmiſta,
honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt Prin-
cipatus eorum, Principes enim populorum, vt alibi canit,
congregati ſunt cum Deo Abraham (Sedent quippe
in Sedilibus in circuitu Throni eius) *quoniam Dij*
fortes terræ vehementer elevati ſunt. Non mirum igitur
ſi honorentur, ſi veſtibus albis in præmium ſuæ fi-
delitatis induantur, vt olim Pharao Rex Ægypti
Patriarcham Ioſeph honorare volens veſtiuit eum
Geneſ. 41. ſtolâ byſſinâ, Gen. 41. Hæ ſunt igitur veſtimenta
Auguſt. in Pſ. 50. quæ dantur Sanctis & Eccleſiæ Rectoribus, nempe
veſtes vitæ immaculatæ. Proinde inquit Auguſt.
in Pſ. 50. *Veſtis eius* (nempe Chriſti) *in monte quæ*
tanquam nix dealbata effulſit, ſignificauit Eccleſiam omni
macula peccati mundatam veſtem honoris. Pulcra enim
& caſta eſt generatio cum claritate, immortalis eſt enim
gloria eius, quoniam nota eſt apud Deum & apud homi-
nes. Sic videbimus datum eſſe illi vt cooperiat ſe
byſſino ſplendenti & candido, byſſinum enim iu-
ſtificationes ſunt Sanctorum. Quapropter rectè mo-
net D. Auguſt. vt honorem illum ſedulo ſeruare
Auguſt. in Pſ. 44. ſtudeamus, cum in Pſ. 44. ſupradictis addit: *Tene*
te, ſerua te in honore tuo, &c. Hoc eſt habere veſtem
nuptialem illius gloriam quærere. Hæc ille. Hac veſte
honoris & in vita & poſt mortem Sancti induuntur:
in vitâ regnant cum Chriſto in terris: *Et regnabimus*,
inquiunt noſtri ſeniores, *ſuper terram*: Et poſt mor-
tem ab hominibus coluntur, vnde poſtea D. Aug.
de Petro ait: *Oſtende tu Romæ in honore tanto Tem-*
plum Romuli, in quanto tibi oſtendo memoriam Petri?
Io Petro quis honoratur niſi ille defunctus pro nobis? Su-

A *mus enim Chriſtiani non Petriani. Et ſi nati per fratrem*
defuncti, tamen cognominati nomine defuncti, per il-
lum nati, ſed illi nati. Hæc Aug. Vnde quia Sancti
& Paſtores, & Chriſtum honorant, & eis honoris
vices largius rependit, tanquam vnius vox nempe
Chriſti & Eccleſiæ vt loquitur D. Aug. Epiſt. 120. Auguſt. ep.
Audi in nomine Chriſti & Eccleſiæ Iſaiam loquentem 120.
cap. 61. Gaudens gaudebo in Domino & exultabit anima
mea in Deo meo, quia induit me veſtimentis ſalutis &
indumento iuſtitiæ circumdedit me, quaſi ſponſum deco-
ratum corona & quaſi ſponſam ornatam monilibus meis.
Et quia Paſtores Eccleſiæ ſponſi perſonas gerunt,
nunc eos coronâ redimitos contemplemur, quibus
pro heroïcis actibus & factis decorantur.

B

Et in Capitibus eorum Coronæ aureæ.

Quinam actus ſeu operationes per Coronas deſignantur.
Punct. 3.

In ſeniorum ſeſſione ſanctorum ac Eccleſiæ Pa-
ſtorum, ſeu Sacerdotum poteſtatem & auctori-
tatem vidimus, in eorum veſtimentis albis ipſorum
virtutes perſpeximus: nunc in eorum coronis quæ-
nam ſint eorum opera ponderare debemus.

Dico 1. Per coronas quædam opera gloriâ & ho-
nore digna ſignificantur. Ita enim commentator *In coronis*
Apocalypſ. ſub nomine Ambroſij coronas interpre- *opera honore*
tatur. *Per alba veſtimenta*, inquit, *vitæ puritas, per coro-* *digna deſi-*
C *nas aureas opera bona deſignantur.* Hæc ille. Operibus *gnantur.*
enim iiſque bonis corona debetur, quam ſibi repo- *Ambroſius in*
ſitam & reddendam iuſtè ac merito ſperabat Apo- *Apocalypſ.*
ſtolus: *Bonum*, inquit, *certamen certaui, curſum conſum-* 2. ad Tim. 4.
maui, fidem ſeruaui: in reliquo reposita eſt mihi corona
iuſtitiæ, quam reddet mihi in illa die iuſtus iudex. Sed
præter illam immarceſſibilis gloriæ coronam
quam expectant ſancti, aliâ etiam nunc coronâ eos
donari certum eſt, quâ redimiti appareant qui ſan-
ctitate & auctoritate in Eccleſiâ fulgent. Siquidem
cum ſeniores noſtros videmus cum coronis aureis in
capitibus, meminiſſe debemus Prophetiæ Iſa. 62. Iſ. 62.
Eccleſiam alloquentis. *Vocabitur tibi nomen nouum*
quod os Domini nominauit, & eris corona gloriæ in manu
D *Domini & diadema Regni in manu Dei tui.* Id eſt, facili
& plano ſenſu: *Cum egredietur vt ſplendor iuſtus*
eius & Saluator eius vt lampas accendetur. Itaut gentes
imo & reges ipſum cognoſcant: tunc nomine novo
vocaberis, nempe Chriſtiani & cœtus Chriſtianoru-
rum, ſeu voluntas mea in eâ. Nam quia ipſe vult
omnipotentiam ſuam & maieſtatem omnibus pa-
teſcere & manifeſtari, ideo in manu potenti & bra-
chio excelſo faciet vt coronam gloriæ geras in ca-
pite, auctoritatem ſacerdotalem tibi elargiendo,
quâ fretus operationibus quibuſdam ſacris ac myſti-
cis fideles & ſibi credentes ad gloriam æternam per-
duces: quin & faciet vt diadema Regni accipias, ti-
bi regiam tribuendo dignitatem, vt populos & na-
E tiones iuſto regas imperio: itaut gens & natio quæ
non ſeruierit tibi, pereat & certiſſimè diſperdatur,
cum nullam ad gloriam partem ſperare valeat niſi
tuo obtemperet & ſubdatur imperio. Paucis dico:
manu potenti faciet vt ſis ei in regnum ſacerdotale
iuxta quod Exod. 19. dicitur: *Vos eritis mihi in regnum*
ſacerdotale. Quod quidem beneficium agnoſcunt
noſtri ſeniores cum cap. 5. dicunt: *Feciſti nos Deo no-*
ſtro regnum & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram.
Sic, vt proſequitur Propheta, *Non vocaberis vltra*
derelicta, & terra tua non vocabitur amplius deſolata: ſed
vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua inhabitata:
quia complacuit Domino in te & terra tua inhabitabitur.
Hac de cauſa 1. Pet. 2. quia ſacerdotium regale 1. Pet. 2.
apud Chriſtianos viget, eos Apoſtolus nuncupabat,
Genus electum, regale ſacerdotium. Sacerdotium nam-

Digitized by Google

S. Ambroſ.

que Eccleſiæ regiam dignitatem non ſolum obtinet, quin & à longe ſuperat, dicente D. Ambroſio c. 2. de dignitate ſacerdotali: *Honor, fratres, & ſublimitas Epiſcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares & Principum diademata, longe erit inferius quam ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares, quippe cum videris Regum colla & Principum ſubmitti genibus ſacerdotum, & exoſculatis eorum dextris, orationibus eorum credant ſe communiri.*

Tres corona Paſtoribus poſſunt aſſignari.

Dico 2. Tres coronas Paſtoribus Eccleſiæ aſſingere licet, vnam iuſtitiæ pro bonis actibus ac meritoriis quarumlibet virtutum; alteram ſacerdotalem pro actibus Hierarchicis, quia ſunt Dei miniſtri & diſpenſatores myſteriorum Dei; Tertiam regalem pro politicis actionibus quibus externo regimine totam gubernant Eccleſiam. De 1. loquitur D. Paulus ſupra. Præmium enim certaminum, perſeuerantiæ & fidelitatis ſuæ vocat coronam iuſtitiæ. Hæc eſt illa corona quam pro ornamento gerit verus ſapiens, ſi Deum timens mandatorum eius ſedulus ſit obſeruator. *Corona ſapientiæ timor Domini*, ait Sapiens Eccleſ. 1. Ac ſi diceret: nihil tam clarè ſapientiam hominis demonſtrat ac ſi timorem Domini præ oculis in omnibus habeat; hoc ei honorem & decorem magis conciliat, quam ſi coronam regiam geſtaret in capite. De 2. dicitur Eccleſ. 45. *Corona aurea ſuper mitram eius, expreſſo ſigno ſanctitatis, gloria honoris opus virtutis, & deſideria oculorum ornata.* Loquitur de laminâ aureâ in quâ inſculptum erat, *Sanctum Domino.* Exod. 28. ideo dicitur, *expreſſa ſigno ſanctitatis*, Addit, *gloria honoris*, Nihil enim adeo glorioſum quam vt quis Dei ſeruitio ac obſequio taliter conſecretur; opus inſuper virtutis, cum Dei poteſtas & maieſtas in Sacerdotali honore ſupra omnem poteſtatem emineat. Hac coronâ multo magis donantur nouæ legis ſacerdotes, cum in veritate poſſideant quidquid aliis legis antiquæ in figuris contingebat: & ſi in virtutis exercitio conſenecſant pietatem dignitati ſociantes, rectè de iis dicetur: *Corona dignitatis ſenectus, quæ in viis iuſtitiæ reperietur*, Prouerb. 16. Quaſi dicat: Cum quis in viis iuſtitiæ conſenuerit, fideliter vſque ad ſenectam munus ſuum obeundo, non adeo caput corona ſeu diademate ornatur, ac eius vita decorem accipit ex fideli adminiſtratione officij ſui ſiuè dignitatis. Hunc locum Salomonis Elias Cretenſis in orat. 19. S. Greg. Nazianz. ponderans quod ipſe dixerat, Patrem ſuum dierum ſimul ac prudentiæ plenum & gloriæ ſenectute coronatum, ita exponit: *Eſt autem hoc ex Salomonis parabolis deſumptum. Ait enim: Corona gloriationis ſenectus, hoc eſt ſecuritas & confirmatio. Vt enim in certaminibus, qui coronam accepit iam in tuto eſt, ſic etiam ſenex tutò gloriatur, vt qui mutationem non iam pertimeſcat.* Hæc ille. Gaudeant igitur ſacerdotes non tantum quia induuntur veſtimentis ſalutis & indumento iuſtitiæ, ſed etiam quia vt perfecti vt fortes & Eccleſiarum quarum illis cura demandatur ſponſi, poſſunt illud Iſa. ſupra allatum ſibi vſurpare: *Gaudens gaudebo, &c. Et quaſi ſponſum decoratum coronâ*, Iſa. 61. *Potit*, inquit Diuus Hieronymus, *ſimilitudinem duorum in Eccleſiâ agnitum, perfectorum atque incipientium. Perfectos ſponſi comparat pulchritudini, incipientes ſponſæ aſſimilat ornatui. Perfectus erat Paulus qui quaſi ſponſus decoratus coronâ, atque coronandus, ſine vt aquila tranſtulit πετομένῳ & ἑρπετῷ quod in lingua noſtra dicitur, Sacerdotij portans coronam loquentis in ſe Chriſti auctoritate dicebat: Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. De cætero repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Hæc Hieron. Vides ex ea tranſlatione Aquilæ apud Hieron. hunc Iſaiæ locum de Sacerdotij corona intelligi. De tertia autem ſeu regali coronâ ego intelligo illum locum Apoc. 14. *Et vidi, & ecce nubem candidam, & ſuper nubem ſedentem ſimilem filio hominis habentem in capite ſuo coronam auream*: hunc enim ſimilem filio hominis cenſemus eundem eſſe cum filio maſculo qui recturus erat gentes in virga ferreâ, itaut ad maturam & perfectam ætatem peruentus actu regat gentes, vt plenius videbimus illum locum exponendo.

Cur corona aurea, nempe quia ſapientiâ deſignat.

Dico 3. Coronæ aureæ ſeniorum noſtrorum ſignificant eam omnem gloriam & dignitatem quæ ipſis prouenium ex actibus ſiue virtutum, ſiue ex illis actibus ſacris ſui ſacerdotij & ex prudenti regimine externo & politico Eccleſiæ. Patet hoc, quia cum ſummâ prudentiâ ac ſapientiâ ac etiam ardenti charitate indigeant, ideo coronæ ex auro puriſſimo confici debent. Hæc enim per aurum, nempe Sapientia, Prudentia & Charitas optimè deſignantur. Sapientia autem eis neceſſaria eſt, primo ad veritatem à falſitate diſcernendam, ſecundo ad eam indagandam, ventilandam, confirmandam: Diſcernendam ſi errorum tenebris ſit obnubilata, indagandam ſi lateat, ventilandam ſi exurgant dubia, confirmandam ſi eam oppugnari contingat; Prudentiâ ad ritè & debitè præſcribendum quid agendum & exequendum ſit pro temporum varietate, rerum exigentiâ, perſonarum qualitate; charitate tandem vt operi ſe accingat quicumque ſaluti proximorum inuigilare fatagit, & ſollicitudini Eccleſiarum vacare debet. De neceſſitate ſapientiæ in Epiſcopo diſſerit D. Ambroſ. de dignitate ſacerdotali c. 4. locum Apoſtoli 1. Timoth. 3. exponens. *Fidelis ſermo, &c. Sequitur*, inquit Ambroſius, *deinde & ait, docibilem id eſt: ſic polleat Epiſcopus ſapientiâ, vt non ſolum creditum ſibi populum ſufficienter doceat, verum etiam & cunctarum queat hæreſum contradictiones à Catholicâ repellere Eccleſiâ, ne ſuâ imperitiâ imperitos minimè doceat, & huiuſmodi caſu præuentus eueniat illis quod ſcriptum eſt: cæco cæcus ducatum præbens ambo in foueam cadunt, qui vero talem, vt diximus, eſſe ſe ignorat, ſacerdotium minimè appetat nec locum alterius vſurpare præſumat, præſertim illius qui ſplendore ſuæ ſapientiæ populorum poteſt corda luſtrare.* Hæc Ambroſ. Quantâ autem fulgere debet prudentiâ in regimine; patet ex eo quod vt ipſe ait lib. 3. epiſt. 19. Conſtantio fratri, *qui munus ſacerdotij ſuſcipit, in puppe Eccleſiæ ſedens nauim aduerſus fluctus gubernat. Quis autem neſcit quantâ egeat prudentiâ Nauclerus vt Nauim inter graues maris procellas fœliciter regat?* Optimè D. Gregor. Nazianz. ait: *Homini cum difficile ſit ſcire parere, tum multo difficilius eſſe videtur ſcire hominibus imperare, ac præſertim in hoc noſtro imperio quod in lege diuina ſitum eſt & ad Deum ducit, cuius quo maius eſt faſtigium maiorque dignitas eo etiam maius eſt periculum. Ars artium, ſcientia ſcientiarum, hominem regere, animal omnium maximè varium ac multiplex.* Hæc ille. Medici rationem induit Epiſcopus cum ad aliorum regimen euehitur. At difficilius eſt animarum quam corporum morbis remedia adhibere opportuna. *Medicus*, ait Gregor. *regiones & tempora & ætates & anni partes & cætera huius generis inſpicit, medicamenta exhibebit, victus rationem præſcribet, noxia obſeruabit, vt ne ægroti cupiditates arti obſiſtant, ignem, incendium & ferrum atque aſperiora remedia nonnullis adhibebit, quæ tametſi laboriosa nihil tamen perinde arduum vt mores & affectus & vota & ſtudia atque inſtituta & ſi quid aliud eorum quæ in nobis ſunt conſpicere ac medicari, &c.* Hæc Gregor. Et reuera cum morum humanorum mira ſit diuerſitas, diuersâ ratione ac diſciplinâ opus eſt vt hominibus ſuccurratur. De quo latè idem Greg. Ad quem lectorem remitto. Sufficit vt ex hac comparatione colligamus multâ opus eſſe prudentiâ ei qui ad aliorum regimen euocatur. Eadem docet D. Chryſoſt. lib. 2. de Sacerdotio c. 3. & 4. *Multa*, inquit, *ante hoc opus eſt, & qui morbo laborant Chriſtiani vtrò ſibi ipſis*

Ecclef. 1.

Ecclef. 45.

Exod. 28.

Prou. 16.

Elias Cretenſis in Gregor. Naz.

Iſ. 61. S. Hieron. S. Ambroſ. lib. 2. in Luc. ſingulis Eccleſia ſpiritu quidem replantur & gratiâ inuiguntur tamen temporali ad ſpeciem ſacerdotis: Hæc Amb.

Apoc. 4.

Sapientia Paſtoribus neceſſaria.

S. Ambroſius.

Prudentia in Paſtoribus neceſſaria. S. Ambroſ. l. 3 epiſt. ep. 19.

S. Gregorius Nazianz.

S. Chryſoſt.

Digitized by Google

perſuadeant ſacerdotum curationibus ſeſe ſubmittere oportere. Neque id ſolùm ſed vt etiam curationis ac Medicinæ nomine gratiam illis habeant, &c. Quod fuſius explicans tandem concludit; *Quocirca multa quidem opus eſt Paſtori prudentiâ, ſexcentis etiam vt ſic dicam oculis, vt rectè vndique humani animi habitum circumſpicere poſſit.* Ita Chryſoſt. Et de ſapientiâ ac prudentiâ veniamus ad charitatem, vt quæ ſapientia nouit, prudentia dictat, multa cum ſollicitudine & charitate efficaciter exequantur. Quanta autem debeat eſſe charitas Paſtorum ſeu Epiſcoporum dicet D. Idem Chryſoſt. lib. 2. Ex eo quod Chriſtus Dominus maximam exigit charitatem in iis quibus curam Paſtoralem committit, & ſuſceptionem huius ſollicitudinis pro euidenti ſigno erga ſeipſum dilectionis reponit. Quod quidem Chriſtus docuit cum Petrum alloquens dixit: *Si amas me paſce oues meas. Nam ſi*, inquit Chryſoſt. *quoties videmus ſeruorum noſtrorum curam à quibuſdam ſuſcipi, ex eo ſtudio aduerſus illa impenſo colligimus ab iis nos amari (etiamſi illa ipſa eiuſmodi eſſe ſoleant vt pecuniâ veneant) qui neque pecuniâ neque vllâ aliâ re ſed morte propriâ ouile hoc redemerit, ſuumque proprium ſanguinem gregis pretium obtulerit, quanto quaſo præmio gregis huius Paſtores ac Rectores remuneraturum credimus.* Hæc Chryſoſt. Et meritò, nam nihil adeo intenſe amat Chriſtus ſicut Eccleſiam ſuam diligit, pro quâ mortem ſubire non recuſauit. Ideo qui eius Eccleſiæ bonum & commodum ſollicitè promouere ſatagit, nihil Chriſto gratioſius perficere poteſt. Hinc cùm Petro dixit, *Petre amas me?* hoc agebat vt & Petrum & cæteros nos edoceret quantâ benuolentiâ ac charitate erga ſuam ipſe Eccleſiam afficeretur, vt hac ratione & nos quoque eiuſdem Eccleſiæ ſtudium curamque toto animo ſuſciperemus: Nam quâ de causâ filio ſuo eique vnigenito Deus Opt. Max. vſque adeo non parcendam putauit, vt etiam quem vnicum haberet dederet? Certè vt qui in ipſius offenſionem incurriſſent eos ſibi reconciliaret, tum vero peculiarem ſelectumque ſibi populum redderet. Quanam item de causâ idem ille ſuum fudit ſanguinem? Certè vt oues eas acquireret quarum curam tum Petro tum Petri ſucceſſoribus committebat. Iure igitur ac meritò ſic loquebatur Chriſtus. Hæc Chryſoſt. Nempe interrogando Petrum an eum diligeret, cupiens declarare vt ait ipſe quænam cenſeri deberet erga ſe charitatis dilectioniſque magnitudo, & vt paulo poſt ait, *atqui illi quidem licebat verbis huiuſmodi Petrum affari: Si me amas Petre ieiunia exerce, ſuper nudam humum dormi, vigila continenter, iniuria preſſis patrocinare, orphanis te patrem exhibe. Viduæ item te maritorum loco habeant. Nunc verò prætermiſſis omnibus his quidnam ais ille? Paſce oues meas: Nam quæ modo à me dicta ſunt, ea complures etiam ex ſubditis præſtare facile poſſunt, non viri ſolùm ſed etiam fœminæ: At cum de Eccleſiæ præfecturâ, de credendo huic vel illis tam multarum animarum cura agitur, vniuerſa quidem malitiosis natura iſtius functionis moli ac magnitudini cedat oportet. Itemque & bona virorum pars. Prodeant autem in medium qui longè omnibus præſtant, quique animi virtute tantum reliquos excellunt, quantum corporis magnitudine Saül Hebræorum gentem vniuerſam excellit: ſeu potius multo etiam magis, &c.* Ita Chryſoſt. Ex quo diſcimus nullum expreſſius ſignum dilectionis erga Chriſtum ex nobis prodire, quam ſi propter Chriſtum animarum curam ſuſcipiamus, & ad eius exemplum pro proximis morì non pertimeſcamus. Huius erga proximum Charitatis exemplum de D. Baſilio affert Chryſoſt. lib. 3. de Sacerdotio c. 6. *Nam cum accuſaretur Baſilius quod ſe in periculum vitæ expoſuiſſet pro quodam ex ſuis amicis ipſe reſpondebat: Quidnam ipſe facerem? aliter enim Deum amare non didici niſi vt meum amicum in diſcrimen adiens eam, dum periclitantem amicum aliquem ſeruare opus eſt. diuerſis quidem verbis ſed ſenſu eodem ea enarrans quibus Chriſtus diſcipulos ſuos alloquebatur poſtris ab eo de perfectæ charitatis terminis.* Hæc Chryſoſt. Qui ea ferunt charitate meritò coronâ aureâ decorandi ſunt: Dei enim hac ratione ſunt veri imitatores. Et optimè D. Dionyſ. docet 3. de Eccleſiaſt. Hierarch. *Quod Deus facit vt ſui Collega illa ſimulacra diuina quæ diuinum primæ lucis radium recipere poſſunt, eadem lucis quidem quæ eis data eſt plena ſint, eam autem rurſus ex diuinis legibus ſine inuidia ea quæ ſequuntur infundant, & hac ratione ad Dei imitationem contendant ſiantque eius adiutores.* At charitas eſt quâ impelluntur vt quæ recipiunt aliis propenſius communicent: Igitur coronæ aureæ Seniorum noſtrorum, & Sapientiæ eorum & Prudentiæ & charitatis erga proximum ſymbolum ſunt. Coronantur quippe quia veritatis amatores ſunt & propugnatores, ac myſteriorum Dei diſpenſatores, quia optimè populos regant & ad ſalutis vias amplectendas promoueant, quia virtutis exempla in ſemetipſis ſtudiosè exhibeant. Quod autem ſapientiæ, prudentiæ, & charitatis aurum ſit aptiſſimum ſymbolum patet primo ex Amb. *Aurum*, inquit D. Ambroſius de paradiſo c. 3. *pro inuentis prudentibus frequenter accipimus.* Et ex Dionyſ. Carthuſ. hunc locum exponente: *Et in Capitibus corona aurea*, ait: *Sunt enim regale ſacerdotium & Rectores fidelium. Porro in ſcripturis per caput mens, per aurum ſapientia exprimi ſolet. Aureas ergo in Capitibus ſuis habent coronas, quia mentes eorum dono ſapientiæ decorantur vel coronæ iſtæ ſunt merita quibus futuræ beatitudinis promeruerunt coronas.* Ita Dionyſ. Quæ quidem merita non niſi per charitatem acquiruntur. Et Rupertus lib. 3. de Apoſtolis Chriſti ait: *Notum eſt quam verè Seniores, id eſt, Sapientes fuerint, & quam verè veſtimentis albis circumamicti ſunt & coronas aureas in capitibus acceperunt, quia vicerunt mundum, ſuperauerunt Diabolum; liberauerunt captiuum mortis populum, & ſempiternam vitam per Chriſti gratiam acquiſierunt.* Hæc Rupertus. Coronæ tandem aureæ ex Andrea Cæſarienſi Victoriæ aduerſus malignos ſpiritus, non abſque magna animi fortitudine obtentæ, ſunt notæ. Ita Andreas. At quænam eſt illa virtus quæ omnia vincit, mundum nempe & diabolum? Non alia certè quam charitas de quâ Apoſtolus: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an Anguſtia, an fames, an nuditas? &c.* Scimus quoniam, *in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos*, Rom. 8. Si huius victoriæ coronæ ſunt notæ, notæ erunt charitatis ſinè quâ nulla obtineri poteſt victoria.

charitas paſtoribus neceſſaria.

Chryſoſt.

Rupert. l. 3.

Andreas Caſ.

coron. aurea victoriæ.

De corona ſacerdotali lege ſi libet quæ Baronius docet anno Chriſti 34. n. 183. quæ hic tranſcribere ſuperfluum eſſe duxi.

Et de Throno procedebant fulgura & voces & Tonitrua.

De fulgure & Tonitru.

ANNOTAT. VII.

Idea ſymboli §. 1.

DVOBVS in locis nempe hic & cap. 16. de fulguribus, vocibus & tonitruis fit mentio, cap. 8. voces & tonitrua coniunguntur, de fulgure nulla fit mentio; cap. 6. 10. 14. & 19. tonitrui ſeu tonitruum fit mentio; cap. 10. voces tonitrui aſſignantur: *Locuta ſunt*, inquit, *7. tonitrua voces ſuas. Voces*, inquit Cornel. *videntur diſtingui à tonitruis, quæ ſint hominum*

Digitized by Google

Cornelius à Lapide.

vel Angelorum horribiles clamores. Ita Alcaſar hic Voces humanas cum cœleſtibus tonitrui conſociat : niſi dicas eſſe epexegeſim, atque, &, poni pro, id eſt, Voces &, hoc eſt, id eſt, tonitrua, aut cum Vnum per duo, Voces & tonitrua, id eſt, Voces tonantes vel tonitrua vocalia, quaſi Voces articulatas & humanas proferant, talia enim audiuit Ioannes cap. 10. locuta ſunt, aut, tonitrua Voces ſuas & cap. 19. Vocem tonitruorum magnorum. Hæc Cornelius. Vt quæ hic & alibi deinceps per fulgura aut voces aut tonitrua ſignificantur melius intelligamus, de fulgure & tonitru quæ à Philoſophis docentur proponenda ſunt pro idæâ huius ſymboli. Tanto enim facilius per hoc ſenſibile ſignum ad intelligentiam ſpiritualium eleuari licebit, quanto melius quid ſit fulgur aut tonitru percipiemus.

Duplex ex Philoſopho eſt exhalatio, ſcilicet calida & humida, quæ vocatur vapor : & alia eſt calida & ſicca quæ vocatur exhalatio. Certum autem eſt quod vapor eleuatus vſque ad mediam regionem aëris ingroſſatur & in nubem conuertitur. His ſuppoſitis docet philoſophus lib. 2. meter. quod tonitruum ſic generatur.. Nam aliquando virtute ſolis & aliorum aſtrorum cum vapore eleuatur exhalatio calida & ſicca vſque ad medium aëris interſtitium, quæ exhalatio poſtquam vapores ingroſſati ſunt & inſpiſſati & facti ſunt nubes, includitur in nube exhalatio & per antiperiſtaſim fortificatur, & ipſa petens exitum & percutiens ad latera nubis cauſat ſonum qui dicitur tonitruum : ſicque tonitruum eſt ſonus factus in nubibus ex violentâ percuſſione exhalationis calidæ & ſiccæ ad latera nubis. Si autem exitum non inueniat, maximè dum hanc nubem alia ſuperior comprimit, & inferior fortius reſiſtit, tunc violenter exhalatio nondum inflammata nubem rumpit aut ſcindit. Iſtud declarat Philoſophus per quoddam ſimile de ligno viridi poſito in igne : nam per calorem ignis pellitur humor calidus & exit per extrema ligni, & quod eſt groſſum vnitur ad intra, quod petens exitum frangit lignum, cauſando ſonum. Quin & ex calefactâ exhalatione nubem frangi, & ex fractione eiuſmodi ſonum cauſari, argumenta præbent caſtanea aſſata, & veſica aëre repleta & violenter compreſſa. Soni autem tonitruum diuerſificantur ſecundum diuerſam diſpoſitionem nubis in raritate & denſitate. Et hæc de tonitru. Quoad fulgur ita generatur. Exhalatio nondum inflammata nubem ſcindit, in exitu autem quando per fortem motum exhalationis nubes frangitur, & exhalatio pellitur à nube, propter velocem motum inflammatur, quæ inflammatio dicitur corruſcatio ſiue fulgur. Quibuſdam fulgur tantum eſt corruſcatio & differt à fulmine, teſte Seneca lib. 2. natural. quæſtionum : Quod fulmen dicitur cum ignis emittitur, fulgur autem cum ignis tantum oſtenditur : fulgura quippe fiunt ex nubium colliſione in morem ſilicum duriorum, quos cum compoſueris medius ex his ignis extritus elabitur ; atque ita cum fulgure pariter & tonitrua mugire. Fulgur enim ſi tantum pro corruſcatione fumatur, fit tempore tonitrui. Alij volunt fulgur idem eſſe cum fulmine, & à corruſcatione differre. Ita ſumitur à Viega hic comment. 1. ſect. 5. *Fulgura*, inquit, *in ſacris litteris pro fulminibus nonnunquam Vſurpantur. Nec enim dubitandum eſt fulmina fuiſſe illa quibus Deus Ægyptios oppreſſit, quæ tamen fulgura dicantur. Exod. 9. Dominus, inquit ſcriptura, dedit tonitrua & grandinem & diſcurrentia fulgura ſuper terram, &c. Et grando & ignis mixta pariter ferebãtur &c. Et 2. Reg. 22. in Dauidis cantico, Propheta & nubium condenſationem & corruſcationem & tonitruum & fulmen deſcribere videtur. Poſuit tenebras in circuitu ſuo latibulum, en nubes condenſatæ ; præ fulgore in conſpectu eius ſuccenſi ſunt carbones ignis, en corruſcationes ; tonabit de cœlo Dominus & excelſus dabit Vocem ſuam, ecce tonitruum ; miſit ſagittas & diſſipauit eos, fulgur & conſumpſit eos, ecce fulgur vere fulmen.* Ad plenam igitur huius ſymboli ideam effformandam non ſufficit vt fulguris naturam & generationem in quantum ſumitur pro ſola coruſcatione propoſuerimus, oportet etiam vt fulminis naturam & generationem explicemus : Siquidemex ſcriptura & Viega habemus fulgur pro fulmine poni, vt ex Petro Tartareto libris meteor. lib. 2. de generatione fulminis, fulmen nonnunquam dicitur exhalatio ſulphurea violenter è nube depulſa, impetu ſuo & vi penetratiuâ & ſubtilitate arbores ſcindens, animalia interficiens, metalla & cætera reſiſtentia demoliens atque conſumens : quæ ſi groſſior fuerit reſiſtentia corpora adurit, conglobatior vero diſſipat. Quandoque autem fulmen lapis eſt, ex vapore & exhalatione terreſtri & minerali in nube maximè viridi aut nigra, virtute ignis & influentiarum decoctus, qui ruptâ nube cum impetu ejicitur, muros findit, ædificia diſſipat & inflammat. Etiamque autem, exhalationem ſcilicet & lapidem ventus ſubtilis antecedit, qui corpora mouet antequam percutiantur. Diuiſio autem corporum verſus quæ fulmen venit vel ab illo fit vento ſubtili ãntecedente, vt quidam volunt, vel ab exhalatione exeunte nubem & velociter mota deorſum, quæ tamen non comburit arbores quia non eſt ſatis intensè calida. Quantum autem ad modum generationis fulminis, ita ex Philoſopho Petrus Tartaretus lib. 2. meteor. Cum fuerit exhalatio multum ſubtilis & repercuſſa à nube, inflammatur & tunc fulmen ſeu fulgur fit, & differt à coruſcatione quia coruſcatio fit tempore tonitrui & non fulgur, & ſic generatur : puta quando multa exhalatio ſubtilis incluſa in nube violenter expellitur ab ipsâ nube vſque ad terram fit fulmen ; quod ſi non fuerit adurens propter nimiam ſubtilitatem tunc vocatur fulmen penetrans ; Si vero materia eius fuerit groſſior & adurens, vocatur fulmen adurens. Primum autem fulmen propter ſuam ſubtilitatem per magnam velocitatem pertranſit & penetrat illa ſuper quæ cadit, & ſi faciat moram denigrat. Sed aliud propter eius tarditatem comburit. Hinc corporalia & dura patiũtur à fulmine, illa vero quæ non ſunt reſiſtentia aut dura nihil patiuntur v. g. ferrum & calybs à fulmine ferunt liquefacta, & tamen lignum eorum nihil patiebatur : & aliquando fulmen pertranſit veſtimenta & non adurit ea, & tamen lædit & interficit homines & frangit oſſa eorum, eo quod inuenitur ibi reſiſtentia, ratione cuius ſuper ipſa moram facit & non In veſtibus. Aliquando etiam fulmen eſt ita debile quod comburit pilos hominis non lædendo carnes, aliquando etiam ratione ſuæ magnæ ſubtilitatis interficit animal, & tamen nullum ſignum aduſtionis apparet. Venenoſitate etiam ſuâ vnum interficit & proximè ſtantem minimè lædit ; ſua ſubtilitate de pariete in parietem, de cubili in cubile mirabili velocitate mouetur. Animalia autem venenoſa fulmine percuſſa omne venenum amittunt. Quidam autem philoſophorum conſiderantes mirabilem fulminis operationem, ipſum non opus naturæ ſed ſummi Dei effectum immediatum arbitrati ſunt. Margarit. philoſoph. lib. 9. de origine rerum natural. Licet autem ſimul fiant coruſcatio & tonitruum, aut etiam tonitruum præcedat coruſcationem, ſi exhalatio non in nube ſed exeundo inflammatur, prius tamen ignis ſeu corruſcatio percipitur quam ſonus ; eo quod viſus eſt magis perceptiuus ſui obiecti quam auditus : etiam quia viſibile citius mouet medium quam ſonus, quia ſonus diffunditur cum motu locali qui eſt ſucceſſiuus. Nonnunquam

Generatio tonitrui.

Fulguris generatio.

Seneca l. 2. Nat. 49.

Viega.

Exod. 9.

2. Reg. 22.

Petrus ex Tartaret.

Generatio fulminis ex Petro Tartareto.

Operatio fulminis diuina cenſetur.

Digitized by Google

ignem videmus & ſonum nullum audimus, vt in æſtate tempore ſerotino : Sonus enim niſi fortis fuerit, antequam via multiplicationis per aëra ad aurem perueniat, deficit: aut propter debilitatem auditum non mouet. Velocitatem vitus & tarditatem auditus ſenſibiliter experimur, dum aliquem eminus ligna ſecantem cernimus, frequenter enim ſonum primi ictus tunc demum audimus, dum ipſum ſecundariò lignum ferire conſpicimus.

Et notandum quod tonitruum cuius nubes eſt nigra eſt timendum, quia tunc ſignum eſt quod exhalatio faciliter inflammabitur. Si autem alba & pura, ſignum eſt debilitatis. Sed ſi nubes ſit rubea multum eſt timendum, quia ſignum eſt quod exhalatio eſt magna & multùm intenſa. Etiam ſi nubes ſit viridis maximè eſt timendum, quia tunc exhalatio eſt fortis.

Notandum denique exhalationem aliquando per nubem diſcurrentem latera nubis ita tundere, vt voces humanas quæ ſyllaba poſt ſyllabam pronunciantur ſonus inde exurgens imitari videatur: Diſcretis enim ictibus, ſed identidem & extemplò frequentius repetitis exhalatio aliquando nubem ferit, vt vocalis ſoni quædam appareat imitatio. Hæc autem fuſius explicamus quia ſæpius ad iſta recurrendum erit, pro fulgurum, vocum aut tonitruorum explicatione, de quibus D. Ioannes mentionem facit in locis ſupra notatis.

Quid per fulgura, Voces & tonitrua è Throno procedentia, intelligere debemus. §. 2.

De totius ſymboli ſignificatione. Punct. 1.

Victorino. SI Victorino fidem adhibere volumus, fulgura Aduentum Domini ſignificant; voces autem noui Teſtamenti prædicationes, tonitrua quod cœleſtia ſunt verba. Si Ruperto : fulgura & voces & tonitrua procedunt, quia poſtquam Apoſtoli iudices orbis conſtituti officium prædicandi acceperunt, fulgura miraculorum, voces prædicationum & tonitrua comminationum de futuro iudicio atque gehennalibus malorum pœnis dare non deſierunt. *Rupert.* Conſonat Dionyſ. Carthuſ. *Fulgura miracula ſunt, Voces admoniſiones, tonitrua comminationes :* Addit ex Pannonio Viegas ſublimes de Chriſti diuinitate diuiniſque etiam perfectionibus ac ſecretioribus fidei arcanis conciones ſignificari. Alcazar Thronum eſſe vult Chriſtianos omnes, qui excellenti cognitione & amore in ſuo corde ſedem Deo fabricant, ac in conuerſione animarum acriter & ſtrenuè laborant. Ab his procedunt voces, id eſt, ſermones pij coniuncti fulguribus & tonitruis : quia coniunctam habent cœleſtem virtutem & piæ vitæ ac ſancti exempli illuſtrationem, quam ſignificat fulgur. Hinc fulgura hîc præponuntur, ait enim, *Fulgura & Voces & tonitrua :* prius enim fulgur oculis videtur quàm tonitru auribus percipiatur, vt ſignificetur quod optimi exempli lux verborum virtutem & robur antecedere debeat. Cornelius à Lapide pro litterali ſenſu vult hiſce ſymbolis Deum ſuam potentiam, Maieſtatem & magnificentiam oſtendere : vti patuit in Sina Exod 19. Et rurſum hæc ſignificare iram & terrorem Dei qui maximè apparebit in fine mundi. Pro myſtico autem ſenſu voces ſunt prædicatio, fulgura ſunt energia & efficacia verbi Dei : hoc enim cor peccatoris penetrat quaſi fulgur. Tonitrua ſunt minæ gehennæ, iræ & iudicij Dei. Nihil certe ab his interpretationibus alienum afferemus, imo potius tantorum virorum auctoritate fulti confidentius ſignificationem infra ſcriptam his ſymbolis aſſignamus. Thronum dixi-

Viegas ex Pannonio. Ind. ab Alcazar.

Cornelius à Lapide.

mus ſignificare eminentem Sanctorum ſanctitatem, & Eccleſiæ ſummam auctoritatem, per quas Dei poteſtas ſeu Majeſtas hominibus potiſſimùm innoteſcit. Ex hoc Throno procedunt fulgura, voces & tonitrua : Nam ſtatim atque fundata eſt Eccleſia, tunc innotuerunt fulgor & ſplendor ſanctitatis eorum quos Deus ad talem ſanctitatem & auctoritatem euexit, vt ſui eſſent cooperatores in conuerſione animarum. Miraculorum coruſcatio Sermonis Dei vis & energia ad animas ad Deum conuertendas, hoſtium Euangelij proſtratio & valida contritio, per fulgura intelliguntur, quibus conuerſis duo ipſis proponuntur, nempe quæ ſperare debeant. 1. vita æterna, ſecundo quibus mediis ad propoſitum ſibi brauium peruenire queant, ideo per voces dico ſignificari ſuaues retributionis promiſſiones & mandatorum Dei fidelem obſeruantiam. At cum vita æterna promiſſa in duobus conſiſtat, *Vt cognoſcant te*, inquit Saluator, *& quem miſiſti Ieſum Chriſtum*, ideo ea per quæ Deus & gratiæ auctor & gloriæ dator potiſſimùm cognoſcitur hic ſignificari dicimus per tonitruum.

Noſtra interpretatio fulgurum ac vocum & tonitruorum.

Vt autem Deus & Chriſtus ita cognoſcantur, credenda potiſſimum ſunt hæc diuina Myſteria, Trinitatis, Incarnationis, inſtitutionis Sacramentorum, prædeſtinationis Electorum, Reprobationis & Suppliciorum comminationis, quæ quidem omnia optimè per tonitruum ſignificantur. Et hæc in genere de ſignificatione huius ſymboli. Veniamus ad ſingulorum diſcuſſionem in particulari.

De ſignificatione fulgurum. Punct. 2.

Neminem latet vitam ſanctitate decoratam optimè per lucem adumbrari. Patet hoc ex tot locis ſcripturæ, vt ſuperfluum videatur iſtud in memoriam reuocare. Ad planiorem tamen ſenſum huius ſymboli eruendum, meminerit Lector huius verſiculi Pſ. 36. *Et educet quaſi lumen iuſtitiam tuam, &c.* *Pſalm. 36.* Et verbi Domini Math. 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* *Matth. 5.* At cut ſanctitas hic ſignificetur per lucem ſeu coruſcationē, quæ in fractione nubis per velocem motum exhalationis calidæ & ſiccæ generetur; optimam exiſtimo rationem dari ſi dicamus ſanctitatem Chriſtianorum duo requirere, nempe, mortificationem corporis, veluti quandam nubis fractionem; & ardens ac velox deſiderium rerum cœleſtium. *Semper*, inquiebat Apoſtolus, *mortificationem Chriſti in corpore noſtro circumferentes*, en nubis fractio; *& vt vita Ieſu manifeſtetur in nobis*, en ex cœleſti deſiderio lucidiſſima coruſcatio, *A diebus Ioannis Baptiſtæ vſque modo, regnum Cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud*, dicebat Dominus Math. 11. Cuius loci duas inuenio interpretationes apud Maldonatum : vna eſt, *Vim patitur, id eſt, magno ad illud impetu curritur*; Quam tamen reprobat : eſt nihilominus ad propoſitum, ſi admittatur, vt poſſe admitti exiſtimo, veluti quæ ſecundæ interpretationi quam ſequitur minimè officiat. *Vim patitur, id eſt, mortificatione, pœnitentia, ignominiâ, paupertate obtinetur, & eâ ad illud itur via quam Ioannes & Verbis & factis demonſtrauit.* Hæc ille. Iſta enim omnia non tarde aut languidè adoriri debent, ſed prompto & alacri animo amplectenda. *Neſcit enim tarda molimina ſancti Spiritus gratia*, inquit Ambroſ. in Luc. 1. Velociter curtit ſermo Domini qui ad ea perficienda corda fidelium impellit. *Quo enim*, ait D. Ambroſ. de Deipara in montem pergendo vt ſalutaret Eliſabeth, *Lata pro voto, religioſa pro officio, feſtina præ gaudio, iam Deo plena niſi ad ſuperiora cum feſtinatione contenderet?* igitur vt Propheta noſter doceat ſanctitatis

Matth. 11.

S. Ambroſ. in Lucam.

Digitized by Google

opera prompte & alacriter eſſe obeunda, vitamque Chriſtianorum opera pœnitentiæ & mortificationis deſiderare, vt Chriſto Crucifixo ſe conformari valeant, illa non lumini ſimpliciter, ſed coruſcationi quæ in fractione nubis per velocem motum producitur comparat. Cumque, vt docet D. Greg. 3. Moral. c. 3. *Sapientia diuina diuinitus inſpirata in viſceribus hominis ponatur, quia nimirum quantum ad electorum numerum ſpectat non in ſolis vocibus ſed etiam in ſenſibus datur, vt intra quod loquitur lingua viuat conſcientia, & lux eius tanto clarius reſplendeat in ſuperficie, quanto verius in corde inardeſcit.* Hæc ille. Ideo per fulgur optimè opera exteriora Sanctorum intelligo, cum ipſo ſanctiſſimo Doctore ibid. c. 2. *Fulgura ſicut ſuperius dictum eſt*, inquit, *ſancti viri mittuntur, & eunt cum à ſecreto contemplationis in publicum operationis exeunt. Mittuntur & vadunt cum de abſcondito ſpeculationis intimæ in actiuæ vitæ latitudinem diffunduntur; ſed reuertentes dicunt Deo, Aſſumus, quia poſt opera exteriora quæ peragunt, ſemper ad ſinum contemplationis recurrunt, vt illic ardoris ſui flammam reficiant. Citius enim inter ipſa licet bona exteriora opera frigeſcerent, niſi intentione ſolicitè ad contemplationis ignem inceſſanter redirent.* Hæc ille. Tales fuerunt Apoſtoli initio naſcentis Eccleſiæ, nam qui primitias ſpiritus acceperunt mirum eſt quanto ſanctitatis fulgore mundum illuſtrarunt, nec inter denſiſſimas tenebras adeo fulgur apparet, ſicuti ipſi in medio nationis prauæ & peruerſæ lucebant ſicut luminaria in mundo: Quod de Philippenſibus etiam ait D. Paulus, ad Philipp. 2. Claritatem autem vitæ ſanctioris comitabatur doctrina potens, cuius vis ac efficacia per fulgur deſignatur. Diximus ſiquidem fulgur non tantum coruſcationem ſignificare, ſed etiam fulmen, cuius duas quaſi ſpecies ex Philoſophis aſſignauimus: prima eſt vt ſit quædam exhalatio, calida videlicet & ſicca, inflammata, è nube depulſa violenter, valde ſubtilis & penetratiua: vnde etiam mira operatur, arbores ſcindit, animalia interficit, metalla & alia reſiſtentia demolitur, & propter ſuam ſubtilitatem per magnam velocitatem corpora penetrat antequam igniat. Quàm aptum eſt hoc ſymbolum vt verbi Dei efficaciam illam à D. Paulo luculenter expreſſam Heb. 4. ob oculos ponat! *Viuus eſt enim ſermo Dei & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor, cogitationum & intentionum cordis.* Hæc eſt illa lux intima, quæ quibus modis humano cordi inſinuetur ignoratur, & tamen mira operatur, vt optimè lib. 29. Moral. c. 12. docet D. Greg. cum Deum ita loquentem introducit: *Sic quo ordine inſtitiam meam occultis ſimibus cordium infundo, cum & per acceſſum non vides, & tamen viſibilia opera hominum inuiſibiliter immuto, cum vnam eandemque mentem modo hæc modo illas virtute irradio, & tamen per ſparſam lucem adhuc ex parte aliqua eam in tentationis tenebris remanere permitto. Requirat homo neſciens per quam viam ſpargitur lux, ac ſi patenter dicatur: Dum dura corda emollio, dum rigida inflecto, dum aſpera mitigo, dum frigida accendo, dum debilia roboro, dum vaga fixibilo, dum mutantia confirmo, intuere ſi vales quibus ea mentibus illuſtro. Hæc quippe omnia nos falſa terrimus, nam qualiter intrinſecus efficiantur ignoramus. Hanc viam lucis eſſe nobis inuiſibilem in Euangelio veritas oſtendit dicens: Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis vnde veniat & quo vadat.* Hæc D. Greg. Hi effectus verbi diuini optimè ſignificantur per fulmen, quod quidem ratione ſuæ ſubtilitatis aliquando interficit animal, & tamen nullum ſignum aduſtionis apparet. Sic enim per fulmen prædicationis, error, ignorantia, & mali mores & affectus peccatorum interficiuntur abſque vllâ externa hominis ſpeciei immutatione. Vnde reor illius ſermonis vim & energiam apud Prophetam Zachariam c. 9. per fulgur deſignari cum ait, *Et Dominus Deus ſuper eos videbitur, & exibit vt fulgur iaculum eius. Et Dominus Deus in Tuba canet, &c.* Nam iaculum ſeu ſagittam poni pro Dei verbo, patet ex D. Greg. 29. Moral. c. 13. *Sagittæ quippe Dei*, inquit, *pertranſeunt, quando verba prædicationis eius aduersibus ad corda hominum deſcendunt.* Hæc ille. At illud iaculum, illæ ſagittæ vt fulgur ſunt propter miram verbi Dei ad corda hominum conuertenda vim & efficaciam. Optimè igitur de verbo Dei interpretes hunc locum Zachariæ exponunt. Chaldæus enim apud Riberam ita exponit: *Et verba eius egredientur quaſi fulgura*, id eſt, diuino quodam ſplendore homines implebunt, terrebunt & in admirationem mundum conuertent. *Iacula*, inquit Ribera, *vocat verba vt perfiet in metaphora bellantis.* Vt enim alij iaculis ita prædicatores verbo Dei corda feriunt hominum. Placuit hic ſenſus D. Hieron. cum ait: *Nos autem cuncta referemus ad intelligentiam Saluatoris, de quo ſupra dictum eſt: Extendi mihi Iudam quaſi arcum: Quo extento & hæreticis atque gentilibus à Syon filiis interfectis apparebit gloria Domini, & egredietur vt fulgur iaculum eius: De quo fulgure & in Habacuc legimus: in luce ſagittarum tuarum ibunt in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ: quod fulgur & ſplendor alio vocabulo Tuba appellatur & clangor, vt cum ſanctus clamor intonuerit dicat qui prius ſurdis auribus fuerat: Diſciplina Domini aperuit mihi aures & dedit mihi aurem ad audiendum.* Hæc D. Hieron.

Sanctitatem vitæ & veritatem doctrinæ confirmabat Deus per miracula, ſigna & prodigia quæ ab Apoſtolis & vitis Apoſtolicis ſæpiſſimè patrantur, hinc Marc. vltimo dicitur: *Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Multa quoque prodigia & ſigna per Apoſtolos in Hieruſalem fiebant & metus erat magnus in vniuerſis Act. 2. Et de S. Stephano dicitur: *Stephanus autem plenus gratiâ & fortitudine faciebat prodigia & ſigna magna in populo.* Act. 6. Quod autem miracula per fulgura ſignificentur latè hic Viegas oſtendit, quod ſicut fulgura longè clarèque coruſcant, ſic miraculorum ſplendor & fulgor multorum commemoratione funditur, plurimoſque vel ad fidem conuertit, vel iam in fide conuerſos confirmat; quod ſicut fulgura è nubibus egrediuntur, ita à Sanctis qui nubes dicuntur Iſa. 5. miracula exeunt; quod ſicut fulgurum coruſcationem pluuia conſequitur, ita miraculorum ſplendorem conſequitur pœnitentia & lacrymæ peccatorum: Sic fulgura in pluuiam facit quod ſicut fulmina, integro exterius manente corpore vniuerſa oſſa comminuit ita Deus per miraculorum fulmina peccatores ſic afflicit, vt licet in carne ambulantes ſimiles aliis ſint, non tamen ſecundum carnem militent. Gregorium magnum cum Viega auctorem habeo, ritè per fulgura miracula ſignificari cum lib. 30. Moral. c. 2. ait: *Fulgor quippe armorum eſt claritas miraculorum: armis namque nos tuemur, iaculis aduerſa deſtruimus. Arma ergo cum iaculis, ſunt miracula cum prædicamentis: Sancti enim prædicatores verbis ſuis quaſi quibuſdam iaculis aduerſarios feriunt; armis vero, id eſt, miraculis ſeipſos tuentur: & quantum ſint audiendi ſonent per impetum iaculorum, vt & quantum ſint reuerendi clareſcant per arma miraculorum.* Et poſt pauca, *Vadunt enim fulgura, cum prædicatores miraculis coruſcant, & ſuprema reuerentia auditores transfigunt.*

At cum ſæpè, licet oſtium prædicatoribus apertum ſit magnũ & euidens, vt loquitur D. Paulus 1. Cor. 16.

S. Gregor. 3. Moral. c. 3. — *Ad Tibul. 2.* — *Heb. 4. Vim fulmen vis verbi aptè optime adumbratur.* — *S. Greg. Mag.* — *Zachar. 9.* — *Verbum Dei vt iaculum ſeu ſagitta.* — *S. Greg. 29. Moral. c. 3.* — *Chaldæus apud Riberam.* — *S. Hieron.* — *Marc. vltimo.* — *Act. 2. Act. 6.* — *Iſ. 5.* — *Pſ. 134.* — *S. Gregorius. lib. 3. Moral.*

Digitized by Google

1. ad Cor. 16. vt Euangelium Dei poſſint proponere, aduerſarij multi reperiuntur qui fructum prædicationis impedire conentur, ſimiles illi Elimæ Mago qui quærens auertere Sergium Paulum Proconſulem à fide reſiſtebat Paulo ac Barnabæ, ideo oportuit vt Deus tantam ſanctis prædicatoribus ſuis dederit poteſtatem, vt aduerſarios conterere & proſternere potuerint. Tali poteſtate præditus fuit Apoſtolus, qui repletus Spiritu ſancto intuens in Elimam Magum dixit: *O plene omni dolo & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iuſtitiæ, non deſinis ſubuertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini ſuper te & eris cæcus non videns ſolem vſque ad tempus. Et confeſtim cecidit in eum caligo & tenebræ, & circuiens quærebat qui ei manum daret,* Act 13. Hac poteſtate vſus B. Petrus Ananiam & Saphiram miſeranda morte mulctauit, Act. 5 Hæc autem ſanctorum poteſtas per illud fulgur optimè deſignatur, quod ab exhalatione groſſiori ſeu vapore terreſtri & minerali in nube maximè viridi aut nigra in lapidem concreſcit, & dicitur fulmen adurens. Quod enim fulmen adeo potenter altas turres aut mœnia aut arbores ita percellit, diſſipat ac dejicit; Et verba prolata ſanctorum hoſtes percellunt & dejiciunt, *Exaltationes Dei in faucibus eorum, gladij anceps in manibus, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.* Nec mirum ſi fulgur ſeu fulmen ſit ſymbolum diuinæ ſeueritatis, cum ſit inſtrumentum ſæpiſſimè punitionis. Eo enim vtitur Deus vt hoſtes ſuos puniat: Sit fulgure ſeu fulmine C Ægyptios caſtigauit, eorum animalia occidendo, arbores quaſcumque confingendo. Exod. 9. *Dominus dedit tonitrua & diſcurrentia fulgura super terram.* Fulgur & fulmina eſſe ſentire videtur Origen. in 1. Iob. 3. cum ait: *Cum igitur fulgur atque tonitru inſigne extiteſſet, fulmen tactum eſt violentum, faceſq; ignis, ac fruges quidem combuſſerunt, fructus arborum conſumpſerunt, & domos incenderunt, homines autem non attigerunt: qui enim ea immiſerat non imperauerat vt interficerentur, ſed vt caſtigarentur.* Hæc ille. Qui rectè Hom. 4. in Exod. dicit: *In nece animalium recordiam ac ſtultitiam mortalium arguit, qui tanquam irrationalia pecora cultum & vocabulum Dei diuerſis impoſuerunt figuris, non ſolum hominum ſed & pecudum, ligno & lapidibus impreſſis. Hammonem Iouem in ariete venerantes & Apin quoque colentes in tauro, cætera quoque quæ Ægyptus deorum portenta mirátur, vt in quibus cultum credebatur ineſſe diuinum, in his viderent miſeranda ſupplicia.* Hæc Origen. Alia probatione non indigemus vt per fulgur ſeu fulmen iram Dei ac ſeueritatem deſignari dicamus. Si enim fulmen inſtrumentum eſt diuinæ ſeueritatis vt vidimus, eam vtique optimè deſignare valebit.

Act. 13.

Act. 5.

Exod. 9.

Orig. in Iob.

Orig. ſo. 4. in Exod.

De ſignificatione vocum. Punct. 3.

Soni tonitruum, vt vidimus, diuerſificantur ſecundum diuerſam diſpoſitionem nubis in raritate & denſitate, inſuper in nube albâ & purâ exhalatio non eſt adeo fortis: in viridi fortis eſt, in rubea magna & multum intenſa, in nigra fortiter inflammatur. Hinc fit vt tam ex raritate nubis quam ex debilitate exhalationis, aliquando ſonus non adeo ſit fortis ac intenſus. Tunc ſi exhalatio diſcurrat per nubem, & diuerſis ictibus ac interciſis identidem ſeu frequenter ac quaſi continuò repetitis latera nubis percutiat, tonitruum voces quaſdam articulatas efformare videbitur. Tales voces è throno exeuntes audiſſe videtur D. Ioan. cum ait, *Fulgura & voces*, vt tonitrui quidem ſonum exprimat, ſed non illum qui horrendo quodam fragore homines & animalia attonitos ac ſtupentes, quin & præ nimio terrore ſeu pauore conſternatos reddit, vt hoc ſymbolo vocis ſonum quidem prædicationis ſeu vocem Dei tonantis ſignificet; ſed illum qui ſuauiter corda hominum allicit ad verum amplectendum & bonum exequendum, mercedis promiſſione & immaculatæ legis Dei propoſitione, vnde vidimus interpretes vnanimiter ſentire hoc ſymbolo aliquid ſuaue ſignificari, cum aiunt per voces ſignificari vel noui teſtamenti prædicationes, vel admonitiones pioſque ſermones. *Vide temperamentum diuinæ correptionis,* inquit Origen. hom. 4. in Exod. *non cum ſilentio verberat, ſed dat voces & doctrinam cœlitus mittit, per quam poſſit culpam ſuam caſtigatus agnoſcere mundus. Dat & grandinem, per quam & tenera adhuc vaſtantur vitiorum naſcentia. Dat & ignem ſciens eſſe ſpinas & tribulos quos debeat ille ignis depaſcere, de quo dicit Dominus: ignem veni mittere in terram, per hunc enim incentiua voluptatis & libidinis conſumuntur.* Hæc ille. Voces igitur exeunt de Throno ante tonitrua, vt nobis ſuaues Dei promiſſiones & mandatorum ipſius onus leue & iugum ſuaue exprimat D. Ioannes antequam graues ſuppliciorum & ignis æterni comminationes per tonitruum deſignatas (vt dicemus poſtea) nobis proponat. *Aliter*, inquit S. Greg. 28. Moral. 2. *Dominus ſerum ſuis loquitur, cum eos intrinſecus per compunctionem prouehit, aliter cum per diſtrictionem ne extollantur præmit. Per blandam enim locutionem Domini amanda dulcedo eius monſtratur, in illa perſuadetur animæ vt proficiat, in iſta quod metuat. Per illam dicit: Gaude & lætare filia Sion, quia ecce venio & habitabo in medio tui; Per iſtam dicitur. Dominus in tempeſtate veniet, & in turbine via eius; Blandus quippe eſt, qui vt in medio habitet venit. Cum vero ſe per tempeſtatem & turbinem inſinuat, nempe quæ tangit corda, perturbat atque ad edomandam elationem ſe exerit, quando potens & terribilis innoteſcit.* Hæc Greg. Per voces igitur quamlibet diuinæ doctrinæ ac diſciplinæ propoſitionem deſignari dicimus. Ad duo tamen capita reuocamus eadem, nempe ad ea quæ ſperare debemus, & ad ea quæ agere oportet, vno verbo ad promiſſiones & mandata, quod quidem eò libentius facio quò audio Dominum ſuis præcipientem Apoſtolis. *Euntes autem prædicate dicentes, quia appropinquauit regnum cœlorum.* Math. 10. Et D. Petrum Act. 2. dicentem in illâ prima celebertimâ concione quam ad populum habuit Iudæorum, poſt deſcenſum in Apoſtolos Spiritus ſancti in die Pentecoſtes: *Vobis enim*, inquit, *eſt repromiſſio & filiis veſtris, & omnibus qui longe ſunt quoſcumque adnocauerit Dominus Deus noſter.* Non alia certè promiſſio quam ea quæ (vt dixit antea) facta eſt per Ioelem Prophetam. Et cum ait, *quoſcunque adnocauerit Dominus Deus noſter*, hoc ad teſtimonium prophetiæ reſpicit quod vltimum poſuit ſcilicet: *Omnis quicumque inuocauerit nomen Domini ſaluus erit*, vt optimè notat Lyranus qui & ſalutem illam de ſalute infinitâ animæ & corporis ſeu æternâ cum Gloſſâ intelligit, quia vt addit Ioel, *In monte Sion & in Hieruſalem erit ſaluatio, ſicut dicit Dominus, & in reſiduis quos Dominus vocauerit.* Videtiſne promiſſiones è Throno Eccleſiæ ſtatim atque erectus eſt emanantes? Quas promiſſiones non obſcurè reſpicit S. Petrus concione quam habui, poſtquam clauſum in pedes erexit Act. 3. *Pœnitemini igitur & conuertimini vt deleantur peccata veſtra: vt cum venerint tempora refrigerij à conſpectu Domini, & miſerit eum qui prædicatus eſt vobis Ieſum Chriſtum* (vt cum) ego intelligo ac ſi diceretur, eum ita fit quod venerunt tempora refrigerij, à conſpectu Domini, id eſt, à facie inquit Gloſſâ; Lyranus hoc refrigerium vult eſſe refrigerium beatitudinis ad quod transferentur electi: Et hoc pacto nihil erit ſubaudiendum vt vult Cornelius in hunc locum *Subaudi*, inquit, *ſalui ſitis vel refrigeremini & vos.* Cùm itaque in his primis concionibus, vitæ æternæ promiſſionem Apoſtolus proponat veluti præceptū

Symbolo vocis aliquid ſuaue ſignificatur. Origenes.

S. Gregorius.

Matth. 10.

Act. 2.

Ioel.

Act. 3.

Digitized by Google

Domini obtemperans, qui dixerat: *Euntes prædicate dicentes, appropinquauit regnum cælorum*, non malè (vt puto ego) per voces è Throno procedentes has promiſſiones deſignari exiſtimo. Quod de promiſſionibus diximus, hoc de mãdatis ſeu præceptis Domini etiam dicere poſſumus. Video enim Math. vltimo Dominum dicentem: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terrâ. Euntes ergo docete omnes gentes, baptiſantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis.* Matt. vltimo. Etenim obſeruationem mandatorum ſignum eſſe dixerat in eum dilectionis, *Qui habet mandata mea & ſeruat ea ille eſt qui diligit me: qui autem diligit me diligetur a Patre meo, & ego diligam eum & manifeſtabo ei meipſum*, Ioan. 14. Ioan. 14. Non mirum igitur ſi per voces hæc mandata ſignificari diximus, cum eorum obſeruatio certa ſit via & ſemita qua ad Dei intimam charitatem & plenam illius cognitionem deuenitur. Hæ ſunt voces reuera Dei tonantis, ſed ſuauiter corda hominum allicientis, qui fulgura in pluuiam facit, non tantùm cum per ſeruorum ſuorum ſanctitatem, doctrinæ Chriſtianæ lumen, miraculorum coruſcationem, homines ad vitam æternam conquirendam impellit, & ad mandatorum obſeruationem inuitat, vt pote quæ certa ſit via ad beatitudinem. *Si enim vis ad vitam ingredi ſerua mandata*, dicebat ipſe Dominus. Quin etiam verè fulgura in pluuiam facit, cum quorundam in præſenti vitâ correptionem apertam & manifeſtam ordinat ad aliorum ſalutem. Vnde optimè D. Hieron. in Marc. 3. de tribus Apoſtolis in monte Thabor Dominum in ſuâ Transfiguratione comitantibus loquens ait: *Quorum trium ſublime meritum in monte meretur audire tonitruum Patris per nubem de filio tonantis: hic eſt filius meus dilectus, vt per nubem carnis & ipſi ignem verbi ac ſi fulgura in pluuiam ſpargerent in terris, quoniam Deus fulgura in pluuiam fecit, vt extinguat miſericordia quod iudicium inurit: Vnde Propheta dicit, miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* S. Hieron. Hæc ille. Verè enim miſericordia extinguit quod iudicium inurit, cum temporales caſtigationes in ſalutem eorum qui corripiuntur, & aliorum qui hæc vident & audiunt ordinantur. Sic Paulus fulgurandi habens potẽſtatem, dicebat ſe tradidiſſe infignem illum fornicatorem Sathanæ, vt nempe, *Spiritus ſaluus fieret in die iudicij.* Sic mors Ananiæ & Saphiræ à Petro fulgurante immiſſa timorem non modicum immiſit fidelibus: *Et factus eſt timor magnus in vniuerſa Eccleſia, & in omnes qui audierunt hæc.* Act. 5. Act. 5. qui hac correptione admonebantur ne pariter Spiritui ſancto mentirentur, aut eum tentarent, ne ſimili pœnâ plecterentur.

De ſignificatione tonitrui. Punct. 4.

Dei & Chriſti cognitionem ex myſteriis Trinitatis, Incarnationis, inſtitutionis Sanctorum, Prædeſtinationis ac Reprobationis ſignificari diximus per tonitruum. Hoc plenius hic demonſtrare intendo: nec aliquis talem tonitrui ſignificationem reſpuere poterit qui D. Gregorio fidem adhiberi æquum eſſe duxerit. Is autem per tonitruum myſteria intelligit lib. 29. Moral. c. 13. hæc verba exponens, *Et viam ſonantis tonitrui. Hanc*, inquit, *viam Paulus prædicator egregius, dum ſuperna myſteria terribiliter inſonaret, ſe à ſe habere non poſſe confitetur, diſcipulos admonebat dicens: Vrantes ſimul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis oſtium verbi ad loquendum myſterium Chriſti. Qui ergo loquebatur myſteria, ſed in corde audientium eiſdem myſteriis à Domino aperiri oſtium precabatur, habebat quidem iam tonitruum, ſed dari ei deſuper viam quærebat.* Per tonitruũ myſteria ex Gregor. l. 29. Moral. Hæc ille. Vides myſteria per tonitruum deſignari. Quâ autem ratione tonitruum poſſit eſſe aptum myſteriorum ſymbolum, nunc nobis differendum eſt.

A In tonitruo duo potiſſimùm conſideranda veniunt, exhalatio quædam calida & ſicca in nube incluſa, & ſonus factus in nubibus ex violentâ percuſſione exhalationis ad latera nubis. Exhalationi iſti ego aſſimilo pium illum voluntatis imperium, quo mẽti imperat vt aſſentiatur veritati propoſitæ, ob eam quæ ſummæ debetur veritati per Eccleſiam myſteria reuelanti reuerentiam; ſono autem quælibet pium mentis ſeu voluntatis in Deum motum ob eam quam de ſe in cordibus fidelium ingerit notitiam. Ille autem aſſenſus qui dicitur fides, à D. Paulo definitur *ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium*, Et à D. Tho. *habitus mentis quo inchoatur vita æterna in nobis faciens intellectum aſſentire non apparentibus.* Sic Deum & quæ Dei ſunt, ſeu quæ ad Deum referuntur credimus Deo fidem adhibentes, quòd eum dignum exiſtimamus cui fides adhibeatur propter ſuam excellentiam: At ſtatim atque de Deo ac Dei maieſtate aliquid menti fides obiicit, concutitur certè timore ac horrore propter excellentiam diuinam omnem rerum creatarum excellentiam excedentem. Inſuper ille pius affectus iuxta illud Apoſtoli Petri Act. 15. *Fide purificans corda eorum*, omnem à mentibus noſtris amouet errorem vt piis affectibus ferantur in illud ſummum bonum. Sicque illa rerum diuinarum cognitio ſupra opinionem exiſtens, quia certa; infra ſcientiam, quia obſcura; quaſi intra nubem incluſa ſenſum & rationem quaſi duo latera nubis percutit, & ſonum diuerſum edit pro ratione & naturâ rei reuelatæ, & amor rei tantæ cognitæ inter propriam voluntatem & appetitum inferiorem quaſi incluſus, diuerſos etiam producit ſonos, laudis ſeu gratiarum actionis, pro naturâ excellentiæ ſeu beneficij ab illo ſummo bono emanantis. Exhalatio igitur quædam eſt calida, ob illum pium voluntatis Imperium. Sicca, quia ab omni terrenâ fæce & concupiſcentia libera: Omnis illa myſteriorum reuelatio ſonum edit ſenſus conculcando, rationi imperando, propriam voluntatem abnegando, omnem apperitus inordinatum motum refrænando, cum vel ſtupore vel admiratione vel timore concutitur, vel amore in laudem & gratiarum actionem prorumpit. Sit igitur exhalatio myſterij reuelatio, tonitruum autem ſeu ſonus, hi omnes mentis & voluntatis motus qui ad propoſitionem illius in nobis exurgunt. Et hac ratione perſpicis quomodo exhalatio ſicca & calida & ſonus ex percuſſione ipſius ad latera nubis proueniens, myſteriorum poteſt eſſe aptiſſimum ſymbolum: Et optimè exhalatio ſicca & calida dicitur, non vapor humidus qui ex locis humentibus eleuatur, vt ſymbolum ex origine ſuâ proportionem ſeruet cum re ſignificatâ. Caro ſiquidem & ſanguis non reuelat myſteria, nec animalis homo percipit ea quæ Dei ſunt: Sicca ſit anima quæ mentem & affectum ad cœleſtia transfert, id eſt, ab omni voluptate carnali ſit aliena. Rectè ſiquidem D. Greg. locum illum Iob. 40. exponens: *Sub vmbra dormit in ſecreto calami in locis humentibus*, ait: *Loca arentia & inaquoſa ſunt corda inſtorum, quæ per diſciplinæ fortitudinem ab omni carnalis concupiſcentia humore ſiccantur?* Et paulò poſt: *Loca humentia ſunt terrenorum hominum animæ quas humor carnalis concupiſcentiæ quaſi replet fluidas facit. In quibus Behemoth iſte iniquitatis ſuæ veſtigia tanto altius imprimit quanto in eiſdem mentibus quaſi in fluxâ terrâ deſcendit. Loca quippe humentia ſunt opera voluptuoſa.* Hæc Greg. Ex illis humentibus non exurgit aliquod cœleſte deſiderium. At cum eleuantur, mirum eſt admodùm quam vehementer ſenſus & ratio, appetitus & voluntas concutiantur. Sonum proculdubio edit vehementem ſtuporis pro tantâ Maieſtate, amoris

Quæ ratione tonitruum ſit aptum myſteriorum ſymbolum.

Heb. 11.

S. Gregorius.

pro

pro tantâ bonitate, admirationis pro tam altâ ſapientiæ profunditate; timoris pro adeo tremendâ poteſtate, vt anima dicat cum ſponsâ in Canticis, *Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius.* Ac ſi diceret: Potenti virtute cum Deus à me aſſenſum exigere voluit, hæc quæ mihi credenda proponebat de eius excellentiâ & Maieſtate miranda apprehendi: ad quorum intuitum & fidem omnia interiora mea contremuerunt, ob diuerſos motus admirationis, amoris aut timoris. His ita poſitis non miraberis quod dixerimus prædicta myſteria in ſcripturâ & patribus per tonitruum deſignari.

Cant. 5.

Etenim ſi de myſterio Trinitatis mentionem facimus, illa vox quæ de cœlis & de nube dixit, tum in baptiſmo, tum in Transfiguratione Chriſti: *Hic eſt filius meus dilectus*, Math. 3. appellatur ſupra à D. Hieron. in 3. Marc. *Tonitruum patris per nubem de filio tonantis*, Et tam altè Patre Filio promittente clarificationem (quæ proculdubio nequit eſſe abſque notitiâ ſanctiſſimæ Trinitatis) hæc vox inſonuit, *Clarificaui, & iterum clarificabo*, vt qui audierant dicerent: *Tonitruum eſſe factum.* Ioan. 12. Sed apertè docuit D. Greg. 32. moral. 6. in 40. Iob. per tonitruum myſterium Trinitatis adumbrari, cum illa Dei ad Iobum verba ponderans: *Si habes brachium ſicut Deus, & ſi voce ſimili tonas*, ait, *Deum ergo brachium habere eſt operantem filium gignere: voce ſimili tonare, eſt ſibi conſubſtantialem filium mundo terribiliter demonſtrare.* Hæc ille. Et ſicut paulò ante dicebat: *Ipſe, brachium de quo propheta ait, Et brachium Domini cui reuelatum eſt? Ipſe vox quia cum pater gignendo dixit, Filius meus es tu, ego hodie genui te, & de quo ſcriptum eſt, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Hæc Greg.

S. Hieronym. in 3. Marci.
Per tonitrua myſterium Trinitatis ſignificatur. Ioan. 12.
S. Gregor. Moralib.

Quantum autem ad myſterium Incarnationis idem ſanctus Greg. lib. 29. moral. in c. 38. Iob. c. 15. ait: *Aliquando vero in tonitruo ipſe incarnatus Dominus figuratur, qui ex antiquorum Patrum conueniente prophetia ad notitiam noſtram quaſi ex nubium conuerſione prolatus eſt, qui inter nos viſibiliter apparens ea quæ ſuper nos erant terribiliter ſonuit. Vnde & ipſe ſancti Apoſtoli de eius gratiâ generati Boanerges, id eſt, filij tonitrui ſunt vocati.*

Per tonitrua myſterium Incarnationis ſignificatur. S. Greg. l. 29. Moral.

Sacramentorum verò inſtitutio cum menti obſicitur, quia diuina ſunt myſteria quorum ſe eſſe diſpenſatorem S. Paulus gloriabatur, ſi per tonitruum iam ex D. Greg. habemus ſupra myſteria ſignificari, rectè dicemus per tonitruum ipſa ſacramenta denotari. Et reuerâ ex S. Thomâ habemus Apoſtolos in die Pentecoſtes effectus, qui in ſacramento Confirmationis dantur, inſigni & eminenti quadam ratione ſuſcepiſſe. Quis non audit tonitruum cum audit, *Factus eſt repente de cœlo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, vbi erant ſedentes?* Ille enim ſonus de cœlo ſpiritus vehementis tonitruũ quoddam eſſe videtur; Gratia nempe intra nubem ſignorum viſibilium videtur quodammodo incluſa, ſonumque vehementem edere, cum iſta viſibilia ſigna promiſſionem gratiæ certam & indubitatam habeant, & à diuinâ ſapientiâ ordinata ſint vt eam producant, quâ quidem ratione mentem fidelium in admirationem ingentem euehantur, illam diuinam ſapientiam admirantes, quæ tantorum ſacramentorum eſt adinuentrix.

Item per tonitruum Sacramenta deſignantur.

Tandem cum prædeſtinationis & reprobationis illa ſint indicia, ad quorum intuitum pauens Apoſtolus dicebat, *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! Quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius & inueſtigabiles vię eius!* Habemus ex D. Gregor. Dei iudicia per tonitruum figurari cum ait, *Aliquando autem ſicut dictum eſt, tonitruum ipſa eius prædicatio accipitur, per quam ſupernorum iudiciorum terror auditur.* 29. moral. Et cum in finali iudicio effectus illorum iudiciorum tum prædeſtinationis tum reprobationis manifeſtari debeant; ſi illud vltimum & tremendum iudicium deſignari certiſſimum ſit per tonitruum ex ipſo Greg. 17. moral. 21. rectè diximus hæc duo myſteria tonitruo ſignificari. S. Greg. audiamus, cum hunc locum ponderat: *Et cum vix parũ ſtillam ſermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri? Quia*, inquit, *quidquid altum, quidquid terribile in hac vita poſiti de eius conſideratione cognoſcimus, ex immenſitate cœleſtium ſecretorum vel tenuis ad nos gutta liquoris ſuperni emanat. Et quis poteris tonitruum magnitudinis intueri? Ac ſi apertè dicat: ſi humilitatis eius aduentum vix ferimus, horrendum atque terribilem Maieſtatis eius aduentum qua virtute tolerabimus? hoc tonitruum aduentus illius etiam pſalmiſta inſinuat dicens, Deus manifeſtè veniet, Deus noſter & non ſilebit: ignis in conſpectu eius ardebit, & in circuitu eius tempeſtas valida:* Et paulò poſt ponderans quod Dominus perſecutores ſuos poſtraturat moriturus, dicendo: *Ego ſum*, ait, *vocem ſolummodo mitiſſimæ reſponſionis edidit, & armatos perſecutores ſuos protinus in terram ſtrauit. Quid ergo facturus eſt cum iudicaturus venerit, qui vna voce hoſtes ſuos percelli etiam cum iudicandus venit? Quid eſt illud iudicium quod immortalis exerit, qui in vna voce non potuit ferri moriturus? Quis eius iram toleret, cuius & ipſa non potuit manſuetudo tolerari?* Hæc D. Greg. Nec mirum ſi prædeſtinationem & reprobationem per tonitruum deſignari aſſerimus. Nihil enim adeò mentes ſtupore & admiratione percellit, ſicuti percelluntur cum vident vnum eligi alterum reprobari; duo in agro vel in molà vel in lecto, vnum vero aſſumi alium autem relinqui; & cum audiunt illud Domini, *multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Ex quorum myſteriorum conſideratione ſicuti & præcedentium, mens noſtra diuerſos ſonos eoſque vehementes edere certiſſimum eſt, cum in ſtuporem & admirationem, amorem & timorem ea meditando ciehitur. Quos quidem animi motus explicat D. Greg. (vt huius ſymboli interpretationi finem imponamus) cum illa verba (*Tonabit voce magnitudinis ſuæ*) exponens 27. Moral. 13. in Iob. 37. ait: *Vox ſua Deus mirabiliter tonat, quia occultâ vi corda noſtra penetrat incomprehenſibiliter: quæ dum latentibus motibus premit in timore, & formatin amore, quanto ardore ſequendus ſit aliquo modo ſilenter clamat, & ſit cuiuſdam impulſionis nimietas in mente, cum nihil ſonet in voce: quæ tanto apud nos valentius perſtrepit, quanto & ab omni exteriori ſtrepitu aurem noſtri cordis ſurdeſcere facit. Vnde & anima ad ſemetipſam mox hoc intimo clamore collecta miratur quod audit, quia vim compunctionis incognitæ percipit: cuius ipſa admiratio bene apud Moyſem mannæ deſuper veniente deſignatur, dulcis enim cibus qui de ſupernis accipitur, manhu vocatur. Manhu enim dicitur, Quid eſt hoc? Et, quid eſt hoc? dicimus, quando hoc quod cernimus neſcientes admiramur.* Ita Gregor. Ecce igitur per tonitrua motus animi, nempe timoris, amoris & admirationis à S. Greg. deſignari dicuntur. Ad alia tranſeamus.

Denique myſteria prædeſtinationis & reprobationis.
S. Gregorius.

Cur fulgura, voces & tonitrua è throno procedere dicuntur, ac fulgura voces & tonitrua præcedunt. §. 3.

Conuenienter admodum D. Ioannes fulgura, voces & tonitrua è Throno procedere dicit, etenim ſi vt diximus Thronus Dei ſit in columnâ nubis, non mirum ſi è Throno prodeant fulgura & tonitrua, nec enim alibi quam in nubibus generatur tonitruum, nec aliunde quàm è nubibus exeunt fulgura. At myſticum ſenſum eruo ex his quæ docet D. Greg. 30. moral. 2. cum exponit hunc 38. c. Iob ver-

S. Gregor.

Digitized by Google

ſiculum: *Nunquid mittes fulgura & ibunt, & reuertentia dicent tibi, aſſumus? Vadunt*, inquit, *fulgura cum prædicatores ſancti mira opera oſtendunt, ſed reuertendo dicunt, aſſumus, cum in eo quod faciunt ad potentiam auctoris recurrunt.* Et antea dixit, *Eſt illi laudem tribuere gratiæ à quo ſe accepiſſe ſentiunt victoriam pugnæ, ne ſibi tribuant quod operantur.* Ita Greg. Hinc dico fulgura voces & tonitrua è Throno procedere, vt Deo ſedéti omnem tribuamus gloriam, quæ ex eminenti ſanctitate, ſublimi doctrinâ, miraculorum operatione, potenti virtute, ſupernaturali fine, mandatorum Dei obſeruatione, myſteriorum cognitione, hominibus prouenit: Nec non vt intelligamus nullum ſanctitate vnquam prædítum fore, tanâ doctrinâ gaudere, miraculis ſuam poſſe probare doctrinam, aut virtutem, nullum virtutis diuinæ aptum fore inſtrumentum, aut vitam æternam conſequi, aut veram de myſteriis habere poſſe cognitionem, qui non fuerit auctoritati Eccleſiæ in Throno adumbratæ vnitus. Præſcinditur enim totius diuinæ gratiæ riuulus iis qui ab Eccleſiæ auctoritate ſeipſos ſeparauerint. Quod autem fulgura præcedant voces & tonitrua, ſymbolum non ſeruat ordinem generationis fulguris & tonitrui, quæ vel ſimul fiût vel tonitruum præcedit fulgur: Seruat autem modum quo ſenſibus fulgur & tonitruum percipiuntur. Cum enim viſus magis ſit perceptiuus ſui obiecti quàm auditus, & viſibile citiùs moueat medium, quàm ſonus qui diffunditur cum motu locali ſucceſſiuo, ideo fulgur priùs percipitur quam tonitruum: ſic quia ea quæ ſignificantur per fulgur præcedere debent ea quæ per dia ſignificantur, ideò præcedit fulgur. Prius enim ſanctitas vitæ requiritur quàm munus prædicandiveram doctrinam, priùs doctrina prædicanda, quammiraculis confirmanda; priùs miraculis fulcitur vtautoritatem ſibi conciliet, quàm homines vt obſtimti & rebelles puniantur; & prius homines timorciudiciorum & mercedis promiſſione alliciendi ſuntad mandatorum obſeruantiam, quàm ad Dei cognitionem talem qualem in hac vitâ haberi poteſt fœlciter perueniant.

E Throno procedunt fulgura voces & tonitrua vt ſedenti in throno omnem tribuamus gloriam.

Et ſepten lampades ante Thronum qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei.

De ſeptem lampadibus ante Thronum.

ANNOTAT. X.

Idea ſymboli. §. 1.

NON mirum ſi Deus in Eccleſiæ Throno reſidens habere dicatur ſeptem lampades ante Thronum iam eas cernere licet in ordine rerum naturalium, cum ſe tanquam earundem potentiſſimum ac ſapientiſſimum moderatorem exhibere intendit. Nubes quippe Dei currum, imperatoriam nauem, tentorium, thalamum & Thronum non abſurdè dici poſſunt, cum eas quocumque voluerit impellit, cum in eis plurimæ rerum ſublunarium viciſſitudines manifeſtè duceant, cum in eis veluti contra hoſtes dimicaturus reſideat, fulmina quibus eos conterat veluti acuendo, fulgura & tonitrua quibus eos terreat, effermando: Et quaſi clamare videtur: *Leuabo ad cœlum manum meam & dicam, Viuo ego in æternum. Si acuero vt fulgur gladium meum & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hoſtibus meis* Deuteronom. 32. Cum rores & pluuias quibus terram fœcundet in nubibus producat, *Quis*, enim (clamat ipſe Iob. 38.) *pluuiæ pater, aut quis genuit ſtillas roris? De cuius vtero egreſſa eſt glacies, & gelu de cœlo quis genuit?* Sicque ſibi hanc ab Orpheo etiam cognitam potentem fœcunditatem arroget ob quam ab ipſo apud Clem. Alexand. l. 5. ſtrom. dicitur μητρόθεν, & quaſi qui & patris & matris rerum omnium vices gerat. Cum denique tot diuerſos ſapientiæ & potentiæ effectus in nubibus & per nubes producat, vt meritò dicatur in ipſis tanquam in tribunali ac Throno magnifico ſedere, & Thronum ſuum in nubis columnâ poſuiſſe, ante eas nubes quaſi quædam lampades eſſe noſcuntur impreſſiones verbi gratiæ, quorum contemplatione quodammodo euehi mente poſſumus ad ea meditanda quæ per noſtras lampades hic ante Thronum poſitas ſignificantur. Itaut D. Ioannes rerum naturalium cognitor, vt eſt ſupernaturalium contemplator, nunc nobis dicere videatur, cum ſeptem lampades ait ante Thronum eſſe poſitas: Scitis quia ſi in rebus naturalibus, aliquando virtute ſolis & aliorum aſtrorum à terrâ aliiſue terreſtribus corporibus eleuata fuerit exhalatio calida & ſicca, generatur ignis ad ſalutem animantium: quod ſi exhalatio multum fuerit calida & per conſequens leuis, vſque ad ſupremam aëris regionem aſcendet vbi inflammabitur, fierque ibidem ignis perpendicularis, lanceæ ardentes, ſcintillæ ignis & ſubaſcendent in modum figuræ pyramidalis & candelæ. De his autem impreſſionibus quæ in mediâ aut infimâ regione aëris ducuntur non curo, nec eas in ſymbolum eorum quæ vobis repræſentare debeo aſſumo, excellentiora enim in rebus naturalibus pro ſymbolo aſſumo, quia quæ ſint excellentiora in ordine ſupernaturali repræſentare debeo. Scitis & bene etiam noſtis quod in eadem ſupremâ regione aliquando cometæ efformantur, cum per calorem ſolis & aliorum aſtrorum à corporibus terreſtribus & viſcoſis eleuatur exhalatio terreſtris calida & ſicca vſque ad ſupremam aëris regionem, & ibi propter vicinitatem ignis inflammatur & cometa fit, quæ vel ad motum cœli, planetæ vel ſtellæ quam inſequitur mouetur, vel per ſe mouetur aliquando & ideo non ita velociter, & ſignum eſt magnæ caliditatis & ventorum, & ex his prognoſticatis & conjicitis bella, peſtes, quia calor viget & cholera inflammatur; & mortes principum quia ſunt ſubtilioris complexionis propter nutrimentum ſubtilius & magis delicatum, & ideo facilius inflammantur & itaſcuntur; & etiam ſigna ſunt ventorum qui cum tanto impetu flare poſſunt vt lapides eleuent & per magnum iter deportent. Noſtis denique quoſdam ex vobis ita de via lactea ſeu circulo lacteo philoſophari, nempe quod aliquando multas exhalat calidas & ſiccas eleuationes ad eandem ſupremam regionem, in quibus lumen recipitur aſtrorum, & ideo apparet claritas magna ſiue albedo quæ vocatur Galaxia, licet alij philoſophentur, quod ille circulus lacteus non ſit de naturâ elementari aut vaporoſâ ſed de cœleſti & quaſi cœli pars, ſed cæteris cœli partibus denſior quo fit luminoſior. Septem in his videtis impreſſiones quæ naturaliter fiunt in ſupremâ aëris regione, qua quidem ratione Deus rerum auctor, tanquam in Throno aſcendens ſuper nubes vt hæc inferiora moderetur, ante ſe in illâ ſupremâ regione rectè dici poſſit habere quaſi ſeptem lampades, ardentes nempe ignes perpendiculares, lanceas ardentes, ſcintillas ignis, ignes pyramidales, candelas, cometas, Galaxiam, vt plures prouidentiæ ſuæ in hæc inferiora effectus perficiat ſeu demonſtret. De illo ſupernaturali Throno eadem cogitate. Sedet in Eccleſia quaſi in cœleſti Throno, ante ſe habet 7. lampades per candelabrum Moſis & Tẽpli Salomonis olim præfiguratas, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei, vt innumeros ſuæ prouidentiæ effectus erga dilectam ſponſam perficiat ac demonſtret. Ad eos oculos mentis veſtræ dirigite, vt ad Dei cogni-

Clem. Alex.

Deuter. 32.

Iob 38.

tionem fœliciter peruenias, eiuſque amore inflammari valeatis.

De ſignificatione ſymboli ſeptem lampadarum. §. 2.

Connexio eorum quæ diximus, cum iis quæ per iſtud ſymbolum ſignificantur. Punct. 1.

Sedet Deus in Throno, & in participationem ſuæ poteſtatis ac regni admittit ſanctos & Eccleſiæ Prælatos, qui cum eo ſedere dicuntur: niſi malueris dicere in ipſis ſedentibus ipſum ſedere, & in auctoritate & ſanctitate quam illis contulit ſuam auctoritatem ac poteſtatem manifeſtare, per ſuauiſſimas actiones ſanctorum & paſtorum vitam. Per fulgura voces & tonitrua conquiſiuit qui ſibi pareant, ac ſuo ſubdantur imperio: nunc quibus mediis aut inſtrumentis vtatur vt ſuæ actiones producantur, & cogitationes pacis quas de electis in mente reuoluit fœliciter adimpleat, eos ad præſcriptum finem promouendo, ob oculos nobis proponit: ſub ſymbolo nempe ſeptem lampadarum, *Qui ſunt* (inquit S. Ioannes ne hæreamus in interpretatione huius ſymboli) *Septem ſpiritus Dei.* Ad ampliorem huius ſymboli enucleationem veniamus.

Quid per ſeptem lampades intelligit ſanctus Ioannes. Punctum 2.

Duo hic conſideranda ſunt 1. quid intellgat D. Ioannes per 7. ſpiritus Dei. 2. qua ratione per lampades hi qui intelliguntur, ſpiritus adumbrantur. Quoad primũ cum 1. Reg. 16. dicatur: *Spiritus Domini malus arripiebat Saul,* & c. 18. *Poſt diem autem alteram inuaſit Spiritus Dei malus Saul,* Dubitari poteſt de quonam genere ſpirituum loquatur D. Ioannes de bono an de malo, cum non ſufficiat quod hi ſpiritus dicantur eſſe in conſpectu Throni vt boni cenſeantur. Nam Iob 2. Sathan etiam ſtare viſitur in conſpectu Domini. *Factum eſt,* inquit ſcriptura, *cum quodam die venirent filij Dei & ſtarent coram Domino, veniſſet quoque Sathan inter eos & ſtaret in conſpectu eius,* &c. *Quia,* inquit D. Greg. lib. 2. in Iob. cap. 1. *eo intuitu quo omnipotens Deus cuncta ſpiritalia conſpicit, etiam Sathan in ordine naturæ ſubtilioris videt, atteſtante ſcriptura quæ dicit, Oculi Domini contemplantur malos & bonos.* Et paulo poſt: *Inter Angelos in conſpectu Domini Sathan adfuit, quia vis diuina quæ intuendo penetrat omnia non ſe videntem immundum ſpiritum vidit. Quia enim & ipſa quæ Deum fugiunt latere non poſſunt, dum cuncta nuda ſunt ſupremo conſpectui, Sathan adfuit abſens præſenti.* Hæc D. Greg. Stant igitur mali Angeli æque ac boni in conſpectu Dei. Nihilominus temeratium eſſe videtur de malo ſpiritu hunc locum interpretari, cum nulli vnquam interpretum talis ſenſus in mentem venerit, & præcipuè quia c. 1. gratia & pax exoptatur fidelibus, non tantum, *Ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, ſed etiam à 7. ſpiritibus, qui in conſpectu Throni eius ſunt.* De bono igitur ſpiritu abſque controuerſia loqui noſtrum Ioannem dicamus. Quod ſi ſpiritus malus Saul dicitur ſpiritus Domini, Spiritus Dei, hoc fit quia ſpiritus malus, vt ait Gloſſa, miniſter Dei eſt ad faciendum in Saule quod eum pati decerneret iudex omnium, & quia vt ibidem docet Gloſſa ex Greg. *Diabolus licet afflictionem iuſtorum ſemper appetat, tamen ſi à Deo poteſtatem non accipit, ad tentationis articulum non conualeſcit. Vnde omnis voluntas eius iniuſta, ex ſe enim tentare appetit, ſed eos qui tentandi ſunt & prout tentandi ſunt Deus iuſtè tentari permittit. Ideo idem ſpiritus & Domini appellatur & malus, Domini per licentiam iuſtæ poteſtatis, malus per deſiderium iniuſtæ voluntatis. Formidari ergo non debet, quia nihil niſi permiſſus valet: quamuis enim malignitas à Domino non ſit, poteſtas niſi à Deo non eſt.* Hæc Gloſſa. Vel tandem, vt exponit Nicolaus de Lyra, *Dicitur dæmon ſpiritus Domini quia natura ipſius bona eſt, & à Deo per creationem; ſed malus factus fuit per ſuperbiam ſuam.* Hæc ille. At cum nec ex præcedentibus nec ex ſubſequentibus colligi poſſit quod de tentandis hominibus hic fiat ſermo, nulla ratione dici poteſt quod hi ſpiritus de malis ac dæmonibus intelligi queant.

Alij hunc locum exponere videntur de ſpiritu bono increato, cum videlicet dicunt ſeptem dona Spiritus ſancti, id eſt, Spiritum ſanctum qui eſt auctor 7. donorum hic ſignificari. Non enim à 7. donis ſed à Spiritu ſancto ſuis, inquit Cornelius à Lap. pacem & gratiam precatur Ioannes c. 1. *Igitur,* ait Rupertus lib. 1. *à 7. ſpiritibus, id eſt, ab vno ſancto ſeptiformi ſpiritu gratiam exoptat.* Vel cum illos 7. ſpiritus intelligant vt Alcazar de 7. Dei virtutibus ſiue attributis in quibus conſiſtit integra prouidentiæ perfectio, nimirum ſapientia, fortitudine, beneficentia, iuſtitiâ, patientiâ, comminatione, ſeueritate, quæ quidem dotes ad exactum & perfectum regimen requiruntur & ſufficiunt, ſuntque non tantum in Deo ſed reipſa ipſe Deus.

Septem ſpiritus ſpiritum increatum, inſuper ſua dotes Domine Prouidentia.

Alij tandem de Spiritu creato hunc locum interpretantur, nempe de Angelis. Ita Nycol. de Lyra qui de vniuerſitate Angelorum qui miniſtri ſunt noſtræ ſalutis hos 7. ſpiritus intelligit. Rectè enim, vt ipſe ait, ſeptenario numero vniuerſitas figuratur, per 7. ſpiritus intelligitur vniuerſitas ſanctorum Angelorum parata ad Dei beneplacitum exequendum, ſecundũ illud Heb. 1. *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, &c.* Qui dicuntur lampades ardentes quæ illuminant & accendunt fideles ad cognitionem & amorem cœleſtium. At quidam alij non de omnibus Angelis ſed de quibuſdam primoribus intelligunt. Ita Andreas Cæſarienſis? *Per 7. hos ſpiritus,* inquit, *aut 7. Angelos cæteris præſtantiores cum Ireneo accipere oportet, aut 7. Viuifici illius ſpiritus chariſmata, quorum mentionem facit Iſaias.* Quam quidem ſententiam amplectitur Cornelius; *Dico,* inquit, *hoſce ſeptem ſpiritus eſſe ſeptem primarios Angelos qui aſſiſtunt Deo quaſi ſtipatores ac primores regni ipſius parati ad omne imperium Dei, vel per ſe vel per alios inferiores Angelos exequendum, præſertim in curâ & adminiſtratione hominum, &c.* Ita ille in c. 1. Quam ſententiam latè explicat & probationibus plurimis illuſtrat, vt videre eſt loco citato. Nos tantorum auctorum auctoritati plurimum deferimus, nihilominus vt integrior & planior ſit huius loci explicatio,

Per ſeptem ſpiritus Angelos & præcipuè ſeptem primores.

Andreas ex Ireneo.

Dicimus primo per ſpiritum nos intelligere vim aliquam ſeu virtutem incorpoream, inuiſibilem, ſubtilem, vitalem, ad nutum mobilem, intima penetrantem & peruadentem, ad operandum paratiſſimam. Hinc

Spiritus vis aliquo incorporea.

Dicimus ſecundo per 7. ſpiritus Dei intelligendam eſſe vim illam ſeu virtutem diuinam qua Deus cuncta moderatur, quæ cum ſit ipſemet Deus ad extra operans, ſpiritus eſt incorporeus, inuiſibilis, fons & origo vitæ, & veluti ad nutum mobilis, cuncta intimius penetrans, ad omnia exequenda cum ſumma vi & efficaciâ, ſiue immediatè per ſe agat, ſiue mediis aliquibus aut inſtrumentis vtatur expeditiſſimis. Hic ille eſt Dei ſpiritus de quo Eccleſia in quadam collecta ſeu oratione pro omnibus Eccleſiæ gradibus loqui videtur cum ait, *Omnipotent ſempiterne Deus, cuius ſpiritu totum Eccleſiæ corpus ſanctificatur & regitur, exaudi nos pro vniuerſis ordinibus ſupplicantes, &c.* cuius admirabiles proprietates latè explicat Sapiens, Sap. 7. *Omnium enim,* inquit, *artifex docuit me ſapientiam, eſt enim in illa ſpiritus intelligentiæ ſanctus, vnicus, multiplex, ſubtilis diſertus, &c.* Quem

Spiritus Dei virtus diuina quâ cuncta moderatur.

Lap. 7.

1. Reg. 16.

Iob. c. 2.

De bono igitur ſpiritu in locus intelligendus.

Gloſſa ex Gre.

Qua ratione ſpiritus malus dici poſſit ſpiritus Domini.

Digitized by Google

ſiculum: *Nunquid mittes fulgura & ibunt, & reuertentia dicent tibi, aſſumus? Vadunt*, inquit, *fulgura cum prædicatores ſancti mira opera oſtendunt, ſed reuertendo dicunt, aſſumus, cum in eo quod faciunt ad potentiam auctoris recurrunt.* Et antea dixit, *Eſt illi laudem tribuere gratiæ à quo ſe accepiſſe ſentiunt victoriam pugnæ, ne ſibi tribuant quod operantur.* Ita Greg. Hinc dico fulgura voces & tonitrua è Throno procedere, vt Deo ſedēti omnem tribuamus gloriam, quæ ex eminenti ſanctitate, ſublimi doctrinà, miraculorum operatione, potenti virtute, ſupernaturali fine, mandatorum Dei obſeruatione, myſteriorum cognitione, hominibus prouenit: Nec non vt intelligamus nullum ſanctitate vnquam præditum fore, ſaná doctrinà gaudere, miraculis ſuam poſſe probare doctrinam, aut virtutem, nullum virtutis diuinæ aptum fore inſtrumentum, aut vitam æternam conſequi, aut veram de myſteriis habere poſſe cognitionem, qui non fuerit auctoritati Eccleſiæ in Throno adumbratæ vnitus. Præſcinditur enim totius diuinæ gratiæ riuulus iis qui ab Eccleſiæ auctoritate ſeipſos ſeparauerint. Quod autem fulgura præcedant voces & tonitrua, ſymbolum non ſeruat ordinem generationis fulguris & tonitrui, quæ vel ſimul fiūt vel tonitruum præcedit fulgur: Seruat autem modum quo ſenſibus fulgur & tonitruum percipiuntur. Cum enim viſus magis ſit perceptiuus ſui obiecti quàm auditus, & viſibile citiùs moueat medium, quàm ſonus qui diffunditur cum motu locali ſucceſſiuo, ideo fulgur priùs percipitur quam tonitruum: ſic quia ea quæ ſignificantur per fulgur præcedere debent ea quæ per alia ſignificantur, ideò præcedit fulgur. Prius enim ſanctitas vitæ requiritur quàm munus prædicandi veram doctrinam, priùs doctrina prædicanda, quammiraculis confirmanda; priùs miraculis fulcitur vt autoritatem ſibi conciliet, quàm homines vt obſtimti & rebelles puniantur; & prius homines timore iudiciorum & mercedis promiſſione alliciendi ſunt ad mandatorum obſeruantiam, quàm ad Dei cognitionem talem qualem in hac vitâ haberi poteſt fœlciter perueniant.

Ex Throno procedunt fulgura voces & tonitrua vt ſedenti in throno omnem tribuamus gloriam.

Et ſeptem lampades ante Thronum qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei.

De ſeptem lampadibus ante Thronum.

ANNOTAT. X.

Idea ſymboli. §. 1.

NON mirum ſi Deus in Eccleſiæ Throno reſidens habere dicatur ſeptem lampades ante Thronum, iam eas cernere licet in ordine rerum naturalium, cum ſe tanquam earundem potentiſſimum ac ſapientiſſimum moderatorem exhibere intendit. Nubes quippe Dei currum, imperatoriam nauem, tentorium, thalamum & Thronum non abſurdè dici poſſunt, cum eas quocumque voluerit impellit, cum in eis plurimæ rerum ſublunarium viciſſitudines manifeſtè ducant, cum in eis veluti contra hoſtes dimicaturus reſideat, fulmina quibus eos conterat veluti acuendo, fulgura & tonitrua quibus eos terreat, effermando: Et quaſi clamare videtur: *Leuabo ad cœlum manum meam & dicam, Viuo ego in æternum. Si acuero vt fulgur gladium meum & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hoſtibus meis.* Deuteronom. 32. Cum rores & pluuias quibus terram fœcundet in nubibus producat, *Quis*, enim (clamat ipſe Iob. 38.) *pluuiæ pater, aut quis genuit ſtillas roris? De cuius vtero egreſſa eſt glacies, & gelu de cœlo quis genuit?* Sicque ſibi hanc ab Orpheo etiam cognitam potentem fœcunditatem arroget ob quam ab ipſo apud Clem. Alexand. l. 5. ſtrom. dicitur μητρόθεν & quaſi qui & patris & matris rerum omnium vices gerat. Cum denique tot diuerſos ſapientiæ & potentiæ effectus in nubibus & per nubes producat, vt meritò dicatur in ipſis tanquam in tribunali ac Throno magnifico ſedere, & Thronum ſuum in nubis columnâ poſuiſſe, ante eas nubes quaſi quædam lampades eſſe noſcuntur impreſſiones verbi gratiæ, quorum contemplatione quodammodo cuchi mente poſſumus ad ea meditanda quæ per noſtras lampades hic ante Thronum poſitas ſignificantur. Itaut D. Ioannes rerum naturalium cognitor, vt eſt ſupernaturalium contemplator, nunc nobis dicere videatur, cum ſeptem lampades ait ante Thronum eſſe poſitas: Scitis quia ſi in rebus naturalibus, aliquando virtute ſolis & aliorum aſtrorum à terrâ aliiſue terreſtribus corporibus eleuata fuerit exhalatio calida & ſicca, generatur ignis ad ſalutem animantium: quod ſi exhalatio multum fuerit calida & per conſequens leuis, vſque ad ſupremam aëris regionem aſcendet vbi inflammabitur, fieriquè ibidem ignis perpendiculatis, lanceæ ardentes, ſcintillæ ignis & ſubaſcendent in modum figuræ pyramidalis & candelæ. De his autem impreſſionibus quæ in mediâ aut infimâ regione aëris ducuntur non curo, nec eas in ſymbolum eorum quæ vobis repræſentare debeo aſſumo, excellentiora enim in rebus naturalibus pro ſymbolo aſſumo, quia quæ ſint excellentiora in ordine ſupernaturali repræſentare debeo. Scitis & bene etiam noſtis quod in eadem ſupremâ regione aliquando cometæ efformantur, cum per calorem ſolis & aliorum aſtrorum à corporibus terreſtribus & viſcoſis eleuatur exhalatio terreſtris calida & ſicca vſque ad ſupremam aëris regionem, & ibi propter vicinitatem ignis inflammatur & cometa fit, quæ vel ad motum cœli, planetæ vel ſtellæ quam inſequitur mouetur, vel per ſe mouetur aliquando & ideo non ita velociter, & ſignum eſt magnæ caliditatis & ventorum, & ex his prognoſticaris & conjicitis bella, peſtes, quia calor viget & cholera inflammatur; & mortes principum quia ſunt ſubtilioris complexionis propter nutrimentum ſubtilius & magis delicatum, & ideo facilius inflammantur & iraſcuntur; & etiam ſigna ſunt ventorum qui cum tanto impetu flare poſſunt vt lapides eleuent & per magnum iter deportent. Noſtis denique quoſdam ex vobis ita de via lactea ſeu circulo lacteo philoſophari, nempe quod aliquando multas exhalat calidas & ſiccas eleuationes ad eandem ſupremam regionem, in quibus lumen recipitur aſtrorum, & ideo apparet claritas magna ſiue albedo quæ vocatur Galaxia, licet alij philoſophentur, quod ille circulus lacteus non ſit de naturâ elementari aut vaporoſâ ſed de cœleſti & quaſi cœli pars, ſed cæteris cœli partibus denſior quo fit luminoſior. Septem in his videtis impreſſiones quæ naturaliter fiunt in ſupremâ aëris regione, qua quidem ratione Deus rerum auctor, tanquam in Throno aſcendens ſuper nubes vt hæc inferiora moderetur, ante ſe in illâ ſupremâ regione rectè dici poſſit habere quaſi ſeptem lampades, ardentes nempe ignes perpendiculares, lanceas ardentes, ſcintillas ignis, ignes pyramidales, candelas, cometas, Galaxiam, vt plures prouidentiæ ſuæ in hæc inferiora effectus perficiat ſeu demonſtret. De illo ſupernaturali Throno eadem cogitate. Sedet in Eccleſia quaſi in cœleſti Throno, ante ſe habet 7. lampades per candelabrum Moſis & Tēpli Salomonis olim præfiguratas, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei, vt innumeros ſuæ prouidentiæ effectus erga dilectam ſponſam perficiat ac demonſtret. Ad eos oculos mentis veſtræ dirigite, vt ad Dei cogni-

Clem. Alex.

Deuter. 32.

Iob 38.

Digitized by Google

tionem fœliciter perueniatis, eiuſque amore inflammari valeatis.

De ſignificatione ſymboli ſeptem lampadarum. §. 2.

Connexio eorum quæ diximus, cum iis quæ per iſtud ſymbolum ſignificantur. Punct. 1.

Sedet Deus in Throno, & in participationem ſuæ poteſtatis ac regni admittit ſanctos & Eccleſiæ Prælatos, qui cum eo ſedere dicuntur: niſi malueris dicere in ipſis ſedentibus ipſum ſedere, & in auctoritate & ſanctitate quam illis contulit ſuam auctoritatem ac poteſtatem manifeſtare, per ſuauiſſimas actiones ſanctorum & paſtorum vitam. Per fulgura voces & tonitrua conquiſiuit qui ſibi pareant, ac ſuo ſubdantur imperio: nunc quibus mediis aut inſtrumentis vtatur vt ſuæ actiones producantur, & cogitationes pacis quas de electis in mente reuoluit fœliciter adimpleat, eos ad præſcriptum finem promouendo, ob oculos nobis proponit: ſub ſymbolo nempe ſeptem lampadarum, *Qui ſunt* (inquit S. Ioannes ne hæreamus in interpretatione huius ſymboli) *Septem ſpiritus Dei.* Ad ampliorem huius ſymboli enucleationem veniamus.

Quid per ſeptem lampades intelligit ſanctus Ioannes. Punctum 2.

Duo hic conſideranda ſunt 1. quid intellgat D. Ioannes per 7. ſpiritus Dei. 2. qua ratione per lampades hi qui intelliguntur, ſpiritus adumbrantur, Quoad primũ cum 1. Reg. 16. dicatur: *Spiritus Domini malus arripiebat Saul,* & c. 18. *Poſt diem autem alteram inuaſit Spiritus Dei malus Saul,* Dubitari poteſt de quonam genere ſpirituum loquatur D. Ioannes de bono an de malo, cum non ſufficiat quod hi ſpiritus dicantur eſſe in conſpectu Throni vt boni cenſeantur. Nam Iob 2. Sathan etiam ſtare viſitur in conſpectu Domini. *Factum eſt,* inquit ſcriptura, *cum quodam die veniſſent filij Dei & ſtarent coram Domino, veniſſet quoque Sathan inter eos & ſtaret in conſpectu eius,* &c. *Quia,* inquit D. Greg. lib. 2. in Iob. cap. 1. *eo intuitu quo omnipotens Deus cuncta ſpiritalia conſpicit, etiam Sathan in ordine naturæ ſubtilioris videt, atteſtante ſcriptura quæ dicit, Oculi Domini contemplantur malos & bonos.* Et paulo poſt: *Inter Angelos in conſpectu Domini Sathan affuit, quia vis diuina quæ intuendo penetrat omnia non ſe videntem immundum ſpiritum vidit. Quia enim & ipſa quæ Deum fugiunt latere non poſſunt, dum cuncta nuda ſunt ſupremo conſpectui, Sathan adfuit abſens præſenti.* Hæc D. Greg. Stant igitur mali Angeli æque ac boni in conſpectu Dei. Nihilominus temerarium eſſe videtur de malo ſpiritu hunc locum interpretari, cum nulli vnquam interpretum talis ſenſus in mentem venerit, & præcipuè quia c. 1. gratia & pax exoptatur fidelibus, non tantum, *Ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, ſed etiam à 7. ſpiritibus, qui in conſpectu Throni eius ſunt.* De bono igitur ſpiritu abſque controuerſia loqui noſtrum Ioannem dicamus: Quod ſi ſpiritus malus Saul dicitur ſpiritus Domini, Spiritus Dei, hoc fit quia ſpiritus malus, vt ait Gloſſa, miniſter Dei eſt ad faciendum in Saule quod eum pati decerneret iudex omnium, & quia vt ibidem docet Gloſſa ex Greg. *Diabolus licet afflictionem iuſtorum ſemper appetat, tamen ſi à Deo poteſtatem non accipit, ad tentationis articulum non conualeſcit. Vnde omnis voluntas eius iniuſta, ex ſe enim tentare appetit, ſed eos qui tentandi ſunt & prout tentandi ſunt Deus iuſtè tentari permittit. Ideo idem ſpiritus & Domini appellatur & malus, Domini per licentiam iuſtæ poteſtatis, malus per deſiderium iniuſtæ voluntatis. Formidari ergo non debet, quia nihil niſi permiſſus valet: quamuis enim malignitas à Domino non ſit, poteſtas niſi à Deo non eſt.* Hæc Gloſſa. Vel tandem, vt exponit Nicolaus de Lyra, *Dicitur dæmon ſpiritus Domini quia natura ipſius bona eſt, & à Deo per creationem; ſed malus factus fuit per ſuperbiam ſuam.* Hæc ille. At cum nec ex præcedentibus nec ex ſubſequentibus colligi poſſit quod de tentandis hominibus hic fiat ſermo, nulla ratione dici poteſt quod hi ſpiritus de malis ac dæmonibus intelligi queant.

1. Reg. 16.

Iob. 1. 2.

De bono igitur ſpiritu n locus intelligendus.

Gloſſa ex Gre.

Qua ratione ſpiritus malus dici poſſit ſpiritus Domini.

Alij hunc locum exponere videntur de ſpiritu bono increato, cum videlicet dicunt ſeptem dona Spiritus ſancti, id eſt, Spiritum ſanctum qui eſt auctor 7. donorum hic ſignificari. Non enim à 7. donis ſed à Spiritu ſancto ſuis, inquit Cornelius à Lap. pacem & gratiam precatur Ioannes c. 1. *Igitur,* ait Rupertus lib. 1. *à 7. ſpiritibus, id eſt, ab vno ſancto ſeptiformi ſpiritu gratiam exoptat.* Vel cum illos 7. ſpiritus intelligant vt Alcazar de 7. Dei virtutibus ſiue attributis in quibus conſiſtit integra prouidentiæ perfectio, nimirum ſapientia, fortitudine, beneficentia, iuſtitiâ, patientiâ, comminatione, ſeueritate, quæ quidem dotes ad exactum & perfectum regimen requiruntur & ſufficiunt, ſuntque non tantum in Deo ſed reipſa ipſe Deus.

Septem ſpiritus ſpiritum increatum, ſuper ſuis dotes Diuina Prouidentia.

Alij tandem de Spiritu creato hunc locum interpretantur, nempe de Angelis. Ita Nycol. de Lyra qui de vniuerſitate Angelorum qui miniſtri ſunt noſtræ ſalutis hos 7. ſpiritus intelligit. Rectè enim, vt ipſe ait, ſeptenario numero vniuerſitas figuratur, per 7. ſpiritus intelligitur vniuerſitas ſanctorum Angelorum parata ad Dei beneplacitum exequendum, ſecundũ illud Heb. 1. *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, &c.* Qui dicuntur lampades ardentes quæ illuminant & accendunt fideles ad cognitionem & amorem cœleſtium. At quidam alij non de omnibus Angelis ſed de quibuſdam primoribus intelligunt. Ita Andreas Cæſarienſis? *Per 7. hos ſpiritus,* inquit, *aut 7. Angelos cæteris præſtantiores cum Ireneo accipere oportet, aut 7. vitifici illius ſpiritus chariſmata, quorum mentionem facit Iſaias.* Quam quidem ſententiam amplectitur Cornelius; *Dico,* inquit, *hoſce ſeptem ſpiritus eſſe ſeptem primarios Angelos qui aſſiſtunt Deo quaſi ſtipatores ac primores regni ipſius parati ad omne imperium Dei, vel per ſe vel per alios inferiores Angelos exequendum, præſertim in curâ & adminiſtratione hominum, &c.* Ita ille in c. 1. Quam ſententiam latè explicat & probationibus plurimis illuſtrat, vt videre eſt loco citato. Nos tantorum auctorum auctoritati plurimum deferimus, nihilominus vt integrior & planior ſit huius loci explicatio,

Per ſeptem ſpiritus Angelos & præcipuè ſeptem primores.

Andreas ex Ireneo.

Dicimus primo per ſpiritum nos intelligere vim aliquam ſeu virtutem incorpoream, inuiſibilem, ſubtilem, vitalem, ad nutum mobilem, intima penetrantem & peruadentem, ad operandum paratiſſimam. Hinc

Spiritus vis aliqua incorporea.

Dicimus ſecundo per 7. ſpiritus Dei intelligendam eſſe vim illam ſeu virtutem diuinam qua Deus cuncta moderatur, quæ cum ſit ipſemet Deus ad extra operans, ſpiritus eſt incorporeus, inuiſibilis, fons & origo vitæ, & veluti ad nutum mobilis, cuncta intimius penetrans, ad omnia exequenda cum ſumma vi & efficaciâ, ſiue immediatè per ſe agat, ſiue mediis aliquibus aut inſtrumentis vtatur expeditiſſimis. Hic ille eſt Dei ſpiritus de quo Eccleſiæ in quadam collecta ſeu oratione pro omnibus Eccleſiæ gradibus loqui videtur cum ait, *Omnipotens ſempiterne Deus, cuius ſpiritu totum Eccleſiæ corpus ſanctificatur & regitur, exaudi nos pro vniuerſis ordinibus ſupplicantes, &c.* cuius admirabiles proprietates latè explicat Sapiens, Sap. 7. *Omnium enim,* inquit, *artifex docuit me ſapientiam, eſt enim in illa ſpiritus intelligentiæ ſanctus, vnicus, multiplex, ſubtilis diſertus, &c.* Quem

Spiritus Dei virtus diuina quâ cuncta moderatur.

Sap. 7.

Digitized by Google

locum cum D. Aug. l. 4. de Gen. ad literam c. 12. de
S. Auguſt. in Geneſ. 14. Deo cũctas res creatas moderãte intelligendũ puto. *Creatoris namque potentia*, inquit, *qua virtus ab eis quæ creata ſunt regendis ſi aliquando ceſſaret ſimul & illorum ceſſaret ſpecies omniſque natura concideret. Neque enim ſicut ſtructuram ædium cum fabricauerit quis abſcedit, atque illo ceſſante atque abſcedente ſtat opus eius, ita mundus vel ictu oculi ſtare poterit, ſi ei Deus regimen ſui ſubtraxerit. Proinde & quod Dominus ait, Pater meus vſque modo operatur, continuationem quandam operis eius qua vniuerſam creaturam continet atque adminiſtrat oſtendit. Aliter enim poſſet intelligi ſi diceret, Et nunc operatur, vbi non eſſet neceſſe vt operis continuationem acciperemus; aliter autem cogit intelligi cum ait, Vſque modo, ex illo ſcilicet quo cuncta cum conderet operatus eſt. Et quod ſcriptum eſt de ſapientia eius, Pertingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. De qua item ſcriptum eſt quod motus eius agilior celeriorque ſit omnibus motibus. Satis apparet intuentibus rectè hunc ipſum incomparabilem & ineffabilem, & ſi poſſit intelligi ſtabilem motum ſuum rebus eam præbere ſuauiter diſponendis, quo vtique ſubtracto ſi ab hac operatione ceſſauerit eas continuo perituras.* Hæc Aug.

Legę Lorinum in hunc locum Sapientiæ.

Incorporea eſt iſta virtus, quia Deus ſpiritus eſt. Spiritus enim à re corporea aliquando vt à re ſibi
S. Auguſt. l. 13 de Trinit. c. 5. oppoſita diſtinguitur. *Incorporalis*, ait D. Aug. lib. 13. de Trinitate c. 5. *vel incorporeus dicitur Deus, vt ſpiritus credatur vel intelligatur eſſe non corpus.* Hinc Athan.
S. Athanaſ. de Incarnatione Verbi: *Confitemur*, inquit, *etiam eundem eſſe Filium Dei ſecundum Spiritum, hominis autem ſecundum carnem, &c.* Et poſtea: *ſecundum carnem tantum, quam ex Maria habet, homo: At ſecundum ſpiritum idem ille Filius Dei & Deus verus, &c.* Hæc ille. Videlicet ſpiritum carni opponens. Inuiſibilis proinde, quæ enim incorporea ſunt ſenſibus per ſe obiici nequeunt. Hac de cauſa D. Hilarius
S. Hilarius lib. 8. de Trinit. lib. 8. de Trinitate vult Chriſtum quamuis formam ſerui accepiſſet, quâ ſenſibus obiiciebatur, verum eſſe Deum, *Quia imago ſit Dei inuiſibilis, imago enim formam neceſſe eſt eius reddat cuius imago eſt. Qui volunt autem alterius generis filio eſſe naturam, conſtituant cuiuſmodi filium imaginem eſſe inuiſibilis Dei velint.* Hæc ille. Optime igitur docet D. Thom. q. 36. a. 1. 1. p. nomen Spiritus commune eſſe toti Trinitati, *Quia nomine Spiritus ſignificatur immaterialitas diuinæ ſubſtantiæ. Spiritus enim corporeus inuiſibilis eſt, & parum habet de materia. Vnde omnibus ſubſtantiis immaterialibus & inuiſibilibus hoc nomen attribuimus.* Hæc ille. Fons
S. Athanaſ. etiam & origo vitæ. Modum explicat D. Athanaſ. tractatu de definitionibus de anima & mente. *Homo*, inquit, *ex inſpiratione diuina ſuam accepit animam, ideo res diuinas agnoſcit, ſuperna perſequitur & res cæleſtes intelligit, eſtque rationalis & mente præditus. Cæterum nemo exiſtimet quod ille ſpiritus quem in hominem inflauit Deus factus ſit anima. Nam ſi in homine Spiritus ille eſſet, anima inalterabilis vtique ſemper eſſet, immutabilis qualis eſt Deus. Inquit enim ipſe, Ego ipſe ſum, anima autem interdum quidem ſtulta eſt, interdum ſapiens, interdum peccatrix, interdum iuſta, & alio quidẽ tempore fidelis, alio vero tempore incredula, aliquando rerum ignara aliquando non, nonnunquam prompta & aliquando tarda. Cum hæc in ſeſe habeat anima, quonam pacto dici poteſt quod ex Dei ſit eſſentia? illud haud quaquam eſſe poteſt. Sed hæc inſpiratio animam in homine fabricata eſt rationalem & intelligentẽ, quapropter anima quoq; ductu intellectus ſuperna imaginatur, & quæ illic ſunt quærit, appetit & deſiderat, quoniam illinc habet creationem ſuam, &c.* Hæc Athanaſius. Appoſitè ad noſtrum propoſitum, hic enim agi volumus potiſſimùm de illa Dei prouidentia, qua fideles qui ſunt in Eccleſia ad vitæ fontes aquarum deducere intendit.

Dixi ad nutum mobilem eſſe illam virtutem A quam per Spiritum Dei intelligimus, nam nomen Spiritus in rebus corporeis impulſionem & motionem ſignificare videtur. De qua D. Tho. 1. p. q. 36. a. 1. *Nam flatum & ventum ſpiritum nominamus.* Hæc ille. Huic D. Athanaſ. vult ſpiritum pneuma dici quaſi omnis motus, velociter enim quaqua verſum vergit & mouet. πνεῦμα δὲ λέγεται ὅτανὸν τὸν πνεῦμα ἐξίῃ πάντα νέουσι καὶ κινέμενον.

S. Thom. 1. p. q. 36. a. 1.

S. Athanaſ.

Adiunxi: cuncta intimius penetrans: tum ratio-
Athanaſ. cognitionis, vnde idem Athanaſius in quæſt. quæſt. 10. *Spiritus dicitur quod omnem nutum acutè intelligat, ſcilicet omnes nutus. Cognoſcuntur enim omnia per illum, Spiritus enim ſanctus omnia ſcrutatur etiam profunda Dei.* Ita Athanaſ. Tum ratione efficientiæ, indeſinenter enim Deus in rebus creatis operatur creata conſer-
B uans quæ condidit. Docet hoc D. Auguſt. cum ait
S. Auguſt. lib. 4. de Gen. ad litteram c. 12. *Et illud quod ait Apoſtolus cum Athenienſibus prædicaret, In illo viuimus, mouemur & ſumus, liquidè cogitatum quantum humana mens valet, adiuuat hanc ſententiam qua credimus & dicimus Deum in iis quæ creauit indeſinenter operari: Neque enim tanquam ſubſtantia eius ſic in illo ſumus, vt dictum eſt quod habeat vitam in ſemetipſo, ſed vtique cum aliud ſumus quam ipſe, non ob aliud in illo ſumus niſi quia id operatur, & hoc eſt opus eius quo continet omnia & quo eius ſapientia pertendit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter per quam diſpoſitionem in illo viuimus, mouemur & ſumus. Vnde colligitur quod ſi*
C *hoc opus ſuum rebus ſubtraxerit nec viuemus nec mouebimur nec erimus. Claret igitur ne vno quidem die ceſſaſſe Deum ab opere regendi quæ creauit, ne motus ſuos naturales quibus aguntur, atque vegetantur vt omnino naturæ ſint, & in eo quod ſunt pro ſuoque genere maneant illico amitterent & eſſe aliquid omnino deſinerent ſi eis ſubtraheretur motus ille ſapientiæ Dei quo diſponit omnia ſuauiter.* Hæc Aug. Quibus patet quod illa virtus ſeu ille diuinæ illius prouidentiæ & ſapientiæ motus intimus eſſe debet rebus creatis, quippe quæ non ſubſiſterent illo ceſſante motu quo operante viuunt, mouentur, exiſtunt.

Probatur ex D. Hilario & Auguſtino quod per Spiritum Dei virtutem diuinam omnia moderantem poſſumus intelligere. Punct. 3.

D Nemo iure mihi ſuccenſere poterit quod per Spiritum Dei virtutem diuinam qua Deus mundum & potiſſimum Eccleſiam regat intelligam, qui
S. Hilarius. D. Hilarij lib. 8. de Trinit. mentem aſſecutus fuerit. *Memini*, inquit, *in ſpiritu Dei ita filium Dei ſignificari, vt in eo Deus pater demonſtretur, eſſe intelligatur, & ad numinis demonſtrationem (nempe Patris & Filij) poſſe ſignificatum Dei ſpiritum pertinere.* Hæc ille. Probat hoc ex iis ſcripturæ locis: *Spiritus Domini ſuper me, propterea vnxit me: Paterna enim natura virtus*, inquit Hilarius, *in eo manifeſtatur. Rurſus: Si in ſpiritu Dei*
E *ejicio dæmonia, vtique appropiauit in vobis regnum Dei. Se ſcilicet ipſe naturæ ſuæ poteſtate, dæmones ejicere demonſtrans, qui non niſi ſpiritu ejici poſſint.* Ita Hilarius. Dixerat antea: *Hæc enim videntur non ambiguè vel patrem ſignificare vel filium, virtutem tamen naturæ demonſtrantia.* Vides Hilarium per ſpiritum Dei intelligere vim naturæ diuinæ quæ communis eſt Patri & Filio, quæ quidem cum etiam communis ſit tertiæ perſonæ ſanctiſſimæ Trinitatis, rectè idem addit: *Eſt autem & in ſpiritu Dei Spiritus ſancti ſignificatio, neque ſolum prophetica ſed Apoſtolica autoritate cum dicitur Act. 2. Sed hoc eſt quod dictum eſt per Prophetam, Erit in nouiſſimis diebus, dicit Dominus, effundam de ſpiritu meo in omnem carnem, &c.* Conſummatum hoc tunc in Apoſtolis totũ fuiſſe diceretur cum miſſo Spiritu ſancto omnes linguas gentium ſunt locuti. Admonet autem S. Hilarius ideo hunc ſpiritum

Digitized by Google

Dei dici in vtroque, nempe in Patre & Filio, ne ſecundũ corporales modos ita ineſſe Filium in Patre vel Patrem in Filio crederemus, ſcilicet ne loco Deus manens nuſquam alibi extare videretur à ſe, veluti qui per Spiritum naturam diuinam quaſi per omnia diffuſam & omnia implentem non tamen incluſam, & ſuper omnia effluentem, nec ideo excluſam ſignificet, *Spiritus enim Domini*, ait Sapiens, *repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia ſcientiam habet vocis.* Sap. 1. *Eſt ergo Deus*, ait Aug. Epiſtola 57. *per cuncta diffuſus, ipſe quippe ait per Prophetam, cælum & terram impleo, &c. Itemque ſcriptum eſt Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, &c. Quo ibo à ſpiritu tuo? Quia Deus ſubſtantialiter vbique diffuſus, ſed ſic eſt Deus per cuncta diffuſus, vt non ſit qualitas mundi ſed ſubſtantia Creatrix mundi, ſine labore regens & ſine onere continens mundum.* Ita Aug. Qui vt vides locum iſtum Sapientiæ de Deo ſubſtantialiter intelligit, ſicut Hilarius ſpiritum pro Dei natura ſumit, ipſum vbique eſſe demonſtrat ſecundum ſubſtantiam, ex eo quod Spiritus dicatur, ita argumentatur: Spiritus corpori opponitur, ergo ſi corpus illud omne eſt quod terminis quibuſdam coarctatur, Spiritus erit qui nullis circumſcribitur terminis. Deus autem eſt ſpiritus, nullis ergo per omnia diffuſus terminis cõprehenditur, vnde addit: homo enim aut aliquid aliud ei ſimile, cum alicubi erit tam alibi non erit, quia id quod eſt illic continetur vbi fuerit: infirma ad id natura eius vt vbiq; ſit qui inſiſtens alicubi ſit. Deus autem immenſæ virtutis, viuens poteſtas quæ nuſquam non adſit nec deſit vſquam, ſe omnem per ſua edocet, & ſua non aliud quam ſe eſſe ſignificat, vt vbi ſua inſint ipſe eſſe intelligatur, non autem corporali modo cum alicubi inſit non & vbique eſſe credatur, cum per ſua in omnibus eſſe non deſinat, non aliud autem ſint quam quod eſt ipſe quæ ſua ſunt. Et hæc quidem ad naturæ intelligentiam dicta ſunt. Volui optime Lector, auctoritate Hilarij & Auguſtini hanc meam de virtute diuinâ quâ mundus regitur interpretationem fulcire, vt facilius ſentias qua ratione Deus regat ſuos fideles & ad finem debitum promoueat, nempe quia ad modum cuiuſdam ſpiritus omnia implet, & cuncta ad ſibi conuenientia impellit, quo fit vt eos in quibus ineſt & inhabitat, per gratiam moueat & promoueat ad debitum finem.

Sap. 1.

S. Auguſt. ſp. 77. Qua ratione Deus per cuncta diffuſus.

Quod illa diuina virtus de tribus perſonis diuinis indiuiſibiliter ad extra operantibus intelligi debet.

Punctum. 4.

De hoc diuino ſpiritu nempe Deo Eccleſiam gubernante loqui mihi videtur Apoſtolus 1. Cor. 12. *Diuiſiones vero gratiarũ ſunt, idem autem Spiritus; Et diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus; & diuiſiones operationum ſunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Et enumeratis plurimis gratiis, miniſtrationibus & operationibus, ac ſi Spiritum ſanctum, Filium & Patrem in gratiarum, miniſtrationum & operationum diuiſione deſignaſſet, ipſaſque diuinas perſonas ad modum vnius principij ad extra operantis deſignare videtur cum ait, *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult.* Fauet Dionyſ. Carthuſ. hunc locum Apoſtoli exponens cum ait; *Quamuis etiam tria nomina hic expreſſa, videlicet ſpiritus, Dominus, Deus, vnicuique diuinæ perſonæ conueniant, propriè tamen per ſpiritum accipitur Spiritus ſanctus, per Dominum filius, per Deum pater.* Hæc Dion. Et reuera verbis Apoſtoli inhærens D. Hilarius lib. 8. de Trin. nempe, *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptiſma: vnus Deus & pater omnium, qui eſt ſuper omnes*, &c. Epheſ. 4. Per Dominum, filium intelligit; per Deum, Patrem ſignari intendit,

1. ad Cor. 12.

Spiritus pro tribus perſonis ſumitur.

Dionyſ. Carth.

S. Hilarius.

A *vnum Deum*, inquit Hilarius, *ſub proprietatis ſignificatione confeſſus eſt dicens ita: Vnus Deus pater ex quo omnia & nos in ipſo, vt qui Deus eſt & pater crederetur. De hinc quia in vnum Deum patrem credere non profiteret ad ſalutem ſubiectis, & vnus Dominus noſter, Ieſus Chriſtus per quem omnia & nos per ipſum, ſynceritatem fidei ſalutaris in vnius Dei & vnius Domini prædicatione demonſtrans, vt nobis & vnus Deus Pater, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus in fide eſſent.* Nec ab hoc ſenſu alienus eſt. D. Chryſoſt. in 1. Cor. 12. Hom. 29. *Vides*, inquit, *quod nullam oſtendit differentiam in dono Patris & Filij & Spiritus ſancti, non hypoſtaſes ſeu perſonas confundens, abſit, ſed eſſentiæ oſtendens parem in honore æqualitatem. Nam quod gratificatur ſpiritus hoc & Deum operari, hoc & filium conſtituere dicit & præbere.* S. Chryſoſt.

B Hæc Chryſoſt. Quod autem in his verbis Apoſtoli. *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult*, poſſumus intelligere ipſas diuinas perſonas ad modum vnius principij ad extra operantis ſcilicet Dionyſ. Carthuſ. Et D. Chryſoſt. de Spiritu ſancti perſona præcisè hunc locum interpretantur. Fauet D. Hilarius lib. 8. de Trinit. cum hæc verba ponderans, ait: *Num igitur quæro quis hæc ſpiritus operetur dividens vnicuique prout velit? Vtrum Ieſus Chriſtus Deus, an ſpiritus per quem & in quo donorum diuiſio eſt? Quod ſi non id ipſum ſignificatum eſſe loqui aliquis audebit contra Apoſtolum, ait enim, ſuperius, & diuiſiones operationum ſunt, idem autem Deus qui operatur omnia in omnibus, alius eſt ergo qui diuidit &* C *alius eſt in quo indubia diuiſio eſt. Et intelligo operantem hæc omnia ſemper Deum, ita tamen vt Chriſtus operetur, vt paterno opere operans filius fungatur, & ſi in Spiritu ſancto Ieſum Dominum confiteris intellige tripartitæ ſignificationis in Apoſtolo virtutem, cum in diuiſionibus donorum idem ſpiritus eſt, & in diuiſionibus miniſteriorum idem Dominus eſt, & in diuiſionibus operationum idem Deus eſt. Et rurſum omnia inoperans vnus ſpiritus vnicuique ſicut vult dividens. Et apprehende ſi potes Dominum in diuiſione miniſteriorũ, & Deum in diuiſione operationum, hunc eundemque vnum eſſe ſpiritum & hæc imperantem & prout vult dividentem, quia in diuiſionibus donorum vnus eſt ſpiritus, & idem ſpiritus operatur ac dividit.* S. Hilarius 8. de Trinitate.

D Hæc Hilarius. Ex quo infero quod licet Spiritus ſancti perſona prima occurrat ſpeculãda, tamen quia de effectu ad extra fit mentio in operatione ac diuerſione donorum, non malè vt puto patrem & filium quorum eſt ſpiritus & quorum cum ipſo eſt vna agendi voluntas ac virtus intelligi poſſe dicimus. Vnum ſiquidem & eundem ſpiritum habere Patrem & filium docet D. Hilarius 8. de Trinitat. cum ait. *Et cum per naturam Dei natura ipſa habitet in nobis, indifferens naturæ filij eſſe credetur à Patre, cum Spiritus ſanctus qui & ſpiritus Chriſti & ſpiritus Dei eſt naturæ demonſtratur vnius*, Et poſtea, *ſed ſacramentum Apoſtolus tenens quod eſt, ego & Pater vnum ſumus, dum vtrumque vnum profertur vnum vtrumque ſic ſignificat, non ad ſolitudinem ſingularis, ſed ad ſpiritus vnitatem: quia vnus Deus* E *Pater, & vnus Chriſtus Dominus, cum vtroque & Dominus & Deus ſit.* Hæc Hilarius. Et cum addit Apoſtolus, *Dividens ſingulis prout vult*, In illo actu voluntatis ſignatur Spiritus ſanctus, cum nihil intelligamus Deum velle ad extra producere niſi præſuppoſita iam perſone Spiritus ſancti proceſſione. Vnus ſit igitur in patre ſpiritus ſeu natura ſpiritualis, idem ſit ſpiritus in filio per generationem talis naturæ factus particeps, iam ille vnus in Patre idem in Filio Spiritus vult, cum ex Patre & Filio Spiritus ſanctus cenſetur perductus prout vult diuidit, cum ad extra & Pater & Filius & Spiritus ſanctus pro bona voluntate ſua operantur. *Vnus enim*, inquit D. Aug. lib. 5. de Trinit. c. 20. *eſt Spiritus Dei, ſpiritus Patris & Filij Spiritus ſanctus qui operatur omnia in omnibus.* Ita

S. Hilarius 8. de Trinitate

S. Auguſt. l. 5. de Trin. c. 20.

Hilarius. Aug. *Omnia enim quæcunque voluit Dominus fecit in cælo & in terrâ. Aut ſi diſplicet*, vt ait rurſus Hilarius ibidem, *in Deo & in Domino Ihus hic eiuſdē per naturalis ſacramentiū & diuinitatis ſpiritus, oſtende quis ſpiritus & in quo ſpiritu has nobis diuiſiones & operetur & diuidat.* Hæc ille. Hæc eſt illa ſumma Dei virtus quæ omnia produxit potentia ſua, producta gubernat ſapientia, conſeruat bonitate infinita, & amore ſuo illa complectens tum per ſeipſum in eis immediatè operando tum per media conuenientia & idonea inſtrumenta, ad finem præſcriptum ea potenter & fœliciter perducit. Hæc eſt illa vis diuina totum ſpiritalem corporalemque adminiſtrans creaturam S. Auguſt. l. 3. de Trinit. vt ait D. Aug. 3. de Trinit. c. 5. quæ ad nutum inuiſitatâ aliquando celeritate naturas rerum immutat, vt cum vinum in aquam conuertit; quæ ex occultâ B ſede altiſſimi imperij ſui, & ex intimo ac ſummo cauſarum ordine condit & adminiſtrat creaturam; intelligibilis & incommutabilis vita, in cuius ſumma ſapientia incommutabiliter viuunt rerum & euentuum omnium congruentiæ, à qua omnia & initium & progreſſum & finem obtinent, licèt in hac ſumma eſſentia, nec oritur nec moritur aliquid, nec incipit eſſe nec deſinit, vt ait Auguſt. 3. de Trinit. Aug. ep. 102. c. 9. *Hæc licet vnica ſit, multiplex tamen dicitur, quoniam*, inquit ipſe Epiſtola 102, *multa ſunt quæ habet, ſimplex autem, quia non aliud quam quod habet eſt.* Addit Ambroſ. Ambroſ. in ſymbolo c. 7. *Nec in aliquid eorum quæ operatur ipſa mutatur.* At multiplex, ratione effectus multiplicis & diuerſorum donorum quæ impertitur, mediorum quibus vtitur, vt creaturam à ſe conditam regat & ad finem præſcriptum deducat. Hinc per Per ſpiritum Dei multa intelliguntur. 7. ſpiritus Dei, multi multa intellexere, ſiuè dona Spiritus ſancti, ſiuè Angelos vel vniuerſos vel præcipuos & aliorum Principes, vel etiam 7. Angelos præſides 7. Eccleſiarum ad quas ſcribit hic D. Ioannes.

Quod diuina Trinitatis virtus mundum gubernans, variis vtatur inſtrumentis, diuerſoſque producat effectus optimè per 7. Spiritus Dei deſignatos, & per 7. lampades conuenienter adumbratos.

Punctum 5.

Angelorum ad regimen Eccleſiæ deſtinatorum D vigilem cuſtodiam, Paſtorum quos poſuit Spiritus ſanctus regere Eccleſiam Dei attentam & indefeſſam ſollicitudinem; miniſtrantium ſacris fideles obſequium, gratiæ (cuilibet ſacramento propriæ) auxilium; virtutum infuſarum per quas ad Dei cultum & ad proximi ædificationem rectè ordinantur ornamentum; Spiritus ſancti plenitudinem quæ per 7. eius dona tribuitur; ſeptem denique diuinæ prouidentiæ virtutes per 7. ſpiritus Dei & 7. lampades deſignari pronuncio. Hic meminiſſe oportet tertiæ & quartæ regulæ quas in prologo poſuimus, quibus dicimus idem ſymbolum plures pati poſſe explicationes, & ſic mirum non erit ſi tot tantaque per 7. ſpiritus Dei & 7. lampades ſignificari E pronunciamus.

Quænam per ſpiritus Dei & 7. lampades intelligenda veniunt.

1. *Interpretatio de Angelis.*

Dico igitur primò Angelos, quibus commiſſa eſt cura hominum & præſertim Eccleſiæ & fidelium, Andr. Cæſar. hic ſignificari. Docet Andreas Cæſarienſ. cum ait, *Per 7. hos ſpiritus 7. Angelos cæteris præſtantiores cum Ireneo accipere oportere.* Cui aſſentiuntur multi alij auctores: Spiritus quippe Dei dicuntur Angeli vt 3. Reg. 18. 3. Reg. 18. *Aſportabit te Spiritus Domini*, inquiebat Abdias Eliæ Prophetæ, quod de Angelo dici probabile eſt, qui eum aſportaturus eſſet veluti is qui Habacuc aſportauit ad Lacum Leonum, Danieli prandium, meſſoribus ſuis paratum miniſtraturum. Nec mirum ſi Angeli cum ſint ſpiritus, Spiritus Domini nuncupentur cum eius vices gerant aut rerum gubernatori Deo omnium moderatori inſeruiant: Elohim enim aut etiam Iehoua dici aliquando docet ex Athanaſ. & Olympiodoro Pineda in 1. Iob. Pineda. verſ. 6. Qui igitur Dei & Domini nomen induunt, ritè Spiritus Dei aut Spiritus Domini potiori ratione dici poſſunt. Plura vide apud Cornelium, qui Cornel. fusè hanc interpretationem proſequitur in 1. cap. Apoc. ac perſpicies optime eos poſſe dici idonea inſtrumenta quibus Deus vtitur, vt opus gubernationis rerum ac potiſſimū Eccleſiæ perficiat. Per lampades autem adumbrari hos ſpiritus conuenienter Angeli per lampades adumbrantur dicimus: eorum ſententiæ adhærentes qui per 4. animalia Ezechielis, quorum aſpectus dicitur c. 1. *Quaſi* Ezech. 1. *aſpectus lampadarum*, Angelos diuinæ prouidentiæ miniſtros denotari volunt. Etenim ſicuti lampades longè lateque lumen ſuum ſpargunt, vt ex D. Greg. poſtea dicemus, ita Angeli vndequaque radios ſui luminis diſpergunt; & ſicut lampadis fulgor citiſſimè oculos percellit, ita motus illorum ſpirituum velociſſimus eſt. *Omnis ſpiritus ales eſt*, in- Tertull. quit Tertul. in Apoc. c. 22. *hoc Angeli & dæmones: igitur momento vbique ſunt. Totus orbis iſtis locus vnus eſt: quid vbique geratur tam facile ſciunt quam enunciant velociter: diuinitas creditur, quia ſubſtantia ignoratur.* Hæc ille. 3. Lampades dicuntur, quia Dei naturam quantum creaturæ fas eſt optimè repræſentant, & ad eius naturæ ſimplicitatem propius C accedunt. Sicut ignis non habet anteriora & poſteriora, aut intus & foris, idem enim eſt quocumque lumen ſuum diffundat, ita Angelus nec poſteriora aut anteriora habet, aut intus & foris, Angeli Dei naturam repræſentant. Deo quoad fieri poteſt non abſimilis: de quo Aug. S. Auguſt. in quæſtionibus ex vtroque mixtim q. 122. *Cum vbique Deus naturâ ſit ſimplex qui non intus habeat & foris, neque ante & poſt, aut ſummum & imum, ſed ſi poteſt dici totus per omnia, id eſt, nuſquam varius vel abſimilis, vna autem claritas eius eſt immenſa. Nam ſi ignis non habet anteriora & poſteriora, aut intus & foris quanto magis creator eius?* Hæc Auguſt. Simili modo de Angeli natura proportionaliter & analogicè philoſophari licet. Denique quia ex eis non ſolum lumen diffunditur quo Eccleſia illuſtretur, ſed etiam quia diuinæ charitatis ſunt incenſores, & nos ad Dei amorem quantum poſſunt promoueant ac inflamment, optimè D. Bern. de Cherubinis ac Seraphinis loquens lib. 5. de conſiderat. c. 4. ait: *Putemus Cherubim ex ipſo ſapientiæ fonte ex ore altiſſimi hau-* S. Bernard. *rientes, & refundentes fluenta ſcientiæ, vniuerſis ciuibus ſuis. Et vide ne is ſit quem Propheta loquebatur, flumînis impetus lætificans ciuitatem Dei. Putemus Seraphim Spiritus totos diuino igne ſuccenſos ſuccendere vniuerſa, vt ſinguli eiues ſingulæ ſint lucerna ardentes & lucentes, ardentes charitate lucentes cognitione.* Hæc Bern. Quo facile vides Angelos ritè dici lampades, cum lampas & ardeat calore & luceat claritate. His Deus vt idoneis inſtrumentis vtitur vt mundum & ſpecialius Eccleſiam ſuam gubernet docente Aug. lib. 3. de Trinit. c. 9. de cæleſti patria loquens. *Illic enim*, inquit, *Dei voluntas qui facit Angelos ſuos ſpiritus & miniſtros ſuos ignem vrentem, in ſpiritibus ſumma pace atque amicitia copulatis, & in vnam voluntatem quodam ſpiritali charitatis igne conflatis, tanquam in excelſa & ſancta & ſecreta ſede præſidens velut in domo ſua & in templo ſuo, inde ſe quibuſdam ordinatiſſimis creaturæ motibus primò ſpiritalibus deinde corporalibus per cuncta diffundit, & vtitur omnibus ad incommutabile arbitrium ſententiæ ſuæ, ſiue corporeis ſiue incorporeis rebus, ſiue rationabilibus, ſiue irrationabilibus.* Hæc ille. Et hæc de hac expoſitione dicta ſufficiant.

Digitized by Google

2. *Interpretatio de Epiſcopis.*

Dico 1. Paſtorum ſeu Epiſcoporum indefeſſam ſollicitudinem quam exercere debent pro collata ſibi poteſtate & iuriſdictione in ſubditos, & quæ competit cunctis animarum curam gerentibus, pro rata portione poteſtatis ſibi collatę hic deſignari per ſpiritus Dei & per lampades adumbrari. Illa ſiquidem poteſtas quâ per actiones quaſdam ſacras ſubditos ad mandatorum obſeruationem & Dei ſimilitudinem adducunt, omnino ſpiritalis eſt, & omnipotentiæ illius, cuius ſpiritu totum Eccleſiæ corpus gubernatur & regitur præclarus effectus. Tam nubilis cauſæ imaginem præferens ritè potentiſſimus Dei ſpiritus dicitur. Nam quamuis vt rectè docet D. Dionyſ. c. 1. de diuinis nominibus, non ſit perfecta inter effectus & cauſas ſimilitudo, effectus tamen vt ipſe ait cauſarum quas poſſunt præferunt imagines, quo fit vt non abſque ratione ſimilitudines nomen cauſæ, inſtrumenta & effectus ſibi concilient. Inſuper Deus ignis conſumens eſt, & in linguis igneis Spiritu ſanctus apparuit. Itaque conuenienter hæc Paſtorum ſollicitudo auctoritas ſeu poteſtas ſpiritus Dei dicitur, & per lampades adumbratur. Spiritum dici oſtendo ex 1. Cor. 5. vbi Apoſtolus Paulus de eâ qua premebatur ſollicitudine omnium Eccleſiarum, autoritate quâ pollebat iudicia exercendi & ſententiam pronunciandi de actibus fidelium, poteſtate coercendi & puniendi peruicaces loquens ait: *Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudicaui vt præſens eum qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti congregatis vobis & meo ſpiritu cum virtute Domini noſtri Ieſu, tradere huiuſmodi Satanæ, &c. Præſens ſpiritu*, ait Dionyſ. Carthuſianus, *id eſt, conſideratione & animi ſollicitudine. Præſens ſpiritu*, id eſt, ait D. Ambroſ. *abſens facie, præſens autem auctoritate ſpiritus.* Hac phraſi vtitur Apoſtolus, ait Cornel. à Lap. *Vt ſignificet hanc poteſtatem & ſpiritum Eccleſiæ eſſe datum, & ſe ac Prælatos nomine Eccleſiæ illa poteſtate fungi eamque exercere.* Igitur poteſtas hæc rectè ſpiritus dicitur; Spiritus autem Dei, quia omnis poteſtas à Deo eſt: quam quidem accipiunt quibus per Apoſtolum dicitur: *Attendite vobis & vniuerſo Gregi in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Act. 20. Quæ cum ad duos effectus, manſuetudinis aut ſeueritatis, extendatur, optimè D. Paulus dicebat 1. Cor 4. *Non enim in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute. Quid vultis? In virgâ veniam ad vos, an in charitate & ſpiritu manſuetudinis?* Vt illius poteſtatis quam per vocabulum ſpiritus poſtea c. 5. ſignificat, duplicem eſſe effectum doceat. De qua poteſtate quæ in Chriſto eſt excellenter & eminenter, & ab eo Eccleſiæ collata eſt illud Hierem. c. 1. intelligo: *Ecce ego conſtitui te hodie ſuper gentes & ſuper Regna, vt euellas & deſtruas, & diſperdas & diſſipes & plantes*, Quin etiam illud quod immediatè dicitur, *Et factum eſt verbum Domini ad me dicens. Quid tu vides Hieremia? Et dixi, Virgam vigilantem ego video. Et dixit Dominus ad me: Bene vidiſti quia vigilabo ego ſuper verbum meum vt faciam illud.* Per Prælatos enim Eccleſiæ Chriſtus deſtruit mala vt ædificet bona, eradicat peſſima vt plantet optima, & ſpiritu oris ſui (quem primo habere gloriabatur optimo iure Apoſtolus: *Puto autem quod & ſpiritum Dei habeam.* 1. Cor. 7.) Tandem diſperdet omnem poteſtatem aduerſum Deum extollentem ſe, *Illam autem*, inquit D. Hieron. in 1. c. Hierem. *quam conſumet Ieſus ſpiritu oris ſui. & deſtruet aduentu præſentiæ ſuæ, omnem ſcilicet ſacrilegam pernerſamque doctrinam in perpetuum diſperdet. Porro ea quæ eleuantur contra ſcientiam Dei, &*

in ſua confidunt ſapientia quæ apud Deum ſtultitia eſt, diſſipabit atque deponet, vt pro his ædificentur humiles, & in locum ſupernorum quæ deſtructa ſunt & euulſa extruantur atque plantentur quæ Eccleſiaſtica conueniunt veritati, & impleatur illud quod dicit Apoſtolus, Dei ædificatio eſt Dei agricultura. Multi hunc locum ſuper perſona Chriſti intelligunt: Hieremias enim interpretatur, excelſus Domini, qui deſtruxit regna diabuli, quæ ſibi in montis oſtenderat excelſo, aduerſarias perdidit poteſtates, delens chirographum eorum in cruce, de quibus & in pſalmis poſt hiſtoriæ veritatem τροπικῶς loquitur: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt Reges terræ & principes conuenerunt in vnum. Pro his euulſis, deſtructis & perditis & in inferiora detractis, ædificatur & plantatur Eccleſia Dei. Huc vſque Hieronymus. Siue igitur Eccleſiæ authoritatem & poteſtatem in ſupremo capite conſideremus, ſiue ea in Cardinalibus, Patriarchis ſeu Primatibus, Archiepiſcopis ſeu Archidiaconis aut Abbatibus minoribuſue Prælatis aut Curatis ſeu Parochis contemplemur, eam per hos Dei Spiritus deſignari dicimus. Hos enim omnes Deus poſuit vt regant Eccleſiam ſuam, & per ſacras actiones ad ſui ſimilitudinem adducant. Qui quidem hac poteſtate vtentes rectè per Lampades adumbrantur. Huic aſſertioni fauet Diuus Cyrillus Alexand. in hæc verba Zachariæ c. 4. *Et dixit ad me: Quid tu vides? Et dixi: Vidi & ecce Candelabrum aureum totum & lampades eius ſuper caput ipſius & 7. lucernæ: Super illud aureum* (inquit Cyrillus) *quippe candelabrum rurſum Eccleſiam interpretamur, vt pote honorabilem mundo, tanquam virtutibus illuſtriſſimam ac ſplendidiſſimam, vt ſublime admodum eleuatum veræ cognitionis diuinæ dogmatibus: ſuper quæ lampas eſt, nempe Chriſtus de quo Deus & Pater: Propter Sion non tacebo & propter Hieruſolem non quieſcam, donec egrediatur vt lumen iuſtitia mea, & ſaluatæ meum vt lampas accendatur. Hanc lampadem vniuerſum orbem illuminantem ſuper candelabrum Deus & Pater poſuit, vt omnes qui ingrediuntur lumen videant, & luceat omnibus qui in domo ſunt. Septem autem ſunt lucernæ non habentes lumen proprium ſed inductum & externum, & olei effuſione nutritum, quæ & ipſos ſanctos Apoſtoles referunt & Euangeliſtas, inſuper eos (qui ſingulis temporibus extiterunt) Eccleſiarum Magiſtros, qui illuminationem à Chriſto in animis & cordibus ſuis ſuſceperunt, quibus Spiritus ſanctus alimenta ſuppeditauit, qui domeſticis lumen præbent & credentes vna cum lampade illuminant.* Hæc Cyrillus. Dicuntur hæ lampades ante thronum. Rationem ex Cyrillo reddere poſſumus cum ibidem ait, *Ne ignores porro etiam in ſtructurâ ſancti tabernaculi poſitum fuiſſe in ſancta ſanctorum candelabrum aureum 7. lucernas ſuſtinens. Mandauit enim Deus in hunc modum: Verſus faciem candelabri ex parte auſtrali lucebunt 7. lucernæ. Non enim iis qui à tergo candelabri ſunt illuminatio per lucernas data eſt, ſed iis qui quaſi faciem Chriſti per fidem recipiunt. Quare Iudæi retro ipſum & in tergo poſiti tenebris obſcuratum habent cor. Qui autem ex Gentibus crediderunt in facie habent lucernas; quibus liberè & ſine vllo impedimento per ſancta contigit illuminatio. Ardebat autem & lucerna vna in aditu tabernaculi, quâ re ſignificabatur legalem inſtitutionem Euangelicæ retroiſſe: Vide enim quo paſto quibus in principio tabernaculi vna lucerna ardeat, in ſancta Sanctorum ingreſſos 7. lucernæ & lampas largiſſimo quaſi ſplendore perfundebant.* Ita Cyrillus. Quia igitur Eccleſiæ Paſtores reuelata facie gloriam Domini ſpeculantur vt docet Paulus 1. Cor. 3. & in eandem imaginem transformantur, *à claritate in claritatem tanquam à Domini Spiritu.* Quoniam vt ipſe ait c. 4. *Deus qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Chriſti Ieſu.* Ideo non dicuntur à tergo Throni ſed ante Thro-

S. Dion. c. 2. de div. nom.

Effectus cauſarum imagines.

1. ad Cor. 5.

Dion. Carth.

Ambroſius.

Cornelius.

Act. 20.

1. Cor. 4.

Hieremi. 1.

1. ad Cor. 7.

S. Hieron.

Lampades. Cyrillus Alexandrin. in 4. Zachar.

1. ad Cor. 3.

Digitized by Google

num positi, vt radios faciei Christi & Dei in Throno sedentis excipiant, quibus irradiantur & ad Dei amorem inflammentur: ac sic potestatem sibi traditam prosperè exercere valeant, illius auxilio freti cuius faciem semper ob oculos habent, dicentes cum Psalmistà: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commovear.* Vtinam Deus tales lampades Ecclesiæ suæ abundè suppeditet, quales describit D. Greg. l. 1. in Ezech. c. 5. *Quia*, inquit, *sancti viri, quosdam iuxta se positos quasi tangendo ad amorem patriæ cœlestis accendunt, Carbones sunt; quia vero quibusdam longè positis lucent, ne in peccati sui tenebras corruant, lampades fiunt. Hoc vero inter carbones & lampades distat, quod carbones ardent quidem, sed eius loci in quo iacuerint tenebras non expellunt. Lampades autem quia magno flammarum lumine resplendent, diffusas circumquaque tenebras effugant. Qua ex re notandum est quia sunt plerique Sanctorum ita simplices & occulti, seseque in locis minoribus sub magno silentio contegentes, vt vix eorum vita ab aliis possit agnosci. Quid itaque isti nisi carbones sunt? Qui etsi per fervorem spiritus ardorem habent, tamen exempli flammam non habent, nec in alienis cordibus tenebras peccatorum vincunt, quia vitam suam omnino sciri refugiunt. Semetipsis quidem sunt accensi, sed aliis in exemplo luminis non sunt. Hi autem qui & exempla virtutum præbent, & lumen boni operis per vitam & verbum erruntibus demonstrant, iure lampades appellantur; quia & per ardorem desiderij & per flammam verbi à cordibus peccatoribus erroris tenebras expellunt. Qui igitur in occulto bene vivit, sed alieno profectui non proficit, carbo est. Qui verò in imitatione sanctitatis positus, lumen ex se rectitudinis multis demonstrat, lampas est, quia & sibi ardet & aliis lucet.* Hæc Greg. Intelligis optime Lector ex Greg. quâ ratione Pastores Ecclesiæ lampadibus significentur, nempe vt sciant sibi ardendum & aliis lucendum. Adde & ad modum lampadis aliis prælucendo seipsos consumere, sicut ille qui dicebat: *Quis infirmatur & ego non infirmor? Quis scandalisatur & ego non vror?* 2. Cor. 11. Ex dictis patet non absque ratione quosdam apud Cornelium in c. 1. proprie accepisse per illos 7. Spiritus 7. Angelos præsides 7. Ecclesiarum, ad quas scribit hic Ioannes. Nec obstat quod gratia & pax ab illis 7. Spiritibus exoptet S. Ioannes: *Gratia*, inquit, *vobis & pax ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à 7. Spiritibus qui in conspectu Throni eius sunt*, quasi absurdum sit vt gratia exoptetur iis præcipuis Ecclesiæ membris, ab aliqua re quæ eis insit, vel à seipsis: Etenim cum hæc eorum potestas spiritualis ad bonum Ecclesiæ ordinetur, optimè desiderat S. Ioannes vt tanta gratia Ecclesiæ in Prælatis data ad eius ædificationem cedat, & ne tam excellenti præditi potestate ipsimet Prælati eâ indigni reperiantur. Quasi dicat: Spiritus sanctus qui ornavit cœlos stellis præfulgidis, ornaturus est Ecclesiam splendidissimâ quadam potestate, in omnibus qui eam regere debent proportionaliter effusâ. Hanc exopto Ecclesiæ & fidelibus vtilem, & ipsismet Prælatis proficuam, ne cum aliorum saluti invigilabunt assiduè, animæ suæ aliquod patiantur detrimentum: vel ne tantam gratiam sub modio aut in sudario reponant inutilem, aut eadem aliqua ratione abutantur. Sint lampades, ardeant ei, luceant sibi, & aliis inserviant: quod cum egerint procul dubio gratia & pax Ecclesiis, ex tantâ potestate Prælatis collatâ à Spiritu sancto obvenient. Hæc igitur potestas Ecclesiæ spiritalis hic significatur septemplici lumine refulgens, sivè propter gradus diversos illius in Prælatis Maioribus & Minoribus effusos, (*Si quis enim omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet*, inquit sacrum Concil. Trid. sess. 25. c. 4. de Sacramento Ordinis, *nihil aliud facere videtur quam Ecclesiasticam Hierarchiam, quæ est vt castrorum acies ordinata, confundere*;) sive propter sanctissimas functiones quas Angeli septem Ecclesiarum sive Prælati exercere debent ad Dei cultum promovendum, quas ad septenarium reduco numerum, & fusè Deo dante à nobis enucleabuntur, in c. 16. Apocalypsis.

Ps. 15.

S. Gregor. in 1. Ezech.

A

Conc. Trid.

3. *Interpretatio de Ministris altaris.*

Dico 3. Ministrantium sacris fidele obsequium hic etiam exprimi. Septem autem sunt ordines Ministrantium sacris, quos sancta Synodus Trid. sess. 23. c. 2. de Sacramento ordinis ab ipso Ecclesiæ initio extitisse cognoscit & docet. Consentaneum quippe fuit vt cum divina res sit sancti sacerdotij ministerium, quo digniùs & majori cum veneratione exerceri posset, in Ecclesiæ ordinatissimâ dispositione plures & diversi essent Ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent. Hi autem sunt Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Exorcistæ, Lectores, Ostiarij: qui omnes peculiari ritu ad divini cultus ministerium destinantur, habentque propria ministeria: v. g. Ad Presbyterum pertinet sacramentum corporis & sanguinis Domini in altari Dei conficere, orationes dicere & benedicere populum. Ad Diaconum, vt baptismo & chrismate, Sacerdoti assistat; prædicet Euangelium, Christi corpus ministret absente Præsbytero. Prædicantem Episcopum etiam olim custodiebat. Subdiaconorum est sacrarum apparatus vasorum ad altaris ministerium, diligens eorum custodia. Sacerdotem ad altare accedentem præcedit librum clausum portans, Epistolam legit & alia habet munia in eius ordinatione contenta. Acolythorum est parare vrceolos, accendere & deferre cereos. Exorcistarum est Spiritus immundos ejicere, ad eos de corporibus obsessis eiiciendos vt appareat illa Ecclesiæ potestas calcandi super Aspidem & Basiliscum & conculcandi Leonem & Draconem, de qua Christus Luc. 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra Serpentes & super Scorpiones & super omnem virtutem inimici & nihil vobis nocebit.* Lectorum est lectiones sacras, id est, sacræ scripturæ codices, distinctè & apertè ad intelligentiam & ædificationem fidelium, absque omni mendacio falsitatis proferre; Panem & omnes nouos fructus benedicere; lectiones cantare. Ostiariorum denique est ad Basilicæ fores excubare, ne quis infidelis aut non baptisatus ingrediatur, certis horis domum Dei aperire fidelibus, semper infidelibus claudere. Quæ munia cum ex officio seu ex opere operato exercentur, requirunt in eis peculiarem Spiritus sancti præsentiam. Ideo rectè spiritus Dei dicuntur ratione finis, sunt enim operationes spirituales ad Dei cultum & sanctificationem animarum ordinatæ, sive obices repellendo (vt faciunt Ostiarij & Exorcistæ, qui visibiles & invisibiles inimicos à cœtu fidelium excludunt) sive dispositiones quasdam ingerendo (vt lectores qui nobis in memoriam revocant Scripturæ documenta, vel à quibus discimus quid dicat aut contineat codex divinarum litterarum. Acolythi à quibus monemur ad renovandum actum fidei, & monemur eam retinere quam in baptismo recipimus, cum vt hæc profiteamur candelam accensam in manibus à Sacerdote baptisati accipiunt. Subdiaconi ex quorum officiis movemur quanta reverentia debemus divina tractare, quàm attente debemus eis adesse & orationibus insistere;) sive aliquam formam sanctificationis introducendo, vt Diaconi cum admonitionibus,

B

C

D

E

2. ad Cor. 11.

Digitized by Google

monitionibus ſacris diſponunt ad Sacramentorum receptionem, vt loquitur D. Tho. 3. p. q. 64. a. 1. ad 1. Aut corpus Domini adminiſtrant, & potiſſimum ſacerdotes cum eadem munia exequuntur, aut cum Sacrificiorum & precum interuentu gratiam impetrant, aut eam benedictionibus ſuis, videlicet à peccatis abſoluendo, impertiuntur. Quod autem hæc munia ſeu officia, quæ à quolibet eorum exerceri habent, & Spiritus Dei dici & per lampades optimè adumbrari queant oſtendo.

S. Thomas.

Hæc miniſtrantium officia recte per Spiritus Dei declarantur & per Lampades adumbrantur.

1. Quia nullus ad hos ordines promoueri deberet, qui non à Spiritu ſancto ad hoc munus vocaretur. *Nec quiſquam*, inquit Apoſtolus, *ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Hebr. 5. Docet hoc D. Chryſoſt. Hom. 5. in 1. Timoth. 1. cum ait: *Doctoris ſacerdotiſque dignitas magna eſt atque mirabilis, & quæ reuera diuina ſententia comprobanda ſit, vt quis ea dignus adducatur in medium. Ita & pridem fiebat. Ita nunc quoque fit, quoties abſque humana paſſione huiuſmodi electiones celebramus: cum nihil omnino ſæculare, nihil temporale intuentes, neque ad gratiam, neque ad odium facimus. Nam etſi tanta nobis Spiritus plenitudo non adeſt, ſufficit voluntas optima vel ſola Deum vt ordinationi noſtræ concurrat attrahere. Quippe ne Apoſtoli quidem tunc Spiritus gratiam adepti erant cum Mathiam elegerunt, ſed orationi negotium committentes ipſum Apoſtolorum munero adiecerunt. Neque enim humanæ amicitiæ gratiam intuebantur. Ita nobis quoque faciendum eſt. Enimuero vbi ea quæ certa ſunt omnibuſque manifeſta negligimus, quo pacto nobis Deus reuelabit incerta? Si in modico, inquit, fideles non fuiſtis, quod magnum & verum eſt quis dabit vobis. Tunc autem quia nihil fiebat humanum, Sacerdotes etiam ex prophetia veniebant. Quid eſt ex prophetia? Ex Spiritu ſancto. Quippe munus eſt prophetia non modo futura prædicere, verum & præſentia dicere.* Hæc Chryſoſt. Nec dicas hoc rectè dici de iis qui ad ſacerdotale munus euehuntur: etiam qui ad minores ordines ſeliguntur debent eodem Spiritus ſancti inſtinctu ad tale munus ordinari. Docet hoc & ſanctus Cyprianus cum de Aurelio illuſtri adoleſcente loquens, qui bonam confeſſionem confeſſus coram multis teſtibus, vt loquitur Apoſtolus 1. Timoth. 6. bis confeſſus & bis confeſſionis ſuæ victoria glorioſus, ab cofuerat in lectorem electus, ait: *Ita & dignitate exeſſus eſt, & humilitate ſubmiſſus. Vt appareat illum dimiſſum reſeruatum qui ad Eccleſiaſticam diſciplinam cæteris eſſet exemplo. Quomodo ſerui Dei in confeſſione virtutibus vincerent, poſt confeſſionem moribus emineren.* Et poſtea. *Hunc igitur, fratres dilectiſſimi, à me & à Collegis qui præſentes aderant ordinatum ſciatis, quod vos ſcio & libenter amplecti, & optare tales in Eccleſia noſtra quam plurimos ordinari.* Ita Cyprian. Epiſt. 33. Et Epiſt. 24. docet, *Communi conſilio & lectos & hypodiaconos ordinari debere & examinari, an congruerent illis omnia quæ eſſe debent in his qui ad clerum parabantur.* Quod iam perſpicuè eadem Epiſt. 3. docuerat. *In ordinationibus clericis*, inquit Epiſtola 33. *fratres chariſſimi, ſolemus vos ante conſulere, & mores ac merita ſingulorum communi conſilio ponderare. Sed expectanda non ſunt teſtimonia humana, cum præſtent diuina ſuffragia.* In prædicto videlicet Aureo, ſatis iudicatis nullum promiſcuè & facile eſſe promouendum ad minores ordines, cum exopte diuina in omnibus ſicut in iſto Aurelio præcedere ſuffragia.

S. Cyprianus de Aurelio.

2. Cum in omnibus his ordinibus recipitur poteſtas ſeu character ſpiritalis & indelebilis ad ſuum cuiuſque peculiare munus obeundum (eſt ſquidem character veluti quædam potentia permanens, importat enim quandam potentiam ſpiritualem ordinatam ad ea quæ ſunt diuini cultus, ait D. Thom. 3. p. q. 63. a. 2.) optimè talis potentia Spiritus Dei dicitur, ex eo quod requirat quaſi continuam Spiritus ſancti præſentiam ad ſuam conſeruationem; & per talem potentiam Spiritus ſanctus ſpeciali ratione vniatur ordinato, itaut neque peccato deleri poſſit, neque iterato imprimi debeat. Hæc eſt illa vis verbi quæ ſacerdotem auguſtum & honorandum facit, nouitate benedictionis à communitate vulgi ſegregatum, vt ait D. Greg. Nyſſenus Orat. in baptiſmum Chriſti: quod proportionaliter de aliis inferioribus ordinibus dicendum (per omnes ſiquidem confertur poteſtas adminiſtrandi officia Eccleſiaſtica, qua Clericus tanquam ſigno quodam ſpirituali eoque indelebili à laicis diſtinguitur) *Cum enim*, vt proſequitur Greg. *heri ac tempore ſuperiori, vnus è multitudine ac plebe repente additur præceptor, præſes, Doctor pietatis, myſteriorum latentium præſul, & cum nihil vel corpore vel forma mutatus, ſed quod ad ſpeciem externam attinet, ille ſit, qui erat, inuiſibili quadam vi ac gratia inuiſibilem animam in melius transformatam gerens.* Hæc Gregor. Non ſolùm igitur qui ad ordines vocatur diuino inſtinctu debet promoueri, non humano impulſu, ſed etiam ob illam vim & gratiam ſpiritualem & inuiſibilem, talis poteſtas ordinatorum per ſpiritum Dei exprimi poteſt: quod eo libentius amplector quo certum eſt characterem habere rationem inſtrumenti, cuius talis eſt ratio vt ab alio non à ſeipſo moueatur. Tenet enim ſe character ex parte principalis agentis. Cum igitur hæc potentia ſit in manu Dei, vt ita dicam, tanquam inſtrumentum quod moueat, nonne optime Spiritus Dei dici poterit quod adeo mouetur, & in inſtrumentum ſuæ operationis aſſumatur? Tertiam addo rationem ex fine propter quem talis ordinato à Deo confertur poteſtas, nempe Dei cultum qui adorandus eſt in ſpiritu & veritate, & animarum ſanctificationem, ſiue obices & aduerſarios huius cultus ſeu ſanctitatis repellendo, vt Oſtiarij qui viſibiles, Exorciſtæ qui inuiſibiles aduerſarios expellunt; ſiue diſpoſitiones quaſdam ingerendo, vt lectores qui nobis in memoriam reuocant documenta ſcripturarum, Acholyti quibus monemur eam fidem retinere quam in baptiſmo profeſſi fuimus, candelam accenſam in manu geſtandam à Sacerdote baptiſante accipientes, in ſignum fidei quam profiteri incipimus; hypodiaconi ex quorum officiis monemur quanta puritate & reuerentiâ debemus diuina tractare, & quantâ cum attentione & deuotione miſſæ ſacrificio intereſſe oportet; ſiue ſo mam aliquam introducendo, vt Diaconi cum prædicationi incumbunt, vel ſacramentum corporis Chriſti abſente vel iuſſu Sacerdotis adminiſtrant, quo gratia confertur: multo magis Sacerdotes cum eadem munia prædicationis & adminiſtrationis eiuſdem ſacramenti exercent: quibus quidem officiis cum & Deus colatur & fideles ſanctitatem reciprant, mirum non eſt ſi per Spiritum Dei huius diuini cultus auctorem, & ſanctificationis cuiuſlibet internæ & externæ fontem cauſimque præcipuam, hæc munia deſignantur. Ad quem cultum promouendum & ad quam ſanctitatem inducendam quilibet ordo pro modulo ſuo cooperatur, ſed maximè ſacerdotalis ordo. Cumque Sacramenti Ordinis qui ad Sacramentum Euchariſtiæ ordinatur principalis actus, nempe conſecrare corpus & ſanguinem Chriſti Sacerdoti proprius ſit, ideo cæteris eminet & excellentiori modo Deum colit & fidelium ſanctificationi cooperatur. Quia igitur per ſanctificationem fideles adducit ad Dei ſimilitudinem, & ex carnalibus & terrenis eos ſpirituales & diuinos quodammodo reddit, ideò hi actus præclari per quos homines ſanctificantur Spiritus Dei dici poſſunt. Præclarè Elias Cretenſ. Comment. in Oration. 13

Gratia Miniſtrorum altarium ſpiritualis eſt.

S. Greg. Nyſſ.

S. Thomas.

Digitized by Google

D. Greg. Nazianz. hanc sanctificandi vim, & ad Dei similitudinem adducendi fideles, quam in Ordinis Sacramento inesse dicimus, explicat, hæc verba Greg. ponderans. *Quis est*, inquit, *qui veritatis propugnatorem vnius diculæ spatio velut è luto statuam fingit? Illum inquam, qui cum Angelis stabit, cum Archangelis glorificabit, ad supernum altare sacrificia transmittet: cum Christo sacerdotio fungetur, figmentum instaurabit, imaginem exhibebit superno mundo, opificem aget, & vt quod maius est dicam, Deus erit alioq; Deos efficiet.* Siquidem ponderat quod ait Greg. Sacerdotes cum Angelis stare, non alia profecto ratione quam per actionem & similitudinem ad eos. Etenim quæ hic in Ecclesiis celebrantur, eorum quæ in cœlis celebrantur, similitudines ac simulacra esse

S. Dionys. S. Dionysius censet, nostramque Hierarchiam post cœlestem Hierarchiam collocans comministram eam pronunciat, illiusq; pro Dei bonitate congruentes illuminationes excipere ait, &c. Et postquam ad similitudinem cœlestium nostram Hierarchiam diuidi optimè dixit in perficientes Pontifices, in illuminatos Præsbiteros, in purgantes Diaconos. Pontificem dicit esse cœlestium virtutum comministrum, huncque optime dici cum Angelis astare, non quidem loco sed affectione & imitatione; Dei cooperarium esse; Angelum Domini omnipotentis nuncupari; pro modulo suo Angelorum proprietati participare, sacrificia laudis ad altare supernum transmittendo; quin etiam ad Christi imitationem

Pontifex Angelorum proprietatibus participat. Christum etiã imitatur. sacerdotem sacrificare cum eo, apertum panem detegens, & in multas partes diuidens, atque quod in calice diuisionis expers est omnibus distribuens. Christus enim salutis nostræ causa *Sacrificauit*, inquit, *hoc est corpus suum immolauit. Huc imitatur sacerdos, nec id tantummodo*, inquit Elias Cretensis, *verùm etiam hominem Dei figmentum refingere, atque eis maiora per sacram & diuinam generationem efficere dicitur; qua fit vt imago ad exemplar suum recurrat, & vi qui initiantur cum diuino spiritu copulentur, atque ad perfectissimam (quantum ipsorum captus fert) exemplaris imitationem reducantur, & in superno mundo & Angelico vita statu reponantur: Pontifex enim Christo per baptismum indutus, sanctoque spiritu delibutus, ac per adoptionem Deus effectus, per spiritualem hanc regenerationem hominem procreat; procreat autem non simpliciter, sed superno modo, Angelum ex homine, atque vt quod maius est dicam, Deum reddens.* Hæc Elias. Cum igitur hi actus per quos ad sacramenti Ordinis dignitatem euecti, alios & spirituales & diuinos & Deos quodammodo efficiunt, quomodo spiritus Dei non dicerentur? Itaq; 7. hi ordines spiritus Dei dicentur, siue collatam eis potestatem spectes, siue finem quem intendunt per actus illius potestatis consideres. Optime enim Elias Cretensis ait, non esse alienum à fide si dicamus Pontificem (iam eadem dic de sacerdote qui in ordine Pontificis par est) & cum Archangelis Deum celebrare, & figmentum instaurare, & hominem ex homine Deum efficere, cum ipse prius per deitatis efficientes virtutes Deus extiterit: nec, vt postea asserit, esse expectandum vitam futuram vt cum Angelis stare dicantur, cum hic & nunc hanc dignitatem obtineant. At cum sanctè sancta tractari debeant, & necesse sit, vt recte D. Greg. Nazianz. ait

S. Greg. Naz. oratione prima *Purgari prius, deinde purgare, sapientiâ instrui atque ita demum alios sapientia instruere, lux fieri & alios illuminare, ad Deum appropinquare & ita alios adducere, sanctificari & postea sanctificare, cum manibus ducere, cum prudentia consilium dare*, Ita Greg. Vltimam accipe rationem cur & potestas & actus sacramenti ordinis per spiritus Dei exprimantur, nempe quia hominem spiritualem, diuinum & sanctum requirit, vt in conuenienti subiecto hæc potestas collocetur, & dignè ac laudabiliter, in actus prorumpat. *Viget velut in iuuentute Samuel*, ait D. Greg. Mag. lib. 4. in 1. Reg. 4. *per quem nouum Euangelij sacerdotium designatur, quando in ordine sacerdotum pariter refulget & mira virtus operis, & tam immensa pulchritudo sanctæ conuersationis.* Hæc Greg. *S. Greg. Mag.*

Optandum sane ne vnquam senescat, hoc est ne debilitetur, vt sint omnes altaribus ministrantes tanquam luminaria in mundo lucentia, vt sicut mira possint operari ad aliorum sanctificationem per inditam sibi potestatem, ita & sibi & aliis proficiant per propriam sanctitatem. Debent singuli pro sua cuiusq; dignitate cœlestibus inhiare desideriis nulla terrena quærere, alios verbis & exemplis ad superna accendere, denique cœlestis verbi ministerium in splendore ostendere sanctæ conuersationis. Sic spiritus Dei dicentur & erunt, cum in spiritu ambulantes desideria carnis non perficient, sed sicut sanctum est eorum ministerium & spiritualis eorum potestas, ita & vita & desideria eorum spiritum & sanctitatem omnimode redoleant.

Nunc quam optimè hæc per lampadum symbolum significentur perspiciamus. Primo, ob ignis actiuitatem. Cum enim omne sacrificium realem exigat alicuius rei immutationem, rectè actio Transubstantiationis per quam fit illa nobilissima panis in corpus Christi, & vini in eius sanguinem immutatio, per ignem repræsentabitur. Secundo, ob luminis claritatem, quæ illam Dei cuncta intuentis in discernendo perspicacitatem significat, & ita per lampades discimus hoc sacrificium Deo esse acceptissimum. Sic enim sæpius Deus per ignem quàm grata essent illi sacrificia quæ illi offerebantur declarauit: *Respexit Deus ad Abel & ad munera eius*, Gen. 6. Theodot. vertit: *Et inflammauit Dominus super Abel.* *Genes. 6.* *Placebit Domino*, Propherabat Malachias, *sacrificium Iudæ* (id est, Christi ex tribu Iuda oriundi) *Et Hierusalem* (quia in Hierusalem fuit immolatus) *Sicut dies seculi & anni antiqui*, c. 3. Respicit certe ad hoc sacrificium Abelis, quod Deo fuisse gratum ex igne cœlitus immisso manifestum fuit, docente S. Cy-

S. Cyprian. priano de Natiuitate Christi: *Abel*, inquit, *Pastor numeri degregibus ouium obtulit, quæ in eo quod cœlitus inflammari visa sunt, quod grata essent Deo cunctis innotuit.* Lege Cornelium in Genes. & Paez. in Cant. Ezech. annot. 3. textu 2. *Malach. 3.*

3. Lampades apparent vt meditemur quali cibo vescamur in sacramento altaris, ad cuius confectionem & consecrationem singuli ordines inseruiunt, nempe qui dignè sumentibus vitam & illuminationem tribit, qui impiè accedentibus, & curiosè tantum mysterium intelligere cupientibus, necem causat & tenebras offundit. *Scrutator*, quippe, *maiestatis opprimetur à gloria.* Primum effectum docet Sanctus

S. Ephrem. Ephrem de extremo iudicio & de compunctione Tom. 1. sic ait: *Illumina quoque cordis nostri oculos Domine, vt te diligamus, & cum desiderio tuas ingiter voluntates perficiamus: & licet procul à nobis sit Siloe, quo emeumissus erat, ealim tamen tremendi tui sanguinis lumine aduitâ plenus nobis ecce præsto est. Hoc nobis calice intelligentiam lumenque largire, vt cum fide & desiderio ac sanctificatione ad ipsum accedamus, sitque nobis in remissionem peccatorum, & non ad iudicium.* Hæc ibi. Et secundum docet Tom. 3. de natura Dei non curiosè scrutandâ: *Participa*, ait, *immaculatum corpus &* *S. Ephrem.* *sanguinem Domini tui fide plenissimâ, certus quod agnum istum integrè comedas. Ignis immortalis sunt mysteria Christi, caue ne temerè scruteris, ne in ipsorum participatione comburaris. Abraham Patriarcha Angelis cœlestibus terrenos cibos apposuit, illique eos comederunt. Ingens sane miraculum est cernere spiritus incorporeos in terra carnium cibos manducantes, sed hoc profectò omnem excedit admi-*

rationem, omnem mentem omnemque ſermonem, quod nobis fecit Vnigenitus filius Chriſtus Saluator noſter. Ignem quippe & ſpiritum manducandum atque bibendũ præſtitit nobis carne veſtitis, corpus videlicet ſuum ac ſanguinem. Ego ſanè fragilis, cum Chriſti ſacramenta intellectu meo non percipiam, ad vlteriora progredi non audeo, neque arcana illa ſacratiſſimaque myſteria rurſus attingere, &c. Vt ſcias igitur temerè tibi non eſſe accedendum ad hoc diuinum myſterium, ſcias illud eſſe ignem, totum eſſe flammeum, vt comburat irreuerenter accedentes. Quartò lampades apparent in conſpectu ſedis, vbi agnum videbimus occiſum, vt ſciamus hic adeſſe Angelorum choros qui interſunt huic ſacrificio; ſunt enim Angeli lampades ardentes de quibus dicitur, *Qui facis Angelos tuos Spiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem.* Quod autem adſint ſacrificio, docet hoc Nilus Epiſt. ad Anaſtaſium, de S. Ioanne Chryſoſt. loquens, vt refert Baron. ann. 407. Tom. 5. *Ioannes ſacerdos admirandus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, imo vero totius orbis ſplendor, vir animi perſpicacis, omni fere tempore videbat domum Domini refertam Angelorum cœtu, & tunc in primis cum diuinum & incruentum ſacrificium offerebatur: quo quidem tempore ſtupore & lætitia plenus rem præcipuis amicis ſpiritualibus priuatim enarrans. Cum cœpiſſet ſacerdos ſanctum ſacrificium ſeu oblationem facere, plurimæ ſtatim ex illis virtutibus è cœlo deſcendentes ſtolis indutæ ſplendidiſſimis, nudis pedibus intentis oculis pronæ, altari magno cum ſilentio & reuerentia quoad venerandum illud myſterium expletum fuit circumſteterunt, &c.* Optimè igitur D. Greg. Mag. lib. 4. Dialog. c. 58. ait: *Quis enim fidelium habere dubium poſſit in ipſa immolationis hora ad ſacerdotis vocem cœlos aperiri; in illo Ieſu Chriſti myſterio Angelorum choros aderſe; ſummis ima ſociari; terrena cœleſtibus iungi, vnum quoque ex viſibilibus atque inuiſibilibus fieri?* Ex his patet quâ de causâ lampades ſymbolum eſſe diximus poteſtatis quæ in ſacramento ordinis confertur, vel illorum actuum qui à ſingulis ordinibus in ordine ad conficiendum ſacro ſanctum altaris ſacramentum exerceatur: & aliquando ſupra caput ſacerdotis celebrantis Deus igneos globos voluit apparere, ſicut legimus in vita S. Yuonis Ordinis Pœnitentium S. Franciſci, quod rem diuinam quotidie tanto faciebat pietatis ardore, vt quodam die dum ſacroſancta myſteria adſtantibus ſpectanda & adoranda in ſublime tolleret, igneus quidam globus miri ſplendoris illa ambiens viſus fuerit. Et de S. Martino dicitur, *Dum ſacramenta offerret B. Martinus, globus igneus apparuit ſuper caput eius.* Hic globus nonne lampas erat ardens in conſpectu Throni, quem diximus tanti ſacramenti ſymbolum perfectiſſimum. Attende denique quantâ cum pietate ſemper ab antiquis temporibus ante altare lampades accenſæ à fidelibus reponantur.

Nilus de S. Chryſoſt. apud Baron.

S. Greg. Mag.

4. *Interpretatio de effectibus propriis ſacramentorum.*

S. Thomas.

Ordinantur, ait D. Thom. 3. p. q. 62. a. 2. *ſacramenta ad quoſdam ſpeciales effectus neceſſarios in vitâ Chriſtianâ: ſicut baptiſmus ordinatur ad quandam ſpiritualem regenerationem qua homo moritur vitiis & fit membrum Chriſti, qui quidem effectus eſt aliquid ſpeciale præter actus potentiarum animæ.* Et eadem eſt ratio in aliis ſacramentis, Et vt poſtea ait, *Gratia ſacramentalis addit ſuper gratiam communiter dictam, & ſuper virtutes & dona, quoddam diuinum auxilium ad conſequendum ſacramenti finem.* Ita ex D. Thom. præſuppoſito: Dico hos effectus ſpeciales ſacramentorum hic etiam deſignari. Sunt enim media quibus Deus opus Redemptionis noſtræ perficit, & nos ad debitum finem perducit, quo fit vt rectè ab iis effectibus gratia nobis & pax exoptetur, quippe qui valdè conducunt ad gratiam conſeruandam, & pacem animæ nunc & in futuro obtinendam, moriatur homo vitiis, fiat Chriſti membrum, cum hinc egredietur nonne Regni cœleſtis ianua ei aperitur qui eſt etiam effectus baptiſmi? D. Thom. q. 59. a. 7. Accipiat homo in confirmatione quaſi quandam perfectam ætatem ſpiritualis vitæ; & poteſtatem ad agendum ea quæ pertinent ad pugnam ſpiritualem contra hoſtes & perſecutores fidei; ac robur & plenitudinem Spiritus ſancti: nonne ei exhibebitur Regnum à Chriſto promiſſum iis qui fideliter decertabunt? *Qui vicerit*, inquit, *dabo ei coronam vitæ.* Sumat Euchariſtiam cuius ſumptione gratia in eo augeatur, & vita ſpiritualis perficiatur ad hoc quod homo in ſeipſo perfectus exiſtat per coniunctionem ad Deum. Nonne viuet in æternum? Nonne accipiet repromiſſionem æternæ hæreditatis, & immortalis & incorruptibilis euadet in ſocietate ſanctorum, vbi pax erit & vnitas plena & perfecta, ſicuti Chriſto & membris ſpecialiter vnitur, per ſumptionem huius ſacramenti? Aliquis peccauit mortaliter, recurrit ad ſacramentum Pœnitentiæ, peccatum confitetur, abſolutionem ab habente poteſtatem recipit: Nonne ſi verè pœnituit renouabitur ad vitam, & tolletur ab eo reatus pœnæ æternæ, vt tandem ſi in tali ſtatu obierit vitam æternam conſequatur? Infirmatur quis, inducit præsbiterum, vnctione extremâ inungitur, ſpiritualis infirmitatis ſanationem & medicationem exinde conſequitur: qua quidem ratione ſpes erigitur quæ ex memoriâ peccatorum interdum langueſcit, roboratur animus contra dolores ex morbo prouenientes, vt infirmus eos hilari vultu ferat, fortiter reſiſtit dæmoni tunc maximè inſidianti. Nonne abſterget Deus, ſi obierit, ab eo, omnem lacrymam ab oculis eius, & deducet eum Agnus ad vitæ fontes aquarum? Aliquis promouetur ad ordines & gratiam ſuſcipit, vt alia ſacramenta ritè ac debitè, prudenter ac fideliter aliis diſpenſet: Nonne ob prudentem & fidelem muneris ſui adminiſtrationem audiet: Euge ſerue bone & fidelis quia in pauca fuiſti fidelis ſupra multa te conſtituam? Aliquis tandem ſacramenti Matrimonij vinculis alligatus gratiam ſuſcepit ad illa operanda quæ in matrimonio requiruntur: Nonne ex repreſſione concupiſcentiæ & eius intrà limites rationis coercitione præmium tandem metetur? Ita eſt. Ex his itaque clarum eſt ſacramenta vim habere quoſdam producendi ſpeciales effectus, quibus vitam poſſumus obtinere æternam, & præmia pro fideli certamine à Deo recipere.

Hanc ſacramentorum virtutem ad inducendum aliquem ex ſupradictis ſacramentalem effectum, hoſque ſpeciales effectus dico per ſpiritus Dei exprimi, & per lampades optimè poſſe adumbrari. Vtrumque habeo ac probo ex D. Greg. Nyſſen. orat. in ſanctum Chriſti baptiſma de baptiſmo loquens. *Hoc autem*, inquit, *beneficium non aqua largitur (eſſet enim omni creatura ſublimior) ſed Dei præceptum, & ſpiritus qui myſticè ad noſtram libertatem venit acceſſus. Aqua vero ſubſeruit ad oſtendendam purgationem. Quoniam enim ſordibus & cœno ſædatum corpus aqua lauantes purum reddere ſolemus, propterea etiam in myſtica actione eam adhibemus vt ſub ſenſum cadenti incorporeum ſplendorem ſignificantes.* Hæc Greg. Si ſpiritus accedat vt huius regenerationis beneficiũ accipiatur, ſi myſticâ actione incorporeus ſplendor producatur: Nonne & ſpiritus Dei dici, & per lampades ſignificati rectè poterunt, & vis ſacramentorum & ſpeciales illorum effectus? Addit Greg. *Atque ideirco duplici coniunctaque cognata ſimiliaque medicamenta ad curationem deſtinata, atque attributa ſunt corpori quidem quod*

S. Gregorius Nyſſenus.

Digitized by Google

apparet aqua quæ sub sensum cadit, animæ vero quæ visum effugit spiritus qui non apparet, qui fide vocatur, qui ineffabiliter accedit: spiritus enim vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat aut quo vadat: Corpus quod baptizatur & aquam quæ baptizat benedicit. Hæc Gregor. Nyssen. De primo nempe Spiritus Dei nominati vim & effectus sacramentorum audi. sanctus Greg. Nazianz. orat. 39. *Baptizat quoque,* inquit, *Iesus, sed in spiritu, quod quidem perfectum numerisque omnibus absolutum baptismum reddit. Quid autem (vt obiter illum consyderem) potest afferri quin ille Deus non sit per quem tu Deus efficeris?* Hæc Greg. Nazianz. interprete Niceta. *Quod si spiritus homines perficit ac diuinitate efficit, quid afferri potest quin ipse Deus sit? Libet enim obiter hoc exercere & disputare. Cumque tu propter spiritum Deus sis, quo tandem modo spiritus à diuinitate alienus erit? At profecto diuinum spiritum & ex Deo & Deum esse necesse est, qui causa est cur ipsi Dei simus: quemadmodum id quod adurendi vim habet adustiuum esse oportet: & quod sanctitatis causam affert, sanctum esse necesse est.* Hæc Niceta. De secundo clarum est, cum Spiritus sanctus huius sacramentorum virtutis, & horum effectuum per ignem adumbrari adeo notum sit, vt superfluum videatur plura ad id probandum adducere. Id tantum dico nobis similia de aliis sacramentis à Baptismo philosophandum esse, cum & virtutis eorum & effectuum specialium idem Spiritus sanctus author sit, omnia enim adimplet & perficit quæ ad nostram sanctificationem pertinere aliquatenus possunt: quod D. Greg. Nyssen. prædicta orat. in baptismum Christi animaduertit cum ait: *Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Quomodo in nomen Patris? Quia principium est omnium rerum. Qua ratione in filium? Quoniam creaturæ conditor est. Quomodo in Spiritum sanctum? Quia vim omnia reddendi absoluta habet. Submittimus igitur nos Patri vt sanctificemur. Submittimus item nos filio vt hoc ipsum fiat. Submittimus nos spiritui quoque sancto vt id efficiamur quod ille est ac dicitur.* Hæc Greg. Cum autem id quod ille est non efficiamur, nisi per omnimodam sanctificationem quæ per sacramenta in nobis Deus operatur, rectè si per spiritum id efficimur quod ille est, per illum quicquid in sacramentis sanctitatis recipimus, possidemus.

S. Greg. Naz.

Niceta in Greg.

5. Interpretatio de ornamento virtutum infusarum.

Ex sacro Conc. Trid. sess. 7. de Sacram. Certum est sacramenta omnia communem habere effectum, nempe gratiam quæ per sacramenta ex opere operato confertur rectè ea suscipientibus, & non ponentibus obicem. Sunt quippe instrumenta quædam ad sanctificationem hominum diuinitus instituta, per quæ gratia confertur: *Adhibentur enim ex diuinâ ordinatione,* inquit D. Tho. q. 62. a. 1. 3. p. *hominibus ad gratiam in eis causandam, & hoc præter eorum speciales effectus quos habere certum est, ne in vanum multiplicari videantur. Vnum quippe sufficeret sacramentum si nihil speciale vnum quodque contineret ad hominum salutem necessarium, aut saltem plurimum vtile ac conueniens. Per hunc communem effectum, cum gratia sit quædam diuinæ naturæ participatio, ponitur homo in excellenti & supernaturali gradu; quo possit ad beatitudinem naturam hominis excedentem aspirare ac tendere. Vnde oportet quod superaddantur diuinitus aliqua principia, per quæ ita ordinetur ad beatitudinem supernaturalem, sicut per principia naturalia ordinatur ad finem connaturalem, non tamen absque auxilio diuino: & huiusmodi principia virtutes dicuntur Theologicæ, tum quia habent Deum pro obiecto, in quantum per eas rectè ordinamur in Deum; tum quia à solo Deo nobis infunduntur; tum quia solâ diuinâ reuelatione in sacra scripturâ huiusmodi virtutes traduntur.* Ita D. Thom. 3. p. q. 62. a. 1.

S. Thomas.

A Illæ autem sunt Fides, Spes, Charitas. Fides quæ diuinum lumen est perficiens intellectum, vt principia supernaturalia percipiat, id est, credibilia de quibus est fides. Spes per quam voluntas intentione suâ fertur in Deum, vt in id quod consequi possibile est: Et charitas quâ voluntas per quandam vnionem spiritualem quodammodo transformatur in Deum: Motus enim appetitus in finem tendit, ex quadam conformitate rei ad suum finem. Cum autem homo perfici debeat in iis quæ humana ratione possunt comprehendi, ideo præter eas virtutes Theologicas alias etiam intellectuales & morales cognoscimus, quarum obiectum est aliquid quod humanâ ratione comprehendi potest. Quæ quidem virtutes ideo necessariæ sunt, vt homo B circa veritates creatas & bonum ratione cognitum rectè disponatur. Cum enim multas patiatur difficultates, tum circa veri apprehensionem, tum circa boni prosecutionem, ideo debuit his virtutibus tum intellectualibus tum moralibus adiuuari, vt cum facilitate circa verum & bonum rationi conueniens feratur, & intellectus & voluntas hominis magis disponantur, vt virtutes Theologicæ ad bonum supernaturale tendant & ad vltimum finem. Conferunt, homini virtutes intellectuales facultatem bene operandi, suntque veluti quædam inchoatio perfectæ beatitudinis quæ in contemplatione veri consistit. Morales autem præter facultatem faciunt vt bene homo vtatur suis potentiis & habi- C tibus, & vim appetitiuam inclinat ad bonum conueniens rationi, quod est finis debitus. Tres autem ponuntur virtutes intellectuales speculatiuæ, scientia, sapientia, intellectus; quatuor Morales præcipuæ quæ ideo Cardinales dicuntur, nempe Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Temperantia: *Et in hic 4. virtutibus,* inquit D. Greg. lib. 2. Moral. c. 36. *Tota boni operis structura consurgit.* Quod autem hi habitus speculatiui infundantur aliquando à Deo, satis patet ex plurimis Scripturæ locis. De scientiâ enim & de sapientiâ dicitur, Sap. 7. *Inuocaui, & venit in me Spiritus sapientiæ.* Et postea: *In manu illius & nos & sermones nostri, & omnis sapientia & operum scientia & disciplina. Ipse enim dedit mihi horum* D *quæ sunt scientiam veram, vt sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum &c.* Et Eccles. 39. *Si enim Dominus magnus voluerit, Spiritu intelligentiæ replebit illum.* De virtutibus etiam moralibus hoc clarum est, Sap. 8. *Sobrietatem & prudentiam docet, & iustitiam & virtutem, quibus vtilius nihil est in vitâ hominibus.* Hæc Sapiens. Has virtutes igitur siue intellectuales siue morales, Deus aliquando operatur in nobis sine nobis, & sicut loco quorundam naturalium principiorum conferuntur nobis à Deo virtutes Theologicæ, quibus ordinamur ad finem supernaturalem, ita oportet vt his etiam virtutibus Theologicis proportionaliter respondeant alij habitus diuinitus causati in nobis, qui sic se E habeant ad virtutes Theologicas sicut se habent virtutes morales & intellectuales ad principia naturalia virtutum. His præsuppositis.

S. Greg. Mor.

Sap. 7.

Eccles. 39.

Sap. 8.

Dico has virtutes intellectuales & morales rectè posse per spiritus Dei intelligi & per lampades adumbrari. Et primo quod Spiritus dici queat patet ex hoc loco Iob. 32. *Sed vt video Spiritus est in hominibus, & inspiratio omnipotentis dat intelligentiam.* Deinde effectus seruant aliquam imaginem & similitudinem causæ, & sic dici possunt Spiritus illæ virtutes quæ à Dei spiritu mentibus infunduntur. Deinde Spiritus rectè dicitur quilibet animi impulsus. Quod si ille impulsus à Deo sit, vt est illa voluntatis inclinatio à diuino impressa spiritu, cur non spiritus & Spiritus Dei diceretur? Et ad nostram

Iob. 32.

Digitized by Google

mentem Symmachus hunc Iobi locum exponens apud Pinedam ait, *Spiritus Dei eſt in hominibus* (Qui quidem Pineda per Spiritum vult intelligi Spiritum intelligentiæ & ſapientiæ qui reddit hominem facilem & idoneum ad intelligenda diuina) *vel illud*, inquit, *quod per expoſitionem additur inſpiratio omnipotentis, quæ non ſolum lumen affert intellectui, ſed etiam vim addit roburque Spiritui humano.* Eadem dic de illo ſpiritu, qui hominem idoneum & facilem reddit ad volendum & eligendum bonum virtutis moralis quo melior euadit.

Dico 2. Per lampades virtutes poſſe rectè adumbrari: De intellectualibus hoc clarum eſt: de ſapientiâ enim ait Sap. 7. *Eſt enim hæc ſpecioſior ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum, luci comparata inuenitur prior.* De ſcientiâ & intellectu poteſt dici quod lumen ſint: habet enim omnis cognitio veritatis quandam cum luce conuenientiam, vt ſicut lux colores & ſeipſam manifeſtat, ita intellectus cum ſit habitus principiorum quæ per ſe nota ſunt manifeſtat, cum ſtatim atque ei proponantur eadem percipit. Sapientia per inquiſitionem rationis, conſiderando altiſſimas cauſas, conuenienter iudicat & ordinat de omnibus, & ſic manifeſtat quid de vnaquaque re ſit iudicandum & ordinandum, prout eas cognoſcit per altiſſimas cauſas Scientia perficit intellectum, manifeſtando quid res ſit in vno quoque genere cognoſcibilium. De Moralibus etiam dici poteſt quod rectè per lumen denotentur. Cum enim lux lumen rationis & cognitionem ſignificet, nec aliqua reperiatur virtus moralis quæ à lumine rationis non pendeat; nec virtus moralis vlla ſit quæ ſine prudentia (quæ recta eſt ratio agibilium) eſſe poſſit; rectè omnis virtus moralis luce etiam deſignabitur. *Omne enim quod manifeſtat lumen eſt*, ait Apoſtolus Epheſ. 5. At lux rationis manifeſtat quid agendum eſt: lumen eſt igitur φανερόμενον ſiquidem vocis eſt mediæ & tam ſignificat id quod manifeſtatur. Et ſi cum vulgatâ editione, *Manifeſtatur*, legamus, dicemus: lumen eſt, id eſt, luminoſum quod à lumine debet manifeſtari. Hinc Apoſtolus ad primos illos Chriſtianos virtutibus claros & conſpicuos aiebat ibidem: *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Vt filij lucis ambulate: fructus enim lucis eſt in omni bonitate & iuſtitia & veritate.* Et homo iuſtus Iob. 12. *Lampas contempta* dicitur, quippe qui luceat ſicut luminare quoddam inter tenebriones peccatorum, & ab eis vt pote qui lucifugæ ſint noctuæ contemnatur.

Sap. 7.

Epheſ. 5.

Iob. 12.

Interpretatio ſexta de ſeptem donis Spiritus ſancti.

Homo bene ſe habens circa rationem proprium per virtutes morales & intellectuales, optime erit diſpoſitus ad hoc quod bene ſe habet in ordine ad Deum per receptionem donorum Spiritus ſancti, dicente Greg. 2. moral. c. 26. *Quod donum Spiritus ſancti in ſubiecta mente, ante alia ad Iuſtitiam, Prudentiam, Fortitudinem & Temperantiam formet eandem mentem, vt contra ſingula quæque tentamenta erudiat.* Ita ſeptem mox virtutibus temperat, vt contra ſtultitiam Sapientiam, contra hebetudinem intellectum, contra præcipitationem conſilium, contra timorem fortitudinem, contra ignorantiam, ſcientiam, contra duritiem pietatem, contra ſuperbiam det timorem. Cum enim in homine duplex ſit principium mouens, vnum quidem interius quod eſt ratio, aliud autem exterius quod eſt Deus, non ſufficit vt virtutes morales & humanæ perficiant hominem, ſecundum quod homo natus eſt moueri per rationem in his quæ interius vel exterius agit, ſed oportet vt in eo inſint altiores perfectiones ſecundum quas ſit diſpoſitus ad hoc quod diuinitus moueatur: quæ quidem vocantur dona non ſolum quia infunduntur à Deo, ſed quia ſecundum ea homo diſponitur & efficitur promptè mobilis ab inſpiratione diuina, ſicut dicitur, Iſa. 5. *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico: retrorſum non abij.* Vnde etiam philoſophus ait apud D. Thom. 1. 2. q. 68. a. 1. Quod his qui mouentur per inſtinctum diuinum non expedit conſiliari ſecundum rationem humanam, ſed quod ſequantur interiorem inſtinctum: quia mouentur à meliori principio quàm ſit ratio humana: quæ quidem dona neceſſaria ſunt ex ipſo. 2. Quia cum ratio imperfectè tantum ſit informata in ordine ad finem ſupernaturalem per virtutes Theologicas (etenim imperfectè tantùm diligimus & cognoſcimus) non ſufficit ipſa motio rationis vt ad eam tendat, niſi deſuper adſit inſtinctus & motio Spiritus ſancti, ſecundum illud Rom. 8. *Qui ſpiritu Dei aguntur hi filij Dei ſunt.* Et Pſal. 142. dicit: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, quia ſcilicet in hæreditatem illius terræ beatorum nullus poteſt peruenire, niſi moueatur & deducatur à Spiritu ſancto. Quo fit vt hæc dona ſint homini neceſſaria in omnibus viribus hominis quæ poſſunt eſſe principia humanorum actuum. v. g. in ratione ſpeculatiua ad inueniendam veritatem requiritur donum intellectus, in eadem ad iudicium de veritate donum ſapientiæ; in ratione practica ad inueniendum, donum conſilij; ad iudicandum donum ſcientiæ. In appetitiua virtute pro iis quæ ſunt ad alterum donum pietatis, propter ea quæ ſunt ad ſeipſum contra periculorum timorem, donum fortitudinis; contra concupiſcentiam inordinatam delectabilium, donum timoris, Prouerb 16. *Per timorem Domini declinat omnis à malo.* His præſuppoſitis.

S. Thomas.

Rom. 8.

Pſ. 142.

Dico hæc 7. dona rectè per Spiritus Dei exprimi & per lampades ſignificari. Primum patet ex illo Rom. 8. *Qui ſpiritu Dei aguntur hi ſunt filij Dei*: Et ex hoc quæ docet D. Thom. in dicto primo articulo. *Ad diſtinguendum*, inquit, *dona à virtutibus debemus ſequi modum loquendi ſcripturæ, in qua nobis traduntur non quidem nomine donorum ſed magis ſub nomine ſpirituum. Sic enim dicitur, Iſa. 11. Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini Spiritus ſapientiæ & intellectus, &c.* Quo nihil clarius. Dixiſſe non pigeat per Spiritum Dei hæc dona intelligi quæ nomine Spiritus per Iſaiam exprimuntur, vt etiam voluit Andreas Cæſarienſ. cum ait, *Per 7. hos ſpiritus aut 7. Angelos aliis præſtantiores cum Irenæo accipere oportet, aut 7. Viuifici illius ſpiritus chariſmata quorum mentionem facit Iſaias Propheta.* Secundum habeo ex Ambroſio in Apocal. *Ita igitur lampades 7. id eſt 7. dona Spiritus ſancti, ante ſedem, id eſt, ante conſpectum Eccleſiæ ſuæ ardere dicuntur, quia ſine lumine harum virtutum in nocte huius ſæculi poſiti per vitæ viam ad cæleſtem patriam gradi non poſſumus.* Hæc ille. Qui hæc dona accipit rectè lampas dicitur, quia interius lucet, quia intus ardet flamma charitatis, quia flagrans virtutibus licet aliquando vt bene notat Greg. lib. 10. in Iob c. 17. *Lampas contempta apud cogitationes diuitum*, nempe ſuperborum, *quia exterius non lucet, quia foris nulla gloria reſplendet decoris, abiectius æſtimatur. Veniet, veniet tempus, in quo & intus & foris apparebit, fulgorem ſuum exeret, & quanta candeat claritate oſtendet. In extremo enim iudicio lampas illa contempta latibis emicabit, quando nunc eum cœtus deſpicientium & perſequentium ſtrictius anguſtat.* Hi enim ſunt lagenæ illæ ſeu hydriæ vacuæ, in quorum medio lampades exiſtunt, quæ confractæ ad inſtar earum quas olim tenebant trecenti illi viri cum Gedeone, cum per multas tribulationes illis tranſire oporteat, tandem lampadum fulgorem emittunt: & tunc terrebuntur hoſtes & in fugam conuertentur, & verè apparebit nos theſaurum gratiæ

Iſa. 11.

Andreas Cæſ.

Ambroſ. in Apocal.

S. Gregorius Magnus

Digitized by Google

mentem colluſtrantis olim poſſediſſe in vaſis fictilibus. Tenent has lampades donorum illæ virgines ſapientes in manibus, quia omnia opera ſua perficiunt ex peculiari Spiritu ſancti impulſu, quo fit vt fœliciter illis ianua Cœlorum pateat nec à ſponſo vllam patiantur repulſam, imo potius ſingulæ audiant. Veni ſponſa veni de libano coronaberis, ingredere in Thalamum ſponſi, vt gaudio cum eo frui tibi liceat ſempiterno, vt nullarenus deinceps ab eo ſeparari valeas aut diuelli poſſis.

Interpretatio ſeptima de 7. prouidentiæ diuinæ virtutibus.

Cum omnia quæ Deus per Angelos, per Prælatos, per ſacros Miniſtros, mediis Sacramentis, virtutibus, donis peragit, hæc agat vt eius gloria innoteſcat tandem hominibus, non abſurdè excogitata eſt illa huius loci interpretatio de 7. diuinæ prouidentiæ virtutibus, nempe potentia, bonitate, ſapientia, iuſtitia, patientia, longanimitate, ſeueritate, quam latè proſequitur Alcazar in Apoc. ad quem lectorem remitto, ne actum agere videar, ſi quæ fuſiſſimè diſſeruit ieiunè hic explicare ſuſcipiam. Hæc lampas diuinæ prouidentiæ in 7. virtutes diuiſa olim fuit adumbrata in antiquo illo Abrahæ ſacrificio, in quo quæ ventura erant poſteritati ſuæ fuit edoctus, per lampadem ignis inter diuiſiones hoſtiarum tranſeuntis, Gen. 15. Oculus enim diuinæ prouidentiæ ac Chriſti in medio Eccleſiæ deambulantis huc illucque circumfertur, vt neceſſitatibus Eccleſiæ ſuæ prouideat, illique auxilium præſtet accommodum: ſiue cum mandatis eius fideles obſequuntur, ſiue cum à Deo recedunt per infractionem mandatorum, ſiue cum hoſtibus & aduerſariis diuinæ legis pugnent, ſiuè ad cæleſtia adſpirent, ſiue in operibus vitæ actuoſæ ſe exerceant, ſiue contemplationis dulcedine allecti ad meditanda diuina ſedulo occupentur. In quocumque ſint ſtatu ſemper ille oculus vigilat, lampas eſt inextinguibilis, vt omnium neceſſitates proſpiciat, eiſque ſollicitè occurrat. Et hæc de 7. his ſpiritibus ac lampadibus dicta ſufficiant.

De mari vitreo ſimili cryſtallo.

ANNOTAT. IX.

Et in conſpectu ſedis tanquam mare vitreum ſimile cryſtallo.

Idea ſymboli §. 1.

Alcazari ſententia.

ALCAZARI videtur eſſe aliquod vas ſeu crater ingens, confectus ex vitro nitidiſſimo, pellucido & fragili, aquâ plenus, ad modum illius vaſis æneí quod olim in Templo Salomonis cernebatur. Andreas Cæſarienſ. videtur velle D. Ioannem ob oculos habuiſſe aquas illas cryſtallimas, quæ ſunt ſuper firmamentum, vel ſunt ipſum cœlum cryſtallinum cum ait: *Sunt tamen qui per mare vitreum aquas illas, quæ ſecundum Pſalmiſtam ſuper cœlos firmata homini prorſus incognitæ & inacceſſæ ſunt, denotari putant aut cryſtallinam cœli naturam aut ſingularem certè diuini illius pauimenti fulgorem & perſpicacitatem.* Hæc Andreas. Peretius vult mare vitreum eſſe cœlum empyreum, quod eſt ſedes Angelorum & Beatorum, per alluſionem ad cœlos Empyreo vicinos & ſubiectos, qui ex primogenea aquarum abyſſo à Deo efformati ſunt, indeque Hebræis vocantur Scamain, eſt, illic aquæ.

Nos verò cum ideam Throni in cœlo aëreo poſuerimus, & ad meteora quæ in nubibus ac ſuprema aëris regione efformãtur alluſiſſe ſanctum Ioannem dixerimus, cum 7. lampades ponit ante Thronum Dei, & ex eo fulgura & voces & tonitrua emitti pronunciat, in proſpectu ipſius Throni S. Ioannes vidiſſe arbitramur copioſiſſimum & abundantiſſimum quendam liquorem, longè lateque diffuſum & expanſum ſimilem vitro liquefacto, cuiuſmodi viſitur cum ex arenâ ſplendenti calculis pellucidis cineribus herbarum ſalſarum vel nitri, quibus materiis igne ardentiſſimo excoquitur & funditur illo liquor, ex quo vitrea vaſa admirabili proculdubio artificio, ſolo flatu artificum & rotatione inſtrumenti conficiuntur, quæ poſtea conglutinantur & dureſcunt, & perſpicua ac pellucida apparẽt: quemadmodum ſi in aquis nitidis ac limpidiſſimis decidentibus ex altiori loco radios ſolares incidere perſpiceres: videres nempe nullum eſſe cryſtallum lucidiorem ex conglomeratis & reflexis radiis ſolaribus in ipſo receptis, vt illæ aquæ tranſlucidæ ſunt, cum in eis pariter radij ſolis inciderint. Talis erat liquor ille vitreus quem cernebat copioſiſſimè effuſum, ad modum cuiuſdam congregationis plurimarum aquarum ſeu maris Sanctus Ioannes; ſicque ſimilis erat cryſtallo; tàm ob firmitatem, quàm ob pelluciditatem cryſtalli. Fuerit olim mare æneum figura iſtius maris vitrei non abnuo: At hic non ſolùm vas, ſed etiam liquor deſcribi ac proponi à S. Ioanne arbitror: nec ad firmitatem cryſtalli ſi liquorem ſpectemus hic aſpexiſſe puto, vt Eccleſiæ ac ſacramentorum firmitatem deſignaret, quæ ſatis iam denotata fuerat in ſtabilitate Throni. Sed cum poſſimus tribus modis meditari hunc liquorem expanſum, obiectum fuiſſe oculis Sancti Ioannis, videlicet vel in aëre Throno proximiori, veluti cum expanduntur nubes aliquæ lucidiores; vel in aëre, ſed in aliquo vaſe ingenti; vel prope terram ad modum maris Terræ ſuperficiem ambientis; prior modus non videtur rei ſignificatæ accommodus, & ideo ad duos poſteriores mentem & oculos conjicimus, vt vas illud cryſtallinum ob ſuam firmitatem ardentiſſimo calore conquiſitum, eius in quo abundat mare gratiarum aptiſſimum ſit ſymbolum: qui nempe terrenâ & fragili & diuinâ & immortali naturâ conſtat: vel ſi prope terram ponatur expanſio illius liquoris pretioſi, terra illa ſit ſimilis plateis ciuitatis illius cœleſtis, de qua dicetur c. 21. *Et platea ciuitatis aurum mundum, tanquam vitrum pellucidum.* Nimirum quia Eccleſia militans vt quæ ad triumphantem adſpirat, per ignem tribulationum & ardentiſſimum in Chriſtum amorem probata, quamuis ſi ſecundum propriam naturam vt vitrum fragilis, tamen diuino illo igne operante ad firmitatem cryſtalli peruenit.

Noſtra ſententia.

Itaque ſicut in creatione rerum, cœlo & terrâ ex nihilo productis, ſpiritum vidimus ſuper aquas ferri, & aquas etiam in vnum locum congregari vt appareret arida, *Et vocauit*, inquit ſacra ſcriptura, *Deus aridam terram, & congregationes aquarum vocauit maria*, Gen. 1. Ita nunc in hac Eccleſiæ Catholicæ quodammodo prima fundatione cœlum & terram videmus procreari, cum fideles mortales & luteos ad cœleſtem gloriam deſtinari videmus; inſuper ſpiritum deſcendentem ſuper aquas, cum ſuper tot nationes illum perſpiciamus effuſum, iuxta prophetiam Ioëlis: *Et erit poſthæc effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, &c.* Denique vt appareat arida, illa inquam terra de qua pſalmiſta loquitur: *In terra deſerta, inuia & inaquoſa ſic in ſancto apparui tibi.* Pſ. 62. Et iterum, *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi*; Pſ. 142. Videmus quaſi in vnum locum aquas gratiarum congregari, vt ſciamus à quo nobis copia gratiarum proueniat, & quo profluuium tot tantarumque

Pſ. 62.

Pſ. 142.

Digitized by Google

gratiarum inundabit. Sed hæc fuſiùs in explicatione huius ſymboli poſteà. Hæc de idea dicta ſufficiant.

Pulchra & valdè congruentes rationes propter quas ſanctus Ioannes poſt viſionem 7. lampadarum ſtatim viſionem maris vitrei proponit. §. 2.

Hanc admirabilem coniunctionem ignis & aquæ Chriſtus Dominus iam fecerat, cum Luc. 12. ait: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendantur? Baptiſmo habeo baptiſari, & quomodo coarctor vſque dum perficiatur?* Et ſe optimè hac ratione Agricolam eſſe declarauit, vt vult D. Petrus Chryſologus ſerm. 144. tum terram optimè præparando, vt ſemen in ea cum ſpe fructus recondatur; tum eam irrigando, vt fructu fœcunda labori ac induſtriæ cultoris reſpondeat. Ignem igitur adhibet vt terram præparet, addit aquam vt ipſam fœcundet, ſed præſtat audire Chryſologi aurea verba. *Quid eſt, inquit, ager? Quoties longâ incuriâ ſylueſcit, & toto luxuriæ agreſtis ſordeſcit horrore? Operoſiſſimi cultoris vtique ſemper aperitur & purgatur incendio, ac ſtudio benigno cultor ignis apponitur, vt exuſtis ſentibus reuelletur prima facies campi, præſtetur agricolæ libertas, fiat facilis via vomeri: ſit germinis ferax ſterilis diù terra & longa ac mœſta otia lætiſſima iam repenſet in fructu. Ergo vbi Iudaicus ceſſpes continuo arario legis & iugi cultu effectus ad inopiam non reſpondit germini, non labori, ſed pro tritico lolium protulit, pro vitibus ſpinas, Chriſtus ad ſatagentium diuini cultus vertit induſtriam; ac diu oppreſſa nationum cupiens noualia purgare ignem mittit primum maximus magiſter in terram; & quidquid naturalis ſqualeſcerat luxus, quidquid areſcerat brumalis rigor, artifici depurgat & conſumit incendio: quatenus longo exhauſta ieiunio ipſo ſuo cinere ſaginata pingueſcerent, & poſt diuturnam duritiem tenera redderentur & mollia: ac ſic Euangelico apta cultro ſemini redderentur commoda, & fœlici ſulco iam redderent triceſimum ſexageſimum ac centeſimum fructum, &c.* Hæc ille. Vides quomodo adhibito igne Agricola ille cœleſtis terram præparet optima ratione vt ſemen recipiat. Sed quomodo aquam addat vt ſemen iactum illum fructum copioſiſſime reddat, ipſum adhuc Petrum audiamus differentem, dum ita proſequitur. *Sed hic ipſe cultus*, inquit Chryſologus, *non eſt nouus agricola veteri & cœleſti, nam legem pangere gratiam ſerere ſemper opere conſueuit. Daturus legem ignem præmiſit in Rubo, ſed diuinum Rubus portauit non concepit incendium. Iam tunc aculeis malitiæ plenum & ingratum culturæ legis populum præfigurans: & nunc in arua gentium cum deſtinaret Apoſtolos ſic eos igneo imbre perfudit; & ignis conſedit ſuper eos vt poſſent humecta ſiccare, ſicca infundere, decoquere cruda, frigida caleſacere, accendere extincta, comburere noxia; & in opere diuerſo, vno atque eodem igne ad cœleſtem copiam tota percolere deſerta terrarum, dicente propheta: in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed ad illud quod iam ſequitur tranſeamus, Ignem veni mittere, &c. Sed baptiſmo habeo, &c. Vrget aqua ignem. Cogitanda eſt tam diuiſa coniunctio, vrget vnda flammam, multiplicat flamma vndam. Quæ eſt talis tam concors iſta diſcordia? Geritur hic ſicut diximus Agricolæ diuini ſpecies: oleva namque omnia calore germinant, humore nutriuntur. Vnde rerum parens Deus ignis & aqua commercio nos germinat, nos enutrit quorum tanto ardore calet, exæſtuat, anhelat affectu. Baptiſmo habeo baptiſari. Chriſtus ſuo baptiſatur in ſanguine: vt quidquid ex noſtra carne ſuſcepit diluatur, renouetur: & totam diuinitatis ſuæ redigatur in formam. Baptiſatur Chriſtus ſuæ baptiſmate paſſionis, qui totius mundi peccatum lauit, quod non niſi ab eo qui mundum fecerat poterat aboleri.* Hæc Chryſolog. Hæc igitur cauſa eſt, cur poſt 7. lampades in conſpectu ſedis ardentes mare illud vitreum proponatur, quo liquore pretioſo meliùs quam aquis omnis macula abluetur, & aues ac piſces procreentur, ij nempe qui per exercitia vitæ contemplatiuæ, aut actuoſæ ad cœleſtem patriam anhelant.

Secunda ratio propter quam lampadarum ac maris fiat quædam connexio, ſumitur ex ſignificatione tum lampadarum tum maris vitrei: & ideo antequam illam in medium adducamus, quid per mare vitreum intelligatur videamus.

Quid intelligatur, per mare vitreum ſimile Cryſtallo. § 3.

Ribera per mare vitreum accipit præſens ſæculum, per quod quaſi per mare tranſimus ad beatitudinis portum. At præſens ſæculum tranſeunt infideles & increduli, æque ac fideles: & licet ad beatitudinem minimè perueniant ſæculo tranſacto, tamen ſæculum præſens æqualiter tranſeunt cum ad vitæ ſuæ finem perueniunt. Hic autem neglectis cæteris, ad electos ſolùm ſanctus Ioannes reſpicere videtur, cum ſuper illud mare vitreum mixtum igne eos tantum ſtare dicit c. 15. *Qui vicerunt beſtiam & imaginem eius & numerum nominis eius.* Igitur hoc mare videtur aliquid eſſe proprium electis, præſens autem ſæculum commune eſt electis & reprobis.

Andreas Cæſarienſ. aquas quæ ſunt ſuper firmamentum intelligit, vt vidimus. At non videtur conueniens vt illud mare ſurſum ponatur, cum Thronum dixerimus in aëre collocatum. Quod ſi hoc conuenienter fuit dictum vt putamus, mare iſtud infra cœlos collocari oportet, vt ſit in conſpectu Throni & in conſpectu ſedis, *tanquam mare vitreum ſimile Cryſtallo*, inquit D. Ioannes.

Rurſus idem Andreas Cæſarienſ. dicit: *Cæterùm per mare vitreum immenſa illa ſanctarum virtutum multitudo rerumque cœleſtium ab omni labe immunitas, nec non illa ſummaque futuræ vitæ tranquillitas deſignatur.* At hic de Eccleſia militante non de triumphante mentionem fieri, pro re indubitatâ exiſtimamus. Quâ de causâ Pererij ſententiam etiam non amplectimur qui vult mare vitreum eſſe cœlum Empyreum, quod eſt ſedes Dei Angelorum ac beatorum.

Ioachimus apud Cornelium mare vitreum dicit eſſe ſcripturam ſanctam, in quâ ſenſus litteralis ſit quaſi vaſtum mare, vitrum ſpeculare ſenſus moralis: in eo enim ſpeculamur, & corrigimus mores noſtros; ſimile Cryſtallo quia firmus eſt & perdurus ſenſus ſpiritualis & anagogicus, qui eſt de Regno Beatorum glorioſo & æterno. Ita ex Cornelio. At hîc dum non de ſimplici & nudâ narratione rerum diuinarum, ſed de earundem euentu & exiſtentiâ fit ſermo, ſenſus ille videtur potius accommodatitus quam germanus.

Propiùs accedunt qui per mare vitreum intelligunt ſiue Baptiſmi (vt Primaſius) ſiue pœnitentiæ (vt Dionyſ. Charthuſ.) ſacramentum. Sed cum per alia etiam ſacramenta & aliis etiam mediis gratia Dei conferatur, ſtrictiorem & anguſtiorem exiſtimamus eſſe hanc interpretationem, quàm par ſit. Ideo inuenienda eſt quædam quæ omnia complectatur media; quibus gratia Dei à primâ ad vltimam hominibus à Deo elargitur: Et ideo,

Dico per mare vitreum hic intelligi plenitudinem gratiæ & veritatis, quæ in Chriſto Domino de cuius plenitudine omnes accipiunt ſuperabundè recumbit: de qua Ioan. 1. *Verbum Caro factum eſt, & habitauit in nobis: & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis.* Ioannes teſtimonium de ipſo perhibet & clamat dicens: *Hic erat quem dixi, qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt: quia prior me erat. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratiâ: quia lex per Moyſem*

Petrus Chryſ.

Ribera ſententia non admittitur.

Andr. Cæſar.

Nec ſententia Ioachim.

Dionyſ. Carth.

Ioan. 1.

data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Rectè proinde D. Bern. hunc locum ponderans Serm. 16. in Cantica. *Non venit vacuè, quia non venit vacuus: Nam quomodo vacuus in quo habitauit plenitudo? Neque enim & datus eſt ad menſuram ſpiritus. Denique & venit in temporis plenitudine, plenum proinde ſe venire indicans. Bene plenum quem vnxit Pater oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis. Vnxit & miſit plenum gratiæ & veritatis: vnxit vt vngeret. Omnes ab eo vncti ſunt, qui de plenitudine eius meruerunt accipere.* Hæc Bern.

S. Bernard.

Ex hoc fonte aquæ illæ viuæ manant, de quibus dicebat Dominus: *Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de ſpiritu quem acceperuri erant credentes in eum. Nondum enim erat ſpiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus* Ioan. 7. Dexterâ quippe Dei exaltatus, aiebat D. Petrus, *& promiſſione Spiritus ſancti acceptâ à Patre, effudit hunc quem vos videtis & auditis.* Act. 2. Ex hoc fonte ſanitas corporis & animæ, dicente Petro Act. 3. poſt erectionem claudi ad templi portam iacentis: *Fides quæ per eum eſt dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu veſtrum:* Et docente Paulo Rom. 1. *Per quem accepimus gratiam & Apoſtolatum, ad obediendum fidei.* Ex hoc fonte diuitiæ ſermonis & ſcientiæ eodem Paulo docente, 1. Cor 1. *Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis, in gratia Dei quæ data eſt vobis in Chriſto Ieſu, quod in omnibus diuites facti eſtis in illo in omni verbo & ſcientiâ.* Ex hoc fonte omnis conſolatio, pax, redemptio, benedictio, denique omnes prædeſtinationis effectus, vt vocatio, iuſtificatio, glorificatio, *Quoniam*, inquit Apoſtolus, *ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.* 1. Cor. 1. *Gratia vobis & pax à Deo Patre & Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, vt eriperet nos de præſenti ſæculo nequam.* ad Gal. 1. & ad Epheſ. 1. *Benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate. Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, &c.* Ex his & aliis ſimilibus locis conjicere licet à Chriſto & per Chriſtum nos accipere veritatis notitiam, gratiam iuſtificantem, dona gratuita, ſacra myſteria, edendi miracula facultatem, in laboribus & pœnis tolerandis patientiam, in anguſtiis conſolationem, à peccatis redemptionem, omnes denique vt diximus prædeſtinationis effectus. Hinc optimè D. Bern. ſerm. 13. in Cant. *Origo fontium & fluminum omnium, mare eſt virtutum & ſcientiarum Dominus Ieſus Chriſtus. Quis enim Dominus virtutum niſi ipſe Rex gloriæ? Sed & iuxta Annæ canticum idem ipſe Deus ſcientiarum Dominus eſt. Continentia carnis, cordis induſtria, voluntatis rectitudo ex illo fonte manant. Non ſolum autem, ſed & ſiquis callet ingenio, ſiquis nitet eloquio, ſiquis moribus placet inde eſt. Inde ſcientiæ, inde ſapientiæ ſermo. Theſaurus ſiquidem ſapientiæ & ſcientiæ ibi omnes ſunt abſconditi. Quid? Caſta conſilia, iuſta iudicia, ſancta deſideria, nonne riuuli fontis illius ſunt?* Hæc Bern. Nec mirum, cum in eo ſit omnium gratiarum plenitudo & de eius plenitudine omnes accipiunt, vt iam diximus iuxta doctrinam D. Thom. 3. p. q. 7. a. 9. habet Chriſtus gratiam quantumcumque poteſt haberi, ſeu in ſummo ſecundum perfectiſſimum modum quo haberi poteſt: Quantò enim aliquod receptiuum propinquius eſt cauſæ influenti, tantò abundantius recipit. Anima autem Chriſti inter omnes creaturas rationales propinquius coniungitur Deo: ideo maximam recipit influentiam gratiæ eius. Et quia in alios tranſfundi debebat gratia per ipſum, debuit in eo eſſe copioſiſſima: ſicut ignis qui eſt cauſa caloris in omnibus calidis eſt maximè calidus. Et cum collata ei fuerit tanquam cuidam vniuerſali principio in genere habentium gratiam, gratia eius extendit ſe ad omnes operationes vel effectus. Virtus ſiquidem prima principij alicuius generis vniuerſaliter ſe extendit ad omnes effectus illius generis, propriumque eſt Chriſti (ſi plenitudinem gratiæ ex parte ipſius gradus ſpectemus) illam habere in maximâ excellentiâ quâ poteſt haberi & in maximâ extenſione ad omnes gratiæ effectus: licèt ſi ſubiectum ſpectes conueniens ſit aliis ſanctis recipere plenitudinem gratiæ, ſecundum ſuam conditionem, ſiue ſecundum intenſionem, prout in eo eſt intenſa gratia vſque ad terminum præfixum ei à Deo, ſecundum illud Epheſ. 4. *Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti;* Siue etiam ſecundum virtutem, in quantum ſcilicet habet facultatem gratiæ ad omnia quę pertinent ad ſuum officium ſiuè ſtatum: ſicut Apoſtolus dicebat Epheſ. 3. *Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc omnes illuminare, &c.*

Ioan. 7. Act. 2. Act. 3. Rom. 1. 1. ad Cor. 1. 1. ad Cor. 1. Ad Galat. 1. Epheſ. 1. S. Bernard. S. Thom. 3. p. q. 7. a. 6. Epheſ. 4. Epheſ. 3. Epheſ. 1. Ioan. 3. S. Thomas. S. Dionyſ. Areopag. Angeli recipiunt de Chriſti plenitudine.

Nec abſurdè hæc gratia licet abundantiſſima in vaſe aliquo contineri dicitur: Nam licet gratia vnionis, ſeu ipſum vniri perſonaliter filio Dei, quod eſt gratis conceſſum humanæ naturæ, ſit quid infinitum ſecundum quod ipſa perſona verbi eſt infinita; vel etiam gratia habitualis ſecundum propriam rationem gratiæ nullam habeat limitationem, quia non ei datur ſecundum aliquam menſuram id quod ad propriam rationem gratiæ pertinet, ſed ſecundum propoſitum Dei, cuius eſt gratiam menſurare, eidem confertur ſicut cuidam vniuerſali principio gratificationis in humanâ naturâ, ſecundum illud Epheſ. 1. *Gratificauit nos in dilecto filio ſuo*; Tamen ſi gratiam hanc ſpectemus habitualem, eſt aliquod ens finitum. Eſt enim in animâ Chriſti ſicut in ſubjecto: anima autem Chriſti vt pote creatura habet finitam capacitatem. Non abſurdè igitur hac ratione in vaſe aliquo vitreo & Cryſtallino contineri dici poteſt hæc gratia Chriſti, quæ nihilominus talis ac tanta eſt vt ad omnes omnino ſe extendat gratiæ effectus. Vnde dicitur aliquo modo infinita. *Non enim ad menſuram dat Deus Spiritum filio*, Ioan. 3. Sed ad omnia quæ gratiæ propria ſunt.

De plenitudine autem eius omnes accipiunt, tum homines, tum Angeli: quia propinquiùs ſe habet ad Deum, & perfectius participat dona ipſius non ſolum quàm homines, ſed etiam quàm Angeli: & ideo caput eſt Angelorum & hominum, & de eius influentiâ non ſolum homines recipiunt, ſed etiam Angeli. Ita D. Thom. q. 8. a. 4. 3. p. De hominibus quod ex hoc fonte hauriant nulla eſt difficultas. S. Dionyſium Areopagitam de ſublimibus illis Spiritibus loquentem audiamus. *Illos*, enim ait, *dignos eſſe qui Ieſu participes fierent, non in ſacris fictis imaginibus per modum figuræ deificam ſimilitudinem exprimentibus, ſed tanquam verè ad ipſum accedentes proximè in prima participatione deificorum eius luminum.* De cœleſti Hierarch. c. 7. Eoſque vult ſpecialiter illuminari de eius circa homines benignitate ab ipſo Ieſu Saluatore. Ab hoc fonte igitur & Angeli & Eccleſiæ Paſtores, & Miniſtri altaris, & fideles, Eccleſiæ Sacramentis participantes, illuminationem, auctoritatem, ſanctitatem, gratiam, ſpecialia auxilia, virtutes & dona Spiritus ſancti aut in ſe recipiunt aut aliis diſtribuunt: Itaut Spiritus ſanctus operi ſuo perficiendo inſiſtens, rectè ſtare & iuxta illud mare gratiarum ſtabilem ſibi manſionem paraſſe dicitur, non tanquam volitans ſuper aquas ſed quaſi ſtans & immobilis in myſtico iſto candelabro ſeptem lampadibus refulgente repræſentatur. Olim cum ferebatur ſuper aquas velut prærat fluctuanti & confuſæ materiei, vt eam diſtingueret

Digitized by Google

ſtingueret quando vellet. Olim ſuper homines quorum corda fluctuantia mentis quietem amiſerant, non videbatur inniti, ſed ſuperficiei tantum quaſi potens naturam à confuſione in melius reuocare. Vnde à lege naturali ad ſcriptam fit tranſitus, ſed facto tranſitu à lege ſcriptâ ad Euangelicam, poſtquam ſemel viſus fuit Spiritus quaſi columba deſcendens ſuper Chriſtum & manens ſuper eum, non fluctuat non mouetur Spiritus, ſed immobilis ſtat & fixus. *Factus eſt*, inquit, *repentè de Cœlo ſonus tanquam aduenientis Spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant ſedentes: & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis: ſeditque ſupra ſingulos eorum, & repleti ſunt Spiritu ſancto.* Act. 2. Diſpertitæ, inquam, linguæ propter diuerſitatem donorum & propter vnitatem Spiritus: Hæc enim operatur vnus & idem Spiritus. Sedet, id eſt manet, iuxta Chriſti promiſſa Ioan. 14. *Et ego rogabo patrem & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum Spiritum veritatis.* Nam ſi homines ex eo quod caro ſunt hunc ſæpè excludunt ſpiritum, eumque extinguere plerumque ſinunt, tamen quia Chriſti gratia ſemper viget & floret ſuper quem requieſcit Spiritus & caput eſt hominum, perennis illius gratiæ fluxus non ceſſat in eos qui digni ſunt inueniri membra tam excellentis capitis. Vnde dicebat, *Si quis credit in me fluent aquæ viuæ de ventre eius.* Haurire ſiquidem poſſunt aquas de his fontibus Saluatoris, vt quam peccatis ac fragilitate gratiam ademerint, eam ex gratia quæ in Saluatore integra manet recuperare valeant: *Gratiam enim pro gratia, quia lex per Moyſem data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Ioan. 1. Hæc eſt ſecunda ratio propter quam D. Ioannes viſionem candelabri ſeptemplicis luminis conjunxit cum viſione matis vitrei, vt ſciremus nempe operationes illius ſpiritus perennes fore: quia fontem inexhauſtum habet vnde hauriat & hominibus diſtribuat, ſeu de cuius plenitudine accipiat. *Ille*, inquit Chriſtus de Spiritu ſancto loquens, *me clarificabit quia de meo accipiet & annunciabit vobis.* Ioan. 16. Cum igitur omnes omnino gratias à Chriſto & per Chriſtum recipiamus, nonne eas refundere debemus in fontem per continuam gratiarum actionem? De hac re ſedulò monemur à D. Bern. Serm. 13. in Cant. cùm addit. *Quod ſi copia aquarum ſecretis ſubterraneiſque recurſibus inceſſanter aquora repetunt, vt inde rurſus ad viſus vſuſque noſtros iugi & infatigabili erumpant obſequio, cur non etiam ſpirituales riui, vt arua mentium rigare non deſinant, proprio fonti ſine fraude & ſine intermiſſione reddantur? Ad locum vnde exeunt reuertantur flumina gratiarum, vt iterum fluant: remittatur ad ſuum principium cœleſte profluuium, quo vberius refundatur terræ. Qualiter dicit Apoſtolus, in omnibus gratias agentes, quidquid ſapientiæ, quidquid virtutis habere confidis, Dei virtuti & Dei ſapientiæ deputa Chriſto.* Hæc Bern.

Ioan. 14.

S. Bernard. in Cantic.

Mare vitreum optimum eſſe gratiæ & meritorum Chriſti ſymbolum demonſtratur. §. 4.

Gratiam Chriſti Domini & merita eius hîc non ſpectamus vt in eo ſunt præcisè tanquam in ſubjecto Deo grato, & ſibi & nobis promerente; ſibi inquam gloriam ſui corporis, exaltationem ſui nominis, vltimum aduentum cum poteſtate & majeſtate: iis ſiquidem carere ad tempus voluit (pro nobis dolores, ignominiam, depreſſionem, infirmitates patiendo) licèt illi deberentur ratione vnionis, vt opus Redemptionis adimpleret: non autem gloriam animæ, gratiam gratumfacientem, habitus ſupernaturales ſibi promeruit, quia hæc omnia illi conceſſa ſunt tanquam proprietates moraliter vnioni debitæ adeoque ſine merito; nobis autem promeruit diſpoſitiones ad gratiam ſanctificantem, remiſſionem peccatorum, gratiæ augmentum, ſatisfactionem, ſuæ poteſtatis participationem, quod homines etiam ab æterno ſint prædeſtinati & electi ad gloriam, ſiue vagè offerendo merita ſua vt multi eligerentur ad arbitrium Patris, ſiue vt alij volunt determinatè, merendo vt talis & talis homo eligeretur: *Prædeſtinauit nos*, inquit Apoſtolus, *in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum.* Epheſ. 1. *Sic enim Deus*, inquit D. Thom. 3. p. q. 24. a. 4. *præordinauit noſtram ſalutem ab æterno prædeſtinando vt per Ieſum Chriſtum compleretur terminus prædeſtinationis:* Vt etiam docet, non actum ipſum prædeſtinationis quo ipſe & nos ſimul vno & eodem actu prædeſtinati ſumus cauſando: hanc, inquam gratiam Chriſti vt in eo eſt tanquam in ſubiecto nec eius merita vt præcisè ab illius actibus dependentia non intuemur, ſed vt de eius plenitudine nobis licet accipere, & effectus meritorum eius à nobis participari poſſunt. Hinc illam gratiæ & meritorum abundantiam hîc ſignificari volumus, vt Chriſti gratia à nobis participari & per merita eius nobis applicari poteſt, non autem vt immanens & in eo ſiſtens. His præſuppoſitis.

S. Thom.

Dico primo huius gratiæ & meritorum abundantiam per mare rectè adumbrari: clarum eſt, quia per mare intelligimus. *Congregationeſque aquarum vocauit maria:* ait Scriptura. Ideo cum congregatio gratiarum & meritorum omnis ſit in Chriſto tanquam in capite in omnia membra influente, optimo iure hæc abundantia per mare ſignificabitur. Ita Iſaias cum c. 11. locutus fuiſſet, de plenitudine gratiæ in Chriſto: *Requieſcet* (inquit) *ſuper eum Spiritus Domini &c.* Hanc gratiæ abundantiam Terram inundantem mari comparat cum ait: *Non nocebunt & non occident in vniuerſo monte ſancto meo, quia repleta eſt terra ſcientiâ Domini ſicut aquæ maris operientes.* *Quomodo aquæ maris*, inquit Hieron. *operiunt profunda maris, hoc eſt, terram quæ operta eſt fluctibus, ſic ſcientiâ Domini omnis terra complebitur.* Hæc Hier. Cuius rei euidentiſſimum ſignum, nempe quod ob gratiam Chriſti terra inundetur ſcientia Domini, ponit Propheta quod *Habitabit lupus cum Agno, &c.* Id eſt interpretante Hieron. *quod quotidie cernimus in Eccleſiâ diuites & pauperes, potentes & humiles, Reges atque priuatos pariter commorari, & à pueris parvulis (quos Apoſtolos intelligimus & Apoſtolicos viros, imperitos ſermone ſed non ſcientia) regi in Eccleſiâ.* Hæc Hieron. Et poſtea addit. *Quam diuerſorum prius morum coniunctionem etiam B. Apoſtolus Petrus in vaſe linteo quod de cœlo demiſſum eſt ſe vidiſſe teſtatur, habente 4. principia quæ 4. mundi plagas intelligimus, vt repletam terram Dei ſcientiâ cognoſcamus. In quo vaſe erant quadrupedia & ſerpentes & beſtiæ & volatilia Cœli, vt quod Arca in diluuio hoc Eccleſia præſtet in mundo.* Ita Hieron.

Iſ. c. 11.

S. Hieron.

S. Hieron.

O Mare! ô gratiarum abyſſus quæ in omnes mundi partes diffunditur, quæ omnes hominum conditiones & ætates complectitur, quæ nullum reſpuit talis qualis ſit, modo ex hoc fonte haurire cupiat! *Si quis*, enim clamabat Saluator, *ſitit, veniat ad me & bibat.* *Hæc*, inquit Iſaias c. 48. *dicit Dominus Redemptor tuus, Sanctus Iſraël: Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, gubernans te in via quâ ambulas. Vtinam attendiſſes mandata mea: facta fuiſſes ſicut flumen pax tua, & iuſtitia tua ſicut gurgites maris. Abundantiam*, inquit Hieron. *omnium rerum copiamque ſignificans.*

Dico 2. Non exprimit ſanctus Ioannes cuius potiſſimum liquoris ſit hæc copia & abundantia, ſed qualis ſit ille liquor ſiue aqua ſiue vinum, ſiue balſamum ſiue oleum ſiue lac ſiue ſanguis, vitreus eſt;

Digitized by Google

id eſt ſimilis eſt vitro non ſolido ſed liquefacto, ſicut igitur nec Throni nec ſedentis in Throno figuram expreſſit, ob rationes quas adduximus, ita hic liquorem non exprimit, nec dicit hoc mare (ſi de re contentâ illud intelligimus) eſſe congregationem aquarum, vel ſi craterem ſeu continens repreſentat non dicit quo liquore ſit plenus. Et optime: cum enim participatio gratiæ Chriſti & applicatio meritorum eius per Eccleſiæ ſacramenta habeatur, & aliquando etiam per aquas tribulationis & ſanguinis effuſionem in martyrio, tacet de ſpecie liquoris, vt ad omnes ſe extendat illius maris interpretatio; & modo aquam baptiſmi, pœnitentiæ lacrymas, confirmationis ſeu ordinis balſamum ſeu criſma, vinum ſacrificij, lac paruulorum nempe ſacramento matrimonij addictorum, (quibus tanquam paruulis lac datur, non eſca ſpiritalis doni caſtitatis conceditur) oleum extremæ vnctionis, ſanguinem martyrij cogitemus: Per hæc enim omnia & gratia Chriſti confertur, & meritis ipſius participamus. Nec iſtud gratis digam & quaſi fictile adinuentum exiſtimes. Nam ſi abundantia gratiarum in aduentu Chriſti Domini promiſſa in hoc mari repreſentatur, & hæc ipſa rerum omnium ſpiritalium copia in ſcriptura reperiatur ſub abundantia harum aquarum, quaſi ſub ſymbolis idoneis repromiſſa, non abſurde excogitare poſſumus hoc mare ſymbolicum eſſe quandam congregationem ſeu aquarum, ſeu olei, ſeu vini, ſeu lactis, ſeu ſanguinis: vt probare poſſumus ex plurimis ſcripturæ locis, gratiarum quæ in Chriſto ſunt & à Chriſto emanant copiam per hæc omnia denotari. Mare igitur iſtud optime poterit dici modo vnius modo alterius liquoris abundantia, ſecundum gratiam quæ ex eo hauriri dicetur, pro qua deſignanda aliquis ex his liquoribus in ſcripturâ vſurpatur. De aquâ nulla eſt difficultas quod per eam gratia ſpiritalis ſignificetur. Plurimos locos aggregat D. Hieronym. in Ezechiel. 47. cum de aquis à latere Templi dextro, ſcilicet ad meridiem ſcaturientibus loquitur: *Ex quo*, inquit Hieron. *perſpicuum fit ſacras eſſe aquas, & Saluatoris noſtri ſignificare doctrinam, &c.* De Balſamo Eccl. 24. *Et tanquam balſamum non mixtum odor meus.* De oleo Cant. *Oleum effuſum nomen tuum.* Et Pſ. 4. *A fructu frumenti, vini & olei ſui multiplicati ſunt. Impinguaſti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quam præclarus eſt!* De vino & lacte Iſa. 55. *Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum properate, emite & comedite. Venite & emite abſque argento & abſque commutatione vinum & lac.* Vbi animaduertite, quæſo, quod non abſque ratione Propheta poſtquam inuitauit ad aquas hauriendas, nobis proponit emendum vinum & lac: vt eandem rem diuerſis ſymbolis explicet, nimirum aquæ, vini & lactis: vt ſic multiplices gratiæ effectus ſpeculari nobis liceat, vnde nec abſurdum videri debet ſi hanc liquoris abundantiam in hoc mari deſignatam, modo ſub hac, modo ſub alia ſpecie & forma conſideremus, iuxta proprietatem gratiæ quâ hautire debemus ab hoc limpidiſſimo & inexhauſto fonte, quæ hoc aut illud exigit ſymbolum, vt conuenienter inſinuatur. Nec mirum ſi quod aqua dicitur illud idem vinum, oleum aut lac dicimus: cum iuxta D. Hieron. in hunc Iſaiæ locum, aqua & panis pro eodem ſumi debeant. *Mirumque in modum*, ait D. Hieron. *emunt aquas abſque pecunia, & non bibunt eas ſed comedunt. Ipſe enim aqua & panis eſt qui de cælo deſcendit. Ergo quod in quibuſdam exemplaribus legitur: Emitte & bibite: ab imperitis Scriptoribus immutatum eſt, qui putauerunt eſſe conſequentius ſi biberentur potuis aquæ quàm comederentur.* Ita Hier. Sicut igitur tranſitio fit ab vno ſymbolo aquæ nimirum ad aliud nempe panis cum aquam comedi non bibi à Propheta diſcimus, nihil alienum à Maieſtate Scripturæ ſanctæ dicitur cum ſub hoc mari abundantiam cuiuſlibet liquoris gratiam Saluatoris exprimentis hic ſignificari pronunciamus. De ſanguine denique illam abundantiam S. Ioannes c. 14. affert cum ait: *Et exiuit ſanguis de lacu vſque ad frænos equorum.* Talem futuram eſſe prædicit Ioel. c. 2. hanc ſanguinis copiam, vt futura ſit etiam in prodigium: *Et dabo prodigia in cælo & in terra, ſanguinem & ignem & vaporem fumi.*

Hæc autem ſymbola omnia percurremus, vt melius intelligamus quaſnam cœleſtes gratias hoc mare contineat. Si quis igitur gratiam quæ per Baptiſmum ex hoc mari gratiarum cœleſtium hauritur conſiderare voluerit, cogitet illud eſſe fontem à Zacharia repromiſſum c. 13. *In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Hieruſalem, in ablutionem peccatorum & menſtruatæ.* Hic fons, inquit D. Hieron. *de domo Dei egrediens refertur ad Eccleſiam & ad ſcientiam Scripturarum, vt omnes renaſcamur in Chriſto, & in aqua baptiſmatis noſtra nobis peccata donentur. Nihil immundius menſtruatâ, quæ quidquid attigerit immundum facit, & huius tamen ſordes Chriſti abluuntur baptiſmate. Pro ablutione peccatorum & menſtruatæ: 70. tranſtulerunt, tranſmutationem & aſperſionem: quod de lege tranſeamus ad Euangelium, de litterâ ad ſpiritum, de vmbra ad veritatem, pro brevibus & præſentibus futura & æterna ſuccedant. Aſperſio autem ſanguinem Domini ſignificat, de quo & Petrus Apoſtolus loquitur: Gratia vobis & pax multiplicetur, in obedientiam & aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti, &c.* Hæc Hieron. Vnde rectè quidam interpretes hoc mare de baptiſmo intellexerunt, vt Primaſius. *In mari*, inquit, *vitreo intelligitur baptiſmus, vbi corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem: propter fidem quippe refertur ad vitam: non enim aliud in vitro videtur exterius quàm quod geſtat interius.* Et Dionyſ. Carth. *Baptiſmatis ſacramentum in quo ſubmergitur exercitus vitiorum, ſicut in mari rubro exercitus Ægyptiorum: quod inſtar vitri pellucidum eſt, animumque clarificat: per quod velut per vitrum ſplendor ſolis iuſtitiæ mentem ſubintrat, &c.* Ita Dionyſ. De Baptiſmo etiam illud mare intelligunt Rupertus lib. 3. & Richardus à Sancto Victore lib. 2. & Haymo in Apoc. lib. 2. *Per mare autem debemus intelligere baptiſmum, teſtante Apoſtolo qui dicit: quoniam Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes baptiſati ſunt in nube & in mari.* Hæc ille.

Hoc extendere facile poſſumus ad pœnitentiæ Sacramentum cum Dionyſ. Carth. qui ait: *Quidam per mare vitreum ſimile cryſtallo, intelligunt pœnitentiæ ſacramentum: in quo eſſe debet fons lacrymarum. Si autem fide per Baptiſmum receptâ illuminatus doctrinam Euangelicam & myſteriorum cognitionem ex hoc fonte ſcaturire cogites, reuoca in mentem torrentem illum Ezechielis qui tranſuadari non poteſt: quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, quem de doctrina Saluatoris D. Hieronymus vt vidimus interpretatur.*

Si fortitudinem ad debellandos hoſtes Chriſtiani nominis ab eo fonte emanare optimè cenſeo, illud oleum in mentem veniat de quo ait Propheta Pſ. 4. *A fructu frumenti, vini & olei ſui multiplicati ſunt. Olei, additum*, inquit Genebrardus in hunc Pſalmum, *propheticè à 70. propter myſterium, neque enim ſolùm præter vinum & frumentum materiam Euchariſtiæ, ſed & oleum ſine criſma, cuius vſus eſt maximus in ſacramentis è Dionyſio Areopagita in Eccleſia Hierarch. & Arnobio.* Ita Genebrard. v. g. in ceremoniis Baptiſmi, in Confirmationis Sacramento, in Sacramento Ordinis & Extremæ Vnctionis: vt mirum videri non debeat, ſi cum tot ſpecialia auxilia gratiæ à

Ezech. 47. — S. Hieron. in Ezech. 47.
Eccleſ. 24. — Eccleſ. 24.
Pſ. 4. — Pſ. 4.
Iſ. 55. — Iſ. 55.
Vinum & lac. — Vinum & lac.
S. Hieron. — S. Hieron.
Apoc. 14. — Apoc. 14.
Ioel. 2. — Ioel. 2.
Zach. c. 13. — Zach. c. 13.
In mari Baptiſmus deſignatur apud Primaſ. Dion. Cart. Rupert. Richar. Hay.
Ad pœnitentiæ Sacramentum extendit Dion. Cart.

Chriſto tanquam à fonte per Sacramenta hauriamus, hoc mare cujuſlibet gratiæ quæ à Chriſto manat ſymbolum, olei, ballami, criſmatis, vnguenti pretioſi, congregationem & abundantiam eſſe dicamus. Copioſa quippe debet eſſe & abundans huius olei congregatio, quo Chriſtiani in initio Chriſtianiſmi & in exitu vitæ inunguntur; quo Chriſti milites roborantur; quo Sacerdotes conſecrantur. *Sicut vnguentum in capite quod deſcendit in*
Pſ. 132. *Barbam Barbam Aaron.* Pſ. 132. *Quod deſcendit in*
Pſ. 22. *oram veſtimenti eius.* Vnde in alio Pſalmo canebat: *Impinguaſti in oleo caput meum*, Pſ. 22. caput meum nempe Pontificem. Pontifex enim & Sacerdos in corpore Eccleſiæ myſtico capitis locum tenet. Alterius liquoris quam olei abundantiam nobis Prophe-
B ta proponit cum addit: *Et Calix meus inebrians quàm præclarus eſt!* nempe illius vini dulciter & ſuauiter inebriantis, quod nobis emendum offert Iſa. c. 55.
Iſ. 55. Quod expendens D. Hieron. ait: *Spreto igitur illo*
S. Hieron. *argento & pecunijs, quibus aquas Domini emere non poſſumus, pergamus ad eum qui tenens Calicem Sacramenti diſcipulis loquebatur: Accipite & bibite: hic eſt ſanguis meus qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum. Quod vinum miſcuit & ſapientia in cratere ſuo, omnes ſtultos ſæculi mundique ſapientiam non habentes pronocans ad bibendum.* Ita Hieron.

Zachar. 9. Hoc idem eſt de quo Zachar. 9. *Quid enim bonum eius eſt? & quid pulchrum eius? niſi frumentum electorum & vinum germinans Virgines.* Qui, inquit
C Hieronymus, *frumentum eſt electorum ſiue iuuenum, ipſe eſt vinum quod lætificat cor hominis, & bibitur ab his Virginibus quæ ſunt ſanctæ & corpore & ſpiritu: vt inebriatæ atque gaudentes ſequantur Eccleſiam, & dicatur de eis: Adducentur Regi Virgines poſt eam, proximæ eius afferentur tibi: afferentur in lætitiâ & exultatione. Quomodo enim lætitiam non habebunt quæ inebriatæ poculo Saluatoris generantur in Virgines?* Ita D. Hieron.

Iſ. 55. Lactis etiam copia promittitur Iſa. 55. *Quod*, inquit
S. Hieron. S. Hieron. *ſignificat innocentiam parvulorum, qui mos ac typus in Occidentis Eccleſijs hodie vſque ſeruatur, vt renati in Chriſto vinum lacque tribuatur.* Ita Hier. Cuius lactis ſignificationem ad gratiam quæ per ſacramentam Matrimonij coniugatis tribuitur, totum id quod illius vinculi ſanctitatem ſpectat extendimus: tum quia lac videtur eorum qui infirmiores ſunt alimentum, dicente S. Paulo: *Non po-*
1. Corint. 3. *tui vobis loqui quaſi ſpiritualibus ſed quaſi carnalibus: tanquam parvulis in Chriſto lac vobis potum dedi non eſcam.* 1. Cor. 3. vnde Corinthiis quaſi infirmioribus compatiens concedit c. 7. Matrimonij vſum ſecundum indulgentiam non ſecundum imperium: vellet enim eos eſſe ſicut ſeipſum, & melius eſſe iudicat non iungi matrimonio quam eius vinculo alligari: Tum quia ſicut lac ex clemente Alexand. pædag.
Clem. Alex. lib. 1. *Cum miſcetur vino dulci fit vtilis mixtio, veluti contemperata affectione ac incorruptione. Lac enim à vino*
E *finditur & quidquid eſt eius adulterinum id tanquam per aquæductum educitur.* Ita Clemens. Sic conceſſio illa & indulgentia vt ad matrimonium conuolare poſſimus, ſi miſceatur gratiæ ſacramentali, quidquid vitio aliàs verteretur fit licitum, imo & ſanctum, &
S. Auguſt. vt docet D. Aug. contra Iulianum lib. 4. *Non parum domum eſt Dei ita frenare hoc malum (nempe concupiſcentiam) vt ad nihil relaxetur illicitum, ſed generationi tantum regenerandorum ſeruiat filiorum: eius quippe impetus non ſua ſponte moderatus eſt, à nullo namque illicito ſeſe abſtinet ſi membra deſiderio eius inſeruiant, ac per hoc eius modus in ipſo cuius inquietus eſt motus, ſed refrænante ac bene vtente laudatur.* Hæc Aug. Et poſtea: *Pudicitia*, inquit, *coniugalis inhiantem concupiſcentiam ſiue de illicito ſiue de licito percipere voluptatem frenat ab illicito, permittit ad licitum,* &c. En vinum lacte mix-

A tum, nempe illud donum Dei, pudicitia coniugalis: mixtum cum illa permiſſione vſus matrimonij, quo ſereſcunt & deficcantur ſeu finduntur & ſeparantur à legitimo matrimonij vſu illicitæ concupiſcentiæ, vt homo ad æternitatem contrahatur; & quæ ſancta & pudica ſunt ob oculos ſemper habeat: licet tabulis matrimonialibus conſtringatur, *Belligerat quippe,*
S. Auguſt. ait Auguſt. contra Iulianum lib. 3. *pudicitia coniugalis contra carnalem concupiſcentiam, ne limites Thori nuptialis excedat. Belligerat ne definitum ex conſenſu coniugum orandi tempus irrumpat: & ſi tantas vires habet iſta pudicitia coniugalis, tantumque donum Dei eſt vt faciat quod præſcribant matrimoniales tabulæ, in ipſo quoque thoro coniugali conflictu fortiori belligerat, ne vltra quàm generandis filijs ſatis eſt etiam ipſum coniugis corpus attrectet. Talis pudicitia nec menſtruatis nec grauidis vtitur fœminis, nec eius ætatis qua certum eſt eas iam concipere non valere. Nec enim prorſus concumbendi vincit affectus, ſed tunc relaxatur cum ſperatur generationis effectus. Si quid verò ſit in coniuge non quidem contra naturam, ſed tamen quod tabularum matrimonialium limitem tranſeat, veniale apud Apoſtolum reperitur: quia nequaquam coniugalis limes carnis excediur; ſed tamen vt etiam ipſe non excedatur contra concupiſcentiæ malum dimicatur.* Hæc Auguſt.

Denique vt finem his imponamus, ſi ponderemus maximè nos honore affici ſi in calice Domini bibamus, ſanguinem proprij amore fundendo, cum
C hanc gratiam meditandam nobis tanquam ab hoc mari emanantem propoſuerimus, rectè ſanguinis abundantiam pro liquore huius maris cum Ioële aſſumemus. *Quod autem*, ait S. Hieron. in Ioëlem c. 2.
S. Hieron. in Ioelem. *dicit ſanguinem & vaporem ſiue vapores ſumi, ſanguis ille eſt de quo in Pſalmis legimus: Vt intingatur pes tuus in ſanguine. Et in Iſaia. Quam rubicunda ſunt veſtimenta tua; & quem percuſſo latere ſaluatoris mixtis aquis Romanus miles effudit.* Ita Hieron. Vnde apparet quid nobis per ſanguinem repræſentare poſſumus, nempe Domini paſſionem, cui participare debemus pro eo patiendo, & mortem ſi opus eſt libenter appetendo. *Communicantes Chriſti paſſionibus gaudete,*
1. Petrus 4. inquit Diuus Petrus 1. cap. 4. *Vt & in reuelatione*
D *gloriæ eius gaudeatis exultantes, &c.* Vnde apparet qua ratione Clemens Alexandrin. ſanguinem diuitem appellarit lib. 1. pædagog. nempe. *Quia*, vt ipſe ait, *Sanguis Verbum nobis deſignat: tanquam enim dives ſanguis Verbum eſt infuſum vere αἷμα γὰρ τὸν λόγον εὐπάτριδα ὁ λαὸς αἷμα πλούσιον ὁ λόγος ἐπιπέπωκεν τῷ βίῳ.* Et vt poſtea ait: *Sanguis & lac, paſſionis & doctrinæ ſignum eſt, ac ſymbolum.* Si hoc modo dives eſt ſanguis noſter cum pro Chriſto effunditur vt in eo verbum infundatur, ô quam gloriosè de carne & mundo, & diabolo nobis triumphare licebit! hac ratione certè de eorum numero erimus de quibus poſtea ſanctus Ioannes dicet eos ſtare ſupra mare vitreum
Clem. Alex. & cantare, *Magna & mirabilia ſunt opera tua, Domine*
E *Deus omnipotens. Iuſtæ & veræ ſunt viæ tuæ Rex ſæculorum*, Et vt addit Clemens Alexand. lib. 1. pædagog. *Vnicuique noſtrum qui infantes ſumus licebat Domino gloriari & eloqui: Patre bono talique ex ſanguine glorior eſſe.* Ita Clem. *Si exprobramini*, dicebat Apoſtolus 1. Pet. 4. *In nomine Chriſti, beati eritis: quoniam quod eſt honoris, gloriæ & virtutis Dei, & quis eſt eius ſpiritus ſuper vos requieſcit, &c.* Vides igitur quomodo hæc ſymbola aquæ, vini, olei & cæterorum, plurimas gratias à Chriſto emanantes rectè ſignificent.

At ſi quis obiiciat abſque vlla ratione alium ab aquâ liquorem excogitari, cum ſtatim atque vocabulum hoc, mare, aures pulſauerit, nullius alterius rei ideam intuendam nobis proponimus, quàm huius congregationis aquarum, quæ eſt notiſſima, & quæ tam vſitato nomine mare appellatur; Reſpon-

Digitized by Google

deo hoc verum esse alibi, sed cum mare vitreum esse dicit, iam cogitationem abstrahit ab eo mari naturali, vt quid aliud meditemur. Adde quod plurimi interpretes per mare, craterem intelligunt, vt de Alcazare diximus. Et Haymo lib. 2. in Apoc. *Mare*, inquit, *appellat craterem: legimus enim quod Salomon fecerit mare, id est laterem.* Liberum autem esse videtur cuilibet hunc aut illum liquorem seligere, quo luterem repleri sibi persuadeat. Denique cum mare illud, vel aquarum, vel olei, vel alterius liquoris abundantiam dicimus, nihil aliud volumus quàm omnes omnino gratias supernaturales (quæ à Christi plenitudine & de eius fontibus hauriri possunt, & per aquam, balsamum, oleum, chrisma, vnguentum, vinum, lac & sanguinem, in scriptura significantur) per istud mare vitreum nobis considerandas proponi.

Cur vitreum mare illud dicitur: & cur Crystallo tantùm simile. §. 5.

Vitreum dicitur non solùm ob pelluciditatem aut perspicuitatem, sed ob alias etiam quas mox dabimus rationes: non quod fuerit quasi aqua congelata, ad modum glaciei quæ vitrum iam induratum repræsentet: Dixisset potius sanctus Ioannes massam vitream quam mare vitreum, vt mihi videtur; vel mare glaciale, aut quid simile. At cum dixerit, *mare vitreum*, per mare intelligit quandam infinitam propemodum abundantiam, & talem quæ ex coadunatione & congregatione plurium coalescat: veluti mare est congregatio quodammodo fontium & fluminum quæ in illud redeunt & confluunt tanquam in natiuam originem. Vitreum autem illud mare dicitur, quia placidum est, nec actu agitatur aut motu illa congregatio liquorum, quamuis secundum se sit mobilis si ab aliquo externo agente moueatur. At cur sanctus Ioannes potius respexerit ad fluiditatem vitri liquefacti placidè conquiescentis, quàm ad fluiditatem aquæ cum mare nullo vento commouetur, nobis inquirendum est, &

Dico 1. Liquor non naturalis sed artificialis pro symbolo assumitur: quia totum istud quod his symbolis repræsentatur non est opus naturæ, sed artis. Sapientiæ enim diuinæ quæ omnium est artifex opus est hominum sanctificatio, illiusque sunt adinuentiones media illa quibus sanctitatem nanciscuntur, & ad finem supernaturalem tandem perducuntur.

Dico 2. Non cuilibet liquori ex arte & industriâ composito hoc mare comparatur, sed vitro. Primo vt opus redemptionis & sanctificationis hominum à diuina sapientiâ adinuentum, appareat opus esse ardentissimæ & flagrantissimæ charitatis Dei in homines. Nam sicut oportet vt calore vehementi & ardentissimo materia vitri liquefiat, ita oportuit vt Deus ardenti conflagraret charitate erga homines, vt tot tantasque gratias in genus humanum profundat, naturamque nostram in Christo quodammodo deificet: itaut hanc naturæ cum verbo vnionem quidam Patres liquefactæ ceræ inuicem commixtæ comparare voluerint, non quasi quid confusum in hoc mysterio reperiatur, cùm proprietates vtriusque naturæ integræ remanserint post vnionem; sed vt communicationem idiomatum seu proprietatum explicent, quæ ex intimâ vnione naturæ humanæ cũ diuinâ exsurgit, itaut homo Deus dicatur & Deus homo sit & indigitetur. 2. Vt discamus Deum parata habere quædam media quibus ad libitum vti potest vt homines sanctificet, eosque tales quales exoptat efficiat, sicuti vitrum liquefactum materia est idonea ad diuersa vasa efficienda pro libero arbitrio artificis. 3. Propter modum quo artifex mirâ industriâ illa vasa efficit solo videlicet flatu & rotatione cuiusdam instrumenti: ita summa Dei sapientia solo sermone vniuersa perficit, ita vtendo creaturis suis vt per quamlibet earum faciat quodlibet, & sicuti ab eo omnia procedunt vt à principio, ita ad eum reuertantur vt ad vltimum finem: Dixit enim & factum est, mandauit & creatum est: cuius quidem facilitatis specimen dare voluit, cum Apostolis rei difficillimæ absoluendæ, nempe hominum peccata remittendi potestatem dedit: insufflauit enim, & antequam diceret: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Hac siquidem insufflatione significauit quod solo halitu, id est, voluntate ac mirâ facilitate nempe verbo omnia perficit. *Omnia enim quæcumque voluit Dominus fecit in Cælo & in Terrâ, in mari & omnibus abyssis.*

Dico 3. Vitreum dicitur illud mare, vt nos doceat sanctus Ioannes Dei sapientiam admirabili artificio rem de se vilissimam ad magnam nobilitatem euexisse, naturam humanam ad diuinæ naturæ consortium euehendo; elementarem aquam aliaque materialia, vt oleum & crisma, & verba quædam prolata, in instrumenta summæ suæ potentiæ eleuando, vt admirabiles effectus per eadem producat; quosdam homunciones vt arena mobiles & viles sua gratiâ condecorando, eosque auctoritatis & potestatis suæ participes efficiendo, vt sicut miro artificio ex herbis quibusdam vilibus, alioquin & arena vitrum, artis humanæ nobilissimum opus conficitur, ita ex rebus in comparatione rerum supernaturalium ac diuinarum contemnendis, nobilissima suæ artis diuinæ opera producit. Ac si diceret sanctus Ioannes: Hoc mare inexhaustum gratiarum est vitreum, quia per instrumenta infirma & ignobilia de se, hominibus omni gratiâ indignis eædem communicantur gratiæ, quæ homines splendidiores vitro & nitidiores reddunt: vt sic omnibus innotescat multiformis Dei sapientia, quæ ardentissimâ erga homines flagrans charitate, *infirma mundi elegit vt confundat fortia, & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt vt ea quæ sunt destrueret.* 1. Cor. 1. Et reuerâ quis merito mirari non debeat, homines fragiles & infirmos ad tantam gratiam peruenire ex participatione meritorum Christi, vt & splendorem chrystalli eiusque firmitatem tandem obtineat? Quis optimo iure non obstupescat, videndo & Ecclesiam quamuis ex peccatoribus compactam & coadunatam, per Christi gratiam exhiberi sponso sine maculâ aut rugâ, in doctrina quam prædicat, in sacramentis quæ administrat, in cæremoniis quibus vtitur, in fine ad quem adspirat, in mysteriis quæ tractat, in functionibus & ministeriis quæ exequitur, in præcipiis suis membris quæ in exemplum aliis exhibet imitanda, donec cuncti fideles prædestinati ad statum immutabilitatis, immortalitatis, puritatis, sanctitatis, dignitatis & honoris claritatis æternæ tandem perueniant? vt verè dicantur similes crystallo: similes inquam, vt sciamus eos nondum crystalli omnimodam proprietatem esse adeptos, cum adhuc varijs sint obnoxij vicissitudinibus & mutationibus, sed quia ob splendorem virtutis & gratiæ illius firmitatem tandem sunt consecuturi, cum educet Deus quasi lumen iustitiam eorum, & iudicium eorum tanquam meridiem: Vel quia propter donum perseuerantiæ, licèt fluiditatem ex se habeant electi, id est, capaces sint à gratia excidere, tamen quia speciale donum perseuerantiæ ex hoc fonte sicuti & cætera dona hauriunt, hæc eorum gratia similis crystallo dicitur, quia firmitatem inducit. Hinc optimè Dionys. Carthus. de sacramento Baptismi illud mare interpre-

Digitized by Google

Dionys. Carth. rans ait: *Simile est Crystallo ratione sui effectus, ab omni culpâ ac pœnâ emundat, omnium virtutum atque donorum speciositatem inducit. Rursus in Crystallo quod ex nimiâ congelatione non fluit neque resoluitur, assimilatur baptismus* (hic iuxta nostram interpretationem assimilatur gratia seu donum perseuerantiæ à Christo fonte haustum) *ob sui effectus soliditatem, nam indelebilem characterem imprimit vnde nec iteratur.* Ita Dion. Aliam assigno soliditatis rationem ad mentē nostram, nempe quia per donū perseuerātiæ nos ad immutabilem gloriam adipiscendam præparat ac disponit hæc gratia ab hoc mari omnium donorum Dei fonte hausta. Denique illæ gratiæ quæ ab hoc fonte hauriuntur similes dicuntur Crystallo, quia videlicet non dantur cum vltimo earum effectu, nisi iis qui per multas tribulationes intrare debent in Regnum cœlorum. Nam sicut crystallus suam soliditatem non adipiscitur nisi nimia congelatione aut ardentiori calore, ita donum perseuerantiæ non tribuitur nisi iis qui rigorem hyemalem afflictionum, vel æstus & calores nimios persecutionum patienter toleranerunt, nam afflictionibus & persecutionibus disponuntur ad gloriam, cum actibus humilitatis & patientiæ ac bonis operibus hoc modo quasi saginantur, cum à Deo pane lacrymarum quodammodo pascuntur iuxta illud: *Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in mensurâ.* Psalm 74.

Ps. 74. Genebrad. *Metaphora*, inquit Genebrard. *de calamitatibus tristibus & exilijs acerbis, sic panis lacrymarum qui cum dolore & fletu sumitur à lugentibus: Chald: cibasti nos panibus fletu intinctis, & bibere fecisti nos vinum lacrymis affluens in mensurâ, abundè, largiter: quasi dicat tripliciter:* Hæc Genebrard. Hinc canebat Dauid Ps. 149. *Mittit Crystallum suam sicut buccellas:* Id est interpretante Genebrardo, *Mittit Crystallum siue aerem glaciem sicut buccellas: ad pascendum, alendum, saginandum perinde ac si mitteret buccellas panis. Glacies est aquea, & tamen terram pascit & saginat instar buccellarum siue panis per buccellas sumpti*, Ita Genebrardus. Et bene tribulationes quæ in bonum cedunt fidelibus dicuntur buccellæ nutrientes & saginantes. Dei enim benignitate hoc fit, vt quæ aduersari videntur suppetiæ sint ad

Ps. 140. salutem. Videt Ezechiel. c. 1. Electrum in medio ignis, *Vt post*, inquit D. Hieron. *iudicium & tormenta quæ patientibus tristia videntur & dura, pretiosus electri fulgor appareat, dum prouidentia Dei omnia gubernantur & quæ putatur pœna medicina est.* Hæc Hieron. Similes igitur sunt gratiæ, quæ per partes hauriuntur, Crystallo; quia plerumque dantur cum persecutionibus iuxta Domini verbum Marc. 10. Vbi centuplum repromittit cum persecutionibus, iis qui reliquerint domum, fratres ac sorores & quasi diceret: Non quasi pigri & inertes aut pusillanimes adepturi estis Regnum Cœlorum, cum centuplum vobis tribuam in hoc mundo & in futuro vitam æternam retribuam; sed quasi magnanimes gratiam meam possidebitis, hanc enim & gloriam per multas tribulationes & persecutiones adepturi estis.

Ezechiel. c. 1. S. Hieron. Marc. 10.

Quod si hoc mare intelligas de vase aliquo, in quo aqua vel alius liquor contineatur, quære apud Alcazarem & Cornelium à Lapide in hunc locum, pulchras allusiones cum vase vitreo, cum baptismo aut pœnitentiæ sacramento. Tantum addo illud mare dici esse in conspectu Throni, quia nemo hauriet ex his fontibus saluatoris salutem finalem & æternum, nisi qui Ecclesiæ fuerit vnitus & ab ea vt filius recognitus. Optimè siquidem Primasius nec inaniter, in conspectu Throni hoc baptisma esse commendat, *Quia possunt hoc hæretici quoque foras habere vel dare, sic ergo dicit, in conspectu Throni, sicut Moysi dictum legimus: Est locus penes me. Vel ipse in Deuteronomio præmonet dicens, In loco quem elegerit Dominus Deus tuus vt haberet nomen eius ibi: Quibus omnibus singularem Ecclesiæ declaratam nouimus vnitatem, vbi baptisma Trinitatis haberi poterit ad salutem: quod foris generatur habet ad perniciem non quia malum est quod datur, sed quia malè vitur cui datur: sicut buccella manu Domini Iudæ porrecta.* Hæc Primasius. Quod ille auctor de baptismate dixit, hoc de quolibet dono siue naturali siue supernaturali, quod de plenitudine Christi haurire possemus. Non enim proficiet ad salutem donum linguarum aut miraculorum aut propheriæ, si sit extra vnitatem Ecclesiæ: & hac ratione admonendi hic sacerdotes simplices non posse ab hoc mari haurire iurisdictionem & absoluendi à peccatis valide auctoritatem, nisi sint in conspectu Throni, id est, nisi sint ab Episcopis suis approbati.

Primas.

De quatuor animalibus in medio sedis & in circuitu sedibus.

Et in medio sedis, & in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis, ante & retro, &c.

ANNOTAT. X.

Idea Symboli.

OLIM Deus quinto die creationis terum dixit: *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram sub firmamento cæli*; Creatisque hac ratione piscibus & auibus benedixit eis dicens: *Crescite & multiplicamini & replete aquas maris, auesque multiplicentur super terram.* Gen. 1. Opus proculdubio mirabile, quod ex aquis & aues volantes & pisces natantes produxerit. At aliquid video in hac Ecclesiæ Christianæ primæua origine mirabilius effici. Ecce quasi ex hoc mari vitreo prodeunt in medium prodigiosa quædam animalia. *In conspectu sedis*, inquit, *tanquam mare vitreum simile Chrystallo: & in medio sedis & in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante & retrò.* Post mentionem maris vitrei, statim & immediatè animalia describit: suspicandum relinquens talia ab hoc mari produci, quomodo olim aquæ produxerunt & pisces & aues.

Gen. 1.

Qualis autem sit idea 4. animalium variæ sunt hac de re sententiæ. Duo sunt ponderanda potissimum: primum locus quem accipant in Throno isto magnifico. Secundum, singulorum figura. De loco iam diximus in annotatione prima huius cap. §. 1. de ideâ Throni. Qualis sint figuræ nobis inpræsentiarum enucleandum est. Tres sententias de hac re adducit Cornelius à Lap. Prima est singula animalia habuisse tantum faciem & figuram humanam, sed alas Aquilæ, iubas leonis, vngulam bouis; ac siquis homo se his alis, iubis & vngulis vestiret. Secunda sententia est 4. hæc animalia tota & integra talia fuisse qualia hic nominantur versu primo v. g. animal quod dicitur simile leoni, habuerit capur, pectus, iubas, pedes, omniaque membra leonina: sic & secundum vituli, & tertium hominis, & quartum Aquilæ. Tertia sententia est 4. animalia non integra fuisse sed tantum capita animalium, quoad cætera enim membra habuisse speciem & figuram humanam (erant enim animalia non vera & naturalia sed symbolica & hieroglyphica;) Primum ergo animal habebat caput leonis, alas senas, ac plenum erat oculis: quoad pectus, femora tibias, pedes, brachia, manus & cætera omnia erat homo. Sic secundum habebat caput vituli, quartum Aquilæ cum senis alis, & plenum erat oculis: quoad omnia cætera erat homo. Secunda sententia probabilis videtur quia communis est & vulgata: & quia nec sit absurdum sancto Dionysio de cœlesti Hie-

Idea 4. animalium. Cornel.

rarch. c. 15. dissimilibus similitudinibus animalium, A proprietates & corporeas effigies cœlestibus naturis etiam accommodari: & quia religiosè standum est & adhærendum firmiter in his symbolis textui & litteræ, quibus Christus per Agnum (prodigiosum licet) quippe qui habeat 7. oculos & 7. cornua repræsentatur; Quia sicut Spiritus sanctus olim in formâ & figura columbæ visus est descendere de cœlo & super Christum manere, quia inquit S. Ioannes. *Vidi spiritum descendentem quasi columbam de Cœlo, & mansit super eum.* Ioan. 1. Mirum videri non debet si Aquilam aspiciamus super Thronum volitantem. Quædam tamen difficultas occurrit, nempe qua ratione teneant phialas & cytharas, nisi eis manus ad modum hominum & brachia assignauerimus. B Vnde existimandum videtur, aliquid figuræ humanæ proprium iilis tribuendum esse, vt pote manus & brachia: vbi alioquin ea præstare commodè non valerent quæ illis affinguntur. Nec enim absurdius est quod manus habeant & brachia humana, licet in cæteris similia videantur leoni aut vitulo aut Aquilæ, sicuti non est absurdum quod Agnus 7. oculos habere dicatur, quamuis duo sufficerent vt naturali Agno conformis existeret. In his enim symbolis, spectandum est non quod natura rerum quæ in symbolum assumuntur purè & simpliciter exigit, sed quod is qui ea assumit ipsis affingit, vt mentem suam melius inculcare valeat, & quæ docere vult & repræsentare magis distinctè doceat & expressiùs objiciat ac repræsentet: Et in hoc Textui & litteræ adhæremus. Rectè enim colligitur ex littera: si tenent citharas & phialas, ergo manus habent quibus & cytharas tenere & eas pulsare valeant. Nec enim vitulus commodè vngulâ bifissâ & cytharam teneret eamque pulsaret. Plura vide apud Cornelium à Lap. Nec in his diutiùs immorandum censeo, cum hæc sufficiant ad sensum symboli huius inueniendum. Ad cætera properamus.

Tres angulos tenebant Throni triangularis, vt diximus, supra tamen Aquila volitat, & sic sunt in circuitu Throni & in medio, cum supra medium Throni in quo Agnus tanquam occisus videtur quasi cum cooperiens Aquila cernitur habens alas senas quibus volare possit & ad imperium sedentis vndequaque ferri: & modo stabant quasi volaturi, parati ad omnem Dei nutum, vt eius iussa statim exequerentur; modo in facies procidunt coram Agno, vt cap. 5. Ante & retrò, sub alis & extrà, circumcirca plena erant oculis, erant proximi Throno Dei. Denique non habebant requiem, sed iugiter cantabant Deo: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Hæc est idea quatuor animalium, quam ex littera scripturæ possumus colligere. Ad mysteria huius symboli meditanda & inquirenda transeamus. Et miror eos qui volunt eadem animalia esse Ezechielis, & Ioannis Aquilam in vno angulo collocare: cum apud Ezechielem dicatur eam esse desuper: *Et facies Aquilæ desuper ipsorum quatuor:* Quod idem est ac si diceret: Superiorem locum inter quatuor tenebat Aquila; Et Ioan. dicat: *Et quartum animal simile Aquilæ volanti*; Ergo non in pedes consistenti: Et cum de figura hominis dicitur: *Habebat faciem quasi hominis*, est vt sciamus hominem non repræsentari hic vt compotem rationis, sed in quantum est animal præditum sensibus, vt sic cum aliis quæ gerunt figuram animalium ratione carentium conueniat.

Quo in loco throni vnumquodque animal collocandum.

Cum plurimæ sint huius symboli interpretationes, quanam ratione Verisimilem eius sensum eruere è tot latebris poterimus. §. 2.

Decem affert huius loci interpretationes Cornelius. De 4. Patriarchalibus sedibus, Hierosolymitanâ, Antiochenâ, Alexandrinâ, Constantinopolitanâ. De 4. virtutibus Cardinalibus. De 4. viribus seu facultatibus animæ rationali, irascibili, concupiscibili & conscientiâ seu spiritu. De Christo carnem assumente, Patiente, Resurgente, in Cœlos ascendente. De 4. Ecclesiæ Doctoribus Gregorio, Ambrosio, Hieronymo, Augustino. De qualitatibus bõni Prælati, nempe fortitudine eius impigro labore, Clementia, contemplatione. De 4. mundi elementis. De quatuor attributis diuinæ prouidentiæ, nempe fortitudinis, velocitate, suauitate, longanimitate seu patientiâ. De quatuor Euangelistis, quin & de viris maioris perfectionis & dignitatis. Vndecimam addit de quatuor Angelis primariis Stipatoribus, Principibus & administratoribus Dei circa curam Ecclesiæ, ac circa salutem ac regimen hominum totiusque mundi; quas fusius explicatas apud eum reperies. Prolixum esset nimis de vnaquaque interpretatione differere; tamen vt quæ verisimilior haberi valeat facilius expendamus, 6. Regula à nobis in Proœmio allata in memoriam reuocanda est: quâ statuimus finem ac scopum huius libri esse vt de Christo Domino fidele reddatur testimonium, id est, quid de eo credendum sit ac prædicandum, vt honor ei debitus ab omnibus ipsi adhibeatur clare manifestetur.

Decem huius symboli interpretationes ex Cornel. a Lap.

Duobus autem modis hoc testimonium redditur: primo auctoritate quâ Ecclesia pollet ad prædicandum & disseminandum Dei verbum, propter quam C dicebat Dominus Apostolis: *Euntes prædicate Euangelium omni creaturæ*, seu, *ita docete omnes gentes, &c.* ad diuina Sacramenta hominibus administranda, propter quam dicuntur mysteriorum Dei dispensatores, & præcipitur eis vt baptisent credentes, *in nomine Patris & Filij & Spiritu sancti*; ad regimen politicum & externum Ecclesiæ, propter quam dicebat Apostolus, *In quo Vos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei.* Act. 20. 2. Sanctitate quadam eximia *Act. 20.* & præcellenti, per quam Christi nomen confiteri coram hominibus non erubescant, dicente Domino: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, & ego confitebor eum coram patre meo.* Et rursum præcipiebat D Apostolis: *Sic luceat lux Vestra coram hominibus, vt videant opera Vestra bona & glorificent patrem Vestrum qui in cœlis est.* Et iterum: *in hoc cognoscent quod mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem.* In hac autem dilectione consistit legis plenitudo. Cur autem hæc Regula in memoriam reuocanda sit ratio manifesta est, nempe, vt ad hanc amussim quamlibet harum interpretationum expendamus: Quò enim melius aliqua ex his de Christo testimonium reddet, eò propius finem totius reuelationis attinget, & proinde erit melior. Nam pars cuiuslibet operis toti operi respondere debet. Quo igitur clarius interpretatio alicuius partis huius Prophetiæ Christi Domini gloriam speculandam tradet, eò germaniorem & genuinum dicetur continere sensum; siue auctoritatem quandam proponat quæ ad hanc manifestationem plurimum conducat; siue sanctitatem aliquam excellentem depingat, in qua quasi ad viuum depicta appareat imago illa Christi, de quâ Apostolus Rom. 8. *Nam quos præscinit & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Vtroque enim modo de Christo Domino illustre redderur testimonium. His præsuppositis inquirendum.

Rom. 8.

Quid igitur tandem per 4. animalia significetur. §. 3.

Dico igitur primo mundum siue magnum siue paruum, ex 4. Elementis consistentem hic S. Ioannes per 4. animalia minime describit: Ea enim quæ sunt superioris ordinis seu supernaturalis tantum

Digitized by Google

reſpicit. Eadem ratione à germanâ interpretatione explodéda arbitror ea quæ per 4. animalia intelligit Cornelius à Lap. 4. facultates animæ humanæ, rationalem in homine, iraſcibilem in leone, concupiſcentiam in vitulo, ſyndereſim in Aquila: hæc enim omnia tantum poſſunt per ſenſum accommodatitium tolerari. Idem dicendum ſi de 4. virtutibus Cardinalibus interpreteris, fortitudinem per leonem intelligendo, iuſtitiam per vitulum, per Aquilam Temperantiam, prudentiam per hominem. Aliquid enim S. Ioannes reſpicit eminentius, naturam omnem ſuperans, ac ſupra rationem humanam ſe attollens. De ſupernaturalibus agit, de iis nempe qui *non ex ſanguinibus*, quibus corpus compactum eſt, *Neque ex voluntate carnis*, abeant omnes animæ humanæ naturales facultates, *Neque ex voluntate viri*, Sileant omnes virtutes acquiſitæ; *ſed ex Deo nati ſunt*, Tales enim ſunt qui in Throno Dei collocari debent, & Verbo Incarnato obſequi & aſſidere, vt videant gloriam eius, gloriam inquam *quaſi Vnigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis*. Ad quod cum nec elementa nec facultates humanæ nec virtutes acquiſitæ minimè attingere poſſint, de iis proculdubio hic S. Ioannes agere minime intendit.

Dico 2. Senſus viſionis 4. animalium integer non eſt, nec ſufficienter penetrat quæ S. Ioannes prophetare ac prædicere vult, ſi de Angelis adminiſtratoribus Dei circa Eccleſiæ curam, ac circa ſalutem ac regimen hominum totiuſque mundi ſolum eum loqui ad litteram exponat. Eccleſiæ viſibilem & ſenſibilem ſtatum deſcribit S. Ioannes, hi Angeli ſunt inuiſibiles. Eccleſiam Militantem depingit non Triumphantem: At illi primarij Angeli ad Triumphantem pertinent, aliiſque præſcribunt quæ temporaliter gerenda & exequenda ſunt pro bono Eccleſiæ regimine, iuxta doctrinam S. Dion. *Ea quæ ſecunda ſunt primorum procuratione participare diuinis illuſtrationibus.* Qua quidem ratione Angelum inferioris ordinis, ad vnum alium ex primis Angelis, qui Deum circunſtant obuiam ire vult, iuxta Zachariæ Prophetam c. 2. eo conſilio vt illuſtrationem acciperet fieretque particeps. Deinde eundem Angelum qui obuius fuerat ſuperiori, cum ab eo diuinum conſilium vt ab Antiſtite didiciſſet, etiam ipſum Theologum, nempe Zachariam, ex impoſito munere docuiſſe, fore vt Hieruſalem à multitudine hominum coleretur. Si igitur vt diximus, Thronus iſte non pertinet ad Eccleſiam Triumphantem ſed ad Militantem, in hoc Throno collocari non debent illi ſupremi Angeli Thronum Dei cœleſtem proximius ambientes: & proinde iſta 4. animalia eos non repræſentant, ſed quid aliud ad Eccleſiam militantem propriè pertinens, & quod oculis ſubjici valeat & ſenſibile ſit: ſicuti ipſa viſibilis eſt & omnium oculis conſpicitur. Deinde iſta 4. animalia ſemper cum 24. Senioribus conuertuntur, & modo eos præcedere vt cap. 5. *Quatuor animalia & 24. ſeniores ceciderunt coram Agno habentes ſinguli citharas*; modo ſubſequi vt c. 19. Quin & Angeli eſſe dicuntur, *In circuitu Throni & animalium & ſeniorum.* Si igitur 24. Seniores homines repræſentant, cur non etiam animalia? Denique Cantant: *Redemiſti nos Domine in ſanguine tuo*: At propter nos homines non propter Angelos Chriſtus incarnatus eſt, & Redemptionis opus perfecit: Sunt igitur homines non Angeli. Hinc ſe homines fatentur eſſe, cum ſe dicant redemptos ex omni lingua, tribu, populo, natione. Nec valet reſponſio Cornelij, eos loqui communi Seniorum voce, vt potè quorum ſunt Cuſtodes & Curatores: Ad quid enim vim afferre Textui, vbi planus & apertus poteſt dari & afferri ſenſus? Cur non Angelis concinentibus potius ſociantur in cantu quam Senioribus, niſi quia non ſunt de numero Angelorum ſed potius in naturâ & officio conueniunt cum Senioribus?

Dico tertio ad planiorem huius viſionis enodationem, Non ſunt hæc 4. animalia eadem quæ viſa fuere vel Iſaiæ, vel Ezechieli, ſi idcam ſpectes, ſi officium ponderes, ſi quod ſignificant attendere voleris. Iidem, ſunt. ſi lubet, Angeli qui mittuntur, vt has tales ideas viſioni aut imaginationi aut menti horum Prophetarum repreſentent; hoc incertum eſt. At dico diuerſas eſſe ideas, diuerſa prætendere munia & officia, alia eſſe etiam quæ annunciant & ſignificant. Ideas diuerſas eſſe nemo non videt: itaut plane ſuperfluum ſit de hac re diſputationem longiorem texere. Alia eſſe eorum officia non minori facilitate cerni poteſt. Cantant reuerâ hæc animalia inceſſabili voce, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, ad inſtar Seraphinorum Iſaiæ, & tenent Cytharas, vt manu æquè ac voce pſallant. At tenent phialas, quod aliud quoddam deſignat officium, quas non tenent Seraphin Iſaiæ. Officio igitur diſpares eſſe non dubito. Aliud tandem eſſe officium animalium S. Ioannis ab officio Seraphinorum Iſaiæ & Cherubinorum Ezechielis, ſatis patet ex diuerſitate rerum quas ſignificant. Iſaias vt mihi videtur, duplicem reprobationem populi Iudæorum prædicit, nempe primam quæ facta eſt cum ſynagogâ deſertâ Apoſtoli ad prædicandum gentibus Euangelium ſe conuerterunt, & Hieruſalem tandem à Veſpaſiano & Tito deſtructâ longè Iudæi exularunt à regionibus ſuis, & poſt extremam vaſtitatem ab Adriano factam etiam vt notat S. Hieron. leges publicæ pependerunt, & prohibiti ſunt Iudæi terram de qua electi fuerant ingredi; ſecundam ſine ſæculorum cum decima pars ciuitatis Hieruſalem, in qua tunc regnabit Anti-Chriſtus cadet, vt habetur Apoc. 11. *Reliqui autem in timorem miſſi dabunt gloriam Deo cœli.* Hoc coniicio ex eo quod poſt viſionem Iſaiæ factum, ei præcipitur vt vadat & populo Iudæorum dicat: *Audite audientes & nolite intelligere, & videte viſionem & nolite cognoſcere: Excæca cor populi huius, & aures eius aggrana, & oculos eius claude: ne forte videat oculis ſuis, & auribus audiat & corde intelligat, & conuertatur & ſanetur.* Iſa 6. Quod de reprobatione Iudaici populi Sanctus Hieron. poſt Apoſtolum Paulum fusè explicat, in commentario huius capitis: ac ſi Propheta per mandatum hoc, ſibi poſt viſionem ſtatim factam, de reprobatione populi illi notificanda inſinuare voluerit hanc eſſe Domini gloriam, de quâ plena eſt omnis terra, quod ita ſanctus ſit, vt qui ſancti eſſe nolunt, poſt collata ad acquirendam ſanctitatem media, à ſe longe projiciat, alioſque in eorum locum ſubſtituat, cuius quidem reprobationis & ſubſtitutionis tam altum & profundum eſt myſterium vt clamet Apoſtolus: *Concluſit Deus omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur*: Admiranſque Domini ſacramenta inferat: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius*: Hanc commotionem admirationis, quæ eos etiam qui in Eccleſiâ videntur quaſi cardines, & in doctrinâ & in ſcientia myſteriorum ſublimiores, qualis erat D. Paulus percellit ac commouet, quin etiam & hæc iudicia imperſcrutabilia, & vias inueſtigabiles quas videre non licet, ac ſi oculos fumo oppletos haberemus, ſignificauit Iſaias cum ait: *Et commota ſunt ſuperliminaria cardinum à voce clamantis, & domus impleta eſt fumo*: Valde enim mirabile eſt Deum quoſdam reprobare alios ſeligere, vt eius gloria terra repleatur. Vnde prædicta Prophetiæ verba S. Hieron. planius exponens ait: *Vnde & ipſe Dominus in Euan-*

Ezechiel.

Iſ. 9.

S. Dionyſ.

Zacharias.

S. Hieron.

Roma.

Iſ. 6.

S. Hier.

Soluitur obiectio Cornelij.

Digitized by Google

gelio, ſacramentum cæci à natiuitate qui receperat oculos, vertit ad Tropologiam & dicit: In iudicium ego veni in hunc mundum, vt videntes non videant, & non videntes videant: Et in alio loco Simeon loquitur: Ecce hic poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum: illis itaque non videntibus nos videmus, illis cadentibus nos reſurgimus. Quod intelligens Propheta quodammodo alius verbis dicit: O Domine præcipis mihi loqui populo Iudæorum, vt audiant & non intelligant ſaluatorem, & videant eum & non cognoſcant. Si vis tuam impleri inſtionem, & totum ſaluari mundum, quod & ego fieri deſidero, tu excæca cor populi huius & aures aggrana, & oculos claude, ne intelligant, ne audiant, ne videant. Si enim illi viderint, & conuerſi fuerint & intellexerint & ſanati fuerint, totus mundus non recipiet ſanitatem. Hæc S. Hieron. Quis modo non miretur excœcationem illorum eſſe aliorum illuminationem? Hoc igitur ſtatuamus, Iſaiæ viſionem ſignificare ac prætendere hanc populi Iudæorum reprobationem, quam in duplici differentia temporis conſiderandam arbitror ex fine capitis, cum Propheta addit: *Et dixi: Vſquequò Domine? Et dixit: Donec deſolentur ciuitates abſque habitatore, & domus ſine hominibus, & terra relinquatur deſerta.* Id eſt, vſque ad 50. annos poſt ſubuerſionem vrbis Hieroſolymitanæ, nempe ad tempora Adriani, qui terram Iudæorum deprædatus eſt. Tunc enim euenit quod addit Propheta: *Et longe faciet Dominus homines.* Nam lege etiam latâ in eos à ſuis ſedibus extorres facti ſunt: nihilominus multiplicati fuerunt in medio terræ; Ait enim Iſaias: *Et multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio Terra.* Et hoc vſque ad conſummationem ſæculi. Ita enim diſperſi ſunt Iudæi in totum orbem, vt toto orbe non intereant, ſed per propagationem ſoboleſcant & multiplicentur. Subdit Iſaias: *Et adhuc in ea decimatio*, id eſt, adhuc vaſtabitur, & quidam ex eis miſerè peribunt à Deo reprobati, & ad metum proſcripti in vltionem vltimæ perfidiæ: ſicuti cum vnus è decem militum morti addicebatur, in pœnam contumaciæ aut perfidiæ aut rebellionis. Quæ quidem decimatio fiet, vt arbitror, cum decima pars ciuitatis Hieruſalem cadet tempore Anti-Chriſti, multi Iudæorum qui eius erunt ſectatores ipſo occiſo peribunt. Tunc enim ipſis pereuntibus erit populus Iudæorum, vt ait Iſaias, *In offenſionem ſicut terebinthus, & & ſicut quercus quæ expandit ramos ſuos.* Nam tunc apparebit quam vanè & inſulsè Deum ſe colere arbitrati ſunt, & quam impiè Anti-Chriſto adhæſerunt. *Semen tamen ſanctũ erit id quod ſteterit in ea*, addit Iſa. *Vt poſtquam intrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Iſraël ſaluus fiat.* Impleatur etiam in hoc ſermo Domini dicentis. *Ego occidam & ego viuere faciam, percutiam & ego ſanabo*, notat ſanctus Hieronym. iſti erunt de quibus dicent Apoc. 11. *Reliqui autem in timorem miſſi ſunt, & dederunt gloriam Deo cæli.* Et ſic clamor Seraphinorum Iſaiæ ipſa exitum optatum obtinebit, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus exercituum, plena eſt omnis terra gloriâ eius.* Debellato enim Anti-Chriſto & ſequacibus, & Iſraële ad Deum conuerſo, duobus populis Iudæorum & gentium in vnum coadunatis, verè implebitur terra gloria Chriſti.

Reprobationem igitur populi Iudæorum præuidet Iſaias. Quod autem portendat Ezechiel paucis abſoluam, ac lectorem remitto ad Cornelium à Lap. qui multis argumentis probat per hanc viſionem Ezechielis, quaſi in ſynopſi & ænigmate depingi pugnam bellicam, quâ Iudæos alioſque hoſtes Deus proterit, cædit & punit: & quaſi prologum eſſe vult totius prophetiæ, quæ tota eſt ferè de excidio Hieruſalem & aliarum gentium à Chaldæis. Quod ſi ita eſt, vt ignis, nubes, turbo, procella, vox caſtrorum ſatis indicant, & vt ex increpatione durâ (quæ cap. 2. confeſtim à Deo datur Iudæis poſt deſcriptionem illius currus bellici) colligitur & conjici poteſt, ex eo quod imminentes clades paucis annis antevertat hæc viſio, nullus inficias ire poterit alia ab Iſaia, alia à Ioanne, alia ab Ezechiele prædici; & præcipuè ſanctum Ioannem per hæc 4. animalia nihil ſimile aliis duobus prædicere: nihil enim agunt animalia quam vt laudes Deo decantent, cytharas & phialas teneant, Deum ſuauiſſimâ facie reuerenter adorent. Igitur ob diuerſitatem rerum quas ſignificant, diuerſa eſt iſta viſio à viſione Iſaiæ & Ezechielis: cum nihil funeſtum, æternum aut temporale protendat, nihil moleſtum contineat, de ſola Dei laude & honore gaudere videatur. Vnde etiam c. 19. poſt iudicium meretricis magnæ, 4. animalia Deum tantum adorare dicuntur ac dicere: Amen, Alleluya; quaſi eorum munus in hac adoratione omnino conquieſcat.

Dico 4. per hæc animalia hîc ſignificari quandam (quæcumque illa ſit) auctoritatem eminentem, ſeu etiam ſanctitatem excellentem, quæ plurimum inſeruire debebat ad Chriſti Domini notitiam per vniuerſum orbem propagandam & ſtabiliendam, & quaſi exequentem ea quæ ſedentes in Throno & venerando conſeſſu ſeniorum decernunt ad hanc Chriſti notitiam potenter inculcandam. Fauet aliqua ratione Andreas Cæſarienſ. cum ait hic denotari Dei in res omnes, ſiue illæ in cœlo, ſiue in terrâ, ſiue in mari, ſiue in aëre, ſiue ſub terrâ exiſtant, dominatum. Cum enim dominatum Dei ſuſpicatur, conſentit nobiſcum qui auctoritatem ſeu poteſtatem aliquam denotari putamus. Nec enim dominatus abſque auctoritate aut poteſtate in ſubditos reperitur. Fauet etiam D. Dionyſius qui cap. 15. de cœleſt. Hierarch. docet per leonis figuram declarari principatum, robur, inuictumque animum. Per bouis figuram robur & vigorem, & in eorum carnibus vim ſeruatricem & inuictam; Per Aquilæ figuram regiam poteſtatem; humanamque figuram ait Angelis etiam tribui, potiſſimùm quod naturâ præſint principatumque obtineant, quod omnia dominatu teneant, quòd naturâ, ſeruitute ac dominatu opprimi ſubigique non poſſint. Quæ quidem omnia auctoritatem & poteſtatem redolent. Optimè igitur cenſemus per hæc animalia, auctoritatem & poteſtatem quandam ſignificari. Idem dicendum de ſanctitate. Cum enim vt quis ſanctus euadat, id eſt, aliquem eminentem virtutis & pietatis gradum obtineat, robur inuictumque animum habere debeat, vt dominatum neceſſarium in propriis affectiones & concupiſcentias poſſideat; ſecundò ſicut leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pauere ſoleat occurſum, ita nec ille qui ſanctus eſſe vult. Vnde dictũ eſt Angelo Smyrnenſi: *Nihil horum timeas quæ paſſurus es*; Tertio animi modeſtia ſingulari præditus eſſe debet, vt ad modum Leonis qui veſtigia ſua occultare dicitur, *Vim illam quâ contendit pro viribus ſuas ad diuinitatis (quæ abſtruſa eſt, nec explicari oratione vlla poteſt) ſimilitudinem exerceat & in actum reducat, tum ſpiritalium veſtigiorum occultatione & myſticæ minime euulgato ambitu via, iuxta diuinam illuminationem ad ipſam occultationem pertrahentis*, Vt loquitur Sanctus Dionyſius, Ac ſi diceret cum Iſaia c. 24. *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi.* Quarto ad modum bouis terram diffidentis atque dilatantis, vt fœcundos imbres in ſinu ſuo terra excipiat, debet ipſe ſpiritales ſulcos recipiendis cœleſtibus & fœcundis imbribus diffindere, dilatando cor ſuum per deſideria diuinorum, vt à Deo impleatur; quinto ad modum aquilæ celeritate ac diligentiâ vti debet in acquirendis virtutibus, vimque habere etiam robuſtis

Andr. Cæſar.

S. Dion. Areo.

Quæ ad ſanctitatem conducunt.

Digitized by Google

robuſtis, oculorum intentionibus, liberè, directè ac ſine vlla inflexione contemplans largiſſimè ac multa luce ſplendeſcentem radium, quem ex ſe diuinus ſol fundit & iaculatur, vt optimè ait Dionyſius. 6. Ad hanc contemplationem ſedulò ſe diſponere debet, ſeruando in omnibus iuſtitiam, quæ cum nihil ſit aliud quam recta ratio optimè ponderans quid vnicuique debeatur, vt iuxta eam conſtanti voluntate vnicuique quod iuſtum eſt reddat: non immerito per hæc 4. animalia ſanctitatem deſignari poſſe pronunciamus. Secunda pars concluſionis ex natura rerum quæ continentur in hac reuelatione probatur. Ad quid enim hæc auctoritas in Throno Dei reponeretur, niſi quidquid eſt & habet ad ſedentis honorem (ad quem manifeſtandum omnis illa reuelatio ordinatur) totum inſumeret?

Dico 5. Per animalium ratione carentium, non per hominis figuram, hæc poteſtas ſeu Sanctitas, qualitates & conditiones ac proprietates quorundam ſuppoſitorum primariò conſiderantur quam ipſa ſuppoſita. Itaut ſicut S. Ioannes Reproborum prauas qualitates ac proprietates depingit ſub figurâ cuiuſdam beſtiæ è mari aſcendentis, per quam vel collectio Reproborum, vel Romanum Imperium Ethnicum intelligitur, vel per quam quidam, apud Andream Cæſarienſ. accipiunt virtutem quandam viribus & nequitia Satana inferiorem, cæteris autem dæmonibus vtroque genere eminentiorem; ita hic nos intelligere poſſumus per hæc animalia virtutem aliquam Deo & ſedenti in Throno inferiorem, cæteris autem quæ in Eccleſiâ eernuntur eminentiorem. Et ſicut Alcazar per beſtiam è terrâ aſcendentem intelligit terrenum effrenatarum cupiditatum affectum, qui in Romanis aliiſque gentibus eis ſubditis integer ac viuus extabat; ita nos his poſſumus per hæc animalia intelligere cœleſtem quandam vitæ rationem, quæ in iis qui in Throno ſedent reperitur: itaut huius loci talis ſit ſenſus: In medio Throni & in circuitu Throni videntur 4 animalia, quibus eminentior auctoritas & ſanctitas eorum qui in Throno ſedent ſignificetur: quæ licet inferior ſit auctoritati & ſanctitati in Throno ſedentis, cæteris tamen eſt eminentior. Secundo hæc poteſtas ſeu ſanctitas per animalia adumbratur, vt quandam in iis qui eâ gaudere debent ſubiectionem & inferioritatem attendamus. Nam ſicut animalitas vt ita dicam rationi ſubjicitur & inferior eſt, ita auctoritas hæc & ſanctitas, Deo & ſedenti in Throno ſit ſubiecta, eoque inferior agnoſcatur. Fauet huic Concluſioni D. Anſelmus, cum per 4. animalia Euangeliſtas & Prædicatores intelligens ait: *Quatuor animalia dicuntur Euangeliſtæ & alij Sancti prædicatores, qui manſueti & bene animati cæteros animant: qui non dicuntur quatuor ſecundum perſonas, ſed ſecundum officium quadrifariæ prædicationis: quia annunciant horum naturæ 4. animalium, quæ licet in vnoquoque homine eſſe debeant, de Chriſto tamen dicuntur proprie, &c.* Hæc Anſelm. Animantur, en ſubiectio: animant, ecce ſuperioritas: non dicuntur 4. ſecundum perſonas, ſed ſecundum officium, ergo hic per officia ad ſuppoſitorum conſiderationem fit tranſitus; non autem perſonæ in indiuiduo primariò intelliguntur. Vt autem ſciamus quid annunciant, quod ſignificari valeat per naturas 4. animalium; Dico ſexto tota Eccleſiæ auctoritas & ſanctitas ad hoc ordinatur, vt de Chriſto reddat teſtimonium: *Cum venerit paraclitus,* dicebat Dominus, *teſtimonium perhibebit de me: Et vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis.* Ioan. 15. Eligendum eſſe alium à Iuda proditore declarat S. Petrus Act. 1. aliis Apoſtolis, vt ſecum haberent teſtem reſurrectionis Chriſti: concionem quam habuit poſt Spiritu ſancti deſcenſum his concludit verbis, *Certiſſimè ſciat ergo omnis domus Iſraël, quia & Dominum eum & Chriſtum fecit Deus hunc Ieſum, quem vos Crucifixiſtis.* Act 2. Claudo in pedes erecto, Petrus Prophetatũ eſſe de Chriſto ait, *Quod omnis anima quæ illum non audierit exterminanda erat de plebe.* Vnde colligitur neceſſarium eſſe Chriſtum annunciare, qui miſſus fuit vt nobis benediceret & conuertatur vnuſquiſque a nequitiâ ſuâ Act. 3. Hinc Apoſtoli omni die non ceſſabant in Templo & circa domos docentes & Euangeliſantes Ieſum Chriſtum, Act 5. Dominus Ananiæ dixit Paulum vas eſſe electionis, vt portaret nomen eius coram gentibus & Regibus & filiis Iſraël: quo ſatis demonſtratur Eccleſiam Chriſtianam ad hoc fuiſſe deſtinatam, vt de Chriſto teſtimonium reddat. In Chriſti enim cognitione & eius Euangelij prædicatione, totius ſanctiſſimæ Trinitatis cognitio comprehenditur.

Quatuor autem ſunt potiſſimum quæ de Chriſto annunciari debent. Primo, Quod ſit verus Deus. *Et ſcimus* ait S. Ioan. 5. *Quoniam filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum vt cognoſcamus verum, & ſimus in vero filio eius. Hic eſt verus Deus & vita æterna.* Secundo, Quod verus homo ſit: *Et verbum caro factum eſt & habitauit in nobis.* Ioan. 1. Tertio, Quod ſit ſummus. *Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Pſ. 100. Habet quippe regale ſacerdotium. Quarto, Quod ſit Rex & legifer noſter docens nos vtilia, noſque ſapientiſſima ratione gubernans, mediis efficacibus ad vitam conducens æternam. Iſai. 48. *Hæc dicit Dominus, Redemptor tuus ſanctus Iſrael: Ego Dominus tuus docens te vtilia, gubernans te in via qua ambulas: vtinam attendiſſes mandata mea, facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & iuſtitia tua, ſicut gurgites maris, &* c. 33. de eo Iſaias loquens ait: *Dominus enim Iudex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus Rex noſter. Ipſe ſaluabit nos. Et* Pſ. 2. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper montem ſanctum eius prædicans præceptum eius.* Atqui iſta 4. optime ſignificantur per 4. animalia; diuinitatis fortitudo in leone, qua nos è faucibus mortis & inferni eripuit; humanitatis infirmitas in homine, quâ noſtris malis compatiens nobis exemplum reliquit; ſacerdotalis dignitas in vitulo, quâ ſe noſque cum eo, Deo Patri obtulit, & ad eius obſequium totaliter nos conſecrauit; Regia ſublimitas in Aquilâ, quâ perſpicaci prouidentia optimis legibus nos gubernat, & ad debitum finem conuenientibus mediis nos conducit. Meritò igitur hæc Eccleſiæ auctoritas & ſanctitas quæ talia de Chriſto annunciat, per hæc 4. animalia ſignificari diximus. Et licet quadripartita ſit hac ratione, vna tamen eſt quia vnum eſt eius officium, Chriſtum videlicet annunciare, qui leo, vitulus, homo & Aquila dicitur; Ac ſi diceret S. Ioannes, *In medio ſedis & in circuitu 4. animalia, &c.* Id. eſt, tota hæc auctoritas ac maieſtas & ſanctitas quam videtis in hoc magnificentiſſimo Throno adumbrari, ad hoc vnum aſpirat vt Chriſtus cognoſcatur: qui leo dicitur propter diuinitatem, homo propter aſſumptam humanitatem, vitulus, propter ſacerdotium, Aquila propter regiam dignitatem: & quia & qui ſedet in Throni medio, & qui in circuitu Throni ſunt ſeniores, hunc ſcopum præ oculis habent, ideo hæc auctoritas quæ iſta 4. de Chriſto annunciare intendit, dicitur eſſe in medio & in circuitu.

Dices diuinitatem videri melius adumbrari per Aquilam quam per leonem, ſanctumque Ioannem ideo à patribus Aquilæ comparari, quia Chriſti diuinitatem diſertè in principio ſui Euangelij aſſerere non dubitauit. Ioannes enim vt Aquila alta petens vſque ad Thronum Patris euolat, ibique mente cõquieſcens verbi generationem enarrare audet dicens, *In principio erat Verbum, &c.* Reſpondeo duo-

S. Anſelmus.

Act. 1.

Act. 2.

Act. 3.

Act. 5.

Ioan. 5.

Ioan. 1.

Pſ. 100.

Iſ. 48.

Iſ. 33.

Pſ. 2.

Soluitur obiectio.

bus modis diuinitatem posse considerari. Primo vt aliquid est celsum, *sublime*, *interminum*, vt canit Ecclesia in hymno transfigurationis; vt quid micantissimo splendore refulgens: vnde sub solis refulgentissimi radiis, velut si monti diuinitatis aliquod speculum objicias, multoties eius maiestas nobis considerandа proponitur. Secundo modo vt aliquid est forte, robustum, terrificum, cuius potestati nullus resistere potest. Si priori modo spectetur, rectè per Aquilam denotari. At cum Christus in mũdum venerit, vt dissoluat opera diaboli, vt fortem fortior inuadat, domum eius diripiat, spolia detrahat, vnde nomen glorioſum ei ab Isaia imponitur

Isa. 8. c. 8. *Vocа nomen eius, accelera, spolia detrahe, festina prædari*; Venerit inquam vt regnum diaboli euertat, imperia mũdi sibi substernat, ac sub pedibus suis ponat tandem inimicos suos, regnum firmum & stabile sibi acquirens, *Regnum*, quippe eius, *Regnum omnium sæculorum*. Melius per leonem hic significatur quam per Aquilam. Nam Apocalypsis agit de Regni diaboli euersione, & de Regni Christi potenti erectione. Vnde proiecto dracone in tetram, vox in cœlo auditur dicens. *Nunc facta est salus & Virtus & Regnum Dei nostri & potestas Christi eius.* c. 12. Et c. 11. postquam septimus Angelus tuba cecinit dicens, *Factum est Regnum huius mundi Domini nostri & Christi eius, & regnabit in sæcula sæculorum. Amen.* Et c. 19. post excidium & iudicium meretricis magnæ, ad imperium sedentis in Throno auditur vox multorum populorum dicentium: *Alleluya quoniam regnabit Dominus Deus noster omnipotens*: Igitur cum hic effectus summæ potentiæ describatur, hæc Dei potestas potius per Leonis figuram adumbrari dicimus, quàm per Aquilæ figuram, in hac reuelatione. Non enim hic agitur, de sola consideratione adeo splendentis & sublimis naturæ, sed de eius potestate ad debellandos hostes sui nominis. Eius autem regni sublimitatem per Aquilæ figuram designamus, quia iuxta

Daniel. 7. Danielem c. 7. dedit Christo Deus *Potestatem & honorem & Regnum, & omnes populi, tribus & linguæ ipsi seruient; potestas eius potestas æterna quæ non auferetur & Regnum eius quod non corrumpetur.* Vnde & Ec-

Isa. 60. clesia Isa. 60. dicitur posita in superbiam sæculorum, quia eâ nihil altius in terris visendum est.

Dico 7. Hæc Ecclesiæ auctoritas præcipuè enitet: primo in his qui scriptis aut verbis ex officio & munere Christum annunciant: 2. in his quorum interest præcipuè regere Ecclesiam Dei: 3. in his qui sanctitate potiori gaudent. Hac ratione plures intelliguntur interpretationes, & quâ veritate nitantur inmaduertitur.

Dico 8. Admittendam esse eorum interpretationem, qui hæc animalia de 4. Euangelistis intelligunt, vel de iis qui prædicationi ex officio incumbunt. Hoc clarum est ex dictis. Nam de Christo annunciant scripto & doctrinâ illa 4. quæ per hæc

Ambrosius in Apocalyp. animalia significantur. Hinc Ambros. 4. *Animalia non solùm 4. Euangelistas, sed & omnes Doctores Ecclesiæ qui eorum doctrinam sequuntur designant. In circuitu vero sedis 4. animalia stant, quia Doctores Ecclesiæ populum sibi commissum & à visibilibus & ab inuisibilibus hostibus, quantâ virtute possunt defendunt. In medio sedis consistunt, quia vnumquemque eorum & in virtutibus omnibusque bonis operibus admonere non desinunt.* Hæc Ambrosius.

Dico 9. Admittendam etiam esse sententiam eorum, qui volunt per hæc animalia sedes Patriarchales intelligi. Probatur quia potissimùm per eas Ecclesia regitur, vt de Christo teneat & credat quæ necessaria sunt vt ab hominibus glorificetur.

Beda apud Dion. Areop. Hinc Beda apud Dionys. Carth. per 4 animalia in hoc libro non semper 4. Euangelistas intelligi voluit sed quandoque Ecclesias. Et alij etiam apud eundem Dionysium per 4. animalia ista, 4. Patriarchales Ecclesias intelligi volunt, Hierosolymitanam, Antiochenam, Alexandrinam, Constantinopolitanam. Nos pro Constantinopolitana Romanam reponimus, non absque ratione vt postea videbitur.

Dico 10. Etiam præcipuos Sanctos posse intelligi. Patet hoc quia sanctitate morum æquè ac doctrinâ vere Christus annunciatur, & talis qualis est in sanctis cognoscitur. Vnde Apostolus audebat dicere, *Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Christus*: Et se in exemplum proponere vt Christum imitari possemus. *Estote mei imitatores sicut & ego Christi*: Adeò enim vita eius Christo erat conformis, vt qui eum videbat Christum se videre existimare deberet. Si igitur hæc 4. animalia eos designant qui Christum annunciare quocumque modo possunt, præcipuos Sanctos etiam significare poterunt. Haymo ad omnes sanctos extendit: Nos ad præcipuos restringi oportere asserimus.

De prima interpretatione nempe de quatuor Euangelistis, Doctoribus ac Prædicatoribus. Punct. 1.

Multam lucem afferunt iis quæ diximus, eisque plurimam possunt conciliare auctoritatem quæ docet S. Ireneus lib. 3. aduersus hæreses c. 11. Ideo hic *S. Irenæus.* ea reponenda censeo. Et si enim in quibusdam discreper à nobis, conuenit in multis quantùm ad significationem horum animalium, & præcipuè hanc primam interpretationem fulcit ac sustentat. *Quoniam enim*, inquit, 4. *Regiones mundi sunt in quo sumus, & quatuor principales Spiritus, & disseminata est Ecclesia super omnem terram, columna autem & firmamentum Ecclesiæ est Euangelium, & Spiritus Vitæ; consequens est 4. eam habere columnas vndique flantes incorruptibilitatem & viuificantes homines. Ex quibus manifestum est, quoniam qui est omnium artifex (Verbum qui sedet super Cherubin & continet omnia) declaratus hominibus dedit nobis quadriforme Euangelium, quod in vno spiritu continetur. Quemadmodum & Dauid postulans eius aduentum ait: Qui sedes super Cherubin, apparè. Etenim Cherubin quadriformes, & formæ ipsorum sunt imagines dispositionis Dei filij. Primum enim animal, inquit, simile leoni, principale & regale significans. 2. vero rò simile vitulo sacrificalem & sacerdotalem ordinationem significans. 3. verò animal habens faciem quasi humanam, eum qui est secundum hominem aduentum eis manifestè describens. 4. verò simile Aquilæ volanti, Spiritus in Ecclesiam aduentitantis gratiam manifestans.* Hæc Ireneus. Siste paululum hic lector optime, & pondera mecum illud quod in Christo est efficabile & principale & regale, nihil aliud esse quam diuinitatem; *Caput enim Christi Deus*, quem diximus per leonem significari. Apertè autem S. Ireneus nobiscum sentit, cum per vitulum Sacerdotium, per hominem humanitatis assumptionem significari vult. At videtur in Aquila dissentire. Aquilam enim ait significare Spiritum in Ecclesiam aduolitantem: si tamen cogites Regiam illam dignitatem humanitatis Christi, & cum iis officiis quæ illi supra assignauimus ipsi conferri per vnctionem Spiritus, parùm ab Ireneo diuellimur: imo nihil ab eo dissonum attulimus. Isaiam audiuimus, *Spiritus Domini super me, Euangelisare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, annum Domini acceptum & diem retributionis prædicare.* Luc. 4. & Isa. 61. Nonne *Luc. 4. & Isa. 66.* hæc omnia sunt officia illius Regis de quo dicitur *Ps. 2.* Ps. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super montem sanctum eius prædicans præceptum eius?* Si igitur per Aquilam designatur descensus & aduentus Spiritu sancti super Ecclesiam, pari ratione dicemus per

Digitized by Google

Aquilam designari aduentum Spiritus in Christi humanitatem: Per cuius præsentiam vnctus est in Regem vt homines regat, eis leges imponat, de earum obseruatione iudicium ferat, pœnas & præmia pro meritis decernat. Addit postea Iræneus: *Et ipsum autem Verbum Dei illis quidem qui ante Moysem fuerunt Patriarchis, secundum diuinitatem & gloriam colloquebatur: hic vero qui in lege sacerdotalem & ministerialem actum prabebat, post deinde nobis homo factus munus cœlestis spiritus in omnem misit terram, protegens nos alis suis. Qualis igitur dispositio filij Dei, talis & animalium forma; & qualis animalium forma talis & character Euangelij. Quadriformia autem animalia & quadriforme Euangelium, & quadriformis dispositio Domini.* Hæc Iræn. Nihil fœlicius occurrere mihi potuit, vt ea quæ diximus aliquà graui auctoritate fulcirem quam hæc Irenei verba. Reuoca in mentem nos dixisse per animalia significari quandam authoritatem, ad hoc destinatam vt annunciet quæ de Christo credenda & prædicanda sunt: quæ quidem ad hæc 4. capita reducenda esse diximus, nempe quod sit Deus, & verus homo, & Sacerdos, & Rex & legifer noster. Nonne agnoscis in verbis Iræneï quadriformem hanc filij Dei dispositionem, per quadriformia animalia significata, per Euangelium quadriforme iuxta vniuscuiusque animalis proprietatem annunciatam?

Ad hanc primâ interpretationem veniamus, quam etiam agnoscit hoc loco S. Ireneus, cum 4. animalia hic significare vult 4. Euangelia. Ait igitur: *Et Euangelia hic consonantia in quibus insidet Dominus Iesus: aliud enim illam quæ est à Patre principalem & efficabilem & glorioſam generationem eius enarrat dicens: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum & Deus erat Verbum, & omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Propter hoc & omni fiduciâ plenum est Euangelium istud: Talis enim est persona eius. Id verò quod est secundum Lucam, quoniam quidem sacerdotalis characteris est Zachariâ sacerdote sacrificante Deo inchoauit. Iam enim saginatus parabatur vitulus, qui pro inuentione minoris filij inciperet mactari. Matheus vero eam quæ est secundum hominem generationem eius enárrat, dicens: liber generationis Iesu Christi filij Dauid filij Abraham.* Et iterum: *Christi autem generatio sic erat: Humanæ formæ igitur hoc Euangelium propter hoc & per totum Euangelium humiliter sentiens, & mitis homo separatus est. Marcus vero à Prophetico Spiritu ex alto aduemente hominibus initium fecit, initium dicens Euangelij, quemadmodum scriptum est in Isaia Propheta, volatilem & pennatam imaginem Euangelij monstrans propter hoc, & compendioſam & præcurrentem annunciationem fecit. Propheticus enim character est hic.* His iam prænotatis.

Dico primo hanc interpretationem meritò posse amplecti. Primo quia leuiter discedere non debemus à communi opinione, & quasi vnanimi consensione Patrum, &c. At vt notat Viegas: hæc opinio communis est, ab ea igitur discedere non debemus. Secundo quia iuxtà Regulam à nobis præscriptam, per hæc 4. Euangelia clarum & sincerum de Christo redditur testimonium & explicatissima eius fides proponitur.

Dico secundo, diuersimode à Patribus vnicuique Euangeliorum & Euangelistarum hæ animalium figuræ assignantur. At Hieronymum sequimur, qui in proœmio super Math. faciem hominis Mathæo assignat, Leonis figuram Marco tribuit, Vituli Lucæ, Aquilæ Ioanni. Hanc sententiam omninò amplectendam esse censet Viegas, & ego eò libentius eam amplector, quò animaduerto illam nostræ interpretationi plurimum accommodam. Rationes assignat S. Hieron. quod Mathæus quasi de homine exorsus est scribere: *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham*; Quod in Marco vox Leonis in eremo rugientis auditur. *Vox clamantis in deserto.* At ego vt existimo, commodiorem rationem suspicor, quod in principio sui Euangelij narrat historiam baptismatis Christi, in quo facta est vox de cœlis: *Tu es filius meus dilectus in te complacui.* Quibus verbis potentissima Christi diuinitas dilucidè declaratur: & in eodem capite de potestate eius in effugandis dæmonibus & immundis spiritibus differitur. Clamant propterea dæmones, *Quid nobis & tibi Iesu Nazarene? Veniſti perdere nos. Scio qui sis sanctus Dei.* Clamant homines videntes quomodo docebat quasi potestatem habēs, & in potestate imperabat dæmonibus: *Quidnam est hoc? Quanam doctrina hæc noua? Quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, & obediunt ei.* Faciem vituli, Lucæ assignat Hieron. Quod à Zachariâ sacerdote sumpsit exordium, adde quia historia incarnationis ibidem texitur, & Canticum Mariæ & Zachariæ audiuntur, de misericordia Dei erga homines, de remissione peccatorum, de exaltatione humilium, depressione superborum, liberatione ab inimicis, & aliis huiusmodi quæ redemptionis Christi per crucis sacrificium, id est, per mortem & passionem eius adimpletam præclari sunt effectus. Optimè S. Ambr. proœmio in Lucam, de hoc Lucæ volumine differens ait: *Et bene congruit vitulo hic Euangelij liber quia à sacerdote inchoauit, & consummauit in vitulo, qui omnium peccata, suscipiens, pro totius mundi vita est immolatus, &c.* Hæc Ambros. *Ioannes tandem sumptis pennis Aquila est ad altiora festinans. De Verbo Dei disputat*, inquit Hieron. Adde quod de Regno Christi, non tantùm in Apocalypsi, sed etiam in initio sui Euangelij scripserit, nam cum, vt ait Apostolus Rom. 14. *Regnum Dei non sit esca & potus, sed iustitia & pax & gaudium in spiritu sancto, qui enim in his seruit Christo placet Deo, & probatus est hominibus.* Ioannes in primo cap. loquitur de hoc regno, de filiis Dei qui Christum receperunt differendo, & gloriam eius esse gloriam quasi vnigeniti à Patre asserendo; de cuius plenitudine nos omnes accepimus, & super quem visendi sunt Angeli ascendentes & descendentes: eò quod ei cunctæ creaturæ obsequium præstent vt Regi Regum & Domino Dominantium. Pro hac interpretatione ad Cornelium à Lap. & ad Viegam lectorem remitto, ne actum agam si quod hic aut ille annotauit hîc transcribere vellem.

S. Hieron.

S. Ambros.

Rom. 14.

De secunda interpretatione, nempè de quatuor Sedibus Patriarchalibus. Punct. 2.

Nicolaus de Lyra, quem sequitur Dionys. Carthus. per 4 animalia quatuor Patriarchales Ecclesias intelligit, Hierosolymitanam, Antiochenam, Alexandrinam, Constantinopolitanam: Hierosolymitanam, quia ibi incœpit Ecclesia Leoni assimilatur propter constantiam ibi existentem, vt patet de Petro & Ioanne Act. quinto, qui constanter dixerunt Principibus Iudæorum; *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus*, &c. Antiochenam, quæ assimilatur Vitulo, quia fuit parata obedire mandatis Apostolorum in Hierusalem existentium, vt patet Act. 15. & quia primo in ea vocati sunt discipuli Christiani: Act. 11. Alexandrinam quæ assimilatur homini: nam in ea à principio fuerunt doctores docti non solum in litteris diuinis, sed etiam humanis, vt Phericheus philosophus, & Athanasius & plures alij; Constantinopolitanam quæ assimilatur Aquilæ volanti: nam in ea fuerunt viri per contemplationem eleuati, vt Gregorius Nazianz. & plures alij. Ita Nicolaus de Lyra & Dionys. Carthus.

Lyranus.

Certè si his rationibus isti auctores induci potuerunt ad hanc interpretationem amplectendam, non

Digitized by Google

diffido noſtram interpretationem amplecti poſſe de 4. ſedibus Patriarchalibus, Hieroſolymitanâ, Alexandrinâ, Antiochena, Romana; ſi rationes à nobis adducendæ æquâ lance ponderentur.

Interpretatio de quatuor ſedibus Patriarchalibus maximè admittenda.

Dico igitur primo quidquid ſpeciale ac ſingulare reddit de Chriſto teſtimonium, videtur debere potiſſimum pertinere ad iſtam Prophetiam: Atqui hæ 4. ſedes, nempe Hieroſolymitana, Alexandrina, Antiochena, Romana, ſingulare teſtimonium de Chriſto reddiderunt: Ergo debuerunt à S. Ioanne præuidi, & quod in his ſedibus geſtum eſt, & per eas ſedes adimpletum, prophetari.

Dico ſecundo: nullum aptius eſt ſymbolum in tota Apocalypſi, quo poſſint hæ ſedes adumbrari, quàm hæ animalium figuræ: Ergo hic, non alibi, de iiſdem ſedibus fieri debet mentio ſpecialis: Patebit veritas concluſionis iſtius ex conuenientiâ ſymboli cum re ſignificatâ, vt videbitur infra. Secundo quia, vt diximus, hæc quatuor animalia auctoritatem aliquam in Eccleſiâ eminentem ſignificant, quæ ad Chriſti notitiam diſſeminandam plurimùm inſeruierit: Atqui inter alias ſedes Epiſcopales illæ 4. eminentem habent auctoritatem, quæ ad hanc notitiam, & inculcandam & dilatandam euidenter inſeruiunt: Ergo illæ ſedes optimè videntur per hæc animalia deſignari.

De tertia interpretatione, nempe de ſanctis eminentioribus. Punct. 3.

Cum per ſanctitatem mirum de Chriſto teſtimonium reddi poſſit, ſicut per doctrinæ veritatem & regiminis auctoritatem, non abſque ratione etiam ſub hoc ſymbolo ſanctos præcipuos intelligere poſſumus. Haymo, vt iam diximus, ad omnes ſanctos extendit. Alcazar præcipuos qui maioris ſint perfectionis & dignitatis ad 24. Seniores reſtringit. Quidquid ſit, ſiue de omnibus ſiue de ſanctioribus intelligamus, optimè vt videbitur, tales animalium figuræ proprietatibus ſanctorum conuenire poſſunt, eorumque ſanctitas quæ de Chriſto teſtimonium reddit ſingulare, per ipſa animalia graphicè depingi poterit: & pro hâc ſententiâ ſtabiliendâ arbitror ſancti Gregorij magni auctoritatem ſatis ſuperque ſufficere. *Poſſunt*, inquit, *etiam ſancti per hæc animalia*

S. Gregorius. *deſignari, quoniam alius cuncta rationaliter agendi ſit homo. Alius in paſſionibus fortis, aduerſa mundi non timendo ſit Leo. Alius per abſtinentiam ſemetipſum viuam hoſtiam offerendo, ſit Vitulus. Alius ſe in alta rapiendo, contemplationis volatu ſit Aquila.* Hæc Greg. lib. 39. in Iob. Hanc etiam ſententiam admittit Dionyſ. Carthuſ. (lib. 2. in Apocal. c. 15. ex collectione

Dion. Carth. Paterij) cum ait: *Fuit Chriſtus homo in natiuitate, Vitulus in paſſione & obedientia, Leo in prædicatione, at reſurrectione, Aquila in contemplatione & Aſcenſione. Sic & quilibet Chriſtianus: homo eſt rationem ſequendo; Vitulus, carnem cum vitiis & concupiſcentiis crucifigendo; Leo, ſpiritualiter reſurgendo, & hoſtibus ſuæ ſalutis fortiter & magnanimiter reluctando; Aquila, cœleſtium contemplationibus inſiſtendo, orationi, deuotioni, laudi diuinæ vacando.* Hæc Dionyſ. Quod ſiquis rationabile præſtet Deo obſequium, & à recta rationis ſemita minimè deuiet; ſiquis carnem ſuppeditat, ſiquis tentationes mundi carnis & diaboli perfectè vincat; ſiquis perfectè Deo vacare ſtudeat, nonne hac ratione facillimè ad maximum ſanctitatis gradum perueniet? Quo fit vt ſi in Leone Martyres, & corpus auſteritatibus affligentes; in vitulo, Agricolas, artifices, opera miſericordiæ exercentes; in homine imperatores, Reges, iudices rerum publicarum gubernatores; in Aquilâ contemplationi vacantes intelligamus, nihil diſſonum & à veritate alienum proponere videbimur. Quod intelligimus ſi veram ſanctitatem ex actibus & adminiſtrationibus ſuis hi omnes fuerint adepti. Quis enim negare poterit ſanctum Franciſcum verbi gratiâ, qui carnis mortificationem iugiter in ſuo corpore portauit, (quod de ſancto Luca Eccleſia affirmat) qui cum Apoſtolo gloriari poteſt ac dicere: *Ego ſtigmata Domini noſtri Ieſu Chriſti in corpore meo porto*; Qui ſanctificationem animæ & corporis adeptus eſt abſolutiſſimam, illuſtre de Chriſto Domino reddidiſſe in vitâ & moribus teſtimonium, æquè ac fieri poteſt annunciando aut prædicando Chriſtum? Quis enim neſcit per mortem noſtram Chriſti vitam manifeſtari? Dicente Apoſtolo 2. Cor. 4. *Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, vt & vita* 2. ad Cor. 4.
Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris. Semper enim nos qui viuimus in mortem tradimur propter Ieſum, vt & vita Ieſu manifeſtetur in carne noſtra mortali. Et cum ex perfectione Chriſti perficiatur noſtra ſanctificatio, vt docet Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromat. de *Clem. Alex.* dignâ corporis humani conſtitutione differens, quippe quæ recta facta ſit ad contemplandum cœlum & cuius ſenſus inſtrumenta ſint per quæ homo tendat ad cognitionem, cuius item membra & partes aptè ſint compoſitæ ad honeſtatem non ad voluptatem, vnde ait Clemens: *Suſcipis hoc habitaculum animum Deo pretioſiſſimum, & Spiritu ſancto dignum exſtetur per animæ & corporis ſanctificationem. Vt quod perfectione ſeruatoris perficiatur.* Hæc ille. Nonne ſanctitas illa de Chriſto teſtimonium reddet quæ perficitur perfectione ſeruatoris, ſicut imago in cerâ impreſſâ indicat quænam ſit ſigillo imago exſculpta?

Symboli quatuor Animalium, cum rebus quas ipſa ſignificare diximus, collatio. §. 4.

Tribus modis Chriſtum annunciari certiſſimum eſt, nempe doctrinâ, auctoritate, eorum quæ docent & præcipiuntur executione. Docent Euangeliſtæ, Doctores, concionatores, Eccleſiæ Paſtores, qui ſub duplici ratione à nobis conſiderantur: nempe vt docent, ſecundo vt regunt ac imperant, ſubditoſque moderantur, ac præceptis & legibus ad debitam finem ſtudent promouere, auctoritate ſibi collatâ vrentes. Huic vnâ & eadem ratione Euangeliſtas, Doctores, Concionatores & Paſtores, in quantum primum ſuum munus exercent, cum ſymbolo conferemus: peculiarem collationem de eorum auctoritate quâ populos moderantur habebimus, & tertiam adjicimus de iis qui per executionem eorum quæ docentur aut præcipiuntur, ſanctitatem adepti ſunt, cum eodem ſymbolo. Ideo ſub vnâ explicandi ratione hic coniungamus Euangeliſtas, Doctores, Concionatores, Paſtores, in quantùm munus docendi exercent.

Collatio quatuor animalium cum Euangeliſtis, Doctoribus, Concionatoribus, Paſtoribus. Punct. 1.

Animalia ſimilia ſunt Leoni, Vitulo, homini, in quantùm ſcilicet cum animalibus conuenit: vnde dicitur habere faciem non hominis, ſed quaſi hominis, id eſt, eius qui æque ac alia tria animal eſt, ſed tamen habet faciem ac ſi eſſet homo, ſinguli habent alas ſenas, in circuitu & intus ſunt plena oculis, die ac nocte abſque vllâ requie dicunt: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat & qui eſt & qui venturus eſt.* Similitudo autem in eis non natura, vt optimè de Ezechielis animalibus commentatur S. Hieronym. in 1. cap. Ezechielis.

Dico 1. Animalia dicuntur Euangeliſtæ non homines, vt quandam in eis ſubiectionem & dependentiam agnoſcas, tum à ſedente in Throno, tum

Digitized by Google

à Conſidentibus & ſibi Aſſiſtentibus 24. Senioribus. Euangeliſtæ quippe à Sedente in Throno dependent, qui ipſis reuelauit quæ ſibi ſcribenda forent: fuerunt enim tantùm Spiritus ſancti amanuenſes.

2. Petri c. 1. *Spiritu enim ſancto inſpirati*, ait D. Petrus 2. c. 1. *locuti ſunt ſancti Dei homines.* Quia igitur nullus poteſt eſſe Scripturæ ſacræ ac Canonicæ auctor, niſi cui Deus dederit ſcribendi auctoritatem, nihilque proprio motu facti Scriptores debent proponere, ſed tantum quæ Deus reuelauerit illis, ideo per animalia ratione carentia ſignificantur. Vt ſicut animalia ad libitum hominis quocumque voluerit facillimè impelluntur, ita Euangeliſtæ non pro arbitrio, ſed iuxta Spiritus ſancti inſpirationem ſcripſerunt, quæ dictare voluerit. Non enim licet omnibus hoc munus ſibi vendicare: qui hoc conati ſunt munus implere nequiuerunt. Quod grauiſſimè ponderat S. Ambroſ. lib. 1. proœmij in Lucam hæc verba exponens. *Quoniam quidem multi conati ſunt. Qui enim,* inquit, *conatus eſt ſuo labore, conatus eſt nec impleuit. Sine conatu ſunt enim donationes & gratia Dei, quæ vbi ſe infuderit rigare conſueuit, vt non egeat ſed redundet ſcriptoris ingenium. Non conatus eſt Matthæus, non conatus eſt Marcus, non conatus eſt Ioannes, non conatus eſt Lucas, ſed diuino ſpiritu vberiatem dictorum verumque omnium miniſtrante, ſine vllo molimine accepta compleuerunt.* Hæc Ambroſius. Non tantum à ſedente in Throno, ſed etiam à 24. ſenioribus dependent, eiſque quodammodo ſubiiciuntur animalia. Ratio eſt quia Eccleſiæ eſt (quæ in 24. ſenioribus repræſentatur) ſecernere verum Euangelium, & veram ſcripturam canonicam à falſâ. *offendi ſolent hæretici*, inquit Maldonatus, præfat. in 4. Euangelia c. 2. *& quaſi audita impietate cohorreſcere, cum dicimus Euangeliſtas & cæteros ſcriptores ſacros ab Eccleſiâ auctoritatem habere, quaſi Deo Eccleſiam anteponamus. Nec enim intelligunt homines valdè (vt ſibi videntur) acuti nos ita dicere Eccleſiam ſcripturæ auctoritatem dare, quod à Deo datam declaret, & eas ab ipſo dictatas eſſe confirmet, &c.* Spiritus ſanctus igitur primum dictat, deinde nobis ea à ſe dictata fuiſſe per Eccleſiam declarat: & hac ratione ſcriptores Eccleſiaſtici non ſolum à ſedente in Throno dependent, ſed etiam à ſenioribus quæ vniuerſalem Eccleſiam repræſentant. *Multi*, inquit ſanctus Ambroſ. lib. 1. proœmij in Lucam, *euangelia ſcribere conati ſunt, quæ boni nummularij non probarunt. Vnum autem tantummodo in 4. libros digeſtum ex omnibus arbitrati ſunt eligendum. Et aliud quidem fertur euangelium, quod duodecim Apoſtoli ſcripſiſſe dicuntur: Auſus eſt etiam Baſilides ſcribere euangelium quod dicitur ſecundum Baſilidem, fertur etiam aliud euangelium quod ſcribitur ſecundum Thomam. Aliud ſcriptum ſecundum Mathiam: legimus aliqua ne legantur, legimus ne ignoremus, legimus non vt taceamus ſed vt repudiemus, & vt ſciamus qualis ſim in quibus magnificè iſti cor exaltant ſuum. Sed Eccleſia cum 4. Euangelij libros habeat, per vniuerſum mundum Euangeliis redundat. Hæreſes, cum multa habeant vnum non habent. Multi enim conati, ſed Dei gratiâ deſtituti ſunt.* Hæc Ambroſ. Vides ſacros Nummularios, id eſt, Eccleſiæ Paſtores, quorum eſt iudicium de doctrinâ ferre, alia ſeligere Euangelia, alia repudiare? Vt in hoc videas hæc animalia, licèt à Deo eminentem receperint auctoritatem, Scripturam condendi Canonicam, quæ regula ſit fidei & morum, tamen eam Seniorum Venerando Conſeſſui eſſe quodammodo ſubiectam: Vt talis qualis eſt nempe diuinæ auctoritatis, à fidelibus agnoſcatur, iuxta quod dicebat S. Auguſtinus: *Euangelio non crederem, &c.* Hinc.

S. Amb. lib. 1. in Proœmium Lucæ.

Maldonatus.

S. Hieron.

Dico 2. Quatuor tantùm animalia depinguntur, quia 4. ſunt tantum recepta Euangelia. Vnde optimè ſanctus Hieronymus proœmio in Matth. illa 4. animalia de quatuor Euangeliſtis, & eorum Euangeliis exponens, vt iam vidimus, ait: *Quibus cunctis perſpicuè oſtenditur 4. tantum debere Euangelia ſuſcipi, & omnes Apocryphorum Nanias, mortuis magis hæreticis, quàm Eccleſiaſticis viuis canendas.* Hæc ille. Cur autem 4. ſint & non plura docet Irenæus, lib. 3. aduerſus hæreſes c. 11. *Neque autem plura numero quam hæc ſunt, neque rurſus pauciora Euangelia, quoniam enim 4. regiones mundi ſunt in quo ſumus, & 4. principales ſpiritus, & diſſeminata eſt Eccleſia ſuper omnem terram: Columna autem & firmamentum Eccleſiæ eſt Euangelium, & Spiritus vitæ, conſequens 4. habere eam columnas vndique flantes incorruptibilitatem & viuificantes homines. Ex quibus manifeſtum eſt, quoniam qui eſt omnium artifex (Verbum qui ſedet ſuper Cherubin & continet omnia) declaratus hominibus dedit nobis quadriforme Euangelium, quod in vno Spiritu continetur.* Hæc Iren. Firma eſt quadrilatera figura & omnium firmiſſima. Ideo ſedes beatorum dicetur poſtea ciuitas in quadro poſita. Igitur Eccleſia dicitur per 4. mundi partes diſſeminanda, vt cum multiplicatione & pullulatione in eâ exiſtentium ſimul eius videamus firmitatem. *Et venient*, inquit ſanctus Lucas c. 13. *ab Oriente & Occidente ab Aquilone & austro, & accumbent in Regno Dei.* Vide quomodo excreuerint & pullulauerint à 4. Mundi partibus, & quomodo Spiritus vitæ ſit in eis, vt veniant & accumbant in regno Dei. Accubabunt autem in regno Dei, *Cum mittet filius hominis Angelos ſuos cum tubâ & voce magnâ, & congregabunt electos eius à 4. ventis, à ſummis Cælorum vſque ad terminos eorum.* Matth. 24. Cum igitur Eccleſia & multiplicationem & Spiritum vitæ & firmitatem (columna enim inquit Irenæus & firmamentum Eccleſiæ eſt Euangelium & Spiritus vitæ) ab Euangelio obtineant, conſequens eſt 4. eam habere columnas vndique flantes incorruptibilitatem & viuificantes homines. 2. Quatuor tantum ſunt animalia, quia Eccleſia per Euangelium ſemel firmiter ædificata in omnes orbis partes gratiam Saluatoris effundit, & licet diuerſis nationibus ac populis compoſita, populi tamen in vnum coadunati vnam tantùm Eccleſiam conficiunt, quæ ad perfectionem Chriſtianam tendit & adſpirat. Ideo ad modum Arcæ dicitur fabricata, & 4. angulos habere: quia 4. mundi partes in vna fide, ſpe & charitate coniungit: & 4. annulis vehi, quia iiſdem Sacramentis conſecratur, iiſdem legibus adſtringitur, Paſtoribus vnâ & eadem auctoritate vtentibus ſubiicitur, & immobili quadam ratione ad eundem finem & ſcopum omnes ſuos dirigit actus, Annulus ſiquidem perfectæ & abſolutæ obſeruantiæ mandatorum Chriſti ſymbolum eſt: vnde filio prodigo in manu datur, vt ex inobediente & contumaci appareat per veram obedientiam Patri reconciliatus, quia annulo voluntatis Patris omnis eius operandi & agendi virtus circundatur. Hinc præcipiebat Chriſtus Apoſtolis, vt docerent recentes conuerſos ſeruare omnia quæcunque mandauerat ipſis, *Docentes*, inquit, *ſeruare ea quæcunque mandaui vobis.* Quod quidem præſtant, ſi iiſdem Sacramentis, legibus, Paſtoribus fide concludantur. *Eccleſia*, inquit D. Hieron. *quæ ſupra petram Domini voce fundata eſt, quam introduxit Rex in cubiculum ſuum, & ad quam per foramen deſenſionis occultæ miſit manum ſuam ſimilis damulæ hinnulo cernuum, quatuor flumina Paradiſi inſtar erubtans quatuor Angulos & annulos habet, per quos quaſi Arca Teſtamenti & cuſtos legis Domini ligans immobiliter vehitur.* Ita Hieron. Cuius auctoritate fulti hanc concinnauimus rationem. Qui quidem aliam etiam addit rationem in Ezechiel. 1. *Hæ*, inquit, *rationales creaturæ*

S. Hieron.

In Ezech.

Digitized by Google

tura in quatuor verſantur locis, ſive propter quatuor cardines mundi quibus orbis includitur, ſive propter quatuor loca cœleſtium, terreſtrium & infernorum & ſupercœleſtium, de quibus Paulus loquitur: Vt in nomine Ieſu omnẽ genu flectatur, cœleſtium, &c. De tribus Pauli teſtimonium eſt | Videamus & quartum: Laudate Dominum cœli cœlorum, & Aquæ quæ ſuper cœlos ſunt laudent nomen Domini: rurſumque ab Apoſtolo dicuntur cœleſtia, & alia ſupercœleſtia. Hæc Hieron. Tertia ratio cur quatuor ſint animalia eſt quia Euangeliſtæ & alij, qui quocumque modo Euangelium prædicant, annunciare debent Chriſtum, qui Leo, Vitulus, homo & Aquila dicitur. Hanc rationem affert D. Ambroſ. proœmio in Lucam. *Plerique tamen hunc putant ipſum Dominum noſtrum in quatuor Euangelij libris, quatuor formis animalium figurari: quod idem homo, idem Leo, idem Vitulus, idem Aquila. Homo quia natus ex matre eſt; Leo quia fortis; Vitulus quia hoſtis; Aquila quia reſurrectio eſt.* Hæc Ambroſius. Nos vt ſupra diximus figurati volumus eius veram humanitatem, eius diuinitatem, eius ſacerdotium, ac regiam dignitatem. Ad quæ capita reduci poſſunt quæcumque de Chriſto à concionatoribus, Euangeliſtis & Paſtoribus annunciati debent.

S. Ambroſ.

Vltima ratio eſt vt per hæc quatuor animalia ſignificentur virtutes, quibus præcipuè inſtrui debent qui prædicationi vacant, vt idonei ſint noui Teſtamenti Miniſtri: habeant videlicet leonis magnanimitatem & fortitudinem imperterritam, bouis beneficentiam, hominis rationem & æquitatem, Aquilæ perſpicacitatem, ſapientiam & prudentiam. Ita Alcæzar. Quam quidem rationem latiùs proſequemur, cum de ſanctitate (quæ concionatores ac Eccleſiæ Paſtores valde congruit, & quæ ſe ſola ſatis ſuperque laudem meretur) hoc ſymbolum intelligi poſſe demonſtrabimus.

Igitur Eccleſia quatuor tantum agnoſcit Euangelia, quia non plures inuenit diuino ſcripſiſſe ſpiritu: quod ipſum eodem auctore ſpiritu factum eſt ob rationes prædictas. Prima maximè arridet Maldonato, nempe quod quatuor ſint orbis tetrarum plagæ, per quas deferendum eſſet Euangelium. Habet enim Deus in Eccleſia ſua adminiſtranda rationem huius numeri, vt accommodatè ad hominum conſuetudinem & rerum naturam agat atque loquatur: & cum vt ipſe poſteà præfat. in 4. Euangelia c. 3. *Rarò ſoleant ſine Spiritu Dei humana conſentire ingenia, nec ſine causâ, nec ſine diuino, vt arbitror, afflatu factum eſt, vt cum veteres Theologi alij alias Euangelij figuras inuenerint, in hac cuncti conſenſerint.* Hæc ille.

Maldonato.

Dico 3. Hæc omnia poſſunt commodè cæteris Concionatoribus, Doctoribus & omnibus qui quocumque modo de Chriſto, verbo aut ſcriptis teſtimonium perhibent, accommodari. Tantum dico rectè illi omnes per animalia deſignari, quia mitti debent, nec de Spiritu ſuo loqui: ſed ad modum, ſi ita dici licet, aſinæ Balaam, diuinâ & ſupernaturali quadam ratione quæ dicunt proferre. Quæ quidem comparatio S. Ambroſ. placuit cum ait lib. de virginibus: *Nam volente Deo aſina locuta eſt. Quod ſi mihi ſub iſtius ſæculi oneribus conſtituto adſiſtat Angelus, ego quoque muta diù ora laxabo: poteſt enim impedimenta peritiæ ſoluere, qui in aſinâ ſolvis natura.* Igitur: væ qui prophetant de corde ſuo, qui ambulant poſt Spiritum ſuum, qui dicunt: dicit Dominus, & Dominus non miſit eos. *De quibus*, inquit Sanctus Hieron. proœmio in Lucam, *& Saluator in Euangelio Ioannis loquitur: Omnes qui ante me venerunt fures & latrones fuerunt: qui venerunt, non qui miſſi ſunt.* Ipſe enim ait: *Veniebant & ego non mittebam eos. In venientibus enim præſumptio temeritatis, in miſſis obſequium ſeruitutis eſt.* Ita Hieron. Alias conuenientias horum animalium cum Concionatoribus & Paſtoribus fuſiùs enucleabimus, Deo dante, cum poſteà per hæc animalia Sanctos etiam deſignari dicemus, ne eadem repetere cogamur ſi eas hic proſequeremur.

S. Ambroſ.

S. Hieron.

Quâ ratione ſymbolum hoc quatuor animalium, quatuor ſedibus Patriarchalibus conueniat. Punct. 2.

Auctoritatem in Eccleſiâ eminentiorem deſignari diximus per animalia, non malè vt arbitror; illamque eſſe quæ in quatuor ſedibus Patriarchalibus videri poteſt ſatis probabiliter aſſeruimus; nunc ex conuenientia ſymboli cum his ſedibus, & ex fœlici adeptione finis quem hæc omnis auctoritas ſibi proponere debet, nempe nominis Chriſti in toto orbe notitiam, Concluſionis prædictæ demonſtremus veritatem.

Dico igitur primo ſedem Hieroſolymitanam per hominem, Alexandrinam per Leonem, Antiochenam per Vitulum, Romanam per Aquilam ritè deſignari. Patet de Hieroſolymitanâ. Optimè olim Mercurius Triſmegiſtus in Aſclepio animaduertit hominem medium tenere inter res creatas, *Homo*, inquit, *fœliciori loco medietatis poſitus vt quæ infra ſe ſunt diligat, ipſe à ſuperioribus diligatur, colis terram, elementis velocitate miſcetur, acumine mentis in maris profunda deſcendit, omnia illi lucent, &c.* Sic ciuitas Hieroſolymitana in medio populorum ſita dicitur. Ita S. Hieron. comment. in cap. 5. Ezechiel. Hæc verba expendens: *Iſta eſt Hieruſalem, in medio gentium poſui eam, & in circuitu eius terras*, ait, *A partibus enim orientis cingitur plagâ quæ appellatur Aſia, à partibus occidentis eius quæ vocatur Europa; à meridie & auſtro Lybia & Africâ, à Septentione Scythia, Armeniâ atque Perſide, & cunctis Ponti nationibus. In medio igitur gentium poſita eſt, vt quia notus in Iudæa Deus, & in Iſrael magnum nomen eius, omnes in circuitu nationes illius ſequerentur exempla, &c.* Ita Hieron. Ergo optimè per figuram hominis qui medius eſt inter creaturas, Hieruſalem deſignatur, quæ in medio nationum eſt. Lege Baronium anno 34. Deinde homo æquitatis ac iuſtitiæ eſt ſymbolum, obiectum rationis vſus dictantis quod æquum ac iuſtum eſt. *At de Sion exiuit Lex & verbum Domini de Hieruſalem, notus*, quippe, *in Iudæa Deus, in Iſrael magnum nomen eius.* Ergo hominis figura ad eam denotandam eſt accommodatiſſima. Tertio Salomon ait delitias Dei eſſe vt ſit cum filiis hominum: At Hieruſalem locus eſt quem elegit Dominus, vt inhabitaret in ea: Vnde Samaritana illa Saluatorem alloquens dicebat: *Vos dicitis quia in Hieruſalem eſt locus vbi adorare oportet.* Et 3. Reg. c. 11. Deus ipſe fatetur ſe Hieruſalem elegiſſe & Pſ. 131. dicitur: *Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem ſibi.* Aptè igitur per hominis figuram deſignabitur. Denique ex Baronio habemus: Mons Golgotha dicitur caluariæ locus, quod maiores omnes antiquorum etiam firma acceperunt traditione ſic eſſe nominatum montem illum, quòd ibi primus homo ſepultus ſit: quod probat ex Tertulliani carmine, ex Origene Tract. 35. in Math. anno 34. Numer. 112. & ex multis aliis auctoribus: hominis igitur figura idonea eſt vt recordemur illius loci, in quo adeò inſigne erat noſtræ mortalitatis & humanæ infirmitatis monumentum.

Mercurius Triſmegiſt.

S. Hieron. in Ezech. c. 5.

Baron. an. 34.

3. Reg. c. 11. Pſ. 131.

Si de Alexandrinâ Ciuitate ſermo fiat, rectè illi Leonis figuram aſſignamus: ædificata nempe ab Alexandro Magno cuius ſepulchrum in ea viſebatur, non ſine veneratione ab Auguſto inuiſum cum Alexandriam adiit ſuperato Antonio. Ei merito, talis debetur figura quæ indolem fundatoris quàm maximè redolet. Vidit Philippus pater in ſomnis

vxorem obſignatam ſigillo habente effigiem Leonis quo Ariſtander dixit eam concepiſſe infantem animoſum & Leoninum, ait Plutarchus; verum eſſe prognoſticum ſatis oſtendit complexio eius feruida & indoles ignea, animi fortitudo ac magnanimitas, quin & in hoſtes ſuperatos clementia ingenſque eius nominis terror: quæ omnia optimè Leonis ſymbolo adumbrantur, cuius ignea eſt natura, qui fortitudine & audacia alias ſuperat beſtias, quem dicũt parcere proſtratis, qui timorem occurſantibus ſibi incutit ipſe imperterritus. *Leo rugiit, quis non timebit? Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pauebit occurſum. Deinde qui naturas ferarum exquiſitè perueſtigant*, inquit, Cyrillus, Alexandrinus in cap. 3. Amos, *Narrant Leonem eſurientem, montes, ſaltus & nemora contentius peruagari, huc illuc oculos circumferre, & quippiam ibidem paſcentium rapere.* Hæc ille. Quis Alexandri dominandi non nouit libidinem & famem? Duos eſſe mundos grauiter audiebat, quia nondum vnum fuiſſet prælijs & victoriis ſuis adeptus, *Obtinuit omnium munitiones, & interfecit Reges terræ*, inquit Scriptura 1. Machab. 1. *& congregauit virtutem & exercitum fortem nimis, & exaltatum & elenatum eſt cor eius, & obtinuit Reges Gentium & Tyrannos.* Quibus omnibus ſatis patet Leonis figuram genuinum eſſe Alexandri Alexandriæ ciuitatis fundatoris ſymbolum. Adde eam ab Ammiano Marcellino vocari, *Verticem omnium ciuitatum*, ad quam ex Aſiâ Europâ & Africâ omnes confluebant, velut ad quoddam totius orbis theatrum, à Regibus Ægypti poſt mortem Alexandri pro ſede Regni ſelectam, ac magnificis ædificiis ornatam & adauctam, à Lybiâ leonibus abundante non tam longè diſtantem: itaut leo qui Regni ſymbolum eſt inter animantia, vt Aquila inter aues vt docet D. Hier. in Daniel. c. 7. v. 4. eâm optimè poſſit ſignificare.

Cyrillus Alex. — 1. Machab. 1. — Amm. Marc.

Ad Antiochenam ciuitatem tranſeamus. Hæc Bouis figuram optimo iure vendicat ſibi. Fuit quippe metropolis totius orientis ſita in Syriâ Agriculturæ omnino dedita ex Strabone lib. 16. *Nonnulli*, inquit, *totam Syriam in Cœloſyriam & Phœniciam partiuntur, hisque dicunt quatuor nationes eſſe permixtas, Iudæos, Idumæos, Gazæos, & Azotios: qui agricultura quidem, vt Syri & Cœloſyri mercaturæ vt Phœnices operam dent.*

Cur Bouis figura ſedi Antiochenæ adaptetur.

Fuit autem vt Strabo refert Caput Syriæ, & qui Regioni imperabant, hic Regiam habebant. Ideo non immeritò talis ſtemmate Bouis ſeu vituli gaudere poteſt, & næ quidé libenter putarem hac potiſſimùm ratione Antiochenſes fuiſſe inductos vt colerent quemdam Triptotemum eique diuinos tribuerent honores, quod curioſâ & peruigili indagatione Io in vaccam à Ioue mutatam tandem inueniſſet, ad quam inquirendam ab Argiuis miſſus fuerat. *Antiochenſes*, inquit Strabo, *Triptolemum & Hercem colunt, & in Caſio monte apud Seleuciam feſtum diem agunt. Nam tradunt ad inquirendum Io ab Argiuis miſſum, &c.* At verò cur colerent illum qui ſtudioſè Io inquireret, niſi ratione huius circa Agriculturam vel paſtoritiam artem propenſionis? Pauſanias enim eam dicit Celei Eleuſini Regis filiam, qui primus in Græcia rationem agriculturæ creditur inueniſſe: vnde Ouidius lib. 4. faſtorum: *Ille quidem mortalis ſed primus arabit & ſeret ſed culta præmia tollet homo.* Seruius dicit eum à Cerere currui fuiſſe impoſitum, qui alatis ſerpentibus trahebatur per totum orbem, miſit ad vſum frumentorum hominibus indicandum. Quibus ſatis probabile ſit ab Antiochenſibus fuiſſe diuinis honoribus proſecutum, eo quod Agriculturæ potiſſimùm vacabant. Quod autem Agricultura in prætio eſſet apud Syros patet inſuper ex hiſtoria Hyrcani filij Ioſephi illius qui præfectus fuit Ptolemei ad exigenda à Syris tributa, cui Pater vt eam probaret vt refert Ioſephus lib. 12. trecenta iuga Boũm tradidit, eumque in ſolitudinem miſit nullis ei traditis vinculis quibus Boues alligaret, licèt eum viam duorum dierum in ſolitudinem à via abſcedere iuberet: qui neglecto Agricolarum conſilio eum perſuadere conantium vt vincula à Patre poſtularet, decem Boues mactauit, & ex corio vincula confecit per quæ iuga ligauit, & hoc modo Terrâ quam ei Pater præceperat ſeminatâ ad eum reuerſus eſt.

Ioſeph. lib. 12.

Aquilam autem ſymbolum eſſe Imperij Romani eadem ratione dixerim, quâ S. Hieron. in Dan. 7. Alas Aquilæ interpretatur de regno Babylonico, tum ad deſignandam ſuperbiam regni potentiſſimi, tum eo quod Aquila inter aues Regnum tenet & multo tempore viuit; Regnum autem Aſſyriorum multis ætatibus dominatum fuiſſe. Pari ratione dicere poſſumus Aquilam ſymbolum eſſe aptiſſimum Imperij Romani, in quo vno omnia ſimul regna cognoſcimus quæ prius fuerant ſeparata vt ait D. Hieron. quodque omnes nationes vel interfecit vel Tributo & ſeruituti ſubegit, & vſque hac perdurat, licèt plures alarum ſuarum pennæ ab eo auulſæ fuerint. Fuerunt equidem diuerſa inſignia Romanorum in vexillis apparentia, luporum, minotaurorum, equorum, aprorum, quæ quidem diuerſa agmina militum præcedebant, & à draconis vexillo fuerunt dicti quidam milites Draconarij: poſtea tamen repulſis cæteris vnam ſeruauerunt Aquilam, quam Marius in ſecundo Conſulatu Romanorum legionibus addixit, tanquam princeps totius legionis ſignum. Et Cornel. Tac. lib. 1. c. 13. refert Aquilam legionis decimæ nonæ cum Varro defuiſſe; eſtque adhuc imperij inſigne duplex Aquila vt notiſſimum eſt. Quibus ita deductis, vides cur oculos ad has ſedes in his vrbibus collocatas coniecimus potiùs quàm ad alias, cùm hæc animalia quatuor quandam in Eccleſia auctoritatem eminentem ſignificare diximus, nempe quia illæ ciuitates optimâ ratione per illa quatuor animalia deſignari poterant: ac ſi diceret S. Ioannes. Quatuor ſedes ſunt in quibus manifeſta eſt eminens Eccleſiæ auctoritas, nempe eæ quæ collocatæ fuerunt in vrbibus quæ pro ſtemmate & ſigno habent figuram hominis, Leonis, Bouis & Aquilæ. Athæ ſunt Hieroſolyma ciuitas, Alexandria, Antiochia, Roma. Ergo per hæc quatuor animalia nobis has ſedes S. Ioannes intuendas obiecit.

Aquila cur ſymbolum imperij Romani. — Cornel. Tacit.

Dico ſecundo de Chriſto homine, Leone, Vitulo, Aquila, id eſt, de humanitatis veritate, diuinitatis Chriſti gloria, Regalis ſacerdotij dignitate, Regio dominatu, illuſtre hæ ſedes reddiderunt teſtimonium. Ergo optimè per figuras horum animalium repreſentantur. Patet Antecedens. Hieroſolyma ſedes Epiſcopos habuit S. Iacobum, & S. Symeonem Iacobo ſuccedentem, conſanguineos Chriſti: quin & quindecim Epiſcopi è populo & gente Iudæorum aſſumpti ſunt ſucceſſiuè, in memoriam & venerationem aduentus Meſſiæ ex hac gente prodeuntis. Qui mos aſſumendi è gente Iudæorum Epiſcopos, dumuit vſque ad Adrianum Imperatorem, qui quotquot erant è familia Dauid interfici iuſſit: fueruntque hi Epiſcopi probatæ fidei, quarundam ceremoniarum tamen antiquæ legis parui momenti nec legis Chriſtianæ obſeruationi repugnantium adhuc obſeruatores, vt memoria aduentus Chriſti in carnem è gente Iudæorum fortiùs mentibus inculcaretur humanis. Nonne igitur notitia incarnationis verbi firmas hac ratione egit radices in mente hominum cum diceretur: volumus ex hac gente & familia habere Epiſcopum, quia è

Digitized by Google

tali gente Deus voluit verbum diuinum carnem ſumere pro hominum ſalute, & non ex aliâ? Fuit enim Chriſtus filius Dauid, filius Abrahæ, & tanquam flos ex radice Ieſſe aſcendit. Deinde qui Bethlehem præelegerat natiuitati, Hieruſalem deſtinauit paſſioni in quâ etiam conuerſatus fuerat inter homines. Quid autem morte euidentius veritatem humanæ conditionis manifeſtat? Quod non vacuit S. Petrus in concionibus habitis poſt miſſionem Spiritu ſancti & claudi erectionem Act. 2. *Act. 2.* *Ieſum Nazarenum virum approbatum à Deo in vobis virtutibus & prodigiis & ſignis, quæ fecit Deus per illum in medio veſtri, ſicut & vos ſcitis: hunc definito conſilio & præſcientia Dei traditum per manus iniquorum affigentes interemiſiſtis.* Et Act. 3. *Act. 3.* *Moyſes quidem dixit, quoniam Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus Deus veſter de fratribus veſtris, &c.* Cum igitur notitia illa Incarnationis Verbi firmas egerit radices ex his quæ geſta ſunt apertè in ciuitate & ſede Hieroſolymitanâ, nonne optimè figuram illi hominis aſſignamus? Ac ſi propheticè diceret ſanctus Ioannes. Plurimum proficiet ad incarnationis notitiam illa ſedes quæ erigetur in ciuitate, in quâ Chriſtus verus homo apparuit cum hominibus conuerſando, & in ea mortem ſubeundo: non quod ad alias Domini dignitates cognoſcendas hæc ſedes minimè inſeruire potuerit, ſed præter alias, hæc eius conditio humana in hac ſede potiſſimum innotuit.

Per ſedem Alexãdrinam maximè diuinitas Chriſti innotuit.

Quantum ad ſedem Alexandrinam, Leonis figurâ diximus ſupra, diuinitatem Chriſti adumbrari: vnde Leo dicitur ex tribu Iuda, catulus Leonis ad prædam aſcendens, ob inſuperabilem diuinitatis virtutem, robur ac fortitudinem, ob debellatos & deprædatos hoſtes, ob abſtruſa ſapientiæ diuinæ conſilia in ſalute hominum procurandâ, vt quemadmodum Leo dicitur ſua occultare veſtigia, à ſancto Dionyſio Areopag. ita de viis ac ſemitis diuinæ ſapientiæ dicitur, *In mari via tua, & ſemita tua in aquis multis, & veſtigia tua non cognoſcentur.* Pſ. 76. Hanc omnipotentiam verbi ſummamque ſapientiam diuinam ſedes Alexandrina omnibus conſpicabilem reddidit, ſiue quantum potentia Dei prævalet in conuertẽdis ad ſe cordibus hominum ſpectes, in primis illis ſub Marco diſcipulis, quorum eminens ſanctitas, perfecta ſui deſpicientia, & omniũ rerum abrenunciatio cum profunda diuinarum litterarum meditatione & myſteriorum contemplatione coniuncta plurimum enituit: ſiue ob tuendam verbi diuini conſubſtantialitatis fidem; prælia, labores inuictos & impigros, induſtriam præclaram, inuincibilem conſtantiam tum S. Alexandri Patriarchæ, tum S. Athanaſij ponderes, Alexandri, inquam, de quo ita Gregor. Nazianz. orat. 27. *S. Dion. Areo. Pſ. 76.* *S. Greg. Naz. de Alexandro Patriarcha elogium.* *Eximij illius Alexandri eſtis diſcipuli, magni Trinitatis propugnatoris ac præconis, qui & ſermone & rebus ipſis impietatem exturbauit & de medio ſuſtulit, neque enim memoriâ vobis excidit Apoſtolica illa oratio, quæ impietatis ducem in locis impuriſſima linguæ dignis oppreſſit, vt niminum contumeliâ contumeliam vleiſceretur, atque animarum iniuſta mors iuſtâ morte ad æternam infamiam plecteretur.* Hæc Gregor. Athanaſij, inquam, qui ſpatio 45. annorum cum hoſtibus diuinitatis verbi congreſſus eſt, *vt de eo,* inquit Ruffinus, *dicipotuit: Oſtendam ei quanta eum oporteat pro nomine meo pati?* Imperatores, Epiſcopos multos aduerſarios paſſus eſt, & inſidias hæreticorum plurics deluſit induſtriâ ac prudentiâ vſus. Leo denique fortiſſimus inter Doctores ac Paſtores Eccleſiæ, nullius reuera pauebat occurſum! dignus Petri Epiſcopi Alexandrini ſucceſſor, qui finis martyrum voce diuina fuerat proclamatus, ſicut Petrus fuerat Apoſtolorum primus; cui Deus reuelauerat Arrij perfidiam, eique præceperat ne Arrium in communionem reciperet. Dignus inquam, ſucceſſor illius Alexandri, qui immediatè Petro ſucceſſerat, qui animosè ſe geſſit contra Arrianos, & vt Leo fortiſſimus eorum conatibus obſtitit, vt refert ipſemet Athanaſius & etiam Theodoretus. Non minus fundatiſſimæ fidei conſubſtantialitatis verbi propugnator glorioſus in Alexandriâ quam Alexander magnus plurimam gloriam ſibi comparauit ex fundatione tam celeberimæ ciuitatis. Horum Athletarum ſanctiſſimorum fuit Athanaſius ſucceſſor qui iam Arrium oppugnare ſtrenuè cœperat in Concilio Nicæno, vt refert Greg. Nazianzen. orat. 20. in laudem Athanaſij. *Atque,* inquit, *idcirco primum in ſancto Concilio Nicæa habito, atque illo trecentorum duo de Viginti lectiſſimorum virorum numero, quos Spiritus ſanctus in vnum coëgerat, quantum in ipſo fuit morbum compreſſit. Nondum ille quidem in Epiſcoporum numerum allectus, verum primi inter eos qui ſimilium ipſis eo pertexerunt ordinis: nam is tum rerum ſtatus erat vt non minus virtute quam gradum dignitate honoris præſtantia cenſeretur.* Hæc Greg. *Vere,* vt ait ipſe Gregorius, *Eccleſiæ columen durorum laudabilium lapidum naturam imitatus. Nam & percutientibus Adamas efficitur & diſſidentibus magnes arcanâ naturæ vi ferrum trahens, ac duriſſimam omnium materiam ſibi aſciſcens,* Talem fortiſſimum Athletam ſuperare tanti faciebat Iulianus Apoſtata, *vt parum amplum atque præclarum arbitratus ſit,* inquit ſanctus Greg. Nazianz. *vniuerſam Chriſtianorum nationem imperio ſuo ſubjicere, magnum autem & glorioſum fore ſi Athanaſium eiuſque in doctrinâ Chriſtianâ vim & facultatem ſuperaret. Perſpiciebat enim nihil ſibi ex ſuis in nos conſiliis accedere, quod aduerſus eum in acie ſtaret Athanaſius eiuſque conatibus obſiſteret.* Si igitur in ſede Alexandrinâ tam glorioſè pro diuinitate verbi decertatum eſt, nonne ipſa illuſtre de Chriſto Leone, id eſt, Deo omnipotente reddidit teſtimonium, vt par ſit per Leonis figuram ipſam adumbrari? Ac ſi diceret S. Ioann. Auctoritatem ſedis Alexandrinæ vobis depingo: in quâ erunt aliquando fortiſſimi diuinitatis Chriſti propugnatores, qui tanquam Leones, illius hoſtes magnanimiter debellabunt. His adde quæ peregit Theophilus eiuſdem ſedis Alexandrinæ Epiſcopus contra Origeniſtas; quæ Cyrillus qui eidem proximè ſucceſſit fœliciter geſſit contra diuinitatis Chriſti acerrimos hoſtes. Nouatianos & Iudæos ex Alexandria expulit auctoritate Cœleſtini Papæ adiutus. Neſtoriũ Epiſcopum Conſtantinopolitanum profligauit, qui volebat purum hominem ex virgine natum, ac Deiparæ nomen Mariæ Virgini impiè auferebat, diuinitatemque Chriſto ex meritis aduenille, vel aliud eſſe verbum à filio dicebat: In hoc à Paulo Samoſateno diſſentiens, quòd Paulus negabat vnquam Chriſtum Deum fuiſſe: Neſtorius Deum eſſe negabat quandiu manſit in vtero virginis: Lege Baron. anno 430. & 431. Sic Cyrillus ſub alis Aquilæ volans, id eſt, auctoritate Cœleſtini vtens, impiiſſimam hæreſim proſtrauit. Vnde Proſper de Cœleſtino loquens ait, *Per hunc virum* (Cœleſtinum videlicet) *omnes Orientales Eccleſiæ geminâ peſte purgatæ ſunt, quando Cyrillo Alexandrinæ vrbis Antiſtiti glorioſiſſimo fidei Catholicæ defenſori, ad exterminandam Neſtorianam impietatem Apoſtolico auxiliatus eſt gladio, quo etiam Pelagiani dum cognatis conſœderantur erroribus, iterum proſternerentur.* Hæc Proſperus. Nonne igitur tot inſignia acta, Marci, Petri, Alexandri, Athanaſij, Theophyli, Cyrilli à S. Ioanne præuideri debuerant, & ſub Leonis figurâ victoria de tot hoſtibus diuinitatis Chriſti reportata adumbrari, vt verè dicatur, *Ecce vicit Leo de tribu Iuda.* Per ea nempe quæ fœliciter geſta ſunt in ſede Alexandrinâ? Veniamus ad Antiochenſem.

S. Greg. Naz. de Athanaſio teſtimonium. *Ruffini de S. Athanaſio elogium.* *Proſper de Cœleſtino.*

Satis

Satis ſuperque iam dictum eſt vituli figurâ Sacerdotium Chriſti deſignari. His adde quod ex officio Sacerdotis, intellectus & voluntates hominum quaſi ſulcos ſpirituales adaperiunt, diffundunt atque dilatant, vt Cœleſtes fœcundoſque imbres recipiant, cum eos ad mandatorum Dei obſeruationem promouent, quoad ſpem æternæ vitæ conſequendæ erigantur: ſicuti Boues ſulcos terræ dilatant vt imbres excipiant. In cornibus Boüm S. Dionyſ. ſeruatricem inuictamque vim Angelorum contemplatur. Nos hic in cornibus, id eſt, in poteſtate ſacerdotio propriâ, ratione ſacrificij crucis ſeruatricem vim contemplamur: Hac enim poteſtate Chriſtus morte ſuâ mortem fugauit: *Cornua in manibus eius, ante faciem eius ibit mors*, inquit Habacuc: ſummâ nempe poteſtate vti noluit vt perderet quos condidit, vel vt eos qui eum crucifigebant potenter proſtraret ac in nihilum redigeret, ſed vt eos ſeruaret & à mortis imperio liberaret ea vſus eſt. Olim qui peccauerat Sacerdos Vitulum pro expiatione criminis offerebat Leuit. 4. *Si ſacerdos qui vnctus eſt peccauerit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato ſuo vitulum immaculatum Domino.* Idem erat faciendum ſi omnis Turba Iſrael aliquid feciſſet contra mandatum Domini: Offerre enim debebat pro peccato ſuo vitulum. Chriſtus reuera non peccauit, tamen totius multitudinis peccata & iniquitates portauit: vnde fuit Hoſtia & Sacerdos qui pro omnibus ſeipſum obtulit in ara crucis immolandum: Ideo Vituli figurâ eius ſacrificium & Sacerdotium ritè deſignatur. At de hac dignitate tanto honore dignâ, illuſtre habemus ab Antiochena ſede redditum teſtimonium in multis quæ ibidem adimpleta fuere. Ergo optimè hac figurâ vituli adumbratur. Antecedens patet: primo cultus Dei ſupremus character eſt reuera ſacerdotium; At colitur Deus fide, charitate, mandatorum Dei ac decretorum Eccleſiæ religioſâ obſeruatione, donorum gratuitorum quæ ad aliorum ſalutem ordinantur receptione, Eccleſiaſticæ iuriſdictionis exercitio, Subiectorum erga Superiores & Paſtores humili obſeruantia: De iis enim qui ea omnia fideliter ſeruant dici poteſt quod Petrus aiebat, *Gens ſancta, regale ſacerdotium, populus acquiſitionis*, vt potè qui tanquam Sacerdotes videntur Deo conſecrati; At hæc omnia ſole clarius patent in primis Chriſtianis Antiochenæ ciuitatis: Ergo his omnibus ſacerdotale officium illuſtre redditum fuit in ſede Antiochena. Statim namque Petrus anno Chriſti 41. per viſionem inſignem didicit tempus aduenille prædicandi Euangelium Gentibus, diſperſis Diſcipulis poſt mortem S. Stephani quidam peruenientes Antiochiam prædicauerunt fidem, & adeo excreuit ibidem numerus credentium, *vt cognominarentur primùm Antiochiæ diſcipuli Chriſtiani*: En fides. Charitate feruentes vt patet Act. 11. ex liberâ bonorum ſuorum largitione erga fideles Hieroſolymitanos: En charitas. Erant inſuper in Eccleſia quæ erat Antiochiæ Prophetæ & Doctores Act. 13. En dona gratuita. Et cum Paulus & Silas epiſtolam à Conſilio primo Apoſtolorum & Seniorum miſſam congregatâ multitudine legiſſent, gauiſi ſunt ſuper conſolatione vt pote Eccleſiaſticis dogmatibus obtemperantes, quam quidem obſeruantiam, erga Paſtores magni facit S. Ignatius epiſt. 5. ad Magneſianos, cum ait de Sotione Diacono loquens, *Quo ego fruar quia obedit Epiſcopo & Presbyteris per gratiam Dei, & legem Ieſu Chriſti, & vos docet non contemnere ætatem Epiſcopi, ſed iuxta Dei Patris arbitrium omnem impertiri illi reuerentiam: quemadmodum noui facere ſanctos Presbyteros.* Hæc Ignatius. En humilis Eccleſiæ obedientia. Cumque Petrus anno vltimo Tiberij ibidem ſedem ſuam collocaſſet, adhuc ibi ſedente ipſo antequam ſedem Romanam erigeret, anno videlicet ſecundo Claudij circa initium, extraordinaria quadam mittendi ratione Paulus & Barnabas miſſi fuerunt ab Eccleſia Antiochenâ ad ſui Apoſtolatus ſpeciale exercitium; In quo ſacerdotalis dignitatis maieſtas plurimum commendatur. *Miniſtrantibus*, inquit, *illis Domino & ieiunantibus dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Paulum & Barnabam ad opus ad quod aſſumpſi eos.* Act. 13. En mittendi auctoritas. Nihil enim manifeſtius caracteris ſacerdotalis dignitatem extollit, quàm cum eius poteſtas extenditur ad extra, vt mittant qui miſſi fuerunt, & auctoritatem ac poteſtatem conferant qui eam receperunt: vt quodammodo cum Domino dicat qui mittit, *Sicut miſit me Viuens Pater & ego mitto vos.* At quid nitimur his rationibus noſtram ſententiam confirmare, videlicet quod ex ſede Antiochenâ illuſtre fuerit de dignitate ſacerdotali Chriſti redditum teſtimonium? Non ſolùm hoc patet ex eo quod omnes gratiæ per Paſſionem & Crucis ſacrificium Eccleſiæ promeritæ in eâ Eccleſia patenter enituerunt, ſed etiam auctoritate Auguſtini apertè hoc dicentis. Audiamus ergo eum de inſtitutione feſti Cathedræ S. Petri Antiochiæ diſſerentem, *Inſtitutio ſolemnitatis hodiernæ à ſenioribus noſtris Cathedra nomen accepit, ideo quod primus Apoſtolorum Petrus hodie Epiſcopatus Cathedram ſuſcepiſſe referatur. Petrum namque fundamentum Eccleſiæ Dominus nominauit, & ideo dignè fundamentum hoc Eccleſia colit ſupra quod Eccleſiaſtici edificij altitudo conſurgit.* Et poſtea addit: *Quod natalis ergo Cathedræ hodie colitur ſacerdotale honoratur officium: ſibi hoc Eccleſia inuicem præſtant, quia tantò neceſſe plus habet Eccleſia dignitatis, quantò ſacerdotale officium plus honoris.* Hæc Auguſt. Nonne hac ratione diſcimus quantum ad ſacerdotale officium omni honore proſequendum inſeruierit potiſſimum ſedes Antiochena, in quâ primum Apoſtolorum ſupremus ſedem ſuam collocauit? Inſuper audiamus S. Ignatium ſucceſſorem Euodij, & ſanctiſſimum Martyrem, & ex eo vno diſce quo ſpiritu imbuta fuerat in primis illis temporibus Antiochena Eccleſiæ, vt de Chriſti ſacerdotio ſublimia cogitaret, quæ eidem participantibus tantam voluit deferri reuerentiam, quantum S. Ignatius deferendum eſſe docet Epiſtola 3. ad Magneſianos: *Oportet itaque & nos præſtantiores reuereri, decetque non modo vocari Chriſtianos ſed eſſe. Nec enim dici ſed eſſe beatos facit. Si qui Epiſcopum appellant & ſine eo omnia faciunt, huiuſmodi dicet ipſe qui verus & primus Epiſcopus eſt: Quid me vocatis Domine Domine, & non facitis quæ dico?* Hæc ille. Tales enim non bonâ conſcientiâ mihi præditi eſſe videntur, ſed eſſe ſimulatores & perſonati. Et epiſt. 6. ad Philipp. *Principes obediunt Cæſari, milites Principibus, Diaconi Præſbyteris, Diaconi & reliquus Clerus vna cum populo vniuerſo, militibus, Principibus & Cæſare, ipſi Epiſcopo pareant, Epiſcopus Chriſto, vt Chriſtus Patri obediunt: & hac ratione per omnia conſeruabitur vnitas.* Hæc Ignatius. Quam quidem ſubordinatam reuerentiam profitetur ſe non ab homine, ſed à Spiritu ſancto didiciſſe, eadem epiſt. cum ait: *Si autem ſuſpicamini me hæc dicere, quod intellexerim quoſdam diſſidere, Teſtis mihi is eſt propter quem vinctus ſum, quod non cognouerim iſtud ex vno cuiuſquam hominis, ſed Spiritus annunciauit mihi. Sine Epiſcopo nihil facite. Carnem veſtram vt Dei Templum cuſtodite. Vnitatem amate, diſſidia fugite, imitatores eſtote Pauli & aliorum Apoſtolorum, ſicut & ipſi fuere Chriſti.* Hæc ille. Et cum ait epiſt. ad Magneſianos: *Omnes ad orandum in eodem loco conuenite: precatio vna communis, vna mens, vna ſpes, in charitate & fide inculpata in Chriſtum Ie-*

1. Dionyſ.

Habac. 3.

Leuit. 4.

Act. 11.

Act. 13.

S. Ignatius.

S. Auguſt.

S. Ignatius.

ſum, quo nihil præſtantius. Omnes velut vnus quiſpiam in Templum Dei concurrite, velut ad vnum altare, ad vnum Ieſum Chriſtum ſummum ſacerdotem Dei ingeniti. Hæc ille. Nonne quanti faciendum ſit ſacerdotium Chriſti apertè demonſtrat?

Denique cum per ſacrificium apertè profiteamur nos noſtraque omnia, corpus videlicet & animam à Deo dependere, tanquam ab omnium bonorum fonte, quem vt creatorem veneramur; cui profeſſioni ac fidei aduerſabatur omnino impiiſſimum Hermogenis hæretici dogma, docentis materiam Deo eſſe coæternam & Angelos animarum creatores eſſe: quis hanc hæreſim ineptiarum & ſomniorum Manichæi veluti præludium proſtrauit? Nonne fuit inſignis ille pietate ac doctrina vir Theophilus Epiſcopus Antiochenſis, qui ſcriptis doctiſſimis hanc hæreſim profligauit? Vt appareat ſacerdotium quo per ſacrificium Deus vt Auctor & Creator colitur, in ſuo ſplendore fuiſſe ſeruatum operâ illius qui hanc ſedem Antiochenam ſanctiſſimè occupabat: quod præuidere debuit & potuit S. Ioannes, & de ſplendore ſacerdotij per ſedem Antiochenam emicante, nobile nobis in vituli figurâ proponere ſignum; meritoque hæc ciuitas antiquitus dicta Theopolis.

De ſede autem Romanâ quid dicam? Quis non videt hanc ſedem ſuper omnia regna mundi ſublimatam, de Chriſti regis maieſtate & dominatu in omnes Gentes illuſtre teſtimonium nobis præbere? Aquila proculdubio eſt alas expandens deſuper, & auctoritate ſibi collatâ alias ſedes protegens: cui hoc munus omnino incumbit, vt Chriſtus Rex Regum & Dominus Dominantium ab omnibus agnoſcatur. Cœcus eſt qui hoc non videt, ſtupidus qui non agnoſcit, malignus & peruicax qui audet negare. Chriſti certè regnum per Aquilam deſignari clariſſimum eſt. Rex Aquila dicitur auium, ſupera petit, volat celeriter, mira diligentia ac facultas ad capiendum cibum quo vires reficiat, vis ingens directè ac ſine vlla inflexione robuſtis oculorum intentionibus contemplandi largiſſimè ac multa luce ſplendeſcentem radium quem ſol fundit & iaculatur. Chriſtus Dominus in femore habet ſcriptum: *Rex Regum, Dominus Dominantium*; Alta petit qui ſupra cœlos aſcendit, celeriter volat qui volat *Super pennas ventorum*, & nullibi abeſt qui vbique adeſt, eius nomen, *Accelera, ſpolia detrahe, feſtina prædari*; Cuius cibus eſt vt faciat voluntatem Patris; qui lux de lumine in ſinu patris requieſcit: *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus qui eſt in ſinu Patris ipſe enarrauit*, Ioann. 1. Vnde omnia Patris nouit conſilia, nunquam à ſummâ eſſentiâ contemplandâ acumine mentis & intellectus humanitatis ſuæ abſcedens, ſeu robuſtis mentis intentionibus ſplendeſcentem radium diuinitatis ſemper intuens: vt ſciat quid illi pro regimine Eccleſiæ ſtatuendum ſit. Quam diuinam ſapientiam poſtulabat Salomon, vt populum ſibi ſubditum regeret, *Da mihi*, orabat ille, *de ſede magnitudinis tuæ ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, quæ mecum ſit & mecum laboret.* Hanc vt Deus non tàm habet, quàm eſt Chriſtus; vt homo hanc nanciſcitur, mentis oculos immobiliter fixos retinens in altiſſimam Dei eſſentiam totius Sapientiæ fontem. At quid agit Eccleſia Romana? Nonne vt Chriſtus Rex agnoſcatur? Nonne vt Eccleſiæ filij poſt eum volitent, eum imitando qui tanquam Aquila prouocat pullos vt ſecum in cœlum aſcendant? Nonne vt fideles tanquam ad verum cibum animam reficientem velociter currant, odore vnguentorum ſuorum allecti viam mandatorum ipſius? Nonne vt tanquam pulli ſanguinem Chriſti bibant, pro eo etiam mortem libenter obeundo? Nonne vt cognoſcant Deum & quem miſit Chriſtum, & amore eius flagrantes omnino in eo conquieſcant? Hoc agit Eccleſia Romana, id eſt, Eccleſia Catholica: eadem enim eſt Eccleſia Romana & Eccleſia Catholica, vt benè notat Baronius anno. 39. & anno. 45. quæ tanquam Aquila Ezechielis deſuper alia animalia apparet, & tanquam Aquila Ioannis ſuper medium ſedis volat: eo quod alias ſedes Patriarchales in eâ ſtabilitas & firmatas foueat, & in officio contineat ac moderetur, veluti quæ inter alias ſuperior & præcipua eſt. Prædicat igitur fortiter omnibus his Ieſum qui olim in Hieruſalem cum hominibus conuerſatus verus homo apparuit, qui verus Deus æqualis Patri credi debet, qui verus ſacerdos nos Deo conſecrat. *Hic ille Rex eſt Gentium populique Rex Iudaici*, Caput Angelorum & hominum.

Hanc interpretationẽ eò libentius admitto, quod videam non in iucundâ accommodatione eodem ordine animalia conuenire & ciuitatibus & ſedibus & Euangeliſtis: & Euangeliſtas æque ac ſedes neſcio quam cum ciuitatibus illis connexionem obtinere. Mathæus primus Euangelium in Iudæa Hebraicis litteris edidit. Ita Hieron. lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in 6. Iſaiæ, & in Ozeæ. 11. & in præfatione Euangel. & ex Chryſoſt. Hom. 1. in Math. & Euſeb. lib. 3. Hiſt. c. 24. Habetur eum ſcripſiſſe rogantibus Iudæis qui Chriſto crediderãt. Et Athanaſius in Synopſi ait Mathæi Euangelium editum Hieroſolymis, & interpretante Iacobo fratre Domini ſecundum carnem expoſitum, qui & primus à ſanctis Apoſtolis Hieroſolymorum Epiſcopus conſtituitus eſt. Mathæum ſequitur Marcus: ſcripſit enim non multò poſt Mathæum. *Euangelium*, inquit Athanaſius, in Synopſi, *ſecundum Marcum Romæ quidem ab Apoſtolo Petro prædicatum eſt, editum vero à Marco Beato Apoſtolo & ab ipſo Alexandriæ poſtea & in Ægypto & in Pentapoli & in Libia prædicatum.* Sed quod etiam notandum eſt, Petrus de Natalibus vult non ſolùm Latino ſermone Romæ ſcripſiſſe Euangelium, ſed etiam Græco ſermone. *Petrus*, inquit, *Marcum Aquileiam Proto-Epiſcopum deſtinauit. Ibi Euangelium ſuũ quod alias Romæ Latinis litteris conſcripſerat, ſterum Græco eloquio exaratur quod vſque hodie in Aquilenſi Eccleſiâ, cum ſede eburneâ in qua ſedens illud ſcripſerat demonſtratur.* Quidquid ſit (nam hoc non ita probat Cardinalis Baronius) Certum eſt Euangelium Marci in Alexandriâ prædicatum multum profeciſſe ad Chriſti notitiam, vt diximus. Tertius inter Euangeliſtas venit S. Lucas, ex nobili ciuitate Syriæ Antiochiâ oriundus, qui in Achaiæ & Boetiæ partibus commorans, vt vult Hieron. Euangelium ſcripſit. Vltimus eſt ſanctus Ioannes, qui poſt exilium in Pathmos inſulam, & conſequenter poſt teſtimonium de Chriſto datum Romæ, cum in feruentis olei dolium iniectus fuit, ſcripſit Euangelium rogatus ab Aſiæ Epiſcopis, ob exurgentes hæreſes Cerinthi, Ebionis & aliorum: de quibus latè Barradius Tom. 1. lib. 1. c. 19. & 20. Vides igitur hunc ordinem ſcribendi Euangelium eundem eſſe quem illis ſedibus aſſignauimus. Vides Mathæum cum Hieroſolymâ, in quâ ſcripſit Euangelium, in hominis figurâ conuenire. Vides Marcum, qui Alexandriæ ſuum Euangelium prædicauit, in ſymbolo Leonis cum Alexandriâ ciuitate deſignari. Vides Lucam ex Antiochiâ oriundum, ſignum vituli cum Antiochiâ, ſibi vendicare. Vides Ioannem, poſtquam de Chriſto teſtimonium reddidit Romæ, æquè ac Romanam ciuitatem Aquilæ ſymbolum promereri. Et ſic hæc ſymbola apta fuiſſe, vt per ea hæ ciuitates, ſedes & Euangeliſtæ vno quaſi aſpectu ante oculos objicerentur: vt ſicut magnificentia harum

Ioannes Chryſoſt. Euſebius. Athanaſius.

Petrus de Natalibus.

Barradius.

Digitized by Google

ciuitatum, auctoritas illarum ſedium, veritas Euangeliſtarum ad hunc finem deſtinabantur à Deo vt de Chriſto homine, Leone, Vitulo, Aquila, id eſt, vero homine, vero Deo, ſummo Sacerdote, ac Rege ac Domino teſtimonium redderetur inſigne; ita iiſdem ſymbolis poſſent & ciuitates & ſedes & Euangeliſta deſignari, haberentque illi Euangeliſtæ aliquid cum ciuitatibus illis commune: ſiue quia ibi ſcripſerunt vt Mathæus, vel ibi mortui ſunt vt Marcus, vel exinde oriundi vt Lucas; vel potenter denique de tormentis ibidem erepti vt Ioannes. Objicies in his ſedibus Hieroſolymitanâ ſcilicet, Alexandrinâ & Antiochenâ plures ſediſſe Epiſcopos, non ſolum hæreticos ſed etiam Hæreſiarchas, qui potiùs fidem de Chriſto deſtruere quam ædificare attentauerunt; Non ergo ſanctum Ioannem de iiſdem prophetaſſe veriſimile eſt, quaſi ad hanc fidem ſtabiliendam aliquatenus operam ſuam collocauerint. Reſp. Non eſſe neceſſe vt omnes qui has ſedes occuparunt fuerint rectæ fidei & Catholici: hoc priuilegium ſingulare eſt Romanæ ſedis, vt nullus in ea ſedeat hæreticus. Vt vera ſit de his ſedibus prophetia ſufficit quod in aliqua temporis differentiâ quidam fuerint reperti, qui fidem tuentes Catholicam hanc de Chriſto fidem prædicare, promouere, & totis ſtudiis contraria dogmata oppugnare, notoriè, efficaciter & inſigniter conati fuerint, & reuera præſtauerint: vt Impio dogmate deluſo fides de Chriſto integra remanſerit. Nam ſicut prophetiæ de benedictionibus Dauidi & eius poſteritati aut ſemini repromiſſis, falſitatis non arguuntur ex peruerſitate plurimorum Regum qui ab eo traxerunt originem, Nec prophetiæ de fœlicitate temporali Eccleſiæ eluduntur ob afflictiones & perſecutiones quas plurimas pertulit; ita quod aliqui reperti fuerint Epiſcopi in his Sedibus praua dogmata inuenientes aut ſequentes, nihilominus vera remanet prophetia, quia aliqui tandem fuerunt qui pro veritate fidei ſtabiliter, ſtrenuè & fœliciter decertauerunt.

Soluitur obiectio.

Objicies ſecundo ſucceſſionem Epiſcoporum illarum ſedium interruptiones plurimas paſſam fuiſſe: hinc dici non poteſt eas ſedes ſufficienti modo & ratione ad hanc fidem prorogandam & conſeruandam plurimùm profeciſſe. Reſp. fatendum eſſe (vt ex Genebrardi Chronologiâ ſatis manifeſtum eſt) ſucceſſionem Epiſcoporum Hieroſolymitarum ſubobſcuram eſſe à tempore Sophronij, qui fuit ſexageſimus quintus illius vrbis Patriarcha ſeu Epiſcopus, id eſt, ab anno ſexcenteſimo trigeſimo ſexto, quo Saraceni Hieroſolymam inuaſerunt & occuparunt; pari ratione circa annum ſexcenteſimum quinquageſimum, quo ſedebat Petrus quidam quinquageſimus quartus à ſancto Marco Apoſtolo Epiſcopus, ſucceſſionem Epiſcoporum Alexandrinorum quaſi in tenebris deliteſcere: quod etiam dicendum de ſucceſſione Epiſcoporum Antiochenſis ciuitatis, à tempore Theodori ſeptuageſimi ſecundi à S. Petro Apoſtolo Epiſcopi, videlicet circa annum ſeptingenteſimum ſexageſimum octauum. Nihilominus tantum temporis ſpatium ſufficiens eſſe vt de eo aliquid prophetaret ſanctus Ioannes: quod illi minimè negabunt qui de tribus annis cum dimidio Anti-Chriſti maiorem partem huius prophetiæ intelligi volunt. Reſp. ſecundo Genebrardum (licet frequentes & diuturniores fuerint interruptiones ſucceſſionis in his ſedibus) tamen ab vno tempore in aliud aliqui Epiſcopi reperiuntur qui has ſedes repleuerint, vt ex Genebrardo patet: & nuperum videmus legationem Patriarchæ Alexandrini ad Clementem 8. in annalibus Baronij inſertam. Tertio, Iſtam ſucceſſionem abſque vlla interruptione minimè eſſe neceſſariam vt veritas prophetiæ pateſcat, quod enim potiſſimùm præuiſum fuit in his animalibus centenus adimpletum, nempe quod illæ ſedes per hæc animalia deſignatæ gnauiter laborarunt & fœliciter decertarunt, vt de Chriſto fides ſyncera in vniuerſo orbe haberetur, vigilantiâ, ſtrenuitate, pietate, doctrinâ, animi conſtantiâ, fortitudine, prudenti induſtria eorum, qui has ſedes occuparunt, quo ſemel præſtito muneri eorum ſatis factum eſt, vt de iis S. Ioannes prophetare debuerit. Denique cum hæc viſio extendi poſſit ad quoſcumque Epiſcopos, Doctores aut concionatores aut Religionum inſtitutores, ſanctos eminentiores, qui ad hanc fidem ſemel plantatam in integritate ſuâ conſeruandam, operam ſuam collocarunt: vt quod auctoritate & rebus geſtis hæ ſedes in initio Eccleſiæ ſemel adimpleuerunt, hoc continuo rerum ſucceſſu per alios ipſis collaborantes & in eorum ſtudio & labore introeuntes adimpleri videatur, ſatis ſuperque prophetia iſta veritati innititur. Nam ſicut 24. Seniores non ſolum ſignificant 12. Apoſtolos & 12. Sanctos qui in primæuis Eccleſiæ temporibus fuerunt quaſi eius fundatores, *Fundati*, inquit Apoſtolus, *ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu*, Sed etiam ſignificant eos omnes qui Apoſtolis & aliis decedentibus, illis in officio & miniſterio ſucceſſerunt: Ita per hæc quatuor animalia non ſolùm denotati has ſedes quatuor Patriarchales aut quatuor Euangeliſtas, ſed etiam quoſcumque Epiſcopos aut Doctores aut ſanctos, qui ſupra Thronum Eccleſiæ Romanæ cum ea in fide coniunctiſſimè fundati, ſiue auctoritate ſiue doctrina ſiue morum integritate, fidem de Chriſto ſemel firmatam propagauerunt, & eam vſque ad nos inuiolatam ac illibatam deduxerunt: quorum videlicet labore, ſtudio ac induſtria Chriſto honor debitus redditur, vt qui non tantùm verus homo creditur, ſed & Dei filius, *Qui non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit*, Redemptorem noſtrum ac mediatorem ſe conſtituit, ſemper viuens ad interpellendum pro nobis ſempiterno ſacerdotio fungens, cui omnes gentes in hæreditatem datæ ſunt, vt tanquam Rex Regum ac Dominus Dominantium in æternum agnoſcatur, colatur, adoretur. Objicies tertio: Alcazar vult Thronum ſignificare Eccleſiam Romanam; ergo malè cohæret cum hac interpretatione, quæ vera nihilominus videtur ſi per Aquilam Romanam intelligas adhuc Eccleſiam. Reſp. Quod valde notandum eſſe exiſtimo Eccleſiam Romanam iuxta doctrinam Bellarmini lib. 4. de Romano Pontifice c. 4. duobus modis poſſe conſiderari: vel in quantùm eſt ſedes Apoſtolica, in quocumque orbis loco eam collocatam eſſe dicas; alio modo in quantum Romæ fixa videtur, nec enim eſt de fide à Romanâ Eccleſia non poſſe ſeparari omnino Apoſtolica ſedes, quia nec ſcriptura nec traditio habet ſedem Apoſtolicam ita fixam eſſe Romæ, vt inde auferri non poſſit: quamvis pia ſit & probabiliſſima hæc opinio & ſententia, inquit Bellarminus, non poſſe ſeparari Petri Cathedram à Roma, quod iubente Domino Ieſu Chriſto S. Petrus ibidem ſedem ſuam collocarit, & Domini voluntati contradicendum non ſit; tamen quia non apparet quod Chriſtus Petro iuſſerit vt immobiliter ſedem Romæ collocaret, remanet ſemper diſtinctio inter ſedem Apoſtolicam vt ſic & ſedem Romanam in quantùm ſedes Apoſtolica ibidem collocata fuit, quæ alibi transferri poſſet.

Alia obiectio ſolutur. Genebrard.

Tertia obiectio ſolutur.

Bellarminus.

Notandum ſecundo etiam aliud eſſe loqui de ſede Romana, in quantùm in eâ ſedet Petri ſucceſſor, Chriſti Vicarius, totius Eccleſiæ caput, prima-

rium post Christum fundamentum, qui vt alibi dicemus Episcopus Episcoporum dicitur, & Pater Patrum, in quo residet omnis plenitudo potestatis quæ à Christo Ecclesiæ collata fuit: hac enim ratione quodammodo sedet in toto orbe, quia per vniuersum orbem absque vllis limitibus iudicia sua exercet, & summæ suæ potestatis effectus producit; Aliud enim loqui de Romanâ sede in quantum est sedes Episcopi peculiaris vrbis Romæ, vel Metropolita & Archiepiscopus Romanæ Prouinciæ, vel Primas totius Italiæ, vel tandem Patriarcha totius Occidentis, primus honoris & dignitatis ordine.

His præsuppositis dico sedem Romanam in quantùm eadem est ac sedes Apostolica, vt sic per Thronum in cœlo positum designari; vt autem consideratur vt Romæ collocata quæ tamen transferri posset, per Aquilam designari; vel Thronum in cœlo positum nobis significare Romanam sedem in quantum in ea sedet Christi Vicarius, Petri successor & totius Ecclesiæ caput, Aquilam autem nobis significare illam sedem vt est sedes Patriarchæ totius Occidentis, sub quâ quidem ratione potestatem habet certis quibusdam limitibus arctatam, non diuino sed Ecclesiastico iure definitam, nempe Petri determinatione vel successorum eius vel Conciliorum. Non enim Ecclesia in Conciliis congregata minùs potuit Patriarchæ Romano Diœcesim suam definire, quàm descripsit Concilium Nicænum Alexandrino, Chalcedonense Constantinopolitano, sancta Synodus Hierosolymitano.

Dico tertio: per figuram animalium, non per figuram hominis præcisè vt aliquid habet suprà animalitatem, hæ sedes significantur: nempe vt in eis quandam subiectionem Throno ac sedenti in eo & senioribus considerari liceat. Certum est enim has Patriarchales sedes à Petro vt Christi Vicario & Petri successore dependere. Sedi Hierosolymitanæ Petrus initium dedit: perspiciens si quidem in dies numerum fidelium in ciuitate Hierosolymitanâ accrescentem, Iacobum Alphæum cognomento iustum ipse Apostolorum Princeps in Episcopum Hierosolymitanum elegit: vt ex Chrysost. habemus hom. 87. in Ioan. *Si quis*, inquit, *à me percontaretur quomodo Iacobus sedem Hierosolymitanam accepit, Responderem ego hunc totius Orbis Magistrum proposuisse Petrum.* Hæc Chrysost. Ab eo etiam assistentibus sibi Ioanne & Iacobo alio ordinatus 27. Decemb. ex Martyrologio Bedæ. Initium etiam dedisse sedi Alexandrinæ docet Baronius anno 64. n. 13. Merito igitur id agente diuino numine, subiit in mentem Petri Pastoris omnium, vt dilectissimum discipulum Marcum quem immensi amoris causâ filium suum appellat, mitteret Alexandriam vt ibi Euangelium prædicaret, vbi velut in quodam orbis Theatro ex Asiâ, Aphricâ & Europâ tot gentes essent simul collectæ. Idemque iure effecerit vt ex tot nationibus Ecclesia nobilissima suo ipsius nomine congregata, post Romanam haberetur omnium facile princeps. Docet etiam hoc Gelasius in decreto de libris Apocryphis.

Baron. an. 34. n. 91.

De sede Antiochenâ & Romanâ nulla est difficultas has sedes à Petro fuisse fundatas. Primo enim Petrus sedit Antiochiæ, & 7. annis elapsis 45. anno Christi secundò Claudij sub fine 18. Ian. sedem Antiochenam in Romanam transtulit: Vnde non mirum si hæ quatuor sedes in Throno magnificentissimo Romanæ in quantùm Apostolicæ sedis symbolo, videantur innixæ & fundatæ, nempe in Throno in cœlo posito: hoc nempe ordine vt iuxta Thronum in quo sedet Petrus in quantum Christi Vicarius & Ecclesiæ caput, & in eo Christus imo & Deus Trinus & vnus, appareat figura hominis: A quia Petrus Hierosolymis primo potestatis suæ dedit signa manifesta; in latere seu angulo dextro figura reponatur Leonis, quia de hoc homine prædicandum erat ipsum verum esse Deum; in opposito angulo figura bouis, quia eius sacerdotium regale in sede Antiochenâ manifestè radios sui splendoris emisit; Aquilâ supra volante, ex eo quod Petrus sedem Romæ collocans hanc sedem cæteris prætulit, eique prærogatiuam amplæ cuiusdam in alias sedes auctoritatis contulit. Quia igitur hæ quatuor sedes Patriarchales à Petro viuente fuerunt fundatæ, ideo eas in Throno illo Apostolicæ sedis symbolo, non alias sedes postea erectas collocamus.

Dices conuenientius reponendam esse Cæsaream maritimam, quæ Metropolis fuit Palestinæ, B erat enim præcipua inter alias huius Prouinciæ ciuitates, & totius Prouinciæ Iudæorum insignior, vt refert Iosephus: quin & ex Hieron. Epistola 61. ad Ioannem Hierosolymorum Episcopum, Hierosolymitanam Ecclesiam Cæsarienſi fuisse subiectam vt Metropoli totius Palestinæ; vel etiam Constantinopolitanam & Hierosolymitanæ esse præferendam, quod tandem aliquando dignitatem Patriarchatus adepta sit, verbi gratia in Conciliis Constantinopolitano & Chalcedonensi. Respondeo quidquid sit de Patriarchatu Constantinopolitanæ Ecclesiæ (de qua re lege quæ Baron. scripsit anno 451. & alibi, non enim est mei instituti hæc discutere) C hanc nos non intueri. Primo, quia symbolum nec cum eâ nec cum rebus in eâ gestis conuenit. Secundò, quod antequam hanc dignitatem, non dico adepta fuerit, sed adipisci attentauerit, iam ea Christi fides erat per totum orbem promulgata & firmas radices egerat. Tertiò, hæc sedes Constantinopolitana non fuerat immediatè à S. Petro fundata, quod merito requirimus, vt in Throno isto magnifico Apostolicam sedem significante reponatur. Quod autem attinet ad Cæsaream Ecclesiam, non mirum si Hierosolymitana sedes quamuis semper fuerit honore debito prosecuta, vt antiquior, vt aliarum quodammodo mater, *De Sion* enim *exiuit lex & verbum Domini de Hierusalem.* (Sic enim appellatur in epistola Synodali Concilij Con- D stantinopolitani ad Damasum Papam, quam recitat Theodoretus lib. 1. c. 9. Vnde euenit vt ipsius ciuitatis Episcopus eum antiquitus honorem sit consecutus, vt inter Apostolicarum sedium antistites consederet, & in litteris quoque ita nominaretur, seditque hac ratione in Concilio Chalcedon. iuxta Episcopum Alexandrinum ante omnes Metropolitanos) tamen diuinâ prouidentiâ factum est, vt alteri sedi remanserit subiecta nempe Cæsarienſi, vt perfectius nobis conditionem humillimam quam Christus assumpsit cum carne indutus est demonstraret. In similitudinem enim hominum factus habitu inuentus vt homo formam serui accepit, fuitque subditus parentibus & legi, vt eos qui sub lege E erant redimeret.

Ex his igitur omnibus concludimus, tùm ex conuenientiâ symboli cum his sedibus, tùm quia præstantissimum & peculiare de Christo homine, Deo, Sacerdote seu Redemptore, Rege, reddiderunt hæ sedes testimonium, has sedes rite in Throno Petri, & per Petrum Christi & Dei specialius collocari: Illasque selegimus inter omnes alias sedes Episcopales, tùm quia vel antiquitate vt Hierosolymitana, vel auctoritate vt tres aliæ, vel dignitate potiori vt Romana, alias antecellunt; tùm quia à Petro initium sumpserunt, & ad eundem finem cum Apostolica sede adspirantes, nempe vt Christus ab omnibus agnosceretur, eidem coniunctæ & firmiter adhærentes, ipsam Apostolicam sedem plurimum

Digitized by Google

adiuuerunt vt hunc finem gloriosè adipiſceretur. De tribus ſedibus, Alexandrina, Antiochena, Romana, hoc agnouit Nicolaus epiſt. ad Michaelem imperat. Tomo 2. Conciliorum. *Sic demum*, inquit, *Alexandrinam Eccleſiam ſuam fecerunt Petrus & Paulus per Beatum Marcum Vnius horum filium ac diſcipulum: hæreditas quippe Filij in poteſtate Patris exiſtit, & gloria diſcipuli ad Magiſtrum ſine cunctatione refertur. Fecerat autem Beatus Petrus præſentia corporali & Eccleſiam Antiochenam iam ſuam, quæ (ſicut & dicit Papa Innocentius) Vrbis Romæ ſedi non cederet, niſi quod illa in tranſitu meruit, iſta ſuſceptum (quippe Beatum Petrum) apud ſe conſummatumque gauderet. Per has igitur tres præcipuas Eccleſias, omnium Eccleſiarum ſollicitudo Beatorum Apoſtolorum Principum Petri & Pauli proculdubiò moderamen expectat.* Hæc Nicol. Si moderata fuit ab Apoſtolis Petro & Paulo per has Eccleſias præcipuas, nonne verum eſt per illas ipſas fidem Chriſti in toto orbe fuiſſe propagatam? Et cum Epiſcopus primus Hieroſolymitanus, vt diximus, fuerit à Petro electus & ordinatus, quæ poſteri & ſucceſſores fœliciter pro ea fide propagandâ poſtea præſtiterunt, totum id B. Petri Apoſtolicæ auctoritati tribuendum eſt. Præſtiterunt autem plurimum. *Epiſcoporum*, inquit Euſeb. lib. 4. c. 5. *tempora qui Eccleſiam Hieroſolymitanam rexere, quoniam vt fertur vitam ad breue tempus propagabant, nuſquam Scriptorum monumentis ſeruata reperio. Tantùm tamen ex quorundam ſcriptis animaduerto Epiſcopos numero quindecim, ad obſidionem Adriano regnante contra Iudæos factitatam, gradatim ſuccedendo illic fuiſſe: quos vniuerſos antiqua Iudæorum ſtirpe (totam namque Eccleſiam illam ex Hebræis fidelibus coaluiſſe conſtat) fuiſſe memorant, atque adeo Chriſti cognitionem ingenuè veréque amplexatos, itaut ab illis qui iam tum de rebus eiuſmodi rectè iudicium ferre poterant, reuera officio & miniſterio Epiſcopali digni iudicarentur: qui quidem ab Apoſtolorum tempore ad eam vſque obſidionem, in qua Iudæi iterum à Romano imperio deſciſcentes fuere non exiguis prælijs afflictati, ſerie ſuæ ſucceſſionis continuatâ Eccleſiam rexerunt.* Hæc Euſebius.

Concludimus igitur quod cum per 138. annos Eccleſia Hieroſolymitana quæ à Petro initium ſumpſerat, non habuerit ſacerdotem niſi ex circumciſione, vt ait Seuerus lib. 2. qui vt refert Euſebius omnes Chriſti cognitionem verè & ingenuè amplexati officio & miniſterio digni habiti ſunt; fateri oportere hanc ſedem optimo iure à nobis in Throno Petri & in Petro Chriſti & Dei etiam collocari, quippe quæ cum ſede Apoſtolicâ ad notitiam Chriſti propagandam plurimùm contulerit.

Quod hæc viſio, etiam ad eos qui aliquomodo ad Chriſti notitiam propagandam inſeruierunt, & Apoſtolicæ ſedi fide & obedientia adhæſerunt, extendi poſſit. §. 5.

Dico igitur primo omnes ſancti qui ſaluti aliorum procurandæ incubuerunt, optimè poſſunt per hæc animalia deſignari. Probatur; Huic negotio addicti non fuerunt niſi per participationem quandam auctoritatis Eccleſiæ, etſi illa gaudeant alio modo vel alia ratione, aut in gradu minori quàm habeant maiores Eccleſiæ Prælati, qui eam habent ordinariâ poteſtate non delegatâ, cum quadam plenitudine & non cum tanta reſtrictione. Igitur ſicut Eccleſiæ auctoritas per hæc animalia deſignatur, etiam ij qui ea aliquo modo gaudent per eadem animalia poterunt deſignari.

Dico ſecundo, Quatuor genera ordinum Religioſorum optimè per hæc animalia deſignari, hancque viſionem ad eos poſſe extendi: nempe ad ordinem Carmelitarum, ſub quo reponendi qui ſolitudinem quærunt, & propriæ ſanctitati mortificationi corporis & auſteritatibus incumbunt, vt alijs exemplum præbeant mundi & carnis illecebras fugiendi; Ad ordinem Auguſtinianorum, ſub quo reponendi omnes qui prædicationibus, lectionibus, ſcriptis, contra hæreſes & varios errores decertant; Ad ordinem S. Benedicti, qui licet terrena multa poſſideat, tamen conuerſione morum, vt loquitur Regula ſancti Benedicti, exercitio virtutum, piis operibus, deuota meditatione & pſalmodiâ pietatem plurimùm promouet; Ad ordinem S. Franciſci, qui rerum omnium contemptu, actiuæ & contemplatiuæ vitæ exercitia coniungere ſtudet. Primos dicimus hominis figurâ denotari, tum quia Carmelitæ ſpecialius B. Virginem, de qua natus eſt Ieſus, tanquam Patronam agnoſcant, è monte Carmelo originem ſuam trahunt, & à quibuſdam Hieroſolymitanis Epiſcopis, Andrea & Ioanne, in meliorem ſtatum reformati fuerunt, & quod ij qui ſolitudines petunt memores eſſe videntur humanæ fragilitatis & infirmitatis; ſcientes quod *qui tetigerit picem coinquinabitur ab ea*, & ideo hominis figurâ optimè deſignantur; Secundos Leonis figura deſignari, nempe eos qui militant ſub regulâ D. Auguſtini diuerſis conſtitutionibus ab eis modificatâ; eo quod ille ſanctus doctrina ſuâ hæreſes profligauit, quod etiam multi Canonici Regulares Auguſtiniani, Præmonſtratenſes, Dominicani, Ieſuitæ qui ſub eius regula militant, ſtrenuè præſtiterunt; Tertios ſub Vituli figura ex eo quod ordo S. Benedicti laudabili vſu bonorum temporalium plurimum fructum attulit Eccleſiæ, quin etiam ſacerdotium venerabile redditur in tot ſummis Pontificibus, Cardinalibus & Epiſcopis quos Eccleſiæ hic ordo tradidit, & quia quotidie per pſalmodias & hymnodias ſe Deo immolant, ſcientes gratum eſſe Deo eique honorificum. *Sacrificium enim* (inquit Deus per Prophetam) *laudis honorificabit me, & illic iter quo oſtendam ei ſalutare Dei*; Denique quartum in figura Aquilæ repræſentari, tum quia ſanctus Franciſcus regio quaſi animo alta petiit, & terrena omnia contempſit: vnde Eccleſia rogat vt interceſſione illius terrena deſpiciat, & cœleſtium donorum ſemper participatione gaudeat; tùm quia ſedi Romanæ ſpeciali voto ſe adſtrinxit: *Frater Franciſcus*, inquit, *promittit obedientiam Domino Papæ Honorio ac ſucceſſoribus eius canonicè intrantibus & Eccleſiæ Romanæ*. En quomodo ſpecialius ſub alis Aquilæ viuere intendit S. Franciſcus, vt tanquam aquilæ illius pullus legitimus puros ſolis diuini radios firmiori intuitu ſemper ſpeculetur, fidemque Eccleſiæ Romanæ verbo & opere prædicare valeat. Franciſcus enim Vir Catholicus & totus Apoſtolicus Eccleſiæ Romanæ fidem tenere docuit, Præsbyteroſque monuit præ cunctis reuereri; Denique quia ſemper Chriſtum verum ſolem iuſtitiæ præ oculis habuit vt dicere poſſet, *Nihil arbitratus ſum me ſcire niſi Ieſum & hunc Crucifixum*, quem ſemper intuendum filiis & ſequacibus ſuis reliquit vt ſemper mortificationem Ieſu Chriſti in corporibus ſuis circumferant, vt & vita Ieſu manifeſtetur in illis, itaut tanquam illegitimos filios eos dejiciat & à ſe repellat, qui Chriſtum nudum & pauperem fixis oculis intueri non poſſunt. Cum autem promiſcuè omnes illi ordines & ſinguli illorum ordinum has virtutes colere, eadem exercitia peragere valeant, ideo vnuſquiſque eorum pro ratâ eorum quæ peregerit optimè per hæc ſymbola poterit deſignari.

Dico tertio, Rectè per hæc animalia à S. Greg. magnos quoſcumque ſanctos intelligi: lib. 1. in Ezechiel. Hom. 2. rationem reddit cum ait: *Nec immeritò per Euangeliſtas 4. perfectorum omnium numerus*

Seuer. an. 325 Nicol. Papa.

Euſebius.

Ordo S. Franciſci Aquila comparatur.

Digitized by Google

rium poſt Chriſtum fundamentum, qui vt alibi dicemus Epiſcopus Epiſcoporum dicitur, & Pater Patrum, in quo reſidet omnis plenitudo poteſtatis quæ à Chriſto Eccleſiæ collata fuit: hæc enim ratione quodammodo ſedet in toto orbe, quia per vniuerſum orbem abſque vllis limitibus iudicia ſua exercet, & ſummæ ſuæ poteſtatis effectus producit; Aliud enim loqui de Romanâ ſede in quantum eſt ſedes Epiſcopi peculiaris vrbis Romæ, vel Metropolita & Archiepiſcopus Romanæ Prouinciæ, vel Primas totius Italiæ, vel tandem Patriarcha totius Occidentis, primus honoris & dignitatis ordine.

His præſuppoſitis dico ſedem Romanam in quantùm eadem eſt ac ſedes Apoſtolica, vt ſic per Thronum in cœlo poſitum deſignari; vt autem conſideratur vt Romæ collocata quæ tamen transferri poſſet, per Aquilam deſignari; vel Thronum in cœlo poſitum nobis ſignificare Romanam ſedem in quantum in ea ſedet Chriſti Vicarius, Petri ſucceſſor & totius Eccleſiæ caput, Aquilam autem nobis ſignificare illam ſedem vt eſt ſedes Patriarchæ totius Occidentis, ſub quâ quidem ratione poteſtatem habet certis quibuſdam limitibus arctatam, non diuino ſed Eccleſiaſtico iure definitam, nempe Petri determinatione vel ſucceſſorum eius vel Conciliorum. Non enim Eccleſia in Conciliis congregata minùs potuit Patriarchæ Romano Diœceſim ſuam definire, quàm deſcripſit Concilium Nicænum Alexandrino, Chalcedonenſe Conſtantinopolitano, ſancta Synodus Hieroſolymitano.

Dico tertiò: per figuram animalium, non per figuram hominis præcisè vt aliquid habet ſuprà animalitatem, hæ ſedes ſignificantur: nempe vt in eis quandam ſubiectionem Throno ac ſedenti in eo & ſenioribus conſiderari liceat. Certum eſt enim has Patriarchales ſedes à Petro vt Chriſti Vicario & Petri ſucceſſore dependere. Sedi Hieroſolymitanæ Petrus initium dedit: perſpiciens ſi quidem in dies numerum fidelium in ciuitate Hieroſolymitanâ accreſcentem, Iacobum Alphæum cognomento iuſtum ipſe Apoſtolorum Princeps in Epiſcopum Hieroſolymitanum elegit: vt ex Chryſoſt. habemus hom. 87. in Ioan. *Si quis*, inquit, *à me percontaretur quomodo Iacobus ſedem Hieroſolymitanam accepit, Reſponderem ego hunc totius Orbis Magiſtrum propoſuiſſe Petrum.* Hæc Chryſoſt. Ab eo etiam aſſiſtentibus ſibi Ioanne & Iacobo alio ordinatus 27. Decemb. ex Martyrologio Bedæ. Initium etiam dediſſe ſedi Alexandrinæ docet Baronius anno 64. n. 13. Merito igitur id agente diuino numine, ſubiit in mentem Petri Paſtoris omnium, vt dilectiſſimum diſcipulum Marcum quem immenſi amoris causâ filium ſuum appellat, mitteret Alexandriam vt ibi Euangelium prædicaret, vbi velut in quodam orbis Theatro ex Aſiâ, Aphricâ & Europâ tot gentes eſſent ſimul collectæ. Idemque iure effecerit vt ex tot nationibus Eccleſia nobiliſſima ſuo ipſius nomine congregata, poſt Romanam haberetur omnium facile princeps. Docet etiam hoc Gelaſius in decreto de libris Apocryphis.

Baron. an. 34. n. 91.

De ſede Antiochenâ & Romanâ nulla eſt difficultas has ſedes à Petro fuiſſe fundatas. Primo enim Petrus ſedit Antiochiæ, & 7. annis elapſis 45. anno Chriſti ſecundo Claudij ſub fine 18. Ian. ſedem Antiochenam in Romanam tranſtulit: Vnde non mirum ſi hæ quatuor ſedes in Throno magnificentiſſimo Romanæ in quantùm Apoſtolicæ ſedis ſymbolo, videantur innixæ & fundatæ, nempe in Throno in cœlo poſito: hoc nempe ordine vt iuxta Thronum in quo ſedet Petrus in quantum Chriſti Vicarius & Eccleſiæ caput, & in eo Chriſtus imo & Deus Trinus & vnus, appareat figura hominis: quia Petrus Hieroſolymis primo poteſtatis ſuæ dedit ſigna manifeſta; in latere ſeu angulo dextro figura reponatur Leonis, quia de hoc homine prædicandum erat ipſum verum eſſe Deum; in oppoſito angulo figura bouis, quia eius ſacerdotium regale in ſede Antiochenâ manifeſtè radios ſui ſplendoris emiſit; Aquilâ ſupra volante, ex eo quod Petrus ſedem Romæ collocans hanc ſedem cæteris prætulit, eique prærogatiuam amplæ cuiuſdam in alias ſedes auctoritatis contulit. Quia igitur hæ quatuor ſedes Patriarchales à Petro viuente fuerunt fundatæ, ideo eas in Throno illo Apoſtolicæ ſedis ſymbolo, non alias ſedes poſtea erectas collocamus.

Dices conuenientiùs reponendam eſſe Cæſaream maritimam, quæ Metropolis fuit Paleſtinæ, erat enim præcipua inter alias huius Prouinciæ ciuitates, & totius Prouinciæ Iudæorum inſignior, vt refert Ioſephus: quin & ex Hieron. Epiſtola 61. ad Ioannem Hieroſolymorum Epiſcopum, Hieroſolymitanam Eccleſiam Cæſarienſi fuiſſe ſubiectam vt Metropoli totius Paleſtinæ; vel etiam Conſtantinopolitanam & Hieroſolymitanæ eſſe præferendam, quod tandem aliquando dignitatem Patriarchatus adepta ſit, verbi gratia in Conciliis Conſtantinopolitano & Chalcedonenſi. Reſpondeo quidquid ſit de Patriarchatu Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ (de qua re lege quæ Baron. ſcripſit anno 451. & alibi, non enim eſt mei inſtituti hæc diſcutere) hanc nos non intueri. Primo, quia ſymbolum nec cum eâ nec cum rebus in eâ geſtis conuenit. Secundò, quod antequam hanc dignitatem, non dico adepta fuerit, ſed adipiſci attentauerit, iam ea Chriſti fides erat per totum orbem promulgata & firmas radices egerat. Tertiò, hæc ſedes Conſtantinopolitana non fuerat immediatè à S. Petro fundata, quod merito requirimus, vt in Throno iſto magnifico Apoſtolicam ſedem ſignificante reponatur. Quod autem attinet ad Cæſaream Eccleſiam, non mirum ſi Hieroſolymitana ſedes quamuis ſemper fuerit honore debito proſecuta, vt antiquior, vt aliarum quodammodo mater, *De Sion enim exiuit lex & Verbum Domini de Hieruſalem.* (Sic enim appellatur in epiſtola Synodali Concilij Conſtantinopolitani ad Damaſum Papam, quam recitat Theodoretus lib. 1. c. 9. Vnde euenit vt ipſius ciuitatis Epiſcopus eum antiquitus honorem ſit conſecutus, vt inter Apoſtolicarum ſedium antiſtites conſederet, & in litteris quoque ita nominaretur, ſeditque hac ratione in Concilio Chalcedon. iuxta Epiſcopum Alexandrinum ante omnes Metropolitanos) tamen diuinâ prouidentiâ factum eſt, vt alteri ſedi remanſerit ſubiecta nempe Cæſarienſi, vt perfectius nobis conditionem humillimam quam Chriſtus aſſumpſit cum carne indutus eſt demonſtraret. In ſimilitudinem enim hominum factus habitu inuentus vt homo formam ſerui accepit, fuitque ſubditus parentibus & legi, vt eos qui ſub lege erant redimeret.

Ex his igitur omnibus concludimus, tùm ex conuenientiâ ſymboli cum his ſedibus, tùm quia præſtantiſſimum & peculiare de Chriſto homine, Deo, Sacerdote ſeu Redemptore, Rege, reddiderunt hæ ſedes teſtimonium, has ſedes rite in Throno Petri, & per Petrum Chriſti & Dei ſpecialius collocari: Illaſque ſelegimus inter omnes alias ſedes Epiſcopales, tùm quia vel antiquitate vt Hieroſolymitana, vel auctoritate vt tres aliæ, vel dignitate potiori vt Romana, alias antecellunt; tùm quia à Petro initium ſumpſerunt, & ad eundem finem cum Apoſtolica ſede adſpirantes, nempe vt Chriſtus ab omnibus agnoſceretur, eidem coniunctæ & firmiter adhærentes, ipſam Apoſtolicam ſedem plurimum

adiuuerunt vt hunc finem gloriosè adipiscerentur. De tribus sedibus, Alexandrina, Antiochena, Romana, hoc agnouit Nicolaus epist. ad Michaelem imperat. Tomo 2. Conciliorum. *Sic demum*, inquit, *Alexandrinam Ecclesiam suam fecerunt Petrus & Paulus per Beatum Marcum Vnius horum filium ac discipulum: hæreditas quippe Filij in potestate Patris existit, & gloria discipuli ad Magistrum sine cunctatione refertur. Fecerat autem Beatus Petrus præsentia corporalis & Ecclesiam Antiochenam iam suam, quæ (sicut & dicit Papa Innocentius) Vrbis Romæ sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum (quippe Beatum Petrum) apud se consummatumque gauderet. Per has igitur tres præcipuas Ecclesias, omnium Ecclesiarum sollicitudo Beatorum Apostolorum Principum Petri & Pauli proculdubiò moderamen expetiit.* Hæc Nicol. Si moderata fuit ab Apostolis Petro & Paulo per has Ecclesias præcipuas, nonne verum est per illas ipsas fidem Christi in toto orbe fuisse propagatam? Et cum Episcopus primus Hierosolymitanus, vt diximus, fuerit à Petro electus & ordinatus, quæ posteri & successores fœliciter pro ea fide propagandâ postea præstiterunt, totum id B. Petri Apostolicæ auctoritati tribuendum est. Præstiterunt autem plurimum. *Episcoporum*, inquit Euseb. lib. 4. c. 5. *tempora qui Ecclesiam Hierosolymitanam rexere, quoniam vt fertur vitam ad breue tempus propagabant, nusquam Scriptorum monumentis seruata reperio. Tantùm tamen ex quorundam scriptis animaduerto Episcopos numero quindecim, ad obsidionem Adriano regnante contra Iudæos factitatam, gradatim succedendo illic fuisse: quos vniuersos antiqua Iudæorum stirpe (totam namque Ecclesiam illam ex Hebræis fidelibus coaluisse constat) fatos memorant, atque adeo Christi cognitionem ingenuè verèque amplexatos, itaut ab illis qui iam tum de rebus eiusmodi rectè iudicium ferre poterant, reuera officio & ministerio Episcopali digni iudicarentur: qui quidem ab Apostolorum tempore ad eam vsque obsidionem, in qua Iudæi iterum à Romano imperio desciscentes fuere non exiguis prælijs affligati, serie suæ successionis continuata Ecclesiam rexerunt.* Hæc Eusebius.

Euseb. an. 325 Nicol. Papa.

Eusebius.

Concludimus igitur quod cum per 138. annos Ecclesia Hierosolymitana quæ à Petro initium sumpserat, non habuerit sacerdotem nisi ex circumcisione, vt ait Seuerus lib. 2. qui vt refert Eusebius omnes Christi cognitionem verè & ingenuè amplexati officio & ministerio digni habiti sunt; fateri oportere hanc sedem optimo iure à nobis in Throno Petri & in Petro Christi & Dei etiam collocari, quippe quæ cum sede Apostolicâ ad notitiam Christi propagandam plurimùm contulerit.

Quod hæc visio, etiam ad eos qui aliquomodo ad Christi notitiam propagandam inseruierunt, & Apostolicæ sedi fide & obedientia adhæserunt, extendi possit. §. 5.

Dico igitur primo omnes sancti qui saluti aliorum procurandæ incubuerunt, optimè possunt per hæc animalia designari. Probatur; Huic negotio addicti non fuerunt nisi per participationem quandam auctoritatis Ecclesiæ, etsi illa gaudeant alio modo vel alia ratione, aut in gradu minori quàm habeant maiores Ecclesiæ Prælati, qui eam habent ordinariâ potestate non delegatâ, cum quadam plenitudine & non cum tanta restrictione. Igitur sicut Ecclesiæ auctoritas per hæc animalia designatur, etiam ij qui ea aliquo modo gaudent per eadem animalia poterunt designari.

Dico secundo, Quatuor genera ordinum Religiosorum optimè per hæc animalia designari, hancque visionem ad eos posse extendi: nempe ad ordinem Carmelitarum, sub quo reponendi qui solitudinem quærunt, & propriæ sanctitati mortificatione corporis & austeritatibus incumbunt, vt aliis exemplum præbeant mundi & carnis illecebras fugiendi; Ad ordinem Augustinianorum, sub quo reponendi omnes qui prædicationibus, lectionibus, scriptis, contra hæreses & varios errores decertant; Ad ordinem S. Benedicti, qui licet terrena multa possideat, tamen conuersione morum, vt loquitur Regula sancti Benedicti, exercitio virtutum, piis operibus, deuota meditatione & psalmodiâ pietatem plurimùm promouet; Ad ordinem S. Francisci, qui rerum omnium contemptu, actiuæ & contemplatiuæ vitæ exercitia coniungere studet. Primos dicimus hominis figurâ denotari, tum quia Carmelitæ specialius B. Virginem, de qua natus est Iesus, tanquam Patronam agnoscant, è monte Carmelo originem suam trahunt, & à quibusdam Hierosolymitanis Episcopis, Andrea & Ioanne, in meliorem statum reformati fuerunt, & quod ij qui solitudines petunt memores esse videntur humanæ fragilitatis & infirmitatis; scientes quod *qui tetigerit picem coinquinabitur ab ea*, & ideo hominis figurâ optimè designantur; Secundos Leonis figura designari, nempe eos qui militant sub regulâ D. Augustini diuersis constitutionibus ab eis modificatâ; eo quod ille sanctus doctrina suâ hæreses profligauit, quod etiam multi Canonici Regulares Augustiniani, Præmonstratenses, Dominicani, Iesuitæ qui sub eius regula militant, strenuè præstiterunt; Tertios sub Vituli figura ex eo quod ordo S. Benedicti laudabili vsu bonorum temporalium plurimum fructum attulit Ecclesiæ, quin etiam sacerdotium venerabile redditur in tot summis Pontificibus, Cardinalibus & Episcopis quos Ecclesiæ hic ordo tradidit, & quia quotidie per psalmodias & hymnodias se Deo immolant, scientes gratum esse Deo eique honorificum. *Sacrificium enim* (inquit Deus per Prophetam) *laudis honorificabit me, & illic iter quo ostendam eis salutare Dei*; Denique quartum in figurâ Aquilæ repræsentari, tum quia sanctus Franciscus regio quasi animo alta petiit, & terrena omnia contempsit: vnde Ecclesia rogat vt interceßione illius terrena despiciat, & cœlestium donorum semper participatione gaudeat; tùm quia sedi Romanæ speciali voto se adstrinxit: *Frater Franciscus*, inquit, *promisit obedientiam Domino Papæ Honorio ac successoribus eius canonicè intrantibus & Ecclesiæ Romanæ*: En quomodo specialius sub alis Aquilæ viuere intendit S. Franciscus, vt tanquam aquilæ illius pullus legitimus puros solis diuini radios firmiori intuitu semper speculetur, fidemque Ecclesiæ Romanæ verbo & opere prædicare valeat. Franciscus enim Vir Catholicus & totus Apostolicus Ecclesiæ Romanæ fidem tenere docuit, Præsbyterosque monuit præ cunctis reuereri; Denique quia semper Christum verum solem iustitiæ præ oculis habuit vt dicere posset, *Nihil arbitratus sum me scire nisi Iesum & hunc Crucifixum*, quem semper intuendum filiis & sequacibus suis reliquit: vt semper mortificationem Iesu Christi in corporibus suis circumferant, vt & vita Iesu manifestetur in illis, itaut tanquam illegitimos filios eos dejiciat & à se repellat, qui Christum nudum & pauperem fixis oculis intueri non possunt. Cum autem promiscuè omnes illi ordines & singuli illorum ordinum has virtutes colere, eadem exercitia peragere valeant, ideo vnusquisque eorum pro rata eorum quæ peregerit optimè per hæc symbola poterit designari.

Ordo S. Francisci Aquila comparatur.

Dico tertio, Rectè per hæc animalia à S. Greg. magnos quoscumque sanctos intelligi: lib. 1. in Ezechiel. Hom. 2. rationem reddit cum ait: *Nec immerito per Euangelistas 4. perfectorum omnium numerus*

Digitized by Google

exprimitur, quia omnes qui in Eccleſiâ modo ſunt perfecti, perfectionis ſuæ rectitudinem per eorum Euangelium didicerunt. Hæc Greg. Aliam aſſigno rationem: quia nullus vnquam fuit ſanctus qui non aliquo dono gratuito fuerit inſignitus, quo potuerit de Chriſto teſtimonium dare & aliis prodeſſe, dicente Apoſtolo 1. Cor. 12. *Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem*, Quod exponens Ambroſianum commentarium ait: *Hoc enim donum accipit vt diuinis retinaculis vitam ſuam gubernans, & ſibi & aliis vtilis ſit, dum exemplum bonæ conuerſationis oſtendit, vel enim fuit ſermone ſapientiæ præditus, id eſt, prudentiâ non ex litteris ſed coruſco Spiritus ſancti, vt cor habeat illuminatum & prudens & diſcernat quæ ſunt vitanda quæue ſequenda: vel vt alij volunt cognitione rerum diuinarum & myſteriorum fidei per altiſſimas cauſas, & facultate ea debito & conuenienti modo explicandi dotatus, vel ſermone ſcientiæ ornatus: vt ſiquis hiſtorias plurimas adducat ad aliorum inſtructionem, vel philoſophicè de virtutibus ac vitiis diſſerat, vel fide clarus, id eſt, vt fidei profitendæ ac vendicandæ preſſa verecundia accipias facultatem, aut vt alij, dicunt facultate aliqua ſit præditus, quâ fidei dogmata & diſtinctè & perfectè percipiat, & dilucidè aliis exponat; vel gratia ſanitatum adauctus, id eſt, dono miraculorum in morbis curandis, medelam tribuens infirmis vel agris, vel operatione virtutum inſignis, id eſt, dono miracula grauioris momenti patrandi.* 1. Cor. 12. Ambroſius in Paulum. 6. Hieronym. *Opus virtutum eſt*, inquit S. Hieron. *damonia eijcere, vel mortuos ſuſcitare; vel prophetia locupletatus vt ſpiritu repletus dicat futura, vel diſcretione ſpirituum vt intelligat & iudicet quod dicitur, an ſpiritus ſancti ſit an mundani.* Cum igitur nullus ſit ſanctus qui non aliquâ gratiâ, non ſolùm gratum faciente, ſed etiam ad proximorum ſalutem ordinatâ, fuerit præditus, verbi gratia, aliquem gradum Eccleſiaſticum obtinens cum diuino auxilio ad illud officium explendum neceſſario; vel in aliquo miniſterio non fuerit occupatus proximo aliquo modo ſpiritaliter aut corporaliter inſeruiendo, vt faciunt ij quos Apoſtolus poſtea appellat, *Opitulationes vel gubernationes*, de quibus Ambroſius ait: *Vt in rebus diuinis vigilet intellectu, ita tamen vt in aliquibus quæ implere non conceditur, ab alio ſumat quod non habet: quia totum vni concedi non poteſt. Sunt & gubernatores qui ſpiritalibus retinaculis hominibus documento ſunt.* Hæc ille. 8. Hieronym. *Opitulationes*, inquit Hieron. *hoc eſt adiutoria: vnde Paulo in viſu dicitur à viro Macedone: Veni adiuua nos. Gubernationes qui ſciunt ſingulos prout apti ſunt gubernare.* Ita Hieron. Vel in quo Deus aliquid operatus fuerit ad eius honorem maximè pertinens, itaut his donis aut ſaltem bono exemplo alios ad Chriſti notitiam deducere potuerit: ideo dico cum ſancto Greg. quemlibet ſanctum & perfectum virum poſſe per hæc 4. animalia ſignificari. Quâ autem ratione hæ animalium figuræ illis conueniant, Homil. 4. in Ezechielem idem ſanctiſſimus Doctor explicat cum ait: *Sed quia per hæc animalia, quatuor Euangeliſtas & ſub eorum ſpecie ſimul perfectos omnes iam ſuperius diximus ſignificari, reſtat vt quomodo vnuſquiſque electorum iſtis animalium viſionibus exprimatur oſtendamus. Omnis etenim electus atque in via Dei perfectus & homo & vitulus & Leo ſimul & Aquila eſt. Homo enim rationale eſt animal, Vitulus autem in ſacrificio mactari ſolet. Leo vero fortis eſt beſtia ſicut ſcriptum eſt, Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pauebit occurſum. Aquila ad ſublimia volat, & oculis irreuerberatis ſolis radius intendit. Omnis itaque qui in ratione eſt perfectus homo eſt, & quoniam ſemetipſum ab huius mundi voluptate mortificat vitulus eſt; quia verò ipſa ſua ſpontaneâ mortificatione contra aduerſa omnia fortitudinem ſecuritatis habet, vnde ſcriptum eſt: iuſtus autem quaſi Leo confidens abſque terrore erit, Leo eſt. Quia vero ſublimiter ea contemplatur quæ cœleſtia atque terrena ſunt, Aquila eſt.* 8. Gregorius Magnus. *Igitur quoniam iuſtus quiſque per rationem homo, per ſacrificium mortificationis ſuæ vitulus, per fortitudinem ſecuritatis Leo, per contemplationem vero efficitur Aquila, rectè per hæc ſancta animalia ſignari vnuſquiſque perfectus poteſt.* Hæc Greg. Hi omnes in Throno Petri debent fundari, quia nullus extra communionem ſedis Apoſtolicæ poterit ſanctificari; vt alibi fuſiùs.

Quod qualitates virtutes & dona, quibus quilibet eorum, quos diximus per quatuor animalia deſignari, poſſunt ſuum implere officium, ex eorum deſcriptione poſſint optima ratione conjici.

ANNOTAT. XI.

PRIMO hominis, Leonis, Bouis ſeu Vituli, Aquilæ figuram gerunt ac ſimilitudinem. Secundo ſunt in medio & in circuitu ſedis. Tertio plena ſunt oculis ante & retro, ſeu in circuitu, & intus plena ſunt oculis. Quartò, *Singula eorum habebant alas ſenas.* Quinto, *Requiem non habebant die ac nocte dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat & qui eſt & qui venturus eſt.* Hæc omnia nobis percurrenda ſunt, ad pleniorem ſignificationis horum animalium explanationem.

Quanam virtutes ſeu animi dotes in prælatis aut ſanctis deſignentur per figuram Leonis aut Vituli aut hominis aut aquilæ. §. 1.

Vt prælati auctoritate, ſancti vitæ ſanctimoniâ & inſtitutis laude dignis, ita ſe gerant feliciter, vt eorum ope ſeu miniſterio Deus in vniuerſo orbe debitis honoribus & laudibus honorificetur, dum Chriſtus Dominus Dei filius vt verus homo in paſſione & morte humiliatus annunciatur hominibus, dum verus Deus, & Dei filius prædicatur, dum ſacerdos ſummus, & legiſlator proponitur, dum Rex Regum & Dominus Dominantium proclamatur, oportet vt ipſi quibuſdam ſint exornati virtutibus ad hoc munus rite exequendum apprimè conducentibus, quæ per hæc ſymbola deſignantur. Vnde

Dico primò: quaſcumque repereris apud autores virtutes aut actiones autoritati aut ſanctitati congruentes per iſta ſymbola deſignatas, eas aut bonis paſtoribus, aut ſanctis ne timeas affingere, etenim tot tantaſque virtutes requirit munus paſtorale vt feliciter exerceatur; tot tantaque complectitur etiam Chriſtiana perfectio vt nulla deeſſe debeat: bonum enim ex integra cauſa, ſicut malum ex minimo defectu. Sed ſi te pigeat alios interpretes perlegere, noſtra talia qualia ſunt accipe.

Dico igitur ſecundò in figuris animalium, primò virtutes deſignari, quæ deſtinantur ad appetitus iraſcibilis regimen: vt virili fortitudine, ac magnanimitate decenti ſciant paſtores malitiæ hominum ſeſe opponere, & vt ſanctitate præditi curam propriæ & perſonalis ſanctificationis gerentes, omnes ſuperare valeant difficultates, & pœnas ferre, quæ pro Dei obſequio ſtrenuè ac fideliter venient tolerandæ. Secundo illæ etiam deſignantur, quæ ad moderandos motus appetitus concupiſcibilis ſunt neceſſariæ, vt euacuatis omnibus proprij amoris iuribus, ab omni affectu terrenarum rerum, & corporearum voluptatum liberi & immunes propriis vacare queant miniſteriis & mentem gerere expeditam, vt ea liberè meditentur, quæ ad Dei cultum & obſequium pertinent. Tertiò illæ etiam virtutes quæ voluntates hominum libero gaudentes arbitrio exornant, ſignificantur: quarum ope facilius omnes illorum intentiones & electiones ad hoc referantur, vt Dei opus in ſe, & in aliis perficiant, & Dei vo-

luntatem in omnibus adimpleant, animarum ſaluti, A quæ illorum curæ comittuntur ſedulò incumbentes, quin & propriæ ſalutis curam non modicam habentes: illius ſermonis Chriſti memores, *Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, anima vero ſuæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua.* Denique hic adumbrantur virtutes intellectum exornantes, quæ mentem ſuſtollunt ad contemplationem, & cognitionem myſteriorum rerumque diuinarum; ſiue vt eas apprehendere ac concipere facilius valeant, ſiue vt in conſecutione & poſſeſſione ſupremæ veritatis conquieſcant & lætentur, dum illam apprehendunt cognoſcunt, contemplantur: itaut cum ſapiente dicant, *Intraui in domum meam, conquieſcam cum illa; non enim* B *habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam & gaudium.*

Hæ ſunt virtutes quæ paſtores exornant & ſanctos condecorant, ſiue ſanctitas cum dignitate paſtorali coniungatur, ſiue ſeparatæ, & ſeiunctæ ab inuicem præcisè vna quæque conſideretur, quas Leonis imago, Bouis ſimbolum, hominis figura, Aquilæ ſignum deſignant.

De primo genere Virtutum, quibus potiſſimum moderantur paſſiones appetitus iraſcibilis & fortiter quilibet ſuum munus exequitur; quæ per Leonem deſignantur. §. 2.

Quantum noceat proſecutioni boni, & fugæ C mali puſillanimitas & ſimplex boni fuga, & deſperatio ſeu fuga intenſa propter diffidentiam obtinendi, audaciæ defectus ad aggrediendum, impatientia cum malo præſenti, per iuſtam iram congredi non ſuſtinens, & timor nimius, malo expectato & futuro obuiam ire & occurrere per magnanimitatem non valens; quantum ſegnities noceat ad malum opere fugandum, erubeſcentia ad malum verbo propellendum & refutandum, & nimia verecundia ad diſſipandum falſam mali ſuſpicionem, nemo non videt.

Qui his paſſionibus fuerit affectus, nec ſibi nec aliis prodeſſe poterit. Iuſtâ dignitatis ſuæ cognitione puſillanimitatem vincat, ſpe erigatur bonum D appetens cum confidentia obtinendi; contra malum inſurgat per audaciam, iram & magnanimitatem timorem noxium expellentem: Niſi ſegnitiem diligentiâ ſuperet, niſi liberâ veri & boni profeſſione omnem malam erubeſcentiam & verecundiam diſſipet, memor illius dicti Domini Luc. 9. quo humana verecundia excluditur. *Nam qui me erubuerit & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet cum venerit in maieſtate ſua, & patris & ſanctorum Angelorum.* Luc. 11.

Ad hoc præſtandum fortitudinis virtute opus eſt, quæ paſſiones appetitus iraſcibilis moderetur; & optima reuera ratione, vt qui eâ præditus fuerit & bonum proſequatur intrepidè tam ſibi quam aliis E conueniens, & contra malum tam ſibi quàm aliis nociuum inſurgat audacter.

Eſt autem fortitudo, medietas circa timores & audacias. Fortis equidem intrepidus, & delectabiliter terribilia imminentia aggreditur, vel illata ſuſtinet propter bonum rationis, propter bonum commune, propter Reipublicæ & Eccleſiæ ſalutem, propter fidei & iuſtitiæ tuitionem: nec terribilium maximum metuit, nempe mortem: itaut appetitus eius non ſuccumbat circa terribile per mollitiem, refugiens huiuſcemodi aggredi & ſuſtinere, eo quod ſibi videatur intolerabile; ſed honeſtos & pios labores ſtrenuè & hilariter adit, nec timore ab aggreſſu retrocedit: & dum conſurgit circa terribilia, bonum conſequens & circumſtantias actus prudenter penſat, ne nimis audax ſeu potius pertinax ſine ratione more ferarum maximis periculis ſe ingerat: non enim ſic agens virtute polleret, ſed temeritate intumeſceret, periculis ſe exponens ob modica aut nulla bona, non amore virtutis, ſed inanis gloriæ. Vnde non abs re ſuperbus dici poſſet: quia frequenter ſi quis inimicum humilem aut dejectum floccifaciens, inconſideratè & animo tumido aggreditur ſicut Goliath Dauid iuſto Dei iudicio interit,

Pauca necat morſus ſpanoſum vipera Taurum,
A cane non magno ſæpe tenetur aper. Inquit Ouid.

Qui autem verâ virtute fortis eſt, nec temere audet, nec inconſultè timet, vt dicunt & S. Aug. & S. Hieron. alicubi. Iuſti & fortis viri eſt nec aduerſis frangi, nec proſperis ſubleuari, ſed in vtroque moderate converſari.

Hæc autem virtus fortitudinis habet ſibi annexas alias virtutes; patientiam, ſub qua continetur conſtantia, & longanimitas; perſeuerantiam magnanimitatem, magnificentiam, vt non tantum per magnanimitatem difficilia ſpontaneè aggrediamur, ſed etiam per magnificentiam negotia difficilia & præclara perficiamus & abſoluamus.

Huius virtutis ſymbolum præclarum eſt Leonis figura, tam ſecundum ea quæ aggredi & pati debemus propter propriam perfectionem & ſanctitatem, quàm ſecundum ea quæ aggredi & pati debemus, vt muneri noſtro & officio ritè fungamur. Familiare quippe eſt vt per Leonem fortitudo ſignificetur, vnde Chriſtus qui potens eſt in prælio, & Dominus virtutum, Leoni aſſimilatur, propter victoriam comparatam in prælio, quod ſuſcipere voluit cum dæmone. *Ecce vicit Leo de Tribu Iuda.* Apoc. 4. calyp. 4. Et de Iuda in benedictionibus Iacob, Geneſ. 49. dicitur: *Catulus Leonis Iuda, ad prædam fili mi aſcendiſti.* Geneſ. 49.

Huius ſymboli conuenientiam cum fortitudine videbimus, ſi ea quæ de Leone dicuntur ponderemus; & maximè ſi rationes expendamus propter quas S. Dionyſ. Areop. vult in ſcripturâ Angelos ſub Leonis figurâ deſignari.

Leo, inquit Iſidorus Hiſpalenſis, Orig. l. 12. c. 1. *autem Græcè, Latinè Rex interpretatur; eo quod ſit princeps omnium beſtiarum, animos eorum frons & cauda indicat: Virtus enim in pectore, firmitas in capite: ſepti autem à venatoribus tetram contuentur, quo minus conſpectu venabulis terreantur, rotarum timent ſtrepitus, ſed ignis magis. Cum dormierint vigilant oculis: cum ambulant, caudâ ſuâ cooperiunt veſtigia ſua, ne eos venator inueniat. Circa hominem Leonum natura eſt benigna; vt niſi læſi nequeant iraſci, hominem non niſi in magna fame interimunt.* Iſidorus. Ita Iſidorus. S. autem Dionyſ. docet de cæleſti Hierarch. c. 15. cum Angelos ſub Leonis figura repræſentantur declarari *Principatum, robur inuictumque animum, vimque quâ contendunt pro virili ſua ad diuinitatis, quæ abſtruſa eſt nec explicari oratione vlla poteſt, ſimilitudinem, ſpiritalium veſtigiorum occultatione myſticè, minimè euulgato ambitu vitæ, iuxtà diuinam illuminationem ad ipſam occultationem petrahentis.* Iſidorus. S. Dionyſ. Tali ſymbolo optimè fortitudo ſanctorum & etiam vigilantiſſimorum Paſtorum, qui valeant virtute irrumpere iniquitates, optimè adumbratur. Reges ſunt ſancti, qui paſſiones ſuas rectè moderantur, magnanimitatem gerunt in fronte: virtus eorum in pectore, quia cor eorum ardet charitate; caudâ generoſitatem indicant, illâ latera ſua tundentes; quia ſancti ad finem ſuum reſpicientes, omnia præſentia quæ occurrunt generoſi ſpernunt, vt ad futura adſpirent: Firmitas in capite, quia firmi & conſtantes ſunt in bono propoſito exequendo, & in bono opere perſeuerant. Cum eis venatoribus & perſe-

Digitized by Google

quentibus ambiuntur, ad terram suam, patriam cœlestem scilicet de qua dicunt: *Portio mea in terra viuentium*, adspiciunt, ne præsentibus malis terreantur. Timent rotatum strepitus & ignis maximè; quia iusto iudiciorum Dei timore correpti, etsi homines non timeant qui possunt corpus occidere nec amplius habent quid faciant, timent Deum omnia prout vult volentem & contorquentem, *Qui potest corpus & animam perdere in gehennam.* Dormiunt quodammodo, quia sensus eorum occluduntur & consopiuntur abstractione à rerum omnium sensibilium oblectatione & amore, sed cor eorum vigilat vt dicant cum sponsa, *Ego dormio & cor meum vigilat*, quia mens eorum semper est erecta ad præcauenda omnia tentationum pericula, non enim volunt sine ratione periculis sese exponere: fortiter tamen ascendunt ad prælium & aggrediuntur hostes, & tolerant mala illata ab hominibus, circa quos semper sunt benigni nihilque mali ipsis exoptant; nisi magnâ fame seu esurie iustitiæ, zelo honoris diuini accensi, malorum repressionem & coercitionem desiderare aut procurare cogantur.

Hac virtute præditi Ecclesiæ Pastores verè Reges sunt, quia bene præesse possunt, & meritò cum Angelis obtinent principatum, cum animi robore & magnanimitate coniunctum: vt dicant cum sancto Paulo: *Prædixi & prædico vt præsens, & nunc absens, iis qui ante peccauerunt, & cæteris omnibus, quoniam si venero iterum non parcam. An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus, qui in vobis infirmatur, sed potens est in vobis?* &c. Quibus addit: *Ideo hæc absens scribo, vt non præsens durius agam, secundum potestatem quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem.* Hac vi & fortitudine animi cum Angelis contendunt pro virili sua ad diuinitatis similitudinem. Nam vt S. Dionysius ait de Cœlesti Hierarch. c. 3. *Perfectio eorum qui in Hierarchia positi sunt, est contentio ad Dei imitationem, & id, quod nihil est diuinius, Dei, vt sacra scriptura loquitur, fiat adiutor, diuinamque in se actionem quantum potest ostendat.* Ecce magnum opus aggrediendum & perficiendum, quod à magnanimitate & magnificentia Pastorum exigitur, cum magnâ patientiâ & longanimitate & constantiâ & perseuerantiâ exequendum. Hoc modo Deo similes efficiuntur, dum autoritatem sibi conciliant vt muneri suo fideliter incumbant, dum malitiæ hominum, eorumque contradictionibus non cedunt, & absque personarum acceptione veritatem & iustitiam tuentur, & Dei leges & præcepta (qui docet tanquam potestatem habens, præcepit vt Dominus omnium, nullo habito respectu ad terrenas dignitates) fortiter inculcant, itaut dicant cum S. Paulo 2. ad Corinth. 10. *In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus: nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, & in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam cum impleta fuerit vestra obedientia, &c.* Et bene dixit Apostolus arma militiæ Pastorum non esse carnalia, non enim exercitus congregantur, non fit apparatus militum, non instrumentis bellicis, non inflicto in hostem vulnere dimicare debent; sed ad modum Angelorum, qui lumine verioris cognitionis rerum vt sunt aut esse debent, aliis superiores euadunt, & rationibus oppositis & ad inuicem collatis dimicant; itaut cedat singularis ratio vniuersali, vniuersalis vniuersaliori: quæ directè & efficaciter capax est finem præstitutum attingere admittatur, rejectâ quæ minus idonea est: quæ bonum singulare respicit, negligatur si bono communi obsistat; quæ parti prodest si toti noceat; quæ creaturæ iura tuetur, si gloriæ & honori creatoris præiudicium importet aut afferat. Hoc modo vicit Michaël, hac verissimâ, constantissimâ, vniuersalissimâ omnibus vtilissimâ, & ad finem capessendum aptissimâ (dum creditur, dum admittitur, dum secundum eam actiones regulantur) propositione vtens, nempe *Quis vt Deus?* nec enim contra eam habuit Lucifer quid verius adduceret aut allegare posset. Veritate, & iustitia, & pietate contra omnes terrenas potestates, & diabolicas artes decertent Prælati & Pastores; legibus, iniunctionibus, præceptis dirigentes & coercentes, etiam sublimiores in dignitate, quos ad salutis portum deducere tenentur, & in his omnibus (quibus pessima consilia destruuntur, & omnes qui aduersus Dei scientiam sese extollunt deprimuntur, & captiuantur in obsequium Christi) Leonis industriam imitentur, qui vestigia sua occultat. Hoc autem maxime fit à veris pastoribus, dum dominationem quærunt aliis ministrando, autoritatem sibi conciliant non malum pro malo reddendo, aut maledictum pro maledicto, *Sed forma facti gregis ex animo.* Per patientiam alios instruunt, quomodo Christum in humilitate & obedientia imitari debeant. Hæ sunt occultationes spiritalium vestigiorum, per quæ ad bonitatis diuinæ similitudinem & imitationem peruenire poterunt, iuxta illud quod de Angelis dixit S. Dionysius: *Occultatione*, inquit, *spiritalium vestigiorum, & mystice minime euulgato ambitu vitæ, iuxta diuinam illuminationem ad ipsam occultationem pertrahentis, pro virili sua ad similitudinem diuinam contendere.* Quid enim magis absconditum prudentiæ carnis, quam diuitiarum contemptus, iniuriarum obliuio, sinistram maxillam protendere, & offerre percutiendam percutienti dexteram, contendenti tecum, & volenti auferre pallium & tunicam dimittere? His autem & similibus viis, per patientiam sancti Ecclesiæ pastores autoritatem sibi conciliarunt, & vestigia sua occultarunt; itaut bono dolo deceperint mundi amatores, dum paulatim eorum obedientiæ in his quæ ad salutem consequendam necessaria sunt sese submiserunt. Sic igitur vt loquitur de Angelis S. Dionys. ratione quadam obscuriore, vt pote sublimiore, isti terrestres Angeli Hierarchicas suas functiones erga secundam, nempe erga Hierarchiam Hierarchizantem, fideles subditos prælatis, exercere existimandi sunt.

1. ad Cor. 13.

S. Dion. Areo.

S. Dion. Areo.

2. ad Cor. 10.

De secundo genere virtutum, quibus moderantur passiones appetitus concupiscibilis, & iis quæ ad eas reducuntur: quæ per Bouem designantur. §. 3.

Postquam vidimus fortitudinem necessariam esse, tum ad sanctitatem acquirendam, tum ad executionem muneris cuiuslibet pastorum, nunc videndum Temperantiam virtutem esse etiam illis apprimè conuenientem, & admodùm necessariam.

Est autem temperantia affectus coercens & cohibens appetitum ab his rebus quæ turpiter appetuntur, seu amor ab amore inferioris pulchritudinis nos remouens, & eleuans ad superiora: tantò namque glorioſius mens hominis ad superiora promouetur, quantò diligentiùs ab inferioribus concupiscentiis prohibetur. In omni re tenendum est temperamentum. Erit igitur temperantia modus vitæ in omni verbo & opere: rationis enim rectæ est, quamdam temperiem seu moderantiam ponere in humanis operationibus & passionibus: quod cum generaliter exequitur, retrahendo animum ab iis quæ contra seiptum illiciunt appetitum, sicut fortitudo

tudo generaliter ſumpta impellit mentem ad ea ſuſtinenda vel aggrediendà propter quæ homo refugit bonum rationis; facilè homo ſpecialiùs incumbet compeſcendis, & refrenandis concupiſcentiis & delectationibus tactus in his, quæ ſunt valde delectabilia, quibus natura conſeruatur, vel quoad ſpeciem vel quoad indiuiduum: eo enim vehementiores ſunt delectationes quæ naturæ magis ſunt conuenientes & propriæ, quales ſunt operationes quibus vita animalis conſeruatur, vel ſpecies illius propagatur. In temperandis igitur delectationibus huiuſmodi, quæ illas operationes naturales comitantur, occupatur temperantia: & temperatus dicitur, qui vbi, & quando oportet à delectabilibus abſtinet, nec in hoc contriſtatur: plures namque neceſſitate coacti, quia impotentes ſunt & infirmi, aut habere non poſſunt, vel timore, à delectabilibus abſtinent; & temperati non ſunt, quia in abſtinendo triſtantur.

Occupatur autem primò hæc virtus circa moderationem delectationum tactus. Secundariò circa delectationes guſtus, olfactus & viſus, inquantum ſenſibilia horum ſenſuum obiecta de ſuo aliquid conferunt delectabili vſui rerum neceſſariarum ad vitæ conſeruationem aut propagationem ſpeciei, quæ ad tactum pertinent: Et quia guſtus tactui vicinior eſt, ideo ad guſtus cohibitionem magis intendit temperantia quàm ad aliorum ſenſuum moderandas delectationes. Habet autem virtus temperantiæ partes integrales, ſine quibus non eſt; verecundiam ſeu erubeſcentiam, ſcilicet per quam fugimus turpitudinem temperantiæ contrariam: verecundiâ enim turpia occultè facimus, at erubeſcentiâ talia agere deſiſtimus, ne vituperium incurramus. Alia pars integralis temperantiæ eſt honeſtas ſeu honeſti amor quo non timore pœnæ nec vituperij turpia non facimus; ſed virtutis amore, & vitij odio male agere erubeſcimus: vnde de Senecâ quidam referunt, *Si ſcirem Deos ignoſcituros & homines ignoturos, denique peccatum abhorrerem.*

Partes autem ſubiectiuæ temperantiæ ſunt, abſtinentia à cibis immoderatis, ſobrietas à potu nimio, caſtitas in coniugatis, vt ſcilicet causâ prolis, aut vitandæ fornicationis, vel reddendi debitum his vacent temporibus & locis congruis, modo naturali; non autem causâ explendæ libidinis: vt turtures imitando, poſt obitum coniugis alteri non copulentur, ſed corpore & mente à carnalibus delectationibus in perpetuum abſtinerent. Sed præcipua eſt in Virginibus. Eſt autem Virginitas in carne corruptibili perpetua incorruptionis meditatio. Duo enim dicit Virginitas, integritatem videlicet corporis, & habitum electiuum obſeruandi integritatem illam in perpetuum: debet igitur virgo in propoſito firmo habere in perpetuum nunquam velle in carnis corruptione conſentire: quo ſtante virgo permanet, etiam ſi violenter clauſtra pudoris infringantur. Vnde virgines non ſunt paruuli integri corpore, quia propoſitum non habent; nec etiam adulti volentes aliquando nubere. Alia autem pars ſubiectiua temperantiæ eſt pudicitia, quæ non modo delectationes venereas declinat, verum etiam ſigna libidinis cohibet: in matrimonio debitum naturæ modum & ordinem cuſtodit; in viduis vagos diſcurſus reprimit, delitias abſcindit, veſtium ornatus deponit, & amplexus fugit, cogitationes turpes, peruerſam ſocietatem & otia vitat.

Habet denique temperantia partes etiam potentiales, quæ ad eam reducuntur tanquam ad totum, & temperantiam imitantur quantum ad modum; quia ſicut temperantia occupatur in refrenatione & cohibitione delectabilium, illæ virtutes, quæ ſunt partes eius potentiales, occupantur in coercitione cuiuſlibet delectabilis; itaut animus ſit inuictus à delectatione, nec impetu paſſionis vincatur, vt vincuntur cholerici & melancholici; nec paſſione à ratione tandem rectè conſulenti diſcedat, vt frequenter faciunt phlegmatici & ſanguinei; neq; peruerſitate & malitia dicunt bonum malum, aut malum bonum, ſed per continentiam ab omni immoderata delectatione abſtinent: quæ eſt prima pars potentialis temperantiæ modum illius tenens, qua vtitur in refrenandis delectationibus tactus & guſtus. Aliæ ſunt Manſuetudo & Clementia, quæ illam imitantur dum cohibent iræ & iracundiæ motus: Manſuetudo enim eſt Moderatiua irarum; Clementia vero eſt per quam animus concitatus in odium alicuius, benignitate retinetur, ne omnem pœnam debitam infligat; Ad hanc etiam reducuntur modeſtia, humilitas, ſtudioſitas, eutrapelia, & verecundia in oculis & aliis ſenſibus: de quibus omnibus conſule eos autores qui de virtutibus ex inſtituto tractant. Hæc ſufficiunt vt videamus quomodo hic virtutes requiſitæ ad perfectionem acquirendam, & munus paſtoritium rectè exequendum, ſub conuenientibus ſymbolis exprimuntur. Nunc igitur videamus quomodo ſymbolum Bouis optimè adumbrare poſſit temperantiæ virtutem, maximè ſi in genere ſumatur.

De Boue ita Iſidorus Hiſpalenſis lib. 12. c. 1. *Bouem Græci βῦν dicunt, hunc Latini Trionem vocant, eoquod terram teras quaſi Terionem. Neuius Trionem hic moderatur Ruſticus, cuius latitudo pellium à mente ad crura paleana dicuntur, à pelle ipſa quaſi pellearia, quod eſt generoſitatis in Boue ſignum. Boum in ſociis eximia pietas, nam alter alterum inquirit cum quo ducere collo aratra conſueuit, & frequenti mugitu pium teſtatur affectum ſi forte defecerit.* Iſidor. Hiſpal.

Hæc de Boue Iſidorus. Notum eſt etiam ex ſcriptura Bouem ad Trituram adhiberi, iuxta illud: *Non alligabis os Boui trituranti.* 1. ad Corinth. 9. Iugo colla libenter ſubmittit, in labore fortis, herbis & paleis veſcitur, ſitim aquâ extinguit. Cum adhibetur in ſcriptura iuxta S. Dionyſium de cœleſti Hierarchia, vt Angelos deſignet, *Robur & vigorem deſignat Bouis figura, qui etiam ſpiritales ſulces recipiendis cæleſtibus facundiſque imbribus diffindunt atque dilatant, cornua quoque ſeruatricem inuictamque vim.* Ita ſanctus Dionyſius. 1. ad Cor. 9. S. Dyon.

Hoc ſchemate temperantiæ virtus optimè adumbratur. Bos terram terit: temperantia corpus atterit, dum eius indecentes frangit appetitus; & quantò melius appetitus conteruntur, tantò magis terra cordis noſtri vberiores fructus producere poteſt. Generoſitas in Boue conſicitur à latitudine pellium à mento ad crura; generoſitas etiam mentis conjicitur ſi à gutture & faucibus ad hominis crura, pectus & venter, abſtinentiæ, ſobrietatis & caſtitatis & continentiæ pellibus circumueſtitur & ornatur. Bos ad Triturum adhibetur, & ideo os non eſt ei alligandum, vt viuere poſſit qui aliis victum comperitur præparare: temperantiæ eſt modum victui corporis præſcribere, ne fame deficiat quod menti in ſuis operationibus noſcitur deſeruire: collum iugo ſubmittit per virtutem Temperantiæ, facile homo Dei mandatis obtemperat: huius enim virtutis actum exquirebat Deus ab homine in ſignum obedientiæ, & debitæ ſeruitutis. In labore Bos fortis eſſe perhibetur; animi fortitudine opus eſt vt appetitus noſtros in ordinem redigere poſſimus. Herbis & paleis veſcitur in ſignum ſobrij & parci victus, cuius parſimoniæ & abſtinentiæ, & ſobrietatis Bos in ſcriptura eſt ſymbolum iuxta illud Iſaiæ c. 11. *Et Iſa. 11. Leo quaſi Bos comedet paleas: id eſt*, inquit Nicolaus de Lyra, *ſuperbus prius & delicatus cum ruſticano fideli vi-*

Digitized by Google

ctu ſimplici erit contentus : quod impletum fuit in Eccleſia & quotidie impletur in religionibus, vbi nobiles & ignobiles & illiterati victu ſimplici vniformiter ſunt contenti. Ita Lyran. Vnde patet Bouis figuram eſſe optimum ſymbolum ex ſenſu ſcripturæ, abſtinentiæ, & ſobrietatis. Certum eſt autem quod ſine Cerere & Baccho friget Venus; & ſic poſſe etiam caſtitatem deſignare, eo ipſo quod nobis abſtinentiam, & ſobrietatem deſignat. Nam qui in guſtu temperati fuerint, facile in tactu modum tenebunt; intemperati autem in guſtu difficile temperati eſſe poſſunt in tactu: vicina enim membra ſunt ſtomachus & pudenda, ait Hierony. Vt ex vicinitate membrorum intelligatur confederatio vitiorum, & venter mero æſtuans cito ſpumat in libidinem: Luxurioſa quoque res eſt vinum, & Galieno medico docente, animus ita nimio ſanguine & adipibus quaſi luto inuolutus, nihil cæleſte ſed ſemper de carnibus eructare, & ventris ingluuiem cogitare; igitur quia Bos & cibi & potus parcimoniam deſignat, poteſt etiam deſignare abſtinentiam ab illicitis voluptatibus carnis, quæ per tactum percipiuntur: qua quidem ratione anima in corporis mortificatione, & auſteritate victus & veſtitu attrito habitans, aptior redditur ad cæleſtia contemplanda, & ad omnes alias bonas operationes eliciendas. Bouis figura ſignificat in Angelis robur & vigorem, quo vigore ſeu robore Angeli ſuperiores diſtindunt & dilatant inferiorum mentes tanquam ſulcos, dum diſtinctis conceptibus ſimpliciores & vniuerſaliores veritates illis proponunt, itaut capaces reddantur ſuſcipiendi tanquam cœleſtes, & fœcundos imbres, illuſtrationes & ſplendores diuiniores & ſublimiores, & inſuper *Interpres illa diſtinctio principatuum Archangelorum & Angelorum*, vt loquitur S. Dionyſius, *Hominum dirigit Hierarchias, eiſque mandata exponit, & ordine quodam conuenienti & progreſſu bene ordinato à Deo ad homines, ipſimet ordines inferiores Angelorum iuuant & corroborant homines, dum ad Deum cognoſcendum mens conſurgere nititur, & cogitationes ſuas ad eum conuertere conatur, eique voluntatem ſuam coniungere ſatagit, vt quamdam cum Deo ſocietatem, & coniunctionem ineat*: Quia hac ratione, bonitate quadam communicatiuâ ſtupiditatem ſenſuum noſtrorum diſcindunt, & purgant phantaſmatum & imaginationum noſtrarum groſſitiem ſeu craſſitiem conterunt, ſinum mentium & voluntatum noſtrarum dilatant & ornant, quo capaces reddantur ſuſcipiendi tum cæleſtes ſplendores & illuſtrationes, & alios motus & affectus diuiniores: quibus tactæ mentes noſtræ ſenſibilia deſerunt, vt ſe ad Deum conuertant; & ſenſibilia relinquentes affectu plane diuino cum Deo vniantur. Ideo Bouis figura vt dictum eſt optimè Angelis tribuitur, quia Bos bonitatis eſt ſymbolum, diſciſſionis terræ in ſulcos aptiſſimum medium, & fortis & conſtantis operationis manifeſtum ſignum: pari ratione Prælati Bouis figurâ repræſentari debent, quia per temperantiam ad cæleſtia contemplanda apti redditi, quas ſuſcipiunt à Deo illuſtrationes ſuis inferioribus communicant, corda eorum gladio verbi diuini diſcindentes, cognitiones rerum ſenſibilium diuidentes, vt locus detur intellectuali lumini tanquam imbri diuino mentes irriganti, vt hac ratione pij affectus menti inſerantur, qui tandem in fructus bonorum operum prorumpant. Deinde Boum cornua ſignificant in Angelis ſeruatricem inuictamque vim, quâ ſcilicet homines protegant contra hoſtium inſultus; ita & Boum cornua denotant Prælatos, qui corpus ſuum mortificatione appetituum, & ſenſuum diſcindunt, & conterunt, forteſque fiunt ad ſubditos ſuos protegendos & defendendos ab hoſtium inſultibus & inſidiis. Denique diximus ex Iſidoro, in Bobus inſignem eſſe pietatem erga ſocios cum quibus aratrum ducere conſueuerunt: par debet eſſe pietas ſuperiorum erga inferiores ſibi ſubditos, cum quibus iugum Chriſti portare debent, dicente Paulo ad Galat. 6. *Fratres etſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Hoc modo Bos erit ſymbolum illarum virtutum, quæ ad temperantiam tanquam partes illius potentiales reducuntur.

Quod Prælati faciunt erga alios, hoc omnes ſancti agunt erga ſeipſos: terunt & colunt terram aliorum Prælati; pro propriâ ſanctificatione comparanda terunt & diſcindunt corpus ſuum ſancti, & contritione & compunctione cordis illa reddunt apta quæ ſuſcipiant diuinas illuſtrationes & cõſolationes, quibus irrigata fructus edunt bonorum operum & vigorem mentis acquirunt, compreſsâ rebellione carnis, quo ad cæleſtia fortius & validius contemplanda inſurgant: patiuntur etiam flagellis & vulneribus corpora diſcindi, vt per patientiam fortiores euadant contra Hoſtium impetus; *Sic ſancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones*: nam dum omnes carnis voluptates contemnunt, animus vegetatur & fortior redditur contra quaſlibet tentationes, & ſibi non parcentes erga alios omnem manſuetudinem, benignitatem & clementiam exercent.

De tertio genere virtutum, quibus voluntas hominis ornatur, quæ per hominis figuram deſignantur. §. 4.

S. Dionyſ. Areopag.

Multæ ſunt virtutes morales quæ voluntatem exornant: duodecim numerantur, ad quas aliæ quæcumque reducantur; Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, Temperantia, Manſuetudo, Liberalitas, Magnificentia, Magnanimitas, Philotimia, Veritas, Amicitia, ſiue affabilitas & Eutrapelia; inter quas quatuor ſunt Cardinales, nempe Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, Temperantia, quæ Cardinales, & principales dicuntur: quia ſicut in Cardine ianua vertitur, clauditur, & aperitur, ſic in his virtutibus cor humanum vertitur ſecundum rationem vt vitiis claudatur, & bonis actibus aperiatur. Prudentiam autem inter virtutes Morales reponimus, nam licet ſecundum eſſentiam ſit intellectualis habitus, ſecundum materiam moralis eſt virtus: quæ dicitur mater virtutum, quia ad hanc tres aliæ reducuntur. Cum autem omnis virtus moralis ſit, vel circa paſſiones ſupra enumeratas, vt omnes ſunt virtutes vel circa actum exteriorem ad alterum vt iuſtitia, vel circa actum interiorem dirigendum vt prudentia. Iam de virtutibus quæ circa paſſiones ſunt diſſeruimus: nunc de virtute ſub qua plurimæ continentur, quæ eſt circa actum exteriorem (ad alterum nempe iuſtitia) nobis eſt diſſerendum: poſtea de prudentia dicturi. Et in hoc ordine rationem habuimus ordinis ſymbolorum, quibus hæ quatuor virtutes principales deſignantur: qui talis eſt vt Leo ſit primum animal in ordine, ſecundum ſit vitulus, tertium homo, quartum Aquila. Iuſtitiæ autem duæ ſunt acceptiones: prima per legis imperium ordinat actus omnium virtutum ad bonum commune, & iuſtitia legalis dici ſolet: per eam namque homo concordat legi ordinanti actus omnium virtutum in bonum commune, ſicut charitas ordinat omnia in bonum diuinum. De hac dicitur, quod ſit omnis virtus. Secunda acceptio iuſtitiæ eſt prout æqualitatem conſtituit in his quæ ſunt ad alterum. Hæc à Iriſconſulto ſic definitur: *Iuſtitia eſt conſtans & perpetua ve-*

luntas ius ſuum vnicuique tribuens. Iuſtitia voluntas A
eſt, id eſt voluntatis habitus, ſiue qualitas conſtans
& perpetua : nam operans per virtutem operatur
immobiliter, quantum ad propoſitum : vnde vt
quis iuſtus ſit oportet quod habeat pro poſitum
perpetuò ſeruandi iuſtitiam & in illo firmiter per-
maneat : ideo additur, conſtans ; Et ſequitur Tri-
buens vnicuique, Deo ſcilicet & homini ius ſuum,
id eſt rem iuſtam ipſi debitam : Accipitur enim ius
non pro habitu qui eſt ars boni & æqui, ſed pro re
iuſta. Materia autem circa quam iuſtitiæ ſunt opera-
tiones, res alteri ab altero debita : nec iuſtitia pro-
priè habet extrema malitioſa, ſed habitum contra-
rium qui dicitur iniuſtitia ; extrema autem aſſignan-
tur quantum ad actum, vt iniuſtum facere & iniu-
ſtum pati.

Iuſtitiæ partes aliæ ſunt ſubiectiuæ, aliæ in- B
tegrales, aliæ potentiales. Subiectiuæ ſunt iuſtitia
commutatiua, quæ æqualitatem in commutationi-
bus inter duas ſingulares perſonas ſeruat in propor-
tione Arithmetica, vt puta tantum ſit prætium
quantum valet res empta ; & iuſtitia diſtributiua per
quam bona communia iuſtè diſtribuantur, non ta-
men æqualitatem quantitatis quæ eſt Arithmetica,
ſed æqualitatem proportionis quæ eſt Geometrica
cuſtodit : non enim bona communia æqualia ſunt,
nec ciues æquales. Oportet ergo diſtribuentem
merita & conditiones vniuſcuiuſque accipientis
attendere, & reſpectu illorum bona illis diuidere,
aliter ſtrenuè bellantibus, aliter formidoloſis, C
aliter Magiſtratibus, aliter plebeis : veruntamen
permaximè cauenda eſt in talibus acceptio perſo-
narum, quæ fit cum aliquid alteri datur propter
aliquid quod non eſt cauſa, nec facit ad cauſam
propter quam accipiens tali dono dignus ſit : vt in
collatione beneficiorum ſi conſanguineo minus
idoneo conferantur ; in exhibitione reuerentiæ, ſi
diuites propter diuitias ſolùm honorétur ; in exe-
cutione iudiciorum, ſi pauper ſupprimatur, & poten-
tior eidem contra æquitatem præponatur. Et hæc
de partibus ſubiectiuis.

Partes autem integrales ſunt facere bonum, &
declinare à malo. Iuſtitia namque æqualitatem con-
ſtituit in iis quæ ſunt ad alterium : & hoc faciendo D
bonum ſcilicet alteri debitum, & conſtitutam æqua-
litatem ſeruat declinando à malo alteri nocuo. Pri-
mum vitiatur per omiſſionem boni debiti : ſecun-
dum per tranſgreſſionem mandati prohibentis ma-
lum alteri in ferre.

Quantum autem ad virtutes iuſtitiæ annexas, ſeu
partes iuſtitiæ potentiales ſunt Religio, Pietas,
Obſeruantia, Obedientia, Vindicatio, Pœniten-
tia, Gratitudo, Veritas, Fidelitas, Liberalitas,
Amicitia ſiue Affabilitas, & ſi quæ aliæ ſunt, quæ
ad dictas reduci poſſunt : de quibus conſulendi ſunt
qui de ipſis ex inſtituto tractant. Hæc ſufficiunt vt
conjiciamus quantopere iuſtitia ſit virtus neceſſaria,
tum ad propriam ſanctitatem acquirendam, tum E
vt aliquis Prælatus erga ſubditos optimè ſe gerat,
& ritè ſuo officio & muneri ſatisfaciat. Plures enim
ſunt tum Prælatorum tum ſubditorum iuſtitiæ actus,
ſecundum illas iuſtitiæ acceptiones, definitiones
& diuiſiones : v. g. ſuperiorum iuſtitiæ actus ſunt,
zelus ardens obſeruationis legum, quæ iuſta ſunt
præcipere, optimæ & rectæ gubernationi inſiſte-
re, delicta caſtigare, bonas actiones ſaltem laude
& approbatione remunerare, vtilitatem ſubdito-
rum ſuis commodis anteponere, omnibus omnia
fieri, vt omnes lucrifaciat factus Pauli imitator,
nullo priuato amori boni communis zelum impe-
dienti adhærere. Subditorum autem iuſtitiæ actus
ſunt, legibus & mandatis obedire, inter ſuos æqua-
les concordiam & pacem ſeruare, nemini vllam
offenſionem aut malum dare exemplum, bonum
commune vtilitati propriæ præferre. Horum ad
quos attinet bona diſtribuere actus iuſtitiæ ſunt, iu-
ſtam proportionem in hac diſtributione obſerua-
re ſicut ſuprà diximus, munera & ambitionem
deteſtari : eorum autem qui ea bona hæc diſtributa
ſuſcipere debent, actus iuſtitiæ ſunt, ea tantum
quæ neceſſaria ſunt appetere, ne alij indigeant iis
quæ ſuperfluè ſibi miniſtrari ac ſuppeditari procu-
rarent, dignitates aut officia non ambire, nec ad
ea niſi vocati adſpirare ; ſi offerantur & capacitas
ſufficiens adſit ea humiliter acceptare, & electioni
de ſe factæ conſentire. Denique omnibus vt iuſtè
viuant præcipitur, neminem lædere verbo aut fa-
cto : Verbo quidem in iudicio vel extra iudicium,
in iudicio per iudicem, accuſatorem, & teſtem,
extra iudicium autem per contumeliam, ſi quis ea
quæ ſunt contra honorem alicuius in notitiam ip-
ſius & aliorum deducit ; per detractionem quidem
ſi iſta fecerit occulte at deroget alterius famæ, per
ſuſurrationem ſi per hæc intendit occulte amicitiam
ſeparare ; per maledictionem ſi alteri malum inten-
dens imprecatur ; per deriſionem ſi per verba, &
cachinnos alium erubeſcere facit ; per ſubſannation-
nem ſi idem facit naſo rugato. In facto autem alter
ab altero luditur, in re vel in perſona : in re qui-
dem per furtum in occulto, & per rapinam in pu-
blico, in perſona vero, propria, vel coniuncta vt
puta vxore aut liberis, per homicidium, mutila-
tionem, verberationem aut incarcerationem. Hi
ſunt actus quibus ſeruatur vel quibus violatur iuſti-
tia, & quoad iſtos vltimos, iuſtitia commutatiua
æquandi ſaltem reſtitutionis vice. His præſuppoſi-
tis : Dico figuram hominis eſſe optimum iuſtitiæ
ſymbolum, ſiue iuſtitiam ſpectes ſecundum partes
ſubjectiuas, ſiue ſecundum partes ſuas integrales,
ſiue quoad partes eius potentiales ſecundum partes
ſubiectiuas, quia eſt animal ratione præditum.
Opus enim rationis ſeu ratiocinationis eſt rerum
proportiones commenſurare. Secundem partes in-
tegrales, quæ ſunt facere bonum & declinare à
malo : quia nullum bonum morale eſt aut malum ſi
non ſit voluntarium, quia eſt libertate arbitrij præ-
ditus : *Dominum nemo rem agnoſcit*, inquit S. Grego- *S. Greg. Nyſſ.*
rius de hominis opificio c. 4. *& ſuo ex arbitrio agit*
omnia. Ita Greg.

Secundum partes potentiales, quibus per Reli-
gionem Deo quod ſuum eſt reddit, & per alias vir-
tutes potentiales proximis ſibi ſuperioribus vel
æqualibus & inferioribus reddit quod debetur vni-
cuique, quia debet eſſe iuſti & veri amator, vt ad
Dei ſimilitudinem attingat, itaut non dicatur ſim-
pliciter homo ab humo, quia de limo terræ forma-
tus eſt ſed ἀπὸ τοῦ γραφῆναι græcè *Eo quod*, inquit Iſidorus *Iſidor. Hiſpal.*
Hiſpalenſis lib. 11. Orig. c. 1. *ſurſum ſpectet ſublenatus*
ab humo, ad contemplationem artificis ſui. Quod Ouidius
Poëta deſignat cum dicit,

Os homini ſublime dedit, cœlumque videre
Iuſſit & erectos ad ſidera tollere vultus.
Qui ideo erectus cœlum aſpicit vt Deum quærat,
non vt terram intendat velut pecora quæ natura prona &
ventri obedientia finxit. Ita Iſidorus.

Certe ſi ſacræ ſcriptura per hominis figuram An-
gelorum perfectiones adumbrare voluit, *Quia*, in- *Dyon. Areop.*
quit S. Dionyſ. Areop. *homo mente eſt præditus, vim*
habet cernendi ſublimia, & habet ſtaturam rectam, na-
turâ præſit, ſenſum habeat minimum quidem reſpectu
animalium ; ſed qui omnia dominatu tenet meritò magna
intelligendi vi & copiâ ſcientiæque rationis compotis po-
teſtate, & quod natura, ſeruitute ac dominatu opprimi
ſubigique non poſſit. Ita Dionyſ. Certe ipſi Angeli

Digitized by Google

terreſtres, ſancti & Paſtores hac figurâ propter perfectionem iuſtitiæ Chriſtianæ, quæ in eis abundat, poterunt adumbrari. In his ratio viget, diuinorum contemplatio & cognitio inuenitur, recti ſunt quia ad Deum tendunt, aliis præſunt per gratiam & autoritatem cælitus datam, ad ſenſibilia debiliter conuertuntur: paſſionibus ſuis dominantur, & iuſtitiæ amatores iudices aliorum optimè conſtituuntur, quia virtute valent irrumpere iniquitates, nullorum etiam potenta tuum ſeculi conatibus ſubdi obedientes. Tales ſunt quales eos depingit S. Gregor. Naz. *S. Greg. Naz.* oratione primâ propter perfectionem iuſtitiæ ſuæ, *Spiritualis*, inquit, *omnis impery finis eſt, vbique priuata vtilitate neglecta commodis aliorum conſulit: huic ſcopus eſt animæ pennas addere, ac mundo eam eripere, Deoque duce diuinamque imaginem aut manentem conſeruare, aut periclitantem fulcire, aut delapſam in priſtinum ſtatum reuocare, Chriſtumque per Spiritum ſanctum in pectoris domicilium admittere; atque vt ſummatim dicam eum qui ſuperioris agminis ſit Deum efficere, ac ſupernam beatitudinem ipſi comparare.* Ita Greg.

Qui poſtea etiam declarat quomodo iuſtitia ſecundum partes ſuas integrales prælatum ornare debeat, dum ait: *Neque enim ab eo qui hanc curam ſuſcepit, hoc ſolum requiritur vt malus non ſit, (malum enim eſſe plerique etiam è vulgo turpiſſimum cenſent) verum etiam vt virtute præſtet, iuxta illud ſcripturæ præceptum, quo declinare à malo & bonum facere iubemur; ne vt vitioſas animi notas dumtaxat expungat, verùm vt meliores etiam inferibat; itaut magis virtute antecellat, quàm honore & dignitate ſuperet: nec modum ſibi vllum honeſtè viuendi atque alios aſcendendi conſtituat, nec lucro potiùs id quod arripuit, quàm damno id quod effugit deputet: verum quod præ pedibus eſt gradum ad id quod deinceps ſequitur eſſe arbitretur, nec virtute vulgus anteire magnopere amplum atque illuſtre iudicet; verum detrimento ducat ſi à ſuſcepti muneris dignitate abſit.* Ita Gregor. *Greg. Naz.*

Et hæc de virtute iuſtitiæ ſatis. His tamen addo S. Ambroſium de lib. de paradiſo c. 3. eam per fluuium Euphratem velle deſignari. *Euphrates*, inquit, *S. Ambroſius.* *idem eſt ac fœcunditas & abundantia fructuum: Iuſtitia omnem paſcit animam, nulla enim abundantiores videntur habere fructus quam æquitas & iuſtitia, quæ magis aliis quam ſibi prodeſt: vtilitates ſuas negligit, communia emolumenta præponens.* Alij apud eumdem S. Ambroſium ibidem Euphratem deriuari volunt à lætando, eo quod hominum genus nullo magis quam iuſtitia & æquitate lætetur. Denique ex eodem, iuſtitia per Euphratem adumbratur, propter aquam illius vitalem & fœcundam ac copioſam. Iuſtitia enim generalis eſt virtus: Poteſt enim fieri, vt docet S. Ambroſ. *Quod vbi eſt prudentia ibi & malitia, vbi fortitudo ibi iracundia, vbi temperantia ibi intemperantia plærumque eſt, aut alia vitia ſunt. Vbi autem iuſtitia ibi concordia virtutum eſt cæterarum. Ideo non ex loco qua finit, hoc eſt non ex parte cognoſcitur, non enim eſt pars iuſtitia, ſed quaſi mater eſt omnium.* Ita Ambroſ. Et nota optime Lector, nos figuram hominis in throno ità collocaſſe, vt ſedi ſedentis retrò ſtet: appoſite quidem, quia regum thronus iuſtitiâ fulcitur & roboratur, iuxta illud Prouerb. 25. *Auſer impietatem de vultu regis, & firmabitur iuſtitia thronus eius.*

De quarto genere virtutum, nempe intellectualium, quæ per aquilam deſignantur. §. 5.

Quarta virtus principalis quæ requiritur in ſanctis & in Prælatis Eccleſiæ eſt Prudentia, quæ quamuis ſecundum materiam ſit virtus moralis, eſt tamen ſecundum eſſentiam intellectualis habitus: de qua hîc potiſſimum agendum. Nam plures ſunt virtutes quæ intellectum perficiunt; ſpeculatiuum nempe intellectum ſapientia, ſcientia, & intellectus in operatione ſua diſtigunt; ars & prudentia intellectum practicum regulant: ars autem eſt habitus Veritatem conſiderans, eo fine tantùm vt opus ſit perfectum, ex recta ratione intellectum ad operationem habilem promptumque reddens. Prudentia eſt alius habitus intellectus practici, qua intellectus veritatem ad opus ordinat, vt ipſe operans perficiatur, & in ſuis actibus ordinetur. Ars igitur eſt recta ratio rerum factibilium, facere autem eſt actus tranſiens in exteriorem materiam, ſicut ædificare, ſecare, ſcribere. Ars itaque eſt habitus factiuus cum recta ratione, ſeu rectio directiua factionum in rebus exterioribus: & quia artis non eſt artificem bonum facere ſed opus, ideo non habet perfectè rationem virtutis. At prudentia eſt recta ratio agibilium, agere autem eſt actus permanens in ipſo agente, vt intelligere, velle, conſiliari & huiuſmodi. Prudentia ergo eſt ratio directiua actionum in ipſis operantibus, & habet rationem virtutis perfectæ quia *Impoſſibile eſt*, inquit Philoſophus l. 6. Ethico. *eſſe prudentem, & non exiſtentem bonum.* De hac agimus.

Multæ dantur Prudentiæ definitiones, definitur autem prudentia recta ratio à nobis agibilium: Ab aliis, Cognitio rerum appetendarum & fugiendarum: Aut, Rerum bonarum & malarum veramque ſcientia: Denique, Diuinarum humanarumque rerum notitia; iuſti atque iniuſti ſcientia.

In plures partes diuiditur; nempe integrales, potentiales, ſubiectiuas. Integrales ſunt memoria, intellectus, ratio, ſolertia, docilitas, prouidentia, circumſpectio & cautio. Tria vltima prudentiam integrant, vt eſt præceptiua; reliqua, vt eſt cognoſcitiua. Et quia prudentia eſt circa contingentia agibilium; horum ſi præterita ſint cognitio memoria dicitur; ſi præſentia vel inſtantia intellectus: Et frequenter ex memoria naſcitur, nam in contingentibus agibilibus, vt plurimùm futura ſimilia ſunt præteritis. Rurſus autem habitâ rectâ exiſtimatione de fine, viâ memoriæ & intellectus media in promptu inuenienda ſunt, per quæ finis attingi poſſit: Et id fit per ſolertiam, quæ eſt ſubtilitas inueniendi medium in non perſpecto tempore: inuentis autem mediis opus eſt ea debitè poſſe applicare ad finem, regulas vniuerſales ad particularia coniungere, & ex notis procedere ad notitiam nondum cognitorum: Hoc pertinet ad rationem. Quia verò nec omnia conſiderare poſſumus, poſſumus occurrentia circa agibilia quoniam particularia ſunt ab aliis edoceri, præcipuè autem à ſenibus & expertis indigemus: Id autem fit per docilitatem, quando quis diſciplinabilis efficitur, & aliorum conſiliis acquieſcit. Vnde Sapiens ait Eccleſ. 6. *In multitudine Presbyterorum*, id eſt ſeniorum, *prudentium ſta, & prudentiæ illorum corde coniungere.* Ampliùs futura quæ circa agibilia occurrere poſſunt proſpicere, & ad finem cum præſentibus conuenienter ordinare neceſſe eſt, quod fit per Prouidentiam quæ eſt futurorum: nam præterita, aut actu præſentia aliter ordinari non poſſunt. Circumſtantias etiam negotij priùs inuentis & ordinatis in finem comparari oportet, quod fit per Circumſpectionem. Oportet demum etiam vitare impedimenta, & cauere ne vitia pro virtutibus ſe ingerant, quod fit per cautionem. Hæc octo ſub compendio ſcriptura commemorat dum ait, Deuteron. 32. *Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia. Vtinam ſaperent & intelligerent, & nouiſſima prouiderent: ſaperent*, ſcilicet præterita, per memoriam, *intelligerent* præſentia per intellectum, rationem, ſolertiam, & docilitatem, *Ac nobiliſſima prouiderent*, per prouidentiam, circumſpectionem & cautionem. Poſſumus enim nos cognoſcere fu-

Digitized by Google

tura ſaltem in ſuis cauſis, Deus autem in ſeipſis, & quibus voluerit per prophetiæ donum communicare.

Quantum autem ad partes potentiales prudentiæ tres ſunt: Eubulia, Syneſis & Gnome. Prudentiæ equidem principalis actus eſt rectius præcipere, de præcipiendis autem primum conſiliari, dehinc iudicare oportet. Primum ad Eubuliam, ſecundum ad Syneſim, & Gnomen pertinet. Eſt enim Eubulia rectitudo conſilij ad finem bonum, per vias congruas & tempore conuenienti; vnde εὔβουλος id eſt, prudens, ſiue benè conſiliatiuus: & talis nec velox, nec nimis tardus, & firmus eſſe debet: Additur ad finem bonum, quia conſilium bonum nullum eſſe poteſt ſi finis malus in conſiliando præſtituatur, aut ad finem viæ malæ inueniuntur: Syneſis autem rectè iudicat de conſiliatis ſecundum leges communes; huius iudicium iuſtitia Legalis exequitur. Gnome autem rectè iudicat de conſiliatis, ſi leges deficiant, & huius iudicium ἐπικεία exequitur. Quoniam verò, vt ait Sapiens, *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ*, indiget homo neceſſariò in his quæ ad ſalutem ſunt & rempublicam, ab altiori principio dirigi, à quo datur his qui ſyncere petunt donum conſilij, per quod Spiritus ſanctus mouet hominem per modum ſalubrioris & certioris conſilij. Sap. 9.

Reſtat vt partes ſubiectiuas prudentiæ adducamus, quæ quinque ſolent aſſignari, nempe Prudentia Monaſtica, Oeconomica, Politica, Regnatiua, & Militaris. Prima neceſſaria eſt homini quantùm ad ſe: Secunda homini vt familiam ſuam gubernet: Tertia homini vt ſe Politiæ Rectori debitè ſubjiciat: Quarta vt quis rempublicam ſtrenuè regat: Quinta vt ciuis bonum commune ſtrenuè defendat. Monaſticam Richardus deſcribit: *Monaſtica ſcientia eſt, quæ ſui curam gerens cunctis ſeſe erigit & exornat virtutibus, nihil in vita admittens quo non gaudeat, nihilque faciens pœnitendum.* Hæc non modo ſanctis omnibus ad propriam perfectionem neceſſaria eſt, ſed maximè Prælatis, qui aliorum curam gerentes propriæ ſalutis curam negligere non debent: Vnde Paulus dicebat, *Corpus meum caſtigo, & in ſeruitutem redigo, ne cum aliis prædicauero ipſe reprobus efficiar. Nam qui ſibi nequam eſt, cui alij bonus erit?* Oeconomicam per quam familia regenda eſt, in Prælatis præſupponendam eſſe docuit Apoſtolus 1. ad Timoth. c. 3. *Oportet ergo*, inquit, *Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, &c. non litigioſum, non cupidum, ſed ſuæ domui bene præpoſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate. Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?* Ita Paulus: Qui & c. 5. eiuſdem epiſt. ad Titum rurſus ait: *Si quis autem ſuorum maximè domeſticorum curam non habet, Fidem negauit, & eſt infideli deterior.* Ex quo patet neceſſariam eſſe œconomicam, his omnibus quibus quæuis familia regenda eſt. Affabilis ſit Paſtor Eccleſiæ, ſicut vir vxori ſuæ affabiliter conuiuere debet, ne cum triſtitia eius præceptis obediat; in correctione cum prudentia procedat, vt aliter humiles & obedientes corrigat, aliter contumaces & ſuperbos; ſtudeat ornamentis Eccleſiæ ſibi traditæ & curæ eius commiſſæ, vt vnuſquiſque virtutem ſuæ conditioni propriam exerceat: Aliæ enim ſunt Virtutes Regibus inculcandæ, aliæ Militibus, aliæ Mercatoribus, aliæ Agricolis & artificibus. Zelum ſuum moderatè impendat; ne frangat animos, dum neſcit vt ſpiritualis, imbecillitates eorum ſuſtinere, ſibi nimium placens contra Apoſtoli monitum ad Rom. 15. *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere. Vnuſquiſque autem placeat proximo in bonum ad ædificationem.* Et dum aliorum vitia corripit ſeipſum conſideret; ne incidat in tentationem: quod præcepit Apoſtolus ad Galat. c. 6. Sic Chriſto per Verbum plures filios poterit gignere, eoſque donec Chriſtus formetur in eis quadam ratione parturire; qui ipſis Prælatis ſeu Paſtoribus in pietate & cultu Dei ſuccedant, & cum eis hæreditatem capiant ſalutis. Ipſis de bonis Eccleſiæ, & eleemoſynis piorum ſponte oblatis, indigentibus miniſtrabit nutrimentum quantum ad corporis neceſſitatem, & diſciplinam quantum ad morum honeſtatem: Eos auocare toto ſtudio pertentabit ab ocio, ab omni turpi lucro ex ludis prohibitis prouenientes; à ſcortationibus, furtis, latrociniis & omnibus peccatis & vitiis; vitia pullulantia ſtatim reſecabit quantum in ſe erit, ne conſuetudo in ſibi credito grege mala, altera fiat natura: facilius enim eradicatur vitium antequam radices egerit, quàm cum ſemel fuerit radicitùs in mentibus fixum. Mollius tractabit imbecilliores ne deſperent & doleant; ac nouiſſimè Paſtorem oderint, quodque maxime nocet, dum omnia timebunt nihil conentur; talis igitur erit bonus Paſtor erga Eccleſiam ſibi commiſſam, ſiue erga fideles ſibi commiſſos, qualis eſt bonus paterfamilias erga vxorem & liberos. In hac enim Eccleſiaſticâ familiâ habeat opitulatores, & coadiutores fideliſſimos, circa quós non ſe gerat nimis durè, ſed audiat S. Petrum Paſtores ita alloquentem: *Seniores ergo qui in vobis ſunt obſecro conſenior & teſtis Chriſti paſſionum, qui & eius quæ in futuro reuelanda eſt gloriæ communicator: Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei prouidentes non coactè ſed ſpontaneè ſecundum Deum, neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè, neque vt dominantes in cleris ſed forma facti gregis ex animo: & cum apparuerit princeps paſtorum percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam* 1. Petri c. 5. Taliter igitur ſe gerat in adminiſtratione muneris ſui erga ſacerdotes ſibi inferiores & commiſtros, itaut eum potius colant quam timeant: Cauendo tamen nimiam familiaritatem quæ contemptum parere poſſet: ſit in remunerando fideles operatores beneficus, in præcipiendo diſcretus.

At non modo hanc prudentiam œconomicam erga Eccleſiam ſuam habere debet, ſed maximè politicam regnantium ſeu architectonicam, qua ſtudeat Deo placere, populo pro poſſe ſatisfacere, reipublicæ Chriſtianæ prouidere, rectas leges condere, & ad rectè conditarum obſeruationem promouere, & ſubditos coercere: vt per pietatem ergà Deum, populi timorem & reuerentiam ſibi conciliet; & dum populo ſuo ſatisfacere ſatagit amorem & dilectionem populi ſibi conciliabit. Non enim quiſpiam contra prælatum murmurabit, ſi ipſum omnes non nimis ſeuerum, prudentium cultorem, benefacientium retributorem & delinquentium punitorem æquum videbunt. Per tertiam & quartam Eccleſiam ſuum ſanctam tectam in pietate & iuſtitia conſeruabit, dum ſemper ea ſuppeditare curabit, quæ neceſſaria ſunt ad horum conſeruationem, ad legum obſeruationem fidelem. Ad quod præſtandum quis non videt incredibili prudentia opus eſſe? Itaut benè dixerit S. Gregor. Nazianz. orat. 1. *Sed ſit ſane aliquis non modo à vitiorum contagione purus, verùm ad ſummum etiam virtutis faſtigium euectus: haud equidem video quanam ſcientiâ inſtructus, aut quibus viribus fretus huiuſmodi præfecturam intrepidè ſuſcipere queat. Nam profectò ars quædam artium & ſcientia ſcientiarum mihi eſſe videtur hominem animal omnium maximè varium & multiplex regere, &c.* Et paulo poſt: *In vniuerſum autem illud apud nos conſtat, quod quemadmodum in ſublimi & pendulo fune gradientibus in hanc vel illam partem deflectere minimè tutum eſt, nec etiam*

Digitized by Google

parua inclinatio paruum periculum affert, verùm eorum ſalus in æquilibrio poſita eſt: ad eumdem quoque modum etiamnis in partem quiſpiam ſine ob vita improbitatem, ſine ob imperitiem propendet, haud leue periculum tum ipſi tum ils, quibus præeſt imminet, ne in periculum prælabantur. Ita Gregor. Hoc tamen abſque periculo quiſpiam præſtabit, ſi per prudentiam politicam, quæ ſubditis propria eſt, ſtatuta maiorum, & leges Eccleſiaſticas ipſemet ſeruare ſtudeat, nec tranſgrediatur terminos antiquos, quos patres poſuerunt: & quod lex præcipit circa Magiſtratus & iudices, circa ciues, circa aduenas & peregrinos, ſeu circa infideles & extra Eccleſiam adhuc poſitos, hoc fideliter obſeruare ſtudeat: ac legibus ipſis ipſe obediens obedientiam ſibi à ſuis ſubditis exhiberi mereatur.

Denique nec prudentia Militatis illi deeſſe debet: monet enim S. Paulus nobis eſſe militandum. Ad quam militiam prouocabat 1. ad Timoth. c. 1.

1. ad Timot. 1. *Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee, ſecundum præcedentes in te Prophetias vt milites in illis, bonam militiam habens fidem, & bonam conſcientiam.* Et de hac ſpeciali militia Paſtorum dicebat. 1. ad Cor. 10.

2. ad Cor. 10. *In carne enim ambulantes non ſecundum carnem militamus: nam arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo, ad deſtructionem munitionum: conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti, & in promptu habentes vleiſci omnem inobedientiam cum impleta fuerit veſtra obedientia.* At non modo contra peruerſos homines militandum eſt, ſed etiam contra dæmones vt ipſemet docet, Epheſ. 6.

Epheſ. 6. *Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli: quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.* Et quibus armis ſit vtendum poſtea docet, vt prudenter in arenam & campum deſcendamus, & cum hoſte ſecurè manus conſerere audeamus: v. g. veritate, iuſtitia, verbo Dei, oratione, obſecratione & ſimilibus.

Qua prudentia autem opus ſit ad hanc militiam, inſtruit chariſſimum diſcipulum ſuum Timot. 2. c. 2.

2. ad Timot. 2. *Labora ſicut bonus miles Chriſti Ieſu: nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus, vt ei placeat cui ſe probauit: nam & qui certat in agone non coronatur niſi legitimè certauerit.* Ita Paulus: Optimè, nam cum tam imbecilles ſimus, imprudenter agit qui cum omnibus vitibus ſuis indigeat ad certandum, eas diſſipat in vanis & inutilibus negotiis.

Prudentiæ autem contrariatur imprudentia, quâ homo diuertit ſe à regulis quibus ratio prudentiæ rectificatur; cui contraria eſt prudentia carnis, quæ malum finem proponit; Aſtutia, quæ vias malas & apparentes excogitat. Prudentia inſuper vias bonas inuentas fini præconcepto verbo & facto applicat; contrarius eſt ei dolus qui vias malas excogitat, verbo; & contraria fraus quæ facto, fini malo eaſdem vias adjungit: ſic quod aſtutia excogitat dolus & fraus exequuntur. Contraria eſt etiam ei ſollicitudo nimia circa acquiſitionem temporalia, quæ in vſus pios impendere deberent, ad alia coaceruanda & accumulanda impendunt, & litigiis etiam plærumque occupantur. Denique ei contrariantur inconſtantia, & negligentia, quæ conſiliato & iudicato exequi prætermittunt; & præcipitatio, quæ quod per Eubuliam rectè & ordinatè conſiliatur, ex impetu voluntatis & paſſionis negligit. Denique inimica eſt prudentiæ inconſideratio, quæ male iudicat de his quæ Syneſis & Gnome vera iudicarunt, quia non intelligit ea ex quibus rectitudo iudicij pendet. His ita de prudentiâ conſtitutis & de vitiis illi contrariantibus, nunc videndum quomodo per ſymbolum Aquilæ ipſa rite deſignetur. De Aquila hæc refert Iſidorus lib. 12. Originum c. 7. *Aquila*, inquit, *ab acumine oculorum vocata: tanti enim contuitus eſſe dicitur, vt cum ſuper Mariâ immobili pennâ feratur, nec humanis pateat obtutibus, de tantâ ſublimitate piſciculos natura videat, ac tormenti inſtar deſcendens raptam prædam pennis ad littus pertrahat. Nam & contra radium ſolis fertur obtutum non flectere, vnde & pullos ſuos vngue ſuſpenſos radiis ſolis objicit, & quos viderit immobilem tenere aciem vt dignos genere conſeruat, ſi quos vero flectere obtutum, quaſi degeneres objicit.* Ita Iſid. Sanctus autem Dyon. rationem reddens cur Angeli per Aquilæ figuram repreſententur ait: *Aquilæ figura declarat, regiam poteſtatem ſupera petendi, celeriter volandi vim, & ad cibum qui vires reficiat capiendum, tum celeritatem, tum diligentiam, tum curſum, tum facilitatem, vim etiam robuſtis oculorum intentionibus liberè directè ac ſine vlla inflexione contemplandi largiſſime ac multa luce ſplendeſcentem radium, quem ex ſe diuinus ſol fundit atque iaculatur.* Ita Dyon.

Iſid. l. 12. orig. Dionyſ. Areo.

Conuenit hoc ſymbolum cum prudentiæ definitione. Aquila tantum habet acumen oculorum, vt contra radium ſolis obtutum non flectat: Eſt autem prudentia recta ratio agibilium, cognitio & ſcientia rerum diuinarum & humanarum, itaut omnes veritates ab homine cognoſcibiles poſſint per prudentiam fixo obtutu contemplari. Aquila in ſublime elata videt: præſunt hominis regimini. Aquila deſignat vim ſupera contemplandi, propter aptitudinem intelligendi, quæ tanta eſt in Angelis vt videant concluſiones in principiis & effectus in cauſis; ita aquila ſignificat per habitum prudentiæ quæ deſurſum eſt facillimè poſſe ſanctos & prælatos cognoſcere, vt diximus, etiam futura in ſuis cauſis; & promptiſſimè ſalubriora, & certiora conſilia eligere, cum fuerit præcipuè à Spiritu ſancto dono Conſilij ornata. Ad cibum capiendum Aquila curſu præpeti fertur: Ad veritatis apprehenſionem, quâ tanquam cibo anima vires ſuas reficiat per prudentiam promptiſſimè fertur. Denique ſolem Aquila liberè, directè, ac ſine vlla inflexione contemplatur: De viro prudenti ab omni carnali affectu extricato dicere debemus quod S. Paulus dicit 2. ad Corinth. 3. *Dominus autem ſpiritus eſt: vbi autem ſpiritus Domini, ibi libertas. Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem tanquam à Domini ſpiritu: Sic*, vt ait S. Dionyſ. *multa luce ſplendeſcentem radium, quem ex ſe diuinus ſol fundit & jaculatur,* in nobis ſuſcipimus.

2. ad Cor. 3.

Ex his patet qua ratione per quatuor animalia, non modo ſedes Patriarchales & Prælati eminentiores in auctoritate & ſanctitate ſignificantur, ſed inſuper optime deſignatur quibuſnam virtutibus debeant ornari, vt tanta autoritate digni cenſeantur: dum ſuæ dignitatis non immemores cum multâ curâ, & ſollicitudine, & vigilantiâ, & diligentiâ & labore muneri ſuo obeundo fideliter incumbunt, virtute non vulgari præditi, Deo per charitatem coniuncti, Fortitudine, Temperantiâ, Iuſtitiâ & Prudentiâ, omnium virtutum ſupellectile ditati. Reſtat vt de oculis iſtorum animalium, & de eorumdem alis aliquid dicamus.

Et in circuitu, & intus plena ſunt oculis.

Mentes ſupradictis virtutibus ornatæ, capaces reddantur diuinarum illuſtrationum. §. 6.

Fruſtrà Eccleſia eſſet lumine circumfuſa & ami-

Digitized by Google

cta, frustrà Christus faciem habens relucentem sicut sol lucet in virtute suâ in medio Ecclesiæ videretur ambulans vt eam illustraret, si nullus esset capax & idoneus lumen istud externum & internum videre & percipere. Itaque postquam per prudentiæ virtutem diximus mentes sanctorum percipere ea quæ fieri debent secundum rationem vt finem suum consequantur, per oculos quibus pleni sunt in circuitu & intus hæc animalia, significatur quomodo ipsi idonei sint & diuinas intùs inspirationes & illustrationes suscipere, & exterius etiam docere: vt semper in lumine sapientiæ vt filij lucis ambulare valeant post Christum euntes qui dixit, *Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Ioan. 8.

Sic præteritorum memores sunt, futura præuidենt, præsentia contemplantur, suscipientes benignos diuinæ lucis influxus, siue pro suâ propriâ directione, siue pro aliorum regimine. Duo igitur in his oculis præcipuè intelligimus: Primum vt in eis sit maxima quædam circumspectio, vigilantia, & attentio, in quibuslibet actionibus, occasionibus & negotiis, quæ spectant vel Dei honorem, vel propriam salutem, aut etiam proximorum: tum etiam vt ea quæ necessariò facienda sunt perficiant, quæ euitanda sunt fugiant, quæ ad profectum conducunt non negligant, & insidias, fallacias, & insultus hostium animaduertant. Secundum est vt in sanctis sit quædam conueniens dispositio ad diuinorum luminum susceptionem, per puritatem mentis, & cordis munditiem, Deum semper præ oculis habentes, vt digni habeantur, qui in ipsos semper oculos suos dirigat, *Oculi enim Domini super iustos, & aures eius in preces eorum.* Ita enim S. Dionysius vult oculos in Angelis significare clarissimam suspectionem versus diuina lumina; organumque oculorum tenerum & humidum, nec obsistens sed celeriter mobile significare purum & apertum diuinarum illustrationum passionis expers receptaculum: talis est mens sanctorum: oculi eorum semper erecti ad Dominum iuxta illud: *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. Ecce sicut oculi seruorum in manibus Dominorum suorum, & sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum donec misereatur nostri*, Ps. 122. Et rursus: *Oculi mei semper ad Dominum*, &c. Mens illorum tenera, vt statim obediant & flectantur quocumque Deus voluerit: in auditu auris obediunt: Humida per spiritum compunctionis: non obsistunt, vt dicant: *Deus aperuit mihi aurem: Ego autem non contradico: retrorsum non abij*: Sed celeriter mouentur ad omnia parati dicentes: *Paratum cor meum Deus: paratum cor meum.* Et sic ab omni affectu terrenorum vacui, digni sunt qui fiant perpetuum Dei domicilium in quo illo suas capiat delitias qui dixit: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Ps. 122. Ps. 24. Isa. 50. Ps. 107. Pro. 8.

Et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas.

Cum cognitione rerum diuinarum, pij affectus sunt adiungendi. §. 7.

Pedes Angelis & alæ in pedibus eorum secundum S. Dionysium Angelis tribuuntur. *Significant autem pedes vim mouendi, celeritatem & cursum sempiternum motus, quo ad diuina cientur. Alæ autem in pedibus significant sursum ducere valentem celeritatem, & quod cæleste est, & quod viam ad sublimia faciat, & quod ab omni rerum terrenarum studio & cupiditate abhorret; propterea quod sursum feratur. Leuitas autem in alis significat id quod nulla ex parte est terrenum, sed totum sine admixtione, & grauitate sursum effectus.* Ita S. Dionys.

A Dionys. Tales debent esse pij affectus sanctorum: affectus enim pedes sunt animæ, anima enim mouetur affectibus sicut pedibus, celeres esse debent, quia in viâ mandatorum discurrere debent, nunquam lassari sed semper progredi. In via enim Dei non progredi retrogradi est. Alæ debent esse in his affectibus, quia non in terrâ, non in carne ambulare debent, sed sursùm celeriter ferri, quod diuinum & cæleste est appetere, ad Deum aspirare, ab omni cupiditate terrenorum separari, quia tantum quæ Dei sunt debet anima concupiscere, leues erunt eius affectus, si nihil terrenorum affectuum remaneat, sed toti sint in Dei amore feruentes. S. Bonauentura sex alas assignat Prælatis, opusculo de sex alis Seraphim, tanquam pios quosdam affectus, per quos debito modo suo muneri & officio digne incumbant. S. Bonauent.

B Prima ala est: zelus iustitiæ, siquidem Prælato satis non est quod sit bonus, à malo declinans & quodcumque bonum operans, & interiori deuotione, continui gemitibus ac suspiriis ad hoc adspirans, vt Dei cognitio sibi reddatur perquam familiaris, & vt diuinæ charitatis & amoris Dei effectus in seipso persentiat, reiectâ quacumque sensibili consolatione, proximi bonum reuera desiderans, sed ne illius interior mentis tranquillitas perturbetur, nihil pro aliorum salute anxiè & sollicitè aggrediens. Ista non sufficiunt vt quis dignus sit dignitate Pastorali: Etenim insuper vt ea dignus habeatur C necessarium est vt zelo iustitiæ feratur, itaut nullam admittat temporalem consolationem, nec etiam ob spem propriæ salutis, nisi multos secum adducat & pertrahat ad Dei cognitionem & amorem. Qui hanc alam seu pium affectum habuerit nullum vnquam perpetrabit malum, aut edocebit: Nihil mali aut peccaminosi aliis permittet aut concedet: si quid fiat ipso inscio & absente mali, nec fauebit peccantibus, nec actus eorum approbabit aut dissimulabit correctionem aut emendationem, si tempus aderit, & occasio sese obtulerit illum actum puniendi, sed arguet, sed vindicabit, cum hoc illi possibile fuerit.

D Secunda ala est affectus pieratis & fraternæ compassionis, compatiendo sibi subditis in eorum infirmitatibus corporalibus & spiritualibus; itaut si vel defectu deuotionis vel impulsu tentationis ad scandala & peccata procliues fuerint, vel bonâ præditi voluntate facilè perturbantur & pusillanimes fiant si durè & asperè arguantur; vel tandem adhuc imperfecti plurimis agitantur passionibus, irâ videlicet, acediâ, inuidia, cupiditate aut auaritiâ; erga omnes istos compassiuum animum habeat, Pauli imitator factus, qui de se aiebat: *Facti sumus paruuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foueat filios suos.* Et appositè ad hoc S. Bernard. in Cantic. *Vt quid grauatis iugum vestrum super ceruicem discipulorum, quorum vos potius iugum portare debetis? Ponite enera, producite vbera, pectora lactata quiescunt, & si interdum seueritate opus sit, paterna sit non tyrannica: iuxta illud: porta eos in sinu tuo, sicut portat mulier infantulum suum, & defer in terram pro qua iurasti, &c.*

E Tertia ala est patientia seu constans longanimitas, quæ necessaria est prælato, siue propter multiplicitatem curarum laborum & negotiorum, & diuersarum occupationum, siue vt possit animaduertere quem fructum afferunt aut profectum faciant ij propter quos tot labores sustinet, tot fatigatur sollicitudinibus, siue propter ingratitudinem ipsorum qui vituperiis & exprobrationibus dilacerant quicquid molitur pro illorum bono & emolumento: quâ de causâ sæpissimè anxius est, & quid agere debeat ignorat: modo vtilius sibi esse videtur, si co-

rum curam negligat, modo muneri ſuo decentiùs esse arbitratur, ſi contra eos fortiùs inſurgat, dum eius conſilia euertere conantur, ea in malam partem accipiunt, de eis ſcandalizantur, in faciem ei reſiſtunt. In quibus omnibus patientiâ indiget, modeſtè, maturè, benignè cuilibet eorum reſpondens, nec indiſcreto feruore impatientiam animi in geſtu, aut verbo, aut vultu manifeſtat, aut contra eos amarum animum ſeruans, aut eorum curam negligens, aut de eis vindictam ſumens, aut indignè à ſe rejiciens: ſed alacriter & voluntariè ſuum munus exequitur ac ſi nullus ei obſiſteret.

Quarta ala eſt vitæ exemplaritas: dicat cum Deone, *Quod me facere videritis hoc faciæ.* Communem vitam teneat, omnia omnibus ſe faciat, intret & exeat inter ſibi ſubditos ſicut de Chriſto dicitur, *In omni tempore quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Ieſus:* Id eſt, vt ait S. Bonauent. intrans familiariter cum diſcipulis viuendo, & exiens vtiliter eum turbis prout congruebat conuerſando: humilitatem ſeruet in moribus, omnem arrogantiæ & præſumptionis aut magnæ de ſe ipſo æſtimationis ſpeciem deponens; affabilem ſe reddat omnibus, omnibus acceſſum præbeat facillimum, eoſque patienter audiat: humilitatem etiam exhibeat in vſu rerum temporalium, honeſtam & maturam grauitatem ſeruiet, omnem leuitatem in verbis, jocis & moribus rejiciens: fugiat leues & vanas ac particulares amicitias, præcipuè fœminarum & hominum inſipientium & indiſcretorum; fugiat leuitatem in ſuis determinationibus nec modo hoc velit modo idem nolit, *Omnia*, inquit S. Paulus, *probate, quod bonum eſt tenete*: non ſit tamen in propriâ ſententiâ fixus, vt ſi neceſſitate cogente, aut maiori vtilitate exigente à propoſito reſilire oporteat, ac ſententiam mutare, ipſam mutare renuat; *Nec putetis*, dicebat olim Rex Aſſuerus, *ſi diuerſa inibamus ex animi noſtri venire leuitate, ſed pro qualitate & neceſſitate temporum, vt reipublicæ poſcit vtilitas fero ſententiam.* Eſther.

Quinta ala eſt prudens & circumſpecta diſcretio, vt ſciat quid agere debeat & qua ratione. *Auſer diſcretionem*, inquit S. Bernardus, *virtus vertetur in vitium: abſque diſcretione Zelus præcipitat, compaſſio malo aſſentitur per adulatoriam condeſcendentiam; patientia Prælato vigorem adimit, & quodlibet bonum exemplum redditur inutile.* Hæc autem diſcretio in quatuor præcipuè adhiberi debet. Primum eſt vt diligenter attendat qua ratione regat curæ ſuæ commiſſos, itaut boni & proficere & perſeuerare in bono valeant: attendat, inquam, primò an quæ ſunt præcepti, & ad ſalutem neceſſaria exactè cuſtodiantur. Secundo, vt exercitia altioris perfectionis in pretio habeantur, mentes ſuorum ſubditorum ad patientiam, humilitatem, charitatem, ſobrietatem, paupertatem ſpiritus, deuotionem ſingularem exhortando, & pro viribus promouendo & impellendo. Tertio vt cum majori fidelitate & præcepta Dei, & conſilia Euangelij obſeruentur: doceat Maiorum traditiones & ſtatuta eſſe ſeruandas, qualia ſunt Regularium de ieiuniis, ſilentio, diuinis officiis & aliis huiuſmodi, à quibus neminem eximat niſi iuſtâ de causâ, & neceſſitate compellente, nec nimis in his rigidus nec nimis pariter remiſſus: ne ob nimium rigorem ſubditi à rebus vtilioribus & magis neceſſariis auertantur; aut nimiâ remiſſione diſſolutio tandem morum ſubrepat. Secundo prædictâ diſcretione & circumſpectione vti debet in correctione & emendatione delinquentium, cum clementia & manſuetudine excipiendo eos, qui ſtatim atque delinquerint redeunt ad pœnitentiam: cum tanta diſcretione remedia adhibendo ſatisfactionis, vt qui peccat timeat rurſus incidere in aliud peccatum, ac Deo ac proximo ſatisfaciat; Et tamen quia remedia non ſunt nimis dura aut aſpera non pigeat ipſis voluntariè pœnitentiæ ſeſe ſubiecisse. Deinde ſuſtinendo, diſſimulando, patientiam exercendo, erga delinquentes, qui cum delinquerint culpas ſuas tegunt, fucos & falſos colores prætendunt, eaſque vt bonas defendunt, & intra ſe & conſcientiam ſuam venenum abſcondunt, itaut licet per quædam certa indicia eorum peccata animaduerti poſſint, deeſt tamen teſtimonium euidens, deeſt voluntatia confeſſio, per quam licita fieret aperta & manifeſta delicti punitio & correctio: vt ſic per illam patientiam & diſſimulationem expectetur tempus cognitionis delicti euidentioris, nec Prælatus inducat ſuper ſe opinionem ſe potius eſſe vitiorum diffamatorem quam peccantium correctorem. Expectetur igitur tempus, in quo vel ipſe peccans ſeipſum corrigat, vel Deus eius peccata in occulto perpetrata in palam faciat. Interim occaſiones peccandi Paſtor reſcindat, & generaliter eos moneat exemplo Saluatoris qui Iudæ crimen propalare noluit, ſed tantum in genere dixit *Væ homini illi per quem filius hominis tradetur.* At ſi delinquentes in manifeſto peccant enormi culpâ, nec vlla ſpes adſit correctionis propter contumaciam, obſtinationem, & peruerſam conſuetudinem; vel malo exemplo alios ad peccandum prouocant, & bonis ſcandalo ſunt, reſcindendi ſunt ne alios corrumpant & veneno ſuo inficiant: ſed non cum animi commotione & impetu, ſed cum maturitate ſeu maturâ deliberatione & prudentiâ, & timentium Deum conſilio. Tertiò hac diſcretione vtendum eſt in diſpoſitione conuenienti negotiorum, itaut quædam per alios perficiat, de quibuſdam per ſemetipſum diſponat, quædam negotia potius reſcindat, quam in illis tempus conterat, & operam ſuam collocare dignetur: Chriſtum imitetur, qui Iudam deſtinauit ad ſuſcipiendas & diſtribuendas eleemoſynas; Apoſtolos etiam, qui ſeptem Diaconos elegerunt qui miniſtrarent menſis: ſpiritualia ſibi reſeruent, qualia ſunt Miniſtratio verbi, diſciplinæ Eccleſiaſticæ cura, pacis & concordiæ conſeruatio, conſcientiarum expurgatio: ſatius quippe eſſet vt aliquod detrimentum pateretur in temporalibus, quàm curam rerum ſpiritualium negligere, cum pro ipſis rationem redditurus ſit in die iudicij, & in his præcipuè conſiſtit onus Paſtorale: Illorum peruerſitatem minime ſequatur, qui temporalium curam ſibi reſeruant, & ſpiritalia per alios adminiſtrant, ac ſi non peior eſſet vnius animæ perditio, quam alicuius temporalis boni detrimentum. Denique quoduis negotium ſuperuacaneum, & non neceſſarium abſcindat: ſuperflua enim mentem opprimunt pondere proprio, & eam à cogitatione eorum quæ ſunt muneris ſui auocant. Quarto denique hac circumſpectione opus eſt Prælato circa propriæ ſalutis negotium, ne dum aliis inſeruit ſibi noceat, & dum aliis intendit, ſeipſum negligat. Puritatis conſcientiæ amator ſit, nihil velit, nihil agat, nihil præcipiat, nihil permittat illicitum: & dum conſcientiam mundam cuſtodit rectâ & ſimplici intentione Deo placendi in omnibus, aliam etiam circumſpectionem habeat circa mores & actus externos ac ſermones ſuos, magis ſtudendo aliis prodeſſe quàm ſibi placere: vt medium valeat tenere, ne ſit nimis verboſus, nimis durè loquens vel blandè, nimis rigidus vel remiſſus, nimis ſæpe cum hoſpitibus vel ratò, nimis lautè reficiens vel tenuiter, nimis facta fratrum obſeruans vel diſſimulans, nimis fouens alios vel alios paruipendens; & cum difficillimum

Digitized by Google

limũ sit in omnibus placere, minus tamen deuiat si ad benigniorem partem plus declinat. Itaque prælatus Christi Vicarius ad hæc maximè studeat à subditis diligi, vt sic facilius trahat eos ad amorem Christi. In omni tamen dubio semper magis se inclinet ad illud quod secundum veritatis iudicium virtuti charitatis, humilitatis & professę puritati magis consonat, & Euangelicæ perfectioni. His adde discretionis opus esse vt seipsum iudicet & discernat, ne sit sicut oculus qui omnia circumspiciens seipsum non videt: non plus sapiat prælatus quam oportet sapere, proprio iudicio non nimium innitatur. Inferiorum vitium est carpere superiores, superiorum vitium seipsos aliis sapientiores existimare. Aliorum igitur consilia libenter audiat, humiliter quærat, vt sic tripliciter virtutem humilitatis exerceat suæ sententiæ non inhærens, consilia audiens & humiliter inquirens. A deceptione faciliùs erit alienus, si alij cum eo eadem sentiant: nullus illum libenter culpare poterit, si aliorum sententiam sequutus fuerit: denique Deus humilitatem illius remunerans, per se vel per alium ea suggeret quæ nunquam alias menti illius occurrissent. Consilia tamen adulatorum & detractorum euitare studeat; adulatorum quia à cognitione sui ipsius auertent; detractorum, quia pessima iudicia & temeraria de aliis sæpius suggerent. Cum igitur consilium sumatur vt res meliori viâ perficiatur & absoluatur, v. g. vt ea de quibus dubium est certiùs cognoscantur, vel vt autoritatem conciliemus actibus nostris, vt maiorem vigorem obtineant in executione, vel ob bonum pacis vt omnis murmurationis causa amputetur; si de primo loquimur, prudentiores sunt adhibendi; si de secundo, ij qui potiori qualitate gaudent; si de tertio, ij ad quos negotium spectat.

Sexta ala est vt prælatus deuotione erga Deum sit insignis: nam per deuotionem zelus iustitiæ accenditur, fraterna compassio cordibus infunditur, patientia roborâtur, bonum exemplum formatur, discretio illustratur. Deuotio mentem illuminat, boni amorem inflammat, vim ad illud exequendum subministrat, odium ingerit peccatorum, actiones nostras ordinat ad virtutem, mores componit & sermones dirigit. Deuotione gustamus ea quæ fides credenda proponit, spem nostram deuotio fiduciâ complet, charitatem accendit, Deo familiares reddit, orationes nostras impinguat, pietate & piis & sanctis affectibus animam replet, cor nostrum humiliat, constantiam parit ad omnia aduersa fortiter toleranda, gratas & acceptas Deo reddit nostras actiones, mentem eleuat ad superna, mundi contemptum suggerit, peccata delet, merita auget, proximum ædificat, dæmones fugat, Angelos attrahit & sanctos vt nos comitentur. Hæc deuotio communis sit in diuinorum officiorum celebratione, specialis in orationibus particularibus, continua & perseuerans in omnibus quæ à prælato perficienda sunt, vt sic totis viribus Deo placere in omnibus studeat. Quod si actione aut verbo huic desiderio contrarium aliquid egerit, de hoc seriò pœniteat. Istæ igitur sunt alæ seu affectus, quibus si prælatus in altum feratur, proculdubiò rite suo munere fungetur, & Angelos imitabitur, terram deserens, cælum petens, & veloci volatu ad Deum tendens.

Pro particulari autem sanctificatione, sex alæ aliæ assignantur ab autore tractatus de sex alis Cherubin inter opera S Bonauenturæ, quem Trithemius Alano ascribit. Prima est Confessio seu manifestatio in forma accusationis culpæ, quæ veritate, integritate animi, constantia comitari debeat, vt pudorem noxium, timorem sacerdotis, contemptum, desperationem, præsumptionem, peruersitatem, A ignorantiam, obliuionem, negligentiam auferat; itaut nunquam ad hanc redigamur angustiam vt non possimus huic obligationi satisfacere, sed statim atque ingruet morbus, ad medicum facilis sit nobis recursus.

Secunda ala est satisfactio, omnes iniunctas pœnitentias fideliter adimplendo, quibus peccata seuerè plectuntur aut corriguntur & coërcentur, vt pro mensura delicti sit plagarum modus, & hac ratione omnia peccata abdicamus, lachrymis, carnis maceratione, eleemosynis, infatigabili oratione.

Tertia ala est mundicitas cordis, quam comitatur oculus pudicus, auris verecunda nihil turpe audire valens, vultus modestus, odoratus à suauibus odoribus abstractus, gustus temperantia, sanctimonia tactus. B

Quarta ala est puritas animi, per synceram affectionem ea tantum desiderando quæ concupiscere licitum est, & eo modo quo desiderari debent, per delectationem animi in Deo solo, per munditiem cogitationum: quæ optima ratione disponuntur per voluntatis sanctificationem & simplicem & purissimam intentionem.

Quinta ala est dilectio proximi, nemini nocere volens nec verbo, nec opere: omnibus prodesse desiderans & verbo & opere, omnia impendere vt proximos iuuemus, vnde nunquam tristemur si pro bono proximorum aliquod detrimentum in bonis C nostris temporalibus subeamus; ex corde syncero lætari & congaudere si per nos aliquod emolumentum & subleuamen susceperint, animam pro proximo ponere, & tandem in his charitatis exercitiis perseuerare vsque in vitæ finem.

Sexta ala est dilectio Dei, nihil præter ipsum desiderans, bona sua propter Deum distribuens, omnia si opus fuerit pro eius amore libenter relinquẽs, seipsum abnegans pro eius dilectione, constanter in tali proposito & exercitio perseuerans. Hæ sunt alæ quibus si & prælati & sancti quilibet in altum ferantur, certè cum sanctis Angelis vnanimiter decantare poterunt; *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus* D *est.* Vel si volueris sex illæ alæ ad nostram sanctificationem pertinentes hæ erunt, quas S. Bernardinus Senensis serm. 3. de stigmatibus S. Francisci c. 5. sancto Francisco assignat. *Sex alæ*, inquit, *mysticum habent in sancto Francisco significatum. Vnde duæ primæ respectu Dei sunt affectus charitatis, & haustus Charitatis: duæ respectu proximi sunt vis illuminatiua, & vis inflammatiua; duæ respectus sui sunt innocentia & iustitia seu custodia & diligentia: quæ omnia fuerunt in beato Francisco.* Ita S. Bernard. qui etiam commentario suo in hunc locum Apocalypsis de his alis agens, siue prout pertinere possunt ad eos qui aliorum saluti procurandæ incumbunt, vel ad eos qui propriæ consulunt saluti, ait: *Et sequitur ornatus animalium, & quatuor animalia singula eorum habebant alas senas: quasi* E *dicat, quod sint bene instructi ad exercendum officium prædicationis. Prima ala est lex naturalis: secunda lex Moysis: tertia doctrina Prophetarum: quarta Euangelica: quinta doctrina Apostolorum: sexta expositio scripturarum. Vel sex alæ sunt opera misericordiæ: Vnde Bernardus: Consule, castiga, solare, mitte (i. dimitte) fer, ora. Vel sex alæ sunt deuota pratio pro obtinendis, gratiarum actio pro receptis, remissio iniuriarum, largitio eleemosynarum, actio perfecta, intentio recta.* Ita S. Bernard.

IN CAPVT V.

SVMMA HVIVS CAPITIS.

MIRA Christus Dominus meditatur operari in Ecclesiâ, quæ in eius intellectu tanquam in libro scripta includuntur. Hæc de morte, Diabolo & Mundo tanquam Leo fortissimus potenter triumphaturus adimplet. Cuius quidem rei signum mirincum in Sacramento Eucharistiæ nobis reliquit, vt qui hoc fidei mysterium vt par est crediderit, facile ad horum mirabilium contemplationem & cognitionem adducatur, eamque adipiscatur illuminationem quæ illi necessaria est vt ad suam perfectionem & cum Deo vnionem fœliciter perueniat. Hinc multa nobis consideranda veniunt: Quinam sit liber scriptus intus & foris? Quâ ratione ea quæ in eo scripta sunt intelligi queant? Quinam sit Angelus fortis? Quinam sit vnus è senioribus? Quare Leoni Vincenti apertio libri assignatur? De Agno mirabiliter librum aperiente; De Cantico Angelorum & aliarum Creaturarum ob beneficium Incarnationis.

IN CAP. V. ANNOTATIO I.

Idea Symboli. § 1.

DVOBVS modis hæc idea libri potest effor- C mari. Primus est si librum quasi pellem aut membranam aliquam dicas, quæ in interiori & exteriori parte scripta esset conuoluta & septem obsignata sigillis, itaut antequam sigilla soluerentur aut frangerentur, liber nec reuolui nec aperiri posset: sicque prius narretur factum quod posterius contingit, cum sanctus Ioannes vidisse se dicit in manu dextrâ sedentis supra Thronum vel ad latus eius dextrum, librum scriptum intus & foris: videlicet per quandam anticipationem dicens librum visum esse scriptum intus & foris, quia statim atque fuerunt hæc sigilla fracta seu reserata & soluta, & membrana reuoluta & aperta, talis esse hic liber apparuit.

Prima sententia de libri idea.

Alium modum nobis proponit Pineda, lib. 5. de rebus Salomonis c. 13. cum agit de antiquis scribis quorum magna erat peritia scribendi, qualis erat Esdræ de quo dicitur 1. Esd. c. 7. *Scriba velox in lege Moysi*, ob scribendi facultatem; siue quia qua ratione apices, lineolas seu virgulas quasdam ad dignoscendas litteras appingi & addi; vel qua ratione vti oportebat illis 4. litteris, quas Grammatici Hebræi appellant Eheui, vel etiam punctis postea adinuentis, optimè callebant; siue quia per litteras, nomina & dictiones, vt per Aleph doctrinam, per Beth domum, vel per nomina sententiam integram, sicuti maledictionem pessimam Dauid Hebræi appellant Nimrezeth, vel per dictiones quasdam tali ordine dispositas, vt aliquam intelligentiam & sensum arcanum contineant, vt *Mane, Thecel, Phares*, quarum dictionum sensus erat Chaldæis magis ignotus; vel tandem per inusitatas & insolentes notas seu per extraordinarios characteres reconditæ significationis possent quæcumque velint exarare & exprimere. Hoc modo vltimo [illegible] Pineda librum dici sigillatum, nempe quia erat quibusdam notis & characteribus inusitatis & reconditæ significationis depictus & exaratus: Itaut cum dicitur liber signatus sigillis septem, idem sit ac si diceret septem characteribus, quorum significatio omnino esset ignota cuilibet intellectui creato. Fingamus igitur illam membranam talibus notis exaratam, non ita esse conuolutam & replicatam vt eius pars interior non potuit videri & interius & exterius scriptam. Si enim chartam in orbem vnum tantum replices, non condensatis & B replicatis conuolutionibus, apparet sufficienter, an scripta sit in interiori & exteriori parte: licèt commodè non possit legi nisi explicatiùs extendatur seu aperiatur. Fauet huic interpretationi Origenes hom. 13. in Numeros, hunc locum Isaiæ 29. ponderans: *Ec erunt*, inquit, *verba libri huius sicut verba libri signati, &c. Signatus autem*, inquit, *dicitur liber pro eo quod figuris perplexus est, & enigmatibus involutus.* Hæc Origenes. *Figuras & enigmata appellat characteres & notas reconditæ significationis*, inquit Pineda. Sic S. Hieron. in elementis linguæ Hebraicæ & in connexione & ordine eorum, sensus quosdam expiscatur, Verbi gratia, Aleph, Beth, Gimel, Daleth: *Prima*, inquit, *connexio est, doctrina, domus, plenitudo tabularum: quod videlicet doctrina Ecclesiæ, quæ domus Dei est, in librorum reperiatur plenitudine diuinorum*: Epist. ad Paulum Vrbicam seu 155.

Origenes. Is. 29.

S. Hieron.

Quin notandum esse arbitror, quod non mediocriter illustrabit quæ dicenda sunt, quod docet Viues in 3. cap. l. 18. de Ciuitate Dei. *Quod si quis inquirat quibus ergo illa sapientia Ægyptiorum continebatur litteris, qua Mosem institutum esse legimus: inueniet forsan voce tantum eam solitam tradi percipique, & docentium discentiumque memoriâ asseruari: litterarum si quæ tunc erant formas imagines fuisse animalium quæ ἱερόγλυφα γράμματα hoc est litteras in sacris sculptas nominabant.* Hæc Ludouic. Viuez: Hac siquidem scribendi ratione vsos fuisse Ægyptios Pierius abundè demonstrat in suis Hieroglyphicis seu Ægyptiorum sacris, v. g. vt pauca de tam multis ac variis ad huius rei probationem afferam, cum lib. 1. per Leonem magnanimitatem animi corporisque vires significari ait; per Leonis caput custodiam, & vigilantiam; in oculorum illius vi ac malestate quadam, terrorem; Per eundem Catulos discerpentem furorem indomitum; & ita de similibus vt de Elephante, Rhinocerote, Equo, libris sequentibus. De hac scribendi ratione apud Ægyptios fusè disserit Clem. Alexand. lib. 5. Stromat. *Ergo quod attinet ad occultationem, sunt Hebraïcis similia Ægyptiorum ænigmata. Ex Ægyptiis alij quidem in nauigio, alij vero in Crocodilo solem ostendunt. Significant autem quod sol per aërem dulcem & humidum ingrediens gignit tempus quod ænigmaticè significat Crocodilus, per quandam aliam sacerdotalem historiam, &c.* Et post pauca: *His accedit quod roboris quidem & fortitudinis signum est eis Leo: sicut certè & ipsius terræ & agriculturæ & alimenti est bos, magnique animi, virtutis & libertatis equus, Roboris autem cum ingenij solertia Sphinx, quæ totum quidem corpus habet Leonis faciem autem hominis. His quoque similiter ingenij solertiam & mentem & vires potentiamque & artem homo significat: ab eis in sacris insculpitur. Imo vero in vti quoque quæ ab ipsis*

Viues in l. 18. de Ciui. c. 39.

Pierius

Clem. Alex.

Secunda quæque Pinedæ.

1. Esd. c. 7.

D

Vocantur deorum Ægyptiorum aureas imagines, duos quidem Canes, Vnum autem accipitrem & ibin Vnam circunferunt, & quatuor imaginum ſimulacra vocant quatuor litteras, atque duo quidem canes ſunt ſymbola duorum Hemiſpheriorum, Vt quæ circumeant & cuſtodiant; Accipiter vero ſolis. Eſt enim igneus & qui vim habet interimendi. Peſtilentes itaque morbos ſolii attribuunt. Hæc Clemens. Obſerua quæſo quatuor imaginum ſimulacra vocari quatuor litteras, vt non mireris ſi in apertione libri huius & in ſolutione ſigillorum appareant pro litteris equi albi, rufi, nigri, aut pallidi. Symbolis eorum quæ Deus S. Ioanni reuelabat ea ſcribendi ratione per ænigmata & ſymbola, vſum fuiſſe arbitror Ezechielem cum in latere fragiliſſimo deſcripſit obſidionem vrbis Hieruſalem ſub Sedechia Rege futuram, cuius anno vndecimo & Rex & ciuitas capta eſt. *Et tu fili hominis*, inquit illa vox ipſum alloquens cap. 3. *ſume tibi laterem & pones eum coram te, & deſcribes in eo Ciuitatem Hieruſalem, & ordinabis aduerſus eam obſidionem & ædificabis munitiones. Quibus*, inquit S. Hieron. *vrbs clauditur, nequis obſeſſorum poſſit effugere. Comportabis aggeres quibus vallum foſſaque compleatur: & dabis contra eam caſtra militum, ſcilicet cuſtodiam per circuitum & pones Arietes in gyro, quibus murorum fundamenta quatiuntur & lapidum junctura diſſoluitur.* Ita Hieron. Nonne hæc deſcriptio in laterculo fuit quædã prophetia hieroglyphicè ſcripta ciuſmodi obſidionis? Probabile eſt igitur tali modo librum iſtum ſic ſigillatum fuiſſe ſcriptum, nempe figuris & ænigmatibus inuolutum, quæ nemo interpretari poſſet niſi antea Agnus vt videbitur ea reuoluiſſet & aperuiſſet. Quidquid ſit.

Ezech.

S. Hieron.

Viſo hoc libro ſignato & ſigillato, vel talibus notis incognitis adhuc humanæ & Angelicæ menti exarato, vt porè à Chriſto vſurpatis vt ſuam mentem & conſilia ſua cuilibet Creaturæ adhuc occulta ſignificaret, vnde eas nemo alius explicare valebat: Ecce apparet S. Ioanni Angelus quidam fortis, qui magna voce prædicabat: *Quis eſt dignus aperire librum & ſoluere ſignacula eius?* Id eſt, vt littera ſonat, membranam inuolutam & obſignatam prius referare ſoluendo ſignacula, deinde explicare librum videlicet aperiendo: vel ſi alium modum admittas, aperire librum erit notas ſeu characteres qui in eo ſcripti ſunt intuendos proponere; ſoluere ſignacula, quod illis notis ſignificaretur ediſcere, & per alia ſymbola intuenda proponere. Ad hanc vocem nemo reperitur qui audeat non dico aperire ſed nec reſpicere librum: quâ de causâ Ioannes in fletus reſoluitur, quoniam *Nemo dignus inuentus eſt aperire librum nec videre eum.* Nemo enim naturali indagine abſque reuelatione, ad horum cognitionem quæ liber continet peruenit. Adeſt tamen qui ei conſolationem impertiatur. Primus namque è ſenioribus eum alloquitur & illi dicit: *Ne fleueris ecce vicit Leo de tribu Iuda radix Dauid aperire librum & ſoluere ſeptem ſignacula eius.*

Quod verum eſſe mox apparuit: etenim in medio Throni & quatuor animalium videt Ioannes Agnum in pedes erectum, qui ac ſi eſſet mortuus ſigna & indicia occiſionis & vulnerum ſeruans immobilis ſtabat. De numero erat arietum robuſtorum. Nam ſi natura in Goſlandia inſula aliquos producit arietes ſiue veteres cæteris robuſtiores & proceriores, quibus quaterna vel octena cornua creſcunt, ille myſticus in modum coronæ 7. gerebat cornua, ita diſpoſita vt duobus oculis duobus cornibus reſpondentibus, quinque alios oculos haberet ſub aliis quinque cornibus in inferiori parte collocatos: itaut ſeptem cornua & ſeptem oculos haberet. Acceſſit ad Thronum & ſolio ſedentis appropinquauit, & accepit de dextera ſedentis in Throno librum, pede quaſi manu vtens. Et cum ea quæ erant in libro ſubſigillis reſerata conſpicienda expoſuiſſet, & illorum ſignorum intellectum & interpretationem congruam dediſſet, *Quatuor animalia & viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram Agno, habentes ſinguli Cithoras & Phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum, & cantabant canticum nouum dicentes.* Noua quippe viderant, noua intellexerant mirabilia in apertione libri: vnde ne tantorum beneficiorum erga Deum & Agnum ingrati remanerent ad cantandum incitabantur. Dicebant autem: *Dignus es Domine accipere librum & aperire ſignacula eius.* Dignus es qui tanta ac tam magnifica opera manifeſtare poſſis, & qui ea ſigna quibus inuoluebantur & cooperiebantur tanta myſteria euoluas & explices: *Quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, ex omni tribu & lingua & populo & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram.* Hæc dicebant animalia & ſeniores: quibus concinebant etiam Angeli. Videt enim & audit Ioannes vocem Angelorum multorum qui caſtrametantur in circuitu Throni, & animalium & ſeniorum, quaſi eorum cuſtodes fideliſſimi ac potentiſſimi. Numerus autem eorum erat *millia millium dicentium voce magna. Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt accipere virtutem & diuinitatem & fortitudinem & honorem & gloriam & benedictionem. Et omnem Creaturam quæ in cælo eſt & ſuper terram & ſub terrâ & quæ ſunt in mari & quæ in eo, omnes* audit Ioannes *dicentes: Sedenti in Throno & Agno benedictio & honor & gloria & poteſtas in ſæcula ſæculorum.* Quod cum audirent animalia dicebant: Amen. *Et viginti quatuor ſeniores ceciderunt in facies ſuas & adorauerunt viuentem in ſæcula ſæculorum.* Hæc idea ſymboli. Ad elucidationem properemus.

A

B

C

D

E

Quinam ſit liber Scriptus intus & foris.

ANNOTAT. II. §. 1.

Punctum 1.

TRES à Deo hominibus leges datas fuiſſe perſpicuum eſt: naturalem, Moſaicam, Chriſtianam, quâ ſemel conceſsâ, vt alibi docuimus, nulla in poſterum alia expectanda eſt. De huius legis Euangelicæ ſeu Chriſtianæ ſtatu Prophetare S. Ioannem nemo dubitare debet, vt iam ex Primaſio, Richardo à Sancto Victore & Dionyſ. Carthuſ. diximus.

Igitur poſt quam de Sanctitate, auctoritate, perfectione illius ſtatus in deſcriptione Throni & ſedentium in Throno diſſeruimus ſuprà, quartum caput huius Prophetiæ exponentes, ſequitur vt de illius illuminatione ſeu modo & ratione qua illuminari debeat Eccleſia Chriſtiana ſub lege Euangelica militans diſſeramus. Hoc facili negotio præſtabimus: Vnum hoc tanquam veriſſimum ſtatuentes, illuminationem Eccleſiæ omnimodam in vna potiſſimum Chriſti cognitione ac prædicatione conſiſtere. Licet enim cognitio totius ſanctiſſimæ Trinitatis ad ſalutem neceſſaria omnino ſit, tamen cum nemo veniat ad Patrem niſi per Chriſtum, Chriſtus ob oculos mentis obiicitur in lege Chriſtiana, vt ad eum peruenire valeamus. Hinc ſe viam & lucem profitetur, hinc dux & præceptor gentium dicitur, hinc ad eum omnia quæ dicuntur referenda ſunt, inquit S. Hieron. in Iſa. 55. Itaut optimè S. Auguſtin. tract. 9. in Ioannem dixerit. *Lege libros omnes prophetticos non intellecto Chriſto, quid tam inſipidum & ſauum inuenies? intellige ibi Chriſtum.*

S. Hieron.

S. Auguſt.

Digitized by Google

non ſolùm ſapit quod legis, ſed etiam inebriat: mutans mentem à corpore, vt præterita obliuiſcens in ea quæ ante ſunt extendaris. Hæc Auguſt. *Iſte teſtis eſt omnium quæ Pater mundo ſpopondit ac præſtitit, crucis myſterium breui Paulus ad Epheſios ſermone comprehendens, Deus*, inquit, *Domini noſtri Ieſu Chriſti pater Gloriæ.* Ita Hier. *Quando enim*, vt idem docet ibidem in Ezechielem, *loquitur de eo vt qui in principio apud Deum erat Deus Verbum, appellatur Pater gloriæ. Vidimus enim gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre plenum gratia & Veritatis. Quando autem de eo qui dicit in Euangelio: Quid me perſequimini hominem qui Veritatem vobis loquor? vocatur Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti. Vnus ſiquidem atque idem filius Dei nunc diuinitatis ſuæ gloriæ, nunc noſtræ naturæ quam ſuſcipere & ſeruare dignatus eſt loquitur affectibus. Et ſic cum in Dei cognitione & eius quem miſit Ieſu Chriſti cognitione vita æterna conſiſtat, Chriſto probè cognito perfectè illuminamur. Ad cuius luminis ſuſceptionem Hieruſalem excitat Iſa. 60. Surge illuminare Hieruſalem: quia venit lumen tuum; vt quæ cecidiſti in incredulis ſurgat in fidelibus; quæ cecidit in Synagogis ſurgat in Eccleſiis: & poſt quam ſurrexit illumineur, vt nequaquam habeat erroris tenebras. Venit enim*, inquit, *lumen tuum: quod tibi omnes Prophetæ pollicebantur, quod iugiter expectabas, &c.* Hæc ille: Qui ponderans quæ addit in hoc loco Iſaias poſtea ait: *Nos omnes ambulauimus in Apoſtolorum luce, quæ lucet in mundo: & tenebræ eam non comprehenderunt. Et Reges*, inquit, *in ſplendore ortus tui: quando primum in Chriſto nata es. Quod & ſpiritualiter impletur, & carnaliter: vt Reges quorum cor in manu Dei eſt, & quibus non regnat peccatum in mortali corpore, ambulent in ſplendore naſcentis Eccleſiæ, ſiue in eo qui ortus eſt in Eccleſiâ; & veri Regis Chriſti fidei colla ſubmittant. Quod quotidiè videmus expleri, quando idololatriæ errore ſublato, & perſecutionis rabie, ad fidem ac tranquillitatem Chriſti Romani Principes tranſeunt, &c.* Sed quid in hac re immoramur? Si Pauli doctrinam ſpectes qui de ſola Chriſti cognitione gloriatur, qui hunc ſe prædicare profitetur, qui inueſtigabiles Chriſti diuitias annunciare ſe proclamat, hoc tanquam verum & veriſſimum habebimus, Euangelicæ prædicationis ſummam in hoc vno conſiſtere vt Chriſtus agnoſcatur, & cognitus audiatur. Vtrumque colligimus ex hoc vno loco Math. 17. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui:* Ecce illius cognitio, *ipſum audite:* Ecce quomodo eum audire oporteat. *Finis quippe legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti.* Rom. 10. Et paulo poſt: *Quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris quod Deus illum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris, &c.* Et ne plura hic ſimilia congeram, audiamus quod docet Apoſtolus Epheſ. 3. *In quo habemus fiduciam & acceſſum in confidentia per fidem eius. Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ eſt gloria veſtra. Huius rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terrâ nominatur, vt det vobis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ virtute corroborari per ſpiritum eius in interiorem hominem, Chriſtum habitare per fidem in cordibus veſtris, in charitate radicati & fundati: vt poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis quæ ſit latitudo & longitudo & ſublimitas & profundum, ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti: vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Hic ille eſt quem præfert Angelis S. Paulus epiſt. ad Hebræos, in auctoritate & dignitate, Moyſi in famulatu & Apoſtolatu, Aaroni in ſacerdotio; cuius fides nobis eſt profitenda, cuius lex à nobis ſedulò ſeruanda; quem Apoſtolum, Pontificem & Saluatorem confiteri debemus; & iam præcipua difficultas Iudæorum eſſet quod à Moſe auelli poſſint: vnde dicebant

Hieronym.

Iſa. 60.
S. Hieron.

S. Paulus.

Matth. 17.

Rom. 10.

Epheſ. 3.

Hebr.

A cœco recenter illuminato, Ioan. 6. *Tu diſcipulus illius ſis: Nos autem Moſis diſcipuli ſumus.* Illum tantò amplioris gloriæ dignum præ Moyſe oſtendit Apoſtolus, *quantò ampliorem honorem habet domo qui fabricauit illam.* Hebræ. 3. Chriſtus enim eſt fabricator Eccleſiæ Dei, vnde vt Creator & Deus, & Angelis & Moyſi & Aaroni præferendus.

Qua ratione fundauerit Eccleſiam iam perſpeximus in cap. præcedente. Nunc quomodo eam illuminare vult perſpiciamus in hoc cap. 5. Liber eſt ſcriptus intus & foris: Leo eſt vincens: Agnus eſt tanquam occiſus. Vt liber, doctrinâ ſuâ illuminat, vt Leo operibus ſuis lumen præſtat, vt Agnus ad doctrinam admittendam & opera credenda nos potenter adiuuat. Sub variis proinde formis hic deſcribitur, & varios modos nos illuminandi deſignat, vt ex hac nobiſcum agendi tam benigna ratione, quantùm nos diligit faciliùs intelligamus. De qua quidem agendi ratione præclarè S. Chryſologus ſerm. 23. differens ait: *Tibi ergo Rex, tibi Sacerdos, tibi Paſtor, tibi Sacrificium, tibi Ouis, tibi Agnus, tibi totum factus eſt qui fecerat totum. Et qui ſibi nunquam, tibi toties immutatur: propter te varias monſtratur in formas, qui manet vnitâ ſuæ Maieſtatis in formâ. Et quid plura? Dat ſe tibi Deus, homo, vt ferre, potes, quia vt eſt tu non potes ſuſtinere.* Hæc Chryſologus. Ita dico: Tibi liber, tibi Leo, tibi Agnus, propter te has mutatur in formas, vt quâ potes ratione diuino lumine colluſtreris. *Nunc*, inquit ipſe Serm. 170. *Vt Aquila protegit pennis Sapientiæ, & cœleſtem prouocat ad volatum, dicente Moyſe: Sicut Aquila protegit nidum ſuum, & ſuper pullos ſuos confidit, extendens alas ſuas accepit eos & ſuſcepit eos ſuper ſcapulas ſuas. Dominus ſolus ducebat eos, & non erat cum eis Deus alienus. Nunc ſicut Gallina edùcit, ducit, vocat, recipit, protegit, portat, fouet, amplectitur, ambit: & ſui volatus oblita, ſuæ temporaliter immemor libertatis, tuis in penetralibus, tuo verſatur in puluere, vt te vernaculis familiaribus domeſticis alat, erudiat, inſtituat nutrimentis. Nunc vt Paſtor bonus altiſſimis errantem ſolus requiris in montibus, ſolus inuenit, ſolus ſuis humeris imponit: & ne amplius in terrena paſcua luporum morſibus peruadaris, cœleſtes cuebis & perducit ad caulas. Sic ſicut diximus, habitus ſuſcipit, formas variat, & vt te mutet in meliùs ipſe ſua toties mutat & commutat officia: & quia circuierat vt diriperet atque deuoraret inimicus, nunc neceſſariò circuit vt te vindices & eripiat Chriſtus.* Hæc Chryſolog. Sic dico: & liber, & leo, & Agnus dicitur, vt diuerſos modos quibus nos illuminat meliùs exprimat: quo colluſtrati lumine tanquam genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, virtutes annunciemus eius qui de tenebris nos vocauit in admirabile lumen ſuum: vt Hebr. 1. Pet. 2. Igitur liber hic eſt Chriſtus illuminans Eccleſiam, vt ſummus eius Hierarcha, Pontifex & Legiſlator. *Leges quidem Solonis*, dicebat Clemens Alexand. admonitione ad gentes circa finem, *ſequatur Athenienſis, & Argiuus leget Pharonei, & Spartanus Lycurgi. Si autem teipſum Deo aſcribis, cœlum quidem tibi eſt Patria, Deus autem Legiſlator.* Verbum inquam diuinum, vt poſt pauca proſequitur, *qui reuera eſt Deus manifeſtiſſimus, qui eſt vniuerſorum Dominus exequatur, quoniam erat eius Filius & Verbum erat in Deo, neque quando eſt primum præditatus non creditus, neque quando ſuſcepit perſonam hominis, nec quando carne formatus egit ſaluatorem actum humanitatis. Fuit enim verus ac germanus decertator & ſuæ creaturæ propugnator. Celerrimè autem omnibus hominibus traditus, cum ſole celeriùs ortus eſſet, ex ipſa paterna voluntate facillimè fecit vt Deus nobis illuceſceret, vndenam ipſe eſſet & quis eſſet per ea quæ docuit & demonſtratis oſtendens: fœderis inito &*

Qua ratione Chriſtus illuminet Eccleſiam.

Petr. Chryſol.

Petr. Chryſol.

Clem. Alex.

reconciliator & seruator noster Verbum, fons viuificus, pacificus, qui per vniuersam terræ faciem diffunditur: per quem vt semel dicam, effecta sunt omnia, pelagus benorum. Et paulò post: *O mysticum miraculum! inclinatus quidem est Dominus, homo autem surrexit, & qui cecidit ex Paradiso maius obedientiæ præmium cœlos accipit: quemobrem vt mihi videtur quoniam ipsum Verbum ad nos venit cœlitus, non est nobis amplius eundum ad humanam doctrinam, Athenas & cæteram Græciam, quin etiam iouiam ad inquirendum curiosè. Si est enim nobis ille Magister qui implenit omnia sanctis potestatibus, opificio, salute, beneficio, prophetiâ, Legislatione, doctrinâ, omnia nunc Magister instruit, & vniuersum iam Athenæ & Græcia factum est Verbo.* Hæc Clemens. Qui postea hac exhortatione seria vtitur ne tantum beneficium paruipendamus. *Suscipe*, inquit Clemens, *Christum, suscipe visum, suscipe lucem, vt rectè simul agnoscas hominemque deumque. Dulce est Verbum quod nos illuminabit super aurum & lapidem pretiosum, desiderabile supermel & fauum est: quomodo enim non est desiderabile quod mentem in tenebris defossam operantem effecerit & efficacem, & animæ luciferos acuerit oculos? Quemadmodum enim si sol non esset, quod ad alia quidem astra attinet nox essent omnia: Ita nisi Verbum cognouissemus & eo illuminati essemus, nihil differremus ab asinis quæ pascuntur, vt qui pinguefiamus in tenebris & morte nutriamur. Capiamus lucem, vt Deum capiamus. Capiamus lucem vt simus Domini Discipuli. Hoc certè Patri quoque est pollicitus: Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.* Hæc Clem. Alexand. Quomodo autem, seu quâ ratione Christus illuminans Ecclesiam, & liber & Leo & Agnus dicatur, nunc nobis est expendendem.

Doctrina de scientia Christi, ad huius loci faciliorem explanationem. Punct. 2.

Vt meliori modo concipiamus quanam ratione Christus Dominus liber dicatur, quædam nobis à Theologis Scholasticis emendicanda sunt, vbi disputant de scientiâ Christi. Dicimus primò ipsum habuisse scientiam creatam primo propter animæ perfectionem, vt actu haberet quod possibile est eum habere. 2. Quia quælibet res est propter suam operationem, scientia autem actiua seu intellectio propria est animæ intellectiuæ operatio: ne denique illi deesset aliquid naturalium, naturale est autem animæ humanæ vt aliquam habeat scientiam.

Dicimus 2. plures in eo fuisse scientias, nempe scientiam Beatorum. Cum enim homines ad finem beatitudinis per Christi humanitatem reducantur, oportuit quod cognitio beata in Dei visione consistens, excellentissimè Christo homini conueniret: quia semper causam oportet esse potiorem causato. Scientiam insuper inditam & infusam: *In eo enim sunt omnes thesauri Sapientiæ & Scientiæ abscondit.* Col. 2. Sicut enim per Verbum Dei olim impressæ sunt species intelligibiles menti Angelicæ in principio Creationis rerum, ita per Verbum Dei animæ Christi sibi personaliter vnitæ, impressæ sunt species intelligibiles. Denique scientiam etiam acquisitam: *Didicit enim ex his quæ passus est obedientiam.* Hæbr. 5. Nam talis scientia ponenda est in Christo secundum lumen intellectus agentis, quod est animæ humanæ connaturale: itaut per actionem intellectus agentis fuerint in Christo aliquæ species intelligibiles in intellectu possibili eius receptæ, secundum modum humanum, non solum ex parte recipientis sed etiam ex parte causæ agentis. Hanc autem habuit non per disciplinam sed per inuentionem. Ille enim est optimus, qui omnia per seipsum intelligit & dabatur à Deo omnibus in Doctorem, secundum illud Ioel. 2. *Lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem iustitiæ*; & per respectum ad inferiora, id est ad phantasmata quæ sunt nata mouere mentem humanam, per virtutem intellectus agentis vt sic perficeretur qui iam perfectionem habebat, per respectum ad superiora nempe per scientiam inditam cum secundum conformationem ad phantasmata, scientiam haberet acquisitam. Ad quæ autem obiecta se extendant illæ scientiæ,

Dicimus 3. Anima Christi vt pote creata diuinam essentiam per scientiam beatam non comprehendit: habet tamen omnium cognitionem in Verbo. Vnusquisque enim intellectus creatus in Verbo cognoscit non quidem omnia simpliciter, sed tantò plura quantò perfectius videt Verbum. Nulli tamen intellectui beato deest, quin cognoscat in Verbo quæ ad ipsum spectant. Ad Christum autem & ad eius dignitatem spectant quodammodo omnia, in quantum sunt ei subiecta. Ipse etenim est omnium Iudex constitutus à Deo vt dicitur Ioa. 5. & ideò anima Christi in Verbo cognoscit omnia existentia, secundum omnem modum & tempus, & etiam hominum cogitatus: & etiam comprehendit in Verbo omnis creaturæ essentiam, potentiam & virtutem, & omnia quæ sunt in potentia creaturæ non autem comprehendit omnia quæ sunt in sola Dei potentia: esset enim comprehendere diuinam virtutem & essentiam, quod creaturæ impossibile est omnimodè. Quia tamen anima Christi propinquius coniungitur Verbo Dei, & est vnita Verbo in persona, ideo pleniùs recipit influentiam luminis in quo Deus videtur ab ipso Verbo, quàm quæcumque alia creatura: & ideo præ cæteris creaturis perfectiùs videt ipsam primam veritatem quæ est Dei essentia, scitque infinita in quantum nouit omnia quæ sunt in potentia creaturæ quasi scientiâ simplicis intelligentiæ, non autem scientiâ visionis, quia non sunt infinita in actu.

Dicimus 4. per scientiam infusam habuisse Christum cognitionem omnium diuinorum, omnium immaterialium, omnium conclusionum, omnium agibilium, omnium denique quæ cognosci possunt secundum duplicem potentiam passiuam quæ in anima est sicut in qualibet alia creatura: vna per comparationem ad agens naturale, alia per comparationem ad agens primum; quod potest quamlibet creaturam in actum reducere aliquem altiorem actu in quem reducitur per agens naturale: & hæc consuetum vocari potentia obedientiæ in creatura. Nam vtrimque potentia animæ Christi fuit in actum reducta secundam hanc scientiam diuinitùs inditam, & ideo secundum eam anima Christi primò quidem cognouit quæcumque ab homine cognosci possunt, per virtutem luminis intellectus agentis, sicut sunt quæcumque pertinent ad scientias humanas: Secundo verò per hanc scientiam cognouit Christus omnia illa quæ per reuelationem diuinam hominibus innotescunt, siue pertineant ad sapientiæ donum, siue ad donum Prophetiæ, siue ad quodcumque donum Spiritus sancti; Omnia enim ista abundantiùs & pleniùs cæteris cognouit anima Christi: ipsam tamen Dei essentiam per hanc scientiam non cognouit, sed solùm per primam: & cum anima cuiuslibet comprehensoris nullomodo subdatur suo corpori aut ab eo dependeat, sed totaliter ei dominetur, non indiguit anima Christi vt intelligeret conuersione ad phantasmata: quamuis potuerit, vt intelligeret, se ad eadem conuertere; nec discursu vsa vt scientiam acquireret, potuit tamen vti discursu ex causis effectus concludendo, non vt quid de nouo addisceret sed vt scientia quam habebat pro libito vteretur;

Coloss. 2.

Digitized by Google

vt fecit cum Math. 17. Petrum interrogans à quibus Reges terræ tributum acciperent, à filiis ſuis an ab alienis? Et Petro reſpondente quod ab alienis, hanc elicuit concluſionem: *Ergo liberi ſunt filij.*

Hæc autem ſcientia Chriſti excellentior fuit ſecundum illud quod habuit à cauſâ influente; quàm Angelorum ſcientia, quantùm ad multitudinem cognitorum, & quantum ad ſcientiæ certitudinem: quia tamen lumen ſpiritualis gratiæ quod eſt inditum animæ Chriſti eſt multo excellentius quàm lumen quod pertinet ad naturam Angelicam (ſi tamen modum cognoſcendi qui naturalis eſt animæ humanæ ſpectes, nempe per concluſionem ad phantaſmata & per collationem & diſcurſum ex parte ſubiecti recipientis, excellentior eſt ſcientia Angelica) hac vti poterat Chriſtus quando volebat. Fuit enim in eo habitualis: & quia habuit illa ſcientia modum connaturalem animæ humanæ, ideo ſcientia indita animæ Chriſti diſtincta fuit ſecundum diuerſos habitus, eſt ſiquidem connaturale animæ humanæ vt recipiat ſpecies in minori vniuerſalitate quàm Angeli, ita ſcilicet quod diuerſas naturas ſpecificas per diuerſas ſpecies intelligibiles cognoſcat. Hi ſunt ſeptem oculi ſuper lapidem à Zacharia viſi, c. 3. per oculum enim ſcientia intelligitur.

Dico 5. Sicut per ſcientiam inditam ſciuit anima Chriſti omnia illa ad quæ intellectus poſſibilis eſt quocumque modo in potentia; ita per ſcientiam acquiſitam ſciuit omnia illa quæ ſciri poſſunt per actionem intellectus agentis: & licet Chriſtus non fuerit expertus omnia, ex his tamen quæ expertus eſt in omnium deuenit notitiam. Poteſt ſiquidem homo ex virtute luminis intellectus agentis, procedere ad intelligendum effectus per cauſas, & cauſas per effectus, & ſimilia per ſimilia, & cõtraria per cõtraria. Habuit enim Chriſtus vim rationis excellentiſſimã, vt per quædam ſenſibilia ſenſibus eius obiecta, in aliorum notitiam deueniret. Et Caietanus à vero non aberrare dicit qui aſſereret omnia ſingularia opportuna ad perfectam ſciẽtiam per inuẽtionem omnium naturali ratione cognoſcibilium oblata fuiſſe ſenſibus Chriſti Angelorum miniſterio. *Si enim Angeli cibum corporalem miniſtrauerunt, multò magis,* inquit, *rationabile eſt vt indigenti Chriſto ſpirituali cibo ſcientiæ acquiſitæ miniſtrauerint Angeli ſingularia opportuna, ex quibus ſuo ipſe ingenio inueniret ſcientiam.* Quidquid ſit: etſi anima Chriſti ſimpliciter non cognouerit omnia per ſcientiam acquiſitam, tamen cognouit illa omnia quæ per lumen intellectus agentis homini cognoſcibilia ſunt. Vnde per hanc ſcientiam non cognouit eſſentias ſubſtantiarum ſeparatarum, nec etiam ſingularia præterita, præſentia & futura: quæ tamen cognouit per ſcientiam infuſam, quia horum apprehenſio à ſenſibus hauriri non poſſunt, Chriſtus autem in ſcientia profeciſſe dicitur, tum quia ſi profectum conſideres ſecundum effectum eiuſdem & æqualis ſcientiæ habitus primò minora, poſtea maiora & ſubtiliora illius ſcientiæ edidit. Si autem ſecundum habitum ſcientiæ illum ſpectes profectum, reuerà habitus ſcientiæ infuſæ non eſt in eo augmentatus, nec ſcientia beata in eo aucta fuit: ſecundum tamen experientiam, conuertendo ſcilicet ſpecies intelligibiles inditas ad ea quæ de nouo per ſenſus accipiebat, ſcientia Chriſti profectum habuit: & cum extrahere ſpecies intelligibiles à phantaſmatibus ſit quædam naturalis actio hominis ſecundum intellectum agentem, habitus ſcientiæ acquiſitus potuit in Chriſto augmentari, ex hoc ſcilicet quod intellectus agens poſt primas ſpecies intelligibiles abſtractas à phantaſmatibus, poterat etiam alias & alias abſtrahere.

Dico 6. Nec ab Angelis nec ab hominibus aliquid didicit Chriſtus: non ab Angelis, nam anima humana media inter ſpirituales ſubſtantias & res corporales duobus modis nata eſt perfici: vno modo per ſcientiam acceptam ex rebus ſenſibilibus, alio modo per ſcientiam inditam ſiue impreſſam ex illuminatione ſubſtantiarum ſpiritualium. Vtroque autem modo anima Chriſti fuit perfecta: ex ſenſibilibus quidem ſecundum ſcientiam experimentalem, ad quam quidem non requiritur Angelicum lumen, ſed ſufficit lumen intellectus agentis; ex impreſſione verò ſuperiori ſecundum ſcientiam infuſam quam adeptus eſt immediatè à Deo. Sicut enim ſupra communem modum Creaturæ anima illa vnita eſt Verbo in vnitate perſonæ, ita ſupra communem modum hominum immediatè ab ipſo Verbo repleta eſt ſcientiâ & gratiâ, non autem mediantibus Angelis, qui etiam ex influentiâ Verbi rerum ſcientiam in ſui principio acceperunt. *Indignum quippe fuiſſet,* ait Caietanus, *vt aſſumpta anima in fontem ſapientiæ, vnde Angeli ſapiunt, non ex ipſo fonte ſed ex mediis riuulis derivatis ad Angelos perfunderetur.* Conſonat autem valde vt ſicut in vnione Creaturæ limites ſunt exceſſi, ita in perfectione non Creaturæ ſed humanæ naturæ limes excedatur. Non ab homine aliquid didicit: Dux & præceptor datus gentibus. In quolibet enim genere id quod eſt primũ mouẽs non mouetur ſecundum illam ſpeciem motus. Chriſtus autem conſtitutus eſt à Deo caput Eccleſiæ, quin imò omnium hominum, vt non ſolùm animæ per ipſum gratiam acciperent, ſed etiam vt omnes ab eo veritatis doctrinam acciperent, vnde ipſe dicit Ioa. 18. *In hoc natus ſum, & ad hoc veni in Mundum, vt teſtimonium perhibeam Veritati.* Ioan. 18. Ideo non fuit conueniens eius dignitati vt à quocumque homine doceretur.

Hac face Theologicâ prælucente, faciliùs nobis erit ſcire quâ ratione Chriſtus Eccleſiam illuminans, vt Caput ſupremum & Hierarcha, liber dicatur.

Quænam in libri ſymbolo notanda. Punct. 3.

In libro hoc multa ſunt conſideranda, cuius ſit charta ſeu membrana in quâ notæ ſeu characteres tàm in interiori parte quàm in exteriori, quid contineat, eius clauſio, obſignatio, apertio ſigillorum, reſeratio eorum quæ in eo ſunt, intuentibus & legentibus manifeſtatio. Tali libro aſſimilatur Chriſtus qui Dei eſt. In cuius anima intellectuali ſcientia fuit infuſa dignitati illius reſpondens: in cuius intellectu ſpecies rerum infuſæ, ideo intus ſcripta. In cuius phantaſiâ nobiliſſima ænigmatum & ſymbolorum phantaſmata depicta, ideo foris ſcripta; In quâ quidquid Deus ſtatuit ac decreuit pro Eccleſiæ regimine eſſe peragendum, ſeu quæ Chriſtus reuelauit palàm facere ſeruis ſuis, & ſignificauit loquens per Angelum ſuum ſeruo ſuo Ioanni inter alia potiſſimum continentur. Clauſus nobis & Angelis ob neſcientiam liberorum decretorum, quæ reuelatione tantum ſpeciali noſcuntur: obſignatus, quia ad illa Myſteriâ credenda & intelligẽda quando libro aperto proponuntur reſtat difficultas eis aſſentiendi eaque concipiendi: quo fit vt auxilio ſupernaturali indigeamus: eius apertio, alicuius myſterij exhibitio ſeu propoſitio; ſigillorum illius reſeratio, lumen ſupernaturale infuſum quo opera Diuinæ prouidentiæ & quæ Chriſtus egit pro hominum ſalute & quotidie operatur, quæ naturali indagine exquirere aut viribus naturæ intelligere minimè poſſumus, contemplari nobis licet: quo quidem lumine colluſtratis, intuentibus & contemplantibus nobis diuina myſteria, eorum latitudo longitudo ſublimitas & profundum, ac ſuperemi-

nens claritas scientiæ Christi à nobis comprehenduntur cum omnibus sanctis, & implemur in omnem plenitudinem Dei, habitante Christo in cordibus nostris, in charitate radicati & fundati, quod totis desideriis exoptabat Paulus Ephes. 3. & hac ratione Christus liber dicitur: quia scientia illius ac cognitio non consideratur hic in quantùm per eam eius mens formaliter sciens & illuminata dicitur, sed in quantùm hæc fuerunt illi notificata & reuelata, vt per eum Ecclesia illuminaretur: vnde olim dicebat, *Omnia quæcumque audiui à Patre nota feci vobis.* Hæc summatim fuerunt perstringenda, vt vno quasi intuitu, quæ in hoc ænigmate libri in dexterâ sedentis Mysteria continentur, speculemur.

Ephes. 3.

Quanam ratione Christus liber dici potest, nempe ratione B *eorum quæ nouit, vt ea reuelet Ecclesiæ.* Punct. 4.

Quidam, ait Dionys. Carthus. *hunc librum in aliquibus locis tot modis exponunt, vt expositionis multiplicitas confusionem, obscuritatem atque fastidium videatur parere.* Hac ratione ducti, inter alias expositiones hanc vnam admittimus: alias qui desiderabit, eas apud Vegam & Cornel. fusius explicatas inueniet.

Dion. Carth.

Dicimus igitur 1. notionem seu scientiam Christi per librum significari, vt intelligamus Christum hic non considerari in quantum habet scientiam increatam absolutè sumptam, seu simplicis intelligentiæ, seu visionis, quatenus est Deus in seipso conquiescens, vel in quantùm habet scientiam creatam beatorum, vel infusam vt sic, id est quatenus per eam scientiam beatorum vel infusam, fit sciens & cognoscens simpliciter & formaliter, sed in quantùm in eo viso omnia videntur, vel ex eius operibus Dei maiestas cognoscitur, vel in quantùm cognitionem accipit eorum quæ per eum Deus Ecclesiæ suæ reuelare dignatur. Sicut enim in libris ea scribuntur quæ legenda aliis proponere intendimus, ita animæ Christi ea reuelantur quæ Deus hominibus manifestare decreuit: iuxta quod olim dicebat, *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre nota feci vobis.* Ioa. Ac si diceret: Omnium quidem cognitionem à Patre accipio: ea autem vobis dico quæ Deus hominibus reuelanda esse decreuit, vt ei & honorem exhibeant & sibi beatitudinem acquirant. Et hac ratione liber dicitur, quia quædam nouit vt per eum hominibus ea innotescant, & vt in eo cognito quasi in libro omnes legant Dei Majestatem, & quænam sit eius voluntas hanc perlegendo addiscant. Et quia pro captu discipulorum ea quæ in hoc libro continentur inculcanda erant, ideo dicebat olim Apostolis: *Adhuc multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modo. Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso sed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annunciabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet & annunciabit vobis.* Ac si diceret: liber ego sum, in quo descriptæ sunt omnes veritates quarum cognitio vobis est necessaria. Nunc iuxta ea quæ in me scripta sunt vos edoceo. Sed quia horum omnium non potestis adhuc portare notitiam, alium vobis doctorem suppeditabo, qui omnem veritatem ex hoc libro accipiens, eam pro ratione & exigentia temporum vobis paulatim pro captu vestro suggeret & subministrabit.

Ioan. 16.

Dico 2. Etiam secundum scientiam increatam & diuina opera quæ vt Deus operatur Christus hic liber dici potest: est enim liber sacratissimus, quem qui vident, Patrem etiam videre possunt: dicente ipso Philippo, *Qui videt me videt & Patrem*: Quia vt ait Sanctus Hilarius lib. 7. de Trinitate, *per naturæ vnitam similitudinem pater per filium visus sit:* A Et vt antea dicebat: *cognitio alterius in altero est; quia non differt alter ab altero natura.* Ita Hilarius. Liber scriptus intus est, namque vt ait idem Hilarius in Ps. 138. *Genitus ex eo non est in eo nouæ Creaturæ aliena natura, virtute filius est, diuinitate Filius est, substantia Filius est, generatione Filius est.* Ita Hilar. Scriptus foris nam vt idem prosequitur: *Opera testantur, potestates loquuntur, per naturæ progeniem in filio patrem esse, & per legitimæ originis substantiam filium in patre esse: non dissentit hæc ab vnigenito nata generositas: vnum ambo sunt, pater videtur in filio, & videtur non per inuisibilis nobis naturæ contemplationem, sed per operum admirationem. Filij enim opera, opera patris sunt, non imbecillo ad efficienda ea filio, neque diuersâ virtute naturæ, sed id filio efficiente quicquid is à quo genitus est efficiat: atque id eo per id quod in Majestate operum filius contemplabilis est, pater quoque videtur in filio.* Hæc Hilarius. Vt scriptus est intus, quia filius patris vno insignitus est seu signatus charactere, cum sit *splendor gloriæ & figura substantiæ eius.* Hebr. 1. *Hunc enim pater signauit Deus*, cuius signatio seu generatio scripturæ comparatur, *Quia*, inquit sanctus Augustinus, *quod linguâ dicitur sonat & transit: quod scribitur manet. Cum ergo dicat Deus verbum, & verbum quod dicitur non sonet & transiat, sed & dicatur & maneat, scriptis hoc maluit Deus comparare quam sonis*: nempe cum Ps. 44. ait: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis: Velociter Dei tale est*, inquit ipse Augustinus, *vt velocius nihil sit. In scripturis enim scribitur littera post litteram, syllaba post syllabam, verbum post verbum, nec ad secundum transitur nisi præscripto primo: ibi autem nihil velocius, vbi non multa sunt verba, nec tamen aliquid est prætermissum, cum in vno sint omnia.* Ita Aug. Vt scriptus foris, nempe vt operibus manifestatur: tot sunt characteres quod sunt opera magnifica ad extra, quorum ipse est idea seu exemplar, *Quia in ipso verbo*, vt idem ait, *omnia opera Dei: quidquid enim facturus erat Deus in creaturâ iam in Verbo erat, nec esset in rebus nisi esset in Verbo: quomodo & in te non esset in fabrica, nisi esset in consilio.* Ita Augustinus. In hoc libro tanquam intùs scripto legunt Angeli & beati comprehensores, qui in Verbo vidēt omnia. In hoc libro tanquam foris scripto, id est, operante diuersa opera diuina quibus Deus agnosci poterat, legerunt Apostoli. Vnde dicebat illis: *Beati oculi qui vident quæ vos videtis: Luc. 10. Quia oculi*, inquit S. Hilarius in Psal. 139. *potiores cæteris membris sunt. In his Apostolos significari non ambigendum est, per quos lumen Ecclesiæ & operationis diuina mysteria præbentur.* Prout nempe legerant in hoc libro, populos & gentes docuerunt iuxta præceptum eis datum: *Eritis mihi testes in Hierusalem & in omni Iudæa & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.* Act. 1. *Annunciauerunt quippe opera Dei & facta eius intellexerunt. His ergo oculis*, inquit Hilarius, in Psal. 139. *qui æternitatem in filio paternæ virtutis continentur, id est, Apostolis id præcatur* E (*nempe Dauid cum ait, Et in libro tuo omnes scribentur, dies formabuntur & nemo in eis*) *vt in Dei libro scribantur; maneant scilicet in memoriam æternam, pro quibus tali prece in Euangelio orauit: Pater manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi.* Fœlices illi, qui in libro Dei scribuntur, id est: in memoriâ æternâ non solum propter iustitiam præsentem scribuntur in libro viuentium, è quo quis iustus à iustitiâ decidens deleri potest; sed cum iustis scribuntur; id est, cum electis in hoc Dei Verbo sunt: hos vt oues proprias vocat nominatim Christus, illos nemo potest rapere de manu eius, *Oues meæ*, dicebat ille Ioan. 10. *Vocem meam audiunt, & ego cognosco eas & sequuntur me: & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Vide optimè D. Hilarius loco citato vult maioris di-

Hieronym. in Ps. 138.

Ephes. 3.

Dion. Carth.

Heb. 1.

S. August.

Ps. 44.

S. Hilarius.

Act. 1.

S. Hilar.

Ioan. 10.

S. Hilarius.

Hilarius de Trinit.

Digitized by Google

gnitatis esse in libro Dei scribi, quàm in libro viuentium: *Quia peccatores de libro Viuentium delentur, iusti autem in libro Dei scribuntur: quod Vtrumque sub his dictis significatur: deleantur de libro Viuentium, & cum iustis non scribantur.* Ita Hilarius. Quis autem conuenientiùs dici potest liber Dei quam Christus, qui oues vocat nominatim & cognoscit eas nec eas à se separari sinit? *Sed contuendum est*, inquit S. Hilarius, *qui profectus eorum sit qui in libro Dei scribentur, nempe isti die replebuntur & nemo in his; in quibusdam codicibus legimus, die formabuntur: nec multum differt repleri & formari; formauit enim vt conformes simus gloriæ corporis Dei: Et Apostoli dictum est: filioli quos iterum parturio donec formetur Christus in Vobis. Replentur autem secundum dictum prophetæ, Replebimur ab Vbertate domus tuæ. Die itaque replebuntur, id est, Vero lumine. Lux enim Christus est. Erat enim lux Vera, quæ lucificat omnem hominem Venientem in hunc mundum. Non iam ignorantiæ nocte detenti, neque tenebris huius sæculi cæci, sed luce Veritatis illuminati & die repleti. Quod autem repletum est, nihil præter id ex quo plenum est recipit. Nox enim in eum qui die plenus est non penetrat, secundum illud Apostoli: Quæ enim est participatio luci ad tenebras? Neque sedem spiritus Christi adit spiritus mundi, Vt scriptum est: Vos enim non spiritum huius mundi accepitis, sed Spiritum qui à Deo est. Neque qui mundo mortuus est Viuit sibi, sicut Apostolus docet: Viuo ego, iam non ego. Viuit autem in me Christus. Qui die repletus est diem tantum in se habet, & ideo ait: Die replebuntur & nemo in his. Nemo in his erit præter diem quo repleti sunt, non pecuniæ æstus, non Voluptatum stimulus, non ambitionis ardor, non odiorum malignitas, inuidiæ aculeus, non conuitiorum furor, non superbiæ amentia non cætera quæ diaboli sunt arma atque Virtutes, sed lux Vera, sed dies sola qua repleti sunt. Caterarum quoque iam rerum effecti sunt incapaces.* Hæc sanctus Hilarius.

S. Hilarius.

Andr. Cæsar. Ecce quomodo Christus liber dicitur scriptus intùs & foris, secundum scientiam increatam, & opera diuina quæ homo factus peregit vt Deus cognosceretur. Cui interpretationi fauet Andreas Cæsariensis cum ait: *Per hunc librum tenacissimam sapientissimamque Dei memoriam accipimus, in qua iuxta diuinum Dauidem omnes homines descripti sunt, operumque diuinorum abyssum.* Hæc ille. Quin & Dionys. Carthus. hunc librum exposuit de hac abstrusissimâ Dei cognitione cum ait: *Per istum librum potius arbitror designari horum secretorum notitiam, secundum quod est in mente diuinâ, cuius incomprehensibilem scientiam esse constat.* Hæc ille. Clariùs Cornelius à lapide pro interpretatione genuinâ vult hunc librum esse Apocalypsim siue Apocalypsis mysteria & oracula, in Dei præscientia, prouidentiâ & prædestinatione quasi in libro contenta; seu vt postea ait, diuinæ prouidentiæ consilium & præfinitio, quâ apud se statuit & decreuit vel facere vel permittere ea quæ tempore Anti-Christi futura sunt. Sed cum ex Dionys. Carthus. decursus ac status Ecclesiæ à tempore Christi vel Apostolorum vsque in finem sæculi describatur, ad pauciora quàm par est hoc Dei consilium & præfinitionem restringit.

Dionys. Cart.

Cornel. à Lap.

Dico quinto, Quamuis Christus modo prædicto liber dici valeat, tamen probabiliùs est hic librum appellari ratione scientiæ creatæ, quæ intellectum eius & mentem illustrat: siue ea sit scientia beatorum siue infusa. Ita Dionys. Carthus. cum addit: *Vel certè hanc ipsam notitiam secundum quod Christo homini fuit reuelata atque infusa: quia in tanta plenitudine nulli alteri communicata: sicque liber iste Visio est in dextera Dei, ad inuiendum quod in pia & gratiosa Dei Virtute consistat, cui & quãtum velit aliis hæc secreta manifestare.* Hæc Dionys. Probatur quia libri scriptio videtur ex se ordinari vt ab aliis legatur: At Dei

Dion. Carth.

A scientia ordinem nullum habet ad creaturas, nec generatio filij creaturas respicit, cum nulla sit relatio realis Dei ad creaturas. Ergo per librum non videtur ita bene dignificari. Scientia autem creata Christi liber dici potest, quia eam Deus menti Christi infundendo, statuit ac decreuit vt secundum hanc scientiam in mente eius tanquam in aliqua membranâ seu libro scripram, Christus Dominus & Angelos & homines de suis consiliis ac voluntatibus instruere, tanquam supremus eorum Hierarcha; tanquam Ecclesiæ quam fundauit doctor, præceptor & legislator; tanquam caput Angelorum & hominum, à quo & ordinem seu officium, lumen & doctrinam, vitam & operationem suscipiant. In memoriam quæso reuoca doctrinam D. Dionys. *Morem esse diuinitatis sanctissimũ per prima secunda & inferiora ad diuinissimam suam lucem deducere.* c. 5. Eccles. Hierarch. Perspicies facillimè quâ ratione ad Christi scientiam infusam recurramus vt liber dicatur. Nam cum Deus suorum consiliorum ac secretorum nec Angelos nec homines nisi in verbo & per verbum instruat, vnde S. Thom. supra vt vidimus, nos docuit Angelos etiam ex influentia verbi rerum scientiam in sui principio accepisse; cumque nihil de statu Ecclesiæ futuro aliquid nunc immediatè discant, sed per Christum cuius anima immediatiùs est vnita verbo (nec enim decet vt Angeli qui tantùm sunt administratorij spiritus, aliquid de iis quæ ad eum pertinent officium addiscant, antequam ipse qui caput est Ecclesiæ, ea à Deo immediatè acceperit, vt sic per se qui primus est in ordine & auctoritate, omnes sibi inferiores illuminentur,) ideo eius mens videtur esse quidam liber à Deo insculptus & scriptus per scientiam infusam, secundum quam Christus & Angelos & homines illuminat, & ex quâ Spiritus sanctus tanquam ex libro omnia scibilia & reuelanda manifestat, volens Prophetas & Apostolos & sanctos Doctores omnem edocere veritatem, iuxta quod Christus, vt iam diximus, aiebat Ioan. 16. *Cum autem venerit ille spiritus veritatis docebit Vos omnem Veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur, & quæ venturа sunt annunciabit Vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet & annunciabit Vobis.* Ac si diceret: Ego sum liber clausus & signatus, quem nemo potest videre nec aperire: De plenitudine tamen meâ debent omnes accipere: hoc reuelante Spiritu sancto obtinebunt. Ille enim me clarificabit, & quæ in me sunt signata & clausa reuelabit, de meo accipiens & fidelibus membris meis distribuens prout voluerit. *Donum sancti spiritus*, inquit Isidorus Hispal. lib. 1. sent. c. 17. *de Spiritu sancto in membris Ecclesiæ sigillatim diuiditur, & in singulis singula dona tribuuntur. Christus autem omnem habuit plenitudinem gratiarum, de quo ita legitur: Plenus gratiâ & Veritate. In Christo ergo omnis plenitudo gratiarum est: nam singulis electis singula tribuuntur dona.* Et rursus: *In Spiritu sancto omnis gratia donorum consistit. Ipse enim prout Vult gratiarum dona largitur; aliis dans sermonem sapientiæ, aliis scientiæ, aliis fidem. Atque ita Vnicuique Virtute Spiritus sancti diuisio gratiarum tribuitur, & in omnibus idem Vnus habetur.* Ita Isidor. Cum dat, distribuit & annunciat, de Christo accipit, *De meo*, inquit, *accipiet.* Christus igitur optimè dicitur liber, ex quo Spiritus sanctus accipit omnem veritatem. Nam de plenitudine Christi, in quo thesauri sapientiæ & scientiæ sunt absconditi, debemus omnes accipere. Id sanè valde congruit iis quæ sanctus Ioannes in principio huius reuelationis posuit, cum ait: *Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere seruis suis, quæ oportet fieri cito: & significauit mittens per angelum suum seruo suo Ioanni. Seruo autem suo Ioanni cum dicit*, inquit

S. Thomas.

Isid. Hispal.

Digitized by Google

Primaſ. quit Primaſius, *omni Eccleſiæ in vno reuelari voluit, quam in vnitate fundauit. Ideo dicit: Palam facere ſeruis ſuis: non ſolùm vni è multis, ſed per vnum potiùs vniuerſis: ſicut regni cœlorum ſolus Petrus claues accepit, quâ tamen poteſtate omnis Eccleſia vti ſublimata promeruit.* Ita Primaſius. Hinc optimè cum hic liber dicitur eſſe in dexterâ, gloſſa interpretatur: in filio per quem omnia fecit, ad quem totius libri intentio, ita

Gloſſa Haym. etiam Haymo in Apoc. lib. 2. *Sedentem*, inquit, *in hoc loco debemus intelligere Deum Patrem, dexteram vero illius filium per quem omnia facta ſunt: de quo Pſalmiſta ait: dextera Domini fecit virtutem, &c.* Fauet Aug. ſi per dextram filium intelligamus, cum ait, verſi-

2. Auguſt. culum illum Pſ. 89. exponens: *Dexteram tuam ſic notam fac. Quid eſt ergo, dexteram tuam ſic notam fac? niſi Chriſtum tuum de quo dictum eſt, & brachium Domini cui reuelatum eſt? Sic notam fac, vt in eo diſcant fideles tui ea magis à te poſcere & ſperare præmia fidei, quæ non apparent in veteri teſtamento, ſed reuelantur in nouo.* Hæc Aug. Vt in eo inquam, tanquam in libro fideles diſcant præmia in nouo teſtamento reuelata. Eſt igitur hic liber in filio, quia Chriſti anima, cuius mens omni ſcientiâ eſt exornata, à verbo ſuppoſitatur & in eo ſubſiſtit.

Qua de cauſa liber dicitur ſcriptus intùs & foris. Punct. 5.

Tot de hac re ab auctoribus aſſignantur rationes, vt ſpecialem de his verbis rationem habere operæ pretium eſſe exiſtimemus: & tantò libentius in hac explicatione immoramur, quod ſuppoſitâ noſtrâ de Chriſti ſcientiâ interpretatione, expoſitiones plurimæ, quæ alioquin non ita ſubſiſtere valent, poſſint facillimè admitti; vt ſic noſtra ſtabilientes cætera non excludamus. Sic enim vt diximus in prologo huius operis, mallebat S. Auguſtinus ſcribere, vt quam ponebat ſententia aliis non

S. Auguſt. excluderet. lib. 12. Confeſſ. c. 31.

Chriſtus igitur dicitur liber ſcriptus intùs & foris propter ſcientiam increatam & creatam; ſcriptus intus propter increatam. Increata enim ſcientia, interna, occulta & abſcondita: in qua abſconduntur ij quos ſolus nouit ſuos eſſe. *Abſcondes eos*, inquit Propheta, *in abſcondito faciei tuæ. Pſ.* 39. Id

Pſ. 39. eſt, in eâ quam ſolus vides voluntatis tuæ determi-

Rom. 11. natione. *Quis enim cognouit ſenſum Domini aut quis conſiliarius eius fuit?* Rom. 11. Scriptus foris propter ſcientiam creatam, quæ effectus eſt Dei ad extra operantis, & reuelatio eſt diuini propoſiti ſeu diuinæ determinationis. Cum enim Chriſtus caput ſit hominum, & præcipue electorum, conſentaneum eſt vt ei Deus, reuelauerit quinam ſint ex tot hominum millibus ſaluandi. *Oues*, dicebat ipſe,

Ioan. 10. Ioan. 10. *meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas & ſequuntur me: & ego vitam æternam do eis.* Igitur cognoſcit quinam ſunt ſaluandi: Et antea dicebat: *Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco oues meas*: Et poſt pauca: *Et alias oues habeo quæ non ſunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile & vnus Paſtor.* Probabile ſiquidem eſt eum loqui non tantùm de cognitione quam vt Deus habet, ſed etiam de ea cognitione quam vt Paſtor huius ouilis habebat. At vt eſt Paſtor homo eſt, quem oues & videre & audire & ſequi debebant. Igitur hæc cognitio intelligi etiam poteſt

2. Ratio. de ſcientiâ creatâ menti Chriſti infuſâ. 2. Dicitur liber ſcriptus intùs & foris, propter abſolutiſſimam vtriuſque ſcientiæ perfectionem, quâ omnia tam præterita quàm futura à Chriſto cognoſcuntur. Scriptus igitur eſt hic liber intùs & foris: quia ſcientiæ illius nihil deeſt, nihilque addi poteſt. De diuinâ nullum eſt dubium: de creata, certiſſimum eſt Chriſto homini ea omnia reuelata fuiſſe quo-

A rum capax eſt creatura. *Quem enim miſit Deus verba Dei loquitur. Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius*, Ioan. 3. Nam cum Chriſtus à Deo Patre miſſus verba Dei loqueretur, ſecundum eam ſcientiam quæ animæ eius fuerat infuſa, vt connaturali modo ageret, non optimè ſequeretur eum ſemper verba Dei loqui ex eo quod ei datus non ſit ad menſuram ſpiritus; niſi ea ſcientia talis ac tanta eſſet vt animam eius ac mentem perfectè colluſtrans, ſiue de præteritis ſiue de futuris ageret, ſiue de cœleſtibus, ſiue de terrenis loqueretur, ſemper quod verum eſſet & diuinæ ac increatæ ſcientiæ conforme enunciaret, propter redundantiam ſpiritus & non ad menſuram

S. Hilarius. B ſed ad plenitudinem dati. S. Hilarius prologo in Pſal. explanationem librum iſtum præterita & futura continere dixit: ex eo quod intùs & foris ſcriptus dicatur. Similiter D. Hieronymus in Eze-

S. Hieron. chielem. 2. c. *Scriptuſque erat*, inquit, *ante & retro, de futuris & præteritis.* Hæc Hieron. Omnia enim cognoſcit qui præterita & futura callet: nec enim poteſt præſentia ignorare, cui etiam futura nota ſunt ac ſi eſſent præſentia. Fauet Dionyſ. Cartuſ. cum

Dionyſ. Carth. ait: *Qui liber intus & foris ſcriptus apparuit, ſcilicet ab vtraque parte vel in ambobus lateribus, ad innuendum quod valde multa myſteria contineret & ſenſibus reuelanda; item quædam obſcura & aliqua clara haberet, imo & aliqua de præſenti militante Eccleſiâ, & aliqua de futura vita nondum nobis patere, ſed quaſi intùs ſcripta ſiue incluſa ſeruans.* Ita Dionyſ. Carthuſ. C

3. Ratio cur ſcriptus intus & foris. 3. Dicitur liber ſcriptus intùs & foris, propter ſortem electorum & reproborum deſcriptam, intus propter electos, ex eo quod ratio prædeſtinationis eorum ex ſola bonitate & volùtate diuinâ aſſumitur, quæ gratuito eos elegit ad gloriam in Chriſto, dicente Apoſtolo: *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate: qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in quâ gratificauit nos in dilecto filio ſuo.* Epheſ. 1. Scriptus foris in quantùm in eo deſcripta eſt ſors reproborum, eo quod rationes propter quas repelluntur & reſiciuntur à Deo, aſſumuntur ab eorum malis operibus, quæ peracta & non retractata, viſa & cognita præſupponuntur antequam concipiamus decretum condemnationis eorum ratum & fixum manere, ſeu antequam ſententia in eos lata deſcripta videatur in eo libro, in quo deſcribuntur omnes determinationes euentuum futurorum, ad gloriæ Dei viuentis & Ieſu Chriſti filij eius manifeſtationem. Nam licet Deus in ſe ſufficientem reperiat rationem peccata & delicta ſeuerè puniendi, quia infinitè iuſtus eſt, tamen ſemper neceſſarium eſt vt aliquid extrà ſe, nempe peccatum reprobi reſpiciat & intueatur, quoad vindictæ ſententiam contra eum E ferendam incitetur. Hac de cauſa in exteriori parte libri huius deſcribi dicimus determinationes ſuppliciorum; in interiori autem determinationes diuinorum beneficiorum, ſeu illius benedictionis quâ *Benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto.* Epheſ. 1.

4. Ratio. 4. Dicitur ſcriptus intùs & foris, quia quædam media quibus ad Dei cognitionem euehimur continet, alia ſenſibus & mentibus hominis ignota & occultata, vt ſunt myſteria gratiæ; alia manifeſta, vt ſunt opera naturæ. *Cœli* enim *enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* De ſe enim iſta Deum prædicant, etſi ſtupiditati & incogitantiæ noſtræ Deus non ſit peruius & maneat ignotus: vt ſunt etiam opera gubernationis: vnde poteſt aliquo modo liber de Chronologiam undi in-

Digitized by Google

telligi, vt quidam voluerunt.

5. Ratio. 5. Dicitur ſcriptus intùs & foris: intùs propter gratiam ac dona Spiritus ſancti interiùs hominem perficientia, & inuiſibiles effectus ſacramentorum; foris propter ſacramenta, miracula & prædicationem Euangelij & externum Eccleſiæ ſtatum ſeu regimen, quæ omnia in hoc libro continentur.

6. Ratio. Eccleſ. 1. 6. Quia Chriſtus auctor eſt ſcripturæ ſacræ, *Fons enim ſapientiæ Verbum Dei in excelſis*: Eccleſiaſtic. 1. Ab eo ſiquidem & gentes ſapientiam ſeu philoſophiam, & Iudæi legem, & Chriſtiani doctrinam & præcepta acceperunt, vt optimè docet Clem. Alexand. lib. 6. & 7. Stromatum: Nam cum tres dixiſſet eſſe modos alios iuuandi, per aſſertationem, id eſt, aſſiduè alicui aſſiſtendo vt diſcat; Secundo per aſſimilationem ſeu imitationem: Tertio per præceptionem, ait: *Exponuntur autem nobis quoque nihilo ſecius ad imitationem & aſſimilationem Verè admirabilia & ſancta Virtutis exempla, per res geſtas quæ ſcriptæ ſunt. Porro autem genus quoque actionis eſt manifeſtiſſimum, & per teſtamenta Domini & per leges quæ ſunt apud Græcos: quin etiam per ea quæ ſunt præcepta in Philoſophia: Et vt ſemel dicam, omnis vtilitas quæ ad vitam pertinet, ſupremâ quidem ratione à Deo omnipotente qui præeſt omnibus Patre, per filium qui etiam propterea eſt ſeruator omnium inquit Apoſtolus, maximè fidelium.* Ita Clem. lib. 6. clarius lib. 7. Cum ait: *Quocirca præcepta dedit & priora & poſteriora ex vno fonte hauriens Dominus, nec eos qui erant ante legem ſine lege eſſe nihil pendens, nec eos qui non audiebant barbaram philoſophiam ferri effrænatos permittens. Nam cum illis quidem præcepta, his verò præbuiſſet Philoſophiam, incredulitatem concluſit in aduentum: quo tempore inexcuſabilis quiſquis non crediderit: ab alio enim & Græco & barbaro profectu ad eam quæ eſt per fidem deducit perfectionem.* Ita Clem. Et reuerà *Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines*, inquit S. Petrus: tamen cum de Chriſto accipiant quam manifeſtant hominibus veritatem, rectè diuinæ ſapientiæ quæ in ſacra ſcriptura elucet, dicamus fontem eſſe verbum Dei in excelſis.

Clem. Alex. Clem. Alex.

Hoc præſuppoſito, multi hunc librum vt pote ſcripturam omnem veteris & noui teſtamenti continentem, dicunt ſcriptum eſſe intùs & foris propter ſenſum hiſtoricum & ſpiritualem. *Vel certè*, inquit ſanctus Hieron. in Ezech. 2. *foris in hiſtoriæ littera, intùs intelligentia ſpirituali: de qua & Pſalmiſta, omnis*, inquit, *gloria filiæ Regis ab intus.* Ita Hieron. *Vel intùs quoad nouum teſtamentum, foris quo ad Vetus: Hoc enim fuit Velamentum noui.* Ita Beda apud Cornelium. Vel certe ſcriptum intùs & foris, quia & vetus teſtamentum & nouum de Chriſto loquuntur, eumque annunciant: vel manifeſtè vt nouum teſtamentum, vel obſcurè vt vetus. *Perſonæ filij*, inquit S. Anſelmus, *attribuitur tota generis humani Reparatio, per quem & impleta eſt: qui liber ſcriptus eſt, id eſt, manifeſtatus intùs per nouum teſtamentum, & foris per Vetus, quod noui clauſura eſt: Vel per foris intelligitur nouum, quod eſt foris in manifeſto: Per intus Vetus quod eſt obſcurum.* Ita Anſelm. Et Haymo lib. 2. in Apocal. *Liber autem in dexterâ ſedentis Vetus & nouum teſtamentum ſignificat: qui bene in dexterâ ſedentis fuiſſe dicitur, quia principalis intentio ſcripturæ ad Chriſtum pertinet, cuius Natiuitatem, Mortem, Reſurrectionem, Aſcenſionem & ſecundũ Aduentum ad iudicium continet. De quibus omnibus vltrò ſe quærentibus exempla offerunt. Idcirco autem Vetus & nouum teſtamentum vnus liber appellatur, quia nec nouum à Vetere nec Vetus à nouo valet diſiungi: ſed quicquid prædictum eſt in Veteri, conſtat completum in nouo. Nam Vetus teſtamentum nuncius eſt & Velamen noui, nouum verò reuelatio & adimpletio eſt Veteris. Qui liber benè intùs & foris ſcriptus eſſe dicitur, foris ſcilicet propter Vetus teſtamentum, intùs propter nouum: Vel foris propter faciem terræ, intùs propter allegoricos ſenſus; ſiue foris & intus, quia vnum teſtamentum terram promittit dicens: Si volueritis & audieritis me, bona terræ concedetis: & alia multa; Aliud internam Regni Cœleſtis beatitudinem dum dicit: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum.* Ita Haymo. Seu ſcriptus intùs, ad ſpiritualium & perfectorum exercitationem, foris autem ad ſimplicium & imperfectorum eruditionem. *Quia*, inquit D. Greg. lib. 1. Hom. 9. in Ezech. *in ſacro eloquio occultioribus dictis ac ſublimioribus ſatiantur fortes, & præceptis apertioribus nos paruuli nutrimur. Vnde ſcriptum eſt: montes excelſi cervis, Petra refugium herinacijs. Habeant enim montes intelligentiæ, qui iam contemplationis ſaltus dare nouerunt. Sed petra ſit refugium herinaciis, quia nos paruuli & peccatorum noſtrorum ſpinis cooperti, & ſi intelligere aliâ non poſſumus, in Petræ refugium, id eſt, in Chriſti fide ſaluamur.* Hæc Gregorius. Qui paulò ante, eadem homiliâ, multas cauſas congerit cur hic liber dicatur ſcriptus intùs & foris, cum ait: *Liber enim ſacri eloquij intùs ſcriptus eſt per allegoriam, foris autem per hiſtoriam: intus per ſpiritualem intellectum, foris per ſenſum litteræ ſimplicem adhuc infirmantibus congruentem. Intùs quia inuiſibilia promittit, foris quia viſibilia præceptorum ſuorum diſponit: intùs quia cœleſtia pollicetur, foris autem quia terrena contemptibilia qualiter ſint vel in vſu habenda, vel ex deſiderio fugienda præcepit. Alia namque de ſecretis cœleſtibus loquitur, alia verò de exterioribus actionibus iubet: & ea quidem quæ foris præcepit patent, ſed illa quæ de internis narrat plene apprehendi nequeunt. Vnde ſcriptum eſt: Extendens cœlum ſicut pellem, qui tegis aquis ſuperiora eius. Quid enim nomine cœli niſi ſacra ſcriptura ſignatur de qua nobis & ſol ſapientiæ & luna ſcientiæ, & ex antiquis Patribus ſtellæ exemplorum atque virtutum lucent. Quod ſicut pellis extenditur, quia per ſcriptores ſuos carnis lingua formatum ante oculos noſtros, & per verba doctorum exponenda diſplicatur. Quid verò aquarum nomine niſi ſanctiſſimi Angelorum ſignantur chori? De quibus ſcriptum eſt: Et aquæ, quæ ſuper cœlos ſunt laudent nomen Domini. Huius ergo cœli ſuperiora Dominus aquis tegit, quia alta ſacri eloquij, id eſt, ea quæ de naturâ diuinitatis vel de æternis gaudiis narrat, nobis adhuc neſcientibus, ſolis Angelis in ſecreto ſunt cognita, &c.* Hæc Greg. Quia igitur in Chriſto ſunt *Omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi*, à quo tanquam à fonte hauritur omnis illa ſcientia & ſapientia quâ ſacra ſcriptura repletur, tot modis dicitur liber ſcriptus intùs & foris, quot eadem ſcriptura ſimiliter dici poteſt ſcripta aut intùs & foris. Septimo Chriſtus dicitur ſcriptus intùs & foris, intùs per virtutes ac dona ſpiritus, per amorem ac charitatem erga nos, per animi angores ac triſtitias quas pro nobis pertulit; foris per labores, per exempla omnium virtutum, quin etiam per vulnera quæ pertulit in cruce. Ibi enim potiſſimum documenta humilitatis, patientiæ, dilectionis inimicorum, quæ anteà difficillimè percipi poterant, grandibus notis & clariſſimis ac illuſtriſſimis characteribus & exemplis expreſſit: itaut à quolibet etiam rudi & inerudito facillimè eadem documenta & legi & intelligi queant. Quamæxpoſitionem latè proſequitur Viegas in Apoc. 5. Comment. 2. ſect. 1. & ideo lectorem ad illum conſulendum remitto. 8. Chriſtus dicitur liber ſcriptus intùs & foris, quia & in mente eius ſunt ſpecies intelligibiles infuſæ, quibus intelligere poteſt omnia quæ hominibus ſunt reuelanda, & quæcumque à Patre audiuit vt ea amicis ſuis notificaret, totumque Eccleſiæ ſtatum ac decurſum ab initio, vſque ad conſummationem ſæculi, quidquid denique ad Eccleſiæ regimen fieri decreuit: & ideo ſcriptus eſt intus per ſpecies intelligibiles in eius mente impreſſas; foris autem quia in eius phanta-

Beda apud Cornel. 5. Hieron. in Ezechiel. 5. Anſelm. Haymo. 5. Greg. Viegas.

ſia ſint veluti depicta nobiliſſima & excellentiſſima quælibet phantaſmata, quibus ſymbola & ænigmata adinuenire, conficere & formare valeat, vt per eadem quæ reuelanda eſſe decreuit ſpeculanda proponat: itaut hic liber ſit intellectualis cognitio eorum omnium quæ Deus Chriſto reuelauit per ſpecies intelligibiles infuſas: Vno verbo dicam, *Apocalypſis Ieſu Chriſti quam dedit illi Deus*, in mente eius deſcripta, & phantaſtica eorumdam apprehenſio & figuratio, qua per externa ſigna & ſymbola valeat eadem Ioanni, & per Ioannem Eccleſiæ ſignificare: vnde additur, *Et ſignificauit mittens per Angelum ſeruo ſuo Ioanni*: Ac ſi diceret, Et ſigna quædam & ſymbola adinuenit & effecit, quibus ea quæ illi reuelata ſunt palam faceret, eademque miniſterio Angeli ſui oculis ac phantaſiæ Ioannis intuenda obiecit, de illorum ſignificatione eius mentem interea illuſtrando. Quæ quidem ſymbola Ioannes expoſuit huic præcepto obſequens, nempe, *Scribe ergo quæ vidiſti, & quæ ſunt & quæ oportet fieri poſthæc.* Hanc ſinterpretationem meritò Pererius præfert aliis, diſputatione quinta. Vult enim librum eſſe prouidentiam & præſcientiam rerum maximè memorabilium circa Eccleſiam, quæ in ſolius Dei poteſtate ac voluntate eſt: quam primo Chriſtus accepit à Patre, & per Angelum reuelauit Ioanni, eamque reuelationem ſcripto tradi voluit. *Et Chriſtus*, inquit, *quidem per Angelum aperuit Ioanni ſigilla, non modò quantum ad figuram & imagines futurarum rerum ſignificatiuas, ſed etiam quantum ad ipſarum rerum figuratarum ac imaginatarum intelligentiam. Nobis autem reuelationem ipſarum figuratarum & imaginum ſcriptis comprehenſam prodi voluit, earum tamen ſignificationem & intellectum non manifeſtauit.* Ita Pererius. Quæ quidem annotare operæ pretium duximus, vt noſtram ſententiam aliis etiam in mentem veniſſe oſtendamus. Hac enim ratione Deus ſapienter & connaturali modo inſtruit Eccleſiam, cum nos per conuenientia ſymbola ac ſigna ad inuiſibilium cognitionem euehit. Talis enim modus nobis eſt connaturalis, qui non intelligimus niſi per conuerſionem ad phantaſmata, quique per viſibilia ſenſibus percepta ad inuiſibilia deducimur. *Qui igitur legit intelligat quid ſpiritus dicat Eccleſiis.* Hæc ſunt quæ de hac re eſſe notanda duximus, quibus perſpicis multas expoſitiones ſubſiſtere ſi de Chriſti ſcientiâ hoc modo librum iſtum intelligas, & hac ratione poſſe illas inter ſe conciliari: quia vna Chriſti ſcientia omnia complectitur quæ ab interpretibus his afferuntur: ſiue enim mundi chronologiam, ſiue Eccleſiæ ſtatum, ſiue diuina conſilia, ſiue ſortem electorum & reproborum, ſiue media ad ſalutem præſcripta & ordinata conſideres, omnia in hac vnâ Chriſti ſcientiâ continentur.

nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſuum. Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt? Ita & quæ Dei ſunt nemo cognouit niſi ſpiritus Dei. Hæc Paulus. Spiritus igitur ſanctus Andreæ Cæſarienſi eſt quaſi quoddam ſigillum impreſſionem quandã vt ita dicam quaſi ſigillum in ceram faciens in profunda Dei. Vnde ordinem quendam ſeu œconomiam habuit, quam nemo poteſt cognoſcere abſque illius reuelatione: quia nulla creatura poteſt ſcire quæ ſunt Dei. Hoc enim eſt proprium illius ſpiritus qui omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei: ita tamen vt profunda Dei penetrando ille diuinus ſpiritus quaſi ſigilletur, & impreſſionem in ſe recipiat eorum quæ agenda & diſponenda ſunt pro Eccleſiæ ſanctificatione ac regimine. Tertia eſt multorum qui in his ſigillis obſcuritatem & difficultatem legendi & intelligendi librum ſignatum intelligunt. Rectè ſanctus Hilarius prologo in Pſalmos. *Sunt autem omnes prophetiæ ad mundialem ſenſum & prudentiam ſeculi clauſæ & obſignatæ ſecundum illud Iſaiæ: Et erunt vobis omnia verba hæc tanquam eloquia libri ſignati, quod ſiquidem homini ſcienti litteras dicetur: legeiſta, dicet: Non poſſum legere, ſignatum eſt enim. Et ſi dabitur liber hic in manu hominis litteris neſcientis, & dicitur ei: Lege hunc, Reſpondet: Neſcio litteras: imperitia legendi & intelligendi librum prophetiæ ſub perſona vtriuſque hominis monſtrata eſt: cum intelligentia docti ad legendum & ſignaculum clauſi myſterij non adeuntis, illius indocti ignorationi per communem vtriuſque intelligendi inopiam comparatur.* Hæc Hilarius. Hac de cauſa D. Hieron. in Daniel. 8. ex verbo ſignaculi infert obſcuritatem. *Tu ergo ſigna viſionem, quia poſt dies multos, erit,* inquit Daniel. *Gabriel Angelus. Ex verbo oſtendens ſignaculi,* ait S. Hieron. *obſcura eſſe quæ dicebantur, & non patere multorum auditui, nec poſſe ante intelligi niſi rebus & operibus impleantur.* Ita Hieron. Pari ratione hic librum ſignatum ait S. Anſelmus: *Signatum, id eſt, clauſum vniuerſis obſcuritatibus, vel ſeptiformi ſpiritu per quem fides operatur.* Hæc Anſelmus. Tandem Dionyſ. Carthuſ. *Tot ſignorum ſignatio difficultatem, obſcuritatem, pretioſitatem ſententiarum huius libri ſignificat.* Sit igitur clauſio huius libri myſterij alicuius neſcientia, ignorantia, imbecillitas mentis illud attingendi; eius ſigillatio, obſcuritas ſeu difficultas aut ratio propter quam impoſſibile eſt intellectui creato ad illius cognitionem deuenire abſque reuelatione ſpeciali: itaut illius apertio ſit eiuſdem myſterij adimpletio, vel illius propoſitio: vt cum Chriſtus prædicatur Crucifixus. Sigilli autem reſeratio ſit impedimenti, obſcuritatis ſeu difficultatis, aut rationis propter quam hoc incredibile videtur menti humanæ, ablatio: itaut quam iniit olim Spiritus ſanctus, rationem profunda Dei reuelandi prophetis, hanc etiam nunc obſeruet cum ſancto Ioanne, cum eum vult ſub ænigmatibus & ſymbolis Dei conſilia ac decreta Eccleſiæ proponere. Optimè ad noſtrum propoſitum Clemens Alexand. l. 5. Stromatum, *Ideo Ægyptij ante Templa ponunt ſphingas, quia doctrina quæ de Deo eſt ænigmatica eſt & obſcura: fortè autem quod Deum oporteat amare ac timere: amare quidem vt ſanctis benignum ac propitium, timere autem vt qui ſit impius iuſtus inexorabiliter. Ferè enim ſimul & hominis imagines ſphinx ſignificat. Longum autem fuerit omnia perſequi prophetica & legalia, ea afferendo quæ ſunt dicta per ænigmata: ferè enim vniuerſa hoc modo oracula ſua effert diuina ſcriptura.* Hæc Clemens. Hæ autem obſcuritates, difficultates legendi & intelligendi hunc librum variæ aſſignantur ab auctoribus, pro diuerſitate interpretationum libri ſignati. Alia enim ſigilla aſſignãt & afferunt, qui per librum Chriſtum intelligunt; alia qui ſacram ſcripturam;

De 7. ſigillis huius libri, ſeu de ſigillatione eius, ac difficultate ſciendi quæ in eo continentur. §. 2.

Punct. 1.

Tres tantùm horum ſigillorum hic affero interpretationes. Vna eſt Andreæ Cæſarienſis, cui hæc ſigilla videntur apponi ad confirmationem eorum quæ deſcripta ſunt in hoc libro: veluti cum Rex aliquis patentes litteras ſuo ſigillo communit, vt auctoritatem apud ſubditos adipiſcantur. *Septem*, inquit, *ſigilla certam huius libri fidem nullique mortalium ſatis perſpectam eiuſdem firmitatem ſignificauit.* Hæc ille. Secundam obſcurè vt mihi videtur inculcat, cum ait: *Aut eius ſane ordinem & diſpoſitionem quo diuini ſpiritus profunda ſcrutatur, quæ omnia ſoluer nulla omnino creata natura valet.* Hæc ille. Alludit ad hunc Apoſtoli locum 1. Cor. 2. *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum:*

Andr. Cæſar.

1. ad Cor. 2.

Digitized by Google

alia qui quidpiam aliud comminiſcebantur. Plurimas his non grauabor adducere, ne quid deeſſe videatur ad præſentia loci interpretationem. Noſtra tandem in medium proferemus.

Variæ de ſigillis plurimorum auctorum ſententiæ. Punct. 2.

Qui de inſcrutabili abyſſo operum ac iudiciorum Dei librum intelligunt, ſiue de ſcientiâ Dei, per ſeptem ſigilla intelligunt eam omnino eſſe hominibus incognitam: ſignatum ſigillis ſeptem, id eſt, omnino, neque enim quis cognouit ſcientiam Domini. Qui de ſacrâ ſcripturâ illum interpretantur, in 7. ſigillis: Primo plenitudinem myſteriorum Chriſti quæ in ſacra ſcripturâ continentur intelligunt, quæ niſi Chriſtus ipſe adueniens compleuiſſet, nemo intellexiſſet. Vel ſecundum Primaſium & Bedam vniuerſitatem difficultatum & obſcuritatum ſignificati volunt. Vel ſigilla volunt eſſe, quia videlicet in eis explicandis ſpecialis quædam ineſt ratio difficultatis: primo prophetias: ſecundo figuras: tertio promiſſiones bonorum per Meſſiam: quarto myſteria eius æternitatis & diuinitatis: quinto duplicem illius aduentum: ſexto tranſlationem legis & ſacerdotij in legem Chriſtianam & ſacerdotium: ſeptimo repudiationem ſynagogæ & electionem Eccleſiæ gentium. Hugoni apud Cornelium ſigilla ſunt ſententiarum ſacræ ſcripturæ profunditas: 2. ſenſuum multiplicitas: 3. figurarum varietas: 4. rerum ipſarum incomprehenſibilitas: quinto myſteriorum obſcuritas: ſexto tropologiarum ſuauitas: ſeptimo infallibilis veritas mixta cum rerum euidentia. Haymo lib. 2. in Apocal. alios modos explicandi iſta ſigilla nobis proponit. Nam præter quàm per ſeptem ſigilla, plenitudinem obſcuritatis myſteriorum quæ in veteri latebant teſtamento intelligit, etiam per 7. ſigilla ſeptiformem ſpiritum ſanctum deſignari ait, quia omnis ſcriptura per gratiam ſpiritus eiuſdem & data eſt & referata. In ſeptem ſigillis ſeptem modos locutionum intelligit, quibus conſtat omnis ſcriptura. Aut enim indicatiuo, aut promiſſiuo, aut imperatiuo, aut optatiuo, aut coniunctiuo, aut infinitiuo, aut perſonali modo loquitur. Et quis loquetur potentias Domini? Ipſa enim ſacræ ſcripturæ locutio ſeptiformis, quaſi ſub 7. ſigillis intelligentiæ continetur, dum per 7. modos diſtinguitur: quorum primus Hiſtoricus & ſimplex, qua ratione liber totus eſt ſcriptus foris: ſecundus Allegoricus totus omnino intus, qui licet aliquid geſtum narret, geſtus tamen ille reputatur totus Allegoricus: vnde nec in vſu frequentatur, vt videre eſt in hiſtoria puellæ pro Dauide ſene conquiſitæ, per quam diſtinguitur ſapientia. Tertius eſt & hiſtoricus & allegoricus. Ideo ex parte foris & ex parte intùs deputatur, vt eſt hiſtoria Abrahæ duos filios habente. Rom. 4. Quartus quo nobis aliquando propriè, aliquando vero myſticè, creatoris noſtri diuinitas ſacris intimatur opuſculis: propriè vero vt cum Moyſi dicit: *Ego ſum qui ſum*; Myſticè, vt cum dicitur, Deus ſicut plauſtrum onuſtum fœno: vterque ſenſus intus debet accipi ſcriptus. Quintus in parabolis diffuſus, in quibuſdam etiam geſtum litteræ immutans, & de peccatis & adulteriis hominum vel prophetiam operum vel ſecreta ſpiritualium ſenſuum multa præſignans. Intus omnibus modis eſt reputandus ſcriptus, vt cum de Dauide qui immutauit vultum ſuum coram Achis in titulo Pſal. 33. dicitur immutaſſe coram Abimelech, qui interpretatur Patris mei Regnum: vt ad Chriſtum qui coram Iudæis immutauit faciem ſuam formam ſerui accipiens intellectus aſſurgat: & cum in adulterio Dauidis & occiſione Vriæ, Chriſti erga Eccleſiam lauacro Baptiſmi mundatam amor, & antiqui hoſtis internecio deſignantur. Sextus modus eſt de gemino ſaluatoris aduentu qui certis claret teſtimoniis: foris in promptu eſt poſitus, vel per alia indicia intus latet occultus: vt & dubitationem auferat & fideles exerceat. Septimus ad extremum in præceptis vitæ agendis foris eſt ſcriptus, in præceptis autem vitæ figurandæ, vt fuit circumciſio, quæ ceſſante vmbrâ in veritate ſpiritualiter petagi debet: intus latet. Hos modos ante Redemptionis quidem tempus abſconditos, ipſo vero Redemptoris tempore per Chriſtum atque in Chriſto nouimus reuelatos.

Primaſius Beda.

Hugo apud Cornelium.

Qui autem de Chriſto hunc librum intelligunt, ſiue ratione œconomiæ totius incarnationis, ſiue vt in cruce patiente, ſiue vt in Euchariſtiâ exiſtente, alia ſigilla afferunt reſeranda: v. g. S. Hilarius prologo in Pſ. librum iſtum, de Chriſto Domino intelligit. *Quia*, inquit, *non eſt ambigendum, eáque in pſalmis dicta ſunt, ſecundum Euangelicam prædicationem intelligi oportere, vt ex quacumque licet perſonâ prophetiæ ſpiritus ſit locutus, tamen totum illud ad cognitionem aduentus Domini noſtri Ieſu Chriſti, à corporationis & paſſionis & regni, & Reſurrectionis noſtræ gloriam virtutemque referatur.* Hæc Hilarius qui extremo ſeptem videtur aſſignare ſigilla, cum poſtea addit: *Signacula ſunt de eius corporaliſate & paſſione & morte & reſurrectione & gloria & regno & iudicio.* Hæc Hilarius qui ibidem docet negantes Chriſtum, cuius aduentus opus eſt prophetarum clauem ſcientiæ auferre: *Quia cognitionem legis quæ aduentum Domini corporeum prædicauit, fide corporei aduentus abnegata præcludit. Et hic quidem ex omni ſcripturarum propheticarũ genere dictum eſſe intelligendum eſt, vt niſi aduentum Domini ex Virgine in hominem procreandi intellecta & recognita fuerint, intelligentiæ earum vis obſignata habeatur & clauſa.* Hæc Hilarius. D. Bern. ſerm. de paſchate vult 7. ſigilla eſſe 7. myſteria quæ celarunt Chriſti Deitatem & ſapientiam. v. g. matris deſponſationem cum Ioſeph, infirmitatem corporis, Chriſti circuncciſionem, fugam in Ægyptum, tentationem diaboli, ſcandalum crucis, ſepulturam. Seraphinus Firmanus ait Chriſtum foris ſcriptum, quantùm ad paſſiones corporis, intùs quantum ad paſſionem animæ, ſigilla ſecreta quæ latuerunt in paſſione, impotentia in omnipotente, ſtultitia in ſummâ ſapientiâ, paupertas in Deo diuite, ignominia in gloriâ, derelictio à Deo Patre in vnione perfectiſſimâ cum ipſo, ſeueritas in ſummo Patris erga filium amore. Qui autem Chriſtum in Euchariſtiâ exiſtentem conſiderant dicunt 7. ſignacula eſſe odorem, ſaporem, colorem, paruitatem, leuitatem, rotunditatem, gracilitatem hoſtiæ: quæ omnia ſunt accidentia panis non corporis Chriſti: itaut in Euchariſtiâ 7. ſenſus ſcilicet 4. exteriores viſus, odoratus, guſtus & tactus; & 3. inferiores ſcilicet ſenſus communis, phantaſia & æſtimatiua, qui ſenſuum exteriorum indicium ſequuntur, fallantur & iudicent eſſe panem. Rurſum 7. ſignacula eſſe 7. maxima miracula quæ faciunt hoc ſacramentum eſſe arcanum arcanorum Dei. Primum eſt tranſubſtantiatio. Secundum, Quod accidentia panis remaneant ſine ſubiecto. Tertium, quod quantitas tota Chriſti paruâ hoſtiâ circumſcribatur. Quartum, quod vi conſecrationis ſub ſpecie panis totum corpus Chriſti, per concomitantiam vero adſint ſanguis, anima & Chriſti Deitas, pari modo ſub ſpecie vini, &c. Quintum, quod idem corpus in omnibus altaribus. Sextum, quod Chriſtus ſit totus in tota hoſtia, & totus in qualibet eius parte. Septimus, quod ſit cibus fidelium vt eos in ſe tranſmutet. Alcazar qui in quatuor primis ſigillis vult detegi & oſtendi ſummam Dei fortitudi-

S. Hilarius.

S. Bernard.

Digitized by Google

nem, beneficentiam, æquitatem & ſapientiam in Iudæorum credentium & prædeſtinatorum ſalute; & in tribus vltimis maximam Dei patientiam, longanimitatem ſeu comminationem & ſeueritatem in reproborum Iudæorum repulſa; pro ſigillis aſſignat imbecillitatis ſpeciem, rigoris ac Tyrannidis ſimulationem, iniquitatis apparentiam, in ſummâ æquitate alios eligendo, alios negligendo, ſpeciem imperitiæ & ſtultitiæ, iniuriarum diſſimulationem, ſeu obliuionis & conniuentiæ ſpeciem veluti licentiam & permiſſionem ſcelera patrandi impunitatis ſpeciem. Quæ quidem ſi arrident, fuſius apud authorem requiras. Ad noſtra tranſeamus.

Quænam ſint ſigilla huius libri, iuxta data à nobis illius libri ſignificationes. Punct. 3.

Per librum diximus potiſſimum intelligi Chriſtum Dominum Eccleſiam illuminantem & gubernantem, ſecundum eam profundiſſimam, vniuerſaliſſimam & abundantiſſimam ſcientiam omnium quæ Deus cognoſcit ſcientia viſionis, quæ menti eius eſt infuſa. Inter quæ, ait Nicolaus de Lyra, eſt proceſſus Eccleſiæ. Ideo per ſigilla intelligo eam omnem difficultatem quæ menti creatæ occurrere poteſt, ſi ad eorum notitiam contendat peruenire. Igitur

Dico ſeptem eſſe de ſe ita abſtruſa & incognita cuilibet creaturæ, vt abſque reuelatione ſpeciali nec etiam ab Angelis aut beatis perſpici valeant: multo igitur magis, hominibus in terra vel ſub terra degentibus incognita erunt.

Inprimis ſeſe offerunt Dei libera decreta & voluntates illius, iuxta eum ordinem quem ſibi ſeruandum eſſe apud ſe ſtatuit in totius vniuerſi regimine.

Rom. 1. *Quis enim*, inquit ſanctus Paulus Rom. 1. *cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?* Deus enim rectè dicitur ſpeculum voluntarium. Ita enim à beatis videtur, vt ſuorum conſiliorum non fiant participes, niſi in quantùm eis reuelare voluerit:

S. Hilarius. *Non circumſcribitur Deus*, inquit D. Hilarius de Trinit. lib. 11. *mente terrenâ, neque hoc ſapientiæ ſuæ profundum ſenſu intelligentiæ penetrantis attingitur: nec iudicia conſtitutionum ſuarum perſcrutantium ingenio apprehenduntur, nec viæ cognitionis eius inueſtigabiles ſe conſectantium ſtudiis derelinquunt, nihilque de rebus eius repetietur, nihil conſectabitur: ſenſum enim eius nemo cognouit, & conſilio non egnit externo.* Hæc Hilarius. Lumen igitur cum habitet inacceſſibile, nemo quid cogitet & intendat nolente ipſo penetrare poterit. Igitur ſigillum cœlans & abſcondens eius decreta, & immenſa dignitas intellectus diuini, omnem mentem Angelicam & humanam à longe excedens. Secundo: Nec Angeli nec homines, in quocumque ſtatu exiſtant, futura à cauſis contingentibus & liberis dependentia pro certo cognoſcere valent in ſeipſis, nec etiam in cauſis propriis, ſed tantum coniecturaliter. Solius enim Dei eſt cognoſcere res futuras in ſeipſis, & cum infallibili certitudine in cauſis. Ita ex Maldonato tract. de Angelis g. 6. *Annunciate*, ait Iſa. 41. *quæ ventura ſunt in futurum, & ſcimus quia dij eſtis vos*, & c. 44. Prima cum his ſecundis, nempe conſilia Dei cum rebus futuris Propheta coniungens ait: *Hæc dicit Dominus Rex Iſraël & Redemptor eius, Dominus exercituum: Ego primus & ego nouiſſimus, & abſque me non eſt Deus. Quis ſimilis mei? Vocet & annunciet, & ordinem exponat mihi: ex quo conſtitui populum antiquum, Ventura & quæ futura ſunt annuncient eis.* Et reuera cuiuſlibet rei cognitio menſuratur ab exiſtentia rei cognitæ, ſeu proportionem ſeruat cum eſſe rei cognoſcibilis: quo fit vt cum nulla res creata in ſuo conceptu exiſtentiam includat (ſolus enim Deus eſt ſuum eſſe per eſſentiam, & exiſtentiam in ſuo includit conceptu) cæteræ res eam non includentes pro qualibet differentiâ temporis à quolibet intellecto creato cognoſci non poſſunt ex ſe, niſi pro tempore quo in exiſtentiam prodeunt: & ita eorum inexiſtentia extra capacitatem cognoſcibilitatis illas res reponit, donec videlicet ſint extra cauſas. Solus intellectus diuinus qui præteruolat omnia, & omnes temporum differentias concludit, & vnicuique rei tempus exiſtendi ad libitum præſcribit, eas aut videre aut cognoſcere poteſt. Benè igitur Deus ait: *Quis ſimilis mei eſt?* Vt exponit D. Hieron. *Detet ea quæ non ſunt quaſi ſint, & exponat ordinem creaturæ meæ, qua cuncta ratione libraueriim ex quo feci hominem ſuper terram. Nec ſolum hoc volo ſed quæro etiam ſcientiam futurorum.* Hæc Hieron. S. Hieron.

Ex hac futurorum cognitione probat D. Hilarius lib. 9. de Trinitate diuinitatem filij. *Si igitur proprio filio Pater eſt, in ea neceſſe eſt filium manere proprietate qua pater eſt. Manere autem quomodo exiſtimabitur, ſi extra præſcientiæ naturam ſit & aliquid natiuitati eius ex autore defuerit. Proprium autem Deo quid aliud quam cognitio futurorum, vt res nondum manentes manſuraſque poſterius, inuiſibilium ac nondum extantium generum capax natura contineat?* Hæc Hilarius. Manent igitur res tanquam tenebris obuolutæ mentibus creatis incognitæ, donec è cauſis in medium prodeant, eaque earumdem inexiſtentia quaſi quoddam ſigillam impedit quominus cognoſcantur. S. Hilarius.

Dixerat autem S. Hilarius quod nobis ad diſſerendum de quibuſdam aliis Angelis etiam incognitis viam ſternit. *Si enim*, inquit, *omnia per Chriſtum & in Chriſto, & ita per ipſum vt omnia in ipſo ſint, id quoti neque extra eum neque non per eum eſt quomodo non etiam in ſcientia eius ſit, cum plerumque ſcientia ea etiam quæ neque in ſe neque per ſe ſint per virtutem naturæ non neſcia apprehendat? At veroquod cauſam niſi ex eo ſumit & & motum, ad id quo eſt eritque niſi intra ſe non capit, quomodo extra eius naturæ ſcientiam eſt per quam & in qua id quod efficiendum ſit contineatur. Nam cogitationes humanas non tantum præſenti motu imitatur, ſed etiam inſtinctu futuræ voluntatis agitandas Dominus Chriſtus non ignorat, Euangeliſta teſtante. Sciebat enim Ieſus ab initio qui eſſent non credentes, & qui eſſet eum traditurus. Naturæ ergo eius virtus quæ cognitionem rerum non extantium capit, & quieſcentium adhuc animarum ſubiturasinquietudines non ignorat, id quod per ſe intranque eſt neceſſe exiſtimabitur: & aliens potens, impotens ſui eſſe? De quo dictum meminerimus, Omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes.* Hæc Hilarius.

Cogitationes igitur hominum cognoſcit, quas quidem tertio loco ponimus inter res ipſis Angelis de ſe incognitas.

Dicimus igitur tertio: Tales eſſe hominum cogitationes & voluntatum humanarum determinationes, vt nec perfectè ab Angelis cognoſci valeant ipſis nolentibus: ſiue quia humana voluntas à ſupremo ente Deo immediatè dependet, nullique ſpiritui ita intimè vnitur ac Deo ſpiritus coniungitur. Quo fit vt ab eo ſolo diſcerni & perfectè cognoſci queat; ſiue quia hominum cogitationes altioris ordinis ſunt quam cæteræ res naturales: & hac de cauſa ad eas vis Angelorum ad omnia naturæ effecta perſpicienda non extenditur. Inditæ quippe fuerunt Angelis in inſtanti creationis ſpecies & ſimilitudines rerum naturalium: at non earum quæ extrà hunc ordinem vel ſuprà ordinem naturæ aliquatenus ſunt poſitæ, quales ſunt actiones liberæ. Et quia naturaliter, ea tantum cognoſcere poſſunt quorum habent ſpecies intelligibiles infuſas, hominum cogitationes & voluntates, de quibus nulla in eis ineſt ſpecies, non apprehendunt. Ita cenſet D. Tho. Vel S. Thomas.

Nn iij

Digitized by Google

S. Bonauentura.

vt docet S. Bonauentura 2. ſent. diſt. 8. g. ſexta, eas non dignoſcunt, quia à Deo creaturæ rationali hoc conceſſum eſt tanquam quoddam ſingulare priuilegium, vt pote libero arbitrio præditæ; vt ſuæ mentis ſit ſola conſcia, & ſuæ conſcientiæ ſecretum apud ſe quaſi ſigillatum reconditum retineat, nullique pateat niſi cui aperire voluerit. Vel vt alij volunt, inter quos Maldonatus, ſi veritati innitatur eorum ſententia qui dicunt Angelos rerum cognitionem haurire à rebus ipſis cognitis, quia abſque conſenſu voluntatis humanæ Angeli non poſſunt elicere ſpecies cogitationum & determinationum cordis humani, quibus inſtructi illas cognoſcere poſſent. Talis quippe eſt natura tum cogitationum tum actionum voluntatis, vt earundem eſſentia non modo dependeat à libero hominis arbitrio; ſed etiam ſimilitudinum ipſarum multiplicatio, quibus cognoſci poſſunt, omnino à voluntate hominum dependet. Tale quid in corpore Chriſti cerni poteſt: erat nempe ex ſe viſibile dum viueret inter homines, ſed quia non tantum corporis natura in eius erat poteſtate, ſed etiam effuſio ſpecierum ab eius pendebat arbitrio, ideo & videbatur & non videbatur pro libito. *Ipſe pertranſiens*, inquit ſcriptura, *per medium eorum ibat*: & tamen nullus oculus eum attingere potuit. Et reuera naturæ & vniuerſi creator & auctor, aliquem inter omnes res creatas poſuit ordinem, quem quęibet vniuerſi pars infringere aut perturbare nequit: imo cui ſubſterni & ſubordinari debet. Hæc ſubordinatio proculdubio impedit ne vna in aliam inſurgat. Manent ſecura & intacta, & ab omni inuaſione aut vſurpatione libera naturæ cuiuſlibet rei iura ac priuilegia: itaut quælibet res in ſuo ordine & gradu & ſtatione fixè & immobiliter conquieſcat, tranquilla quadam ratione fruens illo quo donata eſt bono ab omnium rerum auctore & moderatore. Hac de cauſâ cogitationes & voluntates hominum non percipiuntur ipſis inuitis ab aliis. Nimis quippe graue & onerosum eſſet creaturæ libertate præditæ, ſi ipſa tolente & renuente mentem ſuam quibus nollet cognetur aperire: eſto, eam videat, penetret, percipiat, comprehendat autor & benignus libertatis dator. Quis auctorem & opificem à ſui operis cognitione arcere valeret, aut prohibere ne in illud oculos coniicit? At aliis huius ſecreti prohibetur aditus. *Secretum meum mihi: Secretum meum mihi*, dicere poteſt quælibet creatura libera. Hinc Salomon 3. Reg. 8. ait: *Vt des vnicuique ſecundum omnes vias ſuas, ſicut videris cor eius: quia tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum*: Quod extenditur & ad intentiones & electiones & intellectiuas ſeu mentales cogitationes, tam reſpectu malorum quam bonorum Angelorum vt Deo ſoli hæc gloria ſalua & integra maneat ipſum eſſe ſcrutatorem cordium & diſcretorem cogitationum cordis: *Et non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius*, inquit Apoſtolus, *omnia autem nuda & aperta ſunt oculis Domini*. Hebr. 4.

Maldonatus.

3. Reg. 8.

Hebr. 4.

Hæc igitur neceſſitas, quæ Angelos manet vt in eo permaneant ordine quem Deus inter res creatas poſuit, in cauſa eſt vt pro ſigillo reponamus impoſſibilitatem ipſam res cognoſcendi, infracto ordine à Deo conſtituto. Quarto tota œconomia ſeu diſpenſatio myſterij incarnationis, in diſtributione donorum, quæ ex plenitudine Chriſti hauriuntur, pro animarum interiori ſanctificatione, objectum etiam eſt Angelorum & hominum intellectus fugiens aciem: niſi Deus velamen auferat ab oculis, & quæ ex hoc fonte in Eccleſiam refundare dona ſtatuit reueſet. De quo Paulus Epheſ. 3. *Si tamen audiſtis diſpenſationem gratiæ Dei quæ data eſt mihi in vobis, quando ſecundum reuelationem notum mihi factum eſt ſacramentum, ſicut ſupra ſcripſi in breui prout poteſtis legentes intelligere prudentiam meam in miniſterio Chriſti, quod aliis generationibus non eſt agnitum filiis hominum, ſicuti nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis gentes eſſe cohæredes & concorporales & comparticipes promiſſionis eius in Chriſto.* Ecce diſpenſatio gratiarum quæ reuelari debuit vt agnoſceretur, & ne putes tantum hominibus hoc eſſe occultum, Angelis autem notiſſimum: audi quæ iſtis addit Apoſtolus. *Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc in gentibus Euangeliſare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſeculis in Deo qui omnia creauit*: Pondera Apoſtolum iſtam diſpenſationem aſſerere fuiſſe in Deo à ſæculis abſconditam. Vnde addit, *Vt innoteſcat principatibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis Dei ſapientia, ſecundum præfinitionem ſeculorum quam fecit in Chriſto Ieſu Domino noſtro*. Itaut dicere poſſimus Angelos, vel reuelatione, vel rerum adimpletione, ſcire tantùm hanc ſacramenti abſconditi à ſæculis in Deo diſpenſationem. Equidem cum Deus omnia propter ſemetipſum produxerit ad ſui nominis gloriam & exaltationem, cumque hanc gloriam ſibi comparare voluerit per eminentiorem modum effundendi aut communicandi dona ſua, nullus ſcire poteſt quem tandem finem aut terminum ponat aut præſcribat Deus huic communicationi, vt gloria ſibi ob effuſiones donorum debita, conſummata & perfecta euadat. Solus ipſe perfectè nouit quid ſibi à creaturâ gloriæ & honoris debeatur, comprehendit quid agere debeat vt ab vniuerſis & ſingulis tàm generaliter, quàm ſigillatim conſideratis debito modo & ſufficienti glorificetur: quo fit vt de vnoquoque electorum dicatur eum nomen accipere quod *nemo ſcit niſi qui accipit*. Nulli enim penitium quid gloriæ Deo proueniat ex cuiuſlibet electi ſalute, niſi ipſe cui Deus nomen impoſuit, quem inter alios locum teneat ad Dei gloriam ſignificans. Impoſſibilitas igitur cognoſcendi illius diuinæ diſpenſationis donorum Chriſti ſeriem, ordinem ac terminum à Deo præſcriptum, vt eminentiori modo ipſe in ſuis electis & per electos ſuos honorificetur, erit quaſi quoddam ſigillum, quo & Angelica mens & humana impediuntur ne libri huius ſecreta videant.

Epheſ. 3.

Dicimus quinto, illum ordinem quem Deus & Chriſtus ſupremus Eccleſiæ Hierarcha ſtatuit, & apud ſe decreuit ſeruandum fore pro exteriori Eccleſiæ regimine & gubernatione, & Angelis & hominibus eſſe incognitum, donec à Chriſto ipſis reueletur, vt eorum miniſterio quæ vult perficiat. Patet hoc ex loco Pauli proximè citato, & potiſſimum ex hoc textu Apocalyp. quo ſanctus Ioannes docet quod *nemo poterat neque in cælo, neque in terrâ, neque ſubtus terram aperire librum neque aſpicere illum. Quia*, inquit Nicolaus de Lyra, *nullus iſtorum poteſt ad ſecreta diuina attingere, niſi Deo reuelante*: qui primo reuelauit Chriſto & Chriſtus Ioanni. Cumque, vt ipſe Lyranus ait, hic liber contineat proceſſum Eccleſiæ, huius proceſſus cognitio debita eſt ſoli Chriſto, ex quo ait idem: *Quanta ſit Chriſti dignitas perſpiciatur, qui ſolus inuentus eſt dignus dicta ſecreta primo accipere; & aliis per Ioannem nunciare*. Ratio talis diſpenſationis clara eſt ni fallor. Etenim cum Chriſtus ſit caput Eccleſiæ, eique poteſtas data & regnum, & olim Deus Salomoni Sapientiam elargitus eſt, qua populum commiſſum ſapienter regeret, *Ecce*, certè, *pluſquam Salomon hic*. Meritò igitur dicimus Chriſto tanquam homini eminentem fuiſſe ſapientiam infuſam, ſecundum quam Eccleſiam moderari valeat. Quo fit vt cum non agat tanquam ex improuiſo ſeu ex animi impetu, ſed ſine præuiſo &

Nicolaus de Lyra.

mediis conuenientibus deſignatis ac præparatis, iam A
ſcire illum oportet totum illum qui futurus eſt Eccleſiæ ſtatum, decurſum, illiuſque initium, ſeriem & finem mente complecti, cum omnibus circumſtantiis rerum, temporum ac perſonarum; nihilque eum latere eorum quæ futura ſunt. Illius igitur, perſonæ dignitas ac maieſtas talis eſt, vt non permittat aliquem illum quem ſtatuit ordinem ſeruare in Eccleſiæ regimine percipere, niſi in quantum illum ſui conſilij participem voluerit efficere, & tanquam amico ſecretum ſuum ei communicare. Ita olim de Abrahamo dixit Dominus: *Num celare potero Abraham quæ geſturus ſum, cum futurus ſit in gentem magnam ac robuſtiſſimam, & benedicenda ſint in illo omnes nationes terræ? Scio enim quod præcepturus ſit filiis ſuis & domui ſuæ poſt ſe vt cuſtodiant viam Domini, & faciant iudicium & iuſtitiam, vt adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus eſt ad eum.* Gen. 18. Hoc magis de Chriſto dici debet. Non celauit igitur Pater Chriſto quæ geſturus eſt: tamen illius dignitas non patitur, vt nolente ipſo quæ reuelauit Pater ab aliis dignoſcantur. Poſuit illum Deus caput & Angelorum & hominum, in ſupremum Eccleſiæ Hierarcham, œconomum domus, donorum diſtributorem, ei omnem in cœlo & in terra aedit poteſtatem, omnia dedit ei in manus. Omne iudicium ei contulit. Ab eo igitur, vt à capite, omnis manat influentia bonitatis diuinæ; vt à Hierarcha, omnis ordinatio boni, vt ab œconomo, omnium officiorum diſtributio; vt à diſtributore donorum, omnium gratiarum effuſio; vt à Rerum Domino, optimus cuiuſlibet rei creatæ vſus; vt à iudice, pro merito operum aut ſupplicium aut remuneratio. Nec horum determinatio ab Angelis percipi debet: Nam quamuis ſint ei reſpectu naturæ humanæ natura ſuperiores, ſuper tamen eſt ipſe in hac gubernandi & omnia moderandi dignitate: ab eo enim dependent. *In eo enim*, ait Apoſtolus Hebr. 1. *quod omnia ei ſubiecit, nihil dimiſit non ſubiectum ei.* Decet igitur vt Angeli, qui tantùm ſunt adminiſtratorij ſpiritus, nihil de ſuis conſiliis aut ordinationibus noſcant niſi per eum, ad executionem voluntatum ſuarum. Ordo proinde & gradus eminens, quem inter creaturas rationales Saluator poſſidet, eſt impedimentum & quaſi quoddam ſigillum celans & occultans eius conſilia & cogitationes circa Eccleſiæ externam gubernationem.

Gen. 18.

Sextum obiectum inſcrutabile & profundum, eſt Reprobatio malorum: ſeptimum autem myſterium prædeſtinationis electorum. De quibus ſanctus Paulus inter alia ait Rom. 11. *Nolo enim vos ignorare fratres myſterium hoc, vt non ſitis vobiſmetipſis ſapientes: quia cæcitas ex parte contigit in Iſrael donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret, &c.* Et rurſus. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei? Quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius & inueſtigabiles viæ eius, &c. Non enim*, ait Dominus Iſa. 55. *cogitationes meæ cogitationes veſtræ, neque viæ veſtræ viæ meæ, dicit Dominus: quia ſicut exaltantur cœli à terra ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris.* Quis tam altũ penetrauit Abyſſum? Cuius oculus ad tam ſplendidum lumen non caligauit? *Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Nec enim tantoperè officiunt vitio denſiſſimæ tenebræ, ac ſplendor emicans offuſcat oculos acutiores illius qui auſu tenetario iudiciorum Dei vellet profunda rimari: & propter altitudinem ſuam Deus multiplicauit filios eorum hominum qui ad beatitudinem euehendi ſunt, numero minimè contentus. Certè ſicut concipi non poteſt qua ratione immuneros ex illis ſinit in barathrum & infernum demergi, ita ſatis mirari non poſſumus quantâ erga electos feratur

Rom. 11.

Iſ. 55.

dilectione, quos inter tot millia vocat, elegit, iuſtificat, & tandem poſt certamina exantlata & reportatas victorias, coronis ac triumphis illuſtrat. Hæc ſunt quæ in genere loquendo in hoc continentur libro: hæc ideo ſub ſigillis recluduntur, quia ad eorum cognitionem, non niſi per ſpecialem reuelationem deuenitur. Vnde optimè Lyranus ait: *Signatio iſta deſignat clauſionem diuinæ ſcientiæ de diſpoſitis ab eo fieri, quouſque ſint ab eo reuelata fieri vel in effectu producta: vel ſigilla iſta non ſunt aliud niſi Dei voluntas claudens & aperiens ſuum ſecretum, prout & quando & quomodo ſibi placet: quæ licet ſit vna in ſe, dicitur tamen multiplex ad varios effectus relata ſecundum illud Pſ. 100. Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius.* Lyranus. B
Ita Lyranus. Ad ſeptem vero capita ſupradicta nos omnem hanc effectuum multiplicationem reuocare poſſe exiſtimamus. Ad libera decreta Dei voluntatem qua vult omnes homines ſaluos fieri & ad agnitionem veritatis venire; electionem modi conuenientis ad eos à peccatis & morte redimendos, reuocamus ad futurorum cognitionem: Ad cordis humani perſcrutationem; omnium intentionum & actionum humanarum cognitionem deputo, vt de eis Chriſtus rectum ferat iudicium iudex conſtitutus à Deo. Ad hanc diſpenſationem donorum quæ nobis Chriſtus promeruit carnem aſſumendo, ea omnia quæ ad interiorem animarum ſanctificationem conducunt & ſunt neceſſaria reduco: vt eſt ſacramentorum inſtitutio, virtutum exercitium, mandatorum obſeruatio. Ad Eccleſiæ regimen externum, Paſtorum prouiſio, officiorum diuerſorum inſtitutio, legum promulgatio. Iuſtitiæ diſtributiuæ ac vindicatiuæ vſus reuocari debent ad rationes Reprobationis malorum, ipſorum contumaciam & in peccatis pertinaciam; ad electorum prædeſtinationem, quod omnia illis cooperantur in bonum, vt ſunt tribulationes & cætera eiuſmodi quæ Deus ſapienti ratione immittit vt ad debitum ſanctitatis gradum perueniant. Hæc omnia & ſimilia in hoc libro continentur, quorum cognitio quaſi quibuſdam ſigillis abſconſa manet, id eſt, quibuſdam difficultatibus & obſcuritatibus obtecta eſt, quas generatim explicuimus. C D

At quia quodlibet myſterium ſuam habet difficultatem & obſcuritatem, ideo etiam alia qnædam ſpecialia ſigilla poſſunt aſſignari pro ratione myſterij vel diuinæ perfectionis quæ credenda proponitur. Hac ratione cum tres interpretationes potiſſimum ſumus allaturi ſeptem ſigillorum, de quorum apertione agetur cap. ſequenti, tres ſigillorum modos proferemus, id eſt, quaſdam difficultates ſeu obſcuritates, quæ myſteriorum fidem ſub his ſigillis contentorum concomitantur, adducemus: v. g. Prima interpretatio eſt de ſeptem Sacramentis, ieu de eorum energiâ & præclari. effectibus, nempe de effectibus Baptiſmi, Confirmationis, Matrimonij, Ordinis, Euchariſtiæ, Pœnitentia Extremæ vnctionis. E
In his effectibus explicandis occurrunt difficultates quædam credendi abſque reuelatione potentem fidei dominationem ſupra humanam mentem, vt quæ ſunt Dei apprehendat. Secundo prodigioſum amoris Dei in voluntatem hominum imperium, quo ad omnium terrenorum contemptum impellitur, & ſpiritualium bonorum ardens deſiderium; Tertio legis Dei maieſtatem, quæ tam potenti vinculo adſtringit hominum libertatem; Quarto ſtupendum modum naturam humanam ad ſummum euehendi honorem, nempe per permiſſionem mortis omnes homines crudeliter deuaſtantis; Quinto ſupremam Chriſti Domini Dominationem, quâ cunctis rebus prout vult vtitur, & corda adeo diſcrepantia inuicem conciliat: quod in ſacramento Euchariſtiæ po-

Digitized by Google

tissimè elucet, in quo per transubstantiationem supremum in res creatas dominatum ostendit; & in eius vsu, quantum valeat vt homines discordes vnanimes efficiat, clarè manifestat; Sexto cur Deus qui peccatum tanto odio prosequitur, & vt deleatur sacramentum pœnitentiæ instituit, permittit vt tam potenter regnet in mortali hominum corpore, vt remediis omnibus neglectis præceps homo in illud ruere non timeat; Septimo qua ratione Deus qui tot tantaque hominibus beneficia præstitit, vt nihil vineæ suæ facere debuerit quod non summa cum fidelitate adimpleuerit, tàm multos homines sathanæ tradit cruciandos in vindictam neglectus iudiciorum suorum & auxiliorum quæ præparauerat vt salui fierent.

Secunda interpretatio est de quibusdam credendis, quæ vel in Conciliis fuerunt decisa, vel Deus tandem exequitur vt veritas prævaleat: quæ quidem cum peculiares habeant suæ credibilitatis difficultates, rectè sub sigillis recondi dicuntur: v. g. diuinitas Filij, diuinitas Spiritus sancti, exinanitio verbi in assumptione humanitatis, exaltatio humanitatis per vnionem ad verbum, glorificatio sanctorum quos amplis honoribus in hac vita & in futurâ munerat, ob exantlatos labores & deuictos nominis sui hostes; iusta bonorum spiritualium & auxiliorum Dei, ob pessimum eorundem vsum, subtractio; Dei clementia & benignitas, cum homines variis tribulationibus ac morbis subjicit.

Tertia interpretatio est de 7. virtutibus diuinæ prouidentiæ, nempe omnipotentia, bonitate, iustitia, sapientia, patientia, longanimitate, seueritate, quæ sub specie imbecillitatis, tyrannidis, iniustitiæ, stultitiæ, neglectus, conniuentiæ, permissionis, peccatorum impunitatis recluduntur. Quæ quidem omnia fusius, Deo dante, in capite sequenti prosequemur. Nunc de difficultatibus his fidem adhibendi mysterij propositis, quâ ratione tollantur, nobis est differendum.

Et vidi Angelum fortem prædicantem voce magnâ: Quis est dignus aperire librum & soluere signacula eius? Et nemo poterat neque in cœlo neque in terrâ.

Ecclesiam per orationem, ad diuinorum mysteriorum cognitionem, & secretorum quæ in libro mirabili continentur, deuenire.

ANNOTAT. II. §. 1.

RECTE Andreas Cæsarienſis: *Per hæc, inquit, manifestè ostenditur neque Angelos, neque homines in carne adhuc degentes, neque sanctos corpore iam exutos accuratam iudiciorum Dei notitiam tenere: sed ipsum Dei Agnum solum. Hic vnus enim oracula iam olim per Prophetas de ipso edita per suum aduentum accuratè dissoluit, suaque Ecclesiæ patefecit.* Hæc ille. Etenim in his verbis sanctus Ioannes satis apertè demonstrat ad hanc lucem caligare oculos, ad hoc secretum non omnes admitti, ac supra captum & Angelicæ mentis ea omnia existere quæ in libro continentur. Nemo enim aperire potest librum, *Id est*, inquit Dionys. Carthus. *sententias huius libri exponere, & soluere signacula, id est, causas & difficultates eius amouere, vt quæ latent pateſcant; vel aperire librum, id est, horum scientiam elucidare; Neque respicere illum, id est, secreta eius comprehendere aut rimari.* Et Rupert. lib. 4. *Aperire librum est adimplere quæ scripta sunt.* Ambros. idem sentire videtur, cum ait: *Christus librum Veteris Testamenti aperuit, quæque ibi significabantur, opere implens: postea verò ea quæ in Veteri Testamento obscura erant & in nouo Doctoribus Ecclesiæ per inspirationem Spiritus sancti aperuit, quæ apertio reseratio est sigillorum.* Hæc ille. Quibus innuere videtur apertionem libri, & impletionem eorum quæ in libro continentur & illorum reuelationem per inspirationem Spiritus sancti specialem, requirere. Nec dissentire videtur sanctus Hilarius, cum prologo in Psal. ait: *Sed vicit Leo de Tribu Iuda & Radix Dauid librum & signacula eius aperire; quia solus septem illa quæ superiùs docuimus signacula, quibus liber clausus est, per sacramentum corporationis suæ de diuinitatis absoluit. Idipsum autem Dominus post resurrectionem testatus est, quia creditis his quæ impleta sunt per eum, cuncta illa quæ signata & clausa sunt & aperientur & absoluentur.* Hæc ille. Qui & absolutionem eorum quæ signata sunt, & fidem ad ea credenda requirendo, duo requirere videtur: nempe rerum euentum & absolutionem, & lumen diuinum vt ea quæ adimplentur mysteria cognoscantur. Sancto Hieron. in Ezech. c. 2. sicut inuolutio & signatio libri difficultatem legendi & intelligendi significat, ita eius apertio & reseratio videtur esse assensus fidei, ad ea colenda quæ in libro continentur, cum ait de illo libro loquens quem Ioannes in Apocalypsi deuorasse se dixit, non totum sed in capitulo, id est, in principio: *Neque enim fieri potest vt humana natura totos huius libri thesauros deuoret: & expandit illum coram Propheta, & legendum cognoscendumque præbuit, qui in Isaia populo non credendi dicitur esse signatus: Vsque hodie enim velamen Iudæis in Veteri positum est testamento.* Hæc ille. Non credenti igitur est signatus, credenti ex consequenti erit apertus. Impletionem tamen rerum & operum requirit in Dan. 8. ad cognitionem visionis signatæ, cum ait in illud: *In nouo signa visionum, ex verbo ostendens signaculi obscura esse quæ dicebantur, & non patere multorum auditui, nec posse ante intelligi nisi rebus & operibus impleantur.* Cornelius à Lapide aperire librum & soluere signacula, ita interpretatur, vt (&) coniunctio significet, id est, quasi dicat: *Quis est dignus aperire librum*, id est, soluere eius signacula? siue, *Quis dignus est aperire librum*, soluendo eius signacula? Nam aperire librum signaculis clausum non est aliud quam ipsa eius signacula soluere & resignare. Ego vero existimo in apertione libri significari tum rei quæ prædicitur seu prophetatur futuritionem, & adimpletionem eius, denique vel oculis vel auribus propositionem; in solutione signaculi difficultatis, quæ vel ob obscuritatem & altitudinem mysterij, vel ob imbecillitatem mentis nascitur, remotionem. Inest enim in mente humanâ certe quædam difficultas assentiendi mysteriis, ac rebus supernaturalibus fidem adhibendi, vt quamuis oculis videantur, eaque distinctè auribus percipiat, tamen adhuc reluctet, nisi supernaturali auxilio adiuta assensum præbere valeat: v. g. Christus Dominus faciebat miracula: mortuos suscitatos, claudos ambulantes, cæcos videntes Iudæi intuebantur, erat quodammodo apertio libri, nempe per tales effectus quàm benevolè, quàm pacificæ erant Dei cogitationes à sæculo reconditæ in mente diuinâ erga homines cernebatur: restabat adhuc difficultas assentiendi ex parte Iudæorum: Quidam enim credebant, quidam non. Imo dicebant: *Hic non eiicit dæmonia nisi in Principe dæmoniorum.* Quorum sortem miserandam Christus deplorans aiebat: *Væ tibi Corozaim: Væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Math. 11. & Luc. 10. Ablatio igitur & amotio illius difficultatis vt mihi videtur est solutio signaculi.

At, inquies, quomodo liber poterit aperiri, antequam soluantur signacula? Respondeo si per signacula vt vidimus intelligimus notas insuetas aut characteres

a Cæsarien.

S. Dionys. Carthus.

Rupertus. Ambrosius.

S. Hilarius.

S. Hieron.

Cornelij à Lapide sententia.

Matth. 11. Luc. 10.

Digitized by Google

adhuc quidem, ex nobis ignoratum, hinc à Deo
Patre, Filio, & Spiritu Sancto, ad Ecclesiam
Christi reservatum. Hanc à quibusdam
Ecclesiis Asiæ, ut Ephesi, Smyrnæ, Pergami,
Thyatiræ, & Laodiceæ, & fortasse aliis, ad-
huc in Christo latentem, & in Ecclesia Dei
absconditam, esse credimus: hæc hactenus ad
Apostolos Dei spectat, & ad nostrum Ordinem. Et
quia Ecclesia Christi, quæ est Corpus Christi,
& Sponsa Christi, & Templum Dei, & Ci-
vitas Dei, & Regnum Dei, & Regnum Cœlo-
rum, & Cœlum, & Terra, & Mare, & Fluvius
Dei, & Paradisus Dei, & Arbor Vitæ, & Fons
Vitæ, & Lignum Vitæ, & Fructus Vitæ, & Ci-
vitas Sancta, & Jerusalem Cœlestis, & Jerusalem
Nova, & Jerusalem Sancta, & Jerusalem Libera,
& Jerusalem Quæ Descendit de Cœlo, & Jerusalem
Quæ Ascendit de Cœlo, & Jerusalem Quæ Ascendit
ad Cœlum, & Jerusalem Quæ Ascendit ad Deum,
& Jerusalem Quæ Ascendit ad Patrem, & Jerusalem
Quæ Ascendit ad Filium, & Jerusalem Quæ Ascendit
ad Spiritum Sanctum, & Jerusalem Quæ Ascendit
ad Sanctum Sanctorum, & Jerusalem Quæ Ascendit
ad Sanctum Sanctorum Sanctorum, & Jerusalem
Quæ Ascendit ad Sanctum Sanctorum Sanctorum
Sanctorum, & Jerusalem Quæ Ascendit ad Sanctum
Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum, & Je-
rusalem Quæ Ascendit ad Sanctum Sanctorum San-
ctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum,
& Jerusalem Quæ Ascendit ad Sanctum Sanctorum
Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanc-
torum Sanctorum, & Jerusalem Quæ Ascendit ad
Sanctum Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum
Sanctorum Sanctorum Sanctorum, & Jerusalem
Quæ Ascendit ad Sanctum Sanctorum Sanctorum
Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanc-
torum Sanctorum Sanctorum, & Jerusalem Quæ
Ascendit ad Sanctum Sanctorum Sanctorum Sanc-
torum Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum
Sanctorum Sanctorum Sanctorum, & Jerusalem
Quæ Ascendit ad Sanctum Sanctorum Sanctorum
Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanc-
torum Sanctorum Sanctorum Sanctorum, & Je-
rusalem Quæ Ascendit ad Sanctum Sanctorum San-
ctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum
Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum, &
Jerusalem Quæ Ascendit ad Sanctum Sanctorum
Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanc-
torum Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum,
& Jerusalem Quæ Ascendit ad Sanctum Sanctorum
Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanc-
torum Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum
Sanctorum, & Jerusalem Quæ Ascendit ad Sanctum
Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanc-
torum Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum
Sanctorum Sanctorum, & Jerusalem Quæ Ascendit
ad Sanctum Sanctorum Sanctorum Sanctorum San-
ctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum
Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum, &
Jerusalem Quæ Ascendit ad Sanctum Sanctorum
Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanc-
torum Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum
Sanctorum Sanctorum Sanctorum, & Jerusalem
Quæ Ascendit ad Sanctum Sanctorum Sanctorum
Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanc-
torum Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum
Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum, &
Jerusalem Quæ Ascendit ad Sanctum Sanctorum
Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanc-
torum Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum
Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanc-
torum Sanctorum, & Jerusalem Quæ Ascendit ad
Sanctum Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanc-
torum Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum
Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanc-
torum Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum
Sanctorum Sanctorum Sanctorum Sanctorum San-
ctor

Ἀδάμας, ἀπὸ τοῦ μὴ δαμᾶσθαι, ἢ δαμάζεσθαι ὑπὸ τοῦ πυρός. Ἔστι δὲ καὶ λίθος τιμιώτατος, ὁ καὶ ἀδαμαντίτης καλούμενος, καὶ ἀδαμαντοειδὴς, ὁ καὶ ἀδαμαντοειδὴς καλούμενος, καὶ ἀδαμαντοειδὴς καλούμενος, καὶ ἀδαμαντοειδὴς καλούμενος,

Quidam autem per librum illum volunt intelligere Scripturam Veteris & Novi Testamenti, quæ ante Christi Passionem clausa fuit, & post Passionem aperta. Alii per librum intelligunt Ecclesiæ Prælatos, qui Scripturam Sacram aperiunt populo. Alii per librum intelligunt Ecclesiæ Prædestinationem, quæ clausa fuit ante Christi Passionem, & aperta post Passionem. Sed hæc omnia videntur esse nimis violenta. Nam liber Scripturæ non dicitur signatus, sed apertus. Nec liber Prædestinationis dicitur signatus, sed potius liber vitæ. Nec Prælati Ecclesiæ dicuntur libri, sed potius Doctores. Unde dicit Augustinus super Joannem, quod Apostoli sunt Evangelium Christi, quia quicquid ipse Christus fecit & docuit, hoc Apostoli scripserunt. Et Gregorius dicit, quod Prædicatores sunt libri, quia per eos Deus nobis loquitur. Et Augustinus dicit, quod Prædicatores sunt Epistolæ Christi, quia per eos Christus

Ephesum Angelum, Ecclesiæ quæ ibi erat. Nempe Ecclesiæ Ephesinæ. Ita Ecclesiæ Smyrnæ, Pergamenæ, Thyatirenæ, &c. Ecclesiæ, ut ex versu 20. patet. Ecclesiæ autem nomine, non tantum Episcopum, sed & totum cœtum Christianum, qui in ea urbe erat, designari, ex eo manifestum est, quod Epistolæ ad Ecclesias, non ad Episcopos, scribuntur.

Cap. 1.

Cap. 2.

Cap. 3.

Cap. 4.

Cap. 5.

Cap. 6.

Cap. 7.

Cap. 8.

Cap. 9.

Cap. 10.

Cap. 11.

Cap. 12.

Cap. 13.

Cap. 14.

Cap. 15.

Cap. 16.

Cap. 17.

Cap. 18.

Cap. 19.

Cap. 20.

Cap. 21.

Cap. 22.

Et tuæ in Sapientiæ ductu mobile. Ita Beatus. Sed Arethas, Et tuæ in Sapientiæ ductu mobile. Quæ lectio quidem Græcismum & Solœcismum habet.

QUÆNAM SUNT ET QUOTUPLICES MORBI IN ECCLESIA? CAPUT VII.

NUNC, ut ad Ecclesiæ morbos veniamus, ex Scriptura & Patribus colligi potest, duos esse, qui Ecclesiam Christi maxime infestent, & pessundare conentur, Hæreses & Schismata. Hæreses, quæ fidem, Schismata, quæ charitatem, quæ est vinculum perfectionis, corrumpere & dissolvere solent. Hæreses, quæ fidem corrumpunt, sunt, quæ Christum, aut Christi Divinitatem, aut Humanitatem, aut Officium, aut Regnum, aut Sacerdotium, aut Prophetiam, aut Ecclesiam, aut Sacramenta, aut Resurrectionem negant, aut in dubium vocant. Talium Hæreseon Autores fuerunt Cerinthus, Ebion, Carpocrates, Basilides, Valentinus, Marcion, Manes, Arius, Eunomius, Macedonius, Nestorius, Eutyches, Monothelites, Iconomachi, Anabaptistæ, Socinus, Antitrinitarii, Antiecclesiastici, Antisacramentarii, Antiscripturarii, Antiresurrectionarii, Antichristiani, Antiprophetæ, Antisacerdotes, Antiregnicolæ, Antiofficiales, Antihumanitarii, Antidivinitarii, Antichristi. Horum omnium Hæreticorum Princeps & Dux est Diabolus, qui ab initio homicida fuit, & in veritate non stetit, Joan. 8. 44. Schismata, quæ charitatem violant, sunt, quæ Ecclesiam Christi in varias factiones, sectas, & partes dividunt, & scindunt. Talium Schismatum Autores fuerunt Novatus, Novatianus, Donatus, Meletius

multis, qui Apoſtolorum prædicationem audiebant
Act. 8. & 10. Act. 8. & 10. c. Sed maxime alludi ad conuerſionem ſancti Pauli, quam feciſſe Chriſtum narrat Lucas Act. 9. Dionyſius Carthuſianus vult eſſe ſanctum Matheum: addit, *Quidam Petrum Archiapoſtolum putant expreſſum.* Ita ille. Nicolaus de Lyra voluit hunc ſeniorem eſſe Petrum Apoſtolum.

Act. 9.
Dionyſ. Cart.

Ego vero ſicuti per Angelum fortem Eccleſiam congregatam à Spiritu ſancto, ſeu Spiritum ſanctum in Eccleſia operantem repræſentari puto, ita hic ſummum Pontificem dubium reſoluentem, ſeu potiùs ipſum Spiritum ſanctum in Petro & in ſummis pontificibus loquentem, per ſeniorem repræſentari exiſtimo: Ita vt vnus ex ſenioribus idem ſit ac primus: ſicuti c. 6. vnum de ſeptem ſigillis, id eſt, primum: vel vnum de quatuor animalibus, id eſt primum animal. Senioris appellationem S. Petrus ſibi adſcribit 1. epiſt. c. 5.

1. Pet. c. 5. *Seniores ergo qui in vobis ſunt obſecro conſenior, & teſtis Chriſti paſſionum, qui & eius quæ in futuro reuelanda eſt gloriæ communicatur. Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, &c.*

Eſt igitur Petrus ſenior inter ſeniores: & cum ſit in ordine & dignitate primus, rectè hic ſignificatur per vnum, id eſt, primum ex ſenioribus: & in eius perſonâ cæteri ſucceſſores adumbrantur. Cum igitur ſenioris ſibi appellationem tribuit, potiori ratione illum intelligimus per hunc ſeniorem, quam alium Prophetam, Apoſtolum, aut Euangeliſtam. Et reuera ſenioris figura optime pro ſymbolo hic aſſumitur, vbi agendum eſt de negotio majoris momenti, nempe de fundamento totius Chriſtianitatis: videlicet an Chriſtus ſit verus Meſſias credendus, qui poſſit & aperiri ſeu exequi ea quæ in libro ſcripta ſunt, & nobis omnes credendi diuina myſteria difficultates ſoluere & amouere, cum illa nobis credenda proponentur: maximè quippe ſapientiâ, & prudentiâ, opus eſt ad veritates fidei abſque periculo erroris dignoſcendas, & ad eaſdem vtiliter proponendas. Cuius quidem ſapientiæ & prudentiæ ſymbolum eſt aptiſſimum ſenior ætas.

Dico igitur flagrans deſiderium Eccleſiæ exaudiri, cum illi Deus de ſummo Pontifice prouidit: cuius fides non poſſit deficere, qui fratres ſuos poſſit confirmare, qui habeat clauem ſcientiæ, ſicuti habuit Petrus, qui in propoſitione primi dubij, nempe an Chriſtus eſſet verus Meſſias promiſſus, tam ſapienter quæſtionem ſoluit, cum olim ait,

Matt. 16. *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* Matt. 16. & nunc Ioannem conſolatur, cum ab illo videtur eandem ſoluere quæſtionem in exordio naſcentis Eccleſiæ, nempe cum ait. *Ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & ſoluere ſignacula eius.* Ac ſi diceret: Ardenter deſideratis ſcire quis ea quæ in libro præſcientiæ futurorum per totum Eccleſiæ decurſum feliciter adimplebit? Quis ea quæ ſunt neceſſaria ex libro edocebit? Scitote quia Chriſtus eſt, qui ex tribu Iuda & ex Dauide ortus, tanquam leo fortiſſimus omnem aduerſariam poteſtatem comminuet: Ad eum quippe pertinet aperire librum, tàm ea quæ in eo ſunt deſcripta adimplendo, quàm ea proponendo; & ſi quid difficultatis inerit, ſoluet ſignacula: omnem amouebit difficultatem, vt difficiliora myſteria credatis; quin & perficere poſſitis ea etiam quæ aliquomodo vires ſuperare humanas videntur; omnia denique acerbiora tolerare valeatis. Sciendum quippe eſt primum dubium in Eccleſia reſoluendum, fuiſſe illud, nempe an Chriſtus Dominus verus eſſet Meſſias, ad quem pertinet omnia exequi quæ Deus ordinauerat fieri ad ſui nominis manifeſtationem. Quod

A præſtitiſſe Petrum efficaciſſimè, nemo niſi planè pertinax denegare poterit. Matt. 16. Act. 2. 3. & 4. Matt. 16. cum Chriſto Domino dicente, *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Reſpondit Petrus. *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Act. 2. Poſt Miſſionem Spiritus ſancti in primâ concione quam habuit Petrus, cum inter alia ait: *Viri Iſraëlitæ, audite verba hæc Ieſum Nazarenum virum approbatum à Deo in vobis virtutibus & prodigiis & ſignis quæ fecit Deus per illum in medio veſtri, ſicut & vos ſcitis, hunc definito conſilio & præſcientia Dei traditum per manus iniquorum affigendo interemiſtis: quem Deus ſuſcitauit ſoluto doloribus inferni, iuxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo.* Hæc ille. Nonne quæſo vides leonem, mortem & infernum vincentem? Et Act. 3. in concione habitâ poſt curationem claudi petentis eleemoſynam ab introeuntibus in templum, cum multa de Chriſto diſſeruiſſet, tandem concludit: *Deus ſuſcitauit Filium ſuum miſit eum benedicentem vobis, vt conuertat ſe vnuſquiſque à viâ ſuâ.* Et Act. 4. cum interrogarentur Petrus & Ioannes à ſenioribus, ſcribis & principibus ſacerdotum, in qua virtute feciſſent hoc ſignum? Petrus repletus Spiritu ſancto dixit ad eos: *Principes populi & ſeniores audite. Si nos hodie dijudicamur in beneficio hominis infirmi, in quo iſte ſaluus factus eſt, notum ſit omnibus vobis & omni plebi Iſrael, quia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, in hoc iſte adſtat coram vobis ſanus. Hic eſt lapis qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli: & non eſt in alio aliquo ſalus: nec enim eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri, &c.* Fles ó Ioannes, quia neque in cœlo neque in terra neque ſubtus terram vllus eſt, qui decreta Dei pro Eccleſiæ bono ſtatu poſſit & ſcire & aperire, aut adimplere omnia. Illa diuina diſpoſitio de rebus futuris in Eccleſiâ liber eſt clauſus, ſignatus & ſigillatus. Quid quæſo luges? recordare Chriſtum Leonem eſſe, qui glorioſè de inimicis ſuis victoriam reportauit. Hunc ſcias illum eſſe in cuius fide omnia aperientur myſteria, & feliciter complebuntur quæ ipſe optimè nouit eſſe facienda, vt in hominibus & per homines glorificetur cum Patre & Spiritu ſancto, cui laus & gloria debetur in ſecula ſæculorum: Hæc à Petro diſce. Num illius confeſſionis oblitus? nùm è memoriâ excidit quæ dixit quæ promulgauit ſtatim atque Spiritus ſanctus ſuper vos deſcendit? Quid oro, aliud loquebatur quam id quod audis ipſum proferre per me ſeniorem illius perſonam gerentem. Scias ipſum eſſe conſtitutum à Deo vt per os eius audiant omnes gentes verbum Euangelij, & credant. Vt ſicut hanc primam, ex eius perſonâ, enuntio veritatem, ita & aliæ ab ore eius & ſucceſſorum ipſius erunt requirendæ. Equidem adeo verum eſt Petrum quamplurimum inſeruiſſe ad Chriſti cognitionem propagandam, vt infideles dicerent Chriſtum per Petri maleficia ab hominibus coli & adorari. Hoc docet S. Aug. lib. 10. de Ciuit. c. 53. vbi loquitur de vltimâ perſecutione, & ſupputationibus variis temporis, quo Anti-Chriſtus venturus eſt. *Omnium*, inquit, *vero de hac re calculantium digitos reſoluit, & quieſcere iubet ille qui dicit: Non eſt veſtrum ſcire tempora quæ Pater in ſua poſuit poteſtate. Sed quia Euangelica ſententia eſt, nimium non eſt non eâ repreſſos fuiſſe deorum multorum falſorumque cultores, quotiens fingerent demonum reſponſis, quos tanquam Deos colant, definitum eſſe quanto tempore manſura eſſet religio Chriſtiana. Cum enim viderent ne tot tantiſque perſecutionibus eam potuiſſe conſumi, ſed his potius mira incrementa ſumpſiſſe, excogitauerunt neſcio quos verſus Græcos, tanquam conſulenti cuidam diuino oraculo effuſos, vbi*

Act. 2. & 4 & Matt. 16.

Act. 3.

Act. 4.

S. Auguſt.

Chriſtum quidem ab huius tanquam ſacrilegij crimine ſa-
ciunt innocentem ; Retrum verò maleficia feciſſe ſubiun-
gunt, vt toleretur Chriſti nomen per trecentos ſexaginta
quinque annos. Deinde completo memorato numero an-
norum ſine morâ ſumeret finem. Hæc Auguſt. Cur quæſo potius. Hæc Petro aſcribentur quam Paulo, qui Romæ æque ac Petrus prædicauit Euangelium, qui plus cæteris ſe laboraſſe non dubitat aſſerere
2. ad Cor. 2. 2. ad Cor. 11. Niſi quia etiam ipſis gentibus notum erat Petrum eſſe caput cæterorum, qui primus de Chriſto coram populo Iudæorum & principibus ſacerdotum clariſſimum præbuerat teſtimonium, & cuius auctoritate tota huius celebertimi cætus chriſtianorum moles fulciri cernebant. *O hominum*, addit Auguſtinus, *corda doctorum ! O ingenia litteratorum*
digna ! Credere ita de Chriſto, quæ credere non vultis in
Chriſtum ; quod eius diſcipulus Petrus ab eo magicas artes
non didicerit, ſed ipſo innocente tamen eius diſcipulus ma-
leficus fuerit, nomenque illius quàm ſuum coli maluerit
magicis artibus ſuis, magnis laboribus & periculis ſuis,
poſtremo etiam effuſione ſanguinis ſui : ſi Petrus maleficius
fecit, vt Chriſtum ſic diligeret mundus, quid fecit Chri-
ſtus Innocens vt eum ſic diligeret Petrus ? Reſpondeant
igitur ſibi ipſi, & ſi poſſunt intelligant illâ ſuprema gra-
tiâ factum eſſe, vt propter æternam vitam Chriſtum dili-
geret mundus, quâ gratiâ factum eſt vt propter æternam
vitam ab illo accipiendam, & vſque ad temporalem
mortem pro illo patiendam Chriſtum diligeret Petrus.
Macarius. Ita Auguſtinus. Vnde optimè Macarius, hom. 26. *Moſi ſucceſſit Petrus qui nouam Eccleſiam Chriſto verum-*
que ſacerdotium creauit. Hæc ille.

Dices ; ſi ita eſt quod Ioannes ad ea quæ in initio Eccleſiæ exortientis acta fuere reſpiciat, igitur hiſtoriam texit præteritorum non futurorum prophetiam. Reſpondeo primò cum hic liber ſeu reuelatio propriè ſit quædam explicatio per ænigmata eorum omnium quæ ad gloriæ Chriſti manifeſtationem pertinent, ſeu quoddam de Ieſu authenticum teſtimonium (teſtimoniũ enim Ieſu eſt ſpiritus huius prophetiæ) debuit ſanctus Ioannes incipere ab inſtanti à quo clarè & euidenter nomẽ Chriſti celebrari cepit. Hoc enim videmus fuiſſe ſtudiosè obſeruatum ab Apoſtolis in initio prædicationis, vt fidem
Act. 8. Chriſti potiſſimùm inculcarent : qua quidem ratione ducti in nomine Domini Ieſu baptiſabant vt videre eſt Act. 8. *Baptiſati tantum erant in nomine Domi-*
ni Ieſu : Et Act. 2. *Baptiſetur vnuſquiſque veſtrum in no-*
Lyranus. *mine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum. In hac enim*
forma, inquit Nicolaus de Lyra, *baptiſauerunt in*
primitiuâ Eccleſiâ, conſilio Spiritus ſancti, vt nomen
Chriſti quod erat apud Iudæos in contemptum & odioſum,
amabile redderetur & venerandum : quo facto rediit Ec-
cleſia ad formam à Chriſto inſtitutam Matth. vltimo. Ba-
ptiſantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti :
Verumtamen in nomine Chriſti intelligitur Pater vngens,
& Filius vnctus, & ipſa vnctio qui eſt Spiritus ſanctus.
Hæc Lyranus. Quidquid ſit, cum hic liberi in Chriſti gloria deſcribenda totus ſit, debuit ab eo tempore incipere à quo cœpit prædicari nomen eius coram regibus & populis & gentibus : & hac ratione ſanctus Ioannes ſcribit ea quæ vidit, ſecundum quod illi dictum fuerat : *Scribe ergo quæ vidiſti, &c.*

Secundò in hac eorum quæ iam acta fuerant narratione adumbrari etiam quæ futura erant, Prophetat quippe Ioannes ſub hiſtoria rei præteritæ, quâ ratione Eccleſia dubiis emergentibus occurrere poterit, nempe orationi inſtando, illius vocem audiendo de cuius ore fidei dogmata Eccleſiæ debent proponi. Impium enim eſſet dicere Petrum mentiri cum in conſilio Hieroſolymitano pro quæſtione legalium ceremoniarum decidenda congregato, conquiſitione magna facta vt omne dubium amoueret, ſurgens dixit ad eos qui congregati erant : *Viri fratres, vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in*
nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euange-
lij & credere. Hæc ille. Qua auctoritate ac poteſtate docendi verbum Euangelij quæſtionem agitat, ſoluit cum addidit : *Et qui nouit corda Deus, teſtimo-*
nium perhibuit, dans illis ſpiritũ ſanctũ ſicut & nobis : &
nihil diſcernit inter nos & illos, fide purificãs corda eorum.
Nunc ergo quid tentatis Deum imponere iugũ ſuper ceruices
diſcipulorum quod neque patres noſtri neque nos portare
potuimus. Sed per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti cre-
dimus ſaluari quemadmodum & illi. Quibus dictis omnem conquiſitionem compeſcuit, tacuit enim omnis multitudo : ad alia tractanda factus fuit tranſitus, ita vt clarè videatur Petrum tanquam poteſtatem habentem locutum, eique omnes obtemperaſſe & eius ſtetiſſe determinationi. Primam igitur Petri determinationem de Chriſto ſanctus Ioannes aſſerens, prophetat de modo qua deinceps Eccleſia vtetur vt in his ſimilibus veritatem requirat, ab ore Petri & ſucceſſorum eius : Ac ſi Ioannes diceret : Deeſſe num poteſt Eccleſiæ ſponſæ chariſſimus ſponſus in neceſſariis ? in ignorantiæ tenebris nunquam derelinquere poterit : Gloria Domini ſuper eam orta eſt : ambulabunt in lumine eius omnes gentes. Ideo ſicut Deus iam per Petrum denſiſſimas incredulitatis Iudæorum de Chriſto Meſſia tenebras diſſipauit, ita in futurum ſi quæ nebulæ dubiorum lumen veritatis offuſcare attentauerint, per eos qui locum Petri tenebunt proculdubiò diſſipabũtur : ita vt fideles erroribus variis abduci nunquam poterunt, ſi ad ſplendorem huius diuini luminis in ſede Petri tanquam in ſole inſidẽtis, ambulare voluerint.

Explicatio huius oraculi : Ecce vicit Leo de tribu Iuda,
radix Dauid, aperire librum & ſoluere ſignacula
eius. §. 2.

Chriſtum Dominum in ſcriptura Leonem dici perſpicuum eſt Geneſ. 49. Illius ſimilitudinis Vie-
Geneſ. 49. Viegas. gas quatuor affert rationes quas latius explicat, ob fortitudinem, principatum, intrepidam potentiam omnibus terrorem incutientem, vigilantiam : ſeu quia vt Leo ſtatim atque ortus eſt cernit, ita Chriſtus ab inſtanti conceptionis fuit omni ſcientia præditus. Quaſdam alias addit Cornelius : v. g. quod ſicut vt Leo apertis dormit oculis, ſic Chriſtus in paſſione & morte ſcientiâ fruitur infusâ & viſione beatificâ. Quia filius eſt virginis, cui vt leenæ vnicus fuit partus. Ita Epiphanius Hæreſi 78. *Quia ſua occul-*
S. Epiphanius. *tat : vt Leo veſtigia, id eſt, diuinitatem.* Ita Epiphanius Para. 2.

Radix Dauidis dicitur. j. ramus ex ſtirpe & radice id eſt, ex familia Dauidis, iam plene ſuccisâ extinctâ, humi depreſsâ, & in radice tantum ſub terrâ quaſi deliteſcente ſub pullulans & prognatus, qui regiam hanc Dauidis familiam eiuſque regnum, non temporale ſed ſpirituale reſtituit & glorioſum effecit. Idem enim videtur eſſe radix quod genus, id eſt, propago : & filius Dauidis ex cap. vltimo Apocalypſis, *Ego ſum radix & genus Dauid* : Per alluſionem ad Iſaiæ 11. *Et egredietur virga de radice Ieſſe:* Iſ. 11.
& flos de radice eius aſcendet. Et cap. 53. *Et aſcendet* Iſ. 53.
ſicut virgultus coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti.
Qui quidem, ait Andreas Cæſarienſis, *ſecundum diui-*
Andreas Caſ. *nam naturam, prout nimirum rerum omnium conditorum*
eſt, Dauidis radix & origo eſt : at vero ſecundum naturam
aſſumptam ex eiuſdem radice in vitalem hanc lucem pro-
greſſus eſt. Hoc Andreas. Alij, quia Dauid eſt quaſi ſemen, Chriſtus ex eo ortus quaſi radix germinans omnes fideles ; vel tandem quia ab eo Dauid ſibi eximiam ſanctificationem, exaltationem & glorificationem attraxit. Quia enim ex eius ſtirpe fuerat

Digitized by Google

Chaldæorum, quam dixi Deo vti suam
Ecclesiam, & Christo vti sponsam, & Ecclesiæ vti matrem, & Christo vti Deo, ad eum modum quo Ecclesia Christo, & Christus Deo vtitur. Quæ omnia sunt ad Hebræos, non ad Gentes. Sed adeo

Ecclesia Christi, & Christus Deo vtitur, vt ipse Christus Deus sit, & Ecclesia Christi sit Ecclesia Dei, & Christus Deus sit Ecclesiæ Dei, & Ecclesia Dei sit Christi.

Hæc quidem Ecclesia Dei, quæ Christo Deo & Ecclesiæ suæ quæ Christo vtitur, vtitur & Ecclesia Christi, quæ Christo Deo vtitur, & Christus Deus vtitur Ecclesia Dei, quæ Ecclesiæ suæ Christo vtitur. Quæ Ecclesia Dei, quæ Christo Deo vtitur, & Christus Deus vtitur Ecclesia Dei, quæ Ecclesiæ suæ Christo vtitur, & Ecclesia Christi

Illuminat igitur Eccleſiam, vt liber, vt leo, vt radix, vt agnus. Talis enim mos eſt ſcripturæ vt ſub diuerſis ſignis ac ſymbolis cum repreſentet, vt ſic multiplices benignitatis ipſius effectus facilius concipiamus. Liceat mihi huc afferre accuratam ex ſancto Gregorio Nazianzeno de hac re probationem, orat. 49. *Hoc eſt Deus quod cum dicitur non*
S. Greg. Naz. *poteſt dici, cum æſtimatur non poteſt æſtimari, cum definitur ipſa definitione creſcit: quia Cœlum manu ſua cooperuit, pugno omnem mundi ambitum concludit; quem omnia neſciunt & metuendo ſciunt: cuius nomini & Virtuti famulatur hic orbis, & ipſa elementorum ſibi ſuccedentium momentanea viciſſitudo teſtatur. Vide ergo ſi poteſt aliquid eſſe cui poſſit Pater & Filius comparari: quia talis eſt Filius qualis & Pater. Non enim ipſe Vnum cum Patre ſe diceret, niſi talem ſe de Patre qualis eſt & Pater ſcires: Ratio quæ apud Græcos nuncupatur λόγος, quæ inter Patrem & Filium perſonas vel vocabula diſtinguit; quia & ipſe ratio dicitur, quæ tamen ratio multis nominibus appellatur, modò Verbum, modò Virtus, modò ſapientia, modò dextra, modò brachium, modò margarita, modò theſaurus, modò retia, modò aratrum, modò fons, modò Petra, modò lapis angularis, modò agnus, modò homo, modò vitulus, modò aquila, modò leo, modò via, modò veritas & vita, cum ſit Deus omnia in omnibus: vt per hæc vocabula diuinarum diſpoſitionum myſteria cognoſcantur: non vt ipſam majeſtatem Filij Dei definitam monſtremus: hic eſt enim Filius Dei per quem facta ſunt omnia; nam hoc Verbum nuncupatur, quia ſemper in Patre & de Patre, & nihil ſine eo Pater juſſit aut fecit.* Hæc Greg. Vt igitur per tot vocabula diuinarum diſpoſitionum myſteria cognoſcuntur, ita dicimus in hoc loco, per quatuor hæc vocabula diuerſos modos per quos Eccleſia à Chriſto illuminatur oſtendi: *Virtus*, inquit S. Greg. *dicitur, quia proprie de Deo eſt: & omnis poteſtas Patris in ipſo conſiſtit: ſapientia appellatur, quia non aliunde quam de Patre veniens, credentibus arcana cæleſtia reſeranit: Dextera nuncupatur, quia per eum diuina opera perfecta ſunt. Brachium dicitur, quia ab ipſo omnia continentur. Margarita appellatur, vt nihil illo pretioſius habeatur. Theſaurus dicitur, vt in ipſo omnes opes & diuitiæ regnorum cæleſtium reconditæ cognoſcantur. Retia dicitur, quia per ipſum & in ipſo, de mari ſeculi diuerſa gentium multitudo more piſcium per baptiſmum in Eccleſia congregatur, vbi bonorum malorumque diſcrimen agnoſcitur. Aratrum nuncupatur, quia ſigno crucis eius dura pectora ſubiguntur, vt neceſſario ſemini præparentur. Fons aquæ vitæ appellatur, quia ex eo ſapientium corda cæleſtis aquæ gratiâ irrigantur. Petra dicitur, quia credentibus fortitudinem, incredulis duritatem præſtat. Lapis angularis dicitur, quia vtroſque parietes noui & veteris teſtamenti ipſe eorum mediator in ſemetipſo cõtinens copulauit. Agnus appellatur, vt innocentia Chriſti & paſſio demonſtretur. Homo dicitur, quia ſecundum carnem propter nos homines naſci dignatus eſt. Vitulus dicitur, quia propter noſtram ſalutem immolari ſuſtinuit. Aquila dicitur, quia poſt venerabilem reſurrectionem ad Patris reuolat ſedem. Leo eſt dictus, quia ipſe eſt Rex regum, qui mortem & diabolum virtutis ſuæ poteſtate comminuit. Via eſt, quia per ipſum ad Patrem acceſſus eſt. Veritas eſt, quia mendacium neſcit. Vita eſt, quia dat vitam.* Hæc Greg. Pari ratione dicimus Chriſtum librum eſſe, quia Eccleſiam ſcientiæ ac ſapientiæ ſplendore illuſtrat; Leonem, quia operibus miraculoſis coruſcat; radicem, quia operibus virtutum patientiæ, humilitatis, & benignitatis lumen præſtat; Agnum autem, quia per Euchariſtiam veluti per fidei myſterium eam diuinorum luminum claritate exornat: vt meritò dicatur mulier amicta ſole, adeò micantes radios vndequaque vibrat. Non abſimilia iſtis docet ſanctus Auguſt. tract. 46. in 10. Ioannis: vbi ponderat Chriſtum Dominum

A dici oſtium & oſtiarium, & paſtorem & ouem, imò & Leonem: & tandem concludit: *Non ergo pigeat nos fratres, ſecundum quaſdam ſimilitudines ipſum accipere oſtium, ipſum oſtiarium. Quid enim eſt oſtium quo intramus? Quis eſt oſtiarius qui aperit? Quis aperit, niſi qui ſe ipſum exponit? Ecce Dominus dixerat, oſtium: non intellexeramus, clauſum erat; qui exponit ipſe eſt oſtiarius.* Hæc Auguſtinus. Dicamus nos: Quis eſt iſte liber clauſus & ſignatus? Is nempe qui ſecretorum diuinorum abyſſum omni intellectui creato impenetrabilem continet. Quis eſt Agnus? Is nempe qui per myſterium fidei aperit nobis benignitatis & charitatis ſigna, quæ ab æterno ſummus Deus qui ait: *Et in charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miſerans* Ierem. 31.
B *tui*, In mente recondita gerebat: vt hac ratione, quàm pius ac miſericors ſit, & homines & Angeli fateantur. Sit igitur Chriſtus & liber, & Leo, & radix, & Agnus, vt per has ſimilitudines effectus ſuæ benignitatis in nos faciliùs concipiamus.

Quod per agnum ſtantem in medio Throni tanquam occiſum, Chriſtum in Euchariſtiâ exiſtentem debemus intelligere. §. 2.

Radix Dauid Leo eſt vincens, vt librum aperiat. *Ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum.* Ille verò qui vt Leo vincit vt aperiat, Agnus eſt librum aperiens & ſoluens ſignacula. Quid hoc eſt quæſo? Perpendamus attentiùs. Hæc diuina & ſacroſancta myſteria mihi certe ſanctum Ioannem
C ſignificare videtur, quod ille qui in quantum homo filius eſt Dauid, & qui regnat ſedens ad dexteram Patris, omnes ſalutis hominum hoſtes deuicit: vt iuxtà Dei decreta, ac diuina conſilia eos redimeret librum aperuit, id eſt occulta Dei conſilia de hominum redemptione manifeſtauit ea quæ propoſuit credenda, omnem credibilitatis eorum amouendo difficultatem: cum illius redemptionis effectus mediante Auguſtiſſimo Euchariſtiæ ſacramento percipere nos docuit: quod quiſquis fideliter credit, proculdubio omnibus aliis myſteriis fidei aſſenſum facile præbebit. Eſt enim hoc ſacramentum myſterium fidei, omnium aliorum myſteriorum ſummam quo-
D dammodo complectens. At in his myſteriis ſub ſymbolis exponendis ſanctus Ioannes eandem tenere agendi rationem mihi videtur, quam tenuit Angelus Gabriel, cum ad virginem miſſus ipſi incarnationis myſterium aperuit. Erat hoc myſterium in mente diuinâ tanquam in libro ſignato & ſigillato, vnde illud vocat ſanctus Paulus: *Sacramentum abſcon-* Epheſ. 3.
ditum à ſeculis in Deo. Epheſ. 3. Aperuit diuinum conſilium Mariæ Virgini Gabriel, cum eam taliter affatus eſt: *Ne timeas Maria inueniſti gratiam apud Deum: Ecce concipies in vtero & paries filium, & vocabis no-* Luc. 1.
men eius Ieſum. En myſterij ſtupendi propoſitio, quaſi huius libri apertio. Sed difficile eſt creditu virginitate remanente virginem parituram: ideo reſpondet virgo, Quomodo fiet iſtud quoniam virum non
E cognoſco? Omnem difficultatem aufert Gabriel, cum ait hoc per aduenientem ſpiritum & Altiſſimi virtutem fore perficiendum: *Quia non erit impoſſibile apud Deum omne Verbum.* Et exemplum adducitur quo dictis fidem præbeat, cum addit: *Et ecce Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua, &c.* Luc. 1. Ita hic ſanctus Ioannes regnantem Chriſtum ad dexteram Patris vt librum ſcriptum intus & foris (id eſt apprimè ſcientem omnia quæ circa Eccleſiâ interiùs & exteriùs peragenda ſunt, vt ad finem præſcriptum perueniat) fidei noſtræ oculis intuendum proponit: & cum ait hunc librum eſſe in dexteta, idem eſt ac ſi diceret, omnia decreta in eo ſcripta efficaciter adimplenda fore ab eo, qui in manu forti & brachio excelſo nos redimere decreuit.

S. Aug.

decreuit. Librum quippe in manu geſtans innuere videtur: Omnis mea voluntas fiet, quæ decreui perficiam: *At cui brachium Domini reuelatum eſt*, Iſ. 53. *Quis eſt dignus aperire librum & ſoluere ſignacula eius?* Quis ea diuina circa Eccleſiam Chriſti decreta aperire ſeu exequi poterit, ac credibilia reddet hominibus? Nemo inuenitur dignus aperire librum & videre eum. Itaque ad diuinam omnipotentiam recurrit ſanctus Ioannes, cum ſeniorem introducit dicentem: *Ecce vicit Leo de tribu Iuda, aperire librum & ſoluere ſignacula eius.* Ac ſi diceret: Non dubitandum Chriſtum ea omnia præſtiturum quæ decreuit fieri; eſt enim Deus omnipotens, ad quem olim Iſaias clamabat. c. 51. *Conſurge, conſurge, induere fortitudinem brachium Domini: conſurge ſicut in diebus antiquis, in generationibus ſeculorum. Nunquid non tu percuſſiſti ſuperbum, vulneraſti draconem?* Eſt igitur Leo vincens: itaque nihil decreuit quod non valeat adimplere. Et vt ad eorum fidem nos inducat ſuauiùs, dat exemplum efficaciſſimum ſingularis cuiuſdam effectus omnipotentiæ diuinæ, cum de Sacramento Euchariſtiæ ſub ſymbolo agni mentionem facit. *Et vidi: & ecce in medio Throni agnum ſtantem, &c.* Quid enim non poteſt qui naturas tranſmutat? Quid non dabit qui ſemetipſum dat in cibum? Quid adinuenire non poterit, qui tam miro artificio homines ſibi deuinxit & omnia vnum fecit? Vnde optimè duo præcipua confeſſionis Chriſtianæ capita, Chriſtum nempe Dei filium eſſe qui mundum condidit, & vniuerſæ carnis reſurrectionem, confirmat ſanctus Ireneus. l. 4. aduerſus Hyereſes. c. 34. ex eo quod Chriſtus panem & vinum benedictione & inuocatione corpus & ſanguinem ſuum eſſe prædicauerit & fecerit: vt mirum non ſit ſi aſſeramus hic de Euchariſtiâ agi à ſancto Ioanne, vbi opus eſt probare Chriſtum omnipotentiâ præditum eſſe. Ireneum audiamus. *Quomodo autem*, inquit, *conſtabit eis eum panem, in quo gratia actæ ſint, corpus eſſe Domini ſui, & calicem ſanguinis eius: ſi non ipſum fabricatoris mundi filium dicant, id eſt Verbum eius per quod lignum fructificat, & deſluunt montes, & terra das primum quidem ſemen, poſt deinde ſpicam deinde plenum triticum in ſpica? Quomodo autem rurſus dicunt carnem in corruptionem deuenire, & non percipere vitam quæ corpore Domini & ſanguine alitur? Ergo aut ſententiam mutent, aut abſtineant offerendo quæ prædicta ſunt. Noſtra autem eſt conſonans ſententia Euchariſtiæ, & Euchariſtia rurſus confirmat ſententiam noſtram: offerimus enim ei quæ ſunt eius, congruenter communicationem & vnitatem prædicantes carnis & ſpiritus? Quemadmodum enim qui à terra panis, percipiens inuocationem Dei, iam non communis panis eſt ſed Euchariſtia ex duabus rebus conſtans terrena & cæleſti, ſic & corpora noſtra percipientia Euchariſtiam iam non ſunt corruptibilia ſpem reſurrectionis habentia.* Ita Iren. Videſne per Euchariſtiam omnipotentiam verbi in rerum creatione & futura corporum reſurrectione probari, vt mirum non ſit ſi à ſancto Ioanne in argumentum ſumatur omnipotentiæ diuinæ circa Eccleſiæ gubernationem?

Iſ. 53.

Iſ. 51.

S. Ireneus.

per Euchariſtiam omnipotentia Dei manifeſtatur.

Dicimus igitur primò, cum certum ſit hoc ſymbolum de Chriſto intelligi apud omnes interpretes, illud intelligendum eſſe non prout exiſtit, ſiue in cœlo ſiue vt olim inter homines conuerſabatur, ſiue pro tempore quo paſſus vel quo mortem ſubiit in cruce, ſiue pro tempore quo cum diſcipulis poſt reſurrectionem adhuc per quadraginta dies remanſit, ſed verè pro eo modo exiſtendi quem habet in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento. Non pro primo modo, quia Thronus in cuius medio ſtat non eſt ſymbolum Eccleſiæ triumphantis vt vidimus, ſed militantis. Non pro ſecundo, quia in cruce patiens erat occidendus non occiſus, & morte accedente erat verè occiſus non tanquam occiſus: deinde hîc repreſentatur in medio ſeniorum & animalium, à quibus laudatur & glorificatur; in cruce pendens erat in medio latronum & impiorum ſatellitum & Iudæorum blaſphemantiũ: *Et blaſphemabant dicentes: Vah! Qui deſtruis templum Dei, &c.* Non pro tertio quia poſt reſurrectionem Leoni victori conuenientiùs aſſimilatur quam agno: *Chriſtus enim non moritur: mors illi vltra non dominabitur.* Agnus quippe victimæ ſymbolum, Leo victoriæ: & ſi ſigna occiſionis in corpore retinuit, non vt appareret occiſus, ſed vt veſtigiis plagarum retentis, vitæ recuperatæ per reſurrectionem ederet ſigna, illa retinuit. Reſtat igitur vt in memoriam ſuæ natiuitatis, inter homines conuerſationis, paſſionis, mortis, reſurrectionis, aſcenſionis illum repreſentari dicamus per agnum ſtantem tanquam occiſum in medio Throni: hanc que interpretationem non tantum myſticam aut ſymbolicam exiſtimamus, ſed plane literalem. Ita cenſet Nicolaus de Lyra, cum ait, *Agnum, id eſt, Chriſtum in medio Eccleſiarum per orbem in nomine eius conſtitutarum, ſicut ipſe dixit Math. ecce vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Quia ſicut dictus eſt Leo ratione reſurrectionis ad vitam immortalem, Rom. 6. Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur: Et tanquam occiſus, quia quotidie in Eccleſia immolatur, non ſecundum carnem quia reſurrexit ad vitam immortalem vt dictum eſt, ſed ſecundum effectum & repreſentationem, quia per oblationem Euchariſtiæ communicatur nobis effectus ſuæ paſſionis. Ipſa etiam eſt ſimilitudo repreſentatiua ipſius, ſecundum quod dicitur Luc 22. Hoc facite in meam commemorationem. Illud enim quod repreſentat aliquid, nominatur nomine ipſius: ſicut imago Petri nominatur Petrus: & eadem ratione Euchariſtia agnus immolatus: Et ad hoc deſignandum non dicitur hic agnus occiſus ſimpliciter, ſed tanquam occiſus.* Hæc Lyranus: Cuius ſententiæ adhærendum exiſtimo.

B

C

Lyranus.

Optimè Chriſtus, vt in Euchariſtia exiſtens per ſymbolum agni ſtantis tanquam occiſi exprimitur. §. 3.

Punct. 1.

Duplex eſt, inquit S. Dionyſius Epiſt. 9. ad Titum, *Theologorum traditio: altera quidem occulta & myſtica, altera plana & notior.* Illa ſignis continetur atque ceremoniarum normam præſcribit, hæc ratiocinationé & demonſtrationem Philoſophicam complectitur. Iunctum etiam & connexum eſt id quod apertum eſt cum eo quod occultum: atque illud nempe apertum probat & confirmat eorum quæ dicuntur veritatem. Hoc mihi hic dicendum fuit, vt ſcias myſticâ traditione & occultâ quadam ratione & inſtitutione nos hic ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum & ſacrificium contemplari, & iuxta regulam 14. à nobis traditam in prologo operis, per obſtruſa & audacter excogitata ænigmata ſancto Ioanni reuelata nos diuinam & myſteri|j plenam profaniſque non patentem veritatem enunciare; nec ab euidentibus procedere ad incognita, ſed ab incognitis & obſcuris ad euidentem rei ſignificatæ notitiam exquirere, propter optimam partium ſingularum ænigmatis propoſitionem cum re ſignificata. Hac ratione ſpero me ab omni cenſura liberum, ſi agnum ſtantem tanquam occiſum pro Euchariſtiâ ſumo, adeo ſingulæ huius ſymboli partes optimè cum ipſa Euchariſtiâ conueniunt.

D

S. Dion. Iſ.

E

Et primo docet ſancta Tridentina Synodus ſeſſ. 13. c. 1. hæc inter ſe minimè pugnare, vt ipſe ſaluator noſter ſemper ad dexteram Patris in cœleſtis aſſideat, iuxta modum exiſtendi naturalem; & vt multis nihilominus aliis in locis ſacramentaliter præſens nobis adſit, ea exiſtendi ratione, quam & ſi verbis exprimere vix poſſumus poſſibilem tamen eſſe Deo

Concil. Trid.

Digitized by Google

cogitatione per fidem illuſtrata aſſequi poſſumus & conſtantiſſime credere debemus: Ex hac doctrina colligo non eſſe abſurdum ſi Chriſtum vt ſedentem in Throno videamus ad dexteram patris, & tamen illum in figura agni pro myſterio Euchariſtiæ ſignificando illum in medio Throni collocemus.

Igitur in medio Throni eſt, & quatuor animalium & ſeniorum; agnus dicitur, ſtans repreſentatur, tanquam occiſus videtur, habet cornua ſeptem, totidem oculos qui dicuntur ſeptem ſpiritus Dei miſſi in omnem terram; venit, accipit de dextera ſedentis in Throno librum; libro aperto colitur, adoratur, laudatur ab animalibus, à ſenioribus ab Angelis, ab omni creatura. Hæc omnia ponderanda ſunt & ad Euchariſtiam applicanda.

Cur in medio Throni. Punct. 2.

In medio Throni eſt, vt cogitemus quod (vt loquitur ſacrum Concilium Trid. ſeſſ. 13. c. 8.) verè eis, nempe omnibus fidelibus qui Chriſtiano nomine cenſentur, ſit animæ vita, & perpetua ſanitas mentis, cuius vigore confortati, ex huius miſeræ peregrinationis itinere ad cœleſtem patriam peruenire valeant eundem panem Angelorum quem modo ſub ſacris vel auribus edunt abſque vllo velamine manducaturi. Ita Concilium Trid. Sicuti igitur cor in medio corporis conſiſtens, vitæ ſpiritus in omnia corporis membra ſuppeditat, ita Chriſtus in medio Eccleſiæ eſſe dicitur vt cor, quia prælatis autoritatem, ſacerdotibus actiuam ſanctitatem, omnibus charitatem impertit. In medio Throni eſt, quatuor animalium & ſeniorum, vt vitam vnicuique ſtatui & conditioni conuenientem tribuat. Sic ſuam implet promiſſionem, cum per Euchariſtiam nobiſcum eſt vſque ad conſummationem ſeculi. Mediator quippe Dei & hominis homo Chriſtus Ieſus medium ſemper elegiſſe videtur: ac ne in longum protrahatur oratio, ſufficit quod in hac reuelatione videtur modo deambulans in medio candelabrorum aureorum vniuerſam Eccleſiam deſignantium; & hic ſtans in medio throni, animalium & ſeniorum, vt illum tanquam principium vitæ, fontem luminis & initium omnis ſanctæ operationis agnoſcamus: Ita vt nec prælati autoritatem viuidam, nec ſacerdotes ſanctificandi poteſtatem, nec fideles vitalem operationem nec ſinguli & omnes charitatem haberent, niſi in medio eorum conſiſteret arbor vitæ in medio paradiſi poſitus, vt qui eius participes fierent viuant in æternum. O ſumma Chriſti charitas & amor ſingularis! Olim dicebat Apoſtolis: *Ego autem in medio veſtrum ſum tanquam qui miniſtrat.* Hoc miniſtrandi nobis officium derelinquere noluit, vt omnia bona omnibus & ſingulis ſubminiſtraret. Ecce adeſt in medio Throni, animalium & ſeniorum. Olim 1. Reg. 4. Iſraelitæ clamabant: *Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini, & veniat in medium noſtri, vt ſaluet nos de manu inimicorum noſtrorum.* Ecce adeſt Chriſtus in medio Eccleſiæ, vt illam incolumen ſeruet ab inimicis. Saule ſtante in medio prophetarum inſiluit in eum ſpiritus Domini & prophetauit. 1. Reg. 10. Ecce adeſt Chriſtus in medio, vt lumen non accipiat ab aliis, ſed in omnes radios claritatis ſuæ effundat vt loquitur S. Ireneus lib. 4. c. 37. *In carnem Domini occurrat paterna lux, & à carne eius rutila veniat in nos & ſic homo deueniat in incorruptelam.* Hoc efficitur, cum per hoc ſacramentum immortalitatis dono decoramur. At præcipua ratio propter quam in medio ponitur, eſt ratione officij mediatoris, quia per Euchariſtiam fructus & effectus redemptionis percipimus: & applicatur nobis quod in ara crucis immolatus nobis promeruit. Vaſtaſſet incendium omnem Iſraëlis populi multitudinem in vindictam ſeditionis contra Moyſem & Aaronem excitatę, poſtquam Core, Datham & Abiron abſorpti fuerunt in viſceribus terrę, & perierunt de medio multitudinis, niſi Aaron ſumpto thuribulo concurriſſet ad medium multitudinis quam iam vaſtabat incendium: *Stans enim inter mortuos ac viuentes pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſauit.* Num. 16. Pari ratione vaſtaret proculdubio ira Dei, ob varia hominum ſcelera ad vindictam accenſa, multitudinem peccatorum, niſi Chriſtum haberemus in medio noſtri, qui officium mediatoris adimplens interpellat pro nobis: *Et alij quidem plures facti ſunt ſacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere. hic autem eo quod maneat in æternum ſempiternum habet ſacerdotium. Vnde & ſaluare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis.* Hebræorum. 7. *Et quoniam,* inquit ſacrum Concilium Trid. ſeſſ. 22. c. 2. *in diuino hoc ſacrificio quod in miſſa peragitur idem ille Chriſtus continetur & incruente immolatur, qui in ara crucis ſemel ſe ipſum cruentè obtulit, docet ſancta Synodus ſacrificium iſtud vere propitiatorium eſſe, per ipſumque fieri, vt ſi cum vero corde & recta fide, cum metu & reuerentia, contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus miſericordiam conſequamur & gratiam inueniamus in auxilio opportuno: huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donū pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit: vna enim eademque eſt hoſtia. Idem nunc offerens ſacerdotum miniſterio, qui ſe ipſum tunc in cruce obtulit, ſola offerendi ratione diuersâ, &c.* Igitur ſcientes vt ait Petrus 1. c. 1. *quod non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti & incontaminati,* Non mirum ſi mediatoris officium Chriſtus volens implere, in medio throni ſtans nullius alterius rei figurâ aſſumpſit ſed agni.

Et vidi in medio throni & quatuor animalium & in medio ſeniorum agnum ſtantem.

Cur in figura agni. Punct. 3.

Pluribus figuris olim Chriſtus voluit Euchariſtiæ ſacramentum præfigurari: ratione materiæ ex qua conficitur, panis à Melchiſedech oblatus cum vino figura fuit huius ſacramenti: ratione rei contentæ, nempe Chriſti Domini qui hic immolatur & offertur, figuræ illius fuerunt omnia antiqua ſacrificia: quod docet ſancta Synodus Trident. cum de altari ſeu menſâ Domini loquens ſeſſ. 22. c. 2. ait: *Hæc Trident. eſt quæ per varias ſacrificiorum naturæ & legis ſimilitudines figurabatur, vt pote quæ bona omnia per illa ſignificata velut illorum omnium conſummatio & perfectio completurus;* Ratione effectus (quia videlicet animam cibat, reficit & ſatiat, & omni replet dulcedine) per manna ſignificatum fuit, quod omnem habeat ſuauitatis ſaporem. At agni figura ſpeciali ratione & potiori iure excellentior & expreſſior fuit figura huius ſacramenti: vnde optime ſub hac agni figura dicimus ſanctum Ioannem ſacramenti altaris myſterium nobis proponere exempli gratia. Et primus ſacramentum hoc inſtituit Chriſtus, *In quo,* inquit Trid. ſeſſ. 13. c. 2. *diuitias diuini ſui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium ſuorum, & in illius ſumptione colere nos ſui memoriam præcepit, ſuamque annunciare mortem donec ipſe ad iudicandum mundum veniat.* Hæc Trid. Quænam quæſo, figura aptior ad refricandum huius rei memoriam; quam agni figura: cum ſub tali nuncupatione agni hæc Chriſti mors fuerit olim prophetata? Iſ. 53. *Quaſi agnus coram tondente ſe obmutescet, & non aperiet os ſuum:* Et Ierem. 11. *Et ego quaſi agnus manſuetus qui portatur ad victimam: & non cognoui; Omnium Eccle-*

1. Reg. 4.

1. Reg. 10.

S. Ireneus.

Num. 16.

Hebr. 7.

1. Pet. c. 1.

Iſ. 53.

Ierem. 11.

ſtarum, inquit S. Hieron. *iſte eſt conſenſus, vt ſub perſona Hieremiæ à Chriſto hæc dici intelligant*, &c. *Sumi autem*, addit Conc. Trid. *voluit ſacramentum hoc, tanquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viuentes vitâ illius qui dixit, Qui manducat me & ipſe viuet propter me; & tanquam antidotum quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſeruemur.* Ita Conc. Comedebatur etiam agnus cum pane azymo in figura illius ſanctæ comeſtionis. *Et edent carnes nocte illa aſſas igni*, inquit ſcripturas: carnes videlicet agni, *& azymos panes cum lactucis agreſtibus.* Exod. 12. Vnde non mirum ſi nunc in ſignum illius cibi exquiſitiſſimi à ſancto Ioanne agni figura vſurpatur: nec enim res inanimata æque bene repreſentaret hunc viuum & viuificum cibum, quo augmentum gratiæ & complementum gloriæ recipimus, ac repreſentatur per agnum viuentem, & viuentem poſt occiſionem, vt noſtræ reſurrectionis poſt mortem ſit ſignum. Et rectè ſanctus Ireneus ex hac comeſtione conjicit noſtram immortalitatem l. 5. c. 2. *Et quoniam membra eius ſumus, & per creaturam nutrimur, creaturam autem ipſe nobis præſtat, ſolem ſuum oriri faciens & pluens quemadmodum vult; eum calicem qui eſt creatura, ſuum ſanguinem qui effuſus eſt, ex quo auget noſtrum ſanguinem, & cum panem qui eſt creatura ſuum corpus confirmauit, ex quo auget noſtra corpora: quando ergo & mixtus calix & fractus panis percipit Verbum Dei, fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti, ex quibus augetur & conſiſtit carnis noſtræ ſubſtantia. Quomodo carnem negant capacem eſſe donationis Chriſti qui eſt vita æterna, quæ ſanguine & corpore Chriſti nutritur & augetur?* Et poſtea: *Et quemadmodum lignum vitis depoſitum in terra ſuo fructificat tempore, & granum tritici decidens in terram & diſſolutum multiplex ſurgit per ſpiritum Dei qui continet omnia, quæ deinde per ſapientiam in vſum hominibus veniunt, & percipientia Verbum Dei Euchariſtia fiunt, quod eſt corpus & ſanguis Chriſti; ſic & noſtra corpora ex ea nutrita & repoſita in terra, & reſoluta in ea, reſurgent in tempore, Verbo Dei reſurrectionem eis donante in gloriam Dei Patris.* Hæc Ireneus. Ad ſignificandum igitur rei viuentis comeſtionem, qua ad immortalitatem alimur, nullum ſymbolum aptiùs ſumi potuit, quàm agnum poſt occiſionem ſtantem & viuum.

Rurſus 3. Agnus fuit figura immolationis Chriſti, cum ſe in ſacrificium obtulit in ara Crucis: at Euchariſtia ſacrificium eſt æque ac Sacramentum; optimè igitur per agnum qui olim immolabatur poteſt deſignari: Pulchra eſt & clara de hac re ſacræ Trid. Synodi Doctrina ſeſſ. 22. c. 1. quam non piget hìc recitare, vt probemus agni figuram aptiſſimam eſſe quæ aſſumatur ad denotandam Chriſti in altari oblationem. *Quoniam*, inquit, *ſub priori teſtamento, teſte Apoſtolo Paulo, propter levitici Sacerdotij imbecillitatem conſummatio non erat, oportuit Deo Patre miſericordiarum ita ordinante, ſacerdotem alium ſecundum ordinem Melchiſedech ſurgere Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui poſſet omnes quotquot ſanctificandi eſſent conſummare, & ad perfectum adducere. Is igitur Deus & Dominus noſter, & ſi ſemel ſe ipſum in ara Crucis morte intercedente Deo Patri oblaturus erat, vt æternam illic redemptionem operaretur; quia tamen per mortem ſacerdotium eius extinguendum non erat, in cœnâ noviſſimâ quâ nocte tradebatur, vt dilectæ ſponſæ ſuæ Eccleſiæ viſibile (ſicut hominum natura exigit) relinqueret ſacrificium, quo cruentum illud ſemel in cruce peragendum repreſentaretur, eiuſque memoria in finem vſque ſeculi permaneret: atque illius ſalutaris virtus in remiſionem eorum quæ à nobis committuntur peccatorum applicaretur; ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum conſtitutum declarans, corpus & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earundem rerum ſymbolis, Apoſtolis quos tunc noui teſtamenti ſacerdotes conſtituebat, vt ſumerent tradidit; & eiſdem eorumq; in ſacerdotio ſucceſſoribus vt offerrent præcepit per hæc verba: hoc facite in meam commemorationem: vti ſemper Catholica Eccleſia intellexit & docuit. Nam celebrato veteri paſcha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Iſrael immolabat, nouum inſtituit paſcha, ſe ipſum ab Eccleſia per ſacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum, in memoriam tranſitus ſui ex hoc mundo ad patrem, quando per ſui ſanguinem effuſionem nos redemit eripuitque de poteſtate tenebrarum & in regnum ſuum tranſtulit?* Hæc Concil. Sicut igitur immolatio agni paſchalis fuit figura huius ſacrificij, ita eadem figura agni aptiſſimè aſſumi poteſt, vt eiuſdem ſacrificij ſymbolum aptiſſimum.

Quarto ratione effectus, optimè hoc ſacramentum repreſentari poteſt per agnum: nam per Euchariſtiam à malis, à peccatis & à tentationibus diaboli liberamur, & in libertatem filiorum Dei tandem peruenimus. Horũ effectuũ optima fuit figura agnus paſchalis, cuius immolatio & eius perficiebantur in ſignis liberationis à ſeruitute Ægyptiacâ, vt modo ex concilio Trid. videbamus: quos effectus tetigit S. Hieronymus & explicuit, rationem reddens cur Chriſtus agnus vocatus eſt ab Iſ. c. 53. *Hoc teſtimonium*, inquit, *cum in Actibus Apoſtolorũ Reginæ Candacis eunuchus rheda veheretur, & legens non intelligeret, interpretante Philippo ſuper paſſione & nomine ſalvatoris intellexit, & ſtatim baptiſatus in agni ſanguine quem legebat, vir meruit appellari: & Apoſtolus genti Æthiopum miſſus eſt. Qui igitur oblatus eſt Pilato quia ipſe voluit, & non reſpondit, vt patibulum pro nobis damnatus aſcenderet, ipſe ſicut ouis ad occiſionem ductus eſt, & quaſi agnus coram tondente obmutuit: etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: quem Ioannes Baptiſta monſtrabat dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollis peccata mundi: Qui & in Apocalypſi Ioannis Euangeliſtæ agnus occiſus ſæpe memoratur, qui de ipſo loquitur in Hieremia: Ego autem ſicut agnus innocens & ductus ad victimam neſciebam. Cum enim neſciret peccatum, pro nobis peccatum factus eſt: & ſicut agnus cum ducitur ad victimam non repugnat, ſic ille paſſus eſt voluntate vt deſtrueret eum qui mortis habebat imperium: humilians ſe vſque ad mortem & mortem crucis. Hic agnus eſt in cuius typo immolabatur agnus, cuius cruor limitus in poſtibus exterminationem fugabat Ægypti: qui non ſolum ſanguine ſuo nos redemit, ſed & lanis operuit: vt algentes infidelitate, ſuâ veſte calefaceret. Et audiamus Apoſtolum nobis loquentem: Quotquot in Chriſto baptiſati eſtis, Chriſtum induiſtis: Et in alio loco: induimini Chriſto Ieſu.* Hæc Hieronymus: Cum igitur & ratione inſtitutionis & cibi, & ſacrificij & effectus Euchariſtiæ, agni figura conueniat Euchariſtiæ, non abſurdè de illâ ſub figurâ agni mentionem fieri à ſancto Ioanne exiſtimamus. Hic eſt ille agnus, verè agnus Dei quia filius Dei. *Quoniam enim*, inquit Clemens Alexand. l. 1. pædagogi. c. 5. *ſcriptura pueros ac infantes agnos nominat, Deum qui eſt Verbum, qui propter nos homo factus eſt, qui nobis in omnibus aſſimilari volebat, vocauit agnum Dei filium Dei, infantem Patris.* Hæc Clemens. Et ne per iſtum infantem eum minorem patre exiſtimares, exclamat anteà Clemens: *O magnum Deum! O perfectum puerum! filius in Patre & Pater in filio.* Ita Clemens. Quod ſi ex ipſo Clem. agnelli dicuntur qui in hominibus facilitatem ac teneritudinem morumque ſimplicitatem & animi innocentiam præferunt: *Iam vero*, inquit, *cum dicit: Agnelli ſtent à dextris, ſimplices pueros ſignificat, tanquam agni & oues ſint genere: Agnellos autem priuilegio dignos cenſuit eam quæ in hominibus facilitatem ac teneritudinem, morumque ſimplicitatem & animi innocentiam præferens.* Hæc Clemens. Nonne agni no-

S. Hieron. — Exod. 12. — S. Ireneus. — S. Hieron. Iſ. 53. — Trident. — Clem. Alex.

Digitized by Google

men optime tribuitur Christo vt in Eucharistia existenti? Vbi enim maior facilitas in hominibus, eâ quâ se in cibum tradit & nutrimentum? Vbi maior teneritudo, eâ quâ nec momento quidem auelli se à nobis patitur, adeo nos amat, adeo nos tenere diligit, vt Angelorum societate beatorumque mentium consortio non impediatur quominus nobiscum conuersari velit? Quænam maior morum simplicitas cum tantâ maiestate coniuncta, vt in manibus peccatorum videatur, ore eorum sumatur, in stomacho vt plurimum fœtido recipiatur, licet vt solis radius nullam à rebus fœtidis contrahit maculam, ita iste ab peccatorum fœtorũ minime inficiatur? Quænam innocentia integrior eâ quâ peccatores per receptionem tanti sacramenti à peccatis liberantur? Maneat igitur verum agni figuram aptissimam esse, quâ Christus in Eucharistiâ existens significetur. Ecce igitur in medio Throni, *id est*, inquit Dionysius, *in medio militantis Ecclesiæ quæ sedes est Christi, ad quam Euangelistæ & cæteri pertinent sancti: Per thronum & quatuor animalia*, inquit Ambrosius, *& seniores vna Ecclesia, cum cunctis, suis ordinibus designatur: Agnum stantem, id est, Christum. Agnus namque propter innocentiam: mansuetudinem obedientiam & immolationem vocatur Christus. Itaque in medio Ecclesiæ visus est à Ioanne nam & hoc spopondit: Ecce, inquiens, vobiscum sum cunctis diebus. Præterea Christus dicitur in medio fidelium ambulare, inquantum dona sua eis distribuit; & in throno sedere, vt omnium princeps aut iudex, nunc verò dicitur stare, quasi paratus iuuare certantes.* Ita Dionysius Carthus.

S. Dionys. Carthus.

Ambros.

Stantem. Cur stans? Punct. 4.

Videndum igitur quomodo iste agnus dicitur stans: multas huius rei rationem adducit hic Cornelius: Quia Christus resurrexit ad vitam immortalem, ait Glossa: Quasi paratus ad perficiendum opus redemptionis à se inchoatum, inquit Richardus. Stat ad iudicandum, ait Pannonius. Ad opitulandum, ait Ansbertus, Hugo & alij. Stat coram throno Dei quasi aduocatus noster pro nobis interpellans. August. in q. 11. noui testamenti q. 88. quærit sanctus Augustinus cur Isaiæ visus sit sedens in throno; Stephano autem stans. Respondet sicut causa erat fecisse. Ita & Dominus se ostendit. Prophetæ enim visus est quasi rex corripiens plebem: & hoc se ostendit quod erat, hoc est sedentem, in pace enim erat causa diuinitatis eius: Stephano autem vt stans appareret fecit calumnia Iudæorum: in Stephano autem saluatoris causa vim patiebatur. Ideo sedente iudice Deo stans apparuit, quasi qui causam diceret: & quia bona causa eius, ad dexteram iudicis erat: omnis qui causam dicit stet necesse est. Si autem quæ sentio exquiras.

Cornelius. Glossa. Richardus. Pannonius. Ansbertus. Hugo.

August.

Cur agnus stans in medio Throni.

Duabus de causis potissimùm dico Christum in agni figurâ stantem non iacentem representari. Prima quia talis situs seu corporis positio immortali corpori, sano ac vegeto maxime conuenit, quandãque in corpore Christi immutabilitatis rationem denotat: vt quamuis quotidie immoletur in altari, integrum semper & viuum remaneat: licet in Eucharistia præsens constituatur vi verborum consecrationis in pluribus etiam locis; licet sumatur & manducetur & ad motum specierum per accidens moueatur, stat nihilominus in eodem statu in quo erat antequam præsens hic aut alibi constitueretur, nullique alterationi est obnoxium: nouam tantum acquirit relationem ad locum in quo constituitur præsens in Eucharistia, quo dici potest esse hic non alibi: quod quidem fit absque vlla diminutione aut variatione illius felicissimi & glorioissimi status, quem possidet ad dexteram patris constitutus: quia modus existendi in sacramento ineffabilis, quo substantia corporis Christi sit nobis præsens, nihil immutat in modo existendi naturali quem habet in dexterâ patris, vel ipsius corporis in sacramento existentis: nam Christus per totam quantitatem panis aut vini æquabiliter & sine interruptione diffunditur, & sub illa existit non per partes, cum non sit in sacramento modo quantitatiuo, sed indiuisibiliter ad modum rerum spiritualium: & hac ratione illud semper stare dicimus, quia in quacumque partem hostia versari aut reuertari contingat, nulla in corpore Christi vt pote indiuisibiliter in sacramento existenti, fit positionis aut situs mutatio.

Nostra sententia.

Secunda ratio cur stans dicitur à Dionysio Carthusiano affertur. Quia paratus sit iuuare certantes. *Non solum*, inquit Dionysius Areopagita, *ab omni visio discedere, verum etiam virili animo semper duri & intenti ad pernitiosam exitiosamque omnem animi remissionem esse debemus, & nunquam à sacro Veritatis amore cessare: sed dare operam quam maximam possumus, vt ad eam continenter ac semper nitamur: quærentes semper quod nos ad maiora diuinitatis munera perducat.* Ita Dionys. de Eccl. Hierarchia c. 2. Vt hunc statum firmitatis obtinere possimus à Christo iuuamur, *Quando quidem vt Deus*, inquit Dionysius, *effector est propositionis præmiorum, vt autem sapiens eius lege tulit: fecit vt pulcher digna præmia vis qui vicerunt: quodq; est diuinius quoniam vt bonus in ipsis Athletis fuit, cum eis sanctè pro illorum libertate & victoria aduersus mortis atque interitus imperium certans & dimicans.* Hæc Dionysius. At quæso quomodo melius potest dici in ipsis Athletis, quàm cum in sacramento altaris percipitur, vt hac ratione cum eis sanctè contra mortis imperium dimicare valeat? Hæc est illa mensa quam sibi paratam esse Ecclesia gloriatur aduersus omnes qui eam tribulationibus vexare attentarent. *Nam & si*, inquit Propheta, *ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es: virga & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me Psal.* 22. Quod de mensâ sacræ Eucharistiæ intelligit sanctus Cyprianus Ep. 63. ad Cæcilium. Et enim sequentem versiculum nempe, *Calix meus inebrians quam præclarus est*, ponderans ait: *Sic autem calix Domini inebriat, vt & Noe in Genesi vinum bibens inebriatus est. Sed quia ebrietas Domini calicis & sanguinis non est talis qualis ebrietas vini secularis, cum diceret Spiritus sanctus in psalmo: Calix tuus inebrians, addidit: Quàm peroptimus! Quod scilicet calix Domini sic bibentes inebriet, vt sobrios faciat, vt mentes ad spiritalem sapientiam redigat, vt à sapore isto seculari ad intellectum Dei vnusquisque respiscat: & quemadmodum vino isto communi mens soluitur & anima relaxatur & tristitia omnis exponitur, ita epoto sanguine Domini & poculo salutari, exponatur memoria veteris hominis, & fiat obliuio conuersationis pristinæ secularis, & mœstum pectus ac triste quod prius peccatis vrgentibus premebatur diuina indulgentia lætitia resoluatur: quod tunc demum potest lætificare in Ecclesia Domini bibentem, si quod bibitur Dominicam teneat veritatem.* Hoc Cyprianus. Stat igitur agnus. Quia per Eucharistiam contra dæmones & vitia armamur in prælium, & certandi vim accipimus.

Dion. Carth.

Dion. Areop.

S. Cyprian.

Tanquam occisum.

Cur tanquam occisus? Punct. 5.

Quod autem, inquit Andreas Cæsariensis, *agnus ille cernitur velut occisus, hoc vitam & speciem illius post mortem & immolationem exprimit: in illa namque tanquam vere occisus manifesta perpessionis suæ vestigia ostendit, quæ post suam quoque ex mortuis resurrectionem*

Andr. Cæsar.

Digitized by Google

Lyranus.

in corpore ſuo reliqua eſſe voluit. At ſententiam Nicolai de Lyra amplectimur, qui ait, *Tanquam occiſum, quia quotidie in Eccleſia immolatur, non ſecundum carnem, quia reſurrexit ad vitam immortalem vt dictum eſt, ſed ſecundum effectum & repreſentationem, quia per oblationem Euchariſtiæ communicatur nobis effectus ſuæ paſſionis: ipſa enim eſt ſimilitudo repreſentativa ipſius ſecundum quod dicitur Luc 22. Hoc facite in meam commemorationem: Illud enim quod repreſentat aliquid nominatur nomine ipſius, ſicut imago Petri nominatur Petrus: & eadem ratione Euchariſtia agnus immolatur: & ad hoc deſignandum non dicitur hic agnus occiſus ſimpliciter ſed tanquam occiſus.* Hæc Lyranus. Plurimùm fauet huic interpretationi quod græce dicitur, tanquam iugulatum & immolatum: ſic enim hæbraice zabach, id eſt ſacrificare, immolare, vertere ſolent ſeptuaginta. At non ſolum dicitur Chriſtus in Euchariſtia agnus tanquam occiſus ſeu tanquam immolatus, quia Euchariſtia repreſentat nobis occiſionem & mortem Chriſti, ſed etiam alia ratione quæ deſumi poteſt ex doctrina tanti myſterij, ſiue à Sacro Concilio Trid. nobis tradita, ſiue à Theologis hauſta. *In Euchariſtiâ*, inquit Concilium ſeſſ.13. c.3. *ipſe ſanctitatis auctor ante vſum eſt. Nondum enim Euchariſtiam de manu Domini Apoſtolis acceperant, cum verumtamen ipſe affirmaret corpus ſuum eſſe quod præbebat: & ſemper hæc fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationem verum Domini noſtri corpus verumque eius ſanguinem ſub panis & vini ſpecie, vnà cum ipſius animâ & diuinitate exiſtere: ſed corpus ſub ſpecie panis & ſanguinem ſub ſpecie vini ex vi verborum; ipſum autem corpus ſub ſpecie vini & ſanguinem ſub ſpecie panis, animamque ſub vtraque vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, quâ partes Chriſti Domini qui iam ex mortuis reſurrexit non amplius moriturus, inter ſe copulantur: diuinitatem porro propter admirabilem illam eius cum corpore & anima hypoſtaticam vnionem.* Hæc Concil. Hac doctrina præſuppoſita, dico Chriſtum in Euchariſtiâ eſſe tanquam occiſum, quia licet reuerà ſit viuens vi naturalis connexionis & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini inter ſe copulantur, & ratione vnionis hypoſtaticæ; ſi tamen modus quo conſtituitur præſens corpus Chriſti ſpectetur, nempe vi verborum, re verà eſt tanquam occiſum, imo tanquam iugulatum & immolatum. Nam ſicut in immolatione victimarum ſanguis à corpore ſeparabatur, ita hic cum alia ſit conſecratio vini à conſecratione panis, & ſanguis vi verborum tantum reponatur ſub ſpecie vini, & corpus vi verborum ſub ſpecie panis, abſtrahendo mente ab illa vnione & connexione naturali, poteſt dici corpus eſſe ſeparatum à ſanguine vi illius immutationis, quæ in hoc ſacrificio Euchariſtico reperitur, cum ſit de ratione ſacrificij vt in re oblatâ fiat ſemper quædam immutatio: & hac ratione corpus dicetur ſub hac formalitate, eſſe tanquam occiſum, licet actu ſit viuens ratione connexionis naturalis & concomitantiæ.

Concil. Trid.

Quomodo Chriſtus ſit in Euchariſtia tanquam occiſus.

Rurſus cum vita corporis in actu ſecundo conſtat in operationibus ſenſuum, Chriſtus autem vt Theologi docent, naturaliter in hoc ſacramento ſenſuum operationes elicere non valeat, tum quia ſenſus ſunt potentiæ quædam organicæ & materiales, quæ naturaliter operari non poſſunt, aut proprios actus in ſe recipere ſine aliqua extenſione ad locum; tum quia ſenſus naturaliter non operantur niſi recipiendo ſpecies ab obiectis externis: Chriſtus autem vt in Sacramento exiſtit non poteſt recipere nouas rerum ſpecies per ſenſus externos, quia illæ deberent recipi & exiſtere modo indiuiſibili in corpore Chriſti, quod naturaliter fieri nequit: Dixi naturaliter, non agendo de potentia extraordinaria, negandum non videtur quin poſſit Chriſtus in Euchariſtia exercere operationes ſenſuum, quia poteſt Deus efficere vt ſpecies intentionales in illo recipiantur modo indiuiſibili, aut etiã eiuſmodi ſpecierum defectum omnino ſupplere: at cum nulla ſit reuelatio quod Deus hac potentiâ extraordinaria vtatur vt Chriſtus illas operationes ſenſuum hoc modo exerceat, reſtat vt dicamus ibi nullas ſenſuum operationes exercere, nec per ſenſus aliquid extetiùs ſuſcipere iuxta modum connaturalem exiſtendi in hoc Sacramento; & ſic ibi eſſe modo quodam mortuo: eſto producere poſſit actus elicitos intellectus, vel voluntatis, ſecundum ſcientiam beatificam vel infuſam, cum ſint ex ſe ſpirituales & fiant ſine dependentia à phantaſmatibus & organis corporeis; eſto extraordinariè fiat, vt dictum eſt, quod aliquis actus ſenſuum & internorum & externorum eliceat, videat ſi volueris qui aſtant: tamen ſufficit quod modo huic ſacramento naturali, nullum actum ab organis aut phantaſmatibus dependentem elicit, nullas etiam ſenſuum internorum & externorum operationes producit: ſufficit quod ſi aliquas actiones produceret, tamen hoc omnimode à nobis ignoratur, nec hoc ſenſibus vllo modo perciperetur: Videtur igitur tantum à nobis tanquam res aliqua mortua, licet ſit panis viuus & viuificus, quo ſit vt quia hoc modo mortuo à nobis cernitur, dici poteſt agnus tanquam occiſus: quia nec tactu, nec odoratu, nec guſtu, nec auditu, nec viſu, vlla in eo vitæ ſignà apparent, ſiue ex parte ipſius Sacramenti, ſiue ex parte noſtri.

A B C D E

Habentem cornua ſeptem & oculos ſeptem.

Quid per ſeptem cornua & oculos ſeptem intelligendum. Punct. 6.

Variæ de hac re autorum ſententiæ.

Per cornua regna & poteſtates intelligi in ſcriptura omnes conſentiunt. Vnus nobis inſtar multorum erit ſanctus Hieronym. in 3. caput Habacuc: *Moris*, inquit, *eſt ſcripturarum vt ſæpenumero cornua pro regnis ponat. Nam & illud quod Anna loquitur in primo Regum libro. Exaltauit cornu Chriſti ſui: magnificentiam regni ſaluatoris ſignificat.* Ita Hieronymus. In cornibus quippe animalium videre eſt quoddam ſublimitatis ac fortitudinis ſignum, quo cæteris mitioribus & quæ cornibus carent eminentiora ſunt, & quo ſe tueri, ac defendere poſſunt: quia & illæ partes corporis prominentes, ſolidæ, duræ, oblongæ, acutæ, ferocitatem quandam præ ſe ferunt, & ſaltem vim & robur denotant in cornutorum animalium natura: vt merito pro ſymbolo regni aut poteſtatis pertimeſcendæ aſſumantur. *Cornua*, inquit ſanctus Dionyſius de Cœl. Hyerar. *ſeruatricem inuictamque vim declarant.* Lege Pierium l. 7. Hierogl. de cornibus

S. Hieronym.

S. Dionyſ. Areopag.

Per oculos autem prouidentiam, cognitionem vigilantiam & animi affectum recte intelligimus. Oculi Domini ſuper iuſtos. Pſal. 33. *Quique oculi in diuinis literis Deo attribuuntur eius ſunt ſignum intelligentiæ cui porro nihil ſit occultum: Fauoribus & beneficentiæ ſignum dicuntur, & in ſacris verbum, aſpicere, ſignificat ſe propitium & benignum oſtendere.* Hæc Pierius: Et optime. Audio enim Prophetam toto deſiderio ad Deum clamantem: *Aſpice in me, & miſerere mei: ne auertas faciem tuam à me.* Iuſtitiam item apud eum per oculum deſignari certũ eſt: citat Platonem qui nono legum vocat iuſtitiam ſpeculatricem. Deinde, titulo Angeli, ait: *Quatenus vero noſter oculus, licet alicuius ſit particeps lucis, alterius tamen lumine indiget ſi videre velit diuos, ſiue Angelos.* His adde per oculum intentio-

Digitized by Google

Maldonat. Luc. 11.

nem animi ſignificari. Hinc Maldonatus locum iſtum Lucæ 11. *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit* : Ita interpretatur, *ſi oculus tuus lucidus fuerit, id eſt, ſi intentio tua fuerit recta, totum corpus tuum, id eſt, omnes aliæ tuæ facultates lucidæ & rectæ erunt, &c.* Sequitur mentem Auguſtini lib. 2. 9. quæſt. euangelicarum, illa Dominus verba expendentis : *Si lumen quod eſt in te tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt ?* Lumen dicit bonam intentionem mentis quâ operamur, tenebras autem ipſa opera : ſiue quia ignoratur ab aliis quo animo illa faciamus, ſiue quia eorum exitum etiam neſcimus, id eſt quomodo exeunt atque prouenient eis quibus nos ex bono animo impendamus. His præſuppoſitis plurimas hic affero huius loci interpretationes, vt quæ aptior & conuenientior ſit, his quæ dicta ſunt & dicenda erunt faciliori negotio iudicetur.

S. Auguſt.

1. Interpretatio de cornibus Dionyſius Carthuſianus.

Dionyſius Carthuſianus : Habentem cornua ſeptem, id eſt omnium regum atque regnorum poteſtates : Iuxta illud : *Omnes populi tribus & linguæ ſeruient ei. Poteſtas eius poteſtas æterna quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur.* Item in Pſalmis : *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei.* Berengaudus per ſeptem cornua omnes electos intelligit, qui regnum Dei vocantur, & per ſeptem mundi ætates diſtinguuntur. Eadem ſentit commentator ſub nomine ſancti Ambroſij.

2. Viega.

3. Haymo.

Viegas per cornua eminentiam poteſtatis Chriſti, & præcipue eam vim & fortitudinem quam in morte & cruce exercuit ſignificari vult. Haymo. l. 2. per cornua intelligit ſeculi eminentiores. *Sed hoc*, inquit, *conſiderandum eſt quia cornua in capite ſunt, & carnem excedunt. Ideoque per cornua eminentiores ſeculi intelligi poſſunt, qui valde cæteros præcellunt & capiti Chriſti adhærent : in quo etiam & regnum perceperunt : nam per cornua etiam intelliguntur regna, ſicut in Zacharia legimus quia quatuor cornua quatuor ſunt regna principalia. Hinc Paulus Spiritus ſancti munere quædam membra cæteris eminere proſpiciens ait : Vos in carne non eſtis ſed in ſpiritu. Ac ſi aliis verbis diceret : Nequaquam vt cætera corporis oſſa circundamini, ſed tanquam cornua erigimini.* Hæc Haymo.

Prima interpretatio de oculis Alcazaris poſt Rupertum.

Nunc quid per oculos deſignari velint interpretes videndum. Alcazar poſt Rupertum, vult ſeptem Spiritus, ſeptem cornua & ſeptem oculos & ſeptem ſigilla libri, hæc inquam, omnia vnum idemque ſignificare, & ſignificari vult ſeptem dotes diuinæ Prouidentiæ, nempe poteſtatem, bonitatem, ſapientiam, iuſtitiam, patientiam, longanimitatem, feueritatem.

2. Andreas Cæſar.

Andreas Cæſarienſis : *Septem*, inquit, *oculi iſti totidem agni cornua ſignificant ſeptem Spiritus Chriſti, quorum Eſaias & Zacharias Prophetæ meminere.* Hæc ille.

3. Viega.

Viegas : *In ſeptem oculis multiplex per ſeptem Spiritus ſancti dona illuminatio & prouidentia, quæ Eccleſiam adminiſtrat, accipienda eſt.*

4. Dion. Cart.

Dionyſius Carthuſianus. *Itaque oculi iſti ſunt ſeptem dona Spiritu ſancti, qua Spiritus, id eſt ſpirituales influxus appellantur : miſſi in omnem terram, id eſt per totam Eccleſiam fidelium animabus infuſi. Iſtis donis plena eſt anima Chriſti, de quibus ſermo propheticus loquitur : ſuper lapidem vnum oculi ſeptem ſunt.* Hæc ille.

5. Interp. eiuſdem Dionyſii.

Aliam etiam affert interpretationem cum ait: *Sed quia per oculum intellectus exprimitur, poſſunt per ſeptem oculos vniuerſa angelicæ mentes, quæ propter cognitionis eminentiam oculi nominantur, intelligi : quæ ad Eccleſiam cuſtodiendam ac gubernandam mittuntur, ſicut Apoſtolus aſſeruit : Nonne omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis ? Qui omnes ſunt in manu Chriſti, ſicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum.* Hæc ille.

Ioachimus apud Cornelium, ſeptem Angelos ſeptem Eccleſiarum Aſiæ per cornua intelligit. Pereius & Ribera ſeptem Angelos primarios præſides Eccleſiæ & totius mundi, quos ipſe Cornelius ſequitur : Qui cornua ſunt, quia ſunt fortiſſimi ad profligandos dæmones, ad tutandum Eccleſiam, ad patranda miracula, ad defenſionem iuſtorum, ad vindictam impiorum. Idem vocantur oculi, quia perſpicaciſſimi ſunt & vigilantiſſimi ad Dei voluntatem cognoſcendam & explendam, ad Eccleſiæ & hominum ſalutem procurandam. Septem ſunt oculi Domini, Zach. 4. qui diſcurrunt in vniuerſam terram. Vel apud Pereium, per cornua intelligitur victoria diaboli, mundi, mortis, peccati, inferni, efficacia Euangelij, & Eccleſiæ fundatio.

Sententia Pereij de cornibus.

Sanctus Anſelmus intelligit Spiritum ſanctum. *Spiritus ſanctus*, inquit, *qui dat regnum & exaltationem, quod per cornua notatur ; qui das illuminationem, quod per oculos notatur.*

6. S. Anſelmus de oculis interpretatus.

Rupertus illum non in Eccleſia operantem ſed vt in Chriſto quieſcentem intelligit cum ait : *Septiformis namque ſpiritus in Chriſto vel ſuper Chriſtum requieſcens, qui propter eminentiam poteſtatis & fortitudinis, ſeptem cornibus, & propter illuminationem gratiæ vel ſapientiæ, ſeptem oculis comparatur : vnde loquitur Iob. Apud ipſum eſt fortitudo & ſapientia. Item apud ipſum eſt ſapientia, fortitudo : igitur agnum vidi ſtantem in medio throni & quatuor animalium & ſeniorum, id eſt Chriſtum Sanctum Sanctorum regnantem & dominantem in medio omnium Sanctorum : cornibus ſeptem & oculis ſeptem, id eſt, ſpiritibus ſeptem, quorum omnem in ſe habet plenitudinem, corroborantem & illuminantem omnes qui per fidem in circuitu eius ſunt.* Rup. l. 4.

7. Rupert.

Tandem integritatem & perfectionem cognitionis Chriſti intelligi vult S. Cyrillus Alexandr. in Zacharia per ſeptem oculos, cum ait : *Oportebat enim in primis ſacerdotium legale cuius typum poſuimus Ieſum quaſi ante faciem & ante oculos habere ſemper lapidem electum, angularem, pretioſum in firmamentum Sion decretum, multis oculis intuentem omnia : ſeptem quippe integritatem perfectionemque declarare ſolent.* Hæc ille.

8. S. Cyrill.

Fateor has omnes interpretationes plurimùm ponderis & momenti habere, ſiue autorum granitatem ſpectes, ſiue rei ſignificatæ cum ſymbolo proportionem conſideres. Maneat igitur vnicuique debita reuerentia : ſuus quique ſeruetur honos. Aliquid tamen noſtræ interpretationi de Chriſto in Sacramento Euchariſtiæ exiſtente accommodum afferre liceat, quod tanto libentiùs in mediùm adducam, quo nec prædictis interpretationibus officere poterit quod dicam.

Quomodo Chriſto in Euchariſtia exiſtenti, cornua ſeptem & ſeptem oculos tribui queant. Punct. 7.

Animaduerto ex Pierio Valeriano lib. 7. quod in diuinis libris cornu paſſim pro regiâ poteſtate poſitum reperimus, complexaque ſimilitudine quadam inter ſe cornu, radium & coronam. *Inde Moſes*, inquit Cornelius, *cornibus inſignis effingitur*, cuius facies diuini ſolis limine correpta, radiis quibuſdam igneis promicare videbatur : adeo vt Iſraeliticus populus cum ſplendorem eum ferre non poſſet, oculis ad obtutum cæcutientibus, ab eo vt velatâ facie verba faceret ſtudioſiſſimè contenderunt. Eadem porro dictio apud Hebreos, & cornu, & coronam denotat. Vnde ſæpius apud latinos in diuinis literis cornu pro corona poſitum, paſſimque ex inſtituto veteri coronæ regiæ radios referunt,

Cornel. à Lap. cornu, radius corona idem ſignificant.

igitized by Googl

ſimilitudinem. Hæc ille. Qui addit coronas regias ex veterum nummis & ex Virgilio ex duodecim radiis conſtare.

Si ita eſt quod cornu, radius, & corona pro eodem ſumantur, non abſurdè dicere poterimus per ſeptem cornua intelligi coronam ſeptem radiis acutis ad modum radiorum compactam; & ſeptem oculi vnicuique cornu ſeu radio affingi pro capillis prætioſiſſimis ac fulgidiſſimis. Quare autem radij coronæ iſtius magnificæ cornu figuram obtineant, vel iſti capilli oculi dicantur, præclaræ quidem ſunt rationes ac conuenientiæ ab autoribus diuerſis ſupra allatis. Sed quia agimus de Chriſto coronato, in quantum eſt ſub ſpeciebus panis & vini in altaris auguſtiſſimo Sacramento,

Dico primo: Septem cornua agni ſeu Chriſti in Sacramento exiſtentis deſignare ſeptem modos quibus eius ſumma poteſtas & omnipotentia in hoc Sacramento elucet. Etenim ſicuti cornua inſtrumenta ſunt quibus cornuta animalia eos propulſant quæ illa impetere attentarent, ita cornua agni deſignant ſummæ potentiæ eius præclaros effectus, quibus propulſare poſſit quidquid honori & æſtimationi omnipotentiæ ipſius officere poſſet. Ita vt ſi quis ei limites præſcribere vellet, per fidem tanti myſterij veritati innixam ſentiat eam nullis limitibus circumſcribi aut contineri, ſed omnem intellectum & mentis cogitationem longius quam dici queat ſuperare. Hic iura ſua natura omnis deponit. Hic humanus ſenſus pedibus conculcatur. Hic rationis acumen ac tota vis illius retunditur. Hic debiliora ac infirmiora de ſe ac fulcro indigentia vt ſubſiſtant, per ſe ſubſiſtere poſſunt. Hic quæ certis ſunt ſpatiis ſtrictius coarctata admirabilem ampliationem exiſtendi in diuerſis locis ac ſpaciis obtinent. Hic quæ maiorem in agendo vim ac facilitatem obtinent, compeſcuntur ne in actum aliquem prorumpant, & quæ altioris & ſuperioris ordinis exiſtunt, inferioribus ſibi ſubduntur: Ita vt nec natura nec ſenſus nec ratio, nec creaturæ imbecillitas, aut terminis quibuſdam limitata ac coarctata illius virtus, aut ipſius in agendo efficacia, aut dignitas omnipotentiæ diuinæ aliquos limites præſcribere valeant. Siquidem per tranſubſtantiationem natura omnia ſua iura in manus ſui autoris omnimode deponit: oculus humanus videre aut percipere non poteſt qua ratione ſub tam modica quantitate alicuius hoſtiæ, corpus perfectum & integrum contineri valeat: & ratio ſenſui inhærens inuenire non poteſt argumentum aut medium quo conuictam ſe eſſe fateatur, vt ſibi perſuadeat corpus aliquod quantum ad locum minimè extendi: audit cum nauſea accidens (cuius eſſe eſt ineſſe, & cuipiam ſubiecto conuenienti inhærere) in hoc Sacramento & natiuo exiſtendi modo & proprio ſubiecto ſpoliari, nec iſtius damnum reſarciri aut compenſari per inhærentiam in ſubſtantia corporis Chriſti, licet nullam habeant inter ſe diſtantiam.

Nec tantum ex his hæret quaſi immobilis, ſtupens, attonita humana ratio, ſed etiam cum audit corpus Chriſti nec definitum nec circumſcriptum locum habere in hoc ſacramento: ſed præſentias ſuas multiplicare toties quoties per conſecrationem reproducitur in quolibet loco: & ſi fide imbuta illud viuum, glorioſum agnoſcit, miratur proculdubiò ipſum nullum vitæ aut gloriæ ſuæ ſignum edere in hoc ſacramento: & tandem in vehementem mentis exceſſum euehitur, quod carne Chriſti anima licet ſpiritualis viuificetur, ſaginetur, & ad vitam nutriatur æternam. Caro quippe Chriſti in hoc ſacramento exiſtit vt ſit in cibum animarum noſtrarum: Ita vt ſi per nimiam propriæ carni adhæſionem ſuam dignitatem amiſerint, per vnionem ad Chriſti Domini ſanctiſſimam carnem eam non modo recuperare poſſint, ſed ampliorem etiam obtinere: venit enim Chriſtus vt vitam habeamus, & abundantius habeamus, Ioan. 10. Quod quidem experimento diſcunt qui dignè ad ſacramentum accedunt, eiuſque percipiunt effectus. Hæc Dei potentia cæca non eſt ſed oculata: ſeptem ſunt oculi ſicut ſeptem ſunt cornua: videt, proſpicit, intendit, ſpecie etenim ſua & pulchritudine ſua intendit, proſpere procedit & regnat. *Ioan. 10.*

Per oculum, vel ſecundum Hieronymum, intelligimus rei alicuius talem qualis reuera eſt oſtenſionem, quaſi diceret: Hæc res talis apparebat intuentibus cunctis. Loquens ſi quidem de cornu paruulo orto de medio decem cornuum illius prodigioſæ beſtiæ quam vidit Daniel. c. 7. (per quod cornu paruulum, intelligit Anti-chriſtum) in hæc verba Danielis: *Et ecce quaſi oculi hominis erant in cornu illo*, ait: *Nec cum putemus iuxta quorumdam opinionem Vel diabolum eſſe Vel dæmonem, ſed vnum de hominibus, in quo totus ſatanas habitaturus ſit corporaliter.* Hæc ille. Itaque oculi quaſi hominis in cornu iſto, erit ac ſi diceret: Ea quæ hoc cornu operabatur & in eo videbantur, hominem illum eſſe manifeſtabunt: in eo videbatur humana prudentia & aſtutia terrena, animalis, diabolica, etiam quia hominis à diabolo ſeducti & ad diaboli voluntatem captiui imaginem præferebat. Simili modo hæc verba cap. 5. Zachariæ: *Oculus eorum in vniuerſa terra*, exponens ait: *Amphora ſiue menſura oculus eorum eſt in vniuerſa terra, hoc eſt oſtenſio peccatorum, Vt quorumdam vitia diſperſa latitabunt, in vnum congregata oculis omnium ponderentur, & egrederetur de loco ſuo Iſrael, & cunctis gentibus qualis in terra ſua fuerit monſtraretur.* Hæc Hieronymus. Proponit hic Zacharias ſymbolum impietatis, idolatriæ & negationis Dei, nempe amphoram in cuius medio ſedebat mulier, quam dicit eſſe oculum omnium, id eſt, eſſe expoſitam omnium oculis, vt qualis eſſet cunctis innoteſceret. *Dan. 7.* *Zacharia 5.* *S. Hieron.*

Secundo per oculum intelligimus animi intentionem iuxta ſanctum Aug. l. 2. qq. Euangelic. Vt ſupra diximus. Si igitur quæras quinam ſint iſti oculi affixi quodammodo cornibus agni, *S. Auguſt.*

Dico ſecundo: Cum ſanctus Ioannes ait: *Et habebat cornua ſeptem & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei*, idem eſſe ac ſi diceret: hæc agni ſumma poteſtas ac regia maieſtas diuina prorſus apparebat non humana, clarè enim ab omnibus cernebatur tam præclaros effectus à nullo alio quam à diuino ſpiritu, per quem totum corpus Eccleſiæ per totum orbem diffuſum ſanctificatur & regitur, polle produci. Spiritus enim Domini orbem terrarum replet, qui licet ſit vnicus & ſimplex in ſeptem ſpiritus diuiditur, propter multiplicitatem diuerſorum effectuum, diuidens ac diſtribuens ſingulis prout vult. Hac ratione vide quomodo poſſunt ſubſiſtere & in vero ſenſu accipi ſententiæ ſupra allatæ, verbi gratia oculi iſti (cum Anſelmo) ſanctum deſignant ſpiritum, quia omnia operatur vnus & idem ſpiritus; dona Spiritus ſancti ſignificat, quia manifeſte apparet in ſanctis & fidelibus quod his donis exornentur à Spiritu ſancto inhabitante in eis, *Et cum vnus ſit ſpiritus*, inquit Haymo, lib. 2. in Apoc. *iuxta illud: ſpiritus Domini replenit orbem terrarum, dicuntur ſeptem oculi Vel ſeptem cornua propter ſeptiformem ipſius gratiam: qui bene per ſeptem oculos figuratur, quia ſuos electos illuminat: diſcurrens, ſicut Zacharias dicit, per vniuerſam terram.* Hæc ille. Ait ſi quidem Chriſtus: *Qui manducat me, ipſe viuet propter me*, At quonam alio ſpiritu viuere poſſet ſi viuit propter Chriſtum, quàm ſpiri- *Haymo.*

Digitized by Google

Vers. 1. ...et in manu dextra sedentis super thronum librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem.

...Deum, & Agnum, & sanctum Spiritum, ut ab illorum ore, quasi ab oraculo, pendeat. Quod autem librum scriptum intus & foris dicit, non aliter accipiendum est, quam de libro Ezechielis, cap. 2. v. 9. In quo Deus ei scripsit, quæ ipse ore suo ei dicturus erat. Quod ergo Ezechiel ab ore Dei, Joannes ab ipsius manu librum accepit, ut ostendatur, quod ea, quæ Joannes scripturus erat, non ex humano ingenio, sed ex divina revelatione fluxerint. Scripsit autem Joannes intus & foris, quia ea, quæ scripsit, & ad intelligentiam, & ad exemplum pertinent.

Vers. 2. Et vidi ego Joannes, quod sanctus Deus librum illum scriptum intus & foris, quod apud regem erat, ut ab eo acciperet, & legeret, & exemplum sibi faceret, quæ in eo scripta erant, ut ea ipse & populus ei subditus facerent, & observarent, ut ipse Deuteronomii cap. 17. v. 18. præcipit. Et vidi, inquit,

adimplenda animum applicabimus, altiſſimæ eius laudes quibus eius maieſtatem proſequemur ſplendidiſſimi erunt fulgores, quibus diuinas eius perfectiones contemplari licebit: & optimo iure dicere poterimus quod ſicut Chriſtus Dominus thronum Eccleſiæ conſtituendo ſupremam ſuam demonſtrauit maieſtatem & autoritatem, ita eam per hoc ſacramentum illuminando verus & ſupremus illius apparet in illuminatione Hierarcha.

Et venit & accepit de dextera ſedentis ſuper thronum librum. Idea acceſſus agni de thronum. §. 4.

Punct. 1.

Duobus modis poſſumus ideam huius acceſſus concipere: primo quod ſanctus Ioan. cum perſpexiſſet agnum in medio throni, quatuor animalibus & viginti quatuor ſenioribus circumuallatum, eum viderit è medio throni diſcedentem vt ſolio appropinquaret, & ad eum qui ſedebat accederet, ita vt hic acceſſus ad thronum & ſedentem ſit quid poſterius viſioni, qua eum ſanctus Ioannes in medio throni conſiſtentem vidit.

Duobus modis concipitur agnum acceſſiſſe ad ſedentem vt acciperet librum.

Alio tamen modo hoc concipi poteſt, nempe ſi illud verbum (*venit*) ita exponamus, vt cauſam aduentus agni in medio throni denotet: ac ſi diceremus, Ad hoc venit Agnus, ad hoc in medio throni apparere voluit vt ad thronum accederet. Illum quidem vidi in medio throni. At illuc venerat vt acciperet de manu ſedentis librum. Itaque in hoc ſenſu ille aduentus agni ſignificatus per verbum (*venit,*) prior eſt viſione quam habuit Ioannes agni in medio throni ſtantis, non autem quid poſterius ipſa viſione. Cum igitur ſanctus Ioannes ait: *Et venit & accepit de dextera ſedentis librum*, Idem eſt ac ſi diceret: Et reuerà cum vidi agnum ſtantem in medio throni, hac de cauſa illuc acceſſerat vt ſumeret librum de manu ſedentis, quo ſperari poſſet ab agno fore poſteà aperiendum.

Duo autem inquirenda videntur, vnde agnus venerit, ſeu quo diſceſſerit, & quo tempore factus fuerit hic eius aduentus ad thronum vt librum acciperet. Etenim cum quilibet aduentus duos terminos habeat, primus qui dicitur, à quo; ſecundus qui dicitur ad quem, id eſt, à quo quis diſceſſit, & ad quem accedit: vbi erat quæſo agnus antequam ad thronum iſtum accedere à ſancto Ioanne videretur? Huic difficultati ſatisfiet, ſi modum quo Chriſtus in ſacramento conſtituitur à Theologis exploremus.

Duo inquirenda.

De modo quo Chriſtus conſtituitur præſens in Sacramento Euchariſtiæ. Punct. 2.

Chriſti diuinitatem hic non conſideramus ſecundum quod immobilis eſt, & à nullo loco dimouetur cum vbique ſit præſens. De Chriſti humanitate nobis eſt ſermo, quæ ita poteſt eſſe hic vt non ſit alibi, nouaſque præſentias ſibi acquirere valet: etenim ſecundum ſuam humanitatem, agni tanquam occiſi figura ad illum pertinet: & hac de cauſa hic acceſſus ad thronum aliquid inculcat incarnationi verbi poſterius. Itaque,

De humanitate Chriſti hic eſt ſermo.

Dico primo: hic aduentus agni intelligi non debet pro eo inſtanti quo Verbum caro factum eſt, aut in carne apparuit in natiuitate: nec enim thronus Eccleſiæ nouæ Chriſtianæ (cuius ſymbolum eſt ille thronus) iam erat erectus aut poſitus: in medio tantum duorum animalium, non autem quatuor, apparere deberet, aut in medio Mariæ aut Ioſeph non viginti quatuor ſeniorum. Non igitur hic cenſendus eſt repræſentatus pro eo inſtanti quo vel conceptus vel natus eſt, cum repræſentatur in medio Eccleſiæ Chriſtianæ & quatuor animalium & viginti quatuor ſeniorum.

Hic aduentus agni non de inſtanti incarnationis Verbi intelligendus.

Dico ſecundo: non etiam intelligendus eſt hic aduentus agni pro eo inſtanti quo cœlum aſcendens ſedit ad dexteram Patris: nam cum hæc omnia quæ à Ioanne tractantur intelligenda ſint vt probauimus, de Eccleſia militante non autem de triumphante, cum dicitur Agnus in medio throni conſiſtere intelligere debemus eum conſiſtere in medio militantis Eccleſiæ. Stat promiſſis: *Et ecce*, inquiebat, *Vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi*: Videlicet in hac Eccleſia, quæ adhuc ſæculis menſuratur & ad tempus militat, donec coronetur. Hac de cauſa non ſedens vt eſt in cœlo, ſed ſtans deſcribitur; non in figura Leonis de morte triumphantis, ſed agni occiſi apparet ſancto Ioanni: & etiam ſi ſtaret vt eum vidit Stephanus, ſtaret à dextris Dei non in medio throni.

Nec de inſtanti aſcenſionis in cœlis vt ſederet ad dexteram Patris.

Dico tertio: non debere intelligi hos aduentus agni pro eo inſtanti quo Chriſtus à dextris Patris ſedens ad iudicium venire debet: ſedebit tunc ſuper ſedem, non erit in medio ſtans: veniet non vt aperiat librum, aut ea quæ in libro ſunt ſcripta adimpleat, quo in notitiam eorum quæ in libro continentur veniant, ſed vt diſcutiat an homines notitiâ myſteriorum quæ reuelauit bene vſi fuerint, & fideliter cooperati fuerint tot & tãtis auxiliis iiſdem ab eo collatis, & ſuis pro nobis exantlatis laboribus & operibus ſua opera ſuoſque labores intexuerint & coniunxerint. Paucis abſoluam: veniet vt iudicium ferat, non vt quæ credenda aut facienda ſunt vt ad vitam perueniamus æternam proponat: adde quod effectus ſeu euentus, qui libri apertionem ſubſequuntur, quædam ſunt quæ pro certo iudicium præire non ſubſequi debent.

Nec de inſtanti ſecundi aduentus ad iudicium.

Dico quarto æque intelligi non poſſe aliquem aduentum Chriſti viſibilem in terris per aduentum agni in medio throni: *Oportet cœlum illum ſuſcipere, vſque in tempore reſtitutionis omnium*, vt dicitur Act. 3. Viſibilis minimè apparebit ante diem iudicij, vt dici poſſit: *Ecce hic eſt Chriſtus aut illic.* Et ſi quis hoc aſſereret præcipit Chriſtus vt hoc aſſerenti fides non adhibeatur. *Nolite*, inquit, *credere*: Et rurſus: *Si qui dixerint Vobis: ecce in deſerto eſt, nolite exire, ecce in penetralibus eſt, nolite credere.* Math. 24. *Sicut enim fulgur exit ab oriente, & paret vſque in occidentem, ita erit aduentus filij hominis.* Non eſt igitur aliquis aduentus patens & manifeſtus filij hominis expectandus in medio Eccleſiæ militantis à die aſcenſionis vſque ad diem iudicij, quouſque veniat vt in conſpectu ſeruorum ſuorum glorificetur, vt ait Iſaias 24. Quod ſi vel ſancto Paulo vel quibuſdam ſanctis apparuerit, hæ apparitiones fuerunt tantum quaſi per tranſennam, nec per eas dici potuit in medio throni, id eſt, Eccleſiæ militantis ſtantem; nec iis particularibus apparitionibus aptari poſſunt ea quæ hic à ſancto Ioanne exprimuntur & prophetantur.

Non de viſibili aliquo Dominj aduentu particularis cuiuſpiam acceſſus eſt intelligendus. Act. 3.

Matt. 24.

Iſ. 24.

Cum igitur per hunc aduentum Chriſti ſeu per eius præſentiam per agnum in medio throni ſtantem adumbratam, nec aduentum in carne in vtero virginis, vel in mundo in eius poſt conceptum natiuitate, nec eius ad Patris dexteram reditum, de quo aiebat: *Veni in mundum, & nunc relinquo mundum & vado ad Patrem*; nec illius ad iudicium ſecundum aduentum, aut peculiarem illius apparitionem ad quemlibet ſanctorum intelligere poſſumus: reſtat proculdubio vt hoc intelligi debeat de eius aduentu per conſecrationem in auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, cum alicubi præſens redditur ſub ſpeciebus panis & vini poſt conſecrationem: & hoc modo hæc viſio erit de eius reali ac ſubſtantiali præſentia in medio Eccleſiæ in Sacrificio Miſſæ: Ita vt hæc interpretatio non videatur aucta & ingenioſa, vt ait Pereius, nec incongrua & huic loco alie-

Hoc viſio eſt intelligenda de reali præſentia Chriſti in Sacramento.

Digitized by Google

na, aut vt vult Cornelius, tantum myſtica, ſed genuina, propria & literalis. Etenim ſi omnes modi ſub quibus Chriſtum alicubi præſentem eſſe dicere poſſumus huic loco congruere & conuenire non poſſunt, ſolus hic modus reſtat excogitandus quo ſit præſens in Euchariſtia. Et ſic,

Dico quinto, hîc agni in medio throni aduentus intelligi debet de Chriſti Domini præſentia, quam acquirit ſub ſpeciebus panis & vini poſt conſecrationem in Euchariſtiæ Sacramento. Ibi enim agnus, quia immolatur; tanquam occiſus, quia vi verborum tantum ibi conſtituitur vel corpus vel ſanguis: quod ne abſurde dici exiſtimes, reuoca in memoriam quæ de modo quo Chriſtus conſtituitur præſens in Euchariſtia Theologi noſtri docent.

Quidam Theologi de modo quo aliquod corpus in duobus locis exiſtere poteſt differentes, voluerunt aliquod corpus jam alicubi exiſtens nulla alia ratione in alio loco conſtitui poſſe, niſi aliud corpus in illud ipſum conuertatur. Alij docent aliquod corpus reuerà ſimul & in eodem tempore & inſtanti poſſe in pluribus locis conſtitui, videlicet in vno loco ſecundum proprium & connaturalem exiſtendi modum, id eſt quantitatiue & extenſiue; alibi verò, modo aliquo ſacramentali; licet modo quantitatiuo & extenſo, ſecundum iſtos, non poſſit fieri vt aliquod corpus ſit in pluribus locis per ſolam productionem plurium vbi, in eodem & vnico corpore: quam productionem vocant meram adductionem, eo quod idem corpus proprium vbi ſeruando, nouam acquirit alibi præſentiam qua aliud vbi poſſideat, quo fit vt quaſi adduci videatur vbi non erat anteà.

Quomodo Chriſtus Dominus ſit in duobus locis.

At vera eſt eorum ſententia qui dicunt primo quod poteſt idem corpus virtute diuina ſimul poni in diuerſis locis circumſcriptiuè: quod probant primo. Quia certum eſt ex fide corpus Chriſti in cœlo exiſtens modo quantitatiuo & extenſo, ſimul exiſtere in Sacramento Euchariſtiæ modo ſpirituali & indiuiſibili; ergo non repugnat quod idem corpus ſimul ſit in duobus locis extenſiue & modo quantitatiuo? ſi quidem corpori quantitatiuo & extenſo magis repugnat poni in loco modo inextenſo & indiuiſibili, quam modo extenſo & diuiſibili, cum poſterior exiſtendi modus ſit magis connaturalis & proportionatus corpori.

Probatur ſecundo, Quia non minus repugnat quod duo corpora ſimul ſint in eodem loco per mutuam penetrationem, quàm quod idem corpus ſit in duobus locis extenſiue: prius autem fieri poteſt diuinitus, vt fides docet contigiſſe in natiuitate & reſurrectione Chriſti: ergo poſterius diuinæ potentiæ denegandum non eſt: quæ fuſiùs pertractare non eſt huius loci. Ad ſcholaſticos lectorem remitto.

Vera actione Chriſti corpus attingitur in tranſubſtantiatione.

Dicunt ſecundo, Quod vera aliqua actio verſatur circa corpus Chriſti, vt eſt in Euchariſtia: quæ quidem non eſt mera illius adductio terminata ad illud vbi quod Chriſtus habet in Sacramento, ſed vera & realis corporis Chriſti productio: vera, inquam, & realis eſt actio, quia Patres vulgò docent ſacerdotem conficere corpus Chriſti, ſubſtantiam panis in corpus Chriſti conuerti, & ſimilia, quæ commodè explicari nequeunt niſi actio aliqua circa corpus Chriſti verſetur: tum quia vbi eſt nouus & realis effectus, ibi eſt noua & realis actio. At quod Chriſtus ſit re ipſâ ſub accidentibus panis, ſub quibus anteà non erat, hoc eſt nouus effectus: ergo ibi noua actio circa corpus Chriſti intercedere debet. Non eſt, inquam, mera adductio terminata ad illud vbi quod Chriſtus habet in Sacramento: tum quia de fide eſt in Euchariſtia interuenire veram A conuerſionem ſubſtantialem, quam tranſubſtantiationem appellant panis in corpus Chriſti: At tranſubſtantiatio non poteſt terminari ad vbi, quod eſt accidens: eſſet enim potius in accidens mutatio quam in ſubſtantiam; tum quia cum vbi, nihil aliud ſit quam conjunctio inter locum & locatum, ſicut impoſſibile eſt quod anima in cœlo exiſtens corpori in terris poſito ſubſtantialiter vniatur per ſolam productionem vnionis, ita repugnat quod Chriſtus in cœlo exiſtens, realiter & ſubſtantialiter conſtituatur in Euchariſtia per ſolam productionem vbi: vera inquam, & realis eſt corporis Chriſti productio: nam cum corpus ponatur in Sacramento per veram actionem realem, eaque non ſit mera adductio; conſequens eſt vt ſit vera & B realis corporis Chriſti productio. Confirmatur, tum quia in Euchariſtia interuenit vera conuerſio ſubſtantialis, in omni autem conuerſione ſubſtantiali terminus, ad quem, vere producitur; tum quia vt terminus, ad quem, reſpondeat termino, à quo, ſicut in hac conuerſione, panis deſinit eſſe quo ad ſubſtantiam: ita corpus Chriſti debet incipere quoad eſſe ſubſtantiale, adeoque per veram & realem productionem: tum quia patres probant mutationem vini in ſanguinem Chriſti, ex mutatione aquæ in vinum facta in Cana Galileæ, Deumque poſſe ſolo verbo ex pane corpus ſuum efficere, quia ſolo verbo fecit cœlum & terram. Hæc autem exempla continent mutationem ſubſtantialem C ex parte termini, ad quem.

Quomodo Chriſtus dicitur venire in medio throni.

His præſuppoſitis, vide quomodo Chriſtus dici poteſt venire in medio Throni: nempe quia cum non eſſet in aliquo altari, vi verborum conſecrationis producitur idem corpus, idem ſanguis, eadem Chriſti anima: vel potius reproducuntur & replicantur, cum iam anteà alibi exiſterent; corpus quidem & ſanguis vi verborum, anima vero quaſi ex quodam pacto diuino debeat reproduci, ne corpus ſit inanime qui glorioſum & animatum à mortuis reſurrexit. Quomodo enim non diceretur venire in medio Eccleſiæ, qui ſecundum realem & ſubſtantialem præſentiam ibi reuera eſt vbi antea D non erat? Vt ſicut dicitur veniſſe in mundum per carnis aſſumptionem, ita dicatur venire in Eccleſiam, per panis & vini in eius carnem & ſanguinem veram & realem tranſubſtantiationem.

Qua ratione Chriſtus, Vt in Sacramento exiſtens, accipit librum de dexterâ ſedentis in Throno. Punct. 3.

Lyranus.

Non eſt, inquit Lyranus, *hoc intelligendum quod Chriſtus tunc accepit notitiam de proceſſu Eccleſiæ: nam anima Chriſti ab inſtanti creationis ſuæ diuinitati coniuncta habuit notitiam omnium quæ Deus cognoſcit ſcientia viſionis, inter quæ eſt proceſſus Eccleſiæ, vt patet ex prædictis: & ideo per hoc quod Ioannes vidit accipere eum librum, deſignatur acceptio notitiæ à principio creationis animæ Chriſti, ſed de nouo Ioanni reuelandæ, & per eum vniuerſali Eccleſiæ. Alium ſenſum Haymo nobis ſuppeditat cum ait: Accepit autem librum, quoniam ea quæ de ſe erant prædicta opere compleuit.* Hæc ille. *Haymo.*

Mos ſcripturæ vt res dicatur incipere cum agnoſci cœperunt.

At dico primo moris eſſe ſcripturæ dicere res aliquas incipere cum primo in homine notitiam veniunt: Neſciebant quantâ dilectione ab æterno Deus illos proſequebatur: at Chriſtus hoc Sacramentum conficiendo venit & accipit librum, id eſt, huius dilectionis manifeſtiſſimum edit ſignum: vnde cum fideles credunt, cum in hoc Sacramento ſe ipſum dat Chriſtus, nouum ſibi acquirendo exiſtendi modum per tranſubſtantiationem, experiuntur certè quæ ab æterno decreuerat perficere, vt dilectionis ſuæ ſigna Eccleſiæ demonſtraret. *Cum enim dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos*: id eſt, vſque

Digitized by Google

ad Ephesios essent ac ebullirent voluptatibus in
hoc mundo, ut Petrus ait, 2. Epist. 2. Et
Iudaicum scribit, quod Paulus ad Romanos
ait, Rom. 2. Nomen habes Iudæi, & requiescis
in lege, & gloriaris Deo, & scis voluntatem
eius, & probas utiliora instructus ex lege, &
confidis teipsum ducem esse cæcorum, lucem
eorum qui sunt in tenebris, eruditorem insi-
pientium, magistrum infantium, habentem
formam scientiæ & veritatis in lege. Hæc
Paulus. Quæ omnia Iudæi ex Mosaica lege
sibi vendicabant, & ex eorum sententia, qui
Mosaicam legem observabant, pendebant.
Quæ cum ita sint, Ecclesiæ Christi, quæ ab
his omnibus partim vitiosis, partim & bo-
nis, quæ Iudæi habebant, quæque & Chri-
stiani habere debent, abhorrere debet, ut
Christi sponsa, & ab omnibus his, quæ ad
Christum non pertinent, se separare debet,
ut Christo sponsa pura & casta exhibeatur.
Quod ut fiat, Spiritus Sanctus admonet,
ut Ecclesia Christi, quæ Christi sponsa est,
ab omnibus his, quæ Christo non placent,
se separet, & ut ad Christum, qui unicus
est omnium eius sponsi exemplar, se con-
formet, & ut Christo sponsa pura & casta
exhibeatur. Quæ omnia ut fiant, Spiritus
Sanctus admonet, ut Ecclesia Christi, quæ
Christi sponsa est, ab omnibus his, quæ
Christo non placent, se separet, & ut ad
Christum, qui unicus est omnium eius
sponsi exemplar, se conformet, & ut Chri-
sto sponsa pura & casta exhibeatur. Quæ
omnia ut fiant

Verſus 6. Et in medio ſolij & quatuor animalium & in medio ſeniorum agnum ſtantem tanquam occiſum habentem cornua ſeptem & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei miſſi in omnem terram.

mentum ejus appellatur: quæ ſanctitas, quia
in ſolis Chriſtianis eſt, ideo Chriſtianus dicitur
Chriſtus. Et ſic ſecundum hanc ſignificationem
Chriſtus dicitur ſacerdos, quia ſanctificatus
eſt, ſecundum illud Pſalmiſtæ, Unxit te Deus,
Deus tuus, oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Et
ſecundum hanc ſignificationem dicit, Et regnum,
& ſacerdotes fecit nos Deo & Patri ejus. Et
ſecundum hanc ſignificationem dicit Petrus, Vos
autem genus electum, regale ſacerdotium, gens
ſancta, populus acquiſitionis. Et ſecundum hanc
ſignificationem dicit Paulus, Rogo vos fratres
per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora
veſtra hoſtiam vivam, ſanctam, Deo placentem.
Et ſecundum hanc ſignificationem dicit Joannes
in Apocalypſi, Et regnum, & ſacerdotes fecit
nos Deo & Patri ejus. Et ſecundum hanc ſignificationem
dicit Petrus, Vos autem genus electum,
regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis.
Et ſecundum hanc ſignificationem
dicit Paulus, Rogo vos fratres per miſericordiam
Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam vivam,
ſanctam, Deo placentem.

Quanto autem ſit effectus ſanctificationis,
quæ in Chriſto eſt,

de quibus gloria, potentia, regnum, corroborantia, & fortitudo Dei, Christi, & Ecclesiæ, ut ostendimus in Cap. V. Apocalyp. Quæ omnia ad Christum, & Ecclesiam, ut ostendimus, pertinent. Quare Ecclesia Christi, & Christus Dominus nostrum intelligendi sunt. Et hoc videtur Apoc. 5. 9. Et cantabant canticum novum, dicentes: Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula ejus: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnare super terram. Et vidi, & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum: & erat numerus eorum millia millium, dicentes voce magna: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Et omnem creaturam, quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eis sunt, omnes audivi dicentes: Sedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum. Amen. Ecce quanta sunt ad Agnum tribuenda, quæ ad Christum, & Ecclesiam pertinent. Et ideo Christus, & Ecclesia intelligendi sunt. Et hoc videtur Apoc. 7. 9. Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omni gente, & tribubus, & populis, & linguis stantes ante thronum, & in conspectu Agni amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna, dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno. Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, & seniorum, & quatuor animalium, & cecidérunt in conspectu throni in faciebus suis, & adoraverunt Deum, dicentes: Amen. Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen. Ecce quanta sunt ad Deum tribuenda, quæ ad Christum, & Ecclesiam pertinent. Et ideo Christus, & Ecclesia intelligendi sunt. Et hoc videtur Apoc. 11. 15. Et septimus Angelus tuba cecinit, & facti sunt voces magnæ in cœlo, dicentes: Regnum hujus mundi factum est Domini nostri, & Christi ejus, & regnabit in sæcula sæculorum. Et 24. seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in faciebus suis, & adoraverunt Deum, dicentes: Confitemur tibi Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es, quia accepisti virtutem tuam magnam, & regnasti. Et gentes iratæ sunt, & venit ira tua, & tempus mortuorum judicari, & reddere mercedem servis tuis prophetis, & sanctis, & timentibus nomen tuum, pusillis, & magnis, & perdere eos, qui perdunt terram. Ecce quanta sunt ad Deum tribuenda, quæ ad Christum, & Ecclesiam pertinent. Et ideo Christus, & Ecclesia intelligendi sunt. Et hoc videtur Apoc. 12. 10. Et audivi vocem magnam dicentem in cœlo: Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus: quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos coram Deo nostro die, & nocte. Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, & propter verbum testimonii sui, & non dilexerunt animas suas usque ad mortem. Ecce quæ sunt ad Christum, & Ecclesiam pertinentia. Et ideo Christus, & Ecclesia intelligendi sunt. Et hoc videtur Apoc. 19. 1. Post hæc audivi quasi vocem magnam turbarum multarum in cœlo dicentium: Alleluia. Salus, & gloria, & virtus Deo nostro est. Quia vera, & justa judicia ejus. Quia judicavit meretricem magnam, quæ corrupit terram in fornicatione sua, & vindicavit sanguinem servorum suorum de manu ejus. Et iterum dixerunt: Alleluia. Et vapor ejus ascendit in sæcula sæculorum. Et cecidérunt 24. seniores, & quatuor animalia, & adoraverunt Deum sedentem super thronum, dicentes: Amen. Alleluia. Et vox de throno exivit dicens: Laudate Deum nostrum omnes servi ejus, & qui timetis eum pusilli, & magni. Et audivi quasi vocem turbæ magnæ, & quasi vocem aquarum multarum, & quasi vocem tonitruorum validorum dicentium: Alleluia, quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei, quia nuptiæ Agni venerunt, & uxor ejus præparavit se. Et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti, & candida. Byssinum enim justificationes sanctorum sunt. Et dicit mihi: Scribe: Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. Et dicit mihi: Hi sunt veri sermones Dei. Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum. Et dicit mihi: Vide ne feceris. Conservus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Jesu. Deum adora. Testimonium enim Jesu est spiritus prophetiæ. Ecce quæ sunt ad Christum, & Ecclesiam pertinentia. Et ideo Christus, & Ecclesia intelligendi sunt. Et hoc videtur Apoc. 21. 3. Et audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus. Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. Et dixit qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia. Et dicit mihi: Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt, & vera. Et dixit mihi: Factum est. Ego sum Alpha, & Omega, principium, & finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. Qui vicerit possidebit hæc, & ero illi Deus, & ipse erit mihi filius. Ecce quæ sunt ad Christum, & Ecclesiam pertinentia. Et ideo Christus, & Ecclesia intelligendi sunt. Et hoc videtur Apoc. 22. 1. Et ostendit mihi fluvium aquæ vitæ splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei, & Agni. In medio plateæ ejus, & ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium. Et omne maledictum non erit amplius. Sedes autem Dei, & Agni in ea erunt, & servi ejus servient illi. Et videbunt faciem ejus, & nomen ejus in frontibus eorum. Et nox non erit amplius, & non indigebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in sæcula sæculorum. Ecce quæ sunt ad Christum, & Ecclesiam pertinentia. Et ideo Christus, & Ecclesia intelligendi sunt. Et hoc videtur Apoc. 22. 3. Et ostendit mihi fluvium aquæ vitæ splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei, & Agni. In medio plateæ ejus, & ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium. Et omne maledictum non erit amplius. Sedes autem Dei, & Agni in ea erunt, & servi ejus servient illi. Et videbunt faciem ejus, & nomen ejus in frontibus eorum. Et nox non erit amplius, & non indigebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in sæcula sæculorum. Ecce quæ sunt ad Christum, & Ecclesiam pertinentia. Et ideo Christus, & Ecclesia intelligendi sunt. Et hoc videtur Apoc. 22. 3. Et ostendit mihi fluvium aquæ vitæ splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei, & Agni. In medio plateæ ejus, & ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium. Et omne maledictum non erit amplius. Sedes autem Dei, & Agni in ea erunt, & servi ejus servient illi. Et videbunt faciem ejus, & nomen ejus in frontibus eorum. Et nox non erit amplius, & non indigebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in sæcula sæculorum.

Apoc. 5. 9.

Apoc. 7. 9.

Apoc. 11. 15.

Apoc. 12. 10.

Apoc. 19. 1.

Apoc. 21. 3.

Apoc. 22. 1.

Apoc. 22. 3.

Apoc. 22. 3.

Apoc. 22. 3.

Apoc. 5. 9. Quæ omnia ad Christum, & Ecclesiam, ut ostendimus, pertinent. Quare Ecclesia Christi, & Christus Dominus noster intelligendi sunt. Et hoc videtur Apoc. 5. 9. Et cantabant canticum novum, dicentes: Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula ejus: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnare super terram. Et vidi, & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum: & erat numerus eorum millia millium, dicentes voce magna: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Et omnem creaturam, quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eis sunt, omnes audivi dicentes: Sedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum. Amen. Ecce quanta sunt ad Agnum tribuenda, quæ ad Christum, & Ecclesiam pertinent. Et ideo Christus, & Ecclesia intelligendi sunt. Et hoc videtur Apoc. 7. 9. Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omni gente, & tribubus, & populis, & linguis stantes ante thronum, & in conspectu Agni amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna, dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno. Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, & seniorum, & quatuor animalium, & cecidérunt in conspectu throni in faciebus suis, & adoraverunt Deum, dicentes: Amen. Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen. Ecce quanta sunt ad Deum tribuenda, quæ ad Christum, & Ecclesiam pertinent. Et ideo Christus, & Ecclesia intelligendi sunt. Et hoc videtur Apoc. 11. 15. Et septimus Angelus tuba cecinit, & facti sunt voces magnæ in cœlo, dicentes: Regnum hujus mundi factum est Domini nostri, & Christi ejus, & regnabit in sæcula sæculorum. Et 24. seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in faciebus suis, & adoraverunt Deum, dicentes: Confitemur tibi Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es, quia accepisti virtutem tuam magnam, & regnasti. Et gentes iratæ sunt, & venit ira tua, & tempus mortuorum judicari, & reddere mercedem servis tuis prophetis, & sanctis, & timentibus nomen tuum, pusillis, & magnis, & perdere eos, qui perdunt terram. Ecce quanta sunt ad Deum tribuenda, quæ ad Christum, & Ecclesiam pertinent. Et ideo Christus, & Ecclesia intelligendi sunt. Et hoc videtur Apoc. 12. 10. Et audivi vocem magnam dicentem in cœlo: Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus: quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos coram Deo nostro die, & nocte. Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, & propter verbum testimonii sui, & non dilexerunt animas suas usque ad mortem. Ecce quæ sunt ad Christum, & Ecclesiam pertinentia. Et ideo Christus, & Ecclesia intelligendi sunt. Et hoc videtur Apoc. 19. 1. Post hæc audivi quasi vocem magnam turbarum multarum in cœlo dicentium: Alleluia. Salus, & gloria, & virtus Deo nostro est. Quia vera, & justa judicia ejus. Quia judicavit meretricem magnam, quæ corrupit terram in fornicatione sua, & vindicavit sanguinem servorum suorum de manu ejus. Et iterum dixerunt: Alleluia. Et vapor ejus ascendit in sæcula sæculorum. Et cecidérunt 24. seniores, & quatuor animalia, & adoraverunt Deum sedentem super thronum, dicentes: Amen. Alleluia. Et vox de throno exivit dicens: Laudate Deum nostrum omnes servi ejus, & qui timetis eum pusilli, & magni. Et audivi quasi vocem turbæ magnæ, & quasi vocem aquarum multarum, & quasi vocem tonitruorum validorum dicentium: Alleluia, quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei, quia nuptiæ Agni venerunt, & uxor ejus præparavit se. Et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti, & candida. Byssinum enim justificationes sanctorum sunt. Et dicit mihi: Scribe: Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. Et dicit mihi: Hi sunt veri sermones Dei. Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum. Et dicit mihi: Vide ne feceris. Conservus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Jesu. Deum adora. Testimonium enim Jesu est spiritus prophetiæ. Ecce quæ sunt ad Christum, & Ecclesiam pertinentia. Et ideo Christus, & Ecclesia intelligendi sunt. Et hoc videtur Apoc. 21. 3. Et audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus. Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. Et dixit qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia. Et dicit mihi: Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt, & vera. Et dixit mihi: Factum est. Ego sum Alpha, & Omega, principium, & finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. Qui vicerit possidebit hæc, & ero illi Deus, & ipse erit mihi filius. Ecce quæ sunt ad Christum, & Ecclesiam pertinentia. Et ideo Christus, & Ecclesia intelligendi sunt. Et hoc videtur Apoc. 22. 1. Et ostendit mihi fluvium aquæ vitæ splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei, & Agni. In medio plateæ ejus, & ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium. Et omne maledictum non erit amplius. Sedes autem Dei, & Agni in ea erunt, & servi ejus servient illi. Et videbunt faciem ejus, & nomen ejus in frontibus eorum. Et nox non erit amplius, & non indigebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in sæcula sæculorum. Ecce quæ sunt ad Christum, & Ecclesiam pertinentia. Et ideo Christus, & Ecclesia intelligendi sunt. Et hoc videtur Apoc. 22. 3. Et ostendit mihi fluvium aquæ vitæ splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei, & Agni. In medio plateæ ejus, & ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium. Et omne maledictum non erit amplius. Sedes autem Dei, & Agni in ea erunt, & servi ejus servient illi. Et videbunt faciem ejus, & nomen ejus in frontibus eorum. Et nox non erit amplius, & non indigebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in sæcula sæculorum.

Apoc. 5. 9.

Apoc. 7. 9.

Apoc. 11. 15.

Apoc. 12. 10.

Apoc. 19. 1.

Apoc. 21. 3.

Apoc. 22. 1.

Apoc. 22. 3.

Apoc. 22. 3.

Apoc. 22. 3.

Digitized by Google

ceu Ecclesiæ nobis, ad Cœnam, aut vitam beatam, & ad gloriæ nobis, ad Cœnam, aut vitam beatam, & ad gloriæ nobis, ad Cœnam, aut vitam beatam, & ad gloriæ

Ecclesi

cepti, vt per orationes eorum multa nobis bona obueniant. De quo benigno & facili acceſſu ad Deum dicebat Chriſtus: *In illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis. Ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis quia à Deo exiui.* Ioan. 16. Viſne videre quanti faciat Deus ſeruorum ſuorum orationes? Lege vltimum caput libri Iob. *Ite*, dicebat Deus, *ad ſeruum meum Iob, & offeret holocauſtum pro vobis: faciem eius ſuſcipiam ne vobis imputetur ſtultitia.* Nec euidentiori ratione Deum ſe iratum contra populum Iſraël demonſtrabat, Ierem. c. 13. quàm aſſerendo ſe non ſuſcepturum deinceps pro eis orationes ſeruorum ſuorum: *Et dixit*, inquit, *Dominus ad me: ſi ſteterint Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum: ejice illos à facie mea & egrediantur.* Quaſi diceret: Non poſſum eos ſuſtinere, tam abominabiles facti ſunt vt nec eos videre queam. Et ſignanter mentionem facit Moyſis & Samuelis, qui orationibus ſuis plurima à Deo impetrarunt admiratione digna.

Ioan. 16.

Ierem. 13.

Tertium caput ad quod reducitur ſanctorum poteſtas, eſt donum miraculorum omnis generis: quia de ſanctis dici poſſunt quæ de Heliſeo dicuntur Eccleſ. 48. *In vita ſua fecit monſtra, & in morte mirabilia operatus eſt.* Et vt anteà dicitur: *Nec ſuperauit illum verbum aliquod, & mortuum prophetauit corpus eius,* id eſt, corpus eius mortuum declarauit eum fuiſſe Prophetam Deo chariſſimum & gratiſſimum, quia ad tactum oſſium Prophetæ homo occiſus ad vitam rediit 4. Reg. c. 13. Quis non miretur vmbram Petri obumbrantem infirmos illis ſanitatem conferre? Act. 5. Eadem poteſtas ſudariis S. Pauli: *Virtutes non modicas faciebat Deus per manum Pauli, itaut etiam ſuper languidos deferrentur à corpore eius ſudaria, & ſemicinctia: & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur.* Lege S. Ambr. de inuentione corporum SS. Vitalis & Agricolæ. *Certe & ipſi dæmones confitebantur, & ab hominum corporibus illico egrediebantur, & multi qui variis vexabantur ægritudinibus, ſanctorum tangentes ſudaria continuo ſanabantur, & plura per ſanctos ſuos mirabilia, in populi præſentia, dum ſacra veherentur pignora, operatus eſt Dominus.* Ambroſ. epiſt. de inuent. corpor. SS. Vitalis & Agricolæ. *Colligant*, inquit, *aly aurum atque argentum, & de latentibus eruant venis, legant pretioſa monilium: temporalis iſte theſaurus eſt, & habentibus non infrequenter perniciоſus: nos legimus Martyrum clauos, plures quidem, quia plura in eis vulnera quam membra fuerunt: Colligimus ſanguinem Triumphalem & Crucis lignum, &c.* Ita Ambroſ. Mira ſunt iſta ad demonſtrandam ſanctorum potentiam: ſed audiamus Dauidem Regium Prophetam illam magnificantem: *Exaltationes Dei*, inquit, *in gutture eorum.* Ac ſi diceret: veriſſimè Sancti non ſunt ij ad quos dicitur: *Populus iſte labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me*, ſed qui ex toto corde, & imo pectore laudes meas intonant: quo fit vt eorum verba ſint quaſi *gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, nobiles eorum in manicis ferreis:* Quæ quidem non vni ſanctorum competunt, ſed inquit Dauid, *Gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius.* Hinc addit: *Laudate Dominum in ſanctis eius.* Ac ſi diceret: Laudate eos, colite eos, adorate, ſed potiſſimum eos inſuper inuocate, quia potentes ſunt vt vobis auxilium præbeant, & à Domino impetrẽt quæcumque vobis erunt conducibilia ad ſalutem. Hinc S. Ambroſ. lib. de Viduis: *Obſecrandi ſunt Angeli, qui nobis ad præſidium dati ſunt; Martyres obſecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vindicare: poſſunt pro peccatis rogare noſtris, qui proprio ſanguine, etiam ſi qua habuerunt peccata lauerunt. Iſti enim ſunt Dei Martyres, noſtri præſules, ſpeculatores vitæ actionumque noſtrarum: non erubeſcamus eos interceſſores noſtræ infirmitatis adhibere, quia ipſi infirmitatem corporis etiam cum vincerent cognouerunt.* Ita Ambroſ. Sed de interceſſione ſanctorum legendi autores qui de ea ex profeſſo tractant.

Poteſtas ſanctorum in operationes miraculorum. Eccleſ. 48.

4. Reg. c. 13.

Act. 5.

S. Ambroſ.

S. Ambroſ.

PARAPHRASIS

PARAPHRASIS CAPITIS VI.

De Admirandis Christi operationibus, tàm circa animarum ſanctificationem, quàm circa Eccleſiæ gubernationem: vt inimicos nominis eius ſub pedibus ſuis conterat.

CHRISTO in medio Eccleſiæ ſtante, & à Patre totam ſeriem gubernationis accipiente, cum ipſe ſit Caput inuiſibile, immediatùm, principale ipſius, qui veluti in medio corporis conſiſtens, vt vitam & Capiti viſibili & membris omnibus Eccleſiæ elargiat, diſtribuens dona ſua vnicuique prout vult; Non ſtat aut exiſtit in medio Throni quaſi nihil operans, nec in vanum accipit poteſtatem tùm manifeſtandi tum exequendi ea quæ in hoc libro continentur: Nam quæ diſpoſuit Deus ab æterno vt exhiberet ſibi Eccleſiam ſuam abſque rugâ aut maculâ fieri oportere, tam circa interiorem animarum ſanctificationem quàm circa eius ſinceram doctrinam & fidei profeſſionem, eadem mihi ſignificauit, cum vim & efficaciam Sacramentorum nouæ legis quæ ipſe inſtituit (Author enim Sacramentorum quis eſt niſi Dominus Ieſus?) ſub ſymbolis apprimè iſtam efficaciam exprimentibus intellectui meo contuendam obiecit, & ſub eodem proſperos Eccleſiæ ſucceſſus deſcripſit, contra omnes qui eius ſalutarem doctrinam, fidei profeſſionem ac Dei cultum impugnaturi ſunt; vt ab omnibus his impugnationibus defenſa, in nominis eius confeſſione ſecura perſiſtat, & in exercitiis prædicationis, orationis, bonorum operum, Sacrificiorum, quibus Deum Optimum Maximum colit ac veneratur, & in continuâ pro eius in eam collatis beneficiis gratiarum actione, conſtanter perſeueret.

Symbolum effectus Baptiſmi; determinationis Eccleſiæ de diuinitate Verbi; & omnipotentiæ Dei.

TEXTVS.

Et vidi quod aperuiſſet agnus vnum de ſeptem ſigillis & audiui vnum de quatuor animalibus dicens tãquam vocem tonitrui: Veni & vide. Et vidi, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum habebat arcum, & data eſt ei corona, & exiuit vincens vt vinceret.

Is igitur in mente habens quænam eſſent auxilia ſupernaturalia hominibus præſtanda, vt ad finem debitum prouenirent, ſeptem inſtituit Sacramenta: ſub quibus quaſi ſub quibuſdam ſigillis, quam in mente reuoluebat gratiarum profuſionem reconditam teneret: quorum quidem vim dum adminiſtrantur ſymbolis huiuſmodi graphicè depinxit. Ad prædictam enim viſionem ipſius in medio Eccleſiæ ſtantis, & hanc adiecit. Nam vidi quod aperuiſſet Agnus vnum de ſeptem ſigillis: *Et audiui vnum de quatuor animalibus dicens (tanquam vocem tonitrui) veni & vide. Et vidi: & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum habebat arcum, & data eſt ei corona: & exiuit vincens vt vinceret.* O præclarum diuinæ omnipotentiæ, in abſtrahendo ab omni errore intellectu humano, ſymbolum! O animæ, fide viuâ ſupra ſenſus & rationes humanas eleuatæ, ingenua delineatio! Iam per totum orbem reſonat illa vox Domini: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto non poteſt introire in regnum Dei*, Ioan. 3. Iam audacter Petrus Iudæis contribulibus ſuis imperat dicens: *Baptiſetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus ſancti.* Act. 2. Iam gentes iubentur *Baptiſari in nomine Domini Ieſu Chriſti.* Act. 10. Quod cum ſit Agnus aperit vnum, id eſt, primum de ſigillis, id eſt Sacramentum Baptiſmi, qui ianuâ eſt aliorum Sacramentorum. Si enim Petrus baptiſat, ipſe eſt Ieſus qui baptiſat: & tam ſtupendum ex baptiſmo producit effectum, vt congruè ac conuenienter animal, quo potentia ſummæ eius diuinitatis ſignificatur, me ad rem adeò mirandam forti & ſonorâ voce contuendam prouocarit: Audiui enim leonem tanquam vocem tonitrui inclamantem: *Veni & vide. Et vidi & ecce equus albus*; Ecce inquam, anima Chriſtiani baptiſati, mitis, docilis, fidei à Deo reuelatæ ſubdita & obſequens, non amplius quaſi onager in deſerto infidelitatis iugum abnuens, ſed Chriſti iugo ſubdita, eius mandatis obtemperare deſiderans. Non amplius de ea dici debet: *A ſæculo confregiſti iugum, dixiſti: non ſeruiam.* Quin potius de ea in poſterum dicetur: *Populus quem non cognoui ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi*, Ex quo in eâ tantum Sacramentum, ſuum produxit effectum. Hinc alba, quia ab erroribus & peccatis purgata; hinc Chriſto qui ſuper eam ſedet ita ſubiecta, vt credat quæ non videt, ſperet quæ illi non apparent, & ad ea aſſequenda pro viribus conetur. Hinc opera quæ ad vitam æternam promerendam ſunt neceſſaria exequitur. Hinc mundum & diabolum & carnem ſuppeditat, victoriis primis victorias identidem accumulando, vt tandem coronam iuſtitiæ, quam illi reddet iuſtus iudex, adipiſcatur.

Faceſſant aduerſarij talis omnipotentiæ Verbi; muſſitent, inclament quantum voluerint, contradicant, impugnent quantùm potuerint oſores diuinitatis Filij Dei, qui illi gloriam hanc inuident quod æqualis ſit Patri: Attamen ipſe præualebit contra ſuos aduerſarios, & ponentur ſcabellum pedum eius, vt eos conterat ſub pedibus ſuis. Hanc Verbi Incarnati victoriam depictam animaduerti in hoc ſymbolo equi albi. Equus eſt, propterea quod factus eſt obediens Patri vſque ad mortem: vnde dicit, *Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum.* Albus eſt, quia candor eſt lucis æternæ: ſedet ſuper humanitatem ſuam, quia voluntas diuina dirigit humanam: habet arcum, quia eius potentia, ad longè latèque ſuperandos quoſcumque aduerſarios, extenditur: data eſt ei corona, quia gloria & honore coronatus oſtenditur. Exit in tempore per multiplices ſuæ potentiæ effectus, qui ante tempora genitus à Patre exiuit ab eo & venit in mundum: Exiuit vincens hominum ingratitudinem, diaboli aſtutiam, naturæ humanæ conditionem, vt vinceret omnes ſuæ conſubſtantialitatis cum Patre ac diuinitatis impugnatores, vt omnes tandem homines amore ſuperaret; *Maiorem* enim *charitatem nemo habet quam vt animam ſuam quis ponat pro amicis ſuis*: Quantò magis ſi ponat etiam pro inimicis? Ad iſtam victoriam intuendam me excitauit leo, quia ſedes Alexandrina cuius leo ſymbolum eſt, potiſſimum inſeruiet ad hanc diuinitatis Verbi defenſionem, vt euentus comprobabit.

O venerandum omnipotentiæ Filij Dei ſymbolum, qui fidei obſequio intellectum humanum ſubdens non alios voluit habere ſui nominis ac gloriæ promulgatores ac defenſores, quàm quoſdam ho-

Digitized by Google

nunciones contemptibiles, qui eius imperio nihilominus vniuerſum orbem ſubmitterent, & contra poteſtates ſæculi & ſpiritualia nequitiæ pro ſuâ gloriâ fortiter dimicarent! Certè ſi prodigioſum videtur, quod ſub egeno elemento aquæ in baptiſmo tanta gratia conferatur, vt fidei intellectus humanus obſequium præſtet, nimis ſtupendum erit & humanam effugiet prudentiam, quod tàm debilibus inſtrumentis vſus fuerit ad ſuam inter homines gloriam, in confeſſione ſuæ æqualitatis cum Patre protegendam. Hæc ſunt quæ ad apertionem primi ſigilli videbar mihi cognoſcere, cùm ſtatim animaduerti agnum ad apertionem ſecundi ſigilli properare.

SECVNDVM SIGILLVM.

Symbolum effectus Sacramentum Confirmationis; & determinationis Eccleſiæ de diuinitate Spiritus ſancti; & diuinæ bonitatis ſeu diuini amoris.

OQuam verum quod olim dictum eſt à Domino: *Ero Deus vniuerſis cognationibus Iſrael, & ipſi erunt mihi in populum.* Ierem. 31. *In charitate perpetuâ dilexi te, ideo attraxi te miſerans tui.* Oſee 2. Vt his pollicitationibus homines ad ſe alliceret in vinculo charitatis! Certè adimpletum eſt illud Iſa. 44. *Effundam aquas ſuper ſitientem & fluenta ſuper aridam. Effundam Spiritum meum ſuper ſemen tuum, & meam benedictionem ſuper ſtirpem tuam.* Quin & illud Ioel. 2. *Et ſcietis quia in medio Iſrael ego ſum: & ego Dominus Deus veſter, & non eſt amplius: & non confundetur populus meus in æternum. Et erit poſthæc effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem.* Quas enim cogitationes ab æterno habebat Deus noſter, & in mente voluebat Saluator noſter, dotandi ſcilicet chariſſimam ſponſam donis Spiritus ſancti, nunc manifeſtauit, nunc adimpleuit, cum ſub viſibili ſigno, nempe chriſmate & certis verborum formulis, præſentiam tantæ maieſtatis voluit includi, & per adminiſtrationem huius Sacramenti voluit confirmari quod operatus fuerat in nobis in Baptiſmo: Itaut plenitudine ſpiritus acceptâ, contra omnes ſalutis noſtræ aduerſarios & Dei gloriæ inimicos potenter dimicemus, & victoriam reportemus. Cuius quidem Sacramenti, Confirmationis videlicet ſigillum aperuit, cum eius effectus magnificos ſub ſpecioſo ſymbolo menti meæ contemplandos obiecit.

Audiui ſiquidem ſecundum animal Bouis figuram gerens dicens: *Veni & vide. Et exiuit alius equus rufus: & qui ſedebat ſuper illum datum eſt ei vt ſumeret pacem de terra, & vt inuicem ſe interficiant: & datus eſt ei gladius magnus.* Iam Chriſtiani per fidem illuminati in Baptiſmo Verbum Dei in ſe receperunt, ſed alium à ſe paracletum promiſerat, nempe ſpiritum ſuum, quem accipientes ſitim iuſtitiæ quâ laborabant extinguerent? Hinc alius exit equus, quia poſt miſſionem & huius ſpiritus admiſſionem plenè Chriſtiani inuenti, plane alij fuerunt. Et exeuntes ad opus audenter dicunt: Omnia poſſumus in eo qui nos confortat, & ad nullius hoſtis pauebimus occurſum; nunc vſque ad ſanguinis effuſionem reſiſtemus peccato; nunc vſque ad vltimam ſanguinis guttam, animam & vltimum ſpiritum exhalantes, Dei noſtri nomen glorioſum confiteri in animo eſt: & qui per fidem candidum amplexati ſumus ſponſum, diuinitatis eius fulgorem & humanitatis ſuæ puritatem & innocentiam demirantes, nunc roſeum & purpureum amplectimur in cruce, charitatis ſuæ immenſæ erga nos altitudinem attonitî contemplantes, vt ſanguinis eius purpurati comæ capitis noſtri, id eſt, cogitationes cordis noſtri, ſint in poſterum tanquam purpura Regis, nihil aliud ſpirantes quam ſequelam & imitationem illius, qui tam ardenter nos dilexit vt pro noſtrâ ſalute mori in cruce non dubitaret. O præclara ſpiritus vnctio, quæ tam generoſos Athletas procreauit, vt pacem habeant cum Deo perfectam, cum cæteris rebus creatis quodammodo bellum gerant, ab omnibus ſeparantur vt cum eo inſeparabiliter vniantur? Nec vlla eſt tam ſtricta in rebus humanis concordia parentum, fratrum, vxoris, amicorum, prædiorum, dignitatum, quam non diſtrumpant ac præſcindant, vt cum Deo ſuo pacem ſeruent. Talis eſt ille equus rufus cui inſidet Spiritus ſanctus qui pacem, quæ ſui Dominij eſt, ſumit & aufert è terrâ, vt eam ſuis elargiatur, quibus dat vt tranquillitatem animi ſeruent, eo ipſo quo cum ſemetipſis & cum mundo & cum diabolo fortiter congrediuntur. Ita ab inuicem interficiuntur caro & ſpiritus, Chriſtianus & mundus, Amor Dei & diabolus. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum*: At quàm ei moleſtum à tam indigno ſed domeſtico hoſte continuò vexari, diſtrahi & aciem mentis eius obtundi, *Spiritus concupiſcit aduerſus carnem*, Quæ certè dolet, gemit ſub iugo & ſarcinâ; & licet recalcitret, ieiuniis, flagellis, ciliciis caſtigatur, & in ſeruitutem redigitur. *Mihi mundus crucifixus eſt*, dicet ille, *& ego mundo*. Iniuriis impetitur, ignominiis & confuſionibus patet, ſed omnia facit, & libenter patitur detrimenta vt Chriſtum lucrifaciat, inſultat mundo, quia dignus inuentus eſt contumeliam pati pro nomine Chriſti: etſi diabolus, odio inardeſcens illum à ſuo propoſito deturbare conetur, & minas mortemque intentet, tantâ magnanimitate contemnit quidquid moliatur, vt confuſus in tartarum redeat pœnam ſuæ temeritatis daturus, videns omnes ſuos conatus fruſtrati, & ſe turpiter ejici ſentiens ab iis quos ſui iuris in perpetuum fore exiſtimabat. Sic ſe inuicem interficiunt & mutuò pugnant.

Tandem vt Chriſtianus Spiritu ſancto plenus in arenam deſcendat, armis validis inſtructus, datus eſt ei gladius magnus, quod eſt Verbum Dei, quo diaboli mendacia, mundi fallaciæ, carnis illecebræ ita retunduntur, deteguntur, reſcinduntur, vt vix audeant inimici cum ipſo congredi. En quales ſunt qui dignè tale Spiritus ſancti donum recipiunt, ſuper quos tanta effunditur gratia, vt Deus in ipſis inhabitet & maneat; *Qui* enim *manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo.* Et quia hoc beneficentiæ diuinæ ac bonitatis eius verus eſt effectus & paſſionis Dominicæ fructus; & quia à ſolo eo qui ſit ſacerdos hoc ſacramentum adminiſtratur, hinc bos tum beneficentiæ, tum ſacrificij ac ſacerdotij verum ſymbolum, me ad hoc ſpectandum inuitauit, dicens: *Veni & vide*: Et ſic apparet quod vere bonus eſt, *Ille ſanctificator Eccleſiæ & auxiliator, & Magiſter Paracletus: quem Dominus Ieſus ſedens ad dexteram Patris, pront promiſerat miſit ad regendam ſuam Eccleſiam, & ad eam de omni veritate inſtruendam.* S. Cyrillus. Catech. 16.

Sed proh dolor? Quanta eſt hominum erga Deum ingratitudo? En video quoſdam pneumatomachos futuros, qui ſpiritus ſancti à Patre & Filio miſſi diuinitatem denegabunt: contra quos tamen inſurget ipſe in prælium, & ardentiſſimo ſalutis hominum zelo non eos deſeret, ſed ſuum honorem glorioſè tuebitur: itaut omnes confiteantur ipſum eſſe Spiritum ſanctum, Dominum & viuificantem, ex Patre & Filio procedentem, cum Patre & Filio coadorandum & conglorificandum, qui locutus eſt per prophetas. Hic eſt per quem Eccleſia vegetatur &

Ierem. 31. Oſee 2.

Iſ. 44.

TEXTVS. *Et cum aperuiſſet ſigillum ſecundum, audiui ſecundum animal dicens: veni & vide.*

Et exiuit alius equus rufus & qui ſedebat ſuper illum datum eſt ei vt ſumeret pacem de terra & vt inuicem ſe interficiant, & datus eſt ei gladius magnus.

Digitized by Google

illuminatur, qui ipſi Paſtores & Epiſcopos ſubmini- A
ſtrat, & ipſos ponit vt regant Eccleſiam Dei. Cuius
quidem fidei effectus optimè in prædicto ſymbolo
adumbrantur. Nam animal ſecundum figuram Bouis
gerens ſymbolum eſt Eccleſiæ Antiochenæ, in quâ
præcipuos præſentiæ Spiritus ſancti effectus clarè &
perſpicuè ab initio naſcentis Eccleſiæ viguerunt.
Hic legitima ad prædicandum Euangelium miſſio.
Hic inter fideles vera concordia & charitatis officia
enituerunt. Hic Paſtorum & Epiſcoporum circun-
ſpecta prouiſio. Hic Prophetiæ ſpiritus. Hic Petrus
primam ſedem ad tempus fixit, & fundamentum
poſuit ſupra quod Eccleſiaſtici ædificij altitudo con-
ſurrexit. Hic primò fideles Chriſtiani ſunt vocati,
in ſignum vnionis quam illis confert Spiritus ſan-
ctus. Optime igitur Bos me promouit ad intuendum B
Aug. ſerm. 15. de Sanctis. præclaros effectus qui ex determinatione illius ve-
ritatis, nempe quod Spiritus ſanctus ſit verus Deus,
prouenerunt: qui quidem effectus ſub tali ænigma-
te delineati ſunt: Equus, animus Chriſtianus, in quo
charitas Dei diffuſa eſt per Spiritum ſanctum qui
datus eſt nobis; Rufus, qui zelo & ardore feruet;
ſupra ipſum inſedit qui pacem ſumit de terra, nem-
pe idem Spiritus ſanctus, cui proprium eſt ſumere
pacem de terrâ, illam inquam pacem quam mun-
dus neque dare neque accipere poteſt, cuius abun-
dantia ſit vt qui mundo ſunt mortui, Chriſto ita vi-
uant vt cum mundo prælia agant, arguentes ipſum
de peccato, de iuſtitia & iudicio: & ita animosè C
ipſius vitia redarguant, vt peccatores morte ſpiritali interficiant, in ipſis peccata & vitia interrumpentes: At mundus illorum exemplo, prædicatione ac reprehenſionibus exacerbatus, nihil aliud meditatur quam ipſorum mortem ac pernicièm. Sed datur fidelibus gladius magnus, nempe Verbum Dei, cui non poterunt reſiſtere omnes aduerſarij eorum, ſed aut conuertentur & credent, aut tanquam fulmine ictì dirâ morte temporali ac æternâ, à Deo viuo & vero & Angelis & Sanctis eius ſeparabuntur, vt dicant gementes: *Siccine ſeparas amara mors?*

O præclara diuini amoris victoria, quâ quidem ſit vt potiùs homines mortem oppetant, quàm bonitatem & diſciplinam derelinquant! O quam lar- D
ga profuſio gratiarum & donorum, quibus quidem homo ita fit bonitatis amans, vt in ſola charitatis Dei poſſeſſione conquieſcat, cætera omnimode deſpiciat, ne à ſuo bono ne minimum quidem temporis ſeparetur! Quis videns iſtos contra omnes ſæculi poteſtates inſurgentes, vt Chriſtum annuncient, & licet prohiberentur, licet minis, terroribus ac tormentis ab his intentis auerterentur, licet inſani exiſtimarentur ob prædicationem rerum quæ humanum captum excedebant, & quæ vana ac ridicula à ſæculi ſapientibus habebantur, nihilominus coram Regibus & Principibus & Poteſtatibus ſæculi liberè illius nomen confitentes, non potiùs viros contentioſos, rebelles, pacis ac tranquillitatis publicæ E
perturbatores, quàm veritatis aſſertores & ſapientiâ diuinâ præditos ac Deo obſequentes æſtimaret, niſi à Spiritu ſancto edoctus didiciſſet magis eſſe obediendum Deo quam hominibus, nihil creaturis obuenire poſſe glorioſius, quàm vt amori amorem rependat, & ſanguine ſanguinem compenſet, & tandem pro Dei ſui gloria aliquid patiatur, quatenus à ſummo bono, ad cuius fruitionem toto anhelat deſiderio, ne minimum quidem temporis ſeparetur?

TERTIVM SIGILLVM.

Symbolum effectus Sacramenti Matrimonij in obedientia legi diuinæ præſtanda: & humiliationis Verbi in incarnatione; & diuinæ æquitatis ſeu diuinæ iuſtitiæ.

EXINDE verum initur coniugium inter Chri- TEXTVS.
ſtum & Eccleſiam, quam quidem vnionem à *Et cum aperuiſſet ſigillum audiui tertium animal dicens: veni & vide.*
diebus antiquis in mente reuoluens, vt promiſſis ſuis ſtaret Dominus qui olim dicebat, Oſee. 2. *Et ſponſabo te mihi in ſempiternum: & ſponſabo te mihi in iuſtitia & iudicio & in miſericordiâ & in miſerationibus, & ſponſabo te mihi in fide: & ſcies quia ego Dominus,* Eccleſiam ſibi in ſponſam elegit: à quâ quidem auelli aut ſeparari minime poterit. Cum ipſa ſiquidem erit vſque ad conſummationem ſæculi. Quis autem eam ab eo ſeparare poſſet? Non tribulatio non anguſtia; non perſecutio, non gladius. Cuius quidem vnionis & inſeparabilitatis ab inuicem, ſymbolum voluit inſtituere in Sacramento Matrimonij inter virum & fœminam interuenientis: vnde tale Sacramentum magnum erit, in Chriſto dico & in Eccleſia. Cuius effectus inſignes in apertione tertij ſigilli innotuerunt. Nam cum aperuiſſet ſigillum tertium, eius ſacramenti vim & efficaciam mihi demonſtrando, vt iſta magis ac magis mihi innoteſcerent pulcherrimum ſymbolum obiecit. Ad quod intuendum à tertio animali, nempe figuram hominis habente, ſui prouocatus his verbis: *Veni & vide*: ne humanis oculis ac carneis iſtam viri baptiſati & fœminæ Chriſtianæ copulam aſpicias, fide accede ad contemplanda quæ & quanta Deus meditatus ſit huius ſacramenti mandato & inſtitutione. Vidi ſiquidem equum, id eſt, populum Chriſtianum legi Chriſtianæ omnimode obſequentem, quæ adeo altum ſibi finem proponit vt omnia inferiora deſpiciat, æterna tantum meditetur; quæ adeo ſtrictam ſui obſeruantiam requirit, vt ne latum vnguem à ſe ſuos cultores deflectere ſinat; quæ animi ac voluntatis, & appetitus cordis & corporis motus ita frænari & in captiuitatem redigendos imperat, vt ne minimus quidem motus contra ſe inſurgere permittat: vnde à multis quaſi obſeruatu impoſſibilis cenſetur, tam ardua, tam difficilis ac ſentibus & ſpinis plena hæc mandatorum Dei via ab ipſis habetur: quin & multi percipere non valeant quomodo Deus, qui infinita bonitate omnem cordis humani malitiam ſuperat, iugum adeo ſuaue & onus tam graue humanis ceruicibus & humeris imponere voluerit, & non ſolùm ſi fuerint legis tranſgreſſores eos à gloriâ æternâ repellere, ſed quod moleſtius eſt, pœnis ac cruciatibus æternis eos addicere propoſuerit, nihilominus vidi quod populus Chriſtianus dilatatione cordis ex præſentiâ diuini ſpiritus ibat ſaliens in montibus, tranſiliens colles, & quod non ſolum alacri paſſu gradiebatur, ſed etiam curſu præpeti ad brauium vitæ æternæ per viam mandatorum Dei contendebat. Licet enim hæc Dei ſponſa nigra videatur, quia lege tam ſeueræ addicitur, habet tamen eloquia pulchritudinis: Viæ enim ſponſi eius, viæ pulchræ, & ſemitæ eius pacificæ: vnde non ſolùm Deo anima Chriſtiana parata eſt obedire, ſed etiam ſubiecta eſt libenter omni creaturæ humanæ propter Deum, ſiue Regi quaſi præcellenti ſiue du- 1. Pet. 2.
cibus tanquam ab eo miſſis, quanto magis obedient & ſubjicientur fideles Eccleſiæ præpoſitis, qui altiorem finem quàm ſit tranquillitas quædam temporalis, nempe ſalutem eorum æternam in animo habent, & peruigilant quaſi rationem pro animabus

Et ecce equus niger & qui ſedebat ſuper illum habebat ſtateram in manu ſua, & audiui tamquam vocem in medio quatuor animalium dicentium: Bilibris tritici denario, & tres bilibres tritici denario: & vinum & oleum ne læſeris.

corum redditurí? Qui igitur ſedet ſuper equum eſt Paſtor Eccleſiæ Chriſtum repræſentans, & à Spiritu ſancto poſitus vt regat Eccleſiam Dei. Hic habet ſtateram in manu ſuâ, quia & proponere credenda & imperare facienda debet, pro modulo eorum quos regit. Hinc vnanimiter quatuor animalia, id eſt, præcipui Eccleſiæ paſtores, ad quos legem præſcribere & dare attinet omnes dicunt: *Bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario, & vinum & oleum ne læſeris.* Vt pote qui omnibus debitores ſunt, Græcis & Barbaris, ſapientibus & inſipientibus: vt ſapientibus triticum proponant, inſipientibus hordeum ſubminiſtrent: vt ſiue ſapienter, ſiue inſipienter, denarium Euangelicum nempe vitam æternam per obſeruationem mandatorum ſiue quæ perfectis ſiue quæ imperfectis data ſint, conſequantur: cibus enim fidelium triticum & hordeum eſt, nempe vt faciant voluntatem Dei, tam in maximis quàm in minimis, tam in rebus gratiſſimis quàm in difficilioribus & ingratis, & nunquam alio cibo vtantur quam eo qui Apoſtolis olim datus eſt in formâ tritici, & plebi ſubminiſtratus in forma panis hordeacei: vt contemplatione veritatis & mortificatione carnis tandem ad vitam perueniant, nec vino ſeueritatis legis diuinę deterriti ab eius obſeruatione, nec oleo diuinæ miſericordiæ ob ſpem veniæ abutentes, neque ſacramenta diuina quibus auxilium gratiæ accipiunt vt hæc mandata fœliciter adimpleant, in nullo violantes, in indigna ipſorum ſiue ſuſceptione ſiue adminiſtratione.

Rom. 1.

Hæc autem tanta vis legis diuinæ maximè elucet in Sacramento Matrimonij, hoc ſacramento hoſtis domeſticus & fraudulentus, nempe appetitus concupiſcentiæ inordinatus detegitur ac reprimitur, & intra quoſdam limites ita conſtringitur, vt extra carceres præſcriptos abſque culpâ graui egredi non audeat: & tanta & talis obedientia ac modeſtia in fidelibus Matrimonio iunctis requiritur, vt in carne ambulantes ſecundum carnem non viuant, ſed Angelicam debeant æmulari puritatem: Vt licet nigredine tribulationis carnis aliquo modo deturpentur, animum tamen ab omni impuro affectu liberum habeant, vt honorabile ſit connubium in omnibus & thorus immaculatus, vt perfectum ſit ſymbolum puri & caſti connubij Chriſti & Eccleſiæ; quod quàm ſit difficile certo certius eſt, cum inter Chriſtianos agones nulla ſint periculoſiora aut frequentiora certamina quam prælia caſtitatis, in quibus continua pugna & rara victoria. Vnde qui vinculo matrimonij ligatus ſui corporis poteſtatem non habet, & nihilominus caſtitate præeminet, quanta ſit vis legis diuinæ optimè & perſpicuè manifeſtat: ſe intra cancellos legitimi vſus matrimonij religioſe continens. Quod vt fœliciter adimpleant, audiant quid ſummi Eccleſiæ Paſtores, quorum eſt ſtateram in manu tenere, vt leges in cauſis Sacraméti Matrimonij condant, ætates, conditiones, facultates & qualitates contrahentium ponderantes, itaut ſiquis dixerit cauſas matrimoniales ad iudices Eccleſiaſticos non ſpectare, anathema cenſendus ſit, ſeſſ. 24. can. 12. Audiant inquam ipſos dicentes: *Bilibris tritici denario vno, & tres bilibres hordei denario vno, & vinum & oleum ne læſeris.* O qui matrimonio inter fideles coniuncti eſtis, fidelitatem ſeruate, dilectionem mutuam habetote, ſanctificationem corporum colite, ab omni inordinato appetitu abſtinete vt vitam habeatis, triticum comedite, honeſtatem & dignitatem matrimonij meditantes & colentes, ne legi naturali, ne ſanctitati Sacramenti iniuriam inuratis: hordeum comedite, hoc eſt ſupportare vos inuicem in charitate, filios educate in Dei timore cum omni ſolicitudine, & cauete ne propter voluptates carnis aut domeſticas curas, quæ potiora ſunt omittatis: quæ quamuis ſint aſpera, nihilominus vobis ſunt neceſſario obſeruanda; & ſic vinum & oleum ne læſeritis, ad Sacramenta Euchariſtiæ & pœnitentiæ piè & deuotè recurrentes. Nec quiſquam dicat ſtatum coniugalem virginitati præferendum, nec tam ſeuerus ſit vt ſecundas nuptias condemnet, aut adeo indulgens vt omnibus indifferéter, copulâ aut vſum matrimonij permittenda exiſtimet: ſic enim vinum & oleum minimè læden. Conueniens ſiquidem fuit vt ad hoc ſpectandum me animal faciem hominis gerens inuitaret. Nam agebatur de Sacramento inſtituendo ad honeſtam & ſanctam ac fœlicem hominum propagationem, & vt homines qui ad actionem cum brutis communem demittebantur, ſuæ dignitatis non obliti coniugium ita ſuſciperent, vt Deum à ſe & à ſua mente non excluderent, nec libidini ita vacarent ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus. Cuius quidem naturalis dignitatis tanto magis debent eſſe amatores, quo clarè perſpexerunt ex myſterio incarnationis in quanto pretio Deus homines habeat vt Verbum diuinum carnem & humanam naturam induere voluerit: quem honorem diabolus hominibus inuidens, ſicut diuinitatem verbi ac Spiritus ſancti auſus eſt adoriri, ita fidem huius veritatis nempe incarnationis verbi labefactare attentabit, per eos qui Verbum non Deum, ſed Dei Verbum tanquam quid addictum Deo dicturi ſunt, vel qui filium virginis aliquam perſonam à verbi diſtinctam ſunt exiſtimaturi.

Conc. Trid. ſeſſ. 24. can. 12.

Sed contra hanc impietatem intonat fides dicens, quod Chriſtus *Cum in formâ Dei eſſet non rapinâ arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus & habitu inuentus vt homo.* Philip. 2. En quomodo equus niget dici poteſt, *qui candor eſt lucis æternæ*, quia homo factus, *humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis*, En quomodo illud Dei Verbum ſtateram tenet, nempe ſuam humanitatem in cruce pendentem, in qua librantur mundi peccata cum infinita Dei miſericordia, & dolores acerbi ac cruciatus innumeri cum rigoroſâ Dei iuſtitiâ, ad delenda peccata & auferenda mala quæ totum humanum genus miſerè comprimebant ponderantur. Et ad eius veritatis defenſionem ecce auditur vox è medio animalium, nempe determinatio à ſede Romana prodiens, quæ ait: *Bilibris tritici denario vno, & tres Bilibres hordei denario vno*: Ac ſi diceret: in hac cruce pendet humanitas Chriſti corpore & anima conſtans, quæ eſt frumentum electorum: cuius actiones omnes tum animæ tum corporis, cuius ignominiæ, flagellorum vulnera, clauorum foramina, ſpinarum punctiones cum denario ponderantur, quia à perſonâ verbi prodeunt & ab ipsâ ſufferuntur. Item dolor de offenſis Dei, de duritia & obſtinatione peccatorum. En menſura hordei pœnarum ſiue animæ ſiue corporis.

Clamat etiam illa vox: *Vinum & oleum ne læſeris.* id eſt: caue ne rigoroſam iuſtitiam à paſſione eius auferas, Ieſum ſoluendo, nempe verbum ab humanitate ſeparando; Et oleum vnionis hypoſtaticæ verbi cum humanâ naturâ, quo vnctus eſt præ conſortibus ſuis, fideliter vt par eſt minime confitendo: & quia in Hieroſolymis Verbum caro factum innotuit, ideo animal figuram hominis gerens ſedis Hieroſolymitanæ ſymbolum me ad talia contemplanda incitauit. O quam verè iuſtus Dominus, & iuſtitias diligit, qui homines ſanctos & iuſtos eſſe volens licet fragilitate tantâ laborent eos legibus adeo duris & auſteris adſtringit! Quomodo vultus eius nõ intueretus æquitates, qui vt de peccatoribus

Digitized by Google

iuſtos faceret pro ipſis in cruce plenè ſatisfecit, & vt eos donis cœleſtibus cumularet, crucem poſt ſe baiulare, omnibus bonis terrenis & carnis illecebris renunciare iuſſit dicens: *Qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam & ſequatur me*: Vt imaginem in denario impreſſam habeant, id eſt, Chriſto per imitationem ſimiles ſint. Æquum enim eſt vt qui ad tantum bonum ſicuti eſt bonum æternum adſpirant, cætera omnia deſpiciant: quod equidem cum præſtitum fuit, ſtatim vidi Agnum ſponſam ad ſceptra & coronas vocantem: *Veni*, inquit, *ſponſa, Veni coronaberis*. Nam aperto ſigillo quarto, audiui vocem quarti animalis dicentis: *Veni & Vide. Et ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper illum nomen illi mors, & infernus ſequebatur eum.*

A

B

QVARTVM SIGILLVM.

Symbolum effectus Sacramenti Ordinis, & exaltationis humanitatis in verbo, & diuinæ ſapientiæ.

TEXTVS. *Et cum aperuiſſet ſigillum quartum.*

EN Chriſti & Eccleſiæ ſponſæ, Regiæ dignitatis ac viſibilis in terrâ dominationis egregium ſignum. Ecce quomodo ſanctiſſima ſponſa per fidem peruenit ad charitatem; Per charitatem ad thalamos caſtiſſimi ſponſi introducta fuit, per nuptias tandem cum tam nobili ſponſo regiam adepta eſt dominationem. Et quia Aquila Regiæ dignitatis eſt ſymbolum, ideo animal Aquilæ figuram gerens & in medio Throni volitans, ad intuendum ſymbolum ſub quo effectus tantæ dominationis (Sacramenti videlicet Ordinis, cuius effectus hic deſcribuntur) me prouocauit. Sed ô inſcrutabile Dei conſilium! Omnia quæ vidi, mors & ſequela mortis, & viæ ad mortem: Siquidem *ea quæ non ſunt Deus elegit, vt ea quæ ſunt deſtrueret* 1. Cor. 1. *Vt qui gloriatur* ad tantam dignitatem Regiæ maieſtatis euectus, *in Domino glorietur*, & à gratia non à naturâ ſe à Deo vocatum, vt ad ſanctificationem animarum & ad Deum ſummè colendum offerat dona & ſacrificia pro peccatis, & ad hoc munus deſtinatum ſe agnoſcat. Et quia Dei ſapientia de Diaboli aſtutiâ & mundi ſapientiâ volebat trophæa reportare, ſicut modus quo vſus eſt ad trophæa reportanda planè ſtultus ſapientibus apparuit, ita nunc per ſimulachra quæ videntur abſurda, ſui trophæi ac victoriæ effectus, adumbrare voluit. D. Dionyſius 2. cap. de cœleſti Hierarchia.

C

D

Audiui vocem quarti animalis dicentis: Veni & vide. Et ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum nomen illi mors & infernus ſequebatur eum, & data eſt illi poteſtas ſuper quatuor partes terræ interficere gladio fame & morte & beſtiis terræ.

Nam vidi equum pallidum nihil minus quam imperium promittentem: Siquidem qui ſedebat, nomen illi mors, quæ potius ſceptra è manibus auffert, & coronas è capitibus detrahit, quàm regna promittat; Vidi inquam populum Chriſtianum quaſi timore perculſum, & ad regna per mortem vocatum: eo enim ipſo quo ad Chriſtianiſmum ac Chriſti ſequelam fideles vocati ſunt, reſponſum mortis in ſemetipſis accipiunt, vt non ſint fidentes in ſemetipſis, ſed in Deo qui ſuſcitat mortuos, qui de periculis omnibus eos eripiet, & ſedere faciet ſuper Thronum. *Qui vicerit*, inquit Dominus, *dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici & ſedi cum Patre meo in throno eius*. Et quia per mortem ad Regnum perueniunt, ideo mors nempe Chriſtus ſedet ſuper eos, ipſos regens, illis imperans, & præceptis, doctrina, exemplo non ſolum ad emoriendum peccatis, ſed etiam ad mortem corporalem ſi opus fuerit fortiter ſubeundam illos prouocans: vt de manu mortis liberet eos, ac de morte redimat eos, ſicut olim prædixerat, Oſee 13. & ſe mortem mortis futuram promiſerat: ſic faciet diuiſionem inter fratres, nempe inter carnem & ſpiritum, inter quæcumque concupiſcibilia & deſiderabilia & quemlibet hominis appetitum, vt mundo & ſibi mortui Deo tantum viuant: quâ quidem ratione clarè demonſtrat quanta ſit eius maieſtas ac regalis potentia. Sic enim creatura rationalis ad tantam dignitatem euehitur, vt Dei ſeruitio omnimodè mancipetur, & in omnia creata quandam exerceat poteſtatem: ſic Deo ſe offert in iuge ſacrificium & holocauſtum, vt potè quem creatorem veneratur ac colit, & tanquam finem vltimum agnoſcit. Sic in ſignum ſubiectionis ac dependentiæ, amoris & gratitudinis erga Deum omnium largitorem bonorum ac dominatorem omnem rerum altarum excellentiam ſuperantem à longe, quaſdam actiones ordinat ad hunc finem, vt de tali ſubiectione, dependentia, amore, gratitudine, profeſſionem publicam faciat, & per Chriſtum & remiſſionem peccatorum & gratiam & indiſſolubilem cum Deo vnionem mereatur. Et cum homines ex ſe nihil haberent Deo dignum, ſeipſum obtulit in ſacrificium in cruce moriendo; & in memoriâ ſuæ paſſionis ſacrificium inſtituit, cuius offerendi poteſtatem dedit, vt per mortem ſuam hæc omnia bona præſtet, & acceptabilia ſint Deo dona & vota noſtra. In quo quidem ſummam eius poteſtatem cognoſcimus, & ſupremam eius dominationem in ea quæ ſunt & quæ non ſunt profitemur: Siquidem per mortem iuſtificat & ſanctificat & glorificat homines, quod quidem ſummam indicat poteſtatem, vt omni genere mortis hoc fidelibus præſtet: quoniam *ſi vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt & qui viuunt iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit* 2. Cor. 5. Quem qui contempſerint ſciant ſe ad infetni pœnas ſiue temporales ſiue æternas eſſe deputandos; *Infernus* ſiquidem *ſequitur eum & data eſt illi poteſtas vitæ & necis ſuper quatuor partes terræ*, & interficiendi ſi voluerit, *gladio fame, & morte, & beſtiis terræ*, id eſt, quacunque ratione libuerit, ſuam exercebit poteſtatem: dedit enim illi Deus gentes in hæreditatem, vt tanquam de re ſibi propria de ipſis diſponat.

E

At hæc nec videbantur nec agnoſcebantur, donec per fidem videri potuit quænam ſit poteſtas excellentiæ, quam noſtra humana natura in Chriſto poſſidet, cuius participationem quandam ſacerdotibus dedit: quæ incluſa ſub ſigillo Sacramenti Ordinis à Chriſto inſtituti, ſtatimque atque prædicto ſymbolo eius effectus mihi fuerunt in memoriam reuocati, agnoui facilè ad quam dignitatem fuerit natura humana euecta, eo ipſo quo talem ſacerdotij dignitatem à Chriſto accepit. Eſt enim ſacramentum ordinis quoddam ſignaculum quo ſpirituales poteſtas traditur ordinato, in ordine ad ſacroſanctum corpus Chriſti conſecrandum, & quodammodo ſpiritaliter enecandum: quæ quidem poteſtas extenditur in corpus eius myſticum, id eſt, in omnes fideles qui Chriſti ſunt membra per fidem & charitatem ipſi ſubdita & coniuncta. Hinc qui ſedet ſuper illos, nempe qui eos regunt Paſtores, Sacerdotes, mortis nomen ſuſcipiunt, qui per baptiſmum Chriſtianos ſepeliunt cum Chriſto in mortem, nihil aliud quam Ieſum & hunc crucifixum annunciant, timore mortis æternæ ipſos à peccatis auocant, & crucifixi mortui locum tenentes à Chriſtianis veram requirunt voluntatis propriæ abnegationem, vt ipſis in his quæ ſunt ad Deum obtemperent; Siue igitur corpus Chriſti conſecrent, ſiue illud offerant, ſiue illud adminiſtrent, ſiue peccata remittant, ſiue ea retineant, ſiue aliquid præcipiant, ſemper optimè gerunt figuram mortis: & de ipſis ſuper popu-

lum Christianum insidentibus dici potest, *Et qui sedebat super eum nomen illi mors.* Per consecrationem Christus in Sacramento est modo, vt dicunt, mortuo: per oblationem, mortis eius memoriam agunt: per eius administrationem ad moriendum cum eo inuitant; per absolutionem peccata extinguunt, quin & plurimis aliis modis, videlicet præceptis faciunt, vt Christiani mortificationem Christi semper in corpore suo circumferant. Igitur rectè possumus illos morte repræsentare, & nomine mortis designare, pro tot tantisque mortis effectibus. Illos infernus sequitur, quia per retentionem peccatorum morti & inferno inobedientes & contemptores quodammodo adiudicant, quasi nobis Deus dicat: moriendum vobis, ô Christiani, vt vitam habeatis, Ecclesiæ Matri & Pastoribus eius in omnibus obtemperando, aut certè ecce infernus vos viuos deglutiet, & absorbebit. Sic igitur habent potestatem interficiendi super quatuor partes terræ, nempe gladio verbi Dei, fame, id est, ieiuniorum lege; morte, cum per sententias iuridicas fideles auellunt ab iis quæ iniustè & inordinatè appetunt; & bestiis terræ, cum obedire coguntur præpositis etiam dyscolis, in his quæ ad Dei honorem tuendum sunt necessaria: quin & mysticè interficiunt inobedientes, gladio, fame, morte & bestiis terræ, cum vel excommunicatione, vel suspensione, vel irregularitate, vel degradatione vtuntur in delictis fidelium & clericorum puniendis.

Sic verè apparet quanta fuit vnio verbi cum naturâ humanâ, à quâ nec morte potuit disiungi: siquidem per mortem suam tanta patrare dignatus est, vt nullus debeat in dubium reuocare ibi præsentissimam adesse diuinitatem verbi: nec enim natura nostra per præsentiam verbi fuit consumpta vt propria deperderet, sed ad diuini Verbi vnionem assumpta vt deificaretur, ac summam dignitatem accepit. Vnde dicebat: *Ego autem constitutus sum Rex super Sion montem sanctum eius*, Ad quam quidem dignitatem humanæ naturæ contemplandam sub prædicto symbolo, fui inuitatus ab animali figuram Aquilæ habente, quod Aquila sedis Romanæ sit symbolum, cuius partes potissimùm sint, fidem huius regiæ dignitatis Christi interius promouendi ac defendendi, vt honor debitus, & debita obedientia ab omnibus etiam Principibus & potestatibus ac Regibus quantùm fieri poterit Christo Regi & Domino exhibeatur; quæ quidem fides tantæ humanæ naturæ exaltationis maximè viget, si liquidò confiteamur eam in statu adeo miserando non fuisse derelictam; sed in eo mors sit vita omnium, vt mortuus inferna penetret, & de diabolo in proprio Regno glorioſa trophea reportet, & eius domum diripiat, & spolia detrahat. Sic mors in humanitate sedens viua est de morte & inferno gloriosè triumphans, quia Deus est qui moritur, qui vitæ fons est inexhaustus & indeficiens, vt mortuorum & viuorum dominetur, & interficiat ad salutem electos, ipsos conuertendo per gladium prædicationis suæ crucis; illos necet fame iustitiæ; vitam adimat tot tantisque austeritatibus ac corporis mortificationibus; bestiis terræ, ipsos inter lupos tanquam Agnos mansuetos emittendo interficiat: etiam ad perniciem reprobos ipsos à se repellendo, verbum & inspirationes subtrahendo, gratiam auferendo, sub potestatem diaboli ipsos redigendo occidit.

O quanta apparet in his altissima Dei sapientia! Quis non attonitus obstupescet talia recolens? Sola mors regnat vt vita sit abundantior: hęc vna videtur & per eam omnia viuificantur: ad eius aspectum omnes contremiscunt & nihil ardentius ab omnibus concupiscitur, omnia sub pedibus suis calcat & cunctos ad sceptra, ad coronas, ad thronos magnificè vocat. Quid timidi estis modicæ fidei, licet mare intumescat, terra contremiscat, fulmina vibrentur, gladij acuantur & omnia vobis subsidia auferantur, bestiæ dentes & vngues exacuant, cuncta mortis imaginem præ se ferant: confidite, mortem vici, cum dedero vobis mortis somnium ecce hæreditas mea, ecce Regnum vobis à constitutione mundi paratum: en sedete in throno meo sicuti & ego vici & sedeo nunc in throno Patris quin & nunc vices meas agite & regnate super terram: ab omnibus honorem accipite vt in vobis quanta sit mea potestas, quanta sit mea maiestas sentiatur.

QVINTVM SIGILLVM.

Symbolum effectus Sacramenti Eucharistiæ; & communionis Sanctorum; & patientiæ diuinæ.

SED tantus Rex & ita magnificus noluit suos inter tot ærumnas & pericula constituros ieiunos derelinquere ne deficiant in viâ. Dominus (dicebat Propheta Dauid Psal. 22.) regit me & nihil mihi deerit in loco pascuæ ibi me collocauit: parat siquidem in conspectu meo mensam aduersus omnes qui tribulant nos. Dicat hoc vnusquisque fidelis cum Agnum viderit mecum ad apertionem quinti sigilli effectus suæ præsentiæ in Eucharistiæ Sacramento explicantem: paratus est enim nobis panis vt omnes vnum simus, sicut & de vno pane participamus, & qui semetipsum obtulit super crucem & vult à nobis offerri in memoriam passionis in Missæ Sacrificio à nobis sumptus nos suum efficit corpus vt spiritu eius viuificati ei semper adhæreamus, comparticipes & cohæredes Regni ipsius. Iam hostes suæ diuinitatis in prælium cum eis descendens prostrauit, iam sui spiritus aduersarios edomuit iam inuidiam diaboli ob sui propter nos in incarnatione exinanitionem excitatam retudit: iam in quo pretio habeat nostram naturam ipsam exaltando & super omnia opera manuum suarum constituendo aperuit, quantam nunc curam de nobis habeat ille Rex pacificus vt tanta dona sarta tecta tueantur apetire intendit, Sacramentum instituens quo memoria mortis eius recolatur, quo Deo cultus debitus reddatur, quo gratia repleamur, pignus gloriæ accipiamus quo vnum cum ipso tandem effecti vnum etiam inter nos efficiamur. Quod reuera agnoui statim atque effectum dignæ perceptionis tanti mysterij ad apertionem quinti sigilli percepi. Vidi siquidem subtus altare animas interfectorum propter Verbum Dei, & propter testimonium quod habebant & habent ad inuicem: sunt enim inuicem membra, vnum tamen Corpus nempe Christi, ab ipso tanquam à capite dependentia. Illi namque quorum vita abscondita est cum Christo in Deo, consepulti cum eo per baptismum aut martyrium, per mortem mysticam aut corporalem, sub altari sunt, nempe sub Christo, qui in altari Christianorum quotidie immolatur aut sumitur: ab eo siquidem & Sancti in gloria adipiscendâ, in gratiâ consequendâ, in pœnarum relaxatione obtinendâ dependent, & in ipso vniti sibi mutuò auxilium præstant.

Itaut ad eum & qui in cœlis degunt, & qui in terris commorantur, & qui in Purgatorio existunt clament, & dicant qui in cœlis sunt: Tot tantisque laboribus ac sudoribus perfuncti sumus, vt homines te, ô Deus amator sanctitatis & veritatis, agnoscant: vsque ad sanguinem restitimus peccato. Vindica sanguinem nostrum, ad te conuertendo peccatores nostros persecutores, tui nominis contemptores: Vindica sanguinem nostrum, eos qui noluerunt

TEXTVS. *Et cum aperuisset sigillum quartum vidi subtus altare animas interfectorum propter Verbum Dei, & propter testimonium quod habebãt, & clamabant voce magna dicentes.*

Vsquequo Domine sanctus & verus non iudicas & non vindicas sanguinem nostrũ de iis qui habitant in terra? Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ: & dictum est illis vt requiescerẽt adhuc tempus modicum donec compleantur cõserui eorũ, & fratres eorum qui interficiẽdi sunt sicut & illi.

Digitized by Google

rint conuerti citiùs è medio ſuſtolle, ne grauiori pœnâ tandem (peccata peccatis addendo) plectantur: vt fideles tui qui tibi inſeruire deſiderant, ab eorum vexationibus liberentur. Qui in terris ſunt his queruloſis vocibus Dei aures pulſant: Tot tantiſque contradictionibus, iniuriis, contumeliis, deriſionibus patent & quæ credendo proponimus, & quæ facienda eſſe doctrina & exemplo demonſtramus, & quæ populis myſteria diſpenſamus: & ſancti tui in cœlo tecum regnantes ita contemnuntur, vt ſpiritus gratiæ planè illudatur, & videaris, ô bone Ieſu, conculcari, & ſanguis tuus tanquam quid pollutum haberi: vel certè libera nos ab his contradictionibus populi: veram fidem profiteantur, doctrinam ſalutis mites ſuſcipiant, exemplis bonorum ad meliora prouocentur, diuina ſacramenta venerentur, amicos tuos honore debito proſequantur; vel vindica tuum ſanguinem & noſtrum de amatoribus terræ, ipſos vt par eſt grauiter puniendo. Qui autem ſub terris ſunt nempe in purgatorio, etiam clamant. Heu! Creaturis nimis adhæſimus, tuam ô Chriſte, imploramus clementiam, vt nos ab his pœnis liberes, quibus amor ſanguinis & carnis nos addixit: & nos precibus & ſacrificiis eorum qui habitant in terris liberari ab his pœnis permitte, vt his charitatis officiis ſe dignos beneuolentiâ tuâ magis ac magis efficiant. Ita omnes ſancti communionem ad inuicem habentes ſibi mutuò auxilium præſtant, & ſuam à Chriſto dependentiam agnoſcentes, ad ipſum forti & ardenti voce confugiunt dicentes. *Vſquequo Domine ſanctus & verus, non iudicas & non vindicas ſanguinem noſtrum? &c.*

Quibus ſingulis datæ ſunt ſtolæ albæ; Beatis in cœlo, quia vident ſe lumine gloriæ dotatos, vt in æternùm viſione Dei fruantur, Deumque in eorum memoriam in terris laudari; Sanctis viatoribus, quia fructum laborum ſuorum percipiunt in conuerſione peccatorum, & quia ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui eorum quod ſint filij Dei Rom. 8. Sanctis qui ſunt in purgatorio, quia purgari ſe ſentiunt, & ab eis amoueri omnem maculam, ita vt in iudicio finali nihil habeant in quo poſſint accuſari. Deus eſt qui eos iuſtificat: Quis eſt qui condemnet? Vt eum cuncti ipſorum ſe à ſeruitute corruptionis liberari deſiderent, adoptionem filiorum Dei integram expectantes, redemptionem corporis ſui, quia Reſurrectio corporum non erit donec completus ſit numerus electorum, ideo dictum eſt illis vt requieſcerent adhuc tempus modicum: Tempus enim prope eſt, donec compleantur conſerui eorum & fratres eorum qui interficiendi ſunt ſicut & illi. Sic igitur requieſcunt ſancti, quia corpora eorum in pace ſepulta ſunt: amicti ſunt ſtolis albis, quia nomina eorum viuent in ſæculum ſæculi. *In memoria enim æterna erit iuſtus, ab auditione mala non timebit.* Vnde ſi aliquando contigerit, ab his qui habitant in terrâ, eorum memoriam proſcindi, eo ipſo quo ſub altari reliquiæ & cineres ipſorum reponuntur, quàm intimè Chriſto coniuncti ſunt ita clarè perſpicitur, vt de honore ipſis debito nemini dubitare liceat impunè: & licet propter Dei patientiam non ita citò de contemptoribus vindicta ſumatur, tandem aliquando grauiùs plectentur, cum in iudicio finali reprobi & inimici ſanctorum dolentes ac gementes has voces emittent: *Ecce quos habuimus aliquando in deriſum & in ſimilitudinem improperij: nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniã & finem illorum ſine honore: Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei & inter ſanctos ſors illorum eſt.* Quam quidem vindictam expectantibus dabuntur ſtolæ albæ, cum Eccleſia Catholica contra eos qui memoriam eorum delendam attentare audebunt, iuſtè eos & coli & honorari & inuocari, eorum imagines depingi, retineri ac debito honore proſequi deberi decernet, & in virtute nominis eius qui ſanctus eſt & ſanctos diligit, & verus eſt vt quæ promiſit adimpleat, anathema dicet his qui contradixerint, & contra hanc ſanctorum communionem, cuius Euchariſtia ſancta ſymbolum eſt, aliquid moliri auſi fuerint.

Magna autem hîc relucet Dei patientia: cum enim ſanctos ita diligat, cum ſanctitatis ſit acerrimus deffenſor, cum fidelis ſit in omnibus verbis ſuis, & dixerit: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*, non ſine magnâ ſit patientiâ quod tanto tempore procraſtinetur, debitas pœnas à ſuis aduerſariis & contemptoribus tam tarde exigat, vt hanc vindictam ſolùm ſumat poſt omnium ſanctorum & vniuerſi conſummationem.

DE SEXTO SIGILLO.

Symbolum effectus Sacramenti Pœnitentiæ; & permiſſionis peccatorum; ac diuinæ longanimitatis.

QVIS enim non exiſtimaret homines venia indignos, & ſtatim atq; erga Deum ingrati peccant fore puniendos, qui eos tantis donis cumulatos in frequentes & graues culpas, non abſque Dei contemptu, incidere perſpexerit? Quis non miretur Deum, cuius mundi ſunt oculi ne videant mala, tot tantaque permittere peccata; & cum adeo iuſtus ſit, non ſolum debita ſupplicia tandiu retardare, quin etiam eadem prorſus facilitate qua ab hominibus perpetrantur, imo maiori ipſa condonare? Huius autem ſummæ miſericordiæ & longanimitatis effectum, ſtatim atque Agnus ſextum aperuit ſigillum, agnoui. Videns ſiquidem quot & quanta mala peccatum pariat, & nihilominus Deum nihil aliud tantopere deſiderare, quàm vt homines dum viuunt à peccatis reſipiſcant, & per Sacramentum Pœnitentiæ, quod ad remiſſionem peccatorum inſtituit, à tot malis eruantur, ſummam eius clementiam admiratus ſum: & eo magis quo perſpexi hominum vecordiam, qui plerumque tam ſalutare remedium miſerè contemnunt. Aperto ſiquidem ſexto ſigillo, id eſt, Chriſto manifeſtante quænam ſit efficacia Sacramenti pœnitentiæ, ad quod poſt peccatum homines debent recurrere, vt à peccatis ſoluantur, vidi quam altiſſimum eſſet Dei conſilium in permiſſione & remiſſione peccatorum. Quis enim explicare queat quanta mala ex peccatis hominibus proueniant? Et quis alius niſi Deus, cuius opus, eſt miſericordia & bonitas, his malis occurreret & mederi valeret, ſi homines ad ipſum vt par eſt recurrant nec ipſius patientiâ abutantur?

Ecce enim motus factus eſt magnus, &c. Id eſt, per peccatum inordinatus & effrenis apparuit appetitus hominis à ſtatu gratiæ in peccatum incidens: Rationis lumen offuſcatur denſiſſimis errorum & ignorantiæ tenebris, voluntas ita malitioſè circa carnis & ſanguinis negotia occupatur, vt quidquid aliud ſibi obijciatur, negligat: Et ita facile diaboli ſuggeſtionibus aurem præbet accommodam, vt tot tantæque Dei & Angelorum bonorum inſpirationes ac motiones è memoriâ decidant, *Quaſi ficus emittit groſſos ſuos cum à vento magno mouetur*, adeo denſiſſimè & frequenter à ſe excutiunt quidquid veri, quidquid boni, in ipſis Deus operari voluerit. Sic diminuuntur à filiis hominum veritates. Sic homines Dei obliuiſcuntur, & operum eius ac iudiciorum. Sic ob tantam ingratitudinem & peccatorum multiplicationem cuncta fere auxilia diuina meritò ſubtrahuntur. Sic vana eſt circa illos Prælatorum

TEXTVS.

Et vidi cum aperuiſſet ſigillum ſextum & ecce terra motus factus eſt magnus & ſol factus eſt niger tãquam ſaccus cilicinus, & luna tota facta eſt ſicut ſanguis, & ſtellæ de cælo ceciderunt ſuper terram ſicut ficus emittit groſſos ſuos cũ à vento magno mouetur: Et cælum receſſit ſicut liber involutus, & omnis mons & inſula de locis ſuis mota ſunt & Reges terræ & principes & tribuni & diuites & fortes, & omnis ſeruus & liber abſconderunt ſe in ſpeluncis & in petris montium: & dicũt montibus & petris: cadite ſuper nos & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper throno & ab ira agni quoniam venit dies magnus ira ipſorum & quis poterit ſtare?

Digitized by Google

& Eccleſiæ auctoritas, ad remittenda peccata, à Deo collata: quo fit vt à primo ad vltimum cuncti peccatores, cuiuſcumque ſint conditionis, ita turbantur, vt ad ea potiùs recurrant à quibus certam perniciem ſunt recepturi, quàm ad Deum qui ſolus poteſt tam graui malo occurrere, vt de ipſos dicatur: *Turbati ſunt & moti ſunt ſicut ebrius & omnis ſapientia eorum deuorata eſt.* Pſ. 106. Timent enim vbi non eſſet timendum, dicentes *montibus & petris: Cadite ſuper nos & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum & ab irâ Agni: quoniam venit dies magnus, iræ ipſorum: & quis poterit ſtare?* Quid dicitis, ô miſeri & cœci homunciones? Quare remedium reſpuitis? Qui ſedet ſuper thronum firmos vos eſſe deſiderat, & ad thronos vocat: lampades habet quibus vos illuminet, mare habet gratiarum vt omnem maculam & labem abſtergat & auferat: Agnus ſigilla aperit, vt omnes cordis ſui pacificas cogitationes vobis proponat, & ad veniam vos tam ſuauiter prouocat dicens: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum.* Non vult vos montibus & petris obrui, id eſt auctoritate Eccleſiæ è ſinu Patris ejici, qui ait: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, Verè iraſcitur peccatis, ſed tamen miſertus eſt nobis: Commoue terram tuam per Pœnitentiam, & ſanabit contritiones tuas: agnoſce miſerum peccati ſtatum in quo iaces, & fiat in te motus magnus per Pœnitentiam, & à Prælatis tuis veniam peccatorum per abſolutionem accipies. Deum tuum ſenties quidem iratum, quia vt à peccatis abſtineas vult vt de eis vehementer doleas, vult vt lacrymas effundas, vult vt ab omni occaſione peccandi te ſubtrahas, vult vt inimicis iniurias condones, vt tuas erga ipſum remittat; vult vt quæ malè tuliſti reſtituas, vult vt ieiuniis, eleemoſynis, orationibus pro delictis tuis ſatisfacias: ſed hac ratione in eodem momento ipſum ſenties propitium, omnia conuertet in bonum & in ſalutare remedium: peccata tua remittet, gratiam elargietur, & priſtinam ſtolam innocentiæ reſtituet: vt tandem, ſi volueris, ad ſummum ſanctitatis gradum & ad perſeuerantiam in gratiâ fœliciter peruenias. Alioquin ſi Agni iram cum tantâ miſericordiâ & manſuetudine coniunctam refugeris, ipſum leonem in iudicio inuenies, vt te diſperdat, & partem tuam cum hypocritis & peccatoribus ponat. Et vt timore iudiciorum eius perculſus à conſuetudine peccandi abſtraharis, nonne vides quot prodigia plerumque operetur, quæ in hac ſigilli apertione mihi innotuerunt? Eadem ſiquidem quæ fuerunt ſymbola ſtatus peccati, ſunt expreſſiſſima ſigna ſeu graphicæ deſcriptiones malorum quibus Deus in hac vita peccata perſequitur, vt homines de ipſis malis pœnitentes æternas effugiant pœnas, & acerbiores inferni cruciatus euadant. Concutit enim terram ſæpe motibus inſolitis & mole montium ciuitates obruit. Cœli facies immutatur, dum ſol per frequentes Eclypſes quaſi ſacco indui videtur; ac gratum & iucundum lumen non amplius emittit, dum luna ex interpoſitione nubium quaſi ſanguinolenta apparet, & nihil aliud quam ventos cuncta ſubuertentes innuit; dum ſtellæ è cœlo cadere videntur, fulgore ipſorum denſiſſimis nubibus intercluſo; dum cometæ, dum ſtellæ vagantes multa hominibus mala promittunt; dum veris, æſtatis, autumni & hyemis tempora ita turbantur, vt neſciant homines quid expectare debeant; dum inſolito more montes & inſulæ quatiuntur, & è locis propriis dimouentur: quæ omnia cum mortales terrere deberent, & eos commouere vt à peccatis deſinant, tanta eſt cordis humani malitia vt potius ad deſperationem aut ad deriſionem iudiciorum Dei mentes conuertant. Ad montes confugiunt quos vident quaſſari, dimoueri, ſubrui; opprimi & obrui deſiderant de ſalute deſperantes, adeò obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Et cum his portentis clarum habeant vltimæ ſeueritatis monumentum, Dei iudicia potiùs contemnunt quàm ad eum reuertuntur: hinc cum irriſione plerumque dicunt: *Abſcondite nos a facie ſedentis ſuper thronum & ab irâ Agni.* Viri certè illuſores iuxta proprias concupiſcentias ambulantes: vnde dicunt, ſupradicta omnia videntes: *Vbi eſt promiſſio & aduentus eius? Ex quo enim Patres dormierunt omnia ſic perſeuerant ab initio creaturæ.* 2. Pet. 3. Sed quia in orbe & in Eccleſiâ tot tantæque rerum viciſſitudines ſibi inuicem ſuccedere debent: ex bellis, ſeditionibus, ſchiſmatibus, erroribus, legum ac morum corruptione, defectione à fide, Dei ac iudiciorum eius omnimoda obliuione, rerum ſacrarum & diuinorum myſteriorum contemptu & irriſione, ſub his euentibus quaſi ſub quibuſdam ſymbolis Chriſtus has omnes rerum mutationes ſignificare voluit, quaſi dicat: Tot tantæque rerum futuræ ſunt viciſſitudines vt electi mei turbari valeant. Ne hoc fiat, ſed vt perſeuerent in fide, in ſpe, in charitate, ecce volo eis annunciare omnia quæ ſunt futura, vt cum ea viderint non ita commoueantur, ſed tantùm longanimitatem meam in tolerandis malis ſuſpiciant. Futuri enim ſunt terræ motus, & bella, & ſeditiones, & ſchiſmata. Sol erit niger quaſi ſaccus cilicinus, quia quidam futuri ſunt Pontifices qui nigredine vitiorum affectibus carnis dediti nullum dabũt ſplendorem, hinc errores, hinc hæreſes pullulabunt, & ſana eorum doctrina non admittetur. Luna erit ſicut ſanguis, quia plurima erit legum & morum corruptio in Eccleſiâ. Hinc ſimoniæ frequentes, hinc ad dignitates Eccleſiaſticas ex carnali tantum affectu promotiones. Stellæ cadent de cœlo ſuper terram: Plurimi qui tanquam ſtellæ in Eccleſia videbantur pietate inſigniori fulgere, apoſtatabunt à fide & Religione, & vento ſuperbiæ ac vanæ gloriæ, non ſecus ac ficus emittit groſſos ſuos cum à vento magno mouetur, è ſinu Eccleſiæ immaturiùs excutientur. Cœlum recedet ſicut liber inuolutus, quia paruuli petent panem, & nullus inuenietur qui frangat illis. Mirum & ſtupendum de rebus cœleſtibus in terris ſilentium. Et omnis mons & inſulæ de locis ſuis motæ ſunt, id eſt, Epiſcopi & Eccleſiaſticorum communitates, vt ſunt capitula cathedralium & monaſteria, de locis ſuis mouebuntur. Quicquid denique viſibilem Eccleſiam omnibus conſpicabilem & ſuſpiciendam reddit; quodcumque refugium habere valeat, locum tenere & conſiſtere non poterunt; adeò graues erunt perſecutiones, vt qui eminẽtiores fuerint in auctoritate & ſanctitate, tum morte tum exilio è ſedibus pulſentur, & fideles populi non habeant amplius ad quos recurrere valeant. Tunc Reges terræ & Principes & tribuni & diuites & fortes & omnis ſeruus, & liber abſcondent ſe in ſpeluncis & Petris montium, quia eorum bona temporalia & domos, quas ratione dignitatis & eminentis Eccleſiaſtici ſtatus ratione poſſident, inuadent: & eorum auctoritatem contemnentes & paruipendentes, cum irriſione dicent: cadite nunc ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper Thronum & ab irâ Agni, quoniam venit dies magnus iræ ipſorum: & quis poterit ſtare? Vbinam ſunt, ô Eccleſiaſtici comminationes veſtræ? Nihil aliud auribus noſtris ingerebatis, quàm ſi ſemel veſtra tangeremus, fulmine excommunicationum veſtrarum nos ad tartara fore detrudendos: iactabatis vos eſſe mediatores inter Deum & homines, vt per veſtras orationes & ſacrificia ira ſedentis in throno & Agni è capitibus noſtris auertereturNunc

fulmina

fulmina vestra vibrate si libuerit, vestra tandem posfidebimus; nec vestras orationes nec sacrificia expostulamus, quid venturum sit in futuro expectabimus, & tandem de bonis vestris in pace & gaudio fruemur. Quis talia videns Deum Ecclesiæ suæ oblitum non existimabit? Cuius gressus firmi remanebunt in via mandatorum Dei, talem peccatorum pacem perspiciens? Sed, ô electi mei, videte. *Ecce prædixi vobis omnia,* Matc. 13. Ecce aperui vobis funestos euentus, ex ingratitudine hominum prouenientes, quos ad ostensionem meæ longanimitatis permittere decreui, vt si *nunc modicum oportet vos contristari in variis tentationibus, probatio tamen fidei vestræ (multò pretiosior auro quod per ignem probatur) inueniatur in laudem & gloriam in reuelatione*, nominis mei, *quem cum non videritis, diligitis, in quem non videntes creditis: Credentes autem exultabitis lætitiâ inenarrabili & glorificatâ, reportantes finem fidei vestræ salutem animarum.* 1. Pet. 1.

A

B

PROLOGVS IN CAPVT SEXTVM,

Seu connexio & series eorum quæ dicta sunt in Capitibus quarto & quinto, cum iis quæ in hoc Capite pertractantur.

C

PROPOSITIS & explicatis symbolis, sub quibus & Ecclesiæ fundatio & eius illuminatio à Christo supremo Hierarcha significantur, nunc ad viuificas eius actiones, quibus perficimur, sub aliis symbolis designandas properamus. Ad duo Capita illa reuocare licet. Primò quædam sunt actiones, quibus interius sanctificamur, & internam quandam ad Dei cultum consecrationem recipimus: aliæ sunt quæ ad hæc media salutis tuenda, & contra inimicorum insultus protegenda ordinantur. Sub primo Capite repono institutionem Sacramentorum, quæ Christus Dominus instituit, vt per ea perficiamur. Ad secundum caput reuoco determinationes Conciliorum circa præcipuos fidei articulos, quorum veritate semel admissâ, alios admittere sit facillimum, vt in fide traditâ Ecclesia firma consistat: quibus quidem actionibus manifeste videtur quanta & qualis est Dei prouidentia erga Ecclesiam: illiusque diuinæ prouidentiæ dotes ac perfectiones plurimum commendantur; & perspici possunt rationes seu modi quibus Deus vtitur circa Ecclesiæ gubernationem, vt eam in suo obsequio permanere faciat, malignitati naturæ, peruersitati cordis humani, Mundi & carnis illecebris & Diaboli tentationibus fortiter obsistendo. Has actiones describi censeo sub symbolis quæ in eo continentur.

D

Quod in hoc Capite de Sacramentis à Christo institutis agitur.

E

ANNOTAT. I.

1. Ratio.

HOC mihi persuadeo his rationibus inductus. Prima: S. Ioannes nobis sub symbolis Ecclesiam depingit, quæ cum sit quædam Hierarchia (quam iuxta S. Dionysium supra diximus esse quemdam cœtum à Deo vocatum, sub vno principe constitutum, in quo reperiatur quidam ordo, autoritatem habens, & potestatem purgandi & illuminandi & perficiendi sub tali autoritate constitutos sacris quibusdam operationibus, quibus & purgantes & purgati, & illuminantes & illuminati, & perficientes & perfecti seu perficiendi ad Christi imitationem, & ad Dei vnionem, & conjunctionem per-

5. Dionys.

A uenire conterdunt) cum jam de illo ordine seu illa autoritate actum sit in quarto capite, & eius Hierarchiæ illuminatione in cap. quinto, rationi consonum esse videtur vt de operationibus, quibus & superiores sanctificant, & inferiores sanctificantur, agatur in hoc capite.

2. Ratio.

Secunda ratio: Quia sigilla optimè conueniunt Sacramentis, quæ sunt quædam sacrarum rerum signa. *Quod enim*, vt ait S. Dionysius, *& simpliciter & coniunctè datum est Angelis ex verbis & oraculis quæ diuinitus tradita sunt, quantum nobis licet concessum est in diuiduorum, distinctorumque signorum & varietate, & similitudine.* Hæc Dionys. Quid nam autem intelligat S. Dionysius per diuidua signa, explicat S. Maximus scolastes Dionys. *Signa*, inquit, *diuidua hoc loco doctrinas scripturæ multiformes dicit: maximè quidem per verba mysteriis plena diuinæ naturæ & essentiarum quæ mentis sunt participes, contemplationem explanantes, sed interdum etiam actionem emendantes, vel legis præcepta quæ ad moralem allegoriam referuntur, sed multo magis Sacramentorum ceremoniæ ac ritus in signis figurisque cernuntur.* Hæc Maxim. Diuidua igitur signa sunt Sacramenta. Cum igitur Hierarchia ex Dionysio signis contineatur (eget quippe rebus, quæ sensum mouent ad diuiniorem nostri ex ipsis ad eas quæ mente comprehenduntur reuocationem) ac sigilla, signacula, signa, pro eodem sumi possint; nihil alienum à propria significatione literæ dicimus, cum per signacula aut sigilla, Sacramenta quæ signa sunt intelligimus. Et tantò libentiùs hoc dici potest quod σφραγὶς signum impressum significet: vt non sit simplex signum aut simplex nota aliquid indicans, sed signum impressum, nota impressa; quo facilius intelligamus Sacramenta non esse tantum symbola aliquid significantia, sed symbola efficacia: efficiunt siquidem quod significant. Quia igitur imprimunt effectum sibi proportionatum, optime signacula, signa impressa dicuntur à S. Ioanne: quæ à S. Dionysio signa quæ sub sensum cadunt nuncupantur, per quæ vt dictum est S. Maximus Sacramenta intelligit. *Signa*, inquit, *sunt Sacramenta quæ deinceps exponuntur, id est, Baptismus siue illustratio, synaxis, siue communio, Sacramentum.*

B

2. Ratio.

S. Maximus.

C

D

3. Ratio.

Tertia ratio est, quia non absque aliqua autoritate hanc nouam de omnibus sigillis expositionem adducimus: etenim Richardus à S. Victore l. 2. c. 4. primum sigillum de Baptismo intellexit, cum hæc verba ponderans: *Veni, & vide*, ait: *Ipsis enim (ad fidem scilicet conuertendis) in his verbis dicitur vt per conuersionem veniant, & per fidem videant gratiam regenerationis primitiuæ Ecclesiæ collatam quam ignorant, & gratiam per baptismum suscipiendo, & Ecclesiam imitando ad vitam pergant. Et quia quæ sequuntur, de primitiua Ecclesia per Baptismum dealbata intelliguntur, rectè sequitur: Et ecce equus albus. Equus enim albus est primitiuorum electorum numerus, ab omnibus pariter peccatis in vnda Baptismatis purificatus, & donis spiritualibus super niuem dealbatus, qui Christum in primitiuis recenter renatis prædicatoribus sessorem habuit, & eum ad mittenda iacula prædicationis per mundum circumtulit.* Hæc Richard. Si igitur de effectu Baptismi hoc primum sigillum intellexit Richardus à S. Victore, cur non alia sigilla de effectibus aliorum Sacramentorum intelligi poterunt, si optimè cum symbolis conueniant illorum effectus? Quod tanto magis verisimile est, quòd sigilli ratio cum ratione Sacramenti conueniat. Sigillum namque est res aliqua aliquid indicans propter notam insculptam vel impressam firmiter inhærentem: Sacramentum autem definitur à Scolasticis, res vel ceremonia sensibilis ad aliquam sanctitatem, pro statu Ecclesiæ

Richardus à S. Victore.

Digitized by Google

tunc exiſtentis conuenientem hominibus ſuo vſu conferendam, & ad veram ſanctitatem ſignificandam legitimè inſtituta. Vel vt alij volunt: Eſt ſignum ſenſibile diuinitus inſtitutum longo tempore durans, ſanctitatem aliquam ſaltem externam conferens & veram ſignificans, quo fit vt optimè quodlibet Sacramentum ſigillum dicatur: res eſt ſenſibilis, aliquid indicans, firma & ſtabilis; & cum pro inſtrumento aſſumatur à diuinâ potentiâ vt hominibus gratiam ſigno proportionatam conferat, hæc gratia quaſi per tale inſtrumentum, rectè ſigillum impreſſum dici poterit: quod quidem aperiri dicemus, vel cum imprimitur, vel cum impreſſum lumine fidei infuſo agnoſcitur.

Quod etiam prater effectus Sacramentorum quidam aliis inſigniores euentus, ſeu diuinæ erga Eccleſiæ bonum prouidentiæ effectus ſignificantur.

ANNOTAT. II.

DVBITARI nòn poteſt quin iuxta tertiam, & quartam regulâ ex S. Auguſtino à nobis in proœmio operis allatas, ſub vno & eodem ſymbolo plura ſignificari valeant. Proinde ſub his ſigillis, præter illas diuinas operationes ad noſtram ſanctificationem ordinatas, dicimus ſignificari quoſdam alios euentus pro tempore & quaſi ſucceſſiuè adimplendos. Hoc aſſerere neceſſarium eſt, ne omnium autorum communem conſenſum temerariò rejicere vel reſpuere videamur: omnes ſiquidem aliquos euentus in Eccleſiæ progreſſu futuros exquirere fatagunt, qui ſub his ſymbolis deſignentur.

Tota difficultas eſt iudicare aut conjicere quinam potiſſimum ſignificentur: quæ tanto maior eſt, quod in tanta opinionum varietate contrarias etiam & inter ſe pugnantes ſententias reperiamus. *Quæ enim participatio lucis ad tenebras?* Quænam Chriſto cum diabolo conuentio? Et tamen licet Chriſtus & diabolus inter ſe manifeſtè opponantur, alij Chriſtum equorum ſeſſorem aſſerunt, alij diabolum vel hypocritas vel quempium hæreticum. *Sicut ſuperius,* inquit Haymo, *per album equum intelleximus corpus Chriſti, hoc eſt ſanctam Eccleſiam à peccato mundam per baptiſmum & Chriſti paſſionem, ſic in hoc loco per equum rufum debemus intelligere omne corpus diaboli, hoc eſt omnes reprobos.* Sic per eum equum rufum intelligit Dionyſ. Carthuſ. multitudinem miniſtrorum, Principum, perſecutorum; per nigrum, hæreticorum cateruam vitiis denigratam; per pallidum hypocritarum & fallacium fratrum cœtus. At Ambroſius Aretas, Arias, & Alcazar apud Cornelium cenſent omnes hoſce quatuor equos eundem habere ſeſſorem, ſcilicet Chriſtum, & ad eius ſalutem redemptionemque pertinere. *In omnibus,* inquit Ambroſius, *ſeſſor Chriſtus.* Lege Lud. ab Alcaz. in notationibus proœmial. in c. 6. not. 2. Quorum mentem & ſententiam amplectimur: nec enim propter apertionem libri tot laudes ac benedictiones Deo, & agno à ſenioribus, & animalibus, ab Angelis, & cunctis creaturis tantâ cum alacritate & gaudio decantarentur, ob perfectam redemptionem, ob adeptam regni & ſacerdotij dignitatem, ſi tantum aliquid funeſtum & infauſtum ex hac apertione libri ſubſequeretur. Agno vero optimâ de causâ virtus, & diuinitas, & ſapientia & fortitudo tribuitur, quia in notitiâ redemptionis & naturæ noſtræ exaltatione hæ diuinæ virtutes multimode enituerunt: itaut de agno meritò dicatur Habac. 3. *Aſcendes ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio.* Quod quidem verum eſſe manifeſtabitur, ſi quidam euentus conſiderentur qui neceſſarij fuerunt, vel vt Eccleſia in fide receptâ firma conſiſteret, vel vt Chriſti gloria, quam ex regimine Eccleſiæ ſibi comparare intendit, feliciter ipſi obueniat, & vnde ſedenti in throno & agno benedictio, & gloria, & poteſtas in ſecula ſeculorum ab omni creatura tribui merito debeat. Quinam autem ſint hi euentus, ſuo loco Deo dante videbimus.

Cornel.

Alcazar.

Habacuc. 3.

Quid per apertionem ſigillorum intelligere debemus.

ANNOTAT. III.

APERIRE librum, quibuſdam eſt eum aliis legendum proponere, hoc eſt myſteria in eo contenta aliis enarrare. Aliis, aperire librum, nihil aliud eſt quàm eius prophetias reipſa complere, & facere vt actu fiant quæ hic futura prænunciantur. Richardus à S. Victore l. 2. c. 4. vtrumque videtur coniungere cum ait: *Apertio ſignaculi eſt reuelatio myſterij cum exhibitione promiſſi.* Hæc ille. Nec obſtat quod objicit Cornelius, qui per apertionem libri tantum explicationem, & reuelationem intelligi vult, non autem realem eius executionem & complementum. *Quia,* inquit, *ſic Ioannes non vidiſſet hic ſibi nunc aperiri librum, ſed in fine mundi aperiendum dixiſſet:* Nam præterquàm incertum omnino eſt quod ea quæ in his ſigillis ſignificantur ad finem mundi pertineant, Prophetæ futura vident ac ſi eſſent præſentia, & de futuris loquuntur quaſi ea ob oculos haberent. Itaque cum Ioannes dicit: *Et cum aperuiſſet librum*: Vel, *Et vidi quod aperuiſſet agnus vnum de ſeptem ſigillis*, Idem eſt ac ſi dicat; Et vidi quod agnus aliquid exequebatur & perficiebat inſigne, & tanto dignum autore de his quæ in libro continebantur, quæ cum difficilia eſſent intellectu, & vix à ratione humanâ concipi valerent, ea credibilia reddebat: nam lumine fidei mentes illuſtrando, omnem à mentibus amouebat difficultatem quæ eos à tantorum myſteriorum cognitione, & aprehenſione auertere poſſet. Sic exhibebat quod promiſerat, ea exequendo quæ Eccleſiæ ſponſæ erant vtilia, & reuelabat myſteria, dando illum ſpiritum veritatis, quem dixerat venturum, vt omnem doceret veritatem. Videt igitur ſanctus Ioannes Agnum in medio Eccleſiæ operantem, & diuinas ſuas operaſiones ſuis amicis, & fidelibus reuelantem.

Richardus à S. Victore.

Dionyſius Carthuſianus per librum intelligens increatam ſcientiam Dei, quâ Deus Eccleſiæ decurſum & ſtatum prænoſcit, conſequenter per ſeptem ſigilla intelligit occultationes quibus Deus ſcientiam iſtam ab oculis omnis viatoris abſcondit. *Et hæ occultationes,* inquit, *in re aliud non ſunt niſi ipſemet Deus ſecretum ſuum abſcondens, ac pandens pro libito ſuo. Porro ſigillorum apertio eſt diuinæ huius ſcientiæ manifeſtatio.* Hæc ille. Iuxta quem ſenſum dicere poſſumus hunc librum eſſe infuſam ſcientiam Chriſti, qua Eccleſiæ curſum, & ſtatum prænoſcit; & ſigilla eſſe occultationes quibus iſtam ſcientiam ab oculis viatorum abſconduntur: quæ nihil aliud ſunt, quàm ipſemet Chriſtus ſecretum ſuum abſcondens & pandens pro libito ſuo; ſigillorumque apertionem eſſe diuinæ huius ſcientiæ manifeſtationem. Aliquid tamen addendum Dionyſio exiſtimo, ac dicendum eas occultationes non ſolum eſſe Deum aut Chriſtum ſcientiam ſuam abſcondentem, ſed etiam difficultates quæ reſpectu intellectus humani reperiuntur in myſteriis ipſis reuelatis, itaut licet proponantur, tamen non apprehendûtur niſi lumine diuino ac gratiæ impulſu humana mens fuerit

Dionyſ. Carth.

Digitized by Google

adiuta & corroborata, ab iis videlicet de quibus dicitur, *Quotquot autem receperunt eum dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine eius.* Ioa. 1. v. g. cum Chriſtus dicebat Phariſæis eum interrogantibus, tu quis es? *Principium qui & loquor vobis.* Ioan. 8. reuelabat proculdubio myſterium, & ſe eſſe Deum teſtabatur: *Non cognouerunt* tamen *quia Patrem ſuum dicebat Deum*, quia deerat illis lux ad tantum myſterium concipiendum neceſſaria, fides nempe propter mentis eorum excæcationem.

Ioan. 1.

Sigilla igitur non ſunt tantum occultationes myſteriorum, quæ Chriſtus tantum reuelabat pro libitu ſuo, ſed etiam illæ obſcuritates & difficultates, quibus mens humana diuina concipere impeditur, niſi fuerit diuino lumine colluſtrata.

Secundò: exiſtimo manifeſtationem huius ſcientiæ eſſe apertionem libri: ſi manifeſtationem decretorum, & determinationum huius libri executionem coniungas cum illorum propoſitione & explicatione vt intelligantur. Manifeſtat enim aliquis quæ mente voluit non tantum verbis ſed etiam factis, & ideo Chriſtus Dominus aperit librum, id eſt, manifeſtat quæ ſunt in libro, aperit ſigilla, id eſt, tollit & amouet credendi difficultatem, tam exequendo quæ decreuit, quàm ea myſteria explicando, & diuino auxilio adiuuando mentem, vt myſteriis propoſitis fidem adhibeat. Et cum ſignacula ſoluere agnus debeat antequam librum aperiat, tamen quia executio myſterij illiuſq; propoſitio prius concipi debet quam illius cognitio & apprehenſio (prius eſt enim rem exiſtere & oculis obiici quam eam agnoſcere) ideo priùs dicitur agnus aperire librum (id eſt, exequi quæ ſunt in libro, eaque proponere credenda) quàm ſoluere ſignacula (id eſt, amouere credendi difficultates propter obſcuritatem myſteriorum) per auxilium diuinum quod Deus tenet præparatum, vt qui ordinantur ad vitam ſtatim atque fit myſterij propoſitio eidem fidem adhibeant: & ſic Chriſtus aperit librum & ſoluit ſignacula: *Chriſto enim*, vt ait Tertullianus l. de reſurrectione carnis c. 2. *ſernabatur omnia retro oculta nudare, dubitata dirigere, prælibata ſupplere, prædicata repræſentare, mortuorum certe reſurrectionem non modo per ſemetipſum verum etiam in ſemetipſo probare.* Hæc Ter. Quod de reſurrectionis myſterio Tertull. hoc de aliis myſteriis dicendum, quod Chriſti erat non ſolum ea repræſentare aut occulta nudare, ſed etiam per ſemetipſum illa probare, id eſt, per ſemetipſum illa perficere. Ipſe enim qui operatur omnia in omnibus (nihil enim ſine ipſo fieri poteſt, vnde dicebat Apoſtolis: *Sine me nihil poteſtis facere*: Petrus baptizet, Paulus baptizet, hic tamen eſt qui baptizat; prædicat Petrus, prædicat Paulus, ipſe loquitur in eis, vt fatetur Paulus) ipſe eſt qui aperit librum, & ſoluit ſignacula, id eſt, per inſtrumenta & organa & idoneos noui teſtamenti miniſtros verbum fidei proponit, & in eodem inſtanti illuminat mentem & fidem infundit.

Tertull.

A

B

C

D

E

De idea ſymbolum capitis ſexti.

ANNOTAT. IV.

VIDET S. Ioannes viſione imaginariâ agnum tenentem librum, & aperientem ſoluentemque ſignacula: ſed viſione intellectuali animaduertit Chriſtum vt perficientem ea quæ in libro continentur: quæ, quia fide tantum aprehendi poſſunt, ideo audit animalia, quæ eum prouocant vt ea diuina opera attentiùs contempletur: quod cum facere incipit objiciuntur illi quædam ſigna ſeu ænigmata, quibus ea quæ mente contemplatur proponat Eccleſiæ meditanda: quorum ideam adeo graphicè depingit & exprimit, vt nihil aliud de idea ſymbolorum dicendum videatur. *Vidit*, inquit Dion. Carthuſ. *Ioannes imaginaria viſione, quod Chriſtus librum in dextera Patris ſeu Dei primum ſigillum aperuit. Ita inquam, apparebat Ioanni in præfata viſione, per quod intellectualiter deſignabatur, quod Chriſtus præſentiam Dei de ſtatu Eccleſiæ capit Ioanni per Angelum communicare, reuelare ſeu aperire.* Hæc Dionyſ. Viſio igitur Ioannis vtriuſque facultatis, imaginatiuæ ſcilicet & intellectiuæ opus requirit, quæ ſibi inuicem ſuccurrant. Per viſionem imaginariam agni librum accipientis & aperientis, intelligit S. Ioannes quæ Chriſtus operaturus erat pro regimine Eccleſiæ, & quæ reuelare debebat; & cum ad tantorum operum contemplationem euehitur, tunc imaginationi eius ænigmata objiciuntur, ſub quæ illa diuina opera Eccleſiæ proponat.

Dionyſ. Carthuſ.

His prælibatis, ad duas potiſſimum interpretationes & expoſitiones proponendas accingimur: quæ inter tot quæ occurrunt, ſeligendas & ſequendas eſſe exiſtimo, nihil de aliorum ſententia nihilominus derogare cupientes, ſuus cuique maneat ſenſus in quo abundet, modo pietati ac fidei nihil diſſonum adducatur. Prima erit de effectibus ſacramentorum. Secunda de inſignioribus quibuſdam euentibus, quibus fides Eccleſiæ ſtabilita fuit, & Chriſti gloria valde. Innotuit in quibus expoſitionibus prouidentiæ diuinæ perfectiones licebit contemplari.

Quo ordine S. Ioannes de Sacramentis agat in hoc ſexto capite.

ANNOTAT. V.

PERFICITVR homo, inquit S. Thom. 3. q. 65. ar. 1. *quantùm ad propriam perſonam, & per reſpectum ad totam communitatem in qua viuit: reſpectu autem ſui ipſius perficitur dupliciter, per ſe acquirendo aliquam perfectionem, per accidens, removendo impedimenta vitæ, puta agritudines*: Et hac ratione hunc inter Sacramenta ponit ordinem. Primò ponit Baptiſmum per quem homo incipit eſſe & viuere ſpirituali vita; Confirmationem, quo Sacramento perducitur ad perfectam virtutem: Euchariſtiam qua vita & virtus conſeruatur: Pœnitentiam, qua homo ſanatur; Extremam vnctionem quæ remouet peccatorum reliquias & hominem paratum reddit ad gloriam. Et pro perfectione requiſita in ordine ad totam communitatem ponit Ordinem, quo datur poteſtas regendi multitudinem, & exercendi actus publicos; & Matrimonium vt fiat propagatio tàm in ſpirituali, quàm in corporali vita, ex eoquod non ſolùm eſt Sacramentum ſed naturæ officium. Et ſic Baptiſmus ordinatur contra carentiam vitæ ſpiritualis; Confirmatio contra infirmitatem carnis quæ in nuper natis inuenitur; Euchariſtia, contra labilitatem animi ad peccandum; Pœnitentia contra actuale peccatum; Extrema vnctio, contra reliquias peccatorum, quæ ſcilicet non ſunt ſufficienter per pœnitentiam ſublatæ, aut ex negligentia aut ex ignorantia; Ordo contra diſſolutionem multitudinis; Matrimonium in remedium contra concupiſcentiam perſonalem, & contra defectum multitudinis, qui per mortem accidit: Quem ordinem S. Thomas articulo ſecundo probat eſſe conuenientem, quod cum vnum prius ſit quam multitudo, Sacramenta quæ ordinantur ad perfectionem vnius perſonæ naturaliter præcedunt ea quæ ordinantur ad perfectionem multitudinis: Matrimonium tamen poſt ordinem, eoquod minus participat de ratione ſpiritualis

S. Thomas

Digitized by Google

vitæ ad quam ordinantur Sacramenta. Inter ea vero quæ ordinantur ad vnius perſonæ perfectionem, priora ſunt illa, quæ per ſe ordinantur ad perfectionem ſpiritualis vitæ, quam illa quæ ordinantur per accidens. Et ſic Baptiſmus, Confirmatio, & Euchariſtia, quæ debitum inter ſe habent ordinem (quòd Baptiſmus ſit ſpiritualis regeneratio, Confirmatio perfectio virtutis, Euchariſtia perfectio finis) præcedunt ordine Pœnitentiam, & Extremam vnctionem, quæ naturaliter poſterior eſt, quia conſeruat ſanationem, quam pœnitentia inchoat.

Ex hac doctrina S. Thomæ vides ordinem iſtum ab eo ſumi per reſpectum ad ſuſcipientes Sacramenta. Hunc reſpectum non habuit S. Ioannes, ſed ad autorem, & inſtitutorem Sacramentorum reſpexit, quia illum tanquam operantem repræſentare debebat: & hac ratione hunc enumerandi Sacramenta modum & ordinem non tenuit, ſed talem qui ſummo Hierarchæ Chriſto de mediis ad ſalutem neceſſariis Eccleſiæ prouidenti conueniret. Chriſtus Dominus locum tenet Ducis, & Reipublicæ cuiuſdam inſtitutoris ac fundatoris: Ordinem igitur ſeruare debuit, qui Ducem ſapientem potentiſſimum exercitum inſtruentem, vel Reipublicæ conditorem prudentiſſimum Rempublicam aliquam florentiſſimam condentem, deceret.

Dux autem aut Rex aliquis potentiſſimus, qui exercitum copioſum parare vult, primò congregat militum multitudinem copioſam: ſecundò illis arma ſuppeditat: tertiò prouidet ne numerus militum deficiat, vt ſi qui bello conſumpti fuerint, ſtatim per alios exercitus reparetur: Quarto multitudinem illam rite & debitè ordinat, ex hac multitudine quoſdam eligendo qui pareant, quoſdam qui imperent. Quinto prouidet ea quæ ad vitam & veſtitum militum neceſſaria ſunt. Sexto Chirurgos, qui vulneratis in conflictu medelam præbeant, paratos habet; vel etiam quoſdam iudices conſtituit, qui infractores legum militarium caſtigare valeant; & tandem Xenodochia & hoſpitalia habere debet, in quibus infirmitate aliqua detenti remedia opportuna reperiant.

Talem ordinem ſeruare videtur S. Ioannes, cum Chriſti Ducis noſtri operationes in Sacramentis nobis ob oculos ponit: nam primo agit de Baptiſmo, quo in numerum fidelium cooptamur, & fideles facti vnum corpus myſticum conficimus, Duciſque noſtri inſignia geſtamus, amicti ſtolis albis vt agnum ſequi poſſumus quocumque ierit, quia Chriſtum in Baptiſmo induimus. Secundo agit de Confirmatione, quo Sacramento arma militiæ Chriſtianæ ſpiritalia accipimus: aſſumimus inquam, armaturam Dei vt loquitur Apoſtolus Epheſ. ſexto, vt poſſimus reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare, ſuccincti lumbos in veritate, induti loricam iuſtitiæ, calceati pedes, ſumentes ſcutum fidei galeam ſalutis, & gladium ſpiritus quod eſt Verbum Dei ore & manu geſtantes. Tertio agit de Matrimonio quo milites ſemper ille Dux ſapientiſſimus paratos habet, nam aliis deficientibus, & quacumque ratione decedentibus ſtatim habet per quos tale damnum reſarciatur; nam cum parentes curare debeant vt filij renaſcantur, & per Baptiſmum in numerum fidelium cooptentur, per Sacramentum Matrimonij habet Chriſtus vnde ſibi comparare valeat milites, qui ſub eius vexillis dimicare poſſint. Quarto agit de Sacramento Ordinis, quo Chriſtus Duces, locum tenentes, vexillarios, alioſque qui munia quælibet exerceant ſelegit, & omnibus officia neceſſaria optimo ſui exercitus regimini diſtribuit. Quinto agit de Euchariſtia, parat menſâ aduerſus hoſtes, qua & nutriri & corroborari poſſint milites, ita ut dicant: *Si conſiſtant aduerſum me caſtra non timebit cor meum, ſi exurgat aduerſum me prælium in hoc ego ſperabo: non timebo mala quoniam tu mecum es.* Sexto agit de Sacramento Pœnitentiæ, in quo Sacerdos & Chirurgi ac Medici & etiam iudicis delicta punientis, locum tenet. Septimo agit de Extrema vnctione, quo infirmis ac debilibus ſuccurritur.

Hic Ordo etiam ſeruandus eſt ab aliquo fundatore ciuitatum, incolas inquirere debet, eorum virtutes agnoſcere, ne vnquam ciuitas deſerta & inhabitata remaneat prouidere, Magiſtratus ordinare, frumenta & quæ ad victum neceſſaria ſunt ſuppeditare, pro infirmis & pauperibus Xenodochia erigere. Hoc fecit ſapientiſſimus Hierarcha noſter Chriſtus Eccleſiæ Chriſtianæ potentiſſimus fundator. Vocat ad Baptiſtmum qui hanc ciuitatem ſanctam inhabitant; virtutem cuiuſlibet metitur, & vnicuique dona diſtribuit prout vult, in Confirmationis Sacramento; Per Matrimonium curat ne generatio rectorum deficiat, imo vt benedicatur, & multiplicetur prouidet ſapientiſſime; Magiſtratus conſtituit per Ordinis Sacramentum, qui alios regant; Cibos parat in Euchariſtiæ auguſtiſſimo Sacramento; vindices criminum, & plagarum Chirurgos inſtituit in Pœnitentiæ Sacramento; Et tandem infirmis ſuccurrit in Extrema vnctione: qua quidem ratione vides quo ordine de Sacramentis agere debeat in hoc capite, quia non reſpicit ad perſonas ſuſcipientium, ſed ad Chriſtum autorem, & inſtitutorem Sacramentorum, & per ea operantem, & tanquam Ducem Eccleſiæ & fundatorem ſe gerentem. Primò igitur de Baptiſmo nunc nobis eſt agendum, primum ſigillum exponendo.

Ephes. 6.

Et cum aperuiſſet primum ſigillum.

De primâ Chriſti Hierarchæ in Eccleſiâ operatione, ad noſtram ſanctificationem.

ANNOTAT. VI.

RECTE dicitur aperiri primum ſigillum vt ſuæ libri apertio: ex reſeratione enim ſigilli cognoſcetur Myſterium aliquod grande in libro contentum. Quod autem reſerari debeat ex apertione primi ſigilli cenſemus eſſe Baptiſmi Sacramentum, ſub quo tanquam ſub ſigillo latet grande myſterium, nempe victoria quam Chriſtus per fidem, quam in cordibus infundit, de ſuis hoſtibus glorioſè reportat. *In Chriſtiano* enim, vt ait S. Ambroſius l. 1. de Sacram. c. 1. *vtro prima eſt fides. Ideo recte fideles dicuntur qui Baptiſati ſunt, & Pater noſter Abraham ex fide iuſtificatus eſt, non ex operibus.* Hæc Ambroſ. Et ideo prima Chriſti operatio in Eccleſiâ circa fideles, fides eſt: per quam mundus vincitur. *Quoniam omne quod natum eſt ex Deo vincit mundum, & hæc eſt victoria quæ vincit mundum fides noſtra.* 1. Ioan. 5. Hanc Chriſtus operatur cum homo Baptizatur. Eſt enim Chriſtus ille homo expectatus vt mitteret nos in piſcinam, in hunc videlicet Baptiſmi fontem. *Hæc piſcina*, ait S. Ambroſ. de initiandis cap. 4. *in Hieroſolymis erat, in qua vnus annuus ſanabatur: ſed nemo ante ſanabatur quâ deſcendiſſet Angelus: vt eſſet indicium quia deſcendebat Angelus, mouebatur aqua, propter incredulos: illis ſignum, tibi fides; illis Angelus deſcendebat, tibi Spiritus ſanctus; illis creatura mouebatur, tibi Chriſtus operatur. Ipſe Dominus creaturæ. Tunc curabatur vnus, nunc omnes ſanantur: aut certè vnus ſolus populus Chriſtianus.* Et poſt pauca: *Ergo, & illa piſcina in figura, vt credas quia in hunc fontem vis diuina deſcendit: denique paralyticus ille expectabat hominem. Quem niſi*

1. Ioan. 5.

S. Ambroſ.

Digitized by Google

illum Dominum Ieſum natum ex Virgine, cuius aduentu iam non vmbra ſanaret ſingulos, ſed Veritas vniuerſos? Iſte eſt ergo qui expectabatur vt deſcenderet, de quo dixit Deus Pater ad Ioannem Baptiſtam: Super quem videris ſpiritum deſcendentem de cœlo, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto. Hæc Amb.

Aperit autem agnus hoc ſigillum, cum vim & efficaciam Baptiſmi proponit auribus voce prædicantium, & menti intuendam objicit per internam inſpirationem his qui credunt in nomine eius, cuius rei exemplum clariſſimum habemus Act. 2. Clamat S. Petrus: *Certiſſime ſciat ergo omnis domus Iſrael, quia & Dominum eum, & Chriſtum fecit Deus, hunc Ieſum quem vos crucifixiſtis: his auditis compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos: Quid faciemus viri fratres? Petrus vero ad illos: Pœnitentiam, inquit; agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus ſancti.* En ſigilli per agnum apertio, vt ingens deinceps myſterium agnoſcatur in præclaris fidei effectibus, quæ poſtea S. Lucas repræſentat fuiſſe manifeſtos in his primitiuæ Eccleſiæ Chriſtianæ temporibus, vt videre eſt Actuum ſecundo.

Act. 2.

Optimè Baptiſmi Sacramentum ſigillum nuncupatur, ſicut & alia Sacramenta ſigilla dicuntur.

ANNOTAT. VII.

SIGILLVM idem eſt ac paruum ſignum; hac ratione Baptiſmus ſigillum dici poteſt: aliquid enim parui momenti videtur eſſe parum aquæ elementaris, hauſtæ vel è mari vel è fluminibus vel è fontibus, vel etiam è puteis aut lacunis; res communiſſima, quæ ab omnibus facile haberi poteſt: nec enim adhibenda eſt aqua ex floribus, vel herbis arte ſtillata, aut ceruiſia, aut alij pretioſi liquores. Nihil inſuper adeo fragile quam prolatio quorumdum verborum, quæ cum ſono euaneſcunt: perit exiſtentia eorum omnis cum ſonitu: quo fit vt ſi materiam, aut formam baptiſmi ſpectemus, baptiſmus dici poſſit paruum ſignum, & vt animaduertit S. Gregorius Nyſſenus orat. in baptiſmum Chriſti, *res quædam contemnenda, ſicuti & aliæ Sacramentorum materiæ,* At vt ait ipſe, *contemnenda quidem videbis quæ apparent, magna vero quæ ab illis efficiuntur.* Hæc Greg. Signa quidem ſunt paruæ, ſigilla ſunt, at magna ſignificant & efficiunt, v. g. (vt poſteà Nyſſenus) *aqua cum nihil aliud ſit quam aqua, ſupernâ gratiâ benedicente ei, in eam, quæ mente percipitur, hominem renouat regenerationem:* Et vt antea dicebat, *ſic myſticum oleum, ſic vinum, cum ſint res exigui pretij ante benedictionem, poſt ſanctificationem quæ a Spiritu ſancto procedit excellenter operantur.* Hæc Greg. Non ſunt igitur contemnendæ aquæ, licet ſint res exigui momenti, ſicut Naaman Syrus contempſit aquas Iordanis, *Ne dicas hoc eſt illud magnum myſterium,* vt ait S. Ambroſ. de initrand. c. 4. *quod oculus non vidit, nec auris audiuit nec in cor hominis aſcendit: aquas video, quas videbam quotidie: Iſtæ me habent mundare in quas ſæpe deſcendi, & nunquam mundatus ſum? Hinc cognoſco quod aqua non mundat ſine ſpiritu.* Et rurſus lib. 1. de Sacramentis c. 3. *Ingreſſus es, vidiſti aquam, vidiſti Sacerdotem, vidiſti Leuitam, ne forte aliquis dixerit: Hoc eſt totum? Immo eſt totum: verè totum, vbi tota innocentia, tota pietas, tota gratia, tota ſanctificatio. Vidiſti quæ videre potuiſti oculis tui corporis & humanis conſpectibus, non vidiſti illa quæ operantur, quia non videntur. Illa multo maiora ſunt quæ non videntur quàm quæ videntur, quoniam quæ videntur temporalia ſunt, quæ non videntur æterna.* Hæc Ambroſ.

S. Ambroſ.

Ne miſeris igitur ſi hæc ſigilla nempe Sacramenta, licet ſint parua, contemnenda, exigui pretij, egena, ſi volueris, de ſe & infirma elementa, indigeant apertione agni, vt eorum excellentia dignoſcatur. Fugit oculos eorum virtus, mentis aciem, humanam intelligentiam, niſi aperiatur ab eo qui ſolus tantam illis contulit dignitatem. *Auctor enim Sacramentorum quis eſt niſi Dominus Ieſus? De cœlo iſta Sacramenta venerunt. Conſilium enim omne de cœlo eſt,* ait S. Ambroſ. l. 4. de Sacram. c. 4. Ne igitur, quia aqua communis res eſt, eam ſpernas, ſicut Phariſæi Dei conſilium ſpreuerunt in ſemetipſis non baptizati ab eo Luc 7. *Ergo,* inquit S. Ambroſ. l. 2. de Sacram. c. 6. *baptiſmum conſilium Dei eſt, quanta eſt gratia vbi eſt conſilium Dei?* Et quis hoc Dei conſilium aperire poſſet quàm ille agnus qui librum accepit de dextera Patris, cum ſcientiam eorum omnium, quæ ad ſanctificationem Eccleſiæ pertinent, à Patre accepit vt ea impleret, ac perficeret in tempore ſuo? Voluit autem Chriſtus in re tam communiſſimâ hoc primum Sacramentum inſtituere, quia cum baptiſmus ſit omnibus ad ſalutem ſimpliciter neceſſarius, debuit inſtitui in re communiſſimâ quæ ab omnibus facile haberi poſſit; & inter res peruias & communes aquam pro baptiſmo eligere, quia per aquam, quâ lauantur corporis maculæ, aptè repræſentatur ablutio peccatorum, quæ fit per baptiſmum; & hoc ſigillum aperire cum per prædicationem Petri & aliorum Apoſtolorum, aquarum baptiſmi vim & efficaciam voluit omnibus innoteſcere & patefieri, ne propter vilitatem & paruitatem ſigni tanta gratia in eo contenta ſperneretur.

S. Ambroſ. l. 4. de Sacram. c. 4.

S. Ambroſ. l. 2. de Sacram. c. 6.

Aliam inuenio rationem apud Gregor. Nazianz. orat. 40. cur Baptiſmi Sacramentum ſigillum optimè dicatur, cum de diuerſis baptiſmi nominibus agens, ait: *Donum dicitur, quia iis qui nihil prius contulerunt datur: Gratia, quia etiam debentibus: Baptiſmus, quia peccatum in aqua ſepelitur: Vnctio, quia ſacer & Regius. Huiuſmodi enim ea erant, quæ vngebantur: illuminatio porro, quia ſplendor & claritas; indumentum, quia ignominiæ velamen eſt; lauacrum quia abluit; ſigillum quia conſeruatio eſt, ac dominationis ſignificatio.* Quod elucidans Elias Cretenſis ait: *Sigillum inſuper, quoniam per eum conſignati, cuiuſnam Domini ſimus cognoſcimur, atque ab inſidiis tuti conſeruamur: quod enim ſigillo aliquo notatum eſt furum aggreſſioni minimè patet.* Hæc ille. Ex quo vides duo in ſigillo ſignificari, primum quod Chriſti Domini ac Dei ſumus, itaut dicere de nobis valeat: *Seruus meus es tu Iſrael, in te gloriabor,* Eſ. 49. Secundum, quod in eius protectione & cuſtodiâ poſiti ad vitam immortalem ſeruamur: *quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus: conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris. Ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Rom. 6. Quæ vitæ nouitas ad immortalitatem ducit. *Si autem,* inquit Apoſtolus, *mortui ſumus cum Chriſto, credimus quia ſimul etiam viuemus cum Chriſto: ſcientes quod Chriſtus reſurgens à mortuis iam non moritur, &c.* Rom. 6. *Hoc ipſum,* inquit Clem. Alexand. l. 1. pædagogi c. 6. *nobis quoque euenit, quorum ſuus exemplar Dominus, tinctis illuminamur, illuminati in filios adoptamur, adoptati perficimur, perfecti immortales reddimur.* Hæc Clem. Itaut ſicut ſepulchrum quoddam eſt receptaculum, in quo exuuiæ corporum conduntur & conſeruantur, ita baptiſmus ſepulchri rationem induit, cum per illum cum Chriſto ſepelimur donec cum eo reſurgamus ad gloriam. *Cum igitur,* inquit Nyſſenus in baptiſmum Chriſti, *Deus & ſeruator noſter pro nobis ſuſce-*

S. Greg. Naz.

Elias Cretenſ.

Rom. 6.

Clem. Alex.

Nyſſenus.

ptam adminiſtrationem impleret, Vnum ex his quatuor (ſcilicet elementis) terram ſcilicet ſubiit, vt illinc vitam excitaret: nos vero Baptiſmo ſi ad imitationem Domini & Doctoris & præceptoris noſtri, in terra quidem non ſepelimur (hæc enim infirmitatem & corruptionem naturæ noſtræ cooperiens morte penitus perempti corporis tegumentum exiſtit) ſed ad terræ cognatum elementum aquam venientes, in illâ, ſicuti ſeruator in terrâ, nos abſcondimus, idque cum ter ſimul facimus, triduo peractam nobis reſurrectionis gratiam effingimus: eaque facimus non ſilentio myſterium aſſumentes, ſed trium ſanctarum hypoſtaſeon in quas credimus, in quas etiam ſperamus, ex quibus nobis contingit vt & nunc ſimus & rurſus futuri ſimus. nominibus ſuper nos pronunciatis. Hæc Gregor. Nyſſ. Qui ad Baptiſmum & Pœnitentiam inuitans, orat. de Baptiſmo, ait. *Venite ergo, qui malis affecti eſtis, ad veſtram curationem: neque rem negligatis: morbus enim diuturnus & inueteratus artem ſuperat & curationem. Pauperes & egentes, feſtinate ad diſtributionem donorum regalium; oues ad ſignaculum & ſignum crucis, quod malis opem fert & remedium. Date mihi nomina, vt ego ea imprimam libris ſenſibilibus, & ſcribam atramento: Deus autem ea ſignet in tabulis in quas non cadit interitus, ſcribens proprio digito vt olim legem Hebræis.* Hæc Greg. Quod ſi aliam pondetemus rationem, quare Sacramentum ſigillum dicatur, nempe propter dominationis ſignificationem, alludit fortaſſe S. Gregorius ad ea loca ſcripturæ, in quibus per ſigilli in manu alicuius conſignationem, poteſtatis regiæ vſus quibuſdam conceſſus fuit: vt cum Pharao Ioſepho dixit: *Ecce conſtituite ſuper Vniuerſam terrâ Ægypti: Tulitque annulum de manu ſuâ, & dedit eum in manu eius.* Et in hiſtoria Eſther c. 3. dicitur quod Aſſuerus tulit annulum, quo vtebatur, de manu ſuâ & dedit eum Aman, &c. quo ſignatæ ſunt literæ quas contra Iudæos ad tatrapas & Principes Aman miſit nomine Regis Aſſueri: quam ſigilli ſignificationem modo amplectimur, vt per ſigillum dicamus ſignificari Chriſti Regis ſupremum in omnes fideles dominatum per fidem: quæ quidem dominatio myſterium eſt nobis ſub Sacramenti Baptiſmi ſigillo reconditum: ad cuius apertionem & enucleationem nobis eſt properandum.

Eſther 3.

Et audiui vnum de quatuor animalibus dicens tanquam vocem tonitrui: Veni & vide.

Quodnam myſterium ſub hoc ſigillo contineatur, nempe ſupremus Chriſti dominatus in fideles, per fidem quæ in Baptiſmo infunditur.

ANNOTAT. VIII.

LICET fidei myſteria proponantur, niſi adſit Dei ſuprema poteſtas, quâ humanæ ſapientiæ præſumptio reprimatur, vt intellectus in obſequium fidei reddatur captiuus, quaque in ſuper ſenſuum fallacia ac deceptio diſſipetur, ad tanta myſteria ſpeculanda caligat mens, hæret anxia, quid amplectatur neſciens: eorum ſplendore potius obtunditur, quam lumen veritatis propoſitæ recipiat: aſinus ad Lyram homo carnalis & animalis cum de rebus diuinis diſſeritur: Olim Deus Exodi 19. Moyſi præcepit vt ſi iumentum aut homo ad montem accederet (ſuper quem deſcendere decreuerat vt cum Moyſe colloqueretur) lapidibus obrueretur, aut confoderetur iaculis. *Quod ſi quis mala & ſæua beſtia eſt*, inquit Greg Nanianz. oratio 34. *nec ſpeculationis & Theologiæ vllo modo capax, ne velut in ſyluis verſutè acmalitioſè latitet, vt impetu repente facto Verbum aliquod vel dogma capiat, atque obtrectationibus & calumniis ſalutarrimam doctrinam diſcerpat: Verùm longius adhuc conſiſtat, atque à monte recedat: alioqui lapidibus opprimetur, & obruetur, malus malè perdetur; lapides enim ſunt belluinis hominibus veri ſoluti ſermones.* Hæc Greg. Iumenta igitur, id eſt homines carnales qui rationis tantum viribus diuina metiuntur, à diuinorum contemplatione expellantur. *Vult enim*, inquit S. Greg. Naz. *noſtra doctrina ab his abſtedere, atque ita denique ſolidis & lapideis tabulis inſcribi, idque vtrimque: quod nimirum lex partim perſpicua ſit, partim abdita & abſtruſa. Illud plerique & humi manentibus, hoc paucis & ſurſum tendentibus.* Alludit Gregorius ad duas tabulas lapideas, in quibus digito Dei inſculpta lex fuit. Talis fuit aquila noſter S. Ioannes ad ſuperna tendens: ideo nunc audit primum animal ipſum compellens vt aſcendat, *Et audiui vnum de animalibus dicens tanquam vocem tonitrui: Veni, & vide. Vnum*, inquit Ribera, *more Vulgato Hebraorum, pro primo.* Quod manifeſtiſſimo intelligitur ex eo quod ait: *Et cum aperuiſſet ſigillum ſecundum audiui ſecundum animal.* Et idem dicit de tertio. Primum autem animal eſſe Leonem, indubitatum eſt: de quo c. 4. *Et animal primum ſimile Leoni. Cæterum*, inquit Andreas Cæſarienſis, *primum hoc animal, quod Leonem eſſe diximus, regiam Apoſtolorum prudentiam, imperterritamque eorumdem contra damones fortitudinem ſignificare creditur.* Hæc ille. Nos Leonem hic clamare fortiter cenſemus, ad denotandam illam Dei potentiam, qua Apoſtoli prædicantes Verbum Dei perterrebant humanam mentem: ſenſibus enim ac cogitationibus hominum timidis ſi myſteria fidei proponas, concutiuntur: alij compunctione quatiuntur, vt Act. 2. prædicante Petro: *His autem auditis compuncti ſunt corde;* alij timore: *Fiebat*, inquit, *omni animæ timor: multa quoque prodigia, & ſigna per Apoſtolos in Ieruſalem fiebant, & metus erat magnus in Vniuerſis.* Act. 2. Sic prædicante Paulo fidem quæ eſt in Chriſtum Ieſum, & diſputante de iuſtitiâ, de caſtitate & iudicio futuro, tremefactus Felix, Act. 24. Alij admiratione feruntur: *Videntes autem Petri conſtantiam & Ioannis, comperto quod homine eſſent ſine literis & idiotæ admirabantur.* Act. 4. vt merito dicere debeamus: *Leo rugiet, quis non timebit?* Amos 3. Deus per os Apoſtolorum, & Prædicatorum tremenda iudicia ſua incutit, & ſtupenda proponit myſteria. Quis non ad tantos fulgores, ad hæc fulgura cæcutiet? quis non ſtupore & extaſi, velut fulmine tactus, obruetur, & obſtupeſcet? Clamat autem vox illa prædicantium & proponentium Dei myſteria, & ad Ioannis aures intonat dicens: *Veni, & vide.* Hoc eſt, *Primùm crede, & ſic demùm intellegere*, inquit Rupertus l. 4. *Si enim*, vt ait Propheta Eſaias, *non crediderit is, non intelligetis. Quomodo enim*, inquit Clem. Alexand. *admirabilem, & ſupernaturalem eorum contemplationem capere poterit anima, ſi intus in eis diſcendis repugnet incredulitas?* l. 2. Strom. Et ibidem fidem vocat, *voluntariam anticipationem*, quia voluntarium requirit aſſenſum: nec enim fides eſt naturæ quædam prærogatiua, vt volebant apud Clem. Baſilidei, ſed voluntariæ ac liberæ electionis officium: alioquin ſi naturæ eſſet prærogatiua, neque iuſtam conſequetur retributionem, nec qui non credit, quia eius culpâ id non euenit, nec is qui credidit qui cauſa non fuit. Fit igitur in nobis quædam anticipatio, cum dicitur nobis: *Veni*, id eſt crede: *Accedentem* enim *ad Deum oportet credere: Et vide:* Et aſſenſum præbendo his quæ dicuntur, demùm diuina, quantùm fac eſt humanæ fragilitati, intellige. *Si ergo fides*, inquit Clem. l. 2. ſtromatum, *nihil eſt aliud quam anticipatio cogitationis circa ea quæ dicuntur, & hoc dictum eſt obedientia, & intelligentia, perſuaſio; ſine fide autem non diſcet aliquis, quoniam*

Exod. 19.

Greg. Naz.

Rupertus.

Clem. Alex.

Clem. Alex.

Digitized by Google

Clem. Alex. *nec ſine anticipatione ; Verum ergo omnino oſtenditur quod à Propheta dictum eſt : Niſi crediderit is non intelligetis.* Hæc Clem. Cum igitur clamat Leo : *Veni*, idem eſt vt mihi videtur, vt ſi his verbis Clem. l. 2. Stro. vteretur. *Ecce facio noua, Verba quæ oculus non vidit nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt : nouo oculo, noua aure, nouo corde, quæcumque videri & audiri poſſunt, ſunt per fidem & intelligentium comprehendenda, ſpiritualiter dicentibus, audientibus, agentibus Domini diſcipulis.*

At quid videbit, quid intelliget S. Ioannes ad apertionem ſigilli, id eſt, explicationem vis ac efficaciæ Baptiſmi ? Hanc videlicet operationem in fidelibus, quam olim expoſuit Petrus, nempe quod baptiſandi non ſolum remiſſionem recipient peccatorum, ſed etiam Spiritus ſancti donum, fidem videlicet quæ donum Dei eſt, quâ Deus in nobis dominatur, & eidem ab hominibus debita obedientia præſtatur. S. Hilarius. *Multi enim*, vt ait S. Hilarius l. 8. de Trinit. *ſunt qui ſimulantes fidem non ſunt ſubditi fidei, ſibique fidem ipſi potiùs conſtituunt quam accipiunt, ſenſu humanæ inanitatis inflati, dum quæ volunt ſapiunt, & nolunt ſapere quæ vera ſunt : cum ſapientiæ hæc veritas ſit ea interdum ſapere quæ nolis. Sequitur vero hanc voluntatis ſapientiam ſermo ſtultitiæ, quia neceſſe eſt quod ſtultè ſapitur ſtultè & prædicetur. Iam vero ſtulta prædicatio quantum malum eſt audientium, cum ſeducuntur in ſententiam ſtultitiæ ſub opinione ſapientiæ : & idcirco Apoſtolus hunc de his ordinem tenuit dicens : ſunt enim multi non ſubditi, vani loqui & ſeductores, &c.* His Hilarij dictis videre eſt non paruum nec contemnendum opus eſſe diuinæ omnipotentiæ, ſi quis veram recipiat fidem qua humana mens ſubdatur Deo, & ei Deus ſuprema cum autoritate dominetur. Et reuera quicumque attentiùs perſpexerit quantum ex vna parte diuina myſteria ſenſum ac intelligentiam acutiorem intellectus creati excedant, & quantum ex aliâ parte mens hominis ſenſibus alligata curioſiùs feratur ad indagationem eorum quæ eius aciem effugiunt, & proprio ſenſui ac iudicio nimium adhærens vix ab eo diuelli queat, itaut pro libito de qualibet re velit ferre iudicium, nimio amore ſui ipſius occupata, hic proculdubio ſimul perſpiciet non modicam admirationem exigere opus illud præclarum, quo Deus ita captiuat intellectum, vt credat ſimpliciter quidquid ei à ſumma veritate per Eccleſiam credendum proponitur, licet ſenſus non ſuggerat, humana repugnet ratio : ſiquidem non mediocriter diſtant inter ſe hominis animus fide imbutus, & qui tanto dono eſt deſtitutus : hic vt equus indomitus, & infrunitus præceps fertur in quælibet præruptarum rupium præcipitia, cæcâ mente, obdurato animo in viis ſuis peſſimis gradiens, currit cum impetu in deſerta errorum ac dubiorum, ac ſi veritatem reperire quantopere & ardenter ſitiret : at in apice præſumptionis mentis ſuæ conſiſtens, veluti in rupibus altis, attrahit ventum, vanitatem ſcilicet ſenſus proprij, quo in aërem leuatur : vt tandem tanquam fumus & vapor euaneſcat in cogitationibus ſuis, nihilque ſolidi aut veri concipit cui fixus ac firmus inhærere queat : de quo Prophęta Ierem. c. 14. Ierem. 14. *Et onagri ſteterunt in rupibus, traxerunt ventum tanquam Dracones, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba.* Vere igitur dixit Iob. c. 11. Iob. c. 2. *Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & tanquam pullum onagri ſe liberum natum putat.* E contra alius propriæ imbecillitatis conſcius, & de ſuis viribus in inquiſitione veritatis diffiſus, falli ac decipi timet ; & diuina debito proſequens honore, ne in diuerticula falſarum opinionum & errorum abducatur, ne inter ſpinoſa ratiocinationum humanarum hæreat dubius & anxius pertimeſcit, audiens Chriſtum dicentem : *Siquis ſitit veniat ad me, & bibat.*

A Clamat ad Deum : *Illumina faciem tuam ſuper ſeruum tuum, & doce me iuſtificationes tuas* : Et firmiter adhærens iis quæ Deus reuelauit hominibus per Eccleſiam, quæ columna eſt veritatis, ea credit quæ non videt aut percipit ſenſibus, nec mente comprehendit, ſed quæ vera eſſe exiſtimat, quia ſumma veritas quæ per Eccleſiam loquitur, neminem fallens, neminem in errorem inducens ea proponit credenda. *Quæ eſt enim*, inquit Clem. Alexand. l. 2. ſtromat. Clem. Alex. *ſcientia ? Eſt habitus demonſtrationis. Fides autem gratia, ex iis quæ demonſtrari nequeunt ; deducit ad id quod eſt ſimplex, generale, & vniuerſum ; quod neque eſt cum materia, neque materia, neque ſub materia. In credulitate autem vt videtur, ex cælo & ex eo quod adſpectari non poteſt, omnia trahunt in terram, manibus tenera petras, & quercus apprehendentes vt ait Plato : omnia enim quæ ſunt eiuſmodi attingentes, hoc ſolum eſſe affirmant, quod habet applicationem & contactum eiuſmodi, idem definientes corpus & eſſentiam.* Hæc Clemens.

Quod ſi cuiuſlibet artificis diſcipulus facile fidem adhibet iis quæ à Magiſtro præſcribuntur, quo tandem paruo elapſo tempore perfectam artis cognitionem adipiſcitur, ex fide magiſtro adhibita, *Dicta* enim *magiſtri*, inquit Theodor. Ser. 1. de Fide, Theodoret. *leges ſibi eſſe exiſtimat concedisque eius dictis ea in arte conſummatum euaſurum*, Cur non intra limites nobis præſcriptos cogitationes noſtras continebimus, ne effluant, & aquis errorum fallacibus perniciosè miſceantur ? Veritas nobis requirenda eſt ex ore ſummi ſacerdotis, Eccleſiæ determinationes conſulendæ ; os Dei pretioſum à vili ſeparans, id eſt mendacium à vero diſcernens, eſt ſummus pontifex. Ab antiquis enim diebus à Deo ſtatutum eſt, vt per os Petri & ſucceſſorum audiant gentes verbum fidei & credant : Et Eccleſia, cuius eſt caput, firmamentum eſt & columna veritatis. Illis igitur omnino fides adhibenda : hoc reuera rationi conſonum eſſe nemo negare audebit, & nihilominus animus humanus, hæſitat, fluctuat, dubiis innumeris agitatur, huc & illuc impellitur *ſimilis fluctui maris qui à* S. Iacob. c. 1. *vento mouetur, & circumfertur*, vt loquitur S. Iacob. c. 1. tot opinionum varietate ac multitudine diſtrahitur, diſcinditur, & tandem obruitur : vix tot latebris erui, vix ex his tenebris egredi, vix hæc nubila diſpergere valet : currit, anhelat, vt ſibi videtur, ad veritatis comprehenſionem ; & tandem laſſus iacet exanimis, & ab eo fugit veritas, quo propius ſe acceſſiſſe putat : quin & antequam viam veritatis ingredi valeat, fatigatus currere deſinit, & famelicus mendacij pane paſcitur, cui veritatis cibus ob animi temeritatem & mentis nimiam præſumptionem merito ſubtrahitur. Hac de cauſa aſſerere debuimus effectum eſſe præſtantiſſimum diuinæ omnipotentiæ, ſi ſemel depreſsâ hac animi curioſitate ac vanitate, fidei obſequium mens humana præſtet.

Hæc eſt igitur prima Verbi Diuini operatio : hoc eſt ſupremi Eccleſiæ Hierarchæ præclariſſimum opus, de quo dicebat Ioan. 6. *Hoc eſt opus Dei, vt* Ioan. 6. *credatis in eum quem miſit ille* : vt fidem infundat in cordibus noſtris : nam, vt præclarè Cyrillus Catech. 5. *Oculus omnem illuminans conſcientiam eſt fides, & intelligentiam efficiens : dicit enim Propheta,* Cyrillus. *niſi credidentis non intelligetis.* Hæc Cyril. *Dux itaque,* Theodoret. inquit Theodoretus, *veſtra ſit fides : nimirum & ſcientiam ſubſequetur, purè ſiquidem ingenueque credentibus, ille in quem creditur Deus cognitionem ſcientiamque concedit, fideique adjuncta cognitio perficit ſcientiam veritatis.* Fugiamus igitur mentis curioſitatem vt lumine fidei colluſtremur. Olim Euclides à quibuſdam interrogatus quales eſſent dij, & quibus oblectarentur ſapientes, reſpondit vt refert Maxi-

mus Tyrius Serm. 21. *Cætera quidem ignoro, at curioſos illis odio eſſe certo ſcio.* Ita eſt. Diuina Maieſtas à ſe præcipit auertere oculos jacula radiorum ſuorum in diuina obiecta curioſiùs iacientes: *Auerte*, inquit, *oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt.* Cant. 6. Alioquin ſubtrahit ſeipſam, auolat, & tantum altius ſe extollit, quo impudentius in eam figere oculos mens humana præſumit. O nimium cæca hominum præſumptio, qui malint inani conatu ad incomprehenſibilia adſpirare, & in ſua manere cæcitate, quàm humili ſubmiſſione primæ veritati adhærentes per fidem ab ignorantia & cæcitate curari: periculoſius laborantur ægritudine animi, quam qui corporis morbis fatiganur: nam vt ait Theodor. de curat. Serm. 1. *Qui ſunt corpore male affecto morbos ægre ferunt, ſanitatemque appetunt, atque idcirco medicis obedientes ſe præbent, non inuiucunda ſolum miniſtrantibus pharmaca, verum etiam ſi ferro ignique vtantur, ſi incidiam imperent, ſi plenos amaroris calices porrigunt; cumque hoc tam triſti genere curationis cupitam valetudinem aſſequantur, mercedem illis rependunt, à quibus ſic acerbè vexati fuerunt: ſalutem enim conſequi deſiderant, modum tamen ac rationem qua ſint eam conſequuturi non curant. Contrà autem, qui impietatis labem infidelitatiſque contraxerunt, non ſolum morbi grauitatem miſeri non perſentiunt, verum etiam ſic ægrotantes opinantur ſe optimo in ſtatu ac conditione verſari: quod ſi quis medicæ facultatis peritus ſalutis remedium velit afferre ſtatim reſiliunt, non ſecus atque ij facere conſueuerunt, qui phrenetico morbo corripiuntur: oblatam enim ſibi curationem procul arcentes, quaſi nouam ægritudinem auerſantur ac fugiunt.* Hæc Theodor.

Tyrius ſer. 21. — Theodoret.

Deponamus igitur omnem animi elationem, curioſitatem, vanitatem, & illud Socratis dictum apud Theodoretum ibidem vſurpemus, cum myſteria fidei ad aures noſtras perueniant. *Hæc ſunt quæ mihi auditu ſolo accepta credo equidem eſſe veriſſima.* Et, vt poſtea addit Theodoret. *eſt itaque fides ceu primaria quædam baſis & crepido ſcientiæ: hanc vero & veſtri Philoſophi eſſe voluerunt voluntariam quamdam animi ſummiſſionem, ſcientiam vero habitum cum ratione. Inſulſum eſt igitur plane facinus nec ferendum, ſi velis cæterarum quidem cunctarum artium magiſtris cõuenire ſcientiam fidemque diſcentibus, ac in ſola rerum diuinarum doctrina factum hoc inueris commutarique oportere: Itaut hic fidei ſcientia præponatur: in iis enim rebus quæ videri non poſſunt fidei oculis maximè indigemus, hinc & Apoſtolus Paulus manifeſte exclamat: credere enim oportet accedentem ad eum quod eſt, & quod iis qui eum inquirunt remunerator ſit. Idcirco & nos accedentibus ad Chriſtianam religionem, diuinarumque rerum myſteria diſcere cupientibus, præ cæteris cunctis rebus doctrinam fidei proponimus, cum vero & imbuti fide initiatique fuerint aperimus quarum rerum ſigna ænigmataque præceſſerunt.* Hæc Theodoretus: Appoſitè quidem ad ea quæ tractamus. Leo clamat: *Veni*, id eſt, per fidem accede, *Et vide*, & ænigmata quæ tibi proponẽtur facili intelliges ratione. Hoc modo dominabitur Chriſtus in nobis, ſi fidem dictis eius adhibeamus, cuius præclaros effectus videre nobis licet in hoc ænigmate quod oculis S. Ioannis objicitur ad apertionem huius primi ſigilli, id eſt, ad expoſitionem efficaciæ Baptiſmi, quæ quidem poſt Baptiſmi ſuſceptionem omni obice remoto ſtatim cuilibet confertur.

Theodoret.

A

B

C

D

E

Et ecce equus albus.

Idea hominis Chriſtiani Chriſto obſequentis ſub ſymbolo equi albi; & cur per equum homo Chriſtianus deſignatur.

ANNOTAT. IX.

ISTVM equum ad Apoſtolorum generationem Andreas Cæſarienſis pertinere vult. *Primi*, inquit, *proinde ſigilli ſolutio ad Apoſtolorum generationem haud incommodè transfertur.* Ita And. Quem ad alios prædicatores Primaſius extendit cum ait: *Iſte equus poteſt in Apoſtolis & prædicatoribus veritatis Eccleſia intelligi, ſuper niuem gratia dealbatis: cuius ſeſſor Chriſtus. Ideo ei per Prophetam dicitur: Quoniam aſcendiſti ſuper equos tuos & equitatus tuus ſanitas; Propter quod & ſagittam tenere dicitur, prædicatione verbi Dei qua hominum interiora transfixa poſſunt fidei fructum afferre: hinc legimus, ſagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent; coronam ſane prædicatoribus deberi ſignificat.* Ita Primaſ. Andreas Cæſ. — Primaſius.

Richardus primos fideles intelligit: *Equus*, inquit, *albus primitiuorum electorum numerus, ſeſſor Chriſtus, arcus prædicatio, &c.* l. 2. c. 4. Nos cum Anſelmo ad omnes fideles ſeu omnem Eccleſiam extendimus. *Et ecce*, inquit, *equus albus; id eſt, Eccleſia in baptiſmo dealbata, qua Chriſtum aſſiduè portat.* Ita Anſelm. Richardus. — Anſelmus.

Dico igitur per equum nos intelligere quemlibet fidelem Chriſtianum, qui vt talis ſit quatuor potiſſimum dotibus exornari debet, nempe fortitudine, obedientia, iuſtitia, magnanimitate. Olim Deus Iobum alloquens quatuor in equo proprietates potiſſimùm indicabat c. 39. & de eo quaſi de præſtanti aliquo opere ſapiens ac potens artifex quodammodo gloriabatur; *Nunquid*, dicebat, *præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo eius hinnitum? Nunquid ſuſcitabis eum quaſi locuſtas? Gloria narium eius terror; terram vngula fodit, exultat audacter, in occurſum pergit armatis, contemnit pauorem, nec cedit gladio: ſuper ipſum ſonabit pharetra, vibrabit haſta, & clypeus, feruens & fremens ſorbet terram, nec reputat tubæ ſonare clangorem; vbi audierit buccinam dicit vah. Procul odoratur bellum, exhortationem ducum & vlulatum exercitus.* Iob. c. 39.

Vbi quatuor equi bellicoſi dotes ſignificantur; fortitudo in his verbis: *Nunquid præbebis equo fortitudinem?* Ad hominis obſequium flexibilis ad nutum inclinatio, cum agilitate & alacritate coniuncta, cum dicitur; *Aut circumdabis collo eius hinnitum?* Id eſt, ſi collo eius, frænum, lora, circulos quibus funes alligentur ad attractionem rerum quarumlibet neceſſarios, aut alia phalera vel ornamenta imponas, nunquid tu in cauſa es, vt hinnitum edat? Et in eo quod dicit; *Nunquid ſuſcitabis eum, quaſi locuſtas?* Id eſt, cum illum ad ſaltandum prouocas, nunquid ei agilitatem præbuiſti, qua ſaltando volitare ad modum locuſtæ videatur inſigni membrorum omnium diſpoſitione, qua ad ſaltum, ad curſum, ad bellandum aptiſſimus eſt? Et cum dicit: *Terram vngula fodit, exultat audacter, in occurſum pergit armatis*, conſiſtens nunquam ita quietus eſt, quin nunc hac nunc illac vngulâ terram fodiat, & virium ſuarum robore alacer, & ſuperbiens, audacter ſe prælio committit, atque hoſtibus armatis obuiam impauidus procedat. Et cum poſtea dicitur: *Feruens & fremens ſorbet terram*: In quo etiam quædam generoſitas & magnanimitas denotatur, quæ expreſſiùs tandem explicantur cum addit: *Contemnit*, Et potea, *Cum audierit buccinam dicit vah, procul odoratur bellum, &c.* Ac ſi Deus Iobo diceret: A quo niſi à me equus animal tuæ vtilitati accommodatiſſimum obtinuit eam qua præditus eſt fortitudinem, cum eum vel captiuare

gitized by Google

captiuare vel agitare ad nutum deſideras? Quis eum adeò homini obſequentem reddidit, vt cum fræno collum eius circundatur, potius hinnitu gaudium oſtendat quàm mœrorem, ac ſi ad hoc ſe creatum præſentiret vt homini obſequia, & ſeruitia quælibet præſtet? Quis ei tantam membrorum diſpoſitionem largitus eſt, vt ad hominum nutum modo curſu continuo & concitatiori, modo interciſo & tardiori, modo variis inflexionibus huc & illuc, à dextris à ſiniſtris agitetur, modo ſaltibus ad modum locuſtæ volitet, modo rotationibus orbiculatiter deducatur, modo etiam paſſus ſuos modulationi concinne accommodare ſciat? Quis illi hanc dedit induſtriam, & cum modulatione iuſtam concordiam? Quis tandem potuit tantam ingerere cordi eius generoſitatem, vt nec arma nec gladios nec clypeos, etiamſi quaſi fulgura micantia refulgeant & oculos perſtringant pertimeſcat, ac ſi quodam honoris ſtimulo pungeretur?

Talis eſſe debet quilibet Chriſtianus & fidelis: nam fortitudine indiget. *A diebus*, enim, *Ioannis*, inquit Chriſtus Dominus, *regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Matth. 11. Obedientiâ ſingulari præditus eſſe debet, *Vir obediens*, vt loquitur Sapiens, *loquetur victorias.* Et Baptizandi docendi erant ab Apoſtolis, iuxta Domini præceptum, ſeruare omnia quæcumque illis mandauerat: hinc pſalmiſta dicebat veluti iumentum ſe eſſe factum apud Deum. *Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum: tenuiſti manum meam & in voluntate tua deduxiſti me.* Pſ. 72. Iuſtitia etiam perfectâ, quâ omnes animi facultates intellectuales & appetitiuæ optimè diſponit vt ad omnem occaſionem homo Deo obſequi paratus ſit, ornatus eſſe debet. Iuſtitia enim & iudicium præparatio eſt ſedis Dei ſeſſoris huius equi albi: de qua generali iuſtitia loquebatur Chriſtus: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam ſcribarum, & phariſæorum non intrabitis in regnum cœlorum.* Et tandem oportet vt quadam animi generoſitate & magnanimitate animus ad magna ſemper ſeſe extendat, & intolerandis laboribus, & malis ſufferendis glorietur. Rom. 3. *Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei: non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus, ſcientes, quod tribulatio patientiam operatur, &c.* Ille enim vere eſt magnanimus, qui nihil aliud quam hunc honorem diuinum deſiderat, nec aliâ viâ ad illum peruenire exoptat, quàm per tribulationum tolerantiam. Talis dignus eſt cui Chriſtus inſideat, & in quo & per quem miranda operetur, ille erit eius quadriga in qua reperietur ſaluatio. *Aſcendes equos tuos, & quadriga tua ſaluatio.* Habac. Ille aſſimilabitur currui Pharaonis de quo Can. 1. *Æquitatui meo aſſimilaui te amica mea, in curribus Pharaonis.* De quibus rectè Origenes Hom. 2. in Cantica: *Sunt ergo equi Domini quibus aſcendit, & equitatus eius, quos ego non aliter eſſe puto quàm illas animas quæ frenum diſciplinæ eius accipiunt, & iugum portant ſuauitatis eius, & quæ ſpiritu Dei aguntur; & in hoc eſt eis ſalus. Beatus ergo*, vt ibidem Orig. *ſunt illæ animæ, quæ dorſum ſuum curuarunt vt ſuſcipiant ſeſſorem Verbum Dei ſuper ſe, & frena eius patiuntur, vt quocumque ipſe voluerit flectat eas, & agat habenis præceptorum ſuorum, quia iam non propria voluntate incedunt, ſed ad omnia ducuntur, & reducuntur voluntate ſeſſoris.* Orig. Ex quibus colligo, rectiſſimè equum pro ſymbolo fidelis Chriſtiani S. Ioanni ab Angelo proponi: At quàm miranda ſunt opera diuinæ potentiæ, in eo ſuper quem Chriſtus inſidet, nunc ex enucleatione ſymboli videndum.

A *Et qui ſedebat ſuper eum habebas arcum, &c.*

Quæ lia reluceant diuinæ potentiæ opera in fideli Baptizato, vbi explicantur ad hoc demonſtrandam Baptiſmi ritus & ceremonia.

ANNOTAT. X.

NON mirum, ſi in Baptiſmo præclarum opus omnipotentiæ Chriſti mirifice elucere aſſerimus. Baptiſmum cum creatione, & hominis formatione confert Gregorius Nyſſenus. Orat. Catechet. c. 33. Ponderans enim quod ex ſemine immobili, & inefficaci Deus hominem procreat ait: *Si ergo illic non ſubiectum facit hominem, ſed vis diuina tranſmutat id quod apparet in naturam hominis, extremæ fuerit inſipientiæ, ingratique & immemoris animi, illic Deo tantam tribuente virtutem, & exiſtimare Deum hac in parte eſſe imbecillem ad ſuam implendam voluntatem. Quid commune habet vita cum aqua? Quid autem (ita dicemus) commune habet humor, & imago Dei? ſed nihil illic eſt admirabile, ſi Deo volente humor tranſit in animal præſtantiſſimum. De hoc etiam ſimiliter dicemus, minime eſſe mirandum ſi diuinæ virtutis præſentia tranſformat ad incorruptionem id quod natum fuerat in natura in quam cadit interitus.* Hæc Nyſſ. Hunc rurſus Baptiſmum confert S. Ambroſ. cum Incarnationis Myſterio, cum ait de initiandis c. 9. *Nec dicamus, quomodo regenerati ſumus? numquid in ventrem matris noſtræ introiuimus & renati ſumus? Non agnoſco vſum naturæ, ſed nullus hic naturæ ordo vbi excellentia gratiæ. Denique non ſemper vſus naturæ regenerationem facit: generatum ex virgine Chriſtum Dominum confitemur, & naturæ ordinem denegamus: non enim ex viro conceptus ſed de Spiritu ſancto in vtero accepit, vt dicit Matthæus, Quia inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto. Si ergo ſuperueniens Spiritus ſanctus in Virginem Conceptionem operatus eſt, & generationis munus impleuit, non vtique dubitandum eſt quod ſuperueniens in fontem, vel ſuper eum qui Baptiſmum conſequitur, veritatem regenerationis operetur.* Hæc Amb. Hac de cauſâ S. Leo Ser. 4. de Natiuitate, appellat Baptiſmum vterum Virginis. *Terra*, inquit, *carnis humanæ, quæ in primo fuerat præuaricatore maledicta, in hoc ſolo beatæ Virginis partu germen edidit benedictum, & à vitio ſuæ ſtirpis alienum; cuius ſpiritalem originem in regeneratione quiſque conſequitur, & omni homini renaſcenti, aqua Baptiſmatis inſtar eſt vteri virginalis, eodem Spiritu ſancto replente fontem, qui repleuit & Virginem, vt peccatum, quod ibi enacuauit ſacra conceptio, hic myſtica tollat abluuio.* Hæc ille. Et optimè etiam Baptiſterium à S. Dionyſio vocatur Mater adoptionis: Ad Matrem adoptionis venit, ſicut enim Chriſtus eſt Filius naturalis Virginis in eius vtero conceptus, ita nos in hoc fonte in Filios Dei adoptamur. Aquam quidem vides genu & infirmum de ſe elementum, ſed vt ait S. Ambr. l. 1. de Sacramentis c. 5. *Aliud eſt elementum, aliud conſecratio; aliud opus, aliud operatio. Æqua opus eſt, operatio Spiritus ſancti eſt: non ſanat aqua, niſi Spiritus ſanctus deſcenderit, & aquam illam conſecrauerit. Marath*, dicebat ipſe de initiandis c. 3. *fons amariſſimus erat, miſit in eum Moyſes lignum & dulcis eſt factus: aqua enim ſine prædicatione dominicæ Crucis ad nullos vſus futuræ ſaluris eſt, cùm vero ſalutaris fuerit Crucis myſterio conſecrata, tunc ad vſum ſpiritalis lauacri & ſalutaris poculi temperatur.* Hæc Ambr. Operatur ſpiritus, operatur & Chriſtus, ideo in aquam Iordanis voluit Chriſtus deſcendere priuſquam ſuper eum Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ appareret, vt non quaſi ipſe egere Dominus Ieſus ſanctificationis myſterio videretur, ſed ſanctificaret ipſe, ſanctificaret &

Matt. 5.

Rom. 3.

Origenes.

Greg. Nyſſen.

S. Ambroſ.

S. Leo.

S. Dionyſ.

S. Ambroſ.

Digitized by Google

ſpiritus, vt ait Ambroſius l. 1. de Sacram. c. 5. Si
S. Ambroſ. Chriſtus operatur & ſanctificat in Baptiſmo, verè diximus hanc operationem, quæ per opus ablutionis aquæ perficitur, operationem eſſe Chriſti: & ideo ſuper hunc equum dicit ſeſſorem Chriſtum, quia adeſt præſens cum in eo operatur. *Vnde enim,*
S. Ambroſ. vt ait Ambroſ. de initiandis c. 3. *ſequeretur operatio, niſi præcederet ante præſentia?* Seſſor eſt igitur Chriſtus, quia in fideli Chriſtiano mira & ſtupenda operatur, vt caput in membra influens: *Sine me nihil poteſtis facere*, inquiebat ipſe, quia ipſi baptizati Chriſtum induunt, dum eius opera non veteris Adami opera in eis pateſcunt. Sed quàm præclara & Chriſto digna ſit hæc illius operatio melius intelliges, ſi ritus & ceremonias tanti Sacramenti digne vt par eſt meditemur: vt mirari deſinas ſi Chriſtianus in medium prodeat veluti equus generoſus Chriſtum portans.

Et ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum habebat arcum.

Primò, petitur nomen & ſcribitur in tabulis, vt ſcias nomen Baptiſati ſcribi in libro vitæ. O donum
Luc. 10. ſingulare! *In hoc noliste gaudere quia ſpiritus ſubjiciuntur vobis: gaudete autem quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* Luc. 10. Scribuntur autem eo ipſo quo in filios Dei per Baptiſmum adoptamur. *Date mihi,* di-
S. Greg. Nyſſ. cebat S. Gregor. Nyſſ. oratione de Baptiſmo, *nomina, vt ego ea imprimam libris ſenſibilibus, & ſcribam atramento, Deus autem ea ſignet in tabulis in quas non cadit interitus, ſcribens proprio digito, vt olim legem Hebræis.* Ita Greg. Et hac ratione adumbratur beneficium vocationis, iuxta illud Dei ad Moyſem: *Noui te ex nomine.* Exod. 33. & illud Iſa. 45. *Vocaui te nomine tuo.*

Secundò, debent inſtrui & catechizari baptizandi, ſi ſint adulti, quo diſcant ſe Chriſti euadere diſcipulos, & ad diuina audienda, & percipienda deſtinatos: quo nomine primi fideles gloriabantur, antequam Antiochiæ primum Chriſtiani nomen aſſumpſiſſent, vt docet S. Athanaſius in diſput. contra Arrium & ex eo Baronius an. 43. n. 12. *Omnes,*
S. Athanaſ. inquit, *qui credebant in Domino noſtro Ieſu Chriſto, non Chriſtiani, ſed diſcipuli tantummodo vocabantur.* Propter nouorum dogmatum autores, qui ſuos ſectatores diſcipulos vocabant, hoc nomen in Chriſtianorum nomen nouum commutarunt: ac de tanta gratia Prophetauit Eſaias: *Et erunt oculi tui videntes*
Iſ. 30. *præceptorem tuum: & aures tuæ audient verba à tergo monentis: hæc eſt via, ambulate in ea*, c. 30. Ingens beneficium: *Non* enim *fecit taliter omni nationi & iudicia ſua non manifeſtauit eis.* Huius diſciplinatus ſpe-
Dion. Areop. cimen habemus in S. Dionyſio, vbi baptiſandus poſt explicationem myſterij incarnationis ab Hierarchà factam, rogat inſtrui ab aliquo baptizato, & promittit ei obedientiam. De Eccleſ. Hierarch.
Catech. Rom. c. 2. Et Catechiſ. Rom. ceremonias explicans ait: inſtituantur ex ipſa Domini Saluatoris inſtitutione, vt quid profiteantur quibus per ætatem licet intelligant.

Tertiò, petitur ab adulto baptizando vt pœniteat & dolorem habeat omnium peccatorum quibus Dominum Deum creatorem offendit ab eo tempore quo cœpit vti ratione & diſcernere bonum & malum; & an Dei amore baptiſmum petat. Ille autem poſteaquam, *Pro ſuo in Deum amore, iuxta*
S. Dionyſ. *quod à ſuſceptore ſuo fuerat edoctus*, inquit S. Dionyſius eodem cap. *Dei priuationem, ignorationemque veri boni, atque ſuam actionis diuinæ vitæ vacuitatem accuſauit petiitque vt eo quaſi ſequeſtre, Deo & iis quæ ſunt ad Deum potiatur; tum ei exponit rationem perfectam, qua ad Deum, qui perfectus integerque ſit, acce-*

dendum eſt; explanataque eidem diuina vita, & vt ita dicam conuerſatione, ex eo præterea quærit num ita inſtitutas vinere. In quo Dionyſij loco duo notanda veniunt, & peccatorum accuſatio, & obſeruationis mandatorum Dei promiſſio; quæ duo habemus tum ex eo quod Petrus Act. 1. dixit: *Pœnitentiam*
Act. 1. *agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum*; tum ex eo quod Chriſtus præcepit: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis.* Matth. vlt. De hac confeſſione & pœ-
Matth. vlt. nitentia peccatorum loquitur S. Ambroſius lib. 3.
S. Ambroſ. de Sacram. c. 11. *Ergo quando dediſti nomen tuum, tulit lutum & liniuit ſuper oculos tuos. Quid ſignificat? vt peccatum tuum fatereris, vt conſcientiam tuam recognoſceres, vt pœnitentiam ageres delictorum, hoc eſt ſortem humanæ generationis agnoſceres; nam etiamſi non confiteatur peccatum qui venit ad baptiſmum, tamen hoc ipſo implet confeſſionem omnium peccatorum, quod baptizari petit vt iuſtificetur, hoc eſt vt à culpa in gratiam tranſeat.* Ita Ambroſius.

Ingens rurſus diuinæ bonitatis & potentiæ Dei opus, vt quis conuertatur à via ſua mala ad pœnitentiam, & mandatorum Dei obſeruationem: quod agnouit Ieremias c. 31. cum ait, *Caſtigaſti me,*
Ierem. c. 31. *& eruditus ſum, quaſi inuenculus indomitus: converte me & convertar, quia tu Dominus Deus meus. Poſtquam enim conuertiſti me egi pœnitentiam, & poſtquam oſtendiſti mihi percuſſi femur meum. Confuſus ſum & erubui, quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ*, &c. Et poſteà, *ſed hoc erit pactum quod feriam cum domo Iſrael poſt dies illos: dabo legem meam in viſceribus eorum, & ero eis in Deum & ipſi erunt mihi in populum.* Quod quidem cum non poſſit fieri, vt Deo nempe ſimus in populum, niſi per abrenunciationem omnimodam omnium quæ nos à Deo auertere poſſunt. Ideò,

Quartò, exigitur à baptizando vt renunciet Satanæ & operibus & pompis; hinc alloquitur S. Greg. Nyſſ. Orat. de Baptiſmo, baptizandos:
S. Greg. Nyſſ. *Fugite diabolum tanquam acerbum eorum qui ſunt in vinculis cuſtodem; qui ex peccatorum calamitate nutritur & quæſtum facit. Quomodo enim iuſtitiis noſtris lætatur Deus, ita gaudet delictis is qui eſt autor peccati.* Hæc ille. De hoc ritu S. Ambroſ. l. 1. de Sacram. c. 2.
S. Ambroſ. *Quomodo te interrogauit? abrenuncias diabolo & operibus eius? Quid reſpondiſti? Abrenuncio. Abrenuncias ſæculo & voluptatibus eius? Quid reſpondiſti? Abrenuncio. Memor eſto ſermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ ſeriei cautionis*, &c.

Hæc autem abrenunciatio ſub ceremoniâ & obſeruatione quadam inſigni olim perficiebatur: *De-*
S. Dionyſ. *bebat enim*, vt docet S. Dionyſius, *baptizandus occidentem verſus aſtendentem collocari, & ad eandem regionem manus conuerſas protendere, & ita collocatus Satanam tertio inſufflare, & præterea quæ defectionis & abrenunciationis ſunt profiteri.* Hæc ille. Hoc fiebat olim ante ſcrutinia & ante Baptiſmum, nunc paulò ante Baptiſmum, nec intereſt in quam mundi partem baptizandus verſus ſit.

Ad hanc ceremoniam reducendæ inſufflationes ad exorciſmum ſpectantes, quas facit ſacerdos, ſuper faciem Catechumeni; ad eundem enim finem tendunt, vt diabolus & renunciatione baptizandi, & autoritate & poteſtate Dei omnino expellatur; ſicque Dei ſpiritus locum reperiat paratum cum ad eum venire voluerit, & dignus ſit baptizatus fide & moribus effici templum Dei, & in hac dæmonis expulſione maximè vis diuina elucet. *In hoc appa-*
1. Ioan. 3. *ruit Chriſtus vt diſſoluat opera diaboli: Erat in poteſtate ejiciens dæmonia & obediebant ei. Igitur vt baptizandum obſcuri vitij commercium, conſuetudinemque reſpuentem, & ſibi inſitum diſſimilitudinis ſtatum quaſi*

Digitized by Google

quaſi exſufflantem profitentemque ſe nuncium omnino remittere ei, quod Dei eſt contrarium, ſic ab omni vinculo liberum, priſtinumque omni communione, ad orientem ſolem conuertit, indicans in diuino lumine conſtantiam, & puram adſpectus eleuationem per omnimodam vitiorum declinationem futuram, & ſacra eius, qui vniformis factus eſt, de tota cum vno conjunctione promiſſa veritatis ſtudio admittens. Hæc Dionyſ.

S. Dionyſ.

Quinto, crucis ſignum imprimitur in fronte, in pectore, in ſcapulis, in vertice; & totum corpus eodem crucis ſigno munitur, cum Baptizandus benedicitur: cuius quidem ceremoniæ mentionem facit S. Dionyſius cum ait: *Ipſe* (nempe pontifex) *cum inungendi, ac perfundendi ter exprimendo ſigno crucis principium fecit, vt ſciamus & notum ſit quod non ſit aliud nomen ſub cælo datum hominibus in quo oporteat nos ſaluos fieri*, Vt dixit olim Petrus Act. 4. Sed in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Nazareni crucifixi oportere ſaluari. Crux illud eſt lignum, quod ex aquis leuauit ferrum: *Omnis enim homo ante Baptiſmum quaſi ferrum premitur atque demergitur*, ait Ambroſ. l. 2. de Sacram. c. 4. *Vbi Baptizatus fuerit, non tanquam ferrum, ſed tanquam iam leuior fructuoſi ligni ſpecies leuatur.* Alludit ad hiſtoriam illius ſecuris quâ cedebantur ligna in aquis demerſæ, quæ extracta fuit per Eliſeum lignũ in aquas mittendo, & ſic concludit Ambroſius: *Vides ergo quod in cruce Chriſti omnium leuatur infirmitas.* Vt igitur ſciamus omne malum à baptizando auferri, omne bonum ipſi conferri per Chriſti crucem, crucis ſigno toties ſignatur; in fronte, vt fidem confiteri non erubeſcat; in pectore, vt Chriſtum amare incipiat; in ſcapulis, vt crucem ſuam eum ſequens portare addiſcat; in capite, vt totum ſe Deo ſubjiciat; in toto corpore vt eius obſequio omninò mancipetur, nec ſit in eo aliquid quod à Chriſti dominio auferri valeat. Optimè S. Ambroſ. de Sacram. l. 2. c. 7. *Cum enim mergis, mortis ſuſcipis & ſepulturæ ſimilitudinem, crucis illius accipis Sacramentum, quod in cruce Chriſtus pependit, & clauis confixum eſt corpus. Tu ergo cum crucifigeris Chriſto adhæres, clauis Domini noſtri Ieſu Chriſti adhæres, ne te diabolus poſſit abſtrahere: teneat te clauus Chriſti, quem reuocat humanæ conditionis infirmitas.* Hæc ille. Quid ſignificet etiam crucis ſignum explicat S. Dionyſ. dum ait: *Eum qui ita deducitur beata diuinitas in communionem ſui recipit, eique lumen ſuum quaſi ſignum tradit, dum diuino eum numine afflat; ſortiſque ac ordinis eorum qui diuino numine permoti ſunt participem facit: quæ quidem omnia ſignificat ſignum crucis quod pontifex dat Venienti.* Hæc ille. Et reuerà ille diuino numine afflatur, qui cum S. Paulo dicere poteſt; *Nihil arbitratus ſum me ſcire niſi Ieſum & hunc crucifixum*, vel, *Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti*: Signatur ego baptizandus ſigno crucis, vt ſemper mortificationem Domini noſtri in ſuo corpore circumferre ſtudeat, vt & vita Ieſu in illo manifeſtetur.

S. Ambroſ.

S. Dionyſ.

Sexto, Pluries baptizando manus imponitur: qui ritus etiam habetur ex S. Dionyſio. *Rurſus*, inquit ille, *cum precatus eſt benedixit, manuſque imponit.* En benedictio, proculdubio ſigno crucis adhibito, & cum benedictione manuum impoſitio: quæ quidem ab illa ſolemni, per quam Sacramentum Confirmationis ſignificatur, & ab Epiſcopo ſolo perficiebatur, diſtinguenda eſt: hæc autem ante ipſum Baptiſmum, qui tamen ianua eſt aliorum Sacramentorum, à Baptizante ſacerdote perficitur: vt manifeſtè eum à Confirmatione diſtinguere oporteat. Fit autem hæc manuum impoſitio, tum poſtquam baptizandum ſignauit ſacerdos, tum poſt ſal deguſtatum, tum poſt exorciſmum: Et hæc manuum impoſitio plura mihi ſignificare videtur, Et primò adimpletionem illius deſiderij prophetici,

S. Dionyſ.

A *Emitte manum tuam de alto, eripe me & libera me de aquis multis, & de manu filiorum alienorũ.* Pſ. 143. 2. ſignificatur Deum parata habere auxilia ad quælibet bona opera perficienda, vt ſicut de Ioanne Baptiſta dicitur Luc. 1. *Etenim manus Domini erat cum illo*, Luc. 1.
Ita de baptizando, qui gratiæ fideliter cooperatur, moribus tenens quod fides quam ample ctitur docet & præſcribit, dici debeat, manus Domini cum ipſo eſt, Deum habet adiutorem ſine quo nihil boni, nec cogitare, nec agere poſſumus: manu namque, nempe bono opere, nobis cæli ianuæ ſunt pulſandæ vt aperiantur, aperiri enim pulſantibus Chriſtus promiſit, id eſt, bene operantibus, & mandata Dei fideliter adimplentibus: *Si vis enim ad vitam ingredi, ſerua mandata.* 3. Significat Dei protectionem
B affuturam, iuxta illud Eſ. c. 49. & 51. *In vmbra manus ſuæ protexit me:* Quæ quidem omnia omnipotentiam Dei reſpiciunt cuius auxilio eripimur, operamur, protegimur.

Septimo, ſal benedictum à ſacerdote porrigitur baptizando deguſtandum; non ſufficit Chriſtiano vt à malis auertatur, & bona exerceat, ſed ad cæleſtia ſemper adſpirare debet. *Vnum autem quæ quidem retro ſunt obliuiſcens*, inquit Apoſtolus Philipp. 3. Philipp. 3.
ad ea vero quæ ſunt priora extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor ad brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu. Hæc intentio indeficiens nos in quodam firmitatis ſtatu collocat: nam difficile à ſuo ſtatu
C dimoueri poteſt qui ſemper noua meditatur vt in eo permaneat, imo potius felici quodam progreſſu tandem finem obtinere poteſt. *Illud*, inquit Dionyſ. Areop. de Eccleſia Hieratch. *perſpicuum eſt iis qui* S. Dionyſ.
pontificia inſtituta norunt, perpetua ad vnum animi contentione totaliſque contrariorum interitu & inanitu ea quæ intelligunt diuinæ ſimilitudinis habitum obtinere: non enim ſolum ab omni vitio diſcedere, verum etiam virili animo ſemper duri & interriti ad pernicioſam exitioſamque omnem contra illud animi remiſſionem eſſe debemus, & nunquam à ſacro Veritatis amore ceſſare, ſed dare operam quam maximam poſſimus vt ad eam continenter ac ſemper nitamur, quærentes ſemper quod nos ad maiora diuinitatis munera perducat. Ia Dionyſ. Hæc illa fidelis Chriſtiani
D vera ſapientia, qua diuina præguſtans eorum amore allectus, nunquam in via ſiſtit; ſed nouos ſemper facit in Dei & proximi charitate progreſſus. Hinc diuinæ ſapientiæ ſal eſt ſymbolum, vnde baptizando dicitur: *Accipe ſal ſapientiæ, ne à vermibus peccatorum vlra putreſias, ſed illapſus ſeruenſ ad maiorem gratiam percipiendam*: Et vt in oratione quæ poſtea dicitur, habetur: *hoc primum pabulum ſalis guſtantem non diutius eſurire permittas, quominus cibo expleatur cælesti, quatenus ſit ſemper Domini ſpiritu feruens, ſpe gaudens, tuo ſemper nomini ſeruiens.*

Octauo, aures, & nares Catechumeni extremis digitis ſaliua illitis tanguntur: nam ſacerdos pollice, & indice ſumens ſputum, tangit primum au-
E rem dextram, tum ſiniſtram Baptizandi dicens: Ephpheta quod eſt aperire; & ad nares dicit, in odorem ſuauitatis ad quod reſpondetur: Ephpheta. De hoc tactu aurium & narium agit S. Ambroſius l. 1. de Sacram c. 1. & docet hoc fieri ad imitationem Chriſti, ſurdi & muti, aures & os tangentis. *Ideo*, S. Ambroſ.
inquit, *ergo tibi ſacerdos aures tetigit, vt aperirentur aures tuæ ad ſermonem & ad eloquium ſacerdotis.* Hæc Amb. Et reuera cum per ſal ſapientiam diximus ſignificari, nemo poterit eſſe ſapiens niſi audierit: *Audiens*, inquit Salomon Pro. 1. *ſapiens. ſapientior erit*, Et hac de cauſa aurem poſtulat cum ait, *Sapientiam atque doctrinam ſtulti deſpiciunt, audi fili mi diſciplinam* Prouerb. 1.
Patris tui & ne dimittas legem matris tuæ. vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. Pro. 1. Quare autem nares tanguntur idem Ambroſ. reſpondet,

Digitized by Google

S. Ambroſ. *vt bonum odorem accipias pietatis æternæ, vt dicas: Chriſti bonus odor ſumus Deo, quemadmodum dixit Apoſtolus ſanctus, & ſit in te fidei deuotioniſque plena fragrantia.* Ita Amb. Exiſtimo non tam vt Chriſti ſimus bonus odor nares tangi, quam vt nos currere diſcamus in odorem vnguentorum ſuorum, illius imitatores & ſectatores facti: vere enim ſapiens eſt qui Deo obtemperat, & Chriſtum ſequitur Ducem qui ait, *Qui ſequitur me non ambulat in tenebris*, Et rurſus, *Ego ſum via, veritas, & vita.* Hac ceremonia completa fit abrenunciatio Satanæ, de quâ ſuprà iam ſatis. Ad vnctionem veniamus.

Nono, fit vnctio in pectore cum hac verborũ formula: *Ego te linio oleo ſalutis, & in pectus tuum crucem pono in Chriſto Ieſu Domino noſtro, vt habeas vitam æternam, & viuas in ſæcula ſæculorum. Amen*; Et inter ſcapulas cum alia verborum formulâ nempe: *Signum crucis Domini noſtri Ieſu Chriſti inter ſcapulas tuas pono, vt habeas vitam æternam, & viuas in ſæcula ſæculorum.* De hac ceremonia mentionem facit S. Dionyſius S. Dionyſ. cum ait: *Cum ei planè veſtes miniſtri detraxerunt, tum ſacerdotes ſacrum vnctionis oleum afferunt. Ipſe cum inungendi, ac perfundendi ter exprimendo ſigno crucis principium fecit, &c.* Et per hanc vnctionem in contemplatione ſignificari vult eum qui initiatur ad ſacra certamina in figura euocati, *Sacerdotes autem*, inquit, *ſub eo*, (Pontifice) *ſacrum perfundendi munus exequuntur, cum qui initiatur ad ſacra certamina in figura euocantes, quibus Chriſto athleta collocatus, quandoquidem vt Deus effector eſt propoſitionis præmiorum, vt autem ſapiens eius leges tulit, fecit vero vt pulcher digna præmia iis qui vicerint; quodque eſt diuinius, quoniam vt bonus in ipſis athletis fuit, cum eis ſanctè pro illorum libertate & victoria aduerſus mortis atque interitus imperium certans & dimicans in certamen, vt diuinum latus is qui initiatur deſcendet, ſtabitque in ſapientis decretis ac legibus, atque ex eis nulla violata certabit ſpe præclarorum præmiorum fretus atque corroboratus, bonoque munerum Domino ac duce, inſiſtens autem veſtigiis eius, qui pro benignitate ſua primus athletarum fuit, cum certationibus quæ ad Dei imitationem accedant, & actiones & res quæ ipſi ne ad diuinitatis ſocietatem perueniat aduerſantur luctando ſuperauerit, tum denique vna cum Chriſto, vt myſticè dicam, in Baptiſmo peccato morietur.* Hæc Dionyſ. Quo nihil melius vt videamus nos in pectore Chriſtum portare, ſummo illum amore proſequendo, & ſuper humeros crucem poſt eum eſſe portandam, illum dicentem audientes: *Qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam & ſequatur me.* Et ne difficultate ac labore ab eius ſequela diſtrahamur, vngimur oleo, vt ſciamus ab eius miſericordia conſolationes non modicas præparari, quibus & difficultates omnes ſuperare, & labores cunctos tolerare valeamus, experiamuſque iugum ipſius eſſe ſuaue, & onus illius leuiſſimum reperiri, vt dicere liceat cum Apoſtolo, *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra*, Et, *quia momentaneum hoc & leue tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis:* S. Ambroſ. *Igitur*, vt ait S. Ambroſius lib. 1. de Sacram c. 2. *Vnctus es quaſi athleta Chriſti, quaſi luctamen huius ſæculi luctaturus, profeſſus es luctaminis tui certamina: qui luctatur habet quod ſperet, ibi certamen, ibi corona: luctaris in ſeculo, ſed vincis à Chriſto, & pro certaminibus ſæculi coronaris: nam & ſi in cælo præmium, hîc tamen meritum præmij colligitur.*

Decimo, fit Dei profeſſio: v.g. ſacerdote interrogante: *Credis in Deum Patrem? &c. Credis & in Ieſum Chriſtum? &c. Credis in Spiritum ſanctum? &c.* Et baptizando vel pro eo Patrino ad ſingulas interrogationes reſpondente, Credo: De quâ interrogatione S. Ambroſ. l. 2. de Sacram. c. 2. *Interrogatus es,* S. Ambroſ.

A *Credis in Deum Patrem omnipotentem? Dixiſti, Credo, & merſiſti, hoc eſt ſepultus es. Iterum interrogatus es, Credis in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum & in crucem eius? Dixiſti, credo, & merſiſti: Ideo & Chriſto es conſepultus: qui enim Chriſto conſepelitur, cum Chriſto reſurgit. Tertio interrogatus es: Credis & in Spiritum ſanctum? Dixiſti, Credo: tertiò merſiſti, vt multiplicem lapſum ſuperioris ætatis abſolueret trina confeſſio.* Hæc ille. Et optimè requiritur à nobis vt ore confiteamur quod corde credimus, *Corde enim*, inquit Apoſtolus, *creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ſit ad ſalutem.* Ad alia tranſeamus.

Vndecimo, ſacerdos baptizandum vocans proprio nomine illum interrogat. *Quid petis?* reſpondet, *Baptiſmum. Vis baptizari?* Reſpondet, *Volo.* Rurſus: B *Vis baptizari? Volo.* Quæ repetitio interrogationis cautelam denotat, qua vtendum eſt ne quis ficto animo ad Baptiſmum accedat, & propterea fiebant olim ab eo die quo Catechumeni nomina ſua dabant, vſque ad diem Baptiſmatis, ſeptem ſcrutinia, vt certe conſtaret an qui baptizandi erant vere & ex animo fidem Catholicam amplecti vellent. Ad hunc ritum alludere videtur Gregor. Nazianz. Oratione 40. cum ait: *Ne exorciſmi medicinam reſpuas* Greg. Naz. *nec ob illius longitudinem animo conſidas, nam id quoque velut lapis quidam Lydius eſt, ad quem exploratur quam ſyncero quiſque pectore ad Baptiſmum accedat: & quando tantum laboris ſuſceperis, quantum Æthiopum regina, quæ ab extremis terræ finibus perrexit vt Salomonis ſapientiam* C *audiret? Et ecce pluſquam Salomon hic: ſaltem apud eos qui rem perfectè conſiderant.* Hæc Greg. Hæc ſcrutinia, hoc examen nobis myſticè repræſentat, quod Deus eos, qui ſuo ſeruitio mancipantur tentari & probari velit, iuxta illud Sapientis: *Fili ad ſeruitutem Dei accedens præpara animam tuam ad tentationem.* Sic tentauit Deus Abraham; tentauit Chriſtus mentem diſcipulorum cum dicebat illis: Nunquid & vos vultis abire? Tentauit dilectionem Petri cum toties eum interrogauit an ſe diligeret. *Simon Ioannis diligis me plus his?* Virtutem enim non probatam Deus paruipendit, qui aurum ignitum probatum à ſe emi efflagitat. *Suadeo tibi à me emere aurum ignitum probatum.* Et vide quam bene hi ritus connectuntur. Vngitur ad D certamen baptizandus, fidem ſuam palam confitetur, eius fides probatur, & probata per ſuſceptionem Sacramenti perficitur.

Duodecimo: Fit Baptiſmus vel per effuſionem aquæ ſuper caput infantis, vel per trinam immerſionem in fontem, cum hac verborum formula: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti:* S. Dimiſ. De quo ritu eiuſque ſignificatione S. Dionyſ. de Eccleſ. Hierarch. *Aptè & propriè tota occultatio quæ fit in aqua, pro mortis ac ſepulturæ, quæ non videtur imagine, ſimilitudineque ſumpta eſt. Itaque cum qui vitali aqua expiatur, diſciplina quæ res ipſas ſignis declarat, docet tribus in aquam immerſionibus & emerſionibus, ex ea* E *diuinam trium dierum ac noctium ſepulturæ Ieſu vitæ auctoris imitari, quatenus hominibus, Dei conceditur imitatio: in quo, quemadmodum verba myſterij plena atque abſtruſa tradunt, princeps mundi nihil inuenit* Hæc ille. Et S. Ambroſ. l. 2. de Sacram c. 7. *Quoniam quicumque baptizatur, in morte Ieſu baptizatur. Quid eſt in* S. Ambroſ. *morte? Vt quomodo Chriſtus mortuus eſt; ſic & tu mortuus ſis per Baptiſmi Sacramentum, & ſurrexeris per gratiam Chriſti.* Et l. 3. de Sacram. c. 1. *Ergo reſurrectio quid eſt, niſi quando de morte ad vitam reſurgimus? Sic ergo & in Baptiſmate, quoniam ſimilitudo mortis eſt, ſine dubio dum mergis & reſurgis, ſimilitudo ſit reſurrectionis.* Hæc ille.

Decimo tertio, verticem cum ſigno crucis linit Chriſmate ſacerdos iam baptizatum (non in fronte quia hoc reſeruatur Epiſcopo in Sacramento Con-

gitized by Google

firmationis) vt habeat vitam æternam, viuat in ſæcula ſæculorum. Qua vnguenti perfuſione ſignificatur ex Dionyſio eum qui initiatus eſt odoris debere habere fragrantiam. *Vnguenti, inquit, autem illa quæ perficiendi vim habet perfuſio, eum qui initiatus eſt ſuauitate odoris fragrantem facit.* At Ambroſius de initiandis c. 6. aliud quid ſuſpicatur: *Conſidera quid ſecutum ſit, nonne illud quod ait Dauid: Sicut vnguentum in capite quod deſcendit in barbam barbam Aaron? Hoc vnguentum de quo & Salomon ait: Vnguentum exinanitum eſt nomen tuum, propterea adoleſcentulæ dilexerunt te; attrahe nos poſt te. Quanto hodie renouata anima dilexerunt te, Domine Ieſu, dicentes: Attrahe nos poſt te, in odorem vnguentorum tuorum currimus; vt odorem reſurrectionis hauriremus? Quare hoc fiat intellige: quia oculi ſapientis in capite eius, ideo in barbam deſinit, id eſt, in gratiam iuuentutis; Ideo in barbam Aaron, vt ſias electum genus, ſacerdotale, pretioſum: omnes enim in regnum Dei, & in ſacerdotium vngimur gratia ſpirituali.* Ita Amb. Hæc igitur vnctio & perfectionem & regiam dignitatem & ad Dei cultum conſecrationem, quam per Chriſtianum characterem accipit baptizatus, ſignificat: ſeruire enim Deo ſibimet imperando, ſeipſum abnegando, ſenſus & paſſiones refrenando, mandata Chriſti cuſtodiendo, vere regnare eſt. Denique ſecundum S. Iuſtinum dum quæſt. 137. illa verba exponit: *Præuenit vngere corpus meum*, Monet primo illud verbum, *Præuenit*, poſitum eſſe pro, ante debitum oportunumque tempus corpus meum inunxit: ſecundo addit: *Itaque in eo dicto nulla ineſt repugnantia, ſed quod in Domino ante tempus factum eſt, id in iis qui baptizantur fit debito opportunoque tempore. Inungimur autem veteri oleo, vt Chriſti, id eſt, inuncti ſimus: Vnguento porro inungimur, eius memoriam recolentes, qui vnguenti perfuſionem ſepulturæ ſuæ cauſa fieri dixit: & figura quidem in hac vita, veritate autem in futura, vt participes fiamus & eorum quæ perpeſſus eſt Chriſtus, & eiuſdem gloriæ.* Ita Iuſt.

Decimo quarto, baptizati veſte alba induebantur, quæ ceremonia adhuc ſeruatur Romæ, quando adulti ſolemniter baptizantur in Sabbato Paſchæ; & in baptiſmo ordinario album ſudariolum capiti baptizati impoſitum, talis ceremoniæ veſtigium eſt: alba quippe veſte caput operitur cum hac verborum formula. *Accipe veſtem ſanctam candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti vt habeas vitam æternam, & viuas in ſæcula ſæculorum. Amen.* De quo ritu S. Ambroſ. de initiand. c. 7. *Accepiſti poſthæc veſtimenta candida, vt eſſet indicium quod exueris inuolucrum peccatorum, & indueris innocentiæ caſta velamina, de quibus dicit Propheta: Aſperges me hyſſopo & mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.* Et poſtea: *Super niuem dealbatur cui culpa dimittitur, vnde & per Eſaiam Dominus ait: Si fuerint peccata veſtra ſicut phœnicium, vt niuem dealbabor. Hæc veſtimenta habens Eccleſia per lauacrum regenerationis aſſumpta, dicit in Canticis: Nigra ſum & decora, filiæ Hieruſalem: nigra per fragilitatem conditionis hominis, decora per gratiam; nigra, quia ex peccatoribus, decora fidei Sacramento. Hæc veſtimenta cernentes filiæ Hieruſalem ſtupefacta dicunt: Quæ eſt quæ aſcendit dealbata?* Ita Amb. Eumdem ritum cum ſua ſignificatione etiam habet S. Dionyſ. cùm ait. *Deinceps eum qui initiatur candidis & illuſtribus veſtibus amiciunt: Virili enim diuinaque affectionum quas aduerſarij procurant vacuitate, animique contentione adhibita cum vno coniunctione, tum id quod ornatu carebat ornatur; tum id quod deforme erat, pulchrum efficitur, dum illuſtri omnino vita ſplendeſcit.* Hæc Dionyſ. Hæc ſunt veſtimenta quam pauci nitida cuſtodiunt vſque in finem: *Habes pauca nomina in Sardis qui non inquinauerunt veſtimenta ſua: ambulabunt mecum in albis quia digni ſunt.* Apoc. 3. Hæc qui cuſtodierit gratias Deo agat; qui inquinauerit, per pœnitentiam ſtudeat emendare quod deliquit: eſt enim pœnitentia ſecunda poſt naufragium tabula. Optimè S. Grego. Nyſſ. oratione aduerſus eos qui differunt baptiſmum: *Venit gratia regis, duobus afflictis ordinibus concedens remiſſionem; nempe vinctis liberationem, debitoribus debiti remiſſionem: & ideo ego quoque ambobus ordinibus conuenientem aperio medicinam, & cum magna fiducia polliceor, quod ex diligentia procedet auxilium. Ne quis autem exiſtimet medicinam eſſe magnæ impenſæ, prædico ipſa medicamenta quæ ſunt adhibenda laborantibus: nam illis quidem promitto ſanitatem per aquam & lauacrum: horum autem per paucas lacrymas deleo morbum. Eſt enim ſimplex applicatio, & à Deo miſſum donum: magnus reuera euentus, abſque vſtione & ſectione à diuturnis liberari vulneribus, quæ paſſi ſumus à morſu ſerpentis, &c.* Omnibus autem dico, memoriam tanti beneficij refricans; *Ergo merſiſti, veniſti ad ſacerdotem,* inquit Ambr. *Quid tibi dixit? Deus, inquit, Pater omnipotens qui te regenerauit ex aqua, & Spiritu ſancto conceſſitque tibi peccata tua, ipſe te vngat in vitam æternam. Vide vbi vnctus es, in vitam inquit, æternam: noli hanc vitam illi vitæ anteferre. V.g. ſi exurgat inimicus aliquis, ſi velit tibi fidem tuam auferre, ſi minatur mortem vt prænarietur quiſpiam, vide quid eligas: noli eligere illud in quo non es vnctus, ſed elige in quo vnctus es vt vitam æternam vitæ præferas temporali.* Hæc Ambroſ. l. 2. de Sacram. c. 7. Quod vt fideliter perficias audi rurſum ipſum Ambroſium taliter diſſerentem de initiandis c. 7. *Vnde Dominus Ieſus & ipſe inunctus tanto ſtudio charitatis, pulchritudine decoris & gratia, quod abluti nullis iam delictis forderent dicit ad Eccleſiam: Pone me vt ſignaculum in corde tuo, quo fides tua pleno fulgeat Sacramento; Vt ſignaculum ſuper brachium tuum, quo opera tua luceant, & imaginem Dei præferant, ad cuius imaginem facta es; aqua multa non potent extinguere charitatem, vt charitas tua nulla perſecutione minuatur, quam multa aqua excludere, flumina inundare non poſſunt. Vnde? Repete, quia accepiſti ſignaculum ſpiritale, ſpiritum ſapientiæ & intellectus, ſpiritum Conſilij atque virtutis, ſpiritum cognitionis atque pietatis, Spiritus ſancti timoris: & ſerua quod accepiſti.* Ita Amb. Hæc faciens non ſis tibi ſolum vtilis, tanquam apis argumentoſa Domino deſeruias, flores vndique colligendo, vt mel illi conficias: fac vt luceat lux tua coram hominibus, vt videant opera tua bona & glorificent patrem tuum qui in cælis eſt, illos ad ſimilia peragenda prouocando verbis & exemplis. Hac de cauſa,

Decimo quinto, alius ritus in Baptiſmo ſeruatur: Cereus ardens baptiſato dari ſolet. De quo ritu loqui mihi videtur S. Greg. Naz. ora. 40. de Baptiſmo in fine, agens de ceremoniis baptiſmi. *Statio hæc, qua confeſtim à baptiſmo ante Magnum Sacrarium ſtabis, futuræ vitæ gloriam præſignat: pſalmorum cantilatio, cum qua accipieris, illius hymnodiæ præludium eſt: lampades quas accendes, illius luminum geſtationis figuram gerunt, cum qua ſplendida & virgines anima ſplendidis fidei lampadibus Chriſto ſponſo obuiam prodibimus, nec per ignauiam, & ſocordiam dormientes, ne inſcientibus nobis is cuius aduentus expectatur inopinato adſit; nec alimento & oleo, bonisque operibus carentibus, ne à nuptiali cubiculo excludamur.* Hæc Gregor.

Ex his perſpici poteſt quam Deo digna ſit hæc operatio qua homo in Baptiſmo abluitur, & interius ſanctificatur. Eſt enim Baptiſmus, vt ait S. Cyrillus, *Captiuitatis liberatio, peccati remiſſio, mors peccati*; Vt merito dixerit Greg. Nazian. Orat. 40. *Baptiſmus omnium Dei beneficiorum præclariſſimum eſt & præſtantiſſimum. Etenim quædam Sancta Sanctorum vocantur, & Canticum Canticorum, quod ſcilicet latius*

S. Dionyſ. — S. Ambroſ. — S. Dionyſ. — Apoc. 3. — S. Greg. Nyſſ. — S. Ambroſ. — Inſtinus. — S. Ambroſ. — S. Greg. Naz. — S. Cyrillus. — S. Greg. Naz.

Digitized by Google

pateant ac plura complectantur, præcipuamque dignitatem habeant: eodem modo Baptiſmus quoque illuminatio dicitur, quod omnes alias illuminationes ſanctitate ſuperet. Hæc Greg. Cereum igitur geſtare debent recentes baptiſati, vt pote qui perfectam illuminationem acceperint, nempe fidem: vnde à S. Dionyſio vocatur *Sacramentum illuſtrationis*, illudque dicit eſſe, *auguſtiſſimorum præceptorum, perfectionis principium, illud quod ad aliorum ſanctorum verborum & Sacramentorum ſuſceptionem animi noſtri habitus aptiſſimè formet. Illud quod nobis viam ſternit ad cæleſtis patriæ aſcenſum, illud quod nobis ſanctam & diuinam regenerationem largitur.* Dion. de Eccleſ. Hierar. 62. S. Dionyſ.

Ex hoc copioſiſſimo gratiarum fonte ecce emergitur, & in medium prodit verè Chriſtianus: ſub ſymbolo equi albi delignatur, qui hunc colorem optime ſibi vendicat, tum ob ſplendorem luminis fidei quam profitetur, tum ob innocentiam & putitatem morum quam promittit. Eum igitur nunc contemplari licet tot gratiis ac donis cumulatum.

Et ecce equus albus & qui ſedebat ſuper eum &c.

Qualis eſt fidelis Chriſtianus qui gratiam Baptiſmi accepit, eaque bene vtitur, vt hæc omnia diuinæ potentiæ opera in eo reluceant.

ANNOTAT. XI.

Equo aſſimilatur propter primum fidei effectum. §. 1.

CERTVM eſt in Baptiſmo omnem maculam ſiue peccati originalis ſiue actualis, omnemque pœnam peccatis debitam tolli, gratiamque habitualem cum virtutibus infuſis infundi. In iuſtificatione namque cum remiſſione peccatorum homo accipit fidem, Charitatem, vt habetur in Conc. Trid. Seſſ. 6. c. 7. niſi effectus baptiſmi impediatur per fictionem ſuſcipientis; ea vero ablata baptiſmus præteritus incipit ſuum ſortiti effectum. Cum autem loquimur de homine baptizato, & hunc dicimus intelligi in equo albo, loquitur potiſſimum de eo qui omni obice ſublato Sacramenti ſuſcepit effectum; qui fide charitate formata, ſpe gaudens, ad futura præmia adipiſcenda ſeipſum per mandatorum Dei obſeruantiam diſponere nititur: qui timore filiali perculſus quem fides ingerit & de ſe humiliter ſentit, & de Dei maieſtate alta ſapit. Hunc dicimus equum eſſe album, id eſt, fide & innocentia clarum: fides namque eius intellectum in ſui obſequium redigente efficitur nitidis moribus clarus, & dignus cui Chriſtus inſideat, ſimplici mente & intentione puriſſimâ obſequitur. Conc. Trident.

Hæc autem mentis ſimplicitas requititur in credente, non modo in ſedula mandatorum obſeruatione per ſinceram intentionem, ſed etiam vt ſimpliciter credat omnia quæ à Deo reuelantur per Eccleſiam, ſola diuina autoritate ad credendum inductus; nimirum quia iudicat ſupremam veritatem dignam cui fides adhibeatur in omnibus. *Ratio quippe humana inducta ad ea quæ ſunt fidei dupliciter ſe habet,* inquit S. Thom. 2. 2. q. 2. ad. 10. *ad voluntatem credentis, vno quidem modo ſicut præcedens, puta cum aliquis aut non haberet voluntatem, aut non haberet promptã voluntatẽ ad credendum, niſi ratio humana induceretur; & ſic ratio humana inducta diminuit meritũ fidei: alio modo ratio humana poteſt ſe habere ad voluntatẽ credentis conſequenter, cum enim homo habet promptam voluntatem ad credendum, diligit veritatem creditam, & ſuper ea cogitat & amplectitur, ſi quas rationes ad hoc inuenire poteſt; & quantum ad hoc ratio humana non excludit meritum fidei, ſed eſt ſignum maioris meriti.* Ita S. Tho. Primus S. Thom.

igitur modus repugnat ſimplicitati fidei, & ad tales dicebat Chriſtus: *Niſi ſigna, & prodigia videritis, non creditis.* Ioan. 4. Petebant namque miracula vt ad credendum inducerentur. Secundus modus non repugnat, quia ſola diuina autoritas fundamentum eſt & motiuum fidei. Hæc eſt illa fidei ſimplicitas de qua ſponſus ad ſponſam Cant. 4. *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum.* Iuxta ſanctum Ambroſium in Pſ. 118. Octo. 11. v. 2. *Merito vno oculo Chriſtus videtur, quia non videtur oculo carnali: aut quia duos oculos habens Eccleſia, moralem & myſticum, fidei oculo plus videt Chriſtum: Myſticus enim oculus acutior eſt, moralis dulcior.* Et Octon. 16. v. 3. *Vt iſte oculus gratiæ ſit, qui Chriſti ſibi pleniorem acquiſierit claritatem.* Ac ſi diceret: Plurimis modis aliquid cognoſcimus, oculo carnis, acumine mentis, rerum experientia, fide alicui adhibitâ: At ſolus oculus fidei eſt qui ſponſum vulnerat Charitatis iaculo, cum pro reuerentia ſibi debita, quis ipſi reuelanti ſimpliciter credit. Et forte ad denotandam illam ſimplicitatem olim ſuſcepti è Baptiſmo lac & mel deguſtabant. *Inde*, inquit Tertullianus 3. de corona militis, *lactis & mellis concordiam deguſtamus.* Vt diſceremus ſimplicitatem nobis eſſe conjungendam cum rerum diuinarum cognitione; eſt enim mel ſymbolum cognitionis diuinitatis: nam ſicut apes mel conficiunt ex diuerſorum florum ſuccis, ita Deum cognoſcimus ex diuerſis naturæ effectibus, nec non ex diuerſis ſacræ ſcripturæ ſermonibus: Iuxta illud Pſ. 118. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo.* Lac autem cibus eſt paruulorum: vnde S. Petrus 1. c. 2. *Sicut modo geniti infantes rationabiles, ſine dolo, lac concupiſcite, vt creſcatis in ſalutem, ſi tamen guſtaſtis quoniam ſuauis eſt Dominus.* Mel igitur cum lacte miſcere, eſt diuinitatis cognitionem cum ſimplicitate conjungere. Hæretici ſecundum S. Ireneum gypſum cum lacte miſcent, id eſt venenum curioſitatis humanæ cum ſana Doctrina: Gypſum enim venenoſum eſt ſi ſorbeatur, vt vult Plinius l. 36. c. 24. ita hæretici volunt equidem videri ſimplices, ſed quia quæ de diuinis aſſerunt hoc totum hauriunt è fonte putido proprij iudicij, non ex diuinis eloquiis, ideo gypſum eſt venenoſum, non mel dulce & ſapidum. At Eccleſia mel cum lacte miſcet, quia verbo Dei ſimpliciter credit: Scit Deum ſimpliciter amare. *Sinite paruulos venire ad me*, inquiebat Chriſtus, *Et cum ſimplicibus ſermocinatio eius.* Prouerb. 3. Qui tales ſunt, diaboli fraudes facile eludunt, iuxta illud Iſ. c. 11. *Et delectabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit manum ſuam mittet: non nocebunt & non occident in vniuerſo monte ſancto meo, quia repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ maris operientes.* Etenim duobus modis diabolus primos parentes decepit: Primus, nimia ſciendi appetentia: *Eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum.* Hæc curioſitas foramen eſt aſpidis, deliteſcit enim dæmon in hoc inordinato ſcientiæ appetitu, vt feriat quoſcumque qui cum curioſitate vel ſecreta naturæ rimari, vel diuina myſteria indagare contendunt. Secundus modus eſt per illecebras rerum ſenſibilium. *Vidit*, inquit ſacer textus, *mulier lignum quod bonum eſſet ad veſcendum, pulchrum oculis, & adſpectu delectabile.* Hæc eſt cauerna baſiliſci ſeu reguli ſuo intuitu interficientis: latet enim ſerpens & cubat in rebus delectabilibus, vt interficiat eos qui pulchritudine aut delectatione rerum ſenſibilium afficiuntur. At quis delectari poterit ſuper foramine aſpidis? Infans baptizatus in fidei ſimplicitate permanens. Is namque poterit diuina myſteria abſque periculo pertractare, quia non curioſitate Ioan. 4. Cant. 4. S. Ambroſ. Tertullianus. Petri 2. c. 2. S. Iren. Plinius. Prouerb. 3. Iſ. c. 11.

Digitized by Google

ductus, ſed deuota mentis affectione ad ea contemplanda quæ fides reuelat inducetur. Quis autem manum ſuam mittet in cauerna reguli? Is nempe qui ablactatus fuerit, id eſt auulſus ab vberibus, ablactatus à lacte rerum delectabilium quia vult cum Chriſto crucifigi, & mortificationem Ieſu Chriſti continuo in ſuo corpore circumferre vt vita Ieſu in ſe manifeſtetur, is nempe circa ſenſibilia abſque periculo poterit occupari, nec eorum pulchritudine allici ad malum, aut earum dulcedine ineſcari, vel ita demulceri vt eat poſt concupiſcentias ſuas in interitum: hi namque hos diaboli laqueos effugiunt propter fidei ſimplicitatem. *Quia*, inquit Eſaias, *repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aqua maris operientes.*

Ad hanc animi ſimplicitatem, qua ad nutum Chriſto obſequimur, eique fidem adhibemus nos prouocat S. Iuſtinus in expoſitione fidei & rectâ confeſſione, cum ait: *Ego quidem cum quæſtionibus inuolutus dubiis animi fuero, tum de myſtery Chriſtianorum miraculo exclamabo res noſtras longe ſupra mentem, ſupra rationem, ſupra conditæ naturæ captum eſſe. Tibi autem talia etiam inquirenti fac fidem expeditas promptam, qua ea quæ in quæſtionem veniunt ſoluas: illud in animo conſiderans, vbi Deus ſit, quamuis ignoretur quidquam eorum quæ dicuntur, vel propter naturæ præſtantiam, vel propter creationis & diſpenſationis rationem, nihil inde detrimenti capere ignorantes. Quonam vero modo propter audaciam rebus diuinas dirigere aggredimini? An diuina non audiuiſtis reſponſa, quæ popularibus veſtris eiuſcemodi captis interdicentia, luis nobis & figuli imaginem propoſuere, vt eo modo admonerent haudquaquam nec curioſos eſſe, aut in res diuinas inquirere, ſed diuinæ potius cedere debere voluntati, quemadmodum figulo lutum: Itaque religioſum aliquando concipite metum, ac ſenſu perquam moderato & æquo deliberationes veſtras conſopite, vt quæ nobis intercedunt dubias quæſtiones vna decidat fides; & ſermones diuinos, iuxta id quod ſcriptum, extimeſcite; vt diuina digni habiti requiete, beatas illas à Deo rerum vniuerſarum parente exaudiatis voces, qua ſic habent: Ad quem reſpiciam niſi ad humilem, & quietum, & trementem ſermones meos?* Hæc Iuſt.

S. Iuſtinus.

Verus igitur fidelis omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet, timet ne ſub herba virente eloquentiæ humanæ aliquando ſerpens latitet; ne ex latebris erumpat coluber tortuoſus; ideo in rebus fidei diſcutiendis, tractandis, legendis, cautè & circumſpectè agit, & Eccleſiæ iudicio omnes ſuos ſenſus humiliter ſubmittit: quo fit vt mandatis Dei cum timore & tremore obediens, & in ſimplicitate cordis Deum quærens, dicere de eo poſſumus: *Et ecce equus albus.* j. Ecce anima Deo per fidem omnimode ſubdita, & filiali timore ei reuerentiam exhibens.

Et ecce equus albus.

De ſecundo effectu fidei nempe purificatione cordis. §. 2.

Albus eſt hic equus, quia de fidelibus dicitur: *Fide purificans corda eorum.* Act. 15. Intellectus ſiquidem fide imbutus, ab omni nubilo phantaſmatum, opinionum, varietate, mentis errore ac cæcitate liberatur; & voluntas roboratur ne cordis humani malitiâ ſuccumbat, qua diuerti poſſet ab aſſenſu fidei. Ea nempe malitia laborat humana voluntas, vt recalcitret contra ſtimulum & veritati reuelatæ adhærere abnuat; ne ab iis quæ inordinato amore proſequitur auelli contingat. Albus igitur dicitur propter puritatem cordis, quæ ſecundus eſt effectus fidei; at voluntatem fides purificat, in ea pium ingenerando affectum, quo imbuta intellectui imperat vt aſſentiat veritatibus propoſitis, & ſummæ veritati per Eccleſiam reuelanti debitum reddat obſequium. Ægrè reuerà plærumque hoc perficit, propter inordinatum ſui ipſius amorem à quo homo vix auelli poteſt: hic enim Luciferum è cœlo ad tartara protrudit, hic Adamum è Paradiſo eiecit, hic hominibus in cauſa, vt crimina criminibus connectendo, tandem à ſummo bono auertantur: ſi tamen fides hanc animi profligat nequitiam, itaut ad Deum diligendum & tanquam ſummum bonum proſequendum conuertamur, quis non videt diuinæ omnipotentiæ hunc eſſe præclarum effectum?

Hac de cauſa fidelis non ſolum equo aſſimilatur, quia per fidem in captiuitatem redigitur, & per Dei iudiciorumque eius timorem ad meliora conuertitur, ſed equo albo propter animi candorem, qui verbo diuino, qui candor eſt lucis æternæ, per veritatis aprehenſionem aſſimilatur, propter innocentiam quam in baptiſmo recuperamus, propter animi puritatem quam fides ingerit, peccati deformitatem, virtutis pulchritudinem, præmiorum & pœnarum magnitudinem repræſentando: quo à peccatorum & delictorum amore & affectu auellamur. Sic enim mens non ſolum per fidem ab errore purgatur, ſed etiam voluntas: cum puritas conſcientiæ in nobis cauſatur, ſaltem diſpoſitiuè & objectiuè, in quantum per fidem objiciuntur nobis rationes, ſeu media, quibus homo excitari poteſt ad conſcientiæ puritatem; demum quia fides formata charitatem ſupponit, quæ abſque dubio omne peccatum expellit, & qua ſeu per quam & de Deo bene cogitare & ſentire, & eum in ſimplicitate quærere impellimur. Sap. 1. *Sentite*, inquit, *de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum: quoniam inuenitur ab his, qui non tentant illum, apparet autem eis qui fidem habent in illum. Peruerſæ enim cogitationes ſeparant à Deo, probata autem virtus corripit inſipientes.* Hinc inter alia Baptiſmi encomia, quia per Baptiſmum fidem recipimus Cyrillus Hieroſolymitanus vocat Baptiſmum veſtimentum candidum. *Eſt*, inquit Cyrillus in præfatione, *Baptiſmus captiuitatis liberatio, peccatorum remiſſio, mors peccati, animæ regeneratio, veſtimentum candidum, ſignaculum ſanctum & indelebile, currus ad cælum, deliciæ Paradiſi, regni cæleſtis conciliatio, charismaque adoptionis filiorum, &c.* & à S. Gregor. Nazianz. Orat. 40. vocatur ſplendor. *Splendor*, inquit, *& animarum vitæ in melius mutatio, conſcientiæ ad Deum interrogatio, Baptiſmus infirmitatis noſtræ adiumentum, carnis eſt abjectio, ſpiritus affectatio, verbi participatio, figmenti correctio, peccati diluuium, lucis communicatio, tenebrarum oppreſſio, &c.* Hæc Greg. Merito igitur hic equus albus dicitur, color enim albus & candidus aptiſſimus eſt ad deſignandam huius ſplendoris ſpiritus, verbi ac lucis allectationem, participationem, communicationem; & tandem vt ait idem S. Greg. *Baptiſmus nobis eſt vehiculum ad Deum, peregrinatio cum Chriſto, fidei adminiculum, mentis perfectio, cæleſtis regni clauis, vitæ commutatio, ſeruitutis depulſio, vinculorum ſolutio, compoſitionis in meliorem ſtatum conuerſio,* ſi ad eum candidè & ſyncerè accedimus, quæ ſyncerita omnem diſſimulationem & fictionem expellens, per hæc etiam candorem adumbratur.

S. Cyrill. Hier.

S. Greg. Naz.

S. Greg. Naz.

Act. 15.

Et qui ſedebat.

Cur ſeſſor equi non deſcribitur, & minimè videatur? §. 3.

Duas iam huius ſymboli circumſtantias expendimus: tertia explicanda venit. Cur videlicet ſeſſor huius equi minimè deſcribitur, ac ſi non fuiſſet vi-

ſus: nec enim eius vultum, aut ſtaturam aut eius veſtimenta deſcribit S. Ioannes, non abſque ratione, nam ad amuſſim hæc ſymbola expendenda ſunt vt appoſitè à Spiritu ſancto inuenta, quibus nobis ſuam explicet & aperiat mentem.

Diximus iam ſeſſorem huius equi eſſe Chriſtum; at non deſcribitur eius effigies, ſicuti deſcribitur in libro Machabeorum illius qui Heliodorum Templum exſpoliare conantem ad terram proſtrauit: *Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens ſeſſorem, optimis operimentis adornatus: iſque cum impetu Heliodoro priores calces eliſit. Qui autem ſedebat videbatur arma habere aurea. Alij autem apparuerunt duo iuuenes virtute decori, optimis gloria, ſpecioſique amictu.* 2. Machab. 3. Terribilis non diceretur hic ſeſſor niſi ex vultu, aut adſpectu talis eſſe dignoſceretur. Alibi etiam nempe 2. Machab. c. 10. dicuntur quinque viros apparuiſſe de cælo in equos frenis aureis: Et cap. 11. *Præcedit equos in veſte candida armis aureis.* At hic ſimpliciter dicitur: *Et qui ſedebat ſuper eum.* Nec dicas hic ſymbolum eſſe non hiſtoriam, ſymbolum namque debet ſemper conuenire cum re ſignificata: & ſicut verum equitem ſupponit qui ſedeat ſuper equum, ita debuiſſet illi aliquam figuram vultus vel veſtimenti aſſignare, niſi aliqua de cauſa hoc obmitteretur: quam cauſam ſeu rationem exquirimus.

2. Machab. 3.

2. Machab. 10 & cap. 11.

Quod ſi obiicias: At ſeſſor dicitur habere arcum, eique datur corona, ſicut & ei qui ſedebat ſuper equum ruſum datur gladius magnus; Is etiam qui ſedebat ſuper equum nigrum dicitur habere ſtateram in manu ſua: ergo depinguntur: & hæc circumſtantia quod non videatur ſedens, futilis eſt & abſque rationabili fundamento adducta. Reſpondeo, hoc præſupponere abſque dubio interpretes, qui volunt in iſto equo & ſedente intelligi non hominem tantum aut Deum tantum, ſed hominem ſimul & habitantem in homine Deum, hominem Deo, vel Deum homini in vnitate perſonæ coniunctum, vt loquitur Rupertus: *Nam*, vt ipſe addit, *quomodo equum, & ſuper eum ſedentem hominem vnum equitem dicimus, ſic hominem hunc & inhabitantem Deum, vnum confitemur Chriſtum: attamen Deus huic homini multo coniunctior eſt, quàm equo homo qui illi inſidet: quia homo ex equo deſcendit, ab homine iſto Deus qui illum aſſumpſit numquam diſcedit.* Ita Rup. Etenim in humanitate videbatur humanitas, & latebat diuinitas quæ per ſedentem denotatur; Igitur qui ſedebat videri non debuit, vt cum inuiſibili diuinitate debitam proportionem ſeruare dicatur. Eadem ratione ſi per equum fidelem Chriſtianum intelligimus, in quo Chriſti virtus inhabitat, quia inuiſibilis nobis eſt Chriſtus ad dexteram Patris reſidens, qui dicitur ſedere ſuper equum videri non debuit. Pari ratione, ſi cum S. Hieronymo per equum corpora in gloria reſurgentium, per ſeſſorem ſanctorum animas intelligamus, nam anima etiam inuiſibilis eſt, licet equus eius, id eſt, corpus videatur. *Vidit*, inquit ſanctus Hieronymus in 3. Habacuc, *& Ioannes equos candidos & ſeſſores eorum, è quibus corpora in gloria reſurgentium puto eſſe equos candidos, ſeſſores autem ſanctorum animas.* Hæc ille. Reſpicere tamen videtur S. Hier. ad c. 19. Apoc. non ad hunc 6. c. locum. In hac interpretandi ratione S. Hieronymi mentem ſequor, qui in 3. c. Habacuc loquens de equis & curribus, qui ad preces Eliſei apparuerunt ipſius ſeruo, ait: *Diligenter attende quod equi videantur & currus, & tamen in tantis millibus equorum & curruum nullus aſcenſor horum equorum. Ille erat auriga & ille rector de quo pſalmiſta canit: Qui ſedet ſuper Cherubim.* Nec obſtat quod ſeſſor dicitur habere arcum vel ſtateram in manu, vel quod ei datur corona aut gladius.

S. Hieronym. in 3. Habac.

A Deus enim, cuius præſentia latet, per effectus dignoſcitur, de iiſdem effectibus glorificatur, imo de ipſis gloriatur, & qui per ſe agere poteſt quæcumque vult, inſtrumentis tamen vtitur aliquando vt ſuas adimpleat voluntates; & cum ſit ponderator ſpirituum, in manu eius quæ credere & quæ agere pro modulo debemus eſſe dicuntur, cum præmiis ac pœnis decernendis; & ita dico ſeſſorem habere arcum, quo deſignetur eum agnoſci per effectus, & per operationes, qui de ſe inuiſibilis eſt; Ei dari coronam, quia pro ſuis operibus glorificari & laudari debet, omniumque bonorum operum gloria eſt ei tribuenda, ſicut faciunt ſeniores cum coronas ſuas ante thronum demittunt; Dari ei gladius magnus, quia Spiritus ſanctus, quem ſeſſorem eſſe dicemus equi rufi, verbo Dei vtitur tanquam inſtrumento; *Spiritus enim ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines*, vt loquitur S. Petrus, & promittit Chriſtus ipſum fore mittendum, vt quæ dixerat ſuggereret Apoſtolis, & de eo tandem dicitur: *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Datur igitur Spiritui ſancto gladius magnus, quia verbum Dei pro libito dat & communicat quibus vult: *Spiritus enim vbi vult ſpirat, & neſcis vnde veniat aut quo vadat.* Datur autem ſtatera in manu ſeſſoris equi nigri, ſuper quem ſedere Eccleſiæ Paſtores dicemus; quia eis confertur omnimoda poteſtas proponendi quæ credenda ſunt, & præcipiendi quæ agenda ſunt & omnes actiones ſubditorum ponderandi.

B

C

Conſideramus igitur Chriſtum vt interius illuminantem per fidem, in primo equo: Spiritum ſanctum ab eo miſſum ad regendam Eccleſiam, in ſecundo equo: Paſtores quos poſuit Spiritus ſanctus regere Eccleſiam Dei, in tertio equo ſignificari aſſerimus: vt tandem Chriſtum exterius regnantem ſuper fideles & Paſtores dicamus, in quarto equo, in viſibili totius Eccleſiæ capite. Qui omnes ſeſſores inuiſibiles quodammodo ſunt, quia fide opus eſt vt Chriſtum in Sacramentis operantem dicamus, Spiritum ſanctum Eccleſiam ſanctificantem aſſeramus, autoritatem diuinam in Paſtoribus agnoſcamus, & tandem Chriſtum vt Regem Regum & Dominum Dominantium in ſupremo Pontifice adoremus.

D

Si igitur quæras cur in his viſionibus de equitum figura aut veſte nulla fit mentio? Reſpondeo primo vt ſub viſibili operatione Sacramentorum inuiſibilem quamdam adeſſe virtutem intelligamus. Equidem in principio naſcentis Eccleſiæ voluit Deus per ſignum viſibile linguarum ignitarum præſentiam Spiritus ſancti operantis deſignare: & per hoc ſignificabatur vt vult S. Ambroſius 2. de Sacram. c. 5. *Deſcendiſſe Spiritus ſancti, qui ſe voluit incredulis etiam corporaliter demonſtrare, hoc eſt corporaliter per ſignum, ſpiritualiter per Sacramentum.* At nunc vult vt fide Spiritum ſanctum in Sacramentis operantem contemplemus: vnde addit S. Ambroſ. *Ergo manifeſtum teſtimonium eius aduentus, nobis autem fides prærogatiua defertur: quia in principio ſigna incredulis fiebant, nobis iam in plenitudine Eccleſiæ, non ſigna, ſed fidei veritas colligenda eſt.* Hæc ille. *Non ergo*, inquit de initiand. c. 3. *ſolis corporis tui credas oculis, magis videtur quod non videtur: quia iſtud temporale, illud æternum aſpicitur quod oculis non comprehenditur, animo autem & mente cernitur.* Hæc Amb. Quia igitur fide opus eſt, vt virtutem quæ in Sacramentis operatur contemplemus, de equitis figura nulla fit mentio. Hæc autem virtus inuiſibilis in baptiſmo operans, communis eſt ſanctiſſimæ Trinitati: vnde baptizamur *in nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti.* Tamen quia baptiſmus Sacramentum eſt illuminationis, ratione fidei quam in baptiſmo recipimus, hoc diuinum

Ambroſius.

E

num opus appropriatur Filio, & ille dicitur baptizare in Spiritu ſancto. *Lux*, inquit S. Ambroſ. *quid eſt niſi Veritas, quæ apertum & plenum lumen effundit? Columna lucis quid eſt niſi Chriſtus Dominus, qui tenebras infidelitatis depulit, lucem Veritatis & gratiæ ſpiritualis affectibus infudit humanis?* l. 1. de Sacram. c. 3. Illius igitur opus proprium eſt illuminatio mentis per fidem, quod quidem opus Chriſtus perficit cum ipſe baptizat in Spiritu ſancto: *Niſi* enim *quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* S. Greg. Nyſſ. *Quare*, inquit Greg. Nyſſen. orat. in baptiſmum Chriſti, *bona illa, & non ſolum ſpiritus ſufficiens exiſtimatus eſt ad completionem baptiſmatis? Compoſitus eſt homo & non ſimplex, vt certe ſcimus, atque idcirco duplici conjuncto que cognata ſimiliaque medicamenta ad curationem* B *deſtinata atque attributa ſunt; corpori quidem quod appareret, aqua quæ ſub ſenſum cadit; animæ vero quæ viſum effugit, ſpiritus qui non apparet, qui fide vocatur, qui ineffabiliter accedit, ſpiritus enim vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat & quo vadat, corpus quod baptizatur & aquam quæ baptizat benedicit.* Hæc Nyſſ. At quis eſt ille qui baptizat, & per ſpiritum benedicit & aquam & corpus, & interius illuminat? Chriſtus videlicet, *Super quem* enim, dicebat Ioannes, *videris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper* Ioan. 1. *eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto.* Ioan. 1. Optime igitur S. Hilarius in Matt. Can. 10. S. Hilarius. *Cum ergo innouamur baptiſmi lauacro per verbi veritatem ab originis noſtræ peccatis atque autoribus ſeparamur, &c.* Hæc Hil. C Virtus enim verbi in hoc Sacramento elucet, cum Chriſtus nos baptizat in Spiritu ſancto. Nec enim attendendus eſt Miniſter huius Sacramenti, cum quouis miniſtrante Chriſtus eſt qui baptizat: diuerſa enim poſſunt eſſe miniſteria quolibet baptiſmum miniſtrante, ſed vna eſt Chriſti poteſtas per quam illuminamur. Vnde S. Auguſtinus tract. 5. in Ioannem ad caput primum vt habetur de conſecrat. diſtinct. 4. cap. 39. aliud eſt, &c. S. Auguſt. *Ergo baptizabant diſcipuli eius & ibi adhuc erat Iudas inter diſcipulos eius, ſi quos ergo baptizabat Iudas non ſunt iterum baptizati. Et quos baptizauit Ioannes iterum baptizati ſunt: plane iterum, ſed non idem erat Baptiſmus. Quos enim baptizauit Ioannes, baptizauit Ioannes; quos autem baptizauit Iudas, Chriſtus baptizauit.* Et tract. 6. *Per hanc enim poteſtatem, quam Chriſtus ſolus ſibi tenuit, & in neminem miniſtrorum transfudit, quamuis per Miniſtros ſuos baptizare dignatus ſit; per hanc ſtat vnitas Eccleſiæ, quæ ſignificatur per columbam, de qua dictum eſt: vna eſt columba mea, &c. Si enim vetiam dixi, fratres mei, transferretur poteſtas à Domino ad Miniſtrum, tot baptiſmata eſſent quos Miniſtri eſſent, & iam non ſtaret vnitas Baptiſmi.* Hæc ille. Et iterum tract. 80. *Iam vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis. Quare, non ait, propter Baptiſmum quo loti eſtis, ſed ait, propter verbum quod locutus ſum vobis; niſi quia & in aqua verbum mundat?* Hæc Auguſt. Lege S. Cyprianum de Baptiſmo Chriſti, de Card. Chriſti operibus.

Igitur ſubtiçetur equitis figura à S. Ioanne in hoc ſymbolo, vt Spiritum ſanctum inuiſibiliter operantem, Chriſti virtutem & poteſtatem intexius in Baptiſmo illuminantem, ipſum in nobis per Spiritum ſanctum inuiſibili ratione inhabitantem oculis fidei conſpiciamus. *Habitat in nobis Chriſtus*, S. Hilarius. inquit S. Hilarius lib. 8. de Trinit. *& habitante Chriſto habitas in nobis ſpiritus Chriſti; habitante tamen in nobis ſpiritu Chriſti, non alius tamen ſpiritus habitat quam ſpiritus Dei. Quod ſi per Spiritum ſanctum Chriſtus in nobis eſſe intelligitur, hunc tamen ita ſpiritum Dei vt ſpiritum Chriſti eſſe noſcendum eſt; & cum per naturam Dei natura ipſa habitet in nobis, indifferens natura Filij eſſe credetur à Patre, cum Spiritus ſanctus qui & ſpiritus Chriſti & ſpiritus Dei eſt, res naturæ demonſtret vnius.* Hæc

A Hilarius. En prima ratio cur ſubticetur figura equitis, vt inuiſibilem Deum, inuiſibilem ſpiritum, inuiſibilem Chriſti virtutem & poteſtatem meditemur, qui ſuper equum ſedet, id eſt ſuper fidelem Chriſtianum, quem per ſancti Spiritus gratiam illuminat, & per fidem per dilectionem operantem ſignificat.

Ratio ſecunda, ſub velamine ſeu obſcuritate cuiuſdam reticentiæ, naturam & eſſentiam fidei deſcribi: quod enim Deus ſit, inexiſtat, ſedeat, operetur, hoc fides dictat & ſuggerit: at cuius ſit figuræ, qua ratione omnia repleat, ſedeat ſuper Cherubim, ſedeat ſuper equum album, rufum aut nigrum vel pallidum, vel operetur, manifeſtare non poteſt. Credimus hæc ita eſſe, modus vero nobis reſtat incognitus. Chriſtus igitur proponitur ſedens ſuper equum fidei noſtræ, ſed quâ figurâ exiſtat non videtur, quia eum fides cum obſcuritate ſibi adiuncta contemplatur. Ideo dicit: *Et qui ſedebat*: Quaſi diceret: Qualis ſit ille non video, at eum ſedere per fidem certiſſime credo. Quod autem talis ſit fidei natura, vt quandam obſcuritatem in ſuo conceptu includat, patet ex eius deſcriptionibus ſeu definitionibus. *Fides*, inquit Theod. Theodoret. l. 1. de Græcar. affection. curatione, *eſt voluntaria quædam animi compoſitio & conuentio, vel latentis ac remotæ rei viſio quadam & contemplatio, vel circa id, quod verè eſt, animi adhæſio & conſtantia, rerumque inuiſibilium apprehenſio quædam naturæ compar & congruens.* Hæc ille. At conciſior eſt ea definitio quam affert S. Paulus, & totam fidei naturam ſatis ſuperque complectitur. *Fides*, inquit, *eſt ſubſtantia* S. Paulus. *rerum ſperandarum, argumentum non apparentium*, Heb. 11. Sed quæ obſcuritatem in objecto requirat, Hebr. 11. ſicut & ea quam tradit Theodoretus, & omnia tangit ex quibus fides poteſt definiri, licet verba non ordinentur ſub forma definitionis; ſed inter alia in ea obſcuritatem requiri demonſtrat, vt patet ſi hanc definitionem per partes explicemus.

Fides v. g. debet eſſe in intellectu tanquam in ſubiecto: hoc habetur in hac definitione: argumentari proprium eſt intellectus, at de argumento D in hac definitione fit mentio. Secundo, Quæ ſperanda veniunt cognoſci antea debent: voluntas enim nunquam fertur in incognitum: deinde oportet vt voluntatis imperium interueniat, per quod intellectus determinetur, & per quandam electionem voluntariè decliner in vnam partem magis quam in aliam; alioqui intellectus non ita firmiter adhæreret, nec cum tanta ſubmiſſione ac facilitate acquieſceret myſterijs adeo obſcurè propoſitis & non viſis, nec per ſe ipſam vel ſenſum mouentibus, niſi voluntas diuinæ gratiæ auxilio adiuta eum quodammodo alligaret, & in quandam redigeret captiuitatem ac ſeruitutem, vt reuelatæ veritati aſſentiat. Hoc autem habemus in hac definitione, cum E dicitur fidem eſſe ſubſtantiam rerum ſperandarum. Etenim ſpes quam concipimus de earum rerum poſſeſſione, quæ nobis credenda proponuntur, quàm maximè mouet intellectum, vt facilius cedat ac acquieſcat iis quæ per fidem ei objiciuntur: Rurſus quod voluntatis intercedat imperium, ſole clarius eſt ex illa conuictione ſeu perſuaſione qua intellectus aſſentitur iis quæ non videt: hoc ſiquidem in intellectu denotat inſignem quamdam obedientiam & captiuitatem ex mero voluntatis imperio. Tertiò requiritur, vt fidei natura explicetur, vt fides ſit de rebus certiſſimis & indubitatis: hoc autem habemus in hoc vocabulo, argumentum ſeu elenchus, id eſt conuictio, ſumendo argumentum pro argumenti effectu: per argumentum enim intellectus inducitur ad inhærendum alicui vero,

Digitized by Google

itaut ei liberum non ſit, cum euidens eſt aliqua demonſtratio, concluſioni illius non aſſentiri. Ita hîc intellectus ſentit ſe conuinci, & ad credendum mouetur ac impellitur, & adeo firmiter adhæret propoſitis, ac ſi clarè ac euidenter ea illi obijcerentur. Vnde ipſa firma adhæſio intellectus, ad veritatem fidei non apparentem, vocatur hîc argumentum. Quarto, Ad fidei eſſentiam exigitur, vt Deum ſolum pro obiecto materiali habeat: licet enim multa alia ſint quæ ſub aſſenſu fidei cadant, vt humanitas Chriſti, Sacramenta Eccleſiæ, tamen ea ſub eo aſſenſu non cadunt, niſi ſecundum quod habent aliquem ordinem ad Deum, prout ſcilicet per aliquos diuinitatis effectus homo adiuuetur ad tendendum in diuinam fruitionem. Hoc autem Apoſtolus docet cum de rebus ſperandis loquitur. Deus namque, in cuius viſione omne bonum oſtenditur, proprie ſpei noſtræ verum eſt obiectum, & noſtra finalis & totalis felicitas ac beatitudo. Quinto, Fides niti debet autoritate diuina: non enim fides, vt docet S. Thomas, aſſentit alicui niſi quod eſt à Deo reuelatum: vnde veritati diuinæ innititur fides: at hoc ſignificat Apoſtolus, de rebus ſperandis, mentionem faciens. Quomodo enim in animum induceremus nos tanta & omnem naturæ ordinem longe ſuperantia bona, quæ nobis ſperanda proponuntur eſſe adepturos, niſi aliqua autoritas, cui refragari non licet, talia nobis intimaret & inculcaret? Dei enim ſolius eſt veritates infallibiles & indubitatas proponere, qui nec falli nec fallere poteſt. Vltimò, obſcuritas in fide requiritur; nam cum ea videri dicantur, quæ per ſe ipſa mouent intellectum noſtrum vel ſenſum ad ſui cognitionem; obiectum autem fidei tale non ſit, (*Videmus enim nunc per ſpeculum in ænigmate* 1. ad Corint. 13.) Ideo obſcure tantum & non euidenter apprehenditur. Hoc autem manifeſte docet Apoſtolus in hac fidei definitione, tum cum dicit fidem eſſe *ſubſtantiam rerum ſperandarum*, tum cum illam vocat *argumentum non apparentium*: Nam cum actus fidei ſit credere, qui actus eſt intellectus determinati ad vnum ex imperio voluntatis, ille actus ordinem habet & ad obiectum voluntatis, quod eſt bonum & finis, & ad obiectum intellectus, quod eſt verum. Vt dicit ordinem ad bonum & finem: non fertur in illud tanquam in bonum præſens, ſed tanquam in bonum futurum & ſperandum: Et ſic obiectum illud habet rationem rei non viſæ, ſecundum illud Apoſtoli Rom. 8. *Quod non videmus ſperamus*; veritatem enim videre, quæ eſt ſummum ipſum bonum quod proponitur tanquam aliquando poſſidendum, eſt ipſam habere: non autem ſperat aliquis id quod iam habet, ſpes autem eſt de hoc quod non habetur: igitur ſi fidei actum ſpectemus, in quantum dicit ordinem ad obiectum voluntatis fides non proponit voluntati ſuum obiectum vt quid viſum, de quo ſibi frui in præſenti & pro nunc liceat; ſed vt bonum ſibi ſperandum; cuius fruitionem aliquando habere contingat: Et ita S. Paulus dicens fidem eſſe *ſubſtantiam rerum ſperandarum*, in fidei actu obſcuritatem requirit: proponit enim bonum non viſum, in quantum illud proponit vt ſperandum: in hoc enim ſperamus beatificari, quod videbimus aperta viſione veritatem cui per fidem adhæremus. Si autem actum fidei conſideremus vt dicit ordinem ad obiectum intellectus, etiam obſcuritas in fide exigitur; nam prima veritas eſt obiectum fidei ſecundum quod ipſa eſt non viſa: quod etiam docet Apoſtolus cum ait, *argumentum non apparentium*, ſumendo argumentum pro effectu: per argumentum enim intellectus inducitur ad inhærendum alicui vero. Vnde ipſa firma adhæſio intellectus ad veritatem fidei non apparentem, vocatur hîc argumentum: vnde alia litera habet, *Conuictio*, Quia ſcilicet per autoritatem diuinam intellectus credentis conuincitur ad aſſentiendum his quæ non videt. Ita S. Tho. 2. 2. q. 4. ar. 1.

Si igitur quæras cur S. Ioannes dicit tantum: *Et qui ſedebat ſuper eum*: & non dicit: Vidi vel virum terribilem, vel pulchrum, vel aliquid huius modi ſedentem; dico hoc modo ſanctum Ioannem hanc viſionem exprimere, vt ſciamus fide tantum ſedentem ſuper equum poſſe contemplari: vnde cum vnum ſeu primum ex quatuor animalibus clamauit: *Veni & vide*, Idem eſt ex Ruperto ac ſi diceret: Primum crede, & ſic demum intellige: quia fide opus erat vt Ioannes cognoſceret & intelligeret quiſnam eſſet qui ſederet ſuper equum, & demum cuncta, quæ per alias circumſtantias huius ſymboli intelligenda ipſi proponebantur. Nec opus eſt vt aliquam viſionem imaginariam ſupponamus illius equitis, quæ imaginationi vel oculis S. Ioannis reſpondeat: ſufficit enim vt equus albus illius oculo vel imaginationi obijciatur, ſuper quem fide credat, & credendo intelligat perſonam diuinam ſeu Chriſtum ſedere, id eſt, per fidem cum dilectione operantem habitare, vt eum regat, in illo operetur. Nec ad hoc cogimur ſiue propter arcum aut propter coronam: etenim ſicut neceſſe non eſt vt Deum ſub forma ſenſibili concipiamus, ex eo quod dicimus in manu eius omnes fines terræ exiſtere; *Quia in manu eius ſunt omnes fines terræ*. Pſ. 94. vel Eccleſiam in manu eius eſſe velut coronàm, *Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui*. Eſ. 62. Hoc enim tantum indicat, in eius eſſe poteſtate quicquid in omnibus finibus terræ exiſtere poteſt, & omnem Eccleſiæ honorem & gloriam & regnum ab eius voluntate omnipotente omnino pendere: ita ex eo quod dicatur ſuper equum ſedens, habere arcum, vel dari ei corona, hoc ſenſibile ſignum obijcitur, vt concipiamus quidquid fidelis ſuper quem Chriſtus ſedit operatur, per Chriſti manum ſeu potentiam operari; & cum gloria & honor omni operanti bonum debeatur, quidquid gloriæ, quidquid honoris fideli obuenit, hoc totum merito Chriſto adſcribi.

Quicumque igitur ſua infirmitate & imbecillitate ac ignorantia conſcius, cum timore ac tremore ſub potenti manu Dei humiliatur, & eius iram & adorandam Maieſtatem pertimeſcendo humili mente ſuſcipit quæcumque illi proponuntur credenda, hic fidei aſſenſu intellectum ſuum ab omni errore repurgat, hic voluntatem ſuam diſponit ad quælibet mala & peccata fugienda, & quælibet bona opera facienda. Reuera equus eſt albus, & Chriſtum ſedentem ſuper ſe ſentit & experitur. Hic propter eam quæ ſummæ veritati reuerentiam debet de Deo altiſſima credit & ſperat, itaut licet ea non videat, aut ſenſibus nullo modo percipiat, pio affectu intelligens Deum eſſe veracem, nec minimam mendacij vmbram apud eum ſuſpicari poſſe, cum ſit puriſſima & ſuprema veritas quæ eum interius mouet vt aſſentiat iis quæ reuelare dignatur, iuxta S. Iacobi præſcriptum. *In manſuetudine ſuſcipite, inſitum verbum quod poteſt ſaluare animas*. Recte igitur Haymo lib. 2. *Poſſumus*, inquit, *& per equum album intelligere generaliter vniuerſalem Eccleſiam, cui Chriſtus præſidet, quæ dicit in Pſalmo 50. Aſperges me Domine hyſſopo & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.* Ita Hay. Et cum iuxta regulam à nobis in proœmio allatam, ſemper in hac prophetia ad ea quæ potiora ſunt videatur S. Ioannes adſpicere, & magni ſint in regno cælorum qui fecerint & docuerint, non alienum eſt à mente noſtra ſi cum Haymo &

S. Thom. 2. 2. q. 1. ar. 1.

2. ad Cor. 13.

Rom. 8.

S. Thomas.

Ruperius.

Pſ. 94.

Iſ. 62.

S. Iacob.

Haymo.

Pſ. 50.

aliis, prædicatores verbi diuini in his equis intelligamus; *Qui iure*, inquit Haymo lib. 2. *equi Domini vocantur, quia Dominus illis præſidens per illos vniuerſas gentes circuit prædicando, atque ad fidem ſuam colligendo, quando illi profecti prædicauerunt vbique, de qua ſeſſione etiam Dominus dicit: ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi.* Hæc Haym. Sed nunc quare habeat arcum videamus.

Haymo.

Habebat arcum.

Quid ſignificatur per arcum, & quod fides Chriſtiani operibus ſit comprobanda.

ANNOTAT. XII.

Iob. 7. MILITIA eſt reuera hominis vita ſuper terram, Iob 7. At multo magis Chriſtiani hominis vita militia eſt, quia tot in via Dei patitur aduerſarios, vt niſi ad arma identidem recurrat vita eius ſpiritualis in manifeſto ſit periculo. Eapropter ſanctus Paulus Epheſ. 6. grauiter admonebat cunctos fideles his verbis; *De cætero fratres confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius; induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli, quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritalia nequitiæ in cæleſtibus: propterea accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere diabolo in die malo, & in omnibus perfecti ſtare.* Hæc de cauſa videmus equitem hunc glorioſum, qui ſuper equum album, id eſt, fidelem Chriſtianum ſedet, armatura muniri: *Habebat* enim *arcum*, inquit S. Ioannes. At S. Paulus loricæ, calceorum, ſcuti, galeæ & gladij meminit; quibus armis vel ab hoſtium telis tutos eſſe poſſumus, vel ſi cum eis manus conſerere contingerit, eos cominùs ferre & confodere valeamus; noſter autem eques arcum tantum tenet, quo & protegi & pugnare ac victoriam reportare valeat, licet eminus jacula ac ſagittas emittat: certe non abſque myſterio, cuius quidem rationem videmus, ſi quod per arcum ſignificatur attingere contigerit. De quo variæ ſunt ſententiæ.

Epheſ. 6.

Richardus. Richardus à S. Victore lib. 2. c. 4. *Seſſor Chriſtus, arcus prædicatio, corona retributio; Vel, arcus, malorum damnatio; corona, bonorum ſaluatio; Vel, arcus, potentia diuinitatis: corona, glorificatio humanitatis.*

Primaſius. Primaſius: *Iſte equus poteſt in Apoſtolis & prædicatoribus veritatis Eccleſiæ intelligi ſuper niuem gratia dealbata, cuius ſeſſor Chriſtus. Ideo ei per Prophetam dicitur: Quoniam aſcendiſti ſuper equos tuos, & equitatus tui ſanitas: propter quod & ſagittam tenere dicitur, qua prædicatio eſt verbi Dei, qua hominum interiora tranſfixa poſſunt fidei fructum afferre.*

Andr. Cæſar. Andreas Cæſarienſis: *Primi proinde ſigilli ſolutio ad Apoſtolorum generationem haud incommode tranſfertur, his namque Euangelij prædicationem veluti arcum infractum contra dæmones intenderunt, ſalutaribuſque ſagittis vulneratos ad Chriſtum adduxerunt.*

Dionyſ. Carth. Dionyſius Carthuſianus: *Qui habebat arcum in manu ſua, id eſt, ſacram ſcripturam & prædicationis idoneitatem in propria poteſtate: Congrue quoque ſcriptura dicitur arcus, quia ex ea procedunt veritatis eloquia, virtutumque documenta, vt tela contra inuiſibiles atque viſibiles hoſtes Eccleſiæ, & contra aciem vitiorum, &c.*

Rupertus. Rupertus iudicij diem ſignificari vult: *arcus quippe de longinquo feriens iudicium ſignificat quod nondum eſt, ſed in extremum differtur diem: hunc iudicij arcum ille habebat, quia iudicium omne ſine poteſtatem faciendi iudicium pater illi dabat, &c.*

S. Gregorius. Sanctus Gregorius lib. 19. in Iob c. vltimo ait: *In ſacro eloquio per arcum & malorum inſidias & iudicij diem & ſacra eloquia deſignari.* Prima huic loco non quadrat; eam idcirco omittimus, de duabus aliis pauca hic affero. *In arcu*, inquit, *quanto longe trahitur chorda, tanto de eo diſtrictior exit ſagitta: ſic nimirum, ſic extremi iudicij dies quanto longe differtur vt veniat, tanto cum venerit de illo diſtrictior ſententia procedit, &c.* Et paulo poſt: *Aliquando autem per arcum etiam ſacra ſcriptura ſignatur. Ipſa quippe eſt arcus Eccleſiæ, ipſa eſt arcus Domini, de qua ad corda hominum ſicut ferientes ſagittæ ſic terrentes ſententiæ veniunt.* Hæc Greg. Et reuera ex ſacra ſcriptura arma ſumimus, quibus & tela ab hoſtibus emiſſa retundere, & quibus eos confodere poſſimus. Nonne Chriſtus Dominus, & tentationes Satanæ valide retundebat, & ſæuum vulnus ei infligebat, cum tentanti Satanæ reſpondit: *Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies?* Hæ certè interpretationes piæ, & vero ſenſui nullo modo ſunt contrariæ.

S. Ambroſ. Sanctus Ambroſius de Noe & arca c. 27. per arcum inuiſibilem Dei virtutem intelligit. *Eſt ergo*, inquit, *virtus inuiſibilis Dei, quæ & ſpecie iſtius arcus extendendi & remittendi moderatur pro diuina voluntate, miſericordia & poteſtate, qua neque omnia confundi nimia ſolutione, neque dirumpi nimia irruptione patiatur: quam ideo in nube dicit poni, quia tunc maximè opus eſt diuinæ auxilio prouidentiæ, quando agmina nubium in procellas tempeſtateſque coguntur, &c.* Et poſtea docet arcum potius eſſe terroris indicium quam vulneris. *Arcus*, inquit, *inſtrumentum iaculanda ſagittæ eſt. Itaque non ipſe arcus vulnerat ſed ſagitta: Et ideo Dominus in nube arcum magis, quam ſagittam ponit, id eſt, non illud quod vulneret, ſed quod habeat terroris indicium, vulneris affectum habere non ſoleat.* Hæc Amb. Ex quo habemus arcum inuiſibilis Dei virtutis eſſe ſymbolum, terrorem potius quam vulnera incutientis, nec mirum ſi hæc Dei virtus inuiſibilis terreat, non vulneret; Ipſa nos protegit, & protectionis ſuæ ſymbolum in arcu poſuit. *Ergo*, inquit ſanctus Ambroſius in Pſ. 43. *qui in Chriſtum credit, non in arcu ſuo nec in gladio ſuo ſperat, ſed in nomine eius ſpem victoriæ locat; & ideo ait, Non enim in arcu meo ſperabo. Sed ſi in arcu ſperandum eſt, quem poſuit in nube, vt à diluuio genus humanum timere deſineret. Iſto enim arcu nos protegit, quo & iaculatur ſagittas quibus percutiat inimicos & aduerſarios noſtros, vnde ait: Liberaſti enim nos de affligentibus nos, &c.* Hæc Ambr. Igitur arcus qui piis eſt protectio, peccatoribus eſt pertimeſcendus, eo ſiquidem iaculantur ſagittæ quibus percutiuntur. In arcu enim, vt docet Hilarius in Pſ. 39. *vt frequenter*, inquit, *tractauimus, præparata ad pœnam impijs iræ terror oſtenditur*, ſecundum illud: *Nunquid iraſcetur per ſingulos dies? Niſi conuertimini arcum ſuum tetendit, & parauit in eo vaſa à mortis, &c.*

S. Ambroſ. S. Ambroſ. S. Hilarius.

His præſuppoſitis, dico primò arcum iſtum deſignare effectus, per quos qui in equo ſedet ſuam præſentiam manifeſtat in electis & ſanctis quibus inſidet; non videtur quidem, ſed per effectus dignoſcitur, vt per opera ſciamus ipſum eſſe præſentem. Operatio enim planè cæleſtis & diuina diuinam & inuiſibilem adeſſe virtutem indicat. *Quæro equos ſuper quos aſcendat Dominus*, inquit S. Hieron. in 3. Habacuc, *& puto non eſſe alios niſi ſanctorum animas, ſuper quas aſcendit ſermo diuinus, vt & ipſas ſaluet & alios per eas.* Hæc Hieron. Super tales equos, nempe ſuper animas fidelium Chriſtus ſedens habet arcum, quia per eorum operationem, ſuam in eis manifeſtat virtutem & præſentiam. Etenim cum in earum intellectu fides ſit tanquam in ſubiecto, & in voluntate ſit pius affectus aſſentiendi iis quæ à Deo reuelantur, ſuper eas ſuprema ſedet veritas: & hac ratione earum intellectuales facultates habet in

S. Hieronym.

Digitized by Google

nem, quod Christus, qui mane de Deo genitus est, ante omnem creaturam fuerit, & quod ante omnia secula ex Patre natus sit. Quod autem Christus ante omnem creaturam genitus sit, ex quo Deus omnia creavit, ex Scripturis probatur. Nam Paulus Col. 1. 15. Christum primogenitum omnis creaturæ appellat, ut quod Sapientia apud Salomonem dicit, Prov. 8. 22. Dominus possedit me initium viarum suarum, antequam quicquam faceret a principio, ab æterno, ante mundum fundatus sum, antequam abyssi essent, ego jam concepta eram, antequam fontes aquarum prodirent, antequam montes gravi mole constituerentur, ante colles ego parturiebar, adhuc terram non fecerat, nec flumina, nec cardines orbis terræ, quando præparabat cœlos, aderam illi, quando cum quadam lege & ambitu vallabat abyssos, quando ætherem firmabat sursum, & librabat fontes aquarum, quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos, quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Quæ omnia Christo, qui mane de Deo genitus est, & ante omnia secula ex Patre natus est, competere, ex Scripturis probatur. Nam Paulus Col. 1. 15. Christum primogenitum omnis creaturæ appellat, ut quod Sapientia apud Salomonem dicit, Prov. 8. 22. Dominus possedit me initium viarum suarum, antequam quicquam faceret a principio, ab æterno, ante mundum fundatus sum, antequam abyssi essent, ego jam concepta eram, antequam fontes aquarum prodirent, antequam montes gravi mole constituerentur, ante colles ego parturiebar, adhuc terram non fecerat, nec flumina, nec cardines orbis terræ, quando præparabat cœlos, aderam illi, quando cum quadam lege & ambitu vallabat abyssos, quando ætherem firmabat sursum, & librabat fontes aquarum, quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos, quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Quæ omnia Christo, qui mane de Deo genitus est, & ante omnia secula ex Patre natus est, competere, ex Scripturis probatur. Nam Paulus Col. 1. 15. Christum primogenitum omnis creaturæ appellat, ut quod Sapientia apud Salomonem dicit, Prov. 8. 22. Dominus possedit me initium viarum suarum, antequam quicquam faceret a principio, ab æterno, ante mundum fundatus sum, antequam abyssi essent, ego jam concepta eram, antequam fontes aquarum prodirent, antequam montes gravi mole constituerentur, ante colles ego parturiebar, adhuc terram non fecerat, nec flumina, nec cardines orbis terræ, quando præparabat cœlos, aderam illi, quando cum quadam lege & ambitu vallabat abyssos, quando ætherem firmabat sursum, & librabat fontes aquarum, quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos, quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ esse cum filiis hominum.

Generated by Google

S. Ambroſ. conformia fidem hanc demonſtrat: quod pulchrâ ab Ambroſio emendicatâ ratione declaro l. 5. in c. 6. Lucæ: ſi enim ex Ambroſio miracula quæ Chriſtus faciebat, non ita clarum de eius diuinitate reddebant teſtimonium, ac cum in crucem actus eſt; nonne verum eſt quod nulla opera fidei Chriſtianæ maius reddere poſſunt teſtimonium, quam ſi quis verè dicat: *Chriſto confixus ſum cruci*: Mens mea in illo crucifixa eſt, & in corpore meo eius ſtigmata porto. *Ergo*, inquit S. Ambroſ. *non humanæ iſta ſed diuinæ virtutis inſignia ſunt, cæcis perpetuæ noctis tenebras aperire, defeſſorumque oculorum vulnera infuſa luce ſanare, auditum auribus inſinuare ſurdorum, laxatis ſoluta membra reformare compagibus, in lucem quoque refuſo vigore viuendi reuocare defunctos: hæc ante Euangelium vel vera vel nulla.* Et poſt pauca: *Sed tamen parua adhuc iſta Dominicæ teſtificationis exempla ſunt: plenitudo fidei, crux Domini, obitus ſepultura eſt, & ideo cum illa ſuperiora dixiſſet, addidit: Et beatus, qui in me non fuerit ſcandalizatus. Crux etiam electis ſcandalum poſſet afferre, ſed nullum hoc maius diuina perſona eſt teſtimonium; nihil eſt quod magis eſſe vera humana videatur, quam toto vnum ſe obtuliſſe pro mundo; hoc vel ſolo plene Dominus declaratur.* Hæc Ambr. Vides plenitudinem fidei crucem eſſe: vides nullum maius de ſua diuinitate reddidiſſe teſtimoniũ, quàm cum ſe Chriſtus Dominus in cruce obtulit, ita dico fidem noſtram nullis operibus magis comprobari, quàm per ea quibus Chriſtum crucifixum imitari contigerit. Hinc

Dico ſecundo iſtum arcum & inſtrumentum bellicum in manu ſedentis ſuper equum album eſſe crucem vel crucis ſymbolum, fidem, prædicationem crucifixi, & operationem crucifixo conformem ſignificantem. Hoc mihi pro certo eſt. Hic arcus inſtrumentum eſt quo Chriſtus huius equi ſeſſor vtitur, cum exit in prælium vincens, vt vincat; at nullo alio inſtrumento quam cruce vſus eſt Chriſtus, vt victoriam de hoſtibus reportaret; ergo ille arcus Crux eſt, & non aliud inſtrumentum. Vel certe ſi imaginationi S. Ioannis figura arcus obiecta fuit, intellexit illum arcum ſymbolum eſſe & crucis & prædicationis Chriſti crucifixi, & cuiuſlibet operationis è crucis myſterio dependentis.

Quod autem per crucem Chriſtus victoriam reportarit, & de inimicis triumpharit, habemus ex Paulo ad Coloſ. 2. *Delens quod aduerſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio affigens illud cruci: & expolians principatus & poteſtates traduxit confidenter palam triumphans illos in ſemetipſo.* Hinc S. Martyr. Ignatius epiſt. 3. ad Philipp. *Princeps enim mundi huius gaudet cum quis crucem negarit; cognoſcit enim crucis confeſſionem ſuum eſſe ipſius exitium: id enim trophæum eſt contra ipſius potentiam, quod vbi viderit horret, & audiens timet, &c. Et antequam fabricaretur Crux, ſtudebat vt fabricaretur, & operabatur in filiis inobedientiæ: operabatur in Iuda, in Phariſæis, in Sadducæis, in ſenibus, in ſacerdotibus: Cum autem paranda eſſet Crux tumultuabatur, & pœnitentiam immiſit prodítori, & laqueum illi commonſtrauit, & ſuſpendium quo ſtrangularetur edocuit: terrebat & mulierculam turbans eamdem in ſomniis, & vt à cruciſigendo ceſſarent moliebatur, qui prius omnem lapidem mouerat vt eadem crux pararetur; non quod pœnitudine duceretur ob tantum malum, hæc enim in parte minus fuiſſet ſceleratus, ſed ſentiebat ſuam ipſius perniciem. Crux enim Chriſti prima fuit ipſi condemnationis, mortis, & perditionis cauſa.* Hæc Ignat. Concinit S. Leo Ser. 7. in Epiphania: *Tota victoria Saluatoris, qua & diabolum ſuperauit & mundum, humilitate eſt concepta, humilitate eſt confecta. Humiliauit* enim *ſemetipſum factus obediens vſq; ad mortem, mortem autem crucis,* ait Apoſt. *Crux*, igitur, quæ eius humilitatis inſigne & præcipuum eſt indicium, inſtrumentum eſt quo inimicos debellauit: vnde ſi ob victoriam hic ei datur corona, dicendum eſt dari propter humiliationem eius in cruce: nam propter eam aſſerit Paulus fuiſſe exaltatum, & datum illi fuiſſe nomen quod eſt ſuper omne nomen. Si igitur hic arcus eſt crux, aut ſaltem ſymbolum crucis, nihil ab autoribus adducitur ſignificari per arcum quod in crucis myſterio ſuum non habeat complementum: hinc ſi per arcum prædicationem ſignificari dixerimus, quid quæſo prædicandum eſt Chriſtiano niſi Ieſum crucifixum? Hæc crucis prædicatio ſumma eſt Euangelij, in qua recapitulari poſſunt omnia quæ de Deo & Chriſto prædicari debent. Ad Euangelizandum miſſum ſe eſſe Apoſtolus profitetur 1. ad Corinth. 1. *Non in ſapientia verbi, vt non enacuetur crux Chriſti: verbum enim crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt, iis autem qui ſalui fiunt, id eſt, nobis, Dei virtus eſt.* Ac ſi diceret: Crucis Chriſti prædicatione ſufficienter Dei virtutem annunciari, cum in ipſa ſaluandi virtutem omnimodè agnoſcant. Si per arcum ſcripturam intelligamus, quid vetus, quid nouum quæſo teſtamentum continet, quod ad hoc crucis myſterium reuocari non poſſit? Si per arcum S. Gregorius ſignificari voluit malorum inſidias, nonne in cruce inſidiæ malorum enituerunt, de quibus Ierem. 11. dicitur: *Et ego quaſi agnus manſuetus qui portatur ad victimam: & non cognoui quia cogitauerunt ſuper me conſilia dicentes: Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius?* Nonne igitur in arcu, id eſt, in cruce clare videntur malorum inſidiæ? Si iræ & ſeueritatis diuinæ arcus eſt indicium, ex ſancto Hilario, vbi quæſo magis Dei ſeueritas enituit quam in cruce? Nec enim in die iudicij in quo omnes impij ad tartara detrudentur, tantopere ſeueritas diuina apparebit, quantum apparet reformidanda in eo quod *Deus proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Si denique per arcum, ex S. Ambroſio, ſignificatur virtus inuiſibilis Dei, nonne crucem diximus ex S. Paulo eſſe Dei virtutem? *Cuius virtus*, inquit S. Cyprianus de cardinalibus Chriſti operibus, de Baptiſmo Chriſti, *omnia peragit Sacramenta: ſine quo ſigno nihil eſt ſanctum, neque aliqua conſecratione meretur effectum.* Hæc Cyprian. Hæc illa eſt per quam etiam ſceleratis cœlum aperitur. *Conſidero Domine*, dicebat idem Cypr. de paſſione Domini, *te in illo patibulo, vbi videbaris ſine adiutorio. Quomodo imperatoriâ poteſtate latronem præmittis ad regnum? Et in crucis aſſumptione tam manifeſtè conſtat quantum apud derelictos profeceris, quum primus iſte gloria & honore coronatus, ipſa die paradiſi eius & domeſticus curiæ cæleſtis efficitur.* Hæc Cypr. Vide, ô fidelis Chriſtiane, tam inſignem arcum, *& benedic illum qui fecit eum.* In quo duo populi ſimul coadunantur, vt ad Deum tanquam ad finem perueniant, per quem Chriſtus, qui inuiſibilis ſedet, præſentem ſe eſſe declarat. Quam bene & ſapienter de eo S. Ireneus lib. 3. aduerſus hæreſes c. 17. *Hoc ergo verbum abſconditum à nobis per lignum manifeſtauit, prædiximus, digni diſpoſitio: quoniam enim per lignum amiſimus illud, per lignum iterum manifeſtum omnibus factum eſt, oſtendens altitudinem & longitudinem & latitudinem in ſe: & quemadmodum dixit quidam de ſenioribus, per extenſionem manuum duos populos ad vnum Deum congregans: duæ quidem manus, quia & duo populi diſperſi in fines terræ, vnum autem medium caput, quoniam & vnus Deus ſuper omnes & per omnes & in omnibus nobis.* Hæc Iren. Certe ſi cum Chriſto ſedente ab eo coronam volumus accipere, debemus crucis eius myſterio participare nos ab omni carnis voluptate ſegregantes. *Eos*, inquit Clem. Alexand. l. 2. Strom. *qui me-*

Ad Coloſſ. 2.

S. Ignatius.

S. Leo

S. Ireneus.

Clem. Alex. *qui & excelſi animi exiſtimantur, voluptas facit cereos ex ſententia Platonis: quoniam vnaquæq; voluptas, vnuſquiſq; dolor corpori affigit animam eius qui non ſe ſeparat ab animi perturbationibus, eaſque cruci affigit: Qui perdiderit animam ſuam inquit Dominus, ſeruabit ipſam; aut eam tradens lubenter adeundo pro Domino periculo, aut eam perdens ex ea quæ eſt ei cum hac vita conſuetudine: ſi enim ſoluere, abducere & ſegregari (id enim crux ſignificat) animam voluerit ab ea quæ eſt in hac vita voluptate & delectatione, habebis eam in ea quæ expectatur ſpe inuentam & conquieſcentem.* Hæc Clem. Alex. Et poſt pauca: *Oportet ergo nos Dei induere armaturam, ad hoc vt poſſimus reſiſtere inſidiis diaboli: quoniam arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia: ſed Deo potentia ad deſtructionem munitionum, cogitationes deſtruentes, & omnem altitudinem ſe extollentem aduerſus Dei cognitionem, & captiuantes omnem intellectum ad obediendum fidei, ait diuinus Apoſtolus.* Hæc Clem. Feramus igitur Chriſtum ſedentem, & cum eo arcum ſiue crucem; & cum Cypriano de paſſione dicamus ad eum: *Tu conſummatis omnibus vade ad Patrem, & trahe nos poſt te: da nobis in vita præſenti vt ſimus ſine angaria bauli crucis tuæ, & comprehendamus cum omnibus ſanctis, quid latitudo, quid longitudo, quid ſublimitas, quid profundum huius ligni ſignificet, quo conſpectu non noceat nobis neque mordeat coluber ſolitudinis.* Hæc Cyp. Sic, vt ait S. Ambroſ. in Pſ. 43. *liberamur, cum confunduntur inimicæ & aduerſariæ poteſtates, vel ſapientia carnis iſtius*

S. Ambroſ. *retuſa cæleſtibus imperatis, in ſuis criminibus erubeſcit, & flagitiorum ſuorum pudore confunditur: adulter in libidinis ſuæ flammis & veſani amoris incendio, auarus in immodica cupiditatis ardore, qui aliena rapiendo quo plura inuaſerit eo maiora deſiderat: ebrioſus in temulentia, facinoroſus in ſcelere, qui & hic confunduntur grauiſſimè, ſed multò amplius confundentur cum viderint ſanctos Domini reſurgentes, & Euangelicum illud impleri quod ait Dominus: Multi dormientium in terræ monumentis reſurgent, iſti in vitam æternam, & hi in opprobrium & perpetuam confuſionem.* Hæc Amb.

Hoc arcu crucis fidelis Chriſtianus protectus fugiet à facie arcus iræ Dei: de quo dicitur Pſ. 59. *Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie*

Pſal. 59. *arcus*, Quænam autem ſit illa ſignificatio docet

S. Hilarius. S. Hilarius in hunc Pſ. *Metuentibus igitur ſignificationem dedit, vel ſigni in frontibus, vel fidei in cordibus, vel teſtimonij in operibus, vel gloriæ in confeſſionibus, vel victoriæ in martyriis, vt à facie arcus iraque fugiatur, &c.* Hæc Hilarius. Nonne vides crucem in fronte, fide, operibus, confeſſione, imitatione Chriſti, in martyrio ſuam virtutem exprimere, & Chriſtum crucifixum prædicare ac manifeſtare? Qua quidem ratione verus fidelis ſuam de Chriſto fidem operibus vere comprobabit, quod neceſſarium eſt vt ad coronæ participationem peruenire valeat: ſequatur enim oportet operatio cognitionem vt vmbra corpus, iuxta illud Clem. Alexand. 67. Stromatum:

Clem. Alex. *Finem cognitionis prudentia cum ſimplicitate coniunctionem, bona conſcientia & ſpei cum fidei operationis cum cognitione vnionem commendans dum ait: Templum vnum quidem eſt magnum, vt Eccleſia: alterum vero paruum vt homo qui ſeruat ſemen Abraha. Iam vero relictis omnibus, quæ ſunt impedimento, & deſpecta tota quæ cum abſtrahit materia calum petat per ſcientiam, & ſpiritalibus tranſmiſſis eſſentiis, & omni principatu & poteſtate, tangit ſupremos thronos, ad illud ſolum tendens propter quod ſolum cognoſcebat: ſerpente ergo iuncto cum columba ſimul perfectè viuit, & cum bona conſcientia ſpem fide commiſcens ad expectationem futuri: ſentit enim donum quod accepit, vt qui dignus ſit habitus qui conſequeretur, & tranſlatus ſit à ſeruitute in filiorum adoptionem: conſequenter ſcientia, vt qui non cognouerit Deum, ſed potius ſic ab ipſo cognitus propter finem, & pro gratia meritis oſtendat operationes, opera enim ſequuntur cognitionem non ſecus ac vmbra corpus.* Hæc Clem. Habes igitur, optime Lector, ideam perfecti Chriſtiani, nempe quod ſit humilis, Deum timens, obediens, fortis, alacer ac magnanimus, qui omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet, qui fidem operibus teſtatur, & quia fidei eius plenitudo in Chriſti crucifixi cognitione conſiſtit, fidei ſuæ plenitudinem plena & perfecta Chriſti crucifixi imitatione repreſentare nititur, vt coronam apud Chriſtum repoſitam tandem accipiat: de qua corona aliquid nunc reſtat nobis dicendum.

Et data eſt ei corona & exiuit vincens vt vinceret.

Coronatur Chriſtus Dominus, & in eo & per eum coronam accipimus.

ANNOTAT. XIII.

CORONATVR Chriſtus equi huius ſeſſor, & in eo coronamur. Coronatur inquam Chriſtus: *Nam*, vt ait Dionyſ. Carthuſ. *data eſt ei corona, videlicet Chriſto ſecundum quod homo eſt, à Deo ſen à tota Trinitate. Corona, id eſt, dignitas regia, poteſtas dominatiua, beatitudo completa: hæc quantum ad rem data ſunt ei in incarnatione: quantum vero ad manifeſtationem in reſurrectione & aſcenſione. Hinc teſtatur Apoſtolus: Videmus Ieſum propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum. Poteſt quoque per coronam intelligi fidelium multitudo, quæ cum velut corona circumdedit, ornauit, ipſi etiam tanquam capiti ſuo adhæſit: hinc ait Iſaias, Eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.* Hæc Dionyſ. *Alias*, inquit Richardus, *potentia diuinitatis: corona, glorificatio humanitatis.* lib. 2. cap. 4.

S. Dionyſius Carthuſianus.

Richardus.

Coronamur & nos, quia cum illius ſupremi capitis ſimus membra, dicente Apoſtolo 1. ad Corinth. c. 4: *Sicut enim corpus vnum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum ſint multa, vnum tamen corpus ſunt, ita & Chriſtus, Etenim in vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles, ſiue ſeruiſiue liberi, &c.* Et poſtea: *Vos autem eſtis corpus Chriſti & membra de membro.* Certe coronato capite, & membra cum eo coronari videntur. Chriſtus autem eſt caput Eccleſiæ, Epheſ. 5. Ergo ipſo coronato, & Eccleſiam coronari dicere poſſumus. Hinc non male Apoſtolos aut prædicatores corona donari cenſetur ab iis qui hanc viſionem de Apoſtolis & prædicatoribus intelligunt. *Coronam*, inquit Andreas Cæſar. *ob id ſortiti ſunt, quod per veritatis arma erroris ducem deuicerunt, ſecundaque victoria ſpe vſque ad violentam mortem Dominum profeſſi ſunt.* Et Haymo lib. 2. *Eques ergo qui ſedebat habebat arcum, quia per prædicationem doctorum ſententiis diuini verbi Chriſtus percuſſit corda gentilium, & interfecit in eis vitia & peccata, vt poſſet reſurgere ſanctitas virtutum.* Corona autem ſecundum hunc ſenſum dupliciter poteſt intelligi, vel victorias videlicet ſanctorum, de diabolo & perſecutoribus huius mundi: vel etiam multitudo ſubiectorum fidelium, pro quibus ipſi remunerationem æterni regni percipient, ſicut Apoſtolus auditoribus dicit: *Quod gaudium, aut quæ corona gaudij mei? Nonne vos eſtis?* Ad Philipp. c. 4.

1. ad Corinth.

Epheſ. 5.

And. Cæſar.

Haymo.

igitized by Google

Et exiuit vincens vt vinceret.

Quomodo Chriſtus & Chriſti fideles exire dicuntur vincentes vt vincant.

ANNOTAT. XIV.

QVI de Chriſto equitem intelligunt, volunt hac ratione ſeu hac dicendi formula illius exprimi victoriam. S. Ireneus. l. 4. aduerſ. Hæreſ. c. 38. *Si quis autem & actus qui ſunt Iacob addiſcat, inueniet eos non inanes ſed plenos diſpoſitionum; & in primis in natiuitate eius, quemadmodum apprehendit calcaneum fratris, & Iacob vocatus eſt, id eſt, ſupplantator, tenens ſed qui non tenetur, ligans pedes, ſed qui non ligatur, luctans & vincens, tenens in manu calcaneum aduerſarij, id eſt, victoriam: ad hoc enim naſcebatur Dominus, cuius typum generationis monſtrabat, de quo & Ioannes in Apocalypſi ait: Et exiuit vincens vt vinceret, &c.* Hæc Iren. Victorias nempe victoriis intexendo.

Hunc exitum Chriſti vincentis quidam incepiſſe volunt quando baptizatus exiuit in deſertum; *Exiuit*, inquit Rupertus, *videlicet anno ſuo incipiente triceſimo, baptizatus ad prædicandum, atque in ipſo exitu ſuo vicit tentatorem Diabolum.* Et poſtea: *Itaque exiuit vincens ob hoc vt vinceret, id eſt, ob hoc tentationes ſuas vicit, vt noſtras, in quibus victi fueramus, tentationes ſuperaret.* Rupertus.

Alij, vt Dionyſius, hunc exitum incepiſſe volunt quando de medio Hieruſalem ſeu primitiuæ Eccleſiæ poſt paſſionem & ſpiritus ſancti Miſſionem Apoſtolos miſit per mundum: ſicque per poteſtatis ſuæ operationem exiuit cum eis. Verius tamen, vt mihi videtur, hunc exitum Chriſti vincentis accipere debemus ab eo inſtanti quo exiuit à Patre & venit in mundum: ab eo enim inſtanti ſedit ſuper equum album, cum Virgo credidit, in qua perfecta ſunt quæ ei dicta ſunt ab Angelo: & habuit arcum, id eſt, diuinam ſecum potentiam & virtutem: & data eſt ei corona, nempe carnem. *Quidam*, inquit Dyonyſ. Carth. Dionyſ. Carth. *per coronam intelligunt Chriſti carnem: nam ſicut coronam bajulat caput & corona veſtit caput, ſic diuinitas verbi portat Chriſti coronam, & caro Chriſti veſtiuit diuinitatem. Et de hac corona intelligi poteſt illud Cantic. Egredimini filia Sion, & videte Regem Salomonem in diademate quo coronauit eum mater ſua.* Hæc Dion. *Et exiuit vincens vt vinceret*, vnde ipſe Dion. hunc exitum ab eo inſtanti etiam intelligit, cum ait: *Item exiuit à Patre, & venit in mundum: exiuit itaque vincens diabolum ſua profundiſſima humilitate; mundum ſua paupertate; carnem ſua caſtimonia: vt vinceret, nam aduerſarios ſuos ſuæ poteſtati ſubiecit, quoſdam conuertendo ad fidem & obedientiam, alios deferendo & adijciendo damnationi per propriæ æquitatis ſententiam.* Hæc ille. Exiuit igitur à Patre vincens hominum ingratitudinem, vt vinceret iura naturæ; exiuit ab vtero virginis vincens naturæ ordinem, vt vinceret cordium humanorum duritiem: exiuit è deſerto vincens diabolum, vt vinceret per verbi prædicationem mendacium: exiuit è carne vincens peccatum, vt vinceret infernum ipſum ſpoliando; exiuit è ſepulchro vincens mortem, vt vinceret carnis concupiſcentiam; exiuit de mundo vt rediret ad Patrem, vincens Iudæorum perfidiam, vt vinceret mundi & ſeculi huius poteſtates, & regna mundi ſuo ſubjiceret imperio: tandem exibit vincens è dextera Patris, vt iudicet mundum, cum ponet inimicos ſuos ſcabellum pedum ſuorum. Sicut enim Cornelius ait, hanc phraſim, *Exiuit vincens vt vinceret*, Significare ſenſim eum à victoria vnius gentis ad debellationem & victoriam, alterius progreſſum, idque continuo victoriarum progreſſu & incremento, ita etiam dicere poſſumus hac phraſi ſignificari hunc quem diximus victoriarum ordinem, vt vna victoria alterius ſit quaſi præambula; vel ſaltem per hanc phraſin totalis Chriſti victoriæ plurima denotari ac deſignari ſigna, quæ ponuntur vt melius inſignem eius victoriam explicemus, ſicut Theologi per diuerſa ſigna myſterium prædeſtinationis exponunt. Nec omittendum puto dari Chriſto coronam antequam de eius victoria fiat ſermo, vt eius virtutem agnoſcamus, qui de victoria certus in certamen deſcendit, abſque periculi ac difficultatis alicuius formidine. Quod de Chriſto diximus, hoc (proportione ſeruatâ) dicere poſſumus de ſuis membris, qui in certamen exeunt, vt primò vincant diabolum, carnem, mundum & peccatum in ſeipſis, vt deinceps hos ſalutis inimicos vincant in aliis. Qui ſicuti de virtute in virtutem aſcendere debent, vt Deum deorum videant in Sion, ita vno vitio ſuperato ad aliud profligandum properare debent: nec enim virtutes acquiruntur niſi vitia anteà vincantur. Hi ſunt veri fideles, quorum fidem plurimum commendat Apoſtolus, Heb. 11. *Qui per fidem vicerunt regna*, vt Moyſes & Ioſue; *Operati ſunt iuſtitiam*, vt Phinees; *adepti ſunt repromiſſiones*, vt Caleb & Ioſue: *obturauerunt ora Leonum*, vt Daniel, *extinxerunt impetum ignis*, vt ipſe cum ſociis: *effugerunt aciem gladij*, vt Ionathas & armiger eius: *conualuerunt de infirmitate*, vt Ezechias: *fortes facti ſunt in bello*, vt Dauid: *caſtra verterunt exterorum*, vt Machabæi: *acceperunt de reſurrectione mortuos ſuos*, vt vidua cuius filium Eliſeus à mortuis ſuſcitauit: non ſolum hoc ſed multa paſſi ſunt, *Non ſuſcipientes redemptionem vt meliorem inuenirent redemptionem*, vt ſeptem fratres Machabæi, qui pro legibus ſanctiſſimis occubuerunt, ſicut occubuit venerandus ſenex Eleazarus: vt de iis ſicut de Moyſe dicere debeamus: *Fide Moyſes grandis factus negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere incunditatem, maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti: aſpiciebat enim in remunerationem, &c.* Sic ſancti omnia pati voluerunt, vt cum Chriſto & à Chriſto coronam accipiant, geſtantes hic cum eo ſpineam coronam, vt cum eo corona gloriæ & honoris donati valeant. Heb. 11.

Cornel.

DE SECVNDO SIGILLO, In cuius apertione effectus Sacramenti Confirmationis intelligitur.

De Confirmationis Sacramento.

ANNOTAT. I.

Quod ſigillum dicatur; & de aliis eius nominibus. §. 1.

DIXIMVS ſub ſecundo ſigillo, Sacramentum Confirmationis deſignari; de illo igitur agendum in apertione ſecundi ſigilli, quod quidem ex ſupradictis aperiri dicendum eſt, ſiue cum hoc Sacramentum à Chriſto fuit inſtitutum; ſiue cum eius præclari effectus per prædicationem innotuerunt, vel eius adminiſtratio ſeu vſus cæpit frequentari. Promiſerat Chriſtus Dominus ſe daturum Spiritum ſanctum, qua ratione tamen ſpecialiter eſſet hanc promiſſionem adimpleturus gerebat in mente abſconditum, quaſi in libro ſigillato ſeu ſignato. Sigillum aperuit, cum Apoſtolis manifeſtauit velle vt ſub tali viſibili ſigno, & non ſub alio, donum Spiritus ſancti elargiretur fidelibus.

Rectè autem Confirmationis Sacramentum Si-

Digitized by Google

gillum dicitur. Quærit Nicetas Commentator Greg. Nazianz. cur pius illi doctor oratione 42. Christum vocat immotum illud sigillum, cum de mysterio incarnationis agens dicit Dei filium auxilium fuisse, quo à malis etiam extremis liberari potuimus: nam post enumerationem plurimorum malorum addit: *Quæ, quoniam maius auxilium requirebant, maius etiam acceperunt. Hoc autem erat ipse Dei filius, ille seculis antiquior, ille inuisibilis ille incomprehensibilis, ille incorporeus, illud ex principio principium, illud ex lumine lumen, ille fons vitæ & immortalitatis, illa archetypi expressio, illud immotum sigillum, illa per omnia similis imago, ille patris terminus & ratio, &c. Et tamen,* inquit Nicetas, *sigillum motum habens dicitur filius, hoc est viuens. Dicitur vtrumque diuersa ratione: nam quatenus natura firmus & immutabilis est, immotum signaculum dicetur filius: quatenus autem signaculum illud nequaquam mortuum est sed viuum, mobile vocabitur. Sigilli autem nomen à scriptura sumptum est: hunc enim Pater signauit Deus.* Hæc optimè Niceras.

Nicetas in Greg.

At, vt arbitror, sigillum motum etiam Christus dicitur, quia in nobis characterem spiritus sui imprimit, nobisque suum communicat spiritum, vt in suam imaginem transformemur, iuxta illud Apostoli 2. ad Corinth. 3. *Nos vero omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes: in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.* Hæc est secunda diuini verbi in nobis operatio ad nostram sanctificationem, de qua plenius infra.

2. ad Cor. 3.

Sigillum autem, quo hunc imprimit Characterem, & plenitudinem spiritus elargitur est Sacramentum Confirmationis: quod Sacramentum Sigillum nuncupari dicimus, videlicet ex eo quod sit Sacramentum: Sacramentum siquidem vocatur à S. Augustino in Epist. 1. Ioannis tract. 3. *Vnctio spiritualis ipse Spiritus sanctus est cuius Sacramentum est in vnctione visibili.* Vocatur etiam Sacramentum in Epist. ad Episcopos Hisp. c. 2. de consecratione dist. 5. c. 3. *De his vero super quibus rogastis vos informari, id est, vtrum maius esset Sacramentum manus impositio Episcoporum, aut baptismus, &c.* In quantum igitur Sacramentum, vocatur sigillum, ex Cornelij Epist. ad Fabium Episcoporum Antiochenum vt refert Baron. an. 35. n. 14. ex Eusebio lib. 6. Histor. c. 32. nam de Nouatiano loquens ait: *Neque Domini sigillo ab Episcopo obsignatus fuit: quo quidem neutiquam potitus, quomodo quæso Spiritum sanctum adeptus est?* Ita Cornel. Alia versio habet, *nec Chrismatis signaculo consummatus sit.* Concinit Clem. Alexand. apud eumdem Euseb. l. 3. c. 16. loquens de illo adolescente à sancto Ioanne Euangelista ad Christum conuerso. *Ad extremum,* inquit, *Baptismi Sacramento illuminauit, postea vero vbi sigillo Domini tanquam perfecta tutaque animi eius custodia obsignasset, nonnihil de cura & obseruatione in eo instituendo suscepta remisit.* Ita refert Baron. Quod omissum fuit à quodam Goffredo Boussardo qui hanc historiam imprimendam curauit. Vocatur etiam signaculum à sancto Cypriano & à sancto Ambrosio; Cypriano epist. 73. dum loquitur de iis qui à Philippo Diacono baptizati in Samaria per Petrum & Ioannem acceperant Spiritum sanctum: *Quod nunc quoque,* inquit, *apud nos geritur, vt qui in Ecclesia baptizantur præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem & manus impositionem Spiritum sanctũ consequantur, & signaculo Dominico consummentur;* Ambrosio vero lib. 3. de Sacram. c. 2. *Sequitur,* inquit, *spirituale signaculum, quod audistis hodie legi, quia post fontem superest vt perfectio fiat, quando ad inuocationem Sacerdotis Spiritus sanctus infunditur, &c.* Tertiò vocatur Chrisma ratione materiæ remotæ, Cyprian. Epist. 70. *Vngi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, vt accepto Chrismate, id est, vnctione esse vnctus Dei & habere gratiam Christi possit. Porro autem Eucharistia, & vnde baptizati vnguntur oleum in altari sanctificatur.* Hæc Cyprian. Ita etiam Optatus Mileuit. lib. 2. contra Parmen. impia gesta cuiusdam Vrbani Formensis, & Felicis Idicensis commemorans, inter alia istud recitat: *Ampullam,* inquit, *quoque Chrismatis, per fenestram vt frangerent iactauerunt, & cum casum adiuuaret abiectio, non defuit manus Angelica, quæ ampullam spirituali subuectione deduceret, proiecta casum sentire non potuit, Deo muniente illæsa inter saxa consedit.* Hæc Optat. S. Cyrillus Hierosoly. Catechet. Mysta 3. *Sanctum hoc vnguentum non amplius vnguentum nudum, neque si quis appellare malit commune, postquam iam consecratum est, sed est Chrisma Christi, &c.* Vtrumque nomen signaculi & Chrismatis apud Prudentium in Psychomachia habetur.

Cornelius Papa Epist. ad Fabium apud Eusebium.

Clem. Alex. apud Eusebium.

S. Cyprianus.

S. Ambrosius.

S. Cyprianus.

Optatus Mileuitanus.

S. Cyrillus.

Prudentius.

Post inscripta oleo frontis signacula, per quæ
Vnguentum regale datum est, & Chrisma perenne

Denique vocatur manuum impositio Act. 8. *Cum vidisset Simon quia per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus sanctus.* Et apud S. August. de Baptismo contra Donatistas lib. 3. c. 16. *Spiritus autem sanctus quod in sola Catholica Ecclesia per manus impositionem dari dicitur, munus hoc intelligi maiores nostri voluerunt, quod Apostolus ait, quoniam Charitas Dei diffusa est cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis, &c.*

S. August.

C *De Auctore, & Ministro huius Sacramenti, ac de eius materia remota & proxima. §. 2.*

Illius Sacramenti auctor & institutor Christus est, qui hoc Mysterium insinuauit cum complexans paruulos, & imponens manus super illos benedicebat eos, Marci 10. & dicebat: *Sinite paruulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: talium est enim regnum Dei.* Quinam sunt illi tales pueris similes, nisi recenter baptizati, & qui innocentiam baptismalem conseruarunt? De quibus 1. Petri 2. *Sicut modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo, lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem: Si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus;* quibus vt crescant in salutem manus imponenda est, vt accipiant plenitudinem Spiritus D sancti, quem se missurum esse, & promisit & prædixit Ioan. 14. & c. 16. cuius promissionis memoriam replicat Luc. vltimo, *Vos autem sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto:* Et Act. 1. *Et conuescens præcepit eis ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum, quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.*

Marci 10.

1. Pet. 2. Ioan. 14. & 16. Luc. vltimo. Act. 1.

Instituisse autem illud Sacramentum in die cænæ Theologi docent autoritate Fabiani ducti, qui Epistola ad Orientales cap. 1. ait: *In illa die Dominus Iesus postquam cænauit cum discipulis suis, & lauit eorum pedes, sicut à sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt nobisque reliquerunt, Chrisma conficere docuit, &c.* E At non videtur verisimile quod eos docuerit quomodo Chrisma conficiendum erat, & de illius vsu nihil attigerit: nempe docendo quod Chrisma pro materia Sacramenti, quo daturus esset Spiritum sanctum, assumendum erat; igitur iuxta hanc doctrinam, tempus institutionis huius Sacramenti fuit in die Cænæ, quod probabile videtur ex ratione quam affert S. Tho. 3. q. 72. ar. 12. ad 3. cur in cæna Domini Chrisma conficiatur & benedicatur, nempe quia in illa die Eucharistiæ Sacramentum fuit institutum, ad quod omnia alia Sacramenta quodammodo ordinantur. *Nec immeritò,* inquit Cyprian. de vnct. Conf. *huic diei assignata est tanti operis causa, & ex hoc Sacramenta hæc obtinuere initium, quo hodie in Sacramento Calicis Christi Ecclesiæ vnitas, in lauacro pe-*

Fabianus.

S. Thomas.

dum

Digitized by Google

dum concors ſocietas, & donans inuicem Charitas, & ſubiecta humilitas; In Vnctione Chriſtiani nominis dignitas excellentia ſpiritalis propriè data eſt, & confirmata filii adoptionis perpes autoritas, & dignitas perſeuerans.

Igitur conueniens fuit vt Chriſtus doceret Apoſtolos quorumnam Sacramentorum receptio eſſet neceſſaria, vt dignè fideles ad tanti Sacramenti participationem accederent; & ſicut in his verbis, *Qui lotus eſt non indiget niſi vt pedes lauet*, Baptiſmum quo iam erant abluti, & pœnitentiam quæ pro quotidianis defectibus haberi debebat inſinuare videtur, ita de Chriſmate & eius vſu differere debuit, vt Apoſtoli ſcirent qui verè & plenè ſunt Chriſtiani, & Spiritu ſancto repleti digni ſunt Euchariſtiæ vſu & legitimè poſſunt in Sacerdotij miniſterium promoueri. Confirmantur autem quæ dicimus baptiſmum ſubintelligi in his verbis, *Qui lotus eſt*, ex Optato Mileuitano lib. 5. contra Pannon. *Chriſti*, inquit, *vox eſt: Qui ſemel lotus eſt, non habet iterum neceſſitatem lauandi, quia eſt mundus totus: Et de lauacro pronunciauit quod de Trinitate celebrandum eſſe mandauerat, non Iudæorum aut hæreticorum, qui dum lauant fordidant; ſed de aqua facta, quæ de trium nominum fontibus inundat: ſic enim ipſe Dominus Chriſtus præcepit dicendo: Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. De hoc lauacro dixit: Qui ſemel lotus eſt non habet iterum neceſſitatem lauandi.* Hæc Optatus Mil. Vnde ſicut de baptiſmate intellexit, *Qui lotus eſt*; potuit ad pœnitentiam reſpicere, cum ait, *Non indiget niſi vt pedes lauet*, nempe abſtrahendo voluntatem ab affectibus peccatorum per condignam pœnitentiam. Adde quod hunc ordinem poſuerant inter hæc Sacramenta S. Dion. Areop. S. Ambroſ. vt de Baptiſmo, deinde de Confirmatione, & poſteà de Euchariſtia diſſeruerint. Deinde neceſſitatem effectus huius Sacramenti Dominus videtur expreſſiſſe, cum in die Cœnæ pro Petro ſe oraſſe dixit, ne eius fides deficeret. Ait autem Dominus Simoni: *Simon, ecce ſatanas expetiuit vos vt cribraret ſicut triticum; ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Luc. 22. Nam cum Confirmationis Sacramentum ordinetur ad perficiendam fidem in Baptiſmo acceptam, eamque coram Tyranno forti animo, ſi opus ſit, profitendum; nonne cum orat Chriſtus pro Petro ne deficiat in fide; quamuis eſſet aliis feruentior, alio etiam indigere auxilio ſatis inſinuauit, quod nondum dari debuit antequam Chriſtus glorificaretur iuxta illud Ioan. 7. *Hoc autem dixit de ſpiritu quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat ſpiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus?* Sed illud auxilium tunc promiſit in his verbis, Ioan. 14. *Et ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis (vt maneat vobiſcum in æternum) ſpiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum nec ſcit eum: vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Si igitur ex Fabiano de Chriſmatis confectione, & ex conſequenti de eius vſu differuit; ſi quæ neceſſaria erant ad dignè, ſiue ſuſcipiendum, ſiue conficiendum & miniſtrandum Euchariſtiæ Sacramentum, exponere conuenientiſſimum fuit; ſi de Sacramenti Confirmationis effectus neceſſitate clarè loquitur eſt, quem recepturi erant Apoſtoli per donum Spiritus ſancti in ipſis aliquando manſuri; probabile eſt præcepiſſe Apoſtolis vt ſub tali ſigno, nempe Chriſmatis, hoc donum quod ſpeciali ratione illis erat daturum, ipſi tanquam Miniſtri huius Sacramenti per impoſitionem manuum, & Chriſmatis vnctionem conferrent aliquando, ſicut ipſa poſtea præſtiterunt.

Miniſtri quippe proprij & ordinarij huius Sacramenti fuerunt Apoſtoli, & eorum ſucceſſores nempe Epiſcopi. Eſt concluſio Theologica, imo de fide, vt patet ex Concilio Trident. ſeſſ. 7. c. 3. *Si quis dixerit ſanctæ Confirmationis ordinarium Miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemuis ſimplicem ſacerdotem, anathema ſit.* Rationem reddit S. Tho. 3. q. 7. ar. 11. Quia in quolibet opere, vltima conſummatio ſupremæ arti aut virtuti reſeruatur: v. g. inferiores artifices præparant materiam, ſuperiores dant formam, ſupremus applicat ad vſum qui eſt finis artificiatorum; ſic epiſtola à ſupremo ſignatur: Charta fuit ab aliquo præparata, à Notario ſcribitur, à Papa ſignatur. Dei ædificatio ſunt Chriſtiani; à Catechiſtis præparatur materia, ædificantur in domum ſpiritualem per Baptiſmum, dedicantur in templum Spiritus ſancti per confirmationem; & ideo hæc conſecratio debet fieri per Epiſcopos, qui ſummam in Eccleſia obtinent poteſtatem. Sunt etiam quædam epiſtola Spiritu Dei ſcripta: prædicator animum præparat ad obediendum fidei, poſtea in confirmatione epiſtolam hanc taliter conſcriptam per Miniſterium Epiſcoporum, quos poſuit regere Eccleſiam Dei, exteriùs ſignat crucis ſigno, & interiùs gratia & charactere ſpeciali; nam, vt Vrbanus ait de conſecrat. diſt. 5. *Omnes fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum ſanctum poſt Baptiſmum accipere debent, vt plenì Chriſtiani inueniantur.* Hoc verò fuſiùs probat Baron. an. 35. n. 12. & 13. & citat Hieron. contra Luciferianos: *Quod ſi hoc loco quæris*, inquit Hieron. *quare in Eccleſia baptizatus niſi per manus Epiſcopi non accipiat Spiritum ſanctum, quem nos aſſerimus in vero baptiſmate tribui; diſce hanc obſeruationem ex ea autoritate deſcendere, quod poſt aſcenſum Domini Spiritus ſanctus ad Apoſtolos deſcendit, & nullis in locis idem factitatum reperimus, ad honorem potius ſacerdotij quam ad legit neceſſitatem.* Citat etiam Cyprian. epiſtol. ad Iubaianum 73. *Quod deerat id à Petro, & Ioanne, factum eſt, vt oratione pro eis habita & manu impoſita, inuocaretur & infunderetur ſuper eos Spiritus ſanctus.*

Quantum ad materiam, Chriſma materia eſt remota Sacramenti Confirmationis, & debet confici ex oleo communiter, videlicet oliuarum; & balſamo ſiue Palæſtino ſiue Indico, ab Epiſcopo benedicto: cuius Epiſcopalis benedictionis olei mentionem facit S. Cyprian. loco citato Epiſt. n. 70. *Oleum*, inquit, *in altari ſanctificatur, &c.* Materia autem proxima eſt vnctio Chriſmatis, quæ fieri debet in modum crucis: talis enim ritus ſemper ab Eccleſia ſeruatus fuit, tanquam eſſentialis, & ſignificatur per verba formæ quæ talis eſt: *Conſigno te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Vtrumque complectitur S. Auguſtinus de diuerſ. Ser. 33. *Continuò vt iſtis illum ad Præſbyteros; baptizatus eſt, vnctus eſt, impoſita eſt ei manus, completis omnibus Sacramentis aſſumptus eſt.* De vnctione meminit in Ep. 1. Ioan. tract. 3. *Vnctio ſpiritualis ipſe Spiritus ſanctus eſt, cuius Sacramentum eſt in vnctione viſibili, &c.* Hæc alle. Propter materiam remotam, confirmatio dicitur, Chriſma; propter proximam, impoſitio manuum.

S. Dion. Areop. S. Ambroſ. — Ioan. 22. — Ioan. 7. — Ioan. 14. — Conc. Trid. — S. Thom. — Vrbanus Papa diſt. 5. — Baron. — S. Hieron. — S. Cyprian. — S. Cyprian. — S. Auguſt. — Idem.

Et cum aperuiſſet ſigillum ſecundum.

De apertione ſigilli, & idea ſymboli ad apertionem ſigilli apparentis.

ANNOTAT. II.

OPTIME notat Baronius an. 35. n. 10. & 11. Petrum & Ioannem miſſos fuiſſe ad Samaritanos ab aliis Apoſtolis, non quod minoris eſſent Baronius

autoritatis, imo potius admirabili ſapientia Deus voluit vt is qui potiſſimum claues regni cælorum ſunt traditæ, Samaritanos adiret, & vt ipſe primus Samaritis Eccleſiæ oſtiũ reſeraret, quod antea gentibus reſeratat; de vtroque enim præceptum erat, *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis.* Opus igitur à Philippo, imo à Domino per Philippum incæptum, traditur à Deo Petro Apoſtolorum Principi conſummandum. Et hac ratione videmus quomodo hoc ſigillum ſecundum fuit ab agno apertum; nam ſicut diximus fuiſſe apertum primum, nempe baptiſmi ſigillum, cum Petrus illius vim & efficaciam palam & publicè declarauit, ita poſſumus dicere hoc ſigillum, quo Spiritus ſancti donum continetur, fuiſſe apertum, ſiue cum Petrus Act. 2. Prophetiam Ioëlis (*Et erit in nouiſſimis diebus, dicit Dominus, effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, &c.*) de dono Spiritus ſancti interpretatus eſt poſt deſcenſum Spiritus ſancti; ſiue cum Act. 8. hoc Sacramentum Samaritis, qui ante fidei ſuſceptionem non tantum ignorabant an eſſet Spiritus ſanctus vt gentiles, imo etiam fidem Spiritus ſancti impugnabant. *Ecce*, inquit doctiſſ. & piiſſimus Cardin. *tibi cur diuina prouidentia primum ac ſubinde Apoſtolorum conſilio factum ſit, vt Petrus qui primatum gereret inter Apoſtolos, præ cæteris vna cum Ioanne Samariam miſſus ſit, ſcilicet vt quod muneris, eius potiſſimum eſſe videretur, non tantum ille Eccleſiã reſeraret, ſed & clauibus ſibi traditis cælum illis, vnde Spiritus ſanctus deſcenderet, aperiret, &c.* Nunc quodnam myſterium ſit illud, quod contemplari nobis licet in apertione huius ſigilli, videamus; ſi prius ſymboli ideam ſub quo proponitur explicuerimus.

Act. 2.

Act. 8.

Quantum igitur ad ideam ſymboli ad apertionem ſecundi ſigilli apparentis, talis eſt. Secundum animal ſimile ſcilicet vitulo audit S. Ioannes dicens: *Veni & vide.* Quod eo modo intelligendum eſt quo diximus primum animal dixiſſe, *Veni & vide.* Ad hanc vocem exit alius equus rufus; non ait, *Ecce*, ſicut in primo ſigillo, *Et ecce equus albus*; Quia non tanta admiratione dignum eſſe videtur, vt qui Deum cognoſcit illum amet & diligat ſupra omnia, quàm quod quis à tenebris ignorantiæ erutus ad eius cognitionem per fidem infuſam perueniat.

At fidelem deſignari diximus in equo albo: eumdem autem vt Deum ſupra omnia diligentem, dicimus deſignari in hoc equo rufo, & ideo non dicit: *Et ecce equus rufus*, ſicut dixit: *Et ecce equus albus.* Per iſtum autem colorem, igneum colorem ſignificari vult S. Dionyſius. Areopagita. *Gemmarum*, inquit, de cæleſti Hier. c. 15. *Verò varietate colorum diſtinctas ſpecies ſignificare, aut quod candida ſint, lucis ſpeciem; aut quod rubræ, ignis; aut quod fuluæ, auri: aut quod viridis, iuuentutem & vigorem exiſtimare debemus.* Colorem igneum hic denotari clarum eſt. Græcè enim habetur ἐπὶ πυρρὸς ſicuti apud Dionyſium habetur ἐξ ἴσου πυρὸς aut quod rubræ ignis. Calepino autem rufus eſt non plane rubeus, ſed ad flauum declinans. Viegas vero ex Gellio l. 2. noctium Atticar. c. 26. vult rufum colorem à rubore quidem ſic appellatum; ſed cum aliter rubeat ignis, aliter ſanguis, aliter oſtrum, ſiue purpura, aliter crocus, has ſingulas rufi varietates vna rufi ſiue ruboris appellatione ſignificari. Itaque ſub colore rufi comprehendi igneum, ſanguineum, croceum, purpureum aureum, ſiue fuluum, flauum denique & puniceum, qui in dactylis ſeu palmarum fructibus reperitur, & exuberantiam habet ſplendoris.

S. Dion.

Calepin.

Vieg. ex Gellio

Et qui ſedebat ſuper illum, datum eſt ei vt ſumeret pacem de terra. Nec figura nec veſtis huius ſeſſoris exprimitur, ſicut nec ſeſſoris primi equi figuram aut veſtem expreſſit. Addit S. Ioannes datum eſſe etiam huiuſmodi ſeſſori vt ſe inuicem interficiant. Quinam, quæſo; interficere ſe debent? Certe hi qui in equo rufo & equite ſignificantur, qui pacem tanquam hæreditario iure ſibi debitam de terra ſumunt, vt eam apud ſe retineant; & ij qui terram & terrena ſapiunt à quibus pax aufertur: *Non* enim *eſt pax impiis*, dicit Dominus Iſ. Quod vt efficaciter faciant datus eſt ſedenti ſuper equum rufum gladius magnus, vt non à longe & eminùs pugnet, ſed cominùs poſſit abſque formidine quoſcumque inimicos aggredi, & cum eis certamen inire. Et hæc de idea ſymboli. Ex Dionyſ. tamen Carthuſiano annotare non erit ſuperfluum, *In cuiuſlibet ſigillorum, inquit, apertione videtur egredi equus: per quod datur intelligi quod mox cum Ioannes in viſione imaginaria cernebat ab agno aliquod horum ſigillorum aperiri ſeu ſolui, intuitus eſt equum imaginariè egredi; per quod ei imaginaria viſione præſentabatur, & ſimul intellectuali reuelatione pandebatur, quid in ſtatu Eccleſiæ eſſet venturum ſeu inchoatum pleniuſque implendum.* Hæc ille.

Dionyſ. Car.

Et exiuit alius equus rufus.

Quod & quale Myſterium ſub ſymbolo equi rufi ſignificetur.

ANNOTAT. III.

HVNC equum in bonum partem accipio cum Ambroſio dicente: *Seſſor vero huius equi Dominus eſt, qui in ſanctis ſuis habitat.* Hæc Ambr. cum Andrea Cæſarienſi, qui putat de Martyribus & Doctoribus, qui ſecundam ab Apoſtolis ſucceſſionem conſtituerunt, fieri mentionem: qui per equum rufum, inflammatum illorum affectum qui mortem pro Chriſto oppetierunt ſignificari vult: & per inſidentem equo ſapientiſſimam Dei permiſſionem, quæ fidos Dei ſeruos per tentationes probari & explorari ſinit. Nec ratio à Cornelio à Lapide allata, nempe quod equus rufus pacem terræ conturbat, ſatis viget: aliud eſt enim pacem turbare, aliud eam ſumere de terra: quibus verbis optimus ſenſus datur tum ab Ambroſio tum ab Andrea Cæſar. Bona quippe illa diſſenſio, quæ nos à ſenſibus, ab appetitu illicito abſtrahit, vt mens noſtra pacem habeat cum Deo, *In hac enim*, inquit Andreas, *Eccleſiæ ætate, dilatatâ iam Euangelij prædicatione, mundi huius pax diſſoluta, hominumque natura contra ſeipſam quodammodo diuiſa eſt: huc namque pertinet illud Chriſti. Non veni pacem mittere ſed gladium; per quem Martyrum hoſtiæ mactatæ, & in cæleſti ara oblatæ ſunt.* Hæc Andr. O bellum exoptandum, ex quo pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum, abundat in cordibus noſtris! Ex illa igitur turbatione pacis, nihil nobis funeſti eſt excogitandum. *Hanc ergo pacem*, inquit Ambroſius, (*nempe bonam*) *Deus de terra ſumpſit, quando iuſtos homines ab impiis ſeparauit mente non corpore.* Ita Ambr.

Ambroſ. Andr. Cæſar.

Dico itaque per hunc equum denotari fidelem Chriſtianum, in quantum Deum ſuper omnia diligentem, quo fit vt eius amore flagrans illius nomen confiteri nec veretur nec timet, ſed pro eo mortem etiam oppetere paratus ſit. Magnum proculdubio myſterium, & Chriſti Domini in nobis operantis operatio glorioſa, vt ſicut fide mentem ſubegit, & in ſuam redegit ſeruitutem, ita voluntatem hominum fluxam, mutabilem, firmiſſimo charitatis nexu aut vinculo ſibi adhærere faciat, ad quam indiſſolubilem vnionem obtinendam Sacramenti Confirmationis character nempe & gratia ordinantur. Etenim ſicut per characterem baptiſmi ſiue ſpiritualis regenerationis, in vitam Chriſtianam homo accipit poteſtatem ad ea agenda quæ ad propriam perti-

Digitized b

nent salutem, prout scilicet secundum seipsum viuit, & ad protestandam suam fidem per susceptionem aliorum Sacramentorum: ita cum alia sit actio quæ competit ei, qui ad perfectam ætatem peruenit, ab actione hominis recenter nati: per Characterem Confirmationis, seu per spirituale illud augmentum promouens hominem in spiritualem ætatem perfectam, quod recipitur in Sacramento Cõfirmationis, datur homini potestas ad quasdam actiones sacras, præter illas ad quas datur ei potestas in baptismo, videlicet ad agendum ea quæ pertinent ad pugnam spiritalem contra hostes fidei non tantum inuisibiles sed etiam visibiles; contra, inquam, fidei persecutores, publicè profitendo fidem Christi, absque rubore aut timore, quasi ex officio: quo fit vt à Charitate Christi nihil nos auellere possit, & cum Apostolo dicere possumus, *Quis nos separabit à Charitate Christi, tribulatio an angustia? &c.* Perducti quippe ad virilem ætatem spiritualem fortes facti sumus in bello, & ad nos pertinet quod dicitur 1. Ioan c. 2. *Scribo vobis iuuenes, quoniam fortes estis & Verbum Dei in vobis manet, & vicistis malignum.* Tales siquidem vere sunt equi, quibus verbum insidet, qui nec timore nec verecundia ducti à Christi confessione non auertuntur; nec enim absque causa Ioel Spiritus sancti aduentum prædicens hac voce vsus est: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem* c. 2. Nam vt docet S. Cyrillus Hierosoly. Catech. 17. *Equidem mirum est quomodo pluuia cum vna eademque sit nihilominus diuersos induit colores in diuersis floribus transmissa; in spina sit alba; in rosa, rubicunda; in hyacinthis purpurea; ac in diuersis speciebus diuersa: & in omnibus sit omnia, cum ipsa nihilominus eadem eiusdem sit speciei: neque enim,* vt ait ille Catech. 16. *seipsam transmutans pluuia alia & alia descendit, sed vnicuique naturæ se adiunxerit illi fit incrementum; sic & Spiritus sanctus cum sit vnus & idem & non diuisibilis, vnicuique diuidit gratiam prout vult. Et quemadmodum aridum lignum aqua participans flores emittit, sic & anima peccatrix, per pœnitentiam Spiritu sancto digna reddita, iustitiæ racemos progenerat: & cum ipsa sit vniformis, multas, nutu Dei & in nomine Christi, virtutes operatur. Nam,* addit Cyrillus, *alterius quidem linguæ sese accommodat ad sapientiam, alterius autem animam illuminat in prophetia, alij datur potestas ejiciendi dæmones, alij vero datur facultas interpretandi scripturas diuinas, alterius temperantia corroborat, alium instituit ad eleemosynam, alium docet ieiunare & exerceri ad potestatem, & res corporeas contemnere.* Hæc Cyrill. Quæ quidem omnia præclari sunt effectus Spiritus sancti, qui in Sacramento Confirmationis datur: sed tamen multo illustriores sunt alij effectus, qui ab ipso etiam Cyrillo proponuntur, & qui proprij esse videntur gratiæ quæ in hoc Sacramento confertur; quos explicabimus huius symboli explicationem prosequentes, eiusque proportionem & conuenientiam, cum Christiano Deum supra omnia diligente, exponentes?

1. Ioan. c. 2.

Ioel.

Cyrill. Hieros.

Conuenientia symboli cum fideli Christiano Deum supra omnia diligente.

ANNOTAT. IV.

Cur secundum animal simile Vitulo, ad videndum Mysterium secundi sigilli prouocat. §. 1.

OPTIME animal simile vitulo ad contemplationem huius mysterij prouocat: ab eo siquidem conjicimus quinam sit ille effectus specialis Spiritus sancti in nobis manentis, & Christi Domini operantis, nempe quod tanta sit nostra ad Deum charitas, vt tales nos exhibeamus quales exoptat Apostolus Rom. 12. cum ait: *Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum: & nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta:* & hoc siue corpori illicita denegando, licita etiam aliquando subtrahendo, & demum labores pro Dei amore libenter suscipiendo, dolores & mortem patienter imo & alacriter pro eius gloria oppetendo: nam cum vitulus sacrificij & sacerdotij sit symbolum, rectè ad mortificationi crucis Christi, & martyrij contemplationem, quibus nos Deo consecramus & dedicamus, per animal simile vitulo prouocamur his verbis: *Veni & vide*, id est, iuxta Dionys. Carthus. *Veni, spirituali appropinquatione, desiderando & aduertendo diuina: & vide 4. intellige ea.* At quæ diuina hìc desiderare & aduertere & intelligere possumus, nisi vt adeo fortes & generosi simus, vt cum Christo vitiis & peccatis plane emortui, etiam cum illo mori corporaliter concupiscamus? Eo ipso quo plene Christiani sumus per Confirmationis Sacramentum, *In nobismetipsis responsum mortis habuimus, vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos* 2. ad Cor. 1. Hoc autem sacrificium *placebit Deo super vitulum nouellum cornua producentem & vngulas:* Nihil quippe Deo gratiùs, quàm si quis ei semetipsum offerat, siue per mortificationem sensuum & appetituum, siue per Martyrium. Hæc autem sententia nostra probabilitatem & verisimilitudinem obtinet ex Ruperti autoritate, qui per secundum animal vitulum nempe, intelligit passionem Christi: *Quando,* inquit, *Christus Iesus humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, magnum vtique sigillum libri agnus aperuit: plurimam quippe partem scripturarum eadem sua passione adimpleuit, & intelligibilem fecit, &c.* Et post pauca: *Secundum animal 4. facies vituli, ipsa est passio Domini cuius vocem toties audimus, quoties ipsa nobis annunciatur, &c.* Bene igitur per vituli figuram conjicimus mysterium quod dicimus manifestari in huius sigilli apertione esse vim & potestatẽ, quam exercet diuina Charitas in voluntates fidelium, quas ita in sui dilectione firmat, vt nec mortem nec tormenta timeant, sed omnia aduersa, pro Christo libenter sufferre desiderent Christi passionibus communicantes.

Rom. 12.

Dionys. Cart.

2. ad Cor. 1.

Rupertus.

Et exiuit alius equus.

Quod Christianus per gratiam Sacramenti Confirmationis alius efficitur. §. 1.

Bene alium dicit: etenim vt planè alius euadat fidelis Christianus, postquàm per fidem ad eum accessit verbum diuinum, habitante Christo per fidem in corde illius, oportet vt ad eum accedat ille alius paraclytus à Christo promissus, cum Charitas in corde infunditur: *Charitas* enim *diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis,* inquit Apostolus. Duobus enim Sacramentis opus fuit vt homo Christianus in vita spirituali perficeretur, Baptismo quo homo vitam spiritualem accipit, *Iustus* enim *ex fide viuit*: & Confirmationis Sacramento quo homo accipit quasi quandam perfectam ætatem spiritualis vitæ: vnde vt refert etiam S. Tho. 3. q. 72. ar. 1. Melchiades Papa dicit, *Spiritus sanctus, qui super aquas baptismi salutifero descendit lapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præstat ad gratiam, in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam. In baptismo abluimur, post baptismum roboramur.*

S. Thomas. Melchiades Papa.

Digitized by Google

Ita ex S. Tho. Roboramur autem per Charitatem, aduenientе in nobis plenitudine Spiritus ſancti in hoc Sacramento, ſicut ad vitæ noſtræ inchoationem aduenisſe Chriſtum dicere poſſumus, cum illuminamur per fidem in baptiſmo, qui dicitur Sacramentum illuminationis: & ideo alius equus dicitur, tum vt miſſionem ſpiritus (de quo aiebat ſaluator: *Alium paracletum dabo vobis*) ſignificetur; tum quia illi qui ante eius aduentum erant infirmi & imbecilles, per aduentum eius plane alij inueniuntur, adeo ſunt magnanimi & fortes; vt perfectas hominis Chriſtiani actiones perficiant quas perficere antea minimè potuiſſent. Igitur hîc alius equus, nullus eſt alius quam Chriſtianus ad perfectam ætatem vitæ ſpiritualis adductus per Sacramentum Confirmationis. Optimè igitur Cyrillus Hieroſoly. Catecheſ. 3. *Saluator poſt baptiſmum, & illum ſancti Spiritus aduentum ingreſſus in prælium deuicit aduerſarium: ſic & vos poſt ſacrum baptiſma & Chriſma myſticum, induti armis ſancti Spiritus aduerſus oppoſitam vobis poteſtatem conſiſtentes & proclamantes dicite: Omnia poſſum in eo qui me confortat Chriſto. Huius ſancti Chriſmatis dono accepto, meritò appellamini Chriſtiani, veram efficientes appellationem in ipſa regeneratione. Ante enim quàm hæc gratia vobis donata eſſet, non eratis propriè digni eo nomine, ſed pergentes eouſque progreſſi eſtis, vt efficeremini Chriſtiani.* Hæc Cyrillus. Hæc autem diuina ſpiritus operatio Chriſto tribuitur à S. Dionyſ. Areopag. de Eccleſiaſtica Hierarch. *Quin etiam*, inquit, *ei qui ſanctiſſimo diuini ortus ſacro initiatus eſt, diuinus ſpiritus aduentum vnguenti dat perfuſio: quod ſignificet, vt mihi videtur, ſacra ſignorum deſcriptio ab eo qui causâ noſtrâ vt homo à diuino ſpiritu ſanctificatus eſt, immutabili diuinæ eſſentiæ ſtatu permanente, diuiniſſimum ſpiritum dari.* Hæc Dion. Si igitur à Chriſto datur ſpiritus, cum eius ſit ſpiritus qui ab eo datur, eius erit & ſpiritus operatio: & de huius Sacramenti effectu ſicut de effectibus aliorum dici poteſt quod docet S. Tho. 3. q. 64. ar. 3. quod interiorem Sacramentorum effectum operatur Chriſtus, & ſecundum quòd eſt Deus, & ſecundum quod eſt homo: nam ſecundum quod eſt Deus operatur in Sacramentis per autoritatem; ſecundum quod eſt homo operatur ad interiores effectus Sacramentorum meritoriè & efficienter, ſed inſtrumentaliter, inquantum humanitas eſt inſtrumentum coniunctum diuinitati in perſona: vnde habet quandam principalitatem & cauſalitatem reſpectu inſtrumentorum extrinſecorum, qui ſunt Miniſtri Eccleſiæ.

Ex his patet quinam ſit illius equi ſeſſor, nempe Chriſtus, qui per ſuum ſpiritum fidelem Charitate accenſum regit; ſiue etiam ipſemet ſpiritus per quem aguntur & impelluntur ad agendum iuxta illud Prophetæ: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, Et illud Apoſtoli 1. ad Cor. 2. *Non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis*: Et quodnam melius donum quam vt Filij à Spiritu Dei agamur, impellamur, & in terram lacte & melle fluentem, in terram rectam introducamur? Hic autem Spiritus eſt Spiritus Chriſti, vt quomodo ipſe Filius eſt Dei naturalis, ita nos ſimus Filij adoptiui, illius Spiritu repleti. Hinc Apoſtol. ad Galat. c. 4. *At vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus*. Ecce gratia baptiſmalis qua in Filios adoptamur: Proſequitur Apoſtolus: *Quoniam autem eſtis filij, miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda noſtra, in quo clamamus: Abba, Pater, Itaque iam non eſt ſeruus ſed filius, quod ſi filius, & hæres per Deum*: Ecce plenitudo ſpiritus, per quem prodit & exit alius equus, id eſt, qui per baptiſmum erat velut infans modo genitus, nunc perfectus eſt vir, hæreditatis paternæ non modò capax, ſed etiam qui valeat paternæ gloriæ impugnatores & oſores fortites debellare, & omnia aduerſa pro Chriſto cum gaudio tolerare: nam ſicut Chriſtus ſpirituali oleo exultationis vnctus eſt, hoc eſt Spiritu ſancto, qui idcirco oleum exultationis vocatur, quia eſt autor & cauſa exultationis, ita Chriſtiani vt docet Cyrillus Hieroſol. Catech. 3. *Vncti ſunt vnguento, facti participes & conſortes Chriſti*: Hinc gaudent in tribulationibus, hinc iacturam & rapinam bonorum cum gaudio ſuſcipiunt. Sed hæc amplius pateſcent, ſi colorem huius equi expendamus.

Equus rufus.

Effectus præcipuus huius Sacramenti in colore huius equi deſignatur, & qua ratione hic effectus cauſetur & producatur. §. 3.

Equus eligitur pro ſymbolo hominis Chriſtiani perfecta ac plena Charitate Dei flagrantis, vt diuinæ operationis virtus magis eluceſcat. Etenim equus aliquando ſymbolum eſt animi intemperantis, laſciui, & poſt concupiſcentias & voluptates ſuas laxis habenis abeuntis, Ierem. 5. *Saturaui eos & mœchati ſunt, & in domo meretricis luxuriabantur. Equi amatores & emiſſarij facti ſunt.* Et c. 8. *Attendi & auſcultaui: Nemo quod bonum eſt loquitur, nullus eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo dicens: Quid feci? Omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium.*

O mira diuini amoris efficacia! Qui tanto impetu propriam voluntatem adimplere ſatagebant, vt nullo iudiciorum Dei timore retardari valerent à malis; qui poſt concupiſcentias ſuas vt equi emiſſarij abibant effrenatè, nunc ad alia conuerſi nihil timent, omnia audent pro Dei amore, omnia ſpernunt, tormenta & cruciatus non pertimeſcunt, mori parati ſunt vt Dei honorem tueantur, & vt equi parati ad prælium, in campum exeunt. *Et exiuit alius equus rufus. Primum*, inquit Pierius l. 4. Hieroglyph. *omnium equum hieroglyphicum & belli ſignum eſſe clariſſimo Virgilij teſtimonio dicentis*

Bello armantur equi bellum hæc armenta minantur.

Optimè igitur ad ſignificandum hominem Chriſtianum, in quo Sacramentum Confirmationis ſuum obtinet effectum, equus pro ſymbolo aſſumitur. Confirmatio enim, vt iam diximus, ordinatur ad perficiendam fidem in baptiſmo acceptam, eamque coram tyranno forti animo, ſi opus ſit, profitendam. Rufus eſt hic equus ſeu igneus, verus & genuinus color perfectæ Charitatis, de qua Cant. 8. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum, quia fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio: Lampades eius lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere Charitatem.* Hæc eſt illa ignea charitas, quæ carnis concupiſcentias refrenat, diuitias calcat, quælibet ardua aggreditur, quælibet aduerſa libenter patitur, vt ſeipſam totam in ſacrificium & holocauſtum offerat. Et certè oportet vt qui ſe in ſacrificium ſuauitatis Deo offerat, primo voluptates carnis compeſcat. Dictum olim erat ex verſibus ſibyllinis, *Miles Romane Ægyptum cane*; vt hac voce admonerentur milites, ne voluptatibus & laſciuia Ægyptiorum eorum eneruaretur animus. At multo magis hoc dicendum eſt militi Chriſtiano, qui veram fidem, id eſt, Romanam fidem ſectatur: Chriſtiane miles, delitias caue: vt illas fugias locum da Spiritui ſancto, ipſum admitte. Rex

Cyrillus Hieroſolym. — Cyrillus Hieroſolym. — S. Dionyſ. Areopag. — S. Thomas. — 1. ad Cor. 2. — Ad Galat. 4. — Ierem. 5. — Ierem. 8. — Pierius. — Cant. 8.

Digitized by Google

S. Cyrillus. ete ſanctus Cyrillus ait: *Quod ſi forte ſedenti tibi, de caſtitate aut Virginitate ſubeat cogitatio, illius eſt doctrina. Nonne perſæpe puella iam ad ſponſi thalamum conſtituta effugit, Spiritu ſancto de Virginitate eam docente? Nonne ſplendidus aliquis homo aulicus contempſit diuitias, probè inſtructus à Spiritu ſancto? Nonne iuuenis ſæpe videns pulchritudines compreſſit oculos, & ne amplius videret auſugit pollutionemque vitauit? Quæris vnde id contingat, Spiritus ſanctus certè ſic erudiuit animam adoleſcentis; tot ſunt auaritiæ in mundo, & tamen nihil poſſidere eligunt Chriſtiani.* Hæc Cyrillus. Etenim verè & plenè Chriſtiani, qui ignea flagrant charitate, omnes mundi diuitias ſicut & carnis illecebras pro ea contemnunt. *Si dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.* Cant. 8. Quod autem ille ſpiritus non ſolum hæc in nobis perficiat, ſed etiam vim & robur præliandi afferat contra ſalutis inimicos, vt dicat fidelis: *Benedictus Deus qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum*, docet etiam S. Cyrillus Catech. 16. *Magnam igitur commilitonem & auxiliatorem apud Deum habemus, magnum Eccleſiæ doctorem, magnum protectorem noſtrum. Non metuamus ergo dæmones nec diabolum: maior eſt enim qui certat pro nobis, modo illi oſtia aperiamus. Obambulat enim ille, qui digni ſunt quærens, & quibus dona conferat. Vocatur quoque paracletus propter conſolationem & auxilium infirmitatis noſtræ: nos enim quid & quatenus orare debemus, neſcimus: ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus ineffabilibus. Manifeſtum autem eſt quod apud Deum ſæpe propter Chriſtum aſſicitur contumelia & ignominia quiſpiam, Martyrium imminet, tormenta vndique & ignis & gladius & beſtiæ & gurgites. Verum interea Spiritus ſanctus alloquitur: Suſtine Dominum, parua ſunt iſta quæ fiunt, breui tantum tempore labora, & in ſempiternum eris cum Angelis: Non ſunt condignæ paſſionis huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis: Deſcribit homini regnum cælorum, demonſtrat deliciarum paradiſum; ac martyres quidem vultu corporeo ſiſti cogebantur coram iudicibus, potentiâ autem animi erant in paradiſo, contemnebantque præſentes difficultates. Vis autem ex ſcripturis noſſe virtutem Spiritus ſancti? Martyres Chriſto teſtimonia exhibere ſaluator ipſe dicit ad diſcipulos: cum adduxerint vos in ſynagogas & ad principatus, & poteſtates, ne ſitis ſolliciti quid reſpondeatis aut quid dicatis: ſpiritus enim ſanctus docebit vos in illa hora quid vobis dicendum ſit. Fieri enim non poteſt vt quis de Chriſto præbeat teſtimonium, niſi per Spiritum ſanctum teſtetur; ſi enim nemo dicere poteſt Dominum Ieſum, niſi in Spiritu ſancto, vitam pro illo & ſanguinem quis profundet niſi in Spiritu ſancto?* Hæc Cyrillus.

Quibus clarum eſt igneum colorem rectè tribui huic equo, vt pote illuminationis & feruentis dilectionis, quarum autor eſt Spiritus ſanctus, aptiſſimum ſymbolum. Siquidem in dubium reuocari non poteſt ignem ſymbolum eſſe charitatis & Spiritus ſancti, dicente Chriſto: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt ardeat?* Quod de charitate intelligi clarum eſt. Et Ioannes Baptiſta apud Matth. 3. Matth. & Luc. dicebat: *Ille vos baptizabit in Spiritu ſancto & igne.* Ac ſi diceret: Perficiet meum baptiſma pœnitentiæ, non ſolum aqua vos mundans & regenerans, ſed etiam Spiritu ſancto & igne, cum in figura ignitarum linguarum ſuprà diſcipulorum capita deſcendet: hac enim ratione plenitudinem accipietis Spiritus ſancti. Qua ratione autem hic ignis accendatur nunc videndum. Hunc ignem Chriſtus, ex poteſtate excellentiæ quam exercet in Sacramentis, contulit Apoſtolis, cum rem Sacramenti Confirmationis, id eſt plenitudinem Spiritus ſancti, ſine materia illius ipſis contulit, eoquod ipſi primitias Spiritus ſancti acceperunt ſicut dicitur Rom. 8. Quæ etiam aliquando

A non fuit neceſſaria, videlicet cum ad impoſitionem manus Apoſtolorum & ad eorum prædicationem deſcendebat plenitudo Spiritus ſancti ſuper fideles ſub viſibilibus ſignis, ſicut à principio deſcenderat ſuper Apoſtolos: vnde Petrus dicit Act. 11. *Cum cœpiſſem loqui cecidit Spiritus ſanctus ſuper eos, ſicut & in nos initio.* Vnde non erat neceſſaria ſenſibilis materia Sacramentalis, vbi ſenſibilia ſigna miraculosè exhibebantur diuinitus. Quando autem ſigna hæc viſibilia non exhibebantur, vtebantur Apoſtoli Chriſmate, nempe vnguento ex oleo & balſamo compoſito, ad operationem multiformen Spiritus ſancti, cuius plenitudo datur, deſignandam; ſimulque ſignificandum in oleo effuſionem ſpiritus & gratiæ diuinæ, quæ per Apoſtolos

B ad alios deriuanda erat. Nec enim homo ad perfectam ætatem adductus, qualis eſt ille qui effectum huius Sacramenti obtinuit, ſingulariter ſibi ipſi viuere debet: ſed ad alios ſuas debet communicare actiones, aliiſque prodeſſe. In balſamo autem, quod odore præſtat; ſignificabatur exemplo & doctrina Confirmatos & vnguento delibatos, alios debere ad Chriſtum allicere, dicente Apoſtolo: *Chriſti bonus odor ſumus Deo*, 2. ad Cor. 2. Hac 2. ad Cor. 2.
etiam ratione, ſicut oleo ignis fouetur, ita his operationibus charitas (quæ per ignem deſignatur) conſeruatur, augetur & perficitur. *Sicut oleum*, inquit Cyprianus de vnct. Chriſ. *fluitat, & humidis*
S. Cyrillus. S. Cyprian.
C *quibuſlibet ſuper ſertur, ita excellentia ſacerdotalis & regiæ dignitatis, ſecundum formam Dei & Chriſti, ſub ſe omnia continens, regimen & munimentum actiuæ quàm contemplatiuæ vitæ obtinet; & ex hoc humore conflat deſcendere omnes gratiarum diuiſiones, quas Spiritus ſanctus prout vult ſingulis diſtribuit & largitur.* Et paulo poſt: *Hoc oleo vncti cum ſpiritualibus nequitiis colluctamur, nec ſætoribus ſpuris imbui poſſumus, qui balſami ſpiritalis odore flagramus.* Hæc Cyp. Si quæras igitur cur ille equus rufus eſt, id eſt igneus, dico rufum eſſe ſeu ignei coloris, ex eoquod per hanc vnctionem, charitatem perfectam conſequuntur, cuius igneus color eſt ſymbolum: de qua vnctione Dionyſ. Areopagita c. 4. Eccleſ. Hierarch. in principio, Dion. Areop.
D *Eſt autem, & finitimum alterum Sacramentum, quod præceptores noſtri vnguenti myſterium nominant.* Sanctus Thom. 3. q. 72. ar. 2. alio modo hunc locum vertit: *Eſt quædam perfectiua operatio, quam duces noſtri,* S. Thomas.
id eſt Apoſtoli, Chriſmatis hoſtiam nominant. De illa etiam Theodoretus in Cant. c. 1. illum locum ex- Theodoretus.
ponens: *Vnguentum effuſum nomen tuum. Quod ſi magis myſticè vis intelligere ſacri baptiſmatis myſterium recordare, in quo qui initiantur, poſt ſatanæ abnegationem & Dei confeſſionem veluti ſigno & nota quadam regia ſpiritualis vnguenti Chriſmate inuncti, ſub ea viſibili vnguenti ſpecie inuiſibilem ſanctiſſimi ſpiritus gratiam ſuſcipiunt.* Hæc Theod. Per hanc vnctionem igne diuino ſuccenſi in regale ſacerdotium euehimur, dicente Cypriano de vnctione Chriſmatis in die cœnæ. *Hodie*, inquit, *in Eccleſia cum cæteris vnctionibus ad* Cypriano.
E *populum acquiſitionis ſanctificandum, in participationem dignitatis & nominis ſacrum Chriſma conficitur: in quo mixtum oleo balſamum regiæ & ſacerdotalis gloriæ exprimit vnitatem: quibus dignitatibus initiandis diuinitus vnctio eſt inſtituta.* Hæc Cyp. Dicente etiam inſuper Origene Hom. 9. in Leuiticum: *Duas audiſti ædes,* Origenes.
vnam quaſi viſibilem & patentem ſacerdotibus, aliam vero inuiſibilem & inacceſſam, excepto ſolo Pontifice, cæteris foris ſunt. Prima ædes iſta, puto quod intelligi poſſit hæc in qua nunc ſumus in carne poſiti Eccleſia, in qua ſacerdotes miniſtrant ad altare holocauſtorum, ſuccenſi illo igne de quo dixit Ieſus: ignem veni mittere in terram, & quàm volo vt accendatur. Et nolo mireris quod hæc ædes ſolis ſacerdotibus pateat, omnes enim quicumque vnguento ſa-

Digitized by Google

eri Chriſmatis delibuti ſunt, ſacerdotes effecti ſunt; ſicut & Petrus ad omnem dicit Eccleſiam. Vos autem genus ſacerdotale. Et ideo acceditis ad ſancta, ſed vnuſquiſque noſtrum habet in ſe holocauſtum ſuum, & holocauſti ſui ipſe ſuccendit altare, vt ſemper ardeat. Ego ſi renunciem omnibus quæ poſſideo, & tollam crucem meam, & ſequar Chriſtum, holocauſtum obtuli ad altare Dei; aut ſi tradidero corpus meum vt ardeam habens charitatem & gloriam martyrij conſequar, holocauſtum meipſum obtuli ad altare Dei: Si diligam fratres meos itaut animam meam ponam pro fratribus meis; ſi pro iuſtitia, pro veritate, vſque ad mortem certauero, holocauſtum obtuli ad altare Dei: Si membra mea, ab omni concupiſcentia carnis mortificauero; ſi mundus mihi crucifixus eſt & ego mundo, holocauſtum obtuli ad altare Dei, & ipſe meæ hoſtiæ ſacerdos efficior. Hæc Orig. Vides quàm bene forma huius Sacramenti conueniat cum re ſignificata & eius effectu: *Conſigno te*, videlicet, *ſigno crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.* Datur Spiritus ſanctus in hoc Sacramento ad robur ſpiritualis pugnæ: ad quod tria ſunt neceſſaria; cauſa conferens, nempe ſanctiſſima Trinitas; illud robur ſpirituale, & ſignum ſeu inſigne quo poſſit miles ab aliis ſecerni, vt pro quo militet, & cuius partes teneat & cauſam agat, dignoſcatur. Primum exprimitur his verbis: *In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti*; ſecundum in iſtis, *confirmo te Chriſmate ſalutis*; tertium, *Conſigno te ſigno crucis*, In quo ſcilicet rex noſter triumphauit. Coloſ. 3. Quod ſignum ponitur in fronte, tum quia ſignum illud debet eſſe manifeſtum: & cum frons pars ſit corporis manifeſta quæ raro obtegitur, ideo linitur confirmatus Chriſmate in fronte, vt in manifeſto demonſtret ſe eſſe Chriſtianum: tum quia aliquis impeditur à libera confeſſione nominis Chriſti propter timorem, & propter verecundiam: vtriuſque autem horum ſignum maximè manifeſtatur in fronte propter propinquitatem imaginationis, & propter quod ſpiritus à corde directè ad frontem aſcendunt, verecundati erubeſcunt, timentes palleſcunt: Et ideo in fronte ſignatur Chriſmate, vt neque propter timorem, neque propter erubeſcentiam nomen Chriſti confiteri pertimeſcat. Ita S. Tho. 3. q. 72. ar. 9. Et ſicuti proprium ducis eſt militibus ſuis inſignia præſcribere, ita pontificum eſt hoc ſignum militiæ Chriſtianæ imprimere. Hinc Leo Epiſt. 88. vetat Chorepiſcopis Chriſma conficere, aut Chriſmate baptizatorum frontes ſignare. Et S. Greg. l. 3. Ep. Ep. 9. *Presbyteri baptizatos infantes ſignare ſacro in frontibus Chriſmate non præſumant, ſed Presbyteri baptizatos vngant in pectore, vt Epiſcopi poſtmodum vngere debeant in fronte.*

Quod autem hæc vnctio fieri debeat in modum crucis, à ſimili conjicitur ex Dionyſio. Vnctio quæ à Presbytero fit in baptiſmate fit in modum crucis: conſentaneum eſt etiam vt in Confirmatione in eum modum perficiatur, vbi fidelis plene fit Chriſtianus & crucis Chriſti ſectator. At in baptiſmate inquo tantum incipit vitam Chriſtianam, eo modo vngitur, ex Dionyſio qui ait Eccleſ. Hierarch. c. 4. *Hinc etiam vt opinor in lauacrum peccati originalis purgationum, vnguentum aſperſionibus crucis figuram expreſſit, infundens pontifex plane miniſtrat mentis oculis Ieſum vſque ad mortem ipſam quam perpulit pro diuino ortu noſtro demerſum, diuino ipſo & qui teneri à morte non potuit deſcenſu, eoſque qui morte ſua, vt abſtruſa ſcriptura ſancta tradit, baptizentur: ex antiquæ mortis interitum afferentur, vt ita dicam, abſorptione, benigne extrahentem renouantemque ad diuinum æternumque ſtatum.* Ita Dion. Igitur ſi in baptiſmo, in quo tantum Chriſtianæ fidei initium datur, ſigno crucis vtendum eſt, multo magis in vnctione Chriſmatis, in qua manifeſta fit vitæ Chriſtianæ profeſſio. Vnde in forma hoc ſignum exprimi debet, vt nouus Chriſti miles palàm proteſtetur ſe illud non erubeſcere.

Quod autem à ſummo Pontifice, qui ſupremam iuriſdictionis habet poteſtatem, ſimplex ſacerdos poſſit recipere poteſtatem hoc Sacramentum adminiſtrandi, itaut poſſit eſſe extraordinarius Miniſter Cõfirmationis ex delegatione ſummi pontificis docent ſcholaſtici, nec hoc à noſtro ſymbolo alienum Charitas enim quæ vrget Eccleſiæ Paſtores, in colore igneo deſignata, impellit eos vt dum Epiſcopi non valent ad fidelium perfectionem hoc adminiſtrare Sacramentum, delegari poſſint à ſummo Eccleſiæ Paſtore, qui eorum vice hoc Sacramentum valeant miniſtrare. Non eſt autem noſtri inſtituti hæc omnia fuſius pertractare: ſufficit vt in hoc colore equi rufi, effectum illius Sacramenti, nempe feruentem Charitatem, nobis contemplari licuerit: ex eo enim quod quis Charitatẽ habeat igneam, exinde ad ſanguinem pro Chriſto fundendum inflammatur; purpurà regis induitur cum ſeipſum vincit: puniceo colore qui in dactylis & fructibus palmæ reperitur, ornatur, victoriam in tentationibus reportando: croceo colore ſeu aureo & flaueſcente decoratur, quia quidquid agit aut cogitat, Dei amorem ſupra omnia ac Chriſti crucifixi imitationem ſpirat: vt ſicut Chriſtus *à Chriſmate dictus eſt*, inquit S. Cypri. de vnct. Chriſ. *eoquod ſingularis excellentiæ oleo vnxeris eum Deus, ita & quotquot participes eius ſunt, conſortes ſunt tam vnctionis quam nominis & dicuntur à Chriſto Chriſtiani, vt ſint ſub Chriſto duce rectores & duces, & offerant Deo quotidianum ſacrificium ordinati à Deo ſanctimoniæ ſacerdotes.*

Coloſſ. 3.

S. Thom.

S. Leo.

S. Dionyſ.

S. Cyprian.

Et qui ſedebat ſuper eum datum eſt ei vt ſumeret pacem de terra.

Quanam ſint ſignæ, quibus dignoſci queat diuinam Charitatem in anima Chriſtiani regnare.

ANNOTAT. V.

Primum ſignum, Pacis poſſeſſio. §. 1.

IAM diximus quiſnam ſit ſeſſor huius equi, in quo tam præclarus præſentiæ Spiritus ſancti effectus agnoſcitur, nempe Chriſtus ſeu eius Spiritus: nec incredibile videri debet ſi ſub ſigillo ſeu adeo exili ſigno tam magnifica Chriſti operatio occultata ineſt, quæ manifeſtatur cum virtus iſtius Sacramenti vel prædicatur, vel per effectus dignoſcitur. *Non enim hæc medendis corporibus eſt vnctio inſtituta*, vt ait Cyprianus de Card. Chriſti op. c. de vnctio Chriſm. *quia ſanctificatis elementis iam non propria natura præbet effectum, ſed virtus diuina potentias operatur, ſed adeſt veritas ſigno, & ſpiritus Sacramento, vt & ipſis rebus efficientis gratiæ dignitas pateat, & interiori homini quanta ex hoc detur autoritas, Dei formi conuerſationi & cæleſtibus moribus innoteſcat.* Hæc Cyp. Deiformis autem eſt conuerſatio hominis Chriſtiani, & mores eius diuini & cæleſtes, ſi ſpiritus ſeſſori detur vt ſumat pacem de terra, illam in pectore ſuo condens, & ſi bellum gerat cum hoſtibus Chriſti, itaut dignus inueniatur mori mundo & carni, vt ſpiritus eius viuat in æternum: hæc fuſius enucleanda.

Antequam adueniret in nobis ſpiritus per charitatem in cordibus, videbamur fruì vmbratili quadam pace, acie mentis obtuſa, hebeti intellectu, voluntate voluptate ineſcata, abſque vlla repugnantia homines genio indulgebant; videban-

tur ſibi eſſe fælices & beati, ſi rerum omnium copia fruerentur, quo facilius quidquid appetitus carnis concupiſcere poſſet conſequerentur: promptuariis eorum plenis, eructantibus ex hoc in illud, ouibus eorum fœtoſis abundantibus in egreſſibus, bobus eorum craſſis, nulla apud eos materiæ inexiſtente ruina, neque tranſitu hoſtium neque clamore ciuium in plateis perterritis aut conturbati, beati dicebantur ex Pſ. 143. At mirum quantum mutata eſt rerum facies eo ipſo momento quo Chriſtus ſeu eius diuinus ſpiritus huius equi factus eſt ſeſſor. Etenim fidelis Chriſtianus charitate Dei accenſus deſignatus per equum rufum, *Qui*, inquit Andreas Cæſarienſis, *aut effuſi ſanguinis ſymbolum eſt, aut inflammatum illorum affectum ſignificat qui mortem pro Chriſto oppetierunt*: bellum indicit omnibus, vt ſibi pacem interius comparare & conſeruare queat, imo cum ſeipſo pugnat, tunc enim experiri & animaduertere incipit bellum illud intrinſecum, de quo Apoſtolus: *Sentio legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Rom. 7. Caro enim, vt ipſe ait, concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem: hæc enim ſibi aduerſantur, ad Galat. 5. quin & cum modo belligerat & dicit: Mihi mundus crucifixus eſt & ego mundo: & ſic pacem ſumit de terra. Fauet Andreas Cæſar. cum ait: *Dilatata iam Euangelij prædicatione, mundi huius pax diſſoluta, hominumque natura contra ſeipſam quodammodo diuiſa eſt: huc namque pertinet illud Chriſti, Non veni pacem mittere ſed gladium; per quem Martyrum hoſtiæ, & in cæleſti ara oblatæ ſunt.* Hæc Andr.

Pſ. 143. — Andr. Cæſar. — Rom. 7. — ad Galat. 5. — Andr. Cæſar.

Per hæc igitur dignoſcitur an Charitas regnet in homine: primo ſi pacem habeat. *Factus eſt enim in pace locus Dei.* Secundo ſi bellum inceſſanter agat cum carne, mundo & diabolo. Neque hic ſenſus à litera alienus Ambroſio autore, qui per equum vel aurei coloris vel ſanguinei ſanctos viros, ſapientia quæ per aurum figuratur, decoratos; vel in perſecutionibus, & aduerſis conſtantes intelligens, quòd ſanguis perſecutionum ſit figura, & per ſeſſorem Dominum qui in ſanctis habitat, ait Deum bonam pacem de terra ſumere, quando iuſtos homines ab impiis ſeparauit mente non corpore, vnde conſequens eſſe dicit, vt à quibus pax ablata eſt alius ab alio interficiatur: nam ſæpe iuſti iniuſtos, & iniuſti iuſtos interficiunt. Quomodo enim ſeparantur mente boni à malis, niſi quia in ipſis pax abundat? Impiis autem nulla eſt pax, cor enim eorum tanquam mare feruens, & in iſta contrarietate bellum ad inuicem gerunt: amatores quippe pacis cum his qui oderunt pacem pacificè agentes eos nihilominus ad iracundiam prouocant, cum eorum vitia doctrinâ & moribus redarguunt. *Circumueniamus*, inquiunt, *ergo iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris.* Sap. 2. Sicut igitur Deus dicitur Eſa. 3. robur auferre à pane & aqua, auferendo videlicet à pane vim alendi, itaut ſit euanidus & exſuccus, nec famem panis expleat, nec aqua ſitim reſtinguat, ſic ab omni re mundana Deus accipit pacem, vt nihil in mundo ſit quo pax & tranquillitas cordis conciliari poſſit. Non eam dabit autoritas Regia, non eam Poteſtas Magiſtratus miniſtrabit, non humana ſapientia eam inducet, non Rhetorum eloquentiâ conciliabitur, dies pecuniâ eam non comparabit, fugiet ab honorum culmine, inter fluxas corporis voluptates non reperietur, eam denique mundus dare non poterit. Quare? inquies, Quia Deus ab omnibus rebus terrenis veram abſtulit pacem, vt robur aufert panis & aquæ, vt ſolus eam dare valeat, ſicut & ſe ſolo ſatiare & reficere & omnem ſitim extinguere poteſt. Eſt verus autor, vere princeps pacis; hinc ait Ioan. 14. *Pacem*

S. Ambroſ. — Sap. 2. — Iſ. 3.

A *relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodò mundus dat ego do vobis.* Mundus enim euanidam, fructu vacuam, fuco & fallacia refertam & tranſitoriam pacem ſuis dat aſſeclis, at Chriſtus veram, fructuoſam, ſynceram, perpetuam confert: Eam mundani inter ſe habent & dant ſibi mutuo, vt libentius ſuis indulgeant voluptatibus & terrenis fruantur, dicente Auguſtino de iiſdem: *Qui propterea dant ſibi pacem, vt ſine moleſtia litium atque bellorum, non Deo, ſed amico ſuo mundo perfruantur.* Aug. tract. 77. in Ioann. At Chriſtus ſuam dat pacem in hoc mundo, vt in alio, ſummo bono perfrui valeamus. Pax ergo ipſe nobis eſt, & cum credimus quia eſt, & cum videmus eum ſicuti eſt. *Si enim quandiu ſumus in corpore* B *corruptibili quod aggrauat animam, cum per fidem ambulamus non per ſpeciem, non deſerit peregrinantes à ſe, quanto magis cum ad ipſam ſpeciem venerimus nos implebit ex ſe?* Hæc Aug. Interea cum mundo pugnandum, cum quo nullo Chriſtiano poteſt eſſe vera concordia. *Quando enim mundani,* inquit Aug. *iuſtis dant pacem vt non eos perſequantur, pax non poteſt eſſe vera vbi non eſt vera concordia, quia diſiuncta ſunt corda. Quomodo enim dicitur conſors, qui ſortem iungit, ita ille concors dicendus eſt qui corda iungit: Nos chariſſimi, quibus Chriſtus pacem reliquit, & pacem ſuam nobis dat non ſicut mundus ſed ſicut ille per quem factus eſt mundus, vt concordes ſimus iungamus inuicem corda, & cor vnum ſurſum habeamus, ne corrumpatur in terra.* Hæc Aug. Et bene C inuitat nos vt corda ſurſum erigamus vt concordes eſſe poſſimus: terrena enim ſubſtantia nimis eſt exigua, nec omnibus ſufficere poteſt: quo fit vt vnuſquiſque eam poſſidere deſiderans, cum ſine alterius detrimento deſiderio potiri non valeat, hinc bella, hinc lites, hinc perturbatio pacis. At ſi ad Deum corda ſubleuemus, in eo etimus concordes, cum eius inexhauſta bonitas abunde omnibus ſufficiat.

Ioan. 14.

Sumit itaque Spiritus ſanctus, qui ſedet ſuper equum, pacem de terra: vt eam ſibi retineat & vendicet tanquam rem ſibi propriam, & peculiarem; & ſicut princeps aliquis à ſuo regno per contumaciam ſubditorum excluſus, cum regnum recuperat, palatiorum & hortorum quibus antea vtebatur vſum D rurſus ſibi vendicat, ita Spiritus ſanctus mundum ingrediens, pacem, tanquam proprium domicilium, in ſuos vſus conuertit, vt illam animæ ſuper quam ſedet impertiatur, cum ſit Deus pacis & dilectionis: & quia mundus illum ſpiritum non poteſt accipere, ideo pacem veram obtinere non valet. Exinde perſpicitur quantum ſtatus fidelium exoptandus diſtat ab infelici ſtatu mundanorum, quod fideles etiam inter aduerſa gaudeant & lætentur, mundani etiam inter oblectamenta angoribus variis diſcruciantur. Propter hoc, hæc dicit Dominus Deus: *Ecce ſerui mei* Iſ. 65. *comedent, & vos eſurietis, ecce ſerui mei bibent, & vos ſitietis: Ecce ſerui mei laudabunt præ exultatione cordis,* E *& vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione ſpiritus vlulabitis* Eſ. 63. *Beati ergo pacifici,* vt ait Clem. Andr. Caſſar. Alexand. 4. Stromatum, *qui legem mentis noſtræ ſententiæ repugnantem, iræ minas, & cupiditatis eſcas & alias affectiones quæ rationem oppugnant manſuefecerunt, quietaſque reddiderunt, qui cum vixerint ſcientia bonorum operum & veræ rationis præditi reſtituentur in amiſſiorem & gratiorem filiorum adoptionem. Erit autem perfecta pacificatio, quæ in quocumque caſu pacificum illud ſeruat, immutabilem ſanctamque & honeſtam dicent adminiſtrationem, poſitam in rerum diuinarum & humanarum ſcientia, per quam eas quæ in mundo ſunt repugnantias creationis pulcherrimam exiſtimat harmoniam ac concordiam; pacificant autem eos quoque qui hæc oppugnantur ab expeditionibus peccati, eos docentes vt ad fidem pacemque tranſeant. Totius autem virtutis ſumma eſt, vt exiſtimo, Dei*

minus docens ex cognitione propter charitatem in Deum nos mortem contemnere. Beati, inquit, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, &c. Hæc Clem. Alexand.

Hoc præſtat ille diuinus ſpiritus, qui pacem ſumpſit de terra, de quo Dominus ait Ioan. 14. *Et ego rogabo patrem, & alium paraclytum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis: quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum nec ſcit eum: vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Hic ille eſt qui nos ſcientia bonorum replet operum, qui rationem noſtram in veri aprehenſione dirigit, qui nos in adoptionem filiorum reſtituit, qui inter aduerſa, corda noſtra pacifica cuſtodit, iuxta illud Apoſtoli ad Philipp. c. 4. *Et pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum cuſtodiat corda veſtra & intelligentias veſtras in Chriſto Ieſu*, Qui inſuper nos docet admirabilem illam mundum adminiſtrandi rationem, qua diuina vtitur prouidentiâ, cum metu & reuerentia ſuſpicari; quo denique animati ad bellum peccatis indicendum alios prouocamus, & ad veram fidem & pacem inſectandam inuitamus, cuius cum dulces percipimus fructus, nec bonis terrenis nec quieti temporali nec vitæ commodis parcimus: vnde non mirum ſi ex iſta pace bellum exurgat, vt tandem ex bello pax æterna oriatur.

Et vt inuicem ſe interficiant.

De bello ineundo cum inimicis diuini nominis. § 2.

Optimè ſapiens Eccleſiaſtici 33. *Contra malum bonum eſt, & contra mortem vita, ſic & contra virum iuſtum peccator: & ſic intuere in omnia opera altiſſimi; Duo & duo & vnum contra vnum.* Longiſſimum eſſet omnia Dei opera percurrere, in quibus veritas dicti ſapientis poſſet comprobari: ſi in bonis & malis Angelis, ſi in elementis aſymbolis, ſi in qualitatibus mixtorum, ſi in humoribus corporum, ſi in antipathia quorundam animalium hoc verificari poteſt, vere dixit inſuper ſapiens cum ait, *Contra iuſtum virum peccator:* nec enim adeò cælum à terra diſtat, non adeò frigus calori contrarium eſt, ac peccator iuſto aduerſatur & peccatori juſtus, & ab inuicem affectibus, moribus, actionibus diſtant. Audi Prophetam dicentem: *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi. Nonne qui oderant te oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?* & Pſ. 100. *Non proponebam ante oculos meos rem iniuſtam: facientes prævaricationes odiui. Non adhæſit mihi cor prauum: declinantem à me malignum non cognoſcebam, &c. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt diſperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Ecce quanto odio iuſti peccatores proſequuntur. At quid de malis erga iuſtos dicemus? Admonebat ſaluator diſcipulos Ioan. 15. *Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum eſſet diligeret: quia vero de mundo non eſtis, propterea odit vos mundus. Mementote ſermonis mei quem ego dixi vobis: ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.* Magnitudo iſtius odij, graphice deſcribitur Sap. 2. quæ tanta eſt vt nec virum iuſtum abſque moleſtia mali videre poſſint. *Grauis eſt nobis*, inquiunt, *etiam ad videndum, quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius, & immutatæ ſunt viæ eius.* Videſne odium hoc non ex alia ratione ortum quàm ex vitæ morumque diſſimilitudine? *Quoniam*, inquiunt, *diſſimilis eſt aliis vita illius.* Et in tantam veniunt inſaniam, vt eum qui ſe docebat filium Dei, contumelia & tormentis afficere, & morte turpiſſima condemnare audeant. Si hæc facta fuerunt erga verum & naturalem Dei filium, quid non eſt filiis tantum adoptiuis expectandum à malis? Certe ſi verum Dei filium interemerunt, eos etiam ditis & exquiſitis tormentis ac tandem morte afficient. *Trades autem*, dicebat ſaluator, *frater fratrem in mortem, & pater filium, & inſurgent filij in parentes, & morte eos afficient: & eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem perſeuerauerit vſque in finem hic ſaluus erit.* Matt. 10. Nonne verum eſt igitur quod vidit propheta noſter nempe quod cum datum ſit ſpiritus vt auferat pecem de terra, vt eam in pectore iuſtorum reponat tanquam in Throno magnifico in quo ſedeat, ſtatim ablatâ pace à malis, inter bonos & malos oritur tale diſſidium vt ſe inuicem interficiant, *Contra* enim *virum iuſtum peccator.*

Dicitur autem dari *vt ſumat pacem de terra*, ſiue Chriſto inſidenti equo, ſiue Spiritui ſancto, & dari etiam illis gladius magnus, quia hi effectus temporales, qui appropriantur perſonis diuinis, quas mitti dicimus, à voluntate Dei liberâ potiſſimùm pendent & ideo dicuntur dari reſpectu fidelium in quibus hæc operantur: donum enim eſt maximum fidelibus ſi per præſentiam Chriſti & Spiritui ſancti pacem poſſideant, & habeant gladium quo contra ſalutis inimicos decertare queant; quod Deus libera voluntate confert, nec enim ad id adigitur. Vel eo ſenſu hoc explicare poſſumus quo hæc Chriſti verba, Tertullianus, Hilarius, Ambroſius, Auguſtinus, & Beda apud Maldonatum in c. Ioan. 10. ſumunt, *Pater meus quod dedit mihi maius omnibus eſt*, Ij enim patres illud ad naturam poteſtatemque diuinam referunt, quam pater filio, gignendo, dedit. Ea enim natura atque poteſtas maior omnibus eſt, id eſt: nulla natura, nulla poteſtas cum illa comparari poteſt: ideo nemo poteſt oues rapere de manu eius. Pari ratione datur Chriſto & Spiritui ſancto vt ſumat pacem de terra, datur illi gladius, quia Pater generando Filium, Pater & Filius ſpirando Spiritum ſanctum dedit ſeu dederunt hanc poteſtatem, qua talis producitur effectus, qui Chriſto vel Spiritui ſancto poteſt appropriari ratione originis effectum temporalem connotantis. Cum enim pax infunditur in cordibus fidelium, diabolo reſiſtitur, eius opera diſſoluuntur peccato & peccatoribus bellum indicitur, virtus diuini ſpiritus quam per ſuam proceſſionem à patre & filio accipit maximè enitet: quo ſenſu dixit Ambroſ. in c. 11. Lucæ, hæc verba exponens: *Quod ſi in digito Dei ego ejicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei. Oſtendit*, inquit Ambroſ. *imperialem quandam eſſe ſancti ſpiritus poteſtatem, in quo regnum eſt Dei: nos quoque, in quibus habitat ſpiritus, regalem domum habemus: vnde & in poſterioribus dixit, Regnum Dei intra vos eſt. Et ideo dominatis, & dominationis & imperatoriæ maieſtatis conſortem debemus æſtimare Spiritum ſanctum, quia Dominus eſt ſpiritus, vbi autem ſpiritus Domini, ibi libertas.* Hæc Ambr. Pari ratione cum dicimus Spiritum ſanctum ſumere pacem de terra, vt eam in cordibus fidelium infundat, tantum odium erga peccata ingenerare vt vſque ad mortem, & ſanguinem peccatis reſiſtant, dominationis & imperatoriæ maieſtatis illum profitemur conſortem, quia proprium eſt Dei ſolius talem pacem dare hominibus vt regnum ſuum intra nos ſtabiliat: *Factus eſt* enim *in pace locus eius.*

His igitur verbis, *vt ſe inuicem interficiant*, admonemur, quod cum inter iuſtos & mundanos iugis maneat diſcordia, nunquam fieri poterit quin ſibi inuicem aduerſentur, itaut ſi in pace temporali arma deponantur, è contrario qui pacem Chriſti in corde ſuſcipit, ad arma capeſſenda incitatur: etenim ille rex pacificus, qui pacem, ab Angelis in natiuitate ſua promiſſam, exhibuit diſcipulis dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*; Qui in ſanguine ſuo pacificauit ſiue quæ in cælis ſunt, ſiue quæ in terris, nihilominus ille proteſtatur bellum non pacem

in mundo

in mundo attuliſſe: *Nolite*, inquit, *arbitrari quoniam pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & filium aduerſus matrem ſuam, & nurus aduerſus ſocrum ſuam: & inimici hominis domeſtici eius.* Matt. 10. Cur iſta, quæſo? Quia inter Chriſtum & mundum, inter Chriſti diſcipulos & mundi ſectatores, vt pote affectibus, moribus, & actionibus diuiſi ac diſſimiles, nunquam interuenire aut intercedere concordia poterit, nec cum mundo amicitia iniri, ſeruatâ cum Deo pace & amicitiâ, qui enim amicus eſt mundi inimicus Dei conſtituitur, dicente Iacobo c. 4. *Adulteri, neſcitis quia amicitia huius mundi inimica eſt Dei? Quicumque ergo voluerit amicus eſſe ſeculi huius, inimicus Dei conſtituitur.* Putatis (ait S. Petrus Chryſolog. Serm. 164. in illud, *Ignem veni mittere in terram*) *quin pacem veni mittere in terram? Non dico vobis, ſed ſeparationem: Quare? Quia coniunctio cæleſtis eſt in illa ſeparatione terrena: nemo poteſt connecti terræ, & iungi cælo. Grata ergo & chara ſit iſta terrena ſeparatio, quæ nos ſic à terrenis ſeparat, vt inferat nos diuinis.* Ita Petrus Chry. Non mirum igitur ſi ſe inuicem perſequuntur & interficiant: *Et cum caro concupiſcat aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem*, vt ex S. Paulo habemus ad Gal. c. 5. ſimul etiam bellum implacabile gerunt, nec poſſunt inter ſe conciliari. Appetitus enim & inclinatio carnis, mundi partes tuetur: ſpiritus autem ſtat pro Dei honore ex aduerſa parte, voluntate, electione ac intentione ab appetitibus, & inclinationibus corporis omnino alienus v. g. caro voluptates, commoda ardenter proſequitur, iis autem omnibus ſpiritus contradicit, eamque & à voluptatibus & rebus commodis ac iucundis abſtrahit rigida quadam ſeueritate vtens: ſpiritus verò ardenti deſiderio extra ſe quodammodo ferri ac rapi eligeret, vt rebus inuiſibilibus & æternis adhæreret; at grauitas corporis deprimit ſenſum, aggrauat animam, aciem mentis obtundit, & eam à rerum diuinarum contemplatione plærumque retrahit; quo fit vt ſibi inuicem contrarientur. Ea eſt enim vnio animæ cum corpore vt ſepari nequeant, & tamen adeo diſtat corporis appetitus ab amore rerum cæleſtium, vt neceſſariò intrinſecum debeat exoriri bellum, cum caro quæ ſibi propria ſunt & naturæ ſuæ conformia inſectatur; ſpiritus verò quæ ſibi ſunt conuenientia exoptat. Cum igitur in hoc vno conueniant vt contraria apparent, mirum non eſt ſi ſibi inuicem mortem quodammodo conciliant, caro enim vt alter Iſmael legitimum perſequitur ſpiritus filium Iſaac, nempe perfectam legis Dei obſeruantiam. *Quomodo enim tunc*, vt ait ſanctus Paulus, *qui ſecundum carnem natus eſt perſequebatur eum qui ſecundum ſpiritum, ita & nunc.* Ad Galat. 1. At qui ſpiritu ambulant, qui Paulum dicentem audiunt: *Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis*, ad Galat. 5. *Qui*, inquam, *Chriſti ſunt carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis*, & ſic ſe inuicem interficiunt. v. g. Tyranni Martyres, Martyres Tyrannos; cum plerumque pereunt etiam ij qui Martyres cruciauerunt; iuſti peccatores, vt Moyſes & Phinees, Elias & Petrus, qui Dei ac legum eius contemptores & idololatrias morte temporali punierunt; peccatores iuſtos cum malis artibus illis vitam ademerunt. Lege Auguſt. epiſtolâ 48. p. 65. Rurſus ſe inuicem interficiunt, boni malos, cum vitia in illis extirpare conantur; mali bonos, cum propter eorum duritiem & pertinaciam boni zelo conſumuntur: *Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei*: & tandem ſe inuicem interficiunt caro & ſpiritus cum vſque ad mortem ſpiritus concupiſcit aduerſus carnem & caro aduerſus ſpiritum: nec enim inter carnem & ſpiritum vera pax intercedet, niſi cum in reſurrectione futura ſpiritui caro perfectè ſubdita fuerit. Nunc videndum quonam inſtrumento vtantur boni & mali vt ſibi inuicem mortem concilient.

Iacob. 4.

Petrus Chryſ.

ad Gal. 5.

ad Gal. 1.

ad Galat. 5.

S. Auguſt.

Et datus eſt ei gladius magnus.

Quo gladio ſeu inſtrumento boni & mali ſe inuicem interficiant.

ANNOTAT. VI.

GLADIVS bonorum eſt verbum Dei. *Galeam*, inquit S. Paulus Epheſ. *Galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus quod eſt verbum Dei.* De iſto gladio etiam Pſalmiſta Pſ. 149. *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum: ad faciendam vindictam in nationibus.* v. g. nonne verba Eliæ dicentis; *ſi homo Dei ſum, deſcendat ignis de cælo, & deuoret te*, 4. Reg. 1. *Deſcendit itaque ignis de cælo, & deuorauit eum, &c.* Nonne, inquam, hæc verba in ore fuerunt quaſi gladij in manu, ad faciendam vindictam? Eadem dic de Petro Ananiam & Sapturam ſolo verbo interimente. Eodem verbo tentationes ſuperantur, vitia extirpantur, tyrannis reſiſtitur, dicente Chriſto: *Dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere omnes aduerſarij veſtri.* Hoc gladio armati Petrus & Ioannes principibus & ſenioribus populi ſapienter & animosè dixerunt: *Si iuſtum eſt in conſpectu Dei vos potius audire quam Deum, iudicate. Non enim poſſumus quæ vidimus & audiuimus non loqui.*

Epheſ. 6.

Pſ. 149.

4. Reg. 1.

Hic gladius, vt iam tetigimus, dicitur dari ſpiritui juxta illud ſaluatoris; *Cum venerit ille ſpiritus veritatis docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumque audiet loquetur.* Si igitur ſermo veritatis gladius eſt, & ille veritatis ſpiritus non loquitur niſi ea quæ illi dicta ſunt & quæ audit, certe cum ei dicuntur quæ audit, datur in manu eius gladius: quia quæ audit nihil aliud eſt quàm ſermo veritatis qui eſt gladius ſpiritus. Et quia de Spiritu ſancto loquimur non ſecundum ſuam proceſſionem, qua ab æterno à Patre filioque procedit, ſed ſecundum miſſionem temporalem ſecundum quam donum nuncupatur. (*Qui paraclytus diceris donum Dei altiſſimi*, canit Eccleſia) ex eoquod datur & communicatur fidelibus ex mera bonitate, & magnificentiſſima liberalitate donatoris, ideo gladius hic dari ei dicitur, quamuis veritas ſit illi propria eſſentialiter, quia cui Spiritus ſanctus datur & qui eum accipit, accipit vt ſpeciale donum veritatis ſpiritum, vt eam poſſit publicè & palàm & profiteri & prædicare cum animi conſtantia & magnanimitate. Hinc Matt. 10. diſcipulis dicebat Chriſtus: *Cum autem tradent vos nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis quid loquamini: non enim eſtis vos qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.*

Matt. 10.

Dico ſecundò, per iſtum gladium nos etiam intelligere poteſtatem coërcendi & puniendi malos, quæ in Prælatis & Magiſtratibus reperitur: de qua poteſtate loquitur S. Paulus ſub hoc ſymbolo cum ait, Epiſt. ad Rom. c. 13. *Non eſt poteſtas niſi à Deo, &c.* Et poſtea: *Vis autem non timere poteſtatem? Bonum fac. Dei enim Miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat: Dei enim Miniſter eſt vindex in iram ei qui malum agit.*

Rom. 13.

Dico tertiò permiſſionem, quâ Deus permittit malos peruetsè vti eâ quam illis contulit poteſtate, denotari per iſtum gladium. Hinc Dionyſ. Carthuſ. *Et datus eſt illi gladius magnus, id eſt, grandis poteſtas occidendi fideles. Romanis enim Imperatoribus perſequen-*

Dionyſ. Cart.

Digitized by Google

tibus Chriſtianos data deſuper fuit Monarchia, ſed abuſi A *ſunt ea, & ſibi ſubditos ac ſauentes ſpiritaliter permeſerunt ad tot ſcelera ac ſacrilegia trahendo.* Ita Dionyſ. Adde inſuper iuxta illud Saluatoris ad Pilatum, *Non haberes vllam in me poteſtatem, niſi tibi datum eſſet deſuper*, quod Spiritus ſanctus corda fidelium impellit, vt pro Deo libenter cuncta mala tolerare velint, quin & mortem ſubire non timeant, & vt hoc eorum deſiderium adimpleatur, malis Deus permittit vt poteſtate ſibi tradita abutantur eos perſequendo & interficiendo: & quia malorum peruerſa voluntas & poteſtas tradita ordinatur à Spiritu ſancto in bonum fidelium, ideo dicitur illis dari gladius magnus quo eos ad perfectionem debitam peruenire faciant, vt verè, ſicut ait Cyrillus

S. Cyrillus. Catech. 17. *Cuſtos & ſanctificator Eccleſiæ, animarum gubernator, fluctuantium ſeruator, remunerator certantium & Coronator.*

Cum igitur gratia Sacramenti Confirmationis in hoc conſiſtat, vt fideles reddat adeò fortes, vt abſque timore aut trepidatione veritati fidei teſtimonium reddant, hominum infidelitatem redarguant, Chriſti crucifixi nomen audacter confiteantur, ac huius mundi principem iam condamnatum eſſe annuncient, leges quas in mundo maligno introduxit animo, velut impias & animarum ſaluti perniciosiſſimas intrepidè condemnando, inſuper cum ex gratia huius Sacramenti animæ accipiant virtutem ex alto, vt in confeſſione fidei fortes reperiantur, ac ſyncerâ animi intentione etiam mori exoptent, vt fidem quam profitentur tueantur, eamque aliis proponant credendam; Denique cum ex ſymbolo ita explicato videatur quanta ſit fidelium obedientia ac magnanimitas, quantus in eis vigeat zelus, quanto odio peccata deteſtentur, illudque in ſe ac in aliis extirpare ac eradicare ſtudeant, diuino colluſtrati verbo, & in bono ab eo firmati qui cælos eodem verbo firmare voluit, *Verbo enim Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum*, itaut nec minas nec tormenta nec mortem pertimeſcant, quis facile non conjiciet in hoc ſymbolo Myſterium magnum includi, nempe vim & poteſtatem, imperium ac dominationem D amoris diuini, qui ſibimet ſubdit ac potenter ſubjicit corda hominum, ne aliud bonum à ſe alienum deſiderare aut proſequi velint, imo potiùs in ſui ipſiuſmet poſſeſſione ac fruitione ſola conquieſcant?

Hoc igitur eſt ſanctum Chriſma quo perungimur & perfundimur, virtutes animi, Chriſti gratiâ corroborantur, vt poſſimus in omni certamine victoriam reportare: quod rectè annotat Arnobius

Pſ. 132. in Pſal. 132. *Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum. Habent enim vnguentum Chriſmatis, quod deſcendit de capite in barbam, hoc eſt de Chriſto in virtutibus. Sicut enim Capilli capitis & barbæ vnguento infunduntur, ſic virtutes omnes, quæ contra vitia luctantur quotidie, vt vincere valeant Chriſti infunduntur auxilio.* Ita Arnob. Et hæc de ſecundo ſigillo ſatis.

DE TERTIO SIGILLO,

Et cum aperuiſſet ſigillum tertium, audiui tertium animal dicens: veni & vide.

Quodnam Sacramentum in hoc ſigillo tertio ſignificari aſſerimus; & cur animal tertium habens figuram hominis hic aſſumatur, vt dicat: veni & vide.

ANNOTAT. I.

IN hoc ſigillo Matrimonij Sacramentum B intelligi cenſemus: primò obrationem à nobis allatam annot. 5. huius ſexti capitis in 1. ſigillum, vbi diximus ordinem Sacramentorum inter ſe à nobis deſumi ex reſpectu quem habent ad Deum Eccleſiæ fundatorem ac ducem, cuius partes ſunt poſt ciuium electionem, eorum ad diuerſa munia deputationem, vel poſt aggregatum copioſum exercitum & armorum ſuppeditationem, prouidere ne ciuitas deſerta remaneat, aut ne deficiant quos in militiam aſcribere valeat, itaut vno auulſo non deficiat alter: quod quidem feliciter aduenit ex honeſta ac religioſa viri ac fœminæ copula, vinculo enim Matrimonij alligati prolem generant, quæ eorum cura ac ſollicitudine baptiſmo G regeneratur & ſanctificatur, & idonea redditur quæ per Confirmationis Sacramentum armis probe inſtructa ſit, iam per baptiſmum in numerum ciuium ac militum Chriſti adſcripta: vnde valde congruenter animal ſimile homini vocat ad videndum gratiam quæ in hoc Sacramento confertur. Naturaliter enim homines propendent in Matrimonium, ad conſeruationem ſuæ ſpeciei per generationem indiuiduorum & conuenientem prolis educationem, quæ fieri nequit, vt par eſt, niſi pater & mater perpetuo nexu inter ſe ſocientur: quod cum non abſque maximis angoribus ac difficultatibus perficiatur, benignè à Deo conceſſa eſt gratia adiuuans ad hæc onera portanda per hoc Sacramentum, vt propagatio generis humani ſic ſeu taliter fiat, *vt honorabile ſit connubium in omnibus, & thorus immaculatus*, vt loquitur Apoſtolus ad Hebr. c. 13. & *Sacramentum hoc magnum* dici poſſit *in Chriſto & Eccleſia*, Sanctiſſimam & puriſſimam Chriſti & Eccleſiæ vnionem repræſentans. Igitur ad hanc gratiam contemplandam inuitat animal ſimile homini, quod humanæ naturæ ingens per hoc fuerit conceſſum à Deo beneficium.

Hebr. 13.

Secunda ratio, cur in hoc ſigillo Matrimonij Sacramentum intelligamus, eſt quia rationi conſonum eſſe videtur, vt poſt duas inſignes Chriſti & Spiritus ſancti operationes ad ſanctificationem ordinatas, E nempe illuminationem intellectus per fidem in baptiſmo infuſam, & gratiæ & charitatis plenitudinem qua hanc fidem valeamus audacter confiteri, quæ in Confirmatione confertur; tertiam operationem adjiciamus, quæ poſt illas duas priores neceſſaria videtur: hæc autem eſt obedientia mandatorum, qua Chriſtus Dominus ſuum in fideles imperium ac dominationem demonſtret. Vbi obiter nota nos nõ ita diſiungere iſtas operationes, quaſi charitas cum fide non infundatur in baptiſmo, ſed quia baptiſmus dicitur Sacramentum illuminationis, & in Confirmatione datur plenitudo ſpiritus; & in Matrimonio, propter multas leges quæ illud reſpiciunt, & duriſſimum ſit iugum indiſſolubilis ſocietas, apparet quomodo Deus velit homines adigere ſub farcina aciugo mandatorum ſuorum, vt ne latum

vnguem vnquam ab eorum executione diſcedant : in quo quantum, & quam efficax ſit in hominum voluntates Dei imperium clare perſpicitur, quin & talis obedientia fidei & charitatis indiciũ eſt : *Fides enim ſine operibus mortua* ex S. Iacobo, Et S. Ioan. 1. c. 2. mandatorum obſeruationem ponit pro indicio vero cognitionis & dilectionis Dei, cum ait : *Et in hoc* Ioan. c. 2. *ſcimus quoniam cognouimus eum, ſi mandata eius obſeruemus. Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt. Qui autem ſeruat verbum eius, vere in hoc Charitas Dei perfecta eſt : & in hoc ſcimus, quoniam in ipſo ſumus, &c.* At in nulla alia re adeo elucet quantum imperium lex Dei ſibi vendicat in corda & voluntates fidelium, quàm in hoc Sacramento, vt videbimus cum myſterium ſub hoc Sacramento incluſum, Deo dante, explicabimus. Optime igitur poſt baptiſmum, qui dicitur Sacramentum illuminationis ; & confirmationem, in quo Sacramento plenitudo Spiritus ſancti confertur, tractandum nobis eſt de Matrimonio, in quo vis & autoritas legis diuininæ maximè reperitur, cuius obſeruatio neceſſaria eſt vt nos vere illuminatos & charitate Dei plenos manifeſtemus.

Et hac etiam de cauſa conuenienter tertium animal ad hoc myſterium credendum & intelligẽdam nos prouocat ; habet enim figuram hominis. Nihil enim aliud lex eſt, quàm vera & recta ratio, qua regulari debent humanæ actiones, & quæ conformitatem ſeruat cum debito & honeſto fine, ſiue naturali ſiue ſupernaturali, quem intendere debemus in noſtris actionibus : iuxta id quod dicitur diſt. 1. *Porro ſi ratione lex conſtat, lex erit omne quod* Diſt. 1. Baro. an. 57. n. 464. *ratione conſtituerit, dumtaxat quod religioni conueniat, quod diſciplinæ congruat, quod ſaluti proficiat.* diſt. 1. cap. 5.

Quomodo Sacramentum Matrimonij rectè ſigillum dicitur.

ANNOTAT. II.

CONSVEVISSE olim Chriſtianas mulieres annulos aureos geſtare teſtatur Clemens Alexand. pædag. l. 3. c. 11. dari etiam annulos ſponſis vſus docet, qui cum his formulis poſt benedictionem arrarum à ſacerdote benedicuntur : *Benedic Domine hos annulos, quos in tuo nomine benedicimus, vt qui eos portauerint in tua voluntate permaneant, & in amore tuo viuant & ſenescant, & multiplicentur in longitudine dierum.* Deinde addit Sacerdos : *Creator & conſeruator generis humani, dator gratiæ ſpiritalis, largitor æternæ ſalutis, tu Domine tuam mitte benedictionem ſuper hos annulos, vt qui hoc fidelitatis ſigno inſigniuntur inceſſerit, in virtute cæleſtis defenſionis ad æternam vitam ſibi proficiat*, Reſp. *Amen.* Addit : *Benedictio Dei Patris omnipotentis & Filij & Spiritus ſancti deſcendat & maneat ſuper hos annulos & has arras.* Amen. Et immittendo annulum in digitum quartum ſponſi, quem accipit inter tres digitos, ait : *Benedic Domine hunc annulum, vt eius figura pudicitiam cuſtodiat.* Pati modo alterum annulum benedicit vt ſupra, & tradit eum ſponſo, qui accipiens illum tribus digitis infigit annulum in quarto digito manus dextræ ipſius ſponſæ. Talem annulum ſemper vxor geſtare ſolebat, vt inquit Clem. Alexand. ibidem, non ornatus tantum cauſâ ſed vt obſignarent eodem annulo quæ domi ſunt, rerum enim domeſticarum cuſtodia ad vxorem ſpectat ex Xenophonte in œconomico.

Clem. Alex. Clem. Alex.

Quonam vero ſigno Chriſtianorum annuli ſculpendi eſſent, idem Clem. Alexand. admonet his verbis : *Sint nobis ſignacula, columba, piſcis vel nauis,* A *quæ celeri curſu à vento fertur ; vel Lyra muſica, qua vſus eſt Polycrates ; vel anchora quam inſculpebat Seleucus, & ſi ſit piſcans aliquis memineris Apoſtoli & puerorum qui ex aqua extrahuntur : neque idolorum ſunt imprimenda facies quibus vel ſolum attendere prohibitum eſt, ſed nec enſis vel arcus ij qui pacem proſequuntur, nec poculi iis qui ſunt moderati & temperantes.* Hæc Clem.

Ex his facile coniicere poſſumus ſigilli rationem Matrimonij Sacramento optimè conuenire, cum matrimonialis annulus ſigno aliquo inſculptus & perſeuerantiæ, & diuini amoris, & fidelitatis & cuſtodiæ pudicitiæ conjugalis, & cæleſtis defenſionis ſit ſignum, & ad hunc finem ab Eccleſia benedicatur. Non inſculpatur in eo, vt prohibet Clem. Alexand. aut idolorum facies alicuius prauæ intenB tionis in Matrimonio contrahendo, qua præcipue ſubſtantia Matrimonij excluderetur, vel etiam quæ aliquam animi inordinationem denotaret, vt ſi quis tantum ob diuitias, vel ob delectationem carnalem, diuitem aut pulchram vellet ducere vxorem ; non figura enſis jurgiorum domeſticorum, aut arcus quorundam pactorum ex quibus lites inter alios generari queant, cum videlicet quidam contrahentes Matrimonium pacta ineunt contra leges, quæ hac ratione litium ſolent eſſe ſeminaria inter affines aut hæredes ; nec poculi effigies, itaut Matrimonio juncti per incontinentiam nimiam ac intemperantiam abutantur ea libertate quam habent ſibi inuicem debitum reddendi, ſed iuxta C Apoſtoli conſilium aliquando abſtineant vt vacent orationi : hinc eis injungitur in Manuali Rituum Eccleſiaſticorum Eccleſiæ Burdigalenſis, quatenus tempore orationis & precum & præcipuè ieiuniorum & inſignium feſtorum caſtitatem ſeruent. Sint autem ſigna ſeu ſignacula. Primo, Columba, in ſignum fidelitatis & fœcunditatis : vnde malè agunt qui contrahentes in ordine ad copulam, excluderent nihilominus intẽtionem procreandæ prolis, vel non principaliter intendunt ſi ſecundum communem ſpem poſſunt habere prolem. Secundo, Piſcis vt ſciant ſe iiſdem difficultatibus ac incommodis quodammodo eſſe obnoxios, & veluti piſces eiſdem fluctibus ac vndis contegi. Tertio, Nauis quia ad D ſubleuandum alterna ope vitæ præſentis, quæ celeri curſu fertur, incommoda, ac ſenectutis imbecillitatem hoc ſacramentum ordinatur, vt ſolatio ſint ſibi inuicem Matrimonio jũcti. Quarto, Lyra muſica, quia poſtulat Sacramenti dignitas (quod Chriſti & Eccleſiæ conjunctionem ſignificat) vt ſe inuicem ament ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, ſicq; ſint concordes, itaut pacis ſtudiũ colẽtes, neminem ſecundum Deum neq; magis amare, neq; pluris facere debent quam coniugem coniux : quocirca omnibus in rebus, quæ pietati non aduerſantur, morẽ inter ſe gerere debent : fœmina obtemperet, obſequatur vir, ſæpe pacis ſtudio de imperandi poteſtate nonnihil remittat, vt ex Catechiſ- Catech. Rom. E mo Romano habetur. Quinto, anchora quia eadem ſpe, nempe vitæ æternæ, innixi in eadem ſpe pueros ſuos diligenter educare & ad pietatem inſtruere ac promouere, ac ſibi inuicem operam & auxilium præſtare debent.

Quin etiam, cum ſupra dixerimus ſigillum ſignificare difficultates credendi quædam myſteria diuina, vel paruum eſſe ſignum rei alicuius magnæ, vel ſignum eſſe tum dominationis tum conſeruationis, ſigillum dici poterit Matrimonij Sacramentum, quia non abſque difficultate credi poteſt gratiam reperiri in eo actu in quo maximè peccati deordinatio ſentitur & experitur ; quia ſignum eſt paruum quidem & exile rei magnæ, nempe vnionis illius quæ inter Chriſtum & Eccleſiam intercedit ; quia

Digitized by Google

in matrimonio mulieri à Deo dicitur, *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*, Gen. 3. quamuis illam vt sociam debeat amare, non vt famulam tenere; quia denique conseruationi humani generis & pudicitiæ est necessarium. Genes. 3.

Et ecce equus niger.

Quale mysterium sub hoc sigillo contineatur.

ANNOTAT. III.

PROPRIVM ac verum mysterium sub hoc sigillo contentum est perfecta legi diuinæ submissio & obedientia, seu potius summum illud imperium, quo lex Christiana rebelles hominum voluntates, eorumque liberum arbitrium Deo subjici ac in omnibus subdi imperat ac compellit: siquidem Adæ & Euæ connubium, seu Matrimonij in connubio Adæ & Euæ institutio, vt dicemus, Sacramentum dicitur magnum: attamen Mysterium, quod præcipuè hic sub hoc sigillo Matrimonij designari volumus, illud est quod asserimus. Sit magnum in Christo & Ecclesia libenter concedimus, eius enim mysterij dignitas & excellentia præcipue in hac præclara vnione Christi cum Ecclesia elucet. At cum ex hac vnione Christus sponsus ab Ecclesia exigat, vt ei omnimode subdita sit, sicut perfecta est subiectio humanitatis assumptę verbo assumenti, verum & genuinum sub hoc sigillo mysterium contentum, est hoc legis diuinæ, supra hominum liberum arbitrium, potens imperium, quod vt vitam æternam mereri ac consequi possimus nobis promeruit hæc admirabilis ac amabilis Christi cum Ecclesiæ indissolubilis vnio.

Quod autem illa in libertatem hominum absoluta dominatio mysterium dici queat nemo negare aut inficiari poterit, qui attentiùs perspexerit quanta sit vis peruersæ illius inclinationis, & effrenatæ voluntatis humanæ in malum propensionis, de qua dicitur, Gen. 6. *Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem fecisset in terra.* Et cap. 8. *Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines: sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*, &c. Ex hac consideratione fatebitur proculdubio ingens esse à Deo per Christum beneficium præstitum, si semel mens & voluntas humana legi diuinæ perfectè subdantur. Fuerat quippe humana voluntas à Deo libertate decorata, vt præmia & coronas meteri posset, cum in actionem prorumperet non coacta, non naturali ac necessario quodam impulsu seu instinctu sed liberè. Hac libertate abutitur, cum omne præceptorum Dei iugum excutere conatur, vincula salutaria diuinæ legis dirumpere tentat, nullis legibus se intra limites iusti ac æqui contineri aut retineri patitur. Si igitur tanta conferatur hominibus gratia, vt legi Christianæ liberè ac cum gaudio & delectatione perfectissimè subdantur, quamuis tam potenter hæc diuina lex inclinationes comprimat, sensus coerceat, naturæ iura negligat, imo si dici fas est, disrumpat ac dissoluat, quis hoc non suspiciet veluti quoddam præcellens mysterium? Caligauerunt quorumdam oculi micantissimum illud lumen intuentes, & tantum lucem sustinere non valentes asserere maluerunt illam diuinam legem potiùs impossibilem esse obseruatu, quam illius collaudare ac admirari splendorem; quin & in eius autorem temerarij nimis impias euomere querelas ausi fuerunt dicentes, satius fuisse nullas leges hominibus imponere, quàm propter earum infractiones tam diris pœnis ac tormentis homines punire: adeo hæc legis Christi sublimitas eorum mentes attonitas reddit, eius excellentia præfulgida animos percellit, illius obseruantia, strictè ac sedulò tenenda eos stupefacit, & cum intligendas ob eius infractionem pœnas, meditantur, iis quæ de eisdem pœnis dicuntur fidem adhibere negligunt, quod proprij amoris quo se prosequuntur indebitè, iura nimium conculcari arbitrentur. Mirum nihilominus quanto studio amatores & sectatores illius legis eam colere ac seruare conati fuerunt, cum Dauide dicentes: *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.* Et rursus: *ideo dilexi mandata tua super aurum & topazion: propterea ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui*: Et denique, *Custodiuit anima mea testimonia tua, & dilexit ea vehementer.* Ps. 118.

Dico igitur quod sicut sub primo equo primi sigilli describitur populus Christianus vt fidelis, sub secundo vt Charitate feruidus, sub hoc tertio describitur vt mandatorum Dei sedulus obseruator. *Et ecce equus niger*: Ac si diceret S. Ioannes: Quantum sit imperium, quanta sit vis & efficacia diuinæ legis in humanas voluntates forte conspicere requiris, postquam homines fide imbuti, charitate succensi tibi apparuerunt. Ad symbolum oculis meis exhibitum attende: si semel illud explicueris, videbis certe quam efficaciter lex Christiana hominum libertatem strictis deuinciat vinculis, eamque suo subdat imperio. Tibi hoc incredibile videtur, tum quia appetitus inferior nimium reluctet menti, ius suum seruare contendens, tum quia mens sensibus alligata eorum delectationibus à recto rationis tramite frequenter distrahitur, tum quia innatum est homini libertate suâ vti, & ea quæ vult, prout vult & intendit, perficere, durumque ei videtur si eum adstringere & captiuare volueris, *tanquam pullum onagri se liberum natum tutat*: & dum audit cum tanto onere hanc legem seruandam esse, vt qui eam infringere ausus semel fuerit, innumeris suppliciis affici debeat, credere abnuit Dei bonitatem voluisse legem imponere hominibus, quam certo sciret à plurimis fore negligendam, & consequenter pœnis fore addicendos ac diuersis torquendos suppliciis. Reperiuntur tamen, qui eius legis religiosi sunt cultores, qui eam obseruare totis affectibus concupiscunt, qui ab ea nec latum vnquem discedere conantur, & reuera fideliter & perfectè illam custodiunt, quos tibi speculandos propono sub hoc ænigmate.

Et ecce equus niger.

Fidelis mandatorum Dei obseruator optimè in hoc symbolo depingitur.

ANNOTAT. IV.

VT quis perfectus sit Christianæ legis cultor, debet esse primo ad nutum Deo obediens; 2. in aduersis æque ac in prosperis Christo obtemperans; 3. ardua & difficilia quæque fortiter aggrediens; quarto iis qui in Ecclesia vices Christi gerunt morem humiliter gerens; quinto in veritate & iudicio & iustitia in domo Dei ambulans: Sexto ad ea quæ anteriora sunt continuo adspirans, præsentia pro æternis paruipendens, Dei gloriam omnibus rebus anteponens: septimo in lege Dei die ac nocte meditans, mortificationes corporis libenter amplectens; Denique Sacramentorum à Christo institutorum, quibus gratia significetur, & producatur, religiosus ac deuotus susceptor, & prudens ac fidelis administrator. Si quis talis euadat, proculdubio

legis Chriſtianæ erit abſolutiſſimus cultor. Hinc dicitur equus, & niger, & habens ſeſſorem, cui ſtatera in manu ponderans cum denario tres bilibres tritici, tres etiam bilibres hordei, nec vinum nec oleum, prout præcipitur, vllo modo lædens. Singula expendamus in ſubſequentibus paragraphis.

Equus.

Quod perfectus legis diuinæ cultor debet inſpirationibus diuinis, præceptis Dei ac Eccleſiæ prompte & ad nutum obedire. §. 1.

HOC exigendum eſſe à fidelibus baptizatis præcipiebat Chriſtus, *Euntes*, inquiebat, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, docentes* eos ſeruare omnia *quæcumque mandaui vobis.* Matt. vltimo. Tales fuerunt de quibus dicitur Act. 2. *Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*, qui ſimul pariter erant, qui habebant omnia communia, qui poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erant. Certe erant inſpirationibus diuinis perfectè obſequentes: Ita ſimpliciter iis quæ illis proponebantur fidem adhibebant, ita fideliter quæ præcipiebantur perficiebant. Vnde vno & eodem ſpiritu actis erat cor vnum & anima vna. Et meritò S. Apoſtolus Paulus nihil efficacius gentibus inculcabat cum eis Euangelium annunciabat, quàm *vt cuſtodirent præcepta & dogmata Apoſtolorum & ſeniorum.* Act. 15. & 16. *Et in hoc ſcimus*, dicebat noſter Ioanne. 1. c. 2. *quoniam cognouimus eum, ſi mandata eius obſeruemus.* Eorum quippe obſeruator ſedulus, magnitudinis, potentiæ, iuſtitiæ ac ſapientiæ & bonitatis Dei verus eſt cognitor, æquitatis illius timet ſeueritatem, ſapientiæ eius admiratur profunditatem, ac illius dilectionis præmia promittentis amplectitur ſuauitatem. Equus eſt profectò cum dicere poteſt: *Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum: tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me.* Pſ. 72. Ecce equum ad nutum mobilem, qui in voluntate Dei, quocumque vult ſeſſor, deducitur: nam cum Chriſtus intellectum illuminat, vt neceſſitatem, vtilitatem, & bonitatem alicuius actionis, quam inſpirat, rectè percipiat: cum voluntatem impellit ac mouet, vt illam eligat; cum ad executionem promouet, omnia auferendo obſtacula, equum hunc deducit in ſua voluntate, vt cum gaudio cuncta perficiat: *Gaudium eſt enim iuſto facere iudicium*, Pro. 21. Et vt dicitur verſ. 1. *ſicut diuiſiones aquarum ita cor regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud.* Sic vox dilecti auditur, ſic venit ſaliens in montibus, id eſt in facultatibus intellectualibus, ſit venit tranſiliens colles, id eſt omnes difficultates ſuperans, dum ea inſpirat quæ nos ab omni ſuperbia amouent, quæ ſenſus noſtros & inclinationes refrenant, quæ gaudium mentibus ingerunt, dum executioni demandantur, ad nutum eius obediendo inſpirationibus ac mandatis: vult enim prompte ſibi obediri, & vt dicitur Oſee. 6. *Sciemus ſequemurque, vt cognoſcamus Dominum: quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus eius: & veniet quaſi imber nobis temporaneus & ſerotinus terræ.* Ac ſi diceret: Non tam ſubito lux auroræ oculos præſtringit, ac prompte Deus corda fulgore inſpirationis illuminat: & vt poſſimus quæ inſpirat exequi, in initio & in fine operis parata ſemper habet ſuæ gratiæ auxilia. Vel vt Hieron. ait, *Ipſe tenebris diſſipatis oritur nobis ſol iuſtitiæ, vt noſtram illuminet cæcitatem. Nos Chriſtum recipimus temporaneum, quando fidei in nobis iacta ſunt fundamenta; & ſuſcipiemus eum imbrem ſerotinum, quando maturis ſegetibus fruges capiemus æternas, & in dominica horrea recondemur.* Ita Hieron. Vt hoc fiat ſimus igitur obedientes ad nutum. *Videte igitur fratres, ne forte ſit in aliquo veſtrum cor malum incredulitatis diſcedendi à Deo viuo, donec hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* Heb. 3.

Matt. vltimo. Act. 2.

Act. 15. & 16. 1. Ioan. 2.

Pſ. 72.

Prouerb. 21.

Oſee. 6.

S. Hieronym.

Equus niger.

Verus legis Chriſtianæ cultor debet Chriſto in aduerſis æque ac in proſperis, in laboribus vt inquiete obtemperare, & ardua quæque pro eius gloria aggredi ac tolerare. §. 2.

Quis ex lumine tenebras prodire, & ex abundantia penuriam oriri, ex lætitia mærorem cauſari, ex quiete labores generari, ex candore iucundo & pulchro nigredinem & offuſcationem expectandam eſſe putaret? Et tamen ecce Cantic. 1. poſtquam Spiritus ſanctus ob oculos nobis propoſuit deſideria ac vota ſponſæ, nempe Eccleſiæ militantis, incarnationem verbi flagrantiſſimis deſideriis poſtulantis: *Oſculetur me*, inquit, *oſculo oris ſui*: poſtquam deſiderio potita, & iam ad ſuauitatem oſculi ſponſi per eius cognitionem & amorem benigne admiſſa, tanto lumine colluſtrata, ardore accenſa, gratia repleta, illius nominis fragrantiam per totum orbem prædicatione & Sacramentorum adminiſtratione reſperſit, & multas animas ad fidem attraxit, *Oleum*, inquit, *effuſum nomen tuum*: poſtquam ad perfectam Chriſti imitationem anhelans, introducta fuit in cellaria gratiarum, ſiue cum per contemplationem, myſteriorum diuinorum fuit ſpeculatrix, ſiue cum Sacramento Euchariſtiæ ſatiata in ſponſi ſinu conquieuit, quo fit vt immenſis gaudiis perfruentem eam lætari & exultare conſpicimus, ob abundantiam donorum ſpiritus ſancti quo replentur qui digne huius cibi fiunt participes; *Introduxit me*, inquit, *rex in cellaria ſua: exultabimus & lætabimur in te memores vberum tuorum ſuper vinum: Hoc eſt*, inquit ſanctus Ambroſius l. 5. de Sacram. c. 2. *meliores ſenſus, meliora Sacramenta tua ſuper vinum, ſuper illud vinum quod etſi ſuauitatem habet, lætitiam habet, gratiam habet, tamen in illo lætitia ſecularis: in te autem iucunditas eſt ſpiritalis.* Hæc ille; Vbi exiſtimare deberemus, quod quia fide ſupra humanam cognitionem ſponſa ſublimatur vt diuinum verbum contempletur, charitate prædita eſt vt eum ſummo amore proſequatur. *Rectè*, inquit, *diligunt te*, itaut poſt eum currat, eum imitari conetur, eius veſtigiis inſiſtat; quia denique oleo lætitiæ & exultationis ex præſentia ſpiritus perfunditur, vbi auroræ fulgidior, Lunâ micantior, ſole ſplendidior apparere deberet propter fidei ſinceritatem, virtutum pulchritudinem, gratiæ ſplendorem; ecce neſcio qua miranda ratione, non fulgida aut ſplendens, ſed tenebroſa & nigra prodit in medium, & quaſi ob nigredinem verecundia quadam afficitur, excuſationes quaſdam prætendit, ne ab ea diſcedamus aut abhorreamus: *Nigra ſum*, inquit, *ſed formoſa.* Quaſi dicat: Oro vos chariſſimi, ne mea nigredo alicuius odij erga me fomitem in vobis ingeneret: attentius quæſo in me veſtros figite oculos. Si oculi carnales non ſufficiunt vt meam poſſitis percipere pulchritudinem, mentis oculos adhibete vt cauſam meæ nigredinis percipiatis: videbitis certe me ex nigredine candidam & pulcherrimam exiſtere: Audite quia ſi nigra ſum tamen ſum formoſa: mea ſiquidem nigredo aſſimilari debet tabernaculis Cedar, pellibus Salomonis. *Nolite me conſiderare quod fuſca ſim;*

Cantic. 1.

S. Ambroſ.

Digitized by Google

cauſa talis nigredinis præclara eſt, pulchritudinem A *& vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Col. 3.
inſignem denotans, nempe *quia decoloranit me ſol.* Sub tam deformi habitu Deus abſcondit mandato- Coloſſ. 3.
Non igitur à principiis internis oritur, ſed ex ſplen- rum ſuorum adimpletionem. Nam ſicut Chriſtus,
dore ſolis iuſtitiæ exterius nigra appareo & quæ vt obediret Patri, mori voluit, *factus obediens vſque*
interius ſum niue candidior, ex diuini ſolis asdo- *ad mortem*: Ita quiſquis fidelis eamdem præſta-
ribus nimiis nigra appareo. Quid illud eſt quæſo, re debet Deo obedientiam, vt paratus ſit moti ſi
niſi quia perfectè nunc facta eſt Chriſto obediens, ita neceſſarium ſit vt Deo obediat. Quantam ta-
vt nullum reſpuat laborem, nullam pertimeſcat men pulchritudinem poſſideant hæc diuina manda-
difficultatem, itaut parata ſit eum ſequi quocum- ta, licet deformi velamine & vili tegmine inuolu-
que ierit, & eius perpendiculares radios ſuſcipere ta, ſatis perſpicimus ex Dauide acclamante: *Oculi*
quibus tantò fortius denigretur, quantò ardentiùs *mei defecerunt in ſalutare tuum, & in eloquium iuſtitiæ*
eam afficiant? *Indica mihi*, inquit, *quem diligit ani-* *tuæ*; & à ſapiente Filio eius, viæ Dei dicuntur viæ
ma mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie. In meridie pulchræ: Pro. 3. vnde qui ea annunciant dicuntur
ardentiores immittis radios: hîc ſubiacere concu- dare eloquia pulchritudinis; *Nephtali ceruus emiſſus* Prou. 3.
piſco, licet iis exuri contingat: non modo nigra *& dans eloquia pulchritudinis*, dicebat Iacob Patriar-
B ſum iis combuſta ardoribus, quin & in cinerem re- cha in benedictione ſeu prophetia tribus Nephtali
digi exopto, modo tu dilecte mi, decorus valde cap. 49. ſiue quia Tobiam præuidebat, qui fuit de
& ſpecioſus præ filiis hominum ac candor lucis, ap- tribu Nepthali, & è patria & natiuo ſolo ductus 1. Gen. 49.
pareas. Tuus cibus eſt ſi voluntatem Patris adim- in captiuitatem dabat eloquia pulchritudinis, cum
pleas, requieſcis & manes vbi viget Charitas: nun- *pergebat ad omnes qui erant in captiuitate, & monita*
quam melius voluntatem Patris adimpleuiſti quàm *ſalutis dabat eis*, Tob. 1. quique tanto cum ſtudio fi-
in cruce; nunquam tua clarius enituit Charitas, lio præcipiebat vt mandatorum Dei eſſet ſedulus
quàm dum pro inimicis moti non abnuiſti: hic obſeruator. *In mente habeto Deum, & cave ne ali-*
meridies tuæ iuſtitiæ; hic pro peccatis ad rigorem *quando peccato conſentias, & præterminas præcepta Dei*
ſatisfactio in ſuo fuit apogæo; hic paſcar, hic cu- *noſtri.* Tob. 4. ſiue quia Chriſtus Dominus relicta
bam, hic requieſcam: *Hæc requies mea in ſeculum ſe-* ciuitate Nazareth *venit & habitauit Capharnaum*
culi, hic habitabo quoniam elegi eam. Et ideo nigra *maritima in finibus Zabulon & Nephtali, vt adimple-*
appareo, quia vt te ſequar, tibi obedire in omnibus *retur quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam: Terra Zabu-*
ardentiſſimè exopto: & tuo amore exuri, pro te C *lon, & terra Nephtali, via maris trans Iordanem Gali-*
tormenta patiendo, totis deſideriis concupiſco: ſic *leæ gentium, populus qui ſedebat in tenebris vidit lucem*
ero pulchra, cum pro te nigra, *ſicut tabernacula ce-* *magnam, & ſedentibus in regione vmbræ mortis lux orta*
dar, ſicut pelles Salomonis. *eſt eis. Exinde cœpit Ieſus prædicare & dicere: Pœni-*
Cedar, inquit Adrichomius, latiſſimi ſunt qui- *tentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum.*
dam campi inter ciuitatem nomine Suetam, & aliam Matth. 4. ſiue quia Apoſtoli ex Galilæa erant, in
quæ hoc vocabulo Cedar indigitatur, in quibus vn- qua ſita eſt ciuitas Nephtali, qui tanquam cerui
dequaque confluunt mercatores; & quia oportet Dei gloriam ſitientes, poſtquam ſitim ſuam exple-
eos durante æſtate ibidem commorari, vt præſtò uerunt, & è viuo ſapientiæ fonte aquas ſalutis hau-
ſint omnibus nundinis, quæ in hoc campo celebran- ſerunt, poſtea per totum orbem dederunt eloquia
tur, velut in quibuſdam emporiis celebertimis, pulchritudinis, docentes omnes gentes ſeruare
Ideo tabernacula erigunt, & ibidem figunt, quæ mandata Chriſti, ſecundum illud: *docentes eos ſerua-*
cum ſint exterius deformia & nigra, interius autem *te omnia quæcumque mandaui vobis.* & ita fideliter hoc
deaurata & perpulchra ac variis lapillis pretioſis miniſterium Euangelium prædicandi adimpleue-
exornata: ideo ſponſa dicitur nigra ſicut taberna- D runt, vt nationes plurimas Chriſti iugo ſubegerint,
cula Cedar, quod nomen & nigredinem & triſti- eoſque docuerint ſeruare vias duras, ac leges Chri-
tiam ſignificat, vt ſciamus non modo ex humilia- ſtianas licet auſteritate plenas: vnde Eccleſia ex
tione ſpontam nigram nominari, ſed etiam ex om- omnibus nationibus congregata, in præcipuis ac
nibus pœnis, angoribus, laboribus, quos ſuſcipere potioribus ſuis membris, talis apparuit qualem ſe
& tolerare cogitur, vt Chriſto obediat & eius ob- depingit S. Paul. 2. ad Corinth. 11. Horrida nimis
temperet mandatis, de quorum ſtricta obſeruatione exterius, ſed interius proculdubio perpulchra. *In la-*
canebat Dauid: *Tu mandaſti mandata tua cuſtodi-* *bore*, inquit, *& ærumna, in vigiliis multis, in fame &*
ri nimis; Itaut cum caſtiſſima Suſanna dicendum ſit, *ſiti, in frigore & nuditate*. en externa nigredo. At
Daniel. c. 13. *Melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras,* ſuperabundat gaudio idem Apoſtolus in omni
quàm peccare in conſpectu Domini. Daniel. c. 13. In his tribulatione ſua, ecce interna illius pulchritudo. Si
tabernaculis igitur inhabitat anima Chriſtiana, quæ, igitur lex Chriſtiana & eius promulgatores, & illius
veluti Abraham, peregrinam ſe exiſtimat in hoc cultores, ſicut & eius inſtitutor, exteriùs nigredine
mundo, & ſcit ſe non habere hic ciuitatem per- quadam fuerunt præditi, licet interius gratiſſima &
manentem, ſed futuram inquirere, eamque eme- E perfectiſſima gaudeant pulchritudine, nonne equus
re conatur per pœnas & afflictiones libenter pro iſte, fidelis Chriſtiani mandatorum Chriſti perfe-
Chriſto toleratas: ſic Deus pretioſa ſub vilibus cti cultoris ſymbolum, optimè nigro colore depin-
contegit, ſic decorem ſub deformi velat amictu: gitur?
Nihil adeo deſpicabile apud cogitationes diuitum Vis in hac lege nigredinem contemplari cum pul-
quàm paupertas; at ſub ea voluntatum ſuarum exe- chritudine coniunctam? Vis in eius promulgatori-
cutionem cooperit, quæ res prætioſior eſt omni bus eamdem intueri? Lege Theodoretum Serm. 9.
auro, & lapide prætioſo: *Beati* ſiquidem *pauperes* de legibus, è quo hæc pauca accipe. Legem enim
ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum Cœlorum: Et ſi hanc quaſi nigram proponit, ſiue ratione ſermonis
Diſcipulum Chriſti eſſe cupis, quod exoptandum ſimplicis quo prolata fuit; ſiue ratione auſteritatis
eſt ſupra aurum & topazion, omnibus tibi renun- quam docuit; *Vos quidem, vos Græci, elegantes ſermo-*
ciandum eſſe ſcias: *Qui enim*, inquit, *non renunciat* *nes audire percupitis, quærentes his quam maxime permul-*
omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus: *ceri: vbi vero tales non inueniatis, riſu effuſo eos contemni-*
Nihil terribilius videtur mortalibus, quam animæ *tis, ac maledictis inceſſitis; quin etiam obſtructis auri-*
à corpore auulſio per mortem; at ſub ſpecie hac *bus, quæ dicuntur audire non vultis. Contra vero animad-*
horribili vitam Deus abſcondit: *Mortui enim eſtis,* *uertere vos oportuit ita vſu euenire, vt ea quæ ſunt quàm*

maxime pretioſa, cuncta fere vili materia integantur: Videre ſiquidem eſt pretioſam vnionem, qualem ampli & magnifici viri apud ſe eſſe deſiderant; aſpernabili ad modum teſta innaſci, eademque nutriri, augeſcere, occultari; qui vero eam ſibi coëmunt, auri plurimum perſoluentes miſſam faciunt teſtam. Hæc Th. Hoc de gemmis, hoc de lapillis lucentibus, hoc de auro aſſerit; & poſtea ſubdit: *Iure igitur factum eſt, vt veriſſimas de diuinis humaniſque rebus traditiones, non illuſtris eloquentia tumidique ſermones, ſed ſimplices humileſque ac omnibus mortalibus noti prædicent, magnumque adeo ineffabilemque theſaurum, viles ad modum theceæ deſpicabileſque circumferant.* Quod etiam iam Ser. 8. de martyribus tetigerat: nam poſtquam dictum Pythagoræ, *Muſas Sirenibus eſſe præferendas*, expoſuit, nempe meliorem B eſſe ſimplicem veritatis decorem per Muſas deſignatum, acti oratione lepidique verborum concentu, per Sirenum cantum deſignato, docet Deum ſimplici ſermone voluiſſe verbi prædicatores vſos fuiſſe, vt homines etiam viliores & contemptibiliores ſalutarem poſſent percipere doctrinã. *Pronum ſiquidem*, inquit Theodoretus, *fuit & quam facillimum ſapientiæ fonti, qui profanis impiiſque hominibus eam quam tantopere gloriantur eloquentiam dedit, vel Platone facundiores, vel actiores Demoſthene, vel rotundiores Thucydide, vel Ariſtotele & Chryſippo cudendis inſolubilibus ſyllogiſmis prodire veritatis præcones. Cæterum locuples illa liberaliſſimaque diuinitas noluit quinque ſolum decemue aut quindecim, centum aut ducentos homines aquis ſalutaribus tecrecari, ſed cunctas affatim tum Græcas tum Barbaras nationes, neque ſolum homines literarum ſtudiis innutritos, ſed ſutores iuxta textoreſque, fabros item ferrarios, cæteroſque manuales artifices, præterque hos ipſos etiam mendicos, agricolas, lignatores, fœminas quoque tum diuitiis affluentes, tum manuum ſtudio parcè ac duriter victitantes: Eamque ob rem, piſcatorum publicanorumque ac ſutoris miniſterio vſus, protulit hominibus ſalutarem diuinamque doctrinam, nequaquam linguis immutatis, quibus verbi ſui præcones ab initio vſi fuerunt, ſed per eas tamen prænitentis ſapientiæ riuos effundens: non aliter quàm ſi quis odoris vinum ſaporiſque ſuauiſſimi communi ſuis apponat, quod tamen phialis poculiſque infundat minus eleganter affabreque confectis: nihilo enim ſecius, qui ſitientes accumbunt vino ſe imbuunt, neque poculorum materiam artificiumue inſpiciunt, ſed vinum laudant, quod cum magna voluptate exhauriunt. Idem cunctos hodie mortales facere aſſiduè cernimus; ſacræ enim doctrinæ riuos haurientes, non modò non irridemus Apoſtolorum linguam, ſed valde potiùs admirantur, &c.* Hæc Theod.

At non modo hæc lex ſeu doctrina nigredinem habet, ratione ſermonis ſub quo profertur, ſed etiam ratione eorum quæ præcipit aut docet, quæ humilia ſunt & auſteritate plena. *Quin*, inquit, Theodor. Ser. 8. de Martyribus, *eadem Apoſtolica monumenta non ſolum carent attice eloquentiæ faſtu, verum etiam ea quæ nobis tradant eius ſunt generis, vt nihil inde magnificum noſtris oculis ac perſpicuum proponatur; neque enim regnum oſtentant, quod hic videri à futuris poſſeſſoribus queat: non illi purpura exornatum regem, non corona inſignem vident, non ſcutatorum numero ac magnitudine formidandum, non exercitu communitum, non ducibus qui fortitudinem in bello perdocti ſint; nihil denique eorum vident, quibus homines ſplendore nominis & gloria inclareſcunt: ſed tophaceum ſpecu vident, in quo præſepe, in quo pauperculam virginem, in quo tenus faſcia obuolutum infantem, ipſo in præſepi ſinu humiliter reclinatum: præterea & oppidum vident, vbi hæc accidiſſe narrantur, ignobile, inglorium ac puſillum. Proponitur illis etiam ſpectandus infans in paupertate eductus, proponuntur quæ acerba perpeſſus eſt, fames, ſitis, languorque de via. Poſthæc autem omnia ſupplicium illud paſſim ab omnibus detentatum, alapæ cum colaphis in maxillis incuſſæ, terga* A *flagris diſciſſa, geſtata crux, pedibus ac in manibus infixi claui, lancea pectori, acetum ſitienti porrectum, mortis genus ignominia cruciatuque perhorrendum. Et tamen cum hæc, & quæ ſunt his ſimilia narrent Apoſtolorum monumenta, fidem fecerunt cunctis paſſim hominibus, cum de quo illa dicuntur Dei Filium, Deum verum ante ſecula genitum, factorem rerum omnium atque opificem humanam aſſumpſiſſe naturam, eoque inſtrumento ſalutem humani generis confeciſſe.* Hæc Theodoret. En humilitas legis & doctrinæ Chriſtianæ. Vis videre auſteritatem? Eumdem Theodoretum conſule ſerm. 9. de legibus. *Hæc ſiquidem*, inquit, *diuina lex non ſolum flagitium non admittit, ſed etiam procaces laſciuoſque iniuitus puniendos decernit: non modo veras homicidium, ſed etiam liberator vindexque noſter importunam quoque contumeliam, iniuſtumque iracundiæ motum cenſet eſſe puniendum: quin & otioſi ſermonis rationem ſe repetiturum comminatus eſt, pauperem quoque vitam perfectiſſimam eſſe aſſerit. Qui enim, inquit, non renunciauerit omnibus bonis ſuis non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et tamen quum adeo exactum vitæ genus ſuis legibus inſtituerit, nihil delectabile, nihil iucundum ſeſe nobis in hac vita daturum promiſit ſed paupertatem, miſeriam, contumelias, flagra, cædes ac multiplices vexationes, inquit, enim, in mundo preſſuram habebitis, &c.*

Leges autem ſunt eiuſmodi. At ſi earum prædicatores ac cultores inſpiciamus, nonne deſpicabiles videbuntur exterius, quamuis diuina virtute interius fuerint prædicti? *Dignum verò*, inquit Theod. C ſer. 9. de legibus, *præterea eſt, vt diuinos illos homines quique illis etiam crediderunt ſuſpiciamus, & admiremur. Cum enim eam prædicari legem audiſſent, neque tamen aut diuitias, aut potentatum, aut corporis robur à vocante Chriſto accepiſſent, ſed tantummodo rerum quæ non videbantur largis promiſſionibus crederent, nihilo tamen ſecius & labores deſumpſerunt, & pericula multa perpeſſi ſunt, terramque habitabilem peragrantes gentibus vniuerſis doctrinam ſaluberrimam detulerunt; nihilo verò minus, & eos laudari par eſt qui traditam ab eis doctrinam acceperunt: quando quidem nihil illuſtre nihilque conſpicuum magiſtris prædicatoribuſque illis ineſſe cernentes, ſed piſcatorum ſutorumque idioma extrémamque rerum omnium egeſtatem (neque enim ſaltem ad victum* D *neceſſariis abundabant: quo enim pacto ea ſibi compararent quibus Euangelica lege prohiberetur cogitare de craſtino?) tamen non ſolum nouæ legi crediderunt, ſed quibus ad eam diem legibus vixerant prorſus omiſſis, patriſque relictis moribus, vel maximo cum periculo; ipſi quoque vitæ reliquum peregerunt. Etenim magiſtrorum ſuorum veſtigia conſectati, prædicationibus dare operam, parique modo à temulentis illudi, cædi, percuti, conuitiis aſpergi, per eaſdem denique tempeſtates, ad ſalutis portum proficiſci.* Hæc Theodor.

Quod ſi & lex & promulgatores & eius cultores nigro veſtiuntur colore, illius etiam inſtitutor tali colore ornatus apparet, cum de eo dicitur: *Caput eius aurum optimum, Comæ eius ſicut elatæ palmarum,* E *nigræ quaſi corvus*, Cant. 5. Quaſi diceret: Diuina Verbi incarnati ſapientia auro pretioſior, cogitationes gerit in mente, quæ veluti palmarum rami, eo ipſo quo eis contradicitur, & deprimi videntur, in opus intentum exurgunt; & licet vtatur mediis quibuſdam, quibus exiſtimari poſſet de rebus humanis non eſſe ſollicitam; ac veluti corui pullos negligunt, ſua opera negligere; cum humiliationibus, obiectionibus, preſſuris, tormentis, ſuos deprimi ac vexari permittit, nihilominus proinde cuncta ordinat, & fœliciter quod vult ac intendit conſummat ac perficit. Non abſque ratione igitur antiqui nigro veſtimento vtebantur, vt notat Baron. an. 296. n. 18. vt ſe huius legis cultores, & illius inſtitutoris ſectores profiterentur. Hi ſunt equi

Digitized by Google

nigri in ſecunda quadriga Prophetæ Zachariæ poſiti, c. 6. qui egrediebantur in terram Aquilonis: etenim qui perfectè Dei mandata cuſtodiunt, omni malo quod ab Aquilone panditur (vt primo Ieremiæ dicitur) occurrunt. Talis igitur ſit anima Chriſtiana, vt poſſit dicere: *Nigra ſum ſed formoſa*, Chriſto compatiens, illius veſtigia ſequens, vt per paſſiones, & ignominias, & mortificationes corporis, decorem illum conſequatur de quo dicitur: *Omnis gloria filiæ regis ab intus. Specie tua, & pulchritudine tua intende proſperè & regna.* Et ſic erit ille equus niger, cui pro fideli conanime ac certamine, denarius vitæ æternæ proponitur conſequendus.

Et qui ſedebat ſuper illum habebat ſtateram in manu ſua.

Mandatorum Dei fidelis obſeruator debet Paſtoribus Eccleſiæ humiliter obedire. §. 3.

Vt ſenſum huius loci eruamus, duo conſideranda veniunt: quis nempe ſit huius equi ſeſſor, & quænam ſit illa ſtatera quam habet in manu.

Quantum ad primum, rectè ait Pererius multas, multumque differentes eſſe iſtarum imaginum interpretationes, quia per humani ingenij ſolertiam ad varias res accommodari queunt. Vnuſquiſque in ſuo abundet ſenſu, modo ad veritatis normam ſenſus eius reguletur, & pietati non officiat. Ego dicam quod ſentio.

In omnibus equis ſeſſor eſt Chriſtus. Per fidei illuminationem ſedet in primo: per ſpiritus ſui effuſionem, ſedet in ſecundo; per autoritatem collatam Paſtoribus, ſedet in tertio: itaut quicumque iuriſdictione ordinaria aut delegata fideles ducit ad præceptorum & mandatorum Dei obſeruantiam, hic ſit illius equi ſeſſor, ſiue per eum ſeſſor eſt Chriſtus. Non videtur hic ſeſſor, ſicuti nec in prioribus equis, quia licet corpore viſibili conſtet, autoritas tamen illa per quam ſedet, ex inſtituto Chriſti pendens, res eſt inuiſibilis, quæ fide aprehenditur, non oculis cernitur; effectu tamen illam percipimus, cum in actus quoſdam ſenſibiles exeritur. Ideo videtur ſtateram habens in manu, licet nec vultum nec figuram aut veſtimentum & habitum eius videamus. Sicuti igitur verbum diuinum dicitur regere populum Chriſtianum, cum per fidem illum ad ſuperna dirigit, Spiritum ſanctum eundem regere aſſerimus, cum eumdem charitate impellit ac mouet ad Deum, ita hic & verbum & Spiritus ſanctus dicuntur regere populum Chriſtianum, cum per autoritatem Paſtoribus collatam, in quibus certe inhabitat, eos ad legis obſeruantiam promouent. Paſtorum enim eſt populo Chriſtiano has inculcare leges, & vigili cura earum obſeruantiam à ſibi ſubditis exigere, & per ſacra miniſteria, & myſteriorum diuinorum fideli ac prudenti adminiſtratione eumdem ad perfectam illius altiſſimæ legis obſeruationem adiuuare, vt perficiant quæ ipſis S. Paulus præcipit Act. 20. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* At non modò ſic per Epiſcopos ſedet Spiritus ſanctus, ſed etiam per eos Chriſtus: nam Apoſtolus 2. ad Corinth. c. 2. ſe agere in perſona Chriſti aſſerebat. *Cui autem aliquid donaſti, & ego: nam & ego quod donaui, ſi quid donaui, propter vos in perſona Chriſti, vt non circumueniamur à Satana: non enim ignoramus cogitationes eius.* Cum igitur eos ponat Spiritus ſanctus in hac autoritate regendi Eccleſiam Dei, & cum aliquid agunt, illud agant in perſona Chriſti, facilè conjici poteſt fideles per Chriſtum in ſuo diuino ſpiritu regi ac duci; cum à Paſtoribus viſibilibus corpore, ſed inuiſibili autoritate præditis, reguntur, & ad cæleſtia adipiſcenda deducuntur. Nec iſtam interpretationem tanquam diſſonam quis facilè rejiciet, qui attentiùs perſpexerit Nicolao de Lyra veniſſe in mentem hunc equum nigrum eſſe malum Prælatum, & eius ſeſſorem eſſe Dæmonem, *Et ecce*, inquit, *equus niger, per quem ſignificatur Prælatus de vitio Simoniæ notatus, & ſic fama denigratus. Et qui ſedebat ſuper eum, per quem ſignificatur Dæmon ipſum impellens ad hoc vitium, & cuius ſequitur inſtinctum.* Satius enim videtur, cum hi omnes equi, vt diximus, ſalutis potiùs ſint adminiſtri, quàm ad perniciem deſtinati: vt per equum, populum Chriſtianum, per ſedentem, Prælatum autoritate Chriſti præfulgentem & Spiritu ſancto repletum intelligamus, quam malum Prælatum aut dæmonem, qui deſtruunt non ædificant, perdunt & non ſaluant. Alias interpretationes ſi requiras, eas quære apud Viegam, Pererium & Cornelium, ne actum agamus: noſtram hîc tantum in medium producimus.

Quantùm ad ſecundum, per ſtateram, mentem & intellectum fidelis Chriſtiani intelligo: quia ſicut per ſtateram perpenditur quanti ponderis ſit corpus, ita per intellectum fide recta imbutum, cognoſcitur quanti ſint momenti res omnes ſpirituales; qui debet eſſe in manu optimi Prælati, cum & eius dogmatibus adhibet fidem, & illius præceptis morem gerit, ac ei humiliter obedit: vt iuxta Prælatorum de fide determinationes, ac eorum præcepta & monita, in mente fidelis Chriſtiani cuncta ponderentur, per quæ vitam æternam conſequi ſperet.

Cum enim iuxta Paſtorum Eccleſiæ decreta, cunctas actiones noſtras, ac verba & ſenſus, vt eadem dicamus omnes, ponderamus: certe noſter intellectus videtur eſſe quaſi ſtatera in manu Prælati; quia nihil in eò reponitur ponderandum præter id quod imponunt oneris. Hæc eſt enim illa vox è medio quatuor animalium audita, id eſt à maioribus Prælatis orta, cum in vnum conueniunt vt videant quæ proponi debent credenda populo Chriſtiano, aut quæ eidem agenda eſſe præcipienda ducunt: cuius rei exemplar habemus in primo illo Concilio ab Apoſtolis, & ſenioribus celebrato Hieroſolymis, à cuius medio (vt pote à veritate Chriſto qui in medio eorum eſt qui in nomine eius congregantur) auditur illa vox: *Viſum eſt enim Spiritui ſancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria: vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine & ſuffocato & fornicatione, à quibus cuſtodientes vos bene agetis: valete.* Act. 15. Hæc illis erant ponderanda ſeu conſideranda, ne quid contra Dei voluntatem, & legis Chriſtianæ puritatem agerent. Monebat ſapiens vnumquemque, Eccleſiaſt. 28. verbis ſuis faciendam eſſe ſtateram. *Verbis*, inquit, *tuis facito ſtateram, & frænos oris tui rectos, & attende ne forte labaris in lingua.* Verbis ſuis fidelis ſtateram facit, qui de rebus fidei loquitur prout determinauit Eccleſia qui ea iuſta & pia eſſe dicit, quæ ipſa efficienda eſſe decernit. Et reuerà, vt idem ait, c. 21. *Labia imprudentum*, nempe hæreticorum, *ſtulta narrabunt: verba autem prudentium*, nempe fidelium, *ſtatera ponderabuntur*, id eſt: Quæcumque fidelis loqui voluerit, cum decretis Paſtorum Eccleſiæ ponderabuntur, præualebit autem quod Eccleſia decreuerit, quidquid aut ſenſus aut ratio humana ſuggerere poterit. Quod de verbis dicimus, eadem dic de actionibus quæ ab intellectu fide recta & charitate imbuto procedere debent, cum matura vtique deliberatione, id eſt optime & debitè ponderata. Deum ipſum imitari ac ſequi debent eius cultores, de cuius iudiciis dicitur:

Pondus

Pondus & ſtatera iudicia Domini ſunt. Pro. 26. Id eſt, A nihil eum agere quod non ipſe æqua lance ponderet. Optimè nouit cuiuſque rei naturam & indolem, nihil vnquam determinat antequam quid poſſit aut valeat aut non poſſit creatura ponderauerit: ex qua maſſa fuerimus procreati ipſe nouit, cognoſcit nos ex puluere & luto effoſſatos: at quid gratia eius corroborati agere valemus callet quàm optimè; quem perfectionis, quem gratiæ ac gloriæ gradum attingere poſſumus minimè ignorat; quibus mediis & quam conuenientibus ac fini proportionatis finem adipiſcamus, ſcit perfectiſſimè. Hac ratione fluxum ac mutationibus variis obnoxium liberum hominis arbitrium cum gratia ponderat, gloriam æternam cum ſuorum præceptorum æquitate, quæ hominibus ab eo dantur tanquam media idonea, vt B per eorum obſeruationem gloriam conſequamur: & cum videat qua ratione gratiæ datæ cooperati fuimus, quænam præmia mereamur aut ſupplicia decernit: vnicuique reddens prout geſſit in corpore, ſeu ſecundum opera ſua. Huius ſtateræ æquitatem non pertimeſcebat Iob. c. 31. qui dicere audebat; *Nunquid non perditio eſt iniquo, & alienatio operantibus iniuſtitiam? Nonne ipſe conſiderat vias meas, & greſſus meos dinumerat? Si ambulaui in vanitate, & feſtinauit in dolo pes meus, appendat me in ſtatera iuſta, & ſciat Deus ſimplicitatem meam.* Ad modum diuinæ Maieſtatis videntur iudicia Paſtorum eſſe quaſi ſtateram, cum in mente fidelium ſuſcipiuntur, iis enim mens fidelium inſtructa & imbuta ponderat quæ ſi- C bi ſunt credenda & agenda.

O grande & mirandum ſatis myſterium ſummi imperij legis diuinæ in mentes hominum, vt ita legi obtemperent, vt ipſi aliis hominibus fortè deterioribus, inſipientioribus, ignobilioribus pareant & obediant, ſuamque mentem, & intellectum ita deponant in eorum manu & poteſtate, vt de cunctis fidei articulis ea tantum credant, ſentiant, dicant, quæ fuerint à Paſtoribus ſuis decreta, ac determinata: vt iuxta eorum præcepta ac monita, ſuas omnes actiones perficiant. *Pondus* equidem, *& ſtatera iudicia Domini ſunt*: Nonne etiam pondus, & ſtatera ſunt iudicia paſtorum à ſubditis ſuſcepta & acceptata? Quo fit vt fidelium mens videatur eſſe ſtatera in D manu Paſtorum, quia iuxta eorum præſcriptum de omnibus iudicant, nec aliud aut aliter agant, quàm quod & qualiter fuerit illis iniunctum, omnia ponderantes ad pondus ſanctuarij. Et in hoc perfecta obedientia legi diuinæ animaduertitur, ſi non ſolum voluntate, ſed etiam iudicio Prælatis ſubdamur. *Lex*, inquit Pindarus apud Clem. Alexand. *rex eſt omnium mortalium & immortalium.* l. 1. ſtrom. At talis Regia Maieſtas potiſſimum apparet, cum homines aliis ſibi æqualibus in natura, ingenio, & probitate libenter ſubdantur, vt legi obediant: at cum hoc faciunt, obediunt Chriſto, *Quem*, inquit idem Clem. Alexand. *inuenies in Petri predicatione dici lex & ratio.* Quinimo obediendo hominibus obediunt E Deo. *Omnis anima*, inquit Apoſtolus, *poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt: itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Rom. 13. Et quia hoc non fit niſi cum difficultate, ægre ſiquidem homines aliis ſubduntur, ideo quaſi quoddam myſterium ſuſpicimus, quod homines aliis obedientiam præſtent, & eorum iudicio ac voluntate regantur.

Et audiui tanquam vocem in medio quatuor animalium dicentium: Bilibris tritici denario vno & tres bilibres hordei denario vno.

Perfectus legis diuinæ obſeruator, in veritate, iuſtitia, & iudicio debet ambulare, quaſlibet actiones animæ & corporis cum denario æternæ mercedis, iuxta præſcriptum Paſtorum, ponderando. §. 4.

Meminiſſe oportet nos per quatuor animalia intellexiſſe inſigniores Prælatos Eccleſiæ, quibus cura præcipua incumbit eam gubernandi, vel inſigniores ſanctos, qui ad aliorum ſalutem procurandam potiſſimum inſeruierunt. Ideo;

Dico hanc vocem in medio quatuor animalium vnanimiter idem dicentium eſſe conſenſionem in fide & doctrina Paſtorum Eccleſiæ, & ſanctorum, de qua Apoſtolus 1. ad Corinth. 1. *Obſecro autem vos fratres, per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia.* Et Rom. 15. *Quæcumque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. Deus autem patientiæ, & ſolatij det vobis idipſum ſapere in alterutrum ſecundum Ieſum Chriſtum, vt vnanimes vno ore honorificetis Deum & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c.* Hoc præſtabunt qui Paſtorum vnanimem vocem audient, quæ è medio eorum prodit, nempe: *Bilibris tritici denario vno, & tres bilibres hordei denario vno, &c.* Ac ſi diceret: Habetis ſtateram, nempe intellectum ſeu mentem ratione præditam, qua librare omnia & vnum cum altero ponderare valetis: in manu noſtra data eſt, quia *ab antiquis diebus per os noſtrum*, nempe per os Petri, *elegit Deus in nobis audire gentes verbum Euangelij & credere.* Act. 13. vt iuxta decreta & præcepta noſtra, quæcumque vobis credenda ſunt & agenda æſtimare valeatis. Audite igitur hanc, quam & communi conſenſu, emittimus vocem: *Bilibris tritici denario vno, &c.* Quid autem per hæc intelligant, enucleandum eſt: vt myſticum ſenſum, literâ probè intellectâ, faciliùs percipiamus.

Non eſt dubium, vt optime Ribera, *reconditum aliquem ſenſum in his verbis latere, neque ea poſſe intelligi vt ſonant, eumque nunc hiſtoricum ſenſum haberi ac dici debere, qui myſticus in aliis videretur.* Hæc ille. A quo literalem huius loci interpretationem accipe. *Pro Bilibris, in Græco eſt, Chœnix, vtroque in loco, quod non eſt nomen ponderis, ſed menſura aridorum, capitque cotylas quatuor, ſiue ſextarios duos ſi Budæo credimus lib. 7. de aſſe. Certe omnium conſenſu menſura eſt, quam frumento plenam vnus homo quotidie abſumere poſſit, vt idem autor eodem libro probat ex Herodoti verbis l. 7. & ex Suida, & ex Athenæo l. 3. Ideoque vocari ſolet ἡμερήσιον & τροφὴν id eſt, cibarium diurnum. Declarat hoc vetus Pythagoræ ſymbolum ἐπὶ χοίνικα μὴ καθίζειν, id eſt, Chœnici ne inſideas. Hoc eſt: cum vnius diei victum paraueris, ne quieſcas: Sed labora & plus quære. De quo etiam Eraſmus in Chiliadibus. Hæc menſura ad Hiſpanicas redacta capit quartellum tritici cum dimidio, quam in ſingulos dies veteres ſeruis demetiebantur, illi noſter interpres duas libras, id eſt, viginti quatuor vncias tribuit: ideoque ne græco nomine vteretur, vertendum putauit, Bilibris, ſcilicet menſura. At Budæus quatuor libras habere teſtatur Chœnicem, quoniam Chœnix capit duos ſextarios, & ſextarius capit vncias viginti quatuor, id eſt, libras duas; ſed Iulius Pollux in ſuo Onomaſtico lib. 4. c. 22. Chœnici tres Cotylas tribuit, habet autem Cotyla vncias nouem: & Alciatus in libello de ponderibus & menſuris, communem Chœnicem apud Græcos habere teſtatur quatuor ſextarios, Attica vero tres Cotylas, id eſt, viginti ſeptem vncias: quod confirmat*

ex Polluce, Suida, & interprete Nicandri: quod & multò verius eſt, & conſentit cum noſtra tranſlatione. Idem autor l. 1. Parergon cap. 17. docet Chœnicem pondere Vncias viginti ſeptem atque eius dimidiam libram, vel libellam dictum eſſe Athenienſibus denarium: qua voce latina vſus eſt in Græco Euangeliſta à numero ductus eſt, quod decem aſſes valeat. Hæc Ribera. Cornelio à Lapide Denarius pretium eſt diurni laboris: operarij enim diurna merces erat denarius. Plura vide apud Alcazar not. 7. Nunc ad ſignificationem huius ſymboli veniamus.

Habent Paſtores, tanquam ſtateram in manu, omnium fidelium mentes, vt ipſi ſua vtendo ratiocinandi poteſtate, iuxta præſcripta Paſtorum, quæ vera, quæ iuſtà ſunt ſentiant & dicant; quid in ſtatera iudicij ponderanda ſunt, addiſcant, in his potiſſimum verbis, *Bilibris tritici, &c.* quibus docent cum denario duas libras frumenti eſſe ponderandas, treſque bilibres hordei cum eodem denario eſſe librandas: Quid frumentum, quid hordeum, quid denarium ſignificet videamus; & tunc ſenſum, prout exiſtimo, facilè adipiſcemur.

Cum legis diuinæ meditatio & obſeruantia, ſymbolo cibi alicuius ad victum neceſſarij omnem famem explentis, ac ſuauiſſimi, in ſcriptura ſignificetur, dicente Chriſto cum etiam fame vrgebatur: *Non in ſolo pane viuit homo, ſed ex omni verbo quod procedit ex ore Dei*; non mirum ſi nos per frumentum & hordeum, hîc ſignificari velimus perfectam mandatorum Dei ac conſiliorum Chriſti obſeruantiam, cum denario vitæ æternæ ponderandam. De tali cibo dicebat Chriſtus: *Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis*, nempe diuinæ voluntatis adimpletionem: Et rurſus: *Meus cibus eſt vt faciam voluntatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius.* Ioan. 4. Suauis certe cibus, dicente Dauide: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo!* Huius autem librationis & ponderationis mandatorum & eloquiorum diuinorum cum denario vitæ æternæ, normam habemus à Chriſto dicente: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Mat. 19. Et rurſus: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo: & veni, ſequere me.*

In frumento igitur intelligimus omnes illas veritates quæ mentem dulcedine ſua reficiunt, vt ſunt diuinæ perfectiones, quæ nos ad Dei amorem alliciunt, & ingentia erga nos diuinæ bonitatis beneficia, ac myſteria diuina ad noſtram ſalutem ordinata, quæ nos ad gratiarum actionem potenter excitant, ac vehementius impellunt. Per hordeum autem omnes illas veritates, quæ ad mortificationem corporis, ſenſuum & appetituum ſeu paſſionum pertinent, quæ in praxi aliquam habent aſperitatem, itaut dum recordamur Deum tanta præditum maieſtate, ac nos tantis beneficiis præuenientem, autorem eſſe diuinæ legis, ei obtemperare gratiſſimum habeamus; nec impigrè ad mortificationem amplectendam, & difficultates omnes ſuperandas accingamur: quia ſicut charitati diuinæ, pro æterna mercede, debetur Dei viſio: Ita noſtris laboribus paradiſi gaudia ac delitiæ præparantur, quæ quidem mercedes ac delitiæ per denarium ſignificantur.

Nec iſtam interpretandi hunc locum rationem reiiciet qui alias ponderabit, quæ certe non melioti nituntur fundamento, & ab autoribus ſuis ſuam emendicant tantum probabilitatem, quòd doctrina ac pietate ſint inſignes.

Si enim Ambroſius per bilibrem tritici duo præcepta Charitatis intellgit, *Per binas*, inquit, *libras tritici duo præcepta Charitatis, quæ in lege & Prophetis* A *ſpecialiter commendantur, deſignantur: per tres bilibres hordei Vetus teſtamentum poſſumus accipere, eoquod in tres partes ab Hebræis diuidatur, in Prophetiam, in legem & in agiographa: nec inconuenienter per hordeum, quod aſperum habeat corticem, Vetus teſtamentum deſignatur, propter aſperitatem corticis ſui.* Hæc Ambroſ. Cur non æque diuinarum perfectionum meditationem aut diuinorum beneficiorum apprehenſionem, quibus ad obediendum legi prouocamur, per bilibrem tritici poterimus intelligere; aut illam aſperitatem, quæ in praxi mortificationis reperitur pro vita æterna conſequenda, per hordeum intelligere, ſicut propter aſperitatem corticis vetus teſtamentum per illud intelligitur?

B Aut ſicut Anſelmus per triticum intelligit perfectiores, per hordeum non adeo perfectos: *Triticum*, inquit, *ſunt perfectiores qui tribulatione attriti igne excocti ſunt, Deo ſuauis cibus id eſt ſine vlla palea; hordeum ſunt non adeo perfecti, in quibus, licet valde ſint triti, eſt tamen aliqua palea*; non abſurde nos veritates nobis ſuaues ac iucundas, vt eſt meditatio diuinæ legis, vt pote à Deo Optimo Maximo & erga nos beneuolo prodeuntes; & veritates auſteritate aliqua veſtitas, vt ſunt eæ omnes quæ nos ad mortificationem impellunt, poterimus ſub ſymbolo frumenti, & hordei ſignificare? Sequutus videtur eſſe Anſelm. mentem Andr. Cæſarien. qui ait: *Tropo quodam, vt quidam putant, illorum ſtatum inſinuat, qui legitime certauerunt, impreſſamque à Deo imaginem accuratè cuſtodierunt. Tres autem hordei Chœnices tantidem fieri illorum fortunam exprimit, qui eam ipſam imaginem, peccatorum ſordibus ante conſpurcatam lachrymis abluerunt.* Hæc ille. Ex quo ex piſcari licet ea quæ ad mortificationem pertineant per hordeum ritè deſignari. Suauitatem igitur legis ex autore tanto ac tam benefico, ponderet cum denario diuinæ viſionis; & auſteritatem eius libra cum præmio gaudij æterni: certè perſpicies eam merito tibi eſſe ſeruandam, etiamſi tibi aliquid pati contingat; momentaneum enim hoc & leue tribulationis noſtræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

Hæc viſio, hæc merces, denarius eſt, de quo D hic loquitur S. Ioannes. Ita Ambroſ. cum ait, *Per denarium autem vita æterna deſignatur. Precatur igitur Dominum Eccleſia & dicit: Bilibri tritici denario, & tres bilibres hordei denario, id eſt: iis qui duo præcepta Charitatis, ſecundum doctrinam legis atque Prophetarum, Patribus videlicet Veteris Teſtamenti; ſimiliter eis qui vetus teſtamentum ſpiritualiter intelligunt & operantur, id eſt fidelibus Eccleſiæ, denarium vitæ æternæ dignetur largiri.* Ita Amb. Adde Primaſium cum ait: *In denario verò vitam æternam ſignificari, quæ inter manſiones multas communis omnibus, vt etſi per differentiam meritorum ibi alius alio poſſit eſſe ſublimior, præmio potiore ditatus, nullus tamen ſit in alterius comparatione longæuus: vbi erit vna immortalitas ſingulis communis, æternitas permanet vniuerſis.* Ita Primaſ. Hanc vitam feliciter adipiſcuntur, qui fideliter mandata Dei cuſtodiunt, & Chriſti conſilia ſectantur, & ex eorum obſeruatione Eccleſia firma ſtat & immobilis vſque ad ſeculi conſummationem, dicente Primaſio: *Hordei quinetiam & tritici facta mentione, demonſtrat Eccleſiam vſque ad finem ſeculi nulla poſſe malorum perſecutione perire, in eoquod eaſdem ſpecies non ignobiliter, ſed cum ſacrato numero & pretij numerat quantitate.* Ita Primaſ. Hanc tibi caro emit pretio Chriſtus quod in hoc denario ſignificari vult Anſelm. *Ne*, inquit, *ladatis fideles meos, quia bilibris, id eſt Eccleſia facta de duobus populis, conſtat mihi denario vno, hoc eſt vno pretio, ſcilicet ſanguine meo.* Ita Anſelm. Et per illam tandem renouamur in perfectam Dei imaginem, quantum homini licet: quam imaginem Andreas

per denarium videtur intelligere cum ait, de iis mentionem hic fieri, qui impreſſam à Deo imaginem accuratè cuſtodierũt, aut eam imaginem, peccatorum ſordibus ante conſpurcatam, lachrymis abluerunt.

Vt autem à claritate in claritatem transformati, *tanquam à Domini ſpiritu*, ad hanc perfectionem deueniamus, eo nobis progrediendum ordine, quem ab Iſaia diſcere licet cũ 28. c. ait: *Auribus percipite & audite vocem meam, attendite & audite eloquium meum.* His verbis videtur nos ad põderationem aut liberationem incitare: quæ autem ponderanda ſunt ab eo accipe. *Nunquid tota die arabit arans vt ſerat? Proſcindet & ſarriet humum ſuam: nunquid cum adæquauerit faciem eius ſeret Gith & Cyminum ſpargat, & ponat triticum per ordinem, & hordeum, & milium & viciam in finibus? & erudiet illum in iudicio Deus docebit illum.* Huius loci ſenſum literalem à S. Hieron. accipe. Nunquid agricola ſemper arabit, vt ſementem iaciat? Nonne prius proſcindet humum, & vomere ſulcos reuoluet, iacenteſque glebas roſtro franget ſarculo, vt cum adæquauerit ſuperficiem terræ, & dura prius arua mollierit, tunc ſpargat Gith ſiue cyminum, ſeratque triticum & hordeum, & milium in finibus ſuis, iuxta varietatem terræ & temporum? neque enim ſimul omnia ſeminantur. *Ita eſt continua parabola*, inquit Cornelius, *agricolæ qua hortatur Iudæos omneſque gentes ad bona opera, & ad frugem, &c.* Pari ratione dico quod ſicut omnia non ſimul ſeminantur, ita non omnia ſimul ad ſalutem neceſſaria conſequi poſſumus, ſed proficiendum nobis eſt in cognitione diuinorum pedetentim, vt primò quædam, ſecundò alia cognoſcere conemur, vt ſic in bonis operibus exerceri conuenienter valeamus. *Ipſum agricolam*, inquit S. Hier. *id eſt ſatorem, erudit Deus naturaliter iudicio ſuo, & docet illum vt ſciat quam cui ſementi culturam adhibeat.* Hæc Hier. *Semen eſt verbum Dei*, ad omnia ad ſalutem neceſſaria cognoſcenda idoneum: ſed quædam prius nobis ſunt proponenda, antequam alia probe percipere valeamus, dicente Domino: *Adhuc multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modo*: Ideo ordinem ſerendi illas veritates ex Iſaia accipimus, per diuerſitatem ſeminum quæ agricola terræ mandat, vt fructus exinde & emolumenta percipiat, per quæ ſemina hæ veritates ſignificari poſſunt. Hæc autem ſunt Gith, cyminum, frumentum, hordeum, millium, & viciam; quorum ſeminum myſticos & ſpirituales ſenſus proponimus, & primò per Gith ſeu melanthium vulgò nigellam, ſignificari dico cognitionem deformitatis peccatorum ac vitiorum, & horroris quo proſequi debent; 2. cognitionem remediorum, quæ ad expellenda peccata ſunt idonea, per cyminum ſeu millefolium denotari; 3. rerum diuinarum cognitionem, quæ per frumentum intelliguntur; 4. cognitionem earum rerum per quas corpus mortificari poteſt, vt ſpiritui inſeruiat ac ſubdatur; 5. cognitionem eorum, quæ paſſiones internas in ordinem redigunt, denique cognitionem eorum, quæ ſenſus ab obiectis ad malum allicientibus, auellunt ac retrahunt. Et quia duæ primæ cognitiones ſunt veluti diſpoſitiones ad tertiam (nemo enim quæ Dei ſunt cognoſcere poterit, niſi qui fuerit ab omnibus peccatis expurgatus) & mortificatio paſſionum ac repreſſio, cohibitio ſeu refrenatio ſenſuum neceſſariæ ſunt vt quis carnem ſuam cum Chriſto crucifigat, & corpus ſubdat ſpiritui, ideo S. Ioannes duo tantum apponit vt præcipua, nempe frumentum & hordeum. Qui enim vere Deum ac diuina cognoſcit, ille à peccatis expurgatus eſſe debet. *Beati* enim *mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*: Et qui conſilium Apoſtoli ſequutus mortificauerit membra ſua ſuper terram, proculdubio oportet vt appetitus cohibeat, & ſenſus externos refrenet: niſi enim appetitus cohibuerit & ſenſus, legem membrorũ repugnantem legi mentis ſemper ſentiet non modò repugnantem & captiuantem in lege peccati quæ eſt in membris, ſed hanc legem peccati in ſpiritu dominantem experietur, vt non ſolum motus ad peccandum ſentiat, ſed ipſis conſentiat.

Concipe igitur, ô dilecte, qui perfectè Deo obedire deſideras peccati horrorem; hunc horrorem in corde ſemina veluti ſemen Gith, quo vermes ſeu lumbrici in ventriculo interficiuntur, dolores capitis & dentium compeſcuntur ac mitigantur, aſthmati medetur, eo appoſito claui ferrei pedibus infixi retrahuntur, eius odore ſerpentes fugantur, & plagæ à ſcorpionibus & ſerpentibus inflictæ curantur. Similia in mente cauſat peccati horror, cum ad contritionem remorſus conſcientiæ compeſcentem, anxietates animæ ac timores pœnarum ob flagitia mitigantem, ſpem miſericordiæ Dei excitantem, diffidentiam expellentem, omnem animi in malo pertinaciam emollientem, Diaboli tentationes fugantem, & plagas à peccatis inflictas ſalubriter medentem, animam compellit. Recogita igitur omnes annos tuos in amaritudine animæ tuæ propter peccati horrorem, & ad ea expellenda quantocyus propera: Seminando poſtea in corde Cyminum, quod quidem ſemen locis aſperioribus delectatur, & herbam producit quæ dicitur ſtratrotes aut militaris, quia plagis per ferrum inflictis medetur, inueteratis æquè ac recentioribus plagis curandis peroptima, omnes ſanguinis eruptiones compeſcit. Hæc in animo faciunt omnia contra peccatum remedia, vt ſunt confeſſio peccatorum, & pœnæ quæ in eorum ſatisfactionem tolerantur; nam talia remedia potiſſimum recipiuntur in animabus verè contritis ac tribulatis ob horrorem & fœditatem peccatorum; antiquas & recentes peccatorum plagas, quas contraximus ob animi in malo peruicaciam, malos habitus & actus curant: quin & concupiſcentiam peccatorum fomitem compeſcũt, quod deſiderabat prophetа: *Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ, & exultabit lingua mea iuſtitiam tuam.* Peccatis eo modo expulſis ſemina in corde frumentum cognitionis diuinorum.

Inter ea quæ ad hominis nutrimentum conuenientiora ſunt, frumentum potiores partes habere videtur; vnde tot in locis ſcripturæ frumenti copia pro benedictione terrena reponitur, Geneſ. 27. *Det tibi Deus de rore cæli & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini*, Deuteron. 7. *Benedicetque fructui ventris tui, & fructui terræ tuæ, frumento tuo, &c.* Et Pſ. 80. *Cibauit eos ex adipe frumenti.* Et Pſ. 147. *Et adipe frumenti ſatiat te.* Pari ratione Dei ac diuinorum cognitio ac meditatio, potior & excellentior eſt animæ cognitio: cætera ignorare licet, hæc nec prætermitti abſque periculo ſalutis, nec poſſideri poteſt abſque plena animis ſatietate, ac ſumma mentis delectatione. Vult Plinius quod ſi frumentum fuerit cum ferro candente exuſtum, rebus à nimio frigore contractis medetur; quod frumenti farina cum aceto decocta optima eſt contra neruorum contractiones; ſexto Pompeio contra Podagram præſens & efficax fuiſſe remedium dicunt, quod ſupra tritici aceruum diutius recubuerit, calore frumenti deſiccante humorem doloris, ac mali huius cauſam. Si Dei cognitionem cum Charitatis feruore coniungas, ſi eam cum Chriſti paſſione ac morte commiſceas, ſi eam continuo in mente geras, vt per frequentiam eleuationum mentis tuæ ad Deum, quem præſentem habes, quaſi quemdam aceruum frumenti conficias, in quo conquieſcens dicere poſ-

Digitized by Google

ſis: *Pronidebam Dominum in conſpectu meo ſemper quoniam à dextris eſt mihi ne commouear*; Certè ſi ad bona opera exercenda, quaſi frigore contractus, tepeſcas, incaleſces hanc Domini vocem obaudiens: *Memor eſto vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Apoc. 2. Dilatabis cor tuum vt ad ſuperna, & cæleſtia ſemper adſpiret, diceſque cum Apoſtolo: *Noſtra conuerſatio in cœlis eſt*: Et in his conquieſcens, omnes terrenas affectiones quibus mens male torquetur, deficcabis: vt Deo tantum inhæreas, & dicas: *Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.* Sed quia hoc fieri non poteſt, niſi perfectè carni renunciaueris, ſemina hordeum in agro tuo, mortificationi ſtude; alioqui mors imminet, nec in tam felici ſtatu diu commorari poteris. *Qui enim*, inquit Apoſtolus Rom. 8. *ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt, qui vero ſecundum ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritus ſentiunt: nam prudentia carnis mors eſt: Prudentia autem ſpiritus vita & pax, &c.* Et paulo poſt: *Si enim ſecundum carnem vixeritis moriemini, ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis: quicumque enim ſpiritu Dei aguntur: ij ſunt filij Dei, &c.* Hordeum cibus eſt groſſior, nec ſuauitate vt frumentum pollens. Hoc genere cibi voluit tamen Chriſtus ſatiare quinque millia hominum, vt hac ratione ſciremus nobis quæ ad vitam ſunt tantùm neceſſaria eſſe comparanda, non ſuauia & delectabilia exoptanda, vt cum Apoſtolo dicamus. *Habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti ſimus.* 1. ad Tim. 6. Et ad Corinth. 2. c. 4. *Semper mortificationem Ieſu Chriſti in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in nobis.* Palea hordei tenax eſt, & cum labore exuitur; certe non abſque difficultate opus mortificationis exercetur, vt eo tanquam cibo vtamur: attamen qui eam perfectè colunt, cibo nutriuntur quo ad vitam æternam peruenire poſſint; & veluti illo cibo ſubcinericio Heliæ refecti, in eius fortitudine aſcendunt ad montem. Sed ſemina millium, quod quidem ex Galeno caret penitus glutinoſo pingui. Iure itaque aluum humentem exſiccat, iuuat eos qui indigent refrigeratione. Denique ſemina viciam, quæ, ex Galeno, ſemen eſt inſuaue, difficiliter concoquitur & digeritur, ſuccumque reddit groſſum & ſpiſſum, humorem melancholicum generans: Id eſt, poſtquam mortificationi corporis per ieiunia & auſteritatem victus & veſtitus ſtudioſè incubueris, vt carnem ſpiritui ſubdas, conſidera quantum bonum afferat mortificatio appetituum, nempe concupiſcentiarum malarum exſiccationem, & itarum cohibitionem, & huic mortificationi ſtudioſè incumbe. Hæc mortificatio vt millium exſiccat humores malos & refrigerat ardores immodicos, Apoſtolo teſte Coloſſ. 3. *Mortificate ergo membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiem, libidinem, concupiſcentiam malam & auaritiam, quæ eſt idolorum ſeruitus, &c.* Et paulo poſt: *Nunc autem deponite & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro, &c.* Vt hac ratione, ſecundum eumdem Apoſtolum, vetere homine exuto cum actibus ſuis, nouum induas qui renouatur in agnitionem, ſecundum imaginem illius qui creauit illum. Conſidera denique quàm inſuaues ſunt delectationes carnis ac ſenſuum, quàm difficiliter concoquantur, & ad aliquid ſaluti æternæ proficuum ordinentur, & quæ triſtitias & angores animi potius generant quàm aliquam afferant lætitiam. Sic *Deus tuus erudiet te in iudicio*: ſic eris doctus à Domino, ſic per ordinem Gith horroris peccatorũ, Cyminum pœnitentię, triticum cognitionis diuinorũ, hordeum mortificationis carnis, millium cohibitionis appetituum, viciam cognitionis vanitatis ſenſuũ, ac delectationum carnis (vt eas contemnere valeas) in corde tuo ſeminaueris. Bilibrem igitur tritici cognitionis Dei cum eius Charitate coniunctæ, cum denario vitæ æternæ, pondera; tres bilibres hordei mortificationis corporis, appetituum & ſenſuum eiuſdem charitatis impulſu exercitæ, cum æternâ pondera mercede. Hac ratione in veritate, & iuſtitia, & iudicio ambulabis, in veritate erga Deum, in iuſtitia erga proximum, in iudicio erga teipſum; & legis diuinæ eris verus obſeruator. Equidem iuſtus qui ex fide viuit, ſiue in proſperitate degat, ſiue in afflictionibus verſetur, huius legis meminiſſe debet, ne durante proſperitate, præſumptione & arrogantia ſublimari cupiens in profundum decidat, aut aduerſitate premente, patientiam & longanimitatem perdat: nihil enim ei adeo neceſſarium, nihil eum magis delectat, quam de ea cogitare ſemper, dicente Propheta: *Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.* Hæc diuina mandata deſiderabat ipſe: *Ecce*, inquiebat, *concupiui mandata tua*: his mentem reficiebat: *Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea eſt*; Ac veluti famelici, quibus ſingulis horis, nocte atque interdiu cibi ſuppeditandi ſunt ne deficiant, ita ipſe nocte etiam ea refici ac ſuſtentari volebat: *Memor fui nocte nominis tui Domine, & cuſtodiui legem tuam*: Ea deficiente viribus ſe deſtitui ſentiebat: *Niſi*, inquit, *quod lex tua meditatio mea eſt, tunc forte, periſſem in humilitate mea*: Et vt olim Chriſtus cæteros aſpernabatur cibos, vt voluntatem patris adimpleret, ita omnia aſpernabatur Dauid, vt ſola Dei lege frueretur: *Narrauerunt mihi*, inquit, *iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua.* O pretioſum triticum, ô charum & exoptandum hordeum! vt per ea diuina retributio ſubſequatur, & à nobis comparetur.

Hic lucem afferet commentatio Dionyſij Carthuſiani. *Bilibris*, inquit, *eſt menſura ſeu vas continens duas libras, per quam hoc loco ſignatur Eccleſiaſtica congregatio vtriuſque teſtamenti doctrinis imbuta, gemina charitate fundata, duobus ex populis adunata. Porro per triticum, quod eſt optimum granum, prælati perfecti ac prædicatores expreſſi ſunt, quorum eſt alios ſpiritaliter & ſaporosè reficere. Itaque bilibris tritici eſt collectio eminentium perſonarum Eccleſiæ: hæc empta eſt denario vno, ſcilicet pretio ſanguinis Chriſti, ſicut Apoſtolus: Empti enim eſtis pretio magno. Vel denarius vita ſeu merces beata in patria, quæ in Euangelio per denarium ſignificatur diurnum. Hoc nummo digna cenſetur Eccleſia, & pro eo obtinendo redempta & renata in Chriſto. Inſuper nomine hordei inferiores, rudiores & ſubditi exprimuntur. Tres vero bilibres hordei ſunt tota hac fidelium multitudo in fide ſuperdigniſſimæ Trinitatis viuens, quæ licet inferior ſit gradu, dignitate aut merito, eodem tamen pretio eſt redempta, & ad eamdem beatitudinem ordinata.* Hæc Dionyſ. Licet in his verbis non omnimodè nobiſcum conſentiat, nihilominus ſi quod de perſonis aſſeuerat, de doctrinis ac cognitionibus aut bonis operibus intelligat, nos ſimilem interpretandi rationem ſequi perſpicies: præcipue ſi quæ quaſi in abſtracto conſideramus, in concreto conſideres, & eos qui talibus doctrinis aut cognitionibus prædíti ſunt, in ſtatera iudicij appendas cum æternæ vitæ denario. Vnuſquiſque ſeipſum metiri aut ponderare poteſt, qualis quiſq; ſit attendens, vt Apoſtolus qui de ſe loquens aiebat: *Non enim audemus inſerere aut comparare nos quibuſdam qui ſeipſos commendant, ſed ipſi in nobis noſmetipſos metientes, & comparantes noſmetipſos nobis.* Quid eſt hoc quæſo, niſi ſeipſum in ſtatera proprij iudicij appendere, vt videat quiſque an dignus ſit illo præmio, quod promittitur iis qui fideliter mandata Dei cuſtodire, ac conſilia Euangelica adimplere ſatagunt? Bilibris igitur denario vno, dicant Ec-

Digitized by Google

cleſiæ Paſtores, vide in ſtatera, ſi iuxta Dei præcepta, quæ à nobis vobis inculcantur, ambuletis: vt digni ſitis vita æterna. Vide ſi crucifixo ſis conformis, vt ad eius imaginem reformatus, adoptionem filiorum cum eodem glorificatus conſequi valeas.

Vinum & oleum ne leſeris.

Imperium legis diuinæ iuſtitiam cum miſericordia temperare intendis: fidelis legis diuinæ obſeruator debet eſſe, religioſus ac pius Sacramentorum diuinorum ſuſceptor, ac prudens adminiſtrator. §. 5.

Ingens profecto & præclarum eſt legis diuinæ in humanas voluntates & appetitus imperium. Qui enim perſpicit quanta curioſitate ferantur homines, vt quæ ſupra ſe ſunt attingant; quanam effrenata & iugum quodcumque confringente aut excutiente voluntate, ad id quod volunt prorumpant; quanta ſit hominum malitia in terra, & quod cuncta cogitatio cordis eorum intenta eſt ad malum omni tempore, *Senſus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia*; Qua ratione ille inordinatus appetitus, habitudine, conſuetudine, incrementa accipiat, & profundas radices in cordibus agat, mirari certè non deſinet, ſi intellectum in fidei obſequium captiuum videat; ſi quaſi vinculis videat ſtrictè liberum eius arbitrium ligari, legi obtemperans, vt ne latum vnguem ab eius obſeruatione diſcedere audeat; ſi tam efficacitet appetitus ſuos intra terminos rationis contineat; ſi ſuperbiam carnis videat conculcatam per humilitatem & modeſtiam Chriſtianam, itaut fidelis veluti parvulus, ſimplicitate & rectitudine animi præditus, ad quodcumque Deus voluerit deducatur. At tale imperium Deus exercet cum hac prouida cautione, vt ita iuſtitiam cum miſericordia temperet, vt vires vniuſcuiuſque, naturam & indolem metiatur. Hinc dicitur hîc: *Vinum & oleum ne leſeris.* Etſi lex diuina multa velit librari, vt perfectè ſeruetur, eorum tamen obſeruatio, quæcumque ponderare præcipit per Eccleſiæ Paſtores, debet ita exigi, vt nec vinum ſeueritatis per nimiam indulgentiam lædatur, nec oleum miſericordiæ ac clementiæ per vinum nimiæ ſeueritatis imminuatur. Hinc Andreas Cæſ. ait: *Vt nos quoque Deum Optimum Maximum, benignum, Clementemque animarum noſtrarum medicum experiamur, fratribus noſtris errantibus benignos clementeſque nos exhibere ſtudeamus, obiurgationis vinum commiſerationis oleo miſcentes, ne nimia ſeueritate (quod Apoſtolus damnat) id quod claudum mutilumue erat diſtorqueamus, Veritus quam ſanemus; eaque ratione Dei adiutores effecti, in bonis illius non abſque iucunda voluptate in omne euum verſemur, gratia & clementia Domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo Patri & Spiritui ſancto ſit gloria in ſecula ſeculorum. Amen.*

Talem autem ſeueritatis & clementiæ attemperationé clare perſpicimus in inſtitutione Sacramentorum, quorum vſus non tantum opportunus, ſed neceſſarius vt gratiam conſequamur. Niſi enim baptizati fuerimus non introibimus in regnum: niſi manducauerimus carnem filij hominis non habebimus vitam; nec vlli licet Pontificis munia exercere, niſi qui fuerit ex hominibus aſſumptus, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis: *Nec* enim, vt ait Apoſtolus Heb. 5. *quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* At hæc Sacramenta ſuſcipienda ſunt & adminiſtranda cum debita diſpoſitione, cum inſigni reuerentia, ac religioſa pietate: vt ex eorum perceptione & adminiſtratione fructum percipiamus. Ideo hic dicitur: *Vinum & oleum ne leſeris.* Hinc Primaſ. *In vino itaque & oleo vim Sacramentorum prohibet violari, vt pote vnctionem, precioſumque cruorem. Hinc legimus; Quod bonum eius, & quod pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines? Et in Pſalmo: Vinum lætificat cor hominis; & exhilaratur facies in oleo.* Et rurſus idem Primaſ. *Si qui ſecundum propoſitum voluntatis Dei vocati ſunt in electorum plenitudine permanebunt, præſertim circa quos illæſa ſeruari voluit vini & olei Sacramenta, dicendo: Vinum & oleum ne leſeris. In vino pretium redemptionis, oleo ſignificaret Chriſma baptiſmatis.* Ita Primaſ. Sed hæc fuſius tractare non eſt nunc noſtri inſtituti: ſufficit indicare hæc in hoc ſymbolo indicari.

In Sacramenti Matrimonij ſpeculatione, vis diuinæ legis, in hominum appetitus, potiſſimum conſpicitur.

ANNOTAT. V.

AD huius ſigilli tertij apertionem, id eſt ad Sacramenti Matrimonij explicationem, clarè perſpicimus quantam autoritatem ſibi arrogat lex diuina in hominum libertatem. Primo: Si conſideremus quod lex Matrimonialis hoſtem inueteratum legis occulte inſidiantem, & variis ac miris modis eam euertere conantem prodit & manifeſtum reddit, ne ab eo falli contingat. Secundo: Quia Sacramento Matrimonij directe oppugnatur talis inimicus, & quaſi quibuſdam vinculis conſtringitur, ne tanquam equus indomitus in præceps feratur, & animum, quo regi debet, in terram recalcitrando projiciat. Tertio: Quia legibus Matrimonij adſtringere ſe oportet, & tam oneroſo & inſuaui iugo neceſſarium eſt collum ſubmittere, vt actus homini naturaliſſimus non tantum exerceri licite valeat, quin & deſiderari. Prohibetur enim & exercitium & deſiderium illius extra Matrimonium. Ille autem eſt actus generationis, qui dicitur opus naturaliſſimum viuentis. Quarto: Propter multiplicitatem legum quæ latæ ſunt, ſiue vt legitimè contrahatur, ſiue vt in ſua integritate ac ſplendore ſeruetur. Denique quod illæ leges ex natura ſua tales ſunt, vt in earumdem contemplatione intelligere poſſimus quantopere nobis parendum ſit legi Chriſtianæ, & eius monita & decreta piè ac religioſe ſint colenda: quæ omnia ſigillatim ſunt explicanda.

Et cum aperuiſſet ſigillum tertium, audiui tertium animal dicens: Veni & vide.

Per legem Matrimonij hoſtis diuinæ legis occultè inſidians manifeſtatur. §. 1.

Eo ipſo quo tanta requiritur circumſpectio in exercendo actu generationis, torque circumſtantiis circumuallari & communiri debet ille actus, vt debite & licite fiat, optimè mox dignoſcimus concupiſcentiam eſſe cauendam, ſeu appetitum illius tanquam hoſtem occulte inſidiantem exiſtimandum eſſe. Ad quid enim tot legibus refrenaretur, niſi quia cum caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, eum proculdubio auerteret à ſuo bono, niſi ſpiritus concupiſcendo aduerſus carnem, legi Dei obtemperando, ipſum reprimeret? Per hanc legem diuinam, quanta ſit excæcatio mentis eorum, qui voluptati inſeruientes *Deum non probauerunt habere in notitia, & ſeruierunt creaturæ potius quam creatori*, dignoſcitur: vnde traditi ſunt *in paſſiones ignominiæ vt facerent ea quæ non conueniunt.* Nam cum minimè exiſtiment ſenſus & motus naturales in ſe includere quidquam indecens & inordinatum, iura naturæ & ſenſuum ſe

ſeruare arbitrantes, eiſdem ita ſuccumbunt, vt rationis iura infringant & conculcent, dum nihil mali & abſurdi in his voluptatibus ineſſe ſuſpicentur. At cum lex diuina ab his abſtinere iubet, cum actum illum (qui rationi ſatis conueniens aut minimè repugnans eſſe videtur, vt pote in optimum finem ab autore naturæ ordinatus, inter omnes alios ad quos nos concupiſcentia impellit) cum tanta circumſpectione exerceri vult, quis non videt nos hac ratione inſtrui in eo aliquid eſſe quam maximè cauendum, ne in malum aliquod impinguamus? Hinc S. Paulus Rom. 7. *Peccatum*, inquit, *non cognouiniſi per legem. Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: non concupiſces.* Ac ſi diceret: Nunquam animaduertiſſem in his deſideriis & appetitibus, radicitùs in natura & ſenſibus infixis, aliquid peccaminoſum & culpabile reperiri, niſi lex præciperet ne in actus ſuos prorumpant, niſi cum ex rationis imperio debitis modis ſeruatis exerceri debent.

Et ecce equus niger: & qui ſedebat ſuper illum habebat ſtateram in manu ſua.

Per Sacramentum Matrimonij libidini medetur, & concupiſcentia rationis inimica compeſcitur. §. 2.

Sacramentum Matrimonij in remedium concupiſcentiæ fuiſſe inſtitutum, certum eſt; & cum honeſtatis illius leges minime ſinant appetitum ſolum pro fine habere delectationē in ſuo actu, ideo hoc Sacramento facile videre poſſumus quantum imperium ſumat in mentes humanas lex diuina, cum legem membrorum repugnantem ei captiuam tenet lex Matrimonialis, vt animus liberiùs feratur in proprium obiectum.

Quomodo autem lex matrimonialis appetitum ſtrictius cohibeat, diſcamus ex perantiquo & Chriſtianorum Magiſtro Clem. Alexandrino l. 2. Pædagogi c. 10. *Qui*, inquit, *matrimonio iuncti ſunt, iis ſcopus eſt & inſtitutum liberorum ſuſceptio; finis autem vt boni ſint liberi.* Apage igitur eos qui ſolam in matrimonio quærunt voluptatem: eos quippe Angelus Raphael inter beſtias relegat, & ab eorum qui timent Deum commercio excludit: qui, vt dicitur Tob. 6. coniugium ita ſuſcipiunt vt Deum à ſe, & à ſua meritò excludant, & ſuæ libidini ita vacent ſicut equus & malus. *Sola enim voluptas*, inquit Clem. Alex. *ſi quis ea vtatur etiam in coniugio præter leges, & iniuſta eſt & à ratione aliena*, &c. Et rectè, vt poſtea ipſe me ait: *Lepide ergo ille qui interroganti quomodo adhuc rebus vteretur Venereis, reſpondens bona verba quæſo: ego vero lubentiſſime iſthinc tanquam ab agreſti & inſano Domino profugi. Caterum introducatur quidem, & admittatur matrimonium, vult enim Dominus humanum genus repleri, ſed non dicit: Eſtote libidinoſi: nec vos, tanquam ad coitum natos, voluit dedere Voluptatibus.* Hæc ille. Certè qui propter voluptatem coitum expetunt, incommoda & ægritudines iuſtè contrahunt, vt pote debitum naturæ ordinem inuertentes, cum medium pro fine ſibi proponunt: *Ex eo*, inquit Clemens, *ergo videri poſſunt nerui tanquam flamina diſtrahi, & in vehementi congreſſus intentione diſrumpi. Iam vero offundit etiam caliginem ſenſibus, vobur quoque interrumpit. Patet hoc & in animantibus rationis expertibus, & in iis quæ in exercitatione verſantur corporibus, quorum hi quidem qui abſtinent, in certaminibus ſuperant aduerſarios. Illa vero à coitu abducuntur, atque adeo vix circumaguntur, & trahuntur omnibus viribus & omni animi impetu tandem quaſi eneruata. Partum epilepſiam dicebat coitum ſophiſta Abderites, morbum immedicabilem exiſtimans. An non enim conſequuntur reſolutiones, quæ exinanitiones eiuſque quod abſcedit magnitudini aſcribuntur? Homo enim ex homine enaſcitur & euellitur. Vide damni magnitudinem: caro ex carne mea, eſt enim generationis initium id quod recedit: quin etiam conturbat ebullitio materiæ, & compagem corporis labefactat & commouet*, &c. Hæc igitur ſunt incommoda, in quæ incidunt voluptatum amatores magis quam Dei, qui diuinam in ſe excitantes iracundiam, eodem affici ſupplicio merentur, quo fuerunt affecti hi turpiſſimi caſtiſſimæ Suſannæ Raguelis filiæ adamatores, qui propter ſuam petulantiam, & inordinatam voluptatis appetitionem funeſta morte à dæmone interempti obierunt. In eos ſiquidem qui voluptatem tantummodo quærunt, habet poteſtatem dæmonium, vt inquit Raphael Angelus. Hæc igitur prima lex Matrimonij coërcet concupiſcentiam. Ad ſecundam veniamus.

Secunda lex eſt, vt hæc liberorum procreatio expetatur in legitimo Matrimonio, ſeu inter eos qui legitimè ſunt hoc vinculo ad inuicem coniuncti: nec enim ſufficit dicere: Prolem quæro & expeto: ab ea enim expetenda eſt parte cui legitimè fueris matrimonio copulatus. *Ne femina*, inquit Clem. Alexand. *vbi non vis tibi naſci quod ſeminatum eſt, neque vllam omnino tange mulierem præter quam tuam ipſius vxorem, ex qua ſola tibi licet carnis voluptates percipere, ad ſuſcipiendam legitimam ſucceſſionem, hæc enim rationi ſola ſunt legitima.*

Tertia lex, vt propter bonum prolis futuræ non indifferenter hic actus exerceatur, licet per eum proles expectetur: hinc tempore menſtrui, & vxore prægnante vſus Matrimonij prohibetur: quod latè docet Clem. Alexand. l. 2. pædagogi c. 10. *Hæc ipſe ergo Moyſes cum ipſis quoque prohibet congredi, ſi forte eas detineant purgationes menſtruæ: non enim purgamento corporis id quod eſt maximè genitale ſeminis, & quod mox homo futurum eſt polluere eſt æquum, nec ſordidæ materiæ profluuio, & quæ expurgatur inquinamentis inundare ac obruere. Semen autem generationis degeneraſt, ſpumamque redditur, ſi matricis ſulcis priuetur. Nemo vero vllum vnquã induxit veterum Hebræorum coeuntem cum ſua vxore prægnante: ſola enim voluptas, ſi quis ea etiam vtatur in coniugio, eſt præter leges & iniuſta, & à ratione aliena. Rurſus autem Moſes abducit viros à prægnantibus quouſque pepererint. Reuera enim matrix ſub veſica quidem collocata, ſuper inteſtinum autem quod rectum appellatus poſita extendit collum in veſica, & os colli, in quod venit ſemen, impletum occluditur, inane redditur partu purgato, fructu autem depoſito deinde ſemen ſuſcipit: neque vero nobis turpe eſt ad auditorum vtilitatem nominare partes, in quibus fit fœtus conceptio, quæ quidem Deus fabricari non puduit. Matrix itaque ſiniens filiorum procreationem ſemen ſuſcipit: probroſum & vituperandum negat coitum poſt ſationem, ore clauſo omnino, iam libidinem excludens. Eius autem appetitiones, quæ prius in amicis verſabantur complexibus, introconuerſæ in procreatione ſobolis occupatæ operantur vna cum opifice: nefas ergo eſt operantem iam naturam adhuc moleſtia afficere, ſuperfluè ad petulantem prorumpendo libidinem.* Hæc Clem. Hæc igitur eſt alia lex in matrimonio ſeruanda, qua libido & concupiſcentia intra carceres includitur, ne indebitè in actus ſibi proprios prorumpat.

At non tantum propter bonum prolis tempus eſt obſeruandum, ſed etiam propter honeſtatem, quæ in omni actione noſtra relucere debet. Hinc rurſus Clem. Alexand. ibidem: *Caterum quibus vxores ducere conceſſum eſt, iis pædagogo opus fuerit, vt non interdiu myſtica naturæ celebrentur orgia, nec ex Eccleſia, Verbi gratia, aut ex foro mane rediens gallinosè coeat; quando orationis & lectionis & efficacium, quæ interdiu fiunt operum, tempus eſt. Veſpere autem oportet poſt commixtionem quieſcere, & poſt gratiarum actionem, quæ ſit Deo pro bo-*

Digitized by Google

nis quæ percipimus. Non ſemper autem concedit tempus natura, vt peragatur congreſſus matrimonij: eſt enim eo deſiderabilior coniunctio, quo diuturnior; neque vero noctu tanquam in tenebris immodeſtè ſeſe ac intemperanter gerere oportet, ſed verecundia tanquam lux rationis in animo eſt includenda: nihil enim à Penelope telam texente differemus, ſi interdiu quidem texamus dogmata temperantiæ, noctes autem ea reſoluamus cum in cubile venerimus. Si enim honeſtatem exercere oportet, multo magis tuæ vxori honeſtas eſt oſtendenda, inhoneſtas vitando conjunctiones, & quod caſte cum proximis verſeris fide dignum è domo adſit teſtimonium: non enim poteſt aliquid honeſtum ab ea exiſtimari, apud quam honeſtas in actibus illis non probatur certo quaſi teſtimonio voluptatibus. Hæc Clemens.

Si igitur per iuſtas leges Matrimonij ita frenatur concupiſcentia, vt propter ſolam prolis procreationem potiſſimum expeti debeat actus Matrimonij, nec ſolam pro fine debeat ſibi proponere voluptatem, nec indifferenter cuilibet commiſceri homo debeat, ſed legitima vti coniuge ad hanc finem procreationis prolis; nec hoc etiam debeat fieri in quolibet tempore ac modo, ſed tempore & modo conuenienti, & honeſto; quis non videt per Matrimonium concupiſcentiam frenari ac intra terminos includi, quo poſſimus percipere legem diuinam in hominum appetitus abſolutum ſibi vendicare imperium? *Voluptates quippe continere*, inquit Clem. *ventrique, & iis quæ ſunt infra ventrem dominari, eſt maximi imperij: ſi enim ne digitum quidem temere mouere permittit ſapienti ratio, vt conſentur Stoici, quomodo non multo magis iis qui ſapientiam perſequuntur, in eam qua coitur particulam, dominatus eſt obtinendus? Atque hac mihi quidem de cauſa videtur eſſe nominatum pudendum, quod hac corporis parte magis quam qualibet alia cum pudore vtendum ſit. Natura enim ſicut alimentis, ita etiam legitimis nuptiis, quantùm conuenit confert: & decet nobis vti permiſit. Permiſit autem appetere liberorum procreationem; quicunque autem quod modum excedit perſequuntur, labuntur, in eo quod eſt ſecundum naturam, per congreſſus qui ſunt præter leges, ſeipſos ladentes.* Ita Clemens.

Habebat ſtateram in manu ſua.

Quod omnis actus libidinoſus extra vſum legitimum Matrimonij prohibetur: in quo apparet quantum in hominum appetitus ſibi vendicas imperium lex diuina. §. 2.

Ita omnes actiones ſuas, verba & cogitationes, deſideria & intentiones ſuas in ſtatera rectè rationis ponderare debet fidelis Chriſtianus, vt voluptatem venereum extra Matrimonij actum, nec deſiderare nec expetere poſſit. Lex ſiquidem Chriſtiana fideli Chriſtiano præſcribit, vt nec cogitatione nec verbo nec actu, extra illum vſum, tali voluptate delectetur: quo fit vt ſi quis propriam vxorem quis intueretur. ac ſi cum aliena commiſceretur, ſeipſum culpabilem exhiberet: adeo enim ſenſualitatis appetitus ſunt cohibendi ac coercendi, vt non ſufficiat quod alteri fœminæ ab vxore propria quis actu non commiſceatur, ſed nec cogitationibus ſuis frena laxare debet, vt actus ille licitus cum vxore propria, ſub phantaſmate aut idea alienæ, menti occurrat intuendus aut voluntati eligendus. Graui admonitione hoc prohibet Clem. Alexand. lib. 1. Pædag. cap. 10. *Suum*, inquit, *violat Matrimonium, qui id habet pro meretrice, & non audit pædagogum clamantem: Homo qui aſcendit ſuper lectum ſuum, qui dicit in animo: Quis me videt? Circa me ſunt tenebræ, & parietes ſunt tegumenta mea & nemo aſpicit peccata mea. Quid verear meminerit altiſſimus? Is quidem eſt miſerrimus qui ſolos veretur hominum oculos: exiſtimat autem fore vt Deum lateat. Neſcit enim vt ſcriptura dicit: Oculi Domini altiſſimi quanto ſint ſole ſplendidiores, qui reſpiciunt omnes vias hominum & partes occultas intelligunt? Itidem rurſus Pædagogus eis minatur per Iſaiam dicens: Væ iis qui in occulto conſilium capiunt, & dicunt: Quis nos videt? ſenſibilem enim lucem latebit fortaſſe quiſpiam, ſed intelligibilem minimè latere poteſt. At non ſolum turpis cogitatio excluditur, ſed etiam omne verbum turpe & inhoneſtum exulare debet: & quæcunque actio quæ turpitudinem aliquam denotare poteſt. Impudicorum vero verborum & turpium figuratum meretriciorumque oſculorum, & huiuſmodi laſciuiarum nomina, ne ſunt quidem memoria tenenda, beatum ſequentibus Apoſtolum, qui apertè dicit: Fornicatio autem, & omnis immunditia, vel plura habendi cupiditas, ne nominetur quidem in vobis ſicut decet ſanctos, &c.*

Denique prohibentur quicumque actus, qui propter voluptatem ſolam ab hominibus intemperatis expetuntur & exercentur. *Videte itaque*, inquit Clemens, *quomodo ſapientiſſimus Moſes in frugiferam aliquando ſationem ſymbolice repulit: non comedes inquiens leporem nec hyænam; non vult homines eſſe qualitatis eorum participes, neque eis æqualem guſtare libidinem: hæc enim animalia ad explendum coitum veneream feruntur inſano quodam ſtupore.* Hæc Clemens qui latè hæc proſequitur & concludit: *A vehementibus ergo appetitionibus mutuiſque congreſſionibus, & cum prægnantibus fœminis coniunctionibus, puerorum ſtupris, adulteriis & libidine abſtinere, huius nos ænigmatis adhortata eſt prohibitio. Idcirco apertè & non per ænigmata, Moſes adhuc nudo capite prohibuit: non fornicaberis, non mœchaberis, pueris ſtuprum non afferes*, inquiens Exod. 20. Sed vt hæc tandem miſſa faciamus audiamus hanc autorem Clemen. *Qui peccat*, inquit, *quatenus peccat, ipſe eſt ſeipſo deterior & ignominioſior; omnino autem & vtique adeſt intemperantia vt qui vincatur à turpi voluptate; quamobrem qui fornicatur, Deo eſt omnino mortuus, & à ratione tanquam à ſpiritu vt cadauer relictus eſt. Quod enim ſanctum eſt, vt eſt conſentaneum, pollui auerſatur; puro autem purum ſemper fas eſt tangere, ne ſimul ac exuitur tunica pudorem quoque exuamus: nam iuſto temperantiam nunquam fas eſt exuere. Ecce enim hoc corruptibile induit incorruptionem, quando cupiditas inſatiabilis, quæ fluxa quodam fertur in libidinem, caſtigata à continentia, & à corruptionis amore aliena, æternæ temperantiæ hominem tradiderit. In hoc enim ſeculo vxores ducunt & nubunt: abolitis autem carnis operibus, ipſa pura carne induti, incorruptionem (id quod Angelis proportione reſpondet) proſequimur. Hac ratione Plato quoque qui fuerat barbaræ diſcipulus Philoſophiæ, impios & à Deo alienos eos myſticè vocauit, qui Deum in ipſis habitantem nempe rationem corrumpunt, & quantum in ſe eſt vitiorum ſuorum conjunctione pollunt. Non eſt ergo iis vnquam morialiter viuendum qui Deo ſanctificantur, neque, vt dicit Paulus, membra Chriſti facienda ſunt membra meretricis, nec Dei templum faciendum eſt templum turpium affectionum. Recordemini quatuor & viginti millia fuiſſe propter fornicationem extruſa. Ea autem quæ euenerunt iis qui fornicati ſunt, vt iam à me dictum eſt, ſunt figuræ quæ noſtras libidines corrigunt. Porro autem Pædagogus monet aperiſſimè, Poſt tua deſideria ne ambules, & arcearis à tuis appetitionibus: vinum enim & mulieres faciunt ſapientes deficere, & qui adhæret meretricibus euadet audacior. Putredo & vermis erunt eius hæredes, & efferetur in maiori ludibrio. Et rurſus (non ceſſat enim iuuare.) Qui autem voluptatem auerſis oculis intuetur, coronat vitam ſuam. Non eſt ergo iuſtum vinci à rebus venereis, nec libidinibus ſtolidè inhiare, nec à ratione alienis appetitio-*

Digitized by Google

qui fecit cælum & terram. Sicut igitur mutuò obligantur vir & vxor ad procreationem & educationem puerorum, ita ad productionem bonorum operum & eorumdem incrementum, ad inuicem obligantur Deus & natura. Nèc enim Deus ſine nobis aliquid neceſſarium in nobis operatur adultis, nec nos abſque illo aliquid boni poſſumus peragere, dicente Chriſto: *Sine me nihil poteſtis facere.* En ſecunda conuenientia inter matrimonium corporale & ſpiritale, quibus adde obligationem Paſtorum, qui Eccleſiæ poteſtatem generandi Chriſto filios habent, & ipſius Chriſti Domini, vt illos in ſuis miniſteriis ritè perficiendis adiuuet.

Tertia conuenientia eſt, quod ſicut in illa reciproca obligatione fundatur certa quædam coniunctio & vnio duarum partium, quæ quidem non conſiſtit in dilectione aut charitate ſimplici, ſed requirit præterea vnionem aliquam, obligationem ſpecialem inducentem inter virum & vxorem, vt nunquam ab inuicem diſcedãt, vinculo indiſſolubili alligati; & in hoc animorum nexu eſſentialiter conſiſtit Matrimonij Sacramentum. Vnde hoc modo definitur: Matrimonium eſt coniunctio viri & mulieris, inter legitimas perſonas, indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens. Ita dicimus in mutua obligatione Eccleſiæ ſe ad obſeruationem legis Euangelicæ aſtringentis; Dei etiam libere ſeipſum obligantis ad quædam auxilia præſtanda, vt eius mandata exequi valeamus (vt ſic fidelis appareat in verbis ac promiſſis) quemdam nexum creaturæ cum Deo, & Dei cum creatura ſeu Chriſti cum Eccleſia fundari: qui quidem nexus non eſt ſimplex quædam dilectio; nec enim dicere ſufficit, Deum diligo, at de exequendis eius mandatis nullo modo cogitare intendo; ſed eſt quædam obligatio ſtrictiſſima, qua ad Dei obſequium ita mancipamur, vt nulla ratione diſſolui illud vinculum poſſit, ſed ad ſemper & pro ſemper Dei obſequio mancipemur, & ad ea, quæ vult ac iubet, perficienda parati ſimus, dicentes cum Dauide: *Iuraui & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ:* Deo vero dicente; *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi.* Et ſicut videre licet illud vinculum indiſſolubile coniugatorum, ordinem dicere ad procreationem & educationem liberorum, coniugatoſque reddere veluti vnicum principium ipſorum; ita dicere poſſumus quod illud vinculum fidelis Chriſtiani promittentis legem ſe eſſe obſeruaturum, & Chriſti Domini auxilia ſe daturum pollicentis, cum ſuum pollicetur ſpiritum (*Alium*, inquit, *Paraclytum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum: apud vos manebit, & in vobis erit*) efficit vt Deus & homo ſint quaſi vnum principium omnium bonorum operum, quæ veluti quædam fælices productiones ſe habent ad modum liberorum ſpiritualium, ex hoc ſancto & immaculato Matrimonio prodeuntium: *Non ego ſolus*, inquiebat S. Paulus, *ſed gratia Dei mecum.*

Exinde perſpicis legem diuinam ſummum in hominum voluntates & appetitus exercere imperium. Siquidem ita dominatur potentiſſimè, vt ad modum vinculi coniugatorum indiſſolubilis, ſemper nos adſtrictos teneat, vt ab eius obedientia nobis vllo vnquam tempore diſcedere liceat. *Timor* enim *Domini ſanctus, permanens in ſeculum ſeculi. Præceptum poſuit, & non præteribit. In æternum* quippe *Domine permanet verbum tuum.*

A

Huius ſymboli, cum ſancto vinculo Coniugatorum, collatio.

ANNOTAT. IV.

EQVVS ſeſſorem habens ſymbolum eſt certè proprium obedientiæ, quam exhibet primo vir & vxor Deo & Eccleſiæ, cum contrahunt Matrimonium, eas omnes leges ſeruando quæ ab Eccleſia feruntur, vt ſancte ac iuſte contrahatur Matrimonium; inſuper illius obedientiæ, quam Deo exhibet mulier cum viro ſubditur, eique honorem defert & obedientiam præſtat; Tertio, illius etiam
B obedientiæ quam vterque coniux Deo præſtare debent, cum iuxta illius mandatum appetitus cohibent, illiuſque motus frænant, Dei & Eccleſiæ præceptis humiliter & ſubmiſſe obtemperando, ne tanquam mulus & equus, nullo ſedente aut regente, extrà terminos ſiciti & honeſti in libidinis motus ferantur.

Equus ait niger, vt modeſtiæ illius reddemur quæ requiritur inter coniugatos, in mutua conuerſatione, & in habitu ac geſtu. De hac modeſtia S. Petrus 1. c. 3. *Similiter & mulieres ſubditæ ſint viris ſuis: vt & ſi qui non credunt verbo, per mulierum conuerſationem ſine verbo lucrifiant: conſiderantes in timore caſtam converſationem veſtram; quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus: ſed qui abſconditus eſt cordis homo in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples. Sic enim aliquando & ſanctæ mulieres ſperantes in Deo ornabant ſe, ſubiectæ propriis viris, ſicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans, cuius eſtis filiæ benefacientes, & non pertimentes vllam perturbationem. Viri ſimiliter cohabitantes ſecundum ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem, tanquam & coharedibus gratiæ vitæ, vt non impediantur orationes veſtræ.* De hac modeſtia fusè etiam Clem. Alexand. lib. 2. Pædagogi c. 10. Pauca è multis accipe. *Si ergo de veſte & deliciis rebuſque ſupervacaneis, tanquam non neceſſariam omnino curam tollit, quid cenſendum eſt*
D *eum dicere de nimio ornatus ſtudio, de tinctura lanarum, varietate colorum, ſuperflua cura gemmarum, auri elaboratione, capillis artificioſis & intortis crinibus? Quid de fucata oculorum pictura? Quid de purpuriſſi ac ceruſæ fucationibus tinctiſque pilorum coloribus, improbiſque huiuſmodi artificiorum fraudibus? An non hoc quoque rectè conjiciendum eſt, id quod de ſæno paulò ante dictum eſt, de his ornamentorum amatoribus, qui à temperantia, & vero animi ornatu alieni ſunt poſſe dici? Ager eſt enim mundus, & nos herba, qui ſumus Dei gratia irrigati: tonſi autem rurſus exorimur, vt pluribus oſtendetur in libro de reſurrectione. Fanum autem turba promiſcua, allegoricè dicitur, quæ ſe ad momentaneam lætitiam applicat, quæ floret paruo tempore; quæ ſuperflua ornamenta, quæ glo-*
E *riam, quæ quiduis potius quam veritatem ſectatur; quæ non ad aliud apta eſt, quam ad ignis incendium. Homo quidam (dicit narrans Dominus) erat valde dives, qui induebatur purpura & byſſo, qui oblectabatur quotidie ſplendide: Hic erat fanum. Mendicus autem quidam nomine Lazarus abiectus erat in veſtibulo diuitis, ulceratus, cupiens repleri iis quæ cadebant de menſa diuitis; hic eſt herba. Sed ille quidem dives puniebatur apud inferos, vt qui eſſet ignis particeps; hic autem rurſus germinauit in ſinu Patris, &c.* Non modo in conuerſatione & veſtibus modeſtia ſeruanda eſt coniugibus, ſed præcipue in actu Matrimonij: vnde idem ait: *Si enim honeſtatem exercere oportet, multo magis tuæ vxori honeſtas eſt ſeruanda, inhoneſtas vitando coniunctiones.* Ibid. Denique color niger appoſitè hic aſſumitur, ad innuendam illam verecundiam, quæ ex tali actu exſurgit, cum

213

acies mentis & animi magnanimitas quodammodo offuſcatur & obtunditur, dum tribulationem de qua loquitur S. Paulus 1. ad Corinthios 7. patiuntur coniugati. *Si nupſerit*, inquit, *virgo, non peccauit: tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi.* Etſi gratiæ pulchritudo poſſit in eo actu ſeruari (nec enim peccant qui nubunt, à ſoloque peccato gratia excluditur, quod nullum committunt dum naturæ officium adimplent legitime) colaphizatur tamen animus, dum motus ſenſualitatis per actum generationis fortiùs excitatur; & quamdam immunditiem videtur contrahere, dum infra ſe abſtrahitur, & ſenſu voluptatis, à dignitate longiùs diſtantis, quodammodò tangitur, & licet ab ea non abſorbeatur, ratione debitum ordinem modum ac tempus in eo actu ſeruante, ei tamen adiungitur & aliqualiter commiſcetur, cum à voluptate ſe vellicari ſentit. Hinc optimè Clem. dixit illum actum opus eſſe noctis, & ſic ſimilitudinem ſeruare per nigredinem cum obſcuritate tenebrarum noctis. Videtur enim neceſſarium eſſe, vt ratio lumen ſuum quaſi intra ſeipſam reuocet ac coarcineat, vt libere naturæ operi ſuo vacare liceat. *Neque enim nocte*, inquit Clem. *tanquam in tenebris ſe immodeſte & intemperanter gerendum eſt, ſed verecundia tanquam lux rationis in animo includenda.* Hæc Clem. Verecundia igitur vices gerens ſeu locum rationis tenens, pro ea remanet, dum ſenſui permittitur in actum ſuum prorumpere. De ſuo enim lumine ratio nihil videtur retinere, præter illam verecundiam qua tangitur, cum ſe abſtrahi percipit, & à proprio & connaturali obiecto, nempe veritatis & rerum diuinarum contemplatione auelli, quaſi attonita & ſtupefacta experitur. Aliàs ratio niſi verecundia partes eius ageret & vices eius gereret, nunquam ſenſui vellet permittere tam liberè ſua perfrui voluptate.

Qui ſedet ſuper hunc equum habet ſtateram in manu, quo quidem ſymbolo ſignificatur in hoc Sacramento maxima ponderatione opus eſſe: Inter ea ſiquidem quæ ad exteriorem fidelium politiem ſeu gubernationem pertinent, Sacramenti huius leges ac circumſtantiæ maximè ac neceſſariò ſunt ponderandæ, vt pacatè & tranquillè omnia peragantur. Ponderanda ætas contrahentium, ponderandæ eorum conditiones, facultates, qualitates: quin etiam inter negotia ſecularia, & quæ ad ciuilem gubernationem ſpectant, cauſæ ſolæ matrimoniales ad Eccleſiaſticum forum pertinent, & à Paſtoribus ſunt ponderandæ. Si de agrorum diuiſione ac ſimilium fiat quæſtio, Eccleſia cum Chriſto ait, *Quis me conſtituit iudicem inter vos?* Veſtra diſſidia apud eos, ad quos pertinet, compeſcite. Si de iure reddendo, non de ſimplici pacificatione diſſidentium, fiat mentio, Ego, inquit Eccleſia, de talibus non iudico. At ſi de cauſis matrimonialibus agatur, eas in ſua ponderat ſtatera. *Si quis*, inquit Concil. Trid. ſeſſ. 24. Cano. 12. *dixerit cauſas matrimoniales non ſpectare ad iudices Eccleſiaſticos, anathema ſit.*

At quid quæſo vult Eccleſia, in his quatuor animalibus ſymbolicè figurata, cum è medio ſui talem emittit vocē: *Bilibris tritici denario vno, & tres bilibres hordei denario vno, & vinum & oleū ne laſeris?* Aliquid proculdubio volum ponderari ad regimen coniugatorum neceſſarium, vt illorum actiones vitâ æternâ dignæ habeantur. Duobus modis reſpondeo.

Multa mala ex peccato primorum parentum nuptiæ contraxerunt. Primum fuit peccatum originale. *Ecce*, ait dolenter Propheta, *in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Huic malo occurritur, cum coniugati Chriſtiani infantibus gratiam procurant, prouidentes vt aqua baptiſmi abluantur: quæ gratia per bilibrem tritici ſignificatur, quia vterque coniux pari obligatione ligatur ad hanc gratiam infantibus procurandam: vnde duæ libræ in vno Chænice reponuntur, vna pro viro, altera pro vxore; quibus ex cognitione diuinorum mandatorum munus incumbit, vt infans, qui palea eſſet, fiat frumentum paleâ carnali reiectâ, vt cum æterna vita commenſuretur; per gratiam diuinam, quam in baptiſmo recipit, eadem dignus redditus.

Tria alia mala oriuntur ex nuptiis carnalibus ob peccatum primorum parentum, quia plerumque illi, in quibus infidelitas adhuc permanet, prolem in vtero non timent interimere. Vtinam nec inter fideles hoc malum occurrat aliquando, vt liberius turpitudini vacent, omnem exuentes humanitatem: adeò in eis viget inordinata concupiſcentia, quæ incenditur, & maiora ſumit incrementa ex vſu matrimonij, dum gratiam Dei à mente ſua excludunt per intemperantiam; vel liberos (delitiis ſolummodo vacantes) moribus adeo perniciosis imbuunt, vt de eis dici poſſet: Melius illis eſſet ſi nati non fuiſſent, de vtero tranſlati ad tumulum. 2. malum eſt diſcordia & diſſidium inter coniugatos: vnde oriuntur rixa, contentiones, nec à viro vxor diligitur, nec virum vxor reueretur: quibus malis culpabilibus & peccaminoſis, adde tribulationem carnis, tædia prægnantium, dolores parturientium, curas innumerabiles ac ſollicitudines pro educatione liberorum, & incrementis bonorum ſiue ſpiritalium ſiue corporalium, mutuam illam corporum ſeruitutem: *Vir* enim *non habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir*: quam ſeruitutem odioſam reddit aliquando mutua vtrorumque incontinentia. His malis medetur gratia Sacramenti: Primò, quia eâ coniugati adiuti, impetum concupiſcentiæ & intemperantiam appetitus non ſequuntur, ſed honeſtè vtuntur matrimonio, & ſe ab omni adulterio & turpitudine, quantùm fragilitas humana patitur, retrahunt. Secundò, Quia eadem corroborati ſe inuicem vir & vxor diligunt, reuerentur, & ſibi inuicem parent & obediunt. Tertiò, illa freti, cuncta matrimonij onera patienter ferunt: & ſic tres bilibres hordei cum denario vitæ æternæ ponderant, dum quidquid inordinatum, turpe aut difficile in matrimonij iugo reperiunt, æqua lance cuncta ponderantes, illud mortificare contendunt, vt vitam æternam conſequantur. Aliam interpretationem, quæ in quibuſdam cum illa coincidit, accipe.

Matrimonium quatuor fines intendit, primum quod ſit Sacramentum; ſecundum quod ordinetur ad liberorum procreationem & educationem; tertium, vt coniugati mutuas ſibi operas præſtent; quartum vt concupiſcentiæ remedium habeant, itaut eius inordinatos motus compeſcant. Hæc conſequuntur per quatuor bona, quæ ex Sacramenti huius gratia proueniunt, nempe per fidelitatem, per mutuam dilectionem, per corporum ſanctificationem, per ſobrietatem & temperantiam: quibus bonis occurritur quatuor malis, quæ euitari minimè poſſent in matrimonij vinculo, niſi hæc bona adeſſent. Primum malum eſt coniugi fidem non ſeruare, per adulteria & fornicationes, quibus vinculum matrimoniale diſſoluitur quoad thorum & cohabitationem; ſecundum, odia, rixæ, & diſſidia, quæ inter coniugatos exoriuntur; tertium, quædam immunditia & turpitudo ex rebellione membrorum prouenies; quartum, vſus immoderatus ipſius actus matrimonij. Illa autem ſupradicta bona, quibus his malis medetur, attingere mihi videtur S. Paulus 1. ad Timot. 2. *Saluabitur autem*

Digitized by Google

mulier per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide: En primum bonum: *In dilectione*: Ecce ſecundum; *& ſanctificatione*: Ecce tertium: *& ſobrietate*: Ecce quartum bonum: Quæ à coniugatis ponderari debent cum denario vitæ æternæ, ipſis enim incumbit ſibi inuicem fidem ſeruare, debitum reddere, educationi liberorum incumbere, mutuas ſibi operas præſtare, ſe inuicem impenſius diligere; & vt corpora ſua pura & caſta cuſtodiant, Matrimonij actum ob liberorum procreationem & concupiſcentiæ remedium ſanctè & honeſtè exercere, eâ libertate moderatè & temperatè vti, vt iuxta Apoſtoli conſilium abſtinentes, orationi vacare aliquando valeant. Horum meditatio bilibres ſunt tùm frumenti tùm hordei; & quia vterque coniux ea meditari debet, ideo bilibris dicitur vnaquæque menſura, id eſt cuius vis illorum finium cõſideratio, cum æterna vita ponderanda, *Bilibris* igitur *tritici denario vno*: Id eſt, pondera quæſo ô fidelis Chriſtiane, ex fidelitate quam propter indiſſolubile vinculum Matrimonij vxori ſeruas, qnanta ſit dignitas huius Sacramenti. Sacramentum eſt enim magnum non ratione neceſſitatis, vt baptiſmus magnum eſt Sacramentum, quia omnino neceſſarium; non ratione rei illius quam continet, vt Euchariſtia; non propter dignitatem Miniſtri, vt Ordo, aut Confirmatio; ſed quia eſt ſignum rei magnæ, nempe duplicis cuiuſdam coniunctionis Chriſti cum Eccleſia: prima, ratione conformitatis in natura, quod in incarnatione verbi perficitur, per incarnationem quippe Chriſtus non tantum Eccleſiæ Chriſtianæ vnitur & copulatur, ſed toti naturæ humanæ; ſecunda, ratione gratiæ & Charitatis, qua Chriſtus ſoli Eccleſiæ & animæ fideli coniungitur, & eam ſanctè gubernat: ac reciprocè Eccleſia & anima fidelis illi adhæret per fidem, ſpem, & Charitatem, eique intimè copulatur, duplicique obedientia ſubditur, tum quia caput eſt hominum, tum quia autor eſt gratiæ. Et hæc duplex vnio ex natura & gratia proueniens, ſignificatur per Matrimonium: prima per vnionem naturalem & ciuilem, quæ exſurgit & emanat ex contractu ciuili, & communis eſſe videtur tum fidelibus tum infidelibus: ſecunda ſpiritalis eſt, quæ ex gratia ſupernaturali oritur, eſtque Chriſtianis propria: itaut horum cognitio bilibris frumenti dici queat, non tantùm quia vtrique coniugi incumbit hæc ponderare, & ſerio meditari, ſed etiam propter illam duplicem vnionem quæ meditanda proponitur; & propter fidelitatem ſeruandam ob dublicem reſpectum, vnum naturalem, alterum ſupernaturalem, itaut fideles ſuas actiones adæquare debeant cum lege naturali & cum lege gratiæ, nec legem naturalem violantes, nec legi gratiæ iniuriam facientes, ſed fidem ſeu fidelitatem, quam ſibi præſtare debent, ſeruantes, dignos ſe exhibere denario vitæ æternæ. Sed oportet etiam ponderare tres bilibres hordei, id eſt, ponderare bona illa quæ odia reſtringunt, quæ immunditiam omnem expellunt, quæ temperantiã inducunt: nam etſi multa ſint in praxi difficilia, quæ illorum conſiderationem ſeu meditationem, cibum non reddunt ita ſuauem, vt eſt frumentum cognitionis dignitatis illius Sacramenti, tamen hæc meditari, hæc ponderare, coniugatis expedit, vt ad vitam perueniant æternam.

Reſtat vt explicemus quid poſtulat Eccleſia cum addit: *Et vinum & oleum ne læſeris.* Forte præcipit ne coniugatorum ſtatus, puritati & caſtitati, quæ Sacramento Ordinis ac Sacerdotio annectitur, anteponatur. Prohibet enim S. Trid. ſynodus hoc, cum ait: *Si quis dixerit ſtatum coniugalem anteponendum eſſe ſtatui virginitatis vel cælibatus, & non eſſe melius ac beatius manere in virginitate aut cælibatu, quã iungi matrimonio, anathema ſit.* Can. 1. At qui matrimonium cælibatui anteponeret, aut virginitati, aut caſtitati ſacerdotio annexa, proculdubio violaret vinum & oleum: *Vinum*, inquam, illud *germinans virgines*, ex ſummo ſacerdote Chriſto, tanquam è viuo gratiarum fonte prodiens. *Quid enim bonum eius eſt, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum & vinum germinans virgines?* Zachariæ 9. Et rectè per vinum Sacramentum altaris delignatur, quo fideles enutriti puritatem conſequuntur, dicente S. Cypriano Epiſt. 66. ad Cæcilium: *Nam cum dicat Chriſtus: Ego ſum vitis vera, ſanguis Chriſti non aqua eſt vtique ſed vinum; nec poteſt videri ſanguis eius, quo redempti & vinificati ſumus, eſſe in calice, quando vinum deſit Calici, quo Chriſti ſanguis oſtenditur, qui ſcripturarum omnium Sacramento ac teſtimonio prædicetur.* Et rurſus idem Ep. 63. ad Cæcil. *Vnde apparet ſanguinem Chriſti non offerri, ſi deſit vinum calicis, nec ſacrificium Dominicum legitima ſanctificatione celebrari, niſi oblatio & ſacrificium noſtrum reſpondeat paſſioni.* Hæc Cyp. Oleo autem hoc virginitas & caſtitas ſignificatur, ex infinita enim Dei miſericordia alicui prouenit, quod caſtitatem ſeruare velit, cum Dominus dicat: *Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt.* Matt. 19. Et à ſapiente dicitur, Sap. 8. *Et vt ſciui quoniam aliter non poſſem eſſe continens niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſapientiæ ſcire cuius eſſet donum, adij Dominum, & deprecatus ſum illum & dixi ex totis præcordiis meis, &c.* Erat igitur Sapiens S. Paulus, & optimè callebat à quo illud donum erat conſecutus, cum illud ipſum miſericordiam nuncupabat: *Conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus à Domino vt ſim fidelis.* Cum igitur dicitur coniugatis: *Vinum & oleum ne læſeris*, eſt ac ſi eis diceretur: Si per fidelitatem, mutuam dilectionem, corporum ſanctificationem, & temperantiam, digni habeamini vitæ æternæ, ne propterea vos anteponite eis qui caſtitatem colunt, nec veſtrum ſtatum ſacerdotali dignitati præferre velitis. Veſter enim ſtatus inferior, nec tantâ redundat gratiâ vt ſtatus cælibatus aut virginitatis: *Non enim omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt.*

Rurſus his verbis mihi ſignificari videtur, quòd non licet omnibus Matrimonium per nimiam indulgentiam concedere; nec etiam ea ſeueritate vti, vt ſecundæ nuptiæ vituperentur aut prohibeantur: vinum enim Eccleſiaſticæ ſeueritatis læderet, qui omnibus indifferenter nuptias concederet, contra cano. 9. ſeſſ. 24. Trident. quo cauetur ne quis velit Clericos nuptias contrahere. *Si quis dixerit*, inquit, *Clericos in ſanis ordinibus conſtitutos, vel regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto; vel oppoſitum nihil aliud eſſe quàm damnare matrimonium eorum, qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiam ſi eam vouerint, habere donum, anathema ſit. Cum Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos ſupra id quòd poſſumus tentari.* Ita Conc. Læderet etiam inſuper oleum ſuperabundantis gratiæ, quæ legis Euangelicæ propria eſt (qua fit vt ea repleti poſſint habere continentiæ & caſtitatis donum) qui diceret omnibus nuptias eſſe contrahendas.

Vt autem nuptiæ omnibus non ſunt concedendæ, nec etiam ſunt vituperandæ, etiam ſi ſecundæ aut tertiæ celebrentur (oleum enim læderet compaſſionis qua fragilitati aliorum compati debemus, benignè eis concedentes vt poſt primas nuptias ad ſecundas licitè conuolare queant, qui illas damnaret aut prohiberet ac ſi eſſent illicitæ.) Audiamus S. Cyrillum Hieroſolymit. c. 4. *Nec vno matrimonio contenti, eos qui ad ſecundum ſe conierrunt improbent: nam vt præclara res eſt & admirabilis continentia, ita ve-*

Digitized by Google

piam merentur ſecunda etiam nuptiæ, ad quas ij properant qui ſunt infirmi ne fornicentur. Bonum eſt enim iis ſi permanſerint vt & ego, inquit Apoſtolus, ſi vero non continent, ſeſe nubant: melius eſt enim nubere quàm vri. Ita Cyrillus. Et hæc de tertio ſigillo dicta ſufficiant.

DE QVARTO SIGILLO,

Et cum aperuiſſet ſigillum quartum, audiui vocem quarti animalis dicentis: Veni & vide.

Sacramentum Ordinis in hoc quarto ſigillo ſignificatur.

De eius eſſentiâ, materiâ, formâ, miniſtro, effectu.

ANNOTAT. I.

NVNC iuxta ordinem à nobis præſcriptum, de Sacramento Ordinis hic agendum eſt. Per Baptiſmum enim regeneratis, per Confirmationem ſuppeditatis & acceptis armis quibus ab bellum contra ſalutis hoſtes ineundum parati ſimus; adhibitâ à ſapientiſſimo Duce & Reipublicæ Chriſtianæ Moderatore, curâ per Matrimonium, ne deſint qui poſſint, aliis morientibus aut deficientibus, in militiam adſcribi; oportet vt quoſdam aliis præponat, ad optimam omnium officiorum & munium executionem, & vt optimè cuncta perficiantur, & omnia ſecundum ordinem fiant, abſque diſſenſione aut perturbatione.

Sigillum autem meritò Sacramentum ordinis dici poteſt: definitur ſiquidem à Magiſtro ſententiarum apud S. Tho. 3. p. q. 34. ar. 2. *Signaculum quoddam Eccleſiæ, per quod ſpiritualis poteſtas traditur ordinato.* Signaculum autem, ſignum, ac ſigillum idem ſignificant. Deinde cum ſit vnum ex ſeptem Eccleſiæ Sacramentis, ſigni nomen ſibi vendicat; *Signum quippe dicitur Sacramentum, ſi ad res diuinas pertinet,* inquit S. Auguſt. Epiſt. 5. ad Marcell. Ac ſi diceret: Sacramentum ſignum eſt, ſed ſignum rei ſacræ. Eſt autem Ordo ſignum rei ſacræ, nam in eius ſuſceptione quædam conſecratio homini exhibetur per viſibilia ſigna; ergo & ſignum & Sacramentum dici poteſt. Ad hanc Magiſtri definitionem, alij addunt cum Soto, in ordine ad ſacroſanctum corpus Chriſti conſecrandum; & quia omnes ad hanc conſecrationem non concurrunt pari modo & ratione, ideo alij hanc Sacramenti ordinis definitionem aſſignant, vt ſit actio quædam ſenſibilis ſeu ceremonia, quæ peculiarem quamdam confert poteſtatem, qua qui præditus eſt pro modulo ſuo concurrit & inſeruit ad conſecrationem Euchariſtiæ, ex quo fit capax accipiendi & exercendi aliquam poteſtatem & autoritatem in corpus Chriſti myſticum, Eccleſiam videlicet.

Neceſſitatem huius Sacramenti ponit S. Thomas, quia *quæ à Deo ſunt ordinata ſunt*: & cum ſtatus Eccleſiæ ſit medius inter ſtatum naturæ & gloriæ, ſicut in natura & in gloria inuenitur Ordo, quo quædam aliis ſuperiora ſunt, ita debet inueniri aliquis Ordo in Eccleſia, vt modus, ſecundum quem Deus in aliis inſtuit, in Eccleſia repreſentetur. Hanc enim legem naturalem Deus impoſuit omnibus, vt vltima per media reducerentur & perficerentur, & media per prima, vt Dionyſ. dicit, & ideo vt iſta pulchritudo Eccleſiæ nõ deeſſet, poſuit ordinem in ea, vt quidam aliis Sacramenta traderent, ſuo modo Deo in hoc aſſimilati, quaſi Deo cooperantes: ſicut & in corpore naturali quædam membra aliis influunt. Supra dicta autem definitio conuenit Ordinationi Epiſcopi, Sacerdotis, Diaconi, Hypodiaconi, & inferiorum Clericorum: omnes enim aliqua actione ſenſibili ad officium aliquod diuinum & ſacrum exercendum deſtinantur.

Materia autem remota huius Sacramenti ſunt res quæ traduntur ordinando, v. g. calix, patena, libri, vrceoli, claues, candelabra: proxima, eorum traditio. *Et quia*, inquit S. Tho. ar. 5. *hoc quod in hoc Sacramento traditur, ſcilicet ſpiritualis poteſtas, derivatur etiam ab eo qui Sacramentum dat, ſicut poteſtas imperfecta à perfecta, ideo adhibetur magis ad determinandam poteſtatem, quæ traditur particulariter ab habente eam complete, quàm ad poteſtatem cauſandam. Ideo materia huius Sacramenti non requirit aut præexigit aliquam ſanctificationẽ, ſicut in materia Sacramenti Confirmationis aut Extremæ-Vnctionis, quæ ſanctificantur, ad ſignandam virtutem in Sacramentis agentem ex extrinſeco omnino aduenire, & pendere tantum à Deo, non à Miniſtro qui Sacramentum diſpenſat. Et quia poteſtas quæ traditur in hoc Sacramento accipitur à Miniſtro, & non à materia, ideo porrectio Materiæ videtur magis eſſe de eſſentia Sacramenti quam tactus, tamen*, inquit S. Thomas ar. 5. ad 3. *ipſa verba formæ videntur oſtendere quod tactus materiæ: ſit de eſſentia Sacramenti, quia dicitur: Accipe hoc aut illud.* Ita S. Tho. Vnde ſedulò curant Prælati, & Miniſtri huius Sacramenti, non tantùm vt ordinando porrigatur calix & patena cum pane & vino, ſed etiam vt ab eo tangantur. Quod ſi à Græcis omittitur, vt volunt, inſtrumentorum porrectio; hoc, inquiunt, fit quod in materia ordinationis ſit quædam latitudo ex inſtitutione Chriſti, itaut per ſe loquendo ea conſiſtat in porrectione calicis & patenæ cum pane & vino, ex conceſſione tamen ſedis Apoſtolicæ ad eam ſufficiat ex parte materiæ manuum impoſitio, ſiue illa inſtrumentorum porrectio, ſicut ex eadem Chriſti inſtitutione videtur eſſe quædam latitudo in miniſtro Confirmationis: nam per ſe loquendo ſolus Epiſcopus poteſt validè tale Sacramentum conferre, ſi tamen accedat conſenſus ſedis Apoſtolicæ, ſimplex ſacerdos illud valide adminiſtrare poteſt. Nec mirum; Sacramentorum enim partes eſſentiales licet ſint res phyſicæ, tractantur tamen modo morali ex voluntate Chriſti pendentes. Vnde non opus eſt vt conſiſtant in indiuiſibili. Vel dic porrectionem inſtrumentorum & tactus implicitè ſeu virtualiter includi in impoſitione manuum, ac ſi imponentes manus in ordinatione ſignificare velint cum manum imponunt, Poteſtas quæ nobis eſt collata ad agendum hanc vobis conferimus. Et reuera Concil. Chartaginenſe quartum, quin & manuum impoſitionem includere porrectionem & tactum cenſere videtur dum Can. 5. ait: *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, patenam de Epiſcopi manu accipiat vacuam & calicem vacuum: de manu vero Archidiaconi, vrceolum cum aqua & mantile & manutergium.* Eadem de Acolytho, Exorciſta, Lectore, Oſtiario, Pſalmiſta, decernit: vt vnuſquiſq; eorũ accipiat inſtrumenta ſuo officio conuenientia. In ordinatione Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi, nec porrectionis inſtrumentorum nec tactus illorum meminit, & ex actibus Apoſtolorum, & ex S. Paulo, habemus ordinationem fieri per manus impoſitionem, nulla facta mentione porrectionis aut tactus inſtrumentorum: quem ordinandi ritum conſeruaſſe videntur Græci, quamuis Eccleſia Latina explicatiùs voluerit ſigna adhibere poteſtatis, quæ in ordinatione confertur: vt clariùs intelligant recipientes quam gratiam recipiant, in hoc mentem & voluntatem inſtituentis ſequentes, qui per ſigna, ad receptionem & intellectum gratiarum quas confert, vult nos deducere: vt patet ex ceremonia quam

Digitized by Google

adhibuit in illuminatione cæci nati Ioan. 9. expuens in terram, faciens lutum ex ſputo, & liniens lutum ſuper oculos cæci dicens: *Vade in natatoria Siloe.* Vnde nunc Eccleſia hæc ſigna adhibente, ſi obmitterentur, viderentur non bene ordinari qui Sacramentum per ſolam manuum impoſitionem reciperent; quia Eccleſia eis tantum gratiam Sacramenti conferre intendit, qui ritus ab ea admiſſos obſeruant; at intentio Eccleſiæ requiritur in adminiſtratione Sacramentorum, vt quis per illorum adminiſtrationem gratiam Sacramenti conferat. Igitur cum hi qui tales ceremonias omitterent, non ſatisfacerent intentioni Eccleſiæ, non ſolum illicitè ſed etiam inualidè agerent. Non apparet autem Græcis conceſſum à ſummis Pontificibus, vt ſola impoſitione manuum vtantur, ſed dicendum videtur Eccleſiam Romanam in illis hæc tolerare, conſueta benignitate vtendo, nec eos includere in ea intentione quam habet, vt iuxta ritus ab ea admiſſos, debeant ordinari qui eidem obediunt, vt valide Sacramentum recipiant.

Eſt autem impoſitio manuum eſſentialis in ordinatione ſacerdotis, cum per illam tribuitur ordinato poteſtas in corpus Chriſti myſticum: vt ſcilicet poſſit homines Sacramentaliter abſoluere à peccatis. Siquidem ſine eiuſmodi poteſtate non eſſet quis complete ſacerdos: Eſt etiam eſſentialis in ordinatione Diaconi, qui ordinari ſolet per manuum impoſitionem, de qua ceremonia lege Baronium an. 44.

Forma autem huius Sacramenti ſunt verba quæ proferuntur, ſiue cum traditione inſtrumentorum, vt cum dicitur: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium*, &c. cum fit impoſitio manuum, vt cum dicitur: *Accipe ſpiritum ſanctum*, &c. *Et quia*, inquit S. Thomas ar. 4. *hoc Sacramentum principaliter conſiſtit in poteſtate tradita, poteſtas autem à poteſtate traducitur, ſicut ſimile ex ſimili, & iterum poteſtas per vſum innoteſcit, quia potentiæ notificantur per actus; ideo in forma ordinis exprimitur vſus ordinis per actum qui imperatur, & exprimitur traductio poteſtatis per imperfectum modum, eſtque hic quædam communicatio vnioca quæ non reperitur in aliis Sacramentis, quorum effectus non ſunt ſimiles poteſtati per quam hæc Sacramenta diſpenſantur.*

Quoad cauſam, ſeu Miniſtrum huius Sacramenti, dicimus Epiſcopum eſſe ordinarium Miniſtrum huius Sacramenti, quia eius eſt reſpicere bonum commune: & ſicut politica legem ponit inferioribus, vt ſcilicet quis, quam artem debeat exercere, quantum, & qualiter: *Ita ad Epiſcopum pertinet*, inquit S. Thomas, *in omnibus diuinis myſteriis aliquos collocare. Vnde ipſe ſolus confirmat, quia confirmati in quodam officio confitendi fidem conſtituuntur: & ideo ſolus virgines benedicit, quæ figuram gerunt Eccleſiæ Chriſto deſponſatæ, cuius curæ ipſe principaliter committitur: ipſe etiam in miniſteriis ordinum ordinandos conſecrat, & vaſa quibus debent vti, eis determinat ſua conſecratione, & ſicut officia ſecularia, in ciuitatibus diſtribuuntur ab eo qui habet excellentiorem poteſtatem à rege.* Ita S. Tho. q. 38. ar. 1. Attamen, vt ait ad tertium, quia Papa habet plenitudinem poteſtatis Pontificalis, poteſt committere non Epiſcopo ea quæ ad Epiſcopalem dignitatem pertinent, dummodo illa non habeant immediatam relationem ad verum corpus: & ideo ex eius commiſſione aliquis ſacerdos ſimplex poteſt conferre minores ordines, non autem aliquis non ſacerdos: nec iterum ſacerdos maiores ordines, qui habent immediatam relationem ad corpus Chriſti, ſupra quod conſecrandum Papa non habet maiorem poteſtatem quàm ſimplex ſacerdos.

Quantum ad effectus, confert primo Sacramentum ordinis gratiam gratum facientem. Sacramenta quippe nouæ legis efficiunt quod figurant; atqui Ordo per numerũ ſeptenarium ſignat ſeptem dona Spiritus ſancti, quæ non ſunt ſine gratia gratum faciente. Deinde Sacramentum nouæ legis eſt cauſa gratiæ: & quia Dei perfecta ſunt opera. Et ideo cuicumque datur potentia aliqua diuinitus, dantur ea per quæ executio illius potentiæ poteſt congrue fieri, per membra corporis potentiæ animæ exeunt in actus ſuos: igitur ſicut gratia gratum faciens eſt neceſſaria ad hoc, quod hómo dignè Sacramenta recipiat, ita etiam ad hoc quod homo digne Sacramenta diſpenſet: & ideo ſicut in baptiſmo, per quem fit homo ſuſceptiuus aliorũ Sacramentorum, datur gratia gratum faciens, ita in Sacramento Ordinis, per quod homo ordinatur ad aliorum Sacramentorum diſpenſationem. Secundo in Sacramento ordinis imprimitur Character quantum ad omnes ordines, quia nullus eſt iterabilis, & in quolibet ordine eſt aliqua diſtinctio, vnde requiritur quod ſignum ſit diſtinctiuum. Ita S. Thom. q. 35. ar. 1. & 2. Et hæc dicta ſufficiant de Sacramento Ordinis, vt in huius ſigilli reſeratione & explicatione, graue aliquod vobis appareat myſterium.

Quale & quantum Myſterium in reſeratione huius ſigilli dignoſcitur.

ANNOTAT. II.

Veni & vide.

Quod fide opus ſit ad illud myſterium percipiendum. §. 1.

MYSTERIVM ſub hoc ſigillo contentum eſt poteſtas excellentiæ, quæ data eſt naturæ humanæ in Chriſto; cui pro modulo participant ſummi Pontifices, Epiſcopi & Sacerdotes, cæterique inferiores Ordines.

Myſterium, inquam, quia vix credi poteſt ad quantam dignitatem natura humana, adeo imbecillis & infirma, hac ratione euehatur: & ideo fide opus eſt & reuelatione, vt hoc aprehendi valeat & apprime cognoſci: quod tamen facile dignoſces, ſi fidei & reuelationi aſſentiens, quæ de Sacramento Ordinis Eccleſia docet, attendas. Equidem facile accommodamus aſſenſum, cum quorumdam myſteriorum ſubſtantia ante mentis oculos nobis proponitur: quinimo etiam aliquando, quadam animi ſagacitate, in eorum deuenimus cognitionem, v. g. ratio tanquam quid veriſſimum has propoſitiones amplectitur, nempe eſſe aliquod primum principium, à quo cætera producantur & dependeant; eſſe aliquem ſummum rerum Moderatorem, qui rebus omnibus leges præſcribat, & optimis & conuenienribus mediis eas ad debitum finem perducat; eſſe aliquem bonorum remuneratorem, malorum vindicem; nequaquam res in perpetuo debere eſſe motu, ſed tandem aliquando, mutationibus ac viciſſitudinibus ſibi inuicem ſuccedentibus, finem aliquem & terminum fore præſcribendum. Hinc S. Thom. 1. contra gentiles c. 3. ait: *Eſt autem in his quæ de Deo confitemur duplex veritatis modus. Quædam namque vera ſunt de Deo, quæ omnem facultatem humanæ rationis excedunt: vt Deum eſſe trinum & vnum. Quædam vero ſunt ad quæ etiam ratio naturalis pertingere poteſt, ſicut Deum eſſe, Deum eſſe vnum, & alia huiuſmodi, quæ etiam Philoſophi demonſtratiue de Deo probauerunt ducti naturali lumine rationis.* Ita S. Thom. Qui poſtea docet quod ſint aliqua intelligibilium diuinorum, quæ humanæ

rationis penitus excedunt ingenium : quia ad ſub- A
ſtantiam Dei capiendam intellectus humanus non poteſt naturali virtute pertingere, cum eius cognitio à ſenſibus hauriatur, aliiſque rationibus quas ibidem legere poteris.

At cum modus quo ſupradicta perficiuntur, nempe rerum productio & gubernatio, aciem mentis obtundat, vireſque animi exuperet ; ad eum concipiendum niſi fide adiuuetur mens non poteſt attingere. Quis enim facile ſibi perſuadere poterit quod rerum productio ſit ex nihilo per creationem ; quod bonis mala, malis bona aliquando obueniant, ex ſapientiſſima moderatoris ordinatione ? Quis abſque fide hæc fateri poterit ? Eadem meditari licet in aliis Myſteriis reuelatis. Etenim ſi illud eſſe ſupremum tanquam Infinite bonum & B
ſui communicatiuum contemplemur, nemini tamen in mentem veniet hanc communicationem ad hanc deuenire perfectionem, vt aliqua ex diuinis perſonis naturæ humanæ vniatur hypoſtaticè ſeu perſonaliter. Si de benefico rerum moderatore fateri quis non abnuat, cum cuique rei quæ ad ſui conſeruationem neceſſaria ſunt ſuppeditare, quis tamen credat & audiet abſque ſtupore aut extaſi, quòd Verbum caro factum hominibus carnem ſuam det in cibum & alimoniam, quo cibo nutriantur in vitam æternam ? Pari ratione dico, quòd eo ipſo quo aſſerimus Deum hominem creare voluiſſe ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, in dubium reuocare non poſſumus quin hominem Deus magnificare ac in ſummum honorem euehere intenderit. Hoc decet eum qui tam nobili inſignitus eſt charactere, vt Dei ſui imaginem, quantum puræ licet creaturæ, portet impreſſam. Hac de cauſa ſtatim atque è nihilo productus, & ex luto formatus in rerum natura prodiit, conſtituit eum Deus ſuper omnia opera ſua, vt imperij ac dominationis ipſius in totum orbem, eſſet veluti quoddam inter res creatas erectum ſimulachrum. Cum itaque homo talis ſit, vt in eo Deus ſuas repoſuerit delitias, ſit ad Dei imaginem & ſimilitudinem conditus, potentiſſimæ manus Dei præclariſſimum opus, omnium mirabilium eius ſumma, credibile valde eſt eum ad quem- D
dam honoris apicem prouehi. At ſi de modo, quo ad hunc conſequendum euehitur fiat ſermo, nempe per incarnationem verbi, mortem & paſſionem Chriſti, & mortis ac paſſionis eius conformitatem, quis credet, & cui brachium Dei hæc operantis reuelabitur ? Mors, Dei decreto, in vniuerſum hominum genus graſſari ac dominari permittitur, nec vſurâ lucis cuiquam mortalium frui continget, quin ſtatim morti adiudicetur : primus ingreſſus in vitam eſt velox & alacer curſus ac progreſſus in mortem : vita, cuius vſura mortis fuerat prænuntia, mortis eſt arrhabo. Quis tali ratione exiſtimabit poſſe hominem ad ſummam deuenire dignitatem, & excellentiam eminentiſſimam conſequi ? At nihilominus hoc E
myſterium aſſerimus ſub hoc ſigillo contineri, quod quidem in reſeratione ipſius dignoſcitur, nempe hominem maximum conſequi honorem & autoritatem per mortem Chriſti, & morti eius participationem. Et non ſolum dignitatem conſequitur, ſed tali modo ſeu talibus circumſtantiis circumueſtitam, vt Diabolus eam intueri abſque inuidia non valeat : *Peccator videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet* : Quin & etiam homines hac inuidia pulſabuntur, cum ſibi in natura æquales, extolli in ſtatu gratiæ perſpicient. Fide inſtructus, ad huius myſterij altitudinem contemplandam ſecurus accede.

Et ecce equus pallidus.

Magnitudo huius Myſterij. §. 2.

Hæc excellens, & eminens autoritas ex eo apparet, quod ad animarum ſanctificationem ordinetur, qua nihil maius aut excellentius inter omnia Dei opera excogitari poteſt, cum per eam ad Dei ſimilitudinem propius accedamus. Quod ſi in regibus, & principibus ſeculi magnam quamdam agnoſcimus dignitatem, ex eo quod eorum autoritas ad hoc ordinatur, vt pacem & tranquillitatem, quæ ab omnibus exoptatur, inter homines cuſtodiant ; quod vt præſtare poſſint, leges condere, tributa & ſubſidia exigere, Magiſtratus erigere, præmia decernere, pœnas infligere, exſtruere exercitus, hoſtes repellere, contumaces reprimere poſſunt, quæ omnia excellentem quamdam redolent Maieſtatem ; multò magis excellentior erit illa diuina poteſtas, qua pax æterna per omnimodam ſanctificationem acquiritur : non vt aliqua temporali & tranſitoria tranquillitate fruamur, ſed æterna Dei viſione, qua in æternum beati, torrente voluptatis indicibilis inebriemur. *Rogate*, inquiebat Dauid, *quæ ad pacem ſunt Hieruſalem.* Hac enim pace & gratia & meritis & gloria fideles cumulantur, iuxta quod & ipſe exoptabat fieri pacem in virtute, vt C
abundantia fieret in turribus Eccleſiæ, id eſt, in ſanctioribus, qui non tantum pro ſe laborant, ſed etiam pro ſtatu Eccleſiæ in pace conſeruando, gnauiter & fideliter decertant. Et cum iſta pax fieri nequeat niſi præſuppoſitâ remiſſione peccatorum, cum illa poteſtas maxima ſit & Deo propria, vt fatebantur ipſimet Iudæi Chriſto dicentes : Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus ? Chriſtus ſe Deum eſſe declarauit ſanando paralyticum, in ſignum quod illa poteſtate eſſet præditus. Et Deus Optimus Maximus de ea gloriari videtur cum ait Iſ. 43. *Ego ſum, Ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Reduc me in memoriam, & iudicemur ſimul : narra ſi quid habes vt iuſtificeris* : Ego ipſe. Ac ſi diceret : Non alius Rex aut potens Monarcha. Ego ſolus. *Propter me*, inquit, meam ego gloriam in hoc opere præ oculis habeo ; nec enim propter finem ignobiliorem tantum opus exerceri debet.

Igitur ſi Dei ſolius eſt animarum ſanctificatio per peccatorum remiſſionem, ad quamnam quæſo dignitatem noſtra natura euehitur, cum Eccleſiæ in Petro & Apoſtolis dicitur : *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt ?* Certè ſicut videre licet quod abolitiones & remiſſiones criminum, per quas ſententiæ iudicum inferiorum reſcinduntur, aut moderantur, aut impediuntur ne effectum obtineant, emanant & impetrantur à ſuprema quadam & independenti autoritate alias poteſtates inferiores moderante, ad meliorem totius Reipublicæ gubernationem, ita dicendum quod hæc poteſtas remittendi peccata, ad multa alia etiam extendi poteſt ; ſiquidem vltimam ſententiam ferat de iis quæ ad Dei honorem ſpectant, ac ſi Deus omnia ſua iura in hominum arbitrio depoſuerit, vt de eis prout voluerint tranſigant ac decernant, ea quodammodo paruipendentes in fauorem facinoroſorum & reorum læſæ Maieſtatis diuinæ. Non modicùm certè conſecuta fuiſſet honorem humana natura, ſi gratiarum Dei eſſet veluti generalis cuſtos ac diſpenſatrix ; ſi de quibuſcumque cauſis inter creaturas intercedentibus vltimam ferret ſententiam, & veluti ſupremus iuſtitiæ diuinæ Miniſter, aut Regni æterni cancellarius pro arbi-

Digitized by Google

trio de cunctis deceneret; ſi caſtra & exercitus Angelorum ad certamen contra Luciferum deduceret. At nihil eum in tam excellenti gradu dignitatis ex his collocaret, quàm dum Deus hanc ei confert autoritatem, non modo in humanitate Chriſti, qui caput eſt Angelorum & hominum, ſed etiam in hominibus infirmis & peccatoribus, vt peccata homines remittant, gratiam infundant, ſanctificationem ingerant Dei & Chriſti cooperatores & Miniſtri; hæc enim autoritas alias quaſdam conjunctas habet aut præſupponit. Hac ratione Chriſtus Dominus manifeſtauit ſe eſſe fontem gratiæ, iudicem ſeculorum, Caput Angelorum & hominum, qui poſſit Satanam ſub pedibus conterere, & omnem inimici poteſtatem conculcare, cum potentiorem & infeſtiorem totius creaturæ hoſtem, nempe peccatum proſternit. Quod vt ponderare poſſemus, nullum miraculum edere voluit Chriſtus, vt manifeſtaret ſe quacumque alia autoritate præditum, ſed tantùm vt ſciremus poteſtatem remittendi peccatum apud eum reſidere, voluit vt diximus, ſanare paralyticum: *Vt autem*, inquit, *ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, dixit paralytico: ſurge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Vnde poſtquam Dominus plurima dixit Iſ. c. 43. quibus ſuam commendaret & extolleret maieſtatem, v. g. *Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit. Ego ſum, ego ſum Dominus, & non eſt abſque me ſalvator.* Et poſt pauca: *Et ab initio ego ipſe, & non eſt qui de manu mea eruat. Operabor, & quis auertet illud?* Deinde rurſus: *Ego Dominus, ſanctus veſter, creans Iſrael, Rex veſter*; tandem extolli & gloriari deſinit velut in vltimo gradu ſuæ poteſtatis erga homines, in eo quod ipſe poſſit peccata delere, vt iam attigimus: *Ego ſum, ego ſum ipſe*, inquit, *qui deleo iniquitates veſtras propter me.*

Quod ſi tantæ dignitatis Maieſtatem inſuper optimè depictam intueri cupis, aureo S. Chriſoſtomi calamo veluti penicillo vtamur: nec Apelles Alexandrum, à quo ſolo volebat depingi, adeo eximiè depinxit, ac eleganter Chriſoſtomus huius autoritatis excellentiam non dico delineauit, ſed ad viuum expreſſit l. 3. de Sacerdot. c. 4. & in ſequentibus, quòd quidem feliciter præſtat oſtendens primo quod Spiritus ſanctus ordinem iſtum diſpoſuerit, illius ſit author, ſecundo ex poteſtate conficiendi & conſecrandi corpus Chriſti: 3. ex poteſtate remittendi peccata, 4. ex munere & officio adminiſtrandi Sacramenta, Baptiſmi, Pœnitentiæ, Extremæ-vnctionis; quinto Deum placandi per orationem. De primo ait cap. 4. *Etenim ſacerdotium ipſum in terra quidem peragitur, ſed in rerum cæleſtium claſſem, ordinemque referendum eſt. Atque id perquam meritò, quippe non mortalis quiſquam, non Angelus, non Archangelus, non alia quæuis creata potentia, ſed ipſe panteleetus ordinem huiuſmodi diſpoſuit, qui mortalibus hominibus etiamnum in carne manentibus author fuit, vt Angelorum miniſterium animo conciperent. Idcirco neceſſe eſt ſacerdotem ſic eſſe purum, vt ſi in ipſis cælis collocatus inter cæleſtes illas virtutes medius ſtaret.* De ſecundo poſtquam enumerauit omnia ornamenta ſacerdotum veteris legis, ex Exod. 28. c. dicit *illa fuiſſe quidem terribilia atque horrifica, ſed leuia, ſi ea quæ gratia tempus aduexit examinemus. Nam dum conſpicis Dominum immolatum, & illic ſitum ſacerdotem ſacrificio incumbentem, ac preces fundentem, tum vero turbam circumfuſam pretioſo illo ſanguine intingi ac rubeſieri, etiamne te inter mortales verſari atque in terra conſiſtere cenſes? An non potius è veſtigio in cælos transferri? An non carnis cogitationem omnem abjiciens, nudo animo, mente puræ, circumſpicis quæ in cælo ſunt? O miraculum! ô Dei benignitatem! Qui cum patre ſurſum ſedis, in illo ipſo temporis articulo omnibus manibus pertractatur, ac ſe ipſe tradit volentibus ipſum excipere ac complecti.* Et poſtea, ponderatâ hiſtoriâ Eliæ 3. Regum. 18. quiignem è cælo delabi fecit ad ſacrificium conſumendum, dicit noſtratia ſacra maiorem ſtuporem ingerere. *Adeſt enim*, inquit, *ſacerdos non ignem geſtans ſed Spiritum ſanctum, is preces diuturnas fundit, non quo flamma cælitus delapſa, ſacra appoſita abſumat: ſed vt gratia in ſacrificium influens, per illud ipſum omnium animos inflammet, & puriores reddat argento igni excocto purgatoque.* De 3. cap. 5. poſtquam aſſeruit magnum eſſe myſterium, vt homo carne & ſanguine conſtans, beatæ atque immortali naturæ propior fieri queat, quomodo id fiat, declarat. *Etenim*, inquit, *qui terram incolunt atque in ea verſantur, iis commiſſum eſt vt ea quæ in cælis ſunt diſpenſent, iis datum eſt vt poteſtatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis neque Archangelis datam eſſe voluit: neque enim ad illos dictum eſt: Quæcumque alligaueritis in terra, erunt alligata & in cælo; & quæcumque ſolueritis in terra, erunt ſoluta & in cælo. Habent quidem & terreſtres principes vinculi poteſtatem, verùm corporum ſolùm. Id autem, quod dico, ſacerdotum vinculum, ipſam etiam animam contingit, atque ad cælos vſque peruadit. Vſque adeò, vt quæcumque inferne ſacerdotes confecerint, illa eadem Deus ſupernè rata habeat, atque ſeruorum ſententiam Dominus confirmet. Etenim qui dnam hoc aliud eſſe dicas, niſi omnem rerum cæleſtium poteſtatem illis à Deo conceſſam?* De 4. eodem c. 5. dicit *inſaniam eſſe manifeſtam deſpicere tantum iſtum principatum, ſine quo neque ſalutis neque promiſſorum bonorum compotes fieri poſſumus. Nam ſi non poteſt quis in regnum cælorum ingredi, niſi per aquam & ſpiritum regeneratus fuerit, & qui non manducat carnem Domini, & ſanguinem eius non bibit, æternâ vitâ priuatur, omnia autem hæc haud aliter quam per ſacroſanctas illas manus perficiantur, manus inquam ſacerdotum; quî fiet vt citrà illorũ opem, aut gehennæ ignem euitare quis poſſit, aut repoſitæ in cælo coronæ præmia aſſequi?* At de adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ c. 6. ait: *Corporis lepram purgare, ſeu verius dicã, haud purgare quidem, ſed purgatos probare Iudæorum ſacerdotibus ſolis licebat: neque neſcis quanta cum ambitione, quanto cum ſtudio ac concertatione, ſacerdotalis dignitas id temporis acquireretur. At vero noſtris ſacerdotibus non corporis lepram, verum animæ ſordes, non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt.* De adminiſtratione Sacramenti Extremæ-vnctionis, in eodem capite dicit *Sacerdotes præferendos eſſe parentibus, quia parentes nos in præſentem, ſacerdotes in vitam æternam generant: atque illi certè ne corporalem quidem interitum à liberis amoliri poſſunt, neque ingruentem morbum propulſare: quam bi laborantem ac morti iam iam propinquam animam identidem ſeruant, aliis remiſſionem pœnam reddentes, alios prorſus labi non permittentes, non doctrinæ ſolum atque commonitionis ſed etiam precum præſidio. Neque enim ſolum quum nos regenerant, ſed poſtea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent. Infirmatur, inquit, inter vos aliquis? Accerſat Præſbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & obſecratio fidei ſaluum reddet laborantem, & eriget eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit remittentur ei.* Hæc Chryſ. Quod ſi de adminiſtratione Sacramenti Confirmationis nullam facit mentionem, eſt vt puto, quia de ſimplicibus ſacerdotibus loquitur, non de Epiſcopis, & eadem de cauſa nihil dicit de Sacramenti Ordinis adminiſtratione, quæ ad ſolos pertinet Epiſcopos: de Sacramento autem Matrimonij non loquitur, quia Sacerdotes non ſunt Miniſtri huius Sacramenti, ſed contrahentes. De vltimo tandem ait: *Iam vero naturales parentes, ſi quos eorum liberi principes magnatoſque offenderint, opem certe illis nullam afferre poſſunt, quum Sacerdotes, non*

principes, non reges, ſed ipſum Deum nobis infenſum concilient. Ita Chryſ. Ex his vides quam excellenter & facunde, de dignitate, autoritate, facultatibus muniis ac prærogatiuis ſacerdotij, Chryſoſthomus diſſeruerit: qua quidem ratione abſque negotio concipere poſſumus eminentem eſſe poteſtatem, quæ naturæ noſtræ collata fuit in humanitate Chriſti: quæ poteſtas, per quamdam extenſionem & participationem ac dependentiam, veluti exemplar & cauſa illius, in ſacerdotio noſtro reperitur, quo Chriſtus Dominus vult omnia Redemptoris officia exercere in hominibus, vtens ſacerdotibus tanquam Miniſtris & inſtrumentis idoneis ſuæ poteſtatis, vt per eorum Miniſterium fideles ad finem præſcriptum perducat.

Quomodo hæc autoritas humanitati Chriſti conueniat.
§. 3.

Fatentur Theologi in Chriſto magnam eſſe autoritatem concipiendam ac credendam. Caput eſt Eccleſiæ, ex S. Paulo Epheſ. 1. *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam.* Influit quippe in alia membra, iis virtutem & motum communicat; vt Deus, caput eſt inuiſibile cum Patre & Spiritu ſancto; vt homo, caput eſt viſibile; vt homo, membrum eſt capitis illius inuiſibilis; vt Deus homo, eſt tantum caput: cum nullum ab aliis membris ſed à Deo dumtaxat recipiat influxum; opus redemptionis perfecit per ſuam carnem: bene nos operamur miniſterio corporis cuius ſumus membra: noſtra ex meritis Chriſti corpora tandem reſurgent. Primariò caput eſt eorum qui ipſi actu vniuntur, ſiue per fidem ſiue per charitatem, ſiue per fruitionem patriæ: ſecundaria tamen ratione caput eſt eorum, qui ipſi tantùm vniuntur in potentia ſiue aliquando ſiue nunquam reducenda ad actum perfectum. Eſt etiam caput Angelorum ex S. Paulo Coloſſ. 2. quia caput eſt totius Eccleſiæ, quæ coaleſcit ex hominibus & Angelis, vt pote quæ ſit vna multitudo ordinata in vnum finem, ſecundum diuerſos actus & officia, & ab eo Angeli ſpiritualem quemdam influxum accipiunt, reuelationes ſcilicet quaſdam & illuminationes.

Rurſus hæc Chriſti autoritas patet quia ſacerdos eſt ac Rex: ſacerdos, inquam, quia ſe obtulit in ara crucis, quotidie ſe offert ſub ſpeciebus panis, & in ſacrificio altaris eſt primarius offerens: quod ſacerdotium excellenti quadam ratione obtinet, nec enim ſucceſſione, aut vnctione olei materialis, ſed ex vnione verbi qua humanitas illius fuit delibata oleo diuinitatis, & per poteſtatem excellentiæ quam exinde accepit & offerre ſacrificium, & Eccleſiam inſtituere, & Sacramenta ad ſalutem neceſſaria, & leges condere, pro bono animarum varias gratias conferre, vicarios conſtituere ad regendam ſpiritualiter Eccleſiam modis ab eo præſcriptis. Potuit & hac ratione legiſlatoris ac ſacerdotis munus obire: Rex inquam, propter excellentiam vnionis hypoſtaticæ: licet enim ea poteſtate vſus non fuerit, habuit tamen in actu primo regiam poteſtatem in omnes res mundi, vnde dicebat omnem ſibi datam eſſe poteſtatem in cælo & in terra, ac ſi diceret temporalem æquè ac ſpiritalem, vnde potuit & Angelis & hominibus præcipere quidquid voluiſſet, pro regimine temporali aut politico vniuerſi.

Deinde hæc Chriſti poteſtas elucet quia verus eſt Mediator. Patri nos reconciliauit, pro nobis orauit & ſatisfecit, & conditiones pacis ſtabiliendæ & conſeruandæ vtrobique propoſuit. Denique conſtitutus eſt Rex viuorum & mortuorum; *Nec enim Pater iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium ſicut & honorificant Patrem.* In his potiſſimum conſiſtit autoritas & poteſtas Chriſti.

Ad huius autem autoritatis manifeſtationem & exercitium peruenit per ſummam ſui abiectionem & humiliationem, & obedientiam Patri exhibitam, iuxta illud Apoſtoli: *Chriſtus factus eſt pro nobis obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen: vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum*, &c. Chriſtus enim, vt homo, fuit ſubditus Patri: erat enim humanitas illius creatura inferior creatore, ſecundum quod tenebatur creatoris præcepto obtemperare, vt ſeruus qui ſub alterius eſt poteſtate & dominio: qua poteſtate & quo dominio vſus eſt Pater, cum voluit Chriſtum & pati & mori per crucem. Fuit etiam ſubditus legi naturali, quia tenebatur amare Deum, eum colere & proximum diligere, non mentiri, non furari &c. Non fuit autem ſubditus legi poſitiuæ, tum diuinæ: ſiue veteri, quia erat pro filiis Iſraël viâ ordinariâ ab Abrahamo deſcendentibus; tum nouæ, quia eam ipſe inſtituit; tum humanæ, quia cum Chriſtus habuerit perfectum dominium ſupra omnes homines, non poterat ab illis, magis quàm Rex à ſubditis obligari. Fuit denique ſubditus quibuſdam defectibus corporis: potuit eſurire, ſitire, fatigari, varios pati dolores, mori: non tamen omnibus, vnde nullam deformitatem habuit; nullum morbum ex mala complexione, aut imprudentia victus, aut ex actionibus ſuis prodeuntem contraxit; neque etiam incurrere in morbum ex cæli intemperie, quia optimè ſciebat corpus gubernare, contra hæc aliaque agentia extrinſeca. Quæ omnia notanda ſunt hic, vt faciliùs intelligamus quomodo voluit ſub ſymbolo mortis, quæ infirmitatem redolet, tantam auctoritatem nobis repreſentare, vt mox videbimus.

Ad huius autoritatis participationem Chriſtus ſacerdotes euexit, ea lege ac conditione, vt per participationem ſuarum infirmitatum ad tantum apicem peruenirent. Mors enim imminet cuilibet, qui Chriſtum ſequi quocumque ierit in animam ſuam induxerit, nec eius poteſtati quis participare poterit, qui eius infirmitati non fuerit particeps: & ideo ecce horrendum ſchema Chriſti, ſub ſpecie mortis apparentis, nobis intuendum proponitur.

Audiui vocem quarti animalis dicentis: Veni & vide: Et ecce equus pallidus: & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi: Mors.

Per ideam mortis, ſumma Chriſti autoritas, Eccleſiæ communicata, deſignatur.

ANNOTAT. III.

Idea ſymboli. §. 1.

VIDESNE portentum horrorem & timorem incutiens? Nihil aliud proculdubio videtur præſagire quàm cædes, & interneciones. Macilentus equus eſt, oſſibus tantum ac neruis ac pelle conſtans, vt ſeſſori conueniat, qui deuorat carnes & in puluerem redigit corpora. Huius enim equi ſeſſor nomen mortis ſibi vendicat: cui in votis eſſe videtur equum ad extremum adigere, & quidquid ei occurrerit morti addicere, & in infernum ſequentem ſe, detrudere: *Data* quippe *eſt illi poteſtas ſuper quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & beſtiis terræ.* Non mirum igitur ſi equus pallidi eſt coloris, cum pauorem mortis mentibus incutiat, & hoc colore, morbidis proprio, corpora afficiat.

Nihil

Nihil niſi funeſtum certè eſſet expectandum, niſi eadem voce græcâ, quæ pallidum ſonat, quamdam ſpem concipere liceret, cum etiam viriditatem ſignificet. χλωρὸς quippe, vt notant quidam interpretes, viridem colorem herbarum ſignificat. Sed præcipue hæc ſpes concipitur, cum audio vocem 4. animalis, nempe Aquilæ, quæ quibuſdam fuit imperij ac regni felix fauſtumque ſignum. Eximium igitur & excelſum quid ſuſpicor, cum aquilam auium reginam clamantem animaduerto; nempe ſummam quamdam dignitatem in fideli Chriſtiano, ſuper quem Chriſtus inſidet, reperiendam eſſe per mortem comparandam. *Huic quippe vni Aliti*, inquit Pierius lib. 19. de aquila; *etatum, & auſpicum omnium conſenſu, id honoris datum, vt magnarum rerum proſperi ſemper euentus ſignificatione auſpicia faceret, Buteonem, Sangualim, Immuſculum, ac vultu rem longe anteiret, reliquarum vero volucrum oſtenta, quæcumque oblata eſſent, interuentu ſuo aboleret, neque per aërios tractus omnes, vlli cederet quam fulmini.* Hæc Pierius. Non abſurdè igitur, licèt ideam quamdam horrendam intueamur, nobis ab aquila quid fauſtum expectandum eſſe & augurandum aſſerimus.

In fideli igitur Chriſtiano autoritatem Chriſti adumbrari dicimus: primò paſſiuè, quia nulla meliori ratione quanta ſit autoritas regis alicuius perpenditur, quàm cum ei omnimoda præſtatur obedientia & ſubiectio à ſibi ſubditis. Itaque cum Paſtoribus tanquam populi capitibus, ſacerdotibus autoritate regia vtentibus, tanquam legiſlatoribus, veluti quibuſdam inter Deum, & homines Mediatoribus, denique iudicibus obtemperatur, dicto paretur ſeu obeditur, vt Chriſti Domini perſonam gerentibus, etiamſi exinde mori contingat, proculdubio quanta ſit autoritas Chriſti Domini, & qua poteſtate emineat ſupra cuncta in eo humana natura, optimè & clarè perſpicitur. Secundò adumbratur actiuè, propter poteſtatem vitæ & necis, quam Chriſtus in omnes, & (autoritate Chriſti) Eccleſiæ Paſtores habent ſupra cæteros fideles.

Et ecce equus pallidus: & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi: Mors.

Qua ratione hæc autoritas, ſub tam horrenda figura, repreſentatur. §. 2.

Duplex eſt, inquit S. Dionyſ. l. de cæleſti Hierarchia c. 2. *ſacroſanctæ expreſſionis genus: vnum ſicut eſt conſentaneum, quod ex ſimilibus ſacre fictis imaginibus progreditur; alterum quod ex diſſimilibus formarum lineamentis ad aliud omnino diſſentaneum, & diſſimile effingitur.* Hæc Dionyſ. Primum genus expreſſionis ſeruaſſe videtur S. Ioannes, cum in primo equo ſedentem, gloriosè coronatum, & arcum in manu protendentem repreſentat. At cum hîc nihil niſi funeſtum ac horrendum proponit, & nihilominus per illud aliquod eximium & præcellens ſignificari cenſemus, altero expreſſionis genere vti æquum eſt aſſerere. Igitur ſicut ſcripturæ honeſtioribus formis ac imaginibus vti videntur, ad exprimendam diuinitatem, cum eam Verbum, mentem, & eſſentiam dicunt, vel ſubſiſtentiam, ſubſiſtentiæ cauſam veram, lumen, vitam appellant, ita dico, quòd cum Chriſto tribuit S. Ioannes coronas & arcum, & eum tanquam victorem depingit, videtur honeſtioribus & conſentaneis vti formis & imaginibus; at cum ſcripturæ eamdem diuinitatem exprimunt per negationes, vt cum eam vocant inuiſibilem, immenſam, incomprehenſibilem, diſſimilibus interpretationibus quæ negant videntur vti: ſic cum S. Ioannes hîc Chriſtum, qui vita eſt mortem appellat, videtur diſſentaneo ſymbolo nobis Chriſti virtutem adumbrare.

Præfert autem S. Dion. hanc ſecundam rationem exprimendi res diuinas, primæ: quæ per ſimiles & conſentaneas imagines & per affirmationes progreditur. *Quod ſi*, inquit, *negationes in diuinis rebus vere ſunt, affirmationes vero non conueniunt ineffabilium obſcuritati, certè accommodatior aptiorque eſt in rebus quæ ſub adſpectum non cadunt, ex diſſimilibus imaginibus ducta expreſſio.* Ita Dionyſ. Hoc probat cum poſtea docet *quòd decipi facile poſſemus, cum formæ & imagines, quæ ad exprimendas res diuinas vſurpantur, pulchræ ſunt ac decentes; & exiſtimare v. g. naturas cæleſtes aureas eſſe, & homines quoſdam luce perfuſos, fulgentes, veſte collucente ac ſplendida indutos. Illæ ſiquidem formæ videntur decentes & honeſtæ nec à rebus cæleſtibus alienæ: at cum res diuina ſub diſſimilibus formis proponuntur, difficilius decipi poſſumus. Mens enim refugit exiſtimare res altiſſimas talibus figuris eſſe ſimiles: & ideo in iis aliquid ipſis rebus conſentaneũ adinuenire conatur.* Vtile ſubdit quod ne iis accideret, *qui nihil iis quæ pulchra apparent in cælo ſublimius excelſiuſque intellexerunt, ſanctorum Theologorum ad ſuperiora pertinens ſapientia, etiam ad obſcuras diſſimilitudines rite deducitur; quæ nec corpus noſtrum in deformibus ſimulacris conquieſcere patitur, & animi noſtri partem, quæ ſurſum fertur, excitat: & compoſitionum deformitate ſtimulos ſubdit: quaſi neque fas neque verum iis etiam, qui rebus corporeis dediti ſunt, eſſe videntur cæleſtes diuinaſque naturas reuera ſimiles eſſe rebus tam deformibus, præſertim cum hoc intelligendum ſit, nihil eſſe in rerum natura quod omni ex parte boni ſit expers, &c.* Hæc Dionyſ.

Has ſimilitudines cum rebus inuiſibilibus & diuinis, vocat Dionyſ. diſſimiles: quia alio modo ex reperiuntur in rebus ſpiritualibus, quam ſint in rebus ſenſum mouentibus; alio quippe modo ira eſt in animalibus ratione expertibus, nempe cum affectione, & quadam amentia: alio modo in rebus quæ mentis ſunt participes, nempe pro ratione viro digna, ſtatum quemdam volubilitatis mutationiſque expertem, in diuinis illis immobilibuſque ſedibus conſeruat. Non mirum igitur exiſtimare debemus, ſi diuinitatem ſcripturæ ſacræ ſub rerum corporearum ſimilitudinibus exprimerę audeant, cum eam laudant vt ſolem iuſtitiæ, vt ſtellam matutinam, vt lumen, vt ignem ſine incommodo illuſtrantem, vt aquam, vt vnguentum odoriferum; quin etiam cum beſtiarum figuram ei adhibent, vt Leonis & pantheræ proprietatem; adde etiam cum Dionyſio, id quod & omnium viliſſimum eſſe & magis abſurdum videtur, vermis ſpeciem ei affingunt; ſi ſanctus Ioannes ſub mortis horrendæ ænigmate, vitæ qui Chriſtus eſt virtutem nobis adumbrare voluerit. Sic enim ait S. Dionyſ. *Omnes qui diuinâ ſapientiâ præditi ſunt, & occultæ inſpirationis interpretes à rebus minus perfectis & prophanis ſancta ſanctorum ſine vlla macula contagione ſecernunt, rationemque ſimulachrorum effingendorum ex rebus diſſimilibus probant & prædicant; vt nec à prophanis diuinæ res facilè accipiantur, nec ij qui ſacra ſimulachra ſtudioſè ſpectant, in his talibus lineamentis vt veris immorentur, vtque rebus diuinis, & ex veris negationibus atque ex diuerſis ab extremis propriorum veſtigiorum ſimilitudinibus, honor tribuatur.* Ita Dionyſ. Non igitur in his mortis lineamentis immoremur, ſed quid ſub tam horrida facie poſſimus intelligere exquiramus. Nam licèt mors appareat omnia deuaſtans, licèt infernus appareat cuncta deuorare appetens, exinde tamen, & vita & honor, & gloria nobis expectanda ſunt. Primò, quia par eſt hunc equitem in bonam partem accipere, ſicut tres priores equites in bonam partem interpretati ſumus, vt conuenirent cum apertionibus trium

ſigillorum. Ordinis ergo rectitudo cogit vt & iſtum in bonam partem accipiamus. Ita Ambr. Secundo quia non alienum eſt à ſacræ ſcripturæ loquendi conſuetudine, ſi Chriſtum per mortem intelligamus. Vnde idem Ambroſius: *Seſſor huius equi Dominus eſt, qui in prophetis ſuis inhabitauit. Sed valde durum videtur quod nomen mortis habuiſſe dicitur, ipſe enim vita eſt omnium electorum ſuorum, ſicut ipſe dicit: Ego ſum vita. Sed ſi diligenter ſcripturas diuinas inſpexerimus, inuenietis Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum etiam mortem vocari. Nam ſicut vita eſt omnium electorum, quibus quotidie vitam æternam largitur, ita & mors dici poteſt reproborum, quos pro ſceleribus ſuis quotidie morti tradit perpetuæ, ipſe enim habet poteſtatem animam & corpus perdere in gehennam.* Ita Ambr. Alias poſtea adducemus rationes, cur nomen mortis Chriſto Domino conueniat. Tertiam hîc in medium affero, cur ſub hoc portento aliquid glorioſum intelligamus, nempe quia aquila eſt quæ vocat S. Ioannem vt veniat & videat. At eam diximus rerum proſperitatem deſignare, vt latè Pierius Hiero. l. 19. *Nimirum*, inquit, *autem illud in aquila, præcipua admiratione dignum eſt, quod vna omnium animantium idem apud gentes nationeſque omnes, ſemper indicat: cum plæraque alia, ita vel populorum vel gentium certarum propria fuerint, vt quanta huic, vel illi feliciora portenderent, infauſta aliis & arumnoſa magis miniſtarentur: quæ locis quaque ſuis toto opere commoſtrantur. Verum aquila cui non ſemper proſpera felixque fuit? Quæ bella vnquam hominum memoria depugnata ſunt, in quibus illa fuerit otioſa? Siue quis Aſſyriorum, ſiue Medorum, ſiue Perſarum hiſtorias percurrat, ſiue Græcorum atque Macedonum monumenta reſque præclare geſtas memorauerit, ſiue ſublimem felicitatis apicem ad nuretur, apud hos autem quid vnquam aquila frequentius? Quid honoratius? Quid vnquam ſacratius fuit?* Hæc Pierius.

At dices c. 8. huius Prophetiæ auditur aquila dicens voce magna: *Væ, Væ, Væ, habitantibus in terra*, &c. Ergo non ſemper aquila fauſta promittit. Reſpondeo maledictiones iſtas habitantibus in terra, id eſt, peccatoribus obſtinatis, & in malo obduratis prædici. At quæ peccatoribus ſunt funeſta, iuſtis ac electis ſunt glorioſa, lætantur enim iuſti cum vident vindictam, & lauant manus in ſanguine peccatorum. Vnde Andreas Cæſar. per iſtam aquilam hîc vult ſignificari clades à Deo immiſſas, vt iuſtos vlciſcatur, & impij per clades iſtas excitati, à ſceleribus reſipiſcant: quod quidem felix fauſtumque eſt, nempe ſi iuſtorum mors debitis pœnis à manibus impiorum exquiratur, & impij tandem ad Deum conuertantur. *Quarum animal*, inquit Andreas, *eſt aquila: quæ vbi perſpicacibus oculis prædam deſpectauit, magna ſtatim celeritate è ſublimi ad illam deuolat. Significat autem hæc clades plagaſque omnes non aliunde venire quam è ſupernis. Deus namque iuſta ira & indignatione prouocatus, immittit illas, partim quidem vt iuſtos vlciſcatur, partim etiam vt impios, niſi forte per eas excitati à ſceleribus reſipiſcant, puniat atque affligat.* Hæc Andr. Igitur cum hic agendum ſit de ſumma illa Chriſti poteſtate & regia autoritate, qua ſuos è faucibus inferni & poteſtate dæmonis eruere debet, Aquila proponitur, quæ nos ad tantum myſterium ſpeculandum altâ voce prouocat. Et optimâ quidem ratione.

Et primo: Aquila aliarum auium prædam & ipſa prædatur; Chriſtus nos eripuit è faucibus inferni, qui homines vt optatiſſimam prædam vſque huc deglutierat.

Diaconum & ſerpentum aquila eſt inimica: cum diabolo & peccato ſemper Chriſtus bellum gerit, & à facie peccati, ſicut à facie colubri, fugiendum eſſe docet, vt diaboli aſtutias eludat & peccati malitiam exterminet. Aquila, vt aiunt, renouatur: cum roſtrum aduncum ob nimiam curuitatem ex vetuſtate contractam, ad diſcerpendam eſcam importunam, duriſſimæ cauti perfricando conterit & exacuit; renouamur & nos ſi malos habitus contraximus ex longa peccandi conſuetudine, ſi ad petram ſemel & cor & os & manus appoſuerimus, vt nihil cogitare, nihil loqui, nihil agere valeamus, quod eius ſanctitati non ſit conforme, eius ſummam poteſtatem pertimeſcentes, qua eos conterit & comminuit, qui ei audent contradicere. Vnde eum nobis aquila proponit contemplandum, vt timore tantæ poteſtatis perculſi, ad renouationem, per iuſtificationem ad ſui ſimilitudinem, excitemur. Aquila à longe proſpicit prædam, & in alto volans æthere, piſces in gurgitibus maris & profundis aquarum immerſos & abſconſos intuetur, ad quos pernici ac percito volatu rapiendos ab alto deſcendit; Chriſtus in alto poſitus peccatores in profundo peccatorum demerſos benigne intuetur, vt eos clementer eripiat è tam periculoſo ſtatu. Nobis autem aquilarum oculis opus eſt, vt tam abſtruſa myſteria ſub his deformibus figuris adumbrata contemplari valeamus. Denotat igitur aquila clamans, ad fidem nobis eſſe recurrendum, vt hæc myſteria in altiſſimo ſapientiæ diuinæ vortice abſconſa, & ſub tam horrendis figuris propoſita percipere poſſimus. Rurſus Aquila, prædæ & cædi aliarum auium aſſueta, nos admonet aditum ad vitam non patere, niſi per ſanguinis effuſionem, quin & *vbi fuerit corpus, ibi congregantur & aquila.* Igitur ad Chriſtum mortuum nos conuolare aquila prouocat, ſi illius vitæ cupimus eſſe participes, ſi enim compatimur & commoriamur cum Chriſto, cum ipſo reſurgemus & conglorificabimur.

Denique, ſicut diximus ſedem Alexandrinam ſignificari per Leonem, ex eo quod diuinitatis filij Dei fides per hanc ſedem ſtabilita & propugnata fuit; ſedem Antiochenam ſignificari per bouem, ex eo quod ſacerdotij Chriſti gloria & dignitas in ea ſede enituit; ſedem Hieroſolymitanam ſignificari per hominis figuram, ex eo quod aſſumptionem naturæ humanæ à verbo, per hanc ſedem cognoſcere valemus; ita dicimus nunc per aquilam ſignificari ſedem Romanam quia huic ſedi potiſſimùm incumbit, vt regia Chriſti poteſtas ac maieſtas per eam mundo innoteſcat. Habet Chriſtus omnem in cælo & in terra poteſtatem: Rex eſt & Legifer noſter: habet claues mortis & inferni: Eccleſiam militantem & inſtituit & regit, cuius caput eſt immediatum ac præcipuum. Tantæ poteſtatis exercitium poſſidet mediante Romanâ ſede, cuius miniſterio vtitur vt ſe Regem Regum, & Dominum Dominantium eſſe omnes agnoſcant. Nonne igitur aquilæ ſchemate hæc ſedes deſignari debuit, cui ſedi data eſt plenitudo poteſtatis ad totum regimen Eccleſiæ? Quod ſi aquila altiùs volat, & fixis oculis ſolis intuetur ſplendorem, hæc tandem illa ſedes cæteris præeminet, & in ſole habitat, quia nullo vnquam errore obtenebrata fuit, adeo fixis ſemper veritatem intuetur oculis.

Exinde videre licet huius autoritatis originem plane eſſe diuinam; nec enim ſumitur ab excellentia naturæ, in qua omnes homines conueniunt, nullâ inter eos interueniente differentiâ ſpecificâ, quin & deceptus eſt primus Angelus à proprio amore, cum ſupremum autoritatis gradum ſibi arrogare præſumpſit, ea ratione ductus quòd excellentiorem hominibus poſſideret naturam. Hæc quippe autoritas pendet omnino ab arbitrio, & voluntate conditoris, qui prout vult eleuat, & *ſuſcitat de puluere egenum, vt ſedeat cum principibus & ſolium gloriæ*

Digitized by Google

teneat. At hoc myſterium eſt, & abſque fide incredibile. Deus ſiquidem admirando vtitur medio, & quodammodo contrario huic intentioni, & quod nihil minus quàm talem redoleat effectum, vt hoc opus perficiat. Nam cum animaduertet diuina ſapientia Angelorum omnium principem, ſuarum viarum initium, ſplendore natiuo tanquam lumine intentiori obcæcatum fuiſſe (pollebat ſiquidem rarâ & ſingulari perfectione, & decorabatur tanquam lapide vario, calculo candido ſeu adamante impaſſibilitatis, Margaritâ puritatis & ſimplicitatis ſuæ naturæ, Saphiro cognitionis rerum ſublimium, denique omni lapide virtutum & variarum perfectionum operiebatur, tanquam veſtimento, quibus dotibus præcellens captus fuit in oculis ſuis, & amore inordinato propriæ excellentiæ exarſit, in Dei autoris & largitoris horum bonorum contemptum: vnde appetiit quandam ſimilitudinem ſeu partitionem illius dominationis & autoritatis, quam Deus in creaturam Angelo ipſi inferiorem independenter exercet. *Aſcendam*, inquiebat ille ſuperbus, *& ſimilis ero altiſſimo*; non in naturâ ſed in dominatione. Ac ſi diceret: Æque ac ipſe in naturam omnem meæ naturæ inferiorem dominari volo.) Rurſus cum perſpiceret, quin & experta fuiſſet eadem Dei ſapientia hominem viribus eſſe imparem ad portandam tantæ autoritatis gloriam, quâ fuerat à Deo præuentus (cum diuini imperij particeps effectus omnia Deus ſubiecit ſub pedibus ſuis; vnde tantum honoris pondus ſuſtinere non valens, in exitialem culpam miſerabili caſu lapſus eſt: nam iugum excutiens in fide & ſubmiſſione autori debita minimè permanſit, imo potius mandatum infringere temerario auſu non dubitauit) tanto malo occurrere exiſtimauit diuina bonitas, ſi ampliorem ei tribuens dignitatem, ac maiorem autoritatem eidem impertiens, modum quemdam excogitaret quo poſſet in ordinem redigi, & qui arrogantiæ hominis mederetur, dum ſublimatus in ſupremo honoris apice, mortalem ſe & innumeris malis obnoxium experiretur. Cuius quidem honoris ac dignitatis pondus & excellentia, ac modi quo comparari debet admirabile inuentum clarius innoteſcent, ſi ideam Chriſtiani Chriſtum in ſua autoritate repreſentantis efformemus, & in hoc ſymbolo adumbrari optima ratione perſpectum habeamus, itaut eo reſerato, appareat myſterij ſub hoc ſigillo contenti magnitudo.

Et ecce equus Pallidus: & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi Mors.

Qui ſeſſor equi pallidi, & quibus de cauſis mortis figuram & nomen aſſumit? §. 3.

Si quæras quiſnam ſit ſeſſor huius equi, quidam voluerunt eſſe vel dæmonem, vel Anti-Chriſtum, vel Domitianum, vel Diocletianum, vel Traianum, vel Mahometem, aut quempiam Hereſiarcham. Ita cenſere videntur, qui vel cum Victorino, de malis venturis in ſupremis mundi temporibus intelligi volunt ſigillum quartum; vel cum Primaſio illud intelligunt de perpetua contra iuſtos diaboli pugna, per Gentiles, Hæreticos & Schiſmaticos & falſos fratres; vel cum Beda de Hæreticis, vel cum Dionyſ. Carthuſ. & Thoma Anglo de hypocritis, vel cum Haymone de vniuerſitate reproborum & eorum æterno ſupplicio: qui per quatuor partes terræ accipi ait quatuor genera reproborum, Paganorum, Iudæorum, hæreticorum, falſorum Chriſtianorum; interficere autem diabolum quatuor modis, gladio prauæ ſuggeſtionis, A fame ſubtractionis Verbi Dei & Sacramentorum, morte ſpirituali, & per beſtias, id eſt, homines ſæuitia efferatos; Vel cum Aureolo & Lyrano de perſecutione ſub Diocletiano; cum Ruperto, ſub Traiano; cum Andrea Cæſ. de perſecutione ſub Maximiano & Diocletiano. *Sed omnes hæ perſecutiones*, inquit Pererius, *iam fuerunt præfiguratæ in apertione ſecundi ſigilli*; qui Pererius cum Ioachimo Abbate, Seraphino Firmano, Cælio Pannonio, de Mahomete & peſtilentiſſima eius ſecta, intelligi vult hoc quartum ſigillum. Eius potiſſima ratio eſt: *Namſi*, inquit, *alia minoris momenti, minuſque memorabilia (quod ea pertinerent ad inſignem aliquam Eccleſiæ vel proſperitatem, vel aduerſitatem) manifeſtata ſunt Beato Ioanni, quanto eſt credibile procliuius prænonſtratam ei fuiſſe hanc Mahometis perſecutionem, quæ alias omnes ſuperiores quatuor modis ſuperauit, v. g. diuturnitate temporis, amplitudine imperij & potentiæ, atroci & implacabili odio in Chriſtianos, demum multitudine grauitateque cladium & calamitatum & malorum?* Hæc Pererius. Quæ ratio ſane vrgeret, niſi locum in hac prophetia commodiorem reperire poſſemus, in quo proculdubio de hac Mahometis perſecutione fieri mentionem exiſtimo. Imperium quippe Mahometicum inter capita Beſtiæ (quam ſymbolum eſſe dicimus omnium regnorum, quæ à promiſſione Meſſiæ vſque ad eius ſecundum aduentum Eccleſiam diuexabunt) reponendum eſſe cenſeo. Et hac de cauſa neceſſe non eſt vt hoc ſigillum de inſigni illa perſecutione intelligamus. Deinde, vt iam ex Ambroſio diximus, & rationibus probauimus, hic equus ſicut alij, debet in bonam partem accipi: & ideo,

Dico primò, ſeſſorem huius equi non eſſe aut Diabolum, aut Anti-Chriſtum, aut inſignem aliquem alium Eccleſiæ perſecutorem aut hoſtem. Fauet huic aſſertioni, quod qui de his intelligunt non ſibi inuicem conſentiunt, vt videre eſt ex adductis.

Dico ſecundo: Mortem hic non repreſentari per proſopopeiam ſeu perſonæ alicuius fictionem: etenim cum textus inter eum qui ſeder, & mortem, ponat differentiam, & tanquam de rebus diſtinctis loquatur de ſedente & morte, non videtur æquum eſſe dicere ſedentem ipſam eſſe mortem; ſedenti quippe datur poteſtas interficere gladio, fame & morte: ergo inter ſedentem & mortem ineſt quædam diſtinctio, ne impropriè loqui dicamus ſcripturam, cum mortem morte interficere diceret. Vocatur igitur hic ſeſſor, mors, non quod ſit ipſamet mors; ſed pluribus de cauſis quas mox adducemus; at per eum ipſam mortem, id eſt vitæ priuationem, intelligere non debemus: actio enim priuationi non competit.

Dico igitur tertio, ſeſſorem huius equi eſſe Chriſtum Dominum. *In omnibus ſeſſor Chriſtus*, inquit Ambroſ. *qui ſicut per fidem, per Charitatis ſpiritum, per legem Euangelicam in Eccleſia dominatur, ita per Paſtores Eccleſiæ in quibus reſidet, & qui perſonam eius gerunt, ipſam regit & gubernat.*

Dico quarto: Nomen mortis aut mentio inferni minimè impedit quominus ſeſſorem huius equi Chriſtum eſſe dicamus. Primo: Quia dilectio & charitas morti comparatur Cant. 8. & zelus inferno; *Fortis vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio.* Secundo Oſee c. 13. nomen mortis ſibi arrogat Chriſtus. *De manu*, inquit, *mortis liberabo eos, de morte reducam eos: ero mors tua ô mors! morſus tuus ero inferne.* Et rectè: nam vt ait S. Auguſtinus tract. 16. in Ioannem, *aſſumpſit ergo vita mortem, vt vita occideret mortem: nam, qui in me credit habet vitam æternam: non quod patet, ſed quod latet: vita enim æterna Verbum, &c.* Hæc Aug. Quia igitur per mortem, mortis imperium deſtruxit Chriſtus, licèt ſit vita, nomen ſibi

arrogat mortis. Tertio, Quia per mortem nomen ſibi acquiſiuit quod eſt ſuper omne nomen, & ſuæ poteſtatis excellentiam manifeſtauit. *Chriſtus* enim, inquit S. Paulus, *factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, &c.* Quarto: Quia peccatis & vitiis mori neceſſe eſt, vt eius vitæ ſimus participes, *Semper mortificationem Domini noſtri Ieſu Chriſti in corporibus noſtris circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in nobis.* Quinto: Quia mors corporalis etiam pro eo ſubeunda eſt, cum opus fuerit: *Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & conſurgent filij in parentes, & morte afficient, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* Marci 13. Itaut omnes Chriſtiani dicere queant: *Quoniam propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis.* Pſ. 43. Sexto: Quia prædicatoribus Euangelij, mors Chriſti potiſſimùm erat mundo annuncianda: *Nam quia*, ait Apoſtolus 1. ad Cor. c. 1. *in Dei ſapientia non cognouit mundus, per ſapientiam Deum: placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes.* Quænam autem ſit illa ſtultitia prædicationis, aperit & declarat c. 2. *Et ego cum veniſſem ad vos, veni non in ſublimitate ſermonis aut ſapientiæ, annuntians vobis teſtimonium Chriſti: non enim me iudicaui ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum, &c.* Denique propter incruentum ſacrificium altaris, in quo & mors Chriſti annunciatur, & Chriſtus in cibum, modo mortuo, nobis proponitur: ad quod quidem conficiendum Sacramentum ordinis inſtituitur: vnde dicimus in eius Sacramenti reſeratione magnum nobis myſterium aperiri, nempe excellentiam poteſtatis Chriſti, quę ſecundum plurimas ſuas circumſtantias, in poteſtate ſacerdotibus tradita potiſſimum manifeſtatur. Licet igitur Chriſtus ſit *reſurrectio & vita*, tamen quia vt S. Tho. ait ex D. Damaſceno, *Deus aſſumpſit quæ ſunt carnis idiomata, id eſt, proprietates, dum Deus paſſibilis nominatur, & Deus gloriæ crucifixus eſt*; Mortis nomen Chriſto tribuere licitum erit: naturæ remanent in ſuis proprietatibus impermixtæ. At Chriſtus vtraſque proprietates ſibi tribuit, vt mortalis dicatur ſecundum naturam humanam, qui ſecundam diuinam omnino eſt immortalis: & quia naturam mortalem aſſumpſit, qua & mortem deuicit, vitia extinxit, ad mortem patienter tolerandam nos prouocauit, & mirabili ratione nos redemit & ſanctificauit, tum pro nobis moriendo, tum nos corpore ſuo in myſterio Euchariſtiæ reficiendo, abſque vlla abſurditate mors nuncupatur ſeſſor huius equi, effectus nomen cauſæ tribuendo.

Dico quinto: Nec propterea quod infernus hunc ſeſſorem ſequitur, dicere debemus ipſum non eſſe Chriſtum, tum ex loco Canticorum ſuprà alligato, tum quia Chriſtus dicitur habere claues mortis & inferni, vt ſciamus ſua poteſtate alios à morte & inferno eruere; alios, nempe rebelles & contumaces, morti addicere, & ad infernum potenter detrudere.

Et qui ſedebat, nomen illi, Mors.

Quod Mors Chriſti conuenientiſſimum fuit medium, quo ſumma Chriſti poteſtas eluceret & manifeſtaretur, per præcipuos illius effectus. §. 4.

Cum tottamque præclari ſint effectus poteſtatis excellentiæ, quæ Chriſti humanitati collata fuit, vt, verbi gratia, quod caput ſit Angelorum & hominum, poteſtatem habeat in cælo & in terra, habeat regale ſacerdotium, ſit ſummus Rex & Sacerdos, Legiſlator, Mediator, Iudex, Eccleſiæ fundator, antiquæ legis abrogator, nouæ conditor, quæ in æternum permaneat nulli mutationi obnoxia, vt potè quæ (quod non valebat lex antiqua) omnia ad perfectum adducit; hinc ſanctificat, corroborat, gratias tum gratum facientes, tum gratuitas confert, vnde efficit ſanctos Martyres, Prophetas, & vnicuique varia dona diſtribuit prout vult; mirum proculdubio eſt nec facile credendum cunctos illos effectus poſſe intelligi ſub nomine mortis, vel ſub poteſtate interficiendi per quatuor partes terra, gladio, fame, morte ac beſtiis. Attamen qua ratione hæc poſſunt ſub hoc ſchemate intelligi, Deo dante & Spiritu ſancto adſpirante, exquiramus.

Hi effectus poteſtatis Chriſti duos habent reſpectus: primus eſt, quod ad Dei honorem & gloriam ordinentur; ſecundus quod per eos redimi, ſanctificari, & perfici in Dei gratia valeamus. Si primo modo ſpectentur, ecce quomodo optime per mortem deſignari poſſunt.

Cum creatura rationalis, optime Lector, Deum tanquam ſuum principium agnoſcit, à quo abſolutè dependet, à quo procedunt omnia quæ poſſidet, vnde ſe ad eum colendum, venerandum, diligendum, laudandum ſtrictiſſimè obligatam fatetur, eo modo nempe qui fuerit à Deo ipſo ſibi præſcriptus, qui ſolus nouit qua ratione colendus ſit (vt honor debitus à creatura ſibi reddatur, ſuoque muneri ipſa ſatisfaciat) qui ſolus ſcit quænam actiones illi potiſſimum gratæ ſint & acceptabiles, vnde eas ipſe præcipere ac præſcribere voluit, vt quantum creaturæ licet, ab ea honorificetur; Cumque inſuper ea fideliter exequendo, ad eum tanquam ad vltimum finem totis votis adſpirat, & cuncta creata ſpernendo, nihilque eius dilectioni anteponendo ei adhærere conatur; Tunc dicere poſſumus hominem, quantum in ſe eſt, Deum debito modo colere ac venerari, eique ſacrificium acceptabile in odorem ſuauitatis offerre, de quo tanquam de holocauſto Noe Geneſ. 8. dicit poſſit: *Odoratuſque eſt Dominus odorem ſuauitatis. Neque* enim, vt ait Theodoretus ſer. 7. de ſacrificiis, *ſatis eſt ſi Deum nobis beneficia conferentem ſolum laudibus veneremur, ſed præterea nos docet eam viam incedere cuius finis vera eſt ſalus.* Ita Theodor. Qualis nempe eſt illa via, qua Deus, vt vult & præcipit, à nobis colitur. Tale autem ſacrificium ex S. Thom. 2. 2. q. 85. ar. 2. duplex eſt, vnum internum, cum anima ſeipſam offert Deo tanquam principio & autori ſuæ creationis (veriſſimum quippe eſt Deum ſolum eſſe animarum noſtrarum creatorem) & tanquam fini vltimo ſuæ beatitudinis: æque enim verum eſt in eo ſolo noſtram conſiſtere beatitudinem. Ad hoc internum ſacrificium tanquam primarium ac præcipuum cuncti tenentur. *Omnes ſiquidem*, inquit S. Tho. ar. 4. *Deo cor deuotum offerre debent, hoc eſt ad ei obediendum paratiſſimum, & ad eum ſumme venerandum promptiſſimum.* Aliud ſacrificium eſt externum, quod quidem nihil eſt aliud quam quoddam æternum ſignum, quo exterius proteſtamur noſtram erga Deum ſubiectionem, illius nomitis cultum & venerationem, ſingularem dilectionem, qua eam in corde interius proſequimur. Et ſicut illi ſoli hic ſupremus honor & cultus debetur, nec alteri eius gloria tribuenda eſt; ſic nulli alteri talia ſigna honoris & cultus externa adhibentur. Inſuper hæc ſigna externa duplicia ſunt. Primo: Quia aliarum virtutum, quæ aliæ ſunt à virtute religionis, actus vſurpamus, vt Deo honorem exhibeamus: ſiue hi actus ſub præcepto cadant, ſiue ſint, vt aiunt, ſupererogationis, ad quos eliciendos nullo aſtringamur præcepto. Ad primos actus cuncti obligantur, ad ſecundos non omnes alligantur, ſed qui eos elicit multam benedictionem ſibi conciliat, & Deum omnium bonorum Remunerato-

Digitized by Google

rem peculiari ratione ſibi debitorem conſtituit, qui iiſdem actibus copioſam repromiſit mercedem. Secundò, quia alia ſunt ſigna externa, quę aſſumuntur ad hunc finem præcisè, vt detur publica quædam proteſtatio illius ſubiectionis, quæ Deo debetur: quæ quidem ſigna adhuc quamdam patiuntur diuerſitatem. Alia enim ſunt legis veteris ſigna, alia legis nouæ, alia legis naturæ vtraſque præcuntis.

His præſuppoſitis dico, quòd ſi mortales innocentiæ ſtatum in ſuo ſplendore conſeruaſſent, internum ſacrificium cum quodam ſigno externo, pro illo ſtatu tantæ rei idoneo, ad libitum adhibito, ſufficiens fuiſſet vt hæc proteſtatio externa perficeretur; nec cæde animalium vllo modo opus fuiſſet, vt Deo honor debitus redderetur: Et quia eorum deuotio fuiſſet ſincera, Deus gratum habuiſſet quodcumque ſignum externum, illudque pro debito cultu, ac debita proteſtatione acceptaſſet. Huius generis proteſtationis, & manifeſti cultus, videtur Adam vſurum fuiſſe, ſi abſtinuiſſet à fructu ligni ſcientiæ boni & mali; hæcque abſtinentia fuiſſet veluti quoddam ſacrificium Adæ. Nam cùm videretur fructus ille pulcher viſu, & ad ædendum ſuauis, & tamen Adam eo vti nec vellet nec auderet, proteſtando publice ſe tali abſtinentia vti, ne Dei præceptum infringeret; tàli proteſtatione manifeſtauiſſet ſe Deum agnoſcere tanquam omnium bonorum fontem & originem, & à quo haberet quidquid poſſidebat cum tanta felicitate & quiete, nec non agnoſcere Deo nihil eſſe præferendum, vt pote qui ſua bonitate, pulchritudine, Majeſtate, cuncta creata à longe ſuperaret: vnde ab eo nullo modo auerti aut detrahi vellet, eum pro vltimo fine ſibi conſtituens. Talia ſacrificia pro tunc videntur fuiſſe ſufficientia, vt Deus ab hominibus debito modo coleretur.

At nunc præcepto diuino infracto, peccato perpetrato, Deo ad iram prouocato, ſpoliatiſque nobis, per peccatum originale, omnibus inſtrumentis ac mediis deuotionis interioris, fide perdita, ſpe ſublata, Charitate extincta, meritò in dubium reuocari poteſt, an hi actus honoris & cultus cum ſyncera deuotione eliciantur, corde humano peruerſitate nimia à Deo auerſo, & multis mutationibus obnoxio, vt quod modo probat, cito reiiciat, alios modos colendi Deum adhibere debemus: aliæque ſunt rationes ineundæ illum venerandi; & tales eſſe debent vt de noſtro aliquid expendamus; & quid oneroſius & ingratius contineant, quàm aliæ, quas adhibuiſſemus in ſtatu innocentiæ, rationes continuiſſent. Ad hoc explanandum hac vtimur ſimilitudine. Abſque vlla difficultate, aliquis pater benignus, filij ſibi obſequentis & ipſum reuerentis, in ſignum poteſtationis reuerentiæ ſibi debitæ, leuiuſculum reuerentiæ ſignum acceptabit, pilei è capite depoſitio protraſtioni prono capite in terram coæquabitur. At ſi ſeruus aut captiuus poſt inſignes offenſas erga patrem-familias, poſt internecionem hæredis, dilapidationem bonorum fidelitati ſuæ commiſſorum, nimiam contumaciam, honoris ac nominis ſui contemptum, hoc ſimplici reuerentiæ ſigno depoſitionis pilei vtendum ſibi, vt ſufficienti ſigno reuerentiæ, exiſtimaret, & ſe ſuo munere functum fuiſſe arbitraretur, proculdubio falleretur; & ſtulta ac indecenti temeritate, iram Patris-familias potius exacerbaret, quàm pœnas debitas à ſe auerteret. Pari ratione, ſi in ſtatu in quo ſumus poſt peccatum originale, ſigno leuiuſculo vteremur ad proteſtandum internum Dei cultum, impudenter nos agere potiùs quàm piè putaremur. Ideo oportet vt quidam modus Deum colendi adhibeatur, qui aliquid graue ac oneroſum contineat; qualis eſt cum vel bona noſtra temporalia Deo offerimus, vel aliquid corpori ac ſenſibus graue exercemus, vel etiam cum vitam & ſanguinem pro Dei honore libenter expendimus: Sed quia nullius eſſent valoris exſe, nec à Deo acceptari potuiſſent (*impiorum enim dona non probat Altiſſimus*) ideo oportuit primò, vt mors Chriſti intercederet, qua in gratiam Dei redueremur, & grata & accepta illi eſſent noſtra ſacrificia: vnde ſeipſum obtulit in ara crucis, vt per eius meritum Deo reconciliaremur, & noſtra poſtmodum ſacrificia Deus acceptaret. *Indiget quippe homo*, vt ait S. Thom. 22. q. 22. art. 2. *ſacrificio propter tria, Vno quidem modo ad remiſſionem peccati, per quod à Deo auertitur; & ideo Apoſtolus dicit ad Hebr. 5. quod ad ſacerdotem pertinet, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis. Secundo, vt homo in ſtatu gratiæ conſeruetur ſemper Deo inhærens, in quo eius pax & ſalus conſiſtit; Vnde & in Veteri lege, immolabatur hoſtia pacifica pro offerentium ſalute, vt habetur Leuit. 3. Tertio, ad hoc quod ſpiritus hominis perfectè Deo Vniatur, quod maximè erit in gloria: Vnde & in Veteri lege offerebatur holocauſtum, quaſi totum incenſum, vt dicitur Leuit. 1. Hæc autem per humanitatem Chriſti nobis prouenerunt: nam primò quidem noſtra peccata deleta ſunt, ſecundum illud Rom. 4. Traditus eſt propter delicta noſtra. Secundò gratiam nos ſaluantem per ipſum accepimus, ſecundum illud Heb. 5. Factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ. Tertiò, per ipſum perfectionem gloriæ adepti ſumus, Heb. 10. Habemus fiduciam per ſanguinem eius in introitu ſanctorum, ſcilicet in gloriam cæleſtem. Et ideo ipſe Chriſtus, in quantum homo, non ſolum fuit ſacerdos ſed etiam Hoſtia perfecta, ſimul exiſtens Hoſtia pro peccato, & Hoſtia pacifica, & Holocauſtum.* Hæc S. Thom. Triplici hac ratione Deus perfectè colitur, quæ cum non perficiantur niſi per mortem Chriſti, vides, optime Lector, eius mortem eſſe cauſam, ſeu medium à Deo aſſumptum, quo poſſimus hanc gratiam conſequi, qua Deo, quantum in nobis eſt, honorem debitum exhibere valeamus. Et cum ad hoc præſtandum Chriſti potentia ſit neceſſaria (quis enim per mortem talia & tanta poſſet efficere niſi eſſet ſummè potens?) quid mirum ſi per mortis figuram, quæ tantæ poteſtatis eſt inſtrumentum à Deo aſſumptum, huius potentiæ volumus deſignare virtutem? O verè ingens crucis & mortis Chriſti potentia, qua omni peccati maculâ abluimur, & peccata noſtra in abyſſum miſericordiarum Dei projiciuntur in æternum oblitteranda! *Verè ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſeipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo Viuenti.* Heb. 9. *Equidem omnes*, vt ait Apoſtolus, *peccauerunt, & egent gloriâ Dei.* Rom. 3. Vnde à pœnis, quibus erant plectendi, propter ingentia ac innumera delicta, abſque eius benignitate erui non poſſent. At ecce Chriſti virtus, & mira mortis eius efficacia: per eam enim iuſtificati à pœnis omnibus eruimur, & hoc gratis, vt Dei gloria magis ac magis eluceat. *Iuſtificati gratis*, inquit Apoſtolus ibidem, *per gratiâ ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum, in ſuſtentatione Dei, ad oſtenſionem iuſtitiæ eius in hoc tempore, vt ſit ipſe juſtus, & juſtificans eum qui eſt ex fide Ieſu Chriſti.* Rom. 3. Ablatâ igitur omni maculâ, & ad rigorem iuſtitiæ ſatisfactione Deo oblatâ, per Chriſtum reconciliamur Deo perfectiſſimè, vt in viis iuſtitiæ ambulemus, & in gratia illius perſeueremus inceſſanter. *Conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ.* Heb. 5. *Accedamus ergo*, vt ipſe ait c. 10. *cum vero corde, in*

Digitized by Google

plenitudine fidei : aſperſi corda à conſcientia mala, & ablati corpus aquâ mundâ, teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem. Sic tandem habebimus fiduciam in introitu ſanctorum, in ſanguine Chriſti, vt ipſe loquitur, & Deo vniri inſeparabiliter poterimus. Quis loquetur igitur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius ? Nos morte ſua à morte liberat, à peccatis mundat, in gratia nos corroborat, & tandem nos ſecum ad ſummam euehit felicitatem. En effectus poteſtatis Chriſti, quæ in morte eius enituit, ſecundum reſpectum quem habent ad Dei gloriam & honorem, qua quidem ratione hæc poteſtas debuit per mortis ænigma denotari.

Vidimus nunc hoc idem ænigma aptiſſimum eſſe ad deſignandos eoſdem effectus, ſecundum illum reſpectum quem habent ad noſtram iuſtificationem & vtilitatem : nec enim mirum ſi hi effectus, ſecundum illos duos reſpectus ad Deum & creaturas, ſub mortis figuram intelligamus. Quis enim, cum audiet Deum mori ac pati, non ſtatim conjiciet Deum aliquid magnum ac ineffabile meditari cum mori voluit ? Sapientiſſimus enim cum ſit, incredibile videtur mortem ſubire voluiſſe, niſi quid præclarum exinde elicere ſtatuiſſet, quo fit vt ſufficere videatur, ſeſſorem huius equi, qui Chriſtus eſt, mortis nomen & figuram aſſumere, vt dicamus ipſum ad Dei patris gloriam, & ſummam noſtram vtilitatem aliquid præclarum peregiſſe, *Et qui ſedebat, nomen illi, Mors* : Non tantum quia mori voluit, vt præclara quæque perficeret, ſed quia nos mori neceſſe eſt, vt hi effectus qui ad Dei gloriam ordinantur, in noſtram cedant vtilitatem.

Et reuera, nihil tam familiare in ſcripturis, quàm quod ſanctificatio noſtra nomine mortis ſignificetur. *Conſepulti enim ſumus cum illo, per baptiſmum in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Rom. 6. Et poſt pauca : *Qui enim mortuus eſt iuſtificatus eſt à peccato, &c.* Rurſus Coloſ. 3. *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Et optimâ quidem ratione. Etenim cum mors nihil aliud ſit quàm ſeparatio animæ à corpore, ſeu formæ connaturalis à materia ſibi propria, quam antea informabat ; hinc fit vt quælibet ſeparatio eorum, quæ ſibi inuicem intimè erant vnita, poſſit mors nuncupari. v. g. Fit quædam vnio potentiæ cum obiecto, cum ab ea percipitur, & eius fruitur præſentia : amoueatur obiectum à potentia, illius actus vitalis priuatio mors nuncupari poterit. Hinc peccatorum extinctio, vitiorum extirpatio, paſſionum mortificatio, voluptatum ſenſuum priuatio, mors dici poſſunt, quæ omnia cum ſint neceſſaria, vt debitam acquiramus perfectionem & ſanctificationem, ideo noſtra iuſtificatio per mortem poterit exprimi & ſignificari. Rursùs, qui iuſtificantur, mortem Chriſti ſemper ob oculos habere debent, tum ob animi gratitudinem, tum ob multas vtilitates, quæ exinde percipere poſſunt. Quid mirum igitur, ſi mortis figuram induunt, vel ſi eos ſignificari dicimus per equum pallidum, qui ſub ſeſſore, Mortis nomine inſignito, ad mortem feſtinat ? Denique non ſolum morte myſtica mori oportet eos qui per mortem Chriſti iuſtificantur, ſed mors corporalis plerumque ſtrenuè eſt oppetenda & obeunda : Conuenienter igitur per mortis nomen & figuram, illi effectus quibus ad vitam æternam potenter euehimur per Chriſtum, ſignificantur.

Quod effectus potentiæ Chriſti, qui ex morte illius prodeunt, ſecundum eum reſpectum quem habent ad noſtram vtilitatem optimè per mortem repræſentatur, §. 1.

Hoc iam attigimus : ſed vt meliùs mens noſtra percipiatur, iam dictis hæc ſubiungimus. Certum eſt ex S. Tho. 3. q. 22. ar. 4. effectum ſacerdotij Chriſto non competere : Primum enim agens in quolibet genere, ita eſt influens, quòd non eſt recipiens in genere illo ; ſicut ſol illuminat, ſed non illuminatur, & ignis calefacit, ſed non calefit : Chriſtus autem eſt fons totius ſacerdodij : nam ſacerdos legalis erat figura ipſius. Sacerdos autem nouæ legis, in perſona ipſius operatur, ſecundum illud 2. ad Cor. 2. *Nam & ego quod condonaui, ſi cui condonaui, feci propter vos in perſona Chriſti.* Et ideo non competit Chriſto effectum ſacerdotij recipere. Noſtrum igitur eſt hos effectus mortis Chriſti, quâ ſeipſum obtulit in ſacrificium, in nobis ſuſcipere : qui quidem effectus, cum per mortem optimè poſſint deſignari, tum quia effectus, cauſæ nomen poſſunt ſibi aſciſcere ; tum quia quamdam mortem myſticam, & etiam naturalem in nobis operantur, non abſurdè illos per mortis figuram deſignari aſſerimus. Neque enim vult Deus, vt tanquam ſocordes & ignaui ad vitam perueniamus ; alacres & mente erectos qui vim regno cælorum inferant, deſiderat Chriſtus. Qua fronte enim miles ad diuidenda ſpolia accurreret, qui ducem, in certamine aufugientem inter hoſtes reliquiſſet ? Quin & tantò magis aliquid nobis ſufferendum, quòd ſi quid moriens promeruit, non ſibi ſed nobis potiſſimùm profuit. Nam cum ſacerdotis officium potiſſimùm conſiſtat in ſacrificio offerendo, ſi Chriſtus ſibi promeruit ea quæ pertinent ad exteriorem eius excellentiam & corporis gloriam, hoc non fuit quaſi ex vi ſacrificij, quod offertur per modum ſatisfactionis, ſed ex ipſa deuotione qua ſecundum charitatem humiliter paſſionem ſuſtinuit. Igitur vis ſacrificij & oblationis eius in nobis recipitur, cum pro nobis & non pro ſe ſatisfecit diuinæ iuſtitiæ. Quis igitur ei compati recuſabit ? Quis de ſuo calice bibere renuet ? Imo potius quis cum S. Tho. Apoſtolo videns ipſum ad mortem alacriter properantem pro noſtra ſalute, audacter non dicet ; *Eamus & moriamur cum illo ?* Ad commoriendum igitur ſibi hic eques & ſeſſor nos impellit. Iam pallor timore eius perculſi frontem & genas inualit. Iam ne moriatur anima per ſeparationem à Deo, potius pallida mors exoptatur à fidelibus Chriſtianis, quàm ab eo ſeparari patiantur. Audiunt quippe Chriſtum dicentem : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animæ autem non habent quid faciant : timete autem eum, qui poteſt animam & corpus mittere in gehennam. Ita dico, hunc timete.* Et cum reſponſum mortis in ſemetipſis habuerint, vt non ſint fidentes in ſemetipſis, *Sed in Deo qui ſuſcitat mortuos*, vt ait Paulus 2. ad Cor. 1. ad eam ſufferendam, ſub quacumque ratione ſe offerat, ſunt paratiſſimi. Moriuntur peccatis per pœnitentiam & contritionem, ſcientes quòd *ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus*, & quòd *cor contritum & humiliatum Deus non deſpicit*, vt mortui peccato, iuſtitiæ viuant. De qua morte loquitur Apoſtolus ad Epheſ. 2. *Et cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto, cuius gratia eſtis ſalnati, & conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto Ieſu.* Moriuntur vitiis, ad quorum extirpationem & eradicationem gnauiter ſtudent & occupantur. *Qui autem Chriſti ſunt*, inquit Apoſtolus ad Galat. 5. *carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Moriuntur paſſionibus

& voluptatibus corporis: ad quam mortificationem nos prouocat Apoſtolus ad Coloſſ. c. 3. *Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiem, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam, quæ eſt ſimulachrorum ſeruitus, &c.* Cum igitur hæc omnia, quæ ad noſtram ſanctificationem valdè conducunt, & ad remiſſionem peccatorum, gratiæ conſernationem, & mentis cum Deo vnionem plurimum proficiunt, mortis quamdam præ ſe ferant ſpeciem; hi effectus Sacrificij Chriſti, non tantùm vt ad Dei honorem & cultum ordinati, ſed etiam vt in noſtram cedunt vtilitatem, rectè per mortis figuram deſignari poterunt. Igitur quia *oportuit Chriſtum pati*, qui huius equi ſeſſor eſt, *& ita intrare in gloriam ſuam*; opportet vt hic equus, ſuper quem ſedet, ſit pallidus, id eſt, per multas tribulationes, corporis caſtigationes & macerationes, in gloriam æternam intrare contendat. Exigit ab eo ſeſſor vt fidem ſeruet, obedientiam præſtet, & potiùs vltimam profundat ſanguinis guttam, quàm ab eius voluntate tantillum recedat. Igitur cum ait S. Ioannes: *Et ecce equus pallidus*, idem eſt ac ſi diceret: Et ecce vidi Chriſtum populo Chriſtiano tanquam equo inſidentem, & tantam in eius animum ac mentem ſibi vendicare autoritatem, vt potiùs omnia mala ſufferre, mortem acerbiſſimam perpeti ſeligat, quàm ab eius amore ſeparari: adeo timet ab eo diuelli, vt cuncta patui faciat, nulla acerba aggredi pertimeſcat. At, oro, quænam maiori poſſet eſſe in hominum mentes autoritas, quam cum eos videmus impigrâ fide, zelo ardentiſſimo mandatis diuinis obtemperantes, ne vana ſit fides, ne ſpes ſit inanis, ne charitas inutilis, quidquid durum quidquid aſperum, quidquid carni & ſanguini infeſtum pati & aggredi? Ex hac igitur obedientia & omnimoda ſubiectione, qua fidelis Chriſtianus Chriſtum colit, perſpicuè conjicere poſſumus, ad quantam poteſtatem humana natura euecta eſt in Chriſto, vt cæteri mortales fide imbuti vſque ad mortem ei obedire non abnuant, ſicut ipſe vſque ad mortem patri obediuit: propter quod ſeſſor nomine Mortis inſignitur: Et equus pallidus eſt (qui color mortuis ac moribundis proprius eſt) cuius vtilitati conſulit Chriſtus, cum eum per mortem ad vitam promouet ac prouehit.

A B C D

Quod effectus poteſtatis Chriſti, optime per mortis figuras repreſentantur, ex eo quod morte ſua tanquam medio vſus eſt, vt eos cauſaret. §. 5.

Poteſtatis ſuæ cum patre æqualitatem probat Chriſtus Dominus, Ioan. 5. ex eo quòd *ſicut pater ſuſcitat mortuos & viuificat, ſic & filius quos vult viuificat.* Hanc excellentem poteſtatem adumbratam diximus ex Oſee 13 nomine mortis: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua, ô mors! morſus tuus ero, inferne. Manum mortis,* inquit S. Hieron. *appellat opera quibus interficit.* Liberauit autem Dominus, & redemit in paſſione crucis & effuſione ſanguinis ſui, quando anima eius deſcendit in infernum, & caro eius non vidit corruptionem: & ad ipſam mortem atque infernum locutus eſt, *Ero mors tua, ô mors!* Idcirco enim mortuus ſum, vt tu mea morte morieris. Videſne ex Hieron. mortem aſſumi à Chriſto, vt medium quo exerat in actus præclaros eius ſumma poteſtas? Et ſicut infernus ſeparat mortuos à viuentibus, nec eſt qui huic malo occurrere valeat vnde ſubdit propheta: *Conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis*; Ita ſeparat Chriſtus à carne, à mundo, à male viuentibus, ſuos mortuos, vt nullum cum mundo commercium habeant: quæ quidem ſeparatio conſolatio eſt abſcondita ab oculis carnalibus: neſcit enim caro & ſanguis quæ gaudia experiatur homo ab vberibus voluptatum auulſus, à lacte gaudiorum mundi ablactatus; & cum dura & aſpera ſint quæ foris apparent, vt ſunt ieiunia, durus amictus, cruciatus, mors, ideo optime tale gaudium dicitur manna abſconditum, quo nutriuntur ij ad quos Apoſtolus ait: *Mortui eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Vere mortui per diuiſionem carnis & ſpiritus, inter quos iuge ac continuum debet eſſe bellum; per ſeparationem ab iis quæ ardentiori amore proſequimur, vt interpretatur Cyrillus, à quibus Chriſtus nos ſeparare vult cum ait Matt. 10. *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, ſed gladium: Veni enim ſeparare hominem aduerſus Patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam, & nurus aduerſus ſocrum ſuam, & inimici hominis domeſtici eius. Qui amat patrem aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus, &c.* Eadem dic de reliquis, quæ diligere contingeret pluſquam Chriſtum. Sic ipſe inter fratres, id eſt inter ea quæ maiori & arctiori vinculo coniuncta ſunt diuidit, velut infernus qui ſeparat mortuos à viuentibus.

At quomodo quæſo fit hæc diuiſio ac ſeparatio? Hoc docet Propheta Oſee ibidem cum addit: *Adducet ventem ventum Dominus de deſerto aſcendentem, & ſiccabit venas eius, & deſolabit fontem eius: & ipſe diripiet theſaurum omnis vaſis deſiderabilis. Ventus vrens ille eſt*, iuxtà S. Hieron. *de quo Habacuc 3. Deus ab austro veniet, & ſanctus de monte Pharan: qui vtique in ſolitudine & in meridie ſitus eſt; qui aſcendit de deſerto, ſiue de deſerto humani generis, in quo & diabolus quærens requiem inuenire non potuit; ſiue deſertum intelligimus ſanctæ Mariæ veterum virginalem, quod abſque ſemine humano, nullo fructice pullulauerit, ſed virga ſimplex atque puriſſima, & vnione fœcunda, ediderat cum florem, qui dicis in Cantico Canticorum: Ego flos campi, & lilium conuallium.* Ita Hier. *Iſte ſiccat*, vt poſtea docet, *venas mortis, & deſolat fontes eius. Vena mortis, & fontes, & aculeus, peccata ab Apoſtolo nominantur: quibus arefactis, mors quoque ipſa ſiccabitur.* Quodque ſequitur, *ipſe diripiet theſaurum omnis vaſis deſiderabilis*, dupliciter accipitur, addit S. Hieron. *ſiue quod deſiderabilia ſunt his qui in morte habitant; ſiue vaſa deſiderabilia, quæ in theſauro retinebantur inferni, ſanctos intelligimus, quos alligatos à forte Dominus eripuit, & rapuit, & tulit de inferis, & quaſi vaſa pretioſiſſima ſecum perduxit in Paradiſum.* Ita Hieron.

Igitur cum per mortem ſuam Chriſtus, & mortem & mortis fontem, id eſt peccatum & infernum deuicerit, & ad vitam æternam ſuos perduxerit, nonne ſymbolo mortis equo inſidentis hæc tanta poteſtas optimo iure repreſentari debuit? vis eum videre ad tantum opus ſe accingere, vis huius equi ſeſſorem in medium prodeuntem conſpicere? vide Chriſtum de deſerto aſcendere ad venas mortis deſiccandas, cum Luc. 4. dicitur: *Et egreſſus eſt Ieſus*, nempe de deſerto in quo fuerat tentatus, *in virtute ſpiritus in Galilæam, & fama exiit per vniuerſam regionem de illo: & ipſe docebat in ſynagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus. Et venit Nazareth vbi erat nutritus, & intrauit ſecundum conſuetudinem ſuam die Sabbathi, & traditus eſt illi liber Iſaiæ Prophetæ: & vt reuoluit librum, inuenit locum vbi ſcriptum erat: ſpiritus Domini ſuper me, &c.* En ventus vrens: Spiritus nempe quo repletus, nos de plenitudine eius accipientes repleuit, ad extirpanda in nobis peccata: vnde Propheta addit, *Propter quod vnxit me, Euangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, prædicare captiuis remiſſionem, & cæcis viſum, dimittere confractos in remiſſionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis.* Et Matt. 4. dicitur:

Digitized by Google

Exinde cæpit Ieſus prædicare & dicere. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. Hic ſpiritus pœnitentiæ & compunctionis, ventus eſt vrens, quo Chriſtus in nobis interficit peccatum, & inter ſpiritum & carnem diuiſionem facit, & nos ab omni amore rerum mundanarum ſeparat, malos habitus eradicat, inclinationes peſſimas obtruncat, mortis fontes, nempe peccatum originale & actuale, deſiccat; & nos quaſi vaſa deſiderabilia à dæmonum poteſtate eripit, & potenter liberat.

Et ecce equus pallidus, &c.

Per mortis figuram Chriſti poteſtas repreſentari debuit, quia contumaces & rebelles pœna mortis plectere, & quos vult à morte poteſt liberare. §. 6.

Hac ratione Chriſtus ſuam extollit dignitatem ac poteſtatem, cum Apocalyp. 1. dixit: *Ego ſum primus & noviſſimus, & vivus, & fui mortuus, & ecce ſum vivens in ſecula ſeculorum, & habeo claues mortis & inferni.* Qui claues habet mortis & inferni, certe poteſtatem habet quos voluerit morti addicere, & ad infernum detrudere, ſicut à morte & inferno quos vult poteſt liberare. Ab eo vita & mors: deducit ad inferos & reducit. Decretum mortis olim conſcripſit, cum Adamum alloquens in pœnam contumaciæ dixit: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*: ſic enim *ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.* At illud *Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians principatus & poteſtates traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.* Coloſſ. 2. Cum igitur poſſit & perdere per mortem, & ſaluare quos vult, eos à morte liberando, Mors dicatur, qui tantum habet in mortem imperium ac dominatum, quique vt mors in cunctos mortales dominatur. Nam *quis eſt homo qui viuet, & non videbit mortem, eruet animam ſuam de manu inferi*: ita etiam ipſe in omnes dominatur, nec repetiri poteſt qui ſuam poſſit effugere iram, aut eius eludere poteſtatem. In omnes orbis partes ſuum extendit dominatum, quia *in manu eius ſunt omnes fines terræ*: hinc congregat *electos à quatuor ventis.* Hinc interficere poteſt *gladio, fame, morte & beſtiis terræ per quatuor partes terræ.* Poteſtati enim eius quis reſiſtet?

Et certe cum hic dicitur, quòd ſeſſori huius equi data eſt tanta poteſtas, optimè deſignatur hæc hominum à Dei voluntate & arbitrio omnimoda ſubjectio & dependentia: talem ſiquidem ei affingere poteſtatem, eſt eum ad ſummum gradum euehere. Nihil enim potentius, nihil eſt excellentius, quam perdere & ſaluare poſſe ad libitum quos ipſe voluerit. Hæc autem ratio proponendi diuina myſteria, nempe vt res in eo gradu ſummo ad quem pertingere poſſint, repreſententur, in hac prophetia familiariſſimum eſt. Sic cum ſtatus gratiæ proponitur, non ille deſcribitur in quo adhuc animæ fluctuant, & ab ea decidere poſſunt, ſed perſeuerantiæ in gratia ſtatus adumbratur, cum ſeniores ſedentes non ſtantes repreſentantur: vt hæc ſeſſio ſymbolum ſit illius firmitatis quam obtinent in ſtatu gratiæ. Si de animarum ſtatu in peccato mortifero loquitur, eas in ſtatu abominando obſtinationis & obdurationis in malitia repreſentat: cum beſtiam quamdam è mari prodeuntem deſcribit. Si de fideliter certantibus mentionem facit, eos cantantes cantica trophæorum, & victoriæ reportatæ ab hoſtibus, ob oculos ponit. *Et vidi*, inquit, *tanquam mare vitreum miſtum igne, & eos qui vicerunt beſtiam, &c. Et cantantes canticum Moyſi ſervi Dei, & canticum agni.* Hanc deſcribendi rationem obſeruat S. Ioannes in pluribus aliis locis huius prophetiæ, vt attentius legenti & cuncta ponderanti facile erit perſpicere. Illam hîc potiſſimum, exempli gratia, perſpicere licet. Nam cum velit S. Ioannes omnimodam dependentiam repreſentare, qua huius equi ſeſſori omnes mortales ſubduntur, hanc oſtendit in ea re, in qua poteſt clariùs innoteſcere. Nec enim magis elucere poteſt ſumma in omnes Mortales auctoritas aut poteſtas in aliquo, quàm ſi dicas eum in omnes viuentes poteſtatem vitæ ac necis plene poſſidere, vt ad libitum ipſius viuere aut mori liceat. Talem autem poteſtatem habet eius equi ſeſſor, vt ex textu apparet: *Data eſt illi poteſtas ſuper quatuor partes, interficere, &c.* Cum audis, *ſuper quatuor partes*, eſt ac ſi diceret, in omnes homines qui habitant ſuper vniuerſam terræ faciem, vt ex Auguſt. in Pſ. 95. conjicere licet: *Congregabit*, inquit, *electos omnes à quatuor ventis cæli: ergo de toto orbe terrarum, quia & ipſe Adam (aliquando hoc dixeram) orbem terrarum ſignificat, ſecundum Græcam linguam. Quatuor enim litera ſunt A. D. A. M. Sicut autem Græci loquuntur, quatuor orbis partes has in capite litteras habet.* Ἀνατολὴ *dicunt Orientem* Δυσμὴν *Occidentem*, Ἄρκτος *Aquilonem*, Μεσημβρία *Meridiem*, *habes Adam. Ipſe ergo Adam toto orbe ſparſus eſt, in vno loco fuit & cecidit, & quodammodo comminutus implevit orbem terrarum: ſed miſericordia Domini vndique colligit fracturas, & conflauit igne charitatis, & fecit vnum quod fractum erat.* Ita Auguſt. At notandum S. Ioannem non dicere hunc ſeſſorem actu omnes homines interficere: ſolum ait ipſum habere poteſtatem interficiendi. Hac enim formulâ loquendi magis exprimit excellentiam huius poteſtatis, quæ in hoc conſiſtit potiſſimùm, vt qui ea præditus eſt poſſit & perdere & ſaluare, mortificare & viuificare, ad infernum deducere & reducere; quàm ſi ille diceretur innumeros hoſtes interfeciſſe actu; itaut quos perdere vult, nemo poſſit è manu illius eripere; quos ſaluare deſiderat, quouis renitente viuificet & ſaluet.

Equidem apud Reges ac Principes, vt pote diuinæ Maieſtatis præclaras imagines, eſt quædam autoritas vitæ & necis, Deo ſic volente & ordinante, aut ſaltem permittente, ſecundum illud Saluatoris Pilatum alloquentis: *Non haberes in me poteſtatem, niſi datum tibi eſſet deſuper.* At aliquando nequeunt ſaluare quos ſaluare exoptarent, quos perdere deſiderant ipſis renitentibus & in contrarium conantibus, potenter eripiuntur & ſaluantur v. g. Pharaon primogenitum ſaluare nequiuit ab Angelo percutiente; omnes primogenitos Ægypti, & populum Iſraëliticum exterminare volens Deus, è manu eius potenter populum eripuit, ipſumque cum toto ſuo exercitu in vndas maris ſubmerſit: perditus eſt qui alios perdere properabat. Seruauit Bethuliam Deus omnipotens è manu Holofernis, eique mortem per manum fœminæ intulit. At Rabſaces exercitum copioſiſſimum ab Angelo perſequente & interficiente ſaluare nequiuit. Hanc ſaluandi imbecillitatem fatebatur Rex ille Samariæ, qui mulieri exclamanti: *Salua me Domine mi Rex*, & conquerenti de alia muliere, quæ filium ſuum cum ea comederat, & pacto de dando filio ſuo, vt poſteà reciprocè comederetur, minimè ſtabat; cum huic mulieri ſalutem expoſcenti reſpondit: *Non te ſaluat Dominus: Vnde te poſſum ſaluare? De area, vel de torculari?* Ochozias Rex ægrotauit, & Deum Accaron Beelzebub conſulit: ſed ab Helia audit: *Numquid non eſt Deus in Iſrael, vt eatis ad conſulendum Beelzebub Deum Accaron? Quamobrem hæc dicit Dominus: de lectulo ſuper quem aſcendiſti non deſcendes: ſed morte morieris*: Ægrotat autem Ezechias, & ad Deum ſe conuertit, & ſanitatem

ſanitatem recuperat integerrimam. Pueros qui Eliæum Prophetam ſubſannauerunt dicentes: *Aſcende Calue*, eorum Patres ab viſis immiſſis ſaluare non potuerunt: nec Reges Aſſyriorum eos, quos ad incolendam Samariam miſerant, à Leonibus liberare: *Immiſit*, quippe *in eos Dominus Leones, qui interficiebant eos.* At Deus Danielem, ne à Leonibus diſcerperetur, potenter ſeruauit.

Suprema igitur Regis Regum & Domini Dominantium autoritas in hoc conſiſtit, vt ad libitum perdat ac ſaluet, perdat gladio, fame, & aliis variis mortis generibus, quin & beſtiis terræ iuxta illud: *Dentes beſtiarum immittam in eos*: Et à gladio, fame, morte ac beſtiis, ſeruet quos voluerit.

Et qui ſedebat, nomen illi mors.

Quod per mortis figuram Chriſtus in Paſtoribus Eccleſiæ rite adumbratur, quia prædicatores verbi, eius mortem potiſſimum annunciare debent. §. 7.

Meritò ſanctus Ioannes per mortis figuram Chriſtum repræſentat: orbis enim totius dominationem adeptus eſt, quoad manifeſtationem ſui imperij, eiuſque exercitium, per prædicationem crucis ac mortis quam in ea pendens pertulit. Hoc munus præſtandum ſibi præſcripſerunt Apoſtoli, nec motiuo vrgentiori aut ratione potiori vtendum ſibi eſſe putauere, quo homines impellere poſſent vt ad Chriſtum conuerterentur, quàm forti prædicatione crucis. Hinc Paulus: *Prædicamus Chriſtum Crucifixum.* 1. ad Corinth. 1. Cur non, ô Magne Apoſtole, & inſignis tuba Euangelij, potius prædicas Chriſtum in gloria ſedentem ad dexteram patris? *At*, inquit, *Verbum crucis, pereuntibus quidem ſtultitia eſt, iis autem qui ſalui fiunt, id eſt nobis, Dei virtus.* Ac ſi diceret: ſicut ſub horrenda mortis figura, virtus omnipotentis occultatur, ita per prædicationem crucis, quæ ſapientibus mundi ſtultitia reputatur, ipſe Deus vult ſaluos facere credentes. Si igitur Chriſtus ſe cognoſcendum præbuit fidelibus ſub ſpecie mortis ac crucifixi, aptiſſimo ſymbolo vtitur S. Ioannes, cum poteſtatis eius præclaros effectus ſub figura mortis nobis ſpeculandos proponit. Quod ita fieri debuit: nam cum Chriſtus proponi debuerit vt exemplar totius perfectionis, & veluti via, in qua ambulantes ad gloriam peruenire poſſimus; cum Chriſtiani perfectio in tolerandis malis & in exercitio virtutum, quatum exemplum dedit Chriſtus, & in eius veſtigiis vſque ad mortem inſequendis conſiſtat, proculdubio neceſſarium fuit, vt eius paſſio & mors ante mentis oculos proponerentur, vt ad quam debeamus peruenire virtutis conſummationem dignoſcamus. Exinde clamat Apoſtol. Heb. 2. *Recogitate eum, qui talem aduerſus ſemetipſum ſuſtinuit à peccatoribus contradictionem: vt non fatigemini animis veſtris defruentes. Nondum enim vſque ad ſanguinem veſtitiſtis aduerſus peccatum repugnantes.* Quin & Petrus 1. c. 1. *Chriſto igitur in carne paſſo, & vos eadem cogitatione armamini: quia qui paſſus eſt in carne deſiit à peccatis, vt non iam deſideriis hominum, ſed voluntati Dei, quod reliquum eſt vitæ temporis, &c.* Si igitur hæc meditatio crucis ac paſſionis Chriſti adeo nobis eſt ad perfectionem acquirendam oportuna, nihil Chriſto Domino tam ardenter noſtram ſalutem ſitienti, opportunius & conducibilius ad hanc procurandam viſum fuit, quàm vt nobis appareret ſub ſpecie mortis, ſeu vt mortis indueret figuram: tum vt ſciamus nos per mortem ſuam fuiſſe à peccato, à morte ab inferi faucibus potenter ereptos; deinde vt intelligamus nos nulla melioti ratione meritorum paſſionis ſuæ poſſe eſſe participes, quam ſi cum eo patiamur & moriamur. *Si enim compatimur, & conglorificabimur.* Ad fortiter igitur omnia toleranda nos prouocat & admonet, nobis potius vltimam ſanguinis guttam eſſe profundendam, quam ab eius mandatis ne latum vnguem diſcedendum, cum ſub ſpecie mortis apparet. *Et qui ſedebat ſuper eum, nomen illi, Mors.* Illud à nobis exigit perfectus Chriſti amor, vt videlicet cum ipſo, & pro ipſo moriamur, & cum Apoſtolo Thoma dicamus: *Eamus & moriamur cum illo. Charitas* quippe *Chriſti*, vt ait Apoſt. Paul. 2. ad Corinth. 5. *Vrget nos.* Hæc perfecta Chriſti dilectio, veluti eques, ſupra nos inſidet, pungit & ferit latera continuo ſtimulo acutiori, interiora ac intima penetrante, vt quacumque morâ depoſitâ, & quibuſcumque perfractis ergaſtulis, ad propoſitum curramus certamen. Iuxta illud Apoſtoli: *Deponentes omne pondus & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in autorem, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem:* Sicque à tam potenti ſtimulo vehementer puncti, excitati, animati, eo tandem progredimur, vt cum ipſo mortem gaudentes ſubeamus: *Æſtimantes hoc*, vt ait S. Paulus 2. ad Cor. 5. *quoniam ſi vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt & qui viuunt iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit.* Vere & optimè hæc dilectio fortis vt mors prædicatur, cum hoc operetur in nobis, vt potiùs ſeparationem à quacumque re libenter feramus, quàm ab obſeruatione eorum, quæ requirit à nobis, diuellamur. Morti naturali expectanda eſt illa hora, illudque momentum in quo vires naturales omnino deficiant, vt ſuo nos ictu conuulneret, & iaculo confodiat, & à corpore animam eripiat. At dilectio viribus integris mortem ſubire pro dilecto exoptat: tempus mortis à natura præſcriptum expectare non vult, ne Chriſto regenti, imperanti ac impellenti tantiſper obſiſtat aut reluctetur. Valida quippe vt mors dilectio: Quod ponderans S. Auſtuſt. in Pſ. 111. ait: *Magnificentiùs exprimi non potuit fortitudo Charitatis, quàm vt diceret: Valida eſt ſicut mors dilectio. Quis enim reſiſtit morti, fratres? Intendat Charitas veſtra. Reſiſtitur ignibus, vndis, ferro, poteſtatibus: reſiſtitur regibus. Venit vna Mors: quis ei reſiſtit? Nihil eſt illa fortius. Propterea viribus eius Charitas comparata eſt, & dictum eſt: Valida eſt ſicut mors dilectio. Et quia ipſa Charitas occidit quod fuimus, vt ſimus quod non eramus, facit in nobis quamdam mortem dilectio. Ipsâ morte mortuus erat qui dicebat: mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo. Ipsâ morte mortui erant, quibus dicebat: Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Valida eſt ſicut mors dilectio. Si ergo valida eſt, fortis eſt & magnæ virtutis, & ipſa eſt virtus, & per ipſam reguntur infirmi à firmis, terra à Cælo, populi à ſedibus. Ideo, fiat pax in virtute tua, in dilectione tua, & per iſtam virtutem, per iſtam dilectionem, per iſtam pacem, fiat abundantia in turribus tuis, id eſt: in excelſis tuis pauci erant, ſedebunt ſedes in iudicio, ſed multi ad dexteram poſiti faciunt populum ciuitatis illius.* Hæc Auguſt. Nihil ad noſtrum propoſitum conuenientius. Vim ac virtutem amoris, quo fideles Chriſto Domino fideliter obtemperant, indagare ſatagimus: Ecce fidelis tanquam equus ab hoc amore ſibi inſidente regitur, & ita ei obtemperat, vt non tantum Chriſto obedire ſeligat, ſed etiam iis omnibus, qui eius vices quodammodo gerunt, obedire non abnuat: iuxta illud Petri 1. c. 2. *Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue Regi, quaſi præcellenti, ſiue ducibus tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, quia ſic eſt voluntas Dei,* &c. Qui nos ad obedientiam Regibus præſtandam prouocat, certè ad obediendum Paſtoribus Eccle-

siæ populum Christianum regentibus nos prouocare videtur. Si enim obedientia necessaria est, in iis quæ ad bonum temporale & transitorium spectant, multò magis obedientia præstanda est in iis, quæ ad salutem conducant æternam. Vnde 1. c. 5. S. Petrus vbi prouocauit seniores & pastores vt pascerent gregem Dei, & regerent eos, *Non vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo*, statim prouocat subditos ad obedientiã. *Similiter*, inquit, *adolescentes subditi estote senioribus*. Sic vt ait supra Aug. *reguntur populi à sedibus*. Hæc sunt quæ nobis annotanda fuerunt, vt intelligeremus cur huius equi sessor, nempe Christus, seu Ecclesiæ Pastores, Christi personam gerentes, mortis figuram induerunt: vt quanta sit Christi potestas & autoritas videatur, qui per mortem & mortis suæ prædicationem saluos facit credentes.

Sequitur infernus hunc sessorem mortis figurâ indutum, vt sciamus Christum eo vsque humilitatis deuenisse, & nostras suscepisse abiectiones, vt descendere voluerit in inferiores partes terræ: descendit quippe ad inferos; in quo eius summa potestas eluxit, *quia solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum*, gloriosè resurrexit, secumque quos voluit è faucibus inferni abduxit, dæmones terrendo, damnatos confusione nimiã offusos, extra spem euadendi è pœnis quibus cruciantur, relinquendo. Deinde quia prædicatores crucis, sicut fideles & iustos prouocare debent, vt pœnas temporales libenter cum Christo sustineant, ne in æternos cruciatus tandem incidant, quo fit vt fideles mandata Dei fideliter custodire, & à malis abstinere studeant, cum tanta & tam horrenda tormenta parata esse audiant iis qui à Charitate Dei exciderunt, omnemque segnitiem excutiant, ne æternas inferni aut temporales purgatorij pœnas subeant, cum audiunt his pœnis subiacere eos qui Christo crucifixo adhærere contempserint, in quas pœnas incidunt contumaces ac rebelles, itaut Christus Dominus videatur hic velut Rex aliquis potentissimus, qui omnes regni sui regiones percurrendo, vt eas à Latronibus, sicariis ac homicidis repurget, secum habet suæ iustitiæ Ministrum, qui ab eis pœnas debitas, ad quas deputantur exigat. Ecce enim infernus sequitur veluti carnifex, qui contemptores passionum Christi pœnis æternis prosequitur: *Et infernus sequebatur eum.*

Quomodo autem excellentia tanta potestatis appareat, in reseratione huius sigilli, id est in explicatione gratiæ seu potestatis, quæ confertur in Sacramento Ordinis, nunc nobis est enucleandum.

Qua ratione effectus potestatis excellentiæ, Humanitati Christi Domini collatæ, in explicatione gratiæ seu potestatis, quæ confertur in Sacramento Ordinis, eluceant ac manifestentur.

ANNOTAT. IV.

Argumentum huius vltimæ Annotat.

SVMMA Christi Domini potestas in hoc consistere videtur, vt vidimus, quod nos à peccato, à morte, ab inferis eripuit, Deo nos reconciliauit, ac intimè per charitatem conjunxit, nos proprio corpore & sanguine satiauit, ad mortem pro ipso fortiter subeundam animauit; etsi qui sunt qui tot tantasque gratias contempserint, eos potenter ad æternos cruciatus amandare valeat. His præsuppositis dico, quòd si talium effectuum quoddam habemus, at reuera habemus specimen in Sacramento Ordinis, seu in potestate quæ in Sacramento Ordinis confertur; rectè in reseratione huius sigilli, id est in explicatione illius potestatis, Magnitudo Mysterij nempe potestatis excellentiæ Christi facilè dignoscetur. Et sicut Christus Dominus ob rationes adductas, producendo effectus tantæ potestatis conformes, Mortis nomen sibi arrogare optimo jure perspeximus, ita qui potestate in Sacramento Ordinis collata gaudent, etiam per mortis figuram, suam repræsentare autoritatem merito valebunt. At effectuum potestatis Christi specimen habemus in Sacramento Ordinis: igitur in contemplatione huius Sacramenti, etiam sub specie ac figura mortis, altitudinem potestatis Christi agnoscere poterimus.

Quomodo potestas, quæ in Sacramento Ordinis confertur, specimen sit seu quædam imago vnius potestatis Christi. §. 1.

Triplicem in Sacramento Ordinis contemplantur autoritatem Theologi; vna quæ ordinatur & refertur ad confectionem & administrationem Sacramentorum, secundum multiplices & diuersos ac distinctos gradus ordinum; secunda quæ interiorem quandam iurisdictionem includit, qua reguntur fideles in foro conscientiæ; tertia quæ exterius regimen Ecclesiæ respicit. Hanc triplicem autoritatem colligere possumus ex Concilio Trid. sess. 23. de Sacramento Ordinis agens, siue cum docet. c. 1. *Fatendum esse in Ecclesia nouum esse visibile, & externum sacerdotium, in quod vetus translatum est. Hoc autem ab eodem Domino saluatore nostro institutum esse, atque Apostolis eorumque successoribus in sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus & sanguinem eius, nec non & peccata dimittendi & retinendi.* Siue cum cap. 2. eiusdem sess. ait: *Cum autem diuina res sit tam sancti Sacerdotij ministerium; consentaneum fuit, quo dignius & maiori cum veneratione exerceri posset, vt in Ecclesiæ ordinatissima dispositione, plures & diuersi essent Ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deseruirent, ita distributi, vt qui iam clericali tonsurâ insigniti essent, per minores ad maiores ascenderent. Nam non solùm de sacerdotibus, sed & de Diaconis, sacræ literæ apertam mentionem faciunt, & quæ maximè in illorum ordinatione attendenda sunt, grauissimis verbis docent, & ab ipso Ecclesiæ initio sequentium ordinum nomina, atque vnicuiusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, Acoliti, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarij, in vsu fuisse cognoscuntur, quamuis non pari gradu: nam Subdiaconatus ad majores ordines à Patribus & sacris Conciliis refertur, in quibus & de aliis inferioribus frequentissimè legimus.* Hæc Conc. Denique cum cap. 3. docet *quod si quis omnes Christianos promiscuè, noui Testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali praditos affirmes, nihil aliud facere videtur, quàm Ecclesiasticam Hierarchiam, quæ est vt Castrorum acies ordinata, confundere: perinde ac si contra B. Pauli doctrinam, omnes Apostoli, omnes Prophetæ, omnes Euangelistæ, omnes Pastores, omnes sint Doctores. Proinde sacrosancta Synodus declarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum ordinem præcipuè pertinere, & positos, sicut idem Apostolus ait, à Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei, eosque Presbyteris superiores esse, ac Sacramentum Confirmationis conferre, Ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse: quarum functionum potestatem reliqui inferiores nullam habeant.* Hæc Conc. Ex hac doctrina in potestate consecrandi, offerendi & ministrandi corpus & sanguinem Christi, potestatem ordinis quoad confectionem & administrationem Sacramentorum videmus; in potestate peccata dimittendi & re-

Digitized by Google

tinendi, illam quam dicimus ei annexam internam iuriſdictionem, quoad forum conſcientiæ; & cum vult Epiſcopos poſitos eſſe à Spiritu ſancto, ad regendam Eccleſiam Dei, allam externam iuriſdictionem agnoſcimus. Ad poteſtatem ordinis referuntur Euchariſtiæ conſecratio (quod commune eſt Epiſcopis & Sacerdotibus) Sacramenti Confirmationis adminiſtratio, cuius quidem Epiſcopus ordinarius eſt Miniſter; ordinationes Diaconorum, Sacerdotum, Epiſcoporum; Chriſmatis, olei infirmorum confectio, conſecratio Virginum, Templorum, altarium, vaſorum ac veſtimentorum benedictiones & conſecrationes, quin etiam & diuerſa miniſteria, ſeu diuerſæ functiones quorumlibet ordinum maiorum aut minorum. Eccleſia namque ad modum corporis naturalis, diuerſa debet habere membrorum officia, tum propter Dei ſapientiam commendandam, quæ in rerum diſtinctione maximè ordinata relucet, tam in naturalibus quam in ſpiritualibus, tum ad ſubueniendum humanæ infirmitati, quia per vnum non poterant omnia, quæ ad diuina' myſteria pertinebant, expleri, ſine magno grauamine; denique vt via proficiendi hominibus amplior detur, dum plures in diuerſis officiis diſtribuuntur, vt omnes ſint Dei cooperatores, quo nihil eſt diuinius.

Diuerſitas autem miniſteriorum accipienda eſt ſecundum relationem ad Euchariſtiam, quia poteſtas ordinis aut eſt ad conſecrationem Euchariſtiæ ipſius, aut ad aliquod miniſterium ordinatum ad hoc Sacramentum Euchariſtiæ. Si primo modo, ſic eſt Ordo ſacerdotum, & ideo cum ordinantur accipiunt calicem cum vino & pane: nam cum pane & vino poteſtatem accipiunt conſecrandi corpus & ſanguinem Chriſti. Cooperatio autem Miniſtrorum eſt vel in ordine ad ipſum Sacramentum, vel in ordine ad ſuſcipientes. Si primo modo, ſic tripliciter: Primò, miniſterium quo miniſter cooperatur ſacerdoti in ipſo Sacramento, quantum ad diſpenſationem; ſed non quantum ad conſecrationem, quam ſolus ſacerdos facit: & hoc pertinet ad Diaconum. Vnde dicitur quod ad Diaconum pertinet miniſtrare ſacerdotibus, in omnibus quæ aguntur in Sacramentis Chriſti, vnde & Chriſti ſanguinem diſpenſat. Secundò, Miniſterium ordinatum ad materiam Sacramenti ordinandam in ſacris vaſis ipſius Sacramenti: & hoc pertinet ad Subdiaconum. Vnde dicitur quod corporis & ſanguinis Domini vaſa portant, & oblationes in altari ponunt: & ideo accipiunt calicem de manu Epiſcopi, ſed vacuum, cum ordinantur. Tertiò, miniſterium ordinatum ad præſentandam materiam Sacramenti: & hoc competit Acolyto. Ipſe enim vrceolum cum vino & aqua præparat: vnde accipiunt vrceolum vacuum. Sed Miniſterium ad præparationem recipientium ordinatum non poteſt eſſe niſi ſuper immundos, quia qui mundi ſunt, iam ſunt ad Sacramenta percipienda idonei. Triplex eſt autem genus immundorum ſecundum Dionyſ. Quidam enim ſunt omnino infideles, credere nolentes, & hi totaliter à viſione diuinorum & à cætu fidelium arcendi ſunt: & hoc pertinet ad oſtiarios. Quidam autem ſunt volentes credere, ſed non inſtructi, ſcilicet Catechumeni: & ad horum inſtructionem ordinatur ordo Lectorum: & ideo prima rudimenta doctrinæ fidei, ſcilicet vetus teſtamentum eis legendum committitur. Quidam vero ſunt fideles & inſtructi, ſed impedimentum habentes ex dæmonis poteſtate, ſcilicet energumeni: & ad hoc miniſterium eſt ordo exorciſtarum. Lege D. Tho. 3. q. 37. ar. 2. Exinde Oſtiarius claues cuſtodit Eccleſiæ, claudit oſtium indignis, aperit dignis, arcet quidquid diuino ſeruitio & attentioni debitæ tanto myſterio, officere poteſt, veluti Canes. Lector ad pulpitum legit quæ recitari debent, ex nouo aut vetere teſtamento, fidei rudimenta & elementa proponit, recitationem dominicæ orationis, ſymboli, mandatorum Dei, ab infirmioribus exigit. Exorciſtæ nomen Dei & Chriſti eius inuocant ſuper Energumenos, & dæmones ab eis expellunt. Acolythus Diaconum & Subdiaconum ſequitur, vt eis in ſuis miniſteriis inſeruiat, vrceolos tenet coram ſacerdote, luminaria defert, vt parata ſint pro tempore quo legitur Euangelium curat. Subdiaconus Diacono miniſtrat, præparat Calicem & vinum: aquam, ad ſacerdotis manus abluendas, tradit; Epiſtolam in Miſſa legit. Diaconus adminiſtrat ſacerdoti panem & vinum, Epiſcopum ſequitur, ei adſtat cum prædicationis muneri incumbit, ſacerdoti etiam celebranti adſiſtit, Euangelium altâ voce in Miſſa cantat & legit, & cum ei præcipitur, poteſt abſque ſtola & vlla ſolemnitate Euangelium prædicare, ſi ſacerdos fuerit præpeditus. Denique ſacerdotis eſt conſecrare corpus & ſanguinem Chriſti, peccata abſoluere, & oues opere & doctrina reficere. Hæc ſunt munera & officicia quorumlibet ordinum, Sed quia, vt docet S. Thom. 3. q. 40. art. 4. *Sacerdos habet duos actus; principalem, ſcilicet conſecrare corpus Chriſti, & ſecundarium, ſcilicet præparare populum ad ſuſceptionem huius Sacramenti; reuera quantum ad primum actum, poteſtas ſacerdotis non dependet ab aliqua ſuperiori poteſtate niſi diuina: At quantum ad ſecundum, dependet ab aliqua ſuperiori poteſtate, ſcilicet humana; omnis enim poteſtas, quæ non habet exire in actum, niſi præſuppoſitis quibuſdam ordinationibus, dependet ab illa poteſtate, quæ illas ordinationes facit. Sacerdos autem non poteſt abſoluere & ligare, niſi præſuppoſitâ iuriſdictione qua ſibi ſubdantur illi quos abſoluit, &c. Accipit igitur ſacerdos ordinatus iuriſdictionem ab Epiſcopo in foro interno, vt poteſtatem ligandi & ſoluendi, quam accipit in ſua ordinatione, exeras in actum, qua peccata remittit, eadem retinet, ſatisfactiones imponit, medicinam adhibet pœnitentibus, ne iterum in peccata reincidant.*

Præter illas duas poteſtates, quæ in Sacramento Ordinis conſiderantur, eſt alia vt diximus, quæ dicitur iuriſdictionis in foro externo, pro bono regimine totius Eccleſiæ: cuius plures ſunt actus. Hac quippe vtuntur Epiſcopi, cum ex communione fidelium contumaces reſcindunt, cum ab officio & beneficio ſuſpendunt, cum loca interdicunt, diœceſes viſitant, cum corrigunt ac caſtigant, cum ſynodos conuocant, leges ferunt, beneficia conferunt, diuerſas vniunt ad inuicem Eccleſias, in votis ac iuramentis diſpenſant, iudicia & ſententias ferunt, caſus aliquos ſibi reſeruant, quædam Matrimoniorum impedimenta auferunt, feſtos dies inſtituunt, indulgentias concedunt, clericos à gradu dejiciunt, & multa his ſimilia peragunt. Sed hæc ſufficiunt vt in his videamus quamdam imaginem poteſtatis Chriſti, itaut verè dixerimus in reſeratione huius Sacramenti hanc Chriſti poteſtatem, vt grande aliquod myſterium ſpeculari: Et reuera cum ex pane corpus Chriſti conficiunt, nonne ſummam illam autoritatem, quam ſupra rerum omnium naturam habet naturæ auctor ſatis demonſtrant? Eius enim eſt naturas rerum mutare, cuius eſt condere. Cum peccata remittunt, Dei vires gerunt. *Quis enim poteſt peccata dimittere niſi ſolus Deus?* & Chriſti Miniſtri ſunt, vt nos à peccato & morte & inferno eripiant. Cum Eccleſiam regunt, vices illius ſubeunt à quo omnia ſapientiſſimè adminiſtrantur, à quo omnis poteſtas & imperium emanant. Cum pœnis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti contumaces feriunt, huius in vindicandis hominum peccatis autoritatem ſu-

122

Digitized by Google

munt. Vnde fit vt ſicut poteſtas Chriſto tradita per mortis figuram ſeu ſymbolum adumbratur, ita etiam poteſtas à Chriſto, Eccleſiæ Paſtoribus collata, eadem figura apprimè poſſit ſignificari, vt mox videbimus.

Et ecce equus pallidus: & qui ſedebat ſuper illum nomen illi, Mors.

Quomodo poteſtas ordinis, figura & nomine mortis, ritè exprimatur. §. 2.

Nullus hac poteſtate præditus eſſe debet, qui non caſtitatem corporis ac cælibatum ſibi ſeruandum in animo proponat. Vnde Concilium Tridentinum anathematizat eos qui dixerint *Clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe Matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſticâ vel voto.* Seſſ. 29. c. 9. Equum igitur pallidum eum eſſe oportet, cui talis ac tanta poteſtas confertur, non modò ſit baptizatus, ſed innocentia ac puritate mentis ac corporis ſit præditus, corpus habeat ab omni libidine ſemotum, mortificationem crucis Chriſti in corpore ſuo portet; vt populum Chriſtianum, quem regere & cui præeſſe debet, ad ſimilem mortificationem verbo & exemplo promoueat. Equi igitur ſint pallidi, id eſt caſti & mortificati Eccleſiæ Paſtores, populi Chriſtiani rectores, qui eum per Baptiſmum cum Chriſto tanquam mortuum ſepeliunt, cui Chriſtum crucifixum imitandum proponunt, cui iudicia Dei pertimeſcenda ſæpius inculcant, quem tanquam mortuum huc & illuc deducunt, cum pro amore Chriſti crucifixi qui Ioſepho & Mariæ olim obedientiam præſtitit, fideles ipſis obtemperant, eiſque ſubiiciuntur; *Valida quippe vt mors dilectio*, vt ex Auguſt. diximus, *cum per charitatem reguntur infirmi à firmis, terra à cælo, populi à ſedibus.* Ideo mors ſuper eum inſidet, eum regit & moderatur, quia propter poteſtatem Ordinis quæ in Paſtoribus ineſt, Paſtores, Mortis imaginem induunt, vt quos actus per hanc poteſtatem exercent, aptiſſimo ſymbolo nobis meditandos proponant, cum corpus & ſanguinem Chriſti conſecrant mortem Chriſti annunciant. Igitur ſicut nemo poſſet meliori modo mortis memoriam refricare, & intimis ſenſibus ingerere, quàm ſi appareat ac ſi tantum oſſibus ad inuicem compactis conſtaret, pelle, carnibus, venis, neruis ac arteriis ſpoliatus: Ita qui conſecrare vult corpus & ſanguinem Chriſti, vt in memoriam reducat eius mortem & paſſionem, nullâ meliori ratione hoc præſtare poteſt, quàm ſi figuram mortis aſſumat. Deinde cum Sacramentum ad hoc ordinetur, vt per gratiam quæ in eo confertur, audacter Chriſti nomen confiteamur, etſi cruciari ac mori propter talem confeſſionem nobis contingat; cum vides Epiſcopum tale Sacramentum conferentem, quonam conuenientiori modo eum repræſentare valeres, vt finem tanti Sacramenti in memoriam reuocares, quàm ſi eum Mortis imaginem induere fingas, vt ſtatim atque alapâ genas percutit, te ad omnia tormenta toleranda & mortem ſubeundam paratum agnoſcas?

Tertiò, cum per ordinationem, à ſeculi negotiis auellamur, vt Dei obſequio integrè mancipemur, *& qui viuunt iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt*, vides Epiſcopum ordines conferentem, æque ac ſi videres aliquem mortem tibi inferentem, ſub mortis ſpecie occultatum. Myſtica enim morte mori imperat, qui tibi ſeculo eſſe renunciandum annuntiat, vt Deo viuas, & cum Apoſtolo Paulo dicas: *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Nemo enim militans Deo implicat ſe negotiis ſeculariburn*: Nemo carni ac ſanguini adhærens aptus eſt regno Dei: nemo diaboli ſuggeſtionibus obtemperans, Dei cooperator ac Spiritus ſancti organum eſſe meretur. Renunciet mundo, carni & diabolo, qui Chriſti ſeruitio mancipari exoptat. Talia etiam meditari licet in benedictionibus Virginum, quas ſolus Epiſcopus benedicit: *quia figuram gerunt Eccleſiæ Chriſto diſponſatæ, cuius curæ ipſi principaliter committitur.* Ex ſupp. S. Tho. q. 38. art. 1. Cum Eccleſias ac altaria conſecrat; hæc enim omnia moriuntur quadam ciuili morte, cum nequeat amplius ad alios vſus tranferri, iuxta regulam: *ſemel Deo dicatum non eſt ad vſus humanos vlterius transferendum.*

Denique, ſi Epiſcopum Chriſma & oleum infirmorum benedicere & conſecrare videas, in balſamo Pollinctoris officium eum gerere cogita, qui vnguentis pretioſis gratiarum & auxiliorum diuinorum, corpora noſtra & animos deliniat, & à corruptione, poſt mortem myſticam in Baptiſmo illatam, nos præſeruare valeat; in oleo vero infirmorum, quo infirmitatibus animi & corporis medicina præſtatur, & contra mortis anguſtias munimur, videre licet mortem Chriſti conſerere manus cum morte per inuidiam diaboli introductâ in mundo, vt eâ deſtructâ, qui moriuntur mundo æternitati viuant, iuxta illud ſaluatoris; *Qui credit in me etiamſi mortuus fuerit viuet.* Quibus omnibus videre licet hanc ideam mortis conuenientiſſimam & aptiſſimam eſſe, ad denotandos præclaros effectus poteſtatis ordinis Epiſcoporum & Sacerdotum, quæ Chriſti Domini poteſtatis imago eſt & ſpecimen præclarum.

Quod diuerſi actus, etiam inferiorum ordinum, poſſunt optime per mortis imaginem adumbrari. §. 3.

Vt Chriſto viuamus proculdubio cuilibet vitæ ipſi contrariæ & oppoſitæ moriendum eſt: nam ſicut is, cuius aliquod corporis membrum paralyſi laborat, non poteſt dici actus omnes vitæ in omnibus ſuis exercere membris, quia præſuppoſito tali morbo, nec mouetur nec ſentit membrũ morbo laborans: & è contra, cuius cor adhuc palpitat, etſi cæteræ corporis partes quaſi mortuæ elangueſcant, nec moueantur, nec ſentiant, mortuus dici non poteſt. Ita dico duobus modis nos Chriſto non viuere perfectè: primò, ſi aliqua perfectio deeſt in actibus noſtris; ſecundò, ſi adhuc in corde retineamus aliquid charitati Chriſti oppoſitum: nec enim quis dici poteſt planè peccatum in ſe extinxiſſe, cuius adhuc appetitum aut deſiderium ſeruat. Viuificandi igitur ſunt omnes actus: & ad hoc præſtandum eliminanda ſunt omnia peccata, eradicandi & euellendi ſunt omnes mali habitus, & inordinati appetitus, vt quis poſſit cum Apoſtolo gloriari dicendo: *Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Chriſtus.* Hæc vita perfecta nobis myſticè ſignatur in functionibus quorumlibet ordinum. Etenim cum eorum diſtinctio aſſumi dixerimus ex D. Tho. ex ordine & relatione ad Euchariſtiam, quod quidem Sacramentum nos Deo vnit & perfectè coniungit, iuxta illud: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in eo*; Eo perfectius hac vitâ potiri poterimus, quo propiùs ad tantum Sacramentum digne percipiendum fuerimus diſpoſiti, moriendo actibus peccaminoſis, quibus Dei gratia excluditur. At quinam ſunt actus, quibus mori neceſſe eſt, vt actus vitæ ipſis oppoſiti nos Chriſto intimè coniungant, diſcemus, ſi functiones quorumliber ordinum in memoriam reuocemus, & eorum myſticam ſignificationem perſpexerimus.

Oſtiariorum eſt fideles admittere, infideles excludere. Moriamur infidelitati & incredulitati, vt fides mentem ſubeat, exhortante Apoſtolo Heb. 3. *Videte fratres ne forte ſit in aliquo veſtrum cor malum incredulitatis diſcedendi à Deo viuo, ſed adhortamini vosmetipſos per ſingulos dies, donec hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati: participes enim Chriſti effecti ſumus, ſi tamen initium ſubſtantiæ eius vſque ad finem firmum retineamus.* Initium autem ſubſtantiæ eius quodnam quæſo aliud eſt, niſi voluntatis propenſio ad adhærendum per fidem veritati reuelatæ à Deo per Eccleſiam? Definitur enim fides, *ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Heb. 11. Qui vult igitur credere, initium habet illius ſubſtantiæ diuinæ: nolle credere, eſt à ſe omnem ſpem ſalutis amouere. Moriendum igitur incredulitati, vt fide viuamus: ne excludamur à regno Dei, iuxta illud Apoſtoli ibidem, *Quibus autem iurauit non introire in requiem ipſius, niſi illis qui increduli fuerunt? Et videmus quia non potuerunt introire propter incredulitatem.*

Secundo viget in nobis, & quodammodo viuit quædam animi ſtupiditas ſeu mentis ſtupor, dum ab eo excitari nolumus: viget ac viuit faſcinatio quædam nugacitatis obſcurans bona, & inconſtantia concupiſcentiæ tranſuertens ſenſum ſine malitia, vt ait Sap. 4. Viuit illa vanitas de qua conqueritur Pſalmiſta cum ait: *Filij hominum vſquequo graui corde? Vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* Et ſtupori & ſenſuum faſcinationi, & concupiſcentiæ & vanitati moriendum, vt Chriſto viuamus. Hanc mortem infert cognitio diuinorum, quæ in functione Lectoris ſignificatur, cuius partes ſunt legere diuinas ſcripturas: *Quæcumque* enim, *ſcripta ſunt*, ait Apoſtolus Rom. 15. *ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.* Sed quia peccatum nos in ſeruitutem Dæmonis adegit, vt quodammodo captiui ad ipſius voluntatem, ad omne bonum opus reprobi, licèt quæ Dei ſunt cognoſcamus, ea amplecti nolumus, ideo oportet vt omnis operatio ſathanica in nobis extinguatur, quo Dei & ſanctorum Angelorum inſpirationibus, & monitis Paſtorum, & veritati propoſitæ obtemperemus. Ille fortis eſt armatus, qui à nobis ægre admodum diſcedit, niſi fortior aduenerit qui arma eius diripiat, ſpolia detrahat, & nos à poteſtate eius potenter eripiat. *Venit* enim *Chriſtus vt opera diſſoluat diaboli*, qui nos decipit mendaciis, circumuenit fraudibus, ſuis nos irretit inſidiis, vincula & compedes injicit, imo tyrannica poteſtate vtens plærumque & mentes & corpora obſidet, poſſidet, torquet, & variis diuexat tormentis, Deo ita permittente, vt videant fideles quantopere timere debeant incidere in manus tum crudelis inimici, qui crudelitate & malitia plenus, eos potiſſimum qui per peccatum eius ſubdantur imperio, ſuppliciis ac pœnis afficere gaudet. Moriatur igitur in nobis omnis operatio ſathanica, vt veritati cognitæ non repugnemus. Huius autem operationis malignæ Mors & interemptio ſignificatur in functione Exorciſtarum, ad quos pertinet dæmones repellere, & ſatanam conterere ſub pedibus, iuxta poteſtatem à Chriſto traditam cum ait: *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit.* Luc. 10.

Quarto vltra hæc extrinſeca impedimenta, quædam interna reperiuntur à concupiſcentia noſtra producuntia. *Ab ea*, inquit Mich. *quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui.* Dormit in ſinu noſtro concupiſcentia noſtra, & vt altera Dalila, Sanſonis fortiſſimi, nempe mentis noſtræ conſilia explorare pertentat. Si ſemel cum ea conſilia inire duxerimus, A nos ſuis illecebris ad ſibi optemperandum alliciet, ad noſtram proculdubio perniciem. Rectè enim Sapiens, Eccleſiaſtici c. 18: *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Vnde optimè Dominus ait, quod *inimici* ſunt *hominis domeſtici eius. In animam* autem *malenolam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Moriendum igitur omni inclinationi ſenſuum, omni inordinato appetitui ac deſiderio, & lumine viuido rationis & fidei, tenebræ mentis quas offundit concupiſcentia, ſunt diſſipandæ. De hoc præſtando nos admonet officium Acolythorum, qui candelabra & lumina geſtant, qui vaſa ad vinum & aquam contiB nenda parant. Si enim corpora & mentes ab omni concupiſcentiarum labe purgatas habuerimus, non deerit aqua compunctionis ad delendas peccatorum maculas; non deerit vinum diuinæ conſolationis, vt ad cæleſtia ſedulò adſpiremus, & rationabile erit obſequium noſtrum, ab omni fæce ac contagione carnis expurgatum. Sed hæc non ſufficiunt vt omnia impedimenta amoueamus, quibus impediri poſſet perfecta animi noſtri cum Chriſto conſenſio. Adhuc paſſiones veniunt mortificandæ, quæ vel ab obiectis externis quæ nos alliciunt, vel à philautia & amore inordinato quo nos ipſos proſequimur, excitantur & oriuntur. Conculcãda eſt illa ſuperbia vitæ, quæ Chriſti iugo ſubdi renuit, quæ ait Eccl. 5. *Quomoc do potui? Vel quis me ſubjiciet propter facta mea?* vt hac ratione tanquam vaſa quædam à Deo electa, ſeu tãquam *vaſa miſericordiæ, quæ Deus præparauit in gloriam*, Rom. 9. eius obſequio deſtinata & conſecrata, ipſi perfectè mancipemur. De hoc nos admonet Subdiaconi officium, qui dum Diacono obſequitur, ſuperbiam reprimit: dum Calicem vacuum Diacono præbet, cor noſtrum vacuum eſſe debere ab omni inordinato affectu monet; dum vinum præbet conſecrandum, omnia noſtra in Deum transformari inſinuat; dum Epiſtolam legit, paſſionibus moriendum eſſe denunciat, vt legi diuinæ ac præceptis diuinis obſequamur, ad hanc regulam omnes noſtras actiones commenſurando. Officium D igitur Subdiaconi proprium amorem, paſſiones & ſuperbiam mortificanda eſſe inſinuat, vt cum Dauide dicamus: *Humiliatus ſum vſquequaque Domine; viuifica me ſecundum verbum tuum*; & ſic mortis imaginem præ ſe ferre optimè poterit. Adhuc denique in duabus præcipuis animi facultatibus, intellectu & voluntate, aliquid eſt mortificandum, vt vera & integra ſit noſtra ad Dei obſequium conſecratio, nempe propria voluntas propriumque iudicium: cuius rei nos admonet tum officium Sacerdotis, tum Diaconi functio. Sacerdotis munus eſt conſecrare, & in holocauſtum offerre ſacroſanctum Domini Ieſu Chriſti corpus & ſanguinem, in qua perfecta conſecratione perfectam propriæ voluntatis abneE gatio ſignificatur. Debet enim quiſque fidelis ſeipſum Deo offerre in holocauſtum, itaut nihil ſibi reſeruare liceat propriæ electionis, vt iam non ſibi viuat, ſed ei qui pro eo mortuus eſt. Sed quia hoc fieri nequit, niſi lumine diuino animus illuſtretur, inſeruiat intellectus voluntati, eique miniſtret ad modum Diaconi, motiua & rationes à lumine fidei cui obſequitur exhauſtas, ſuppeditando: quibus voluntas ad amorem diuinum excitetur, nec enim poteſt voluntas ferri in proprium obiectum, niſi fuerit lumine colluſtrata. Sacerdotis igitur officium adimplet voluntas, ſeipſam & totum quod eſt in holocauſtum offerens. Diaconi officium implet intellectus fide imbutus, proprio iudicio renuncians, vt lumini fidei obſequatur, & voluntati rationes proponat, quibus ad ſeipſam Deo offerendam mo-

Digitized by Google

ueatur. Et cum ſacerdotis officium in conſecratione Hoſtiæ mortem Chriſti annunciet, & Diaconi officium in diſpenſatione ſanguinis, eiuſdem mortis memoriam fidelibus ingerat, vel cum panem & vinum offert conſecrandum, & à ſacerdote conſecrantur, per hanc tranſmutationem, qua panis & vini ſubſtantia deperditur, illius eſſe (quod vita quæque dat viuentibus) deperditio rite ſignificatur, vtrumque officium mortificationis propriæ voluntatis & iudicij nos admonens, per mortis figuram & ideam repreſentari & exprimi poterit.

Notandum autem nos has cooperationes gratiæ Dei explicare hic per reſpectum, ſeu relationem ad vitium aut peccatum cui mori neceſſe eſt; non per relationem ad infuſionem gratiæ aut actus vitæ ſupernaturalis, quod partium noſtrarum ſit remouere: prohibens vt diſpoſitione quadam negatiua, nos ad eam recipiendam præparemus: videlicet cum peccata fugiendo diſpoſitioni poſitiuæ, nempe cæleſti inſpirationi, locum damus, tanto libentiùs recipiendo irradiationem diuinam, aut Spiritus ſancti impulſionem, quantò longiùs arcetur à nobis peccatum, quo fugatur gratia & Spiritus ſancti inſtinctus. Nam ſicut in naturalibus, agens naturale in generatione hominum vſque ad vltimatam diſpoſitionem materiæ progreditur, vimque ſuam exerit vt forma introducatur, animam autem minimè producit, (ſi quidem à Deo immediatè creatur & infunditur, quamuis cooperetur cauſæ principali in vnione formæ cum materia, cum corpus diſponit vt aptum ſit & idoneum ad talem formam excipiendam) ita ſi ſuper naturali auxilio adiuti primam gratiam excipimus, qua actiones noſtræ in ordinem ſupernaturalem tranſeant, vt eiuſdem ſint ordinis cum forma, nempe cum gratia diuina, poſſumus animam præparare, vt ſit veluti quoddam ſubjectum ritè diſpoſitum ad gratiam excipiendam, deteſtando & abhorrendo peccata, licèt Deus ſit qui immediatè gratiam infundat ad libitum. Illius enim infuſio ex gratuita eius bonitate pendet, & eam dare aut denegare poteſt prout voluerit; nec enim nobis debetur niſi pro bona voluntate ſua, & vt ſtet promiſſis quibus liberrimè ſe adſtrinxit, nullo ad hoc eum cogente aut impellente. Cum igitur ea perficimus quæ vult & inſpirat, & gratiæ illius conſenſum præbemus, ſeu inſpirationi cooperamur aſſenſu noſtro, noſtra cooperatio potius reſpicit remotionem peccati per eius horrorem & deteſtationem, quàm infuſionem quæ ſe tenet ex parte Dei. Hinc potiùs hanc cooperationem explicamus ſecundum illum reſpectum ad inclinationem mali & deſtructionem peccati, quo ſpiritus vitæ fugaretur à nobis, quàm per relationem ad donum gratuitum gratiæ iuſtificantis: quod quidem licèt in nobis ſit & à nobis excipiatur, non eſt tamen à nobis ſed à Deo omnium bonorum largitore liberaliſſimo. Et hæc eſt ratio cur hos effectus gratiæ, in functionibus ordinum adumbratos, ſub figura Mortis rite exprimi dicamus. Siquidem deſtructionem mali, & peccati reſpicimus, non gratiæ infuſionem, quæ ex parte Dei ſe tenet.

Quod propter iuriſdictionem fori interioris, figura Mortis ad ſacerdotium repræſentandum ſit aptiſſima. §. 4.

Non ſolum mortis figura ſacerdotio conuenit, propter realem Chriſti mortem, quam in Miſſæ Sacrificio repreſentat; ſed etiam propter quamdam mortem myſticam, quam peccator ſubit, cum peccatis moriendo incipit viuere iuſtitiæ, juxta illud Apoſtoli Petri 6. c. 2. *Tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè, qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, vt peccatis mortui iuſtitiæ viuamus.* Quam quidem mortem infert ſacerdos, cum gladio linguæ, abſoluendo à peccatis, peccata reſcindit & delet. Cum igitur per Sacramentum Pœnitentiæ & abſolutionem ſacramentalem, peccata in nobis illud eſſe peſſimum minimè obtineant, quo à Deo peccatis viuentibus auertimur, & ad creaturas conuerſi ipſum offendimus, reique efficimur mortis æternæ, optimè peccatis ſublatis & deletis dicimur mori, ad aliud eſſe conuerſionis ad Deum & gratiæ tranſlati.

Mors v. g. corporis aduenit, cum anima à corpore ſeparata priuatur corporis actionibus organicis, nempe functionibus facultatum, ſenſuum, & appetituum, itaut tale corpus non amplius ſentiat aut moueatur propter abſentiam formæ; Pari ratione in morte myſtica quædam forma, aut ſaltem aliquid quod ad modum formæ concipimus, aufertur à nobis, quod quidem ipſo vigente & animæ potentias informante, nos ad quaſdam actiones peccaminoſas & culpabiles inclinat, animam deturpat, cum circa obiecta illicita vel modos agendi indecoros ac indecentes potentiæ noſtræ occupantur. Quod cum fit peccato viuere dicimur. Regnat quippe peccatum in noſtro mortali corpora, cum potentiæ & facultates circa obiecta illicita verſantur. Quidquid igitur in nobis peccatum deſtruit, quidquid facultates ab illis objectis auellit & ſeparat, quorum fruitione anima ream ſe coram Deo exhibebat, interimere peccatum dicitur quod in anima viuebat, dum voluptatibus illicitis à Deo auerſa vacabat. Hoc ſenſu dixit Apoſtolus: *Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Baptiſmum quippe recipimus vt moriamur, aliam viuendi rationem ineuntes. Ad aliud noſtras referimus actiones; aliæ ſunt mentis noſtræ cogitationes, alia conſilia, alij affectus, aliæ actiones: qui enim peccata, voluptates carnis, mundi vanitatem, ſeculi gloriam, terrenas diuitias inquirebant, nunc peccatis deletis Deum inquirunt, iuxta illud Prophetæ? *Quærite Deum, & viuet anima veſtra,* itaut vt ait Paulus: *Et vos exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato, viuentes autem Deo in Chriſto Ieſu Domino noſtro: Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore vt obediatis concupiſcentiis eius: ſed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis, ſed exhibete vos tanquam ex mortuis viuentes, & membra veſtra arma iuſtitiæ Deo.* Hac ratione vult Paulus vt vitiis & peccatis moriamur, vt & habitus vitiorum & actus peccaminoſos eradamus: quod quidem cum per pœnitentiam & ſacramentalem abſolutionem obtineamus, non malè ſacerdos, qui per abſolutionem actualia peccata reſcindit, mortis nomen ab effectu poterit vſurpare.

Et infernus ſequebatur eum: & data eſt illi poteſtas ſuper quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, morte & beſtiis terræ.

De poteſtate iuriſdictionis in foro externo, propter quam etiam mortis figuram Eccleſiæ Paſtores induere poſſunt. §. 5.

Infernus ſequitur: quia qui vti nolunt poteſtate Eccleſiæ tradita, eiuſque ſalutaria documenta, aut inſtituta, aut Sacramenta negligit, per incredulitatem, contumaciam, audaciam, aut impiam temeritatem, pœnas ſe inferni ſubiturum eſſe certo ſciat. *Qui enim non credit iam iudicatus eſt.* Qui Eccleſiam non audierit, tanquam ethnicus & infidelis eſt reputandus. Qui à ſuis obligationibus declinauerit, adducetur cum operantibus iniquitatem. Qui ma-

Digitized by Google

lus ſeruus dixerit: *Moram facit Dominus meus venire*; *& cæperit percutere conſeruos ſuos: & manducare & bibere cum ebrioſis*; Id eſt, Qui iniuſtè erga proximum ſe geſſerit, & genio indulgere, ac concupiſcentiis ſuis obedire voluerit, *veniet Dominus ſerui illius in die qua non ſperat, & hora qua ignorat: & diuidet eum*, id eſt, animam à corpore ſeparabit, *partemque eius ponet cum hypocritis: illic erit fletus & ſtridor dentium.* Matt. 24. Hac ratione infernus ſequitur mortem; quia Dei & Eccleſiæ contemptores ad pœnas inferni deſtinantur. Hinc Eccleſia cum obedientiam exigit, quæcumque ſeriò iniungit, ea præcipit vel ſub obteſtatione diuini iudicij, aut indignatione omnipotens Dei, vel interminatione maledictionis æternæ? Ac ſi diceret: niſi mori volueritis peccatis & vitiis, meis obtemperando conſiliis, monitis, præceptis, documentis, infernus ſequetur qui vos deglutiat.

Notandum autem primò, duo genera mortis myſticæ, hic ritè adumbrari: per gladium quippe primò poteſt ſignificari illa mors myſtica, quæ obuenit cum quis gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei, transfixus, peccato & erroribus moritur; per famem, (famem nempe iuſtitiæ) occidit ſeu moritur malitiæ; per morbos & infirmitates varias ac mortem corporalem, quam ſubire neceſſe eſt, moritur homo inordinato vitæ corporalis ac rerum temporalium amori; per paſſionum humanarum perturbationes, & timorem beſtiarum ferocium, (quæ iuxta naturæ ordinem potius nos pertimeſcere debebant) ſuperbiæ & elationi mentis.

Secundò, aliud genus mortis myſticæ his verbis poteſt ſignificari: Per gladium mors illa ſignificatur, qua quis moritur, cum per gladium excommunicationis à cœtu viuentium & fidelium communione reſecatur. Per famem, cum quis per ſubtractionem Sacramentorum aut verbi Dei, non amplius pane nutritur cæleſti; per mortem, cum quis à gratia excidit, cum in varia ac diuerſa peccati mortiferi genera incidit; per beſtias, cum quis ita appetitibus carnis ſuccumbit, vt in ſe omnem conſcientiæ ſyndereſim, & diuinæ inſpirationis motum extinguit.

Notandum ſecundò, non ſolum de morte myſtica hunc locum poſſe intelligi, ſed etiam de morte corporali, tam circa electos, quàm circa reprobos: circa electos, cum quis gladio occiditur pro Chriſto; vt Paulus; fame necatur, vt plurimi qui in carceribus à tyrannis fame extincti ſunt; Morte, vt ij qui per diuerſa mortis genera obierunt pro Chriſto, de quibus Apoſtolus Heb. 11. *Alij ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres: lapidati ſunt, ſecti ſunt, &c.* vel quorum patientia per infirmitates, & tribulationes plurimas probata exiſtit; tandem beſtiis, vt qui beſtiis diſcerpendendi expoſiti ſunt, vt S. Ignatius.

Circa verò reprobos, quia Deus eorum crimina non tam caſtigat, quia corrigi aut emendari nequeunt, quàm punit, vt ſint in exemplum aliorum, cum ſuboriuntur bella, fames immittitur, peſtes & morbi incurabiles graſſantur, beſtiæ immittuntur, vt tandem queant mortales agnoſcere eam temeritatem, qua naturæ autorem audent ad iram prouocare, & hoſtem ſibi comparare variis & atrocioribus criminibus, eum identidem in ſe irritantes: quæ omnia ex variis hiſtoriis facilè poſſunt demonſtrari.

Notandum tertio, iuriſdictionem fori externi duas potiſſimùm habere functiones, quarum quædam ſalutares ſunt, aliæ autem pœnas infligentes: quibus præſuppoſitis,

Dico primò, functiones ſalutares iuriſdictionis Eccleſiaſticæ in foro externo, ad quatuor poſſe reduci. Prima eſt prædicatio verbi, quæ miſſionem legitimam in foro externo Eccleſiæ requirit. Secunda: Autoritas condendi leges ad regimen politicum Eccleſiæ. Tertia: Autoritas iudicandi quaſcumque cauſas fidelium, in his quæ ſunt iuris aut foris Eccleſiaſtici. Quarta: Præceptio & iniunctio obediendi Prælatis ac Paſtoribus, etiam malis & dyſcolis, in his quæ ad ſalutem conducunt: quæ omnia per gladium, famem, mortem & beſtias terræ, ritè adumbrantur. Nam prædicatio verbi per gladium ſignificatur, dicente Paulo Heb. 4. *Viuus eſt enim ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio anciſpiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus.* Quicumque igitur verbum Dei annunciat, habet poteſtatem interficiendi per gladium; Et fame, ecce autoritas condendi leges, inter quas quæ occidere dici poſſunt, illæ ſunt quæ carnis appetitus cohibent. *Nemo*, inquit Paulus, *carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fouet eam.* Epheſ. 5. Difficilia igitur ſunt quæ carnem macerant, & fame quodammodo enecant, vt ſunt ieiunia, quæ Eccleſia præſcribit, vt in Concilio Trid. Seſ. 25. *inſuper hortatur ſancta ſynodus, & per ſanctiſſimum Domini noſtri atque ſaluatoris aduentum Paſtores obteſtatur, vt tanquam boni milites, illa omnia quæ ſancta Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum mater & magiſtra ſtatuit, nec non ea quæ tam in hoc Concilio quàm in aliis œcumenicis ſtatuta ſunt, quibuſcumq; fidelibus ſedulò commendent, omnique diligentia vtantur, vt illis omnibus, & iis præcipuè ſint obſequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, vt ciborum delectus, & ieiunia, vel etiam quæ faciunt ad pietatem augendam, vt dierum feſtorum deuota & religioſa celebratio.* Ita Concil. Quo diceres Eccleſiam fame enecari deſiderare carnem, cum ieiunia quæ carnem mortificant præcipit eſſe ſedulò ſeruanda.

Addit S. Ioannes, *Et Morte.* Mors ſeparatio eſt duorum. Cum igitur aliquid amamus, ſi ab eius amore ſeparari contingat, erit hæc ſeparatio quædam mors myſtica. Talem mortem ſubeunt, qui vt Eccleſiæ obediant & decretis Paſtorum ſuorum, quæ iniuſte rapuerunt reſtituunt; beneficia, quæ malis artibus obtinuerunt, dimittunt: vxores, quibus indebitis modis adhæſerunt, relinquunt: quorum quidem omnium adimpletio ſaluberrima eſt, nec alia ratione ſalus ſperanda foret, niſi iuſtis Eccleſiæ decretis obtemperarent.

Denique dicitur: *Et beſtiis terræ. Beſtiæ terræ*, inquit ſylua allegoriarum, *ſunt homines ferocitate ſuperbientes, & in vniuerſum beſtia eſt homo affectus beſtiales habens, & mens irrationabilibus deſideriis ſubdita, & peccator indignus, qui tangit montem quum venit ad ſtatum ſacerdotij.* Hæc ſylua all. Cum igitur quis malis Prælatis & peccatoribus obedit, propter Chriſtum occiditur quodammodo myſticè, proprium iudicium aut propriam voluntatem deponendo, vt prælatos etiam peccatori, id eſt, beſtiæ obediat. Præcipit quippe Petrus vt ſubditi ſimus Dominis, *Non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis*, & Concil. Trid. obedientiam Prælatis inculcando, indiſtinctè loquitur, nec diſtinguit malos à bonis, cum Seſſ. 25. de delectu ciborum ait: *Admonentes populum crebrò, obedire præpoſitis ſuis, quos qui audiunt, Deum remuneratorem audiunt; qui verò contemnunt, Deum ipſum vltorem ſentient.* Hæc Conc. Damnauit quoque Eccleſia Vuiclefum eiuſque ſectatores, qui aſſerebant Prælatos aut Dominos, eo ipſo quo peccatum mortale committebant, ab omni autoritate aut Dominio eſſe eliminandos, & à ſua poteſtate excidere. Cum igitur malis æquè ac bonis, in his quæ ſunt ſui iuris obedire debeamus, ecce quomodo aliqua ratione à beſtiis terræ interficiendi ſumus, cum noſ-

Digitized by Google

metipſos abnegamus, vt eorum mandatis obediamus. Obediendum igitur aliquando iis qui tanquam vulpeculæ aſtutè agunt, & per ſimonias in ouile intrauerunt: Lupis rapacibus, nempe auaris, qui ſalutis ouium curâ depoſitâ, modò pellem detrahant, & lanam & bona eorum inuadant, de aliis minimè ſunt ſolliciti: Leonibus, qui non forma facti gregis ex animo, Dominatum ambitioſè appetunt, ac tyrannice ſubditos regere non pertimeſcunt: Porcis immundis, nempe iis qui voluptatibus ac gulæ dediti, vitam ſuibus ſeu porcis fætidiorem tranſigunt. Certe qui talibus obediunt, dici poſſunt à beſtiis interfici. Salubriter tamen, quia cum quæ Eccleſia præcipit inculcant, pro noſtra obedientia mercedem reportaturi ſumus à Domino copioſam.

Dico ſecundò: etiam pœnas, quas Eccleſia pro delictis puniendis aut impediendis infert, ritè poſſunt per gladium, famem, mortem, & beſtias terræ ſignificari. Nullus qui Catholicus ſit negare poteſt Eccleſiæ fuiſſe à Chriſto collatam autoritatem ligandi æque ac ſoluendi, retinendi æque ac remittendi, ſeparandi à communione fidelium æquè ac aggregandi, excludendi à regno cælorum æque ac introducendi, ſubtrahendi bona ſpiritualia æque ac ea elargiendi: qui enim Eccleſiæ non obedit, Ethnicus ac publicanus cenſendus eſt; id eſt, ſicut apud Iudæos, Ethnici ac publicani ab eorum cœtu & communione ſegregabantur, ita qui Eccleſiæ contumax eſt, à cœtu fidelium eſt amouendus, eique dicendum quod dixit Petrus Simoni Mag. Act. 8. *Non eſt tibi pars neque ſors in ſermone iſto.* Eccleſia quippe quædam eſt reſpublica optimè ordinata, quo fit vt ſicut principes à regnis, ciuitatibus & Rebus publicis eliminant & exturbant perturbatores, ita Eccleſiæ rectores ab eius ſinu expellere debent eos, qui aliis ſcandalo ſunt aut nocumento ſpirituali, iuxta illud Apoſtoli 2. ad Theſſ. c. 3. *Quod ſi quis non obedit verbo noſtro per Epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, vt confundatur.*

Tria autem ſunt genera cenſuratum quibus delicta compeſcuntur, iuxta Doctores & Summiſtas, videlicet excommunicatio', ſuſpenſio, interdictum, vt colligitur ex cap. ſtatutum de Sentent. excommunicationis in ſexto. Quælibet verò cenſura pœna eſt medicinalis, quæ immediate & per ſe impedit vſum bonorum ſpiritalium: & licet ita imponatur ab Eccleſia, iuxta poteſtatem ſibi collatam, vt de ſe non ſit perpetua, cum tolli queat peccatore emendato, & ad melius couerſo, nihilominus etiam infligitur, etiam ſi reus corrigi negligat, nec de facto emendetur: tum vt puniatur delictum, tum vt alij à ſimilibus perpetrandis deterrentur pœnæ timore, tum denique vt peruerſis à cœtu aliorum excluſis, alij immunes ſint ab hac contagione, nec in eorum crimine aut pœnis inuoluantur: quo fit vt etiam cenſuræ iſtæ adhibeantur, licèt ij contra quos adhibentur, deteriores exinde euadant, cum vtilitas publica bono particulari ſit meritò anteponenda. Præter illa tria cenſurarum genera, adhuc reſtat quoddam genus pœnæ, quæ emendationem peccatoris minimè reſpicit, ſed tantum directè criminis vindicationem; nec immediate aufert vſum bonorum ſpiritalium, ſed inhabilitatem talis vſus inducit, quo fit vt illæ pœnæ ex inſtitutione ſua ſint ac debeant eſſe perpetuæ: talis eſt irregularitas ex delicto prouenies, depoſitio ac degradatio.

Definitiones autem ſeu deſcriptiones harum cenſurarum ſeu pœnarum hic ſunt reponendæ, vt melius videamus qua ratione poſſint per gladium, famem, mortem & beſtias deſignari. Excommunicatio, v. g. cenſura eſt Eccleſiaſtica, quæ directè aufert fidelium communionem, ſeu excludit directè ab eorum cœtu, ſiue abſolutè à qualibet communione, vt maior excommunicatio; aut ſaltem à communione paſſiua, quæ conſiſtit in perceptione Sacramentorum. Excommunicatus igitur priuatur poteſtate adminiſtrandi aut ſuſcipiendi Sacramenta, Eccleſiæ ſuffragiis, & omni fructu aut emolumento, quod prouenire poteſt ex ſacrificiis, orationibus miniſtrorum publicorum Eccleſiæ, ſiue per modum impetrationis, ſiue per modum ſatisfactionis: alias hoc emolumentum percipere poſſent. Prohibet ſiquidem Eccleſia ne pro talibus preces inſtituantur, aut ſacrificia offerantur. Hæc autem attingo vt meam mentem explicare valeam, non autem ad amuſſim, & quaſi ex profeſſo, iſta in medium adduco.

Suſpenſio eſt cenſura Eccleſiaſtica, qua quidem is qui in ordine clericorum eſt coaptatus, priuatur vſu poteſtatis quæ ordini ſuo propria eſt, ſiue quæ ratione beneficij aut officij ſibi competit: & ſolos clericos hæc cenſura reſpicit; aliquando ſuſpendit ab executione officij & beneficij fruitione, ſicque totalis eſt; aliquando à ſola executione officij, aut à ſola beneficij fruitione.

Interdictum Cenſura eſt Eccleſiaſtica, qua prohibetur ne officia diuina publicè recitentur, ne quædam Sacramenta adminiſtrentur, & ſepultura etiam Eccleſiaſtica vetatur, in quantum hæc omnia bonis ſpiritualibus conjunguntur, eiſque participant; quo fit vt ratione interdicti, qui eo afficiuntur aut in eo includuntur nequeant diuinis adeſſe officiis, aut certa recipere Sacramenta. Et notandum Eccleſiam in interdicto propriè aliis non auferre quod iure habent aut poſſident, ſed tantum eis ſuum denegat aut ſubtrahit miniſterium, aut res quarum diſpenſatio ipſi commiſſa eſt à Chriſto, his qui interdicto feriuntur nolens adminiſtrare aut Sacramenta, aut diuina officia, aut ſepulturam Eccleſiaſticam, ab earum rerum adeptione repellendo eos qui interdicantur, vt ſua tueatur iura, eaque ſarta tecta ac integra conſeruet. Per diuina autem officia, Confeſſio Sacramentalis, celebratio publica Miſſarum, laudum diuinarum & orationum publicæ ac ſolemnes recitationes intelliguntur, à quibus præcipuè excommunicati & interdicto innodati amouentur.

Irregularitas quædam eſt inhabilitas à iure Canonico introducta, quæ directè & per ſe impedit receptionem ordinum, & indirectè eorum ordinum vſum qui iam fuerunt recepti. Depoſitio ſeu degradatio pœna eſt Eccleſiaſtica, qua Clericus in perpetuum priuatur officio aut beneficio Clericali ſolo, priuilegio fori ſeu canonis remanente, ſi tantum verbalis fuit: at ſi realis, ſeu ſi ſolemni ritu, quibuſdam adhibitis ceremoniis Clericus fuerit ſacerdotalibus indumentis priuatus, etiam aufertur Clericale priuilegium, & ipſe Clericus traditur brachio ſeculari plectendus, vt iuxta rigorem legum & iuſtitiæ miniſtrorum ſeuerè in eum animaduertatur: Rationi autem valde conſentaneum eſt, vt ſacerdos deponatur, & è gradu ſuo dejiciatur, antequam in eum iudex ſecularis animaduertat: nec enim decet vt qui Epiſcopatu aut Sacerdotio alijs præeſt, ab ouibus ſibi ſubditis iudicetur aut condemnetur. Quod quidem eſſet, ſi à ſeculari iudice ante degradationem pœnæ addicerentur. Hac de cauſa vbi lex ſolummodo conſtituit ne iudex Clericum condamnet, antequam fuerit ab Epiſcopo degradatus, quamuis ei concedat vt de cauſa criminali cognoſcat, lex Canonica eos eximit abſolutè & ſimpliciter à poteſtate iudicis ſecularis, etiam in cauſis criminalibus, cui Legi Canonicæ imperialis faſces ſubmittere debet; poteſt enim imperatoribus

leges

leges dare ſummus Pontifex in iis quæ ad Eccleſiæ autoritatem ſpectant, vt docet Becanus cap. 26. de Sacram. Ordinis. At ſtatim atque Clericus degradatus eſt, licet iudici ſeculari liberè agere contra ipſum. His præſuppoſitis,

Dico quod rectè excommunicatio exprimitur per gladium. *Si quis autem*, inquit Vrbanus 24. q. 3. c. Paternarum Tradit. *contra hoc facere præſumpſerit & poſtquam facinus ſuum recognouerit, intra dictum trigintа ſpatium competenter non emendauerit, à liminibus Eccleſiæ arceatur, & anathematis gladio feratur.* En excommunicatio gladius dicitur, & aliquos gladium tenentes exiſtimares cernere, cum audis S. Hieron. in epiſt. ad Galat. c. 5. clamantem: *Reſecanda ſunt putridæ carnes, & ſcabioſa ouis à caulis repellenda.*

Pari ratione ſuſpenſio ab officio & beneficio, fame ſignificatur. Hac ſiquidem pœna ſubtrahitur Clerico prouentus, quæ ab executione officij aut à beneficio ei ad victum proueniunt.

Eadem dic de interdicto, quod ſub hac fame comprehendere poſſumus. Res quidem diuinæ ſubtrahuntur iis, qui iuſtitiæ fame laborant, quibus non adminiſtrantur Sacramenta, quæ deuotè ſuſcipere exoptarent, nec eis diuinis laudibus intereſſe conceditur, quamuis eas audire ardenti deſiderio concupiſcerent.

Irregularitas mors quædam dici poteſt: eſt enim quædam incapacitas ſeu inhabilitas, qua vel principium functionum Eccleſiaſticarum ſeu earum exercitium impeditur; & ſicut qui nullas eliceret actiones vitales mortuus diceretur, ita mortuus dici poteſt irregularis, qui nullam actionem Eccleſiaſticam elicere poteſt.

Denique per beſtias terræ pœnam degradationis intelligo, qua quis brachio ſeculari traditur, vt carnifici aut tortori tradatur torquendus & excarnificandus: quod cum neſcio quid ſæuitiei redoleat ab humanitate alienum, per beſtias exprimi rectè potuit; itaut ſicut S. Paulus tradidit Corinthium illum dæmonibus in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fieret in die iudicij, ita Eccleſia degradatum tradat tortoribus puniendum, vt ipſi & aliis proficiat; huic cũ pœnas debitas eum ſubire cogit, ne pœnas æternas cogatur tolerare; aliis, eos à tali crimine deterrendo per ſupplicia, quibus illud crimen proſequitur.

Nec talem interpretationem reſpuere debemus, ex eo quod has beſtias interpretemur modò malos prælatos, modò tortores ſeu carnifices, modò dæmones: hanc enim interpretandi rationem ex S. Auguſtino in Pſal. 103. aſſumo, cum ait: *Ipſum Leonis nomen Dominum ſignificat, quia vicit Leo de tribu Iuda; & diabolum, quia, Conculcauit Leonem & Draconem.* Et paulo poſt: *Ab eadem litera incipit nomen Dei, à qua incipit nomen Diaboli: & nihil tam diſtinctum quam Deus & Diabolus. Vide ergo quàm abſurdus eſt à rebus & humanis & diuinis, qui dixerit: D. litera ſingularis: non debet habere in capite nomen diaboli. Et cum quæſieris, quare? Reſpondeat, ego in nomine Dei legi iſtam literam. Ridetur iſte, nam nec talis eſt, cui digneris reddere rationem. Nolite tam pueriliter ſapere etiam iſta diuina, vt forte aliquis veſtrum, quia dixi ſuperius beſtias ſyluæ ſignificare gentes, modo autem dico beſtias ſyluæ ſignificare dæmones & Angelos prænaricatores, putet me iis aliquid contrarium dicere. Similitudines enim ſunt, & in quocumque loco ſunt, circumſtantia ſui exponuntur.*

DE QVINTO SIGILLO,
Et cum aperuiſſet ſigillum quintum.

In hoc ſigillo quinto agitur de Sacramento altaris.

ANNOTAT. I.

CVM Sacramentum Ordinis duas potiſſimùm complectatur poteſtates, quarum intuitu aliæ ſibi competunt, vt pote ad has duas ordinatæ, nempe poteſtatem conſecrandi corpus & ſanguinem Chriſti, aliam poteſtatem ligandi aut ſoluendi, remittendi aut retinendi peccata; optimâ ratione poſtquàm quæ ſunt Sacramenti Ordinis tetigimus, occurrit Euchariſtiæ Sacramentum, & deinceps ſub ſigillo 5. Pœnitentiæ; Sacramentum. At de Euchariſtia priùs. Poteſtas quippe quæ exercetur in corpus Chriſti myſticum in Pœnitentiæ Sacramento, pro fundamento habet poteſtatem in corpus Chriſti verum & reale, qua vtuntur ſacerdotes, cum eius corpus & ſanguinem conficiunt: & hac ratione clarè perſpicitur nos optimum ſeruare ordinem in explicandis his ſigillis, ſecundum eas operationes quas operatur Chriſtus in Eccleſia, ad gloriæ ſuæ manifeſtationem. Nam cum Eccleſia vnum ſit corpus ex capite & membris conſtans (lege Cyprian. epiſt. 9. l. 4.) cum tria requirantur vt quis huius corporis membrum ſit myſticum. 1. vt baptizetur, Baptiſmus quippe primum eſt legis nouæ Sacramentum, & veluti ianua cæterorum, ſeu clauis qua ingreſſus conceditur in Eccleſia, iis qui hanc legem profiteri volunt; oportuit primam operationem Chriſti in Eccleſia illam eſſe, quæ per Baptiſmum adimpletur, fidem nempe quam in Baptiſmo ſuſcipimus. *At quia*, vt ait Apoſtolus, *corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem*, rectè ſecundam operationem eſſe diximus eam, quæ in Confirmationis Sacramento perficitur, nempe quoddam animi robur ad ipſam fidem ore & opere profitendam.

Secundò, vt quis huius corporis membrum ſit, non diſſonum ac diſconueniens, ſed aptum ac pulchrum, oportet vt is qui in membrum Eccleſiæ coaptatur, velit legi Chriſtianæ in omnibus obtemperare. Putridum quippe membrum eſſet & reſecandum, qui ſpiritu totam Eccleſiam viuificante animari non poſſet: atqui ſpiritus quo Eccleſia viuificatur eſt vt legi Dei ſit perfectè ſubiecta, docendi quippe fuerunt baptizati ſeruare omnia quæcumque mandauit Chriſtus: qui igitur ea ſeruare abnueret, dignus plane eſſet qui à corpore reſeraretur. De qua perfecta obedientia legi Chriſtianæ egimus in tertio ſigillo.

Tertio requiritur vt quodlibet membrum à capite dependeat, & ab eo influxum, ſenſus & motus recipiat, quam operationem ob oculos poſuimus, cum de Sacramento Ordinis & excellenti poteſtate Chriſti egimus in quarto ſigillo. Quæ quidem tria cum quatuor bona ſibi annexa obtineant, nempe communionem omnium bonorum, quam omnia membra ad inuicem obtinent, iuxta illud, *Particeps ego ſum omnium timentium te, &c.* Secundum, vt ſi aliquando ab exercitio ſibi præſcripto vnumquodque deficiat, remiſſâ ei tali culpâ in gratiam poſſit redire: Tertium, reſurrectionem mortuorum; quartum ſpem vitæ æternæ; vnde ſtatim atque in ſymbolo diximus, *Credo ſanctam Eccleſiam, Catholicam*, hæc quatuor ſubiungimus. Conuenienti ordine hæc omnia pertractantur, cum in quinto ſigillo de communione ſanctorum agitur; in ſexto, de pœni-

tentiæ Sacramento & remiſſione peccatorum ; in cap. 7. de perfectione & conſummatione ſanctorum in gratia, qua gloriam æternam conſequantur, ad quam præparantur per Sacramentum Extremæ vnctionis, de quo agitur in initio capitis octaui : vnde patet quàm optimo ordine Chriſti operationes in Eccleſia à S. Ioanne proponuntur. Sigillum autem dicitur hoc Sacramentum, vt alia Sacramenta, primo quia ſub paruis elementis res occultatur magna. Secundo : Quia eſt conſeruatio vitæ ſpiritualis. Poſuit enim Dominus hanc menſam in conſpectu noſtro, aduerſus omnes qui tribulant nos : & ipſe eſt panis, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit vt ait Ambroſius. Tertio : Quia eſt Dominationis ſignificatio : tanto enim conſignati Sacramento, Chriſti imaginem induentes, cuius Domini ſimus facilè conſpicitur : quin & in inſtitutione tanti Sacramenti, Chriſtus ſe autorem & conditorem rerum omnium eſſe declarauit : ad eum enim pertinet naturas rerum pro arbitrio mutare ac tranſſubſtantiare, cuius eſt illa condere ac creare. Ad horum intelligentiam conſule quæ ſupra diximus de ſignificatione ſigilli.

Vidi ſubtus altare animas interfectorum, &c.

De myſterio huius ſymboli.

ANNOTAT. II.

Idea ſymboli. §. 1.

VIDET S. Ioannes, per viſionem ſymbolicam, quoddam altare prægrande, omnium altarium, ſuper quæ offertur Miſſæ ſacrificium, ſymbolum præclariſſimum ; & ſubtus illud altare *animas interfectorum propter Verbum Dei, & propter teſtimonium quod habebunt* : Quia ſecundum corpus, ſub altaribus in quibus offertur Miſſæ ſacrificium, reconduntur illorum corpora ac reliquiæ, vt ſit ſynecdoche, ſcilicet vt pars ponatur pro toto, nempe aliqua corporis pars, pro reliquo corpore & anima hominis. Clamare ipſi videbantur, ac ſi animæ eorum iam corpora reſumpſiſſent, dicentes : *Vſquequo Domine ſanctus & Verus, non iudicas ſanguinem noſtrum de iis qui habitant in terra.* Cum talia fantur, ecce videntur dotati ſingulis ſtolis albis, *& dictum eſt illis Vt requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſerui eorum & fratres eorum qui interficiendi ſunt ſicut & illi.*

Quodnam ſit myſterium ſub hoc ſymbolo reconditum, nempe ſanctorum communio. §. 2.

Multis certe nominibus hoc Sacramentum indigitatur, vt notat S. Tho. in Opuſcul. de Sacramento : dicitur verus panis, quia animam ſatiat, delitiarum & illecebrarum mundi nauſeam ingenerans ; quia confortat mentem ad peccata expugnanda, vim ac virtutem tribuens ; quia vitam conſeruat, ad Dei laudes decantandas animis vigorem elargiens. Dicitur altaris Sacramentum, quia in mundo peccata relaxat, in purgatorio pœnas mitigat, in cœlo auget gloriam, cum ſpecialem animæ beatorum concipiant lætitiam, ex intuitu tanti Sacramenti, ob memoriam redemptionis ac noſtræ ſalutis, & admirationem diuinæ boniratis. Dicitur Sacramentum pietatis, ob participationem Spiritus ſancti, ob Chriſti Domini in nobis manſionem, ob transformationem quamdam in ſimilitudinem imaginis Dei, cum rectitudine cordis, pietate operis, regni cæleſtis hæreditatem conſequimur. Dicitur Medicina, quia intellectum ab errore & ignorantia repurgat, quia malam concupiſcentiam ſanat, quia A mortem corporalem & ſpiritualem deſtruit & expugnat. Dicitur Manna, quod quidem ſaporem frumenti, mellis & olei continebat, quia vt frumentum melior eſt terræ cibus & corporibus nutriendis conuenientior, morum honeſtatem inducit ; vt mel ſuauitatem cordis ingerit, vt oleum pietatem erga proximum cauſat, qua proximos ſatiari ac refici curemus, noſtra debita exſoluimus, nempe vt illa vidua Elizei 4. Reg. c. 4. nobiſque ipſis animi quamdam refectionem procuramus. Dicitur tandem Euchariſtia, id eſt, bona gratia, quia nos Deo aſſimilat, nos eidem reddit amicos & commenſales, quia vitam dat æternam digne illam ſuſcipientibus : qua quidem ratione in Chriſtum quodammodo transformamur, itaut dicere liceat : *Viuo ego iam non ego,* B *viuit vero in me Chriſtus.* Nam ſicut amor amantem, in rem amatam quadam ratione tranſmutat, vt magis ſit anima vbi amat, quam vbi animat, ita per amorem, & charitatem magis in Chriſto ſumus quam in nobis ipſis : ad quod nos prouocabat Cantic. 8. dicens : *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, &c.* Et ſicut aquæ gutta in vini pretioſi vas infuſa, vim vini ac naturam aſſumit, ita diuinæ naturæ ſumus participes, cum anima noſtra in mare &c. Abyſſum gratiarum infunditur ; vel ſicut arbor agreſtis amaritudinem deperdit, cum ſurculus arboris fructiferæ inſeritur, itaut fructus afferat dulciſſimos, ita verbum diuinum, per Euchariſtiæ Sacramentum, in C nobis inſitum, ex agreſtibus & infructuoſis nos in oliuam pulchram ac frugiferam tranſmutat, vt fructus dulces & gratos afferamus.

At ex eodem S. Thom. 3. q. 73. ar. 4. *Tria potiſſimum nomina huic Sacramento tribuuntur, ſecundum triplicem eius ſignificationem, vnum quidem reſpectu præteriti, inquantum ſcilicet eſt commemorationum Dominicæ Paſſionis, quæ fuit verum ſacrificium : Et ſecundum hoc nominatur ſacrificium. Aliam autem ſignificationem habet reſpectu rei præſentis, ſcilicet Eccleſiaſticæ vnitatis, cui homines aggregantur per hoc Sacramentum : & ſecundum hoc nominatur Communio vel ſynaxis : Dicit enim Damaſc. l. 4. c. 14. quod dicitur Communio, quia communicamus* D *per ipſam Chriſto, & quia participamus de eius carne & deitate, & quia communicamus, & vnimur ad inuicem per ipſam. Tertiam ſignificationem habet reſpectu futuri, in quantum ſcilicet hoc Sacramentum eſt præfiguratiuum fruitionis Dei, quæ erit in patria : Et ſecundum hoc dicitur Viaticum, quia hic præbet nobis viam illuc perueniendi, & ſecundum hoc etiam dicitur Euchariſtia ſ. bona gratia, quia gratia Dei vita æterna, vt dicitur Rom. 6. vel quia realiter continet Chriſtum qui eſt plenus gratia. Dicitur etiam in græco Metalepſis, id eſt, aſſumptio, quia : vt Damaſcenus dicit, per hoc filij deitatem ſumimus.* Ita D. Tho.

Nunc dico quod S. Ioannes ſub hoc ſigillo quinto loquitur de Myſterio Euchariſtiæ, non tam ſub ratione ſacrificij ac Viatici, quàm ſub nomine ſynaxis & communionis. Nam ſi aliquid tangit, quo dici poſſet de illo agere ſub ratione ſacrificij, vt cum E mentionem facit altaris, nihilominus vt videbimus, de eo agit in quantùm per altare & ſacrificium hæc communio obtinetur.

Hinc dicimus Myſterium ſub hoc ſigillo contentum eſſe Communionem ſanctorum, qua quidem Communione iiſdem fruimur bonis ſpiritualibus, vt ſunt Sacramenta, ſacrificia, orationes, diuina officia, bona opera ſatisfactoria & impetratoria auxiliorum ſpecialium. Dei Eccleſia namque vnum corpus eſt, cuius membra talem ad inuicem ſeruant connexionem & conſpirationem, vt bonum vnius membri ſit bonum alterius, v. g. Sacramentorum gratia omnibus offertur : Idem dicendum de ſacrificio : ad orandum pro inuicem inuitamur, viui pro mortuis orant, mortui pro viuis, vt de Hieremia di-

Digitized by Google

citur 2. Mach. 15. *Hic eſt qui multum orat pro populo, &c.* Denique ſi patitur vnum membrum, compatiuntur alia membra, ſiue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra, quam ſimilitudinem explicat & adaptat Eccleſiæ S. Paulus 1. ad Corinth. 12. Hoc autem eſſe Myſterium patet, quia inter articulos fidei Communio Sanctorum in ſymbolo reponitur; quod ita eſſe cognoſcere poſſumus, ſi attentè ponderemus quod licèt Eccleſia corpus ſit viſibile ex hominibus viſibilibus conſtans, nihilominus ſola fide tenemus tales homines eſſe Dei populum, ſeu plebem Dei obſequio mancipatam, qui communionem bonorum ſpiritualium obtineant. Deindè cum in hac communione veniant, tum ij qui adhuc in purgatorio exiſtunt, tum ij qui beatitudinem iam ſunt adepti, illorum ſtatus non agnoſcitur niſi per fidem. Igitur hæc Communio Sanctorum debet eſſe obiectum fidei, quia apprehèdi non poteſt niſi per reuelationem. Videbatur vt homo Chriſtus, videntur vt homines, fideles qui membra ſunt corporis Chriſti myſtica. At ſola fidès apprehèdebat ipſum eſſe Dei filium, non enim caro & ſanguis hæc reuelabat, ſed ſpiritus Patris; ita ſola fide aprehendimus eos qui ſunt in Eccleſia eſſe Chriſti membra, & eſſe in aliquo ſtatu ſupernaturali poſitos, quo valeant ad æternam felicitatem peruenire.

Magnitudo huius Myſterij nempe Communionis Sanctorum. §. 3.

Iſtius myſterij excellentia patet ex hoç, quod communio ſanctorum opus ſit præclariſſimum diuinæ omnipotentiæ, quo fideles in vnum ouile redacti ſunt ſub vno paſtore, vnanimes in fide ſeu cognitione, affectu, intentione, ſenſu, ſermone, oratione, munere. Hanc admirandam operationem extollebat Dauid magnificè, cum dicebat Dei omnipotentiam laudãs: *Qui habitare facit vnanimes in domo.* Pſ. 97. Nec enim infimæ potentiæ eſt, vt qui à Deo diuiſi ſunt patriâ, regione, humoribus, inclinationibus, legibus, moribus; imo contrariis vtuntur plærumque rationibus, in vnum populum reducantur, eadem ſentientes, volentes, perficientes, loquentes, pari & eodem ſpiritu animati & impulſi, quales eſſe exoptabat fideles S. Paulus ad Philipp. c. 2. *Si qua conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas ſpiritus, ſi quæ viſcera miſerationis, implete gaudium meum, vt idem ſapiatis, eamdem charitatem habentes, vnanimes, idipſum ſentientes.* Quæ quidem perficiunt qui in ſeipſis ſentiunt quod fuit in Chriſto Ieſu, qui Patri fuit *obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis,* ad quos Apoſtolus: *Hoc enim ſentite in vobis quod in Chriſto Ieſu.* Et deinceps: *Itaque chariſſimi ſicut ſemper obediſtis, non in præſentia mei tantũ, ſed multo magis nunc in abſentia mea, cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini. Deus eſt qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Philipp. 2. Qui igitur Chriſtum imitari & ſequi ſatagunt, & ſalutis ſuæ curam gerunt, hi proculdubio eadem ſciunt, volunt, ſentiunt, intendunt, perficiunt, loquuntur, & vnanimes ad inuicem fiunt locus ſanctus Domino, qui in eis inhabitat: *Factus eſt* enim *in pace locus eius.* Ita Auguſtinus interpretatur vnanimes in Pſ. 67. *Vnanimes*, inquit, *vnum ſentientes, iſte eſt locus Sanctus Domini.* Fuit quidem olim opus diuinæ omnipotentiæ, quod gentes, quæ vnâ tantum loquelâ vtebantur, fuerint diſperſi, & in diuerſas linguas diuiſi, cum contra Deum inſurgentes turrim ædificare nimiâ arrogantiâ intenderunt, exiſtimantes ſe Dei manũ poſſe effugere. At excellentior effectus videtur eſſe eiuſdem potentiæ, quod Deus nationes in vnum aggregauerit, itaut omni errore ſublato, & qualibet amotâ nequitiâ ſeruiant Deo humero vno, eius laudes intonent labio electo: idem munus ipſi offerant, iuxta Sophoniæ Prophetiam c. 3. *Quapropter expectа me, dicit Dominus, in die reſurrectionis meæ in futurum.* (*Poſt vitia enim atque peccata,* inquit S. Hieron. in hunc locum, *Deus reſurget in nobis.*) Addit Propheta: *Quia iudicium meum vt congregem gentes & colligam regna: vt effundam ſuper eos indignationem meã, omnem iram furoris mei. In igne enim zeli mei deuorabitur omnis terra.* Ita Propheta. Quomodo terra ſit deuoranda explicat. S. Hierony. cum ait: *Gentibus quippe ad iudicium congregatis, & regibus ad ſupplicium, vt effundatur ſuper eos ira, & non ex parte ſed tota, & irâ & furore ſociato, conſumatur in toto orbe quidquid terrenum eſt, quidquid ad opera terræ, id eſt, carnis pertinet: omnes eius vepres & ſpinoſa fruteta vaſtans zeli mei vorabit incendium. Et tunc conuertam ſuper populos linguam in generationem ſuam; vt vnuſquiſque errore depoſito, ad antiquum Confeſſionis Dei eloquium conuertatur, & in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur Dominum Ieſum in gloria Dei Patris: abiectiſque lateribus & bitumine, quæ habebamus pro lateribus & luto, quibus erroris noſtri ſuperbiam extruebamus contra Dominum, recipiamus linguam quam ante perdidimus, & ſimus ſub iugo Chriſti dicentis: iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue eſt.* Ita Hieronymus. Et poſt pauca: *Poſſumus hunc locum de primo Chriſti aduentu exponere, quando omni errore ſublato, dæmonibuſque calcatis, & terrenis opibus deſtructis, Apoſtoli vniuerſis linguis locuti ſunt, & veteri errore ſublato vnum confeſſionis redditum eſt labium. Sed & reges qui deſtruuntur, & diuino conſumuntur ardore, peruerſorum dogmatum principes ſentiendi ſunt.* Vides qua ratione fideles ad inuicem connectuntur, vt humero vno & labio vno Deo obſequium præſtent. Quod idem etiam munus offerant, colligi ac conjici poteſt ex eodem Propheta, cum ait: *Vltra flumina Æthiopiæ ſupplices mei, filij diſperſorum meorum deferent munus mihi. Cum*, inquit Hieronymus, *reddiderit Dominus, credentium populis labium electum, & inuocauerint omnes nomen Domini, & portauerint iugum eius, tunc etiam vltra flumina Æthiopiæ, vnde venit Regina Saba audire ſapientiam Salomonis, deferent victimas Domino.* Ita Hier. &c. Quænam autem ſunt victimæ de gentilium populo, explicat Malachias c. 1. *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra: ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Quæ ponderans S. Hieronymus, ait: *Nequaquam immundum, vt à populo Iſrael, ſed mundum vt in ceremoniis Chriſtianorum.* Ita Hier. At clarum eſt loqui de ſacrificio altaris, quo quidem omnes fideles ad inuicem vniuntur, vt eodem cultu Deo obſequium præſtent, idem munus offerentes, ſicut eadem credunt & ſentiunt; vt ſint vnanimes, & vno ore glorificent Deum. Quod cum ſit opus præclarum diuinæ omnipotentiæ ac ſapientiæ, patet quam admirabile ſit myſterium, quod ſub hoc ſigillo continetur, nempe ſanctorum communio ex tam diuerſis nationibus coadunata. Quæ quidem communio magnam affert fidelibus conſolationem; nam cum quilibet ſciat quibus inſidiis inimicorum pateat, quot hoſtes tolerandos & expugnandos habeat, non mediocrem concipit lætitiam, cum auxilium ſibi polliceri ſperet ex hac cum cæteris fidelibus communione, quæ tot populos ac nationes complectitur: vt rectè S. Cyrillus Alexand. dixerit: *Non ſolum enim per imperium Romanum prædicatum eſt Euangelium, ſed barbaras etiam gentes perualuit. Proinde Eccleſiæ vbique Paſtores & Magiſtri, inſtitutores & myſtagogi, & ſacra altaria, mactaturque ſecundum intelligentiam agnus à ſacris ſacerdotibus, etiam apud Indos & Æthiopas.* Hæc

Digitized by Google

Cyrill. O admirabilis potentia ſaluatoris, diſjunctiſſimis moribus ac conditionibus homines ſub ſuo iugo coniungentis! Quid diceres ſi habitare lupum cum agno pacifice cerneres, pardum cum hædo accubare, vitulum cum Leone, aut vrſo ſimul commorari videres? At hoc præſtitit Chriſtus, cum Eccleſiam ex tot gentibus aggregauit, iuxta Eſaiæ Prophetiam. c. 11. *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: Vitulus & leo & ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Vitulus & vrſus paſcentur, ſimul requieſcent catuli eorum, & leo quaſi bos comedet paleas.* Quod explanans 1. Hieronymus. ait: *Quod quotidie cernimus in Eccleſia, diuites & pauperes, potentes & humiles, reges atque priuatos pariter commorari: & à pueris patuulis (quos Apoſtolos intelligimus & Apoſtolicos viros, imperitos ſermone ſed non ſcientiâ) regi in Eccleſia, &c. Et delectabitur*, inquit Propheta, *ab vbere ſuper foramen aſpidis, & in cauerna reguli qui ablactatus fueris manum ſuam mittet; non nocebunt & non occident in vniuerſo monte ſancto meo, quia repleta eſt terra ſcientiâ Domini, ſicut aquæ maris operientes.*

Hæc pulchra & admirabilis membrorum Eccleſiæ connexio, orationis Chriſti fructus eſt præclariſſimus, qui pro Apoſtolis & Diſcipulis orans dicebat: *Non pro eis tantum rogo, ſed pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me & ego in te, & ipſi in nobis vnum ſint: vt credat mundus quia tu me miſiſti.* Quo fit vt ceſſet admiratio, ſi recogitemus quod tanta eſt bonorum ſpiritualium inter fideles communicatio, quia ipſi in Deo vnum ſint, non identitate naturæ ſed affectu, cognitione, morum ſimilitudine, imitatione. *Ego*, dicebat Saluator, *pro eis rogo, non pro mundo, ſed pro his quos dediſti mihi, quia tui ſunt: & mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt & clarificatus ſum in eis.* Qua ratione, quæſo, clarificatus, niſi quia quomodo Pater omnia ſua bona communicat filio, & filius omnia quæ habuit Patri in ara crucis obtulit, vt ei ſummum exhiberet honorem, ita nos agnoſcentes quidquid ſumus, quidquid habemus à Deo eſſe; totum hoc quod ſumus & poſſidemus, ad eiuſdem honorem in proximorum bonorum & ſalutem impendamus, eum imitantes qui Patri ſuo ſemetipſum obtulit pro noſtra redemptione & ſalute?

Hæc autem Communio Sanctorum non ſolum complectitur Eccleſiam militantem, ſed Triumphantem in cælis, & patientem in Purgatorio in ſuo amplectitur ſinu. Per Charitatem quippe quæ nos omnes coniungit, & qua capiti Chriſto, & cæteris membris eius conglutinamur, vnum & idem corpus conſtituimur. Deinde de Sanctis, ac defunctis in Purgatorio degentibus, Eccleſia Militans mentionem facit in Sacrificio; & pro Sanctis gratias agit & Deum ſupplicat pro aliis. Ipſa autem Eccleſia Triumphans gaudet de conuerſione peccatorum, ac profectu eorum, & pro eis orat. Patiens autem ab Angelis conſolationes ſuſcipit, orationibus, ſuffragiis viuentium iuuatur, & ſic inuicem in bonis ſpiritualibus communicant.

Si autem ideam habere deſideras bonorum, quæ hanc ſanctiſſimam Communionem conſequuntur, lege quæ narrat Euſebius lib. 9. hiſtor. Eccleſiaſt. c. 10. de ſtatu Eccleſiæ, poſt extinctionem impij ac crudeliſſimi perſecutoris Maximini: Pauca ex his hic accipe, cætera apud autorem perlecturus. *Congregabantur in vnum ſacerdotes, nec pigebat etiam longè poſitos conuenire, quia nullum longum videbatur ſpatium charitati: concurrebant etiam populi ad populos, & tanquam vere membra vnius corporis Chriſti, jungi ſibi inuicem ſociarique gaudebant: vt videretur in eis compleri figura illa Prophetiæ, quæ cum Sacramento quodam prædicta eſt, dicens: Quia congregabuntur os ad os; & junctura ad junctura: quibus vnus ſpiritus ineſſe omnibus infuſas membris, & vna anima meritò dicitur, quia & vna omnibus fides, & vnus ab omnibus colitur Deus, atque ex vno ore hymnos omnes concinunt Deo:* Et paulo poſt: *Nuſquam enim liuor aderat, nullum pulſabat inuidia, Dei dona Dei populis miniſtrabantur: vnuſquiſque, ſecundum quod ſcriptum eſt, ad ædificationem Eccleſiæ abundare quærebat, & omnia hæc in caritate gerebantur, itaut ſe honore inuicem præuenirent, & alter alterum ſeſe diceret meliorem. Nam ſimpliciores quique admirabantur, & ſuſcipiebant eos qui per ſapientiam verbi populos inſtruebant: ſapientes verò & eruditi viri præferebant eos, quibus pura vita ac ſyncera ſimplicitas offerendi Deo hoſtias maiorem fiduciam dabat, eiſque immolandi Sacrificij permittebatur officium, quos familiarior vitæ ſimplicitas in cordis puritate ſeruabat. Sic ſummo ſtudio perquirebat alter quod in altero præferret.* Hæc Euſeb. Qui ſtatus Eccleſiæ rectè ab eo dicitur imago cæleſtium interris, & quam felix ſit Sanctorum Communio rectè demonſtrat, vt meritò illam Communionem Sanctorum, tanquam quid diuinum & ſupernaturale, & grande myſterium ſuſpicere & admirari debeamus.

Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter Verbum Dei, &c.

Communio Sanctorum optime adumbratur in eo, quòd ſinguli electorum tum in cælis, tum in terris, tum in Purgatorio degentium, ſub eodem altari recondantur.

ANNOTAT. III.

HVIVS aſſertionis veritas innoteſcet, ſi quod nam ſit altare, de quo hic fit mentio, perſpiciamus, & quid tandem per illud myſticè ſignificetur, dignoſcamus.

Ad altare holocauſtorum alludere S. Ioannem cenſet Arethas apud Viegam: & quia hoſtiæ crematæ cineres deorsùm per craticulam æneam decidebant, itaut peracto Sacrificio apparere poterant ſub altari, optimè in eo altari ſignificari volunt cineres martyrum, qui ſub altaribus reconduntur. Cornelius à Lap. vult S. Ioannem reſpicere altare Thymiamatis, quod erat in ſancto, vt ſignificetur animas beatorum juge thymiama laudis Deo poſt mortem exhalare. Nos exiſtimamus quodlibet altare, ſuper quod offertur ſanctiſſimum Miſſæ Sacrificium, hîc literaliter debere intelligi, S. Auguſtiſtini ſententiam amplectentes, qui ſerm. 11. de ſanctis ait: *Rectè ſub altari animæ iuſtorum requieſcunt, quia ſuper altare corpus Domini offertur.* Quid autem illud altare ſignificet, accipe à S. Dionyſio de Eccleſiaſt. Hierarchia, quo facilè perſpicies quomodo omnes ſancti in vno hoc altari conueniunt, & ſub eo requieſcunt, in quocumque ſtatu exiſtant. *Hoc etiam*, inquit Dionyſ. *animaduerte, diuini quoque altaris conſecrationem, ſanctiſſimorum myſteriorum more & inſtituto, ſanctiſſimis ſacri vnguenti infuſionibus perfici. Eſt autem cæleſtis Dei actio, omnis diuinæ noſtræ ſanctificationis principium, eſſentia, perficienſque vis. Si enim Ieſus, qui eſt diuinum altare noſtrum, diuina eſt diuinarum mentium conſecratio, in quo vt ſcripta diuina loquuntur, conſecrati, ac myſticæ omnino hoſtiæ inſtar incenſi, acceſſum habemus, cæleſtibus oculis diuinum ipſum altare cernamus, in quo quæ perficiuntur, ab ipſo diuino vnguento & perficiuntur & ſanctificantur omnia. Sanctificat enim ſeipſum pro nobis ſanctiſſimus Ieſus, noſque omni ſanctitate complet, dum ea quæ in eo diſpenſatione, prouidentiaque perficiuntur, ad nos, vt à Deo genitus ſcilicet, be-*

nignè perueniunt. Hæc Dionyſ. Habes, benigne Lector, altare quo conſecramur, quo ſanctificantur omnia, quo ſanctitas in nobis completur, dum gratiæ Chriſti participes efficimur. Nonne igitur meritò aſſerere debemus Communionem Sanctorum ſignificari à S. Ioanne, cum ait animas ſanctorum ſub hoc altare recondi? Hinc Gloſſ. ordinat. *Subtus altare, id eſt, ſub protectione Chriſti qui eſt altare.* Hæc Gloſſ. Et Dionyſ. Carthuſ. *Subtus altare, id eſt, ſub Chriſti cuſtodia & quiete. Chriſtus enim vno modo altare vocatur, in quo & ſuper quod cuncta quæ immolamus offerre debemus, videlicet in fide & charitate ipſius.* Ita Dionyſ. Chriſtus ſanctos protegit, ne à gloria excidant; animas in Purgatorio protegit, ne in inferni pœnas protrudantur; fideles in hac vita protegit & cuſtodit, ne tentationibus ſuccumbant: Qui *cum clamore valido & lacrymis* ſemetipſum *offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia, & conſummatus*, id eſt, veluti holocauſtum per charitatis ignem quaſi ad nihilum redactus, vt ſit Deus omnia in omnibus, *factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.* Heb. 1. Hic ille eſt qui *ſempiternum habet ſacerdotium, vnde & ſaluare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis.* Heb. 7. Quo fit vt in quocumque ſtatu ſancti exiſtant, ſemper ab eo, vt à cauſa ſalutis eorum dependeant. Vnde Primaſius huius Prophetæ antiquus interpres, voluit fideles in hac etiam vita ſub hoc altari recondi: *Sub ara Dei*, inquit, *id eſt ſiue in Eccleſiæ vnitate perſeuerantes, ſiue ſub teſtificatione nominis Chriſti, tanquam ſub ara Dei vſque ad mortem viriliter dimicantes.* Hæc Primaſ. Communicant igitur ſancti ad inuicem, quia ſub eodem altari, id eſt, ſub eodem capite reponuntur, à quo omnem gratiæ & ſalutis & meriti influxum accipiunt, vt Eccleſia, tum militans, tum triumphans, eum tanquam ſalutis ſuæ autorem & conſummatorem intuetur. Cuius quidem ad inuicem communionis effectus videbimus, cum ſanctos in bonis cómunicare, & omnes ad vnam ſocietatem inuitari videbimus, cum S. Ioannes inducet eos iudicia poſtulantes, vt vindicetur ſanguis eorum, vel cum ad eos dicitur vt requieſcant, donec compleatur numerus fratrum eorum, vel cum dantur ſingulis ſtolæ albæ, donec hæc vnio perficiatur.

A B C D

Huius communionis Sacramentum eſt ſanctiſſima Euchariſtia.

ANNOTAT. IV.

DE hac re dubitare non licebit ei, qui ſanctum Dionyſ. Areopagitam c. 3. de Eccleſiaſtica Hierarchia legerit, de iis quæ in ſynaxi ſeu in communione perficiuntur. Ibi enim docet Dionyſius, *quòd licet alia Sacramenta, & communio & ſynaxis dici queant, cum vnumquodque Sacramentum etiam diuiſas, ſecretaſque vitas noſtras in vniformem illum ſtatum, quo dij efficimur, colligat, Deoque ſimili diuiſorum connexione, nobis eius quod vnum eſt ſocietatem & vnctionem impertiat; tamen Euchariſtia Sacramentum omnium præſtantiſſimum potiſſimè ſynaxis & Communio dicitur, quia perfectionem atque efficaciatem aliorum ſignorum communionibus per dona diuina, quæ perficiendi vim habent, quæ ipſa Euchariſtia continet, elargitur. Neque enim*, ait Dionyſ. *ferè licet vllum Sacramentum perfici Hierarchici muneris, niſi diuina Euchariſtia (neceſſario ſummum eorum, quæ in ſingulis Sacramentis peraguntur complectens) eius qui initiatus eſt cum vno Deo coniunctionem collectionemque ſanctè efficiat, & diuinitus tradito Sacramentorum perficiendi vim habentium munere, eiuſdem cum Deo operetur ſocietatem ac communionem.* At dices: S. Dionyſ. loquitur de communione noſtra cum Deo, non autem de communione ſanctorum ad inuicem, quam adumbrari in hoc Sacramento diximus. Reſpondeo ex axiomate Philoſophico, quod quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe; & perinde rectè ad inuicem vniri & communionem bonorum habere, qui Deo ſimul per Euchariſtiam vniuntur: Hinc Paulus 1. ad Corinthios 10: *Quoniam vnus panis, vnum corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane participamus.* Et reuera ſi cuncti fideles panem hunc ſacratiſſimum manducant, omnes Chriſtum in ſemetipſis manentem & exiſtentem habebunt. Cum igitur Ieſus Chriſtus à ſeipſo diuelli aut ſeparari nequeat, cum ipſe ſit idem in omnibus, à quibus recipitur, eos in ſe vnum quid efficiet: quo fit vt ſicut Filius à Patre disjungi nequit, ex eo quod vi generationis eamdem cum Patre naturam obtinet, ita quilibet Chriſtianus ab alio Chriſtiano quodammodo non ſeparatur, ſed ei intime vnitur; quia vterque in ſe Chriſtum manentem obtinet. Idem eſt Chriſtus in Petro, idem in Paulo, idem in cæteris, *non confractus, non diuiſus integer accipitur, tantùm iſti, tantùm ille, nec ſumptus conſumitur.* Vnde qui eum recipiunt, licèt cum eo non identificentur in natura, ipſe tamen quadam ratione identificatur in eis, cum realiter per hanc ſubſtantialem ſui ipſius præſentiam in quibuſlibet exiſtat, idem corpus, eadem anima, idem Chriſtus, non vt in eos mutetur, ſed vt eos in ſe transformet, eoſque ſibi ſimiles efficiat, vt dici poſſit in eis manere & ipſi in eo, iuxta illud Ioannis: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo: ſicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me & ipſe viuet propter me.* Id eſt, ſicut ego viuo propter Patrem, quia ab eo genitus eamdem cum eo habeo naturam, ita qui manducat me viuit propter me, quia propter meam præſentiam habet gratiam qua viuit: virtute enim tanti Sacramenti, ad Chriſti imitationem & Dei ſimilitudinem perueniunt, qui eam digne percipiunt. Et reuera hæc ſancta communio corporis Chriſti quo Deo coniungimur, diuinam in nobis morum ſimilitudinem concordiamque ingenerat: quo fit vt ad (inuicem vniamur, cum eamdem diuinorum ſimilitudinem nacti fuerimus, ſimul atq; cum fide, & charitate, ad dona diuina quæ in Euchariſtia continentur percipienda acceſſerimus. Vnde à diuinorum communione repelluntur, qui Deo diſſimiles ſunt: ſunt autem diſſimiles, qui ſanctitatem à ſe excludunt, & pacem & concordiam diſrumpunt. Sic Iudas fuit ab ea communione excluſus: licèt enim, vt vult S. Maximus in ſcholiis in S. Dionyſium, à Domino particeps factus fuerit myſtici panis & calicis, tamen quia, vt loquitur S. Dionyſ. Areop. non ſanctè neque concordi animo Sacramenta cum Domino ſumpſerat, ab ea communione fuit excluſus. Plena namque communio panis & calicis, paciſque ac tranquillitatis, diuinam morum ſimilitudinem concordiamque imperare docuit Dominus, vt ait S. Dionyſ. *Docens*, addit Dionyſ. *ſanctè ſimul, & modo qui Deo conueniat, ſpiritalem ſeu cum fide & charitate verum ad diuina acceſſum, iis qui accedunt tribuere communionem, in ipſorum diuinorum ſimilitudine.* Vnde quia Iudas nec fidem nec charitatem habuit, ab ipſo ſignorum effectore & autore iure optimo à ſorte eum ſeparauit: quamuis, vt diximus ex Maximo, particeps factus fuerit myſtici panis & calicis. Veriorem namque exiſtimo ſententiam Baronij, qui affirmat Iudam percepiſſe Euchariſtiam, an. 34. n. 62. & 63. quàm Bartadij, qui negat tomo 4. l. 3. cap. 3. pag. 56. Plena igitur communio eſt, non ſolum participatio myſtici panis & calicis, ſed requirit ſimilitudinem

E

Digitized by Google

cum ipſis rebus diuinis, per fidem, charitatem, ſanctitatem, concordiam; & ſic fideles qui hanc obtinent perfectam & plenam communionem, in iiſdem donis ac bonis diuinis participant. Hæc autem fidelium cum Deo coniunctio, & eorumdem ad inuicem connexio, ſocietas, ac communio, quam obtinent ex eoquod huius diuini Sacramenti fiunt participes, multis cæremoniis, quæ in Miſſæ Sacrificio adhibentur,, optimè adumbratur: iuxta doctrinam S. Dionyſij. *Et primo Pontifex à diuino altari ad extremum templum, cum odoris fragrantia proficiſcitur, atque ad illud ipſum perficiendi ſacri ſtudio reuertitur: quo ritu ſignificatur, quòd ſicut diuinitas, quæ omnia beatitudine vincit, etſi diuina benignitate ob eorum, qui de ipſius ſacris participant, communionem progrediatur, non tamen à naturæ ſuæ ſtabili firmoque ſtatu diſcedit, ſed omnibus qui diuinam ſimilitudinem præ ſe ferant, pro ſuo cuique captu collucet: cum inter ea per ſe ipſa vere cohæreat, neque à ſtatu ſuo, qui idem manet, omnino dimoueatur. Eodem modo diuinum ſynaxeos Sacramentum, quamquam vnum & ſimplex, connexumque principium habens, ſacra ſignorum varietate, hominum ſtudio ſeu amore augetur, & ad omnem diuinæ ſimilitudinis ac figuræ deſcriptionem delineationemque peruenit. Attamen vnius ſpecie ex his rurſus ſe ad monadem ſuam colligit & conſtabit, atque in vnum redigit eos qui ad ſe ſanctè ducuntur.* Secundò, alio ritu etiam hæc communio ſignificatur, nempe pacis oſculo: *Non enim*, inquit S. Dionyſ. *poſſunt ad vnum colligi, neque vnius pacis effectricis coniunctionis fieri participes, qui inter ſe diuiſi ſunt, ſecumque diſcordant: ſi enim vnius contemplatione atque ſcientia illuſtrati, cum diuina atque vniuſmodi coniunctione vnum efficiamur, nunquam nos in diuiſas cupiditates delabi patiamur, ex quibus terrenæ exiſtunt affectiones plenæ, cum eo, quod naturâ eiuſdem ſpecies eſt, inimicitiæ & offenſiones. Hanc quidem coniunctionem, meâ quidem ſententia, ſacra pacem impertiendi actio ſancit, quæ ſimile in ſimili collocet, atque ab iis quæ diuiſa ſunt diuina atque vnius modi ſpectacula ſecernat.* Tertio: Alio ritu etiam hæc communio adumbratur, nempe nominum ſanctorum recitatione, de quo ritu idem Dionyſius dum ait: *Hoc etiam ſanctè conſidera; poſitis in diuino altari veneratione dignis ſignis, per quæ Chriſtus & ſignificatur & percipitur, ſine mora præſto eſt ſanctorum catalogus, qui eorum coniunctionem cæleſtis atque ſacræ cum eo vnionis indiuiduæ declarat.* Denique in ſummarum manuum expiatione ſignificatur ex eodem Dionyſio, *in puriſſimo diuinæ ſimilitudinis habitu converſio, ab omni ſorde & macula ſoluta & libera, & ad ſecunda inferioraque benigne progreſſus: vt qui diuinæ ſimilitudinis plenitudinem integritatemque ſaluam obtineat, ſolatus erit atque inuictus, vt omnino vniformis rurſumque ad vnum vno modo converſus.* Ita Dion. Ac ſi diceret oportere ſacerdotem minimas quaſlibet ſordes abluere, vt cum Deo vnum quid efficiatur: Qui enim adhæret Deo vnus ſpiritus efficitur cum eo, iuxta illud Apoſtoli 1. ad Cor. 6. *Qui autem adhæret Domino vnus ſpiritus eſt.*

Quod autem hæc cum Deo coniunctio per dignam tanti Sacramenti perceptionem obtinetur, docet Dionyſius ibidem cum ait: *Pane enim qui opertus erat & integer, aperio atque in multas partes fracto, & vnico calice diuiſo inter omnes, quod vnum eſt ſignis multiplicat & diſtribuit, atque in his ſanctiſſimum ſacrificium perficit: quod enim in diuino Verbo vnum eſt & ſimplex atque occultum humanitatis noſtræ aſſumptione, ad id quod concretum eſt & videtur ſine immutatione, pro ſua in nos & benignitate, & humanitate profectum eſt, & noſtri ſecum communionem quæ vnum efficit ac coniungit benigne procuravit, iis quæ in nobis humilia coniunctis perfectè cum iis ſuis quæ ſunt diuina maximè, ſi modo etiam nos vt membra cum corpore, ſic cum eo cohæreamus & connectamur, integræ diuinæque vitæ ſimilitudine: neque perturbationibus interitum afferentibus mortui, ad diuina maximeque valentia membra apti ſimus; & cum eis (nempe perturbationibus) non conglutinemur atque vinamus: nobis enim, ſi eius ſocietatis cupiditate ducimur, diuinam vitam quam vt homo egit proponere debemus, & eius in nos, in non peccando imitatione, ad diuinum integrumque ſtatum ſurſum currere: hoc enim pro captu noſtro ſocietatem cum ſimili concedet.* Ita Dionyſ. *Hoc modo*, vt poſtea ipſe ait, *vere in Dei diuinorumque bonorum ſocietatem communionemque veniemus.*

Si igitur auguſtiſſimum illud Sacramentum nobis omnia bona diuina communicat, cum per imitationem & ſimilitudinem illius quem continet, metemur effectus præſentiæ ipſius in hoc Sacramento percipere, nonne omnes ij qui illud digne percipiunt, arctiſſimo & potentiſſimo vinculo ad inuicem vniuntur, cum cuncti eadem bona diuina percipiunt, quibus ita transformantur & tranſmutantur, vt dici poſſit quod in eis viuat Chriſtus & ipſi in Chriſto viuant, vt ſit Deus omnia in omnibus? Et ſic optima ratione diximus in hoc Sacramento Communionem ſanctorum adumbrari, iuxta doctrinam Sacroſancti Concilij Trident. Seſſ. 13. in decreto de Euchariſtia, cum ait: *Saluatorem noſtrum Euchariſtiam in Eccleſia ſua reliquiſſe, tanquam ſymbolum eius vnitatis & charitatis, qua Chriſtianos omnes inter ſe coniunctos & copulatos eſſe voluit.* Illudque Sacramentum vocat vnitatis ſignum, vinculum charitatis, concordiæ ſymbolum. Et tandem c. 2. Seſſ. ait: *Pignus præterea id eſſe voluit futuræ noſtræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis: atque adeo ſymbolum illius vnius corporis, cuius ipſe caput exiſtit, cuique nos tanquam membra arctiſſimâ fidei ſpei & charitatis connexione adſtrictos eſſe voluit, vt idipſum omnes diceremus, nec eſſent in nobis ſchiſmata.* Ita Concil. Hac ratione Chriſtus Dominus, effectum obtinet feruentiſſimæ illius orationis ad Patrem, quæ habetur Ioan. 17. *Non pro eis tantum rogo, ſed pro eis, qui credituri ſunt per Verbum eorum in me, vt omnes vnum ſint, ſicut & nos vnum ſumus. Ego in eis, & tu in me, vt ſint conſummati in vnum, & cognoſcat mundus quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti. Pater quos dediſti mihi volo vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum, vt videant claritatem meam quam dediſti mihi: quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi. Pater iuſte, mundus te non cognouit; ego autem te cognoui: & hi cognouerunt quia tu me miſiſti: & notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, vt dilectio qua dilexiſti me in ipſis ſit, & ego in ipſis.* In qua quidem oratione vides Chriſtum Dominum optare vt vnus in eis ſit Chriſtus, ſicut in tribus perſonis vna eſt tantum Diuinitas; *& omnes vnum ſint*, inquit, *ſicut & nos vnum ſumus.* O admirabilis diuinæ omnipotentiæ in Chriſto effectus, qua ſuam à Patre miſſionem probaret, vt omnes vnum ſint per adeptionem vnius eiuſdemque boni eoſdem effectus gratiæ & gloriæ producentis, in eo gradu quem adipiſci meruit diuerſa cuiuſque, ad ſecundam gratiam conſequendam, diſpoſitio, cum cunctos eiuſdem corporis nempe ſui ipſius participes facit: nec enim ait, vt ſint cuncti vnum quid præciſè, in ſuo proprio eſſendi & exiſtendi modo, ſeu juxta conditiones indiuiduantes, qua ab inuicem ſecernuntur, conſiderati: At optime videtur quod cuncti vnum ſint, eoquod omnes in vno & eodem bono conueniant, vni bono adhæreant, *vt & ipſi*, inquit, *in nobis*, qui videlicet vnum & idem bonum exiſtimus, *vnum ſint*: Hæc ad inuicem ipſorum vnio ipſis aduenier, quia nobis adhærebunt, quia ipſis omnibus communicabimus illud idem bonum quod poſſidemus, quo fruimur, quo quidem erunt participes in ſeculi vita inchoatiuè, & ſub ſymbolis & ænigmatibus, ſiue ratione obſcuritatis fidei, ſub

qua veram, & realem huius boni communicationem ſpeculantur; ſiue ratione ſignorum ſub quibus occultatus vera & realis præſentia diuinitatis & humanitatis; Conſummatiuè autem & apertè in futura vita, cum ſecundum vota & deſideria mecum erunt in gloria æterna; tunc enim abſque velamine aut obſcuritate meam claritatem videbunt, quam tantum cum obſcuritate fidei nunc ſpeculantur. Videbunt clarè & dilucidè, & abſque vlla obſcuritate, quomodo eos eadem dilectione dilexerim, qua me dilexiſti. Nam ſicut amor eſſentialis in paterno tuo reſidens corde, te ipſum, ô Pater impulit vt tuam in me refunderes eſſentiam & naturam per viam generationis, ita amor notionalis ſeu Spiritus ſanctus à nobis procedens, cum ad intra producatur, antequam ad communicationes ad extra nos impellat; nos reuera incitat ac compellit, vt eis occultatam noſtram diuinitatem & gloriam vſque huc, clarè & apertè intuendam in æternam exhibeamus. Et hac ratione, ô ſanctiſſime Pater, quod eos dilexiſti, ſicut me dilexiſti: cum dilectio, qua eos diligis, ad eiuſdem boni communicationem ipſis impertiendam te impellit, cuius communicationem obtinui ob dilectionem qua me ante mundi conſtitutionem dilexiſti: ſic tua in eis dilectio manebit, ſic ego ipſe in eis exiſtam, cum eis tuam ingenerabo notitiam: mei nempe muneris eſt vt ad tuam cuncti per me deueniant cognitionem. Sicuti igitur notum eis iam feci nomen tuum per fidem, ita & illud tuum nomen notum faciam per gloriæ lumen. Tunc autem dilectio qua me dilexiſti in eis erit, ex eo quod in eis ero per hoc lumen gloriæ, eis notificans ſanctiſſimum tuum nomen. In cuius nominis communicatione oſtendiſti quantùm me ab æterno dilexiſti: nam cum viderint quantum bonum ſit illud nomen, videbunt proculdubio ingentem fuiſſe amorem, per quod gloriæ illius nominis participationem obtinui.

Vidi ſubtus altare, &c.

Symboli cum re ſignificatâ, nempe Euchariſtiâ & ſanctorum Communione conuenientia.

ANNOTAT. V.

Ex mentione altaris, de Euchariſtia & ſanctorum communione agi oſtenditur. §. 1.

ET *cum aperuiſſet ſigillum quintum*: Ac ſi diceret: Cum agno placuit mihi perfectam ac plenam myſterij fidei intelligentiam infundere ac impertiri, nempe diuini Sacramenti corporis ſui ac ſanguinis (ſiue ſub ratione Sacramenti, ſiue ſub ratione ſacrificij illud ſpeculemur) vt ad huius Myſterij altitudinem mens eueheretur, mihi propoſitum fuit ante oculos ſeu phantaſiam, Altare quoddam, ſub quo erant requieſcentes omnes animæ ſanctorum, quippe quæ ſtatum ſiue gratiæ ſiue gloriæ obtineant, per applicationem efficacem meritorum Chriſti, qui in ara crucis ſemel oblatus, quotidie ſuper altaria in Eccleſia immolatur in ſacrificio Miſſæ: quo fit vt ab eo, in quocumque ſtatu exiſtant, omnimodè dependeant; & vt vitam habeant, cum eo connexionem & communionem ſeruare contendant. Aliter enim viuere nequirent, ſicut nec membrum aliquod à capite auulſum aut ſeparatum. Quod autem ſub hac viſione hæc commentari ſeu meditari liceat, ecce quomodo illud deducimus. Videt S. Ioannes aliquod altare. Igitur ad Sacramentum, quod dicitur Sacramentum altaris, reſpicit. Conſequentia optima eſt. Nam altare quod videt, aut pertinet ad ſtatum veteris teſtamenti, aut ad [illegible]m noui teſtamenti: non ad ſtatum veteris, nam credibile non eſt, quòd ad ea quæ iam tranſacta erant reſpiciat S. Ioannes, nouis ac præſentibus relictis. Ad quid hic mentionem faceret eorum, quorum nec vſus licitus, nec ſignificatio vera? *Nam*, vt ait S. Paulus, *Si qua ergo in Chriſto noua creatura, Vetera tranſierunt. Ecce facta ſunt omnia noua.* 2. ad Cor. 5. Nouum nempe altare, noua hoſtia, nouum ſacerdotium, noua lex, noui ritus. *Ecce facta ſunt omnia noua.* Iam quidquid pertinebat ad antiquum illius veteris teſtamenti ſtatum, antiquatum erat. Iam vt infirma & egena elementa, ſicut ea vocat Paulus ad Gal. c. 4. repudiata erant. Ad quid igitur S. Ioannes ea proponeret ſpeculanda? Dauid olim quæ habebat præſentia faſtidiens, ardenti deſiderio ad noſtra videnda ſuſpirabat dicens: *Quam dilecta tabernacula tua Domine Virtutum! concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini. Altaria tua Domine Virtutum! rex meus & Deus meus!* Vt quid igitur S. Ioannes retrò reſpiceret, & quorum erat antiquitùs tantum & tam ardens deſiderium, & ad quæ ſignificanda vetera erant ordinata, præſentiam contemneret? Non videtur hoc rationi eſſe conſentaneum. Igitur veterea non reſpicit: noua intuetur. Si noua intuetur, Altare videt quale eſt in nouo teſtamento erectum; at nullum aliud eſt altare, quàm illud ſuper quod immolatur quotidie ſacroſanctum Chriſti corpus. Igitur cum videt altare, ad Sacramentum altaris reſpicere, proculdubio dicendum eſt: nam in nouo teſtamento altare non erigitur, niſi cum ordine ac reſpectu ſeu relatione ad Sacramentum Euchariſtiæ, nempe vt ſuper illud ſacra Hoſtia per conſecrationem Deo offeratur, in proteſtationem ſuæ excellentiæ, & receptionis omnium bonorum, quæ à ſumma illius benignitate ac liberalitate ſuſcipimus. Hac loquendi formula vſus eſt S. Paulus, Epiſtolâ ad Hebræos c. vltimo, cum ait: *Habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem qui tabernaculo deſeruiunt.* Nam lapides non eduntur, ſed ea quæ ſuper altare offeruntur. Sicut igitur S. Paulus per altare intelligit non ſolùm locum, ſuper quem fit oblatio, ſed etiam ipſam rem oblatam, quæ offertur, immolatur, & comeditur, ita S. Ioannes dicens: *Vidi ſubtus altare*, non tantùm intelligit locum in altare erectum in Eccleſia Chriſtiana, ſed etiam hoſtiam ſacram, quæ quotidie ſuper illud immolatur & ſumitur, cuius participatione ſanctificamur, ſiue cum illam ſumimus, ſiue cum per illam applicatur nobis, in Miſſæ ſacrificio, meritum paſſionis eius.

Igitur optimè ſub hoc ſymbolo nempe altaris, nobis Euchariſtiæ myſterium deſignatur. Idem dicendum de communione ſanctorum optimè etiam hoc ſymbolo deſignari. Nam cum animæ ſanctorum dicuntur eſſe ſubtus altare, rectè dependentia quam habent à Chriſto, qui ſuper altare illud offertur, ſignificatur. Videntur hic animæ interfectorum propter verbum Dei, id eſt, videntur omnes ſancti: omnes ſiquidem ſuo modo interficiuntur propter verbum Dei & teſtimoniũ Chriſti; non ſupra montem vt c. 14. videntur cum agno, ad denotandam perfectionis ipſorum eminentiam; nec ſupra mare vitreum mixtum igne, vt cap. 13. ad ſignificandum fidelitatem ac ſtrenuitatem eorum in præliis; nec in cælo, vt ij de quibus c. 19. dicitur: *Et exercitus qui ſunt in cælo ſequebantur eum in equis albis*, ad deſignandum eorum triumphum; nec ſupra ſedem ſedentes, vt 20. cap. ad declarandam autoritatem illorum; nec tandem vt Dei & agni domicilium perpetuum, cum de eis dicitur: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis*, cap. 21. ad demonſtrandum ſtatum beatitudinis futuræ; ſed dicuntur eſſe ſub al-

Digitized by Google

tis paſſionis & mortis Chriſti particeps non fuerit. Hoc autem meritum applicatur per ſacrificium Miſſæ, in memoriam & commemorationem ſacrificij cruenti inſtitutum: quod quidem offertur pro omnibus viuis atque defunctis. Et non tantum fidelibus vtile eſt, vt iuſtitiæ diuinæ ſatisfaciant & debita ſoluant, ſed etiam vt per oblationem tantæ rei ſtrictiſſimâ obligatione ſoluantur, qua omnes homines adſtringuntur, dandi per ſigna externa aliquod teſtimonium honoris, cultus & æſtimationis, quam habent excellentiæ diuinæ, & proteſtationis ſuæ à Deo dependentiæ, vt à primo principio, vt ab vltimo fine: quod cum ita ſit, quis non videt etiam Euchariſtiâ conſideratâ ſub ratione ſacrificij, ſub ea, id eſt, ſub altari ſuper quod offertur, rectè cunctos fideles collocari, quia virtute huius ſacrificij eis ianua cœli fuit aperta?

Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter Verbum Dei, & propter teſtimonium quod habebant.

Hæc verba de quibuſlibet ſanctis debent intelligi.

ANNOTAT. VI.

NVLLVS hoc negari audebit, qui Apoſtoli verba ſemel ponderauerit, quæ habentur Roman. ſexto. *Qui enim*, inquit, *mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? An ignoratis quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus*, &c. ſiue cum ait Coloſſ. 3. *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo*; ſiue tandem cum ait: *Semper mortificationem Domini noſtri Ieſu Chriſti in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in nobis.* Etenim ſi baptiſmus, ſi mortificatio ſenſuum, paſſionum, appetituum, ſi abnegatio ſui ipſius, quædam eſt ſpiritalis ſeu myſtica animarum interfectio, rectè omnes ſancti qui per baptiſmum peccato moriuntur, qui mortificationi & abnegationi tantopere ſtudent, propter illam quam habent cum Chriſto capite connexionem & conformitatem, ſub altari reponuntur, & per animas interfectorum propter verbum Dei poterunt intelligi.

Quod ſi ex Dei decreto mori cuilibet ſanctorum neceſſe ſit, *ſtatutũ* enim *omnibus hominibus ſemel mori*, nonne ſancti, ſiue in purgatorio exiſtunt, ſiue in paradiſo degunt, dici poſſunt interfecti propter verbum Dei? Mortem enim ſubierunt, quia Dei verbum eſt quod oportet omnes homines mortem obire; nec eſt qui eripiat animam ſuam à morte, aut eruat & redimat animam ſuam de manu inferi. Igitur omnes ſancti dici poſſunt interfecti propter verbum Dei, & propter teſtimonium quod habebant, tum quia ſententia mortis lata fuit in omnes per verbum Dei, tum propter characterem Chriſtiani in baptiſmo impreſſum, quo Deo conſecrantur, & eius obſequio mancipantur; itaut ſi pro eo neceſſe ſit mortem oppetere, libenter id faciant, vt *non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit*: Qui character teſtimonium eſt, quod habere in ſe dicuntur, cuius virtute in numero ſanctorum admittuntur in gloria: decet enim quemlibet Chriſtianum hic quæcumque dura, quæcumque moleſta, alacriter aggredi & ſuſtinere, & cum Dauide dicere: *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras*, & cum Apoſtolo 2. ad Cor. 4. *Semper enim nos qui viuimus, in mortem tradimur propter Ieſum, vt & vita Ieſu manifeſtetur in carne noſtra mortali.* Character enim verus & proprius Chriſtiani, quo teſtatur ſe eſſe Chriſtianum, eſt Chriſto conformem fieri in paſſionibus & malis ſufferendis; iuxta illud Petri Apoſtoli: *Sed communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis, quoniam quod eſt honoris, gloriæ & virtutis Dei & qui eſt eius ſpiritus ſuper vos requieſcit.* 1. c. 4. Ac ſi diceret S. Petrus: Vultis characterem ſpiritus gerere, eoque inſigniri, vt Deo honor & gloria tribuatur, eiuſque virtus in vobis eluceſcat, Communicate Chriſti paſſionibus, exprobrationes & opprobria pro nomine eius ſuſtinete: *Nemo autem veſtrum*, vt ipſe ait: *patiatur vt homicida, aut fur aut maledicus, aut alienorum appetitor, ſi autem vt Chriſtianus, non erubeſcat: glorificet autem Deum in iſto nomine: quoniam tempus eſt vt incipiat iudicium à domo Dei.* Ita Petrus. Quod ſole clarius in Martyribus potiſſimum enituit, vnde hic locus ab omnibus de Martyribus intelligitur: hi enim ſunt, iuxta Ambroſ. qui cum Dauide dicunt: *Principes perſecuti ſunt me gratis, & à verbis tuis trepidauit cor meum.* Hi ſunt qui propter verbum Dei, & teſtimonium quod habebant, mori non timuerunt; mortem enim ſubierunt & cum gaudio ſuſceperunt, vt veritas verbi Dei & Euangelij omnibus eluceſceret, & vt Charitas Dei quam habebant, veluti teſtimonium & pignus ſpiritus, ſeu lex Chriſtiana, quæ teſtimonium Dei eſt in corde reconditum, in corde eorum vigeret, & ab eis non auelleretur, dicentes: *Quis nos ſeparabit à Charitate Chriſti? &c.* Nec mirum ſi reliqui ſancti ſub eodem ænigmate, quo repreſentantur Martyres, ſignificentur. Meminiſſe enim oportet hanc Prophetiam cuncta proponere in excellentiori gradu, ſiue gratiæ, ſiue gloriæ, ſiue ſanctitatis, ſiue laborum, ſiue malitiæ, ſiue obſtinationis & obdurationis, ſiue peruerſitatis, ſiue tormentorum aut miſeriarum: itaque cum de ſanctis loqui vult, cum de iis, qui charitatem habuere, facere mentionem intendit; cum de iis qui legis Chriſtianæ cultores fuerunt, ſicque teſtimonium Dei in ſe habuerunt, ſermonem inſtituere cupit; cum de iis qui propter verbum Dei, & charitatem, & mandatorum Dei obſeruationem, aliquid paſſi ſunt, ænigma proponere vult. Martyres ſeligit, qui propter fidem quæ verbo Dei producitur, qui per Charitatis excellentiores actus, quantum Deum diligerent eiuſque legis eſſent fideles obſeruatores demonſtrarunt. *Maiorem enim hac charitatem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Et cum ſymbolum proponere vult communionis ſanctorum, qui in bonis ſpiritualibus communicant, eos præcipuè ſanctos reſpicit, qui maiora poſſederant bona quæ poſſent aliis communicare: vnde olim Martyres adhuc in carceribus degentes, vt in bonis ſpiritualibus ditiores, pœnas in lapſos latàs ab Epiſcopis relaxabant & remittebant, vt videre eſt apud Cyprianum, Epiſt. 11. & 12. & latè apud Baronium an. 253. vt pote qui cenſerentur Deo gratiores & acceptiores, eo ipſo quo pro nomine eius carceres & tormenta ſuſtinebant, & mortem ſubire non pertimeſcebant.

Denique dicere poſſumus ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium eſſe teſtimonium, quod habent omnes ſancti, propter quod peccatis moriuntur, & ad mortem corporalem fortiter ſubeundam roborantur. Nam cum ſacrificium nihil aliud ſit quam oblationem rei alicuius ſenſibilis, quæ à legitimo fit Miniſtro, quæ Deo offertur per realem quamdam immutationem, ad teſtandum ſupremum illius Dominium & noſtram ſubiectionem; dicere poſſumus hoc ſacrificium eſſe aliquod teſtimonium, quod in noſtris manibus eſt, vt Deo quæ illi debentur exhibeamus: & cum per illud memoria mortis Chriſti, qui

Digitized by Google

dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis, recolatur; per illud ſacrificium impellimur ad compatiendam, & commoriendum Chriſto: Et ſicut ex parte Dei, Euchariſtia eſt veluti quoddam teſtamentum aut teſtimonium, ſeu organum quoddam præcipuum, quo nobis ius ad gloriam & cæli hæreditatem confertur, virtute promiſſionis Dei teſtatoris; rurſus ſicut Euchariſtia continet manifeſtiſſimam repreſentationem effuſionis ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, quo nouum fuit teſtamentum conditum ac confectum, & à quo lex noua ſeu fœdus nouæ legis vim ac robur ſumpſit, ita ex parte noſtra, cum in noſtris manibus eſt vt Deo offeratur, teſtimonium reddimus & poteſtamur omnem noſtram vitam, ſeu quidquid ſumus aut poſſumus totum Deo conſectari, itaut ſi pro eo mori neceſſe ſit, mortem mente impigrâ fortiter ſubeamus.

Et clamabant voce magna dicentes: Vſquequo Domine ſanctus & verus, non iudicas & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis qui habitant in terra?

Vota ſanctorum, Communionem ipſorum ad inuicem teſtantia.

ANNOTAT. VII.

Quænam ſint Vota Sanctorum in hac vita exiſtentium. §. 1.

CVM totum corpus Chriſti myſticum complectatur Eccleſiam Militantem, Triumphantem & Patientem, quænam ſint vota ſanctorum iuxta hunc triplicem ſtatum explorandũ eſt. Quod vt fiat.

Notandum primo, clamorem hic vocari animatum deſiderium. Clamor igitur magnus, magnum erit ſanctorum deſiderium, iuxta illud: *Deſiderium cordis eorum audiuit auris tua*; vel, *Deſiderium animæ eius tribuiſti ei.*

Notandum ſecundo, ſanctus & verus idem eſſe quod ſancte & verax; nominatiui enim ponuntur pro vocatiuis Atticè.

Notandum tertio, verbum vindicare duo habere ſignificata; vel enim vindictam ſonat, vel liberationem: quod latè probat Cornelius à Lapide in hunc locum, vt ſuperfluum ſit in huius rei probatione diutius immorari. Sic 1. Regum 24. Dauid ad Saul ait: *Vlciſcatur me Dominus ex te*: Id eſt, liberet me ex tua acri perſecutione. Non enim in os imprecari deceret Sauli necem & vltionem Dei. Sic Luc. 18. ait Vidua iudici: *Vindica me*, id eſt, libera me de aduerſario meo, & 1. Machab. 13. ait Simon Machabeus: *Vindicabo gentem meam*, id eſt liberabo: Qui duplex ſenſus huius verbi, vindicare, etiam apud profanos autores reperitur, vt videre eſt apud Calepinum, verbo. Vindicare.

Notandum 4. quod cum diuerſi ſint ſtatus ſanctorum, qui membra ſunt corporis Chriſti myſtici, (vel enim iam beatitudinem ſunt adepti, vel ad eam tantum adſpirant in purgatorio degentes, vel illam expectant & ſperant in præſenti ſeculo) ideo hæc verba S. Ioannis diuerſam habere debent ſignificationem, pro iſta diuerſitate ſtatus, in quo ſancti conſiderari poſſunt.

Dico igitur: ſi ſancti, qui in ſocietatem ſanctorum ſunt vocati, conſiderentur prout ſunt in preſenti ſtatu Eccleſiæ: cum eos audit dicentes, *Vſquequo Domine ſanctus & verus, non iudicas & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis qui habitant in terra?* Idem eſt ac ſi dicerent: Heu Domine, cur incolatus eſt noſter prolongatus eſt? Multum incola eſt anima noſtra. Habitauit cum habitantibus Cedar, cum his qui oderant pacem: Equidem ſumus pacifici, ſed hi qui ſtatuerunt cor ſuum declinare in terram, impugnant nos gratis: totam vitam noſtram maledictis traducunt, calumniis omnes noſtras actiones proſcindunt, doctrinam ſanctam ac fidem quam prædicamus ſubſannant, & ſuis irriſionibus eam quaſi ridiculam, ineptam ac falſam exponunt: itaut nihil proficiamus verbis aut exemplis. Tu vero ſanctitatis amator, veri zelator, iudica: vindictam ſume de amatoribus terræ, qui propagationem cognitionis nominis tui impediunt, & libera vitam noſtram ac prædicationem ab omnibus calumniis, quæ ingeruntur à prauis & malignis, iſtis hominibus: ita enim fiet vt plurimi, qui ad tui nominis cognitionem vocantur, faciliùs nobis adhæreant, & in ſocietatem noſtram coaptari poſſint. Hoc ſanctorum votum neceſſarium aliquando eſſe patet: primo quia in tribulatione nobis ad Deum recurrendum eſſe præcipitur: at inter alias tribulationes ſufferendas, hæc potiſſimum à Chriſto Domino prædicitur: *Beati eritis cum maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum aduerſum vos mentientes propter me*; Quod potiſſimùm experti ſunt Chriſtiani temporibus Neronis, cum odium in ſe concitatum ob vrbis incendium in Chriſtianos rejicere conatus eſt: de qua re Tacitus cum ait l. 15. *Ergo abolendo rumori Nero ſubdidit reos, & exquiſitiſſimis pœnis affecit, quos per flagitia inuiſos vulgus Chriſtianos appellabat.* Hæc Tac. Qui cum ait Chriſtianos per flagitia inuiſos, ſatis indicat quomodo Chriſtiani calumniis laborabant, ſiue quia vt impij cenſebantur, quod Deos conſtantiſſimè deteſtarentur; ſiue quia plurimi hæretici vagarentur obſcæniſſima perpetrantes, qui Chriſtiani etiam reputabantur, ſicque factum eſt vt Chriſtianum nomen infamaretur. Quæcumque enim eſſent turpia hæreticorum, quæque etiam conficta de Iudæis eſſent ab Appione vel aliis, ea omnia in Chriſtianos, quòd ex Iudæis progeniti eſſent, calumniosè admodum redundabant. Lege Baronium an. 66. n. 3. & 4. 5. & 6. Cum igitur tantæ calumniæ fidei propagationem impedire plurimum poſſent, rectè ſancti ac pij homines Deum orant, vt ab iis calumniis eorum vita liberetur, quo facilius poſſit lumen veritatis ac virtutis, ac pietatis cultus propagari. Hac ratione orabat Dauid dicens: *Fecit iudicium & iuſtitiam: non tradas me calumniantibus me. Suſcipe ſeruum tuum in bonum: non calumnientur me ſuperbi.* Pſ. 118. Nam cum diabolus ſciat quantum bonorum exemplum valeat, vt ſuæ malitiæ progreſſus impediatur, quantumque ſit efficax vt infirmi ac imbecilles ad virtutis ſtudium ſedulò ſe accingant, conatur quantum in ſe eſt notam iuſamiæ inurere ſanctis operibus, vt ab eorum exercitio quilibet auertatur, cum videt & audit quæ recta ſunt & ſancta vituperari. Hinc Ambroſius in Pſ. 118. *Quin etiam quos non potuerit circumuenire, calumniatur, inuidens regni cæleſtis gloriam, vt quos illecebris ſuis à Chriſto non potuit ſeparare, eos calumniis ſuis debiti honoris fructu fraudare conetur. Fugiamus ergo malos calumniatores, qui peccatum operantur in nobis, & ipſi nobis calumnias infeſtiſſimâ accuſatione componunt, id quod ipſi fuerint arguentes.* Ita Ambr.

Nec mirum ſi ſancti in hac vita à calumniis hominum liberari deſiderant, neque hoc eorum efficit charitati; quod ita eſſe nemo dubitabit, qui noſtrum Ioannem tanta charitate feruentem, & dilectione dulciſſima omnes homines proſequentem viderit contra contumelioſum quemdam animum erigere, eique minas intentare, dum ait, de quodam Diotrephe: *Scripſiſſem forſitan Eccleſiæ; ſed is qui amat primatum gerere in eis Diotrephes non recipit nos. Propter hoc ſi venero commonebo eius opera, quæ facit ver-*

Digitized by Google

bis maligne garriens in nos, &c. 3. Ep. 16. Sancti ſiquidem, Dei & proximi Charitate flagrantes, optima ratione ducti, à Deo poſtulant calumnias quibus impetuntur diſſipari, vel quibus Religionis, virtutis ac pietatis ſtatus ſeu inſtitutum denigratur. Nam cum proprium charitatis ſit (gluten eſt illius communionis quam habent ſancti ad inuicem,) vt allis exoptet eadem animi ac ſpiritus bona quibus exornatur (ad imitationem Pauli qui Agrippam regem alloquens, ſeque purgans à calumniis & vituperiis, quæ contra eum Iudæi injiciebant, cum ipſe rex dixiſſet: *In modico ſuades me Chriſtianum fieri*, addidit Paulus: *Opto apud Deum & in modico & in magno non tantum te, ſed omnes etiam qui audiunt, tales fieri qualis ego ſum, exceptis vinculis his.* Exceptis, inquit, *vinculis his*, bona enim illis, non mala exoptabat; nec adhuc erant ſatis diuino lumine colluſtrati, vt poſſent intelligere vincula pro Chriſto eſſe plurimi facienda:) hinc fit vt à ſe calumnias auertere conentur cum Paulo omnes Dei ſerui, ne pietas aut virtus odioſa reddatur, & ab earum virtutum exercitio mens imbecillium auertatur. Non ſatis igitur æque quidam, qui gratis autibus excipiunt calumnias contra Religioſorũ ſtatum aut perſonas illatas, & Religioſos ſeu regulares vituperant, ex eo quod calumniis (quibus à quibuſdam Neotericis autoribus neſcio quo animo ductis) inficiuntur, eorumque ſtatus deturpatur, obuiam ire conati ſunt, ſtultis reſpondentes (cum bonâ veniâ dixerim) iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapientes viderentur. Hoc præſtare operæ pretium fuit, donec ſapientia Eccleſiæ de remediis oportunioribus prouideat. Nec eminens dignitas, quæ in quibuſdam autoribus reperiri poſſet, ab hoc deterrere debuit: pernicioſior quippe error, ſi tantis gloriaretur autoribus: vnde eo vigilantiori curâ opponi debuit remedium, quo impediretur ne illaberetur mentibus, ſi nemine contradicente trophæa contra veritatem erigeret, propter autoris (ſi quis dignitate polleat) præſtantiam. Dicant igitur Regulares ſeu Religioſi cum aliis ſanctis: *Iudica Domine cauſam meam de gente non ſancta, ab homine iniquo & doloſo erue me.* Dicant: *Vſquequo Domine non iudicas & non vindicas ſanguinem noſtrum de his qui habitant in terra?* Dicant: Ne patiaris Domine torrente iniquitatis, quem non ſpiritus Domini cogit, ſed ſpiritus ille ſuperbiæ qui thronum poſuit in lateribus aquilonis, domum tuam quam ædificaſti ſupra Petrum, ſupra ſedis Apoſtolicæ venerandam autoritatem, obrui: Redime nos à calumniis hominum, vt mandata tua cuſtodiamus; nec timeat puſillus grex cuiuſuis autoris dignitatem, cum honore tantum digna cenſeri debeat, cum veritatis ac fidei partes tuendas ac defendendas ſuſceperit. Vnde S. Hieronymus redarguere non timuit Ioannem Epiſcopum Hieroſolymitanum Origeniſtis fauentem, eumque in Epiſtola ad Pammachium de erroribus ipſius Ioannis ita alloquitur: *Expoſtulare tecum libet*, inquit Hieron. *quæ hæc eſt tanta arrogantia, non reſpondere de fide interrogantibus, tantam fratrum multitudinem & Monachorum choros, qui tibi in Paleſtina non communicant, quaſi hoſtes publicos æſtimare? Dei filius propter vnam morbidam ouem, nonaginta nouem in montibus derelictis, alapas, crucem, flagella ſuſtinuit, & ſuis humeris portauit ad cælos baiulans, & patiens delicatam peccatricem. Tu beatiſſimus Papa & faſtidioſus vaniſtes, ſolus diues, ſolus ſapiens, ſolus nobilis ac diſertus, conſernos tuos, & redemptos ſanguine Domini tui, rugatâ fronte & obliquis oculis deſpicis.* Ita Hier. Et optime: honore enim ſunt proſequendi cum fidem & pietatem colant: ſi erroribus fœtidis inquinentur, ſpernendi, vt pote autoritate ſibi in ædificationem creditâ, in deſtructionem abutentes. Recte S. Hieronymus modum præſcribens honoris, quem Prælatis deferre debent Monachi ac Religioſi, Epiſt. ad Theophil. ait: *Ideirco enim & nos patrias noſtras dimiſimus, vt quieti abſque illis ſimultatibus in agris & in ſolitudine viueremus, vt Pontifices Chriſti (qui tamen rectam fidem prædicant) non Dominorum meis, ſed Patrum honore reuerentur, vt deferamus Epiſcopis vt Epiſcopis, & non ſub nomine alterius, alius quibus nolumus, ſeruire cogamur: non ſumus tam inflati cordis; vt ignoremus quid debeatur Sacerdotibus Chriſti: qui enim eos recipit, non tam eos recipit quàm illum cuius Epiſcopi ſunt; ſed contenti ſint honore ſuo: Patres ſe ſciant eſſe, non Dominos, maximè apud vos, qui ſpretis ambitionibus ſeculi, nihil quieti & otio præferunt.* Ita Hier. Ex quo vides eos eſſe colendos & honorandos, qui rectæ fidei ſunt propagatores ac defenſores. Excidunt ab hoc honoris culmine, ſi prauas doctrinas introducunt, ſi Patrum, Conciliorum ac ſummorum Pontificum decretis minimè inſiſtentes, conuellere nitantur quæ ſapientiſſimè fuerunt ab Eccleſiâ iam recepta ac inſtituta. Deſiderant igitur ſancti liberari à calumniis hominum, vt communicatio bonorum ſpiritualium, propter communionem in fide ſpe & charitate, commodiùs diffundatur, cum quæ ſunt ſancta, & pietatem erga Deum redolentia, debitam ſibi reuerentiam ſartam tectamque obtinent, ab impiorum maledictis immunem.

Quænam ſint vota ſanctorum qui iam Beatitudinem ſunt adepti. §. 2.

Tantò meliùs hanc petitionem Deo offerunt ſancti Beatitudinem iam adepti, quantò inutilior eſt illis, pro eo ſtatu in quo ſunt, hominum maledicentia, & ipſis hominibus eam effutientibus nocentior; nam cum in hac vita ſunt, patienter maledicta hominum tolerantes augere poſſunt theſaurum meritorum: at extra ſtatum merendi exiſtentes, quæcumque in eos injiciuntur maledicta in caput maledicentium retorquentur, nec ex hoc aliquàm poſſunt adipiſci vtilitatem. Vnde cum blaſphemiæ in ſanctos plurimum pietati officiant, optima ratione exoptant vt Deus ſanguinem eorum effuſum pro iuſtitia vindicet, & eos à calumniis hominum liberet, vt alij eorum veſtigia ſequentes ad eorumdem bonorum æternorum participationem faciliùs peruenire queant.

Equidem nemini dubium eſt hominum iudicia falli facillimè. Plærumque eos iudicant & condamnant vt impios & peruerſos, quorum virtus eos in admirationem trahere deberet; eos verò è contra vt honore dignos ſuſpiciunt, quos deſpicere & contemptui habere oporteret: ex eo quod verba Chriſti Domini minimè ponderant, quibus admonemur non temerè, ſecundum ea quæ parent nobis, iudicia eſſe proferenda. *Nolite*, inquit, *iudicare ſecundum faciem, ſed iuſtum iudicium iudicate.* Ioan. 7. *Vos eſtis*, dicebat ipſe Luc. 16. *qui iuſtificatis vos coram hominibus, Deus autem nouit corda veſtra, quia quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum.* At cum quæ interiora ſunt hominis, hominibus peruia non ſint, difficillimè homines rectum iudicium de aliis proferre valent. Vnde Apoſtolus anticipata iudicia repudiabat, nec ſeipſum iudicare audebat, 1. ad Cor. 4. *Mihi autem*, inquit, *pro minimo eſt vt à vobis iudicer, aut ab humano die, ſed neque meipſum iudico, nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Qui autem iudicat me Dominus eſt. Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo.* Cum igitur de iis quæ fiunt ab hominibus & exterius parent, difficillimum ſit ferre rectum & verum iudicium: quia quæ ſunt in-

Digitized by Google

teriora, ex quibus meritum & valor bonorum operum profluit, ſoli Deo cognita ſint; rectè ſancti quorum vita & mors plærumque vituperantur, & ſanguinis ſui vindictam, &c. à maledicentiis hominum liberationem exoptant: *Vindica*, inquiunt, *ſanguinem noſtrum, &c.* Exponuntur in vita tanquam morti deſtinati, ſpectaculum fiunt mundo, Angelis, hominibus, ſtulti reputantur, vt infirmi negliguntur, vt ignobiles contemnuntur, eſuriunt, ſitiunt; nudi, colaphizati ab omnibus rejiciuntur, nec alicubi valent conſiſtere: maledictis, perſecutionibus, blaſphemiis ſaturantur: denique tanquam purgamenta huius mundi fiunt omnium peripſema. Quis iis adhærere, eorum dictis fidem adhibere, eorum veſtigia ſequi vellet, ſi Deus virtutis ac ſanctitatis autor & protector quanto in pretio pietatem ac virtutem habeat aliqua ratione minimè manifeſtet? Ad eum igitur clamant tantò fortiùs, quantò potentiorem habent nunc ſuarum precum auxiliatorem, tum in Sacramento altaris, tum in dextera Dei ſedentem, videlicet Dominum Chriſtum. Et dicunt: *Vſquequo Domine ſanctus & verus.* Iudicium poſtulant ſancti, vt hi qui tanquam impij & peruerſi ab hominibus fuerunt reiecti: tales quales apud Deum ſunt cognoſcantur. Vindictam expoſcunt in præſenti ſeculo, de iis qui habitant in terra, qui eis mortem intulerunt; quia licèt in iudicio futuro eorum iuſtitia manifeſtanda ſit in ſuo ſplendore, vnde tunc fatebuntur mali ſuam cæcitatem, & gementes dicent: *Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt*; Optant tamen vt ante iudicium etiam vindicta de eorum morte ſumatur, vt eorum mors & vita aliis fidelibus prodeſſe poſſit. Futilis quippe erit in iudicio extremo hæc impiorũ confeſſio nec eis manifeſtatio gloriæ ſanctorum prodeſſe poterit: at ſi in hac vita eorum ſanctitas & iuſtitia cæteris illuceſcat, poteſt talis manifeſtatio ſanctitatis pluribus eorũ eſſe proficua & vtilis. Hinc Deum vocant ſanctum & verum vt Dei benevolentiam quodammodo concilient: vt ſicut olim Moyſes Dei clementiam pro populo Iſraëlitico poſtulans, eum laudibus, quæ huic rei erant accommodæ, demulcebat; Ita cum de ſanctitatis gloria, & diſtinctione veræ ſanctitatis à fucata hîc agatur, conuenientibus laudibus ſancti Deum proſequuntur. Vocabat Deum olim Moyſes Dominatorem, Dominum, Deum, Miſericordem, Clementem, Patientem, multæ miſerationis, verace̅. Exod. 34. Hic autem ſancti vocant Deum ſanctum & verum. Optant ſancti vt morum probitas ac ſanctitas in pretio habeatur, & quantum par eſt debito fulgeat honore: Experiuntur quantum ex morum ſanctitate emolumenti ipſis obuenerit, & ex iis quæ in ſeipſis aguntur, ſciunt quantum felicitatem adepturi ſunt, qui pietatis ſuæ veſtigiis inhærebunt, vehementer exoptant vt homines hæc ſciant, vt ſaluti ſuæ ſedulò inuigilent ad maiorem Dei gloriam & honorem: hac de cauſa eum vocant ſanctam, vt pote qui ſit totius ſanctitatis auctor, propagator, protector, coronator, ac ſi dicerent: tuum eſt Domine ſanctitatem à calumniis vindicare; & cum gloria & honore dignus ſit qui operatur bonum, vnicuique laudem pro opere tribuere, vt vnicuique laus ſit non ab hominibus, non ab iis quæ patent, ſed à te qui verè iudicas, & qui falli nequis. Nam cum multi ſint qui fucatâ iuſtitiâ, & exterioribus tantum quibuſdam pietatis operibus gaudeant, tu verus es æque ac ſanctus: Zizania & paleas à frumento ſegrega, hypocritas à veris pietatis cultoribus ſeceme, hædos ab ouibus ſepara, & congregato in horreo frumento, paleas combure igne inextinguibili, ſciantque homines iuſtum ac rectum iudicium tuum, *Omnes iſti principes declinantes*, Ierem. 6. *ambulante: fraudulenter, æs & ferrum, vniuerſi corrupti ſunt: defecit ſufflatorium, in igne conſumptum eſt plumbum; fruſtra conflauit conflator, malitiæ eorum non ſunt conſumptæ. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos.* Tales à nobis ſepara, ô iudex æquiſſime, ſanctiſſime, veriſſime: hoc fiet ſi de morte noſtra vindictam ſemel ſumpſeris. Vindictã quippe de morte nobis iniuſtè illatã, notam facies iniuſtitiam eorum: qui eam nobis inferre impiè auſi ſunt. Quod ſi, ſancte & verax, dominator vniuerſæ terræ, permittis eos qui nomen tuum reuerentur, qui illud confiteri non pertimeſcunt, impunè affligi ac interfici, quid quæſo dicere non audebit cordis humani obdurata malitia? Proculdubio dicet. *Quid enim nouit Deus? Et quaſi per caliginem iudicat: nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cæli perambulat.* Iob. c. 22. At ſi de morte noſtra vindictam ſumpſeris, ſanguinem noſtrum, id eſt vitam noſtram, à calumniis vindicabis ſeu liberabis, & ſi nos antea tanquam purgamenta huius mundi, & omnium peripſema intuiti fuerint, & in detrimentum pietatis nos execratione & maledictione dignos æſtimauerint, cum mortem noſtram pretioſam tibi eſſe, cum vitam noſtram gratam & acceptam tibi eſſe animaduerterint, tunc plures alij noſtris veſtigiis inſiſtere percupient: & pietas, quam verbo & exemplo quantùm in nobis fuit inculcare te auxiliante, in mentes hominum conati fuimus, velut quid amabile valde & proſequendum in ſummo habebitur pretio. Vindictam itaque de morte noſtra ſumendo, hac ratione ab opprobriis & vituperiis actiones noſtras liberabis, ad eorum vtilitatem qui crediturí ſunt in te. Tu Deus qui dixiſti, *Mihi vindicta & ego retribuam*, qui abſque iniuſtiæ alicuius periculo, eam). vindictam exercere potes, nec eſt qui reſiſtat voluntati tuæ, aut quid tibi exinde aliquid mali reddere queat; Tu Deus, inquam, iuſtiſſime, iudica inter pios & impios, vindica ſanguinem piorum iniuſtè effuſum: libera vitam & actiones noſtras à calumniis hominum, vt maior ſit communicatio bonorum, inter eos quos in vnum per nominis tui cognitionem & charitatem ſimul coadunaſti, eoſque ſub capite Chriſto, vnum corpus effeciſti. In communicatione quippe bonorum ſpiritualium, doctrinæ, bonorum exemplorum, orationum & ſimilium, hæc Communio ſanctorum potiſſimum elucet: propter quam hæc vota ſancti emittunt & dicunt: *Vſquequo Domine non iudicas, &c.* Illuſtranda eſſent hæc exemplis, quibus Deus vindicando mortem ſanctorum, liberauit eorum vitam à calumniis hominum; quæ certe poſſunt in vitis & geſtis ſanctorum facilliimè reperiri. Nos hæc omittendo breuitati conſulimus.

Et etiam animæ quæ in purgatorio exiſtunt hæc vota & deſideria exprimunt, quod vt intelligatur, ſequentem paragraphum inſtituimus.

Quænam ſint vota animarum in purgatorio exiſtentium, vt à pœnis ſoluantur, quibus votis communio eorum cum Eccleſia militante manifeſtatur. §. 3.

Cum animæ in purgatorio exiſtentes charitate informentur, & amore etiam rationabili ſeu naturali afficiantur erga ſeipſos, eiſdem poterunt inclinationibus & propenſionibus ferri, quibus animæ beatorum impelluntur. Itaque & accelerationem iudicij, & ſuam cum corporibus vnionem ad Dei gloriam expetere poterunt, æque ac animæ ſanctorum, qui iam beatitudinem ſunt adepti. At inſuper dico, his verbis: *Vſquequo Domine non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis qui habitant in terra?* ipſas

Digitized by Google

exoptare vt iudicium feratur in earum commodum, & à pœnis ſolutionem poſtulare, quo earum felicitas ex Dei viſione minimè longius protrahatur. Hac enim ratione vindicabitur, id eſt liberabitur ſanguis eorum, per ſuffragia eorum qui adhuc commorantur in terris. Hoc ita deducimus. Cum dicunt: *Vindica ſanguinem noſtrum*, idem eſt ac ſi dicerent: Vindica ſeu libera vitam noſtram; non vitam corporale quam iam ademerunt, non vitam eorum qui ſibi affinitate aut conſanguinitate erant coniuncti, non vitam corporalem vniuerſorum hominum, nam ſi de vita quam habebant corpori coniunctio intelligeretur, hoc deſiderium futile eſſet & vanum: liberationem enim illius boni deſiderarent quo iam eſſent priuati, nec eis ab hominibus poſt mortem aliquid eſt pertimeſcendum, dicente Domino: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, & poſt quam occiderint non habent amplius quid faciant*; Nec de vita conſanguineorum debet eſſe iſtud deſiderium: nimium enim arctaretur charitas earum, ſi ad conſanguineorum liberationem ſolum extenderetur, nec de vita quorumlibet hominum: nec enim hoc fieri poteſt vt omnes homines de facto ſoluantur, & maiori lumine ſunt colluſtrati quàm vt exiſtiment fieri poſſe vt ordo diuinæ prouidentiæ perturbetur, cuius executionem tantum expectare debent. Igitur non exiſtimant fieri poſſe, vt qui propter altitudinem diuinæ iuſtitiæ ad pœnas æternas ſunt deputandi ab his pœnis liberari valeant. Rurſus per, *ſanguinem noſtrum*, intelligi non poteſt liberatio eorum, cum quibus coniuncti ſunt communione illa ſanctorum, quæ per charitatem adimpletur; talis enim ſocietas in ſcripturis per ſanguinem minimè denotatur: nec enim oritur hæc ſocietas *ex ſanguinibus, aut ex voluntate carnis, aut ex voluntate Viri ſed ex Deo*, & Paulus ait: *Caro & ſanguis Regnum Dei non poſſidebunt*: Aliquid igitur pro eo ſtatu in quo ſunt, per ſanguinem ſignificari debet, cuius liberationem exoptent, per communionem quam habent cum his qui habitant adhuc in terris.

Dico igitur: per ſanguinem cuius liberationem exoptant, intelligitur pœna ſenſus, quæ debetur eis propter conuerſionem ad creaturas.

Equidem certum eſt animas in purgatorio exiſtentes, pœnâ damni (quæ reſpondet auerſioni quam de Deo habet anima, dum eſt in peccato mortali) minimè puniri, eo enim ipſo quo culpa remittitur, etiam hæc pœna relaxatur. Quod igitur in eis purgandum ſeu puniendum ſe offert, potiùs aliquid eſt ad pœnam ſenſus attinens (quæ eis debetur ex eo quod mentem à Deo auertentes cum ipſum offenderunt, indebitis modis ſe ad creaturarum adhæſionem conuerterunt, ex nimio affectu erga voluptates ac delectationes ſenſuum) quàm aliquid Dei auerſionem præſupponens, à quo amplius auerti nequeunt, cum ad eum actu, totis viribus adſpirent, cum diligant amore conſummato, & ad vltimam perfectionem deducto; quo nunquam priuari poterunt, quamuis intenſiuè hic amor perfici habeat per viſionem beatificam: quin etiam repugnat vt in eis aliquid reperiatur, quod minimam auerſionem à Deo redoleat, propter quam exuri aut purgari debeant. Igitur ſi aliquid in eis reſtat purgandum, eſt propter reſpectum conuerſionis quam habuerunt ad creaturas. Quod ſi dicas eos deſiderare Dei viſionem, & hoc deſiderio aliqua ratione torqueri; Reſpondeo, hoc deſiderium minimè habere rationem alicuius pœnæ aut ſupplicij, ſed potius ſuauiſſimè animas afficere, à quo liberari non exoptarent, cum etiam tanti boni poſſeſſio hoc deſiderium non explebit, ſed adaugebit: ſemper enim Deum videbunt, & videre deſiderabunt: ex viſione enim oritur deſiderium videndi. Expletionem igitur, perfectionem, & conſummationem illius deſiderij exoptant, & hoc per liberationem ſui ſanguinis, id eſt, per ſolutionem à pœnis, quas meruerunt, eoquòd propter ſenſuum delectationes Deum aliquando offenderunt.

Dicendum itaque quod animæ in purgatorio per potentiam ſenſitiuam propriè patiuntur pœnas, quas ibi eas pati contingit, quæ quidem pars animæ ſenſitiua, per ſanguinem, qui ſedes eſt vitæ animalis, exprimitur; vnde cum dicunt: *Vindica ſanguinem noſtrum*, idem eſt ac ſi dicerent: Verè ô ſanctiſſime Domine, multum torquemur, & plurimo dolore afficimur, ex eo quod tua exoptatiſſimâ viſione frui nobis non licet. At cum nouerimus ſuauiſſimam bonitatem tuam exaudire vota & deſideria tuorum, ſi ita per iuſtitiam liceret, ideo petimus vt liberes nos ab iſtis doloribus. Scimus tanti boni fruitionem retardari ex eo quod pœnis addicimur, quas propter indebitam ad creaturas conuerſionem demeremur. Heu Domine piiſſime, libera partem iſtam animæ noſtræ ſenſitiuam ab his pœnis quas patitur, ne deſiderij noſtri adimpletio amplius retardetur. Has quidem pœnas non intuemur veluti quædam obiecta ingrata & diſconuenientia: quidquid enim à tua bonitate & iuſtitia procedit nobis pergratum eſt: virgam tuam, & baculum quibus ferimur ſuſpicimus & adoramus & deoſculamur. Tu piiſſime ac Clementiſſime Pater corripis nos in miſericordia & miſerationibus, grauiſſimum eſſet & intoleratile aliquâ fædati maculâ ante teipſum præſentari. Tua igitur voluntas fiat. Sed quia concupitâ viſione tuæ eſſentiæ frui non licebit, niſi poſtquam ab his pœnis fuerimus ſoluti, & vltimum ſoluerimus quadrantem, vindica, libera ſanguinem noſtrum: aufer à nobis pœnas, quas ratione partis ſenſitiuæ patimur: torquetur enim ratione ipſius tantum anima noſtra, nam ſuperior animæ pars, intellectus, mens, & ratio, tuum ſuſpiciunt & adorant iudicium, & voluntas noſtra tuæ voluntati obſequendum ſibi eſſe pro ingenti bono ducit.

Cum igitur animæ in purgatorio exiſtentes, ardore deſiderij viſionis diuinæ concitatæ, à pœnis liberari exoptant, & clamore ingenti ſub altari (id eſt dependenter ab eo, qui cum clamore valido & lacrymis, exauditus eſt pro ſua reuerentia) clamant: *Vſquequo Domine non iudicas*, idem eſt, vt arbitror, ac ſi dicerent: Veriſſimè, ô iuſtiſſime Domine, nos iſtas demeremur pœnas: iuſtè eas à nobis exigis, & ad eas apud ſanctiſſimum tribunal, & æquiſſimum iudicium, irreuocabili decreto fuimus æquiſſimè addicti, nec appellationi locus datur, vt has effugere valeamus, ſicut nec conquerendi ratio reperiri poteſt: ſententiam condemnationis in nos contorſiſti: ſed quam æque, quàm iuſtè, ſi iræ tuæ ſagittas in nos immittis! ô quantis delictis hoc demeriti fuimus! in plurimis actionibus noſtris eorum mores ſecuti fuimus, qui veritates naturaliter cognitas in captiuitatem detinent, appetitui contra dictamen rationis cum inſigni iniuſtitia inſeruientes. Hoc peregimus, cum illud lumen vultus tui, quo nos inſignire voluiſti negleximus: per quod maieſtatis tuæ gloriam & altitudinem aprehendere nobis erat facillimum. Inuiſibilia enim tua, per ea quæ facta ſunt, viſibilia conſpiciuntur; quin & ſempiterna tua virtus & diuinitas per eadem intelligitur. Heu nos miſeri, qui naturæ bona conculcauimus, veritatem adeo manifeſtam in iniuſtitia detinuimus, cum tibi, pro tantis & tam præclaris effectibus infinitæ bonitatis & omnipotentiæ tuæ, nullum exhibuimus honorem. Nonne proinde iuſtè in nos iram tuam exacerbauimus? At quomodo effugere iram

Digitized by Google

tuam nobis liceret, qui inſuper mnam ſeu Denarium pretioſiſſimum fidei infuſæ, in ſudario repoſuimus, tantoque luminecolluſtrati nihilominus deteriores fuimus, cum lumine fidei neglecto, exercitium bonorum operum contemptui habuimus, eique inſiſtere non libuit. Sed ecce inexcuſabiles omnino facti ſumus, & theſaurizauimus nobis iram in die iuſti iudicij tui: nec enim ſatis nobis fuit ſi rationis lumen negleximus, ſi fidei lumen inutile reddidimus, inſuper tantis malis & illud adiecimus in noſtram perniciem ingrati nimis & temerarij valde, quòd in prauis actionibus prohibitis illicitas voluptates conquirere auſi fuimus; licèt reclamaret ratio, licèt fidei lumen aliud nobis eſſe agendum ingereret, & porenter inculcaret ne tuam offenderemus diuinam Maieſtatem, ea quæ tibi erant odiota perpetrando. Heu, heu! ſuauiſſime dominator vniuerſæ creaturæ, aliud reſtat quod crimen noſtrum atrociùs reddat. Tanta & tam ſuauis erat bonitas tua, vt cum ſumma patientia nobiſcum ageret, & ad pœnitentiam & expectares & prouocares: tanta damna & detrimenta nobis reſarcire facillimum erat, debitâ contritione, ſyncerâ & integrâ confeſſione, plenâ ſatisfactione, bonorum operum accumulatione, quæ omnia cum eſſent obuia & præ manibus noſtris, ad expianda crimina noſtra, quibus eramus inquinati, nobis aditus erat facillimus: & præcipuè quia theſaurum indulgentiarum præparaueras, à quo exhaurire poteramus quæ nobis neceſſaria erant pro ſolutione debitorum. Propriæ quidem actiones ex libero arbitrio prodeuntes, vaſa erant nimis anguſta, vt ſatis ſuperque haurirent, ex inexhauſto nec vnquam exhauriendo meritorum paſſionis tuæ theſauro, quæ nobis erant neceſſaria, ad plenè & integrè ſatisfaciendum iuſtitiæ tuæ. Vt quæ igitur nobis deerant abunde ſuppeditarentur, actiones quædam erant nobis præſcribendæ ab eo, quem diſpenſatorem theſaurorum tuorum præpoſuiſti, quibus tanta merita nobis applicari poſſent, itaut nobis ſufficientia ac neceſſaria haurire poſſemus. At ad tantam patientiam, ſuauitatem & miſericordium nimium ingrati, elabi permiſimus tempus miſericordiæ deſtinatum: nec cor noſtrum, vt par erat, totis viribus ad te conuertimus, niſi in extremo penè vitæ halitu. Quidni igitur, nonne meremur effectus ſeueritatis experiri, tempore miſericordiæ elapſo, quæ tamen vere dulcis, vere amabilis ſeipſam exhibuit. Siquidem pœnitentiam adeo ſeram, & conuerſionem adeo tardam ſuſcepit, acceptauit, probauit. Iam anima in extremis labiis quaſi reſidebat, cum ſeriò cor noſtrum ad te conuertimus; & ecce condonaſti delicta, peccata remiſiſti, nos in tuam gratiam ſuſcepiſti. Nihilominus, *Vſquequo Domine non iudicas?* Iudica quæſumus an debita ſint ſoluta, an pœnæ quas decreuiſti fuerint iam exantlatæ. Vide, oramus ſuppliciter, humilitatem noſtram & libera nos, nec enim obliti ſumus te, nec legis tuæ in extremo vitæ periculo fuimus immemores: quin potius vt mandatis tui morem gereremus, ad te in toto corde noſtro conuerſi ſumus. Iudica, iudica iudicium noſtrum, & redime nos, iam expenſæ factæ ſunt noſtræ redemptionis, ex ſumma benignitate & miſericordia tua: nos hic egeni & pauperes, in eo ſtatu in quo ſumus, nihil habemus quo poſſimus pœnas pro offenſis debitas ſoluere: at dives es in miſericordia, certe noſtrum iudicabis iudicium cum dices: ſat eſt pœnarum, ſat eſt ſuppliciorum, iam expiata ſunt crimina, iam pœnæ perſolutæ: ſententia in iſtos lata executioni fideliter eſt demandata, vſque ad vltimum quadrantem pretium redemptionis perſolutum, liberandi ſunt à pœnis, vt ad meam adducantur viſionem.

Vt autem quæ diximus de pœnis, quas patiuntur in purgatorio animæ defunctorum, melius percipias, lege quæ R. P. Zazarias Bouerius docuit in ſuis demonſtrationibus, contra Athæos, Iudæos & Hæreticos, cum agit de modo quo animæ cruciantur. Lege etiam Koninch. diſput. 2. de Purgatorio. dub. 3.

Cum vero animæ in purgatorio non amplius poſſint aliquid mereri, & nihilominus vehementius deſiderent liberationem à pœnis quibus cruciantur, quis diuinæ iuſtitiæ debitum ſoluet pretium, pro pœnis à tam æquiſſimo iudice illatis ac decretis? Videretur proculdubio deſiderium ſuum extra æquitatis limites ferri, ſi à pœnis eximi optarent nullâ præuiâ ſatisfactione, nec pretio ritè per ſoluto, ad quod ſoluendum diuina ſententia eos adegit. Sunt autem iſtæ in ſtatu iuſtitiæ perfectiſſimo: vt nihil deſiderare queant quod æquitati tantiſper contrarietur. Quid igitur eos agere oportet, ſi exigatur, verbi gratia, ab eis vt per longum temporis internallum, & forte vſque ad conſummationem ſeculi in pœnis perdurent, velle aliquod ſpatium huius temporis reſecari? Tali deſiderio videretur eb eis æquitas exulare, niſi eos in manibus habere dicamus quo debita ritè & integrè ſoluant. Apud ſe nihil reperitur quo ſatisfacere queant, ſi tale quid habuiſſent in articulo mortis, iam iam ad beatitudinis æternæ ſtatum peruenisſent, nec in eo eſſent ſtatu, in quo incapaces omnino ſunt ſolutionis debitorum: nihil de nouo inſuper acquirere valent, nam cum ſint extra terminum merendi, nec mereri nec demereri aliquid poſſint, *Venit nox, quando nemo poteſt operari.* Ioan. c. 9. videlicet quo poſſit nouum acquiri meritum. Iam villico dictum eſt: *Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris villicare.* Sapientiſſimè enim dixit Eccleſiaſticus c. 4. *Ante obitum tuum operare iuſtitiam: quoniam non eſt apud inferos inuenire cibum.* Igitur cum exoptant liberationem à pœnis, nec de ſuo aliquid præſtare poſſint, nec de nouo aliquid acquirere, quod dare queant, & æquiualeat debitis ſoluendis, certe deſiderium iſtud à pœnis eximi iniquum erit, niſi habeant aliquem fidelem fidejuſſorem qui pro eis ſoluat. Hinc optimè, cum à pœnis eximi deſiderant, habitantes in terra tanquam fidejuſſores proponunt cum addunt: *De iis qui habitant in terra.* Ac ſi dicerent: Heu piiſſime Domine! ſi charitas & dilectio tua cum pœnis æternis quas demeriti ſumus conciliari poſſet, ſi tua clementiſſima Bonitas eos quos diligis & à quibus diligeris videre poſſet in tormentis, libentiſſimè amplecteremur omnia inferni tormenta, potiùs quàm iuſtitiæ tuæ non daretur plena & integra ſatisfactio, vt ſumeretur vindicta de tot atrocibus criminibus, & nimia qua laboramus ingratitudine, dum tuam offendimus Maieſtatem. At amator animarum, non delectaris in perditionibus noſtris: vis ac deſideras terminum dari pœnis aç ſuppliciis, non in æternum iraſceris nobis: aliquem modum præſcripſiſti pœnis temporalibus pro pœnis æternis, ad quas nos condemnate pro tua clementia & bonitate noluiſti. Iuſte hoc egiſti, iuſtè, ô ſuprema Maieſtas, has exigis pœnas: nec in contrarium ire nobis, nec licet nec lubet. Sed heu piiſſime pater! quanto bono priuamur, dum eas tolerare oportet à tua fruitione excluſi? Ah! ſi tua iuſtitia aliâ viâ poſſet exſatiari, quantum hoc nobis foret optandum, vt tua citius potiremur viſione ab his pœnis exempti? En via aperta, ſi hoc tibi gratum eſſe poſſit. Charitas proculdubio tibi gratiſſima exiſtit: gaudes ſi filios habeas tibi conſimiles, & ſicut tu Pater es miſericordiarum, ita & ipſi ſint miſericordes ad inuicem,

Digitized by Google

ſibique ipſis ſubueniant, tanquam membra vnius & eiuſdem corporis; exemplum eis dediſti, ô Bone Ieſu, dum in terris viſus es, & cum hominibus conuerſatus es. Te tanquam caput noſtrum ſuſpicimus, ecce noſtram à te dependentiam agnoſcimus. Ecce ſub altari tuo ſumus, vt rore miſericordiarum tuarum aſpergamur, & tanquam membra à capite, benignos influxus quos in totum corpus myſticum infundis, recipiamus. Suſcipe igitur pro pœnis quas demeremur, humillimas eorum, qui adhuc in terris commorantur, preces & orationes, & opportuna ſuffragia, & auxilia quibus nobis ſubuenire exoptant. Eorum erga alios homines eleemoſynas, in noſtram gratiam ſuſcipe; eorum ieiunia auceptabilia ſint, & cætera per quæ affligunt corpora, ad ſolutionem pœnarum quas demeremur, benigne intuere. At ſuper omnia oculos injice in illud acceptabile ſacrificium corporis & ſanguinis tui, quod tibi offerunt in noſtram redemtionem, & pœnarum nobis debitarum ſolutionem, per illud applicando nobis meritum ſacratiſſimæ tuæ paſſionis & mortis. Ecce igitur in fidejuſſionem & cautionem noſtram, incapaces meriti offerimus eos qui adhuc viatores mereri poſſunt, vt ita iuſtitia tua vſque ad vltimum quadrantem recipiat quod decreuit, & hac ratione cum iuſtitia petere valeamus noſtram ab his pœnis liberationem. Notandum eas non poſtulare vt Deus grata & accepta habeat certa quædam opera, qualdam preces aut quædam ſacrificia, ne modum quo eis ſubueniri poteſt nimium reſtringant aut coarctent; at perſonas offerunt capaces ſoluendi, & vt ita dicum dentem prodente, oculum pro oculo, corpus pro corpore, quique quibuſcumque viis & modis poſſunt eis ferre auxilium. Cum dicunt itaque, vindica ſeu libera nos, grata habendo vel ieiunia & abſtinentias & ſacrificia, quæ fiunt in terra, ſed vice noſtra ſeu noſtro intuitu, qui extra viam merendi ſumus conſtituti, ſuſcipe eos qui habitant in terra. Hi ſiquidem poſſunt & mereri & ſatisfacere, ſiue in quantum erunt Eccleſiæ miniſtri, ſiue vt membra corporis myſtici pro aliis membris aliquid adhuc viuentes pati voluerint; vel quid operari exterius vel interius: quibus bonis operibus ſuffragantibus valeant animæ defunctorum à pœnis liberari: quod quidem votum clarè indicat ſanctorum ad inuicem communionem, per bonorum operum ſpiritualium communicationem.

Et data ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ: & dictum eſt illis vt requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſerui eorum & fratres eorum, qui interficiendi ſunt ſicut & illi.

Exauditio voti ſeu deſiderij, cum modificatione quadam, apertè communionem abſolutiſſimam ſanctorum indicante.

ANNOTAT. VIII.

DANTVR ſanctis ſtolæ vt præparentur ad nuptias agni, vt habetur c. 19. *Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe: & datum eſt illi vt cooperat ſe byſſino ſplendenti & candido. Byſſinus enim ſunt iuſtificationes ſanctorum*, & vt Chriſto Triumphanti comites ſe præbeant, qui ſuper femur ſcriptum gerit, *Rex Regum & Dominus Dominantium.* De iis enim qui eum ſequuntur dicitur ibidem: *Et exercitus qui ſunt in cœlo ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſino albo & mundo.* Sic cap. 7. videntur amicti ſtolis albis & palmæ in manibus, quia in gratia accepta perſeuerarunt, & victoriam reportarunt de hoſtibus, qua ratione digni cenſentur tum nuptiarum agni, tum huius glorioſiſſimi Triumphi. Quæres quænam ſint illæ ſtolæ?

Dico 1. Si de Martyribus & ſanctis iam in gloria degentibus hunc locum intelligamus, ſtolæ albæ erunt honores externi, quibus coluntur in Militante Eccleſia, qui quidem honor eos quaſi circumdat, tanquam veſtes quædam cuiuſdam gloriæ accidentalis in cœlis: qui honor eis redditur donec pleniſſimè in die iudicij illum recipient, quo tanquam filij & hæredes Dei & cohæredes Chriſti ab omnibus agnoſcentur.

Dico 2. Si de animabus in purgatorio exiſtentibus hunc locum intelligas, eſt earumdem purgatio & emundatio ab omni macula, qua quidem emundatione digni redduntur qui admitti valeant in regnum cælorum, donec in finali iudicio videantur vindicatæ ab omnibus vituperiis quæ eis exprobrari poſſunt, propter plurimas actiones illorum indecentes & inordinatas. *Deus eſt qui iuſtificat. Quis eſt qui condemnet?*

Dico 3. Si autem de ſanctis, vt adhuc ſunt viatores, hic locus intelligatur, ſtolæ albæ erunt approbationes operum bonorum, quæ ab ipſis fiunt, ſiue per fructum copioſiſſimum Eccleſiæ prouenientem ex ipſis operibus, ſiue per quædam miracula ſanctitatem doctrinæ, fidei, & morum ipſorum teſtantia, donec omnes agnoſcant ſiue per miracula poſt mortem, ſiue per aliud publicum teſtimonium, vt eſt Canonizatio Sanctorum, ſiue per ſententiam illam vltimam, *Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum*; quàm grata & accepta Deo fuerunt illorum opera. Vel dic ſtolas illas eſſe lumen gloriæ, pro ſanctis qui ſunt in gloria cæleſti; vel ſpem certam & ab omni timore liberam æternæ beatitudinis, pro animabus in purgatorio exiſtentibus; vel inſignem puritatem conſcientiæ, & teſtimonium internum Spiritus ſancti quod ſimus Filij Dei, pro fidelibus viatoribus; vel ſpecialem reuelationem propriæ beatitudinis, qualem habuit Beatiſſ. Pater Franciſcus, cum audiuit hanc vocem ſupernam, dum doloribus acutis vexatus iaceret in lectulo, in cellula illi conſtructa iuxta S. Damianum, & Deum rogaret vt pro ſua miſericordia illi ignoſceret in æternum. *Lætare ergo: hac itur ad cœlum quo tibi ſternitur via, & ſemita paratur*: quo factum eſt vt dum cum ſancta Clara ad prandium conſediſſet, ſuſpenſus hæſit, oculis in cœlum fixis, & magno & ingenti clamore dixit: *Benedictus, glorioſus & ſuper exaltatus ſit Dominus*: & reprehenſus de hoc indecoro clamore, *O*, inquit, *ſi imperator quiſpiam ſeruo ſuum regnum conferret, nonne iuſtè gauderet?* quid ergo fecerim vltra debitum, cui Dominus ſuum regnum certo promiſit? Laudabo nomen eius aſſiduè, magnificabo eum in laude, & pſallam Deo meo quandiu fuero. O præclara ſtola alba Seraphico Patri data, nempe reuelatio regni æterni ſibi promiſſi.

Si igitur de honore externo, qui ſanctis datur, loquamur, certum eſt nos tria conſiderare poſſe in Beatis; Et primo beatitudinem eſſentialem, quæ conſiſtit in viſione Dei: ſecundo beatitudinem accidentalem inhærentem eis, quæ conſiſtit in nouis quibuſdam reuelationibus & gaudiis quibus afficiuntur; tertio beatitudinem accidentalem extrinſecam, quæ conſiſtit in quadam gloria ſeu honore externo. At cum pro ſanctis Sacrificium offerendo, impetrare non poſſimus nec primam nec ſecundam beatitudinem (non primam, iam enim potiuntur beatitudine eſſentiali, & in ea nec creſcere nec decreſcere valent, non ſecundam ſiquidem illa eis

Digitized by Google

obuenit ratione beatitudinis eſſentialis : ſi nouis quibuſdam, ex iis quæ ipſis reuelantur, afficiuntur gaudiis, in quibus beatitudo accidentalis inhærens, ſtatui ipſorum conueniens conſiſtit, hoc totum habent ratione beatitudinis eſſentialis, quo ſit vt hanc ipſis non poſtulemus beatitudinem ſicut nec primam) reſtat igitur vt ſi pro ſanctis aliquid impetrari poſſit per Sacrificia quæ Deo offeruntur, honor quidam extrinſecus impetretur, vt videlicet Deus ad Eccleſiæ ſuæ vtilitatem faciat vt ſancti à fidelibus piè & religiosè colantur & honorificentur. Cum igitur de ſanctis in gloria cæleſti loquimur, hæ ſtolæ non tam erunt lumen gloriæ, quo iam ſunt colluſtrati, quàm agnitio quod eo ſunt ditati; non tam beatitudinis ſuæ certa & ſecura poſſeſſio, quæ ipſis datur, donec compleatur numerus eorum, quam honor qui eis in Eccleſia militante exhibetur, cum inuocantur, ſupplicantur & laudantur, vt pote qui ſint ſerui & amici & domeſtici Dei viuentis.

Hæc Sanctorum ſtola candida præfigurata fuit per eam ſtolam, quæ à Pharaone data fuit Patriarchæ Ioſepho. *Tu eris*, dicebat Pharao, *ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet. Vno tantum regni ſolio te præcedam.* Et rurſus : *Ecce conſtitui te ſuper vniuerſam terram Ægypti : tulitque annulum de manu ſua, & dedit eum in manu eius, veſtiuitque eum ſtola byſſina, & collo torquem auream circumpoſuit : fecitque eum aſcendere ſuper currum ſecundum, clamante præcone vt omnes coram eo genuflecterent, & præpoſitum eſſe ſcirent vniuerſæ terræ Ægypti.* Sic ſedent ſancti ſuper thronos, tanquam qui ſuperiorem locum in Eccleſia obtineant. Pius ac deuotus populus eorum voci obſequentem ſe præbet, vt videatur Deus ſecundas partes honoris, qui ſibi impenditur, ipſis quodammodo tribuere, quaſi vellet, vt ita dicam, tantùm vno gradu ipſos anteire, quamuis Majeſtas ipſius omnes ſanctos longiſſimis interualiis & infinita dignitate excedat : principes ſunt populorum, annulum geſtant, quo quidquid docuerunt & fecerunt quaſi obſignatur, nempe poteſtatem patrandi miracula. Et cum canonizantur, videtur Deus præcipere cunctis, vt eos & genuflexionibus & proſtrationibus & adorationibus proſequantur. Denique cum ornamenta altarium & Miniſtrorum Eccleſiæ, alba & candida eſſe præcipiantur in feſto omnium Sanctorum, in ſignum fidei quam habuerunt, & felicitatis & glorificationis quam pro nunc obtinent & conſequuntur, certè videntur illis ſtolæ candidæ offerri, donec compleantur conſerui eorum. Ipſis igitur ſtolæ candidæ dantur, expectando reſurrectionem, eoquod Eccleſia credit & profitetur ipſos verè eſſe ſanctos, verè eſſe felices & beatos, qui inuocari & coli debeant, vt ſerui & amici Dei chariſſimi.

Quod ſi de animabus in purgatorio agatur, illis dantur ſtolæ albæ, cum lumine gloriæ decorantur poſt liberationem à pœnis, donec tandem cum reliquis ſanctis liberentur ab omnibus incommodis, quæ peccata conſequuntur; vt eſt, corporis in pulverem reductio : quod quidem fiet in futura reſurrectione, quo tempore, electorum numero completo, perfectam adipiſcent redemptionem à quocumque malo quod ex peccato obuenit, tum naturæ humanæ in vniuerſum, tum vnicuique in particulari.

Quod ſi de fidelibus in hac vita exiſtentibus ſermo fiat, filio prodigo ſtola prima redditur, candida nempe illa veſtis, qua recenter baptizati induebantur, in ſignum innocentiæ & puritatis, quam anima ſuſcipit, ab omni macula peccati originalis & actualis lauata, & dealbata in ſanguine agni. Quibus ſtolis, tum honoris exhibiti ſanctis in Eccleſia, tum luminis gloriæ, tum gratiæ & charitatis infuſæ ſanctorum, veritas manifeſtatur & conſtituitur Modificatio autem, quæ adhibetur in exauditione voti, hanc communionem apertè declarat, cum eis dicitur quæ narrat S. Ioannes : *Et dictum eſt*, inquit, *illis vt requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſerui eorum, & fratres eorum, qui interficiendi ſunt ſicut & illi.*

Myſterium certe Communionis Sanctorum tria potiſſimum requirit : primum, vnionem membrorum ſeu ſanctorum ad inuicem; ſecundum, dependentiam omnium membrorum ab vno & eodem capite; tertium, Communicationem ſeu participationem bonorum ſpiritualium reciprocam, ſecundum quod ait Propheta : *Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.* Patet hoc Myſterium, in eo quod omnes ſancti ſub eodem altari reponuntur, eadem vota emittunt, nempe volunt vt inimici nominis Chriſtiani vel moriantur, vel conuertantur, & ponantur ſcabellum pedum Chriſti; volunt vt bona opera quæ exercuerunt, ab omni calumniâ & vituperatione libera, alios inducere poſſint ad ſimilia bona exercenda; & ad fideliter decertandum, petunt mortales auxilium & ſuffragia ſanctorum, Deo laudes decantantur, & ſacrificia offeruntur, ſiue pro victoria de carne, mundo & diabolo reportata; ſiue pro fidelium perſeuerantia in gratia. Omnes expectare admonentur vt munerus electorum compleatur, vt perfecta & integra ſit illa communio : quæ quidem omnia denotant illam ſanctorum Communionem. Deeſt enim electorum numero quotquot adhuc futuri ſunt, vſque ad conſummationem ſeculi, qui ſunt membra corporis Chriſti myſtici : nec perfecta erit omnium redemptio, donec animæ beatorum corpora reſumpſerint, vt hac ratione totaliter abdicetur à parte eorum ſenſitiua omnis illa maledictio, quam incurrit natura humana propter peccatum : nam pars hominis ſenſitiua ſuam beatitudinem obtinebit, cum corpus glorioſum habuerit, in quo exerceat ſuas functiones cum delectatione : nec ante hoſtes gloriæ Chriſti conterentur, nec honor ſanctis debitus, propter ſuum erga Deum fidele obſequium, perfectiſſimè eis reddetur; nec gaudium quo afficiuntur ſancti, cum Deum vident glorificari à creaturis, vltimum attinget terminum quam cum Chriſtus tradiderit Regnum Deo & Patri, vt ſit Deus omnia in omnibus : & tunc perfectiſſima & abſolutiſſima erit ſanctorum communio, quam diximus eſſe myſterium ſub hoc ſigillo quinto abſconſum. Et hæc de hoc ſigillo ſatis.

DE SEXTO SIGILLO,

Et vidi cum aperuiſſet ſigillum ſextum : & ecce terræmotus factus eſt magnus, &c.

Sub hoc ſigillo ſexto, de Sacramento pœnitentiæ agi oſtenditur.

ANNOTAT. I.

IN priorum ſigillorum apertione illorum Sacramentorum naturam perſpeximus, quorum cognitio nos quaſi manu ducit ad cognitionem illius ſtatus, quem adipiſci oportet, vt perfectionem naturæ noſtræ conſentaneam obtineamus, videlicet per fidem viuam, charitatem perfectam, mandatorum Dei fidelem & ſedulam obſeruationem, humillimam Voluntati Dei, vſque ad mortis tolerantiam, ſubmiſſionem, ſtrictiſſimam animæ noſtræ cum Deo vnionem.

Digitized by

vnionem. Adhuc reſtant duo ſigilla aperienda, A quibus Sacramenta Pœnitẽtiæ & Extremæ-vnctionis ſignificantur: quæ quidem duo Sacramenta in vltimo loco repoſuimus, ex eo quod neceſſitas Sacramenti Pœnitentiæ eſt tantum præſuppoſitionis, id eſt, præſuppoſito quod aliquis poſt gratiam baptiſmalem in peccatum mortale inciderit, & gratiam amiſerit, tunc ei ad pœnitentiam recurrere neceſſe eſt. Neceſſitas vero Sacramenti Extremæ-vnctionis non eſt abſoluta: abſque enim eo poteſt qui ſaluari, licèt negligi non debeat. Sicut alia Sacramenta conferũt quidem gratiam, ſed ex ſua inſtitutione non reſpicit peccati remiſſionem. Illius quippe effectus non eſt peccata primò & per ſe remittere, ſed perſonam contra tentationes corroborare in articulo mortis, quæ cum aliis à Deo præparatis auxiliis vinci poſſint, poteſt quis abſque hoc Sacramento gloriam comparare; ſicque Sacramentum Extremæ-vnctionis non eſt abſolutè neceſſarium, cum quis per Sacramentum Pœnitentiæ fuit Deo reconciliatus, & per Euchariſtiam Deo coniunctus, menſæ illius particeps factus, quæ parata eſt in conſpectu noſtro aduerſus omnes qui tribulant nos. Tamen quia nemo eſt qui non peccet, cumque deceat diuinam Prouidentiam ſpecialia parare auxilia, pro quacumque hominum neceſſitate, ideo hæc duo Sacramenta & inſtituenda fuerunt, & de iis agere debuit S. Ioannes poſtquàm egit de aliis. Hic de Sacramento Pœnitentiæ ſub ſexto ſigillo, poſtea de Sacramento Extremæ-vnctionis in initio capitis octaui, propter rationem ibidem adducendam. At optimè hic ſub ſigillo ſexto agi dicimus de Sacramento Pœnitentiæ, tum ob ſeriem & debitum ordinem, quem ſeruandum eſſe diximus, cum docuimus in hoc ſexto capite agi de Sacramentis; tum quia poſtquàm in Euchariſtiæ contemplatione, vidimus in actum reduci illa ſuprema Sacerdotij poteſtas in corpus Chriſti verum, per poteſtatem conſecrandi corpus & ſanguinem ipſius; nunc aliam illius poteſtatis rationem & functionem contemplare debemus, nempe poteſtatem in corpus Chriſti myſticum, per abſolutionem & remiſſionem peccatorum. Deinde numerus ſextus ſigillorum apprimè conuenit Sacramento pœnitentiæ: ſextus quippe numerus, numerus eſt pœnæ & laboris: & cum oporteat vt per totum vitæ decurſum operibus pœnitentiæ inſiſtamus, hic numerus aptiſſimus eſt quo totum tempus illud deſignetur. Vnitas propria eſt Sacramento Baptiſmi, tum quia primum eſt Sacramentorum, tum quia vnum eſt baptiſma, & reiterari nequit; tum quia per Baptiſmum infunditur fides, quæ vna eſt, *vna fides, vnum baptiſma*, inquit Apoſtol. Epheſ. 4. Denique quia per baptiſmum viam inimus, qua ad vnum finem omnes perueniamus. Dualitas propria eſt Sacramento Confirmationis, quia Confirmationis Sacramentum ad Charitatis tendit perfectionem, quæ nequit niſi inter duos conſiſtere; & quia ad certamen præparat, quod quidem duos ſibi inuicem aduerſantes præſupponit.

Ternarius numerus Sacramentum Matrimonij deſignat, duo quippe conueniunt inter ſe ad procreationem tertij, & bonum prolis à duobus productæ hoc Sacramentum intuetur. Quartenarius numerus Sacramento Ordinis proprius eſt, propter firmitatem tantæ autoritatis, quam habent qui Eccleſiæ præ ſunt, quæ dicitur *Ciuitas in quadro poſita*; & quia quatuor Virtutes Cardinales ſpecialiter requiruntur, ad ornamentum eorum, qui ad hanc Sacerdotalem dignitatem prouehuntur.

Quinarius numerus Euchariſtiæ Sacramento conuenit, quæ commemoratio eſt paſſionis Chriſti Domini, qui quinque plagas potiſſimùm in cruce ſuſtinuit, pedibus & manibus confixus, & latus lanceâ confoſſum emiſit ſanguinem & aquam, ad peccatorum noſtrorum remiſſionem: quas plagas voluit in corpore ſuo in perpetuum remanere, vt ſicut Euchariſtia memoriale eſt Paſſionis ſuæ, dum Eccleſia in hoc mundo militat, ipſæ ſint memoriale tantæ dilectionis, cum ipſa erit in cœlis triumphans in æterna gloria. Senarius numerus propriiſſimus eſt ad deſignandum Pœnitentiæ Sacramentum: etenim, vt jam diximus, hic numerus aptiſſimus & ad ſignificandum tædia & labores, quos patienter perferre debent perfectè contriti & pœnitentes. Deniq; ſeptimus numerus Extremæ-vnctioni conuenit: per hoc enim Sacramentum ad Sabbathiſmum æternæ vitæ præparamur; & quia confertur vt hæc promiſſio adimpleatur, *In ſex tribulationibus liberabo te, & in ſeptima non tanget te malum.* Iob. c. 5. Etenim per Extremam-vnctionem contra inſultus & anguſtias mortis (quæ ſeptima eſt tribulatio quam tolerare debemus, poſt cæteras quæ per totum vitæ decurſum ferre neceſſe eſt) munimur. Adde numerum ſeptenarium eſſe proprium quietis ab omni labore; cum igitur mors iuſtorum finis ſit laborum, & initium quietis, qua frui debent in æternum, *Beati quippe mortui qui in Domino moriuntur: à modo iam dicit ſpiritus vt requieſcant à laboribus ſuis*; Apoc. 14. optimè per ſeptenarium numerum hoc Sacramentum ſignificari poteſt, quo aditus ad hanc æternam quietem nobis facilis redditur. Ex hac itaque conuenientia, quæ inter hæc Sacramenta & hos numeros reperitur, conjicio, ſub ſigillo ſexto agi de Sacramento Pœnitentiæ. At præcipua ratio eſt quòd in hoc ſigillo Chriſtus, ſub figura agni deſignetur, dum Reges & cæteri hominum dicunt *montibus & petris: cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni.* Hæc enim ira nos ad pœnitentiæ Sacramentum reſpicere cogit. Vnde enim ira agno manſuetiſſimo contingere poteſt, propter quam ſit pertimeſcendus, niſi quia ita iraſcitur in Pœnitentiæ Sacramento, vt miſericordiam tamen præſtare velit, formidabilis tantum iis qui eam refugiunt & abhorrent? Quod fuſius videbimus in explicatione huius verſus poſteà.

Sacramentum Pœnitentiæ rectè ſigillum nuncupatur.

ANNOTAT. II.

CVM ſupra egimus de Sacramento Baptiſmi, docuimus Baptiſmum ſigillum nuncupari, ſiue quia ſub ſignis exigui momenti res pretioſiſſima occultabatur, ſiue quia tanquam res ſub ſigillo repoſita, in Chriſto baptiſmate conſepulti quodammodo ad immortalitatem conſeruamur; ſiue quia per Baptiſmum cuius Domini ſumus manifeſtatur; tandem quia in baptiſmate dominatio quædam ſeu poteſtas confertur. Pari ratione hic dicere poſſumus Sacramentum Pœnitentiæ eſſe quoddam ſigillum, cuius materia vilis eſt, cum ſit recitatio quædam in confeſſione delictorum, & pro forma habeat certam quamdam & determinatam verborum formulam ac prolationem: *Ego abſoluo te.* Rurſus quia in hoc Sacramento gratiâ recuperatâ tanquam quodam ſigillo munimur: *Beati enim quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum ſunt tecta peccata*: Teguntur enim & tanquam ſub ſigillo reponuntur, ne nobis noceant, cum propter meritum paſſionis Chriſti projiciuntur in profundum abyſſi miſericordiarum Dei, ne iniquitatum noſtrarum antiquarum recordetur. Deinde cuius Domini ſumus perſpicitur in hoc Sacra-

mento, eius enim nos profitemur serui, cuius iram metuentes, vt ipsi obtemperemus, hominibus etiam nobis similibus non reueremur confiteri culpam, vt à Deo omnium Domino obtineamus veniam. Quis enim hominem homini subjiceret propter delicta, nisi se homo in Dei potestate tanquam seruum mancipatum agnosceret? Tandem potissimùm Sacramentum pœnitentiæ sigillum nuncupatur, propter Dominationis significationem, quia magna & ineffabilis est illa potestas data hominibus peccata remittendi. Nam sicut annulus in manu Iosephi Patriarchæ à Pharaone traditus, vel ille alius Aman ab Assuero traditus, quo obsignabantur litteræ, fuerunt quædam signa sumptæ cuiusdam potestatis, quæ ab ipsis regibus illis conferebatur, ita claues Petro, & per Petrum Ecclesiæ traditæ, signa sunt excellentissimæ potestatis & Dominationis, quam Christus Dominus Petro & Ecclesiæ contulit.

Quale Mysterium sub hoc sigillo absconditur, & in apertione eius agnoscitur.

ANNOTAT. III.

DICO primo: Mysterium huius sigilli est peccati permissio & illius remissio.

Dico secundò, nullo modo in dubium reuocandum esse peccatorum remissionem quoddam esse mysterium: siquidem inter articulos fidei reponitur remissio peccatorum. Cum autem vnusquisque fidei articulus distinguatur ab aliis, secundum specialem quamdam difficultatem, quæ in eo reperitur, hæc peccatorum remissio particularem fidei articulum constituens, indicat opus esse lumine fidei, quo mens illustrata videat & aprehendat, superatâ quæ sese offerre posset difficultate, insignem illam gratiam, quæ homini à Deo confertur, cum ei conceditur peccatorum remissio. Siquidem naturale rationis lumen non sufficeret ad aprehendendam hanc veritatem, quæ multis difficultatibus inuoluitur, ne pateſcat rationi, nisi ratio fide adiuuetur.

Dico tertiò, tria esse quæ difficultatem menti ingerunt, ne hoc mysterium aprehendat. Primum est ipsius peccati natura quæ ægrè agnoscitur, quia mens humana satis perspicuè non percipit perfectionem illam, qua per peccatum anima spoliatur. Secundum est quia nemo est qui facile culpam suam agnoscat & fateatur: *Delicta* enim *quis intelligit?* quo fit vt culpam modò in hanc, modò in aliam causam rejiciat. Tertium est, præsuppositò quod percipiamus peccati naturam secundum totalem suam malitiam, quis, oro, non miretur Deum omnipotentem permittere illius perpetrationem, qui omnium corda & voluntates in manu tenet, & ad cuius arbitrium cuncta mouentur, aut eo perpetrato illud condonare velit, & cum tanta facilitate, vt hominibus etiam potestatem contulerit peccata dimittendi, non semel aut bis, sed toties quoties peccator ad Pœnitentiæ Sacramentum recurrere voluerit?

Dico quartò: Non modò remissio peccatorum mysterium est sub hoc sigillo reconditum, sed etiam eorundem permissio. Quis enim facilè in animum suum inducere potest, Deum Optimum Maximum omnia potentem, permittere ea quæ tam insigniter odit & auersatur, cum ea impedire posset facillimè si vellet? Si enim mirum videtur Deum adeo iustum & æqui tenacem & amantem, peccata remittere; non minus mirum videri debet Deum adeo bonum, & peccati osorem illud permittere. Nihilominus justè omnia disponit, & suauiter attingit à fine vsque ad finem cum peccata permittit; & eius bonitas valde elucet cum peccata remittit. At difficilè ista creduntur; esto, mysterium est, & fide indigemus: cuius mysterij magnitudinem expendere licet, si quas superare debemus difficultates, vt illud credamus, ob oculos proposuerimus: sed anteà,

Dico quintò, hoc Mysterium significari potiùs per Pœnitentiæ Sacramentum, quàm per Baptismum. Ratio est, quia licèt detur remissio peccatorum in Baptismi Sacramento, non tamen adeo elucet Dei Misericordia & Patientia in ipso Baptismo, sicut resplendet in Pœnitentiæ Sacramento. Maior siquidem malitia majorem requirit misericordiam: at maior est malitia peccatoris in peccatum recidentis, post iustificationem in Baptismo acceptam, quàm pueri qui peccatum contraxit originale absque culpâ propriâ. Et si actuale peccatum commissum est ante Baptismum; major est ingratitudo illius, qui postquam huiusmodi peccati remissionem accepit in Baptismo, denuò in simile aut in grauius peccatum recidit, quàm ingratitudo illius, qui ante cognitionem legis ex ignorantia aut infirmitate peccauit. Cum igitur dixerimus anteà, in hac Prophetia S. Ioannem respicere semper ad ea quæ magis eminent, de quacumque re loquatur, cum de malitia peccati agere debeat sub hoc sigillo, majorque appareat in actuali peccato quàm in originali, respectu pueri qui illud contrahit; & in eo qui relabitur, quàm in eo qui semel tantum peccatum actuale commisit, de ea malitia potius loqui debet sub sigillo Pœnitentiæ, quàm sub sigillo Baptismi: vt major appareat & illustrior Dei misericordia, cum peccata pœnitentium remittit in Pœnitentiæ Sacramento, quam cum ea remittit in Baptismo. Quæ enim major esse potuit ingratitudo, quàm libenter offendere eum, qui nos cum tanta benignitate, tot tantisque bonis misericorditer nos in Baptismo cumulauit?

De difficultatibus superandis, vt mens fide illustrata aprehendat quomodo Deus permittat, ac remittat peccata.

ANNOTAT. IV.

Quænam sit difficultas superanda ex parte naturæ peccati, vt credamus peccatorum permissionem aut remissionem. §. 1.

NVNC nobis agendum de difficultatibus quæ occurrunt, quo minus intellectus naturali tantum lumine collustratus hæc mysteria attingat, quibus implicatus permissionem peccati difficulter credit. Nam cum Deus bonus sit & potens, vt velit & possit ea impedire, quomodo, quæso, ea permittit? Cum insuper iustissimus sit, quomodo debita seueritate illa non semper punit?

Quantùm autem ad difficultates quæ mentem retrahunt à fide remissionis peccatorum, prima est quod quidam ignorant esse peccata quæ remitti debeant. Secunda, quod difficilè propriàm confiteantur culpam, eamque non solum non agnoscunt, sed agnitam confiteri nolunt. At hæc duo sunt necessaria ad remissionem culpæ, agnitio & confessio ipsius: homines autem in alium à se peccati causam plærumque rejiciunt, quærentes excusationes in peccatis. Tertia est, quod difficilè concipiunt Deum bonum legibus suis homini dedisse occasionem delinquendi, & patrandi quòd in eo reperiens seuere puniat; aut cum iustus sit, pœnam infractioni legis debitam remittat. De prima hîc

Digitized by Google

in ſubſequentibus paragraphis duas alias pertractabimus.

Prima igitur difficultas, quæ nos à fide remiſſionis peccatorum retrahere videtur, eſt ignoratio naturæ peccati. Nam ſicut difficillimè lex cognoſcitur, quæ rationis noſtræ regula eſſe debet, qua electio libera & voluntaria ſuam dirigat actionem; pari ratione difficillimum eſt peccatum agnoſcere, quod quidem nihil aliud eſt, quàm actus quidam à rectâ rationis regulâ deuians ex propriâ agentis electione. At hoc præſuppoſito quod culpa non aduertatur, quis ad remedium aliquod, ad illud expiandum & fugandum ſibi eſſe recurrendum arbitretur? Manebit pœnitentiæ ſigillum obſeratum, nec in huius ſigilli reſeratione agnoſcere poterimus, quanta ſit eius patientia in peccatorum permiſſione, quanta ſit eius miſericordia in illorum remiſſione.

At quod peccatum agnoſci non valeat, niſi adſit legis cognitio S. Paulum habemus autorem, cum ait ad Roman. c. 3. *Per legem enim cognitio peccati.* Et rurſus c. 7. *Peccatum non cognoui, niſi per legem.* Neceſſaria igitur legis cognitio vt peccatum agnoſcatur: ſeu ignoratâ lege manebit incognitum peccatum, nec prout meretur, abominabitur; vt eius remiſſionem procuremus, aut illud, vt par eſt, fugere aut euitare conemur, ne illius malignos experiamur effectus, nec in mentem venire poterit eſſe aliquod remedium ad hunc finem, videlicet remiſſionis & curationis peccati, inſtitutum; vt ad illud recurramus: multò minùs illud requirere incipiemus. Hæc eſt illa priſca ſeculorum præteritorum ante aduentum Chriſti obcæcatio & ignorantia, quæ ſpeciale exigebat à Deo auxilium, vt ad Pœnitentiæ Sacramentum nationes recurrerent, ſine cuius gratia Ratio non erat ſufficiens, vt propriam agnoſceret & fateretur culpam, & ſuam ab vltimo fine auerſionem. Quod ſi tunc temporis ante luminis fidei colluſtrationem, aliqualis lucis radius animæ erat relictus, quo poſſet bonum à malo ſecernere, & in quacumque particulari actione conſcientiæ ſyndereſim ſeu remorſum experiri, ſi voluntas in ſuis liberis actionibus aliquo modo à rationis regula deflecteretur, nihilominus adeo captiua remanebat, vt omnium operum ſuorum maſſam ſeu collectionem nequiret verſus vltimum finem dirigere; nec præſtare poterat vt hæc vel illa actio particularis Deum intuitu ſupernaturali ita reſpiceret, vt æternam retributionem inde conſequeretur, nec aduertere ei poſſibile erat tot deprauatis actibus æternas pœnas ſupra caput ſuum ſibi aſciſcere. Hinc factum eſt, vt ſicut olim neceſſarium fuit vt hominibus à Deo lex Moſaïca præſcriberetur, qua poſſent percipere ad quæ eos ius naturale adſtringebat; eoquod ratio tantis tenebris erat obnubilata, vt licèt eis lex naturalis inculcaret autorem omnium rerum valde eſſe amabilem, & omni honore & adoratione proſequendum; & quod nobis vellemus ab aliis præſtari, ea à nobis eſſe proximis præſtanda; nihilominus lex naturalis ſpalia tantaque detrimenta in dies identidem patiebatur, vt vix fulgos illius tantiſper in tantis tenebris radiunculum emittere poſſet, niſi lex Moſaïca affulxiſſet, quâ confortato lumine naturali, mens præſentiret quibus eſſet adſtricta actibus, vt ſuæ obligationi ſatisfaceret. Pari ratione, cum tempore aduentus Chriſti totus Mundus ad talem tantamque morum corruptionem deueniſſet, vt impoſſibile eſſet mentem humanam tot tenebris expediri, tot paſſionibus inordinatis extricari, ab enormi inclinatione & propenſione cordis, ad malum & peccatum, propter innatam & congenitam malitiam, A auocari & eleuari: nec poſſibile eſſet agnoſcere quid ſibi foret præſtandum vt culpam effugeret, quidque ſupernaturali modo ſibi erat cognoſcendum vt illud in praxim reduceret, quo ad vltimum peruenire finem; opus fuit auxilio ſupernaturali, quo adiuta mens hanc legem diſceneret, cuius cognitione ſciret & animaduerteret quænam ſuæ actiones ab hac regula deuiaſſent, eiuſque directioni obſtitiſſent; propter quod pœnis & ſuppliciis, quæ legi non obtemperantibus parata ſunt, ſubjaceret; quin & horum ſuppliciorum timore remedium exquireret, quo euitari valerent. Huius diuini auxilij meminit S. Paulus, cum ait: *Et tempora quidem huius ignorantiæ deſpiciens Deus, nunc annuncias hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant,* B *eoquod ſtatuit diem, in quo iudicaturus eſt orbem in æquitate, in viro in quo ſtatuit, fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum à mortuis.* Act. 17.

Ecce quale diuinum auxilium à Deo immiſſum, vt mens proculcata eleuetur, vt legem diſcernat, quæ mentem ad ſui obſeruantiam ſtrictè adſtringit; peccatum agnoſcat quo legem infringerat; actiones animaduertat legi contrarias; percipiat quali indigeat remedio, vt ab his malis eripiatur, & quidnam ipſam impellere debeat potentiſſimè, vt ad remedium recurrat, ex eo quod videlicet ſimus de actibus noſtris rationem reddituri coram tribunali, in quo iuſtitia & æquitas adeo refulgent, vt iudi- C cium ibi exerceatur cum tanta ſeueritate, vt nullius perſonæ acceptio ibidem reperiri queat.

Veriſſimum quippe eſt, quòd ratio noſtra poterat per res viſibiles apprehendere inuiſibilia, ſempiternamque Dei virtutem & diuinitatem agnoſcere, Deo hac viâ manifeſtante eaque de magnitudine ſua apprehendi poſſunt. At vbi, quæſo, erat vis & facultas in mente hac cognitione vtendi, eaque Deum ita glorificandi, vt exinde gratiam conſequeretur? Vbi, inquam, erat vis taliter adhærendi huic præclaro lumini, vt voluntas ad Deum creatorem ſuper omnia diligendum, & ad gratias ei exhibendas, prout conuenit, eleuaretur? Multò magis *euanuerunt in cogitationibus ſuis*, & inexcuſabiles reddi- D ti ſunt ex eo quod lumine in cordibus accenſo à Patre luminum, qui de tenebris facit lumen ſplendeſcere, minimè vſi fuerint; & ſenſuum obiectis firmiter inhærentes, vt rationem ſuo non ſinerent exerceri munere, per ſenſibilia intelligibilia ſpeculando, tenebris obſcuratum habuerunt intellectum; Hinc factum eſt inſipiens cor eorum, & dicentes ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt. Nam ſicut non probauerunt Deum habere in notitia, nec eum pro vltimo fine ſibi conſtituerunt, itaut fideliter illi inſeruirent, & ad eum poſſidendum properarent; honorem creaturæ potiùs detulerunt quam creatori, eam pro creatore adorantes & colentes.

Conſtat igitur difficillimum eſſe peccati naturam E comprehendere; quod verum eſſe maxime patet, ex eo quod nec peccatorum grauiſſimum, nempe idololatriam, homines animaduertere vix potuerunt, cum exiſtimarent idola venerantes ſe ſuo munere fungi & officio. Quomodo ergo alia dignoſciſſent, ſi nec atrociora percipere nequiuerunt? Quot proinde voluntatis ad malum pronitates patiebantur abſque delectu? Quot impuræ cogitationes, quot immunditiæ mentis & corporis, ex hac obſcuritate & ignorantia continuo erumpebant? Quomodo appetitus effrenatè efferebatur in obiecta illicita? Quale, quæſo, erat paſſionum in rationem imperium, vt eam ad omnia inordinata, & impia & iniuſta præcipitarent? Sola horum omnium recordatio rubore ac verecundia mentem ſuffundit. Mercedem quam oportuit, vt ait Apoſtolus, erroris

ſui in ſemetipſis receperunt, cum videlicet incide-
runt in profundam malitiæ abyſſum, per effrena-
tam concupiſcentiæ & appetitus ad omnia turpia
relaxationem; *nam ſicut non probauerunt Deum habere*
in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt fa-
ciant ea quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate,
malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, &c. qui cum
iuſtitiam Dei cognouiſſent, non intellexerunt quoniam qui
talia agunt digni ſunt morte. Vnde manifeſtum appa-
ret eis non fuiſſe poſſibile ad remedium recurrere,
qui non animaduertebant quanto morbo labora-
rent, cum ſe tot turpibus actibus fædarent, non po-
tuiſſe veniam de delictis poſtulare, qui de ſceleti-
bus gloriabantur. Certe ſicut priuationis alicuius
natura optimè non percipitur, niſi ex perfecta com- B
prehenſione rei cuius eſt priuatio. Ita peccati na-
tura cognoſci non valet, niſi perfectè cognitâ legis
rectitudine, à qua peccatum deuiat.

Cur homines propriam non fatentur culpam, ſed in diuer-
ſas cauſas eam reiiciunt, cum tamen hæc confeſſio neceſ-
ſaria ſit ad eius remiſſionem. §. 2.

Quod neceſſaria ſit peccati confeſſio ad remiſſio-
nem culpæ, non eſt huius loci diſputare: quia ta-
men ægre homines propriam agnoſcant & fateantur culpam, ægrè etiam & difficile apprehendunt
myſterium remiſſionis peccatorum, hoc fit vt diuino
indigeant auxilio, vt poſſint culpam agnoſcere &
confiteri, vt per confeſſionem peccati, remiſſio- C
nem accipiant, quo poſſint percipere quanta ſit
Dei miſericordia, quæ eorum tam clementer re-
mittit peccata.

Si autem quæras cur ægre homines ſua agnoſcant
& confiteantur peccata? Reſpondeo hoc fieri du-
plici ex cauſa. Prima eſt magna de ſeipſis concepta
opinio. Vnde fateri nequeant deceptioni ſe eſſe
ſubiectos, aut reperiri qui eos à ſuis incæptis retra-
here, aut ea impedire poſſit aut debeat, & ſicut ſu-
perbia, vt eſt ſpeciale peccatum, dicit quemdam
inordinatum appetitum propriæ excellentiæ, quæ à
S. Tho. 1. 2. q. 84. ar. 2. dicitur initium eſſe omnis
peccati: ita hic inordinatus appetitus impedit quo-
minus quis dicat ſe eſſe criminoſum & culpabilem. D
Secunda cauſa eſt inordinatus etiam Amor ſui
ipſius. Ex his duabus cauſis, homo nequit culpam
fateri. Primo: Quia nemini ex vna parte ſubjici
vult, propria libertate gaudens, *& tanquam onagrum*
ſe liberum natum putat, Itaut nullius imperium aut
dominationem ſupra ſe agnoſcat: *Quis*, dicet ho-
mo ille, *noſter Dominus eſt? Labia noſtra à nobis ſunt.*
Quis, rurſus dicet peccator, *me ſubjiciet propter facta*
mea? Eccleſiaſtici quinto: Ex alia verò parte,
humana ratio carnis iura ex proprio amore tueri,
iuſtum & æquum eſſe arbitratur, cum idem ſit ſup-
poſitum qui per ſenſus obiecta ſenſibilia percipiat,
& per rationem intelligibilia meditetur: vnde ſi
carni faueat, nihil mali ſe egiſſe exiſtimabit, quia E
ad idem ſuppoſitum pertineat & rationis & ſenſuum
iura ſarta tectaque ſeruare. Cum igitur homo ali-
quam elicuit actionem ex propria & innata liber-
tate, ægrè eam retractat, ſibi ipſi perſuadens hoc
cum ratione peregiſſe, nec aliam ſequi debuiſſe
actionis propriæ regulam, ab ea quam ſibimetipſi
impoſuit aut præſcripſit, cum ipſe ſit ſuæ actionis
dominus, &, cum carni & ſanguini acquieuit con-
tra dictamen rationis, ex eo quod caro ſit vna pars
compoſiti, exiſtimat æquè iuſtum eſſe carnis iura
tueri, ac ſi ſpiritus iura tueretur, nec maiorem eſſe
dictamini rationis rationem habendam in iis quæ
Imperat, quam carni in his quæ ſuggerit ſenſibus
grata & delectabilia. Hinc patet amorem ſui ipſius
eſſe non ſolum cauſam omnis peccati (vt docet

A S. Thomas cum ait l. 2. q. 77. ar. 4. *Quod aliquis*
appetat inordinate aliquod temporale bonum, procedit
ex hoc quod inordinate amat ſeipſum. Hoc enim eſt amare
aliquem velle ei bonum: vnde manifeſtum eſt quod mor-
dinatus amor ſui eſt cauſa omnis peccati. Ita S. Thom.)
Sed etiam cauſam eſſe cur quis culpam non agnoſ-
cat. Hinc ſi quis ab Adamo olim cauſam ſciſcitatus
fuiſſet, cur Dei præceptum violaſſet, dixiſſet vt arbi-
tror Deum reuera ſibi aliquod præſcripſiſſe man-
datum, ſed qui mandatum iniunxerat idem ipſe ſibi
vxorem dederat ſociam; vnde nihil mali egiſſe ſi
fidem ei adhibuiſſet, neglecto præcepto; quia ei
obtemperabat, quam à Deo mandatore ſociam
acceperat, cum qua vitam ducere amicabilem de-
beret: vnde potius culpam reiecit in Deum, qui ei
vxorem dederat, quàm ſuum falſus fuerit peccа-
tum, quod contraxerat Dei præceptum temere
violando.

At nihilominus peccati commiſſi confeſſio, ſi-
gnum eſt euidentiſſimum noſtræ ſubiectionis & ſub-
miſſionis, apud eum cui obedire & obtemperare
debemus; & in eodem temporis articulo quo fate-
mur culpam, noſque reos agnoſcimus, ſi legum eius
fuerimus tranſgreſſores, fatemur eum ſupra nos
ſummum habere imperium, eumque noſtræ liberta-
ti fræna meritò poſſe imponere, eamque in quam-
cumque voluerit viam dirigere, fineſque ei præſcri-
bere, vltra quos ferri abſque inſigni culpa nequeat,
ex eo quod naturaliter ſit ei ſubiecta, à cuius boni-
tate & profuſa liberalitate cuncta habeat quæ poſſi-
det. Inſuper hæc peccati agnitio, & proprij reatus
confeſſio, abſolute neceſſaria eſt, vt quis remedium
requirat, & ad illud percipiendum properet, faten-
do nos miſericordiâ & veniâ indigere, illâ etiam
poteſtate remittendi peccata, quam Chriſtus Eccle-
ſiæ contulit, nobis opus eſſe, ſed *Delicta quis intelli-*
git? Clamat Dauid: Quæ verba ponderans S. Au-
guſtinus ait: *in delictis autem qualis ſuauitas poteſt eſſe,*
vbi non eſt intellectus? Quoniam delicta quis intelligit, quæ
ipſum oculum claudunt? Cui ſuauis eſt veritas, cui deſide-
rabilia & dulcia ſunt iudicia Dei? Et ſicut tenebræ ocu-
los, ita delicta mentem claudunt, nec lucem ſinunt videre,
nec ſe. Ita Aug.

Mirandum igitur non eſt, ſi cum homo videre
non queat delicta, ipſa etiam fateri nequeat; & cum
ſe reum eſſe minimè agnoſcat, ad Pœnitentiæ Sa-
cramentum, ad culpam remittendam inſtitutum non
recurrat. *Delicta* enim *quis intelligit?* Itaque pecca-
tum, cum ſit dictum, factum aut concupitum contrà
legem Dei, ſi quis peccatorem moneat aliquid talę
ipſum commiſiſſe, nec ſuperbia ſinet eum delictum
percipere, nec amor proprius permittet ipſum fate-
ri aliquod perpetraſſe peccatum in eo quod egit.
Quod ſi cogatur in actione ſua aliquid inordinatum
& indecens agnoſcere, potius in alium quàm in
ſeipſum culpam retorquebit ac rejiciet, & modo
cum Adamo in Deum, qui concupiſcentiam dedit
ſociam, vt Adamo Euam: cum Eua in dæmonem,
cum Athæis in aſtra, cum cæteris peccatoribus in
propriam hominum naturam, & carnis fragilitatem
rejiciet, quàm vt ſeipſum reum agnoſcat. At quam
impie, abſurdè, & inutiliter ita cenſeat & dicat, nunc
nobis eſt ſigillatim diſcutiendum.

Peccatum non eſt à Deo, nec Deus eſt cauſa peccati.
Punct. 1.

Quærunt excuſationes in peccatis, qui cauſam
immediatam & proximam aliam à ſeipſis peccato-
rum inquirunt. Malum à bono originem ducere
nequit, ſicut nec bonum à malo procedere poteſt.
Nulla inſuper duo quæ non ſint vnum quid in natu-
ra & operatione, ſunt principium, ſed monas eſt

Digitized by Google

principium duorum omnium. Ex quo patet, cum principij vnitas ſit neceſſaria, quod duo eſſe principia nequeunt, quorum vnum malum, aliud bonum producat. Adde quod duo ſibi contraria & repugnantia, ab vno & eodem principio prodire nequeunt: alias quomodo ſaluari poſſet vnitas & ſimplicitas, & indiuiſibilitas, quæ in principio requiruntur, ſi aliquid naturæ ſuæ contrarium ab illo prodiret? Quod ſi duo principia ſecum pugnantia ſibique contraria, in eodem conuenirent ſubiecto, ac in vniuerſo inuenirentur, qua ratione ſtare poſſet in diuinâ naturâ illa ſumma & perfecta beatitudo, qua pacatè & ſecurè fruitur? Sane inceſſanter perturbaretur, eo ipſo quo in ſe experiretur quidquam naturæ ſuæ contrarium. Exularet pax & tranquillitas ab vniuerſo orbe, ſimul atque hæc duo principia producere conarentur quidquid naturæ ſuæ conſonum. Bonum, bonum ingenerare, malum malum ſibi ſimile producere tentaret. Ceſſaret illa vnio & conſpiratio ad vnionem omnium partium vniuerſi, quæ indita eſt rebus cunctis ab autore & creatore, qui quidem vt ſumme bonus cuncta ſimul colligare & ad vnionem perfectam adigere intendit. Nam vt optimè Dionyſius, *Bonum cum iis quæ ſunt omnibus amicitiam iungit, id eſt, vt pax & pacis largitor laudatur à ſanctis Theologis. Itaque bona inter ſe amicitiâ coniuncta ſunt omnia & conſona, atque ab vna vita propagata ſunt, & ad vnum bonum ordine quodam diſpoſita pertinent, blandaque ſunt alia aliis & ſimilia atque omnia.* Ita S. Dion.

Cum igitur malum in Deo non reperiatur, ab eo vtique prodire nequibit; alias ille bonus non eſſet qui malum cauſaret; qui vt bonus bona producere debet, non bis aut ſemel, ſed toties quoties aliquid extra ſe producit, non aliqua bona ſed cuncta; conſtanter quippe bonus eſt abſque vlla alteratione, mutatione, aut Bonitatis minutione: Itaut omnia bona, cuiuſcumque ſint naturæ, profundat inexhauſtè. Ita fit vt nunquam malum prodeat ab eo, à quo inceſſabili ac perenni fluxu cuncta profluunt bona, mala omnia propellentia. Deus in cunctis immutabilis eſt, etſi in cunctis immutabilitate gaudet, maximè in hoc immutabilis eſt, quod euidenter per effectus in eo agnoſcimus excellentius, videlicet quod ſit cauſa prima totius boni: quo fit vt dici non poſſet nunc bonum, modò malum cauſare: ſiquidem cum bonitas ipſi ſit eſſentialis, in poſſeſſione tanti boni, in quo eius eſſentia conſiſtit, nullam patietur mutationem: niſi volueris cum nimia & ridicula abſurditate aſſerere, quòd in quodam temporis articulo aut momento exiſtat bonus, quam exiſtentiam ſtatim amittat malum cauſando, eamque reſumat ſi bonum producere velit. Etenim vt malum produceret, oporteret certè vt quod ſibi eſſentiale eſt, nempe bonum, producere omninò amitteret. Adde bonum ita illi proprium & germanum eſſe, vt ab alio ipſum non emendicet, itaut dici nequeat aliquam in poſſeſſione boni in eo reperiri viciſſitudinem. Concludamus igitur cum S. Dionyſ. *Non igitur Deus eſt autor mali, neque malum eſt in Deo, nec omnino nec certo tempore.* Ita Dionyſ. Et vt verum fateamur cum peccatum nihil aliud ſit quam auerſio quædam ab eo ordine, quem cunctæ res creatæ habent ad Deum, vt ad vltimum finem, cum Deus omnia conuertat & inclinet ad ſeipſum, vt in eo tanquam in centro conquieſcant, qua ratione cogitare poſſemus ipſum directè aliquam creaturam ab eo ordine auertere? Abſurdum igitur eſt, imò impium, aſſerere Deum cauſam eſſe illius auerſionis à Deo, qua creatura intellectualis ſeu rationalis rea conſtituitur, cum aliquod peccatum committit.

A *Non datur aliqua cauſa naturalis peccati; nec à natura ipſa dæmonis peccatum cauſatur.* Punct. 2.

Cum veriſſimum ſit omnes res creatas naturam cauſæ primæ, à qua prodeunt, quantùm in ipſis eſt ſubſequi & imitari, hinc

Dico primo: quod cum ipſe ſint riuuli quidam à fonte totius boni manantes, radij ab ipſo ſole emicantes, huius prototypi excellentiſſimi quædam vmbræ & imagines, eſſentiæ quædam virtute entis ſupremi & independentis exiſtentes, impoſſibile eſt vt malum ex ſe producant in ſe vel in aliis: in ſe, quia ſi talis daretur cauſa, quæ malum in ſe produceret, ſui ipſius eſſet inimica ſibique contraria, cum naturam mali ſequens ſeipſam deſtrueret; B in aliis autem, aliæ ab ea creaturæ ſunt incorruptibiles, aut ſubjacent ex natura ſua corruptioni: ſi à corruptione immunes, eas malum attingere nequibit, eas ad nihilum redigere non poterit; ſi corruptibiles, cum depereunt nihil mali patiuntur, natura enim ſua incorruptione non gaudent; adde quod res illæ cum depereunt, hoc non fit in quantum ſuam poſſident eſſentiam, talique fruuntur naturâ, ſed in quantum ipſarum conſtitutio naturalis eas ad defectum inclinat, eoquod ratio & formalitas cuiuſdam conuenientiæ, & aptæ compoſitionis, quæ incorruptionem cauſet, ipſis deficiat; quo fit vt in eodem ſtatu permanere nequeant. His adde C quòd nunquam imbecillitas & omnimoda annihilatio eſſe poteſt in his quæ exiſtunt; nam ſi abſoluta daretur annihilatio, proculdubio & ſubjectum in quo defectus & imbecillitas reperitur ad nihilum deduceret, & eadem infirmitas ſeu imbecillitas, quæ malum dicitur, ſtare non poſſet, eoquod ſubjecto careret; cuius intuitu, quod ipſum re ſibi conueniente ſpoliet, malum appellatur: vnde apparet malum nihil aliud eſſe quàm boni abſentiam: ſi enim omnimodè cujuſuis boni genere priuaretur, nullum inter res exiſtentes, locum obtinere.

Dicendum ſecundo: Quod quæ philoſophati fuimus de rerum eſſentiis ſeu naturis, eadem nobis ſunt aſſerenda de earum virtutibus, facultatibus & D actibus, nempe malum in eiſdem nihil exiſtens aut reale dici, ſed tantum abſentiam alicuius boni conuenientis. Hinc

Dicimus tertiò nullam ineſſe in dæmonibus ipſis eſſentiam, naturam, poteſtatem, qualitatem aut actionem, quæ directè & per ſe producat aut cauſet poſitiuè malum in eis aut in aliis creaturis. Viuidæ ſunt repreſentationes diuinæ bonitatis, ſeu viua quædam ſpecula, in quibus bonitas diuina maximè elucet, quæ in eis nunquàm potuit rem adeo malignam imprimere, vt ad malum cauſandum propendeant per ſe: quo fit vt ſi mali dicantur hoc fit quia *ſuum non ſeruauerunt principatum*, quia diuina bona velle & perficere deſtiterunt, *Propter penuriam Angelicorum bonorum*, vt ait Dionyſ. Itaut E malum in ipſis nihil aliud ſit, niſi quædam deprauatio, & ab eis quæ illis digna ſunt, diſceſſus, repulſa, ceſſatio & imbecillitas; facultatiſque in eis perfectionem conſeruantis infirmitas, declinatio, prolaptio. Cum itaque hæc omnia nihil poſitiuum ſignificent, quo effectus quidam realis & exiſtens in nobis producatur, quo mali ſimus & nuncupemur, abſurdè dicimus & aſſerimus defectum in nobis inexiſtentem à dæmone cauſari, vt à cauſa quæ ex natura ſua & per ſe illum producere valeat. Itaque & ipſi & nos etiam mali ſumus, bonarum affectionum actionumque ſeu perfectionis bonorum propriorum & accommodatorum priuatione.

Dices dæmones obiecta ad malum allicientia &

Digitized by Google

pettrahentia nobis proponere, rationemque noſtram ita circumuenire, vt ipſi perſuadeant in talibus obiectis bonum aliquod valde appetibile inexiſtere. Reſpondeo nihil exinde reale in noſtra voluntate produci, quo inclinetur & propendeat ad deuiandum ab ordine, qui ſibi per Dei legem præſcribitur. Nam vel libera manet, nec aliquid detrimenti in ſua libertate eligendi & adhærendi cui voluerit obiecto patitur, cum ipſi hæc obiecta pollicientia objiciuntur, cum Dæmon non agat circa appetitum aut imaginationem cum tanta poteſtate aut efficacia, vt recalcitrare aut reſpuere quæ illi proponuntur non valeat; Et hac ratione liberum eſt voluntati reſiſtere, & ſeipſum de tali obiecto & imaginatione auellere, motumque appetitus inferioris refrenare ac compeſcere, eo, quo prædita eſt, imperio in facultates inferiores vtens. Quod ſi aliquando, vt fit in arreptitiis, ita potenter agat (natura ſiquidem corporalis ſpirituali ſubjicitur) vt nequeat ratio ſeipſam extricare ex tot imaginationibus quibus impetitur, forti repreſentatione quarumdam formarum corporalium quæ in imaginatione verſantur, & fortiter adhæreſcunt vi dæmonum, vel adeo valide excitet paſſiones appetitus, vt ratio quaſi conſtricta vinculis, eos tanquam captiua ſequi quadam ratione cogatur, tunc reuera aliquem actum à recta ratione deuiantem, & ex conſequenti ex ſuo genere malum, vt pote debita rectitudine priuatum, nos exercere coget; at talis actus nos reos minimè conſtituet, nec nobis in culpam imputabitur, ex eo quod ratio hac ratione conſtricta & ligata, libere tunc non præſtat aſſenſum, nec actio ex deliberatione requiſitâ & neceſſariâ prodit in medium: quo fit vt ex impulſu dæmonis, nunquam niſi velimus in culpam & peccatum incidimus, cum libertatem noſtram cogere nequeat ad aſſenſum; vnde futilis eſt excuſatio prætenſa, ſi liberè & voluntariè peccatum committamus; ac ſi ad hoc per dæmonis aſtutiam aut malitiam, eiuſque impulſus, tentationes ac ſollicitationes cogeremur. Igitur ex voluntario ac libero aſſenſu noſtro fit, vt actus aliquis peccaminoſus nos reos conſtituat, ante Dei omnia intuentis & corda & renes, ſeu intentiones & ſenſus perſcrutantis oculos, & à quo probantur vel rejiciuntur, cum lumini rationis opponuntur, vel eius diſcuſſioni in tremendo eius iudicio præſentantur. *Igitur & nunc Adam noſter*, ait Arnobius in Pſal. 1. *id eſt conſenſus noſter, beatus erit ſi non abierit in conſilio ſerpentis & mulieris, id eſt in conſilio carnis & diaboli; aut ſi abierit non ibi ſtet; ſi ſteterit, non ſedeat, id eſt non permaneat; ſed memor legis Dei, ibi ſuam occupet voluntatem, & diurnam & nocturnam actionem ſuam in meditatione diuinæ legis exerceat, vt hoc quod Adam perdidit contemnendo, iſte cuſtodiendo inueniat, permanens iuxta fluenta legis, vt lignum vitæ immortalitatem capiens.* Ita Arnob. Hinc

Dicimus quarto: Non ſemper à dæmone mouetur appetitus, proponendo obiecta rerum delectabilium, vt voluntatem noſtram ad peccandum inducat, pulſet, moueat aut impellat. Hic rerum delectabilium appetitus nobis eſt connaturalis: vnde naturaliter, liberè, ipſi aſſenſum præbemus; abſque peccato & laudabiliter, ſi motus hic per rationem, vt par eſt, reguletur; culpabiliter, ſi ab hac regula aberramus voluntariè, quo fit vt in nobis, & non extra nos cauſam & originem illius defectus inquirere debeamus: & proinde nec in aſtra extra nos, nec in naturam corpoream, in qua conditi ſumus, intra nos, cauſam peccati rejiciamus.

Aſtra non ſunt cauſa peccatorum. Punct. 3.

Dicimus primo, aſtra directè nullam in voluntatem noſtram (ad quam attinet actionem bonam aut malam reddere) impreſſionem facere poſſe. Bona quippe erit, ſi ad debitum & conuenientem finem adſpiret; mala, ſi à tali fine voluntariè recedat; quod ſi ex impreſſione, quam in corpora exercent aſtra, aliquod in mentem redundet, & ex conſequenti in ipſam voluntatem hoc fit per accidens, cum videlicet vis ſenſitiua perturbat ac mouet organum phantaſiæ vnde aliquando actio intellectus lædi contigit, ex eo quod talis actio, ratione vnionis animæ cum corpore, dependet à tali organo perturbato; vnde & ipſa perturbatur & impeditur.

Dicimus ſecundo, quidquid aſtra agant in appetitum inferiorem, non exinde tamen voluntatem ad peccandum cogi poſſe; licet enim corpora cæleſtia aliquid imprimere valeant in facultates ſenſitiuas aliaſue potentias, in organis corporeis ſitas ac fixas, nihilominus voluntas ſemper Domina manet ſuæ actionis, quidquid proponat intellectus, per ſpecies phantaſticas ſeu phantaſmata perturbatus; quidquid ſuggerat ſenſus, quocumque feratur appetitus, propter impreſſionem corporum cæleſtium in phantaſiam, in organa & ſenſus, libere voluntas conſentiet aut diſſentiet, proſequetur aut auerſabitur obiectum, ſi ratio in tali ſtatu remaneat, vt actio voluntatis dici queat, id eſt libera, voluntaria, & non hominis naturaliter agentis, ſed actio ſit humana, per electionem & maturam deliberationem elicita. Ineſt tamen differentia inter modum quo intellectus mouetur à phantaſmate, & modum quo voluntas pellicitur & ſeducitur ab appetitu. Non enim appetitus naturaliter mouet voluntatem, ſicut naturaliter mouetur intellectus à phantaſmate; imo potius appetitus ſuperioris eſt mouere inferiorem, ſicut vna ſphæra aliam ſphæram intra ſe concluſam mouere poteſt: quo fit vt ſi appetitui inferiori turbari contingat, neceſſarium non eſt vt voluntas ſuperior perturbetur, multo magis ipſum inferiorem appetitum compeſcere poteſt, & ab eo omnem amouere perturbationem, iuxta illud Geneſ. 4. *ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Si igitur moueatur ab appetitu inferiori voluntas, eſt tantum mediante intellectu, qui male iudicat bonum delectabile eſſe quid naturæ conueniens; & appetitui, cui corpora cæleſtia aliquem motum impreſſerunt, eſſe obſequendum. Etenim corpora cæleſtia, vtpote agentia Deo inferiora, ipſique ſubordinata, nullam motionem directè poſſunt in voluntatem imprimere. Dei ſolius eſt inter agentia extrinſeca, quæ voluntatem mouere poſſunt, in eam immediatè agere, neque etiam corpora cæleſtia, vt pote Angelicis ſpiritibus inferiora, ipſiſque ſubordinata, imprimere aliquid poſſunt immediatè in mentem ſeu intellectum. Angelorum officium & munus eſt intellectum purgare, illuminare, perficere. Siſtunt igitur ſuam operationem & actionem in phantaſia & organis corporeis, nec vltra progrediuntur; non enim attingunt animæ eſſentiam niſi per accidens, propter vnionem ipſius animæ cum ſuo corpore, cuius eſt actus; quo fit vt habitudines & complexiones, ſeu corporeæ conſtitutiones, dent ſolummodò quaſdam inclinationes verſus obiecta ſenſibilia, voluntatem autem minimè cogunt, cum ad eam impreſſio illa peruenire non valeat; neque enim voluntas manat ab eſſentia animæ, in quantum corpori ſubjecta, & ad illud informandum ordinata ac propenſa, ſed in quantum anima eſt ſubſtantia immaterialis & intellectualis,

Digitized by Google

quo fit vt nullam corpora cæleſtia habeant poteſtatem imprimendi aliquid in ipſam.

Dices cauſam cælorum motricem eſſe ſpiritualem: cur igitur cœli, qui à cauſa ſpirituali mouentur, in rem ſpiritualem agere non poterunt? Reſpondeo cauſam illam ſpiritualem cælos mouentem per cælos nihil agere, niſi ſecundum virtutem quandam corpoream in cœlis exiſtentem, cum mouentur à cauſa ſpirituali; eorumque impreſſio, quæ à motu cauſæ ſpiritualis pendet, in rebus inferioribus recipitur, quo fit vt talis cœlorum actio in inferiora, animam ſpiritalem non attingat, niſi per accidens, ratione corporis ipſoque mediante: procedit ſiquidem tantum à virtute cœlorum corporea, non immediatè à ſpiritali cauſa cœlos mouente; vnde talis cœlorum actio, aut impreſſio erit ſolum & nihil amplius, quædam naturalis complexio, diſpoſitio, aut inclinatio ex cœlorum virtute impreſſa & relicta, non autem quædam impreſſio immediatè in voluntate ſuſcepta, à quâ vi ac neceſſariò impellatur adeo efficaciter vt non poſſit non determinari ad hoc aut illud in ſua actione.

Dices experientiâ nos doceri homines, vt plurimum ad agendum determinari ſecundum varias inclinationes naturales, quæ ex cœlorum influxu recipiunt: paſſionibus enim inferioris appetitus ita ſubduntur, vt raro quis ipſis non obſequatur. Reſpondeo ſapientes, & prudentes illis paſſionibus obſiſtere, eas frenare, illas ſuperare, inclinationes reprimere. Laudatur ex hoc ſapiens, quod cum aliorum hominum multitudo captiua reddatur, paſſionum inclinationi acquieſcant, ſeque in numerum eorum, de quibus dicitur, *ſtultorum eſt infinitus numerus*, redigant; hic dominatur aſtris, cum paſſiones moderatur, inclinationes naturales & acquiſitas reprimit, veritati adhærendo, bonum & æquum diligendo, prædituſ virtute, ſiue acquiſitâ per actus, ſiue infuſâ diuinitus. Hinc dicendum tandem, peccatum in Aſtrorum influxum minimè eſſe rejiciendum, cuius ſumus nos autores & opifices, vt pote à nobis vt à proprio fonte emanans.

Corpus non eſt cauſa peccati in voluntate exiſtentis.
Punct. 4.

Qui infirmitatem carnis experiuntur, quæ incapax eſt præuolantem & præcurrentem velociter ſpiritum ſubſequi, qui quidem ad modum ſolis curſum ſuum peragit, circulariter ratiocinando, ſeu à præmiſſis promptè ad concluſionem, (cuius veritas pendet à veritate præmiſſorum è quibus elicitur) procedendo; Qui inſuper corporis grauitatem ſentiunt animæ generoſum agendi impetum aggrauantem, & deprimentem, & viuacitatem radiorum ſimplicis intelligentiæ, & aprehenſionis directæ obiectorum, quæ ab ea ſenſibus percipiuntur, aut mente contemplantur, retardantem; qui denique inſidias & fallacias appetitus inferioris, à quo cauendum vt ab hoſte domeſtico, & à ciue quodam perfido, proditore, & imperium rationis detrectante, qui ſemper aliquid contra rationis iura meditatur, imo ſæpius impudenter imperium ac directionem illius præueniendo, in faciem reſiſtit, ſuiſque ſtimulis acutiſſimis, & oppugnationibus continuis eam colaphizat, & quantum in ſe eſt incitat vt ſibi obtemperet, & imperium deponendo captiua reddatur, ac pedibus appetituum conculcata dignitatem ſuam amittat: hi omnes peccatorum cauſam in corpus rejicere potiori ratione deberent, quam in Deum aut dæmonem, aut corpora cæleſtia refundere. At nihilominus,

Dicimus primò cauſam integram & totalem peccatorum in corporis materiam, neque in carnis grauitatem, neque in motus & impulſus appetituum, qui quæ ſibi ſunt delectabilia expetunt, minimè eſſe rejiciendam. Nam cum appetitus aliquid exquirunt, & à ratione exigere videntur, nihil aliud faciunt quam ſua deſideria exponere rationi, cuius eſt diſcernere & iudicare, an quæ expetunt ſibi ſint conſona & laude digna, an vero reſpuenda vt indecora, & indecentia: & cum inſuper ratio poſſit appetitus compeſcere, ac motus illorum reprimere, ſi inſurgant irrationabiliter, culpa potius eſt in eam rejicienda, ſi illos non reprimat, cum animaduertit ipſos appetitus à ſuo munere & officio deficere, & aliquid attentare contra ipſius rationis iura; cum ſe, v. g. offerunt abſque debito ordine erga finem preſcriptum, i. confuſe & inordinatè, ipſius neglecto imperio, & relicta directione; vel cum intuetur appetitus, quæ ardua ſunt & difficilia, per vecordiam nimiam effugere: non enim appetitus ſua deſideria rationi, quaſi iudici in throno ſedenti, exponentes, excludunt rationis imperium, cum ei liberum maneat illa reſpuere; imo & appetitus ad jura propria ſibi, nempe rationi, conſeruanda compellere, vt vel bonum rationi conſonum proſequantur, vel malo imminenti & vrgenti ſeſe opponant, cum ipſi appetitus ſeſe offerunt & in medium prodeunt, iudicium rationis ipſos regulare debentis expectantes. Vnde cum tantùm ſint ex ſe motus quidam naturales, ſeu naturæ conuenientes, in crimen adduci non poſſunt tanquam culpabiles, niſi in quantum ratio eos non dirigit, aut iuxta leges ſibi præſcriptas ipſos non regulat & moderatur, eos voluntariè ac libere permittendo ferri extra limites, & ſuam effugere directionem, cum tamen eius imperio ſint ex ſuo genere ſubordinati.

Dicendum ſecundo, ex carnis ſtimulis & motibus appetitus inordinatis, nihil aliud nobis eſſe colligendum quàm quæ ſanctus Paulus docet Rom. 7. *Nam velle*, inquit, *adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio: non enim quod volo bonum hoc facio, ſed quod nolo malum hoc ago.* Cum igitur non inueniamus in nobis, hoc eſt in carne, bona excellentiæ ac dignitati ſpiritus ſeu animæ proportionata, ſub hoc onere ingemiſcamus, illum exoptantes diem, in quo ſi curſum vitæ noſtræ rectè direxerimus, & appetitus comprimere didicerimus, inordinatis eorum motibus minimè obtemperantes, fruemur aliquando concupitâ pace, & deſideratâ animi libertate. Nobis igitur fideliter eſt decertandum cum appetitibus, ſcientes eorum impetus nobis materiam ſuppeditare victoriarum, quibus coronæ & præmia præparantur ab Agonotheta Deo; ſi hoſtibus per vecordiam & puſillanimitatem manus non dederimus, ſi tanquam refugas & viliſſimos ſeruos, appetitus in officio contineamus, eoſque domare potenter non omiſerimus, cum proditoriè vel adulatoriè ſenſualitatis oblectamentis pertentant nos ad peccatum allicere, aut impudenter per ſuos inſultus nos in captiuitatem deducere; vno verbo dicam, ſi ſenſibus & carnis ſtimulis obſiſtamus, ipſa namque caro domeſticus eſt inimicus, & tanquam olim Iebuſæus Iſraelitis, nobis relicta, vt per eam, & animi conſtantia, & noſtra erga Deum fides ſeu fidelitas probetur.

Dicendum tertio non poſſe corpus dici cauſam peccati & mali, cum peccatum in naturis corpore materia carentibus inueniatur, Deuſque in Angelis ſuis repererit prauitatem, id eſt, ab ordine ſibi præſcripto deuiationem; licet naturam obtinent longe excellentiorem & ſublimiorem conditione & conſtitutione corporis ſeu materiæ. Malum quippe nihil aliud eſt, ſiue in ſpiritibus corpore exutis, ſiue in animabus materiæ vnitis, ſiue in corporibus

ipſis, quàm quædam imbecillitas & infirmitas acquirendi & conſequendi bona ſibi conuenientia, vel ſaltem defectus poſſeſſionis bonorum iſtorum.

Dicendum quarto, corpus, inquantum materiale, peccatum producere non poſſe: etenim ſi materiam eius conſpiciamus, vt aptam ad receptionem formæ, in eo ſtatu corpus intuemur ornatu, pulchritudine & perfectione idoneum, vt ex ſui intuitione & cognitione ad autoris omnium contemplationem ſubleuemus, & non ex ſe capax malum aut peccatum producendi. Si autem intueamur materiam primam, abſque diſpoſitionibus, omni formâ & qualitate ac perfectione ſpoliatam, qua ratione, quæſo, dici poſſet ad producendum potens, cum in tali ſtatu, nec ad proprium actum ſuſcipiendum adhuc ſit idonea, nec perfectione requiſita gaudere valeat. Ad minus talis materia eſſentiam & exiſtentiam habet, à perenni bonorum fonte originem ducens, & cum tale eſſe requiratur ad totius vniuerſi completionem, malum eſſe nequit. At bonum ex ſe non producit malum; & cum ſit effectus bonitatis ſupremæ, ad malum ex ſe non tendit nec illud requirit; ſiue igitur illam ſpectes in ſuo eſſe, ſiue cauſam illius perpendas, ſiue finem ad quem ordinatur conſideres, materia ſecundum ſe, in nobis peccatum aut malum producere non poterit.

Dicendum quinto: Quod licet corpus multam ex terra, de qua ſumptum eſt, contraxerit groſſitiem, quo fit vt anima in ſua operatione ipſi vnita quandam acquirat torpedinem, cum ipſi neceſſaria ſit ad phantaſmata & ſenſus conuerſio, vt ſpecies neceſſarias conquirat, quibus fiat rerum ſciens, ſuamque in cognoſcendo perfectionem obtineat; nihilominus etſi verum ſit quod hac ratione *corpus quod corrumpitur aggrauat animam*, & mentis cauſet hebetudinem, intellectus viuacitatem retundens (onus certè *donec corruptibile hoc induerit incorruptionem*, ipſi animæ tolerandum) tamen experientiâ docemur voluntatem per hoc ad peccandum non cogi; omnes enim qui tale ſentiunt onus ad peccandum cogerentur, quod tamen non eſt: imo è contra, plurimi reperiuntur qui nonobſtante tali grauamine, ad perfectionem laxis habenis properant & currunt: quod quidem reuera eſſet impoſſibile, ſi materia neceſſariò eos ad peccandum pertraheret. Si igitur peccatum in nobis reperiatur, oportet ſane vt aliâ viâ, & alio inordinato motu quam corporis grauitate, aut ratione materiæ non ſubtilis aut aëriæ, ſed terreſtris & ſpiſſæ, ex qua ſumptum eſt & compoſitum, cauſetur. Ratio autem propter quam nec corpus nec materia, qualis tandem illa ſit, non poteſt eſſe cauſa peccati, eſt eo quod malum naturæ omni contrarium eſt & repugnans. At materia eſt de natura hominis; neceſſarium quippe fuit vt compleretur & perficeretur hominis natura, in qua Deus Optimus Maximus, qui per ſuam omnipotentiam attingit à fine vſque ad finem, & per ſummam ſapientiam omnia ſuauiter diſponit, voluit res ſpiritales cum corporeis coadunare & coaptare, vt Deus hominem taliter crearet & conſtitueret, vt præter naturam ſpiritualem animæ ipſius, quæ pars eſt præcipua huius compoſiti, formaret etiam corpus materiale, cui animam coniungeret. Cum igitur materia pars ſit huius compoſiti, hominem ad peccandum cogere non poteſt, eoquod malum ex ſe naturæ ſit repugnans; æque enim impoſſibile eſt, vt quod contrarium eſt naturæ in natura conſiſtat, ſicut clarum eſt ignorantiam non poſſe cum arte ſimul in eodem ſubiecto, circa idem, aut in ratione & natura artis reperiri. Doctrina hæc eſt Dionyſij A cum ait: *Neque enim in natura eſt quod eſt, contra naturam, neque inſcitia in arte ineſt ratio.* Cumque corpus opus ſit manuum ſummi artificis, velut anima quæ Deum reſpicit vt ſuum principium, à quo in corpus infunditur (inſpirauit enim in corpus *ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem*) nec in ſe, nec propter finem ad quem adſpirat & ordinatus corpus poteſt eſſe mali cauſa: non enim à ſummo bono aliquid mali exoriri poteſt aut prætendi.

Dicimus ſextò: nec corpus in quantum eſt ſedes animæ ſenſitiuæ & appetituum, qui emanant & effluunt ex ſtricta vnione animæ & corporis (quo fit vt anima corporis iura, & ea quæ ad ipſum pertinent ſarta tectaque eſſe concupiſcat, & quæ ipſi grata ſunt & iucunda proſequatur, ingrata reſpuat & rejiciat) poteſt eſſe, vt ſic, cauſa peccati: etenim vt ſic, eſt opus præclarum optimi artificis, & bonum in omni opere ſuo intendentis. Dices animam quam plurimos carnis & appetituum inſultus experiri, quæ eam ad peccatum ſollicitant & impellunt, & diuerſis paſſionibus agitari, vt vix ſtare queat abſque caſu in recta iuſtitiæ ſemita. Reſpondeo hoc non obſtare quin prædicta propoſitio veriſſima ſit, cum ordo à natura præſcriptus talis ſit, vt ſpiritus ſuum imperium in carnem & appetitus & paſſiones ſeruare poſſit, ſi ipſi libuerit: offert ſe ad oſtium peccatum, in foribus ſtat pulſans, obiectis allicientibus ad deſideria & appetitus carnis, poſtulat voluntatis conſenſum, vt in animam intret: voluntatis eſt per conſenſum aperire, voluntatis eſt iſta reſpuere, & generoſo quodam diſſenſu peccatum patietur repulſam, & ab arce animæ repelletur, in quam intrare nequibit, niſi cum libero voluntatis aſſenſu, qui pendet omninò ab eius libertate. Hinc ſi duæ notitiæ vniuerſales ſeſe menti objiciant, v. g. quod fornicatio ſedulò eſt euitanda: & ex alia parte, quod voluptas & delectatio ſenſus, tanquam quid conueniens eſt amplectenda, liberum eſt menti ſeipſam determinare ad actionem, aut ſecundum primam illam notitiam rationi conſonam, aut iuxta ſecundam titillationi ſenſuum gratiſſimam: pendet igitur à libera voluntatis electione hanc vel illam amplecti; ſi primam, non peccat; ſi ſecundam, peccat: ſed liberè non coactè.

Quod ſi mens ſeu ratio totaliter fuerit diſtracta motu violento appetitus, vehementiâ paſſionis corroborati; aut intercepta forti quadam & viuida aprehenſione imaginationis, & iudicio æſtimatiuæ facultatis, itaut ex paſſione quæ inclinat in partem contrariam & aduerſam regulæ quam ex rationis præſcripto ſequi oporteret, vt bona eſſet & laudabilis noſtra actio, ſi tanta fiat & cauſetur in corpore immutatio & alteratio, vt ratio quaſi validè ligata in actum prodire nequeat, cum integra requiratur libertas vt actio noſtra culpabilis cenſeatur (peccatum enim non eſt niſi ſit voluntarium) libertas autem integra & plena eſſe nequeat dum ratio impeditur in ſua actione, tunc ille defectus criminoſus ſeu culpabilis non erit: & ita patet quod ex appetitibus & paſſionibus peccata non oriuntur, ſed ex libera eligendi & aſſentiendi facultate.

Ex his apparet, cum peccamus aſſentiendo liberè illicitis, quæ objiciuntur, ſiue per phantaſiam, ſiue per impulſus appetituum & paſſionum, nullam conquerendi occaſionem nobis relinqui, ac ſi ad peccandum cogeremur: ſola querimonia. D. Pauli reſtat nobis facienda: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Rom. 7. Nec enim tantus Apoſtolus intelligere poterat, qua ratione fieret vt non valeret omne bonum, quod concipiebat, & meditabatur perficere, & poſſibile eſſe fieri cognoſcebat; Varios enim motus huic ſcientiæ ac cognitioni,

tioni, & tam ſanctis deſideriis contrarios in ſeipſo experiebatur; bonam eſſe legem fatebatur: at in ſe præſentiebat quæ legi aduerſarentur: vnde quæſo, hoc malum? An ex libera electione ſancti Apoſtoli? Non ſanè: neque enim hæc repugnantia legi Dei ab eius electione procedebat, ſed ex priuatione & defectu alicuius boni, quo ſatis potens, ſi adeſſet, fuiſſet redditus, ad tales motus inordinatos compeſcendum: ne tam impudenter, ac cum tanta audacia ſeipſos proderent: quem defectum agnoſcebat dicens: *Scio quod non habitat in me, id eſt, in carne mea bonum*: Nempe illud bonum neceſſarium, vt intra limites debitæ ſubordinationis ſeipſam contineret, nec auderet ſpiritui ac menti repugnare. Bona ipſi inerat voluntas bonum peragendi: at deerat facultas. Vnione enim corporis cum anima impediebatur, & retardabatur ne illud perficeret: imo potius cum velle illi adiaceret, inſurgebant & inſultabant ei praui quidam motus, qui prauitatem ſuam ſatis exploratam manifeſtabant: ex eoquod legi Dei & rationi repugnarent: & mali cenſendi erant, quia rationi & legi non erant conformes. Nihilominus tales motus peccata non erant, nec ex eis reus conſtituebatur: eoquod eos rejiceret, ab eis diſſentiret: nec ab eius libera electione procederent, ſed ex defectu quem in ſe agnoſcebat, relicto & cauſato in nobis per peccatum originale, quo iuſtitia originali priuati fuimus, quæ huic defectui occurrebat, & medebatur; itaut ratio poſſet, dum erat iſtâ iuſtitiâ præmunita, directione ſua & imperio præuenire omnes motus ſui appetitus, qui in eo ſtatu, in quo nunc exiſtimus, ſemper ſunt in inſidiis, vt rationem præueniant, eam intercipiant, fallant, à bono auertant, impediant, & quodammodo in ſeruitutem redigant. Vnde ingemiſcebat ille Apoſtolus dicens: *Inuenio igitur legem volenti mihi facere bonum: condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati quæ eſt in mẽbris meis*: Ingemiſcit igitur Apoſtolus, tũ quia has legi Dei repugnantias & contrarietates in ſeipſo experiebatur, tum quia hanc ſuſtinebat captiuitatem, denique quia impediebatur & detinebatur prompta & alacris ſpiritus operatio: licèt hæ repugnantiæ fuerint quædam materia, circa quam eius magnanimitas exercebatur, eas reprimendo, neque hæc captiuitas animi libertatem detineret, dum ſemper vult & intendit bonum: vnde peccati nullam exinde contrahebat maculam, & ſemper ad meliora & perfectiora tendebat his repagulis non detentus, in Dei gratia omnem ſuam ſpem collocans, dum ait: *In felix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia*, inquit, *Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum*. Seruiet igitur Deo in ſpiritu, licet contradicant & obmurmurent carnis ſenſus: quod quidem eum à crimine immunem reddet, dum non ambulat ſecundum carnem, ſed ſecundum legem ſpiritus. *Igitur*, inquit, *ego ipſe mente ſeruio Dei legi; carne autem legi peccati*. Rom. 7. Et cap. 8. his addit: *Nihil ergo damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant: lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit nos à lege peccati & mortis.*

Quod nec ſpiritus ſecundum ſuam naturam cauſa eſt peccati; & cur homines cum difficultate peccaſſe ſe confitentur. Punct. 5.

Dicendum primò, ſpiritum ſeu animam non eſſe cauſam peccati: patet hoc, tum quia ſpiritus creatus eſt bonus, & cum lumen rationis ipſi inditum fuerit, ſecundum quod actiones ſuas dirigere poteſt, ex ſua natura malum producere nequit; tum quia plures reperiuntur, qui virtuosè & laudabiliter agunt; vnde ſatis apparet, quod ſi ſpiritus aliter ſe geſſerit, hoc non eſt ex natura: nam ſi naturaliter ageret contra bonum virtutis, ſemper eodem modo ageret; quod enim naturale eſt, immutabile eſt: at hoc non eſt, vt ſemper malum operetur: peccatum igitur non eſt in eo à natura, ſed ſolum erit quædam imbecillitas & boni priuatio, ſeu defectus, qui cum in eo aliquando eſt voluntarius, in culpâ ei vertitur.

Dicendum ſecundo, quòd licet ex ſupradictis veriſſimum appareat, nec Deum, nec Dæmones, nec aſtra, nec corpus, nec materiam, nec ſpiritum eſſe per ſe cauſam peccati, tamen difficillimum eſt homini culpam & peccatum in ſe rejicere, & contra ſeipſum ſententiam ferre. Ratio eſt quod exiſtimet licitum ſibi eſſe, æquè deſiderare carni & ſenſibus bonum ipſis conueniens, nempe delectabile, quàm menti & rationi bonum ipſis conſonum, nempe intelligibile: Conſtare ſe agnoſcit, ex duabus partibus longè à ſe diuiſis, ſi naturam earum præcisè ab alia conſideres, at nihilominus adeo, ſtrictiſſimè copulatis, vt nullum crimen admittere exiſtimet, ſi iura vnius æquè ac alterius ſeruare intendat, & carni bonum ſenſibile proſequatur, ſicut menti bonum intelligibile: deinde cum ſciat facultatem liberè agendi, bonum eſſe præſtantiſſimum inter ea quæ poſſidere ſe agnoſcit, vt pote tanquam quid emanans à dignitate ſeu prærogatiua, quam habet ſupra ſenſibilem natura intellectualis, arbitratur hanc libere agendi poteſtatem non poſſe abſque ſui detrimento ſeruari, ſi ſemel legi & voluntati cuiuſpiam obtemperare cogatur, libertatem ſuam in certa quadam independentia ab alio conſtituens. At cæcus non videt mentis bona, & intelligibilia, bonis corporis & ſenſibilibus eſſe omnimodè anteponenda, & ſibi honorificum eſſe, ſi ab eo legem accipiat, à cuius bonitate & liberalitate, totum eſſe, vitam, & cuncta quæ poſſidet obtinuit: quo fit vt in crimen adducatur, ſtatim atque voluptati & ſenſuum oblectamentis obſequitur, bonum apparens tantum amplectens, in locum veri boni, quod excellentiæ & dignitati ſpiritus conueniat; vel peccare exiſtimetur, dum inordinatè ac voluntariè deficit à debita ſui autoris ac ſupremi Domini ſubiectione & dependentia.

Dicendum tertio, ſide opus eſſe vt agnoſcamus infirmitatem, imbecillitatem, & defectum noſtræ actionis eſſe voluntarium peccatum, & in culpam æquiſſimè debere nobis imputari. Debilior quippe eſt ratio noſtra abſque lumine ſupernaturali, nimium diſtrahitur multiplicitate obiectorum, nimium præoccupatur impulſu diuerſorum affectuum, vt poſſit has veritates inueſtigare, ad eas attingere, in ipſarum contemplatione immorati, quibuſdam irradiationibus aſſentiendo, quibus fateri poſſet aliquid eſſe in ſua actione deſiderandum. *Cum enim*, inquit S. Paulus Rom. 3. *gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt, eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex: qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus, in die cum iudicabit Deus occulta hominum*, &c. Ac ſi diceret: Cum gentes quæ legem non acceperunt, ea quæ lex iniungebat peragebant naturali inſtinctu, ab bonum incitatæ, & lumine naturali rationis ductæ, quod quidem pro lege ſequi debebant, tali lumine ſe eſſe præditas manifeſtabant, dum cogitationes ipſorum ſecum præliabantur; dum vna accuſat, alia excuſat, & defenſionem alicuius actionis ſuſcipit. Etenim abſque reliquo lumine in mente impreſſo & ſignato, fieri non poſſet vt ſe vel reos condamnarent, vel inculpabiles & in-

nocentes ſe eſſe arbitrarentur. Cum igitur obmurmuraret aliquando ratio eorum, & eis aliquid exprobraret, dictando ipſis actiones ipſorum à recto iuſtitiæ tramite deficere ac deuiare, nonne ſeipſos condemnabant, & in ſeipſos ſententiam ferebant? At hoc diſcutere, diſcernere, animaduertere, huic vero lumini acquieſcere, aſſentiri nequiuerunt: ex eoquod ratio nimium eſſet inuoluta, & offuſcata nube phantaſmatum, tenebris ignorantiæ, obcæcatione malitiæ, fumo concupiſcentiarum, quibus omnibus impediebatur ne in cognitionem peccatorum ſuorum homo deueniret, remediumq; ac medelam his infirmitatibus requireret. Ita factum eſt vt cum homines ignorarent eam, quam Deo præſtare debebant, obedientiam, qua dignitate eorum anima prædita eſſet; nec diſcernere valerent appetituum varios & inordinatos motus, nec animaduerterent quid cauſæ eſſet, cur caro & appetitus tantum & tale in animam ſibi arrogarent imperium, ex defectu nempe iuſtitiæ originalis, quæ appetitus continebat in ordinem: ipſis impoſſibile, vt ita dicam, fuerit rectum iudicium ferre de cauſa & origine malorum, vel ſeipſos culpabiles exiſtimare: licèt (cum Syneſio de prouidentiâ circa initium) præſenſerint actiones, quæ corpori fauent, ſenſibuſque gratiſſimæ ſunt, longè diſſimiles eſſe ab eis quæ rationi & menti conformes exiſtunt, & à longè ſubodorati fuerint rationi potiùs eſſe obtemperandum, quàm imperio ſenſuum & appetituum carnis obſequendum. Hinc

Dicimus vltimò ad hoc tantùm lumen naturale, rationis auxilio ſupernaturalis luminis deſtitutum deueniſſe in ethnicis Philoſophis, cum de origine malorum Philoſophati fuerunt, vt dicerent carnem & ſpiritum vnam & eamdem cauſam ſeu originem non obtinere, ſed duplicem; originem ſpiritus claram eſſe & nitidam, vt ait Syneſius; carnis obſcuram & tenebroſam; hanc è terræ ſpeluncis extrahi, ad oppugnantiam legum diuinarũ & ſpiritalium paratiſſimam, *Si quam*, inquit Syneſius, *diuinæ legi vim inferri poſſit; aliam videri quadam ratione è cælo ſuſpenſam, ipſique adhærentem: quod ſi exinde demitti contingat, ad terrenam hanc ſortem adminiſtrandam, ſedulò & ſeriò ipſi iniungi, ne dum congeriem concinno ordine digerit ordinatque, ipſe (videlicet animus) propiùs ſeſe admouens dedecore ac indiſcreta confuſione cumuletur; manetque Themidis animis omnibus impoſita lex, vt quicumque in rerum extremitate verſatus naturam inuiolatam, illibatamque ſeruauerit, is eadem viâ refundatur, & rurſus in eum vnde ortus eſt fontem regeratur: non ſecus ac qui altera ex ſorte prodierint quodammodo in cognatos ſeceſſus penetraliaque recipi naturæ poſtulat neceſſitas.* Ita Syneſ. Hinc, vt ipſe ait? fieri poteſt vt Libycus homo cum Partho cognatus ſit, & in his quos fratres appellamus nulla ſit ſocietas. Hæc aut ſimilia de origine peccati, antiqui ethnici Philoſophari potuerunt, non capientes quomodo corpus ac ſpiritus, inquantum contrarias videntur habere proprietates & paſſiones, vnam & eamdem poſſint habere cauſam & originem, vniuerſorum videlicet creatorem; nec intellexerunt vnde oriri poſſet bellum inter res adeo ſtrictè vnitas, vt ſunt corpus & anima in homine; quod quotidie experimur, concupiſcente ſpiritu aduerſus carnem, & carne aduerſum ſpiritum. Ignorum quippe illis erat hoc fieri propter priuationem cuiuſdam ordinis & ſubordinationis, quam appetitus qui inſurgunt ratione vnionis animæ cum corpore, ad bonum & conſeruationem compoſiti, habere debent naturaliter erga rationem; quæ cum ſit naturæ ſuperioris, imperium exercere debet ſupra ſenſus; quod tamen imperium ſenſus vſurpare prætendunt ſupra rationem; nec tandem ſe reos agnoſcere potuerunt, tum quia animum minimè applicabant ad ponderandum an actiones quam eliciebant, rectam rationis & iuſtitiæ ſequerentur regulam; tum quia alibi diſtrahebantur propter diuerſas inclinationes & propenſiones, paſſiones & alterationes. Adde quod magis ac magis indigni reddebantur, propter peruerſitatem & malignitatem cordis, qui lumen ſupernaturale & diuinum exciperent; quo tandem in reprobum ſenſum deuenerunt, & ſerui facti peccati, inſtrumenta fuerunt rabiei & malitiæ dæmonum, *Captiui*, inquiebat Apoſtolus, *ad ipſius diaboli voluntatem.*

Ex his patet quomodo homo maximam patitur difficultatem, vt ſe reum & culpabilem agnoſcat & iudicet: qua quidem ratione impeditur à cognitione & inquiſitione remedij & medelæ quam reperimus in Sacramento Pœnitentiæ. Verum igitur diximus ſupra, opus eſſe reuelatione & auxilio diuino, vt credamus remiſſionem peccatorum ſeu poteſtatem eſſe in Eccleſia, peccata dimittendi, & relaxandi pœnas ac ſupplicia.

Quod difficillimum ſit etiam concipere & credere, qua ratione Deus voluerit homini legem imponere, quam infringere prænoſceret, aut ſi permittit infractionem, eam remittere velit. §. 3.

Rectè S. Paulus 2. ad Corinthios 2. Dei notitiam ſuauiſſimo odori comparat: ſicut enim thymiama præſtantiſſimum odorem ſuauem emittens, animalium perfectorum cerebrum ſanum & conſtans confortat & exhilarat, imperfectorum vero animalium, vt buſonum, aut aliorum ſimilium venenatorum, vel eorum qui cerebro laborant, caput offendit non mediocri læſione: Pari ratione qui attentâ conſideratione diuinas contemplantur perfectiones, ſimiles experiuntur effectus. Currunt fideles in odorem vnguentorum Dei, & delicatulæ adoleſcentulæ, quæ in eius amplexibus expirare contendunt, tali perfuſæ odore vehementer exhilarantur. Dei enim notitia eſt illis odor vitæ in vitam: at ſi infideles tali afficiantur odore, depereunt. Eſt enim ipſis Dei notitia odor mortis in mortem; conuulſiones mentis, & ſenſuum defectus potius patiuntur, quàm lætitiam concipiant. Quantâ, quæſo, lætitiâ afficiuntur fideles? In quantam prorumpunt laudem & gratiarum actionem, cum naturæ intellectualis dignitatem ſibi à magnifico & munifico rerum creatore, & ſapientiſſimo omnium moderatore impertitam agnoſcunt, cum ſe libera agendi facultate præditos ſentiunt, cum legem naturalem in intimis mentis penetralibus ſibi fuiſſe impreſſam & inditam animaduertunt, qua poſſint actiones ſuas ſapientiſſimis quibuſdam rationibus ad vltimum finem dirigere? Inſuper ne illius legis vis & efficacia, diſtractione quadam ſenſuum retunderetur, ſignis quibuſdam exterioribus eam nobis Deus inculcare & ob oculos ponere voluit, vt ſemper illius eſſemus memores iuxta illud: *Et iuſtitia illius in filios filiorum, his qui ſeruant teſtamentum eius & memores ſunt mandatorum ipſius, ad faciendum ea.* Pſal. 102. qua mandatorum obſeruantia eorumque exercitio, virtutum laude & gloria temporali & æterna digni redderemur: hinc attendentes iſtam erga ſe bonorum effuſionem, modo dicunt: *Venite & audite, & narrabo quanta fecit Deus animæ meæ*, Pſ. modo clamant: *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum.* Pſ. Cum autem vident quòd Deus, qui æquè iuſtus eſt ac bonus, ſeuerè punit eos qui horum bonorũ fuerunt contemptores, nec iiſdem bonis benè vſi voluerunt vt ſalui fierent, ſed potius præcipites ſe dederunt in omnem vitiorum ſpurcitiem, quos proinde ſpoliat præmiis virtuti & pietati præparatis: non

ſcandalizantur in his : ſed iuſtitiam Dei collaudantes, agnoſcunt peruerſas malorum actiones micantiorem & illuſtriorem reddere ſplendorem, & decorem propriorum operum bonorum : & ex ſuppliciis quæ malis inferuntur, coronas eorum magis ac magis emicare & ſplendeſcere: ex eoquod cum trãsgredi poſſent, vt alij legum tranſgreſſores, ſeſe intra obedientiam mandatorum continuerunt, nec à debita erga Deum obſeruantia receſſerunt, hinc clamant : *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.*

Rurſus cum perſpiciunt Deum ad miſericordiam propendere, & facillime condonare iniurias iis qui eius implorant clementiam, cognoſcit quippe figmentum noſtrum, & non mediocriter compatitur fragilitati creaturæ ſuæ, *quomodo*, enim *miſeretur pater filiorum miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum*, vt ait Propheta, hac notitia quaſi quadam ſuaui dulcedine inebrati, fatentur in corde intrinſecus, & inclamant fortiter foris illud Dauidis, *Iuſtus Dominus & iuſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.* Vere vidit æquitatem, quia cum ſit iuſtus, nihilominus compatitur infirmitati & imbecillitati creaturæ adeo fragilis : vnde diuinam extollunt miſericordiam dicentes : *Miſericordias Domini in æternum cantabo* : & ampleƈtendo ſimul iudicium & miſericordiam, quæ æquis paſſibus gradiuntur in cunƈtis operibus Dei, licèt vna modò, modò alia prima fronte potior occurrat mentibus, in quibuſdam diuinis operibus dicunt : *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine* : Sicque notitia harum virtutum & perfectionum Dei, ipſis eſt odor viuificans, & ſuper omnem alium odorem gratiſſimus. *Non ſic impij, non ſic* : Sed ſua peruerſitate impulſi, omnia in malum contorquent. Scandalizantur dum ſe obligatos perſpiciunt tendendi ad finem adeo excellentem, qui eos non permittit extra ſuos limites euagari, & à ſe tantiſper abſque culpa diſtrahi, qui vitiorum omnium profligationem præſupponit, & vt attingatur, eos compellit iugum legis ſtrictiſſimæ ſubire, qua effrenatos appetitus & ſenſuum motus compeſcunt. Tale iugum excutere cupientes, vt poſſint genio indulgere prout libuerit, & deſideria carnis perficere, ſcandalizantur: ac ſi Deus iniuſtè legem ipſis impoſuiſſet, ſecuudum quam viuere, & omnes actiones ſuas dirigere debeant : vel quod ſi hanc legem infringere auſi fuerint, eos cum ſeueritate punire intendat, & ſecretorum ac conſiliorum Dei impij ſcrutatores hanc mouent quæſtionem.

Cur Deus ipſis legem dederit, cum ſciret ipſos fore legis tranſgreſſores? At quàm abſurdè exoptant Deum hominem creando eum nullis legibus adſtrinxiſſe, vt videlicet ad modum feratum & beſtiarum, impetu quodam ferretur abſque delectu, quocumque inſtigaret ſenſus, paſſio propelleret, nihil diſcernens inter bonum & malum, iuſtum & iniuſtum, honeſtum aut inhoneſtum : hocque impunè, & abſque vllo timore ſupplicij. Proculdubio hac ratione homines peioris conditionis beſtiis redditi fuiſſent : ſiquidem beſtiæ adhuc regulantur per quaſdam innatas & inditas inclinationes ſeu propenſiones, & quadam arte ſeu artificio domantur & reguntur. Quis igitur dicere meritò poterit non fuiſſe bonum homini quandam præſcribere legem, qua ſuas actiones in optimum dirigat finem?

Dices : cum Deus bonus ſit, hominem cogere debuit vt ſemper bonum operaretur, cum potius libertate ſpolians, quàm permittere vt in malum liberè feratur. Audiamus ſanƈtum Dionyſium huic obiectioni occurrentem l. de diuinis nominibus. Nam poſtquam ibidem docuit Dei prouidentiam ſeipſam extendere in omnia quæcumque ſunt aut exiſtunt, addit : *Itaque inconſideratum tantumque malorum verbum non probabimus, qui aiunt oportere prouidentiam inuitos etiam nos ad virtutem impellere : neque enim prouidentiæ eſt naturam interimere & tollere.* Hæc Dionyſ. Et reuera ſi ita ƈtum fuiſſet cum hominibus, vt libertas ab eis auferretur, quanta exinde paſſi exinde fuiſſent detrimenta, quæſo, attendite. Primum eſt quod hac ratione homo fuiſſet quodam excellenti perfectionis gradu priuatus, quo nunc præditus, præcipuum conſequitur inter res creatas honorem, ſupra animalia ratione carentia exaltatus : dum capax eſt ſibi ipſi finem præſcribendi, & ſeipſam ad agendum intrinſecè determinandi. Hac ratione Deus intra ſe continuiſſet ſpecialem modum communicandi ſuam bonitatem, quæ ampliſſimè & euidentiſſimè demonſtratur, dum Deum adeo bonum agnoſcimus & fatemur, itaut homines tam excellenti natura decorauerit, vt ſint in ſuis actionibus liberi. Hac ratione nulla merendi in nobis eſſet facultas, qua Dei æquitas in retributione bonorum & punitione malorum innoteſcat : meritum quippe conſiſtere nequit, vbi neceſſitas naturalis & coaƈtio locum obtinet. Hac ratione virtus ſua perfectione fuiſſet ſpoliata : virtus enim tunc conſummata exiſtit, cum nec infirmitas nec tentatio eam in actione ſua aut impedire aut retardare poteſt, voluntaria electione agentis. Hac ratione homo laude debita fuiſſet deſtitutus, quam adipiſcitur meritò, cum intra ordinem continetur, cum poſſit fines & terminos æqui & iuſti tranſilire, ſi ſibi placuerit. Hac ratione ex rerum vniuerſitate eliminandus eſſet hic iuſtitiæ effectus, quo aliquid datur ſub titulo præmij : ſola enim bonitatis ratio, qua aliquid donatur, locum obtineret. At maieſtas conditoris, vt opus ſuum perfectum reddat, requirit vt omnes virtutum effectus locum obtineant, quod non eſſet ſi iuſtitiæ nihil ſibi arrogare poſſet. Et non tantum hic iuſtitiæ effectus tolleretur, ſed etiam alius qui ad complimentum vniuerſi videtur requiri, nempe effectus iuſtitiæ vindicatiuæ : nullum quippe eſſet decernendum ſupplicium, cum nemo reperiretur qui peccaret, & qui propter peccatum ſupplicio eſſet afficiendus. Tandem hac ratione auferenda eſſent è medio plurima motiua, quæ impellunt etiam beatos vt Deum laudent, glorificẽt & ament : quia eos à multis malis & peccatis præſeruarit, ex multis eripuerit periculis, multa ſupplicia ac mala pœnæ ab eorum capite amouerit : nec non etiam in hac vita iuſti & fideles tot haberent motiua ad Deum per orationes & ſuſpiria recurrendi, dum impetuntur tentationibus, tantis ſubiiciuntur caſibus ; quibus facillimè agnoſcere poſſunt quantum indigent diuinæ gratiæ auxilio, vt à peccatis præſeruentur. Nec ex prædictis dicendum eſt Deum aliquos poſitiue ordinaſſe vt peccent, ad manifeſtationem ſuæ iuſtitiæ vindicatiuæ : nihil enim odit Deus eorum quæ fecit, *Neque enim*, inquit ſapiens Sap. 11. *aliquid odiens feciſti aut conſtituiſti.* Hæc igitur ratio de manifeſtatione iuſtitiæ vindicatiuæ intelligenda eſt præſuppoſitâ culpâ, quæ ſi nunquam adfuiſſet, alio modo manifeſtata fuiſſet, nẽpe quod tam formidabilis apparuiſſet omnibus creaturis ratione præditis, vt nullus vnquam auſus fuiſſet in culpam incidere, ne eius rigori ſubderetur : alias cum iuſtus ſit, iuſtè omnia diſponit : ipſum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum æſtimat à ſua virtute, vt ait Sapiens. c. 12. Ideo ſi manifeſtanda ſit iuſtitia vindicatiua, præſupponenda eſt culpa, quam Deus nec voluntate antecedenti nec conſequenti vult, imo voluntate beneplaciti eam odit, eam prohibet: quia contra ſeipſum militat, & ſuæ bonitati eſt omnino cõtraria: quæ vnicum eſt obiectum diuinæ vo-

luntatis. Vnde nec vult cuiquam gratiam deesse, licèt velit, absque præiudicio bonitatis, gratiam deesse illis qui illam habere nolunt: non enim adoramus, cum Mahumetanis, Deum Maozim, id est Deum potestatis, qui ad ostendendam potentiam suam tantummodò, velit aliquos perire; sed adoramus Deum sapientem & bonum, de quo dicitur: *Omnia in sapientia fecisti.* Psal. 103. *qui effudit sapientiam suam super omnia opera sua.* Eccl. 1. *& qui dives est in misericordia*, vnde omnibus bona vult sibi conuenientia. Quod si homines ordinem à bonitate sibi præscriptum libere deserunt, cadunt in ordinem iustitiæ, quæ vult vt pœnæ subdatur, qui bonum sibi oblatum, deserit, & leges iustissimas infringit voluntariè & libere. At tantò iustiùs Deus leges hominibus præscribit, & pro transgressione ipsarum pœnas exigit, quantò faciliùs obseruari possunt, nec ab vllo cogi possumus ad peccandum, liberumque sit nobis bonum agere æque ac malum. Hæc inductione legum, quæ à Deo datæ fuerunt, satis innotescunt. Quid facilius, quæso, Adamo, quàm abstinere ab vno genere pomi, cum tot alia adessent, quorum vsus ei erat benignè à Deo concessus? Paradiso expulsus legi naturali fuit adstrictus, quæ ei præscribebat vt nemini faceret quod sibi fieri nollet, & alteri faceret quod sibi fieri vellet; & rursus, vt Deum suum autorem & benefactorem coleret, & debitis honoribus prosequeretur, externa ei offerendo sacrificia, ex parua ac minuscula portione bonorum, quæ ei profusissima liberalitate à Deo suppeditabantur. Quid in his quæso difficillimum existebat?

Quod si legem circumcisionis postea Abrahamo datam, vt quis è numero populi electi censeretur, & promissorum esset particeps spectemus; quid in obseruatione huius legis difficile fuit, vt homines propter eam à Deo resilire licitè potuerint? Idem dicendum de lege Mosaica, siue quantum ad ceremonias ab eo institutas, vt fides Messiæ futuri populo inculcaretur; siue quantum ad præcepta dilectionis Dei & proximi. Istæ enim leges, ceremoniæ ac præcepta, potuerunt adimpleri absque incommodo, imo cum quadam iucunditate perfici poterant; cum rem adeo gratissimam, vt erat aduentus Messiæ, in memoriam reuocarent, & naturæ & rationi ita consonam, vt est amor Dei & proximi, inculcarent. Vnde dicebat Moyses Deutero. 30. *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cælo situm, &c. sed iuxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum.*

Tandem si de legè Euangelica sermo fiat, cum in gratia & dilectione tota consistat, iugum est suaue, onus leue, quæ non grauat sed adiuuat, & iugum exactoris excutit, vt conferat pedes ceruorum veloces, & vim giganteam suppeditet; qua alacres in via Dei curramus, & ad brauium retributionis æternæ properemus; dum corda nostra dilatat, & ex abundantia Spiritus sancti, fideles replet omni gaudio & pace, etiam dum tribulantur, dum persequutionibus vexantur, dum pro iustitia certant & agonizantur. Non igitur onerosa est ista lex, quæ gratiam adfert & auxilium, vt quæ præcipit perficiamus.

Huius autem legis facilitas satis demonstratur, ex eo quod quam plurimi fuerunt illius sectatores, & obseruatores fidelissimi, ex quacumque conditione & ætate, iuuenes cum senioribus, ignorantes cum doctoribus, iudices, rerum publicarumque moderatores, cum populis & subditis, viri & mulieres, nobiles & ignobiles, qui omnes etiam vsque ad internecionis & mortis periculum eam obseruarè voluêrunt. Recte S. Hieronymus Epistola 150. ad Hedibiam quæst. 11. *Odor*, inquit, *notitiæ Dei diffeminatur in gentes, & subit tacita cogitatio, quod nisi verum esset Euangelium, nequaquam sanguine diffunderetur.* Ita Hierony. Sed esto, difficilis sit in sua obseruatione lex Euangelica, æquumne fuit aut conueniens, vt tantus honor, tanta gloria, tot bona largirentur ignauis & peruersis; verè Deum potiùs dicere debuissemus nimiâ & indiscretâ profusione bonorum suorum prodigum, quam liberalem aut magnificum. Teipsum iudicem compello: æquum ne ducis aliquid dare mercedis mercenario, qui nihil in sui gratiam operatus fuerit? & impudenter audes à Deo mercedem postulare, pro qua conquirenda nihil operari voluisti: Si ita esset vt sine aliquo labore hæc bona possent comparari, contemptibilia potius viderentur, quàm digna quæ totis viribus conquirerentur. Ideo Christus noluit alia ratione cœlum comparari à sanctis, quàm laboribus. *Regnum cælorum*, inquit, *vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Denique existimarunt Philosophi, naturæ autorem non permittere, vt in qualibet ciuitate plurimi reperiantur, qui multa prudentia & rerum experientia gaudeant, & pro multiplici virtute digni sint qui aliorum gubernationi præficiantur; vt tanto magis virtus & sapientia in maiori pretio haberentur, quo pauciores reperirentur, qui his dotibus essent insignes. At facilius lex Euangelica seruatur, & cœlum acquiritur quàm virtus politica, quæ ad honores mundanos possidendum requiritur: Etenim vt hæc virtus politica comparetur, multum insudare oportet, labore plurimo opus est, multis comparanda est actibus & experientiis; vt autem cœlum obtineamus, vnus tantùm aliquando sufficit actus, v. g. vno solo actu contritionis, gratia, qua ad cœlum peruenimus, acquiritur. Quænam igitur causa de Deo conquerendi, qui tam modico pretio tantam nobis impertitur gloriam?

Nihilominus homo animalis, & terrena sapiens, existimare non potest Deum debuisse legem dare hominibus, quam infringi permitteret: quia piget laboris & studij, cum quibus se accingere debet ad huius legis obseruationem: & quia supplicia timet, putat ex nimio sui amore, ea esse omnimode à suo capite amouenda. Vnde necessarium fuit à Deo nobis lumen fidei infundi, vt comprehendere possemus Dei cogitationes exaltari supra cogitationes hominum, & omnia ad eius gloriam fieri ac permitti debere. Vnde oportuit vt communicationes ad extra tot & tales essent, vt secundum omnem rationem, sub qua à creatura intellectuali cognosci potest, cognoscatur; & non solum sub vna aut alia manifestaretur, sed infinitis propemodum modis, quo possent Angeli & homines tot habere omnipotentiæ Dei specula, quot effectus multiplices & multiplicibus modis producit, vt sic eum per effectus perfectissimè cognoscerent.

Ex alia parte, cum homines perspiciunt quanta sit humana imbecillitas, sibi persuadere non possunt Deum velle cum tanto rigore, & horrenda seueritate, illius peccata non tantum ex malitia & deliberatione, sed etiam ex fragilitate commissa punire. Ipsemet Iob vir iustissimus hoc admiratur, *Contra*, inquit, *folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris: scribis contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.* Certè, vt ait insuper S. Dionysius, malum nihil aliud est, quàm quædam infirma imbecillitas, priuatio scientiæ speculatiuæ, infusæ, aut quæ comparari potest per experientiam, siue etiam practicæ; aut priuatio fidei, aut appetitus seu volitionis aut actionis bonæ. Ex quo videretur

Digitized by Google

infirmitati ſupplicium non deberi, ſed potius veniam. At ad hæc omnia reſpondet S. Dionyſ. *Si non ſuppeteret poteſtas, rectè ſe haberet honeſtaque eſſet oratio, ſin à Bono poteſtas proficiſcitur, quòd dat, vt diuina ſcripta tradunt, vnicuique omnino ea quæ illi accommodata ſunt, laudanda non eſt habitus ex bono atque bonis ſuis deflexio, depranatio, declinatio & prolapſio.* Ita Dionyſ. Et ita cum in noſtra poteſtate ſit aliter agere, vituperium & ſupplicium ex malis actibus promeremur. Vt autem hoc nobis firmiter perſuaderemus, vt oportet, neceſſaria nobis fuerunt documenta fidei, quæ docet Deum vnicuique ſecundum opera, præmia vel ſupplicia eſſe daturum; inſuper eos non poſſe effugere damnationem, qui cum notabiliter & mortaliter offendunt, niſi venia interceſſerit, quæ non datur niſi contritis, & ad remedia ab eo præſcripta recurrentibus. Quod ita æquum eſſe quibuſdam viſum eſt, vt etiam ab omni ſpe veniæ excludi voluerint, qui poſt veniam ſemel conceſſam poſtea in peccatum inciderent. Talis fuit ſchiſmaticus & hæreticus Nouatianus, qui nolebat pœnitentes, qui ſemel veniam acceperant, poſt lapſum ad pœnitentiam recipi: contra quos inſurgit & inuehitur S. Cyprianus, eoſque vehementi oratione exagitat, dicens eum cum ſequacibus ſuis diabolum patrem ſuum imitari, homines ante tempus veniâ in dignos iudicantem: Et quia Nouatiani loco ſcripturæ abutebantur, nempe, *Qui me negauerit coram hominibus, & ego negabo eum coram Patre meo*, Reſpondet Cyprianus hoc verum eſſe pro tempore futuro, & non pro præſenti; & Nouatianum alloquens ait: *Quanam eſt tua, Nouatiane, amentia: vt illa quæ ad exitium ſalutis pertineant tantum legas, & quæ ad miſericordiam pertereas, clamante ſcriptura & dicente: Pœnitentiam agite, quia erratis; conuertimini corde, &c.* Licèt igitur rationi humanæ videatur Deum nec permittere, nec punire, nec condonare debere peccata, nihilominus fide illuminati dicere debemus, quòd abſque iniuria ſuæ Bonitatis illa permittit; abſque lætione ſuæ manſuetudinis, illa punit; abſque violatione legum æquitatis, ipſa condonat & remittit, nullam prætermittendo ſeu excipiendo culpam, quam condonare nolit, præter eam quæ excludit aut impedit recurſum ad veniam & miſericordiam. *Qui verò*, inquit S. Auguſt. *in Eccleſia remitti peccata non credens contemnit tantum diuini muneris largitatem & in hac obſtinatione mentis diem claudit extremum, reus eſt illo irremiſſibili peccato in Spiritum ſanctum, in quo Chriſtus peccata dimittit.* Aug. in Enchiridio. Fatendum igitur remiſſionem peccatorum vnum eſſe ex articulis fidei, & à nobis rectè myſterium dici ſub hoc ſigillo ſexto abſconditum: quod quidem aperitur, dum vis & efficacia Sacramenti Pœnitentiæ agnoſcitur.

Et vidi cum aperuiſſet ſigillum ſextum.

Idæa ſymboli, quo effectus peccati deſcribuntur; & ex irriſione & contemptu Sacramenti Pœnitentiæ oſtenditur quanta ſit Dei patientia & miſericordia, qui hoc remedium paratum dedit ad remiſſionem peccatorum.

Fit ad apertionem ſigilli ſexti magnus terræ motus, ſol fit niger tanquam ſaccus cilicinus, Luna ſicut ſanguis, ſtellæ cadunt de cœlo ſuper terram, ac ſi ficus ex arbore vento valido agitatâ excuterentur; cœlum replicatur ad modum alicuius membranæ quæ reuoluitur, fit montium & inſularum è propriis locis quædam mutatio: & ex his prodigiis, Reges terræ, principes, tribuni, & diuites, & fortes, & omnis ſeruus & liber abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in Petris montium. Vſque huc deſcriptio effectuum peccati, & malorum quæ cauſat. In his quæ ſequuntur, neglectus & denſio remedij, quo hæc mala fugantur, cum additur: *Et dicunt montibus & Petris: cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper Thronum, & ab ira agni: quoniam venit dies magnus iræ ipſorum: & quis poterit ſtare?*

Ad apertionem ſeu intelligentiam Sacramenti Pœnitentiæ, quam ſextum ſigillum eſſe diximus, oſtenditur quantum ſit myſterium, quod Deus peccata aut permittit aut remittat.

ANNOTAT. V.

REMISSIONEM peccatorum myſterium dici, ex his quæ diximus, ſatis innotuit. Addo tamen rectè pro myſterio haberi, tum quia in hoc articulo intelligere debémus remiſſionem & veniam peccatorum non dari, niſi in Eccleſia Catholica, cuius membrum quis efficitur per fidem; tum quia ſola fides reuelat in Eccleſia eſſe aliquam autoritatem & poteſtatem dimittendi peccata. Cum enim Dei ſolius ſit remittere peccata, oportet vt fides doceat hanc poteſtatem datam eſſe à Deo, aliàs humana ratio capere non poſſet, qua ratione quis auderet ea remittere. Hac de cauſa Chriſtus Dominus, vt daram eſſe ſuæ humanitati hanc poteſtatem manifeſtaret & probaret, voluit ſanare paralyticum dicens: *Quid eſt facilius dicere: dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: ſurge & ambula? Vt autem ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, dixit paralytico: ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Quod myſterium, vt alia, Chriſtus voluit annuntiari hominibus Luc. 24. *Quoniam ſic*, inquit, *ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes*, &c. Vt pote ſcitu neceſſarium, & abſque reuelatione nihilominus incognitum. Hanc poteſtatem ſuæ humanitati collatam Chriſtus Dominus communicauit Eccleſiæ Paſtoribus, quos per vniuerſum mundum miſit, & per Spiritum ſanctum poſuit regere Eccleſiam Dei, cum eos miſit dicens Ioan. 20. *Sicut miſit me Pater & ego mitto vos*; & vt explicatiùs exponeret qua ratione mitterentur, eo modo quo miſſus fuerat à Patre, nempe vt peccata mundi auferret, & deleret ac remitteret, addit S. Ioannes: *Hæc cum dixiſſet inſufflauit, & dixit eis: accipite Spiritum ſanctum. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Optimè igitur S. Auguſtinus Homil. 49. c. 3. lib. 15. Homiliar. *Nemo ſibi dicat, occultè pœnitentiam ago: apud Deum ago. Nouit Deus qui mihi ignoſcit quia in corde ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt: quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt in cælo. Ergo ſine cauſa ſunt claues datæ Eccleſiæ Dei: fruſtramus Euangelium Dei, fruſtramus verba Chriſti: promittimus quod ille negat*; Et cap. 31. de agone Chriſtiano, inuehens in eos qui negabant Eccleſiæ hanc eſſe datam poteſtatem, ait: *Nec eos audiamus qui negant Eccleſiam Dei omnia peccata poſſe dimittere. Itaque miſeri dum in Petro, Petram non intelligunt, & nolunt credere datas Eccleſiæ claues regni cælorum, ipſi eas de manibus amiſerunt.* Et Serm. 181. de tempore in vigilia Pentecoſt. fidem huius myſterij inculcat, cum ait: *Credenda eſt præcipuè, fratres, peccatorum remiſſio; quia hoc vnum remedium eſt, quod hominum genus à ſententia perpetuæ mortis abſoluat. Idcirco vnigenitus altiſſimi dignatus eſt carnem aſſumere, contentus eſt cruce: vt te, qui crimina tua euadere non poteras, indulgentia faceret innocentem. Ideo immaculatus occiſus eſt agnus, vt eius cruore humani generis macula tegeretur. Miror autem quoſdam*

Digitized by Google

ſic obſtinatos eſſe, vt dandam non putent lapſis pœnitentiam, aut pœnitentibus exiſtiment veniam denegandam, cum ſcriptum ſit: memento vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac, &c. Quantopere autem debeant eſſe ad veniam procliues Eccleſiæ Dei ſacerdotes, docet ipſe Auguſt. de Agone Chriſtiano c. 30. *Nuſquam*, inquit, *tam vigere debent viſcera miſericordiæ, quàm in Catholica Eccleſia, vt tanquam vera Mater, nec peccantibus filiis ſuperbe inſultet, nec correctis difficilè ignoſcat; non enim ſine cauſa inter omnes Apoſtolos, huius Eccleſiæ Catholicæ perſonam ſuſtinet Petrus. Huic enim Claues regni cœlorum datæ ſunt, & cum ei dicitur: Amas me, paſce oues meas; debetque Eccleſia Catholica correctis & pietate formatis filiis libenter ignoſcere, quum ipſi Petro perſonam eius geſtanti, & cum in mari titubaſſet, & cum Dominum carnaliter à paſſione reuocaſſet, & cum autem ſerui gladio præcidiſſet, & quum ipſum Dominum ter negaſſet, & quum in ſimulationem poſtea ſuperſtitioſam lapſus eſſet, videamus veniam eſſe conceſſam, tumque correctum atque firmatum, vſque ad Dominicæ paſſionis gloriam peruenieſſe.* Ita Aug.

Nunc dico quod ſi Sacramenti Pœnitentiæ naturam perſpectam habeamus, videbimus certè quantum eluceat diuina patientia in his, quos expectat, vt eos adducat ad pœnitentiam; & quantum emineat eius diuina bonitas & clementia, cum ea condonat in pœnitentiæ Sacramento. Hac enim ratione melius videbitur quanta ſit malignitas peccati, quæ talis & tanta eſt, vt non modo plurima mala, interna & externa cauſare valeat, quæ per ſymbola ſignificantur, quæ ſtatim atque apertum fuit hoc ſigillum, obiecta fuerunt oculis, vel imaginationi & menti S. Ioannis; ſed etiam remedium à Deo inſtitutum, vt peccatum hæc mala adducens auferat, irrideat ac reſpuat: & cum debeamus fugere à facie peccati, tanquam à facie colubri, rectè deſcriptio huius malignitatis in hac Prophetia locum obtinet, quæ ad Eccleſiæ vtilitatem, & Chriſti gloriam tota ordinatur. Etenim nobis procedendum non eſt in expoſitione ſymbolorum huius ſexti ſigilli, ea ratione qua proceſſimus in explicatione aliorum. In aliis quippe effectus Sacramentorum ſignificari diximus: hic autem dicimus ſignificari & explicari malitiam & malignitatem peccati, per effectus illius, ſub ſymbolis ſexti ſigilli: quæ enormis & horrenda apparet, ex irriſione remedij à Chriſto inſtituti, ad expellendum peccatum, nempe Sacramenti Pœnitentiæ; quin & ex timoris iudiciorum Dei contemptu, vt poſtea videbimus. Vult namque S. Ioannes profundum Dei conſilium, quo peccata permittit, & abyſſum dulcedinis miſericordiæ ſuæ, cum ea remittit, nobis exponere. Hoc certe melius fieri nequit, quam cum peccati malignitatem, ſecundum omnem ſuam extenſionem explicat, proponendo ſub ſymbolis quaſnam animi ac mentis perturbationes, quaſnam profligationes omnium virtutum, quæ animæ detrimenta afferat peccatum; ad quamnam tandem deſperationem per peccatum deueniant aliquando peccatores, itaut vel irrideant vel negligant ea, quæ eos ad peccati expulſionem vel impellere vel adiuuare valerent.

Hæc ſi clarè dignoſcantur, non modicam admirandi occaſionem menti præbebunt: cum quis perſpiciet Deum, licèt optimum, peccatum permittere, licet ſapientem, illud tolerare; licet iuſtum, illud remittere; & tanta eſſe præditum patientia, vt peccatores non ſtatim puniat, ſed vſque ad tempus ſupplicijs deſtinatum homines expectat, *vt videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum*, ſi agere pœnitentiam voluerint, ſagittas iracundiæ ſuæ abſconſas continendo. Et quia nihil adeo clarè demonſtrat morbum quemdam eſſe incurabilem, quàm cum per remedia exulceratur, & exacerbatur; cum opus ſit vt S. Ioannes (iuxta regulam iam ſæpius inculcatam, qua ſemper loquitur de quacumque re ſibi propoſita) peccati malitiam in ſupremo collocet gradu, qui nullus eſt alius, quàm ſi ſecundum ſe, & ex natura ſua quodammodo fiat itremiſſibilis culpa, licèt Deus ex ſe ſemper ſit paratus & procliuis ad miſericordiam; hìc ſanctus Ioannes non tantùm ob oculos ponit omnia mala quæ à peccato cauſantur, ſub ſymbolis quæ videntur ad apertionem huius ſigilli, ſed etiam peccatum proponit, vt eſt peccatum in Spiritum ſanctum, quo quis eligit deſperatione ductus damnari potius quàm vti remedio à Chriſto inſtituto, ad deletionem peccati, quale eſt Sacramentum Pœnitentiæ: quod quidem fuit inſtitutum, ad reſarcienda omnia detrimenta, quæ nobis obueniunt ratione peccatorum. Hæcque malignitas tantò maior eſſe apparet, quantò meliùs cognoſcitur remedium, ad eam fugandam idoneum, facillimum eſſe & rationi conſonum, ſapienter ordinatum, & ad omnia mala ex peccatis prodeuntia extirpanda efficaciſſimum. Quis igitur cum cognouerit naturam huius remedij, non admirabitur malignitatem peccati, quæ non permittit animas in peccato obduratas eo vti?

Habemus itaque in huius ſigilli apertione medium conuenientiſſimum, quo in admirationem rapiamur, perſpicientes altiſſimum Dei conſilium, dum permittit peccatum, eiuſque bonitatem cum illud parcit. Nam licèt peccatum aliquando tale ſit, vt ex natura ſua indignum reddatur veniâ, nihilominus cum Deus nullum à ſua repellat miſericordia, dum in hac vita quiuis degit peccator, quæcumque peccata ei indulget, ſi remedio à ſe inſtituto vti voluerit, certe hoc non modicam admirandi anſam nobis præbet.

Cum igitur peccati malignitas nunc nobis ſit ob oculos mentis poſita, ex lege contrariorum agnoſcimus exceſſum diuinæ patientiæ, quæ nos ad pœnitentiam expectat, & miſericordiæ Dei, quæ nos tandem poſt multam & congruam expectationem benignè ſuſcipit & amplectitur: perſpicientes maximè tantam patientiam contemni, & tam præſens remedium, quo miſericordia Dei vtitur, vt à nobis peccatum repellat, omnino rejici: videbimus præterea, quod meliorem & commodiorem rationem inire non potuiſſet diuina miſericordia, vt ſuæ magnitudinis ſpecimen nobis daret, quàm ex inſtitutione huius Sacramenti, in quo hominibus poteſtas confertur dimittendi peccata: cuius ſi ſemel vim & efficaciam perſpexerimus, quanta ſit diuina miſericordia optimè dignoſcemus: quæ vt haberet quibus peccata indulgeret, ſummo iure potentiæ ſuæ non vtitur, ſed relinquendo creaturam humanam proprio vti arbitrio, eam permittit in multa incidere peccata, non eam ordinando ad culpam, ſed præſuppoſitâ culpâ liberè commiſſa eam ordinando ad veniam.

Itaque cum S. Ioannes ait: *Et vidi cum aperuiſſet ſigillum ſextum*, idem eſt ac ſi diceret: Res proculdubio miranda. Ecce ſigillum quoddam Deus poſuit in Eccleſia ſua, vt remedium afferret malis & peccatis hominum; quod quidem ſigillum fuit ab agno reſeratum, dum Sacramenti Pœnitentiæ, quo lapſis poſt Baptiſmum, mortis eius beneficium applicatur, nobis naturam expoſuit. At nihilominus licèt remedium iſtud ſit facillimum, & rationi conſonum, homines tamen vano & futili timore ducti illud reſpuunt; imo potiùs quàm illo vti remedio, cuncta mala ſubire non recuſant, iiſque potius opprimi malis, quæ imminent eorum capitibus, quàm ſe offerre ante faciem diuinæ maieſtatis, quæ eos expectat

Digitized by Google

vt pœniteant (eſt enim Deus miſericors pater, qui filiorum ſuorum miſeretur,) quàm ſe offerre ante oculos agni immaculati, qui eorum tollere peccata intendit, coſque dealbare vult in ſanguine ſuo. Quantum igitur miſericors eſt Deus, qui tantam malitiam expiare & abolere peroptat? At quàm profundum eſt & altum ſapientiæ eius conſilium, qui cum homines adeò teneræ diligat, ſicut teſtatur dum remedium præſentiſſimum peccatorum illis offert, permittit tamen aliquando vt quidam in talem deueniant diffidentiam & deſperationem, vt remedium reſpuant, negligant & irrideant?

Et ecce terræ motus factus eſt magnus, &c.

Conuenienti ſymboli ad ſignificandos peccati effectus, vt ex eius malignitate probè cognitâ, videamus quàm admirabile ſit Myſterium, quòd Deus peccata permittat aut patiat.

ANNOTAT. VI.

Quænam mala ex peccatis cauſata per terræ motus ſignificantur. §. 1.

VT huius ſymboli ſignificationem meliùs percipiamus, cauſas, ſigna & effectus terræ motus ob oculos ponere neceſſarium eſt. Cauſatur igitur terræ motus exhalatione ex igne ſubterraneo formata, quæ intra terræ viſcera includitur: ſigna illius motus exhalatione cauſati, ſunt quod approximante tempore in quo fit terræ motus, puteales aquæ ebulliunt, turbantur, & quidam ſulphurei odores exhalari incipiunt: ex eoquod in cauernis ſeu receptaculis ſubterraneis, exhalantur & eiaculantur ſpiritus & venti ſulphurei, ſeu exhalationes ſulphureæ. Loca ſeu regiones, quæ magnam ventorum copiam intra viſcera continere valent, vt plurimùm, his terræ motibus quatiuntur; ratò territoria quæ nullas habent concauitates ſeu voragines, at ſpiſſæ & ſolidæ exiſtunt, verbi gratia terræ arenoſæ, quia nulla habent receptacula, in quibus venti includuntur; ſicut nec vaſtæ terrarum planities, in quibus nullus eminet locus, his motibus concuti non ſolent. Et cum terra motibus agitatur, hoc non fit ſecundum omnem ſui partem, quia tota moueri non poteſt, ſed tantum ſecundum aliquam: nec enim fieri poteſt vt tot ſpiritus aut venti reperiantur incluſi intra terræ viſcera, vt tota commoueri poſſet; ſi hoc fieret, diuinæ potentiæ hoc eſſet aſcribendum. Horrendi proculdubio ſunt effectus motuum terræ: plerumque eorum ſpectatores mortem incurrunt, abſorpti intra viſcera terræ. Idem dicendum de domibus, ciuitatibus, & aliquando de nationibus & regionibus integris; vel enim ex tali ruina opprimuntur, vel etiam tanquam in profundam foueam ita ſepeliuntur & cooperiuntur, vt nullum reſtet veſtigium, quo ſuſpicari poſſit ædificia ibidem fuiſſe conſtructa, vel terram fuiſſe hoc aut illo modo diſpoſitam. Sæpe ſupra ciuitates abſorptas formantur aquæ; ſæpe aquæ aut flumina concauitates terræ ſubeunt, itaut & naues & piſces ſupra terræ ſuperficiem in ſicco conſiſtant; ſæpe montes aut inſulæ in mari formantur; ſæpe flumina loca mutant, alueis ſuis, in quibus ordinariè fluunt, inflatis & ſurſum eleuatis. Calamitates quæ exinde proueniunt enumerari non poſſunt v. g. ſi in alueo fluminum hi ſpiritus incluſi exierint, aquam extra terminos riparum ejicientes, particulare diluuium efficiunt. Si hi ſpiritus venenoſi fuerint, exeuntes aërem corrumpunt & inficiunt, ex quo peſtilentiam particularem, ſaltem in locis in quibus hæc accidunt, ſequi neceſſe eſt; & ſæpè dæmones vtuntur his ſpiritibus, vt homines lædant in corpore, aut ſenſus alienent, & viſionibus decipiant. Lege librũ cui titulus eſt Margarita Philoſophica. Cum igitur dicit S. Ioannes: *Et vidi cum aperuiſſet ſigillum ſextum*, idem eſt ac ſi diceret: Cum probe intellexiſſem ad quid inſtitutum eſſet Sacramentum Pœnitentiæ, nempe vt culpis ac malis mederetur, vidi quantopere illud erat neceſſarium, cum ſub exquiſitis ſymbolis; quanta incommoda afferret peccatum ritè intellexi: quorum primum eſt magnus terræ motus. Peccatum, ô homo, mortiferum ſemel perpetraſti. O quantus terræ motus, quanta rerum omnium perturbatio! viſne videre peccatorem commotum poſt peccatum, & ex commotione quodammodo in terra abſorptum? Perſpice Adamum ad vocem Dei perambulantis in paradiſo timore ingenti perculſum, & ſe abſcondentem. *Vocem tuam*, inquit, *audiui in Paradiſo, & timui: eoquod nudus eſſem; & abſcondi me.* Geneſ. 3. Videſne in Adami timore & abſconſione, terræ motum vehementem, homines in viſceribus terræ recondentem. Peccat Caïn fratricidio horrendo: Nonne vides terram vehementi tremore concuſſam? *Maior eſt*, inquit, *iniquitas mea, quàm vt veniam merear: ecce ejicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar: & ero vagus & profugus in terra.* Geneſ. 4. Ecce terræ commotio ingens. O vtinam commoueretur ad pœnitentiam, ea commotione de qua Pſalmiſta ait: *Commouiſti terram & conturbaſti eam. Quomodo*, inquit S. Auguſt. *conturbata eſt terra, conſcientia peccatorum? quo imus? quo fugimus, quando ille gladius vibratus eſt. Agite pœnitentiam, appropinquauit enim regnum cœlorum? commouiſti terram & conturbaſti eam: ſacra contritiones eius quoniam mota eſt: non digna ſanari ſi mota non eſt; ſed loqueris, prædicas, minaris de Deo venturum iudicium; non taces præceptum Dei, mones ab his rebus, non quieſcis: & qui audis ſi non timet, ſi non mouetur, non eſt dignus ſanari. Audit alius, mouetur, ſtimulatur, pectus tundit, lachrymas fundit; ſana contritiones eius, quia motus eſt.* Ita Aug. O bona commotio, & totis deſideriis proſequenda? Hac enim fit quod addit Aug. *Prior labor vt diſpliceas tibi, vt peccata tua expurges, & muteris in melius; ſecundus labor, pro eo quod mutatus es ferre tribulationes & tentationes huius ſeculi, & inter illas perſeuerare vſque in finem.* Ita Aug. At de hac non loquitur: non eſt illa commotio quam excitat in nobis peccati malignitas, ſed appetituum & paſſionum effrenata quædam & inordinata motio circa illicita, quæ omnem abſorbet pietatem & iuſtitiam; & rationem ita opprimit, vt illius lumen omnino videatur obſcuratum, iuxta illud Apoſtoli: *Obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.* Rom. 1. Illudque Pſalmiſtæ: *Timor & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ.* Pſ. 54. Et cum in pluribus regnat peccatum, non hic aut ille commouetur & turbatur, ſed familiæ, ſed ciuitates, ſed regiones, ſed regna: itaut ſus deque omnia ſubuertantur, quia vnuſquiſque commouetur aduerſum proximum ſuum, *Et irruet populus*, inquit Iſa. c. 3. *vir ad virum, & vnuſquiſque ad proximum ſuum: tumultuabitur puer contra ſenem, & ignobilis contra nobilem.*

At vnde quæſo iſta commotio? Ex igne proculdubio ſulphureo, de quo S. Iacobus c. 1. *Vnuſquiſque vero tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus: deinde concupiſcentia cum conceperit parit peccatum; peccatum vero, cum conſummatum fuerit, generat mortem:* Quam mortem ſequitur totius hominis euerſio. Appetitus quippe inferior omnis rationis vſum ſubuertit, & quidquid iuſtitiam & pietatem redolet euertit, & tanti excitantur motus in interiori ho-

Digitized by Google

mine, vt exterior perturbetur, itaut nihil pacem & tranquillitatem mentis redolens in peccatore, plærumque ſeu vt plurimùm, animaduertatur: adeo vehementer venti ac ſpiritus ſulphurei concupiſcentiarum animum pulſant, dicente S. Iacobo c. 4. *Vnde bella & lites in vobis? Nonne hinc? Ex concupiſcentiis veſtris quæ militant in membris veſtris. Concupiſcitis & non habetis: occiditis & zelatis, & non poteſtis adipiſci: litigatis & belligeratis, & non habetis, propter quod non poſtulatis. Petitis & non accipitis, ex eoquod male petatis, vt in concupiſcentiis veſtris infumatis.* En quot motus excitantur à concupiſcentia deſiderij, odij, inuidiæ, & emulationis, litium, bellorum, deſperationis; non obtentis iis quæ deſiderabamus. Talis ac tanta, per ignem ſulphureum concupiſcentiarum, à peccato excitata commotio repræſentatur ab Angelo, ſub ſymbolo motus terræ vehementis: & rectè. Ex calore ſiquidem proprij amoris excitatur ſpiritus concupiſcentiæ, quo mens pulſetur, agitetur, & ad peccandum impellatur: quo fit vt valde nobis ſit pertimeſcendum, ne animi ac voluntatis in boni electione conſtantia & obfirmatio euertatur (qua ſtatueramus fideliter Dei mandata nos eſſe ſeruaturos) vt concupiſcentiis inſeruiamus: vel ſaltem timendum ne dum exiſtimamus noſtra diſcrimen aliquod pati ex alieno profectu, & dum affligimur & variis oburimur infauſtis caſibus, & alij proſpere agunt; calore proprij amoris inflammati amoueamur ab ea animi ſubiectione, ſeu ſubordinatione, quam habere debemus erga Diuinam Prouidentiam cuncta rectè diſpenſantem. *Nam*, vt ait S. Iacobus c. 3. *Vbi zelus & contentio, ibi inconſtantia & omne opus prauum.* Hoc calore ſpiritus Propheta Dauid aliquando accenſus, fatetur ſe ita commotum fuiſſe, vt fere recederet à recta mandatorum Dei ſemita: *Mei*, inquit, *pene moti ſunt pedes, pene effuſi ſunt greſſus mei, pacem peccatorum videns.*

Quantæ autem calamitates exinde proueniunt, ex hoc ſymbolo odorare poſſumus. Mors animæ incurritur, dum abſorbetur in voraginem peccatorum, à qua vix ac ne vix emergere queat peccator. Mens quæ regere deberet, à ſenſibus illuditur: voluntas captiua redditur; appetitus inferior ſuperiori præponitur; caro quæ ancillari deberet, dominatur: in terrenis affectibus lumen rationis & omnes mentis illuſtrationes abſconduntur; omnes bonæ voluntatis affectus, ſeu ad bonum propenſiones opprimuntur: in ſuperbiam nimiam erigimur, & ſubleuamur: ſuperbia quippe eorum qui Deum oderunt aſcendit ſemper. Pſ. 73. *Vir vanus in ſuperbiam erigitur.* Iob. c. 11. Vt montes à terræ motibus exſurgunt, vel inſulæ à terra continenti ſeparantur, ita ſuperbi eriguntur; fiunt ſteriles inſulæ, vndequaque fluctibus feri maris contuſæ, & ab iis qui Dei timore concutiuntur, vitâ, moribus, doctrinâ, actionibus ſeparatæ; & mutata facie, qui olim fuerant cœlo digni, præcipites aguntur in abyſſum vitiorum, & profundas inferni voragines: fit diluuium vitiorum per mala exempla. Schiſmata, bella, hæreſes, rebelliones ac diſſenſiones, diſceſſiones & defectiones à legitima poteſtate exoriuntur, & quaſi peſtilentiæ omnia deuaſtantes, vitia graſſantur.

Hæc ſunt quæ per peccatum, homini è paradiſo electo in terram laboris & ſudoris obueniunt: dum felicem ſtatum, quo potiebatur, propter vehementem terræ motum, in miſeram vitam, fame, ſiti, morbis, ac morte etiam corporali vexandam commutauit: à quibus malis eximi tandem non poſſit, niſi per contritionem, & pœnitentiam, de qua Pſ. 59. *Deus repuliſti nos*, ſcilicet cum peccauimus: *& deſtruxiſti nos*, cum per derelictionem gratiæ, omnem incurrimus miſeriam: *iratus es*, dum nos ad pœnitentiam cogis: *& miſertus es nobis*, dum propter pœnitentiam delicta ignoſcis: *commouiſti terram & conturbaſti eam*, dum calore ſpiritus tui nobis cordis contritionem indidiſti: *ſana contritiones eius*, donando pacem animi: *quia commota eſt*, & in alium vitum peccator mutatus eſt, propter propoſitum in poſterum non peccandi: in hoc propoſito *oſtendiſti populo tuo dura*; propter enim verba labiorum tuorum cuſtodiendæ veniunt viæ duræ; ſed *potaſti nos vino compunctionis*, dum ſecundum multitudinem dolorum, conſolationes tuæ lætificauerunt animas noſtras, vt ait Pſ. 93. O ſalutaris terræ motus! qui tamen hîc non intelligitur, ſed totius hominis interioris perturbatio, & actionum exteriorum omnimoda inordinatio. Sequitur alius peccati effectus, per ſolis denigrationem deſignatus.

Et ſol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus;

Mentis obſcuratio ex peccato proueniens. §. 2.

Optimè Pſalmiſta, poſtquam dixit: *Timor & tremor venerunt ſuper me*, addit: *& contexerunt me tenebræ.* Nam ſtatim atque turbatur homo interior ex peccato commiſſo, eodem momento ſubeunt mentis tenebræ, vt quid agat, aut quo ſe vertat peccator ignoret. Hoc fatentur ipſi peccatores Sap. 5. *Ergo errauimus à via veritatis, & iuſtitia lumen non luxit, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis.* Vnde poſtea dicunt ſua malignitate ſe eſſe conſumptos. Et Iſa. 59. hic effectus peccati dilucidè exprimitur, dum poſt multos ſimiles effectus peccatorum, vt eſt à Deo ſeparatio, ab omni iuſtitia & iudicio, voluntatis alienatio, actionum peccantium peſtilens & alios inficiens corruptio, operum vanitas & inutilitas, ad mala omnia perpetranda præceps & prompta deliberatio, pacis ignoratio, tandem ait in perſona peccantium; *Propter hoc elongatum eſt iudicium à nobis, & non apprehendet nos iuſtitia: expectauimus lucem & ecce tenebræ, ſplendorem, & in tenebris ambulauimus: palpauimus ſicut cæci parietem, & quaſi abſque oculis attrectauimus, impegimus meridie quaſi in tenebris, in caliginoſis quaſi mortui.* Ecce ex Iſaia ſol factus niger, nempe mens humana obſcurata. Quod enim eſt in hoc mundo ſenſibili ſol, hoc intellectus in microcoſmo, ſeu homine. Vnde ſicut ſi contingeret ſolem cooperiri ſacco nigri coloris & ſpiſſo, ipſe nullum radium emitteret, ſurſum aut deorſum, dextrorſum aut ſiniſtrorſum, nec ante nec retrò, ſed lux illius quaſi incluſa in ſacco illo, abſque vlla ſui diffuſione remaneret; ita animæ hominis contigit, ſiue ratione peccati originalis, ſiue peccati actualis: perculſa quippe natura humana per peccatum ignorantiæ plagâ, nec rerum cæleſtium, nec ſui ipſius, nec mercedis & retributionis æternæ, ad quam tendat, nec pœnarum, ac ſuppliciorum quæ pro peccatis imminent, nec præteritorum nec futurorum recordatur: operitur ignorantia tanquam ſacco cilicino. Optimè autem hanc omnium rerum ignorantiam deſcribere volens S. Ioannes, non dixit ſolem ſuum deperdidiſſe lumen, ſed tantum impediri ne lucis radios extra ſe diffundat: etenim ex peccato non eſt abſolutè mens humana priuata lumine, remanent principia conſtitutiua naturæ humanæ, & proprietates omnes ex his principiis emanantes, vt ſunt facultates intellectiuæ, & aliæ plærumque, quæ poſt peccatum non deperduntur; nihilominus præter amiſſionem iuſtitiæ originalis per peccatum originale, aut gratiæ per peccatum actuale mortiferum, valde impeditur naturalis hominis inclinatio,

quæ

quæ ineſt in homine ad virtutem: quo fit vt mens quantum ad ipſam attinet, ſpolietur conuenienti ordine ad proprium obiectum, nempe veritatem, nec liberè quodammodo agat, ſed quaſi quibuſdam obuoluitur tenebris cæcitatis & ignorantiæ, quæ obueniunt ex eoquod homo animalis & terrenus, cum multoties & repetitis actionibus, continuò in peccatum prorumpat; tot ſe implicat obſtaculis, & offundit tenebris, vt licet radicaliter remaneat in eius mente quædam propenſio & inclinatio ad verum proſequendum, tamen illud attingere nequeat, ex eoquod implicitus, & obuolutus tenebris ignorantiæ, radios ratiocinationis elicere non poſſit: ſicut ſol extrà non emitteret radios, ſi ſacco cilicino eſſet inuolutus. Nam ſicut corpus diaphanum ex ſe aptitudinem quamdam obtinet ad luminis ſuſceptionem quæ impeditur & detrimentum patitur, ſi vaporibus condenſatis, & conglomeratis repleatur, licèt in ſe remaneat radicaliter talis ad luminis ſuſceptionem aptitudo; pari ratione mens humana veritatis ſuſceptiua remanet; accumulatione tamen peccatorum & vitiorum hebes redditur, vt quæ rectè agere aut intendere debeat minimè percipiat. Vnde propter peccatorum multiplicationem innumeram, ante aduentum Chriſti, dixit Iſaias: *Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos.* Nec abſque cauſa ſol dicitur non nube, ſed ſacco cilicino contegi, vt melius inculcaret mentem noſtram ad talem ſtatum redigi, vt proprium obiectum contemplari non poſſit, alibi diſtracta, quaſi quibuſdam vinculis detenta; nec veritates diuinas ſeu ſupernaturales, nec connaturales rationi conſonas aprehendit, circa res ſenſibiles, ac ſenſuum delectationes occupata: impietas ſiquidem & iniuſtitia eam ita alligat, & adſtrictum retinet lumen vultus Dei, quo ſignata fuit in creatione, quo poteſt veritatem aprehendere, vt in actum prodire non valeat. Hoc ſignificatur per cilicium, quo ſol indui dicitur. Eſt quidem cilicium aliquod indumentum ex pilis hædorum aut caprarum confectum: hædus autem ſymbolum eſt, in ſcriptura, hominum reproborum, qui ponuntur, à ſiniſtris, in quibus potiſſimum verum eſſe apparet quod dicitur Gen. 6. *Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt.* Et rurſus: *Videns autem Deus quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem feciſſet in terra.* Pili autem ſeu capilli ſignificant cogitationes, è mente, tanquam pili ex carne & pelle emanantes. Cum igitur mens dicitur inuoluta ſacco cilicino, idem eſt ac ſi diceretur, inuoluta tenebris & ignorantiâ, ex cogitationibus & determinationibus carnalibus & terrenis, cauſatis. Alium peccati effectum videamus ſub alio ſymbolo deſignatum, vt meliùs eius malignitatem concipiamus.

A

B

C

D

E

Et Luna tota facta eſt ſicut ſanguis.

Malignitas peccati dignoſcitur, ex corruptione rectitudinis & ſyncerit atis intentionum voluntatis. §. 3.

Luna optimum ſymbolum eſt quo voluntas humana adumbrari poſſit: nam ſicut Luna à ſole lumen ſuum recipit, velocem habet motum, itaut duodecies, per anni circulum, à ſole diſjuncta ipſi coniungatur; Et ſicut Luna mutatur ſæpiùs in varias formas, ita voluntas humana ab intellectu lumen ſuſcipit; nihil eſt enim volitum, quin ſit præcognitum, quo fit vt indigeat coniunctione quadam & approximatione ad intellectum, vt progreſſus ſuos faciat in proſecutione & conſecutione boni, & ad illud, firmâ adhæſione, ſæpius, ac reiteratis vicibus ad dictamen rationis, recurrens; vt vires reſumat, quæ corruptione concupiſcentiarum plurimum detrimenti paterentur, niſi lumini rationis adhærens & conſentiens, propoſitum ſuum in bono obſtirmaret, nouis quibuſdam cum ſole coniunctionibus ſeu determinationibus, ad bonum eligendum & proſequendum: dum intellectus ſuum curſum perficit, transformatus *de claritate in claritatem tanquam à Domini ſpiritu* agitatus & colluſtratus, donec videat Deum deorum in Sion: cuius viſio finis eſt & terminus totius curſus vitæ præſentis. Hac igitur ratione, nempe cùm ſole coniunctionis Lunæ, ipſa ſymbolum eſt idoneum voluntatis humanæ: Cuius etiam libera electio mediorum ad finem intentum, vt modo hoc velit, modo illud rejiciat, in diuerſis Lunæ mutationibus deſignatur. Denique ſi Luna ab Ægyptiis antiquitus mater vniuerſi nuncupabatur, quæ bonis ex coniunctione cum ſole quodammodo fæcundata, ea in loca inferiora tranſmittebat, cum fæcunda redderet generationum principia, pari ratione voluntas ex lumine & irradiationibus intellectus quodammodo fæcunda redditur, vnde opera noſtra, quæ foris eduntur, bona aut mala redduntur, ſecùdum quod determinatur ex rationis præſcripto: nulla etenim actio noſtra meritoria aut demeritoria eſt, niſi quæ perficitur cum plena & perfecta mentis ac voluntatis libertate & determinatione. Hoc præſuppoſito quod Luna verum ſit ſymbolum voluntatis humanæ, quid vult S. Ioannes in voluntate deſignare, cum Lunam eius ſymbolum dicit totum factum eſſe ad modum ſanguinis? Et reuera reperio apud Olaum Magnum, in regione quæ dicitur Biarmia, Lunam ſemper videri quaſi colore quodam igneo perfuſam, aut veluti carbonem ardentem apparere: At nihilominus ſemper lumen & claritatem ſeruat. Legitur etiam anno 1499. circa veſperam, Lunam candidum colorem in nigredinem commutaſſe, & poſtea apparuit quaſi in duas partes diuiſam, & vtraque pars viſa fuit quaſi ſaliens, & ab inuicem recedendo in ſublime ferri; inſuper vtraque rubicundo colore infecta, aut ſaltem maculis rubeis aſperſa, coniunctæ ſimul diſparuerunt; quo ſymbolo tunc cenſuerunt fuiſſe quoddam prodigium, rebelliones contra Regem Romanorum prædicens, conſpiratione facta ab ipſis vt ab eo deficerent, & contra eum bellum redintegrarent, vt notat Ioannes Ionſtonus in Thaumaturgia naturali c. 6. de admirandis cœli. ar. 2.

Dico igitur hunc colorem ſanguineum in voluntate deſignare hanc voluntatis, peruerſitatem, qua in malum prona & procliuis, nihil aliud ſpirat quàm quæ carnem & ſanguinem redolent: de qua peruerſitate dicitur; *Caro & ſanguis Regnum Dei non poſſidebunt*, qua à Deo deficit, contra Regem Regum & Dominum Dominantium arma ſumit, bellum redintegrat, & inſtaurat iam à Satana inceptum, dum olim dixit: *Aſcendam, & ero ſimilis altiſſimo.* Et voluntas noſtra fœdus init cum Diabolo, mundo, & carne, vt contra Deum eleuetur Concupiſcentiâ quippe carnis, voluntas ita transformatur in omnia quæ carni amica ſunt, vt nihil ſapiat, nihil velit aut deſideret, quàm quæ carni grata ſunt; qua ratione ita maligna, & in malum obdurata euadit, vt omnem ordinem verſus iuſtitiam aut rectitudinem circa bonum amittat; nec enim ad id quod iuſtum eſt aliquali ſeu tantillo fertur deſiderio, carnalibus deſideriis oppleta, & delectationibus ſenſuum occupata, aut malignitate adeo peruerſa, vt de peccatis glorietur, in eorum numerum redacta de quibus dicitur Prouerb. 2. *Qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas, qui lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis, quorum via*

Digitized by Google

peruerſæ ſunt & infames greſſus eorum. Ecce quomodo Luna, id eſt mobilis voluntas noſtra, ſit tota ſicut ſanguis: vnde alius ſequitur malignus peccati effectus, per ſymbolum ſequens deſignatus.

Et ſtellæ de cœlo ceciderunt ſuper terram, ſicut ficus emittit groſſos ſuos cum à vento mouetur.

Facillimus eſt in alia peccata & ſcelera lapſus, ſi ſemel in graue aliquod peccatum inciderimus, quod quidem eſt alius malignitatis peccatorum effectus. §. 4.

Corde humano omnimode ad malum intento, alterius malignitatis peccati mirandus non eſt effectus, nempe quod ſi ſemel mens peccato infecta fuerit, nec citò ab eo ſe auerterit, ſed potiùs per reiterationem actus, generetur in nobis habitus vitioſus, quaſi quædam arbor radicatus; Deus bone! Quot exinde prodibunt peccaminoſi actus? Nemo eos dinumerare poterit. Hoc ſignificare voluit S. Ioannes, cum dixit vidiſſe ſtellas de cœlo cadentes, *ſicut ficus emittit groſſos ſuos cum à vento mouetur.* Notitiæ acquiſitæ in mente quaſi quædam ſunt ſtellæ, ipſam colluſtrantes; & ſicut ſtellis fixis cœlum ornatur, ita & his colluſtrationibus mens noſtra ditatur & decoratur. At ſi peccatum inſoderit longiuſculè, ita debilitatur mentis vigor, vt à minima tentatione commoti facilè ad alia peccata impellamur: facultas quippe iraſcibilis per peccatum priuatur ordine debito verſus bonum arduum & difficile, vnde malo occurrenti reſiſtere viriliter non poteſt. Intellectus obſcuratur, voluntas decipitur, & concupiſcibilis facultas extra limites ordinis (quem circa delectabilia ſeruare deberet, eorũ vſu per rationis directionem moderato) præceps fertur, tãquam equus indomitus & effrenatus verſus voluptates, quidquid præcipiat creator benevolus & potens: quo fit vt ſi iuſtus ſepties cadat in leues quaſdam culpas, homo carnalis & terrenus tantopere multiplicat ſcelera abominanda, vt meritò ex hac defectione tot actuum, dicat S. Ioannes ſe vidiſſe ſtellas de cœlo cadentes. Etenim ſi viderentur Cometæ igneæ multiplices tanquam ſtellæ è cœlo cadere, adeo condenſæ, ac ſi ficus adhuc viridesexcuterentur ex arbore, vt ac violentia ventorum, diceres ſtellas è cœlo cadere, quamuis non veræ ſtellæ, quia fixæ remanent ſemper cœlo inhærentes, ſed tantum quædam terreſtres exhalationes propter terreſtrem materiam tandem in inferiora relaberentur; pari ratione dicimus quod actuales notitiæ, quibus mens decoratur, & animi noſtri applicationes & intentiones circa veritatis cognitionem, quaſi decidunt, dum in culpas multiplices labimur, prout à tentatione impellimur, aut ſollicitamur: ſunt namque veluti ſtellæ cadentes, ſiue cum mens, quæ optime nouit per vniuerſalem congnitionem aliquid eſſe malum, non iudicat in particulari actionem eſſe malam: quo fit vt illam actionem perpetrare non refugiat, dum voluntas in ſua electione minimè adhæret ſcientiæ vniuerſali rationis ſpeculatiuæ, ſed in praxi eligit quod ſenſum delectat: ſiue quia quamuis intellectus percipiat actionem, etiam in particulari, eſſe malam, nec faciendam, nihilominus alibi diſtractus per incogitantiam & inconſiderationem, voluntatem ſinat in peccatum incidere: hæ actiones ſunt veluti ſtellæ cadentes, id eſt, cadunt mentis noſtræ applicationes à contemplatione ſui obiecti, & ab eo quodammodo mens decidit, dum multiplices culpas committunt quotidie homines, in quibus peccatum dominatur.

At optimè illæ actiones humanæ, quæ non producuntur ex matura deliberatione, & iudicio perfecto, & debita rectitudine voluntatis, comparantur viridibus ficubus. Etenim ficus in ſcriptura videntur eſſe ſymbolæ bonarum & laudabilium actionum cum ad maturitatem peruenerint; quod quidem conjicimus ex parabola ficus plantatæ in vinea, & alterius ficus cui Chriſtus maledixit, dum eam abſque fructu inuenit, vt oſtenderet ſynagogam ſe eſſe repudiaturum, quia in ea fructum bonum operum non inuenerat, & regnum Dei transferendum fore in gentes, quæ fructum afferrent. Illæ igitur actiones, abſque optima deliberatione excuſſæ & elicitæ, ficus ſunt virides, non maturæ actionum laudabilium; & in hæc peccata incidunt homines, in quibus regnat peccatum; quia adeo malo ſunt plærumque aſſueti, vt minimè ponderent quid cogitent, quid loquantur, quid agant; & nihilominus peccant, quia attendere deberent ad id quod cogitant, agunt, aut loquuntur. Sed hi qui ſeruiunt iniquitati, ſalutis curam negligentes, quidquid tentatio ſuggerit perficiunt intrepidè, nec adeo ſpiſsè & condensè ficus ex arbore excutiantur vi ventorum, vt ſæpiuſculè homines, ex mala applicatione notitiarum, quibus eorum mens imbuta eſt, & ex incogitantia & inconſiderationæ, in diuerſa peccata incidunt: ex qua multitudine peccatorum, fit vt alium etiam malignitatis effectum peccati experiantur, nempe omnimodam rerum diuinam oblationem.

Et cœlum receſſit ſicut liber inuolutus.

Oblitio diuinorum, pernicioſus malignitatis peccati effectus. §. 5.

Cum audio Prophetam dicentem: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum*, video cœlum librum eſſe in quo legere poſſumus miranda Dei opera: video nos ad cognitionem potentiæ, & ſapientiæ eius proiecti poſſe, ſi oculos mentis applicuerimus contemplationi figuræ, immenſitatis, motuum & influxuum cælorum, cæcus eſt proculdubio qui autoris maieſtatem ex tam mirabili opere non odoratur. At quid operatur peccatum in nobis attende. Perſpicies tantæ eſſe malignitatis, vt veritates etiam notiores, apud nos exiſtant, ac ſi eſſent in aliquo libro clauſo & ſignato deſcriptæ; eas intueri, aut circa eas mentem verſari impoſſibile eſt, propter peccatum eam inficiens; potius veritas aperta oppugnatur, quàm ſyncerè ei adhæreamus.

2. Cœlum dicitur propter peccatum recedere, ad modum membranæ in qua aliquid eſſet exaratum, ſed quia inuoluta eſſet, legi non valeret, ex eoquod per peccatum anima à cognitione diuinorum iudiciorum abſtrahitur, nullam à Deo expectat mercedem, nec eius timet ſupplicia, iuxta illud Sap. 2. *Et neſcierunt Sacramenta Dei, neque mercedem ſperauerunt iuſtitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum ſanctarum.*

3. Cœlum dicitur recedere, ſicut liber inuolutus, à peccatoribus, propter ſubtractionem gratiarum & luminis à Deo infuſi, & bonarum inſpirationum ſanctorum Angelorum, omniumque diuinorum auxiliorum. Hæc enim omnia aliquando ſubtrahuntur, propter multiplicitatem peccatorum. Vnde Dionyſ. Carthuſ. apud Cornelium. *Non patebit vlli deinceps aditus in cœlum.* Denique vt olim in punitionem temporalium trangreſſionum præceptorum Dei, Moyſes hac maledictione vſus eſt: *Sit cœlum quod ſuprà te eſt æneum: det Dominus imbrem terræ tuæ pulueren, & de cœlo deſcendas ſupra te cinis donec conteraris.* Deut. 28. Ita dicere poſſumus, multiplicatione peccatorum Deum deſideriis noſtris inexora-

Digitized by Google

bilem reddi, & vice imbrium & roris gratiarum & A conſolationum, permittit nos opprimi curis & ſollicitudinibus huius ſeculi, & anxio timore mortis, aliiſque anguſtiis vexari.

Et omnis mons & inſulæ de locis ſuis motæ ſunt.

Alius malignitatis peccati effectus, rerum naturalium perturbatio, in punitionem peccatorum. §. 6.

Quàm triſtis eſſet totius vniuerſi facies, ſi ſol nullum ex ſe emitteret ſplendorem, ac ſi ſacco quodam ex pilis caprarum contexto, valde condenſo & ſpiſſo cooperiretur? Quonam horrore concuterentur mortalium mentes, ſi luna candidiſſimum B lumen in ſanguineum colorem commutaretur? Quo timore eſſent perculſi, ſi ſtellas viderent & è cœlo condenſe detrahi, & in terram decidere, ac ſi ficus vi & violentia ventorum ab arboribus excuterentur? Qua admiratione extra ſe raperentur, ſi cœlorum motus ita perturbatos agnoſcerent, vt nec annorum, nec temporum, nec viciſſitudines dierum aut motuum ſibi ſuccedentium, vlla ratio haberi poſſet, quæ nunc cum tanto progrediuntur ordine, vt nihil iucundius, nec admiratione dignius menti ſe offerat contemplandum, in hac rerum viſibilium molitione; quòd ſi inſuper ſub pedibus noſtris montes tremerent ac mouerentur; ſi inſulæ in medio maris viderentur locum, in quo conſiſterent, inquirete; in quo, oro, ſtatu diffidentiæ redigerentur mortales? quodnam ſperare poſſint ſecurum refugium, in totâ huius orbis machina, ſi in mari inſulæ ſubtraherentur, in continenti terra, montes è ſuis locis dimouerentur?

Quod ſi in tanta rerum perturbatione, homines viderentur ſuum auxilium ac refugium conquirere in his, quæ ruinam minitantur manifeſtam, verbi gratia, recurrendo ad ſpeluncas & cauernas montium, qui pro eo temporis articulo mouerentur, & ita quaterentur motu terræ vehementi, vt huc & illuc voluerentur, quis non diceret eos mentem & omne conſilium perdidiſſe? Hoc tamen faciunt & Reges, & Principes, & Tribuni & diuites, & fortes, & ſerui & liberi, qui omnes nullum ſe ſperare ſolatium demonſtrant ex autoritate, dignitate, prudentia, diuitiis, fortitudine, aut conditione, qua pollent, eo ipſo quo videntur ad montes volubiles confugere; cuius deſperationis clariſſimum præbent teſtimonium, cum dicunt montibus & petris: *Cadite ſuper nos*, veluti qui in hac rerum tam horrenda facie & perturbatione, potiùs eligant mori, quàm tantis oppreſſos calamitatibus vitam anxietatibus plenam ducere.

Hæc autem ſunt quæ Deus ordinat in punitionem peccatorum: itaut ſicut hi, de quibus dicitur Pſ. 106. *Qui deſcendant mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis*, dum ſpiritus procellarum E ſtat conſtantiſſimè & continuò ſufflans, quo fit vt exaltentur fluctus maris, & aſcendant vſque ad cœlos, & deſcendant vſque ad abyſſos, tunc enim anima eorum in malis tabeſcit, tunc turbantur & mouentur ſicut ebrij, & omnis eorum ſapientia deuoratur; pari ratione cum Deus peccata ſuppliciis proſequitur, ita aliquando turbantur mortalium mentes, vt deſtituti conſilio, ea potius eligant, quæ ipſis erant pernicioſa, quàm aliquod ſalubre conſilium cupiant, quo talia poſſint euadere pericula. Huius terroris & deſperationis habemus exemplum 1. Regum 13. Vbi dicitur quod cum Philiſtiim congregati fuiſſent ad præliandum contra Iſrael, triginta millia curruum, & ſex millia equitum, & reliquum vulgus ſicut arena, quæ eſt in littore maris, tunc ita timore perculſi ſunt filij Iſrael vt abſconderent ſe in ſpeluncis. *Quod cum*, inquit ſcriptura, *vidiſſent filij Iſrael ſe in arcto poſitos (afflictus enim erat populus) abſconderunt ſe in ſpeluncis & in abditis, & in petris quoque & in antris, & in ciſternis.* Igitur non ſolum myſticè quæ ad apertionem huius ſigilli videntur, intelligi poſſunt, ſed etiam prout litera ſonat; quæ cum ſint mala horrenda ex peccato cauſata, & à Deo inflicta, manifeſtum eſt ingentem eſſe peccati malignitatem, ex qua tanta mala exoriuntur, itaque ſenſum mox afferendum dare nobis liceat iis, quæ à S. Ioanne videntur in apertione ſexti ſigilli.

Et vidi cum aperuiſſet ſigillum ſextum; Ac ſi diceret; Cum agnus ſatis oſtendiſſet quanam prouidentia vigilaret ſupra hominum ſalutem, cum eis prouidiſſet de efficaci remedio ad omnia peccata eliminanda, nempe Pœnitentiæ Sacramento, tunc animaduerti, ex eoquod mortales ad illud recurrere negligerent, fugientes ea quæ ipſis ſunt præſtanda, vt dignos facerent pœnitentiæ fructus, Deum vniuerſum orbem, ſeu omnem creaturam armare contra inſenſatos. Multa quippe quæ homines euenire fortuitò plærumque exiſtimant, ex ſapientiſſima ordinatione ſua producit in rerum natura, ingrata hominibus, & quæ tolerati aut experiri non poſſunt abſque ingenti moleſtia, graui animi anguſtia, vt eos admoneat ſeueritatis iudiciorum ſuorum; & C quomodo in æternum peccatores puniendi ſunt, cum & in hac vita eos tantis proſequetur pœnis. Hoc didici ex motibus terræ, qui cum multos opprimant dum eueniunt, clamant cæteris mortalibus; *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.* Hos terræ motus præuidet S. Ioannes, cum ait: *Et ecce terræ motus factus eſt magnus*; quo etiam ſymbolo poſſunt præſignari bella, ſeditiones, ſchiſmata, hæreſes, quibus plurimum mundus politicus turbari & commoueri poteſt. Pari ratione prædicit Eclypſes ſolis, quo lumen ſolis offuſcatur, & inferior orbis benigna recreatione ſui luminis priuatur; quibus etiam plurimi infauſti euentus aliquando cauſantur, aut ſaltem deſignantur, vt ſunt morbi, peſtilentiæ, D mortes principum, & alij ſimiles euentus; aut ignorantia craſſa eorum quæ ad ſalutem pertinent, dum Chriſtus, qui ſol eſt iuſtitiæ, ſubtrahit ab hominibus adminiſtrationem verbi ſui, quo illuminari poſſunt mentes hominum. Hinc ait S. Ioannes: *Et ſol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus.* Dum enim homines per carnales affectus, hædis ſimiles euadunt, *quia animalis homo non percipit quæ Dei ſunt*, ſubtractionem diuini verbi demerentur. Deinde prædicit S. Ioannes Lunæ Eclypſes, aut ſaltem luminis lunaris influxus benigni ſubtractionem, per interpoſitionem nubium condenſatarum, in quibus recipiatur impreſſio radiorum luminis lunaris, itaut exinde rubra tanquam ſanguis appareat. *Et Luna facta eſt ſicut ſanguis.* Ex quo & venti omnia ſubuertentes, & alij euentus moleſti proueniunt, & eo ſymbolo homicidia, & varij tumultus ex nimia ambitione, quin & adulteria, & carnis vitia & peccata abominanda (quæ per ſanguinem in ſcriptura deſignantur, *libera me de ſanguinibus*. ait Dauid) ſignificari poſſunt, qualia depingit S. Paulus Rom. 1. maſculi in maſculos turpitudinem operantes.

Rurſus prædicit mortem plurimorum immaturam, per peſtes & bella & fames, & inductionem multorum in varios errores, dum ait: *Et ſtellæ de cælo ceciderunt ſuper terram, ſicut ficus emittit groſſos ſuos dum à vento magno mouetur.* Hoc enim ſymbolo, & immatura mors iuuenum, quacumque ratione eueniat, & in varios errores lapſus, optimè deſignantur. Poteſt etiam fieri vt ſtellæ dicantur cadere;

242

propter subtractionem irradiationis ipsorum, per nebulas interpositas; siue quia Deus producit cometas aut ignes volantes, seu alia meteora ignea, quæ aliquid mali causare valeant aut portendant.

Dicendum insuper ex perturbatione temporum, aut motus cœli extraordinaria dispositione, (vt factum fuit dum præcipiente Iosue, sol stetit contra Gabaon: & dum Christus Dominus mortem passus est in cruce: quo tempore Eclypsis illa insignis extitit, quæ sanctum Dionysium Areopagitam adhuc Gentilem in profundam euexit admirationem) aliquando cœlum dici posse recedere ad modum libri inuoluti, quia tunc Astrologi causam nequeunt dare talium euentuum, qui extraordinariè per Dei summam sapientiam ordinantur, ad manifestationem suæ potentiæ, & dominij quod obtinet in omnes creaturas; vel quia cum aër est nebulosus, nequeunt astrologi aliquid ex inspectione astrorum & stellarum coniectare, ex his quæ ex eorum inspectione conjici possunt, quod non absque molestia homines pati possunt. Adde quod etiam per huiusmodi extraordinarias cælorum dispositiones, possunt significari & portendi multa incommoda, & ex talibus impedimentis, quibus inspectio astrorum impeditur, subtractio cognitionis rerum ad salutem necessariarum potest optimè designari, vt meritò S. Ioannes dicat cælum recessisse sicut librum inuolutum.

Addit S. Ioannes: *Et insula de locis suis motæ sunt.* Experientia docuit aliquando extitisse quasdam insulas, quæ fluctuarent, & de locis suis mouerentur, & aliquando etiam montes defluxisse, & in planitiem eorum sublimitatem fuisse detractam, vt videre est apud Plinium l. 2. c. 83. & cap. 95. Quo symbolo mutationes dignitatum, Ecclesiarum particularium transmigrationes possunt designari, iuxta illud: *Mouebo candelabrum tuum de loco suo,* dum *de gente in gentem regna transferuntur propter iniustitias*; aut adimpletur illud Christi Domini; *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus illius,* seruanti doctrinam & præcepta quæ in Ecclesia militante, quæ regnum Dei est, datur sequenda & seruanda fidelibus. Denique prophetizat S. Ioannes quod etiam prophetauit Esaias c. 3. *Ecce enim Dominator Dominus exercituum auferet à Ierusalem, & à Iuda validum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ: fortem, & virum bellatorem, iudicem, & Prophetam, & Ariolum & Senem, Principem super quinquaginta, & honorabilem vultu, & consiliarum & sapientem de architectis, & prudentem eloqui mystici. Et dabo pueros principes eorum, & effeminati dominabuntur eis*; dum S. Ioannes introducit hîc Reges terræ, & Principes, & Tribunos, & diues, & fortes, & omnes seruos, & libertate gaudentes, ita vecordes & consilij inopes, vt abscondant se in speluncis & petris montium, licèt timere deberent, ne his opprimerentur, cum montes volui & reuolui videant ex terræ motibus, imo ita desperatos vt mortem oppetant & exoptent, dicentes montibus & petris. *Cadite super nos.* Hæc proculdubio clarè demonstrant, quanta sit malignitas peccati, quæ tanta detrimenta interius & exterius hominibus afferat: sed nihil adeo clarè illam manifestat, quàm si expendamus rationem propter quam, reges, principes, tribuni & cæteri, qui pollent autoritate, dignitate, consilio, diuitiis, fortitudine, cuiuscumque sint conditionis, serui aut liberi, in tantam desperationem inducuntur, vt fugiant remedium quo tantis malis occurrere possent, & ea à capitibus suis auertere; si videlicet ad Deum recurrerent, & eius implorarent clementiam, eos imitantes de quibus dicitur, quod cum essent in malis tabescentes, & essent omnis consilij expertes, *clamauerunt ad Dominum cum tribularentur*: Vnde Deus *de necessitatibus eorum eduxit eos, & statuit procellam eius in auram, & siluerunt fluctus eius, & lætati sunt, quia siluerunt, & deduxit eos in portum voluntatis eorum.* Si hoc præstarent, hi qui nunc dicunt montibus & petris: *cadite super nos,* Dei misericordiam experirentur. Sed heu prodigiosa peccati malignitas! nam quia remedium respuunt, & abhorrent, quo possent ab iis eximi malis, pereunt miseri & in peccatis suis moriuntur: *Et dicunt montibus & petris: cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super Thronum, & ab ira agni: quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, & quis poterit stare?*

Quodnam sit remedium, quo à nobis supplicia amouerentur, si eo vteremur; ex cuius contemptu apparet quanta sit peccati malignitas, quæ adeò occupat hominum mentes, vt illud remedium malorum suorum contemnere velint.

ANNOTAT.

Ira agni remedium illud designat. §. 1.

LEGE Euangelium: non occurret Christum Dominum iracundiâ fuisse commotum, nisi tantum duabus vicibus, quas narrat Euangelista Marcus: primo, dum sanauit hominem habentem manum aridam, propter malignitatem cordis eorum, qui scandalizabantur ineptè, quòd infirmos Sabbatis curaret; & qui proinde occasionem captare volebant eum accusandi, & in crimen adducendi, quibus dicebat: *Licet Sabbatis benefacere, an malè? Animam saluam facere aut perdere?* Ipsis vero tacentibus, nihilque dicere habentibus, ipse circumspiciens omnes qui aderant cum irâ, *Contristatus super cæcitate cordis eorum, dixit homini habenti manum aridam: Extende manum tuam, & sanauit eum, restituta quippe est manus eius in pristinum sanitatis statum.* Alia vice etiam eum iracundia fuisse commotum video, nempe cum dicebant scribæ: *In principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Probabile est enim hac blasphemia fuisse ira commotum, vnde postea dixit: *Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata & blasphemiæ, quibus blasphemauerint. Qui autem blasphemauerit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti. Quoniam dicebant spiritum immundum habet.* Marci 3. Patet coniectura quod hac vice iratus fuerit, ex his quæ narrat idem Euangelista antea: *Et cum audissent,* inquit, *sui exierunt tenere eum, dicebant enim, Quoniam in furorem versus est; Et scribæ, qui ab Hierosolymis descenderant, dicebant, Quoniam Beelzebub habet, & quia in principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Illud enim (Et) exponendum est per particulam (quia,) ac si diceret, *Quoniam in furorem versus est,* quia *scribæ qui descenderant ab Hierosolymis dicebant, Quoniam Beelzebub habet,* &c. Quod cum natratum fuisset suis, venerunt tenere eum. Et reuera inter grammaticos particula (Et) est causalis, & vim habet propositionis (quia) vt notat Calepinus

Iam grauior Pelias, & vulnere tardus Vlyssi. Virgil.

En causalis, (&) pro (quia). Citat Virgilium.

Audieras & fama fuit.

Id est, quia fama fuit: Et Quintillianum l. 1. c. 1. *Hæc primum audit puer, harum verba effingere imitando conabitur, & naturâ tenacissimi sumus eorum quæ mollibus animis percipimus.* (Et natura, &c.) id est, quia naturâ tenacissimi sumus, &c. Et scribæ, id est, quia scribæ. Iudicant de Christo Domino sui fratres, si-

Digitized by Google

cut de ſeipſis: arbitrantur enim audientes talia de eo iactari, & cum zelo hanc blaſphemiam reprehendere, ipſum debere iracundiâ nimiâ percelli: quaſi dicerent: Quis ad tanta opprobria non iraſceretur? Oportet certè impedire ne furore percitus, aut quædam indecentia effutiat, aut quædam agat, quæ nobis exprobrari poſſint, qui eius ſumus conſanguinei & affines. De Chriſto enim cogitabant tanquam de puro homine, *nec enim fratres eius credebant in eum.* His de cauſis igitur iraſcitur manſuetiſſimus ille agnus, de quo, cum inter homines conuerſaretur, dixit Ioannes Baptiſta: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*; Siue quia dum opera miſericordiæ exercet, eum reſpiciunt tanquam legis tranſgreſſorem; ſiue quia Scribæ, & ipſis conſentientes, & eis credentes, ſe indignos miſericordia exhibent, cum in Spiritum ſanctum blaſphemant, qui remiſſio peccatorum dicitur, dum Beelzebub tribuunt quod à Spiritu ſancto procedit.

At his de cauſis iraſci, declarat in Chriſto ſummam erga Miſericordiæ opera, tum corporalia, tum ſpiritualia, propenſionem; & dum ſic iraſcitur Chriſtus, & agnus manſuetus ita commouetur, manſuetudinem cum iuſtitia & ſeueritate coniungi manifeſtat: quæ duo potiſſimum elucent in Pœnitentiæ Sacramento. In eo ſiquidem agnus eſt Chriſtus, quia peccata remittit; agnus, ſed iratus, quia non remittit niſi contritis, humiliatis, confuſis, peccata confitentibus, & pœnitentiam agentibus, ſeque ab omni peccatorum occaſione ſubtrahentibus, & pro delictis commiſſis debitas pœnas ſoluentibus; quæ omnia cuiuſdam iræ in peccata ſpeciem præ ſe ferunt. Symbolum igitur aptiſſimum pœnitentiæ erit agnus iratus. Cumque duo tantum ſint tribunalia Chriſti, illud ſuper quod ſedebit in finali iudicio, reddens vnicuique ſecundum opera ſua; Alterum in hoc ſæculo, nempe Tribunal Sacramenti Pœnitentiæ, in quo datur remiſſio peccatorum, hicque ſanctus Ioannes mentionem ſedentis in throno faciat, hic agere de tribunali pœnitentiæ exiſtimamus, quia addit: *Et ab ira agni*: ac ſi diceret: non ago de tribunali, in quo iudicabit Deus peccatores abſque miſericordia, ſed de eo in quo, licèt peccatoribus iraſcatur, tamen ipſis miſericordiam & veniam concedit. Sedens quippe in eo habet iram, ſed iram Agni, id eſt, illius qui manſuetudinem cum ſeueritate coniungit. Differt namque tribunal iſtud Chriſti, à tribunalibus iudicum huius mundi: hi enim confitentibus ſupplicia decernunt: Chriſtus autem peccata confitentibus crimina, decernit non modò veniam, ſed etiam & præmia. Hinc optimè Sidonius Apollinaris l. 4. Epiſt. Ep. 14 ad Polemium Præfectum prætorio Galliarum: *At*, inquit, *ſi videtur humilitas noſtræ profeſſionis habenda contemptui, quia Chriſto res humanas vitaſque medicaturo, putrium conſcientiarum culpo ſqualens vlcus aperimus: quod in noſtri ordinis viris, etſi aliquid de negligentia ſapiat, nihil iam tamen de ſuperbia tumet: noueris volo, non vt eſt apud præſidem fori, ſic eſſe apud iudicem mundi: namque vt is qui propria vobis non tacuerit flagitia damnatur, ita nobiſcum qui eadem Deo fuerit confeſſus abſoluitur.* Ita Sidon.

Certe cum de ira Chriſti hic agat S. Ioannes, magis idoneum aſſumere debuiſſe videretur ſymbolum, ſi Leonis, aut Pardi, aut Vrſæ figuram illi tribueret, quàm cum eius iram nobis ſub agni figura ſpeculandam proponit. Ita enim alij prophetæ eius iram adumbrarant, v. g. Iſ. c. 5 vt vim & magnanimitatem eius, ad vindictam de hoſtibus ſumendam deſcriberet, ei Leonis figuram affingit. *Rugitus eius*, inquit, *vt Leonis, rugiet vt Catulus Leonum, & frendet & tenebit prædam, & amplexabitur, & non erit qui eruat.* Ita Oſee, vt celeritatem vindictæ explicaret, de qua Eſaias dixerat c. 42. *Tacui ſemper, ſilui, patiens fui, ſicut parturiens loquar: diſſipabo, & abſorbebo ſimul*: eum Oſee c. 13. Pardo aſſimilat. *Et ego*, inquit, *ero eis quaſi Leana, ſicut Pardus in via Aſſyriorum.* Ita rurſus idem Propheta, vt in placabilem eſſe eius iram demonſtrat, eum vrſæ comparat cum addit: *Occurram eis quaſi vrſa raptis catulis, & dirumpam interiora pectoris eorum, & conſumam eos ibi quaſi Leo, beſtia agri ſcindet eos*: Quaſi diceret: ipſis minime parcam, quin potiùs cum omni ſeueritate & rigore ab eis pœnas exigam: ſubtraham ab eis quidquid vitæ conſeruandæ aliquid emolumenti, aut adiumenti poſſet afferre: & ſicut is, cuius iecur eſſet diruptum, non amplius haberet quo alimentum cæteris ſuppediraretur, aut diſtribueretur membris, ita ipſis nihil erit quo poſſint vitam conſeruare. Conſumam eos, quaſi Leo, infligendo pœnas & ſupplicia. Non tantùm ſubtraham bona, ſed etiam infligam ſupplicia, vſque ad vltimam conſumptionem: beſtia quippe agri ſcindet eos, exterminabuntur enim morte, quæ beſtia eſt agri, nempe mundi, omnia depopulans, & deuorans, animas hominum à corporibus diuidens & ſcindens. Nihilominus hic appoſitè iram Chriſti deſcribens, eam vt dictum eſt, ſub agni figura repræſentat: quia non de ira exterminante & omnia deuaſtante agere vult, ſed de illa ira de qua dicebat, Propheta: *Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.* Habac. c. 3. ſeu de ira quæ ſit cum manſuetudine coniuncta; qualis eſt illa quæ exercetur in Sacramento Pœnitentiæ, inquo relaxantur peccata, auferuntur ſupplicia æterna, & temporales pœnæ meritoriæ redduntur & gratia infunditur copioſa: quæ omnia nobis in ſcripturis ſignificantur ſub agni figura. Eſ. c. 3. *Omnes nos quaſi oues errauimus: vnuſquiſque in viam ſuam declinauit: & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum. Oblatus eſt quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum. ſicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmutueſcet*: Et Ioan 1. Ioannes Baptiſta de eo dicit: *Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi.* Hinc Iſaias prævidens ipſum fore liberatorem, & ſuper ſe tum ſcelera, tum pœnas pro ſceleribus infligendas poſiturum, vt peccata expurget, & pœnas auferat; cum de gratiſſimis ſuppliciis, quæ Deus Moabitis erat inflicturas, loqueretur, protectorem expoſcens à Deo, qui ea auerteret, tale votum ac deſiderium his verbis exprimebat. c. 16. *Emitte agnum Domine, Dominatorem terræ, de Petra deſerti ad montem filiæ Sion.* Ac ſi diceret: Deus bone? Quis homines à tantis, quæ merentur, ſuppliciis liberare valebit. Quis ab eis flagella iracundiæ tuæ amouebit? Nemò certè reperietur inter filios hominum, qui hoc præſtare valeat, donec emittas illum agnum, terræ Dominatorem, ſuper quem poſiturus es iniquitatem omnium noſtrum. Is erit qui portabit iniquitates noſtras, cuius gratia, ſeu pro cuius reuerentia amouebis à nobis pœnas & ſupplicia. At non tantum agni figura illi tribuitur, cum dicitur auferre onera iniquitatum, pœnas ac ſupplicia amouere, ſed etiam cum copioſam gratiarum ſuarum abundantiam ſupra nos effundit. Hinc ille eſt agnus, qui aperit librum c. 5. qui regit nos, & deducit ad vitæ fontes aquarum c. 7. qui ſtat ſupra montem, cum centum quadraginta quatuor millibus electorum. c. 14.

Igitur ſi ſemper in ſcriptura agni nomen aſſumit, cum effectus manſuetudinis, & clementiæ deſcribuntur, proculdubio in hoc loco manſuetudinem cum ira coniunctam cogitare debemus, quæ nuſquam clariùs apparet, quàm in Pœnitentiæ Sacramento. Leo ſit in iudicio extremo, hoſtes ſuos ſub pedibus conteret; Tanquam vrſa furore plena dæ-

mones à ſe expellat, & in tartara protrudat, æternùm cruciandos, ex eoquod filios ſuos rapuerunt, homines ad peccata prouocando : hic in tribunali pœnitentiæ erit agnus, irati quidem, quia ibidem ſedens exercet iudicium cum miſericordia. Hic reus ſui ipſius eſt accuſator, vt veniam obtineat, hic vulneratus plagas oſtendit, vt ſanitatem recuperet; hic infractor legum ſuam peruicaciam confitetur, vt mandatis Dei deinceps obtemperans, immunis ſit à crimine; hic vinculis peccatorum conſtrictus, vincula diſrumpens, liber euadit; & licèt ſpeciem quamdam iracundiæ in iudice reperiat, cum ei ſatisfactiones imponit, cum ad fugiendas peccatorum occaſiones adſtringit, ne relabatur in ſimilia crimina, iniungit : dum contritionem in corde, confeſſionem in ore, verecundiam & confuſionem in vultu, genuflexionem & humiliationem totius corporis exigit, mortificationem ſenſuum & appetituum, ieiunia & affligentia flagella, & cilicia requirit, tamen illum agnum eſſe experitur, dum remiſſionem culpæ, relaxationem pœnæ æternæ, criminum abolitionem, morborum animi curationem obtinet, & in gratiam Dei redit, ipſi reconciliatus : ad tempus iraſcitur, pœnas tantùm temporales exigit; non ex odio ſeueritate vtitur, ſed ex nimio amore, quem erga nos habet, non tam vt vindictam ſumat, quàm vt peccata expungat & expurget, pœnas imponit : vnde apparet ipſius iram eſſe agni, iram nempe illius, qui dum aliqua ſeueritate vtitur, ſemper miſericordiæ ſuæ recordatur.

Quomodo Sacramentum Pœnitentiæ ſit verè thronus agni irati : Quo habemus optimum remedium contra peccatum. §. 2.

Non erit difficile huic propoſitioni aſſentiri, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ eſſe thronum Agni irati, ſi doctrinam Concilij Tridentini de hoc Sacramento perpendamus, quam quidem affert ſeſſ. 24. c. 1. poſt explicatam neceſſitatem, & inſtitutionem huius Sacramenti his verbis. *Si*, inquit, *ea in regeneratis omnibus, gratitudo erga Deum eſſet, vt iuſtitiam in baptiſmo, ipſius beneficio & gratia ſuſceptam, conſtanter tuerentur, non fuiſſet opus aliud, ab ipſo Baptiſmo, Sacramentum ad peccatorum remiſſionem eſſe inſtitutum. Quoniam autem Deus dines in miſericordia, cognouit figmentum noſtrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui ſeſe poſtea in peccati ſeruitutem, & dæmonis poteſtatem tradidiſſent, Sacramentum videlicet pœnitentiæ. Beneficium mortis Chriſti applicatur. Fuit quidem pœnitentia vniuerſ. hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quouis tempore, ad gratiam & inſtitiam aſſequendam neceſſaria : Illis etiam qui Baptiſmi Sacramento ablui petiuiſſent, vt pernerſitate abiecta & emendata, tantam Dei offenſionem cum peccati odio, & pio animi dolore deteſtarentur. Vnde Propheta ait : Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Dominus etiam dixit: Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis. Et princeps Apoſtolorum Petrus, peccatoribus baptiſmo initiandis pœnitentiam commendans, dicebat : Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum. Porro nec ante aduentum Chriſti, Pœnitentia erat Sacramentum, nec eſt poſt aduentum illius cuiquam ante baptiſmum. Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue inſtituit, cum à mortuis excitatus inſufflauit in diſcipulos ſuos, dicens : Accipite Spiritum ſanctum : quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt : quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis, poteſtatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles poſt baptiſmum lapſos, Apoſtolis & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, vniuerſorum pa-*

A *trum conſenſus ſemper intellexit, & Nouatianos remittendi poteſtatem pertinaciter negantes, magnâ ratione Eccleſia Catholica tanquam hæreticos exploſit atque condemnauit.* Hæc Concil. de neceſſitate & inſtitutione Sacramenti Pœnitentio. Nunc videndum quomodo hoc Sacramentum, iuxta Concilij doctrinam, thronus agni irati dici poſſit. Hoc habes ex cap. 2. ſeſſionis prædictæ, vbi agens de differentia Sacramenti Pœnitentiæ & Baptiſmi, præter differentiam materiæ, & formæ, ait Concil. *Conſtat certè Baptiſmi miniſtrum iudicem eſſe non oportere, cum Eccleſia in neminem iudicium exerceat, qui non priùs in ipſum per baptiſmi ianuam fuerit ingreſſus. Quid enim mihi, inquit Apoſtolus, de iis qui foris ſunt iudicare? Secus eſt de*
B *meſticis fidei, quos Chriſtus Dominus lauacro baptiſmi, ſui corporis membra ſemel effecit. Nam hos, ſi ſe poſteà crimine aliquo contaminauerint, non iam repetito baptiſmo abluit, cum id in Eccleſia Catholica nulla ratione liceat; ſed ante hoc tribunal tanquam reos ſiſti voluit, vt per ſacerdotum ſententiam, non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis ad ipſam pœnitentes confugerint, poſſent liberari, &c.* 2. Patet Sacramentum Pœnitentiæ iudicium redolere, & thronum iudicium requirere, ex forma, in qua vis Sacramenti ſita eſt, quæ iuxta concilium in his verbis miniſtri poſita eſt : *Ego te abſoluo, &c.* 3. Patet iudicium ibi exerceri, quia criminis confeſſio in hoc Sacramento requiritur, ex Concilio c. 5. cum ait : *Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ*
C *iam explicata, vniuerſa Eccleſia iam intellexit inſtitutam eſſe à Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt baptiſmum lapſis iure diuino neceſſariam exiſtere : quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus è terris aſcenſurus ad cælos, ſacerdotes ſui ipſius vicarios reliquit, tanquam præſides & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint, quo pro poteſtate clauium, remiſſionis aut retentionis peccatorum ſententiam pronuncient, &c.* Hæc ſufficiant vt videas Sacramentum Pœnitentiæ eſſe thronum & tribunal iudicis : quod ex c. 6. Concilium etiam perſpicies, vbi docet poteſtatem non eſſe datam indifferenter
D omnibus fidelibus; & dum docet ſacerdotes per peccata mortalia hanc non amittere poteſtatem, & abſolutionem ſacerdotis, quamuis alieni beneficij ſit diſpenſatio, non eſſe nudum miniſterium, vel annunciandi Euangelium, vel declarandi remiſſa eſſe peccata, ſed ad inſtar actus iudicialis, quo ab ipſo velut à iudice ſententia pronunciatur. Adde quæ docet c. 7. de neceſſitate iuriſdictionis : *Quoniam*, inquit, *natura & ratio iudicij illud expoſcit, vt ſententia in ſubditos duntaxat feratur, perſuaſum ſemper in*
E *Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe ſynodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam ſacerdos in eum fert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem.* Docet præterea, quod, vt ait cap. 5. *conſtat ſacerdotes iudicium hoc, incognitâ cauſâ, exercere non potuiſſe, neque æquitatem illos in pœnis iniungendis ſeruare potuiſſe, ſi in genere duntaxat, & non potius in ſpecie, ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent,* fideles & pœnitentes. Et c. 7. declarat ad Chriſtiani populi regimen pertinere, vt ſummi Sacerdotes, Pontifices Maximi, pro ſuprema poteſtate ſibi in vniuerſa Eccleſia tradita, cauſas aliquas criminum grauiores ſuo potuerint peculiari iudicio reſeruare. Idem dicendum de Epiſcopis in ſua cuique diœceſi, in ædificationem, & non in deſtructionem : quæ reſeruatio non tantum in externa politia, ſed etiam coram Deo vim habet. Piè tamen vult in articulo mortis, nullam eſſe caſuum reſeruationem; extra quem articulum ſacerdotes, cum nihil poſſint in caſibus reſeruatis, id vnum pœnitentibus perſuadere nitantur, vt ad ſuperiores & legitimos iudices pro beneficio abſolutionis accedant. Denique cap. 8.

Digitized

agens de ſatisfactione, monet *Vt ſatisfactio quam ſacerdotes imponunt, non ſit tantum ad nouæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem. Nam claues ſacerdotum non ad ſoluendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam Antiqui Patres & credunt & docent.* Ita Conc. Ex quibus patet Sacramentum Pœnitentiæ habere thronum, in quo ſedeat iudex, qui ſententiam ferat. Quod autem ille thronus ſit thronus agni, id eſt, Dei miſerentis, & condonantis delicta, patet ex eodem Concilio c. 3. vbi poſtquam formam eſſentialem huius Sacramenti dixit eſſe: *Ego te abſoluo*; & materiam ipſius, actus pœnitentis, nempe contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenam & perfectam peccatorum remiſſionem requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur; addit rem & effectum huius Sacramenti eſſe reconciliationem cum Deo. *Sane*, inquit Concilium, *res & effectus huius Sacramenti, quantum ad eius vim & efficaciam pertinet, reconciliatio eſt cum Deo; quam interdum in viris piis, & cum deuotione hoc Sacramentum percipientibus, pax & ſerenitas cum vehementi ſpiritus conſolatione conſequi ſolet.* Et reuera nemo negare poteſt Thronum eſſe Clementiæ & Miſericordiæ, cum in hoc Sacramento cuncta deleantur peccata.

Dicimus 3. eſſe Thronum agni, ſed irati, propter rationes ſupra à nobis adductas; quæ confirmari & ſtabiliri poſſunt ex his quæ docet Sacrum Concilium Trident. Licèt enim neget c. 8. Sacramentum Pœnitentiæ, forum iræ vel pœnarum à Patribus exiſtimari; ſicut nemo vnquam Catholicus ſenſit, ex huiuſmodi noſtris ſatisfactionibus vim meriti & ſatisfactionis Domini noſtri Ieſu Chriſti vel obſcurari, vel ex aliqua parte imminui; hoc dicit vt reiiciat ſententiam hæreticorum, qui volunt partes pœnitentiæ eſſe incuſſos conſcientiæ terrores, & fidem c. 3. aut qui dicunt contritionem facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, c. 4. aut confeſſionem eſſe impoſſibilem, & carnificinam conſcientiarum illam appellant: ſed negare non vult in ea quædam reperiri, quæ Dei iram contra peccatum ſatis clarè demonſtrant: v. g. cum ad differentiam Pœnitentiæ & Baptiſmi, dicit pœnitentiam eſſe baptiſmum laborioſum, nouitatem & integritatem quam in baptiſmo recipimus, per plenam & integram peccatorum omnium remiſſionem, in pœnitentia non recipi ſine magnis noſtris fletibus & laboribus, diuina id exigente iuſtitia, quæ certe fletus & labores non exigit, niſi ex irâ contra peccatum conceptâ; deinde ex natura contritionis, quæ vt Deum iratum placabilem reddat, non ſolum debet eſſe ceſſatio à peccato, & vitæ nouæ propoſitum & inchoatio, ſed veteris etiam odium, cum doloribus & animæ amaritudinibus coniunctum, iuxta illos ſanctorum clamores: *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci. Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum. Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ*; Rurſus ex præcepto confeſſionis, & obligatione confitendi omnia peccata mortalia quæ occurrunt memoriæ. *Qui verò*, inquit Concil. *ſecùs faciunt, & ſcienter aliqua retinent, nihil diuinæ bonitati per ſacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubeſcat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat. Colligitur præterea, etiam eas circumſtantias in confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant; quod ſine illis peccata ipſa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec iudicibus innoteſcant, & fieri nequeat vt de grauitate criminum rectè cenſeri poſſint, & pœnam quam oportet pro illis pœnitentibus imponere.* Hæc Conc. Videſne magnam & oneroſam, omnia peccata & circumſtantias confitendi, neceſſitatem, quæ naturali cuidam verecundiæ conjungitur; & ſic ſatis clarum eſt Deum contra peccatorem iraſci, licèt eius miſereri velit, cum hoc onus confitendi ipſi imponit, vt ſuam experiatur Clementiam. Et rectè Concilium ait: *Ipſa verò confeſſionis difficultas ac peccata detegendi verecundia, grauis quidem videri poſſet, niſi tot tantiſque commodis & conſolationibus leuaretur, quæ omnibus dignè ad hoc Sacramentum accedentibus, per abſolutionem certiſſimè conferuntur.* Denique agnum in Pœnitentiæ Sacramento eſſe iratum contra peccatum, patet ex neceſſitate ſatisfactionis, de qua Concil. c. 8. *Sancta*, inquit, *ſynodus declarat falſum omnino eſſe, & à Verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin vniuerſa etiam pœna condonetur. Perſpicua enim & illuſtria in ſacris literis exempla reperiuntur, quibus, præter diuinam traditionem, hic error quàm manifeſtiſſimè reuincitur.* Ita Conc. Aliter recipi debent in gratiam, qui ante baptiſmum per ignorantiam deliquerunt, aliter qui accepto Spiritus ſancti dono, ſcienter templum Dei violare, & Spiritum ſanctum contriſtare non formidauerunt: & hoc decet diuinam clementiam, ne ita peccata dimittantur, vt leuiora ea putantes in grauiora labamur. Fructus namque ſatisfactionis ſunt à peccatis reuocatio, vigilantior non peccandi cura, reliquiis peccatorum medela, malorum habituum ſublatio, pœnæ à Domino imminentis amotio à capitibus noſtris, & quod dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto conformes efficimur; & arrham accipimus quod ſi compatimur & conglorificabimur. *Debent ergo*, inquit poſtea Concilium, *ſacerdotes Domini, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares, conuenientes ſatisfactiones iniungere: ne ſi forte peccatis connniuent, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leuiſſima quædam opera pro grauiſſimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur, &c.*

Cadite ſuper nos: & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni, &c.

Malignitas peccati maximè manifeſtatur, quod tam præſens remedium contra peccatum peccator reiiciat. §. 3.

Eſt igitur reuera in Eccleſia tribunal erectum, in quo iuſtitia & pax ſibi mutua præbent oſcula, in quo miſericordia & veritas eunt ſibi obuiam, inquo tribunali omnia peccata dimitti poſſunt, vnde pro tanto beneficio poſſemus cum Pſalmiſta dicere: *Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Præſens certe & facile remedium. Quomodo igitur ab eo throno, & ab hac clementiſſima agni ira, ſeipſos abſcondere cupiunt, niſi quia aliquando malignitas peccati adeo mentes hominum occupat, vt remedia malorum ſuorum effugere velint, & dicunt *montibus & petris: abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni*, iugum legis Chriſtianæ excutere cupientes, ad modum illorum de quibus Pſ. 2. dicitur: *Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſum Chriſtum eius: dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipſorum.* Tales ſunt hæretici, qui ad montes ſecularium poteſtatum, & ad petras duriſſimas hæreſiarcharum confugiunt, vt à legibus Chriſtianis immunes reddantur; & Sacramenta Eccleſiæ, & comminationes iudiciorum Dei, & ſuppliciorum inferni derident, deriſoriè dicentes: *Quoniam venit dies magnus iræ ipſorum, & quis poterit ſtare?* Cum ſcilicet eis dicitur: nunc pœnitere oportet, & pro peccatis pœnas ſubire, niſi velitis in æternos cruciatus

detrudi, in tremendo Dei iudicio. At auferuntur A Dei iudicia à facie ipsorum, abscondunt se vt Adam, vt Cain nolunt se prodere in confessione; & quasi vanæ essent iudiciorum Dei comminationes, eas deridēt, ad modum eorum de quibus Isa. 28. dicitur: *Manda, remanda, expecta re expecta. modicum ibi, modicum ibi,* Quibus verbis deridebant Prophetas, quorum comminationes nullos adhuc videbantur obtinuisse effectus: vnde aliquando Prophetæ dicebant paulisper esse expectandum, & modico tempore elapso, quæ dicebant esse obuentura: ita isti volunt abscondi à facie sedentis, & ab ira agni, & eximi à lege Christiana, quæ eos ad pœnitentiam vocat; & ex eoquod, vt pœniteant, eis suppliciа æterna proponuntur, derisorie de eis loquuntur, ac B si nunquam essent futura. Hanc interpretationem vt veram amplectens, incidi tandem in commentarium Cornelij à Lapide in Epistolam 1. B. Petri, qui ver. 20. exponens; *Qui increduli fuerunt aliquando, quando expectabant Dei patientiam*, ait: *secundo per Dei patientiam potest accipi ipsum diluuium, cuius immissionem Deus patienter & longanimiter prorogabat, expectans peccatorum pœnitentiam, vt sit Catechresis & Metonymia. Peccatores enim videntes differri diluuium irridendo rogabant Noe: Cur non venit diluuium à te comminatū? Et quando veniet? Respondebat Noe: Deus suo tempore illud immittet, sed differt & patienter vos expectat, vt pœnitentiam agatis. Itaque auertatis diluuium. Hinc illi responsum Noe irridentes, diluuium vocabant Dei patientiam, dicentes: Et quando veniet tua illa, quam prædicas, Dei tui patientia? Longa & sera est: Vellemus videre illam, & natare in tuo diluuio. Cum veneris credemus tibi, tuisque de eo minis. Simili modo Iudæi irridentes oracula Isaiæ dicentis: Hæc mandat Dominus, &c. dicebant: Manda, remanda, expecta, reexpecta: modicum, modicum ibi Is. 26. v. 40. q. d. tu Isaia minaris nobis excidium, dicisque illud Deum tibi mandasse; at per tot annos nihil illius vidimus, nec vmbram adhuc videmus; falsæ ergo & illusoriæ sunt minæ tuæ.* Ita Cornel. Pari ratione indurati in malis peccatores, quos Dei Ecclesia ad pœnitentiam prouocat, dicens illos esse obruendos suppliciis grauissimis, nisi pœnituerint, & eo magis grauiter puniendos, quod remedium D respuunt benigne paratum in Sacramēto Pœnitentiæ, Deumque ac Dominum Iesum Christum ad iracundiam tandem maximam & contemptu gratiæ suæ prouocaturos esse, videntes se sanos ex vegetes remanere, licèt in colluuie peccatorum permaneant, derisorie dicunt; Abscondemus nos in abditioribus locis: non videbit nec intelliget Deus Iacob: dicemus *montibus & petris, cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni: quoniam venit dies magnus ira ipsorum, & quis poterit stare?* Expectabimus quid euenturum sit. Latius & certius est gaudere præsentibus, quam timore pœnarum, quæ an sint, aut existere possint dubitamus, abstinere ab iis quæ iocundissima sunt. Melius est genio in- E dulgere, quàm credendo istis prædicatoribus ieiuniis vacare, bona, vi aut dolo ablata, restituere: incerta enim sunt quæ dicunt & comminantur. Si igitur vana & futilia sunt quæ comminantur de quodā futuro iudicio, de suppliciis æternis, cur nos inutiliter vexabimus in præsenti, cum exinde nullum nobis obuenturum sit emolumentum?

DE SECVNDA INTERPRETATIONE CAPITIS SEXTI,

Quæ est de quibusdam insignioribis euentibus, quibus Ecclesiæ fides stabilita fuit, & Christi Domini gloria valde innotuit.

Et vidi quod aperuisset agnus vnum de septem sigillis, &c.

Nostram mox adducendam interpretationem, æque esse aliis interpretationibus verisimilem ostenditur.

ANNOTAT. I.

INTERPRETATIONEM, vt spero, non iniucundam aggredimur; & perpensis omnibus aliis, & æqua lance ponderatis, non minus rationi consona videbitur, quàm cæteræ, quæ ab aliis adducuntur autoribus, qui per equum album accipiunt vel prædicationem Euangelij, vel Apostolorum certamina, & victorias; Bella, fames, & pestes, aut martyrum passiones, per rufum; dolos & malignitatem hypocritarum, per nigrum; fraudes Hæreticorum, per pallidum: vel qui per quemlibet equorum, accipiunt C Romanum imperium, v. g. Caligulæ imperium per album; Neronis, per rufum; Titi, per nigrum; Domitiani, per pallidum. Alij imperium Traiani, Adriani, Antonini, significari volunt in quinto sigillo; sicut Diocletiani in sexto, propter acerbissimam Diocletiani persecutionem; Et in septimo pacem & lætitiam Ecclesiæ, sub Constantino Magno; Vel qui in omnibus equis sessorem volunt esse Christum; Alij modò Christum, modò diabolum; Et qui volunt tres equos opponi primo, cuius sessor sit Christus: Vnde ad multitudinem reproborum, populum Paganum, Gentiles, Infideles, Hæreticos, Turcas & Saracenos recurrunt. Quidam quatuor D prima sigilla ad vetus testamentum referunt, puta ad facta & gesta, quæ in eo contigerunt; tria vero vltima referunt ad nouum Testamentum, v. g. ad Martyres, Iudæorum reprobationem, Gentium vocationem, Tempora Anti-Christi. Quidam ad septem primaria vitæ Christi mysteria, Natiuitatem, Crucem, Resurrectionem, Ascensionem, Spiritus sancti missionem, gentium vocationem, vniuersale iudicium. Lud. ab Alc. per quatuor prima sigilla censet repræsentari cōuersionem & felicitatem Iudæorum, qui Christo credent; per tria vltima infælicitatem & pœnas Iudæorum Christo rebellium. Denique Cornelius per septem sigilla vult significari septem mysteria, æque ac tempora arcana & secreta à Deo statuta & signata, quibus res, quæ sub his sigillis continentur, ordine quoque suo, suoque seculo successiuè, ante & vsque ad Anti-Christum manifestabuntur, & reipsa euenient; itaut vno desinente, mox ordine suo succedat alter, v. g. vt desitio secundi sit inchoatio tertij &c. Et in primo equo inducit Christum cum aliis equis successiuè certantem, quos tandem debellabit, v. g. Gentiles, Hæreticos, Turcas & Saracenos. Lege Pererium, Ludouic. ab Alcazar. Cornelium à Lap.

Has autem omnes interpretandi rationes ob oculos summariè proposui, vt facilius perspicias nostram mox adducendam nullomodo discrepare ab interpretandi ratione eorum, qui hunc librum commentati sunt. Quidquid sit, dicere audeo æquè eam esse verisimilem, vt patebit perspicienti necessarium

ſarium fuiſſe in initio Eccleſiæ debellari ea omnia, quæ fundamenta Chriſtianæ pietatis conuellere potuiſſent; & ſtabilire ea quæ eam firmare, & illuſtrare valerent. At hoc fit ſecundum noſtram interpretationem; debellantur ea quæ Chriſtianæ Religioni erant contraria: ſtabiliuntur ea quæ eam illuſtrant. Non igitur videtur reſicienda, cum hæc ſint inſigniores & celebriores euentus, qui in totius Eccleſiaſtici regiminis decurſu notari poſſint.

Quænam potiſſimum fuerunt debellanda ad ſtabiliendam Chriſtianam religionem.

ANNOTAT. II.

DE bellandæ erant hæreſes, quas contra præcipuas Chriſtianæ Religionis Veritates Diabolus ſuſcitare & vomere conatus eſt vt eam euerteret, & trahi faceret à flumine mendacij in barathrum errorum. Et propterea ſtabiliendæ fuerunt iſtæ veritates, eo modo quem Chriſtus inſtituit veritates in Eccleſia firmari, quo modo nullus eſt celebrior, quam ſi autoritate ſummi Pontificis Concilia celebrentur, quibus ab eo receptis & confirmatis, eorum decretis aſſentiri debeamus. De his agi in hoc capite exiſtimamus, iſtud à ſcopo libri ita conjicientes. Scopum huius prophetiæ præcipuum diximus eſſe manifeſtationem gloriæ, Chriſto vt homini à Patre collatæ, pro nimia humiliatione qua Patri obediens fuit vſque ad mortem crucis. Datum quippe eſt illi nomen quod eſt ſupra omne nomen, cuius exaltationis Prophetia S. Ioanni in Apocalypſi reuelatur, iuxta illud. *Teſtimonium Ieſu Chriſti eſt ſpiritus Prophetiæ.* Quaſi diceret: Spiritus quo ducitur is qui hanc Prophetiam Eccleſiæ proponit, eſt vt det teſtimonium de Chriſto, vt talis qualis eſt, & cognoſci debet, ab omnibus agnoſcatur.

Neceſſarium autem fuit vt Religio Chriſtiana optimè fundaretur; & hoc de Chriſto Domino teſtimonium daretur, vt quatuor veritates Chriſtiani potiſſimùm profiterentur, quæ nullatenus in dubium reuocari debent. Prima eſt, quod Chriſtus Dominus Dei filius eſt, æqualis Patri ſecundum diuinitatem, licet minor ſit ſecundum humanitatem. Secunda eſt quod ab eo, ſicut à Patre, Spiritus ſanctus mittendus erat, ipſi & Patri æqualis, quo totius Eccleſiæ corpus myſticum animaretur, ſanctificaretur, regeretur, iuxta illud ſymboli: *Qui à Patre filioque procedit.* Hac enim fide æqualitatem eius cum Patre profitemur, cum eodem Spiritu, eadem voluntate, eadem poteſtate, Filium cum Patre omnia operari aſſerimus: Sic enim Chriſtus ſuam æqualitatem cum Patre Iudæis prædicabat. Ioan. 5. *Ieſus autem reſpondit eis: Pater meus vſque modo operatur, & ego operor. Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non ſolum ſoluebat Sabbatum, ſed & Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo*; videlicet cum profitebatur ſe eadem cum Patre operari. Tertia eſt, vnio hypoſtatica verbi cum natura humana, itaut verus Deus ſit, & verus homo. Virgo quippe Maria non purum hominem genuit, ſed hominem Deum, qui dicitur Emmanuel, id eſt, nobiſcum Deus, iuxta Athanaſiam dicentem: *Eſt ergo fides recta, vt credamus & confiteamur, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei Filius, Deus & homo eſt. Deus eſt, ex ſubſtantia Patris ante ſecula genitus, & homo eſt, ex ſubſtantia Matris in ſeculo natus*, vnam tantum perſonam non duas perſonas conſtituens. 4. Veritas quam credere debemus eſt, quod ita homo ſit, vt proprietates vtriuſque naturæ, diuinæ & humanæ, integræ permaneant, abſque vlla confuſione ab inuicem diſtinctæ, itaut licet per communicationem idiomatum, proprietates naturæ humanæ, diuinæ aſcriberentur; aut diuinæ naturæ, humanæ tribuerentur, ex eoquod vna exiſteret perſona, nihilominus etſi vna tantum ſit perſona, duplex ſit operatio, vna quæ ipſi conueniat inquantum eſt homo perfectus, alia in quantum eſt verus Deus. *Et licet*, vt ait S. Athanaſ. *Deus ſit & homo, nec duo ſed vnus ſit Chriſtus*, tamen quia, vt poſtea ait, *vnus eſt non conuerſione diuinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum, vnus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed vnitate perſonæ*, ideo duas naturas in eadem perſona ſubſiſtentes agnoſcimus, non vnam, itaut, ſicut dixit S. Leo mori poſſit ex vno, & reſurgere ex altero.

Quatuor autem hæreſes has veritates impugnarunt, nempe Arrij, qui filij diuinitatem impugnauit; Macedonij, qui Spiritus ſancti diuinitatem negauit; Neſtorij, qui vnionem Verbi cum carne admittere noluit, & duas perſonas admiſit; Eutychetis, qui è contra ne duas perſonas diceret, vnam tantum affirmauit naturam ineſſe in Chriſto.

Quam neceſſaria fuerit ſupradictorum myſterium fides.

ANNOTAT. III.

QVAM neceſſaria erat fides de diuinitate verbi, pro ſtabilitate religionis Chriſtianæ, peſpicuum eſt, ſi perpendamus quòd ſi ſemel diabolus veritatis inimicus hanc fidem euellere potuiſſet, proculdubio omnem religionem Chriſtianam à fundamento euertiſſet, & omnem eius altitudinem ac Maieſtatem in terram proſtrauiſſet, ac eius dignitatem conculcaſſet. Fides enim diuinitatis Chriſti præcipuum ac primarium eſt fundamentum Eccleſiæ Chriſtianæ, ac doctrinæ Euangelicæ, ſeu Noui Teſtamenti. *Notus* erat *in Iudæa Deus, & in Iſrael magnum nomen eius*, Quod ſi myſterium Trinitatis adorandæ, iam implicitè à plurimis, à quibuſdam explicitè credebatur, ſi in vniuerſum rem expendamus, non ita hæc fides explicita erat diffuſa, vt communis ac vniuerſalis dici valeret. Præclarum fuit opus Verbi incarnati hoc lumine mentes colluſtrare, hanc fidem explicatiùs inculcare, & Eccleſiæ ſuæ manifeſtare Deum Patrem, ſeque eius filium proponere, à quo & Patre procederet Spiritus ſanctus vtriuſque amor & nexus. At hæc fides explicita Trinitatis ſubſiſtere nequit, ſi Chriſto Domino filij Dei nuncupatio denegetur, eiuſque æqualitas cum Patre impugnetur. Hac de cauſa cum fidem Eccleſiæ fundatiſſimam & firmiſſimam in confeſſione Petri fundare vellet, ab eo hanc confeſſionem celebertimam huius veritatis, aliorum explorata ſententiâ, requiſiuit. *Vos*, inquiebat, *quem me eſſe dicitis?* Dixerant ad primam interrogationem: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* alij Apoſtoli, *Alij Ioannem Baptiſtam, alij Eliam. &c.* Ad iſtam ſecundam reſpondet Petrus: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Matt. 16. Vides fundamentum poni totius Chriſtianæ Religionis in fide diuinitatis Chriſti; quod ipſe Dominus apertè docuit, dum talem de ſe confeſſionem approbans, & ex Patre reuelante procedere dicens, addidit: *Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: Et portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam.* Rectè igitur S. Hilarius lib. 3. de Trinitate hæc verba ponderans: *Pater manifeſtauit nomen tuum hominibus*, ait Dominum noſtrum in carne veniſſe, non vt Dei potentiam in creationem rerum prædicaret, ſed vt ſciront homines Deum huius filij prædicantis & docentis eſſe Patrem. Hilarium audiamus. *Atqui*, in-

Digitized by Google

quit, *hoc maximum opus filij fuit, vt Patrem agnoſceremus.* Negas planè, *quando ſecundum te filius non ex eo natus eſt: & cum filius dicitur factus pro voluntate quaſi cætera, admirari Deum poſſum conditorem mundi Chriſtum creantem: & digna Dei virtus eſt, vt effectorem Archangelorum & Angelorum, viſibilium, & inuiſibilium, cæli ac terræ, & vniuerſæ huius creationis effecerit. Sed non hic labor Domini eſt vt in creandis rebus Deum poſſe ſu ſentias, ſed vt ſcias Deum patrem eſſe huius filij, qui loquitur.* Et paulo poſt: *Audis patrem & filium. Ne ambigas eſſe quod nuncupatur. Summa diſpenſationis eſt filio, vt noueris patrem.* Ita Hilar. Qui vt doceret hanc fidem tantopere eſſe neceſſariam, vt ſi euertatur, cætera corruant, addit: *Quid irritum facis opus Prophetarum, verbi incarnationem, virginis partum, virtutem operationum, Crucem Chriſti? Tibi hæc omnia impenſa, tibi præſtita ſunt, vt per hæc manifeſtus & pater tibi eſſet, & filius.* Et tandem ait Hilarius: *Memento non tibi Patrem manifeſtatum eſſe quod Deus eſt, ſed Deum manifeſtum eſſe quod pater eſt. Audis: Ego & pater vnum ſumus. Quid diſcindis & diſtrahis filium à Patre? Vnum ſunt, ſcilicet is qui eſt, nihil habens quod non ſit, etiam in eo à quo eſt.* Ita Hil. Neceſſarium igitur fuit, vt eius gloria clareſceret, & ſalus noſtra promoueretur, tale fundamentum Eccleſiæ Chriſtianæ dari, vt omnes agnoſcant, vt loquitur S. Hilarius l. 1. de Trinit. quod *ſine Deo Chriſto, vnum Deum prædicare perfidia ſit. Qui igitur negare vellent,* vt ait S. Ambroſ. de fide ad Gratianum l. 1. c. 3 *filium diuinitate vnum eſſe cum patre, deleant ergo Euangelium, deleant Chriſti vocem. Ipſe enim dixit: Ego & pater vnum ſumus.* Ita Ambr. Itaque hæc prima Chriſtianiſmi veritas ſtabilienda fuit: alioquin ſi auerti potuiſſet, cærera quæ Euangelium credenda proponit, vt futilia & ridicula abjicienda forent.

Alia veritas omnino credenda, & cuius fides abſolutè ac neceſſariò proponenda fuit, vt Eccleſiæ moles optimo ſtabiliretur fundamento, eſt fides diuinitatis Spiritus ſancti: ſiquidem regenerati in nomine Patris, & Filj, & Spiritus ſancti, & non aliter. Hac ratione Chriſtiani ſumus, & nuncupamur. Hinc S. Ambroſ. l. 1. de fide c. 3. *Vbi non eſt plenum baptiſmatis Sacramentum, nec principium, vel ſpecies aliqua baptiſmatis æſtimatur. Plenum autem eſt, ſi patrem & filium, ſpiritumque fatearis: ſi vnum neges, totum ſubruet: & quemadmodum ſi vnum in ſermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum ſanctum, fide autem, nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum ſanctum abneges, plenum eſt fidei Sacramentum, ita etiam quamuis & Patrem, & Filium, & Spiritum dicas, & aut Patris aut Filj, aut Spiritus ſancti minus poteſtatem, vanum eſt omne myſterium.* Ita Amb. Abſque eo diuino & ſancto Spiritu, cognitionis Patris & Filij non ſumus idonei; datur ſiquidem vt per eum omnem agnoſcamus veritatem, vt & S. Hilarius docuit l. 2. de Trinitate: eſt enim, vt ipſe antè à dixit, *Spiritus ſanctus vnus Vbique, omnes Patriarchas, Prophetas, & omnem chorum legis illuminans, Ioannem etiam in vtero Matris inſpirans, datus deinde Apoſtolis, cæteriſque credentibus ad cognitionem eius, quæ indulta eſt, veritatis.*

Cum igitur hic ſpiritus ille ſit, qui vitæ ſpiraculum infundit, illuminat mentes, ad agendum impellit, animas ſanctificat, & donis Eccleſiam replet; qui vnicuique dat & diſtribuit prout vult, cauendum valde eſt ne ei ſimus inobedientes, ne eum contriſtari contingat, ne ei obſiſtatur, illis videlicet reſiſtendo, quos poſuit ipſe regere Eccleſiam Dei.

At vt libentius decretis ac determinationibus eorum obtemperemus, ſiue fidem adhibendo iis quæ credenda eſſe decernunt, ſiue illorum mandata exequendo, neceſſarium omnino eſt vt agnoſcamus & fateamur Spiritum ſanctum cum Patre & Filio vnum eſſe Deum, iuxta illud Petri ad Ananiam: *Non es mentibus hominibus, ſed Deo*; Mentitus quippe fuerat Deo, cum Petro mendacium intulit, negando & reticendo quod fecerat. Optimè S. Hilarius lib. 1. de Trinitate. *Qui confeſſionis Patris & filij annexus eſt, non poteſt à confeſſione Patris & filij ſeparari. Imperfectum eſt nobis totum ſi aliquid deſit à toto.* Hæc Hilar. Nobis itaque neceſſarium eſt credere eius diuinitatem, ſicut credimus Patris ac Filij diuinitatem; aliàs aufugit à nobis cognitio Patris ac Filij, in quorum cognitione vita noſtra ac ſalus conſiſtit. *Vt enim,* inquit S. Hilarius l. 1. de Trinitate, *natura humani corporis, ceſſantibus officij ſui cauſis, erit otioſa: nam & oculis, niſi lumen ac dies ſit, nullus miniſterij erit vſus; & nares, niſi odor flagrauerit, in quo officio erant neſciunt: non quod his deficiat natura per cauſam, ſed vſus habeatur ex cauſa. Ita & animus hominis, niſi per fidem donum ſpiritus hauſerit, habebit quidem naturam Deum intelligendi, ſed lumen ſcientiæ non habebit. Munus autem quod in Chriſto eſt, cum omnibus patet, vnum eſt, quod vbique non deeſt: intantum datur inquantum quis volet ſumere; in tantum reſidet, in quantum quis volet promereri; hic vſque ad conſummationem ſeculi nobiſcum, hoc expectationis noſtræ ſolatium, hoc in donorum operationibus futuræ ſpei pignus eſt; hic mentium lumen, hic ſplendor animarum, hicque Spiritus ſanctus expetendus eſt, promerendus, adorandus eſt, & drinceps præceptorum fide atque obſeruatione retinendus.*

Tertia veritas quam credere oportet, eſt fides myſterij incarnationis, id eſt vt fide aprehendamus Ieſum Chriſtum, qui in carne apparuit; & cum hominibus cõuerſatus eſt, purum hominem non fuiſſe, ſiue cum conceptus fuit in vtero virginali, cui poſt conceptionem, & ſuam in vtero formationem, poſteà diuinitas propter ſua merita data fuerit, vt volebat Neſtorius, ſiue qui purus homo poſt conceptionem, ſemper permanſerit, vt volebat Paulus Samoſatenus, & alij, qui vnionem hypoſtaticam verbi cum carne negauerunt. Huius autem myſterij fides adeo neceſſaria eſt, vt abſque ea ableganda ſit omnis ſpes ſalutis, dicente Athanaſia in ſymbolo: *Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, vt incarnationem quoque Domini noſtri Ieſu Chriſti fideliter credat. Eſt ergo fides recta, vt credamus & confiteamur, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Dei filius, Deus & homo eſt.* Concinit S. Hilarius l. 9. de Trinitate, dum ait. Neſcit plane vitam ſuam, neſcit, *qui Ieſum Chriſtum verum Deum, ita & verum hominem ignorat; & eiuſdem periculi eſt, Chriſtum Ieſum vel ſpiritum Deum vel carnem noſtri corporis denegare.* Hæc Hilarius. Ad illius bonitatem referendum eſt quod ita ſe deiecit ac depreſſit, dum factus fuit quod non erat, vt nihilominus à Dei bonitate & ſumma maieſtate non decideret. *Deo itaque,* ait S. Hilarius 1. de Trinitate, *proprium fuit eſſe aliud quàm manebat, nec tamen non eſſe quod manſerat, naſci in hominem Deum, nec tamen Deum eſſe deſinere; contrahere ſe vſque ad conceptum, & cunas, & infantiam, nec tamen à Dei poteſtate decidere. Hoc non ſibi, ſed nobis eſt Sacramentum: neque aſſumptio noſtra Deo profectus eſt, ſed contumeliæ ſuæ voluntatis noſtræ profectio eſt, dum nec amittit ille quod Deus eſt, & homini acquirit quod Deus ſit,* &c. Quod S. Hilarius dixit Apoſtoli ſententiæ ſubſcribendo, qui ait: *non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.*

Tandem quarta veritas, quam profiteri debemus eſt quod humanitas noſtra ea ratione ita ſit eleuata ad vnionem diuinitatis, vt non amittat ſuas proprietates, ne ſi aliter dicamus, diſſoluamus Sacramentum ſalutis humani generis, quæ conſiſtit in vnione duarum naturarum diſtinctarum in eadem perſona;

Digitized

quod attentare impiè auſus eſt Eutyches nouæ hæreſis inuentor, qui negabat Dominum noſtrum nobis eſſe conſubſtantialem, ſecundum carnem; ſed aut attuliſſe è cœlo corpus, aut duas naturas poſt vnionem ſimul coaluiſſe, & vnum quid euaſiſſe. At ſicut confiteri, ac profiteri debemus, vt veritati Chriſtianæ & Catholicæ noſtra confeſſio & profeſſio ſit conſona, quod S. Epiphanius aſſerit de filij Dei abiectione & humiliatione, cum verbum caro factum eſt, nempe *quod verè natus eſt Chriſtus ex Maria ſemper Virgine, accipiens corpus in veritate, & non in apparentia, carnem verè, corpus verè, cum oſſibus & neruis, ac omnibus noſtris, nihil à nobis exuarians, præterquam in ſola gloria ſuæ ſanctitatis ac deitatis*: Pari ratione confiteri debemus hoc fieri abſque vlla ſuæ diuinitatis iniuria, ſed eo modo quem adducit S. Epiphanius in Anacephalæoſi, *paſſus in veritate, in cruce præfente ipſius Deitate, ſed non ad patiendum conuerſa, ſed à paſſione aliena & immutabili, itaut hæ conſequentia clarè conſideretur in Chriſto patiente pro nobis in carne, verum paſſionis exorte manente in Deitate, non homine per ſe exiſtente, & per ſe item Deitate: ſed ſimul præſente Deitate, non patiente autem propter eſſentiæ ſyncretatem ac incompatibilitatem, patiente autem ipſo in carne, & mortem ſentiente in carne, viuente verò ſemper in Deitate, & ſuſcitante mortuum, corpore ſepulto in veritate.*

A

B

Harum veritatum determinationes, facta in quatuor Conciliis œcumenicis, ſub quatuor primis ſigillis adumbrantur.

ANNOTAT. IV.

HÆ quatuor veritates, cum ſint ſcitu digniſſimæ, cumque ſint habendæ pro fundamento totius Chriſtianæ pietatis, quæ docet & præcipit credi vnum Deum in Trinitate perfecta perſonarum, & vnum ſolum Ieſum Chriſtum, Deum & hominem, nonne veriſſimum eſt neminem inficiari poſſe manifeſtationem celebertimam & authenticam harum veritatum poſſe conſiderari, tanquam quemdam euentum inſignem, & Eccleſiæ valde proficuum, quodque iure ac merito debuit præuidi, ſiue talis euentus vtilitatem ac neceſſitatem, ſiue illius dignitatem ſpectes? Et vt verum fatear, cum video ſanctum Ioannem multum flentem, eoquod librum videret ſignatum & clauſum, neminemque audiret dignum qui illum aperiret; & ad eius mœrorem auferendum audio promitti libri apertionem: in animum inducere nequeo, quod res quæ eius menti obijci debebant, ſtatim atque ſoluerentur ſignacula, liberque aperiretur, ſint res funeſtæ, intolerabiles, ac Eccleſiæ nociuæ. Etenim ex cognitione rerum exitialium, nullum accepiſſet ſolatium, imo potius maiorem flendi cauſam exinde ſumeret, Chriſti Domini imitator factus, qui è monte oliuarum olim deſcendens, videns ciuitatem Ieruſalem fleuit ſuper illam, illius euerſionem præuidens: pari ratione, ſi ad apertionem ſigillorum videret S. Ioannes fore vt Eccleſia Chriſtiana perſecutionibus afflictaretur, hæreſibus impugnaretur, hypocriſi plurimorum contaminaretur, talium euentuum præuiſio lachrymas non compeſciſſet, ſed prouocaſſet, eumque compuliſſet his Ieremiæ vti clamoribus: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum?*

C

D

Igitur cum ei promittitur per Agnum, & executionem & manifeſtationem horum euentuum fore adimplendam, propter quod à fletu abſtinere debebat, abſque dubio quæ ſub his ſigillis continentur, & ab agno fiunt & manifeſtantur, ſalutaria, iucunda, & gratiſſima eſſe debuerunt.

Quid autem Eccleſiæ vtilius euenire poſſet, quàm vt fides, quæ neceſſaria eſt ad ſalutem, tam firmis ſolidaretur fundamentis, vt dirui aut deiici nequeat. De his igitur, quæ ad firmitatem iſtius fidei valde conducunt, ſub his ſigillis agi conuenientiſſimum eſt.

E

Qua quidem ratione ductus, nihil abſque vllo temerario auſu licuit conjicere quatuor prima ſymbola, quæ in medium prodeunt ad apertionem ſigillorum, ſignificare effectus & euentus, qui contigerunt ex determinationibus harum quatuor veritatum Chriſtianæ religionis, in quatuor principiis conciliis vniuerſalibus; prima videlicet in Concilio Niceno; ſecunda, in Concilio Conſtantinopolitano; Tertia, in Concilio Epheſino; Quarta, in Concilio Chalcedonenſi. Fuerunt quippe hæc quatuor Concilia tanta veneratione digna, vt de iis agens S. Gregorius Papa dixerit Epiſ. l. 1. Indict. 9. Epiſtol. 24. *Præterea, quia corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem: ſicut ſanctis Euangelijs quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipere & venerari me fateor; Nicænum ſcilicet, in quo pernerſum Arij dogma deſtruitur; Conſtantinopolitanum quoque, in quo Eunomij & Macedonij error conuincitur; Epheſinum etiam primum, in quo Neſtorij impietas iudicatur; Chalcedonen ſe verò, in quo Eutichetis, Dioſcorique prauitas reprobatur, tota deuotione complector, integerrimâ approbatione cuſtodio, quia in his, velut in quadrato lapide, ſanctæ fidei ſtructura conſurgit, & cuiuſlibet vitæ atque actionis norma conſiſtit. Quiſquis eorum ſoliditatem non tenet, etiamſi lapis eſſe cernitur; tamen extra ædificium iacet.* Et paulo poſt: *Quiſquis ergo aliud ſapit, anathema ſit. Quiſquis verò prædictarum ſynodorum fidem tenet, pax ei ſit à Deo Patre per Ieſum Chriſtum Filium eius, qui cum eo vivit & regnat conſubſtantialiter Deus, in virtute Spiritus ſancti, per omnia ſecula ſeculorum, amen.* Ita Greg. Quæ cum ita ſint, merito S. Ioannes de iſta Concilia debuit prædicere, & de his agere in ſua Prophetia, quæ inſigniores Eccleſiæ euentus continet. Parem venerationem exhibuit his quatuor Conciliis Epiphanius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, Epiſtola ad Hormiſdam Papam de ſua electione: *Diuinam enim, reuera ſanctum, & à Deo datum ſymbolum trecentorum decem & octo ſanctorum Patrum, in Nicea congregatum adoro & prædico, & Chriſtiani ſplendoris manifeſtum iudicium eſſe annuncio; Et quinquaginta & centum ſanctorum ſacerdotum in hac vrbe regia factam venerabilẽ ſynodum; ſimiliter & ducentorum Dei amatorum Patrum conuentum in Epheſina factam; Triginta & ſexcentorum reuerendiſſimorum Patrum & Sacerdotũ Synodum, factam Chalcedone, vnam eſſe & conuenientem, & compaginatam prædictis ſanctis Concilijs ipſe ego didici, aliaſque Doctores cognoui. In his ergo quatuor Synodis ſanctis & ſacris, magnum pietatis prædicatum myſterium, & omnium hominum eſt poſita ſalus.* Ita Epiph. Nihil certè magis appoſitè ad noſtrum propoſitum dici poſſet. Merito igitur S. Ioannes horum quatuor Conciliorum effectus præuidere debuit, quia hi effectus ad plenam myſterij pietatis, id eſt Chriſti incarnationis, cognitionem pertinent, & in eorum fide repoſita eſt omnium hominum ſalus. Itaque ex magna veneratione, quam Patres antiqui exhibuerunt his quatuor Conciliis, vt patet ex S. Greg. & ex Epiphanio prædicto, veriſſimum eſſe apparet plurimum intereſſe Eccleſiæ Catholicæ, ſi iſtæ veritates manifeſtarentur, taleſque eſſe apparent, quæ Propheticò ſpiritu à B. Ioanne & præuiderentur, & deſcriberentur. Fuerunt quippe euentus inſignes, quibus honor Chriſto exhibendus ob regimen Eccleſiæ plurimum accepit & firmitatis & augmenti. In qua adoratur vt Deus, imperat vt Dominus, quem omnes in ea exiſtentes imitari & ſequi conantur, vt qui ſit exemplar totius

virtutis, quem amant & colunt, vt amabilem redemptorem, potentiſſimum liberatorem. Nunc igitur videndum ſpecialiùs quomodo hæ veritates fuerint in quatuor primis Conciliis œcumenicis determinatæ; & earum determinationes, & effectus exinde ſubſecuti, graphicè ſub ſymbolis, quæ in apertione libri apparent, deſcripti.

Et audiui vnum de quatuor animalibus dicens, tanquam vocem tonitrui: veni & vide.

Chriſtum eſſe filium Dei determinatur in Concilio Niceno, illiuſque fidei præclari effectus prophetantur, ſub primo ſigillo.

ANNOTAT. V.

DIGNITATEM perſonæ Chriſti Domini olim Arius impugnare auſus fuit, cum perniciоſum dogma introducere in Eccleſiam attentauit, filium nempe principium ſeu initium habere, quo inciperet eſſe, antea non exiſtens; nec enim ex ſubſtantia Patris eum genitum eſſe, nec Patrem ab æterno Patrem fuiſſe, imo potius tempus aliquod extitiſſe, in quo Pater non exiſtebat vt Pater, affirmare audebat; ſicque verbum non eſſe æternum, aut ab æterno, ſed ex nihilo factum ſeu creatum, Patri in eſſentia diſſimilem: quod ſi Verbum aut Sapientia Patris nuncuparetur, hoc non dici ratione naturæ, ſed quia à Verbo, ſeu Sapientia, quæ apud Patrem exiſtebat, factum fuerat, ſicut & cæteræ res creatæ ex nihilo productæ.

Contrà hunc perniciоſiſſimum errorem, Conſubſtantialitas filij ſtabilita fuit, per determinationem huius veritatis factam in Concilio Niceno, in quo deciſum fuit Chriſtum Dominum dici debere ex Patre natum, Patriſque vnicum filium, id eſt ex ſubſtantia Patris, *Deum ex Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, conſubſtantialem patri, per quem omnia facta ſunt.* Videſne præcipuam Conciliorum omnium deciſionem, vt exitialis error Arrij conuinceretur, & eius impia temeritas reprimeretur, in Concilio Niceno factam? Nunc perſpiciendum quomodo in primo ſymbolo, quod videtur à S. Ioanne, in apertione primi ſigilli libri ſignati, effectus illius determinationis, quod ſcilicet filius æqualis ſit Patri, eique conſubſtanti alis, fuerunt optimè deſignati.

Leo eſt, qui Ioannem vocat his verbis: *Veni & vide.* Leonem Hieroglyphicum eſſe diximus Eccleſiæ Alexandrinæ: appoſitè quidem. Alexandrum enim Alexandriæ Patriarcham nouimus, qui Encyclicis Epiſtolis, numero ſeptuaginta, impietatem Arrij patefecit, & redarguit; & qui cum Athanaſio tunc Diacono ſibi miniſtrante, in Concilio Niceno magnanimiter oppugnauit peruerſum Arrij errorem. Conuenienter igitur Leo prouocat Ioannem, vt videat, & attente conſideret quæ tranſacta fuerunt, & deciſa in Concilio Niceno. De Alexandro ita S. Epiphanius lib. 2. contra Hæreſes to. 1. Hæreſ. 69. *Ipſum Arrium per multam commonitionem, ac magnas Synodos ſubuertit.* Et paulo poſt: *Poſtea vero ad aures Epiſcopi Alexandri deuenit, & ſcribit Epiſtolas Encyclicas, hoc eſt orbiculares, ſiue per circuitum; quæ ſanè apud ſtudioſos adhuc ſeruantur, numero ſeptuaginta,* &c. Quid igitur apparebit nobis, ſi ad prouocationem ſanctiſſimi huius Epiſcopi, quæ egit & quæ in Concilio Niceno peracta fuerunt, contemplati fuerimus ſub ſymbolo viſo à Beato Ioanne ad apertionem ſigilli primi? Certe videbimus verbum æternum vincens, & de victoria glorioſè triumphans.

Et vidi, &c. Et ecce equus albus. Equo inſidet verbum diuinum, quia ad debellandos hoſtes procedit. Albus eſt equus, quia cognoſci vult vt æqualis Patri, & ab omnibus prædicari ipſum eſſe candorem lucis æternæ, & ſplendorem Patris, iuxta illud Sap. 7. vbi de Sapientia, quæ filio attribuitur, dicitur: *Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei Maieſtatis, & imago bonitatis illius.* Illudque Apoſtoli Heb. 1. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius.* Arcum tenet, vt ſuam deſignet potentiam, quam his verbis laudat Pſalmiſta Pſ. 7. *Deus iudex iuſtus, fortis & patiens: numquid iraſcitur per ſingulos dies? Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit, & paratus eſt illum, & in eo paratis vaſa mortis,* &c. Coronam geſtat in capite, quia de victoria eſt ſecurus, & per eam regnaturus. Tandem exit *Vincens vt vinceret*; Errorem ſiquidem perniciоſiſſimum proſtrauit, vt poſtea in nobis vinceret peccatum, & victoriam in mentes, & corda noſtra ſibi compararet, cum mentes ſubderet obſequio fidei, vt corda ad eum diligendum eueherentur. Hunc ſibi finem præſcripſit, cum exiens à Patre venit in mundum. Venit quippe vt vitam habeamus, Iuſtus quippe ex fide viuit: & abundantius habeamus, per charitatem. Hi ſunt præclari effectus & euentus inſignes, ad determinationem veritatis ſubſequuti; nempe quod ſtatim atque deciſum fuit filium eſſe patri conſubſtantialem, modo adeo authentico, vt fuit deciſio Concilij Niceni celebertmi, tunc filius Dei apparuit gloria & honore decoratus, & Rex potentiſſimus, ob victoriam de inimicis reportatam, iuxta Prophetiam Dauidis Pſ. 100. *Dixit Dominus Domino meo: ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Si enim Chriſtus Eccleſiæ Chriſtianæ inſtitutor, vt filius Dei agnoſcitur, quis eius doctrinæ aduerſari attentabit, aut eius præceptis obtemperare recuſabit?

Et cum aperuiſſet ſigillum ſecundum, audiui ſecundum animal dicens: veni & vide: & exiuit alius equus rufus, &c.

Concilij Conſtantinopolitani determinatio de diuinitate Spiritus ſancti, cuius prouidentia totum corpus Eccleſiæ ſanctificatur & regitur, prædicitur ſub ſecundo ſigillo, & præclari huius determinationis effectus adumbrantur.

ANNOTAT. VI.

SI de deciſione ſecundæ veritatis loquamur, vt præclaros effectus quos ſpiritus Dei, & Chriſtus in Eccleſia operantur, percipere valeamus,

Dicimus primò, hunc diuinum ſpiritum multos paſſum fuiſſe aduerſarios, hac de cauſa Pneumatomachos, nuncupatos; inter alios Eunomium, & Macedonium: qui Macedonius impiè negabat Spiritum ſanctum eiuſdem honoris & gloriæ, cum Patre & Filio debere eſſe conſortem, ſed ipſum tantum eſſe profitebatur vnum de Angelis & ſpiritibus adminiſtratoriis, licèt in gradu quodam ſublimiori ſupra illos eſſet cõſtitutus. Dogma certe blaſphemiâ nimiũ perniciosâ refertũ, qua lædebantur teneri ac ſyncerì diuini amoris affectus, qui nos ita tenere diligit, vt opera ſalutis noſtræ ipſemet perficere velit, nec ad Angelos hoc remittat negotium, immediatè in nobis operando, & Angelorum miniſterio, quorum opera vti poſſet, prætermiſſo, ſua nos præſentia exhilarat & nobilitat. Blaſphemia, inquam, quæ diuinam Maieſtatem nimium deprimebat, eam ad conditionem puræ creaturæ ablegando, dum aſſerit eum qui vere Deus eſt, à Patre & Filio procedens, Patrique ac Filio coæqualis, in bonitate, ſapientia,

Digitized by Google

& poteſtate, Angelum eſſe de nihilo creatum. Eunomius autem audebat aſſerere, nihil rerum diuinarum ſuam effugere cognitionem, perſpectamque perfectiſſime & exactiſſime ſibi eſſe diuinam ſubſtantiã, eamdemque de Deo, quam Deus ipſe de ſe haberet, poſſidere notiam; contra Apoſtoli doctrinam, qui ait 1. ad Corinth. 2. *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum, nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſuum: ſpiritus enim omnia ſcrutatur etiam profunda Dei. Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt? Ita & quæ Dei ſunt, nemo cognouit, niſi ſpiritus Dei. Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt, &c.* Contra hunc B pernicioſiſſimum errorem inſurrexit Concilium Conſtantinopolitanum œcumenicum, in quo fidei articulus de perſona Spiritus ſancti fuit declaratus, in his verbis: *Et in Spiritum ſanctum Dominum, & Viuificantem, qui ex Patre procedit, & cum Patre & Filio eſt coadorandus & conglorificandus. Qui locutus eſt per Prophetas.* Huius autem fidei effectus graphicè deſcribuntur, & depinguntur, ſub ſymbolo à S. Ioanne viſo, ad apertionem ſecundi ſigilli, eadem ratione qua ſupra vidimus effectus fidei diuinitatis verbi, ſub primo ſymbolo fuiſſe deſcriptos.

Itaque cum ad apertionem ſecundi ſigilli ſe accingit agnus, vocat ſecundum animal faciem gerens vitulinam, ſanctum Ioannem, & ad videndum quæ C apparere debebant eum prouocat, dicens: *Veni & vide.* Et optimè ad noſtrum propoſitum: Figuram vituli ſedi Antiochenæ affiximus, quæ quidem figura conuenientiſſima eſt ad effectus præſentiæ Spiritus ſancti, tempore naſcentis Eccleſiæ, deſignandos: qui potiſſimum innotuerunt in Eccleſia Antiochena: hi præcipuè qui ad regimen Eccleſiæ neceſſarij eſſe videntur At diximus Bouem ſiue vitulum eſſe Hieroglyphicum vrbis Antiochenæ: appoſitè igitur hîc ſecundum animal, habens faciem vituli, vocat S. Ioannem, vt videat quæ præclare geſta ſunt in Eccleſia Antiochena, ad manifeſtationem Spiritus ſancti Eccleſiam gubernantis.

Hi autem effectus diuini ſpiritus ſunt dona gra- D tuita, pro vtilitate fidelium conferre, Miſſiones prædicatorum verbi ad animarum conuerſationem, Concordia & Communio fidelium ad inuicem, collocatio & deputatio Epiſcoporum & Paſtorum, ad quædam loca ſpecialia, quæ quidem omnia peracta fuiſſe in ſede Antiochena notiſſimum eſt. In Antiochia nempe nomen Chriſtianorum fideles aſſumunt, quo vno nomine ſuam in fide & charitate conſenſionem teſtabantur: ibi degebat Agabus Propheta: ibi charitatis & dilectionis proximi actus refulgebant, Antiochenſibus de ſuis facultatibus miniſtrantibus, iis qui erant in Iudæa fidelibus, vt eorum neceſſitatibus ſuccurrerent. Et Act. c. 13. dicitur in Eccleſia Antiochena fuiſſe Prophetas & Doctores, *Inter quos Barnabas, Simon Niger, Lucius Cyrenenſis, Manahen, & Paulus* Qui ſanctam Liturgiam celebrantibus, & ieiunantibus, à Spiritu ſancto hoc habuerunt præceptum, *dixit illis Spiritus ſanctus: ſegregate mihi Saulum & Barnabam ad opus ad quod aſſumpſi eos: tunc ieiunantes & orantes, imponenteſque eis manus dimiſerunt eos. Et iſti quidem miſſi à Spiritu ſancto, abierunt*, & poteſtate ſibi per hanc miſſionem factã, conſtituebant per ſingulas Eccleſias Præsbyteros. Act. 14. Et omnes norunt & fatentur ciuitatem Antiochenſem primam fuiſſe, in qua Apoſtolorum Princeps ſedem ſuam collocauit, vbi exerceret ſummæ autoritatis. qua præſtabat cæteris, munia: cuius res feſtum adhuc celebratur in Eccleſia Chriſtiana, & pro fundamento ponitur à S. Auguſtino. ſerm. 15. A de ſanctis, dum loquitur de inſtitutione ſolemnitatis Cathedræ D. Petri in Antiochia, ſupra quod Eccleſiaſtici ædificij altitudo conſurgit. Cum igitur proprium munus & officium Spiritus ſancti Eccleſiam gubernantis, ſit Epiſcopos ponere, qui eam regant, iuxta illud Apoſtoli Act. 20. *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*; clarè apparet quantum in Antiochia hæc diuina operatio enituit, & conſequenter conuenientiſſimè ſecundum animal, Antiochenæ Ciuitatis, ſediſque Patriarchalis in ea erectæ præclarum Hieroglyphicum, ſanctum Ioannem interpellare, vt attentè conſideret effectus, qui ex determinatione veritatis de diuinitate Spiritus ſancti ſubſequi debebant, ſub ſymbolis ſibi obiectis deſignatos; quæ quidem deciſio facta fuit in Concilio Conſtantinopolitano, vt iam diximus. Quænam autem ſit inter ſymbolum, & rem ſignificatam conuenientia, nunc perſpiciendum eſt.

Et ecce equus rufus: ſicut ſplendor diuinitatis verbi per equum album fuit deſignatur, (eſt enim Verbum *candor lucis æternæ*) ita per rufum colorem ardor Charitatis, quæ à ſancto ſpiritu diffunditur in cordibus noſtris, deſignatur. Sedens ſuper hunc equum ſumit pacem de terra. Proprius quippe effectus Spiritus ſancti pax eſt, quo fit vt eam perfectiſſimè poſſideat vt rectè dici poſſit eam à terra ſumere, cum ad ipſum ſolum pertineat illam donare. Additur ſumpſiſſe pacem, vt ſe interficiant: à Spiritu ſancto quippe cauſatur & indicitur bellum atrox, inter mundum, diabolum, & carnem, ex vna parte, & Dei ſeruos & amicos ex alia. Venit vt arguat *mundum de peccato, de iuſtitia, & de iudicio.* Ignis eſt è cœlo miſſus, quem ardere vult & exoptat Chriſtus, & cum ardet conſumit omnia quæ ſibi contraria ſunt, zelo quo accenduntur, qui Dei feruent dilectione. Sic interficit peccata, omnes mundanos affectus, omnemque mentis elationem & ſuperbiam. Habet ad hunc finem gladium illum, de quo ait Dominus: *Non veni pacem mittere ſed gladium*, quo ſeparari valeamus à mundo, itaut nunquam amicitiam cum eo ineamus: vt ſalua & integra maneat erga Deum dilectio, nec detrimenti aliquid capiat; itaut parati ſimus viciſſim à mundanis, in quibus vitia interficere conamur, morte corporali potius interimi, quàm à Deo ſeparari: de qua mutua interfectione, fuſius ſuprà diſſeruimus. Habet inſuper Spiritus ſanctus in manibus gladium verbi Dei, qui dicitur vtraque parte acutus: de quo etiàm S. Paulus ait: *Et gladium ſpiritus, quod eſt Verbum Dei*, Epheſ. 6. quo vtitur ſiue ad annunciandum futura, ſiue ad prædicandum vera, & ad ſalutem æternam conſequendam ſcitu neceſſaria: ſiue verbum quod vſurpari poſſit, vt efficaciter operetur id quod ſignificat, nempe legitima Sacramentorum adminiſtratione.

Igitur ſi in hoc ſymbolo deſignari poſſunt interiores effectus, qui à Spiritu ſancto in mentibus noſtris producuntur: ſi ordo ab eo in Eccleſia ſtabilitus & poſitus etiam deſignatur, cum pacem à terra ſumit, vt eam Eccleſiæ largiatur: dum *vnanimes in domo inhabitare facit*, dum in fide & charitate conſenſionem generat, dum membra cum capite & ad inuicem, ſtrictiſſimis coniungit vinculis, opus certe eſt à longe ſuperans vim & efficaciam cuiuſcumque terrenæ poteſtatis. Pax enim illa eſt quam mundus dare non poteſt, nec accipere: vnde nullus in terra reperitur, qui eam conferre poſſit, vel qui valeat tam decentem ponere & inſtituere ordinem. Si inſuper hoc ſymbolo ſignificantur ea, quæ Dei filius declarauit a diuino ſpiritu debere fieri, cum eum Eccleſiæ infunderet, nempe Spiritum ſanctum

Digitized by Google

bellum illaturum eſſe mundo ; & Eccleſiam cumulaturum donis, ad ſalutem fidelium procurandam neceſſariis, hæc dona commodè ſub ſymbolo gladij, deſignari poſſunt. Gladius ſiquidem eſt verbum Dei, ſiue cum annuntiatur voce aut ſcripto, ſiue cum vſurpatur & aſſumitur, vt operetur id, ad quod operandum fuit inſtitutum, vt verum ſit quod à Prophetа dicitur : *Verbum meum non redibit ad me vacuum, ſed faciet fructum.* Et apertè videmus, nullam ſcripturæ fieri violentiam, ſi dicamus S. Ioannem videre, ad apertionem huius ſigilli, ſymbolum quo poſſit mens eius eleuari in contemplationem effectuum, qui diuinam omnipotentiam Spiritus ſancti redoleant, veluti qui æqualis ſit Patri & Filio in poteſtate, qui locutus eſt per Prophetas, & gladium verbi habet in manu, vt quæcumque velit operetur. Hæc deciſa fuerunt in Cõcilio œcumenicò Conſtantinopolitano, autoritate Damaſi ſummi Pontificis congregato, imperante Theodoſio, cuius curâ, vigilantiâ & ſollicitudine promotum fuit Concilium : dum per Epiſtolas ab eo datas vocati ſunt Epiſcopi, vt Conſtantinopolim conuenirent ad celebrationem Concilij. Lege Baron. an. 381.

Et cum aperuiſſet ſigillum tertium, audiui tertium animal dicens : veni & vide. Et ecce equus niger : & qui ſedebat ſuper illum habebat ſtateram in manu ſua, &c.

Dignitas, quam adepta eſt natura humana, ex vnione ipſius cum Verbo, defenditur in Concilio Epheſino ; & huius Veritatis effectus deſignantur in ſymbolo viſo in apertione tertij ſigilli.

ANNOTAT. VII.

DIABOLVS gloriæ & honoris naturæ humanæ hoſtis & æmulus, ægrè ferens ſuam naturam fuiſſe ipſi naturæ humanæ poſthabitam in myſterio vnionis hypoſtaticæ, qũa verbum caro factum eſt, poſtquam aperto marte impugnauit gloriam & maieſtatem ſanctiſſimæ Trinitatis, errores diſſeminando contra diuinitatem Verbi, & diuinitatem Spiritus ſancti, tandẽm agnoſcens ſe in his duobus prælijs ſuperatum, tertium inſtauravit, ſeu inſtruxit prælium ; & ardens & tabeſcens inuidiâ, ex eo quod Deus voluit ſe adeo dẽmittere, vt naturam aſſumpſerit humanam, à cordibus noſtris fidem venerandi ad modum myſterij Incarnationis auferre conatus eſt, cum peruerſum dogma Pauli Samoſateni cuomuit, de quo S. Epiphanius l. 2. to. 2. Hæreſi 65. dum ait : *Verbum velut id quod in corde eſt eſſe voluit, & ſapientiam, qualem in anima hominis vnuſquiſque habet ſapientiam ex Deo adeptus : quapropter vnam perſonam Deum vnà cum verbo dicunt, velut vna perſona eſt homo, & ipſius verbum ſiue ſermo : nihilo plus iudei, velut dixi, glorificantes, cæcutientes à veritate, & ſurdi facti à diuina doctrina, ac prædicatione vitæ æternæ.* Ita Epiph. Hoc peſſimo dogmate auferens noſtræ naturæ honorem, quem adepta eſt ex vnione ad id quod reuera Deus eſt : cum eam vnitam non Deo, ſed cuidam rei in Deo exiſtenti profiteatur. Quod quidem ita eſſet, ſi verbum diuinum in Deo eſſet eodem modo, quo eſt in mente noſtra, ſeu in homine verbum humanum : nam, vt optimè dixit S. Epiphanius, *non poteſt Verbum in homine homo vocari, ſed Verbum hominis* : & conſequenter ſi verbum eſſet in Deo, eo modo quo eſt in homine, eſſet quidem Dei verbum, at non Deus Verbum à Patre genitum, Patri conſubſtantiale. Volebat igitur ille impiùs, quòd ſi duas perſonas diceremus Patrem & Filium, eſſet quia hic Ieſus, qui homo erat, propriam perſonam habebat aliam à Patre : *Dicunt*, inquit S. Epiphan. *enim : homo erat Ieſus, & in ipſum inſpiratus ex ſupernis Verbum, & hæc de ipſo dicit homo. Pater enim cum Filio, vnus eſt Deus ; homo vero infernè propriam perſonam oſtendit : & ſic duæ perſonæ implentur. At*, vt ait Epiphanius, *ſed perfectus Pater, perfectus Filius, perfectus Spiritus ſanctus. Ergo eſt in Patre, non ſicut Verbum in corde hominis, ſed Patrem nouimus qui intelligitur cũ Filio, & Filium ex Patre geniuum, & non ſic quòd in homine velut in domicilium venerit diuinum Verbum ; & quod poſtquam natus fuit, Verbum in ipſo conſpectum ſit : & rurſus in Deo ſit ſupernè, velut in corde hominis Verbum. Hæc enim diabolicæ inſaniæ ſunt, & omnis abnegationis Dei characteres habent.* Ita Epiph. His ineptiis implicatus eſt Neſtorius, dum voluit ex virgine tantùm purum hominem natum fuiſſe, duas ponens perſonas, vnam carnis, aliam deitatis, & vnum negans eſſe Chriſtum, qui in Verbo & carne conſiſteret ſeu ſubſiſteret : at ſeparatim volebat vnum eſſe Dei filium, alium hominis filium.

Contra iſtum errorem Concilium Epheſinum celebratum fuit, ſub Cæleſtino Papa, præſidente Cyrillo Papæ Legato : in quo fuit Anathema decretum & proclamatum, contra eos qui dicerent Emmanuel non eſſe verum Deum, Mariam Virginem non fuiſſe Dei matrem ; qui negarent Chriſtum non eſſe Deum & hominem : itaut abſque diuiſione quidquid dicebatur, ſiue ſecundum vnam, ſiue ſecundum alteram naturam, ad eumdem pertineret Chriſtum, qui non ſolum dici debebat, Theophoros, id eſt Deum ferens, ſed Deus verus, vt pote qui eſſet naturalis Patris æterni Filius, caro factus, quo Deus & homo : ad quem gloria, quæ vnico filio debetur ab æterno, pertinebat : vt qui ſit verus Deus : qua ratione clarum eſt, eos qui hanc fidem profitentur, aliquid credere ; quo altitudo diuinitatis ad humilitatem carnis ſeu humilitatis noſtræ, omnino deprimitur ; quæ tanta humiliatio nobis plurima attulit bona. Per hanc enim ipſe gratiam nobis promeruit. Secundò per hanc ſecurè credimus documenta & præcepta Verbi incarnati indubitatæ eſſe fidei, quibus refragari & contradici à nemine debet, eiuſque actiones eſſe ſanctiſſimas, & omnino irreprehenſibiles, eique fidem in omnibus eſſe adhibendam, eumque abſque vllo fallaciæ periculo eſſe ſequendum, vt ad vitam per eum perueniamus æternam, dicente ipſo iure & merito : *Ego ſum Via, Veritas & Vita.* Hic autem inſignis effectus fidei, quem operatur in nobis fides myſterij incarnationis, à S. Ioanne & prænidetur & deſcribitur, in apertione tertij ſigilli, in ſymbolo quod ei intuendum proponitur : ad cuius cõſiderationem prouocat tertium animal, hominis gerens figuram : quam figuram diximus eſſe hieroglyphicum ſedis Hieroſolymitanæ, propter rationes quas ſupra attulimus. Vnde optima ratione aſſumitur ad prouocandum S. Ioannem, ad contemplandos effectus incarnationis Verbi : nam Ieroſolymis, inſigniora Dominus dedit ſuæ erga nos dilectionis teſtimonia. Tertium igitur animal vocat Ioannem dicens : *Veni & vide*, ac ſi diceret : Vide Prophetico ſpiritu, quænam eſt futura deciſio fidei & doctrinæ myſterij incarnationis in Concilio Epheſino, in quo oppugnabitur impietas eorum, qui negare audebunt incarnationem filij Dei ; & ex hac deciſione perſpicies, Verbum æternum hominibus aliis ſimilem euaſiſſe, formamque ſerui accepiſſe, & in ſimilitudinem carnis peccati humanitatem aſſumpſiſſe. Videbis, inquam, eum cui gloria propria eſt, talem eſſe qui mereri poſſit pro ſe & pro aljis, itaut ſibi comparare valeat huius gloriæ, quam habet ex vnione cum Verbo humanitas, manifeſtationem ; aliis autem & gratiam & gloriam ; gra-

Digitized by Google

tiam quippe *& gloriam dabit Dominus*. Vnanimi quippe Eccleſiæ conſpiratione & conſenſione, per totum orbem audietur credendum & publicandum, oportere, vt fideles ſalutem conſequantur, corpus & animam Humanitatis Chriſti nullam aliam habuiſſe ſubſiſtentiam à ſubſiſtentia Verbi; quinetiam humiliationes, & abiectiones naturæ humanæ addictas, v. g. paſſiones triſtitiæ, timoris, famis, ac ſitis, & dolorum qui ab extrinſeca cauſa inferri poſſunt ſenſibus, poſſe de Verbo annunciari, propter vnionem cum hominis natura: vt hac ratione iuſtitia & miſericordia ſecum conciliari queant, abſque vlla diuiſione aut diſciſſione; ex quo fonte pretioſi liquores, & effuſiones vnguenti exquiſitiſſimi gratiæ diuinæ manabunt, quibus perfuſi & vncti, capaces erimus merendi denarium retributionis æternæ, bonis operibus inſiſtendo; quin etiam & ſatisfactiones pro peccatis ſubeundas, & labores pro ipſorum expiatione tolerandos gratos fore Deo & acceptos, meriti ratione induentes; itaut per hæc omnia cœli gloriam adipiſcamur, propter vnionem quam cum Verbo habemus, plenitudinis gratiæ ipſius conſortes & participes effecti. Quomodo autem hæc cum ſymbolo conueniant, nunc nobis videndum eſt.

Et ecce equus niger Verbum incarnatum in hoc ſymbolo intelligere, non eſt à ratione alienum. A Spiritu ſancto edocemur, qui humanitatem Chriſti comparat currui inſtructo equis ad nutum obedientibus, ductoribus ſuis. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te, amica mea.* Cant. 1. Quin & ipſe ſibi nomen equi imponit, cum apud Pſalmiſtam ait: *Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum.* Ac ſi diceret: immutabilis manens, diuinamque naturam non amittens, abſque vllo detrimento meæ dignitatis, ad tantam volui deuenire abiectionem, homi num aſſumendo naturam, vt brutis animantibus etiam aſſimilari potuerim: dum eorum peccata, & pœnarum onera ferre non recuſaui; qua quidem ratione apparui tanquam equus, non albus, propter diuinitatem, non rufus propter Charitatis ardorem; ſed niger, propter pœnarum tolerantiam, & obedientiam quam Patri exhibui, mortem crucis tanquam reus ſubeundo, inter iniquos & ſceleratos deputatus. *Non enim*, vt ait Apoſtolus, *rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Ex hac abiectione, nonne meritò dici poteſt equus niger, ad onera portanda deſtinatus? De qua abiectione latè Iſaias Propheta, c. 53. dicens: *Abſconditus vultus eius, & deſpectus: vnde nec reputauimus eum? Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit; & nos reputauimus eum quaſi leprоſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum.* Et nihilominus propter hanc abiectionem fructum faciet, ad modum grani frumenti in terram iniecti, & mortificati: vnde addit Iſaias: *Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & ſaturabitur. In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit.* Vt ad illas veritates indagandas & ponderandas nos prouocaret S. Ioannes, addit,

Et qui ſedebat ſuper eum, habebat ſtateram in manu ſua. Felix proculdubio ac fauſta ſtatera, in qua Domini voluntas, in bona & æqua manu collocatur, vt eorum quæ intendit, executionem & conſummationem obtineat. *Voluntas*, inquit, *Domini in manu eius dirigetur.* In alia manu conſiliorum euentus non ita proſperarent, nec cum tanta gloria perficerentur, ac perficiuntur in manu verbi æterni; nec enim Angelus aut homo purus capaces erunt merendi pro cæteris hominibus remiſſionem peccatorum, quam Deus in votis habebat ipſis impendere; nec iiſdem comparandi gratiam & gloriam.

At paucis verbis S. Ioannes multa complectitur: ſtatera namque illa nulla alia quàm ipſa humanitas Chriſti: quæ in manu Verbi æterni reponitur, dum ea vti ad libitum poteſt. Quam interpretationem nullus tanquam futilem & a ratione alienam rejiciet, ſi ponderare voluerit ea quæ S. Gregorius ait, in hæc verba Iob. c. 2. *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in ſtatera. Quaſi arena maris hæc grauior appareret. Quis alius*, inquit S. Gregorius, *ſtateræ nomine, niſi Dei & hominum Mediator exprimitur? qui ad penſandum vitæ noſtræ meritum venit, & ſecum iuſtitiam ſimul & miſericordiam detulit. Sed miſericordiæ lance præponderans culpas noſtras parcendo leuigauit. In manu etenim Patris, quaſi ſtatera miri libramínis factus, hinc in ſe calamitatem noſtram, & illinc peccata ſuſpendit. Sed grauis ponderis calamitas moriendo innotuit, & apud miſericordiam ſuam Deus leue eſſe peccatum relaxando monſtrauit. Ergo per veram pœnitentiam, quamuis multa & grauiſſima ſint peccata, per miſericordiam Dei facile relaxantur: & apud miſericordiam ſuam leue eſſe peccatum, quod relaxatur, monſtrauit: qui hoc complementum gratiæ contulit, quia pœnam noſtram nobis cognoſcibilem fecit. Homo namque ad contemplandum autorem conditus, ſed exigentibus meritis, ab internis gaudiis deiectus, in erumnam corruptionis, mens cæcitatem exilij ſuſtinens, culpæ ſuæ ſupplicia & tolerabat, & neſciebat: itaut exilium patriam crederet: & ſic ſub corruptionis pondere, quaſi in ſalutis libertate gauderet. Sed is quem intus homo reliquerat, aſſumptâ carne foris apparuit Deus: cumque ſe exterius præbuit, expulſum foras hominem ad interiora reuocauit: vt iam damna ſua videat, iam pœnam ſuæ cæcitatis ingemiſcat. Calamitas ergo hominis in ſtatera grauis apparuit, quia malum quod pertulit, non niſi in præſentia redemptoris agnouit, &c.* Et paulo poſt: *Vtinam appenderentur: ac ſi aperte diceret: damnationis noſtræ malum bene creditur, quia nec dum cognita redemptoris æquitate penſatur. Sed vtinam veniat, & erumnam tanti exilij miſericordiæ ſuæ lance ſuſpendat, & quid poſt exilium requiramus doceat. Si enim innoteſcit quod amiſimus, grane eſſe inſinuat quod toleramus.* Et in cap. 31. hunc verſum explicans: *Si ambulaui in vanitate, & feſtinauit in dolo pes meus, appendat me in ſtatera iuſta: & ſciat Deus ſimplicitatem meam. Quis verò*, inquit S. Gregor. *ſtateræ nomine, niſi Mediator Dei & hominum deſignatur? In quo æqua lance omnia merita noſtra penſantur, & in cuius præceptis agnoſcimus, quid in vita noſtra minus habeamus. In hac autem ſtatera appendimur, quoties ad vitæ huius exempla prouocamur. Hinc namque ſcriptum eſt: Chriſtus pro nobis paſſus eſt, vobis relinquens exemplum, &c. Hinc per Paulum dicitur: Per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in autorem fidei & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, &c. Ad hoc itaque Dominus apparuit in cruce, vt humanam vitam admonendo excitaret, exempla præbendo accenderet, moriendo redimeret, reſurgendo reparatet: cumque nulla in ſe beatus Iob iure redarguenda reperit, ad excedentem omnia redemptoris vitam, mentis oculos tenet, vt in illa agnoſcat, in ſe quid minus habeat, cum dicat: ſi ambulaui, &c. Ac ſi aperte dicat: ſi qua vnquam leuiter, ſi qua perniciose perpetraui, Dei & hominum Mediator appareat, vt in eius vita agnoſcam an ego veraciter ſimplex fuerim.* Hæc Greg. A quo diſcimus per ſtateram mediatorem Dei & hominum poſſe intelligi: venit quippe ad merita noſtra ponderanda, qui cum iuſtitiam & miſericordiam ſimul attulerit, peccata noſtra cum ſua miſericordia appendit in ſtatera, & pœnas, quas pertulit, cum ſuppliciis, quibus peccata noſtra erant punienda.

Digitized by Google

Siue autem huius equi ſeſſorem dicamus eſſe Deum Patrem, qui ſtateram in manu teneat; ſiue verbum diuinum, nihil obſtat. Si dixerimus Patrem eſſe ſeſſorem, ſtateram tenet; quia filius, inquantum homo, ſubditus eſt Patri, cuius præcepta exequi tenetur: formam enim ſerui accepit, in ſimilitudinem hominum factus. Si dixerimus eſſe Verbum, ſtateram tenet, in quantum mens & voluntas Chriſti à diuina reguntur, & quælibet actiones humanitatis à Verbo dependent, itaut nihil agat, nihil operetur interius, aut exterius, abſque dependentia à Verbo, cuius eſt humanitatem in omnibus dirigere. Sit igitur Pater, ſit Verbum ſeſſor, habent ſtateram, id eſt humanitatem in manu, in ſua videlicet poteſtate. Quid, quæſo, in ea ſtatera appendere debent nobis inquirendum? Hoc nobis innoteſcet, ſi vocem è medio quatuor animalium erumpentem expendamus. B

Et audiui, inquit S. Ioannes, *tanquam vocem in medio quatuor animalium dicentium, Bilibris Tritici denario, & tres bilibres hordei denario; & vinum & oleum ne laeſeris.*

His verbis appendi in ſtatera exiſtimo quoddam genus menſuræ, duas libras frumenti continens, aut tres libras hordei, cum quodam denario. At certum eſt hæc ad litteram intelligi non debere, ſed per denarium, & frumentum, & vinum & oleum, aliquid aliud ſignificari myſtico ſenſu: quem adipiſci poterimus, ſi quæ Zacharias Propheta cap. 9. ſecundum S. Hieronymum, & Theodoretum, apud Riberam, de vocatione gentium ad fidem prædixit, expendamus. Siquidem in hoc capite, inter alia bona & beneficia, quæ enumerantur & promittuntur, hæc enumerat. Primo: Quod Deus ſuper eos videbitur. Secundo: Quod ab eo protegentur. 3. Quod eo auxiliante omnes aduerſarios ſuperabunt. Tandem ait: *Et ſaluabit eos Dominus Deus eorum in die illa, vt gregem populi ſui; quia lapides ſancti elevabuntur ſuper terram eius. Quid enim bonum eius eſt, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines?* Quibus verbis Propheta videtur rationem reddere, & modum exponere, quo gentes bonis cumulandæ erant, nempe per aliquod frumentum & vinum. Vnde optimè Ribera: *Quaſi dicat: Non mirum eſt tunc leuandos eſſe lapides ſanctos, id eſt viros egregiæ ſanctitatis: quoniam donauit eis Deus bonum omnium maximum, frumentum ſcilicet electorum, id eſt panem cæleſtem, qui eſt verum corpus eius, quo eos nutriat, & confirmet, & quaſi lapides faciat ad tentationes & perſecutiones ferendas; donabit etiam vinum ſanguinis ſui, &c.* Frumentum & vinum pretioſiſſimum inuenimus, ſcilicet corpus & ſanguinem Chriſti. Quale autem ſit oleum ſperandum, ex Canticor. 1. poſſumus conjicere, vbi dicitur: *oleum effuſum nomen tuum.* Quodnam, quæſo, Dei nomen tanquam oleum effunditur, niſi illud quo magis eius bonitas eluceſcit, à Moyſe olim in protectionem populi peccatoris inuocatum Exod. 34. dum ait: *Dominator Domine Deus, miſericors, & clemens, & patiens, & multæ miſerationis, qui cuſtodis miſericordiam in multis, qui aufers iniquitatem, ſcelera, atque peccata, &c.* Siue nomen Ieſu. j. ſaluatoris, in quo flectitur omne genu? Tria hæc, frumentum, vinum & oleum complectitur Danid, in hoc verſiculo: *A fructu frumenti, & vini, & olei ſui, multiplicati ſunt.* Quaſi diceret: Non alia ratione in numero, & in donis multiplicati fuerunt electi, quàm per frumentũ, nempe Verbum incarnatum: quàm per vinum, nempe eius ſanguinem, in cruce olim, & in altari nunc quotidie effuſum; quàm per oleum, id eſt, miſericordiam, qua remittit, & remittendi peccata poteſtatem dedit Eccleſiæ ſuæ. Per hordeum autem ſignificari pœnas ſeu labores, quos ſaluator ſubire voluit, & quibus pro cibo vti voluit, non abſurde exiſtimamus. Hordeum enim, eſt alimentum auſterum, & minus ſuaue quam frumentum: vnde pauit in deſerto ex panibus hordeaceis hominum multitudinem, vt neceſſitati ſuccurrens, ſimul vitandas eſſe delitias ſignificaret. A

Quodnam autem ſit denarium, ex parabola Patris-familias, qui operarios miſit in vineam, Marci 20. intelligimus. Eis ſiquidem denarium promittitur, quo quidem vitam æternam & ſalutem ſignificari omnes autumant. Rationem reddit S. Ireneus l. 4 c. 70. quia in denario imago principis ſeu regis inſculpitur, & quia in vita æterna ſimiles Deo erimus, cum eum videbimus ſicuti eſt; & Filio Dei, qui eſt imago Patris, conformes erimus, cum reformabit corbus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. Hac de cauſa denarium vitam æternam ſignificat. Cum igitur denarium pro mercede datur aut promittitur, idem eſt ac ſi diceretur: Vobis promittitur aut datur, vt ſitis conformes, tam in corpore quàm in anima, Verbo æterno, quia Patris eſt imago, & caro factum eſt: quia & corpori claritatis eius configurati eritis, in qua quidem re vita æterna conſiſtit. In hac nempe ſimilitudine ad Verbum, filij adoptionis effecti eſtis per gratiam, vt hac ratione cohæredes ſitis illius gloriæ.

Nomen autem ſalutis & vitæ filio appropriatur. Etenim de primo nomine dicitur Eſa. 49. *Dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea.* Et cap. 56. *Iuxta eſt ſalus mea vt veniat.* Et de ſecundo. Ioan Ep. 1. c. 1. Dominum vocat vitam æternam: *Et vita*, inquit, *manifeſtata eſt. Et vidimus & teſtamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Quam appellationem Lorinus ait ſecundæ perſonæ ſanctiſſimæ Trinitatis appropriari, itaut eſſe præcisè & ſimpliciter ſumptum attribuitur Patri; vitæ gradus, perſonæ filij; dona autem gratiæ, perſonæ Spiritus ſancti. Ita Lorinus. Quia Verbum incarnatum nobis hanc vitam promeruit, viamque oſtendit, qua ad eum perueniamus, exemplo & doctrina, optimo iure & autor vitæ, & vita æterna nuncupatur. Ioan. 1. c. vltimo: *Vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in filio eius; qui habet filium habet vitam.* Et S. Paulus Coloſſ. 3. dixit: *Cum Chriſtus apparuerit vita veſtra, &c.* Eſt igitur vita æterna Chriſtus; & conſequenter, ſi vita æterna per denarium ſignificatur, Chriſtus etiam per denarium ſignificari poterit, inquantum eſt Deus: *Hæc eſt enim vita æterna vt cognoſcant te, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, &c.* His ita præſuppoſitis, facile eſt conjicere quid velit S. Ioannes, cum dicit denarium cum frumento aut hordeo, in ſtatera appendi. C D

Siquidem ſi per frumentum Chriſti carnem, ſi per denarium Verbum æternum intelligamus, idem eſt ac ſi diceret: frumentum electorum nempe Chriſti corpus, ad dignitatem Verbi diuini euehetur; nec enim dicetur de iſto corpore, eſſe corpus puri hominis, aut de eius anima, eſſe animam hominis, ſed eſſe corpus & animam ſuppoſiti diuini, nempe Verbi: neque enim hoc corpus aut hæc anima ſubſiſtunt alia ſubſiſtentia, quàm Verbi ſubſiſtentia: quo fit vt actiones humanitatis Chriſti infinito pondere meriti gaudeant, cum repoſitæ fuerint in æqua lance & ſtatera Mediatoris Dei & hominum, quia ſunt actiones Theandricæ, id eſt hominis Dei, qui ratione Deitatis eas reddit meriti infiniti, vt non tantùm ſibi gloriam corporis ſui mereatur, & ſui nominis exaltationem, ſed etiam aliis & gratiam & gloriam mereatur. Quin etiam ſi hordeum pœnarum, quas ipſe perferet ponderes, & appendas cum hoc denario Diuinitatis eius, omnes iſtæ pœnæ, triſtitiæ, angores, dolores, ignominiæ, rigori iuſtitiæ ſatisfacient: E

facient: vt mereri valeant plenam abolitionem & remiſſionem ſcelerum, quæ ab hominibus perpetrata vnquam fuerint. Et quia hoc granum frumenti cecidit in terram, & mortificatum fuit, dum & in cruce pependit, & in ſepulchro in corde terræ fuit reconditum, ideo multiplicatum fuit, & fructum fecit plurimum in electis omnibus, quorum actiones meritorias reddidit, æternæ retributionis gratiam illis impertiendo; eorumque pœnas ſasi factorias ac meritorias reddidit, vt in theſauro Eccleſiæ reponantur, & à ſupremo iudice, & œconomo prudente & fideli domus Dei, in cætera Eccleſiæ membra iuſtè diſtribuantur, viuis & mortuis proficuæ. Hinc addit S. Ioannes: *Vinum & oleum ne læſeris*: id eſt, ſanguinis filij Dei effuſi, pro ſatisfactione peccatorem, valorem infinitum adimere non audeatis, negando veritatem vnionis Verbi æterni cum humanitate; nec gloriam miſericordiæ eius auferre velitis: nam cum iuſtitiæ ad rigorem fuerit ſatisfactum, Miſericordiæ licet delicta, ita peccantibus condonare, vt eos dignos efficiat gloriæ æternæ. In hoc enim Myſterio, *Miſericordia & Veritas obuiauerunt ſibi: iuſtitia & pax oſculatæ ſunt.*

Cur autem hæc vox audiatur in medio animalium, in memoriam reuocandum eſt, in collocatione quatuor animalium, Aquilam fuiſſe in medio poſitam, velut volitantem ſuper Thronum triangularem, & tanquam conopœum quoddam, alis ſuis medium throni cooperientem. Appoſitè igitur vox de medio prodit, id eſt, aquila clamitat pro ſe & aliis animalibus, idem cum ea ſentientibus & opinantibus: *Bilibris tritici denario*, &c. Etenim cum olim alta voce in medio Eccleſiæ audita fuit doctrina Incarnationis, per quam aſſerebatur humanitatem Chriſti Domini ad denarium, nempe Verbum quod eſt imago Patris, pertinere, tanquam quid ipſi perſonaliter vnitum; quin etiam abiectiones, pœnæ, anguſtiæ, & ignominiæ Verbi huic humanitati vniti prædicari de Verbo, per communicationem idiomatum; vt hæc vox ſeu talis doctrina ab omnibus profiteretur, oportuit vt prius hæc deciſio à medio, id eſt ab Eccleſia Romana, cuius typus eſt aquila, pronunciaretur. Quod ita factum fuiſſe habemus ex Baronio an. 130. qui refert Celeſtinum Papam tribus aliis Patriarchis Epiſtolas conſcripſiſſe, quibus errorem contra Incarnationis myſterium refellebat. Etenim ſtatim atque literis S. Cyrilli & Neſtorij, Cæleſtinus Papa fuit commonitus de iis, quæ de tali myſterio vnuſquiſque ſentiebat, ſcripſit Epiſtolam Cyrillo, quæ ab Euagrio, l. 1. c. 4. tam ratione dignitatis materiæ, de qua in ea agebatur, quam ratione autoritatis illius, à quo mittebatur, diuina nuncupatur; & in Concilio Epheſino recepta & laudata fuit. In ea ſiquidem, quæ credenda erant de veritate myſterij Incarnationis à Neſtorio oppugnatâ, exprimabantur. Scripſit etiam Ioannî Antiocheno, & Iuuenali Ieroſolymitano aliiſque Epiſcopis, quo eos certiores redderet de ſententia contra Neſtorium lata: quem ad id adigere volebat, vt crederet, & profiteretur Dei Patris Verbum carni ſecundum hypoſtaſim vnitum, & vnum tantùm vnà cum ſua carne Chriſtum eſſe, eumdemque, nimirum Deum ſimul & hominem. Si igitur frumenti menſura ſymbolum eſt humanitatis perfectæ, id eſt omnia habentis, quæ ad eius conſtitutionem ſunt neceſſaria; & denarium ſit ſymbolum Verbi, qui eſt imago Patris, vt ex Ireneo diximus, dicere & aſſerere hanc menſuram in pondere coëquari, ſeu in ſtatera appendi cum denario, idem eſt ac ſi diceretur eam exaltari ad dignitatem filiationis naturalis Verbi æterni, itaut quæ ab ea aut in ea agi aut operari contingerit, æſtimanda ſint meriti dignitati filij Dei conuenientis: habebantque pretium ſeu pondus ex conſequenti infiniti valoris.

Dices hanc vocem à Patriarcha Antiocheno Ioanne non fuiſſe prolatam. Fauere enim Neſtorio viſus eſt, ſtatim atque animaduertit ſententiam condemnationis fieri contra eum. Reſpondeo, iam antea conſenſiſſe iis quæ à Cæleſtino Papa deciſa fuerant cum aliis: ſcripſit enim Neſtorio, acceptis à Cæleſtino de hac materia Epiſtolis, vt ſententiam ſuam mutaret, & cum aliis ſentiret, aſſenſum ſuum prabendo iis quæ fuerant deciſa; & vt fateretur Virginem Mariam Dei eſſe matrem, cum omnibus antiquis Doctoribus. Ex his patet hanc vocem audiri è medio harum quatuor ſedium, cum ipſe Ioannes tunc in aliorum ſententiam conſenſerit, & Neſtorium impulerit, quantùm in ſe fuit, vt aliis etiam ipſe conſentiret. Cum igitur tres Patriarchæ, Alexandrinus, Antiochenus, Ieroſolymitanus, Cæleſtino Pontifici Romano conſenſerint, clamant de medio, quia ea dicunt quæ à Cæleſtino præſcribuntur eſſe dicenda. Et licet Ioannes Antiochenſis ad tempus reſilire viſus fuerit, non tamen errori aſſenſum præbuit, ſed depoſitioni & condemnationi Neſtorij ægrè ſubſcripſit, & ſibi Cyrillum præferri iniquo animo tulit. Reſpondeo ſecundò, eumdem Ioannem Patriarcham Antiochenum ratam habuiſſe condemnationem hæreſis Neſtorianæ, & ipſiuſmet etiam Neſtorij: ſicque redintegratus eſt in communione Pontificis Romani. Igitur verum eſt quatuor has ſedes conſpiraſſe, vt eadem ſentirent ac dicerent de tam admirabili myſterio Incarnationis. Quod ſi iuxta modum loquendi Hebræorum, quem ſequitur & obſeruat alibi S. Ioannes, hîc loquatur: *Audiui vocem de medio animalium*, erit ac ſi diceret: Audiui vocem medij animalium dicentium. Hoc noſtram coniecturam corroborabit, qua per hoc medium, ſeu vocem de medio, intelligimus Romanæ ſedis decretum, per Cæleſtinum Papam prolatum, iuxta id quod ſentiebant & dicebant aliæ ſedes hanc hæreſim ſimul profligantes. Obſeruat enim Lorinus in 1. Ep. Ioa. c. 1. hunc locum ponderans: *Quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de Verbo Vitæ: quod vidimus & audiuimus annunciamus vobis*, vi. de Verbo vitæ annunciare aut contrectare, idem ſit ac Verbum vitæ contrectare, aut annunciare: ſic vocem de medio, idem erit, ac vocem medij animalium. Vnde enim è medio animalium vox erumperet, niſi erumpat ab eo animali, quod quidem in medio aliorum collocatum diximus?

Addit iſta vox: *Vinum & oleum ne læſeris.* Quibus verbis ſignificantur ea ſymbolice, quæ noſter Ioannes apertè docuit 1. Ep. c. 4. *In hoc*, inquit, *cognoſcitur ſpiritus Dei: omnis ſpiritus qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt; & omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum, ex Deo non eſt. Et hic eſt Anti-Chriſtus.* Ille enim qui confitetur, vinum & oleum non lædit: qui autem ſoluit Ieſum, vnionem videlicet hypoſtaticam negando, ille proculdubio lædit vinum & oleum: ſoluere enim Ieſum, eſt diuinitatem ab humanitate ſeiungere: quod Socrates hiſtoricus Neſtorium feciſſe aſſeruit l. 7. Hiſt. c. 22. propter quod qui hunc errorem introducere tentabant, ex vetuſtioribus exemplaribus Epiſtol. S. Ioannis hæc verba expangere & eradere audebant: Etenim pati non potuiſſet, ſi naturam paſſibilem non aſſumpſiſſet, qua vinum ſatisfactionis rigoroſæ iuſtitiæ diuinæ offerret; nec ſuis paſſionibus & actionibus homines redimere potuiſſet, ſi oleo diuinitatis non fuiſſet inunctus: oleo, inquam, illo lætitiæ, quo ſupra omnes homines exaltatur; vt aliis, per quamdam effuſionem tam pretioſi balſami, gratiam & gloriam conferre valeat. Nec lædenda igitur veri-

Digitized by Google

tas humanæ carnis, nec vnio diuinæ naturæ cum humana eſt deneganda. Verbum eum diuinum ſe ad tantam humiliationem deiecit, vt verè fuerit homo, ſicut verus erat Deus. Qui ita credit, vinum & oleum non lædit, qui hoc diffitetur, vinum lædit & oleum, contra hoc decretum: *Vinum & oleum ne læſeris.*

Et cum aperuiſſet ſigillum quartum, audiui vocem quarti animalis dicentis: veni & vide. Et ecce equus pallidus: Et qui ſedebat ſuper eum, nomen illi, mors, &c.

In Concilio Chalcedonenſi definitum fuit, contra Eutychem naturam humanam in ſuis proprietatibus remanſiſſe, poſt Vnionem hypoſtaticam: cuius definitionis effectus ſignificantur ſub ſymbolo Viſo in apertione quarti ſigilli.

ANNOTAT. VIII.

DVO præcipuè in myſterio Incarnationis conſideranda veniunt; Primum, diuinæ perſonæ demiſſio & exinanitio, dum naturam humanam induit, quod quidem oppugnarunt ij, qui exiſtimantes indignum eſſe Deo ita humiliari, vel negarunt verum Deum eſſe, qui filius Dei dicebatur, aut vnionem illam dixerunt fieri ad modum alicuius cauſæ, in quendam hominem ſeu perſonam quamdam ſingularem effectiuè influentis; non autem fieri quod perſona diuina hypoſtaticè vniatur naturæ inferiori propriæ Dei naturæ. Secundum, quod conſiderare oportet in hoc myſterio, eſt exaltatio noſtræ naturæ, itaut Chriſtus perfectus homo extiterit, nobis ſimillimus, expulſis omnibus quæ diuinitati perſonæ diuinæ repugnabant, vt ſunt ignorantia & peccatum, & ſi quid aliud dici poſſet diuinitati repugnare & opponi. Corpus habuit ex eadem maſſa naturæ humanæ formatum; animam habuit iiſdem facultatibus & appetitibus prædítam; iiſdem alterationibus & paſſionibus fuit ſubditus, frigori, calori, fami, ſiti, doloribus ab extrinſeca cauſa inflictis ſubiectus, conceptus & formatus in vtero virginali, licèt hoc fuerit per operationem ſpecialem Spiritus ſancti: natus ex Maria Virgine Matre, cum hominibus conuerſatus, ad modum aliorum mortem ſubiit corporalem, animâ à corpore ſeparatâ; itaut clarum ſit hanc naturam remanſiſſe poſt vnionem cum omnibus ſuis principiis conſtitutiuis, Chriſtumque ſic dici poſſe perfectum hominem, licèt natura pro ſuppoſito habeat perſonam diuinam: vnde ita exaltatur, vt hic homo Chriſtus, æquè poſſit dici verus Deus, vt verus homo nuncupatur; qua quidem ratione æquè exaltatur natura humana, ac deprimitur & exinanitur diuina, propter vnionem Verbi cum noſtra humanitate.

Contra hanc veritatem, Eutyches, errores Neſtorij (qui duas perſonas in Chriſto ponebat, vnam creatam, increatam alterâ) oppugnare ſimulans, in alium errorem incidit, vnam tantum agnoſcens in Chriſto naturam, in quo duas fateri neceſſe eſt: & hac ratione noſtram naturam ſpoliabat honore ſibi comparato, ex eoquod remanens in ſuis proprietatibus, nec aliquod detrimentum patiens, ſeu in rebus eſſentialibus, ſeu in cæteris, quæ ad eius conſtitutionem & perfectionem requiruntur, ad tantam dignitatem euehitur, vt qui verè homo eſt propter iſtam naturam, verè etiam ſit Deus, *Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens.*

Hanc veritatem tueri, confirmari, ac declarari voluit Dominus, in Concilio Chalcedonenſi contra Eutychem, qui exiſtimabat eos inſici erroribus Neſtorij, (qui, vt dictum eſt, duas perſonas in Chriſto ponebat) qui iuxta fidem orthodoxam in Chriſto duas naturas diſtinctas fatebantur: quæ quidem aſque aliqua diuiſione, aut confuſione, aut mixtione, in eadem perſona ſubſiſtebant: & in hoc præcipuè conſiſtit honor, ſeu dignitas, & exaltatio noſtræ naturæ, quod licèt fuerit ad ſtatum abiectionem aliquando redacta, v. g. quantùm ad corpus mortem ſubierit, quantùm ad animam ipſa ad inferos deſcenderit, corpore in ſepulchro recondito, nihilominus ſemper hæc natura verbo inſeparabiliter remanſit vnita: *Quod enim ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit*, vt in primis declaratum & deciſum fuit à ſummo Pontifice S. Leone, Epiſtol. ad Flauianum Conſtantinopolitanum, quæ in Concilio Chalcedonenſi non modo probata & recepta fuit, ſed etiam multis laudibus exornata. Huius myſterij veritas his verbis expreſſa fuit in hoc Concilio. *Sequentes igitur ſanctos Patres, Vnum eumdemque confiteri filium Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum conſtanter omnes docemus, eumdem perfectum in Deitate, eumdem perfectum in humanitate. Deum Verum, & hominem Verum, eumdem ex anima rationali & corpore, Conſubſtantialem Patri ſecundum diuinitatem, Conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem, per omnia nobis ſimilem, abſque peccato, ante ſecula quidem Patre genitum ſecundum Deitatem, in nouiſſimis autem diebus eumdem propter nos, & propter noſtram ſalutem, ex Maria Virgine Dei Genitrice ſecundum humanitatem, Vnum eumdem Chriſtum filium, Dominum, Vnigenitum, in duabus naturis inconfuſè, immutabiliter, indiuiſè, inſeparabiliter agnoſcendum: nuſquam ſublatâ differentiâ naturarum propter Vnionem, magiſque ſaluâ proprietate Vtriuſque naturæ in Vnam perſonam atque ſubſiſtentiam concurrentis: non in duas perſonas partitum atque diuiſum, ſed Vnum eumdemque filium Vnigenitum, Deum Verbum, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſicut ante Prophetæ de eo, & ipſe nos Ieſus Chriſtus erudiuit, & Patrum nobis ſymbolum tradidit.* Hæc Concil. Sicut igitur in Concilio Epheſino veritas myſterij Incarnationis confirmata fuit, pari ratione in Chalcedonenſi Concilio, modus in hac vnione adhibitus fuit declaratus, cum dicitur duas naturas in ſuis remanere proprietatibus; & ita clarè videtur ad quantum honorem fuit natura noſtra euecta, dum abſque ſui mutatione, ad vnionem & ſubſiſtentiam diuinæ perſonæ extollitur, quo & adoratione & præcellenti honore digna euaſit. Huius rei mirandæ magnitudinem S. Ioannes præuidet eſſe manifeſtandam, ad apertionem quinti ſigilli.

Quartum eſt animal, quo vocatur S. Ioannes, nempe Aquila: & valde conuenienter, eſt enim vt diximus, Hieroglyphicum Eccleſiæ Romanæ. Nam cum hic declarari debeat altitudo humanitatis noſtræ, ratione ſuæ exaltationis propter vnionem hypoſtaticam, nulla aliarum ſedium aptior eſt ad manifeſtandam dignitatem regiam quam adepta eſt, quàm ſedes Romana, in qua poteſtas excellentiæ & eminens autoritas Chriſti in totum corpus Eccleſiæ, adeo apertè & clarè manifeſtatur in perſona ſui Vicarij Petri ſucceſſoris, vt nihil clarius dici poſſit. Quod ſi vnquam ſedes Romana, quam exercet poteſtatem Regiam in Eccleſiam manifeſtauit, hoc potiſſimum peregit tempore Concilij Chalcedonenſis: in quo, vt dictum eſt, ſeruatus eſt honor noſtræ naturæ aduenienti, ratione vnionis hypoſtaticæ, dum deciſum fuit ipſam nihil de ſuo amittendo vniri Verbo diuino, & honoris qui ei debetur eſſe participem. Et vt verum fateamur, ſi in tribus primis Conciliis œcumenicis, progreſſus honoris qui Chriſto exhiberi debet apparuit, dum vt Leo diuinitatis ſuæ hoſtes proſtrauit; dum quo ſpiritu Ec-

Digitized by Google

eccleſiam ſuam regeret declarauit, vt illius Paſtores ſollicitos & vigilantes ſuper cuſtodias ſuas redderet, cuius vigilantiæ, gallus ſymbolum eſt; dum ſuam humiliationem innoteſcere voluit, qua tanquam agnus in ſatisfactionem peccatorum noſtrorum mactari voluit, & tanquam Aries ante nos gradiri ſeu progredi, vt nobis obedientiæ, & patientiæ exemplum præberet; certè hic honor incrementum non modicum obtinuit in Concilio Chalcedonenſi, in quo eius dignitas regia apparuit: vt de iis Conciliis illud Salomonis dicere liceat: *Tria ſunt quæ bene gradiuntur, & quartum quod incedit feliciter. Leo fortiſſimus beſtiarum, ad nullius pauebit occurſum.* Ecce victoria fortiſſimi Leonis in Concilio Niceno, ex cuius deciſione tot etiam imperatores Arrianæ hæreſis protectores proſtrati ſunt. *Gallus ſuccinctus lumbos.* Ecce vigilantia Paſtorum ex præſentia Spiritus ſancti, cuius diuinitas propugnata fuit in Concilio Conſtantinopolitano. *Et Aries:* ecce quomodo in Concilio Epheſino apparuit Verbum incarnatum, qui per mortem ſuam nos redemit, & nobis Patri obediendo exemplum præbuit. *Quartum* autem *quod incedit feliciter, nec eſt Rex qui reſiſtat:* Ecce exaltatio noſtræ humanitatis in Concilio Chalcedonenſi, dum remanentibus ſuis proprietatibus, ad dignationem filiationis æternæ & naturalis euehi cognoſcitur, & poteſtatem adeptum, vt nulla ſit in terra poteſtas quæ ei reſiſtere poſſit.

Quæ quidem aſſero, non quaſi velim aſſerere maiorem obuenire verbo gloriam, dum eum Regem Regum, & Dominum Dominantium, Eccleſiæ, ſuper quam imperium gerit, caput eſſe aſſerimus, quàm cum declaratus eſt Filius Dei, Patri æqualis ſecundum diuinitatem; aut cum ab eo proceſſiſſe aſſeritur Spiritus ſanctus, quem tanquam dilectionis ſuæ pignus ſupra diſcipulos miſit, & quo Eccleſiam ſanctificat & regit: ſed quia honor, qui ei exhibendus eſt, ex cognitione ac profeſſione harum veritatũ, ei meliùs aut fideliùs exhiberi non poteſt, quàm cum Pontificem Romanum tanquam eius in terris Vicarium debito proſequimur honore. Huius autem venerationis erga ſedem Romanam, plurimi actus manifeſti videntur in Concilio Chalcedonenſi, in quo omnia tranſacta fuerunt feliciter, vt hæc Regia in terris Chriſti dignitas pateſceret per venerationem ſummo Pontifici exhibitam. Et primò Marcianus ad imperium euectus directioni ſummi Pontificis ſuas volens ſubdere actiones, Leonem tunc ſedem Apoſtolicam tenentem, per Epiſtolas, certiorem reddidit, ſe electum fuiſſe in Imperatorem, & quanto flagraret deſiderio vt Eccleſia in priſtinum ſplendorem reſtitueretur. Aduentantibus autem Pontificis Legatis quos ipſe ad Theodoſium Marciani prædeceſſorem direxerat, antequam literæ Marciani Romano Pontifici oblatæ fuiſſent, alias Marcianus Leoni reſcripſit literas; quibus eum inuitabat, vt ſua autoritate Synodus œcumenicus congregaretur, vt Imperator ipſe autoritate Pontificia adiutus. Epiſcopos conuocare poſſet in eum locum, qui à Leone eligeretur, vt iuxta definitionem eiuſdem Pontificis, quæ de fide erant tractarentur & decliderentur. Eadem inculcata fuerunt in literis quas pariter ſcripſit Imperatrix Pulcheria. In quo, vt optimè notauit Baronius, antiquus mos percipitur, quo cauetur ne quod Concilium œcumenicum conuocetur, abſque autoritate Romani Pontificis; qui mos a piis Imperatoribus; qui ſua decreta iuxta eius iudicium & determinationem regulare ſolebant, ſuit obſeruatus. Videſne in obſeruatione iſtius conſuetudinis, ſupremam & Regiam autoritatem ſummi Pontificis Chriſti Vicarij ſplendidè emicantem? Secundo: Legati Apoſtolici autoritate Pontificia in hoc Concilio præſident. Tertio: Qui autoritate Pontificiâ oppugnare voluit, Dioſcorus Patriarcha Conſtantinopolitanus, in hoc Concilio à ſede ſua fuit expulſus. Quarto: admittitur in Concilio Theodoretus Cyrenſis Epiſcopus, repugnantibus & contra ſentientibus licèt Epiſcopis Ægypti, Paleſtinæ, & Illyrici, eoquod fuiſſet in ſuam ſedem à ſummo Pontifice reſtitutus. Tandem libelli ſeu accuſationes contra Dioſcorum formatæ, hoc titulo vtebantur: *Sanctiſſimo, & beatiſſimo Vniuerſali Archiepiſcopo, & Patriarchæ Magnæ Romæ, Leoni, & Vniuerſali Synodo Chalcedonenſi.* Abſolutis rebus propoſitis, eadem ſancta Synodus nouiſſimo loco Synodalem Epiſtolam ſcripſit ad ſanctum Leonem Romanum Pontificem, de cunctis rebus in ſynodo pertractatis, petens ab eo cuncta rata haberi atque firmari. Et obſeruandum eſt illud, quòd vniuerſi congregati ſexcenti Patres ſacroſancti Concilij Chalcedonenſis, cognoſcentes in Romano Pontifice ſummum Pontificij culmen effulgere, ſeipſos, licèt ordinatione collegas & fratres eſſe ſimul ſcirent, filios tamen appellant, vniuerſalis Eccleſiæ Catholicæ eum eſſe caput intelligentes, cuius ſit gradus ſummos in Eccleſia diſtribuere: quod profitebantur, obnixè petentes in hac Synodali Epiſtola, vt concedat Conſtantinopolitanum Epiſcopum, ſecundum in Eccleſia locum obtinere, primum verò poſt ipſum Romanum Pontificem: cuius & autoritatem tanti æſtimant, vt putent eſſe infirma, nec poſſe ſubſiſtere, quæ in duobus œcumenicis Conciliis eſſe decreta dicebant, nempe Conſtantinopolitano & Chalcedonenſi: niſi accedat ipſius Romani Pontificis confirmatio: quin etiam ex S. Gregorio habemus l. 4. Epiſt. 32. 36. 38. ab eadem ſynodo titulum œcumenici fuiſſe Romano Pontifici tributum: quæ quidem omnia ſatis apertè denotant ſupremam & Regiam illius in Eccleſia autoritatem.

Quin & conſideratione dignum eſt Eccleſiam Orientalem feſtum quotannis celebrandum inſtituiſſe in memoriam huius ſynodi, quam feſtiuitatem Leo Epiſt. 3. ad Theodorum appellat ſecundam poſt aduentum Domini feſtiuitatem orbis: ac ſi hoc Concilium reſtituiſſet Chriſto Domino honorem, qui ei propter ſuam humiliationem debetur, quem auferre hæreſis Eutychiana prætendebat, incarnationis Myſterium abolere contendens, & humanitatem noſtram hac ratione, honore, qui propter myſterij huius veritatem ei contingit, impiè ſpolians. *In Concilio Chalcedonenſi*, inquit Baronius, *tractatum de Vera & perfecta Chriſti humanitate*: ac proinde ſicut verum Deum, & verum hominem Chriſtum vnum confiteri fideles deberent, ita pariter adſtringi omnes, & Nicenam, quæ de diuinitate, & Chalcedonenſem, quæ de humanitate tractant, pariter ſuſcipere ac confiteri. An. 457. n. 7.

Cum igitur hic agendum eſſet de tam admirabili naturæ humanæ exaltatione, in myſterio incarnationis, appoſitè & conuenienter animal Hieroglyphicum ſedis Romanæ prouocat S. Ioannem, vt veniat & videat quæ in hoc Concilio deciſa fuerunt, pro dignitate naturæ noſtræ tuenda, tale ſymbolum oculis eius objiciens, vt mens ad contemplationem huius dignitatis eleuaretur.

Et ecce equus pallidus. Equus eſt qui equitis & ſeſſoris inſignia & colores portat. Mors quippe huic equo inſidet. Nam ſicut color albus, candori diuinitatis; rufus, ardori Charitatis; niger, humiliationi Verbi incarnati apprimè conuenit; pallidus, & liuidus color mortis, conformis eſt modo ſeu rationi, qua Dei filius humanitatis ſuæ exaltationem promeruit, iuxta illud Pauli: *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis:*

Digitized by Google

propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen. At tam diffusè iam diſſeruimus de admirabili ratione, qua Chriſtus per mortem crucis noſtram exaltauit naturam, vt opus non ſit aliquid addere. Tantùm nobis dicendum eſt, in hoc Chriſti gloriam potiſſimùm conſiſtere, quod per mortem regnare voluerit. Talis enim modus adipiſcendi regnum, eoque potiundi, valde conſentaneus eſt omnipotentiæ Verbi: qui ſicut omnia ex nihilo creauit, ita per mortem ſuam nobis vitam largitus eſt: neque S. Ioannes aptiùs poterat nobis naturæ humanæ exaltationem inculcare, aut poſt vnionem ſemel factam ab ea nunquam receſſiſſe proponere, quàm dum naturam iſtam repreſentat in eo ſtatu, in quo miſeranda eius conditio melius percipitur, nempe in ſtatu paſſibili & morti addicto, qua regnante ſeu adueniente, vbi per eam ceſſare deberet ab omni operatione, nihilominus iſta natura mortalis & mortua, vnde mortis figuram gerit, ad agendum & operandum prompta exhibeatur. In hoc quippe loquendi modo, duo contraria coniungi videntur, nempe mors, quæ nihil aliud eſt quàm priuatio illius eſſe, quod antea habebamus, (ſi enim viuere in viuentibus eſt eſſe, mors erit, non eſſe) & motus ſeu actionis, quæ elici non poteſt niſi à viuente. Mors quippe equo inſidet, eum agitat, interficit, variis modis. Sic igitur mors & vita coniunguntur: quod maximè enituit in morte Chriſti: nam cum anima à corpore eius ſeparata fuit, Deus mortuus dici potuit, & poſt ſe infernum ſubſequentem habere: tum quia corpus eius in ſepulchro teconditum fuit, tum quia eius anima in inferiores partes terræ ſeu infernum deſcendit. Imo infernus eum ſequi dici potuit, cum ab inferis victor aſcendens, primos parentes & alios, qui in inferno incluſi erant, potenter ab eius faucibus liberauit, ſecumque gloriosè in cœlum inuexit. Mortuus igitur erat, & viuebat: quia licèt mortuus infernum ſpoliabat; nec à corpore eius animâ ſeparatâ, vita omnino fuit ablata, cum per ſubſiſtentiam Verbi viuentis ſõlum ſubſiſteret. Vnde corruptioni non ſubiacuit, iuxta illud Pſalmiſtæ: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Et: *Poteſtatem habeat ponendi animam meam & iterum ſumendi eam.* Mortem & vitam in ſe ſimul coniunxit. *In hoc*, ait Apoſtolus Rom. 14. *Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, vt & mortuorum dominetur.* Regnat igitur per mortem Chriſtus, ſi in hoc moritur & reſurgit, vt & mortuorum & viuorum dominetur. At ſanctum Hilarium de Trinit. l. 9. audiamus, qui poſtquam myſterium tum humiliationis Verbi diuini, tum exaltationis noſtræ naturæ latè explicauit, tandem mortem & vitam ſimul in Chriſto coniungi docet, itaut per mortem de hoſtibus gloriosè trophæa reportet. *Mediator*, inquit Hilarius, *ipſe in ſe ad ſalutem Eccleſiæ conſtitutus, & illo ipſo inter Deum & homines Mediatoris Sacramento vtrumque vnus exiſtens, dum ipſe ex vnitis in idipſum naturis, naturæ vtriuſque res eadem ita tamen vt neutro careret in vtroque, ne fortè Deus eſſe homo naſcendo deſineret, & homo rurſus Deus moriendo non eſſet. Hæc itaque humanæ beatitudinis fides vera eſt, hominem & Deum prædicare, Verbum & carnem confiteri: neque Deum neſcire quod homo ſit, neque carnem ignorare quod Verbum ſit. Cum autem contra naturam ſpei noſtræ, vt natus homo Deus maneat; cum potior natura in inferiorem nata fidem præſtet inferiorem in naturam naſci poſſe potiorem.* Ita Hilarius, quem vides duo in myſterio incarnationis conſiderare, & Verbi exinanitionem & naturæ noſtræ exaltationem; quæ tantò faciliùs creditur, quantò difficiliùs videtur fuiſſe Verbum humiliari. Illud in Concilio Chalcedonenſi declaratum fuit, nempe exaltatio naturæ; iſtud, nempe verbi humiliatio, in Concilio Epheſino. Addit S. Hilarius: *Et quidem ſecundum legem & conſuetudinem mundi: promptior magis ſpei noſtræ quam diuini Sacramenti effectus eſt; namque mundus, in his quæ naſcuntur habet incrementi virtutem, non habet Dominationis poteſtatem. Deo itaque proprium fuit eſſe aliud quàm manebat, nec tamen non eſſe quod manſerat; naſci in hominem Deum, nec tamen Deum eſſe deſinere; contrahere ſe vſque ad conceptum, & cunas & infantiam, nec tamen Dei poteſtate decedere. Hoc non ſibi, ſed nobis eſt Sacramentum: neque aſſumptio noſtra Deo perfectio eſt, ſed contumeliæ ſuæ voluntas, noſtra perfectio eſt: dum nec amittit ille quod Deus eſt, & homini acquiritur quod Deus ſit.* Ita Hilarius. Ex quo; docemur Dei proprium eſſe exinaniri, aſſumptione naturæ inferioris, abſque ſui detrimento, quod creaturæ non licèt, quæ aut ab eſſe omnino deſiſtit, vt non ſit amplius; aut à ſua eſſentia & natura, & proprietatibus decidere aliquatenus non poteſt. Et quia Chriſtus nec totus homo, nec totus Deus, ſed homo & Deus dicitur, ideo mors & vita ſimul in eo cõiunguntur, & per mortem vita de omnibus trophæa reportauit. *Sed ſi Ieſus Chriſtus, & homo & Deus eſt, & neque cum homo, iã primum Deus: neque cum homo, tum non etiam & Deus,* inquit Hilarius, *neque poſt hominem in Deo, non totus homo totus Deus, vnum atque idem neceſſe eſt dictorum Sacramentum eſſe quod generum.* Et poſtea: *Noſtri igitur cauſa hæc omnino Ieſus Chriſtus manens & corporis noſtri homo natus ſecundum conſuetudinem naturæ noſtræ locutus eſt, non tamen omittens naturæ ſuæ eſſe quod Deus eſt: nam tameſi in partu, ac paſſione, ac morte, naturæ noſtræ rem peregeris, res tamen ipſas omnes virtute naturæ ſuæ geſſit: dum ſibi ipſe origo naſcendi eſt, dum pati vult quod eum pati non licet, dum moritur qui viuit, &c. Hæc autem omnia iam ante conditionem mundi Sacramenta ſunt cæleſtium myſterium conſtituta, vt vnigenitus Deus homo naſci vellet, manſuro in æternum in Deo homine, vt Deus pati vellet, ne paſſionibus humanæ infirmitatis Diabolus deſæuiens, legem in nobis peccati, Deo infirmitatem noſtram aſſumente, retineret, vt Deus mori vellet, ne qua inſolens poteſtas aduerſus Deum eſſet, neque creata in ſe virtutis poſſet vſurpare naturam, cum ſe immortalis Deus intra legem mortis habuiſſet. Naſcitur itaque Deus aſſumptionis noſtræ. Patitur verò innocentiæ, poſtremò moritur vitioni, dum & homo noſter in Deo permanet, & infirmitates noſtrarum paſſionum Deo ſociæ ſunt, & ſpirituales nequitiæ ac malitiæ poteſtates, triumpho carnis, Deo per carnem moriente, ſubdantur.* Hæc Hilarius. Vides igitur ex Hilario Deum, hoſtes per carnem morientem ſuperantem. Habemus igitur quod diximus admirandum modum, quo Deus regnum adipiſci voluit, eſſe per mortem. Vndè aptè ſanctus Ioannes, dum effectum deciſionis eorum, quæ credi debent de perfecta Chriſti humanitate Verbo vnita, repræſẽtare voluit, mortem nobis proponit, quaſi viuentem & agentem. Nam equum regit, cum quo vult impellit, & tam potẽter agit, vt effectiuè, mortem inferat variis modis, quos antea in explicatione huius ſymboli iam attulimus. Exoptandũ tibi optime Lector vt fide ſis equus albus, charitate equus rufus, humilitate equus niger, abnegatione tui ipſius equus pallidus, Chriſto concrucifixus, vt has veritates cum vtilitate & fructu percipias. Nec tibi mirandum ſi in explicatione horum ſigillorum tandiu demoramur. Cogita librum ſignatum tanti eſſe ponderis, vt fleuerit multùm S. Ioannes, vt aperiretur & ſoluerentur ſignacula eius. Hos ſenſus amplectere, aut alios meliores vtinam Deus tibi inſpiret, meos certè Eccleſiæ determinationi & iudicio libenter ſubmitto, ſicut & aliam quamcumque ſententiam. Ipſa enim habet clauem ſcientiæ in manu ſui Pontificis & capitis viſibilis, qua ſcripturæ ſenſum aperire valeat. Si quid

Digitized by Google

dico veritati conſonum, hoc totum fidei Eccleſiæ Romanæ, quam profiteor, adſcribe; ſi quid abtonum (vtinam non repugnans) meæ ignorantiæ aut imbecillitati tribue. Quæres fortaſſe cur in apertione quatuor primorum ſigillorum, equi videantur in medium prodire, in aliis non item. Reſpondeo: Hoc fieri, quia ſub his ſigillis tractandum erat de quatuor præcipuis fidei articulis, quibus religio Chriſtiana illuſtratur: agendum erat de concertatione habenda cum hæreticis, qui eos oppugnaturi erant; celebrandæ victoriæ, quæ in hoſtes veritatis reportandæ erant, felici ſucceſſu eorum quæ determinationes harum veritatum ſubſecuta ſunt. Nam ſi ſemel iſtæ veritates admiſſæ fuerint, ad earum fulgorem ſecure viam noſtram dirigere poterimus, ad agnitionem veri proſequendam; & quidquid ſaluti noſtræ neceſſarium agnoſcendum & credendum fuerit, ab eis deducere abſque vllo negotio valebimus. Quatuor ſunt proculdubio flumina, Paradiſum Eccleſiæ ſanctæ irrigantia; qua fœcunda reddatur, vt quamlibet veritatem pro tempore ſuo, tanquam proprium & germanum fœtum, ex ſe Spiritu ſancto plena emittat, ſuoſque filios, quos genuit verbo fœta per fidei prædicationem & baptiſmi regenerationem, his veritatibus tanquam liliis paſcens, eos idoneos reddat, qui & alios parere verbo & confeſſione valeant; quin etiam & operibus comprobare ſe fidem de Deo vno & Trino profiteri, ad quam peruenimus per Filium à Patre miſſum vt conuerſaretur cum hominibus, & in terris videretur; Credere filium Dei viſibilem, & in carne apparentem, habere in ſe plenitudinem Spiritus, vt dona Spiritus ſancti diſtribuat ſingulis prout vult, eumdemque ſpiritum infundat toti myſtico Eccleſiæ corpori, vt in nobis ipſe viuat, cum de eius ſpiritu accipimus: Credere inſuper veram humiliationem Verbi, propter vnionem cum carne noſtra mortali; credere denique noſtræ naturæ exaltationem tantam eſſe, vt filio hominis ſit conceſſum iudicare viuos & mortuos, regiamque exercere poſſe poteſtatem in cœlo & in terra. Certe hæc omnia credere, principia ſunt fidei noſtræ, adeo vera, adeo vniuerſalia, & quæ cætera complectantur, vt his præſuppoſitis, cæteris fidem adhibere perfacilè poſſimus. Quid enim incredibile videbitur ei, qui ſanctiſſimæ Trinitatis fidem habuerit? Quæ dona à Deo poſſe denegari exiſtimabimus, ſi filium ſuum nobis dediſſe fateamur? Quomodo deciſionibus, & determinationibus, ac præceptis Eccleſiæ repugnare aut contradicere audebimus, ſi eam à Spiritu ſancto edoceri credamus? Quis dicet indignum eſſe tantæ Maieſtati in Euchariſtiæ myſterio tractari ac manducari, qui eum tot tantiſque ignominiis expoſitum fuiſſe in paſſione videbit? Tandem quis non ſuam iuſtificationem, noſtramque exaltationem ſperabit, dum videt & credit eum à mortuis reſurrexiſſe pro noſtra ſalute & redemptione?

Quod ſi obijcias has veritates iam fuiſſe ſatis cognitas, ante deciſiones horum Conciliorum: fateor equidem. At hoc non impedit quominus hæ determinationes præuidi, & prophetari debuerint. Nam cum errores contra illas inſurrexerint, difficultateſque quædam emerſerint, quæ fidei illarum propagationi repugnabant; vt tenebræ diſſiparentur, obſtacula cuncta tollerentur, inſpirante & afflante diuino Spiritu, Eccleſiæ ſanctæ omnem veritatem, Conciliorum iſtorum decreta fuerunt publicanda; vt quæ plures in particulari credebant, cuncti ea neceſſario eſſe credenda cognoſcerent; vt corde à cunctis crederetur ad iuſtitiam, quod ore confiteretur ab omnibus ad ſalutem, & confunderentur cuncti qui repugnare vellent, eorumque audacia & temeritas retunderetur. Et ita, vt ſpero, hæc expoſitio æque ſolida, ſi non ſolidior aut verior, apparebit, quàm aliæ expoſitiones quæ afferuntur, & adducuntur; quales ſunt hæ quas Gloſſa ordinaria & Nicolaus de Lyra adducunt, hæc omnia exponendo de perſecutionibus tyrannorum, manifeſtis aut occultis, de hæreticis quibuſdam aut imperatoribus, v. g. Caio, Nerone, Domitiano: vel noſtra, eorum interpretatione, erit veriſimilior, qui de homine caſto aut carnali, aut de Prælato ſimoniaco, aut homine inuido exponunt.

Et cum aperuiſſet ſigillum quintum; vidi ſubtus altare animas interfectorum propter Verbum Dei, & propter teſtimonium quod habebant: & clamabant voce magna dicentes: Vſquequo Domine, ſanctus & verus, non iudicas & non vindicas ſanguinem noſtrum, de iis qui habitant in terra, &c.

De apertione quinti ſigilli, in quo præuiſum eſſe aſſerimus Concilium in Nicea Bithyniæ celebratum, pro defenſione ſanctarum imaginum.

ANNOTAT. IX.

CVM audio ſanctos in apertione quinti ſigilli clamantes: *Vſquequo Domine, ſanctus & verus, non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum, de his qui habitant in terra?* In ſuſpicionem adducor ſanctum Ioannem ea præuidere, quæ in Concilio Niceæ Bithiniæ habita peracta fuere, pro cultu & veneratione ſanctorum, & eorum venerabilium imaginum. In hoc enim Concilio Niceno ſecundo reſtitutus fuit honor ſanctis, quem eis auferre icono claſtæ ſeu imaginum infractores auſi fuerant. Habemus enim ex Baronio ann. 723. fuiſſe quemdam Iudæum, Serantaprium nomine, ſeu Sarantapechys apud Binium 3. to. Conc. maleficium, Eccleſiæ Catholicæ hoſtem infenſiſſimum, qui quidem Saracenorum ſeu Arabum Principi Gizido vel Ezido promiſit triginta aut quadraginta annos regni, ſi imagines ſubuerteret è Templis Chriſtianorum: qua vana ſpe deluſus Gizidus emiſit edictum, quo euerſionem imaginum præcipiebat fieri in tota ſuæ dominationis amplitudine: quod quidem executioni demandatum fuit à quibuſdam Hebræis, & Arabibus, licèt princeps Gizidus vnum tantum annum cum dimidio poſt impium decretum ſuperuixerit. Vnde eius filius, Vlidus nomine, hunc inſignem impoſtorem in punitionem præſtigij interfici iuſſit. Hac tamen ratione factum eſt vt imagines ſiue pictæ, ſiue ſolidæ euerterentur, & in partes minutiſſimas comminuerentur, incenderentur, eraderentur, & cum omni ignominia & dedecore tractarentur. Similibus præſtigiatoribus Leo Iſauricus ſeductus, impietatis huius fautor enaſit, & adeo potenter & efficaciter hanc impietatem promouit, vt habeatur & reputetur quaſi Hæreſiarcha & origo Iconoclaſtarum. Tam perniciosæ & ſacrilegæ hæreſis hiſtoriam texit Baronius an. 726. docetque Leonem in tantam inſaniam & immanem furorem deueniſſe, vt non tantum edictis, ſed etiam vexationibus & cædibus Catholicos, & ſuæ hæreſi contradicentes perſequeretur: quo factum eſt vt radices adeo firmas egerit impia hæreſis, vt Conſtantinus Copronymus falſam Synodum Conſtantinopoli coëgerit, in Eccleſia Deiparæ Virgini dicata, 338. Epiſcopis ad eam conuocatis ſuæ hæreſis fautoribus: In qua decerni procurauit vt deinceps imagines idola nuncuparentur, eoſque qui imagines colerent idololatræ

dicerentur ; rurſus nullum Sanctorum , nec Virginem ipſam poſt mortem, aliquod ius habere pro nobis orandi , nec nobis vllus ex ipſis aliquam poſſe afferre vtilitatem aut commodum ; tandem Apoſtolos , Martyres aut Confeſſores ſanctos nuncupare aut indigitare prohibitum : quæ omnia decreta , ac ſi pietati conſona & vtilia fuiſſent , ita falſæ huic ſynodo placuerunt vt in ea acclamatum ſit Imperatori : *Hodie ſalus mundo , quandoquidem opera tua , ô Imperator, idolis liberati ſumus.* Quid quæſo iſtis memoriæ ſanctorum iniurioſius dici aut excogitari poſſet ? Nonne iuſta de cauſa de hac iniuria apud Deum conqueruntur ? Nonne eis ineſt legitima occaſio poſtulandi à Deo vindictam ? Nonne iuſtum eſt deſiderium , quo flagrant , vt ſanctitas quam Deus eis contulit omnibus innoteſcat , vt quæ à Deo illis promiſſa ſunt ad impleantur? qua quidem ratione omnes agnoſcant Deum ſanctum eſſe & veracem : *Fidelis* enim *in omnibus verbis ſuis , ſanctus in omnibus operibus ſuis.* Hac de cauſa voluit Deus vt an. 787. perficerentur ea quæ hic à S. Ioanne præuidentur. Conuocata eſt quippe Synodus Oecumenica in Nicea Bithyniæ , in qua Legati Papæ Adriani præſentes fuerunt , cum aliis Legatis Patriarcharum Orientalium , quin & Patriarcha Conſtantinopolitanus Tarraſius primus Niceam adiuit: & in hoc Concilio honor , qui ab antiquis diebus imaginibus fuerat exhibitus , ipſis reſtitutus eſt : ſequens enim decretum ab hac ſynodo emanauit. *Sequentes* , inquiunt , *diuinitus inſpiratum ſanctorum Patrum magiſterium , & Catholicæ traditionem Eccleſiæ , nam Spiritus ſancti hanc eſſe nouimus , qui nimirum in ipſis habitat ; definimus in certitudine & diligentia , ſicut figuram pretioſæ ac viuificæ Crucis , ita venerabiles ac ſanctas imagines præponendas , tam de coloribus & taxellis , ſeu teſſellis , quàm ex alia materia , congruenter in ſanctis Dei Eccleſiis , & ſacris vaſis ac veſtibus , & in parietibus , in tabulis , domibus , & viis , tam videlicet imaginem Domini Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti , quàm intemeratæ Dominæ noſtræ ſanctæ Dei genitricis eius , honorabiliumque Angelorum , & omnium Sanctorum , ſimul & almorum virorum. Quantò enim frequentiùs per imaginalem formationem videntur, tanto qui hos contemplantur alacriùs eriguntur ad primitiuorum eorum memoriam , & deſiderium , & ad oſculum , & ad honorariam his adorationem tribuendam ; non tamen ad veram latriam, quæ ſecundum fidem eſt , quæque ſolum diuinam naturam decet, impertiendam, &c.* Ita ex Baronio an. 737. num. Sagittarius Burdigal. habet , ſeu vertit , *Quo ſcilicet per hanc imaginum pictarum inſpectionem , omnes qui contemplantur , ad prototyporum memoriam & recordationem , &c.* Et ex eius verſione ſupradictis adeo : *Sed quemadmodum typo venerandæ & vinificantis crucis, & ſanctis Euangeliis , & reliquis ſacris , oblationibus ſuffitorium & luminarium reuerenter accedimus , quemadmodum piè in conſuetudinem hoc adductum eſt. Imaginis enim honor in prototypum reſultat , & qui adorat imaginem , in ea adorat quoque deſcriptum argumentum.* Hæc Concil.

In fine actionis ſeptimæ hæ factæ ſunt acclamationes : *Nos venerabiles Icones ſalutamus. Nos ſuperinductam nouitatem Chriſtianos accuſantium , anathemati ſubmittimus. Chriſtianos accuſantibus , id eſt, imagines confringentibus , anathema. His qui aſſumunt dicta ſanctæ ſcripturæ, quæ ſunt contra idola , contra ſanctas imagines, anathema. His qui appellant ſacras imagines , idola, anathema. His qui dicunt quod veluti ad Deos , Chriſtiani ad Iconas accedant , anathema. His qui communicant ſcienter iniuriam & inhonorantiam inferentibus venerabilibus imaginibus , anathema. His qui dicunt , excepto Chriſto Deo noſtro , alius eruerit nos ab idolis , anathema. His qui audent dicere Catholicam Eccleſiam idola aliquando recepiſſe, anathema.* To. 3. Conc. Par. 1. ſect. 11 pag. 618.

Quàm aptè autem & concinnè hoc ſymbolum cum his conferri poſſit , nunc videamus. *Et cum aperuiſſet ſigillum quintum , vidi ſubtus altare animas interfectorum propter Verbum Dei , & propter teſtimonium quod habebant : & clamabant voce magna dicentes : Vſquequo Domine non iudicas, &c.* Videntur oculis fidei Martyres, non tanquam mortui ſed tanquam viuentes: audiuntur ſiquidem clamantes. Hæc conueniunt cum his, quæ in hoc Concilio facta fuere. Vota enim ſua dirigit Concilium ad Martyres , quos credit apud Deum viuere. Poſtquam enim Patres huius Concilij profeſſi fuerunt ſe cultum imaginum retinere , ſecundum traditiones , quas ſanctus Paulus docuit eſſe ſeruandas & cuſtodiendas, addunt : *Huic Triumphali Eccleſiæ Propheticos Canimus hymnos : Gaude ſatis filia Sion , iubila Iſrael , lætare & exulta in omni corde , filia Ieruſalem. Abſtulit Dominus iudicium tuum, auertit inimicos tuos : Rex Iſrael , Dominus , in medio tui : non timebis malum vltra , &c.* Siphon. cap. tertium. Igitur Patres hac ratione laudant ſanctos ; & eos viuere , & quod exoptant , nempe iudicium in eorum fauorem fieri , factum iam eſſe denotant , clamabant quippe ſancti voce magna : *Vſquequo Domine ſanctus & verus , non vindicas ſanguinem noſtrum , &* iſti Patres dicunt , *Abſtulit Dominus iudicium tuum , auertit inimicos tuos* ; ac ſi ſanctos alloquentes dicerent : In falſa Synodo Conſtantinopolitana, iudicium contra veſtrum honorem datum, dum imagines veſtræ prohibitæ ſunt fieri , ablatum eſt per contrarium & verum Synodum, earum vſum reſtituentem. Auertit inimicos veſtros Rex Iſrael, non timebitis malum vltra : nam in Eccleſia Catholica ſemper honor vobis debitus vigebit deinceps. Et reuera ſi quis attente perlegerit quæ à Baronio referuntur an. 726. de Leone Iſaurico, qui ſe ducem Iconoclaſtarum conſtituit, vſque ad annum 780. in quo Conſtantinus , & Irenes imperium tenuerunt, mortuo Leone quarto Copronymi filio animaduertet ſanctos , qui apud Deum nunquam moriuntur, ſed Deo viuunt , optimo iure ab eo vindictam poſtulare iniuriarum & blaſphemiarum, quibus eorum memoria dilacerata fuit. Et aptè de Dei ſanctitate & veritate mentionem faciunt ; quia enim ſanctus eſt, ſanctitatis debet eſſe protector : illius ſiquidem cauſa eſt , fono & origo ; & quia verax eſt , ſtare debet promiſſis : promiſit autem ſe honorificaturum eos, qui ſibi eſſent miniſtraturi. *Quicumque*, inquit, *mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus.* Vt igitur verax reperiatur , non debet pati vt memoria ſanctorum ſit in opprobrium, imo potiùs autor eſſe debet , vt eorum memoria clara & celebris ab omnibus habeatur : hunc enim honorem ſibi comparârunt ſuis obſequiis fideliſſimis, *Gloria quippe & honor omni operanti bonum* , vt dixit Apoſtolus.

Et datæ ſunt illis ſingulis ſtolæ albæ. Si hæ ſtolæ inſignia ſunt confeſſionis , & agnitionis ſanctitatis & innocentiæ ipſorum, & gloriæ exinde comparatæ, eo inſtanti quo Concilium decreuit ſanctos eſſe honorandos , & adorandos & colendos, certè decernitur dandas eis eſſe ſtolas albas , nempe gloriam & honorem, à minimo vſque ad maximum. Concilium enim declarat imagines non tantùm Chriſti Domini , & Virginis Mariæ eſſe venerandas , ſed etiam imagines omnium aliorum ſanctorum : quibus clarum eſt honorem deferri cuilibet ſanctorum, vt verum ſit quod dicit Propheta : *Gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius.*

Et dictum eſt illis vt requieſcerent adhuc tempus modicum , donec compleantur conſerui eorum, & fratres eorum, qui interficiendi ſunt, ſicut & illi.

Digitized by Google

Hæc optimè quadrant cum his quæ tranſacta fuerunt à principio, & in progreſſu huius erroris Iconoclaſtarum, vſque ad finem. Etenim exceptis primis perſecutionibus, quæ crepundia Chriſtianitatis extinguere conatæ ſunt, nulla vnquam hæreſis tot Martyres fecit, quot facti ſunt per Iconoclaſtas, ſub Leone, & filio eius Copronymo: quin etiam ſub Leone quarto vt notat Baronius. an. 726. Nunquam enim Eccleſia Orientalis tot nobilitata & decorata fuit Martyribus, quàm cum ab Iconoclaſtis plures occiſi fuerunt, ob defenſionem cultus imaginum ſacrarum. Quot, quæſo, capite truncati fuere? Quot exilia paſſi? Quot in carceres coniecti? Quot morti traditi, mille vexationum & tormentorum modis diuexati? Vix certe dinumerari poſſunt: vt patet ex his quæ refert Baron. an. 740. etiam 754. Vnde non mirum fuit, ſi ſtatim atque primi martyria paſſi ad Deum clamauerunt, vt vindicaret ſanguinem eorum, deſiderij illorum adimpletionem diſtulit ad tempus, licèt clamorem ſanctorum audiat, & deprecationem eorum plærumque exaudiat. Oportebat enim antequam à tot tantiſque opprobriis vindicarentur, vt compleretur numerus eorum, qui propter veritatem iſtam erant interficiendi, ſicut & illi iam fuerant martyrio perempti, vt honorem ſanctorum conſtanter tuerentur. Et conuenienti modo S. Ioannes docet quantum valeat oratio ſeu deprecatio ſanctorum, licèt exauditio orationis eorum differri videatur. Nec enim dicitur: Quod poſtulatis minimè eueniet; ſed tantum, ad modicum tempus, quæ petunt, differri: vt impietas Conciliabuli ſub Conſtantino Copron. celebrati retundatur, quo decretum fuerat ſanctos nullum poſt mortem ius obtinere, quo poſſent pro nobis orare. Si enim tandem exaudiuntur ſancti, etiam cum vindictam à Deo petunt, certe præſumendum eſt eos exaudiri dum fauores petunt. Deus enim ad beneficia præſtanda maiorem habet propenſionem, quàm ad infligenda ſupplicia, quæ non infligit niſi præſuppoſitâ culpâ, & beneficia præſtat etiam non cogitantibus nobis, præueniens nos in benedictionibus ſuis.

At, inquies, ſi de Conciliis œcumenicis hæc figilla continent Prophetias, cur obmittuntur quinta Synodus & ſexta? Reſpondeo. Si de quinta agitur, de ea Prophetiam non videri adeo neceſſariam. In ea ſiquidem non tam de rebus fidei, & ad totum Eccleſiæ regimen ſpectantibus agebatur, quàm de quibuſdam perſonis particularibus: qua quidem ratione quidam ducti, eam in numero œcumenicorum Conciliorum minimè reponunt. At hæc Ioannis Prophetia potius reſpicit ea, quæ ad vniuerſalem Eccleſiæ ſtatum pertinent, quàm vt deſcendat ad particulares perſonas ſingillatim ac præcisè. Ita S. Gregorius 3. Epiſt. Ep. 37. ad Conſtant. dum ait: *De illa tamen Synodo, quæ in Conſtantinopoli poſtmodum facta eſt, quæ a multis quinta nominatur, ſcire vos volo quia nihil contra quatuor ſanctiſſimas Synodos conſtituerit vel ſenſerit; quippe quia in ea de perſonis tantummodo, non autem de fide aliquid geſtum eſt, & de his perſonis, de quibus in Chalcedonenſi Concilio nihil continetur, ſed poſt expreſſos Canones facta contentio, & extrema actio de perſonis ventilata eſt.* Si autem de ſexta mentio fit, quæ Conſtantinopoli celebrata eſt, autoritate Papæ Agathonis, non opus fuit dari ſpecialis Prophetia aut reuelatio de ea, quia quæſtio mouebatur de hæreſi Monothelitarum, vnam tantum in Chriſto voluntatem & operationem admittentium: qui quidem error iam ſatis erat condemnatus, ex decretis Conciliorum præcedentium, in quibus deciſum fuerat in Chriſto duas eſſe naturas, vere diſtinctas & perfectas; quæ licèt eſſent vnitæ perſonaliter, nihilominus ſuas conſeruabant proprietates: vt nihil in eſſentia aut attributis detrimenti paterentur. Ita vnus reuera eſſet volens & operans; vna ſiquidem tantum erat perſona in duabus naturis ſubſiſtens: ſed duæ erant voluntates, duæque operationes, quo modo ſecundum vnam naturam modò volebat & operabatur, modò ſecundum aliam. In vna ſiquidem perſona duæ naturæ abſque confuſione ſubſiſtebant, quæ ſuas proprietates integras conſeruabant. Et hoc de quinto ſigillo dicta ſufficiant. Veniamus ad ſextum.

Et vidi cum aperuiſſet ſigillum ſextum: & ecce terræ motus magnus factus eſt, & ſol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus, & luna facta eſt ſicut ſanguis, & ſtellæ ceciderunt ſuper terram, &c.

Quinam euentus ex apertione ſexti ſigilli prædici poſſunt.

ANNOTAT. X.

AN ſub ſigillo ſexto Prophetia alicuius Synodi recondatur, mihi perſuadere non poſſum: nec enim ea, ad quæ ſymbolum aptari poteſt, Synodis conuenire, vt arbitror, poſſunt. Exiſtimo igitur quoſdam euentus, aut certas quaſdam mutationes in Eccleſia valde inſignes deſignari, vt ſi ſemel euenerint, fideles animum non deſpondeant, dum vident ea longe antea fuiſſe præuiſa: Iuxta id quod à Saluatore Luc. 21. dicitur: *Cum autem audieritis prælia & ſeditiones, nolite terreri; oportet primum hæc fieri, ſed nondum ſtatim finis.* Verbi gratia, in ſolis nigredine poſſent prædici quædam tempora, in quibus ſedes Romana valde denigrata fuerit, vel turpitudine morum quorumdam Pontificum: vel vexatione Tyrannorum depreſſa. In Luna ſanguinolentâ, maxima & notabilis morũ corruptio, aut homicidiorum frequentatio, bellis ac ſeditionibus variis. In caſu ſtellarum, plurimarum perſonarum inſignium in hæreſim & apoſtaſiam lapſus: quibus quidem euentibus, conſtantia & firmitas fidelium concuti & turbare poſſet, at non ſubuerti: quia vident ea fuiſſe prædicta & præuiſa, vt inter flatus & procellas firmi & ſtabiles remanerent. Et licèt hi euentus potius aliquam ex ſui cognitione poſſent ingerere mæſtitiam, conſolationem tamen ex illorum reuelatione percipit S. Ioannes, quia ſimul præuidebat fore vt fideles hæc mala præuidentes cautiores euaderent, & firmius conſiſterent, à recta via non declinantes, nec ſpem ſalutis deponentes, inter tot aduerſa: quæ ſciunt euenire *vt probatio fidei* eorum *multò pretioſior auro, quod per ignem probatur, inueniatur in laudem & gloriam & honorem in reuelationem Domini noſtri Ieſu Chriſti*, vt loquitur S. Petrus 1. c. 1. Eſto igitur, ſeculi potentiores omnem vim, autoritatem, induſtriam adhibeant, vt Euangelij prædicatio, & Regni Chriſti promotio nulla habeant incrementa; nihilominus electi, vt in cap. 7. videbimus, in gratiam confirmari poterunt, & donum obtinebunt perſeuerantiæ, quo ad coronas adipiſcendas tandem perueniant.

Poſſibile igitur eſt Deum Optimum Maximum, voluiſſe in apertione ſexti ſigilli fidelibus manifeſtare omnia mala, quibus eorum in fide & bonis operibus conſtantia concuti & oppugnari poſſet, eo modo quo vſus eſt Dominus Luc. c. 21. dum ſimiles prædicit euentus: *cum autem* inquit, *audieritis, prælia, & ſeditiones nolite terreri.* Ita hic vt cautiores reddantur, ſimilia mala prophetizantur. Et vt dicam quod ſentio, non opus fuit poſt prædictionem iſto-

rum quinque Conciliorum, alia prædici, quæ ſubſequi poſſunt: tum quia virtualiter omnes quæſtiones, quæ de fide moueri poſſent, ex his quæ iam fuerunt deciſa poſſunt determinari; ſecundo quia ſedis Romanæ autoritas nunc firmior reddita & illuſtrior, Conciliorum œcumenicorum neceſſitas non eſt adeo abſoluta, vt antea in initio Eccleſiæ fuit neceſſaria, vt prædictæ veritates tam neceſſariæ, inconcuſſæ remanerent, ex quarum determinatione cæteræ dependebant: Et, vt optimè dixit Flauianus Patriarcha Conſtantinopolitanus, literæ Pontificis tantæ ſunt autoritatis, vt per eas hæreſes ſatis profligari queant. *Cauſa*, inquit Flauianus, *enim eget ſolummodo veſtro ſolatio atque defenſione, qua debeatis conſenſu proprio ad tranquillitatem & pacem cuncta perducere; ſic enim hæreſis quæ ſurrexit, & turbæ quæ propter eam factæ ſunt, facilè deſtruentur, Deo cooperante per veſtras ſanctiſſimas literas. Remouebitur autem & Concilium, quod fieri diuulgatur, quatenus nequaquam vbique ſanctiſſimæ turbentur Eccleſiæ.* Ita Flauianus. Addit Baron. an 449. n. 10. *Quibus intelligis tantam vim ineſſe literis Apoſtolicis, vt Concilio dicat non indigere œcumenico id quod eiuſdem Romani Pontificis fuiſſe literis definitum.* Ita Bar. Hoc certe veriſſimum eſſe cenſuerunt quam plurimi Epiſcopi Galliæ noſtris temporibus, qui pro A ſedandis diſceptationibus & turbis, ob librum poſthumum & doctrinam Ianſenij Iprenſis Epiſcopi, Innocentio 10. literas direxerunt. *Tales*, inquiunt, *motus ſedari oportebat tum Concilij Tridentini autoritate, tum Bullæ illius, quâ Vrbanus 8. felicis memoriæ aduerſus Ianſenij dogmata pronunciauit, & decreta Pij 5. ac Gregorij 13. in Baium edita confirmauit. Atque huius quidem Bullæ veritatem ac robur, nouo diplomate vindicaſti: ſed quia nihil ſigillatim propoſitioni certæ cenſuræ notæ inuſta fuit, locus etiamnum aliquis quorumdam cauillis & effugio relictus eſt: intercludendum autem penitus ſperamus ſi vt precamur, ſanctitas tua quid in hac re ſentiendum ſit clare diſtincteque definiat.* Et propoſitis quibuſdam propoſitionibus definiendis, tandem aiunt: *Experta eſt nuper Beatitudo tua quantum Apoſtolicæ ſedis in gemini Eccleſiæ Capitis errore profligando valuerit autoritas: continuo ſedata eſt tempeſtas, atque ad Chriſti vocem & imperium venti & mare obedierunt.* &c. vt perſpicuum ſit ipſos exiſtimare ſolam Pontificis autoritatem ſufficientem eſſe ad errores profligandos, abſque aliquo generali Concilio: nec verus Catholicus aliter ſentiet, qui meminerit dictum Petro, & in eo ſucceſſoribus ſuis: *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* B

Finis Annotat. in Cap. VI.

Digitized by Google

DE FOELICI OPERATIONVM CHRISTI successu, in animarum sanctificatione, & electorum ad numerum debitum multiplicatione.

CAP. VII.

HIS sigillis sex reseratis, quanta Deus sit operaturus ad sanctificationem animarum, & nominis sui gloriam, clarè ac distinctè agnoui. Sed ne de prospero euentu eorum, quæ Christus Dominus in his peragendis moliebatur, dubitarem; qui post tantam gratiarum, & efficacium auxiliorum profusionem, hominum ingratitudinem in apertione sexti sigilli animaduerteram, qui lumen fidei sub modio reponentes, claritatem veritatis non recipientes, vt salui fierent. Domini sui voluntatem probè noscentes, sed minimè adimplentes, quasi talentum in sudario reponentes, dignitatis suæ obliti filium Dei conculcant, & spiritui gratiæ contumeliam faciunt, sanguinem testamenti, tanquam quid pollutum ducunt, remedia peccatorum respuunt, denique tot legum transgressionibus, tantâ morum corruptione, tot & tantis contradictionibus, rerum sacrarum prophanationibus, iudiciorumque Dei irrisionibus, Regiam Christi Domini maiestatem ac potestatem proscindebant, vt nulla appareret spes quod ipse Dominus opus incœptum perficeret aut consummaret; ideo ille ipse, qui in primâ visione mihi dixerat: *Noli timere. Ego sum primus & nouissimus*: Voluit à me hunc timorem expellere. Nam vidi quatuor Angelos stantes super terram, id est, quatuor primos Angelos, ad regendum totum orbem à Deo constitutos, stantes super quatuor Angelos terræ: quia in vnoquoque hemispherio suam potestatem exercét, & cuncta mundi elementa, ac sæculi potestates eorum subjiciuntur ditioni: tenebant siquidem *quatuor ventos terræ, ne flarent super terram, neque super mare, neque in vllam arborem.* Iam enim diabolus irascitur, inuidiâ inardescit & exuritur, ex Ecclesiæ optimâ fundatione, & tot tantarum gratiarum copiâ: ex tot fidelibus in terris iam plantatis, præuidet fore vt numerus electorum compleatur, qui sedes, è quibus deturbatus est, possideant: quo se vertat nescit, omnem vult monere lapidem, & quantum in se est, qui olim Herodem suscitauit ad quærendum puerum, vt interficeret illum, suscitare intendit potestates sæculi, vt non permittant Ecclesiam Dei eos suæ subdere dominationi. Sed is in cuius manus sunt omnia iura Regnorum, cuius potestas, potestas æterna, cuius regnum est in generationem & generationem, cuius manui *nemo est qui resistat, & dicat ei: quare feciſti? Ipse est enim Deus, viuens & æternus in sæcula, & regnum eius non dissipabitur*; quique Ecclesiæ sponsæ olim talia promittere voluit: *Et ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi: in indignatione enim meâ percussi te, & in reconciliatione mea misertus sum tui: Et aperientur porta tua iugiter, die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo Gentium, & Reges eorum adducantur. Gens enim & Regnum quod non seruierit tibi peribit*; Ipse inquam voluit vt quatuor isti Angeli tenerent ventos terræ, nempe omnes sæculi potestates: ne flarent super terram, neque super mare, neque in vllam arborem, id est ne potestate à cœlo sibi collata abuterentur, terrenis affectibus dediti, aliquid molientes quo tum stabilitati Ecclesiæ, tum profusioni gratiarum, velut mare Ecclesiam inundantium, tum cuiuslibet electorum prædestinationi aut saluti officerent. Condant leges quantum voluerint Christianæ Religioni contrarias, non concutietur Ecclesiæ firmitas: procellis persecutionum nauem istam supra vndas sæculi fluctuantem obruere conentur: exagitari potest, submergi non potest: & quamuis habeant potestatem vitæ & necis, vt electos morte afficiant corporali, manent tamen in vita radicati, vt in æternum viuant, & nemo rapiet eos de manu eius: quin potius pullulabunt, germinabunt: minimus erit in mille. Semen enim est sanguis Christianorum, donec impleatur, numerus electorum.

2. ad Thess. 2.

TEXTVS. *Posthæc vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ ne flarèt super terram, neque super mare, neque in vllam arborem.*

Hinc vidi quod quamuis mali Angeli istis quatuor primis repugnare vellent, & nocere terræ, mari, & arboribus, excitantes ventos, nempe sæculi potestates, vt totis viribus contra Ecclesiam insurgerent, nihil adoriri potuerunt quo Dei propositum impediretur. Nam ecce apparuit alter Angelus ascendens ab ortu solis, habens signum Dei viui, qui clamauit voce magnâ quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ & mari, prohibens nocendum terræ & mari, vel arboribus, quoadusque signarentur, serui Dei ab eo, & ab aliis Angelis bonis, in frontibus suis: vnde in aliquo noceant ex Dei permissione, electos tamen, quibus omnia in bonum cooperantur, à salute arcere minimè valebunt.

TEXTVS. *Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis habentem signum Dei viui: & clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ & mari, dicens: Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus: quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.*

Ad præsentiam tantæ maiestatis quid auderet Sathan attentare? Ad exortum solis dracones antra sua repetunt. Ecce oritur sol iustitiæ: diabolus inferni antra repetat. Nec enim aduersus Ecclesiam tot eius machinamenta præualebunt. Angelum Ecclesiæ præfecit, qui eam inuisibiliter regat. Spiritum sanctum sibi in maiestate coæqualem à Patre misit, qui supra Ecclesiam Pastores constituit, qui gubernaculum eius teneant, vt ad salutis portum fœliciter perueniat. Hi habent signum Dei viui: quia Angeli boni, suis inspirationibus, Episcopi & Pastores, suis sacris ministeriis, electos & fideles possint ad perfectam Christi imitationem promouere. Ad hoc enim collaborant, vt Christus formetur in electis: quin & valeant eos ad perpetuum Dei cultum denouere ac consecrare, quos iudicauerint tantæ auctoritatis & dignitatis condignos. Tanta autem freti potestate, magna voce Angelis malis imperitat, ne aut suos Asseclas & Coadiutores à suis functio-

Daniel. 4. Dan. 6.

Isa. 60.

Digitized by Google

nibus impediant; qui ſecundum Dei propoſitum vocati ſunt ſancti, ſancti euadant: & qui vocantur à Deo tanquam Aaron, ad congruentem aſſumentur honorem, vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneat, cui gloria ſit in æternum.

Rom. 8. Hebr. 5. Rom. 9.

Sic audiui numerum ſignatorum, quia fide opus eſt, ſiue vt ſciamus quinam ſint pro certo pro ſanctis & beatis habendi, ſiue vt credamus eos, quos nobis foris ſimiles agnoſcimus, aliquam poſſidere auctoritatem, quam alij nec licitè, nec validè vſurpare audeant: per quam & Eccleſiam regere, & illam ſanctificare valeant. Hi autem ad numerum centum quadraginta quatuor millium peruenerunt, quo & eorum merita copioſa, & perfectam mandatorum Dei obſeruantia, & in bono perſeuerantia ac firmitas deſignarentur. Ex duodecim tribubus Iſrael aſſumi dicuntur, quia filij ſunt Abrahæ, non quia filij carnis, ſed quia filij ſint promiſſionis: vnde æſtimantur in ſemine, & filij ſunt Dei: Ex vnaquaque tribu duodecim millia ſeliguntur, tanquam ab vno Patriarcharum oriundi, vt diuerſitatem donorum ac miniſteriorum, per quæ Dei cultus promouetur, & ad beatitudinem peruenitur, ex nominibus ipſorum ſeu geſtis eorum colligere ac coniectare valeamus. In eorum enumeratione, nec ordo generationis temporalis obſeruatur, quia non ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri nati ſunt, ſed ex voluntate Dei; nec ordo quo in ingreſſu Ægypti numerantur, quia hic repræſentantur in ſtatu gratiæ finalis, è ſæculo migrantes, Nec ordo prædictionum Iacob, quia in his multæ actiones filiorum reprobantur, hic autem tantùm meritoriæ actiones conſiderantur; Nec ordo benedictionum Moſis, quia promiſſiones eius ſunt tantùm rerum temporalium quæ imagines ſunt ſpiritualium, hic autem mentio fit de conſummatione fidelium in gratia, & gloriæ æternæ adeptione; Nec ordo diſtinctionis à Moſe poſitæ inter filios vxorum & ancillarum Iacob, quia gratia datur nullâ habitâ ratione parentum; Nec ordo eorum cum ad prælia deſcendebant, in quo tribus Leui non enumerabatur, quia nulla eſt inter fideles conditio, quæ eos à tali numero excludat; Nec ordo collocationis tribuum circa Arcam & Propitiatorium, in quo Leuitæ non numerabantur, quia hic qui regali ſacerdotio Chriſti donati ſunt reponuntur ex omni tribu aſſumpti; Nec ordo obſeruatur à ducibus tribuum in oblatione munerum, quia de his potiſſimum hic fit mentio, ad quos primitiæ & oblationes & decimæ fidelium debentur, & quia ipſi ſunt primitiæ Deo oblatæ, & in Domini ſortem reputantur; Nec ordo etiam qui ſeruabatur, quando populi caſtra, & Arca de loco in locum alienum tranſmigrabant, quia non amplius fiet legis aut Sacerdotij tranſlatio: Chriſtus enim manet ſacerdos in æternum, cuius ſunt miniſtri; Nec ordo etiam qui obſeruatus eſt cum exploratores terræ fuerunt electi, quia quidam eorum à veritate deciderunt: hic autem mentio fit de his, in quorum ore non eſt inuentum mendacium; Nec ordo ſeruatus cum vel de partitione terræ promiſſæ agebatur, omiſſa tribu Leui, vel quando ſortes ad eam partiendam miſſæ fuerunt, vt vnuſquiſque partem quæ contingebat in proprium poſſideret: quia nullus electorum ex hoc numero nunc rejicitur: Et de his agitur qui non habent in hoc mundo ciuitatem permanentem, ſed futuram inquirunt; Nec ordo ab Ezechiele ſeruatus in diſtributione ſortium, quia ibi tantum de reunione duorum populorum in curſu temporis propheratur: hic autem de conſummatione in patriâ per gratiam finalem mentio habetur; Denique nec ordo ab Ezechiele poſitus in enumeratione portarum ciuitatis ab eo depictæ, quia non de ingreſſu in Eccleſiâ militante, quæ ibi deſignatur, ſed de ingreſſu in Eccleſia triumphante hic ratio habetur.

TEXTVS. *Et audiui numerum ſignatorum, centum quadraginta quatuor millia ſignati, ex omni tribu filiorum Iſrael.*

Rom. 9.

Ex tribu Iudæ, duodecim millia ſignati. Ex tribu Ruben, duodecim millia ſignati. Ex tribu Gad, duodecim millia ſignati. Ex tribu Aſer, duodecim millia ſignati. Ex tribu Nephtalim, duodecim millia ſignati. Ex tribu Manaſſe, duodecim millia ſignati. Ex tribu Simeon, duodecim millia ſignati. Ex tribu Leui, duodecim millia ſignati. Ex tribu Iſſachar, duodecim millia ſignati. Ex tribu Zabulon, duodecim millia ſignati. Ex tribu Ioſeph, duodecim millia ſignati. Ex tribu Beniamin, duodecim millia ſignati.

Vnde tali ordine nomina Patriarcharum fuerunt mihi enumerata: Iuda, Ruben, Gad, Aſer, Nephtali, Manaſſe, Simeon, Leui, Iſſachar, Zabulon, Ioſeph, Benjamin: vt quâ via ad Cœlum nobis eſſet aſpirandum innoteſceret, ex nominibus & geſtis antichorum Patriarcharum, quorum nomina hic ponuntur. Loco Dan Manaſſe ponitur, quia licèt ex tribu Dan tum in decurſu temporum, tum poſt Anti-Chriſti mortem, plurimi poſſint eſſe è filiis promiſſionis & regni æterni, attamen è Regno viſibili Chriſti in Eccleſia eſſe nequeunt. Cum venerit Anti-Chriſtus nullus ex ipſis Dei caſtra ſequetur, ſed Anti-Chriſto ex eadem Tribu oriundo adhærebunt, contra quos omnes iſti Sancti fortiter & generosè dimicabunt, omnia quæ in terris ſunt paruipendẽtes & obliuiſcentes, vt Chriſtum lucrifaciant. Nomen Ioſeph pro Ephraim reponitur, quia nori tempus fructificandi hic deſcribitur, ſed tempus gratiæ in vltimo puncto acquiſitæ, per quam fiet luminis accretio, cum à lumine fidei ad lumen gloriæ ſanctorum animæ tranſmigrare debeant, & à claritate in claritatem transformari tanquam à Domini Spiritu, cum à corporibus ſeparabuntur.

Manaſſes obliuio.

Et tamen eo ordine ſeruato, ea quæ ſunt neceſſaria, vt animæ peruenient ad optimum & optabilem perſeuerantiæ ſtatum, ad vtilitatem Eccleſiæ fuerunt mihi deſignata & graphicè adumbrata. In Iuda, Trinitatis Confeſſio, & noſtri à Deo, in eſſe, in operatione, in merito, omnimoda dependentia. In Ruben, filij Dei à Patre miſſi ad noſtram Redemptionem continua mentis viſio. In Gad, ad Dei mandata exequenda, prompta & alacris voluntas, & animi præparatio. In Aſer, beatitudinis & æternæ fœlicitatis ardens deſiderium. In Nephtali, laborum cum mercede prudens æquipætatio, ſcientes quod momentaneum eſt quod deſectat, & tamen æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. In Manaſſe, omnium rerum creatarum obliuio, vt Dei ſolius memoria in nobis fulgeat. In Simeone, per orationem ad Deum ineffabilis recurſus, vt deſideria noſtra exaudiat. In Leui, vera cum proximo charitas. In Iſſachar, erga cunctos qui aliquo beneficio nos præueniunt animi gratitudo ſingularis, vt Deus illis mercedem æternam retribuat. In Zabulon, perfecta in bono per charitatem perſeuerantia, quâ in Deo maneamus, & Deus in nobis. In Ioſeph, deſiderium proficiendi in melius, vt cum omnia fecerimus quæ præcepta ſunt nobis, dicamus: *Serui inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus.* In Benjamin filio doloris, per tolerantiam paſſionum, & Chriſto Crucifixo adhæſionem, ad gloriam peruentio. Qui enim fuerit Benoni, id eſt, filius doloris, erit Benjamin, filius dexteræ, cum inter oues ad dexteram repoſitas collocabitur in die iudicij. Sic ambulauit Petrus qui dixit: *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Sic per Dei miſericordiam ego ipſe Ioannes, qui Chriſtum in ſinu Patris Verbum apud Deum eſſe vidi, in cruce hominum Redemptorem, in viſione Eccleſiæ caput eſſe proſpexi. Sic Iacobus primus inter Martyres, ad remotiores Regiones properans, vt Chriſtum annunciet. Sic Andreas totam fœlicitatem ſuam in Crucifixi amore, & in exequendâ eius voluntate reponens. Sic Philippus in lege diuinâ, & lectione librorum veteris Teſtamenti optimè verſatus, figuras cum veritate æquè ponderatur. Sic Thomas tam integra rerum omnium obliuione dicens: *Deus meus & Dominus meus.* Sic Bartholomæus, qui orationis vi & efficacia tenet ſuſpendentes aquas gratiarum, vt fluant aut non fluant, prout libuerit. Sic Mathæus

Luc. 17.

Digitized by Google

qui alios ad Dei ſeruitium adiecit, cum in eius domo peccatores Domino commenſales accubuerint. Sic Iacobus, qui mercedem mercenariis reddendam decernens, animi ſui æquitatem & gratitudinis amantem ſe oſtendit, & ad æternam mercedem magnificis verbis ſeriò inuitat. Sic Thadæus, cui Dominus ait: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater, meus diligit eum: & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Sic Simon, qui cum Ægyptiis verbum Dei diſſeminauit, vbi olim Ioſeph Patriarcha panem materialem diſtribuit, pietati plurimum incrementum dedit. Sic Matthias, qui ſorte electus, fœlicis ſortis ſanctorum particeps effectus eſt. Sic omnes iſti principes Eccleſiæ ambulauerunt, vt alios ad ipſorum ſequenda veſtigia inuitarent.

Textvs. *Poſthæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat: ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, ſtantes ante thronum, in conſpectu agni, amicti ſtolis albis: & palmæ in manibus eorum. Et clamabant voce magna dicentes: ſalus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & agno.*

Quorum quidem innumeri fuerunt ſectatores, qui eorum exemplis & ſalutaribus doctrinis inuitati, ad præmia per labores conuolarunt. His enim auditis; *Vidi Turbam Magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus Gentibus & Tribubus, & Populis, & linguis, ſtantes ante Thronum & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis: & palmæ in manibus eorum. Et clamabant voce magnâ dicentes: Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper Thronum.* Vidi, inquam, omnium fidelium immunerabilem multitudinem, ex omni parte mundi congregatam, qui amicti videbantur albis veſtibus, quia baptiſati erant, ſtantes ante Thronum & in conſpectu Agni, quia in fide Eccleſiæ vſque ad vltimum ſpiritũ perſeuerantes, ad Sacramenta Pænitentiæ & Euchariſtiæ, & Extremæ Vnctionis recurrebant. Habebant palmas in manibus, quia victores mundi & diaboli videbantur à mundo exire: & clamabant voce magnâ dicentes: *Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper Thronum, & Agno:* quia totam ſpem ſalutis in Dei & Chriſti miſericordiâ collocabant. Hos vidi à ſanctis Angelis cuſtoditi, protegi & circumdari, qui caſtrame tantes circa Eccleſiam, & Paſtores Eccleſiæ, vt fideles iuuent in debitâ Sacramentorum perceptione, & eoſdem Paſtores in conueniente ipſorum Sacramentorum diſpenſatione, Deum magnificis laudibus proſequebantur. Nam ſi gaudent Angeli, cum peccator conuerſus fuerit à viis ſuis pravis & peſſimis, quomodo non gaudebunt ſi ipſos viderint fœliciter conſummati, & in fide, ſpe & charitate è mundo exire? Omnes ſiquidem *Angeli ſtabant in circuitu Throni, & Seniorum, & quatuor animalium, & ceciderunt in conſpectu Throni in facies ſuas, & adorauerunt Deum dicentes: Amen. Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, virtus & fortitudo Deo noſtro, in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Textvs. *Et omnes Angeli ſtabant in circuitu throni, & ſeniorum, & quatuor animalium. & ceciderunt in conſpectu throni, in faces ſuas: & adorauerunt dicentes: Amen. Benedictio & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor & virtus & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum: Amen.*

Sed quia homo videt in facie, Deus autem intuetur cor, & nemo ex his quæ videt, poſſet certò colligere, an talis vel talis deceſſerit in tali ſtatu, vt coronas mereatur accipere, ideo vidi diligentem fieri inquiſitionem ab eo qui primus eſt inter Seniores, id eſt, qui caput eſt viſibile Eccleſiæ militantis, qui dixit mihi: *Qui amicti ſunt, ſtolis albis*, id eſt, baptiſati fuerunt; *qui ſunt, & vnde venerunt?* Cui confeſſus ſum ad ſeipſum eſſe recurrendum, vt certum quid de hac re determinetur, cum iudicium eius ſit infallibile, in decernendis iis quæ ad Deum conducant, & poſſit non tantum in ſpecie, ſed etiam in indiuiduo, de actionibus humanis abſque errore dijudicare, & non ſolùm per quas vias nobis incedendum ſit demonſtrare, ſed etiam eos, quos ſanctos agnoſcit, vt imitandos proponere. Hic dixit mihi: *Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magnâ, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni. Ideo ſunt ante Thronum Dei, & ſeruiunt ei die ac nocte in templo eius. Et qui ſedet in Throno habitabit ſuper illos. Non eſurient neque ſitient amplius, nec cadet ſuper illos ſol, neque vllus æſtus:* eo ipſo ſcilicet, quo in hac finali gratiâ deceſſerint, quoniam *Agnus qui in medio Throni eſt reges illos & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.*

Textvs. *Et respondit vnus de ſenioribus, & dixit mihi: Hi qui amicti ſunt ſtolis albis qui ſunt? Et vnde venerunt.*

Et dixi illi: domine tu ſcis. Et dixit mihi: Hi ſunt qui venerunt, de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni. Ideo ſunt ante thronum Dei, & ſeruiunt ei die ac nocte in templo eius. & qui ſedet in throno habitabit ſuper illos. Non eſurient neque ſitient amplius, nec cadet ſuper illos ſol, neque vllus æſtus. Quoniam agnus qui in medio throni eſt reges illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum: & abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.

In quibus verbis eos declarat per viam vitæ purgatiuæ ambulaſſe, Venerunt ſiquidem de tribulatione magnâ; per viam vitæ illuminatiuæ in exercitio virtutum inceſſiſſe, amicti enim ſunt ſtolis albis, quia per imitationem dealbauerunt eas in ſanguine Agni; Ad vitam vnitiuam peruenille, quia ſtantes ante Thronum, & in conſpectu Agni, Deo ſeruiunt inceſſanter: vnde beati ſunt in hac vita inchoatiuè, ſpe requiei illius opulentæ, ſecuritatis æternæ, ſuauitatis ac ſatietatis perpetuæ, cum erunt ab omni miſeria immunes, Dei conſortes, & diuinæ naturæ patticipe in viſione beatificâ, hæreditatem Patris vt filij poſſidentes, denique cum Chriſto regnantes, qui eos *reget & ducet ad fontes vitæ aquarum*, & torrente voluptatis potabit eos in æternum.

IN CAPVT VII. APOCAL. ANNOTATIONES.

Præfatio, in qua, quæ dicta ſunt optimè connecti cum dicendis, oſtendimus.

OMNIS Diuinæ operationis ſcopus ſeu finis, ex S. Dionyſ. *Imitatio quædam eſt aut ſimilitudo Dei, & cum eo intima vnio.* Conuenientiſſimè igitur in hoc capite S. Ioannes poſtquam egit de ſacris operationibus & mediis, quibus nos Deus ad hanc ſimilitudinem & vnionem adducit, agit de iis qui talem finem tantopere expetendam feliciter adipiſcuntur, legitima & pura Sacramentorum perceptione, id eſt ſacris Dei operationibus & rectiſſima in Deum & Chriſtum fide. Veriſſimum ſiquidem eſt perfectam noſtræ mentis vnionem cum Deo, quæ in hac vita inchoatur per gratiam, & in alia perficitur, per gloriam, ad res ſignificatas & effectas per Sacramentorum adminiſtrationem ſubſequi, dum gratiam efficiunt & cauſant in animabus noſtris; rectiſſimamque de diuinis fidem exigere, ſine qua *impoſſibile eſt placere Deo.* Verbi gratia, per baptiſmum fidem recipimus. Sapientiæ autem primo dicitur: *Quoniam inuenitur ab his qui non tentant illum, apparet autem eis qui fidem habent in illum.* Deinde dicitur Marci 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Viſio igitur Dei, & ſalus, ad operationem diuinam quæ fit per baptiſmum, tanquam per quoddam diuinæ potentiæ inſtrumentum ſubſequitur. Eadem dicendum de aliis Sacramentis; v. g. Sacramentum Confirmationis plenitudinem Spiritus ſancti inducit, præparat etiam mentes noſtras vt vitam profundamus pro Chriſto, quem ſupra omnia diligimus,

Digitized by Google

Quid autem promittitur diligentibus Deum super omnia, nisi Dei visio? *Qui autem*, inquit Dominus Ioh. 14. *diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Deinde Sacramentum Matrimonij signum esse dicimus, quo admonetur fidelis obseruationis mandatorum, conformatisque voluntatis nostræ cum diuina. At vita æterna promittitur iis qui mandata Dei fideliter seruant: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Quarto, Sacramentum Ordinis perfectam consecrationem, & Dei obsequio omnimodam mancipationem & deputationem significat, qua pro eius gloria, tanquam quædam victima vita nostra immoletur, iuxta illud ad Philipp. 2. *Sed & si immolor supra sacrificium & obsequium fidei vestræ, gaudeo & congratulor omnibus vobis.* At qui se hoc modo immolant, vitam æternam adipiscuntur, & cum Christo regnant. *Qui*, inquit ipse Ioan. 12. *odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Et si quis mihi ministrat me sequatur, & vbi ego sum illic & minister meus erit.* Ioan. 12. Quintò, Sacramentum Eucharistiæ autorem vitæ nobis exhibet manducandum. At inquit ipse: *Qui manducat me, ipse viuet propter me.* Ioan. 6. Tandem per Sacramentum Pœnitentiæ Deo reconciliamur, remissionem peccatorum recipientes, & ad Deum conuersi: ipse conuertitur ad nos, vt gratiã infundat, qua ius ad gloriam habeamus. Si igitur hæc Sacramenta nobis gratiam, qua ius habemus ad gloriam, conferunt, optimo iure diximus effectus Sacramentorum sacras esse operationes, quibus nos Deus ad suam similitudinem, & perfectam cum eo vnionem nos prouehit, & suo signat charactere, suam in nobis imprimendo imaginem; quæ omnia rectam de diuinis fidem procul dubio exquirunt: Igitur S. Ioannes, vt clarum est ex iis quæ attulimus, agere debuit de Sacramentis, & de fide, vt postea agat de iis qui Sacramenta, & fidem suscipiunt, in quantùm per Sacramentorum susceptionem, & fidem rectissimam, ad similitudinem Dei perueniunt.

At quia duobus modis hæc similitudo in nobis potest existere, primò inchoatè, imperfectè, mobiliter, aut consummatiuè, perfectè, inconcussè, seu immobiliter & perseueranter. Rursus hæc consummatio, perfectio, aut perseuerantia in gratia, potest considerari vel inquantum quis peruenit ad vltimum gratiæ gradum, ad quem peruenire debet, vt suam mansionem in cœlis obtineat, in eo videlicet statu positus, in quo per donum perseuerantiæ à gratia excidere non possit; vel in quantum iam gloriam adeptus est; Dicimus hîc sanctum Ioannem agere de hac similitudine, non inquantum est inchoata, imperfecta, & à qua decidere quis valeat, nec in quantum quis iam gloriam æternam est adeptus; sed in quantum vltimum gratiæ gradum cum dono perseuerantiæ, obtinet in hac vita. Describit enim hîc non quæ sunt vitæ futuræ, sed quæ ad statum huius vitæ pertinent. Et cum iuxta regulam à nobis allatam, semper ea de quibus loquitur adspiciat vt sunt excellentiora, hic respicit gratiam, non quidem vt consummatam in gloria, quia non agit de vita futura; sed nec etiam vt est debilior in hac vita, & amitti potest, sed vt potest esse in gradu eminentiori & inamissibili, vt est ille punctus seu instans temporis, inquo quis obtinet donum perseuerantiæ in gratia.

Multa igitur, vt huius capitis sensum eruamus, nobis enucleanda sunt, v. g. de quo statu electorum loquatur S. Ioannes: quinam sit electorum Character; quali perfectione gaudere debeant; vt conformes sint fini & beatitudini, ad quam adeo ordinantur; Quibus notis possimus moraliter conjicere eos esse de numero prædestinatorum, quæ notæ ad duo genera reducuntur. Primum est earum quæ sunt certæ, & indubitatæ fidei; secundum earum quæ non nisi obscurè & ægrè dignoscuntur, & adhuc videntur cum quadam euentus & successus incertitudine, licèt præsuppositæ veræ, & permanentes ex eis possimus gloriam expectare. Denique videndum ad quem in Ecclesia pertineat veras notas à falsis dicernere, & quinam sint talibus notis insigniti, declarare. At quià S. Ioannes non tam citò transit ad proponendos insignes effectus gratiæ, quam in Sacramentorum susceptione recipimus, & qui rectissimam fidem subsequuntur: sed antequam illos exponat, de quibusdam agit Angelis, in quatuor mundi partibus stantibus, qui ventos impediunt, ne flatu suo, terram, mare, aut arbores infestent; aliosque Angelos ad nocendum paratos inducit, vnum autem ab ortu solis venientem habentem signum Dei viui, qui voce grandi & forti istos compescit vt à noxa abstineant, donec compleatur electorum numerus, inquirendum erit quinam sint isti omnes Angeli iuxta duos sensus à nobis allatos de Sacramentis, & de iis quæ credenda sunt, vt recta & syncera sit fides nostra in c. sexto: In quibus contemplanti valde relucet Dei prouidentia. Ideo in hoc capite inquiremus primo huius capitis scopum; Secundo: Quinam sint hi Angeli. Tertio: Quinam sint venti quatuor flantes, & quænam eorum sint munia, seu ad quid prouidentiæ diuinæ inseruiant. Quarto: Si Angeli quibus iniungitur ne noceant terræ aut mari &c. iisdem sunt cum iis qui ventos impediunt, ne flarent super terram, & quinam sit ille Angelus tantæ autoritatis, vt eis præcepta aut leges dare valeat, eorumque operationes suspendere. Quinto: Quorumnam bonum aut commodum respicit, Angelos alios nocentiores compescens, nempe bonum electorum. Sexto: An de electis agat S. Ioannes, pro eo statu gratiæ quem in hac vita obtinent, an pro statu gloriæ. Septimo: Quonam in fronte charactere notentur, & quænam perfectiones præsupponantur & exigantur, vt quis hoc charactere insigniri queat, & in electorum numero deputari. Octauo: Istas perfectiones in quibusdam valde insignes, cognitu faciles reperiri, in aliis obscuriores, & minus insignes: Et tandem videbimus ad quem pertineat declarare quinam sint, qui infallibilitet hoc charactere gaudent, & quænam perfectiones requirantur, vt quis illo insigniri queat, & in numero eorum deputari, qui digni habiti sunt, non solum his perfectionibus exornari, sed etiam per totum Ecclesiæ militantis tempus agnosci & prædicati, tanquam qui certò & infallibiliter Deum in æterna gloria glorificant, & collaudant. In quo quidem paternæ bonitatis Dei suauitas erga nos innotescet, qui supplicia non tam citò immittit in tantarum gratiarum contemptores, sed comminationibus vtitur, & quantum fieri potest, pro bono electorum illa differt, precibus & sacrificiis eorum qui mediatores sunt inter Deum & homines.

Scopus Capitis septimi.

ANNOTAT. I.

OCCVRRIT, vt mihi videtur S. Ioannes obiectioni quæ fieri posset hoc modo: Promisisti, ô discipulorum charissime, Regni Iesu Christi erectionem & exaltationem & stabilitatem in terra, itaut profusiones gratiarum liberrimè effundat vndequaque, nullo impediente, omniaque perficiat quæcumque voluerit, in terra, seu in electis suis terram adhuc habitantibus, sicut in cœlo, id est in bea-

Digitized by Google

tis: poterit ne quæſo hoc fieri nullo reſiſtente; Mundus fortaſſe, vt puto, quieſcet: nec mutire audebit: Proculdubio hoc non eſt credibile. Herodes olim, ſtatim atque præſentit eum à Regibus quæri, vt adoraretur ab eis, eius necem meditatur; quid demum eueniet cum Reges ſuo incipiet ſubdere imperio, ipſis à cœli gloria omnino excluſis, niſi debitam ipſi obedientiam præſtent? Inuidia dæmonis forte hoc permittet? An non potius homines terrenos, carnales ſuſcitabit, ſuæ malitiæ inſtrumenta, qui terrena poteſtate pollentes, & dignitate ſeculi elati ægrè ferent thronum hunc magnificum erigi & ſtabiliri, quo ipſorum ſplendor micans obnubiletur, à micantiori regni Chriſti lumine offuſcatus? Forte ſceptra ſubmittent, coronas ſuas è capite deponent ad pedes Agni in hoc throno regnantis? An non potius dæmon omnem ſuam aſtutiam impędet, vt Regnum iſtud euertat à fundamentis, vt harum gratiarum inundationem impediat, omneſque rationes ſeu media quibus Deus vti intendit, vt ad gloriam à qua ipſe decidit perducat homines, confundat & perturbet? At huic obiectioni occurrit, vt dixi, S. Ioannes, cum ait.

Poſthæc vidi quatuor Angelos.

Qua viſione docet omnes ſeculi poteſtates diuinæ ordinationi & voluntati eſſe ſubiectas, itaut ea tantum poſſint quæ Deus ad ſui gloriam, & electorum ſuorum probationem permittere voluerit. Tenent namque Angeli quatuor ventos terræ, id eſt. vt videbimus, omnes terrenas poteſtates, vt eas in officio ſuo, ſeu intra limites diuinæ ordinationis contineant. Alius videtur Angelus cum maieſtate dæmonibus præcipiens, ne eorum quæ perficere intendit executionem impedire audeant, donec ea compleuerit; qua agendi ratione nihil obſtabit quominus electorum numerus compleatur, & ad finem præſcriptum perueniat, poteſtatibus ſeculi intra limites huius ordinationis detentis, & dæmonibus prohibitis, ne totam ſuam malitiam exerceant, ad quam exercendam, ſi eis permitteretur, ſunt paratiſſimi. Et certe debuit S. Ioannes expoſiturus ſupplicia in capitibus ſubſequentibus, quibus Deus punire intendit eorum hominum ingratitudinem, qui tot beneficiis præuenti, in malis & peccatis obdurati permanſuri ſunt, aliquid in medium afferre, quo ſecuri & certi redderemur, ob hæc ſupplicia, effectum electionis & prædeſtinationis ſanctorum minimè impediri: vt ſi eos inter tot mala verſari contigerit, & cum reprobis eiſdem pœnis ſubiacere, peſte, bello, fame oppreſſos, & hominum paſſionibus, cum quibus conuerſari oportebit, vexatos; ſi diuerſitate opiniorum & errorum, eorum fides oppugnanda ſit, & pro eius defenſione ad extremum vſque diuexandi fuerint, ſicut fiet temporibus Anti-Chriſti, propterea non ſe exiſtiment à Deo forte derelinquendos, certi inſignia patentiora & ſecuriora ſalutis, eſſe tolerantiam perſecutionum & afflictionum pro iuſtitia: *Beati* quippe *qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum*; & quidquid dæmon euomere, ſæculi potentiores attentare potuerint, manebit proculdubio thronus ille immobilis. *Regnum* quippe Chriſti, *regnũ omnium ſæculorum, & dominatio in omni generatione & generationem.* Et reuera *adſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum*, vt ait Propheta, *aduerſus Dominum, & aduerſum Chriſtum eius.* Dixerunt: *Diſrumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipſorum.* Sed *qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos* Pſ. 2 hoc Throno immobili & fixo permanente. Hanc Throni firmitatem vidit S. Ioannes Chryſoſt. in 6. cap. Iſ. hæc verba ponderans: *Vidi Dominum ſedentem, &c.* cum ait: *Sedere ſuper thronum, ſymbolum eſt vtique iudicij, quemadmodum & Dauid ait: ſediſti ſuper thronum, qui iudicas iuſtitiam; & Daniel, Throni poſiti ſunt, & iudicium ſedit. Illa autem ſeſſio abſolute accepta, alterius iudicij ſymbolum eſt, iuxta Prophetam. Cuiuſnam enim? Stabiliter fixi, permanentis, confirmati, immutabilis, nullum ſortituri finem vitæ interminæ & perennitèr duraturæ. Ob hoc ait: Tu ſedens in æternum, & nos pereuntes in ſeculum, &c.* Ita Chry. Itaque ex ſententia Chryſ. ſeſſio abſolute poſita inconcuſſam autoritatem repreſentat. Igitur thronus, quem cap. 4. noſter Ioannes vidit, immobiliter permanebit, abſolute enim loquitur ſe vidiſſe ſedentem; *Et ſupra ſedem ſedens*, inquit. Et reuera Thronus hic firmus & immobilis eſſe poteſt: eſt enim in tuto poſitus. Quod etiam docuit idem S. Chryſ. enarrat, In c. 3. Iſ. hæc verba exponens: *Vinea facta eſt dilecto in cornu oleĩ, in loco vberi*: ait: *Nomine vineæ, omnem inſinuauit prouidentiam, diligentiam omnem excolendis eis exhibitam repreſentauit: nec tamen eo vſque prouectus reſtitit: ſed & alia in eos prærogata beneficia recenſet. Orditur in primis id à ſitu loci, quod indicat illud: in cornu in loco vberi, ſiue pingui. Et hoc quidem dicit approbans natiuam terræ indolem. Per illud verò commendat loci ſitum, quod & Dauid pſallens dixit: Hieruſalem, montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi ſui; ait etenim Dominum eam præmuniſſe ex loci poſitura; nec tamen eo dicto abiit contentus, ſed adiecit quia Dominus factus ſit ei murus, vel fortiſſimus: quod certè etiam obſcurè quidem innuit dicens, in cornu: hoſtili manu capi non poſſe ciuitatem indicans, & inexpugnabilem eſſe locum, ac præ cæteris opem à Deo illis fuiſſe auxiliatem, à cornu bubulo ductâ Metaphorâ: Etenim tale adagium in vulgus exiit, de his qui ad tutum aliquem locum confugiunt: nam quando iumentorum omnium fortiſſimus eſt taurus, id quod fortius eſt in eo animali conſueuerunt plerique appellare, nempe Cornu. Sed & ſcriptura plerumque eos qui in tuto conſiſtunt, vocat cornu monocerotis. Itaque in cornu perinde eſt hic, atque in ſecuritate, in faſtigioſo ac ſublimi loco, in quem ſenſum initio dicebat: Filius genui & exaltaui.* Ita Chry. Et reuera quomodo Thronus hic Chriſti non eſſet ſecurus? Eſt enim in ſublimi aëre eleuatus Quis ad eum pertingere poſſet? Certe optimo iure Dauid dicere potuit: *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Et meritò*, inquit Chryſ. In Pſ. 9. *mons eſt Eccleſia, quod ſit firma & ſtabilis, nec poſſit conquaſſari, quemadmodum enim mons non poteſt labefactari. Ita nec Dei Eccleſia.* Hæc Chryſ. Sed quid dico Eccleſiam eſſe tanquam montem, qui labefactari non poteſt? Plus dico cum Chryſ. Hom. 4. de verbis Iſaiæ: *Eccleſia firmioribus quam cælum ipſum, radicibus defixa hæret. Verum fortaſſis Ethnicus arrogantiæ me condemnat; ſed maneat, donec harum rerum probationem attulero, diſcatque vim veritatis, quomodo facilius eſt ſolem extingui, quàm Eccleſiam deleri. Quis inquis iſta prædicat? Is qui eam fundauit: Cælum & terra tranſibunt, ſed verba mea non tranſibunt. Hæc non modò dixit, ſed & compleuit, ſiquidem latius eam fundauit quàm cælum. Eſt enim cælo honoratior Eccleſia. Quare conditum eſt Cælum? Propter Eccleſiam. Eccleſia non eſt condita propter cælum, cælum conditum eſt propter hominem, non homo propter cælum. Id perſpicuum eſt ex his quæ fecit Chriſtus, non enim cæli corpus aſſumpſit ſed hominis.* Ita Chry. *Igitur nihil*, vt idem ait in Pſ. 44. *quod cum Eccleſia conferatur: ne mihi commemores muros & armaturi quidem temporis prolixitate vetuſcunt, Eccleſia verò nunquam ſeneſcit. Muros Barbari demoliuntur; Eccleſiam ne dæmones quidem vincunt: Et has non eſſe iactantium ſe voces, res ipſa teſtantur. Quot quantique oppugnarunt Eccleſiam, & inter oppugnandum diſperierunt? Quin & ipſa cælos tranſcendit. Talem obtinet Eccleſia am-*

Digitized by Google

plitudinem ; oppugnatur , euincis ; appetita insidiis, euadit superior , iniurias contumeliasque lacessita , illustrior constituitur, fluctuat, nec cedit impressionis vulneribus; circumagi fluctuet , non submergitur ; immanes sustinet procellas , ne sic quidem patitur naufragium ; luctatur , sed non succumbit ; pugillatu exercetur , sed non vincitur : cur itaque bellum permissum est ei ? Vt trophæum reportaret splendidius. Ita Chry. Licet igitur Ecclesia multis expolita sit oppugnationibus , nunquam tamen vinci poterit. *Poterat* , inquit Chrys. (homil. 5. de verbis Isaiæ: *Vidi Dominum*) *& in tranquillo nauigare, verum non est passus gubernator: quo simul & nauigantium perspicias tolerantiam, & gubernatoris prudentiam plenius cognoscas. Audiant gentes , audiant Iudæi benefacta nostra ; audiant instans ac feruens Ecclesiæ studium , à quàm multis oppugnata est Ecclesia , nec vnquam tamen victa. Quot tyranni ? Quot duces? Quot Imperatores ? Augustus , Tiberius , Caius , Claudius , Nero , homines literis ornati , potentes , tot modis oppugnarunt recentem ac teneram, at non deiecerunt: quin potius quo oppugnatus silétur oblivioni traditi, illa vero oppugnata cælum trascendit.* Hæc Chr. Nec mirum si persecutionibus non fuit extincta, quin potius ipsis incrementa sibi comparauit, donec cælum conscendat. Portæ inferorum non prævalebunt aduersus eam. *In principio itaque*, igitur idem Chrys. in Ps. 147. *Imperatores , & reges omnes , & populi & ciuitates, & dæmonum phalanges , & ipsa diaboli tyrannis, & alia innumerabilia inuaserint Ecclesiam; illa tamen omnia fracta & dissoluta sunt , & interierunt : ipsa autem creuit , & in tantam prouecta est altitudinem , vt ipsos etiam cælos superauerit. Benedixit filiis tuis in te: quemadmodum cum dixisset , In principio : crescite & multiplicamini, & replete terram , vniuersam terram sermo peruasit. Ita cum postea dixisset : ite & docete omnes gentes , & prædicabitur Euangelium hoc in toto mundo; ipsum etiam orbem terræ breui memento temporis iussus eius occupauit ,* &c. Et paulo post addit Chrys. *Atque in principio quidem ex vno multi nati sunt , cum lege naturæ cresceret multitudo, & ideo res tardiùs processit ; tempore autem Apostolorum non lege naturæ , sed gratiæ , crescebat multitudo ; & ideo vno statim die tria millia, deinde quinque millia, deinde innumerabiles , deinde vniuersus orbis terræ , per pulchram hanc regenerationem editi, aucti sunt & multiplicati sunt , & quam acceperunt benedictionem , factis illis ostenderunt : non enim ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis , sed ex Dei gratia nati sunt, &c.* Ita Chrys. Nobis certe qui huius Ecclesiæ sumus membra , eius firmitatem & constantiam obtinere æquum est: quod reuera consequemur , si à rebus terrenis omnem nostrum retrahamus affectum. Optimè nempe idem Chrys. in Ps. 44. *Qua autem ex causa nullo terrore sumus perculsi ? Quod nihil præsentium malorum timuerimus perpeti. Quid enim graue est ? An mors ? Nihil intolerabile adfert mors : allatum enim per eam ad portum pronehimur prorsus tranquillum. Sed meo me peculio mulctabis ? Nudus egressus sum de ventre matris , nudus hinc etiam abibo. Sed in exilium extrudes me ? Domini est terra & plenitudo eius. Sed aduersum me calumnia concinnabuntur? Gaudete & exultate, quum dixerint omne malum verbum aduersum vos mentientes , quoniam merces vestra multa est in cælis. Enses cernebam, & cælum intentâ mente agitabam ; mortem expectabam , & tacitus resurrectionem meditabar ; videbam hic infra mihi paratas afflictiones, supernæ ciuitatis præmia mecum enumerabam; adornatus aduersum me insidias obseruabam ; & mente tacitâ supernam meditabar coronam. Certamen mihi propositum abundè sufficiebat, ad exhortationem simul & consolationem.* &c. Ita Chrys. Hæc fortasse prolixius quam opus esset , sed perquam opportunum , vt ex tanto autore videamus Ecclesiæ firmitatem non concuti, mare gratiarum non exsiccari, arbores virtutum non eradicari ab illis quatuor ventis flantibus super terram.

A

Ad propositum igitur redeuntes, dicimus optima ratione sanctum Ioannem electorum protectionem, & prædestinationis eorum effectus describere , antequam mala exponat , quibus & eorum fides probanda erit, eorumque delicta castiganda , & reproborum pertinacia punienda. Proceguntur ergo electi quoadusque signentur in frontibus , id est quoadusque eam perfectionem obtineant , qua ad Dei similitudinem & vnionem perueniant , prohibente Deo ne eis noceatur , & impediente eos qui tanto bono obsistere possent ac vellent. Cuius quidem protectionis , & præseruationis , in hoc capite designatæ, optimam figuram habemus in sexto capite Prophetæ Zachariæ. Multum namque in hac materia secum conueniunt hi duo Prophetæ, vt attentè perspicienti manifestum erit.

B

Videt Zacharias Iesum filium Iosedec Sacerdotem magnum, veri sacerdotis magni Iesu Christi typum, suscipientem in capite coronas , licèt eum viderit c. 3. habentem Satanam à dextris , qui aduersaretur ei : Licèt eum perspexerit indutum vestibus sordidis , vt pote qui multis calamitatibus & impugnationibus expositus sit ; tamen in Dei protectione positus coronas obtinet, inter tot seculi mutationes , & rerum humanarum vicissitudines stans , & firmius consistens. Mundi enim varios motus , diuersasque procellas causatas ex mutatione & vicissitudine quatuor regnorum seu imperiorum, se inuicem vi ac violentia protrudentium , describit Zacharias , sub figura quatuor quadrigarum egredientium de medio duorum montium , quibus nonobstantibus erigitur & ædificatur Templum Domino : & ponuntur in capite Iesu coronæ ex auro & argento fabricatæ. Pari ratione dicendum, quod licèt oppugnetur per seculi potestates Christi regnum, in terris nempe Ecclesia constructur nihilominus, & Iesus Christus coronabitur gloria & honore, & post se habebit numerosam illam turbam, quæ præ multitudine dinumerari non potest. Quadrigas illas vocat Zacharias , quatuor ventos cœli, qui egrediuntur vt stent coram dominatore vniuersæ terræ. Per quatuor ventos dicimus intelligi seculi potestates , quæ quidem stant coram vniuersorum Domino : quia nullam habent potestatem, quæ non sibi data fuerit desuper: vnde tenentur ab Angelis, ne flent super terram, quia quæ agunt, ab ordinatione & permissione diuina omnino dependent. Iesus iste vocatur à Zacharia , Vir Oriens : *Hæc ait* , inquit , *Dominus exercituum dicens : Ecce vir, Oriens nomen eius.* Videt Ioannes *Angelum ascendentem ab ortu solis habentem signum Dei viui.* Quem virum orientem esse asserimus. De suo Iesu , nostri vmbrâ seu figurâ, dixit Zacharias : *Et subter eum orietur , & ædificabit templum Domino. Hoc est* , inquit S. Cyrillus , *vt ex eius radice germinabit.* Ita Cyrill. Ac si diceret: Germinabit non alia virtute , quàm propria & radicali virtute. Noster autem Ioannes loquitur de ingenti multitudine quorumdam, qui ex signo in frontibus ab Angelo impresso , pullulare videntur, qui omnes sunt sanctum Templum in Domino : siquidem sunt ante thronum Dei , vt seruiãt ei die ac nocte. De Iesu prophetizat Zacharias dicens : *Qui sedebit , & dominabitur super solio suo* : noster autem Ioannes ea adimpleta cernit, cum ait hanc multitudinem clamare : *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum , & Agno.* Prophetizat Zacharias. *Qui procul sunt venient , & ædificabant in templo Domini.* Hoc tanquam adimpletum videt Ioannes, in his de quibus dicit : *Venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas in sanguine agni. Ideo sunt ante thronum Dei & seruiunt ei die ac nocte in templo eius :*

C

D

E

Quod quidem eſt ædificare in templo Domini, nempe Deo ſeruire inceſſanter, *Quanam ædificabunt?* inquit S. Cyrillus, *ſeipſos videlicet coaptantes ſanctis, & componentes in fide, ad vnitatem cum iis qui ſunt ex Iſrael, Chriſto ſummo angulari lapide, & conuertente in concordiam per ſe, quæ olim diſiuncta fuerunt. Condidit enim duos populos in vnum nouum hominem, faciens pacem, & reconcilians in corpore ſuo Patri omnia, quæ cum venerint iam ſanctis, prophetis ſuffragium veritatis dabimus, manifeſtè cognoſcentes Deum tantum eſſe in ipſis, & myſterium Chriſti nobis prænunciaſſe.* Ita Cyrillus. Quibus verbis vides S. Cyrillum velle Zachariam ad Chriſtum reſpicere, qui Iudæos & Gentiles in vnam coadunauit Eccleſiam.

Dicimus igitur quod ſicut Zacharias in viſione quadrigarum, prophetizat ſucceſſionem quatuor Monarchiarum, Chaldæorum, Perſarum & Medorum, Græcorum, & Romanorum, & in coronis impoſitis in capite Ieſu filij Ioſedec, prædicit æternitatem regni, & Sacerdotij Chriſti Domini, bonaque præuidet eis obuentura, qui eum tanquam Regem & Dominum agnoſcent, eique munera offerent; pari ratione in hoc capite S. Ioannes agit de imperiis ſeu regnis, quæ omnes regiones terræ peruadunt, eaque ob oculos ponit, tanquam diſpoſitionibus Angelorum (qui præſunt moderationi ſeu regimini rerum humanarum) ſubordinata & ſubiecta; vt in turba electorum, qui Deum adorant & colunt, videamus Regnum Chriſti ſpirituale, ita inconcuſſum, vt à quacumque ſeculi poteſtate nequiuerit euerti, aut impediri ne firmas in perpetuas æternitates agat radices.

Aliquali tamen ratione differunt ea quæ tractat S. Ioannes de iis Monarchiis, ab iis quæ profert Zachatias. Si enim Ioannes eas proponit, vt quæ teneantur, & impediantur ne exeant, & vt quæ vtendi ſua autoritate liberam habeant facultatem; Zacharias eas in medium prodit, vt egredientes de medio duorum montium, ſiue in terram Aquilonis, ſiue ad terram Auſtri, quin etiam terram perambulantes ſecundum voluntatem, & ordinationem dominatoris omnis terræ. Secundum Zachariam videntur vnam poſt aliam exire, vt ſucceſſiones illarum Monarchiarum intelligamus, & de his quatuor prædictis præcisè eum loqui ſciamus. At S. Ioannes cum quatuor ventos ſimul complectitur, deſignat ſeu declarat ſe loqui de omnibus ſeculi poteſtatibus, quæ per quatuor orbis partes dominantur: quæ ab Angelis ita conſtringuntur locis & habenis, vt impedire nequeant quominus per vniuerſum orbem Deus, quos voluerit eligere, ad ſe non aduocet, quibus notam ſuæ electionis imprimat. Conueniunt vero Zacharias & Ioannes, quod vterque ſeculi poteſtates, ſeu imperia per ventos deſignet. Quomodo autem ordinationi diuinæ ſubiaceant & coerceantur, diuerſo modo explicant ſeu exponunt. Zacharias namque eos, quaſi inter duos montes æreos incluſos dicit, vnde egrediuntur prout Deus diſponere voluerit: nam ſuæ poteſtatis ſpecimen non reddiderunt, niſi prout Deus permiſit vt vna euerteretur ab alia: Montes autem alta & profunda diuinæ prouidentiæ conſilia, tum circa res humanas, quàm diuinas; tum circa totius vniuerſi gubernationem Iudæorum, ſeu fidelium totiuſque Eccleſiæ, pro fine ſupernaturali comparando ſignificant. Ioannes autem quatuor ventos ab Angelis teneri quodammodo alligatos ait, *ne flarent ſuper terram, neque ſuper mare, neque in vllam arborem*, ne ſuo flatu Eccleſiæ ſtatum euertant, profuſiones gratiarum retardent, arbores & plantas virtutum eradicent, & hic totus huius capitis eſt finis ſeu ſcopus.

Dicimus vltimò, hoc caput ſeptimum non magis reſpicere apertionem ſexti ſigilli quam quinti, aut aliorum præcedentium; nam in hoc capite operationes diuinæ, de quibus actum eſt in apertione ſigillorum, ſuos effectus plenè conſequuntur: nec mediocre ſolatium electis obuenit ex reuelatione doni perſeuerantiæ, quod eis promittitur, poſtquam deſcripta fuerunt mala, quæ ex peccatis oriuntur, ſeu comminationes pœnarum, quæ pro peccatis infligendæ ſunt, & quæ fuerunt ſub eodem ſymbolo ſexti ſigilli expoſitæ. Apprimè igitur poſt apertionem ſexti ſigilli, ſeptimum caput incipit dicens: *Poſthæc vidi*: Ac ſi diceret: Poſtquam ſatis de gratiis, quibus Deus veſtram ſalutem operaturus eſt, diſſerui; nec non mala eorum, qui tot dona neglexerunt aperui, tandem quem in electis fructum obtinebunt gratiæ cæleſtes, percipite: tam potenti manu elargiuntur, vt nihil vobis timendum ſit. Ille enim qui olim dixit: *Confidite, ego vici mundum*; In manu & diſpoſitione ſua tenet cuncta creata, & ſeculi poteſtates, nec non & dæmones, itaut nullus ſit qui eius poſſit reſiſtere voluntati.

Cum igitur S. Ioannes dicit: *Poſthæc vidi*, Idem eſt ac ſi diceret: Poſtquam vidi & Throni erectionem, & agni præparationem ad illuminandam Eccleſiam, per apertionem ſigillorum; & rerum in libro contentarum executionem futuram, ad apertionem ſigillorum; & in ſexto ſigillo aperto, mihi reuelatum fuit ad quantam ingratitudinem perueniat aliquando mens humana, dum dona cæleſtia paruipendit, propter quam ſuppliciis atrociſſimis plectendi ſunt mortales; ne in me oriretur aliquis timor, aut quædam ſuſpicio, diuinam prouidentiam aliquam pati poſſe in ſuo opere interruptionem, aut electos ex tot malis futuris obrui, voluit Deus per ſpecialem reuelationem mihi declarare, quantâ vigilantiâ opus ſuum proſequeretur, quanam protectione electos ſuos tueretur, & qua potiſſimum ratione eos à malis eriperet, eos ad ſuam ſimilitudinem adducendo, & victoriam de peccatis & malis illis impertiendo: vnde vel ſignari in fronte apparent, vel ſaltem veſtiti videntur ſtolis candidis, & palmas in manibus in ſignum victoriæ reportatæ geſtantes. Sicque etſi ea, quæ in ſexto ſigillo continentur, occaſionem præbeant, vt quæ in hoc capite continentur reuelentur, ſunt tamen res diuerſæ. Vnde dicit: *Poſthæc vidi*: ac ſi diceret: His perſpectis, planè alia ab iſtis rebus diuerſa fuerunt mihi reuelata; quæ explicanda ſunt, antequam ad alia proponenda properet iſta reuelatio. Nec exiſtimo ad tempus Anti-Chriſti referenda eſſe, quæ in hoc capite continentur, vt vult, poſt quoſdam alios, Cornelius à Lapide. Nec enim innumerabilis illa multitudo, poſt ſignationem centum quadraginta quatuor millium ſignatorum, videretur; nam ea complectitur omnem electorum & beatorum multitudinem, ſiue eorum qui fuerunt ante Anti-Chriſtum, ſiue qui ſuo tempore futuri ſunt, & eo interempto exiſtent.

Vidi quatuor Angelos.

Quinam ſint iſti quatuor Angeli?

ANNOTAT. II.

CVM tot Angelos videmus, in hac Prophetia; diuerſa exercere officia, verum dixiſſe S. Paulum animaduertimus, cum ait Heb. 1. *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*; Quin & Chryſoſt. etiam optima ratione ſenſiſſe ipſos non affici pudore, ſi nobis deſeruiant, dum ait in Pſal. 8. *Non ampliùs*

Digitized by Google

noſtrâ cauſâ pudore ſuffunduntur Angeli, ſed etiam noſtræ ſaluti deſeruiunt; nam & ad Philippum venit Angelus, & ad multos alios, & Euangelium nunciabant hominibus. Ita Chryſ. Plures quippe in iſta prophetia introducuntur, qui ad ea vel exequenda, vel manifeſtanda, quæ ad Eccleſiæ bonum ſpectant, ſunt paratiſſimi. Inter quos ecce S. Ioannes videt quatuor Angelos, ſtantes ſuper quatuor angulos terræ. Quinam autem ſint, & ad quod munus deputentur, inquirendum.

Dico primo, quoſdam apud Cornelium aſſerere eſſe malos Angelos, Ratio eorum eſt, quia, vt exiſtimant, iſti Angeli nocent. At hæc ratio non conuincit. Optimè ſiquidem Ribera ait: *Etſi ſæpe Deus pœnas de hominibus ſumat per Angelos malos, ſæpe etiam ſumit per bonos.* Docet hoc plane Auguſtinus 9. de Ciuitate c. 5. cum ait. *Sancti verò Angeli, cum & ſine dolore puniant, quos accipiunt æterna Dei lege puniendos.* Sed ſanctos Patres citare non eſt neceſſe, vbi aperta ſuppetunt ſcripturæ teſtimonia: Geneſ. 19. Angeli qui veniunt, vt deleant Sodomam, ſancti ſunt &c. Addit Cornelius: *Nempe quod ſcriptura ſolet, cum Angeli mali ſunt, addere aliquod Epitheton alienans, vel ex circumſtantiis ſatis ſignificans ſe non bonos ſed malos intelligere.*

Dicimus igitur ſecundo, bonos eſſe, tum rationibus ſupradictis, tum quia, vt exiſtimo, non ſunt nociui, ſed iuuantes, vt pote qui ſint diuinæ prouidentiæ adminiſtri & executores. Nam cum pro comperto ſit Deum non tantum hominibus ſingulis Angelum deſtinaſſe Cuſtodem, (*Angelis*, inquit, *ſuis Deus mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis*; Et Math. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris,*) ſed etiam Populis, Gentibus, & Regnis aliquem præpoſuiſſe, qui huius gentis aut regni curam maximam habeat, vt videre eſt Danielis 10.

Dicimus tertio, iſtos quatuor Angelos hominum regimini à Deo deſtinari. Talis erat ille Angelus, de quo Dominus ait Exod. 23. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te & cuſtodiat in via, & introducat in locum quem paraui: obſerua eum & audi vocem eius. &c.* Talis erat is, de quo Daniel. 10. *Princeps autem regni Perſarum reſtitit mihi*; & in eodem capite mentio fit principis Græcorum, nempe Angeli, vt patet ex eo quod ait in fine capitis: *Et nemo eſt adiutor meus in omnibus his, niſi Michael princeps veſter*; Princeps igitur Græcorum eſt Angelus, cui cura, & cuſtodia, & protectio Græcorum, & Macedonum erat demandata. Hæc docet S. Baſilius lib. 3. aduerſus Eunomium, cum ait: *Angeli omnes, vt appellationis vnius, ſic eiuſdem etiam ſunt naturæ: inter ſe attamen alij ipſorum gentibus præpoſiti ſunt, alij verò fidelium ſingulos conſequuntur: quantò autem gens vni viro præponenda eſt, tantò maiorem neceſſe eſt Angeli, qui gentis principatum habet, eſſe dignitatem dignitate eorum quibus ſingulorum tutela commiſſa eſt: quod verò ſingulis fidelium adſit Angelus, vt pædagogus quidam & Paſtor ad vitam dirigendam, nemo contradicet, qui Verborum Domini recordatur, dicentis: Ne contemnatis vnum ex his puſillis: dico enim vobis, quoniam Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt: Et Pſalmiſta dicit: Caſtrametabitur Angelus Domini in circuitu timentium ipſum; Et Angelus qui eruit me à iuuentute mea: Et quæcunque talia. Quod verò rurſus ſint quidam vniuerſarum gentium præpoſiti, Moyſes nos per Canticum docuit: Quando diuidebat altiſſimus gentes; quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum, iuxta numerum Angelorum ſuorum: Et ſapiens Daniel in viſione Angeli audiuit ipſum dicentem: Quoniam princeps regni. &c.*

Dico quarto, ex his nos meritò conjicere plures prouincias, pluraque regna poſſe deputari regimini cuiuſdam Angeli, qui aliis ſit ſuperior; quo mediante voluntas ſupremi illius, qui à Deo præpoſitus eſt, vt vniuerſæ Eccleſiæ curam habeat, ipſis innoteſcat. Cum enim omnia ſint propter electos, ſeu propter Eccleſiam, iuxta illud Pauli 2. ad Corinth. 4. *Omnia enim propter vos, vt gratia abundans per multos in gratiarum actione abundet in gloriam Dei*, probabile eſt Angelum, qui præeſt toti Eccleſiæ, eſſe aliis Angelis, qui præficiuntur regnis aut prouinciis, ſuperiorem: cuius voluntas ab ipſis ſequi debeat; itaut talis videatur inter eos, probabili ratione, ineſſe ſubordinatio, vt videlicet Angelus hominis particularis cuſtodiæ deputatus diſcat, quod conuenit ipſi homini perficere, vt membrum eſt huius aut illius communitatis, ab eo qui Angelus tutelaris eſt pagi, aut vrbis; Angelus autem iſtius pagi aut ciuitatis, ea addiſcat quæ ad bonum & tranquillitatem regni ſpectant, ab eo qui prouinciæ præeſt; is verò qui prouinciæ eſt, ab eo qui regni bonum procurat; is cui regnum eſt demandatum, ab eo qui plura regna ſub ſe habet moderanda; denique qui plura regna ſibi commiſſa obtinet, ab eo qui immediatè à Chriſto ſaluatore, capite Angelorum & hominum, & totius orbis & Eccleſiæ potiſſimum moderatore, ſuſcipit ea quæ pro bono & tranquillitate, incremento & conſeruatione Eccleſiæ ſunt facienda. Hanc ſubordinationem agnouit Andreas Cæſar. Hæc verba exponens: *Et clamauit quatuor Angelis. Etenim*, inquit, *per ſublimiores virtutis & ſanctitatis Angelos, Angelis pœnis præfectis ſerio hic indicitur, ne quid prius contra peccatores ſentent, quam veritatis cultores per ſignaculum ab aliis diſtinctos videant.* Ita And. Et hac ratione, ordine conuenienti, & qui diuinam prouidentiam & ſapientiam quam maximè decet, omnia moderantur ad maiorem Dei gloriam, & electorum vtilitatem.

Hinc probabile eſt Angelum, cui Princeps Perſarum reſiſtit, eſſe tutelarem ciuitatis Hieruſalem, ſeu populi Iudaici, in quantum erat populus quidam præcisè ſumptus, vt ab Abrahamo, & Patriarchis oriundus. Ad cuius adiutorium venit S. Michael, qui Angelus erat illius populi, non præcisè ſumpti, id eſt non in quantum erat ſtirps, & ſoboles Abrahæ ſecundum carnem, ſed in quantum erat populus electus, & repræſentabat omnem fidelium, qui in vnum Deum crederent, congregationem; ſic vt natio particularis habebant Angelum illum, qui pro illorum commodo decertabat cum Principe Perſarum; vt autem erat conſtituens Dei viuentis Eccleſiam, habebant S. Michaelem protectorem: quo factum eſt, vt cum bonum & commodum totius Eccleſiæ præualere debuerit bono particulari alicuius populi, Michaële totius Eccleſiæ præpoſito adducente ea quæ ad bonum totius Eccleſiæ ſpectant, plurimum roboris conſequutæ ſunt rationes, quibus Angelus tutelaris & ſpecialis populi Iudæorum in medium proferebat, contra eas quas Princeps Perſarum pro bono particulari Perſarum allegabat: nec enim bonum particulare Perſarum præualere debuit bono vniuerſali totius Eccleſiæ Dei, cum quo, feliciter pro Iudæis, bonum particulare coniunctiſſimum erat, vt vnum ab alio, ratione promiſſorum, tunt ſeparari nequibat. Igitur S. Gabriel, populi Iudaici curam gerebat, vt erat natio quædam particularis, ſed quæ habebat etiam in Angelum Cuſtodem & protectorem S. Michaelem, cui cura totius Eccleſiæ commiſſa eſt, quia hæc natio particularis pro tunc totum electorum, ſeu totius Eccleſiæ corpus repræſentabat ſeu euidentius componebat. Et cũ de S. Michaele dicitur: *Vnus de principibus primis*, conjici poteſt ipſum habere curam totius Eccleſiæ: idem enim eſt ac ſi diceretur:

cetetur : Primus inter alios principes. Hebræi ſiquidem Cardinalem numerum pro ordinali ſumunt : vt, vnus, ſit ac ſi dicerent, præcipuus, principalis.

Dico quintò, iſtos quatuor Angelos, qui in quatuor terræ angulis collocantur eſſe quatuor primarios Angelos, cui totius orbis cura eſt demandata, quique inuigilare debent regimini cunctorum mortalium. Vnde patet eos eſſe, vt iam diximus, bonos non malos : nec enim Deus adminiſtrationem rerum humanarum, & executionem illius ordinis, quem pro ſalute fidelium conſtituit ab æterno, malis Angelis committeret : non quòd aliquando ipſis non vtatur, ad punitionem malorum, bonorumque probationem ; ſed eis ſpecialem vigilandi ſuper bonum vniuerſi curam non demandat. Sapiens enim Pater familias domeſticos ſuos, & bona ſua, hoſtium fidei minimè committit, aut derelinquit. Permittit quidem Deus malos Angelos aliquando ſuam exercere malitiam, & ſapientiſſimâ diſpoſitione ſuâ, ea quæ malitiosè perficiunt, ad exercitium bonorum, & malorum punitionem ordinat : ſed eos rebus humanis non præficit. Sunt igitur hi quatuor Angeli boni : ſtantes eſſe dicuntur, vt accincti & paratiſſimi intelligantur ad omnia : non dormiunt, neque dormitant, nihil negligunt, omnibus prouident, cuncta operantur, quæ neceſſaria ſunt bono, & commodo eorum, qui eorum curæ commiſſi ſunt. Ex 3. autem Ioanne habemus ipſos præfici toti orbi, cum ait ipſos ſtare ſuper quatuor angulos terræ, & tenere quatuor vētos : hac enim ratione colligere poſſumus eos toti orbi præeſſe, vnumquemq; iuxta demandatā ſuæ curæ orbis partem. Orbis ſiquidem ex ſcriptura in quatuor partes diuiditur, 1. Paral. c. 9. *Per quatuor ventos erant oſtiarij.* Id eſt ad orientem, & ad occidentem, & ad aquilonem, & ad auſtrum, & Iſ. c. 21. *Et leuabit ſignum in nationes, & congregabit profugos Iſrael, & diſperſos Iuda colliget a quatuor plagis terræ.* Secundo, vt intelligamus ſoliditatem, & conſtantem agendi rationem diuinæ prouidentiæ, circa totius mundi gubernationem. Fauent Pythagorici huic commentationi, qui quaternarium dicebant omnia colligaſſe elementa, ventos principes, orbis fines, ætatum compagines, vt videre eſt in annotationibus Feuardentij in c. 1. lib. 7. S. Irenei. Vtitur autem S. Ioannes vocabulo anguli, terramque quaſi quadrangularem deſcribit. Nam quomodo angulus ex duabus lineis ad inuicem concurrentibus exſurgit, ita terrâ ſeparatâ in duo hemiſphæria, poſſumus concipere lineam ab oriente noſtro prodeuntem, coniungi cum linea, quæ ab occidente alterius hemiſphærij protenditur, & ſic angulum quemdam componere. Eodem modo philoſophari poſſumus de duabus aliis partibus, auſtrali, & ſeptemtionali : vt linea ab auſtro verſus nos profluens, in ſeptemtionalem partem, coniungatur cum alia ſibi concurrente : itaut ſicut oriens huius hemiſphærij videtur eſſe occidens alterius, & è contra, ita auſtrum huius hemiſphærij ſit alterius pars ſeptemtrionalis, in punctis ex vtroque hemiſphærio ſibi concurrentibus. Vt igitur oſtendatur ipſos Angelos toti terrarum orbi præeſſe, Propheta terræ adſcribit angulos, ac ſi diceret : Duo hemiſphæria iſti Angeli reſpiciunt, vt ipſis præ ſint, in eiſque ſui miniſterij officia exerceant, & ſic ſuper angulos ſtant, vtrumque hemiſphærium intuentes. Aut ſi mauis, effingendi ſunt duo circuli, hemiſphærium & otizontem, ſeu æquatorem, in quatuor punctis orientis, occidentis, ſeptemtrionis & meridiei interſecantes, vt quatuor angulos efficiant in vnoquoque hemiſphærio. Aut denique ſi dices hos angulos formari, ſeu illorum ideam haberi in imaginatione, ratione quatuor ventorum principalium, qui flant à quatuor mundi partibus. Hos ita poteris effingere. Habent quatuor venti principales duos ſibi collaterales, taliter diſpoſitos, vt principalis quaſi in puncto elongatiori reponi debeat : à quo puncto, duabus lineis ductis ad collaterales, angulus ſic efformetur, vt hoc modò dominationem perfectam prædictorum Angelorum in mundi huius elementa concipiamus, dum repræſentantur ventos in ſua diſpoſitione tenentes. Nec puræ ſunt fictiones harum linearum ideales formæ. Circuli enim, & parallelli ſphærales hoc modo fuerunt adinuenti & depicti, vt Aſtronomiæ, & Geographiæ documenta concipi poſſent : ratione humana aliquod fundamentum inueniente, vt hæc hoc modo concipiat, vt ſibi aliquod præſtet auxilium, ad ſcientiarum iſtarum demonſtrationes tum percipiendas tum exprimendas. Cum igitur terra in quatuor plagas diuidatur, orientem, occidentem, ſeptemtrionem & meridiem ; pro vnoquoque hemiſphærio (vnumquodque enim habet ſuum orientem, & occidentem, & ſeptentrionem, & meridiem, itaut ſi aſtrologis fides habeatur, occidens dextram teneat partem, ſiniſtram oriens ; ſecundum Geographos, oriens dextram, occidens ſiniſtram ; ſecundum Poëtas ſeptemtrio dexteram, meridies ſiniſtram,) ex concurrentia linearum, quas imaginari licet ad inuicem ſibi concurrere, in quatuor punctis tam noſtri hemiſphærij, quam alterius, efformari videntur quatuor anguli ex octo lineis ad ſe inuicem concurrentibus : quibus deſignatur Angelos iſtos toti terrarum orbi præeſſe ; & dicuntur ſtantes ſuper quatuor angulos terræ : in quibus ſtantes tenent quatuor ventos terræ, quæ ita à quibuſdam autoribus nuncupantur & diſtribuuntur. Videlicet Subſolanus in oriente ; Corus in occidente ; Aquilo in ſeptemtrione ; Auſter in meridie : Hi autem cum collaterales ventos habeant, Orientalis, Vulturnum, ſeu Helleſponticum ; Occidentalis Iapix ex vna parte, ex altera Zephirum ſeu Fauonium ; Auſtralis, Auſtroaphricum, & Lemonoten, ſeu Euro auſtrum, ſeptemtrionalis Circium & Boream : ſi à collateralibus lineæ ducantur ad principalem ventum, angulos efficiunt : in quibus ſi dicas Angelos præeſſe, illos cuncto orbi dominari facile erit coniectare. Si igitur quæras cur S. Ioannes dixerit Angelos, vniuerſo orbi a Deo præfectos, in angulis terræ ſtare, & quatuor principales terræ ventos tenere ; ex hac loquendi formula, perfectam & abſolutam eorum in totum orbem dominationem intellige.

Tenentes quatuor ventos terræ.

Quidnam ſignificent Venti, qui tenentur ab Angelis, qui præ ſunt vniuerſo orbi.

ANNOTAT. III. §. 1.

NON eſt contra mentem S. Ioannis, ſi dicamus ventos, eorumque motus & gyros, non tam à vapore aliaue cauſa naturali, quam reddere aut mente capere difficile eſt (vnde in ea inquirenda laborant eum Ariſtotele omnes Phyſici) quàm ab Angelis concitari, agi ac dirigi. Deus enim per Angelos regit & moderatur orbem, ſicut Dominus per aurigam regit & moderatur equos & currū. Sed proculdubio hic non eſt immorandum : altiora nobis exponere vult S. Euangeliſta, cum ait quatuor teneri ventos è quatuor orbis partibus prodeuntes : itaut ſinguli ſingulos teneant, vnus ventum orientalem, ſecundus occidentalem, & ſic de aliis. De effectibus ſupernaturalibus agit in hoc capite, verbi cauſa, de gratia, de notis inſignioribus prædeſtinatorum : humi ſerperet initium capitis, nec medio

Digitized by Google

aut fini conſentiret, ſi de ventis tantum naturalibus loqueretur. Altiora igitur inquiramus.

Dicimus igitur primò, hos ventos non ſignificare Angelos: dicuntur enim venti terræ, non cœli: vt ſic intelligamus per hos ventos poteſtates terrenas, non Angelicas, debere intelligi: ſeu regna, quæ Angelis ſunt commiſſa, non ipſi Angeli quibus ſunt commiſſa. Siquidem Angeli dicuntur venti cœli, non terræ, Daniel. 7. *Videbam in viſione mea nocte, & ecce quatuor venti pugnabant in mari magno.* Quod exponens S. Hieronymus ait: *Quatuor ventos cœli quatuor arbitror Angelicas poteſtates, quibus principalia regna commiſſa ſunt, iuxta illud quod in Deuteronomio legimus: Quando diuidebat altiſſimus gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum iuxta numerum Angelorum Dei; Mare autem mundum iſtum.* Et paulo poſt: *Quatuor autem venti, qui pugnabant in mare magno, ideo venti cœli dicuntur, quia vnuſquiſque Angelus facit pro eo regno, quod ſibi creditum eſt.* Ita Hier. Si igitur poteſtates Angelicæ, ſecundum Hierony. dicuntur venti cœli, quia è cœlo mandata percipiunt, poteſtates ſeculi ſeu terræ, venti terræ dicuntur: quia non è cœlo, quæ perficere debent addiſcunt, ſed ex ſapientia terrena, animali, diabolica: dum non è cœlo ſibi collatam poteſtatem agnoſcunt, ad Dei honorem & cultum promouendum, ſed quaſi è carne nati, ea tantum quæ ſunt carnis ſapiunt & efficiunt. Vnde perſequuntur ea quæ ſunt ſpiritus, eiſque aduerſantur. Adde Angelos eſſe ſubſtantias ſpirituales, è cœlo non è terra originem ducentes; venti autem terræ, è terra originem ducunt; eſt enim ventus aër commotus propter vapores & exhalationes terræ: vnde potiùs ſignificare debent terrenam poteſtatem, quàm cæleſtem; nec enim alius eſt ortus Regum, ac Principium, quàm cæterorum hominum, ipſo Salomone teſtante, qui ait Sapient. 7. *Sum quidem & ego mortalis homo ſimilis omnibus, ex genere terreni illius, qui prior factus eſt, & in ventre matris figuratus homo, &c.* Et tandem concludit: *Nemo enim ex regibus aliud habuit natiuitatis initium. Vnus ergo eſt introitus ad vitam, & ſimilis exitus.*

Dices S. Cyrillum in cap. 6. Zachariæ, per ventos cæli intelligere regna illuſtriſſima: egredientibus enim quadrigis quatuor è medio duorum montium, & interrogante Angelum Propheta, *Quid ſunt hæc?* Reſpondit Angelus: *Iſti ſunt quatuor venti cœli, qui egrediuntur, vt ſtent coram dominatore omnis terræ.* Quæ verba exponens Cyrillus ait: *Quatuor currus in medio montium æreorum dicimus eſſe regna illuſtriſſima, quæ in totidem mundi climatibus, ſiue ad quatuor ventos, ſuis atauis claruerunt.* Ita Cyrill. Reſp. Certè nos ex Cyrillo habere, per ventos regna, non Angelos intelligi; regna autem è cælo aliquando dici poſſunt, iuxta id quod à Saluatore Pilato dicebatur: *Non haberes poteſtatem in me, niſi datum eſſet tibi deſuper*, illudque Pauli dicentis: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas niſi à Deo.* Rom. 13. Sed quia ſeculi poteſtates in hoc loco non videntur, quaſi paratæ ſint ſua poteſtate vti, iuxta Dei voluntatem; ſed potius vt nocere cupientes promotioni regni Chriſti, & profuſioni gratiarum Dei, vtilitatique, ac perſeuerantiæ in bono electorum, propter nimiam adhæſionem terrenis cupiditatibus, ideo hic non dicuntur venti cœli, ſed venti terræ. Quidquid ſit, Cyrillus noſtræ fauet interpretationi, dum per ventos intelligit illuſtriſſima regna, non autem Angelos qui eis præſident: & certè ſuperfluum eſſet per ventos illos Angelos intelligere, qui regnis præſunt, cum iam ſatis intelligi poſſint in Angelis, qui ipſos ventos tenere dicuntur, & in officio continere.

Dicimus igitur ſecundo, per ventos terræ intelligi ſeculi poteſtates, qui autoritate & poteſtate ſua abutentes, cupiditatibus terrenis inſeruiunt. Multis autem de cauſis terrenæ poteſtates ventis terræ comparari poſſunt. Nam cum ventus ſit exhalatio calida & ſicca, quæ in viſceribus terræ generatur, & è cauernis montium egreditur, & ex cauſis occultis prouenit, vnde cecinit Dauid, *Qui producit ventos de theſauris ſuis*, id eſt ex cauſis occultis; ita regna oriuntur ex exhalationibus calidis cupiditatum, quæ in ſecreto cordis humani generantur; & ex occultis quibuſdam cauſis, Deo ſoli probè & exactè cognitis: nam ſine magna difficultate dari poteſt ratio, cur his populus, hæc gens, ſeu natio aut familia, aut perſona quædam ſingularis ſibi arrogare velit poteſtatem, & dominationem in alios; & qua potiſſimum de cauſa cuncti vnamini conſenſu tali dominationi colla ſubmittunt, & ad hanc ſubiectionem, & obedientiam inueniantur parati, quando aliquis fortitudine aliis præualet, hic magnanimitate pollet, hic induſtria & prudentia ornatur. Tamen fieri poteſt vt fortiori debilior, magis puſillanimis generoſiori, inſipientior ſapientiori imperet, itaut de his ſicut de aliis Dei operibus, dici poſſit: *Et intellexi, quod omnium operum Dei nullam poſſit homo inuenire rationem eorum quæ fiunt ſub ſole, & quanto plus laborauerit ad quærendum, tanto minus inueniat: etiam ſi dixerit ſapiens ſe noſſe, non poterit reperire.* Eccleſ. 8. Deinde omnia Monarchiarum cunctarum initia fuerunt perobſcura, & ſæpe citius viſæ ſunt exoriri, quàm earum initium præuidi potuerit, priùs claritate ſua oculos perſtrinxerunt, & amplitudine & poteſtate cunctas regiones repleuerunt, quàm quis de earum erectione in ſuſpicionem deuenire poſſet. v. g. quidam Latrones, quidam Paſtores, quidam exulum cœtus, aliquis impoſtor & præſtigiator inſignis, audax & impudens, fundamenta iecerunt amplißimis & celeberrimis regnis. Talis fuit Ninus, talis Cyrus, talis Romulus, Mahometes & Tamberlanus. Venti ſunt qui exoriuntur & aſcendunt, nec de eorum aſcenſu rationes aliquas aſſignare licet: decreta ſunt, ordinationes ſunt, ac permiſſiones ab abditis Dei conſiliis manantes, & quis dicere poſſet propter quid Deus imperia depoſuerit penes huiuſmodi homines, plærumque vſurpatores, iniuſtos, pietatis hoſtes, legum contemptores, ſacrarum rerum violatores; qua de cauſa eos pro fundamentis poſuerit imperiorum potentiſſimorum. Quod ſi aliqua poteſt aſſignari cauſa erectionis & inſtitutionis huiuſmodi Monarchiarum, ſimilis equidem erit cauſis quibus venti producuntur. Nam ſicut venti generantur ex exhalationibus calidis & ſiccis, è cauernis ſeu viſceribus terræ egredientibus: pari ratione aliquando regna initia ſumpſerunt, & originem duxerunt, ex cupiditate & auaritia, & ambitione nimia, aut violentia quorumdam: cum videlicet quidam dominandi cupiditate ducti, & vento ambitionis inflati, confinia & terminos ſuæ dominationis dilatare percupierunt. Alij ſuam metientes fortitudinem & poteſtatem, dixerunt ea quæ impij proclamant Sap. 3. *Sit autem fortitudo noſtra lex iuſtitia, quod enim infirmum eſt inutile inuenitur:* Iuſtumque eſſe arbitrati ſunt ac licitum, id omne quod perficere poſſe nouerunt. Hinc vicinos ſuos vexarunt, à finibus ſuis longius expulerunt, è manſionibus ſuis deturbarunt, bonaque eorum diripuerunt ac inuaſerunt, vt ſic in tantum dilatarint imperia, quantum eorum poteſtas ac violentia eis concederet, nullos alios limites ſibi præſcribendo, quam eos qui ab impotentia longius progrediendi imponerentur. De Nino Iuſtinus lib. 1. ita loquitur. *Primus omnium Ninus Rex Aſſyriorum veterem, & quaſi auitam gentium morem, noua imperij cupiditate mutauit. Hic*

Digitized by Goog

primus intulit bella finitimis, & rudibus adhuc ad reſiſtendum populis, terminos ad Vſque Libyam perduxit. Et paulo poſt: *Domitis igitur proximis, cum acceſſione earum fortior ad alios tranſiret, & proxima quæque victoria, inſtrumentum ſequentis eſſet, totius orientis populos ſubegit.* Ita Iuſt. Videſne ambitionis ventum Ninum incitaſſe, vt aliorum terminos inuaderet, & quo euadebat fortior, eo concitatiori impetu ſua poteſtate fretus, ad maiorem regni amplitudinem properaſſe, taliſque vſurpationis cauſam nullam aliam reddere potuiſſe, quàm quæ ab Athenienſibus afferebatur inſulæ Melitenſis incolis, vt quam in eos parabant expeditionem, iuſtâ fieri ratione probarent. *Ius*, inquiebant, *diſputari debet inter eos qui pariis ſunt fortitudinis & conditionis: at ſcimus etiam illos qui ſunt potentiores facere quidquid poſſunt, & infirmiores concedere.* Thucydides l. 3. talemque agendi rationem tanquam legem acceptatam à cunctis, & cui nemo contradixerit, ob oculos ponunt cum addunt: *Nam*, inquiunt, *opinione iam recepta, exiſtimamus & Deos & homines naturæ neceſſitate, haud dubiè ſemper illis imperare, quem in ſua poteſtate tenent: hanc autem legem nos neque tulimus, neque eâ latâ primi Vſi ſumus; ſed iam receptam accepimus ac Vſurpamus, perpetuam futuram poſteris relicturi; nam perſuaſum habemus Vos quoque, cæteroſque, ſi eadem qua nos potentia præditi eſſetis, idem eſſe facturos.* Ita apud Thucydid. Athenienſes Hoc vento impellebatur Nabuchodonoſor, cum parta victoria contra Arphaxad regem Medorum, *Vocauit omnes maiores natu, omneſque duces & bellatores ſuos, & habuit cum eis myſterium conſilii ſui, dixitque cogitationem ſuam in eo eſſe, Vt omnem terram ſuo ſubiugaret imperio.*

Tertia ratio cur ventis imperia aſſimilantur, eſt quia ſicut in ventis quam maxima inuenitur mutatio ac variatio, & vnus modò, modò alius flat, & impetum ſuum experiri facit: Pari ratione imperia non ſemper in eodem conſtiterunt loco, non ſemper apud eamdem nationem, aut familiam remanſerunt; ſed modò vna, modò alia, ſceptra tenuerunt. Inconſtantia nempe rerum humanarum, de ſceptris & coronis, æquè ac de aliis rebus fluxis & caducis ludum inſtituit, vt cuncti mortales qui ei innituntur derideat & deludat. Et ſicut in ventis hanc agnoſcimus diuerſitatem ac variationem, vt non ſolùm modò ventus orientalis flet, modo meridionalis; ſed etiam idem ventus non ſemper violentiâ æquabili aërem mouet: ſed modo fortior, modo debilior exiſtit; pari ratione imperia mutantur, vt non ſolum vnum imperium transferatur de gente in gentem, ſed etiam quia non ſemper eadem dominandi ratione nationes ipſæ vtantur, hæc omnia paſſa fuerunt cuncta imperia, ſi recte omnem eorum ſeriem perpendas. Quod ſpeciatim videmus in Imperio Romano: nam licèt (vt Polybio placet lib. 1. dum illud comparat cum Perſarum, Lacedæmoniorum, & Macedonum regnis) admiratione dignum fuerit, quomodo præter conditionem rerum mutabilium, quæ fortunæ ſubiacent, qua cuncta ſolent ſus deque verti ac mutari, *multa*, inquit Polyp. *noua moliens, & in humanis ſuarum Virium ſpecimen quotidie edens, ipſa nihilominus totum inclinauit orbem, Vt Romanis imperium in Vniuerſas fere rationes concederet*: Qui non ſine cauſa hoc miratur, quod fortuna res vniuerſas totius, qui habitatur, orbis, in vnam partem inclinauit, atque omnia ad vnum eumdemque ſcopum vergere coëgit: cum ſoleant regna tot tantiſque mutationibus eſſe obnoxia, vt nihil videatur in rebus humanis mutabilius. At nihilominus *quamuis Romani*, vt ait Polybius, *non paribus ſolummodo aliquot, ſed Vniuerſo fere terrarum orbe, in ius ditionemque ſuam conſto, ſuum in tantum excreuerunt faſtigium, Vt prædicare quidem illius felicitatem præſens ætas merito queat, ſuperare verò illud nulla Vnquam ſecula ſint Valitura.* Ita Polyb. In iſto tamen Imperio tam validò, & quadam diuina ſorte, & ſpeciali Dei prouidentia tandem ſtabilito, tanta annorum ſerie glorioſo, quot quæſo mutationes in adminiſtrandi & dominandi ratione obuenerunt? Sub Regibus modò floruit, modò ſub Conſulibus, poſtea Dictatores creati, & tandem ad ſtatum Monarchicum redierunt ſub Imperatoribus. *Hic orbis eſt*, inquit Polybius l. 6. *quo in ſe Reſpublicæ reuoluuntur; hic naturæ ordo, per quem rerum publicarum ſtatus mutatur, tranſformatur, & rurſus eodem redit*: Et vt antea ipſe dixit, *prima quidem ſine vlla arte & naturæ impetu conſtituitur Vnius dominatio; hanc ſequitur, atque adeo ex ea originem habet (cum acceſſit ars & emendatio) Regnum; quod Vbi ad congenita mala degeneranit, nempe tyrannidem, Regibus ſublatis naſcitur optimatum principatus: hoc quoque in paucorum Dominationem Vt natura eſt hominum, Verſo, Vbi multitudo irâ incenſa Principum iniurias fuerit Vlta, exoritur populi imperium; rurſuſque ex huius inſolentia & legum contemptu, emergit tandem turbæ potentatus.* Ita Polybius: ex quo diſcimus varias gubernandi rationes, in eodem populo, & eadem gente, ſæpius reperiri: vt non ſolùm ventis comparanda ſint regna, quia transfertur eorum poteſtas de gente in gentem; ſed etiam quia diuerſa eſt in eadem natione ratio eadem vtendi poteſtate.

Denique ventis comparantur imperia, quia dum ſuam exercent poteſtatem, effectus producunt, qui per ventos exprimi & ſignificari oximiè poſſunt. Tria quippe ſunt genera poteſtatis, ad quæ aliæ ſpecies poteſtatis reduci poſſunt: quæ olim diſpartita erant in Republica Romana, Conſulibus, Senatoribus, & Romano populo, in Imperio verò aut regno ad vnum confluunt, vt ab eo in actum & exercitium reducantur: v.g. Conſulum poteſtas erat tractandi negotia, quæ ad bonum totius Reipublicæ ſpectabãt. Conſulum enim erat ea proponere de iis conſultare, deliberare, & tandem determinare quid agendũ eſſet, leges condere, requiſitis ad hæc populi ſuffragiis; inſuper, vt Polybius ait l. 6. belli adornandi, gerendi & omnia quæ ad expeditionem pertinent adminiſtrandi, poteſtatem propemodum abſolutam Cõſules habebant. Aliud poteſtatis genus erat penes ſenatores: v. g. de denatiis publicis diſponere, cauſas criminales & ciuiles diſcutere & iudicare, de bello ſubactis & ſibi ſubditis iudicia facere, de legatis & legationibus mittendis ad alienigenas tractare, bellum indicere, pacem conciliare. Tertium genus poteſtatis, quod quidem erat penes populum Romanum, erat poteſtas vitæ ac necis, pœnarum inflictio, præmiorum diſtributio, magiſtratuum creatio. *Solus enim*, ait Polybius l. 6. *in ciuitate populus, præmij & pœnæ eſt arbiter, quibus ſolis & principatus & Reipublicæ, & Vniuerſa hominum Vita continetur: honores præterea populus largitur. Vt quiſquis illis fuerit dignus: quod pulcherrimum eſt in republica Virtutis probatiſque præmium.* Hæc autem poteſtatum genera, quæ in Monarchia ad vnum reducuntur, per ventorum effectus poſſunt adumbrari, vt mirum non ſit ſi dixerimus ventos eſſe ſymbolum imperiorum.

Primus effectus ventorum eſt vt motu terram quatiant, dum adhuc includuntur in viſceribus terræ: cum enim in viſceribus terræ vapores obſtructi exeundi locum non inueniunt, in eis per radios ſolares calefiunt, & attenuantur; rurſus autem per nocturnum frigus ingroſſantur, & vtroque modo moti exitum quærentes, latera terræ & cauernarum concutiunt: nonnunquam etiam rumpunt, & terram tremere faciunt. Quod ſi exitum non inueniant, nonnunquam terram ad modum monticuli,

Digitized by Google

aut collis eleuant : quam ſi rumpunt, lapides & cineres ejiciunt. *Vnde*, inquit S. Iacobus, *bella & lites in vobis? nonne ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris. Concupiſcitis & non habetis; occiditis & zelatis: & non poteſtis adipiſci: litigatis, & belligeratis: & non habetis* c. 4. Quia igitur capita populorum & Principes plurima concupiſcunt, ideo ad lites & bella accinguntur & adornantur, & exercitus inſtruunt & belligerantur: vapores intus habent concupiſcentiarum; extenuantur & ſubtiles redduntur, rationibus quibuſdam apparentibus tanquam radiis ſolaribus; frigore impedimentorum & contradictionum condenſantur: hinc determinationes ad bella & lites exoriuntur. Secundus effectus ventorum eſt, quod plurimum inſeruiant negotiationi, dum naues à ventis huc & illuc impelluntur: qui effectus omnem negotiorum tractationem adumbrare poteſt. Nam ſicut qui naues in mari gubernant, ad ventorum impulſum ſe accommodare ſatagunt, vt felici curſu portum appellent; ita qui rerum publicarum negotia tractant, occaſioni & diuerſis euentibus occurrentibus cedere, ſeque accommodare debent: & ſicut mare modò tranquillum & pacatum, modò procellis agitatum, variam gubernandi naues rationem exigit; pari ratione, negotia modò animi tranquillitatem, modò quemdam animi impetum vehementem requirunt: & ſicut mare à ventis, ita populi & magiſtratus, variis affectibus ad ſeditiones & perturbationes mouentur, quo tempore ingens prudentia requiritur, vt cuncta proſperè eueniant. Et ſicut mare fluxu & refluxu diuerſimodè agitatur, ita in quodam temporis articulo negotia vrgeri, in alio retardari oportet, vt felicem ſortiantur effectum. Denique continuus maris motus ex impulſu ventorum, ſymbolum eſt curarum & ſollicitudinum perennium, quibus Magiſtratus & Gubernatores populorum & Rerumpublicarum ſuo officio incumbere debent. Vel dicendum, quod ſicut ventus nihil aliud eſt quam exhalatio calida & ſicca, lateraliter circa terram mota, ita qui præeſt circa terram mouetur, quia ad omnia quæ fiunt in terra oculos & mentem applicare debet: qui præeſt in ſolicitudine præeſſe debet, vt vult Apoſtolus. Tertius effectus ventorum eſt, quod ſi aliquando exhalatio aliquid vnctuoſitatis habeat, accéditur & fit ventus, quem græci ζυφῶν ἀπὸ τῆ ζεῖν id eſt, incendo nominant. Hoc fit dum exhalatio terreſtris, non omnino expers vnctuoſitatis, in nube concluſa per foramen egreditur, & tunc egreſſa à terra reſiliens, ratione caloris reaſcendentis, parti deſcendenti circulariter inuoluitur: arbores quandoque eradicat, tecta & ædificia alta dejicit, & inflammata ad inſtar rotæ ardentis apparet: Si verò exhalatio tota ſimiliter à nube egreſſa, atque frigore verſus terram proiecta accenditur, domos ac villas conſumit, & à vulgo diluuium ignis, & ab aliis Ethnephias dici ſolet. De talibus ventorum effectibus ait Ionſtonus de admirandis Metereorum c. 7. ar. 2. *E Sinarum regione nauigantibus ciet Typhon procellas, vt nonniſi miraculo effugiatur naufragium. In regione ſancti Vincentij ſyluas exturpat: In Hiſpaniola ad ſtadij interuallum, ſublatos tranſfert homines.* Talibus effectibus ventorum optimè adumbratur poteſtas vitæ ac necis. Hac enim poteſtate eradicantur è numero viuentium homines, in exilium deportantur, domos euertuntur, ciuitates deſtruuntur, & alia exercentur per iuſtitiam vindicatiuam, quæ plurimum cum his ventorum effectibus conueniunt. Optime igitur S. Ioannes adumbrare volens ſeculi poteſtates, vſus eſt ſymbolo ventorum. quos dum Deus miniſterio Angelorum in officio continet, ne violentiùs aut vehementiùs irruant in Eccleſiam, ſummæ ſuæ poteſtatis ſpecimen dat: ſicut olim dedit, dum ventis & mari imperans vtrumque ſedauit & compeſcuit: vnde exclamarunt homines ſtupore attoniti: *Quis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei?* Pari ratione cum corda Regum ſint in manu Dei, dum Imperatores & Reges nihil agere permittit, quo eius Regnum in tertis poſſit impediri, maximam eius poteſtatem admirati licet, de qua Daniel ait c. 7. de filio hominis loquens v. 13. *Et dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus & linguæ ipſi ſeruient. Poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non auferetur; & regnum eius, quod non corrumpitur.* Et vbi alia regna ventis comparantur, quia mutationi obnoxia, hoc potentiſſimum Chriſti regnum temporum lapſu incrementa ſumit: dum figuræ in veritates, vmbra & obſcura eius delineatio, in euidentiam & claritatem; terrenum regnum in ſpirituale tranſeunt; denique regnum in terris, in cæleſte regnum tranſmutatur; alia regna vt ventorum flatus tranſeunt, & non ſunt, iuxta illud Daniel 7. *Iudicium ſedebit, vt auferatur potentia, & conteratur & diſpereat vſque in finem.* At de Chriſti regno dicitur *Regnum autem, & poteſtas, & magnitudo regni, quæ eſt ſubter omne cælum, detur populo ſanctorum altiſſimi: cuius regnum ſempiternum eſt, & omnes Reges ſeruient ei & obedient.* Alia igitur Regna ſunt quaſi venti, quia pereunt, & ſunt peritura. At Regnum Chriſti Thronus eſt, quia in æternum eſt permanſurum. Vnde de eo dicitur, *Et ponam in ſeculum ſeculi ſemen eius, & thronum eius ſicut dies cæli.* Et Pſ. 88. & verſ. 38. *Et thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo.* Et ne eius dilatatio in terris impediatur, ecce quatuor Angeli tenent quatuor ventos terræ, id eſt, cunctas orbis terræ poteſtates, ne noceant eius inſtitutioni, radicationi, dilatationi. Quanam autem ratione teneantur, ita poſſumus exponere, vt dicamus, quod ſicut quatuor venti principales, à quatuor partibus terræ aduerſis ſpirant, ſubſolanus ab ortu, Zephyrus ab occaſu, Auſter à Meridie, Aquilo à Septemtrione; ita dicere poſſumus terrenos homines ac mundi huius amatores, quatuor impulſionibus agitari potiſſimum: prima eſt impulſio paſſionum vtriuſque appetitus, quæ flat quaſi ab ortu; quia paſſio eſt quidam primus impulſus rationem præueniens, cui obtemperatur: Itaut homo ſtatim atque paſſionis ſtimulo excitatur, in opus prorumpat, inconſulto rationis iudicio. Secunda eſt impulſio præſumptionis ſpiritus, de qua Sapiens Eccleſ. 6. *Melius eſt videre quod cupias, quàm deſiderare quod neſcias: ſed & hoc vanitas eſt & præſumptio ſpiritus.* Quod exponens S. Hieronym. ait, iuxta Symmachi verſionem: *Melior eſt adſpectus oculorum ſuper ambulantem in anima: quaſi dicat: Melius eſt prouidere, quàm ambulare vt libet: Id eſt, melius eſt iuxta ſenſum cuncta agere, qui animæ eſt oculus, quam voluntatem cordis ſequi: hoc eſt enim ambulare in anima, ſicut Ezechiel ait: Qui ambulant in voluntate cordis ſui, vel certe ſuperbum & ſibi placentem arguit, & meliorem dicit eſſe eum qui cuncta prouideat, quam illum cui nihil placet, niſi quod ipſe fecerit, quo nihil eſt deterius, & omni vento inanius.* Ita Hieronym. Impulſio igitur concitans animam hominum terrenorum, eſt præſumptio ſpiritus, id eſt, velle ſequi voluntatem ſuam, & à nullo dependere: ventus proculdubio meridionalis peſtilentiſſimus eſt iſta præſumptio; qua quis ſuam excellentiam quaſi lucem ſole ſplendidiorem exiſtimat. Tertia animi mala impulſio eſt boni & æqui auerſio ingens, ex nimia malitia prodiens; ventus aquilonaris. *Ab aquilone* enim *pandetur malum.* Quarta denique eſt animi volubilitas, & inconſtantia cordis, de qua dicitur Sapient. 4. *Inconſtantia concupiſcentiæ tranſuertit ſenſum ſine malitia:* Ventus

Digitized by Google

Zephirus, ab occaſu flans & ſpirans, quo homo peccati captiuus ſibi adblandiens, ſeque palpans, ſenſuum delectationibus irretitus, lumine cæleſti & illuſtratione diuina ſpoliatur, vt ſemper maneat in morte, à gratia Dei omnino excluſus. Sane Principes, qui his animi impulſionibus, quaſi ventis agitantur, & paſſione non ratione ducuntur, præſumptione & arrogantia, nullis legibus coarctantur, malitia & iniquitate ad malum quodque perpetrandum currunt velociſſimè, & nimia mentis inconſtantia ad omne opus prauum ſunt parati, ſua poteſtate abutentes, exitiales ſunt & noxij, & promotioni regni Chriſti quamplurimum obſtare poſſunt. Sed Angeli boni, mundi gubernatores impediunt ne flent ſuper terram, id eſt, ne propter itam aut concupiſcentiam, aut præſumptionem aut malitiam, aut leuitatem, aliquid agant, quo tandem id quod intendit ſummus omnium moderator retardetur, vt mox videbimus.

Quomodo venti nocent, &c.

An iſti Angeli tenentes ventos iidem ſint cum his, quibus dicetur poſtea: Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus. §. 2.

Duobus modis ventis nocere poſſunt: Primò ſi cohibeantur, itaut nec folium arboris agitetur; quam malaciam tanquam plagam ingentem eſſe volunt. Primo, quia mare nauigari non poteſt. Secundo, quia fructus tempeſtiuam maturitatem conſequi nequeunt. Tertio, quia aër craſſus & infectus non poſſit depurari nec attenuari: ſed corrumpi & putreſcere debeat. Quarto, quia ex ea malacia & ventorum cohibitione, omnia quæ in terris viuunt tabeſcunt, deficiunt & emoriuntur: ex quorum mente nociui ſunt Angeli ventos tenentes, quia eos impediunt ne flent ſuper terram: vnde dicunt ab hac cohibitione prohiberi, his verbis: *Nolite nocere terræ &c. mari, &c.* Alio modo venti ſunt nociui, nempe vehementi impetu, quo terra concutiatur, domus diruantur, & arbores eradicentur: cuiuſmodi ille fuit de quo Iob dicitur: *Repente ventus vehementis irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt, &c.* Hoc modo exiſtimamus in hoc loco debere intelligi ventos eſſe nociuos, laxatione nempe, itaut ſi laxentur, terræ per proſtrationem domorum, templorum noceant; & mari per nauium ſubmerſionem, procellis & tempeſtatibus in eo excitatis; & arboribus & ſyluis, dum vel eradicantur vel ſcinduntur in partes, vel fructibus immaturis intempeſtiuè ſpoliantur, vel vento vrenti exſiccantur & aduruntur: propter quod dicuntur teneri ab Angelis ne flent ſuper terram, neque ſuper mare, neque ſuper arbores; & præcipitur Angelis eos tenentibus, ne permittant vſque ad tempus præſcriptum eos flare, ne videlicet flatu noceant, quoad vſque ſignentur ſerui Dei in frontibus ſuis.

Sed non mediocris apud me oritur difficultas, antequam vlteriùs progrediamur, an videlicet Angeli iſti quatuor ventos tenentes, iidem ſint cum iis quibus poſtea dicitur: *Nolite nocere terræ & mari, &c.* Eoſdem eſſe omnes præſupponere videntur. Prohibentur enim ne noceant, videlicet laxando habenas ventis quos tenent. Nihilominus cum diſtinctionem inter Angelos cognoſcere non valeamus, niſi ex differentia miniſteriorum ad quæ deſtinantur, ſi diuerſa ſunt miniſteria eorum qui ventos tenent, à miniſteriis eorum qui nocere debét, certè nobis dicendum eſt alios eſſe Angelos ventos tenentes, alios eſſe eos quibus datum eſt nocere terræ & mari, & arboribus, dum laxabuntur venti qui diſtinentur & cohibentur, ab his quibus hoc munus incumbit. At videntur eſſe diuerſa munia ſeu officia: ergo non erunt iidem Angeli qui ventos tenebunt, & hi quibus datur poteſtas nocere terræ & mari, &c. Quatuor enim Angelorum ventos tenentium munus ex dictis videtur eſſe ſalutiferum, & Eccleſiæ glorioſum, vtpote quorum miniſterio Deus ab impetu & furore ſeculariũ poteſtarum munit & protegit: videntur quippe ordinari à diuina prouidentia, vt cohibeant terrenas poteſtates, ne imperij Chriſti progreſſum impediant, aut illud ſuâ potentiâ opprimant: alij nocere poſſunt, dum permiſſum nempe fuerit ventis flare ſuper terram: Tunc enim ventis, tanquam inſtrumentis idoneis, vti poterunt Angeli nocentes, vt Eccleſiam Dei diuexent, & variis afflictionibus afficiant.

Hæc coniectura locum habebit, ſi ponderemus quæ Cornelius à Lapide, qui bene de literis ſacris meritus eſt, docet in ſuis commentariis in Daniel c. 10. v. 13. *Quod ſicut cuilibet homini aſſignatur à Deo Angelus bonus ad cuſtodiam, ita eidem à Lucifero aſſignatur Angelus malus ad tentationem, & ſicut cuilibet Regno aſſignatur à Deo Angelus bonus ad tutelam, quaſi præſes, ita à Lucifero eidem aſſignatur Angelus malus præſes, qui regni ſtatum turbet & euertat.* Hæc Cornel. Eſto igitur, Deus poſuit & conſtituit quatuor Angelos bonos tutelares regnorum, qui potentes ſæculi cohibeant, ne flent ſuper terram: Lucifer alios quatuor aſſignat, qui ſtatim atque permittetur ventis flare, eorum potentia abutantur & noceant quantum potuerint terræ & mari & arboribus: ſed nocendi non nanciſcuntur facultatem, prohibente eos Angelo clamante: *Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, donec ſignemus ſeruos Dei in frontibus.* Veriſimile igitur eſt quod ſicut S. Ioannes per Angelos tenentes ventos, voluit ſignificare eos qui à Deo regnis præficiuntur, ad Eccleſiæ vtilitatem; in aliis denotare voluit eos qui ad nocendum parati ſunt, ſi eis vti poteſtatibus ſeculi permitteretur.

Ne flarent ſuper terram, neque ſuper mare, neque ſuper arbores.

Quid per terram, mare & arbores intelligendum.

ANNOTAT. IV.

ASSENTIRI non poſſum iis, qui nihil ab iſtis Angelis expectant, quàm graues procellas, clades pertimeſcendas, damna ineuitabilia, plagas ſæuiſſimas. Ad quid tam celebre canticum intonatur à ſenioribus viginti quatuor, ab Angelis in circuitu Throni exiſtentibus, ab animalibus, ab omni creatura in apertione libri, ſi omnia infauſta eo aperto apparent, ſi ex vno tantum equo albo aliquid boni expectetur, & ſi reliqua ſigilla nihil niſi triſte & lugubre ob oculos ponunt? Certe melius eſſe exiſtimo, ſi ex initio huius capitis duos protectionis diuinæ effectus potiſſimum colligamus, propter quos, ſicut & propter alia Dei beneficia, iam à nobis expoſita, Deo cantica & laudes decantari oporteat. Hæc autem protectio in duobus conſiſtit. Primò vt ab hominum vexationibus Eccleſia non perturbetur, de qua dicebat Dauid: *Sub vmbra alarum tuarum protege me, à facie impiorum qui me afflixerunt.* Pſ. 16. *Inimici mei animam meam circumdederunt, &c. Exurge Domine præueni eum, & ſupplanta eum, eripe animam meam ab impio, framea tuam ab inimicis manus tuæ.* Hanc videmus in Angelis tenentibus ventos. Secunda protectio eſt, ab impugnationibus & tentationibus Diaboli; cuius protectionis

neceſſitatem conjicimus ex his quæ Apoſtolus ait Epheſ. 6. *De cætero, fratres, confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli: quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.* Hanc protectionem habemus in his verbis: *Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus*: Quibus Angeli mali prohibentur nocere, ſicuti venti, id eſt, homines potentes ſeculi, prohibentur flare. Protegit igitur Deus Eccleſiam, impediendo ventos ne flent, id eſt, mundi potentes, prohibendo Angelos malos, ne noceant.

Eccleſia autem ſpectari poteſt, vel in quantum in ea eſt quædam eminens autoritas, vel in quantum in ea omnes gratiarum Dei fontes profluunt, vel in quantum in ea ſunt electi & prædeſtinati, firma fide, & charitate perfecta optimè radicati. Hæc autem deſignantur in terra, mari & arboribus: Certum quippe apud me eſt, quod ſicut Maieſtati & dignitati huius Prophetiæ non conueniret, ſi ventos pro ventis naturalibus ſolum ſumeremus, ita etiam ſi terram, pro terra quam calcamus, ſi Mare pro eo in quo naues nauigant, ſi arbores pro lignis tantum ſumeremus. Igitur,

Dico primò: Per terram intelligimus firmitatem inconcuſſam, quam habet Eccleſia in autoritate ſibi à Deo collata per totum orbem terrarum, quam firmitatem tenet ab infallibilitate promiſſorum: *Cælum enim & terra tranſibunt*, verba autem Dei qui promiſſa dedit non præteribunt: De qua firmitate dictum eſt: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam*: & de qua, ſicut de terræ firmitate, cecinit Dauid: *Qui fundaſti terram, ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſeculum ſeculi.* Hæc eſt illa terra quam fundauit Chriſtus, iuxta Prophetiam Iſ. c. 49. *Hæc dicit Dominus. In tempore placito exaudiui te, & in die ſalutis auxiliatus ſum tui: & ſeruaui te, & dedi te in fœdus populi, vt ſuſcitares terram, & poſſideres hæreditates diſſipatas.* Ita Eſ. diſſipatas verè, quia per totum orbem gentes, quæ Chriſto promittuntur poſſidendæ, ſunt diffuſæ: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Hæc terra, hæ gentes, hæc ſancta Dei Eccleſia à Chriſto fundata, & ei in hæreditatem à patre collata, in protectione Dei eſt, vt Iſaias c. 51. longe ante prænidit dicens: *Poſui verba mea in ore tuo, & in vmbra manus mea protexi te, vt plantes cælos & fundes terram, & dicas ad Sion: populus meus es tu.* Iſ. 11. Quam, quæſo, terram fundat Chriſtus protegente Deo, niſi Eccleſiam electorum, qui hîc ſignantur, ventis à flatu, dæmonibus à noxa prohibitis & impeditis? Plantantur autem cœli, dum fundatâ Eccleſiâ in ea coaptantur electi, poſtea in cœlum transferendi.

Dico ſecundo: Per mare hic intelligimus abundantiam gratiarum, quæ terram ſanctorum inundat: v. g. abundantiam ſcientiæ rerum diuinarum, de qua Iſ. c. 11. *Repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ maris operientes. Quomodo*, inquit S. Hieron. in hæc verba, *aquæ maris operiunt profunda maris, hoc eſt terra quæ operta eſt fluctibus, ſic ſcientia Domini omnis terra complebitur.* 2. Iuſtitiæ Chriſtianæ perfectionem, per fidelem mandatorum diuinorum cuſtodiam: de qua idem Propheta ait c. 48. *Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, gubernans te in via qua ambulas. Vtinam attendiſſes mandata mea: facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & iuſtitia tua ſicut gurgites maris*; *Abundantiam omnium rerum copiamque ſignificans*, ait S. Hieron. Vides iuſtitiam abundantem fore, ſi ſemel mandata Dei fideliter cuſtodiantur, ad modum maris. 3. Abundantiam miſericordiæ per remiſſionem peccatorum, quæ hac ſimilitudine maris exprimitur Micheæ 7. *Quis Deus ſimilis tui, qui aufers iniquitatem, & tranſis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? Non immittet vltra furorem ſuum, quoniam volens miſericordiam eſt: reuertetur & miſerebitur noſtri. Deponet iniquitates noſtras, & proiiciet in profundum maris omnia peccata noſtra, vt ſalſugo & amaritudo vitiorum. In ſalſa regione diſſpereat*, inquit S. Hieron. in Micheam, quod quidem mare miſericordiarum & gratiarum adumbrat mare cryſtallinum, ante thronum firmum Eccleſiæ poſitum, & ſuper quod ſtant illi qui vicerunt beſtiam, & imaginem eius, & numerum nominis eius.

Dico tertio: Per arbores intelligimus iuſtos, qui tanquam arbores in Eccleſia plantantur iuxta riuos aquarum, qui ab hoc mari profluunt, iuxta illud Prophetæ Pſ. 1. *Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* De his arboribus dicitur Ierem. c. 17. *Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius: & erit quaſi lignum quod tranſplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas, & non timebit cum venerit æſtus: & erit folium eius viride, & in tempore ſiccitatis non erit ſollicitum, nec aliquando deſinet facere fructum.* Et optimè ait, in tempore ſiccitatis non eſſe eis timendum: fontes enim gratiarum & auxiliorum ab hoc mari profluunt, quibus poſſint continuò irrigari. Sic S. Hierony. has aquas interpretatur de aquis gratiarum: *Super aquas*, inquit, *autem Spiritus ſancti gratiam, diuerſas donationes, quod ad humorem miſſet radices ſuas vt à Domino accipiant vbertatem. Sed & aliter poſſumus dicere, quod de ſiccitate iudaica tranſlati ſumus in baptiſmi gratiam ſempiternam: Et non timebit, inquit, cum venerit æſtus: vel tempus perſecutionis, vel dies iudicij: Et erit folium eius viride: ſiue erunt in eo ramuſculi frondentes, vt nunquam timeat ſiccitatem, ſed cunctarum virtutum germines gratiam: cumque tempus ſine annus venerit ſiccitatis, non metuet: quando Dominus iratus mandauerit nubibus, ne pluant ſuper Iſrael imbrem.* Hæc Hierony. A Domino plantatæ iſtæ arbores non eradicabuntur. *Omnis*, inquit Saluator, *plantatio, quam non plantauit pater meus cæleſtis eradicabitur.* Matt. 15. Quæ autem à Deo plantantur, è contra firmas agent radices. De his Iſaiæ c. 60. *Populus autem tuus omnes iuſti in perpetuam, hæreditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manuum meæ ad glorificandum. Minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortiſſimam.* Quod vltimum ſatis probari poteſt ex hoc Apocalyp. capite, in quo 144. millia ſignatorum pullulare videntur in multitudinem, quæ dinumerari non poteſt, *Plantati*, inquit S. Hierony. *in domo Domini in atriis eius efflorueſcent. Tunc qui paruulus fuit erit in millia, audiens à Domino: Eſto habens poteſtatem ſuper quinque vel decem ciuitates: Itaut appelletur χίλιαρχος. Et qui cum Apoſtolo dixerat: Mihi minimo omnium ſanctorum data eſt gratia hæc; princeps erit magnæ gentis in cæleſtibus.* Ita Hieron. qui antea rationem tetigit: *Cum*, inquit, *germen plantationis Domini ſit, & opus manuum eius ad glorificandum Deum.* Ita Hieron.

Vidimus igitur quid intelligitur per terram, mare & arbores; cui interpretationi fauet Primaſius in hæc verba: *ne flarent*, &c. *Et quoniam*, inquit, *Eccleſia per omnes quatuor mundi cardines partem ſuam regni adhuc mundi videtur habere permixtam, & apud alienigenas ſuos, & intra ſe cognoſcitur habere alienos; in terris, diuerſitas prouinciarum: in Mari, inſularum: in arboribus, quia genus eſt ſyluæ pro diuerſitate, diuerſa etiam officia atque hominum præſignare voluit qualitates*: Ita Primaſ. Qui nobiſcum ſentit, dum hæc de Eccleſia & hominibus in ea exiſtentibus intelligit.

Digitized by Google

Nunc videndum Eccleſiæ non eſſe aliquid timendum, ſub Dei protectione.

Eccleſia per terram mare & arbores deſignata, nihil eſt ab hominibus aut dæmonibus timendum.

ANNOTAT. V.

CERTE Eccleſiæ ſub Dei protectione & vmbra alarum illius poſitæ, nihil eſt timendum. *Qui* enim *habitat in adiutorio altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabitur: dicet Domino ſuſceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus ſperabo in eum.* Pſal. 90. Deus enim qui præcelsà & ſublimi gaudet naturà, & quocumque in loco ſuam experiri facit præſentiam, velociter ſuis adeſt, vt eis auxilium præſtet in tempore opportuno: *Velociter* enim *currit ſermo eius, & eſt adiutor in opportunitatibus, ambulat ſuper pennas ventorum*, vt ait Propheta, Pſal. 103. Id eſt, promptius auxilium præſtat, quàm terrenæ poteſtates ſuam exercere violentiam contra Eccleſiam poſſint. Vnde idem Propheta tutelam, & ſecuritatem à Dei auxilio pendentem exprimere volens, dicebat: *In tegmine alarum tuarum protege me*: Iuxta Chryſ. enarrat. in c. 6. Iſaiæ. Et vt habetur Pſal. 35. *Homines & iumenta ſaluabis Domine, quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus: filij autem hominum in tegmine alarum tuarum ſperabunt.* Deo igitur protegente, nihil Eccleſiæ à terrenis poteſtatibus eſt pertimeſcendum: ſed in ſpem etigi debet, quod quiſquis ille fuerit, qui eam oppugnare voluerit, licèt Eccleſia ab eo multa experiatur incommoda, nihilominus tandem victrix euadet, & oppugnatores confundentur ac peribunt. Hanc ſpem & in Deo fiduciam multum iuuant verba Iſ. c. 51. dum ait: *Ego, ego ipſe conſolabor vos. Quis tu vt timueris ab homine mortali, & à filio hominis qui quaſi fœnum ita areſcet? Et obliitus es Dei factoris tui, qui tetendit cælos, & fundauit terram, & formidaſti iugiter tota die à facie furoris eius, qui te tribulabat, & parauerat ad perdendum. Vbi nunc eſt furor tribulantis? Cito veniet gradiens ad aperiendum, & non interficiet vſque ad internecionem, nec deficiet panis eius, &c.* Quæ verba paraphraſticè exponens S. Hieronym. ait: *Miror quomodo me dicente ſupra: nolite timere opprobria hominum, & blaſphemias eorum ne metuatis; timueritis perſecutorum rabiem, & neſcieritis eos eſſe mortales, qui inſtar fœni areſcunt repente & pereunt: Et certè eo tempore quo illos metuebas, oblitus es Domini factoris tui. Si enim mei memoria in tuo fuiſſet corde verſata, nunquam timuiſſes homines qui in cinerem diſſoluendi ſunt. Et cuius es oblita? Dei: qui cælos incredibili virtute ſuſpendit, & terram ſtabili mole fundauit. Et timuiſti aduerſarios tuos, non ad breue (quod poteras tibi aliqua ex parte conceda) ſed iugiter; & tota die, vt cum haberes lumen fidei, tenebræ te formidinis poſſiderent; & eius qui te putabat periturum. Vbi eſt ergo nunc perſecutorum ſuperbia? Vbi potentia ſeculatis, qua in te ore rabido ſæuiebant? Cito veniet filius meus, gradiens & conculcans aduerſarios tuos, vt aperiat tibi viam victoriæ, ſiue vt inferos referet: qui non interficiet vſque ad internecionem, ſed venit ſaluare conuerſos. Denique panis illius qui interpretatur, Euangelio probante doctrina, numquam deficiet, ſed ſemper volentibus ad veſcendum patebit.* Ita Hieronym. Mihi liceat hæc verba, ſcilicet; *Et non interficiet vſque ad internecionem, nec deficiet panis eius*; Ita exponere vt dicamus: Putas ipſum venientem vt viam vobis aperiat, qua exitum ex tot tantiſque calamitatibus vobis paratis, ab eis qui vos tribulabant, facilem inueniatis, ipſum non eſſe interfecturum omnes aduerſarios? Ne quæſo hoc vobis perſuaſum ſit: eos interficiet vſque ad internecionem: perſequetur inimicos tuos & comprehendet illos, & non conuertetur donec deficiant: ne timeas, dum bellum duraverit, de iis quæ neceſſaria ſunt ad ſuſtentationem: prouidit de conuictu. Parauit enim menſam in conſpectu tuo, aduerſus omnes qui tribulant te: nec enim deficiet panis eius, quo refectus & recreatus poteris facillimè omnes inimicorum tuorum conatus eludere. Proſequitur ſuam paraphraſim S. Hierony. his verbis, ſimulque apoſtrophâ facit ad filium, quê citò promittit eſſe venturum, & cuius panem dicit eſſe perpetuum, quod ipſe ſit iuxta diſpenſationem carnis aſſumptæ, Dominus Deus eius, qui conturbari faciat mare, & intumeſcere fluctus eius: vt aduerſum ſeruos ſuos perſecutorum infletur ſuperbia, quæ iterum auxiliante Domino conquieſcat, dicitque quod poſuerit verba ſua in ore eius. *Quidquid enim filius loquitur verba Patris ſunt, & in vmbra manus ſuæ protexit eum, & idcirco protectus ſit, vt plantet cælos nouos, & fundet terram nouam, & dicas: Ecce adſum, hoc eſt ad Eccleſiam: Populus meus es tu. Ergo Sion non eſt alia, niſi populus Dei.* Ita S. Hier. Non potuimus certe meliori modo potentiſſimum Dei auxilium, quo Eccleſiam à flatu ventorum, id eſt à vehementiſſimo impetu, & validiſſimo conatu ſecularium poteſtatum tuetur, exponere, quàm his Iſaiæ verbis, & tam inſignis expoſitoris commentationibus, à quibus etiam diſcere poſſumus, quàm euanidus & debilis ſit principum conatus contra Dei voluntatem, ex pulchra comparatione (quam apud Iſaiam c. 7. inuenio) fortitudinis eorum cum titione fumigante, dum præcipitur Achaz Regi Iudæ, vt non terreatur neque formidet cor, putans ſe paſſurum quæ prius ſuſtinuerat, cum iuſtè à Domino derelictus, propterea quod clauſerat ianuas templi, & in valle Gehennon adorauerat Baalin, & filium ſuum idolis conſecrauerat, itaut auferret altare æneum quod Salomon fecerat, & poneret in templo Dei altare idolorum, cuius exemplar de Damaſco acceperat: conſurrexerunt aduerſus eum Raſin rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ, & primus victo Achaz multos de Iudæa in Damaſcum tranſtulit: Phacee autem vna die centum viginti millia percuſſit, de domo Iuda, hominum bellatorum, & ducenta mulierum puerorumque & puellarum, cum infinita præda, in Samariam duxit captiua. Præcipitur igitur illi, ne cum rurſus iſti reges veniunt ad Iudæam & Hieruſalem, cupientes eam debellare, formidet aut terreatur: quia videlicet eorum fortitudo plurimum ſit imminuta, eſſentque veluti titiones tantùm fumigantes. *Vide vt ſileas*, ait Prophetа ad Achaz: *noli timere, & cor tuum ne formidet à duabus caudis titionum fumigantium iſtorum, in ira furoris Raſin & Syriæ, & filij Romeliæ, eo quod conſilium contra te inierit Syria peſſimum Ephraim, & filius Romeliæ dicentes: Aſcendamus ad Iudam, &c.* Prædicit enim Iſaias illorum regna breui eſſe peritura: ſunt quaſi torres, qui ex ſe emittunt vapores, & paulatim extinguuntur. Nam paulò poſt Theglatphalaſſar Rex Aſſyriorum ſub Rege Achaz aſcendit in Damaſcum, & vaſtauit eam, & habitatores eius tranſtulit in Cyrenem, & Raſin interfecit: & Oſee filius Ela tetendit inſidias Phacee filio Romeliæ, & percuſſit eum & interfecit: & regnauit pro illo in Iſraël nouem annis. Et poſt mortem Achaz anno nono captus eſt Oſee, & deſtructa Samaria, & omnis populus tranſductus in Medos, anno videlicet ſexageſimo quinto à Prophetia Amos qui prophetare cœpit cum Iſaia, an. 25. Oziæ dicens: *Iſrael autem captiuus ducetur de terra ſua.* Prophetare, inquam, cœpit ab hoc anno vſque ad annum ſextum Ezechiæ, cuius ſexto imperij anno capta eſt Samaria: vnde ait

Digitized by Google

Iſaias regnum Ephraim ſeu Samariæ duraturum tantum ſexaginta & quinque annis, ſcilicet ab initio Prophetiæ illius ſubuerſionis. Si enim 12. annos reſidui vitæ Oziæ numeres, & 16. Ioathæ filij eius & ſedecim Achaz, poſt quē regnauit Ezechias, ſex annos Oziæ, ex quo facta eſt prædicto ſubuerſionis Samariæ, vſque ad ſextum annum Ezechiæ, in quo adimpleta eſt prophetia, ſexaginta quinque annos efficies. Ita S Hierony. vnde apparet fortitudinem illorum fuiſſe quaſi torris; ardebant quippe ira & furore, & fumum & vaporem emittebant, ſed vt fumus, debilis fuit illorum fortitudo, & poſtea paulatim fuerunt extincti, vt nec fumum etiam emitterent. Eadem dicendum de reliquis principibus, quorum Deus impetus & conatus tenet in manu, ne Eccleſiæ firmitatem, gratiarum profuſionem, & electorum prædeſtinationem, ſuis conatibus impediant.

Et vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei viui. Breuis delineatio eorum quæ dicenda ſunt, vt facilius intelligantur.

Iam vidimus totius huius capitis ſcopum eſſe manifeſtare ſeu probare, ex rerum experientia ſeu euentu, nullam eſſe in terris potentiam adeo fortem & prævalentem, vt impedire valeat Regni Chriſti erectionem, & corroborationem. Quatuor Angelos, in quatuor angulis poſitos ſeu collocatos, diximus eſſe Angelos, qui regimini præſunt totius vniuerſi; & ſicut Primaſius voluit angulos eſſe regna quatuor, Aſſyriorum, Medorum, Perſarum, Romanorum, quæ ſuo quodammodo potentatu omnia præfocantia, nullum pro libito ſui iuris ſinerent reſpirare; nos volumus eſſe regna, quæ in cunctis orbis partibus dominantur. Diximus inſuper illos Angelos tenere quatuor ventos, id eſt, reges & principes in illis regnis dominantes, ne ſtatum Eccleſiæ conturbent, prædicationem verbi retardent, prædeſtinationis electorum executionem impediant, ſuâ potentiâ, vi ac violentiâ abutentes. Nunc videndum quiſnam ſit ille Angelus ab ortu ſolis aſcendens, qui malos Angelos compeſcit dicens: *Nolite nocere terræ & mari, & arboribus*, aut bonorum miniſterio vtitur, dum cum eis ſignat prædeſtinatos & electos, ſeu præcipuos ſanctos in fronte.

Videndum ſecundò, quid per ortum ſolis ſignificetur, à quo aſcendit alter Angelus: & videbimus hîc myſtice innui ſaluatorem mundi, qui dicitur oriens ex alto, ad cuius ortus ſplendorem gentes ambulare debent. Is namque eſt qui vt ſupremus Eccleſiæ Hierarcha, & caput Angelorum, & hominum, pro inuiſibili & viſibili regimine hominum, miſit Spiritum ſanctum, deſtinat Angelos, conſtituit Paſtores, ſic charitatem infundit in cordibus per Spiritum ſanctum, qui nobis datur, cum ab eo mittitur: ſic etiam miniſterio Angelorum vtitur, vt inſpirationibus & illuſtrationibus mentes fidelium in viam ſalutis dirigant; & pro externo & viſibili regimine Paſtores Eccleſiæ poſuit & conſtituit, qui ab eo etiam mittuntur, dicente ipſo: *ſicut miſit me pater, & ego mitto vos.* Ab eo igitur ſolis ortu, ſeu ſole oriente, mittuntur Spiritus ſanctus, Angelus Eccleſiæ protector, omnes Epiſcopi & prædicatores Verbi. Iſti habent ſignum Dei viui in manibus, vt eo charactere frontem ſignent: ſiue ille ſit perfecta quædam imitatio Chriſti ſaluatoris: ſiue ille ſit nota cuiuſdam eximiæ autoritatis. Hinc centum quadraginta quatuor millia ſignatorum dicemus perſonam geſtare ſanctorum, qui canonizatione ſolemni ab Eccleſia proponuntur imitandi, veluti qui fuere Chriſti Domini perfecti imitatores; vel nobis repræſentare ordinem ſacerdotalem inferiorem Epiſcopis. Et quia Eccleſia aliquid manifeſtum & euidens præ oculis habere debet, quo iudicium certum & ſecurum eliciat in canonizatione ſanctorum, quænam ſint ſigna omnibus electis ac prædeſtinatis communia, quænam autem ſunt euidentiora erit diſquirendum: & euidentiora in his, qui in fronte ſignantur, eſſe dicemus vnde ab Eccleſia canonizantur, & eorum declaratur ac proclamatur ſanctitas & ſalus æterna; Communia reperiri in omnibus, qui hanc innumeram multitudinem electorum componunt, qui hîc repræſentantur, vt in gratia finali per donum perſeuerantiæ conſtituti. Tamen vt poſſimus certò ſcire hunc vel illum hominem his notis ac characteribus ſacris inſigniri, oportet vt interueniat ſuprema Eccleſiæ autoritas, in ſupremo Pontifice reſidens, qui dicat: *Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni.* Aliàs eſſet difficillimum, niſi hæc interueniret autoritas, diſcernere inter omnes fideles, quiſnam eſſet de numero prædeſtinatorum: cum omnibus vſus Sacramentorum ſit communis & peruius, omnes fideles ceremoniis & actibus exterioribus Deum colant: In ortu igitur ſolis huius, ſolem orientem Chriſtum; in Angelo ab ortu ſolis, & Spiritum ſanctum & Angelum Eccleſiæ protectorem, & ſtatum Epiſcoporum & Paſtorum, & verbi Dei præconum intelligemus, eorum videlicet qui vel eminentiori aliqua autoritate præditi, vel ſaltem donis quibuſdam gratuitis cumulati, ad Eccleſiæ vtilitatem, cum inſigni imitatione extiterunt veluti, per centum quadraginta quatuor millia ſignatorum. Per miniſterium illius Angeli, intelligemus vel ſacerdotes Epiſcopis inferiores, vel ſanctos Canonizatos Chriſti imitatores; in turba autem quæ dinumerari non poteſt, eos omnes electos qui & Epiſcopis & Paſtoribus ſubditi fuerunt; & eorum miniſterio, ab agno deducti fuerunt ad fontes vitæ aquarum, id eſt, ad Sacramentorum participationem, quibus in gratia conſtituti, & dono perſeuerantiæ præuenti, tandem gloriam æternam conſequuntur.

Vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei viui.

Quis ſit ille Angelus aſcendens.

ANNOTAT. VI.

PLVRES exiſtimant hunc Angelum eſſe Dominum Chriſtum, inter quos Primaſius, dum ait: *Hic Domini noſtri Ieſu Chriſti primus declaratur aduentus, qui alibi magni Conſilij Angelus appellatur. Ideo ab oriente ſole, &c.* Et Ambroſius: *Alter*, inquit, *Angelus Chriſtus, de quo Malach. 4. ſcriptum eſt: Vobis autem timentibus nomen meum, Orietur ſol iuſtitiæ: Et ſanitas in pennis eius. Ab ortu ſolis Chriſtus deſcendit, id eſt, à ſemetipſo, quoniam non ex concubitu viri carnem aſſumpſit, ſed à ſemetipſo: qui vtique ſibi carnem immaculatam ex carne virginis creauit, &c.* Ita etiam ſentiunt plures alij apud Cornelium, qui dicunt eum aſcendere ab ortu ſolis: quia mane ſurrexit, & Apoſtolos ſtatim miſit ad illuminandum orbem. Hanc ſententiam non amplectimur. Sufficit enim vt de Chriſto fiat mentio ſub ſymbolo ortus ſolis. Aliud quid per hunc Angelum intelligi ſuſpicor. Et vt mentem meam aperiam,

Notandum Chriſtum eſſe ſupremum Eccleſiæ Hierarcham, & Angelorum & hominum caput. At ea quæ pertinent ad ſalutem electorum viſibiliter per ſemetipſum non adminiſtrat, ab eo inſtanti quo ad Patris dexteram ſedere incæpit. Eſt equidem ſecundum ſuam diuinitatem omnibus rebus præſentiſſimus,

tiſſimus, & omnia in omnibus operatur : tamen non apparet viſibiliter in terris ſecundum ſuam humanitatem. Ideo vt Eccleſiam purget, illuminet, & perficiat interius, eamque exterius moderetur & regat, oportet vt quoſdam operis ſui Vicarios conſtituat, quibus & inuiſibili modo, & viſibiliter, quidquid in Eccleſia operari vult, vt ad finem præſcriptum illam deducat, & cum gloria tandem eam ſuſcipiat, operetur. Quo præſuppoſito,

Dico primo, Chriſtum fuiſſe quidem primum Angelum à Patre miſſum : ſed poſtquam ad Patrem aſcendit, ab eo & à Patre Spiritum ſanctum miſſum fuiſſe, ad Eccleſiam ſuam viuificandam, purificandam, illuminandam, perficiendam. De ſpiritu enim eius accipimus. *Factus eſt* enim *primus homo Adam in animam viuentem, nouiſſimus autem Adam in ſpiritum viuificantem* 1. ad Cor. 15. Hinc Chriſtus ſuum ſpiritum dare debuit, vt nobis vitam donaret per remiſſionem peccatorum, gratiæ infuſionem, donorum ſuorum effuſionem. Eſt enim Spiritus ſanctus remiſſio peccatorum : mittitur vt omnem doceat veritatem, & dona ſua diſtribuit ſingulis prout vult, qui pignus eſt hæreditatis æternæ, iuxta illud Apoſtoli Epheſ. 1. de Chriſto loquens : *In quo*, inquit, *credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ, in redemptionem acquiſitionis in laudem gloriæ ipſius.*

Hinc dicimus ſecundò, alterum Angelum eſſe ſecundam perſonam Trinitatis miſſam, nempe Spiritum ſanctum miſſum inuiſibiliter per charitatem, quæ diffunditur in cordibus noſtris, per ipſum Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis, & viſibiliter dum vel in ſpecie columbæ, vel ſpiritus vehementis, vel linguarum ignitarum apparuit. Ita cenſet Lud. ab Alcaz. volens hunc Angelum eſſe Spiritum ſanctum, qui fideles ſignat ſeipſo, ſuaque gratia, eoſque ab omni plaga liberos & incolumes præſtat. Ille ſiquidem eſt diuinus ſpiritus, de quo S. Gregor. Nyſſenus optimè dixit, orat. aduerſus eos qui differunt Baptiſmum : *A vita tua ſolue voracem coruum, da Columbæ tempus, vt ad te aduolet, quam primus Ieſus typice è cœlo deduxit, quæ eſt doli neſcia, manſuetiſſima, & fertiliſſima : quæ poſtquam inuenerit virum, purgatum vt argentum, reſtè exercitum & expolitum, in eo libenter habitat, & animam igne tanquam oua fouens, multos ei parit & donat filios : ij autem ſunt bonæ actiones, & honeſti ſermones, fides, pietas, iuſtitia, temperantia, caſtitas, puritas : hi ſunt filij ſpiritus, noſtræ autem poſſeſſiones.* Ita Greg. Nyſſ. Hic diuinus Angelus dicitur aſcendere, quia licet deſcendat, ſuam maieſtatem ad nos demittendo, aſcendit tamen dum nos facit aſcendere, eo ipſo quo in nobis ſol iuſtitiæ oritur, qui mentes noſtras cæleſti lumine irradiat, vt corda & affectus in cœlum euehantur. Aſcendit igitur, quia facit aſcendere, iuxta quod dicitur ab Apoſtolo clamare, quia videlicet nos facit clamare : *In quo*, inquit, *clamamus : abba, Pater*; & poſtulare, quia facit nos poſtulare : *nam quid oremus ſicut oportet neſcimus : ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Ro. 8. Sicut igitur dicitur poſtulare, quia impellit & incitat nos ad poſtulandum gemitibus & ſuſpiriis, ita dicitur hic Angelus aſcendere ab ortu ſolis, quia dum veritas, id eſt, filius, nos liberat ab erroribus mentis, inuiſibiliter miſſus ; charitas, id eſt, Spiritus ſanctus item inuiſibiliter miſſus, nos ad Deum amandum, & ſupra omnia diligendum promouet & euehit. Hoc diuino ſpiritu ſuos fideles regit Chriſtus. *Quicumque enim ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei. Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus abba, Pater.* Ro. 8. Proprium eſt enim Spiritus ſancti interiùs gubernare fideles, vt notat Maldonatus in vlt. c. Matth. *Animaduerte*, inquit, *autem in literis ſacris, nuſquam Spiritum ſanctum, ſed ſolum Patrem & Filium dici ſedere ; quòd ſedere, vt dixi, gubernare ſit : & non Spiritus ſanctus, ſed Pater & Filius dicuntur gubernare : gubernare inquam extrinſecus : nam intrinſecus quidem animos hominum regere, Spiritus ſancti proprium eſt.* Ita Mald. Qui addit : *Cum ergo ſolus Pater & Filius ſedeant, & Filius ad dexteram Patris ſedere dicatur, ſignificatur honoratiore quodammodo eſſe loco : non quod reipſa maior ſit, ſed quod cum Regis officium exerceat, maiorem præſe ferat dignitatem.* Ita Mald. Notandum tamen Spiritum ſanctum dici ſedere, Actuum 2. *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſedítque ſupra ſingulos eorum : & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, &c.* Sed de manſione in ipſis, illa ſeſſio eſt intelligenda, vel ad eos regendos interiùs, vel ad eos cumulandos donis, quibus fierent idonei Miniſtri noui Teſtamenti, & Chriſti, ad regimen Eccleſiæ ; & ita regit Chriſtus inuiſibiliter ſuam Eccleſiam, dum Spiritum ſanctum mittit in corda fidelium, quo ad vitam æternam procurandam incitantur. Vnde ſatis conuenienter dicere licet, quod ſicut in throni erectione & firmitate, Patris æterni maieſtatem ſedentem intuiti ſumus ; in equis, in quibus omnibus ſeſſor Chriſtus, ipſum operantem agnouimus ; in iſto altero, ſeu ſecundo Angelo miſſo, perſonam Spiritus ſancti contemplari licet ; qui à Patre Filioque procedens, ab vtroque mittitur, vt animas diuino charactere inſigniat, eaſque viuificet & ſanctificet : eſt enim ſpiritus viuificans & ſanctificans. Sicut enim opera poteſtatis, Patri attribuuntur ; ſapientiæ, Filio aſſignantur : ita opera ſanctificationis, Spiritui ſancto tribuuntur. In hoc autem capite ſeptimo, in ſignatione in fronte, perfecta animarum ſanctificatio deſignari videtur : igitur non abſque ratione dicimus, per hunc Angelum, Spiritum ſanctum, qui eſt animarum ſanctificator, ſignificari.

Et reuera opus erat, quin & decebat Saluatorem ad Patrem redeuntem, ne nos relinqueret orphanos, in medio periculorum conſtitutos, alium paracletum mittere, quo pro ſua abſentia Eccleſia regeretur, & deduceretur abſque errore : Equidem ſi viſibilis in mundo remanſiſſet, ab eius ore mandata vitæ potuiſſemus audire ; & nihil nobis erat aliud expectandum, quàm autem præbere accommodam iis quæ nobis præciperet, vt vitam æternam conſequi poſſemus ; ipſe de miniſtris idoneis per ſemetipſum Eccleſiæ prouidiſſet, & eadem ratione, qua dum in terris degebat miſit diſcipulos ſuos *in omnem ciuitatem, & locum quo erat ipſe venturus* ; Apoſtolos quoſdam deſtinauit, qui aſinam & pullum aſinæ à vinculis ſoluerent, eiſdem iniunxit vt pararent Paſcha, eiſdem ligandi & ſoluendi poteſtatem tribuit ; inſuper faciendi in ſuam commemorationem quod ipſe fecerat, incruento modo offerendo ſuum corpus & ſanguinem ; denique paſcendi oues & agnos facultatem dedit. Pari ratione illis mortuis, hæc aut ſimilia potuiſſet aliis iniungere, eoſque mittere in vniuerſum orbem, vt ſuis miniſteriis ſuas voluntates exequerentur. Sed cum ipſe dixerit : *Expedit vobis vt ego vadam : ſi enim non abiero paraclitus non veniet ad vos* ; vt fides noſtra maiorem haberet exercitij occaſionem, quo minus ſenſibiliter à nobis agnoſceretur, *Beati enim qui non viderunt & crediderunt* ; ſenſum noſtrum & viſum effugere voluit, vt cum eum nihilominus credimus firmiſſimè Eccleſiam ſuam ſapientiſſimè gubernare, & moderari, inuiſibili ſancti Spiritus operatione, licèt eum non videamus, fides noſtra maior appareat. Sic igitur miſit Spiritum ſanctum, vt ſit Eccleſiæ rector & Doctor, qui eam regit, tam inuiſibili & interna operatione, quàm per eos quos ipſe vo-

cat, ordinati conſtituit, vt perſonam in terra gerant, eaque omnia adimpleant, quæ ipſe faceret, ordinaret, conſtitueret, pro vtilitate fidelium, ad gloriam Patris æterni, ſi adhuc viſibiliter nobiſcum remanſiſſet. Sic Spiritus ſanctus quem miſit, poſteaquam ſedit ad dexteram Patris, Conductoris, Aduocati, Conſolatoris, Magiſtri, Doctoris, Correctoris, Directoris locum obtinet. Sic Spiritus ſanctus Eccleſiam animat, viuificat, illuminat, corroborat, eique in omnibus euentibus & neceſſitatibus præſtat auxilium, *Adiuter in opportunitatibus*. Quod Eccleſia agnoſcit, dum ſua vota Deo offerens, pro omnibus Eccleſiæ ordinibus, Deum ſic interpellat: *Omnipotens ſempiterne Deus, cuius ſpiritu totum corpus Eccleſia ſanctificatur & regitur, exaudi nos pro vniuerſis ordinibus ſupplicantes, vt ab omnibus tibi gradibus fideliter ſeruiatur.* Qua ratione orat pro omnibus fidelibus, cuiuſcumque ſint ſtatus & conditionis, id eſt, pro toto corpore Chriſti myſtico, magno & eximio, in quo propter diuerſitatem membrorum, quæ ad eumdem finem ordinantur, apparet quanta & quàm excellens ſit ſapientia illius, qui tam nobile corpus conſtruxit. Qua quidem ratione ſatis videtur innuere quomodo ſanctificatio interna, & regimen internum Eccleſiæ, Spiritui ſancto tribuitur, per quem etiam Paſtores in Eccleſia ponuntur, qui viſibiliter Eccleſiam regant & moderantur, & ſuis miniſteriis & functionibus ad fidelium ſanctificationem concurrunt.

Dico igitur tertio, iſtum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis repræſentare perſonam Spiritus ſancti, Paſtores, Epiſcopos & prædicatores Verbi ponentem, conſtituentem, mittentem, eiſque autoritatem, in omnibus quæ fieri debent pro regimine fidelium, omnimodam tribuentem; quin etiam donis per eorum miniſterium, & immediatè per ſemetipſum, aliquos fideles cumulantem: quibus & perfecti Chriſti imitatores euadant, & ad ſalutem aliorum promouendam miniſtri fiant idonei: vt hac ratione, ſi in quarto capite huius Prophetiæ, in erectione throni magnifici, Patris æterni potentiam rapere nos potuit in vehementem ſtuporem & admirationem; ſi in cap. 5. & ſexto, non minor ſubiit admiratio, dum agnum librum aperientem, & nobis diuina vidimus reuelantem myſteria; In quinto capite ſacris ſuis operationibus noſtram ſalutem promouentem; in ſexto vidimus, quod in iſtis maxima eluceat infinita eius ſapientia: ita in hoc capite pari admiratione euehi oportet, dum bonitatem Spiritus ſancti intuemur: quæ elucet maximè in conſecratione quatuordam perſonarum, quas ſpeciatim & ſingulariter deſtinat ad diuina miniſteria, & munia obeunda: dum etiam omnes effectus ſanctimoniæ, ſeu ſanctitatis, qui à præſentia Spiritus ſancti in Eccleſia prodeunt, contemplamur. Pater igitur nobis ſit tanquam ſol: filius ſit oriens ſeu ortus, ac productio ſolis, Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, per cuius miſſionem à Patre in terras, ipſum agnoſcimus Patrem. Angelus qui ab ortu ſolis aſcendit, erit Spiritus ſanctus à Patre & Filio procedens: cuius præſentia ſeu aſſiſtentia ſpecialis clariùs & euidentiùs agnoſcitur in illis, qui in terra perſonam filij nobis repræſentant, ſiue ratione cuiuſdam autoritatis inſignis, ſiue ratione cuiuſdam eminentioris ſanctitatis: etenim ipſe eſt ſpiritus, qui eos conſtituit, ſanctificat, & characterem tenet in manu, ſiue ſignum Dei viui, vt illud frontì eorum, quos elegit, imprimat: qui idcirco dicitur aſcendere, quia datur non vt gratia quam confert inutilis remaneat, ſed vt faciat fructum. *Gratia*, inquit Paulus, *Dei, ſum id quod ſum, ſed gratia eius in me vacua non fuit: & à claritate in claritatem transformamur, tanquam à Domini ſpiritu*: & de virtute in virtutem progrediamur, donec videamus Deum Deorum in Sion: Datur, inquam, non vt ſub modio reponatur reconditus, ſed ad manifeſtationem, & Eccleſiæ vtilitatem. *Diuiſiones verò gratiarum ſunt*, inquit S. Paulus 1. ad Corinth. 12. *idem autem ſpiritus: & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus: Et diuiſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus, ad vtilitatem: alij quidem per ſpiritum datur ſpiritus ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eumdem ſpiritum, &c.* Et quia non datur ſpiritus, niſi vt manifeſtetur, per vtilitatem ex eius donis, & ei cui datur, & aliis prouenientem; ideo dicitur aſcendere. Igitur ſicut diuinus ille ſpiritus humanitatem Chriſti in terris commorantem viuificabat, impellebat, vt ea præſtaret quæ ſaluti humani generis, ad Patris ſui gloriam, erant profutura, iuxta Iſaiæ Prophetiam: *Spiritus Domini ſuper me: Euangelizare pauperibus miſit me*; & illud Euangelij: *Ductus eſt Jeſus à ſpiritu in deſertum*: Idem eſt ſpiritus qui animam & vitam ſanctis & Paſtoribus tribuit. Pulchraque & concinna eſt collatio ac comparatio operationum Spiritus ſancti, in humanitate ſaluatoris, cum operationibus illis, quas in Eccleſia operatur. Diuinus amor fuit cauſa incarnationis, *Sic* enim *Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. Propter nimiam charitatem ſuam qua dilexit nos: & cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto, cuius gratia eſtis ſaluati.* Epheſ. 2. Operatione Spiritus ſancti ſacrum Chriſti corpus formatum fuit in vtero virginali. Eadem ſacra Spiritus ſancti operatione, per totum orbem formatur Chriſti corpus myſticum: *Etenim*, vt ait S. Paulus 1. ad Corinth. 12. *in vno ſpiritu omnes nos, in vnum corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi: & omnes in vno ſpiritu potati ſumus.* Et paulo poſt: *Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primum Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum, &c. Et*, vt antea dicebat, *nunc autem poſuit Deus membrum vnumquodque eorum in corpore, ſicut voluit.* Igitur format Deus corpus Eccleſiæ per ſpiritum ſuum, cum antea dixerit: *Hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult.* In Chriſtum deſcendit plenitudo ſpiritus, dicente Iſaia, *Et requieſcet ſuper eam ſpiritus Domini, &c.* Idem etiam ſpiritus in Eccleſiæ corpus deſcendit, vt vnicuique conferat plenitudinem ſufficientiæ: *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum: & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto.* Act. 2. In omnibus ſuis actibus Chriſtus à ſancto Spiritu agebatur: in Eccleſia reperiuntur filij Dei, de quibus dicitur: *Qui enim ſpiritu Dei aguntur hi ſunt filij Dei.* Rom. 8. Vnde dicere poſſumus Spiritum ſanctum aſcendere ab ortu ſolis, cum à Patre & Filio miſſus operatur in Eccleſia opera ſanctitatis, quæ oculis exhibentur, opera poteſtatis & autoritatis, quæ viſibilia ſunt, in his qui perſonam Chriſti filij Dei repræſentant. Quod vt declararet Chriſtus Dominus, nempe eos qui eius perſonam gererent in Eccleſia, ſpeciali quadam Spiritu ſancti præſentia fore decorandos, cum Apoſtolos ſuos miſit vt ſuum locum tenerent, dicens eis: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*; addidit in ſufflando: *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* Ioan. 20. Vnde optimè S. Ambroſ. de pœnit. l. 1. c. 2. contra Nouatianos agens: *Spectas etiam illud, quoniam qui Spiritum ſanctum accipit, & ſoluendi peccati poteſtatem, & ligandi accipit: ſic enim ſcriptum eſt: Accipite Spiritum ſanctum, &c. Ergo qui ſoluere non poteſt peccatum, non habet Spiritum ſanctum. Munus Spiritus ſancti eſt officium ſacerdo-*

Digitized by Google

tis, ius autem Spiritus ſancti in ſoluendis ligandiſque crimi-
nibus eſt, &c. Ita Ambroſ. Spiritus ſanctus igitur eſt alter Angelus, ab ortu ſolis aſcendens, qui Paſtores ponit in Eccleſia ad regendam Dei Eccleſiam, iuxta illud Pauli, Act. 20. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Primus paracletus miſſus fuit Chriſtus: alius paracletus miſſus eſt Spiritus ſanctus: Filius à Patre Miſſus, Spiritus ſanctus à Patre & Filio, vt animabus ſanctitatem donet, Eccleſiam regat: ad quod habet, vt mox dicemus, ſignum in manu, eoquod omnis Eccleſiæ autoritas & ſanctitas tantum eis tribuitur, quos eligit, quos conſtituit, & ſuâ præſentiâ viuificat, & in quibus effectus vnctionis & dilectionis ſpiritus inueniuntur.

Dico quarto, omnis collectio Paſtorum, Epiſcoporum, Doctorum, Concionatorum, eorum etiam qui præcipuæ ſanctitate floruerunt, in hoc vno Angelo deſignantur: quia videlicet vnum tantùm corpus myſticum componunt & efficiunt, dicente S. Paulo Epheſ. 4. *Vnum corpus & Vnus ſpiritus: ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptiſma: vnus Deus & Pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* Etenim licèt diuerſæ ſint gratiæ, diuerſa ſint miniſteria, diuerſæ ſint operationes, idem tamen ſpiritus, idem Dominus, idem Deus qui operatur omnia in omnibus: vnde tot gratiæ, tot miniſtrationes, tot operationes vni tantùm corpori aſſignantur: quod quidem myſticum corpus, vno tantùm ſpiritu animatum, tunc potiſſimùm aſcendit ab ortu ſolis cum Chriſtus ſol iuſtitiæ mundo manifeſtari voluit, & ab omnibus credi eſſe mundi Redemptorem, cui data erat poteſtas in cœlo & in terra: dum aſcendit in cœlum, vt ſedeat ad dexteram Patris. Quicumque aliquâ à Deo autoritate datâ erit præditus, ad regendam Eccleſiam ordinatâ, quicumque per perfectam imitationem Chriſti crucifixi, diuinæ prouidentiæ inſeruiet, vt fidelium ſalus incrementum aliquod capiat, per hunc Angelum ſignificari poterit. Vnde ſi ſanctitatem quis autoritati aut poteſtati adiungat, certè dum autoritate ordinariâ, aut ſibi commiſſâ, dum verbo, dum exemplo, dum operationibus miraculoſis ſignum Dei viuentis in frontibus fidelium imprimere, id eſt, conformitatem vitæ, morti ac reſurrectioni Chriſti inducere conatur, optimo iure Angelus aſcendens ab ortu ſolis dici poterit. Sic ratione ſummæ autoritatis, per hunc Angelum potiſſimùm intelligere licet ſummum Pontificem, poſtea Epiſcopos. Ratione eminentis ſanctitatis, exiſtimamus S. Bonaventuram rectè aſſerere, in prologo vitæ S. Franciſci, hunc Angelum eſſe ſanctum Franciſcum. Sanctus enim Franciſcus ſignum Dei viui, puta crucis, prætulit, cum Chriſti crucifixi ſacra ſtigmata corpori ſuo cælitus impreſſa ſenſit, eaque viuus & mortuus in corpore eius ſeruata fuerunt.

Quin & eius aſſeclas per hunc Angelum ſignificari volunt, quia præ ſe ferunt ſignum pœnitentialis crucis, & habitum cruci conformem, vt omnes ad pœnitentiam & crucis amplexum excitent. Idipſum S. Bonauenturæ reuelatum eſſe ſcribit S. Bernardinus, to. 2. ſer. 60. in principio. Idem dicit Leo. 10. Pontifex & alij, quorum verba & ſententias citat Sedulius, in elogiis S. Franciſci, & Antonius Daca lib. de ſtigmatibus, vt refert hic Cornelius à Lapide, à quo hæc de S. Franciſco mutuatus ſum.

Dicò vltimò Angelum hunc poſſe deſignare Angelum Eccleſiæ tutelarem & protectorem, cui à Chriſto Domino immediatè reuelantur omnia, quæ pro Eccleſiæ regimine ſunt neceſſaria, quem eſſe exiſtimamus ſanctum Michaelem. Aſcendit ab ortu ſolis, eoquod ſtatim atque Verbi æterni notitia manifeſtata fuit Angelis, & ipſis reuelatum fuit myſterium incarnationis, Michael aſcendit, & inſurrexit contra Angelos rebelles, & ad hanc altiſſimam & ſublimem notitiam aſcendit & peruenit, vt ſciret certiſſimè Deo perfectiſſimè eſſe obediendum, ſuæque voluntati omnino obtemperandum: quia nihil in rebus creatis Deo comparari, aut aſſimilari poſſet: Quis vt Deus? dixit Michael: Quis in natura Deo ſimilis, vt omnimodam in res cunctas creatas dominationem prætendat, vt independentem & abſolutam poteſtatem in res creatas, Dei poteſtati conſimilem, ſibi arrogare audeat, quæ & amplitudine, & duratione, & firmitate Dei poteſtati coæquetur, iraut eam in æternum poſſideat? Certè vt quis hanc poteſtatem ſibi aliqua ratione tribuere valeat, oportet vt is ſit qui non rapinam arbitretur eſſe ſe æqualem Deo, & ſedere poſſit ad Dei dexteram, & habere poteſtatem abſolutam, & à quacumque independentem, in cœlo & in terra: & ideo nec Angeli, nec homines, aliquid tale ſibi arrogare poſſunt. Abeat igitur Lucifer, & in tartara detrahatur, qui ſuæ naturæ excellentiam rebus corporeis excellentiorem demiratus, ſeque initium viarum Domini, & primum inter Angelos, ſeu incorporeos ſpiritus agnoſcens, autoritatem ſibi arrogare attentauit ſupra cuncta ſibi inferiora, nec diſpoſitionibus diuinis ſe ſubmittere voluit; quibus decernitur perſonam diuinam aſſumere debere naturam, Angelorum naturæ inferiorem, quæ in ordine gratiæ ſibi eſſet præferenda. Quis, ô audax & arrogans ſpiritus, vt Deus? Eſto, tua natura excellentia quadam emineat ſupra cuncta creata, num Deo æquiparari poterit? Quis ſimilis Deo in filiis Dei? Putaſne eum cogi & adigi poſſe, vt velit inuitus eligere tuam naturam, quam ſublimiorem reddere velit, eam aduocando ad participationem excellentiæ ſuæ, & eminentis poteſtatis, per vnionem duarum naturarum, Angelicæ & diuinæ, in vna perſona? Si eius ſumma bonitas, vt liberaliùs, copioſiùs, & magnificentiùs ſuorum bonorum communicationem extendat, ad gloriæ ſuæ manifeſtationem, ſeligat naturam aliquam Angelicâ abiectiorem, an oculus tuus nequam eſt, vt torue & maligno intuitu adſpicias quod ipſe perficit, quia ſumme bonus eſt? Poteris ne eum à conceptis prohibere, ne quod ſemel concepit executioni demander? Certè ſi malitia tuæ voluntatis tanta eſt vt hoc exoptes, poteſtas tua nimium eſt limitata, vt hæc præſtare queas. Nam quis vt Deus? Quis poteſtati & voluntati eius reſiſtere poteſt? Sanctus Michael igitur aſcendit ab ortu ſolis, id eſt, ſtatim atque manifeſtata fuit per reuelationem incarnatio Angelis, & dictum eis vt adorarent vnigenitum Dei filium incarnatum, iuxta illud Pauli: *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei: & ad Angelos quidem dicit: qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & Miniſtros ſuos flammam ignis; ad filium autem: Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi.* Heb. 1. dum dixit: Quis vt Deus? Eſt ac ſi diceret. Nullus certe. Solus Chriſtus ſimilis eſt altiſſimo, propter dignitatem perſonæ quæ naturam nobis inferiorem aſſumere voluit. Hic ſolus inter res creatas eſt adorandus: Hic caput eſt Angelorũ & hominum, cuius caput eſt Deus à nullo dependens: ſummus in rebus creatis Hierarcha & princeps: illi nobis obtemperandum eſt. Deus, cui nullus ſimilis eſt, ita diſpoſuit, cuius voluntati noſtram ſubdere debemus: illius enim creaturæ ſumus. Habet etiam Michaël ſignum Dei viui. Primus enim inter Angelos ſignum edidit gratiæ diuinæ, in eo, & in aliis bonis Angelis exiſtentis. Gratia

enim nota eſt & ſignum Dei viui, quia eſt quædam participatio diuinitatis, qua perfectè ſpiritus creatus increato coniungitur: *Qui enim adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cum eo.* Huius gratiæ ſignum edit S. Michael, per effectum, per applicationem ſui intellectus, & per intentiones & determinationes voluntatis, quibus videtur potius adhæſiſſe iis, quæ ad Dei honorem ſpectabant, quam iis quæ ad ſui ſociorumque naturam aut dignitatem attinebant. Clamat Michael: *Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus:* Nam ab eo inſtanti quo Luciferum in tartara detruſit, eiuſque ſuperbiam conſiſit, vi & potentia veritatis, ſemper compeſcuit & repreſſit audaciam eorum, qui contra Dei honorem & gloriam aliquid attentare auſi fuerunt: v. g. cum dæmon optaret Moyſis corpus exponere ante oculos populi Iſraelitici, vt videlicet pedetentim eos alliceret ad aliquem cultum indebitum, & ſuperſtitioſum, quique potius idololatriam aliquam redoleret, quàm veri Dei cultum (valde enim hic populus ad idololatriam erat procliuis, vt videre eſt ex vitulis aureis, & aliis multis, quæ in ſcripturis continentur) Michael obſiſtit & hoc malum impediuit. Et ſicut in initio creationis rerum, in qua Verbum diuinum, per quod omnia facta ſunt, ſuæ potentiæ ſuique ſpecimen edidit, dicitur aſcendiſſe S. Michael, cum ad Luciferum clamauit: Quis vt Deus? Sic ſtatim atque notitia Chriſti crucifixi, per prædicationem Euangelij apparere incæpit, ecce Michael aſcendit vt ſit in auxilium populo Dei, & vt reprimat conatus dæmonum, qui impedire vellent effectus prædeſtinationis ſanctorum, cuius quidem auxilium euidentioribus effectibus innoteſcet, cum periculum ſubuerſionis maius erit, nempe in fine & conſummatione mundi. Nam *In tempore illo conſurget Michael princeps magnus, qui ſtat pro filiis populi tui.* Daniel. 12. De S. Michaële lege Fernandum, in primum Zachariæ, & Viegam in 12. Apocalypſis.

Aſcendentem ab ortu ſolis.

Quid intelligit S. Ioannes in his verbis, Ab ortu ſolis.

ANNOTAT. VII.

SI literæ ſolummodo adhæreamus, facile dicetur S. Ioannem vidiſſe à parte orientali, ſeu puncto in quo ſol conſiſtit, cum primum noſtrum hemiſphærium ſuis colluſtrat radiis, hunc Angelum corporali quadam ſpecie apparentem. Eſto talis ſit idæa, quæ oculis aut imaginationi beati Apoſtoli occurrit intuenda. Sed cum ſub omnibus his ſymbolis myſticos ſenſus eruere debeamus, & quid vnumquodque ſignificet inquirendum ſit, nec ad literam omnia ſint intelligenda, ne maieſtatem huius prophetiæ deprimamus, certè dicendum non abſque ratione hunc Angelum potius aſcendere ab ortu ſolis, quàm à parte meridonali aut ſeptentrionali. Significat igitur hîc ſolis ortus aliquid, vnde potius debuit ab ea parte quam ab alia aſcendere.

Dico igitur primò, ab ortu ſolis, idem eſſe ac ſi diceret, à ſole oriente, ſed quia ortus ſolis cauſa eſt cur Angelus aſcendat, ideo dicitur aſcendiſſe, non à ſole oriente, ſed ab ortu ſolis: ac ſi diceret S. Ioannes: Quæres à me cur ille Angelus aſcendat. Dico tibi: aſcendit propter ortum ſolis. Niſi enim oriretur ſol, nunquam aſcenderet talis Angelus. Hic ille eſt ortus de quo Iſaias loquitur: *Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui.* Quod exponens S. Hierony. ait: *ſuper te autem orietur Dominus ſol iuſtitiæ, & gloria eius in te videbitur, de qua ſcriptum eſt: Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. Et ambulabunt gentes in lumine tuo. Nos omnes ambulauimus in Apoſtolorum luce, quæ lucet in mundo, & tenebræ eam non comprehenderunt. Et reges, inquis, in ſplendore ortus tui: Quando primum in Chriſto nata es. Quod & ſpiritualiter impletur, & carnaliter, vt reges, quorum cor in manu Dei eſt, & quibus non regnat peccatum in mortali corpore, ambulent in ſplendore naſcentis Eccleſiæ, ſiue in eo qui ortus eſt in Eccleſia, & veri Regis Chriſti fidei colla ſubmittunt. Quod quotidie videmus expleri, quando idololatria errore ſublato, & perſecutionis rabie, ad fidem & tranquillitatem Chriſti, Romani Principes tranſeunt.* Ita Hierony. At quæſo, quis eſt ille qui ortus eſt in Eccleſia, niſi ille de quo Magi, ab oriente venientes, dicebant: *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?* Ad cuius luminis claritatem ſurgendum eſſe clamabat Iſa. c. 60. *Surge, illuminare, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt; quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur.* Habemus igitur ortum quemdam in Eccleſia, Dominum videlicet Chriſtum, ſolem iuſtitiæ; vt nihil abſurdi aſſeramus, ſi dixerimus eum ſolis ortum, ſeu ſolem orientem, eſſe Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui temporali ſuo ortu & natiuitate ſua, promeruit nobis Spiritus ſancti Miſſionem, & cætera bona & auxilia ſalutis, quæ per Angelum aſcendentem ſignificari diximus. Hic ille eſt oriens, de quo Zachariæ c. 3. *Et adducam ſeruum meum orientem;* Et c. 6. *Ecce vir: oriens nomen eius;* Et de quo alius Zacharias, Ioannis Baptiſtæ parens cecinit: *Per viſcera miſericordiæ; in quibus viſitauit nos oriens ex alto, illuminare, &c.* Luc 1.

At hic obſtat Ribera in Zachariam, dum hoc vocabulo, oriens, negat ſignificari ſolem orientem; à quo tamen habebimus Chriſtum à pluribus dici ortum ſolis, vt nihil abſoni aſſeramus, dum dicimus hic à Ioanne per ortum ſolis Chriſtum intelligi, vt Angelus ab ortu ſolis aſcendens ſit Angelus veniens à Chriſto miſſus qui eſt ſol oriens, aut ortus ſolis. Sed Ribera exiſtimat eos qui verbum hebraicum & græcum pro ſole oriente interpretati ſunt, hanc interpretationem poſuiſſe ex ignorantia linguæ hebraicæ, in qua vocabulum in textu hebraico poſitum, germen, non ſolem, aut orientem ſolem, aut ortum ſolis ſignificat. Si igitur etiam qui linguam hebraicam nouerunt, vocabulum hebraicum pro oriente ſole ſumpſerunt, probabile eſt illos optima quadam ratione ad hoc fuiſſe impulſos, quam mox adducemus. At ita eſt, vt linguæ hebraicæ periti de oriente ſole interpretati ſunt, quod eſſe demonſtro. Nam nemo inficias ire poterit S. Hieronymum hanc linguam caluiſſe: Hic autem licèt in Zachariam nihil de ſole aut claritate dixerit, tamen alibi, nempe in Iſaiæ c. 46. oriens illud pro claritate ſumit, hæc verba exponens: *Vocans ab oriente autem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ:* ait enim: *Ego ſum qui ab oriente voco autem, vt putant Hebræi Cyrum Regem Perſarum, ſiue Darium Medorum Principem: & de terra longinqua virum voluntatis meæ: qui expleat omnem voluntatem meam, contra Babylonem atque Chaldæos: ſiue, vt nos verum eſſe conuincimus, Dominum ſaluatorem: de quo & Balaam vaticinatur; orietur ſtella ex Iacob, & homo ex Iſrael, cuius nomen eſt oriens: quem adorauerunt Magi de oriente venientes.* Ita Hierony. At quæſo, quo in loco ſcripturæ vocatur Chriſtus oriens, niſi apud Zachariam cap. 6. Hoc autem nomen illi tribuit S. Hierony. quia iuxta Balaami Prophetiam, *orietur ſtella.* Oriens igitur dicitur ad mentem Hieronymi, non ſolum quia, vt ſurculus, germinat è terrâ, ſed quia vt ſol & lumen oritur ſupra nos, vt nos ſuo fulgore illuminet. Rurſus ſanctus Cyrillus vim vocabuli hebraici optimè nouit, cum in ſextum Zacha-

Digitized by Google

ita capit 20. 21. Nec vocabo eum ut Deum meum, & Deus meus erit mihi. Ergo, hoc promissum extenditur ad omnes, qui ex fidei sunt semine, Rom. 4. & 20. ut eos vocet Deum suum. Sed Christus Deus Pater noster est, ergo filii nostri sunt fratres Christi, & ejusdem hæreditatis participes. Quod si ita est, quomodo Christus Deus noster, & Pater noster, & Deus meus, & Pater meus? Quomodo Christus Deus noster, & Pater noster? Quia Deus Pater noster, & Deus meus, & Pater meus, Christus Deus Pater noster, & Deus meus, & Pater meus. Ita Paulus Ephes. 1. Benedictus sit Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi. Et Joannes 20. Vado ad Patrem meum, & Patrem vestrum, ad Deum meum, & Deum vestrum. Et paulo post: Nuntians Mariæ, quæ erat de Magdala. Vidi Dominum, & hæc dixit mihi. Ergo, Christus Deus noster, & Pater noster, & Deus meus, & Pater meus. Et Paulus Ephes. 5. Misericordiam & Pacem, non est Dominus noster, sed Mediator noster. Ideoque non habemus per fidei ortum aut per fidei meritum hæreditatem, sed per adoptionem & per hæreditatem in cælo hæreditatem cælestis, quæ non est Christi, sed nostra. Ita Paulus Rom. 8. Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Et paulo pallidius, per hoc vocabulum voluntatis & gratiæ, qui est testamenti promissi filiis nostris hæreditas delegatur: & commentum illud acceptilationis, quod Scotus, & Scotistæ excogitarunt, ad dignitatem perfectæ remissionis adhibuerunt, vi-detur esse ridiculum. Nam, si Christus Deus noster, & Pater noster, & remissor quidem est nostrorum peccatorum, non autem hæreditatem nostram, ut ipse, sed nostram hæreditatem nostram, quæ quidem in cælo est, & non in terra, & quæ non est Christi, sed nostra. Ita Paulus Rom. 8. Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Et Petrus 1. Pet. 1. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum multam misericordiam suam regenerauit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, conservatam in cælis in vobis. Ergo, hæreditas nostra non est Christi, sed nostra, & quidem in cælis conservata. Quare Christus non est hæres noster, sed remissor noster, & Deus noster, & Pater noster, & Deus meus, & Pater meus. Et quia Christus non est hæres noster, sed remissor noster, & Deus noster, & Pater noster, & Deus meus, & Pater meus, ideo Christus non est hæres noster, sed remissor noster, & Deus noster, & Pater noster, & Deus meus, & Pater meus, ut Deus & Pater noster, & Deus meus, & Pater meus, sit remissor noster, & non hæres noster, ut ipse, sed noster hæres noster, & Deus noster, & Pater noster, & Deus meus, & Pater meus, ut Deus & Pater noster, & Deus meus, & Pater meus, sit hæres noster, & non remissor noster, ut ipse. Et hæc est propria, & vera, & sola Christi hæreditas, quæ ipsi competit, & quæ ipsi debetur, & quæ ipsi est data, & quæ ipsi est promissa, & quæ ipsi est concessa, & quæ ipsi est tradita, & quæ ipsi est relicta, & quæ ipsi est testata, & quæ ipsi est ordinata, & quæ ipsi est confirmata, & quæ ipsi est sanctificata, & quæ ipsi est glorificata, & quæ ipsi est possessa, & quæ ipsi est obtenta, & quæ ipsi est adepta, & quæ ipsi est impetrata, & quæ ipsi est meritata, & quæ ipsi est comparata, & quæ ipsi est acquisita, & quæ ipsi est redempta, & quæ ipsi est liberata, & quæ ipsi est salvata, & quæ ipsi est vindicata, & quæ ipsi est defensata, & quæ ipsi est protecta, & quæ ipsi est tuta, & quæ ipsi est pacata, & quæ ipsi est reconciliata, & quæ ipsi est unita, & quæ ipsi est conjuncta, & quæ ipsi est sociata, & quæ ipsi est consociata, & quæ ipsi est communicata, & quæ ipsi est participata, & quæ ipsi est fœderata, & quæ ipsi est pacta, & quæ ipsi est stipulata

eſt vt Deus. Vnde ſtatim atque ſanctus Ioannes eum dixit oculis corporeis viſibilem, dum eum aſſerit carnem factum, tamen cum objicit in alia forma & ſpecie intuendum & agnoſcendum dum addit: *Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis.* Ille eſt, vt ait Iuſtinus Martyr Epiſt. ad Diognetem, *qui ab initio erat, qui nouus apparuit, inuentus & ſemper nouus, in ſanctorum cordibus naſcens, hic qui ſemper hodie Filius habitus, per quem Eccleſia ditatur, & gratia expanſa in ſanctis incrementum accipit, præbens mentem, patefaciens myſteria, gaudens ſuper fidelibus, quærentibus donans quibus limites fidei non perfringuntur, nec limites patrum tranſiliuntur.* Ita Iuſtinus.

Itaque ſi ei nomen imponendum ſit prout apparet, quæſo quodnam nomen conuenientius eſt vt celebrius commendetur? Illud ne erit quo ſignificetur apparuiſſe vt hominem, aut illud quo ſignificabitur Deum etiam apparuiſſe & hominem? Equidem magis videtur rationi conſonum, vt rationem habeamus in impoſitione nominis, altitudinis diuinitatis eius, quam abiectionis ſuæ humanitatis. Hæc fuit cauſa propter quam interpretes potius reſpexerunt ad generationem æternam, quàm ad temporalem, ſeu potius rationem habuerunt dignitatis perſonæ naſcentis, dum natus eſt homo, quam naturæ humanæ, in qua temporaliter oriebatur, qui ab æterno iam erat à Patre genitus; ſicque illum dixerunt eſſe ſolem orientem dum audiunt eus nomen eſſe oriens: *Ecce vir, oriens nomen eius*: vel eum orientem ex alto prædicari vident. Nam cum nomen exprimere debeat id, quod in re aliqua eſt excellentius; cum natura diuina ſit id quod in Chriſto excellentius eſt, cum oriens appellatur, potius reſpiciendum eſt ad id, quod illi conuenit ſecundum naturam diuinam, quàm ad id quod illi competit ſecundum naturam humanam: germen erit, ſed diuinum: oriens erit, ſed ex alto: orietur ſtella, non planta; ſol, non ſurculus. Hinc S. Hierony. Hebraicæ linguæ peritus, verba Iſa. c. 41. ponderans: *Quis*, inquit Iſaias, *ſuſcitauit ab oriente iuſtum, vocauit eum vt ſequeretur ſe?* Et rurſus: *Suſcitaui ab aquilone, & veniet ab ortu ſolis: vocabit nomen meum*, &c. verſ. 2. in primum verſiculum aiti: *Quis ſuſcitauit ab oriente iuſtum, ſiue iuſtitiam? Neque enim Iudæorum tantum Deus, ſed & gentium, qui vocauit Chriſtum Dominum Saluatorem*: & verſ. 25. exponens ait: *Suſcitabit autem ab aquilone: vt credant in eum qui venit ab ortu ſolis, de quo ſupra legimus? Quis ſuſcitauit ab oriente iuſtum, ſiue iuſtitiam? Et in alio loco: Ecce vir, oriens nomen eius.* Ita Hierony. Ex Hieronymo igitur habemus nomen ſaluatoris eſſe oriens, oriens dici, quia is eſt qui ab ortu ſolis; qui autem venit ab ortu ſolis eſſe iuſtum ab oriente, illum autem iuſtum ab oriente eſſe Saluatorem. Saluator igitur eſt is, qui non ſolum tanquam germen aut ſurculus oritur à terra, ſed tanquam ſol oriens oritur ex alto, vt illuminet omnes nationes. Adde quod nomen imponi debet, non ſolum ſecundum quod eſt in re excellentius, ſed etiam ex eo quod ei conuenire poteſt, in omni differentia temporis, & pro quouis etiam reſpectu: at id quod exprimitur per ſymbolum ſolis, & excellentius eſt, & Verbo conuenit pro qualibet temporis differentia, & pro quocumque reſpectu. Igitur nomen illi imponi debuit ex ſimilitudine ſolis orientis, potiùs quàm germinis. Probatur: generatio æterna ei competit ab æterno, & in æternum, vnde dicitur: *Ego hodie genui te*, in hoc die, nempe æternitatis, qui nec initium nec finem habet. At hæc generatio per ortum ſolis rite exprimitur, ex Maldonato in Lucam: ab ea igitur nomen illi imponi debuit, non autem à generatione temporali, quæ initium habuit: quæ poſtquam adimpleta eſt non remanſit: Natiuitas enim Chriſti ex Maria, actio fuit tranſitoria & temporalis, ideo aptius ſignificatur per germen, ſeu pullulationem plantæ aut arboris, quæ propria eſt ſignificatio germinis, ex Ribera, quam per ſolem, qui *exultauit vt gigas ad currendam viam*, à ſummo cœlo egrediens ſemper oriri dicitur, vt ſit aptiſſimum ſymbolum natiuitatis æternæ: de qua, vt iam diximus, ait Pater æternus: *Ego hodie genui te.* Itaut optime Chriſtus nuncupetur ſol oriens, & oriens ex alto. Verum equidem eſt Maldonatum arguere eos qui dixerunt Lucam 3. & 6. Zachariæ alluſiſſe, quia nomen ſignificans apud Hebræos ortum ſolis non reperitur apud Zachariam, ſed quod ſignificat ortum germinum in terra. Tamen audiamus ipſum dicentem Chriſtum ex Luca eſſe ſolem orientem, dum ait. *Itaque oriens non eſt participium, aut nomen adiectiuum, ſed ſubſtantiuum, ſicut ortus, quod maiorem mihi videtur emphaſim habere. Vocat enim Chriſtum tacitè ſolem vt Malach. 4. & Sap. 5. einſque ad nos aduentum, ſolis ortum: quemadmodum Iſa. 60. & Malach. 4. Quod autem addidit, ex alto, indicat quid inter Chriſtum ſolem noſtrum, & ſolem iſtum communem interſit: quod hic non ex alto, ſed ex terra, aut ex oceano, vt Poëtæ loqui ſolent, oriri videatur; Chriſtus verò ex alto, quia rectis quodammodo lineis, de cælo ad nos vſque deſcendit. Significat etiam Zacharias primam originem Chriſti, non ex terra, ſed ex cælo fuiſſe: quia non ex viro, ſed ex Spiritu ſancto conceptus fuerat, & non homo tantùm, ſed Deus & homo erat; Deus de cælo, homo de terra, id eſt, de vtero Virginis matris: ſic enim veteres autores interpretantur illud Pſ. 84. Veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de cælo proſpexit. Itaque cum dicit, ex alto, non modo ſoli iſti communi, ſed cæteris etiam hominibus, qui ex terra ſola, quoad corpus attinet, originem trahunt, tacite Chriſtum opponit; illuminare autem nos dicitur eius ortus, ſicut ſolis ortus hemiſphærium noſtrum illuminat; non ſolum propter doctrinam, quia viam ſalutis oſtendit (nam iſto quidem modo etiam Ioannes illuminauit, quia etſi ſol non erat, hic lux vera erat, erat tamen lucerna ardens & lucens) ſed multo magis etiam propter ſalutem ipſam, quam nobis attulit, & vitam omnium ſpiritualium donorum affluentia redundantem.* Ita Maldonat. Dicamus denique cum Origine in Ie. c. 60. *Vocauit eum de oriente, non de ſito ſenſibili, ſed de oriente lucis veræ. Propter quod ſcriptum eſt: Quis exurgere de oriente fecit iuſtitiam, & vocauit eam ad pedes ſuos? Pater vocauit filium, imo, vt verè dicamus, Deus vocauit hominem, iuſtitiam ad pedes ſuos, id eſt, incarnationem filij ſui.* Ita Origen. Et reuerà nomen, quod in ſua ſignificatione comprehendit id quod aliud nomen ſignificat, & inſuper aliquid aliud addit conueniens, ad ſignificandum meliùs rem ſignificatam, aptiùs & conuenientiùs imponitur quouis alio nomine: at tale eſt ortus ſolis, ſeu ſol oriens, ſeu oriens ex alto: hæc enim nomina ſignificant totum id, quod nomine germinis ſignificari poſſet, ſiue ſpecialiter ſumptum pro germinatione alicuius plantæ aut arboris, ſiue vniuerſim pro eo omni quod ſtatim atque producitur incipit, apparet & viſibile redditur. In ſole enim oriente eſt productio luminis, & viſibilis apparet, ſtatim atque egreditur vt gigas ad currendam viam, ex alio hemiſphærio, & inſuper ſignificare poteſt exiſtentiam alicuius rei, iam extra cauſam aut principium exiſtentis: quia ſol exiſtit antequam nobis appareat; & ſic ſignificare poteſt ortum illum dignißimum Chriſti, qui antequam homo appareret, iam vt Deus exiſtebat. Adde quod ſimilitudo lucis & ſplendoris, aptior eſt ad deſignandam rem incorruptibilem & puriſſimam, qualis eſt diuina natura in Chriſto, quàm germen, aut alia res corruptibilis producta. Hæc

by Google

fuſiùs differere neceſſe omnino fuit, ne corrueret omnino noſtra interpretatio, quæ in ortu ſolis ſolem orientem, & Chriſtum ſolem iuſtitiæ intelligit; ſed ſolidior videatur, & optimis fulta coniecturis & rationibus. Huius autem ortus bona & commoda Iſaias prædicit. c. 52. *Propter hoc ſcient populus meus nomen meum in die illa; quia ego ipſe qui loquebar, ecce adſum.* Quaſi diceret: Qui olim per Angelos & Prophetas loquebar, ecce ego, oriens ex alto, proprio ore loquar, & in auribus fidelibus Apoſtolorum meorum, quos mittam, ponam verba gratiſſima & vtilia: quàm enim pulchri ſunt ſuper montes, pedes annunciantis & prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis ſalutem, dicentis: Sion regnabit Dominus Deus tuus. Hoc præſtiti dum annunciaui pacem, hoc præſtabunt mei Apoſtoli: vox enim ſpeculatorum tuorum, qui à longe præuidere poterunt quæ ſaluti populorum erunt vtilia: leuabunt vocem ſuam, ſimul laudabunt. Videbunt quippe oculis, & intelligent illuminati, quæ aliorum oculis ſeu mentibus repræſentare & objicere debebunt: quia oculo ad oculum videbunt, cum conuerterit Dominus Sion, & dicent: Gaudete, & laudate ſimul, deſerta Ieruſalem, quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum: redemit Ieruſalem, parauit Dominus brachium ſanctum ſuum in oculis omnium gentium: & videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri. O ſol rutilans! ô lux gratiſſima oculis mentis noſtræ, ſuo ſplendore colluſtrans! ô oriens decorus, qui mentes irradians receptione ſui ſplendoris, nobis ingeret vim germinandi, creſcendi, producendi & multiplicandi: non ſolum quia bona opera, & laudabiles actus, multipliciter elicere, ſed quia plurimos ad Dei cultum etiam attrahere poterimus: nam ſicut ex ſolis influxu, terra vim recipit germinandi, & producendi plantas & arbores; pari ratione ſol ille myſticus cauſa eſt quatumlibet multiplicationum. Ex vnione cum diuinitate, obtinet humanitas Chriſti, vt plantæ & arbores in ea plantatæ & radicatæ per fidem & charitatem, recipiant etiam hanc germinandi & producendi virtutem. Sit ipſe igitur ſol oriens & ſtella matutina, nos radij illius ſplendore micantes, & ab eius influxu & concurſu omnino dependentes, & per eum, & in eo, & propter eum ſubſiſtentes: & quamuis nullus ei ſimilis eſſe poſſit inter filios Dei, vt pote Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero; conemur tamen vt boni filij eum imitari & ſequi, & de plenitudine eius accipientes, facere fructus dignos pœnitentiæ, nos & alios, quantum in nobis eſt, ad Dei cultum promouentes: ne conqueratur de nobis, ſi per vitia & peccata, nomen eius ſolis orientis blaſphemetur; ſicut olim conquerebatur de Iudæis in eodem capite Iſ. 52. *Et nunc, quid mihi eſt hic? dicit Dominus.* Quaſi dicat: Nihil ſeu nullum inuenio hîc, qui ad me pertineat, ſeu ad meum cultum ordinetur: *Quoniam ablatus eſt populus meus gratis. Dominatores eius,* nempe dæmones, *iniquè agunt, dicit Dominus, & iugiter tota die nomen meum blaſphematur.* Poſt ſplendidum illud lumen igitur ambulemus, vt in æterna claritate cum eo tandem conquieſcamus.

Habentem ſignum Dei viui.

Quodnam ſit ſignum Dei viui, quod ab Angelo aſcendente tenetur?

ANNOTAT. VIII.

Quænam ſit idea, ſeu viſio imaginaria illius ſigni, in manu Angeli? §. 1.

PROBABILE eſt S. Ioannem, in viſione imaginaria Angeli aſcendentis ab ortu ſolis, vidiſſe eum quaſi tenentem in manu quoddam ſigillum, in quo erat quædam figura exſculpta, quæ in fronte ſignandorum exprimenda erat: σφραγὶς ſiquidem ſecundum ſuam ſignificationem, ſignificat ſigillum, ſignum, annulum, quo ſigilla imprimuntur: cum igitur his dicitur ἔχοντα σφραγῖδα τοῦ ζῶντος, videtur geſtare in manu aliquod tale ſigillum, in quo eſſet aliqua figura inſculpta: & ex Lexico Roberti Conſtantini, habemus hoc nomen græcum ſumi etiam apud Herodotum pro ſymbolo & nota impreſſa; vnde apud eum autorem, terra Lemnia ſeu ſigillata vocatur σφραγὶς λημνία eoquod habitatores loci in quo reperitur, & à quibus componitur, figuram capræ in tera iſta inſculpebant. Igitur Angelus aſcendens habere dicitur ſignum Dei viui, vel quia figurâ hac erat ipſe notatus ac inſignitus, vt qui inſignia Dei viui geſtaret, tanquam eius miniſter & ſeruus; vel quia aliquod ſigillum teneret in manu, veluti Regni Chriſti Cancellarius, quo fideles conſignaret: quod videtur dicendum, quia eos conſignare debet, vt ipſe ait: *Donec ſignemus ſeruos Dei in frontibus eorum.*

Qualis autem figura idealiter eſſet in hoc ſigillo ſeu annullo exſculpta, nulla aptior occurrit quàm figura crucis: ſignum enim & nota Chriſtianiſmi eſt Crux: vnde ea inſigniri omnes gloriantur. *Conſidera,* inquit S. Chryſoſth. in Pſal. 109. *quantæ ſit potentiæ ſignum ipſa crux: Hæc enim crux antea erat mors exacerbanda, mors opprobrij & ignominiæ plena, mors omnium turpiſſima; ſed ecce nunc ipsâ vitâ euaſit honorabilior, & coronis ſplendidior, & omnes eam in fronte circumferimus: non ſolum non erubeſcentes, ſed ea etiam gloriantes: non enim ſolum priuati, ſed & ipſi qui ſunt diademate redimiti, eam potius geſtant quàm diadema: Et merito quidem. Eſt enim innumerabilibus diadematibus melior. Diadema enim ornat caput, Crux autem munit mentem; Ea dæmones vlciſcitur: ea diadema eſt, quod tollit morbos animæ: ea eſt armatura inuicta: ea eſt murus inexpugnabilis, ea eſt munimentum inſuperabile, qua non ſolum barbarorum irruptiones & incurſiones hoſtium, ſed etiam ipſorum immanium dæmonorum phalanges perrumpit* Ita Chry.

Non mirum igitur ſi hîc Angelus aſcendens, dæmones arcet à noxa: Signum tenet in manu, pro forti contra dæmones armatura, ad quos clamat: *Nolite nocere terræ, & mari neque arboribus.* In quo reperitur plenitudo fidei; fide autem fortes reſiſtere eis, exhortamur ab Apoſtolo; circuit quidem diabolus quærens quem deuoret, ſed ei reſiſtite fortes in fide; nullus autem fortior in fide, quàm qui plenitudinem fidei obtinet. At, inquit S. Ambroſ. l. 3, in 6. caput Lucæ, *Plenitudo fidei, crux Domini, obitus, ſepultura eſt.* Et poſt pauca: *Crux etiam electis ſcandalum poſſet afferre, ſed nullum hoc maius diuina perſonæ eſt teſtimonium; nihil eſt quod magis eſſe vltra humana videatur, quàm toto vnum ſe obtuliſſe pro mundo. Hoc vel ſolo plenè Dominus declaratur.* Ita Ambroſius; & rectè. In ſigillis ſuis Reges ſuam autoritatem & pleniſſimam potentiam deſignare volunt, vt qui literas his conſignatus viderit, cogatur ſtatim obedire & pare-

ctuale actu amori præſupponitur, quo ſit vt Spiritus A
ſanctus non procedat ſimilis in natura vi ſuæ pro-
ceſſionis, ſiue ſecundum formalitatem ſuæ proceſ-
ſionis. Cum igitur hic mentio fiat cuiuſdam ſigilli,
quod in ſe quaſi inſculptã habeat perfectam ſimili-
tudinem Dei viui, id eſt, in actum prodeuntis, ſe-
cundum propriam naturam intellectualem, ad Ver-
bum potius intuendum prouocamur, cum de ſimili-
tudine aut imagine agitur, quàm ad Spiritum ſan-
ctum. Verbum enim Patri eſt ſimillimum, non tan-
tùm ſecundum naturam, ſecundum quam Spiritus
ſanctus etiam Patri producenti & generanti ſimilis
eſt; ſed quia Patri ſimilis eſt viâ generationis, quæ
in ſe includit, ſeu infert in ſuo conceptu, ſeu in ſua
ratione, formalitatem imaginis & ſimilitudinis: quod B
de productione Spiritus ſancti dici non poteſt: Hinc
Filius, non Spiritus ſanctus, dicitur 2. ad Cor. 4. &
ad Coloſſ. c. 1. *Imago Dei*; & Heb. 1. *figura ſubſtantiæ*,
quaſi character ſeu imago inſculpta: inſculptum
ſignum, quo ad Patris notitiam aſcendere poſſumus,
ea ratione qua ex imagine in cera expreſſa ſigilli
notum agnoſcimus; & ſicut Verbum per reſpectum
ad Patrem, à quo genitus eſt, concipitur ad modum
alicuius ceræ, quæ ſuſcipiendo ſigillum diuinitatis à
Patre, omnimodè in ſubſtantia ſimilis eſt & æqualis
Patri; ita ſi illud ipſum Verbum conſideremus, in-
quantùm per Verbum, Pater nos ſuæ facit eſſe con-
ſortes naturæ, iuxta illud S. Petri 2. c. 1. *Per quem*
maxima & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt per hæc C
efficiamini diuinæ conſortes naturæ, ſigilli rationem in-
duit: in quo cum ſit imago Patris inſculpta abſolu-
tiſſimè, ſi ſemel in nobis & à nobis ſuſcipiatur, ad
imaginem & ſimilitudinem Dei efficimur, prout
creatura capax eſt imaginis & ſimilitudinis diuinæ,
prout ſuum auctorẽ analogicè repræſentare poteſt.
Hac de cauſa dicimur factos fuiſſe non imaginem,
ſed ad imaginem, propter diſproportionem, quæ
ineſt inter creaturam & creatorem. Si igitur petas
quodnam ſit ſignum quod tenet Angelus? Dico eſſe
Verbum diuinum, ſeipſum accommodantem ope-
rationi diuini amoris, & operationi ac miniſterio
ſuæ creaturæ: vt in nobis ſuam imprimat ſimilitudi-
nem, & ei ſimiles, quoad fieri poteſt, efficiamur. D
Nec iſtud videbitur Maieſtati eius repugnare, cum
audio S. Ioannem de Dei filio dicentem c. 6. *Hunc*
enim Pater ſignauit Deus: Pater eum ſignat: erit igitur
ſignum ſigillatum & inſculptum.

Sed vt melius intelligamus quænam ſint delinea-
tiones in hoc ſigno potiſſimum depictæ & inſculptæ,
ſciendum tria præcipuè eſſe attributa diuinitatis,
ad quæ cætera reducuntur: intellectualitas, Amor,
& omnipotentia. Secundum hæc tria, Verbum dici-
tur character & *figura ſubſtantiæ Patris, & imago boni-*
tatis illius: De quo Sap. 7. *Candor eſt lucis æternæ & ſpe-*
culum ſine macula Dei maieſtatis; Ecce ſimilitudo ſe-
cundum intellectualitatem; *& imago bonitatis illius*;
Ecce ſimilitudo ſecundum amorem; *& cum ſit vna,* E
omnia poteſt; Ecce ſimilitudo ſecundum omnipo-
tentiam; Addit Sapiens: *Et in ſe permanens, omnia in-*
nouat, & per nationes in animas ſanctas ſe tranſfert: amicos Dei & Prophetas conſtituit. Nihil clariùs, vt huius
ſigilli ſigillationem in nobis agnoſcamus. Ex eo au-
tem quod Filius, figura ſeu character eſt Patris, ſe-
cundum intellectionem, cum ſit terminus intelle-
ctionis paternæ; & ſecundum amorem, cum à Pa-
tre amorem eſſentialem recipit per ſuam genera-
tionem, vnde cum Patre ſanctum producit Spiritum
ſanctum, Richardus à S. Victore, ſanctuſque Bona-
uentura dixerunt Spiritum ſanctum non eſſe imagi-
nem Patris: nec enim vt Verbum procedit cum vir-
tute ſpirandi actiua ad intra: quam tamen rationem
S. Thomas non arbitratur ſufficientem, vt ex ea

conjiciamus Spiritum ſanctum non procedere tan-
quam imaginem Patris aut Filij. Quidquid ſit (non
eſt enim noſtri inſtituti hæc diligentius diſcutere)
dicimus tamen producere ad intra, dicere & inferre
quamdam rationem ſimilitudinis ad Patrem, quæ
Spiritui ſancto minimè conuenit: quod ſi proprie-
tas ſpirandi Spiritum ſanctum, in Filio non eſt ſe-
cundum omnem rationem ſimilis proprietati ſpiran-
di, quæ ineſt in Patre, (eſt enim hæc proprietas in
Patre, ſub ratione paternitatis; in filio autem, quia
filius eſt) hæc tamen proprietas ad Filium pertinet,
vt Filius eſt, quæ ſub eadem formalitate filiationis,
perſonæ Spiritus ſancti conuenire nequit: vnde alle-
rere poſſumus eſſe in Filio quamdam conuenientiam
aut ſimilitudinem, propter prioritatem originis; & B
quia producit Pater, producit Filius: quæ concipi
non poteſt in perſonali proprietate Spiritus ſancti:
ſatis eſt vt proprietas ſpirandi, quæ Filio communi-
catur, ſimilis ſit proprietati, quæ in Patre eſt, in eo
quod ſicut neceſſe eſt vt concipiamus Patrem, vt
Patrem, antequam concipere poſſimus productio-
nem Spiritus ſancti, ita etiam oportet vt concipia-
mus Filium, vt Filium, antequam eamdem Spiritus
ſancti productionem concipiamus. Equidem ve-
riſſimum eſt ſimilitudinem inter diuinas perſonas
non accipi ſecundum proprietates notionales: quo
ſit vt ſicut Filius verè imago eſt Patris, licet per re-
lationem filiationis, qua à Patre procedit, Patri ſi-
milis non ſit (nec enim Pater Filius eſt, nec per hanc C
relationem recipit virtutem generandi, quæ eſt apud
Patrẽ abſque vlla productione, propter quam virtu-
tem dici poteſſet Patri ſimillimus) pari ratione di-
cendum, quod licèt Spiritus ſanctus virtutem ſpi-
randi aut producendi (quæ eſt in Patre abſque pro-
ductione, & in Filio per generationem, qua ei diui-
nitas communicatur, talis qualis exiſtit & in ſe eſt)
non accipiat niſi iam terminatam aut expletam, ta-
men Spiritus ſanctus habet perfectiſſimam & omni-
bus modis abſolutiſſimam ſimilitudinem cum Patre
& Filio, ratione identitatis, & quia eiuſdem eſt
naturæ: itaut hæc ſimilitudo ſit naturalis. Denega-
ri tamen non poteſt, poſſe producere ad intra, quæ
virtus in Filio eſt per generationem, aliquam ad- D
mittere conuenientiam & ſimilitudinem cum vi &
virtute producendi, quæ apud Patrem eſt, quam non
habet aut ſeruat cum proprietate perſonali Spiritus
ſancti, quæ nullam admittit vim ſeu virtutem pro-
ducendi ad intra. Erit itaque Verbum imago Patris,
non tantum ſecundum attributum intellectualitatis,
ſed etiam ſecundum amorem; nam cum poſſit ſuum
amorem producere, vt Pater ſuum amorem produ-
cere poteſt, ſecundum hanc virtutem, ſeu hoc attri-
butum volendi & amandi, Patri erit ſimillimus; ſi
amorem hunc ſpectes, non vt eſt eſſentialis in Pa-
tre & Filio, & Spiritu ſancto; non vt iam in termi-
no & perſonalis in Spiritu ſancto, ſed vt quid pro-
prium cuicumque naturam diuinam poſſidet per E
prioritatem originis, id eſt antequam concipiamus
diuinam voluntatem terminatam amore perſonali.
Eſto intercedat quædam diſſimilitudo notionalis
inter Patrem & Filium, in modo habendi illam vo-
luntatem, quia in Patre eſt abſque generatione, aut
quauis productione; in Filio autem eſt per genera-
tionem; ineſt tamen ſimilitudo inter vtrumque,
Patrem nempe & Filium, in eo quod Pater & Fi-
lius habent hanc virtutem producendi amorem na-
turalem, per perfectam vnius eiuſdemque voluntã-
tis poſſeſſionem, quam voluntatem Spiritus ſanctus
reuera habet æqualiter, eſſentialiter, formaliter: at-
tamen ex poſſeſſione illius, virtutem producendi
non poſſidet: quia infirmitas voluntatis diuinæ ple-
niſſimè expletur per productionem eiuſdem amoris

Digitized by Google

infiniti ſeu Spiritus ſancti, qui eam voluntatem terminat, & reſpondet omnimodè infinitati principij producentis, & obiecti diuini amoris.

Et hic igitur clatum eſt Filium imaginem eſſe Patris, ſecundũ attributum amoris, ſicut eſt imago, ſecundum attributum intellectualitatis. Reſtat vt inquiramus qua ratione dici poſſit imago Patris, ſecundum attributum omnipotentiæ.

Hæc autem ſimilitudo ſumitur ex eo, quod ſicut Patri opera potentiæ tribuuntur, quia principium eſt actiuum & agens, ita executio aut adimpletio iſtorum Verbo tribuuntur, quia eſt veluti brachium, manus aut organum Patris, licèt vt Pater æquè dici debeat rerum principiũ: Vnde de eo dicitur Ioan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil:* & ſeipſum vocat principiũ: Ioan. c. 6. Nam quamuis opera ad extra æque propria ſint omnibus tribus perſonis, quin & Pater & Filius & Spiritus ſanctus, pro ſolo & vnico omnium rerum principio æque habeantur, vt reuera ſunt; quo fit vt particula (Per) nõ vſurpatur à S. Ioanne, vt excludat Filium à ratione cauſæ effectiuæ omnium rerum, quam in Patre agnoſcimus; vocabulum tamen (Manus) quæ eſt organum organorum, aut brachij, quod quidem eſt cuiuſdam poteſtatis Symbolum, Verbo tribuitur, ſecundum Auguſtinum, vt apud Prophetam Pſ. 70. *Donec annunciem brachium tuum generationi omni, quæ ventura eſt, potentiam tuam & iuſtitiam tuam, Deus, vſque in altiſſima, quæ feciſti magnalia: Deus qui ſimilis tibi?* Et Pſ. 135. *In manu potenti & brachio excelſo*; Et Pſ. 143. *Emitte manum tuam de alto. Ipſe Saluator*, ait Aug. in hunc Pſal. *corporis manus, Dei brachium Dominus Chriſtus: ac ſi ſcriptura Patrem nobis exhibere vellet ſub ſymbolo ſenis cuiuſdam ſapientiſſimi, de opere patrando apud ſe conſultantis: Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram; Spiritum ſanctum ad modum alicuius ponderis Patrem inclinantis, vt ſtatuat apud ſe res omnes extra ſe producere propter ſe: omnia enim propter ſemetipſum operatus eſt Dominus: veluti ſi amor quo Deus ſeipſum diligit, pondus eſſet aliquod, illum ad hanc conſultationem inclinans, & ad hoc vt velis & diligat aliquid extra ſe, qui in ſeipſo nullius boni indigens, ſatis ſuperque infinita potitur felicitate: amor namque pondus dicitur, vt vulgò dicitur, amor meus pondus meum.* Pari ratione Filius ſub ſymbolo manus aut brachij deſignatur, vt cogitemus quòd cum Deus determinat ſe ad rerum creationem & productionem, arte & ſapientia ſibi propria & connaturali vtitur, nullumque aliud exemplar, nullamque aliam rerum habeat ideam, quàm Verbum ſuum in ſinu paterno conquieſcens, nulliuſque alterius potentiam emendicat, propriâ contentus, qui Verbo ſuo ſolo poteſt omnia quæcumque vult, in cœlo, & in terra perficere: dixit enim & facta ſunt, mandauit & creata ſunt. *Nemo*, inquit S. Auguſt. in Pſ. 148. *dicit, nemo mandat, niſi Verbo: hac ratione cum Dauid ait Deum feciſſe, creaſſe, dicendo, mandando, omnia per Verbum ſignificauit facta fuiſſe.* Igitur quia omnia quæcumque Deus creat aut producit, ad ſui nominis gloriam perficiuntur, & prout voluit adimplentur, propriâ arte, propriâ ſapientiâ, ſuo verbo, ſuo dicto, quæ Filio appropriantur, licèt cum Patre ei Spiritu ſancto vnum & idem ſit, rerum omnium principium, hinc fit vt aſſeramus eum quamdam cum Patre ſeruare conuenientiam ſeu ſimilitudinem in rerum productione, & exercitio ſuæ omnipotentiæ, in quantum omnia Dei opera veſtigia ſunt quædam ſuæ magnitudinis, & effectus quibus excellentia & infinitæ perfectiones primæ cauſæ, à qua prodeunt repræſentantur: ſed præcipue in quantùm nos conſignando lumine vultus ſui, ad Dei imaginem & ſimilitudinem nos efficit & creat. Pater ſiquidem generat Filium ſibi ſimilem & conſubſtantialem, ſuamque imaginem. Dicendum itaque per Filium, qui eſt ars & ſapientia Patris, produci creaturas, veſtigia ſummæ Trinitatis; & ſpecialiter homines, ad imaginem & ſimilitudinem Dei. Eſt enim Filius omnium creaturarum idea & exemplar, cui quantò propiùs aſſimilamur, tantò perfectiùs Deo ſimiles efficimur, iuxta illud Apoſtoli ad Rom. 8. *Nam quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imagini filij tui:* Et vt vertit Syrus, apud Cornelium à Lapide, *Et à principio cognouit eos, & ipſos obſignauit in ſimilitudine filij ſui.*

Dicendum rurſus Verbum eſſe quoddam ſigillum, quod quidem Deus Pater omnipotens, quaſdam creaturas ad ſui ſimilitudinem efformare volens, aſſumit: vt eas hoc ſigillo conſignet, ad hoc exemplar illas formando & componendo: quo fit vt ratione omnipotentiæ cuncta creans ac producens, in Verbo aliquam cum Patre ſimilitudinem reperire poſſimus; nam cum eius amor eum impellit vt ſe communicet ad extra, cum tanta bonorum profuſione, vt aliquam creaturam ad ſuam ſimilitudinem producat, oportet omnino vt conformetur Verbo, qui eſt imago Patris; & vt perfectiones talis creaturæ, veluti quædam delineationes & configurationes ſecundum illud exemplar ducantur, & depingantur. In hoc enim exemplari, plena & perfecta reperitur cognitio Patris de ſeipſo, dum ſcilicet coæqualem & conſubſtantialem ſibi generunt Filium, qua cognitione ſui ipſius, qua Filium generat, optimè nouit quæ & quales creaturæ eſſe debeant, vt aliquam ſimilitudinem excellentiæ ſuæ præſe ferant: nihil quippe dicit Verbum, cum per Verbum producuntur & creantur, per quod omnia facta ſunt, quàm quod nouit Pater, vt neceſſarium & conueniens, vt ad ſuam ſimilitudinem efficiantur? Vno verbo dicam: Verbum diuinum, per quod omnia fiunt ad extra, exprimit in effectibus quos producit, id omne quod de Deo cognoſci poteſt, per effectus cauſam adumbrantes & repræſentantes, ſicut ad intra, vera & naturalis Patris eſt imago.

Sed his omiſſis, quæ videntur eſſe penitioris & & abſtruſioris cuiuſdam inquiſitionis, aliâ viâ poſſumus diſquirere qua ratione Filius ſigillum aut ſignum Dei viui dici poſſit, imaginem Patris in ſe quaſi inſculptam præ ſe ferens, ſecundum tria attributa intellectualitatis, voluntatis, & potentiæ, de quibus ſupra. Dicò igitur ex ſcripturis tria de Filio poſſe rectè prædicari, eo ipſo quo filius dicitur. Primum eſt quod ſimilis ſit Patri: ſecundũ, quod eum imitetur: tertium, quod hæres ſit bonorum Patris: ſub quo titulo poteſtatem habet in cœlo & in terra, & Ioannes de eo, iure optimo dixit: *Hunc enim Pater ſignauit Deus*; Noſque eum ſignum Dei viui nuncupamus.

De primo quod ſit ſimilis, iam de eo ſatis ſuperque dictum eſt. Et vt verum fateamur, eo ipſo quo aſſerimus Verbum incarnatum Filium eſſe naturalem Patris, ſtatim intelligimus eumdem eſſe imaginem Patris: nullus enim Filius, qui in natura Patri non ſit ſimillimus. Hinc quidam eum Λογὸν dici volunt, non ſolum quod hoc vocabulum, rationem ſonet; vnde docemur, quòd ſicut abſque aliqua paſſione ſeu alteratione, emanat ratio ab eſſentia animæ, & notitia ſeu cognitio ab eadem prodit ratione; quæ ratio in nobis penitiſſima eſt: pari ratione Filius procedit à Patre abſque vlla alteratione, Patrique penitiſſimus eſt in ſinu Patris conquieſcens; ſed etiam vocabulum, Λογὸς, definitionem ſonat, quo vocabulo intelligimus Verbum exprimere perfectiſſimè naturam Patris, ſicuti bona definitio quidquid in re eſt eſſentiale, exprimere & exhaurire debet. Tandem Filius Verbum etiam dicitur, id eſt notitia,

Digitized by Google

ſeu cognitio Patris, quæ Patrem refert ac dicit ſeipſum cognoſcentem, ad modum cognitionis noſtræ, rem quam intelligimus repræſentantis. Conuenit igitur Verbo, inquantũ Filius eſt, vt Patrem referat, eique ſimilis ſit: verum enim eſt quod de ſe affirmat Chriſtus, cum ait: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* Et hæc eſt vnctio ſingularis, qua inuncta eſt humanitas Saluatoris, vt in ea ſubſtantialiter diuinitas Filij inhabitare aſſeratur, huncque hominem eſſe verum filium Dei naturalem dicere poſſimus.

Quantum ad ſecundum, Filio, vt Filius eſt, conuenit vt Patrem imitetur: imitatio autem in hoc conſiſtit, vt velit & operetur quidquid Pater vult aut facit, ad eumdem tendere finem, eadem intentione ferri, eaſdem perficere actiones. Quid vero vult Pater æternus? Vt ſummè bonus ſuam vult communicare bonitatem: vt ſumme miſericors, hominum deſiderat ſalutem. Vt ſapientiſſimus & potentiſſimus, vt ſeipſum perfectiſſimè communicare valeat, omnia perficit quæ homines ad ſuam cognitionem allicere poſſunt: eos itaque illuminat, in eis gratiam infundit, qua eos tandem ad beatitudinem perducit, corpora viuificans, & à morte ſuſcitans: vt cum animabus beatitudine perfruantur. Ille eſt nempe qui Pater luminum dicitur, à quo omne bonum; ille eſt *qui prædeſtinauit nos, in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo.* Epheſ. c. 1. Ille eſt tandem de quo Epheſ. 2. *Deus autem qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos; & cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Chriſto, cuius gratia eſtis ſaluati, & conreſuſcitauit, & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto Ieſu: vt oſtenderet in ſeculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ, in bonitate ſuper nos in Chriſto Ieſu.* Denique Ille eſt, cuius ope, & auxilio, opera meritoria vitæ æternæ elicimus: vnde addit Apoſtolus: *ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus.* Hæc ſunt diuina opera Patris omnipotentis, maiori creatione admiratione digna: opera ſiquidem hæc ſuperioris ſunt ordinis; à longe, opera naturæ, quamuis excellentiſſima, ſuperantis: ſunt enim opera gratiæ & gloriæ: qua de cauſa Chriſtus Dominus antonomaſticè fidem opus Dei appellat. *Quid faciemus,* inquiebant Capharnaitæ, *vt operemur opera Dei? Hoc,* ait Chriſtus, *eſt opus Dei, vt credatis in illum quem miſit ille.* Nunc nonne verum eſt, Verbum incarnatum nullam habere voluntatem, à Patre ne minimum quidem diſcrepantem, imo ipſi in omnibus conſentientem, particeps conſiliorum, intentionum Patris? Nonne quod facit Pater, & ipſe ſimiliter facit? *Cibus meus eſt vt faciam voluntatem Patris,* inquit; viuere aut mori paratus, iuxta diſpoſitionem paternæ voluntatis: *ſi poſſibile eſt, tranſfer calicem iſtum à me,* dicebat ipſe orans, *verumtamen non mea ſed tua voluntas fiat:* Nihil niſi quæ placita ſunt Patri, operatur. *Omnia,* inquit, *quæ placita ſunt ei facio ſemper.* At non ſolum voluntate, Patri eſt coniunctiſſimus; ſed etiam in operibus illum imitatur. Audi Dominum dicentem Ioan. 5. *Amen, amen dico vobis: non poteſt filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille facit, hæc & Filius ſimiliter facit. Pater enim diligit Filium, & omnia demonſtrat ei quæ ipſe facit, & maiora his demonſtrabit opera: vt vos miremini. Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos, & viuificat, ſic & Filius quos vult viuificat.* Idcirco quia in operibus ſuis imitatur Patrem, admonebat nos conjicere ipſum eſſe vere filium Dei. *Opera,* inquit, *quæ dedit mihi Pater, vt perficiam: ea ipſa opera quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me: quia Pater miſit me.* Quæ quidem imitatio intelligenda eſt ratione humanitatis; nec enim Filius ſecundum diuinitatem æmulator aut imitator eſt Patris. Cum igitur dicimus: quæcumque ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit, ſi de diuinitate ſit ſermo, illud non intelligitur ac ſi diceremus Filium, vt Patrem imitetur, facere id omne; quod videt Patrem facientem aut operantem; ac ſi Pater vnam eliceret actionem, ad cuius exemplar ſeu imitationem, aliam Filius produceret; ſed hæc verba intelligi debent, quia quidquid facit Filius, hoc idem à Patre fieri, & deſiderari ſeu eligi: in hoc enim loco, particula (ſimiliter) non importat imitationem, ſed quandam vnitatem naturæ, voluntatis conſenſionem, & conſpirationem, actionis identitatem: itaut ſimiliter facere, idem ſit ac agere, aut facere eademmet voluntate, eadem poteſtate: eadem autem voluntate, arte, & induſtria vti, in actione aliqua producenda, dicit eminenter quidquid poteſt eſſe perfectionis in vera imitatione. Si autem hunc locum intelligamus de humanitate, ex eo quod ibi dicitur: *Pater enim diligit Filium, & omnia demonſtrat ei quæ ipſe facit*; Hac formula loquendi docemur amorem Patris erga Filium, cauſam eſſe propter quam Pater Filio ſuo communicat opera: quod de humanitate dici poteſt, non de diuinitate: nam ſi Pater Filio, vt Deus eſt, ſua demonſtrat opera, hoc fit non per voluntatem ſeu amorem, ſed per intellectum ſeu generationem. At vt Chriſtus ſeu Filius homo eſt, amor eſt cauſa omnium quæ humanitati communicantur; ſicque Filius, vt homo eſt, imitatur Patrem in operibus quæ facit, quæ ei dantur vt ea faciat, ad ſuam miſſionem & æqualitatem perſonæ diuinæ Filij, cum perſona Patris, demonſtrandam. Vt igitur proprium Dei eſt viuificare & mortificare, ſimiliter & Filius quos vult viuificat, quos vult condemnat, quos vult abſoluit. Itaque cum ait: *Quæcumque ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit*; Idem eſt ac ſi diceret: Perficiam, per meam humanitatem, opera adeo conformia, & ſimilia his operibus quæ à ſolo Deo perfici poſſunt, vt nullus erit locus in dubium reuocandi meam diuinitatem, ſeu me eſſe Deum. Proprium Dei eſt, eſſe dare rebus, tale quale vult; proprium illius eſt ſuſcitare & reuocare in vitam, quæ mortua ſunt: ego rerum commutabo naturas, aquam in vinum mutando; ego mortuos ſuſcitabo, vt auctor vitæ, & Dominus vitæ & necis: Dei proprium eſt iudicare; ego iudicabo omnes nationes: omne enim iudicium mihi datur, vt omnes honorificent Filium, ſicut honorificant & Patrem: quod quidem reuera præſtabitur, cum ego apparebo iudex, in conſpectu omnium Angelorum & hominum, in humanitate mea. Nam optimè conjici poteſt humanitati diuinitatem eſſe coniunctam; cum pura creatura hanc autoritatem iudicandi, abſolutè, & abſque recurſu ad alium iudicem, ſibi arrogare non auderet: vltimam enim ſententiam ferre proprium Dei eſt, qui auctor eſt omnium.

Quantum ad tertium: Filio, vt Filius eſt, conuenit quod ſit hæres. Vnde nanciſcitur poteſtatem omnimodam: hoc expreſsè aſſeritur Heb. 1. *Locutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum,* κληρονόμον, hæredem, conſortem, poſſeſſorem. Vt Deus eſt, gignitur hæres & Dominus omnium: vt homo eſt, conſtituitur, id eſt, ratione vnionis hypoſtaticæ, ius habet in hæreditatem paternam, vt eadem ſorte cum Patre gaudeat, particeps & conſors eiuſdem ſortis, prærogatiuæ, beatitudinis, gloriæ, dominationis. Primus & præcipuus hæres, itaut nullus hæreditatis partem ſibi vſurpare valeat, niſi per Filium naturalem gratiam recipiat filiationis adoptiuæ. Hinc illi conceditur aſſerere, ſibi licitum eſſe operari, nullo habitu reſpectu temporis, cum Filius hominis ſit etiam Dominus Sabbati: nec

266

enim Pater ceſſat ab opere in die Sabbati : nam quamuis noua rerum genera minimè producat, tamen terram germinare facit, arbores pullulare, *ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos*, abſq; diei, aut temporis delectu. Pari ratione, nec Filius habere rationē temporis adſtringitur in ſua operatione. *Pater*, inquit, *vſque modo operatur, & ego operor.* Hinc rurſus illius dominatio nullis coarctatur limitibus : Data eſt ei poteſtas in cœlo, & in terra : Hinc nullus à ſua dominatione excipitur. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Etenim hæres eſt, non ſolùm quia talis genitus eſt à Patre, vt ſit rerum omnium Dominus, ſed etiam quia conſtitutus eſt hæres in ſua humanitate : omnia igitur illi data ſunt à Patre, ſi ſolam excipias paternitatem : *Præter innaſcendi proprietatem*; inquit Damaſc. l. de fide c. 9. Nam Pater totam ſuam entitatem communicat Filio, ſed non totaliter ſecundum omnem modum : quia non communicat illam, modo relatiuè oppoſito filiationi. Vt Filius naturalis hæres eſt omnium, omnium eſt Dominus, ſiue ratione poteſtatis excellentiæ, & ſupremæ dominationis, quæ humanitati data fuit in omnem creaturam, id eſt in omnia bona, de quibus Deus propriè dicitur Dominus, nempe cuncta bona externa, & quæ extra Deum, eorum cauſam, aliquam habent exiſtentiam, nec enim propriè dicitur Dominus bonorum internorum, ſeu quæ ſunt intra Deum ipſum ; ſiue ratione communicationis diuinitatis. Etenim ad explicandam faciliùs diſtinctionem diuinarum perſonarum, quæ vnam & eandem habent formaliter diuinitatem, eminenter omnia bona continentem, vtimur vocabulo dandi & recipiendi : tres enim perſonas aſſerere oportet, nihil dementes de vnitate ; vnum & ſolum Deum dicere, abſque Trinitatis perſonarum confuſione, eaſque proclamare realiter diſtinctas, abſque præludicio identitatis.

In his tribus modis, ſimilitudinis, imitationis, & adipiſcendæ hæreditatis, dicere licet : *Hunc Pater ſignauit Deus.* Nam cum ſigillum ſimilitudinem alicuius rei impreſſam habere debeat, hic Filius ſimilitudinem Patris gerit perfectiſſimam. Secundò, eius voluntates & actiones abſolutiſſimè redolent & imitantur bonitatem, ſapientiam, & æquitatem, ſeu iuſtitiam Patris. Tertiò denique, quia ſicut Principes ſigillis ſuis muniunt & conſignant literas, vt authenticæ habeantur, eiſque fides adhibeatur, ita Filius ſuam miſſionem à Patre teſtari & demonſtrare volens, de omnibus rebus creatis vtitur prout vult, vt pote qui in eas poteſtatem habeat, tanquam rerum omnium hæres & Dominus ſupremus.

Ex his ita deductis, clarè perſpicitur ſignum Dei viui propriè & perfectiſſime ad Dei Filium pertinere, qui ſolus eſt vera & perfecta imago, & ſimilitudo Patris, qui ſolus eum adæquatè poteſt repræſentare, Patri in bonitate, ſapientia, æquitate, ſanctitate & potentia æqualis, & nomen obtinet quod eſt ſupra omne nomen, quod puræ creaturæ tribui non poteſt. Homo etenim, vt diximus, iam non eſt imago Dei, ſed ad imaginem factus : nec enim habet ſimilitudinem cum Deo quaſi ſpecificam, nec Deum repræſentat prout in ſe eſt, ſed tantùm ſecundum aliquam proportionem, & analogicam imitationem. Bene itaque Ambroſius in hunc locum : *ſignum Dei viui eſt Chriſti diuinitas : nam in carne poſitus ſignum Dei viui habuit, quia ea opera geſſit, quæ demonſtrebant eum vnicum eſſe filium Dei, ſicut ipſe dicit : Opera quæ ego facio ipſa teſtimonium perhibent de me.* Nunc antequam videamus modum, quo participamus tot tantiſque bonis, per conformitatem ad filium, & quo ſuſceptionis & impreſſionis tam nobilis ſigilli capaces & idonei reddimus, audire debemus Angelum tam nobile ſignum tenentem, prohibentem dæmonas ne impediant noſtram conſignationem ; & qua ratione, ſeu quomodo illo ſigno vtitur ad iſtam conſignationem, videndum eſt & diſquirendum.

Nolite nocere terra & mari, neque arboribus.

Quæ mala arceat per hanc prohibitionem Angelus, ſignum Dei viui tenens.

ANNOTAT. IX.

ARBITRATVR Cornelius à Lapide nocumenta, quæ poſſent cauſari ab his Angelis, qui nocendi habent poteſtatem, eſſe ſi venti, de quibus ſupra, laxarentur. Itaque interpretatur : *Nolite nocere ; laxando*, inquit, *ſcilicet ventos* : Nocumenta autem, quæ ex laxatione ventorum cenſet cauſari, eſſe quæ ex procellis, tempeſtatibus, nimbis, flatu validiſſimo & vehementiſſimo ventorum proueniunt, tam in mari quàm in terra.

Andreas Cæſarienſis videtur interpretari de quibuſdam effectibus, qui terræ, v. g. ſi ſterilis reddatur, ſi motibus inſolitis quatiatur ; Mari, per procellas & tempeſtates ; & arboribus, ſi eradicentur ex vehementia ventorum, euenire poſſunt : quibus malis indirectè tangerentur mortales. Ait enim : *Creatura noſtri cauſa facta eſt : nobis caſtigatis, vnà nobiſcum plagarum particeps efficitur : quemadmodum è diuerſo, ſanctis ad gloriam euectis, ipſa quoque ſimul cum illis lætabitur, & ſuo etiam modo glorificabitur. Dicimus autem hinc virtute quoque ornatos Angelorum præſidio egere, quo nimirum aduerſus graviores tentationes firmentur, & corroborentur.* Hæc Andr.

Ambroſius dicit per hanc prohibitionem Angeli, à noxa malos compeſcentis, impediri infeſtationem generis humani, per bella quibus Romani infeſtabant orbem : vt fieret pax per vniuerſum mundum in aduentu Chriſti, quem dicit eſſe Angelum clamantem : *Nolite nocere terræ & mari : Clamaſſe Dei*, inquit, *feciſſe dicitur. Etenim aduentu ſuo fecit vt Romani ab infeſtatione generis humani ceſſarent, fieretque pax per vniuerſum orbem.*

Nos, antequam mentem noſtram aperiamus, dicimus in memoriam eſſe reuocandum quæ ſupra diximus, alios eſſe Angelos qui nocendi habent poteſtatem, ab his qui in quatuor tetræ angulis collocantur. Hos enim bonos, eſſe exiſtimamus Regnorum & Imperiorum ſapientiſſimos moderatores ; illos nocuos mali ſunt Angeli, qui bonis obſiſtunt, & ad nocendum ſunt paratiſſimi, niſi prohiberentur : eoſque exiſtimamus eſſe eoſdem cum quatuor malignis ſpiritibus, de quibus dicetur c. 9. *Solue quatuor Angelos, qui alligati ſunt in flumine magno Euphrate : Et ſoluti ſunt quatuor Angeli, qui parati erant in horam & diem, & menſem & annum, vt occiderent tertiam partem hominum.* Nec enim in tota hac Prophetia ſeu reuelatione, reperiri poteſt aliquis locus, ex quo conjicere poſſimus tempus, in quo iſti quatuor Angeli, ad nocendum accincti, ligati fuerint : niſi dicamus prohibitionem nocendi, quæ hic fit ab Angelo aſcendente ab ortu ſolis, id eſſe quo ligantur & impediantur, ne malum quod cauſare percupiunt opere compleant : quæ prohibitio, cum totaliter ordinetur ad bonum electorum, eatenus vim habet, quatenus hæc mala aliquomodo impedirent effectus prædeſtinationis in electis : nam vbi per hæc mala nihil nocumenti electi paſſuri ſunt, in executione mediorum, quibus certo certiùs infallibili quadam ratione ſalutem ſuam adepturi ſunt, tunc poterant ſolui quatuor Angeli ligati, & ventos con-

Digitized by Google

citare, id eſt principes incitare, vt ſe erigant aduerſus Chriſti imperium, vt ſe ſubducant ab obedientia mandatorum Dei & Eccleſiæ, vt Paſtorum autoritatem conculcent, & à fide recta etiam deficiant, regnumque Sathanæ è contra ſtabilire conentur, iniquarum legum promulgatione, adulationibus, falſis promiſſis, comminationibus, tormentis, cunctos ad ſe allicere conantes; quæ mala impediebantur, dum venti cohibiti erant à flatu, & quatuor peruerſi Angeli ligati tenebantur in fluuio magno Euphrate, quem de iuſtitia Chriſtiana omnia mala propulſante ſumus interpretaturi. His præſuppoſitis.

Dico mala quæ impediuntur per hanc prohibitionem: *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus*, B eſſe quatuor deprauatos affectus, ad quos dæmones, principes & poteſtates ſeculi impellunt & concitant, quantum in ſe eſt; quibus deprauatis affectibus impulſi aliquid agunt, ſua poteſtate abutentes, quo erectio regni viſibilis Chriſti in terris, eius promotio, pax & tranquillitas retardetur, impediatur, aut ſaltem perturbetur. Primus eſt cordis quædam peruerſitas, qua inſenſibilitas quædam & ſtupiditas in animis eorum ac mentibus ingeritur: vt dependentiam, qua cuncta creata à Deo dependent, non ſentiant aut agnoſcant: exiſtimant dominationem ſe poſſidere abſolutiſſimam, & liberam à quacumq; autoritate, nemini ſibi eſſe obtemperandum, qua peruerſitate ducti, quòd ſe pluſquam Deum diligant, ſibi perſuadent non poſſunt ſuam autoritatem ad id ordinari, vt inſeruiat promotioni cultus diuini, aut boni publici, & præcipuè illius quo ſalus æterna obtinetur: imo potius exiſtimant omnem ſuam poteſtatem expendendam & inſumēdam eſſe, vt diuites, potentes, glorioſi, & aliis terribiles & metuendi appareant? Secundus animi impulſus inordinatus & deprauatus, ad quem dæmones impellunt, eſt certa quædam mentis diſſolutio, qua laxis habenis, ad quælibet perpetranda, quantumuis illicita & turpia, prorumpunt: de quibus dicitur Prouerb. 1. *Pedes illorum ad malum currunt, & feſtinant vt effundant ſanguinem*: Quibus omnia licita eſſe exiſtimantur, ſi poſſibilia exiſtunt; quo fit vt alios D ſuo exemplo ad malum prouocent, ac cuiuſlibet nequitiæ aut malitiæ ſint autores. Tertius animi deprauatus affectus eſt, vt non ſolùm mala agere non pertimeſcant, non ſolùm alios ad malum prouocare velint: quin etiam alios ad malum cogere deſiderant, leges condendo, mores & conſuetudines pietati aduerſas ac repugnantes inducentes. Denique vltimus effectus inordinatus, ad quem à dæmone impelluntur, eſt vt ſubditos compellant iniquis legibus obtemperare, adulationibus, promiſſis, minis, vexationibus, exiliis, ſuppliciis, cædibus. His actionibus principes, Anti-Chriſti ſunt prodromi ſeu præcurſores: ſigna enim gerunt animæ reprobatæ, numerum beſtiæ portant, dum errore & mendacio E ſeducti, iugum excutiunt debitæ ſubiectionis, & dependentiæ à Deo, rerum omnium autore & moderatore: characterem beſtiæ in manu, & fronte impreſſum portant, dum viuere ad libitum deſiderant: nec vllis iuſtitiæ finibus continentur, ſed fortitudinem ſuam pro lege iuſtitiæ ſibi præſcribunt: licitum eſt, quia poſſibile: impunè omnia mala ſe perpetrare poſſe arbitrantes, leges condere, & mores inducere corruptos: quibus ſubditi à pietate & timore Dei ſubtrahantur. Hoc eſt imaginem beſtiæ portare. At dum vi ac violentiâ, induſtriâ, cruciatibus, ac tormentis, ad earum legum obſeruationem cogunt, nomen beſtiæ ſibi acquirunt, & haberi debent vt animæ quarum ſalus proclamata eſt, & omnino deſperata, adeo ſunt peruerſæ & in malo obduratæ. A His enim actibus poſſunt Principes regnum Chriſti impugnare, dum videlicet per ſuperbiam independentes eſſe, ad libitum viuere, leges iniquas & malos mores inducere volunt, & violentia ac credulitate ad eas obſeruandas compellunt. Cum autem boni Angeli dæmones impediunt ne errore ſeducant Principes, eis rectam inſpirantes fidem, qua ſcire poſſint ſceptra à Dei voluntate dependere, & iuxta ſuam voluntatem de eiſdem facere & diſponere prout vult, vt agnouit olim poſt humiliationem Nabuchodonoſor, Daniel. 4. *Facit tam in Virtutibus cæli, quàm in habitatoribus terra; & non eſt qui reſiſtat manui eius, & dicat ei: Quare feciſti?* Cum eos impediunt ne Principes propulſent ad actus iniuſtitiæ, diſſolutionis morum, & nequitiæ, quibus alios poſſent prouocare ad peccandum; ne per ſuggeſtionem dæmonum Principes leges faciant pietati contrarias, licèt fide & moribus corrupti, permittentes ſubditos verum ſequi, & pietatis opera exercere; denique impediunt ne perſecutionibus ac ſuppliciis iuſtos à recta fidei & pietatis ſemita abſtrahant, tunc clamant voce forti & grandi, *Nolite nocere terræ & mari neque arboribus.*

At cum Prælati, qui de teſtimoniis Dei loquuntur in conſpectu Regum, & non confunduntur, quique ad modum Pauli à Deo deputantur, vt portent nomen eius coram gentibus & Regibus, Spiritu ſancto pleni, bonorum Angelorum illuminatione corroborati, hæc Dei teſtimonia intrepido & conſtanti animo C inculcant, & in omni patientia & doctrina obſecrant, arguunt, increpant principes, rectam fidem eis annunciantes, à corruptione morum eos auertentes, legibus iniuſtis fortiter obſiſtentes, vt olim fecerunt SS. Baſilius, Ambroſius: Staniſlaus, mores deprauatos Boleſlai, regis Poloniæ audacter redarguens, & S. Thomas Cantuarienſis, legibus dignitati Eccleſiaſticæ repugnantes ſeſe opponens; Denique vitam pro tuenda iuſtitia ac pietate, ac religione promouenda libenter offerentes; abſque vllo mortis, autoritate ſibi diuinitus datâ, principes excommunicationibus ſubiacentes, & anathemate ferientes, dum regnū Chriſti euellere aut euertere conantur; tunc verè Angelus clamat dæmonibus: *Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, &c.* His enim actibus, diuino freti auxilio, repellunt ea quæ dæmones perficere vellent, tanquam per idonea inſtrumenta, per malos & impios principes, autoritate & poteſtate ſibi datâ abutentes.

Quoadusque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum.

Qua ratione Angelus ſigno iſto mirabili vtitur, ad nos conſignandos in fronte.

ANNOTAT. X.

QVÆRITVR, inquit Ribera, *an ſenſibilis futura ſit hæc ſignatio.* Profecto non aliena aut inepta erit expoſitio, ſi ſenſibilem futurā eſſe dicamus, vt ſit ſenſus: Oportet vt antequam homines pereant, prædeſtinati ad vitam æternam baptizentur, & ſigno crucis muniantur: quod fieri ſolet in baptiſmo. Cum dicit igitur Angelus: *Quoadusque ſignemus: alludit*, inquit Cornelius, *ad ſeruos ſiue mancipia, quæ olim ab hero, ſtigmate fronti inuſto, æquè ac pecora notabantur: vt ſi fugerent, cuius Domini eſſent cognoſceretur:* Vel potius alludit ad ſanguinem agni Paſchalis, quo ſignabantur domus Hebræorum, ne percuterentur ab Angelo cædente; vel ad titulum tiaræ Pontificis, ſanctum Domino; vt ex eo, quaſi ſigno, cognoſceretur quod eſſe Pontifex Dei ſancti; Deinde ad

Digitized by Google

ſignum Tau, quo ſignati ſunt gementes in Ieruſalem, Ezechiel. 9. Vnde ſignum conjicitur fuiſſe ſignum crucis, quo omnes ſignari debent, quia nemo à morte æterna liberari poteſt, niſi virtute crucis Chriſti, & niſi hoc ſigno crucis inſigniatur. Denique ad id quod dicitur Eſdræ l. 4. c. 2. *Surgite & ſtate, & videte numerum ſignatorum in conuiuio Domini.* Vox, ſignemus, tacitè continet mandatum, quo iubet hic Angelus aliis, vt ſecum ſignent ſeruos Dei. Vnde Arabicus vertit, *Donec ſignetis ſeruos Dei ſuper frontes eorum. Signabunt ergo*, inquit Cornelius, *Angeli in fine mundi electos ſigno crucis: primò, per ſacerdotes, ſigno crucis, in Baptiſmo & Confirmatione, viſibiliter eos conſignando; ſecundò, ſpiritualiter, inducendo, & exhortando eos per ſe, & per præcones Euangelij, ad liberam & publicam, & conſtantem fidei & crucis Chriſti, coram Anti-Chriſtianis, aliiſque eius hoſtibus, profeſſionem vſque ad mortem.*

Et ſignemus, inquit Ribera, *dictum eſt: ſignari faciamus; quod facturi ſunt Angeli, Doctores Euangelij idoneos mouendo ad docendum, & ipſos homines ad fidem intus exhortando. Et quoniam hoc facturus eſt Angelus aſcendens ab ortu ſolis, vt homines cruce ſignentur, dicitur habere ſignum ſiue ſigillum Dei viui, quod ſignum crucis eſt, vt etiam Andreas eſt interpretatus.* Hæc Ribera.

Dionyſ. Carthuſ. *Quouſque ſignemus, ego & Angeli ſancti, mihi cooperantes, crucis vexillo fideles ab infidelibus diſcernamus, vel prædeſtinatos ad fidem conuertendos notemus, eorumque conuerſioni cooperemur.*

Viſionem imaginariam fuiſſe hanc ſignationem oſtenſam Ioanni aſſerit Cornelius, ex eo quod dicit Ioannes: *Et vidi Angelum*, ſcilicet clamantem & dicentem: quia vidit animas in cœlo, non beatas, ſed beandas, cum coronis & palmis, per quas earum victoria & gloria ſymbolicè repræſentabatur: & ex alluſione ad 9. caput Ezechielis. Hæc tamen viſio imaginaria fundamentum habebat in re, ſignificabatque ſignationem realem, qua ſancti in fine mundi, in Baptiſmo & Confirmatione, & per perſecutionum tolerantiam, & per formationem & geſtationem crucis reipſa ſignabuntur cruce. Hæc ab iſtis grauiſſimis auctoribus ſatis conuenienter dicta fuiſſe, primâ fronte videbuntur: nihilominus

Dico primò, hanc ſignationem non ad ſolum tempus nouiſſimum eſſe reſtringendam, ſed quotidie fieri in Eccleſia.

Dico ſecundò, hanc potius intelligi debere de ſignatione & impreſſione characteris, in Confirmationis Sacramento, & Ordinis, quàm in Sacramento Baptiſmi: loquitur enim de iis qui iam erant baptizati, & qui ſpecialiùs ad eminentiorem ſanctitatem, aut maiorem autoritatem adipiſcendam erant deputati, plenitudinem Spiritus ſancti in Confirmationis Sacramento ſuſcipientes: cum ab Epiſcopo in fronte ſignantur, cum hac verborum formula: *Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti*; Aut autoritatem & poteſtatem ſacerdotalem in Sacramento Ordinis: ſiquidem ſi in Angelo aſcendente, ordinem Epiſcopalem intelligimus, rectè dicimus hanc ſignationem fieri in Sacramento Confirmationis, cuius ipſe eſt Miniſter; vel in Sacramento Ordinis, quia Epiſcoporum eſt Sacerdotes & alios Epiſcopos conſecrare, & non ſimplicium Sacerdotum: quos in centum quadraginta quatuor millibus ſignatis, repræſentari cenſemus.

Dicitur autem Angelus aſcendens habere ſignum, quaſi ad manum: primò, quia Verbum operatur ad extra per amorem: amor enim eſt qui Verbum ad operandum inducit: *Nam*, vt ait S. Tho. 1. q. 19. ar. 4. *cum eſſe diuinum ſit ipſum eius intelligere; præexiſtunt in eo effectus ſecundum modum intelligibilem, & per modum intelligibilem procedunt ab eo; & ſic per conſequens, per modum voluntatis: nam inclinatio eius, ad agendum quod intellectu conceptum eſt, pertinet ad voluntatem. Voluntas igitur Dei eſt cauſa rerum.* Ita S. Tho. Inclinatio hæc videtur intellectum diuinum habere quaſi ad manum, vt pro libito, quæcumque Deus vult facere, faciat in cœlo & in terra. 2. Habet adhuc ſigillum in manu, quia Verbum diuinum ſuam operationem ad extra accommodat cauſis ſecundis, itaut quotieſcumque Angelus voluerit ſuo lumine colluſtrare mentes eorum, qui ſuæ curæ commiſſi ſunt; vel aliquis Doctor aut concionator ſuâ doctrinâ aut prædicatione inſtruere ſubditos, vel Epiſcopus confirmare baptizatos, conſecrare Sacerdotes, aut Epiſcopos, Sacramenta conficere, paratum eſt Verbum diuinum, quaſi eſſet in manu eius, ad operandum interius, & concurrendum cum ſuis cooperatoribus: quos tanquam inſtrumenta idonea elegit, vt ſint eius cooperatores, in procuranda & operanda hominum ſalute. Rurſus clarum eſt operationem verbi internam accommodari cauſæ ſecundæ, cum in conficiendis Sacramentis ſemper requiratur intentio agentis. Docet quippe S. Tho. 3. q. 64. ar. 1. adhiberi exterius actionem Miniſtri, ſed ſortiri effectum interiorem, ex virtute principalis agentis, quod eſt Deus. Cum autem Miniſter libere agat, dum Sacramenta v. g. adminiſtrat, videtur Deus quaſi ad manum haberi, cum paratus ſit intetiùs operari, cum Sacerdos ſeu Miniſter voluerit ſe exterius ad agendum applicare. Rurſus art. 4. dicit, quòd quando aliquid ſe habet ad multa, oportet vt per aliquid determinetur ad vnum, ſi illud effici debeat; ea vero, quæ in Sacramentis aguntur, poſſunt diuerſimode agi: ſicut ablutio aquæ, quæ fit in baptiſmo, poteſt ordinari & ad munditiem corporalem, & ad ſanitatem corporalem, & ad ludum, & ad alia multa huiuſmodi: Et ideo oportet quod determinetur ad vnum, id eſt, ad Sacramentalem effectum, per intentionem abluentis: ex qua doctrina S. Th. patet quomodo Verbum diuinum paratum ſit effectum interiorem producere, ſecundum intentionem & voluntatem agentis exterioris: qui licèt ſit tantùm eius inſtrumentum & Miniſter, determinat Verbum ad actionem producendam, ſicut cauſa ſecunda determinat cauſam primam ad hunc aut illum effectum. Viſo igitur quomodo conſignet Angelus ſignandos, & qua ratione dici poteſt habere ſignum Dei viui, nempe Verbum in manu, nunc nobis diſquirendum in quo formaliter conſiſtat in nobis illa ſimilitudo cum ſigillo, dum eo conſignamur.

Quouſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum.

Qua ratione participes eſſe poſſumus gratiæ eminentis, quæ in Chriſto eſt, capaceſque ſumus impreſſionis tam nobilis ſigilli; & quænam in nobis cum eo intercedat ſimilitudo, cum eo conſignamur.

ANNOTAT. XI.

VERISSIMVM eſt humanitati Chriſti, ſeu naturæ humanæ in Chriſto, datam fuiſſe gratiam, in gradu quodam incommunicabili cuilibet alteri puro homini. Gratia in eo, vnctio eſt illa præcipua, qua vnctus eſt præ conſortibus ſuis. Sanctitas in eo, in qua Deum propius imitatur, talis tantaque eſt, vt nullus ſimilem ſibi arrogare valeat, abſque nimia & impudentiſſima præſumptione. *Segregatus à peccatoribus, excelſior cœlis factus*: Ex maſſa corrupta filiorum Adæ ſeparatus, vt ſanctitatem, ſancti-

Digitized by Google

tate Angelorum & hominum eminentiorem recipiat, auctor ipſe totius ſanctitatis. Sanctitas cuilibet ſanctorum impertitur, pro proportione vnionis aut ſimilitudinis, quam habet cum Chriſto: nec quiſquam præſumere poteſt aliquam ſibi in terra competere poteſtatem, quæ ab eo originem non habeat. Eſto igitur, ſit Chriſtus ſanctior vniuerſis, ſit auctor gratiæ, ab eo omnis emanet autoritas & poteſtas: tamen verum eſt nos illius gratiæ fieri aliquando participes, qua diuinæ conſortes naturæ efficimur, & conformes facti imagini eius per perfectiſſimam imitationem actionum ipſius, tandem configuremur corpori claritatis eius. Certum eſt etiam nos ab eo recipere quaſdam facultates, ſeu poteſtates excellentiſſimas, quibus ſupra omnia creata extollimur: qualis eſt poteſtas remittendi peccata, vel conſecrandi corpus & ſanguinem ſuum. *De plenitudine* quippe *eius nos omnes accepimus*, videlicet propter gratiæ communicationem, propter dona ſupernaturalia & diuina, propter autoritatem & poteſtatem, quæ in ſanctis præcipuis & in Eccleſiæ Paſtoribus eminere cernuntur. Sed cum plures ſint ſimilitudines; ad tria præcipua attributa diuina, de quibus ſupra, nempe intellectualitatis, voluntatis, potentiæ, illam ſimilitudinem reuocamus, ſeruatâ proportione, talis qualis eſſe poteſt inter creatorem & creaturam, inter hominem Deum, & purum hominem, itaut vna ſit ſimilitudo intellectualis, alia moralis, tertia poteſtatis.

Dubitare autem meritò poteſt de quanam ſimilitudine hîc agatur, & quænam in nobis appareat, dum ſigillo conſignamur ab Angelo, itaut ratione ſimilitudinis, aut imitationis, ſeu poteſtatis, filios Dei adoptiuos, hæredes Dei, cohæredes Chriſti nuncupemur. Intellectualem agnoſcit Ambroſius in hunc locum, dum ait: *Donec ſemina fidei per vniuerſas gentes ſpargerentur, ac ſignaculo fidei, ij qui præordinati erant ad vitam æternam ſignarentur*; Ita Ambr. Fides enim virtus eſt intellectualis. Moralem vult Andreas Cæſar. cum noſtram cooperationem requirit, dum ait: *Cæterum ſpiritus ſignaculum, quod hominis contra tentationes donatur, eatenus vim ſuam oſtendit, quatenus ipſi collaboramus: Qui igitur auxilio hoc deſtituuntur, ideo deſtituuntur, quia vnà cum ipſo, manum operi adhibere non volunt.* Hæc And. Voluntatis enim eſt conſentire, cooperari, & collaborare, gratiamque nobis oblatam ſuſcipere. Moralem etiam intelligunt, qui dicunt eos ſignari hoc ſigno, qui ſeuerè ſuis cupiditatibus imperant, eaſque mortificant, & crucifigunt, vt fiant viri pij & ſpiritales: vt Alcazar apud Cornel. Poteſtatis autem ſeu autoritatis cenſent eſſe hanc ſimilitudinem, qui volunt per centum quadraginta quatuor millia ſignatos, intelligi non omnes fideles primos, ſed tantum primarios, ſcilicet eos qui ſocij fuerunt Apoſtolorum in prædicando & propagando Euangelio, ac fidelium duces ſignificari, vt notat idem Cornelius. Nec enim aliquis abſque autoritate poteſt prædicare, aut ducis locum teneret. Vt autem dilucidius appareat quænam conformatio & ſimilitudo ad ſigillum ſperanda ſit ex conſignatione, plura nobis hic dicenda ſunt.

Dico primò: Per gratiæ infuſionem transferimur in ordinem diuinum & ſupernaturalem, quo vt dictum eſt, diuinæ efficimur conſortes naturæ: & hac de cauſa dicimur portare imaginem & ſimilitudinem Dei viuentis, eo ipſo quo hac ratione Chriſto ſimiles euadimus. At ad ſolam pertinet creaturam intellectualem, eſſe gratiæ & donorum quæ eam conſequuntur: nec enim lapides, aut plantæ, aut animalia, gratiam cum ſuo effectu recipere poſſunt: Illius enim effectus eſt gratum Deo reddere ſubiectum, cui inhæret, dum ea ornati Deum & cognoſcunt, & ſuper omnia & in omnibus diligunt.

Dico ſecundo, gratiam hanc nullatenus poſſe ſuum perfectè obtinere effectum, vt nobis afferat ſimilitudinem moralem, ſeu amoris aut voluntatis, niſi per Chriſti imitationem, in omnibus quæ voluit & perfecit: quam inducere S. Paulus optabat, fideles toto ſtudio ad pietatem informando, itaut nullis laboribus ſe ſubtraheret, & ad modum mulieris parturientis, dolores quoſlibet libenter toleraret ad hunc finem, vt Chriſtum fideles perfectè imitarentur. *Filioli mei*, dicebat ille, *quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Ac ſi diceret: Vos viſcera materna, cum multis doloribus, in terram olim effuderunt: vt Adamo primo & terreno homini ſimiles eſſetis. Ego vos adhuc parturio, ſed non cum minori labore aut dolore, vt tandem imaginem cæleſtis Adami perfectè habeatis. Igitur moralem habebimus ſimilitudinem, ſi quod Apoſtolus monet adimpleamus, dum ait: *Sicut portauimus imaginem terreni, ita portemus imaginem cæleſtis.* 1. Corint. 15.

Dicimus tertiò, nos Deo ſimiles eſſe ſecundum attributum potentiæ, cum Verbum diuinum nos ſuæ poteſtatis participes efficit. Hoc clarum eſt ex his quæ dixit, Ioan. 14. *Amen, amen dico vobis: qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet: & maiora horum faciet, &c.* Et c. 20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* v. g. miſit eum Pater vt remitteret peccata, & etiam hanc poteſtatem diſcipulis dedit: *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, &c.* & in hac poteſtate ſe Deum eſſe declarat. Igitur cum huius poteſtatis, qua ſe Deum eſſe Verbum declarat, nos facit participes, Deo ſumus ſimiles ſecundum attributum potentiæ.

Dico quatto: Similitudinem Dei quæ confertur à gratia, qua Deum cognoſcimus, & ſuper omnia diligimus, & qua Filij Dei conſtituimur vt ei ſimiles efficiamur, hîc præſupponitur tanquam neceſſaria, vt de numero ſimus eorum qui ſignantur in frontibus ſuis: Non tamen ſiſtendum in ea ſimilitudine: quædam enim alia lineamenta requiruntur, vt quis eam habeat ſimilitudinem, quam in 144. millibus eſſe exiſtimamus, vt à turba quæ dinumerari non poteſt aliquatenus ſeparantur, & diſtinguantur, & qua, dum eis coniunguntur, & promiſcuè cum eis conſiderantur, poſſint cognoſci è numero eorum eſſe, qui ſpeciali quadam ratione in frontibus ſignantur, & præter gratiam gratificantem omnibus electis communem, poſſidere quandam ſpecialem prærogatiuam cæteris non collatam, ne dicam denegatam. Ratio eſt, quia aliàs ſi ſimilitudo in gratia & charitate ſimpliciter conſiſteret, cum in electis omnibus exiſtere debeant, nihil noui aut ſpeciale daretur iſtis 144. millibus, ex ſua conſignatione. Ne igitur ſit inutilis, imo effectum ſpecialem habeat, dicendum eſt per illam, aliquam ſimilitudinem cum Deo comparari, quæ in aliis non exiſtit. Habent quidem gratiam, fidem, ſpem, charitatem cum aliis, ſed præterea quoddam ſignum impreſſum, quo diſtinguantur: quod quidem facilius conceditur ab iis, qui optimè dicunt in hac turba quoſdam deſignari, qui non ſunt de numero ſignatorum, quamuis ſint de numero electorum. Videtur illa turba, poſtquam ſignati fuerunt illi centum quadraginta quatuor millia: hi dicuntur è duodecim tribubus Iſraël ſelecti; alij ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: nam licèt neceſſe non ſit, vt quis carnaliter ex aliqua tribu populi Iſraël originem ducat, vt in numero ſignatorum reponatur, ſufficiatque vt ſit per fidem ſpiritualiter filius Abraham, iuxta illud Rom. 9. *Non qui filij carnis, hi filij Dei, ſed qui filij ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine*; tamen certo certius S. Ioannes aliquid vult conſide-

Digitized by Google

tati in his 144. millibus, per illam ſignationem in frontibus, quod in turba innumerabili requiri non debeat. Dicendum vltimò non verum eſſe, ſi aliquid deſideremus ſpeciale in his 144. millibus, quod non conueniat electis omnibus: nec enim agitur in tota hac reuelatione de regno Chriſti interno, aut regno futuro in patria; ſed regno Chriſti viſibili, & Monarchia Eccleſiaſtica & ſpirituali, quam habet in terris: ex qua ſumendi ſunt omnes electi & prædeſtinati. In hoc autem regno viſibili, non requiritur vt quis huius corporis Myſtici ſit membrum, vt omnes æqualem recipiant gratiam, æqualem habeant poteſtatem: ſufficit vt Spiritus ſanctus ſingulis diſtribuat prout vult, & quoſdam ſignet in frontibus, alios tantùm veſtimentis induat candidis, & in eorum manibus palmas reponat; cæteros mortalium, tanquam lapides inutiles ad conſtructionem ciuitatis ſupernæ, relinquendo: in quibus adimpletio promiſſorum, & effectus ſuæ dilectionis inueniri non poſſint: quæ omnia tamen ſunt ita intelligenda, vt ex numero turbæ prædeſtinatorum, centum quadraginta quatuor millia non excludamus, ſed eos volumus ſpeciali quodam ſigno inſigniri, vt ſpecialem quamdam ſanctitatem & auctoritatem, & cum Deo ſimilitudinem in eis conſideremus.

Dicimus igitur Deum totam maſſam generis humani ante oculos habere; ex ea quoſdam ad eminentem ſanctitatem & poteſtatem extollere, qui in ſignatis in frontibus deſignantur; quoſdam tantùm gratiâ & donis, quibus ſalus æterna acquiritur, cumulare, qui in turba innumerabili ſignificantur. Et quia turba hæc filij ſunt promiſſionis, & filij Abrahæ ſecundum ſpiritum, & veri Iſraëlitæ, ex quibus ſignati aſſumuntur, ideo præſupponimus ſignatos eadem gratiâ, quâ turba innumera ornatur, etiam ornari. Itaque nunc diſquirendum, quænam ſit illa Dei ſimilitudo ſpecialis, quæ reperitur in his qui ſignantur in frontibus, quâ à turba innumerâ diſtinguantur.

Quoadusque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum.

Quænam ſit illa ſimilitudo ſpecialis, quæ reperitur in his qui ſignantur in frontibus.

ANNOTAT. XII.

De variis ſigillis, in quibus reperiri poteſt diuina ſimilitudo. §. 1.

VT ad cognitionem illius ſimilitudinis faciliùs perueniamus, omnia ſigilla, ſeu ſigna, quæ in ſcripturis ſacris aſſeruntur imprimi in ſeruis Dei viui, ſunt in medium adducenda, vt ſignum huic loco conuenientius tandem inueniamus.

Primum ſigillum reperio in Pſal. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*; qui locus poteſt intelligi de quadam ſimilitudine naturali, quam cum Deo habemus; licèt ſenſus verborum etiam ad ſupernaturalem ſimilitudinem extendi poſſit. Quinam enim, oro, eſt lumen vultus Dei, niſi filius? Vnde Ambroſius Epiſt. 11. l. 3. ad Ireneum. *Qui autem lumen vultus Patris, niſi ſplendor gloriæ, & imago inuiſibilis Dei?* Hæc Amb. Et optimè. Nam ſicut ex vultu dignoſcitur vir, ita per Filium Patrem cognoſcimus. Illuminat autem Filius omnem hominem venientem in hunc mundum, non ſolum lumine infuſo & diuino, ſed etiam lumine naturali rationis. Hæc enim lux fulget in mente, & quaſi à Verbo radiante, in eſſentiam animæ tranſmittitur: cum nobis facultatem cognoſcendi & intelligendi præſtat, vt ad eius imaginem & ſimilitudinem efformemur. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum: apud quem non eſt tranſmutatio, nec vicißitudinis obumbratio.* Iacob. c. 1. Dicitur Deus Pater luminum, quia author eſt non ſolum luminis gratiæ infuſæ, ſed etiam luminis rationis naturalis. Huius Patris luminum vultum eſſe diximus Filium, cuius lumen ſuper nos fulget, irradiante ipſo Verbo Dei Filio; tum cum lumine naturali donamur, tum cum lumine infuſo, quo Deum ſupernaturaliter cognoſcimus, ditamur. Quod autem ratio in nobis ſit lumen, clarum eſt ex eo quod dixit Apoſtolus, Epheſ. 5. *Omne quod manifeſtatur lumen eſt*: Id eſt, habet lumen, quo poſſit manifeſtari. Cum igitur per rationem in cognitionem rerum deueniamus, nobiſque per eam manifeſtentur, ipſa ratio lumen erit, à nullo alio quàm à Patre luminum, per Verbum per quod omnia facta ſunt, in nobis procreatum. Hac ratione ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus Dei, cum rationem dedit, vt nos doceret ſuper iumenta terræ, & ſuper volucres cœli erudiret, vt eſt apud Iob. c. 35. id eſt excellentiori modo & ratione: ſolo enim ſenſu aut inſtinctu ducuntur iumenta & aues; at homo ſupra ſenſum & inſtinctum per rationem eleuatur, vt res etiam ſpirituales, & à conditionibus materialibus & indiuiduantibus ſeparatas, vniuerſali quadam ratione intellectualiter apprehendat: quod quidem omnibus mortalibus competit. Quo ſit vt rectè dici poſſit quòd à Verbo omnis homo in hunc veniens mundum illuminatur. Primò in potentia, propter facultatem ratiocinandi, quæ emanat & fluit ab eſſentia animæ. Secundò actu, dum omnibus ad agendum requiſitis, in actum intelligendi prorumpit. Vſus enim rationis duo requirit: Primum, optimam organorum diſpoſitionem: Secundum, receptionem ſpecierum & phantaſmatum, quibus obiecta potentiæ coniunguntur; quæ phantaſmata per intellectum agentem depurata, ab eis ſpecies intelligibiles elicit & exprimit, quibus patiens intellectus inſtructus, tunc actum intellectionis elicit, quo actu ſit intelligens: & ſic per ſpecies obiecto intimè coniuncto, intellectu agente ſuper illud radios emittente, obiectum manifeſtatur: ſicuti exteriùs lumine diffuſo ſuper quodlibet obiectum coloratum, per ſpecies intentionales illud oculo manifeſtatur. Cum igitur ſanctus Ioannes de Chriſto Domino loquens ait: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: Idem eſt ac ſi diceret: Dubitandum non eſt per Verbum omnem rerum diuinarum veritatem vobis poſſe reuelari: eſt ipſe quippe lux vera: qua ſicut vobis per lumen naturale rationis, verè omnia obiecta ſenſibilia proponuntur menti intuenda, ita etiam per lumen diuinum & infuſum omnes veritates rerum etiam ſupernaturalium vobis manifeſtabuntur. Per illuminationem igitur naturalem credibile reddit quod antea dixerat, nempe omnes illo lumine, cui ſanctus Ioannes Baptiſta reddiderat teſtimonium, fore illuminandos per fidem. Erat quippe illa lux non ſolum vera in ſeipſa, ſed etiam vera ex eo, quòd manifeſtabat omnem veritatem, vt videri & experiri facillimum erat à quolibet homine in hunc mundum veniente. Nullus quippe qui ad imaginem Dei creatus ſit, qui facultatem non habeat contemplandi quaſlibet res naturales, intellectu & mente, cuius proprium obiectum eſt veritas; qua facultate naturali contemplandi veritatem, anima capax eſt euehi ad contemplationem rerum diuinarum. Optimo iure igitur S. Ioannes Baptiſta debuit hanc lucem commendare, & ſuo teſtimonio conſiderandam proponere, cui æquiſſimum eſſet attendere: cum ipſa talis ſit,

quæ

quæ hanc afferret perfectionem naturæ noſtræ, vt non ſolum res naturales poſſimus aprehendere lumine rationis; ſed etiam res diuinas, quæ abſque reuelatione cognoſci non poſſunt, mediante fide cognoſcere. Hac de cauſa igitur venit Ioannes, *Vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum.* Verum eſt plures auctores nolle Græcum pronomen οὗτος, referri ad vocabulum φῶς, ſed ad S. Ioannem Baptiſtam, *vt omnes crederent per illum*, ſcilicet Ioannem Baptiſtam. Quidam tamen cenſent hunc ſcripturæ locum poſſe intelligi de lumine naturali nobis indito, & in nobis ſignato, vt ad Dei imaginem & ſimilitudinem efficiamur.

Alio modo nos ſignari reperio apud S. Paulum 2. ad Corinth. 1. qui abſque dubio ſupernaturalis eſt: *Qui autem confirmat vos vobiſcum in Chriſto, & qui vnxit nos Deus, qui & ſignauit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris.* Siue enim hæc ſignatio intelligatur de gratia, abſtrahendo à medio quo conferri poteſt; ſiue de ea loquatur prout datur mediantibus Sacramentis, ſatis mihi eſt hunc locum nobis proponere modum, quo ſupernaturaliter, & intimè ſignamur: eo quippe datur pignus ſpiritus in cordibus. Sacramentum tamen Confirmationis ſuſpicor, cum audio: *Qui confirmat, & qui vnxit nos*; Baptiſmum etiam, quia in Baptiſmo æque ac in Confirmatione, imprimitur quidam character indelebilis: vnde hæc Sacramenta reiterari nequeunt. In quibus, & vngimur oleo gratiæ, & pignus ſpiritus accipimus, & ſigno filiorum Dei inſignimur, & ſub vexillo Chriſti ducis admittimur: vt contra hoſtes gloriæ & honoris ipſius fortiter dimicemus. Spiritus enim qui datur, dicitur Epheſ. 1. *Pignus hæreditatis noſtræ*: Nam qui gratiam recipit ius habet ad gloriam: *Credentes*, inquit, *ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ, in redemptionem acquiſitionis, in laudem gloriæ ipſius.*

Ex hoc loco Epheſiorum, alium modum conjicio, qui gratiam interiorem conſequitur: nempe cum externi actus tales ſunt, quales requirantur in his, qui Dei gratia digni habiti ſunt: de qua exteriori conſignatione plura inuenio apud ſanctum Paulum, vt cum ibidem ait. *Ego audiens fidem veſtram quæ eſt in Domino Ieſu & dilectionem in omnes ſanctos, non ceſſo gratias agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis.* Niſi enim Epheſini per actus externos ſuam demonſtraſſent fidem & dilectionem, Paulus non potuiſſet ſcire an fide & dilectione præſtarent, nec de eis aliquid audire: ſed quia palpabiles & viſibiles erant fidei & dilectionis demonſtrationes, per actus externos, ideo audit, de eorum fide & dilectione, ea quæ erant tantâ digna laude, vt pro eis gratias agat Deo: quo fit vt ſe exteriùs ſignatos eſſe hoc diuino ſpiritu eos demonſtrare adhortatur, dum omne verbum malum ab eis repellit, ne contriſtetur ſpiritus in quo erant ſignati; & omnem bonum ſermonem eos proferre commendat, dum ait: *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat: ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. Et nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in diem redemptionis.* Hac ratione exteriora ſigna habemus interioris ſignaculi gratiæ, ſi verba quæ ex ore promimus conformia ſunt ſanctitati internæ animarum noſtrarum, quam ex præſentia ſancti Spiritus in nobis operantis poſſidemus. Ad hanc ſimilitudinem & exteriorem & interiorem, per perfectam imitationem affectus & actionum Verbi incarnati, in quo requieſcit plenitudo Spiritus, de cuius plenitudine accipimus, pro menſurà donorum quæ requiruntur ad noſtram ſanctificationem, & vt in nobis gloria Dei manifeſtetur, ad impletionem voluntatum eius, nos prouocat Dominus, ſponſam alloquens his verbis Cant. 8. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum*: ecce imitatio affectus; *vt ſignaculum ſuper brachium tuum*: ecce imitatio actuum ſponſi, *quia fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio*: nam ad hanc ſponſi imitationem non peruenitur, niſi per magnos labores. Perfecta enim eius imitatio eſt ſi crucem eius iugiter feramus, nec alia ratione ad gloriæ eius participationem peruenimus, quam per conformitatem ad eius crucifixionem & mortem: *Si enim compatimur & conglorificabimur.*

Præterea ſunt alia quædam ſigna exteriora, quibus proteſtatio quædam fit inſtituti noſtri, ac religionis quam profitemur, & quibus ab aliis diſtinguimur. Tale fuit olim ſignum circumciſionis in perſona Abrahæ, qua proteſtabatur iuſtitiam, quæ ei ratione fidei ſuæ obtigerat. Circumciſionem quippe Apoſtolus vocat, *ſignaculum iuſtitiæ fidei.* Rom. 4. Tale eſt ſignum crucis, quod à Chriſtianis adhibetur, in ſignum fidei quam profitentur, & cuius vſus frequentiſſimus eſt in omnibus myſteriis Chriſtianorum. Talia ſunt Sacramenta, quibus gratia nobis confertur: tales denique ſunt omnes actiones, quæ eo fine perficiuntur, vt omnes agnoſcant nos eſſe Chriſtianos; vt eſt profeſſio externa fidei noſtræ, vt ſunt labores, & cruciatus, qui pro tuenda veritate ſufferuntur libentiſſimè. Hac de cauſa Paulus dicebat ad Galat. 4. *Ego ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto*: nempe vulnera, ſeu vibices virgarum quibus cæſus fuerat; quibus quidem ſtigmatibus ſeu cicatricibus gloriabatur, dicens: *Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Denique dico quamlibet actionem externam, quæ euidenter perficitur vt fidem Chriſtianam profiteamur, eſſe veluti quamdam notam, quam exterius geſtamus, ad modum ſigni Tau, quo inſigniri debebant ij quos Deus præſeruare ab internecione volebat, Ezech. 9. *Signa Tau ſuper frontes virorum gementium & dolentium.*

Rurſus ſicut ratione Characteris Baptiſmi & Confirmationis ſignamur, pari ratione propter characterem Sacramenti Ordinis indelebilem, ſignum etiam ſpeciale recipimus, quo poteſtas aliqua nobis datur, & ab aliis diſtinguimur. Ita Chryſoſt. interpretatur hunc locum 2. ad Corinth. c. 1. *Qui & ſignauit nos*; de Sacramento Ordinis, cum ait: *Vnxit nos, & ſignauit in Reges, & Prophetas, & Sacerdotes.* Ita Chry. Et quia ſigillum ſymbolum eſt cuiuſdam poteſtatis, Deus promittit Zorobabel eum ſe eſſe aſſumpturum in ſignaculum, Agg. 2. *In illa die, dicit Dominus exercituum, aſſumam te, Zorobabel fili Salathiel, ſeruus meus, dicit Dominus: & ponam te quaſi ſignaculum, quia te elegi.* Hoc autem intelligi ſimpliciter non debet de quadam protectione, quaſi dicat Zorobabel à Deo eſſe cuſtodiendum in manu, ac annulum pretioſum in digito, qui cum magna ſollicitudine conſeruatur; ſed hoc intelligitur de quadam poteſtate, quam Zorobabel dare decreuerat: qua ſenſibiliter perciperetur vanam non eſſe ſpem & expectationem, qua Deus animum Zorobabel erexerat, promittens ei inimicos ſuos ſe eſſe proſtraturum, his verbis: *Loquere ad Zorobabel ducem Iuda, dicens: Ego mouebo cœlum pariter & terram, & ſubuertam ſolium regnorum, & conteram fortitudinem regni gentium, & ſubuertam quadrigam & aſcenſorem eius: & deſcendent equus, & aſcenſor eorum, vir in gladio fratris ſui, &c.* Nam ea quæ perficere debebat Zorobabel Dei fretus ope & auxilio, manifeſtè teſtabantur in Dei eſſe poteſtate omnes hoſtium impetus retundere & infringere. Eſſet igitur Zorobabel in manu eius quaſi ſignaculum, quo veritatem verborum & promiſſorum, de proſtratione inimicorum populi Iudaici ſigillaret & confirmaret. Hæc conſona ſunt hiſtoriæ: Nam l. 1. Eſdræ c. 4. & 5. habemus Zorobabel repugnan-

Digitized by Google

tibus licèt populis, & nationibus plurimis, quæ Samariam incolebant, incæptam templi ædificationem prorogaſſe & ad perfectum adduxiſſe, Dariumque Regem tanto fauore hoc negotium proſecutum fuiſſe, vt in literis patentibus pro hac re datis inſeruerit, *Vt omnis homo qui hanc mutauerit iuſſionem, tollatur lignum de domo ipſius, & erigatur, & configatur in eo: domus autem eius publicetur. Deus autem, qui habitare fecit nomen ſuum ibi, diſſipet omnia regna, & populum, qui extenderit manum ſuam, vt repugnet & diſſipet domum Dei illam, quæ eſt in Ieruſalem.* Et paulo poſt: *Seniores autem Iudæorum ædificabant & proſperabantur iuxta Prophetiam, &c.* Collata igitur Zorobabel poteſtas fuit, ad modum cuiuſdam ſigilli, quo confirmabatur, & obſignabatur promiſſio de conſtructione templi facta. Itaque ſigillum ſymbolum eſt auctoritatis & poteſtatis: vnde Epiſcoporum poteſtas & auctoritas dici poteſt ſigillum, quo confirmatur & oſtenditur magnitudo potentiæ, quæ data fuit humanitati Chriſti, de qua dicitur: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, &c.*

Dicendum reſtat ſigillum ſeu ſignaculum, in ſcripturis ſacris, ſumi pro ſignis & notis prædeſtinationis, iuxta S. Paulum 2. ad Timoth. 2. Dum enim Apoſtolus loquitur de ſubuerſione in fide quorumdam, ex doctrina Hymenei & Phileti, ſuggerit ſigna eorum, qui firmi & ſtabiles in fide permanent: *Sed*, inquit, *firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc: cognouit Dominus qui ſunt eius:* Et: *diſcedat ab omni iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini.* Deus quippe diſcernere nouit inter bonos & malos; inter eos qui rectè, ab iis qui obliquè ambulant, in ſemitis mandatorum ejus: nouit inſuper eos qui perſeueraturi ſunt, ab iis qui retro abeunt & ab eo diſcedunt: nouit qui eum inuocant vt oportet, diſcedendo ab omni iniquitate, & faciendo quod in ſe eſt, ab iis qui dicunt: Domine, Domine; & non faciunt voluntatem Patris, iuxta illud Matth. 7. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur: & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos: Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine; intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei ipſe intrabit in regnum cælorum.* Diſcedant igitur ab omni iniquitate qui inuocant nomen Domini, ne quamuis prophetauerint, dæmonia eiecerint, virtutes multas fecerint, non habeant hoc ſignaculum. *Cognouit Dominus qui ſunt eius*: & in die iudicij non dicat eis Dominus: *Quia nunquam noui vos: diſcedite à me qui operamini iniquitatem.* Matt. 7. At perſeuerantibus in bono, præparat auxilia efficacia in tempore opportuno; itaut nemo eos auellere poſſit ab eius amore, iuxta illud: *Cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ, & nemo poteſt eos rapere de manu mea.* His quippe auxiliis, quæ Deus præparat electis, ſatis euidenter agnoſcitur eos eſſe de numero electorum. Electi autem ſcientes eum æquitatis & iuſtitiæ amatorem, *Iuſtus enim Dominus, & iuſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius*; Scientes eum odio proſequi iniquitatem, nec apud eum eſſe acceptionem perſonarum, cum tanta circumſpectione, & præcautione ambulant, vt quantùm in ſe eſt minimam etiam culpam aut imperfectionem euitare ſatagant, ne iraſcendi contrà eos, aut ab ipſis vultum ſuum & oculos auertendi occaſionem præbeant, certi ſe non alia ratione ſubſiſtere, quàm quia benignè ac continue ab eo adſpiciuntur. *Oculi enim Domini ſuper iuſtos, & aures eius ad preces eorum.* Hinc Deo eos præueniente, auxilia illis ſuppeditante, ipſis verò ex alia parte fideliter gratiæ præuenienti, & auxiliis oblatis & præparatis, cooperantibus, fundamentum Dei firmum ſtat, decretum ſalutis eorum firmum permanet, vt fauſtum habeat exitum. Taleſque perſonæ à Deo dilectæ gerunt ſigna adeo euidentia & manifeſta, quod Deus eos in benedictionibus præuenerit, & quod ipſi Deo fideliter ſeruiant, vt quadam certitudine morali, ex vehementia coniecturarum quæ habentur fidelitatis eorum in obſequio Dei, certi & ſecuri eſſe poſſimus de eorum ſalute. Quod quidem certitudinem obtinet, cum Eccleſia, quæ errare non poteſt, ſuæ approbationis ſigillo munit hanc certitudinem, ex data ſibi autoritate & poteſtate eos proponendi fidelibus, vt verè in Dei conſpectu ſanctos; iuſtos ac beatos. At quænam ſint illa ſigna, ſeu quænam coniecturæ aſſignari poſſint, quibus moralis certitudo de ſalute alicuius comparari poſſit, vt cenſeatur ex numero prædeſtinatorum, ad Theologos nobis eſt recurrendum, vt quæ hîc afferuntur, ſolidiorem reddeant doctrinam, & interpretatio noſtra firmiùs ſtabiliatur.

De effectibus prædeſtinationis. §. 2.

Ex eo quod actus prædeſtinationis ſit immanens, & apud Deum ab æterno, ideo in ſe incognitus, & aciem mentis noſtræ à longè ſuperans ac fugiens, per effectus tantùm eum cognoſcere licet: ſiquidem talis actus in electos formaliter non cadit, ſed tantùm efficienter: quo fit vt innoteſcere nobis tantùm poſſit ex effectibus, quos ad extra producit. Vt igitur ſciamus an quis ſit è numero prædeſtinatorum, recurrendum eſt ad effectus prædeſtinationis: an videlicet talis effectus, in hoc aut illo homine reperiantur: ex his enim effectibus ſi dilucidè dignoſcantur, animaduerti poterit Deum ab æterno voluiſſe in tempore circa talem perſonam adimpleri, quod ab æterno decreuerat, & prædeterminarat in ea perficere.

Ex his tamen dicere nolumus facilem eſſe & certiſſimam cognitionem, quam habere ex effectibus poſſumus, prædeſtinationis alicuius. Difficillimum enim eſt diſcernere inter actiones humanas, & diuerſa Dei dona aut beneficia, quænam ex his ſint effectus prædeſtinationis: ſiquidem plures exiguntur conditiones, vt aliquod Dei beneficium dicatur effectus prædeſtinationis, quas diſcernere non ita peruium. Hac ratione ductus fuit Cornelius à Lap. cum docuit Angelos in fine mundi electos ſigno crucis eſſe conſignaturos: quod quidem efformabunt ſeu inſculpent, inuiſibili & ſpirituali quadam ratione, in frontibus fidelium: ex eo quod neſciunt an hic aut ille ſit de numero prædeſtinatorum, niſi Deus ipſis reuelauerit. Indigent igitur aliqua nota ſeu ſigno, ne ſupplicio afficiant electos, cum impiorum flagitia pœnis ſunt proſecuturi; quod quidem minimè eſſet neceſſarium, ſi aut Dei beneficia, aut hominum actiones, quæ facilè videntur & animaduertuntur, ab Angelis poſſent agnoſci vt effectus veri & infallibiles prædeſtinationis. Conditiones igitur alicuius actus, ſeu effectus prædeſtinationis requiramus.

Prima conditio eſt, vt ſit effectus Deo proprius, id eſt, qui à ſolo Deo produci poſſit: ſolus enim res, quas Deo perficere competit, ipſe prædeſtinat ſeu ordinat ad finem à prædeſtinatione intentum; præſcientia quippe Dei ad plura ſe extendit quàm prædeſtinatio: ſcit enim ea quæ non facit, id eſt, hominum peccata: at nihil ſibi faciendum eſſe decernit, quàm quæ decent ab eo fieri aut adimpleri.

Secunda conditio, quòd talis effectus ad ſupernaturalem prouidentiam Dei pertineat, & in ordine gratiæ ſupernaturalis contineatur ac reponatur: nam cum finis ad quem nos deſtinat prædeſtinatio ſupernaturalis ſit; etiam media, quibus nos ad talem finem perducere intendit, ſupernaturalia eſſe debèt: oportet enim media proportionata eſſe fini.

Digitized by Google

Tertia conditio eſt, quòd licet videatur ſufficere beneficium Dei ad prouidentiam ſupernaturalem pertinere, cum ordine ad acquiſitionem vitæ æternæ, quæ efficaciter per tale beneficium conſequeretur, vt dici poſſet effectus prædeſtinationis (potuit ſiquidem Deus Optimus Maximus Angelos & homines creare, eoſque prædeſtinare, & in eis effectus quoſdam producere tanto fini proportionatos, ex pura voluntate, abſque ordine aliquo ad merita Chriſti) verumtamen probabiliùs videtur de facto nullum eſſe effectum prædeſtinationis, tam in Angelis quam in hominibus, qui non ſit effectus meritorum Chriſti; ſiue in quantum eſt Redemptor, quoad effectus reparationis, ſiue in quantum caput eſt, origo ſeu fons totius iuſtitiæ, reſpectu omnium creaturarum, quibus datur gratiam poſſe ſuſcipere, ſiue illæ ſint Angeli, ſiue homines, tam in ſtatu iuſtitiæ originalis quàm ab illa ſpoliati. Vt igitur aliquis effectus dicatur effectus prædeſtinationis, hanc conditionem apponimus, vt aliquid ſit datum per reſpectum ad gratiam Chriſti, aut ab ea manans ac dependens.

Præterea dicendum quoſlibet effectus gratiæ aut ſupernaturalis prouidentiæ, non eſſe effectus prædeſtinationis; ſed inſuper requiri vt talis effectus conferatur intentione efficaci hominem per eum deducendi ad vitam æternam: & hæc eſt prima differentia quæ reperitur inter gratiam aut vocationem datam prædeſtinato, & eam quæ reprobo confertur: videlicet quòd reprobo non conferatur cum intentione efficaci ſalutis ipſius, ex ſpeciali prouidentia circa talem perſonam in particulari, ſed datur prædeſtinato cum tali intentione, videlicet vt per talem ſeu hanc gratiam, infallibiliter ſeu efficaciter gloriam conſequatur. Hinc perſpicere licet, media generalia ſeu vniuerſalia, ſiue beneficia, quæ omnibus vniuerſaliter dantur, ſuntque auxilia communia tam electis quam reprobis; quo reſpectu effectus prædeſtinationis minimè dicuntur: cuiuſmodi ſunt incarnatio, paſſio, Sacramentorum inſtitutio, Euangelij prædicatio. Hæc enim ſpecialiter & particulariter non ordinantur ex intentione efficaci ad ſalutem prædeſtinatorum, ſed dantur ex generali prouidentia gratiæ, & ex voluntate antecedente, qua Deus vult omnes homines ſaluos fieri. Aliter loquendum de particulari applicatione talium mediorum, quam ſubſequitur certa quædam vtilitas ſpecialis, actu efficax ad ſalutem æternam conſequendam. Nam talis applicatio procedit à particulari & efficaci intentione dandi gloriam, & conſequenter effectus eſt prædeſtinationis: ſed quia nullus ſcire poteſt an huiuſmodi applicatio detur ex hac intentione efficaci, niſi Deus reuelet hac intentione hanc applicationem fieri; cognoſci non poteſt, niſi coniecturaliter, ex vtilitate & emolumento perceptionis Sacramentorum, an hæc vel illa perſona, quæ de tali perceptione maximam capit vtilitatem, ſit de numero prædeſtinatorum, an non.

Denique aſſerimus de natura effectus cuiuſuis prædeſtinationis eſſe, vt effectiuè & actualiter aliquid conferat, quod acquiſitioni ſalutis æternæ conducat. Si enim gratia aut beneficium, ſeu donum, conſecutionem ſeu acquiſitionem gloriæ minimè attingat, non erit effectus perfectæ prædeſtinationis, de qua hic loquimur: ſicuti facile eſt perſpicere in reprobis, qui in certo quodã vitæ articulo & momento, verè gratiam ſuſcipiunt. Oportet itaque vt ſiue gratia, beneficium, ſeu donum ſit tranſitorium, ſiue permaneat, vt aliquid conferat acquiſitioni gloriæ, vt effectus prædeſtinationis reputetur: nam ſi daretur prædeſtinato aliquod auxilium gratiæ, quod de facto nihil efficax, nullumque fructum adferret aut produceret, quo gloria adipiſceretur, propter voluntatis renitentiam, quæ illud reſpueret: tale auxilium gratiæ rejiciendum eſſet inter effectus communis & vniuerſalis prouidentiæ, quam habet Deus tam de reprobis quam de electis; non autem inter effectus prædeſtinationis reponendus. Ex hac vltima conditione, oritur difficultas diſcernendi, ſi aliquod donum, ſtatim atque confertur, effectus ſit prædeſtinationis: ex eo quod incertum ſit, an homo ſit in gratia vſque ad vltimum vitæ halitum perſeueraturus; itaut dona & beneficia ſibi collata efficaciter inſeruiant intentioni, quam Deus habet, illum ad beatitudinem euehendi. His ita ſuppoſitis,

Dicimus multos tales effectus prædeſtinationis in hoc capite deſcribi ſub diuerſis ſymbolis: habere enim videntur ſupradictas conditiones. Veſtimenta quippe candida, palmæ in manibus, adorationes eorum de quibus agitur in hoc 7. capite, ſatis declarant quod effectus, qui in eis producuntur, primam habent conditionem, quod ſint opera Deo propria. Deus enim autor eſt totius integritatis & puritatis, quæ per veſtimenta deſignantur; omnium etiam victoriarum, quas reportare ſupra vitia & peccata valemus, quæ per palmas ſignificantur; denique cuiuſlibet iuſtæ actionis, qualis eſt Dei adoratio, & laudum nominis eius perſolutio. Secundam etiam conditionem perſpicio, cum dicitur eos regi ab Agno, & ab eo deduci ad vitæ fontes aquarum. Hac enim ratione perſpicitur ea, quæ in eis perficiuntur, ad ordinem & prouidentiam ſupernaturalem pertinere. Tertia conditio manifeſtiſſima eſt, nempe quod hi effectus ordinem & reſpectum requirunt ad merita Chriſti; dum dicitur: *Lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni:* qua de cauſa *ſunt ante thronum Dei & ſeruiunt ei die ac nocte, in templo eius.* Quarta conditio etiam notiſſima, nempe quod hi effectus dari debeant ex efficaci intentione donandi gloriam, ex magnifica promiſſione, & aſſeueratione certiſſima quam inſinuat S. Ioannes, dum eos dicit eſſe ante thronum Dei, ſeruire ei die ac nocte, Deum habitare ſuper illos, famem, ſitim ab eis fore amouendam, agnum illos eſſe deducturum ad vitæ fontes aquarum, & omnem lacrymam ab oculis eorum abſterſurum. Sequitur vltima conditio, nempe quod de facto hi effectus aliquid conducant ad gloriæ æternæ conſecutionem: quod ſatis patet tum ex ſignatione in frontibus centum quadraginta quatuor millium, tum ex eo quod c. 14. illa 144. millia dicuntur habere nomen agni, & nomen Patris eius ſcriptum in frontibus ſuis; vt pote qui tales ſint, vt nomina eorum ſcripta exiſtant in libro vitæ, quo fit vt inſignia ſeu ſigna electorum, & filiorum Dei, geſtare debeant.

Quænam autem ſint ſigna, notæ, coniecturæ, quibus conjici poteſt quòd gratiæ, dona, & beneficia, quæ in hac vita dantur electis, ſint effectus prædeſtinationis, ſeu quibus poſſit coniectari eos, dum viuunt, infallibiliter ſalutem eſſe adepturos, vel poſtquam obierunt, illam eſſe iam adeptos, quibus ſignis ab aliis diſtingui valeant; & Eccleſia (præter ſpecialem Spiritus ſancti aſſiſtentiam, quæ ipſi promittitur, ne in grauioribus negotiis fallatur, aut eam errare in aliquo contingat; præter etiam diuina teſtimonia, qualia ſunt miracula, reuelationes, quibus incitari poteſt vt de canonizatione alicuius ſancti cogitet,) habere valeat aliquod argumentum certum, in quo iudicium ſuum fundare poſſit, itaut Eccleſiæ hoſtes, & gloriæ eius æmuli eam vituperare nequeant, quaſi abſque ratione aut fun-

Digitized by Google

damento, in tanto negotio temerariò procedat, paruipendendo veritatis rerum indagationem, imo potius agnoscant Ecclesiam, in tali tantoque negotio, cum omni prudentia & requisita circumspectione, & optimis rationibus ductam & testimoniis fidelibus fultam procedere; quibus omnibus veritas adeo clarè ac manifestè pateat, vt eam in dubium reuocare, absque temeritate & sacrilega impietate, non valeamus. Ea igitur signa sanctitatis, quibus Ecclesia conjicere & iudicare potest dona gratiæ esse effectus prædestinationis, nobis sunt inquirenda.

De signis prædestinationis, seu de heroicis & insignioribus actionibus, quibus conjicere possumus effectus supernaturales gratiæ in aliquo, esse effectus prædestinationis. §. 3.

Ex Theologis habemus quædam clara signa seu indicia, quibus morali quadam certitudine, sciri potest aliquem esse è numero prædestinatorum. Hæc conclusio suam certitudinem obtinet ex doctrina Patrum, qui plurima huiusmodi indicia assignant, quæ hic adducimus, sensus non verba Patrum præcisè hìc referentes.

S. Gregorius asserit superbiam signum esse euidentissimum reprobationis sicut humilitas indicium est electionis; Rursus animas electorum ad superna tendere, est cælestia desiderare, animas vero reproborum ad terrena deprimi, eisque nimium adhærere. *Nihil*, dicit S. Cyprianus, *tam euidenter discernit iniustos à iustis, quàm patientia*: iniustus conqueritur, & blasphemat in aduersis, suâ impatientiâ pulsus, ac tunc temporis iusti per tribulationes probantur. *Qui*, inquit S. Hieron. *à communi modo viuendi aliorum hominum recedunt, vt strictam viam electorum teneant, signum dant euidentissimum tandem in numerum, licet paruissimum, electorum esse reponendos. Optimum*, ait Ambrosius, *indicium est electionis, si teipsum condemnes, si sensibiliter mala tua fatearis, defectus tuos sentias, si dolorem peccatorum obtineas, si plagas tuas agnoscas. Sapienter namque prædestinatus suos fatetur defectus, reprobus verò in culpis & peccatis insipienter nimis oblectatur. Electus*, inquit S. August. *cum amorem Dei firmiter in corde fixum & radicatum habeat, semper cogitat quando ad Deum perueniet, quando mundum deseret, quando à corruptione carnis liber euolabit.* S. verò Thomas opus. 60. de humanitate Christi, tria signa dat prædestinationis: primum est testimonium conscientiæ nostræ; secundum, verbum Dei libenter audire, & illud in corde retinere: Tertium est gustus interior diuinæ sapientiæ, qui quidem est quasi quædam prægustatio, seu prælibatio beatitudinis æternæ. Tandem alij quinque ponunt signa, quibus electi à reprobis separentur. Primum est dilectio inimicorum. *In hoc manifesti sunt filij Dei à filiis diaboli, si diligimus fratres.* Ioan. 3. Secundum: paratum esse mortem subire pro salute proximorum, ad modum Moyses, aut Pauli. Dicebat namq; Moyses Exod. 33. *Aut dimitte noxam populo tuo, aut dele me de libro vitæ.* Paulus verò Rom. 9. *Optabam ego ipse anathema esse à Christo, pro fratribus meis.* Tertium, est in aduersitatibus patientia; quæ, vt dicitur, *opus perfectum habet.* 4. Signum, animi præparatio, ad abnegationem sui, & omnium rerum abdicationem, iuxta illud Luc. 14. *Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Quintum denique, timor Dei vnicus & verus: siquidem qui Deum solum timet perfectè, eorum omnium, quæ ad salutem suam pertinent, curam gerit: dicitur enim Eccles. 7. *Qui timet Deum, nihil negligit.*

At, vt verum fatear, mihi persuadere non possum meliora & aptiora posse assignari signa, quæ certius nostram prædestinationem designent, quàm quæ à Christo Saluatore proponuntur, dum octo genera actionum designat, quibus pro mercede digna promittit tum cœlorum regnum, tum terræ possessionem, tum animi gaudia, tum appetituum satietatem, tum misericordiæ vicissitudinem, tum Dei visionem, tum filiorum Dei nuncupationem, & ex consequenti gloriæ hæreditatem. Ita sensisse Andream à Vega l. 12. de iustificatione impij docet Trigosius q. 18. ar. 4. dub. 7. quam sententiam tantò libentiùs amplectimur, quòd hæc signa aptissimè videntur adumbrari in descriptione electorum in hoc cap. 7. & in donis seu beneficiis specialibus, quæ centum quadraginta quatuor millibus attribuuntur, quibus à cæteris fidelibus, quibusdam prærogatiuis ac potioribus titulis secernuntur. Denique hoc verissimum existimamus, nempe actus octo beatitudinum vera esse signa prædestinationis, quia conditiones effectuum prædestinationis in eis speculari licet: nam in primis sunt quædam actiones, quæ Deum, tanquam præcipuam causam, respiciunt. Secundo: Ad ordinem prouidentiæ supernaturalis reduci debent. Tertio: Cum absque gratia, quam de plenitudine Iesu Christi accipimus, nihil dignum æternâ mercede perficere valeamus, si octo his beatitudinibus merces æterna promittitur, ab eius meritis certo certiùs dependere debent. Quarto: Si his actibus gloria promittitur, oportet in nobis eos actus dari, eosque operari ex intentione quam habet Deus, *Qui operatur omnia in omnibus*, vt per eos ad gloriam perueniamus. Denique tales actus valde conducunt ad consecutionem salutis, & per eos infallibiliter electi salutem sibi acquirunt. *Fidelis* enim *Deus in omnibus verbis suis*, qui fallere aut decipere non potest; ac pauperibus spiritu regnum promittit, mundis corde visionem Dei, pacificis gratiam adoptionis filiorum Dei: igitur clarum est electos per tales actus gloriam sibi posse comparare. Adde quod octo istæ beatitudines sunt actus donorum Spiritus sancti, per quos motionibus Spiritus sancti obtemperamus; à quo spiritu bono in terram rectam, seu beatitudinem, mouemur, deducimur, impellimur. Sunt igitur effectus Deum pro causa præcipua respicientes, & ordinis naturæ ordinem superantes. Equidem præmia, quæ his actibus promittuntur, dari possunt inchoatiuè in hac vita, in qua anima quiescit aliquo modo, ex spe & desiderio, ac expectatione hæreditatis æternæ, quam nouit & sperat firmam & stabilem fore in perpetuas æternitates, in qua nos Spiritus sanctus replet consolationibus non modicis, in qua satiamur propter diuinæ voluntatis adimpletionem; in qua tot tantique effectus diuinæ misericordiæ in nobis elucent: in qua per fidem viuam Deus cognoscitur, & luminibus supernaturalibus anima ad Deum contemplandum tantopere euehitur, vt extra se plætumque rapiatur; in qua per passionum nostrarum mortificationem, & coërcitionem, & inclinationum repressionem, ad Dei similitudinem peruenire conamur. Fatendum tamen est hæc præmia suam perfectionem non obtinere in hac vita, sed tantum in futura. Itaque hi actus in electis beneficia sunt, quæ eis dantur intuitu consecutionis gloriæ, & perfectissimè inseruiunt huic fini intento: effectiuè namque seu efficaciter, electi per tales actus beatitudinem acquirunt. Cum igitur hoc præclarum Spiritus sancti opus in nobis à gratia originem trahat, quam de plenitudine Saluatoris suscipimus, manifestè appareret conditiones requisitas effectibus prædestinationis facillimè reperiri, in actibus virtutum & donorum Spiritus sancti, quibus proximam dispositionem ad gloriam obtinemus. Quo fit vt si semel co-

Digitized by Google

gnoſci valeat facillimè prædeſtinatio alicuius, cognoſceturque eo modo quo cauſa per effectus cognoſcitur.

Si autem quæras rationem, cur per tales actus beatitudinum ſeu donorum, tanquam per ſigna & indicia violenta, conjicimus aliquem eſſe è numero electorum, itaut ſi quis appareat pauper ſpiritu, mitiſſimus, & patientiſſimus, lugens, & voluptates mundi & carnis omnimode reſpuens, iuſtitiam eſuriens & ſitiens, miſericors, mundus corde, ac pacificus, necnon propter iuſtitiam quælibet aduerſa fortiter tolerans, ſtatim dicere poſſumus: hic reuera beatus eſt, in hac vita inchoatiuè, in futura conſummatiuè. Reſpondeo hoc ita conjici, quia difficillimum eſſet inducere homines ad actus virtutum moralium, quas dona Spiritus ſancti pro materia ſeu ſubiecto reſpiciunt, niſi homines per virtutes Theologicas, fidem, ſpem, & charitatem, ad cæleſtia proſequenda eleuarentur; niſi donis Spiritus ſancti animarentur, ac mouerentur ad ſuperandas quaſlibet difficultates, quæ in exercitio virtutum ſæpiſſimè occurrunt. His adde quod huiuſmodi actus teſtantur infallibilem diuini ſpiritus in nobis operantis præſentiam; qua videlicet fructus eximios percipimus, per fruitionem bonorum, quæ maiori deſiderio expetenda ſunt, & malorum, quæ magis reformidanda ſunt, cohibitionem & propulſationem. Quia igitur hi actus beatitudinum tales ſunt, vt nequeant produci niſi ſupernaturali auxilio, & inſuper à longe ſuperent & excedant ſimplicis virtutis moralis excellentiam, quæ ex ſe nequit ad tam ſublimen perfectionem attingere, niſi ope diuina & cæleſti adiuuetur: & deinceps hi actus heroïci etiam ſuperent alias operationes virtuoſas, licèt ſint diuini ſpiritus, in nobis prout vult operantis, fructus ſeu effectus; ideo dicimus hos actus eſſe verè ſigna idonea, & violenta indicia prædeſtinationis, cum in aliquo reperiuntur, & dignoſcuntur. His ſiquidem actibus Saluator præmia repromiſit vitæ æternæ, qui neminem decipere poteſt.

Quòd autem hi actus virtutum difficultatibus plurimis circumueſtiantur, ad quas vincendas diuino auxilio opus ſit, adeo ſint præcellentes, vt voluntas humana ſpeciali auxilio indigeat, vt illos exerceat; vnde ſi eliciantur, conjicere valeamus præmia æterna illis deberi; ſatis apparet, ſi perſpiclamus plurimos reuera fuiſſe olim Philoſophos, qui bona externa viſi ſunt contemnere ac paruipendere: at quis eorum fuit pauper ſpiritu, ſeu pio diuinorum affectu, & vt animus ſeu ſpiritus carni imperaret, vt poſſet liberiùs Chriſtum ſequi in paupertate & nuditate ad æterna proſequenda nos prouocantem? Nullus certè eo animo diuitias contempſit. Gratia Dei proculdubio indigemus, vt hunc Euangelicæ paupertatis ſpiritum obtineamus, quo cuncta abdicamus, noſque ipſos abnegamus. Hic paupertatis ſpiritus ſignum prædeſtinationis ſecum affert, nempe quod ſolum Dei gloriam præ oculis habemus, vt illius ſimus ſectatores qui dicebat: *Qui quærit gloriam eius qui miſit eum, hic verax eſt, & iuſtitia in illo non eſt.* Ioan. 7. Talis enim pura intentio nos vere pauperes conſtituit, dum non noſtra, ſed quæ ad Dei gloriam pertinent exoptamus. Nam cum omnino noſmetipſos relinquimus, Deum omnibus præferentes, hoc dignamur & condecoramur honore, vt de nobis dicat: *Seruus meus es tu Iſrael, in te gloriabor.* Etquia olim Phariſæi hunc paupertatis ſpiritum reſpuebant, ideo lumine fidei fuerunt orbati, & in tenebris ſuæ cæcitatis remanſerunt. *Quomodo*, inquiebat Saluator, *vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt non quæritis?* Hanc intentionis puritatem, qua verè pauperes efficimur, valde commendat S. Ioannes Chryſoſto. l. 2. de compunctione cordis, dum in eos, qui prius requirunt an mercedem ſint habituri, an non; & ſi grandis ſit merces in eo quod facere videntur, inuehitur his verbis: *Propoſitum tibi eſt, vt aliquid agas quod conditori tuo placeat, vt Domino tuo ſernias: & tu de mercedibus cogitas? Si enim te agentem quod tibi præceptum eſt, Dominus tuus in gehennam conjici iuſſurus eſſet, detractare oporteret non ſumma cum animi alacritate res honeſtas aggredi? Tu præſtas aliquid quod Deo placeat, & aliam mercedem requiris? Vere ignoras quantum boni ſit placere Deo. Si enim ſcires, nunquam aliud aliquid extrinſecus mercedis aut muneris expectares. Neſcis quia maior augetur tibi merces, quando non ſpe mercedis operaris, ſed ſtudio placendi? Aut non vides quomodo & apud homines, illi maximè famuli diliguntur, qui non tam accipere aliud à dominis, quam placere eis & obedire geſtiunt? Et ſi homines ita erga ſibi ſimiles agunt, tu qui tanta à Deo beneficia conſecutus es, & alia nihilominus ſperas bona, ſi quid pro ſalute tua geris, prius etiam penè quam geras, de mercedibus percontaris.* Ita Chryſ. At cum hæc pura intentio Deo placendi difficillimè habeatur, (homines enim naturali quadam inclinatione lucri & commodi ſunt cupidiſſimi) certe diuino indignemus auxilio, vt hanc difficultatem ſuperare valeamus: Vnde ſi videas aliquem abſque ſpe lucri aut laudis, & gloriæ humanæ, fideliter gratiæ cooperantem, hunc cete beatum & glorificandum abſque temeritate conjicere poteris.

Secundò, non minor eſt difficultas in exercitio ſecundæ beatitudinis, nempe: *Beati mites: quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Quis enim ſolo rationis naturalis lumine ductus, ad tantam ſui ipſius deſpicientiam deuenire poterit, vt inter iniurias & incommoda, animi ſinceram manſuetudinem conſeruet; itaut inimicos æquè teneris affectibus proſequatur, ac ſi ſibi eſſent amicitiâ deuinctiſſimi; qui à ſe expellat omnem animi elationem, quæ ex conſideratione meritorum oriri poteſt, & propulſet omnem cordis amaritudinem, quam ingerit vehemens proprij amoris inclinatio ad conſeruationem proprij intereſſe; vt hac ratione, dilectione, humilitate, omnium rerum abdicatione, ita deponat in Dei manibus, agnitione & confeſſione propriæ nihilitatis, quæcumque ſibi vtilia, commoda, honorifica & grata ſunt, vt pro Dei amore paratus ſit bonum pro malo reddere, cum eadem animi alacritate, cum quâ eadem præſtaret ſi ſibi nulla fuiſſet illata iniuria, quemlibet ſeipſo meliorem & digniorem reputans, vt aliis quodlibet commodum & gratum exhibeatur, ſibi, è contra, omnia ingrata & incommoda eueniant, exiſtimans ſeipſum dignum cui omne inferatur damnum; eoſque qui hoc modo ſe gerunt erga ſe vt mala ei inferant, optimè nouiſſe quam vilis & contemptibilis ſit reputandus: qua de cauſa contra ipſos non excandeſcit aut iraſcitur? O præclara animi manſuetudo! quæ preſſo veſtigio ſequitur pium & bonum Magiſtrum, qui olim dicebat: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Quis autem hoc præſtabit, & hanc manſuetudinem inter inimicos & damna ſeruare poterit? *Quiſnam*, inquit S. Chryſ. l. 1. de compunctione cordis (hæc verba ponderans: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*) *ex omnibus nobis, qui cum fiducia hæc valeat dicere Deo? quia etſi nihil mali faciamus inimicis & debitoribus noſtris, habemus tamen intra nos inſanabile vulnus offenſæ, Chriſtus vero non ita vult nos ignoſcere delinquentibus, ſed vt etiam amemus eos & oremus pro ipſis. Nam ſi tantummodo non ladas eum qui te læſit, auertas te tamen ab eo, nec libenter eum videas, manet ſine dubio vulnus in pectore, & dolor augeſcit in corde. Quod ſi ita eſt, nondum vtique quod Chriſtus*

Digitized by Google

mandauit impletur. Ita Chryſ. Ex quibus ſatis colligitur non mediocrem difficultatem in ſuperanda iniuriarum memoria; & curationem vulneris, per offenſam inflicti in corde, fieri cum labore. At manet ingens ac certa retributio his, qui per manſuetudinem iniurias obliuiſcũtur, & ex corde & animo offenſas condonant: de quibus S. Ambroſ. in verſis Pſ. 36. (*Manſueti autem poſſidebunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.*) *Meritò terram poſſident, in quibus Deus ipſe requieſcit, iuxta illud Iſ. Supra quem requieſcam, niſi ſupra humilem & quietum, & trementem verba mea? Qui ſunt manſueti, niſi quos nullus ſtimulus diſſenſionis exagitat, non ira perturbat, non ſæuitia exaſperat, non rabies crudelitatis inflammat? Et ideo quia non vina, non epulas, non diuitias, ſed pacem Domini dilexerunt, in corpore conſtituti; pro illa delectatione corporalium voluptatum, qua ſe putarunt eſſe fraudandos, vt gratiam adipiſcerentur æternam, delectabuntur in multitudine pacis, quam Dominus noſter Ieſus in diebus ſuis generi donauit humano; ſicut Prophetia, quæ non mentita eſt, comprehendit, aſſerens: Orietur in diebus eius iuſtitia, & multitudo pacis, donec extollatur Luna. Quæ igitur pax, qua cunctæ Eccleſiæ multiplicatus eſt populus, niſi illa de qua Dominus dixit: pacem relinquo vobis: pacem meam do vobis? Dedit pacem, qui animorum bella ſedauit.* Ita Ambroſ. Quod ſi in hac pace & tranquillitate animi, ac manſuetudine acquirenda, ſeruanda, tuenda, ingens reperitur difficultas, quæ abſque gratia Dei, quæ ius habet ad gloriam ſuperari nequit, certè ad perfectã omnium delectabilium & voluptatũ abdicationem, eiuſdem gratiæ auxilium etiam atque etiam exigitur. Quis enim intra ſenſitiuos naturæ motus commorans, eligit cuncta ſubire damna, omni conſolatione, quæ in hac vita experiri poteſt, ſpoliari; vt his ſpretis, lachrymis cibari velit, & dicat: *Fuerunt mihi lachrymæ panes die ac nocte?* Quis omnes præſentis vitæ proſperitates, omnes ſenſuum oblectationes paruipendet, vt tantùm defleat peccata quæ committantur, tam à ſe quàm ab aliis, & propria deflens cum Dauide dicat: *Afflictus ſum & humiliatus ſum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei. Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus?* Pſ. 37. Qui quidem dolor ab eius mente & cogitatione nunquam recedebat, ipſo dicente: *Quoniam ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper: quoniam iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo propeccato meo.* Culparum quippe agnitio eum non ſolum ad fundendas lacrymas, ſed etiam ad ſubeundas quaſcumque contrarietates, quas Deus immittere in pœnam delictorum ſuorum decerneret, eum paratum inueniebat.

Quis rurſus aliena deflere delicta fataget, vt Deum placare contendat; & hanc ſibi partem ſeliget, quaſi concupitam & pinguem quamdam adiret hæreditatem, lachrymas ſuas miſcens cum fletibus eorum, de quibus dicitur Ioel. c. 2. *Inter veſtibulum & altare plorabunt ſacerdotes miniſtri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo, & ne dor hæreditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eis nationes. Quare dicunt in populis: vbi eſt Deus eorum?* Certè ad eos qui gratia Dei repleti ſunt potiſſimum attinet exclamare. Deus bone! quo ab tij timor nominis tui? Quo honor tuus exulauit? Tota die nomen tuum blaſphematur. Inceſſanter homines tibi iniuriam irrogant. Certè *fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur quotidie: vbi eſt Deus tuus?* Triſtitia opprimor vſque ad mortem, cum video tam impudenti audaciâ, adeo liberè, impunè crimina graſſari, vt nec dici, nec cogitari, nec animaduerti poſſit aliqualem præſentiæ tuæ ſuper eſſe memoriam. *Lugendum certe & vere lugendum,* vt ait S. Chryſ. l. 1. de compunct. cordis, *præſentis vitæ tempus, in quo tantam malorum labem, tantaque videmus quotidie flagitia cumulari, quæ ſi velis accuratè conſiderare per ſingula, ſiquidem accuratè id fieri queat, nunquam poteris a lachrymis temperare. Sic enim omnia confuſa, ſic ſunt cuncta reſoluta, vt ne veſtigium quidem virtutis vſquam videas: nequitiâ verò & luxuriâ repleta eſſe cuncta perſpicias, & quod eſt infelicius, perurgentium nos malorum tam nec ipſi ſenſum capimus, nec aliis præbemus, nec alios monemus: ſed ſumus velut corpus extrinſecus quidem florens ac vegetum, intrinſecus verò tabe peſſimi languoris abſumptum: & contingis nobis quod illis ſolet, qui vel phreneſim patiuntur, vel mente capti ſunt; à quibus cum multa turpia & periculoſa vel dicantur vel etiam gerantur, nec pudoris tamen aliquid nec pœnitudinis capiunt; quin imo & magnifici ſibi, ac ſapientiores ſanis videntur & ſapientibus. Ita ergo & nos, cum omnia quæ ſanctitati contraria ſunt geramus, ne hoc ipſum, quod deeſt nobis ſanitas, nouimus.* Hæc Chryſ. Igitur ſi tot cauſas lugendi habeamus, & tamen propter animi ſtuporem mala noſtra non ſentiamus, ſatis manifeſtum eſt auxilium gratiæ requiri, vt luctus hîc neceſſarius, vt in æternum conſolemur, obtineatur. *Beati* quippe *qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur. Va* autem *vobis qui ridetis nunc, quoniam lugebitis & flebitis.* Alias etiam video cauſas lugendi, quæ huius gratiæ auxilium exigunt, nempe compaſſionem malorum, quæ à Deo immittuntur, vt flagitia hominum puniat. Has lachrymas petebat olim Ieremias dicens c. 9. *Qui dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? Et plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei*; Vel tandem patriæ cæleſtis deſiderium, ad quam anhelabat ille, qui nihil oblectamenti in mundo reperiens, dicebat ingemiſcens: *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus eſt, habitani cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea.* Quibus quidem lachrymis ac ſuſpiriis promittebat Chriſtus æternam mercedem, vt abſque temeritate quis præſumere poſſit aliquem fore beandum, quem viderit in hoc mundo continuo ingemiſcentem: ait enim Saluator: *Plorabitis, & flebitis vos: mundus autem gaudebit: ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Et reuera ſi olim Iſraëliticus populus cauſam ingemiſcendi habuit, ex eo quod procul à Ieruſalem exulabat, nec aliquam putabat debere ſe admittere conſolationem, licèt ab omni culpa immunem, qualis erat hymnorum & canticorum diuinorum modulatio. *Super flumina Babyloni:*, aiebant, *illic ſedimus & fleuimus, dum recordaremur Sion.* His autem, qui eos ad cantandum prouocabant, reſpondebant: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* multò magis nobis ingemiſcendum eſt, qui tam longe à patria cæleſti poſiti ſumus. Hinc S. Auguſt. in hunc Pſal. exclamat: *O ſancta Sion! vbi totum ſtat, & nihil fluit. Quis nos in iſta præcipitauit? Quare dimiſimus conditorem tuum, & ſocietatem tuam? Ecce inter fluentia, & labentia conſtituti vix quiſquam raptus à flumine, ſi tenere potuerit lignum, euadet.* Certe quidquid proſperi nobis hic aduenerit, cum nihil hîc ſit ſecurum, aut firmum obtineri poſſit, ſemper aderit lachrymarum & gemitum ampla materia, & ad patriam cæleſtem adſpirandum erit, in qua omnia certa ſunt ac ſecura, dicente Eſaia: *Sedebit populus in pulchritudine pacis, & in requie opulenta.* At, vt his finem imponamus, niſi quis ſupernaturali Spiritus ſancti impulſu motus fuerit, nunquam oblectamenta carnis ac mundi reſpuet, nunquam mortificationi appetituum & ſenſuum vacare, nunquam opera pœnitentiæ libenter poterit amplecti, vt tot animarum damnationem lugeat, tot tantiſque proximorum miſeriis compatiatur, itaut cum gemitibus ac ſuſpiriis ad cæleſtem patriam adſpiret.

Veniamus ad quartam beatitudinem, nempe iuſtitiæ famen & ſitim; in cuius certè exercitio non

minorem inuenio difficultatem, quàm in exercitio aliarum, de quibus ſupra, quocumque modo hanc famen ſeu ſitim intelligamus. Nam ſi de corporali fame ac ſiti loquamur, quis abſque ſupernaturali auxilio libenter famen ac ſitim tolerare eſeliget, itaut dicat cum Paulo: *Vſque in hanc horam & eſurimus & ſitimus, &c?* Quis, cum eodem, in fame & ſiti & in ieiunijs multis vitam tranſigere gaudebit? Certè neceſſarium eſt vt aliquid eum auellat ab amore naturali, quo carnem proſequimur, (*Nemo enim carnem ſuam odit, ſed nutrit & fouet eam*,) vt poſſit alimenta vitæ neceſſaria ſibi ſubtrahere, & corporis iura, vt ita dicam, pedibus conculcare. Quid autem eum hominem auellere poſſet, niſi amor virtutis ac iuſtitiæ, quo quis inardeſcens corpus negligit, & marcidum reddit, vt animum impinguat gratia cæleſti? Tanta certè eſt ſympathia animæ cum corpore, vt facile ſibi perſuadeat ea quæ ſunt corporis, æqua lance cum ea quæ ſunt animi eſſe ponderanda, & in eodem habenda pretio: quo fit vt plures fateantur virtutem valde eſſe amabilem; at pauci ſunt qui in animum ſuum inducant eam eſſe conquirendam, aut exercendam cum tanto ſtudio & ardore, vt ſanitati corporis officere non timeant, & rerum vitæ ſuſtentationi neceſſariarum, propter virtutis amorem, penuriam pati eligant. Sed quia probabilius eſt hanc eſuriem & ſitim metaphoricè ſumi pro deſiderio, vt Eccleſiaſt. 24. *Qui edunt me adhuc eſurient, & qui bibunt adhuc ſitient*: Nec enim dixit Chriſtus. Beati qui eſuriunt & ſitiunt propter iuſtitiam, ſed, *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam*; aliud quid nobis requirendum quod abſque ſpeciali diuinæ gratiæ auxilio, vt oportet, deſiderari non poſſit. Hinc dicimus. Quis iuſtitiam, ſiue eam accipias pro ſpeciali virtute, qua vnicuique ius ſuum tribuitur, ſiue pro vniuerſali, quæ omnem virtutem & ſanctitatem complectitur: quis inquam æque eſurit & ſitit, æque deſiderat hanc virtutem, vt auari raptores aurum & pecunias eſuriunt & ſitiunt; vt famelicus ac ſitibundus panem ac vinum concupiſcit, quo reficiatur & recreetur? Quis cum pari ardore ad perfectionem vitæ anhelabit? Quis Deo obſequium, proximo auxilium, ſibi ipſi ſedulam in moribus rite componendis diſciplinam, cum tanto ſtudio reddere conabitur? Quis denique, ſi iuſtitiam pro ſpeciali virtute ſumamus, ſine acceptione perſonarum paratus erit eam adminiſtrare in omni tempore, itaut nec timore, nec amore, nec aliquo humano reſpectu, ab ea ritè adminiſtranda poſſit retardari? Certè quocumque modo hanc famen & ſitim, & hanc iuſtitiam intelligamus, opus eſt ingenti gratiæ auxilio, vt iſta fideliter adimpleantur. Nemo hoc negare audebit, qui arcta & auſtera ieiunia ſanctorum perlegerit: adeo durè & aſperè corpus ſuum habuit B. Franciſcus, vt in extremo vitæ articulo poſitus, ipſi veniam petere æquum eſſe duxerit; ac ſi aliquam admiſiſſet culpam, quam fortè contraxiſſet, niſi ad hoc agendum fuiſſet ſpeciali Spiritus ſancti inſtinctu permotus. Quod ſi quis Paulum imitatus ad perfectionem tendere voluerit, & dicat: *Non quod iam perfectus ſim: ſequor autem ſi quomodo comprehendam quomodo comprehenſus ſum*; ſentiet proculdubio quantopere neceſſarium ſibi ſit diuinæ gratiæ auxilium, vt iuſtitiam integram, vniuerſam, & omnibus numeris abſolutam obtineat; & ſicut ſtatera iuſta, ſiue aurum, ſiue plumbum ponderet, in quauis materia æquitatem exhibet, ita poſſit ab omni ſpecie mali abſtinere, & quodlibet bonum opus perficere: vt non tantum in actionibus ſuis virtutem exhibeat, ſed etiam in congreſſu & ſermone à recta virtutis ſemita non deuiet. Optimè ſiquidem dixit S. Iacobus c. 3. *in multis enim offendimus omnes: ſi quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir. Quis*, dicebat iſte poſtea, *ſapiens & diſciplinatus inter vos? Oſtendat ex bona conuerſatione operationem ſuam, in manſuetudine ſapientiæ*. Fatigantur homines, & tædio afficiuntur ſæpiſſimè, dum in ſtadio virtutis currere percupiunt: nunquam in eodem ſtatu permanent, volubiles & deambulatoriæ ſunt eorum voluntates. Quomodo igitur ſtarent & perſeuerarent in exercitio virtutum, niſi diuino confortarentur auxilio? *Non nobis ſufficit*, inquit S. Hierony. in 5. Matt. *velle iuſtitiam, niſi iuſtitiæ patiamur famem; vt ſub hoc exemplo nunquam nos ſatis iuſtos, ſed ſemper eſurire iuſtitiæ opera intelligamus*. Ita Hier. At ad hoc proſequendum feliciter, iſto indigemus auxilio, de quo Pſal. ait: *Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me*. Denique quàm difficile ſit iuſtitiam inculpatè & iuſtè adminiſtrare docet S. Chryſ. l. 3. de ſacerdotio, loquens de poteſtate iudiciaria Epiſcoporum; *Quæ quidem*, inquit, *præterquam negotiis permultis plena eſt, tam multas etiam difficultates affert, quam multas ne forenſes quidem iudices ſubeunt. Nam cum iuſtum ipſum inuenire labor eſt, tum eo inuento id non labefactare laborioſum*. Ita Chryſ. Vnde optimè ſapiens virtute deſtituto conſulit, ne iudicis officium vſurpet, cum ait: *Noli fieri index, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates*. Cauſam enim damnationis ſibi compararet, ſi rem tantopere difficilem, & quæ tantam inducit obligationem aggrederetur, auxilio neceſſario virtutis deſtitutus. Si autem de miſericordia, quæ quinto loco ponitur, agamus, licèt actus miſericordiæ, naturæ ac humanitati videatur conſentaneus, & hac de cauſa exerceri poſſe cum maxima facilitate, nihilominus ſi illum ſpectemus ſecundum illam perfectionem quæ exigitur, vt per eum beatitudo poſſit comparari, infallibiliter rarus erit vir miſericors. *Multi homines*, inquit Salomon Pro. 20. *miſericordes vocantur, virum autem fidelem quis inueniet?* Id eſt, qui in omnibus fideliter miſericordiam exerceat, qui opera miſericordiæ indifferenter erga omnes, inquolibet tempore, in quauis materia, omnibus modis exerceat; præterquam quod pura ad Deum intentio, & charitatis motiuum requiritur vt meritorium reddatur: Hoc itaque non ita proculdubio peruium. Hic amico compatitur, & beneficia præſtat, qui alienum & incognitum omnimodè negligit: hic hodie animum ad beneficiendum paratum habet, qui mox mutabit animum, & ex leui offenſa mortem potius inferre, quàm auxilium præſtare optaret. Hic in morbis corporis auxilium præbet, & ex corporeis infirmitatibus ad compatiendum inducitur, qui animæ damna totaliter ſpernit: hic bona temporalia libenter impendet, qui nec minimam iniuriam condonare aut excuſare poterit. At vt quis verè miſericors dici poſſit, nihil excipiendum eſt, omnibus auxilio eſſe, in quolibet tempore, in qualibet materia, quouis modo neceſſe fuerit: nec vlli ſibi præſcribendi ſunt limites, quam quos ponit impoſſibilitas ſuccurrendi, affectibus, verbis, operibus, opibus ac diuitiis proximis compatiendo, itaut ſi libertatem, ſi vitam pro eis impendere neceſſarium ſit, eam impendere non dubitemus, ſanctum Paulinum imitantes, qui ſeipſum pro filio viduæ in captiuitatem redegit; S. Paulum imitantes, qui anathema volebat fieri pro fratribus, Domini exempla ſequentes, qui ſeipſum obtulit pro inimicis, & docuit maiorem charitatem neminem habere, quam dum animam ponit pro amicis. Hæc certè fieri non poſſunt, niſi fuerimus diuino præuenti auxilio. Vnde ſi virum miſericordem hoc modo videas, ſperandum certè eſt illum auditurum eſſe in iudicio: Veni benedicte Patris mei: poſſide regnum quod tibi paratum eſt à conſtitutione mundi: Eſuriui enim, &c.

Digitized by Google

Sexta ſequitur beatitudo, mundities cordis: *Beati mundi corde.* Per corde mundos, eos intelligimus, qui nullo mortifero opere, aut verbo, aut cogitatione ſunt contaminati, quoniam cor fons eſt peccatorum. *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adultera, fornicationes, furta, blaſphemiæ; Hæc ſunt quæ coinquinant hominem.* Matt. 15. *Quos*, inquit S. Hierony. *non arguit conſcientia vlla peccati. Mundus mundo corde conſpicitur; templum Dei non poteſt eſſe pollutum.* Illa Hieron. Alij per munditiem cordis, ſimplicitatem intentionis intelligunt: qua quælibet duplicitas, malignitas & peruerſitas ſeculi fugatur. Denique hæc mundities caſtitatem corporis adiunctam habere debet. Quomodo enim quis poſſet cordis munditiem ſeruare, qui in carnis voluptatibus volutaretur, tanquam ſus in volutabro luti? *At quis gloriabitur mundum ſe habere cor & purum ſe eſſe ab omni peccato?* ait Salomon Pro. 20. Adeo ſagax eſt amor proprius, in inquiſitione eorum quæ ſibi commoda, honorabilia, & vtilia eſſe ſuſpicatur, quòd abſque Dei auxilio, nullus ad hanc ſimplicitatem, (quæ tantopere Iob reddebat commendatione dignum, vt diceretur *vir ſimplex & rectus*) qua poſſit familiariter cum Deo conuerſari, poſſit peruenire: quia *abominatio Domini eſt omnis illuſor, & cum ſimplicibus ſermocinatio eius.* Illuſor nempe, *vir duplex animo, inconſtans in omnibus vijs ſuis*; Iacob. 1. quem dum exiſtimas Deo ſeruire, ad terrena & maligna plærumque deflecti & adſpirare cernimus. Denique certum eſt neminem poſſe eſſe continentem, niſi Deus dederit. Sap. 8. *Et vt ſciui quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det*, &c. Clarum eſt quocumque modo munditiem cordis intelligamus, nos ad eam adipiſcendam indigere gratiâ Dei: quo fit vt ſi quis cognoſci poſſit abſque macula ambulare in omnibus viis ſuis, facile conjicere valeamus eum ad Dei viſionem euehendum fore.

Septima ſeſe offert beatitudo, *Beati pacifici, quoniam Filij Dei vocabuntur*: de qua dicendum occurrit, quòd ſiue per pacifices intelligamus eos, qui iniurias libenter condonant, & dimittunt; ſiue eos qui nullis conſcientiæ ſtimulis, nullis dubiis aut ſcrupulis, nullis vanis terroribus ac animi puſillanimatibus, nullis iudiciis ac ſuſpicionibus temerariis falſis aut erroneis, nullis paſſionibus exagitantur & perturbantur; ſiue illos qui nullam repugnantiam experiuntur in iis omnibus, quæ Deus ab eis poſtulare videtur, & voluntati ipſius obſequi omnimodè conantur; ſiue eos intelligamus qui tales ſunt, vt in nullo ne minimam quidem offenſionum occaſionè aliis dare ſatagunt, nullam nec factis nec verbis, pacem diſcindendi cauſam præbent; eos inquam, qui in ſe & cum aliis pacificè agentes, pacem ac beneuolentiam cum omnibus hominibus promouere, conciliare, ſeruare ſtudent; cum tutus ſit qui in verbo non offendat, qui aliquam renitentiam, & contradictionem in ſeipſo non experiatur, inter tot vitæ viciſſitudines, ac rerum varietates conſtitutus; qui non ſentiat aliquando multos ac violentes paſſionum motus; qui non diuerſis cogitationibus, ac mentis perturbationibus, & animi agitationibus quandoque vexetur, cuique tanta tribuatur autoritas, vt ei cuncti omnia ſua negotia determinanda libenter deponant, vt pote qui ab omni proprio intereſſe, inordinato affectu alienus, vt pote qui propriæ cogitationi aut iudicio minimè adhæreat, æqui ac iuſti amator vehementiſſimus, & acerrimus propugnator, itaut diſſidentes eius determinationi ac iudicio adhærentes, facilè redeant in concordiam; certè ſatis manifeſtum eſt hæc omnia præſtari non poſſe abſque ſpeciali Dei auxilio. Qua quidem de A cauſa, ſi quem cum aliis & in ſe pacificum conſpicias, eum filium Dei agnoſco: ſi autem filius, & hæres, hæres quidem Dei, & cohæres Chriſti: cuius opus germanum eſt dare pacem, ipſo dicente: *Pacem meam do vobis: pacem relinquo vobis: non quomodo mundus dat ego do vobis:* Nempe quia eam dat veram, integram, perfectam, perpetuam, cum Deo, cum creaturis cunctis, & vt qui eam habet, eam in ſeipſo poſſideat, & in aliis promoueat, fugatâ in primis omni animi perturbatione. Rectè enim S. Hierony. de his pacificis loquens in cap. 5. Matth. ait: *Qui primùm in corde ſuo, deinde & inter fratres diſſidente pacem faciunt. Quid enim prodeſt alios per te pacari, cum in tuo animo ſint bella vitiorum?* Ita Hierony. Et certum eſt pacem diuinum eſſe opus, quam nec mundus B dare, nec eam ſuſcipere poteſt. Qui igitur eam tanquam munus è cœlo delatum habent, cæleſtia ſperare facilè poſſunt.

Denique certum eſt nullum eſſe qui perſecutiones propter iuſtitiam, id eſt, pro tuenda fide, aut qualibet virtute, poſſit tolerare, qui non ſit Dei fretus auxilio. Tolerantia quippe perſecutionum propter iuſtitiam eſt conſummatio Chriſtiani. Hæc autem tolerantia ad omnia extenditur, non tantum ad verbera, ad mortem, ſed etiam ad contumelias & maledicta: quæ tolerari debent propter diuinam mercedem. *Sed*, vt ait S. Hierony. *neſcio quis hoc noſtrum poſſit implere, vt laceretur opprobriis fama noſtra, & nos exultemus in Domino. Hoc qui vanam ſectatur gloriam, C implere non poteſt. Gaudere igitur & exultare debemus, vt merces noſtra in cæleſtibus præparetur. Eleganter in quodam volumine ſcriptum legimus: Ne quæras gloriam, & non dolebis cum inglorius fueris.* Ita Hierony. Quibus omnibus patet, quod ſi quis has teneat ſemitas, ſi cum Iacobo & Ioanne hos calices exhaurire auſus fuerit, ſi cibum hunc auſterum & durum digerere potuerit, certè in numero electorum eum reponere abſque temeritate poterimus.

Quod actus Beatitudinum, ſpiritum gratiæ ſupernaturalis maxime redoleant. §. 4.

Quamuis vera ſint quæ docet S. Ambroſius l. 1. D de officiis c. 16. hæc verba exponens: *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælo*; nempe in futuro non in præſenti tempore mercedem eſſe promiſſam; *Futuram*, inquit Ambroſius, *non præſentem, in cælo non in terra, mercedem promiſit eſſe reddendam. Quid alibi poſcis, quod alibi debetur? Quid præpropere coronam exigis, antequam vincas? quid detergere puluerem? Quid requieſcere cupis? Quid epulari geſtis, antequam ſtadium ſoluatur?* tamen quicumque cum Apoſtolo dicere poteſt: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui*, de mercede debet eſſe ſecurus: habet enim coronam iuſtitiæ repoſitam, quam reddet illi iuſtus iudex; ille, inquam, qui non mentitur Deus. Hoc ſperare poſſunt ac E debent, qui actus beatitudinum fideliter exercent, eo magis quo iſtæ recto tramite ad ſalutem deducunt. Ad hos enim actus exercendos deſtinantur fructus, qui ex præſentia Spiritus ſancti in nobis producuntur, veluti ad excellentiores actus, qui ſpiritum gratiæ maxime redoleãt. In exercitio quippe continuo & exactiori illarum actionum heroicarum, potiſſimùm conſiſtit perfectio Euangelica, quam docet Chriſtus Matt. 5. dum os ſuum aperiens omnes beatitudines prædictas diſcipulis ſuis intimauit. Hac de cauſa S. Tho. 12. q. 70. ar. 2. præfert beatitudines fructibus Spiritus ſancti, *Quod plus requiritur ad rationem beatitudinis, quàm ad rationem fructus: nam ad rationem fructus, ſufficit quod ſit aliquid habens rationem vltimi & delectabilis. Sed ad rationem Beatitudinis vlteriùs requiritur, quod ſit aliquid perfectum & excellens.*

Digitized by Google

tellēs. Vnde omnes beatitudines poſſunt dici fructus: ſed non A *conueniunt; ſunt enim fructus quæcumq; opera virtuoſa in quibus homo delectatur, ſed beatitudines dicūtur ſolùm perfecta opera: quæ etiam, ratione ſuæ perfectionis, magis attribuuntur donis quàm virtutibus. Et quia*, vt idem docet q. 69. ar. 1. *ſpes de fine conſequendo inſurgit ex hoc, quod aliquid cōuenienter mouetur ad finem, & appropinquat ad ipſum quod quidem fit per aliquam actionem*: Ideo dicimus eos qui exercent actus beatitudinum qui à virtutibus & donis tantum diſtinguūtur, ſicut actus diſtinguuntur ab habitibus, optimam de ſua ſalute ac beatitudine poſſe ſpem concipere; quia per actus beatitudinum mouentur conuenienter ad finem, & appropinquant ad ipſum; per eos enim actus tanquam perfectiores, inducit Spiritus ſanctus electos ad beatitudinem æternam, quos ad ſuam obedientiam & ſequelam per virtutes infuſas & dona optimè diſpoſuit & perfecit. Quod autem fructus Spiritus ſancti ad illas actiones heroicas, quibus beatitudinem æternam quaſi ad manum teneimus, ordinentur; & per eos actus conjici poſſit præſentia ſpiritus ſancti, quia charitas radix meritorum diffunditur in cordibus; patet ex ſpiritu paupertatis: nihil enim ita teſtatur vehementiam amoris diuini, quàm dum propter Deum omnia relinquimus, & à cunctis auellimur, vt ſimus cum eo vnus ſpiritus. Gaudium & pax, quæ charitatem ſequuntur, demonſtrant quòd nihil extrinſecum nos perturbare poteſt; ac in poſſeſſione boni, cui nihil comparari poteſt, mentem noſtram conquieſcere, vt nihil nobis deſiderandum occurrat: qui quidem fructus cum mititate, qua terram poſſidemus, & cum pace, qua Filij Dei nuncupamur, optimè conuenit. Patientia & longanimitas, ad octauam beatitudinem ferendi æquanimiter tribulationes & perſecutiones referuntur: quæ quidem octaua beatitudo præcedentium videtur eſſe quædam confirmatio, aut manifeſtatio: ex eo enim quis confirmatur in paupertate ſpiritus cum manſuetudine, quòd ab eo ſpiritu paupertatis aut manſuetudinis minime recedit ob perſecutiones. Vnde tribulationes pro Dei amore toleratæ, notæ ſunt inſigniores, quibus dignoſci poſſit aliquem ſyncerè in ſemita mandatorum Dei progredi & ambulare. Bonitas & benignitas ad affectum miſericordiæ referuntur. Ille enim verè bonus & benignus, qui verè eſt miſericors. Manſuetudo, qua ira compeſcitur & refrenatur, mititatem reſpicit & teſtatur. Sequitur alius fructus, qui dicitur fides, ſiue quia fidelitatē ſeruamus & neminem decipimus, ſiue quia mentem Deo ſubjicimus, captiuantes intellectum in obſequium fidei: ad mundicitatem cordis requiritur. Qui enim per duplicitatem cordis aliquem falleret, aut per præſumptionem ſpiritus, fidei iugum excuteret, mundus corde dici non valeret. Sequuntur alij fructus, nempe modeſtia, quæ in verbis & actibus debitum modum obſeruat; continentia, ſine qua voluptates etiam licitas rejicimus, vel qua, ſi quos concupiſcentiæ motus adhuc pati contingat, ab eis mentem, cogitationem, & conſenſum omnino amouemus; Caſtitas, ſiue qua illicitas voluptates refrenamus, ſiue qua prauos concupiſcentiæ motus compeſcimus, ne nos in deprauatas actiones abducant. Hi omnes fructus, mortificationis hominis exterioris, quem ab vberibus conſolationum carnalium auellimus, ſignum euidentiſſimum; vel ad mundicitatem cordis vel ad famen & ſitim perfectæ iuſtitiæ, quæ non ſinit nos in minuſculam imperfectionem voluntariè incidere, referuntur: itaut hi actus, quos vocamus beatitudines, ſigna ſint euidentiſſima præſentiæ Spiritus ſancti in nobis operantis, & fructus virtutum heroicarum in nobis & per nos producentis: vnde coniectari poſſimus eum qui

Tom. I.

tales elicit actus, ac tam bonos producit fructus, rectâ viâ ad cœlum properare: arbores ſunt à Deo plantatæ, quæ eradicari non poſſunt, irrigantur flumine gratiæ, quo ciuitas Dei lætificatur, vt fructum afferant in tempore ſuo, videlicet cum ad beatitudinem cōſummatam feliciter peruenerint: ad quam comparandam conuenienter diſponuntur per actiones inſignes & excellentes, & humanam fragilitatem ſuperantes, & præcipue per actiones vltimæ beatitudinis, qua fiunt Chriſto crucifixo conformes. Vnde abſque temeritate dicere poſſumus, videntes eos Chriſto compatientes, cum illo eſſe glorificandos: *Si* enim, inquit Apoſtolus, *compatimur, & conglorificabimur*: Interim ne deficiamus ex dilatione ſeu retardatione mercedis, & greſſus noſtri ab hac B ſemita non recedant nec moueantur, videntes mundanos in otio degentes, ac voluptatibus ſe ingurgitantes. Audiamus S. Ambroſ. ſupra n. l. 1. off. c. 16. *Sed forte dicas? Cur impij lætantur? Cur luxuriantur? Cur etiam ipſi non multum laborant? Quoniam qui non ſubſcripſerint ad coronam, non tenentur ad laborem certaminis. Quia in ſtadium non deſcenderunt, non ſe perfundunt oleo, non obliniunt puluere: quos manet gloria, expectat iniuria. Vnguentati ſpectare ſolent, non decertare, non ſolem, æſtus, puluerem imbreſque perpeti. Dicunt ergo & ipſi athletæ: Venite, nobiſcum laborate. Sed reſpondebunt ſpectatores: Nos hic interim de vobis iudicamus, vos autem ſine nobis, ſi viceritis, gloriam vendicabitis. Illi igitur qui in deliciis, qui in luxuria, rapinis, quæſtibus, honoribus, ſtudia poſuerunt ſua, ſpectatores magis ſunt quam præliatores: habent lucrum laboris, fructum virtutis non habent. Fouent otium, æſtutiâ & improbitate aggerant diuitiarum aceruos, ſed exoluent, ſerò licèt, nequitiæ ſuæ pœnam. Horum requies in inferno, tua vero in cœlo: horum domus in ſepulchro, tua in paradiſo. Vnde pulchrè vigilare eos in tumulo dixit, quia ſopórem quietis habere non poſſunt, quem ille dormiunt qui reſurrexit. Noli igitur vt parvulus loqui, vt parvulus cogitare, vt parvulus tibi vendicare quæ ſunt poſterioris ætatis. Perfectorum eſt corona. Expecta vt veniat quod perfectum eſt, quando non per ſpeciem & in ænigmate, ſed facie ad faciem ipſam reperiæ veritatis poſſis agnoſcere.* Hæc Ambroſ. Qui addit tunc reuelari quâ causâ quis diues, potens fuerit, & de abuſu potentiæ & diuitiarum rationem ſtrictè eſſe redditurum, exprobrante datore bonorum his verbis: *Famule meus quid feci tibi? Aut quid contriſtaui te? Nonne ego tibi liberos dedi, homines contuli, ſalutem donaui? Cur me negabas? Cur exiſtimabas ad ſcientiam meam quo gereres non peruenirent? Cur tenebras dona mea, deſpiciebas mandata mea? &c.* Hæc Ambroſ.

Quoadúſque ſignemus ſeruos, &c.

De quonam ſigno, inter tot de quibus ſupra, hic locus petiſſimùm ſit intelligendus.

ANNOTAT. XII.

SI conjicere poſſumus de quo ſtatu electorum hîc loquatur S. Ioannes, facilè videre poterimus quale ſignum gerere debeant, huic ſtatui conſentaneum. At prædeſtinati ſeu electi conſiderari poſſunt, vel vt in ſtatu peccati aliquando poſiti, vel vt in ſtatu gratiæ internæ ſeu iuſtificationis conſtituti, de qua excidere poſſunt; vel vt in ſtatu exterioris profeſſionis fidei, & fidelitatis, quam Deo exhibere ſatagunt per ſigna exteriora; vel in tali ſtatu, vt videantur quaſi quibuſdam præditi facultatibus ſiue auctoritatibus, quibus idonei miniſtri reddantur voluntatis Dei, & cooperatores illius, in operibus ſupernaturalibus; inſuper in ſtatu gratiæ finalis, in qua donum perſeuerantiæ recipientes,

Qqq

Digitized by Google

vitæ curſum feliciter conſummant ; denique vt in ſtatu gloriæ iam adeptæ conſtituti. His poſitis,

Dico primò : S. Ioannes electos hic minimè deſcribit, vt in ſtatu peccati exiſtentes: ſtant erecti, non iacent proſtrati & terræ adhærentes, ad modum reproborum & amatorum mundi, qui cor ſuum ſtatuerunt declinare in terram : à quo malo eripi poſtulabat Dauid Pſ. 43: *Exurge, quare obdormis Domine ? Exurge & ne repellas in finem, &c. Quoniam humiliata eſt in puluere anima noſtra, conglutinatus eſt in terra Venter noſter.* Ambulant in conſpectu & præſentia Dei, nec nominis eius obliuiſcuntur, memores ſunt nominis eius, in mente quippe memoriam Agni, & myſteriorum Redemptionis, profundè inſculptam gerunt; candidis amiciuntur ſtolis innocentiæ & integritatis morum, ad beneficia redemptionis minimè ingrati ; veluti ingrati ſunt, è contra, illi qui ſpiritui gratiæ contumeliam faciunt, & pedibus conculcant ſanguinem teſtamenti; de vnoquoq; eorum dici poteſt : *Et induit maledictionem ſicut Veſtimentum, & intrauit ſicut aqua in interiora eius, & ſicut oleum in oſſibus eius : fiat ei ſicut Veſtimentum quo operitur, & ſicut Zona qua ſemper præcingitur.* Pſ. 108. Palmas electi geſtant in manibus, ob victorias gloriosè reportatas, nec ſuggeſtionibus malignis, nec appetitibus carnis, nec dæmonum inſultibus & impugnationibus ſuccumbunt. Laudes Dei alta voce intonant, qui à reprobis quotidie blaſphematur ; perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, & humiliantur ſub potenti manu Dei excelſi ; nec de numero eorum ſunt de quibus dicitur : *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur. Ideo tenuit eos ſuperbia, operti ſunt impietate & iniquitate ſua,* Pſ. *Venerunt* enim *de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni* ; illius paſſionis participes. Denique ſeruiunt Deo die ac nocte, & in eis Deus habitat, nec ab eo rejiciuntur, aut ab eius facie repelluntur aut projiciuntur, propter animi audaciam, præſumptionem aut temeritatem. Igitur ex ſitu corporis, ex veſtimentis, ex actionibus illorum, facilè conjicimus eos non eſſe in ſtatu peccati, ſed potiùs gratiâ Dei eſſe decoratos.

Dicendum ſecundò : eos non eſſe conſiderandos, vt ſimpliciter & præcisè in ſtatu gratiæ conſtituros, à qua poſſent decidere ; nam ſufficienter non exprimerentur aut manifeſtarentur electorum ſeu prædeſtinatorũ prærogatiuæ, quæ ex ſigno in frontibus impreſſo, ex palmis in manibus, colliguntur. His enim notis conjicimus & gratiam interiorem iuſtificationis, & actus externos ex tali gratia elicitos; eoſque potius conſpicimus veluti in gratia perſeuerantes, & victoriam reportantes, quàm vt in certamine & conflictu adhuc conſtitutos : gladium enim & ſcutum potius quam palmam geſtare deberent, ſi vt certantes, & in ſtatu in quo vinci poſſent, & à gratia excidere, repræſentarentur.

Dico tertiò: electi ſeu prædeſtinati hic non repræſentantur, vt ſtatum gloriæ iam adepti. Primo, quia in tali ſtatu nihil timendum. Sedent in tali ſtatu, vt Iſa. docet c. 32. *In pulchritudine pacis, in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta.* At de his, de quibus agitur, timetur ne aliquid detrimenti accipiant ab Angelis, quibus datum eſt nocere terræ & mari : Secundo iiſdem rationibus, quibus docuimus Thronum erectum in cœlo, Deum, vt regnantem in Eccleſia triumphante, minimè repræſentare, poſſumus etiam demonſtrare Sanctum Ioannem in hoc ſeptimo capite non loqui de electis, vt iam gloriam æternam conſecuti, ſed de his loqui, vt adhuc membra exiſtunt Eccleſiæ militantis. Nam ſi thronus, de quo in capite quarto huius reuelationis fit mentio, Deum in Eccleſia militante regnantem ſignificat, proculdubio ij qui in conſpectu Throni eſſe dicuntur, in terra adhuc degere, non autem in cælo habitare dicendi ſunt : at iſti dicuntur eſſe ante Thronum Dei, non alium certè quàm eum, de quo iam locutus fuerat : ne tranſeundo de vno ſtatu ad alium, abſque ſpeciali expreſſione, ſenſum Prophetiæ ſuæ non ſolum obſcuriorem, ſed etiam incertiorem reddat S. Ioannes. Sunt igitur electi adhuc in Eccleſia militante exiſtentes, non autem iam gloriam æternam conſecuti. Tertiò, hoc conjicio ex modo quo effectus gloriæ hic deſcribuntur, nempe vt quid futurum & nondum exiſtens, cum dicitur: *Qui ſedet in Throno habitabit ſuper illos: non eſurient, neque ſitient, Agnus reget illos : & deducet eos ad Vitæ fontes aquarum : Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Non autem dicuntur hæc omnia in tempore præſenti. Ex hac igitur loquendi formula, in tempore futuro, loqui potiùs videtur S. Ioannes de iure, quo infallibiliter electi conſequuntur gloriam, quàm de actuali gloriæ poſſeſſione. Hic igitur tandem deſcribuntur electi, quaſi ius certum & infallibile habentes ad gloriam, tum ratione promiſſorum, tum ex ſignis & notis prædeſtinationis, ſed nondum gloriam adepti : nam dum hæc ſigna imprimuntur in eis, conſiderati potiùs debent vt membra Eccleſiæ militantis, quàm vt membra Triumphantis.

Dico igitur vltimò : Electi ſeu prædeſtinati hic repræſentantur, vt in ſtatu gratiæ finalis, ex dono perſeuerantiæ conſtituti, vt vltimum gratiæ gradum, quo totius vitæ eorum decurſus conſummatur, adepti : quod vt meliùs intelligatur, doctrinam Theologorum hic adducere non piget. Docent igitur Theologi impoſſibile eſſe eos, qui prædeſtinati ſunt, manere ſemper in ſtatu peccati, & vitam conſummare in peccato mortali : quod Trigoſius probat ex S. Ioannis 3. *Qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit : quia ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare,* videlicet peccato finalis impœnitentiæ. Imo, ait S. Ioan. *generatio Dei conſeruat eum, & malignus non tangit eum.* c. 4. Ex hac doctrina colligere poſſumus, animam iuſti ſeu prædeſtinati in aliquo temporis ac vitæ ſuæ momento, talem gratiam recipere, vt ab ea amplius excidere non valeat, nec eam poſſit amittere gratiam. Etenim prædeſtinatus pro certo quodam tempore donum perſeuerantiæ recipit : quod quidem illi confertur ne a gratia excidat, eamue amittat ; ſiue hoc perficiatur & adimpleatur per dona, & auxilia propria, & particularia, quibus Deus hominem in ſuis actionibus præueniat, & principaliter dum occaſio ſe præberet & offerret in peccatum incidendi ; quibuſque mouet, & efficaciter agit & impellit prædeſtinati voluntatem, itaut non ſolum ratione præſcientiæ, ſed etiam virtute horum auxiliorum, voluntas adeo efficaciter inducatur, vt, moraliter loquendo, reſiſtere non poſſit, licèt phyſicè loquendo remaneat in voluntate quædam ad obnitendum & reſiſtendum potentia : quod quidem dicunt confirmati in gratia ; ſiue hoc donum perſeuerantiæ conferatur ſolummodo per auxilia ordinaria donorum & gratiarum, Deo ita prouidente & taliter operante, vt hæc dona conferantur temporibus opportunis, & in tali numero & copia elargiantur, vt ad talem effectum producendum ſufficientia ſint : ſatis mihi eſt quocumque modo id perficiatur, ſi pro certo habeamus hominem poſſe in hac vita, in aliquo temporis momento, ſeu vitæ periodo, gratiam finalem recipere, quam amittere nequeat, qua impoſſibilitate morali à gratia excidendi, ſiue duratione in hac gratia finali vſque ad vltimum vitæ præſentis halitum, gratia compleatur, & perficiatur, ſeu conſummationem ſuam obtineat;

Digitized by Google

dum ſtatim atque anima à corpore ſeparatur, gratia A conſummata nempe gloria poſſit conferri, omni obice adempto qualis eſt ſi quid purgandum reſtat poſt mortem: Gloriam namque, gratiam conſummatam dicimus, ſicut gratiam, glotiam incæptam nuncupamus. Eſt quidem gratia illud ſemen in nobis manens, quod quidem fructum ſuum producit, dum gloriam conſequitur æternam. De hac gratia finali loqui videtur S. Paulus Epheſio 1. cum ait: *Elegit nos in ipſo, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius, in charitate*: Tunc enim ſancti & immaculati ſumus coram Deo, cum gratia ad hunc peruenit perfectionis gradum, vt firma & immobilis cõſiſtat, qualis exiſtit dum amplius amitti non poteſt; quod quidem fieri incipit dum finalis eſt, & ab eo inſtanti quo datur, vltimam claudit vitæ noſtræ periodum, & futuræ vitæ dat initium. Hac ratione, ſeu per hanc gratiam finalem, & donum perſeuerantiæ, ſancti & immaculati ſumus in conſpectu Dei. Nec enim gratia in reliquo totius vitæ decurſu, dum amitti poteſt, talis eſt: vt per eam digni efficiamur æterna Dei in nobis manſione. His præſuppoſitis,

Dico ſanctum Ioannem videre electos & prædeſtinatos ſecundum hunc ſtatum gratiæ finalis, quem in hac vita recipiunt. Colligimus tamen electos in duplici reponi differentia. Quidam enim per auxilia particularia, ad eminentem quemdam perfectionis gradum deuenerunt; quidam per auxilia & dona gratiæ ordinaria, ſed in tempore opportuno, & C in tali numero data, vt ſalutem per ea conſequi potuerint: licèt gratiæ gradus quem recipiunt æqualis non ſit gratiæ aliorum, nec eorum perfectio aut ſanctitas adeo eminens exiſtat. Dona particularia denotant ſigna in frontibus, quibus 144. millia ab aliis electis ſecernuntur, cætera inſignia turbæ magnæ, quam dinumerare nemo poterat, gratiæ ordinariæ effectus declarant.

Hæc autem mihi perſuadeo libentius, quod videam S. Ioannem à cap. 4. vſque ad 21. excluſiuè, potiſſimùm deſcribere Eccleſiæ militantis ſtatum; & ex conſequenti, ſi de electis alicubi in tota ſuæ reuelationis ſerie loquatur, de his loquitur pro aliquo ſtatu in quo exiſtere habent, dum adhuc in hoc D mundo exiſtunt inter alios mortales. At nullus reperitur ſtatus huius vitæ, in quo poſſint conſiderari, qui maiorem conuenientiam aut proportionem ſernet cum iis quæ à S. Ioanne deſcribuntur in hoc 7. capite, quàm is ſtatus gratiæ finalis ſeu doni perſeuerantiæ. Igitur ſecundum hunc ſtatum de electis loquitur S. Ioannes. Antecedens huius argumenti probatur, ex eo quod hæc reuelatio tota videatur eſſe in deſcriptione eorum, quæ peragi debent per totum ſæculorum decurſum, pro regimine Eccleſiæ militantis, & in deſcriptione eorum, quæ in initio, in progreſſu & in conſummatione omnium, quæ Deus perficere in Eccleſia ſibi propoſuit, ad ſuæ gloriæ manifeſtationem, in eadem Eccleſia: E quod ſatis ſuperque perſpici poteſt ex interpretatione omnium capitum iſtius reuelationis. Igitur tranſire non debet S. Ioannes ad deſcriptionem ſeu tractationem aliarum rerum, quæ ſint ſtatus nobis incogniti & inuiſibilis: imo potius debuit Eccleſiam nobis depingere, pro eo ſtatu in quo pro nunc videri poteſt. Quod eo magis verum exiſtimo, quod ſi S. Ioannes aliquando velit nobis de ſtatu beatorum aliquid exprimere, hoc præſtat per quædam ſymbola, quæ conſentanea ſunt notitiæ, quam de his rebus, quas nec oculis vidit, nec auris audiuit, nec comprehendit intellectus, nec appetitus deſiderare poteſt, habere poſſumus. Hæc ſiquidem ciuitas videtur è cœlo deſcendere, vt ab oculis S. Ioannis videretur, quaſi diceremus. Hæc ciuitas, quæ tot tanquæque poſſidet bona nobis incognita, ſub ſpecie ſymboli aptiſſimi & conuenientis S. Ioanni apparuit, vt per illud de gloria quam Deus præparauit diligentibus ſe; plenius inſtrui & informari valeamus.

Quibus omnibus ad hanc cogitationem deuenire poſſumus, ſanctum Ioannem minimè receſſiſſe à modo, ſub quo alias huius libri materias pertractat; ſed de electis loquitur prout in hac vita exiſtunt, non prout in futura. Quod autem ea quæ deſcribit S. Ioannes in hoc capite, optimè conueniant electis prout conſiderari poſſunt in ſtatu gratiæ finalis, patet primo quia ſeruanda ſunt à malis, quæ ab Angelo, nocendi habente poteſtatem, inferri poſſunt. Secundo, ex ſitu corporis erecti, & ſtantis; tum ex B ſtolis albis, ex palmis quibus victoria à ſanctis de hoſtibus reportata ſignificatur; ex Angelorum protectione: ſtant ſiquidem Angeli in circuitu Throni, & ſeniorum, & quatuor animalium, tanquam protectores Eccleſiæ, & Sanctorum, & Eccleſiæ Paſtorum: quæ omnia ſatis concinnè ad ſtatum gratiæ finalis adaptari poſſunt: in quo Deus eos à culpis præſeruat, eis donum perſeuerantiæ largitur, verè ſunt immaculati & ſancti; de hoſtibus, qui effectum redemptionis impedire non potuerunt, glorioſè triumphant. His adde quod S. Ioannes c. 21. de ſtatu gloriæ futuræ loquens expreſsè ait: *Et templum non vidi in ea: Dominus enim Deus omnipotens, templum illius eſt, & agnus.* De electis igitur in ſtatu vitæ futuræ loqui C non debet S. Ioannes in hoc capite, ait enim expreſſe: *Ideo ſunt ante thronum Dei, & ſeruiunt ei die ac nocte in templo eius.* Nam quanam ratione ei obſequia præſtarent in templo eius, ſi nullum eſſet templum. Cum igitur dicat eos Deo ſeruire in templo eius, proculdubio de obſequio in hac vita Deo exhibito loqui oportet. In hac enim Deus poſſidet templum in quo ſpeciali ratione habitare dicitur: de quo dicitur c. 11. *Et apertum eſt templum Dei in cœlo, & viſa eſt arca Teſtamenti eius in templo eius.* Denique cum aite *Non eſurient neque ſitient amplius*: Idem eſt ac ſi diceret: Vſque ad hoc temporis momentum fame & ſiti laborauerunt: ſed *à modo iam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis*: à modo nec famem nec ſitim, nec aliquod aliud, præſentis vitæ incommodum patientur, propter ſuam in bono perſeuerantiam; nam in cœlum tranſlati torrente voluptatis inebriabantur, & Agnus, qui in medio eorum eſt, cum illis datur admodum cuiuſdam viatici, in extremo vitæ periculo, *reget eos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum.*

Sicut igitur S. Ioannes, dum loquitur de certaminibus ineundis, periculoſiora exponit; ſi de victoriis mentionem facit, inſigniores deſcribit; ſi de malitia peccati ſermonem texit, magis enormem & abominabiliorem repræſentat; ſi paſſionum ſymbola proponit, magis perniciоſas & exitiales intelligit; ſi ſupplicia inferenda malis inculcat, formidabiliora in memoriam reuocat: ita dicendum, quòd ſi de gratia quam per Sacramentorum adminiſtrationem ſuſcipimus, & de effectu, quem in nobis tandem operantur Sacramenta, loquatur (vt clarum eſt de his in hoc loco agere, vt vidimus in c. 6.) certè debuit nobis proponere ſtatum gratiæ magis exoptandum, qualis eſt ſtatus gratiæ finali & perſeuerantiæ, quo feliciter ad cœlum peruenimus. Qua quidem gratia finis imponitur tum poſſeſſioni exteriori fidei noſtræ, ac fidelitati, quam in Dei obſequio ſeruauimus (*corde ſiquidem creditur ad iuſtitiam, ore autem* ac operibus *fit confeſſio ad ſalutem*) tum etiam exercitio poteſtatum & autoritatum, quas Deus largitus eſt, vt ſimus diuinæ ſuæ Maieſtatis cooperatores in opere prouidentiæ ſupernatura-

Digitized by Google

lis, quam habet de electis ac de Eccleſia militante; finis etiam imponitur certaminibus: ceſſant conflictus contra hoſtes viſibiles & inuiſibiles honoris & gloriæ eius, vt coronas & palmas propter victoriam obtineamus.

His tandem finem imponamus, aſſerentem ſanctum Ioannem hic non loqui de electis; nec prout ſunt in ſtatu peccati; nec prout ſunt in ſtatu gratiæ animam iuſtificantis, adhuc fluctuantes & ad peccandum proni ac procliues; nec prout ſunt in ſtatu gloriæ iam adeptæ; ſed prout ſunt in ſtatu gratiæ finalis, terminantis omnes eorum operationes & functiones, ſiue ſanctitatis, ſiue auctoritatis, quibus omnibus Deo cultum & obſequium exhibuerunt in Eccleſia militante, & proinde ſi petas quodnam vel qualis ſit ſignum, quod eis in frontibus imprimitur,

Dico primò, eſſe quoddam ſignum, quo ſemel perſpecto conjicere licet eos obtinuiſſe ante mortem gratiam finalem, & in ea perſeuerantiam vſque ad vltimum vitæ ſpiritum, quale eſſe poteſt imitatio perfecta mortis Chriſti, quam habuerunt martyres, qui pro fide Chriſti fortiter obierunt, quos abſque temeritate à cæli gloria excludere non poſſumus; vel qualescumque eſſent certæ & determinatæ quædam actiones, quæ ſunt adeo heroicæ, & ſanctitate præcellentes, vt Eccleſia ex his actionibus, ſibi notoriis & perſpectis poſſit declarare circumſpecte ac prudenter ipſos eſſe ſanctos & immaculatos; nec ex tali determinatione poſſit aliquod vituperium incurrere, ac ſi erraſſet, ſiue in propoſitione mediorum, quibus aſſerit gloriam & ſalutem æternam conſequi poſſe per ea media; ſiue in declaratione ſanctitatis alicuius particularis perſonæ, quã proponit imitandam, quia per has ſalutis ſemitas impigre & rectiſſimè ambulauit; tum inuocandam, quia Deo ſit gratiſſima & accepta, propter mandatorum ac conſiliorum ipſius fidelem obſeruationem.

Dico ſecundò, eſſe aliquod ſignum, quo manifeſtatur ſiue ſignificatur aliqua poteſtas ſeu auctoritas, quæ data fuit electis, vt eſſent Dei cooperatores in opere redemptionis. At cum verum ſit duos eſſe ordines electorum, (quidam enim eorum ad quemdam ſanctitatis & autoritatis gradum peruenerunt; alij ſanctitatem quidem adepti ſunt, ſed tantum ſufficientem ad gloriam conſequendam, & nullam forte in Eccleſia obtinuerunt autoritatem) hinc,

Dico tertiò, plura eſſe ſignorum genera: quædam in frontibus ponuntur, quædam ſunt tantùm velut veſtimenta exterius circumdantia, quædam velut certa inſignia & ornamenta in manibus repoſita, Prima dantur perfectis, veluti diademata & coronæ, quæ propriè ad regias & heroicas mentes pertinent. Secunda ſunt communia omnibus electis, à minimo vſque ad maximum: omnes enim candidis veſtiuntur ſtolis, quæ ſigna ſunt iuſtificationis; & quia nullus cœlum ingreditur, qui non aliqualem victoriam reportarit de hoſtibus viſibilibus & inuiſibilibus, tam in vitæ decurſu, quàm in articulo mortis, cum ſaltem in hoc articulo gratia finalis conferatur, ideo palmæ in manibus dantur omnibus electis, qui pro ſua ſalute fortiter dimicauerũt. Tota difficultas in hoc conſiſtit, vt poſſimus conjicere quænam gratia ſeu poteſtas ſignificatur per ſignum in fronte impreſſum; & ex quibus actionibus conjici poteſt æterna ſalus perſonæ alicuius, vt Eccleſia ex notitia eorum, ſecurè poſſit aliquos, ex illa turba magna & innumerabili, proponere ſequendos & imitandos, nec non & inuocandos: quia feliciter per ſalutis ſemitas greſſus ſuos direxerunt, & à via recta minimè diſcellerunt. Nobis agendum igitur de ſigno impreſſo in fronte perfectorum in autoritate & ſanctitate; ſecundò de ſignis quæ communia ſunt indifferenter omnibus electis.

Quoadusque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum.

De ſignis perfectorum in fronte, quæ ſiue ſanctitatem ſiue autoritatem exprimunt.

ANNOTAT. XIII.

PROBABILE eſt quod aſſerit Cornelius à Lapide, dum ait: *vt ergo ſignati quod in* Iudæis expreſſum eſt, hic in gentibus ſubintelligitur: ſicut è conuerſo, ſtolæ, palmæ, gloria, & hymnodia, quæ turbæ gentilium in ſequentibus attribuitur, à paritate Iudæis ſignatis attribuenda ſignificatur.

Dico nihilominùs non abſque ratione aliquos expreſsè dici ſignatos in frontibus, & quaſi è turba magna ſeligi: aliquos tantùm repræſentari ſtolis albis amictos, & palmas in manibus geſtantes: quæ ſymbola exiſtant tum ſanctificationis interioris, tum quorumlibet bonorum operum. Probabilius enim videtur ſanctum Ioannem, dum quoſdam ait ſignari, voluiſſe declarare ipſos aliquid poſſidere magis notum, potiori ratione conſiderandum, illos ab aliis ſecernendo, tanquam qui aliquid poſſideant, quod non ſit cæteris commune, quàm ſignatos & turbam magnam inter ſe confundere. Aliud quippe eſt coronam ſeu diadema geſtare in fronte, aliud palmam in manu portare. Et reuera S. Ioannes, dum c. 22. de omnibus electis agit, vt iam ſunt gloriam adepti, illos indifferenter in fronte ſignatos aſſerit; ait enim: *Et videbunt faciem eius, & nomen eius in frontibus eorum.* At dum de eiſdem electis loquitur, prout in terra adhuc exiſtunt, quia diuerſæ ſunt actiones, diuerſa ſunt munia, ſeu functiones electorum: & quædam miniſteria eorum, aliorum miniſteriis ſunt inſigniora, ideo diuerſa gerunt ſigna. Quod ſi omnibus hæc ſigna conueniunt, ſaltem inſinuare vult S. Ioannes in quibuſdam ea ſigna eſſe notiora quàm in aliis. Vnde dicuntur quidam in frontibus, quæ pars eſt corporis apertior & eminentior, ſigna portare: de aliis hoc non dicitur.

Si autem quæras quidnam appareat in frontibus ſignatorũ ſpecialius. Reſpondeo, magnã non opus eſſe inquiſitione: nam dilucilè S. Ioannes c. 14. hoc exponit, dum exercitum copioſum ſanctorum, Agnum concomitantem ſupra montem, ob oculos ponit: ait enim eos in fronte inſculptum ſeu ſcriptum gerere nomen agni, & nomen Patris ſui: Primum nomen gerunt, propter imitationem perfectam vitæ & mortis Filij Dei; Aliud autem nomen, ſcilicet Patris, propter participationem ſupremæ illius poteſtatis, ſeu auctoritatis, quam Pater Filio dedit. Signa igitur externa, ſiue ſanctitatis ſeu imitationis Chriſti, ſiue auctoritatis, ponuntur in frontibus: ad ſignificandum quàm manifeſtè & apertè Chriſtus in ipſis viuere cernatur, & per eos exercere videatur quidquid per poteſtatem excellentiæ ſtatuit in Eccleſia, per idoneos miniſtros, ad ſalutem electorum perficere.

Itaque cum Angelus magna voce clamat: *Nolite nocere terræ, & mari neque arboribus, quoadusque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus*, Idem eſt ac ſi diceret: O Cacodæmones, & Angeli mali, gloriæ Saluatoris inuidentes, oportet vt malitia veſtra compeſcatur & alligetur, donec per noſtrum miniſterium ſerui Dei ſe ita exerceant in mortificationibus vitiorum, & exercitio ac praxi virtutum, in meditatione & contemplatione rerum diuinarum, & in

vnione adeo arcta voluntatis ipſorum cum Dei voluntate, vt neque mors, neque vita, neque quodlibet aliud, eos ſeparare à Deo valeat; Saluatorem, qui Patri obediens fuit vſque ad mortem, tam genuinè imitantes, vt dicere quilibet eorum poſſit; *Viuo ego, iamnon ego, viuit verò in me Chriſtus.* Oportet inſuper vt effectus inuidentiæ veſtræ comprimantur; donec ij quos Deus elegit, vt ſint eius cooperatores in operibus ſaluti hominum conducentibus, ſenſibiliter & viſibiliter obtineant omnimodam libertatem, & facultatem exercendi quælibet miniſteria, itaut cuncti fateri cogantur poteſtatem ipſis datam, cælitus fuiſſe immiſſam.

Si quid igitur ſenſibiliter nos deducere poſſit in cognitionem huius perfectæ imitationis ſeu auctoritatis, illud erit ſignum in frontibus ſeruorum Dei impreſſum. Hac interpretandi ratione ſubſiſtere poſſunt plurimæ interpretationes huius loci, quales ſunt illæ quæ volunt hoc ſignum eſſe, vel ſignum crucis, quod in proteſtationem fidei efformamus; vel receptionem Baptiſmi, aut Confirmationis, aut Sacramenti Ordinis, quæ quidem Sacramenta imprimunt characterem; vel etiam eſſe ſtigmata, quæ geſtant Martyres poſt acerba tormenta; vel illa glorioſa ſtigmata Seraphici Franciſci, vel quid ſimile imitationem Chriſti & auctoritatem eius redolens & repræſentans; itaut ſi conſideremus hos effectus ſubordinatione ad miſſiones diuinarũ perſonarum, quibus tum Filius à Patre mittitur, tum Spiritus ſanctis à Patre Filioque, & cum ſubordinatione ad cauſas ſecundas, quibus tanquam inſtrumentis idoneis ſancta Trinitas vtitur, ad operationes quaſlibet in Eccleſia producendas; Ieſus Chriſtus dici poterit Angelus ab ortu ſolis aſcendens, nempe à Patre miſſus, vt Satanam conterat ſub pedibus, & cum poteſtate dæmonibus imperet dicens: *Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus*: donec ego & mei miniſtri ſignemus ſignaculo fidei electos. Rurſus Spiritus ſanctus dici poterit Angelus ab ortu ſolis aſcendens, à Patre & Filio miſſus, qui poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, & plurimos ſanctitate decorauit; qui imperat dæmonibus ne noceant, donec miniſterio Prælatorum, & adminiſtratione Sacramenti Confirmationis & Ordinis, ſignauerit eos, quos vel ſanctitate vel auctoritate aliqua præcellere vult, eoſque tales reddiderit, vt ſint Chriſti imitatores adeo perfecti, vt vnuſquiſque eorum dicere audeat: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti*: Itaut Prælati optimi, Spiritus ſancti perſonam Eccleſiam ſanctificantem gerant; quin & ſancti, qui verbo & exemplo aliis proſunt, eumdem etiam Spiritum ſanctum repræſentent. Qua quidem ratione ſententia S. Bonauenturæ ſtare poteſt, qui, vt diximus, voluit hunc Angelum eſſe ſanctum Franciſcum: etenim hi omnes, ſiue Prælati, ſiue Sancti, verbis, functionibus ac miniſteriis ſuis & actionibus virtutum, conantur perficere eos qui ſibi ſunt ſubiecti & inferiores dignitate ac probitate, donec Chriſtus formetur in eis, & conformes fiant imagini illius. Si autem Chriſtum ſpectemus vt eſt caput Eccleſiæ, dici poteſt Angelum ab ortu ſolis aſcendentem eſſe Archangelum Michaëlem, quem Deus præfecit Eccleſiæ regimini, qui malos Angelos compeſcit, cum aliis bonis Angelis, donec ſignentur electi gratia finali, qua ad cœlum feliciter perueniant. Quidquid ſit, omnes ſuo modo habent ſignum Dei viui, vt illud imprimant.

Ieſus Chriſtus exemplar eſt perfectũ ſimilitudinis Dei, Angeli miniſtri ſunt, & ſuarum voluntatum executores fideliſſimi: *Facis* enim *Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem.* Spiritus ſanctus habet etiam hoc ſignum, tanquam is ad quem reducitur cauſa noſtræ redemptionis. Amori enim diuino tribuitur myſterium redemptionis: *Sic* enim *Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Sancti in manibus hoc præclarum ſignum geſtant, id eſt in operibus ſuis: conſignantur enim diuino charactere, ratione ſuæ ſanctificationis. Prælati adhuc habent illud ſignum in manibus, quia acceperunt characterem auctoritatis & poteſtatis, vt effectiuè adminiſtratione Sacramentorum cooperatores ſint Dei, in operibus ſanctificationis; ſicut ſancti verbis & exemplis moraliter cooperantur huiuſmodi ſanctificationi, homines ad Chriſti ſequelam, & imitationem prouocando. Sufficit quod Verbum æternum admiranda quadam ratione ſuum prouocet amorem, propter excellentiam diuinæ Maieſtatis cognitæ perfectiſſimè, ad communicationem ſui ad extra; Diuinus ille amor prouocet Patrem & Filium, vt hæc communicatio adeo excellat, vt ſanctitatis diuinæ, ac diuinæ auctoritatis & poteſtatis homines fiant participes. Et ſicut in opere creationis, Deus Pater inuitare ac prouocare videtur Filium & Spiritum ſanctum, vt facerent hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam; pari ratione hic amor diuinus (Deo nihil eorum quæ fecit odio proſequente) inuitare videtur Patrem & Filium vt reformationi tam nobilis [illegible]ctus ſeu operis attendant, & malignis ſpiritibus imperare, ne aliquid attentare audeant, quo hoc negotium impediri aut retardari contingat; Donec Pater omnipotentiâ ſuâ nos à noſtrâ eripuerit infirmitate, donec Filius ſapientiâ ſuâ noſtram fugauerit ignorantiam & cæcitatem; donec ipſemet Spiritus ſanctus bonitate ſua charitatem in cordibus infundens, omnem malitiam à cordibus noſtris expulerit: qua quidem ratione portabimus imaginem illius, qui factus eſt homo, vt eſſet exemplar totius perfectionis. Et quia hæc diuina ſanctiſſimæ Trinitatis opera perficiuntur miniſterio Angelorum & hominum, quos Deus voluit eſſe ſuos cooperatores, ideo & hi & illi ſe inuicem prouocant ad cooperandum & vacandum huic operi; itaut hæc reformatio hominis adimpleatur perfectiſſimè in his qui à Deo deſtinantur, vt ſint quaſi quædam opera inſignia poteſtatis, ſapientiæ & bonitatis diuinæ, ad ſui amoris oſtenſionem, & diuinæ ſuæ potentiæ exaltationem; itaut cuncti ipſi laudem & honorem debitum tribuant, propterea quod ab eo omnis eorum ſalus omnimodè dependeat, alta voce cantantes: *Saluti Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & agno.*

Itaque ſi reperiatur aliqua actio talibus circumſtantiis circumueſtita, vt manifeſta in ea actione appareat perfecta imitatio vitæ & mortis Chriſti Saluatoris, dicemus talem perſonam gerere in fronte agni nomen. Quod ſi in Prælatis ſeu Sacerdotibus perſpiciamus ineſſe quaſdam facultates ſeu functiones, naturæ ordinem excedentes, & diuinam potentiam exigentes, aſſeremus eos in exercitio harum facultatum gerere in fronte ſcriptum nomen Patris. Quod ſi quis cum poteſtate inſignem coniunxerit ſanctitatem, eum ſine vlla hæſitatione dicamus portare agni nomen, & nomen Patris ſcriptum in fronte.

Notandum autem hîc, quòd Angelus ab ortu ſolis aſcendens, quo repræſentari diximus ordinem Epiſcoporum & Prælatorum maiorum, alios non poſſet conſignare in frontibus, niſi hoc ſignum & ipſe haberet: nemo enim dat quod non habet; & dum dicitur habere *ſignum Dei viui*, attende quæſo optimè dici (*Viui*:) nam illud habent vt ipſum pullulare faciant, & in aliorum manum tranſmittãt, tum verbo, tum exemplo, tum ſacrâ quadam operatione ad hunc finem à Chriſto præſcriptâ.

Digitized by Google

Et audiui numerum ſignatorum, centum quadraginta quatuor millia ſignati, & omni Tribu filiorum Iſraël.

Quinam ſint iſti centũ quadraginta quatuor millia ſignati.

ANNOTAT. XIV.

Doctrina S. Dionyſij de Eccleſiaſticâ Hierarchiâ, ad intelligentiam dicendorum perutilis. §. 1.

DOCET ſanctus Dionyſius de Eccleſiaſtica Hierarchia, quod eadem ratione qua omnis Hierarchia ad Chriſtum terminatur, ita vnaquæque Hierarchia in ſuo Pontifici perfici & abſolui. Hac ratione facilè intelligimus, cur in vno Angelo ab ortu ſolis aſcendente, omnis Pontificum collectio intelligatur. Secundo: Docet diſtinctionem ponendam eſſe inter Ordinem Pontificum & Sacerdotum, ſeu Miniſtrorum. Ordo enim Pontificum ab aliis ſeparatur: huic ſiquidem proprium eſt functiones ſeu actiones Hierarchicas, quæ ad perficiendum ordinantur, elicere: vis enim conſummatiua & perfectiua Pontificibus data eſt. Notanda ſancti Dionyſij verba (*Sanctiora*, inquit, *quæ perficiunt*) quod abſque iniuria, tum Sanctorum, tum Sacerdotum inferiorum dici poteſt. Sancti enim, in operibus quibus ſanctificantur, dum Sacramenta ſuſcipiunt, Paſtoribus ſubordinantur abſque iniuria ſuæ perfectionis, ſeu ſanctitatis; & auctoritas Sacerdotum, auctoritati Epiſcoporum etiam ſubordinatur: Ordo enim Sacerdotalis, ex S. Dionyſ. ſubiectus eſt Pontificum Ordini, & cum eo propria, ſuaque munera exequitur. Et vt verum fateamur, Sacerdotalis ordo ritè ſubjici poteſt Ordini Pontificum. Etenim *licèt ſigna quædam, ſeu Sacramenta Veneratione digna à Sacerdotibus perficiantur, nunquam tamen ea perficiunt*, inquit S. Dionyſ. *abſque diuinis vnguentis*; v. g. Sacramentum Baptiſmi non adminiſtratur abſque vnctione; Myſteria diuinæ Communionis non conſecrabit, niſi illius Communionis Sacramenta, ſuper altare vnguento delibutum, ſeu à Pontifice conſecratum poſuerit. Denique Sacerdos non erit, *Niſi*, inquit Dionyſ. *Pontificis officiis ac perfectionibus ad id delectus fuerit*. Proprium autem eſt Pontificum ordines Hierarchicos inſtituere, altaria, & diuina vnguenta conſecrare. Optimè igitur diximus ordinem Epiſcopalem adumbrari in Angelo ab ortu ſolis aſcendente. Hic enim ordo organum eſt ſeu inſtrumentum Spiritus ſancti, qui animarum ſanctificator eo vtitur, vt ſignent ſeruos Dei in frontibus ſuis, per quos præcipuâ ratione ſacerdotes inferiores intelligimus, vt poſteà fuſiùs dicemus.

Cum igitur lego S. Paulum & S. Barnabam conſtituiſſe Presbyteros per ſingulas Eccleſias, Act. 14. & dum Apoſtolus hortatur Titum c. 1. vt conſtituat per ciuitates Presbyteros, *Sicut*, inquit, *ego diſpoſui tibi*: videre mihi videor Paulum exequi quod ab Angelo ab ortu ſolis aſcendente dicitur: *Quoadusque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum*. Tertiò: Docet S. Dionyſius omnem Hierarchiæ rationem diuidi in diuina myſteria & ſacra. Secundo: In eos qui ea tenent enuntiantque aliis, atque in eos qui ab aliis initiantur. Et ſicut tria ſunt genera functionum ſacrarum: quædam ad expiationem, quædam ad illuminationem, quædam ad perficiendum ordinatæ; pari ratione triplex ineſt poteſtas in miniſtris harum ſacrarum operationum; quidem enim expiandi, alij illuminandi, alij perficiendi munus obtinent. At in iis qui initiantur triplex etiam ineſt capacitas: poſſunt enim expiari, illuminari ac perfici. Hæc rerum ſacrarum adminiſtratio, quæ nobis ſatis nota eſt fieri in Eccleſia, & regno Chriſti viſibili, ſatis ſuperq; videtur deſcripta ſub ſymbolis in hac ſublimi reuelatione. In ſexto enim capite (quod interpretati fuimus de Sacramentis, per quæ expiamur, illuminamur, perficimur) ſacræ illæ explicantur operationes; in hoc capite 7. in perſona Angeli, & eorum quos ſibi ſocios adiungit, tum in 144. millia ſignatis, poſſunt ſignificari eos qui poteſtatem habent expiandi, illuſtrandi perficiendi; at in turba, quam nemo dinumerare poterat, eos qui purgari, illuminari ac perfici poſſunt, intelligimus. Hac enim de cauſa tria dicit S. Ioannes de tam copioſa turba: primum, quod ſint ſtolis albis amicti; ſecundum, quod gerant palmas in manibus; tertium, quòd clamabant voce magna dicentes: *Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & agno*. Nam cum hæc turba ſignificet eos, qui per gratiam finalem, perficiendi & conſummandi ſunt, qua vnuſquiſque in ſuo ordine & gradu dignus redditur qui in cœlum admittatur (gratia enim poteſt ſuſcipere magis & minus) veſtimenta candida expiationem denotant, palmæ illuſtrationem, per exercitium quippe virtutum, quo vitia ſuperamus, mentes noſtræ illuminantur: & in his laudibus perfectio deſignatur: laudes quippe diuinæ præſupponunt ſcientiam perfectionum Dei, in cuius cognitione & amoroſa contemplatione, tota noſtra conſiſtit perfectio; quæ omnia ſatis ſunt conſona doctrinæ S. Dionyſij, dum ait: *Horum verò, qui initiantur & perficiuntur, vis prima eſt quæ expiatur; media quæ ſecundum expiationem illuſtratur, & quæ nonnulla ſacra ſpectat: poſtrema, quæ eadem cæteris eſt diuinior, ea quæ ſacrorum luminum, quæ ſpectauit, perficiente illuſtratur ſcientia*. Ita Dy.

4. Docet Dionyſius quòd ſi ordines ſuperiores continent vim inferiorum, inferiores tamen non poſſunt ſibi arrogare aut tribuere quæ ſuperiorum ſunt propria. *Pontificum*, inquit ille, *ordo non ſolum perficere poſſit, verum etiam illuſtrare, ſimul & expiare; ſacerdotumque ordo in ſe habeat coniunctam cum illuminandi vi, mundandi etiam expiandique ſcientiam. Nam inferiores quidem ordines ad maiora ſuperioraque munera tranſibire non poſſunt; ac præterea nefas eſt eis manus ſuas oſtentationis adhibere: diuiniores autem ordines vna cum ſuis, inferiores quoque ſua perfectione ac virtute ſanctas ſcientias tenent*. Ita Dionyſ. Ex qua doctrina poſſumus mentem S. Ioannis in hoc capite faciliùs percipere: nec non intelligere propter quid, quamuis ad omnes electos pertineat filios Dei eſſe, & ſignum illius gerere, nihilominus expreſsè non dicitur turbam illam magnam hoc ſignum habere in fronte impreſſum: ſola illa multitudo 144. millium ſignatorum expreſsè dicuntur illud ſignum recipere in frontibus, & Angelus ille omnibus ſuperior ſignum iſtud dicitur habere in manibus, vt illud videlicet ad libitum imprimere valeat. His enim omnibus intelligere licet, quod etſi neceſſarium ſit omnes electos in hac vita recipere diuinam ſimilitudinem, Deique imitationem per gratiam finalem (nam *Deus*, vt inquit Dionyſ. *mentes inquibus fuerit expiat primum, deinde illuſtrat, illuſtrataſque perficit ad diuinam ſimilitudinem & imitationem*) non eſt tamen neceſſarium ad externum Eccleſiæ regimen, quod hæc diuina ſimilitudo manifeſtè in cunctis appareat: ſufficit quippe vt aliquis detur ſanctorum numerus, per diuinam ſapientiam determinatus, qui cæteris fidelium proponi poſſit, tanquam compoſitus ex his, qui Chriſti redemptoris perfecti extiterunt imitatores. Rurſus etſi omnes capaces ſunt effectuum diuinorum Sacramentorum, non expedit tamen vt omnes vim & poteſtatem habeant illa adminiſtran-

Digitized by Google

di, & per talem exteriorem adminiſtrationem, ſeu per huiuſmodi functiones probare ſeu declarare eos gerere in fronte characterem poteſtatis diuinæ, ſeu eos eſſe effictos & formatos ad imaginem & ſimilitudinem illius auctoritatis ſeu poteſtatis, quam Deus Pater Chriſto Filio dedit. Denique etſi Sacerdotes & ſancti per opera auctoritatis ſeu ſanctitatis cuiuſdam eminentioris notoria & euidentiſſima, tanquam per aliquod ſignum in fronte impreſſum, dici poſſunt gerere ſignum ſenſibile ſimilitudinis ſanctitatis & auctoritatis diuinæ, non eſt tamen neceſſarium, vt vim, & facultatem habeant illud ſignum auctoritatis imprimendi in frontibus eorum: v. g. non eſt neceſſarium vt facultatem habeant conſecrandi Sacerdotes, aut adminiſtrandi Confirmationis Sacramentum, quæ munera propriè ſpectant ad ordinem Epiſcopalem, qui ſignificatur per Angelum clamantem: *Nolite nocere terræ, &c.* Itaque etſi paſſiuè omnes ſunt capaces huius ſimilitudinis, tum Prælati ſuperiores, nempe Epiſcopi, tum inferiores, tum etiam & oues quas regere debent, (omnes ſiquidem ſuſceptibiles ſunt diuinæ ſimilitudinis) non tamen omnibus conceditur æqualis vis ſeu facultas illam ſimilitudinem manifeſtandi aut imprimendi. Epiſcopi namque illam ſimilitudinem obtinent, non ſolum propter ſanctificationem particularem, ſed etiam quia illam imprimere poſſunt, dum Sacramenta Confirmationis, & Ordinis adminiſtrant, Sacerdotes conſecrando, & conſtituendo: Sacerdotes & ſancti, præcisè vt ſancti, qui nec characterem Epiſcopalem nec Sacerdotalem obtinent, eam ſimilitudinem, non ſolùm habent, ſed etiam illam manifeſtare valent, ſiue per actiones auctoritatis cuiuſdam, vt Sacerdotes; ſiue per actiones heroicas & perfectas; itaut viſibiliter agnoſci poſſit Deum in eis eſſe aut habitare, & ipſi in Deo: quod dici promiſcuè de aliis fidelibus, qui gloriam adepturi ſunt, non poteſt: quia per plurimas actiones, ex fragilitate aut ignorantia, valde obumbrarunt gloriam ſuæ ſpiritualis natiuitatis, per gratiam tamen finalem tandem digni redduntur gloria cæleſti, ad illam imaginem & ſimilitudinem feliciter à Deo reformati (in quo ſtatu ſeu gratiæ momento, in hoc capite repræſentantur in illa innumera multitudine) etſi verum ſit, ſi totius vitæ illorum decurſum expendamus, quod plurima egerint, quibus indigni tanta gratiâ cenſeri poſſunt, nec aliquas exercuerint actiones auctoritatis, cum inferiorum non ſit ſuperiorum munera exercere. Quod veriſimilius eſſe apparet, ſi hoc tanquam certiſſimum habeamus, totam hanc reuelationem non tam ſpectare regnũ ſpirituale internũ Chriſti, de quo dicitur: *Regnum Dei intra vos eſt*, propter Ieſu Chriſti gratiam in nobis habitantem, quàm Regnum Chriſti ſpirituale, ſed viſibile: quod quidem poſſidet in Paſtoribus & Sacerdotibus, & fidelibus Eccleſiæ ſuæ viſibilis, qui ei obediunt. Omnes ſiquidem fideles & infideles vident operationes ſacras & diuinas Epiſcoporum, Sacerdotum, & fidelium, eaſque facilè à ſe inuicem diſtinguunt & ſecernunt, cum manifeſtè iſtæ operationes diſtinguantur.

Ex quibus colligere poteſt cur Angelus aſcendens ab ortu ſolis habeat ſignum Dei in manibus; centum illa 144. millia illud manifeſtè portent in fronte inſculptum; at innumera turba non dicitur expreſſum illud ſignum gerere. Etenim hoc ſenſu, in hoc capite, non tam directè ac præcisè de ſimplici ſanctificatione animarum, quàm de manifeſtatione quadam ſenſibili & viſibili iſtius ſanctificationis internæ: ſiue agitur de autoritate, quâ per quædam munia viſibilia & publica cooperari debent interiori ſanctificationi animarum, ad gloriam & honorem Chriſti Redemptoris.

Quoadusque ſignemus, &c. Et audiui numerum ſignatorum.

Quinam ſint illi ſignati. §. 2.

Duo proculdubio ſunt in Eccleſia, quæ diuinæ bonitatis communicationes plurimum commendant, & ex quibus ſpecialem præſentiam diuini amoris, quam promiſit Chriſtus, potiſſimùm conjicimus. Primum eſt participatio illa inſignis autoritatis & poteſtatis excellentiæ Chriſti, quæ ſummo Pontifici, Epiſcopis & Sacerdotibus confertur. Secundum, eminens gradus ſanctitatis, plurimis in Eccleſia datus, qui de plenitudine eius accipiunt. Veriſſimum quippe eſt nulla faciliori via aut ratione, diuinæ Bonitatis exceſſum aut Amoris illius vim & poteſtatem poſſe dignoſci, quàm ſi expendas quanta & quàm ineffabilis ſit illa communicatio poteſtatis, qua Sacerdotes poſſunt conſecrare corpus Chriſti, illud adminiſtrare fidelibus: qua poſſunt Dei Verbum prædicare, peccata dimittere, & ſimilia multa peragere, quæ omnem naturæ facultatem à longe excedunt: Pari ratione ſi expendas quanta fuerit in plurimis ſanctitas & puritas vitæ, talis nempe vt in admirationem rapiat eos, qui optimè ſciunt quantùm natura noſtra diſtet à tali innocentia, puritate, & ſanctitate, ob ſuam fragilitatem, corruptionem, & humani cordis peruerſitatem, & ad malum pronitatem, niſi ſpeciali aliquo auxilio ei ſuccurratur. Hoc prænotato,

Dico illa centum quadraginta quatuor millia ſignatorum ſpecialius deſignare Ordinem Sacerdotalem, ſeu Sacerdotes ſimplices charactere Epiſcopali carentes, tum etiam ſanctos, qui in Eccleſia militante ſanctos eſſe prædicantur, iuxta ordinationem & diſpoſitionem diuinæ Sapientiæ & Prouidentiæ, quæ ex tam innumera multitudine electorum & ſanctorum aliquos eligit & aſſumit, qui poſſint proponi fidelibus tanquam exemplaria nitidiſſima virtutis & pietatis: cum verum ſit plurimos in Eccleſia exiſtere, qui fortè charitatem & perfectionem adepti ſunt æqualem ſanctitati & perfectioni eorum, qui ab Eccleſia prædicantur & coluntur vt ſancti, quorum nomina in toto decurſus Eccleſiæ tempore manent quaſi incognita, licèt nomina ipſorum ſcripta ſint in cœlis. Rurſus quoſdam eligit & aſſumit Deus ex illa innumera multitudine, quibus auctoritatem & poteſtatem Sacerdotalem confert; & cum tres ſint characteres, qui per quædam Sacramenta imprimuntur, nempe character Baptiſmi, Confirmationis, & Ordinis, vltimus cæteris eminet, quia alios præſupponit: nulli enim conferri debet, niſi fuerit baptizatus & confirmatus: & in eo communicatio gratiarum, velut in eminentiori gradu poteſtatis conquieſcit: qui character, vt videre eſt; non omnibus communicatur.

Igitur ſicut 24. ſenioribus intelleximus ſpecialiùs Epiſcopos & Eccleſiæ Paſtores, ita hic in centum quadraginta quatuor millibus intelligimus ordinem Sacerdotalem, ſeu Sacerdotum qui Epiſcopis cooperari debent, quin & ſummo Pontifici, in quo omnis auctoritas eminenter continetur, quam inferioribus communicat iuxta fidelium neceſſitatem, & prout exigit Eccleſiaſtica Politica, dum Epiſcopis & Sacerdotibus exercitium functionum liberum reddit, & eis iuriſdictionis munia attribuit & concedit, ampliat aut reſtringit, vt in Eccleſia omnia cum ordine debito perficiantur: *Quæ enim à Deo ſunt ordinata ſunt.* Deinceps ſi de ſanctitate fiat ſermo, ſicut in 24. ſe-

Digitized by Google

nioribus eminentiores & insigniores sanctos contemplati fuimus, eos videlicet qui doctrina & exemplo plurimum inseruierunt, vt splendor auctoritatis datæ Ecclesiæ integer remaneret; quales fuerunt hi qui quarumdam nationum possunt dici Apostoli, quales fuerunt Ordinum Institutores; pari ratione hîc in centum quadraginta quatuor millibus intelligamus sanctos ab Ecclesia Canonizatos, quos & imitandos, & inuocandos fidelibus proponit: & tantò magis quis participabit qualitatibus & prærogatiuis 24. seniorum, si vel auctoritatem sanctitati coniunctam habuerit, vel è contra auctoritati, sanctitatem adiunxerit, vel saltem si eius sanctitas à Deo ordinata & destinata fuerit ad propagationem regni temporalis, quod Christus in hac vita transitoria sibi in terris comparare voluit in toto seculorum decursu. Sic tantò magis quis erit reponendus inter 144. millia, quantò magis vel erit sanctior, vel promotioni regni Christi vtilior, vel cum sanctitate habuerit adiunctam auctoritatem sacerdotalis ordinis, vt sequatur Agnum quocumque ierit, id est ipsum imitetur, tam in operibus virtutum, quàm in operationibus potestatis sacerdotum: vt sicut moraliter per exempla & doctrinam promouent fideles ad sequelam & imitationem Christi, ita etiam physicè per administrationem Sacramentorum, quæ administrant & perficiunt, aliquid conferant intentioni principalis agentis, nempe Agni, qui per Sacramenta, tanquam per instrumenta quædam apta, nobis suæ potestatis & sanctitatis participationem largiri desiderat.

Concludamus igitur in hoc capite 7. statum totius Ecclesiæ depingi; in Angelo ascendente, omnes Pastores, omnes Episcopos: non enim solus est ille Angelus qui socios agnoscit, non enim ait, donec signem, sed, *quoadusque signemus*: veluti qui cum aliis sibi æqualibus huic muneri incumbat: in eo igitur, omnes qui autoritate, & sanctitate aliquid contulerunt, vt hoc Ecclesiæ regnum in terris firmaretur, significantur; in 144. millibus, sacerdotes qui auctoritatem inferiorem auctoritati superiorum subordinatã obtinent, & sanctos qui supra alios fideles sanctitate eminent, & quod à primis inchoatum fuit, feliciter hoc sedulò integrum conseruare conati sunt: Denique in turba innumerabili, cæteri fideles intelliguntur, qui sub regimine aliorum, tandem gratiam finalem & donum perseuerantiæ obtinuerunt. Cum enim mos sit huius reuelationis, vt quæ tangit in supremo gradu existant; si de effectibus bonitatis aut potestatis loquatur, eminentiores tangit; si de persecutionibus, extremas; si de patientia aut constantia, firmiorem; si de tentationibus seu probationibus, insigniores; si de victoriis, ampliores: si de suppliciis, acerbiores; si de gloria, maiorem tangit (quod pluries inculcamus, vt pote non parùm conducens ad faciliorem huius reuelationis expositionem) ita in hoc capite, si de autoritate quadam loquitur, maiorem tangit, nempe Pontificalem; si de Sacramentis characterem imprimentibus, ad magis dignum ordinis Sacramentum respicit, si de statu gratiæ, securiorem tangit & explicat.

Cur per centum quadraginta quatuor millia, præcipuè Sacerdotes & Sanctos eminentiores aut notiores intelligimus. §. 3.

Docet Ludouic. ab Alcaz. hæc centum quadraginta quatuor millia eosdem esse, qui capite 14. videntur supra montem cum agno: quo in loco S. Ioannes clarè explicat quodnam sit signum impressum in frontibus: ait enim eos habere in fronte scriptum nomen agni, & nomen Patris eius; Secundò, ait eos A cantare quasi canticum nouum in conspectu throni, & quatuor animalium & seniorum, quod nemo cantare poterat, nisi illa 144. millia; Tertiò eos Virgines esse, nec vnquam cum mulieribus fuisse coinquinatos; Quartò, dicit illorum esse agnum sequi quocumque ierit, siue quia inter insigniora gratiæ opera reputãtur, & empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & agno; siue quia in ore eorum non est inuentum mendacium; siue tandem quia vitam transigerunt cum omni perfectione, & singulari innocentia: *Sine macula enim sunt ante thronum Dei.* Quæ quidem tres prærogatiuæ, omnibus qui salutem consequuntur, & digni redduntur finaliter gloria cælesti, minimè competunt: multi enim erunt qui B cum mulieribus, v. g. fuerunt aliquando coinquinati, &c: sed dum aptissimè adaptari possunt sacerdotibus & sanctis eminentioribus (siquidem sanctus Ioannes altissimam illorum dignitatem & excellentiam, qua à communi statu fidelium, qui hac excellentia carent, separantur, sub his verbis describit) non absque causa dicimus sanctos eminentiores & sacerdotes in his centum quadraginta quatuor millibus designari. Notandum autem sanctum Ioannem loqui non promiscuè seu indifferenter de cunctis sacerdotibus; in hoc siquidem loco non describit dignitatem sacerdotalem, quasi destitutam eo viuendi modo, ad quem ratione status præcellentis, ac sublimis obligantur; sed quæ C annexam habeat eam morum integritatem, quæ tam sublimi dignitati conueniat. Non loquitur de his Sacerdotibus, qui in numerum reproborum ablegandi sunt, & quibus tandem à Christo dicetur: *Discedite à me omnes operarij iniquitatis: Amen dico vobis, nescio vos*, sed de his qui electi sunt & prædestinati; imo nec de omnibus electis & prædestinatis Sacerdotibus, sed de illis maximè qui plurimum inseruierunt ad propagationem & promotionem regni visibilis Christi Domini in terris: itaut illorum cooperatio, eorumque labores fortiter exantlati, sensibiliter fuerint cogniti, authenticâ & publicâ Ecclesiæ approbatione; de his, inquam, qui ab Ecclesia, his sapientis verbis, laudari possunt. D Eccles. 44. *Laudemus viros gloriosos & parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus: magnificentia sua à sæculo. Dominantes in potestatibus suis, homines magni virtute, & prudentia sua præditi, nuntiantes in Prophetis dignitatem Prophetarum, & imperantes in præsenti in populo, & virtute prudentiæ populis sanctissima verba: in peritia sua requirentes modos musicos, & narrantes carmina scripturarum: Homines diuites in virtute, pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis: omnes isti in generationibus suis gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt reliquerunt nomen narrandi laudes eorum.* Hæc Sapiens. Vides non sapientes quoscumque laudari, sed eos qui vtiles fuerunt, & aliorum saluti inseruierunt. Et quia plurimi erunt sacerdotes, de quibus dicit potetit quod addit Sapiens: E *Et sunt quorum non est memoria, & perierunt quasi qui non fuerunt, & nati sunt quasi non nati, & filij eorum cum ipsis.* Hæc Sapiens; ideo dicimus non de quibuscumque Sacerdotibus aut fidelibus S. Ioannem loqui, sed de sanctioribus & prædestinatis: etenim signa, quæ videntur scripta in frontibus cap. 14. optimè illis conueniunt: quod hac ratione declaratur. Duo sunt effectus Sacramenti Ordinis: primus est gratia quæ per illod confertur, vt sint Deo grati & idonei ministri sacrarum operationum, & in ministerio adeo præcellenti, Deo debitè sua præstent obsequia. Secundus effectus est character, quo potestatem accipiunt conficiendi & administrandi Sacramenta à Christo instituta, ad iustificationem & sanctificationem animarum: at

cum

cum hanc recipiunt gratiam, optimè dici possunt habere nomen agni scriptum in fronte: est enim Agnus auctor gratiæ, & de plenitudine illius eam accipimus. Cum suscipiunt characterem potestatis, nomen Patris portant in frontibus: potestas enim Patri attribuitur. Igitur cum hæc signa, in frontibus 144. millium impressa, Sacerdotibus conueniant, optimè dicimus Sacerdotes per eos posse designari.

Secundò, de his 144. millibus dicitur, quòd cantabant quasi canticum nouum ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores: quibus verbis declaratur hos centum quadraginta quatuor mille, dignitatis & altitudinis animalium & seniorum aliqua ratione esse participes, eique quàm propiùs fieri potest accedere & approximari. Cantant c. 5. animalia & seniores canticum nouum, dicentes; *Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius.* Cantant c. 15. *ij qui vicerunt bestiam & imaginem eius, & numerum nominis eius, stantes super mare vitreum Canticum Moysi serui Dei, & canticum agni dicentes: Magna & mirabilia sunt opera tua, &c.* At centum quadraginta quatuor millia non in littore maris sistunt, sed vsq; ad verticem montis cum agno ascendunt. Vnde satis apparet ex loco in quo consistunt, eos aliquid excellentius possidere, quàm quod possiderint hi qui in littore maris sistunt. Cantant insuper quasi canticum nouum, quasi qui viciniores sunt animalibus & senioribus, & dignitatis illorum participes: nemo illud canticum, qui non sit eiusdem ordinis ac conditionis cum ipsis, cantare potest: vnde superiores esse dignoscuntur eorum qui in littore sistunt, & supra illos, siue ratione autoritatis, siue ratione sanctitatis eminent.

Igitur cum ex Lud. ab Alcazar iidem sint 144. millia capitis septimi, cum iis qui videntur in cap. 14. agnum concomitantes supra montem; isti autem tales sint, vt siue signa in fronte impressa spectes, siue locum in quo stant ponderes, siue audias canticum eorum, conjicere possis illos sacerdotali dignitate decorari, & propiùs ad dignitatem Episcoporum (quæ in animalibus & senioribus designatur) accedere, quàm cæteri fideles; rectè dicimus per 144. millia, de quibus agitur in hoc cap. 7. specialiùs sacerdotes sanctos designari. Cantant in cœlo (vbi sedes est posita) animalia & seniores canticum nouum. Cantant supra montem 144. millia quasi canticum nouum, animalia & seniores imitantes, & ad eos accedentes: cantant canticum Moysis & canticum agni in litore consistens. In primis, celsitudinis Episcopalis dignitatem attende: in secundis, sacerdotalis dignitatis Episcopalem imitantis sublimitatem considera; in tertiis, promiscuæ electorum multitudinis prærogatiuam spectare licet. Vox illa de cœlo propria Episcoporum est, tanquam aquarum multarum, quia ex omni tribu, & lingua, & nationibus seliguntur; quia diuersis idiomatibus vtuntur, licèt eadem sentiant & dicant: quia de abundanti gratiarum effusione loquuntur, de qua Propheta Ps. 92. *Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt vocem suam: eleuauerunt flumina fluctus suos, à vocibus aquarum multarum.* Quia loquuntur insuper de lachrymis contritorum, de aquis baptismalibus, de aquis gratiæ, de quibus dicitur: *Aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Io. 4. De torrente voluntatis, quo inebriabuntur qui per persecutiones & tribulationes alacriter pertransient, vt dicere possint: *Torrentem pertransiuit anima nostra.* Ps. 123. vel *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Vox tanquam tonitrui magni, propter illius vocis vim & efficaciam, ac sonum vehementiorem, propter comminationes varias suppliciorum, quæ incurrere debent omnes qui tot tantarumque gratiarum erunt contemptores, nec reuerити fuerint Maiestatem Dei omnipotentis, iusti iudicis, ac vindicis contemptus, quo & Maiestas eius & æterna illius dilectio ostenditur. Vox ista igitur è cælo veniens, animalium & seniorum esse videtur, qui se ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione redempti fatentur: vnde vox illorum est tanquam aquarum multarum: aquæ enim multæ, populi sunt, qui se regnum Christi factos esse gloriantur. Vnde & vox illorum est etiam tanquam tonitrui magni terrorem incutientis; de Christo enim rege dicitur: *Tu terribilis es, & quis resistet tibi?* vox illorum est tanquam *citharædorum citharizantium in citharis suis*, quia ipsorum est consensionem in doctrina, & fide ingerere, quia mediatores sunt inter Deum & homines. Habent quippe cytharas animalia & seniores, habent etiam cytharas illa 144. millia, qui in cap. 14. cantant quasi canticum nouum: quia effectus redemptionis intonant: quam redemptionem in capite 5. prædicauerunt animalia & seniores dicentes: *Redemisti nos Deo in sanguine tuo.* Hi autem eius redemptionis effectus in Cantico declarant, in c. 14. dum dicunt: *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, qui sequuntur agnum quocumque ierit, qui primitiæ sunt Deo & agno, in quorum ore non est inuentum mendacium, qui sunt sine macula ante thronum Dei.* Tunc enim cantant quasi canticum nouũ, nempe illa 144. millia, in quibus cernitur quantum sit beneficium redemptionis, quo à carnis corruptione redimimur per integritatem, & virginalem puritatem; quanta sit vis gratiæ, dum fidelis Christianus Christum sequitur Redemptorem, per imitationem passionis ac mortis illius; quantum imperium Deus in homines obtineat, cum per vota consecrationis Sacerdotij & Religionis aliqui primitiæ fiunt Deo & agno, seu Dei & agni obsequio mancipantur. Perspicitur rursus per illud canticum quasi nouum, quantopere Deus Ecclesiam diuersis donis gratiarum cumulet, eum ab ea mendacium omne propulsauerit, illius enim documenta supremæ semper innituntur veritati; cum etiam ei sanctitatem immaculatam & perfectam tribuit, in ea enim sola reperiuntur, qui innocentiam vitæ & integritatem morum conseruent. Hæc enim omnia sunt quasi canticum nouum, quia effectus sunt redemptionis quæ materia fuit cantici noui; nec enim peruia sunt in mundo, aut omnibus communia, siue Virginitas, siue fides inuiolata, ab omni errore immunis, à tempore Baptismi vsque ad finem seruata: siue Martyrium, aut votum Religionis, aut Cælibatus Sacerdotum & Leuitarum, aut infallibilitas in assertione veritatis, aut incorruptio morum. Hæc prædicant, hæc inculcant summi Sacerdotes & Pontifices, quorum est primò ista cantare seu præcinere, veluti quidam præcentores. At ipsis concinunt, & cum eis cantant Sacerdotes supra montem cum agno stantes; quod colligimus ex eo quod dicitur cantari hoc canticum ante sedem, & ante quatuor animalia & seniores, & quod nemo poterat dicere canticum nisi illa 144. millia: vbi nota pro verbo, dicere, in græco haberi verbum μαθεῖν, quod est (discere) vt sciamus Sacerdotes ab aliis didicisse, quæ postea ipsimet dicerent ante Thronum, & animalia, & seniores: à quibus autem quæso discere possent, nisi ab Episcopis, quorum est de rebus fidei decidere, & determinare, & Sacerdotes consecrare ac constituere, qui iuxta decreta Patrum populos doceant, & dicant quasi canticum nouum, effectus redemptionis & in seipsis recipientes, & in alios causantes aut promouentes verbo & exemplo, & sacris operationibus? Igitur cum postquam S. Ioannes cap. 14. dixit se vi-

diſſe *ſupra montem Sion agnum ſtantem, cum eo* 144. millia; poſtea ſubdit. *Et audiui vocem de cælo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni; & vocem quam audiui, ſicut citharœdorum citharizantium in citharis ſuis*: Hæc vox non eſt 144. millium: hi enim non ſunt in cælo, vt de cælo vox eorum audiatur; ſed ſupra montem, id eſt non in ſublimiori dignitate Epiſcopali eleuantur, ſed in inferiori dignitate conſtituuntur, quæ per montem ſignificatur. Deinde addit S. Ioannes, dum audit vocem in cælo, in eodem inſtanti ſe audiſſe 144. millia, quos viderat cum agno ſupra montes cantantes: *Et cantabant quaſi canticum nouum.* Iam de centum quadraginta quatuor millibus loquitur. Narrat eos cantare ante ſedem, & animalia & ſeniores; non ſunt igitur animalia & ſeniores de quibus loquitur, ſed iſti 144. mille, qui à voce de cælo venientè didicerunt quæ cantare debebant, ob beneficium redemptionis, cuius erant participes. Cum igitur ait: *Et cantabant*, idem eſt ac ſi diceret. Statim atque Epiſcopi & Prælati, ſeu animalia & ſeniores, de cælo, id eſt ex autoritate ſibi è cælo data, docuerunt quinam erant effectus redemptionis. Sacerdotes & ſancti, qui eorum determinationibus fidem adhibent in dubitatam, ipſis concinere cœperant, & hæc noua beneficia, per beneficium redemptionis collata prædicarunt, ſignificata in his verbis: *Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt, &c.*

Ex omni tribu filiorum Iſrael.

Cum Sacerdotes & Sancti, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione dicantur redempti, cur ſpecialiter dicantur aſſumi ex omni tribu filiorum Iſrael. §. 4.

Conſtantiſſimè aſſero iſtos centum quadraginta quatuor millia non debere ſimpliciter & præcisè intelligi de his, qui ſecundum carnem ex 12. tribubus Iſrael orti fuerunt: aut ſaltem ad minus dicendum eſt, ne aliorum ſententiam omnino conuellere aut negligere videamur, quòd ſi hic numerus intelligatur vel de Iudæis, qui in initio naſcentis Eccleſiæ à Deo fuerunt electi, ad Eccleſiam ſuam componendam: vel eligendi ſunt in fine ſeculorum, cum coadunatio & vnio fiet duorum populorum, Iudæis ad fidem conuerſis poſt mortem Anti Chriſti: tamen conſtanter teneo per 144. millia ſignificari inſuper quamdam multitudinem perſonarum à Deo ſelectarum, quæ per totum Eccleſiæ decurſum, & ſanctitate præcipua, & auctoritate ſingulari, Deo ſpecialius inſeruierunt, ad regni Chriſti erectionem promotionem & perfectionem: Primò, quia dicuntur primitiæ: at primitiæ debent ex omnibus nationibus aſſumi, vt hac ratione videatur in Chriſti poſſeſſionem omnes nationes eſſe redactas, iuxta illud: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*: Secundò, quia dicuntur empti non ex Iudæis tantum, ſed ex hominibus: nam ſi iſti eſſent ſolummodò ex Iudæis ſecundum carnem, dici deberent empti ex tribubus duodecim, non autem generaliter ex hominibus: Tertiò, Primaſius vult eoſdem ſignatos, non alios eſſe ab iis, qui turbam magnam & innumerabilem componunt, cum ait: *Quos autem ſingulatim nominauerat, nunc in vnitate conſociat.* At ſi ita eſt, hæc turba componitur ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione. Si igitur hi 144. millia iidem ſunt cum his, qui hanc innumeram turbam componunt, aut ex eis ſeliguntur, rectè eos dicimus non eſſe ſolum Iudæos, ſed ex aliis etiam. Quæ cum ita ſint, quæres cur S. Ioannes dicat illos ſumi ex omni tribu filiorum Iſrael. Nodum ſoluit S. Apoſtolus Paulus, cum Rom. 9. ait: *Non enim omnes qui ex Iſrael ſunt, ii ſunt Iſraelitæ; neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen, id eſt, non qui filij carnis, hi filij Dei; ſed qui filij ſunt promiſſionis æſtimantur in ſemine.*

Dico igitur iſtos dici ex tribubus Iſrael oriundos, quia ſunt filij promiſſionis, qui æſtimantur in ſemine; in iſtis enim adimplentur omnes promiſſiones, quæ olim Abrahæ factæ ſunt, non carnaliter ſed ſpiritualiter, & excellentiori & perfectiori modo; etenim ſi in aliquo ſcripturæ loco fiat vnquam de filiis promiſſionis mentio, potiſſimùm de iis ſermo inſtituitur in hoc capite: in eo ſiquidem, vt diximus, electi ſeu prædeſtinati repræſentantur, vt iam ſtatum gratiæ finalis, & dona perſeuerantiæ, & ſignaculum ſalutis conſecuti. Illi igitur 144. millia ſignati conſiderari non debent, ac ſi eſſent ſecundum carnem ex Iudaicis tribubus oriundi ſeu prognati, ſed vt verè in eis, perfectè & abſolutiſſimè adimplentur omnes promiſſiones, quæ olim factæ ſunt filiis Abrahæ & verè Iſraelitis: ac ſi S. Ioannes diceret: Olim factæ ſunt promiſſiones duodecim tribubus populi Iſrael, quorum adimpletio manifeſta apparebit in quam plurimis fidelium Chriſtianorum. In eis ſiquidem effectum ſuum obtinebunt, dum certus quidam numerus eorum charactere eximio ſignabuntur, quo eis & ſanctitas eminens, & auctoritas magna largientur. Vnde ſi quæ tribui Iudæ ſi quæ tribui Ruben, ſi quæ aliis tribubus promiſſa fuere, ea perfectiori modo poſſidebunt iſti ſignati, quia ſemen ſunt Abrahæ verum; nam non qui filij carnis hi filij Dei, ſed qui filij ſunt promiſſionis æſtimantur in ſemine. Sic hæ promiſſiones in hoc populo ex omnibus nationibus aggregato, ſuam obtinebunt perfectionem. Hic ſiquidem populus, imitator & ſectator fidei Abrahæ, meretur æſtimari in ſemine: gratiam enim Abrahæ promiſſam, & ſuæ fidei commiſſam plurimi fecerant: nam filij Dei effecti, credentes in nomine Chriſti Abrahæ promiſſi, in eis gratia non fuit vacua, ſed profecerunt in melius, & tandem gratia in eis manente, in ea feliciter obierunt.

Igitur cum ſanctus Ioannes ait: *Et audiui numerum ſignatorum 144. millia ſignati, ex omni tribu filiorum Iſrael*; Idem eſt ac ſi diceret: Audiui quod ex omni populo Iſraël, non illius qui olim ſecundum carnem fuit ex Abraham ortus, ſed illius qui in lege noua per fidem factus eſt filius Abrahæ, & æſtimatur in ſemine, aliqui adeo aſſumebantur: in quibus omnes benedictiones filiis Abrahæ factæ, omnes promiſſiones quarumcumque gratiarum, omnes prærogatiuæ populi electi effectum ſuum perfectè obtinerent. Centum & quadraginta quatuor millia vidi tantam habere ſanctitatem & autoritatem, vt nihil eis deſiderandum & optandum eſſet. Et quia diuerſa ſunt Dei dona: ſicut diuerſæ fuerunt benedictiones olim factæ, ſiue diuerſæ fuerunt promiſſiones, ſiue Patriarchis, ſiue eorum familiis præſtitæ, ideo in quibuſdam, nempe in 12. millibus, vidi adimpleri quæ promiſſa fuerunt Patriarchæ Iudæ & eius formulæ: in 12. aliis millibus, vidi adimpleri ea quæ promiſſa fuere pro tribu Ruben; & ſic de cæteris.

Cur centum quadraginta quatuor millia dicuntur ſignati, nec plus, nec minus. §. 5.

Numerus definitus ponitur pro indefinito, vt multi putant; ſed hic numerus centum quadraginta quatuor millia definitus eligitur non abſque myſterio. Intelligunt hoc numero omnes electi & fideles, duodecim Patriarcharum ſeu Abrahæ filij, vel naturales, vt qui ex Iudæis fuerint; vel ſpirituales, vt cæteri per fidei imitationem, non tantum ij qui fuerunt in primis Eccleſiæ temporibus, ſicut eos intelligi vult Alcazar; non tantùm ij qui

Digitized by

ex Iudæis, tum ante Anti-Chriſtum, tum ſub ipſo, A tum maxime poſt ipſum occiſum, ad Chriſtum conuertentur & ſaluabuntur, ſicut alij exiſtimant, vt Cornel. à Lapide poſt Andream Cæſarienſem, dum ait: *Siue ij ex illorum numero ſint, qui tum ex Iudæis fideles facti erant, ſiue ex illorum qui ex Romanorum captiuitate, fidelium cœtui adiuncti fuerunt, ſiue, quod nobis veriſimilius ſit, ex eorum, qui ſub ſæculi conſummatione ex Iudæis per fidem ſaluabuntur, quando numerum, iuxta Apoſtoli ſententiam, poſt gentium multitudinem ingreſſam omnis quoque Iſraël ſaluus fiet, neutrum à ratione videtur alienum.* Ita Andr. Sed quod verum exiſtimo, præcipuè eos qui ſanctitate præcipua, & ſpeciali quadam auctoritate vt diximus præditi, multum in Chriſti regno erigendo ac promouendo, ſeu conſeruando, vſque ad extrema tempora, quouis ſæculo, laborarunt & inſeruierunt. Ad hoc enim ſignantur à Deo miniſterio Angelorum & Prælatorum, vt pro eo contra hoſtes gloriæ ſuæ fortiter dimicare audeant, integritate fidei, morum ſanctitate, & inſigni erga Deum pietate, perfecta Chriſti imitatione; eſto totidem fuerint è Iudæis conuerſi in initio Eccleſiæ, totidem etiam, puta duodecim millia, è ſingulis tribubus in conſummatione ſæculi, ſicut probabile eſt plures fuiſſe conuerſos vel plures eſſe conuertendos, nec omnes ex tribu Dan, de qua hic nun. ſit mentio, fore damnandos: Ita probabile eſt non hos ſolos deſignari, ſed cum S. Ioannes ſtatum Eccleſiæ deſcribat, ſecundum quem conſiſtere debeat per diuerſa temporum curricula, à primo inſtanti ſuæ conditionis vſque ad vltimum, præcipuè per hæc centum quadraginta quatuor millia intelligere eos, qui à Deo deputantur, vt per inſignem ſanctitatem, & quamdam poteſtatem, qua inſigniuntur, propagationi & conſeruationi regni ſui viſibilis in terris ſedulò incumbant; itaut ſenſum myſticum in tota hac reuelatione diffuſum, in veritate hiſtoriæ (ſi talis numerus electorum ex Iudæis fuerit præciſè conuerſus in initio naſcentis Eccleſiæ, vel conuertendus in conſummatione mundi) ſanctus Ioannes ſtabilire velit, quod talis numerus aptiſſimus ſit ad ea quæ prædicere intendit.

Variis igitur de cauſis hic numerus 144. electus eſt, quo hi deſignarentur: ſiue quia, vt ſanctus Auguſtinus docet l. 3. de doctrina Chriſtiana c. 31. numerus 144. ſignificat vniuerſitatem, *quo numero*, inquit, *ſignificatur vniuerſitas ſanctorum in Apocalypſi*, eſt enim quadratus: duodecies enim duodecim faciunt 144. & ſignificat integram & perfectam fidelium multiplicationem, & inter ſe concordiam, & quaſi ex æquo commenſurationem. *Cæterum*, inquit Andreas Cæſar. *exacta illa, accurataque ex quauis tribu æqualitas, Apoſtolici ſeminis multiplicationem integrè abſoluit. Apoſtoli namque verbi vel grani potius illius diſcipuli erant, quod in terram lapſum, multiformem pro ſua clementia ſaluis fructum vniuerſo terrarum orbi germinauit.* Ita Andreas. Qui in eo numero per duodecim millia multiplicato, multiplicationem fidelium deſignari vult, quo vniuerſitatem Auguſt. ſignificari voluit. Beda: *Hoc*, inquit, *numero finito, innumerabilis ſignificatur totius Eccleſiæ multitudo, quæ de Patriarchis vel proſapia carnis, vel fidei eſt imitatione progenita: Si enim Chriſti, ergo Abrahæ ſemen eſtis. Ad augmentum autem perfectionis pertinet, & ipſa duodecim duodecies multiplicari, & ad ſummum millenarium perfici, qui eſt denarius numerus, quadratus, ſolidus, ſignificans Eccleſiæ ſtabilem vitam. Propterea quippe duodenario numero ſæpe figuratur, quia per orbem quadratum in fide conſiſtit ſanctæ Trinitatis. Deniq; & Apoſtoli eamdem mundo fidem prædicaturi duodecim ſunt electi, numero ſcilicet myſterium operis ſui figurantes.* Ita Beda.

Concinit hic Rupertus ſubtili quadam indagatione, dum ait: *Duodenarius, qui numerus erat primorum filiorum Iſraël ita diſponitur, vt in deceno vnitas, in ſingulari verò limite binarius conſtituatur; vt autem iſti duodecim primogeniti in totidem, id eſt duodecim millia, ſuccreſcant, vnitas illa decena, vnum & alterum limitem tranſit, & in tertio conſiſtit. Item binarius ſingularis, qui coniunctus eſt eidem decenæ vnitati, duodecim perficiebat, vnum & alterum limitem tranſit, & in tertio conſiſtit, & duo millia ſunt; quæ videlicet duo millia decem millibus iam dictis, in ſecundo ab eius limite conſtitutis, connumerantur & duodecim fiunt. Ita qui duodecim tantum erant filij Iſraël, iam in duodecim millia multiplicati rurſus duodecies multiplicantur, & fiunt 144. millia, qui videlicet numerus ita diſponitur, vt tribus limitibus diſtinguatur, nam in centeno milleno vnitas, in deceno milleno quaternarius, in milleno item quaternarius collocatur. Nota diligenter duodecim primi vel ſingulares tres limites aſcendunt, & eadem duodecim millia duodeciès ſecundum eumdem numerum filiorum Iſraël ducta, centum quadraginta quatuor millia faciunt, numerus videlicet tribus, vt iam dictum eſt, limitibus diſtributum. Quid ergo ſanctam huius reuelationis gratiam intendere arbitramur, niſi id quod omnis legalis, Prophetica, Euangelica, atque Apoſtolica veritas teſtatur, nulli valere ad ſalutem, quod ſit Iſraël aut Abrahæ filius per carnem, niſi ſit etiam filius eiuſdem per eam, quæ non minus quam prima confeſſione perficitur fidem; fides namque confeſſio nunc, reuelatæ gratiæ tempore, manifeſtas neceſſariò exprimit perſonas Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, &c.* Ita Rupertus. Qui neceſſitatem fidei Trinitatis per hunc numerum deſignari vult, vt quis ſecundum ſpiritum vere Iſraëlita & vere filius Abrahæ ſecundum promiſſionem.

Sed quia de his qui maxime inſeruierunt promotioni Regni Chriſti viſibili in terris, hos centum quadraginta quatuor millia exponi debere præcipue diximus,

Dicendum tria Spiritum ſanctum docere voluiſſe, aſſumendo hunc numerum: primum, vt ſignificet ſanctos & ſacerdotes præcipuè operi ſuo incumbentes, ſuæque voluntatis fideliſſimi cooperatores, opus ſuum perficere & conſummare, & in perfectiori gradu gratiæ promouere debere; quod ſignificatur per centum millia ſignatorum; ſecundum, per cuius prædicationem & opera pœnitentia laboriosa, fideles fore multiplicandos, quod quadraginta millia deſignant. *Ad hoc enim*, ait Beda in hunc locum, *gentium confractum eſt imperium, vt ſigno fidei, cui reſiterunt, facies ſanctorum libere notaretur. Nam & ipſa crucis figura dilatatum vbique Domini ſignificat regnum; ſicut vetus dictum comprobat.*

Reſpice diſtinctis quadratum partibus orbem.
Vt regnum fidei cuncta, tenere probes. Ita Beda.

Tertium, Regnum fore æternum & ſtabile, quod quater millia declarant: quaterno enim numero firmitas ſignificatur. Eſt autem Eccleſia ciuitas in quadro poſita.

Ex tribu Iuda duodecim millia ſignati, &c.

Non ex vna tribu oriri dicuntur Sancti & Sacerdotes, ſed ex duodecim tribubus; tum vt diuerſitas donorum, quibus decorantur, ſignificetur; tum vt eorum generatio ſpiritualis, ad duodecim Apoſtolos, veluti ad duodecim progenitores, per duodecim antiquos Patriarchas ſignificatos, referatur.

ANNOTAT. XV.

Cur in enumeratione tribuum, ordinem in aliis ſcripturæ locis ſeruatum, ſanctus Ioannes immutarit. Cur tribum Dan omiſerit, tribum Manaſſem expreſſerit, Ephraim non expreſſerit. §. 1.

QVANTVM ad primum, non ſum primus qui in diuerſitate enumerationis duodecim tribuum, aliquod requirat Myſterium: grauiſſimum & antiquiſſimum habeo in hac inquiſitione auctorem Origenem, Homil. 17. in geneſim in initio. *Sciendum eſt*, inquit, *primò quod in ſingulis quibuſcumq; locis, vbi ſcriptura de duodecim Patriarchis commemorat, multa ſit in ipſa ordinis conſcriptione diuerſitas. Alius ordo eſt in ipſa eorum natiuitate conſcriptus, alius cum terram Ægypti vna cum Patre ſuo Iſrael, & ſobole poſteritatis referuntur intrare; Alius nunc, cum benedictiones ſuturi Patris excipiunt, alius cum egreſſe de Ægypto tribus, vel cum in deſerto commemorantur aliquid agere, vel terram repromiſſionis ingreſſe in monte Gebal pro benedictionibus, & maledictionibus ſtatuuntur. Alius etiam cum diuiſionem terræ, hæreditatis ſuæ ſuſcipiunt. Et in tantũ ordo iſte variatur, vt interdam quidam ex ipſis nec aſcripti inueniantur in numero. Quod vtique certum eſt non abſque aliqua ratione variari, & extare cauſas probabiles, quibus in alio loco ille, in alio verò alius præferatur. Sed de hic nobis nunc propoſitum non eſt, niſi ea tantummodo, prout Deus dederit explicare, quæ in benedictionibus, quas mortis tempore à Patre ſuſcipiunt, continentur.* Hæc Origenes. Certè exigit à nobis huius loci expoſitio dilucidior, quantum Deus dederit, inquirere rationes, propter quas S. Ioannes, nulla habita ratione aliorum locorum ſcripturæ, ordinem enumerationis tribuum immutarit, vnum tribum omiſerit, Manaſſem poſuerit, nec Ephraim expreſſerit.

Ordo igitur à S. Ioanne ſeruatus is eſt, Iudas, Ruben, Gad, Aſer, Nephtali, Manaſſe, Simeon, Leui, Iſſachar, Zabulon, Ioſeph, Benjamin.

Si hunc ordinem cum aliis conferas, clarè perſpicies, nulli ex his qui alibi ponuntur ſanctum Ioannem adhæſiſſe: ſi enim ordinem generationis ſpectes, hunc ordinem non attendit: ordo namque generationis ſeu natiuitatis talis eſt: Filij Liæ, Ruben, Simeon, Leui, Iudas; Filij Bala famulæ Rachelis, Dan, Nephtali; filij Zelphæ ancillæ Liæ, Gad & Aſer; filij Liæ; Iſſachar, Zabulon; filij Rachel, Ioſeph, Benjamin. Hunc ordinem, vt clarum eſt, non obſeruat S. Ioannes, optima ductus ratione. In hoc 7. capite agitur de iis, *qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri* erant oriundi, *ſed ex Deo nati ſunt*: ordo igitur carnalis generationis non erat adducendus.

Alium ordinem Moyſes poſuit, cum narrat ingreſſum filiorum Iſraël in terram Ægypti, videlicet Ruben, Simeon, Leui, Iuda, Iſſachar, Zabulon, Gad, Aſer, Ioſeph, Benjamin, Dan, Nephtali; hunc etiam non reſpexit S. Ioannes, eos enim, de quibus hic loquitur, repræſentat in ſtatu gratiæ finalis conſtitutos, cum parati ſunt ad exeundum ex mundi Ægypto, vt cœlum & terram promiſſionis cæleſtem ingrediatur: non erat igitur conueniens, vt ordinem ingreſſus in Ægyptum, in quo fuerunt in captiuitatem redacti, attenderet. Alius ordo venit ponderandus, nempe ſecundùm benedictiones ſeu prædictiones Patriarchæ Iacob, qui talis eſt: Ruben, Simeon, Leui, Iudas, Zabulon, Iſſachar, Dan, Gad, Aſſer, Nephtali, Ioſeph, Benjamin: quem non obſeruat S. Ioannes, tum quia iſtæ prædictiones aut benedictiones iam effectum ſuum obtinuerunt, ſeu adimpletæ fuerunt temporaliter; tum quia quædam, non tam benedictiones reputandæ ſunt, quàm prophetiæ, aut notificationes præſenſionum, quas in animo voluebat, aut iudicij quod fecerat Iacob de actibus filiorum, vt clare perſpicitur in his quæ profert de Ruben, Simeone, & Leui. At S. Ioannes aliquid adducere debet, quod ad ſtatum gratiæ potiſſimum pertineat, & quod aſſumi debeat pro via ac medio perueniendi ad vitam æternam.

Nec ordinem à Moyſe obſeruatum in benedictionibus ſuis attendit S. Ioannes: Ruben, Iudas, Leui, Beniamin, Ioſeph pater Epraim & Manaſſe, Zabulon, Iſſachar, Gad, Dan, Nephtali, Aſer; Prophetizat namque Moyſes effuſionem donorum ſpiritualium, ſiue etiam proſperitates, & beneficia temporaliter facta populo Iudæorum, quæ figuræ erant gratiarum & donorum ſpiritualium, quæ conferri debent fidelibus Chriſtianis, dum in Eccleſia militante per patientiam currimus ad propoſitum nobis certamen, vt loquitur Apoſtolus, Heb. 9. At in hoc loco S. Ioannes loquitur de conſummatione curſus, & felici peruentione ad finem, quæ fit dum fidelis & prædeſtinatus in extremo vitæ periculo conſtituitur.

Nec etiam ordinem à Moyſe poſitum, dum diſtinctionem ponit inter filios vxorum legitimarum & filios ancillarum, obſeruat S. Ioannes, qui talis eſt: Filij Liæ, Ruben, Simeon, Leui, Iudas, Iſſachar, Zabulon; filij Rachel, Ioſeph, Benjamin: filij Balæ ancillæ Rachelis, Dan, Nephtali; filij Zelphæ ancillæ Liæ, Gad, & Aſer. In hoc ſiquidem loco loquitur S. Ioannes de filiis promiſſionis ſpiritualibus, qui ſuam dignitatem aſſumunt non ex parentibus, aut natione ex qua aſſumuntur, *non enim eſt diſtinctio Iudæi aut Græci*; ad quam filiationem ſpiritualem, nihil confert temporalis ſeu carnalis natiuitas, datur enim his qui à Deo vocantur & eliguntur, *qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.*

Omittit etiam S. Ioannes ordinem à Moyſe ſeruatum, dum dinumerat eos qui erant militiæ aſcribendi: *Ruben, Simeon, Iuda, Iſſachar, Zabulon, Ioſeph, Benjamin, Dan, Aſer, Gad, Nephtali. Tribum Leui noli numerari, neque pones ſummam eorum cum filiis Iſrael, ſed conſtitues eos ſuper tabernaculum teſtimonij.* Num ſi & alium, vt videre eſt, ſubſtituit: nam omnium Chriſtianorum eſt ſub vexillo crucis Deo militare, nec vllus excipitur, ſiue Sacerdos, ſiue Laicus.

Eadem dicendum de ordine ſeruato in collocatione tribuum circa arcam, Num. c. 2. in quo Leuitæ non ſunt numerati inter filios Iſrael: ſic enim præceperat Dominus, vt clarum eſt, ad orientem vexillum Leo, ſub quo Iudas, Iſſachar, Zabulon; ad Meridiem, vexillum homo, ſub quo Ruben, Simeon, Gad: ad occidentem vexillum Bos, ſub quo Ephraim & Manaſſe, & Benjamin: ad ſeptentrionem vexillum ſerpens, ſub quo Dan, Aſer, Nephtali. Hæc vexilla aſſignat Viegas in Apocalypſi: Hic enim ſub his 144. millibus Leuitæ & Sacerdotes præcipuè deſignantur, & licet aſſumantur ex omni tribu, populo & natione, diſtribuuntur nihilominus in duodecim claſſes tribuum populi Iſrael, ſub no-

Digitized by Google

mine 12. Patriarcharum, vt gratiæ ſpirituales, quæ A eis dantur, præfiguratæ olim in 12. Patriarchis & in 12. tribubus, quæ ſecundum carnem ab eis prognatæ erant, ſignificentur

Alia ratione enumerantur, dum mentio fit oblationis Principum populi Iſraël, nempe Iudas, Iſſachar, Zabulon, Ruben, Simeon, Gad, Ephraim, Manaſſe, Benjamin, Dan, Aſer, Nephtali; quam non attendit S. Ioannes, quia non loquitur de his qui offerre tenentur primitias aut oblationes, ſed de his in quorum manibus deponi debent oblationes fidelium, vt Deo offerantur, vel qui ipſi ſunt quaſi primitiæ generis humani, cum ſint in ſorte Domini, de quibus dicitur: *Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius.*

Nec iſtum ordinem reſpicit, qui ſeruatus eſt, B dum de modo transferendi caſtra populi per 12. tribus diſtributi, dum arca de vno loco in alium collocanda erat, numer. c. 10. nunc enim Eccleſia tabernaculo mobili non aſſimilatur, ſed templo firmiter fundato & immobili ſupra Petram: nouumque Teſtamentum tale eſt, vt mutari non debeat, iuxta illud Heb. 3. *Omnis namque domus fabricatur ab aliquo, qui autem omnia creauit Deus eſt; & Moyſes quidem fidelis erat in tota domo eius, tanquam famulus, in teſtimonium eorum quæ dicenda ſunt: Chriſtus verò tanquam filius in domo ſua, quæ domus nos ſumus, ſi fiduciam & gloriam ſpei vſque ad finem firmam retineamus.* Heb. 3. Quia igitur hic S. Ioannes loquitur de ſacerdotio C quod transferendum non eſt amplius, ſed permanebit in æternum, & loquitur de electis, qui fiduciam ſuam & gloriam ſpei vſque ad finem retinere debent, quo fit vt Chriſtus in eis, tanquam in propria domo, maneat in æternum, ideo hunc ordinem non reſpicit.

Fuit etiam alius ordo ſeruatus, dum tribus diſpoſitæ fuerunt. vt ex eis aliqui exploratores, terræ promiſſionis aſſumerentur: Ruben, Simeon, Iuda, Iſſachar, Ephraim, Benjamin, Zabulon, Ioſeph in tribu Manaſſe, Dan, Aſer, Neptali; cuius rationem habere non debuit S. Ioannes: nam hi exploratores fideles non fuerunt in ſua relatione, & populum deceperunt, Caleb & Ioſue exceptis, qui fideliter renuntiarunt ea quæ viderunt & didicerunt; loquitur autem S. Ioannes de his in quorum ore non eſt inuentum mendacium, & qui potiùs fuerunt reliquorum fidelium duces, vt eorum exemplis ſecurè ad patriam adeundam prouocentur.

Negligitur etiam ordo enumerationis populi, mortuis murmuratoribus, qui ſeruatus eſt dum partienda erat terra vndecim tribubus, omiſsâ tribu Leui; Ruben, Simeon, Gad, Iudas, Iſſachar, Zabulon, Ioſeph, Manaſſe, Ephraim, Benjamin, Dan, Aſer, Nephtali; nam in hoc loquitur S. Ioannes de ſacrificatoribus & Leuitis noui Teſtamenti, & non omittuntur vt Leuitæ, quibus nulla pars terræ dabatur in partitione facta; & hæreditas promiſſa in E nouo teſtamento ita diuiditur & diſtribuitur omnibus, vt ſingulorum tota ſit: accipiunt enim ſinguli ſingulos denarios.

Negligitur etiam ordo, poſitus, dum nomina eorum, qui terram diuidere debebant, recenſentur ex decem tantùm tribubus, nempe tribu Iuda & aliis, hoc ordine: Simeon, Benjamin, Ioſeph in Manaſſe Ioſeph in Epraim, Zabulon, Iſſachar, Aſer, Nephtali, Numer. 34. qui eam ibidem partiti ſunt cum Eleazaro & Ioſue, iam tribu Ruben, & tribu Gad cum media parte tribu Manaſſes ſortem ſuam conſecutæ, & collocatæ; quia loquitur de his qui omnes ciuitatem in hoc mundo permanentem habere voluerùt, & quorum conuerſatio in cœlis fuit dum etiam viuerent in tertis, futuram manſionem inquirentes.

Nec ſeruat S. Ioannes ordinem in partitione terræ & iactu ſortium, nempe *Ruben, Gad, media tribu Manaſſes, Iuda ad Auſtrum, Ephraim ad Aquilonem Iudæ, altera media pars tribui Manaſſes ad mare, Benjamin, Simeon, Zabulon, Aſer, Nephtali, Dan*, Ioſue 19. Quia, vt iam diximus, vna & eadem eſt ſors fidelium, vnum & eumdem denarium recipiunt, in viſione & poſſeſſione vnius & eiuſdem Boni gloriantur.

Nec ordo poſitus ab Ezechiele in ſortibus & diſtributionibus terræ ſeruatus eſt à S. Ioanne, nempe Dan, Aſer, Nephtali, Manaſſe, Ephraim, Ruben, Iuda, ſanctuario medio Iudæ poſito, cum manſionibus Sacerdotum & Leuitarum, ciuitate è parte Principis. *De poſſeſſione autem*, inquit Propheta, *Leuitarum, & de poſſeſſione ciuitatis in medio partium Principis erit inter terminum Iudæ, & inter terminum Benjamin, & ad principem pertinebit, Benjamin, Simeon, Iſſachar, Zabulon, Gad.* Licèt enim hoc ſpiritualiter intelligendum eſſe exiſtimemus, Ezechielemque ſub typo templo & duodecim tribuum, intelligere ſtatum Eccleſiæ futurum, cum omnis Iſraël ſaluus fiet, & vnus erit populus ex Iudaico & Gentili coadunatus, tamen hanc enumerandi tribus rationem non init S. Ioannes, tum quia deſcribit ſtatum Eccleſiæ ante iſtam coadunationem duorum populorum, futuram poſt Anti-chriſti necem; tum quia deſcribit, non tempus certàminis, ſed conſummationis & victoriæ reportatæ, non pro certo & quodam temporum momento, ſed pro quolibet tempore, quo Eccleſia militans permanebit ab initio vſque ad finem ſæculorum.

Denique non ſeruat ordinem præſcriptum ab Ezechiele, dum ciuitatis myſticæ portas deſcribit: *A ſeptentrione portæ tres, in quibus Ruben Iudâ, Leui; ab oriente porta tres, Ioſeph, Benjamin, Dan; à Meridie porta tres, Simeon, Iſſachar, Zabulon; ab occidente porta tres, Gad, Aſer, Nephtali:* Nam S. Ioannes introitum in regnum cœlorum nobis proponit, per quem in poſſeſſionem gloriæ cæleſtis peruenimus, non autem tempus illud deſcribit, in quo nomina noſtra in militiam Chriſtianam, dum adhuc ſumus viatores, adſcribi volumus, & 144. millia potiùs inter triumphantes reponit. D

His omnibus perſpicere licet quibus rationibus S. Ioannes induci potuit, vt exiſtimamus, vt eligat alium ordinem enumerandi tribus, eaſque collocandi ſub nominibus Patriarcharum: nunc adducendæ ſunt rationes, quibus fortè voluit ordinem prædictum ab aliis diſtinctum adducere.

Vt autem in re adeo difficili, & tot inuolucris obnubilata aliquem exitum inueniamus, facem præferat Primaſius, dum ait: *Cum gratias varias nouerimus fidelibus ſingulis ineſſe, vt, verbi gratiâ, in alio plenitudo ſcientiæ ſalutaris emineat, in alio autem ſola manſuetudo præcellat, hic tamen neceſſario pro donorum ordine, & gradibus proficientium animarum, ipſa duodecim nomina diſponi videmus, non ſicut geniti, nec ſicut intrantes Ægyptum fuerunt nominati, quia illis terrenæ generationis origo, & in Exodo Ægyptiæ religionis cohabitatio memoratur. Vnde curauit, præmiſſâ eorum ſerie, quæ in hoc libro conſcribitur, etiam natiuitatis eorum ordinem adhibere, cum interpretationibus ſingulorum, ſi quomodo valeam demonſtrare non hic inaniter fuiſſe mutatum.* Ita Primaſ. Ex quo habemus ad nominum interpretationes eſſe recurrendum, vt myſticum & ſpiritualem ſenſum huius loci eruamus; Secundò, in diuerſis tribubus & nominibus Patriarcharum, diuerſa dona ſpiritualium filiorum promiſſionis eſſe nequirenda; Tertiò, ordinem generationis temporalis, & ingreſſus in Ægyptum rationabiliter poſſe in alium ordinem immutari, quod

Digitized by Google

nos etiam diximus de aliis ordinibus qui in ſcriptura ponuntur, vt ex ſupradictis patet, ipſos nempe optima de cauſſa fuiſſe à S. Ioanne prætermiſſos. Nunc

Dico primò, Spiritum ſanctum per hanc diſtributionem centum quadraginta quatuor millium ſignatorum, in 12. millia, hac aut illa tribu aſſumpta, docere voluiſſe electos & ſanctos in diuerſas claſſes ſeu ordines poſſe reduci, vt diuerſitatem donorum & gratiarum, quibus eos cumulat, meliùs intelligamus: non enim omnia omnibus dantur, ſed ſingulis ſingula prout vult, & prout neceſſarium eſt ad opus ſuum perficiendum iuxta illud Apoſtoli Epiſtola 1. ad Corinth. c. 12. *Diuiſiones verò gratiarum ſunt idem autem ſpiritus; & diuiſiones miniſtrationũ ſunt, idem autem Dominus & diuiſiones operationum ſunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Sanctus enim Spiritus, vt amor & charitas, origo eſt omnium communicationum & diffuſionum ad extra, Filius, vt Sapiens Eccleſiæ caput & omnium Dominus, cuncta hæc præſcribit, & vnicuique aſſignat propria miniſteria. Pater æternus, vt primum principium, cui potentia attribuitur, in nobis operando omnia noſtra opera ad ſui nominis gloriam, dicitur vt Deus operari omnia in omnibus, ad manifeſtandam ſuam gloriam, in perfectione & conſummatione ſui operis, ad quod requiritur diuerſitas donorum & gratiarum, miniſteriorum & operationum.

Dico ſecundò Spiritum ſanctum voluiſſe libe C
ram nobis relinquere occaſionem contemplandi diuerſa dona, quæ Eccleſiæ ſuæ communicat: dum noluit euidentiùs aut clariùs deſignare, cur potius hi, quam illi, ſub hac claſſe aut ſub hoc ordine, ſeu ſub hac tribu reducuntur: quo fit vt quælibet conuenientia ſeu analogia inter quædam dona, & nomina Patriarcharum, inter quædam ſpiritualia beneficia & res, quæ ipſis olim Patriarchis obuenerunt, vel quæ de illorum familiis fuerunt prædictæ, aut ipſis familiis contigerunt, poſſint dici & afferri, vt vera huius diſtributionis in 12. tribus ratio & cauſa, & iſtius loci interpretatio. Hæc enim ratio interpretandi non videtur à mente Spiritus ſancti aliena, qui totius ſapientiæ fons & origo præuidit quoſlibet ſenſus, qui ab hominibus ſuo lumine colluſtratis afferri poſſent, ad explicationem ænigmatum & verborum, quæ nobis ſpeculanda & meditanda proponit, vt per hæc ſigna omnem quam docere vult veritatem intelligamus. D

Dico tertiò, expoſitores non videri aliam iniiſſe rationem eruendi ſenſum huius loci, quàm nomina Patriarcharum ponderando, S. Auguſtinum ſequentes in hoc, qui in nominibus Regum qui olim occiſi ſunt, dum populus Iſraeliticus in poſſeſſionem terræ promiſſionis introductus fuit, myſteria ſuſpicatur, dum ait in Pſal. 134. *Audite, audite nomina hæc interpretatione typicâ, & ſapientiâ plena, nec inuenies ex iſtis nominibus aliquid, quod boni aliquid interpretetur, vbi exercuit Deus iram ſuam, & percuſſit gentes multas, & occidit Reges fortes: dic quos reges aut quas gentes, Seon regem Amorrhæorum: audite nomina grauida Sacramentis, &c.* Hæc Aug. Pari ratione interpretes huius loci, plurimùm interpretationi nominum Patriarcharum inſiſtentes, dum huius loci ſenſus eruere conantur, dicere mihi videntur: Audite, audite nomina hæc, interpretatione typicâ & ſapientiâ plena, audite nomina grauida Sacramentis: nempe ſicut illa nomina Regum occiſorum olim à populo Dei, Seon nempe, qui idem eſt ac tentatio oculorum, Amorrhæi interpretantur amaricantes, v.g. concluſio; Baſan, confuſio; Chanaam, paratus humiliationi; ſic interpretanda ſunt nomina duodecim Patriarcharum, ſub quibus 12. tribus reponuntur. Licèt igitur poſſèt A
multa ſpiritualia beneficia, electis & filiis promiſſionis data, contemplari in rebus geſtis Patriarcharum, aut in his quæ ipſis & eorum familiis & tribubus obtigerunt, ſi ad amuſſim & perfectè poſſent dignoſci; licèt ex benedictionibus harum tribuum, & prædictionibus eorum quæ illis obuentura erant, beneficia Eccleſiæ collata poſſent conjici ac coniectari, tamen quia hoc operoſiſſimum eſſe diſcutere, alios interpretes ſequentes, nominum etiam interpretationi inhæremus.

Dico quartò, in interpretatione horum nominum, & meditatione rerum geſtarum, tum à duodecim Patriarchis, tum etiam ab eorum familiis, ſequendum eſſe ordinem qui à S. Ioanne datus eſt, vt
B eius mens, quantùm licet, percipiatur: nam ſi alium ordinem ponas, erit potiùs ſcripturam ad mentem tuam adducere & contorquere, quàm eius ſenſui adhærere. In expoſitione enim ſcripturæ, in qua nec vnum iota aut vnus apex fruſtra ponitur, firmiter adhærendum eſt literæ, vt verus eius ſenſus habeatur. Qui igitur non ſolum prætermittunt aut immutant ordinem in aliis ſcripturis poſitum, ſed etiam hunc qui à Ioanne adducitur prætermittunt aut immutant, poſſunt quidem aliquem pium ſenſum elicere, ſed ad mentem S. Ioannis peruenire non poterunt.

Dico quintò, cum S. Ioannes hic deſcribere intendat ſpecialem quemdam ſtatum electorum, adhærere non debuit omnibus modis ſeu rationibus, ſub quibus enumerantur in aliis ſcripturæ locis Patriarchæ capita tribuum, aut ipſæmet turbæ; nec omnium nomina ponere, ſed ſolum nomina exprimere, quæ in ſua ſignificatione ſpecialiùs deſignare poſſunt *felicitimum* hunc ſtatum, ſeu conditiones eximias, & optimas qualitates eorum qui verum ſemen, cui benedixit Dominus, eſſe debent; quibus Dominus noſter Ieſus Chriſtus plenè largitus eſt omnes benedictiones Abrahæ & filiis eius promiſſas, aut de iis prædictas, dum effectus illarum benedictionum & prædictionum in ſeipſis experiuntur adimpleri per donum perſeuerantiæ: & in hac nominum Patriarcharum impoſitione & vſurpatione, pro ſignificandis donis quibus Deus electos ſuos exornat, S. Ioannes ſequitur morem ſcripturæ, in qua videmus nomina imponi pro ratione eorum, quæ vel in iis quibus imponuntur adimplentur, vel adimplenda ſunt, vel ab ipſis gerenda ſunt: v. g. Eua dicitur virago, *Quoniam de viro ſumpta*, ſic poſtea ab Adam vocata eſt Heua, *quòd mater eſſet* (futura nempe, nondum enim erat, *cunctorum viuentium*: ſic Cain, id eſt, poſſeſſio: *Quia*, inquit Heua Gen. 4. *poſſedi hominem per Deum*, Seth. 3. poſitus, vel poſuit, quia, inquit Adam, *poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* Geneſ. 4 Sic Abram vocatur à Domino, Abraham: quia, inquit, *Patrem multarum gentium conſtitui te.* Geneſ. 17. Sic Iacob ſupplantator dicitur quia de facto ſupplantaturus erat
E fratrem Eſau Et de multis aliis hoc videri poteſt in ſacris ſcripturis, itaut cum Ioannes diuerſas claſſes electorum conſtituere volens, propter diuerſitatem donorum, gratiarum, Miniſteriorum, operationum, eas nuncupat nomine Patriarcharum, videatur dicere: Vobis repræſentare volo omnem electorum congregationem in diuerſas claſſes diſtributam, propter diuerſitatem donorum & beneficiorum Dei: quam diuerſitatem non poſſum melius vobis innuere, quàm ſi eas iiſdem nominibus appellem, quibus tribus populi olim electi ex ſuis progenitoribus appellabantur: in his enim, ſicut in cæteris, fuerunt figura futurorum.

Ex his facilè redditur ratio cur tribus Dan fuerit à S. Ioanne, aut tribus Manaſſes eius loco ſubſtitu-

Digitized by Google

ta, vt vult Primaſius, proprio expreſſa nomine Tribus autem Ephraim ſub nomine Ioſeph tantum deſignata; vel, vt vult S. Hieronymus l. 1. contra Iouinianum, tribus Leui pro tribu Dan poſita; hoc enim obſeruauit S. Ioannes, vt conuenienter ea nomina exprimeret, ex quorum interpretatione aliquid huic ſtatui fidelium & electorum, in quo hic eſſe dicuntur, aptum & conſonum poſſemus conjicere.

Dico igitur primò, ſiue tribus Manaſſes, vt vult Primaſius, ſiue tribus Leui, vt vult ſanctus Hieronymus, pro tribu Dan reponatur, hoc conuenientiſſimè fecit S. Ioannes. Primò, quia ex tribu Dan orietur Anti-Chriſtus, ideoque Danitæ penè omnes illum vt contribulem ſuum ſequétur, ſicut Simeonitæ ſecuti ſunt Ducem tribus ſuæ Zambri, in fornicatione ſua, & cultu Beelphegor: ideoque tribus illa penè à Deo excisa eſt, Numer. 25. Quæ ſententia fundamentum habet in ſcriptura, vt notat hic Cornelius, qui recte rejicit ſententiam Abulentis in Geneſ. c. 49. dicentis hanc traditionem eſſe incertam; & Oleaſtri peiùs aſſerentis eam eſſe fabuloſam; nam ex duobus locis ſcripturæ Patres eam ſententiam vt indubitatam poſuerunt: Primus locus eſt Gen. 49. qué refert inter alios Beda: *Dan*, inquit, *prætermiſit, ex quo dicitur Anti-Chriſtus eſſe naſciturus, ſicut ſcriptum eſt: Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius.* Ita Beda: quem locum & alij Patres de Anti-Chriſto, literali aut certè allegorico ſenſu exponunt. Alius locus eſt apud Ieremiam c. 8. *A Dan auditus eſt fremitus equorum eius*, &c. qui locus allegorico ſenſu intelligitur de Anti-Chriſto, & literaliter dicitur de Nabuchodonoſor: lege Cornel. à Lapide, apud quem Patrum autoritates reperies. Et hæc ſententia probabilis redditur, quod etiam nunc Iudæi ſeruant ſuas diuiſiones & origines tribuum. Secundo cum S. Ioannes hic de electis & prædeſtinatis loquatur, non debuit nomen illius tribus ponere, ex qua caput reproborum omnium Anti-Chriſtus, in quo omnia aliorum flagitia & ſcelera reperientur, originem, vt diximus, ducturus eſt. *Obſeruandum eſt*, inquit Andreas Cæſar. *quoque tribum Dan, quòd Anti-Chriſtus ex illa naſciturus feratur, cum reliquis tribubus hoc loco non recenſeri: Verùm eius loco tribum Leui, quæ olim, quòd ſacerdotalis eſſet, in tribuum diuiſionem non veniebat, ſuffectum eſſe*: Tertiò, quia Dan iudicium ſonat, at loquitur hic S. Ioannes de his, de quibus Chriſtus dicit in Euangelio c. 5. *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit ſed tranſit de morte ad vitam*; Quarto: Et potiſſimùm, quia de regno Chriſti viſibili in terris loquitur S. Ioannes, de eius gloria mentionem facit: illius exercitum quo contra nominis ſuis hoſtes decertat, deſcribit: non igitur debuit S. Ioannes Dan exprimere, quia quo tẽpore Regnum Chriſti vehementiùs concutietur, perſequetur, & quaſi ad extremum redigetur, tribus Dan, in Anti-Chriſto, & in plurimis ex illa tribu oriundis, qui plurimùm ſibi honoris acceſſiſſe exiſtimabant ex Anti-Chriſto contribuli ſuo, regnum Chriſti euertere, & exercitum eius debellare conabitur. Nam ſicut olim tribus Iuda, ex eo quod Dauid eſſet ex eis oriundus, redeunte Dauide poſt mortem Abſalonis, exiſtimauit ſuarum partium eſſe illum reducere, quia rex proprior erat illis ſanguine: ita tribus Dan ad ſe attinere exiſtimabit Anti-Chriſtum ex ſe oriundum, & quem pro Meſſia ſuſcipient, concomitari. Non debuit igitur illa tribus recenſeri in numero eorum, qui Chriſti exercitum componere debent, cum ipſa inimici Chriſti partes tenere gloriabitur. Ex hoc tamen colligi non debet nullum fore ſaluandum in fine ſeculorum, qui ſit ex tribu Dan oriundus. *Danitæ enim*, ait Cornelius, *cum videbunt Anti-Chriſtum occiſum, ſeque ab eo deluſos, eum execrabuntur, & ſaluti ſuæ conſulent.* Deinde Apoſtolus dicit quòd omnis Iſrael, etiam naturalis & carnalis, ſaluus fiet, Rom. 11. in fine & conſummatione ſeculi: nec turban Dan ab ea vniuerſalitate excipit, de naturali enim Iſrael Apoſtolus eſt intelligendus, non de ſolo ſpirituali.

Dicendum ſeptimò, tribum Manaſſes exprimi, & ſi Primaſio credimus, pro tribu Dan in ſexto ordine reponi, propter rationem ab eo adductam: *Nequaquam*, inquit Primaſ. *prætereundo exiſtimo, quod hic in Apocalypſi Manaſſes, qui non filius Iacob, ſed nepos erat, licèt inter filios adoptatus ſexto loco ponitur, cum Dan qui vtique filius eſt, & ſine in Geneſi ſiue in Exodo cum cæteris fratribus adnumeratus oſtenditur: hic omnino prætermittitur, tanquam Eccleſiâ ex gentibus adoptatâ, ſextâ mundi ætate, Iudæorum perfidia reprobetur: nec vacat quod Manaſſes in Ægypto inter alienigenas natus merito adoptionis, ſignificationis gratiâ ſexto interſeritur loco, Dan autem nullo; vt vel ſic euidentiùs comprobetur ſignificationis merito hic omnia geri, non tranſitorio relatu componi. Vt propriè in Dan iudicans Hebræorum tranſeuntium tempus manifeſtiùs demonſtretur.* Ita Primaſ. Tranſit quippe Hebræus, quia legis & ceremoniarum in legem Euangelicam facta fuit tranſlatio. Manaſſes igitur Eccleſiam deſignat, quæ ſexta mundi ætate gratiam adoptionis accepit; Dan Iudæos qui propter perfidiam reprobantur, elapſo tempore quo vigere debebat lex Moſaica, donec in Euangelium lex & Sacerdotium transferretur.

Dicendum octauò, Patriarchæ Ioſeph nomen exprimi, Ephraim ſubticeri, quia hic loquitur ſanctus Ioannes determino & conſummatione quorumlibet meritorum, non autem de toto tempore, in quo electi merita meritis accumulare potuerunt. Etenim Ephraim fructificans ſeu fructifer dicitur: At non amplius fructus meritorum eliciunt electi, dum in vltimo gratiæ finalis puncto deuenerunt: Nomine igitur Ephraim non poterant rite deſignari: nomen autem Ioſeph conuenientius fuit, quod additio & incrementum ſonat, tum quia S. Ioannes loquitur de iis qui ſuæ & aliorum ſaluti conſuluerunt, & qui verbo & doctrina, & exemplis, alios addere ſibi in obſequio Chriſti conati fuerunt, tum quia in breui prædeſtinatus accreſcere debet, lumine gloriæ menti infuſo, quo poſſit videre Deum deorum in Sion.

Ex omni tribu filiorum Iſraël.

In duodecim claſſes ſeu ordines electi reponuntur, propter diuerſitatem donorum. §. 2.

Nouem tantum genera donorum S. Paulus Apoſtolus 1. ad Corinthios 12. recenſet, propter quæ poſſent electi quaſi in nouem claſſes & ordines diſtribui: *Vnicuique autem*, inquit, *datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem, alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ: alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eumdem ſpiritum: alteri fides in eodem ſpiritu, alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu, alij operatio virtutum, alij Prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum, hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus diuidens ſingulis prout vult.* Ita ſanctus Paulus. Sunt igitur nouem genera gratiarum, videlicet ſapientia, ſcientia, fides, gratia ſanitatum, operatio virtutum, Prophetia, diſcretio ſpirituum, genera linguarum, interpretatio ſermonum; ſecundum quæ fideles poſſent diſtribui, vel ſecundum quæ electi poſſent conſiderari, vt diuerſa mem-

Digitized by Google

bra vnius corporis myſtici, quod quidem ſuam integritatem obtinet, ex completo numero electorum. Quod autem ex his donis poſſint electi & prædeſtinati in diuerſas claſſes diſtribui, patet ex eodem Apoſtolo c. 12. 1. ad Corinth. *Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro, & quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia: primò Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde Virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum. Nunquid omnes Apoſtoli? Nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes Doctores? nunquid omnes Virtutes? nunquid omnes gratiam habent curationum? nunquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur? &c.* Igitur ſi non omnes Apoſtoli, ſi omnes non ſunt Prophetæ, quidam ad vnum ordinem poſſunt reuocari, qui non poterunt ſub alio reponi, quia hoc dono ſeu illa gratia caruerunt.

Igitur quidam ſunt in Eccleſia, qui per ſapientiam diuinitus infuſam myſteria altiora explicare poſſunt, quale eſt myſterium Trinitatis; quidam qui per donum ſcientiæ exprimere poſſunt ea quæ ad mores & actiones humanas propriè pertinent; alij per fidem excellentiſſimam, quæ præſupponit fidem Theologicam, vel operari poſſunt miracula ſi opus fuerit, vel ea quæ ſunt fidei prædicare & proponere abſque timore aut trepidatione; de qua fide loquebatur Chriſtus: *Si habueritis fidem quaſi granum ſinapis, & dixeritis huic monti*, &c. De illa etiam Dauid: *loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu Regum & non confundebar.* Vel per fidem Apoſtolus hic intelligit donum intellectus, quo quis poteſt viuaci animæ ſagacitate myſteria contemplari, & eorum conuenientias & analogias penetrare ac diſcernere. Ab hac fide tanquam à fonte emanant quaſi duo riuuli, donum videlicet ſanitatum, & faciendi miracula pro ſalute corporali fidelium; ſecundum, donum virtutum, nempe grandiora opera patrandi, quæ non ſolum modum effectuum naturalium excedant, ſed etiam in ſubſtantia omnem naturæ ordinem ſuperent, vt eſt reſurrectio mortuorum, fugatio & expulſio dæmonum, contumacium & perfidorum extinctio, qualis illa fuit olim Core, Dathan & Abiron cum aſſeclis, Moyſe imperante; vel illa Ananiæ & Saphiræ Petro eos ad mortem condemnante; quæ dona quibuſdam conceduntur: aliis datur donum patrandi virtutes, quæ pro fine habeant non ſolùm bonum aliquod temporale fidelium, ſed ſalutem eorum in quorum gratiam fiunt: ſequitur donum diſcretionis ſpirituum, qui quibuſdam confertur, ſicut & duo alia, nempe donum linguarum, & donum interpretandi ſcripturas. Secundum iſta poſſunt fideles in nouem ordines diſtribui: hunc tamen numerum S. Ioannes excedit, cum eos in duodecim claſſes diſtribuit, dum 12. millia ex vna tribu, duodecim ex alia, & ſic de aliis, ſignatos eſſe aſſerit. Poſſunt quippe, vt ait Cornelius, alia genera donorum reperiri, quæ electis conferantur, & ad duodenum numerum perueniant, verbi gratia, erga Deum, donum contemplationis, erga proximum, donum vtilis cuiuſdam conuerſationis, qualis erat conuerſatio S. Bonaventuræ, de quo dicitur quod nemo eum adibat, qui non recederet ab eo in bono corroboratus, & lætitiâ perfuſus; & talis etiam conuerſatio S. Romualdi, qui omnes cum videntes adſpectu ſuo recreabat. Denique erga ſeipſum, donum cuiuſdam patientiæ inuincibilis, dum morbis & infirmitatibus vexamur, dum aduerſitatibus premimur: poſſet enim fieri vt quis dono ſapientiæ aut ſcientiæ, aut fidei, aut aliorum eſſet præditus, qui ex cognitione myſteriorum mentem & affectum ſuum ad Deum non eleuaret, vel qui aliis cum quibus conuerſaretur gratus aut aceptus non eſſet; vel qui tolerare non poſſet, niſi ægrè, & cum animi anxietate, vitæ huius incommoda, nec alacritatem (quam conſeruarunt in aduerſis multi ſancti, Pauli imitatores, qui dicebat: *Repletus ſum gaudio in omni tribulatione noſtra*) retineret. Aliis igitur donis à S. Paulo poſitis hæc tria dona addere forte voluit, vt probabile eſt, S. Ioannes: dum duodenarium numerum elegit, vt electos ſecundum diuerſitatem donorum in duodecim ordines redigeret. Vel dicendum numerum nouenarium aptum eſſe ad ſignificanda dona, ſi tantum oporteat ea proponere vt à Deo dantur, & vt proportionem aliquam ex donis gratiæ habeamus cum nouem Angelorum ordinibus, verbi gratia, per ſapientiam cum Seraphinis, per ſcientiam cum Cherubinis, per fidem cum Thronis, per gratiam ſanitatum, cum poteſtatibus; per gratiam virtutum, cum virtutibus; per Prophetiam, cum Dominationibus: per diſcretionem ſpirituum, cum Principatibus: per genera linguarum, cum Archangelis: per interpretationem ſermonum, cum Angelis. At dum oportet donis, hominum cooperationem addere, vt hæc dona ad ſalutem ſint vtilia, nouenario numero duodenarius eſt ſubſtituendus, quo noſtra cooperatio cum donis à Deo oblatis ſignificetur, ex mente S. Bernardi Ser. contra peſſimum vitium ingratitudinis in fine, dum loquens de nouem leproſis, qui non redierunt ad ſaluatorem vt gratias agerent, ait: *Et verè Saluator hinc in Euangelio nouem illos, vbi ſunt quærit, quoniam longe eſt à peccatoribus ſalus: ſic enim & primum hominem poſt peccatum, vbi ſit interrogat, & in iudicio neſcire ſe profitebitur operarios iniquitatis: cum legamus in Pſalmos: quoniam nouit Dominus viam iuſtorum, & iter impiorum perbit: nec ſine cauſa in nouenario inuenti ſunt, qui non redeunt ad ſaluatorem: in quo nimirum numero, quaternario quinarius iungitur, & eſt non bona mixtio corporeæ ſenſualitatis & Euangelicæ traditionis: quod tunc fieri ſolet, cum ſic volumus quatuor Euangeliis obedire, vt quinque corporis ſenſus pariter oblectare velimus.* Ita S. Bernard. Dicamus, Bernardum imitantes, in duodenario numero bonam inueniri mixtionem ex quinario & ſeptenario, quia per ſeptem dona Spiritus ſancti medetur infirmitati ſenſuum noſtrorum, ſeu etiam per ſeptem Sacramenta adiuuamur, ne per ſenſus ad peccandum alliciamur. Denique numerus duodenarius completior & perfectior eſt numero nouenario: nam etſi nouenarius perfectionem quamdam obtineat ex trina repetitione ternarij, qui ter in eo reperitur, cum duodenarius ternarium addat, vt quater in ſe reperiatur, ex eo diſcimus quod non ſolum reperietur aliquis numerus electorum, qui ſupremam ſanctiſſimæ Trinitatis maieſtatem, omni honore, cultu & adoratione proſequetur, ſed etiam talis erit in eo cultu & obſequio firmus, vt ab eo dimoueri nulla vi aut poteſtate poſſit, iuxta illud: *Nemo rapiet eos de manu mea:* Vel in quadrato ternario ſignificatur electos à quatuor ventis ad fidem & cognitionem Trinitatis vocari, in qua fide ſunt perſeueraturi vſq; ad coronæ & gloriæ conſecutionem. In numero enim duodenario, multiplicationem fidelium per quatuor orbis partes, per prædicationem myſterij Trinitatis cum aliqua ſimilitate coniunctam, deſignari vult S. Auguſt.

At his adde quod cum manifeſtatio diuini ſpiritus per ſua dona, non ſolùm ſit ad vtilitatem noſtram, ſed maximè ad Dei gloriam, qui omnia propter ſemetipſum operatur, dicere poſſumus præter nouem claſſes ſanctorum quas conſtituit nouenarius numerus donorum, poſſe tres alias conſtitui, iuxta numerum attributorum præcipuorum diuinæ maieſtatis, quæ ſupra expoſuimus, nempe intellectualitatis

Digitized by Google

tellectualitatis ſeu ſapientiæ, bonitatis ſeu amoris, poteſtatis: itaut ex omnibus ſanctis ſint, qui hic aut iſtis donis, prout voluit vnicuique ſpiritus diſtribuere, ditati, maximè inſeruierint ad manifeſtandam diuinam ſapientiam, conuincendo errores, veritatem rerum diuinarum feliciter inculcantes, vt Eccleſiæ Doctores; quidam ſint in quibus diuinæ bonitatis ſeu diuini amoris ſuauitas maxime enituit, quales ſunt hi qui contemplationi & orationi inſtantius vacarunt; quidam tandem ſint in quibus diuina potentia plurimum innotuit, vt in Martyribus, & his qui ſignis & prodigiis miraculoſis fidem confirmarunt.

A

Antiquorum Patriarcharum populi Iſraelitici progenitorum, cum Apoſtolis noui Iſraelis progenitoribus, collatio. §. 3.

B

Conuenienter, inquit Andreas Cæſarienſis, *autem præditus duodenarius numerus illis (ſcilicet tribubus) aſſignatus eſt; tum ob duodecim veteres Hebræorum Patriarchas, tribuumue principes; tum etiam propter Apoſtolos, qui illorum loco conſtituti ſunt principes ſuper vniuerſam terram, vt ſcriptum exſtat: per quos etiam Iudæi per orbem terrarum diſperſi ſalui fiant.* Ita And. Et hæc mihi videtur potior ratio, cur electi ex Chriſtianis nunc in duodecim claſſes diſtribuuntur, quia videlicet duodecim fuerint eorum præcipui progenitores ſpirituales. Scit autem ſapientiſſimus rerum moderator, cur potius hunc numerum elegit & conſtituit Apoſtolorum, nec plures nec pauciores, quàm alium. Sicut ad duodecim, progenitores antiqui populi electi olim reducere voluit.

C

Vt autem collationem eorum ad inuicem inſtituamus, ſignificationes nominum Patriarcharum anteponendæ ſunt, vt ex illorum interpretatione gratias ſpirituales Apoſtolorum percipiamus; nam ſi omnia populo Iſraëlitico in figuris contingebant, nec nomina eorum ab hoc munere aliquid ſignificandi ad ſtatum nouæ legis pertinens excipimus. Iudas igitur ſignificat confeſſio; Ruben, videns filium, Gad, accinctus; Aſer, felicitas: Nephtali, æquiparatio; Manaſſes obliuio: Simeon, exauditio: Leui, copulatus ſiue additus: Iſſachar, merces, ſeu præmium; Zabulon, habitaculum: Ioſeph incrementum; Beniamin, filius dexteræ. Hæc interpretationes admittit Ludouic. ab Alcazar, qui inſuper addit per Iudam ſignificari S. Petrum, ob inſignem, fidei confeſſionē ab eo factam nempe. *Tu es Chriſtus filius Dei viui*; Per Leui, Matthiam debere intelligi, qui annumeratus eſt cum vndecim Apoſtolis; per Manaſſen, ſanctum Matthæum, qui cum ad telonium minimè rediit, obliuioni tradidiſſe viſus eſt quis & qualis antea fuerit; tandem per Beniamin intelligi ipſum S. Ioannem Euangeliſtam, qui ſe in vltimo collocauit loco, animi ſui modeſtiâ, & ſui ipſius demiſſione: quin & addit Alcazar: *Nec dubito quin illa nomina in reliquis etiam Apoſtolis appoſitè diſpertiantur, & illis rectè congruant, inſpectis ſingulorum tam Etymologiâ, quam hiſtoriâ, ſed non omnia poſſumus omnes.* Ita Alcazar, cuius ſententiæ adhærentes.

D

E

Dicendum eſt neceſſarium fore optimè noſſe hiſtorias Patriarcharum, vt per ea quæ geſta ſunt, rationes poſſimus dignoſcere, propter quas omnis collectio ſanctorum, & præcipuè illorum qui imperium Chriſti viſibile & ſenſibile in terris, laboribus ſuis promouerunt, in duodecim claſſes ſeu ordines diſtribuitur, itaut præter honorem qui eis debetur, ratione particularis ſanctificationis quam adepti ſunt, etiam honorari debeant, quia à diuina prouidentia fuerunt deſtinati, vt Regnum Chriſti per eorum miniſterium promoueretur. Sed operoſiſſimum eſſet hoc diſcutere cum aliis interpretibus: ſufficiat igitur inhærere interpretationibus nominum, & aliis quibuſdam, quæ commodiori diſquiſitione occurrere poterunt, duodecim Patriarchas populi Iſraelitici, cum Apoſtolis principibus populi Chriſtiani conferentes.

Eſt igitur, vt optimè Alcazar, Chriſtus Dominus, verus Iſrael qui cum Deo luctatus eſt, & præualuit, *exauditus pro ſua reuerentia*: duodecim Apoſtoli, duodecim ſunt Patriarchæ noui teſtamenti, qui ſignificantur per nomina antiquorum Patriarcharum filiorum Iacob, qui cognominatus eſt Iſrael: qui quidem Apoſtoli progenitores ſunt populi Chriſtiani. Quomodo autem conueniant ad inuicem, diſquiramus, ordinem enumerationis veterum Patriarcharum à S. Ioanne ſeruatum retinentes, & ordinem enumerationis Apoſtolorum à S. Luca poſitum ſequentes, dum de Apoſtolis loquitur, pro eo tempore quo incæperunt ſimul conuenire, tanquam Eccleſiæ Principes ac Rectores. Actuum 1. itaut

S. Petrum per Iudam, intelligamus,
S. Ioannem per Ruben,
S. Iacobum per Gad,
S. Andream per Aſer,
S. Philippum per Nephtali,
S. Thomam per Manaſſem,
S. Bartholomeum per Simeonem,
S. Mattheum per Leui,
S. Iacobum Alphæi per Iſſachar,
S. Simeonem Zeloten per Zabulon,
S. Iudam fratrem Iacobi per Ioſeph,
S. Mathiam qui annumeratur cum vndecim Apoſtolis, per Beniamin.

Inter eos autem iſtæ occurrunt conuenientiæ,

S. Petrus optima de cauſa per Iudam intelligitur, tam ratione nominis Iudæ, qui interpretatur Confeſſio, quam ratione Principatus: fuit enim tribus Iuda, tribus regia. Petrus autem ex præclara ſua confeſſione meruit ſacerdotium regale; & quia dixit & confeſſus eſt: *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, audiuit etiam pro ſua confeſſione: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, &c. *Et tibi dabo claues regni cœlorum*, & in Petro regia & Sacerdotalis dignitas coniungitur.

S. Ioannes verò, Ruben, id eſt, videns filium, dicitur: tum quia ipſe viſus eſt tanquam filius, dum Chriſtus in cruce pendens Matri ſuæ dixit, *mulier ecce filius tuus*: Tum quia filium Dei optimè cognouit, ſiue ſecundum ſuam humanitatem, in Chriſti pectore accumbens, tum etiam ſecundum diuinitatem, cum intonuit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*; Tum ſecundum gloriam ſuam: *Vidimus*, inquit, *gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis*. Denique in hac Prophetia vidit illum tali figura, qua ei ſignificabatur gloria, quæ data eſt Chriſto temporaliter, pro nimia ſua humiliatione: vnde dicit S. Ioannes ſpiritum huius prophetiæ eſſe teſtimonium Chriſti. S. Iacobus eius frater optimè adumbratur per Gad inter Apoſtolos: ſiquidem primus fuit martyr & verus Gad, id eſt accinctus ad certamen, velox ad ſequendum Dominum, cum ab eo vocatus eſt, & continuò relictis omnibus ſecutus eſt eum, ad omnia paratus & accinctus: nam in negotiis maioris momenti ſequutus eſt Chriſtum Dominum, v. g. dum Chriſtus

Digitized by Google

ſuſcitauit filiam Archiſynagogi : dum in monte Thabor transfiguratus eſt ; dum in monte Oliueti orauit ad Patrem : accinctus præterea, dum in breui temporis ſpatio Hiſpaniam adiit, vt ibi Eccleſiam fundaret, & ſtatim rediit in Iudæam, vt ad fidem conuerteret quoſdam Magos, & gloriam Martyrij aliis præriperet. Vnde propter hanc celeritatem vocatur filius tonitrui, nam *ſicut fulgur exit ab oriente, & paret vſque in occidentem.* Ita ſubitò & Orientem & Occidentem perluſtrauit S. Iacobus, Hiſpaniam adeundo promptiſſimè, & quantociùs ad Orientem redeundo : quin etiam absque vlla hæſitatione Calicem ſe eſſe bibiturum Chriſto reſpondit, illumque etiam, cum ſeſe obtulit occaſio, alacriter hauſit: adhucque poſt mortem accinctus & expeditus apparet, dum ad auxilium Chriſtianorum contra infideles præſentem ſe præbet.

S. Andream in Aſer intelligimus; nam cum Chriſtus Beatitudinem huius vitæ poſuerit in perſecutionibus libenter ferendis pro iuſtitia. *Beati eſtis*, inquit, *cum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos, mentientes propter me* ; &, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam*, quis ignorat quanto deſiderio crucis flagrabat S. Andreas, quanto ardore ad eam amplexandum ferebatur ? Alacriter currebat ad crucem tanquam ad thalamum, tanquam ad epulas. Verè Andreas beatus, qui prior à Chriſto ad eum ſequendum vocatus eſt, qui curſum ſuum, eodem mortis genere quo Chriſtus obiit, conſummare meruit, vt Chriſto confixus cruci, ſimilis redderetur in gloria, quia ſimilis ei fuerat in paſſione. Deinde hæc beatitudo ad eos propriè ſpectat qui fortes & magnanimi exiſtunt : at Andreas, fortiſſimum, ſonat : quod ſi ſecundum S. Hieronymum de nominibus hebraicis, Andreæ nomen ſignificet vel decus in ſtatione, vel reſpondens pabulo, pulchritudo ac decus ſanctorum in hac vita commorantium eſt, ſi durante ſtatione huius vitæ, mala alacriter pro Chriſto ſubeant, & ita beati iuxta illud Petri fratris Andreæ : *Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis, quoniam quod eſt honoris, gloriæ & virtutis Dei, & qui eſt eius ſpiritus ſuper vos requieſcit.* Petri cap. 4. Qua quidem ratione bene reſpondent pabulo ſeu cibo quo reficiuntur : nam cibus eorum eſt crucis continua meditatio, *nihil arbitratus me ſcire niſi Ieſum & hunc crucifixum.* S. Philippus per Nephtali, id eſt æquiparatio, ſignificatur ; nam cum in literis ſacris optimè eſſet inſtructus, & libros Moyſis ſedulò per legiſſet, figuram cum veritate componere potuit, & etiam agnoſcere quàm benè Prophetiæ conueniebant, cũ iis quæ videbat & audiebat Saluatorem perficere. Hinc facilè vocanti autem præbuit, & ſtatim Nathanael adiens, eum his verbis affatus eſt : *Quem ſcripſit Moyſes in lege & Prophetis, inuenimus Ieſum Filiũ Ioſeph à Nazareth.* Nonne dilucidè apparet quàm benè conferat ſeu componat Ieſum cum Lege & Prophetis, veritatem cum figuris ? Rurſus Philippus, æquiparatio poteſt nuncupari, ob ſublimem illam æquiparationem quam ei propoſuit Chriſtus, dum petenti Philippo : *Domine, oſtende nobis Patrem*, Ieſus reſpondit : *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.*

S. Thomas per Manaſſen adumbratur. Manaſſes obliuio interpretatur : quod quidem nomen impoſitum fuiſſe Manaſſe per Patrem dicentem : *obliuiſci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus Patris mei.* Thomas autem interpretatur abyſſus ; & vt verum fatear, imperſcrutabilis abyſſus in Thoma contemplari licet duorum generum obliuionis, primum ex parte creaturæ, alterum ex parte Saluatoris. Primum genus obliuionis ex parte creaturæ eſt quòd licèt tot è cœlo præuenta fuerit benedictionibus, tot bonis ac beneficiis adaucta & cumulata, in obliuionem Dei ac beneficiorum diuinorum facilè incurrit, & in infidelitatem, & incredulitatem miſerè præcipitatur. Aliud genus obliuionis eſt ex parte Dei, quod noſtrarum culparum, ac peccatorum & ingratitudinum facilè obliuiſcitur, itaut nec propter peccata à nobis recedat, ſed ſtet ad oſtium & pulſet, noſque lumine gratiæ viſitare dignetur, & per auxilia efficacia tandem nos ad ſe cõuertat, dum etiam ei terga vertere, contra ſtimulũ eius calcitrare demus. Certè rem admiratione dignam cernimus in Apoſtolo Thoma, qui ſe adeo magnanimum exhibuit, vt dicere non dubitarit : *Eamus, & moriamur cum illo*; nihilominus licet tot languidos ſanatos, tot mortuos ſuſcitatos à Chriſto vidiſſet, ægrè aſſentitur nuncio Reſurrectionis Chriſti, cum magna difficultate credit iis qui dicebant eum à mortuis ſurrexiſſe, & obliuioni tradit omnia, quæcumque audierat aut viderat, nec amplius recordatur quanto amoris ardore ferebatur, cum paulo antea pro eo mori ſe paratum eſſe gloriabatur. At è contrario, quanta & quàm ineffabilis eſt bonitas & pietas Saluatoris, qui ita obliuiſcitur iniuriarum, & pœnarum quas toleraverat, vt homines peccatores ita tenerè diligat, & intet eos præcipuè Apoſtolos, vt attendere noluerit ad eorum puſillanimitatem, infidelitatem, qua eum turpiter reliquerant, qua Petrus perfidè eum negare auſus eſt, qua Thomas credere recuſat eum à mortuis reſurrexiſſe ? Horum omnium oblitus eis frequentiùs apparet, S. Thomam benigne compellit vt manum & digitos in loca clauorum, & in latus ſuum infigeret, vt ab eo omnem incredulitatem amoueat : quo fit vt rationis humanæ iura S. Thomas affectu piiſſimo conculcans, omnia huius mundi bona obliuiſcens exclamat : *Dominus meus, & Deus meus.* O profunda obliuionis abyſſus in Thoma, quæ nobis humilitatem inculcat, & nos ad dilectionem ſinceram Dei prouocat, cuius tanta eſt bonitas, vt citò noſtrarum obliuiſcatur culparum !

S. Bartholomæus ſeſe offert, quem per Simeonem deſignari dicimus. Adeo pauca Euangelium de Bartholomæo dicit, vt applicatio nominis iſtius videatur difficilis. Bartholomæus interpretatur filius ſuſpendentis aquas, Simeon, autem, audiens, exauditio. Quænam inter hæc, quæſo, conuenientia reperiri poteſt ? Hanc tamen benignè accipe. Inter Dei magnalia ſeu opera Dei magnifica, Iob c. 28. prædicat Deum eſſe qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in menſura. Hinc dicere liceat, quod ſicut Deus aquas in nubibus quaſi colligatus retinet ne effluant, ad menſuram autem eos diffluere decernit, ita dicendum diuinas illuminationes, quæ per aquas ſignificantur, v. g. Sap. *aquâ ſapientiæ ſalutaris potabit eum* ; aquâ nempe gratiæ Spiritus ſancti, ſalientis in vitam æternam : aquâ afflictionum & pœnarum, quæ per aquas etiam ſignificantur : *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam*, & horum omnium participationem Deus dat nobis ad menſuram, diſtribuit ſingulis prout vult.

His ita ponderatis, dico S. Bartholomæum, qui filius eſt Dei ſuſpendentis aquas, poſſe etiam Simeon, id eſt audiens, nuncupari, nam præter quàm, vt cæteri Apoſtoli, voci Domini fuit obediens, eum vocantem ſequendo : præterquàm vt alij Apoſtoli particeps fuit gratiarum Chriſti, quibus ad Apoſto-

Digitized by Google

latus miniſterium idonei reddebantur, nomen Simeonis ſeu audientis, & nomen filij ſuſpeudentis aquas illi optima de cauſa tribui poſſunt. Narrat de Bartholomæo Dionyſ. Areopagita in Theologia Myſtica, ſanctum Bartholomæum olim hoc dogma protuliſſe, nempe magnam eſſe Theologiam & minimam, atque Euangelium amplum & magnum, rurſuſque compendiarium: cuius dicti interpretationem fuſiùs explicat S. Dionyſius, dicens Bartholomeum hoc dicto docuiſſe *Bonum omnium cauſam, & multis verbis, & paucis ſimul, & nullis exprimi: quippe quæ nec rationem habent, neque intelligentiam ac notitiam: quòd omnibus ſingulari modo præſtet, iſque ſolis ſine integumentis verè colluceat, qui & immunda omnia & munda tranſeant, omnemque omnium ſanctorum faſtigiorum aſcenſum ſuperant, & diuina omnia lumina, ſonos rationeſque cæleſtes relinquunt, & in caliginem ingrediuntur. in qua reuera eſt is qui eſt ſuper omnia.* Ita Dionyſ. Ex his colligere poſſumus quanta fuerit ſublimitas contemplationis S. Bartholomei, quænam fuerit optima mentis illius diſpoſitio ad diuina ſuſcipienda & percipienda, itaut dicere poſſet: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Mentem, affectum, intentiones, cogitationes illius tenebat is, qui ſuſpendit aquas quodammodo, per contemplationem quæ nos à terrenis auellit, vt ad cæleſtia adſpiremus; & quadam ratione ſuſpendit, quia nondum plenè ac perfectè obiectum attigimus: de qua ſuſpenſione loquebatur Iob dicens c. 7. *Quamobrem elegit ſuſpendium anima mea.* Ad hanc autem ſublimitatem, ad hoc mentis & cordis ſuſpendium perueniunt ij qui Deum audiunt, & eius voci obtemperant fideliſſimè. Deinde inimici noſtri ſint iudices. Olim dæmon Berith verum dicere coactus, ex idolo tale oraculum ſeu reſponſum edidit, nempe Bartholomeum ſpiritu Prophetiæ eſſe repletum, ea quæ in abſentia ſua gerebantur optimò cognoſcere, centies de die, cẽties de nocte genua ipſum flectere in oratione: ex qua hoſtis gloriæ ſanctorum confeſſione habemus Bartholomeum, & animam in contemplatione ſuſpenſam, & Deo maximè ob audientem habuiſſe. Quod ſi in oratione perſeuerantes, humiles & pauperes ſpiritu Deus exaudit, Bartholomei oratio iugis ac perſeuerans, exauditionis nomen illi affetre potuit, vt Simeon dicatur quia Deum audit, & rurſus Simeon, quia Deus illum orantem exaudit; qui nobili & forti martyrio teſtatus eſt vocem Domini audiſſe dicentis: *Qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Fuit enim viuus excoriatus: & quomodo non Deus eum exaudiret, qui per tot ora quot habebat corporis partes, Dei laudes & gloriam tam altè intonabat?

Ad ſanctum Matthæum venio, qui per Leui adumbratur: Leui etiam Matthæus dicitur. Lucas enim de Matthæo loquens ait: *Vidit publicanum nomine Leui* c. 5. Leui rurſus interpretatur, additus, copulatus: nam in conuerſione ſancti Matthæi Chriſtus demonſtrare voluit quanto affectu peccatores ad ſe vocabat, eoſque ſibi coniungebat. Vnde Marcus c. 2. *Et cum præteriret vidit Leui Alphæi ad telonium, & ait illi: ſequere me. Et ſurgens ſecutus eſt eum. Et factum eſt cum accumberet in domo illius, multi publicani & peccatores ſimul diſcumbebant cum Ieſu & diſcipulis eius: erant enim multi qui & ſequebantur eum. Et ſcribæ & Phariſæi videntes quia manducaret cum publicanis & peccatoribus, dicebant diſcipulis eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit Magiſter veſter? Hoc audito Ieſu ait illis: Non neceſſe habent ſani medico, ſed qui malè habent: non enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores.* Ad hoc igitur Matthæus Chriſto eſt copulatus, vt dicere poſſet cum Apoſtolo Paulo: *Fidelis ſermo & omni acceptione dignus: quoniam Dominus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quo rum primus ego ſum,* &c. Deinde figura hominis Matthæo tribuitur, quia Euangelium ſuum incipit, generationem temporalem qua Chriſtus Dominus ſociauit naturam humanam diuinitati tenens, & eam e differens. Optime igitur Leui, id eſt copulatus nuncupatur. Adeſt nunc ſanctus Iacobus, qui Iſſachar j. Merces ſeu præmium deſignatur. In Apoſtolis certè primitias ſpiritus contemplamur; omnia cæleſtia dona ſuper eos effuſa fuerunt: inter ea dona repono quòd non ſolum in futuro, ſed etiam in hoc ſeculo virtuti præmia tribuatur: aliquis igitur ex his ſeligi debuit, in quo ſenſibili & manifeſta quadam ratione perciperetur in quanto pretio apud Deum & homines virtus habeatur: Hoc enim decet diuinæ prouidentiæ ſuauem agendi rationem. Hæc autem diuina diſpoſitio ac diſpenſatio elucet in Iacobo, cognomento iuſto; talis enim erat illius ſanctitatis apud homines opinio, vt illi permitteretur introitus in ſancta ſanctorum, cuncti fimbriam veſtimenti eius tangere ſatagebant. Denique in tanto honore fuit, tum apud Iudæos, tum apud gentiles, vt Ioſephus referat omnes exiſtimaſſe ciuitatem hieroſolymitanam propter eius necem fuiſſe euerſam. Hoc præmium, hæc merces virtuti eminenti debetur, vt ab omnibus in pretio habeatur. Rurſus qui vitam S. Iacobi ſcripſerunt, valde commendant Epiſtolam eius canonicam, ex eoquod in ea ſpecialiùs docetur quanta ſit tribulationum merces: nam in ea videtur Iacobus eximius prædicator mercedis, quæ promittitur illis qui patienter afflictiones tolerant. *Beatus,* inquit, *vir qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Iacob. 1. Antea dixerat: *Omne gaudium exiſtimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis, ſcientes quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, vt ſitis perfecti & integri in nullo deficientes.* Et cap. 5. claudit ſuam Epiſtolam dicens: *Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum & ſerotinum. Patientes igitur eſtote & vos, & confirmate corda veſtra quoniam aduentus Domini appropinquauit.* Et paulo poſt: *Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris & patientiæ, Prophetas qui locuti ſunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos qui ſuſtinuerunt: ſufferentiam Iob audiſtis & finem Domini vidiſtis, quoniam miſericors Dominus & miſerator.* Deinde adeò amator eſt iuſti & æqui, vt pote verè iuſtus, vt graui commination ſupplicij auaros & diuites, qui operarios debita mercede fraudare non timent, à ſcelere deterreat. *Theſaurizaſtis vobis iram in nouiſſimis diebus. Ecce merces operariorum qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit* c. 4. Durum autem eſt incidere in manus Domini, qui abſque acceptione perſonarum ſupplicia decernit. Denique promittit mercedem in fine Epiſtolæ, ei qui aliquem conuerti fecerit ab errore viæ ſuæ: *Saluabit,* inquit, *animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Quia igitur eximius fuit prædicator mercedis & præmij virtutis, patientiæ operis ſeu laboris, & pietatis, rectè Iſſachar nominatur, id eſt, ille qui amator iuſtitiæ, de præmio virtutis & laboris tam eximiè & apertè ſcripſit. Nomen Zabulon, Simeoni Zeloti ſeu Chananæo attribuimus, & S. Iudæ Thadæo, nomen Ioſeph, ſi ordinem enumerationis Apoſtolorum in cap. 1. actuum poſitum obſeruare velimus: nam ſi ſemel perſpiciamus hos duos Apoſtolos fratres eſſe S. Iacobi, cum Dominus dixerit: *Vbi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, in medio illorum ſum,* optimè ad deſignandum huius familiæ ſanctitatem, quæ Chriſto tres Apoſtolos ſuppeditauit, Simoni

Digitized by Google

nomen Zabulon, ſiue habitaculi, tribuere poſſumus, quia Chriſtus in medio duorum congregatorum in nomine ſuo habitat, ſed dum additur duobus tertius, nempe Thadæus, benedictionis huius ſit incrementum, Ioſeph enim incrementum interpretatur: nam ſatis fuiſſet hæc familia commendatione digna, ſi vnum aut duos Apoſtolos protuliſſet: at tres edidit, quod quidem in aliis familiis Apoſtolorum non videtur euenisſe, duos enim tantum protulit familia S. Petri, Andream & Petrum; duos item familia S. Ioannis, Ioannem & Iacobum: at tres familia alterius Iacobi, nempe Iacobum, Simonem & Thadeum. His adde quæ Cornelius à Lapide notat in primum caput Act. Apoſtolorum, nempe Ioſeph qui cognominatus eſt iuſtus, quem ſtatuerunt Apoſtoli cum Matthia, vt ſcirent, quem ex his duobus eligeret Dominus in Apoſtolum, fuiſſe etiam fratrem S. Iacobi Minoris, Simonis & Iudæ. Quod ſi ita eſt, optimè hæc familia dici poteſt Dei domus, & habitaculum, & in ea multa incrementa benedictionis repetiri, vt qui Apoſtoli electi ſunt, habitaculum & incrementum meritò dicantur.

Quod ſi ordinem enumerationis Apoſtolorum à S. Matthæo & à S. Luca alias ſeruatum teneamus, in quo ordine S. Iudas Thadeus ponitur ante Simonem, ratio ſatis plauſibilis ſeſe offert cur Zabulon nomine illum indigitemus, ex iis quæ refert S. Ioannes c. 14. nam vbi agitur de modo quo Filius in Patre manet, & quo Pater & Filius in nobis manere dicuntur, *In illo die*, inquit Chriſtus, *vos cognoſcetis quia ego ſum in Patre meo, & vos in me & ego in vobis. Qui habet mandata mea & ſeruat illa, ille eſt qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eũ, & manifeſtabo ei meipſum.* Ad hanc promiſſionem S. Thadeus aurem arrigens, vt pleniùs de illa inſtrueretur dixit: *Domine quid factum eſt, quia manifeſtaturus es nobis teipſum, & non mundo?* Cui interrogationi Chriſtus reſpondit: *ſi quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus*; tacite innuens mundum non eſſe dignum cui ſeipſum manifeſtaret, quia videlicet mundus ſermonem eius non ſeruat: & S. Thadeus hoc modo inſtruitur qua ratione Deus poteſt in nobis habitare. Dicitur igitur Zabulon, id eſt habitaculum, id eſt is qui occaſionem Chriſto dedit docendi nos qua via poſſumus fieri Dei domus & habitaculum. Si autem nomen Zabulon ſic Thadeo aſſignamus, nomen Ioſeph Simoni erit aſſignandum: ſiue quia fuit incrementum benedictionis, dum duobus fratribus additur, ſiue quia ſicut olim Ioſeph Ægyptios pane materiali refecit, S. Simon Ægyptum peragrauit, vt Ægyptios pane Verbi Dei reficeret, vt habet Breuiarium in lectionibus, *Euangelica prædicatione peragrauit*, nec ſine fructu, nam in primis Eccleſiæ temporibus fides maxime in Ægypto magnos pietatis fructus protulit.

Denique Matthiam Apoſtolum per Benjamin deſignari dicimus, quia in locum Iudæ Iſcariotis fuit ſuffectus, quo manifeſtè apparuit illum eſſe filium dexteræ, Beniamin enim filius dexteræ nuncupatur.

Dico etiam, poteſt in Benjamin S. Paulum intelligi, qui fuit de tribu Benjamin, mane Lupus rapax, veſperè diuidens eſcas: quod in Paulo expletum fuiſſe vult S. Auguſtin. Nec abſurdè duo Apoſtoli poſſunt per vnum ex Patriarchis ſignificari, quia omnes Apoſtoli conueniunt in miniſterio, & in vna & eadem functione, & vt optimè S. Auguſtinus docet in Pſ. 86. *Non ſolum illi duodecim & Apoſtolus Paulus, ſed quotquot indicaturi ſunt, propter ſignificationem vniuerſitatis, ad ſedes duodecim pertinent: quemadmodum quotquot intrabunt ad duodecim portas pertinent.* Ita Aug. Non abſurdè igitur duos Apoſtolos in vno & eodem Patriarcha intelligi exiſtimamus. Sicut hi omnes quiquarumdam nationum dicuntur Apoſtoli poſſunt ad aliquem illorum Patriarcharum reuocari.

Hæc ſunt quæ dicenda nobis occurrunt de proportione & conuenientia duodecim Patriarcharum cum duodecim Apoſtolis, qui fuerunt tanquam capita illius turbæ magnæ electorum, qui primi Epiſcopos & Sacerdotes conſecrarunt & conſignarunt, quibus regendus erat populus Chriſtianus: ſed quia hîc agi aſſerimus de electis vt ſunt in quodam ſtatu conſiſtentiæ, & vt in gratia conſtituti à qua decidere amplius non valeant propter donum perſeuerantiæ, quod eis confertur in aliquo temporis momento, antequam è vita mortali migrent ad Patriam, in his nominibus inuenienda eſt quædam conuenientia & proportio cum illo ſtatu perſeuerantiæ, ſiue hæc interpretatio nominum, ſub quibus reducendi ſunt omnes electi, nobis aliqua prædeſtinationis ſigna conferat, ſiue media quibus conſeruari poteſt præſcribat, ſiue effectus gratiæ habitualis & in nobis permanentis & perſeuerantis deſignet.

Quænam deſiderantur ad prædeſtinationem manifeſtandam, ad gratiam conſeruandam & effectus illius declarandos. §. 4.

Optimè Primaſius aſſerit non inaniter ſeriem nominum, duodecim videlicet Patriarcharum, hic fuiſſe mutatam: *Sed*, inquit, *vt euidenter ſignificatum valeat agnoſci quantâ ſit diſtantiâ diſcernendum inter exortum naturæ culpabilis, & ordinis gratiæ ſalutaris.* Ita Primaſ. In expoſitione igitur illorum nominum, & conuenientia interpretationis ſeu ſignificationis illorum, cum ſignis & effectibus prædeſtinationis electorum, ſeu doni perſeuerantiæ quo tandem gloriam adipiſcuntur, ordinem enumerationis Patriarcharum à S. Ioanne ſeruatum tenentes, à Iuda incipimus qui interpretatur confeſſio. *In Iuda*, inquit Primaſius, *& confeſſio peccatorum, & laus claret prædicanda virtutum. Iudas*, inquit Ambroſius, *prior ponitur quia quicumque poſt peccata ad Deum conuerti deſiderat, neceſſe eſt vt primò confiteatur peccata ſua, ſicut dicit Iacobus Apoſtolus: confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro inuicem vt ſaluemini; videlicet vt per confeſſionem peccatorum & pœnitentiam Deum ſibi placabilem faciat quem offenderat.* Ita Ambroſ. *Per tribum Iuda*, inquit Dionyſ. Carthuſ. *omnes qui Chriſtum veraciter confitentur, & propria quoque mala confiteri non recuſat intelliguntur.* Ita Dionyſ. Quæ confeſſio peccatorum prima occurrit in via ſalutis, *Quia*, inquit Beda in hunc locum, *ante initia confeſſionis culmen bonorum operum nullus aprehendit, & niſi per confeſſionem renunciemus actibus malis, non informamur rectis.* Ita Beda. Ex illa autem confeſſione peccatorum, facilè mens euehitur ad confitendum nomini Dei altiſſimi: qui enim in ſe malum agnoſcit, bonitati diuinæ quidquid boni poſſidet facile aſcribit. *Iudas*, inquit Andreas Cæſar. *confeſſionem ſonat: per quem illi deſignantur qui per Chriſti confeſſionem, qui ex Iuda ortum ducit, ſalutem conſequuntur.* Ita And. Chriſtum autem optimè confitentur qui in primis peccata fatentur: nihil quippe tàm clare & euidenter demonſtrat veritatis increatæ in mentes noſtras imperium ac dominationem, eaſque in poſſeſſionem ſibi vendicaſſe increatam veritatem, quam libera & ingenua nihilitatis noſtræ ac peccatorum confeſſio, quàm ſi fateamur gratiis à Deo datis parũ fideliter nos cooperari, quàm ſi profiteamur purâ ac ſincerâ confeſſione & pia mentis affectione cum S. Iacobo, quod *omne datum optimum, & omne donum perfectum deſur-*

Digitized by Google

ſum eſt deſcendens à luminum, c. 1. noſque omnimode ab eius voluntate dependere, ſiue quoad eſſe, ſiue quoad operari, in omnibus denique quæ contingere poſſunt, ſiue in diuerſis temporum curriculis, ſiue in æternitate, quo ſit vt illi ſoli à nobis & omnibus rebus creatis, gloria & honor debeatur.

Sequitur Ruben, qui interpretatur videns filium, ſeu filius viſionis. *Ruben*, inquit Andreas Cæſ. *ſi nomen interpreteris, Viſionis filium ſonat, per quem denotantur qui per cordis puritatem cæleſti viſione potiuntur. Porro*, inquit Dionyſ. Carthuſ. *Ruben interpretatur Videns, filium, Vel Videns in medio, Vel filius Viſionis. Eius itaque tribus ſunt qui viſioni contemplationis inſiſtunt, & in medio laqueorum ſe poſitos cernunt.* Ita Dionyſ. Sed qui videre potiſſimum deſiderare debent: qui cæleſti viſioni & contemplationi inſiſtit, vt de medio laqueorum erepti in libertate filiorum Dei feliciter perueniant, incipiendum quidem à pœnitentia, vt bene Ambroſ. Ruben ſecundum ponitur, qui viſionis filius interpretatur, quia per pœnitentiam viſionis factus eſt filius, qui erat antea filius perditionis. At dicimus, quod ſi quis per pœnitentiam factus filius viſionis, cordis puritatem ſibi comparauit, & contemplationi ſedulo inſiſtat, præcipuè videat in medio, id eſt cognoſcat Dei filium, qui medium quodammodo locum in Trinitate obtinet, procedens & producens, vt per productionem ſuam cum Spiritu ſancto conueniat, & producens cum Patre ſocietur, vt ſit vnum cum eo Spiritus ſancti principium; cognoſcat inquam filium Dei & hominum mediatorem, inſuper dum optimè perſpexerit quanta fuerit in nos effuſa Dei Charitas, qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed eum nobis dedit Redemptorem, is inquam erit vere filius viſionis ſeu viſus à Deo. Chriſti enim perfecta cognitio ſignum exhibet præſentiſſimum gratiæ ſpiritus in nobis inhabitantis: *Nemo enim poteſt dicere Dominus Ieſus*, inquit Paulus, *niſi in Spiritu ſancto*; & ex ſuaui & continua verbi incarnati contemplatione facilè conjicitur nos eum ardenti amore proſequi: *Vbi enim eſt theſaurus tuus ibi & cor tuum erit*; & ad ea quæ diligimus mens fertur libenter & cogitatio noſtra: *ſi quis diligit me ſermonem meum ſeruabit & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*: Quæ manſio maxime manifeſtabitur, ſi per bona opera Chriſtum in nobis manere probemus, vnde Beda: *Secundus Ruben, qui interpretatur Videns: in filius opera deſignari Pſalmiſta teſtatur, qui in beati viri benedictionibus inter cætera dicit: Filij tui ſicut nouellæ olivarum, & infra: Vt videas filios filiorum tuorum. Non enim qui timet Dominum, niſi genuerit filios nepoteſque ſuſceperit, beatus eſſe non poteſt, cum virgines fideles potior merces expectet. Sed in filiis opera, in filiis vero filiorum fructus operum, id eſt, mercedem deſignat æternam. Poſt Iudam ergo Ruben, id eſt, poſt exordia diuinæ confeſſionis & laudis perfectio ſequitur actionis.* Ita Beda.

Sed quia, inquit Beda, *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, poſt Ruben ſequitur Gad, qui tentatio Vel accinctus interpretatur. Poſt inchoationem enim boni operis, maioribus neceſſe eſt hominem tentationibus probari, atque ad bella grauiora ſuccingi, vt fidei illius fortitudo comprobetur, Dicente Salomone: fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem*, &c. Ad hanc interpretationem collimant plerique interpretes: *Per Gad*, inquit Andreas Cæſ. *illos accipere licet qui per tentationum tolerantiam & patientiam, ad ſimilitudinem Iobi corona donantur: Qui virtutibus*, inquit Dionyſ. Carthuſ. *contra peccata armantur, quia neceſſe eſt*, inquit Ambroſius, *vt qui pœnitet ſe mala geſſiſſe, & petit ne in eiſdem relabatur, contra omnia vitia armetur, voluptateſque carnales à ſe præcidat, quia non poteſt fieri vt à peccatis abſtineat, qui in voluptatibus carnalibus requieſcit.* Ita Ambr. quibus addo quod ſiquis ex adhæſione mentis ad Chriſtum Crucifixum, & ex memoria continua vitæ ac mortis Saluatoris hanc ſibi comparauerit mentis ac voluntatis ad Deum ſubmiſſionem, vt prompte ac alacriter Deo in omnibus obediat, eius inſpirationibus intentus obtemperet fideliſſime (*Qui enim ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt Filij Dei*) exteriùs etiam præceptis Eccleſiæ, & ſuperiorum libenter obediat, dicente Domino: *Qui vos audit me audit*, omniaque ſiue proſpera, ſiue aduerſa æquanimiter à Deo ſuſcipiat, itaut cum Dauide dicat: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum*, quaſi dicat, ad aduerſa ſuſcipienda æque ac iucunda & proſpera, is reuera erit verè accinctus ad tentationes omnes ſuperandas, & omnia à Deo præcepta exequenda, & ab eo volita amplectenda, ſignumque edit euidentiſſimum omne proprium iudicium in eo eſſe exactum, omnem propriam voluntatem ſeriò abdicaſſe, vt ſola in eo regnet & imperet Dei voluntas, qua ratione facile ad beatitudinem in Aſer ſignificatam peruenire poterit.

Et quia, inquit Ambroſius, *qui contra vitia pugnat viriliter, beatus eſſe incipit, Aſer in ordine ponitur, qui beatitudo interpretatur. Per Aſer*, inquit Dionyſ. Carthuſian. *qui interpretatur Beatus, ſignificantur qui Euangelicarum beatitudinum poſſeſſores ſunt, & futuram præguſtare beatitudinem nunc merentur.* Ita Dionyſ. *Per Aſer*, inquit Andreas Cæſar. *qui interpretatur Beatitudinem illi intelliguntur, qui per dignam vitæ conuerſationem dominicam beatitatem promeruit, ſtationem ad dexteram Chriſti conſequuntur filiique lucis & dei appellantur.* Ita And. Dicendum quod quia talis anima peccata confitens, Deum bonorum omnium autorem agnoſcens, ad Chriſtum mediatorem continuò oculos conuertens, ad tentationes ſuperandas, inſpirationes diuinas ſequendas, diuina mandata exequenda, & omnia quæ Deus diſponit humiliter amplectenda accincta & paratiſſima, omnes actus octo beatitudidum fideliter elicere & exercere poteſt, quibus ſub potenti manu Dei ſublimiter humiliata, benè diſponitur ad beatitudinem, & ſignum præſtat cuidentiſſimum, quod in ea reſidet plenitudo ſufficientiæ gratiæ Spiritus ſancti: qui diuinus ſpiritus ei datur ad menſuram, vt loquitur S. Paulus, pro rata nempe portione eorum quæ requiruntur ad propriam ſanctificationem obtinendam, & vt miniſterium ad quod deputatur à Deo fideliter exequatur: & hac ratione coniectari poteſt talem animam Dei gratiam poſſidere, cum quadam conſiſtentia & firmitate, & ad donum perſeuerantiæ peruenturam, cuius gratia, beatitudo, quæ in ea inchoatur in via, complebitur & conſummabitur in patria: vnde ſub nomine Aſer intelligi poterit.

Signa prædeſtinationis in prædictis vidimus: ad media illius exequendæ & promouendæ veniamus. Spiritus enim gratiæ valde delicatus exiſtit, facili negotio euaneſcit & aufertur à nobis, curioſo tantum intuitu offenſus aufugit, vnde ſponſus Cant. 6. *Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt.* Quatuor igitur media videntur opportuna vt conſeruetur in nobis.

Primum medium in Nepthali contemplari licet: per Nephtali Andreas Cæſar. ait precationem denotari, eoſque inſinuari qui aſſiduo precandi ſtudio indiuulſe ad hærent; alij vt Dionyſ. Carthuſ. latitudinem interpretantur, & per eam ſignificantur hi qui charitate extenduntur ad omnes. *Sequitur*, inquit Ambroſ. *Nephtali, qui dilatatio mea interpretatur. Omnis enim qui ſcit ſe Deum offendiſſe, & vult vt ei miſericordia diuina ſuccurrat, debet & ipſe miſereri*

Digitized by Google

quibuſcumque poteſt, & quomodo poteſt, ſicut dicit Dominus: Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Illius quippe mens circumquaque dilatatur, qui per dilectionem, quam proximis exhibere debet, omnibus quibuſcumque poteſt miſeretur. Ita Ambroſ. Primaſius, autem ait: *Propterea Nephtali ſuccedit, quod eſt latitudo, vt non ſolùm non deficiamus, verum etiam quæ retrò ſunt obliuiſcentes, ſic in ea quæ ante ſunt, ſecundum Apoſtolum, extendamur, vt ſola neceſſitas conditionis humanæ obſtricti curam carnis nõ in deſideriis faciamus.* Hæc Primaſ. Optimum ianè medium ad gratiam conſequendam Oratio. Optimum etiam, dilatatio Charitatis ad omnes. Optimum etiam, miſericordia: hæc facilè exequitur, qui iuxta aliam huius nominis interpretationem omnia bene ponderant, & ad inuicem conferunt. Nephtali quippe aliis æquiparatio ſonat. v. g. ſi æqua lance ponderes cum põdere ſanctuarij quidquid agas, quidquid cogites, quodcumq; loquaris, vt perfectã iuſtitiam pro vero pietatis & gratiæ fundamento ac baſi habeas: hæc autem iuſtitia, vt eſt virtus generalis, non particularis, tria ponderanda ptoponit, cum pondere Sanctuarij, æquitatem ad proximum, reddendo vnicuique quod ſuam eſt; Pietatem erga Deum, cultu & adoratione, interiùs & exterius illum venerando & præceptis eius obtemperando; Circumſpectionem ſagacem & vigilantem erga noſmetipſos; & inſuper requirit prudentiam quæ lucem præbeat, iuſtitiam particularem quæ regulam actionis præſcribat, temperantiam quæ omnia ad moderationem reducat, fortitudinem qua fortiter aggredi & pati cuncta noſcamus, ſolum Deum ſolumq; eius gloriam honorem ac amorem præ oculis habentes. Eſt enim hæc Dei gloria: Eſt hic diuinus amor pondus ſanctuarij, cum quo omnes actiones noſtræ habent ponderari, vt ei quantum fieri licet æquiparentur, itaut nihil habeant quod ab eius dignitate ſit alienum. Ponderes inſuper momentaneum hoc & leue tribulationis noſtræ, cum æternæ gloriæ pondere, vt illud deſpicientes ad iſtud properemus. Felix æquiparatio, qua mediante fit quod ait S. Paulus 2. ad Corinth. 4. *Propter quod non deficiamus, ſed licet is qui foris eſt noſter homo corrumpatur, tamen is qui intus eſt renouatur de die in diem. Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur; quæ videntur enim temporalia ſunt, quæ non videntur æterna.*

Secundum medium ad gratiæ conſeruationem valde conducens eſt perfecta præteritorum & rerum mundanarum obliuio, vt ad futurorum amorem adſpiremus: de qua obliuione S. Paulus ad Philipp c. 3. *Vnum autem, quæ quidem retro ſunt obliuiſcens ad ea vero, quæ ſunt priora extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſuperna vocationis Dei in Chriſto Ieſu.* Etenim neceſſaria eſt perfecta rerum terrenarum obliuio, vt in cognitione & amore terrenorum fixi permaneamus. Hæc autem obliuio per Manaſſem ſignificatur. *Poſt Nephtali*, inquit Ambroſius, *ponitur Manaſſes, qui oblitus interpretatur: quia expedit vt qui peccata ſua deflet, qui eleemoſynas pauperibus largitur, vt peccata eius dimittantur, eadem peccata ita deſerat quatenus ea penitus oblitus eſſe videatur*; At non ſolum obliuio peccatorum, ſed etiam omnium rerum mundanarum exigitur. *Per Manaſſem*, inquit Dionyſ. Carthuſ. *qui obliuio interpretatur, ſignati ſunt qui inferiorum & volubilium obliuiſcentes, diuinorum meditationibus ſuam ſemper replere & occupare nituntur memoriam.* Ita Dyon. Quin & rerum chariſſimarum obliuio requiritur, ita enim Andreas Cæſar. *Manaſſes*, inquit, *qui ab obliuione nomen trahit, deſignat illos qui diuino amore incenſi, ea quæ retro ſunt domumque paternam obliuioni tradunt, iuxta pſalmiſtam dicentem: Audi filia, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum & domum Patris tui: & concupiſcet rex decorem tuum.*

Tertium medium eſt ſpiritus orationis, ad audiendum Deum nobis loquentem, iuxta illud Dauidis: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam*; & ad deſideria noſtra illi aperienda, iuxta illud: *Effundo in conſpectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipſum pronuncio*, vt exaudiamur, *Deſiderium* enim *pauperum exaudiuit Dominus*, non ſinentes vnquam ſpiritum compunctionis & contritionis in nobis extingui; nam quoties peccata noſtra memoriæ occurrunt, de eis dolere ac conteri debemus. Hoc autem medium ſignificatur in Simeone, qui audiens & exanditio, & audiens mœrorem interpretatur. Ambroſius: *Et ideo Simeon ſequitur qui exauditio interpretatur. Ille enim pro malis quæ fecit deprecans vt ei dimittantur, à Deo exauditur, qui omnia vitia ex toto deſeris.* Et Andreas Cæſar. *Per Simeonem, qui idem fere ſonat quod obedientia, innuuntur illi, qui per ſtudioſam diuinorum præceptorum obſeruationem, iuſtificationis gratiam conſecuti ſunt.* Dionyſius autem Carthuſ. *Per Simeonem qui audiens mœrorem interpretatur, ſunt intelligendi qui ex paſſionis Chriſti memoria, ſalubri conficiuntur mœrore, etiam ex deſiderio patriæ, ex contemptu propriæ culpæ, ex proximorum ruina, & ex profitiendi affectu.* Ita Dionyſ. Optimum ſane medium ad gratiæ conſeruationem talis mœror, & talis triſtitia, ex his motiuis concepta.

Quartum medium ad gratiæ conſeruationem optimum eſt, ſi armatura militiæ noſtræ ſemper ſit ad pugnandum paratiſſima; ſi talentum concreditum in terra non abſcondatur, ne dominus qui illud concredidit, tandé, nos inſimulet negligentiæ & torporis, & exprobret pigritiam: *ſerue male*, inquit, *& piger ſciebas quia meto vbi non ſemino, & congrego vbi non ſparſi. Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego recepiſſem vtique quod meum eſt cum vſura*, &c. Matt. 24. ſed Paulum imitantes, drachmam non in ſudario reponentes, ita proficere conemur vt cum eo dicamus: *Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit.* 1. ad Corint. 13. & S. Petri Apoſtoli conſilium adimplentes, in bonis operibus proficiamus, vt certa fiat & reddatur noſtra vocatio: *Satagite*, inquit, *fratres vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis* 2. Petri. 1. Hoc in Leui ſignificatur. *Per Leui*, inquit Dyonif. Carthus. *qui additus dicitur, exprimuntur qui bona bonis accumulant, & obſeruantiæ præceptorum obſeruantiam conſiliorum adjiciunt. Leui*, inquit Andreas Cæſar. *aſſumptum ſignificat, quo nomine denotantur ij qui per converſationem Sacerdote dignam à Chriſto aſſumpti ſunt. Collocatur autem Leui ordine octauus, quòd octaua demum reſurrectionis Deo verum Sacerdotum offenſum eſt.* Ita And. *Leui additus*, inquit Primaſ. *hic convenit, quod & in Salomone legimus: numerus dierum eius duplex: qui ſic bonis vitæ preſentis viuntur vt temporalibus potius æterna mercantur, ne terrenis impediti cœleſtibus defraudentur.* Ita Primaſ. *Deinde*, inquit Ambroſius, *Leui ſequitur, qui additus ſiue aſſumptus interpretatur: quia qui de peccatis quæ fecit iam penitentiam exercuit, qui contra vitia pugnauit eaque deuicit, qui erga indigentes miſericors extitit, atque iis operibus hoc promeruit vt eius peccata dimitterentur, de venia iam ſecurus timorem ignis æterni à mente abjicit, atque in amorem Dei ac cœleſtis patriæ totus aſſumitur, iis quæ additur qui Filij Dei nuncupantur & ſunt.*

His quatuor mediis, nempe dilatatione Charitatis per opera miſericordiæ, & æquiparationem

ſeu ponderatione rerum tranſeuntium cum æternitate gloriæ, iuſtitiæ Chriſtianæ ſtudio & amore, perfecta obliuione omnium peccatorum, ac cunctarum rerum quibus à Dei amore aut auelli aut tantiſper retardari poſſemus, orationis ſpiritu, & continuo omnium bonorum operum exercitio, gratia in nobis conſeruatur: Cuius præſentia conjici poterit ex confeſſione peccatorum, Dei laude, memoria paſſionis Chriſti, obedientia prompta & alacri omnibus Dei inſpirationibus ac diuinis præceptis; & actibus octo beatitudinum quibus diſponimur ad beatitudinem. Nunc quid gratia operetur in nobis pro ratione ſtatus cuiuſdam conſiſtentiæ, & firmitatis ſeu perſeuerantiæ, diſquirendum.

Primus effectus huius gratiæ inhabitantis & manentis, eſt ſpes mercedis certa & ſecura, iuxta illud Ieremiæ. c. 31. *Quieſcat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis, quia eſt merces operi tuo, ait Dominus. Ipſe enim ſpiritus,* ait S. Paulus Rom. 8. *teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quod ſumus filij Dei; ſi autem filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Hinc clamabat idem Paulus: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex* 2. ad Timoth. 4. Hæc ſpes electorum denotatur in Iſſachar, qui merces interpretatur. Ambroſius de ſola mercede virtutum pro carnis mortificatione intelligit, cum ait: *Sequitur Iſſachar, qui merces interpretatur: Sed clariùs videbimus, ſi ea quæ mater Lia eo naſcente dixit, ait enim: Reddidit Deus mercedem mihi, quia dedi ancillam meam viro meo, & ideirco appellauit nomen eius Iſſacharid eſt merces. Caro noſtra ancilla noſtra debet eſſe, vir noſter Deus noſter eſt: ancillam vero noſtram viro noſtro damus, ſi carnem noſtram Dei ſeruitio mancipamus, ſi eam vigilare, ieiunare, & abſtinere compellimus, atque voluptates eius edomamus. Iſſachar igitur Liæ in mercedem datus eſt à Deo, quia iis qui carnem domant, qui vitia extinguunt, ea merces datur à Deo vt virtutibus ditentur.* Ita Amb. Tamen extendi poteſt ad quamcumque mercedem, quæ bonis operibus promittitur ſiue in hac vita ſiue in futura: Hinc indefinitè ait Andreas Cæſ. *Per Iſſachar qui de mercede appellationem ſortitur, illi adumbrantur, qui propter mercedem quam ex Deo expectant, ſtudioſæ vitæ rationem inierunt.* Et Dionyſ. Carthuſ. *Per Iſſachar, qui merces interpretatur, dantur intelligi qui meritis abundare ſatagunt, præmiiſque intuitu fortiter agunt.*

Secundus effectus huius gratiæ inhabitantis eſt quod ſumus Dei domus & habitaculum iuxta illud: *Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo:* Quod quidem ſignificatur per Zabulon, qui interpretatur habitaculum. De habitatione noſtra in Deo intelligit Dionyſ. Carthuſ. cum ait: *Per Zabulon, qui habitaculum fortitudinis interpretatur, ſignati ſunt qui perſeuerantes in bonis, in Deo quaſi in firmiſſima terra quieſcunt.* De habitatione autem Dei in nobis per gratiam intelligit Andreas Cæſar. dum ait: *Zabulon interpretatur virtutis aut ſuauis elentia habitaculum, per quem intelligi videntur qui in habitantem Dei ſpiritum aduerſus animi perturbationes carniſque ſenſum firmati & corroborati, facti ſunt bonus odor Chriſti, vt Paulus loquitur.* Ita etiam Ambroſius: *Zabulon ponitur qui habitaculum fortitudinis interpretatur. Quis eſt fortis niſi Deus, de quo Pſalmiſta dicit: Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio? Et quod habitaculum fortitudinis, niſi habitatio Dei? In illo enim habitat Deus, in quo fides, patientia, caſtitas, humilitas, charitas, cæteræque virtutes commorantur.* Ita Ambr. Quod ſi Deus habitat in eis qui actu gratiam obtinent, aut virtutes poſſident, multò magis dicendum eſt illum habitare in his qui iam donum conſecuti ſunt perſeuerantiæ, de qua manſione Apoc. 21. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus & habitabit cum eis, & ipſi populi eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus.*

Tertius effectus huius gratiæ inhabitantis eſt quod per eam incrementa benedictionum accipimus, pro lumine fidei lumen gloriæ conſequimur, in corpore & anima tandem beatificamur, non ſolum nobis meremur gloriam, ſed aliorum ſaluti etiam cooperamur, verbo aut exemplo, aut orationibus ad Deum quibus poſſumus gratiam de congruo, & alia Dei beneficia aliis impetramus. Hæc incrementa per Ioſeph deſignantur. Ioſeph enim interpretatur incrementum. *Per Ioſeph,* inquit Dionyſ. Charthuſ. *qui interpretatur auguentum, expreſſi ſunt, qui ſpiritualibus diuitiis quotidie augmentantur.* Ita Dionyſ. De quo augmento S. Paulus 2. ad Corinthios. 3. *Nos autem omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu. Denotat,* inquit Andreas Cæſar. *eos qui in partem augmenti, vnà cum regno Cælorum, ea quoque à Domino accipiunt, quæ ad vitæ vſum neceſſaria habentur.* Hac eadem ratione hoc augmentũ ad gloriam corporum in reſurrectione extendimus.

Sequitur tandem Benjamin, qui interpretatur ab Andr. Cæſ. doloris, aut dici, aut dexteræ filius: per quem intelligimus manifeſtationem noſtræ prædeſtinationis, ſiue per Martyrium pro iuſtitiæ tolerantia, ſiue per miracula quæ poſt mortem exhibentur, ſiue per Eccleſiæ determinationem, quæ dicit de ſanctis quos canonizat: *Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni,* vt eſt in hoc capite expreſſum; vel hi ſunt filij dici, filij lucis, qui ambulauerunt ad lucem diuinitus infuſam, & nunc ſunt in gloria beati, vel tandem quæ manifeſtabitur in extremo iudicio, cum iudex dicet iis qui erunt filij dexteræ ad dexteram conſtituti: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi. Electi itaque Dei,* inquit hîc Ambroſius, *filij dexteræ efficiuntur, cum ab hac vita ſubtracti in cæleſtibus ſedibus collocantur, vbi nihil eſt ſiniſtrum.*

Hæc ſunt quæ mihi occurrerunt dicenda de conſiſtentia in gratia, ſeu de variis donis & beneficiis eorum qui in gratia perſeuerant: ad quæ veluti ad quaſdem claſſes ſeu ordines poſſunt reuocari omnes electi, ſeu ſub quibus donis tanquam ſub quibuſdam vexilis, reducendi ſunt omnes prædeſtinati. Ex quibus quidam in iſto ordine, quidam in alio conſtituuntur, dum è vita terreſtri migrant ad patriam, & ſic interpretationes 12. tribuum vſque ad eum finem ſeu terminum perduximus, quo in cæleſtibus collocantur.

Poſthæc vidi Turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, ſtantes ante Thronum & in conſpectu agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum.

De ſignis quæ communia ſunt omnibus electis & prædeſtinatis, quæ ſi ſemel clarè & dilucidè innotuerint, Eccleſiam inducere poſſunt ad eos Canonizandos in quibus reperiuntur.

ANNOTAT. XVI.

SIGNA in fronte, auctoritatem & ſanctitatem præcipuam deſignantia explicuimus: nunc ad ea quæ communia ſunt indifferenter omnibus electis veniamus, quæ tamen ſi dignoſcantur, poſſunt inducere Eccleſiam vt abſque temeritate eos in quibus reperiuntur, proponat fidelibus tanquam verè

Digitized by Google

te, duo ſunt neceſſaria, virtus morum, & veritas ſignorum, merita videlicet & miracula, vt hæc & illa ſibi ad inuicem conteſtentur, cum nec merita ſine miraculis, nec miracula ſine meritis plenè ſufficiant ad perhibendum inter homines teſtimonium ſanctitatis, &c. Ita Bulla Greg. Hic non de miraculis agere inſtituimus, ſed quænam actiones requirantur vt ſint actiones ſanctitatis & gratiæ eminentis, propter quas certum & ſecurum feratur iudicium de gloria æterna alicuius ſancti, quæ actiones hic à S. Ioanne deſcribuntur. Tales exiſtimo ab Eccleſia reputari hac coniectura dignas, quas video expreſſas in actibus Canonizationis S. Bonauenturæ, in relatione R. P. Ioannis Franciſci de Pauinis. Ibi de ſanctitate S. Bonauenturæ fit diligentiſſima perquiſitio, & conjicitur primò ex fideli obſeruantia Regulæ S. Franciſci, ac votorum Religionis, quæ ad tantum peruenit apicem, vt in ſtatu perfectionis nempe Epiſcopali fuerit à Deo vocatus. Secundò, ex ſolida & ſalutari eius doctrina, quæ potius infuſa fuit quàm humano acquiſita labore, de qua adeo bene vſus fuit, vt de eo dici poſſit: *omnes terra doctrina eius repleta eſt.* Tertiò, ex dignitatum recuſatione. Quartò, ex virtutum omnium collectione manifeſta & nota: electus namque fuit in Generalem ordinis à bonis, ex qua electione per reſultantiam conjicitur eius merita ſatis eſſe comperta, tanquam de auditu à bonis. Et inſuper ex promotione eius ad Cardinalatum, in qua maturè & cum magna diſcuſſione ſummus Pontifex procedere ſolet. Quintò, quia in eo omnes virtutes quas recenſet Eccleſia in hymno Confeſſorum potiſſimum enituerunt:

Qui pius, prudens humilis, pudicus,
Sobrius, caſtus fuit & quietus. Sextò, ex prudenti eius regimine Religionis, cui præfuit, tam œconomico quam politico. Septimò, ex patientia eius, quæ enituit maximè in perſecutione illata à quodam, qui libellum pernicioſum contra Fratres mendicantes; non erubeſcente iſto aſſerere eos in viâ ſalutis non ambulare. Octauò, quod tria à Papa Leone requiſita, vt quis celſioris loci præmium obtineat, in c. *Quippe miramur*; habuerit: etenim ait, quod niſi prior vita teſtimonium perhibeat pro laboribus multis, pro moribus caſtis, pro actibus ſtrenuis, celſioris loci præmium nullum debeatur: Tria hæc in S. Bonauentura claruerunt. Igitur licèt donum ſit Spiritus ſancti diſcernere inter eum qui verè ſanctus eſt, & eum qui non eſt ſanctus, iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 12. *Alij diſcretio ſpirituum*, ſufficit tamen per aliqua indicia Papam exiſtimare ſanctitatem vitæ illius, qui eſt pro ſancto venerandus, vel illius quem in ſanctum intendit Canonizare (id eſt canonicè & regulariter, publicè & ſolemniter declarare, diffinire & pronunciare, & ſtatuere quod aliquis ab omnibus honoretur vt ſanctus, & pro eo tanquam pro ſancto certa die fiat vbique ſolemne officium) per indicia quædam idonea & notoria, v. g. ſi per hunc ſanctum veritas fidei non peruerteretur, ſed magis confirmaretur, ampliaretur, & illuſtratur Secundo: Cum per eum mandatum Eccleſiæ non contemneretur, ſed magis obſeruaretur. Tertio: Cum per eum nouus ritus viuendi non introduceretur, ſed introductus ſanctiſſimè conſeruaretur: Quarto: Quod per eum Charitas proximi non ſperneretur, ſed in dies augeretur. Quinto: Quod peccatum accuſatione dignum ex toto conatu vitaretur, vt eius exemplo cæteri poſſent proficere. Sextò: Quod per eum Dei Verbum delectabiliter audiretur & doceretur. Septimo: Quod per eum de operibus bonis gloria non quæreretur, ſed omnia ad Dei gloriam & laudem referretur. Ex vtilitate itaque quam quilibet ſanctus in vita & in morte adfert fidelibus (cum dicatur: *A fructibus eorum cognoſcetis eos*, ſiue fructus iſti eliciantur in occulto, vt mundi gloria non quæreretur, aut in manifeſto vt creator in creatura laudaretur) probè examinatâ, & per inquiſitionem diligentiſſimam perſpectâ, poteſt Papa procedere ad Canonizationem alicuius ſancti. Mores caſti requirunt carnis macerationem & mortificationem, animi deuotionem, ſummum pietatis affectum. Denique actus octo beatitudinum ſunt veluti actus quidam ſtrenui & heroici, qui ſanctitatem teſtantur.

Rursùs ſanctitas probari poteſt ex continuo exercitio bonorum operum, quæ eliciantur frequenter, & ad numerum immenſum excreſcant; ſi etiam in iis qui canonizandi ſunt concurrunt ea quæ dicuntur Eccleſiaſtici 44. *Laudemus viros glorioſos & parentes noſtros in generatione ſua. Multam gloriam fecit Dominus, ſua magnificentia à ſeculo. Dominantes in poteſtatibus ſuis, homines magni virtute, & prudentia ſua prædili, &c.* Hæc autem omnia ita intelligi debent, vt excellentia & eminentia ſingularis quæ exigitur, non ſit ſecundum quaſlibet actiones, aut quoſlibet reſpectus, ſed ſecundum vniuſcuiuſque ſtatum: nam Religioſus in clauſtro degens, ad opera miſericordiæ quæ diuitibus in ſeculo manentibus iniunguntur, nec ad iuſtitiæ opera exercenda exactè, minimè obligatur: ſufficit vt opera Charitatis & iuſtitiæ ſuo ſtatui conformia & conſona exerceat. Denique bona fama requiritur, vt facilius ad alicuius Canonizationem procedatur.

Adhuc explorare poſſumus quænam actiones indicia eſſe poſſunt ſanctitatis; & pro fundamento haberi iudicij quod ſit de beatitudine alicuius ſancti, ſi accedant miracula; quia cum Eccleſia tantum exteriora videat (vt ait Gregor. 9. in Bulla canonizat. S. Franciſci, Non præſumit de his qui de ſuo foro non ſunt autoritate propria iudicare, vt illos pro vita tantum venerandos aſſumat præſertim, quia nonnunquam Angelus Satanæ in lucis Angelum ſe transformat) ex hac inquam Bulla actiones indicia ſanctitatis explorare poſſumus. Declarat nempe ibi Pius Pontifex, quòd ex cognitione quam habuit propter familiaritem cum S. Franciſco conuerſationem, in eo multas pietatis actiones valde inſignes animaduertiſſet, & præcipuè ponderat promptam quamdam obedientiam, quam ſemper præſtitit ſanctus Franciſcus diuinis motionibus & inſpirationibus, ab omnibus vinculis ſeculi liber ac ſolutus. Commendat deinceps Pontifex animi feruorem, quo impulſus, gladio verbi Dei vitia & peccata impugnabat, & animos ad Deum conuertere conabatur, Verbum Dei annuncians non in ſublimitate ſermonis, ſed in virtute Dei. Commendat amicorum & parentum derelictionem, tanquam alius Abraham exiuit de patria domo, vt Chriſtum ſequeretur in arctiſſimam paupertatem. Extollit laudibus pœnitentiæ quam exercuit auſteritatem, dum corpus ſuum ſupra montem eminentis & præcellentis cuiuſdam fidei obtulit, aſperè & rigoroſè nimis illud mortificando. Proponit continuam luctam, & pugnam ardentem contra mundum, carnem & diabolum. Explicat qua ratione per ſeptem Spiritus ſancti dona, & actus beatitudinum, quindecim gradibus virtutum, quæ in canticis ſeu Pſalmis gradualibus ſignificantur aſcendendo, tandem donum contemplationis obtinuerat, aſſiduam & iugem eius orationem & contemplationem. Laudat vitam actiuam cum contemplatiua coniunctam, quam in eo fuiſſe eminentem pronunciat: ad quam vitam ſectatores ſuos deduxit per deſertum, ſeu per ſequeſtrationem à ſæculo, & mundi abdicationem, vbi ab omnibus ſæculi tempeſtatibus

Digitized by Google

immunes cæleſti manna reficiuntur. Denique fructus edidiſſe ineſtimabiles, vtilitatem ingentem attuliſſe toti Eccleſiæ aſſerit; quibus omnibus vi ac violentia cœlum rapuiſſe prædicat, & tandem concludit vitam iſtam abſque dubio tanta fuiſſe ſanctitate conſpicuam, tanta magnanimitate inſignem, tanto decore ornatam, vt propter eam indubitanter in conſortium Eccleſiæ triumphantis admitti debuerit.

Tales & ſimiles debent eſſe actiones quæ requiruntur in his, quos Eccleſia intendit ſanctos declarare, quæ omnes ad octo beatitudines referri poſsùt; itaut ſi ſemel actus octo beatitudinum à S. Ioanne fuiſſe expreſſos demonſtrauerimus, ſatis probabimus ſanctum Ioannem nobis deſcripſiſſe actiones quas Eccleſia requirit, vt ſecurè & abſque temeritate ad Canonizationem alicuius ſancti procedat.

Equidem vt notæ reproborum apud S. Ioannem ad quatuor reducuntur, ad characterem videlicet quem gerunt in manu, & ad eum quem in fronte habent inſculptum, & ad imaginem Beſtiæ, & ad ornamenta quædam nihil aliud quam mundi vanitatem redolentia, mulieris illius, quam S. Ioannes deſcribit purpuratam margaritis aliiſque gemmis & auro ornatam; pari ratione notæ prædeſtinatorum poſſunt reduci ad ea quæ geſtant in manu, ad ea quæ inſculpta habent in fronte, ad Chriſti imitationem & ſimilitudinem, & ad veſtimenta quæ induuntur: palmas namque habent in manibus, nomen Patris ac nomen agni ſcripta in fronte, Agnum ſequuntur quocumque ierit, veſtimentis albis induuntur: Inſuper his addere liceat quòd ſicut nota impiæ mulieris in fronte, nempe myſterium, Babylon mater fornicationum & abominationum terræ ad eos pertinet qui atrocioribus criminibus maculantur, & maiori cum arrogantia & præſumptione poteſtate ſeculi, quam ex Dei permiſſione aut determinatione obtinent, abutentur; pari ratione dicimus ſignum in fronte 144. millium ſpecialiùs deſignate maiorem gradum ſanctitatis, & ſingularis cuiuſdam auctoritatis, qualis eſt character ſacerdotalis aut Epiſcopalis; ſiue ſit aliquis character ſacerdotali additus, ſiue ſit idem character ſacerdotalis, qui ad inſigniores actus iuriſdictionis & poteſtatis, quoad ordinationes ſacerdotum, Epiſcoporum, conſecrationes vnguentorum, adminiſtrationem Sacramenti Confirmationis, &c. politiam & regimen externum Eccleſiæ extendatur: licèt eos ſignatos eſſe certum ſit, ratione Sacramentorum Baptiſmi & Confirmationis, quæ huic characteri præſupponuntur. Ad alia ſigna omnibus fidelibus conuenientia properamus, eaque videbimus à S. Ioanne in hoc capite fuiſſe deſcripta.

Stantes ante Thronum amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum.

Qua ratione omnes actus quarumlibet virtutum, qui ab Eccleſia requiruntur pro indiciis ſpecialis ſanctitatis, ad actus beatitudinum poſſunt reuocari. §. 3.

Ex his quæ ex Bullis Canonizationum ſupra attulimus, didicimus quænam actiones potiſſimum ponderantur à ſummis pontificibus, dum de Canonizatione alicuius ſancti cogitant, ſuper quas veritas & ſyncerita iudicij ſiue decreti quod proferunt de Sanctitate & beatitudine illius innitatur, ne vt temerarium & præſumptuosè factum rejiciatur aut contemnatur. Nunc quomodo iſtæ actiones ad actus octo beatitudinum reuocari poſſunt videndum, itaut ſi actus beatitudinum à S. Ioanne deſcribi demonſtrauerimus, ab eo indicia ſanctitatis & beatitudinis depingi rationabiliter aſſerere valeamus.

Hoc demonſtrare non eſt difficile: nam, v. g. obſeruantia alicuius regulæ aut votorum, omnium rerum mundi abdicatio, ſui ipſius deſpicientia & abnegatio bonorum temporalium & honorum, ac dignitatum contemptus, ad paupertatem ſpiritus ſpectant. Zelus ſalutis animarum, & exercitium omnium virtutum, ad famem & iuſtitiæ ſitim reducuntur. Auſteritates, & mortificationes appetituum carnis, macerationes, cordis contritio & compunctio, ad luctum & fletum eorum, qui ad Deum toto corde adſpirant, referuntur, & ad tolerantiam perſecutionum pro iuſtitia. Oratio & contemplatio munditiem cordis reſpicit. Patientia in aduerſis mititatem & manſuetudinem animi, quâ pacifice animas noſtras poſſidemus, præſupponit. Miſericordiæ opera corporalia & ſpiritualia ad effectum miſericordiæ reuocantur. Pacificatio diſſidentium, opus quidem miſericordiæ ſpiritalis, ad beatitudinem etiam pacificorum, qui filij Dei vocantur, reuocari debet. Hæc autem omnia tantò magis vera exiſtimanda ſunt, quod ex S. Thoma diſcimus, quod quæ dicuntur beatitudines, actus ſunt qui per dona Spiritus ſancti producuntur, actus ſunt virtutum perfectarum, quæ in tales actus prorumpunt per impulſionem & motionem donorum, quo fit vt ad dona Spiritus ſancti referantur, & fructibus Spiritus ſancti reſpondeant, quin etiam cum petitionibus orationis dominicæ ad eumdem finem conſpirant, in eumdem ſcopum cum virtutibus Cardinalibus tendunt, denique cum omnibus actionibus tam vitæ actiuæ quam contemplatiuæ conueniunt. Inſuper omnes actiones quæ in ſcriptura referuntur & proponuntur, tanquam media quædam plurimùm conducentia ad beatitudinem comparandam (qua quidem ratione beatitudinis nomen ſibi vendicant) ad illas octo beatitudines referuntur: v. g. cum dicitur Iob. 5. *Beatus homo qui corripitur à Deo*; & Pſ. *Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum*, Pro. 3. *Beatus vir qui inuenit ſapientiam*. Primum enim ad beatitudinem luctus, ſecundum ad mundicitatem cordis, tertium ad præmium ſeptimæ beatitudinis. Sapientiam quippe inuenit, qui ad Dei filiationem meruit promoueri. Ratio autem cur & dona, & fructus & petitiones, & virtutes, & quæcumque actiones quæ aliquid conferant ad beatitudinem, ad octo beatitudines debeant referri eſt, quia omnes actiones ad vitam actiuam, aut ad contemplatiuam referuntur, quæ duæ vitæ in his beatitudinibus extenduntur: nam omnes actus donorum aut virtutum, quæ ad vitam actiuam pertinent, exprimuntur in actibus meritoriis beatitudinum: actus autem vitæ contemplatiuæ exprimuntur in præmiis, quæ ipſis actibus meritoriis aſſignantur; ſic igitur quidquid exiſtit, quidquid recipitur in electis, quidquid ab eis fit aut exercetur, ad illos actus heroicos referri debeat, certè conuenientiſſimè illos actus aſſerimus eſſe euidentiora & certiora ſigna beatitudinis prædeſtinatorum, ac tantò meliùs eos pro indiciis & notis beatitudinis aſſignamus, quo hîc electi repræſentantur non quaſi iam gloriam conſecuti, nec etiam quaſi adhuc in dubio fluctuantes, & in ſtatu incerto adipiſcendæ ſalutis, & executionis ſuæ prædeſtinationis, ſed quaſi perueniti ad punctum certitudinis de quo S. Paulus dicebat: *Certus ſum quod neque mors, neque vita, &c. poterit nos ſeparare à charitate Dei*, Rom. 8. Itaut ſecuri ſint de ſua ſalute, ſaltem inſtanti quo ab hac vita decedunt: quæ certitudo quibuſdam etiam antea conceditur, ſicut S. Franciſco conceſſum fuiſſe, in eius vita legimus. Quoſdam

Digitized by Google

enim Deus ita in gratia confirmat antequam è vita migrare contingat, vt ab ea decidere infallibiliter non poſſint. Ad hanc ſecuritatem adipiſcendam nos inuitabat Petrus, dum dicebat: *Satagite vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.*

Tali autem ſtatui electorum optimè conueniunt actus beatitudinum: nam hi actus participant aliquid pertinens ad vitam præſentem, & ad futuram; ad præſentem, propter vitæ perfectionem quam inducunt; ad futuram, nam præmia ipſis actibus aſſignata vitam reſpiciunt futuram; vel, vt ait S. Thomas, *quia ſpes magna concipitur futuræ beatitudinis, ſine ratione cuiuſdam præparationis, aut diſpoſitionis ad beatitudinem, quæ per actus meritorios, quales ſunt actus beatitudinum, inducitur; ſine quia in ſanctis percipere licet initium aliquod beatitudinis in hac vita, licèt non omnimodè perfectum.*

Cum igitur verum ſit, quod ea de quibus fit mentio in his beatitudinibus, aut meritorij ſunt actus, qui diſponunt ad beatitudinem perfectam aut imperfectam; aut præmia ſunt, quorum perfectio & conſummatio etiam in hac vita debetur ſanctis, qui ad hæc conſequenda ius obtinent ex actibus meritoriis, quia hi actus intimam quamdam connexionem & coniunctionem habent cum vita futura, licèt in hac vita præſenti eliciantur, meritò aſſerimus tales actus, vt pote effectus inſignes prædeſtinationis, adimplendæ illius executionis nobis ſigna certa & euidentia ſuppeditare. Etenim cum quis notabiliter proficit in actibus virtutum, aut donorum Spiritus ſancti, ex eo profectu ſpem concipere valemus illum & perfectionem huius vitæ, & perfectionem patriæ tandem eſſe adepturum. Hi actus virtutum ac donorum, propter quos hæc ſpes concipitur, cum nihil ſint quam illi actus quos beatitudines vocamus, non immeritò eos actus beatitudinum aſſerimus ſigna eſſe certiora & euidentiora, quæ haberi poſſunt beatitudinis & gloriæ futuræ. Si igitur probari ac demonſtrari poſſit argumentis authenticis, & ab omni temeritate & ſuſpicione falſi alienis, aliquem in his actibus & piis exercitiis fuiſſe aſſiduum, de eius beatitudine certius erit iudicium, veriſimilior coniectura.

Qua ratione actus Beatitudinum exprimuntur à S. Ioanne in hoc ſeptimo Capite. §. 4.

Notanda ſunt maximè quæ paulo ante tetigimus in beatitudinibus, nempe duo genera actuum conſideranda reperiri, videlicet actus meritorum, & actus præmiorum: v. g. paupertas ſpiritus eſt actus meriti, regni cælorum adeptio eſt actus præmij ſeu mercedis, & ſic de aliis. Inſuper notandum hæc præmia ſanctis deberi in hac vita inchoatiuè, in futura conſummatiuè, itaut ſancti in hac vita commorantes aliqualem fruitionem patriæ cæleſtis obtineant, ratione ſpei firmiſſimæ, & internæ cuiuſdam aſſecurationis ſuæ beatitudinis, quam in cordibus eorum ingerit Spiritus ſanctus. Notandum denique in hoc capite ſanctos & iuſtos repræſentari, vt ſunt in quodam puncto gratiæ finalis, totius vitæ ſpiritualis illorum decurſus perfectiuo & conſummatiuo; non autem repreſentari tanquam in ſtadio currentes aut decertantes: quod quidem punctum quaſi quandam connexionem habet cum illo puncto ſeu inſtanti, in quo ſi nullus ſit obex nihilq; expiandum in purgatorio, gloriam ſunt conſecuturi, itaut deſitio vitæ præſentis ſit inceptio futuræ, ſicque vt terminat curſum vitæ ſpiritualis præſentis, futuræ eſt veluti initium. Hinc his præſuppoſitis,

Dicimus primò, actus beatitudinum debere exprimi à S. Ioanne, vt det ſigna prædeſtinationis, tam ſecundum actus meritorum, quàm ſecundum actus præmiorum, & ſpecialiùs ſecundum actus præmiorum, de quibus fruuntur inchoatiuè ſancti etiam in hac vita: nam hi actus præmiorum proximiùs coniunguntur cum futura beatitudine, & ideo euidentiora ſunt ſigna adoptionis ſeu conſecutionis illius.

Dico ſecundò, actus meritorum exprimi à S. Ioanne in hoc capite. Etenim vita ſpiritualis, ſecundum quam vitam inſtituere debemus (ſi enim ſpiritu viuimus, ſpiritu debemus ambulare, vt præcipit Apoſtolus ad Galat. c. 5. per quam vitam ab operibus carnis auellimur, & digni efficimur gloria cæleſti) diuiditur in vitam purgatiuam, illuminatiuam & vnitiuam, ad quas actus meritorij beatitudinum referuntur, & ordinantur; nam paupertas ab affectibus bonorum temporalium nos abſtrahit, mititas ſeu manſuetudo nos à vanitate ſeculi, luctus à carnis voluptatibus auellit; en vita purgatiua. Fames & ſitis iuſtitiæ, & affectus miſericordiæ exercitium virtutum inducit; Ecce vita illuminatiua. Mundities cordis & pacis amor, tam in ſeipſo quam erga proximum, Deo nos intimè coniungunt; ecce vita vnitiua. Si actus vitarum purgatiuæ, illuminatiuæ, vnitiuæ, à S. Ioanne deſignentur, verum erit quod diximus, ab eo actus beatitudinum exprimi & deſcribi. At actus harum vitarum exprimit: ergo & beatitudinum. Nam quantum ad actus vitæ purgatiuæ attinet, ij deſignantur in his verbis: *Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni.* Quibus verbis proculdubio ſufficienter exprimuntur actus vitæ purgatiuæ, & actus meritorij quarumdam beatitudinum, incommoda quippe Euangelicam paupertatem concomitantia, perſecutiones quas tolerare neceſſe eſt pro iuſtitia, inter quas ab animi manſuetudine non abſtrahimur. Fletus & lachrymæ quæ funduntur, anguſtiæ quibus premimur interius, tum ratione peccatorum, tum ratione pœnarum, quas pro peccatis ſubire oportet? tantæ ſæpe ſæpius tribulationes ſunt, vt qui ab eis ſemel emerſerit gloriam in proximo adepturus, venire de tribulatione magna dici poſſit. Nonne ex tribulatione magna veniunt, dum ad gloriam approximant ij qui Pauli doctrinam ſequentes exhibuerunt ſemetipſos *Sicut Dei miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis?* 2. ad Corinth. 6. His autem omnibus certe purgamur & dealbamur in ſanguine Agni, cum in ſtatu gratiæ ex motiuo ſupernaturali Spiritus ſancti perficiuntur. Fauent interpretes. Ambroſius licèt de electis, vt beatitudinem iam adeptis, hunc locum intelligat, tamen ſatis expreſsè actus vitæ purgatiuæ in his verbis intelligit, dum ait: *Sancti itaque de magna tribulatione veniunt, qui ab hac vita ſubtracti, vbi tempus tribulationis eſt, in æterna quiete collocantur. Lauerunt autem ſtolas ſuas, quia animas ſuas in hac vita poſiti ab omnibus ſordibus peccatorum mundauerunt; primò quidem per baptiſmum, poſtea vero per pœnitentiam & lachrymas, & miſericordiæ opera, & in cæteris bonis operibus: quæ etiam in ſanguine Agni dealbata fuiſſe dicuntur, quia animæ electorum, quæ antea erant nigredine peccatorum inuolutæ, per redemptionem ſanguinis Chriſti candorem mundiciæ aſſumpſerunt.* Ita Ambroſ. Quod autem his actibus nomen beatitudinis tribui poſſit, Andream Cæſar. habeo autorem, qui hæc verba exponens ait: *Beati planè qui per temporaneos labores, exiguaſque corporis moleſtias, ſempiternam requiem compararunt, quique ob id quod vna cum Chriſto impigrè certarunt crucemque pertulerunt, ſimul cum illo regnant, & perpetuò illi miniſtrant.* Ita And. Qui igitur vitæ purgatiuæ ſedulò occupantur, veniunt de tribulatione magna, & lauant ſtolas ſuas, id eſt ſuas

Digitized by Google

conſcientias peccatis maculatas in ſanguine Agni, A id eſt, per ſanguinem & merita Chriſti. Nec mirum ſi ſanguis Chriſti dealbare poſſit : eſt enim ſanguis planè diuinus, & ab omni humana fece alienus, vt pote eius qui *ſegregatus eſt à peccatoribus & excelſior cœlis factus.* Optimè Iuſtinus Martyr, Dialogo cum Tryphone : *Et illud quod à Moyſe in hiſtoria redactum eſt à Patriarcha Iacob prænunciatum : lauabit in vino ſtolam ſuam, id eſt in ſanguine Vuæ pallium ſiue amictum ſuum, Sanguine eius ablutum iri credentes in eum, ſignificauit : ſtolam namque eius vocauit Spiritus ſanctus eos, qui per illum remiſſionem peccatorum acceperunt, in quibus continenter virtute adeſt, manifeſtè autem aderit in ſecundo aduentu ſuo. Quod verò verbum ſanguinem Vuæ dicit per elegantem, declarauit ſanguinem quidem habere Chriſtum, verum non ex hominis ſemine, ſed ex Dei virtute.* B *Quemadmodum enim vitis ſanguinem non homo creauit ſed Deus, ſic & ipſius Chriſti ſanguinem non ex humano genere, verùm ex Dei virtute fore prædixit. Prophetia iſta quam recenſui, ô viri, Chriſtum non eſſe hominem ex hominibus mortalium more genitum oſtendit.* Ita Iuſtinus.

Quantum autem ad actus vitæ illuminatiuæ, ſatis exprimuntur in palmis & veſtibus albis, tum etiam in his verbis : *Ideo ſunt ante Thronum Dei, & ſeruiunt ei die ac nocte in templo eius.* Fauêt interpretes. *Stolis*, inquit Primaſius, *baptiſmum, palmis triumphum crucis inſinuat, & quod ſeculum in Chriſto vincerent, licèt charitatem quoque quæ per Spiritum ſanctum datur ſtolæ ſignificent.* Rurſus idem Primaſius : *Quod autem manibus palmas geſtare dicuntur, aut bonorum operum perſeuerantiam inſinuat manibus. Hinc legimus : Confirmauit Dominus brachia eius in opus bonum, &c. Manibus meis nocte coram eo, & non ſum deceptus ;* C *ſiue illam poteſtatem ſignificat manibus, quam, vt filij Dei per adoptionem fierent, acceperunt : ſicut de Ioſeph. Et omnia, inquit, dederat Dominus in manu eius, id eſt in poteſtate eius.* Ita Primaſ. Idem rurſus hæc verba exponens : *Et lauerũt ſtolas ſuas in ſanguine agni. Hoc meritum illis in Eccleſia ſpecialiter adſignari debet, quos pro Chriſto contingit ſanguinem fundere, & ſtolam baptiſmi agni ſanguine cultu meliore reddere clariorem. Quod ſi ad omnes generaliter fideles hæc redigenda eſt gratia, contuendum ad ſummum quia & ſi quis Domini ſui fonte mundatur, carne paſcitur agni, igne ſpirituali ſuccenditur, ſic iuuatur : ſunt enim* D *qui etſi martyrium habere publico non videntur actu, coram Deo tamen habere probantur in habitu.* Ita Primaſ. In bonis autem operibus perſeuerantiã ſtolam reddere clariorem, martyrium actu vel habitu, aliquid addunt ad vitam purgatiuam, virtutum nempe exercitium, quod vita illuminatiua requirit. *Palmas*, inquit Ambroſius, *igitur non ſolum ſancti Martyres, quibus victoria ſpecialiter aſcribitur, ſed & omnes electi, qui in hoc ſeculo poſiti contra viſibiles & inuiſibiles hoſtes fortiter dimicarunt in cæleſti beatitudine poſſident. Palmæ autem præmia ſunt victoriæ ſanctorum.* Ita Ambroſ. At ſi dimicamus contra hoſtes, hoc fit per exercitium virtutum, quod proprium eſt vitæ illuminatiuæ. Venio ad actus vitæ contemplatiuæ & vnitiuæ, qui in his verbis, *ſeruiunt ei die ac nocte*, intelliguntur. *Seruitium Dei*, inquit Ambroſius, *amorem Dei vocat. Quod enim ſeruitium tam acceptabile Deo, quàm vt diligatur ex toto corde totaque virtute ? Et quis ita ardenter diligit Deum, ſicut illi qui aſſiduè contemplantur faciem eius ?* Ita Ambroſ. Igitur in hoc Dei ſeruitio vitam contemplatiuam ſeu vnitiuam poſſumus intelligere. *Seruiunt die ac nocte, ſignificat*, inquit Cornelius, *eos eſſe quaſi ſacerdotes : Græcè λατρευουσιν id eſt latria colunt, nimirum uge thymiama adorationis, laudis & gratiarum actionis et offerentes.* &c. Ita Cornel. Hæc autem ad vnitiuam vitam pertinent, cuius etiam exercitia ſatis explicat S. Ioannes dum antea ait hoc electos clamare voce magna : *Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronũ, & agno.*

Quantum ad actus præmiorum, quæ actibus meritorum promittuntur, exprimuntur etiam à S. Ioanne in hoc capite : quod vt melius percipiamus, quænam ſint illa præmia diſquiramus. Quærunt homines, vt docet S. Tho. 1. 2. q. 69. ar. 4. non vbi quærere debent, ſcilicet in Deo, ſed in rebus temporalibus & caducis, abundantiam, ſecuritatem, conſolationem. Deus autem retrahendo ab his in quibus voluptuoſa beatitudo conſiſtit, inducit ad ſpiritus paupertatem, cui promittit omnium bonorum excellentiſſimorum abundantiam ; ad mititatem, qua non per litigia & bella ſecuritatem acquirere conemur, inimicos deſtruendo, ſed per manſuetudinem & patientiam eorum impetus retundere velimus, cui promittit Dominus ſecuram & quietam poſſeſſionem terræ viuentium, per quam ſignificatur ſoliditas æternorum bonorum. Inducit denique ad luctum, contra conſolationes quas in concupiſcentiis & delectationibus mundi quærunt mortales, quibus lachrymis Deus repromittit conſolationem.

Quærunt alij beatitudinem in operibus vitæ actiuæ, à quibus homines retrahuntur propter inordinatum amorem proprij boni ; vnde vel diſcedunt ab operibus iuſtitiæ, non ſolum non reddentes debitum, ſed potius aliena rapientes, vt bonis temporalibus impleantur. Ad ea opera reuocat nos Chriſtus, famem & ſitim iuſtitiæ commendando, cui pro præmio ſaturitatem repromittit. Vel nolunt immiſceri alienis miſeriis, omnem refugientes animi mœrorem aut ſolicitudinem ; ad miſericordiam nos prouocat Chriſtus, & pro præmio operum miſericordiæ, promittit ob omni miſeria liberationem. Denique quidam quærunt aliquam beatitudinem in contemplatione, ad quam conuenienter diſponimur per cordis munditiem, & Dei imitationem in dilectione pacis in ſeipſo & inter alios : qua munditiæ aut pacis dilectione meremur pro præmio, propter munditiem Dei viſionem ; pacis dilectionem, diuinæ filiationis gloriam : quæ eſt in perfecta coniunctione ad Deum, per ſapientiam conſummatam.

At hæc præmia exprimuntur ſatis à S. Ioanne in hoc capite, v. g. bonorum abundantia : *Et qui ſedet ſuper Thronum habitabit ſuper illos.* Quo bono, quæſo, indigere poſſent, qui bonorum omnium largitorem apud ſe habent commorantem ? Secundò ſecuritas : quid timere poſſunt qui Dei ſunt tabernaculum, de quo dicitur : *Non accedet ad te malum, neque flagellum appropinquabit tabernaculo tuo ?* Pſ. 90. *Habitat*, inquit Ambroſ. *ſuper Sanctos Deus, cum eos ſuo lumine illuminat, circundat & tuetur.* 3. Conſolatio : qua conſolatione indigere poſſunt à quibus Deus amouet omnem triſtitiæ cauſam ? *Abſterget*, inquit S. Ioannes, *omnem lachrymam ab oculis eorum*, &c. Quartò, ſatietas plena etiam ſufficienter exprimitur, cum dicitur : *Non eſurient neque ſitient amplius, quia panè viuo veſcuntur*, inquit Primaſius. *Ego ſum, inquit, panis viuus &c. neque ſitient, quia tam præclaro calice inebriantur vt eis ſit quod veritas dicit : Et qui credit in me non ſitiet vnquam.* Ita Primaſ. iuſtitias enim diligit Deus, *æquitatem vidit vultus eius*, vt ij qui iuſti & æqui ſunt amatores, ſeipſo, qui viuus panis eſt & fons omnium bonorum, reficiat ; & omnium illorum deſiderium impleat. Vnde optimè Andreas Cæſar. ait. *Meritò iſtud, habituri ſunt enim panem illum cæleſtem, viuaque fontem.* Ita And. Quintò, Exprimitur etiam omnium miſeriarum ablatio propter miſericordiã dum ait : *Nec cadet ſuper illos neque vllus æſtus, quoniam Agnus qui in medio Throni eſt reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum. Neque enim*, ait Andreas Cæſarienſis, *vllis amplius tentationibus, quæ per ſolem & ardorem ſignificantur, hinc vexabuntur vel*

Digitized by

affligentur, tranſacto nimirum iam omnium certaminum A *tempore.* Ita Andreas. Et rurſus: *Qui*, inquit, *tum temporis à Chriſto paſcentur, luporum incurſiones amplius non formidabunt; quippe cum omnes tunc lupi ingehennæ incendium, quod nunquam extinguitur, amandandi ſunt.* Ita And. Rurſus, *deducet eos ad vitæ fontes aquarum*, certè quia ex his limpidiſſimis fontibus aquas haurire poſſunt conſolationis, nullis miſeriis vexari poterunt. Sextò: Viſio Dei etiam exprimitur, tum cum dicitur quod Deus habitabit ſuper illos, tum cum dicitur, quod illos deducet ad vitæ fontes aquarum. Primum patet, quia Deus non habitat in creatura rationali ſpecialius quàm in aliis creaturis, niſi per cognitionem & amorem. Et benè dicitur: *Habitabit ſuper illos*, nam Deus bonum B eſt adeò rebus omnibus creatis præcellens, vt ſupra omnia creata inquiri debeat, & per conſequens ſupra noſmetipſos. Hinc optimè S. Auguſtinus in hunc Pſ. 4. verſic. hæc meditatur. *Et effudi, ſuper me animam meam: quærens*, inquit, *Deum meum in rebus viſibilibus & corporalibus, & non inueniens; quærens eius ſubſtantiam in meipſo, quaſi aliquid ſit qualis ego ſum, neque hoc inueniens: aliquid ſuper animam eſſe ſentio Deum meum. Ergo vt cum animi intellectu tangerem hæc meditatus ſum, & effudi ſuper me animam meam: quando anima mea contingeret quod ſuper animam meam quæritur, niſi anima mea ſuper ſeipſam effunderetur? Si enim in ſeipſa remaneret, nihil aliud quam ſe videret, vt cum ſe videret non vtique Deum ſuum videret. Dicant tum inſultatores mei: Vbi eſt Deus tuus? Dicam ego: quandiu non video, quandiu differor? manducabo die ac nocte lachrymas meas. Dicunt illi adhuc: Vbi eſt Deus tuus? Quæro ergo Deum meum in omni corpore, ſiue terreſtri, ſiue cæleſti, & non inuenio. Meditatus ſum tamen inquiſitionem Dei mei, & per ea quæ facta ſunt, inuiſibilia Dei mei cupiens intellecta conſpicere, effudi ſuper me animam meam, & iam non reſtat quem tangam niſi Deum meum. Ibi enim domus Dei ſuper animam meam habitat. Inde me proſpicit: Inde me creauit: Inde me guberuat: Inde me conſulit: Inde me excitat: Inde me vocat: Inde me dirigit: Inde me ducit: Inde me perducit.* Hæc S. Auguſt. appoſitè ad ea quæ dicimus. Viſio igitur Dei exprimitur cum ait: *Habitabit ſuper illos*; & rurſus cum addit: *Agnus reget illos, & deducet illos ad vitæ fontes aquorum*: Fons enim aquarum eſt cognitio diuinorum, *Deducentur autem*, inquit And. Cæſ. *ad liquidos puroſque intelligentiarum fontes, per aquam deſignatos: ibidemque non craſſa aut corporea paſcentur & potabuntur eſca vel aquâ, ſed immateriali & ſpirituali.* Ita And. Ad hunc fontem ſuſpirabat ille qui dixit: *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Vides Dauidem per fontes aquarum deſignare faciem Dei, ad cuius viſionem adſpirabat. Quantum ad vltimum præmium, nempe Dei filiationem, ſatis exprimitur & intelligitur in his omnibus: nec enim vi- E ctoria reportata, propter quam palmas geſtunt in manibus; neque innocentia & puritas vitæ, propter quam albis induuntur veſtibus; nec perſeuerantia in obſequio Dei, cui ſeruiunt die ac nocte; nec virtutum exercitium, aut viſio Dei peccatoribus conueniunt, ſed bona ſunt filiorum, *qui hæreditatem capiunt ſalutis; qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Quis vir cordatus & ſenſatus non optimum eſſe duxerit Deo ſeruire? quis non ſortem mundanorum exhorreſcet, de quibus dicitur: *Obſtupeſcite cæli, & portæ eius deſolamini vehementer: duo enim mala fecit populus meus: me derelinquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* Ierem.

Hæc præmia mihi videntur promitti in Epiſtolis, quas nomine Chriſti noſter Ioannes Epiſcopis Aſiæ ſcribit. Primùm videlicet abundantia bonorum, cùm ait: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei.* Nam qui hoc vitæ ligno vtuntur, æternis perfruũtur bonis. Illud enim lignum eſt ſapientia, quæ fundauit terram, ſtabiliuit cœlos, qua eruperunt abyſſi & nubes rore concreſcunt: de qua ait Sapiens Prouerb. 3. *Beatus homo qui inuenit ſapientiam, & qui affluit prudentia: melior eſt acquiſitio eius negotiatione argenti & auri primi & puriſſimi: fructus eius pretioſior eſt cunctis opibus, & omnia quæ deſiderantur, huic non valent comparari, longitudo dierum in dextera eius, & in ſiniſtra illius diuitiæ & gloria. Viæ eius viæ pulchræ & omnes ſemitæ illius pacificæ. Lignum vitæ eſt his qui apprehenderunt eam, & qui tenuerit eam beatus.* Ita Sapiens. Quantis bonis igitur frui licet illis qui eam apprehendunt, & de hoc ligno ſapientiæ, quæ cunctis bonis prævalet, comedunt? Securitas ſequitur, de qua ait: *Qui vicerit non lædetur à morte ſecunda:* Tot igitur & tanta bona ab eo auferri nequibunt, habitabit *in pulchritudine pacis, & in requie opulenta, & in tabernaculis fiducia.* Cui nec minima læſio poterit contingere. Non dicit: non occidetur à morte ſecunda, ſed: *non lædetur*, vt omnis ſuſpicio periculi amoueatur, qui nec lædi in aliquo poterit. Tertium præmium eſt conſolatio, quæ promittitur in his verbis. *Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit.* Duplex conſolationis occaſio, Mannæ, omne delectamentum in ſe habentis, deguſtatio, & ſpecialis in ſe dilectionis Dei ſignorum experimentum & agnitio, quæ clarè perſpicitur cur Deus ad ſui nominis gloriam, & noſtram ſalutem voluit nos tribulationibus vexari, lachrymis obrui, vt in æternum ſuâ nos conſolaretur dulci ac ſuauiſſimâ præſentia. Quantum præmium eſt ſatietas, propter famem & ſitim iuſtitiæ, de quo ait; *Qui vicerit, & cuſtodierit vſque in finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſupra gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur, ſicut & ego accepi à patre meo; & dabo illi ſtellam matutinam.* Meminiſſe oportet di- D cti Dauidis, cum de gloria ſanctorum loquitur Pſ. 149. *Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis, exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij anticipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus increpationes in populis, &c.* ſitierunt iuſtitiam & poteſtatem accipiunt reddendi iuſtitiam, *ad faciendam vindictam in nationibus, vt faciant in eis iudicium conſcriptum: gloria hæc eſt omnibus ſanctis eius*: proculdubio ecce de quo ſatientur, qui iuſtitiæ patiuntur famem, vt ſi qui ſint adeo in malum obdurati, vt horum doctrinâ aut exemplis, ad obſeruantiam mandatorum Dei promoueri non potuerint, nec præceptis, quæ iuxta poteſtatem ſibi collatam ſancti illis imponi voluerint, iuxta iudicium conſcriptum ab eiſdem pœnis ac ſuppliciis addicantur. Non ſolum in hoc eſurientes & ſitientes iuſtitiam ſaturantur, ſed etiam quia datur illis ſtella matutina nempe quia plurimi per eorum exempla eorumque doctrina viam ſalutis incedunt, & per eorum miniſterium plærumque Deus dat primam gratiam, qua aliqui ad Deum conuertuntur, & executioni Deus demandat prædeſtinationem eorum, quos ab æterno ſaluare decreuit. Talis fuit reſpectu S. Pauli beatus martyr Stephanus: fuit enim eius oratio Paulo quaſi ſtella matutina, quæ impetrauit vt lux de cœlo circumfulgeret eum, & vt illuminaretur à Chriſto clamante: *Quid me perſequeris?* In his nempe quos capere & ligare prætendis, quem perſecutus es iam ſatis in Stephano, cuſtodiendo veſtes, & approbando impios impetus, & iactus lapidum eorum qui

cum lapidabant.

Miſericordiæ præmium aliquali ratione ſuſpicor in alia promiſſione, quæ fit Epiſcopo Sardenſi, *Qui vicerit ſic veſtietur veſtimentis albis, & non delebo eum de libro vitæ, & confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram Angelis eius.* In eo enim quod ait: *non delebo*, oſtendit in eo multa eſſe reprehendanda, propter quæ delendus eſſet de libro vitæ: ſed quia quædam erant in eo opera, fortaſſis miſericordiæ, quæ tamen ſine charitate faciebat, ideo non deletur, & agitur cum eo miſericorditer, quia in alios miſericordiam exercebat: nam cum ei dicitur *ſcio opera tua, quia nomen habes quod vivas, & mortuus es*, probabile eſt ipſum miſericordiæ opera exercuiſſe: nihil enim æque famam comparat homini quod ſit vir bonus & charitate præditus, quàm ſi opera miſericordiæ exerceat, quæ tamen ſi abſque charitate fiunt, teſte Paulo, nihil proſunt, & illa exercens coram Deo mortuus reputatur: at ex congruo fit illi aliquando miſericordia ex promiſſione diuina, qui ait: *Beati miſericordes, quia ipſi miſericordiam conſequentur*: & ſic non deletur de libro vitæ, quia fecit miſericordiam, & peccata ſua redimere eleemoſynis ſategit, quibus nomen ſibi fecerat, iuxta illud Eccleſ. 40. *Gratia.* j. eleemoſyna, *ſicut paradiſus in benedictionibus & miſericordia in ſeculum permanet*: Prouerb. 21. *Qui pronus eſt ad miſericordiam benedicetur: de panibus enim ſuis dedit pauperi*: Et rurſus Eccleſ. 31. *Splendidum in panibus benedicent labia multorum, & teſtimonium illius veritatis fidele.* Et fortè hic Epiſcopus in iudiciis ſuis erat miſericors erga pupillos & viduas, vnde miſericordiam promeruit, iuxta illud Eccleſ. 4. *In iudicando eſto pupillis miſericors vt pater, & pro viro matri illorum: & eris tu velut filius altiſſimi obediens & miſerebitur tui magis quàm mater.* Ex eo igitur quod nomen habebat quod viueret, conjicio illum fuiſſe miſericordem, & Deus qui amat miſericordiam illi viciſſitudinem reddit, & pro nomine temporaneo, nomen in æternum non delendum illi promittit.

Munditiei præmium, nempe Dei viſio, inſinuatur cum ait: *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius: & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Ieruſalem, quæ deſcendit de cælo à Deo meo, & nomen meum nouum*; Qui enim Deum videt, immobiliter manet in omnium bonorum poſſeſſione, vt eum inceſſanter amet, adoret & laudet: non ampliùs egreditur foras, vt aliquid de nouo addiſcat, aut aliquo bono alio fruì deſideret: omnia enim poſſidet qui Deum videt. *Oſtendam tibi*, inquiebat Deus ipſi Moyſi fideli amico, *omne bonum*: Iam ad effectus non recurres, vt meam ſapientiam, bonitatem & potentiam poſſis intueri, qui in ipſo fonte potes videre quantus & qualis ego ſum, meipſum intuitiuè videns, qui cauſa ſum omnium, in mente habens impreſſam cognitionem ſummæ diuinitatis, totiuſque ſanctiſſimæ Trinitatis, cognitionem omnium effectuum naturæ, gratiæ & gloriæ: habebis enim nomen nouæ Ieruſalem, quæ deſcendit de cælo. Denique nomen nouum, nempe Saluatoris ſeu redemptoris ſcriptum gerere, eſt omnium effectuum myſterij redemptionis agnitionem poſſidere, vt completa ſit & perfecta hominis beatitudo, quæ Chriſto teſtante in eo conſiſtit: *Hæc eſt*, inquit, *vita æterna, vt cognoſcant te, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Hæc ſunt quæ Deus proprio deſcribit digito in cordibus eorum qui mundi ſunt corde, nam hac cordis munditiâ optime præparantur, in eis inſculpet Deus quæcumque vult manifeſtati ad nominis ſui gloriam. Denique dignitas filiationis etiam promittitur, cum ait: *Qui vicerit dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno eius.* Ad filios enim pertinet in partem hæreditatis vocari, *Si enim filij & hæredes, hæredes quidem Dei: cohæredes autem Chriſti*: Qui honor filiationis pacificis debetur.

Igitur cum & actus beatitudinum, & actus præmiorum exprimantur hîc à S. Ioanne in hoc 7. cap. ipſi autem actus beatitudinum, ſiue in quantum meriti rationem induunt, ſiue in quantum ſunt præmia, ſint ſigna prædeſtinationis expreſſiora & euidentiora quæ haberi poſſint, optimè diximus in hoc capite agi de ſignis ac notis prædeſtinationis electorum. Quomodo autem Deus per Angelorum miniſterium nobis ad illas actiones eliciendas auxilium præſtet opportunum, nobis eſt inſpiciendum: Deinde ad quem pertineat de iiſdem actibus certum ferre iudicium, tam in ſpecie quam in indiuiduo.

Et omnes Angeli ſtabant in circuitu Throni, & ſeniorum, & quatuor animalium: & ceciderant in conſpectu Throni in facies ſuas, & adorauerunt Deum dicentes, Amen: Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor & virtus & fortitudo Deo noſtro, in ſecula ſeculorum. Amen.

Certiſſimum eſt Angelos Eccleſiam circumdare, protegere ac cuſtodire.

ANNOTAT. XVII.

DE hac Angelorum cuſtodia hîc diffusè agere non intendo; tantum animaduerti cupio in his verbis S. Ioannis de eorum cuſtodia ac de auxiliis eorum fieri mentionem, vt pote qui plurimum gaudeant de conuerſione peccantium. *Gaudium eſt* enim *in cælo, ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*: vnde Deo benedictionem exoptant: de profectu proficientium, vnde clamant, *& claritas*; de perfectorum conſummatione, vnde addunt, *& ſapientia*; de tot tamque diuerſorum donorum ſapienti diſtributione & profuſione, vnde in gratiarum actionem prorumpunt; de Dei glorificatione ex hominum ſalute proueniente, quapropter gratiarum actioni honorem adiungunt; de voluntatis eius adimpletione, hinc adjiciunt, *& virtus*; de inimicorum proſtratione, vnde inſonant, *& fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum, Amen.* Hæc tantò libentiùs adduco, quod videam Primaſium aſſerere Deo hîc laudes ab Angelis decantari, non iuxta ſuas perfectiones, ſed ſecundum beneficia quæ ab eo ſuſcipimus. *Enumerato*, inquit Primaſius, *ſeptenario virtutum numero, illa potiſſimum ratione monemur aliquid quærere quod hic nominauerit, quarum ſuam Deus Eccleſiam voluit eſſe participem, vt cum iſta Deo in laudibus dantur, ab ipſo ſe ea percepiſſe ſinguli fateantur. Conſiderandum namque eſt non hîc nominari illa quæ ſoli Deo competunt, ſed etiam quæ fidelibus donare dignatur. Benedictio & Claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, & honor & poteſtas & virtus, quorum omnium participationem bonorum Chriſti Eccleſiam habere gaudemus; non hîc omnipotentia, non hîc Maieſtas, non hîc ſempiternitas ſonat, quam ſolus Deus ſemper poſſedit, ſed illa ſeptem, in quibus etiam vniuerſæ poſſunt fidelibus conceſſa virtutes intelligi, ab illo qui eis poteſtatem dedit filios Dei fieri: vt ſi quid bonorum acquirimus, Dei largitate nos habere veraciter nouerimus. Ex abundanti ſane video probare de cæteris, nam & benedictio Eccleſia potiſſimum conuenit, vt legimus: ſuper populum tuum benedictio tua*, &c. Ita Primaſ. Ex Angelis autem & hominibus vnam Eccleſiam fieri ad Deum laudandum & glorificandum, rectè annotat An-

dreas Cæſar. dum ait: *Ecce vna ex Angelis & hominibus Eccleſia conſtituitur. Et quidem primi ſanctis, tametſi Angelis non diſſimilibus, formidabiles apparebant Angeli, quemadmodum ex Daniele Propheta, & aliis quibuſdam cognoſcere licet, tunc autem vnà cum hominibus miniſtrabunt.*

Et reſpondit vnus de ſenioribus, & dixit mihi: Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt & vnde venerunt? Et dixi illi: Domine tu ſcis.

Ad quem pertineat de actibus ſanctorum in ſpecie & in indiuiduo iudicium ferre.

ANNOTAT. XVIII.

RESPONDIT, *id eſt*, inquit Cornelius à Lapide, *mecum colloqui cœpit, me interroganit vt me erudiret, ſicut præceptor interrogat diſcipulum vt eum doceat & erudiat.* Ita Cornel. Ambroſij mentem ſequitur qui ait: *Interrogat vt doceat.* At quis ſit ille ſenior, qui vt præceptor Ioannem interrogat, quæritur inter interpretes. Ambroſius: *Per ſeniorem*, inquit, *namque Doctores Eccleſiæ, per Ioannem vero auditores intelliguntur: nam prædicatores ſancti gloriam animarum ſanctarum quibuſcumque modis poſſunt intimare auditoribus ſuis, vt mentes eorum ad amorem cœleſtis patriæ accendant.* Ita Ambroſ. Primaſius autem: *Vnum ex ſenioribus vel Prophetarum corpus, vel Eccleſiam ponit, tanquam præpoſitos inferiora membra docentes quæ ſit remuneratio futuræ mercedis laborantibus ſperanda.* Ita Primaſ.

Nicolaus de Lyra, vt iam diximus, & quidam apud Dionyſ. Carthuſ. Beatum Petrum per vnum ex ſenioribus intelligi volunt, quos ſequimur. Et quia Petrus hîc repreſentatur vt eſt caput Eccleſiæ, ideo etiam ſignificationem ad ſucceſſores extendimus, & hanc eorum quæ hic narrantur à S. Ioanne damus interpretationem.

Dico igitur primò, per vnum è ſenioribus Petrum intelligimus: nam eadem ratione propter quam c. 4. eum deſignati voluimus per vnum ex ſenioribus, quia dubium reſoluendum erat, quinam dignus eſſet videlicet aperire librum, quòd omnia dubia de fide emergentia in Eccleſia, à Petro & ſucceſſoribus ſint reſoluenda; ita etiam cum hic agatur de iis quæ ad mores pertinent, illius eſt determinare quænam actiones tales ſunt, vt per eas vita æterna poſſit promereri, & docere quænam mandauit Chriſtus, quæ ſeruanda ſunt fidelibus iuxta præceptum Apoſtolis datum: *Baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis*, inquit Chriſtus.

Dico ſecundò, hanc Petri & ſucceſſorum eius auctoritatem decernẽdi quænam potiſſimum actiones dignæ ſint retributionis æternæ, & à Chriſto fuerint imperatæ, euidentius apparere in eo quod dicat & decernat hoc modo: talis actio in indiuiduo illius aut illius ſancti, ita eſt omnibus circumſtantiis ac cõditionibus requiſitis ad meritum vitæ æternæ circumueſtita, vt infallibiliter hic aut ille propter eam adeptus ſit vitam æternam; quàm ſi tantum dicat: Vt aliqua actio ſit meritoria, oportet vt ſit bona moraliter, recta ſit intentio agentis, à gratia proficiſcatur, promiſſionem habeat vitæ æternæ, & à Deo acceptetur. Difficilius nempe eſt determinare iſtam eleemoſynam Ioannis aut Petri actionem eſſe quæ eliciatur ex motiuo charitatis ſupernaturalis, cum eleemoſyna aliquando fiat ex motiuo vanæ gloriæ; quàm determinare eleemoſynam ex Charitate prodeuntem dignam eſſe retributionis æternæ.

Dico igitur tertiò hanc auctoritatem in hoc capite optimè deſcribi: nam hîc ſanctus Ioannes ſenio- A rem repræſentat, non tanquam abſtractiuè de actibus meritoriis loquentem & dicentem: Hæc & hæc ſunt peragenda, hiſque mediis vti debetis, vt cœli gloriam poſſitis adipiſci, hoc vel illo modo talia media ſunt applicanda, vt meriti paſſionis illius ſitis participes: ſed eum repræſentat tanquam actiones illas, media illa, illoſque modos indiuidualiter & concretè exponentem. Hac enim ratione differendi de actionibus, mediis ac modis, quibus ſalutem conſequimur, ſuam auctoritatem legem diuinam & humanam interpretandi, fidelibus præſcribendi modos, quibus eorum fides in praxim reducatur, & operibus bonis poſſit comprobari, melius explicat & demonſtrat, quàm ſi de his mediis ac modis in ſpecie differeret.

B Dico quartò, hanc auctoritatem optimo iure, ſummâ Dei prouidentiâ, Petro & ſucceſſoribus collatam fuiſſe, vt daretur fidelibus per opportunum, & neceſſarium quodammodo motiuum & auxilium, quo faciliùs ferantur ad exercitia pietatis amplectenda: nam cum magis moueant exempla quàm verba, & ſignaculum in cera impreſſum melius exprimat ſigilli characterem, quàm ſi de eo differas: ita præcepta diuina ac cæleſtis doctrina, de iis quæ à fidelibus fieri debeant, meliùs exprimuntur per exempla quàm per verba. Hinc Saluator ad humilitatis & manſuetudinis actus nos inducere volens, ſeipſum in exemplum proponebat: *Diſcite à me quia mitis ſum*
C *& humilis corde*; & alibi: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Hinc ſanctus Petrus illum proponebat in exemplum patientiæ. *Chriſtus*, inquit, *paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.* Et quia Chriſti ſumma perfectio fortaſſe nos deterreret, & in deſperationem quamdam adduceret, ideo non ſolum Chriſti exempla erant nobis proponenda, ſed etiam exempla ſanctorum proponi debuerunt, vt pote qui fuerint noſtræ infirmitatis participes. Hac ratione S. Iacobus nos ad patientiam & orationem prouocabat c. 5. *Exemplum*, inquit, *accipite fratres exitus mali, laboris & patientiæ, Prophetas, qui locuti ſunt in*
D *nomine Domini.* Et poſtea: *Elias homo erat ſimilis nobis, paſſibilis, & oratione oranit.* Ita Paulus ſeipſum exhibebat in exemplum: *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* Opportunum igitur fuit, hanc Eccleſiæ tribuere auctoritatem, vt infallibili quadam ratione poſſit de actibus in particulare iudicium ferre, vt eas in exemplum proponat fidelibus, vt ſciant qua ratione in via Dei ambulare debeant.

Dico quintò, auctoritatem illam plurima complecti, v. g. Sanctorum Canonizationem, ordinum Religioſorum confirmationem, dubiorum determinationes de iis quæ ad mores pertinẽt, poteſtatem legem diuinam interpretandi, leges ad ſalutem fidelium promouendam vtiles condendi, de
E actionibus humanis in particulari iudicandi: quorum omnium veſtigia ſeu exempla videri poſſunt in iis quæ peregit S. Petrus, in initio naſcentis Eccleſiæ. Nam quantum ad primum, cum Canonizatio ſanctorum, nihil aliud ſit, quàm dum certo ab Eccleſia ſcitur alicuius actiones Deo eſſe probatas, per teſtimonia quæ reprobari non valeant, veluti dum in vita, & poſtmortem miraculis claret, ſummus Pontifex ſumma cum maturitate, & præuio diligenti examine omnia ponderans, omnibus fidelibus aliquem proponit vt ſanctum, qua quidem declaratione is ſanctus beatus non fit, ſed de eius beatitudine fideles, qui de hoc dubitare poſſent, certiores reddantur. Inſuper fidelibus etiam proponitur vt exemplar virtutum, quo fit vt ſuas actiones poſſint iuxta tale exemplar efformare, & actionibus quæ illius beatificationi cauſam dederunt, conformes quan-

Digitized by Google

tum in eis est reddere. Tertiò, ipsum sanctum posse A
inuocari, vt pote qui sit Dei amicus, cui Deus, qui
in terra suos sanctos adhuc degentes exaudit, in
cœlo nihil denegabit. S. Petrus Christum Dominum omnium Sanctorum caput, vt Sanctum Sanctorum declarauit & promulgauit, illius gloriam prædicauit, actiones præclaras imitandas proposuit, & tanquam Mediatorem & Redemptorem, quo Deo reconciliamur, commendauit. Illius enim sanctitas erat notificanda, vt sanctitati honor debitus redderetur, cum ipse sit caput sanctorum, totiusque sanctitatis auctor & origo: neque enim sancti alia ratione sancti sunt, quàm quia Christo vniuntur per gratiam. Petrum igitur audiamus sanctitatem Christi prædicantem. *Viri Israëlitæ, audite* B
verba hæc: Iesum Nazarenum virum approbatum à Deo in vobis, virtutibus, & prodigiis & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut & vos scitis, &c. Certissimè sciat ergo omnis domus Israël, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus, hunc Iesum quem vos crucifixistis, &c. Nonne vides beatitudinis & gloriæ Christi manifestam declarationem in his Petri verbis? Cum autem addit: *quem vos crucifixistis*; & secundo capite Epistolæ suæ illum asserit passum esse pro nobis, relinquendo nobis exemplum vt sequamur eius vestigia, *qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, qui cum malediceretur non maledicebat*, eum nobis esse imitandum decernit. Denique dum eum declarat, tanquam mediatorem intercessionis, seu redemptionis, dicens: *Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti*, satis declarat quantum Christus valeat apud Patrem, vt ad eum tanquam ad patronum & aduocatum quem habemus apud Patrem, imo tanquam ad redemptorem potentissimum recurramus.

Quantum ad secundum, de Confirmatione Religiosorum Ordinum, huius rei vestigia videmus, in iis quæ Petrus peregit: nam cum ordinum institutores dicantur ij, qui à Deo moti & inspirati aliquod vitæ genus seligunt, quo saluti propriæ consulant, & Ecclesiæ & saluti fidelium inseruiant, hoc totum D
institutum summi Pontificis iudicio humiliter submittentes; & inter alias functiones, quibus quis Ecclesiæ possit inseruire, nulla maioris sit momenti, quam potestas prædicandi verbi Dei, plurimum interest fidelium saluti, ne sub ouina pelle Lupus ingrediatur, ne quis huic functioni vacare audeat absque legitim auctoritate: itaut etiam si extraordinariè ad hoc munus exercendum quis fuerit à Deo vocatus, nihilominus illius, cuius est supra gregem vigilare, approbatio requiratur; hoc fecit S. Paulus, qui cum extraordinariè ad munus prædicationis fuisset vocatus, ipso dicente ad Galat. 1. *Neque veni ad antecessores meos Apostolos*, & cap. 2. *Mihi enim qui videbantur aliquid esse nihil contulerunt*; nihilominus E
ne hoc in exemplum traheretur & non deinceps esset qui auderet se intromittere tanquam Ecclesiæ profuturus, absque debita & recognita auctoritate, *Post annos tres veni Ierosolymam videre Petrum & mansi apud eum diebus quindecim. Deinde*, inquit rursus c. 2. *post annos quatuordecim iterum ascendi Ierosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito: ascendi autem secundum reuelationem, & contuli cum illis Euangelium quod prædico in gentibus, seorsum autem iis qui videbantur aliquid esse, ne forte in vanum currerem aut cucurrissem.* Igitur si necessarium fuerit Paulo, extraordinariè vocato, ad Petrum recurrere, vt eius prædicandi munus confirmaretur, & debitam auctoritatem obtineret apud fideles, quis aliquod vitæ institutum auderet introducere in Ecclesia, quamuis vtile videri posset, nisi eadem esset auctoritate fultus, & à summo Pontifice Petri successore approbatus?

De tertio, legem diuinam interpretandi aut leges condendi, vestigium satis expressum habemus in primo concilio Hierosolymitano, in quo Petrus sententiam tulit de quæstione legalium inter Iudæos & gentiles exorta Antiochiæ; & dum ait: *Vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegerit per os meum audire gentes verbum Euangelij & credere*, ostendit quæstionem motam non debere cum tanta contentione agitari: facile quippe illius determinatio poterat haberi, cum tota eius decisio ab eius ore penderet, qui ad talia decidenda ab æterno à Deo erat destinatus. Hanc suam potestatem & auctoritatem, cum summa animi modestia, ad Dei ordinationem qui eum elegerat optimè retulit. Cum autem cum quadam verborum asperitate, & tacita reprehensione eorum, qui huic quæstioni occasionem dederunt, ait: *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum?* Voluit certè declarare eos qui illius determinationem suo zelo præuenientes, volebant circumcidi gentiles secundum morem Moysi, eo adhuc inconsulto à quo didicissent quid de hac re sentire deberent, satanæ esse imitatores, ac si diceret: Periculum certe incurristis maximi erroris, dum me inconsulto talia voluistis introducere. Nam ab ore meo ex Dei voluntate pendet horum omnium decisio? Absque vlla contentione, C
statim atque dubium fuit exortum, ad me recurrere debuistis, qui scio has legales ceremonias paulatim esse abolendas, vt fides meritorum Christi manifestetur, & omnes sciant se per gratiam Christi esse saluandos. Repellendi igitur estis, cum eisdem verbis quibus olim Christus diaboli tentationem repulit, dicendo: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Nam cum Deus autoritatem in Ecclesia constituerit, quæ debeat & possit omnia dubia emergentia decidere, Deum tentat, qui omisso tali medio, quo & veritatem cognoscere, & quæ agenda sunt percipere valeat, aliquid per semetipsum volet statuere, & prout sibi persuadet docere attentat. Cum diabolus Christum supra pinnaculum Templi constituisset, ipsiq; vt se mitteret deorsum suggereret, suggestioni Christus obtemperare noluit, & eodem medio deponi voluit quo paterna dispensatione fuerat ibidem sublatus, alias Deum se tentare existimasset si alio medio vteretur: pari ratione, cum Deus elegerit ex antiquis diebus vt per os meum gentes Euangelium audiant & credant, & ad hunc autoritatis apicem me constituerit, vt data mihi autoritate, tanquam falce acutissimâ, omnia dubia emergentia rescindam, vt quid Deum tentatis, aliâ viâ contendentes ad cognitionem eorum quæ fieri debent pertingere? Ad hanc pastoris vocem & sententiam tacuit omnis multitudo. Et deinde Iacobus Ierosolymitanus Episcopus, non dubium resoluendo, quod iam fuerat per Petri sententiam decisum & sublatum, sed quibus verbis concipi debebat decretum & scriptis mandandum proponendo, optimum esse duxit si scriberentur fidelibus Antiochiæ, ea quæ viua voce fuerant decisa in Concilio: quæ Iacobi sententia, tanquam sapientiæ & prudentiæ plena, à Concilio fuit recepta, & iuxta ea quæ à Petro fuerant determinata, Epistola concepta & conscripta fuit, qua fideles certiores fierent de omnibus. Igitur sicut Paulus, quia vas erat electionis, vt portaret nomen Christi coram gentibus & Regibus, eis qui illi fidem adhibere recusabant dicebat: *Vt quid experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus?* Ita Petrus cui dictum est: *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*, cui dictum fuerat, *Pasce agnos, pasce oues*, cui tempus aduenisse prædicandi gentibus Euangelium,

in

Digitized by

in viſione demonſtratum fuerat, optimè dicit: *Vt quid tentatis Dominum?* Ac ſi tentare Deum exiſtimandum ſit in Eccleſia, ſi quis aliâ viâ cognitionem credendorum & agendorum requirat, quàm ab eius ore & ſententia.

Quod autem Petrus actiones in particulari approbare aut improbare poſſit, clarum eſt ex his quæ egit, tum circa Cornelium, poſtquam ex viſione lintei è cœlo demiſſi, pleni quadrupedibus & ſerpentibus & volatilibus, didicit tempus aduenisſe gentes admittendi ad Euangelium: interrogantibus enim eum cur introiuiſſet ad viros preputium habentes, veluti qui iudicandi de actionibus ſingulorum poteſtatem recepiſſet, dixit: *Si eamdem gratiam dedit illis Deus ſicut & nobis, qui credidimus in Dominum, ego quis eram qui poſſem prohibere Deum?* Act. 11. Gentium conuerſionem vt à Deo factam his verbis declarat; tum circa Simonem Magum, cuius actiones & intentiones damnat & reprobat: *Non eſt*, inquit ad Simonem Petrus Act. 8. *tibi pars neque ſors in ſermone iſto: cor enim tuum non eſt rectum coram Deo*, &c. Et circa Ananiam & Saphiram, quorum actiones non ſolum improbat, ſed etiam ſupplicio mortis caſtigat.

Hæc autem omnia poſſunt fieri à Petri ſucceſſoribus, ad quos Petri auctoritas deuoluitur, in quorum omnium determinatione ac deciſione errare non poſſunt. Pontifex namque, vt orthodoxi Doctores melioris notæ volunt, ſolus abſque conſilio ariſtocratico, ſi vt Pontifex ſeu, vt loquuntur, ex Cathedra decernat, nihil quicquam contra fidem aut bonos mores decernere poteſt. Optimè namque S. Leo Serm. in anniuerſ. aſſumptionis ſuæ: *Communis*, inquit, *erat omnibus Apoſtolis periculum, ſpecialis tamen à Domino Petri cura ſuſcipitur, & pro fide Petri propriè ſupplicatur, tanquam ſi aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & ita gratiæ diuinæ ordinatur auxilium, vt firmitas quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis conferatur.* Ita S. Leo. Nec abſque ſpeciali Dei prouidentia, qui ad ianuam Templi claudus jacebat eſt erectus, & conſolidatæ ſunt baſes eius & plantæ ptotinus, & ſtatim atque Petrus dexteram eius manum apprehendés eum alleuiauit, quin & exiliens ſtetit & ambulauit, & introiuit cum Petro & Ioanne, ambulans, exiliens, & laudans Deum. Hoc enim totum factum eſt, vt ſciremus quod ſi ſemel Petrus alicuius manum aprehenderit, id eſt ſi mens, & intellectus cuiuſcumque à Petro erecta fuit eius ſententia & deciſione, ſi claudicaret in fide dubiis variis agitatus, is proculdubio determinationi Petri immixus ab errore liberabitur, firmus erit in fide, in ſemita mandatorum Dei rectâ viâ ambulabit, in templum j. in cognitionem diuinorum myſteriorum introductus ad contemplationem diuinorum euchetur, deuotionis exercitia feliciter adimplebit, & pro affectu Deum poterit laudibus extollere.

Dico ſextò: Quæ in hoc capite dicuntur optimè quadrant cum iis quæ fieri debent, cum ſummus Pontifex de actionibus particularibus ſanctorum, quos canonizare ſeu quorum beatitudinem declare intendit, inquirit, determinat & ſententiam profert: nam primò dicitur:

Et Reſpondit: Quo vocabulo intelligimus Pontificem in terris declarare ea quæ iam in calis nota ſunt & perſpecta. Sanctis enim Deum laudantibus his verbis: *Salus Deo noſtro: qui ſedet ſuper Thronum & Agno*, concinunt Angeli Cuſtodes dicentes, *Amen*, & in vota prorumpunt, quibus Deo benedictionem, claritatem, & cætera huiuſmodi exoptant, videlicet propter effectus prædeſtinationis, quos cernunt adimpletos in electis qui in gratia decedunt, & in ea perſeuerant, & addunt *Amen*, quaſi dicant: *Fiat, fiat.* Ad hoc votum reſpondet vnus ex ſenioribus, id eſt primus, nam ex eo quod multa dicuntur, quibus conjici poteſt illos effectus prædeſtinationis, pro quibus Angeli Deum laudant, in quibuſdam eſſe adimpletos, his reſpondere vult, & ſcire an hæc ita ſint. Hinc ad inquiſitionem, & informationes procedit: quod ſignificare videtur S. Ioannes, cum ſe interrogatum à ſeniore aſſerit his verbis: *Et dixit mihi: Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt & vnde venerunt?* Quaſi dicat: Hi de quibus tanta & tam magnifica dicuntur & prædicantur, quibus illos gloriam æternam adeptos poſſumus conjicere? Tales ne ſunt quales dicuntur? Qui ſunt igitur, & vnde venerunt? Cum hic ſenior dubium circa fidem reſoluit ſupra, abſolute loquitur, nulla informatione aut inquiſitione præhabita. Flet S. Ioanne, quia nullus eſt qui poſſit aperire librum: non interrogatur de aliquo, ſed ſenior abſque interrogatione præuiâ abſolutè loquitur dicens: *Ne fleueris, ecce vicit Leo de Tribu Iuda*,; Quia in materia fidei ſufficit dubij ſimplex propoſitio, ad quod reſpondet Pontifex, tanquam qui in pectore habeat quæ credenda ſunt: nam eius eſt confirmare fratres, cuius non poteſt fides deficere. At dum agitur de canonizatione alicuius ſancti, & de iudicio ferendo actionum in particulari, inquiſitio & interrogatio præcedere debet, vt quæ de iis dicuntur, vera an falſa ſint dignoſcatur. Si de actione aliqua igitur iudicium ſit ferendum, ſi de lege condenda ſit agendum, ſemper inquiſitio fieri debet, vt prudenter agatur, an locis, temporibus, ac perſonis ea conueniat, an expediat. Hac de cauſa nomen ſenioris hîc vſurpatur, vt ſignificetur prudentia quæ requiritur in decretis de rebus fidei, vt decreta proponantur tempore debito, ne projiciantur margaritæ ante porcos, vel quia adhuc fideles non ſunt adhuc capaces, vt de ſublimitate alicuius myſterij inſtruantur, iuxta illud Saluatoris: *Multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modo*: Et in decretis morum vt leges non ſolum iuſtæ ſed & poſſibiles ferantur: Senum enim eſt prudentiâ in omnibus vti, propter rerum notitiam & experientiam.

Ad hæc Ioannes interrogatus reſpondet: *Et dixi*, inquit, *Domine tu ſcis.* Cum ſeniorem Dominum vocat, qua appellatione non eſt vſus dum de rebus fidei ageretur in cap. 5. declarat hîc quæſtionem non eſſe de rebus fidei, in quibus nullam habet Pontifex dominationem, cum ipſe etiam cogatur captiuum reddere ſuum intellectum in obſequio fidei, nec poſſit nouum fidei articulum condere, ſed tantum dubia emergentia reſcindere, & quæ ſunt fide credenda decernere: At dum de moribus agitur, eius eſt determinare an expediat de vita alicuius ſancti, pro vtilitate fidelium, ad Eccleſiæ ædificationem, inquiſitionem inſtituere; eius eſt leges condere, & decernere quæ agenda ſunt. Hac de cauſa Dominus nuncupatur: nam hæc appellatio actiones humanas reſpicit, quæ imperari poſſunt. Secundò hac appellatione docet S. Ioannes eos quibus à ſummo Pontifice poteſtas committitur inquirendi, & informationes & proceſſus inſtituendi de actionibus & miraculis alicuius ſancti, quamuis æquè ac S. Ioannes eſſent diuino lumine irradiati, tamen vltimum iudicium de his ferre non debere, ſed iudicium ac determinationem omnium, poſt inquiſitiones factas, ad Pontificem deferre, cuius eſt propter ſpecialem Spiritus ſancti aſſiſtentiam, abſque periculo erroris decernere cuiuſnam vita ſit probabilis, cuiuſnam actiones fuerint meritoriæ, quænam miracula falſi nullam habeant ſuſpicionem; quiſnam denique pro

Daualius 2. Parte.

2 e*

tum in eis eſt reddere. Tertiò, ipſum ſanctum poſſe
A eadem eſſet auctoritate fultus,& à ſummo Pontifice
Petri ſucceſſore approbatus?

De tertio, legem diuinam interpretandi aut leges condendi, veſtigium ſatis expreſſum habemus in primo concilio Hieroſolymitano,in quo Petrus ſententiam tulit de quæſtione legalium inter Iudæos & gentiles exorta Antiochiæ;& dum ait: *Vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegerit per os meum audire gentes verbum Euangelij & credere*, oſtendit quæſtionem motam non debere cum tanta contentione agitari: facile quippe illius determinatio poterat haberi, cum tota eius deciſio ab eius ore penderet, qui ad talia decidenda ab æterno à Deo erat deſtinatus. Hanc ſuam poteſtatem & auctoritatem, cum ſumma animi modeſtia, ad Dei ordinationem qui eum elegerat optimè retulit. Cum autem cum quadam verborum aſperitate, & tacita reprehenſione eorum,qui huic quæſtioni occaſionem dederunt, ait: *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum?* Voluit certè declarare eos qui illius determinationem ſuo zelo præuenientes,volebant circumcidi gentiles ſecundum morem Moyſi, eo adhuc inconſulto à quo didiciſſent quid de hac re ſentire deberent,ſatanæ eſſe imitatores, ac ſi diceret: Periculum certe incurriſtis maximi erroris, dum me inconſulto talia voluiſtis introducere. Nam ab ore meo ex Dei voluntate pendet horum omnium deciſio? Abſque vlla contentione,
C ſtatim atque dubium fuit exortum, ad me recurrere debuiſtis, qui ſcio has legales ceremonias paulatim eſſe abolendas, vt fides meritorum Chriſti manifeſtetur, & omnes ſciant ſe per gratiam Chriſti eſſe ſaluandos. Repellendi igitur eſtis, cum eiſdem verbis quibus olim Chriſtus diaboli tentationem repulit, dicendo: *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Nam cum Deus autoritatem in Eccleſia conſtituerit, quæ debeat & poſſit omnia dubia emergentia decidere, Deum tentat, qui omiſſo tali medio, quo & veritatem cognoſcere, & quæ agenda ſunt percipere valeat,aliquid per ſemetipſum volet ſtatuere, & prout ſibi perſuadet docere attentat. Cum diabolus Chriſtum ſupra pinnaculum Templi conſtituiſſet,
D ipſiq; vt ſe mitteret deorſum ſuggereret, ſuggeſtioni Chriſtus obtemperare noluit, & eodem medio deponi voluit quo paterna diſpenſatione fuerat ibidem ſublatus, alias Deum ſe tentare exiſtimaſſet ſi alio medio vteretur: pari ratione,cum Deus elegerit ex antiquis diebus vt per os meum gentes Euangelium audiant & credant, & ad hunc autoritatis apicem me conſtituerit, vt data mihi autoritate, tanquam falce acutiſſimâ, omnia dubia emergentia reſcindam, vt quid Deum tentaris, aliâ viâ contendentes ad cognitionem eorum quæ fieri debent pertingere? Ad hanc paſtoris vocem & ſententiam tacuit omnis multitudo. Et deinde Iacobus Ieroſolymitanus Epiſcopus,non dubium reſoluendo,quod
E iam fuerat per Petri ſententiam deciſum & ſublatum, ſed quibus verbis concipi debebat decretum & ſcriptis mandandum proponendo, optimum eſſe duxit ſi ſcriberentur fidelibus Antiochiæ, ea quæ viua voce fuerant deciſa in Concilio:quæ Iacobi ſententia, tanquam ſapientiæ & prudentiæ plena, à Concilio fuit recepta, & iuxta ea quæ à Petro fuerant determinata, Epiſtola concepta & conſcripta fuit, qua fideles certiores fierent de omnibus. Igitur ſicut Paulus, quia vas erat electionis, vt portaret nomen Chriſti coram gentibus & Regibus,eis qui illi fidem adhibere recuſabant dicebat: *Vt quid experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus?* Ita Petrus cui dictum eſt: *Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*, cui dictum fuerat, *Paſce agnos, paſce oues*, cui tempus aduenisſe prædicandi gentibus Euangelium,

in

Quantum ad ſecundum, de Confirmatione Religioſorum Ordinum, huius rei veſtigia videmus, in iis quæ Petrus peregit: nam cum ordinum inſtitutores dicantur ij, qui à Deo moti & inſpirati aliquod vitæ genus ſeligunt, quo ſaluti propriæ conſulant, & Eccleſiæ & ſaluti fidelium inſeruiant, hoc totum
D inſtitutum ſummi Pontificis iudicio humiliter ſubmittentes; & inter alias functiones, quibus quis Eccleſiæ poſſit inſeruire, nulla maioris ſit momenti, quam poteſtas prædicandi verbi Dei, plurimum intereſt fidelium ſaluti, ne ſub ouina pelle Lupus ingrediatur, ne quis huic functioni vacare audeat abſque legitim auctoritate:itaut etiam ſi extraordinariè ad hoc munus exercendum quis fuerit à Deo vocatus, nihilominus illius, cuius eſt ſupra gregem vigilare, approbatio requiratur; hoc fecit S. Paulus, qui cum extraordinariè ad munus prædicationis fuiſſet vocatus, ipſo dicente ad Galat. 1. *Neque veni ad anteceſſores meos Apoſtolos*, & cap. 2. *Mihi enim qui videbantur aliquid eſſe nihil contulerunt*; nihilominus
E ne hoc in exemplum traheretur & non deinceps eſſet qui auderet ſe intromittere tanquam Eccleſiæ profuturus, abſque debita & recognita auctoritate, *Poſt annos tres veni Ieroſolymam videre Petrum & manſi apud eum diebus quindecim. Deinde*, inquit rurſus c. 2. *poſt annos quatuordecim iterum aſcendi Ieroſolymam cum Barnaba,aſſumpto & Tito: aſcendi autem ſecundum reuelationem, & contuli cum illis Euangelium quod prædico in gentibus, ſeorſum autem iis qui videbantur aliquid eſſe, ne forte in vanum currerem aut cucurriſſem*. Igitur ſi neceſſarium fuerit Paulo, extraordinariè vocato, ad Petrum recurrere, vt eius prædicandi munus confirmaretur, & debitam auctoritatem obtineret apud fideles, quis aliquod vitæ inſtitutum auderet introducere in Eccleſia, quamuis vtile videri poſſet, niſi

Digitized by Google

in viſione demonſtratum fuerat, optimè dicit: *Vt quid tentatis Dominum?* Ac ſi tentare Deum exiſtimandum ſit in Eccleſia, ſi quis aliâ viâ cognitionem credendorum & agendorum requirat, quam ab eius ore & ſententia.

Quod autem Petrus actiones in particulari approbare aut improbare poſſit, clarum eſt ex his quæ egit, tum circa Cornelium, poſtquam ex viſione lintei è cœlo demiſſi, pleni quadrupedibus & ſerpentibus & volatilibus, didicit tempus aduenisſe gentes admittendi ad Euangelium: interrogantibus enim eum cur introiuiſſet ad viros preputium habentes, veluti qui iudicandi de actionibus ſingulorum poteſtatem recepiſſet, dixit: *Si eamdem gratiam dedit illis Deus ſicut & nobis, qui credidimus in Dominum, ego quis eram qui poſſem prohibere Deum?* Act. 11. Gentium conuerſionem vt à Deo factam his verbis declarat; tum circa Simonem Magum, cuius actiones & intentiones damnat & reprobat: *Non eſt*, inquit ad Simonem Petrus Act. 8. *tibi pars neque ſors in ſermone iſto: cor enim tuum non eſt rectum coram Deo*, &c. Et circa Ananiam & Saphiram, quorum actiones non ſolum improbat, ſed etiam ſupplicio mortis caſtigat.

Hæc autem omnia poſſunt fieri à Petri ſucceſſoribus, ad quos Petri auctoritas deuoluitur, in quorum omnium determinatione ac deciſione errare non poſſunt. Pontifex namque, vt orthodoxi Doctores melioris notæ volunt, ſolus abſque conſilio ariſtocratico, ſi vt Pontifex ſeu, vt loquuntur, ex Cathedra decernat, nihil quicquam contra fidem aut bonos mores decernere poteſt. Optimè namque S. Leo Serm. in anniuerſ. aſſumptionis ſuæ: *Communis*, inquit, *erat omnibus Apoſtolis periculum, ſpecialis tamen à Domino Petri cura ſuſcipitur, & pro fide Petri propriè ſupplicatur, tanquam ſi aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & ita gratiæ diuinæ ordinatur auxilium, vt firmitas quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis conferatur.* Ita S. Leo. Nec abſque ſpeciali Dei prouidentia, qui ad ianuam Templi claudus jacebat eſt erectus, & conſolidatæ ſunt baſes eius & plantæ protinus, & ſtatim atque Petrus dexteram eius manum apprehendés eum alleuiauit, quin & exiliens ſtetit & ambulauit, & introiuit cum Petro & Ioanne, ambulans, exiliens, & laudans Deum. Hoc enim totum factum eſt, vt ſciremus quod ſi ſemel Petrus alicuius manum aprehenderit, id eſt ſi mens, & intellectus cuiuſcumque à Petro erecta fuit eius ſententia & deciſione, ſi claudicaret in fide dubiis variis agitatus, is proculdubio determinationi Petri innixus ab errore liberabitur, firmus erit in fide, in ſemita mandatorum Dei rectâ viâ ambulabit, in templum i. in cognitionem diuinorum myſteriorum introductus ad contemplationem diuinorum euehetur, deuotionis exercitia feliciter adimplebit, & pro affectu Deum poterit laudibus extollere.

Dico ſextò: Quæ in hoc capite dicuntur optimè quadrant cum iis quæ fieri debent, cum ſummus Pontifex de actionibus particularibus ſanctorum, quos canonizare ſeu quorum beatitudinem declare intendit, inquirit, determinat & ſententiam profert: nam primò dicitur:

Et Reſpondit: Quo vocabulo intelligimus Pontificem in terris declarare ea quæ iam in cælis nota ſunt & perſpecta. Sanctis enim Deum laudantibus his verbis: *Salus Deo noſtro: qui ſedet ſuper Thronum & Agno*, concinunt Angeli Cuſtodes dicentes, *Amen*, & in vota prorumpunt, quibus Deo benedictionem, claritatem, & cætera huiuſmodi exoptant, videlicet propter effectus prædeſtinationis, quos cernunt adimpletos in electis qui in gratia decedunt, & in ea perſeuerant, & addunt *Amen*, quaſi dicant: *Fiat, fiat.* Ad hoc votum reſpondet vnus ex ſenioribus, id eſt primus, nam ex eo quod multa dicuntur, quibus conjici poteſt illos effectus prædeſtinationis, pro quibus Angeli Deum laudant, in quibuſdam eſſe adimpletos, his reſpondere vult, & ſcire an hæc ita ſint. Hinc ad inquiſitionem, & informationes procedit: quod ſignificare videtur S. Ioannes, cum ſe interrogatum à ſeniore aſſerit his verbis: *Et dixit mihi: Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt & vnde venerunt?* Quaſi dicat: Hi de quibus tanta & tam magnifica dicuntur & prædicantur, quibus illos gloriam æternam adeptos poſſumus conjicere? Tales ne ſunt quales dicuntur? Qui ſunt igitur, & vnde venerunt? Cum hic ſenior dubium circa fidem reſoluit ſupra, abſolute loquitur, nulla informatione aut inquiſitione præhabita. Flet S. Ioanne, quia nullus eſt qui poſſit aperire librum: non interrogatur de aliquo, ſed ſenior abſque interrogatione præuiâ abſolutè loquitur dicens: *Ne fleueris, ecce vicit Leo de Tribu Iuda*; Quia in materia fidei ſufficit dubij ſimplex propoſitio, ad quod reſpondet Pontifex, tanquam qui in pectore habeat quæ credenda ſunt: nam eius eſt confirmare fratres, cuius non poteſt fides deficere. At dum agitur de canonizatione alicuius ſancti, & de iudicio ferendo actionum in particulari, inquiſitio & interrogatio præcedere debet, vt quæ de iis dicuntur, vera an falſa ſint dignoſcatur. Si de actione aliqua igitur iudicium ſit ferendum, ſi de lege condenda ſit agendum, ſemper inquiſitio fieri debet, vt prudenter agatur, an locis, temporibus, ac perſonis ea conueniat, an expediat. Hac de cauſa nomen ſenioris hîc vſurpatur, vt ſignificetur prudentia quæ requiritur in decretis de rebus fidei, vt decreta proponantur tempore debito, ne projiciantur margaritæ ante porcos, vel quia adhuc fideles non ſunt adhuc capaces, vt de ſublimitate alicuius myſterij inſtruantur, iuxta illud Saluatoris: *Multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modo*: Et in decretis morum vt leges non ſolum iuſtæ ſed & poſſibiles ferantur: Senum enim eſt prudentiâ in omnibus vti, propter rerum notitiam & experientiam.

Ad hæc Ioannes interrogatus reſpondet: *Et dixi*, inquit, *Domine tu ſcis.* Cum ſeniorem Dominum vocat, qua appellatione non eſt vſus dum de rebus fidei ageretur in cap. 5. declarat hic quæſtionem non eſſe de rebus fidei, in quibus nullam habet Pontifex dominationem, cum ipſe etiam cogatur captiuum reddere ſuum intellectum in obſequio fidei, nec poſſit nouum fidei articulum condere, ſed tantum dubia emergentia reſcindere, & quæ ſunt fide credenda decernere: At dum de moribus agitur, eius eſt determinare an expediat de vita alicuius ſancti, pro vtilitate fidelium, ad Eccleſiæ ædificationem, inquiſitionem inſtituere; eius eſt leges condere, & decernere quæ agenda ſunt. Hac de cauſa Dominus nuncupatur: nam hæc appellatio actiones humanas reſpicit, quæ imperari poſſunt. Secundò hac appellatione docet S. Ioannes eos quibus à ſummo Pontifice poteſtas committitur inquirendi, & informationes & proceſſus inſtituendi de actionibus & miraculis alicuius ſancti, quamuis æquè ac S. Ioannes eſſent diuino lumine irradiati, tamen vltimum iudicium de his ferre non debere, ſed iudicium ac determinationem omnium, poſt inquiſitiones factas, ad Pontificem deferre, cuius eſt propter ſpecialem Spiritus ſancti aſſiſtentiam, abſque periculo erroris decernere cuiuſnam vita ſit probabilis, cuiuſnam actiones fuerint meritoriæ, quænam miracula falſi nullam habeant ſuſpicionem; quiſnam denique pro

Bonallius 2. Parte.

Digitized by Google

ſancto ſit habendus, & colendus & inuocandus. Equidem vt prudenter agat, debet per alios inquiſitiones inſtituere, tamen temper eius determinationi ſiſtendum eſt: vnde S. Ioannes reſpondet: *Domine tu ſcis*, quaſi dicat: Tuum eſt de his iudicium proferre: iis quæ decreueris libenter aſſentiemur.

Dico ſeptimò, cum ſenior reſpondet, & quaſi vltimam fert ſententiam in his verbis: *Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni*; In particulari iudicat de actionibus ſanctorum, & eas meritorias eſſe declarat, dum ipſas dicit dealbatas in ſanguine agni, ſiue per baptiſmum, ſiue per pœnitentiam & contritionem, ſiue per receptionem alicuius Sacramenti: omnia enim Sacramenta, niſi obex ponatur, gratiam conferunt, & ſtolas noſtras. j. mentes, conſcientias, humanas actiones internas & externas dealbant per meritum ſanguinis Chriſti, & propterea illas dignas declarat vitæ æternæ, vnde addit: *Ideo ſunt ante Thronum, & ſeruiunt ei die ac nocte, &c.* Quin & nobis tacite videtur præcipere: Si vultis ad vitam ingredi, & ad beatitudinem peruenire, quæ ab iſtis facta fuere eadem & agite: nam ſi iuſtitiam induamini vt iſti, amicti eritis ſtolis albis: ſi victoriam de mundo, carne, & diabolo reportetis, palmas habebitis in manibus. Venerunt de tribulatione magna per contritionem & pœnitentiam peccatorum, per extirpationem malorum habituum: pœnitemini igitur, & eradicate à vobis vitia, & malas conſuetudines. Lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine Agni, dignè percipientes & adminiſtrantes Sacramenta à Chriſto inſtituta, vt per ea meritum paſſionis illius, & ſanguinis effuſi, hominibus applicetur; iiſdem dignè participate, eadem debitè & dignè adminiſtrate. Deum ſemper in mente habuerunt, & in conſpectu eius ſemper ambulauerunt, cum illo qui dicebat: *prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper*: Deum ſemper præ oculis habetote, & eius præſentia nunquam à mente veſtra excidat, vt hac memoria muniti, & in proſperis & in aduerſis, nunquam ab eius timore & mandatorum eius obſeruatione recedatis. Seruierunt ei die ac nocte: nunquam ab eius obſequio pariter amoueamini, & abſque diſcontinuatione ei obſequium exhibete. Per morum integritatem meruerunt fieri Dei habitandum: Eſtote moribus integri, vt in vobis inhabitet Chriſtus, Et qui ſedet in Throno habitabit ſuper vos: Omne deſiderium & omnem appetitum rerum mundanarum abiecerunt, nec ſole vanitatis fuerunt exuſti, nec ſenſualitatis æſtu fuerunt perciti: Omnem igitur abdicate honoris, diuitiarum & voluptatum appetitus, & cum eis non eſurietis, non ſitietis ampliùs, neque cadet ſuper vos ſol neque vllus æſtus: ſicque pro mercede etiam in hac vita præſtò erit agnus, qui vos deducet ad vitæ fontes aquarum, vos in extremis poſitos conſolabitur: ad hunc enim finem etiam Sacramentum Extremæ-vnctionis inſtituit, vt cum terribilium omnium terribiliſſimum, nempe mors aduenerit, non tamen terreamini: nam tunc & offenſas omnes remittet quoad culpam, per receptionem Sacramentorum Confeſſionis, Euchariſtiæ & Extremæ-vnctionis, & etiam quoad pœnam, per cõceſſionem indulgentiarum. Pœnam igitur æquè ac culpam remittet, ſi digni inueniamini tanto fauore & gratia inſigni. *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum*: Ergo culpam pro qua flere oportet, ergo & pœnam remittet, pro qua ingemiſcendum eſſet ſub onere. Pulchrè olim Marius, cum Teutonibus & Tigurinis congreſſurus iuxta aquas Sextias, cum ſuis nulla ſupeteret aquarum copia, hoſtibus vallem fluuium que medium tenentibus, ſiue conſultè id egerit iſte imperator, ſiue errorem in conſilium verterit, flagitante aquam exercitu, demonſtrato fluuio in medio vallis hoſtibus circumuallato, exclamauit: viri eſtis, en illic habetis. Ita Florus l. 3. Hoc nobis Chriſtus imperator ſummus, ſitientibus in hac terra inuia & inaquoſa dicere videtur per Ioannem nobis hîc agnum in medio Throni exhibentem, qui regat populos fideles, eoſq; deducat ad vitæ fontes aquarum. Idem enim eſt ac ſi clamaret ſitientibus: Siti laboratis, lingua veſtra ſiti aruit, viri eſtis, fideles eſtis, in Chriſtum creditis, qui clamabat olim, *Si quis ſitit veniat ad me, & bibat*, hîc vbi eſt agnus, aquas habetis: congredimi audacter cum hoſtibus veſtræ ſalutis, reportate victoriam cum Agno, & illic aquas inuenietis, quæ omnem ſitim extinguere, & appetitum omnem ſatiare poſſunt. Iſta euenient fidelibus etiam ante corporis reſurrectionem, *cum dederit dilectis ſuis ſomnum*, & animæ eorum beatitudinem fuerint adeptæ. *Vt quid*, inquit Arnobius in Pſ. 226. *veniet, nempe Chriſtus Dominus? Vt in reſurrectione hæreditas Domini demonſtretur in qua omnes filij Dei accipiunt hæreditatem, ſi tamen filij ventris eius fuerint, id eſt, ſi in fonte Catholicæ fidei fuerint Baptizati, vbi eſt venter Eccleſiæ, qui illi filios parit, qui ſicut ſagitta de manu potentis excuſſa, ſic vulnerant inimicum, quando implet deſiderium ſuum in bonis, vt non confundantur dum exeunt de corpore: tunc enim inueniunt inimicos ſuos in porta, cum egrediuntur corpus in quo diabolum ſuperarunt.* Ita Arnob. Tunc enim agnus qui in medio Throni eſt, deducet eos ad vitæ fontes aquarum, itaut ſuperatis inimicis omnibus, Deus abſtergat omnem lacrymam ab oculis eorum. Et hæc de capite 7. ſatis.

Digitized by Google

CAPVT VIII.

DE SVMMA DEI CLEMENTIA, de auxiliis, & remediis prouidente; & iustâ Dei seueritate pœnas pro contemptu tantæ clementiæ exigente.

PARAPHRASIS CAP. VIII.

NEC mirum homines peruenisse ad hanc mensuram ætatis plenitudinis Christi, vt eius imaginem præ se ferant. Quamuis enim plurimum fragiles sint, vt qui thesaurum gratiæ portent in vasis fictilibus; quamuis tentationibus variis expositi, quamuis grauissimis afflictionibus tundantur, itaut supra modum & virtutem grauati, sæpè tædeat eos viuere; quamuis tandem in vltimo vitæ articulo constituti, infirmitatibus animi quàm maximè laborent, itaut ægrè valeant actiones vitæ spiritualis elicere, & totis desideriis ad Deum, qui eos ad patriam vocat anhelare, vt cum Prophetâ dicant: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*, adeo sunt terrenis affectibus adhuc occupati; nihilominus, summa illa Dei clementia, qui gentibus olim *non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens, de cœlo dans pluvias & tempora fructifera, implens cibo & lætitiâ corda hominum*, ipsemet fideles suos non deserit, sed auxiliis præpotentibus, & remediis tot & tantis malis ac infirmitatibus occurrit, siue quia Pastores Ecclesiæ sui altaris ministros cõstituit, vt offerant dona & sacrificia pro peccatis, qui cõdolere possint iis qui ignorant & errant, mediatores inter Deum & homines facti; vt sacrificiis & orationibus, vel mala præueniant futura, vel si ad iracundiam Deo prouocato immissa fuere, possint auferri, vel saltem cum patientiæ fructu tolerari: siue quia ipsi, ab his qui infirmantur vocati, orant super infirmos, vngentes eos oleo in nomine Domini, vt oratio fidei saluet infirmos, & Dominus eos alleuiet: & si in peccatis sint remittantur eis. Sic verum est quod Agnus, qui in medio Throni est, regit illos, & deducit ad vitæ fontes aquarum, & abstergit Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, vt libenter & cum gaudio, omni mœrore sublato, ac terrena relinquentes, ad cœlestia adspirent. Hanc Dei clementiam sum contemplatus, cum Agnus septimum aperuit sigillum, in cuius apertione, & sacrificij Christiani, & Sacramenti vnctionis, & misericordiæ diuinæ vim & efficaciam planè agnoui. Facto enim silentio in cœlo quasi mediâ horâ, *Vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei, quibus datæ sunt septem tubæ*, vt homines seriò admonerent, ne per vitia aut contemptum tot tantarumque gratiarum, quas vsque huc datas hominibus fuisse demonstrauimus, Deum ad iracundiam prouocent: alioquin scirent se grauissimis afflictionibus fore plectendos quibus tamen electorũ fides probaretur & patientia illustrior redderetur, & indurata quorumdam mens & voluntas debitâ pœnâ torqueretur, nisi vi sacrificiorum & orationum Ecclesiæ, in bonum hominibus, hæc mala à nobis auertantur.

TEXTVS. *Et cum aperuisset sigillum septimũ, factum est silentium in cælo quasi mediâ horâ.*

Et vidi septẽ Angelos stantes in conspectu Dei, & datæ sunt illis septem tubæ.

Vidi igitur quod aliquando valdè calamitosus euaderet Ecclesiæ status, ex his quæ in sextò sigillo futura prædixi: Pastoribus expulsis, eorum auctoritate debilitatâ, explosâ, & pro nihilo ductâ, Augustâ Sacramentorum maiestate derisâ, iudiciis Dei ex hominum memoriâ delapsis ac contemptis, quid aliud in Ecclesia euenire poterit, quàm reformidandum de rebus diuinis silentium? Silet conscientia, quia Spiritus sanctus non amplius clamat gemitibus inenarrabilibus. Silet ratio, quia nemo est qui recogitet corde: obmutescunt hominum ora, quia nec culpas agnoscunt, nec in Dei laudes prosiliunt, nec orationibus ad ipsum recurrunt. Silent leges, quia impunè violantur: muti sunt canes, nescientes latrare, quia nemo est qui contra legum transgressores, prædicationibus ac comminationibus diuinorum iudiciorum audeat clamare. Silent omnia, quia nemine intus nec foris contradicente, impietas grassatur, & iniqui pace temporali gaudent: quia libertius in vitia & pericula ruunt. Quin etiam silent omnes Angeli & sancti Dei, quia comprehendere nequeunt quàm inscrutabilia sint Dei iudicia, cum ex vnâ parte vident quanta erga homines sit Dei beneuolentia, ex alia, quanta sit mortalium ingratitudo; ex vnâ parte, quàm piè ac benignè Deus hominibus auxilia præstet, ex aliâ, quàm securè illos pœnis & castigationibus prosequatur; Denique quomodo in decursu huius vitæ, boni & mali eisdem pœnis ac miseriis subiaceant: Et ideo silent quia stupentes & attoniti cum patientiâ expectant quinam futurus sit rerum exitus, ex Dei præscripto & ordinatione, quem cum non cognoscunt, nihil pronunciare aut decernere audent.

Per spatium quasi semihoræ durat istud silentium, tum quia ex tempore concesso ad peragendam pœnitentiam, in quo Deus nobiscum cooperatur, mira ex parte nostra stupiditas, dum sumus ad eius clamores surdi, ad tam fulgidum lumen cœci, ad tot amoris & beneuolentiæ signa insensibiles; tum quia cum totum tempus, quod Deus erga nos insumit ad sui operis consummationem, per horam designetur, eius media pars consumitur in fidei dilatatione, cultus Dei promotione: tunc qui bene fecerint laudantur, tunc veritas dominatur, vitia calcantur ac pœnis castigantur, & Ecclesia tranquillâ pace fruens, diuina liberè dispensans, mysteria sapientissimè omnia moderatur. Sed citò homines declinant de via quæ illis data est, nec tam longo tempore in tam fœlici statu remanent. Hinc Deus abscondit & celat faciem suam ab eis, propter omnia mala quæ egerunt, itaut dicere possint: *Verè quia non est Deus mecum inue-*

Digitized by Google

nerunt me hæc mala. Deuter. 31. En alia semihora in quâ fit silentium: Quis enim hominum scire poterit num Deus moturus sit candelabrum, & in aliam gentem meliorem transmigraturus? Num auferat regnum Dei ex gente illâ, vt alteri det facienti fructus eius? Num denuò per pœnitentiam Spiritum sanctum innouet, in visceribus eorum, qui eum dereliquerunt? Num erroribus decepti, tandem in malis obdurati miserè perituri sint? Mirum certè de his in Ecclesia silentium. Parat tamen Deus quædam auxilia, seu remedia, vt his malis occurrat.

Vultis enim percipere quibus modis Deus à nobis mala auertere, & nostris infirmitatibus mederi conetur? En mecum perpendite tria efficacissima remedia. Primum quia antequam ad inflictionem pœnarum, & gratiarum subtractionem deueniat, semper paratos habuit Angelos bonos, qui suis inspirationibus fertilissimis; & Pastores ac concionatores feruentissimos, qui prædicationibus suis homines tum minis, tum promissis, tum operibus mirandis conati sunt à peccatorum perpetratione dimouere. Hinc vidi septem Angelos stantes in conspectu Dei, quibus datæ sunt septem tubæ. Secundum, quia data est Ecclesiæ potestas, Deum per sacrificia corporis Christi in memoriam passionis suæ, & per orationes ad hoc institutas placandi, & remedia conuenientia ab eo impetrandi; & magnificis promissis Christus Dominus se obstrinxit quod quodcumq; petierimus Patrem in nomine ipsius daturus est nobis: cuius potestatis, liberè & cum fiducia accedendi ad Deum per sacrificia & orationes, symbolum expressissimum mihi demonstrauit.

Tertium, quia per misericordiam suam instituere voluit Sacramentum quoddam, quo infirmitati nostræ succurrat in extremo vitæ articulo, in quo quàm efficax sit Ecclesiæ oratio planè percipitur. Cuius quidem potestatis liberè & cum fiducia accendi ad Deum per sacrificia & orationes symbolum mihi expressissimum demonstrauit, itaut dicere valeamus: Verè Dominus dixit mihi, *non te deseram neque derelinquam.* Verè ad eum dicere valeamus: *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.* Verè fiduciam habere debemus, in introitu sanctorum in sanguine Christi, & accedere ad Deum possumus cum vero corde in plenitudine fidei. Iustè Deus seuerè castigabit peccatores, qui tot auxiliis freti, tot beneficiis præuenti, tot remediis adiuti in peccatis perseuerant, auxilia rejicientes, beneficia contemnentes, remedia respicentes: Ecce enim *alius Angelus venit & stetit ante altare, habens thuribulum aureum, quod est* ante Thronum Dei: & ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum. Ecce potestas accedendi ad Deum, per sacrificia & orationes, optimè adumbrata.

Septem igitur Angeli apparuerunt, quibus datæ sunt septem tubæ, per quos & Angeli Custodes & Episcopi designantur: quibus dantur tubæ, quia ex summâ Dei prouidentia in Ecclesiâ plurimi reperiuntur, qui bonorum Angelorum inspirationibus obedientes, Episcoporum possunt esse coadiutores & cooperatores in prædicatione Euangelij: qui proinde Pontificiâ auctoritate freti, per totam Ecclesiam valeant homines à malis deterrere, & ad bonum promouere. *Et alius Angelus venit*, alius, inquam, quia diuisiones sunt gratiarum. Alia enim est potestas prædicandi Euangelium, aliud sacerdotum munus in sacrificiis & administratione Sacramentorum. Stat ante altare, cum vel sacrificio incumbit, vel orationi, in memoriam reuocans illud cruentum super altare crucis oblatum. Habet thuribulum, aureum, symbolum potestatis quam accepit offerendi corpus & sanguinem Christi, cuius oblatione omnia nobis ad salutem necessaria impetrantur, quin & potestatem administrandi Sacramentum vnctionis, quod quidem cum formâ deprecatoriâ adimpletur. Dantur illi incensa multa, nempe infinita Christi merita, in quorum virtute offerat omnes orationes sanctorum, de quibus fit commemoratio, siue in celebratione Missæ, siue quorum patrocinium imploratur, dum Sacramentum vnctionis infirmis confertur. Has orationes offert super altare aureum quod est ante Thronum Dei, cum in Missæ sacrificio ait: *Supplices te rogamus ac petimus omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus sanctis Angeli tui in sublime altare tuum, &c.* Vel cum orat & preces fundit tanquam minister Ecclesiæ in nomine Christi. *Ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum, de manu Angeli coram Deo*; In quo clarè perspicitur valor sacrificij, & orationis institutæ à Deo, nempe quod à Deo acceptatur sacrificium & exauditur oratio.

sanctorum omnium super altare aureũ quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo.

Et accepit Angelus thuribulum & implenit illud de igne altaris & misit in terram & facta sunt tonitrua, & voces & fulgura, & terra motus magnus.

Tali igitur potestate præditus Sacerdos Christianus, impetrat à Deo effectus illius summæ charitatis quâ Deus dilexit homines, cum propter nimiam charitatem suam, filium suum voluit in cruce offerri. Vnde *facta sunt tonitrua*, quia multi terrore iudiciorum Dei voluerunt homines à malis auertere; *Et voces*, quia veniam & misericordiam promittendo, voluerunt ipsos ad bonum allicere; *Et fulgura*, quia plurimi mirandis & heroicis operibus, imo & miraculosis, fidem suis minis ac promissis dedere; *Et terræ motus magnus*, siue quia fuit maxima in bonum per pœnitentiam, vel in malum per obstinationem, rerum mutatio. Hæc autem facta sunt, quia *septem Angeli qui habebant septem tubas, se præparauerunt vt tuba canerent*, & talia auribus fidelium inculcarent: Ne quæso, ô mortales, ne ô Charissimi fratres, ita sitis vecordes, vt gratiæ Dei obliti ad tanta scelera perpetranda properetis. Ne adeo sitis concupiscentes bonorum huius mundi. Mundus enim transit & concupiscentia eius; alioquin Deus à vobis auferet robur panis, & vocabit famem super terram, vt ab ea consumamini, sicut per Prophetam minitatur. Psa. 104. *Et vocauit famem super terram, & omne firmamentum panis contriuit.* Ne sitis gloriæ cupidi, & vanitatis amatores per superbiam vitæ, alioquin conteret vos belliis & dissensionibus continuis. *Tradet vos Dominus corruentes ante hostes vestros, per vnam viam egrediemini contra eos, & per septem fugietis:* opprimemini violentiâ & non erit qui liberet vos, ponet iugum ferreum super ceruicem vestram, donec vos conterat. Vox belli in tertâ, & contritio magna: succendet ignem in vrbibus vestris, & deuorabit omnia in circuitu earum. *Vnde autem bella & lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris?* Ne igitur post concupiscentias carnis iueritis. Alioquin tradent vos inimicis vestris, alioquin adaugebit vobis Dominus pestilentiam donec consumet vos de terrâ, & percutiat vos egestate, febri, frigore, ardore, æstu & aëre corrupto & rubigine, & persequetur vos donec pereatis. Sed cur tanta in vobis est vestræ salutis obliuio ac neglectus? Discite benefacere: *Ambulate dum lumen habetis, ne tenebræ vos comprehendant:* alioquin certè in densissimas tenebras incidetis: palpabitis sicut cœci parietem, & quasi absque oculis attrectabitis: impingetis meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui.

Et septem Angeli qui habebant tubas præparauerunt se vt tuba canerent.

Deuteron. 28.

Isa. 59.

Hæc sunt de quibus seriò admonentur homines à quatuor primis Angelis, cum tubâ clanxerunt: quas quidem comminationes ad clangorem vniuscuiusque tubæ vidi adumbratas, sub quibusdam symbolis. Nam statim atque cecinit tubâ primus An-

TEXTVS.

Et alius Angelus venit & stetit ante altare habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa vt daret de orationibus

Digitized by Google

TEXTVS. *Et primus Angelus tubâ cecinit, & facta eſt grando & ignis miſta in ſanguine, & miſſum eſt in terram, & tertia pars terræ combuſta eſt, & tertia pars arborum concremata eſt, & omne fœnum viride combuſtum eſt.*

gelus, *Facta eſt grando & ignis mixta in ſanguine, & miſſum eſt in terram: & tertia pars terræ combuſta eſt, & tertia pars arborum concremata eſt, & omne fœnum viride combuſtum eſt*; id eſt, ſi terra fertilitate luxuriet, grandine cuncta vaſtabuntur, vel ſiccitate & ardore ſterilitas inducetur: Quæ duo cum hoſtili depopulatione coniuncta crudelem famem in orbem immittent, vel enim frugibus, iam ad maturitatem properantibus, grādinis plagā fruges & arbores feriuntur, vnde rerum omnium penuria exoritur, vel ſiccitate nimiā exuſta terra ingrata cultoribus exiſtit, vel tandem hoſtibus cuncta diripientur, inopiā rerum, fame, cuncti laborant: & ſic tertia pars terræ combuſta eſt, & tertia pars arborum concremata eſt: quia & boni & mali pari plagā concutiuntur, quidam ad maiora ſupplicia toleranda reſeruantur obſtinatiores effecti; alij ad pœnitentiam recurrunt, & de tantis malis fructum & emolumentum reportant, ab omnibus tamen ſpes euadendi & ſolamen temporale videtur auferri. Tanta enim erit calamitas, vt ferè tertia pars hominum enecetur.

Et ſecundus Angelus tubâ cecinit, & tanquam mons magnus igne ardens miſſus eſt in mare: & facta eſt tertia pars maris ſanguis, & mortua eſt tertia pars creaturæ eorum quæ habebant animas in mari, & tertia pars nauium interiit.

Deinde intellexi quod grauiori ſupplicio Deus peccata hominum eſſet aliquando profecuturus: *ſecundus*, nempe *Angelus tubâ cecinit, & tanquam mons magnus igne ardens miſſus eſt in mare: & facta eſt tertia pars maris ſanguis, & mortua eſt tertia pars creaturæ, eorum quæ habebant animas in mari, & tertia pars nauium interiit.* Poſtquam enim Deus per Angelos ſuos homines retrahere voluit ab amore ſæculi, eorum pertinaciā offenſus, bellis & mutuis conciſionibus eos interire permittit. Mare eſt ſæculum: mons magnus igne ardens aliquas præpotentes ira vel ambitionem impellens: mittitur in mare, cum bella cunctis indicit. Hinc homines nihil niſi cædes meditantur: hinc eorum qui animas habent in mari, id eſt, qui ſtatuerunt cor ſuum declinare in terram, nimiis honorum & opum affectibus implicati moriuntur & gladiis occumbunt, & tertia pars nauium interiit: quia ſi aliqui gladiū & mortem euadere poſſunt, non habent amplius quo commodè vitam tranſigere valeant omnibus bonis ac rebus ſuis ſpoliati, è patriā, ex vrbibus, è prædiis ſuis electi: & ſic ſi deſiderium pacis in aliquibus remaneat, alia pars hominum ſanguinem ſitiunt; Si qui ſunt victores, ſi qui effugiunt, alij miſerè occumbunt; ſi qui per mortem à ſæculi malis eruuntur, ſi quibuſdam aliquod vitæ ſolatium relinquitur, aliis rebus omnibus ſpoliantur.

Et tertius Angelus tuba cecinit, & cecidit de cælo ſtella magna ardens tanquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum & in fontes aquarum, & nomen ſtellæ dicitur abſynthium: & facta eſt tertia pars aquarum in abſynthium & multi hominum mortui ſunt de aquis quia amatæ facta ſunt.

Sed quis nouit poteſtatem iræ tuæ, & præ furore tuo iram tuam dinumerare? Ecce enim audio tertium Angelum tubā clangentem, & hominum corda à voluptatibus carnis abſtrahere deſiderantem. Sed proh dolor! hominum indurata mens exigit vt Deus aliā plagā eos percutiat. Nam *cecidit de cælo ſtella magna ardens tanquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum & in fontes aquarum: & nomen ſtellæ dicitur abſynthium. Et facta eſt tertia pars aquarum in abſynthium, & multi hominum mortui ſunt de aquis, quia amatæ facta ſunt.* Deus ſiquidem qui omnia moderatur, curſus cœlorum & conſtellationum motus, & ſyderum influxus ita præclarè accommodat cum ſerie eorum, quæ in decurſu vitæ hominum peraguntur, vt ſi quæ ſit in talibus aſtrorum coniunctionibus, oppoſitionibus, irradiationibus malignitas, hæc tota influat cum eos à ſceleribus ſuis punire intendit: ita adaptat cauſarum ſecundarum productiones ſuis determinationibus, vt ſi quæ exhalationes calidæ, ſiccæ, vnctuoſæ, ex calore ſolis excitantur, & in aëris regione euehantur, quæ aut ex repercuſſione radiorum ſolis, aut decidentibus ab elementari igne flammulis, aut vibrato ab inferiori nube ſurſum verſus fulmine, ignem concipiat; & aduenientibus continuò nouis exhalationibus diu nutriatur, & non ſolum ad portendendos morbos, & peſtes calamitoſas inſeruiant, ſed aliquomodo etiam ad eas efficiendas concurrant, æſtu & ardore intempeſtiuo inficientes aërem. Sic enim aliquando fiunt *immiſſiones per Angelos malos*, quorum effectus deploratiſſimi hic deſcribuntur. Cadit de cœlo ſtella ardens tanquam facula, nempe influxus malignus, qui ſpiritus & humores corporum ita inficiat, & omnes facultates vitales & animales adeo perturbat, vt mors certa & ineuitabilis eueniat. Hinc talis cœlorum diſpoſitio, talis cometa abſynthium vocatur, ob amaritudinem quam cordibus ingerit: amarè enim homines ab inuicem ſeparantur, & morte occumbunt. *Et facta eſt tertia pars aquarum in abſynthium, & multi hominum mortui ſunt de aquis, quia amatæ facta ſunt*: Adeo peſtis graſſatur, vt ſi aliqui ſani & incolumes remanent inter ægrotos degentes, ſi qui fugā opportunā periculum euaſerunt, multi tamen ex aëris corruptione è medio tolluntur. Vocatur tamen non immeritò abſynthium. Nam ſicuti abſynthij ſuccus capiti & ſtomacho nocet ſi crudus, ita ſalutaris eſt ſi decoctus ſumatur: ita hic morbus ad ſalutem proficiet iis qui ſe à Deo corripi animaduerterint, & in perniciem cedet iis qui talia mala ſolùm tanquam nociua, & vicio temporali noxia, vlteriùs non progredientes, exiſtimauerunt.

Et quartus Angelus tubâ cecinit & percuſſa eſt tertia pars ſolis & tertia pars ſtellarū, vt obſcuraretur tertia pars eorum & dies non luceret pars tertia & noctis ſimiliter.

Hinc enim in cœcitatem mentis, & iudiciorum Dei profundam ignorantiam incident: quod quidem perſpexi cum quartus Angelus tuba cecinit, & hominum negligentiam redarguere voluit: qui de iis quæ à Dei prouidentia diſponuntur, vt eos à malis auertat, nullam percipiunt vtilitatem, omnia naturæ ac cauſis ſecundis tribuentes: ſtatim enim atque de tali negligentia admoniti, nihilominum in malitia perſeueraturnt, hæc ab eis auxilia gratiæ ſubtrahuntur. Hinc *percuſſa eſt tertia pars ſolis, & tertia pars lunæ, & tertia pars ſtellarum, vt obſcuraretur tertia pars eorum, & dies non luceret tertia pars, & noctis ſimiliter.* Nam cum tria de Deo homines potiſſimùm credere debeant, nempe quod ſit vnus Deus, vnus in naturā, Trinus in perſonis; Secundò quod ſit omnium rerum creator & auctor; Tertium quod ſuauiſſimè ab eo omnia diſponuntur, vt tandem bonorum & malorum ſit æquiſſimus Retributor; At illi ne à ſuis retrahantur voluptatibus, de hoc vltimo cogitare nequeunt. Auferuntur enim iudicia Dei ab oculis eorum, propter quod irritat impius Deum: *Dixit enim in corde ſuo non requiret.* Tria de Chriſto credere debemus, quod ſit Filius Dei, Patri æqualis; quod miſſus ſit in terram hominum Redemptor; quod conſtitutus ſit iudex viuorum & mortuorum: At hanc Chriſti fidem abnegant, & dicunt: *Vbi eſt promiſſio, aut aduentus eius? Ex quo enim Patres dormierunt, omnia ſic perſeuerant ab initio Creaturæ.* 2. Pet. 3. Tria de Eccleſiā etiam credenda, nempe quod ſit à Deo ad regnum Cœlorum vocata; ſecundò, quod à Spiritu ſancto, de omni veritate ad ſalutem neceſſaria edoceatur & ſit Sacramentorum à Deo inſtitutorum optima diſpenſatrix; tertiò quod ei ſubiacere debeamus. At tanta eſt humani cordis ſuperbia, vt dicat: *Labia noſtra à nobis ſunt: quia noſter Dominus eſt?* Quicquid libuerit faciemus. Tria de ſanctis, qui tanquam ſtellæ fulgent in perpetuas æternitates, credere debemus; quod ſint à Deo electi, & in charitate deceſſerunt è vitā, quod eos licitè tanquam Dei amicos inuocare & honorare debeamus, quod eorum veſtigiis inhærere debemus, ſi ad vitam cum ipſis peruenire voluerimus: exemplum enim accipere debemus exitus mali, laboris & patientiæ eorum; qui locuti ſunt in nomine Domini, Iacob. 5. At ſtupendus om-

Digitized by Google

nis actionis bonæ in omnibus contemptus, sola viget prudentia carnis, terrestris, animalis, diabolica, ex quâ omnis inconstantia & omne opus prauum: & siue hi infœlices homunciones rebus secundis gaudeant, siue aduersis deprimantur, nec Deo gratias agunt, nec eius iudicia timent, nec se Christi sanguine redempros sentiunt: nec eius distinctum examen in iudicio reformidant, nec Sacramenta Ecclesiæ frequentant, nec legibus eius obtemperant, nec sanctos Dei inuocant, nec de eorum imitatione sunt solliciti: vnde necesse est vt in grauiora & formidabiliora mala corruant: Vnde *vidi & audiui vocem vnius aquilæ volantis per medium cæli, dicentis voce magnâ: Va, va, va habitantibus in terrâ, de cæteris vocibus trium Angelorum qui erant tubâ canituri.* Verè enim A quæ sunt dicta formidanda sunt, sed quæ postea euentura, quantùm sunt hominibus pertimescenda, vt potè quæ ad certam salutis perniciem incautos perducunt? Hæc autem mala præuidet tum qui sapientiâ diuinâ est præditus, & in continuâ Dei contemplatione à rebus & affectibus terrenis libere fixus perseuerat; tum qui altius in Ecclesiâ præsidet: qui quidem vt ignorantiæ Ecclesiasticorum, qui per solem designantur; Magistratuum, qui per lunam adumbrantur; & cæterorum fidelium, qui per stellas significantur, subueniat, aliquos mittit suâ auctoritate fretos, qui per medium Ecclesiæ discurrentes, de imminentibus salutis periculis fideles admoneant, & quam timenda sint Dei iudicia eorum animis inculcare studeant.

dicentis voce magna: Va, va, va habitantibus in terra de cæteris vocibus trium Angelorum qui erant tuba canituri.

Textvs. *Et vidi & audiui vocem vnius aquilæ volantis per medium cæli,*

IN CAPVT OCTAVVM

Præfatio.

CVM in capite septimo actum fuerit de iis, qui apertè ab Ecclesia militante prædicantur sancti, & à pœnis quibus peccatores puniuntur immunes, imo beatitudine fruentes, quod in eis manifesta appareant indicia sanctitatis, & signa prædestinationis; tum etiam actum fuerit de iis, de quorum salute optima spes concipi possit, quique certitudine quadam morali, ac pia fide dici possunt diuinæ misericordiæ participes, quia tamen Deus ita gratiâ effundit, vt nihilominus multi eam non recipiant, multi post illius receptionem illa priuati merentur, quia in eis vacua & sine fructu existit, quia spiritui gratiæ contumeliam faciunt, & sanguinem testamenti pollutum ducunt, & pedibus eum conculcare videntur; Tandem S. Ioannes transit tum ad ea media explicanda, quibus Deus vtitur, ne ob hominum scelera tam cito fidei candelabrum amoueatur, & regnum Dei auferatur ab eis, sicut peccata eorum postulare & exigere viderentur; tum ad ea aperienda, quibus tandem alios ad meliorem frugem reducere, alios punire & castigare, scilicet in malum obduratos, prætendit.

Media quibus eius ira auertitur & mitigatur sunt verbi prædicatio, sacrificium Eucharistiæ, & oratio, cuius vis potissimum elucet in administratione Sacramenti Extremæ-vnctionis. Media autem quibus vel homines cohibere & retrahere conatur à peccandi libidine, aut obstinatos in malo punit, in hoc capite proponuntur: fames, bellum, pestis, mentis à peccatis obcœcatæ ignorantia & cœcitas. Igitur vt ista meliùs intelligantur, plura nobis veniunt discutienda. Primum, cur apertio septimi sigilli vsque ad hoc caput octauum dilata fuerit. Secundum, quodnam mysterium sub hoc sigillo recondatur, quod in eius apertione manifestari debeat, nempe quanta & quàm iusta sit Dei seueritas in puniendis & castigandis hominum delictis. Tertium, ad quantam malitiam hominum perueniat iniquitas, antequam eam Deus suppliciis ac pœnis seuere prosequatur. Quartum, tempus à Deo concedi hominibus, vt ad pœnitentiam redeant, antequam Deus immittat supplicia: quod per mediam horam designatur. Quintum, excellentiam & altitudinem huius mysterij dignosci ex efficacia remediorum, quibus Deus vtitur, vt peccatis hominum medeatur, eorumque malitiæ occurrat. Sextum, hæc remedia ad tria potissimum reducenda esse, ad verbi prædicationem, qua homines à malis & peccatis auertuntur per comminationem suppliciorum. Secundò: ad sacrificium & oblationes, quibus Deum placare conamur; Tertium ad imitationem diuinæ misericordiæ per orationem. Septimum, his omnibus neglectis, iustè Deum homines pœnis ac suppliciis afficere. Octauum, quænam supplicia Deus exigere soleat ab hominibus, quorum quatuor genera in hoc capite sub certis symbolis significantur.

B

C

D

Et cum aperuisset sigillum septimum.

Qua de causa sanctus Ioannes reserationem septimi sigilli vsque ad octauum hoc caput distulerit.

ANNOTAT. I.

CVM sub hoc sigillo agatur de Sacramento Extremæ-vnctionis, & de Missæ sacrificio; & posteà de suppliciis infligendis iis qui gratiam Dei neglexerunt agendum sit, vt videbimus, manifesta huiusce dilationis occasio assignari potest, primò ex parte Sacramenti Extremæ-vnctionis, si naturam & finem institutionis eius obseruemus. Institutum est enim, vt videbimus, in remedium imbecillitatis seu infirmitatis ex peccato nascentis: nam sicut baptismus regeneratio est quædam spiritualis, Pœnitentiæ Sacramentum resurrectio quædam est spiritualis, ita Sacramentum Extremæ-vnctionis est quædam medela spiritualis, quæ vitam spiritualem præsupponit in eo qui infirmatur, & qui eo remedio indiget. Ad infirmitatem igitur curandam, non ad vitam spiritualem conferendam de se ordinatur. Non ordinatur contra defectus, quibus vita spiritualis amittitur, nempe peccatum originale, aut mortale, sed contra quosdam defectus, quibus aliquis infirmitatem spiritualem contrahit, itaut ad actus vitæ tum gratiæ tum gloriæ eliciendos, necessarium vigorem non habeat. Ex peccato nempe originali aut actuali, debilitas quædam & inhabilitas relinquitur, qua inhabiles reddimur ad tales actus; contra quos defectus homo corroboratur per hoc Sacramentum. Sed quia tale robur prouenire debet à gratia, cuius est animo fortitudinem ingerere; & gratia talis sit naturæ, vt cum peccato consistere nequeat, hinc per accidens peccatum excluditur, adueniente gratia speciali, quæ per hoc Sacramentum

Digitized by Google

onfertur, modò ex parte illud ſuſcipientis non po- A natur obex. Obice igitur ſublato, licèt ad peccatorum remiſſionem per ſe non ordinetur, ſi peccatum mortale aut veniale in ſuſcipiente reperiantur, auferuntur & delentur, ſicut delentur peccata per Sacramenta ſiue Euchariſtiæ, ſiue Confirmationis, etiam quoad culpam. Vnde S. Iacobus conditionaliter tantùm eſt locutus, cum ait: *Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei.*

Cum igitur hoc Sacramentum ex ſua inſtitutione ordinetur ad auferendas reliquias peccatorum, de eo tractari non debuit niſi poſtquam diffusè vis & efficacia gratiæ fuit explicata, in iis qui ipſum ſecundum ſuam amplitudinem & plenitudinem ſuſcipiunt, ac ſi tacitè S. Ioannes diceret: Omnibus gra- B tia offertur: quamplurimi eam recipiunt, ſed pauci ſunt, qui tanto ditati munere fructum afferant in patientia, & ea vt par eſt vtantur. Nam multi ſunt, licèt ſaluentur in fine, in quibus præclaros effectus de quibus diſſeruimus non obtinet, in eo potiſſimum gradu excellentiæ quem deſcripſimus. At huic defectui occurrit diuina bonitas, dum ſuppeditat Sacramentum quoddam ad hoc inſtitutum, vt ſuppleantur hi defectus, quos illi contraxerunt in quibus præcedentia Sacramenta plenum non obtinuerunt effectum: licèt enim per illa Sacramenta omnia peccata fuerint remiſſa & plane deleta, nihilominus vigor per peccatum amiſſus non fuit reſtitutus: gratia enim, quæ per Sacramenta infunditur, C pro diuerſitate diſpoſitionum eorum qui eam ſuſcipiunt ad modum ſuſcipientium recipitur, plus aut minus, iuxta eorum præparationem & diſpoſitionem: quæ diuerſitas animaduertitur in modo quo Deus Magdalenæ peccata dimiſit, ei ſiquidem dimiſſa fuere ratione ingentis dilectionis, abſolutè, abſque aliqua iniunctione operis in ſatisfactionem præcedentium culparum præſcripti aut impoſiti; & in modo quo paralytico peccata dimiſit: huic enim iniunctum fuit vt tolleret grabatum ſuum, quaſi in ſatisfactionem offenſarum. Oportuit igitur Sacramentum inſtituere quod eiuſmodi debilitatem tolleret, vigorem reſtitueret, defectus ſuppleret; de quo agi non debuit antequam plena vis & efficacia D gratiæ, in iis qui ei fideliter cooperantur, fuiſſet explicata, vt explicata fuit in ſeptimo capite præcedenti. Deinde cum Sacramentum Extremæ-vnctionis non ſit abſolutæ neceſſitatis, plurimique poſſint recipere gratiam finalem ac donum perſeuerantiæ, abſque receptione huius Sacramenti, vt euenit in his qui eo omiſſo è vita decedunt, potuit S. Ioannes agere de gratia finali & dono perſeuerantiæ, antequam huius Sacramenti faceret mentionem.

Secundò huius dilationis rationem reddere poſſumus ex parte Sacrificij Miſſæ, de quo in hoc capite fit mentio ordine debito: nam cum inſtitutum E ſit, vt per illud Deo pro beneficiis acceptis dignas exhibeamus gratiarum actiones, poſtquam beneficia diuina expoſita fuerunt, qualia ſunt Eccleſiæ fundatio, illius illuminatio, eiuſdem ſanctificatio, à malis præſeruatio, & tandem felix ipſius conſummatio per perſeuerantiæ donum, rectè S. Ioannes tranſit ad explicandum modum quo Deo gratias agimus pro exhibitione tot tantorumque beneficiorum. Deinde cum alia Sacramenta vim & efficaciam ſuam habeant ex paſſione & morte Chriſti Domini; Miſſæ autem Sacrificium ſit memoria paſſionis illius, optimo ordine vſus eſt S. Ioannes, cum agit de Miſſæ Sacrificio poſtquam egit de effectibus Sacramentorum, quaſi deſiderans nos in memoriam reuocare ex quo fonte hauriant tantam vim, & efficaciam. Denique cum debeat exponere quaſnam pœnas Deus exigere intendit ab iis qui A gratiæ fideliter non cooperantur, aut illam reſpuunt, Miſſæ autem Sacrificium ſit, vt videbimus, propriè impetratorium, meritò de eo hîc agitur, quaſi nos admoneat S. Ioannes ad illud Sacrificium nobis eſſe recurrendum, vt donum perſeuerantiæ impetremus, vt Deus defectus noſtros benignè ſuppleat, etſi quædam ſupplicia parata habeat quibus noſtram caſtigare velit ingratitudinem, ea auertere à nobis dignetur per mortem & paſſionem Chriſti. Si autem horum ſuppliciorum rationem habeamus, de ſuppliciis agere non debuit S. Ioannes, antequam plene expoſuiſſet qua ratione quidam præſeruarentur ab iiſdem ſuppliciis, infligendis iis qui gratiam neglexerunt, quorum in malum obduratio ſub ſigillo ſexto, vt vidimus, fuerat depicta. Ex his igitur videtur qua de cauſa apertio ſeptimi ſigilli vſque ad hoc caput octauum dilata fuerit.

Quale Myſterium manifeſtatur in apertione huius ſigilli; nempe quanta & quàm iuſta ſit Dei ſeueritas in puniendis & caſtigandis hominum delictis.

ANNOTAT. II.

SI naturam Sacramenti Extremæ-vnctionis perſpectam habuerimus, ſi bona ac beneficia quæ nobis per Sacrificium Miſſæ donantur plene nouerimus, ſi Dei patientiam & longanimitatem, vt par eſt, attentè conſiderauerimus, qui comminationibus vtitur antequam infligat ſupplicia; ſi quanta dilectionis indicia & ſigna exhibeat erga electos ſemel in memoriam reuocauerimus, iuſtas ei laudes eſſe perſoluendas fatebimur ob æquitatem illius ſeueritatis, qua erga electos & reprobos vtitur, illos pœnis temporalibus plectendo. Ex tanta enim clementia, ex tot beneficiis, ex tanta patientia, ex tanta dilectione, ſi negligatur clementia, ſi beneficia contemnantur, ſi patientia abutuntur mortales, ſi dilectioni non cooperantur, poterimus conjicere, D non mirum eſſe, ſi Deus ad benefaciendum paratiſſimus, parata etiam habeat ſupplicia, quibus alios probare, alios punire intendat.

Myſterium igitur ſub hoc ſigillo reconditum, quod quidem reſeratur poſtquam ea omnia, quæ ſub hoc ſigillo continentur, optimè fuerunt perſpecta, eſt abyſſus iudiciorum quæ Deus exercet ſuper homines; ſiue quia nullam relinquit culpam abſque punitione, ſed inflexibili ſeueritate minimas etiam culpas pœnis temporalibus caſtigat, nec electos ſuos ab hac ſeueritate eximit, vt videre eſt in Dauide; ſiue quia permittit electos ſuos iiſdem miſeriis & calamitatibus ſubiacere, quibus reproborum audaciam retundere intendit; ſeu permittit eos afflictionibus vexari, quas immeritò & abſque culpa tolerare videntur, vt de Iob dicere poſſumus. Tandem cur Deus hominum amator permittat quoſdam in errorem induci, aut tantam incurrere mentis cæcitatem, vt in malo obdurentur, itaut exigant à ſeueritate diuina, vt non ſolum in hac vita temporaliter puniat illorum peccata, ſed etiam pœnis, ac ſuppliciis æternis ea proſequatur, vt de Saule timeri poteſt, & pro certo habetur factum fuiſſe in rebellibus Core, Dathan, & Abiron, & in Iuda proditore.

Primam circunſtantiam huius Myſterij ponderabat Iob. c. 13. *Quantas habeo iniquitates & peccata? Scelera mea, & delicta oſtende mihi. Cur faciem tuam abſcondis & arbitraris me inimicum tuum? Contra folium quod vento rapitur oſtendis potentiam tuam & ſtipulam ſiccam perſequeris, & conſumere me vis peccatis adoleſ-*

Digitized by Google

centiæ meæ. &c. 14. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis: qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Et dignum ducis ſuper huiuſcemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in iudicium. Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nonne tu qui ſolus es?* Ac ſi diceret: Hoc tuum opus, præpotens Domine & iudex tremende, homines à peccato puros & immunes reddere: & cum hoc fieri non poſſit abſque ſpeciali auxilio, nonne grande myſterium eſt, quod cum propriùſit hominis in peccatum labi, cum ſit in peccatis conceptus & natus, fragilitate animi & corporis circumueſtitus, nihilominus tanta ſeueritate cum eo agas, vt rationem reddere cogatur de minuſcula actione, de verbo otioſo, nec ei aliquam remittas culpam, quin antea citò vel tardè tandem delicti ſubeat pœnam. O ſanctitatis & puritatis abyſſus! qui ſanctitatem & puritatem requiris in his etiam qui à ſanctitate tam longe abſunt. *Homo*, inquit S. Bernardus l. 3. de conſiderat. *natus de muliere, & ob hoc cum reatu; breui viuens tempore, ideoque cum metu, repletur multis miſeriis, & propterea cum fletu: & verè multis quia corporis & animæ ſimul. Quid enim calamitate vacat naſcentis in peccato, fragili corpore & mente ſterili? Verè ergo repletur, cui infirmitas corporis & fatuitas cordis cumulatur traduce ſordis, mortis addictione.* Ita S. Bernard. Et tamen Deus horum omnium rationem non habens, cum eo iudicio vult contendere, illius culpas etiam minimas vult pœnis caſtigare. Honorem homini deferri ex hoc conjicit S. Chryſoſto. in Pſal. 48. dignitatem hominis expendens: *Propter ipſum lex, propter ipſum paradiſus, propter ipſum inundatio. Nam hoc ipſum maximum genus honoris, eum & beneficiis & pœnis corrigere. Propter ipſum quoque futurum iudicium ſit, propter eius honorem, quocirca Iob quoque dicit: Quid eſt homo, quod duxiſti eum in iudicium?* &c. Ita Chryſoſt. Verè tamen miſerabilis conditio, vt ait S. Ambroſ. l. 1. de interpellatione Iob. c. 7. *vt homo peccati ſui, quod vitare non poſſit, rationem præſtare cogatur, intrare in conſpectu Domini, & iudicium ſubire omnipotentis; compellatur edere cauſas geſtorum ſuorum, quæ tot vitæ ſuæ ætatibus percurrerit, cum mundus à peccato quiuis eſſe non poſſit, vt ab ipſis cunabulis priùs obrepat infantiæ culpa, quàm ſit vllus ſenſus erroris; quamque illud miſerabile vt breuis ſit vita eius, dulcis illecebra, multiplex ærumna, iracundia quotidiana.* Ita Ambroſ.

Altera huius myſterij circumſtantia mentem ſapientiſſimi Regis agitabat, Eccl. 2. *Sapientis*, inquit, *oculi in capite eius, ſtultus in tenebris ambulat, & didici quod vnus vtriuſque eſſet interitus. Et dixi in corde meo: ſi vnus ſtulti & meus occaſus erit, quid mihi prodeſt quod maiorem ſapientiæ dedi operam? Locutuſque cum mente mea animaduerti quod hoc quoque eſſet vanitas. Non erit memoria ſapientis, ſimiliter vt ſtulti, in perpetuum, & futura tempora oblitione cuncta pariter operient. Moritur doctus, ſimiliter vt indoctus.* Ita Sap. Igitur ſi, vt ferunt Veneta, Syriaca, Arabica verſio apud Pinedam, *euentus vnus accidit aut euenit omnibus*, aut, *Et cognoui accidens vnum accidere omnibus*, aut, *quod vna inuentio, inuenit illos omnes*, aut vt vertit Hierony. in Comment. in Eccleſiaſt. *communis interitus, eadem plaga, eadem mors, pares angustiæ*, certè myſterium eſt videre iuſtos eamdem ſortem ſubire cum malis, nec facile illud iuſtè fieri percipiet, niſi qui fide imbutus ſcit de Deo in ſimplicitate cordis & bonitate eſſe ſentiendum, & cum Propheta Dauide expectandum donec intremus in ſanctuarium Dei, & intelligamus in nouiſſimis eorum. Nouiſſima quippe iuſtorum & impiorum manifeſtabunt magnam eſſe inter vtroſque differentiam. Audiamus igitur S. Hieronymum, Eccleſiaſtes verba ritè interpretantem:

Qui in perfectum virum peruenerit, & meruerit vt capiat ipſius Chriſtus ſit, oculos ſuos ſemper habebit ad Chriſtum, & eos in ſublime eleuans nunquam de inferioribus cogitabit. Cum hæc ſe ita habeant, & inter ſapientem, & ſtultum tanta diſtantia ſit, quod alter diei, alter tenebris comparetur, ille oculos ad cælum leuet, iſte in terram deprimat, repente mihi cogitatio iſta ſubrepſit: Quare ſapiens & ſtultus communi finirentur interitu? Cur eadem plaga, idem euentus, eadem mors, pares vtrumque angustiæ premunt? Dixi: ſapiẽs & ſtultus, iuſtus & impius æquali ſorte moriẽtur, & omnia in hoc ſeculo mala euentu ſimili ſuſtinebunt. Quid ergo mihi prodeſt quod ſecutus ſum ſapientiam, & plus cæteris laboraui? Rurſus cogitans, & diligenter mecum mente pertractans, ſententiam meam vanum eſſe deprehendi. Non enim ſimiliter ſapiens, & inſipiens habebuntur in futuro memoriam, quando conſummatio veniet vniuerſitatis; & nequaquam pari exitu tenebuntur, quia hic ad refrigeria, ille perget ad pœnam. Ita Hierony.

Quantum ad aliam circumſtantiam huius myſterij, nempe quod Deus ſæpiſſimè iuſtos afflictionibus exagitat, quas mereri non videntur, Iob in cap. 23. totus eſt in ſpeculatione huius myſterij, dum probare conatur ſe non puniri propter peccata, Deumque in operibus prouidentiæ eſſe incomprehenſibilem, omniaque pro libito, vt nobis videtur, quamuis ex ſumma ſapientia rationabiliter omnia moderetur, abſque vlla iniuſtitiæ ſpecie peragere. *A mandatis*, inquit, *labiorum eius non receſſi, & in ſinu meo abſcondi verba oris eius: ipſe enim ſolus eſt, & nemo auertere poteſt cogitationem eius, & anima eius quodcumque voluit hoc fecit: cum expleuerit in me voluntatem ſuam, & alia multa ſimilia præſtò ſunt ei: & idcirco à facie eius turbatus ſum, & conſiderans eum timore ſollicitor.*

Quantum ad vltimam circumſtantiam, magnitudo huius myſterij videri poteſt ex iis quæ docet S. Paulus c. 1. Epiſtol. ad Romanos, & cap. 9. & 11. & tandem exclamat, huius myſterij altitudinem minimè comprehendens: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! Quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!* Hoc admirabile myſterium mihi videtur ſub hoc ſigillo abſconditum, quod quidem perſpicietur, ſi ſemel nouerimus diuinam prouidentiam medium efficaciſſimum ſuppeditaſſe hominibus, vt illorum mederetur infirmitatibus, nempe Extremæ vnctionis Sacramentum; potentiſſimum etiam præſtitiſſe auxilium vt tentationibus reſiſtere valeamus & afflictiones tolerare, nempe Miſſæ ſacrificium; quod cum fecerit, quis non fatebitur ſi his mediis homines abutantur, ſi dum Deus omnia præſtat & ſuppeditat per quæ homines ad cælum peruenire poſſent, ipſi nullo cogente liberè ab eius obedientia ſe ſubtrahant, meritò eos à Deo deſeri, itaut in errorem, cæcitatem & obſtinationem incidant, propter quam iuſtè pœnis ac ſuppliciis temporalibus & æternis plectuntur: ſicque in hoc capite videbimus duo præcipuè, ſummam nempe Dei clementiam, cum ſuppeditat hominibus & remedia & auxilia opportuna; & iuſtam Dei ſeueritatem in puniendis hominum peccatis, propter contemptum gratiæ & remediorum & auxiliorum, pœnis & temporalibus & æternis.

Et cum

Digitized by Google

Et cum aperuisset sigillum septimum.

Quodnam sit illud sigillum, & quod sub isto sigillo agatur de Sacramento Extremæ-Vnctionis, de Missæ Sacrificio, ac suppliciis impiorum.

ANNOTAT. III.

De Sacramento Extremæ-Vnctionis. §. 1.

DVAS de sigillis attulimus interpretationes: Prima est, vt per sigilla Sacramenta intelligamus: Secunda est, vt sub his sigillis significentur quidam euentus, seu facta quædam insignia, ad Ecclesiæ vtilitatem, & gloriæ Christi manifestationem à diuina prouidentia ordinata. Si igitur de Sacramentis agamus, in septimo sigillo Sacramentum Extremæ-vnctionis intelligi dicimus, iuxta ordinem quem S. Ioannem obseruare diximus in designandis Sacramentis per septem sigilla, de quo ordine egimus in c.6. ann. 5. Clementissimus quippe Redemptor noster, *qui seruis suis quouis tempore*, vt sapientissimè ait Concilium Trid. sess. 14. c.9. *Voluit de salutaribus remediis aduersus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in aliis Sacramentis præparauit, quibus Christiani conseruare se integros, dum viuerent, ab omni grauiore spiritus incommodo possint, ita Extremæ-Vnctionis Sacramento finem vitæ, tanquam firmissimo quodam præsidio muniuit: nam etsi aduersarius noster occasiones quærat & captet per omnem vitam, vt deuorare animas nostras quoquo modo possit, nullum tamen tempus est in quo vehementius ille omnes versutiæ suæ neruos intendat ad perdendos nos penitus, & à fiducia etiam, si possit, diuinæ misericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ prospicit.* Ita Conc. Fuit igitur Christus in institutione huius Sacramenti, tanquam Dux sapientissimus, qui militibus suis remedia in infirmitate constitutis præparat; vel veluti ciuitatis alicuius fundator, qui de infirmis sicut de sanis curam gerit, vt nihil eorum quæ requiruntur ad commune bonum ciuitatis negligere dicatur. Huic autem Sacramento nullum in veteri lege respondere potuit Sacramentum: nam cum illud sit quædam immediata præparatio ad gloriam & ingressum ad cælum, pretio nondum soluto aditus in cælum patere non potuit: nullo proinde Sacramento pro tunc debebat hic aditus designari. In noua autem lege Euangelica, *Instituta est*, inquit sacrum Concilium Trident. *sacra hæc vnctio infirmorum, tanquam verè, & propriè Sacramentum noui Testamenti, à Christo Domino apud Marcum quidem insinuatum, per Iacobum autem Apostolum & Domini fratrem fidelibus commendatum & promulgatum. Infirmatur, inquit, quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei. Et vt ex Apostolicâ traditione per manus acceptâ Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum, & effectum huius salutaris Sacramenti. Intellexit enim Ecclesia materiam esse oleum ab Episcopo benedictum: nam vnctio aptissimè Spiritus sancti gratiam, quâ inuisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat: formam deinde esse illa verba: Per istam vnctionem, &c. Res porro & effectus huius Sacramenti illis verbis explicatur: Et oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit dimittentur ei. Res etenim hæc est gratia Spiritus sancti, cuius vnctio delicta si quæ sunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animum alleuiat & confirmat, magnam in eo diuinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublenatus, & morbi incommoda ac labores leuius ferat, & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistat, & sanitatem corporis interdum, vbi saluti animæ expedierit, consequitur. Tam verò quod attinet ad præscriptionem eorum qui & suscipere & ministrare debent hoc Sacramentum, haud obscure fuit illud etiam in verbis prædictis traditum: nam & ostenditur illic proprios huius Sacramenti ministros esse Ecclesiæ Presbyteros, quo nomine eo loco non ætate seniores aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes ab ipsis ritè ordinati per impositionem manuum Presbyterij. Declaratur etiam hanc vnctionem infirmis adhibendam illis verò præsertim, qui tam periculosè decumbunt, vt in exitu vitæ constituti videantur: vnde & Sacramentum exeuntium nuncupatur. Quod si infirmi post sumptam hanc vnctionem conualuerint, iterum huius Sacramenti præsidio iuuari poterunt, cum in aliud vitæ discrimen inciderint.* Hæc Conc. Trid. Habemus igitur ex Concilio Extremam-vnctionem Sacramentum esse à Christo institutum: nam si à Christo institutum non fuisset, nunquam S. Iacobus cum tanta fiducia, & certitudine absolute gratiam promisisset, sicut eam promittit iis qui symbolum gratiæ externum adhibent cum oratione fidei; nisi ipsi constaret de voluntate Christi, cuius solius est gratiam dare, cui placuit de tali remedio infirmitatibus nostris prouidere. Ad suauitatem enim diuinæ prouidentiæ spectat, vbi naturalia desunt remedia, supernaturalia suppeditare. Qui igitur custodit introitum & exitum nostrum, qui dexteram nostram tenet, vt in voluntate sua nos deducat, & dum renascimur in spiritu, & dum in via Dei progredimur, & dum tandem ad exitum properamus, vt æternitati viuere incipiamus, nobis pro temporis necessitate, opportuna, conuenientia præstat remedia: quæ tanto magis in exitu vitæ suppeditare debet, quòd inimicus salutis sciens quia modicum tempus habet, in maiorem & vehementiorem fertur rabiem; quòd animus mole corporea satis prægrauatus, adhuc maiora sentiat infirmitatis suæ incommoda & impedimenta, doloribus variis & anxietatibus oppressus. Extrema autem dicitur vnctio, quia tribus vicibus quilibet Christianus inungi debet, vt sanctitatem particularem obtineat; In Baptismo, in quo vngimur vt initium detur vitæ spirituali; In Confirmatione, vt ad luctam & pugnam præparemur, *militia* quippe *est vita hominis super terra*; In Extrema-vnctione, vt infirmatibus nostris succurratur.

De materia huius Sacramenti nihil occurrit aliud dicendum, quàm quod oleum oliuæ ab Episcopo absolutè benedici & consecrari debet, itaut hæc Episcopalis benedictio essentialis sit materia Sacramenti. Quantum ad formam: *Per istam vnctionem* &c. attende in ea explicati causa principalis, nempe diuina misericordia; instrumentalis, nempe sacta vnctio; effectus, nempe remissio peccatorum, ex qua aliquando sequitur sanitas coporea, cum saluti recipientis hoc conducit; nam ex perfecta remissione peccatorum sanitas datur, sicut ex peccatorum fece infirmitas exoritur. Hæc autem forma verbis deprecatoriis concipitur & absoluitur: nam cum hoc Sacramentum sit veluti quoddam Sacramenti Pœnitentiæ complementum, in quo iustitia & pax mutua sibi inuicem præstant oscula, ex eo quod ita peccata Pœnitentia ex misericordia condonet, vt ex iustitiâ satisfactiones & pœnas & culparum confessionem exigat; in Sacramento Extremæ-vnctionis sola elucet misericordia erga infirmos, itaut qui ex rigore iustitiæ veniret condemnandus, per diuinæ misericordiæ exuberantiam, in hoc Sacramento salutis remedium efficax inuenit præparatum, quo reliquiæ peccatorum, auferantur; in primis peccata quædam, quæ post receptionem alio-

Digitized by Google

rum Sacramentorum, ſiue ſint venialia ſiue mortalia, adhuc reſtare poſſent, poteſt enim fieri vt quis poſtquam Sacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ ſuſceperit, in aliquod peccatum mortale incidere poſſit, quod aduertere nequibit, nec de eo delendo per abſolutionem Sacramentalem, propter talem ignorantiam, erit ſollicitus: rurſus contingere etiam poteſt, vt indebitè Sacramenta Pœnitentiæ aut Euchariſtiæ ignoranter perceperit, cuius defectus ſit plane inſcius: his autem malorum & defectuum periculis, ecce Sacramentum à Deo præparatum, cuius vi & efficacia quis ſalutem conſequetur, qui abſque eo fuiſſet damnandus. Inſuper per peccatorum reliquias, torporem quemdam & animi anguſtiam ac triſtitiam intelligimus: hæc B enim omnia è peccato originem trahunt, & hominem vexare ſolent, præcipuè in articulo mortis. Tandem horrorem & timorem mortis, ipſoſque morbos & morbi dolores intelligimus per peccatorum reliquias: nam propter peccata Deus ſæpe immittit morbos & dolores. His omnibus medetur gratia huius Sacramenti; nam ſi ita Deus expediens eſſe duxerit ad ſuam gloriam & ſalutem infirmantis, aliquando per hoc Sacramentum ſanitas recuperatur. Hi tres à S. Iacobo deſignantur, recuperatio ſanitatis cum ait: *Oratio fidei ſaluabit infirmati*; timorum & anxietatum alleuiatio, cum addit; *Et alleuiabit eum Dominus*; peccatorum oblitorum aut noſtram cognitionem fugientium remiſſio, C cum dicit: *Et ſi in peccatis fuerit, remittentur ei.* Solliciti igitur ſint Epiſcopi & Sacerdotes, quorum intereſt (vt pote qui ſint huius Sacramenti Miniſtri) ne infirmi in extremis reducti & qui meliori ratione Pœnitentiam agere nequeunt, hoc remedio priuentur, ſpecialem Dei miſericordiam, qui nos vſque ad extremum vitæ halitum proſequitur, imitantes: Et ſi quem Chriſtianum adultum, ſeu vſum rationis iam adeptum, propter quod peccare potuerit (nam nec infantes aut ſtulti, qui ſemper vſu rationis caruerunt, effectus huius Sacramenti, nempe gaudij aut ſolatij ſunt capaces) nulloque excommunicationis vinculo innodatum, qui de peccatis confeſſus abſolutionem ſuſceperit, infirmum & in extre- D mis agentem videant, illum hoc ſalutari Sacramento præmuniant, contra inſultus dæmonum, & carnis infirmitates, ac animi anxietates. Nam ſi quem agnoſcerent in peccato manifeſto exiſtentem, de qua abſolutionem ſuſcipere negligeret, huic iſtud Sacramentum non deberent adminiſtrare.

Cæremoniæ quæ in hoc Sacramento adhibentur, ad duo præcipuè reuocantur. Primò Litaniæ ſanctorum cum quibuſdam aliis orationibus recitantur. Secundò, per ſeptem corporis partes inunguntur. Oculi, Aures, Nares, Os, Manus, propter vſum quinque ſenſuum; deinde Renes quia ſedes ſunt concupiſcentiæ; & tandem pedes, quia inſtrumenta ſunt facultatis motiuæ, qua ad peccandum propera- E mus. Hoc igitur Sacramentum in hoc ſeptimo ſigillo ſignificari ſeu contineri aſſerimus.

Si autem ſecundum aliam interpretandi rationem, quæramus quid præuideat in Eccleſia fieri S. Ioannes, ſub hoc ſigillo: Dico ſub hoc ſigillo prædici primo inſignis ille ritus, quo Deus per Miſſæ ſacrificium ſummè colitur; Deinde ſupplicia quæ Deus exigit ob nimiam hominum ingratitudinem, qui tot tantiſque beneficiis præuenti, in malis tamen permanent obdurati.

Quod agatur etiam ſub hoc ſigillo ſeptimo de ſacrificio Miſſæ. §. 2.

Nemo negare audebit ſacroſanctum Miſſæ ſacrificiorum tantæ eſſe excellentiæ, vt ſi ſanctus Ioannes in ſua Prophetia de iis agere intendat, quæ ad maiorem Dei gloriam in Eccleſia celebrantur, vt veriſimile eſt illum de his agere, non debuerit proculdubio omittere cultum, qui Deo exhibetur per Miſſæ ſacrificium, iuxta ſecundam regulam à nobis allatam in proœmio libri, in qua diximus, ea quæ toti Eccleſiæ ſunt communia, quæ ſunt inſigniora & magis proſpera aut aduerſa, & quæ congruentius accommodari poſſunt ſymbolis viſis, ea inquam potiſſimum prædici ac ſignificari à S. Ioanne. At quis ignorat Miſſæ ſacrificium commune eſſe toti Eccleſiæ; inter inſigniora Dei beneficia quæ Deus Eccleſiæ contulit eſſe reponendum? Vnum tantùm diſcutiendum. An ad referationem & apertionem huius ſigilli, aliquod ſymbolum reperiatur, quod Miſſæ ſacrificio poſſit adaptari? Quod cum demonſtrauerimus, poſtea fatendum erit nihil nos abſurdi aſſerere, cum ſub hoc ſigillo de ſacrificio Miſſæ mentionem fieri aſſerimus. Vt autem meliùs ſymboli cum re ſignificata adaptationem & accommodationem oſtendere poſſimus, quæ à Theologis docentur de ſacrificio Miſſæ, hic libet prout res exigit ac poſtulat adducere: qua quidem ratione ducti, & ſub hoc ſigillo de Sacramento Extremæ-vnctionis, & ſub aliis ſigillis de aliis Sacramentis multa adduximus & tetigimus, quæ alias viderentur exotica.

Sacrificium Miſſæ, inquiunt, non ſolum eſt holocauſtum, ſed & Euchariſticum, & ad honorem Deo exhibendum inſtitutum, per laudes & gratiarum actiones. At inſuper propitiatorum eſt, ad Dei iram placandam. Denique impetratorium eſt, vt à Dei bonitate impetremus quædam beneficia, v. g. auxilium, conſolationem in aduerſis, fortitudinem, patientiam, & magnanimitatem, ad toleranda & aggredienda, quæ neceſſariò aut pati aut aggredi debemus, omnia denique impetremus quibus aliqua ratione indigemus.

Et reuera vt ſacrificium crucis futurum, non impediebat olim quominus eſſent apud Iudæos in veteri lege ſacrificia propitiatoria, ita præteritum non impedit quominus Miſſæ ſacrificium dici etiam poſſit propitiatorum, quin & potiori iure quàm ſacrificia veteris legis, propitiatorium dici poteſt: ſolùm enim illa erant propitiatoria, quia crucis ſacrificium præfigurabant: At Miſſæ ſacrificium non ſolum eſt memoriale paſſionis & ſacrificij Chriſti, ſed inſuper eamdem in ſe continet hoſtiam, quæ in cruce oblata fuit. Dicitur etiam impetratorium, quia totum ſuum ſolummodo obtinet effectum, impetrando à Deo quod per Chriſtum in eo oblatum poſtulamus. Hinc Cyrillus Hieroſoly. Catechef. 3. Myſtagogica: *Poſtquam confectum eſt illud ſpirituale ſacrificium, & ille cultus incruentus, ſuper ipſa propitiationis hoſtia obſecramus Deum, pro communi Eccleſiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro ſanis, pro ægrotis, & pro afflictis, & in ſummâ pro omnibus qui egent auxilio.* Ita Cyril. iuxta ea quæ à Paulo dicuntur 1. ad Timot. 2. *Obſecro igitur primum fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate. Hoc enim bonum eſt & acceptum coram Saluatore Deo noſtro, qui omnes vult ſaluos fieri & ad agnitionem veritatis venire. Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus, teſtimonium temporibus ſuis.* Quod quidem, inquit Bellarminus, *patres exponunt de orationibus, quæ fiunt in tempore quo celebratur Miſſæ ſacrificium.* Quomodo autem ſacrificium Miſſæ propriè ſit impetratorium, ſeu qua ratione modus quo effectum ſuum obtinet, ſeu quo operatur, ſit per impe-

Digitized by Google

trationem, videbitur si in memoriam reuoces, primo A sacrificium Missæ à tribus offerri, à Christo, ab Ecclesia, & à ministro seu sacerdote; sed diuersimodè. Nam per Christum offertur ex eoquod sit primus & principalis sacerdos, qui per hominem sacerdotem, seu ad hoc munus consecratum, tanquam per proprium ministrum seipsum offert in sacrificium. Ecclesia offert non propriè, quasi actum sacerdotalem exerceat, sed tantum in quantum sacerdoti offert materiam sacrificio propriam, seu ad sacrificium necessariam; seu in quantum ipsius curæ incumbit vt sacrificium perficiatur; vel saltem præbet consensum vt sacrificium fiat, & voluntate ac desiderio cum sacerdote sacrificante offert etiam ipsa sacrificium: quo fit vt si Christus offerat per sacerdotem, B tanquam per sibi inferiorem offerat: Ecclesia autem offerat per sacerdotem, tanquam per sibi superiorem; nam sacerdos, vt sacerdos, maior est & præstantior cæteris de plebe, locum enim tenet mediatoris inter Deum & plebem; nec in hoc vices gerit Ecclesiæ, aut Ecclesiæ Minister dicitur, sed Christi personam induit, qui præcipuus & principalis est Mediator. Offert igitur sacerdos tanquam autoritate publica destinatus & consecratus, vt sit minister Christi, & vt offerat pro cæteris fidelibus dona & sacrificia: & dum quidam solum habitualiter offerunt, quales sunt qui sacrificio non adsunt, nec de sacrificio actu cogitant, sed quòd offeratur habitualiter exoptant; dum alij actualiter offerunt veluti C qui adsunt præsentes, & desiderio actuali cum sacerdote offerunt; dum alij causaliter offerunt, in quantum causam & occasionem præstant vt sacrificium fiat, siue exhortando ad hoc, siue prece efflagitando, siue imperando, minister offert tanquam legitimus sacerdos, sed tamen ministerialis: nam Christus verus & primarius est sacerdos, qui aliorum ministerio vtitur.

Secundò notandum quodlibet opus valorem suum recipere & effectum obtinere, vel ratione operantis, vel ex natura ipsius operis; Ratione operantis, quia quo melior aut peior, quo maiori aut minori deuotione præditus, eò maiorem aut minorem, aut nullum etiam opus valorem obtinebit: D meritum enim operis ad proportionem bonitatis operantis commensurari debet; Ratione autem operis, quia illud opus ex se quemdam obtinebit valorem, modò exerceatur & perficiatur vt lex iubet ac præscribit, quidquid sit de bonitate aut malitia ministri seu operantis, itaut semper opus eiusdem sit valoris, nec melius sit nec peius ob bonitatem aut malitiam operantis. His præsuppositis,

Dicimus primò, quod sacrificium Missæ vim & efficaciam non obtinet principaliter ex opere operantis seu ministri, sed ex natura ipsius operis nempe sacrificij: nam licèt possit fieri vt sacrificium Deo gratum & acceptum existat ob deuotionem insignem sacrificantis, tamen bonitas sacrificij, vt est E sacrificium, non pendet solum aut principaliter à bonitate aut deuotione offerentis, sed à Christo, qui tanquam primus & æternus sacerdos nunc semetipsum offert per manus ministrorum; & hac de causa principalis effectus sacrificij non pendet immediatè à bonitate ministri immediatè sacrificantis, sed ab opere quod patrat & perficit, nempe ab ipso sacrificio.

Dico secundò, valorem qui ex natura operis operati & patrati sumitur, duobus modis, in quolibet tali opere posse considerari: primò si tale opus est veluti quoddam instrumentum, quod quidem effectiuè & immediatè producat suum effectum, quasi modo connaturali, quomodo Sacramenta vim suam obtinent ex opere operato, eòquod actio Sacramentalis, Dei est instrumentum, quo effectiuè & immediatè iustificat, dum nullus obex à recipientibus ponitur: nam tunc virtus instrumenti minimè pendet à bonitate ministri, sed à sola Dei institutione: Secundò, si hoc opus quod fit, non sit instrumentum effectiuè & immediatè producens effectum, sed tantùm infallibiliter inducens & mouens bonitatem diuinam ad productionem talis effectus, independenter tamen à bonitate ministri v. g. si Rex aut Princeps alicuius deprecationem gratiam & acceptam haberet, quam non vellet rejicere, quia apud eum habetur in pretium, licèt hæc petitio & postulatio illi fieret nomine ipsius, ore cuiusdam quem nec cognosceret, imo qui ipsi esset odiosus: quibus positis,

Dicimus tertiò, sacrificium Missæ suum effectum non producere secundum priorem modum, qui Sacramentis proprius est: iustificat quippe eos pro quibus offertur, non quasi causa proxima, sed inquantum per illud impetrari possunt gratiæ excitantes & cooperantes, v. g. contritio & pœnitentiæ donum: nam sicut crucis sacrificium peccatores immediatè non iustificauit, sed tantùm Deum placauit, & ab eius bonitate obtinuit vt per debita & conuenientia media peccatores ad salutem conducantur; pari ratione sacrificium Missæ immediatè non iustificat homines, at impetrat vt propter meritum sacrificij, quod in cruce litatum est, hominibus gratia & donum pœnitentiæ offerantur. Diuina quippe prouidentia satis superque prouidit de mediis, quibus peccata remitterentur vi & merito passionis Christi, dum duo Sacramenta, baptismum nempe & pœnitentiam instituit, quibus peccata remitterentur, nec necessarium esse duxit alia media instituere ad remissionem peccatorum.

Itaque ex his patet quæ diximus, sacrificium Missæ effectum suum obtinere per modum impetrationis, seu illius vim & efficaciam in eo sitam esse, vt per illud impetremus quæ à Deo obtinere exoptamus: & meritò. Nam sacrificium proprium est eius qui orat, & conuenientissime adhibetur vt oratio supplicantis corroboretur. In auxilium venit oranti, vt faciliùs & efficaciùs exaudiatur. Sacrificium namque est veluti quædam realis oratio, sicuti oratio est quoddam sacrificium labiorum, & vtrumque ordinatur ad Deum colendum & honorandum opere & verbo. Cumque Missæ sacrificium vim præcipuam obtineat, ex eoquod à summo sacerdote Iesu Christo offeratur, nec Christus Dominus nunc nec mereri nec satisfacere valeat, quia non amplius est mortalis, & in via merendi aut satisfaciendi, qualiter erat cruci affixus: hinc sacrificium Missæ propriæ dicitur impetratorium. Quod si rationem sacrificij propitiatorij & satisfactioni induat, hoc fit ratione rei quam impetrat, nempe remissionem tum culpæ tum pœnæ: & si aliquid meretur, est quia gratiam, qua & bene agere & mereri possumus, nobis impetrat: & quia ad hoc institutum est à Christo Domino, vt per illud meritum passionis, nobis applicetur fructus illius, in remissione peccatorum, relaxatione pœnarum temporalium, quæ post remissionem culpæ, viuis atque defunctis remanent subeundæ; & in dono gratiæ qua capaces meriti efficimur. Valde enim credibile est quod istud sacrificium in memoriam passionis institutum etiam inseruiat vt fructus passionis nobis specialiùs applicetur: quod infallibiliter operatur: nam etsi minister aliquando Deo sit inuisus, semper principalis offerens Deo est gratissimus & acceptissimus, nempe Dominus Iesus Christus. Et hac de causa, inquantum scilicet à Christo offertur, sacrificium Missæ vim suam habet ex opere operantis infallibiliter, quod in

Digitized by Google

quantum à Ministro homine offertur, vim suam habet tantùm ex opere operato; nam licèt ingratus sit Deo sacerdos offerens, semper tamen oblatio grata est Deo, & sacrificium acceptabile redditur ex hostia oblata, & principali offerente.

Tandem dico valorem sacrificij Missæ esse finitum & limitatum: Alias plures Missæ essent superfluæ pro eademmet re impetranda. Quare autem eadem existente hostia in altari, quæ in cruce olim oblata fuit, valor sacrificij crucis dicatur infinitus, vnum dicatur sacrificium, quod repeti aut reiterari non debet. *Vna* quippe *oblatione consummauit sanctificatos*, vt ait S. Paulus, qua pretium conquisiuit inestimabilis & infiniti valoris, pro remissione peccatorum præteritorum, præsentium, & futurorum; valor autem sacrificij altaris limitatus sit, hæc ratio redditur: quòd differentiam & distinctionem in pretio & valore ponere debemus in actione, dum eam immediate producit per semetipsum filius Dei, tunc enim immediate producitur à suppositio diuino; vel dum eam immediatè elicit minister, qui rationem habet, respectu Dei, instrumenti & organi: tunc enim producitur à supposito humano. At semper causa vniuersalis determinatur per causam secundam & particularem. Vel dicendum est talem esse Christi Domini voluntatem, sacrificium istud instituentem: nam licèt Dominus noster sola & vnica oblatione sacrificij incruenti per se aut per ministros oblati, posset impetrare omnem gratiam, & quodcumque beneficium quibuscumque, & pro quolibet tempore; noluit tamen nec petere nec impetrare nisi cum hac limitatione, vt scilicet per vnumquamque oblationem certâ quadam mensurâ fructus passionis suæ applicaretur, siue pro remissione peccatorum, siue pro aliis beneficiis, quibus in hac vita indigemus: vel vt hac ratione hoc diuinum sacrificium frequentaretur & sæpiùs reiteraretur, vt pote sine quo religio non possit subsistere; vel quia ordo diuinæ prouidentiæ hoc postulat & exigit: qua etiam de causa Christus Dominus dicitur semper interpellare pro nobis in cælo: nam semel orans potuisset cuncta impetrare, nec opus esset hac continua interpellatione apud Patrem. Ad hanc etiam diuinam ordinationem reuocare debemus, quod licèt pretium in sacrificio crucis conquisitum infinitum sit, per quod totus mundus saluari potuisset, tamen applicatur tantùm quibusdam in certa ac determinata mensura: quorum omnium nulla potest melior assignari causa aut ratio quàm Dei voluntas ac diuina Prouidentiæ eius dispositio, quæ statuit hæc ita exequi & perfici debere, nec curiosiùs aliam rationem inuestigare debemus. Lege Bellarm. l. 2. de Miss. c. 4. Si igitur quæras quidnam sub hoc sigillo contineatur, dico non solum agi de Sacramento Extremæ vnctionis, sed etiam de sacrificio Missæ. Hoc manifestum erit ex interpretatione symbolorum, quæ post apertionem sigilli septimi visa à S. Ioanne fuisse dicuntur.

Agitur etiam sub hoc sigillo de medio quo Deus vtitur ad auertendos homines à peccatis, nempe comminationibus suppliciorum, quorum quatuor in hoc capite describuntur. §. 3.

Fauet Cornelius à Lapide, qui cum multis quos citat asserit septem plagas planè & propriè pertinere ad septimum sigillum; silentium verò, in quo consistere quidam putant septimum sigillum, esse tantùm circunstantiam sigilli & plagarum. *Vnde*, inquit Cornelius, *sequitur septimum sigillum porrigi vsque ad finem capitis vndecimi. Fauet etiam*, vt ipse addit, *ipsa capitum sectio probata & recepta ab Ecclesia: nam hoc capite septimum sigillum reseratur v. 1. & mox*

A *v. 2. & sequenti recensentur Angeli plagas inferentes: quod si versu 2. noua plane incipit materia, inde certe inchoari debebat caput octauum, & versus primus remitti ad caput septimum, ibique finire septem sigilla. Hæc sententia probatur, quia silentium hoc refertur ad plagas sequentes, earumque causa factum est: ergo ab eis non debet diuelli. Secundò, quia signati in sexto sigillo, capite præcedenti, ad hoc signati sunt ne plagis hisce septimi sigilli tangerentur: Ergo hæ plagæ sequuntur sextum sigillum, & pertinent ad septimum. Idipsum satis significat Ioannes, dum silentium cum plagis coniungit, dicens: Factum est silentium in cælo: & vidi septem Angelos, & datæ sunt illis septem tubæ.* Ita Cornel.

Huic sententiæ subscribunt qui per septem Angelos designari volunt omnes Ecclesiæ Doctores & B concionatores, & per tubas & plagas significari grauissima supplicia, quibus Deus seueritatem suum siue aduersus Iudæos rebelles ostendit, sub primitiuæ Ecclesiæ tempora; vel sub mundi finem, paulò ante Anti-Christum, grauissimas calamitates, quibus Deus hominum audaciam reprimere statuit.

Tria hæc igitur sub hoc sigillo referanda continentur, nempe Sacramentum Extremæ-vnctionis, 2. Missæ sacrificium, 3. Pœnæ infligendæ iis, qui beneficiorum Dei immemores gratiam eius tot modis nobis conciliatam neglexerunt.

Quibus prælibatis, nunc demonstrare oportet quomodo symbola quæ videntur, optime cum his C quæ diximus conueniunt.

Et cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cælo.

De apertione sigilli.

ANNOTAT. IV.

ET cum aperuisset sigillum, *id est*, inquit Dionys. Carthus. *seipsum, vltimumque libri ostensi sigillum, secretum præscientiæ Dei de statu Ecclesiæ plenius enodasset, nempe Christus.* Ita Dionys. Hoc secretum præscientiæ Dei de statu Ecclesiæ enodat Christus Dominus, cum voluit, v. g. à S. Iacobo naturam D Sacramenti Extremæ-vnctionis manifestari, per ea quæ de eo docet, vt antea vidimus; cum à S. Paulo voluit tam diffusè agi de vi & efficacia sacrificij in Epistola ad Hebræos, ex qua hæc habemus: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis; qui condolere possit iis qui ignorant & errant, quoniam & ipse circundatus est infirmitate; & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis.* Hæc Paulus. Ad omnes autem non pertinet hunc honorem sibi arrogare, nempe vt sint mediatores inter Deum & homines, addente Paulo: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Sic enim* E *& Christus non semetipsum clarificauit vt Pontifex fieret, id est*, ait Gagneus, *non per gloriam Pontificatum ambiuit, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quibus verbis Apostolus probat validè qualis esse debeat is qui constitui debet Pontifex: nam dum dicitur, filius vnicus; cum per filium seu verbum genitum omnia creata fuerint, ipsi Pontificis nuncupatio maximè conuenit: nam Pontificis est Deo homines reconciliare, & eos aliquo modo ad suum principium, à quo fuerant producti, reducere: dum per peccata ab eo auersi, reconciliati ad eum conuertantur. Hoc autem maximè conuenit Verbo Dei, per quod omnia facta sunt, vt homines qui à Deo per peccata recesserunt, per Verbum ad Deum redeant & ipsi reconcilientur

Digitized by Google

Hinc alibi, vt notat Apoſtolus, de eo dicitur: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech: Et alij quidem*, inquit c. 7. *plures facti ſunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem quòd maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium.* Hæc æternitas in hoc vocabulo, *hodie*, deſignatur, quo generatio eius, quæ nec initium nec finem habet, ſignificatur. Vnde Sacerdos in æternum eſſe, *& ſaluare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis*; *talis enim decebat vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus: qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, priùs pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi. Hoc enim fecit ſemel ſeipſum offerendo. Lex enim homines conſtituit infirmitatem habentes, ſermo autem iuriſiurandi, qui poſt legem eſt, filium in æternum perfectum.* Ita S. Paul. Si perfectus ergo, inquantùm perfectus, offerre illi non erat neceſſarium pro ſuis peccatis, ſed pro peccatis aliorum; ſi autem conſtitutus vt ſit Sacerdos in æternum, cum ſemetipſum obtulerit, nec alius principalis Sacerdos requiritur, nec alia hoſtia debet offerri, nec hoc Sacerdotium in aliud debet mutari. In diebus igitur carnis ſuæ, cum ſuum familiarem acceſſum apud Patrem, & qua apud eum auctoritate vigebat demonſtrare poſſet, cum rogando vt ſeipſum à morte liberaret, noluit pro morte ſua deprecari: ſed totum quod habuit poteſtatis & gratiæ apud Patrem impendit, vt à Patre ſalutem hominum impetraret, eoſque à peccatis redimeret. *Qui in diebus carnis ſuæ*, inquit Apoſtolus c. 5. *preces ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit illum ſaluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia.* Sic clamore valido magnitudinem affectus oſtendens, & lachrymis ſuæ dilectionis teneritudinem & dulcedinem manifeſtans. *Et quidem cum eſſet filius Dei didicit ex iis quæ paſſus eſt obedientiam & conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex iuxta ordinem Melchiſedech.* Idcirco cum cauſa ſit ſalutis iis qui illi obtemperant, *adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Hoc Chriſtianorum proprium eſt, quibus datur medium efficaciſſimum participandi huic ſacrificio crucis: *Habemus enim altare de quo edere non habent poteſtatem qui tabernaculo deſeruiunt*, c. 13. Heb. Per hoc altare, nempe per hoſtiam ſuper illud oblatam, ſacrificio crucis participamus, cum vna & eadem ſit hoſtia. Venit quippe Chriſtus vt faceret voluntatem Dei, *In qua voluntate*, inquit Apoſtolus, *ſanctificati ſumus, per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel. Et omnis quidem Sacerdos præſtò eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerens hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata: hic autem vnam pro peccatis offerens hoſtiam in ſempiternum ſedet in dextera Dei, de cætero expectans donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius. Vna enim oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos.* cap. 10. Heb.

Hac Apoſtoli doctrinâ, & neceſſitas & dignitas, & effectus ſacrificij declarantur, & modus quo effectum ſuum obtinet exprimitur, nempe cum ait, *preces ſupplicationeſque*, &c. vt ſupra. Hæc eſt apertio ſigilli ſeptimi, nempe cognitio neceſſitatis, dignitatis & efficaciæ ſacrificij, & modi, nempe impetrationis quo effectum conſequitur: & eiuſmodi doctrina enodatio eſt præſcientiæ de ſtatu Eccleſiæ. Nam conuenientiſſimum fuit prædici tam inſignem Eccleſiæ ritum, quo Deum colit, nempe ſacrificium, illudque nobis ſub ænigmate proponere ſpeculandum. Igitur cum S. Ioannes ait: *Et cum aperuiſſet ſigillum ſeptimum*, id eſt, Cum Chriſtus inſtituit ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium, quo tanquam medio efficaciſſimo nobis omnia dona & beneficia à Deo Patre, in virtute oblationis in cruce factæ, impetraret, & omnia à nobis mala auerteret, vt eius vim & efficaciam poſſemus percipere; pulchrum de hoc ſacrificio ænigma mihi apparuit, quo etiam ſchemate vis & efficacia Sacramenti Extremæ-vnctionis deſignabatur: nam cum ſacrificium Miſſæ effectum obtineat, quia impetratorium eſt; & Sacramentum Extremæ-vnctionis adminiſtretur per verba deprecatoria, rectè poſſunt in eodem ænigmate deſignari.

Denique ſecretum erat valde abſtruſum, quibus de cauſis tot malis & incommodis homines vexantur, cur fame homines enecentur, cur peſtes graſſantur, bella ingruunt, & tot tantiſque tenebris, erroribus, paſſionibus, homines tandem in malum obdurentur. At dum admonentur mortales hoc fieri, quia peccatis ſuis diuinam maieſtatem offendunt, quia peccandi libidinem extinguere non ſatagunt, ſigillum reſeratur & aperitur.

Quomodo autem Deus peccati cauſam & originem hominibus aperire, ſecundum ſapientiſſimam ſuum ordinationem diſpoſuit, videtur ſub ſchemate ſeptem Angelorum quibus tubæ dantur: ad quarum clangorem ad ſingulas tubas ſingula ænigmata apparent, hæc mala quibus Deus peccata caſtigat deſignantia. Septimi igitur ſigilli apertio eſt enodatio ſtatus futuri Eccleſiæ, qui talis eſt vt Deus velit per Paſtores & prædicatores Verbi Dei homines admoneri vt à peccatis reſipiſcant, ne malis ac pœnis atrociſſimis ſeuerè à Deo plectantur, quæ quàm ſint formidanda diſcitur ex ſymbolis ſub quibus deſcribuntur.

Factum eſt ſilentium in cœlo quaſi mediâ horâ.

Quid ſit iſtud ſilentium.

ANNOTAT. V.

QVIA de iſto ſilentio plura dicenda ſunt, ad faciliorem illius explicationem & vt cum minori tædio iſta legantur, primum in genere diſcutiemus quid ſit iſtud ſilentium. Secundò ſpeciatim videbimus plures ſpecies huius ſilentij. Tertiò, quomodo plagæ futuræ ad has ſpecies relationem habeant. Quartò de durationè huius ſilentij nobis erit agendum.

Quid ſit in genere ſilentium, de quo agit S. Ioannes. §. 1.

Omitto huius ſilentij varias expoſitiones, v. g. quod ſit initium quietis æternæ cuius partem Ioannes videat, Primaſ. vel pax orbis tempore natiuitatis Chriſti, Ambr. vel breuitas quietis in contemplatione rerum cæleſtium, qua futura felicitas prælibatur: Haymo & Ansbertus; vel ſilentium indictum Chriſtianis ſub Iuliano Apoſtata, tam in Eccleſia quàm in militia, academia, & ſcholis: Lyranus & Aureolus; vel quod nullus in die iudicij contra Chriſtum hiſcere audebit: Rupertus; vel inſignis Chriſtianorum primitiuæ Eccleſiæ tolerantia, quia ſilenter & conſtanter paſſi ſunt ſæuiſſimam perſecutionem à Iudæis: Ludouic. ab Alcazar; vel quies 45. dierum, qui dabuntur Eccleſiæ & hominibus poſt mortem Anti-Chriſti: vt qui eius perſecutione lapſi ſunt pœniteant: Pererius; vel terreni regni vitæ & conuerſationis finis, Andreas Cæſ. vel ſumma Angelorum erga Deum, tot hominum peccatis offenſum & iratum, reuerentia ac pudor: Viegas; vel ignorantia aduentus Chriſti ad iudicium: Ribera; vel vt tandem, cæteris opinionibus prætermiſſis, vult Cornel. à Lap. ſilentium ſignificat taci-

Digitized by Google

tam expectationem, & conſiderationem ſeptem tubarum & plagarum, quaſi rerum magnarum, inſolitarum, & ſtupendarum, indeque conſequentem quaſi admirationem, & ad ſilentium uſque ſtuporem cælitum, ſtupentium nimirum & admirantium tum gloriam ſanctorum ſignatorum viſam ſexto ſigillo, tum pœnas impiorum ſeptimo ſigillo contentas. Quid de iſtis expoſitionibus cenſendum ſit vide apud Cornelium. Nos vero qui noſtra tantum proponere, non aliena refutare in animo habemus, quid per iſtud ſilentium ſignificetur, quod noſtræ interpretationi conueniat, nunc inquirimus.

Dico primò, ad explicationem naturæ & effectuum tum Sacramenti Extremæ-vnctionis, tum ſacrificij Miſſæ, & ad cognitionem cauſæ ſeu originis malorum quibus homines vexantur, duo ſancto Ioanni ſpeculanda proponi: primum, quinam futurus eſſet rerum ſtatus ex parte hominum; cum, vt viſum fuit in ſexto ſigillo, ad hanc deuenerint miſeriam vt gratiam Dei conculcent, & recedere nolint à peccatis, imo potius remedium pœnitentiæ derideant ac reſpuant; qui ſtatus in hoc ſilentio ſignificatur. Secundum, Deum in ira ſua miſericordiæ non obliuiſci, ſed auxilia opportuna hominibus ſuppeditare, quibus quantum in ſe eſt & infirmitati humanæ ſuccurratur, & eius ira auerti & placari valeat, ne tandem mala, quæ pro peccatis ſuis homines quodammodo & exigere & extorquere videntur ab eius ſeueritate iuſtiſſima, immittat: quæ auxilia ſub ſymbolis aptiſſimis deſignantur, ſicut mala quæ erunt infligenda, (niſi à peccatis auertantur, & iis remediis vtentes ad meliorem & feliciorem redeant ſtatum) ſub aliis ſymbolis, tum in hoc capite octauo, tum ſequenti ſignificantur. At de hoc ſilentio in genere primum, ſecundò in ſpecie agendum nunc, poſtea proſecuturi.

Dico ſecundò, duo in hoc ſilentio conſiderari, primum quodnam ſit, ſecundum, quantum temporis ſit duraturum. *Et factum eſt*, inquit S. Ioannes, *ſilentium in cælo quaſi mediâ horâ.* De primo in ſequenti paragrapho; de ſecundo poſtea agemus.

Dicimus tertio in hoc ſilentio quaſi generatim ſumpto, deſignari ſtatum hominum peccatorum proſperè agentium, & abſque vlla contradictione liberè omnia quæ volunt & concupiſcunt perficientium nemine obſiſtente, Deoque id permittente, ex eo quod factum eſt ſilentium magnum in cœlo, id eſt in Eccleſia, quia in ea omnia quæ ſuo modo loqui deberent obmuteſcunt & ſilent: quo fit vt in tam miſerando ſtatu conquieſcant: qui ſtatus ſilentia hæc diuerſa in ſuo ſinu complectitur. Videndum igitur quænam illa ſint.

De hoc ſilentio ſpeciatim. §. 2.

Ira Dei prouocatur quia filet primò conſcientia. Punct. 1.

Dicendum igitur primò ſilentium iſtud ſignificare ſtimulum conſcientiæ in malis obtundi, propter frequentationem malorum actuum, & inueteratam male agendi conſuetudinem, qua primæ habitudines contrahuntur: vnde nemo eſt qui conſcientiæ remorſus percipiat, & audiat ſyndereſim exprobrantem, & dicentem: Quid agis? Vnde rerum ſtatus talis eſt, vt omnis exinde pieras à cordibus auferatur, iuxta illud Ieremiæ 12. *Deſolatione deſolata eſt terra, quia nullus eſt qui recogitet corde.* Silentium proculdubio exitiale, quo afficiuntur hi ſæpiſſimè quibus omnia cedunt proſperè, de quibus Ierem. c. 12. *Quare via impiorum proſperatur, bene eſt omnibus qui prævaricantur, & inique agunt? Plantaſti eos, & radicem miſerunt, & faciunt fructum.* Exiſtimant enim ſe nihil Deo ingratum aut iniuſtum agere, quòd ſe videant felici rerum omnium ſucceſſu quodammodo beati. *Beatum* quippe *dixerunt populum cui hæc ſunt*, nempe cui proſperè omnia ſuccedunt, & non attenderunt ad id de quo monet Sapiens Eccleſiaſt. 5. *Ne dixeris, peccaui, & quid mihi accidit triſte? Altiſſimus eſt enim patiens redditor.* Mirum proculdubio eſt quomodo homines ſuam conantur obcęcare conſcientiam, & delictorum ſuorum cognitionem ſeu agnitionem ſibi ipſis blandientes refugiunt. Hanc mentis humanæ peruerſitatem ex peccato prouenientem ſatis oſtendit Adami factum: ſtatim poſt culpam latebras quærit, foliis ſe cooperire ſatagit, Dei per conſcientiæ lumen delictum exprobrantis, faciem quantum in ſe erat fugiens, ad quod alludens ſanctus Ambroſius ait lib. 10. in Lucam: *Foliis ficulneæ peccatores ſe tanquam fraudis veſte texerunt, vt conſcientiam velarent; ergo folia ſuſpecta ſine fructu, tales veſtes paradiſi exules habent.* Ita Ambr. Pernicioſum igitur ſilentium, non agnoſcere aut celare velle peccatum, & proprium eorum qui à paradiſo excluduntur. Melius ille ſaluti ſuæ conſulebat, qui agnitionem culpæ pro motiuo veniæ proponebat dicens: *Amplius laua me ab iniuſtitia mea & à delicto meo munda me: Quoniam*, inquit, *iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.* Quæ verba exponens S. Ambroſ. in Pſ. 50. *Non mediocre*, inquit, *eſt vt agnoſcat vnuſquiſque peccatum ſuum, ideoque & ſupra ait: Lapſus quis intelligit? Id eſt, quis eſt tantus vt intelligat? quomodo illud, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis aſcendet in montem Domini? non vtique nullus ſed rarus: Qui enim poteſt agnoſcere, poteſt declinare, poteſt quid ſequatur eligere: plerique in ſuis lapſibus gloriantur, & putant ea laudis eſſe quæ criminis ſunt: ſi alienum coinquinauit torum, & pudica fœminæ expugnauit affectum; ſi viduæ propoſitum aliqua fraude mutauit; alius necem hominis, latrocinij inſidias, & rapto viuere putat eſſe virtutis. Nonnulli circumuenire & fallere arbitrantur eſſe ſapientiæ. Ex his nullus poteſt dicere, quoniam iniquitatem meam ego cognoſco.* Hæc Ambr. Ecce peſſimum ſilentium. *Sed ille*, addit Ambroſ. *ſcilicet dicere poteſt: quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, qui poteſt dolere quod fecerit, condamnare quod deliquerit, quem ſua vitia compungunt. Vnde & Propheta ait: Quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini. Plerique equorum cum ceciderint ſe iactare conſueuerunt, quos caſus non læſerit iactando ſe debilitant & frangunt; alij (qualis Græcorum fertur natura) cum vel in certamine curruli eliſi fuerint, vel fortuito ceciderint, nequaquam ſe mouere conſuerunt, & quandam tenent quietis & patientiæ diſciplinam. His ſi caſus non nocuit, quies prodeſt; certè non acerbatur offenſio. Nonne mutis animalibus deteriores æſtimandi, qui ſe flagitiis ſuis iactant, & putant inſigne eſſe virtutis vbi lapſus eſt criminis? Ideo quaſi muto dicitur iumento: peccaſti, quieſce. Vnde pulchrè addidit: Et delictum meum contra me eſt ſemper. Inſipiens enim delectatur erroribus ſuis, &c. At vero ſapiens aduerſum ſe iudicat eſſe delictum ſuum, & tanquam hoſtilis acies, ita lapſus culparum ſuarum aduerſantium modo ſibi arbitratur obſiſtere: quidquid perſonuerit, quidquid increpuerit, culpa ei propria ſemper occurrit, quidquid fuerit dictum aut lectum, in ſe dictum putat: quidquid intenderit, ſe nutis, ſe oculis ſignari putat: ſi ejulet, ſi cogitet, ſi oret ac deprecetur, ante oculos eius ſemper eſt error proprius, & momentis omnibus culpa pulſat conſcientiam, nec quieſcere nec obliuiſci ſinit, velut grauis cenſor exagitat ſe terrore perpetuo. Omnia igitur aduerſa habet, qui ipſe ſibi diſplicet: ipſe ſui accuſator, ipſe ſui teſtis eſt, nec inuenit quo fugiat, quippe ſe perurget & ſtimulat. Sed hoc bonæ mentis eſt, vulnus ſentire peccati: nam qui expertes doloris ſunt, non ſentiunt vulneris acerbitatem,*

Digitized by Google

quod eſt immedicabilis ægritudinis. Ita Ambr. Videſne in his vltimis verbis S. Ambroſij, ſilentij de quo loquimur perniciem? Hæc enim inſenſibilitas mali commiſſi morbum à peccato contractum immedicabile reddit. *Qui autem*, vt Ambroſius rurſus ait, *aliquo dolore punguntur, ſicut doloris ſenſu non carent, ita etiam non carent ſanitatis profectu. Vbi enim doloris ſenſus, ibi etiam ſenſus eſt vitæ: ſentire enim vitalis vigoris ac muneris eſt. Vnde & ille qui errorem ſuum non agnoſcit, inſanit, furit, deſipit: qui autem agnoſcit, vtique reſipiſcit: non reſpuit remedia ſanitatis, ſeipſe reſtringit; pœnitet enim culpæ, de ipſa ſemper cogitat, & cogitando ſeipſum condemnat.* Hæc Amb. Ad aliud ſilentium, quo Deus prouocatur vt puniat, tranſeamus.

De ſecundo ſilentio iram Dei prouocante, verecundiâ peccatorum in confeſſione. Punct. 2.

Certè hoc ſilentium conſcientiæ, de quo egimus in puncto procedenti, valde timendum eſt, & periculoſum ſaluti, ſed cum difficillimum ſit ſedare conſcientiam quin obmurmuret, aliud ſilentium non minus pernicioſum eſt, nempe ſi conſcientia obmurmurante & remordente, quis peccatum ſuum ore nolit confiteri: Quanta autem ſit vis obnoxiæ conſcientiæ, & quam difficile ſit ſuæ conſcientiæ effugere teſtimonium docet Victor Cartenæ in Mauritania Epiſcopus, lib. de pœnitentia inter opera S. Ambroſij. *Rogo*, inquit, *dicas mihi, ſi non habes conſcium, non habes conſcientiæ teſtimonium, aut ipſum potes effugere & conſcientiam declinare? Conſcientiam inquam, apud quam non moritur omne quod gerimus, quæ nos in factis noſtris accuſat & indicat, quæ cum non habeat loquendi vſum, neſcit tamen tenere ſilentium. Poteſt conſcius morte ſubduci, poteſt tibi ad tempus prodeſſe teſtis, conſcientia verò tecum ſemper eſt, & ſine te non eſt: hæret pectori, nec vnquam te deſerit, & velut quædam pediſequa nullo abs te temporis interuallo diſcedit: tenet te reum, & in ſua ſemper ditione captiuum; ſi quando mentem tuam lætior ſecundarum rerum actus auocat, & ſenſus tuos caperit factis delectatione iucunditas, ſubito te illa ſtimulat, illa medullitus pulſat & interpellat ſenſum, interrumpit gaudium, & totum pectoris regimen mœſtis ſuſpiriis inquietat, & quaſi vulnerata opprobrio teneatur, non inuenitur bonum remedium quo curetur: ſemper enim offenditur cum alius caſtigatur, & in alieno vulnere primò ipſa percutitur. Deinde vis noſſe quanta ſit ſeueritas conſcientiæ? Poteſt tibi conſcius auro corrumpi, poteſt pecuniâ comparari: conſcientia nihil corruptionis admittit, manet integrum eius teſtimonium, tota fidei firmitate vallatum; quin etiam aduerſus conſcium conducitur patrocinium, & defenſionis ingenio argumenta verſutiæ conquiruntur, & teſtimonij veritas loquelæ impudentis calliditate peruertitur. Iudex quoque redimitur, vt facti qualitas excuſetur: vacant hæc omnia vbi mentem conſcientia vulnerat; & cum homo moriatur, conſcientia certe non moritur, quæ poſt mortem corporis in anima iudicatur. Et putas prodeſſe tibi te non habere conſcium, cum conſcientiæ quotidianum ſentias perpetuumq; iudicium.* Ita Victor. Epiſ. Ex quibus facile eſt videre difficillimum eſſe conſcientiæ propriæ imperare ſilentium, ſed ſalutare, ſi audiatur, ſi illi obtemperetur, ſi quis propria conſcientia conuictus crimen fateatur, & ore prodat vulnus, quod latet interiùs: *Nam*, vt ait idem autor, *ſed planè eum non comitabitur vltrò diuina quem propria indicauerit conſcientia: vacet enim ibi neceſſe eſt poteſtas iudicis, vbi conſcius ſibi reus aduerſum ſe teſtis & accuſator exiſterit.* Ita Victor. Grande igitur erit piaculum, ſi conſcientia ita tibi fideliter exprobrante crimina, illa confiteri recuſet peſſimo ſilentio, Deum ad iram prouocans. Vnde ait idem Victor Epiſ. *Proculdubio geminabitur cauſa peccati, ſi contumax conſcientia facta ſua noluerit confiteri. Tunc enim ex peccatore fit impius, qui in peccatis ſuis fatendis extiterit induratus: vt & flagitia perſtringat digna ſententia, & contumaciæ pœnas luat pertinax conſcientia.* Ita Victor. c. 5. de pœnitentia. Et hoc eſt peruerſum ſilentium, quod hic denotari dicimus, quo peccatores in tali conſtituuntur ſtatu, vt liberius peccent, & contra ſe iracundiam Dei prouocent. *Frangitur enim*, inquit idem Victor Epiſ. *commotio iudicis, vbi pœnitudinis & ſeueritatis eniza diſtrictio confeßionis oppugnatione lenitur, depromptum indignatione iudicium ſatisfactione percellitur, & comminantis intentio, orationis humillimæ verecundiâ temperatur.* Ita ille. At ſi pœnitere quis nollit, ſi crimen fateri recuſet, quid ex hoc ſilentio illi expectandum, niſi quod Deus pœnis & ſuppliciis reum licet inuitum condignè afficiet? *Mihi neceſſe eſt loqui*, inquiebat Lucillius apud Seruium, in 10. Æneidos *Nam ſcio Amyclas tacendo periiſſe*: Qui videlicet legem ſanxerant, ne quis de incurſu hoſtium verba faceret, vt terrores à ſe expellerent qui è tali nuntio, nempe aduentare hoſtes, ſæpius illos occupauerãt, & proinde ex improuiſo aduentante hoſte, nullo hiſcere audente ne legi contrairet, cæde ac incendiis perierunt: vnde Prouerbium: *Amyclas perdidit ſilentium.* Dico pari modo multos perire propter ſilentium, id eſt quia confiteri peccata erubeſcunt: nam Deus ſeuere punit eos qui peccatum conſcientiam inuadens clamore confeſſionis non detegunt. *Hæc eſt via præcipua interitus*, inquit S. Chryſoſth. in Pſal. 140. hæc verba expendens (*ad excuſandas excuſationes in peccatis*) *quando vel ipſa qua peccauit anima, excuſſo timore, excogitat excuſationes, & prætextus quoſdam ad ignauiam; vel quemadmodum cum quiſpiam adulteranit, & volens alius eius compunctionem excutere dicit: Nunquid tu in cauſa es? Cauſa eſt cupiditas: malum eſt quidem peccare, hoc autem facis grauius, negare poſtquam peccaueris. Hæc ſunt arma diaboli peßima, hoc etiam in primis noſtris parentibus vſu venit: cum enim oporteret Adam peccata confiteri, ille in Euam confert culpam; & illa rurſus in diabolum. Cum oporteret dicere, peccauimus iniquitatem fecimus, illi non ſolum non confitentur, ſed etiam defenſionem comparant. Cum enim ſciret diabolus peccati confeſſionem eſſe peccati ſolutionem, perſuadet animæ vt ſit egregiè impudens. At tu, ô dilecte, quando peccaueris dic: Peccaui: nihil eſt hac defenſione iuſtius. Ita Deum reddis propitium, ita etiam facis vt tardius in ea rurſus incidas. Sed quando quæres prætextus qui non ſunt, & animam voles metu liberare, reddes eam promptiorem, vt rurſus eiſdem implicetur, Deumque magis irritabis: nulli enim peccatori deeſt impudens prætextus. Homicida culpam confert in iram, & fur in paupertatem, & adulter in cupiditatem, & alius in principatum: ſed hi quidem ſunt alieni à ratione prætextus, non rationi conſentaneæ defenſiones. Illa enim non faciunt peccata, ſed ipſi eorum qui peccant animi.* Ita Chryſ. in Pſ. 140. Certè qui tacens occultè detrahit aliquod peccatum à confeſſione, idem periculum ſubit, ac ſi ſilenter illi ſerpens morſum infigeret. *Si mordeat*, inquit Eccleſiaſtes c. 10. *ſerpens in ſilentio, nihil eo magis habet qui occultè detrahit.* Rectè enim S. Hieronym. hunc locum exponens: *Si quem ſerpens diabolus occultè momorderit, & nullo conſcio eum peccati veneno infecerit, ſi tacuerit qui percuſſus eſt, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus ſuum fratri & Magiſtro voluerit confiteri, Magiſter qui linguam habet ad curandum facile ei prodeſſe non poterit: ſi enim erubeſcit ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina non curat.* Ita Hierony. Illius ſilentij perniciem exaggerat S. Auguſt. in Pſal. 31. hunc verſiculum expendens: *Quoniam tacui inueterauerunt oſſa mea*, de Phariſæo ſeipſum iuſtificante mentionem faciens. *Erat nempe Phariſæus tanquam in ſtatione medici curandus, ſed ſana membra oſtendebat, vulnera tegebat. Deus ergo tegas vulnera: noli tu; nam ſi tu tegere volueris erubeſcens, Me-*

Digitized by Google

dicus non curabit. Medicus tegat & curet emplaſtro, dum tegit ſub tegmine Medici, ſanatur vulnus; ſub tegmine vulnerati, celatur vulnus. Cui celas? Qui nouit omnia. Quoniam tacui inueterauerunt me oſſa mea. Quid eſt hoc? Quaſi contrarium videtur. Quoniam tacui inueterauerunt oſſa mea acclamando. Si acclamando, quomodo tacuit? Tacuit quiddam, non tacuit quiddam, tacuit vnde proficeret, non tacuit vnde deficeret. Tacuit confeſſionem, clamauit merita ſua. Tacui enim dixit, non ſum confeſſus, ibi oportebat vt loqueretur taceret merita ſua, clamaret peccata ſua: nunc autem peruerſè tacuit peccata ſua, clamauit merita ſua. Et quid illi contigit? Inueterauerunt oſſa eius, id eſt, virtus eius; eſſet robuſta in Domino, quia inueniretur in ſe infirmus. Modò autem quia in ſe voluit eſſe firmus, factus eſt firmus, & inueterauerunt oſſa eius; remanſit in vetuſtate, qui noluit confitendo amare nouitatem. Qui enim fiunt noui, noſtis fratres, quia beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Noluit iſte ſibi dimitti iniquitates; exaggerauit, defendit illas, iactauit merita ſua. Ergo quoniam tacuit à confeſſione, inueterauerunt oſſa eius, acclamando tota die. Quid eſt, acclamando tota die? perſeuerando tota die in defenſione peccatorum ſuorum. Hæc Auguſt. Iſtud perniciоſum ſilentium diſrumpendum pio clamore, clara confitentis voce, gemitibus ac ſuſpiriis, niſi velis crimen criminibus addere, & Dei iram inte prouocare. *Expellat ecce Dominus Confeſſionis munus*, inquit auctor l. de pœnit. de quo ſupra. c. 1. *ſi confitentem non inuoluit reatus; & cum ſit nota diuinis ſenſibus hominum conſcientia, manuit linguam prodere quod non poſſunt occulta cordis celare. Pœnitentia itaque vno actu officia diuerſa congeminat; hinc enim publicat confitentem, inde confeſſum reuocat innocentem, hinc reatum nundinat, inde crimen excuſat, hinc obiicit proprius peccata peccanti, inde indulgentiam exigit pœnitenti: nec permittit iuniri confeſſum, qui pœnitentem nolit reuocare damnatum. O magnificum diuinæ bonitatis theſaurum! O ſingulare clementiſſimi iudicis inſtitutum! Ad hoc de reis vult confeſſionis exſculpere vocem, vt non inueniat quod vltum ire debeat. Et cum apud ſeculi iudices confeſſus mox dirigatur ad pœnam, apud Dominum confitens ſtatim pergit ad veniam: nec hoc elicit de confitentis tormentis, cum patiens in ſemetipſo officium videatur exercere tortoris. Lucra ſunt enim pij iudicis, gemitus confitentis, & gaudium cognitoris eſt ſine quæſtione confeſſio; acquiritur Domino, quod non punitur inferno, & multum confertur auctori ſi deputatus ad pœnam veniæ condonetur. Cupit enim damnum eſſe vindictæ, quod non vult perire clementiæ, nec optat vlciſci, qui paratus eſt miſereri, ipſo de ſe per Prophetam dicente: nolo mortem morientis, quam vt conuertatur & viuat. Quibus ſapientia concinens Salomonis, Deus, inquit, mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Iudicis ergo noſtri clementia non optat reos perire vitæ, ſed perire ſententiæ, nec deſiderat morientis exitum, ſed feſtinat magis ſeruare confeſſum. Nolo, inquit, mortem morientis, ſed vt reuertatur & viuat. Ecce verus vitæ auctor, qui non vult morientis mortem, ſed lamenta conuerſi, & vult ſe ſemper in miſeratione eſſe beneficium, ne iuſtitia teneat iudicatum.* Hæc Victor Caren. Ep. l. de Pæn. c. 1. Quæ Dei clementia grauiorem reddit culpam eorum qui confiteri nolunt, cum præcipuè tantò libentius hoc onus confeſſionis nobis ſubeundum ſit, quod Deus non publicam, & omnibus manifeſtam exigit reatuum confeſſionem, ſed tantùm quæ fiat in aure confeſſionis. Ita S. Leo Papa ad Epiſcopos per Campaniam, Samnium & Picenum conſtitutos, Epiſtolâ 80. ſcripta ann. 461. *Illam*, inquit, *contra Apoſtolicam regulam præſumptionem, quam nuper agnoui à quibuſdam illicita vſurpatione commiſſi, modis omnibus conſtituo ſubmoueri; de pœnitentia videlicet, quæ ita à fidelibus poſtulatur, ne de ſingulorum peccatorum genere, libellis ſcripta profeſſio publice recitetur, cum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis ſacerdotibus indicare confeſſione ſecreta. Quamuis enim plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubeſcere non veretur, tamen quia non omnium huiuſmodi ſunt peccata, vt ea quæ pœnitentiam poſcunt non timeant publicare, remoueatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, &c. . Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt prouocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia confitentis.* Ita S. Leo. Olim Syneſius Epiſcopus Epiſtol. 44. Ioannem quemdam, qui de cæde fratris eiuſdem Ioannis nomine Æmylij ſuſpicionem incurrerat, hortabatur vt non ſolum crimen faterentur, ſed ſe offerret ſupplicio. *Si*, inquit, *commiſſum abs te facinus eſt, deprecare, ſupplicia contende, nullum procumbendi finem facito, donec iudicis ſententiâ tortori traditus fueris, pœnaſque perſoluueris. Percommodè hoc tibi apud infernum ceſſerit, amice Ioannes, ſi prius expiatus deceſſeris, cum nihil omninò peccare maximum omnium bonum eſt, tum ad iuſtitiam reuocari ſecundum in bonis locum obtinet.* Et poſt pauca. *Supplici omni reuerentiam haberi, qui in ſeipſum animaduerſit, & apud nos nonnunquam, qui ad purgandum crimen producebatur, hoc ipſo quod noxam fateretur, ſeque ſupplicio dignum duceret. Supplicio eſt liberatus.*

At mitius agit nobiſcum Deus, qui non vult mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat: nec enim vult vt crimen fateris coram iudice, qui te tormentis & pœnis afficiat, ſed coram medico qui vulnera ſanet, culpam remittat, ſola criminis confeſſione ſæpiſſime contentus, vt veniam præſtet. Quis læſus ab alio, ſi de reconciliatione cum ipſo à quo fuit offenſus rogetur ſub ſpecie iuſtitiæ, ſola culpæ confeſſione erit contentus? Illud certe Deuteronomij vſurpabit, c. 19. *Non miſereberis eius, ſed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente,* manum pro manu, pedem pro pede exigit. At Deus petit à te ſolùm ne ſileas, ſed dicas ex animo, peccaui: & peccatum remittit, ſi diligas multum, nullâ pœnâ impoſitâ; ſi non diligas adeo perfectè, cum leuiuſcula pro culpæ grauitate ſæpiſſime pœna. Refert Ioſephus Acoſta l. 5. c. 25. Hiſtoriæ Indiæ, Dæmones ſpeciem quamdam Confeſſionis in his regionibus introduxiſſe, quidam apud eos ſortilegi & incantatores inueniuntur qui dicuntur Ychiuri, ſeu Ichuri. Hi confeſſiones audiùt obcęcatæ gentis: perſuadent cunctis, ne quid reticeant, aliàs grauiſſimam incurrere culpam, & grande committere piaculum ſi quid celauerint; quod ſi quid reticere eos præſentiant, aut celare ſibi perſuadeant, præcipue cum illis nihil pecuniæ portigitur, lapidum ictu tundunt ſcapulas in pœnam reticentiæ. Aliam ſpeciem confeſſionis impius dæmon ingeſſerat in Oraca Monte: ſuper altiſſimas rupes erecta videbatur virga ferrea, in qua ſtatera quædam appendebatur, in vna lance ſtateræ dæmon apparebat, in alia reus collocabatur, qui coram omnibus aſtantibus crimina fateri cogebatur, & plærumque plura effutiebat riſu digna, propter quæ ab adſtantibus irridebatur; & cum dæmon miſerũ homuncionem, & adſtantes deluſiſſet, vel quaſi omnia crimina confeſſum illum libere abire ſinebat, veljac ſi aliquid reticuiſſet miſerum homuncionem è lance propulſabat & per præruptа rupium præcipitabat vt conciſus interiret. Tali modo homines potuit Satan dementare, & clementiſſimũ Dominum te ſub ſpe certiſſima veniæ ad confitendum peccata prouocantem non audies. Tacebis dum clamas tota die per reiterationem flagitiorum, & ille tam benigne clamat: *Reuertere, reuertere, ſunamitis, vt intueamur te*, & videamus qualis ſis per peccatorum tuorum confeſſionem, vt ſaluam, & incolumem te exhibeam in die iudicij. O formidandum ſilentium, iram Dei exacuens, niſi

cito

cito à peruicacia reſipuens. Aliud ſilentij genus diſcutiamus.

De tertio ſilentio iram Dei prouocante, cum ad Deum per orationem non recurrimus. Punct. 3.

Tertium ſilentium, quo Deum ad iram prouocatur, eſt cum ad eum per orationem minimè recurritur. De hoc ſilentio conqueritur apud Oſeam c. 7. *Cædam eos ſecundum auditionem cœtus eorum. Væ eis, quoniam receſſerunt à me: Vaſtabuntur, quia preuaricati ſunt in me. Ego redemi eos, & ipſi locuti ſunt contra me mendacia. Et non clamauerunt ad me in corde ſuo, ſed Vlulabant in cubilibus ſuis.* Id eſt *cum eſſent in miſeriis non clamabant ad me qui poſſem auxiliari, ſed mœſti in cubilibus ſuis ſedentes flebant, & muliebriter eiulabant, quaſi Deum non haberent à quo poſſent leuari.* Ita Ribera in hunc locum. Certè quiſquis peccatum contrahens ad orationem non recurrit, de eo dici poteſt quod eodem capite de tribu Ephraim dicit Propheta: *Ephraim factus eſt ſubcinericius panis, qui non reuerſatur*, hoc eſt, non agit pœnitentiam. Videbatur hoc ambiguum, nec ſatis ſonare quod diceret. *Nunc ponit*, inquit S. Hierony. *manifeſtiùs cum poſtea addit: Et humiliabitur ſuperbia Iſrael in facie eius, nec reuerſi ſũt ad Dominum Deum ſuum, & non quæſierunt eum in omnibus his.* Nam vt ipſe Hieron ait, *ſi fuiſſent reuerſi ad Dominum Deum ſuum, audiſſent vtique per Hieremiam loquẽtem Deum: Reuertimini ad me, & ego reuertar ad vos; & cum tanta fecerint, non quæſierunt eum quem vitio ſuo perdiderunt*: Iuſta proculdubio Dei expoſtulatio, ac iuſta huius ſilentij punitio, ſi nempe omne animi robur amittimus, cum ad eum non recurrimus, qui eſt fortitudo noſtra; ſi in cæcitate mentis permanemus, ab eo recedentes, qui eſt illuminatio noſtra; ſi in peccatis ſeneſcimus, cum ad eum non recurrimus, à quo ſolo ſalutem expectare debemus, qui eſt ſalus noſtra. *Certè*, vt ait Propheta iuſtè *comederunt alieni robur illius, & ipſe neſcuit: ſed & cani effuſi ſunt in eo, & ipſe ignorauit. Comederunt*, inquit Hieronym. *dæmones robur eius, iſti ſunt alieni & hoſtes Chriſtianorum: & ipſe neſciuit, aduerſarios amicos putans, & deuoratores ſuos arbitrans eſſe conuiuas. Sed & cani effuſi ſunt in eo, imo efflorueruut, id eſt, multo ertauit tempore, & nihilominus ignorauit ſenectutem, & vetuſtatem ſuam, de qua ſcriptum eſt, quod veteratur & ſeneſcit prope exterminium eſt.* Heb. 8. Ita Hieron. In peccatis enim obdurantur, qui contra omnes animi morbos & languores remedium orationis non adhibent. Fit igitur quod dicit Propheta: *Et factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta non habens cor. Ægyptum inuocabant, ad Aſſyrios abierunt, & cum profecti fuerint extendam ſuper eos rete meum, quaſi volucrem cæli detrahã eos: cædam illos ſecundum auditionem cœtus eorum*: Aues cæteræ pullos ſuos etiam cum periculo vitæ ſuæ protegere feſtinant, & cum ad nidum ſuum accipitrem, colubrum, coruum ſiue cornicem accedere viderint, huc illucque volitant, & immittunt ſe, morſu & vnguibus lacerant, & dolorem parentis quærulâ voce teſtantur. Sola columba ablatos pullos non dolet, non requirit. Huic rectè comparatur Ephraim, quod vaſtatum per partes populum non ſentiat, ſed negligens ſit ſalutis ſuæ, inquit Hierony. Talis eſt quilibet peccator, qui ablatis pullis bonorum operum, quorum meritum per peccatum deperditur, ſalutem ſuam contemnens ad Deum non clamat, nec audit Deum dicentem: *Inuoca me in die tribulationis, eruam te & honorificabis me.* Non mirum ſi totam ſpem ſuam in mundo collocantes, & propriis viribus inuitentes, corruant in peius, & iram Dei non effugiant: expandit ſuper eos rete ſuum, vt elenantes ſe contra ſapientiam Dei & inſtar auis ad excelſa volantes ad humilia detrahat, & corripiat eos primum comminationibus pœnarum, detrahens illos non in perditionem, ſed cædens quaſi filios, & cædens non in pœnarum magnitudine ſed in timore, vt audientes ventura ſupplicia ſolis terroribus emendentur; deinde ſi flagellis non eruditur, ſupplicia ipſa immittens. Væ igitur eis qui recedunt à Deo, nec clamant ad Deum in corde ſuo, vt liberentur à formidabili nimis peccatorum tribulatione; nec dicunt cum Propheta: *Ab occultis meis munda me, ab alienis parce ſeruo tuo*; aut, *libera me de ſanguinibus, Deus, Deus ſalutis meæ*; aut denique, *illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte, nequando dicat inimicus meus, prævalui aduerſus eum*, Pſ. 12. Sed per iſtud ſilentium orationis, Dei in ſe prouocant iram.

De quarto ſilentio iram Dei prouocante, cũ videlicet hominũ ſcelera non corripiuntur ab eis quorum intereſt. P. 4.

Sequitur aliud ſilentium peſſimum iracundiam Dei attrahens, nempe cum delicta quæ coram & publicè fiunt, ab iis quorum intereſt non corriguntur; hac enim ratione talis fit morum corruptio, vt nulla induſtria, nulla vi, deinceps poſſit afferri remedium. Aliquando enim euenit, vt aliquod peccati genus ad modum fermenti pedetentim totam aliquam ciuitatem aut communitatem inficiat, conniuentiâ & tolerantia Principum ac iudicum populorum. Dicetur, hoc non eſt magni momenti, vel pauci ſunt qui hoc crimen perpetrent, nimia ſeueritas non eſt ſemper in omnibus adhibenda. At quid mali inde adueniat attende. Quod in principio occultè & cum timore à paucis agebatur, poſtea tandem ab omnibus aut quam plurimis palam & cum ardore perpetrabitur; nec panis vſus quotidianus erit adeo familiaris, ac familiaris euadet ex conſuetudine, talium actuum perpetratio: nullam prætermittent occaſionem, quam executioni ſimilium actuum non accommodent. Nam quia ad hæc perpetranda ſunt determinati, quidquid occurrit quaſi concoquitur in ebrum mente, quaſi in clibano ardenti, vt malitiæ ſuæ præbeat. En quantum ſit malum conniuentiæ ac nimiæ indulgentiæ ſuperiorum, deuoratur namque ex hoc ſilentio peſſimo illorum auctoritas, cui amplius nullus defert honorem; illorum prudentia quæ eluditur & illuditur; illorum vis ac potentia, quæ non amplius timetur. Ad hunc modum idololatria populum Iſraeliticum corrupit, tempore regis Hieroboam, de quo dicitur, Oſee 7. *Omnes adulterantes quaſi clibanus ſuccenſus à coquente, quieuit paululum ciuitas à commiſtione fermenti, donec fermentaretur totum.* Et paulò poſt: *Omnes calefacti ſunt quaſi clibanus, & deuorauerunt iudices ſuos.* In clibano ſuccenſo, ardor mali deſiderij in corde prauo denotatur; in commiſtione fermenti, idololatriæ inſenſibilis progreſſus, in fermentatione omnimoda, idololatriæ manifeſta introductio. Coquitur in corde prauè ſuccenſo, vt panis fiat, & quotidianus cibus, itaut etiam hi qui obſiſtere deberent, ad tale facinus potiùs pertrahantur, & fiat omnium generalis corruptio. Audi S. Hierony. huic expoſitioni faucntem. De Hieroboam loquens, *Poſtquam*, inquit, *miſit ignem in clibanum cordis eorum, & vidit eos facere, & nullum eſſe qui ſuæ reſiſteret voluntati, tota nocte dormiit, id eſt ſecurus fuit, verſatus in tenebris eſt, dum illi coquerentur, & impietatis panem efficerent. Vnde poſtea ſurrexit mane & ſcelerum ſuorum flammam aperta oſtendit inſaniâ: vt nequaquam per inſidias, ſed impudenter à Dei cultu ad idolorum ceremonias tranſilirent. Quid plura? Omnes quaſi clibanus idololatriæ igne calefacti ſunt, & deuorauerunt iudices ſuos; vt etiam qui bonus eſſe potuerat per naturam, & Religionis Domini recordari, videns & principes & populum vitulis ſubditos & illos putare Deos,*

Digitized by Google

etiam ipſe à ſcelere denocaretur. Ita Hier. Lege Riberam in hunc locum. Certe vbi cauſa Dei agitur, nunquam ceſſandum eſt à reprehenſione & cenſura. *Sed nec perſonam*, inquit S. Ambroſ. *alterius accipimus in iudicio, gratia abſit, cauſam meruæ decernant. Nihil ſic opinionem immo fidem grauat, quam ſi iudicando potentiori dones cauſam inferioris, vel pauperem innocentem argnas, diuitem excuſes reum culpæ. Proprium quippe eſt generis humanum fauere honoratioribus, ne laſos ſe putent, ne victi doleant: ſed primum ſi offenſam vereas, non recipias iudicium, &c. Vbi communionis periculum eſt, etiam diſſimulare peccatum eſt non leue* l. 2. de Off. c. 24. *Omnes*, inquit S. Gregor. lib. 11. in 12. c. Iob. c. 8. expendens illa verba (*Et iudices in ſtuporem*) *qui examinandis aliorum moribus præſunt, rectè iudices vocantur. Sed cum is qui præeſt ſubiectorum vitam nequaquam ſollicitè diſcutit, nec quem qualiter corrigat agnoſcit, in ſtuporem iudex deductus eſt; quia qui iudicare malè acta debuit, nequaquam ea quæ iudicanda ſunt deprehendit:* Ita Greg. Sicque fit verè, quod Gregorius per inſignem animi demiſſionem in ſeipſo reprehendebat: *Sane cauſa ingemiſco*, inquit, *quod negligente me creſcit ſentina vitiorum* l. 1. Epiſt. 41. Sciebat quippe ſanctiſſimus Pontifex ex negligentia ſuperiorum plerumque vitia incrementa capere, quæ tandem ad extremum diſcrimen omnia deducunt.

De quinto ſilentiò iram Dei indicante, nempe ceſſatione prædicationis verbi diuini. Punct. 5.

Præcedentia ſilentia iram Dei prouocant. Iſtud ſilentium non modò prouocat, cum qui Verbum diuinum prædicare deberent ceſſant à prædicatione, vel ex negligentia Prælatorum, vel quia ipſimet Sacerdotes ſcientiam Dei abiecerunt; ſed etiam Deum valde iratum demonſtrat, dum parvuli petunt panem, & non eſt qui eis frangat aut diſtribuat, dum adimpletur illud Domini dictum: *Si cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt.* Ab hoc ſilentio ignorantia rerum ad ſalutem neceſſariarum inducitur, abundat iniquitas, veritas deliteſcit, vitia conualeſcunt. Hunc periculoſiſſimum ſtatum deſcribit Propheta Oſee c. 4. *Audite Verbum Domini filij Iſrael, quia iudicium Domini cum habitatoribus terræ: non eſt ſcientia Dei in terra: maledictum, & mendacium, & homicidium & furtum, & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit.* Vis ex eodem Propheta audire quinam futurus eſt deploratiſſimus rerum ſtatus? *Propter hoc*, inquit, *lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea, in beſtia agri, in volucre cæli; & piſces maris congregabuntur.* Ac ſi diceret: ablatâ ſcientiâ, mendacio omnia inundante, adeo concupiſcentia & auaritia & libido regnabunt, vt nulla vis boni proſequendi in terra remaneat; nec Leones nec Tygrides adeo ſunt feroces, quin eos homines ſæuitia & crudelitate vincant, terrenis affectibus adeo erunt implicati, vt ſtupidiores ſint brutis ipſis, & ſuperbia cordis elati dicent: Quis detrahet nos in terram? Non attendentes quid ad hæc dicat Propheta Abdias de ſuperbia Edom talia effutientis: *Si*, inquit, *exaltatus fueris vt aquila, & ſi inter ſydera poſueris nidum tuum, inde detrahaam te, dicit Dominus.* Ita Abdias. Denique piſces maris congregabuntur, quia ſimul ſe in voluptates ingurgitabunt, vt nihil niſi luxum ac turpia redoleant: ecce peſſimus rerum ſtatus. Vel vt vult S. Hieronym. Deus homines adeo beſtiales, feros ac ſuperbos è terra auferet. *Sin autem volauerimus*, inquit S. Hieronym. *vt quidam putant, feros homines beſtias interpretari, & volucres cæli eos qui elenantur in ſuperbiam, & omnia humana contemnunt, & piſces maris qui irrationabiles ſunt, & ita bruti, vt nihil omnino ſapiant, & aërem liberum, cælumque non videant, hoc non tam irati, quàm clementis eſt Domini, vt qua mala ſunt auferantur de terra.* Ita S. Hierony. Quantâ autem Deus irâ proſequatur iſtam ignorantiam, vt & quia etiam iram Domini muta elementa ſentient, vt etiam interpretatur S. Hieronym. *Hoc*, inquit, *qui non credit, accidiſſe populo Iſrael, cernat Illyricum, cernat Thracias, Macedoniam, atque Pannonias, omnemque terram, quæ à Propontide & Boſphoro vſque ad Alpes Iulias tenditur, & probabit cum hominibus & animantia cuncta deficere, quæ in vſus hominum à creatore prius alebantur.* Ita Hieronym. Denique ex his quæ ſequuntur, graphicè deſcribitur quanta mala obueniant, cum Dei ſcientia à populo ſeu gente negligitur. *Verumtamen*, inquit Oſee, *vnuſquiſq; non iudicet, & non arguatur vir. Populus enim tuus ſicut hi qui contradicunt ſacerdoti, & corruet hodie, & corruet etiam Propheta tecum. Non neceſſe eſt*, inquit Hier. *vt veniatis ad iudicia, vt in veſtris flagitiis arguamini, quia tantæ eſtis impudentiæ, vt nec commiſti quidè pudorem habeatis & verecundiam, ſed contradicatis mihi, quaſi ſi diſcipulus magiſtro, ſacerdoti plebecula contradicat, quæ non habet ſacerdotij dignitatem. Et quia tales eſtis, ideo hodie corruetis id eſt ducemini in captiuitatem, & perdetis regnum Iſrael, &c.* Ita Hier. Ecce perditio regnorum ex ignorantia Dei, quod adhuc Propheta dilucidius explicat cum addit: *Nolite tacere feci matrem tuam, conticuit populus meus, eoquod non habueris ſcientiam, quia tu ſcientiam repulliſti, repellam te & ego ne ſacerdotio fungaris mihi, & oblita es legis Dei tui, obliuiſcar filiorum tuorum & ego. Mater*, inquit Hierony. *vocatur populi frequentia, & omnis turba nationis Hebreæ ad quam loquitur: filij autem, vel ſinguli ex populo, vel per oppida, villaſque diſperſi. In nocte ergo ac tenebris captiuitatis & mœroris & prementis angustiæ, traditur Iſrael & populi eius æterno ſilentio: conticeſcit, quia non habuit legis ſcientiam, nec Dei præcepta ſeruauit, recepitque quod fecerat. Ipſa enim Deo repulit legem, & ideo ſacerdotium perdidit in æternum, colens vitulos aureos in Dan & Bethel. Et quia oblita eſt legis Dei, & penitus ſe Ægyptiis, ſe idolis mancipauit, idcirco & Dominus obliuiſcetur filiorum eius, tradens eos æternæ captiuitati: Qui enim ignoras ignorabitur, & in Pſalmis legitur: Neſcierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* Ita Hier. Vides quanta mala poſſunt prouenire ex ſilentio peſſimo eorum qui docere debent populum Dei legem, & diſciplinam: quæ enim in populo Iſraelitico peracta fuerant, poſſunt eadem in populo Chriſtiano reperiri. At in Iſaiæ c. 50. dilucidè reprehenditur hæc Paſtorum negligentia & ignorantia, qua cæci cæcos ducunt, & in foueam præcipitant. *Omnes*, inquit, *beſtiæ agri venite ad deuorandum, vniuerſa beſtia ſaltus, ſpeculatores eius cæci* (nempe Magiſtri, Scribæ, Phariſæi, vt Cuſtodes populorum, vt interpretatur S. Hieronym. *Omnes neſcierunt, vniuerſi canes muti, non valentes latrare. Qui enim*, ait Hieronym. *gregem Domini cuſtodire debebant, & lupos abigere & latrare, pro Domino diligunt ſomnia, & dæmoniacis viſionibus delectantur.* Et eſt ſenſus: Non poſſunt loqui veritatem, ſed vniuerſa mendacia. Vnde proſequitur Iſaias. *Videntes vana, dormientes & amantes ſomnia, & canes impudentiſſimi, neſcierunt ſaturitatem. Ipſi Paſtores ignorauerunt intelligentiam: omnes in viam ſuam declinauerunt; vnuſquiſque ad auaritiam ſuam, à ſummo vſque ad nouiſſimum. Venite ſumamus vinum, & impleamini ebrietate, & erit ſicut hodie ſic & cras, & multò amplius.* Vides vinis depingi coloribus Paſtores Eccleſiæ, qui auaritiæ, luxui & ebrietatibus vacant, & in Eccleſia tacent, nec præcepti Apoſtolici recordantur, qui vult vt verbo Dei inſiſtant. *Prædica Verbum, inſta importunè, opportunè, argue, obſecra, in omni patientia & doctrina*, 2. ad Timoth. 4. *Tam ſollicitè*, inquit Ambroſius, *in hunc locum mandat inuiolatè prædicandum Dei donum, vt cum obteſtatione Dei Patris, &*

Digitized by Google

Chriſti Filij eius, hoc moneat curandum, inſtandumque in eo, vt aſſidua prædicatione & crebra obiurgatione cum opportunitate pronocet ad meliorem profectum. Ita Ambroſ. *Sunt canes*, ait idem Amb. l. 6. Hexaem. c. 4. *qui nouerunt latrare pro Dominis, nouerunt ſua tecta defendere; Vnde & tu diſce vocem tuam exercere pro Chriſto, quando ouile Eccleſiæ incurſant Lupi graues. Diſce in ore tuo verbum tenere, ne quaſi mutus canis commiſſam tibi fidei cuſtodiam quodam præuaricationis ſilentio deſeruiſſe videaris.* Ita Ambroſ. Cum igitur debeant Paſtores prædicare verbum Dei ne ignorantia ſubrepat, certè ſi ſileant & ignorantia graſſari incipiat, peſſimum erit ſilentium, propter quod Deus multa mala & ſupplicia in populos immittet.

At dices non ſemper Deum hanc negligentiam B apertè & citò punire, & aliquando fieri vt hæc omnia peccata perpetrentur, nec Deus videatur iraſci, quia proſperè omnia ſuccedunt plebi delicta patranti, itaut vnuſquiſque dicat; *Peccaui, & quid mihi accidit triſte?* Ne quæſo ex hoc Dei ſilentio putes Deum non eſſe iratum, maxima tunc excandeſcit iracundia, cum peccata ad tempus aliquando relinquit impunita. Ex hoc igitur proculdubio potius ingentia debemus conjicere ſupplicia, quàm exiſtimare Deum poſſe abſque punitione videre peccata: nam ſicut cum mare aliquando pacatiſſimum videtur, tempeſtas vehementior eſt pertimeſcenda, ita cum Deus qui amator eſt iuſtitiæ, cuius vultus videt æquitatem, quique in amicis ne minimam C quidem culpam relinquit inultam, peccatori non iraſcitur, maius certè parat impœnitenti & obdurato ſupplicium: & eſt ſextum ſilentium, de quo agendum in ſubſequenti puncto.

De ſexto ſilentio iram Dei indicante, nempe impunitate criminum, ſeu retardatione vindictæ. Punct. 6.

Eſt igitur ſextum ſilentium formidandum, de quo Ezechiel c. 16. Nam poſtquam Prophera recenſuit Dei beneficia, & omnes populi Iſraëlitici ingratitudines illi exprobrauit, multaſque pœnas ei immittendas prædixit, tandem pro infallibili ſigno reprobationis futuræ ait: *Et requieſcet indignatio mea in te, & auferetur Zelus meus à te & quieſcam nec iraſcar* D *amplius, eoquod non fueris recordata dierum adoleſcentiæ tuæ, & prouocaſti me in omnibus his. Et ego vias tuas in capite tuo dedi, ait Dominus Deus, & non feci iuxta ſcelera tua in omnibus abominationibus tuis.* Optime Syneſius Epiſt. 44. *Quiſquis longo tempore iniuriam faciens pœnæ expers manet, eum par eſt infeliciſſimum haberi, qui neque Deo neque homini curæ ſit.* Hoc enim conſiderato, impunitum eſſe, inter mala connumerari & dicitur & auditur. Igitur punirum eſſe, in bonis cenſebitur. Hinc S. Hierony. verba Ezechielis exponens ait: *Ex quo perſpicimus grandem offenſam eſſe nequaquam curæ haberi à Deo, ſed permitti hominem ſceleribus ſuis atque peccatis. Auferetur, inquit, Zelus meus à te, & requieſcam: nec iraſcar amplius, quaſi aliena & quæ à me* E *receſſeris, & quam æterne tradidi nuditati.* Et poſtea: *Alij vero, vt ſupra diximus, in contrariam partem referunt, vt magnæ iræ Dei ſit non iraſci, cum ſemel contempſerit fornicantem, & de ſalute illius deſperauerit.* Ita Hierony.

Igitur cum ſynderesis extinguitur, nec per conſcientiæ ſtimulum à peccatis retrahimur, cum corda amplius non expurgantur per peccatorum confeſſionem, cũ nemo eſt qui cum Dauide clamet, *illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte, nequando dicat inimicus, preualui aduerſus eum*; Cum ſilent leges, nec ſcelera puniuntur, cum Eccleſiæ Paſtores tacent, & tanquam canes muti nec inſtruunt, nec contra vitia inuehuntur; cum Deus ipſe in tempore præſenti adimplet quod ait per Prophetam A Iſaiam: *Tacui, ſemper filui, patiens fui*; & quaſi negligat aliculus populi emendationem, nullis pœnis temporalibus ſtudet eum à ſceleribus auocare, tunc pertimeſcendum certè eſt ſilentium, ſeu ſtatus ille de quo hìc agitur: *Et factum eſt ſilentium in cælo quaſi media horâ*: nam hac reticentiâ videtur dicere: *implete menſuram patrum veſtrorum*, vt illorum & veſtras portetis iniquitates, cum ſcilicet clamabit & vociferabitur, & tanquâ parturiens loquetur, abſorbebit & diſſipabit ſimul. Venit quippe illud ſilentium, quo Deus ad iracundiam maximè prouocatur, dequo in ſubſequenti puncto.

De vltimo ſilentio ex ſex præcedentibus conflato, nempe effrenata malè agendi licentia. Punct. 7.

Si quæras igitur quodnam ſi ſilentium de quo potiſſimum S. Ioannes in hoc loco intelligit debeat,

Dico eſſe certum quoddam ſilentium ex prædictis conflatum, ſeu prædicta omnia includens & præſupponens, nempe quo ſtatus hominum deploratiſſimus ſignificetur, qui talis ſit vt liberè homines agant quæ volurint, conſcientia non refragante, nemine obſiſtente, Deo id per iracundam permittente: vt quo lentiori gradu progreditur, eo maiori impetu peccatores feriat, eoſque tandem, dum proſperè omnia illis ſuccedunt, repentè diſperdat; in momento, in ictu oculi, in puncto, in infernum illos detrudat: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Iob. 21. Talis fuit ſtatus hominum, temporibus Noe: talis in diebus Loth: talis futurus potiſſimum cum Dominus ad iudicandum veniet, vt habetur Luc. 17. *Sicut factum eſt in diebus Noe, ita & erit in diebus filij hominis: edebant & bibebant, vxores ducebant, & dabantur ad nuptias, vſque in diem qua intrauit Noe in arcam, & venit diluuium & perdidit omnes: ſimiliter ſicut factum eſt in diebus Loth: edebant, & bibebant, emebant & vendebant, & plantabant & ædificabant: qua die autem exiit Loth à Sodomis pluit ignis & ſulphur de cælo, & omnes perdidit. Secundum hæc erit qua die filius hominis reuelabitur.* Vnde cum ſancti & pij viri in tali ſtatu homines eſſe perſpiciunt, vt abſque timore concupiſcentiis ſuis obtemperent, tunc maximè pertimeſcunt, & magis de hominum ſalute deſperant. Sciunt enim fieri non poſſe vt Deus longiùs protrahat ſcelerum vindictam, quin tandem puniat peccatorum effrenatam libidinem & morum arrogantiam, quæ talis eſt, vt irremediabile ſit malum, omnibus ſimul ad peccata liberè perpetranda conſpirantibus. *Videns autem Deus*, inquit ſcriptura Geneſ. 6. *quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore.* O ſilentium formidandum! Nemo eſt qui dicat, hoc aut illum peccatum vitandum eſt, abſtinendum ab hoc opere quia peccatum eſt, *cuncta eorum cogitatio intenta erat ad malum*, non in hoc, aut in illo tempore, ſed *omni tempore*, nullum pœnitentiæ aſſignatur momentum. Quàm autem in diebus Loth effrenata erat peccandi licentia & impudens arrogantia, facile perſpicitur ex eo quod Angelis ingreſſis domum Loth, priuſquam irent cubitum, viri ciuitatis vallauerunt domum, à puero vſque ad ſenem, omnis populus ſimul, vt ad crimen nefandum hoſpites compellerent, & contradicente nequitiæ eorum Loth, dixerunt: *Ingreſſus es*, inquiunt, *vt aduena, nunquid vt iudices? Te ergo ipſum magis quam hos affligemus.* Geneſ. 19. Talis effrenata peccandi licentia & audacia cum proſperitate terrena, videtur mihi eſſe ſilentium de quo hìc fit mentio, quo conjici poteſt Deum quamprimum flagella iracundiæ ſuæ eſſe immiſſurum. Optimè enim, vt arbitror, Ludou. ab Alcazar opinatur hoc

Digitized by Google

ſilentium eſſe quoddam præambulum ſignum ſuppliciorum quæ Deus immiſſurus eſt: nam ſi attentè perſpexeris, videbis, vt diximus, alia de quibus ſupra quodammodo includere, quorum quodlibet, eo ordine quo ſanctus Ioannes plagas deſcribit aliquam ex his plagis prænunciat: vt in paragrapho ſequenti demonſtramus.

Quomodo plagæ futuræ cum his ſilentiis conueniant, & relationem habeant. §. 3.

Prima plaga, vt videbimus, fames eſt. At quid aptius prænunciare poteſt Deum bona temporalia & ſpiritualia ab hominibus ſubtracturum, vt eorumdem famem patiantur, quàm cum videmus homines ſpernere donum adeo neceſſarium, quale eſt illud quo inter bonum & malum diſcernere poſſunt? Deus certè tantæ Maieſtatis Dominus irraſcitur contra eum qui talentum in ſudario repoſuerat, contemptus igitur tanti doni, quale eſt lumen rationis, erit ſignum futuræ cuiuſdam ſubtractionis auxiliorum diuinorum, quibus homines à peccatis poſſent auocari.

Secunda plaga bellum eſt, quæ plaga proculdubio poteſt coniici futura, dum videmus homines ſuos actus malos non modo non confiteri aut improbare, ſed de eis gloriam aucupari, ac ſi bene egiſſent, dicentes bonum malum, & malum bonum. Hac enim agendi ratione veritati quæ Deus eſt contradicunt. *Quis autem reſtitit ei, & pacem habuit?* Iob. 9. Deus enim eſt ſuprema veritas, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Si huic veritati homines contradicant, peccata nec agnoſcentes nec confitentes, à Deo exigunt belli plagam. Bellum namque exoritur ex eo quod vnuſquiſque exiſtimat ſua, aut quæ cupit, vi ac violentiâ eſſe acquirenda aut repetenda, non autem veritate atque iuſtitia; hinc aufertur pax, dicente Iſaia c. 48. *Non eſt pax impiis, dicit Dominus*; quia veritas contemnitur, per quam Deus regnat in iuſtitia.

Tertia plaga peſtis eſt, qua affligi demerentur hi qui Deum nolunt inuocare, qui auctor eſt vitæ, *qui habet claues mortis & inferni*, qui *deducit ad inferos & reducit*, qui aufert ſpiritum ſuum ab hominibus & in puluerem reuertuntur: Illum autem contemnere à quo omnium hominum vita dependet, exigit, vt medio quodam ineuitabili ab eis vita auferatur; & ſicut Domini temporales fundum ſibi vendicant terrarum ſui Dominij, ſi Vaſſalli ſeu Feudatarij cenſus non ſoluunt, aut ſuæ dependentiæ ac ſubiectionis proteſtationes atroganter denegant, vel in vitam dominorum conſpirant: Ita certè mortales vitâ priuari debent, dum ſuam à Deo omnium bonorum auctore dependentiam, laudibus, gratiarum actionibus, ac inuocatione nominis eius non agnoſcunt.

Quarta plaga eſt mentis cæcitas, quam timere debemus dum iudices ac principes ſcelera impunita relinquunt: Quis enim aliquid malum eſſe ſuſpicabitur, quod ab iis qui illud plectere tenentur, non modò non punitur, ſed aliquando laudatur? Verbi gratia, ſi duellum laudatur ab iis qui illud impedire aut compeſcere deberent, quis inexpertus exiſtimabit damnabile eſſe illud quod impune toleratur, quod facile condonatur?

Quinta plaga eſt quædam effuſio concupiſcentiæ, in beſtiales & inordinatas voluptates, cuius certe ſignum euidentiſſimum eſt ſi Prælati, qui exemplo & doctrina alios à ſuis concupiſcentiis auocare deberent, primi ſint qui genio indulgeant & libidinibus vacent: cum enim ſub pœna æterni ſupplicij deberent viam veritatis verbo & exemplo populis oſtendere, non ſolum id negligunt, imo corruptis moribus in perditionis ſemitam alios inducunt.

Sexta plaga eſt hæreſis, quæ vel ob immoderatam libidinem, vel propter iracundiam ex ambitione & vana gloria contractam aliquando ſuboritur: cuius ſignum eſt euidentiſſimum ſi Deus ita erga homines ſe gerat, vt eorum peccata primò negligat & occaſionē det eis dicendi: *Quid enim nouit Deus? & quaſi per caliginem iudicat: nubes latibulum eius nec noſtra conſiderat*, Iob c. 22. adeo diſſimulanter ſe gerit hominum ſcelera impunita ad tempus relinquens. Sapiens enim quilibet conjicere poterit homines facile in errorem induci, vt excuſationes quærant in peccatis & peccata ſua liberiùs committant, ſtatim atque Deus ſpecialem eorum curam deſeruiſſe videtur, dum eos tanquam filios non erudit, *in laboribus* enim *hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur ideo tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate & impietate ſua*, Pſ. 72. Verè quippe hæretici dicuntur operiri malis moribus & impietate, dum falſis dogmatibus & doctrinis, quæcumque agunt vt recta & iuſta defendunt: *Superbia* enim *eorum qui Deum oderunt aſcendit ſemper*, Pſ. 73. Quo quæſo aſcendit? Niſi vt tam impudens ſit omnis homo mendax, vt apertæ & reuelatæ veritati ſeſe per adinuentiones proprias audacter opponat.

Vltima denique plaga eſt, finalis impœnitentiæ obduratio in malis, mente & voluntate, quod ſatis indicat effrenata libido, immodicæ cupiditates, iratum impetus feroces, quibus homines illicitis voluptatibus, rapinis, cædibus, & homicidiis Deum grauiter offendunt: ex tot enim ſceleribus tandem contrahitur inſenſibilis quædam obduratio in malis, vt ſalus eorum qui talia agunt videatur deſperata, quia cum plena deliberatione malitioſè peccant. Vt tam periculoſi ſtatus indicium daret Deus, præcepit Ezechieli ne lugeret mortem chariſſimæ vxoris, ſicut iſti mortem æternam ſibi imminentem non ſentiunt, ac ſi diceret: homines perditi, pœnis æternis iam iam addicendi, adeo inſenſibiles ſunt, vt tantum malum non præſentiant: vt tanti ſtuporis ſpecimen exhibeas, nolo vt lugeas vxorem chariſſimam cap. 24. *Fili hominis, ecce ego tollo à te deſiderabile oculorum tuorum in plaga, & non planges nec plorabis, neque fluent lachryma tua, ingemiſce tacens, mortuorum luctum non facies, corona tua circumligata ſit tibi, & calceamenta tua erunt in pedibus tuis, nec amictu ora velabis, nec cibos lugentium comedes.* Et cum Propheta ea quæ præceperat Deus adimpleret, dixit ad eum populus: *Quare non indicas nobis quid iſta ſignificent quæ tu facis? Et dixi ad eos*, inquit Propheta, *ſermo Domini factus eſt ad me dicens: loquere domui Iſrael: Hæc dicit Dominus Deus, ecce ego polluam ſanctuarium meum, ſuperbiam imperij veſtri, & deſiderabile oculorum veſtrorum, & ſuper quo pauet anima veſtra, filij veſtri, & filiæ veſtræ quas reliquiſtis gladio cadent.* Ad litteram Propheta templi deſtructionem prænunciat, *Polluam ſanctuarium meum. i. vt incendatur Templum, & cunctis alienigenis putrat ac prophanis, & in quo habebatis ſuperbiam, id eſt confidentiam & ſpem, ac deſiderium ſalutis veſtræ, & ad cuius obſidionem veſtræ animæ formidabant, filios quoque & filias, quos vobis fames & peſtilentia reliquos fecerat, conſumam gladio.* Ita Hier. In qua hiſtoria depictus videtur periculoſus animæ ſtatus cum à Deo derelinquitur. Polluitur ſanctuarium Dei, cum anima peccatis impletur, ſuperbia imperij noſtri polluitur, cum lumen fidei (quo captiuatur & in Dei ſeruitutem, cui ſeruare regnare eſt, intellectus redigitur, & de quo gloriabamur veluti gens ſancta, populus acquiſitionis, regale ſacerdotium) extinguitur: au-

Digitized by Google

fertur deſiderablie oculorum noſtrorum, cum cha- A
ritas & virtutis amor amittitur; polluitur ſupet quo
pauet anima noſtra, cum timor Dei à cordibus no-
ſtris auellitur; & tunc filij noſtri & filiæ noſtræ in
gladio cadunt, cum omnia bona opera, & omnes
piæ & ſanctæ affectiones præciduntur. Quis non lu-
gere, & cum eiulatu dicere deberet, in tantam de-
ductus bonorum ſpiritualium pauperiem: *Reddemi-
bi lætitiam ſalutaris tui?* At è contra inſenſibiles ſu-
mus, & obſtinato animo in peccatis permanemus:
quæ tanta inſenſibilitas ſignificatur in his quæ Pro-
pheta ad imitationem ſui facturos eſſe prædicit,
cum polluendum foret templum & altare. *Et facie-
tis ſicut feci, ora amictu non velabitis*, ſcilicet per ni-
miam impudentiam: *cibos lugentium non comedetis,* B
dum videlicet lætantur peccatores *cum male fecerint,
& exultant in rebus peſſimis*; *cornua habebitis in capiti-
bus veſtris*, dum potius per iactantiam, gloriam de
ſceleribus veſtris ab inuicem accipietis, quàm dolo-
rem de eis in cordibus veſtris concipiatis; *& calcea-
menta in pedibus veſtris*, vt nempe faciliùs ad malum
properetis, iuxta illud: *Veloces pedes eorum ad effun-
dendum ſanguinem: contritio, & infelicitas in viis eo-
rum & viam pacis non cognouerunt: non eſt timor Dei
ante oculos eorum. Non plangebitis*, addit Propheta,
neque flebitis, quia propter duritiem cordis longe
aberit à vobis de peccatis dolor & gemitus, ſed ta-
beſcetis in iniquitatibus veſtris, occumbentes in
peccatis, nec ab eis recedentes *moriemini in peccato* C
veſtro, dicebat Chriſtus Iudæis. *Et vnuſquiſque gemet
ad fratrem ſuum*: Nam ſicut olim afflictio populi Iu-
daici tanta fuit, vt alius in alium huius miſeriæ cau-
ſam referret, nullusque erat qui propriam agnoſce-
ret culpam, ita mali in inferno gementes vnuſquiſ-
que gemet ad fratrem, dum cauſam ſuæ damnatio-
nis aliorum culpæ potiùs quàm propriæ inſcitiæ ac
malitiæ adſcribent. *Aperient enim os ſuum in blaſphe-
mias ad Deum, blaſphemare nomen eius, & tabernacu-
lum eius, & eos qui in cœlis habitant.* Apoc. 13. Blaſ-
phemabunt quippe Deum qui eos creauit, qui eos
in eſſe conſeruat, quo fit vt viuant in tormentis;
Chriſtum qui eos redemit, quòd propter ingratitu-
dinem tanti beneficij ſeuerius plectuntur; Angelos D
Cuſtodes qui turpitudinem morum illis expro-
brant, propter quam illos deſeruerunt; ſanctos
quorum exempla ſequi neglexerunt, qui eos pœna
æterna dignißimos iudicarunt, homines qui eis in
ſceleribus conſenſerunt, dæmones à quibus vexan-
tur, omnem creaturam, quæ inſurrexit in eos, vt
partes Dei contra inſenſatos tueretur. Miſerandus
igitur rerum ſtatus, cum per peccatorum multipli-
cationem anima ad malum obduratur, itaut tandem
æternam incurrat damnationem.

Si igitur, vt paucis prædicta complectar, quæras
quodnam ſilentium appareat poſt apertionem ſe-
ptimi ſigilli, in cuius apertione Deus manifeſtare in-
tendit ſtatum miſerrimum ingratitudinis hominum E
poſt beneficia redemptionis, itaut Deus omnes à ſe
repelleret, niſi ex ſumma Clementia contra infir-
mitatem & ingratitudinem eorum quædam præpa-
raſſet remedia; Dico deſignari per ſilentium illud
tempus in quo Deus expectat homines ad pœniten-
tiam, & ſola comminatione pœnarum vtitur, dum
cuncti interea genio nihilominus indulgent, ſpretis
comminationibus diuinis, & libertimè peccant,
proſpere tamen agentes in rebus terrenis: quod
quidem tempus abbreuiatur, ne peruertantur for-
taſſe electi iuxta illud: *Et niſi breuiati fuiſſent dies illi,
non fieret ſalua omnis caro, ſed propter electos breuiabun-
tur dies illi.* Matt. 24. Et paulo pòſt: *Itaut in errorem
inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi.*

*Alia interpretatio huius ſilentij, de admiratione
ſanctorum. §. 3.*

Hanc interpretationem admittit Cornelius dum
ait: *Silentium ergo hoc fuit periſtaſis, ſiue circumſtantia
præuia, aut potius comitans ſeptem plagas, atque ſignifi-
cat tacitam expectationem & conſiderationem ſeptem tu-
barum & plagarum, quaſi rerum magnarum inſolitarum
& ſtupendarum, indeque conſequentem quaſi admiratio-
nem & ad ſilentium vſque ſtuporem cœlitum, ſtupentium
numinum & admirantium tum gloriam ſanctorum ſig-
natorum viſo ſexto ſigillo, tum pœnas impiorum ſeptimo
ſigillo contentas, iam enim apertum erat ſeptimum
ſigillum: ait enim, Et cum aperuiſſet ſeptimum ſigillum
factum eſt ſilentium in cœlo, &c. Et ſtatim ſubdit: Et vi-
di ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Dei, & datæ ſunt
illis ſeptem tubæ, quibus ſcilicet ſeptem plagas ederent, &
annocarent in impios: licèt ergo Beati, in terra, rebuſ-
que naturalibus & terrenis vt pote paruis nihil admitten-
tur, admirantur tamen diuina & cœleſtia, vt pote ſupernа-
turalia, ac præſertim ineffabilia & incomprehenſibilia
ſanctorum præmia, & impiorum ſupplicia.* Ita Cornel.

Dicimus præterea hoc ſilentium deſignare ad-
mirationem ſanctorum, in Eccleſia tam Militante
quam Triumphante, clementiæ, & benignitatis di-
uinæ, tum etiam profundi illius iudicij, quo Deus
ſuppliciis, ac pœnis iuſtos ac iniuſtos exercet, vel vt
probentur, vel vt purgentur, vel vt puniantur. Igi-
tur cum ait S. Ioannes: *Et cum aperuiſſet ſigillum ſe-
ptimum*, &c. Idem eſt ac ſi diceret. Cum Deo pla-
cuit manifeſtare quantam gereret curam ſalutis ho-
minum, eos vſque ad extremam vitæ periodum fa-
uore præcipuo benigne ad ſe allicere pertentans,
dum vim & efficaciam maximam publicis Eccleſiæ
orationibus tribuit in Sacramento Extremæ-vnctio-
nis, quod adminiſtratur verbis deprecatoriis (per
has enim orationes gratia confertur, quæ peccato-
rum per totam vitam commiſſorum reliquias aufe-
rat) inſuper cum illi placuit vt benignitas & cle-
mentia qua vtitur erga electos innoteſceret, dum
eos videlicet variis afflictionibus & malis exerceri
ſinit, quibus eos vel à peccatis præſeruet, vel eos
purgare & probare, & ad gloriam adipiſcendam
præparare ſtudet, nec eos tamen deſerat in tempo-
re malo, ſed eiſdem continuum ac liberrimum ad
ſeipſum acceſſum præſtet, vt dum afflictionibus ve-
xantur & ſolatium præbeat, & auxilium nanciſcan-
tur, quo poſſint omnia patienter tolerare, nec in-
ter aduerſa deficere, aut ab eius gratia ſeparari:
conceſſit enim Eccleſiæ ſuæ vt mediante ſacrificio
Corporis & Sanguinis Chriſti, à Deo poſſit in tem-
pore opportuno cuncta ſibi neceſſaria pro tempo-
rum ratione impetrare: Tunc maxima admiratio
mentem omnium ſanctorum tam beatorum quàm
viatorum inuaſit, qua ratione fieret vt Deus pecca-
tis & ingratitudine hominum prouocatus eos ſtatim
non deſerat, ſed poſt media ſufficientia & efficacia
aſpernata & neglecta, quibus potuiſſent efficaciter
gloriam ſibi comparare, adhuc alia præſtaret, qui-
bus ingratitudini eorum mederetur, & pœnæ debi-
tæ poſſent ab eorum capitibus auerti: nam dum
homines in hac vita mortali degunt, illis præſtat
medium efficaciſſimum, quo protectionem ſuam,
quo ſuum fauorem & omnia ſibi neceſſaria & con-
uenientiſſima poſſint impetrare, nempe corporis &
ſanguinis ſui ſacrificium: & cum ad extrema redu-
cuntur illis ſuppeditat aliud medium efficaciſſimum
quo eorum defectus ſuppleri valeant, eo potiſſimum
tempore in quo potius videretur ab eius iuſtitia pœ-
nas eſſe exigendas, quia videlicet tot tantiſque gra-
tiis præuenti vt ſalutem poſſent conſequi, illis gra-
tiis cooperari neglexerunt, tamen medium ſuppedi-

tat quo huic negligentiæ occurratur, Sacramentum nempe Extremæ-vnctionis. Hoc proculdubio Dei prouidentiam manifestat, cui cura est de nobis; hoc certè summam in eo erga nos clementiam & benignitatem indicat, qui nunquam ex corde à se abjicit ac repellit filios hominum: quæ omnia mentes sanctorum extra se rapere possunt, nec enim apud se nec apud creaturas inueniri potest ratio sufficiens, propter quam Deus hac patientia, longanimitate, cura, sollicitudine, clemẽtia & bonitate erga homines vti debeat. In Deo solo est conquiescendum, qui tam bonus est vt propter seipsum solum beneficia conferre possit hominibus, & totius illius dispositionis rationes apud se continet. Et subinde non minor admirationis causa offertur, cur Deus qui tam solicitè hominum & electorum præcipuè curam gerit, qui tanta clementia & benignitate illis tot media ad gratiam adipiscendam confert, tot auxilia præstat, quibus à se omnia mala auertere possunt, ipse, inquam, piissimus Pater, benignus Dominus permittat eos tot malis turbari, tot afflictionibus vexari, tot probari tentationibus, tot commoueri passionibus, inter tot errores, hæreses, & homines moribus corruptissimos versari, quibus omnibus eorum salus videtur in ingens adduci discrimen & periclitari; tandem cur mala eadem subire plærumque cogantur, quibus Deus ingentia hominum scelera seuerè plectitur, etiam in hac vita, ne dicatur illum aut non videre peccata, aut dum ea videt gratos & acceptos esse peccatores. Expectandum in silentio quis tandem futurus sit rerum exitus, qui omnia propter electos fieri declarabit, qui quanta cum æquitate omnia fuerint disposita & dispensata manifestabit, & quinam tanquam aurum per mala probandi sunt, quiue tanquam plumbum deficiunt indicabit. O quàm meritò tunc laudabitur diuina bonitas, quæ ita irascitur in hominum præsumptiones, ac punit suæ maiestatis contemptores, vt tamen eorum qui illum obliti sunt recordetur, & non obliuiscatur in ira misericordias suas, dum ne oneri succumbamus præstat auxilium quo subleuemur, & possimus impetrare siue præseruationem à malis, siue leuamen in ipsis, siue liberationem ab ipsis; & vt hæc mala patienter tolerata ad salutem æternam conducant. Quantis præconiis erit extollenda illa diuina clementia, quæ promidit de remedio contra animi nostri ignorantias, quo auferantur peccata mortifera cognitionem nostram fugientia? Certè si qui damnationem sibi acquirant, plane cognoscetur hoc fieri quia nolint à peccatis resipiscere, nec de eis dolorem concipere; hoc inquam, fieri propter nimiam animi obstinationem, qua mortales ex plena mentis deliberatione & certa malitia in peccatis perseuerant: nam si virtualiter aut habitualiter peccatum detestarentur, dum Sacramentum Extremæ-vnctionis illis administratur, quia efficaciam habet remittendi peccata incognita cum voluntas & affectus cuiuslibet peccati abest, & è contra adest efficax voluntas faciendi quidquid Deus à nobis exigere voluerit, vt nobis remitteretur quodlibet peccatum si à nobis dignosceretur, proculdubio remissionem peccati accepissent & salutem fuissent consequuti.

A B C D E

De duratione illius silentij. §. 4.

Per mediam horam durat hoc silentium. Quid autem velit innuere Propheta, dum non horam integram assignat huic silentio, sed tantum dimidiam, inquirendum. Dicet Lud. ab Alcazar, vt etiam notat Cornel. quod hora significat totum persecutionis tempus, quod quia contrahit Deus, hinc vocatur media hora, & dimidium tolerationis, ad modum Tobiæ tolerantis acerbitatem fellis super oculos impositi, symbolicè & tropologicè significat, quod ad Dei cognitionem compendiaria via sit labor & tribulatio. Andreæ Cæsarienſi, horæ dimidium est temporis breuitas, quod inter plagas illatas, resque in terra consummatas, & regni Christi manifestationem intercedit.

S. Anselmus etiam per mediam horam intelligit quamdam temporis breuitatem dum ait: *Post mortem Anti-Christi erit pax quasi mediâ horâ, scilicet non durabit quies illa, quoniam cito veniet iudicium.* Consentit Beda cum ait: *Post interitum Anti-Christi requies aliquantula futura creditur in Ecclesia.* Conspirant igitur isti interpretes, vt per dimidiam horam vel temporis breuitatem, vel alicuius spatij temporis abbreuiaturam & decurtationem intelligamus. Nos vt aliquem sensum interpretationi nostræ consonum eruamus,

Dicimus primò, manifestum esse in scriptura totum tempus nobis ad pœnitentiam concessum, & ad benè & meritoriè operandum significari per horam, Rom. c. 13. *Et hoc scientes quia hora est iam nos de somno surgere, nunc enim propior est nostra salus quàm cum credidimus.* Hanc horam S. Chrysost. hom. 23. pro tempestiuo tempore sumit; *Præsertim*, inquit, *cum sciamus tempus quod tempestiuum sit nos iam à somno expergisci, postquam omnia quæ necessaria fuerunt præcepit. Rursus illos ad bonorum operum exhibitionem ab eo quod vrget impellit: Pro foribus enim, inquit, iudicij tempus instat.* Et paulò pòst: *Quid autem est quod dicit, Hora est vt à somno iam expergiscamur? Hoc est, prope est iam resurrectio, prope est terribile iudicium, prope est dies illa velut clibanus accensa.* Ita Chrys.

In hac igitur hora intelligere possumus & opportunitatem temporis ad pœnitentiam agendam & bene operandum, & illius spatij temporis breuitatem. Ita Ioan. 4. *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate.* In hoc enim loco clarè significatur tempus opportunum ad facienda opera salutifera, qualis est Dei adoratio in spiritu & veritate. Pari ratione per horam, Matt. 20. intelligitur tempus opportunum vt Dei vocationi cooperemus, dum Pater-familias exiit non solum primo mane, sed etiam circa horam tertiam, sextam, & nonam & vndecimam, conducere operarios in vineam suam, & quia post aduentum Christi vsque ad consummationem seculi patet nobis aditus ad Deum, & nobis gratia Dei offertur, totum illud tempus nouissima hora appellatur, 1. Ioann. c. 2. *Filioli*, inquit, *nouissima hora est, & sicut audistis quia Anti-Christus venit, & nunc Anti-Christi multi facti sunt, vnde scimus quia nouissima hora est.* Totum hoc tempus hora dicitur propter breuitatem: mille enim anni ante oculos Dei, *tanquam dies hesterna quæ præterijt.* Hora verò, non momentum, vt intelligamus etsi tempus breuissimum sit, siue respectu æternitatis, siue quia citò transit, tandem non adeo breuissimum sit, vt pœnitendi locum seu spatium non tribuat, sed pœnitere licet si tempus opportunum nobis concessum amplecti voluerimus.

Dico secundò, hoc temporis spatium in duas diuidi partes, vt intelligamus gratiæ Dei nobis esse cooperandum, vt ex tempore ad pœnitendum & bene operandum concesso fructum referamus. Hoc indicasse mihi videtur Christus Dominus, cum in horto orans & Apostolos eum concomitantes somno oppressos reperiens, Petrum cui præcipuè erat vigilandum, propter imminens periculum, quia eius abnegatio culpa futura esset grauior aliorum discipulorum derelictione, & propter malum exemplum quod magis nociuum futurum etiam esset,

Digitized by Google

eum, inquam, alloquitur dicens: *Sic non potuistis vna hora vigilare mecum? Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.* Ac si diceret: Tu, ó Petre, qui in eminentiori gradu positus alios ad vigilandum verbo & exemplo debes prouocare, tu qui in periculosiori statu positus es, ob vehementiam tentationis imminentis, tu inquam dormis, & alios somno opprimi permittis. Debebas certè hanc horam, quæ ad impetrandum Dei auxilium erat opportunissima, cum ipse orarem, fructuosius transigere. Adhuc hortor vt quod parum restat temporis fructuosius insumatis: *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem*: me enim orante cælum apertum est, vt hominum orationes possint ad Deum facilius conscendere. Qua Christi exhortatione discimus Deo nobis esse cooperandum. Concedit Deus tempus ad pœnitentiam & bonam operationem: vt ex parte sua facit quicquid necessarium est, ita ex parte nostra fideliter gratiæ oblatæ cooperare debemus, dicente S. Paulo optimè: *Non ego solus, sed gratia Dei mecum.* Igitur vt significetur tempus totum à Deo concessum duos habere respectus, vnum ad Deum vocantem & suam gratiam offerentem, alium ad homines huic gratiæ cooperantes vel illam reiicientes, diuiditur hoc temporis spatium in duas partes; & quia hic de infidelitate hominum, qui gratiæ Dei fideliter non cooperarunt, mentio debet fieri, propter quam infidelitatem pœnis sunt plectendi, ideo dicitur hoc silentium per semi horam tantum duralle, ac si diceret S. Ioannes: Tot tantisque beneficiis quæ vobis proposuimus, homines Deo ita præueniente, certè dicere potest: *Quid debui facere vineæ meæ & non feci?* At ad beneficia ingrati gratiam neglexerunt, ideo opportunitas temporis ab eis auferitur, & abbreuiatur tempus, ne sceleratiores euadant, Hora igitur non est completa, quia si Deus gratiam obtulit, mortales illam respuerunt.

Dico tertiò, spatium durationis huius silentij esse tantum mediæ horæ, quia iam dimidia horæ pars elapsa est. Tempus enim totum Regni Christi in terris in duas partes diuiditur, & duos Ecclesiæ status designat. Primus status est cum postquam fides suscipitur, radices agit, fructificat, & cuncta quæ ad Dei honorem & cultum pertinent feliciter adimplentur: nam sensibiliter videtur post prædicationem & vocationem alicuius gentis ad fidem & Dei cognitionem, fidem dilatari, cultum Dei stabiliri, bona opera in preto haberi, ea liberrimè exerceri; veritatem, nemine contradicente, ab omnibus coli, peccata non solum tanquam omni odio & abominatione digna condemnari, sed etiam seuerè puniri; Denique Ecclesiam & administrare Sacramenta, & suas functiones, suaque munia, suamque iurisdictionem in foro interiori & exteriori liberrimè reducere in praxim, Christo feliciter regnante in terris, iuxta illud: *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime: specie tua, & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna.* Hic Ecclesiæ felicissimus status quasi iam elapsus indicitur, & sic totius temporis per horam designati media pars transacta est. Restat pro alio Ecclesiæ statu (in quo homines paulatim à timore Dei recedunt, & ad statum reducuntur de quo Christus dicit: *Putasne filius hominis fidem inueniet super terram?* Et, *quia abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum*) alia pars horæ, seu illius temporis, qua durante fit silentium in cœlo: nam dum Deus afflictionibus variis & plagis multis conatur homines à sceleribus reuocare, dum ipsi paulatim recedunt, & postquam flagellis non fuerunt eruditi, nec ad meliora conuersi, tum demum in cæcitatem cordis & ignorantiam rerum diuinarum, in effrenatas iras & libidines, in errores varios, & tandem in obstinationem & obdurationem incidunt, elabitur semihora silentij, dum non obmurmurat conscientia, non confitetur lingua peccata, non ad laudandum & orandum Deum aperiuntur ora, scelera non puniuntur, Prælati & prædicatores obmutescunt, Deus repudiationem huius gentis meditans non amplius eam flagellis erudire satagit: sicque dum silent omnia, dum prosperè agunt & liberrimè cuncta perpetrant scelera, tempus à Deo concessum elabitur, & morte adueniente in tartara detruduntur, & durante etiam hoc spatio temporis silent sancti & iusti rei exitum expectantes, nesciunt quem fructum ex afflictionibus, iusti sunt reportaturi, nesciunt an mali per hæc flagella eruditi ad Deum sint conuertendi, latent eos diuina iudicia, an videlicet Deus ab hac gente omnino sit recessurus, & suum regnum alibi translaturus, vel an pietas tot tantisque contradictionibus superatis, in pristinum statum & vigorem sit reducenda, itaut ad primum feruorem cuncti redeant, & Ecclesiæ regnum ad pristinum statum & primæuam gloriam sit reducendum: silentes quid futurum sit expectant, tum etiam nam hic aut iste inter tot aduersa, in Dei timore permaneat, an hic vel ille à malis moribus per hæc mala pœnæ corrigendus sit, an erroribus resistere aut ab eis abduci debeat, an denique firmus in fide in gratia decedat, vel in peccatis obduratus à pœnis temporalibus ad æterna supplicia sit transiturus. Hæc omnia cum sint incerta & incognita, vt pura de iis quæ solus Deus nouit, silere oportet, expectare oportet, & iudicia Dei cum omni reuerentia suspicienda veniunt, nec curiosè sunt scrutanda. Deum enim decet laus & silentium in Sion, qui mala permittit vt bona eliciat, nec misereri obliuiscitur, nec continet in ira misericordias suas.

Dico vltimò per hanc dimidiationem horæ significari abbreuiationem temporis afflictionum, quas immittit Deus ad punienda hominum peccata; abbreuiationem etiam temporis in quo vigent aut mores corrupti aut hæreses, ne fragilitas humana malorum impatiens à Dei dilectione recedat, aut ad peccatum prona cæteris peccantibus consentiat: de qua abbreuiatione dixit Dominus Matt. 24. *Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi.*

De mediis quibus vtitur diuina prouidentia, vt homines à peccandi libidine abstrahat, antequam mala & plagas immittat.

ANNOTAT. VI.

TRIA proculdubio media adhibet Deus, vt homines à peccandi libidine compescat, & hac ratione emendatis, supplicia tum æterna tum temporalia ab eis auertat. Primum medium est prædicatio verbi diuini, qua fortiter proclamantur comminationes suppliciorum, quibus Deus peccata castigat & punit, siue æternaliter siue temporaliter. Secundum est facultas orandi Deum, seu donum orationis, cuius orationis vis & efficacia potissimum elucet in Sacramento Extremæ-vnctionis, quo Deus prouidet ne quis pœnas æternas plærumque incurrat, dum aliquod peccatum mortale ægroti cognitionem fugiens per hoc Sacramentum remittitur. Tertium est sacrosanctum Missæ sacrificium; quo & leuamen ac solatium, & ablatio afflictionum ac cætera necessaria, vt hæc omnia cooperentur electis in bonum, impetrentur: de quibus mediis hîc nobis sigillatim est differendum.

Digitized by Google

richo. Ioſue 6. Hoc autem miniſterium potiùs Angelis cuſtodibus aſſignamus quàm primoribus Angelis: quia primorum eſt ordinare, & quodammodo præcipere; inferiorum verò eſt executioni demandare. Priorum eſt dare & aſſignare tubas, inferiorum eſt accipere inſtrumenta quibus denuntient quæ præcipiuntur, & hoc tantò libentiùs dico, quod de Angelis cuſtodibus Exod. 23. dicitur ipſis eſſe obſequendum, aliàs ipſos Angelos peccata eſſe punituros. *Obſerua*, inquit, *eum, & audi vocem eius: nec contemnendum putes, quia non dimittet cum peccaueris*: quod adimpleri videtur in hoc capite. Nam ſtatim atque tubæ clanxerunt, plagas infligere videntur in eos, qui vocem eorum audire contempſerunt, quos derelinquunt & à quibus recedunt, ſicut Medicus aut Chirurgus phreneticum omnia aſpernantem remedia dereliquit: quòd eius ſit propterea deſperata ſalus: ac de eis hæc verba Ierem. c. 5. intelligere poſſumus, *Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam, & eamus vnuſquiſque in terram ſuam, quoniam peruenit vſque ad cælos iudicium eius, & elevatum eſt vſque ad nubes. Protulit Dominus iuſtitias noſtras. Venite & narremus in Sion opus Domini Dei noſtri: acuite ſagittas, & implete pharetras. Suſcitauit Dominus ſpiritum Regum Medorum & contra Babylonem mens eius eſt, vt perdet eam: quoniam vltio Domini eſt vltio templi ſui.* Quod de Babylone dicitur, dici poteſt de qualibet gente & natione, & de quolibet peccatore, omnia remedia, quibus ſanari poſſet à peccatis, rejiciente. Per hos Angelos Rupertus Angelos Cuſtodes nobiſcum intelligit, dum de primo illorum tuba canente loquens ait: *Ab Angelis nobis deputatis quotidie die noctuque Domino factori noſtro opera noſtra nunciantur, &c. Ipſa annuntiatio quaſi cantus tubæ eſt, quaſi magnus clamor: ſiue pergrande peccatum, ſiue oratio ſit vehemens, ante Deum clamor eſt.* Ita Rupertus in hæc verba: *Et primus Angelus tuba cecinit.*

Dico tertiò: Non ſolùm Angelos, quoſdam ſuis inſpirationibus ſuis impellentes vt Dei iudicia annuntient, ſed etiam ipſos Eccleſiæ Paſtores & concionatores per ſeptem Angelos poſſumus intelligere. Ita ſentit Ambroſius hic cum ait: *Per ſeptem Angelos, Doctores qui ad erudiendum populum Dei à Deo miſſi ſunt, & mittentur vſque ad finem, deſignantur.* Et poſtea: *Per tubæ cantum prædicatio deſignatur, prædicatores quippe ſancti ad hoc ſemper parati exiſtunt, vt quoſcumque poſſunt per doctrinam ſuæ prædicationis Deo acquirant.* Ita Ambroſ. *In hac tertia viſione*, inquit Anſelmus, *agit de officio prædicationis iniuncto ſeptem Angelis, qua prædicatione oſtendit fieri ſeptem perſecutiones & plagas mortales reproborum: neque hoc deuiat ab intentione, ſed multum hortatur & inuitat eos qui ſunt in Eccleſia, vt patienter tribulationes ſuſtineant: aliter enim fient extra Eccleſiam, & percutientur. Ponit hanc viſionem ad ſimilitudinem figuræ illius, vbi filij Iſrael tuba canentes proſtrauerunt muros Hiericho Ioſue c. 6. Et vidi ſeptem Angelos vniuerſos, vel ſeptiformi ſpiritu imbutos, ſtantes paratos Deo obedire, vel non ceſſantes piis ſubuenire in conſpectu Dei, quia non diſplicet Deo damnatio impiorum; & datæ ſunt illis tubæ ſeptem, id eſt, officium prædicationis.* Ita S. Anſel. A quo habes quod diximus hîc agi de officio prædicationis, quo medio Deus vtitur vt mortales à peccandi libidine auertat. Optimè igitur Primaſius: *In ſeptem Angelis Eccleſiam repeti, iuxta præcedentem regulam, nouerimus: quæ propter vniuerſitatem ſeptiformi ſæpe numero commendatur. Hæc ſtrmiſſimam prædicationis tubam dicitur accepiſſe, qua præualeſcente ſeculum omne fidimus credere. Legimus enim: Sicut tuba ex alta vocem tuam.* Ita Primaſ. Iſti Angeli ſeu prædicatores dicuntur in conſpectu Dei, quia ad hoc opus præſtandum ad Dei nutum ſunt paratiſſimi. Talis erat ille qui dicebat: *Ecce ego mitte me*, Iſaias nempe c. 6. qui de ſe loquens refert audiiſſe ſe vocem Domini dicentis: *Quem mittam, & quis ibit nobis? Vt Sacramentum*, inquit S. Hieronym. *indicet Trinitatis. Quomodo enim in Euangelio legimus dicentem Dominum: Ego & Pater vnum ſumus; & vnum ad naturam referimus, ſumus, ad perſonarum diuerſitatem, ſic Domino iubente Trinitas imperat.* Ita Hier. *Et dixi*, inquit Iſ. *ecce ego mitte me. Caterum*, ait Hieronym. *nos dicimus non temeritatis eſſe, ſed obedientiæ, Domino ſe obtuliſſe mittendum.* Ita Hier. Erat igitur in conſpectu Dei Iſaias, quia paratiſſimus erat ad obediendum, & annunciandum populo dura, nempe illius obdurationem? *Auditu audite, & nolite intelligere, & videte viſu, & nolite cognoſcere: excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte videant oculis ſuis & auribus audiant & conuertantur & ſanentur.* Tales fuerunt in conſpectu Dei plurimi ſancti, qui temporibus ſuis videntur in conſpectu Dei ſtetiſſe paratos ad annunciandum populis ſcelera eorum, veluti fuerunt ſanctus Dominicus, ſanctus Franciſcus, ſanctus Hyacinthus, ſanctus Antonius, ſanctus Bernardinus Senenſis. Hi enim omnes eiſque ſimiles forti prædicatione iudicia Dei nunciauerunt. In ore eorum fuit prædicatio fortis, quippe qui præuiderent mala imminentia propter tranſgreſſiones mandatorum Dei: de quibus intelligere poſſumus illud Oſee c. 8. *In gutture tuo ſit tuba*, id eſt prædicatio, *quaſi aquila*, quæ ſcilicet acutiori viſu à longe proſpicit, & ſolis lumen poteſt fixis vîdere oculis, *ſuper domum Domini, pro eo quod tranſgreſſi ſunt fœdus meum, & legem meam prauaricati ſunt. Hoc eſt*, inquit S. Hieronym. *ſic exalta vocem tuam vt tuba ſimilis ſit, vt plurimi audiant, quia plurimi peccauerunt, &c.* Aliter tamen interpretatur, & ſenſum eſſe dicit: *Veniet Nabuchodonoſor cum exercitu ſuo, tam raptim, tam velociter, vt aquilæ imitetur volatum feſtinantis ad prædam.* Ita Hier. Ita hi concionatores, voce tubæ ſimili, debent nunciare velocitatem ſupplicium, quæ Deus immittere debet, vt propter imminens periculum, ſi fieri poteſt, citius conuertantur.

Notandum autem prædicatores qui à ſummo Pontifice aut ab Epiſcopis extraordinariè mittuntur & ad prædicationis munus obeundum deputantur, poſſe ſpecialiùs hîc deſignari: quia ſtantes ſunt in conſpectu Dei, & dantur eis tubæ. Epiſcopi enim in 24. ſenioribus repræſentati ſedent vt iudices, hi ſtant vt opitulatores, de his quæ credenda ſunt decidunt, quæ facienda ſunt præcipiunt; qua reuerentia Dei & Eccleſiæ mandata obſeruanda ſunt decernunt Epiſcopi, ac pœnas contemptoribus infligendas imponunt: hoc eorum eſt officium. At hæc per Eccleſiam proclamare, & vndequaque diuulgare, quaſi præcones qui regis edicta annunciant, quamuis verum ſit prædicationis munus proprium eſſe Epiſcopis, quia tamen omnibus locis adeſſe non poſſunt, & varia & grauia alia negotia illis competunt, id præſtare partes eorum eſſe videntur, quibus tale munus iniungunt, iuxta illud Concilij Trident. ſeſſ. 24. c. 4. *Prædicationis munus, quod Epiſcoporum præcipuum eſt, cupiens ſancta ſynodus quo frequentius poſſit ad ſalutem fidelium exerceri, canones alios ſuper hoc editos ſub ſel. record. Paulo 3. aptius præſentium temporum vſus accommodando, mandat vt in Eccleſiâ ſuâ ipſi per ſe, aut ſi legitimè impediti fuerint, per eos quos ad prædicationis munus aſſument, in aliis autem Eccleſiis per parochos, ſiue iis impeditis per alios ab Epiſcopo, impenſis eorum qui eas præſtare vel tenentur vel ſolent, deputandos, in ciuitate aut in quacumque parte diœceſis cenſebunt expedire, &c.* Ita Conc. Tales ſunt ij, qui Spiritu ſancto inſtigante, à

Digitized by Google

ſummo Pontifice & ab Epiſcopis ſegregantur ad opus ad quod aſſumuntur, nempe vt non in vno tantum loco, vt ordinarij Paſtores, ſed vndequaque valeant verbum Dei annunciare, & quæ ab Eccleſiæ rectoribus decernuntur proclamare, quid populo Chriſtiano fugiendum, quid illi agendum, quid timere, quid ſperare debeat prædicare. Concionatores igitur hi tubæ ſunt in manibus Epiſcoporum, quia eorum poteſtas eſt delegata, & ab eis pendet, iuxta illud: *Factum eſt Verbum Dei in manu Aggæi* c. 1. Habent enim Epiſcopi ex officio hanc auctoritatem prædicandi verbum Dei, & cum ſecundum eorum determinationes, eorumque decreta concionatores inſonant ea quæ decernunt, videntur eſſe quaſi tubæ, per quæ iudicia & præcepta Eccleſiaſtica promulgantur populis & fidelibus Chriſtianis. Quod ſi Epiſcopi poſſunt aliis verbum Dei annunciandi poteſtatem delegare, multo magis hoc poterit ſummus Pontifex, qui eſt Epiſcopus Epiſcoporum, & qui per vniuerſum orbem prædicatores mittit quaſi præcones, qui Eccleſiæ iuſſa, & Dei iudicia annunciant. Hoc ſenſu S. Hierony. S. Paulum tubam Euangelij nuncupauit, qui ſegregatus fuit Antiochiæ, inſtigante Spiritu ſancto, ad hoc opus, vt per ſingulas Eccleſias iam fundatas verbum Dei diſſeminaret.

Quid autem tubæ iſtæ fortiter clangentes annunciare debeant, ad ſeptem potiſſimum puncta referri poſſunt, iuxta numerum ſeptem tubarum. Totius legis Euangelicæ fundamentum eſt perfecta rerum terrenarum abdicatio: debent igitur legis Euangelicæ præcones & promulgatores monere fideles ne nimium inhæreant rebus terrenis, nec ardore nimio bona huius vitæ concupiſcant, ſcientes quod *radix omnium malorum eſt cupiditas*. Secundò vt ad id eos facilius inducant, eoſque à vanitate ſeculi abducant, validè inculcare debent quod *præterit figura huius mundi: mundus enim tranſit & concupiſcentia eius*. Tertiò doceant delitias & voluptates carnis nociuas eſſe & ſpiritui contrarias, mortificandas iuxta illud Apoſtoli: *Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram*, &c. crucifigentes carnem cum concupiſcentiis; alias Deum auaritiam per famem, vanitatem & ambitionem per bella & lites, affectus carnales per morbos & peſtes eſſe puniturum. Deinde ſeriò monendi ſunt fideles, vt ſolliciti ſint addiſcere quæ credenda, facienda & ſperanda, ac à Deo poſtulanda exiſtunt, niſi velint in profundum ignorantiæ craſſæ barathrum incidere, propter quam eſſent à Deo reiiciendi, ignorans quippe ignorabitur. Deinde ſciant ad perfectam illius legis obſeruationem maximè neceſſarium eſſe paſſiones & appetitus refrenare, ad quod præſtandum indigemus potiſſimum gratiâ, quæ per dignam ſuſceptionem Sacramentorum confertur: quæ ſi contemnantur, cum ſint media à Deo ordinata ad gratiam recipiendam, qua adiuti valeamus legem adimplere, proculdubio paſſiones ita dominabuntur, vt à nobis omnem Dei timorem expellant, ac pietatem à cordibus noſtris auellant. Inſuper adhuc monendi ſunt fideles vt ſuperioribus & Paſtoribus Eccleſiæ plenè ſe cõmittant, in iis quæ credenda & facienda ſunt: quòd ſi proprio ſenſui aut iudicio inniti voluerint, ſibimetipſis fidentes, in errores & hæreſes abſque dubio inducentur, quibus fides, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, eradicetur, & fundamentum totius iuſtitiæ Chriſtianæ euertetur. Denique ſeriis comminationibus iudiciorum Dei ad pœnitentiam prouocandi ſunt: quòd ſi eas contemnere in animum induxerint, eos in finalem impœnitentiam reprobationis cauſam caſuros, qua damnationem certiſſimam incurrant. Hæc ſunt quæ ab his tubis cani, & proclamari debent, eo fere ordine quem aſſignamus, vt pote aliquali ratione conueniens cum iis quæ ſub ſymbolis à S. Ioanne viſis poſt apertionem ſeptimi ſigilli deſcribuntur, ſtatim atque vna ex his tubis clanxit.

Igitur ſicut S. Paulus à S. Hieronymo recte tuba Euangelij eſt nuncupatus, quia *in omnem terram exiuit ſonus eorum*, & vndequaque Euangelium ab eo fuit promulgatum, ita hi concionatores legitime miſſi, & auctoritatem legitimam annunciandi Euangelium recipientes, tubæ nuncupari poſſunt, qui eodem ſpiritu quo Epiſcopi, ad decernendum & decidendum de rebus fidei & moribus probis, inflati & repleti fidelibus annuncient credenda, facienda, timenda, fugienda, ſperanda. Tubæ ſunt in manibus ſummi Pontificis & Epiſcoporum, qui ſunt Angeli, quia ab eis prædicationis munus accipiunt, & quia per eos Eccleſiæ Prælati populis ſua documenta, ſuaque præcepta inculcant, & per eos loqui dicuntur Prælati, quia eodem ſpiritu annuntiant quo ipſi Epiſcopi auctoritatem acceperunt: vno enim & eodem ſpiritu totum corpus Eccleſiæ ſanctificatur & regitur, qui operatur omnia in omnibus.

Ecce primum auxilium à Deo fidelibus præparatum, vt effugere & euitare poſſint plagas peccatoribus infligendas, ſi ad ſonitum tubarum terreantur, ſi à peccatis abſtineant, ſi reſipiſcant & pœnitentiam agant timore iudiciorum Dei impulſi, ſcientes quod horrendum ſit incidere in manus Dei viuentis.

Et alius Angelus venit & ſtetit ante altare, habens thuribulum aureum. Et data ſunt illi incenſa multa, vt daret de orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei: & aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum de manu Angeli coram Deo.

Idea ſymboli.

VIDET ſanctus Ioannes, non in cælo Empyreo, ſed aëreo, vbi thronus viſus eſt, altare erectum: & ſtatim atque à Deo ſedente in throno datæ ſunt ſeptem tubæ ſeptem Angelis, qui in conſpectu eius adſtabant, alius venit Angelus ante altare erectum & oppoſitum throno, vt olim altare, ſuper quo incenſum adolebatur coram Deo reſidente in ſancto ſanctorum, oppoſitum erat Sancto ſanctorum. Habebat ille Angelus in manu thuribulum, ſeu acerram, ſiue arculam, ſiue nauiculam vacuam: Data ſunt ei incenſa multa quo repleretur, quæ erant orationum ſanctorum ſymbola, vt ſuper illud altare ante thronum Dei erectum illa incenſa offerat: Ignitum erat illud altare, & in eo erat prunarium: Ideo ſtatim atque effudit incenſa ſuper altare, ſeu altari fuerunt impoſita, euaporari cæperunt, & aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum de manu Angeli coram Deo. Quod cernens ille Angelus, acerram antea incenſis plenam rurſus accipit, & implet de igne altaris, & prunas ardentes ex eo thuribulo aſſumens miſit in terram, & in eodem inſtanti audita ſunt tonitrua, auditæ ſunt voces, viſa ſunt fulgura, & terræ motus magnus factus eſt. Iſtius altaris figura fuit altare thymiamatis de lignis Setim, cubitum habens longitudinis, alterum latitudinis, ſeu quadrãgulum, duos cubitos in altitudine, veſtitum auro puriſſimo, tam in craticula quàm in parietibus per circuitum, quàm in cornibus ex ipſo procedentibus, de quo præcipitur Moyſi Exod. 30. vt poneret illud contra velum quod ante arcam pendebat teſtimonij, corã propitiatorio quo tegebatur teſtimoniũ: vbi dicebat Moyſi Dominus: *Loquar tibi: Et adolebit incenſum ſuper eo Aaron ſuaue*

Digitized by Google

fragrans, mane quãdo componet lucernas incendet illud, & quando collocabit eas ad veſperam vret thymiama ſempiternum coram Domino in generationes veſtras: non offeretis ſuper eo thymiama compoſitionis alterius, nec oblationem & victimam, nec libabitis libamina. Et deprecabitur Aaron ſuper cornua eius ſemel per annum, in ſanguine quod oblatum eſt pro peccato, & placabit ſuper eo in generationibus veſtris ſanctum ſanctorum, ait Dominus. Exod. 30. Igitur ſicut in hoc altari erat prunarium, in quo erat ignis quo incendebatur illud thymiama, ita cenſendum eſſe videtur in hoc altari erecto ante thronum Dei, eſſe prunarium, in quo incenſa è thuribulo ſumpta imponebantur. Hoc probabilius videtur, quidquid dicat Cornelius hîc. Et hanc ideam ſibi propoſuit Ludouic. ab Alcazar, qui per thuribulum B accipit acerram, & cenſet thymiama in ipſo altari fuiſſe crematum. In hac ſententia ſequitur Andream Cæſarienſem qui ait: *Iuxta iſtiuſmodi igitur myſticam aram ſtetit Angelus acerram thuriſue receptaculum manu tenens.* Quid in tali idea huius ſymboli ſignificetur, nobis eſt inquirendum.

De duobus mediis aliis quibus Deus homines à peccatis conatur auertere, ne in eos plagas, quas propter peccata demererentur, immittat, in hoc ſymbolo deſignatis, nempe Sacramento Extremæ-vnctionis, & Miſſæ ſacrificio. §. 2.

Hunc paragraphum in diuerſa puncta diuidimus pro faciliori & elucidatiori interpretatione, explicando 1. quis ſit ille Angelus, ſecundò, quodnam altare, tertiò, quid incenſa, quid ignis ſignificent; & poſtea de Sacramento Extremæ-vnctionis, denique de ſacrificio Miſſæ, quomodo in hoc ſymbolo ſignificentur. C

Quinam Angelus habens thuribulum aureum. Punct. 1.

Cornelius à Lapide cenſet hunc Angelum fuiſſe verè & propriè Angelum, æque vt alij ſeptem, quidam putant Gabrielem vel Raphaelem, quos tamen Alcazar, & alij cum eo referunt inter Angelos tubarum, vt pote primores ſtantes in conſpectu Dei.

Anſelmus vult iſtum Angelum digniorem eſſe D aliis Angelis, quibus datæ ſunt tubæ: *Et alius Angelus longè*, inquit, *dignior venit, &c.*

Rupertus Gabrielem aut Michaelem, & tamen potius Michaelem eſſe exiſtimat. *Cum*, inquit, *igitur omnium, vt iam dictum eſt, Angelorum circa nos homines pium ſit beneuolentiâ peruigili ſtudium, multò magis de iſtis hoc ſentiendum eſt, quos vtriuſque veteris ſcilicet, & noui teſtamenti tam celebre per nomina ſua tantis negotiis deſignat præconium. Sed & iſtorum tam excellentium maximus nobis eſt Michael, quippe qui & illius alterius teſtimonio princeps noſter & dicitur & eſt. Princeps in prælio, princeps in orationis ſuffragio, &c.* Et paulo poſt: *His itaque teſtimoniis adſtipulantibus, veraciter agnoſcimus & dicimus hunc Angelum, qui tali ſchemate ſtetit iuxta aram* E *templi, Michaelem eſſe Archangelum Principem noſtrum, & iſtum cunctis retro ſeculis, antequam naſceretur nobis de virgine puer, qui dicitur & eſt magni conſilij Angelus.* Ita Rupert. Ribera: *Quis ſit hic Angelus non conſtat, quoniam ſcriptura non indicat. Non videtur improbabile fuiſſe Gabrielem, qui Danieli pro ſalute populi oranti apparuit. c. 9. aut certe Michaelem, cui tota Eccleſia commiſſa eſt. Ideo fortaſſe in eius officio repetit Eccleſia, quod de hoc Angelo ſcribitur, ſtetit Angelus iuxta aram templi habens thuribulum aureum in manu ſua, &c.* Ribera.

Ex hoc loco Apocalypſis, inquit Cornelius, *& ſimilibus colligunt viri docti peculiarem eſſe Angelum, qui ſacerdoti celebranti aſſiſtat, eum iuuet & dirigat, eius preces & hoſtias Deo offerat: ſiue is Angelus ſit cuſtos celebrantis, ſiue cuſtos altaris & templi, ad hanc cuſtodiam & ſacrificiorum oblationem peculiariter à Deo deputatus.* Ita Cornel. Alcazar per iſtum Angelum vult intelligi Charitatem Chriſtianam, & charitati hic per protopopœiam dari nomen & perſonam Angeli, expectaſſe que Chriſtum vt charitas primorum Chriſtianorum in perſecutione Iudæorum exardeſceret, antequam iram & vindictam ſuam in Iudæos effunderet.

Ambroſius & Anſelmus, & poſt eos Viegas, per iſtum Angelum volunt Chriſtum deſignari, *Qui*, inquit Ambroſius, *venit: quia per incarnationis myſterium in mundo apparuit. Venit*, inquit Anſelmus, *per humanitatem ſibi vnitam.* Mitto ſententiam Aureoli, qui ait hunc Angelum eſſe ſanctum Damaſum, ſub quo valde floruit & creuit Eccleſia.

Nos autem dicimus non eſſe opus vt ſi quis Angelus ſignificetur in iſtis viſionibus, aut aliquis etiam ſanctus, ſeu etiam Chriſtus Dominus, vt ipſi præſentialiter & perſonaliter adſint, ſed ſufficere vt Angelus, qui has viſiones exhibebat S. Ioanni, ideam aliquam ſymbolicam efformaret, ſub qua vel aliquis Angelus, vel aliquis ſanctus, vel etiam Chriſtus Dominus intelligereur. Nec enim aſſignari poteſt ratio cur potius hic Michaël v. g. in propria perſona appareat, & alibi ſint tantum ideæ & figuræ ſymbolicæ, vt clarum eſt in viſione animalium & viginti quatuor ſeniorum. Ipſa enim animalia & ſeniores ideas tantum eſſe ſymbolicas, non autem veras & reales perſonas certum eſt: cumque S. Ioannes multos non adhuc exiſtentes præuideat, per quos plurima debeant perfici eorum quæ prædicit futura, abſurdum eſt exiſtimare eos in medium produci in propria perſona: exiſterent namque antequam exiſterent. Igitur veriſſimum eſt nec hîc nec alibi proprias perſonas ſeſe obtuliſſe intuendas B. Ioanni, ſed tantum in viſione oblatas fuiſſe ſub quadam ſpecie intuendas, ab Angelo cuius miniſterio Chriſtus ea quæ in hac Prophetia continentur ſeruo ſuo Ioanni ſignificauit. Hinc

Dico ſecundò, per iſtum Angelum poſſe deſignari Chriſtum Dominum, vt præcipuum & primarium ſacerdotem; ſanctum Michaëlem, vt Eccleſiæ protectorem; Angelum Sacerdoti ſacrificanti & oranti aſſiſtentem, vt directorem; ipſum tandem Sacerdotem, vt poteſtatem Deum placandi per orationem & ſacrificia habentem, iuxta regulam tertiam in proœmio ex S. Auguſtino allatam, plura imo & diuerſa poſſe in eadem re ſignificari. De Chriſto intelligit S. Anſelmus, vt diximus, qui ſtetit, id eſt paratus Deo noſtras orationes offerre ad ſimilitudinem Sacerdotis, vel, vt ait Ambroſius, ante altare ſtetiſſe dicitur. Iacebat namque Chriſtus in incredulis, qui eum purum hominem æſtimabant, ſtabat verò cum fidelibus, qui eum verum Deum eſſe credebant. De ſancto Michaële interpretatur Dionyſ. Carthuſian. poſtquam per iſtum Angelum Chriſtum deſignari aſſeruit. *Quamuis autem*, inquit, *expoſitio iſta ſit vera atque Catholica, aptiùs tamen videtur vt Angelus iſte intelligatur Angelus ac ſpiritus Eccleſiæ præſidens, ſcilicet Michael, quia nunc princeps extat Eccleſiæ ſicut olim ſynagogæ. Iſte Eccleſiam viſitat, ante eius altare ſtat, habens thuribulum aureum, id eſt charitatem præcipuam ad fideles, per quam eorum ſpiritalia ſacrificia colligit Deoque offert: cui dantur incenſa multa, quando Eccleſia eius ſuffragia petit, ſuaſque preces per manus illius Deo offerri precatur: quod & ille diligenter exequitur, offerens preces & actus fidelium ſuper altare aureum illud cæleſte in patria, ſuper quod beati laudes & preces offerunt Domino. Inſuper accipit Angelus iſte thuribulum ſuum aureum, quia charitatem ſuam extendit ad nos, eumque implet igne præfati altaris, ſeipſum ad nos amandos inflammans vel precibus ſuis ac noſtris ardorem ſanctæ charitatis*

Digitized by Google

nobis à Deo obtinens ac reportans. Ideo ſequitur: Et miſit A ſtatem habet: nec ab hoc ſenſu aliena ſunt quæ Primaſius ait, exponens hæc verba: *Et accepit Angelus thuribulum*, dum ait: *Et accepit Dominus corpus ſuum, id eſt, Eccleſiam, & perficiendo Patris voluntatem impleuit eum ex igne ara, id eſt, ex poteſtate ſoluendi atque ligandi, quæ conſiſtit in ſacrificiis & propitiatione Dei. Sine dicitur etiam. Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem ardentem. In his enim accepit Eccleſia omnem poteſtatem in cœlo & in terra, dum Dei ſacrificium perfecit, offerente Domino ſe principaliter, & exhibentibus ſanctis ſua corpora hoſtiam viuam & ſanctam.* Ita Primaſ. Ex quibus verbis patet per thuribulum intelligi eos qui poteſtatem habent offerendi Deo, & eum placandi oratione & ſacrificio. Anſelmus etiam ait: *Thuribulum aureum, id eſt, vas ignis, per quod ſignificatur* B *corpus Chriſti, vel Apoſtolos, qui ſunt vaſa ſpiritus ſancti.*

in terram, id eſt in corda fidelium: Hos igne charitatis ſuccendit. Quo facto fiebant tonitrua, voces & fulgura: quia tunc corda prædicatorum, Prælatorum ſiue Doctorum confortati ſunt, atque idonea facta ad prædicandum, & ad miraculosè agendum. Ita Dion. Quæ omnia facile eſt extendere ad Angelum Sacerdoti celebranti & oranti aſſiſtentem: *Quocirca*, inquit Cornelius, *ſacerdos dum celebrat meminerit ſibi aſſtare Angelum, eumque veneretur & inuocet, vt ſe dirigat, illuminet, accendat ad digne ſacrificandum.* Et exiſtimat Cornel. de eo debere intelligi quæ in canone dicuntur, ſcilicet: *Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum.* Quæ verba exponens S. Tho. 3. p. q. 83. ar. 4. ad. 9. dicit, quod *ſacerdos non petit, neque quod ſpecies Sacramentales deferantur in cœlum, neque corpus Chriſti verum, quod ibi eſſe non deſinit, ſed petit hoc pro corpore myſtico (quod ſcilicet in hoc Sacramento ſignificatur) vt ſcilicet orationes ſacerdotis & populi, Angelus aſſiſtens diuinis myſteriis Deo repræſentet, ſecundum illud Apocaly. 8. Aſcendit fumus incenſorum de obſtionibus ſanctorum de manu Angeli.* Ita S. Tho.

At nos ad literam, Sacerdotem ipſum, in quantum poteſtatem habet Deum placandi per orationes & ſacrificia, intelligi cenſemus: cui interpretationi fauet quæ dicit Andreas Cæſar. cum ait: *Hunc autem Angeli typum gerit vnus quilibet Pontifex, vt poſte Mediator inter Deum & hominem conſtitutus: nam & huius preces ſurſum euehit, illius autem gratiam & propitiationem deorſum reuehit: alios rurſum ſuaui blandoque admonitionis verbo à peccatis auertit, alios autem ſeueriori quadam caſtigatione & diſciplina ad ſanam mentem reducit.* Ita Andreas. Hæc ſententia probabilis redditur, ex eo quod hic Angelus habere dicitur thuribulum aureum, per quod in ſcriptura poteſtas offerendi ſacrificia, & Deum placandi per orationem deſignari videtur, vt patet ex hiſtoria Core, Dathan, & Abiron, Num. 16. *Mane*, inquit Moyſis, *notum faciet Dominus qui ad ſe pertineant, & ſanctos applicabit ſibi, & quos elegerit approximabunt ei. Hoc igitur facite: tollat vnuſquiſque thuribula ſua, tu Core & omne concilium tuum, & hauſto vrente igne ponite deſuper Thymiama coram Domino, & quemcumque elegerit ipſe erit ſanctus.* Et paulò poſt: *Tollite ſinguli thuribula veſtra & ponite ſuper ea incenſum, offerentes Domino ducenta quinquaginta thuribula, Aaron quoque teneat thuribulum ſuum.* Numer. 16. Ex quo vides thuribulum in ſignum aſſumi, vt ſciretur quiſnam legitimam haberet offerendi, & Deum oratione placandi autoritatem. Vnde poſtea ſæuiente Deo contra murmuratores, dixit Moyſes ad Aaron: *Tolle thuribulum, & hauſto igne de altari, mitte incenſum deſuper, pergens citò ad populum, vt roges pro eis: iam enim egreſſa eſt ira à Domino, & plaga deſæuit. Quod cum feciſſet Aaron, & accurriſſet ad mediam multitudinem, quam iam vaſtabat incendium, obſtulit thymiama: & ſtans inter* E *mortuos & viuentes pro populo deprecatus eſt & plaga ceſſauit.* Hoc etiam patet ex 2. Paralypom. c. 26. vbi dicitur Regem Oziam tenuiſſe in manu thuribulum vt adoleret incenſum, dum ei ſacerdotes obſtiterunt dicentes ei: *Non eſt tui officij, Ozia, vt adoleas incenſum, ſed ſacerdotum, hoc eſt filiorum Aaron.* Vnde ne quis auderet aſſumere ſibi honorem, voluit Deus vt thuribula eorum, qui cum Core incenſa offerre voluerunt, in laminas producerentur & affigerentur altari, vt haberent poſtea filij Iſrael, quibus commonerentur, *ne quis accedat alienigena & qui non eſt de ſemine Aaron, ad offerendum incenſum Domino ne patiatur quod paſſus eſt Core.* Num. 16. Igitur hic Angelus, quia habet thuribulum, optimè deſignare poterit eum qui orandi ſacro ritu, & ſacrificandi pote-

Quid per altare, incenſa, & ignem ſignificatur. Punct. 2.

Per altare aureum, inquit Ambroſius, *Eccleſia deſignatur.* S. autem Anſelmus, ait: *dicitur ipſe Chriſtus altare, ſuper quem Deo offerimus: nihil enim prodeſſet quidquid faceremus, niſi ipſo mediante, id eſt niſi in virtute paſſionis eius: & ſignificatur hic altare à cognitione tam remotum, per altare aureum, quod eſt in ſancta ſanctorum.* Ita Anſelmus.

Altare hoc eſt Chriſtus, inquit Andreas Cæſar. *in quo omnis ſancta & miniſtratoria vis poſita eſt, omniumque Martyrum victimæ & ſacrificia immolantur & offeruntur, cuius quoque typus erat illud quod ſimul cum tabernaculo oſtenſum eſt Moyſi in monte.* Ita Andreas. S. Thomas 3. p. 8. 83. ar. 4. ad 9. *Sublime*, inquit, *autem altare Dei dicitur, vel ipſa Eccleſia triumphans, in quam tranſferri petimus, vel ipſe Deus cuius participationem petimus. De hoc enim altari dicitur Exod. 20. Non aſcendes ad altare meum per gradus, id eſt in trinitate gradum non facies.* Ita D. Tho.

Dico autem has interpretationes ſenſus eſſe myſticos altaris aurei, ad literam autem hîc poſſe rectè intelligi altare ſuper quod offertur ſacroſanctum Chriſti corpus in Miſſæ ſacrificio, de quo S. Paulus Heb. vlt. *Habemus altare de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt.*

Quid autem per incenſa ſignificetur, diuerſæ ſunt ſententiæ. Ambroſius ſicut per thuribulum corda Apoſtolorum, cæterorumque fidelium demonſtrari vult, aureum, quia per fidem purificata, & per ſapientiam quam à Chriſto didicerunt erant inaurata, quia in manu Chriſti ſunt, corda enim regum ſpiritualium, id eſt ſanctorum, in manu Dei ſunt & ideo ad quæcumque voluerit inclinabit ea, ita incenſa intelligit præcepta Euangelij. *Incenſa enim*, inquit, *thuribulo ponuntur, vt calore ignis accepto fragrantiam odoris ſui circumquaque ſpargant: ſimiliter & Chriſtus doctrinam Euangelij in cordibus diſcipulorum ſuorum poſuit, qui igne charitatis ſuccenſi fidem ſuam per omnes gentes ſparſerunt.* Ita Ambroſ. Andreas Cæſarenſis intelligit orationes ſanctorum. *Thimiamata autem*, inquit, *ſunt orationes ſanctorum, quæ Deo, vt dictum eſt, grati odoris loco ſunt.* Ita And. Conſentit Anſelmus: *Et data ſunt illi incenſa multa, id eſt orationes à multis ſanctis Deo oblatæ; vt daret de orationibus ſanctorum omnium, id eſt repræſentaret Deo Patris orationes ſanctorum; ſupra altare aureum, id eſt ſupra ſeipſum, quia ipſe eſt totius boni fundamentum; vel diuinitati quæ eſt ſupra humanitatem; quod eſt ante thronum Dei, id eſt in beneplacito ſedentis in Throno: & hîc nota vt quod placeat altari, placeat & ſedenti.* Hæc Anſel. *Genera autem orationum* inquit Ambroſius, *plura ſunt. Orant namque fideles verbis Deum deprecantes, vt dimittantur eis omnia peccata eorum. Orant & eleemoſynas largiendo, ſicut dicit Dominus in Euangelio: Date eleemoſynam, & ecce om-*

Digitized by Google

nia munda ſunt vobis. Et in alio loco ſcriptum eſt : Sicut aqua extinguit ignem , ita eleemoſyna extinguit peccatum. Orant etiam dimittendo proximis , quæ in eos delinquerunt, ſicut Dominus dicit in Euangelio : Si remiſeritis hominibus peccata eorum, & pater veſter cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra. Orãt nihilominus, & præcepta charitatis ſeruando quemadmodum ſcriptum eſt : Quia vniuerſa delicta operit charitas. Ille igitur ſalubriter orat Deum qui ſeruat mandata Dei. Nihil enim nobis prodeſt clementiam Dei verbis implorare , & operibus irritare. Super altare ergo aureum de orationibus ſanctorum dedit Deus, quando ſuper corda credentium, fidem, doctrinam, actuſque Apoſtolorum cæterorumque prædicatorum poſuit , vt haberent vnde erudirentur, eoquod imitarentur. Vnde & ſequitur : Et aſcendit fumus aromatum de orationibus ſanctorum de manu Angeli in conſpectu Dei. Per fumum aromatum, non ſolum orationes fidelium, ſed & fragrantia bonorum operum deſignatur. Ita Ambroſ. Habemus igitur ex Ambroſio non ſolum orationes, ſed etiam alia bona opera poſſe intelligi per incenſa. Inſuper notandum non dici, & data ſunt illi incenſa multa, quæ ſunt orationes ſanctorum ; ſed *vt daret de orationibus ſanctorum*, ac ſi illa incenſa in cauſa eſſent vt poſſet dare, & offerre de orationibus ſeu orationes ſanctorum. Et rurſus cum ait : *Et aſcendit fumus aromatum* , non dicit nempe orationum ſanctorum , ſed *aromatum de orationibus ſanctorum*, græce ἡ ἀνὴρ ὁ καπνὸς τῶν θυμιαμάτων τῶν προσευχῶν τῶν ἁγίων , ac ſi innueret fumum illum incenſorum accendere per preces ſanctorum, ſicque incenſa ſymbolum ſunt orationis, ita tamen vt etiam aliquid aliud poſſint innuere ab oratione diuerſum. Per incenſa igitur multa , intelligendum videtur quidquid Deo offertur in ſacrificium, ſiue ſint preces & orationes, ſiue aliqua alia materia vt v. g. panis & vinum , quæ offeruntur vt ex eis conficiantur corpus & ſanguis Chriſti, ipſumque Domini corpus & ſanguis poſt conſecrationem: offertur quippe in altari ſacroſancta Chriſti humanitas, ad modum alicuius incenſi fumantis, cum de ea dicatur : *Quæ eſt iſta quæ aſcendit ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris , & vniuerſi pulueris pigmentarij ?* Per incenſum igitur intellige quidquid Deo offertur ad rationem pertinens ſacrificij, & ideo dicit, *incenſa multa* , vt non tantùm orationes (quæ per incenſum ſignificantur, iuxta illud : *Dirigatur Domine oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo*) ſed etiam quidquid Deo offertur, intelligeremus.

Per ignem denique Spiritus ſanctus deſignatur, inquit Ambroſius, eadem dicit Anſelmus, & impleuit illud de igne altaris, id eſt de ſpiritu ſancto, quo ille ipſe plenus erat , & miſit in terram facere fructum.

Andreas Cæſarienſis punitorium ignem intelligit. *Sanctorum*, inquit, *preces per Angelum acceptæ & oblatæ efficere vt thuribulum punitorio igne plenum in terram effunderetur, ſicut olim quoque vnus ex Cherubim apparuit Ezechieli, qui iſtius modi punitorium ignem accepit , acceptumque Angelis, qui ad impiorum habitatorum ciuitatis Hieroſolymorum internecionem mittebantur, tradidit.* Ita Andr. Cornelius à Lap. tum ignem charitatis , tum ignem vindictæ intelligit, dum ait : *Thuribulum de igne altaris impletur & mittitur in terram. Charitas enim quaſi ignis hanc vindictam procurauit, hoc eſt ignis charitatis Chriſti exiuit à Deo, & in terram demiſit ignem vindictæ in impios, per piorum perſecutores & homicidas.* Ita Cornel. Denique poſtea verum ignem intelligit dum ait : *Hæc omnia fuerunt viſione imaginariâ Ioanni exhibita , ad ſignificandum ea quæ dixi. Nam in cælo non eſt altare thymiamatis , nec thuribulum , nec ignis : De igne tamen credibile eſt quod in fine mundi Angelus realiter ignem in terram demittet , quaſi indicium & initium plagarum ſequentium.* Ita Cornel. Alcazar non de igne vindictæ ſed charitatis intelligit: *Hic enim eſt ſpiritus ſanctorum noui teſtamenti , ſcilicet amare inimicos , pro iis orare. Angelus ergo miſit in terram ignem , non vindictæ, ſed religionis, de quo ait Chriſtus Luc. 12. Ignem veni mittere in terram , &c.* Ita Alcazar. De quo autem igne intelligamus, dicemus poſtea : nunc his ita explicatis, quomodo ſymbolum cum mediis quæ diximus conueniat aperiendum.

Applicatio ſymboli cum ſecundo medio quo Deus vtitur, vt à nobis peccatorum pœnas amoueat , nempe Sacramento Extremæ-vnctionis. Punct. 3.

Certiſſimum eſt pœnas æternas amoueri per hoc Sacramentum , dum peccata mortalia attritis , & hoc Sacramentum digne ſuſcipientibus dimittuntur; & etiam temporales , dum a morbo plurimi liberantur , qui illud ſuſcipiunt. Medium igitur eſt à Deo inſtitutum , vt clementiæ ac benignitatis illius effectus ſentiamus. Huius autem Sacramenti efficacia in hoc ſymbolo explicatur. *Et alius Angelus venit.* Per hunc Angelum optimè intelligimus Sacerdotem, publicum iſtius Sacramenti Miniſtrum ; nullus enim illud adminiſtrare debet niſi ſit Sacerdos: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ.* Iacob. c. vltimo, per quos Concilium Trident. intelligi vult Sacerdotes ab Epiſcopo ordinatos. Idem igitur eſt ac ſi diceret: Poſtquam vidi ſeptem Angelos tubas habentes , quibus prædicandi officium Eccleſiæ datum , vt peccatores à peccandi libidine reuocari poſſit , ne plagas incurrant peccatoribus infligendas , ſignificabatur , alius apparuit Angelus , vt munus Sacerdotale , quod per orationem valet gratiam efficaciter conferri, mihi repræſentaret. Vt autem demonſtraret ſe ad hoc munus ſignificandum venire , habebat thuribulum aureum in manu ſua , quo thuribulo tum fides , quæ igni charitatis ſupponitur , tum etiam poteſtas quædam legitima ad Deum accedendi per orationem ſignificatur. Stetit ante altare , vt fidem rectam & firmiſſimam myſteriorum Chriſtianæ Religionis ſe habere demonſtraret : Stetit ante altare , vt vim & efficaciam ſanguinis Chriſti in ara Crucis effuſi , & in altari ſuper quod Miſſæ celebratur officium incruento modo immolati , demonſtraret : quæ vis & efficacia nobis applicatur per media à Chriſto ad hunc effectum inſtituta & præſcripta , inter quæ eſt Sacramentum Extremæ-vnctionis. Habet thuribulum aureum in manu , dum vas olei infirmorum tenet in manu , in quo reconduntur incenſa multa , quia oleum ſanctum , balſamum eſt odoriferum , nihil aliud redolens quam benignitatis & clementiæ diuinæ ſuaueolentem effuſionem , quæ ad preces & orationes Eccleſiæ orantis iuxta poteſtatem ſibi traditam in infirmum effunditur , dum gratia illi confertur per meritum Paſſionis Chriſti , quod quidem infirmo applicatur per hoc Sacramentum. Dantur illi incenſa , quia ex ſe non poteſt conficere hanc materiam Sacramenti , ſed ab Epiſcopo debet conſecrari & Sacerdoti dari , vt ea vtatur ad Sacramenti huius adminiſtrationem. Epiſcopo etiam datur cælitus illa poteſtas, qua poſſit hunc materiam conſecrare. Et datur ei vt det de orationibus ſanctorum omnium , id eſt , vt oratione vtatur , quin & ſanctorum orationem Deo offerat , illos inuocando dum adminiſtrat Sacramentum , Litanias ſanctorum recitando antequam incipiat : *Super altare aureum quod eſt ante thronum Dei* , quia has orationes omnes concludit *per Chriſtum Dominum*, in cuius meritis orationis effectum ſe obtentum ſperat. *Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum , de manu Angeli coram Deo* , quo deſignatur vis & efficacia Sacramenti , quod quidem licet adminiſtretur forma

Digitized

deprecatoria, v. g. cum dicitur: *Per iſtam vnctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum*, &c. Tamen vt alia Sacramenta ex opere operato effectum producit, quin & admirabili quodam artificio, Spiritus ſanctus voluit deſignare modum quo Deus nobis peccata condonat in hoc Sacramento, dum orationis Eccleſiæ acceptationem, tanquam quæ grata ſit Deo, ſub ſymbolo fumi viſum offuſcantis, & ne clarè videamus impedientis, ſignificat: nam cum hic agere debeat de Sacramento, quo talis producitur effectus, vt etiam peccata quaſi fumo quodam ignorantiæ & obliuionis obnubilata nobis dimittantur, dum nullus ponitur obex, Deo, vt ita dicam, ea diſſimulante, & ignorantiæ noſtræ & inaduertentiæ compatiendo, vt illa ad orationem Eccleſiæ dimittat, non potuit aptiori ſymbolo repræſentari quomodo Deus quodammodo ab eorum intuitione impediretur, cum ex ſumma benignitate & miſericordia peccata condonat, quàm cum dicitur fumum incenſorum & orationum aſcendere, itaut claritas faciei Dei videretur obnubilari & coopetiri, *Et aſcendit*, inquit, *fumus incenſorum de manu Angeli coram Deo*: quo fit vt hi qui hoc Sacramentum ſuſcipiunt, beati optimo iure dicantur: Siquidem Deus ad eorum infidelitates, infirmitates, negligentias, ignorantias & obliuiones reſpicere non vult: *Beati* quippe *quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum ſunt tecta peccata*: nempe poſt Sacramentum Extremæ-vnctionis.

Dices gratis dici de hoc Sacramento ſub hoc ſymbolo fieri mentionem, cum nec de oleo, nec de Vnctione, quæ materia eſt neceſſaria huius Sacramenti, nulla fit mentio. Reſp. eadem dici poſſe de Sacramento Vnctionis, quæ docet S. Thomas de Sacramento Confirmationis 3. q. 72. ad primum nempe *Chriſtum ex poteſtate excellentiæ contuliſſe Apoſtolis rem huius Sacramenti, id eſt, plenitudinem Spiritus ſancti ſine Sacramento, eoquod ipſi primitias Spiritus ſancti acceperunt, ſicut dicitur Rom. 8. Nihilominus aliquid conforme materiæ huius Sacramenti exhibitum fuit Apoſtolis ſenſibiliter in collatione Spiritus ſancti: quod enim ſenſibiliter Spiritus ſanctus ſuper eos deſcendit in ſpecie ignis, ad eamdem ſignificationem refertur, ad quam refertur oleum, niſi quod ignis habet vim actiuam, oleum autem habet vim paſſiuam, in quantum eſt materia, & fomentum ignis. Et hoc ſatis competebat: nam per Apoſtolos gratia Spiritus ſancti erat ad alios deriuanda: ſuper Apoſtolos etiam Spiritus ſanctus deſcendit in figura linguæ, quod ad idem ſignificandum refertur, quod ſignificat balſamum, niſi quod lingua per locutionem eſt communicatiua ad alterum, balſamum verò per odorem; quia ſcilicet Apoſtoli replebantur Spiritu ſancto vt fidei Doctores, aly autem fideles, vt operatores eorum quæ pertinent ad ædificationem fidelium.* Ita S. Tho. 3. q. 72. ar. 2. ad 1. Pari ratione dico ſufficienter in hac viſione exprimi quæ dici poſſunt de Sacramento Extremæ-vnctionis, cum formæ illius, nempe orationis, datur ſymbolum conuenientiſſimum; quæ oratio ſufficienter ſignificat id omne quod ſignificari poſſet per oleum, dum hoc Sacramentum adminiſtratur. Quid enim quæſo oleum, huius Sacramenti materia ſignificare poteſt, quàm per Dei miſericordiam peccata noſtra condonari, infirmitates noſtras ſanari, ad fortiter contra dolores & anguſtias mortis certandum corrobari, veluti pugiles & athletæ qui ſe oleo perfundebant antequam inirent certamen? Quid autem quæſo aliud ſignificant tam forma huius Sacramenti, quàm orationes quæ in ritu eius adhibentur, quam ea omnia quæ ſignificantur per oleum? Forma enim eſt, vt diximus, *per iſtam vnctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid peccati per,* &c. Orationes autem, quæ in ritu eius adhibentur, eadem & ſimilia à Deo poſtulant. Igitur cum his, vis & efficacia orationis ſignificetur, ſufficienter Sacramentum Extremæ-vnctionis exprimitur cum eius forma tangitur. Deinde cum dicitur: *Aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum, de manu Angeli coram Deo*; hoc ſymbolo ſignificatur orationem eſſe à Deo acceptatam, ſuumque obtinuiſſe effectum, & proinde optimè ſignificatur orationem ſacerdotis hoc Sacramentum adminiſtrantis à Deo acceptari, & effectum orationi eius à S. Iacobo promiſſum (dum ait: *Et oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit remittentur ei*) obtineri.

Notandum inſuper quod cum forma ſit quæ dat eſſe rei, licèt S. Iacobus materiam, oleum nempe non expreſſerit, tamen cum de effectu loquitur, ſolius formæ mentionem facit: nec enim ait, & vnctio & oratio fidei ſaluabit infirmum, ſed vnctionem prætermittens, tantum ait: *Et oratio fidei ſaluabit infirmum*, ſolius formæ faciens mentionem, veluti quæ ſignificantior ſit, magiſque exprimat gratiam quæ in hoc Sacramento confertur. Satis igitur ſuperque S. Ioannes exprimit ea quæ ad hoc Sacramentum pertinent, dum ſub ſymbolo iſto depingit poteſtatem conferendi gratiâ efficaciter, ex opere operato per orationem, quæ data eſt Miniſtris publicis Eccleſiaſticorum Sacramentorum; dum de materia tacens, formam huius Sacramenti exprimit, nempe orationes; & effectum ſignificat dum illas orationes aſſerit coram Deo aſcendiſſe, vt pote ei gratas & acceptas.

Quis Dei amator talia videns, tam præſens & efficax remedium à Deo datum in tempore opportuno proſpiciens, quo bonitatis, & elementiæ illius effectus cum honoris ſui zelo conuincti conferuntur; ſi ex alia parte videat hominum ingratitudinem, qui tam efficax remedium, cum aliis iam per totum vitæ ſpatium collatis, negligunt aut contemnunt, non ſtatim ad Dominum clamet vt homines minis terreat? En, tonitrua quæ audiuntur; Suauitate promiſſorum ad ſe amandum ſibique ſeruiendum alliciat? En voces; Et ſi opus eſt, miraculoſis etiam operibus eos in alias perſonas commutet, vt qui Deum contempſerint illius clementiam intuentes, ipſum timeant, ipſum diligant, ipſique corde eſt animo ſeruiant die ac nocte? *Et facta ſunt*, inquit S. Ioan. *tonitrua, & voces & fulgura, & terræ motus magnus.* Nam ſi ſemel corda repleuerit, veluti quædam thuribula, illo igne quo ardebat ſacrum Chriſti pectus, & quem venit mittere in terram, fieri non poterit quin ardenter deſideret talium rerũ contemplator, vt Deus timeatur per comminationem ſuppliciorum, & ametur propter ſuauitatem promiſſorum, & cunctos in ſui admirationem rapiat propter miranda opera ſalutis, quæ in electis ſuis manifeſtat. Hoc præſtat oratio aſſidua & fidelis, ſi attentè fiat, vt Dei maieſtatem apprehendentes illum timeamus, eius charitatem intuentes illi viciſſim amorem rependamus, profunditatem iudiciorum ſuorum contemplantes, in ſtuporem & admirationem rapiamur. Hæc docet S. Ioannes dum ait ſe vidiſſe Angelum ab altari ignem accipientem, & eo igne thuribulum implẽtem, quem mittens in terram fiebant tonittua, voces & fulgura: quæ omnia ſubſequebatur ingens terræ motus. Nam ex conſideratione maieſtatis Dei, & charitatis eius, & operum, ac iudiciorum admirabilium, homines vel à peccatis reſipiſcunt, vel ſi hæc omnia contempſerint nimia præſumptione ducti, pœnas graviſſimas & plagas nimis metuendas incurrunt.

Digitized by Google

Symboli huius cum Sacrificio Miſſæ collatio. Punct. 4.

Et alius Angelus venit. Non ſolùm ille Angelus, qui apparuit mihi, habebat poteſtatem Deum placandi per orationem, ſed etiam per ſacrificium. In illo enim Angelo thuribulum habente in manu, mihi viſus ſum cernere ſacerdotem, calicem cum patena in manu tenentem, quæ vaſa ſeu inſtrumenta in conſecratione illi data fuerunt, in ſignum poteſtatis conſecrandi & conficiendi corpus Chriſti. Sacerdos enim Angelus eſt, & hæc poteſtas illi & non alteri tribuitur. Nec immeritò hunc ſenſum huic loco tribuimus, non ſolùm ob ea quæ antea diximus, ſed etiam ob conuenientiam ſymboli cum re ſignificata. Et primo quod ſacerdos Angelus dicatur facile demonſtratur. S. Chryſoſt. in Pſ. 137. hæc verba ponderans: *In conſpectu Angelorum pſallam tibi*, quod alius dixit interpres: *liberè Deus canam te*, alius, *coram diis modulabor tibi. Si ergo dicat Angelos qui ſunt in cœlis, eſt id quod dicitur eiuſmodi, conabor canere cum Angelis & cum eis contendere, & choreas ducere cum ſuperuis poteſtatibus: Etſi enim naturâ differam, animi tamen promptitudine, vt cum eis ſtare, poſſim decertabo. Sin autem accipiamus quod dictum eſt aliorum interpretatione, videtur mihi dicere de Sacerdotibus id quod de diis dicitur. Solet enim ſcriptura Sacerdotem vocare & Angelum & Deum; nunc quidem dicens: Diis non maledices, & principi populi tui non maledices; nunc autem: labia Sacerdotum cuſtodient indicium, & ex ore eius exquirent iuſtitiam, quoniam eſt Angelus Domini omnipotentis. Si liceat ergo hoc ita accipere, illud oportet intelligere, cum Sacerdotibus ipſis inchoantibus & præcedentibus, cum eo quo par eſt ordine, conſequar & canam tibi.* Ita Chryſ. cuius autoritas ſufficit, vt ſciamus rectè per Angelum Sacerdotem deſignari.

Quod autem ex eo quod thuribulum habeat in manu, illi auctoritatem quamdam datam illi fuiſſe dicamus, quæ aliis hominibus, cuiuſuis ſint auctoritatis & gradus, minimè conueniat, hoc ſatis indicat factum Oziæ Regis & Azariæ iam antea notatum, quam hiſtoriam S. Chryſoſt. homil. 4. de verbis Eſaiæ, *Vidi Dominum*, &c. fusè explicat. Ex multis pauca accipe ad noſtrum propoſitum idonea. *Alij*, inquit, *ſunt termini regni, alij termini Sacerdotij: hoc illo maius eſt. Neque ex his quæ videntur hic declaratur Rex, neque è gemmis illi affixis, neque ex auro quo amictus eſt debet æſtimari Rex. Ille quidem ea quæ ſunt in terris ſortitus erat adminiſtranda, cæterum Sacerdotij ius è ſupernis deſcendit: Quæcumque enim ligaueritis ſuper terram erunt ligata & in cœlo. Regi ea quæ hîc ſunt commiſſa ſunt, mihi cæleſtia. Mihi, cum dico, Sacerdotem intelligo. Itaque cum videris Sacerdotem indignum, ne traducas Sacerdotium: non enim oportet damnare res, ſed eum qui re bona malè vtitur.* &c. Et paulò poſt: *Regis corpora commiſſa ſunt, Sacerdoti animæ, Rex maculas corporum remittit, Sacerdos autem maculas peccatorum. Ille cogit, hic exhortatur; ille neceſſitate, hic conſilio; ille habet arma ſenſibilia, hic arma ſpiritualia; ille bellum gerit cum barbaris, mihi bellum aduerſus dæmones. Maior hic principatus. Propterea rex caput ſubmittit manui Sacerdotis, & vbique in Veteri ſcriptura Sacerdotes inungebant reges.* Ita Chryſ. qui poſtea docet quomodo Ozias Rex non ſine Dei vindicta auctoritatem adolendi incenſum vſurpare voluit, cum hæc auctoritas ſacrificandi ſolis competat Sacerdotibus: vnde ab Azaria Sacerdote liberè Ozias admonitus fuit ne hanc auctoritatem ſibi arrogaret: quod Chryſoſtomus his verbis amplificat: *Non licet tibi Rex adolere incenſum: non eſt fas venire in ſancta ſanctorum: tranſcendis ſepta tua, quæris tibi non conceſſa, ea quæ accepiſti perdes. Non licet tibi adolere incenſum, ſed Sacerdotibus iſtud datum eſt, non tuum eſt hoc, ſed meum.*

A *Num mihi tuam vſurpaui purpuram? Ne vſurpes meum Sacerdotium. Non licet tibi adolere incenſum, ſed tantum Sacerdotibus filiis Aaron.* Ita Chryſ. Non dixit Sacerdotibus tantum, ſed & Patris nempe Aaron mentionem facit, ac ſi diceret, eum ad hiſtoriæ recordationem adducens: *Noli audere quæ auſus eſt Dathan, ne patiaris eadem quæ tempore Aaron acciderunt.* Ita rurſus Chryſ. Igitur cum thuribulum vides in manu Angeli, non Regem ſed Sacerdotem deſignari ſcias. Pro thuribulo cogita calicem & patenam, quæ dantur in conſecratione, in ſignum poteſtatis ſacrificandi corpus Chriſti; & cum vides Sacerdotem ad altare cum calice & patena accedentem, dic te vidiſſe Angelum thuribulum aureum in manu habentem.

B *Et alius Angelus*, igitur, nempe Sacerdos, *venit & ſtetit ante altare, habens thuribulum aureum*, nempe cum accedit ad altare Miſſam celebraturus: *Et data ſunt illi incenſa multa, vt daret de orationibus ſanctorum, &c.* Quomodo adoleuerit illa incenſa, vt fumus eorum aſcenderet coram Deo, non explicat: quem tamen effectum obtinuerit ſacrificium declarat, cum ait: *Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum de manu Angeli coram Deo.* Quid enim deſideramus, dum Deo ſacrificium offerimus, quàm vt orationes noſtræ aſcendant ad ipſum, & ad nos, muneraque noſtra reſpiciat; quàm vt odoretur Dominus holocauſta quæ ſuper altare offerimus in odorem ſuauitatis, ſicque ab eo impetremus, quæ à nobis poſtulantur?

C Mos enim eſt ſcripturæ, vt orationem noſtram exaudiri à Deo ſignificet, aſſerere eam ad Deum aſcendiſſe. Hac enim ratione ingenuè explicat infinitam Dei bonitatem, quæ tanta eſt, vt ſtatim atque noſtræ orationes tales ſunt, vt coram eo præſentari & apparere poſſint, repulſum eas pati non ſinat, ſed ſuum conſequantur effectum: quæ efficacia orationis maximè apparet, dum ſacerdos, tanquam miniſter publicus Eccleſiæ, vel adminiſtrat Sacramentum Extremæ-vnctionis, formâ vtens deprecatoriâ, vel orationes ſuas & Eccleſiæ & ſanctorum offert coniunctim cum oblatione corporis & ſanguinis Chriſti. Nam & Sacramentum operatur ex opere operato ſuum effectum, dum non ponitur obex ex parte recipientis; & ſacrificium Miſſæ impetrat ex opere operato: quod enim offertur ſemper Deo gratum & acceptum eſt: & ſicut de aliis multis diximus S. Ioannem illa proponere, vt in vltimo gradu perfectionis, atrocitatis, aut malitiæ conſtitutis, v. g. ſi de gratia loquitur, finalem & perſeuerantiæ gratiam deſcribit c. 7. ſi de ſuppliciis facit mentionem, grauiora & formidabilio ra depingit; ſi cordis obduratam malitiam proponere vult, ad Anti-Chriſtum recurrit: pari ratione cum de efficacia orationis agere voluit, eam intueri orationem debuit, quæ effectum obtinet non tam ex merito orantis, quàm ex ſeipſa, vt pote à Deo inſtituta ad talem producendum effectum. Nam cum quælibet oratio

D

E vim & efficaciam obtinendi & impetrandi à Deo quæ poſtulat, deſumat & emendicet ex eo quod Deus liberè promiſit noſtras orationes ſe auditurũ, qua promiſſione Deus *fidelis in omnibus verbis ſuis* quamdam voluit contrahere obligationem ea dandi quæ à ſe poſtulantur, hæc Dei fidelitas in executione promiſſorum tantò magis elucet, cum aliquam orationem ex opere operato exaudit, etſi orans inuiſus & odioſus illi ſit, quàm ſi gratus & acceptus ſit is qui orationem fundit. Hac enim ratione perſpicitur nulla alia de cauſa Deum orationem exaudire quàm quia ſummè bonus eſt, dum ea quæ ad ſalutem noſtram neceſſaria ſunt confert, licèt is qui orat ſit odioſus, ex eo quod ſtatuit apud ſe hominibus adeſſe, in quibuſcumque neceſſitatibus conſtitui poſſint, ſi ad eum, per eos quos conſtituit vt publico

& ſolemni ritu illi orationes & ſacrificia offerant, A recurrant.

Ex his autem quæ iam diximus, rectè ſub incenſis ea omnia quæ Deo offeruntur poſſunt intelligi, ſiue materia remota ſacrificij Miſſæ, ſiue ipſum corpus Dominicum, ſiue orationes ſacerdotis, ſiue orationes Eccleſiæ tam militantis quàm triumphantis: nec enim offerebat Noe incenſum ſed animalia, & tamen dicitur de eius ſacrificio, ac ſi eſſet incenſum: *Odoratuſque Dominus odorem ſuauitatis*, Gen. 8. Incenſum igitur quidquid Deo offertur, quod illi gratum & acceptum eſſe poteſt. Et exodi 29. de agno, qui offerebatur ad veſperam, dicitur illum offerri *in odorem ſuauitatis*, & Leuit. 8. dicitur: *Ipſumque arietem in fruſtra concidens, caput eius & artus & adipem adoleuit igni, lotis prius inteſtinis & pedibus, totumque ſimul arietem incendit ſuper altare, eo quod eſſet holocauſtum ſuauiſſimi odoris Domino, ſicut præceperat ei.* Sed hoc nemo meritò rejiciet qui legerit caput libri numerorum, vbi ita habetur: *Præcipe filiis Iſrael & dices ad eos: oblationem meam, & panes & incenſum odoris ſuauiſſimi offerte per tempora ſua: Hæc ſunt ſacrificia quæ offerre debetis, agnos anniculos, immaculatos, duos quotidie in holocauſtum ſempiternum: Vnum offeretis mane, & alterum ad veſperum: decimam partem ephi ſimilæ, quæ conſperſa ſit oleo puriſſimo, & habeat quartam partem Hin, holocauſtum iuge eſt quod obſtituiſtis in monte Sinai in odorem ſuauiſſimum incenſi Domini.* Hoc ſedulò annotare debui, ne quis exiſtimet gratis nos aſſerere C per incenſa multa non ſolùm orationes poſſe intelligi, ſed etiam quidquid Deo in ſacrificium poteſt inferri, vnde nihil abſurdi aſſerimus, ſi ſicut per thuribulum vaſa ſacrificij Miſſæ intelligimus, ita per incenſa materiam panis & vini intelligamus. Dantur igitur ſacerdoti panis & vinum in thuribulo, nempe in patena & calice, *vt det de orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei*, nempe dum offert ſacrificium ſuper altare, quo orationes omnium ſanctorum à Deo acceptari poſſunt, vnde *aſcendit fumus incenſorum coram Deo de manu Angeli.* Igitur ſi fumant incenſa, adoleri debuerunt, quamuis hoc reticuerit S Ioannes. Quomodo autem incendantur, niſi per conſecrationem, qua admo- D dum ignis penetratur tota ſubſtantia panis & vini, vt in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti tranſeat, quæ carbo eſt ignitus, quo poſt conſecrationem impletur thuribulum vt in terram mittatur? Quod ingens myſterium deſcribit S. Ioannes cum, ait: *Et accepit Angelus thuribulum, & impleuit illud de igne altaris, & miſit in terram.*

At ne gratis hoc fingi dicatur, de hoc altari & diuino Sacramento audi S. Chryſoſt. differentem, homilia in Seraphin, qui docens ex aduentu Chriſti in terris, ab hominibus cani hymnum qui in cœlis à Seraphinis cantatur, nempe *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, ait: *Propterea quoque magnus hic Pontifex, cum iuxta ſacram hanc menſam conſtiterit, vt rationalem cultum exhibeat, & ſacrificium offerat incruentum, non ſimpliciter nos ad hanc ſanctam acclamationem inuitat, ſed vbi prius Cherubim nominauit, & Seraphim mentionem fecit, tum demum ad hanc tremendam vocem mittendam omnes adhortatur; & dum eorum nos admonet qui nobiſcum choros agitant, mentem noſtram à terra ſubducit, vnumquemque noſtrum hic propemodum verbis excitans: Vnà cum Seraphim canis, vnà cum Seraphim ſta; cum illis alas extende, cum illis regium thronum circumuola. Quid vero mirum, ſi cum Seraphim ſteteris, cum ea, quæ Seraphim non audent contingere, tibi confidenter Deus conceſſerit? Miſſus eſt enim ad me, inquit, vnus de Seraphim, & habebat carbonem ignis, quem forcipe ſumpſerat de altari. Illud altare figura eſt & imago illius altaris; ignis ille, ſpiritualis ignis iſtius. At non eſt auſus Seraphim manu contingere, ſed forcipe: tu verò manu accipis. Enimuerò ſi eorum quæ propoſita ſunt dignitatem ſpectes, ipſo contactu Seraphim multo maiora ſunt iſta: ſin autem Dominis benignitatem conſideres, ne ad noſtram quidem deſcendere vilitatem eorum gratia quæ propoſita ſunt erubeſcit.* Hæc Chryſ. Videſne ad altare ſacerdotem ſtantem? Videſne quomodo implere poteſt thuribulum ex igne altaris, dum poſt incenſationem incenſorum, id eſt panis & vini, per conſecrationem tot ſunt carbones ardentes quot ſunt hoſtiæ conſecratæ, quæ mittuntur in terram dum diſtribuuntur fidelibus in ſacra cõmunione? At non ſolus Chriſoſt. fauet noſtræ interpretationi, habeo alium Ioannem, nempe Damaſcenum, qui nobis non modicam præbere poteſt autoritatem: B ipſe enim l. 3. orthodoxæ fides c. 14. poſtquam latè diſſeruit de inſtitutione ſanctiſſimi Sacramenti, inter alia dixit: *Quamobrem ſi ſermo Dei viuus eſt & efficax, ac Dominus omnia quæcumque voluit fecit: ſi dixit, fiat lux, & facta eſt; fiat firmamentum, factum eſt; ſi verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum; ſi cœlum & terra & ignis & aer, & omne eorum ornamentum Domini verbo completum & abſolutum eſt, atque etiam hoc nobiliſſimum animal quod homo nuncupatur, ſi ipſemet Deus verbum, poſteaquam ita voluntas ipſius tulit, homo factus eſt, atque ex puris & immaculatis ſanctæ & ſemper virginis ſanguinibus carnem ſibi ipſe ſine ſemine condidit, quod tandem officere poteſt, quin ex pane corpus ſuum, & vino & aqua ſanguinem ſuum efficere queat? Dixit antiquitus: producat terra herbam virentem, atque ea etiam non orto imbre ſatus ſuos producit, diuino præcepto impulſa ac roborata. Dixit Deus: hoc eſt corpus meum, & hic ſanguis meus, & hoc facite in meam commemorationem, atque omnipotenti ipſius præcepto donec ipſe veniat hoc efficitur. His enim verbis vſus eſt, donec veniat, ac pluuia huic nouæ ſegeti per conſecrationem exiſtit ſancti Spiritus vis inumbrans. Quemadmodum enim quicquid Deus fecit, id ſancti Spiritus operâ fecit, eodemmodo nunc quoque ſpiritus operatio, ea quæ naturam ſuperant efficit, quæque niſi ſola fide capi atque intelligi nequeunt. Quo tandem modo mihi fiet iſtud, aiebat ſancta virgo, quoniam virum non cognoſco? Reſpondet Archangelus Gabriel: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Tu quoque nunc quæris quomodo panis corpus Chriſti, & vinum cum aqua coniunctum ſanguis Chriſti fiat? Tibi item reſpondeo: Spiritus ſanctus ſuperueniet, eaque efficit quæ orationis facultatem ac mentis intelligentiam excedant. Panis porro & vinum ad eam cauſam adhibentur, quia Deo nota & explorata eſt humana imbecillitas, quippe quæ vt plurimum ea quæ vſu & conſuetudine minime irita ſunt grauiter ferat & auerſetur, quo fit vt ille pro ea, quâ vti ſolet erga nos, indulgentiâ, per ea quæ naturæ vſitata ac familiaria ſunt, ea quæ naturam ſuperant efficiat.* Hæc Ioannes Damaſ. Vides panem & vinum per Spiritum ſanctum, tanquam per ignem aliquem, in corpus & ſanguinem Chriſti tranſmutari. Audi quomodo hæc Chriſti corpus fa- E cer ſit ignis, & carbo ignitus. Addit Damaſcenus: *Ac proinde ſummo cum metu, & pura conſcientia fideque haudquaquam dubia, accedamus; ac profectò ſic nobis fiet quemadmodum firmè ac conſtanter credimus. Ipſum porro omni puritate colamus, hoc eſt & ſpirituali & corporea, ſiquidem duplex ipſe eſt: ardenti cupiditate ad eum adeamus, manibuſque in crucis formam compoſitis, crucifixi corpus ſuſcipimus, atque & oculis & labiis & frontibus impoſitis, Diuini carbonis participes efficiamur, vt ignis deſidery in nobis inſiti, aſſumptâ eâ quæ ex carbone oritur inflammatione, peccata noſtra exurat ac pectora noſtra colluſtret, demuſque operam vt per diuini ignis perceptionem inardeſcamus, diuique efficiamur. Vidit quippe Carbonem Eſaias: carbo porro non ſimplex lignum eſt, ſed igni vnitum, ſic panis quoque communionis, non ſimplex panis eſt, ſed diuinitati vnitus. Corpus autem, quod diuinitati vnitum eſt,*

Digitized by Google

bum eſt, non vna natura eſt : ſed vna quidem corporis, altera autem diuinitatis cum ipſo coniunctæ : quo fit vt vtrumque non vna natura ſit, ſed duæ. Ita Ioan. Damaſc. Non malè igitur Sacerdos, dum corpus Chriſti in patena & calice reponit, dici poteſt thuribulum vas conſecrationi dedicatum implere igne ex altari, ſed etiam, dum illud diſtribuit fidelibus, ignem ab altari ſumptum mittere in terram ; eſt enim corpus Chriſti ille calculus ſiue carbunculus, pruna ſeu carbo, de quo Eſaias : *Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari,* vt vidimus ex his duobus grauiſſimis autoribus, & ſic Sacerdos verè erit Seraphin, id eſt, incendens, vt interpretatur S. Hierony. qui etiam ait : *Quod autem altare ſub quo animæ martyrum ſunt videatur in cœlo, & Ioannes in Apocalypſi loquitur, & calculus iſte quia ſolis ſeptuaginta ἀνθρακὶς id eſt carbunculus, poteſt non carbonem ſignificare vel prunam, vt plerique exiſtimant, ſed ἄνθρακα id eſt carbunculum lapidem, qui ob coloris flammei ſimilitudinem igneus appellatur. Ex quo intelligimus altare Dei plenum eſſe carbunculis, hoc eſt ignitis calculis, ac prunis peccata purgantibus : Vnde ſcriptum de Deo legimus : Carbones ſuccenſi ſunt ab eo : Et de ipſo Domino dicitur quod ignis conſumens ſit, & ſaluator in Euangelio : ignem veni mittere ſuper terram, vt baptizaret in Spiritu ſancto & igni, &c.* Ita Hierony. Impleto igitur thuribulo igne ex altari, mittit ignem in terram, dum corpus Chriſti diſpenſat, quo in Dei amorem incendimur, quo peccata conſumuntur, quo Spiritu ſancto replemur. De hoc ſacro igne loquens S. Ioannes Chryſ. Hom. 61. ad populum ait : *Hic eſt ſalus animarum noſtrarum : hoc abluitur anima, hoc adornatur, hoc inflammatur : Hic mentem noſtram igne reddit ſplendidiorum : hic auro clariorem animam facit : hic ſanguis effuſus eſt, & cœlum fecit acceſſibile : horrenda ſcilicet Eccleſiæ myſteria, horrendum altare.* Ita Chryſoſt. *Tanquam Leones igitur ignem ſpirantes,* inquit idem Chry. *ab illa menſa recedamus, facti diabolo terribiles, & caput noſtrum reuoluentes, & charitatem quam erga nos oſtendit.* Homil. 61. ad populum. *Prater,* inquit idem Homil. ad Neophy to. 5. circa medium, *gladium verbi Dei, aliam mihi Deus vltra tutelam donauit armorum. Quid illud ? Menſam præparauit, cibum ſatietatis oſtendit, vt poſt epularum refectionem inimicum poſſim robuſtius ſuperare. Cum enim te egredientem poſt conuiuium dominicum viderit inimicus, poſt cæleſtes epulas, tanquam ignem Leonis ore flammantem fugit & deſerit omni vento velocior, nec approximare contendit : & cum cruentam linguam tuam de longe crudelis proſpexit, mihi crede, non ſtabit : & cum os tuum ſenſerit rutilare, greſſum ſuum retro cum timore torquebit.* Ita Chryſ.

Et quia de fuga dæmonum propter præſentiam Chriſti verba fecimus, omittere non poſſum veterem Eccleſiæ conſuetudinem, qua Patres ſtatuerunt vt tempore ſacrificij energumeni & poſſeſſi à dæmonibus adducerentur, de qua mentionem facit Chryſoſt. orat. 4. de incomprehenſibili Dei natura. *Vincula,* inquit, *per quæ prana & grauis agitatio dæmonum eſt, vinculis omni ferro validiora. Vt itaque tempore inſtante, quo iudex prodire, & pro tribunali ſedere ſolitus eſt, cuſtodes carceris homines quos in vinculis tenent omnes carcere educunt, & pro cancellis ſeptiſque fori collocant, ſqualentes, ſordentes, comâ expletos nimiâ, pannis miſerrime obductos ; ſic Patres ſtatuerunt, vt quum breui Chriſtum velut pro tribunali ſedere in ipſiſque Sacramentis apparere futurum eſſet, homines dæmone agitati illi tanquam vinculis quibuſdam retenti adducerentur, non vt rerum quas commiſiſſent examen ſubirent, modo eorum qui in vinculis ſunt, nec vt luerent pœnas & ſupplicio afficerentur, ſed vt populo vniuerſaque ciuitate præſente communes pro his fierent ſupplicationes, vt omnes iugi concordia Dominum communem orarent pro his, & quod miſereretur magno clamore contenderent.* Ita Chryſ. Hoc igitur fit cum aſcendit fumus aromatum ſeu incenſorum de manu Angeli, nempe ſacerdotis, coram Deo ; cum dat de orationibus ſanctorum omnium, quorum commemoratio fit in ſacrificio Miſſæ, vt videre eſt ex canone Miſſæ : *Communicantes & memoriam celebrantes in primis gloriosæ Virginis Mariæ, &c.* Tunc enim impetrantur facilè à Deo omnia neceſſaria ; tunc & Angeli etiam non ſolùm aſſiſtunt, ſed & orant & ſupplicant pro nobis. *Per id tempus,* inquit Chryſ. *& Angeli ſacerdoti aſſident, & cœleſtium poteſtatum vniuerſus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus, in illius honorem qui immolatur, Angelorum choris plenus eſt, id quod credere abundè licet, vel ex tanto illo ſacrificio quod peragitur. Ego verò & commemorantem olim quemdam audiui, cum diceret ſenem quemdam virum admirabilem, ac cui reuelationum myſteria multa diuinitus detegi ſolerent, ſibi narraſſe ſe talis olim viſione dignum habitum à Deo eſſe, ac per illud tempus de repente Angelorum multitudinem conſpexiſſe (quatenus adſpectus humanus ferre poterat) candidis veſtibus indutorum, altare ipſum circumdantium, denique ſic capite inclinatorum, vt ſi quis milites præſente rege ſtantes videat : id quod facile mihi perſuadeo.* Ita Chryſ. l. de Sacerdotio c. 4. Quod autem eo tempore orent pro nobis, docet ipſe Chry. Hom. 3. de incompreh. Dei natura, & oratio de non contemnenda Dei Eccleſia : *Tempore illo, mi frater chariſſime, non ſolùm homines clamorem illum tremendum reddunt, ſed etiam Angeli Domino genuflectant, & Archangeli rogant : habent ſibi tempus id idoneum, habent ſacram illam oblationem in fauore : itaque vt homines ramos olearum gerentes monere reges conſueuerunt, eoque arboris genere miſericordiam commemorant & humanitatem, ſic Angeli tunc pro ramis oleaginis corpus Domini ipſum protendentes rogant pro genere humano, quaſi dicant : Pro his Domine rogamus, quos tu adeo dilexiſti vt pro eorum ſalute mortem obires, animam in cruce efflares ; pro hic ſupplicamus, pro quibus ipſe tuum largitus es ſanguinem : pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolaſti.* Ita Chry. Vt recte ſanctus Ioannes dixerit : *Et aſcendit fumus incenſorum de manu Angeli coram Deo.* At quid ex illa diſperſione ignis cæleſtis ipſius acciderit iuxta, ea quæ poſtea addit Propheta noſter videamus.

Et facta ſunt tonitrua & voces, & fulgura, & terræ motus magnus.

Diuerſæ auctorum expoſitiones : noſtra eſt quod ex participatione ſacrificij corporis Chriſti, bonis bona, malis mala contingant. Punct. 5.

Poſitus eſt Chriſtus *in ruinam & reſurrectionem multorum. Mors eſt malis, vita bonis : vide paris ſumptionis quam ſit diſpar exitus,* vt cantat Eccleſia. Tonitrua igitur & fulgura, & terræ motus, in bonam & malam partem interpretantur.

Anſelmus : *Et accepit Chriſtus thuribulum ſ. quos prius habebat paratos, vt per eos aliquid faciat : & implenit illud de igne altaris, id eſt ſpiritu ſancto, quo ipſe plenus erat : & miſit in terram facere fructum : & facta ſunt ab illis tonitrua, id eſt minæ ; & voces, admonitiones ; & fulgura, miracula ; & terræ motus, terremi inde moti ſunt, ſcilicet quidam ad bonum, quidam ad malum.*

Ambroſius : *Miſit ergo Angelus ignem, quem in thuribulo poſuerat, in terram : quia doctrinam fidei, quam in cordibus Apoſtolorum poſuerat per aduentum Spiritus ſancti, in cordibus Iudæorum, qui per incredulitatem terra erant, per ora Apoſtolorum effudit. Et facta ſunt fulgura & voces, & tonitrua, & terræ motus. Per fulgura virtutes quæ per Apoſtolos fiebant, per voces prædicatio, per tonitrua autem communicatio ignis æterni deſignatur : per ter-*

Digitized by Google

ræ motus verò conuerſionem Iudæorum poſſimus intelligere. Ita Ambroſ.

Rupertus: Tonitrua, comminationes ſupernæ; voces, id eſt, exhortationes; & fulgura, id eſt ſplendores miraculorum; terræ motus vt quibuſdam inſequentibus, quibuſdam verò ſequentibus, iis dicentibus: Bonus eſt; illis autem: Non, ſed ſeducit turbas.

Dionyſ. Carthuſ. *Tonitrua & voces, id eſt, ſublimia & mediocria documenta; Et fulgura, id eſt coruſcantia ſigna, prout ſupra expoſitum eſt; Et terræ motus magnus, id eſt, grandis admiratio habitatorum terræ, aliis pœnitentibus, aliis obſtinatis, & conuerſos vexantibus. Per hæc omnia*, inquit Andreas Cæſarienſ. *terrores illi & minæ, quæ ſeculi conſummationem antecedent, adumbrantur:* ſicut eadem in monte Sina quoque certi diuinæ præſentiæ indices erant, ſalutaremque timorem omnibus, benè præſertim affectis incutiebant.

Denique Cornelius à Lapide: *Hæc omnia prænuncia ſunt calamitatum ingentium, quas Deus in fine mundi in impios immittet: Vnde tunc ante illas reuera præmittet crebra tonitrua, fulmina & terræ motus, vti prædixit Chriſtus Luc. 21. Ita Ribera & alij.* Aliter Lud. ab Alcazar, qui ad ſuam expoſitionem appoſitè & conſequenter ſenſet, hic per tonitrua, fulgura, & terræ motus ſignificari admirabilem primitiuæ Eccleſiæ prædicationem, cum ſanctimoniæ ſplendore, & verbi efficacitate coniunctam, & magnam vitæ mutationem, (hanc enim repræſentat terræ motus) in eorum animabus, quos cæleſti illi prædicationi ſubiugabant. Ita ille apud Cornel.

Nos autem ex hac interpretandi ratione, conſequenter ad ea quæ diximus, per tonitrua admirationem diuinæ omnipotentiæ, quæ in hoc Sacramento Corporis Chriſti effulget, intelligimus; de qua omnipotentia in hoc Sacramento effulgente dicere poſſumus illud Iob. c. 26. *Cum vix paruam ſtillam ſermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* per voces, omnium bonorum, omniumque gratiarum, quæ in hoc Sacramento continentur, elucidationes: vt ſunt hæc: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum*, &c. *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die*, &c. Et, *in me manet, & ego in illo*. & ſimilia; Per fulgura ingentium miraculorum quæ in hoc Sacramento coruſcant, prædicationes: vt tranſubſtantiæ, accidentium modus exiſtendi ſine ſubiecto inhæſione, præſentiæ Corporis Chriſti multiplicatio in diuerſis locis, & alia multa, quæ etiam leguntur euenijſſe ad manifeſtationem veritatis huius myſterij; terræ autem motus, figurarum veteris teſtamenti in res figuratas tranſmutationes; inſignis eorum, qui hoc Sacramento ritè vtuntur, in meliora conuerſio; vel per tonitrua comminationes iudicij iis qui indigne ſuſcipiunt, dicente Paulo: *Quicumque manducauerit panem hunc, vel biberet calicem Domini indigne, reus erit corpus & ſanguinis Domini*; Per voces, promiſſiones vitæ, vt mox diximus; per fulgura, præclari effectus & actus inſignis virtutum, qui propter gratiam in hoc Sacramento contentam, ab iis qui dignè accipiunt eliciuntur; terræ motus magnus, inſignis vitæ mutatio, vt diximus.

Denique cum prædicantur effectus diuinæ potentiæ, quæ in hoc Sacramento operatur; cum annunciantur diuinæ bonitatis effectus, quæ in hoc Sacramento liberaliſſimè effunditur; cum extolluntur diuinæ ſapientiæ effectus, quæ mirabiliter per hoc Sacramentum in electis operatur, tunc fit magnus terræ motus: alij enim hæc reſpuunt & dicunt: *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* Alij cum Petro dicunt: *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, & nos credidimus, & cognouimus quia tu es Chriſtus filius Dei.* Ioan. 6.

Sed ſi vis audire tonitrua comminationum, ſuaues voces beneficiorum, & fulgura bonorum actuum, quos elicere poſſunt qui Sacramentum digne percipiunt, ſeu etiam plagas inflictas iis qui temerè accedunt, Lege S. Chryſoſt. homil. 1. de Seraphim.

Et ſeptem Angeli, qui habebant ſeptem tubas, præparauerunt ſe vt tuba canerent.

Deus habet plagas paratas, ad probationem & correctionem electorum, & ad vlciſcenda, etiam in hac vitâ, reproborum crimina.

ANNOTAT. VII.

Quod plagæ iſtæ prædicantur & de eis moneantur fideles, antequam immittantur. §. 1.

SVPERFLVVM mihi videtur probationibus vti in re tam manifeſta, & quam experientia ſatis ſuperque manifeſtat. Pauca tamen hæc adducimus, ad veritatis iſtius memoriam potius refricandam, quàm ad eius probationem. Vis exemplum de plagis ad probationem, 1. Pet. 1. *In quo exultabitis* (in Deo nempe) *modicum nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus, vt probatio fidei veſtræ multo pretioſior auro, quod per ignem probatur, inueniatur in laudem & gloriam & honorem in reuelatione Ieſu Chriſti*, &c. Ecce probatio. Et ad Tobiam dicebat Raphael Angelus c. 12. *Et quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit vt tentatio probaret te.* Et quia via hæc ducit ad perfectionem, ait S. Iacobus c. 1. *Omne gaudium exiſtimate fratres, cum in tentationes varias incideritis, ſcientes quod probatio patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, vt ſitis perfecti & integri, in nullo deficientes.* Non ſolum autem per afflictiones probantur electi, ſed etiam purgantur & corriguntur: Hinc Paulus 1. ad Corint. 11. *Dum iudicamur autem à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* Et ad Hebræos, c. 12. *Fili mi noli negligere diſciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris; quem enim diligit Dominus caſtigat. Flagellat autem omnem filium quem recipit. In diſciplina perſeuerate, tanquam filiis vobis offert ſe Deus. Quis enim filius, quem non corripit Pater?* &c. ecce correptio. *Quoniam*, vt ait S. Petrus 1. Petri c. 4. *tempus eſt vt incipiat iudicium à domo Dei: ſi autem primum à nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Euangelio? Et ſi iuſtus vix ſaluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* Certè Deus etiam in hac vita de hoſtibus ſuis vlciſcitur, dicente ipſo, Deuteron. 32. *Mea eſt vltio, & ego retribuam.* Et poſtea: *Reddam vltionem hoſtibus meis*; ſeque apud Pſalmiſtam Deum vltionum vocat. Denique quod hæc mala prænuntientur, Ierem. 19. dicitur: *Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſrael: Ecce ego inducam ſuper ciuitatem hanc, & ſuper omnes vrbes eius vniuerſa mala, quæ locutus ſum aduerſum eam: quoniam indurauerunt cernicem ſuam, vt non audirent ſermones meos.* Et 2. Paralyp. cap. 26. *Mittebat autem Dominus Deus Patrum ſuorum ad illos, per manus nuntiorum ſuorum, de nocte conſurgens, & quotidie commonens, eo quod parceret populo & habitaculo ſuo: at illi ſubſannabant nuntios Dei, & parui pendebant ſermones eius, illudebantque Prophetis, donec aſcenderet furor Domini in populum ſuum, & eſſet nulla curatio.* Ad has igitur plagas annunciandas præparant ſe ſeptem Angeli. *Per tubæ cantum*, inquit Ambroſius, *prædicatio deſignatur. Prædicatores quippe ſanctis ad hoc ſemper parati exiſtunt, vt quoſcumque poſſunt per doctrinam ſuæ prædicationis acquirant.* Ita Ambroſius. At non ſolum parati ſunt doctrinam prædicare, ſed etiam plagas iſtas annunciare, vt volunt apud Cornelium, Ansbertus, Haymo, Richardus, Pan-

nonius, Viegas, Andreas Cæſar. ante eos dixit: *Per hæc omnia terrores illi & minæ, quæ ſeculi conſummationem antecedent, adumbrantur; ſicut etiam in monte Sion quoque certi diuinæ præſentiæ indices erant, ſalutaremque timorem omnibus, bene præſertim affectis, incutiebant. Angeli autem harum rerum adminiſtri tanquam miſericordes condolenteſque medici, dum ad Chriſti exemplum cauteria & ſectiones illis adhibent, qui graviori peccatorum morbo tenentur, aut omnino curant morbumque profligunt, aut ignavis certè ingratiſque hominibus futurum ſupplicium nonnihil ſubleuare moderatiuſque reddere ſatagunt.* Ita And.

Viſi ſunt igitur iſti Angeli quaſi tubas ad os admouere, vt ſignificarent concionatores ſeu verbi Dei prædicatores paratos eſſe fideles admonere de iis quæ credenda & facienda ſunt; quod ſi ea neglexerint, iudicia Dei annunciare, & plagas, quibus Deus ſolet crimina hominum vlciſci, prædicere.

Quibus potiſſimum plagis Deus hominum crimina vlciſcitur. §. 2.

Sententia eſt Pauli Oroſij l. 1. hiſtor. auctore ſuo digna: *Quia ſi*, inquit, *diuina prouidentia, quæ ſicut bona, ita pia & iuſta eſt, agitur mundus & homo, hominem autem qui conuertibilitate naturæ, & libertate licentiæ, & infirmus & contumax eſt, ſicut piè gubernari egenum opis oportet, ita iuſtè corripi immoderatum libertatis neceſſe eſt, iure ab initio hominis per bona malaque alternantia exerceri hunc mundum auiſquis per ſe. atque in ſe humanum genus videt.* Hæc ille. Et addit ab ipſo primo homine peccatum punitionemque peccati cæpiſſe, & mala aut manifeſta peccata eſſe, aut occultas peccatorum punitiones. Hæc veriſſima, quo fit vt poſteaquam S. Ioannes vſque huc nobis propoſuerit quæ bona Dei prouidentia hominibus pie contulerit, nunc ad deſcribenda mala, quæ iuſtè infert pro peccatis, tranſeat. Hæc autem mala ad duo genera potiſſimùm reducuntur; quædam à Deo immittuntur ad probandum purgandumque electos, vel etiam vt à peccati libidine præſeruentur, quales ſunt omnes afflictiones temporales, licèt aliquando Deos eiſdem vtatur vt reprimat hominum audaciam & temeritatem, qui plærumque Dei honorem conculcant, quos æquiſſimè percutit plagis temporalibus, vt ſciant quàm pertimeſcendus ſit, & præpotentis brachij eius potentiam ſentiant & experiantur, ſicuti de Antiocho dicitur 2. Machab. 9. de quo graui & fœtido morbo laborante dicitur: *Hinc igitur cæpit ex graui ſuperbia deductus ad agnitionem ſui venire, diuinâ admonitus plagâ, per momenta ſingula doloribus ſuis augmenta capientibus, & cum nec ipſe iam fœtorem ſuum ferre poſſet ita ait: Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non pari Deo ſentire.* De his plagis dicitur Amos 5. *Si erit malum in ciuitate quod Dominus non fecerit*; qui cum ſemper habeat ob oculos nominis ſui gloriam, vel per iſta mala ſalutem promouet electorum, quibus omnia cooperantur in bonum; aut per eadem, ſui nominis hoſtes exterminat; Itaut iſta mala mixta dici poſſint, cum ſalutifera ſint reſpectu electorum qui per illa purgantur, probantur, à peccatis præſeruantur, perficiuntur; & exitialia reſpectu reproborum, qui per illa puniuntur in præſenti vita.

Mala huiuſmodi ſunt fames, bella, morbi & peſtilentiæ. Alia ſunt genera plagarum, quæ nunquam euenire permittuntur niſi ex ſummâ Dei iracundiâ, licet æquiſſimâ, per ſubtractionem auxiliorum (ne grauius puniantur qui eis abuntur, & ſemper abuti parati ſunt) ac denegationem protectionis ſpecialis: talia ſunt ignorantia rerum ad ſalutem neceſſariarum, per ſubſtractionem diuinæ illuſtrationis, & diuinæ directionis in actibus humanis: Concupiſcentiæ appetitus ſenſibilis, omnimodo rationalis facultatis ſubiectio ſeu captiuitas: Errоribus & hæreſibus variis firma & voluntaria adhæſio; & tandem in malitia peccati, mentis ac voluntatis pertinax obſtinatio: quæ quidem mala plagæ ſunt omnibus aliis formidabiliores, quibus Deus punit eos qui nimia audacia & temeritate ducti mandatorum ipſius obſeruantiam contemnunt. Igitur ad ſeptem potiſſimum omnes plagæ, quibus homines vel probantur, vel corriguntur, vel puniuntur, poſſunt reduci, v. g. ad famem, ad bellum, ad morbos peſtilentes, ad cæcitatem mentis, ad paſſionum effrenatam licentiam, ad errores & hæreſes, ad voluntatis obduratam malitiam: quæ quidem mala ſub ſymbolis à S. Ioanne ad clangorem tubarum viſis deſcribuntur, & à Moyſe exprimuntur, Deuteron. 28. inter maledictiones eorum, qui legem à Deo datam tranſgredi non timebunt: *Mittet Dominus ſuper te famem & cluriem, & increpationem in omnia opera tua quæ tu facies, donec conterat te & perdat velociter, propter adinuentiones tuas peſſimas in quibus reliquiſti me.* Et poſtea: *Adiungat tibi Dominus peſtilentiam, donec conſumat te de terra, ad quam ingrederis poſſidendam.* &c. *Tradat te Dominus corruentem ante hoſtes tuos,* &c. *Percutiat te Dominus amentiâ, & cæcitate, ac furore mentis, & palpes in meridie ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris, & non dirigas viat tuas.* &c. *Ducet te Dominus, & regem tuum quem conſtitueris ſuper te, in gentem quam ignoras tu & Patres tui, & ſeruies ibi diis alienis, ligno, & lapidi, & eris perditus in prouerbium & fabulam omnibus populis,* &c. His adde quæ à S. Paulo dicuntur c. 1. Ep. ad Romanos. Vbi docet quod *reuelatur ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent,* &c. *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis, qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt & ſeruierunt creaturæ potius quàm creatori.* Tandem ait: *Et ſicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ non conueniunt* &c. Ex his certè hæc ſeptem genera plagarum colligi poſſunt, vt non videatur tenſus myſticus & accommodatitius, ſed litteralis, ſi dicamus iſtas plagas à S. Ioanne deſcribi ſub ſymbolis ſubſequentibus, cum omnes conſentiant in iſtis ſymbolis plurimas plagas, quibus Deus peccatores punit, ſignificari. Et rectè Sapiens dixit Eccleſiaſt. 39. *Bona bonis creata ſunt ab initio, ſic nequiſſimis bona & mala: Initium neceſſariæ rei vita hominum, aqua, ignis & ferrum, ſal, lac & panis ſimilagineus, & mel & botrus vuæ, & oleum & veſtimentum. Hæc omnia ſanctis in bona, ſic & impiis & peccatoribus in mala conuertentur. Sunt ſpiritus qui ad vindictam creati ſunt, & in furore ſuo confirmauerunt tormenta ſua: in tempore conſummationis effundent virtutem, & furorem eius qui fecit illos placabunt. Ignis, grando, fames, & mori, omnia hæc ad vindictam creata ſunt, beſtiarum dentes, & ſcorpij & ſerpentes, & romphæa vindicans in exterminium impios in mandatis eius epulabuntur, & ſuper terram in neceſſitatem præparabuntur, & in temporibus ſuis non præterient verbum.* Ita Sapiens: Qui ſaltem ſymbolicè eaſdem plagas deſcribit, famem exprimit, peſtem per mortem ſignificat. In igne bellum; in dentibus beſtiarum, paſſiones effrenatas; in ſcorpione, mentis cæcitatem, ſcorpio enim caudâ ex improuiſo ferit incautos, ſicut ob cæcitatem mentis tandem peccatores pereunt incauti, in ſerpentibus, hæreſes; in romphæa exterminante, ſupplicium eorum qui obduratâ malitiâ in peccatis perſeuerant. Hæc omnia præparantur ad vlciſcenda hominum peccata, & mandata Dei exequuntur, qui vocat famem ſuper terram, & mala immittit, prout videt hoc eſſe

neceſſarium, ſiue ad bonum electorum, ſiue ad confuſionem & punitionem reproborum. Has plagas Saluator ipſe prædixit Matt. 24. *Audituri enim eſtis prælia & opiniones prœliorum; videte ne turbemini. Oportet enim hæc fieri, ſed nondum eſt finis. Conſurget enim gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt peſtilentiæ & fames, & terræ motus per loca. Hæc autem omnia initia ſunt dolorum.* De ignorantia & cæcitate mentionem fecit, tum cum Luc. 18. dixit: *Veruntamen filius hominis veniens putas inueniet fidem in terra?* Eſt autem fides mentis oculus in iis quæ ad ſalutem pertinent; tum cum ad Phariſæos loquens aiebat: *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum; nunc verò dicitis, quia videmus, peccatum veſtrum manet.* Periculoſum quippe ignorantiæ genus, cum quis nec ipſam, qua laborat, ſentit cæcitatem. Nec Chriſtus Dominus morum corruptionem, quæ ex effrenatis paſſionibus oritur, & hæreſes quæ ſubinde introducuntur, omiſit: ſed vtrumque tetigit Matt 24. *Et multi pſeudo-prophetæ ſurgent, & ſeducent multos.* ecce hæreſes: *& quoniam abundauit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.* Ecce morum corruptio. Tandem cum prædixit Iudæis quod in peccatis ſuis mori debebant, finalem impœnitentiam & obſtinationem in malitia etiam prædixit: *Ego vado & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini.* Cum igitur has plagas etiam ipſe Chriſtus prædicere operæ pretium duxerit, non eſt à rationi alienum ſi dicamus ipſas etiam à S. Ioanne præuidi ac prædici, præcipuè ſub his ſymbolis, quæ in fini huius capitis, & in toto capite nono vita eſſe dicuntur, ſub quibus omnes conſentiunt plagas & ſupplicia quædam contineri. Veriſimile igitur ea prædici quæ ſcriptura narrat aut prædicit eſſe à Deo immittenda, ad probationem bonorum, & malorum punitionem.

An autem eo ordine tangantur quem poſuimus, an alio ordine, non multum intereſt. Ex conuenientia & proportione ſymboli cum rebus ſignificatis, debitum ordinem conjicere licet. At cum ſymbola ad plura applicari poſſint, vnicuique hic in ſuo ſenſu abundare permittitur, modo in hoc cum cæteris conſentiat, plagas quibus Deus peccata aut impedit aut punit hic prædici. Debuit ſiquidem ſanctus Ioannes ea omnia præuidere, quæ ad ſtatum Eccleſiæ militantis pertinent, inter quæ nulli dubium eſt pœnas & afflictiones, morum corruptionem, hæreticorum inſultationes, finalem plurimorum impœnitentiam non vltimum locum tenere, cum etſi multi ſint vocati, pauci tamen futuri ſunt electi. At nos in explicatione iſtarum plagarum hunc tenebimus ordinem, vt fames præcedat, bellum ſubſequatur, veniat peſtilentia, ſubeat ignorantia & cæcitas mentis, effrenatæ paſſiones ſeſe vltrò offerant, hæreſes oriantur & ſubintroeant, & tandem obdurata in peccatis voluntas, quæ finali impœnitentiâ plectitur, deſcribatur.

Et primus Angelus tubâ cecinit.

De prima plaga, nempe fame. §. 3.

Fames ſub ſymbolo grandinis & ignis cum ſanguine mixti denotatur. Punct. 1.

Et Angelus qui primum Chriſtianæ pietatis fundamentum, nempe omnium rerum abdicationem, prædicare voluit, vt homines ad primam beatitudinem à Chriſto laudatam adſpirare incitaret, quæ talis eſt: *Beati pauperes, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*, poteſtate ſibi tradita vſus eſt, & præpotenti voce iudicia Dei intonans, quia homines ſapientiâ terrenâ, & diabolicâ & animali plenos reperit, comminatus eſt eis omnium rerum penuriam, quam indubitanter futuram præmonſtrauit, ſub ſymbolis grandinis & ignis in ſanguine mixtorum: ex talibus namque cauſis ſterilitas accidit, qua fames graſſatur & plurimos è medio tollit: *Et facta eſt*, inquit, *grando & ignis mixta in ſanguine, & miſſum eſt in terram: & tertia pars terræ combuſta eſt: & tertia pars arborum concremata eſt: & omne fœnum viride combuſtum eſt.*

Iſthac, vt quibuſdam placet, inquit Andreas Cæſ. *denotant ſupplicia impiis & peccatoribus apud inferos conſtituta, variis modis atque Metaphoris, per res ſenſibiles pœnam inferre aptas adumbrata.* At rectè idem autor aliam ponit & probat ſententiam, dum addit: *Nos autem arbitramur non tertiam tantum mortalium partem, ex tota hominum multitudine, in futuro ſæculo pœnis daturam, ſed longè maximam: lata namque, vt Dominus ait, eſt porta & ſpatioſa via quæ ducit ad perditionem, eoque per hæc ſignificari tormenta & cruciatus, qui hominibus ante ſeculi conſummationem inferentur.* Ita Andreas.

Hic igitur aliqua pœna temporalis intelligitur. At quænam quæſo? Si Lyrano credimus, grando hæc fuit animoſitas & ſchiſma inter Epiſcopos, cum Arrius tubam ſuæ hæreſis inſonuit, ignis, æmulatio & zelus, quæ miſta fuerunt ſanguine plurimorum Martyrum. Si Andreæ Cæſarienſ. credas, grandinem veram non ſymbolicam intelliges; *Grandinem quidem indicare Deum iuſta ira prouocatum eiuſmodi flagella cœlitus immittere; ignem autem ſanguine mixtum, quotidianas depopulationes, incendia itidem & cædes per Barbarorum manus illatas, à quibus nimirum tertia pars rerum, quæ in terra exiſtant, abſumetur. Bellum enim non tantùm homines ſed humi quoque naſcentia, vt videmus, ledere ac conſumere ſolet.* Ita Andreas. Hæc omnia etiam ad literam vt ſonant eſſe accipienda aſſerit Cornel. poſt S. Ireneum l. 4. c. 30. Lactant. l. 7. c. 15. & Riberam. *Hæc enim ſigna & hæ plagæ literaliter precurrent, ſaltem inchoatè, id eſt inchoabunt & fieri incipient ante iudicium & ante Anti-Chriſtum.* Ita Cornelius.

Ac hic terræ ſterilitatem & frugum deuaſtationem, qua fames oritur, hic intelligimus: grandine quippe ſegetes, fruges & ſtirpes decutiuntur: igne, nempe calore & æſtu nimio exuruntur, ſanguine putrefiunt. *Poſuit*, inquit Pſal. 1. & Pſ. 104. *Pluuias eorum grandinem, ignem comburentem in terra ipſorum: & percuſſit vineas eorum & ficulneas eorum & contriuit lignum finium eorum.* Hæc fuit plaga ſeptima Ægypti: *Extenditque Moyſes virgam in cœlum, & Dominus dedit tonitrua, & grandinem, & diſcurrentia fulgura ſuper terram. Pluitque Dominus grandinem ſuper terram Ægypti, & grando & ignis miſta pariter ferebantur.* Exod. c. 9. Ex hoc autem quis facile conjicere poterit & terræ ſterilitatem, & ex ſterilitate, deficientibus cibariis ad vitam neceſſariis, famem ſubſequendam. Sic anno. 367. pluit grandinem, ſuper ciuitatem Conſtantinopolitanum, extraordinariæ magnitudinis, & ipſis lapidibus duriorem, aut ſaltem ipſis in duritie perſimilem, quæ plurimos homines occidit; quin & tali plagâ multæ aliæ prouinciæ afflictæ fuerunt, & inter alias Cappadocia, vt teſtatur S. Gregor. Nazianz. oratione de plagâ grandinis, quam calamitatem ingens ſubſecuta eſt fames, quæ potiſſimùm Cappadoces nimium afflixit, & ſicut per illam impietas malorum dignam accepit peccatorum punitionem, ita ex ea S. Baſilius occaſionem ſumpſit (patrimonium ſuum vendendo, vt pauperibus ſubueniret) edendi ſignum ſuæ veræ in proximum dilectionis & Charitatis. Ex nimio autem ætris ardore & æſtu ſterilitatem cauſari, qua fames inducitur, ſatis patet ex facto Eliæ 3. Reg. 17. ad cuius imperium nec ros nec pluuia fuit, ex qua ſiccitate & nimio æſtu fames vali-

Digitized by Google

da Iraëliticum populum afflixit. Similem plagam prædicebat Moyſes futuram, Deuteron. 28. *Percutiat te Dominus egeſtate, febri & frigore, ardore & æſu, & aëre corrupto, rubigine, & perſequatur donec pereas.* Ex ſimili ſiccitate & æſtu inducta fuit fames an. 513. cum è ſede ſua pulſus fuit Elias Patriarcha Hieroſolymitanus vi ac violentia & in exilium relegatus, eo quod recuſarat recipere profeſſionem fidei Seueri in ſede Antiochena intruſi: ſpecialis tamen enituit prouidentia Dei tempore illius ſiccitatis erga Monaſteria ſancti Sabæ & ciuitatem Hieroſolymitanam: nam orationibus ſuis ſanctus ille Abbas pluuiam impetrauit & Monaſteriis & ciuitati.

Pluuia quoque ſanguinea, ex eo quod ſanguis ſit craſſus & calidus, omnia corrumpit. Si verus ſit ſanguis, qualis fuit is in quem conuerſa fuit aqua fluminis Nili, in prima plaga Ægypti Exod. 7. *Ecce percutiam virga, quæ in manu mea eſt, aquam fluminis, & vertetur in ſanguinem: piſces quoque qui ſunt in fluuio morientur, & computreſcent aquæ, & affligentur Ægyptij bibentes aquam fluminis*; vel ſi dicas pluuias ratione tantum coloris ſanguineas dici, cum ex philoſophia habeamus aquas pluuiales rubeas videri, ex aduſta & ſicca terreſtreitate, quæ vaporibus tempore calidiore permiſcetur, ex tali pluuia certè ſterilitatem & famem induci euidentiſſimum eſt: nam modico humido ex nimio ardore ſolis conſumpto, remanet tantum illa ſicca & aduſta terreſtreitas, quæ vaporibus erat permiſta, vt potius videatur pluiſſe puluerem, nullum humorem habentem, quàm pluuiam terram perfundentem, vt adimpleri videatur illa comminatio Deuteronom. 28. *Det Dominus imbrem terræ tuæ puluerem, & de cælo deſcendas ſuper te cinis donec conteraris.* Vel grando & ignis dicuntur mixta in ſanguine, ad denotandam crudelitatem famis ex grandine & ſiccitate nimia cauſatæ, quæ tanta eſt vt nec matres ſoboli parcant. Talis fuit fames in Samaria, de qua 4. Reg 6. vbi legimus mulierem apud Regem conquerentem, quod cum altera mulier cum ea comediſſet ſuum filium, illa viciſſim proprium dare recuſaret comedendum. Talis ea quæ in obſidione Hieroſolymitanæ ciuitatis Iudæos conſumpſit, vt refert Ioſephus; & anno. 450. talis fames Italiam afflixit. Patres proprios filios vendere coacti fuerunt, vt ſibi panem comparare poſſent, vt videre eſt ex edicto Valentiniani, quod promulgatum fuit anno ſubſequenti, quo cauetur licitum eſſe Patribus filios ſuos redimere. At potiſſimum anno. 539. fuit fames mixta in ſanguine, num Siluerius Pontifex relegatus fuit in inſulam Palmariam vel Pontiam ipſi vicinam, in qua obiit ærumnis confectus, præter alia mala quæ imperium per Hunnos inuaſerunt, tanta fames Italiam oppreſſit, vt innumeri homines fame & penuriâ enecati fuerint, itaut quidam ſe inuicem comederint: & narrant duas mulieres apud quas ad hoſpitium plurimi diuertebantur, decem & ſeptem viros enecaſſe & comediſſe, & decimum octauum ſimili modo enecaſſent & comediſſent, niſi ex improuiſo expergefactus illarum vitaſſet crudelitatem, illas impias, & barbaras mulieres occidendo: & in Liguria matres repertæ ſunt, quæ proprios filios comederunt.

Et tertia pars terræ combuſta eſt: & tertia pars arborum concremata eſt: & omne fœnum viride combuſtum eſt.

Cur tertia tantum pars terræ & arborum dicatur comburi, & omne fœnum concremari. Punct. 2.

Tertiam hanc partem terræ, inquit Cornelius, *arborum, & germinum accipe, non coniunctim ac continuè eodem loco, ſed miſtim & ſparſim, ſcilicet vt aliqua in Hiſpania, alia in Italia, alia alijs locis & prouincijs, combuſta & vaſtata ſint, ſcilicet illis & illis locis, in quibus erant peſſimi incolæ, & maximi perſecutores fidelium. Hæ enim illorum ſunt plagæ, non fidelium & iuſtorum, ita nimirum vt computatis omnibus quæ ſparſim vaſtata ſunt, tertia pars terræ, arborum, & germinum, quæ in toto orbe tunc erant, hac prima plaga ac ſtrage diſperdatur & comburatur. Porro tertiam tantùm partem percuſſit grando, non verò totum & omnium, quia noluit Deus hac prima plaga diſperdere terram, & homines eius incolas, ſed per eam caſtigare eos & admonere vt pœniteant: Itaque cæteras plagas iam paratas euadunt. Quod ſi tanta plagâ moniti reſipiſcere & pœnitere nolint, reſeruat eis ſex atrociores plagas, quas ſenſim maiores & maiores per ſex Angelos ſequentes euocabit & producit.* Ita Cornel.

At quia per terram, & arbores & fœnum plerique homines intelligunt, Dionyſ. Carthuſ. audiamus docentem: *Sacra*, inquit, *ſcriptura multiplicem ſenſum habere aſſeritur, non idcirco dumtaxat, quoniam literaliter, tropologicè, allegoricè & anagogicè explanatur, ſed ideo quoque quia in eo viciſſim ſenſus literalis multiplex ſecundùm Auguſtinum: cuius ratio eſt, quia interdum ſenſus literalis ſcripturæ non eſt, qui per verba, ſed qui per res verbis deſignatas exprimitur. Res autem huiuſmodi diuerſas ſortitæ ſunt proprietates & actus: Ideo iuxta hoc ſenſus literalis multiplicatur. Sic autem eſt in loco præſenti. Prater ea, quòd per terram, habitantes in terra ſignificentur, certiſſimè conſtat, quod etiam per arbores intelligantur homines: liquet ex eo quod ait Saluator: Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur: quod demum nomine ſani homines innuantur pandit ſermo Propheticus dicens: Verè fœnum eſt populus. Inſuper per tertiam partem iſtorum, ſcilicet terræ, ſani & arborum, intelligenda eſt pars valde magna eorum. Itaque tertia pars, id eſt hominum inferiorum ac ſubditorum; & arborum, id eſt maiorum ac prælatorum; & omne fœnum viride, id eſt homines in quibus floret iuuentus, & humor carnalitatis, ac mundi proſperitas, combuſta ſunt ſ. conſumpti.* Ita Dionyſ. Prior ſenſus Cornelij iuuatur ex eoquod dicitur Amos c. 4. *Et plui ſuper vnam ciuitatem, & ſuper alteram ciuitatem non pluit: pars vna compluta eſt, & pars ſuper quam non pluit aruit.* Poteſt igitur heri vt multi fame & inedia conſumantur, aliis iuxta diuinæ prouidentiæ ſapientiſſimam ordinationem in incolumitate vitæ conſeruatis.

Iuxta ſecundum ſenſum, dico tertiam partem terræ & arborum eſſe combuſtam & concrematam, & omne fœnum exaruiſſe, quia homines, qui afflictionibus vexantur, poſſunt ad tres claſſes reuocari, ſecundum diuerſos fines quos Deus intendit, dum flagella & plagas immittit; vel enim eſt ad probationem perfectorum, vel ad purgationem proficientium, vel ad punitionem obduratorum & reproborum; & ſic tertia eorum pars comburitur, nam ſoli reprobi per illas afflictiones pereunt, & in deſperationem adducuntur. Illorum tantum eſt dicere *montibus & petris: Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni.* Illorum tantum eſt commanducare linguas ſuas præ dolore, & blaſphemare Deum cæli præ doloribus & vulneribus ſuis, & pœnitentiam non agere ex operibus ſuis. Nam proficientes & Chriſtiani, de quorum ſalute adhuc ſpes magna reſtat, per vexationes & afflictiones purgantur, iuxta illud Malachiæ c 3. *Ipſe enim quaſi ignis conflans; & quaſi herba fullonum; & ſedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui & colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum: & erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſtitia. Ipſe*, inquit S. Hieronym. *his qui peccant grauiter ignis conflans eſt, atque conſumens; qui autem leuia peccata committunt, herba fullonum, vt lotis mundiùs veſtimenta, ſe-*

cundum illud quod ſcriptum eſt in Iſaia : *lauabit Dominus ſordes filiorum & filiarum Sion, & ſanguinem emundabit de medio eorum, ſpiritu iudicij & ſpiritu combuſtionis. Qui ſordes habent ſpiritu iudicij indigent, vt lauentur: qui ſanguine pleni ſunt, ſpiritu combuſtionis: vt ſanguis (qui in eis ſecundum Ezechielem quidquid in auro noſtro & argento, id eſt, ſenſu & eloquio, ære, ſtanno, ferro, plumboque commixtum eſt) in camino Domini percoquatur, vt purum aurum remaneat & argentum*, &c. Et poſt pauca : *Qui cum emundati fuerint & colati tunc offerent Domino iuſta ſacrificia : & placebit ſacrificium eorum, quod obtulerunt pro Iuda & Hieruſalem, hoc eſt pro his, qui Dominum confitentur, & pacem eius meritò conſpiciunt; ſicut dies ſeculi & ſicut anni antiqui, & quomodo in principio placuerunt Deo, ſic poſt peccatum & pœnitentiam placere incipiunt, cum omni fuerint peccatorum ſorde purgati.* Ita Hierony. Hic eſt ſecundus ordo mortalium, nempe eorum qui per afflictiones proficiunt in melius. Tertius ordo eſt perfectorum, de quibus dicitur : *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget eos tormentum mortis : Viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace* : ad quos, vt ad Smyrnenſem Epiſcopum, dicitur : *Nihil eorum timeas quæ paſſurus es. Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Apoc. 2. qui cum S. Paulo ſuperabundant gaudio in omni tribulatione, nec enim afflictionibus in animo vexantur. *In omnibus*, inquit Apoſtolus 2. ad Corinth. 4. *tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur; aporiamur, ſed non deſtituimur; perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur; dejicimur, ſed non perimus ſemper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes. Vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris:* Et ad Philipp. c. 4. *Scio & humiliari, ſcio & abundare, (vbique & in omnibus inſtitutus ſum) & ſatiari & eſurire, & abundare & penuriam pati : omnia poſſum in eo qui me confortat.* Igitur dico tertiam tantum partem comburi aut concremari, quia ex fidelibus Chriſtianis reprobi per afflictiones deſperati pereunt, proficientes purgantur & erudiuntur, perfecti probantur & incrementa capiunt virtutis & meriti: *nihil* enim extrinſecum lædere poteſt hominem perfectum. Ad quod probandum totus eſt S. Chryſoſt. homiliâ : *Quod nemo lædatur niſi à ſeipſo*, & inter alia de Lazare, & de S. Paulo loquens ait : *Neque enim ob paupertatem coronatus eſt tantùm, neque ob famem, neque ob vlcera, neque ob linguas canum; ſed quod talem vicinum cum haberet, à quo in dies aſpiceretur & deſpiceretur, perpetuò eam tentationem generoſo tulerit animo, magnique conſtantiâ, quæ quidem tentatio, & paupertati & aduerſæ valetudini & ſolitudini non exiguam ſed acerrimam flammam adhibebat. Quid vero beatus Paulus, dic mihi? Nihil enim orchibet iterum meminiſſe viri. An non infinitas tentationum tanquam nimium imbres ſuſtinuit? Quid ergo inde damni accepit? An non propterea maioribus donatus eſt coronis, quod eſuriſſet, quod algore & nuditate confectus, quod verberibus ſæpe numerò conciſus, quod lapidibus appetitus, quod in mare demerſus fuiſſet?* &c. At cur S. Ioannes Euangel. omne fœnum combuſtum, non autem tertiam tantum partem eſſe combuſtam? Certe vt ſciamus & perfectos, & proficientes & peccatores iiſdem malis in præſenti vita vexari, iiſdem afflictionibus premi, omnium caro fame poteſt enecari & exſiccari. In hoc tantum differunt, quod reprobis ingentia dolorum ſunt hæc, electi autem dicunt cum Apoſtolo 2. ad Cor. 4. *Sed licèt is qui foris eſt noſter homo corrumpatur, tamen is qui intus eſt renouatur de die in diem.* Notandum autem tres iſtos ordines hominum, perfectorum, proficientium, & reproborum, adumbratos fuiſſe in tribus filiis Noe; Sem perfectos, Iaphet proficientes, Cham reprobos ſignificat. Igitur cũ audio iſtũ primum Angelũ tuba canentem, eorum quæ à Hieremia dicuntur c. 7. recordor : *Hæc dicit Dominus : ſtate ſuper vias, & videte & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea : & inuenietis refrigerium animabus veſtris. Et dixerunt : non ambulabimus. Et conſtitui ſuper vos ſpeculatores : Audite vocem tubæ : & dixerunt : non audiemus. Ideo audite, & cognoſce congregatio, quanta ego faciam eis. Audi terra : Ecce ego adducam mala ſuper populum iſtum, fructum cogitationum (ſiue auerſionis apud Hieron.) eius, quia verba mea non audierunt & legem meam proiecerunt. Mala appellat*, inquit Hieron. *ſupplicia pœnaſque peccantium.*

Et primus Angelus &c. Ac ſi dicant concionatores: Quantum in nobis fuit, conati ſumus homines prouocare vt omnem auaritiam derelinquerent, rapinas & furta à ſe excluderent, eis proponendo quanta ſatietate mentis & animi tranquillitate fruebantur ij qui Deo deſeruiunt, & cœli gaudia expectant, qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur. Sed curauimus Babylonem & non eſt ſanata, dixerunt : non ambulabimus, non vos audiemus. Audi itaque terra, audite terreni homines, audite arbores ſ. mentes in terra defixæ, audiat fœnum ſ. omnis mortalis homo, quanta vobis faciet Dominus, quanta mala adducet, quia verba eius per os noſtrum audire contemnitis, & legem eius projicere non timetis: ſicut per rapinas & dolos innumeros poſſeſſiones aliorum inuaſiſtis, ita grandine terræ & poſſeſſiones veſtræ depopulabuntur & diſperdentur, & deculli frugibus veſtris fame opprimemini : vindictæ flagrantiſſimo igne ſuccenſi omnem quam habebatis autoritatem & poteſtatem impendebatis, vt pauperes & imbecilles opprimeretis ; ſiccitate & æſtu omnis herba virescens exſiccabitur, vt nec frumentũ, nec hordeum, nec olus, nec fœnum iumentis & pecoribus veſtris, nec aliud quippiam remaneat, quo veſci poſſitis vos, & iumenta & pecora veſtra. Amore inordinato erga filios & conſanguineos ducti, vicinos è propriis terminis & ſedibus expuliſtis, vt conſanguineos ditaretis : cœlum pro pluuia det vobis ſanguinem, quo omnia corrumpantur, nec aliquid eorum quæ ſeminaueritis metere poſſitis. Quod ſi aliquid remaneat, hoc tantum vti poſſint vt ſentiant & experiantur quanta mala mentis obduratio ipſis afferat : nam ſi Deus tertiam tantùm partem plectere dicitur his pœnis, hoc fit vt ſi qui hæc mala euadant liber illis detur pœnitendi aditus, & vt à malis reſipiſcant.

Si autem exempla requiras plagæ ſterilitatis, & famis, qua erudiuntur probi, puniuntur mali, lege Baronium ann. 44. de fame quæ graſſata eſt ſub Claudio, & ann. 370. de ea quæ propter exilium Euagrij, Catholicarũ vexationem, octoginta ſacerdotum combuſtionem, grauiſſima totam Phrygiam afflixit, & Valens imperator ipſe concrematus cum ſuis miſerè obiit, & an. 383. illa fames refertur de qua fit mentio apud S. Ambroſium in reſponſione ad Symmachum præfectum; & anno. 409. & 410. fit mentio illius famis, quæ videtur Romanis immiſſa propter pertinaciam in gentilitate : aliam lege an. 484. propter nimiam & atrocem Catholicorum perſecutionem ab Hunnerico Rege Vuandalorum factam; nec omittenda illa, quæ anno 454. vtraſque Phrygias, Galatiam, Cappadociam & Ciliciam vaſtauit, vt verum ſit Deum hanc plagam ad vlciſcenda hominum peccata paratam habere.

Et ſecundus Angelus tuba cecinit: & tanquam mons magnus igne ardens miſſus eſt in mare, & facta eſt tertia pars maris ſanguis.

De ſecunda plaga, bello videlicet. §. 4.

Quid per montem magnum & mare intelligitur. Punct. 1.

Et ſecundus Angelus tuba cecinit: Nempe alius ordo concionatorum homines à vanitate ſeculi auertere volentium, qua volunt potentes videri, qua potentiam ambiunt vt ſecurè degant, & abundantiâ rerum temporalium frui illis liberum ſit, vt poſſint genio indulgere nullo obſiſtente. At cum multa concupiſcant, vt ad hoc culmen honoris & poteſtatis perueniant, vt à nullo videlicet dependeant, hinc oriuntur inter homines bella & lites, dicente Iacobo c. 4. *Vnde bella & lites in vobis? nonne hinc? ex concupiſcentiis veſtris quæ militant in membris veſtris: concupiſcitis & non habetis: occiditis & zelatis, & non poteſtis adipiſci, litigatis & belligeratis, & non habetis, propter quod non poſtulatis.* Has lites & bella præuidet & prædicit S. Ioánes futura ſeculi amatoribus, qui non in Deo ſed in fortitudine ſua & *in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur*, non attendentes quod Deus non ſuſtinet præſumentes de ſeipſis, iuxta illam comminationem quæ habetur Deuteronomij 28. *Tradat te Dominus corruentem ante hoſtes tuos: per vnam viam egrediaris contra eos, & per ſeptem fugias, & diſpergaris per omnia regna terræ, ſitque cadauer tuum in eſcam volatilibus cæli & beſtiis terræ, & non ſit qui abigat.* Et poſtea: *Seruies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus, in fame & ſiti, & nuditate, & omni penuria: & ponet iugum ferreum ſuper ceruicem tuam, donec te conterat.* Quomodo autem bella & lites, ac iurgia in hoc ſymbolo ſignificentur, facile erit conjicere, ſi ſciamus quid per montem magnum igne ardentem ſignificari poteſt, & quid per mare hic intelligitur.

Per montem magnum Ambroſius legem Moſaicam intelligit, ſed longiſſimè à propoſito, tum quia in bonam partem has plagas accipit; *Ea*, inquit, *quæ ſeptem Angelis tubis canentibus facta fuiſſe viſa ſunt, in bonam partem, ſicut mihi videtur, accipienda ſunt.* Hæc ille; cum in malam partem accipi conuenientius ſit, & communior & probabilior ſit opinio; tum quia non futura præuideri, ſed iam ſub lege Moſaica commemorari putat: ad quæ ſanctum Ioannem attendere non videtur neceſſarium appoſitum, cum potiſſimùm quæ erant pro eo tempore quo ſcribebat, & quæ futura erant deberet prædicere. Cornelius à Lapide poſt Riberam, per montem igneum accipit ingentem globum ardentem & igneum, quem mittet Angelus in mare, eoq; afflabit & comburet tam naues quàm piſces, puta tertiam partem nauium & piſcium. Docet præterea ex Alcazar montem hunc in terra, & terrenum fore, qui inſtar Æthnæ ſuccenſus ab Angelo, ardebit & comburetur, ac mittetur in mare, ſuoque igne & ardore occidet piſces, ac aquas maris vertet in ſanguinem, non tam naturali ſua vi, quàm ſupernaturali Dei inoperantis virtute & potentia. Verius tamen cenſet hunc montem fore aërium, puta exhalationes multas & magnas: vox enim (tanquam) innuit non fore verum montem, ſed montis ſimilitudinem, tum quia plagæ hæ cæleſtes ſunt, & à cælo per Angelos euocantur, ac depluunt in terram tanquam tela à Deo è cælo in impios vibrata. Erit ergo hic mons ardens ingens maſſa pinguis materiæ in aëre concreta, & accenſa, quæ inſtar montis ardentis ruet in mare, quo fiet vt tertia pars maris vertatur in ſanguinem, & tertia pars piſcium moriatur, & tertia pars nauium intereat. Addit Cornelius veriſimile eſſe hanc maſſam primò in ſublimi, & in initio lapſus, inſtar montis ardentis coniunctum appariturum oculis hominum, deinde in progreſſu ſpargendum in varias partes, vt variis locis mare inficiat. Similis fuit plaga ignis ſulphurei, quâ Sodoma & Pentapolis conflagrauit, Geneſ. 19. Ita Cornel.

Eſto in fine & conſummatione ſeculorum talia fiant prodigia ad hominum terrorem, & ad exigendas ab eis pœnas pro delictis, duo tamen ſuadent, præter hunc ſenſum literalem, myſticum eſſe inquirendum. Primum eſt quod hæ plagæ non videntur rejiciendæ vſque ad vltimam ſeculorum conſummationem, ſicuti nec eas ad illud tempus rejicit Alcazar, qui hoc ſymbolum de bello à Tito Iudæis illato interpretatur; nec etiam Aureolus, qui de Macedoniana hæreſi illud intellegit; nec Viegas, qui de tyrannis Eccleſiam obruere volentibus hunc montem interpretatur. Verius enim eſſe videtur ſub his ſymbolis ea, quæ in Eccleſiæ militantis decurſu fiunt, deſcribi, quàm ea tantùm quæ in fine mundi euenire debent; nec diſcedere debemus ab ea rerum ſerie, quam poſuimus, vt ſcilicet poſt eam, quam S. Ioannes deſcripſit, profuſionem donorum & beneficiorum, quibus Chriſtus Eccleſiam dotauit & auxit, ponat & deſcribat modos quibus illam erudire, probare & per afflictiones varias purgare intendit, cum non mediocrior pars eorum, quæ fidelibus obueniunt in hac vita, non ſit afflictionum & perſecutionum immiſſio & tolerantia, itaut ea prædici opportunum fuerit, & notificari fidelibus ſit vtiliſſimum, ſicut Chriſtus opportunum eſſe duxit & neceſſarium prædicere Apoſtolis ea quæ pro nomine eius pati debebant.

Secunda ratio propter quam non accipimus verba prout ſonant, aut ſaltem aliquid in eis ſignificari etiam putamus, eſt quod non maior ſit ratio iſtud ſymbolum prout ſonat accipere, quàm alia quæ poſtea narrantur: quæ ſi ad literam ſumas, prout verba ſonant, neſcio an hoc admitti poterit. Quomodo enim ad literam accipies ſtellam de cælo cadentem, cui detur clauis abyſſi; fumum aſcendentem, & vſque ad ſolem pertingentem; locuſtas exeuntes ſimiles equis, paratis in prælium, & coronas aureas geſtantes, quarum facies ſit humana, capillamentum mulierum, dentes Leonum, & loricatas? Similiter quomodo ad literam accipies equos, quorum capita ſunt Leonum, è quorum ore erumpunt ignis, fumus, & ſulphur, quorum caudæ ſunt ſimiles ſerpentibus, habentes capita? Vnde ipſe Cornelius ait: *Patet hæc non ad literam ſed ſymbolicè accipi debere, æquè ac capita Leonum, & ignem ſulphurque de ore egredientia. Nulli enim equi habent caudas ſerpentum, aut capita in caudis.* Et antea de locuſtis loquens idem Cornelius ait. *Hæc ſymbolicè & figuratè accipere cogimur, quia nulla datur propriè clauis inferni, nullum etiam eius oſtium vel hiatus, qui fumum exhalet ſuper terram, vt ſolem obſcurare poſſit: & liquet ex ſequentibus locuſtas, vt pote tot beſtiis ſimiles, figuratè accipi debere.* Vnde poſtea per locuſtas intelligit exercitum barbarorum à dæmone in impios immiſſum, vel etiam ipſos dæmones, qui ſpeciem & formam locuſtarum induant, ſed nouam & monſtroſam, vt pote ex variis animalibus, puta leone, ſcorpione, equo, homine, commiſtam, & conſarcinatam. Et ſic Cornelius, licèt antea dixerit locuſtas, vt pote tot beſtiis ſimiles, figuratè accipi debere, contendit tamen interpretationem de dæmonibus ſub his ſignis monſtroſis eſſe literalem: *Præſertim quia cætera*, inquit, *omnes plagæ ad literam vti ſonant accipiendæ ſunt, ergo & hæc.* Quod ſanè aliquam vide-

Digitized by Google

tur repugnantiam includere. Quomodo enim locuſtæ figuratè accipiuntur, ſi ad literam, vt deſcribuntur, ipſæ dicantur eſſe dæmones? Niſi dicas locuſtas dæmones ſignificare, quia ſub figuris harum locuſtarum dæmones apparebunt. Hac ratione tamen dico figuratè accipi, quia non erunt veræ locuſtæ, etſi ad literam ſint dæmones, ſiue cum hac figura appareant, ſiue quia effectus quoſdam producunt, propter quos talibus locuſtis ſimiles dicuntur. Quidquid ſit certum eſt in his omnibus plurima eſſe, quæ ſymbolicè accipi debent: & ita licet poſſit fieri vt verus mons ardens in fine mundi immittatur, tamen veriſimile eſt etiam in hoc monte aliquid myſticè intelligi, ſicut per locuſtas & equos myſticè & homines & dæmones deſignantur. Hinc,

Dico cum plurimis grauiſſimis autoribus per hunc montem dæmonem intelligi, *Mons ardens*, inquit Primaſius. *Diabolus eſt miſſus in populos: Cæterum*, inquit Andreas Cæſar. *per montem magnum diabolum deſignatum arbitramur, id quod quibuſdam quoque Doctoribus viſum eſt. Hic enim eſt qui & furoris igne contra genus noſtrum ardet, & gehennæ incendiis reſeruatur, & tempore illo, quod illi ad tentandum permiſſum eſt, tertiam inſularum, & nauium & animantium, quæ in mari natant, partem corrumpere & interimere enixè contendet: quemadmodum olim ætate nimirum beati Iob clarum eius rei ſpecimen dedit: nam & mortalium hoſtis, & iuſto Dei iudicio peccatorum vindex eſt, & lege præterea receptum eſt vt quinis eius efficiatur ſeruus, à quo legitimè ſuperatus eſt.* Ita Andreas. Beda: *Creſcente religione Chriſtianâ, diabolus ſuperbiâ tumidus & igne ſui furoris ardens in mare ſeculi miſſus eſt, dicente Domino: Si monti huic dixeritis: tollere & iacta te in mare, fiet; non quod ante ibi non fuerit, ſed quod de Eccleſia proiectus amplius in ſuos inſanire caperit, faſtu prudentiæ carnalis mortem illis inſigens ſpiritalem.* Ita Beda.

Anſelmus: *Tanquam mons magnus, ſ. diabolus pro elatione, igne ardens, id eſt inuidia inſaniens ad nocendum.* Dionyſ. Carthuſ. *Mons magnus igne ardens, ſ. diabolus per ſuperbiam eleuatus, cui dicitur: Quid tu mons Magne coram Zorobabel? In quo eſt ignis inuidiæ feruor totius impietatis: vnde ſecundum Dionyſium, in diabolo eſt amens furor.* Ita Dionyſ. Carthuſ. Etiam S. Hieronymus intelligit de diabolo hæc verba Zachariæ: *Quis tu mons magne?* In c. 4. Zachar. *Montem autem plerique noſtrorum Diabolum interpretantur, & Anti-Chriſtum qui coram Zorobabel, de quo naſciturus eſt Chriſtus, ſtare audeat & ſe erigere, & in Euangelio dicere: Hæc omnia mihi tradita ſunt, & dabo ea tibi ſi procidens adoraueris me: quem Dominus ſuis pedibus proſternens, & de ſuperbo humilem faciens atque deiectum, dicit: Vade retro Sathana: ſcriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis, & ipſi ſoli ſeruies: dantque exemplum in Euangelio, Lunatici, quem cum Apoſtoli non potuiſſent ſanare interrogant cur ſanare nequiuerint, & audiunt: Amen dico vobis: ſi habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic: Tranſi hinc, & tranſibit; & nihil impoſſibile erit vobis. Hoc autem genus non ejicitur, niſi per orationem & ieiunium. Mons ibi apertè diabolus accipitur.* Ita Hierony. Et certè cum Dominus dicat: Dicetis monti huic, videtur loqui de diabolo non de monte aliquo terreno: non enim dicit indeterminatè: Dicetis monti, vel montibus, ſed determinate loquitur: *Monti huic*, ac ſi diceret, Huic ſuperbo dæmoni, qui tanquam mons ſublimis eleuat ſe per ſuperbiam: vnde ad vocem veſtram noluit exire. Vnde Hierony. In Matt. 17. ait: *Montis tranſlatio non eius ſignificatur quem oculis carnis aſpicimus, ſed illius qui à Domino tranſlatus fuerat ex Lunatico: quod enim ait: dicetis monti huic, Tranſi hinc, & tranſibit; de dæmone intelligitur. Ex quo ſtultitiæ coarguendi ſunt, qui contendunt Apoſtolos omneſque credentes ne paruam quidem habuiſſe fidem, quia nullus eorum montes tranſtulerit: neque enim tantùm prodeſt montis de alio in alium locum tranſlatio, & vana ſignorum quærenda oſtentatio, quantùm in vtilitatem omnium iſte mons tranſferendus eſt, qui per Prophetam dicitur corrumpere omnem terram.* Ita Hieron. Sicut igitur huius montis, nempe dæmonis, tranſlatio vtilitatem affert, certè illius immiſſio ingentia afferet incommoda; & patet nos nihil alienum adducere à ſcripturæ ſenſu, cum per montem aſſerimus diabolum ſignificari: ſiquidem eo nomine ab ipſo Domino deſignatur. Nunc videamus quid per mare hîc intelligatur.

Ambroſius: *Ipſe verò Hebraicus populus, propter magnitudinem ſcelerum, per mare deſignatur.* Anſelmus per mare gentiles intelligit, *Gentiles*, inquit, *dicuntur mare, quia ſunt fluctuantes maximis vitiis.*

Maris nomine, inquit Rupertus, *gentes hîc ſignificantur, quemadmodum & in Pſalmo, cum dicit: Et transferentur montes in cor maris: idem eſt enim ac ſi diceretur, dum à Iudæis in medium gentium tranſibunt Apoſtoli.*

Andreas Cæſar. *Interim minus fortaſſis à ſcopo aberrabimus, ſi præſentem vitam, quæ metaphoricos mare appellatur, iſthæc incommoda ſubituram, tertiamque, quæ in ipſa viuit, partem plagis iſtis exercendam & conſumendam dixerimus; ſiquidem ob diuinorum iudiciorum abyſſum fit vt alij quidem ſcelerati è veſtigio puniantur, alij verò ad conuerſionem & pœnitentiam diu multumque expectentur.*

Dionyſ. Carthuſ. *Miſſus eſt in mare, id eſt, in corda incredulorum amara & inquieta ingreſſus eſt, vt per eos Euangelicæ prædicationi reſiſteret: nam, vt Dionyſ. ſcribit, audientes Græci crucem prædicari, & reſurrectionem ex mortuis, lato ore riſerunt, & tyranni exacerbati fuerunt.* Dionyſ. Alcazar per mare intelligit imperium Romanum, dum ait tertiam partem maris ſignificare magnam partem imperij Romani, in bello Iudæis à Tito illato, Iudæorum ſanguine eſſe conſperſam, ita tamen vt multi ex eis fugâ elapſi necem euaſerint.

Aureolus per mare Eccleſiam intelligit, quæ dicitur mare propter aquas baptiſmi, & propter multitudinem gentium omnium quæ continet. Idem ſentit Viegas, dum dicit montem magnum eſſe diabolum ſuperbum, qui per tyrannos quaſi mons oburere voluit mare, id eſt Eccleſiam, quæ tunc facta eſt ſanguinea ob crebra Martyria. Denique ad literam Cornelius mare propriè intelligit.

Meminiſſe oportet illius hiſtoriæ, quæ à tribus narratur Euangeliſtis, Matthæo, Marco & Luca. Narrant ſiquidem quod poſtquam Dominus aſcendiſſet in nauiculam, eiuſque diſcipuli eum ſequuti fuiſſent, *motus magnus* de repente *factus eſt in mari, itaut nauicula operiretur fluctibus, ipſe vero dormiebat*, ſed ſuſcitato à diſcipulis dicentibus: *Domine ſalua nos, perimus*, dicit eis Ieſus: *Quid timidi eſtis, modicæ fidei?* Addunt tunc ſurrexiſſe Dominum, & imperaſſe ventis & mari, & factam eſſe tranquillitatem magnam; quo miraculo homines ad admirationem commoti dixerunt: *Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei?* At cum poſtea veniſſent trans fretum in regionem Gera ſenorum, *occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, ſæui nimis, itaut nemo poſſet tranſire per viam illam, & ecce clamauerunt dicentes: Quod nobis & tibi, Ieſu fili Dei?* Ac ſi dicerent: Nihil tibi mali facimus, te liberè tranſire ſinimus. Quid nos torques, præcipiendo vt exeamus? Præcepiſſe enim vt exirent, narrant Marcus & Lucas; & cum dæmones Dominum rogaſſent ne mitteret eos in abyſſum, ſed vt permitteret illos in gregem porcorum, qui ibi erat, ingredi, *ait illis Dominus: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos. Et ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare, & mortui ſunt in aquis.* Matt. 8. Marci 5. Luc. 8. Vides in priori facto nauiculam typum eſſe Eccleſiæ, quæ in mari huius ſeculi fluctuat: at rectore & adiutore Chriſto, non mergitur; nam

nam dum tempeſtatibus & procellis agitatur, impe- A rat Chriſtus vento & mari, & fit tranquillitas magna. In ſecundo autem facto dæmoniacorum & dæmonum, vides eos perite & ſuffocari in mari, qui porcis ſimiles in mari & fluctibus huius ſeculi à dæmone præcipitantur. *Qui ſunt iſti porci*, inquit S. Ambroſ. lib. 6. in Lucam, *niſi forte illi de quibus dictum eſt: Nolite dare ſanctum canibus, nec miſeritis margaritas veſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis. Illi ſcilicet qui immundorum vſu animalium, vocis & rationis expertes, lutulentis vitæ ſuæ actibus naturalium coinquinauerunt ornamenta virtutum, qui impetu feruntur in præceps, quoniam nullius meriti contemplatione reuocantur; ſed tanquam de ſuperioribus ad inferiora, per improbitatis procliue detruſi ſuffocantur in aquis, inter fluctuantia mundi iſtius, ſtrangulatorum in modum, intercluſo præ-* B *ueuntis ſpiritu commeatu. Neque enim in iis qui fluido æſtu voluptatum huc atque illuc feruntur incerti, vllius ſpiritus poteſt eſſe vitale commercium. Videmus igitur quia homo ipſe ſibi eſt auctor ærumnæ: nam niſi quis porci more vixiſſet, nunquam accepiſſet in eum diabolus poteſtatem aut ſi accepiſſet, non vt perderet, ſed vt probaret.* Ita Ambroſ. His prælibatis,

Dico per mare, omnium gentium & populorum vitam præſentem intelligi, in hoc mari nauigant tum boni, tum mali: quia omnes dum præſentis vitæ curriculum peragunt, tempeſtatibus & procellis ſeculi ſubjiciuntur. *Sed dicit aliquis*, inquit Ambroſius, *cur hoc à Deo permittitur diabolo? At ego dico: vt* C *boni probentur, improbi puniantur? Hæc enim pœna peccati eſt. Denique lege quia immittit Dominus febrem, & tremorem, & malos ſpiritus, & cæcitatem, & omnia flagella, iuxta merita peccatorum.* Ita Ambroſ In hoc mari igitur, Deo iubente aut ſaltem permittente, diabolus: dum permittit eum Dominus malos vexare, bonos autem tentare. *Neque enim*, inquit S. Ambroſ. *quiſquam poterat hunc mundum enauigare ſine Chriſto, quando eos quoſque quibus Dominus adeſt, tentationum ſecularium ſæpe procella perturbat; & œconomia ſeruatur in Apoſtolis, vt aduertas ſine tentatione neminem poſſe ex hoc vitæ curriculo demigrare, quia exercitium fidei tentatio eſt. Subiecti igitur ſumus nequitiæ ſpiritualis procellis, ſed quaſi peruigiles nautæ gubernatorem excitemus.* D Ita Ambroſ. At quæſo quid parere poteſt præſentia montis illius magni, ardentis inuidiâ, irâ & odio, accenſi, de quo dicitur: *Væ terræ & mari, quia deſcendit ad vos diabolus, habens iram magnam?* Nihil aliud proculdubio, quam diuiſiones, diſſenſiones, lites, iurgia, bella, homicidia. Nam ſicut vbi charitas & amor, & concordia, ibi Deus eſt ita vbi lites & iurgia & contentiones, & diſcordiæ & bella ſunt, ibi diabolum totius pacis & tranquillitatis perturbatorem acerrimum adeſſe certiſſimum eſt.

Pacem turbauit in cœlo, dum ſocios ſuos à Deo diuulſit, trahens ſecum in terram tertiam ſtellarum partem; pacem turbauit in paradiſo terreſtri, dum hominem à Deo ſeparando per inobedientiam, in eo bellum inteſtinum ſuſcitauit: *concupiſcit enim caro aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem: hæc enim duo ſibi inuicem aduerſantur.* Quid mirum igitur ſi diſcordiæ aſſuetus, ſi ſe immiſceat in vitæ noſtræ actibus, pacem ab hominibus auferat, & eos ad bella & homicidia inducat. Optimè S. Chryſoſt. in Pſ. 114. hæc verba ponderans: *Et Deus noſter miſeretur.) Rectè autem dixit, Deus noſter, vt eum diſtinguat ab iis diis, quorum paulo ante meminit; ſunt enim illorum partes, occidere, de medio tollere, & bella implacabilia gerere. Huius autem, vti clementiâ, condonare, & aſſiduè à periculis eripere: quæ quidem cum alios maxime oſtendunt illos eſſe dæmones & exitioſos, hunc autem curam gerere & prouidere, & verè eſſe Deum.* Ita Chryſ. Igitur non melius potuit S. Ioannes Euangeliſta exprimere plagam Belli, quàm nobis dæmonem ſuperbum proponendo igne ardentem, immiſſum in præſentis vitæ curriculum: ſtatim enim atque adeſt, rixas & diſcordias, & bella excitat; illius quippe ſunt partes, bella implacabilia ingerere. *Diabolus*, inquit Petrus Chryſolo. 9. ſer. 11. *malè actor, nequitiæ origo, rerum hoſtis, ſecundi hominis ſemper inimicus, ille laqueos tendit, lapſus parat, foueas fodit, aptat ruinas, ſtimulat corpora, pungit animas, cogitationes ſuggerit, immittit iras, dat virtutes odio, vitia dat amori, errores ſerit, diſcordias nutrit, pacem turbat, affectus diſſipat, conſcindit vnitatem, violat diuina, humana tentat.* Ita Chryſ. Vides illum immittentem iras, pacem turbantem, vnitatem conſcindentem; nec mirum: nam quia mortem hominibus procurare non ceſſat, abundè ſuum explet deſiderium per rixas & bella. Pulchram certè Petrus Chryſ. ſer. 17. reddit rationem, cur dæmoniacus à Domino ſanatus domicilium haberet in monumentis, dicens: *Auctor mortis, mortis incubat manſiones, & humanæ necis auidus, quos crudelitate ſuâ occidere non poteſt, vinos geſtit feraliter funerare. Ferit, furis interitus noſtri auarus exactor, cui pœna eſt quod homo naſcitur; quod tardius moritur, cruciatur. Hominis hanc ipſam breuiſſimam vitam amandare, horrida nititur per ſepulchra, & ad vtrumque peruerſus ingerit ſepulchris vinos, mortuis apponit cibos, mera fundit, vt & vinos enecet & mortuos inquietet,* &c. Alludit ad morem à gentilibus ſeruatum, quem reprehendit. S. Auguſt. ſer. 15. de ſanctis, de inſtitutione ſolemnitatis Cathedræ S. Petri Antiochiæ loquens: *Cum ſolemnitatem hanc Eccleſius merito religioſa obſeruantia introduxerit, miror cur apud quoſdam infideles hodie tam pernicioſus error increuerit, vt ſuper tumulos defunctorum cibos & vina conferant, quaſi egreſſæ de corporibus animæ carnales cibos requirant.* Sed ad propoſitum redeamus. Non mirum igitur, ſi mortis auctor bella ſuggerit, & mortales poteſtate aliqua pollentes ad alios bellis vexandos, & inquietandos inducit; dum inuidiâ corroduntur, ambitione extolluntur, auaritiâ & concupiſcentiâ inardeſcunt, & cor eorum redditur tanquam mare feruens, quod quidem procellis & tempeſtatibus variis agitatur. Tunc enim à Deo exigunt vt aliquis tanquam mons per ſuperbiam elatus, cuius regnum & dominatio per robur exercituum, per abundantiam opum, firmas in ſeculo radices egerit, eos belli diuexet & torqueat; & quia alios furari non dubitabant, nec aliorum bona diripere & inuadere timebant, ipſi furentur, & eorum bona diripiantur. Cum igitur vita mortalium inuidiâ, malitiâ, ambitione, concupiſcentiis & iniquitatibus oppletur, permittit Deus vt dæmon aliquo principe ambitioſo tanquam organo aptiſſimo abutatur, qui potentiâ firmâ & pro tempore inconcuſſâ præditus, famâ & auctoritate conſpicuus, ambitione & irâ totus excandeſcens alios bellis vexare meditetur. Huius rei typum in Nabuchodonoſor habemus, de quo Iudith 1. dicitur: *Tunc exaltatum eſt regnum Nabuchodonoſor, & cor eius eleuatum eſt; & miſit ad omnes qui habitabant in Cilicia & Damaſco, & Libano, &c. Ad hos omnes miſit nuncios Nabuchodonoſor Rex Aſſyriorum, qui omnes vno animo contradixerunt, & remiſerunt eos vacuos, & ſine honore abiecerunt. Tunc indignatus Nabuchodonoſor Rex aduerſus omnem terram illam, iurauit per thronum & regnum ſuum quod defenderet ſe de omnibus regionibus his.* Et poſtquam, vt dicitur c. 2. *Vocauit omnes maiores natu, omneſque duces & bellatores ſuos, & habuit cum eis myſterium conſilij ſui, dixitque cogitationem ſuam in eo eſſe, vt omnem terram ſuo ſubiugaret imperio: & Holoferni præcepit, vt non parceret vllis regno, omnemque vrbem munitam ſibi ſubiugaret.* An non igitur Nabuchodonoſor fuit mons ardens in mare ſeculi,

tunc immiſſus vt gentes illas, vt credere fas eſt, ſceleribus contaminatas bellis diuexaret, Deo ita permittente, vt illorum ſcelera vindicaret, & debitis pœnis plecteret.

Illius plagæ exempla ſi requiras, lege Baronium an. 203. Perſpicies quomodo totus fere orbis ſeditionibus & bellis diuexatus fuit, ob ingentem Chriſtianorum ſtragem, vt notat Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium; & dum Maximinus inſolenter ſe jactat in quodam edicto, imperium nec peſte, nec fame, nec bello fuiſſe vexatum, ab eo tempore quo fuerat imperium adeptus, licet coleret idola & Chriſtianos perſequeretur, præter peſtem & famem, ab Armenis quos propter fidem Chriſtianam oppugnare tentabat ſuperatus, ob innumera damna in quæ incurrit, à perſecutione Chriſtianorum ceſſare coactus eſt, anno. 312. Sed quantum obfuit paci & tranquillitati imperij Iuliani impietas videre eſt an. 364. pati ratione an. 376. impietas Valentis, qui Monachos ad militiam adigere pertentabat, ſimili plagâ percuſſa fuit, & viuus ipſe concrematus obiit an. 378. qualem ei vulgus exoptabat mortem, Antiochiæ, dum omnes clamabant: Viuus ardeat valens, Deo imperium affligente ob perfidiam & hæreſim imperatoris, vt notarunt Gregor. Nazianz. & Ambroſius & Oroſius. Ad hunc ſenſum Cælius Pannonius in 8. c. Apoc. ſectio 3. ait: *Mons ergo eſt & Diabolus, & Princeps mundanus, quem ille poſſidet, iam non dico montes, ſed vnus mons.* Et poſt pauca: *Sic Diabolus cum principe ſeruitore ſuo montis nomine deſcribitur.* Ita ille. In hoc diſſentimus, quod ille de Monarcha perſequente Chriſtianos hunc montem intelligit, ego de Monarcha bellum excitante, tanquam qui à Deo permittatur regnare, vt bellis mundum diuexet in punitionem criminum, qualis fuit Attila qui dictus fuit flagellum Dei. Talis fuit ille Tamerlanes celebertimus, qui dicebat ſe à Deo deſtinatũ, vt ſuperbiam & arrogantiam ſuperborum deprimeret: ſic capto Baiazet Turcarum imperatore, eum in cauea ferrea incluſum detinuit, & ſi equum conſcendere vellet, è cauea extracto tanquam ſuppedaneo vtebatur, vt refertur ex hiſtoria ipſius à quodam Arabe compilata, & in linguam gallicam tranſlata per Ioannem du Bec Abbatem de Mortemer, impreſſa Rothom.

Et facta eſt tertia pars maris ſanguis, & mortua eſt tertia pars creaturæ eorum quæ habebant animas in mari, & tertia pars nauium interiit.

De effectibus Belli. Punct. 2.

Per tertiam partem maris Alcazar ſignificari vult magnam partem Imperij Romani, in bello à Tito illato ſanguine Iudæorum eſſe conſperſam; per tertiam partem *creaturæ eorum quæ habebant animas in mari*, id eſt hominum nauigantium in mari: quia per mare diuagantur causâ lucri; per tertiam partem nauium, vrbes & oppida Iudæorum, naues enim ciuitatis eſſe ſymbolum patet ex Ezechiel. 27. & poëtarum Allegoriis. Viegas per mare intelligit Eccleſiam, per creaturam eorum quæ habebant animas in mari, fideles qui ſunt in Eccleſia; per naues Prælatos & magnos viros, qui alios ad portum ſalutis vectare debent. At Cornelius poſt Riberam, per montem igneum intelligens ingentem globum ardentem & igneum, aſſerit tam naues quàm piſces puta tertiam nauium & piſcium partem, eſſe comburendam ab illo monte. *Iam quod*, inquit poſtea idem Cornelius, *per hanc plagam tertia pars maris facta ſit ſanguis, ſpectat tum ad ſtragem piſcium (hi enim extra ſuum elementum puta extra aquam, in ſanguine vincere nequeunt,) tum ad horrorem impiis incutiendum, dum videbunt & terram per plagam primam, & mare per hanc plagam ſecundam cruentum, vt terra & mare videantur repræſentare impiorum tum culpam, præſertim homicidia & cædem martyrum, tum pœnam, dum ſuo cruore inuunt tantam fore impiorum occiſionem, vt riui ſanguinis eorum terram & mare cruentent, eaque ſaltem quoad ſuperficiem in ſanguinem conuertant.* Ita Cornel.

Dionyſ. verò Carth. *Et facta eſt tertia pars maris ſanguis, id eſt valde magna pars gentilium fidem recipientium ſunt occiſi; & mortua eſt tertia pars creaturæ, quæ habebat animam, in mari; quia vt dictum eſt in hoc mari magno, quod eſt ſeculum nequam, multi iſtorum ſunt trucidati, alij verò qui vel non crediderunt, vel credentes vexauerunt, ſpiritualiter mortui ſunt. Itaque nomine creaturæ intelligitur homo, teſtante ſeruatore: Prædicate Euangelium omni creaturæ; & Apoſtolo dicente, inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Et tertia pars nauium interiit, id eſt rectorum & Prælatorum Eccleſiæ, quorum eſt alios per hoc turbulentiſſimum mare ad ſalutis vehere portum; tunc namque Epiſcopi aliique principales inter fideles, primi trahebantur ad mortem.* Ita Dionyſ. Carth.

Primaſius autem tertiam partem vult eſſe Eccleſiam, itaut vnam partem falſi fratres componant, aliam ij qui in errorem gentilitatis & hæreſeos prauitatem aperto ſchiſmate ſunt ſeparati. *Vt Eccleſia*, inquit, *id eſt vnitertia contra geminum dimicet malum, tanquam ſimplicitas duplicitati reſiſtens; ſic Rex cum decem millibus contra viginti millia habentem in Euangelio pugnaturus dicitur proceſſiſſe; ſic Deus per Zachariam promiſit dicens: Et erunt in omni terra, dicit Dominus, partes duæ in ea diſperdentur & deficient, & tertia pars relinquetur in ea: & ducam tertiam partem per ignem, & vram eos ſicut vritur argentum, & probabo eos ſicut probatur aurum: ipſe inuocauit nomen meum, & ego ex audiam eum, & dicam, populus meus es tu, & ipſi dicunt, Domine Deus meus es.* Memoratam malorum partem in duabus tertiis conſiſtentem propter vnius corporis formam, tanquam vnam perſonam ſcriptura ſæpius memorat, aliàs ſingulariter eam inducens, &c. Primaſ. At cum nos in hac tertia parte ſolos malos intelligi velimus, aliam debemus aſſignare rationem cur tertia tantùm pars vel in ſanguinem verſi, vel mori, vel interire & diſperdi dicitur.

Dico igitur in omnibus bellis & præliis omnes ſiue bellum inferentes, ſiue illud ſuſtinentes, in tres quaſi claſſes diſtribui, in iis videlicet qui victoriam reportant, in iis qui vincuntur & hoſtium cedunt fortitudini, & in his qui à Deo ſeruantur illæſi, & immunes à damnis & nece, vt ſuam diuinam clementiam & protectionem in eis oſtendat. Cum igitur ſoli illi pereant qui vincuntur, & in bello intereunt, ideo tertia tantum pars verti in ſanguinem, mori & interire dicitur: v. g. in excidio vrbis Hieroſolymitanæ fuerunt victores, nempe Romani; Victi, Iudæi occiſi, venditi & victi; & Chriſtiani, qui præſeruati fuerunt ſpeciali Dei prouidentia, cum ex reuelatione diuina ante obſidionem ſeſe ſubduxiſſent, & in vrbe nomine Pella ſeceſſiſſent. Ita cum Attila omnes regiones deuaſtaret, videre poſſumus eius exercitum omnia deuaſtantem, vrbes deuaſtatas, & alias ab hoc flagello ſeruatas, ſicut ſeruata fuit Lutetia-Pariſiorum orationibus ſanctæ Genouefæ, ciuitas Trecenſis meritis ſancti Lupi. Quod ſi dicas ex parte victorum plurimos etiam occumbere: Reſp. eos qui intereunt in ordinem & claſſem eorum qui vincuntur reducendos eſſe.

Dico ſecundò, per mare in ſanguinem verſi ſignificari necem eorum qui ſeculi tempeſtatibus iactantur; per tertiam partem creaturæ eorum qui

Digitized by Google

habebant animas in mari, intelligi bona temporalia & opes eorum, qui ſunt ſeculi & mundi amatores, de quibus dicitur quod *ſtauerunt cor ſuum declinare in terram*, ſcilicet per nimium affectum rerum caducarum & fluxarum mundi; per naues, quidquid ſumitur tanquam quoddam refugium, ſubſidium aut auxilium contra impetus hoſtium: vt enim à maris procellis ſeruantur qui in mari nauigant in nauibus, ita qui tempore belli in locis munitiſſimis, caſtris & oppidis degunt, plerumque ſeruantur; ſed tertia pars nauium interit cum talia loca capiuntur, diripiuntur, incenduntur, euertuntur. Tertia pars creaturæ moritur, eorum qui habebant animas in mari, quia oues, boues, equi, & cætera animalia, in quorum poſſeſſione diuites gloriantur: de quibus dicitur: *Oues eorum fatoſæ, abundantes in egreſſibus ſuis, boues eorum craſſæ. Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt*; vel, *Hi in curribus, hi in equis, nos autem in nomine Domini inuocabimus: ipſi obligati ſunt & ceciderunt, nos autem ſurreximus & erecti ſumus*, Pſ. 9.) interneccioni traduntur, & tot homines occiduntur, vt mare, id eſt illud ſeculum, dici poſſit ſanguineum propter frequentes ſanguinis effuſiones, cum nulla ſit dies aut tempus in quo aliquis à cæde ſibi cauere poſſit, adeo omnia bellis & ſeditionibus, inſidiis, proditionibus, dolis & fraudibus turbantur.

Et tertius Angelus tuba cecinit: & cecidit de cælo ſtella magna, &c.

De tertia plaga, peſte videlicet. §. 5.

Quid per ſtellam magnam, flumina & fontes hic intelligitur. Punct. 1.

Non malè Cornelius ſtellam intelligit non cæleſtem ſed aëream, puta cometam, ſtellam cadentem aut quid ſimile. Stella igitur eſt cadens, ſuoque caſu diſſiliens, comminuta diuidetur in multas faculas ſeu exhalationes, quæ in varios fontes & flumina incidentes eos inficient.

Alcazar autem vult per τὸ *cecidit de cælo ſtella magna*, non ſignificari ſtellam verè ac propriè è cœlo delapſam, ſed eius influxum ſeu influentiam, qua peſtis creatur.

Per fontes & flumina idem Cornelius veros fontes ac fluuios intelligit, quorum aquæ à ſtella affectæ & infectæ mortiferæ erunt, itaut ex eis bibentes (aquæ enim potus vitari non poteſt) per multi emoriantur; aqua enim venenata, ſi ebibatur, quia liquida eſt & penetrans, ſtatim ad hepar & cor, quæ ſunt partes vitales peruadit, eaſque inficit & enecat ſuo nimio vel calore vel frigore, aut alia intemperie.

Hunc ſenſum admitto, quia cum myſtico ſenſu optimè quadrat, quo exiſtimamus per hoc ſymbolum peſtis plagam deſignari, & Aureoli & Lyrani expoſitionem prætermittentes (qui per ſtellam cadentem Hæreſiarcham Pelagium; per aquas, aquas baptiſmi amaras factas, ex eo quod docuit ſine gratia per ſolas naturæ vires nos poſſe recte viuere & ſaluari, intellexerunt) quin etiam prætermittentes myſticum ſenſum Viegæ & Dion. ſ. Carthuſ. qui intelligunt per ſtellam magnam quemuis Hæreſiarchum, vel Hæreſiarcharum cateruam, vel cætus qui ob ſcientiæ eminentiam, ſanctitatiſque apparentiam ſtellæ vocantur, & ab Apoſtolo Iuda ſydera errantia vocantur, ardentes ſicut facula: hi enim flammâ proprij ſenſus, & igne ambitionis vehementer accenſi fuerunt; & per flumina corda baptizatorum: per fontes, Doctores & Prælatos, à quibus riui ſcientiæ ad ſubditos profluunt, per Hæreſiarchas infectos, cenſent ſignificari, vel ſanctam ſcripturam per fontes deſignari; ſcripta patrum per flumina, quæ ab hæreticis deprauantur: Hos & ſimiles ſenſus omittentes, quomodo plaga peſtis optimè in hoc ſymbolo depingatur, nobis eſt ad aperiendum.

Plaga peſtis optimè in hoc ſymbolo deſcribitur. Punct. 2.

Lumen ſubminiſtrabit in hac expoſitione Andreas Cæſarienſ. dum ait: *Per ſtellam autem vel mala hæc cælitus venire, vel ipſum certè diabolum. De hoc enim apud Eſaiam ſcriptum exſtat: Quomodo è cælo cecidiſti Lucifer, qui mane oriebaris? Diabolus namque dum homines per carnis voluptates inebriat, amaram turbulentamque euerſionem inducit, nec non flagella tractatibus plena, propter illas inferre ſinitur, non quidem omnibus, ſed tertiæ tantùm mortalium parti; atque hoc partim quidem propter Dei patientiam & longanimitatem, qua eos tuetur; partim etiam quod non omnes, qui propter impatientiam, mortis cauſam ſibi attulerunt, ſupplicia quæ in altero ſeculo illis ſunt præparata vel contempſerunt, vel perfidè inficiati ſunt.* Ita And. Cæſar. Ad expoſitionem huius ſymboli veniamus.

Et tertius Angelus tuba cecinit: ac ſi dicat: Et quidam ordo concionatorum, ad modum Prophetæ Gad, qui ad Dauid ait: *Hæc dicit Dominus: Elige quod volueris, aut tribus annis famem, aut tribus menſibus te fugere hoſtes tuos, & gladium eorum non poſſe euadere, aut tribus diebus gladium Domini & peſtilentiam verſari in terra, & Angelum Domini interficere in vniuerſis finibus Iſrael.* 1. Paralip. c. 21. volens homines auertere à voluptatibus & delitiis carnalibus, eoſque inducere ne ſuam in voluptatibus felicitatem reponerent, ſed potius luctum & planctum de peccatis aſſumerent, vt veram tandem poſſent conſequi beatitudinem, *Beati* quippe *qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*, eos admonuit Deum peſtilentiis & morbis, quibus remedium afferre non valerent, eorum ſcelera eſſe vindicaturum, iuxta hanc comminationem Deuteron. 28. *Adiungat tibi Dominus peſtilentiam, donec conſumat te de terra ad quam ingrederis poſſidendam.* At hi nec monitis obtemperantes, nec territi minis, in ſceleribus & iniquitatibus permanſerunt, quæ quidem de cauſa *cecidit de cælo ſtella magna, ardens ſicut facula*; ſiue cometam ad literam intelligas, aut ignea meteora, quæ peſtilentiam non ſolum prognoſticant, ſed etiam cauſant, propter intemperiem & corruptionem aëris in quo efformantur. Docent quippe medici, vt rectè notat Cornelius, corpus vitamque hominis ab aëris cælique influxu pendere, adeoque peſtem aliàs ex contagione, aliàs ex cœli & aſtrorum influxu, aliàs ex aëris infectione oriri, quinimo inopinatos ignotoſque morbos & mortes, vocant ſiderationes. Cauſam igitur effectiuam peſtis & ſubiectiuam, & effectum illius hic optimè deſcribi aiunt: effectiua, ſtella magna ardens de cœlo cadens; ſubiectiua, tertia pars hominum & fontes aquarum; effectus autem deſignantur in eo, quod per iſtam ſtellam, vocatam Abſynthium, *facta eſt tertia pars aquarum in abſynthium, & multi hominum mortui ſunt de aquis, quia amaræ factæ ſunt.*

Dico igitur primò, ſtatim atque Deus decreuit aliquam nationem aut ciuitatem plaga peſtis ferire in vindictam ſcelerum, tribus ad id inſtrumentis vtitur, Angelorum videlicet miniſterio, influxu ſtellarum, aëris corruptione. De Angelo hoc certiſſimum eſt, ſiue ille ſit bonus, ſiue ille ſit malus. Bonus enim Angelus videtur fuiſſe ille de quo fit mentio 2. Regum 24. *Cumque extendiſſet manum ſuam Angelus Domini ſuper Hieruſalem vt diſperderet eam, miſertus eſt Do-*

minus ſuper afflictione & ais Angelo percutienti populum: ſufficit, nunc continе manum tuam. Erat autem Angelus Domini iuxta aream Areuna Iebuſæi. Miniſterio etiam boni Angeli Deum vſum fuiſſe aſſerunt, dum anno 590. poſt Tyberis ingentem inundationem, & corruptionem plurimorum ſerpentum, quibus aër infectus & corruptus fuit, adeo peſtis graſſata eſt, vt etiam Pelagium Papam ſuſtulerit. Nam cum menſe Auguſti S. Gregorius in locum Pelagij ſubſtitutus Litanias & proceſſiones publicas indixiſſet, & ſtationes in diuerſis Eccleſiis inſtituiſſet, quæ proceſſiones ab Eccleſiâ S. Mariæ Maioris incipiebant, & apud S. Petrum terminabantur, viſus fuit in mole Adriani Angelus Domini, gladium in vaginam recondens, in ſignum ceſſationis illius atrociſſimæ plagæ, quæ à menſe Ianuario vſque ad hunc diem Romanam ciuitatem plurimum afflixerat, & propter iſtam Angeli apparitionem hæc Adriani moles dicta fuit poſtea caſtrum ſancti Angeli. Refert etiam Gregorius Turonenſis l. 4. peſtem quandam, quæ inquinaria dicta fuit, à Liguria ortum duxiſſe, & poſtea Italiam totam deuaſtaſſe, Gallias & regiones ſeptemtrionales afflixiſſe: cuius admirabiles effectus deſcribit tum Paulus Diaconus de geſtis Lombardorum, tum etiam S. Gregor. Magnus l. 4. dialogorum c. 26. Ea autem accidit ann. 565. At antequam locum aliquem occuparet, videbantur quædam notæ in domibus, ianuis, vaſis, veſtibus impreſſæ, quæ tantò magis apparebant, quantò ſollicitiori curâ homines conarentur eas delere, vocabantque ſimiles notas Ruſtici ſignum Tau: vnde probabile eſt bonos Angelos eas notas impreſſibile, vt homines admonerent ad Deum recurrere. Sic ciuitates Treuirenſis, Rhemenſis & Aruernenſis ab hoc flagello fuerunt immunes orationibus ſuorum Epiſcoporum Nicolai, Remigij & Galli.

Quod autem aliquando immittantur per Angelos malos, quorum miniſterio Deus vtitur veluti iuſtitiæ ſuæ vindicatiuæ Miniſtri, clarum eſt ex hiſtoria, quam refert S. Gregorius Nyſſenus, oratione in Gregorium Taumaturgum. Apud ciuitatem Neocæſarienſem feriæ quædam publicæ & vniuerſales dæmoni cuidam domeſtico patrio quodam ritu ac more ſolemni celebrari conſueuerant, ad quas cum vrbanis celebrandas vniuerſa propemodum gens ex tota regione confluebant. Iam theatro pleno cum alij affluerent, anguſtus nimium fuit pro tanta multitudine locus: omnium tunc fuit vna vox dæmonem cui feſtum agebant implorantium, & ab illo ſibi laxitatem fieri petentium his verbis: Iupiter fac nobis locum. Audito hoc ſono S. Gregorius Taumaturgus, quodam ex adſtantibus ad eos miſſo, laxitatem ait mox datum in maiorem quàm optarent. Hac autem ab eo voce tanquam triſti quadam ſententiâ prolatâ, peſtilentia frequentem illum ferias agentium & ludos celebrantium conuentum excipit, ac ſtatim tripudantium choris lamentatio miſcebatur. Cum enim morbus ſemel homines inuaſiſſet, opinione citiùs propagabatur, atque ſerpebat ignis in modum, domos depaſcens, adeo vt ædes quidem ſacræ, quo ſanationis atque refugij confugiebant, iis qui morbo peribant repleta, fontes verò, aquæductus, ſcaturigineſque ac putei eorum quos atrocitate morbi ſitis exurebat referti eſſent: in quibus aqua morbi incendium reſtinguere non valebat, qui ſemel morbo correpti eſſent, perinde poſt aquam ſumptam, atque antequam eam ſumpſiſſent, affectis, multi vltro tranſirent ad ſepulchra, eo quod ſuperſtites ſepeliendis mortuis non amplius ſufficerent. Vt hoc fieri miniſterio malorum Angelorum perſpicuum ſit, ſpectrum quoddam ad eas ædes, quibus pernicies imminebat, accedebat, certum exitium præmonſtrans, nec aliud habuerunt ad hoc malum remedium, cauſâ morbi omnibus patefactâ, quàm cum ſpectrum illud ante futuram peſtem alicui domui appareret, ac protinus deſperationem vitæ habitatoribus injiceret, ſtatim adirent magnum Gregorium, qui ſi illas ædes ingrederetur, ac pro eis Deum oraret, ſtatim fugabatur morbus. Cum autem celeriter per eos, qui primi ea ratione ſeruati erant, ad omnes fama permanaſſet, omnia quæ prius vanitate atque ſtultitiâ adducti curabant omittebantur, oracula, ſacrificia piacularia, in delubris ſimulachrorum commotatio, omnibus magnum ſacerdotem intuentibus, & vnoquoque eum ad ſe totius familiæ ſuæ ſeruandæ gratia alliciente. Mercedem autem ab iis qui ſeruabantur ſalutem animarum conſequebatur. Et Procopius refert eam peſtilentiam, quæ ab Ægyptiis Peluſium habitantibus initium ſumpſit, fuiſſe a Deo immiſſam per miniſterium malorum Angelorum, qui in figura humana apparebant circa annum 544. eademque videtur eſſe cum ea quam Euagrius refert, quæ totum orbem peruaſit per ſpatium quinquaginta duorum annorum, ac depopulata eſt non ſolum partes orientales, ſed vniuerſum penè orbem, integraſque etiam conſumpſiſſe vrbes, & anno 630. poſt Eclypſin Solis & Lunæ, per tres menſes continuos peſtilentia ciuitatem Romanam, & alias Italiæ vrbes diuexauit. Ea autem miniſterio Angelorum tum bonorum, tum malorum videbatur immiſſa. Refert ſiquidem Paulus Diaconus viſibiliter bonum Angelum cum malo per plateas & vicos deambulantem apparuiſſe, & ſtatim atque imperante bono Angelo malus lanceâ, quam manu geſtare cernebatur, ianuam domus alicuius peruaſiſſet, pro numero percuſſionum, tot in ea domo peſte die ſequenti è numero viuentium tollebantur. Denique anno 746. poſt denſiſſimas tenebras, poſt terræ motus prodigioſos, in Paleſtina & Syria orta fuit peſtilentia Bubonis dicta, in Calabria & Cicilia, quæ Conſtantinopolim etiam peruaſit, & per tres annos continuos perdurans ita deuaſtauit vt deſerta videretur, & omnia ſepulchra, & monumenta, omnes lacus, omnes vineæ & horti, ita erant cadaueribus oppleti, vt locus vix concederetur in quo poſſent in his locis corpora mortuorum recondi: Quin & in veſtibus eorum qui moriebantur, cernebantur quædam paruiſſimæ cruces, quæ inuiſibili quadam ratione ſuper veſtimenta imprimebantur: nec mora intercedebat inter eam impreſſionem, & plagæ iſtius inflictionem. Nam ſtatim atque talis crux apparebat in alicuius veſte, confeſtim hac plaga percutiebatur & mortem ſubibat: Quin etiam ſpectris vexabantur, itaut clarum eſſet hæc mala à Deo immitti, vt hominum ſcelera vlciſceretur, & Coprony mum Imperatorem admoneret, vt à blaſphemiis quas impiè euomebat, abſtineret. Nec mirum ſi ab Angelis hæc mala immittantur & cauſari poſſunt, cum S. Auguſtinum audiamus docentem 3. de Trinitate c. 4. *Quod omnia corpora regantur per ſpiritum vita rationalem*, & Gregor. l. 4. Dialog. c. 5. quod *in hoc mundo viſibili, nihil niſi per creaturam inuiſibilem diſponi poteſt*; ſicque certum ſit vt docet S. Thom. 1. q. 110. ar. 1. ad primum *creaturam corporalem à ſpirituali moueri*, & vt addit ad ſecundum, *cum malia ponantur in corporibus inferioribus fieri, præter naturales actiones corporum, ad quæ non ſufficiunt virtutes cæleſtium corporum, ideo neceſſe eſt ponere quod Angeli habeant immediatam præſidentiam, non ſolum ſupra cæleſtia corpora, ſed etiam ſupra corpora inferiora: & licet Angelis ad nutum non ſeruiat hæc viſibilium rerum materia, ſed ſoli Deo, vnde proprium Dei eſt immediatè informare materiam ſi voluerit; cum omne compoſitum, & quantum ad materiam, & quantum ad formam ſit in virtute ipſius*

Vnde poteſt Deus facere immediatè quicquid aliquod agens corporeum poteſt producere, quod Angelo non conuenit, quia tranſmutatio formalis eſt à ſolo compoſito, aut ex eminentius continente in ſeipſo compoſitum, ſcilicet materiam & formam, quod eſt ſolus Deus; poteſt tamen Angelus omnia corpora localiter mouere, & per eum motum localem cauſare alios motus, adhibendo ſcilicet agentia corporalia ad huiuſmodi effectus producendos, ſicut faber adhibet ignem ad demolitionem ferri. Ita S. Tho. ar. 3. ad ſecundum. Igitur vbi ſolus motus localis requiritur, poſſunt mortem inferre. v. g. vel guttura comprimendo, aut alios corporis meatus conſtringendo, vel guttura aut corporis meatus nimium dilatando, vel membra diſcerpendo, aut diſcindendo. Quod ſi aliqua humoris corruptione opus ſit, vires actiuas agentium naturalium ad tales effectus idoneas, quas optimè norunt, aſſumunt, eaſque applicando ſubiectis paſſiuis talium operationum ſuſceptiuis, effectus producunt, qui ex coadunatione & concurrentia ſimilium cauſarum poſſunt elici, ſicque corporum etiam humores corruptos aſſumere valent, eaſque rurſus inficere, aliis corruptionibus ab extrinſeco illatis. Quod ſi Deus voluerit ſignum dare ſuis amicis, *vt fugiant à facie arcus* quem tendit, illo imperante poſſunt Angeli tempora & ventos ita præparare, vt putrefactionem impediant vel (ſi velit punire eâ plagâ homines) ingenerent, à qua peſtilentia oriatur. Sic aër incertus abeis, & varius, ſpiſſus, nubilo-ſus, turbidus, vaporibus terreſtribus aut tetris odoribus oppletus cauſari poteſt. Poſſunt ventos meridionales calidos & humidos frequenter & extra tempus excitare, ita tamen vt quamuis cauſæ naturales ita ſint diſpoſitæ, poſſint malum hoc auertere ab iis à quibus Deus vult illud auerruncari, quod mille & mitis modis præſtare poſſunt.

Dico ſecundò, cum & immediatè & per cœlorum influxus, qui ab Angelis cœlorum motoribus quodammodo dependent, & per aëris corruptionem, quam vt dictum eſt cauſare valent Angeli, poſſint peſtem hominibus inferre, optimè S. Ioannes cauſam vniuerſalem peſtis deſcribere, cum ſub ſymbolo ſtellæ cadentis de cœlo, & ardentis tanquam facula, expreſſit. Nam Angeli optimè per ſtellas deſignantur: de eis enim intelligitur illud Iob 1. *Vbi eras quando me laudabant aſtra matutina?* Et per tertiam partem ſtellarum, quam Draconis cauda traxit de cœlo, omnes intelligunt Angelos deſertores. Cadere autem dicuntur de cœlo, cum Deo imperante ad hominum audaciam retundendam deſcendunt cum impetu magno, & vt deſignetur in his miniſtris iuſtitiæ diuinæ, nullam eſſe Dei voluntati reſiſtendi vel voluntatem in bonis, vel poteſtatem in malis; qui maximè cadere dicuntur quia furioſo & bruto ſeu irrationabili quodam motu feruntur in hominum perniciem, dum eis à Deo permittitur hominibus mala infligere. Cadere autem in bonis, ad modum 24. ſeniorum, de quibus Apocaly. 5. dicitur: *Et 24. ſeniores ceciderunt in facies ſuas, & adorauerunt viuentem in ſæcula ſæculorum*, denotat promptam illorum ſub miſſionem in omnibus voluntati diuinæ, & quanto cum tremore tantæ Maieſtati ſe liberrimè & incunctanter ſubmittunt. At cum dicitur hæc ſtella ardens tanquam facula, cauſam finalem illius flagelli tangitur, iuxta illud Ruperti: *Stella*, inquit, *ardens tanquam facula, id eſt ira Dei magna de cœlo cecidit ſuper gentes illas. Ita inquam Dei nobis ſtella, tanquam facula, nobis enim lucet ira Dei, & ad cognitionem proficit eiuſdem Dei, quæ illas tanquam facula conſumpſit.* Ita Rupertus. Quia igitur peſtis infertur ad illuminationem bonorum, & conſumptionem malorum, ſtella dicitur illuminans; & tanquam facula, quia ſi illuminantur electi, conſumuntur ab ea reprobi, qui nec Deum ſciunt in tanta afflictione conſtituti inuocare.

Quantùm ad cauſam ſubiectiuam peſtilentiæ, illa exprimitur in his verbis; *Et cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum*, Eſto per flumina & fontes vera & naturalia flumina, & veri & naturales fontes intelligantur. Certum eſt enim quod ſi aquæ ad vſum hominum neceſſariæ quacumque ratione corrumpatnur, eas eſſe peſtilentes & mortem' afferentes. At dico præterea per flumina ſymbolicè eſſe intelligendas primò vitas mortalium, iuxta illud ſapientiſſimæ illius mulieris Thecuitæ Dauidem alloquentis: *Omnes*, inquiebat, *morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur*, 2. Reg. 14. In flumina igitur, id eſt, in vitas eorum qui morti ſubiiciuntur, cadit ſtella, id eſt Angelus quacumque ratione peſtem immittens. Secundò, per flumina intelligo ſanguinem per venas totum corpus per meantem; ſpiritum vitalem per arterias ſe diffundentem; ſpiritum animalem ſeu ſenſibilem, per neruos tanquam per quoſdam meatus vbique diſcurrentem. Anima enim dicitur in ſanguine, & inſtrumenta vitæ ſunt ſpiritus tum vitales, tum animales, qui cum corrumpuntur per peſtilentiam, vel extinguuntur aut exhauriuntur per nimium calorem & ardorem, vita proculdubio aufertur. Per fontes autem intelligimus ſiue hepar, è quo venæ ſanguinem attrahunt, ſiue cor à quo ſpiritus vitales originem ducunt, & in ſanguine per arterias à corde ortas ad ſingula membra exeunt, & vitam largiuntur; ſiue cerebrum, à quo ſpiritus animales per neruos inde exeuntes, ſenſibus vigorem, & reliquis membris motum influunt.

In hac interpretatione auctorem non habeo, ſed quia cum ſymbolo ſatis conuenire videtur, non eſt proculdubio rejicienda, cum enim vis motiua ſubſtantia quædam ſit à corde originata, formam accipiens in membris diuerſis ad diſtincta opera, vnde ad operationem nutrimenti formam accipit in hepate, ad operationem vitæ in corde, ad opus verò ſenſus & motus, formam accipit in cerebro; animatur autem hæc ſubſtantia, quam & ſpiritum dicimus, animâ ſenſitiuâ, & ſine ſanguine corpori non iungitur, ſpiritus enim in ſicco habitare non poteſt; recte hepar, cor, cerebrum, quaſi quoſdam fontes eſſe dicimus, & ſanguinem & ſpiritus, qui per venas, arterias & neruos tranſmittuntur, tanquam quædam flumina totum corpus irrigantia aſſerimus; qui fontes, & quæ flumina corrumpuntur vel exhauriuntur per peſtilentiam, à bonis vel malis Angelis, vel influxu ſyderum, vel corruptione aëris & humorum immiſſam. Ad effectus veniamus.

Quantùm ad effectus, ipſi ſignificantur in eo quod ſtella illa vocatur abſynthium. Res enim ab effectibus ſæpe nomen aſſumunt: *Nomen*, inquit, *ſtella dicitur abſynthium: & facta eſt tertia pars aquarum in abſynthium, & multi hominum mortui ſunt in aquis, quia amaræ factæ ſunt.* In his verbis effectus peſtilentiæ maximè exprimitur: nam peſtis ingentem cauſat & corporibus & animis amaritudinem; omnia guſtui ſunt amara, propter ardorem febris interiores partes exurentem. Amarum eſt derelinqui à parentibus & amicis: amariſſimum eſt bona temporalia & vitam amittere: omnia per peſtem in amaritudinem vertantur. Deinde docet Rupertus folia abſynthij contuſa ſucco ſuo vomitum extorquere; experientia autem docet morbum peſtilentiæ vomitum cauſare, vt meritò per abſynthium morbus ille deſignari poſſit. Deinde duas habet proprietates abſynthium contrarias, vnam inquiunt conſtrictiuam ex groſſitudine ſubſtantiæ, laxatiuam aliam

ex caliditate & amaritudine ; quibus proprietatibus duo in peſtilentia maximè periculoſa & noxia deſignantur, ſicut enim noxia eſt in hoc morbo alui adſtrictio, ita periculoſa eſt maxima alui laxatio.

Tertia autem pars aquarum vertitur in abſynthium, quia tertia pars mortalium morbi huius amaritudinem ſentiunt. Præſeruantur quidam ab illo morbo : en prima pars hominum. Tolluntur aliqui electorum etiam peſtilentiâ, quali morte extinctus fuit S. Ludouicus Rex Chriſtianiſſimus : En ſecunda mortalium pars : ſed hi amaritudinem morbi non ſentiunt, cum voluntati Dei omnino ſint ſubditi : ſolis reprobis hic morbus, & hæc ſpecies mortis amara cenſetur, qui flagello Dei non corriguntur & à pœnis temporalibus dum moriuntur ad æternas tranſire coguntur : En tertia pars. Et hoc innuere videtur S. Ioannes cum ait : *Multi hominum mortui ſunt in aquis, quia amara facta ſunt.* Ac ſi diceret : Hi moriuntur aquas afflictionum ebibentes, quia eas amaro animo ebibunt, nec enim morerentur morte æterna, ſed tranſirent à morte ad vitam, ſi eas pro Dei amore bibere eligerent. Vel cum per aquas ſanguinem, per venas & arterias effluentem intelligamus, tertia pars aquarum fit in abſynthium, quia tertiæ partis mortalium vita amaritudinem illius morbi experitur, & cum non omnes, qui eo afficiuntur morbo moriantur, tantùm multi mori dicuntur, non omnes hoc morbo affecti ; *In aquis*, id eſt in ſanguine corrupto & infecto hoc veneno ; *quia amara facta ſunt*, id eſt, corruptione ſuâ mortem efficiunt, de qua dicitur : *Siccine ſeparas amara mors ?* 1. Reg. Et benè per abſynthium amaritudinem peſtis ſignificatur : amaritudo enim in hetbis calorem indicat, qui calor cum aquis, id eſt cum humoribus corporis permixtus, corruptionem inducit : aër enim calidus & humidus ad humores corporis corrumpendos & veneno inficiendos aptiſſimus eſt : vel ſi fiat calor nimius in aëre, & ſiccitas & aduſtio, humores corporis, & ſpiritus alterantur & corrumpuntur, ſicque calor in aquis, id eſt humores corporis afficiens, fiunt illi humores abſynthium, id eſt taliter à calore corrumpuntur, vt generetur morbus venenoſus & peſtilentialis amaritudinem cauſans & inducens.

Hæ ſunt Dei omnipotentis ſagittæ acutæ cum carbonibus deſolatoriis, quæ Deus præparat ad vlciſcenda hominum flagitia & nequitias.

Duo genera ſagittarum habet altiſſimus, primum, earum quæ videntur illi eſſe propriæ, nempe beneficiorum, cuius generis erat illa inſignis ſagitta, de qua dicitur Eſaiæ 49. *Poſuit me quaſi ſagittam electam : in pharetra ſua abſcondit me. Quando*, inquit S. Hieron. *dicit ſagittam electam, oſtendit habere Dominus ſagittas plurimas, ſed non electas ; quæ ſagittæ prophetæ ſunt & Apoſtoli, qui in toto orbe mittuntur, de quibus & in alio loco canitur : Sagittæ tuæ acutæ, potentiſſime : populi ſub te cadent ; & iterum : ſagittæ potentis acutæ, cum carbonibus deſolatoriis. Chriſtus autem de multis ſagittis, & filiis plurimis, vna ſagitta electa & filius vnigenitus eſt ; quam in pharetra ſua abſcondit, id eſt in humano corpore, vt habitaret in eo plenitudo diuinitatis corporaliter, rataque eſt credentium fides, cui & ſupra dicitur : Tu es Deus abſconditus, & neſciebamus, quæ ſagitta & ſponſa vulnus accipiens loquitur : Vulnerata caritate ego ſum*, &c. Ita Hier. Contra has ſagittas beneficiorum certè iaculare debemus reciprocas amoris, beneuolentiæ, gratitudinis ſagittas, vt dicat ſponſus : *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Ac ſi diceret : Quia purâ & ſimplici intentione mihi ſeruire deſideras, & collectio omnium cogitationum tuarum, quæ eſt quaſi crinis ſeu collectio mulierum capillorum, ad hoc vnum occupaturvt videas quâ ratione mihi obſequiũ præſtes, ideo diligo te ardẽti amore. Ille enim me diligit qui ſeruat mãdata mea, *Et ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* Pro his beneficiorum ſagittis alias gratitudinis reddebat Dauid dicens : *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi ? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Et Maria Magdalena, modo ad pedes Domini vnguenta fundens, vt beneficiorum quæ ab humanitate Chriſti profluebant gratam ſe eſſe monſtraret, modò alabaſtrum vnguenti nardi ſpicati pretioſi frangens, & effundens ſupra caput Chriſti recumbentis, vt ea beneficia à diuinitate Chriſti profluere deſignaret, ſuæ gratitudinis optimum ſpecimen dedit : & dum oſcula identidem figit, tot iacula emittit quot oſcula, quæ cor Chriſti amoroſum ſauciant. At dum pedes tergit, nobis veſtigiis Chriſti eſſe inhærendum opere & cogitatione deſignat & docet : non ita caput tergit, quia dicere debemus : *Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam* ; vel etiam : *Regi ſeculorum immortali & inuiſibili, ſoli Deo honor & gloria*, vt domus, id eſt Eccleſia repleatur ex odore vnguenti, tum per exemplum bonorum, tum per Dei laudes & gratiarum actiones, quæ & pro beneficiis nobis collatis debentur : quæ, vt diximus, beneficia, ſagittæ illi propriæ ſunt, & non conductæ. Proprium eſt enim diuinæ bonitatis hominibus benefacere.

At Deus aliud genus ſagittarum aliquando aſſumit, nempe quæ videntur conductæ, dum ſuis creaturis vtitur, ad vindictam ſcelerum. Cum enim & Angelos, & cœlorum motus, & elementa & cæteras creaturas ad hominis ſalutem deſtinaſſet, cogitur ſceleribus noſtris eorum opera & miniſterio vti ad vindictam malorum. *In die illa vadet Dominus in nouacula conducta*, inquit Iſ. c. 7. non quod Rex Aſſyrius, de quo fit Prophetia, cuius potentiâ vti volebat, ad Deum non pertineret, cuius eſt terra, cuius ſunt vniuerſi qui habitant in ea, ſed conduci dicuntur, quia creaturis vtitur ad hominum perniciem, quorum ſalutem exoptabat.

Dum igitur per conſtellationem ſtellarum, & tabificum influxum ſyderum errantium, vel aëris corruptionem, propter fumum terræ eum perturbantem & obſcurantem, aut fumum maris, lacuum atque paludum, aut propter magnum fætorem, ſicut cadauerum corporum animalium, Deus miniſterio Angelorum bonorum aut malorum peſtilentiam immittit, ſagittas illas quaſi emendicat à ſuis creaturis, vt hominum ſcelera puniat : vnde aliquando vt homines ſciant à Deo has plagas immitti, voluit Deus vt ſagittæ viderentur, quaſi è cœlo ſeu ſuprema aëris regione in terram eiaculari, ſicut ex hiſtoria illius peſtilentiæ quæ tempore S. Gregorij accidit diſcimus. Videbantur enim ſagittæ quæ è cœlo immittebantur in homines, & confeſtim peſte tanquam ſagitta confodiebantur.

De illis ſagittis illud Iob. c. 9. dici poteſt : *Sagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum, & terrores Domini militant in me.* Hic enim morbus ebibit ſpiritum vitalem & animalem, & vitam extinguit : Gemens olim Ciuitas Hieroſolymitana apud Ieremiam Lament. c. 2. dicebat. *Tetendit arcum ſuum, & poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam. Miſit in renibus meis filias pharetræ ſuæ. Factus ſum in derriſum omni populo meo, canticum eorum tota die. Replenit me amaritudinibus, inebriauit me abſynthio.* Thren. 3. Amaritudinem iſtius abſynthij non ſenties, ſi fide viuâ à ſapientiſſimâ Dei ordinatione illam plagam immitti exiſtimes, ſi ſpem tuam in Deo omnem colloces, ſi Deum ſupra omnia diligas, & cum Iob. c. 6. dicas ſyncera mente & corde perfecto : *Quis det vt veniat petitio mea, & quod expecto tribuat mihi Deus, &*

Digitized by Google

qui capit ipſe me conterat, ſoluat manum ſuam, & ſuccidat me, & hæc mihi ſit conſolatio vt affligens me dolore non parcat nec contradicam ſermonibus ſanctis? Nam *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, & facilè relinquit omnia, qui ſperat Deum pro mercede patientiæ & reſignationis ſuæ eſſe poſſeſſurum, quique ſuam in eo collocans beatitudinem, eumque ſupra omnia diligens, ſolius Dei gloriam non proprium commodum exquirit. Talis amaritudinem abſynthij non ſentiet; nam licèt eà plagâ cum cæteris percutiatur, tamen replebitur gaudio in hac tribulatione cum Apoſtolo qui dicebat: *Superabundo gaudio, repletus ſum conſolatione in omni tribulatione noſtra.* Rectè S. Cyprianus de mortalitate ait: *Mouet quoſdam quod ſit nobis cum cæteris mortalitas iſta communis. Quid enim nobis in hoc mundo non commune cum cæteris, quandiu adhuc ſecundum legem primæ natiuitatis manet caro iſta communis?* Quinimo addit Cyprianus: *Si qua conditione, qua lege credideris Chriſtianus noſcas & teneas, ſcires plus ſibi quam cæteris laborandum. cui magis ſit cum diabolis impugnatione luctandum.* Ita Cyp. Quod autem ſancti & iuſti huius plagæ amaritudinem non ſentiant docet ipſe cum addit: *Multi ex noſtris in hac mortalitate moriuntur. Hoc eſt multi ex noſtris de ſeculo liberantur. Mortalitas iſta, vt Iudæis & gentilibus & Chriſti hoſtibus peſtis eſt, ita Dei ſeruis ſalutaris exceſſus eſt.* Ita Cyp. Et meritò iuſtis ac Deum timentibus amara non debet eſſe huius plagæ inflictio, cum ab ea multa poſſint bona ſpiritualia prodire. *Improuidi*, inquiebat Cyp. *& ingrati ſumus, fratres dilectiſſimi, ad diuina beneficia, nec quid nobis conferatur agnoſcimus. Excedunt ecce in pace tuta cum gloria ſua Virgines, Veneriis Anti-Chriſti minas & corruptelas & Lupanaria non timentes, pueri periculum lubrica ætatis euadunt, ad continentiæ atque innocentiæ præmium feliciter perueniunt, tormenta iam non timet deſolata matrona, metum perſecutionis & manus cruciatuſque carnificis, moriendi celeritate lucrata: pauore mortalitatis, & temporis accenduntur tepidi, conſtringuntur remiſſi, excitantur ignaui, deſertores compelluntur vt redeant, gentiles coguntur vt credant.* Ita Cyp. Loquitur de illa mortalitate, de qua ſupra, tempore Gregorij Neocæſarienſis an. 225. in qua qui ad fidem conuertebantur, orationibus S. Gregorij à peſte liberabantur: quo morbo Africa laborante S. Cyprianus quamâ potuit curâ & ſollicitudine Chriſtianis & gentilibus ſolatio fuit, vt refert Pontianus in eius vita, & tunc libros de mortalitate ſcripſit.

At qua ratione quæſo huic malo occurrere poterimus aut mederi, quo ſocietas humana diſſoluitur, quo pater filium, filius patrem deſerit, quo plærumque quodlibet ſtrictioris amicitiæ vinculum diſrumpitur? Certè ſi Deus ad retundendam hominum audaciam, ambitionem eorum comprimendam, præſumptionem coërcendam, vanitatem conculcandam, & ad irridendos diuinorum iudiciorum contemptores, & illuſores, tam grande malum immiſerit ad iracúdiam prouocatus, diſſolutionibus noſtris, ebrietatibus, comeſſationibus, impudicitiis, turpibus colloquiis, vindictis, imprecationibus (quales ſunt, mala te peſtis ſtrangulet, & ſimilibus) impietate atheorum, quocumque medio vtatur ad ſui nominis gloriam, propter quam omnia ſunt creata, vt nos à peccatis reuocet, & ab inferis retrahat, vt quàm formidabile ſit peccatum doceat, vt nos à delitiis & voluptatibus carnis auellat, & lethargico quodam negligentiæ ſomno oppreſſos excitet, certè ad Deum orationibus tam publicis, quàm priuatis eſt recurrendum, ieiuniis & eleemoſynis eius ira compeſcenda. Sic anno. 590. Gonterannus Rex Francorum peſtilentiam Hiſpanias & Galliam deuaſtantem à ſuo regno amouit, A vigiliis, precibus, ieiuniis ac eleemoſynis quas profusè tunc elargitus eſt. Sic S. Gregorius magnus Litaniis & proceſſionibus publicis, & ſtationibus in diuerſis Eccleſiis peſtem ſedauit. Sed ſi volueris ad amuſſim & exacte cognoſcere quid tempore peſtis ſit præſtandum, lege quæ de cura peſtilentiæ ſapienter decreuit eſſe præſtanda ſanctus Carolus Cardinalis Mediolanens. Archiepiſcopus, quæ inuenies in vltimo Conciliorum in Concilio quinto Mediolanenſi: nam de hac materia nihil melius tractari poteſt quàm quæ ibi proponuntur. Tantùm hic dico valere plurimum ſanctorum interceſſiones ad iram Dei placandam, inter quas ſanctus Sebaſtianus videtur ſingulariter inuocandus: B nam dum anno. 680. peſtis Romam plurimum diuexaret, tunc vt refert Paulus Diaconus, per reuelationem cuidam dictum eſt quod peſtis iſta prius non quieſceret, quam in Baſilica, quæ beati Petri ad vincula dicitur, S. Sebaſtiani martyris altarium poneretur; factumque eſt, delatis ab vrbe Roma, ſeu ad vrbem Romam, Beati Sebaſtiani reliquiis, mox vt in iam dicta Baſilica Altarium conſtitutum eſt, peſtis iſta quieuit. *Extat autem*, inquit Baronius, *adhuc integrum ipſum altare, nec non eiuſdem ſancti Martyris imago, Muſiuo opere expreſſa. ſed & ex hoc propagata eſt ad poſteros religio vt peſtis tempore, Votis causa imago eiuſdem ſancti Sebaſtiani diuerſis in locis pingi ſoleret: ſed & in eius memoriam altaria erigi, imo etiam & Eccleſias fabricari.* C Quod ſi cuiuſlibet ſancti oratio plurimum valet apud Deum, quantò magis interceſſio ſanctiſſimæ Virginis plurimam obtinebit apud Deum auctoritatem? Hoc potiſſimum enituit, dum miraculo aſcribitur quod peſtilentia illa, quæ ſpatio quinquaginta duorum annorum totum pene orbem diuexauit, an. 554. vt refert Euagrius, vrbem Conſtantinopolitanam per tium tantum menſium ſpatium afflixerit, per interceſſionem ceſſauit virginis glorioſæ, in cuius beneficij memoriam inſtituta eſt celebritas feſti, qui apud Græcos dicitur hypapante, nempe feſtum purificationis, in memoriam occurſus Simeonis, dum Virgo ſanctiſſima filium ſuum in templo Deo offerendum geſtabat, quem accipiens in vlnas D Simeon dixit: *Nunc dimittis*, &c. Hac de cauſa S. Gregor. Mag. imaginem Virginis in proceſſionibus cum ſingulari deuotione ac reuerentia deportari voluit, vt pote qui optimè ſciret quantùm valeret apud Deum illius interceſſio: eſt enim Mater miſericordiæ: quod Dominus innuere voluit quodam inſigni miraculo, quod refertur ab Arnoldo Abbate Lubecenſi apud Baron. an. 870. In Sardaneida quippe à Damaſco prope Leucæ vnius ſpatio, videbatur olim quædam Virginis imago, quæ olim depicta fuerat in lignea quadam tabula, ſed quæ mirando modo quaſi impreſſa & inſculpta in ligno cernebatur: ex qua imagine oleum quoddam balſamo ſuauius egrediebatur, tantæ virtutis, vt qui morbo & infirmitate aliqua laborabant, eo balſamo inuncti ſanarentur, itaut ad hoc præſentiſſimum remedium etiam Saraceni & Iudæi recurrerent, vt ſuis malis remedium reperirent. E

At ſancti facilè Deum placarent, ſi nos à culpis abſtinere in animum iuduceremus: ſed dum in delictis perſeueramus, timendum eſt ne potius ipſi arma ſumant contra nos. Etſi enim ſancti ſint potentiſſimi interceſſores, habent tamen Dei zelum, vt faciant *Vindictam in nationibus, increpationes in populis.* Cum igitur peccata noſtra in cauſa ſint cur Deus hæc & ſimilia flagella immittat, curandum eſt vt peccata extinguantur, vt ſic ſublatâ causâ tollatur effectus.

Quod ſi tandem Deus plagam hanc à nobis amouere noluerit, iuſtis de cauſis ſibi notis, non tamen

Digitized by Google

dolendum de morbo eorum qui piè in Chriſto moriuntur. S. Cyprianum audiamus hoc diſerte dicentem, lib. de mortalitate. *Nobis*, inquit, *ipſis minimis & extremis, quoties revelatum eſt quam frequenter atque manifeſtè de Dei dignatione præcipitum eſt, vt conſanter, aſſiduè & publicè prædicarem fratres noſtros non eſſe lugendos, accerſitione dominica de ſæculo liberatos, cum ſciamus non eos amitti ſed præmitti, vocantes præcedere vt proficiſcentes, vt navigantes ſolent, deſiderari eos debere non plangi, nec accipiendas eſſe hîc alias veſtes, quando illi indumenta alba iam ſumpſerint; occaſionem dandam non eſſe gentilibus vt nos merito ac inte reprehendant, quod quos vivere apud Deum dicimus, vt extinctos & perditos lugeamus.* Ita Cyprian. Ita hoc abſynthium non erit nocium ſed ſalutare; auferendis quippe doloribus vel contuſionibus corporum, vt vult Rupertus, hæc herba vtiliſſima eſt, & ſtomachum, vt alij volunt, confortare dicitur: ſic his afflictionibus ſolamen reperiemus, & omnia aduerſa tolerare ac digerere poterimus, ſi Dei tantum in omnibus amemus voluntatem.

Et quartus Angelus tubâ cecinit: & percuſſa eſt tertia pars ſolis, & tertia pars lunæ, & tertia pars ſtellarum, itaut obſcuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret pars tertia & noctis ſimiliter.

De quarta plaga, nempe de ignorantia & cæcitate mentis. §. 6.

Idea Symboli. Punct. 1.

HÆC de Eclypſibus ſolis & lunæ aut ſtellarum intelligere, videtur abſurdum: percutiuntur enim ſol, luna, & ſtellæ quaſi vno ictu: At fieri non poteſt vt ſolis & lunæ & ſtellarum Eclypſes in vno & eodem temporis momento eueniunt. Nam dum luna eclypſatur, hoc fit per diametralem terræ interpoſitionem inter ſolem & lunam: tunc enim vmbra terræ pyramidalis, lunæ ſphæram tranſiens, vſque ad cœlum Mercurij, vt aiunt, pertingit, & corpus lunare in ſe totum aut particulariter claudens, lumine ſolis priuat & offuſcat. Accidit autem hoc cum luna in oppoſito ſolis eſt. At cum fit Eclypſis ſolaris, ſicut oportet vt terra interponatur inter ſolem & lunam, vt fiat Eclypſis lunaris, è contra oportet vt luna interponatur inter terram & ſolem, vt fiat ſolaris. Solaris enim Eclypſis cauſatur propter diametralem lunæ, inter ſolem & viſum noſtrum, interpoſitionem, quod non niſi in nouilunio poteſt contingere; nec tamen in omni, ſed cum vel circa eandam, aut caput Draconis, vt aiunt, fuerit coniuncta; vnde patet in eodem inſtanti non poſſe accidere vt ſimul ſol & luna Eclypſim patiuntur. Eadem dicendum de ſtellis, quæ etiam licet Eclypſes patiantur propter præſentiam maioris luminis, ſcilicet ſolaris, nonnunquam vero propter diametralem corporis ſolaris aut lunaris interpoſitionem inter viſum noſtrum & aſtrum fixum, ſiue etiam erraticum, fieri tamen non poſſet vt ſimul tertia pars ſtellarum, vel propter vicinitatem ſolis, vel propter interpoſitionem lunæ ſic occultaretur. Igitur hoc intelligendum eſt de prodigioſa quadam, & extraordinaria occultatione luminis ſolis, aut lunæ, aut ſtellarum, ſi hæc ad litteram intelligere volueris cum Ribera & Cornelio à Lap. Vel dicendum hoc tantùm in viſione S. Ioanni viſum fuiſſe, vt ſub tali viſione aliquod nobis myſterium innueret, ſicut plurima videt. quæ in rerum natura, eo modo quo ea vidiſſe ſe dicit, nec ſunt nec poſſunt naturaliter exiſtere, vt videre eſt de beſtia è mari aſcendente, vel de alia de terra ſimiliter aſcendente. Symbolum igitur eſt iſta ſolis & lunæ & ſtellarum percuſſio, non vera & realis, quicquid ſentiant ij qui ad litteram hæc accipiunt. Nec enim hic loquitur S. Ioannes de iis quæ in fine mundi euenient, cum ſol obſcurabitur & luna non dabit lumen ſuum, aut ſtellæ cadent de cœlo, ſed de his quæ in Eccleſia diuerſa contingere debent, quin etiam tunc non dicetur tertiam partem ſolis aut lunæ percuti, ſed totus ſol obſcurabitur, & luna tota non dabit lumen ſuum. Vnde ea quæ in hoc ſymbolo deſignantur, non ad ea ſolum quæ in fine mundi euenient ſunt rejicienda.

Quid per ſolem, lunam, ſtellas, & eorumdem Planetarum obſcurationem, aut diem & noctem, ſit intelligendum ex diuerſis interpretibus. Punct. 2.

Cornelius poſt Riberam accipit ad literam ſolem lunam, & ſtellas. *Itaut*, inquit, *dies non luceat eorum tertia pars, id eſt vt dies æque ac nox, tertia parte fiat obſcurior ſolito, non autem quod tertia temporis, puta diei & noctis parte, ſol, luna & ſtellæ planè obſcurabuntur, & duabus tantum reliquis temporis partibus lucebunt, vt aliqui imaginantur.* Hæc ille. Aliter tamen cenſet Andreas Cæſar. etſi ad literam de ſole & luna & ſtellis interpretetur, tamen alio modo explicat iſtam tertiæ partis ſolis & lunæ obſcurationem, dum ait: *Arbitramur hæc quoque illis cognita eſſe quæ de ſole & luna & vtriuſque obſcuratione apud Prophetam Ioëlem leguntur, quæ multò ante dominicam de ſeculi conſummatione ſententiam prædicta fuiſſe conſtat. Per tertiam autem luminarium & ſtellarum partem, tertium diei & noctis ſpatium ſignificari putamus, vt hinc diſcamus neque tunc quoque Deum pœnam omnis miſericordiæ expertem illaturum: neque enim die & nocte tota ſalciatos affligi patietur: ſed tertia tantùm, hoc eſt minoris temporarij interualli parte, per illam indulgentiam, pœnarumque relaxationem ad reſipiſcentiam tacitè eos prouocans. Quis enim diuina ira talicem perferre poſſet, ſi purè, hoc eſt nullâ clementiâ temperatus propinetur?* Ita And.

S. Anſelmus percuſſionem vult eſſe ſubtractionem gratiæ, tertiam partem ait eſſe omnes reprobos; per ſolem Maiores Doctores, per lunam minores; ſed tamen benè lucentes; per ſtellas ſimpliciores, tamen illuminantes; *Itaut*, inquit, *obſcuraretur tertia pars eorum, id eſt amittens bonam cognitionem, & bonam operationem; & tertia pars diei non luceret, Id eſt qui illuminati fuerant à Maioribus; & noctis ſimiliter, illuminati à luna & ſtellis, ſcilicet à Minoribus.*

Nicolaus de Lyra per ſeptem Angelos intelligit Hereſiarchas, *ſecundum*, inquit, *literalem ſenſum, & moraliter homines malicioſos, & malignos: per primum Arium, per 2. Macedonium, qui dixit Spiritũ ſanctum non eſſe Deum, per tertium Pelagium, qui erranit circa gratiam Spiritus ſancti, aſſerens quod ſine ea poterat homo ex puris naturalibus mereri vitam æternam.* Ita in quarto Angelo intelligit Eutichen, qui in Domino Ieſu Chriſto aſſeruit eſſe vnam naturam, ſicut & vnam perſonam, dicens quod ex natura diuina & humana in incarnatione facta eſt vna natura, per quãdam confuſionem ſeu commixtionem; & ſic per ſolem deitatem, quæ dicitur ſol, Sap. 5. *Et ſol intelligentiæ non luxit nobis*, intelligit: *Tamen hic pars*, inquit, *accipitur valde large, inquantum alius eſt vna de tribus perſonis in diuinis, qui ſecundum hunc errorem dicitur percuſſus, quia ſecundum ipſum non eſſet homo neque Deus, ſicut mixtum non eſt aliquid elementorum, ſed alia natura ex eis reſultans. Per Lunam intelligitur Eccleſia, cuius multi ſimplices fuerunt errore decepti: per ſtellas Epiſcopos, quorum aliqui Eutici conſenſerunt; per diem nouum teſtamentum, iuxta illud Rom. 13. Non præceſſit dies autem appropinquauit; per noctem vetus teſtamentum, quæ obſcurata fuit*

dum

dum Entices expoſuit peruersè quæ loquuntur de natura diuina, & humana Chriſti.

Dionyſius Carthuſianus per ſolem prælatos intelligit, qui debent inſtar ſolis lucere, & calorem amoris diuini in aliorum corde producere ; percutiuntur, quia iſtis verbis diuinitus ſunt reprehenſi ; per lunam, Congregationem Eccleſiaſticam illis ſubiectam, quæ ab eis eſt illuſtranda ; per ſtellas, religioſos & inferiores prædicatores, quibus ornatur Eccleſia, ſicut cœlum aſtris : *Itaut obſcuraretur tertia pars eorum ; nam,* inquit, *ex prælatorum, potiſſimè Epiſcoporum ruina & impia vita, inferiores iſti paſſi ſunt magnam diuinæ illuſtrationis & gratiæ minorationem, ſplendoremque ſanctitatis, & famæ perdiderunt nitorem : Et diei non luceret tertia pars, noctis ſimiliter, per diem contemplatiui, per noctem actiui & in pœnitentiæ actibus conſtituti ſignantur. Horum grandis pars claritatem gratiæ amiſerunt, ita quod, ſicut tenentur, proximis ſuis non lucent, exemplo, famâ, doctrinâ, conſilio atque auxilio, quando quidem maximum malum Eccleſiæ eſt negligentia ſuperiorum, & conſequens inde caſus inferiorum, ac diſſolutio atque carnalitas religioſorum multorum. Iuxta hunc modum ſumendi diem & noctem fertur in Pſ. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam.*

Beda : *Eccleſiæ decus inſtar ſideris relucentis, per falſos fratres ſæpe obſcuratur, qui vel in proſperis vel in aduerſis ſeculi, minus eam fulgere ſua defectione faciunt. Et diei non luceret, &c. Alia editio ſic habet : Et diei tertia pars appareret, & noctis ſimiliter, id eſt : ad hoc percuſſa eſt vt appareret tertia pars diei, & tertia noctis, quæ Chriſti, & quæ diaboli : Ad hoc, inquam, percuſſa eſt, id eſt ſuis voluntatibus tradita, vt redundantibus & inſoleſcentibus peccatis, in ſuo tempore reuelaretur.* Ita Beda.

Viegas per ſolem intelligit Chriſtum, qui percuſſus dicitur, quoniam Chriſtus qui tanquam verus ſol per fidem in corde credentium ſplendet, in multis amiſſo fidei radio non lucet : hoc enim eſt tertiam ſolis partem obſcuratam fuiſſe, non quod ſol ipſe aliquod in ſe lumen ſplendoremque amitteret, ſed quod eum fideles, pſeudo-prophetarum impoſturis decepti non admitterent ; per lunam. Eccleſiam : quæ interpoſitu nubium, quas pſeudo-Prophetæ ementito nomine ſanctitatis, opponebant, defecit ; per ſtellas, Eccleſiæ Doctores, iiſdem tenebris implicati, ad tertiam partem. *Denique,* inquit Viegas, *cum tertia pars ſolis fuiſſet obſcurata, effectum eſt vt tertia pars diei non luceret : cumque tertia pars Lunæ, ſtellarumque pars lucem & ſplendorem amiſiſſet, tertia quoque pars nocturnæ lucis deperiret.* Per diem autem iuſtos, per noctem peccatores Viegas intelligit, ſeu perfectos aut imperfectos fideles.

Denique Alcazar per obſcurationem accipit ignorantiam & excæcationem qua Deus percuſſit Iudæos, quia mundi lucem Chriſtum, verum ſolem aſpicere & reſpicere noluerunt ; ex cæcati ergo non viderunt ſolem id eſt non agnouerunt Deum trinum & vnum ; nec Lunam, id eſt humanitatem Chriſti ; nec ſtellas, id eſt Apoſtolos, eorumque Euangelicam doctrinam & ſanctimoniam. Porro tertia pars ſyderum dicitur obſcurata, quia non plane cæci fuerunt, manſit enim in eis cognitio vnius Dei, Moſis & Prophetarum, quin & viderunt miracula Chriſti & Apoſtolorũ ; ſed hæc lux & cognitio, eis in grauius peccatum, & maiorem excæcationem & damnationem ceſſit. Ex iis enim agnoſcere poterant & debebant Chriſtum viamque ſalutis, hoc eſt quod de eis ait Chriſtus Ioan. 7. *Si cæci eſſetis non haberetis peccatum.* Rurſum cognitio de Deo tripliciter acquiritur : Primò per opera eius admirabilia, quæ fiunt per eius potentiam, quæ attribuitur Patri ; ſecundò per doctrinam, quæ attribuitur filio. Tertiò per internam illuminationem, quæ attribuitur Spiritui ſancto : duo priora habuerunt Iudæi, ſed tertium eis defuit. Ideoque dicitur eis obſcurata tertia pars ſolis & ſiderum. Hæc Alcazar apud Cornel.

Ex his patet plurimos auctores reperiri, qui hæc non ad literam, vt verba ſonant, intelligunt, ſed hæc eſſe ſymbolica & ænigmatica ſentiant ; itaut qui hæc ſymbola eſſe aſſeruerit, temeritate non ſit culpandus, nec iuxta proprium ſenſum ſcripturam interpretari dicendus. Quid igitur intelligamus per ſolem & lunam & ſtellas, diem, noctem & obſcurationem diei ac noctis, aperiemus : poſtquam quam plagam deſcribat ſanctus Ioannes dixerimus in ſequenti puncto.

Quartam plagam eſſe ignorantiam eorum quæ ad ſalutem conſequendam neceſſaria ſunt aſſerimus. Punct. 3.

Poſtquam Deus Optimus Maximus homines ab effectu immoderato rerum terrenarum, per plagam famis ; à ſuperbia vitæ, quæ omnem ab alio dependentiam refugit, per plagam belli ; à carnis voluptatibus, per plagam peſtilentiæ auellere tentauit, eoſque voluit pro abundantia bonorum temporalium, pro ſecura eorum poſſeſſione abſque dependentia & ſubiectione, pro carnalibus delitiis, ad regni cœlorum adeptionem per paupertatis ſpiritum ; ad poſſeſſionem pacificam & ſecuram æternorum, per mititatem & mànſuetudinem ; ad conſolationes exuberantes æterni gaudij, per luctum & gemitum prouocare, nunc aperire vult quodnam malum incurrant, qui licèt fame & inediâ prope enecati, affectibus terrenis minime mitigatis, ſemper terrena concupiſcunt ; qui attriti calamitatibus, humiliari nolunt ſub potenti manu Dei, qui morte in ianuis exiſtente, à carnis delitiis auelli non poſſunt. Malum autem quod incurrunt eſt ignorantia quædam & cæcitas mentis, qua perculſi nec eſuriunt nec ſitiunt iuſtitiam, vnde & famelici & vexati & lugentes, nec in vita præſenti nec in futura, deſideriorum ſuorum vnquam compotes eſſe poterunt, ſed inanes & vacui, fumo vanitatis pro ſolido veritatis cibo oppleti, miſeri & deſolati permanebunt. Soli enim qui eruditi flagellis Dei, iuxta illud Ierem. c. 31. *Audiens audiui Ephraim tranſmigrantem : Caſtigaſti me & eruditus ſum, quaſi iuuenculus indomitus : conuerte me & conuertar, quia tu Dominus Deus meus. Poſtquam enim cõuertiſti me, egi pœnitentiam, &c.* & ſic ad meliora per hæc mala conuerti eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, beati eſſe poſſunt, dicente Domino : *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.*

Non poteſt Chriſtus Dominus, Eccleſiæ ſponſus puriſſimus & fideliſſimus, in amore habere conſortem aut riualem. *Coanguſtatum eſt,* inquit, *ſtratum, itaut alter decidat : & pallium breue, vtrumque operire non poteſt. Loquitur,* inquit S. Hierony. *autem ſub metaphori mariti pudicißimi, qui adultera dicit vxori : Vnus lectulus me & adulterum tecum capere non poteſt ; & pallium breue, maritum & mœchum cooperire non prævalet.* Hinc Deus pœnis ac flagellis nos ſeparare contendit ab iis rebus, quas indebito amore amplectimur. Inde fames, inde bella, inde peſtes ; & licèt homines præſumptione nimiâ, Dei patientiâ abutentes beatos ſe eſſe putent & dicant : *Percußimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans, cum tranſierit, non veniet ſuper nos, quia poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus.* Eſ. 28. Hoc eſt : Fruſtrà ſpem habuimus in Deo & in lege eius. Quid enim nobis profuit quæ per totum vitæ ſpatium egimus ? Nec timenda, aut expectanda illius flagella cuius nec promiſſa aut bona ſentimus aut experimur : *Vbi enim eſt promiſſio aut aduentus eius ? Ex quo enim patres dormierunt, omnia ſic perſeuerant ab*

Digitized by Google

initio creaturæ. 2. Petri 3. tamen iudicium Domini effugere non poſſunt, qui ponit iudicium in pondere, & iuſtitiam in menſura, *vt reddas vnicuique ſecundum opera ſua*; vnde ſæpius euenit vt cum omnia magis arridere videntur, qui ſpem in Deo collocatam vanam eſſe exiſtimabant, & eius protectionem inanem arbitrabantur, ſentiunt quàm durum ſit ſpem ſuam in mundo collocaſſe, & protectionem ſuam ab iis qui in mundo ſunt expectaſſe. Immittit enim Dominus flagella quæ vitari nequeunt. Et qui fœdus cum morte, & pactum cum inferno ſe feciſſe exiſtimabant, vt nunquam anguſtias mortis experiri, aut doloribus inferni circumdari poſſent, ſentient ſe morti ſubiectos, & in infernum (ni reſipiſcant, eruditi nimirum flagellis diuinitus immiſſis) detrudendos, dicente Iſaia: *Et delebitur fœdus veſtrum cum morte, & pactum veſtrum cum inferno non ſtabit. Flagellum inundans cum tranſierit, eritis in conculcationem*: hoc eſt, inquit S. Hierony. *omnia tormenta patiemini, quæ vos putabatis deſperationis animo nunquam eſſe paſſuros.* Cum pertranſierit tollet vos, v. g. fame aut bello, aut peſte moriemini, *quoniam mane diluculo tranſibit in die, & in nocte: ſemper enim*, vt ipſe addit, *irruet vobis, & tam in proſperis quàm in aduerſis iram Dei ſentietis, & mors ſæua populabitur, & tantummodo ſola vexatio intellectum dabit auditui: pœnarum ſola formido & tormentorum metus vos corriget ad ſalutem, & mala veſtra intelligere faciet. Cumque vexati fueritis tunc ſcietis prophetas meos vera dixiſſe.* Ita Hiero. Si igitur aliquando Deus hæc flagella immittat, eum apud Hieremiam dicentem audiamus. *Iniquitas & vaſtitas audietur in ea coram me: ſemper infirmitas & plaga. Erudire Ieruſalem, ne forte recedat anima mea à te. Per hæc*, inquit S. Hieron. *dicimus quod flagellat Dominus omnem filium quem recipit, & idcirco plagis atque tormentis eruditur Ieruſalem vt corrigatur, & non recedat anima Dei ab ea, & redigatur in ſolitudinem. Si quando igitur crebris anguſtiis ſubiacemus, recordemur in conſolationem noſtri, iſtius verſiculi: Per omnem dolorem & flagellum erudiens Ieruſalem.* Ita Hierony. At ſi vt iuuenculus indomitus caſtigamur, abſque correctione & emendatione, ad modum Ephraim de quo ſupra ex c. 31. Hierem. vel ſicut vitulus, id eſt multo labore atque verberibus erudiamur, vt ad pœnitentiam conuertamur, & non profecerimus, vt notat S. Hiero. quid faciendum? Clamandum certè, vt ex eodem propheta diximus ſupra: *Conuerte me, &c. Vide*, inquit S. Hieron. *quantum ſit auxilium Dei, & quàm fragilis humana conditio, vt hoc ipſum quod agimus pœnitentiam, niſi nos Dominus ante conuerterit, nequaquam implere fateamur.* Ita S. Hiero.

At ſi clamare ad Deum noluerimus, ſi ſtultitiam noſtram agnoſcere aut fateri recuſauerimus, nec percutimus femur in indicium dolentis & plorantis ſuper errore priſtino, ſi Deum è contra etiam vocantem audire neglexerimus, pulſanti non aperuerimus, ſi Angelum tuba canentem, & exhortantem, vt à delitiis ſæculi, à voluptatibus carnis abſtineamus, niſi velimus magnam incurrere cordis cæcitatem, quia iuſtitiæ nec famem nec ſitim habeamus, quid tandem quæſo obueniet videamus. Quærit S. Hieronymus quomodo dicente Deo patre ad Filium: *Seruus meus es tu, Iſrael: quia in te gloriabor*; Filio reſpondente: *Et ego dixi, in vacuum laborauí, ſine cauſa & vanè fortitudinem meam conſumpſi*, in Filio tamen Pater glorificari poſſit, etſi filius in vacuum laborauerit, & magnam partem populi Iudaici ad Patrem reuocare non potuit. Nodum ſoluit S. Doctor dum ait: *Hæc autem vniuerſa dicuntur, vt liberum hominis monſtretur arbitrium. Dei enim vocare eſt & noſtrum credere: nec ſtatim ſi non credimus impoſſibilis Deus eſt, ſed potentiam ſuam noſtro arbitrio derelinquit, vt iuſti voluntas præmium conſequatur. Quia ergo noluerunt per me in te credere, iudicium meum apud te eſt, quod omnia fecerim quæ eis facere debui, dicens in Euangelio: Ego te glorificaui ſuper terram, opere completo quod dediſti mihi vt facerem.* Ita S. Hierony. Ita nunc dicere poſſumus Deum feciſſe erga homines quidquid debuit facere, vt eos corriperet & flagellis erudiret: poſſet illos cogere, ſed liberum relinquit hominis arbitrium, vt omnes videant Deum velle opus ſuum non deſtruere, libertatem hominis ad vnum adigendo aut neceſſitando, ſed perficere illud, hominem ad meliora liberè proſequenda prouocando, vt iuſtè voluntas præmium conſequatur. Quod ſi noluerimus conuerti, iuſtè à nobis oblata ſubtrahit auxilia, ne maiorem in nos Dei iram concitemus, & nolentes ambulare in luce dum lucem habemus, tenebræ nos comprehendant, iuxta illam imprecationem Deuteron. 28. *Percutiat te Dominus amentia, & cæcitate, ac furore mentis, & palpes in meridie ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas*; & illam Pſal. 34. *Fiat via illorum tenebræ & lubricum.* Impellentur enim homines ita cæci redditi, vt ait Hierem. c. 23. *& corruent in ea: quia afferam ſuper eos mala, annum viſitationis eorum: non quo mala ſint*, inquit S. Hieron. *vt Dominus mala inferat, ſed mala his ſunt qui ſuſtinent ſupplicia: alioqui eadem & mala ſunt & bona, mala iuxta eos quos cruciant, bona iuxta eos quos emendant. Et hoc notandum quod annus viſitationis Domini, correctio peccantium dicatur, atque cruciatus iuxta illud quod ſcriptum eſt: Viſitabo in virga iniquitates & in verberibus peccata eorum: miſericordiam autem meam non diſpergam ab ea.* Ita Hieron.

Igitur luminis diuini ſubtractio plaga eſt quinta, qua in tenebras incidimus, & in ignorantiam rerum, quæ ad ſalutem ſcitu ſunt neceſſariæ, præcedentibus formidabilior: quæ explicatio ſuam habet probabilitatem ex explicatione S. Anſelmi, qui permiſſionem vult eſſe ſubtractionem gratiæ; Dionyſij Carthuſ. qui ex Epiſcoporum vita mala magnam diuinæ illuſtrationis & gratiæ minorationem induci ait; Alcazaris, qui per obſcurationem accipit ignorantiam & excæcationem qua Deus percuſſit Iudæos; ſed maximè ex ſerie plagarum quibus ex locis ſcripturæ cernitur Deum punire hominum ſcelera, & potiſſimum 28. Deuteronomij, vbi poſt comminationes famis, peſtis & belli, & malorum incurabilium addit ſcriptura: *Percutiat te Dominus amentia, & cæcitate, ac furore menti, & palpes in meridie, ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas.* Quid clarius? vt dicere meritò poſſimus prædicta mala, quæ corpus tangunt, iſta plagâ ignorantiæ & cæcitatis, mentem ſuperbam hominis peccatoris & mandatorum Dei contemptoris percuti, & tantò libentius hanc plagam hîc deſcribi dicimus, quòd maximè cum hoc ſymbolo percuſſionis ſolis ac lunæ ac ſtellarum conuenit, vt mox videbimus.

Ignorantia rerum diuinarum, quæ ſcitu ad ſalutem ſunt neceſſariæ, hîc optimè deſcribitur. Punct. 4.

Licet olim Æpuleius dixerit, de rebus diuini loquens: *Diceremſi dicere liceret, cognoſceres ſi liceret audire, ſed parem noxam contraherent & auris, & lingua, temerariæ curioſitatis*; Licèt Neumenium Philoſophum dicant à deabus Eleaſynis ab earum templo iectum, quod earum myſteria vulgi auribus reuelaret, quo facto illarum pulchritudinem videretur proſtituere; licèt Ægyptij putauerint ſapientiam ſuam ſub ænigmatibus eſſe tantùm diuulgandam & Plato metaphoris, Ariſtoteles obſcurâ quadâ phraſi ſuam Philoſophiam difficilem cognitu reddiderint; quin & Salomon etiam ſub ænigmatibus ſuam nobis oc-

cultauerit ſapientiam, & totus hic liber ſit ænigmaticus, tamen dicit ſanctus Ioannes: *Beatus qui legit & audit verba Prophetiæ huius, & ſeruat ea quæ in ea ſcripta ſunt.* Vnde hæc debent eſſe talia, quæ poſſint, inſpirante Deo eiuſque afflante ſpiritu, intelligi. Et quædam ſunt quorum cognitio adeo eſt neceſſaria, vt qui ea ignorauerit ignoretur, dicente Apoſtolo 1. ad Corinth. 14. *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* *Non quod*, inquit S. Auguſt. Epiſt. 10. 2. ad Euodium, (vt exiſtimabat Euodius) *iſta pœnâ pleſtendus ſit qui non valet intelligentiâ ſic diſcernere ineffabilem Trinitatis vnitatem, ſicut diſcernitur in animo noſtro memoria, intellectus & voluntas ſed loquitur Apoſtolus de iis rebus, quæ fidem vel mores multorum ædificarent, non quæ vix ad paucorum, eamque exiguam, quantulacumque in hac vita, de re tanta eſſe poteſt intelligentia, peruenirent.* Ea igitur quæ cognoſcere oportet ſunt, quæ vel credenda, vel ſperanda, vel facienda ſunt: quorum cognitio ſi à nobis auferatur, certè ſalus noſtra omnino deſperanda eſt: qui iſta nouit, licèt cætera ignoret, ſapientiſſimus eſt; qui iſta neſcit, licèt cætera ſciat, vanus eſt. *Vani enim ſunt omnes homines*, vt ait Sap. 1. c. 13. *in quibus non ſubeſt ſcientia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui eſt, neque operibus attendentes agnouerunt quis eſſet artifex.* Ita Sap. Benedictus tamen Deus: qui non requirit vt diuina intelligamus, penetremus & comprehendamus, ſed qui tantùm à nobis eorum quæ ſcire debemus fidem exigit. Optimè S. Auguſtinus ſupra: *Nam ſi propter eos ſolos Chriſtus mortuus eſt, qui certa intelligentia poſſunt iſta diſcernere, pene fruſtra in Eccleſia laboramus. Si autem, quod veritas habet, infirmi populi credentium ad medicum currunt ſanandi per Chriſtum & hunc crucifixum, vt vbi abundauit delictum ſuperabundet gratia, miris ſit modis per altitudinem ſapientiæ & ſcientiæ Dei, & per inſcrutabilia iudicia eius, vt & nonnulli à corporibus incorporea diſcernentes, cum ſibi ex hoc magni videntur, & irrident ſtultitiam prædicationis qua ſalui fiunt credentes, ab vnica via longe exerrent, quæ ad vitam æternam ſola perducit: & multi in cruce Chriſti gloriantes & ab eadem via non recedentes, etiam ſi iſta quæ ſubtiliſſimè diſſerantur ignorant, quia non perit vnus ex illis pro quibus mortuus eſt, ad eamdem perueniant æternitatem, veritatem, Charitatem, id eſt, ad ſtabilem, certam, plenamque felicitatem, vbi manentibus, videntibus, amantibus ſunt cuncta perſpicua.* Ita Aug.

De hac igitur ſcientia ſanctorum hîc loquimur, cuius luminis ſubtractionem æternæ ſaluti plurimum nociuam in hoc ænigmate deſcribi putamus, ac ſi diceret ſanctiſſimus propheta: Poſtquam Eccleſia, per verbi diuini prædicatores, fideles admonuit vt flagellis eruditi ſatagerent ſcire ea quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, eſurirentque ac ſitirent iuſtitiam Chriſtianam, ſine qua mala & flagella à Deo immiſſa nec fugere nec à ſe vnquam auertere poſſent, talibus ſalutaribus monitis neglectis & contemptis, Deo irato ob ſui contemptum, diuinum lumen iuſtè ſubtrahente, ſæua apparuit plaga ignorantiæ rerum, quarum cognitio eſt ad ſalutem æternam neceſſaria: vnde nec quid credere, neque quid ſperare, neque quid facere, amore Dei ducti deberent fideles nouerunt, ſed dentiſſimis ignorantiæ tenebris obnubilati nihil ab eis expectandum venit, quàm omnimoda in moribus corruptio, in errores, & hæreſes perniciosiſſimas, & in obſtinatam in peccatis voluntatem certiſſima tandem prolapſio. At diſtinctius ea, quæſo, diſcutiamus.

Solem, lunam & ſtellas, Deum, Eccleſiam, & ſanctos ſignificare, ex his quæ ab auctoribus ſupra allatis adduximus certiſſimum eſt. Nicolaus de Lyra namque deitatem per ſolem, Viegas Chriſtum intelligit. Dionyſius Carthuſianus per Lunam, Congregationem Eccleſiaſticam; Viegas Eccleſiam; per ſtellas S. Anſelmus ſimpliciores in Eccleſia, ſed tamen illuminantes; Dionyſ. Carthuſ. religioſos & inferiores prædicatores, Viegas Eccleſiæ Doctores, Alcazar Apoſtolos intelligit. Vnde à vera interpretandi ratione non abertabimus, ſi per ſolem, qui per ſe lucet, Verbum diuinum radios ſuos emittens ſeu omnem hominem illuminans in hunc mundum venientem intellexerimus: Per lunam, quamlibet animam fulgoribus diuinis præcipuè in ſtatu beatitudinis perfectè colluſtratam. Verbo eam irradiante: per ſtellas, diuerſa Dei præcepta, quorum fidelis adimpletio pro diuerſo charitatis gradu diuerſam exigit præmiorum retributionem pariter intellexerimus. Iſta præſupponentes, dico tria de Deo credenda eſſe, vt in hac vita eam habeamus Dei cognitionem, quæ ad ſalutem potiſſimùm eſt neceſſaria: primò quod ſit: ſecundò, quòd inquirentibus remunerator ſit: tertium, quod timeri, amari, glorificari debeat ab hominibus. Philoſophi, quòd Deus ſit, cognoſcere potuerunt, Chriſtiani credunt præterea illum eſſe bonorum remuneratorem, & malorum vindicem; ſed in reprobis tam Ethnicis quàm Chriſtianis percutitur tertia pars ſolis, dum ab eis non timetur, non diligitur aut glorificatur vt decet. De Philoſophis hoc docet S. Paulus Ep. ad Rom. c. 1. Ibi enim loquens de Philoſophis: *Reuelatur enim ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent: quia quod notum eſt Dei manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis manifeſtauit. Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus eius & diuinitas, vt ſint inexcuſabiles; quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis. Et obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe ſapientes eſſe, ſtulti facti ſunt; & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum & ſerpentium.* Ecce perculſio ſolis, Deum cognoſcere quod ſit, illum vt rerum omnium parentem & bonorum fontem agnoſcere, & tamen illi gloriam, & gratiarum actionem quam meretur ſurripere, & creaturis reddere. *Multa enim ſunt*, inquit S. Anſelmus, *quæ de Deo per naturam ſciri non poſſunt, ſicut eſt myſterium incarnationis & paſſionis, quod latuit ſapientes mundi ſed hoc de Deo naturaliter ſciri poteſt quod ipſe ſit Deus, quia omnis creatura oſtendit ſe non eſſe Deum, ſed eſſe alium qui eam fecerit, cuius ſeruitio parere neceſſe ſit. Itaque quod notum eſt de Deo manifeſtum eſt illis, vel manifeſtum eſt in illis, id eſt in cordibus eorum, quamuis exterius in opere ipſorum non appareat,* &c. Et poſt pauca: *Deus illis manifeſtauit, oſtenſione creaturarum, quoniam naturali ingenio intellexerunt, quia hoc non eſt creator, quod creatura: nam inuiſibilia ipſius, id eſt æternitas, virtus, diuinitas & omnipotentia conſpiciuntur à creatura mundi, id eſt ab homine, in quo per quamdam affinitatem omnes creaturæ ſunt, quia commune habet eſſe cum lapidibus, viuere cum arboribus, ſentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Ab hac creatura mundi, id eſt ab homine, conſpiciuntur inuiſibilia Dei intellecta per ea quæ facta ſunt, id eſt per creaturas.* Ita S. Anſelmus. *Quemodmodum* inquit S. Chryſ. Hom. 2. in Epiſt. ad Rom. & *Propheta inquit: Cæli enarrant gloriam Dei. Quid enim eo die dicent gentes, te ignorauimus? Itane vero non exaudiſtis compoſitam rerum omnium harmoniam, tubâ illuſtriùs clamantem: noctis ac dies leges non perſpicitis, perpetuas, ſtatas, atque immobiles? Hyemis, veris, cæterorumque anni temporum compoſitum ordinem firmum & immotum, maris clementiam in tanta fluctuum conturbatione? Denique cum ordinem ſeruantia, ea denique tum pulchritudine, tum magnitudine ipſum opificem veluti præconio anoun-*

ciantia? Ita Chry. Deum igitur gentiles, & esse, & rerum autorem esse cognouerunt, & cum illius maiestatem agnouerint, rationis lumine potuerunt cognoscere illi cultum, & gratiarum actionem esse reddendam: sed percussa est tertia pars solis ab eis, quia sicut Deum non glorificauerunt, nec ei gratias exhibuerunt vt benefactori, sequuta est tanta obcæcatio mentis, vt seruierint creaturæ potius quam creatori. Et nota diligenter S. Ioannem non dicere: & obscurata est tertia pars solis, sed *percussa est*: ex qua percussione sequeretur obscuratio: vt doceat ideo solem in nobis obscurari, id est, lumen diuinum à nobis subtrahi, quia Deus offenditur à nobis, dum à nobis vt par est non glorificatur. *Quemadmodum enim in nocte*, inquit Chryl. *si quis peregrinus, viam ingredi conetur, aut mare nauigare, non solum non perueniret ad finem destinatum, sed peribit protinus, sic & isti iter ad cœlum ferens aggressi, à se lucem quam ademerint, ac pro ea cogitationum tenebris sese inuoluerint, in corpore incorporeum, in figura infiguratum exquirentes, naufragium infestissimum fecerunt. Primum crimen, quod Deum non inuenerunt: secundum, quod causas magnas & apertas haberent: tertium, quod dicerent se esse sapientes: quartum, quod non solùm non inuenerunt, sed quod Veneretionem illam in dæmonas, in saxa & ligna deflexerunt.* Ita Chry. Quòd si gentiles peccauerunt Deum non glorificantes, si solem hunc, Deum nempe omni honore & veneratione dignum percusserunt, illi gratias non exhibentes, quamuis vel naturali lumine possent agnoscere ei honorem esse exhibendum, nonne Christiani, quibus fides & Dei existentiam, & rerum creationem, & bonorum & malorum retributionem reuelat & suggerit, erunt culpandi, qui Dei gloriam commutant, vt olim Iudæi in similitudinem vituli comedentis fœnum, voluptates carnis appetentes, & delitiis incumbentes? Certè ab eis sol fortiori iure percutitur, qui lumine fidei adiuti, & eadem quæ gentiles de Deo nouerunt, & ipsi agnoscunt, & altiora & maiora de Dei maiestate per fidem didicerunt.

Percussa est etiam tertia pars lunæ, nempe Ecclesiæ, quia de Ecclesia tria debent agnosci vt perfectam illius cognitionem habeamus; Primò, quod sit quædam congregatio à Deo vocata, vt illi obsequium præstet; Secundò, quod in ea quidam sint à Deo electi, quibus data est summa rerum omnium potestas, vt optimè gubernetur; Tertiò, quod ipsis obedientia sit præstanda, vt vnusquisque fidelis ad finem præscriptum salutis æternæ tandem perueniat. Ecclesiæ vocationem, pastorumque illius auctoritatem satis perspectam habemus ex cap. 3. Epist. ad Ephesios: cuius fundamentum & constructionem Dominus declarauit, cum Petro dixit: *Tu es Petrus, & super hanc Petrã ædificabo Ecclesiam meam.* Quod autem Pastoribus Ecclesiæ obedientia præstanda sit, hoc etiam notissimum est ex Paulo dicente Heb. 13. *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant & non gementes: hoc enim non expedit vobis.* At percutitur luna, id est Ecclesia, eiusque splendor ex tali percussione obnubilatur, cum illi contradicitur. Vocata enim in admirabile lumen, Pastorum luce, qui auctoritate & sanctitate & doctrinâ pollent collustrata, de quibus dicitur: *Vos estis lux mundi*, perfecto fulget splendore, dum ipsis à subditis obeditur. At minuitur splendor si contradicitur, si non obtemperatur Pastorum iussis, si illorum doctrinæ fides non adhibetur.

Percussa tandem est tertia pars stellarum, id est sanctorum; nam de sanctis tria cognosci debent. A Primum quod Deo grati fuerunt & accepti, & amici Dei facti sunt. Secundum, quòd amicitiam hanc contraxerint per adimpletionem mandatorum, & exercitia pietatis, ac omnium virtutum. Tertium autem, quod proinde honorari debent, laudibus illorum merita extollendo, illorum opem implorando, illorum actiones imitando. At percutitur tertia pars stellarum, cum laus illis surripitur, eorum intercessio contemnitur, illorum vestigiis per imitationem minime inhæretur.

Percutitur igitur sol, nempe Deus; percutitur luna, nempe Ecclesia; percutiuntur stellæ, nempe sancti, à reprobis & malis, qui in bestia è mari emergente repræsentantur, c. 13. de qua dicitur: B *Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum*; ecce solis percussio; *& tabernaculum eius*: ecce lunæ percussio; *& eos qui in cælo habitant*: ecce stellarum percussio, ex qua obtenebrantur, id est illum externum splendorem non obtinent, qui obtingit Deo dum colitur & adoratur, Ecclesiæ dum eius iussis obeditur, sanctis dum inuocantur & imitantur.

Dico secundò, si per solem Christum intellexerimus, de Christo tria credenda sunt. Primùm, quòd Mediator sit Dei & hominum, seu Redemptor generis humani; secundum quod auctor sit gratiæ & gloriæ, itaut de eo dicatur: *Gratiam & gloriam dabit Dominus*; tertium quod media efficacissima secundum se instituerit, quibus gratiam & gloriam obtinere possimus. Percuritur autem, cum ista C media contemnuntur aut indebitè tractantur, itaut effectum non obtineant.

Si per lunam quamlibet animam intellexerimus, à Christo sole gratiam & gloriam recipientem, quam sperare à Deo & expectare debemus, tria de tali anima cognosci oportet: primum per gratiam illam ipsam fieri membrum Christi, secundum omnium operum eius merita in Christum debere refundi, vt quæ sine ipso nihil possit agere meritorium. *Ego*, inquit, *sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere*, Ioan. 15. Tertium, quod ad Christi similitudinem debeat peruenire, iuxta illud Apostoli: D *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* At percuritur hæc tertia pars cum maledicuntur, cum despiciuntur ab hominibus, & vita illorum æstimatur insania, & finis illorum sine honore; & cum spes adimitur tantæ mercedis, ab iis de quibus dicitur: *Et nescierunt Sacramenta Dei, nec mercedem speraverunt iustitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum sanctarum*, Sap. 2. Quia, vt dictum est antea, *excæcauit illos malitia eorum.*

Si per stellas, Dei mandata intelligamus, tria de ipsis credenda sunt, nempe à Deo per Christum nobis data fuisse, ipse enim est Rex & legifer noster; Secundò, illa ad vitam æternam consequendam esse necessaria; Tertium, obseruatu esse facilia E & possibilia. At percutiuntur ab iis qui vel impossibilia obseruatu illa dicunt; vel saltem illa obseruare contemnunt: vnde fit obtenebratio & obcæcatio. Sicut enim præceptum Domini adimpletum est illuminans oculos, vt pote lucidum, ita transgressio præcepti tenebras inducit, & obcæcat mentes, vt faciant ea quæ non conueniunt. Per stellas autem rectè possunt Dei præcepta intelligi, quia sicut per stellas in nocte illustramur, ita per Dei præcepta in tenebris huius seculi ambulantes illuminamur: *Ambulantibus enim in regione vmbræ mortis lux oritur*, dum Deo præcipiente, quid agere debemus certè cognoscimus, & quia vnumquemque præceptum lumen est, & tamen ab alio differt, ideo stellæ dicuntur, quòd vnumquodque lucem præstet, ab alio tamen distinguatur. Igitur cum ex iis quæ

Digitized by Google

dici poſſunt de Deo, aut Eccleſia, aut ſanctis, de Christo, de membris eius, de illius præceptis, in tertia quaſi parte eorum impingatur à malis, ideo tertia pars eorumdem percuti dicitur, cum Deus offenditur, dum non adoratur, dum Eccleſiæ contradicitur, dum à ſanctorum ſemita aberratur, dum Chriſti mediatoris media ad ſalutem inſtituta contemnuntur, dum ſpes æternorum projicitur, dum Dei præcepta conculcantur; *Itaut*, inquit S. Ioannes, *obſcuraretur tertia pars eorum*, ſicque obtenebratio eorum eſt quaſi effectus percuſſionis, v. g. impietatis in Deum, pertinaciæ in Eccleſiam, contemptus in ſanctos & Chriſtum, & tranſgreſſionis mandatorũ.

A

Et diei non luceret tertia pars & noctis ſimiliter.

B

Quid per diem & noctem, ad tertiam partem non lucentes, intelligatur. Punct. 5.

Præter ea quæ ex aliis auctoribus ſupra adduximus, nunc dicimus per diem intelligi poſſe tempus proſperitatis, per noctem tempus tribulationis & afflictionis, vel per diem lumen quod à ſole mutuamur, per noctem eam lucem quam à luna & ſtellis tempore noctis obtinemus, itaut hac ratione per diem ſignificetur lumen quod immediatè accipimus, qualis eſt fides, per noctem autem lumen quod à recta ratione per Eccleſiam & Doctores accipimus.

C

Per diem, proſperitatis tempus ſignificari patet, ex hoc loco Hierem. c. 18. *Et diem hominis non deſideraui: tu ſcis*; *Vel vitam longiorem, vel proſpera quæque huius ſæculi*, inquit S. Hieronymus. Si dies tempus ſignificat proſperum, nox tempus ſignificabit aduerſum. Et ſupra S. Hieronym. exponens illud Iſaiæ, *Quoniam mane diluculo tranſibit in die & in nocte*, ait: *Semper irruet vobis, & tam in proſperis, quam in aduerſis iram Dei ſentietis.* Sed ne in re ſatis nota & perſpicua immoremur, ſi per diem proſperitatem, ſi per noctem aduerſitatem intelligamus, erit hic ſenſus.

Dies perfectus eſt in proſperitate, dum illa fruimur, dum noſtra proſperitas aliis innoteſcit, & nobis famam & gloriam inter homines conciliat, dum ea vtimur ad Dei gloriam & ſalutem æternam conſequendam. At illa dies minuitur in ſuo ſplendore, dum talis proſperitas ad Dei obſequium non ordinatur. Similiter lux noctis, id eſt aduerſitatis, talis eſt qualis eſſe poteſt, dum per experientiam ſcimus quod ſit mala pati. *Qui enim non eſt tentatus, quid ſcit? Vir in multis expertus cogitabit multa, & qui multa didicit enarrabit intellectum. Qui non eſt expertus, pauca recognoſcit.* Eccleſ. 34. Igitur lumen præbet mali tolerantia, dum ſcimus quid ſit tentari & mala perpeti. Aliâ ratione lux eſt in aduerſitate, ſi fortiter illã toleremus, itaut animi noſtri fortitudo & conſtantia aliis innoteſcat. At perfectio luminis in aduerſitate collucentis eſt, ſi hæc mala toleremus, non propter delicta; ſi ea fortiter ſubeamus, non propter vulgi opinionem conciliandam, aut per inanem gloriam, ſed pro iuſtitia & ad Dei gloriam. At ſi hæc mala patimur non recta intentione, tertia pars luminis nocturni obſcuratur, dicente Paulo: *Si tradidero corpus meum itaut ardeam, charitatem autem non habeam nihil ſum.*

Si autem per diem, lumen à Deo immediatè mutuatum intelligimus, de quo loquitur Dominus noſter Ieſus Chriſtus: *Me oportet operari opera eius qui miſit me, donec dies eſt. Venit nox, quando nemo poteſt operari. Quandiu ſum in mundo, lux ſum mundi*, Ioan. 9. Significat enim Chriſtus tempus ſuæ manſionis in hoc mundo eſſe diem, quia à ſe ipſo vero ſole iuſtitiæ illuminabatur. Dico tertiam eius partem non lucere, dum finem non intendimus, propter quem Deus nobis myſteria ſua reuelauit. Nec enim ſufficit vt fidei doctrinam memoriâ teneamus, vt exteriùs nos eſſe fideles ore proclamemus, ſed oportet vt opere & recta intentione, iuxta fidem reuelatam, honeſtè ambulemus, iuxta illud Apoſtoli Rom. 13. *Nox præceſſit, dies autem appropinquauit: abiciamus ergo opera tenebrarum & induamur arma lucis. Sicut in die honeſtè ambulemus*, &c. Si per noctis lumen, intelligamus lucem à luna & ſtellis mutuatam, dicemus per hoc lumen intelligi traditiones ſeniorum ſeu maiorum, directio Paſtorum, legum ad politiam Eccleſiaſticam neceſſariorũ latio: quorum omnium tertia pars non lucet, ſi ea tantum addiſcere, aut docere contenti ſumus, at ne digito quidem illa mouere ſat agimus, facti de numero eorum de quibus Saluator ait: *Alligant enim onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem ſuo nolunt ea mouere. Omnia vero opera ſua faciunt vt videantur ab hominibus.* Matt. 13.

D

Ex hac igitur percuſſione ſyderum, diminutione luminis, tum diurni, tum nocturni, exſurgit tandem tanta rerum ad ſalutem neceſſariarum ignorantia, vt hæc plaga ſæuior ſit cæteris anterioribus. Nam licèt mortales multam rerum humanarum peritiam obtineant, quæ ad conſeruationem vitæ carnalis conducant, optimè ſciant diſcernere, omnium myſteriorum, etiam diuinorum habeant ſpeculationem, legum ac iuris vtriuſque ſint peritiſſimi, tamen in iis quæ ſaluti æternæ ſunt neceſſaria hebetes ſunt, nec illa vident, aut aliqualiter animaduertant, itaut nec de iis cogitare, nec circa ea aliquid meditari, nec de iis ſaltem reminiſci queant. Quod ſi proſperitate arridente, ea quæ ſibi ad honorem & gloriam mundi acquirendam conducunt optimè ſciant dignoſcere, ſi quæ quieti temporali proficiunt poſſint animaduertere, exulat ab eis cæleſtium rerum; quatulacumque cogitatio aut intentio; ſi aduenìente nocte proſperitatis, præſentire poſſunt adeſſe ſplendoris mundani quædam deperditio, aut ſolatij & delitiarum diminutio, nunquam tamen in eorum mentem venire poterit has aduerſitates, aut infirmitates à Deo infligi vt reſipiſcant, & à peccatis auertantur. Grauiſſima hæc ignorantiæ & cæcitatis plaga. At incomparabiliter atrociora ſunt quæ ſubſequuntur. Quis autem inter mundi amatores dicat eſſe aliquod genus infelicitatis genio indulgere, quidquid appetitus carnalis deſiderat obtinere, de inimicis vindictam ſumere? Nihil quippe dulcius vindictâ. Quis dicet inter mundi amatores, miſerrimum eſſe, ea quæ volumus, quæ cogitamus, quæ intendimus, poſſe & cogitare & dicere, & exercere, & tandem nullum in conſcientia ſentire remorſum quo torqueamur, ſtimulum quo pungamur? Et nihilominus nihil adeo formidandum quam dominatio paſſionum, intellectus peruerſitas, voluntatis effrenata malitia. Hæc ſunt mala de quibus Deus punit hominum intemperantiam: quæ quia formidabilia ſunt, ideo apparet Angelus, qui de periculo tantorum malorum nos admonet, ac reddit certiores. Quid dicat audiamus.

E

Digitized by Google

Et vidi: & audiui vocem vnius aquilæ volantis per medium cœli, dicentis voce magna: Væ, væ, væ habitantibus in terra, de cæteris vocibus trium Angelorum qui erant tubâ canituri.

Quænam sit aquila volans, & quæ clamet.

ANNOTAT. VIII.

Variæ autorum expositiones. §. 1.

ANDREAS Cæsariensis legit vnum Angelum, volantem per medium cœli, dicentem: Et deinceps ait: *Ex his quoque discimus quanta diuinorum Angelorum sit miseratio, quantaque eorumdem erga homines humanitas. Etenim ad Dei imitationem miserentur hominum, qui durius propter peccata excipiuntur: multo verò magis illorum, qui nec plagis quidem suauiter admoniti emendantur: in quos vel maximè ipsum Væ quadrat, vt qui in terra degant, & terrena tantum sapiant, & cenum veritus & puluerem, quàm suaue vnguentum quod nostri causa Christus effudit. Porro autem, qui suam conuersationem in cœlis habent, iis tristia resque aduersæ immortalem coronam, amplissimaque præmia conciliant.*

Et audiui, inquit Dionys. Carthus. *id est, Angelo edocente percepi atque intellexi. Vnde istud, videre, & audire, realiter idem sunt.* Per aquilam autem intelligit ipsum sanctum Ioannem, horum scriptorem ac denunciatorem. *Per medium cœlum.* Ecclesiæ protensio insinuatur: *Voce magnâ*, Seriosâ & affectuosâ: *Væ, væ, væ habitantibus in terra.* i. viatoribus, præsertim terrena amantibus; dicitque ter, væ, ad ampliorem exaggerationem, clarioremque mentis suæ expressionem, conformans se consuetudini prophetarum. *De cæteris vocibus*, id est, toties dixit, *Væ habitantibus*, propter acerbitatem tribulationum denunciandam sub vocibus trium Angelorum sequentium; vel, vt vult postea idem Dionysius, ad innuendum triplex malum, dicit ter, væ. Est enim peccatum, temporalis vexatio, æterna damnatio.

Instant valde Viegas & Lyranus cum Petro Aureolo & Petro Damiano, Ser. 1. de excellentia Beati Ioannis Euangelistæ, per istam aquilam ipsum Ioannem intelligi: *Apte enim*, inquit, *potuit Deus imaginariam aquilam per visum Ioanni ostendere, clamantem voce magna; vt ipsummet Ioannem adhuc plura prodigia conspecturum, denunciaturumque in hac visione exprimeret.* Nec est insolens in sacris literis Ioannem de se in tertia loqui persona, velut cum ait: *Discipulus ille quem diligebat Iesus. Persuadet mihi*, inquit, *hanc sententiam hæc vna ratio, quoniam cum vox illius Aquilæ volantis per medium cœli illa fuerit: Væ, væ, væ habitantibus in terra, &c. quibus verbis significauit visionem trium Angelorum, qui supererant, maxima & admiranda prodigia, eaque mortalibus funesta comprehendere: idcirco eam ter dictionem, Væ, ingeminauit, quemnam quæso alium par est credere expressisse nisi Ioannem, qui statim omnia illa supplicia ad tubas trium Angelorum consequentia, erat literis mandaturus? &c.* Et postea colligit non esse insignem aliquem virum extremo tempore futurum accipiendum: siquidem quæ Aquila illa timenda esse clamauit, sub tribus trium Angelorum consequentium tubis, mox à Ioanne deinceps conscripta ac denunciata fuerunt. Quare non est cur extremis temporibus iterum denuncianda expectari debeant, nisi ille insignis concionator eo tempore debeat hæc eadem, quæ Ioannes scribit, denuo replicare.

Nihilominus etsi hæc cum Viega non esse vsque ad finem mundi rejicienda existimem, potest per hunc Angelum, qui assumptâ fortè Aquilæ formâ volabit celerrimè per mediam terram, intelligi quidam sanctus & propheta insignis, qui ea mala, vt grauissima & formidabiliora cæteris, mortalibus denuntiet: Fauet venerabilis Beda. *Huius*, inquit, *aquilæ vox per eximiorum in Ecclesia quotidie præuolat ora doctorum: cum nequitiam hæreticorum, Anti-Christi sæuitiam, diemque iudicij amatoribus terræ prædicant affuturam dicentes: in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa & erunt homines seipsos amantes, &c.* Hæc Beda. Quod enim à pluribus doctoribus prædicatur, non repugnat vt ab aliquo insigni prædicatore, ad hoc munus destinato specialiter à Deo annuncietur. Notat autem Beda quod Angelorum tubæ plagas non inferunt mundo, sed venientes vel venturas suo quique tempore prædicant.

Quis tandem per aquilam volantem & clamantem, Væ, Væ, Væ, &c. designetur. §. 2.

Non immeritò sub forma aquilæ repræsentatur is Propheta seu sanctus, qui grauitatem malorum futurorum inculcat. Illius est enim optimè dignoscere quàm graue sit malum à Deo auerti, & ab eius gratia elongari, cuius est fixis oculis & puro mentis intuitu Dei Maiestatem speculari. Quia igitur iste debet esse sublimis in contemplatione diuinæ Maiestatis, ideo conuenienter agnoscit quàm formidanda sint hominibus mala, quæ gratiam Dei non modo excludunt, sed insuper impediunt ne in nobis illius lumen refulgeat.

At cum figuram Aquilæ, sedi Romanæ supra meritò esse tribuendam dixerimus, præterquam per aquilam sanctum aliquem insignem intelligi posse nunc asserimus, qui hæc mala non modo præuideat, diuinâ sapientiâ præditus, ac fixus in continua Dei contemplatione, à rebus terrenis abstractus, cuius conuersatio sit tota in cœlis; insuper dicimus etiam ipsum summum Pontificem posse per istam aquilam significari, qui volans per cœlum, id est mente reuoluens quæ per vniuersam Ecclesiam fiunt & geruntur, & super gregem suum attentius inuigilans, voce magna clamat (dum aliquos mittit sua autoritate fretos, quales fuerunt Ordinum Mendicantium Institutores, cum suis sectatoribus) *Væ, væ, væ habitantibus in terra*; qui per medium Ecclesiæ discurrentes, de imminentibus salutis periculis fideles admoneant, & quàm timenda sint Dei iudicia eorum animis inculcare studeant, vt in paraphrasi diximus; & Deum esse adorandum, Ecclesiæ pastoribus obediendum, sanctorum vestigia esse sectanda, Sacramenta à Christo instituta frequentanda, vitam æternam esse prosequendam. Mandata diuina fideliter esse obseruanda denuncient, nisi homines velint multa animæ detrimenta, & tandem pœnas æternas & inferni tormenta sustinere: quorum fidei & charitatis ardore etiam ipsi Prælati (quos aliqui, vt Dionys. Carthus. in solis ænigmate intelligunt) & seculi principes (quorum potestas per lunam potest designari) & cæteri fideles (qui per stellas significantur) per eorum feruentem prædicationem lumen deperditum recuperent, & in via salutis feruentius incedant.

Quàm formidanda sunt autem mala, propter quæ ter, væ, amatoribus seculi proclamatur, satis perspicietur ex capite sequenti, in quo describuntur tum passionum effrenata licentia, tum in hæreses prolapsio, tum voluntaris in peccatis pertinax obduratio, quâ propter finalem impenitentiam tandem damnatio incurritur. Hæc enim tria mala, non modò gratiam excludunt, sed vel eius ingressum in animam impediunt, vel spem omnem adimunt illam recuperandi. *In inferno* enim *quis confitebitur tibi?* vt ait Propheta.

Sicut igitur Ambrosius per cœlum in hoc loco

Digitized by Google

Eccleſiam deſignari aſſerit, per aquilam verò Chriſtum & Apoſtolos demonſtrari ; *Aquila*, inquit, *ergo per medium cœlum volabat, & clamabat, quia Chriſtus primum per Iudæam, Apoſtoli verò eius per vniuerſas gentes Euangelium prædicauerunt.* Ita Ambr. Cum non ea, quæ in initio naſcentis Eccleſiæ hîc pertractari cenſeamus, ſed ea quæ in Eccleſiæ progreſſu adimplenda ſunt, prædicti exiſtimemus, non videtur à ratione alienum ſi in Aquila, & ſummum Pontificem Chriſti Vicarium, & ab eo delegatos intelligimus, ſicut Ambroſius Chriſtum & Apoſtolos intellexit. *Nec putare debemus*, inquit Ambroſius, *quod tria, Væ, ad electos pertineant, qui diuerſas calamitates ab impiis pertulerunt ; ſed potius ad eoſdem impios, qui eaſdem calamitates intulerunt. Vnde & Væ, Væ, Væ habitantibus in terra, dicit. Impij namque, qui nihil aliud quàm terram quærunt, habitatores terræ iure vocantur, iuſti autem qui cæleſtia ſemper deſiderant, cœli habitatores rectè vocantur : ſicut dicit Apoſtolus Paulus : Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt.* Huic interpretationi fauet S. Anſelmus dum ait : *Omnes ſancti prædicatores Aquila dicuntur, quia & altè volant pennati virtutibus, & perſpicaciter rem intuentur. Volantis per medium cœlum, id eſt Eccleſiæ, quæ celat in ſe diuina ſecreta ; dicentis voce magna, quia in toto mundo prædicanda ; vel quia magnum quod annunciant, Væ, Væ, Væ, ter de cæteris vocibus trium Angelorum, qui erant tuba canitur, accipiens hîc.* Ita Anſ.

Notandum autem nos optime Aquilam hanc interpretari de prædicatoribus à ſede Apoſtolica delegatis ; nam ad tales propriè pertinet per totum orbem diſcurrere, & iuxta formam à Conciliis & ſummis Pontificibus præſcriptam, verbum Dei per vniuerſam Eccleſiam diſſeminare. Illi enim qui ab Epiſcopo particulari vnius Eccleſiæ mitteretur, par honor non deferretur, vt liberè ſeruatis ſeruandis ab iis qui à ſede Apoſtolica mittuntur, poſſet vbique vt illi prædicare ; & qui ei contradiceret, nullam pœnam iuris incurreret, ſicut ille incurreret qui temerario auſu ſe opponeret iis qui à ſede Apoſtolica delegantur.

FINIS CAPITIS OCTAVI.

Digitized by Google

DE TRIBVS ALIIS PLAGIS HORRENDIS, quibus Deus hominum in malo pertinaciam vlciſcitur.

CAPVT IX.

TEXTVS.

VANI verè ſunt homines *in quibus non ſubeſt ſcientia Dei, & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui eſt, neque operibus attendentes agnouerunt quis eſſet artifex.* Sed væ illis, qui cum cognouerint Deum *non ſicut Deum glorificauerunt aut gratias egerunt. Propterea euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor illorum.* Propterea traditi ſunt *in deſideria cordis, in paſſiones ignominiæ, commutantes veritatem Dei in mendacium, & ſeruientes creaturæ potius quam creatori. Et ſicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum.* En tria væ, quæ ad vocem trium Angelorum, qui ſunt tuba cantaturi, hominibus obuenient: quæ graphicè depicta ſunt in ſymbolis, quæ ad vocem Angelorum tubâ clangentium mihi obiecta fuere.

Sap. 13.

Rom. 1.

Quam malè nempe habentur homines à ſuis paſſionibus, quis dicere valeat, cum obſcurato acumine mentis, & ratione tenebris ignorantiæ Dei & ſuipſius offuſcatâ, appetitus inferior præceps fertur in quælibet obiecta, & iam non amplius agit tanquam rationi ſubditus, vel tanquam iura naturæ exequens, ſed tanquam organum dæmonis ad ipſius voluntatem captiuus, ad quodlibet nefandum perpetrandum ipſi inſeruiens?

TEXTVS.

Vultis ne hoc percipere? Mecum, quæſo, attentiùs conſiderate ſtellam illam, quam Angelo quinto tubâ canente è cœlo cecidiſſe vidi in terram: ſtellam, inquam, illam de quâ Saluator olim dicebat: *Vidi Sathanam ſicut fulgur de cœlo cadentem.* Huic *data eſt clauis putei abyſſi, & aperuit puteum abyſſi, & aſcendit fumus putei ſicut fumus fornacis magnæ: & obſcuratus eſt Sol & aër de fumo putei:* Quiſnam eſt ille puteus abyſſi, niſi appetitus humanus, in quo quaſi coarctatum tenetur cor inſcrutabile hominis, qui Dei & rerum diuinarum capax, ad hunc miſerandum ſtatum peruenit, vt carnis tantùm curam habeat in deſideriis? Hunc mouendi & excitandi extrinſecè poteſtatem ac permiſſionem habuit dæmon, vt ſiue proponendo quæ oblectant, illum alliciat ad mala, ſiue proponendo quæ illi contraria ſunt, ipſum à bono deterreat: vnde ad malum currens, vel à bono ſe reſiliens, amore vel odio ductus, ex corde appetitui inſeruiente inſurgunt tot tantæque malæ cogitationes, quæ clarum lumen mentis offuſcant, vt quod honeſtum ac rationi conſonum ſit nullo modo percipiat, & ægrè ſuam in agendo libertatem retineat. Ex quibus peruerſæ exorientur ad malum determinationes, quæ totum paſſionum agmen ad exterminium pietatis in medium prodire compellent.

Et quintus Angelus tuba cecinit, & vidi ſtellam de cælo cecidiſſe in terram & data eſt ei clauis putei abyſſi, & aſcendit fumus putei ſicut fumus fornacis magnæ & obſcuratus eſt ſol & aër de fumo putei.

Et de fumo putei exierunt locuſtæ in terram & data eſt illis poteſtas ſicut habent poteſtatem ſcorpiones terræ & præceptum eſt illis ne læderent fœnum terræ neque omne viride,

De fumo ſiquidem *putei exierunt locuſtæ in terram: & data eſt illis poteſtas, ſicut habẽt poteſtatem ſcorpiones.* Vera certè paſſionum ſymbolica deſcriptio. Nam ſi quis à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus concipiat peccatum, ipſa cogitationes malas menti ingerit, quibus pariat determinationes & conſenſus ad malum aliquod perpetrandum: quod cum exequi voluerit, ecce exeunt paſſiones deliberatæ, innumeræ, inſaturabiles, venenoſæ, quàm maximè noxiæ ad modum locuſtarum quarum finis interitus. Data eſt enim illis poteſtas, ſicut poteſtatem habent ſcorpiones, qui in caudâ nodosâ venenoſum aculeum habent, quo interimant. Hæ locuſtæ, non ſicuti aliæ fœnum, herbas, & arborum folia aut ramos depaſcent: nam præceptum eſt illis *ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem niſi tantùm homines, qui non habent ſignum Dei in frontibus ſuis,* nempe qui omni timore Dei expulſo, libere & cum maturâ deliberatione ad omne nefas & quodlibet ſcelus procurrunt. *Et datum eſt illis ne occiderent eos, ſed vt cruciarent menſibus quinque: & cruciatus eorum vt cruciatus ſcorpij,* cum percutit hominem voluptatibus carnis, genio indulgeant quantum voluerint, dignitate, diuitiis, honoribus floreant, ſapientes, prudentes videantur in oculis ſuis, & amatores ſæculi: cruciabuntur nihilominus (quandiu in eis aliqua ſyndereſis remanſerit, quæ à Deo impreſſa eſt, vt à malis retrahamur) ſcorpiaco veneno infecti, nempe lentè & paulatim inficiente, quaſi inſenſibiliter ad interitum carnis & animæ deueniunt, donec ab erroribus reſipiſcentes, à peccati malitiâ liberi, concupiſcentiam reprimentes, iracundias animi fortiter coërcentes, ſenſuum fallaciæ non amplius acquieſcentes, poſſint à malignitate peccatorum repurgari; quæ cum minimè præſtiterint, ſed potius in dies in malis obſtinatiores reddantur, quia ianuam occludunt cunctis illuſtrationibus ac inſpirationibus diuinis, non mirum ſi continuò & per totam eorum vitam miſerè cruciantur, aut ſi in acta exteriora prorumpant, vt pietati aduerſentur, & eam quantum in ſe eſt exterminent & diſperdant. Hinc triſtitiâ depreſſi, horrore & fugâ rerum ineuitabilium attoniti, temeritate & audaciâ ad ea quæ ſupra ſe ſunt & planè impoſſibilia amore nimio adſpirantes, deſideriis variis & nociuis fatigati, odiis dilacerati, vanis ſpebus deluſi, voluptatibus indulgentes, de ſalute deſperantes, timoribus perculſi, & furore ac irâ exagitati, *Deſiderabunt mori, & fugiet mors ab eis,* id eſt ſeparari vellent ab obiectis & rebus quæ illos cruciant, ſed cum vna paſſio ſopita fuerit, alia reuiuiſcet, vt ſemper nouis cruciatibus torqueantur. His paſſionibus impij contra Deum belligerantur, & impetu præcipiti ad omne nefas feruntur. *Similitudines* enim *locuſtarum ſimiles equis paratis ad prælium*, perfrictâ fronte abſque vllo pudore omnia audent, ſubtili indagatione quæ ſibi fauent odorantur, & cum nimium de ſe præſumant, & ſuipſius amorem amori & charitati Dei anteponant, quidquid iniuſtè egerint quaſi rationi conſonum eſſe proclamant. Et nihilominus nihil in ipſis imbecillius

neque omnem arborem niſi tantùm homines qui non habent ſignũ Dei in frontibus ſuis.

Et datum eſt illis ne occiderent eos ſed vt cruciarent menſibus quinque & cruciatus eorum vt cruciatus ſcorpij cum percutit hominem, & in diebus illis quærent homines mortem & non inuenient eam & deſiderabunt mori & fugiet mors ab eis.

Et ſimilitudines locuſtarum ſimiles equis paratis in prælium, & ſuper capita eorum tanquã corone ſimiles auro & facies earum tanquã facies hominum. Et habebant capillos ſicut capil-

Digitized by Google

TEXTVS.

dentes eorum ſicut dentes leonum erant: & habebant loricas ſicut loricas ferreas: & vox alarum earum ſicut vox currruum equorum curentium in bellum, & habebãt caudas ſimiles ſcorpionum & aculei erant in caudis earum.

cillius quam rationis vſus. Ponant igitur ſuper capita ſua tanquam coronas, *ſimiles auro*, quantum voluerint, id eſt, iactent ſe mereri, adipiſci quæ ardenter concupiſcunt; facies eorum appareat quaſi facies hominis, ſe omnia cum ratione agere glorientur, muliebrem tamen habent cæſariem: habent *capillos tanquam capillos mulierum* (cum *à facie verbi parturit fœnus, tanquam gemitus partus infantis.* Eccleſ. 19.) Nihil niſi vindictam meditantur. Dentes eorum tanquam dentes lonum erunt feritate implacabili, itacundia, crudelitate repleti, precibus potius exacerbantur, quàm à malo deſiſtant. Rationi non cedunt, ita ſunt pertinaces & in malo obdurati, quin potius clamoribus, blaſphemiis, minis omnia complent: nullum reuerentur, nemini parcunt, omnibus infeſti, cunctis ſunt ſcandalo. Habent ſiquidem *loricas ferreas*, ex duritia immitis pectoris, *& vox alarum earum ſicut vox currruum equorum multorum currentium in bellum*, nec enim cum tanto fragore, cum tanto impetu, equorum currus in bellum, ac paſſio cum ingentibus clamoribus ac velocitate nimiâ contra ea quæ ipſi obſtant, nulla habita ratione honeſti aut boni aut periculi, aduolat ac prorumpit.

Et poteſtas earum nocere hominibus menſibus quinque. Et habebant ſuper ſe Regem, Angelũ abyſſi, cui nomen Hebraicè Abaddon, Græcè autem Apollyon, Latinè habens nomẽ, Exterminans.

Sed quàm funeſti ſunt talium paſſionum effectus ſeu euentus! Habent hæ locuſtæ *caudas ſimiles ſcorpionum, & aculei erant in caudis earum, Et poteſtas earum nocere hominibus menſibus quinque. Et habebant ſuper ſe regem, Angelum abyſſi, cui nomen Hebraicè Abaddon, Græcè autem Apollyon, Latinè habet nomen, exterminans.* Cum enim ea adepta fuerint quæ deſiderabant, nullus exiſtimet finem eſſe malorum. Sanguis ſanguinem tangit. Cædi alia cædes ſubſequitur, vt tandem ſub dæmonis poteſtate conſtituti, pietati ac rationi vltimum vale dicant.

Væ vnum abiit: & ecce veniunt adhuc duo væ poſthæc.

Væ vnum abiit, & ecce veniunt adhuc duo væ poſthæc. En primum væ à Deo præmiſſum. Iam iam homines præſentiunt quantùm nocumenti attulit eis deliberata & voluntaria ad malum propenſio, ſenſibus ſuis obtemperantes. Quid enim non audet indomitus hominis appetitus, cum ei ratio obſequium præſtat, & dicit bonum malum, & malum bonum? Hinc proculdubio *veniunt adhuc duo væ poſthæc.* Ex tali enim corruptione exoriuntur hæreſes, ex hæreſi tandem obcæcatio mentis & voluntatis, in malum obduratio, ex quâ finalis impœnitentia deuinctur.

Sextus igitur *Angelus tubâ cecinit*, id eſt, homines qui deperdita rationis luce, paſſionibus & concupiſcentiis fræna laxarunt, ad meliora conuertere voluit propoſitis illis ſanctiſſimis Eccleſiæ & Dei legibus: ſed operam perdidit. Hinc *audiui vocem vnam*, id diuinũ decretum ſubtractionis auxiliorum diuinorũ, ob nimium Chriſti Redemptoris contemptum, *ex quatuor cornibus altaris aurei, quod eſt ante oculos Dei*, hoc eſt Chriſti, *dicentem ſexto Angelo qui habebat tubam: Solue quatuor Angelos qui alligati ſunt in flumine magno Euphrate.* Ac ſi illa vox diceret ac decerneret. Per iuſtitiam Chriſtianam, malæ hominum propenſiones, quibus dæmones vtuntur vt eos ad peccandum impellant, coërcebantur. Sed heu! ecce nimium Chriſtus contemnitur. Solue iſtos dæmones: permitte vt his propenſionibus peſſimis liberius vtantur; ſubtrahantur ab eis tot ſancta monita, tot conciones, quibus inſtruebantur ne in errorem inciderent. Omnia iſta nempe adeo neglexerunt, vt licet ſit Chriſtus ſemper viuens ad interpellandum pro hominibus, non pro eis certè rogat, qui ad altare dorſum vertentes non faciem, non verum Deum adorant, ſed quem de ſuo corde finxerunt. Hinc proficiunt in peius, erroribus innumeris implicati. Spiritus non permanebit in his, quia caro ſunt: *Nec* enim *habitabit ſapientia in corpore ſubdito peccatis.* Chriſtum docentem in Eccleſia, per ſanctam & à Deo inſpiratam ſcripturam, per ſacra Eccleſiæ concilia, per ſeniorum traditiones, per ſanctorum documenta, non recipiunt: curioſitate ducuntur, ad omnem nouæ doctrinæ flatum mouentur, veritati apertè contradicunt, proprio iudicio obcæcato miſerè adhærent.

Eius, cum inter homines conuerſabatur, prædicationes, miracula, ſanctas operationes, pias orationes pro nihilo duxerunt, dubiis vexentur, ſtupiditate torpeant, blaſphemiis repleantur, mendacio quocumque decipiantur.

Ipſius in cruce pendentis virtutes deridẽt, nempe perfectam voluntatis, & carnis oblectationum abnegationem, certum de rebus diuinis & humanis iudicium, rectam ad Deum intentionem, omnimodam ab eo dependentiam: voluptatibus immoderatis indulgeant, tranſitoria tantùm concupiſcant, nimio dominandi appetitu in præceps corruant, ſuperbiâ cordis contra Deum, qui ſuperbis reſiſtit, conſurgere audeant, vt caſu grauiore ruant.

Eius in Euchariſtiæ Sacramento & Miſſæ ſacrificio præſentiam contemnunt, in quo pro eis eſt holocauſtum & ſacrificium, tum expiatorium, tum Euchariſticum, tum impetratorium: nulla pace ac mentis quiete potiantur, ad omnem Spiritus ſancti motionem inſenſibiles reddantur, diſcordiis diſcindantur, pars eorum ſit cum hypocritis terræ, cum ab omni veritatis amore exciderint.

Et ſoluti ſunt quatuor Angeli, qui parati erant in horam & diem, & menſem & annum, vt occiderent tertiam partem hominum.

Chriſtum tandem in dexterâ patris ſedentem, immortalem & vitæ fontem, nec caput Angelorum & hominum agnoſcunt, nec tanquam iudicem conſtitutum à Deo reformidant, nec eius diuinam maieſtatem ab omnibus adorandam reuerentur: Dicunt cum impiis: *Non eſt refrigerium in fine hominis. Ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus tanquam non fuerimus.* Sap. 2. *Circumueniamus eos qui contrarij ſunt operibus noſtris, & improperant nobis peccata legis, & diffamant in nos peccata diſciplinæ noſtræ. Morte turpiſſimâ condemnemus eos. Quomodo potui? Aut quis me ſubjicietꝛ propter facta mea? Peccaui, & quid mihi accidit triſte?* Et ſic *dominationem ſpernunt, maieſtatem blaſphemant,* audaces, ſibi placentes, ſectas non metuunt introducere, blaſphemantes, & inter omnia à Chriſto edocta, inſtituta, præſcripta contemnunt: viri certè illuſores *ſecundum deſideria ſua ambulantes, in impietatibus ſegregantes ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes.*

Ex his viginti peruerſis ad malum propenſionibus, in mille & innumeros errores homines à dæmonibus inducuntur, quibus ad decem millia peccata, & tranſgreſſiones Dei mandatorum feruntur. Et ita vidi quod cum ſoluti fuerunt dæmones, qui *parati erant in horam, diem, menſem & annum*, id eſt, qui nullam elabi volunt occaſionem nocendi, & ad omnem lucis gratiæ exortum, ad omnem eius progreſſum, quibus viis quibuſue mediis vtatur Deus, vt homines à peccatis auertat, toto decurſu Eccleſiæ veritatem oppugnare, eique contradicere parati ſunt; vt occiderent tertiam partem hominum, vicies millies dena millia aduerſarij pietatis apparuerunt: *Numerus* enim *equeſtris vicies millies decem milliæ: & audiui numerum eorum.* Reuelatæ enim mihi fuerunt hæreſes, quibus laborabit vſque ad conſummationem ſæculi Eccleſia: quarum miſeria & horribilis facies en vobis proponitur, vt talia ſedulò fugiatis,

Et numerus equeſtris exercitus, vicies millies dena millia: & audiui numerum eorum.

Et ita vidi equos in viſione: & qui ſedebant ſuper eos habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & ſulphureas, & capita eorum erant tanquam capita Leonum: & de ore eorum procedit ignis, & fumus, & ſulphur. En qualia monſtra Eccleſiam vexabunt. Equi ſunt quia filij Belial abſque iugo, efferati & plane indomiti, auda-

Et ita vidi equos in viſione, & qui ſedebant ſuper eos habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & ſul-

Lege S. Hier. in 1. Eſd. v. 15.

Lege D. Hier. in 8. Ezechiel. v. 16.

Digitized by Google

ces, ſuperbi, poſt carnem ambulantes. Qui ſedent A ſuper eos habent *loricas igneas, & hyacinthinas, & ſulphureas*: quia eorum ductores duci ſe zelo, vel veritatis propugnandæ, vel honoris diuini tuendi, vel infirmitati humanæ compatiendi iactitant, vel alias vindictam de iniuriis ſibi illatis capere, aut diuitiis abundare volentes, vel mundanum ſibi honorem aſſumere cupientes, vel ingluuiei aut luxuriei liberius indulgere meditantes, irâ vel concupiſcentiâ inardeſcunt: Et ſic capita habent tanquam capita leonum, quia audacia nimia in modium prorumpentes, cædibus & bellis, & rapinis cuncta deuaſtant. Os eorum ad mendacium patet, vt tanquam ignis omnem deuoret & auferat ab omnibus veritatem.

phureas: & capita equorum erant tanquam capita leonum, & de ore eorum procedat ignis, & fumus, & ſulphur. Et ab his tribus plagis occiſa eſt tertia pars hominũ, de igne, & de fumo & ſulphure, qua procedebant de ore ipſorũ.

Fumo vanitatis omnia replent, & ſulphure doctrinarum, quæ carni cuncta indulgeant: *Et ab his tribus plagis occiſa eſt tertia pars hominum*, de igne nempe nimiæ eorum arrogantiæ, quæ contra Dei decreta & fidem optimè ſtabilitam inſurgere non timent; fumo vanitatis & gloriæ mundi, propter quam contemnunt cætera; & ſulphure concupiſcentiæ, quâ in voluptates ruunt, captatâ qualibet peccandi occaſione. B

Poteſtas autem equorum in ore eorum eſt, & in caudis eorum & in his nocent. Hæreticorum inquam poteſtas in ore eorum eſt. *Corrumpunt* enim *bonos mores colloquia prauа, & ſermo eorum tanquam cancer ſerpit*: & cum & doctrina eorum, & peruerſa voluntas tandem ad actiones, quæ exterius apparent, terminetur, hæc C cauda ſerpentinam induit conditionem. Nam tales actiones ſcandaloſæ alios ad ſimilia perpetranda propellunt, & ſunt aliorum malorum, aut etiam aliarum hæreſum funeſta initia; itaut ex vna, alia pullulet & producatur. Nam caudæ eorum ſimiles ſerpentibus, habentes capita: & in his nocent.

Poteſtas enim equorum in ore ipſorum eſt, & in caudis eorum: nam cauda eorum ſimiles ſerpentibus, & in his nocent.

Ita etiam homines infideles, *qui non ſunt occiſi in his plagis*: quia nunquam habuerunt vitam, vt dici valeant occiſis; *Neque pœnitentiam egerunt* (vt eam haberent) *de operibus manuum ſuarum, vt non adorarent dæmonia, & ſimulacra aurea, & argentea, & ærea, & lapidea, & lignea, quæ neque videre poſſunt, neque audire, neque ambulare.* Ita etiam nocent Chriſtiani in fide perſeuerantes, ſed perditis moribus, *qui non* D *egerunt pœnitentiam ab homicidiis ſuis, neque à beneficiis ſuis, neque à fornicatione ſuâ, neque à furtis ſuis*: Quia eorum verba & exempla, ſeu malæ actiones aliis etiam nocent, cum ad talia perpetranda prauis eorum colloquiis & exemplis excitantur. Qui quidem omnes, & hæretici & infideles, & mali Catholici, væ tertium, nempe obduratum malitiæ & finalis impœnitentiæ, ex hoc pertimeſcere debent, cum certò certiùs, ſi abſque pœnitentiâ deceſſerint tempore ad eam peragendo delapſo, æternis ſunt cruciatibus addicendi.

Et ceteri homines, qui non ſunt occiſi in his plagis, neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum ſuarum, vt nõ adorarent dæmonia & ſimulachra aurea & argentea, & ærea & lapidea & lignea, quæ neque videre poſſunt, neque audire, neque ambulare, & non egerunt pœnitentiam ab homicidiis ſuis, neque à veneficiis ſuis, neque à fornicatione ſua, neque à furtis ſuis.

Hæc paraphraſi à longo tempore iam expleta, inueni tandem apud Alexandrum de Hales in ſua expoſitione in Apocalypſim, particulam (Et) exponi ſicut eam E exponimus. *Dicit ergo*, inquit de Hales, *& ceteri homines. Ita dixi quod tertia pars hominum infidelium ſit occiſa plagis ſupradictis. Et hoc ego Ioannes vidi. Et non ſolum hoc: Verum etiam & vidi quod ceteri homines à prædictis, ſcilicet infideles, contra quos non fuerat diabolus conatus per Anti-Chriſtum, quia per omnia obedient ei, vt Iudæi & Gentiles, tales inquam, qui non ſunt omni in his plagis ſupradictis, quaſi erunt occiſi, per periculum infidelitatis: tales enim mortui ſunt.* Ita Alexander de Hales.

ANNOTATIONES IN CAPVT IX.

Præfatio.

PLAGÆ ſupra deſcriptæ reuera graues ſunt: nihilominus non ita ſaluti officiunt, ſicuti illæ de quibus infra agendum eſt. Ideo antequam deſcriberentur, non opus fuit vt tam alta voce per totam Eccleſiam proclamarentur mala, quæ ex iis obueniunt hominibus, ſicut admonendi fuerunt fideles ſerio de tribus plagis ſubſequentibus, vt pote quæ ſaluti eorum ingens afferant nocumentum, & maledictionem inducant æternam. Etſi enim ignorantia rerum ſcitu neceſſariarum noxia ſit æternæ ſaluti, tamen quia huic malo poteſt quis mederi facillimè, ſi quis aurem præbeat accommodam ei qui eum docere voluerit, hæc plaga non eſt ita formidanda, ac dum homo in tali ſtatu collocatur vt nihil audire velit, & cuncta reſpuat monita. *Audiens ſapiens, ſapientior erit*, inquiebat Salomon. At è contra, *ſapientiam atque doctrinam ſtulti deſpiciunt.* Prouerb. 1. Ex quo proculdubio æternam ſibi acquirunt maledictionem. Quod fusè docet Salomon ibidem dum ait; *Quia vocaui, & renuiſtis; extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret, deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis; ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo; cum vobis id quod timebatis aduenerit, cum irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit, quando venerit ſuper vos tribulatio & angustia tunc inuocabunt me, & ego non exaudiam: mane conſurgent, & non inuenient me, eo quod exoſam habuerunt diſciplinam, & timorem Domini non ſuſceperunt, nec acquieuerunt conſilio meo, & detraxerunt vniuerſæ correptioni meæ*, &c. At quinam ſunt illi qui exoſam habent diſciplinam, qui non audiunt Dei conſilia, qui correptioni diuinæ detrahunt? Certe ij in quibus paſſiones dominantur, qui in hæreſes quas eligunt prolabuntur, qui obduratâ cordis malitiâ in peccato perſeuerant. Hæ ſunt plagæ cæteris formidabiliores. Intus enim apparent, nempe paſſio, error, & malitia prohibet extraneum, id eſt, omnia auxilia extrinſeca, quibus à peccatis poſſent reuocari, excludunt, veluti ſunt Dei flagella, veluti prælatorum & concionatorum monita: quæ tria mala in iſtis, *Væ, Væ, Væ*, de cæteris vocibus trium *Angelorum qui tuba ſunt canituri*, ſignificantur: vt mox videbimus.

Diſceptatio pro vero ſenſu huius capitis noni, in quo de effectibus paſſionum dominantium, de hæreſibus, obcæcatione mentis, & voluntatis obduratione, agi aſſerimus.

ANNOTAT. I.

IN duas diſcinduntur præcipuas partes huius Capitis interpretes, qui poſtea in diuerſas eunt ſententias.

Prima claſſis eſt eorum, qui ad literam exponi volunt, v. g. qui locuſtas, de quibus fit mentio in hoc capite, volunt non tantùm ſpeciem & apparentiam locuſtarum habituras, ſed veras & animatas fore locuſtas, licèt peregrinas & monſtroſas. Ita Leſſius l. 13. de perfectionibus diuinis c. 18. quem refert hic Cornelius, qui planiſſimum & aptiſſimum ſenſum eſſe cenſet, ſi hæc propriè ſicut ſonant accipias. *Locuſtæ ergo*, inquit, *hæ erunt dæmones, qui ſpeciem, & formam locuſtarum induent, ſed nouam & monſtroſam, vt pote ex variis animalibus, puta leone,*

Digitized by Google

equo, & homine commiſtam, & conſarcinatam; & per equos ſextæ plagæ, innumerum exercitum ferocium hominum & militum, qui in fine mundi puniet, & occidet homines impios.

Secunda claſſis eſt eorum qui iſta omnia eſſe ſymbolica exiſtimant, & per ea ſignificari vel animi paſſiones, vt Ludouicus ab Alcazar, qui paſſiones concipiſcibilis appetitus, in locuſtis quartæ plagæ; iraſcibilis, in equis ſextæ plagæ ſignificari vult; vel prædici perſecutionem Vvandalorum, vt Lyranus, vel hæreticos ſignificari in locuſtis, vt Viegas poſt Bedam, Primaſium & alios. Et in ſexta plaga, Aureolus, Lyranus exiſtimant ſignificari quintum ſchiſma generale, Eccleſiæ valde noxium, quod fuit inter Symmachum Papam, & Laurentium Anti-papam, An. Chriſti 498. Beda autem, Richardus, Andreas, Rupertus, Aretas & Viegas, ſextam plagam referunt ad vltima mundi tempora, & in Angelo ſexto præcipuum aliquem dæmonem; in quatuor Angelis quos ipſe ſoluet, omnes dæmones ligatos in Euphrate Babilonis intelligunt. *Poſſet etiam ſuſpicari*, inquit Cornelius (ad ſententiam eorum qui volunt in iſtis equitibus copioſiſſimum aliquem exercitum ſignificari propendens) *bonam exercitus huius partem fore dæmonum, qui induti ſpecie & forma non locuſtarum, vt illis præcedentes, tubæ verſu tertio, ſed hominum & equitum, impios affligent & caſtigabunt: nam duces eorum erunt quatuor archidæmones, vt patet verſu 14 qui verſu 13. dicuntur occiſuri, ſcilicet tam per ſe quam per ſuos ſocios, puta dæmones, tertiam partem hominum.* Ita Cornel.

Si aliqua ex his ſententiis tibi arrideat, ipſos autores conſule, ipſumque lege Cornelium, qui has ſententias fusè ſatis explicat. Ego vero cui in animo non eſt aliena confutare, ſed quæ ſentio tantum in medium adducere, ad meam mentem explicandam propero, & dico in quarta plaga inordinatas paſſiones animi mentem & rationem obruentes ſignificari; in ſexta hæreſes, quibus in omnibus ſeculis Eccleſia vexatur deſcribi. Cuius expoſitionis veritas patebit ex conuenientia ſymbolorum cum rebus ſignificatis; nec recedit iſta exponendi ratio ab interpretandi ratione aliorum, cum videas & paſſiones & hæreſes à quibuſdam hic deſignatas cenſeri. Vt autem conuenientiam ſymboli quintæ plagæ, cum inordinatis paſſionibus, melius percipiamus, proponenda eſt hic huius ſymboli idea.

Idea ſymboli, cum ſummaria interpretatione illius.

ANNOTAT. II.

Idea Symboli. §. 1.

VIDETVR ſtella è cælo cadens, cui datur clauis: qua ſtatim aperit cuiuſdam abyſſi puteum, quo aperto, ex puteo aſcendit fumus. Diceres fumum eſſe cuiuſdam fornacis magnæ, qui tantus eſt vt ab eo ſol & aër obſcurentur. Fumo aſcendente prodeunt & exeunt in terram decidentes locuſtæ, quarum poteſtas ſimilis eſt poteſtati ſcorpionum. Reſtringitur tamen illarum poteſtas, ne lædant fœnum, & omne viride, & omnem arborem. Illis tantum poteſtas conceditur in homines qui non habent ſignum Dei in frontibus ſuis, nec vſque ad internecionem ſeu occiſionem illorum, datur illis poteſtas: ſed reſtringitur, itaut tantum crucient eos per ſpatium quinque menſium. Et licèt ob vehementiam cruciatus homines deſiderent mortem, fugiet tamen mors ab eis: ad cruciandum enim mittuntur, non ad occidendum. Nec mirum ſi tantùm poſſint ad cruciandos homines, ſunt enim prodigioſæ nimis, equis cataphractis & ad bellum paratiſſimis ſimiles, inſolenter dominantes, in ſpecie humanitatem præferentes & imbecilliratem, vnde ab eis non cauetur: ſed reuera crudeliter dilacerantes, cum dentes earum ſint ſicut dentes Leonum. Nec eas vincere facillimum, armantur enim loricis ferreis: & velociter & cum impetu conglomeratim irruunt, vt vix earum impetus ſuſtineri queat. Vnde tandem deplorabiles euentus ex eorum incurſu obueniunt: nam etiam cum recedere & terga vertere exiſtimantur, cum habeant caudas ſimiles ſcorpionum, & in eis aculei exiſtant, feriunt incautos homines, & eis nocent menſibus quinque. Nec cum eis ineundi pacem aliqua ſpes effulget, Regem enim habent omnis pacis & tranquillitatis euerſorem, cui nomen Abaddon, Græcè autem, Apollyon, Latinè habens nomen, Exterminans.

In Caput nonum.

Summaria ſymboli interpretatio. §. 2.

In hoc ſymbolo deſignantur paſſiones liberum arbitrium conſequentes, id eſt quæ per liberam voluntatis determinationem in medium prodeunt, & ſigna ſunt ſeu effectus voluntatis malitioſæ, & in peccatis ſe oblectantis: quæ tandem in medium prodeunt, cum diabolus ad peccandum allexit, vel alliciendo per obiecta delectabilia concupiſcibilem appetitum, vel exacerbando iraſcibilem per ingrata obiecta moleſtiam & dolorem cauſantia: quibus inordinatis motibus inferioris appetitus, iudicium rationis obtenebratur, & pro vero bono apparens amplectitur: vnde libertate in radice vitiatâ, fit in peccatum conſenſus, iuxta illud Iacobi c. 1. *Vnuſquiſque vero tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus: deinde concupiſcentia cum conceperit parit peccatum, &c.* peccato deinceps in voluntate, & in corpore mortali regnante. Hinc prodeunt locuſtæ ex tali obtenebratione mentis, & voluntatis peruerſitate, id eſt effrenatæ concupiſcentiæ, & libidines, immoderatæ iræ, & audaciæ, quibus intenſius homines in alios actus malos prorumpunt. Hæ ſunt locuſtæ homines vexantes propter illarum inſatiabilitatem, quibus abſque vllo Dei timore homines præpetes ad malum feruntur, quæ rationi adimunt imperium & inſolenter dominantur, quæ imbecillem reddunt rationem ne eis obſiſtat, & dolos ac deceptiones earum animaduertat: quæ omnia humanitatis iura violant, quæ nullis legibus contineri poſſunt, quæ etiam dum adimplentur, ſeu aliquid agitur iuxta illarum impetum, vexant & diſcruciant, quæ pacem cum Deo, cum proximo & cum ſemetipſo impediunt: habent enim pro Rege amorem ſui ipſius, ira & furore, veluti militibus ad exterminandum probè inſtructis vtentem. Singula ſigillatim ex ordine expendemus, & ex ſymbolo expiſcabimus, & eruemus Deo dante, ſi antea de quibus paſſionibus hoc ſymbolum ſit intelligendum viderimus: & ſic manifeſtum erit quàm grauis & formidanda ſit hæc quinta plaga, quæ ad vocem quinti Angeli tubâ canentis apparet.

De quibuſnam paſſionibus hoc ſymbolum ſit intelligendum.

ANNOTAT. III.

Radix origo & cauſa paſſionum, earumque numerus. §. 1.

NOTANDVM eſt paſſiones tribus modis conſiderari poſſe, vel vt rationi ſunt ſubie-

Digitized by Google

ctæ, vel vt eius imperium præuenientes, vel vt ad imperium voluntatis peccato conſentientis in actum prodeuntes. Quod vt videamus, Dico certum eſſe ex S. Thoma q. 95. ar. 2. 1. p. in homine exiſtente in ſtatu iuſtitiæ originalis, illas ſolas paſſiones, quæ ex iudicio rationis conſequuntur, repertas fuiſſe, non autem illas, quæ præueniunt vel impediunt iudicium rationis, ablegataſque fuiſſe ab illo fæliciſſimo ſtatu omnes paſſiones, quæ reſpiciunt malum, vt eſt timor, & dolor, & huiuſmodi: quia in eo ſtatu nullum malum aderat nec imminebat; ſimiliter etiam ablegatas illas paſſiones, quæ reſpiciunt bonum non habitum, & nunc habendum, vt eſt æſtuans cupiditas. Solæ illæ quæ poſſunt eſſe boni præſentis, vt gaudium & amor, vel ſunt futuri boni in ſuo tempore habendi, vt deſiderium & ſpes non affligens fuerunt in illo ſtatu innocentiæ, aliter tamen quàm in nobis: nam in nobis ſæpe antecedunt iudicium rationis: tunc autem illud fuiſſent ſecutæ.

Sapientiſſimus quippe Deus, qui in omnibus operibus ſuis, ſuæ ſapientiæ veſtigia imprimere voluit, dicente Propheta: *Omnia in ſapientia feciſti*, in hominum conſtitutione eam potiſſimum miros fulgores emittere fecit. *Mirabilis*, inquit Dauid, *facta eſt ſcientia tua ex me.* Nam ſuæ potentiæ & ingenij ſpecimen præclarum edidit, dum hominem ex duabus partibus, natura quàm maximè diſiunctis, in vnum coëuntibus compoſitum mirabili artificio condidit, nec illâ magnâ ab inuicem diſtantiâ harmoniâ ex vnitione earum prouenientem impediuit, quinimo talis eſt inter eas ſympathia, taliſque concordia intercedit, vt nec res eiuſdem ordinis, eiuſdem generis, eiuſdem ſpeciei poſſint arctius inter ſe copulari, aut ex mutua ſimilitudine, ac naturæ conuenientia ſtrictius vniri, vt copulantur ac vniuntur ſibi inuicem corpus terrenum ac ſpiſſum, & ſpiritus rationalis, vinculo amicitiæ indiſſolubili, itaut meritò diuina laudetur ſapientia his verbis, Sap. 8. *Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.* Fortis eſt, in vnum res adeo ſeparatas coadunando; ſuauis eſt, dum modum inuenit quo arctam inter ſe ineant & ſeruent concordiam. Is autem talis fuit, vt inferior natura ſuperiori ſubderetur eique obediret: corpus itaque terrenum & graue ſpiritui diuino ac cæleſti ſubiiciendum fuit: quod vt fieret, in hoc admirabili Dei opere ex duabus partibus adeo diſtinctis compoſito, quædam potentiæ, & facultates debuerunt conſtitui, quæ ab anima originem ſumerẽt, quarum actus in corpore organico, reciperentur: ſicque fieret quædam corporis & animæ connexio, & mutua ab inuicem dependentia. Nam ſicut anima, per illas facultates, habet vt ſuos exercet actus naturales in corpore organico, ita corpus per illas obtinet, vt illius præcellentis naturæ ſpiritualis dotibus particeps fiat, vitam, motum, & ſenſum ab ea accipiendo. Nec fruſtra anima has corpori impertitur dignitates, nec ſibi ipſi ingrata aut inutilis eſt hæc ſuæ excellentiæ communicatio. Magnum quippe exinde accipit emolumentum: nam ſtatim atque tales facultates, per actiones organicas perficiuntur (habitus enim & potentiæ per actus ſuum obtinent complementum vt pote ad agendum ordinatæ) animæ præſtant vt etiam ipſa perfici queat ſecundum ſuam naturalem conditionem. Sicut enim per facultates vegetatiuas & animales corpus vegetatur & viuificatur ab anima, ita anima actu fit potens ſuſcipiendi ab extrinſeco ſpecies intentionales, quibus perficiatur ſecundum potentias apprehenſiuas & appetitiuas; & ſicut corpus ex actibus harum facultatum ſenſitiuarum fit capax gaudij, ita anima poteſt ex apprehenſione particularium, ad rerum vniuerſalium & cauſarum ſecundarum cognitionem peruenire, imo etiam valet per ratiocinationem, ad ipſius cauſæ primæ contemplationem eleuari, qua cognita viam ſibi parat ad beatitudinem, cum ex cognitione, ſummi boni beata exiſtat. O admiranda concordia diſparium! O ſuauis harmonia tot facultatum ex vnione & conſenſu animæ & corporis emanantium! Quàm feliciter nobiſcum actum fuiſſet, ſi vnaquæque pars ſuum ſeruaſſet ordinem, nec vnquam inferior in ſuperiorem inſurgere potuiſſet! Certè *homo feliciori loco medietatis poſitus*, vt loquitur Triſmegiſtus, *vt quæ infra ſe diligat, ipſe à ſuperioribus diligatur*, ita terram incoluiſſet, & ſe elementis ac rebus corporeis immiſcuiſſet, mediantibus ſenſibus, vt omnia idem eſſet, & vbique idem eſſet. Etſi à genere rerum ſpiritualium aliquo modo decidiſſe videretur, propter vnionem animæ ad corpus terreſtre & animale, tamen omnium aliarum ſpecierum, multas propemodum omnium coniunctiones in ſe feciſſet, vt eas tandem in auctorem refunderet, dum à primo ente & prima cauſa eas dependere cognoſciſſet, eique ſe gratum pro tot tantiſque bonis ſibi præſtitis exhibuiſſet.

Nihil aliud proculdubio voluit ſupremus ille autor, dum naturæ hominis, præter facultates apprehenſiuas obiectorum exteriorum, ſeu rerum ſingularium, etiam indidit quamdam inclinationem erga bonum ſenſibile particulare, in quantum ab anima apprehenditur per aliquem è ſenſibus corporeis vt bonum & conueniens homini. Talis inclinatio ſeu appetitus duplex eſt. Primus qui dicitur concupiſcibilis, qui quidem totus verſatur circa ea quæ ad conſeruationem corporis pertinent, nec ab eius commodis aliquando diſcedit. Alius appetitus, iraſcibilis, qui ordinatur ad repellendas difficultates, & amouenda impedimenta, quibus impediretur ne anima potiretur bono apprehenſo & concupito ſub ratione conuenientis, rationemque fulcit vt ſe animosè opponat iis, quæ ſuppoſiti bono poſſent eſſe contraria: nam ſuper bonum totius ſuppoſiti vigilare debet anima, cum ipſa ſit fons & origo omnium quæ ad vitam animalem & ſenſibilem pertinent; & ſicut videmus in igne duas qualitates reperiri, vnam leuitatis, aliam caloris, à prima habet quod conetur locum ſibi connaturalem attingere, à terra recedens, vt cœlum petat & ſurſum ferantur; à ſecunda habet vt reſiſtat omnibus contrariis: ita cum Deus animam in corpore poſuerit vt illud viuificaret, oportuit vt ipſi duos iſtos appetitus imprimeret, quibus vno ex eis quæ ſibi ſunt neceſſaria proſequeretur, alio autem repelleret noxia & contraria.

At actio ſeu motus illius duplicis appetitus, erga bonum abſolutè conſideratum, ſiue erga bonum aliqua difficultate, illius adeptionem & fruitionem impediente, circumueſtitum; aut motus eiuſdem in quantum verſatur circa malum, vt illud effugiat eique ſe opponat, propriè paſſio appellatur, quæ in nobis excitatur, dum re aliquâ aprehensâ per cognoſcitiuâ potentiam, ſiue vt conuenienti, ſiue vt diſconuenienti, motus quidam proſecutionis aut fugæ inſurgit: qui motus paſſio dicitur, ſiue quia appetitus potentia agendo patitur, dum aliquid ab obiecto apprehenſo recipit, ſiue quia quidam ex his motibus cum ſenſu doloris aut voluptatis coniunguntur, qui quidem propriè corporis paſſiones dicuntur: ſiue quia per eas excitantur aliquando in corpore, vel rubor, vel pallor, aut tremor, contractio cordis, in timore aut triſtitia, dilatatio cordis nimia in amore & gaudio. Vnde prouenit quod Philoſophi, dum illi motus deficiunt cum apprehenſione obiecti & motu circa illud, in corpore etiam ſpectant quamdam

mutationem non naturalem.

Horum autem motuum cauſa proxima & immediata eſt appetitus: præcipua autem principia illorum, licèt non ita immediata, ſunt, vnum in homine inſitum, nempe phantaſia & ſenſuum perceptio ſeu opinio, aliud disiunctum, nempe obiectum ſub ſenſum cadens: nec enim appetitus excitaretur, aut moueretur, niſi phantaſia à ſpecie obiecti percelli contingerét. In his autẽ appetitibus Philoſophi vndecim motus diuerſos agnoſcunt, ſex in appetitu concupiſcibili, nempe amorem boni aprehenſi, deſiderium illud adipiſcendi ſi abſens fuerit, gaudium de illius adeptione ſeu fruitione ſi præſens fuerit; vel è contra odium mali aprehenſi, fugam illius ſi fuerit abſens, triſtitiam ſi adſit. Quinque autem in appetitu iraſcibili reponunt; Boni ſpem, ſi poſſibilis iudicẽtur illius adeptio, deſperationem illius poſſeſſionis, ſi difficultas ſuperare iudicetur facultatem illud adipiſcendi; vel timorem mali ne obueniat, ſi abſens exiſtat; audaciam qua illi occurritur, & contra illud dimicatur, ne nos ſurripiat. At ſi nos in arcto conſtituat & vrgeat, iram reponunt, qua nos ingruens malum repellimus, & vindictam de inferente aut cauſante ſumere conamur. Quod ſi ordinem generationis, quo in medium prodeunt, perſpicere velis, Amor boni præit, odium mali contrarij ſubſequitur, poſtea deſiderium boni illius, & eiuſdem mali contrarij fuga ſeſe produnt: ſpes deinde accedit, ſi illius boni adeptio fuerit poſſibilis; aut deſperatio, ſi difficultas nimia fuerit illud conſequendi: Cum malum abſens eſt, adeſt timor illius; ſi illud repellere in noſtra eſt poteſtate, non deeſt audacia; ſi nimium vrget, prodit ira: At qui motus totam hanc phalangem motuum claudunt, gaudium eſt & lætitia, ſi ita feliciter omnia impedimenta amandauerimus, vt boni concupiti fruitionem fuerimus adepti; vel tandem triſtitia, ſi difficultate minimè ſuperatâ, malum quod timebamus euenerit, etſi quantum potuimus illud expellere attentauerimus.

Hæ paſſiones tribus modis conſiderari poſſunt, Vel vt rationi ſubiectæ, Vel vt eius imperium prænenientes, Vel vt ad imperium voluntatis peccato conſentientis, in actum prodeuntes. §. 2.

Quantum ad primum dicimus quòd illæ paſſiones, actiones, ſeu motus ex ſe indifferentes ſunt: nihilominus quia naturali ordine, rationi ſeu appetitui rationali ſubdi debent, mali aut boni naturam induunt, pro ratione materiæ ſeu obiecti circa quod verſantur ſeu occupantur. Ad rationem igitur pertinet illas paſſiones regere, & vt in actum prodeant imperare, etſi cum nimio impetu in medium prodire attentarent, eaſdem reprimere & moderari, prout tempus & occaſio requirere videretur. Talis quippe eſt hominis conſtitutio, vt per rationem appetitui & motibus eius dominari debeat, iuxta illud Geneſi 1. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Hæ sũt beſtiæ myſticæ, quibus homo præeſſe dicitur, nempe affectiones & concupiſcentiæ, quæ communes habemus cum brutis, ſi S. Gregorio Nyſſeno credimus or. 2. de creatione hominis, nec ab hac interpretatione recedit S. Ambroſ. l. de paradiſo c. 2. Hæ ſunt beſtiæ à Nabuchodonoſor viſæ ſub magnæ arbore, nempe animâ intellectuali, requieſcentes; quæ imperio rationis ſubduntur, vt voluit Richardus à S. Victore p. 1. lib. 2. c. 23. Hac de cauſa cum integras vires ratio obtinet, nec iuſtitium hominis perturbatur, imo potius debito modo applicatur vt videat & diſcernat animi motus, inferior appetitus ſemper rationi ſubditur, nec voluntas ei cedere vllo modo cogitur: cum ſequi illi liberrimũ, illum compeſcere, facillimum; & præcipuè ſi auxilio gratiæ cõmunia fuerit: *Vbi enim ſpiritus Domini, ibi libertas*, vt ait Apoſtolus 2. ad Corinth. 3. vnde monebat ſpiritu nobis eſſe ambulandum, ſi deſideria carnis reprimere voluerimus: *Spiritu*, inquit, *ambulate, & deſideria carnis non perficietis*, ad Galat. 5. Hinc fiebat ſtante homine in iuſtitia originali, vt appetitus omnimodè ſubderetur & ſubjiceretur rationi. Illius quippe præcipuus effectus erat motus omnes compeſcere, & in ordinem redigere, ne rationis vſum præuenirent, aut eius imperium detractarent, ſed illi obtemperantes, tunc in actum prorumperent toties quoties & prout homo ſtatuiſſet eorum ope & auxilio vti: *In ſtatu innocentiæ*, inquit S. Tho. 1. p. q. 83. ar. 2. *inferior appetitus erat rationi totaliter ſubiectus: Vnde non erant in eo paſſiones animæ, niſi ex rationis iudicio conſequentes.* Ita S. Tho. qui ad tertium optimè animaduertit quòd perfecta virtus moralis, qualis fuit in Adam, non totaliter tollit paſſiones, ſed ordinat eas. Temperati enim eſt concupiſcere ſicut oportet & quæ oportet; vt dicitur in 3. Ethic.

Quantum ad ſecundum, paſſiones conſiderati poſſunt prout præueniunt iudicium rationis: nam cum paſſiones bonæ exiſtunt, cum ſunt à ratione moderatæ, vt ſic pertinent ad perfectionem humani boni: cum enim bonum hominis conſiſtat in ratione ſicut in radice, tantò iſtud bonum erit perfectius, quantò ad plura quæ homini conueniunt deriuari poteſt, & ſicut nullus dubitat, quin ad perfectionem moralis boni pertineat quod actus exteriorum membrorum per rationis regulam dirigantur, ita cum appetitus ſenſitiuus poſſit obedire rationi, ad perfectionem moralis ſiue humani boni pertinet quod etiam ipſæ paſſiones animæ ſint regulatæ per rationem. Ita D. Tho. 1. 2. q. 24. ar. 2. & 3. Malæ proculdubio erunt, ſi rationis imperium præueniant aut illius vſum ſuis motibus inordinatis impediant. At dubium non eſt eas & præuenire & impedire rationis iudicium & vſum, dum quo plus fortificatur motus appetitus ſenſitiui, eo magis remittitur vel totaliter impeditur motus voluntatis & rationis; & quo magis, propter vehementiam paſſionis, apprehenſio imaginationis, & iudicium virtutis æſtimatiuæ circa obiectum paſſionum occupantur, eo minus iudicium rationis viget vt bonum à malo diſcernat: & ſic plærumque decipitur, imo plærumque paſſio trahit rationem, etiam contra hoc quod ſcit, ad iudicandum in particulari contra ſcientiam quam habet in vniuerſali. Igitur malæ erunt paſſiones, dum à ratione non moderantur, nec in ordine debito continentur. At vnde hoc malum in nobis? Vnde tanta inordinatio, & perturbatio debiti ordinis & ſubiectionis, propter quam clamabat olim Apoſtolus: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Equidem ex priuatione iuſtitiæ originalis, per quam perfectè ratio continebat inferiores animæ vires, & ipſa ratio à Deo perficiebatur ei ſubiecta. Multa inde incurrimus incommoda, omnibus viribus animæ remanentibus quodammodo deſtitutis, & ſpoliatis proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem, quæ deſtitutio dicitur vulneratio naturæ. At inter illa incommoda, maximè concupiſcentia conſideranda venit, cuius peſſimum vulnus hic graphicè deſcribitur: nam in ea potiſſimùm apparet & completur peccati malitia. Nam cum quatuor potentiæ animæ, quæ poſſunt eſſe ſubiecta virtutum, ſcilicet ratio, in qua eſt prudentia; voluntas, in qua eſt iuſtitia; iraſcibilis in qua eſt fortitudo; concupiſcibilis, in qua eſt temperantia, deſtituuntur ſuo ordine, ad verum & bonum, & arduum, & delecta-

bile moderatum, ignorantiâ percellitur ratio, malitiâ voluntas inficitur, irascibilis pari infirmitate debilitatur, concupiscibilis appetitus concupiscentiâ grauiter vulnetatur: & quia inclinatio ad bonum virtutis in vnoquoque diminuitur per peccatum actuale, etiâ ista sunt quatuor vulnera ex aliis peccatis consequentia, in quantum scilicet per peccatum & ratio hebetatur præcipuè in agendis, & voluntas induratur ad bonum, ad quod amplectendum vix mouetur, & maior difficultas bene agendi accrescit, & concupiscentia magis exardescit. Quo fit vt in vulnere concupiscentiæ magis appareat vulnus ex peccato originali causatum, & vt Augustinus dicit apud S. Thomam, *Concupiscentiam esse reatum originalis peccati, seu concupiscentiam materialiter esse peccatum originale.* Nam cum priuatio originalis iustitiæ, per quam voluntas subdebatur Deo, sit formale in peccato originali, omnis alia inordinatio virium animæ se habet in peccato originali sicut quiddam materiale, quæ præcipuè in hoc attenditur, quod animæ vires inordinatæ conuertantur ad bonum commutabile: Et dicitur ex hoc concupiscentia, cuius motus vehementer exardescens fortiter inculcat, quanta incommoda intulerit priuatio iustitiæ: ex hoc enim ardore prouenit quod passiones animæ, & sæpius præueniant rationis iudicium, & frequentissimè detrectent eius imperium: *cuius rebellionis indicium maximè apparet*, inquit August. *in motu genitalium membrorum, qui rationi non subditur*; Quæ cum inseruiant generatiuæ virtuti, in qua est delectatio secundum tactum, quæ maximè concupiscentiam mouet, *infectio originalis peccati maxime pertinet ad ista tria*, inquit S. Tho. *scilicet potentiam generatiuam, vim concupiscibilem, & sensum tactus: hincque passiones, quæ circa talia obiecta versantur, vehementiores sunt, & rationem potissimum præueniunt, & illius acumen obtundunt.*

Quantum ad tertium, nempe quod passiones considerari possunt non solum inquantum rationis imperium excusserunt, sed etiam in quantum à voluntate omni nequitia & malitia oppleta assumuntur, vt instrumenta nequitiæ & malitiæ docet S. Thomas, *appetitum sensitiuum, cuius passio est motus, posse se habere ad liberum arbitrium, & antecedenter & consequenter: Antecedenter quidem, secundum quod passio appetitus sensitiui trahit vel inclinat rationem vel voluntatem; consequenter autem, secundum quod motus superiorum virium si sint vehementes redundant in inferiores: non enim potest voluntas intense moueri in aliquid, quin excitetur aliqua passio in appetitu sensitiuo.* Hinc fit vt grauius peccet qui ex passione consequenti, quam qui ex antecedēte peccat iuxta ea quæ addit S. Thomas. *Si igitur*, inquit, *accipiatur passio secundum quod præcedit actum peccati, sic necesse est quod diminuat peccatum: actus enim in tantum est peccatum, in quantum est voluntarium, & in nobis existens; esse autem aliquid in nobis dicitur per rationem & voluntatem: vnde quanto ratio & voluntas ex se aliquid agunt, non ex impulsu passionis, magis est voluntarium & in nobis existens; & secundum hoc passio minuit peccatum, in quantum minuit voluntarium. Passio autem consequens non diminuit peccatum, sed magis auget, vel potius est signum magnitudinis, in quantum scilicet demonstrat intentionem voluntatis ad actum peccati: & sic verum est quod quanto aliquis maiori libidine vel concupiscentia peccat, tanto magis peccat.* Ita S. Tho. 1. 2. q. 77. art. 6.

Quibus positis, dico tales actus peccaminosos, quorum vehementes passiones sunt signa & indicia, hic describi, etsi plurima in his symbolis speculari possint, quæ naturam passionum & earum à recta ratione deuiationem significent, seu quæ passiones, antecedenter ad liberum arbitrium se habentes, describunt.

Et quintus Angelus tubâ cecinit.

Qua ratione homines in concupiscentiæ suæ captiuitatem rediguntur.

ANNOTAT. IV.

SICVT plaga famis à Deo immittitur, propter nimiam ad res terrenas adhæsionem, id est propter auaritiam; plaga belli, propter potentiæ ambitionem; pestis, propter eos qui in voluptatibus corporis suam constituunt beatitudinem; plaga ignorantiæ, propter eos qui his afflictionibus attriti ad Deum se conuertere nolunt, ita certe iis qui in tam periculoso statu constituti nolunt Deum ad misericordiam prouocare, vt auxilia præbeat, quo eius iram placare possint, Deus præparat formidandam illam plagam, de qua S. Paulus ad Rom. c. 1. *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum*, &c. Et paulo post: *Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.* Miser rouera, & miserabilis proculdubio est homo, qui ignorantiâ rerum ad salutem scitu necessariarum laborat, pauper virtutibus, lumine virtutis orbatus, gratiâ spoliatus & denudatus in miserandum redigitur statum, peiora passurus nisi tantis malis occurrat Christo Domino Sacerdoti (vt à se aurum emat, quo se ab his redimat periculis) fidem adhibendo, qui dixit: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Hæc est enim aurum à Christo emendum, misericordiâ enim dat Deus, per opera videlicet sibi gratissima pietatis & misericordiæ: *Talibus enim hostiis promeretur Deus.* Heb. c. 13. Et hoc est quod clamat quintus Angelus ad omnes peccatores miseriis & calamitatibus vexatos, & in profundum ignorantiæ barathrum degentes, cum Daniele Nabuchodonosorem monente, ne cum eodem fiat nostra habitatio cum bestiis & feris terræ, id est cum passionibus appetitus concupiscibilis & irascibilis. Ita igitur clamare videtur Angelus quintus: Consiliū meum placeat vobis, & mortales, peccata vestra eleemosynis redimite, & iniquitates vestras misericordiis pauperum: forsitan ignoscet vobis Deus delicta vestra, & lumen suum immittet, quo in viam salutis dirigemini: ambulantibus vobis in regione mortis lux orietur vobis: alioquin incidetis in abyssum concupiscentiarum, & desideriorum multorum inutilium & nociuorum, quæ mergunt homines in interitum, & in perditionem. *Si enim præstes animæ tuæ concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Eccles. 18. At non audiunt sæpius hæc monita mortales, sed hæc contemnunt, & eunt post concupiscentias suas, & animæ irreuerenti & infrunitæ traduntur. Quod malum valde pertimescebat qui Deum his exorabat verbis: *Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & omne desiderium auerte à me; auser à me ventris concupiscentias, & concubitus concupiscentiæ ne aprehendant me, & animæ irreuerenti & infrunitæ ne tradas me.* Eccles. 23. vt pote valde periculosissimum & saluti æternæ contrarium, vt patebit ex descriptione tanti mali, quam nobis S. Ioannes hîc vt videbimus submiistrat, sub symbolo loeustarum è fumo putei exeuntium.

Digitized by Google

Et vidi ſtellam de cœlo cecidiſſe in terram: & data eſt ei clauis putei abyſſi.

Explicatio Symboli.

ANNOTAT. V.

Stella de cœlo cadens eſt diabolus. §. 1.

PER ſtellam de cœlo cadentem Ambroſius hîc intelligit hæreſiarchas, quia ſicut ſtellæ in cœlo refulgent, ita & iſti antequam caderent, doctrinâ & ſapientiâ refulgebant in Eccleſia. Hunc ſequitur Dionyſius Carthuſ. eiuſque autoritate ſuam fulcit interpretationem.

Andreas Cæſarienſis pet ſtellam, Dei Angelum pœnis irrogandis præfectum cum aliis intelligit, ſed cum hæc ſtella dicatur cadere, non à Deo mitti, aut ſimpliciter è cœlo deſcendere, adduci non poſſum vt credam hanc ſtellam de bono Angelo eſſe intelligendum. Melius igitur Rupertus de Lucifero intelligit, dum ait: *Quando ille cecidit, nullus hominum erat qui videret, præter illum qui in Euangelio ſuo loquitur dicens Luc. 10. Videbam ſatanam ſicut fulgur de cœlo cadentem. Qui enim hæc dicit homo Chriſtus, prius erat Deus, quàm homo fieret; prius quam ſtella illa, hoc eſt Lucifer ille caderet, imo prius quam Angelus aut creatura aliqua fieret. Benè ergo non ait, Vidi cadere, ſed, Vidi cecidiſſe.* Huic ſententiæ adſtipulatur Viegas hunc locum Ruperti adducens: *Cuius Luciferi caſus potuit denuo per imaginariam viſionem Ioanni repræſentari, & per imaginarium caſum alicuius ſtellæ, quam per viſum conſpexerit à Ioanne deſcribi.* Igitur cum in caſu innui videatur aliquid inuoluntarium, quod cum quadam violentia & ſubreptione cadentis contigit, & aliquam confuſionem eidem inducit, hocque proprium ſit malis Angelis, qui contra animi ſententiam, dum aſcendere cupiebant, ad tartara detruſi fuerunt, de bono Angelo caſum huius ſtellæ intelligendum eſſe minimè exiſtimo. Confirmatur: nam B. Ioannes cum bonos Angelos vult è cœlo in terram demitti, non ait eos cadere, ſed deſcendere: deſcenſus enim fit voluntariè abſque vlla vi, aut dedecore, v. g. c. 10. ait: *Et vidi Angelum deſcendentem de cœlo amictum nube.* Et c. 18. *Et poſthæc vidi alium Angelum deſcendentem de cælo, habentem poteſtatem magnam*, Et c. 20. *Et vidi Angelum deſcendentem de cœlo, habentem clauem abyſſi.* In quibus locis bonos Angelos certum eſt intelligi; non dicuntur iſti Angeli cadere, ſed deſcendere. Nec obſtat quod ait Ribera, qui ex hoc loco cap. 20. vult iſtam ſtellam de bono Angelo eſſe intelligendam. Nam ſi ex conuenientia huius loci capitis 16. in quo dicitur dari Angelo clauem abyſſi; cum loco huius capitis noni, in quo aſſeritur dari ſtellæ clauem putei abyſſi, exiſtimat fore concludendum ex eo quod in cap. 20. de bono Angelo ſit ſermo, hîc etiam ſub ſymbolo ſtellæ bonum Angelum eſſe intelligendum; Reſpondemus plura: primo maiorem vel ſaltem parem eſſe conuenientiam huius loci cum illo loco capitis decimi Euangelij Lucæ: *Videbam ſatanam tanquam fulgur de cœlo cadentem*; quàm cum loco capitis 20. Apocalyp. Nam ſi pro Satano ſtellam reponas, aut pro ſtella Satanam, non multum intereſt inter ea quæ dicit S. Ioannes: *Vidi ſtellam de cœlo cecidiſſe*, & quæ ait Chriſtus Dominus: *Vidi ſatanam de cœlo cadentem.* Secundo reſpondeo non dici hic dari clauem abyſſi ſimpliciter, ſed putei abyſſi: quod, vt videbimus, non abſque cauſa dicitur, vt ex interpretatione locorum iſtorum perſpicuum fiet; & interim abyſſum plura ſignificare, vt mox videbimus: quo fit vt in vno loco pro vna ſignificatione ſumi valeat, in alio loco pro alia omnino re ſignificanda reponatur: ſicque in cap. 20. bono Angelo detur clauis cuiuſdam abyſſi, pro hoc vel illo fine, hac vel illa ratione & hoc vel alio modo; Malo autem detur clauis alterius abyſſi, vel ſi eiuſdem abyſſi, alio & diuerſo fine, ſub alia & diuerſa ratione, à priori omnino diſtincta. Nec etiam alia Riberæ ratio ſatis, vt mihi videtur, vrget, vt reiciamus ſententiam eorum, qui de malo Angelo hanc ſtellam cadentem exponunt: quòd ſanctus Ioannes de aliqua re inſtruitur in hac viſione, quam antea ignorare debuit; vt iam ſciebat Angelum malum de cœlo cecidiſſe: ergo de caſu malorum Angelorum nulla hic fieri debuit mentio. Reſpondeo non opus eſſe vt omnia quæ in hoc libro continentur ignota ſint S. Ioanni, vt de his loqui debeat: ſufficit vt de quibuſdam rebus mentionem faciat, de quibus ſecundum aliquam circumſtantiam ipſi ignotam, aut tantum confusè & implicitè cognitam, ſpecialem accipiat reuelationem: v. g. non ignorabat S. Ioannes eſſe cœlum Empyreum, & locum beatorum: at nihilominus huius ciuitatis ſymbolum accipit, quo diſtinctiùs percipiat quanta ſit ſanctorum beatitudo, & incolarum cœli felicitas. Nouerat & didicerat à Chriſto bella & ſeditiones, quæ antecedere debent diem extremi iudicij; at in hac reuelatione horum euentuum ſymbola illi nihilominus manifeſtantur. Quis dicere auderet S. Ioannem virtutem Saluatoris, & poteſtatem filij Dei in omnem Eccleſiam neſciuiſſe, qui Dominum audierat dicentem: *Data eſt mihi omni poteſtas in cœlo, & in terra?* Attamen illius poteſtatis exercitium & in hac prophetia ſub diuerſis ſymbolis declaratur. Ita dico S. Ioannem non ignorare ſatanæ è cœlo caſum, eiuſque homines ad peccandum inducendi poteſtatem; at nihilominus hæc illi demonſtrâtur, vt diſtinctiùs percipiat quàm nociuæ futuræ ſint paſſiones inordinatæ, & per ſuggeſtiones diaboli concitatæ, hominum ſaluti. Denique recedere non debemus à noſtra ſententia, ex eo quod rurſus ait Ribera Eſaiam non dicere Luciferum in terram cecidiſſe, ſed in infernum: *Veruntamen ad infernum detraberis in profundum Luci.* Meminiſſe enim oportuit quòd cap. 12. dicitur Draconem magnum, ſerpentem antiquum, qui vocatur diabolus & ſatanas, proiectum eſſe in terram; Et verſ. 12. *Væ terræ & mari, quia deſcendit diabolus ad vos habens iram magnam*, Et verſu ſequenti, *Et poſtquam vidit draco quod proiectus eſſet in terram perſecutus eſt mulierem.* Ex quibus locis perſpicitur quod diabolus ita in infernum detruſus eſt, vt nihilominus habeat poteſtatem perſequendi Eccleſiam ſuper terram, & tantandi fideles. Hoc igitur ſtatuamus ſtellam iſtam de malo Angelo intelligi. Hinc,

Dico omnem Angelum malum, qui quemlibet hominum tentat & inducit ad peccandum, ſub illa ſtella intelligi debere: nec enim mali Angeli, vt docet S. Tho. 1. p q. 64. ar. 1. *amiſerunt omnem cognitionem veritatis: integra & ſplendidiſſima in eis remanſit omnis illa cognitio veritatis, quæ habetur per naturam: conſequitur enim ipſam naturam Angeli, qui ſecundum ſuam naturam eſt quidam intellectus vel mens; propter ſimplicitatem autem ſubſtantiæ ſuæ, à natura eius aliquid ſubtrahi non poteſt, vt ſic per ſubtractionem naturalium puniatur, ſicut homo punitur per ſubtractionem manus aut pedis, aut alicuius huiuſmodi, & ideo dicit Dionyſius, quod dona naturalia in eis integra manent, vnde naturalis cognitio in eis non eſt diminuta.* Ita D. Tho. Cum igitur ſint lucidi lumine intellectualis naturæ, ſtellæ dici poſſunt, iuxta illud Iob: *Vbi eras quando me laudabant aſtra matutina?* Hinc draco dicitur attraxiſſe tertiam partem ſtellarum, id eſt Angelorum, qui Lucifero

Digitized by Google

adhæſerunt; & cum Lucifer alligatus dicatur vſque ad mille annos, id eſt tempus à Deo determinatum, non poteſt de eo dici quod immediatè tenet homines, ſed tantùm per ſuos miniſtros, vt illos ſecum in infernum trahat: Optimè igitur Anſelmus per ſtellam Diabolum intelligit laborantem nequis locum ſuum impleret, dum mediantibus malis Angelis Lucifer homines ita inducit ad peccandum, vt à cœli gloria excludantur.

Habentem clauem putei abyſſi.

Quid per clauem, quid per puteum abyſſi intelligendum ſit. §. 2.

Per clauem, inquit Ambroſius, *liberum arbitrium hæreticorum, quod habuerunt in malo deſignatur: per abyſſum vero corda eorum: Per puteum autem eorum ora deſignantur. Data eſt igitur clauis putei abyſſi, quia permiſit Deus hæreſes eſſe, ſicut dicit Apoſtolus Paulus: Oportet hæreſes eſſe vt probati manifeſti fiant.*

Et data eſt illi clauis putei abyſſi. Id eſt, inquit Dionyſius Carthuſ. *poteſtas ſiue induſtria aperiendi profunditatem, vel ſecretum fluctuantis, amari, hæretici documenti: aqua enim doctrinam ſignificat, abyſſus vero mortifera ac ſubmergentia hæreticorum figmenta.* Et poſt pauca: *Denique puteus abyſſi dici poteſt intellectus Hæreſiarchæ, ex quo dogmata hauriuntur iniqua, &c.* Ita Dionyſ.

Rupertus qui de diabolo ſtellam interpretatur, per clauem putei abyſſi intelligit poteſtatem ſiue facultatem mendacia proferendi. *Nam*, inquit, *data eſt illi clauis putei abyſſi, id eſt, permiſſa eſt poteſtas ſiue facultas Angelo illi, qui in veritate non ſtetit, omnis mendacij fundamentum non habentis, nec enim alicui rei innititur exiſtenti, idcirco bene mendacium quod loquitur ex propriis, & cuius pater eſt, puteus dicitur abyſſi, videlicet infinitæ profunditatis: quia, ſicut iam dictum eſt, rerum exiſtentium fundamentum non habet, nihilque illi ſubeſt: loquitur enim quod non eſt.* Ita Rup. Viegas ait datam Lucifero clauem putei abyſſi, hoc eſt ex diuina permiſſione poteſtatem, ad hæreſum colluuiem extremis temporibus in lucemet publicâ proferendam, & per omnes orbis prouincias diſſeminandum ſect. 4. comm. 2. in cap. 9. Abyſſus ſiue βυθὸς eſt vorago, ſiue aquarum copia carens fundo: Hanc enim ſignificat hebræum tehom. Vnde Geneſi 1. v. 2. dicitur: *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Et S. Auguſt. l. 22. contra Fauſtum: *Abyſſus*, inquit, *eſt inæſtimabilis aquarum profunditas*, Scapula quoque in Lexico: *Abyſſus*, inquit, *eſt aquarum vorago.* Idem de hebræo tehom dicit Pagninus. Ita Cornel. apud Riberam *hîc abyſſus dicitur vel à βυθὸς* fundus quaſi ſine fundo; vel à βύθω, id eſt ingredior quaſi diceres locum in quem ingredi non valemus; vel à βυθὸς, id eſt, tego. ἀλφα enim, inquit Ribera, *aliquando auget ſignificationem in compoſitione, itaut abyſſus idem ſit ac valde tectus.* Hinc quæcumque cum difficultate penetrari, cognoſci aut detegi poſſunt, ritè poſſunt per abyſſum myſtico ſenſu deſignari, veluti ſapientia diuina, cor humanum, & cætera huiuſmodi. *Allegorice abyſſus*, inquit Cornelius, *ſignificat infernum, tum quia infernus eſt quaſi mare in quem damnati immerguntur, atque profundiſſimus inſtar putei ſine carceris profundiſſimi & tenebricoſiſſimi: tum quia ipſe eſt profundum Dei iudicium, id eſt ſupplicium quod iuſte Deus de damnatis ſumit.*

Anſelmus qui per clauem putei intelligit poteſtatem à Deo conceſſam putei abyſſi, dicit *quod abyſſi dicuntur tenebroſi & profundi, peccatores putei profundiores inter eos.* Apud Viegam puteus eſt ſymbolum reconditæ ſapienntiæ, quia nimirum aquæ doctrinæ abſtruſæ admodum ſunt & alte cum labore effodiendæ. Fauet Origenes Homil. 12. qui ponderans A ea quæ Sapiens de ſe ait, Sap. 7. ait: *Vides quanti ſunt putei in rerum ſcientia? Puteus eſt, verbi gratia, ſcientia virgultorum, & forte vniuſcuiuſque virgulti natura habet proprium puteum. Et iterum puteus eſt de animalium ſcientia, & forte vnaquæque ſpecies animalium proprium habet puteum: & iterum puteus eſt de ratione temporum, & viciſſitudine, ac permutatione. Et hæc ſingula quoniam altam profundamque habent ſcientiam*, meritò *figuraliter putei appellantur.* Ita Origen.

Nos ab eodem Origene eadem homilia 12. in cap. 21. Num. edocti quod humilitas literæ ad preciositatem nos ſpiritalis remittit intelligentiæ, ponderantes attentè ex omnibus iis interpretationibus per clauem deſignari, primo liberum arbitrium, quo B cuilibet licet agere quod voluerit; ſecundo Dei permiſſionem: tertio aliquam poteſtatem ſiue induſtriam aperiendi quamlibet profunditatem, vel proferendi in medium quæ erant abſcondita; per abyſſum ineſtimabilem & ſine fundo profunditatem aquarum præcipuè ſignificari, vel aliquid valde tectum, & cum difficultate maxima & labore detegendum, quam difficultatem puteus maximè innuit; nihil abſurdi dicere exiſtimo, ſi ideam hanc huius ſymboli veram eſſe exiſtimantes, dicamus nobis eſſe effingendum aliquem abyſſum ſubterraneum, latum, diffuſum, ac profundiſſimum, ad quem fiat ingreſſus, ſeu ad quem peruenire queat ſolummodo per aperturam aliquam, reuera altam & profundam ſed ſtrictam, itaut ad hunc abyſſum non fiat ex quacumque parte liber acceſſus, veluti ex omni parte C ad maris abyſſum fit acceſſus, ſed tantum per os cuiuſdam putei, ſicque per abyſſum ſignificari cor hominis, per puteum ſenſus illius externos, per quos obiecta ad mentem ingrediuntur.

Altum quidem eſt cœlum, profunda eſt terra, ſed mens, ſeu cor hominis altiora cœlo contemplari, & profundiora terræ centro penetrare contendit: nec cum tanta difficultate cœli alta, & terræ profunda contemplantur ac penetrantur, quanta difficultate percipiuntur quæ homo gerit in mente, iuxta illud Prouerb. 3. *Cœlum ſurſum & terra deorſum, & cor Regum inſcrutabile*: Et reuera inſcrutabile, cum Deo D ſoli ſit peruium & patens dicente Ierem. c. 17. *Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes, qui do vnicuique iuxta viam ſuam: & iuxta fructum adinuentionum ſuarum.* Dei ſolius eſt, de quo dicitur Daniel 3. *Benedictus es qui intueris abyſſos.* Vnde Eccl. 42. æq; laudi Deo tribuitur quod cor hominis inueſtigare valeat, quàm quod abyſſum penetrare queat. *Abyſſum*, inquit Sapiens, *& cor hominum inueſtigauit, & in aſtutias eorum excogitauit.* Ac ſi magnum ſit Deo aliquid excogitare, quod cor hominis non apprehendet. Rurſus de Dei oculis cuncta permeantibus dicitur Eccleſ. 23. *Quoniam oculi Domini multo plus lucidiores ſunt ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes. Domino enim Deo antequam crearentur omnia ſunt agnita*, & ſic poſt perfectum reſpicit omnia. Siue igitur abyſſum pro profunditate aquarũ multarum ſumamus, ſiue pro eo quod valde tectũ eſt & abſconſum, rectè per abyſſum cor hominis poſſumus intelligere, in quo reconduntur multæ cognitiones ſeu ſcientiæ, ſiue ex eo quod multæ & variæ cogitationes in mente hominum confuſè quodammodo eunt & redeunt, veluti fluxus & refluxus maris; ſiue quia per varia deſideria, & diuerſos affectus voluntas huc & illuc agitatur, nec facile percipitur quid homo cogiter, aut quid potiſſimum apud ſe determinet. Et cum homo gerat in mente ſeu in ſe quamdam ſapientiæ diuinæ vmbram ſiue imaginem (ad imaginem quippe Dei factus eſt homo) ſicut de

ſapientia

Digitized by Google

ſapientia diuina dicitur Eccleſiaſt. 24. *A mari enim abundauit cogitatio eius, & conſilium illius ab abyſſo magna.* Ita de mente hominum dici poteſt in ea eſſe infinitam quamdam cognoſcendi facultatem & capacitatem, & de hac & illa re ratiocinandi: à quâ infinitâ ad nullos propemodum limites coarctatâ facultate exeunt variæ & diuerſæ cogitationes, variæ & diuerſæ voluntatis determinationes, quæ à Deo ſolo pleniſſimè cognoſcuntur.

Eſt igitur cor hominis rectè quidem abyſſus: ſed quid per puteum intelligere debeamus, per quem ad cor hominis aliquid peruenire queat, vel etiam aliquid ab eo prodire, inquirendum.

Dico igitur per puteum ſignificari omnia organa ſenſuum, quibus mediantibus ad mentem obiecta ingrediuntur iuxta illud philoſophorum: *Nihil eſt in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu*: quæ cum ad cor hominum veluti ad abyſſum peruenerint, tunc ſenſibiles prodeunt actus, mentem & voluntatem hominum aperientes. Equidem ſi homo actus externos regulariter, iuxta lumen à Deo infuſum, cæleſtes ac diuinas irradiationes, Angelicas inſpirationes, lumen rationis, & vniuerſalia principia cognitionis, quamcumque particularem cognitionem ad vniuerſalem & bonum finem ordinaret, eſſet veluti abyſſus ad quem ex omni parte fieret acceſſus, & qua ratione infinitam Dei ſapientiam poteſt repræſentare clarè demonſtraret. Ipſum enim lumen intellectuale quod eſt in nobis, *nihil eſt aliud*, inquit S. Tho. 4. q. 84. ar. 5. *quam quædam participata ſimilitudo luminis increati in quo continentur rationes æternæ*, vnde in *Pſ. dicitur: multi dicunt quis oſtendit nobis bona? cui quæſtioni pſalmiſta reſpondet dicens, ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, quaſi dicat: per ipſam ſigillationem diuini luminis in nobis omnia demonſtrat.* Ita S. Tho. Sed quia præter lumen intellectuale in nobis exiguntur ſpecies intelligibiles à rebus acceptæ, ad ſcientiam de rebus materialibus habendam, ideoque per ſolam patticipationem rationum æternarum de rebus materialibus notitiam non habemus, hac de cauſa cum ſuam cognitionem haurire ex rerum ſenſibilium cognitione mens humana cogatur, abyſſus eſt, ſed habens puteum, per quem quodamodo coarctatur & reſtringitur. Rurſus adhuc coarctatur, cum plærumque homines in aliqua paſſione exiſtentes, non facilè imaginationem auertunt ab his circa quæ alliciuntur: vnde per conſequens, iudicium rationis plærumque ſequitur paſſionem appetitus ſenſitiui: & per conſequens, motus voluntatis, qui natus eſt ſemper ſequi iudicium rationis, vel etiam coarctatur, quia plerumque paſſio inclinat ad contrarium huius, quod ſcientia vniuerſalis habet; vel denique per quamdam, immutationem corporalem, in qua ratio quodammodo ligatur ne liberè in actum exeat; ſicut etiam ſomnus & ebrietas quadam corporali tranſmutatione factâ ligat vſum rationis. Et quod hoc contingat in paſſionibus patet ex hoc quod aliquando cum paſſiones multum intenduntur, homo amittit totaliter vſum rationis: multi enim propter abundantiam amoris & iræ ſunt in inſaniam conuerſi; & per hunc modum paſſio trahit rationem ad iudicandum in particulari, contra ſcientiam quam habet in vniuerſali. Tunc maximè coarctatur, & quaſi in puteum altum & profundum, ſed coarctatum, reducitur abyſſus magna intellectus & voluntatis humanæ. Abyſſus igitur eſt cor hominum: puteus quo ad abyſſum fit ingreſſus & egreſſus, eſt appetitus ſenſitiuus, qui per ea quæ per ſenſus accipit ad agendum mouetur.

At quænam eſt clauis, qua vel aperitur ille puteus vel clauditur. Clauis, vt exiſtimo, non abſurdè ſignificabit poteſtatem, qua aliquid poſſit in cor hominis peruenire, ſeu mentem & voluntatem attingere, ſiue vt cognoſcatur, ſiue vt diligatur; vel qua clauditur, ne aliquid prorumpat ex eadem abyſſo, vel in eo admittatur. Certe exiſtimo clauem huius putei eſſe propoſitionem obiectorum ſenſibilium, ſiue quæ alliciunt vt ea proſequamur, ſiue quæ terrent vt fugiantur & reſpuantur. Ex illa enim propoſitione obiectorum per actus externos, qui propter illorum perceptionem eliciuntur, cognoſcitur quid homo meditetur, quid velit & concupiſcat, dum in actus prorumpit ſtatim atque talia illi proponuntur obiecta. Hinc quia homines facile & abſque vlla renitentia feruntur ad ea quæ à ſenſibus menti objiciuntur, ſi ſint delectabilia; vel terrentur, ſtatim atque præſentiunt aliquid ſenſualitati iniucundum & incommodum, licèt Deus omnia fecerit ad eorum vtilitatem, & ad ſalutem animarum illorum cuncta ordinare intendat, videlicet vt per ea quæ ſenſibus objiciuntur omnes ad ſuam cognitionem & amorem euehat, nihilominus videntur factæ in odium, & in tentationem, adeò homines procliues ſunt ad ea quæ ſenſibus grata ſunt proſequenda, & ad ea quæ ingrata ſunt (licèt ad ſalutem conducibilia) refugienda, iuxta illud Sap. 14. *Quoniam creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animæ hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium.*

Hæc clauis datur ſtellæ, nempe Diabolo, quia à Deo illi permittitur nos per obiecta ſenſibilia tentare, vt ad delectabilia amplectenda alliciat, ſiue per moleſta nosà bono virtutis, quæ in arduo conſiſtit, auertere contendat: de qua poteſtate ſequentem inſtituimus Annotationem, vt pleniorem ſenſum iſtius loci habeamus.

Et data eſt ei clauis putei abyſſi.

De poteſtate tentandi permiſſa diabolo.

ANNOTAT. VI.

Qua ratione Deus homines tentari à diabolo permittat, & quo modo dæmon hac permiſſione vtatur. §. 1.

TENTARE eſt propriè, experimentum ſumere de aliquo, vt ſciatur aliquid circa ipſum v. g. quid velit, quanam virtute, aut poteſtate præditus ſit. Hoc autem fit vel bono vel malo fine; bono, ſi fit vt quis in ſcientia aut virtute incrementa capiat, vel ſaltem qualis & quantus ſit aliis innoteſcat; Malo autem fine, ſi fit vt cum decipiat vel ſubuertat. Deus priori ratione tentare dicitur, vt ſcilicet faciat alios ſcire quanam virtute is quem probat & tentat ſit præditus, vnde dicitur Deutero. 13. *Tentat vos Dominus Deus veſter, vt palam fiat vtrum diligatis eum.* Ipſe autem ad malum neminem tentat. *Nemo*, inquit S. Iacobus, *cum tentatur dicat quoniam à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum eſt. Ipſe autem neminem tentat* c. 1. ſecundum eam ſcilicet tentationem, quæ deceptionis vel ſeductionis eſt: ſecundum verò eam tentationem quæ probationis eſt, *tentauit Deus Abraham*, inquit S. Anſelmus in 3. c. 1. ad Theſſalonic. *Vnde ſi quis ex illecebris mundi, carnis blanditiis, ad peccandum inducatur, vel ex ſpoliatione bonorum, aut malorum inflictione à virtutis ſemita deterreatur, non eſt quod hoc Deo imputet, ſed ſibi, ſed dæmoni, qui carne & mundo vtitur, tanquam idoneis inſtrumentis, & materiâ aptiſſimâ vt homines alliciat ad peccata, ſequentes concupiſcentias & poſt eas abeuntes, aut humana proſperitate abutentes. Vnde ex hac tentatione cognoſcitur qualis ſit homo, ex hoc quod ſequitur concupiſcentias carnis vel eiſdem repugnat, & ex hoc quod contemnat proſpera mundi, vel aduerſa.* Ad hunc enim finem Deus, qui neminem ten-

Digitized by Google

tat, id eſt neminem ad malum aut peccatum inducit, permittit nos à dæmone tentari, & dat illi clauem putei abyſſi, vt videlicet cognoſcatur quales ſumus, & in virtute incrementa faciamus. *Facit enim*, inquit Paulus, *cum tentatione prouentum*. Interiorem enim hominis conditionem ſolus Deus nouit qui eſt ſpirituum ponderator, ex qua aliqui ſunt magis proni ad vnum vitium quàm ad aliud, & ideo diabolus Deo permittente, tentat explorando interiorem conditionem hominis, vt de illo vitio tentet ad quod homo magis pronus eſt. Abyſſus eſt cor humanum; claue accepta, id eſt poteſtate & permiſſione data tentandi, quid in hûc abyſſo recõdatur explorat diabolus, dum ſenſibus internis, aut externis obiecta proponit allicientia, aut à bono virtutis retrahentia. De hac diaboli tentatione hic agimus, non de Dei probatione aut tentatione ad incrementum aut manifeſtationem virtutis ordinata. His præſuppoſitis.

Dicimus primo, certum eſſe homines impugnari à dæmonibus, ita Apoſtolus Epheſ. 6. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus*: quæ impugnatio ex dæmonum malitia procedit, qui propter inuidiam, profectum hominum impedire nituntur: & propter ſuperbiam, diuinæ poteſtatis ſimilitudinem vſurpant, deputando ſibi miniſtros determinatos ad hominum impugnationem, ſicut & Angeli Deo miniſtrant in determinatis officiis ad hominum ſalutem. Ordinatur autem à Deo ad optimum finem, nouit enim ordinatè vti malis, ad bona ea ordinando v. g. ad iuſtorum probationem, ad virtutis augmentum & manifeſtationem, ad ſuam iuſtitiam exercendam, & propter profundiſſima illius iudicia.

Dicendum ſecundo, quod conueniens eſt vt homo à Diabolo impugnari, & tentari poſſit: *prouidentiæ enim*, ait ſanctus Dionyſius c. 4. de diuinis nominibus, *non eſt naturam corrumpere ſed ſaluare*. Hoc autem pertinet ad conditionem humanæ naturæ, vt ab aliis creaturis iuuari vel impediri poſſit. Igitur & in ſtatu innocentiæ, in quo ex ſpeciali beneficio gratiæ, hoc erat ei collatum, vt nulla creatura exterior ei poſſet nocere contra propriam voluntatem, per quam etiam tentationi dæmonis reſiſtere poterat: & in ſtatu naturæ lapſæ reparatæ, in quo non deeſt, ſed præſtò eſt auxilium diuinæ gratiæ & cuſtodia Angelorum bonorum, iuxta illud Eliſei 4. Reg. 5. ad miniſtrum ſuum: *Noli timere: plures enim nobiſcum ſunt, quam cum illis*; conueniens eſt vt Deus homines tentari permittat, per malos Angelos, & iuuari eos faciat per bonos.

Dicendum tertio, malos Angelos impugnare homines dupliciter: vno modo, inſtigando, ad peccatum, & ſic non mittuntur à Deo ad impugnandum, ſed aliquando permittuntur ſecundum Dei iuſta iudicia: Aliquando autem impugnãt homines, puniendo, & ſic mittuntur à Deo, ſicut miſſus eſt ſpiritus mendax ad puniendum Achab Regem Iſraël, vt dicitur 3. Reg. c. vltimo. Pœna enim refertur in Deum ſicut in primum auctorem, & tamen dæmones ad puniendum miſſi, alia intentione puniunt quàm mittuntur: nam ipſi puniunt ex odio, vel inuidia, mittuntur autem à Deo propter eius iuſtitiam S. Tho. 1. p. q. 114. ar. 1. ad 1. De hoc ſecundo modo impugnationis per punitionem, aut etiam per perſecutiones externas, veluti tormenta, & ſupplicia, quibus tyranni olim martyres per dæmonum ſuggeſtionem impugnarunt, non loquimur: de hac alibi, hic de illa impugnatione, qua homines ad peccandum inducit ſuis inſtigationibus, proprie loquimur.

Dicendum quarto, quòd licèt diabolus minimum haberet poteſtatis in homine ante peccatum, vnde non potuit eum interiori ſuggeſtione, ſed ſolum exteriori tentare 1. 29. 165. ar. 2. ad 2. nunc tamen Diabolus, non ſolum proponendo, vel offerendo obiecta & perſuadendo obiectum propoſitum habere rationem boni, ſeu offerendo aliquid appetibile ſenſui, vel perſuadendo rationi, indirectè mouere poteſt voluntatem ad peccandum: nec enim poteſt eſſe cauſa peccati directè vel ſufficienter, ſed ſolum per modum perſuadentis, & proponentis appetibile, quia voluntas non ex neceſſitate mouetur ab aliquo obiecto, niſi ab vltimo fine: vnde non eſt ſufficiens cauſa peccati, neque res exterius oblata, neque ille qui eam proponit, neque ille qui perſuadet. Sed etiam per internam inſtigationem ad peccandum inducere poteſt. Licèt enim intellectum mouere non poſſit ad cognitionem veritatis, quia diabolus hoc circa hominem non intendit, tamen obtenebrat eum ad conſentiendum peccato, interiùs operando in phantaſia, & appetitu ſenſitiuo, quorum vtrumque commouendo poteſt inducere ad peccatum. Poteſt enim operari ad hoc, quod imaginationi aliquæ formæ imaginariæ præſententur; poteſt etiam facere quod appetitus ſenſitiuus concitetur ad aliquam paſſionem, natura enim corporalis ſpirituali naturaliter obedit ad motum localem, vnde & diabolus omnia cauſare poteſt, quæ ex motu locali corporum inferiorum prouenire poſſent, niſi virtute diuina reprimatur. Quod autem aliquæ formæ repræſententur imaginationi, ſequitur quandoque ad motum localem; dicit enim Philoſophus in lib. de ſomno & vigilia, *quod cum animal dormierit, deſcendente plurimo ſanguine ad principium ſenſitiuum, ſimul deſcendunt motus, ſiue impreſſiones relictæ ex ſenſibilium motionibus, quæ in ſenſibilibus ſpeciebus conſeruantur, & mouent principium apprehenſiuum: ita quod apparent, ac ſi tunc principium ſenſitiuum à rebus ipſis exterioribus immutaretur.* Vnde talis motus localis ſpirituum vel humorum procurari poteſt à dæmonibus, ſiue dormiant ſiue vigilent homines: & ſic ſequitur quòd homo aliqua imaginetur. Similiter etiam appetitus ſenſitiuus concitatur ad aliquas paſſiones, ſecundum quemdam determinatum motum cordis & ſpirituum, vnde ad hoc etiam diabolus poteſt cooperari: Et ex hoc quod paſſiones aliquæ concitantur in appetitu ſenſitiuo, ſequitur quod & motum ſiue intentionem ſenſibilem prædicto modo reductam ad principium apprehenſiuũ, magis homo percipiat, quia vt Philoſophus in eodem libro dicit: *Amantes modicâ ſimilitudine in apprehenſione rei amatæ mouentur.* Contingit etiam ex hoc quod paſſio eſt concitata, vt id quod proponitur imaginationi iudicetur proſequendum, quia ei qui à paſſione detinetur, videtur eſſe bonum id ad quod per paſſionem inclinatur, & per hunc modum diabolus inducit ad peccandum. Lege D. Tho. 12. q. 80. ar. 1. & 2.

Ex his patet quomodo diabolus poteſt dici habere clauem putei abyſſi, cum enim intellectus hominis moueatur à phantaſia & imaginatione, & voluntas hominis ſequatur apprehenſionem intellectus, cumque per paſſionem poſſit facultas ratiocinandi quodammodo coarctari, poſſitque diabolus tum exterius, tum interius, per obiecta ſenſibilia & phantaſmata ciere & mouere intellectum & voluntatem ad actus peccaminoſos, patet quomodo habeat clauem putei abyſſi, id eſt cordis humani, ſeu intellectus & voluntatis humanæ. Siquidem per ſenſus & per phantaſmata ſua inculcat pernicioſa conſilia, ex quibus oriuntur peruerſæ determinationes, obtenebrata mente, & cœca voluntate, quæ cum ar-

Digitized by Google

dore concupiſcentiæ in actus prodeunt. Dicere poſſumus locuſtas ex eis prodire tanquam è fumo putei, vt poſtea videbimus. Sit igitur cor hominis, intellectu & voluntate conſtans, abyſſus coarctatus vt puteus, quia nihil niſi ſecundum ſenſus & imaginationem, & impulſus paſſionum cogitet aut velit. Huius putei clauem habet dæmon, quia & ſenſus mouendi, & phantaſiam turbandi, & paſſiones excitandi vim habet & facultatem, vel etiam ad obſtruendum & quodammodo claudendum motus ſenſuum & phantaſiæ circa bonum virtutis: itaut de homine, qui delectabilia ſolum proſequitur, & omnia ſenſui amara (etſi rationi conſona) refugit, dici poſſit: *Animalis homo non percipit ea quæ Dei ſunt.* Videndum igitur nunc quomodo tribus his mediis, primo nempe per ſenſus externos, ſecundo per imaginationem, tertio per paſſionum commotionem, dæmon tanquam per clauem, intellectum & voluntatem aperiat per conſenſum, aut obſtruat per diſſenſum.

De primo medio quo dæmon aperit aut claudit cor humanum, nempe per ſenſus externos. §. 2.

Experientia docet quod dæmon viſionibus & ſpectris pellicit aut terret, vocibus ac clamoribus ſuadere, aut diſſuadere nititur, venenoſis inficit ſaporibus, fætidis vexat odoribus, tactibus impudicis corpus contaminat, inordinatis phantaſmatum motibus importunas ingerit cogitationes, mentem in diuerſa rapit, & ſubitaneis ac improuiſis humorum, phantaſmatum, & paſſionum motibus attonitum reddit: vel è contra, humorum ac phantaſmatum ligatione timidum ac puſillanimem, & ad bonum inutilem facit; occultis, violentis, fraudulentis, perplexis ſuggeſtionibus ita diuexat, vt vix fieri poſſit quin aliqua ratione in fumum exeat determinati conſenſus ad malum agendum ac perpetrandum, niſi ſpeciali Dei auxilio, qui non ſinit nos tentari ſupra modum, ab his eruamur periculis. Denique ad vana gaudia impellit, triſtitiâ animum deprimit, vanâ ſpe nimium extollit, timoribus conſtringit, vt vel irâ quis excandeſcens, quo citius circa ea quæ vires ſuperant temerariè fertur, eo velocius cadat; vel deſperatione depreſſus tandem his ſuggeſtionibus conſentiat. De viſionibus & clamoribus legendus S. Athanaſius in vita S. Antonij, qui poſtquam docuit *quod ingens eorum turba iſtum peruolat aërem, & quod non procul a nobis hoſtium caterua diſcurrit, & quod certum eſt nihil Deum feciſſe quod malum eſt, nec ab eius inſtitutione dæmonum cæpiſſe principia; peruerſitas iſta non naturæ, ſed voluntatis eſt vitium, boni etenim vt pote à Deo conditi, ex proprio mentis arbitrio ad terras ruere de cœlis, ibique in cœni ſordibus volutati, gentilitatis impias conſtituere culturas; & nunc de nobis torquentur inuidiâ, atq; vniuerſa mala commouere non ceſſant, ne priſtinis eorum ſedibus ſuccedamus.* Hæc Athanaſ. qui poſtea docet quomodo viſionibus & clamoribus terrere aut ſuadere aliquid pertentant. *Solent*, inquit, *apud eum*, Antonium nempe, *dæmones ſæpiùs grauius aſſurgere, & mutata arte pugnandi, cum cogitatione nihil egerint, pauoribus terrent, aſſumentes nunc mulierum, nunc beſtiarum, nunc ſerpentiũ formas, nec non & ingentia quædam corpora, & vſque ad tectum domus porrectum caput, infinitas ſpecies, & militum caternas.* Et poſtea: *Frequenter enim legentibus nobis, quaſi echo ad extrema verba reſpondent. Dormientes quoque excitant ad orandum, vt totius noctis ſomnum eripiant: pleroſque etiam, dum ſe in Monarchorum nobilium habitu transferunt, monachos coërcent, & priſtina quibus conſcij ſunt peccata imputant. Sed ſpernendæ ſunt eorum increpationes, & admonitiones ieiunandi, vigiliarum quoque fraudulenta ſuggeſtio: ob id enim familiares nobis ſpecies aſſumunt, vt affinitate virtutum nocentes, facilius virus interſerant, & innocentes quoſque per ſpeciem honeſtatis elidant.* Et paulò poſt: *Omma dæmones ſimulant, colloquuntur ſæpe cum fratribus & eos ſæpe conturbant, ſæpe inconditos excitant ſonitus, manus apprehendunt, ſibilant, inſipienter cachinnant, vt vel in puncto peccati, Chriſtianum pectus introrant.*

Quod autem per guſtum etiam conetur intrare, ſatis patet ex vitio gulæ quod ſuggerit: ſic Eua *videns quod bonum eſſet lignum ad eſcendum, & pulchrum oculis, adſpectuque delectabile, tulit de fructu illius, & comedit.* Quod ponderans S. Bernardus tractat. de gradibus humilitatis, ſic Euam alloquitur. *Te enim intentá ad aliud, latenter interim in cor tuum ſerpens illabitur, blande alloquitur, blanditiis rationem, mendaciis timorem compeſcit. Nequaquam, inquiens, morieris. Auget curam, dum incitat gulam, acuit curioſitatem, dum ſuggerit cupiditatem, offert tandem prohibitum, & auferi conceſſum, porrigit pomum, & ſurripit paradiſum: hauris virus pernitura, & perituros paritura, &c.* Ita Bernard. Et verè virus: venenum enim ſunt quantumuis dulces ſint ſapores, dum propter ſuauitatem ciborum mens famelica redditur, & Dei offenſa incurritur. Vnde Prouerb. 23. monet Sapiens: *Ne intuearis vinum quando flaueſcit, cum ſplenderit in vitro color eius. Ingreditur blandè, ſed in nouiſſimo mordebis vt coluber, & ſicut regulus venena diffundes: oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruerſa, & eris ſicut dormiens in medio mari & quaſi ſopitus gubernator.* Nonne hoc venenũ eſt præſentiſſimum, ſi propter appetentiam ciborum pro Deo venter habeatur. *Multi enim ſunt*, dicebat Paulus, *quos ſæpe dicebam vobis, & nunc flens dico, inimicos crucis Chriſti, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione eorum qui terrena ſapiunt.* Philipp. 3. *Miſeri autem*, vt ait Clemens Alexand. l. 2. pædagogi, *qui è conuiuio temperantiam exigunt; quæ in compotationibus verſatur intemperantiam, vitam eſſe beatam exiſtimant, quorum vita quidem nihil eſt aliud quam comeſſatio, crapula, balnea.* Ita Clem.

Quod de ſaporibus dicimus, hoc de odoribus, qui vt ait Clem. Alexand. l. 2. pædagogi *ad libidines & voluptates impellunt, maxime cum nox prope eſt*, &c. Et poſtea reprehendens nimium odoris ſtudium, *in dies enim ab eis* (mulieribus videlicet) *noua excogitantur, vt inexplebilem cupiditatem boni odoris inſatiabilitate expleant: quo circa nimiam quandam decori pulchrique curam redolent, atque ea quidem & ſua veſtimenta, & veſtes ſtragulas domoſque ſuas ſuffumigant, & adſpergunt, atque adeo vel ipſas propemodum matulas olere coguntunguenti delicia.* Et paulo poſt: *ſuauis autem odoris ſtudium eſt, eſca otij & mollitiei, quæ ad libidinoſam & intemperantem cupiditatem paulatim attrahit: qui enim eſt intemperans vndequaque ducitur & trahitur & à cibo, & à ſtrato, & à cõuerſatione, & ab oculis, & ab auribus, & à maxillis atq; adeo etiam à naribus, & ſicut boues annulis & funibus, ita etiam intemperans ſuffitibus & vnguentis & ſuaue olentibus coronarum trahitur.* Ita Clem. Si igitur intemperans naribus æque ac aliis ſenſibus ad malum trahitur, dæmon ſemper perditioni noſtræ inuigilans, bonis odoribus etiam ad malum inducere conabitur. Denique quod per ſenſus tactus dæmon nos contaminet, quis oſcula meretricia, concubitus illicitos, ad quæ omnia nos incitat dæmon, ignorat. Lege Apoſtolum Rom. 1. videbis Deum impios tradidiſſe in paſſiones ignominiæ: *nam & fœminæ eorum mutauerunt naturalem vſum in eum qui eſt præter naturam: ſimiliter autem maſculi, relicto vſu naturali, exarſerunt in deſiderio ſui, inter ſe inuicem maſculi in maſculos turpitudinem operantes, & mercedem quam oportuit erroris ſui in ſe recipientes.* Quis hoc operatur? nonne dæmon horum omnium quantum poteſt inuentor eſt, & inſtigator? Gaudet enim maximè dæmon, vt poſt Auguſtinum notat S. Tho.

Digitized by Google

1. 2. q. 73. ar. 5. ad 2. *de peccato luxuriæ, quia eſt maximæ adherentiæ, & difficilè homo ab eo poteſt eripi. Inſatiabilis enim delectabilis appetitus.* Ita S. Tho. Quod maximè patet ex incubis, & ſuccubis dæmonibus, qui viros ac mulieres corrumpunt, & in libidines prodigoſas prouocant. Ex his patet quomodo per omnes ſenſus dæmon conatur nos ad malum & peccatum inducere & incitare, vt merito S. Cyprianus, de Cardinalibus Chriſti operibus, de ieiunio & tentatione hoc modo dæmonem interpellit promittentem omnia regna mundi: *Si de mundo viſibili, id eſt de cælo & terra, & de his quæ in eo aguntur te iactas habere dominium, nec cæli & terræ tu conditor, nec curſum das ſyderibus, nec per te voluitur firmamentum, nec vides aut intelligis Deum, nec vllum eſt tibi cum cæleſti militia conſortium, vel aliquem habes ad ſuperioris mundi claritatem acceſſum. Huius inferioris mundi tua eſt ſcabies. Languentis ſunt vlcera, hæc ſcalpis, hæc impurus ablingis: ſiquid vitij eſt, ſi quid corruptelæ tu cadaueribus adſides, tu contrectas putredines, tu diſtemperas fæces, tu verſas fatores, tu ſpiritus nequam in piſtrino ſeculi huius fermentator immundus, tu ſanctitatis corruptor, & ſimplicium perturbator, tu incendiator libidinum, & omnium turpitudinum adinuentor. In his regnas quos inquinas, & in his quos polluis dominaris: fornicatores & adulteri te habent ſuggeſtorem, te habebunt toriorem, te quoque cum illis vltima incendia concremabunt.* Ita Cyp. Vides quomodo dæmon clauem habeat abyſſi, cum per obiecta ſenſibilia mentem & voluntatem mouet & inducit ad peccatum.

Rurſus alio modo etiam exterius impugnat, nempe illuſionibus. Sic Antonium impetiuit, *dum illi ieiunanti*, inquit S. Athanaſius, *viſus eſt Antonio Monacho ſibi panes offerens, ſuadenſque vt veſceretur, & aliquid indulgeret corpuſculo. Et tu, inquit, homo es, & humana fragilitate circumdaris, labor paululum conquieſcat, ne ægritudo ſubripiat. Præſentiſ vir Dei inſidias, & ad conſueta Chriſti munimenta confugiens, tanquam per feneſtram fumus laberetur euanuit.* Sic illudere conatus fuit S. Abrahamum, vt habetur in eius vita à S. Ephrem conſcripta. *Vehementer boneſtatis inimicus aduerſus beatum Abrahamum exacerbatus, acriterque effera-*
tus, venit ad eum magno cum phantaſmate, vt ſaltem ſic terrorem illi inuitiens facilius fallere atque decipere eum poſſet. Ita S. Ephrem, qui poſtea varia affert illuſiones, quibus ſanctum virum decipere dæmon conatus eſt; *modo enim lux magna media nocte in eius cella reſulſit, & vox audita eſt dicens: Beatus eſt Domine Abraham, verè inquam beatus es, quoniam nullus in cunctis retro ſactis inuentus es, ſicut tu, nullusque ita omnes voluntates meas perfecit, vt tu. Modo poſtea ſatanas tenens ſecurim cæpit cellam eius euertere, cumque eam iam videretur perforaſſe, magnâ exclamauit voce dicens: Feſtinate celeriter, ô amici mei; feſtinate, & introëuntes cito eum ſuffocate. Paucis interlabentibus diebus floream ſuper quam pſallens conſiſtebat vehementi flammâ videbatur comburi, deinde dum vir ſanctus cibum ſumeret, appa-*
uit Satan in forma adoleſcentis, & propius accedens catinum eius nitebatur euertere; & mox ad aliam ſe illuſionem dæmon conuertit, ſtatuens quaſi candelabrum coram eo, & ardentem deſuper imponens candelam, magnâ voce pſallere incæpit ac dicere: Beati immaculati in via, &c. Denique poſt aliquot dies venit ad eum inimicus cum alio phantaſmatæ copioſæ cuiuſdam turbæ, ac multitudinis hominum, qui quaſi ex conſertis in collum funibus ſe inuicem conſtringere ac trahere videbantur, & inter ſe dicere: projicite hominem illum in foueam. Quas omnes ſatanæ illuſiones ſanctus vir deuicit, humilitate, Charitate & ſpe & fiducia in Deum, animi magnitudine & conſtantia, prudenti ac ſagaci factorum ac dictorum ſatanæ examine, ac virium & fallaciarum eius deſpicientia, vt tanquam fumus à conſpectu eius euaneſceret.

De ſecundo medio, quo tanquam claue dæmon conſenſum cordis aut diſſenſum exigit. §. 3.

Viſo primo medio, ſecundum quod dicere poſſumus dæmonem accepiſſe clauem putei abyſſi, id eſt, poteſtatem inducendi ad peccata per obiecta ſenſibus externis oblata, ſecundum medium eſt, quia phantaſmata mouet, vel immediatè vel mediatè, iuxta humorum & complexionum qualitatem, quibus mens in diuerſas cogitationes abit, & modo ad hoc, modo ad illud vitium inclinatur. Oppugnat enim dæmon ſanctos variis tentationibus & imaginationibus, & inſaniæ machina ſicut, vt refert S. Ephrem, oppugnauit Abrahamum Eremitam, quamuis nunquam potuerit timorem aliquem mœnti & cogitationi eius incutere. Terram ſiquidem circuit, quia vt ait S. Gregorius l. 2. Moral. c. 23. *Humana corda circumeunit, vt bona tollat, vt mala mentibus inſerat, vt inſerta cumulet, vt cumulata perficiat, vt perfectos in iniquitatibus ad pœnam ſocios acquirat.* Ita Greg. A quo rurſus habemus quomodo mentibus mala inſerat, *nempe ſomniis, nobis dormientibus: ſæpe namque malignus ſpiritus his quos amore vitæ præſentis vigilantes intercipit, proſpera etiam dormientibus promittit; & quos formidare aduerſa conſiderat, eis hæc durius ſomnij imaginibus intentat, quatenus indiſcretam mentem diuerſa qualitate afficiat, eamque aut ſpe ſublenans, aut timore deprimens confundat. Sæpe etiam ſanctorum corda afficere ſomniis nititur, vt ab intentione cogitationis ſolidæ, ad tempus ſaltem momentumque detineantur, quamuis ipſi protinus animum ab illuſionis imaginatione diſcutiant.* Ita S. Greg. in 7. c. Iob. l. 8. Moral. c. 13. Quod facit nobis dormientibus, hoc etiam poteſt vigilantibus, vt ſupra docuit S. Tho. *Poteſt enim*, vt ipſe ait, *operari ad hoc quod imaginationi aliquæ formæ imaginariæ præſententur.* Quærit S. Athanaſius 11. ad Antiochum 15. *Vnde mouentur in corde hominis cogitationes, & meditationes contumelioſæ, execrabiles atque nefariæ, quas ſæpius in Dei iniurias tendunt, & quas nec anima vellet proferri nec hominis lingua nominare.* Et reſpondet: *Huius auctor eſt & operator diabolus. Ille iſta nefanda in hominis animam ſubminiſtrat, loquens contra Deum verba, quo poſſit in deſperationem adducere hominem. Sed non ex hoc præcisè condemnatur homo: abſit: Talis namque cogitatio ex leui ſuſpicione ſurrepit homini, ſed ab eo diſcedit, dum cogitabit ſeipſum eſſe terram & puluerem, non admodum ponderans talem cogitationem, ſed diabolo dicens: Blaſphemia tua ſit in caput tuum, diabole. Ego enim Dominum Deum meum adorabo, nec cum vnquam blaſphemabo. Securè igitur eſt intendendum his dictis. Complures namque hominum ab huiuſcemodi cogitationis victi, partim ſemetipſos in præcipitium egerunt, partim in deſperationem venientes perierunt.* Hæc S. Athanaſ. Ecce quaſi clauis ſecunda, nempe cogitationes, quaſi ex motione phantaſmatum ingerit.

De tertio, medio quo diabolus mentem & cor hominis inducit ad peccati conſenſum, nempe commotione paſſionum. §. 4.

Tertia quaſi clauis eſt excitatio paſſionum, plærumque ſecundum humores in nobis prædominantes, de quibus S. Athanaſius in vita S. Antonij diſſerit, quomodo diſcerni debeant apparitiones bonorum Angelorum, ab apparitionibus peſſimorum. *Sanctorum*, inquit, *Angelorum amabilis & tranquillus adſpectus eſt: quia non contendunt, neque clamant, neque audiet quiſquam vocem eorum: verum tacitè leniterque properantes, gaudium, exultationem, fiduciam pectoribus infundunt. Siquidem cum illis eſt Dominus, qui eſt ſons, & origo lætitiæ.* Hæc de bonis Athanaſ. *Peſſimorum verò*, inquit, *vultus truces, ſonitus horridi, ſordidi cogitatus, plauſus motuſque indiſciplinatorum adoleſcentium,*

Digitized by Google

vel latronum, è quibus confeſtim timor animæ, ſenſibus ſtupor incutitur, odium Chriſtianorum, Monachorum mœror tædiumque, ſuorum recordatio, & metus mortis, cupido nequitiæ, laſſitudo virtutis, cordis hebetatio. Ita Athanaſ. Quod de timore, ſtupore, odio, cupidine, hoc de ira & cæteris paſſionibus dicendum, quarum damna explicat S. Ephrem de perfectione Monachi. *Si in vobis*, inquit, *aſſueuerit ſerpens, multiplicabit prolem multaſque latebras faciet, ac terram tuam occupabit: quæ cum perforata & pernia longe lateque fuerit anguibus aliiſque reptilibus, ſeminari nequit, ſataque damno obnoxia erit, quia à ſerpentibus fructuum prouentus vaſtatur atque dejicitur: niſi citiùs paſſiones, quæ in te cernuntur, ſuſtulieris, ſulcus efficiunt; niſique paruam putredinem curaueris, in infinitum excreſcet, omnemque ſubſtantiam tuam corrumpet. Hinc illincque obturas tuum antrum, & ſerpens (quem diximus eſſe paſſionem) aliunde aperturam facit: vnum aditum tu recludis, ille autem exius varios patefacit: non poteſtis præualere paſſionibus, vbi diuturnum callum obduxerint.* Ita S. Ephrem: Ex quo vides paſſionem eſſe ſerpentem aperturam facientem, vt meritò dixerim ipſam eſſe clauem dæmonis, qua in cor hominis ſibi parat ingreſſum. Quia igitur dæmon poteſt excitare paſſiones, quibus cor hominis ad peccatum pertrahi poſſit, dicimus eas eſſe quaſi clauem putei abyſſi in manu diaboli. Ad cuius malitiam omnia ferè mala noſtra refert S. Petrus Chryſologus Serm. 1. de ieiunio & tentatione Chriſti, dum ait: *Quod curioſitas humana, quod veterum labor, quod ſapientia mundana quærens, & diu quærens non potuit inuenire, hoc ſcire & neſcire facile præſtitit lex diuina. Vnde malum? Culpa vnde? Vitiorum vis vnde? Vnde criminum furor? Vnde corporum bella? Vnde conflictus animæ? Vnde vitæ tempeſtas tanta? Vnde mortis naufragium tam crudele? Neſciret homo, niſi Dei lex diabolum prodidiſſet. Diabolus mali auctor, nequitiæ origo, rerum hoſtis, ſecundi hominis ſemper inimicus: ille laqueos, tendit, lapſus parat, foueas fodit, aptat ruinas, ſtimulat corpora, pungit animas, cogitationes ſuggerit, immiſtis iras, dat virtutes odio, vitia dat amori, errores ſerit, diſcordias nutrit, pacem turbat, affectus diſſipat, conſcindit vnitatem, ſapit malum ſatis, bonum nihil, violat diuina, humana tentat.* Hæc Chryſoſt.

Et Serm. 2. idem Chryſol. *Ille cibum noſtrum deducit in crapulam, potum noſtrum in ebrietatem diffundit, vt mentem faciat amentem, carnem luteam reddat; corpus animi domicilium, animæ vas, murum ſpiritus, virtutum ſchola; Dei templum, in ſcenam criminum, in vitiorum pompam voluptatum redigat in theatrum. Cupit ille ſatietatem, voluptatem percipit, expletur epulis; quando nos luxus ſoluit, libido ſtimulat, pompa rapit, impellit ambitio, vrget ira, furor implet ſuccendit inuidia, cupiditas inflammat, curæ ſolicitant, lites vexant, lucra capiunt, vſura vincunt, chirographa ligant, premunt ſæculi, elidit aurum; quando moriuntur virtutes, viuunt vitia, voluptas effluit, honeſtas perit, miſericordia deſitit, abundat auaritia, regnat confuſio, ſuccumbit ordo, proſternitur diſciplina. Iſta militant aduerſus Chriſtum, iſta diaboli legiones, &c.* Ita Petrus Chryſ. Quæ omnia vera ſatis patebunt ex his quæ de locuſtis infra dicemus. Nunc hæc omnia in medium protulimus, vt poſſemus percipere quomodo diabolus clauem habeat, vel ſenſus externos, vel phantaſiam vel paſſionem appetitus inferioris, qua claue mentem, qua cor hominis aperire per conſenſum, & claudere per auerſionem à bono virtutis poſſit ac valeat. Sed quia ex his mediis, quibus vtitur dæmon ad vexandos homines, variæ & multiplices exoriuntur tentationem veluti ſpecies, ideo de his nunc agendum.

De ſeptemplici modo tentandi homines. Qua de cauſa ſub variis beſtiarum formis, à ſcriptura & patribus dæmon depingitur. §. 5.

Cum dæmon importunis, ambiguis, fabitis, occultis, violentis, fraudulentis & perplexis animi motibus ac cogitationibus, ſeu ſuggeſtionibus homines vexare ſoleat, non mirum ſi tot tantiſque modis & imaginibus ferarum ac beſtiarum à patribus deſcribatur dæmonis malitia, vt modo muſca, & culex, modo vulpes, modo pardus, modo ſerpens, modo leo, modo draco, modo auis, aut quid ſimile dicatur. *Nouit quippe*, vt ait S. Leo Ser. de natali Domini, *diabolus cui adhibeat æſtus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus inuidiæ. Nouit quem mœrore conturbet, quem gaudio ſallat, quem metu opprimat, quem admiratione ſeducat: omnium diſcutit conſuetudines, venilat curas, ſcrutatur affectus; & ibi cauſas quærit nocendi, vbicumque viderit ſtudioſiùs occupari.* Ita S. Leo. Vt pro ratione vitij ad quod impellit, figuram obtineat illius beſtiæ, quæ cum hoc vitio quamdam habet ſimilitudinem & analogiam. Hæc fusè docet S. Gregor. l. 33. in Iob. c. 14. ponderans quomodo & Behemoth, & Leuiathan, & Anis dicatur; nempe Bellua quadrupes, ſerpens in aquis, Auis in aëre: *Nunquid illudes ei quaſi aui. Cur ergo*, inquit S. Gregor. *bellua vel iumentum, cur draco, curauis appelletur indagemus. Citius enim nomina eius agnoſcimus, ſi tergiuerſationis illius æſtutiam ſubtiliter exploremus. De cælo quippe ad terram venit, & ad ſpem cæleſtium nulla iam reſpiratione ſe erigit. Irrationabile ergo & quadrupex animal eſt, per actionis immundæ fatuitatem: Draco, per nocendi malitiam; Auis, per ſubtilis naturæ leuitatem: quia enim hoc quod contra ſe agit, ignorat, bruto ſenſu bellua eſt: quia malitioſè nobis nocere appetit, draco eſt; quia verò de naturæ ſuæ ſubtilitate ſuperbe extollitur, auis eſt. Rurſum quia in hoc quod inique agit, ad vilitatem noſtram diuina virtute poſſidetur, iumentum eſt; quia vero latenter mordet, ſerpens eſt; quia autem nonnunquam per indomitam ſuperbiam ſe etiam lucis Angelum ſimulat, auis eſt.* Ita Greg. Sed quod ad noſtrũ pertinet potiſſimũ pertinet propoſitũ eſt quod addit: *Humanum etenim genus quamuis inexplicabili arte laceſſat, tribus tamen vitiis valde tentat: vt videlicet alios ſibi per luxuriam, alios per malitiam, alios per ſuperbiam ſubdat. Non ergo immeritò in eo quod agere nititur, ex ipſo ſuarum actionum nomine vocatur, cum iumentum, draco, vel auis dicitur. In eis quippe quos ad ſtultitiam luxuriæ excitat, iumentum eſt; in eis quos ad nocendi malitiam inflammat, draco eſt; in eis autem quos in faſtum ſuperbiæ, quaſi alta ſapientes eleuat, auis eſt: in illis vero quos pariter in luxuria & ſuperbia, & malitia polluit, iumentum, draco & auis exiſtit. Per tot namque ad deceptorum cor ſe ſpecies intulit, in quot eos nequitias implicauit. Multarum igitur rerum nomine vocatur, quia ante deceptorum mentes in varios formarum ſpecies vertitur.* Ita Greg. *Igitur*, vt optimè S. Ephrem. Serm. 1. Aſcetico ad fratres, *caueamus eius inſidias: quoniam per eas aduerſum nos decertat, ne dum nos velut ex omni parte ſecuros ducimus, ipſe ſibi ingrediendi locum inueniat. Si enim tanquam Leonem firma murorum communitione ipſum arceamus, tanquam canis efficitur, vt propter vilitatem eum minimè deuitemus. Si vt canem excludamus, volucris inſtar per feneſtram ingreditur. Metuimus eum dum aquilam ſe exhibet: & mox paſſerculus apparet. Ejicimus vt coruum, & velut apis inſilit; cumque in omnibus cognouerimus eum, tunc in culicem ſeſe transformans: non exiguâ nos afficit inimicitiâ. Culices recentia vina muſtumque corrumpunt: quoniam illorum multitudo ſterquilinio commiſcetur, ſicut cum farina fermentum, & ſæpe mortiferum vel certe morbidum vinum reddunt, ſi vel morticiniis inſederint aut venenata guſtauerint. Talis quoque eſt quæ in*

Digitized by Google

paruis prænalet conſuetudo: nam animæ detrimentum affert ad omnem draconis diſpoſitionem. Talis eſt ſubtilitas inimici, inducens iis, qui ſibi videbantur ſecuri, perniciem. Ita S. Ephrem.

At ſecundum has vanarum beſtiarum formas, ſeptemplices nocendi hominibus artes illius expendamus. Et primo nocet importunis cogitationibus. Et quis quæſo ſe extricare poterit ab importunis illis malis cogitationibus, quæ ſtatim atque fuerint paſſæ repulſam, rurſus ſe ingerunt? Quis illas inutiles euitare poterit; quæ nulla habita ratione loci, temporis, occupationis, impudenter ſeſe intromittunt, & animi lædunt puritatem, modo rei concupitæ præſentiam præuenientes, modo ex præſentia illius, concupiſcentiæ circa eam, vim & inclinationem exacuentes, & fortiùs ac intenſiùs in appetitu radicantes; modo ſi ſubtracta fuerit illius præſentia, ex memoria ſeu reminiſcentia rei, mentis quietem perturbantes? Quo fit vt ſicut ex febre acuta & continua, corpus in quolibet temporis articulo atteritur; ſic illæ cogitationes pedetentim totum virtutis ſtudium extenuant. *Muſcæ morientes*, vt inquit Sapiens, *perdunt ſuauitatem vnguenti*, Eccl. c. 10. *Patitur ſe draco*, inquit S. Ephraim ſer. aſcetico, *in muſcam transformari, vt impietatis ſanie miſeros obleſtet; inter improbos verſatur, vt draco; at inter luxu diſſluentes, vt muſca.* Ita S. Ephrem. Proprium quippe eſt eorum qui in otio degunt his cogitationibus importunis & inutilibus vexari: qui enim ſeriò negotio ſalutis incumbunt, ab eis ſunt immunes. Tam arduum quippe eſt hoc negotium, vt nullum detur temporis ſpatium, in quo anima ſibi otio indulgendum eſſe exiſtimet. *Vſa quidem communitæ ne a muſcis illudantur*, inquit S. Ephrem ibidem, *animam verò non munitam relinquere, abſurdum eſt. Sicut & præter rationem exiſtit, de rebus quæ ſub ſenſus cadunt tuendis ſolliciti nos eſſe, at de mente munienda atque ſeruanda non laborare. Iubet in prouerbiis ſapientia pigrum ad formicas ire, & ab iis ſapientiam addiſcere.* Ita S. Ephrem. Labora igitur vt verus Chriſti miles, ne his cogitationibus quietem animi amittas. His enim tandem non nimietate, ſed aſſiduitate animæ vires debilitantur, vt peccato facile aſſentias, dum illud perpetrandi ſeſe offert occaſio. De hoc genere tentationis dicere poſſumus illud Iob. c. 14. *Lapides excauant aquæ, & alluuione paulatim terra conſumitur. Quia videlicet*, inquit S. Gregor. l. 12. in Iob. c. 13. *duritiam abſorbent aſſidua & mollia blandimenta libidinis, & lentum atque ſubtile vitium corrumpit durum & forte propoſitum mentis.* Ita Greg. Ad aliud genus tentationis tranſeamus. Dæmonem igitur vt vulpem ambiguitate tentationum conſideremus.

Quis autem tricas & ambages inſidiantis inimici euitare valebit, *quibus*, vt dicitur Iob. c. 20. *cogitationes variæ ſuccedunt ſibi, & mens in diuerſa rapitur?* Vaſer eſt dæmon, & omnem lapidem mouet, vt anima lumen rationis amittat, vt ſic in quoduis præcipitium illam impellat. Quo autem filo ducti ex hoc dædali labyrintho effugiemus? Quo ſolis lumine hæ nebulæ diſſipari poterunt? Obtenebrati quippe, quæ nobis forent vtilia in dubium reuocamus; & vano timore perculſi, quæ timenda non ſunt pertimeſcimus. *Trepidauerunt*, inquit, *timore vbi non erat timor.* Ac veluti ij qui in mediis tenebris ſuboſcuræ noctis ambulant, homines eſſe exiſtimant arbores obtutui ſeſe offerentes, ſic multa exiſtimamus his tenebris anxietatum & dubiorum obuoluti, eſſe nociua, quæ nobis eſſent valde proficua: quales ſunt moderatæ carnis afflictiones, quas vt nociuas toto ſtudio euitamus. Quàm puſillanimis redditur anima, quæ his dubiorum fluctibus agitatur! Quod ſi hæ tentationes iuuentur complexione, cibis humorem melancholicum nutrientibus, nimiâ & inordinatâ abſtinentiâ, vigiliis immoderatis, curis ſuperfluis, quam miſere habetur infelix anima, dum dæmon qui perfectioni noſtræ totus inuigilat, aſtutè eum diſtrahit à negotio ſalutis, dum dubia menti proponit, quibus incerta redditur, quæ ſibi agenda aut fugienda ſunt. Certè ſi ex Sapiente Prouerb. 13. *ſecura mens eſt quaſi iugè conuiuium*, anima his ambagibus ac dubiis plena plurimis patet erroribus, multâ opprimitur iuſtitiâ, innumeris vexatur angoribus. Sunt enim iſtæ tentationes veræ vulpeculæ, *quæ demoliuntur vineas*; & plærumque fit vt citius in peccatum cadat, qua plus videtur maiori vti circumſpectione, ne hoc ei accidat. Vidiſtine vnquam aliquem cum violenta & anxia quadam ſolicitudine & attentione ob ambulantem, & vndequaque circumſpicientem, qua parte pedem figat ne luto inficiatur? Nihilominus neſcio qua ratione ſæpius cadit, & qui pedi metuebat, totum corpus cadendo in lutum immergit. Ita accidit animæ quæ incaute ſe his dubiis agitari permiſit: nam dum exiſtimat ſe cautius in via Dei ambulare, eò ſæpe periculoſius cadit in peccati conſenſum, & ſæpe ob difficultates quas patitur, deſpondet animum, & à via Dei recedit, deſperatione plena, iuxta illud Apoſtoli Epheſ. 4. *Vt iam non ambuletis ſicut & gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei, propter ignorantiam quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum, qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam.* Hac ſiquidem de cauſa diabolus hæc dubia in mentem ingerere ſatagit, vt de ſalute deſperantes omnem peccandi occaſionem amplectamur, aut ſaltem non euitemus. At deponendus eſt timor, ne ſanum impediat iudicium. Qui his vexantur tentationibus, ſibi ipſis diffidentes aliorum ſe ſubmittan tiudicio, & quæ recta ab aliis iudicata fuerint, quorum doctrina & probitas eſt conſpicua, ſequentes, per ſemitas iuſtitiæ incedant.

Vidimus dæmonem & muſcam & vulpem; nunc pardum velocem illum conſideremus. Certè, ni fallor, allocutio & ſuggeſtio dæmonis eſt illa lingua nequam, de qua Sapiens Eccleſiaſtici 28. *Quæ furioſè inuadit quaſi leo, & prompte ledit quaſi pardus. Qui derelinquunt Deum incidunt in illam facile: exardeſcit facilius & non extinguitur, ſed immiſſa in illos cum furore, prompte ab ea lædantur. Immittitur in illos quaſi leo, & quaſi pardus lædet illos*, vt loquitur Sapiens. *Leuiores namque ſunt pardis* dæmones ad nocendum, ſicut equi Chaldæorum, de quibus Habacuc. 1. qui prompte præueniunt totam mentis circumſpectionem, & citius cor percutiunt prauo quodam affectu, quàm ictus iaculi nocentis præuidi potuerit. Hoc genere tentationum appetuntur otioſi, & abſque vlla cura ſalutis degentes, qui peccandi occaſiones deuitare negligunt, qui nullam circa actus proprios, cogitationes, aut intentiones ſuas, adhibent diligentiam & attentionem: vnde in momento, in ictu oculi, ſentiunt ſe peccati affectu vulneratos. Sic Dauid ex vno mulieris improuiſo intuitu, in conſenſum & actum adulterij miſere lapſus eſt. *Videamus*, inquit S. Gregor. l. 12. in Iob. c. 13. hæc verba exponens: (*Mons cadens defluit, & ſaxum transfertur de loco ſuo*) *Dauid ille quantum mons alius fuerit, qui tanta Dei myſteria prophetico ſpiritu valuit contemplari: ſed aſpiciamus quàm ſubito caſu defluxit, qui dum in ſolario deambulans, alienam coniugem concupiuit, & abſtulit, eiuſque virum cum damno ſui exercitus interemit, repentino caſu mons cecidit, cum mens illa myſteriis cæleſtibus aſſueta, inopinatâ tentatione deuicta eſt, tamque immaniſſimæ turpitudini ſubacta.* Quod Ieremias Thren. 4. de hoſtibus Hieruſalem olim dixit: *Velociores fuerunt perſecu-*

Digitized by Google

fores noſtri aquilis cæli: ſuper montes perſecutores per ſecuti ſunt nos, in deſerto inſidiati ſunt nobis. Hoc de illis ſpiritualibus nequitiæ, contra quos colluctationem habemus in cæleſtibus, ex Apoſtolo, meritò dicere poſſumus: adeo promptè & inopinato nos inuadunt, vt pardis & aquilis ſint velociores. Pardus igitur eſt dæmon, tum quia maculoſam habet pellem, verſutiam dæmonis vulpinam denotans; tum quia fæuitiam habet non minorem quàm Leo, ſed celeritatem longe maiorem, vt notat Ribera in Habac.

At occultis dæmon nos vexat tentationibus, vnde ſerpenti meritò comparari poteſt, qui mordet in ſilentio. Vnde detractor, ſerpenti comparatur, apud Eccleſiaſtem c. 10. *Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit.* Quem locum exponens S. Hier. ait: *Serpens & detractor æquales ſunt. Quomodo enim ille mordens venenum inſerit, ſic iſte detrahens virus pectoris ſui infundit in fratrem, & nihil habet à ſerpente amplius. Cum enim lingua hominis ad benedicendum Deum & ædificationem proximi ſit creata, ille eam ſerpenti æqualem facit, dum virtutibus eius, in peruerſum abutitur.* Ita S. Hier. Occultè & inſilentio momordit Euam ſerpens antiquus, dum peruerſus detractor de veritate verborum Dei detraxit, & ſic occulte eam decepit, dum ſpe ſcientiæ boni & mali, contra Dei præceptum de ſtructu ligni vetiti comedit, & ad comedendum, virum induxit. Et reuera quis occultas eius fraudes effugere valebit? *Non enim*, vt ait S. Ambroſ. de paradiſ. c. 12. *ſemper quaſi apertus hoſtis ingreditur, ſed ſunt quædam poteſtates quæ amorem ſimulent, gratiamque pretendunt, vt paulatim cogitationibus noſtris venenum ſuæ iniquitatis infundant: à quibus oriuntur illa peccata, quæ vel ex delectatione, vel ex quadam mentis facilitate naſcuntur.* Ex hac tentatione occulta prouenit, vt in rebus magni momenti, quæ vel facienda ſunt vel fugienda minimè attendantur: mordet in ſilentio ille ſerpens, dum detrahit attentionem circa graue negotium impendendam, præ nimia animi torpedine & ſtupiditate: quæ noxia ſunt minimè ponderantur, vt rejici queant; quæ cum ſollicitudine peragi deberent, per tranſennam tantum diſcutiuntur, quantumuis ſint grauia: & ſi executioni dentur, hoc fit adeo imperfectè vt nihil boni exinde proueniat. His occultis tentationibus agitantur actionum aliorum curioſi indagatores, quibus libet quamlibet actionum aliorum ad trutinam proprij iudicij ponderare, & de eiſdem proloqui, non attendentes ſi quid dicant quod officere poſſit. His vexantur indiſciplinati, qui ad libitum cuncta agere & enunciare volunt, paruipendentes ſi ex ſuis dictis aut factis ſcandalum aliquod oriatur: qui proinde plærúq; per multũ temporis ſpatium in his verſantur & immorantur imperfectionibus. His laborant, qui cum debeant ex officio aliorum ſaluti inuigilare & ſedulo incũbere, nihilominus torpore & deſidiâ cuncta negligunt, ad quantum munus & onus vocati ſint nullo modo perſpicientes. His denique occultis tentationibus turbantur qui terrenis rebus nimium adhærent, delitiis carnalibus nimium indulgent. Hoc late docet S. Greg. l. 14. in Iob. c. 7. illa verba exponens: *Abſcondita eſt in terra pedica eius, & decipula illius ſuper ſemitam. In terra*, inquit, *pedica abſconditur, cum culpa ſub terrenis commodis occultatur. Inimicus quippe inſidians oſtendis humanæ menti in terreno lucro quid appetat, & occultat peccati laqueum, vt eius animam ſtringat; quatenus videat quid eſt quod concupiſcere valeat, & tamen nequaquam videat in quo culpæ laqueo pedem ponat. Decipula verò à decipiendo vocata eſt; Et tunc ab antiquo hoſte ſuper ſemitam decipula ponitur, quando in actione huius mundi quam mens appetit, peccati laqueus paratur. Quæ videlicèt non facilè deciperet ſi videri potuiſſet, &c.* Et paulo poſt: *Sæpe ergo proponuntur animo cum culpa honores, diuitiæ, ſalus & vita temporalis, quæ mens infirma dum quaſi eſcam videt, & decipulam non videt, per eſcam quam videns appetit, in culpa conſtringitur quæ non videtur. Exiſtunt etenim qualitates morum, quæ certis vitiis ſunt vicinæ: nam mores aſperi, aut crudelitati aut ſuperbiæ ſolent eſſe coniuncti; mores autem blandi, & quam decet paulò amplius lætiores, nonnunquam luxuriæ & diſſolutioni. Intuetur ergo inimicus generis humani vniuſcuiuſque mores, cui vitio ſint propinqui, & illa opponit ante faciem, ad quæ cognoſcit facilius inclinari mentem: vt blandis ac lætis moribus ſæpe luxuriam, nonnunquam vanam gloriam; aſperis verò mentibus, iram, ſuperbiam, vel crudelitatem proponat. Ibi ergo decipulam ponit, vbi eſſe ſemitam mentis conſpicit, quia illis periculum deceptionis inſerit, vbi viam eſſe inueneris propinquam cogitationis.* Ita S. Greg. O quàm meritò clamabat prophetа: *Quantas habeo iniquitates & peccata? Scelera mea atque delicta mea oſtende mihi*; Nec non etiam Propheta Dauid dum ait: *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine: Deus meus illumina tenebras meas.* Pſ. 17. & contra iacula occultæ tentationis promittit iuſtis ſcutum veritatis. *Scuto*, inquit, *circumdabit te veritas eius; non timebis à timore nocturno; à ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris.* Pſ. 96. At *Leo*, id eſt dæmon, *rugit: qui non timebit?* vt loquitur Amos. c. 3. *Aduerſarius noſter*, vt ait S. Pet. 1. c. 5. *tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret*: Non ſolùm diabolus occultè ſerpit, vt ſerpens, ſed etiam vt Leo violenter inuadit, itaut plærumque dicere poſſimus: *Ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes.* Pſ. & illlud Iob c. 30. *Quaſi rupto muro & aperiâ ianuâ, irruerunt ſuper me; & ad meas miſerias deuoluti ſunt.* Diceres aliquando tentationem eſſe torrentem muros ſibi obuios perforantem, cuncta quæ occurrunt deuaſtantem, & ſecum trahentem, cui nihil opponi poſſit, & reuera tanquam leonem cum furore inuadentem, qui diſſipet & abſorbeat ſimul. Hanc ferocitatem & violentam tentationem, inter alias dæmonis artes ad nocendum, reponit S. Cyprianus à Vener. Beda citatus pro expoſitione loci citati Ep. B. Petri: *Circumit*, inquit Cyp. *ille nos ſingulos, & tanquam hoſtis clauſos obſidens muros, explorat & tentat an ſit pars aliqua membrorum minus ſtabilis & minus fida, cuius aditu ad interiora penetretur. Offert oculis formas illices, & faciles voluptates, vt viſu deſtruat caſtitatẽ, aures per canora muſica tentat, vti vi ſonitus dulcioris auditum ſoluat, & molliat Chriſtianum vigorem. Linguam conuitio prouocat, manum iniuriis laceſſentibus ad petulentiam cædis inſtigat: vt fraudatorem faciat, lucra opponit iniuſta; vt animam pecuniâ capiat, ingerit pernicioſa compendia: honores terrenos promittit, vt cælos adimat: obtendit falſa vt vera ſubripiat. Et cum latenter non poteſt fallere, aperte minatur, terrorem turbidæ perſecutionis intentans ad debellandos ſeruos Dei, inquietus ſemper & ſemper infeſtus, in pace ſubdolus, in perſecutione violentus, &c.* Ita Cyp. Vis videre ſpecimen huius violentiæ tentationis? Attende quomodo ſe geſſerit dæmon tanquam leo erga Iob, Deo permittente: Sabæi irruunt in boues & aſinas, omnia auferunt, pueroſque cuſtodes interficiunt gladio, ignis de cœlo oues pueroſque conſumit, Chaldæi inuadunt camelos, gladio percutiunt pueros, ventus vehemens ſtruit in domum primogeniti, in qua & fratres & ſorores eius veſcebantur & vinum bibebant, & concutiens quatuor angulos, domus corruens compreſſit liberos & mortui ſunt. Denique Deo tandem & hoc permittente, egreſſus Sathan à facie Domini percuſſit ipſum Iob vlcere peſſimo, à planta pedis vſque ad verticem capitis, qui teſtâ ſaniem radebat ſedens in ſterquilinio; & vxorem ipſius commouet & impel-

Digitized by Google

ſit vt ſuam in Dei obſequio ſimplicitatem ſuggillet & exprobret. Quid quæſo violentius? Quis abſque Dei auxilio tantis calamitatibus violenter oppreſſus vxori exprobranti reſpondere potuiſſet: *Quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta es: ſi bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſtineamus?*

Videamus nunc quomodo vt draco, plurimas ſerpentis aſtutias & fraudes accumulans & inuoluens, fraudulenter agat, venenum pro bono & generoſo vino propinans. *Eſt via*, inquit Sapiens, *quæ videtur homini iuſta, noviſſima autem deducunt ad mortem.* Sic fallit peſſimus ille ſuggeſtor, cuius lingua fallax eſt & doloſa. Draconibus dicunt ora parua eſſe, & admodum non dehiſcentia, ſed arctas fiſtulas per quas trahunt ſpiritus & linguas exerunt. Plin. 8. apud Calep. Os paruum habere dæmon videtur, arctam fiſtulam, cum ſub propoſitione rei quæ prima fronte videtur parui momenti, maxima præparat damna incurrenda, ſi illi aſſentiatur. *Diſcamus*, inquit S. Ambroſ. l. de paradiſo cap. 13. *tentamenta plena eſſe mendacij: vix enim vnum verum videtur ex iis quæ pollicitus eſt, reliqua falſa compoſuit.* Ita Ambroſ. *Iſtæ præcipuæ ac maximæ hoſtis ſunt inſidiæ, quando ſuſceptam ſecum concertationem confundere nititur, hacque calliditate duo ſibi machinatur & parat, nimirum vt & ſecurum hominem atque imparatum reddat, & cum verè ſit hoſtis, non tamen eſſe appareat; tertiumque graue ac inſolerandum, efficere in omnibus conatur vt bona ſint malis quàm ſimillima. Huiuſmodi autem rationibus aduerſatur veritati.* Ita S. Ephrem de perfectione Monarchi. Sed quis lupi fraudem, calliditatem inuadendi exponat, qua vt draco cunctos deuorare ac deglutire intendit. Moribundis iam iamque ad tumulum properantibus longam adhuc repromittit vitam; alleuiationem ſperare facit, dum onera importabilia humeris imponit. Quis enim peccati pondus ferre poterit? Nec cœli ænea firmitas, nec terræ ſpiſſitudo peccatum ſuſtinere potuerunt, aut impedire quin ad ima tartari deprimeretur. Quæ læuia ſunt & iucunda, tanquam grauia & ingrata proponit, vt Chriſti iugum ſuaue, & onus eius leue excutientes, vinculis illius ferreis captiui conſtringamur; vt virium diffidentiam & animi deſponſionem ſuadeat, omnia ſimul nobis portanda objicit, ac ſi non ſufficeret dici malitia ſua: imbecillitatem virtutis noſtræ potenter inculcat, ac ſi Dei auxilio omnino eſſemus deſtituti, ne dicamus cum Apoſtolo ad Philip. c. 4. *Confidimus in Domino Ieſu quoniam qui capit in nobis bonum ipſe perficiet:* & rurſus cap. 4. *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Quod ſi aliquando nos ab aliquo onere expedire ſimulet, ad modum latronum eſt, qui pallium tollunt & tunicam, ac nudos nos ſolis ardoribus, aut nimio frigori & inclementiæ æris exponant: ſic nos gratiâ & bonis ſpiritualibus ſpoliat, dum à bonis operibus propter aliquantulam difficultatem nos auertere & diſturbare conatur: Ad ea quæ vires ſuperant prouocat, vt vano conatu eluſi, quæ in noſtra ſunt poteſtate poſtea relinquamus. Religioſis ſuadent vt ad alia demigrent loca, alios requirant ſuperiores, aliorum exoptent ſocietates, & zelo melioris boni, vel ſuperioribus ſuis inſultent, vel ad Eccleſiaſticas etiam adſpirent dignitates. His fraudibus alias adde, verbi gratia quod paſſionem aliquam excitet, qua obcæcatos nos ad molam cum Samſone alliget. Examinanda ſunt cuilibet verba ſua, vt docet S. Ambroſ. l. 1. officiorum c. 4. *Vt non ex indignatione & ira in ſermonem erumpat, non alicuius paſſionis indicium det in verbis ſuis, non ardorem libidinis flammare in ſermone ſuo indicet; & ineſſe dictis ſuis ſtimulos iracundiæ; Poſtremo ne ſermo qui commendare interiora debet, vitium aliquod eſſe in moribus aperiat & prodat. Tunc enim maximè inſidiatur aduerſarius, quando videt paſſiones aliquas generari: tunc fomites mouet, laqueos parat: vnde non immeritò, ſicut audiſtis hodie legi, propheta dicit: Quia ipſe liberauit nos de laqueo venantium, & à verbo aſpero: Symmachus irritationis verbum dixit, alij perturbationis. Laqueus aduerſarij eſt ſermo noſter, ſed etiam ipſe non minus aduerſarius eſt noſter. Loquimur plærumque quod excipiat inimicus & quaſi gladio noſtro nos vulneret. Quantò tolerabilius eſt alieno gladio quam noſtro perire? Explorat ergo aduerſarius noſtræ arma, & acuit ſua tela: ſi viderit moueri me inſerit aculeos ſuos, vt ſeminaria iurgiorum excitet; ſi emiſero verbum indecorum, laqueum ſuum ſtringit. Interdum mihi quaſi eſcam, vindictæ poſſibilitatem: vt dum vindicari cupio, ipſe me inſeram laqueo, & nodum mihi mortis adſtringam. Si quis ergo aduerſarium ſentit præſentem eſſe, tunc magis cuſtodiam adhibere debet ori ſuo, ne det locum aduerſario. Sed non multi hunc vident.* Ita S. Ambroſ. Et tantò ſollicitiùs paſſiones noſtræ reprimendæ ne appareant, quòd eiſdem, vt vidimus, tanquam idoneis inſtrumentis vtitur vt nos fallat ac decipiat: ſicut etiam ſenſus noſtri coërcendi, cum vt diximus, per obiecta blanda ſenſuum nos ad peccatum inceſſanter ſollicitare contendat. *Fremit ergo*, inquit S. Leo. Serm. 2. in Quadrages, *expoliati hoſtis impius furor, & nouum quærit locum, quia ius perdidit antiquum: captat inde feſſus & peruigil, ſi quas reperiat ones à ſacris gregibus negligentius euagantes, quas per proclina voluptatum, & per deuexa luxuriæ, in diuerſoria mortis inducat. Inflammat itaque iras, nutrit odia, acuit cupiditates, irridet continentiam, incitat gulam, &c.*

Denique volitat tanquam auis ſuper capita noſtra, vt ſtatim atque animaduerterit nos aliquo modo ſuos effugere laqueos, alios tendat quibus nos capiat: & ſi in aërem ſubleuari conemur per adſpirationem ad Deum, conatus noſtros reprimat: itaut quod nobis agendum ſit perplexi nimis neſciamus, quia in eodem temporis momento, in diuerſa & quodammodo contraria trahimur vitia: quo fit vt dum animus fortiter nititur aliquod effugere aut ſuperare vitium, in aliud, à quo minimè cauebat, incogitanter rapitur; & veluti nauis in medio maris agitata turbinibus, tandem mergitur in vndis, ſic mens variis quaſſata tentationibus, dum à peccandi libidine ſeipſam retraxiſſe videtur, in peccati tamen conſenſum delabitur. Hinc clamabat pſalmiſta: *Eripe me de luto vt non infigar? libera me ab his qui oderunt me, & de profundis aquarum: non me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum, neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum. Foris pugna*, aduolat peſſimus dæmon tanquam auis, vt nos timoribus vexet; *intus timores*, in bono opere inanem gloriam timemus: aduolat vt nos in vitam deridioſam inducat: Quis talia effugiet acerrimi hoſtis machinamenta, niſi magnanimitate ſit præditus, & ſolicita attentione & circumſpectione munitus, qua aduolantem hoſtem ſtatim præſentiat? Abſque magnanimitate & circumſpectione vigili nemo hæc euitare nequibit. Sæpe videas capi & occidi fugientem, fortiſſimum vero nec terga vertentem hoſtes ſuperare. Sola cauſa qua perdere poſſis victoriam, fuga eſt: fugiendo illam poteris amittere, moriendo non potes: & beatus es ſi pugnando moriaris, quia mox coronaberis. Væ autem tibi ſi declinando pugnam, perdis ſimul & victoriam & coronam. *Reſiſtite*, inquiebat S. Iacobus c. 4. *diabolo, & fugiet à vobis.*

Timenda certè in his omnibus tentationum generibus callidiſſimi hoſtis fraus, ſæuiſſimi impugnatoris crudelitas, implacabilis & vigilantiſſimi inimici impigra & infatigabilis continuaque oppugnatio, verſuti tentatoris mira tentationum varietas; imo nihil aliud quàm perniciem noſtram meditantis, vniuerſalis

tis, vniuerſalis quædam omnium rerum, quæ ei quodammodo ſubſunt, in noſtram necem conſpiratio. Tentat nempe, nullâ temporis, locis aut occaſionis neglectâ ratione, modo noceat ſemper tentare paratus. Quis viam huius colubri ſupra petram, id eſt animi conſtantiam, animaduertet? Ridet de malis noſtris, & ad mala quæ infert adjicere conatur deriſiones, vt ad impatientiam nimiam mentem præcipiter. Certè continua eſt tentatio, mortalium vita: vt quos vi ac violentia dæmon ſuperare non potuit, ſaltem tædio vincat. Mille ei nocendi artes; corporis conſtitutionem & complexionem, morum & inclinationum rationem, ætatem, ſtatum, conditionem diligenter explorat, vt iuxta hæc omnia ſuas accommodet ſuggeſtiones. Illud ponit ante faciem, ad quod cognoſcit facilius inclinari mentem; eos qui naturâ gaudent hilari & benignâ voluptatibus allicit, luxutiâ inquinat, vanâ gloriâ ſeducit; eos qui rudes ſunt & moroſi, ſuperbiâ, irâ, ſæuitiâ & crudelitate replet; pauperes ad iracundiam & impatientiam prouocat, diuites ad pigritiam & animi torpedinem, vt nullam ſalutis ſuæ curam habeant; quin & feruentes decipit, dum eis quædam vim corporis & animi ſuperantia ſuggerit, vt dum maiora ſuis viribus ſe attentaſſe animaduertunt, pedem retrahant & in peccatum prolabantur. Hinc optime monebat Apoſtolus Epheſ. 5. *Videte quomodo cautè ambuletis*; & tantò plus maiori cum circumſpectione & cautione ambulandum, quo vniuerſaliùs oppugnat, qui nunquam vult nobiſcum inire pacem, ſed identidem fortius impugnare contendit. Ideo vigilantes & dormientes tentat, in initio vitæ æque ac in fine & ſæpe fortiùs in fine quàm in principio, ne ſi ſemel euaſerimus, poſtea perditionem noſtram moliendi occaſionem non habeat. Nullus locus ab eius tentationibus immunis, qui cælum reuereri non potuit, templa contemnit: qui paradiſum auſus eſt ad tentandum ingredi, deſerta non metuit: qui ſocietati ſe Angelorum immiſcet, vt permiſſionem habeat Iobum diuexandi, ſanctiores non pertimeſcit congregationes, vt aliquem ab eis abſtrahat: ſi pauperes ſimus licèt mortales, vt ad diuitias comparandas inhiamus ſollicitat: ſi diuites, vt diuitiis inſolenter vtamur prouocat. Ipſe *de regibus triumphabit, & tyranni erunt ridiculi eius*; & ſi quem animaduertit maiori conanime ſibi aduerſantem, aut ſanctiorem, & virtutis ac pietatis ſtudioſiorem, hunc fortius tentare ſatagit, creaturis & ſpiritualibus & corporalibus, & ratione præditis & ea curentibus vtens: imo carnem noſtram contra proprium animum inſurgere facit; quibus omnibus patet quantâ fraude, ſæuitiâ, continuitate, varietate vniuerſaliter tentet, & homines impugnet.

Quomodo per hanc poteſtatem tentandi dæmon conſenſum exquirat & extorqueat, & de quibuſdam remediis tentationum. §. 6.

Quantum ad primum, nempe quomodo hac claue ſeu tentandi poteſtate Dæmon tandem conſenſum in peccatum extorqueat, quo ſibi introitum in animam præparet, & Deum à mente excludat, videndum. Obiecta exteriora ſenſuum lignum ſunt, in quo fructus allicientes ſenſus ad ſui appetitionem, nempe ſenſuales delitiæ ac voluptates, pendent affixi, tanquam pomum ex ligno vetito ſcientiæ boni & mali. Dæmon ſerpens eſt qui vel immediatè ſuis ſuggeſtionibus internos ſenſus mouendo, vel per ſenſus externos mentem ſollicitat, vt in iis voluptatibus inordinatis conquieſcat. Appetitus inferior carnis, mulier ſeu Eua eſt: quæ primò & per ſe hæc percipit obiecta, & fertur in deſiderio voluptatum, propoſitis ſibi obiectis, quæ ſenſibus carnis conuenientia proponuntur. At mens eſt Adam, qui appetitum moderare ac regere, hoſque motus prauos reprimere debeat à delectatione ſenſuum, aut ab opere ſuo peccatum amouendo; vel qui tales motus admittit, eiſdem aſſenſum præbendo, in hoc conflictu miſerè proſtratur & ſuperatur.

Quid igitur operatur dæmon, cui poteſtas data eſt tentandi? primò obiicit ſenſibus externis delectabilia: ſecundò, tanquam per Euam olim pomum vetitum Adamo fuit propoſitum, per phantaſmata quæ carni ſunt conſentanea proponit menti ſpeculanda. Ex his obiectis inſurgit motus ſenſitiui appetitus, & fertur in deſideria eorum quæ carni competunt, ſiue ea ſint legi Dei conformia, ſiue repugnantia. Si ratio (quæ vigilare debet ne aliquid inſurgat, quod legi Dei contradicat) his motibus repugnet, fruſtratur dæmon ſua prava intentione, ad nihilum redigitur illius conatus. Si aurem præbeat ſenſitiuus appetitus, & ratio appetitui obſequatur, bis deſideriis minimè contradicens, peccat; vel venialiter, quia negligit ſuum officium, permittendo tales motus, & eò grauius quò negligentiùs illos compeſcit; mortaliter, ſi omnino conſenſum præbeat vel in opus prauum & prohibitum, vel in delectationem peccati, aut ſaltem ſi diſſimulet, aut conniuentia quadam peſtilentem hunc non extinguat ignem, modò materia ſit grauioris momenti: Tunc enim quaſi quadam claui, quæ intrinſecus latent determinationes aperiuntur, dum ratio ſuperior (nempe ea quæ rationes æternas ſpeculatur, & iuxta eas, ſuas conſultationes, reſolutiones & determinationes regulare debet, videlicet iuxta legem Dei, legem naturalem, legem humanam, ſeu rectam rationem, virtutiſque honeſtatem) rationem inferiorem, (quæ tantum temporale commodum, aut voluptatem conſiderat) audit eique conſentit. Tunc enim excluditur Deus, dum lumen rationis ſuperioris negligitur; introducitur dæmon, dum temporalis commodi aut voluptatis carnalis, in præiudicium legis diuinæ, ratio habetur. Nam ſi ſatis temporis detur rationi ſuperiori, vt diſcernat ſi quod illi proponitur prohibitum ſit an non, peccabit pro ratione materiæ, venialiter aut mortaliter; dum quæ verſantur in ratione inferiore, cõtra legem & voluntatẽ Dei, non compeſcit; alias à peccato excuſari poterit, ſi propter ſurreptionem, aut temporis breuitatem ea animaduertere nõ potuerit. Igitur ex obiecti propoſitione tam ſenſibus externis quàm internis, nullum adhuc eſt peccatum: & ſicut Chriſtus Dominus nullum admiſit peccatum ex eo quod dæmon ipſum allocutus eſt, eiq; exterius materiam peccati obiecit, ita nec nos peccamus, ſiue exterius ſiue interius (quod erga Chriſtum dæmoni non licuit) materia peccati obiiciatur, dum per phãtaſmatum commotionem, æquè ac per externorum obiectorum propoſitionem, nobis dæmon peccata & mala obiicit. At ſi ratio inferior & appetitus ſenſitiuus, tanquã Eua, in his obiectis ſpeculandis commoretur, & in eis aliquam percipiat delectationem, tũc incipit puteus abyſſi aperiri, & peccatum cõmitti: ſed adhuc leue & veniale. Sed ſi ex delectatione fiat cõſenſus plenus & deliberatus in delectationem vel in opus peccaminoſum & vetitum, tunc aperitur puteus abyſſi diabolo, & clauditur Chriſto. *Si cupiditas noſtra*, inquit Aug. apud Humbertum, *non moueatur ad peccandum, excluditur ſerpentis aſtutia: ſi autem mota fuerit, quaſi mulieri perſuaſum erit, ſed aliquando ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrenat atq; compeſcit: quod cum fit, non labimur in peccatum, ſed cum aliquantula luctatione conamur. Si autem ratio conſentiat, & quod libido commouerit, faciendum eſſe decernat, ab omni vita beata tanquam paradiſo expellitur.* Ita ille.

Quantum ad ſecundum, nempe remedium contra tentationes, ſapientes (vt his finem impona-

Digitized by Google

mus) qui de modo quo de tentionibus victoria obtinetur, documenta præbent, ſex nobis ad hunc finem vtilia proponunt: primum, vt ante tentationes arma in manibus ſumamus, cogitantes quibus modis & rationibus, ſi occurreret tentatio, illi reſiſtere poſſemus: ſecundum, ponderandum nobis quænam in nobis facultas aut inclinatio ſit ad peccandum pronior ſeu propenſior, vt eam munire & vallare præſidiis poſſimus; ſi ad detractionem, v. g. ſeu maledicentiam proni, ſilentium teneamus, ne petulans lingua maledicentiam promat. Tertium, imitandi ſunt illi qui ſe contra hoſtes vallare appetunt, cauentque ne inimicis liber ſit acceſſus: ſic eminentem virtutis gradum ſelige, nec aditus pateat tentationibus, quia ſemper eris in exercitio virtutis occupatus: quartum, ne continuò exiſtimes tibi contrarium aut inimicum, quod voluntati tuæ aut ſenſibus erit ingratum, nec ſtatim amicum & beneuolum illud quod ſenſibus arridebit, aut propriam tui ipſius exiſtimationem per adulatorias laudes fouebit: inimicum tibi ſit illud omne quod peccandi occaſionem præbebit, amicum verò quod te à peccatis, quantum fieri poteſt, facilius auertere poterit: Quintum, dorſum ſemper vertas iis, quæ nos ad peccatum alliciunt, & contrarium iter teneas à via tentionum: ſi ambitione labores, ſemper vltimum requiras locum, prout conditio tua pati poterit; ſi voluptatibus delecteris, auſteritates aſſume, nec des animæ concupiſcentias eius. Sextum eſt, non tam vi ac violentia cenſeas hoſtes tuos tibi eſſe proſtrandos, eorumq; impugnationes continuas & importunas ſuperandas, quàm humilitate, patientia ac in Deum fide, & fiducia: in eum totam noſtram ſpem collocantes, qui non permittet nos tentari ſupra quod poſſumus. *Expecta eum, & viriliter age, & confortetur cor tuum & ſuſtine Dominum. Melior eſt enim patiens viro forti.* Pro. 16.

Hæc ſunt quæ de tentationibus nobis diſſerenda fuêre, vt plenius videamus quomodo aperiatur puteus abyſſi, id eſt appetitus hominis, quo mens & voluntas hominis in peccatum conſentiat.

Et aperuit puteum abyſſi: & aſcendit fumus putei ſicut fumus fornacis magnæ, & obſcuratus eſt ſol & aër de fumo putei.

Quid conſequitur ad apertionem putei abyſſi, ſeu inductionem dæmonis in peccati conſenſum.

ANNOTAT. VII.

Idea ſymboli. §. 1.

ASCENDIT fumus aperto puteo ſicut fumus fornacis magnæ, id eſt ſpiſſus & condenſus, ſubobſcurus, ex permixtione tamen flammæ depictus quibuſdam coloribus in eo apparentibus, viridi, purpureo, cæruleo: ex quo fumo ebulliunt, tanquâ quædam ſcintillæ, prodigioſæ locuſtæ. Hæc eſt idea ſymboli, quo ſignificatur quid in hac annotatione erit nobis diſcutiendum, nempe quid conſequitur poſtquam tentationi conſenſum præbuimus, & diabolo vel perſuadente vel proponente aliquod appetibile, exterius vel interius operando in phantaſiam & in appetitum ſenſitiuum tantum, fidem adhibuerimus, & in peccati conſenſum dilabimur, ſiue propter ſenſuum titillationem, ſiue propter amorem proprium, & nimiam in propria excellentia complacentiam. Nam ſtatim atq; propoſitâ peccandi materiâ, mens & voluntas eam amplectitur, tanquam aliqua claue aperitur puteus abyſſi, id eſt inferior ratio & appetitus: & egreditur fumus, id eſt determinatio quædam perpetrandi peccatum, ſtatim atq, ſe offeret occaſio.

Notandum autem duobus modis nos peccare ex diaboli ſuggeſtione; interiori, per quam immutatur phantaſia; vel exteriori proponendo appetibilia, vel ſenſibus iniucunda, aut proprio amori contraria, cum ex his ſuggeſtionibus malum proſequimur: ſecundò cũ bonũ abominamur & reſpuimus: ſic enim vel aperitur cor hominũ, cum ex ſuggeſtione diaboli fertur in peccatũ, vel clauditur, cum bonũ auerſatur.

Agi autem hîc aſſerimus de mali proſecutione, ad quam nos indirectè inducit dæmon. In ſeptima plãga agemus de abominatione boni, dum mens obdurata nullam admittit diuinã inſpirationem, qua poſſit à malis auerti. His præſuppoſitis videndum quid per fumum, & fornacẽ, & ſolem & aërem intelligimus.

Quid per fumum, per magnam fornacem, per ſolem & aërem intelligitur. §. 2.

Variæ auctorum expoſitiones. Punct. 1.

B Per fumum Andreas Cæſ. intelligit fumum ex gehenna, qui inde continuò exhalat, ſuâ obſcuritate ſolem & aërem tenebroſum, & quaſi inaſpectabilem illis reddentem, qui æternis cruciatibus addicti ſunt; vel vt ipſe poſteà vult, fumus ſignificat tenebras illas, quæ ex improbis illorum conatibus, atque inſultibus ortæ, poteſtatem illis faciunt homines quos ſeduxerunt excruciandi & diuexandi.

Ambroſius autem per fumum intelligit doctrinam hæreticorum, quia ſicut fumus vento impulſus citò euaneſcit. Ita & doctrina hæreticorum per doctrinam ſanctorum Patrum velut fumus euanuit. His conſentit Dionyſ. Carthuſ. dum ait: *id eſt, hæreticæ impietatis tenebroſus error, & falſitas nubiloſa, longe lateque diſperſa ſunt copioſè, & fetor perfidiæ coram Deo aſcendit: ſed & fama hæreſiarchæ vulgata eſt, quia vt facerent ſibi nomen, noua aſſerere præſumpſerunt.*

C Rupertus per fumum obſcuritatem in mente ex mendacio admiſſo prouenientem intelligere videtur, dum ait: *Idcirco benè mendacium quod loquitur ex propriis, & cuius pater eſt puteus dicitur abyſſi, videlicet infinitæ profunditatis: quia ſicut iam dictum eſt rerum exiſtentium fundamentum non habet, nihilque ei ſubeſt, loquitur enim quod non eſt, & aſcendit fumus putei ſicut fumus fornacis magnæ; aſcendit, inquam, videlicet etiam vſque ad ſapientes ſeculi quos obſcuruit, de quibus & Apoſtolus dicit: euanerunt in cogitationibus ſuis: & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, &c. Et tunc fumus eiuſmodi ſicut*

D *fumus dicitur fornacis magnæ, quia videlicet ſicut fumus non niſi ex ſubiacente igne fit: ſic non niſi ex præcedente cauſa cupiditatis ſiue concupiſcentiæ, naſcitur cæcitas mentis ſiue obſcuratio cordis inſipientis.* Ita Rup.

Ribera: *Fumus putei aſcendens ſignificat calidiſſimas dæmonum machinas & conſilia, ad nocendum hominibus in terra. Fumus dicuntur, quia ex igne aſcendunt, id eſt ex ardenti eorum furore, & nigræ ſunt, id eſt triſtes & impiæ; & quia aduerſus electos non proficient, ſed vt fumus tandem euaneſcent, iuxta illud: ſicut deficit fumus deficiant.* Pſ. 7. Andreas obſcuritatem præcedentem mala opera intelligit in fumo, ſicut fumus fornacis magnæ denſus & obſcurus multitudinem machinationum ſignificat, vt furorem magnum èquo exeant:

E per fornacem autem Ambroſius intelligit corda impiorum; *Sicut*, inquit, *dicit Propheta: Velut clibanus ardens corda eorum.* Ita Amb.

Ribera vero in fornace furorem magnum, Rupertus cupiditatem ſeu concupiſcentiam, vt ex loco ſupra citato, de fumo videre eſt.

At per ſolem, vt vult Ambroſius, *ſæpe Chriſtus intelligitur. In hoc autem loco membra eiuſdem, id eſt prædicatores ſancti deſignati ſunt; per aërem verò populus fidelis, qui eis ſubiectus eſt.* Ita Ambroſ. quem ſequitur Dionyſ. Carthuſ. dum ait: *Per ſolem Prælati atque Doctores ac ſuperiores, quique ſunt eminentes (quorum eſt illuſtrare) ſignantur, & talium multi hæreticorum errore commaculantur, lumen rectæ fidei, ac virtutum perdentes ſplendorem, aëris verò nomine plebs ipſa ſeu grex ſignificatur, qui à Prælato ſuſcipit ſcientiæ lumen, quemadmodum à ſole aër fulgorẽ, plebs autem facilius eiam decipitur.* Ita Dion.

Et obſcuratus eſt ſol, inquit Ribera, *hoc eſt magnat te-*

nebras hominibus inuexit : errorum fumus ille , vehementer intelligentiæ vim , & pietatis ſtudium obſcurauit , effecitque vt homines neque cælum ſuſpicerent , neque futurorum ſuppliciorum recordationem , ſed præcipites in ſcelera ferrentur, ſicut de ſenibus ſcriptum eſt, Daniel. 13. Et euerterunt ſenſum ſuum , & declinauerunt oculos ſuos vt non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iuſtorum. Andreas ſimiliter obſcurationem ſolis & aëris cæcitatem mentium eſſe dicit. Ita Ribera. Ita enim hunc locum interpretatur Andreas, *At verò ſolis & aëris obſcuratio interiorem hominum, qui illorum luce vtuntur, cæcitatem, aut prauam ſanè eorumdem in rebus aduerſis diſpoſitionem inſinuat : ſiquidem lux illis qui in grauioribus delictis, doloribus & cruciatibus verſantur , obſcuritas videtur,* Ita Andreas.

Patet autem Rupertum per ſolem & aërem ſapientes ſeculi intellexiſſe , vt ex hoc loco citato videre eſt ſupra. Quomodo autem fiat obſcuratio ſolis & aëris, Ambroſius docet dum ait : *Sed quomodo electi obſcurati ſunt , quos prauitas hæretica decipere non valuit ? Sed obſcurati ſunt eis quos hæretici decipere potuerunt , qui & in ſequentibus per locuſtas deſignantur : verum claritas eorum cæteris fidelibus latere non potuit, ſicut lucerna ſub modio abſcondi non poteſt.* Ita Amb. Dionyſius tandem ait : *Obſcurantur quoque electi, dum per hæreticos diffamantur & contriſtantur.*

Sanctus autem Anſelmus. *Hæc omnia hoc modo interpretantur : Et aperuit puteum abyſſi : hæreſes quæ latebant in cordibus eorum proferre fecit : Et aſcendit fumus putei, id eſt mala doctrina eorũ excæcans: Sicut fumus fornacis magnæ, id eſt ſimilis doctrinæ Anti-Chriſti, quæ eſt fornax probans bonos & redigens in cinerem ligna , ſcilicèt malos; vel ad literam : Et obſcuratus eſt ſol , quidam alios illuminantes, & aër de fumo putei, id eſt quidam illuminati : Et de fumo exierunt locuſtæ in terram , id eſt præambuli Anti-Chriſti : natura locuſtæ eſt vt de fumo oriatur.* Ita Anſel. His & ſimilibus modis auctores intelligunt & fumum & fornacem, & ſolem, & aërem. Quid autem in hoc ſignificari velimus , nunc nobis aperiendum.

Quid nos per fumum , magnam fornacem , & ſolem & aërem intelligamus. Punct. 1.

Cum per ſtellam, diabolum ; per clauem tentandi poteſtatem ſeu permiſſionem ; per abyſſum , cor hominis duabus facultatibus intellectu & voluntate conſtans ; per puteum , modum limitatum ratiocinandi & volendi per ſenſus externos , ſeu receptionem ſpecierum intentionalium, phantaſiæ immutationem, & paſſionum impulſum intellexerimus, recte fumus è tali puteo prodiens erit omne mentis conſilium , & quælibet voluntatis determinatio, quæ ſenſibile tantum bonum reſpicit, ſeu temporale commodum , vel quæ proprio amori ſeu concupiſcentiæ inſeruiat , ea quæ æterna ſunt , ſpiritualia & diuina omnino contemnens. Nam ſicut qui rationibus æternis inhærent temporalia deſpiciunt, æterna proſequuntur , cum Apoſtolo qui ait 2. ad Cor. 4. *Non contemplantibus nobis quæ videntur , ſed quæ non videntur : quæ enim videntur , temporalia ſunt ; quæ autem non videntur æterna,* è contra qui ſenſui , phantaſiæ , & paſſionibus ſuis ſunt addicti , temporalia tantum reſpiciunt , & æterna contemnunt , & temporalis peccati habere volunt iucunditatem , quam olim contempſit Moyſes , magis eligens affligi cum populo Dei , quàm illam conſequi iucunditatem, *maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti : aſpiciebat enim in remunerationem* , vt ait Apoſtol. ad Hebr. c. 11. Et quia tale conſilium ac determinatio ortum habet ex appetitu concupiſcibili , ideo fumus dicitur fornacis magnæ ; cum autem ex tali conſilio ac determinatione , mentis obcæcatio proueniat, & voluntatis libertas in captiuitatem aliqualiter redigatur, libertatem filiorum Dei amittens ideo ex tali fumo ſol , nempe intellectus ; & aër, id eſt indifferentia voluntatis, ſeu libertas à neceſſitate, obſcurati dicuntur.

Hæc autem mentis conſilia & hæ voluntatis determinationes in malum , quæ poſt conſenſum in peccatum exſurgunt , optime fumo comparantur : Primò , quia ſicuti fumus ex igne cauſatur , ita tales animi motus ex ardore concupiſcentiæ oriuntur : *Duo,* inquit Sap. c. 25. *genera abundans in peccatis , anima calida quaſi ignis ardens non extinguetur , donec aliquid glutiat ; & homo nequam in ore carnis ſuæ non deſinet, donec incendat ignem.* Nonne in his verbis perſpicis fornacem magnam , ex qua conſilia mala , & peſſimæ voluntatis determinationes aſcendunt ? Anima enim inflammata ab ardore concupiſcentiæ hunc ardorem non extinguit , donec occaſionem nacta fuerit , qua paſſionem & deſideria ſua expleuerit. Quàm pernicioſa hæc fornax, qua nihil aliud quàm peccata hæc anima meditatur! Nam ſtatim atq; diabolus per propoſitionem obiectorum eam in conſenſum peccati adduxit , & aperuit puteum abyſſi, inflammata nimis deſiderio carnalium & temporalium, fumum producit peſſimi conſilij , & voluntatis fruendi delectationibus carnalibus, licèt his frui nequeat abſq; ſalutis detrimento & Dei offenſa. Vnde in tantam deueniet cordis malitiam , vt ſuâ propriâ damnatione minimè contenta, quidquid agat, quidquid dicat prout caro inſtigauerit, & proprius dictauerit amor, hoc adimplebit, vt alios ad ſimilia deſideria & facta prouocet. Ex proportione igitur obiectorum delectabilium, mens calefacta per deſideria carnalium, producit fumum cogitationum, conſiliorum & determinationum, ex quibus prodibunt in medium plurimi actus exteriores peſſimi & pernicioſiſſimi, vt poſtea videbimus.

Secundò , hæc conſilia fumo comparantur , quia ſicut locus fumo repletus lumẽ ſolare non admittit, impediente fumo luminis claritatem, ita ex his conſiliis mẽs obtenebratur , nec lumine diuino irradiari poteſt. Et cum hæc conſilia ac determinationes iſtæ aſſumantur ſecũdum dæmonum ſuggeſtionem, peruerſam phantaſiæ immutationem, & paſſionum antecedentium & præuenientium ſeu anticipantium rationis vſum impulſum, ideo tenebras menti offundunt. Nam diabolica ſuggeſtio non illuminat, licèt etiam veritatem aliquãdo manifeſtet. *Quia,* vt docet S. Thom. 2. 2. q. 172. ar. 1. *cum dæmones ea quæ ſciunt manifeſtant hominibus, hoc non faciunt per illuminationem intellectus, ſed per aliquam imaginariã viſionem, aut etiam ſenſibiliter colloquendo* ; Addè & peruerſitate voluntatis. Ex hoc quod manifeſtant non intendunt hominem ordinare ad Deum, ſed magis ab ordine diuino abducere , vt ait idem Doctor. 1. p. q. 109. ar. 3. *& ideo ſicut dæmon non dicitur illuminare alium Angelum, cum ei ſuum conceptum per modum locutionis inſinuat, quia quæ inſinuat eſt vt eum a Deo auertat, & ſicut cum diuina iuſtitia exigit vt aliquando ſancti Angeli quædam dæmonibus reuelent, vel ad punitionem malorum vel ad exercitationem bonorum , hæ reuelationes non dicuntur illuminationes ex parte dæmonum , quia eas in Deum non ordinant, ſed ad expletionem propriæ iniquitatis,* 1. q. 109. ar. 4. ad 1. ita quæ dæmones hominibus ſuggerunt , cum ea ab ipſis ſuggerantur vt homines à Deo auertant, eaque etiam mali homines ſuſcipiant vt propriam expleãt concupiſcentiam, ideo hæc conſilia, illæq; determinationes fumo obſcuranti & tenebras offundenti rectè comparantur. Inſuper cum verum ſit diaboli in phantaſia operationem, eam immutare vt mentẽ in errorẽ inducat, & ſi ſenſibiliter loquatur, vt plurimũ mendacia promat, conſilia & determinationes quæ ſecundũ ea eliciũtur, rectè fumus & tenebræ dicũtur.

Digitized by Google

Denique quantum paſſionum vehementia mentem obnubilet ſatis ſupra docuimus, vt nunc afferamus conſilia & determinationes, quæ ſecundum phantaſiam, & paſſionum vehementiorem impulſum aſſumuntur, fumum eſſe mentem tenebris inuoluentem. Vnde monet S. Anſelmus hunc locum S. Pauli explanans ad Epheſ. c. 4. (*Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram*) vt certè iracundiæ paſſionem deponamus, ne mens tenebris inuoluatur. *Noſter*, inquit, *ſol Chriſtus eſt, qui Veritas & ſapientia & iuſtitia eſt: cuius luce anima humana illuſtratur. Sed hanc lucem deſinit mens videre, cum perturbatione iracundiæ fuerit tanquam nubilo ſuperata; & tunc quaſi occidet ſuper iracundiam hominis ſol, quia cum menti iracundia confuſionis tenebras incutit, huic Deum radium ſuæ cognitionis abſcondit. Propter quod multùm cauenda eſt iracundia, per quam lux veritatis amittitur, qua amiſſa princeps tenebrarum diabolus locum in homine ſibi inuenit: Vnde ſequitur: Nolite locum dare diabolo. Iratus enim mala cogitat, & ſic ſe diabolo ingerit atque pandit, vt cogitata perficiat pandit oſtium cordis, & hoſtem ſinit intrare. Sed vos nolite ei locum dare quærenti per ſuggeſtionem malorum inuenire locum conſenſus aut delectationis in vobis. Qui enim ſuggeſtionibus eius conſentit, dat ei locum in ſe. Claudendum eſt cordis oſtium ne tentator ingrediatur. Tentator non ceſſat pulſare vt irrumpat, ſi clauſum inuenerit, tranſit. Quia ergo in veſtra poteſtate eſt hoc oſtium claudere, nolite locum dare diabolo. Etenim ſi intrauit & poſſedit, aut tu negligenter clauſiſti, aut claudere neglexiſti. Hoc oſtium habet tanquam duas valuas, cupiditatis & timoris aut cupis aliquid terrenum, & hac intrat, aut times aliquid terrenum, & hac intrat. Cupiditatis ergo & timoris ianuam claude contra diabolum, ſi vis tutus eſſe.* Ita Anſel. in 4. c. Epiſt. ad Epheſ. Ex quo loco ſancti Anſelmi plura habes quæ noſtræ interpretationi non mediocriter fauent, v. g. per cupiditatem & timorem diabolum intrare, per iram, quæ paſſio eſt, malas cogitationes ingeri & mentem obtenebrari, in qua ſol refulgere deberet iuſtitiæ, & illud lumen vultus Dei ſuper nos ſignatum fulgere: quo obtenebrato, quomodo voluntas (cuius mobilitatem & flexibilitatem, ac in vtramque partem ſeu ad oppoſita liberam inflexionem, per aërem deſignari dicimus) tanquam cæca ad peccatum non impingeret, & in quodlibet non ferretur malum? De ſtatu talis animæ dicere poſſimus quæ habentur Eſa. 59. *Propterhoc elongatum eſt iudicium à nobis, & non apprehendet nos iuſtitia; expectauimus lucem, & ecce tenebræ; ſplendorem, & in tenebris ambulauimus: palpauimus ſicut cæci parietem, & quaſi abſque oculis attrectauimus. Impegimus meridie quaſi in tenebris, & in caliginoſis quaſi mortui.*

Mouetur quaſi neceſſario humana voluntas per appetitum ſenſibilem, cum perturbatio animi talis ac tanta eſt, vt iudicij & rationis vſum impediat: Nec enim in voluntate vera eſſe poteſt libertas, dum rationis plena & perfecta eſſe non valet attentio. At dum diſtrahitur mentis attentio circa veritatem, ſiue errore ſeducta, ſiue phantaſmatibus perturbata, ſiue vehementi paſſione quodammodo inebriata, perfectam circa veri contemplationem non poteſt habere attentionem: quo fit vt voluntatis libertas affligatur. Sicut enim libertas formaliter eſt tanquam in proprio ſubiecto in voluntate, ita etiam obiectiuè & quaſi in radice ipſamet libertas exiſtit in intellectu ſeu ratione: Igitur ſi deliberationem & attentionem mentis abſtrahas, libertatem voluntatis, quaſi à radice euellis ac ſubruis. Et reuera ſicut nec licet oculo de coloribus alicuius obiecti verum proferre iudicium, ſi medium, per quod viſualis radius & ſpecies intentionales pertranſire debent, fuerit aliquo alio iam infectum colore; vel A ſicut nequeunt lapilli in fundo riuuli conſpici, ſi aqua fuerit turbida, pari ratione nequit mens humana ſynceros habere ſenſus, puraſque cognitiones rerum quæ ſibi proponuntur ſpeculandæ, ſi appetitus inferior ferueat & vehementi aliqua paſſione ebulliat; ſi puteus abyſſi, id eſt appetitus cordis humani, in ea quæ carnis ſunt ardenti deſiderio feratur, & contra Apoſtoli mandatum, Rom. 13. carnis tantum curam fecerit, in deſideriis. *In neceſſariis enim*, inquit S. Anſelmus, *permittitur fieri, quia nemo vnquam carnem ſuam odio habuit; ſed in deſideriis prohibetur, quoniam carnalia deſideria militant aduerſum animam.* 1. Pet. 2. Ita Anſel. Cum enim talia deſideria feruent, & ſpiritus & humores & phantaſmata ita commouentur, vt tanquam è fornace egrediatur B fumus peſſimorum conſiliorum, ac malorum determinationum, modò vanis ſpebus viridis, modò vana ſui præſumptione cæruleus, modò carnis voluptatibus rubeus, in tali ſtatu mens poſita, quaſi quibuſdam vinculis ligata, tot motionibus vehementibus agitatur, vt nequeat ſanum de quibuſlibet rebus proferre iudicium. Suſpenditur enim quodammodo & impeditur, pro eo inſtanti, vſus libertatis: quod malum non occurrit abſque notabili culpa, propterea quod debuerit & potuerit ab initio diaboli tentationibus fortiter obſiſtere, & paſſiones refrenare; non enim permittit Deus nos tentari ſupra quàm poſſimus, ſed dum aurem Satanæ C præbemus, & tanquam Eua cum eo colloqui incipimus, dum paſſiones non compeſcimus, non mirum ſi poſtea tentatio & paſſio vires eundo aſſumentes, nos in tali ſtatu collocent, vt vix ac ne vix quidem ab eis liberari valeamus, & ab his compedibus expediri. Quo fit vt homo extra ſe, & ſtatum ſibi connaturalem quodammodo feratur, itaut tranſeat in modum agendi beſtiis ſimilem, ſimilis factus iumentis inſipientibus, vſu rationis præpedito. Licèt enim in tali tantaque animi cæca perturbatione, mens nihilominus agat, *agit tantum*, inquit Caietanus, *non delibera te, non maturè, ponderatis actionis cuiuſlibet debitis circumſtantiis, & circumſpectâ rei quæ objicitur naturâ, nec cum indifferentia & libertate ad op-* D *poſita, ſed quaſi ſubrepta ſibi eligendi libertate agit non diſtinctè, ſed confusè, tanquam natura ſeu facultas purè naturalis, non autem vt mens lumine rationis dotata; mentemque & rationem ſequitur voluntas conſentiendo iis quæ ei ab intellectu proponuntur, non quaſi libertate ditata, illius vſum negligendo & parumpendendo, ſed ac ſi eſſet quædam naturalis poteſtas: adeo mens & voluntas ſuggeſtionibus diaboli, ac ſuis paſſionibus obtemperare voluerunt, vt de eis dicatur quod ſint captiui ad ipſius diaboli voluntatem, vt dicere poſſes humanitatis iura ac dignitatem omnimode exuiſſe, & brutorum agendi rationem induiſſe, cum in talibus ne igniculus quidem rationis aut libertatis appareat.* Comminuitur enim, vt eſt apud Iſaiam cap. 30. *ſicut conteritur lagena figuli, contritione* E *pernalida, & non inuenietur de fragmentis eius teſta, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de ſouea.* Ita animæ vires conuelluntur, conturbantur, concutiuntur, vt vix igniculus rationis, aut erga bonum & honeſtum minima voluntatis propenſio agere appareat.

Quis igitur non videat quanta ſit neceſſitas comprimendi & compeſcendi paſſiones antecedentes vſum rationis? Optimè ſiquidem monet ſapiens, Eccleſiaſt. 18. *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Hoc enim apprimè neceſſarium, vt vigor libertatis naturalis remaneat, cor mundum ſeruetur, id eſt, mens à phantaſmatum perturbationibus & erroribus immunis reddatur, ſynceræque ac rectæ ſint voluntatis no-

ſtræ intentiones. Cauendum igitur ne voluntatem à boni propoſito abſtrahant, primò per quamdam diſtractionem: hac enim induſtria vtitur ſalutis noſtræ inimicus, vt vires noſtras diuertat, vt dum oppugnat fortius; debilius, viribus alibi occupatis, reſiſtamus. Dum enim motus appetitus ſenſitiui, quadam paſſione roboratur, vis rationalis debilitatur: nam animæ vis ſuis coarctata eſt limitibus: ſi circa aliquid vehementius ex parte inferioris appetitus occupatur, inualidior erit rationis facultas circa proprium obiectum. Cauendum iterum ne quæ pro nobis militare debent, ab aduerſario cõtra nos aſſumantur in noſtram perniciem. Hoc enim ſtratagemate plærumque vtitur, vt milites noſtras partes tuentes à noſtro obſequio auellat. Ne igitur permittamus paſſiones noſtras propter ſuam vehementiam, ita poſt ſe noſtram abſtrahere imaginationem, vt vſus rationis, quo voluntas illuſtrari debet, hoc modo impediatur. Videmus ſiquidem eos, qui plurimum imaginationi ſuæ deferunt, nunquam rationi tempus aut locum concedere vt exeat in actum, ſed ſemper in phantaſia verſantur ea quæ vel concupiſcunt vel timent: quo fit vt cum facilè iudicium rationis ſenſum paſſionis ſequatur, voluntas captiua remaneat, mente & ratione eam ad illam partem inclinante, ad quam ipſa fertur ſeducta. Nam dum mens rationibus æternis non adhæret, nec cognitiones ſequitur vniuerſales, ſed particularia tantùm videat, bonum ſenſibile ac temporale ſectandum proponit, vt conuenientius & electione dignius, quod libenter voluntas amplectitur, & ſic à ſummo bono auertitur. Cauendum denique ne in poteſtate noſtrorum hoſtium deueniamus, qui nos in carcerem detrudant, itaut cogamur omnia noſtra eorum diſpoſitioni ſubmittere: quod quidem fit dum mens & ratio ita ligaturis, & vinculis peccatorum conſtringitur, vt liberè non exeat in actum aut exercitium, propter quamdam immutationem corporalẽ, ſicuti fit in ſomno & ebrietate. Si enim fiat in nobis quædam alteratio & tranſmutatio corporalis, propter intentionem & vehementiam paſſionis, homo amittit vſum & exercitium rationis: ſic per vehementiam aut iræ aut amoris, quidam in inſaniam deuenerunt. Paſſione igitur poſt ſe rationem attrahente, vt in particulari & in indiuiduo iudicium ferat contra ſcientiam vniuerſalem, voluntas noſtra quæ indifferens & indeterminata eſſe deberet, captiua redditur, quin & plærumque in ſuo malo delectatur, miſeris illis Floridæ fœminis aſſimilata: nam cum ipſæ offerunt primogenitos occidendos & mactandos ſuper quemdam arboris truncum, in honorem principis adſtantis, ſedet mater lugens iuxta truncum: at proximior conſanguinitate gaudet & tripudiat, puerum in ſacrificium offerendo, aliis concomitantibus fœminis & tripudiantibus, multaque ſigna lætitiæ etiam exprimentibus: ſic qui paſſionibus inſeruiunt, dæmoni iniquorum & reproborum regi cor ſuum offerunt mactandum: triſtatur quidem conſcientia, & ſyndereſis luget & plorat: ſed appetitus inferior gaudet & tripudiat cum omnibus ſuis paſſionibus, quia liberam habent poteſtatem fruendi ſuis obiectis, & iocunditate peccati, neglecta omni virtutis honeſtate, & pietatis amore. Hæc vincula fugiamus, ab his carceribus euolare cupiamus, vt in libertatem filiorum Dei euocati, Deo noſtro, vt par eſt, ſeruire poſſimus.

Tertiò, hæc conſilia illæque determinationes fumo comparantur, quia euaneſcunt. Vani enim ſunt omnes in quibus non ſubeſt ſcientia Dei. Et de talibus dicitur, Rom. 1. *Euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum*; & Pſ. 32. *Dominus diſſipat conſilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat conſilia principum. Conſilium autem Domini in æternum manet: cogitationes cordis eius in generatione & generationem. Spes*, inquit Sapiens c. 5. *impij tanquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur; & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur; & tanquam fumus, qui a vento diffuſus eſt.* Ita Sapiens. Talia ſunt conſilia malorum, quæ in nihilum, flante Deo rediguntur & euaneſcunt: vnde meritò fumo adumbrantur, mentem obſcurante & voluntatem impediente, ne impigrè & ſedulò in bonum feratur.

Talia igitur conſilia impiorum fumus ſunt, quæ ſolem, id eſt mentem & intellectum, ſuper quem Deus ſignauit lumen vultus ſui; & aërem (id eſt voluntatis indifferentiam ad oppoſita, ſeu liberam illam iudicandi & eligendi facultatem, qua diſcernimus verum à falſo, aut eligimus bonum malo neglecto) obtenebrant: quo fit vt ſeipſam anima ad malum determinet, & amittat capacitatem actu eligendi pro eo inſtanti meliora, adeo eſt obtenebrata mens ſpiſſitudine illius fumi, nempe determinationis quæ ab errore intellectus cauſatur, propoſitã voluptate carnis appetitum alliciente, ſiue propoſito quolibet obiecto, quo à bono virtutis propter difficultatem deterreatur. Hic fumus aſcendit è puteo abyſſi, id eſt ex appetitu, cor hominis ad ſenſibilia reſtringente & coarctante: qui puteus, id eſt appetitus inferior, aperitur, id eſt in actum prodit, dum Dæmon pro poteſtate ſibi collata, aut delectabilia proponit ſenſibus proſequẽda, aut per propoſitionẽ terribilium mentem à virtutũ exercitio deterret, itaut claudatur diuinis inſpirationibus & motionibus. In quo quanta tyrannide diabolus in nos vtatur manifeſtum eſt: nam ſicut princeps clauem habet ciuitatis, vt denotet ipſi liberum eſſe quemcumque admittere, aut excludere ex hac ciuitate prout voluerit, ita hæc clauis denotat bonas cogitationes, & præceptum illud Domini lucidum illuminans oculos, operante Diabolo, à mente excludi; malas autem cogitationes ſeu diaboli ſuggeſtiones lubentiſſimè admitti, vt fiat anima captiua ad ipſius diaboli voluntatem, & ad omne opus bonum reproba.

Et de fumo putei exierunt locuſtæ in terram.

Paſſiones conſequentes liberam voluntatis electionem; ſeu mali actus externi intenſiores propter concomitantiam illarum paſſionum, per locuſtas intelliguntur.

ANNOTAT. VIII.

Variæ auctorum expoſitiones de locuſtis, & quæ tandem noſtra ſit ſententia. §. 1.

VARIÆ ſunt expoſitiones iſtarum locuſtarum, quas hîc adducere non etit infructuoſum, vt de plano & germano ſenſu faciliùs feramus iudicium.

Sunt qui volunt has locuſtas non tantum ſpeciem & apparentiam locuſtarum habituras, ſed veras & animatas fore locuſtas, licet peregrinas & monſtroſas. Virtute enim diuinâ profundiſſimus hiatus, fortè vſque ad inferos (nam paulò poſt ingens hiatus, quo omnes impij abſorbebuntur in tartara aperietur) alicubi in terra vel in montibus pandetur; vnde quaſi ex puteo abyſſi, id eſt abyſſali & profundiſſimo, immenſa vis fumi exibit, ſicut ex Ætna & Veſuuio crebro exiſſe legimus. Ex quo liquet in terræ viſceribus multa & immania latere incendia, quæ iam compreſſa tenentur, vt ſub finem mundi

Digitized by Google

erumpant, & primo omnia fumo & cinere infeſtent, deinde ſimul cum igne conflagrationis terram exurant. Iam durante iſto fumo, facile erit diuina virtute procreari peregrinum genus locuſtarum pungentium & virulentarum; quod è fumo exeat, & omnia longe lateque occupet, ſicut olim immenſa agmina primò ranarum, poſtea ciniphum, poſtremò muſcarum, totam Ægyptum occuparunt, idque repentè, diuina virtute ea animalia formante, vt patet Exodi c. 7. &c. Ita Leſſius l. 13. de perfect. diuinis c. 18. apud Cornel. Alij, vt Andreas Cæſ. per locuſtas intelligunt vermes illos de quibus Propheta ait: *Et Vermis eorum non moritur. Ideo autem locuſtis illis mandauit ne terram aut ſanum offendant, ſed homines tantum, quod iſthæc iam tum ab interitu, & corruptione immunia erunt, cui hoc tempore noſtri causâ obnoxia ſunt,* &c. Ita And. Quod ſi iſti vermes veri ſunt vermes, carnes impiorum dilacerantes, vt videtur eſſe fatendum ex cap. 16. Iudith vbi dicitur: *Dabit enim ignem & Vermes in carnes eorum, vt vrantur & ſentiant vſque in ſempiternum*; ſi verus ignis, verus erit etiam vermis: locuſtæ igitur erunt veræ locuſtæ, quæ, vt vermes, carnes & corpora impiorum torquebunt.

Cornelius vult planiſſimum eſſe ſenſum, ſi per locuſtas, intelligamus dæmones, qui ſpeciem & formam locuſtarum induent, ſed nouam & monſtroſam, vt pote ex variis animalibus, puta leone, ſcorpione, equo & homine commiſtam & conſarcinatam. Quod ſi veræ & animatæ ſunt locuſtæ, vt antea ex Leſſio diximus, dæmones erunt illarum locuſtarum motores, vt ſicut per ſerpentem olim dæmon Euæ locutus eſt eamque ſeduxit, ita per illas locuſtas dæmon homines diuexet & torqueat.

Alij cenſent non veras locuſtas à S. Ioanne deſcribi, ſed tantùm ſymbolicas, & in imaginaria viſione tantum in rerum natura extare: vt per viſionem talium locuſtarum quædam futura prædiceret, aut quæ reuera fiunt & tranſiguntur depingeret. Ita cenſet gloſſa, dum ponderans hæc verba. *Et ſimilitudines locuſtarum*, ait, *id eſt imaginariæ locuſtæ*: & ſic in varias abeunt interpretationes, & diuerſa per eas locuſtas ſignificari volunt.

Et primò Ambroſ. per locuſtas hæreticos intelligit. Sic enim ait: *De fumo, id eſt de doctrina eorum, qui Hæreſiarchæ appellati ſunt, magna multitudo hæreticorum generata eſt: in terram exierunt, quia à ſocietate electorum ſeparati, eis qui terra vocantur, id eſt infidelibus, coniuncti ſunt.* Ita Amb. Ita etiam gloſſa ordin. *Exierunt locuſtæ, diſcipuli, id eſt Anti-Chriſti, & hæreticorum*: Nec diſſentit Nicolaus de Lyra, dum ait: *Exierunt locuſtæ, id eſt Vandali hæreſi Arrianâ infecti, qui dicuntur locuſtæ, quia ſicut locuſtæ ſaltant de loco ad locum, ſic Vandali de Hiſpania tranſierunt in Africam, & inde poſtea intrauerunt Italiam & Galliam, eas vaſtando.* Ita de Lyra. Qui in ſenſu morali, vult per locuſtas intelligi ſacerdotes & miniſtros ſimoniacè promotos.

Ribera vero ait: *Exiſtimo homines eſſe barbaros & feroces, qui inſtigati à diabolo, & Deo iuſtè permittente, per quinque menſium ſpatium vehementer affligent impios, qui ſigno Dei noluerint ſignari. Ita olim Gothi & Vandali & Hunni, terras tam fidelium quàm infidelium inuaſerunt, & multis doloribus multiſque cladibus affecerunt.* Dionyſius Carthuſianus non tantum hæreticos hæreſiarcharum filios intelligit, *ſed & diſſorte*, inquit, *incedentes per ſemitas tenebrarum, anima leues ac petulantes: hi nempe ab hæreſiarchis ſpiritaliter generantur.* Ita Dionyſ.

Cornelius in quarta explicatione quam adducit, Primaſium, Riberam, & Richardum ſecutus ait: *Ex inferno prodit fumus, id eſt furibunda & diriſſimæ machinationes dæmonum in homines: Hinc obſcuratus eſt ſol & aër, id eſt excæcata ſunt hominum mentes, vt cælum non ſuſpicerent, ſed proni terram ſpectarent & ambirent, ait Richardus. Hæc enim ſymbolicè & figuratè accipere cogimur, quia nulla datur proprie clauis inferni, nullum etiam eius oſtium vel hiatus qui fumum exhalet ſuper terram, vt ſolem obſcurare poſſit: & liquet ex ſequentibus locuſtas, vt pote tot beſtiis ſimiles, figuratè accipi debere.*

Denique Lud. ab Alcazar. cenſet locuſtas ſignificare concupiſcentias. *Fumus putei ſignificat concupiſcentias eſſe tenebras obſcuriſſimas, nec animo licere per eas ſole, id eſt cæleſti luce, imo nec rationis lumine frui. Ex hoc inferni puteo, id eſt errore iam dicto, atque ex inordinata affectione ac deceptionis tenebris prodeunt locuſtæ, id eſt inconſtantes, & carnales cupidines.* Ita Alcazar, apud etiam Cornel.

Nos his omnibus interpretationibus perſpectis, nihil abſurdum dicere cenſemus; dum per locuſtas intelligi aſſerimus omnes actus, qui rationem peccati mortalis induunt, qui ex vehementia paſſionum, liberam voluntatis electionem conſequentium, intenſiorem habent malitiam: vnde nocentiores ſunt, non ſolum iis qui talia committunt peccata, ſed etiam aliis hominibus. Tales actus prodeunt ex fumo, ex errore, ex tenebris concupiſcentiæ; his actibus homines diaboli imitantur malitiam, & in eius ſimilitudinem & poteſtatem tranſeunt; propter tales actus in hæreſim labuntur, & inſtrumenta ſunt malitiæ dæmonum, vt alios vexent; & tandem homines mali propter ipſos actus puniri merentur, tum à dæmonibus, tum plagis ſimilibus plagis Ægyptiacis, nempe locuſtarum agminibus, qualia fuerunt apud Ægyptios olim agmina ranarum, ciniphum, muſcarum; tandem per vermes, carnes reproborum poſt iudicium corrodentes. Nec ab hac interpretatione longiùs abcedere videtur Andreas Cæſarienſis, dum ait: *Quod autem intelligentes locuſta ad ſcorpionum ſimilitudinem feriunt, mortem animæ in prauis operibus inclusam, ad finem ſe prodere indicat, quam etiam ſuſtinebunt quotquot frontes diuino ſigillo ſignatas non habent, neque vinificæ crucis luce per Spiritum ſanctum vndequaque illuſtrati ſunt, itaut iuxta Domini verbum, luceant coram hominibus, qui lumen illorum ad diuini nominis gloriam referant.* Ita And. Nam ſi locuſtæ habentes ſimilitudinem ſcorpionum, quia caudâ feriunt, mortem ſignificant, quam in prauis operibus incluſam eſſe finis illorum indicat, rectè per locuſtas praua opera & peccata eum intelligere exiſtimamus: ſicut enim ſcorpio caudâ ferit, ita finis praui operis eſt mors, quæ prauum ſequitur opus, vt cauda eſt extremitas animalis.

Locuſtarum natura, earumque quæ è fumo putei exeunt deſcriptio, vt ex hac deſcriptione ſymboli cum re ſignificata conuenientiam melius percipiamus. §. 2.

Quantum ad primum, de naturalium locuſtarum natura, hæc ab auctoribus quibuſdam compilata accipe. Locuſta inſecti genus eſt, infirmas habens alas, tam modicis ſe volatibus è terra attollens, vt ſaltare potius videatur quàm volare. In Africa & Syria, maiore corpore naſcuntur, firmioribuſque alis: tantâ autem copiâ, vt herbas meſſeſque omnes aut erodant, aut tactu adurant, quin etiam & maria tranſuolare dicuntur, & abſumptis domeſticis omnibus, externa pabula quærere, non ſine infauſto præſagio eorum ad quos penetrarint. In India monſtroſæ magnitudinis naſci traduntur, vt interdum trium pedum longitudinem excedant: ex quorum femoribus, & cruribus, quum inaruerint, ferræ ſolent confici. Plura apud Plinium reperies l. 11. c. 29. Hoc animal aiunt eſſe inquietum, vagum, ſordidum, noxium, impudens, mordax habet os, & dentes procliues pectoti & cordi vicinos, quin & alios

habet dentes inſuper in occipitio, quibus ſtridorem eduné, ſi credimus Plinio & aliis, quos citat Aldrouand. tractat. de inſect. pag. 420. In Polypos exercent vires, eoſque vincunt: cornibus inter ſe dimicant, & arietant inſtar arietum pro paſcuis, vel fœtu, vel feminis, vt ex Alberto docet Aldronandus, inſatiabiles ſunt locuſtæ, herbis, plantis, arboribus valde nociuæ. Hæc de phyſicis locuſtis. Ad ſymbolicarum deſcriptionem, quæ à S. Ioanne videntur, tranſeamus.

Prodigioſæ nimis & monſtroſæ ſunt iſtæ locuſtæ, vt pote ex leone, ſcorpione, equo & homine commiſtæ & conſarcinatæ: vnde licet magna ſit formarum peregrinarum varietas in locuſtis naturalibus, probabilius tamen videtur eas quæ videntur à S. Ioanne eſſe ſymbolicas taliter effictas, vt ex earum contemplatione horridam peccatorum mortalium faciem attendamus, qua exterriti, vt à facie colubri illud fugiamus.

Habent igitur *poteſtatem ſicut ſcorpiones terræ*: Quænam autem ſit ſcorpionum poteſtas, è Plinio accipe, lib. 11. c. 25. Primo ſcorpius eſt peſtis importuna veneni ſerpentium, niſi quod grauiore ſupplicio lentâ per triduum morte conficiunt. Eius ergo virus eſt lentum, ſed graue eſt ſupplicium; ſecundò virginibus lethali ſemper ictu & fœminis ferè in totum, viris autem, matutino exeuntes cauernis, priuſquam aliquo ictu ieiunum egerierint venenum. Tertio, ſemper cauda in ictu eſt, nulloque momento meditari ceſſat, nequando deſit occaſioni, itaut ſcorpio videatur naturæ admodum iracundæ, & quaſi furibundus, ſtrictum telum, caudæ videlicet ſpiculum ſemper exertum gerere, ad lancinandum, & mortiferam plagam inferendam. Quarto, ferit obliquo ictu & inflexo, incedit quoque obliquo greſſu, vt feriat ex improuiſo. Quinto, venenum vehementius eſt in meridie, cum incanduere ſolis ardoribus; itemque cum ſitiunt inexplebiles potu. Talis eſt poteſtas ſcorpionum terræ, quæ data eſt his myſticis locuſtis, quæ à S. Ioanne videntur è fumo putei egredi: hinc *cruciatus eorum eſt vt cruciatus ſcorpij cum percutit hominem*, nec enim lædunt fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, *ſed tantum homines, qui non habent ſignum Dei in frontibus ſuis*: & quod mirum eſt, datur illis ne occidant homines, *ſed vt crucient tantum menſibus quinque*; tamque atrox eſt ille cruciatus, vt quærant & deſiderent homines mortem, & tamen mortem non inueniunt, *& fugit mors ab eis*.

Quàm prodigioſâ autem ſint figurâ locuſtæ, quibus hæc datur poteſtas homines cruciandi, explicat S. Ioannes dum ait eas turmatim incedere, ad modum exercitus equeſtris: *Similes enim ſunt equis paratis in prælium: ſuper capita eorum tanquam coronæ ſimiles auro apparent. Et facies earum tanquam facies hominum: habent capillos ſicut capillos mulierum, habentes dentes ſicut dentes leonum.* Talis eſt ſimilitudo totius capitis. Quantum ad corpus, loricatum videtur: *Habebant* quippe *loricas, ſicut loricas ferreas*, & in dorſo affixæ, & protenſæ ſunt alæ, quarum vox ſeu ſonitus aut ſtridor erat *ſicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum*. Extremitas autem corporis earum deſinit in caudam, *ſimilem caudæ ſcorpionum*, in qua eſt aculeus. Ad quinque menſium ſpatium, poteſtas earum nocendi reſtringitur: nec in prælium abeunt abſque præuio ductore aut impulſore: *Habent* quippe *ſupra ſe regem Angelum abyſſi*, nempé cui clauis putei abyſſi data eſt, quo impulſore & inſtigatore, & imperante, omnia exterminant. Hinc *nomen eius Hebraicè Abaddon, Græcè Apollyon, Latinè autem nomen exterminans.* Talis eſt deſcriptio locuſtarum, quæ è fumo putei exeunt, quam ſi adiungas cum natura locuſtarum naturalium, habebis perfectum ſymbolum nocumenti ac deformitatis peccati mortiferi, aculeo caudæ pungentis, morſu dentium dilacerantis, horribili figura ac voce, ſeu ſtridore, terrificantis ac percellentis. Quòd ſi ex Plinio lib. 11. c. 29. vox locuſtarum naturalium proficiſci ab occipitio videtur, eoque loco in commiſſura ſcapularum habere quaſi dentes exiſtimantur, eoſque inter ſe terendo ſtridorem edere, peccati natura nobis aperitur, quod quidem in facie blandum apparet, ſed à tergo habet quo noceat & cruciet; & ſicut Apulia, regio alioquin fertiliſſima, tota aliquando à locuſtis deuoratur, ita ſemper peccatum mortiferum, locuſtis ſimile, quoad alas & pedes, formâ, magnitudine, audaciâ & vſu bellico, pedibus ſuis inſiſtens, quaſi paratæ ad volandum, & in volando ſpeciem gerentes equi armati & cataphracti: vnde ab Italis locuſtæ vocâtur *Cauallette*, ideſt equi parui, ſeu equuli; eſt enim loricata, & habet pinnas pro aculeis, atque volat ſaltando, & ſaltat volando, dentibus leonem, cauda & aculeo ſcorpium repræſentans, quamuis ſpeciem hábeat hominis, ac mulieris ornatum capillorum imitetur, tamen ſemper peccatum omnia exterminat, quæ virtuti aut pietati fauent: vnde bene dicitur peccati inſtigator, Apollyon & Exterminans.

Nota hic ex Cornelio τὸ *Exterminans*, non eſſe in græco, ſcripſit enim Ioannes græcè non Latinè, & malè ſtomachari Vallam interpretem hoc de ſuo addidiſſe textui: nec enim temerè hoc addidit, ſed tantum græcam vocem in Latinam tranſtulit (quod eſt interpretis munus) vt Latini æquè ac græci intelligerent quid ſit ἀπολλύων Dicerem ego quæ ſit vox hebraica, *Abaddon*. Videtur ſenim interpres mentem S. Ioannis ſecutus; ſicut enim græcis græcè loquens intelligere fecit nomen hebraicum, per τὸ ἀπολλύων ita interpres Latinus Latine loquens, quid idem vocabulum hebraicum per græcum à S. Ioanne interpretatum ſignificaret, aperire voluit.

Ex hac deſcriptione habebis quàm fœtida, impudens, audax, multiplex, inſatiabilis ſit peccandi libido, in his in quibus regnat peccatum mortale; quàm facilè & citò peccata abſque vllo Dei timore ab eis perpetrantur. Videbis quomodo concupiſcentia tandem per peccatum rationi imperium adimat & ſceptrum è manibus ſuripiat, concupiſcentiam ius regnandi aſſumere, ex nimia ſui ipſius præſumptione. Quàm fallax ſit quæ humanitatem prætereat, quamuis nihil ſit ea crudelius & ferocius; quàm debile remaneat lumen rationis & liberum arbitrium, vt concupiſcentiis ſuis reſiſtere & obuiare queat, tot fucis ac illecebris implicatum, vt ab eis ſe extricare aut expedire non valeat; Quomodo omnia humanitatis iura violant qui concupiſcentiæ ſeruiunt; nullis terminis coarctari, nullis legibus contineri qui concupiſcentiæ obſequúntur; quàm ſint nociui actus peccati mortiferi intenſiores, propter concomitantiam paſſionum, iis qui illos perpetrant, quin & aliis; Denique per proprium amorem & ſui ipſius complacentiam Diabolum in nobis regnare, vt omnem in nobis exterminet pietatem. Hæc ſigillatim nobis in huius ſymboli explicatione, & illius applicatione cum re ſignificata, exponenda ſunt.

De fœtida & ſpurca peccandi libidine, & quàm ſit impudens, audax, multiplex, & inſatiabilis. §. 3.

Animaduertit certè Philoſophus lib. 1. Ethicorum, appetitus concupiſcibilis peruerſitatem, c. 13. quamuis ratione hoc penetrare non poterit, lumine fidei orbatus; dum de continenti, & incontinenti agens, fatetur eſſe aliquid in nobis, quod

Digitized by Google

quidem repugnat reſiſtitque rationi. *Nam*, inquit Ariſtoteles, *vt diſſolutæ corporis partes, ſi ad dexteram mouere velis, in ſiniſtram feruntur, ſic planè ſit & in anima: ad contraria enim incontinentiũ appetitiones feruntur.* Ita Ariſt. Quando enim corpus habet aliqua membra læſa, tunc talia membra feruntur in partem oppoſitam, & non in eam in quam vellet ægrotus, ita certè læſa concupiſcentia per peccatum originale, fertur, & abit appetitus in id quod contrarium eſt & repugnat rationi. Hinc licèt reclamet ratio, libidine peccandi feruntur homines in multiplicia & innumera peccata, quorum fœtore totus inficitur mundus. Sicut enim locuſta fœtidum eſt animal, ita fœtet peccator, qui non iam ex humana fragilitate, ſed ex certa malitia peccat: *quatriduanus enim eſt*: peccauit, & reiteratione conſuetudinẽ contraxit; & omnia contemnens, per quæ à peccato reuocari poſſet, inſenſibilis redditus in malo obduruit, itaut glorietur in malefactis; quo fit vt fœtorem emittat intolerabilem, de quo fœtore late Chryſoſtom. homil. 28. in Matt. to. 2. Loquens enim de homine peccatore ait: *Nec enim mihi dices, non clauſiſſe hunc oculos, nec ſepulchro iacere, nec inſtitis ligatum detineri, nec poſtremò vermibus eſſe proiectum, cum multò peioribus hic, quàm qui obierunt vexetur. Non deuorant vermes, ſed perturbationes animi omni feroci beſtiâ truculentiùs exagitant atque lacerant. Quod ſi aperti ſint oculi, id multo deterius eſt, quàm ſi clauſi eſſent. Clauſi enim mortuorum oculi nihil mali vident: hic vero mille ſibi morbos oculis cernendo quotidie contrahit. Ille iacet in monumento, ad peccandum iam immobilis; hic in ſepulchro malo à ſeipſo intruſus ingenti peccatorum mole obruitur. Sed corpus, dicet quiſquam, huius pingue & floridum, non tabe corruptum videmus. Magna vero res, ſi corpore integro iampridem anima corrupta atque deperdita eſt, ac multâ putredine oppleta; & ille poſt mortem perdecem dies malè olet, hic verò per totam vitã, os habens vel ipſis cloacis ſpurcius, intolerabilem expirat fœtorem. Quare tanto ille diſcrimine hic melior eſt, quando naturali ſolum corruptioni ſubiectus corruptionem ille patitur, hic verò antequam ad illam perueniat, peccatorum vndique fœdiſſimam ſibi putredinem colligit, mille in dies corruptionis vias excogitans. Sed phalerato, inquis, equo fertur magnificè; Ego verò, inquam meliorem eſſe illum, qui in vrna quaſi in lecto quieſcit, quodque decentius eſt, illum quidem nemo putreſcentem cernit, ſed tegitur vrna diſſolutum corpus, hic autem fœtentem animam in corpore quaſi in ſepulchro circumagit. Certè ſi poſſes animam hominis in deliciis ac ſceleribus dediti oculis cernere, non dubitares multò melius eſſe in ſepulchro iacere, quàm deliciis irretitum detineri; & lapide potius quàm graui peccatorum pondere premi.* Hæc Chryſ. de fœtore graui peccatorum.

At non fœtet tantum peccator, ſed & impudens eſt, qui Deum nec hominem reueretur. Quantum autem impudentia Deo diſpliceat perpendere poteris, ſi videas quomodo nec pati poſſit vllam in nobis inſolentiam, quam non ſtatim pœnâ coërceat; dum homo inſolenter de ſe præſumit, faciem Dei à ſe auertit, & ſtatim in multiplicia & grauia incidit peccata. Statim atque Dauid, præſumptione quadam animi, ſeu propriæ virtutis, elatus dixit: *Ego autem dixi in abundantia mea: non mouebor in æternum*, ſtatim huius inſolentiæ pœnam ſubiiſſe ſe memorauit, inquit S. Ambroſ. l. 3. in cap. 3. Lucæ dicens: *Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.* *Si ipſe Dominici generis auctor* (id eſt à quo Dominus ſecundùm carnem ortum habuit) *inſolentiæ excepit offenſam, quanto magis nos peccatores, quibus nulla ſuffragatur prærogatiua meritorum, inſolentiæ ſcopulum timere debemus, in quo naufragium ſit bonorum?* Inquit Ambroſ. Nunc ſi animi elatio, ſi præſumptio virtutis omnia animi bona diſperdit, quantò magis Deus A pœnâ proſequetur eos, qui ſcienter, & omni pudore depoſito, illum offendere non verentur. Multi enim ſunt qui Athenienſes imitantur apud quos impudentiæ ara erat erecta, de quibus Ierem. 3. dicitur: *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi: noluiſti erubeſcere,* & cap. 6. *Confuſi ſunt, quia abominationem fecerunt, confuſione non ſunt confuſi, & erubeſcere nouerunt: quamobrem cadent inter ruentes:* Et Iſa. 3. *Aggitio vultus eorum reſpondit eis, & peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt: Væ animæ eorum, quia reddita ſunt eis mala.* Quod Athenienſibus olim dicitur fuiſſe proprium, nempe vt gererent vultum impudentia inſignem: Vnde apud Ariſtophanem in nubibus dicitur, ac vultu in ipſo adſpectus Atticus eminet: Hoc de quolibet homine Deum ſcienter B ac voluntariè offendente dici poteſt, ipſum gerere vultum plane impudentem, qui contra creatorem & benefactorem ſuum inſurgere non veretur. Certè ſi ſanctus Ambroſius merito nimiæ impudentiæ arguit eos, qui panem de cælo accipientes, panem de terra dare renuunt fratribus; *Et quo ore quæſo,* inquit ille ſerm. in Dom. 7. poſt Pentecoſt. *qua impudentia panem de cælo accipientes nos panem de terra non damus fratribus? Quam impudens eſt qui benefactori ſuo, à quo & panem de cælo, & panem de terra, & quidquid denique habet accipit ingratus, eum offendere non timet!* Certè, vt idem S. Ambroſius dixit, *vbi anima mole paſſionum curuatur, graui & quaſi diuerſarum cupiditatum mergitur æſtu: terrenæ omnes cogitationes &* C *concupiſcentiæ in præceps ruunt, quia peccator vnuſquiſque quo grauiora flagitia commiſerit, eo fit inſolentior, nam vſu atque exercitatione improbitas augetur, & impunitate nutritur audacia.* Recedit itaque ab omni reſpectu honeſtatis, & in eo terrena omnia moriuntur lethalis peccati acerbitate, quæ vera morte peccatorem deleat: *nemo enim grauius moritur, quàm qui peccato viuit.* Ambr. c. 10. l. de Noe & Arca. O vita metuenda & horrenda! qua impudentes audacter perpetramus ſcelera. *Audacia hominum*, ait ſanctus Athanaſius oratione in idola, *non ad id quod expediens aut decorum eſt, ſed ad id quod ipſis poſſibile eſt reſpiciens, contraria molimur: vnde & manus in diuerſum mouens cædes perpetrat, &* D *auditum ad obauditionem; aliaque membra, pro legitimâ liberorum procreatione, ad adulterium; linguam item pro benedictionis, ad blaſphemias, conuitia, & peieserationes tradunt; Rurſus manus ad furta & verberationes hominum ſibi ſpecie ſimilium; & olfactum ad multiplicia genera meretriciorum odorum; pedes verò ad celerem impetum effundendi ſanguinem; ventrem quoque ad ebrietatem & ſatietatem inexplebilem transfert: quæ omnia vitia & crimina animæ ſunt, cauſaque horum non aliunde quàm rerum meliorum auerſatione.* Ita Athanaſ. Hac ratione euadimus membra illius, qui vt caput reproborum inſigniter erit impudens, de quo Daniel 8. dicitur: *Et poſt regnum eorum, cum creuerint iniquitates, conſurget Rex impudens facie*; quem S. Thom. in Daniel, *vult* E *eſſe Anti-Chriſtum, quem nullam turpitudinem committere pudebit.*

At non tantum locuſtæ fœtidæ ſunt, impudentes & audaces, ſed in tanto ſunt numero vt multitudine ſua obruant & diſperdant vniuerſa: ita etiam peccata multiplicantur in iis qui audaces ſunt ad peccandum. Senſit hanc plagam ille qui dixit Pſ. 39. *Quoniam circumdederunt me mala quorum non eſt numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem. Multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei, & cor meum derelinquit me.* Peccatores namque peccatum peccato connectunt, vnde non mirum ſi ita multiplicentur, vt numerari nequeant, quibus dici poteſt: *Etenim in corde iniquitates operamini, in terra iniuſtitias manus veſtræ concinnant.* Pſ. 57. S. Auguſtinus legit, *connectunt*, & ait: *Iniquitatem forte in corde ſolo?*

Digitized by Google

ſolo? *Audi quid ſequitur: Et cor ſuum ſequuntur manus* A *& cordi ſuo famulantur manus. Cogitatur & fit; aut ideo non fit, non quia nolumus, ſed quia non poſſumus. Quidquid vis & non potes, factum Deus computat. Etenim in corde iniquitates operamini in terra. Quid deinde iniquitates manus veſtræ connectunt? Quid eſt connectunt? De peccato peccatum, & ad peccatum peccatũ, propter peccatum? Quid eſt hoc? Furtum fecit, peccatum eſt: Viſus eſt, occidere quærit eum à quo viſus eſt: Connexum eſt peccatum peccato. Permiſeris Deus occulto iudicio occidere eum quem voluit occidere: ſentit ſciri, quærit & alterum occidere; connexuit tertium. Dum ea molitur, forte ne inueniatur, aut quia fecit ne conuincatur, conſulis mathematicum: additum eſt quartum. Reſpondet forte aliqua dura, & mala mathematicus: curritur ad haruſpicem vt expietur. Reſpondet haruſpex non ſe poſſe expiare: maleficus quæritur. Et quis omnia poſſit numerare quæ connectuntur peccata peccatis, &c.* Sic igitur multiplicantur peccata, vt ad modum locuſtarum, quæ in magna multitudine conglomerantur, multiplicentur. *Væ autem,* inquit Iſa. c. 5. *qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum.* Et reuera infelices ſunt qui peccata peccatis addendo illa multiplicant: nam his peccatis quaſi vinculis ita conſtringuntur, vt ab eis extricari nequeant, & inſatiabiles ſint ad peccandum, vt locuſtæ, quæ ſaturari nequeant: de quibus Iſaias c. 56. *Canes impudentiſſimi neſcierunt ſaturitatem, ipſi Paſtores ignorauerunt intelligentiam: omnes in viam ſuam declinauerunt, vnuſquiſque ad auaritiam ſuam, à ſummo vſque ad nouiſſimum. Venite ſumamus vinum & impleamur ebrietate, & erit ſicut hodie ſic & cras, & multo amplius.* Hanc hominum ad vitium inſatiabilitatem animaduertit S. Athanaſius, de incarnat verbi. *Deus,* inquit, *hominem condidit ad immortalitatem & ad imaginem æternitatis ſuæ, verùm inuidiâ diaboli factum eſt vt mors orbem terrarum inuaſerit, quo veniente iam homines mori cæperunt, tantoque magis corruptio deinceps contra eos inualuit, quantò leuius eſt illis viſum in prævaricando mandato comminationes ſuſtinere; quippe qui in delictis intra certos terminos non conſiſtere, ſed paulatim magis ac magis ad vlteriora tendentes, ad immenſa ſcelera procurrerunt: ſtatim enim ab initio inuentores malitiæ mortem &* D *perniciem ea re aduerſus ſeſe prouocauere. Tandem ad iniuſtitiam delapſi, ac omnem iniquitatem tranſgredientes, nullibi fixis veſtigiis, ſed noua nouis accumulantes, in patrandis ſceleribus ſatiari nequiuerunt.* Ita Athanaſ. Ne mireris igitur ſi iſtæ locuſtæ tam horrendæ ſint figuræ, vt ex ſequentibus perſpicies, & ſi adeo nociuæ ſint, vt mox patebit ex dicendis.

Et data eſt illis poteſtas, ſicut poteſtatem habent ſcorpiones terræ. Quod peccata mortifera conſcientiam cruciatibus torqueant. §. 4.

Peccatorum actibus datur poteſtas torquendi. Deo ita diſponente, vt faciliùs videamus peccatum E eſſe contra naturam. Nonne dicebat Dominus ad Cain: *Si benè egeris recipies, ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit.* Geneſ. 4. ſiue quia remanet quædam procliuitas ad turſus peccandum, voluntatem ad conſenſum ſenſuum titillationi exhibendum, alliciens; ſiue quia præ foribus eſt, vt ſui memoriâ conſcientiam torqueat. Domatur autem hæc peccandi libido, ſiue conſenſum negando appetitui ad nouum peccatum perpetrandum inducenti; ſiue peccatum antea commiſſum deteſtando, & de eo agendo pœnitentiam. At dum non retractatur ſtatim eſt in foribus, vt pœnas exigat, tum per ſyndereſim exprobrantem peccati turpitudinem & malitiam; tum per vehementem ad noua peccata committenda ſolicitationem. Hi enim actus ſunt Dij

qui nullam concedunt requiem ſuis cultoribus, iuxta illud Hieremæ. *Et ejiciam vos de terra hac in terram quam ignoratis vos & patres veſtri, & ſeruietis diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem &c.* Non dabunt, inquam, requiem: ſiue quia dum viuimus ſemper erit nobis cum carne & concupiſcentia, quæ eſt peccati effectus, colluctandum, ſiue quia ſi conſenſum præbeamus concupiſcentiæ, abſque vlla temporis intercapedine nos ad ſcelera turpiora perpetranda prouocabit. De pugna & colluctatione agit S. Auguſt. Ser. 2. in Domin. 3. poſt. octauam Epiph. hæc verba Apoſtoli expendens. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Et quia,* inquit, *nolo vt repugnet caro, caro enim mea eſt,* B *ego ipſe ſum, pars mea eſt: non quod volo ago, ſed quod odi malum hoc ago, quia concupiſco. Quod ergo bonum ago? Quia concupiſcentia malæ non conſentio, ago bonum, & non perficio bonum. Et concupiſcentia hoſtis mea agit malum, & non perficit malum. Quomodo ago bonum, & non perficio bonum? Ago bonum, cum malæ concupiſcentiæ non conſentio: ſed non perficio bonum, vt omnino non concupiſcam. Rurſus ergo & hoſtis meus quomodo agit malum, & non perficit malum? Agit malum, quia monet deſiderium malum: non perficit malum, quia me non trahit ad malum. Et in iſto bello eſt tota vita ſanctorum.* Ita Sanctus Auguſtinus. At ſi in iſto bello verſatur tota vita ſanctorum, nonne verum eſt peccatorum actus requiem non poſſe concedere? C Quia etſi iam fuerint per pœnitentiam deleti, tamen propter pronitatem ad peccandum quam poſt ſe relinquunt, pacem turbant, & animi auferunt tranquillitatem. Quanto autem magis torquebunt eum non fuerunt deleti? *Non enim eſt pax impiis, dicit Dominus. Conſcientiæ enim ſtimulus, lux intellectus noſtri,* ſecundum S. Ioannem Damaſc. *ſiue naturale iudicatorium,* vt eum vocat S. Baſilius. *Sicut inſtigat ad bonum,* vt ait S. Tho. 1. q. 79. *ita murmurat de malo, in quantum per prima principia procedimus ad inueniendum, & iudicandum vera.* Ita S. Tho. Sicut enim ratio ſpeculatiua de rebus ſpeculatiuis ratiocinatur, innixa ſuper quædam principia immobilia naturali lumine cognita; pari ratione ratio practica de re- D bus practicis ratiocinatur, innixa etiam ſuper quædam principia rerum agendarum, quæ naturali lumine cognoſcuntur, & à conditore data ſunt tanquam habitudines quædam fixæ & naturaliter permanentes, quæ ſub nomine ſyndereſis intelliguntur: Qua in re clementiſſimè agit cum peccatoribus Deus, dum hac ratione vult nos à malis auertere, quæ ex S. Dionyſ. c. 4. de diuinis nominibus, ſunt contra rationem. Quam clementiam laudat ſanctus Chryſoſt. Homil. 4. de Lazaro, Deum aſſerens clementiorem patribus noſtris carnalibus: *Nam vbi iſti, ſi ſemel aut bis filios arguerint, illos niſi corriganiur poſtea à ſe expellunt, quaſi de illorum correctione deſperantes: at Deus non ita: quia dum adhuc viget tantilla ſpes emendationis nos non deſeris, ſed per ſyndereſim vitia arguens nos ab errorum perpetratione auertere conatur. At non modo ac patres carnales: ſed licèt conſcientia ſemel, licèt iterum, licèt ter, licèt millies ad monuerit, tuque non obtemperes, monebit iterum nec deſiſtet vſque ad ſupremum halitum; ſiue domi, ſiue in binis, ſiue in menſa, ſiue in foro, ſiue in itinere frequenter & in ſomnis, peccatorum nobis ſimulachra ſpectraque repræſentat.* Ita Chry. Nec ſi peccato conſentias pacem te habere putes: rectè enim S. Grego. l. 25. Moral. c. 9. *Peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, mox ſuo pondere ad aliud trahit.* Ita S. Greg. Peccat Dina curioſitate ducta, ad virginitatis iacturam properat, dum curioſitati ſuæ obſequitur. Peccat Iudas indigne participans Sacramento corporis Chriſti, & ſaluatorem deſerens, mox ad tradendum Dominum

Iudæis, ſuggeſtioni diabolicæ obediens ſe accingit. Adulterium committit Rex Dauid, fit ex adultero homicida. Si ſuperbia ſupra alios extolli velimus, mox inuidia corrodemur. Si inuidiæ morſibus cor corroſum fuerit, ſtatim excandeſcētia & ira inflammabitur, ſi accendamur irâ, nec ſæuire poſſimus in eos contra quos iraſcimur, tela in nos conuertemus, & triſtitiâ afficiemur; triſtitiâ depreſſi, pigritiâ ſeu acediâ opprimemur: qua omnia bona ſpiritualia auerſantes, conſolationes quærere in rebus mundanis cogemur. At nec in iſtis requiem inuenire poterimus: nam vt hæc bona temporalia abundanter habeamus, cupiditate & auaritiâ replebimur, vt pecunias rapinis ac furtis vndequaque corrodamus, quibus oppleti, gulæ & luxuriæ indulgeamus: & ſic nulla erit requies, ſed & in tali anima nullus erit ordo, ſed ſempiternus horror, infernali confuſioni ac perturbationi perſimilis, vt verè dixerit Iſ. c. 59. *Viam pacis neſcierunt, & ſemitæ eorum incuruatæ ſunt eis: omnis qui calcat in eis ignorat pacem.* Et quare, niſi quia his locuſtis data eſt poteſtas *ſicut poteſtatem habent ſcorpiones terræ?* Nam ſicut habent ſcorpiones virus lethale & mortiferum, lentè torquens, ita mortem affert ſpiritualem actus peccaminoſus: nec ita citò aliquando animaduertitur, vt de eo ſtimulus conſcientiæ habeatur, teſte Dauide, qui licèt adulter & homicida eſſet, malum quod incurrerat minimè ſentiebat. At ſi quid torquet eſt innocentiæ amiſſio, pudor imbecillitatis, imprudentiæ ac ſubreptionis conſideratio, memoria delectationis præteritæ ſemper ob oculos poſita nouos accendit ignes, vt occaſioni non deſit peccandi libido: ſi quid opponitur fruitioni rei concupitæ, irâ torquetur peccator; nihil agit directâ intentione: *In circuitu* quippe *impij ambulant*; & quo vehementior eſt flamma concupiſcentiæ, eò vehementiori impetu feruntur ad illicita; quoque plus voluptatibus fruuntur, eò magis ſitibundi ad eas aſpirant: vnde ſunt vt locuſtæ ine xplebiles potu.

Et præceptum eſt illis ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, niſi tantum homines qui non habent ſignum Dei in frontibus ſuis: Et datum eſt illis ne occiderent eos, ſed vt cruciarent menſibus quinque.

Non corpus, aut externa hominis bona per peccatum læduntur, ſed anima. §. 5.

Tanta eſt peccati malignitas, vt niſi Dei patientia ac benignitas nos ad pœnitentiam adducere vellet, ſtatim atque commiſſum eſt peccatum, nobis pereundum foret. Optimè igitur dicitur præceptum eſſe locuſtis ne læderent fœnum terræ, id eſt carnem: *Omnis* enim *caro fœnum*; neque omne viride, id eſt terrenam proſperitatem, iuxta illud Ieremiæ c. 17. *Et erit folium eius viride, & in tempore ſiccitatis non erit ſollicitum, nec aliquando deſinet facere fructum*; neque arborem, id eſt terrenam poteſtatem, iuxta illud Danielis ad Nabuchodonoſor Regem Babylonis: *Arborem quam vidiſti ſublimem atque robuſtam, &c. Tu es Rex, qui magnificatus es, & inualuiſti, &c.* Daniel 4. Deus igitur qui *vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt*, dicitur præcipere ne actus peccaminoſi interitum afferant carni, morbis aut morte corporali; ne impediant terrenam felicitatem, ne autoritate ac poteſtate terrena nos ſpolient: omnis eorum læſio eſt circa animam, in qua vigere debet imago diuinæ maieſtatis. *Et præceptum eſt*, inquit S. Thomas, *quia ita permiſſum eſt vt nocerent, ſed tamen per-*

A *miſſione non largâ; & præceptum eſt illis, id eſt diuinâ cohibitione refrenati ſunt.* Ita S. Tho. ita tamen vt vita corporalis non auferatur, quia ad pœnitentiam nos Dei patientia expectat. Hanc miram Dei benignitatem extollit S. Ambroſ. l. de Noe & arca c. 13. *Indignatur Deus peccatis noſtris, ſed non obliuiſcitur pietatis: minatur ſupplicium, ſed non permittit excidium: moderatur vindictam, reuocat ſeueritatem.* Ita Ambr. Vult vt lædantur homines à locuſtis in anima, per angores & conſcientiæ ſtimulos actiores, & intimè pungentes. At non vult vt occidantur homines, vt tempus habeant reſipiſcendi: & ſicut tempore diluuij noluit totum genus humanum eradicare, ſed in Noe ac filiis eius illud ſeruauit, vt deletis iis qui
B carnem tantùm ſapiebant, produceret alios qui ſpiritui inſeruirent, mandatis eius obtemperantes; ita in hominibus particularibus vitam ſeruat, vt deletis peccatis legem ſuam in corde eorum ſcribere valeat, iuxta illud: *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.* Icrem. 31. Priorem hanc Dei benignitatem ponderat S. Ambroſ. loco citato, dum ait: *Deleturum ſe dicit omnem carnem, non à terra ſed à facie terræ; florem decutit, radicem ſeruat: finit vt in profundo ſubſtantiæ virtus maneat humanæ, quæ in ſuperficie laboret, intus impaſſibilis perſeueret, immuneſque noxæ ad eorum ſubſtitutionem, qui non ſunt reatus obnoxij, reſeruentur. Pulchre autem poſuit: Delebo, tanquam literarum apices, qui delentur ſine fraude*
C *librorum, & ſine imminutione tabularum; atramentum deletur, ſed lignum manet: Delentur elementa, vt ſcribantur plerumque meliora; atramentum tollitur, ſubſtantia non exterminatur. Delebo reſurrectionem carnis à facie terræ, vt ſcribam in cæleſtibus reſurgentes; delebo de libro terræ, vt ſcribam in libro vitæ. Deleantur Domine Deus! Domine deleantur citò elementa fecis, vt ſcribantur elementa Chriſti: aboleatur reſurrectio terrena, vt cæleſtis gratia redundet.* Ita S. Ambroſ. Pari ratione dico: vult Deus vt per cruciatus conſcientiæ, ad delenda in nobis peccata prouocemur: at non vult vt auferatur vita, vt deletis in nobis actibus peccaminoſis, ſcribantur in nobis virtutes & actibus laudabiles: & charactere diaboli deleto character Chriſti &
D ſignum Dei viui in nobis redintegretur.

Licèt autem Deus nolit homines occidi morte corporali propter peccata, vult tamen eos cruciari interiùs, tametſi floreant exterius ſanitate corporis, gloriâ mundanâ, auctoritate terrena: nihil enim peccatore infelicius, quamuis omnia ei proſperè ſuccedere videantur. *Nihil infelicius*, inquit Auguſt. in libro ſentent. proſperi aquit: *felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hoſtis interior roboratur.* Hæc Aug. At difficultas eſt cur dicantur eos cruciare tantùm menſibus quinque, quam ſequenti paragrapho enucleare proponimus.

E *Et datum eſt eis ne occiderent, ſed vt cruciarent menſibus quinque: & cruciatus eorum tanquam cruciatus ſcorpij.*

Cur mali dicuntur tantùm cruciari menſibus quinque. §. 6.

Quinque porro menſium ſpatium temporis, inquit Andreas Cæſar. *quo afflictio & cruciatus ille durabit, breuitatem exprimere arbitramur: niſi enim Dominus abbreuiaſſet dies illos, ſcribit Marcus, non fuiſſet ſalua omnis caro: aut alium quemdam quinarium numerum, propter quinque ſenſus per quos peccatum in animum illabitur, aut aliud tempus definitum ſoli Deo notum.* Ita And.

Menſibus quinque, inquit Dionyſ. Carthuſ. *id eſt per omne tempus vitæ præſentis, quæ propter quinque ſenſus in quibus agitur, & quinque ætates quibus extenditur*

Digitized by Google

(quæ ſunt infantia, pueritia, adoleſcentia, iuuentus & ſenectus) per quinque mentes deſignatur. Ita Dionyſ. S. Thomas etiam per quinque menſes intelligit totum vitæ tempus & aſſerit nomen menſis non ſine cauſa eſſe poſitum, ad ſignandum vitam hominis: *Quia menſis a mene id eſt defectus, quòd ſemel luna in menſe defectum patiatur, deducitur, Vita humana defectum multiplicem habet: & rurſus quia menſis quatuor ſeptimanas habet, & vnaquæque ſeptimana ſeptem dies, ad deſignandum iuſtos Viam tranſigere in obſeruatione quatuor Euangeliorum, & ſeptiformi gratia Spiritus ſancti, qua iuuantur ad omnia: Per quinarium ante ſignatu triplex ſenſus:* Et quia de hæreticis & perſecutoribus, temporibus Anti-Chriſti, intelligit hoc ſymbolum, addit: *Iuſti viuent in corpore mortali ſub vſu quinque ſenſuum. Permittentur præcurſores Anti-Chriſti, ſicut quidam principes, & alij peruerſi corporaliter eos affligere: ſed poſt hanc vitam, quando non erit neceſſitas mortalium ſenſuum quæ modo eſt, non poterunt eis nocere.* Hanc expoſitionem dat his verbis ſanctiſſimus Doctor.

Ingeniosè hic Alcazar, in his quinque menſibus myſteria exquirit; dum hos quinque menſes conferri vult cum centum quinquaginta diebus, quibus vniuerſalis eluuionis vnda ſuper terram effuſa duranit: qui centum quinquaginta dies quinque menſes efficiunt: *Siquidem in Apocalypſeos locutione: iuxta Hebræorum, Chaldæorum, atque Græcorum vſum, ſingulis menſibus dies omnino triginta nec amplius præſcribuntur. Multitudo igitur locuſtarum operientes vniuerſam ſuperficiem terræ, vt dicitur Exodi 10. eſt quaſi quoddam locuſtarum diluuium.*

Ait poſtea menſem vnum eſſe vnam lunam, & dierũ iſtorum nomen in quinque lunas commutari; Per lunam autem repræſentari tempus quo imperium aliquod durat, ſicque per quinque menſes repræſentari totum tempus durationis quinque præcipuarum Monarchiarum, quæ vſque ad Chriſti Aduentum fuere, nempe Aſſyriorum, Chaldæorum, Medorum & Perſarum, Græcorum atque Romanorum; in prima autem Monarchia efflоruiſſe virtutis imaginem, nempe iuſtitiam & rectam adminiſtrationem, ideoque aliis ſubſequentibus fuiſſe meliorem: quod colligit ex eo quod permanſit annos non minus mille ducentos; vnde videtur clementiâ & veritate fuiſſe roboratum iſtud imperium, iuxta illud: *Miſericordia & Veritas cuſtodiunt Regem, & roboratur clementiâ thronus eius.* Prouerb. 20. Alioquin, *regnum à gente in gentem transfertur propter iniuſtitias.* Eccleſ. 10. In ſecunda ſapientiam fuiſſe in prætium & æſtimationem; quod ex Danielis hiſtoriâ ſatis probatur. Dicitur enim c. 1. quantâ curâ ac diligentiâ Nabuchodonoſor eligi voluerit pueros eruditos, *in omni ſapientiâ, cautos ſcientiâ, & doctos diſciplinâ.*

In tertia, delitias & corporis blandimenta, vt ex vxorum multitudine, conuiuiis lautiſſimis ſatis conſtat ex libro Eſther. In quarta opes & diuitias. Compertum namque eſt Alexandrum magnum Darij Regis atque Indiæ opibus potitum fuiſſe, eiuſque ſucceſſores cupiditatis diuitiarum inſimulari, ex hiſtoriis ſacratum literatum; in 5. honorem ac nominis exiſtimationem, quam præ cæteris bonis habuiſſe docet S. Auguſtinus; ſicque ſemper illa imperia in peius ierunt: nam melior eſt amor iuſtitiæ quam ſcientiæ; ſcientia quàm ſint delitiæ: non tanta mala ex vita delitioſa obueniunt, quanta ex cupiditate & auaritia: ſed ambitio & nimia honorum affectatio priora mala complectitur, & alia ſuper addit.

In his igitur quinque menſibus concludit ſignificati totum tempus iſtarum Monarchiarum, in quo totus orbis oppreſſus fuit idololatria, quaſi dicatur deſideriorũ cõcupiſcẽtiæ denſiſſima eluuione orbem laboraſſe, dum ſola vmbratili & fucata iuſtitiæ imagine, ſapientia terreſtri & animali, abſque vera Dei cognitione, dum vita molli & effeminata cupiditate diuitiarum & ambitione, Monarchæ orbi dominantes laborarunt; & optimè dico laboraſſe, nam *deſideria occidunt pigrum.* Pro. 21. & *ſpes quæ differtur affligit animam*, Pro. 13. & *qui addit ſcientiam addit & laborem.* Eccleſ. Igitur hæc deſideria orbem ſub his imperiis ingemiſcentẽ diuexarunt menſibus quinque, id eſt toto harum Monarchiarum tempore, donec Deus effuderit in orbem ſuum ſpiritum, quo videlicet vera iuſtitia, vera ſapientia daretur; & corporis voluptates, diuitiarum cupiditates, & honorum appetitiones frenarentur. Hæc fuſius Alcazar.

At vt mentem noſtram aperiamus, notandum eſt tempus à Deo conceſſum in hac vita, vt noſtram poſſimus operari ſalutem, in annum, in menſes, in diem, in horam poſſe diuidi myſticè, ſicut tempus menſurâ motus cælorum diuiditur in annum, menſem, diem & horam. Annus primò dicitur, nam ſicut annus perfectus & completus dicitur, dum ſol ſuum perfecit curſum, & per duodecim ſigna zodiaci tranſiens, ad idem punctum reuoluitur à quo primum diſceſſerat, pari ratione hoc tempus à Deo conceſſum ad noſtram ſalutem operandam, ſiue hic annus myſticus, completus eſt dum ſol iuſtitiæ omnia media poſſibilia & conuenientia adhibuit, quibus demonſtraret quanta benignitate nos gratiâ ſuâ potiri deſiderat, vel quantâ ſeueritate peccata puniat vt pote ipſi odioſiſſima; quos effectus miſericordiæ & veritatis producit, vniuerſalem Eccleſiam toto orbe diffuſam per ſeptem candelabra repræſentatam percurrens & colluſtrans: vnde in medio ſeptem candelabrorum aureorum videt S. Ioannes ſimilem filio hominis (cuius facies ſicut ſol in virtute ſua lucebat) deambulantem: hoc enim curſu perfecto Deus dicere poteſt: *Quid debui facere vineæ meæ, & non feci?*

Secundo notandum hunc annum myſticum diuidi in menſes, propter diuerſitatem effectuum tum miſericordiæ tum iuſtitiæ, quos ſol ille iuſtitiæ producit Eccleſiam ſuam regens, ac præſentia ſua illam colluſtrans, vt fuſiùs videbimus in Annotatione, quam de hoc tempore myſtico inſtituemus.

Notandum tertio, hoc tempus diei comparari, vt ſciamus nobis concedi, non vt dormitemus, aut ſomno opprimamur, ſed vt vigilemus, in bonis operibus nos exercentes, monente Apoſtolo: *Nox, inquit, præceſſit: dies autem appropinquauit: abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis: ſicut in die honeſte ambulemus*: Dominum imitantes qui de ſeipſo dicebat: *Me oportet operari opera eius qui me miſit, donec dies eſt: Venit nox quando nemo poteſt operari.* Ioan. 9.

Notandum quarto, hoc tempus per horam deſignari, qua ratione duo nobis proponuntur; primum, ſufficiens tempus nobis concedi correctionis & emendationis; ſecundum, tempus iſtud nihilominus breuiſſimum eſſe & citò elapſum, quo fit vt in manifeſto ſimus periculo damnationis, ſi per incogitantiâ abſque fructu illud elabi ſinamus. Hiſpoſitis,

Dicimus hos menſes in quibus locuſtæ myſticæ cruciant homines, partem eſſe anni iſtius myſtici, & tempus deſignare in quo vigent adhuc in nobis vitia, nec animam ab iis vitiis habemus expurgatam: quinque enim in nobis ſunt repurganda antequam ceſſet ſtimulus excrucians & mentem dilacerans; nempe mens ab errore eſt repurganda, voluntas à malitia, appetitus concupiſcibilis ab omni inordinato amore, iraſcibilis à debilitate & infir-

Digitized by Google

mitate ſua; ſenſus ab inquietudine. Hæc enim quinque ſunt repurganda antequam mentis tranquillitatem poſſimus adipiſci, nec ceſſabit vnquam conſcientia à ſuis ſtimulis quibus cruciabitur, niſi huic negotio ſedulò attenti fuerimus. Et quia hæc quinque militant contra obſeruantiam decem mandatorum Dei, quæ ad tria referuntur, nempe ad Deum, ad nos, & ad proximum, ideo videntur triginta dies componere, & quinque menſes efficere: quot enim modis hæc vitia ſecundum hos diuerſos reſpectus, nos ad tranſgreſſiones mandatorum diuinorum impellunt, tot proculdubio ſunt diuina auxilia, quaſi quidam dies mentes illuſtrantes, quibus ab iis abſtinere valeamus. Fidelis enim eſt Deus, qui non ſinit nos decipi aut tentari ſupra modum, ſi eius inſpirationibus obſequi & obtemperare vellemus.

Et quia mali non perueniunt ad perfectam purgationem mentis & voluntatis, nec vnquam appetitum cohibent à prauis concupiſcentiis, aut vnquam tentationibus reſiſtunt, aut bonum vnquam virtutis audacter proſequuntur, denique nunquam ſenſuum mortificationi ſtudent, cruciantur vſque ad vltimum menſem vitæ ſuæ, per quem deſignatur ſtatus finalis impœnitentiæ & obdurationis in malo, id eſt per totam vitam. Dicantur autem cruciari, non occidi, quia licèt peccatis obruantur (quod quidam deſignatur in alluuione locuſtarum, ſicut obtinuerunt aquæ terram centum quinquaginta diebus tempore diluuij) quibus peccatis omnis ſubſtantia ab homine vſque ad pectus, tam reptile quàm volucres cæli, id eſt & vſus rationis, & ad bonum & virtutem propenſiones naturales, & Angelorum inſpirationes aliquo modo obruuntur, tamen viuit ſemper illud lumen iudicatorium conſcientiæ, torquens & crucians. Deſiderant quidem mori, ſed fugit mors ab eis: etenim quantùm in ſe eſt cogitationem auertunt, & aures obturant, dum clamat conſcientia: Quid agis infelix? Quo miſer properas? Quænam eſt hæc vitæ tuæ turpitudo? Quanta accumulas ſcelera? At fugit mors ab eis: *Vermis* enim *eorum non moritur*, vt eſt apud Iſaiam: qui etiam vermis viuet in æternum: & vt docet S. Innocent. l. 3. de contemptu mundi c. 1. *Erit in gehenna Vermis duplex, interior qui rodit cor, exterior qui rodit corpus. Interior Vermis conſcientiæ, qui tripliciter cruciabit; affliget memoria peccatorum præteritorum: ſera turbabit pœnitentia: torquebit anguſtia, cum ingenti turbatione recogitabunt, quæ cum nimia delectatione geſſerunt: Vt ſtimulus memoriæ pungat ad pœnam, quos aculeus nequitiæ ſtimulauit ad culpam. Hic eſt Vermis*, inquit S. Bernardus lib. 5. de conſideratione c. 12. *qui non moritur memoriâ præteritorum ſemel iniectus, Vel potius innatus per peccatum, hæſit firmiter, nequaquam deinceps euellendus; nec ceſſat rodere conſcientiam, eaque paſtus eſcâ, Vtique inconſumptibilis perpetuat vitam. Horreo Vermem mordacem, & mortem viuacem. Horreo incidere in manus mortis viuentis, & vitæ morientis. Hæc eſt ſecunda mors, quæ nunquam peroccidit, ſed ſemper occidit. Quis det illis ſemel mori, vt non moriantur in æternum? qui dicunt montibus: Cadite ſuper nos; & collibus: operite nos.* Ita Bern. Vides ex S. Bernardo quomodo non perimuntur qui ſtimulo cõſcientiæ, quem relinquit poſt ſe omnis actus peccati, cruciantur, quomodo deſiderant mori, *ſed fugit mors ab eis*, quia ſemper conſcientia eos pungit. Finxerunt Poëtæ Prometheum à Ioue in monte Caucaſo fuiſſe olim affixum, vt cor eius ab aquila continuo corroderetur, quòd ignem è cælo in terras per hirundinem demiſiſſet. At verè Deus, cuius oculi perſpicaciores ſunt oculis aquilinis, peccatori ſemper exprobrabit ſuam ingratitudinem, quòd cum lumen rationis illi deſſet, vt cæleſtia contemplaretur, mentem à rebus diuinis abſtraxit, vt eam ad terrena concupiſcenda & ſectanda demitteret: Et ſicut etiam dixerunt Tityum terræ filium, ab Apolline fuiſſe telis confoſſum, & ad tartara detruſum, vt ſemper à vulture cor eius corrodoretur, quòd Latonam amauiſſet, ita ſeueritas diuinæ iuſtitiæ peccatorẽ amatorem voluptatum carnis, ſemper pœnis transfodiet, & ſtimulis agitabit, quod relictâ voluptate cęleſti quâ inebriari debebat, voluptatibus carnis indulgere potius ſelegerit. *Menſe quinto*, inquit ſacer textus 4 Reg. c. 25. *Venit Nabuzardan Princeps exercitus, ſeruus Regis Babylonis in Ieruſalem, & ſuccendit domum Domini, & domum Regis, & domos Ieruſalem, omnemque domum combuſſit igni.* At certè in his menſibus quinque amor ſui ipſius ita occupat interiorem hominem, in quo olim Deus inhabitabat, vt qui templum eramus Spiritus ſancti, euadamus habitatio dæmoniorum; vt qui ratione actus noſtros dirigebamus, nunc abſque vllo vſu rationis viuamus; vt qui pacificè cum hominibus conuerſabamur, nec cum nobis pacem obtinere poſſimus: vt qui aliis eramus in refugium, cunctis nocere parati ſimus, facti perſecutores bonorum, & totius virtutis ac pietatis oſores: Mortuus eſt olim Aaron, nempe menſe quinto, Numer. 33. Ita moritur in his quinque menſibus pietas, itaut ad finalem impœnitentiam tandem, tanquam ad ſextum menſem mens perueniat. Primus menſis eſt perpetratio peccati mortiferi per ignorantiam: Secundus menſis eſt reiteratio peccatorum, per voluntatis malitiam: Tertius menſis eſt cum peccata ebibuntur tanquam aqua, cum delectatione, per concupiſcentiam: Quartus menſis eſt iactantia de peccatis, propter mentis ignauiam, qua quis turpiter abſque vllo rubore, aut verecundia, fit captiuus peccati ad omne opus bonum reprobus: Quintus menſis eſt omnium bonorum ſpiritalium odium & auerſio, per vehementem ſenſuum omnium perturbationem, quo fit vt tandem anima ad ſextum menſem obdurationis in malum perueniat.

Dicimus igitur tempus à Deo conceſſum per annum deſignari, quem annum myſticum in 12. diuidimus partes: ſex menſes attribuentes eis effectibus, per quos Dei miſericordia elucet & manifeſtatur; alios ſex ad deſignandos effectus, quibus diuina ſeueritas manifeſtatur, aſſignantes: qui effectus ſeueritatis ſunt bellum, peſtis, fames, ignorantia, inordinatæ paſſiones, quibus peruenitur ad ſextum menſem obdurationis in errore per hæreſim, & in malis ac peccatis per voluntatis obſtinationem: quam finalem obſtinationem extra tempus illius anni myſtici, in quo manifeſtantur diuina miſericordia & iuſtitia, ad hunc finem vt à malis & peccatis poſſimus reſipiſcere, rejicimus. De hoc enim ſtatu finalis impœnitentiæ dicitur: *Et tempus non erit amplius*; quæ quidem latiùs enucleabimus, Deo dante, in annotatione in qua differemus de annis, menſibus & diebus myſticis, de quibus fit mentio in hac abſtruſiſſima reuelatione. Cur autem cruciatus conſcientiæ ſit tanquam cum ſcorpius percutit hominem, nunc videndum.

Et cruciatus eorum vt cruciatus ſcorpij, cum percutit hominem.

Peccata blandè ingrediuntur, ſed in fine crudeliter diuexant conſcientiam. §. 7.

Scorpio, inquit S. Thomas, *occultè percutit caudâ, facie blandiendo, item percuſſus à ſcorpione non ſtatim moritur, ſed languet.* Ita S. Tho. vt optimum ſit ſymbolum peccati in occulto percutientis, blandè alli-

Digitized by Google

cientis ad conſenſum, & torquentis poſt conſenſum.

Ego exiſtimo ſanctiſſimum Prophetam explicare quæ antea dixerat, præceptum eſſe illis *ne laderent fœnum terræ, neque omne viride neque omnem arborem*: nam quis diceret eos qui ſanitate gaudent, diuitiis ac delitiis affluunt, dignitates huius mundi obtinent, poſſe cruciari ac torqueri? At ne mireris ſi dicantur vexari. Peccatum ſcorpio eſt: percutit occultè: eius percuſſio non facilè animaduertitur: blandum habet vultum dum nos allicit, ſed poſtquam perpetratum eſt, quaſi caudâ nos lancinat & pungit. *Scorpio*, inquit Geſnerus. l. 4. *blandum ac quaſi virgineum dicitur habere vultum, ſed in caudâ nodoſâ venenatum aculeum habet*: tale eſt peccatum ad blandiens prima facie, ſed poſtea pungens, & veneno mortifero inficiens: vt quod de vino dixit Salomon, Pro. 23. de peccato dici debeat: *Ingredietur blande, ſed in nouiſſimo mordebit ac coluber, & ſicut regulus venena diffundet.* Et reuera quidquid dicant aut agant peccatores, qui appetitui & concupiſcentiis inſeruiunt, licèt ſint gigantibus, vt putant, fortiores & audaciores, gemunt tamen ſub aquis, ſub oneribus peccatorum: nec currus, quibus vehuntur, angores excutiunt: nec lecſuli molles, in quibus recumbunt, comprimunt aut mitigant eorum anxietates; nec hominum ſocietas eorum compeſcit aut diſſoluit curas. Recte S. Cyprianus Epiſt. ad Donatum: *Quibus argenti, vel auri maximum pondus, & pecuniarum ingentium vel extructi aggeres, vel defoſſæ ſtrues, hos etiam inter diuitias ſuas trepidos, cogitationis incertæ ſollicitudo diſcruciat; ne prædo vaſtet, ne percuſſor infeſtet, ne inimica cuiuſque locupletioris inuidia calumnioſis litibus inquietet: non cibus ſecurus ſomnuſue contingit: ſuſpirat ille in conuiuio, bibat licèt in gemma, vt cum epulis marcidum corpus torus mollior alto ſinu condidit, vigilat in pluma: nec intelligit miſer ſpecioſa ſibi eſſe ſupplicia, auro ſe alligatum teneri & poſſideri, magis quam poſſidere diuitias.* Hæc Cyprianus. Quod auaris vel diuitibus dicit, hoc etiam dic de peccatoribus cunctis. Quantumuis igitur actus aliquis peccaminoſus cum paſſione ſibi amica & adminiſtra coniunctus arriſerit, cruciat tamen; & licèt innocens, ſyncerus & integritate inſignis ſibi videatur, omnia nihilominus ſubuertit ac corrumpit: & licèt peccatores exterius appareant læti & hilares, pectus tamen gerunt nimiis anguſtiis oppreſſum. Quamcumque enim in partem ſe vertunt, quemcumque locum adeant, diu noctuque à peccatis & paſſionibus inordinatis vexantur, quæ ſomnum impediunt, aut interrumpunt: ſomnia ingerunt importuna, iuxta illud Iob. c. 7. *Si dixero: conſolabitur me lectulus meus, & relevabor loquens mecum in ſtratu meo; terrebis me per ſomnia, & per viſiones horrore concuties.* Nec ex eo quod peccatis obediunt, quietem adipiſci poſſunt, imo potius exacerbatur peccati plaga, eiuſque aculeus penetrabilior redditur, vt vulnus infligat acerbius. Et quid boni expectandum à Tyranno? Si in bello crudeliter ſe gerit, ne exiſtimes cum victoria obtenta fuerit, eius rabiem extingui: graſſabitur crudelius, omnia vaſtabit, totamque ponet induſtriam vt modos torquendi ſubditos excogitet ac inueniat: hos exilio, iſtos exitio mactabit; horum bona diripiet, cunctiſque terribilis ac formidabilis erit. Sic & peccatum antequam regnet in corpore & mente, multa mala infert. At dum regnat, fortiùs vexat, vtverum ſit malos per peccatum, per totum vitæ ſpatium, quæ in vſu quinque ſenſuum conſumitur, torqueri cruciatu ſcorpij: quia languore premit, dum blandè allicit, dum ſanitate corpus potitur, & quaſi herba virens floret ſenſuum delectationibus; mens ægra redditur, dum A fama & exiſtimatione pollet apud homines. Filij enim huius ſeculi aliquando prudentiores exiſtimantur filiis lucis. Deo odibiles efficiuntur: dum eleuantur quaſi arbores, & ſicut cedri exaltantur, multis torquentur anguſtiis, curis ac ſollicitudinibus, & ærumnis opprimantur. Verè enim dixit Sapiens Eccleſ. 18. *Si præſtes animæ tuæ concupiſcentia ſuas, facient te in gaudium inimicis ſuis.* Dicant igitur: *Venite ergo, & fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creaturâ tanquam in iuuentute celeriter: vino pretioſo & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis, antequam marceſcant; nullum ſit pratum quod non pertranſeat luxuria noſtra: nemo noſtrum expers ſit luxuriæ noſtræ: vbique relinquamus ſigna lætitiæ, quoniam* B *hæc eſt pars noſtra & hæc eſt ſors.* Sap. 2. Tandem aliquando verum fatebuntur, dum in inferno poſiti dicent: *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles.* Optimè Cicero pro Roſcio Amerino. *Nolite putare eos, qui aliquid impie ſceleratèque commiſerunt, agitari & perterreri furiarum telis ardentibus: ſua quemque fraus & ſuus terror maximè vexat, & ſuum quemque ſcelus agitat, amentiaque afficit; ſua mala cogitationes conſcientiaque animæ terrent. Hæ ſunt impiis aſſiduæ domeſticæque furiæ, quæ dies noctesque parentum pœnas à conſceleratiſſimis filiis expetunt.* Ita ſapienter Cicero. Laudetur quantum volueris peccator in deſideriis animæ ſuæ, & benedicatur iniquus: ſiquidem tanta eſt plærumque mundanorum cæcitas, vt flagitia omni vituperio digniſſima C laudibus extollant; & fulgore diuitiarum attoniti, quos deferre deberent vt flagitioſiſſimos, eis ſuppetias ferant: quorum iniuſtas direptiones condamnare deberent, eis manus ad aliena diripienda auxiliares ferant; quorum impia dicta arguere deberent, eis adulatoriè aſſentiunt, iuxta illud Eccleſiaſtici 13. *Dives commotus confirmatur ab amicis ſuis: humilis autem cum ceciderit, expellitur & à notis. Diuiti direpto multi recuperatores, locutus eſt ſuperbè, & iuſtificauerunt illum: humilis deceptus eſt, inſuper & arguetur; locutus eſt ſenſatè, & non eſt ei datus locus. Dives locutus eſt, & omnes tacuerunt, & verbum illius vſque ad nubes perducunt: Pauper locutus eſt, & dicunt:* D *Quis eſt hic? Et ſi offenderit ſubuertent illum.* Ita Sap. Nunquid hæ laudes, & adulatorum verba ſuauia & plauſibilia lenire poſſunt intrinſecos mentis dolores, quibus anima impij affligitur? Tanquam cedri tandem exaltentur, & ſob virtutis ſpecimen & doctrinæ famam ad ſummas euehantur dignitates; gratiis gratuitò datis etiam ornentur vitâ & moribus corrupti: nunquid verâ animi lætitiâ frui poſſunt? Minimè. Recte enim Sophas, Iob. 20. *Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti*: & rectè, quia ſicut punctum dilatari non poteſt, ita gaudium ex laude breuiſſima, quæ ei præbetur, neſcit vſque ad intima cordis penetrare. *Si aſcenderit*, inquit, *vſque ad cælum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit,* E (En arbor altiſſima) *quaſi ſtercuilinium in fine perdetur, & qui eum viderunt dicent: Vbi eſt?* Et poſt pauca: *Panis eius in vtero illius vertetur in fel aſpidum intrinſecus*: & poſtea: *Cum ſatiatus fuerit, arctabitur, æſtuabit, & omnis dolor irruet ſuper eum*, &c. *Hæc eſt pars hominis impij*, inquit, *& hæreditas verborum eius à Domino.* Ita Sophas, & plura alia ponderatione digniſſima. Cum iſtis reponet Dominus eos qui fictè tantum & extrinſecus ei ſeruierunt, gerentes mentem rapinâ & iniquitate oppletam. Nam cum dicent in die iudicij: *Nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Tunc*, inquit Saluator, *confitebor eis, quia nunquã noui vos: Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Matt. 7. Hic eſt finis eorum qui licèt ad dignitates etiam plærumque euehantur, moribus & vitâ corruptiſſimi, nec gaudio

Digitized by Google

interno frui queunt, nec ad vitam ac beatitudinem cæleſtem pro laboribus perueniunt. Non lædantur igitur iſtæ arbores, quia non priuantur dignitatibus concupitis, & cum nimio ardore conquiſitis: lædentur certè eorum mentes, quia non habent ſignum Dei in frontibus ſuis. Cruciabuntur à peccatis, quæ blandè animum miſerè occuparunt: & quandiu dies luminis naturalis vigebit, vt à cruciatu conſcientiæ liberentur, quærent ſpiritum in ſe extinguere, dicentes: *Scientiam viarum tuarum nolumus.* Non tamen inuenient mortem, quia lumen eſt naturale, inamiſſibile, & inextinguibile. *Deſiderabunt mori, & fugiet mors ab eis*: aures obmurmurationibus conſcientiæ claudere optarent, ſed viuit, viuit ſemper: quia ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus diuinæ veritatis, quæ mala neſcit videre cum approbatione.

Nec etiam omnino rejicienda eſt interpretatio, quæ de morte corporali, non de myſtica, hunc locum intelligit. Fit enim quandoque vt mali licèt ſanitate corporali potiantur, licèt diuitiis ac delitiis affluant, licèt ſint in dignitatibus conſtituti, quærant & deſiderent mortem, quibuſdam vexati timoribus, aut anguſtiis oppreſſi: quam tamen non inueniunt, Deo ſic permittente & volente, vel vt eos expectet ad pœnitentiam, vel ad aliorum probationem, vel aliis de cauſis ſibi notis: vniuſcuiuſque enim è vita exitus pendet ab arbitrio illius, qui introitum & exitum noſtrum dicitur cuſtodire, ſine cuius permiſſione nec paſſerculus ab aucupe capitur, aut cadit ſuper terram. Matt. 10. *Fugit, igitur mors ab eis*, donec veniat hora à Deo præſcripta: ſicque verum eſt eos qui extrinſecus florere videntur, intrinſecus autem torquentur, poſſe quærere & deſiderare mortem corporalem, quam tamen non inuenient nec incurrent, donec Deus de eorum vita diſponere ad arbitrium ſuum voluerit. Nec meliùs ſanctus Ioannes potuit exprimere quantas animi anguſtias cauſet peccatum in anima reſidens, quam exprimendo aliquando tales eſſe ac tantas, vt potius mortem, quæ naturaliter tam formidabilis eſt, tantopere deſiderent. *Solent*, inquit Andreas Cæſar. *qui magnis cruciatibus detinentur, mortem inuocare & exoptare: quod autem ad eos qui in tormentis vitam degunt vocata non accedat illud ex occulto Dei iudicio prouenit. Iudicat enim is mortalium generi vtile ac ſalutare eſſe, quod tormentorum parens, & conciliator eſt pœnarum quæ inferuntur.* Ita Andreas. Cæſar.

Et ſimilitudines locuſtarum ſimiles equis paratis ad prælium: & ſuper capita earum tanquam coronæ ſimiles auro: & facies earum tanquam facies hominum.

Deſcriptio actuum peccatorum, ex concupiſcentia conſequente rationis imperium: qua deſcriptione videtur quàm formidabilis ſit plaga pronitas ad peccandum, per quam facile perpetrantur peccata, propter inſatiabilem peccandi libidinem. §. 8.

Nullus autem contra experientiam denegabit, concupiſcentiam antecedentem & indeliberatam, ad modum fumi ex appetitu noſtro tanquam ex fornace ardenti prodeuntis, (quem appetitum deſignari diximus per puteum abyſſi, quia videlicet cor hominis coarctat ac reſtringit ad ea tantùm amplectenda, aut proſequenda, vel fugienda, quæ ſenſibus carnis grata vel ingrata ſunt) ſolem, id eſt, mentem ſeu intellectum tenebris obuoluere; quo fit vt in appetitu rationali, id eſt voluntate, etiam otiantur ſimiles motiones indeliberatæ, hominem A in naturam beſtiarum irrationalium aliqua ratione transformantes, itaut vix in eo animaduertatur vſus rationis, & liberæ electionis: & quò fortior & intenſior fuerit impulſus paſſionis ſolè intellectus obſcurantis, & aërem volubilem voluntatis impedientis, eò magis ipſa voluntas cæca elicit motus præcipitatos, præoccupatos paſſione & exercitio liberi arbitrij ſpoliatos; & exinde eò magis aut minus actus noſtri fiunt culpabiles, quò plus aut minus, propter paſſionum vehementiam, mentis deliberatio fuerit impedita. At ſtatim atque mens & voluntas carni obſequuntur, & cum deliberata animaduerſione ſcienter ac voluntariè feruntur, ad ea proſequenda aut fugienda, quæ carni ac ſenſibus grata aut ingrata ſunt, cum quadam concupiſcentia conſequente, B præuiſa, præmeditata, & à ratione ac voluntate imperata, quàm quæſo pernicioſi exinde prodeunt actus! Quàm validæ ſunt illæ paſſiones, quæ protectionem & cautionem reperiunt apud rationem, à qua condemnari ac coerceri deberent, dum actus humanos à voluntate deliberatè imperatos concomitantur! Hos actus peccati talibus paſſionibus conſequentibus indutos, hìc ſanctum Ioannem deſcribere dicimus, ſub figura quarumdam locuſtarum.

Variis certè ſuppliciis Deus ab impiis vindictam ſuæ defectionis exquirit, quæ à ſapiente tanguntur, Eccleſiaſt. c. 39. *Sunt*, inquit *ſpiritus qui ad vindictam* C *creati ſunt, & in furore ſuo confirmauerunt tormenta ſua. In tempore conſummationis effundent virtutem, & furorem eius qui fecit illos placabunt.* Quinam, oro, ſint hi ſpiritus? Ignis, grando, fames & mors. Omnia hæc ad vindictam creata ſunt. Per ignem intellige bellum, per grandinem & famem, intellige plagam famis à Deo immiſſã, ſicut cũ grandi ne vineas occidit, ac ſegetes vaſtat. Per mortem intellige plagam peſtis: hæc proculdubio ad vindictam creata ſunt. Sed nihil adeò formidandum, ac formidandæ ſunt plagæ ſubſequentes, quas ſapiens deſignat his verbis: *Beſtiarum dentes, & ſcorpij, & ſerpentes, & rhomphæa vindicans in exterminium impios.* Per dentes beſtiarum, intellige animi paſſiones irrationales; per ſcorpios, peccata mortifera, quæ tanquam ſcorpiones D blandè alliciunt, & aculeum in fine, cum fuerint perpetrata, habent: quia conſcientiam corrodunt; per ſerpentes, errores ac hæreſes, de quibus infra; per Rhomphæam vindicantem in exterminium, reprobationem finalem eorum qui pœnitere nolunt. Hæc omnia furorem Domini dicuntur placare, ſecundum vnam lectionem: quia in his Deus iram ſuam complet; vel furorem ſuum confundit, alij enim legent: *Et furorem eius qui fecit illos, confundent*: in tempore videlicet conſummationis. Etenim ſi modò illam, modò iſtam Deus immiſerit plagam hominibus, decurrentibus ſeculis, in fine tamen non vnã aut aliã contentus, ad ſceleratiſſimos E homines pro vitiis & peccatis innumeris puniẽdos, omnes confuſè ſimul ac permixtim immittet. Hac ratione, *His ſpiritus*, vt proſequitur ſapiens, *In mandatis eius epulabuntur, & ſuper terram in neceſſitate præparabuntur, & in temporibus ſuis non præterient verbum.* Ita Sap. Itaut nullus effugij locus detur, cum Deus voluerit his aut illis, aut omnibus plagis, hominum ſcelera vindicare.

At nunc his ita diſcuſſis, locuſtarum, quarum cruciatus vt cruciatus ſcorpij ſunt, deſcriptionẽ expendamus. *Similes*, inquit Alcazar, *equis paratis ad prælium: non hic ſenſus eſt locuſtas habere equorum figuram, præſertim cum humano vultu, ſeminarum capillis, & caudã ſcorpionum conſtent. Forſan ergo ſenſus eſt audaciam earum, & acrimoniam ad inuadendum, eſſe illius inſtar, quæ equis in prælium paratis ineſſe ſolet: aut fortè nomen*

Digitized by Google

equorum pro equitibus accipiendum eſt : ſic enim crebrò, cum de bello incidit ſermo, Vſurpare ſolemus mille equos, pro mille equitibus. Hæc Alcazar. Et certè optimè dixit Sapiens, Prouerb. 15, *Venter impiorum inſaturabilis*; atque de vtroque appetitu dici poteſt quod de ſangui ſugis dixit idem Sapiens Prouerb. 30. vel de peccandi libidine, quod de igne ibidem aſſerit, dum ait : *Tria ſunt inſaturabilia, & quartum quod nunquam dicit ſufficit.*

Dicendum iſtas locuſtas equis comparari, quia cum expleri nequeant, curſu impetuoſiſſimo ad peccandum, quacumque nactâ occaſione feruntur. *Florebit amygdalus : impinguabitur locuſta* : quo ſymbolo explicuit Salomon faſtidium ſtomachi hominis ſenio confecti, qui cum florente ætate nihil reſpuebat, iam ſeneſcente etiam delicatiores cibos ſuſtinere nequit. At nunquam peccandi libido ſaturatur : poteſtas exequendi deeſſe poterit, voluntas peccandi nunquam tamen deficiet : Eſto igitur, iſtæ locuſtæ ſimiles ſint equis propter audaciam & acrimoniam, addo etiam propter peccandi effrenatam libidinem. Quomodo enim qui in rebus creatis & particularibus felicitatem ſuam reponunt, ſatiari poſſent, cum ad vniuerſalis bonitudinem fuerint à Deo auctore præordinati? Quia igitur ſatiari non poſſunt, ideo cum impetu ad obiecta ſibi conuenientia currunt. Equum olim Iob deſcribens paratum ad prælium, illum locuſtis aſſimilabat c. 39. *Nunquid ſuſcitabis eum quaſi locuſtas? Gloria narium eius terror. Terram vngulâ fodit, exultat audacter, in occurſum pergit armatis, contemnit pauorem, nec cedit gladio : ſuper ipſum ſonabit pharetra, vibrabit haſta & clypeus feruens & fremens : ſorbet terram, nec reputat tubæ ſonare clangorem : vbi audierit buccinam, dicit vah! Procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & vlulatum exercitus.* Nunc ſanctus Ioannes locuſtas iſtas prodigioſas equis aſſimilat : & reuera ſaltibus equus, vt locuſta, in altum extollitur : ſic peccator, vt equus & locuſta, continuò in altum per ſuperbiam erigitur : quoniam, vt ait Sapiens Eccleſiaſt. 10. *Initium omnis peccati eſt ſuperbia.* Si equum ad curſum prouocas, eum vrgendo ſtimulis, virgâ, voce aut ſigno, quò fortiùs periculum præſentit, eò vehementioti fertur impetu ; & calore feruidus, aërem attrahens naribus ſtridorem altiſſimum edit : vnde dicitur : *Gloria narium eius terror.* Ita ſi libido peccandi contrarietatem minuſculam ſubtiliter præſentit, quantis, quæſo, peccator aërem replet clamoribus, minis murmurationibus, iniuriis, vt refrigerium aliquod comparare ſibi poſſit, ad ea quæ concupiſcit æſtuans & anhelans ? Videres eum terram pede fortiter percutientem, id eſt, ſibi cauſas iraſcendi efformantem, ſeſe cohibere neſcientem, audacter in quemlibet, cum faſtu & iactantia gloriabundus inſurgentem, Dei timorem contemnentem, verbo diuino reſiſtentem, tela in Deum per blaſphemias iacientem, hoſtili gladio ſibi obuios ferientem : quaſi clypeo munitus excuſationes ſemper quærens in peccatis, feruens ac fremens terrena ardenter concupiſcit, nihilque aliud ſapit aut deguſtat. Perſtrepet in auribus tuba illa horribilis extremi iudicij, quæ ſanctiſſimos quoſlibet viros horrere replet : nihil reputat omnia quæ ventura ſunt, & veluti ſi cum Deo conſerere manus paratus ſit, quo maius erit periculum ſalutis, quo ſæpius à paſtoribus fuerit admonitus, quo Eccleſiæ planctus fortiùs de deſperata eius ſalute inſonuerit, eò impudentius in quodlibet malum præcipitare ſe non vetetur : adeo libido peccandi cum poſſidet, vt lætetur cum maleferit, & dicat, Vah! Quis eſt Deus vt obediam voci eius? O impudentia nimia, & audacia temeraria peccatorum, qui quamlibet occaſionem captat peccandi, qui minimam ſpeciem oppoſitionis ſuæ cupiditatis ſubodorans, ità fremit & exardeſcit, verba aſpera & acerba effutiens, ſibi ipſi materias iraſcendi producens, variaſque effingens prætextus, quibus moueriſe iuſtè proclamet, ad quælibet indecora exterius peragenda, abſq; rubore aut verecundia. Quod ſi ratio aliquid ſuggerat, ſi cuiuſuis auctoritas illum reprimere cõetur, pergit in occurſum armatorum, & neſcio qua perſpicacitate ingenij, odoratur vel quæ ſibi fauent, vel quæ ſibi repugnant. Ecce quomodo libido peccandi facilè ad malum currit, & nec Deum nec hominem reueretur, quominus ſuis deſideriis potiatur.

B *Et ſuper capita earum tanquam coronæ ſimiles auro ; & facies earum tanquam facies hominum : & habebant capillos, ſicut capillos mulierum.*

Peccatum rationi imperium adimit, crudelitatem ſub ſpecie humanitatis contegit, lumen rationis obnubilat, libertatem arbitrij vinculis quibuſdam innodat.

§. 9.

Peccator imbecillem habet rationis vſum. Punct. 1.

Pergit ſanctus Ioannes ante oculos nobis proponere actus peccati, cum concupiſcentia ardenti coniuncti, ſub deſcriptione locuſtarum : Et primò ait, iſtas locuſtas habere coronas ſuper capita. Capita actuum malorum ſunt amores diuerſi, quibus ad agendum impellimur : amor enim eſt prima omnium affectionum aut paſſionum appetitus, tum ſuperioris, tum inferioris ; ea enim deſideramus, ea ſperamus quæ diligimus, & ad eorum gaudemus præſentiam, ſicut & eorum timemus priuationem, aut de abſentia triſtamur. Hi amores coronas geſtant aureas : nam ex eoquod quilibet ſeipſum pluris æſtimat quàm par ſit, amore proprio ſuiipſius excæcatus, ideo putat ſibi omnia eſſe ſubiecta, nihil ſupra ſe agnoſcit ; & quaſi qui à nemine dependeat, cuncta operatur ſe cæteris ſapientiorem exiſtimat, & licèt irrationabiliter omnia perficiat, pallio rationis ſua obtegit facinora ; nihil niſi quod rationi ſit conſonum, ſe peragere iactitat. Quam tamen debilis ſit rationis vſus in peccatore animaduertere licèt ex capillis mulieris, quas iſtis locuſtis affingit S. Ioannes. Mulier enim infirmitatis eſt ſymbolum in ſcripturis ; & capilli, cogitationum, quæ ex corde exeunt tanquam capilli ex capite. At capilli mulierum longiſſimi ac denſi, ad denotandam imbecillitatem peccatorum, qui ſemper de minima læſione, quam ſibi factam arbitrantur, cogitant ; nec ab ea mentem auellere poſſunt. *A facie verbi parturit, fatuus*, inquit Sapiens Eccleſ. 19. *tanquam partus gemitus infantis.* At non tantum cogitat de minima læſione, ſed cum ex abundantia cordis os loquatur, de ea ſemper loquitur, iis cogitationibus implicatus. Vnde de eo dicitur : *Sagitta infixa in femore canis, ſic verbum in corde ſtulti.* Pro. Nam ſicut canis ſemper exerit linguam ad lambendum vulnus, cui ſagitta inhæret, ita ſtultus verbum ſibi ingratum in corde, tam ſæpius ac tantopere reuoluit, vt de nulla re alia cogitare poſſit : quo fit vt de eo ſæpius conqueratur.

Hæc non tam abſona, optime lector, exiſtimabis, ſi expoſitionem S. Thomæ per legeris, in qua reperies coronas ſimiles auro dici, non verè aureas. *Quia*, inquit, *non de vera ſapientia ſunt illæ victoriæ :* Propter quas ſcilicet ſecundum ſuam expoſitionem capita hæreticorum, id eſt, Doctores eorum, coronas geſtant, *habentes quidem ſpeciem pietatis virtutem*

Digitized by Google

autem eius abnegantes. Et facies, inquit, *id eſt vultus earum, ſicut facies hominum; quia hæretici ſimulant & ſimulabunt ſe eſſe rationales, & pios & manſuetos, quia homo eſt animal rationale, & naturâ manſuetum, & ipſe homo cognoſcitur per faciem eſſe homo. Sunt tamen intus crudeles: vnde ſunt ſyrenæ, quæ habent vultum virgineum, & tamen ſunt animalia irrationalia. Iſ.* 13. *Et ſyrenæ in delubris voluptatis. Et habebant capillos (id eſt cogitationes, quæ ſunt multiplices, vt capilli, & à mente procedunt, & menti adhærent) ſicut capilli mulierum, quia ſunt fragiles & flexibiles, vt capilli mulierum: & machinantur ipſæ eorũ cogitationes deceptiones aliorum, vt mulier mala capillos parat ad decipiendum alios; vel per capillos mulierum mores iſtorum intelliguntur, quia exterius a mente procedunt, & ſunt molles & fluxibiles, & effeminati, & in malitia multiplices, & ad aliorum deceptionem ab eis dependentes. Iob. c.* 36. *Vita eorum inter effeminatos.* Ita S. Tho. Similiter Rupertus: *In facie humana ſimilatio rationis, in capillis mulierum, fluxi & effeminati mores.* Ita Rup.

Ribera humanitatis ſimulationem ſignificari vult, in facie hominis, cum multa clementiæ & amicitiæ ſigna dederint: cumque minimè timebuntur vehementer nocebunt, vt ſcorpij, qui caudâ nec opinantes feriunt; in capillis, blanditias mulieribus ſimiles, vt illos quibus nocere velint magis capiant & ſecuriores reddant: quæ omnia ſatis commodè de quouis peccatore dici poſſunt. At quantum noceant videndum ex ſequentibus.

Et dentes earum ſicut dentes leonum, & habebant loricas ſicut loricas ferreas. Peccatis crudelitas & ſeuitia.

Punct. 2.

Per dentes leonum, lethale venenum quod ſpargunt nempe dæmones: per loricas ferreas, cordis obfirmatam duritiem. Inquit Andreas Cæſ.

In dentibus leonum, qui & laniare, & naturalem ſolent afferre putorem, mentis ferocitas. Rupertus. *Tametſi*, inquit Ribera, *multam humanitatem & clementiam ſimulabunt, crudeliſſimè tamen mordebunt: itant dentes eorum, leonum videantur. Leonum dentes validiſſimi ſunt, & quibus nullum animal poſſit reſiſtere: hinc ampliſicationis cauſa dentes fortiſſimi & crudeliſſimi dentibus leonum comparantur.* Hæc Ribera.

Dentes eorum, inquit S. Tho. (de hæreticis intelligens quæ de peccantibus ſcienter & ex certa malitia intelligimus) *id eſt multiplex malitia eorum, parata ad diſcindendum & deuorandum Fideles, ſicut dentes leonum; quia hæc malitia & fœtorem habet in docendo, & crudelitatem in nocendo corporaliter & ſpiritualiter.*

Quanto cum furore peccatores inſiliant & adoriantur, quanta cum pertinacia obſiſtant recta ſuadentibus, quanto cum ſtrepitu & tumultu, nec non & proximi ſcandalo, paſſiones ſuas foris manifeſtent; cum nulla ſit paſſio, quæ non exiliat promptiſſimè, quæ non impudentiſſimè ſuum proſequatur obiectum, cui non ſit ſenſus viuidus eorum circa quæ verſantur, ſatis ex his quæ diximus conjicitur. At deploratiſſimum eſt quod rationi dominentur, ſceptrumque ab eius manibus eripiant: ſic enim fit vt irremediabile ſit malum, cum vnicum hoc remedium auctor naturæ præſcripſerit, (nulla facta mentione de auxiliis ſupernaturalibus, quæ non deſunt ſi admittantur: vnde dixit Apoſtolus: *Videte ne quid deſit gratiæ Dei*,) vt ratio appetitui dominetur, non autem ratio appetitui obtemperet, ex animi ignauia & puſillanimitate.

At quis explicare poterit paſſionis conſequentis, & à depraua ta ratione & voluntate imperatæ furorem, cum aliquid proſequi intendit ſibi gratiſſimum? Tales enim determinationes dentes A ſunt leonum, nihil aliud redolentes quàm inhumanitatem, crudelitatem, ſæuitiem, de quibus dicitur Eccleſiaſt. 21. *Dentes leonis, dentes eius, interficientes animas*: quocumque ferantur, quod cumque imperent, tam furioſæ determinationes ſuis morſibus veneno inficient, æquè ac dentes leonum nihil attingunt abſque noxa; & mortem cauſant, tum illius qui paſſione ductus alios inuadit, tum illius qui impetitur, nec ſecurè talem adeas, cicurari non poſſunt: quinimo ſicut ad leonem fame laborantem nemo abſque manifeſto vitæ periculo accedere poteſt, deuorat enim quodcumque animal habuerit obuium, ita nemo impunè ad hominem furioſum & indomitum accedere poterit. De his dicitur, B Prouer. 30. *Generatio quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus ſuis, vt comedat inopes de terrâ, & pauperes ex hominibus.* Ita ſane: quia ſibi inuicem impij nocent, & pauperes præcipuè opprimunt: ſibi & aliis nociuus eſt qui appetitui inſeruit.

Peccatoris pertinacia. Punct. 3.

At tantò magis adici non poſſunt, nec ad eos pateſt accedi, quòd nullum admittant conſilium, nec aliorum perpendant aut ponderent rationes. Ideo dicuntur habere loricas, *Et habebant*, inquit, *loricas, ſicut loricas ferreas.*

Adeo vehementia paſſionis, imaginationem & facultatem apprehenſiuam tenet alligatam, vt C nihil audiat, nihil percipiat intus apparens, nempe paſſio vehemens prohibet extraneum: tantâ animi pertinacitate, & mentis duritiâ prædita ſunt, vt ſuaderi, aut diſtrahi à ſententia nequeant.

Et habebant, inquit Dionyſ. Carthuſ. *loricas, id eſt indurata contra veritatem præcordia, & varia errorum ſuorum munimenta: vndique contra Catholicos ſe armant.* Ita Dy. Quod de hæreticis ait, hoc intellige de peccantibus ſcienter & ex certa malitia, quos hic deſcribi cenſemus.

S. Thomas ex gloſſa ita exponit: *Habebant loricas, id eſt corda obſtinata, quæ ſagitta veritatis non penetrat*; quaſi dicat: corda dura habebunt, quæ iſta obſtinata erunt vt veritas ea non penetret: vnde comparabilia erunt loricis ferreis, Iob 41. *corpus eius vt ſcuta fuſilia*, vel habebunt loricas, id eſt ſententias, quibus ſe armant; ſicut lorica ferrea eſt forte mu-D imentum.

At quid vult ſanctus Propheta cum addit: *Et vox alarum earum ſicut vox equorum multorum currentium in bellum.*

S. Thomas exponit: *Et vox, id eſt tumultus & clamor, quia cum ratione vincere non poſſunt, verborum tumultum faciunt, vt ſic ſaltem victores appareant: alarum ſuarum, id eſt ſententiam, quibus ſe pertinaciter extollunt. Ala enim ſunt eorum ſententiæ, quas oſtentant eſſe magnas, vt alti videantur: Sicut vox curruum multorum equorum currentium in bello, quia hæretici ſunt* E *multi, & eorũ multitudo concorditer Eccleſiam impugnat. Et ſicut diuerſi currus diuerſis equis, & diuerſis viis ad idem bellum raptim currunt, ſic iſti licèt diuerſis hæreſibus inter ſe diuiſi, vnanimiter Eccleſiam impugnant, docendo errores, diſputando, perſequendo*, &c.

Et vox alarum, &c. *Strepitum*, inquit Andreas Cæſ. *alarum intelligentium locuſtarum, ob id militarium currium ſtrepitui aſſimilatum putamus, quod faſtu ſint elatæ, intelligentique celeritate prædita.*

Ego in alis, & contemptum ſuperiorum & legum intelligo, ſicut in locuſtis diximus ſignificari actus peccati mortiferi: in voce autem alarum, intelligendam eſſe dico illam verborum extollentiam, qua peccatores ſæpius vtuntur, dum blaſphemiis contra Deum, minis ac contumeliis contra homines petulanter inſurgunt. Audies enim eos velut

Nabu-

Digitized by Google

vt Nabuchodonoſor dicentes: *Et quis eſt Deus qui eripiet vos de manu mea?* Danielis 3. vel vt Goliath, de quo dicitur l. 1. Reg. c. 17. *Et maledixit Philiſtæus Dauid in diis ſuis, dixitque ad Dauid: Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cæli, & beſtiis terræ:* de quibus omnibus ait Pſ. 9. *Dixit enim in corde ſuo, non mouebor à generatione in generationem ſine malo: cuius maledictione os plenum eſt, & amaritudine & dolo: ſub lingua eius labor & dolor.* Quantos nunc audies cum ira commouentur in proximum, nomen Dei cum tanto clamare in vanum aſſumere, proximumque iniuriis laceſſere, vt dicas locuſtas, id eſt actu peccantes immanes voces & clamoroſas edere, dum in actus prohibitos prorumpunt?

At ſicut locuſtæ ſtrepitum ſeu ſtridorem alis ſuis edunt, vt videre eſt apud Plinium, lib. 11. Hiſt. c. 29. Ita etiam peccatores edunt alis clamorem & ſtrepitum: nam quia vel vento ſuperbiæ in altum feruntur, contemnentes præcepta ſuperiorum vel legum, vel ardore cupiditatis euehuntur, illa pedibus conculcantes, ideo fortiter clamoribus ſuis omnia replent. Superbia enim & cupiditas, propter quas & per quas omnem poteſtatem & legibus reuerentiam contemnimus, videntur eſſe alæ peccatorum. Deum namque peccatores offendunt, vel ſuperbiâ elati, vel concupiſcentiâ ſua & oculorum excellentiâ allecti.

Hæ autem voces à ſuperbia & cupiditate prodeuntes, aſſimilantur in ſtrepitu curribus equorum multorum currentium in bellum: quia laxis habenis omnes animæ facultates ſimul coniunctæ, intellectus & voluntas, imaginatio & appetitus inferior feruntur in bellum, vt contra Deum militent, & proximis noceant: ſicque omnibus ſcandalo ſunt, qui illos vident abſque vllo timore leges cunctas infringere; & quaſi in altum volantes, nullis ſeptis contineri, nullis honeſtatis aut æqui vinculis coërceri, ſed nec Deum nec homines reuerentes, leges diuinas & humanas violare: non enim ambulare aut currere, ſed volare dicuntur, vt effrenata libido ſignificetur. *Magna naufragia*, inquit S. Ambroſ. *quando mentis pariter & corporis ſenſuum omnium turbo & procella miſcentur: aliquando enim corpus corrigit animam, aliquando anima corpus: At quando vtrumque ſimul in malum concurrunt, magna naufragia ſequuntur.* Petrus autem Chryſolog. Ierem. 16. alia ſimilitudine vtitur, dum ait: *Nam ſi* (peccata videlicet) *ad mentem & ſenſus peruenerint, ſi contingerint animos, ſi ſemel membra penetrauerint, inextinguibile gignitur & exaltatur incendium: & niſi vnda cæleſtis corda riguerit, in mentes ſe infuderit, membra madefecerit, totum quod eſt corporis humani ſubditur & redigitur in fauillã.* Ita Chry. Vnanimem etiam conſenſum malorum ad bonos perſequendos poteſt etiam ſignificari in his curribus & equis ſimul iunctis, iuxta interpretationem S. Thomæ ſupra allatam. Timebat autem illam peccandi effrenatam libidinem, nullis legibus, nulla poteſtate diuina aut humana coarctatam ſapiens, dum hoc modo Deum deprecabatur Eccleſ. 23. *Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & omne deſiderium auerte à me, auſer à me ventris concupiſcentias, & concubitus concupiſcentiæ ne apprehendant me, & animæ irreuerenti & infrunitæ ne tradas me.*

Væ mundo à ſcandalis: Væ autem homini per quem ſcandalum venit. Ex voce & clamoroſo ſtrepitu peccantium ſcandalum oritur, homo enim paſſionibus voluntariis ac deliberatis in peccatum prorumpens, ſimilis eſt curribus equorum qui toto impetu currunt in bellum, nec tantùm cum celeritate & velocitate fertur, ſed etiam cum clamore, ac ſtrepitu, quæ concupiſcit exequitur, vel in contraria euehitur, vel cum quouis ſibi aduerſante congreditur, cunctos inuadit obuios abſque vlla diſcretione, nulla interueniente cauſa; patrem aut matrem, & conſanguineos æquè ac ſi alieni, amicos ac ſi eſſent inimici, ſuperiores prout eſſent ſibi à longè inferiores repellit: Nullius parcit ſexui, nullum ætatis; qualitatis, conditionis, perſonarum cum quibus conuerſatur, rationem habet, omnibus eſt ſcandalo, qui eum aut intuëtur aut audiunt, aut apud quos de eo verba fieri contigit. Horum omnium exemplum habemus apud S. Lucam, hiſtoriam S. Stephani nobis proponentem. *Audientes*, inquit, *hæc diſſecabantur cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus in eum; exclamantes autem voce magna continuerunt aures ſuas, & impetum fecerunt vnanimiter in eum, & ejicientes eum extra ciuitatem lapidabant.* Quis in hac hiſtoria percipere non poteſt veloces nimium inſultus hominum impiorum, quos odium exacerbauit in hominem iuſtum, & pium? Quis non videt in iſtis interiora animi paſſione odij exulcerati tormenta? Nonne alarum ſuperbiæ & cupiditatis ſonos ac voces perſtrepentes ac ſtridentes aure percipis, dum exclamant voce magna? Nonne oculis tuis ſubjiciuntur currus currentes in bellum vnanimiter, dum auribus occluſis propter clamorem, omnibus quæ ſapienter à S. Stephano adducebantur ſpretis, ſimul conſpirant vt neci tradatur, & cum impetu illum è ciuitate expellunt, vt citò lapidibus obruatur. Certè facile eſt in eis videre rationem, voluntatem, odium ac iram ſimul in bellum S. Stehano indicendum concurrere, vt crudeliter illum tandem interimant.

At non ſolum actus peccatorum ſcandalo ſunt, & pernicioſos ac nouos producunt effectus, ſed etiam alios attrahunt, & alliciunt vt ſimilia perpetrent, exemplo peſſimorum hominum impulſi. Hoc docet S. Ioannes dum ait.

Et habebant caudas ſimiles ſcorpionum: & aculei erant in caudis eorum. Et poteſtas eorum nocere hominibus menſibus quinque.

Mali exemplo ſuo alios veneno peccati interimunt, dum imitantur. Punct. 4.

Primaſius hunc locum ita interpretatur: *Poteſtas in caudis earum erat, ladendi homines menſibus quinque: ſcriptum meminimus in Iſaia: longæuus & honorabilis ipſe eſt caput: & propheta docens mendacium, ipſe cauda eſt: erunt qui beatificant populum meum ſeducentes, & qui beatificantur præcipitati. Vnde claret iſtos ex ea parte dominari velle, quam omnes ſancti veritatiſque doctores ſtudent magnopere præcauere, id eſt gloriam ſecularem, & noxia prædicationis errorem: ideo in caudis eorum poteſtas eorum. Menſibus quinque, hanc vitam rurſus inſinuat, vbi poteſt valere mendacium, vel ad capiendum inutiles, vel ad cruciandum temporaliter ſpirituales. Hinc legimus: Vidi inſipientes & tabeſcebam: & tædium detinuit me à peccatoribus.* Ita Primaſ.

S. Thomas per caudas intelligit principes hæreticis fauentes. *Principes autem*, inquit, *dicuntur cauda, quia terrent minis & flagellis, & blandiuntur donis & promiſſis, more canis, qui iratus caudã terret, latus blanditur; & quia pungunt, peccare eos faciunt, quantum eſt de ſe: Vnde dicitur de Diabolo, Iob. 11. Caudam ſuam ſtringit quaſi cedrum; & aculei, id eſt punctiones; vel flagellorum vel perſuaſionum mortiferarum, quibus ſtudent pugnare ad peruertendum & interficiendum ſpiritualiter veneno erroris, ſicut aculeus cauda ſcorpionis venenum infert.*

Ego exiſtimo, conſequenter ad ea quæ diximus, per caudas nos intelligere poſſe infauſtos euentus, qui ex manifeſtâ & impudenti peccatorum perpe-

Digitized by Google

tratione proueniunt : propterea quod alij ad ſimilia audacter perpetranda, tanquam aculeo punguntur & prouocantur, allecti quaſi blando ſcorpionis vultu, quia vidēt eos qui talia agunt proſperè in cūctis agere, timeri, honorari, diuitiis potiri, delitiis affluere ; ſed veneno ſcorpiaco interimuntur, quia peccatis ſuis à gratia excidunt, & in anguſtias peccantium incidunt, de quibus ſupra, per totum vitæ ſpatium, nocent enim menſibus quinque, *id eſt*, inquit S. Thomas, *toto tempore vitæ hominis, in qua vtuntur ſub vſu quinque ſenſuum.* Ita S. Tho. velut diximus quia in eis viget per totam vitam fomenta peccatorum, de quibus ſupra.

Et habebant ſuper ſe regem Angelum abyſſi, cui nomen Hebraicè abaddon græcè autem apollyon, Latinè habens nomen exterminans. Væ vnum abijt : & ecce veniunt ad huc duo væ poſthac.

Amor proprius radix omnium malorum. Punct. 5.

Monet ſanctus Thomas debere dici, *labadon*, non *Abaddon, ſicut dicit B. Hieronymus in interpretationibus: ſed vitio ſcriptorum eſt corruptum, & ſubtractum. Labadon autem interpretatur exterminans, quia diabolus exterminare nititur hominem à gratia in via, & à gloria in patria. Id eſt extra terminum ponere. Pſ. exterminauit eum aper de ſylua. Abaddon autem Græcum eſt, & interpretatur iudicans ; vnde per interpretationem quæ ſequitur patet quod non debet hic eſſe Abaddon. Tribus linguis ſolemnibus nominat diabolum, vt omnes excitet ad cauendas eius aſtutias : ſicut titulus Domini ſcriptus fuit tribus linguis, vt ſignaretur illud. Philipp. 2. Et omnis lingua confiteatur, &c. Ioan. 19. Et ſicut Euangelium ſcriptum eſt in triplici lingua, ſcripſit enim Matth. Hebraicè, Ioannes Græcè, Marcus Latinè, qui ſcripſit Romanis, quaſi dicat: Vos Hebræi, Græci & Latini cauete ab eius ſeductione. In his autem linguis omnes aliæ intelliguntur ; quia enim hæ tres ſunt principales, ideo eas ponit.* Ita S. Tho.

Alcazar poſtquam per Angelum abyſſi docuit intelligendum eſſe dæmonem, tandem ait : *Huc vſque per abyſſi Angelum damonem intelleximus : ſi quis tamen de amore proprio, id eſt de inordinato ſui amore explicare malet, non ſolum non recuſo ſed libentiſſimè etiam aſſentior. Quare quod illi nomen Angeli abyſſi adſcribatur ex loquendi modo huic hoſti teterrimo dæmonis ſignum dari, quod tragicum eſt & ſæuiſſimo cuique hoſti tribui ſolitum, vt morti & perditioni.* Abacuc. 3. *Ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius. Hac vero ratione non ineptè amori proprio inordinato nomen mali Angeli ſiue dæmonis imponitur. Aut forſam abyſſi Angelus eſt idem ac miniſter abyſſi, id eſt tyrannus, cui peccatores iuſto Dei iudicio traduntur, dum permittit Deus vt ipſius truculenti tyranni miſera ſeruitute premantur. Nec dubium eſt quin proprio amori, & nimiæ ipſius licentiæ mirificè quadret nomen regis myſticarum locuſtarum, nomen etiam Abaddon ſiue exterminans.* Ita Alcazar. Addit præterea vtramque hanc Regis locuſtarum declarationem, alteram de dæmone, alteram de proprio amore minimè inter ſe pugnare, quinimo potius ſimul Spiritum ſanctum vtrumq; intendere, vt de ſeptem capitibus Beſtiæ c. 17. ait textus : *Septem capita ſeptem montes ſunt, ſupra quos mulier ſedet, & Reges ſeptem ſunt.* Ita Alcazar.

Huic ſententiæ adſtipulamur ; amor enim proprius tanquam Diaboli miniſter, & cordis humani intimus fætus & germana progenies, quē ex ſe emittit, ad propria iuta promouenda, Rex eſſe videtur cunctorum actuum impiorum, quibus contra Deum peccatores inſurgūt. Huius veritatis aſſertorē habeo

A S. Aug. lib. 22. de ciuitate c. 22. *Quid*, inquit, *amor ipſe tot rerum vtiarum atque noxiarum? Et ex hoc mordaces curæ, perturbationes, mœrores, formidines, inſana gaudia, diſcordiæ, lites, bella, inſidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fallacia, adulatio, fraus, furtum, rapina, perfidia, ſuperbia, ambitio, inuidentia, homicidia, parricidia, crudelitas, ſæuitia, nequitia, luxuria, petulantia, impudentia, impudicitia, fornicationes, adulteria, inceſta, & contra naturam vtriuſq; ſexus, tot ſtupra atque immunditiæ, quas ſturpe eſt etiam dicere, ſacrilegia, hæreſes, blaſphemiæ, periuria, oppreſſiones innocentium, calumniæ, circumuentiones, præuaricationes, falſa teſtimonia, iniqua iudicia, violentiæ, latrocinia, & quid talium malorum in mentem non venit? Et tamen de vita iſta hominum non recedit : Verum hæc hominum ſunt malorum, ab illa tamen erroris & peruerſi*

B *amoris radice venientia, cum qua omnis filius Adam naſcitur.* Ita Aug. Videſne locuſtas ſeu actus malos per locuſtas ſignificatos ? Videſne regem illarum amorem proprium, qui hæc vitia regit, quia ad eius imperium, & eo impellente ab hominibus omnia iſta peccata perpetrantur ? Vnde dicitur iſte amor ædificare ciuitatem terrenam impiorum, ſicut amor Dei ædificat cæleſtem ciuitatem. *Fecerunt itaque*, inquit S. Auguſt, *ciuitates duas amores duo ; terrenam ſcilicet amor ſui vſque ad contemptum Dei, &c. Hi duo amores*, inquit idem S. Auguſt. l. 11. de Geneſi ad literam c. 15. *quorum alter ſanctus eſt, alter immundus ;*

C *alter ſocialis, alter priuatus ; alter communi vtilitati conſulens, propter ſupernam ſocietatem, alter etiam rem communem in poteſtatem propriam redigens, propter arrogantem dominationem ; alter ſubditus, alter æmulus Dei, alter tranquillus, alter turbulentus, alter pacificus, alter ſeditioſus, alter veritatem laudibus errantium præferens, alter quoquo modo laudis auidus ; alter amicabilis, alter inuidus ; alter hoc volens proximo quod ſibi, alter ſubjicere proximum ſibi, alter propter proximi vtilitatem regens proximum, alter propter ſuam. Præceſſerunt in Angelis, alter in bonis, alter in malis, & diſtinxerunt conditas in genere humano duas ciuitates, ſub admirabili & ineffabili*

D *prouidentia Dei cuncta quæ creata ſunt adminiſtrantis & ordinantis, alteram iuſtorum, alteram iniquorum : quarum etiam quadam temporali commixtione peragitur ſeculum, donec vltimo iudicio ſeparentur, & altera coniuncta Angelis bonis in rege ſuo vitam conſequatur æternam, altera coniuncta Angelis malis in ignem cum Rege ſuo mittatur æternum.* Hæc Aug. Nonne ex hoc loco clarum eſt quod amor ſui, qui certe eſt primogenitus affectus cordis humani, per abyſſum, vt vidimus, deſignati, Rex poteſt nuncupari, propter arrogantem dominationem, qua res communes in poteſtatem propriam redigit? Dei æmulus proximum ſibi ſubjicere, eumque propter ſuam vtilitatem regere appetit ; & denique quia ſicut amor primus eſt cuiuſlibet appetitus affectus, omnes alios ad id quod amamus ordinans, amor ſuipſius omnes animæ affectus ad nos ipſos ordinat ac refert. Hic certè exterminator dici poteſt : nam & Dei amorem, qui ſuper omnia eſt diligendus, præſcindit, & veritatem & pietatem, & honeſtatem, & æquitatem, & quidquid ſpiritui gratiæ aut virtuti ſeruire poteſt, à mente radicitus euellit, vt quæ ſibi ſunt vtilia, & grata conſequatur. Hunc regem ſibi aſciſcunt, qui auertentes ſe ab incommutabili & ſupremo bono, ſe ad bonum mutabile & finitum conuertunt, quo fit vt concupiſcentiis indulgeant, & indulgendo inſeruiant, & ab eis crudeliter dominentur. *Qui* enim *facit peccatum ſeruus eſt peccati. Deus*, inquit Primaſ. *ſummè bonus, licèt occultis, iuſtis tamen iudiciis congruum talibus Angelum præeſſe permiſit. A quo enim quis deuictus eſt, huius & ſeruus addictus eſt. Idcirco Apoſtolus dicit tradi eos in omni ſeductione iniquitatis, eo quod charitatem veritatis non receperunt vt ſalui fierent : &*

Digitized by Google

ideo mittet illos Deus in operationem erroris, vt credant mendacio. Ita Primaſ. Væ certè vnum abiit, nempe formidandum peccatorum diluuium, quo ſubmergetur vniuerſus orbis, in fine præcipuè ſeculorum, in quo refrigeſcet charitas, abundabit iniquitas, & vix fides inuenietur ſuper terram, ad exterminium charitatis diuinæ: vnde dicitur Matt. 24. *Et quoniam abundauit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. Et ecce veniunt ad hunc duo Væ poſthac*, nempe plaga hæreſis, & vltima plaga reprobationis. Ethæc de quinta plaga ſatis.

Ex ſextus Angelus tuba cecinit: Et audiui vocem vnam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod eſt ante oculos Dei, dicentem Angelo qui habebat tubam: ſolue quatuor Angelos, &c.

De ſexta plaga nempe hæreſi.

ANNOTAT. I.

Connexio eorum quæ dicenda ſunt, cum iis quæ ſupra dicta fuerunt. §. 1.

Et ſextus Angelus: Ac ſi diceret ille Angelus: Quantum in nobis fuit, homines qui ſe impediri perſpiciunt Eccleſiæ legibus, Paſtorum, & Magiſtratuum auctoritate, ne omnes ſuas concupiſcentias ad libitum expleant, auocare tentauimus à propoſito iugum excutiendi, & ſe contra quamlibet rationis, legis & auctoritatis directionem erigendi & extollendi, eiſque ſedulò ob oculos poſuimus, nihil adeo ſecurum eſſe ijs qui paſſionibus obcæcantur, & quorum ratio vitiis & malis habitibus quodammodo obtenebratur, quàm ſi attendant ad legem Dei, & ad teſtimonium. Monuimus futurum, vt corruant in peius, vnde famelici & ſitibundi remanebunt, quid appetant neſcientes, fameque ſpirituali corroſi interius, irâ tabeſcent, nec Deum nec homines reuerentes, iis quæ ſupra ſunt maledicentes, Regum & Magiſtratuum, nec non & Dei leges & mandata conculcantes, qua quidem ratione licèt cœlum ſuſpiciant, nunquam tamen lumine diuino colluſtrabuntur: ſicut enim præceptum Domini lucidum illuminat oculos, ita tranſgreſſiones præceptorum obcæcant mentem. Quod ſi attendant ad ea quæ in terris reperiuntur, nihil inuenient quo ſolari poſſint. *Ad terram intuebuntur & oculos conuertent, & ecce tribulatio & tenebræ, & diſſolutio, & angustia, & caligo perſequens: & non poterunt anolare de angustia ſua.* Iſ. 8. Itaut cruciati nimis ex vehementia paſſionum, ab iis cruciatibus nequibunt liberari; imo potius quia omnis obedientiæ & ſubiectionis Paſtoribus & Magiſtratibus debitæ iugum excutiunt, quæ diuina & humana ſunt contemnent & violabunt, & in varios errores & hæreſes multiplices prolabuntur. Hac enim ratione puniuntur, qui Chriſtum multiplici modo ſeſe offerentem, vt nos à peccatis ſaluet & eripiat, contemnunt. At quamuis omnia hæc, dicet ſextus Angelus, ob oculos propoſuerimus; tamen *Curauimus Babilonem, & non eſt ſanata.* Fruſtra tempus conſumpſimus, oleum & operam perdidimus: excuſſerunt enim iugum *& dixerunt: labia noſtra à nobis ſunt: quis noſter Dominus eſt?* Vnde ecce plaga peſſima, & horrenda errorum & hæreſum, quæ Eccleſiam diuexabunt nimis, & multos ad inferna detrudent in æternum cruciandos.

Conuenienter agitur de plaga hæreſis, poſt plagam inordinati appetitus inferioris, quo peccatis liberè indulgemus. §. 2.

Dicimus primo Sanctum Ioannem directè ſcopum attingere, dum volens nos auertere à cupiditatibus & ſuperbia, vt id præſtet nobis, ob oculos proponit quænam mala parturiant effectus cauſarum tam pernicioſarum, quales ſunt ſuperbia & cupiditas, ex quibus hæreſes oriuntur, quas in hac ſexta plaga deſcribit: taliſque ordo hæc tractandi videtur naturæ rei conſentaneus, vt ſtatim atque prodierunt in medium Locuſtæ nocentes, quantum noceant deſcribatur: nam non ſolum nocent, quia ex ſe mala ſunt & peccata, ſed etiam quia alia generant & cauſant, quæ in peiorem ſtatum animam reducunt, & eam magis ac magis à Deo ſeparant, & ab eo auertunt. Deus namque optimus maximus, ſed iudex æquiſſimus, de prædictorum peccatorum culpa vindictam exigens, lumen ſuam ſubtrahit ab his qui ſe ab ipſo ſubtrahunt, iuxta illud, Pſ. 72. *Quia ecce qui elongant ſe à te peribunt: perdidiſti omnes qui fornicantur abs te*: quo fit vt lumine fidei ſubtracto, & candelabro amoto à loco ſuo, ad ſalutis viam capeſſendam difficilius mortales reducantur. Poſt liberam igitur peccatis indulgendi effrenatam licentiam, plagâ hæreſis mortales feriuntur, Deo ſic vlciſcente animi noſtri inobedientiam, vt qui liberè & ex induſtria, & propria electione peccando errant, à recta veri ſemita, in errore obfirmati viam neſciant inuenire veritatis, qua ab errore reuocentur. De hæreticis ſiquidem ait Apoſtolus 2. ad Timoth. 3. eos eſſe *ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes.*

Dicimus ſecundo, hæreſes ſiue in quantum ſunt peccata, ſiue in quantum, vt aiunt, non tam peccata ſunt quàm pœnæ quædam aliorum peccatorum, eſſe quaſi effectus cupiditatum inordinatarum, & ſuperbiæ: ex his enim fontibus ſcaturiunt, ab his radicibus nutriuntur, & in mentibus firmius inhærent; ex appetitu enim alicuius boni temporalis, & inordinata conuerſione ad commutabile bonum; ſiue ex inclinatione naturæ corruptæ ad bona corruptibilia inordinatè appetenda, ſit plærumque vt mens eis aſſentiat facillimè, quæ huic appetitui non repugnant, hanc conuerſionem non impediunt, illamque nutriunt & fouent inclinationem: & ſicut radix omnium peccatorum cupiditas nuncupatur, quia ſicut arbor per radicem attrahit alimentum quo creſcat, & foueatur, ita cuiuſcumque peccati libido, per amorem rerum temporalium attrahit materiam, qua foueatur: quia pecunia, & diuitiæ plurimam materiam ſubminiſtrant, qua quæcumque volumus, & inordinatè concupiſcimus adimplemus: vt ſicut radix alimentum præſtat toti arbori, ita cupiditas diuitiarum facultatem præſtat quodcumque peccatum perpetrandi, & prorumpendi in deſiderium cuiuſcumque peccati, quia illud de facili committere poſſumus cum diuites ſumus, ideo maximè diuitiarum cupiditas dicitur radix malorum: Pari ratione hæc cupiditas dici poteſt radix multarum hæreſum, quia mens his erroribus firmiùs adhæret, ex eo quod inordinatè bona temporalia concupiſcat, ac in eis conquieſcere deſideret, voluptati ac vanitati ſeculi indulgere volens. Hac ratione Nicolaus ille Nicolaitarum auctor, ſi S. Epiphanio credimus, hæreſi 5. ſiue 25. ſuæ libidinis patrocinium excogitauit, *& vt libentius ad vxorem rediret (à qua ſibi aliquandiu temperauerat, vt imitaretur eos quos Deo penitus addictos cernebat) hunc errorem perniciosiſſimum enouuit niſi qui ſingulis,*

Digitized by Google

diebus luxuriæ vacet, ſempiternam ſalutem neminem poſſe conſequi. Mos ſiquidem eſt quorumlibet hæreticorum, hæreſim propriam ad animi ſui affectiones accommodare, vt ibidē monet Epiphanius: vndè conjicere poſſumus ex hoc Epiphanij dogmate, quod ſi quis pecunias concupiſcat, hîc excogitabit aliquam opinionem, quæ huic cupiditati inſeruiat: ſic vſuris potiſſimum vacant Iudæi, eaſque probant, & tenent licitas. Si quis ad carnis voluptates propenſus ſit, adinueniet errorem quo poſſit liberiùs voluptati indulgere. Et quia tales animi prauî affectus has opiniones illoſque errores in mente nutriunt ac fouent, ideo auaritia & voluptatum amor dici poſſunt radix illarum opinionum: nec enim mens ipſis adhæreret, niſi ab amore voluptatis, & rerum temporalium cupiditate iam eſſet deuicta.

Sic etiam ſuperbia dici poteſt initium hæreſis cuiuſcumq; ſicut Eccleſi.10. dicitur, *initium omnis peccati*: ſiue enim ſumas ſuperbiam, ſecundum quod importat quemdam actualem contemptum Dei, quantum ad hunc effectum qui eſt non ſubdi eius præcepto, peccatum hæreſis oritur ex hoc generali peccato Qui enim propriæ adhæret ſententiæ, in præiudicium reuelatæ à Deo veritatis, non ſubditur Dei præcepto, qui præcipit vt Eccleſiam docentem audiamus; Deumque ſecreta ſua Eccleſiæ reuelantem has ratione actu contemnit. Si autem ſuperbiam ſumas, ſecundum quod importat quandam inclinationem ad huiuſmodi contemptum, ex corruptione naturæ; cum ratio mali incipiat ex parte auerſionis à Deo cuius præcepto homo ſubdi recuſat, etiam hæc ſuperbia erit quoddam illius erroris initium, quo homo excuſationes quærit, quibus poſſit culpam ſuam tegere, cum malum complet conuertendo ſe ad commutabile bonum, poſtquam ſeipſum auertit per contemptum à Deo. Si denique ſuperbiam ſumamus pro inordinato appetitu propriæ excellentiæ, ſecundum quod eſt ſpeciale peccatum, rectè etiam talis ſuperbia dicetur initium cuiuſlibet hæreſis. Hæretici enim ſuæ adhærent ſententiæ & opinioni propriæ perfectionis & excellentiæ (appetunt enim ſingulares videri) & ſicut finis in omnibus temporalibus acquirendis eſt vt homo per illa quamdam perfectionem ſingularem & excellentiam habeat, ita in nouis dogmatibus inueniendis, finis eſt amor propriæ excellentiæ, vt homo dicatur acuti ingenij, penitioris doctrinæ, ac profundæ mentis. Sic impuriſſimi illi quondam Gnoſtici ſibi falſò cognitionem vendicabant, vt notat Epiphanius l. 1. to. 2. hæreſi 25. Sic Carpocratij apud eumdem Hæreſ. 7. vel 27. qui exiſtimabant ſe vel ipſimet Ieſu anteponendos, nihilque inter ſe ac Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum intereſſe cenſebant. Et quia hæreſes ſemper vel carnis voluptatibus fauent, vel jactantiam ſcientiæ humanæ, quæ ab organis corporeis dependet, affectant, & ſæpiſſimè aliqua phantaſtica illuſione (quæ principium eſt errandi) hæretici ſe veram adeptos eſſe cognitionem exiſtimant, ideo hæreſes inter opera carnis meritò reponuntur Optimè igitur S. Tho. 22. q. 11. ar 1. ad 2. aſſerit finem hæreſis eſſe ſuperbiam vel cupiditatem, dum ait: *Sed ex fine remoto offenditur can à eius, ſcilicet quod oritur ex ſuperbia vel cupiditate*; cuius finis proprius eſt adhærere falſæ ſententiæ.

Dicimus tertiò hæreſim non ſolum eſſe peccatum, ſed etiam pœnam peccati: nam cum duplex ſit infidelitas, vna ſecundum puram negationem, vt dicatur infidelis ex hoc ſolo quod non habet fidem; alia ſit infidelitas ſecundum contrarietatem ad fidem, qua ſcilicet aliquis repugnat auditui fidei, qualis eſt hæreſis, quæ contumaciter reſiſtit dogmatibus fidei, & veritati à Deo per Chriſtum & Eccleſiam reuelatæ; prima non habet rationem peccati, ſed magis pœnæ: quia talis ignoratio diuinorum ex peccato originali primi parentis conſecuta eſt: vnde qui ſic ſunt infideles damnantur quidem propter alia peccata, quæ ſine fide remitti non poſſunt, non autem damnantur propter infidelitatis peccatum. Secunda autem, poſitiua nempe, veluti hæreſis, non ſolum eſt peccatum ſed & pœna peccati: peccatum quidem, quia licet in natura humana non ſit habere fidem, tamen eſt hominis vt mens non repugnet interiori inſtinctui, & exteriori veritatis prædicationi: vnde ille qui repugnat interiori inſtinctui, & exteriori veritatis prædicationi, ſicut facit omnis hæreticus, agit contra naturam, & ideo peccat. Eſt igitur hæreſis peccatum, pœnæ autem rationem habet: ſicut enim peccatum primi parentis ignorantiam rerum diuinarum inprolem induxit, ita peccata propria inducunt in mentes noſtras earumdem ignorantiam, itaut contrarietas & repugnantia veritati propoſitæ, qua in errores & hæreſes labimur, videatur induci in nobis in pœnam propriorum peccatorum, iuxta illud: *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eum.* Iſ. 6. ſicut infidelitas negatiua inducta fuit in pœnam peccati primi parentis, in naturam humanam. Cum igitur hæreſis, ſiue inquantum eſt peccatum, ſiue in quantum eſt pœna peccati, ad ſuperbiam & cupiditatem ſubſequatur, poſteaquam S. Ioannes & cupiditates noxias in locuſtis, & ſuperbiam in rege exterminante propoſuit, hæreſes nobis ordine debito proponere debet, tanquam quid ad ſuperbiam & cupiditates ſubſequens, eiſque indiſſolubili quodam nexu cohærens & connexum.

Quam formidabilis ſit plaga hæreſis. §. 3.

Hoc patet ex grauitate peccati infidelitatis, & præcipuè poſitiuæ, qualis eſt hæreſis de qua S. Tho. 2. 2. q. 10. ar. 3. & q. 20. ar. 3. & q. 34. ar. 2. In quibus locis docet quàm graue ſit peccatum infidelitatis, per quod homo maximè elongatur à Deo: tantò enim aliquod peccatum eſt grauis, quantò per ipſum homo magis à Deo ſeparatur. At quàm diſtat à Deo qui veram Dei cognitionem non habet! Quantum ab eo elongantur qui falſam Dei habent cognitionem! Nec enim quid ſit Deus poteſt cognoſcere, qui falſam de eis habent cognitionem: quia id quod ipſe opinatur non eſt Deus: vnde manifeſtum eſt quod peccatum infidelitatis eſt maius omnibus peccatis, quæ contingunt in peruerſitate morum. Hæc eſt regio longinqua, in quam abit filius prodigus, id eſt hæreticus, vt poſtea videbimus: quæ infidelitas hæreticorum tantò grauior eſt, quantò videtur magis voluntaria, & prouenire ex eo quod aliquis odio habeat veritatem quæ proponitur, ſicque adiunctum habere odium Dei, & veluti cauſam & rationem odij Dei quodammodo induere, quod maximum eſt inter omnia peccata: & ſic infidelitas hæreticorum excedit infidelitatem paganorum, quia infidelitas hæreticorum formaliter eſt voluntaria, & poſitiuè veritati repugnat: infidelitas autem paganorum eſt tantùm interpretatiuè voluntaria, & negatiua. Certe quod de Arrianis dixit S. Athanaſ. orat 2. in Arrium: *Arrianus es: Chriſtianus non es*: dici poteſt de quibuſlibet hæreticis. Cum enim negent Deum talem eſſe in ſe & in verbis ſuis, quibus nobis ſecreta ſua reuelat, quibus reuera eſt, manifeſtum eſt quod nihil prorſus ipſum eſſe velint; æquè enim eſt Deū abſolutè negare aut eum alium quàm ſit effingere. Hæretici igitur Deum eſſe ne-

Digitized by Google

gant, qui de eo ea ſentiunt quæ ſentire non conuenit. Et reuera Chriſtianus ille eſt qui ſatanæ renunciat & operibus eius: at hæretici dæmoni aſſentiunt & eius opera ſectantur: veritatem enim ſubuertunt, quod proprium diaboli eſt. Lege Tertull. de præſcrip. inter alia dicente: *Nec penitet dicere ipſas quoque ſcripturas ſic eſſe ex Dei voluntate diſpoſitas, vt hæreticis materias ſubminiſtrarent, eam legem oportere eſſe, quæ ſine ſcripturis eſſe non poſſent. Sed quæritur à quo intellectus interpretetur eorum quæ ad hæreſes faciant? A diabolo ſcilicet, cuius ſunt partes interuertendi veritatem, qui ipſas quoq; res Sacramentorum diuinorum, in idolorum myſteriis æmulatur.* Ita Tert. Et poſtea addit: *Qui ergo ipſas res, de quibus Sacramenta Chriſti adminiſtrantur, tam æmulanter adfectauit exprimere in negotiis idololatriæ, vtique & idem & eodem ingenio geſtiit, & potuit inſtrumenta quoque diuinarum rerum & Sacramentorum Chriſtianorum, ſenſum de ſenſibus, verba de verbis, parabolas de parabolis prophanè & æmulè fidei attentare. Et ideo neque à Diabolo immiſſa eſſe ſpiritualia nequina, ex quibus etiam hæreſes veniunt dubitare quis debeat.* Ita Tert. Deinde Chriſtianus ille reuera eſt, qui iis quæ tradita ſunt fidem ſimpliciter adhibet: at hæreticus noua ſemper ſatagit inuenire dogmata: Hinc ad Marcionem 1. de carne Chriſti Tertullian. quòd negaret veram Chriſti carnem aiebat: *Ex quæ, oro te, auctoritate? Si Propheta es, prænuncia aliquid: ſi Apoſtolus, prædica publicè; ſi Apoſtolicus, cum Apoſtolis ſenti; ſi tantum Chriſtianus es, crede quod traditum eſt: ſi nihil horum es, meritò dixerim, morere: nam es mortuus, qui non es Chriſtianus, non credendo quod traditum eſt Chriſtianis.* Rurſus, Chriſtianus Deum colit & adorat, hæreticus autem idololatra eſt. *Neque*, inquit Tertull. de præſcrip. *ab idololatria diſtant hæreſes, cum & auctoris & operis eiuſdem ſint, cuius & idololatria: Deum aut fingunt alium, aduerſus creatorem; aut ſi vnicum creatorem conſitentur, aliter eum differunt, quàm is vere eſt.* Et aduerſus Praxeam circa finem, de hæreticis loquens ait: *Nationes manibus, ita & ipſi verbis idola fabricantur*, Id eſt, alium Deum & alium Chriſtum. Atqui, vt ait S. Auguſtinus l. 6. quæſt. in Ioſue c. 19. *quiſquis talem cogitat Deum, qualis non eſt Deus, alienum Deum vtique & falſum in cogitatione portat*: Quod quidem fuſiùs idem ſanctiſſimus Doctor docet in Pſ. 80. hunc v. exponens: *Iſrael ſi me audiens non erit in te Deus recens. Deus*, inquit, *recens, aut lapis aut phantaſma eſt*: Et paulò poſt: *Non eſt talis Deus noſter, non eſt talis portio tua Iacob: ſed qui fecit cœlum & terram ipſe eſt Deus tuus, qui non eget bonis, qui non timet à malis. Multi ergo hæretici cum paganis alios & alios Deos ipſi ſibi finxerunt; alios & alios Deos ſibi ipſi fecerunt, & eos etiam ſi non templis, tamen quod peius eſt in ſuo corde poſuerunt, & falſorum videndorumque ſimulachrorum templa ipſi facti ſunt. Magnum opus eſt intus hæc idola frangere & locum Deo viuenti, non recenti mundare. Omnes enim iſti aliud atque aliud ſentientes, alios atque alios Deos ſibi facientes, ipſamque fidem falſitate variantes, videntur diſſentire, ſed omnes à cogitationibus non recedunt, in terrenis cogitationibus conſentiunt: ſibi opinio diuerſa eſt, vanitas vna eſt.* Ita Aug. Eadem ratione ductus S. Hieronymus dogmata hæreticorum ſculptilibus comparat in 1. Daniel. *Maledictus qui facit ſculptile & conflatile, opus artificis, & ponit illud in abſcondito. Abſconduntur enim omnes hæretici, & operiunt mendacium ſuorum dogmata, vt ſagittent in obſcuro rectos corde.* Et in cap. 11. Oſeæ, *Singuli hæreticorum habent Deos ſuos, & quodcumque ſimulauerunt, quaſi ſculptile colunt atque conflatile.* Ita S. Hier. Quæ cum ita ſint dicamus cum eodem ſanctiſſimo Doctore, in c. 5. Ezechielis quod *cunctis peccatis & fornicationibus peior eſt doctrina hæreticorum, quæ filios Dei facit dæmonum: immo interficit eos.* Ita Hier. Licèt igitur infidelitas paganorum peior videatur infidelitate hæreticorum, quia hæreticus plura de Deo vera, aut ſcire, aut credere videtur quam Paganus, tamen abſolutè loquendo infidelitas hæreticorum eſt peſſima; tum quia grauiùs peccat, qui fidei renititur ſuſceptæ, quàm qui renititur fidei nondum ſuſceptæ (ſicut grauiùs peccat qui non implet quod promiſit, quàm ſi non impleat, quod nunquam promiſit, vt S. Auguſt. l. 21. de ciuit. c. 25. *Cum peior vtique ſit deſertor fidei, & ex deſertore oppugnator eius effectus, quàm ille qui non deſeruit quam nunquam tenuit*: & hæreticus hac ratione peior erit infideli Pagano) tum quia etiam *optimum opponitur peſſimo*, ex Ariſtotel. c. 8. optimum autem in rebus moralibus eſt vera Dei cognitio, eiuſque amor & charitas: igitur hæreſis voluntaria ex odio veritatis prouenies, eamque voluntariè oppugnans, erit aliquid peſſimum & abominabile: qua quidem de cauſa, propter illius pertinacitatem, & quia manifeſtè impugnat veritatem, inter peccata contra Spiritum ſanctum reducitur à S. Thom. in 4. ſenſent. 13. q. ar. 2. *Nemo* igitur, vt ait S. Hierony. in 7. Iſaiæ, *eſt tam impius quem hæreticus impietate non vincat.* Vnde ab eodem, epiſt. ad Pammachium, & à S. Athanaſio ſer. 2. hæretici Athæi nuncupantur: Deum enim non habent neq; colunt qui alium Deum ſibi fingunt, eumque alia ratione, quàm voluit & docuit, colere eligunt, iuxta illud Auguſt l. 1. de conſenſ. Euangeliſtar. c. 13. *Socratis enim*, ait, *ſententia eſt, vnumquemque Deum ſic coli oportere, quomodo ſe ipſe colendum eſſe præceperit. Proinde iſtis ſumma neceſſitas facta eſt non colendi Deum Hebræorum, quia ſi alio modo eum colere vellent, quam ſe colendum eſſe dixiſſet, non vtique illum colerent ſed quod ipſi finxiſſent.* Ita Auguſt. At ſcimus ex S. Paulo quod *idolum nihil eſt in mundo.* Hæretici igitur, qui de Deo ſentiunt ac loquuntur non vt eſt, ſed vt volunt ac fingunt, Deum non habent nec credunt, ſicque Athæi ritè poſſunt nuncupari: Et de eis omnibus dici poteſt, quod S. Athanaſius de Arrianis dixit Chriſti Diuinitatem abnegantibus, oratione breui contra Arrianos tom. 2. *Hæc hæreſis Arriana nempe ſola cæteras omnes inſaniâ ſuperat, aduerſus ipſam deitatem inſurgens. Sermonem prorſus non baſtere, & patrem non ſemper parem fuiſſe affirmat. Vnde non inepte quis contra ipſos ſcriptum fuiſſe pſalmum illum: Dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus.* Ita Ath. Ille enim verè in corde ſuo dicit non eſſe Deum, qui de eo falſa & abſurda ſentit & cogitat, ſicut ferè omnes hæretici de Deo falſum aliquid ſentiũt & cogitant: ſeueriùs plectendi, ſicut atrociùs peccant. Optimè namque Plutarchus, opuſculo de ſuperſtitione, refert Athenienſes Anaxagoram ad mortem damnaſſe, quòd aſſereret ſolem nihil aliud eſſe quam metalli alicuius molem candentem; De Cymmeriis autem non fuiſſe offenſos, quamuis ſolem exiſtere negarent. Anaxagoras ſiquidem lumine ſolis potius fuerat, aliorũque de eo qualis eſſet ſententiam perceperat: At Cymmerij qui polum habent pro Zenith ſeu puncto verticali, cum nunquam ſolem viderint lucentem, excuſandi certè ſi de ſole non rectè ſentiant aut loquantur. Ita certè indulgendum infidelibus, quibus fides non fuit prædicata: hæreticis autem minimè: nam cum ea quæ fidei ſunt percepetint, ex induſtria veritatem propoſitam abnegant, vt propriam, eamque falſam abſtruant ſententiam. Igitur, vt ait S. Maximus, Sem. 50. *Tali hæreticus, quali & Iudas pœnâ damnatur, vt idem ſui & reus ſit ſceleris, & index ſit vltionis: quia Dominum, quem Iudas vendidit, hæreticus blaſphemat.*

Ex his igitur ſatis apparet quàm ſæua & formidanda ſit plaga hæreſeos, quæ hic à S. Ioanne deſcribitur.

Digitized by Google

Cum inter præcipuos euentus, qui Deo permittente Eccleſiæ fidem probant, ſimulque manifeſtant, ſint hæreſes: debuit ſanctus Ioannes de hæreſibus ſpecialem habere reuelationem. §. 4.

Ex ſecunda regula à nobis ex Pererio allata in proœmio, habemus certum eſſe per eas viſiones, quæ in libro Apocalyp. commemorantur, præ ſignificari memorabiliores & inſigniores caſus & euentus, tam proſperos quàm aduerſos, in Eccleſia Chriſti futuros, ab eius exordio ad finem vſque mundi. Hinc aſſerere non dubito debuiſſe ſanctum Ioannem aliquam habere viſionem, qua fideles admoneret quanta mala Eccleſia paſſura eſſet à colluuie hæreſium, quæ ferè per ſingulas ætates emerſuræ erant, vt eius fidem & probarent, & manifeſtiorem redderent. Quis enim non videt hæreſes inter grandiores aduerſitates, quæ Eccleſiam grauiùs torquent, meritò eſſe reponendas? Non omiſit Chriſtus Dominus de tanta aduerſitate Eccleſiam præmonere dum ait: *Væ mundo à ſcandalis: neceſſe eſt enim vt veniant ſcandala, veruntamen væ homini illi per quem ſcandalum venit.* Matt. 18. Scandalo eſt enim fidelibus non modò qui malè agit, non modò qui prauo affectu non rectâ graditur viâ in obſeruatione mandatorum, ſed etiam cuius oculus nequâ eſt, vt videat & probet falſa pro veris: quilibet quippe horum vt ſcandalizans eſt reſcindendus. *Quæ enim*, inquit S. Chryſoſth. Homil. 60. in Matt. 18. *porro ſunt ſcandala? Recta ac probæ vitæ confuſio atque peruerſio: ſic etiam qui verſantur in ſcena, eos qui corpora peruertunt ſcandala vocant.* Ita Chryſ. At quis magis peruertit vitam probam ac rectam, quàm qui fidem ſubuertit, falſa docendo & inducendo dogmata: *Cum autem neceſſitatem dicat*, inquit Chryſ. *non quia poteſtatis libertatem, poteſtatemque liberi arbitrij tollat, nec quia neceſſitati rerum humanarum ſubjiciat vitam hoc dicit, ſed quòd omnino venturum eſt prænunciat.* Et poſt pauca: *Non enim quia futura ſcandala prædixit, ideirco veniunt; ſed quoniam omnino ventura erant, idcirco prædixit: non enim fierent ſi nollent ea excogitare nequam homines, atque peſtiferi: quod ſi ventura non fuiſſent, nec ipſe futura prædixiſſet: ventura vero erant, quia multi erant grauiter ac incurabili morbo laborantes, qui noluerunt non agere malignè, & ipſe quod futurum erat prædixit.* Hæc Chryſ. Dum igitur Chriſtus prædicit ſcandala futura, hæreſes prænunciat, quæ inter res, quæ plurimum ſcandali pariunt meritò reponuntur. At alibi clariùs hæc futura eſſe prænunciat, v g. Mat. 24. *Surgent*, inquit, *pſeudo Chriſti & pſeudo-prophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, itaut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi: ecce prædixi vobis.* Et Matt. 7. *Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoſcetis eos.* Sanctus Chryſoſt. Homil. 24. in 7. Matth. non videtur per Pſeudoprophetas hic exiſtimare ſignificari hæreticos, *ſed eos, qui cum ſint vitæ prauitate corrupti, ſpeciem tamen virtutis induti ſunt, qui vulgo impoſtores vocari ſolent: propter quod intulit dicens: Ex operibus eorum cognoſcetis eos: nam apud hæreticos quidam ſaltem vim honeſtæ frequenter oſtenditur, apud hos vero nec vita.* Ita Chryſ. Tamen quamuis vita illorum honeſta eſſe videatur, tandem cognoſcuntur, quia cum talis ſit natura iſtius vitæ, quam Chriſtus præcipit, vt laboriosa ſit prorſus ac dura, virtutis ſimulator recuſat laborem, ſolamque ſui oſtentationem requirit, vt vult Chryſ. Melius tamen mihi cenſere videntur, qui de hæreticis hunc locum etiam intelligunt, cum Maldonato, qui ait: *Falſos Prophetas non omnes hypocritas, vt nonnullis putant, ſed falſos tantùm Doctores, id eſt omnes hæreticos intelligit, quos ideo Prophetas vocat, quia Prophetarum apud Iudæos officium fuit, non tantùm futura prædicere, ſed etiam ex lege Dei populum docere, & ſalutis illi viam indicare.* Ita Mald. Nam præterquam plurimi ſunt hæretici, quarum falſa doctrina ſatis dignoſcitur, ex malis & corruptis operibus, ad quæ eorum doctrina nos inducit, inſuper aſſero quòd licèt poſſit fieri vt vita honeſta apud hæreticos oſtendatur aliquando, nihilominus ſi propiùs eos inſpexerimus, quædam erunt in eis opera, quæ ſatis perditam eorum doctrinam demonſtrabunt: ſi enim fuerint continentes, quod rarum eſt, nimia animi præſumptione & arrogantiâ, cuius ſint manifeſtabunt: ſi aliquam modeſtiæ ſpeciem præ ſe ferunt, corrupti erunt eorum mores, & amore ſeculi & carnis voluptatibus, quibus erunt addicti, ſatis oſtendabunt quantum ab arcta & ſtricta cœli ſemita aberrant, itaut vera ſit ſemper Chriſti doctrina & ſententia, quod à fructibus, ſeu operibus eorum cognoſci poſſint: videas licet hominem ſuauem eloquio, in conuerſatione placidum, moribus caſtum, ſed abducit diſcipulos poſt ſe, quos à paſtoribus legitimis ſegregat, obedireque detrectat iis quorum auctoritati & regimini ſubjici deberet: nónne hoc ſatis eſt vt eum caueamus tanquam falſum Prophetam & ſeductorem, & à fructibus eum dignoſcamus? De his enim prophetat ſanctus Paulus æque ac Chriſtus Dominus dum ait, Act. 20. *Ego ſcio quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces non parcentes gregi: & ex vobis ipſis exurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe.* Separare igitur gregem à paſtoribus, opus eſt ſufficienter innuens abducentem eſſe lupum, non paſtorem, quamuis præditus videretur moribus honeſtis. At nõ ſolum hoc loco Apoſtolus prædicit fore hæreticos, ſed etiam 1. ad Timoth. c. 4. *Spiritus autem manifeſtè dicit, quia in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum*: Denique 1. ad Corinth. 11. *Primum quidem conuenientibus vobis in Eccleſiam, audio ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo: nam oportet & hæreſes eſſe, vt & qui probati ſunt manifeſti fiant in vobis*: Ac ſi diceret: Multa perſuaſione opus non fuit vt crederem ſchiſmata & ſciſſuras eſſe inter vos, cum ſciam grauiora oportere etiam timeri, ſcilicet vt non tantùm Eccleſia ſcilluris & diſſenſionibus diuexetur, ſed etiam, quod maius eſt & periculoſius, hæreſibus & falſis dogmatibus impugnari habeat aliquando: ſciſſuræ ſunt inter vos de his quæ ad mores pertinẽt, nimirum de loco recumbendi, de tempore cœnæ inchoandæ, de cibis & potibus, de ſociis & conuiuiis: & vos diuites excluditis pauperes à cœna veſtra & agape: hoc mihi aliqui retulerunt, quod ex parte credo, cum ſciam oportere etiam vt in fide, æque ac in moribus, periculoſiores veniant ſectæ ac ſciſſuræ: *Nam oportet & hæreſes eſſe. Non vtique voluit*, inquit S. Ambroſ. *nec optauit: ſed quia ſint futura dixit: ſicut Dominus, oportet, inquit, venire ſcandala: & oportet filium hominis pati, præſcius quia Iudas proditor erat futurus.* Ita Ambroſ. Igitur ſicut Chriſtus Dominus voluit prædicere (vt quid ſcitu neceſſarium) fore aliquando vt exurgerent pſeudo-Chriſti & pſeudo-Prophetæ, & venirent ſcandala; & ſicut Apoſtolus Paulus iiſdem rationibus ductus hæreſes & errores prædicit futuros, ita opportuniſſimum fuit vt Chriſtus Dominus ſanctum Apoſtolum Ioannem inſtruens de his omnibus, quæ euentura erant ab initio vſque ad finem regiminis Eccleſiæ ſuæ, cuius erat caput & rector, inter alios euentus plagam hæreticos non reticeret, ſed vnde orirentur prædiceret, quam pernicioſæ eſſent futuræ, quamque multiplices aperiret: tum vt ſcientes quia hæc futura ſunt, non omni ſpiritui cito fidem adhibea-

mus, beati Euangeliſtæ monitis obtemperantes, qui Ep. 1. c. 4. ait: *Chariſſimi, nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint: quoniam multi pſeudo prophetæ exierunt in mundum. Et cuius rei gratia,* inquit Chryſoſt. Hom. 24. in Matth. 7. *non eos facit eſſe manifeſtos, ſed nobis potius curam huiuſmodi examinationis imponit? Vt profectò vigilemus, ſimus abſque intermiſſione ſolliciti, non ab apertis modo, ſed ab occultis quoque inimicis cauendo, quos ſignificat & Paulus dicens: Et per dulces ſermones ſeducunt corda innocentium. Nequaquam ergo turbemur, cum huiuſmodi homines noſtraque ætate plurimos videmus, nam hos quoque Chriſtus ab initio prædixit.* Ita Chry. Secundò, vt ipſe ait eadē Hom. 24. *ne Apoſtoli ſcilicet tot triſtium rerum aggeſtione conciderent, ac durum putarent tam multis inſidiantibus iter tale conficerè, & de omnibus mandatis præterea eſſe ſolicitos, malorum quoque illos, quæ ſub patribus eorum ſunt facta, commonuit, huiuſmodi homines falſos Prophetas vocando: nam & ante talia contigerunt. Nolite, inquis omnino terreri, nihil prorſus vobis nouum accidet, nihilque peregrinum, ſemperque Diabolus ad oppugnationem veritatis ſubornat errorem.*

Cur Deus Eccleſiam inter ſcandala & hæreſes curſum tranſigere permittit. §. 5.

Gaudet ſponſus ſponſam inter anguſtias commorari, odore virtutum flagrantem, candidiſſima veritatis luce reſperſam, & hac ratione confeſſione veræ fidei fulgidiùs rutilantem. Proinde in laudem decoris illius prorumpens, Cant. 2. poſtquam dixit: *Ego flos campi & lilium conuallium*, addit: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Quaſi dicat: Non indigeo ſpinis, vt ex contrario pulchrior appaream, qui non habeo in pulchritudine ſimilem, ad cuius tabernaculum flagellum non poteſt appropinquare, qui illæſus ab omni hoſtium impugnatione felicem ad dexteram Patris ſedens dego vitam: qui ſemel mortuus & à mortuis ſuſcitatus iam non morior; qui extra certamen poſitus, nunc coronas repoſitas habeo, quas legitimè certantibus diſtribuam: vnde nihil timens, flos ſum in medio campi poſitus, nullis vallatus præſidiis, quin & refulgeo in locis etiam humilioribus & vmbroſis: lilium nempe conuallium, quia mea omnia, quæ videntur apud ſapientes ſeculi ſtulta, ſapientiam ſummam redolent; quæ infirma cenſentur, fortiora ſunt; quæ ignobiliora, digniora exiſtunt. Tu verò ſponſa chariſſima, debes eſſe ſicut lilium inter ſpinas: multæ erunt congregationes gloriam tuam æmulantes, quæ vndequaque te circumdabunt, & tanquam ſpinæ pungentes & nocentes, tibi moleſtiam aliquam parere attentabunt: ſed vigebit ſemper fragrantia odorum tuorum, vigebit fulgor & pulchritudo fidei tuæ, vt ſicut lilium, & candidum & fragrans inter ſpinas aliquando oriri & creſcere videtur, ita tu inter tot congregationes tuæ gloriæ æmulas, odore virtutum & fidei candore clara appareas. Et rectè: nam per ſpinas malos & præcipuè hæreticorum ſectas ritè poſſumus intelligere, *Iſtæ igitur amicæ* inquit Aponius l. 1. in Cantica, *inter quas Eccleſia vt lilium inter ſpinas conſiſtit, licèt non cum diſtinctione dicatur cuius ſunt filia, tamen ex eo quod ſpinis comparantur, aduertere poſſumus non Dei, ſed diaboli per nequiſſimam doctrinam genitas nuncupari.* Inter tot enim venenoſas ſpinas Eccleſia incolit mundum, quot dogmata gentilium, vel hæreticorum, vano & diuerſo ritu, pro defenſione patris ſui, pro vocabulo hominum mortuorum, impugnant Eccleſiam. Sed vt ibidem idem Aponius, *quæ Chriſti præſentiâ agitur, ne ocio torpeſcat, contra hoſtes armauit. Impugnari quidem permittitur, vt poſt pugnam eius fortitudo appareat. Impugnata verò nequaquam permittitur ſuperari: nam quomodo in toto mundo fulgeret, niſi in magnis conflictibus pro Chriſti nomine cum perſecutoribus decertaſſet, & diabolum in martyribus moriendo vicisſet? Demonſtrauit ergo Dei ſermo iuſtorum animas, id eſt Eccleſiam, inter ſpinarum aculeos commorari in mundo, vt nihil noui Chriſtianus ſibi obuenisſe opinetur, cum ſpinarum aculeis impiorum ſe videat in corpore vulneratos, &c.* Ita Ap. Iuxta illud Dauidis 2. Regum. c. 23. *Præuaricatores quaſi ſpina euellentur vniuerſi, quæ non tolluntur manibus, & ſi quis tangere voluerit eas, armabitur ferro, & ligno lanceato, igneque ſuccenſæ comburentur vſque ad nihilum*; quin & Eucherius in hunc locum II. 5. *Expectaui vt faceret vuas, &c.* apud Pierium: *Spinæ iniquitatis hieroglyphicum ſunt, ſicut vuæ iuſtitiæ & bonitatis*, Pier. l. 55. Et apud eumdem: *Lilium ſpei ſymbolum eſt; quin etiam lilium propter ſuauem odorem, virtutum fragrantiam, & propter candorem, fidei Eccleſiæ puritatem optimè deſignat.* Lilium igitur inter ſpinas, erit Eccleſia inter ſectas hæreticas, quæ illam circumdant, vt olim populus Iſraëliticus inter in fideles Chananæos, & amaros ac rebelles Amorrhæos, inter Hethæos, Heuæos, Iebuſæos, Phereſæos, viuere cogebatur, multis certè & optimis de cauſis.

Prima eſt vt pulchritudo Eccleſiæ in fide & moribus reddatur illuſtrior: etenim ſi ad inuicem conferantur ſanctorum, qui in ſola Eccleſia Catholica reperiuntur, vita, cum vita hæreticorum; ſi paſtorum Eccleſiæ doctrina, ad veri trutinam expendatur, cum doctrina eorum qui ab ea deficiunt, certè quanta ſit vis gratiæ, quæ humilitatem & modeſtiam animi cum continentia coniungit, in ſanctis apparebit; quàm pura & ſyncera ſit fides Eccleſiæ, quæ nihil de Deo indignum ſentit, Deum exaltat in omnibus, intellectum captiuum reddens in obſequium fidei, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius: in hoc ſiquidem conſiſtit pulchritudo fidei & doctrinæ Chriſtianæ, vt repreſſa, & in ordinem ſubactâ ingenij humani audaciâ & temeritate, ne temerè quid loquatur de Deo, Deus in omnibus exaltetur, iuxta illud Eccleſ. c. 5. *Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram Deo: Deus enim in cælo, & tu ſuper terram: idcirco ſint pauci ſermones tui.* Attentius ſiquidem cuncta ponderanti apparebit Eccleſiæ doctrinam extollere in omnibus Dei omnipotentiam, ſummam eius bonitatem, infinitam ſapientiam & inflexibilem iuſtitiam, & eſſentiæ puriſſimæ maieſtatem. At quælibet hæreſis aut omnipotentiæ detrahit, aut bonitatem lædit aut irridet, aut violat æquitatem, aut inquinat puritatem. Permittit igitur Deus Eccleſiam ſuam eſſe ſicut lilium inter ſpinas, vt pulchritudo virtutis, fidei, religionis & pietatis illius illuſtrior appareat. Hinc Apoſtolus Philippenſes admonebat, vt cum metu & tremore ſalutem ſuam operarentur, Deo in ipſis operante & velle & perficere pro bona voluntate; omnia etiam facerent ſine murmurationibus & hæſitationibus. *Vt ſitis,* inquit, *ſine querela, & ſimplices filij Dei, ſine reprehenſione, in medio nationis prauæ & peruerſæ, inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes ad gloriam meam, in die Chriſti, quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laborani.*

Secunda ratio propter quam Deus permittit Eccleſiam eſſe inter ſcandala & hæreſes, eſt vt electi, à Diaboli ira & furore aliquomodo protegantur. Apocalypſis enim 12. dicitur: *Va terræ & mari, quia deſcendit diabolus ad vos habens iram magnam, ſciens quod modicum tempus habet.* Proiectus in terram perſequitur mulierem, id eſt Eccleſiam, ſed adiuuatur à terra quæ aperit os ſuum, vt abſorbeat flumen, quo ſerpens conabatur Eccleſiam ſubuertere. Homines ſiquidem terreni & carnales excipiunt do-

Digitized by Google

ctrinam, quæ ab ore prodit ſerpentis, & tela venenata hoſtis inſenſiſſimi in ſe ipſis excipientes, Eccleſiæ fides pura & illæſa remanet, à mendacio quolibet immunis; quin etiam ſi Deus iracundiæ ſuæ tela immittat, & mundi crimina euidentiùs vlciſci cogatur, primum impetum furoris ſui ſpinæ excipient. Sic enim aliquando Ægyptij plagis plurimis fuerunt afflicti, ſeruatis Hebræis, vt fusè Sapiens c. 16. & 17. & 18. dicet: *Ægyptiis enim in tenebris degentibus, ſanctis tuis*, inquit, *maxima erat lux*. Optimè igitur Prouerb. 21. dicitur: *Pro iuſto datur impius, & pro rectis iniquus*. Quod vt meliùs percipias, cogita quæſo opus eſſe diuinæ prouidentiæ, vt quantopere Deus iniquitatem odio proſequatur omnes agnoſcant. Vt hoc percipiant homines, etiam in præſenti vita plurima Deus plectit crimina, nec in futurum ea reſeruat punienda. Contra quos, quæſo, Deus ſua vibrabit tela, an contra electos & fideles, qui voluntariè ſe caſtigant & pœnitentiæ operibus vacant, illæſis impiis ac hæreticis, qui de ſceleribus & impietatibus ſuis gloriantur? Certè in hoc caſu videtur magis rationi conſentaneum, vt Deus impiorum crimina manifeſta vlciſcatur pœnis, & potius ardore iracundiæ ſuæ ſpinas comburat, quam lilia tutilantia fide & pietate tangat: ſicque *pro iuſto datur impius*. Habent quidem (cum ſepties in die cadat iuſtus) quædam expianda iuſti ac fideles, ſed cum ad eorum expiationem, quantùm in ſe eſt, multa perficiant, Sacramentorum perceptione, orationibus, ieiuniis, vigiliis, eleemoſynis intenti, Deus illos illæſos relinquit: aliquando tamen, ne atrocia & patentia crimina inulta remaneant, nec exiſtiſtiment mortales Deum impiis fauere, plagas in impios immittit, quibus innoteſcat quanto ipſe odio iniquitatem proſequatur. Hinc hanc orationem Dauid fundebat Pſ. 78. *Vſquequo Domine iraſceris in finem? Accendetur velut ignis, zelus tuus? Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt, & in regna quæ nomen tuum non inuocauerunt*. Et quamuis prophetationem, non optationem velit eſſe S. Auguſtinus, nihilominus doctiſſimus Genebrardus precationem eſſe exiſtimat. Hoc ſenſu Ieremias c. 10. dixit: *Corripe me Domine, verumtamen in iudicio, & non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me. Effunde indignationem tuam ſuper gentes quæ non cognouerunt te, & ſuper prouincias quæ nomen tuum non inuocauerunt*. Ac ſi diceret: *Obſecro vt quaſi pater me corripias, non quaſi aduerſarius, vt me emendes quaſi filium, & non punias quaſi inimicum: Hoſtes autem qui non nouerunt te, & prouincias, ſiue regiones quæ non inuocauerunt nomen tuum nequaquam tuum debent ſentire iudicium, ſed indignationem*. Ita S. Hierony. At ſi dicat: Abſque delectu, abſque miſericordia, cum nihil agant quo ad miſericordiam flecti queas, illorum ſcelera debitis plectito ſuppliciis, nullâ habitâ ratione an emendari poſſint, vel an ex ſua impatientia aggrauantes iugum ſuum, duriora ſint in futurum paſturi ſupplicia. *Tradidiſti enim nos vt emendemur*, inquit S. Hieron. *illi autem aggrauauerunt iugum ſuum*. Si igitur clementiſſime & iuſtiſſime Domine, iraſci tibi contigerit in mortales, & velis, ad manifeſtandam iuſtitiam tuam, crimina pœnis plectere, parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium vt dominentur in eis nationes: & effunde iram tuam ingentes quæ te non nouerunt. Horum ſuppliciis ſatis ſuperque fideles tui, quàm iuſtus, quàm timendus ſis agnoſcent & fatebuntur, ſicque quod optas, nempe vt omnes ſciant te ſcelerum eſſe vindicem æquiſſimum, eueniet.

Tertia cauſa propter quam Deus permittit Eccleſiam ſuam eſſe quaſi lilium inter ſpinas, eſt vt quantùm eam diligat teſtetur; quantùm illius pulchritudo grata ei exiſtat demonſtret: nec enim horti cultor permitteret terram ſpinas occupare, ſi ad florum & liliorum tutamen non eſſent vtiles: pari ratione Deus non ſineret improbos reſpirare, ſi ad vtilitatem bonorum non ordinarentur: inuerteretur quippe totus orbis, ſi ſemel Deus ad iniquitates impiorum reſpiceret: Sed propter electos omnia ſuffert, vt electis bona & temporalia & ſpiritualia ſubminiſtret: ſinit vnumquodque proprios motus peragere, redditurus tandem vnicuique ſecundum opera ſua. Hinc voluit Loth è Sodomis egredi, quaſi illius præſentia impedimento eſſet quominus has flagitioſiſſimas & deploratiſſimas ciuitates diſperderet: tam charus, tam gratus eſt quilibet iuſtus Deo, vt vnus tantum ſufficiat, propter quem nolit iracundiæ ſuæ tela vibrare. *Circuite*, inquiebat ipſe apud Hieremiam c. 5. *vias Hieruſalem, & aſpicite & conſiderate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei & ciuitati*, nempe Ieruſalem, non hominibus illi ſoli. *Grandis amor iuſtitiæ*, inquit S. Hieron. *vt nequaquam iuxta interrogationem Abrahæ, & reſponſionem Dei, pro decem viris iuſtis Deus liberauerit ciuitatem, ſed ſi vnum inueneris, tam iamque perituram Ieruſalem. Qui facit iudicium, & quærit fidem*. ſiue vt Symmachus tranſtulit, veritatē, propter illum miſerebitur Hieruſalem. Et quia poterat fieri vt aliqui inuenirentur in populo, qui ſimularent cultum Dei, & iurarent per Deum, hoc præuenit, quod nequaquam Deus vanis ſermonibus, ſed veritate fidei delectetur, & dicit: Non eos diligo qui iurant per me, & iurant in mendacio, ſed quorum labia cordaque conſentiant: & quia talis erat Dauid, vir ſecundum cor Dei, ideo dicitur l. 4. c. 8. *Noluit Dominus diſperdere Iudam, propter Dauid ſeruum ſuum*. Igitur ſi propter vnum ſuum ſeruulum, & dum viuit, & etiam poſt mortem, Deus ciuitatibus propitiatur, quid non præſtabit propter congregationem omnium iuſtorum & electorum, qui in Eccleſia exiſtunt? Non malè quidam Rabbi Iehuda Deum regi comparat, *qui poſtquam hortum feciſſet, & conſeuiſſet cunctis generis arboribus, longiùs diſceſſiſſet, horto in cuſtodiam cuidam ex ſuis Eunuchis commiſſo; at redeunti occurrerent oculis ſuis tantùm cardui, ac ſpinæ, quarum adſpectu offenſus præciperet totum hortum ſubuerti. At forte adſpicit inter fruteta & ſpinas, roſas & lilia, quorum viſu & odore grauiſſimo delectatus iracundiam compeſcit, & ab incepto opere deſiſtit, ne ſimul eradicatis & effoſſis ſpinis, roſaria ac lilia euertantur*. Sic Deus non vult eradicari zizania vſque ad meſſem, ne ſimul eradicetur & triticum; & ex adſpectu & odore ſuauiſſimo iuſtorum, impeditur plærumque ab euerſione ciuitatum, in quibus impij, tanquam ſpinæ aut zizania, reperiuntur.

Quarta cauſa cur Deus Eccleſiam ſuam vult eſſe ſicut lilium inter ſpinas, eſt quia ſicut vix poteſt fieri vt lilia, inter ſpinas, aliquando non pungantur à ſpinis, ita impoſſibile eſt vt boni ac iuſti à malis, inter quos viuunt, perſecutionem non patiantur. At ſicut lilium fragrantiorem emittit odorem ex puncturis, ita Eccleſia ex perſecutionibus maiorem dat virtutum omnium fragrantiam: magis enim eminet illius humilitas, patientia apparet, emicat fides inter perſecutiones, quàm dum proſperè cuncta ei ſuccedunt: etenim cum *militia ſit vita hominis ſuper terram*, permittit Deus Eccleſiam ab hæreticis infeſtari, vt hoc modo ſuam exerceat virtutem. Hæ ſiquidem ſunt gentes, quas Dominus dereliquit vt eruditet in eis Iſraëlem, & omnes qui non nouerant bella Chananæorum, nempe gentilium, qui olim perſecuti ſunt Eccleſiam Dei pœnis ac tormentis, vt poſtea diſcerent filij eorum certare cum

Digitized by Google

re cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi, vt dicitur de Chananæis, Sidoniis, Heuæis, Hetheis, Amorrhæis, Pherezæis, Iebuſæis. Iud. 3. quos dimiſit Deus vt in ipſis experiretur Iſraëlem vtrum audiret mandata Domini, quæ præceperat patribus eorum per manum Moyſi, an non: Ita Deus permittit hæreſes, vt Eccleſia habeat cum quibus manum conſerat, ſiue ad veritatem tuendam, ſiue ad virtutem, qua ornata eſt, in praxim reducendam. Nec minor eſt ex hac ratione erga eam Dei dilectio: non enim vir generoſus ac nobilis filium ſuum odit, dum illum exponit periculis præliorum: at exoptat vt tam animoſe ac conſtanter ſe gerat, vt victoriâ reportatâ laudem & honorem ſibi comparare ſtudeat. In tanto pretio habuit olim Cyrus virtutem militarem Abradati, vt cum in prælio occubuiſſet, voluerit tamen vt ſpolia maioris prætij & pulchriora ad eius corpus mortuum deferrétur, ſacrificiiſque ouium & boum, quin & equorum, eius memoriam coluit: inſuper proclamauit eum cum honore è vita migraſſe, quia in numero eorum qui victoriam reportauerant erat computandus. Ita refertur à Xenophonte l. 7. c. 4. Quid ſperare non debent qui pro Chriſto militantes. ac ſtrenuè dimicantes, etiam mortem ſubeunt? Partem certè ſpoliorum obtinebunt, eorumque memoria in benedictione erit, & de numero eorum erunt, de quibus Propheta Iſaias: *Lætabuntur coram te ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores capta præda quando diuidunt ſpolia.*

Denique relinquitur Eccleſia ſicut lilium inter ſpinas, vt probati manifeſti fiant. Ita Tertullian. 1. de præſcripſ. *Conditio præſentium temporum, fratres, hanc commonitionem prouocat noſtram, non oportere nos mirari ſuper hæreſes iſtas; ſine quia ſunt, futura enim prænunciantur; ſine quia fidem quorumdam ſubuertant, ad hoc enim ſunt vt fides habendo tentationem, haberet etiam probationem.* Et rectè S. Auguſtinus de vera religione c. 8. *Ex his enim hominibus hæretici fiunt, qui etiam ſi eſſent inter nos in Eccleſia nihilominus errarent. Cum autem ſi forte ſunt, plurimum pro ſunt, non verum docendo quod neſciunt, ſed ad verum quærendum carnales & ad verum aperiendum ſpirituales Catholicos excitando.* Ita Aug. Et reuera ſyncera amicitia ardentes deſiderat occaſiones, in quibus ſuam poſſit probare fidelitatem: Scit Deus quantùm profint nobis tentationes, qui fidelis eſt, & non patitur nos tentari ſupra id quod poſſumus, ſed facit etiam cum tentatione prouentum, vt poſſimus ſuſtinere, vt docuit Apoſtolus 1. ad Corinth. 10. Ideo cum noſcat quanta nobis apud ſe maneat merces ſi fideliter dimicemus, & ſtudium virtutis percurramus alacriter, tentationes parat & permittit, vt ſi fideles fuerimus decertando, ipſe quantùm ſit in promiſſis adimplendis fideliſſimus oſtendat præmiando. Quælibet fidelis anima aſſimilari poteſt hydroargyro ſeu viuo argento: ſi ex altiori loco in demiſſiorem fluat, in multas quidem bullulas ſeu particulas diuidetur, nec tamen vnquam puluери adhærebit, nullamque ex puluere contrahet maculam, nitidus & candidus remanet: & ſi illud colligere volueris, adhærebunt ad inuicem ſingulæ particulæ, nec mixturam puluеris aut alterius rei patientur. Ita Deus vult vt quaſi diuiſi fideles, intra puluerem infidelium & hæreticorum projiciantur: at ſyncera manet eorum fides, nec illorum integritas contaminatur ex contactu infidelium, imo manifeſtiùs appatet quanta fuerit in eis morum integritas, quæ ex converſatione & oppugnatione hæreticorum contaminari non potuit: Veniet tempus cum Deus illos ſuſcitabit ex puluere, & excluſis omnibus peccatoribus terræ, ſoli ad inuicem adhærebunt in cæleſti gloria, vnâ & eadem fruentes beatitudine.

Eccleſia igitur cæterarum rerum vniuerſi conditionem ſubire videtur, vt ſuam pulchritudinem tantò ſublimius attingat, quantò excellentior eſt finis ad quem immediatè ordinatur. Nihil autem eſt in hac rerum vniuerſitate, quod contrarium non patiatur, vt contraria ex contrariorum oppoſitione magis eluceſcant, & hac ratione concinnior & pulchior apparet totius vniuerſi harmonia & pulchritudo.

Ex hac contrarietate, quam patitur Eccleſia à ſpinis hæreticorum & aliorum hoſtium, magis enitet illius pulchritudo. §. 6.

Tria genera bonorum reperiuntur, quæ ex contrariis & ſibi oppoſitis malis magis eluceſcunt. Prima ſunt bona naturalia, quæ in hoc conſiſtunt, vt vnaquæque res habeat quæcumque bona, quæ naturæ propriæ conueniunt: hæc autem conueniunt rebus inanimatis & ſenſitiuis ratione carentibus, & ea præditis & vtentibus, nam vnaquæque eorum requirit omnia quæ naturæ propriæ conueniunt, ſiue natura earum emineat, & plurimum excellat, ſiue è contra vilis & abiecta exiſtat.

Secunda ordinis bona conſiſtunt in expedito exercitio omnium facultatum & potentiarum, quod propriè pertinet ad creaturas illas, quæ in ſe habent principium intrinſecum ſui motus, quod proprium eſt earum quæ ſenſum obtinent & rationem.

Alia denique ſunt bona quæ conſiſtunt in infallibili propenſione erga finem, & quandam cum fine debito proportionem: quod propriiſſimè conuenit ſoli creaturæ rationali, cuius proprium eſt ferri in finem, innatâ quadam propẽſione & proprio motu.

At hæc tria bonorum genera, mala habent ſibi oppoſita. Prima quidem contrariantur quibuſdam defectibus naturalibus, ſeu monſtris, quæ proueniunt ac generantur non ſolùm propter quandam neceſſitatem ex materiæ natura cauſatam, ſed etiam ad hoc ordinantur, vt clariùs ſeu euidentiùs appareat quanta ſit diſtantia inter res corruptibiles, & corruptioni minimè obnoxias, inter cæleſtes & terreſtres, inter diuinas & humanas, inter perfectas & imperfectas, itaut per hos defectus plenitudo & abundantia bonitatis rerum cæleſtium, earumque inuiolabilis ordo, ac permanens pulchritudo clariùs appareat. Deinde multitudo ac diuerſitas ſpecierum, etiam rerum infimarum, plurimùm confert ad vniuerſi perfectionem: ſi enim aliqua ex his ſpeciebus quæ reperiri poſſunt, in rerum natura deficeret, deficeret etiam totius vniuerſi perfectio, non enim perfectum eſt cui aliquid deeſt, quod illi competere poſſit.

Quoad bona ſecundi generis, mala quæ illis opponuntur aduenient rebus animatis & ſenſitiuis, quæ dolorem pati poſſunt, cum in ſuis actionibus aliquod experiuntur impedimentum: tantum enim Metaphoricè res inſenſibiles dolorem pati dicuntur: hominibus & Angelis hoc euenit ſub ratione pœnæ, in pœnam videlicet alterius mali, quod liberâ contraxerunt voluntate. Illæ autem pœnæ inſeruiant diuinæ prouidentiæ, vt altitudo diuinæ iuſtitiæ appareat: hominibus verò obueniunt vt corrigantur, & à malis & peccatis auertantur, & à culpis contractis purgentur.

Quod ſi bona tertij generis ſpectes, alio genere mali contrariantur, nempe malo culpæ, quod abſolutè & ſimpliciter malum dici debet. Attamen talis eſt bonitas, ſapientia, & potentia diuina, vt hæc mala ſuo modo inſeruiant, & bonum prorogent. Deus ſi quidem adeo bonus eſt, vt ſemper velit: adeo potens, vt poſſit; adeo ſapiens, vt ſciat qua ratione

Digitized by Google

talia mala in bonum conuerti queant, itaut quod nec facit, nec fieri intendat, illud ſub grauiſſimis ſuppliciis prohibens, tamen cum fiat iuxta proprios motus cauſarum ſecundarum, illud admirabili quadam ratione ordinat & applicat ad ea quæ intendit & determinat fieri: ſic peccata condonat & miſericordia illius fulgores ſuos emittit: ſic peccata aliàs caſtigat, & retulget iuſtitia; quin & aliquando ipſa peccata propria in electis in bonum cedunt, iuxta illud Auguſtini de ciuitat. lib. 14. c. 13. *Superbis vtile eſſe cadere in apertum & manifeſtum aliquod peccatum, vnde ſibi diſpliceant, qui ſibi placendo peccauerunt.* Ita Aug. Alacriùs ſiquidem virtutis ſtudium percurrunt, cautiori diligentiâ occaſiones peccandi deuitant, Deo maiorem exhibere fidelitatem ſtudent, quòd pigeat apud eum ex culpa præterita reputari ſegniores, & magis ac magis ingratos. Cedût etiam in vtilitatem electorum peccata aliena: niſi enim eſſent qui peccare permitterentur, nullus iniuſtis vexationibus torqueretur, nullus, tanquâ in fornace aurum, probaretur, ſicut probantur electi. Igitur optimè S. Auguſt. l. 11. de ciuit. c. 17. *Quapropter etiam voluntas mala grande teſtimonium eſt naturæ bonæ: nam non eſſet vitium recedere à Deo, niſi natura, cuius id vitium eſt, potius competeret eſſe cum Deo. Sed Deus ſicut naturarum bonarum optimus creator eſt, ita malarum voluntatum iuſtiſſimus ordinator: vt cum malè illa vtantur naturis bonis, ipſe benè vtatur etiam voluntatibus malis. Itaq; fecit vt diabolus, inſtitutione illius bonus, voluntate ſuâ malus, in inferioribus ordinatus illuderetur ab Angelis eius, vt proſint tentationes eius ſanctis, quibus eas obeſſe deſiderat. Et quoniam Deus, cum eum conderet, futuræ malignitatis illius non erat vtique ignarus, & prouidebat quæ bona de malo eius eſſet ipſe facturus, propterea Pſalmus ait: Draco hic quem finxiſti ad illudendum ei; vt in eo ipſo quod eum finxeris, licèt per ſuam bonitatem bonum, iam per ſuam præſcientiam præparaſſe intelligatur, quomodo illo vteretur in malo.* Ita S. Aug. Quod de dæmone dixit S. Doctor, hoc nos de reprobis, qui membra ſunt eius, dicere poſſumus: ſcit enim Deus quid de ipſis facturus eſt, ſtatim atque à fine ſupremo, propter quem eos condiderat, deficiunt. *Neque enim Deus*, ait S. Auguſt. c. 18. l. 11. de Ciuit. *vllum, non dico Angelum, ſed vel hominum crearet, quem malum futurum eſſe præſciſſet, niſi pariter noſſet quibus eos bonorum vſibus commodaret; antitheta enim quæ appellantur, in ornamentis elocutionis ſunt decentiſſima, quæ Latinè appellantur oppoſita, vel quod expreſſiùs dicitur, contra poſita.* Et paulò poſt: *Hæc antitheta etiam Apoſtolus Paulus in 2. ad Corinthios in illum locum ſuauiter explicat, vbi ait: Per arma iuſtitiæ, à dextris & à ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, vt ſeductores & veraces, vt qui ignoramur & cognoſcamur, quaſi morientes & ecce viuimus, vt cœrcti & non mortificati. Sicut ergo contraria contrariis oppoſita, ſermonis pulchritudinem reddunt, ita quadam non verborum, ſed rerum eloquentia, contrariorum oppoſitione ſeculi pulchritudo componitur. Apertiſſimè hoc poſitum eſt in libro Eccleſiaſtici hoc modo: Contra malum bonum, & contra mortem vita: ſic contra pium peccator: & ſic intuere in omnia opera altiſſimi: bina & bina, vnum contra vnum.* Ita Auguſt. Eccleſia igitur, quæ vna eſt, de qua dicitur: *Vna eſt columba mea, perfecta mea: vna eſt matris ſuæ electa genitricis ſuæ.* Cant. 6. habet ſua antitheta oppoſita, ſeu contra poſita. Vnum Deum colit & adorat; At ecce Pagani & infideles, qui plures Deos colunt & adorant: Vnum Mediatorem ac Redemptorem veneratur, & ecce Iudæus incredulus, qui hanc illius fidem oppugnat: De Deo & Saluatore Chriſto vnam & eamdem profitetur fidem, & quæcumque reuelata fuerunt à Deo, vnâ & eadem ratione confitetur: & ecce oppugnatur ab hæreticis, qui diuerſa de Deo & Chriſto, & ab eiſdem reuelatis, ſentiunt, & enunciant; oppugnatur ab Athæis & Apoſtatis, qui vel nihil de Deo vnquam crediderunt, vel quam profeſſi fuerunt fidem reliquerunt. Deinde Eccleſia eiſdem vtitur Sacramentis, eamdem retinet communionem in doctrina, in fide, in ritibus & cæremoniis: at excommunicati huic communioni contrariantur. Denique militat Eccleſia ſub vno & eodem capite viſibili, præceptis & mandatis Dei obtemperans: & ecce ſchiſmatici, quaſi ſufficiat eamdem profiteri fidem, eiſdemque vti Sacramentis, obedientiam capiti debitam abnegant, & iugum excutiunt, illius obliti qui factus eſt patri obediens vſque ad mortem. Quibus omnibus ſatis apparet quod Eccleſia conditionem cæterarum rerum ſubit, cum in ſua pulchritudine toc habeat & patiatur oppoſita: ſicque eſt *lilium inter ſpinas*, vt eius pulchritudo horrore & auctoritate ſpinarum magis eluceſcat, vt ſit vna vni Deo, vna ſponſa vni ſponſo, vna famula vni domino, cui vni credat, quem vno modo colat, cui vnicè & ſoli obediat.

Et ſextus Angelus tuba cecinit, &c.

Idea ſymboli, & ſummaria illius expoſitio, de hæreſum origine, naturâ, proprietatibus, & effectibus.

Tubâ canit ſextus Angelus, & ſtatim percipit S. Ioannes vocem vnam prodeuntem ex quatuor cornibus illius altaris aurei, quod eſt ante oculos Dei illius nempe de quo fit mentio capite octauo, & dicitur eſſe ante thronum Dei. Ad ſextum Angelum, qui habebat tubam; hæc vox dirigitur; præcipiens *vt ſoluat quatuor Angelos, qui alligati ſunt in flumine magno Euphrate.* Obtemperat ille, & ſoluit eos; ſoluti autem parati videntur *in horam, & diem, & menſem & annum, vt occiderent tertiam partem hominum*: numerum eorum vix crederes: fide opus fuit vt de eorum numero certior fieret. Numerus quippe equeſtris exercitus, qui paratus fuit ſtatim atque ſoluti fuerunt Angeli quatuor, *erat vicies millies, dena millia.* Et audiuit S. Ioannes numerum eorum. Et hac ratione vidit equos in viſione: *& qui ſedebant ſuper eos habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & ſulphureas: & capita eorum erant tanquam capita leonum, & de ore eorum procedit ignis & fumus, & ſulphur. Et ab his tribus plagis occiſa eſt tertia pars hominum, nempe de igne & de fumo & de ſulphure quæ procedebant de ore ipſorum. Poteſtas enim equorum in ore eorum eſt, & in caudis eorum: nam caudæ eorum ſimiles ſerpentibus, habentes capita, & in his nocent.* Hæc eſt idea ſymboli, quo hæreſum origo, natura, proprietates, & effectus deſignantur.

Clamat vox ex quatuor cornibus altaris, ſicut olim vindictam clamabat vox ſanguinis Abel, è terra quæ illum ebiberat crumpens. In altari effunditur ſanguis Chriſti, è cuius contemptu, rerumque omnium diuinarum quæ in illo continentur, oriuntur hæreſes: vnde de iſto contemptu expetitur vltio, quàm merito infligi teſtatur Apoſtolus, dum ait Hebræ. 10. *Irritum quis faciens legem Moyſi, ſine vlla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ cõtumeliã fecerit?* Sicut igitur vox ſanguinis Abel clamabat ad Deum de terra, ita ſanguis Chriſti clamat de altari, & expoſcit vindictam de iis qui illum conculcant, ſicut faciunt hæretici. Quam autem vindictam expoſcat illa vox, ſignificatur in his verbis: *Solue quatuor*

Digitized by Google

Angelos qui alligati ſunt in flumine magno Euphrate. Quinam autem ſunt illi Angeli, niſi quatuor malæ animi affectiones, quæ compeſcebantur per iuſtitiam Chriſtianam? Quæ ſtatim atque nullis amplius retinaculis cohibentur, ad perniciem & necem mortalium ſunt paratiſſimæ, itaut ex eis prodeant innumeri errores mentis, quorum horrendi effectus deſcribuntur ſub viſione equorum, qui hîc videntur cum capitibus leoninis, cum caudis ſerpentinis, ignem, fumum & ſulphur ex ore vomentes, ſedentibus ſuper eos loricatis quibuſdam loricis, nempe igneis, hyacinthinis & ſulphureis. Hæc eſt ſummaria interpretatio huius loci fuſiùs explicanda.

Et ecce ſextus Angelus tubâ cecinit.

Quinam ſit ſextus Angelus, & quæ tuba ſeu prædicatio, &c.

ANNOTAT. II.

DIXIMVS iam in Caput 8. quinam ſint illi Angeli, & quid potiſſimùm annuncient: officiumque ſexti huius Angeli diximus eſſe vt moneat fideles, vt ſuperioribus & paſtoribus Eccleſiæ plene ſe committant, in iis quæ credenda & facienda ſunt; Quòd ſi proprio ſenſui aut iudicio inniti voluerint, ſibimetipſis fidentes, in errores & hæreſes eos abſque dubio fore inducendos; quibus fides, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, eradicetur, & fundamentum totius iuſtitiæ Chriſtianæ euertetur. Tuba illius eſt prædicatio rerum huiuſmodi, qua fideles in officio continentur, & paſtoribus ſuis debitam præſtant obedientiam. Sic enim per tubam Anſelmus intelligit officium prædicationis, quod quidem ſecundum diuerſa, quæ fidelibus prædicanda ſunt, diſtingui poteſt; vt iuxta exigentiam temporum, fidelibus proponat aut credenda aut facienda, aut fugienda. Et optimè hæc prædicatio obedientiæ paſtoribus debitæ conuenit cum iis, quæ dicuntur Angelo Philadelphiæ, quem effundentem Phialam in flumen magnum Euphratem videbimus, cap. 16. ſicut prædicatio contemptus rerum temporalium primi Angeli, optimè conuenit Angelo Epheſino, quem ad feruidam orationem hortari dicemus; & vanitatis ſeculi ſeu ſuperbiæ vitæ repreſſio, quam prædicare debet ſecundus Angelus inter eos qui tuba canunt, Angelo Smyrnenſi propria eſt, cui præcipitur impigra Euangelij Chriſti promulgatio. Sic prædicatio tertij Angeli tubâ canentis, qua à voluptatibus carnis mentes abſtrahere conatur, propria eſt etiam Angelo Pergamenſi, cui certamen ineundum eſſe cum impuris Nicolaitis iniungitur: Sic ſedula admonitio quarti Angeli tuba canentis, quod homines debeant addiſcere quæ ſibi credenda, facienda ac ſperanda ſunt, prorſus quadrat cum miniſterio Epiſcopi Thyatirenſis, cui potiſſimùm myſteria fidei Chriſtianæ ac nouæ legis exponenda præcipiuntur, vt antiqua abdicaretur ſynagoga. Rurſus prædicatio quinti Angeli, de ſuſceptione ac vſu Sacramentorum, qua ratione in gratiam Dei redeamus, non malè adaptari poteſt Angelo Sardenſi, qui ad pœnitentiam prouocatur, cuique ſedula mandatorum Dei obſeruatio inculcanda iniungitur. Denique, vt dictum eſt, prædicatio obedientiæ Paſtoribus debitæ ſexti huiuſce Angeli, conuenit Angelo Philadelphiæ, in quo poteſtas iuriſdictionis Eccleſiæ elucet, vt videbimus, ad quem loquitur ille qui ſe dicit eſſe ſanctum & verum, & habere clauem Dauid, id eſt omnimodam poteſtatem, in regenda & gubernanda, & optimis legibus moderanda Eccleſia: quibus ſi non mos ac obedientia præſtetur, veniet vltimum væ, nempe maledictio æterna, quæ in Angelo Laodicenſi adumbratur, cum ei dicitur: *Incipiam te euomere ex ore meo*; Itaut hæc miniſteria canendi tuba, & effundendi phialas, de ſeptem Angelis, ad quos ſeptem ſcribuntur Epiſtolæ, vt mihi videtur veniant intelligenda, quæ quidem miniſteria tam per ſe quàm per à ſe commiſſos ac delegatos exercere debent. Vidimus igitur quinam ſit ille Angelus, & quæ illius tuba ſeu prædicatio: nunc videamus quodnam illud altare.

Et audiui vocem vnam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod eſt ante oculos Dei.

Quodnam ſit illud altare.

ANNOTAT. III.

ALTARE *hoc aurum*, inquit Cornelius à Lapide, *eſt altare thymiamatis, quod S. Ioannes Vidit in cælo repræſentans Chriſtum.* At, vt mihi videtur, cum habeamus in Eccleſia altare erectum, in quo quotidie Deo offertur ſacrificium, neceſſe non eſt vt recurramus ad antiquum iſtud altare thymiamatis. Noſtra igitur S. Ioannes videt altaria, in imaginaria viſione, per Angelum qui effigies atque imagines in interiori ſenſu Ioannis formauit, vt rectè notat hic Dionyſius Carthuſian. ſicuti etiam verba quæ mox ex altari prorumpere dicentur.

Quid autem ſignificet altare dicendum. Duas ſignificationes habere potiſſimum reperio: prima eſt vt per altare iſtud Eccleſia deſignetur. Ita Dioniſ. Carthuſ. *Porro*, inquit, *altare aureum appellatur Eccleſia, ſeu fides & charitas eius, ſecundum quod plenius dictum eſt.* Ita etiam S. Anſelmus: *Altare, Eccleſia ſe immolans*; Et Ambroſius: *per altare aureum, ſicut ſuperiùs iam diximus, Eccleſia deſignatur.*

Secunda ſignificatio innuit Chriſtum Dominum. Ita S. Anſelmus: *Altare*, inquit, *Chriſtus dicitur.* Vtramq; interpretationem admittit Cælius Pannonius in hunc locum. Et reuera Eccleſia altare quoddam eſt myſticum: ſiquidèm fidelium congregatio tolerare debet cum ſingulari animi fortitudine ac inſigni patientia quælibet aduerſa, omnes ſenſuum mortificationes, corporis caſtigationes & auſteritates, quas filius Dei ſummus Pontifex per ſe ac ſuos miniſtros immittit ac infligit, iſta omnia ad eorum perfectionem & conſummationem ordinando. Hæc corpora fidelium ſufferre debent, hæc eorumdem corda libenter acceptare; quod cum adimplent, tunc altare fiunt, ſuper quod Deo offertur in odorem ſuauitatis illorum reſignatio, patientia & conſtantia. Hoc altare aureum eſt: hæc enim eſt ſapientia illius populi, vt cum omni animi demiſſione ſeſe ſubmittant, charitate ducti, ad ea omnia ſubeunda & toleranda quæ Deus præſcripſerit. Habet hoc altare quatuor cornua, id eſt quatuor media, quibus vtitur ad oppugnandos quoſlibet errores; primum, ſcripturam videlicet ſacram, iuxta omnes & ſingulas ſui partes; ſecundum, traditiones Apoſtolicas; tertium concilia legitimâ auctoritate congregata; Quartum, vnanimem conſenſum Patrum & Doctorum, quos Deus ad eius conſtructionem deputauit. Ex quatuor his cornibus ſeu mediis egreditur vox illa, quæ hæreticos in poteſtatem ſpiritus mendacij deſerit, cum proprij iudicij amatores nolunt ſcripturam iuxta ſenſum ab Eccleſia receptum intelligere, ſed iuxta proprium & ſingularem ſenſum; quin & traditiones, Concilia, & Patres ac Doctores quoſlibet contemnunt. Nec talis interpretatio contraria eſt interpretationi Diony-

Digitized by Google

ſij Carthuſiani, cum ait: *Quatuor cornua ſunt quatuor Euangelia, vel quatuor principales virtutes, vel vniuerſi doctores ac prædicatores, Eccleſiam in quatuor mundi partibus protegentes.* Ita Dion. aut Bedæ interpretationi, qui ait: *Cornua quippe altaris aurei, Euangelia ſunt Eccleſiæ præeminentia.* Sed cum bonâ veniâ dixerim, videtur aptior & concinnior Cœlius Pannonius, de Chriſto & Eccleſia hoc altare intelligens. Ita ferè diſſerit: *Diximus Chriſtum eſſe altare, inſuper etiam diximus eſſe Eccleſiam; Chriſtus vt caput, Eccleſia vt corpus. Altare illud vere aureum eſt: ſiquidem pretioſum: pretioſitatis autem præcipuæ aurum eſt ſymbolum. At quis Chriſto pretioſior? Quid Eccleſiam in pretio interres humanas ſuperans? Cum totum illius pretium & æſtimatio habeatur maximè ex capite Chriſto, quem pater alloquens ait: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. At quod ad Eccleſiam ſpectat de ea ſcribitur*, Pſ. 44. *Adſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato.*

Alia etiam ratione Eccleſia altare dicitur: Veriſſimum quippe eſt Eccleſiam inſtorum perpetuâ illuſtrari ſapientiâ, de qua Salomon ait: Poſſide ſapientiam ſicut aurum. Et altare iſtud inſuper optimè dicitur ante oculos Dei poſitum. Illuminatur enim Eccleſia per ſupernam prouidentiam, & ſuperiorem quemdam oculum omnia intuentem. Hinc Pſalmiſta ait: Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius ad preces eorum. Denique dicitur altare ante oculos Dei, quia illi gratiſſimũ eſt, iuxta illud Pſ. 149. *Quia beneplacitũ eſt Domino in populo ſuo. Igitur ſicuti illud altare ad Chriſtum refertur, ita etiam referri poteſt ad Eccleſiam; ad Chriſtum, ſuper quem, vt oportet, omnia noſtra offerimus ſacrificia in odorem ſuauitatis; ad Eccleſiam partier in Chriſto capite congregatam, & per fidem Chriſto vnitam, & charitate illius arctiſſimè coadunatam & coniunctam. Quatuor autem cornua quatuor terræ partes ſignificant, in qua hoc altare, nempe Eccleſia diffunditur: & in his partibus regnat etiam Chriſtus: cornuumpe typus eſt regni & imperij, vt ex Daniele c. 6. & Apocalyp. c. 17. videre eſt. Cum igitur ille qui noſtrum altare nuncupatur, quia per eum cuncta noſtra ſacrificia fiunt acceptabilia ac Deo grata dicitur habere quatuor cornua, que eſt ac ſi proculdubio diceretur illius regnum per omnes mundi partes diffundi, eumque regnare vbicumque in ſibi credentibus.* Ita Pannonius iſtam de Chriſto & Eccleſia, altaris aurei interpretationem dilucidat.

Et audiui vocem vnam ex quatuor cornibus altaris aurei quod eſt ante oculos Dei.

De origine hæreſeon & errorum quorumlibet.

ANNOTAT. III.

Præfatiuncula ad elucidationem dicendorum.

HIS ita enucleatis, dico ex contemptu huiuſmodi altaris, Chriſti nempe & Eccleſiæ, oriri hæreſes, itaut non malè Cornelius dixit: *Inde ergo viſa eſt Ioanni prodire hæc vox, quaſi diceret: Ex Chriſto & Chriſti meritis, atque ex orationibus ſanctorum, qui quieſcunt ſub hoc altari, vt dixit c. 6. v. 9. manauit hæc vox, mandans punire impios per ſextam plagam ingentis exercitus hoſtilis: tanta enim fuerunt impiorum ſcelera, vt ipſum altare contra impios expoſtulare, clamare & vindictam depoſcere videatur.* Ita Cornel. Sicuti enim olim dum Abel fuit interfectus, propter impiam innocentis occiſionem, ſanguis eius è terra vocem emiſit, à Deo vindictam expoſtulantem, ita ſanguis Chriſti, cuius merita per totam Eccleſiam vbique terrarum diffuſam diffunduntur, vindictam à Deo de ſui contemptu & conculcatione exigere videtur. Primò igitur expetitur vindicta ob Eccleſiæ contemptum: Secundò ob Chriſti, quem nobis Eccleſia proponit auctorem & conſummatorem fidei noſtræ, contemptum. Videndum igitur qua ratione, ob Eccleſiæ contemptum, naſcantur & oriantur hæreſes: ſecundò quomodo ex Chriſti contemptu etiam in errores prolabantur mortales. Quod vt fiat, inquirendum nobis cuius ſit illa vox, & quid exigat, quem alloquatur, & quinam ſint illi quatuor Angeli, quorum ſolutionem exoptat; vbi alligati, & quænam ſit illorum ſolutio.

Et audini vocem vnam, &c.

Quanam ſit illa vox & cuius; & ad quos dirigatur: quinam ſunt Angeli ſoluendi. §. 1.

Quandam conſpirationem totius Eccleſiæ, ad vnum & idem propoſitum, ſignificat illa vox, quæ ex quatuor cornibus prodire dicitur. *Itaque*, inquit Dionyſ. Carthuſ. *per vocem iſtam quam audiuit, in Spiritu deſignatur concors totius Eccleſiæ ſenſus, prædicatio vel doctrina.* Et Ambroſius ait: *Vocem ergo vnam, ex quatuor cornibus altaris aurei, audiſſe ſe dicit: quia vna eſt fides, vna doctrina, quam quatuor libri Euangeliorum docent.* Ita Ambroſ. Hanc vnanimem totius Eccleſiæ conſpirationem prædixit Iſ. c. 52. *Regnauit Deus tuus. Vox ſpeculatorum tuorum: leuauerunt vocem, ſimul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, cum conuerterit Dominus Sion.* Quod autem vnanimiter poſtulet Eccleſia, patet ex effectu, ex quo videmus non eſſe aliquam determinationem alicuius articuli fidei, in qua non conueniat omnis Eccleſia, vt ſolet in tali materia vnam ſimul leuare vocem, vnam ſimul Deo exhibere laudem, & eadem videre & ſentire, eiuſdem fidei oculo, eiuſdem pietatis ſenſu. Effectus enim huius vocis, quæ emittitur ex quatuor cornibus altaris, eſt ſolutio Angelorum, qui parati erant ad occiſionem hominum: qui ſtatim atque fuerunt ſoluti, copioſiſſimum exercitum emiſerunt, quo plurimi interficiantur. Igitur hæc vox exoptat & expetit aliquam potius vindictam, quàm emittat ſuæ doctrinæ aut fidei profeſſionem: quod melius perſpicietur, ſi intelligamus quinam ſint illi Angeli, quos petit aut præcipit ſolui: hac enim ratione videbimus aliquod funeſtum & nociuum exoptari Cum igitur Eccleſia altare ſit, Chriſtus altare etiam ſit, omnis Eccleſia & quidquid eſt in Chriſto exquiſitum & ſingulare, clamat & exoptat ſolutionem quatuor Angelorum, non bonorum certè, ſed malorum, vt patet ex effectu.

Et reuera quidam, vt notat Andræas Cæſarienſis, bonos Angelos eſſe putauerunt, nempe Michaëlem, Gabriëlem, Raphaëlem & Vriëlem; ſed meliùs ipſe ait: *Ego vero hoſce non Angelos, ſed dæmones eſſe exiſtimo, quos iuxta diuinum mandatum, è ſublimi cœlorum altari (cuius exemplum in veteri tabernaculo extabat) eiectos, & per Chriſti in carnem aduentum ad certum locum ablegatos & alligatos, vnus quiſpiam ex Angelorum numero liberos eo tempore dimittet, quo gentes conturbent & vexent, eoſdemque non tantùm aduerſus Chriſtianos, ſed contra ſe inuicem quoque inſtigent: vt hac demum ratione, tentationis igne probati, fideles manifeſti fiant, ampliorique mercede & ſplendidiori in cœlis manſione & apotheca denique tanquam maturum purumque triticum nobiliori digni habeantur; paleæ autem, & impij inſigneſque peccatores & obſtinati ad vnum omnes iuſtè hic puniti, clementiori condemnationis ſententia in iudicio illo feriantur.* Ita Andr. Hoc autem probabiliſſimum eſt, nempe eſſe Angelos malos, de quibus dicitur Pſ. 77. *Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem & iram, & tribulationem, immiſſiones per Angelos malos.* Satis enim conſonum

eſt rationi, quod docet S. Auguſt. in hunc Pſal-
mum, primo nunquam iuſtos per bonos Angelos
affligi aut cruciari: malos autem tum per bonos
Angelos, tum per malos, pœnis ac ſuppliciis affici.
Veruntamen, inquit, *quantum noſtræ intentioni ſcriptura
diuina moderatur, malis pœnas irrogari, & per bonos
Angelos, ſicut Sodomitis; & per malos Angelos, ſi-
cut Ægyptiis legimus; iuſtos verò corporalibus pœnis per
bonos Angelos tentari & probari, non mihi occurrit.* Ita
Auguſt. Dicendum pariter, ſicut per bonos Ange-
los nunquam iuſti pœnis temporalibus probantur,
ita nec etiam vnquam ad errores & peccata per bo-
nos Angelos homines inducuntur: vnde cum in
hoc loco velimus ſignificari inductiones in errores
& hæreſes, in pœnam profuſionis in libidines & cō-
cupiſcentias, certè probabiliſſimum eſt iſtos Ange-
los eſſe malos Angelos, quibus, vt loquitur S. Au-
guſtinus, vtetur Deus, *non ſolum ad puniendum malos
ſicut in iſtis omnibus de quibus loquitur Pſalmus, ſicut in
rege Achab, quem fallacia ſpiritus ex Dei voluntate ſe-
duxit vt caderet in bello; verum etiam ad probandos vel
manifeſtandos bonos, ſicut fecit in Iob.* Ita Auguſt. Et
hi ſoli, nempe mali tantùm, homines ad peccan-
dum ſollicitant, atque in errores inducunt. Opti-
mè igitur S. Aug. in hunc Pſalm. 77. ait: *Quod verò
pertinet ad præſentem Pſalmi huius locum, ſi ea quæ mi-
rabiliter de creationis facta ſunt, malis Angelis tribuere,
non audemus, habemus quod eis tribuere ſine dubitatione
poſſimus, mortes pecorum, mortes primitiuorum, & il-
lud maximè vnde relegata ſunt omnia, obdurationem cor-
dis illorum, vt populum Dei nollent dimittere. Hanc
enim iniquiſſimam & maligniſſimam obſtinationem Deus
cum facere dicitur, non inſtigando & inſpirando, ſed de-
ſerendo facit, vt illi operentur in filiis diffidentiæ, quod
Deus debite iuſteque permittit. Non illud quod Iſaias Pro-
pheta dicit: Domine ecce tu iratus es, & nos peccauimus:
propterea errauimus, & facti ſumus ſicut immundi om-
nes; ea ratione intelligitur. Præceſſit enim aliquid, vnde
Deus iuſtiſſimè iratus ab eis ſuum lumen auferret, vt in
peccata quæ nulla tergiuerſatione defendi poſſunt non eſſe
peccata, cæcitas humanæ mentis offenderet, ab itinere in-
ſtitiæ deuiando & errando. Et quod in alio Pſalmo ſcri-
ptum eſt de his ipſis Ægyptiis, quod Deus conuerterit cor
eorum vt odiſſent populum eius, & dolum facerent in ſer-
uos eius, bonè creditur Deus feciſſe per illos Angelos ma-
los, vt etiam vitioſæ mentes ſuorum infidelitatis, per eos
Angelos, quibus eadem amica ſunt vitia, excitarentur
in odium populi Dei, atque ad terrendos & corrigendos
bonos illa mirabilia ſequerentur. Illa enim mala morum,
quæ his corporalibus plagis ſignificata eſſe prædiximus,
propter quod dictum eſt: Aperiam in parabolis os meum;
per malos Angelos exerceri in eos, qui illis diuina æquita-
te ſubduntur, conuenientiſſimè creditur. Neque enim cum
ſit quod ait Apoſtolus: tradidit illos Deus in concupiſcen-
tias cordis eorum, vt faciant quæ non conueniunt, num illic
mali Angeli, tanquam in materia ſui operis, verſentur &
gaudent, quibus iuſtiſſimè ſubdita eſt vitioſitas humana,
præter eos quos liberat gratia?* Hæc Aug. Igitur cum
velimus hic de lapſu & inductione in hæreſes agi,
proculdubio iſti Angeli non erunt boni ſed mali,
qui in peccata, in obſtinationem, in malos mores
& vitia homines inducunt ex propria malitia, Deo
ita permittente in vltionem peccatorum præteritō-
rum. Vult enim Deus aliquando, vt occulta pecca-
ta per manifeſtiora & euidentiora puniantur, vt iu-
ſtior appareat vtrorumque vindicta. Sic viam facit
ſemita ira ſuæ, dum homines propter ſcelera abdita
punire volens, eos in deteriora ſed apertiora labi
permittit, vt dum occulta plectitur pœnis, ex ma-
nifeſtis peccatis quàm iuſta ſit vltio cunctis innoteſ-
cat. *Viam fecit ſemitæ iræ ſuæ. Cuius tandem acies*, inquit
Auguſtinus, *ſufficit penetrare, vt intelligat capiatque ſen-*
*tentiam in tanta profunditate latitantem? Erat enim ſemita
ira Dei quæ Ægyptiorum impietatem occulta æquitate pu-
niret. Sed eidem ſemitæ viam fecit, vt eos tanquam ex
abditis per malos Angelos in manifeſta ſcelera peruicem,
in euidentiſſimos impios euidentiſſime vindicaret* Ita Aug.
Denique eſſe malos Angelos certiſſimum eſt, quia
ligati dicuntur: de ſolis enim malis Angelis legi-
mus eos ligari. *Conſtat* namque, vt ait Andr. Cæſ.
*alios in abyſſum ſæpe amandatos, alios in porcos eiectos,
alios pro Dei voluntate ad tempus ablegatos fuiſſe, in omne
poſtea euum, vbi primum videlicet bellum, quod aduer-
ſus hominem gerunt, integrè abſoluerint, apud inferos cru-
ciandos.* Ita And. Cæſ.

Quantum autem attinet ad bonos, nuſquam ex
ſymbolis, ſub quibus de iiſdem loquitur ſcriptura,
nuſquam ex apparitionibus plurimis, de quibus
mentionem facit, conjicere poteris eos alligari:
ſemper expeditos, ſemper ad operandum aliquid
paratiſſimos inuenies. Igneī ſunt, ad declarandam
illorum diuinam ſimilitudinem & imitationem;
humanâ formâ apparent, vt intelligendi vim &
copiam & ſcientiam, ſeruitute ac dominatu minimè
opprimendam & ſubigendam, dignoſcamus; ocu-
los habent, ad declarandum in eis clariſſimam ſuſ-
pectionem verſus diuina lumina; in odoratu, vim
diſcernendi; in auribus, diuinæ intelligentiæ cum
iudicio & arte participationem; in guſtu, ciborum
ſpiritalium ſatietatem; in tactu, diſcretionem ex
ſcientia procedentem earum rerum quæ naturæ eo-
rum accommodantur, aut ab eiſdem ſunt alienæ.
Sic de cæteris membris corporeis philoſophatur
S. Dionyſ. de cæleſti Hierarchia: ſic in pennis, ce-
leritatem ſurſum ducere valentem; In nuditate, id
quod ſolutum ac liberum eſt: ſi autem aut veſtiti
aut quibuſdam inſtrumentis inſtructi apparent, ſem-
per aliquam operationem indicant: ſplendida ve-
ſtis, vim illuſtrandi; virgæ in manibus, regiam po-
teſtatem atque principatum; Geometrica fabriliaque
vaſa, fundamenta iaciendi, ædificandi, abſol-
uendique vim denotant, vel Dei in nos iudicia ad
correctionem, diſciplinam, vindicem iuſtitiam:
Denique ex nominibus quibus nuncupantur, ſem-
per animaduertere poſſumus illos minimè eſſe alli-
gatos, imo expeditiſſimos ad quælibet operandum:
venti dicuntur, ad denotandum celerem & in omnia
ferè puncto temporis penetrantem efficientiam:
Leonibus, Bobus, aquilis aſſimilantur, ad eorum
robur, vim ſeruatricem, celerem ac facilem agen-
di & contemplandi rationem denotandam, quæ
quidem omnia ſignificant eos non eſſe aliqua ratio-
ne alligatos. At de malis Angelis in plurimis locis
dicitur eos alligari, id eſt impediri ne agant, ne li-
berè quæcumque poſſent exæquantur. Cum igitur
iſti quatuor Angeli dicantur alligati, proculdubio
hoc non de bonis Angelis eſt intelligendum, ſed de
malis ac peſſimis, quos diuina prouidentia impedie-
bat, ne homines pro poſſe, ac nocendi voluntate ſeu
cupiditate impetant. Vnde optimè Ribera: *Quo-
niam verba iſta, vt ſonant, nihil habent abſurdi, ita vt ſo-
nant intelligimus: quandoquidem ſcriptura docet malos
Angelos in certis terræ locis interdum ligari. Tob.* 8. Ita
Rib.

Ex his patet vocem ex altari prodeuntem aliquid
decernere, quod infauſtum eſſe debeat hominibus,
non quidem omnibus, ſed quibuſdam; non infide-
libus, qui fidem nunquam habuerunt aut ſuſcepe-
runt; non fidelibus, qui fideliter contra vitia &
concupiſcentias decertarunt, ſed impiis, & concu-
piſcentiis deditis, qui fidem & bonam conſcientiam
per corruptionem morum repellentes, *circa fidem
naufragauerunt*, vt loquitur S. Paulus 1. ad Timo-
theum c. 1. Hi enim ſunt qui ſanguinem teſtamenti,

Digitized by Google

qui in altari effunditur, quotidie pollutum duxerũt, & spiritui gratiæ contumeliam fecerunt. Ideo hæresibus & erroribus variis vexandi ac seducendi relinquuntur. *Finis*, inquit S. Paulus, *præcepti est charitas, de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta, à quibus quidam aberrantes conuersi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* 1. ad Timot. 1.

Cuius autem sit vox, patet illam esse totius Ecclesiæ, quia ex quatuor cornibus altaris prodire dicitur. *Per vocem*, ait Dionys. Carthus. *intelligitur concors totius Ecclesiæ sensus, prædicatio, vel doctrina.* Nos verò dicimus esse sententiam aliquam siue à concilio legitimo latam, siue à sede Apostolica manantem. Vniuersalis enim Ecclesia repræsentatiuè est B in conciliis legitimè congregatis, aut in summo Pontifice, quia omnis auctoritas Ecclesiæ in eo vno colligitur. Potest enim quod possunt singuli: potest etiam quod possunt vniuersi. Fides enim abrogatur etiam conciliis, nisi eius auctoritate fulciantur, siue vt legitimè congregentur, siue vt recipiantur.

Alloquitur autem hæc vox singulos Episcopos, Pastores ac concionatores, quibus aliqua ratione competit fideles ad obseruantiam legis Euangelicæ, ac legum Ecclesiasticarum adstringere, compellere aut prouocare, quibus dicitur: *Solue quatuor Angelos, &c.* Quid autem velit per solutionem quatuor Angelorum, ex alligatione eorum compe- C rietur.

Solue quatuor Angelos.

Quid alligatio quatuor Angelorum, & quid eorumdem solutio. §. 2.

Diximus illos Angelos esse malos, sed quia mali Angeli diuersis instrumentis vtuntur, vt noceant, ideo secundum diuersitatem eorum instrumentorum seu mediorum nocendi, diuersa est eorumdem alligatio aut solutio. Mali siquidem Angeli effectus suos in nobis producunt, vel per instrumenta extrinseca, nempe per alios homines, qui captiui D dicuntur ad ipsius diaboli voluntatem; vel per instrumenta intrinseca, commouendo humores, turbando phantasmata, excitando nostras passiones, alliciendo aut terrendo nostras mentes aut affectus.

Ideo quidam per hoc quatuor Angelos intelligunt principes seculi infideles. Ita Dionys. Carthus. *Qui*, inquit, *omnes dicti sunt quatuor, propter quatuor plagas terræ principales in quibus demorantur, & regnant.* Ambrosius etiam ita sentit, dum ait: *Eandem ergo significationem habent quatuor Angeli isti, quam & illi: significant enim quatuor Regna, Assyriorum videlicet, Persarum, Macedonum, atque Romanorum. Et quia potestas quatuor Regnorum, sicut superiùs diximus, ad Romanos* E *successerat, per quatuor Angelos in hoc loco Romani designantur.*

Nicolaus de Lyra, sextum Angelum pro Laurentio schismatico intelligens, & per ipsum quemlibet ambitiosum, qui per contentionem iniquam obtinere nititur Ecclesiæ dignitatem, per istos quatuor Angelos intelligit primò falsitatem aduocatorum malignorum pro eo loquentium; secundò malignitatem detractorum contra impedientem ipsum; tertio duplicitatem adulatorum falsò ipsum commendantium; quarto cupiditatem magnatorum, ipsum muneribus sustinentium.

Alcazar per quatuor Angelos intelligit, *amorem proprium, diuitiarum cupiditatem, inanem hominum existimationem, & proprium iudicium: ligati fuerant in Euphra-* A *te, id est, in felici eorum successu, tum voluptates, honores & opes ad votum succederent. At cum Iudæis per Titum, hæ suæ cupidæ ereptæ sunt, quatuor hi Angeli, id est peruersi amores iam dicti, eo vsque sopiti & quasi ligati, soluti sunt, ac Iudæos ad iras & furores concitarunt.* Ita apud Cornel. Alcazar.

Nos autem dicimus non absurdè per Angelos prauos animi affectus designari posse, cum S. Paulus 2. ad Corinth. 12. Angelum satanæ sumat pro motu carnis, vt interpretatur Gagnæus in Paulum. Quod si sensus peccati, titillatio carnis, aut peccati suggestio dici possunt Angelus satanæ, rectè vitiis ac prauis affectibus poterit hoc nomen affingi. Suggeruntur enim vitia à malis Angelis, qui per gratiæ spiritum alligantur, at soluuntur per subtractionem auxiliorum gratiæ: hæc enim vitia, hi sensus, hæ suggestiones non præcisè secundum se considerantur, sed prout sunt quidam actus seu effectus connotantes dæmonem præsentem & operantem: nec enim hæc vitia seu suggestiones vim ac robur obtinerent, nisi adesset dæmon, qui vitia excitet, suggerat ac foueat. Quibus positis,

Dicimus quod si de dæmonibus sermo sit, optimè docet Cornelius à Lapide hîc, eos certo loco ligari, cum in illo per decretum & potestatem diuinam vel Angelicam detinentur, vt se loco mouere, eoque egredi nequeant; siue subtrahendo concursum necessarium ad motum & egressum, siue moraliter minando eis acriores pœnas si egrediantur, ac puniendo si egrediantur, compellendo eos regredi, siue physicè imprimendo eis modum aut qualitatem aliquam detentiuam, vel vnitiuam loco; quam spiritus superior & potentior spiritui inferiori & minus potenti imprimere poterit: & de facto vim hanc imprimunt dæmonibus Angeli, cum eos ex certo loco, v. g. ex corporibus obsessis energumenorum, violenter expellunt & extrudunt: sic rudentibus inferni traduntur, seu igni infernali, quo quasi rudentibus deuinciuntur.

Si de principibus & potestatibus seculi loquamur. *Diabolus*, inquit sanctus Anselmus, *in iis ligatus est, dum per eos latenter operatur, soluitur in eis dum manifestè* D *operatur.* Ambrosio vincula quatuor Angelorum verba sunt Domini: *non quod Dominus præceperit persecutoribus, vt à persecutione cessarent, donec semina fidei per omnes gentes spargerentur, sed quod potestate fecit, hoc dicitur verbis præcepisse.* Ita Ambr.

Per Euphratem, inquit Dionys. Carthus. *seculum nequam procellosum ac fluctuans designatur, in quo Angeli isti ligati sunt: quoniam diuina virtute, eorum refrenatur crudelitas, ne iuxta libitum suum queant nocere. Hos igitur Angelus iste soluet, i. soluendos denunciabit: quia iam plus solito desæuire, tentare, & persequi permittentur.* At si de vitiis, & impulsionibus ad peccandum sermonem habeamus, videndum nobis quænam sint retinacula impedientia mortales, ne in actus vitiorum prorumpant. At ne in tales prorumpamus, satis patet Dei verbo nos alligari, mandatis eius ac præceptis coërceri, & exercitio omnium virtutum Christianorum, seu, vt vno verbo dicam, iustitiæ Christianæ nos contineri in officio. Igitur alligatio dæmonum est verbum diuinum, quo intellectus illustratus ignea inimici tela retundit: & mandatorum Dei fidelis obseruatio, qua impij illius conatus reprimuntur. Denique arma ei auferuntur & præripiuntur è manibus, si quis sedulò quamlibet virtutum Christianarum in praxim reducit. Hac de causa quatuor illi Angeli, impulsiones vniuersas ad malum significantes, dicuntur alligati in flumine magno Euphrate, nempe in iustitia Christiana, quæ nobis per infusionem fidei, & spei & charitatis, & virtutum infusarum in baptismo confertur, si iuxta

gratiam in Baptiſmo collatam, vitam & mores inſtituere conaretur. Itaque per flumen Euphratem hic intelligendam eſſe cenſemus iuſtitiam Chriſtianam, quæ fines & terminos Eccleſiæ vndequaque concludit, iuxta illud Ruperti: *Alligati fuiſſe dicuntur in flumine magno Euphrate, id eſt hactenus non permiſſi terminos Iſraël introire. Nam flumen Euphrates reſtè ponitur pro cunctis terminis Iſraël: idcirco videlicet, quia ſecundum auctoritatem ſcripturæ, hic fluuius vnus de terminis illius eſt: ſic enim ad eos à Domino dictum eſt: A deſerto & Libano, vſque ad flumen magnum Euphraten, erit terminus veſter.* Ita Rup. Euphrates vnus ex fluuiis Paradiſi, interpretatur fructifer, quia videlicet iuſtitia Chriſtiana quæ limites ponit & præſigit fidelibus, multum in iis affert fructum. Sicut igitur regnum Dauidis & Salomonis Euphrate concludebatur, dicente Propheta: *Et dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum. A flumine*, inquit Genebrard. *id eſt ab Euphrate*; Ita Eccleſia iuſtitiâ clauditur Chriſtiana, vltra quam egredientes viam ſibi ad interitum parant. Nam ſi quis ſemel iuſtitiæ fines tranſgreditur, exul fit à gratia Dei, ſæpius ab Eccleſia excinditur, & inter Ethnicos & infideles computatur: cum talis eſt vt Eccleſiam non audiat, intraque fines ab Eccleſia ſibi Imperatos & præſcriptos continere ſe renuat, & extra excurrat, animi præſumptione ductus & impulſus. His ſiquidem qui tranſgrediuntur Eccleſiæ leges diabolus inſidiatur: in his habet poteſtatem, vt eis noceat. Vnde optimè Ribera ait: *Alligantur ergo Angeli in Euphrate, quia tranſeuntibus per Euphraten, id eſt per aquas Baptiſmi, & ad Eccleſiam venientibus, non ita nocere poterunt, vt iis qui trans Euphraten, id eſt, extrà Eccleſiam ſunt. Atque adeo maluit dicere in flumine Euphrate, quàm in Babylone, vt baptiſmus apertiùs ſignificaretur.* Ita Rup. Quomodo autem fluuius Euphrates iuſtitiæ ſit ſymbolum, accipe ex S. Ambroſ. lib. de Parad. c. 3. Ibidem enim aſſerens quatuor flumina Paradiſi, ſignificare quatuor Virtutes Cardinales; ex anima bene culta (in qua fons eſt Sapientiæ & gratiæ ſpiritualis) emanantes; & in fluuio nomine Phiſon prudentiam intelligens, propter aurum inuenta prudenta ſignificans, carbunculum animæ igniculum innuens, Praſium virorem vitæ ſignum repræſentans (aurum enim, carbunculus & lapis praſius in hoc fluuio reperiuntur) & quia non vnam gentem, ſed vniuerſam fere Indiam circumfluit, denotat prudentiam prodeſſe omnibus; in ſecundo fluuio, nomine Geon, Temperantiam ſeu Caſtitatem intelligit, quia iuxta hunc fluuium lex data eſt Iſraëlitis, cum eſſent in Ægypto conſtituti, vt ex Ægypto recederent, & ſuccincti lumbos ederent agnum, quod inſigne eſt Temperantiæ: caſtos enim & ſanctificatos oportet Domini Paſcha celebrare. In tertio fluuio, Tygri nempe, fortitudinem intelligit, quia hic fluuius velocior eſt omnibus, & vadit contra Aſſyrios, hoſt eſt dirigentes, ad quos preuaricator Iſraël captiuus eſt ductus, quia quicumque fortitudine animi præuaricantia corporis vitia captiuauerit, dirigens ad ſuperna, iſte huius fluminis ſimilis æſtimatur: & ideo etiam fortitudo de illo, qui eſt in Paradiſo, fonte manat. Fortitudo autem quodam curſu rapido, reſiſtentia quæque tranſuerberat, nec aliquibus curſus eius impedimentorum hæret obſtaculis. Tandem fluuium Euphraten de iuſtitia intelligit. Euphrates enim Latinè fœcunditas, atque abundantia fructuum nuncupatur, præferens quoddam inſigne iuſtitiæ, quæ omnem paſcit animam: nulla enim virtutum lætiores videtur habere fructus, quam æquitas atque iuſtitia, quæ magis aliis quam ſibi prodeſt, & vtilitates ſuas negligit, communia emolumenta præponens. Plerique Euphraten ἀπὸ τῦ εὐφραίνειν dictum putant, hoc eſt à lætando, eo quod hominum genus nullo magis quam iuſtitia & æquitate lætatur. Ita Ambr. Hanc virtutem meritò potius, quàm alias pro terminis & limitibus Eccleſiæ aſſignamus, quia ea ſola perfectum opus habet: quia, vt ait S. Ambroſ. *Vbi prudentia illic & malitia; vbi fortitudo, ibi iracundia; vbi temperantia, ibi intemperantia plerumque eſt, aut alia vitia: vbi autem iuſtitia, ibi concordia virtutum cæterarum eſt. Ideo non ex locis qua fluit (vt videlicet alia flumina) hoc eſt non ex parte cognoſcitur: non enim pars eſt iuſtitia, ſed quaſi mater eſt omnium.* Ita Ambr. qui cum poſtea ſingulas illas virtutes per diuerſa tempora diſtribuat, vt prudentiam temporibus Abel & Enos & Enoch & Noë aſſignet, temperantiam temporibus Abrahæ, Iſaac & Iacob, in quibus caſta & pura quædam temperantia religionis effulſit, tribuat; fortitudinem autem à tempore Moyſis ad tempora Gedeonis, Baruch, Sampſonis, Samuelis, Dauidis & arterorum Prophetarum, qui vel in præliis, vel in patiendo aduerſa fortitudinem exprellerunt, extendat, tandem ait: *Secundum autem Euangelium digna eſt figura iuſtitiæ, quia virtus eſt in ſalutem omni credenti. Denique ipſe Dominus ait: ſine modo, ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam: quæ quædam parens cæterarum eſt fœcunda virtutum.* Ita Ambroſ. Non malè igitur flumen Euphratem diximus eſſe figuram iuſtitiæ Chriſtianæ, quæ dæmones ac vitia tenet alligatos, ne noceant fidelibus. Optauit olim, vt refert Plutarchus in apophtegmatibus Regum & ducum antiquorum; Phraates Rex Parthorum, vt Euphrates fluuius inter Romanos & Parthos pro limitibus conſtitueretur, a Cneo Pompeio magno poſtulauit; ne vltra Euphraten tranſiret. *At*, inquit, *optimè Cneus Pompeius: Non Euphrates limites conſtituet inter Romanos & Parthos, ſed potius iuſtitia.* Sic dicere poſſumus olim Euphraten terminos poſuiſſe regno Iſraëlitico, nunc verò regnante Chriſto, qui eſt Sol & Rex, iuſtitia eſt quæ circumquaque Eccleſiam cingit & impedit, quo minus à dæmonibus, perſecutoribus & vitiis euertatur. Figuræ enim in veritates tranſierunt: Vnde ſi olim vitiis & concupiſcentiis, per Dei mandatum termini fuerunt poſiti in paradiſo terreſtri, ex quo manat fluuius Euphrates; ſi olim idem fluuius limites conſtituit terræ promiſſionis, nunc Chriſti lex, & iuſtitia à Chriſto allata circumuallat & circumdat Eccleſiam, ne ab hoſtibus impugnetur: Itaque cum vox iſta ait: *Solue quatuor Angelos*, idem eſt ac ſi diceret: Olim Deus præcepit Adamo ne comederet de fructu ligni vetiti in paradiſo terreſtri, ex quo oritur Euphrates fluuius, ſatis vobis cognitus, cum datus ſit & præſcriptus qui limites terræ veſtræ conſtituat: hoc præceptum quaſi alligata tenebat quælibet vitia, quibus mens induci poſſet in errores. Inſuper aduenientе gratia Dei, & lege ſeu iuſtitia Chriſtiana, vitia hæc ita repreſſi exiſtebant, vt pullulare nequirent, nec poſſent nefandos producere effectus, tandiu videlicet quandiu voluerunt homines ſeipſos continere intra limites iuſtitiæ Chriſtianæ, & media ſalutis à Chriſto præſcripta fideliter aſſumere. Nunc vero cum conſtet planiſſimè quælibet ſacra & diuina conculcari à mortalibus, ſoluantur Angeli mali & ſeductores, vt ad proportionem eorum bonorum quæ contemnunt homines, ad diuerſa impellantur vitia: Ex quibus tandem varij & innumeri errores exſurgent, propter quos mille modis innumera perpetrabunt peccata, quæ tandem propter finalem impœnitentiam minimè ablata eos ad inferni pœnas abducent. Iuſtiſſimè namque fit, vt qui cum Deo

Digitized by Google

iurgia quærit, & cum ſeruis ſuis pacem ſeruare renuit, nec propriæ rationis lumini credit, ſed concupiſcentiarum ſuarum ſequitur deſideria, omni auxilio ſupernaturali deſtituatur, & Angelis peruerſis & malignis relinquatur ſeducendus. Optimè namque dicitur, Prouerb. 17. *Semper iurgia quærit malus, Angelus autem crudelis mittetur in eum.* S. Anſel. de iſta ſolutione loquens ait: *Solue quatuor Angelos, &c. prædica ſolutos, vt caueant ſibi electi; vel ſolue excommunicando malos, & ſic abſoluentur & regnabunt in eis.* Ita Anſel. Itaut hæc vox videatur eſſe quædam ſententia excommunicationis lata propter manifeſtum contemptum legum Eccleſiaſticarum, & peruicaciam & obſtinationem animi, quâ ſemel latâ facile eſt conjicere in excommunicatos, auxiliis ſupernaturalibus cæteris fidelibus communibus deſtitutos, dæmones maximè ſæuire, eoſque facillimè in vitia quælibet impellere.

Solutio igitur Angelorum eſt permiſſio diuina dæmonibus facta ſæuius graſſandi in contumaces & Eccleſiæ rebelles, quos ad vitia quælibet inducunt, tantò faciliùs, quantò minora eis pro tunc ſuppeditantur gratiæ diuinæ auxilia: quod fortiter inculcare debent prælati & concionatores, cum vident ac perſpiciunt diuina cuncta & ſacra impiè & irreligiosè tractari, & etiam contemni.

Et audiui vnam vocem ex quatuor cornibus altaris aurei, quod eſt ante oculos Dei, dicentem ſexto Angelo qui habebat tubam: Solue quatuor Angelos, qui alligati ſunt in flumine magno Euphrate.

Quænam ſit cauſa legitima, quæ inducat diuinam bonitatem vt permittat Angelorum malorum ſolutionem, dum miniſterio Paſtorum rebelles à cœtu fidelium ſegregat & reſcindit.

ANNOTAT. IV.

Quænam ſit media quibus Eccleſia veritatem tuetur, per quatuor cornua altaris deſignata, quorum contemptu ſit ſolutio quatuor Angelorum. §. 1.

DIXIMVS Eccleſiam eſſe altare aureum, cuius cornua ſunt quatuor inſtrumenta, ſeu media, quibus veritatem, cuius columna eſt & firmamentum, tueri conatur. Et primò libros habet tum veteris tum noui Teſtamenti, Legales, Hiſtoriales, Sapientiales, Prophetiales: omnes enim libri ſacræ Scripturæ ad vnum ex his capitibus reducuntur. Secundo quatuor cornua erunt quatuor Euangelia à quatuor Euangeliſtis, Matthæo, Marco, Luca, Ioanne conſcripta. Tertio quatuor hæc cornua erunt tota ſacra Scriptura, traditiones, Concilia legitimâ auctoritate firmata & recepta, vnanimis Patrum & Doctorum conſenſus. Per hæc quatuor media Eccleſia Chriſtum nobis proponit, vel vt in ipſa regnantem & operantem, vel vt olim in carne in mundo conuerſantem, & ſuis prædicationibus, miraculis, actionibus virtuoſis & orationibus, tanquam quatuor cornibus, peccata & errores extirpantem; vel vt fuit in cruce, in qua ſtupenda quadam animi ab omnibus rebus ſenſibilibus abſtractione, ſyncero & vero de omnibus iudicio, quo & dignitatem Diuinæ Majeſtatis & hominum fragilitatem ponderabat, rectâ Deo Patri placendi intentione & ardentiſſimâ charitate, ac tandem profundâ ſui ipſius deſpicientiâ, & Patri ſubmiſſione & obedientiâ, pro peccatis ad rigorem ſatisfacere voluit; vel vt eſt in Sacramento Euchariſtiæ, vt nobiſcum ſit vſque ad conſummationem ſeculi, vt ſic in quantum eſt holocauſtum perfectiſſimum; ſacrificium expiatorium, Euchariſticum & impetratorium; executioni prædeſtinationis noſtræ inuigilet, noſtræque ſaluti conuenientiſſimis modis conſulat. Denique Eccleſia Chriſtum nobis proponit, vt eſt in dextera Dei ſedens, quem ſuſpicere debemus, vt is qui mortem deuicit, cui omnis poteſtas à Deo data eſt in cœlo & in terra, qui ab Angelis & hominibus coli & adorari debet, vt Patri coæqualis & conſubſtantialis, & qui tandem venturus eſt cum gloria iudicare viuos & mortuos.

Nunc dico quod ſi Chriſtus Dominus contemnatur, ſiue vt in Eccleſia regnans, ſiue vt cum hominibus olim conuerſatus, ſiue vt pro hominibus in cruce patiens, ſiue vt eſt in Euchariſtia præſens, ſiue tandem vt eſt in dextera Patris ſedens, certè exigit tanta ingratitudo & impietas, vt Deus permittat Diabolo homines inducere ad diuerſa vitia, quibus ſi ſemel victi fuerint, mille ſeu infinitos errores adinuenient, quibus pernicioſos ſuos actus excuſare prætendent, & ob quos ab Eccleſia reſcindi demerebuntur, traditi ſatanæ ob pertinaciam. At antequam quænam poſſint eſſe hæc vitia (errorum in quos impingent veluti origines & ſcaturigines) quædam antiqua ceremonia, quæ olim in Eccleſia adhibebatur ad præparandum Catechumenos ad ſuſceptionem baptiſmi, nobis eſt hic proponenda: ad quam non abſurde dixerim ſanctum Ioannem reſpicere, cum vnam vocem ſe dicit audire, ex medio quatuor cornuum altaris aurei prodeuntem. Nam cum duo præcepiſſet Dominus Apoſtolis, primum vt docerent omnes gentes, ſecundò vt baptizarent eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti: (*Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Matt. vltimo. Et Marci vltimo: *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit, &c.*) vt Eccleſia debito ordine procederet, inter ſeptem ſcrutinia, quæ fiebant, baptizandorum, tertium quod dicebatur *in apertione aurium*, quod fuit omnium maximè ſolemne, adhibebat vt ad audiendum Euangelium aures aperiret, antequam baptizaret. Nam cum in primitiua Eccleſia multi eſſent adulti Pagani & Iudæi, multi quos parentes non ſtatim adducerent ad baptiſmum, & eiuſmodi nec inuiti, nec ſine fide admitti poſſent, ea fuit olim Eccleſiarum conſuetudo, vt publico ac ſummo & ſolemni ritu res ea fieret in Paſchate & Pentecoſte; quin & vt ex eo genere hominum nemo baptizaretur, qui non etiam didiciſſet ante, quænam eſſet religio Chriſtianorum, & voluntate libertimâ initiari hac religione poſtularet. Erant iſti ſegregati à Iudæis & Paganis, inter fideles tamen non recenſebantur, & vocabantur Catechumeni, audientes, electi, competentes, illuminandi, quam illuminationem potiſſimum accipere videbantur in hoc tertio ſcrutinio, quod dicebatur *in apertione aurium*, vt in explicatione huius ceremoniæ videre poſſumus. Quæ ſi nunc in praxim non reducatur, manet tamen quoad ſubſtantiam, in quantum intentio Eccleſiæ eſt vt patrini doceant quos ſuſcipiunt, de fide & religione Chriſtiana, ſi parentes paruulos qui baptizantur inſtruere negligant, vel ſi ſint adulti & non paruuli, ſedulò per Catechiſmum inſtruantur, antequam ſuſcipiant baptiſmum. Vnde ad hanc ceremoniam, ſiue ſecundum ſe conſideratum, ſiue ſecundum finem ad quem erat inſtituta, reſpicere potuit S. Ioannes, dum de voce prodeunte ex altari mentionem facit: quod probabilius eſſe videbimus, ſi hanc ceremoniam in medium adducamus.

Denunciatione

Denunciatione facta, & electis ſignatis ſignaculo fidei, legebantur duæ lectiones in aurium apertionem, prima ex cap. 55. Iſ. *Hæc dicit Dominus: Audite audientes me, & comedite bonum, &c.* ſecunda ex Epiſtol. ad Coloſſ. c. 3. *Fratres expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis*; & Graduali dicto (*Beata gens cuius Dominus Deus eorum, populus quem elegit Dominus in hæreditatem ſibi*, Pſ. 32.) procedebant quatuor Diaconi de ſacrario, cum quatuor libris Euangeliorum; præcedentibus eos duobus candelabris, cum thuribulo & incenſo: & ponebant ipſa Euangelia ſuper quatuor angulos altaris, & antequam aliquis eorum legeret, tractabat Presbyter his verbis: *Aperturi vobis, filij Chariſſimi, Euangelia, id eſt geſta diuina, inſinuare debemus quid ſit Euangelium, & unde deſcendat, & cuius in eo verba ponantur: & quare quatuor ſint, qui hæc ſcripſerunt; vel qui ſunt ipſi quatuor, qui diuino ſpiritu annunciante à Propheta ſignati ſunt: ne forte ſine hac ordinis ratione vel cauſa, ſtuporem vobis in mentibus relinquamus: Et quia ad hoc veniſtis vt aures vobis aperiantur, ne incipiat vobis ſenſus obtundi, &c.* His à Presbytero expletis, annunciabat Diaconus dicens: *State cum ſilentio, audientes intentè.* Et tunc accipiens vnus Diaconus, deſuper angulo primo altaris ſiniſtro, librum Euangeliorum, præcedentibus ante eum duobus candelabris cum thuribulis, aſcendebat ad legendum, & dicebat: *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum ſpiritu tuo. Initium ſanctì Euangelij ſecundum Matthæum. Liber Generationis Ieſu Chriſti Filij Dauid, Filij Abraham, &c.* vſque ad: *ipſe enim ſaluum faciet populum à peccatis eorum.* Et poſtquam legiſſet, Subdiaconus ſuſcipiebat de eo ipſum Euangelium ſuper limeum, & portabat in ſacrarium, & poſtea quædam tractabat Presbyter, ad expoſitionem eorum quæ perlecta fuerant ex Matth. Euangelio, v. g. quare Matthæus figuram hominis habeat; quia in initio ſuo nihil aliud egit niſi Natiuitatem Saluatoris &c. quibus expletis iterum Diaconus dicebat: *State cum diſciplina & ſilentio, audientes intentè:* & accipiebat alter Diaconus, deſuper ſiniſtro angulo altaris, alium librum Euangelij, præcedentibus ſimiliter duobus candelabris, & legebat initium ſancti Euangelij ſecundum Marcum: *Initium Euangelij Ieſu Chriſti Filij Dei, ſicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, &c.* vſque ad: *Ego baptiſo vos in aqua: ille vero baptizabit vos Spiritu ſancto.* Et poſtea Presbyter, ſicut prius, diſſerebat de Euangeliſta, & initio huius Euangelij, v. g. quod Leonis figuram gereret, à ſolitudine incipiens; ſiue quia regnat inuictus, nempe Chriſtus, &c. Iſtis expletis dicebat Diaconus vt ſupra: *State cum ſilentio audientes intentè:* Et accipiebat Diaconus tertius deſuper tertio angulo dextro, tertium librum, & legebat initium ſancti Euangelij ſecundum Lucam: *Fuit in diebus Herodis Regis Sacerdos*, vſque ad: *parare Domino plebem perfectam:* Et diſſerebat Presbyter de Euangeliſta & eius Euangelio, v. g. quod Lucas vituli ſpeciem geſtabat, ad cuius inſtar Saluator noſter eſt immolatus.

Iſtis expletis, annunciabat Diaconus vt ſupra: *State cum ſilentio audientes intentè:* Et accipiebat Diaconus deſuper quarto angulo dextro altaris, quartum librum, & legebat initium ſancti Euangelij ſecundum Ioannem: *In principio erat Verbum: &c.* vſque ad: *plenum gratiæ & veritatis.* Et proſequebatur Presbiter his verbis: *Ioannes Euangeliſta habet ſimilitudinem aquilæ, eo quod nimis alta petierit, &c.* Et poſtea habebatur ſymbolum fidei, cum his verbis: *Accedite ſuſcipientes Euangelici ſymboli Sacramentum, à Domino inſpiratum, ab Apoſtolis inſtitutum, cuius panca quidem verba ſunt, ſed magna myſteria. Sanctus etenim Spiritus, qui Magiſtris Eccleſiæ [illegible] tali eloquio, talique breuitate ſalutiferam condidit ſidem, vt quod credendum vobis eſt, ſemperque profitendum, nec intelligentiam poſſit latere, nec memoriam fatigare. Intentis itaque animis ſymbolum diſcite, & quod vobis ſicut accipimus tradimus, non alicui materiæ quæ corrumpi poteſt, ſed paginis cordis veſtri aſcribite.* His dictis recitabatur ſymbolum Græcum, pro Græcam linguam callentibus, Latinè pro iis qui Latinam, tam ſuper infantes maſculos quàm ſuper fœminas; & explicato ſymbolo à Presbytero, ſilentium & attentio adhuc exigebantur, & quomodo orandum ſit exponebatur, recitatâ & interpretatâ oratione dominicâ. Hæc ſunt quæ fiebant in tertio ſcrutinio, quod vocabant *in apertione aurium.* Requirebatur namque vt apertis auribus, qui baptiſandi erant perciperent quidnam credendum, quidnam illiſeſſet faciendum, & quid potiſſimum ſperandum vt ad cæleſtia regna peruenirent. Ita libro cui titulus eſt: *Ordo Romanus*, tit. 8. Bibliothecæ Patrum, in impreſſione Colonienſi. In alia impreſſione to. 10. pagina 40. & ſequentibus; & referuntur ea in libro qui inſcribitur *Antiquitatum Liturgicarum arcana*, impreſ. Duac. ex Typographia Balthaſari Belleni, an. 1605.

His prælibatis, dico ad hoc altare, in quo reponebantur quatuor Euangelia, S. Ioannem aſpexiſſe. Euangelia namque aperienda & prædicanda ſunt religionem Chriſtianam profiteri volentibus, qui ſi iuxta doctrinam in ipſis contentam vitam ſuam inſtituerint, fideliter credendo, efficaciter adimplendo, & piè ſperando quæ vnanimi voce, ſeu quaſi vna voce ipſa Euangelia annunciant, certè magna ſpes ſalutis æternæ conſequendę exſurgere in eorum animis debebit. Quod ſi è contra, hanc doctrinam neglexerint & ſpreuerint, ſi has margaritas pedibus conculcauerint, certò certius vitiis opplebuntur, in diuerſos errores incident, quibus decepti laxis habenis in hæc horrenda vitiorum barathra præcipitabuntur celerrimè, & peccata peccatis accumulantes, tandem in profundum inferni demergentur. Hoc igitur ſignificare vult S. Ioannes, dum præuidens omnia, quæ ad Dei cultum promouendum Eccleſia debebat inſtituere, reſpexit ad illa altaria, ſuper quæ ponebantur Euangelia baptizandis annuncianda, in illo aureo altari præfigurata. Verè enim aureum eſt altare, vel Eccleſiam vel Chriſtum ſignificans, ex cuius veritate & auctoritate totâ veritas Euangelij proponenda nobis omninò dependet, quam qui rejiciunt & contemnunt, in multa vitia, innumeros errores & peccata incidere neceſſe eſt: de quibus dici poteſt illud B. Petri Epiſt. 2. c. 2. *Si enim refugientes coinquinationes mundi, in cognitione Domini noſtri & ſaluatoris Ieſu Chriſti, his rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo quod illis traditum eſt ſancto mandato. Contigit enim eis illud veri prouerbij: canis reuerſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti.*

Solue quatuor Angelos qui alligati ſunt in flumine magno Euphrate.

Quænam ſint vitia quæ oriantur ex contemptu doctrinæ Euangelicæ. §. 2.

Sanctum Chriſti Euangelium, ſeu ſacra Chriſti doctrina, iuſtitiâ perfectâ, tanquam magno quodam flumine veræ cognitionis, Eccleſiam circumdat, qua omnes animi prauos affectus compeſcat, ne effluant, & pios intra limites iuſti & æqui conti-

...quet. At ſi hos limites à iuſtitia Chriſtiana præſcriptos ſemel quis tranſilierit, veluti ſiccato fluuine magno Euphrate, vt olim ſub Cyro per diuerſos alueos eius aquæ diſperſæ ſunt, ita vt Babylon olim ab eodem capta fuerit; ſic anima à cunctis vitiis obruitur, & fit habitatio dæmoniorum per errores innumeros.

Quæ autem ſint hæc vitia potiſſimum, in tam difficili myſteriorum indagatione, liceat mihi ita coniectare, vt quomodo tam copioſus exeat exercitus, qualis poſtea deſcribitur, videamus. Nihil certæ & indubitatæ fidei habeo, nihil tamen abſurdi adduco: qui melius hæc ænigmata explicuerit habeat ſuam laudem, obtineat palmam. Profiteor coram Deo & hominibus, quod illi non inuidebo, ſed benigno omnium bonorum largitori pro me & pro illo impenſiùs gratias agam. Suſpicor igitur, & intueor quædam vitia, quæ cornibus ſupradicti altaris videntur contrariari, hæc dico eſſe illa quæ à dæmonibus ſuggeruntur, quæ cum admiſſa fuerint in mente, facilè mens in errores innumeros præcipitatur. Verbi gratia,

Diximus Eccleſiam habere quatuor cornua, ſacram ſcripturam, traditiones receptas, concilia legitima, Doctorum & Patrum communis conſenſus. Hæc cornua ſi ſemel fuerint contempta, facile erit dæmonibus nos ad curioſitatem quandam ſciendi perducere: en primum vitium. Secundo ad quandam animi leuitatem, qua nouis dogmatibus facilè adhærebimus, nos inducere. Tertio ingerere quandam titillationem contradicendi, & oppugnandi veritatem cognitam. Denique imperare vt quis appetat ardentius ſingularis in ſua ſententia & opinione videri.

Diximus Chriſtum, vt in carne cum hominibus conuerſantem, profligaſſe hoſtes ſuos quaſi quatuor cornibus, nempe prædicationibus, miraculis, actionibus virtuoſis, & orationibus. Si hæc contemnas, adſunt dubia quæ te in diuerſa fluctuantem diuexabunt, & fidem tuam euertent: dubius enim in fide infidelis eſt; aderit animi ſtupor & incogitantia, quæ ex quacumque re ſtupenda & miranda nimis, non ſinent tibi fructum aliquem percipere; aderit ſpiritus blaſphemiæ, quidquid ſanctum eſt vituperans; aderit ſpiritus mendacij, omnem veritatis amorem extirpans, omnem veri cognoſcendi ſtudium repellens.

Diximus eumdem Dominum noſtrum in cruce pendentem, quatuor virtutibus, nempe animi abnegatione, omnimoda ſeu mirabili quadam mentis ab omnibus rebus ſenſibilibus abſtractione, ſyncero & vero de omnibus iudicio, quo & dignitatem diuinæ maieſtatis & hominum fragilitatem ponderabat, rectâ inſuper placendi Deo ac puriſſimâ intentione, tandem profunda ſui ipſius deſpicietia, cum perfecta obedientia Patri exhibita, quaſi quatuor cornibus, mundum, carnem & diabolum deuicisſe. Si hæc paruipendas & in contrarium tam præcellentibus virtutibus abeas, amore certè indebito, & inordinato voluptatum huius vitæ diſtractus, à Deo elongaberis; ad diuitias aggregandas, & accumulandas prouocaberis, fumo honorum inhiabis, & ad ſuperbiam & mentis arrogantiam, proprio ſenſui & iudicio adhærentiam, infauſto & periculoſiſſimo nexu adiunges.

Diximus Chriſtum Dominum per myſterium Euchariſtiæ, in quo ſe proponit tãquam holocauſtum, tanquam hoſtiam expiatoriam, & Euchariſticam, & impetratoriam, quam maximè ſaluti noſtræ conſulere. Si tam excellenti medio vti contemnas, in fine tuo vltimo minimè conquieſcens, nec ad illum adſpirans, imo ab eo auerſus, inquietus proculdubio remanebis. Tam excellens plagarum tuarum remedium reſpuens, periculoſum animæ in peccatis exiſtente ſtatum non perſenties; beneficiorum Dei ingratus, nullâ cum Deo, nullâ cum proximo, nullâ etiam cum teipſo pace ac concordiâ frui licebit: & cum à fonte omnium bonorum hautire bona optima neglexeris, nihil in te niſi fucum & fallaciam redolens, nihil niſi ſimulatum, & hypocriſi refertum reperietur.

Diximus tandem excellentem Chriſti poteſtatem in dextera Patris ſedentis, in quatuor potiſſimum manifeſtari, v. g. quod immortalis immortalitatem aliis conferat: quod omnem in cœlo & terra habens poteſtatem, inuiſibiliter Eccleſiam militantem regat; quod ab Angelis & hominibus, vt pote Patri conſubſtantialis, coli & adorari debeat; quod tandem exinde venturus eſt iudicare viuos & mortuos, ſingulis prout in corporibus geſſerunt præmia aut ſupplicia daturus. Heu! ſi horum fueris immemor, ſi hæc irrideas per contemptum, quantis malis eris obnoxius? Bonorum futurorum deſperatione præſentibus tantum fluxis & caducis inhiabis; Paſtoribus à quibus ad viam ſalutis reduci poſſes, nullam adhibebis fidem; ſpiritum gratiæ & dona ſupernaturalia, quæ nobis per meritum Chriſti obueniunt, conculcabis; & tandem iudiciorum Dei plane immemor, de te dicetur quod Pſalmiſta ait: *Non eſt Deus in conſpectu eius: inquinatæ ſunt Viæ illius in omni tempore*, Pſ. 11. vt tandem ad inferna deſcendas, miſere in æternum cruciandus.

Qui autem talibus vitiis laborant, facilè in innumeros decidunt errores, vt poſtea, cum de numero equeſtris exercitus (de quo ſit hîc mentio, tractabimus) videbimus.

Et ſoluti ſunt quatuor Angeli, qui parati erant in horam & diem, & menſem & annum, vt occiderent tertiam partem hominum.

De his Vitiis ſigillatim, ex quibus oriuntur hæreſes, quæ in his quatuor Angelis ſolutis repræſentantur: ſecundum quod diuerſimode nobis Chriſtus Dominus ab Eccleſia propoſitus, ab hominibus contemnitur.

ANNOTAT. V.

De Vitiis errorum cauſis, ad quæ nos dæmon impellit, ex contemptu Chriſti in Eccleſia regnantis. §. 1.

PRIMVM, vt diximus, vitium eſt curioſitas, ſeu omnia ſciendi appetitus inordinatus, de quo ſanctus Paulus 2. ad Timoth. c. 3. loqui videtur, dum quoſdam deuitare præcipit quos ait mulierculas captiuas ducere oneratas peccatis: *quæ ducuntur Variis deſideriis, ſemper diſcentes & nunquam ad ſcientiam Veritatis peruenientes.* Mulieribus quippe potiſſimùm familiaris eſt ſciendi nimia curioſitas, eademque in ipſis vt periculoſior, magis eſt damnanda: quæ legunt, ſubtiliùs potius quàm ſincera veritatis adipiſcenda intentione diſcutiunt; & cum iis tantum fidem adhibeant qui ſibi arrident, & eo etiam modo quo eiſdem libitum fuerit, non mirum ſi in dubio plæraque reuocent: non mirum ſi ſcripturæ non credant, non mirum ſi eam ſenſibus propriis accommodent, & in quam velint ſententiam diſtorqueant; non mirum denique ſi temerariè propria inuenta per eam probari contendunt, ſi plærumque eam rejiciant, & diſcindant, ac reſcindant prout libuerit, *ſemper* nempe *diſcentes, & nunquam ad ſcientiam Veritatis peruenientes*: quia curioſi ſecreta Dei ſcrutantes, vel opprimuntur ab eius gloria, vel eum auolare faciunt, iuxta illud Cant. 6. *Addite*

Digitized by Google

oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt. Quod ſi A pia inquiſitio iuſtorum, qui Deum cognoſcere ſatagunt, vt eum ardentius diligant, eum auolare facit, id eſt vt interpretatur Beda lib. 6. in Cantica, facit vt Deus tantum nobis incomprehenſibilis eſſe videatur: *Quia quo aliùs*, inquit Beda, *puro corde quæritur, eo certiùs quàm ſit incomprehenſibilis cernitur:* quanto magis ſi curiosè tantùm, cum quadam animi præſumptione profunda Dei indagare auſi fuerimus, ipſe auolabit à ſenſibus, à ratiocinationibus & ſpeculationibus noſtris. *Habent reuera fideles oculos columbinos à Deo datos*, vt ibidem Beda, *quibus ſcripturarum arcana cognoſcere, virtutes à vitiis ſecernere, ſemitas iuſtitiæ dignoſcere queunt:* Et tamen ſenſus ſpirituales, quamtumuis ſe extollant, non in hac vita B Deum ad perfectum comprehendere poſſunt, ſed ad hoc ſolum modo peruenire queunt, vt animaduertant diuinæ gloriam naturæ tantæ eſſe ſublimitatis quæ nequaquam videri poſſit; niſi ab his tantùm qui à vita viſibili funditus ablati, atque ad inuiſibilem fuerint introducti. Et ſanctæ ſcripturæ ſimplicitati inſultans impius ac peccator impurus, curioſiùs audebit ad ſuperna, propriis tantum viribus fretus, contemplanda adſpirare. Audi & certè illud: *Tollatur impius ne videat gloriam Dei.* Et dum ſpernit Eccleſiam ſibi ſacram proponentem ſcripturam, vt medium perueniendi ad Dei veri cognitionem, eo ſenſu explicatam quem ipſa approbat Eccleſia, in tenebras incidit, & palpabit in meridie quaſi in tenebris. C Nec mirari oportet, ſi hæc vitia, de quibus ſupra, tam copioſum procreent exercitum, qualis eſt ille de quo hic fit mentio, qui ad ducentos milliones, ſeu ad vigecies decem millia, vt videbimus, perducitur: cum hæc ſola ſciendi curioſitas, per quam ſana doctrina contemnitur, tot poſt ſe attrahat errores & peccata, quot enumerantur à S. Paulo 1. ad Timoth. 6. *Si quis aliter docet*, inquit, *& non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ei quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ, ſuperbus eſt nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate priuati ſunt, exiſtimantes* D *quæſtum eſſe pietatem.*

Secundum vitium ad quod dæmon impellit, propter contemptum traditionum, eſt quædam animi leuitas, qua facillimè cuilibet nouæ opinioni adhæremus, modò hanc, modò illam amplectentes, contra quam leuitatem nos munit Apoſtolus ad Epheſios c. 4. dum ait: *Et ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti: donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum,* E *in aſtutia ad circumuentionem erroris.* Quibus verbis proculdubio ſanctus Apoſtolus præſcribit quæ alias diſtinctè præcepit, nempe tenendas eſſe traditiones. *Itaque*, inquit 2. ad Theſſalonic. 2. *Fratres, ſtate & tenete traditiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram.* Præſcribit igitur Epheſ. 4. tenendam nobis eſſe doctrinam ab Apoſtolis traditam, à Prophetis interpretatam (ex Gagneo ſiquidem in Epiſt. 1. ad Corinthios c. 14. prophetare ſumitur vel pro futura prædicere, vel pro ſcripturas interpretari) ab Euangeliſtis ſcriptis conſignatam, à Paſtoribus inculcatam mentibus, à Doctoribus elucidatum, *vt iam non ſimus*, vt ipſe ait, *paruuli fluctuantes, nec circumferamur omni vento doctrinæ*, ſed occurramus omnes in vnitatem fidei & luminis ac cognitionis, & conſtanti operatione, Saluatoris in deſinenter ſequamur veſtigia, ab omni animi leuitate (qua modò hanc fidem, modò illam profiteremur) immunes. Vix enim poteſt fieri vt quis ad proprios ſenſus & affectus doctrinam veritatis detorquere velit, quin ſtatim in hanc animi inconſtantiam & leuitatem incurrat, vt de eo poſſit dici quod ait S. Iacobus c. 1. *Qui hæſitat ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur & circumfertur. Non ergo exiſtimet homo ille quod accipiat aliquid à Domino. Vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus viis ſuis.* Vnde de hæretico homine S. Hieronym. in 9. Oſee dicit: *Hæreticos fructus facere non poſſe virtutum, quia Dominum perdiderunt, ſuper quo radicati eſſe debuerunt, &c. Et idcirco vagi erunt in nationibus, nunc ad has, nunc ad illas ſententias tranſeuntes, dum non eis placet quod ſemel repererint, ſed ſemper vetera mutant & ethnicorum imitantur errores.* His adde S. Gregorium, locum S. Pauli ad Epheſ. 4. ſupra poſitum ponderantem lib. 20. in 30. Iob. *Glaream*, inquit, *illos minutiſſimos lapides dicimus, quos aqua pluuialis trahit. Doctores igitur peruerſorum dogmatum ſuper glaream habitant, quia illas hominum mentes trahunt, quæ nulla grauitatis ſtabilitate ſolidantur, quas velut de loco ſemper ad locum flumina errorum ducunt. Vnde & prædicator egregius, cum auditores ſuos non temporaliter duci, ſed forti cuperet grauitate ſolidari, admonuit dicens: Vt iam non ſimus paruuli, &c.* Ita Gregor.

Tertium vitium eſt impugnatio agnitæ veritatis, in quod à Diabolo impelluntur legitimorum Conciliorum contemptores. Nam cum (vt optimè Paulus 3. in Bullâ pro Concilio Tridentino celebrando editâ) œcumenica Concilia, ſeu vniuerſales Epiſcoporum congregationes, vt plurimum factæ fuerunt ad remedia optima & opportuna procuranda imminentioribus periculis Chriſtianæ Reipublicæ, cumque certum ſit in eis Spiritum ſanctum præſidere, vt omnem edoceat veritatem, iuxta Chriſti Domini repromiſſionem, vnde Apoſtoli in Concilio Hieroſolymitano, ſeu in tertia illa vice qua ſolemniter ſimul congregati fuere, ad determinandas quaſdam quæſtiones motas Antiochiæ inter fideles Iudæos ac Gentiles, dixerunt: *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*, vt pote quem cognoſcerent tanquam omnis veritatis inſtigatorem & ſuggeſtorem in Conciliis præſidere, vt eam ſuggeret Paſtoribus Eccleſiæ in nomine Chriſti congregatis, certum eſt eum tanquam ethnicum, & publicanum habendum eſſe, qui Conciliorum legitimorum determinationes contempſerit. Hinc enim fit vt qui tales ſunt facile dicant: Volunt iſti vt hæc ſentiam, hæc dicam, hæc profitear; nolo ego ita ſentire, aliter dicendum eſſe & profitendum decerno, quæ mihi libuerit credam, nec ad libitum aliorum à mea diſtrahar opinione & ſententia. Hoc vitium in Luthero manifeſtè apparuit, qui mero contradicendi appetitu ductus, plurimos errores adinuenit & diſſeminauit, illos Iudæos imitatus ad quos Chriſtus Dominus dicebat Luc. 11. *Væ vobis Legiſperitis, quia tuliſtis clauem ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & eos qui introibant prohibuiſtis.* Siquidem vt ſibi hæretici de re quacumque iudicandi & determinandi auctoritatem arrogent, eam ab aliis eſſe auferendam exiſtimant: quo fit vt animi gratia contradicant cuilibet veritatem proponenti, imitatores facti eorum de quibus S. Lucas ibidem ait: *Cum autem hæc ad illos diceret, cæperunt Phariſæi & Legiſperiti grauiter inſiſtere, & os eius opprimere de multis inſidiantes ei, & quærentes aliquid capere de ore eius vt accuſarent eum*, c. 11. Sic ſi veritatem hæretico homini proponas amplectendam, fortius propriæ opinioni adhærebit, multa congeret conuitia, ſemperque erit in inſidiis, vt de verbulo, ſyllaba, aut ſono vocis occaſionem & anſam ſumat

Digitized by Google

conquerendi, nec loquendi tibi facultatem, ſi poterit, ne minimam quidem præſtabit. Talis erat ille Barjeſu, ſeu Elymas Magus, de quo dicitur Act. 13. *Reſiſtebat autem illis* (nempe Paulo & Barnabæ Proconſuli Sergio Paulo fidem annunciantes) *Elymas Magus* (*ſic enim interpretatur nomen eius*) *quærens auertere Proconſulem à fide.* Ad quem Apoſtolus: *O plene omni dolo & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iuſtitiæ, non deſinis ſubuertere vias Domini rectas: & nunc ecce manus Domini ſuper te, & eris cæcus, non videns ſolem vſque ad tempus.* Sic iſti hæretici in cæcitate mentis permanent, ex hac voluntaria agnitæ veritatis, & in Conciliis determinatæ impugnatione. Talis fuit Arrius, de quo Theodoretus lib. 4. hæreticarum fabularum.

Vltimum vitium ad quod nos prouocat Dæmon, ob contemptum vnanimis conſenſus Doctorũ Eccleſiæ, eſt inordinatus amor propriiſenſus, ſeu complacentia quædam quam aliquis ſumit in adinuentionibus propriis. Non enim homo ille quærit veritatem, ſed ſingularis videri in ſua opinione, vt doctior & perſpicacior reputetur. Quod animaduertit S. Gregorius lib. 20. Moralium in 30. c. Iob. cap. 10. hunc locum exponens: *Egeſtate & fame ſteriles. Omnes hæretici*, inquit, *dum in ſacro eloquio plus ſecreta Dei ſtudent perſcrutari, quàm capiunt, fame ſua ſteriles fiunt. Neque enim ea quærunt, ex quibus ſemetipſos ad humilitatem erudiant, mores in tranquillitate diſponant, patientiam ſeruent, longanimitatem exhibeant, ſed ea ſolummodo, quæ eos doctos atque loquaces demonſtrant, ex quibus ſingulariter eruditi videantur, &c* Non audiunt illud Pauli: *Non plus ſapere quam oportet ſapere ſed ſapere ad ſobrietatem*: aut illud Salomonis Prouerb. 25. *Prudentiæ tuæ pone modum* aut denique: *Mel inueniſti: comede quod ſufficit, ne forte ſaturatus euomas illud.* Pro. 25. Quæ loca fuſiùs ibidem ponderat S. Gregor. Nam vt tandem concludit, *peruerſæ hæreticorum mentes dum ſibi ſuperbè intellectum tribuunt, quaſi certas dare ſententias etiam de incognitis præſumunt. Vnde fit vt ipſa eos elatio, quæ intus apud ſemetipſos elenat, à veritate foras repellat; vixque in dictis Dei exteriora capiant, qui ſe ſecreta ſpiritualia penetraſſe ſingulariter putabant.* Ita S. Greg. Igitur quicumque in opinione ſua ſingularis vult videri, vias proculdubio ingreditur tortuoſas; quas ſi proſequatur, à veritate longius aberrabit. Itaque ſequendum nobis quæ idem S. Greg. conſulit ibidem, nempe *vt ſicut ea quæ ex Agno Paſchali comedi non poterant, igni erant tradenda conſumenda, ſic ea quæ in ſcripturis minimè aſſequi poſſumus, potius igni Spiritus ſancti ſunt relinquenda, quam temere de eiſdem aliquid effutiamus: qui quidem cum Eccleſiæ vtilitas poſtulauerit, quid ſignificetur in his ſcripturæ locis aperiet. Hæc humilitate quis tandem percipiet quod quæ ſibi creditu difficilia, & quaſi abſurda videbantur, vera ſunt & fide digna. Teſtimonia quippe Dei credibilia facta ſunt nimis.* Vtinam qui ſe ad lectionem ſacrarum ſcripturarum accingunt, eo animo accederent quo Seraphicus Doctor S. Bonauentura ad eas legendas accedebat, de quo Ioannes Gerſon magnifica elogia pronunciat, tam in Epiſtola quadam, in qua laudat ſuauem & mellifluam, & inflammatam eius doctrinam, quàm in quinta & ſexta conſideratione, ex ſex conſiderationibus quas adducit in reſponſione ad quemdam Carthuſianum, de libris quos Religioſus legere debet, & in tractatu de examine doctrinarum.

Certe ſi eodem animo, quo S. Bonauentura, omnes ad ſtudia ſcripturæ ſacræ, deuoto nempe & humili, ſe accingerent, tot tantæque nouationes in doctrina Eccleſiam nunquam diuexaſſent, nec nunc quidem dilacerarent; exularent illæ periculoſæ quæſtiones de libero arbitrio, de gratia, de prædeſtinatione, de Trinitate, quas quidam Neoterici auctores ſeu Nouatores, vt ſingulares videantur, in medium producunt; *nec ſub negotio charitatis agerentur negotium vanitatis*, vt loquitur Gerſon, Conſider. 4. de examine doctrinarum; neque pro vera, & ſolida deuotione introduceretur quædem noua deuotio, iudicij abnegationem, propriiſenſus & propriæ voluntatis ac ſenſuum corporis mortificationem exulare cupiens, vt ſingulares appareant qui tali deuotione impelluntur. Hi ſunt quibus fœtet Angelica S. Thomæ doctrina, ab ipſa Eccleſia laudata, & admiratione digna iudicata, dum in oratione eius ait: *Deus qui Eccleſiam tuam B. Thomæ confeſſoris tui mira eruditione clarificas & ſancta operatione fœcundas, da nobis quæſumus & quæ docuit intellectu conſpicere, & quæ egit imitatione complere*; quibus inquam ſapida & Seraphica S. Bonauenturæ, & ſimilium Doctorum doctrina inſipida apparet: contra quos Nouatores legendus idem Gerſon in ſuis in ſanctum Marcum lectionibus, vbi partem alicuius ſermonis habiti in capitulo Carthuſienſium, an. 1408. refert, in quo inuehitur in eos qui nouis doctrinis veram deuotionem inficiunt. Quicumque igitur ſacræ ſcripturæ lectioni vacare voluerit, ponderet locum S. Auguſtini, tractatu 45. in Ioannem, vt cum debita reuerentia quæ docet ſcriptura excipiat. *Cum duo*, inquit S. Auguſtinus, *audiunt verba Euangelij, vnus impius; alter pius, & talia ſunt vt forte ambo non intelligant. Vnus dicit: nihil dicit; alius dicit: Verum dixit, & bonum eſt quod dixit, ſed nos non intelligimus: iſte quia credit iam pulſat, & dignus eſt cui aperiatur, ſi pulſare perſiſtat; ille vero adhuc audiat: Niſi crediderius non intelligetis. Quare iſta commendo? Quia etiam cum verba hæc obſcura, ſicut poſſum expoſuero, aut quia valde ſunt abdita, vel ego eorum non apprehendero intelligentiam, vel explicandi quod intelligo non habuero facultatem, vel tam ſuerit qui ſque tardus, vt etiam exponentem non ſequatur, non deſperet, maneat in fide, ambulet in via, audiat Apoſtolum dicentem: Et ſi quid aliter ſapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit. Veruntamen in quod peruenimus, in eo ambulemus.* Ita Aug. Quomodo autem manebit in fide, ambulabit in via? Si vnanimem Doctorum Eccleſiæ conſenſum ſequatur; ſi ſe aliis ſapientiorem non exiſtimet, & ſenſum ab Eccleſiæ admiſſum humiliter ſuſcipiat.

De quatuor aliis vitiis errorum cauſſis, ad quæ nos dæmon impellit, ſi ſemel Chriſtum Dominum vt in carne cum hominibus, conuerſantem contempſerimus. §. 2.

Non mirum ſi ex contemptu Chriſti Domini in carne viſibili apparentis, & cum hominibus amabiliter conuerſantis, occaſionem dæmon arripit nos ad vitia horrenda, & errorum ſemina fertiliſſima impellendi: quo enim maius eſt & excellentius donum, eo maiorem Dei indignationem demeretur, qui illud contemnit. At quis ignorat Verbi diuini incarnationem, & cum mortalibus conuerſationem donum eſſe ineffabile, nec ſatis vnquam venerandum? Igitur illius contemptus rectè dicitur maiorem ſubtractionem gratiarum demereri, quo ad perniciioſiora vitia à dæmonibus faciliùs pronocemur. Ponderandum igitur nobis quantum ſit hoc bonum, antequam vitia ex illius contemptu inducta ſpeculemur. Etenim ſi perſonam ſpectes, quis eius dignitatem ſatis ſuſpicari poterit? Si beneficia expendas, quis condignas ei laudes, & gratiarum actiones pro eiſdem referre poterit? Is ille eſt de quo Ieremias Baruch. 3. *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius aduerſus eum. Hic adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſthæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Hanc humanitatis formam induit, tan-

Digitized by Google

quam inſtrumentum diuiniſſimum, & ſua viſibilitate aptiſſimum, vt hac ratione omnibus qui redemptionem expectabant diceret: *Ipſe quiloquebar, ecce adſum*, vt ait Anaſtaſius Synaita, orat. 3. *Multifariam* namque *multiſque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula*, dicit Paulus Hebr. primo, cuius dignitatem à Maieſtatem, Angelis ipſis excelliorem, viuis coloribus depingit Apoſtolus ibidem. O ſumma Dei dignatio, nunquam ſatis prædicanda, cum populus Iudæorum in tenebris incredulitatis ſuæ ac vitiorum ambulans, in medio ſui lumen ineffabile, Meſſiam nempe conſpexit, *Lumen*, inquam, *ad reuelationem gentium, & gloriam plebis ſuæ Iſrael*; cum populus nationum in regione vmbræ mortis, infidelitatis & idololatriæ habitans, ſupra ſe lumen oriri conſpexit; dum Meſſiæ & Saluatoris aduentus nationibus innotuit. Nec tanta lætitiæ cauſa olim populo Iudæorum obtigit, quòd iuxta Abrahæ promiſſa à Deo facta, multiplicarentur vt ſtellæ cæli, & arena quæ eſt in littore maris. Nec tanta populis ac gentibus lætandi occaſio, quòd Deus, propter abſtruſa ſapientiæ ſuæ ac profunda iudiciorum ſuorum conſilia, multiplicaret ſuper facié terræ filios hominum, iuxta illud Dauidis: *Propter altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum*. Optime namque dixit Iſaias: *Multiplicaſti gentem non magnificaſti lætitiam*; tum quia licet Iudæi multiplicarentur nimis, iuxta illam Abrahæ benedictionem: *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli*, remanſerunt ſemper ſub iugo legis, ſicque non habuerunt conſummatam lætitiam, donec veniret illud ſemen de quo dictum fuerat: *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes*. Tunc enim Iudæis & gentibus perfecta allata eſt lætitia, iugo legis exculſo, & gratiâ omnes nationes inundante, vt & Iudæis & Gentiles filij eſſent Abrahæ, non ſecundum carnem, ſed ſecundum promiſſionem; & à Iudæis incredulitate expulsâ; à gentibus, infidelitatis tenebris diſſipatis; ab vtriſque malitiâ peccatorum ablatâ, cunctis gratiâ & benedictione cæleſti repletis lætari contingat, iuxta illud Prophetæ: *Lætabuntur coram te ſicut qui lætantur in Meſſe, ſicut lætantur victores capta præda, quando diuidunt ſpolia*: tunc enim ſuperato iugo oneris concupiſcentiarum quo premebantur, nec non fractâ virgâ ſupplicíorum, quibus ob peccata inceſſanter percutiebantur, & ſceptro tyrannico dominationis diaboli, quod ſubire propter inobedientiam cogebantur, ablato, omnis triſtitiæ occaſio ſublata fuit. Hoc meruit rigoroſa ſatisfactio præſtita diuinæ iuſtitiæ, cum ſacra Chriſti humanitas confracta in paſſione & in morte, ſplendidiſſimum lumen diuinitatis in ea abſconditum manifeſtum reddidit, quo lumine colluſtrati viam poſſimus ſalutis carpere, & per ſemitas iuſtitiæ ad cælum properare, hoſtibus noſtris deuictis & fugatis. Sicut enim confractis lagenis, lampadibuſque in medio lagenarum abſconſis ex confractione apparentibus, olim Gedeon cum trecentis viris victoriam de Madianitis obtinuit, Iud. 7. ita Chriſtus confracto corpore in paſſione & morte, lumen emiſit quo deuicti ſunt omnes ſalutis noſtræ inimici. Hinc ait Iſaias: *Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti, ſicut in die Madian.*

Tanti beneficij, nempe Incarnationis Chriſti & Redemptionis, quod quidem aliorum fons eſt & origo, nunquam ſatis extollendam dignitatem prædicat digniſſimè ſanctus Methodius Epiſcopus, homilia de Purificatione, dum Virginem Mariam Seraphino illi Iſaiæ comparat, qui calculo quem forcipe tulerat de altari labia eius tetigit, c. 6. ſic virgo accipiens ex puro immaculateque altari carbunculum illum viuificum carni indutum, Sanctarum manuum ſuarum complexu tanquam forcipe, iuſto illo videlicet Simeoni porrexit; & eam ſic Simeonem alloquentem Methodius inducit: *Sume ſenex honorate & ſacerdotum optimè, ſume Dominum, & ſpe tua nequaquam vidua deſtituta, fruere. Suſcipe theſaurum nunquam deficientem, diuinaſque certiſſimas, &c.* Sed quia longum eſſet omnia tranſcribere, ad auctorem, optimè Lector, recurre to. 4. Bibliothecæ Patrum pag. 359. impreſſ. Col. an. 1618. Ibi enim virgo inuitat amplecti potentiam inenarrabilem, vim incomprehenſibilem, magnitudinem infinitam, fortitudinem inuictam, veram vitam; incorruptionem, ignem non ſubſiſtentem, quia videlicet humanitas Chriſti propriâ ſubſiſtentiâ non ſubſiſtit, ſed Verbi diuini ſubſiſtentiâ; quem ſuſcipiens Simeon Deum laudans dixit: *Nunc dimittis Domine, &c.* & cum Methodius inducit agnoſcérem Dei erga nos ſolicitudinis magnitudinem, eius dilectionem, qua ſtimulus mortis conteretur, ſerpentis ſubmerſionem, pacis exſuſcitationem, & alia bona; quæ ex eo quod non legatus, non Angelus, ſed ipſe Dominus ſeruauit nos, propterea quod nos amaret, nobis parceret, nos ſuſciperet & exaltaret, iuuta Prophetiam Ierem. c. 63. Sic non verè fuit vidua anima Simeonis, viſione ſponſi deſtituta, quia donec frueretur viſione diuinitatis oblatus eſt illi Chriſtus in carne videndus. Vnde quia vidit oculis ſalutare Dei, dimitti in pace exoptat: quia cum Chriſtus ſit omnium bonorum theſaurus, nihil amplius erat illi deſiderandum. Quæ fuſiùs videre poteris apud auctorem ſerm. de Simeone & Anna. Ex quibus clarum eſt quanta ex præſentia Chriſti incarnati bona nobis obuenerunt. Ea omnia ſatis ſuperque innoteſcent, ſi cum Cælio Pannonio dicamus Chriſtum eſſe illud altare aureum, ſuper quod reuera immolare poſſumus omnes phantaſticas opiniones, proprios ſenſus, omnemque iudicij proprij pertinaciam, verbis eius fidem adhibentes, omnes etiam repugnantias, contradictiones, rebelliones, & inobedientias; mandata & præcepta eius fideliter exequentes.

Hoc diuinum altare, inquantum ſymbolum eſt Chriſti cum hominibus conuerſantis, quatuor ſanctarum operationum modis, tanquam quibuſdam cornibus, veritatis hoſtes profligauit, & vt mandata eius adimplere poſſimus, gratiam & auxilium præſtitit, ſuis nempe prædicationibus, miraculoſis operibus, exemplo actionum omnium virtutum, quippe qui omnem iuſtitiam adimpleuit, & denique orationibus ſuis: mendacium oppugnauit, veritatem ſtabiliuit, perfidiam profligauit, fidem confirmauit, malitiam proſtrauit, virtutem commendauit, dæmonem ſuperauit, & infirmitati noſtræ ſuppetias tulit: itaut non malè Andreas Cæſarienſis hæc cornua altaris dixerit diuinas eſſe & intelligibiles virtutes quæ circumdant hoc altare perfectum, ſuper quod victimæ conſumentur ab igne, id eſt à Deo ipſo. Et reuera hi modi, ſecundum quos filius dicitur conuerſatus inter homines, prædicando verbum, miracula patrando, plurima virtutum exempla præbendo, & Deum orationibus ſuis placando, virtutes quædam ſunt omnimode ſpirituales & diuinæ: hæc enim patrauit non ſecundum carnem, aut mundi ſpiritum, ſed iuxta legem ſpiritus, ac diuinum impulſum.

Hæc ſi contemnas, quàm meritò Deus à te lumen auferet, & auxilij ſui gratiam ſubtrahet, quo poſſis à dæmone in vitia propelli, & in quoſlibet errores induci! Combuſtionem minatur Propheta Euangelicus Iſaias, eoſque fore in cibum ignis aſſerit,

Digitized by Google

ris, & ego Apollyon. Et ascendit fumus puteiad instar fumi fornacis magnæ, & obscuratus est sol & aer de fumo puteiet de fumo puteiexierunt locustæ in terram, & data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ. Et dictum est eis, ut non nocerent fœno terræ, neque omni viridi, neque omni arbori, nisi tantum hominibus, qui non habent signum Dei in frontibus suis. Et datum est illis, ut non occiderent eos, sed ut cruciarentur mense quinque, & cruciatus eorum erat quasi cruciatus scorpionis, cum percutit hominem. Et in diebus illis quærent homines mortem, & non invenient eam: & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis. Et similitudines locustarum similes equis paratis in prælium, & super capita earum quasi coronæ similes auro, & facies earum sicut facies hominum. Et habebant capillos sicut capillos mulierum, & dentes eorum sicut leonum erant. Et habebant loricas sicut loricas ferreas, & vox alarum earum sicut vox quadrigarum equorum currentium ad prælium. Et habent caudas similes scorpionibus, & aculeos: & in caudis earum potestas eorum nocere hominibus mense quinque. Habent super se regem angelum abyssi, nomen ei Hebraice Abaddon, & in Græca nomen habet Apollyon, id est, exterminans. Væ unum abiit: ecce adhuc veniunt duo væ post hæc. Et sextus angelus tuba cecinit: & audivi vocem unam de quatuor cornibus altaris aurei, quod est coram Deo, dicentem sexto angelo, qui habebat tubam: Solve quatuor angelos, qui alligati sunt ad flumen magnum Euphraten. Et solvti sunt quatuor angeli, qui parati erant ad horam, & diem, & mensem, & annum, ut occiderent tertiam partem hominum. Et numerus exercitus equitum, vicies millies millena: & audivi numerum eorum. Et sic vidi equos in visione, & qui sedebant super eos, habentes loricas igneas, & hyacinthinas, & sulphureas: & capita equorum, quasi capita leonum: & de ore eorum procedit ignis, & fumus, & sulphur. A tribus istis plagis occisa est tertia pars hominum, de igne, & fumo, & sulphure, qui procedebant de ore eorum. Potestas enim equorum in ore eorum est, & in caudis eorum: nam caudæ eorum similes serpentibus habentes capita, & in his nocent. Et reliqui hominum, qui non occisi sunt in his plagis, neque pœnitentiam egerunt ab operibus manuum suarum, ut non adorarent dæmonia, & simulacra aurea, & argentea, & ærea, & lapidea, & lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare: & non pœnitentiam egerunt ab homicidiis suis, neque a veneficiis suis, neque a fornicatione sua, neque a furtis suis.

Et vidi alterum angelum fortem descendentem de cœlo amictum nube, & iris in capite ejus: & facies ejus ut sol, & pedes ejus sicut columnæ ignis. Et habebat in manu sua libellum apertum: & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram, & clamavit voce magna, sicut rugit leo. Et cum clamasset, locuti sunt septem tonitrua voces suas. Et cum locuta fuissent septem tonitrua voces suas, scribere volebam: & audivi vocem de cœlo dicentem mihi: Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, & hæc ne scribas. Et angelum quem vidi stantem super mare & super terram, levavit manum suam ad cœlum, & juravit per viventem in sæcula sæculorum, qui creavit cœlum, & ea quæ in illo sunt, terram, & ea quæ in illa sunt, & mare, & ea quæ in eo sunt, quia tempus amplius non erit, sed in diebus vocis septimi angeli, cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, sicut evangelizavit servos suos prophetas. Et vox quam audivi de cœlo, iterum loquentem mecum, & dicentem: Vade, & accipe librum apertum de manu angeli stantis super mare & super terram. Et abii ad angelum, dicens illi, ut daret mihi librum. Et dicit mihi: Accipe, & devora illum, & faciet amaricare ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce sicut mel. Et accepi librum de manu angeli, & devoravi illum, & erat in ore meo sicut mel dulce: & cum comedissem eum, amaricatus est venter meus. Et dicit mihi: Oportet te iterum prophetare populis, & gentibus, & linguis, & regibus multis. Et datus est mihi calamus similis virgæ, dicente mihi: Surge, & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo. Atrium autem, quod foris est templi, ejice foras, & ne mensureris illud, quia datum est gentibus, & civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus. Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amictis sackis. Hi sunt duæ olivæ, & duæ candelabra, quæ ante Deum terræ stant. Et si quis eis voluerit nocere, ignis egredietur de ore eorum, & devorabit inimicos eorum: & si quis voluerit eis nocere, sic oportet eum occidi. Hi habent potestatem claudere cœlum, ut non pluat pluvia in diebus prophetiæ eorum: & potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga, quotiescumque voluerint. Et cum finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso, faciet adversus illos bellum, & vincet illos, & occidet illos. Et corpora eorum in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus est. Et videbunt de populis, & tribubus, & linguis, & gentibus corpora eorum tribus diebus & dimidio: & corpora eorum non dimittent sepeliri in monumentis. Et habitatores terræ gaudebunt super eis, & lætabuntur, & munera mittent alter ad alterum, quia duo prophetæ isti cruciaverunt habitatores terræ. Et post tres dies & dimidium spiritus vitæ a Deo intravit in eos, & steterunt super pedes suos, & timor magnus cecidit super eos, qui videbant eos. Et audierunt vocem magnam de cœlo dicentem eis: Ascendite huc. Et ascenderunt in cœlum in nube, & viderunt illos inimici eorum. Et in hora illa terræmotus factus est magnus, & decima pars civitatis cecidit, & occisa sunt in terræmotu nomina hominum septem millia, & reliqui in timore dederunt gloriam Deo cœli. Væ secundum abiit: ecce væ tertium venit cito. Et septimus angelus tuba cecinit: & facti sunt voces magnæ in cœlo, dicentes: Regnum hujus mundi factum est Domini nostri, & Christi ejus: & regnabit in sæcula sæculorum. Et viginti quatuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, & adoraverunt Deum, dicentes: Confitemur tibi Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es, quia accepisti virtutem tuam magnam, & regnasti. Et irati sunt gentes, & venit ira tua, & tempus mortuorum judicari, & reddere mercedem servis tuis prophetis, & sanctis, & timentibus nomen tuum, pusillis & magnis, & disperdere eos, qui disperdunt terram. Et apertum est templum Dei in cœlo, & visa est arca testamenti ejus in templo ejus, & facta sunt fulgura, & voces, & terræmotus, & grando magna. Et signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim. Et in utero habens, & clamat parturiens, & cruciatur ut pariat. Et visum est signum aliud in cœlo, & ecce draco magnus rufus habens capita septem, & cornua decem, & in capitibus suis septem diademata. Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram. Et draco stetit ante mulierem quæ erat paritura, ut cum peperisset filium ejus devoraret. Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea. Et raptus est filius ejus ad Deum, & ad thronum ejus. Et mulier fugit in desertum, ubi habet locum paratum a Deo, ut ibi pascant illam diebus mille ducentis sexaginta. Et factum est prælium magnum in cœlo, Michael & angeli ejus prælia-

conſideratio quædam incurritur animi: vnde qui eo afficiuntur vitio fructum aliquem excerpere non poſſunt, ſiue ex his quæ audiunt vel legunt, ſiue ex his quæ oculis eorum obiiciuntur. Hoc demerentur proculdubio qui doctrinam tot miraculis Chriſti Domini fundatam, tot Apoſtolorum prodigiis confirmatam; tot ſignis ſanctorum, qui huic doctrinæ vitam confirmem tranſigerunt, auctoritatem ſibi conciliantem, paruipendunt. Si Rex aliquis ſigillum litteris appenderit vt illis fides habeatur, nonne in contemptores mandatorum ſuorum inſurget, eo libentiùs quo expreſſiùs ipſos ſuarum voluntatum certiores reddere voluit? Tales igitur par eſt cæcitate obrui, inſenſibiles reddi ad omnia quæ eos ad pietatem excitare valerent, in vindictam ſuæ temeritatis & perfidiæ, qui miraculis, quibus Deus doctrinam Euangelij, quaſi ſigillis munire voluit, detrahunt. In hoc vitium incidiſſent, niſi Chriſtus ſuccurriſſet, duo illi diſcipuli, ad quos aiebat; *O ſtulti & tardi corde ad credendum, &c.* Illum agnouerant potentem opere & ſermone, nihilominus ac ſi nunquam nihil fide dignum de eo audiſſent aut vidiſſent, ſtultè nimis oſtium dubiis aperiunt, & quaſi ſtupore quodam attoniti, quodammodo conſenſum ſuſpendunt iis quæ de Chriſto credi tanta opera & miracula ſuadebunt. Meritò igitur, ſed ſalubriter reprehenduntur, vt ab hoc animi ſtupore retrahantur.

Et reuera Chriſti miracula, vt ad fidem valde conducibilia, prædicta fuerunt, vt notat S. Iuſtinus apologia ſecunda ad Antoninum imperatorem. *Porro*, inquit Iuſtinus, *in eiuſmodi Prophetarum libris, vaticiniis prænunciatum inuenimus aduenturum fuiſſe qui ex Virgine natus, & virilem ætatem ingreſſus, omnem morbum & ægritudinem curaret ac mortuos excitaret; odiſque expetitus, & ignobilis & cruci affixus, & mortuus reſurgeret; & in cælos aſcenderet, Filiuſque Dei & eſſet & nominaretur, Ieſum Chriſtum noſtrum; & quoſdam etiam futuros, qui ad omne genus mortalium ab eo legati iſta prædicarent, &c.* Et poſtea rurſus Iuſtinus: *Quod inſuper Chriſtum curaturum fuiſſe morbos omnes, & defunctos excitaturum prædictum ſit, Verba vaticinij audite, quæ ſunt iſta: in aduentu ipſius claudus ſaliet ſicut cerous, & diſerta erit lingua mutorum: cæci reſpicient, & leproſi mundabuntur, & mortui reſurgent & deambulabunt.* Ita Iuſtinus. At inter characteres alicuius veritatis, certè illius prædictio non minorem locum obtinet. Vnde idem Iuſtinus eadem apologia: *Sed ne hoc Vos quidem lateat, quæcumque à Chriſto, & qui eum præceſſere Prophetis ipſius, accepta promulgamus, ea ſola vera eſſe, & ſcriptoribus omnibus vetuſtiora: nempe non propterea quod eadem quæ illi dicamus, ſed quod veritatem ipſam profiteamur, ſuſcipi ac probari petimus.* Hæc Iuſtinus. Cum igitur Chriſti miracula fuerint prædicta, ea eſſe vera non eſt dubitandum; & qui huic veritati repugnat, ſtupidum ſe eſſe declarat: ſed quid dico ſtupidum? Culpabilem ſe reddit. Nam cum Chriſtus dicat: *Si opera non feciſſem quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*; peccant qui audientes illum hæc patraſſe miracula, eadem contemnunt, nec ob id ad Chriſti doctrinam amplectendam, aut iuxta eam fidem & vitam inſtituendam minime propendunt. Quod tanto veriſimilius eſt, quòd nullus vera miracula patrare poſſit, niſi fuerit à Deo miſſus, vt voluntates ſuas hominibus aperiat. Quod docet S. Ireneus aduerſ. hæreſes l. 2. c. 56. *Quod ſi qui*, inquit Ireneus (hæretici nempe) *virtutes operari dicuntur, non in virtute Dei neque in veritate, neque in beneficiis hominibus, facientes ea quæ faciunt, ſed in perniciem & errorē per magicas illuſiones; & vniuerſa fraude plus ladentes, quàm vtilitatem præſtantes, his qui credunt eis in eo quod ſeducunt. Nec enim cæcis poſſunt donare viſum, neque ſurdis auditum, neque omnes dæmones effugare, præter eos qui ab ipſis immittuntur (ſi tamen & hoc faciunt) neque debiles aut claudos aut paralyticos curare, &c. tantum*, addit Ireneus, *ab ſunt ab eo, vt mortuum excitent, quemadmodum Dominus excitauit, & Apoſtoli per orationem, &c.* Lege annotat. Feuardentij in hunc locum, & in cap. 8. lib. 1. Itaque ſi miracula, Dei ſunt opera, nonne illorum contemptores plectendi ſunt pœnis, vt pote operum Dei deriſores? Hinc Chriſtus aiebat: *Væ tibi Bethſaida, Væ tibi Corozaim, quia ſi in Tyro aut Sidone facta fuiſſent ſigna, quæ facta ſunt in te, forſaſſe credidiſſent.* Væ igitur eis qui dicunt ſe Chriſtum credere, eius tamen miraculis parum fidei ſe adhibere oſtendunt, dum plurima credere renuunt, ad quorum fidem inducendam plurima olim patrauit miracula. Tales ſunt qui in Eccleſia Chriſtiana remiſſionem peccatorum credere nolunt, cum tamen olim paralyticum ſanauerit, vt ſciamus, *quia filius hominis habet in terra poteſtatem remittendi peccata*: quam poteſtatem dedit Apoſtolis dum dixit: *Accipite Spiritum ſanctum quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* Tales ſunt qui de corpore Chriſti in Euchariſtia diſputantes, negant ipſum multiplices acquirere præſentias, quo poſſint fideles eo ſatiari, cum tamen legant ex quinque panibus tot hominum millia hominum ſaturaſſe; qui conuerſionem aquæ in vinum legentes, tranſubſtantiationem panis in corpus & vini in ſanguinem abnuunt; qui eum per medium Iudæorum inuiſibilem tranſiuiſſe, eumque ianuis clauſis intraſſe in cænaculum, in quo erant diſcipuli congregati, fatentur, vt ſic manifeſtaret rei alicuius exiſtentiam ab oculorum noſtrorum viſione minimè dependere, & actualem ad locum quantitatis extenſionem, itaut locum occupet excluſo quouis corpore, non eſſe de eſſentia quantitatis; tamen negant in Sacramento exiſtere, quia minime oculis cernitur corporeis; aut quantitatem propriam non habere, quia actualem ad locum extenſionem quantitas corporis eius non obtinet. De hic operum Dei deriſoribus, miraculorum eius contemptoribus, certè prophetare videtur Iſaias c. 29. *Et erit ſicut ſomnium viſionis nocturnæ, multitudo omnium gentium quæ dimicauerunt contra Ariel: & omnes qui militauerunt & obſederunt, & prænaluerunt aduerſus eum: & ſicut ſomniat eſuriens & comedit, cum autem fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſitit, & anima eius vacua eſt: ſic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicauerunt contra montem Sion, &c.* Ita Iſ. Dimicant certe contra Ariel, qui contra hoc altare aureum dimicant, eius virtutem & poteſtatem deridentes; dimicant contra mentem Sion, qui erroribus ſuis Eccleſiæ doctrinam euertere contendunt. Hi nunquam ad veritatis lucem ambulabunt, nunquam animi quietem, quæ in adeptione veri experitur, obtinebunt; nunquam hanc beatitudinem acquirent, nempe ſatietatem mentis & appetitus, quæ promittitur iis qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam.

Iam veniamus ad tertium vitium, nempe ſpiritum blaſphemiæ, ad quod nos impellit contemptus ſanctarum operationum Chriſti, nobis exemplum humilitatis, obedientiæ, paupertatis ſpiritus, & patientiæ præbentis. Certè qui hoc lumen ſequi renuunt, in tenebris ambulare neceſſe eſt; qui has actiones contemnunt, nolentes ſequi veſtigia eius, proculdubio à iuſtitia diuina exigunt vt permittat eos ſpiritu blaſphemiæ agitari, quo virtuti, quæ non debent aſſingi, aſſingamus, quo vitia laudemus, virtutes derideamus, & quæ ei propria ſunt & commendatione digna detrahamus: de quibus dicitur Matt. 11. *Cui autem ſimilem æſtimabo generationem iſtam?*

ſimilis eſt pueris ſedentibus in foro, qui clamantes coæqua-
libus ſuis dicunt: Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis: la-
mentauimus, & non planxiſtis. Venit enim Ioannes ne-
que manducans neque bibens, & dicunt: dæmonium ha-
bet. Venit filius hominis manducans & bibens, & di-
cunt: ecce homo vorax & potator vini, publicanorum
& peccatorum amicus. Quî fieri poſſet quominus mortales hoc ſpiritu blaſphemiæ ſemel imbuti erroribus aſſentiant? Etenim moris eſt eorum qui ſibi blandiuntur, & quæ inclinationi fauent ſequuntur, ea ſolum probare quæ ipſis grata exiſtant: quo fit vt prauas actiones laudibus extollant, ſanctiores vituperiis laceſſere audeant, veram erga Deum deuotionem ſuperſtitionem exiſtimabunt, mites & humiles ignauos & inutiles dicent, quia impietas, crudelitas & inhumanitas altas in eorum mentibus radices fixerunt. Libidinoſus ſimplicem fornicationem licitam, vindictæ & vanæ gloriæ cupidus, iuſtum & æquum prædicabit; auarus & ambitioſus omnes modos, quibus per fas & nefas pecunias corradere, dignitates obtinere poterit, tanquam rectas ad beatitudinem ſemitas amplectetur, & ſcrupulos eſſe dicet omnes Doctorum circa vſuras & ſimonias determinationes. Optimè igitur S. Hilarius decimo de Trinitate, docet diuerſitatem & contrarietatem opinionum ex diuerſis voluntatum motionibus exoriri. *Non eſt*, inquit, *ambiguum, omnem humani eloquij ſermonem contradictioni obnoxium ſemper fuiſſe, quia diſſentientibus voluntatum motibus, diſſentiens quoque ſit motus contrariorũ cum aduerſantium iudiciorum affectione compugnans, aſſertionibus his quibus offenditur contradicit, &c.* Et poſt pauca: *Immoderata eſt omnis ſuſceptarum voluntatum pertinacia, & indeflexo motu aduerſandi ſtudium perſiſtit, vbi non rationi voluntas ſubjicitur, nec ſtudium doctrinæ impenditur, ſed his quæ volumus rationem conquirimus, & his quæ ſtudemus doctrinam coaptamus, &c.* Et poſt pauca: *Per hæc vitia ſtudioſarum voluntatum omnes aduerſantium intentionum emergunt contradictiones, & inter veri aſſertionem & platiti deffenſionem pertinax pugna eſt, dum ſe & veritas tenet, & tuetur voluntas.* Ita S. Hilarius. Hinc iuxta Apoſtolum, *ad ſua deſideria coacernabunt ſibi magiſtros prurientes auribus.* 2. ad Timoth. 4. *Apta ſcilicet*, inquit S. Hilarius, *cupiditatibus ſuis doctrinarum inſtituta cumulantes, neque doceri ſe deſiderantes, ſed Doctores ad id quod deſiderant congregantes; vt cumulus ipſe conquiſitorum, & coacernatorum magiſtrorum, affluantium deſideriorum ſatisfaciat doctrinis.* Ita Hil. Non mirum igitur, ſi moribus corrupti, Chriſti Domini actiones non laudant aut approbant, aut ſequuntur, quia omnino contrariæ ſunt eorum ſtudiis, & voluntatum ipſorum motionibus. Vnde, Sapientiæ 2. dicunt: *Circumueniamus ergo iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ.* Et ſic blaſphemant quæ laudare ac imitari deberent. *Hoc*, inquit S. Ireneus præfatione in lib. 4. *propoſitum eſt eius qui vitæ noſtræ inuidet, incredulos ſuæ ſalutis efficere homines, & blaſphemos in plaſmatorem Deum: quæcumque enim cum grauitate ſumma dixerint omnes hæretici, in vltimum ad hoc deueniunt, vt blaſphement fabricatorem, & contradicant ſaluti plaſmatis Dei*, id eſt hominis, qui opus Dei præcipuum nuncupatur. Hoc ſpiritu ducuntur hæretici huius ætatis, qui mandata Dei impoſſibilia eſſe aſſerunt, qui conſilia Euangelica quaſi quaſdam illuſiones rejiciunt, qua nos ad damnationem prædeſtinatos eſſe temerariè & impudenter prædicant. Quis enim ad mandatorum Dei obſeruationem alacriter ſe accinget, ſi ſentiat illorum obſeruationem eſſe impoſſibilem? Quis ad perfectionem adſpirare audebit, qui conſilia Euangelica irrideri & ſubſannari cernit? Quis præſentia bus neglectis ad cœleſtia & futura peruenire contendet, ſi de futuris bonis percipiendis tanta ineſt incertitudo, nec mercedem pro laboribus ſperare valeamus? O quantum periculum perdendæ ſalutis ſubeunt, qui de rebus diuinis tam impiè ſentiunt! O iudiciorum Dei irriſores & contemptores, quis vos ab ira Dei immunes reddere poterit? O cæci peccatores, ambulare ad lucem renuitis, Chriſtum imitari detrectantes, qui dixit: *Qui ſequitur me non ambulat in tenebris ſed habebit lumen vitæ.* Quomodo veritas, à qua ſola liberari poſſumus, à mendaciorum & peccatorum laqueis extricare vos valebit?

At ad hæc mala propulſanda præſentiſſimum habebamus remedium ac ſubſidium, Chriſti Domini videlicet orationes, quibus olim pro ſuis Patrem exorabat Ioan. 17. vt eos ſeruaret, vt eos in veritate ſanctificaret. Et vt non tantum Apoſtolis ſeu diſcipulis ſuis ſuas prodeſſe orationes putaremus, addebat: *Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum ſint, &c.* Hunc Chriſtum à Iob olim adiutorem exoptatum, habemus nunc ſocium & aduocatum, vt deſideria noſtra audiat omnipotens. Si ad Patrem per Aduocatum tanti meriti accedere neglexerimus, certè ſpiritu mendacij, veritate expulsâ, obtenebrabimur: ij namque potiſſimum obtenebrantur, qui ad Deum per Chriſtum non recurrunt vt illuminentur, & non obdormiant in morte. Ponemus mendacium ſpem noſtram, poſſe nos mendacio protegi cenſebimus. Et reuera contra ſpiritum mendacij nihil tam efficax, quàm oratio, dicente S. Iacobo: *Si quis indiget ſapientia, poſtulet à Deo nihil hæſitans:* quo fit vt legis diuinæ ſeduli ſectatores obnixis precibus poſtulent à Deo & illius cognitionem, & vt velint & poſſint quo cognouerint perficere. Hinc Dauid Pſ. 118. *Da mihi intellectum & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo. Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum, quia ipſam volui.*

Tam ardens deſiderium Deus exaudit, quod ſe expertum fuiſſe idem aſſerit: *Os meum aperui & attraxi ſpiritum: quia mandata tua deſiderabam.* Igitur cum tam efficax apud nos habeamus auxilium contra ſpiritum mendacij & erroris, imo & tam peruium, *iuxta te enim eſt ſermo valde in ore tuo, vt facias illum.* Deuteron. 30. ſi illud reiecerimus per contemptum, quis nos ab erroribus liberare poterit? Facilè Deus condonat peccata, quæ ex fragilitate contrahimus, quæ per ignorantiam & ſurreptionem committimus, cum primi motus in poteſtate noſtra non exiſtant: at ſi plenis velis ad peccandum properemus, ſi toto mentis affectu, ſi ex perfecta ſcientia & cum matura deliberatione, ſcienter & malitioſè legem Dei violare auſi fuerimus, non amplius diſſimulationi & veniæ dabitur locus, ad vindictam ſe accinget: qui enim deliberatè peccant, hi immunditias peccatorum ſuorum in corde ſuo ponunt, hi ſcandalum iniquitatis ſuæ ſtatuunt contra faciem ſuam, idola ſua ponunt in cordibus ſuis, contra quos inuehitur Deus Ezechiel. c. 14. Tales fruſtra ad Deum recurrunt. *Homo, homo de domo Iſrael, qui poſuerit immunditias ſuas in corde ſuo, & ſcandalum iniquitatis ſtatuerit contra faciem ſuum, & venerit ad Prophetam, interrogans per eum me, Ego Dominus reſpondebo ei in multitudine immunditiarum ſuarum, vt capiatur domus Iſrael, in corde ſuo quo receſſerunt à me, in cunctis idolis ſuis.* Ita Ezech. Si veritas aliquando ei illuxerit, verba Dei in contrarium aſſumet ſenſum; ſi fidem adhibuerit veritati propoſitæ, ex iudiciorum Dei propoſitione, potius deſperationem quàm Dei timorem; ex miſericordiæ

ſericordiæ illius commendatione potius præſumptionem quàm erga Deũ amorem aut reuerentiam concipiet, ſibi perſuadens poſſe in malis perſeuerare abſque detrimento ſalutis æternæ ac ſi Deus eſſet acceptator perſonarum: aut ſaltem imperſcrutabili Dei iudicio Paſtores reperiet, qui turpi quadam adulatione ducti, ea quæ ſibi placent ad interrogationes ſuas reſpondebunt: quo fit vt facile decipiantur, & cæci à cæcis ducti ambo in foueam cadant, proprias adinuentiones, proprios affectus, quaſi quædam idola in corde ponentes, & ea adorantes. *Et portabunt*, inquit Ezechiel, *iniquitatem ſuam. Iuxta iniquitatem interrogantis, ſic iniquitas Prophetæ erit.* Ita Ezech. Hi ſunt ad quorum ſtatum deplorandum, Ieremias c. 9. capiti ſuo aquam & oculis ſuis lacrymarum fontem exoptat, vt ploret die ac nocte interfectos filiæ populi ſui: *Qui extenderunt linguam ſuam quaſi arcum mendacij, & non veritatis: confortati ſunt in terra: quia de malo ad malum egreſſi ſunt, & me non cognouerunt, dicit Dominus.* Ita Hier. Deplorat itaque Propheta miſerandum ſtatum eorum qui amant & faciunt mendacium, qui donis naturalibus abutentes, totum ſui ingenij acumen inſumunt vt inueniant rationes, quibus fulciant ea quæ ſemel audacter & temerariè adduxerint, & iis quæ in praxim reducere ſtatuerint auctoritatem poſſint conciliare. *Hæretici*, inquit S. Hier. in 10. Oſee, *qui à Deo acumen ſenſus & ingenij percipientes, vt bona natura in Dei cultum verterent, fecerunt ſibi ex his idola. Nullus enim poteſt hæreſim ſtruere, niſi qui ardentis ingenij eſt & habet dona naturæ; quæ à Deo artifice ſunt creata. Talis fuit Valentinus, talis Marcion, quos doctiſſimos legimus; talis Bardeſanes cuius etiam Philoſophi admirantur ingenium? Iſti ergo terræ ſuæ bona verterunt in titulos mortuorum, quia omnis eorum doctrina non ad viuentes refertur, ſed ad mortuos, tam eos quos colunt, quam eos quos decipiunt.* Ita Hieron. Hæc ſunt præcipitia in quæ incidunt qui de propriis tantum viribus veritates fidei perſcrutari volunt, nec Dei opera per orationem inquirunt: nam ſpiritu mendacij replentur, qui à ſpiritu veritatis nolunt veritatem poſtulare.

De vitiis ad errorem impellentibus, quæ ex contemptu Chriſti Domini in cruce pendentis exoriuntur. §. 3.

Qui mari poſuit terminos, effuſioni gratiarum ſuarum limites minimè præſcripſit, in hoc quod Ieſus in terris viſus, & cum hominibus conuerſatus, fidei doctrinam & morum diſciplinam homines edocere voluerit, qua via gradientes tandem in Cœlum peruenirent. Nam inſuper voluit ex ſuper effluenti miſericordia, vt in Chriſto Ieſu diſceremus quantum nobis neceſſarium foret firmiter adhærere iis quæ docuit, mori potius eligentes quàm ab hac fide diuelli, ſtrictiſſimamque inter corpus & animam vnionem diſrumpi libentiùs patientes, quàm ab amore eorum quæ nobis in hac vita amanda propoſuit, ſeparari. Hinc decreuit Ieſum ſupra crucem, veluti ſuper altare quoddam aureum immolari, qua quidem ratione ad modum ſerpentis ænei in aëra ſublatus, aëreas poteſtates diſſiparet, & velut ſol irradians, tenebras mentium fugaret, eo ipſo temporis momento in quo ſolem hunc oculis conſpicuum tenebris offundebat, & lunæ claritatem adimebat: talemque rerum omnium terrenarum deſpicientiam in animis noſtris imprimere ſtatuit, vt pectora ac mentes nullo alio igne flagrarent quàm amore diuino, qui potiſſimum in cruce gloriosè innotuit. Refert Iornandes ex Priſco de rebus Gothicis c. 35. Attilam Hunnorum Regem ſibi totius orbis Monarchiam obuenturam ſperaſſe, ex eo quod quidam Bubulcus enſem eidem obtuliſſet, quem Scithæ ſibi perſuadebunt Marti olim inſeruiſſe, à bubulco inuentam, inter herbas delitescentem, veſtigio ſanguinis è pedæ vaccæ eodem enſe vulneratæ profluentis, dum fortuitò ſuper eam fixiſſet pedem. Quanto magis ſperandum nobis foret victoriam, contra errores & deprauatos mores, nobis obuenturam, ſi cruce tanquam enſe vteremur, quæ Chriſtum vulnerauit dum inter mortales degere voluit, & qua ipſe vti voluit admirabili ratione ad ipſum vulneratus & morti addictus, vt hoſtes per mortem ſuam non modo profligaret, ſed & ipſam mortem ſuperaret? Domino ſiquidem Deo Sabaoth Crux tanquam enſis ad Satanam debellandum, eiuſque fraudes diſcindendas, & fallacias diſſipandas inſeruiuit. Crux eſt gladius Gedeonis caſtra hoſtium ſubuertens, ſubcinericius quidem panis ex hordeo, quia humilitate & auſteritate opus eſt iis, qui eo vti gladio poſt Chriſtum appetunt; ſed tabernaculum peccatorum ſubuertens, iuxta ſomnium illius, de quo Iudicum ſeptimo dicitur: *Videbatur mihi quaſi ſubcinericius panis ex hordeo volui, & in caſtra Madian deſcendere, &c.* Reſpondit is cui loquebatur: *Non eſt hoc aliud niſi gladius Gedeonis. Crux*, inquit Andreas Cæſarienſis, *omnis generis armatura eſt contra inimicos, Regni ſceptrum, diadema decoris, typus & exemplar non ſcriptum, virga potentiæ, firmamentum fidei, ſenectutis baculus, cæcorum Dux, eorum qui in tenebris ambulant lux præfulgens, imprudentium & ſtultorum inſtructio, infantium magiſtra, peccati ruina, pœnitentiam digito indicens, perfecta iuſtitiæ forma.* Et meritò, ſiquidem in hoc altari aureo, per ſummam & infinitam ſapientiam, & Dei inæſtimabilem amorem, Chriſtus nobis demonſtrauit in quanto prætio ea habere debemus quæ credenda nobis eſſe docuit verbo & ſermone, & quæ peragenda & imitanda forent nobis exemplo vitæ ſuæ intimauit. In hac cruce pendens perfectam ſpiritus libertatem edocuit, qua mens licèt ſtrictè carnis vnita quam ſtudiosè fouet ac nutrit, à ſenſibus tamen corporeis auulſa, nec ab eis ſeducitur, nec eorum titillationibus allicitur: nihil amat, quo Dei dilectio morte fortior offendi queat; ad Dei nutum, vt mandatis eius obtemperet fideliſſime, perquam libenter deſerit & contemnit quidquid carni vel proficuum vel delectabile foret. In hac cruce nudus moriens potenter inculcat, quàm vili prætio æſtimandæ ſunt omnes mundi huius diuitiæ; quo fit vt facilè contemnantur, deſerantur, eo potiſſimum tempore quo percipimus hoc eſſe faciendum, vt timor & cultus Dei aliquomodo promoueatur. Factus obediens vſque ad mortem crucis ſatis perſpicuè docuit quàm pura intentione Dei gloriam in omnibus ob oculos habere debeamus: quo fit vt mens tanto ditata munere, nec laudem nec honorem quærat, ſolo deſiderio placendi Deo, ad opus quodlibet ſemper accingitur. Tandem in Chriſto cruci affixo exemplar abſolutiſſimum habemus humilitatis, ad quod intuentes ſentiamus omne donum optimum, & omne datum perfectum, deſurſum à Patre luminum in nos deſcendere, ad cuius gloriam omnia ſunt conſecranda, cum omnia ab eius liberalitate ac munificentia pendeant. Licèt enim fieri non poſſit, vt ex laudibus noſtris aliquod luminis, & claritatis ſeu virtutis incremẽtum capiat, nec etiam ſi illi laudes & gratiarum actiones ob beneficia debitas ſubtrahamus, in nullo detrimentum patiatur, tamen diſtribuit dona ſingulis prout vult: quo fit vt mens ſentiens ſe ab eius munificentia cuncta obtinere, nec non perſpiciens quàm longè ſupra cunctas creaturas emineat ſapientia & potentia ſua omnia ſuperans, libentiſſimè iudicium æque ac voluntates & affectus, eius voluntati, permiſſioni ac imperio ſubdit, certiſſimè ſciens nihil ipſum velle,

Digitized by Google

permittere aut ordinare, quod non ſummam æquitatem perfectè redoleat, cuique abſque vlla repugnantia aut reſtrictione non ſit parendum & obtemperandum, in hac re imitantes Chriſtum, qui ſemetipſum obtulit hoſtiam viuam, Deo placétem: & vt à Patre cuncta ſe accepiſſe fatetur, ita totum ſe Deo Patri obtulit, & propoſito ſibi gaudio, grauem ſuſtinuit à peccatoribus contradictionem, alacri animo calicem paſſionis exhauriens, ex eo quod optimè nouerat quanta gloria Deo ex morte ſua eſſet obuenturа ex ſalute hominum, qui per eius mortem & paſſionem à peccatis & morte liberari debebant.

Tanti igitur dolores perfectam animi libertatem prædicant, mentemque à ſenſibus, & amore vitæ corporeæ auulſam enunciant: tanta nuditas rerumque omniũ deſpicientia, quàm libenter affectus omnes à rebus humanis abſtrahere debeamus inſigniter docear. Mors adeo contemptibilis confuſione & ignominia plena, ſinceram intentionem Dei honorem & gloriam promouendi ſole clarius indicat: nec in aliqua alia re Chriſti humilitas & obedientia, & omnimoda ſui ipſius in manibus patris reſignatio magis enituit, quàm cum factus eſt obediens vſque ad mortem crucis, innocens pro reis, Dominus pro ſeruis, creator pro vili creatura. O lata & patens charitatis via! O ſtrictæ patientiæ & auſteritatis ſemitæ! quibus tamen directè ad cœlum pergitur. Qui hanc viam, hac ſemitas deſerunt, qui his veſtigiis pedem figere negligunt, proculdubio in aperto ſunt periculo incidendi in errores & hæreſes, cum amore voluptatum carnis, diuitiarum mundi, honoris huius ſeculi ducantur, & proprio iudicio firmius quam par ſit adhæreant; quo fit vt quæ Chriſtus Dominus in cruce peregit, & nobis imitandum propoſuit, contemnantur. Vnde ex his quatuor virtutibus, veluti ex quatuor cornibus altaris aurei, vox emittitur vindictam talis contemptus expoſtulans, propterea quod per hæc quatuor vitia his virtutibus contraria, in nobis totius pietatis affectus extinguatur.

Quod autem hæc vitia ad hæreſes procliues nos reddant certiſſimum eſt, &c. quoad primum, nempe inordinatum amorem voluptatum carnis, optimè S. Hieron. in Abdiam, ait Paulum hæreſes inter opera carnis annumeralle. *Hæreſes*, inquit, *ad Galatas, inter opera carnis numeratas legimus.* Ita Hier. Nam cum, vt ait Ariſtoteles, affectus voluntatis, rationem ad ſe attrahat, facilè mens de rebus iudicat prout appetitus & voluntas impellunt. Hinc voluptatum amatores magis quam Dei, ſibi perſuaſerunt licitum eſſe ſenſibus ſuis quæ grata ſunt concedere, inobriati quodammodo delectationibus quos ſenſus percipiunt, dum propriis fruuntur obiectis. Itaut recte S. Hieron. in Abdiam dixerit. *Quando autem aut negatio nos opprimit aut Voluptas, & rigorem priſtinum infelix conſcientia non ſeruauerit, tunc facile ad contraria dogmata labimur blandientia errori noſtro, & non curantia Vulnus ſed palpantia.* Ita Hiero. Qua, quæſo, ratione Apoſtolus 5. Epiſtolæ ad Epheſios, de operibus carnis verba faciendo, ſeductionem ſolummodo cauendam præſcripſit, dum ait: *Nemo Vos ſeducat inanibus Verbis? Quia*, inquit S. Thomas in hunc locum, *homines ab initio, Vt poſſent liberiùs ſuis concupiſcentiis indulgere, putauerunt ſibi excogitandas eſſe rationes, quibus ſuadere Valerent fornicationes & ſimiles carnis Voluptates non eſſe peccata.* Sed quam futiles ſint tales rationes, & veræ rationi repugnantes, patet ex eoquod Apoſtolus ibidem addit: *Propter hæc enim Venit ira Dei in filios diffidentiæ.* Siquidem Deus non iraſcitur niſi contra peccata, quæ ſola iram eius prouocant & exacuunt. Certiſſimum igitur A eſt amorem voluptatis ad errores impellere: & fatuet Apoſtolus, dum ait ad Rom. cap. 16. *Rogo autem Vos fratres, Vt obſeruetis eos qui diſſenſiones & offendicula, præter doctrinam quam Vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis: huiuſmodi enim Chriſto Domino noſtro non ſeruiunt, ſed ſuo Ventri, & per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium.* Nonne vides ex Apoſtolo, gulæ deditos idonea eſſe inſtrumenta dæmonis, quibus vtitur ad ſeductionem innocentium? Et quia Eua per ſenſus in errorem lapſa eſt, ideo dicitur ſeducta in præuaricatione 1. ad Timoth. 2. Tales fuerunt Cerinthij, Adamitæ, Nicolaitæ, qui ex eoquod erant voluptatum amatores, errores diſſeminarunt, voluptati plurimum fauentes, vt optimè notat Alphonſus à Caſtro l. 1. aduerſus hæreſes c. 11. itaut in tantam mentis peruerſitatem Valentiniani deuenerint, vt exiſtimarent ſe ita ſpiritales eſſe, vt ſi alij contaminarentur ex operibus carnis & fornicationibus, ipſi talia exercentes nullomodo fœdarentur. Hæc in primæuis illis Eccleſiæ temporibus maxima fuit tentatio; hæc malignior Diaboli adinuentio, qua poſſet denigrare ſanctorum vitam, & primorum Chriſtianorum lædere famam, tales ſuſcitando hæreticos execrabilibus his voluptatibus addictos. Nam cum Chriſtiani etiam dicerentur, & ſub hoc nomine à gentilibus comprehenderentur, ipſi gentiles veros fideles accipiebant, ac ſi criminum æque ac nuncupationis forent participes, vt notar Theodor. l. 2. c. 1. hæreticæ fabul. Quod autem amor diuitiarum hæreticis maximè conueniat, docet S. Hierony. dum lib. 3. in duodecimum Oreæ ait: *Idcirco enim Vel maximè hæreſes componuntur, Vt deuorent domos Viduarum, quæ ſemper diuunt*, &c. *Suis*, ait idem Hier. *in cano & Volutabro luis erroribus immolant, adorantes opera manuum ſuarum, & inſtar boum cuncta pro terrenis frugibus laborantes.* Ita Hieron. *In Vobis erunt*, monebat S. Petrus, *magiſtri mendaces, qui introducunt ſectas perditionis, & eum, qui emit eos, Deum negant, ſuperinducentes ſibi celerem perditionem: & multi ſequentur eorum luxurias, per quos Via Veritatis blaſphemabitur, & in auaritia fictis Verbis de Vobis negotiabuntur*, Et paulo poſt, voluptatem & auaritiam hæreticorum eſſe propriam deſignat, dum ait: *Voluptatem exiſtimantes diei deliciis coinquinationis & maculæ, deliciis affluentes, in conuiuiis ſuis luxuriantes Vobiſcum, oculos habentes plenos adulterij & inceſſabilis delicti, pellicientes animas inſtabiles, cor exercitatum in auaritia habentes, maledictionis filij derelinquentes rectam viam errauerunt, ſecuti viam Balaam ex Boſor, qui mercedem iniquitatis acceperat*, &c. Tale fuit ingenium Valentinianorum, de quibus S. Ireneus l. 1. contra hæreſes: *Quæ etiam conuenienter Videntur mihi non omnes Velle manifeſtè docere, ſed ſolos illos qui etiam grandes mercedes pro talibus myſteriis præſtare poſſunt: non enim tam dicunt ſimilia illis, de quibus Dominus noſter dixit: Gratis accepiſtis, gratis date; ſed ſeparata, & portentoſa, & alta myſteria, cum magno labore exquiſita à fallacibus.*

Talis mens etiam Montaniſtarum, de quibus Euſeb. l. 5. Eccleſiaſtic. Hiſtor. c. 17. *Cum enim dixerit: Nolite habere aurum neque pecuniam, neque duas tunicas, illi in omnibus contraria gerunt, acquirentes & congregantes ea, quæ Dominus etiam habentes iuſſit abjicere. Probamus namque eos, qui apud eos Vel Prophetæ Vel Martyres nominantur, non ſolùm à diuitibus, ſed etiam à pauperibus, pupillis ac Viduis pecunias congregare.* Hæc Euſeb. Hi ſunt de quibus Iob ait: *Radix iniquorum erat cibus eorum*, id eſt iuxta S. Gregorium, *auaritia, ex qua veluti ſpinæ naſcuntur peccatorum & errorum, eſt id quo reficiuntur. Quia*, inquit lib. 20. cap. 12. *plerumque hæretici ſola in Verbis ſuis exteriora lucra ſectantur, nec ignorant quia peruerſa*

Digitized by Google

abſtinuit, ſed erroris prædicamenta non deſerunt, dum ſumptus percipere quaſi doctorum volunt. Bene de eis ſancti viri nunc voce dicitur: Et radix iumiperorum erat cibus eorum: quia dum totis mentis ſuæ ſenſibus auaritiam cogitant, quaſi eo alimento veſcuntur, de quo naſci proculdubio peccatorum ſequentium punctiones ſolent. Ita S. Greg. Qui poſt ait ipſos non animas auditorum ſed ſubſtantias appetere. Quod falſo & inaniter ſuo Achemoth Valentiniani tribuebant apud S. Ireneum l. 1. aduerſus hæreſes, quod vocabulum Feuardentio idem eſt ac ſapientia, S. Epiphanio hæreſi 31. Terminus, Saluator, Crux, ſiue quod ipſi ſuo pleromati ſeu conſummatori, ſeu fabricatori aſſignabant, nempe ipſum habere duplicem operationem, vnam confirmantem, aliam ſeparantem, confirmantem deſignatam fuiſſe à Chriſto, cum dixit: *Qui non tollit crucem ſuam, & ſequitur me, non poteſt meus eſſe diſcipulus*; ſeparantem verò, cum dixit: *Non veni pacem mittere, ſed gladium.* Vtrumque autem à ſancto Ioanne fuiſſe ſignificatum, cum dixit: *Cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igni inextinguibili*, Luc. 2. Hoc optandum nobis qui veram ſapientiam colimus, qui Deum vltimum rerum finem & terminum intuemur, qui Saluatorem Chriſtum agnoſcimus, qui eius Crucem adoramus, qui conſummatori & fabricatori rerum omnium obſequium præſtamus, nempe vt amor veræ ſapientiæ, qua Deum pro fine vltimo nobis proponimus, amor Chriſti Saluatoris crucifixi, qui omnia conſummauit, cum in cruce pendens clamauit: *Conſummatum eſt* (eius enim erat operi ſuo vltimam manum imponere, qui rebus omnibus initium per creationem dederat) ille inquam Saluatoris amor nos ſtrictiſſimo vinculo cum Deo coniungat, nos in fide & imitatione Chriſti confirmet, & hac ratione nos ab omnibus voluptatibus & rerum terrenarum amore potenter auellat.

Sed fruſtra ſæpe quis voluptates deſerit, diuitias contemnit, ſi appetitus gloriæ adhuc in eo vigeat, plærique enim hæreſes fabricant vanitate impulsi. Sic Aëtius quia Epiſcopatum adipiſci nõ potuerat, dogma peſſimum prædicare auſus fuit, nempe ſimplices ſacerdotes æquales eſſe Epiſcopis, dignitate & auctoritate, vt refert S. Auguſtinus lib. de hæreſibus. *Hic reuera eſt hæreticus*, inquit Auguſtinus de vtilitate credendi, *qui ſiue ob aliquod commodum temporale, & præcipuè ob appetitum gloriæ, aut cuiuſuis gradus dignitatis, falſas & nouas ſequitur opiniones. Quis enim hæreticorum*, inquit S. Hieron. in Abdiam, *non in ſuperbiam extollitur, Eccleſiæ ſimplicitatem parui pendens, & fidem imperitiam reputans.* Illorum vox, ſecundum eumdem eſt: *Quis detrahet me in terram? Quibus verbis*, inquit, *Prophetа tumorem hæreticæ mentis oſtendit, confidentium ſibi in myſteriis & in ſecretis ſuis.* Ita Hieron. Quid, oro, impulit Simonem Magum vt argentum offerret Apoſtolis, quo dono miraculorum frueretur, aut ſacerdotio fungeretur, vel Epiſcopali dignitate, niſi vanæ gloriæ appetitus? *Date*, dicebat ille, *& mihi hanc poteſtatem, vt cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum ſanctum.* Act. 8. Omnia ſiquidem faciunt appetitu laudis: quod aſſerit S. Gregorius lib. 20. in Iob. c. 13. in hæc verba: *Qui de conuallibus iſta rapientes ſingula, ad ea cum clamore currebant. Quia*, inquit, *hæc de humilibus dictis Patrum ſuperbo ſpiritu colligunt: qua dum pro ſuis ſe partibus inuenſſe gloriantur, ad ea cum clamoribus currunt: quia videlicet omne quod ſentiunt, appetitu laudis ad aures hominum diffamare conantur.* Ita Greg.

Denique non abſurdè diximus proprium iudicium fontem eſſe hæreſes ſcaturientem; propterea namque S. Paulus dicit hæreticum hominem proprio iudicio eſſe condemnatum: quia ſcilicet damnationem meretur, ex eo quod proprium iudicium vniuerſalis Eccleſiæ ſententiæ & determinationi præferat, & libere eligat opiniones veritati repugnantes. Omnes hæretici ſcientiam ſe habere iactant ſcripturarum, ea ſe optimè & ſingulariter intelligere gloriantur: ſic apud S. Ireneum l. 1. ad hæreſ. c. 8. Marcus quidam viros ac mulieres ſeducebat, perſuadens vt ſeſe ad eum conuerterent, velut ad hominem ſcientiſſimum, ſingularique ſcientia præditum, de quo & S. Epiphanius lib. 1. to. 3. hæreſi 34. *Vt ſcilicet attonitos rudiores ad ſeſe ſuſpiciendum, tanquam cælitus delapſum Doctorem conuerteret; virtutem maximam ab inuiſis cæleſtibus & innominatis locis ſe recepiſſe ſceleratus impoſtor iactabat.* Hæc Epiph. vt notat hîc in Ireneum Feuardentius. Lege Tertullianum de præſcript.

De vitiis ad errores inducentibus, ex contemptu Chriſti Domini, vt in Sacramento altaris exiſtentis. §. 4.

Non ſolum hoc altare aureum ſymbolum eſt Eccleſiæ militantis, & Chriſti Domini, vel vt inter homines conuerſantis, vel vt in cruce pendentis, ſed etiam ſymbolum eſt Chriſti vt in Sacramento altaris exiſtentis. Habet hoc diuinum altare quatuor cornua, nempe quatuor præcipuas veluti virtutes ſeu energias; 1. quod ſit holocauſtum, quo Deus ſummè colitur; 2. quod ſit ſacrificium propitiatorium ſeu expiatorium, quo remiſſionem peccatorum impetremus; 3. quod ſit ſacrificium Euchariſticum, quo Deo gratiarum actiones reddamus ob beneficia collata; 4. quod ſit ſacrificium impetratorium, quo quæ ſperamus efficaciter obtineamus. Certè nulla meliori ratione mortis & paſſionis Chriſti participare valemus, quàm cũ hoc ſacrificium Deo offerimus, per quod quæ de diuina excellentia ſentimus, excellentiſſimè proteſtamur; iuſtitiæ diuinæ plenè & ad rigorem ſatisfacimus; Beneficentiæ Dei grati nos exhibemus, per oblationem excellentioris doni, quo ab eo vnquam donati fuerimus; & in Chriſto optimum habemus aduocatum, quo quæ petimus à Deo efficaciter impetremus. Quod fiet, quæſo, nobis ſi tantum donum neglexerimus?

Rei certè eſtimus mortis & damnationis æternæ, & vox erumpet è medio altaris clamans ſoluendos eſſe dæmones, qui nos oppugnent, & inquietudinem mentis ingerant, inſenſibilitatem rerum ſpiritalium inducant, ad ſchiſmata nos impellant & ad hypocriſim & diſſimulationem, vt ad mendacium quodcumque aptos nos efforment, quibus oppleti vitiis, facilè in hæreſes & varios errores incidamus. Nam ſi ex Ribera, hunc verſiculum exponente: *Et audiui vocem vnam ex quatuor cornibus altaris aurei*, obliuio paſſionis & meritorum Chriſti exigit vt vox exeat de quatuor cornibus, vt ſoluantur quatuor Angeli, quibus tertia pars hominum peccatorum occidatur: *Vt intelligatur*, inquit Ribera, *per merita paſſionis Chriſti, quæ poſt preces iuſtorum de terra clamantium tunc Filius præſentabit, exituram eſſe ſententiam Patris, vt ſoluantur quatuor Angeli, & tertia pars hominum peccatorum, & Chriſti paſſionis ac meritorum oblitorum occidatur. Vox dicitur exiſſe de quatuor cornibus altaris.* Ita Ribera. Quid fiet illis qui non ſolum obliuiſcuntur, ſed qui tanti beneficij memores, illud contemnunt, ac conculcant ſanguinem teſtamenti in quo ſalui facti ſunt, & ſpiritui gratiæ contumeliam faciunt?

Proculdubio cum Sacramentum altaris ſit memoria mirabilium, ſit omnium beneficiorum Dei præteritorum, præſentium ac futurorum ſumma &

Digitized by Google

epilogus, nec quicquam Deus vnquam præſtiterit hominibus, quo ſuam erga illos dilectionem clarius demonſtraret; nihil vnquam etiam hominum ingratitudinem magis manifeſtabit, quàm ſi tantum beneficium vel obliuiſcantur, vel negligant aut reſpuant cum contemptu. Cætera quippe contemnunt, qui beneficium, in quo omnia alia recapitulantur, abiiciunt. *Quodam loco ſcriptum eſt*, inquit S. Auguſt. tract. 47. in c. 10. Ioannis, *Si ſederis cænare ad menſam potentis, ſapienter intellige quæ apponuntur tibi, & mitte manum tuam, ſciens quia talia te oportet præparare. Menſa potentis quæ ſit noſtis, vbi eſt corpus & ſanguis Chriſti. Qui accedit ad talem menſam, præparet talia. Et quid eſt, præparet talia? Quomodo ipſe pro nobis animam ſuam poſuit, ſic & nos debemus ad ædificandam plebem, ad aſſerendam veritatem, animas pro fratribus ponere, &c.* Ita Aug. Tanti igitur æſtimanda eſt hæc menſa, vt ex conſideratione eorum quæ nobis in ea apponuntur, ad mortem pro Chriſto & fratribus ſubeundam incitemur. Et meritò: ſiquidem in hoc vno beneficio, tot & tanta accumulantur bona, vt ſatis nunquam poſſimus Deo gratias pro eo rependere. Hinc pſalmiſta olim præuidens tanti doni elargitionem, nos ad gratitudinem prouocabat Pſ. 117. *Conſtituite diem ſolemnem*, inquit, *in condenſis vſque ad cornu altaris.* In hoc ſiquidem altari, ſi Caſſiodoro credamus, vt citatur etiam in gloſſa ordinaria, ſignificatur Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti; & in cornu altaris, potentiam ſeu virtutem Sacramenti. Dies ſolemnis igitur conſtituendus eſt, ad celebrandum memoriam tanti beneficij: in condenſis, id eſt non tepide, ſed in frequentationibus bonorum actuum, quarumlibet virtutum, ſeu in frequentationibus hominum, qui congregari debeant ad colendum & adorandum Deum publico quodam ritu, vt ſicut olim populus Hebræorum in condenſis frondium & ramorum, in ramoſis, in frondoſis ramis, denſis & perplexis, feſtum tabernaculorum celebrabant, ita nos non ſolum atria & parietes Eccleſiarum, quin & plateas rum redimamus, dum ſolemniter Chriſti corpus defertur; non ſolum in multitudine turbarum concomitantium, ſed multò magis in multitudine virtutum & bonorum operum, hilari & alacri animo demonſtremus quanti faciamus tanti doni elargitionem, quo Deus nos omnibus gratiis cumulare decreuit, quo Chriſtus Dominus ſuam miſſionem à Patre in mundum probare voluit, vt pote opus cætera eius opera à longe dignitate excedens.

Quod ergo tu facis ſignum, inquiebant turbæ, quæ Chriſtum vſque Capharnaum ſecutæ fuerunt, poſtquam eas ſatiarat in deſerto, *vt videamus & credamus tibi? Quid operaris? Patres noſtri manducauerunt manna in deſerto, ſicut ſcriptum eſt: Panem de cælo dedit eis manducare.* Quid ad hæc, quæſo, Chriſtus Dominus? Non ait: Cæcis do viſum, claudos erigo, ſuſcito mortuos: Aliquid aliud proculdubio mirabilius, & quod Chriſti potentiæ magis conueniat, & eum æqualem habere cum Patre potentiam clarius demonſtrabit, in medium adducet, quod etiam huic curioſæ interrogationi plenè ſatisfaciet, dum ait: *Amen, amen dico vobis: non Moyſes dedit vobis panem de cælo, ſed pater meus dat vobis panem de cælo verum.* Panis enim Dei eſt qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo. Et poſtea quid potiſſimum intelligeret per hunc panem indicans, ait: *Ego ſum panis vitæ, qui venit ad me non eſuriet.* Et quia talis & tantus effectus in iis tantùm qui fide viuunt poterat reperiri, addit: *Et qui credit in me, non ſitiet vnquam.* Dedit hunc panem piiſſimus Pater, dum filium miſit in terras. Opus certè præſtantiſſimum, & omnipotentia diuina digniſſimum. At filius qui ait Ioan. 5. *Amen, amen dico vobis: non poteſt filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille fecerit hæc & filius ſimiliter facit.* Pater dedit filium ſuum, igitur ipſe filius ſeipſum dare debet. Hunc panem exhibuit nobis manducandum, dum quæ promiſerat adimpleuit. Dixerat namq; Ioan. 6. *Ego ſum panis vitæ, patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt. Hic eſt panis de cælo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit non moriatur. Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendit: ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita.* En ſolemnis promiſſio panis de cælo deſcendentis. Vultis videre promiſſionis adimpletionem? *Accipite & comedite: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Perſpicite filium quæcumque Pater facit ſimiliter facientem. Pater miſit filium, tanquam panem de cælo deſcendentem: filius illum panem promittit & exhibet nobis manducandum, quo viuificemur modo quodam ineffabili, quo in admirationem euchi debeamus, vt veriſſimum appareat quod addebat Chriſtus iis quæ modo dicebamus, ex 5. c. Ioannis: *Pater enim diligit filium, & omnia demonſtrat ei quæ ipſe facit, & maiora his demonſtrabit ei opera, vt vos miremini. Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos & viuificat, ſic & filius quos vult viuificat.* At quæſo, quomodo filius quos vult viuificat, niſi quia dat nobis corpus ſuum in cibum quo viuificemur, ipſemet hoc teſtante, dum ait: *Amen, amen dico vobis: niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Caro enim mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in eo. Sicut miſit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem.* Attende, optime Lector, opus Patris, nempe miſſionem Filij; & vitæ dationem: Vide opus Filij, eadem quæ Pater facit facientis. *Et qui*, inquit, *manducat me, & ipſe viuet propter me.*

Hoc ſignum admirabile miſſionis à Patre: hoc opus Filij, cum Patre eadem ſimiliter facientis, & de eius potentia præclarum teſtimonium perhibens iuxta illud Ioan. 5. *Opera enim quæ dedit mihi pater vt perficiam ea, ipſa opera quæ ego facio, teſtimonium perhibens de me, quia pater miſit me.* Hæc eſt claritas quam ab hominibus non accipit, cuius claritatis Apoſtolos ſuos proculdubio voluit eſſe participes, dum eos his verbis ad executionem huius mandati (quod in vltima cæna erat daturus, nempe, *Hoc facite in meam commemorationem*) exhortabatur dicens, Ioan. 6. *Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis: hunc enim pater ſignauit Deus.* Nam quænam poteſt eſſe claritas, de qua Chriſtus ait: *Et ego claritatem quam tu dediſti mihi dedi eis*, niſi poteſtatem eadem faciendi, quæ ipſe fecit, ſicut filius eadem quæ patris ſunt propria, ſimiliter facit? Etenim per hanc claritatem gloriam æternam minimè intelligere poſſumus, quam habebant tantùm in ſpe. Igitur iam data non erat. At Chriſtus loquitur de re iam præſtita, nempe cum in cæna eis paulò ante dixerat: *Hoc facite in meam commemorationem*; nec per hanc claritatem intelligere poſſumus vel filiationem diuinam, vel vnionem hypoſtaticam: hæc enim alteri quàm Chriſto conuenire non poſſunt: nec per hanc claritatem etiam intelligere poſſumus gratiam iuſtificantem, cum Chriſtus Dominus apertè dicat hanc gratiam eſſe huius claritatis effectum, dum addit: *Vt ſint vnum, ſicut vnum ſumus: ego in eis, & tu in me, vt ſint conſummati in vnum.* Ioan. 17. Reſtat igitur vt hæc claritas nulla alia ſit, quàm vt poſſint eadem facere

Digitized by Google

miſſi à Filio, quæ fecit Filius miſſus à Patre, dicente Filio: *Sicut tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum: Et pro eis ſanctifico meipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate:* & quia in eis ſiſtere non debebat, ſed ad poſteros deriuari, addit Chriſtus: *Non pro eis autem rogo tantùm, ſed & pro eis qui creditur ſunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te: vt & ipſi in nobis vnum ſint, vt credat mundus, quia tu me miſiſti.* Quibus verbis ſatis indicat hoc opus (quo clarificatur filius, nempe quod det panem de cœlo deſcendentem, ſiue hoc fiat per ſe ipſum, ſiue per ipſummet in Apoſtolis operantem) ad hoc ordinari vt ſignum habeamus miſſionis à patre. Signauit enim Pater filium, dum eademmet potentiâ qua pater operatur, & omnia ex nihilo produxit, Filius charactérem potentiæ Patris gerens naturas rerum tranſmutat, & huius claritatis, & honoris facit Apoſtolos & Sacerdotes eſſe participes, dum hoc charactere potentiæ inſigniti fuerunt: qua poteſtate prædíti Chriſtum in Sacramento exhibent præſentem, vt ſit in nobis in cibum, quo nutriti cum Deo, & ad inuicem vnum quid efficiamur. Quod quidem opus maius eſt & mirabilius, quàm in ſanctorum conſortium admitti, vt S. Thomas opuſculo, cui titulus eſt Miſſæ expoſitio, docuit dicens: *Multo maius eſt & mirabilius ſubſtantiam panis & vini in verum corpus & ſanguinem conuerti, quàm in ſanctorum conſortium admitti.*

O prætioſum, & ineffabile donum, quod Deo offerre poſſumus in ſignum noſtræ ab eius voluntate omnimodæ dependentiæ; in poteſtationem ſynceram excellentiæ eius ſupra omnia, & ſupremæ dignitatis qua præeminet rebus cunctis: quod cum facimus, vt pote noſtro munere functi perfectè, velut in centro poſiti quieſcimus. Quidam Mathematici duplex terræ centrum aſſignant, vnum vocant magnitudinis, aliud nuncupant grauitatis; primum habet terra cum vniuerſo orbe commune, à quo lineæ æquales poſſent vndequaque duci, vſque ad vltimam vniuerſi ſuperficiem; ſecundum dicunt eſſe illud punctum, in quo terra ponderibus librata ſuis, quodammodo conquieſcit, de quo Prouerb. 8. dicitur: *Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.* At vt hoc fiat, oportet, inquiunt Mathematici, vt hoc centrum grauitatis penetret centrum magnitudinis: nam ſi ab eo dimoueretur terra, quæ in æternum ſtat immobilis, hac vel illas moueretur aut inclinaretur. Pariter dico cordi humano eſſe neceſſarium habere centrum grauitatis, id eſt humillimæ demiſſionis & dependentiæ, quo in Deo, cuius magnitudinis non eſt finis, tanquam in centro conquieſcat: Illius autem dependentiæ ſignum & proteſtatio quædam externa eſt holocauſtum quod Deo offerimus, quo & illius excellentiæ, & noſtræ ab eo dependentiæ proteſtationem facimus inſignem.

At ſi hoc facere negligimus, ſi per contemptum, ſignum ad hanc proteſtationem faciendam à Chriſto inſtitutum rejiciamus, quid expectandum nobis niſi fluctuationem & inquietudinem mentis? *Quis enim ei reſtitit & pacem habuit?* in quam inquietudinem ſemel delapſi, facile erit in errores varios abduci. Cum enim difficillimum ſit, ne dicam impoſſibile, vt homo ſe abſtrahat à propenſione, quam naturaliter habet ad quietem & tranquillitatem (hanc enim omnes exoptant) ſi ſemel ab eo qui ſolus poteſt dare animi pacem & tranquillitatem auellatur, Deo nempe, quietem modò in hac re, modò in alia, licet plerumque perniciosiſſima, infelici auſu conquirere nitetur: ſed fruſtra, cum in ſola à Deo dependentia, & humillimo Dei obſequio reperiri queat. Hinc peccator, ne inquietudinem patiatur, conſcientiâ ſibi ſuggerente Deo eſſe ſeruiendum, iugum ſuccutiens dicet, non ſolum vt eſt apud Ieremiam c. 2. *Non ſeruiam*; ſed etiam, vt ait Regius Pſaltes, dicet *inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus*; & ne timore iudiciorum Dei terreatur, prouidentiam Dei abnegabit dicens: *Dereliquit Dominus terram: Dominus non videt.* Ezech. 9. Quod crimen falsò impingebat Iob Eliphaz. c. 22. *Et dicis: Quid enim nouit Deus? Et quaſi per caliginem iudicat: nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat, &c.* Similitudinem, inquit S. Thomas, *aſſumit è rebus humanis: quos enim non poſſumus videre ob aliquod impedimentum, eos nec nos videre exiſtimamus.* Iudicia Dei à memoriâ ſua omnino ablegabit peccator: qua quidem ratione innumera contrahet vitia. *Non eſt Deus*, inquit Dauid, *in conſpectu eius: inquinatæ ſunt vie illius in omni tempore: auferuntur iudicia tua à facie eius*, Pſ. 9.

Nunc illud ſacroſanctum ſacrificium, vt expiatorium, conſiderare debemus

O immenſus meritorum Theſaurus, nunquam ex hauriendus, è quo ſemper haurire licebit quidquid nobis erit neceſſarium ad expianda peccata, & pœnas peccatis debitas exoluendas! Si quis ad hunc puritatis fontem recurrere contempſerit, noua ſemper accumulabit peccata, nouaque humeris ſuis inponet onera, quibus tandem opprimatur, & periculoſiſſimo inſenſibilitatis morbo laborabit, quo in certum abeat interitum. *Longè*, inquit S. Bernardus, de conſideratione, *à ſalute membrum ab eſt quod obſtupuit; & ægrotus ſeſe non ſentiens periculoſius laborat.* Quod autem talis animæ ſtatus ad errores ſit procliuis, declarat ſatis Sanctus Paulus 1. ad Timoth. c. 4. dum hoc vitium ſub cauterij ſimilitudine exprimit dicens: *Spiritus autem manifeſtè dicit, quia in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentes conſcientiam.* Quid enim eſt, quæſo, cauteriatam habere conſcientiam? S. Ambroſius per conſcientiam cauteriatam intelligit *conſcientiam ſimulatione corruptam: quia ſicut cauterium corium corrumpit, & notam infligit, ita & fallacia conſcientiam (quæ dolo malenolentiæ aliud ſcit, & aliud profitetur) denotat ad perditionem. Iam enim hoc immutari negat vt ſaluentur, quia ſicut cauterium immutari non poteſt, ita nec eorum animus emendari: nihil enim peius eſt ſimulatione.* Ita Ambroſ. Secundum Theodoretum eſt habere conſcientiam ſtupidam, & nullum ſcelus perſentientem, ſecundum S. Thomam cauterium eſt corruptio in carne per ignem, ex qua egreditur continuè putredo. Habere igitur conſcientiam cauteriatam, eſt præter notam immutabilem, carnem nihil ſentientem, voluntatem gerere malæ concupiſcentiæ vlceratam, ex qua continuè actus deprauatæ concupiſcentiæ exeant: & non ſolum hos humores noxios emittat peruerſa voluntas, ſed etiam fœtidos, propter prauum, quod per ea proximis datur, exemplum. *Denique*, ait S. Thomas, *ex tam peruerſa voluntate, iuxta Apoſtolum, dæmoniorum egreditur falſa doctrina, vt veriſſimè dixerimus eos qui in hunc inſenſibilitatis ſtatum deueniunt, ad errores amplexandos reddi procliuiores.* Qui ſunt enim illi qui diſcedent à fide, niſi hi qui cauteriatam habent conſcientiam, id eſt ad bonum inconuertibilem, nihil ſentientem, corruptos humores cuomentem, fœtidam, malo odore omnia opplentem? Ad hunc miſerrimum ſtatum deueniunt qui conſcientiam ſuam à vitiis & peccatis expurgare negligunt, remedia à Deo ad hunc finem inſtituta reſpuendo; qui quotidie implent menſuram peccatorum ſuorum, itaut

Digitized by Google

ſuperabundet in eis iniquitas : quo fit vt iuſtè ab eis ſeueritas diuinæ iuſtitiæ ſubtrahat diuina auxilia : Et ſicut qui cenſus annuales ſoluere tenentur, dum illos ſoluere contemnunt, tandem tot debita contrahunt vt illa ſoluere nequeant, ita dum peccata peccatis accumulant, tot pœnas ſolueri tenentur, vt impoſſibile ſibi eſſe exiſtimantes à tot pœnis eximi & liberari, retro abeant à recta via, & quaſi in deſperationem ſalutis deuenientes, ad quodcumque ſcelus perpetrandum inſenſibili quadam ratione properant.

Nunc conſiderandum nobis eſt illud ſacro-ſanctum ſacrificium, vt eſt Euchariſticum.

Qui Dei erga nos beneficia ritè perſpexerit, tot laudibus & gratiarum actionibus erga Deum nos perſpiciet eſſe deuinctos, & impoſſibile eſſe fatebitur poſſe nos eas vt oportet rependere. Ideo ad laudandum Deum cœlum & terram prouocabit. *Laudent*, dicet, *illum cœli & terra, &c.* Pſ. 68. & poſtquam creaturas omnes intellectuales ſenſibiles, animatas, & inanimatas ad laudandum Deum prouocauerit, tandem dicet : *Omnis ſpiritus laudet Dominum.* Sed cum cognouerit Deum nimis eſſe laudabilem, ob ſuam magnitudinem (*Magnus Dominus*, inquit Dauid, *& laudabilis nimis*) anxius erit quid agat, vt debitas gratiarũ actiones tanto benefactori rependat. Præſtare quidem & perficere conabitur quod præſcripſit Apoſtolus c. 5. *Loquentes vobiſmetipſis in pſalmis & hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino, gratias agentes ſemper pro omnibus, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Deo & Patri.* Ad hoc præſtandum ſe eſſe quadam ratione conſecratum agnoſcet, audiens S. Petrum ita nos alloquentem 1. c. 2. *Et ipſi tanquam lapides viui ſuper ædificamini domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum*; & S. Paulum Hebræorum 13. nos admonentem his verbis : *Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt fructum labiorum confitentium nomini eius.* At cum animo & corpore Deo laudes & gratiarum actiones rependere debeat, cum non ſolum pro vno aut altero beneficio hoc peragere teneatur, ſed pro omnibus beneficiis, cuiuſcumque ſint generis, quocumque tempore collata fuerint, aut conferenda, cum prouidere bona non tantùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus, iudicauerit eſſe neceſſarium, vires & facultates noſtras talem conatum ſuperare fatebitur. Hac de cauſa opus fuit vt Deus qui creaturæ ſuæ non deeſt in neceſſariis, modum quo id fieri poſſit adinuenerit & inſtituerit.

Hic autem modus eſt Miſſæ ſacrificium, vt eſt Euchariſticum. Hoc enim ſacrificio gratias agimus in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Deo & Patri, offerimus ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum, & vnanimes vno ore honorificamus Deum, & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti ; vt vult Apoſtolus Rom. 15. Rejicitur enim optimo iure apud Anaſtaſium Synaitam q. 2. error illius ſilentiarij & recluſi, qui à ſynaxibus & cœtibus publicis ſe ſubtrahebat : quod exiſtimaret finem ſe ſynaxeon iam adeptum fuiſſe, nempe peccatorum purgationem, & Dei apud ſe manſionem : ſiquidem gratia Dei non abjicit deſiderium Eccleſiarum, ſacrorum cœtuum, & feſtorum, cum hæc optima ſint & Deo chara, præſertim Miſſæ ſacrificium. *Nemo oberret* : dicebat S. Ignatius Martyr Epiſtolâ ad Epheſios, *niſi quis intra altare ſit, fraudatur pane Dei : nam ſi vnius, atque alterius oratio tantam vim habet, vt Chriſtus inter eos conſiſtat, quanto magis & Epiſcopi & totius Eccleſiæ oratio conſonans ? Quis igitur ab his ſeiunctus eſt, nec conuenit in cœtu ſacrificiorum & Eccleſiæ, & primogenitis deſcriptis in cœlo, lapſus eſt ſub ouis pelle, miſeriã præ ſe ferens formam.* Ita S. Ignat & optimè : Nam Miſſæ ſacrificium ſymbolum eſt communionis ſanctorum : vnde qui hunc modum laudandi Deum, eique gratias agendi contemnunt, ad ſchiſmata propenſiores eſſe oportet, qui Sacramentum vnitatis frequentare recuſant. At à ſchiſmate in hæreſes facilè delabimur. Optimè ſiquidem S. Ambroſ. hæc verba Apoſtoli 1. ad Corinth. c. 11. ponderans (*Primùm quidem conuenientibus vobis in Eccleſiam, audio ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo : nam oportet & hæreſes eſſe, vt & qui probati ſunt manifeſti fiant*) ait. *Primum dicendo, genus peccati oſtendit : vnde orti ſunt errores quos reprehendit. Vbi enim diſſentio eſt, nihil rectum eſt.* Quin & S. Thomas hîc rectè animaduertit rarò fieri vt ſchiſmata exiſtant & hæreſes abſint. *Aſſignat*, inquit S. Tho. *Apoſtolus rationem ſuæ credulitatis : nam oportet non ſolum quaſcumque ſciſſuras, ſed & hæreſes eſſe.* Vnde S. Cyprian. Epiſt. 29. ad Cornelium de ſchiſmate Nouatianorum nuncupabat *facem & ignem ad conflanda ſeditionis incendia, turbinem & tempeſtatem ad faciendã fidei naufragia.* Ita Cypr. Ex contemptu igitur ſacrificij Miſſæ, ſeu Euchariſtiæ, quo ad inuicem coniungimur, oritur ſchiſma : ex ſchiſmate naſcuntur hæreſes & errores : Itaque ne contemnamus hunc modum conueniẽtiſſimum gratias agendi Deo & Patri per Chriſtũ, vt vnanimes honorificemus Deum ; *vt Redemptoris memores*, vt ait S. Ambroſ. in 1. ad Corinth. c. 11. *maiora ab eo conſequi mereamur.* Qui hoc genere gratiarum Deo agendi ſibi opus non eſſe aſſereret, vt mente captus eſſet rejiciendus, & eodemmodo habẽdus quo ſancti Patrẽs quemdam Valentem Eremitam nimia præſumptione elatum durè habuerunt. *Hic*, inquit Anaſtaſius ſynacta q. 2. ex hiſtoria Lauſiaca, *à diabolo fuit deceptus : nam ei apparentem in forma Saluatoris diabolum adorauit : & fratribus poſtea dixit ſibi in poſterum nullum eſſe opus communione, quod Saluatorem Chriſtum oculis ſuis vidiſſet : ſed eum ſancti Patres carceri manciparunt, & vſurpatis ac confuſionibus plurimis, quibus illum afficiebant, ieiuniis & orationibus eius inſaniam curare ſtuduerunt.*

Veniamus nunc ad ſacro-ſanctum ſacrificium, in quantum eſt impetratorium.

Optimo iure Clemens Alexandrinus, l. 7. ſtromatum, erroris & impietatis arguit quoſdam Philoſophos, quos vocat Cyrenaicos, & ſectorem quemdam eorum Prodicum, eoſque execrabiles nuncupat, ex eoquod dicerent ad Deum per orationem non eſſe recurrendum. Deus namque non agit ad modum ignis neceſſariò, ſed voluntariè : nos quidem præuenit dona offerendo, & antequam plærumque poſtulemus, præuenit nos in benedictionibus dulcedinis. At nihilominus vult vt ei occurramus per deſiderium & poſtulationem : non enim inanimatos nos effinxit, ſed libertate dotauit, vt liberè & velle & deſiderare valeamus quæ nobis ſunt vtilia ; itaut ſtatim atque luce ſua nos colluſtrauerit, & corda noſtra ſpiritu ſuo tetigerit, & mentis docilitatem, ac voluntatis noſtræ ad eum deſiderandum flexibilitatem inueniat. *Sanctitas enim connexa cum beata prouidentia*, inquit Clem. Alexand. *per ſpontaneam confeſſionem oſtendit perfectum Dei beneficium.* Deus ſiquidem bonus non eſt per quamdam coactionem, vnde fit vt nos præueniat antequam petamus ; nec homo, repugnante eius voluntate, ſaluari debet : quo fit vt Deus ab eo requirat, vt deſideriis & orationibus ab eo ſalutem expoſtulet, vt opus ſuum, ſalutem nempe noſtram, in nobis perficiat. Quam autem neceſſarium ſit iſtud orandi Deum exercitium, ex S. Paulo accipe 1. ad Timoth. c. 2. *Obſecro igitur primum omnium fieri obſecra-*

Digitized by Google

tiones, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus qui in ſublimitate ſunt, vt quietem & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate: Hoc enim bonum eſt & acceptum coram Saluatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Quod exercitium adeò neceſſarium exiſtimat, vt nullum locum excipiat, nullum tempus determinatum præſcribat, nullum negotium excludat, pro quo ad Deum non ſit recurrendum; nullum ab hoc onere eximat, dum addit. *Volo ergo viros orare in omni loco, leuantes puras manus ſine ira & diſceptatione;* ſiue dum ait ad Theſſal. 5. *Sine intermiſſione orate,* & poſtea: *In omnibus gratias agite: hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Ieſu in omnibus vobis.* At S. Hilarium audiamus in Pſ. 140. rationes quaſdam adducentem, quibus ad orationem exercendam accendi debeamus. *Humilitatis noſtræ eſt deprecari, magnificentiæ Dei eſt orari, fidei eſt poſtulare Confeſſionis & laudis gratulari;* tum etiam in Pſalmum 63. quantum hoc ſit neceſſarium inculcantem, cum ait: *Inter maximas ſeculi tempeſtates, & grauiſſimas humani generis in Deum impietates ſumus conſtituti, cuius fidelem per nos & veram confeſſionem nunc Philoſophia irrideat, nunc hæreticorum furor incurſet, nunc auaritiæ ſtudia condemnent, nunc ſauor inquietet: quibus omnibus diſſimulandis, tolerandis, vitandis & coarguendis, mens noſtra niſi per Deum erudita non ſufficit, &c. Quibus omnibus peruigil cura, pernox oratio & aterna ad Deum confeſſio repugnabit, ingruentibus his quæ ſuperius memoranimus, per quæ fides noſtra, & ſpes periclitant, ad eum qui ſolus mederi his poteſt referatur oratio: metus eſt enim ne infirmam per naturam & conſortium carnis animam vndique ſubrepentium illecebrarum æſtus abſorbeat. Adſunt namque quotidie, & pugnant blandimentis fallacibus, quaſdam machinas excidij admouentes. Itaque per doctrinam cæleſtis eruditionis pernigilem curam fidei impendere admonemur, timere inſidiantem ſemper hoſtem, ne incautam ſecuritatem noſtram, ipſe in ſpeculis poſitus incurſet. Vigilandum ergo in oratione Dei, & ſemper orandum, vt cum fatigari anima & affligi ſubrepentium illecebrarum aculeis caperit, Deus ſemper oratus exaudiat, noſque ab his quæ timemus eripiat.* Ita Hilar. Sed quia cunctæ noſtræ orationes nullatenus admitti poſſunt, niſi in nomine Chriſti offerantur, per quem acceſſum habemus ad Patrem, ideo ne repulſam pateremur, voluit Chriſtus Dominus ſeipſum offerre in ſacrificium impetratorium omnium mediorum, quæ ad ſalutem noſtram acquirendam ſunt per opportuna. Sic enim ſacerdos Deum Patrem compellit in altari: *Offerimus tibi Domine, calicem ſalutaris, tuam deprecantes clementiam, vt in conſpectu tuæ diuinæ Maieſtatis pro noſtro & totius mundi ſalute cum odore ſuauitatis aſcendat:* quin & ad Deum oratione promerendũ pro quauis neceſſitate ingruente aptiſſimum eſt: ſi enim promiſit Chriſtus vt quidquid petierimus Patrem in nomine eius, illud nobis eſt ab eius benignitate ſperandum, quando verius in nomine eius Patrem adire poſſumus, quàm cum ipſummet in altari offerimus? Vnde illud ſacrificium placet Deo, etiam ſi homo qui offert non placeat Deo, & licèt peccatores de illo non cogitent, pro peccatoribus tamen valide & licite offerri poteſt, quo donum contritionis & alia media ad ſalutem conducentia ipſis impetrari poſſint. Hac de cauſa Anaſtaſius ſynaita de ſancta ſynaxi, Eccleſiam Dei officinam medicam eſſe, & portum aſſerebat. *An ignoras,* inquit, *Eccleſiam Dei officinam medicam eſſe & portum? Si igitur in domo medici à morbo tuo non libereris, vbi de cætero curaberis? Eſi in portu fluctibus agiteris, vbi poſtea quieſces? State obſecro cum reuerentia, ſtate cum timore, tremendâ illâ elevationis horâ: quo enim affectu & quo animo quiſque illo tempore adſiſtit, ſit & ad Dominum ſurſum fertur: ἀναφορὰ enim ſiue elevatio dicitur, quia ſurſum ad Deum fertur.* Ita Anaſt. Cum igitur oratio ſit eleuatio ſeu aſcenſus mentis in Deum, optimè conuenit cum ſacrificio Miſſæ, quod quidem eleuatio dicitur.

Nunc ſi in hoc ſacrificio tam efficax ac præſentiſſimum habeamus medium, quo omnia poſſimus impetrare, ſi ſemel illud contempſerimus, quid de noſtra erga Deum pietate aut ſyncero cultu ſperandum erit? Proculdubio fucata erit deuotio noſtra: Labiis tantum Deum honorabimus, cor autem noſtrum longe erit ab eo, & pars noſtra erit cum hypocritis, ad quos aiebat Dominus: *Væ vobis Scribæ & Phariſæi, qui comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: propter hoc amplius accipietis iudicium.*

Quod autem hoc vitium ad errores & hæreſes proclines reddat, patet ex eo quod de hypocrita loquens Eliph. c. 13. Iob dicebat: *Concepit dolorem & peperit iniquitatem, & venter eius præparat dolos.* Ita Eliphaz. *Ne ſueris,* inquit Sapiens Eccleſ. 1. *hypocrita in conſpectu hominum, & non ſcandaliʒeris in labiis tuis: attende in illis ne forte cadas, & adduces animæ tuæ inhonorationem, & reuelet Deus abſconſa tua, & in medio ſynagogæ elidat te: quoniam acceſſiſti malignè ad dominum, & cor tuum plenum eſt dolo & fallacia.* Igitur ad Deum ſyncero corde eſt recurrendum per orationem, in quacumque neceſſitate poſiti fuerimus: quod religioſè faciunt qui ſe indignos exiſtimantes Deum adeundi, ad Chriſti merita confugiunt, attente & deuote ipſum offerentes Deo in Miſſæ ſacrificio, & in eius nomine quidquid petunt à Deo poſtulantes. Ad quam deuotam recurrendi ad Deum rationem nos inuitat Anaſtaſius Synaita ibidem dum ait: *Attende oro, ne forte non habeas ſurſum cor ad Dominum, ſed deorſum ad diabolum. Quid facis homo? Sacerdos pro te incruentum Sacrificium Domino offert, & tu contemnis: Sacerdos pro ſe pugnat, altari quaſi tremendo tribunali aſſiſtens, inſtat & vrget vt ſupernis ab aris gratia tibi dimittatur; & te ſalutis tuæ nulla cura tangit? non ita agas moneo, abdita à te hanc malam & vanam conſuetudinem, iunge clamorem tuum cum Sacerdote pro te decertante, iunge laborem tuum cum ſacerdote pro te deprecante. Da teipſum pro tua ſalute. Multum valet deprecatio inſti aſſidua & efficax: efficax eris ſi & tu cum ſacerdote partes tuas copules, fructuſque pœnitentiæ demonſtres, quia vnus ædificans & vnus deſtruens quid prodeſt illis niſi labor? Quam grauis enim hæc deſtructio! quando non ſolum tremenda illa diuinæ ſynaxeos & liturgiæ horâ Deo mentiris, ſed & odium in fratres memor iniuriarum retines, quamuis in oratione illud pronuncies: Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Vides Deum in ſacrificio Miſſæ maxime ſynceritate delectari, vt quæ ore profitemur corde teneamus. Addit Anaſtaſius. *O homo, quid agis? Dum Angeli ſanctæ Miſſæ officio miniſtrant ſex alis volantes, ſacrum & myſticam menſam obuolant, dum Cherubin circumſtant & triſagij clara voce concinunt, Seraphini cum reuerentia ſe inclinant, dum pontifex miſericordiam Dei tibi deprecatione conciliat, omnibus inter ea timore atque tremore defixis, dum Agnus Dei ſacrificatur, Spiritu ſancto deſuper ſuperueniente, dum Angeli inuiſibiliter omnem populum circumeunt, fidelium que animas ſignant & deſcribunt, non per horreſcis?* Hæc Anaſtaſ. Igitur cum corde ſyncero Miſſæ ſacrificium frequentare debemus, vt adiutorem fideliſſimum habeamus, per quem deſideria noſtra audiat omnipotens; aliàs ſi tantum munus & tam efficax medium omnia à Deo impetrandi neglexerimus, fucata erit & fallax omnis noſtra religio & ad Deum pietas: non enim nobis eſt exiſtimandum ad Deum per alium quàm per

Digitized by Google

Chriſtum nos poſſe accedere ; qui aliter ſentit, proculdubio in errores varios abducetur, & ad veritatis adeptionem nunquam perueniet.

De Vitiis ad errores inducentibus, ex contemptu Chriſti Domini, in quantum ſedet in dextera Patris, quatuor potiſſimum Virtutibus inſignitus. §. 5.

Chriſtus Dominus etiam vt ſedet in dextera Patris, per altare aureum poteſt ſignificari. Altari quippe illud dicitur in quo reponuntur hoſtiæ, & victimæ Deo offerendæ : at Chriſtus vt eſt in cælis, omnes oblationes, laudes & gratiarum actiones ſanctorum & fidelium, quibus Deum proſequuntur, ſiue in cœlis iam exiſtentibus, ſiue adhuc in terra degentibus, ſuſtinere videtur. Per altare igitur optimo iure ſignificare poterit Quod vt percipiamus, doctrina Theologorum in memoriam eſt reuocanda, qua docent primò Angelos & beatos creaturas videre in Deo duobus modis, primo ſecundum illud eſſe eminentiſſimum, quod habent in Deo ipſo, ſecundo, ſecundum eſſe proprium formale quod creaturæ extra Deum, & in ſeipſis poſſident, extra ſuam cauſam productæ ; ſiue eas videant in Verbo, id eſt per reuelationem quandam Verbi, à viſione beatifica diſtinctam ; ſiue hoc fiat quia viſio beatifica ad hoc extendatur, vt per eam etiam videantur creaturæ, quarum cognitionem Deus intendit beatis communicare.

2. Notandum tam reuelationem illam ſpecialem, quàm viſionem beatificam, opus eſſe ad extra, quod quidem Verbo appropriatur : quia fiunt per lumen aliquod intellectui infuſum, quod proprium eſt Verbi, omnem hominem venientem in hunc mundum illuminantis. Licet enim opera Trinitatis ad extra ſint indiuiſa, *inſeparabilis quippe dicimus*, ait S. Auguſt. de prædeſtinatione ſanctorum c. 8. *eſſe opera Trinitatis*, effectus tamen illuminationis ſeu reuelationis Verbo appropriantur, ſicut effectus amoris Spiritui ſancto aſſignantur. Igitur lumen gloriæ, & quodcumque aliud lumen intellectuale cum ſint effectus Verbo appropriati, fundamentum aliquo modo exiſtunt piarum omnium affectionum, quæ à Beatis eliciuntur, vt ſeipſos in hoſtias Deo placentes offerant in æternum, quibus & Dei magnitudinem, & creaturæ paruitatem, & Dei eſſe eminens & à nullo dependens, & omnimodam ab eius voluntate, creaturarum dependentiam agnoſcant & fateantur, qua ratione Dei ſummam Maieſtatem & excellentiam extollant, & magnificent Verbum Dei. His præſuppoſitis, Dico altare illud aureum, Verbum nempe diuinum, omnes laudes & gratiarum actiones, & oblationes tum Angelorum tum ſanctorum ſuſtinere, cum omnibus Chriſtus Dominus lumen infundat, quo poſſint in Dei amorem eleuari, & in diuinas laudes & gratiarum actiones prorumpere. Sic enim adimplet quod Luc 12. promiſit : *Amen dico vobis, quod præcinget ſe & faciet illos diſcumbere : & tranſiens miniſtrabit illis.* Hac enim loquendi formula declarat modum quo ſeruos ſuos præcinctos in hora mortis, id eſt paratiſſimos ad omnia, quæ iubet exequenda, in æternum beabit. Quid eſt enim ſeipſum præcingere, niſi veſtimentum ita diſponere, vt expeditiùs & faciliùs & ambulemus & miniſtremus ? At quæſo quodnam eſt Chriſti veſtimentum ? *Amictus* eſt *lumine ſicut veſtimento.*

Quid igitur erit lumen præcingere, niſi infinitum illud lumen aliquali ratione accommodare capacitati recipientium tanti luminis participationem, per infuſionem luminis gloriæ, aut ſpecialis reuelationis ? Diſcumbunt beati, ad denotandum quietis æternæ pacatiſſimum ſtatum. Ipſe vero tranſiens miniſtrat, quia in quibuſlibet beatis effectum aliquem operatur, dum in cunctis illis creat ſeu producit lumen gloriæ, quo mentes beatorum capaces redduntur viſionis diuinæ ; itaut nec in illo nec in iſto beatorum ſiſtat, ſed tranſire dicitur, quia ex eo quod huic lumen miniſtret, ex hoc non impeditur, quin iſtud lumen alteri infundat : quo lumine colluſtrati poſſunt beati ſpirituales hoſtias & victimas Deo offerre. Hoc ſacrificium illud eſt excellentiſſimum ad quod adſpirare debemus, vt docet S. Auguſtinus in Pſ. 117. illum verſiculum exponens : *Conſtituite diem ſolemnem in condenſis uſque ad cornu altaris. Id eſt*, inquit, *uſque ad interiorem domum Dei, de qua vos benediximus, vbi ſunt altaria excelſa. Conſtituite diem feſtum, non tepidè ac ſegniter, ſed in conſrequentationibus. Ipſa eſt enim vox exaltationis ſoni feſtiuitatem celebrantis, ambulantium in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei. Si enim eſt ibi ſpirituale ſacrificium, ſempiternum ſacrificium laudis, & ſacerdos ſempiternus eſt, & altare ſempiternum, parata mens ipſa iuſtorum. Hoc apertius dicimus fratres. Quicumque Deum Verbum intelligere volunt, non eis ſufficiat caro, quod propter eos Verbum factum eſt, vt lacte nutrirentur ; nec in terra ſuſficiat iſte dies feſtus quo agnus occiſus eſt, ſed conſtituatur in conſrequentationibus, quouſque perueniatur, exaltatis à Domino mentibus noſtris, uſque ad eius diuinitatem interiorem, qui nobis exteriorem humanitatem lacte nutriendis præbere dignatus eſt. Et quid ſibi aliud niſi laudes eius cantabimus ? quid ibi aliud dicemus, niſi Deus meus es tu, & confitebor tibi : Deus meus es tu & exaltabo te. Confitebor tibi Domine quoniam exaudiſti me, & factus es mihi in ſalutem. Non ſtrepitu verborum iſta dicemus, ſed dilectio inhærens illis per ſemetipſam clamat iſtam vocem & dilectio ipſa vox eſt. Itaque ſicut cepit laudem, Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius ; hinc cepit pſalmus, hinc deſinit : quoniam ſicut ab initio ita in finem quo redimus, non eſt aliquid quod ſalubrius delectet quam laus Dei, & ſemper alleluya.* Hæc maxime ad noſtrum propoſitum S. Auguſt.

Quod ſi paratæ mentes iuſtorum altaria ſunt excelſa, altaria ſempiterna, ſuper quæ ſint ſpiritualia & ſempiterna laudi & dilectionis Dei ſacrificia, certè Chriſtus Dominus non ſolum poterit ſignificari per altare aureum, ex eo quod lumen infundat mentibus beatorum, quo poſſunt in amorem Dei & in diuinas laudes euehi ; ſed etiam altare dicitur, quia videlicet eius mens parata altare ſit excelſum & ſempiternum, ex eoquod ſempiternum habeat ſacerdotium, ex eo quod verus ſacerdos & hoſtia quotidie ſe offert Deo Patri pro nobis. *Non enim in manufacta ſancta Ieſus introiit exemplaria futurorum, ſed in ipſum cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Heb. 9. vnde S. Ioannes 1. epiſt. c. 2. dixit : *Sed & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi. Habentes ergo*, inquit S. Paulus c. 4. *Pontificem magnum, qui penetrauit cælos, Ieſum filium Dei, teneamus confeſſionem. Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* De illo altari intelligendum eſt quod quotidie in Miſſa dicimus : *Supplices te rogamus ac petimus, iube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum, in conſpectu diuinæ Maieſtatis tuæ.* De illo proculdubio altari vnus de Seraphin calculum forcipe tulit Iſ. 6. quo labia Iſaiæ tangeret, vt auferretur ab eius labiis iniquitas, & peccatum eius mundaretur : quia videlicet reuelationem ſpecialem à verbo accepit,

& pium

& pium affectum, vt Iſaiam poſſet aptum reddere ad annuncianda Dei mirabilia, abſque vllo errore, mendacio aut prauo affectu. Optimè igitur S. Thomas in cap. 9. Apocal. ait: *Altare enim Chriſtus eſt: quia in ipſo per ipſum offerre debemus Patri quicquid Deo volumus eſſe acceptum, ſiue ſacrificium orationis, ſiue alia bona, &c. Aureum eſt, propter ſplendorem ſapientiæ, & eminentiam charitatis intimæ, qua ſcilicet nos dilexit: ante oculos Dei, id eſt, quod eſt acceptabile Patri.* Ita S. Tho.

Chriſtus igitur in dextera Patris poteſt etiam per altare ſignificari. Videamus nunc quænam ſint cornua huius altaris, id eſt Chriſti, in dextera Patris ſedentis. S. Thomas in c. 9. Apocalypſis per cornua altaris intelligit ſanctos prædicatores, propter quatuor quæ debent prædicare de Chriſto: duo ſunt aſſumptæ infirmitatis, ſcilicet Natiuitas & Paſſio, duo ſunt diuinæ poteſtatis, ſcilicet Reſurrectio & Aſcenſio. Sed viam nobis parat ad aliam expoſitionem ſanctiſſimus Doctor, dum hæc verba cap. 1. Ep. ad Hebræos exponens (*Locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula, ſedens ad dexteram maieſtatis in excelſis*) ait *in his verbis quatuor ſignificari, quæ pertinent ad excellentiam Domini noſtri, qua ſuper Angelos ſublimatur; nempe quantum ad originem, quia filius; quantum ad dominationem, quia hæres; quantum ad operationem, quia ipſe fecit ſæcula; quantum ad honorem, quia ſedet ad dexteram Maieſtatis.* Ita S. Tho. Et ſic dico per quatuor cornua quatuor dignitates Chriſti, in quantum eſt ſedens in dextera Patris, poſſe denotari. Prima eſt quod dicatur Dominus vitæ & mortis: reſurrectio enim mortuorum eſt operatio excellentiſſima illius, per quem facta ſunt ſecula. *Amen, amen dico vobis: quia venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint viuent. Sicut enim pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo.* Ioan. 1. Sic enim eſt α & ω principium & finis: nam per Verbum omnia creata ſunt, & in reſurrectione mortuorum, per Verbum omnia conſummabuntur. Secunda dignitas Chriſti eſt vt ſit Rex Regum, & Dominus Dominantiũ, & data ſit ei poteſtas in cœlo & in terra, cum ſit hæres vniuerſorum; quam dignitatem etiam agnoſcit S. Thomas. Tertia dignitas eſt quòd ſit conſtitutus à Deo Iudex viuorum & mortuorum: quam dignitatem videtur agnoſcere piiſſimus Doctor, cum ait: *Quantum ad honorem, quia ſedet ad dexteram maieſtatis.* ſedere enim iudicantis eſt; & quia redemptor noſter aſſumptus in cœlum, & nunc omnia iudicat, & ad extremum iudex omnium veniet, ſedere deſcribitur. & in hoc honoratur: *neque enim pater iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, ſicut & honorificant Patrem.* Ioan. 5. Quarta dignitas eſt, vt adoretur tanquam æqualis Patri, ab Angelis & hominibus: quam quidem etiam agnoſcit S. Thomas, dum ait: *Quantum ad originem, quia Filius.*

Prima dignitas Chriſti innotuit maximè in Aſcenſione Domini, de qua S. Auguſt. Serm. 5. de Aſcenſione: *Vident nempe Apoſtoli Regem ſuum vitæ carnis manubias reportare, atque hoſte debellato hominem in ſuperna conſcendere: agnoſcunt in cicatricibus ſigna bellorum, adorant in carne vulnera iam ſanata, vbi nihil macula peccati extruxerat, nec quiſpiam ſuã virulentiã grauidus ille veneni draco vomuerat: ſerpens enim veſtigium in petra non figebat.* Ita Aug. In nobis quidem ſerpens veſtigia ſuæ virulentiæ reliquit, qui in putredinem & corruptionem, & tandem in puluerem redigimur: at Chriſtus non vidit corruptionem, ſed gloriosè reſurgens, nos in ſpem reſurrectionis erexit: *ſi enim Chriſtus reſurrexit*, inquit Apoſtolus, *& nos reſurgemus.* Meritò igitur, vt in principio huius Sermonis dicit S. Auguſt. *Aſcenſionis dominicæ inclitum & regale myſterium, quod Chriſtus terram leuauit ad cœlum, canit etiam totus mundus & feſtis agit gaudiis triumphos Domini ſui: quia erexit à terra inopem, & de ſtercore exaltauit pauperem, eumque leuauit ad Patrem. Quis igitur illuc poteſt aſcendere, & aereos dæmones tranſire, niſi ille ſolus qui peccatum non potuit habere? Crux ergo illa non obfuit ſed profuit, quia & nobis Chriſtus vicit, & ille in ea ſuperari non potuit. Non ſepulchra, non inferi victricem domuere carnem, &c.* Et in fine Sermonis S. Auguſt. ad hanc interrogationem. *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Angelos reſpondentes inducit, *Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ. Hic eſt ille candidus & roſeus, compunctus à multitudine. Hic eſt ille qui non habuit ſpeciem neque decorem, infirmus in laqueo, fortis in ſpolio, vilis in corpuſculo, armatus in prælio, fœdus in morte, pulcher in reſurrectione, candidus ex virgine, rubicundus in cruce, fuſcus inopprobrio, clarus in cœlo.* Ita Aug. Et vt nos in ſpem huius gloriæ erigat, addit: *Recepit igitur ſe intra velamina diuina cum carne Majeſtas: didicit cœlum portare hominem, atque ſub pedibus Chriſti famulantia aethera iacuerunt. Ecce iam porta patet, quam clauſerat Adam, clauſtrum quod cœlo iniquitas infixerat reparatum eſt. Si quis ſe ad Chriſtum tenuerit, & vnius ſubſtantiæ Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum confeſſus fuerit, cœli ianuas per ipſum ſecurus intrabit. Amen.* Ita Aug. His poſitis,

Dico quod ſi quis hanc ſpem abjiciat, certè facillimè in diuerſos errores diſtrahetur: vnde rectè Apoſtolus dixit de his qui ſpem abjiciunt, *qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam.* Epheſ. 4. Hi ſunt qui apud Hieremiam c. 18. dicunt: *Deſperauimus: poſt cogitationes enim noſtras ibimus: & vnuſquiſque pranitatem cordis ſui mali faciemus.* Et vt ait S. Auguſtinus de verbis Domini in Ioan. Ser. 50. *Impleamus ſaltem præſentis temporis voluptatem, quia nullam in futuro habemus mercedem. Faciamus quidquid libet, etſi non licet, vt habeamus ſuauitatem vel temporalem, quia percipere non meremur æternam.* Ita Aug. *Impiorum namque eſt*, vt idem Serm. 181. de tempore in vigil. Pentecoſtes, *deſperare ſalutem & contemnere, cum in profundum venerint malorum, non peccatorum. Impietas enim eos prohibet ad Deum reſpicere, & illuc redire vnde delapſi ſunt.* Ita Aug. Sic Sapiens c. 2. cauſam reddens cur homines deliriis vacant, & iniuſtitias exercent, & immiſericordes erga alios exiſtant, ait: *Et neſcierunt Sacramenta Dei, neque mercedem ſperauerunt iuſtitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum ſanctarum: quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum, inuidiâ autem diaboli mors introiuit inorbem terrarum. Imitantur autem illum qui ſunt ex parte illius.* Audiamus ergo S. Auguſt. Serm. 181. de tempore: *Intellige, chariſſime, ergo quiâ propterea diabolus deſperationem ſubjicit impetrandi, vt ſpem bonitatis Dei nobis abſcindat: quæ eſt dux ſanctis quo itur ad cœlum. Capitis præceſſio*, inquit ille Serm. 6. in feſto Aſcenſ. *ſpem membrorum eſt. Aſcendamus ergo & nos cum Chriſto interim corde*, vt idem ait Ser. in vigil. Pent. *vt cum dies eius promiſſus aduenerit ſequamur & corpore*: Et vt habet Serm. 81. in Euangel. Ioannis: *Quid eſt: nemo aſcendit, niſi qui deſcendit, niſi quia nemo aſcendit, niſi vnum cum eo factus, & tanquam membrum compactus in eius corpore qui deſcendit? quid namque ſperare debeamus oſtendit in carne ſua, hoc eſt in capite noſtro, in qua reſurrexit & aſcendit ad Patrem.* Hanc ſpem tanti momenti eſſe duxit idem Auguſt. de cathechiſandis rudibus, vt illam fortiter eſſe inculcandam voluerit. *Itaque*, inquit, *confirma teipſum in eius nomine, atque adiutorio eius credis, aduerſus linguas eorum qui fidem noſtram irrident, de quibus diabolus*

ſeductoria verba loquitur, maximè volens irridere fidem reſurrectionis, ſed ex teipſo crede futurum eſſe cum futuris, quando cum ante non fueris, nunc eſſe te vides. Nunquid difficilius eſt Deo, qui etiam aggeres nubium ex occulto in momento contrahit, & contegit cœlum, in ictu temporis reddere illam quantitatem corporis tui ſicut erat, quis eam facere potuit cum non erat? Ita Aug. Lege S. Laurentium Iuſtinianum de triumphali Chriſti agone. c. 9. Sed qui hanc ſpem abſcindunt, & abiciunt, vt dictum eſt, facilè errores quoslibet amplectuntur, vt, vt præſentibus pacatius fruantur, qui de futurorum bonorum fruitione omnino deſperant.

Ad alteram Chriſti dignitatem treanſeamus, nempe quod vt Rex Regum & Dominus Dominantium, caput Angelorum & hominum, Eccleſiam inuiſibiliter ſuo ſpiritu regat & ſanctificet: Botrus eſt Cypri, aromaticæ arboris florē gerentes, ad modū vuæ alicuius effoematum, fragrantiſſimi & ſuauiſſimi odoris: nam ad dexteram Patris exaltatus, non vnam tantum dignitatem, non vnum ſolummodo adeptus eſt honorem, ſed plures illi competunt, v. g. quod propria virtute reſurrexerit, quod infernum ſpoliauerit, quod in throno Patris conſederit, quod Spiritum ſanctum ſupra Apoſtolos miſerit, quod in viuos & mortuos iudicia exerceat, quod quotidie fideles ſanctificet, eoſque ſapientiſſimis rationibus per media cōuenientia regat, & ad finem debitum perducat: quæ omnia thymiama odoriferum componunt, mentes eorum qui eum contemplantur ſuauiter afficiens, vt dicant: *In odorem vnguentorum tuorum curremus, recti diligunt te.* Non igitur in Chriſto hæc ſola dignitas contemplanda eſt, quod ſit Dominus vitæ & mortis, ſed alias etiam contemplari licet: intat quas ita eſt, de qua nunc agimus, quod ſit Caput Angelorum & hominum. *Hanc*, ait S. Polycarpus, epiſt. ad Philipp. *ſubiecta ſunt omnia, cœleſtia, terreſtria & ſub terranea, cui omnis ſpiritus ſeruit.* Eum vocat S. Dyonyſ. Areopag. c. 1. de Eccleſ. Hierarchia, *omnium Hierarchiarum principium & conſummationem.* Nam vt ait Dionyſ. Carthuſ. *in quantum Deus eſt, principium formale eſt exemplariſque cauſa, & finis conſummatiuus omnis ſacris principatus.* Cum igitur ipſe ordinem certum dignitatum, & auctoritatum ſacrarum inſtituerit in Eccleſia Militante, illum intueri debemus vt eſt cauſa & origo totius dignitatis & auctoritatis: *Non eſt enim poteſtas niſi à Deo: quæ autem à Deo ſunt, ordinata ſunt.* Ipſe Apoſtolos miſit, vt miſſus fuit à Patre: & ſicut exemplar eſt omnium diuinarum operationum, ſic & finis eſt ipſarum, itaut quidquid agant Eccleſiæ Paſtores ab eo conſtituti & poſiti, ad hoc tendere debeant in exercitio ſuarum functionum, vt Chriſtus viuat & regnet in nobis. *Filioli mei*, dicebat S. Paulus, *quos iterum parturio, donec Chriſtus formetur in vobis*, nempe vel ſuſcipiendo quæ docuit, vel imitando quod egit, vel amore proſequendo quod dilexit: diuina quippe beatitudo, vera diuinitas ac principium deificans, ex doctrina S. Dyonyſ. iis quos iam deificauit poteſtatem impertitur alios Deificandi, illos ad vnum & vnitatem reducendo: quod quidem nulla meliori ratione fieri poteſt, quàm ſi vnius capitis, nempe Chriſti, membra efficiamur, itaut ab eius Spiritu viuificemur & regamur. *Ad hoc*, inquit Dionyſ. Carth. in Dionyſ. Areop. *quod veram beatitudinem & vnionem perpetuam Eccleſia ſortiatur à Deo, & in Deo, omnis præſidentia Hierarchalis, & omnis actus Hierarchicus, omniſque auctoritas & poteſtas Eccleſiaſtica & iuriſdictionalis inſtituta & data ſunt, atque finaliter ordinantur & tendunt.* Ita Dyon. Sic igitur vniuerſorum Caput Chriſtus vnum eumdemque influit ſpiritum, ſingulis dona diſtribuentem prout vult, ſeu A iudicat expedire. De hac Chriſti Domini ſuprema dominatione optimè S. Ireneus l. 4. aduerſ. hæreſes c. 37. *Vnus Deus Pater, qui ſuper omnes & in omnibus nobis: ſimiliter & Dominus: Omnis mihi, inquit, tradita ſunt à Patre meo; manifeſtè ab eo qui omnia fecit: non enim aliena ſed ſua tradidit ei. In omnibus autem, nihil ſubſtractum eſt: & propter hoc idem eſt Iudex viuentium & mortuorum, habens clauem Dauid: aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Nemo enim poterat nec in cœlo, nec in terra, nec ſub terra aperire paternum librum, nec videre eum, niſi agnus qui occiſus eſt, & ſanguine ſuo redemit nos: ab eodem qui omnia verbo fecit, & ſapientiâ adornauit, accipiens omnem poteſtatem, quando verbum caro factum eſt: Vt quemadmodum* B *in cœlis principatum habuit verbum Dei, ſic & in terra haberet principatum: quoniam homo iuſtus qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius; principatum autem habeat eorum quæ ſub terra, ipſe primogenitus mortuorum factus, & vt viderent omnia, quemadmodum prædiximus, ſuum Regem, & vt in carnem Domini occurrat paterna lux & a carne eius rutila veniat in nos, ſic homo deueniat in incorruptelam circumdatus paterno lumine.* Ita Ireñ. Quod ſi hanc Chriſti dominationem vel non agnoſcas, vel agnitam contemnas, facillimè in contemptum eorum, quos ipſe Paſtores & Epiſcopos potuit, deuenies: qua quidem ratione ad errores via patens & procliuis aperietur, S. Petro, & S. Iuda in Epiſtolis maximè huius veritatis teſtibus fide dignis: Primus ait Epiſt. 2. c. 2. C *Nouit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem iudicij reſeruare cruciandos, magis autem eos qui poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, ſibi placentes, ſectas non metuunt introducere blaſphemantes.* Ita Petrus: Vides contemptores Dominationum, id eſt Magiſtratuum, Epiſcoporum, omnium ſcilicet ſuperiorum Eccleſiaſticorum & Politicorum, ſi Vatablo, & Cornelio à Lapide credimus, aptos eſſe ad introductionem ſectarum. Vnde S. Hieronimus lib. 1. contra Iouinianum, legat in plurali *Dominationes*, quod in Lutheranis & Caluiniſtis, his nouiſſimis temporibus, ſatis perſpicuè innotuit. Petro conſentit S. Iudas, dum ait eos dominationem ſpernere D & Maieſtatem blaſphemare v. 8. de quibus v. 4. antea dixerat: *ſubintroierunt enim quidam homines (qui olim præſcripti ſunt in hoc iudicium) impij, Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam, & ſolum dominatorem & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum negantes*: quo proculdubio fit vt abnegantes Regem vnicum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt habet verſio Arabica apud Cornel. eos quos ipſe conſtituit ſpernant: vnde Chriſtus pro ſigno honoris vel contemptus erga ſe, poſuit honorem, vel contemptum erga Eccleſiæ Paſtores exhibendum, dum Luc. 10. ait: *Qui vos me audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit: & qui me ſpernit, ſpernit eum qui me miſit.* E Vultis ne igitur conſeruari à Deo ſine peccato, & conſtitui *ante conſpectum gloriæ ſuæ immaculatos, in exaltatione, in Aduentu Domini noſtri Ieſu-Chriſti*, vt loquitur S. Iudas in fine epiſtolæ ius? Emonitis obtemperemus, Dei Imperium & poteſtatem agnoſcentes. *Soli*, inquit ille, *Deo ſaluatori noſtro per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, gloria & magnificentia, imperium & poteſtas, anta omne ſeculum, & nunc & in omnia ſeculorum. Amen.* Optimè igitur ſanctus Auguſt. de Eccleſia loquens l. de Catechiſ. rudibus c. 20. ait. *Huius ciuitatis Rex eſt Dominus Ieſus-Chriſtus, Verbum Dei, quo reguntur ſummi Angeli, & Verbum hominem aſſumens, vt eo regerentur & homines, qui ſimul omnes cum illo in æterna pace regnabunt.* Ita Auguſt.

Tertia Chriſti dignitas nunc conſideranda venit, nempe quod ſit Iudex conſtitutus viuorum & mor-

Digitized by Google

tuorum. Duo ſunt aduentus Filij Dei, vt docet S. Ireneus l. 4. c. 56. primus in quo homo factus fuit, plagarum & dolorum pati ſciens, ex imbecillitate naturæ, in qua ſedens ſupra aſinam & pullum apparuit, lapiſque fuit reprobatus ab iis qui ædificabant, quis ad occiſionem tanquam victima ductus; & brachia in cruce extendens, confregit & diſſipauit Amalech, & in ouile Patris pariter colligens filios diſperſos in omnibus finibus terræ; ſuorumque memor, qui antea per mortem deceſſerant, in inferiores terræ partes deſcendens è carcere potenter eripuit, & demum eiſdem ſalutem contulit ſempiternam. Hæc peregit in primo aduentu. Secundus autem erit, *cum ſuper nubes veniet ſuperducens diem*, vt ait S. Ireneus, *quæ eſt ſicut clibanus ardens, & percutiens terram verbo oris ſui, & ſpiritu per labia ſua interficiens impios, & ventilabrum in manu habens, & emundans aream ſuam, & triticum quidem in horreum colligens, colligens autem paleas in igne inextinguibili. Tunc*, ait S. Ireneus, *Marcionis doctrinam examinabit, tunc clarè perſpicietur quomodo & verus Deus, & verus homo fuerit à Patre minimè diſiunctus*: vnde nihil Patri ademit, ſi ſumma Patris poteſtate vtens hominesin participationem regni cæleſtis aduocauit; ſi tanquam rerum omnium creator acceperit panem, acceperit vinum, vt panem & vinum in corpus & ſanguinem ſuum tranſmutaret. *Quomodo autem iuſtè Dominus*, inquit Ireneus, *ſi alterius Patris exiſtit, huius conditionis quæ eſt ſecundum nos accipiens panem, ſuum corpus eſſe confitebatur & temperamentum Calicis ſuum ſanguinem confirmauit*, &c. Tunc etiam videbitur ipſum vere carnem aſſumpſiſſe: vnde Filius hominis dici potuit; ipſum peccata dimittere potuiſſe, quibus rei eramus apud Deum factorem noſtrum, quia Deus eſt cum Patre, ipſum crucifigi potuiſſe, quia verâ carne non phantaſticâ indutus fuit; at vt Deus propria reſurrexiſſe virtute. *Tunc*, ait Ireneus, *Valentinianos indicabit, eorumque ſectatores in varias ſententias abeuntes, licèt vnum Deum vnumque Chriſtum prædicare videantur; Linguas itaque eorum videlicet ſolas in vnitatem ceſſiſſe, ſententiam vero eorum & ſenſum, quo profunda ſunt ſcrutati, decidentem ab vnitate incidere in multiforme Dei iudicium, cum de his quæ ſibimetipſis adinuenerunt interrogabuntur à Chriſto. Tunc Gnoſticos Simonis Magi diſcipulos indicabit, & Ebionitas, & hypocritas qui fucum & non veritatem dilexerunt, qui faciem tantum hominis ſeruauerunt. At verò vt animalia vt bruta vitam tranſigerunt, ratione & diſcurſu carentem; qui cum Magiſtrum & Saluatorem tantum phantaſticum ſibi effinxerunt, ita etiam veræ ſalutis participes non erunt.* Ita Ireneus c. 60. Tunc in falſos Prophetas ſententiam feret condamnationis: *Qui*, inquit Ireneus, *non acceptâ à Deo propheticâ gratiâ, nec Deum timentes, ſed aut propter vanam gloriam, aut ad quæſtum aliquem, aut aliter ſecundum operationem mali ſpiritus fingunt ſe Prophetare, mentientes aduerſus Deum.* Ireneus c. 61. Tunc condemnabit ſchiſmaticos, vanitate & præſumptione ſui enormiter tumentes, à charitate Dei alienos, commoda potius quàm Eccleſiæ vtilitatem conſiderantes, leui de cauſa glorioſum Chriſti corpus diſcidentes, & quantum in ſe eſt rurſus cruci affigentes, pacem loquentes & bellum operantes, verè liquantes culicem, & camelum glutientes: nulla enim ab eis tanta poteſt fieri correptio, quanta eſt ſchiſmatis pernicies. *Tandem*, inquit Ireneus, *indicabit & omnes eos, qui ſunt extra veritatem, id eſt qui ſunt extra Eccleſiam. Ipſe autem à nemine indicabitur.* Nec mirum ſi infideles, ſi hæreticos omnes, ſi ſchiſmaticos, ſi veri oſores iudicabit: iudicabit etiam fideles. Ipſe eorum iuſtitias iudicabit, ſi regio pſalti fidem, vt par eſt, adhibeamus: omnes ex Paulo ſtabimus ante eius tribunal, & à fidelibus examen incipiet. *Quoniam*, inquit S. Petrus 1. c. 4. *tempus eſt vt incipiat iudicium a domo Dei: ſi autem primum à nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Euangelio? Quis oro*, inquit Laurentius Iuſtinianus, de triumphali Chriſti agone, *mentis conſideratione iudicem intuetur iratum, & non contremiſcit? Quis diuinam animaduerſionem attendens, voluntariè delinquit vlterius? Hoc expreſsit vates eximius, dicens: Tu terribilis eſt, & quis reſiſtet tibi? De cœlo auditum feciſti iudicium: terra tremuit, & quieuit. Quieuit, inquam, cum peccare ex propoſito deſiit.* Ita Laurentius.

At ſicut qui attendit ad hoc iudicium, ad hanc diuinam animaduerſionem, voluntariè non delinquit, ita è contrario qui huius iudicij memoriam abdicant, totius rectitudinis ac pietatis fiunt immemores: quo fit vt inquinentur viæ illorum in omni tempore. De his S. Auguſt. Serm. 220. de tempore hæc verba ponderans (*Deus noſter manifeſtus veniet, Deus noſter & non ſilebit*) *Non*, inquit, *quomodo ſiluit quando iudicandus erat, ita ſilebit quando iudicaturus erit; & nunc non ſilet ſi ſit qui audiat, ſed dictum eſt, tunc non ſilebit, quando vocem eius agnoſcent & qui modo contemnunt. Modo enim quando dicunt præcepta Dei; quibuſdam in riſum veniunt. Et quoniam quod promiſit Deus, modò non oſtenditur, & quod minatur, modò non videtur, quod præcipit irridetur. Modò enim felicitatem quæ dicitur huius mundi habent & mali; ſi diuitias optant, vident habere diuitias & peſſimos homines, & bonos homines; videns etiam ſi exhorrent paupertatem & miſerias huius ſeculi, laborare in his miſeriis non ſolum bonos, ſed etiam malos: & dicunt in corde ſuo quia Deus res humanas nec reſpicit nec regit, ſed omnino in intimo quodam huius mundi fundo dimiſit nos caſibus volui, nec aliquam prouidentiam exhibet nobis, ac per hoc fit in illis contemptus præcepti, quia non vident manifeſtationem iudicij.* Ita Aug. Hoc præſentit & odoratus eſt Poëta Philemon apud Iuſtinum, lib. de Monarchia dum ait:

An mortuos exiſtimas Nicoſtrate
Qui luxu in omni omnes peregerunt dies,
Terra ſepultos iam inde & omni tempore
Tanquam latentes poſſe Numen fallere?
Habet oculum vindicta cernentem omnia
Nam ſi loco ſit pius vno & impius
I, falle, miſce fœnera, fraude, rape.

Propterea S. Petrus vt nos ad meliorem frugem reduceret, & ad ſanctam conuerſationem prouocaret, contra eos qui negant diem iudicij inuehitur, & vocat eos *in acceptione illuſores, iuxta proprias concupiſcentias ambulantes, dicentes: Vbi eſt promiſſio & aduentus eius? Ex quo enim Patres dormierunt, omnia ſic perſeuerant ab initio creaturæ.* Et vt illos falli demonſtret aſſerit, *quod ſicut mundus olim aqua inundatus periit, ita cœli qui nunc ſunt & terra, eodem verbo repoſiti ſunt, igni reſeruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum*: quod in breui futurum eſſe ait: *quia vnus dies apud Deum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies vnus*; eumque diem Domini aſſerit aduenturum vt furem, & concludit dicens: *Cum igitur hæc omnia diſſoluenda ſint, quales oportet vos eſſe in ſanctis conuerſationibus & pietatibus properantes in aduentum diei Domini, per quem cœli ardentes ſoluentur, & elementa ignis ardore tabeſcent?* epiſt. 2. c. vltimo. Quæ piæ meditationes negliguntur ab improbis: quo fit vt magis ac magis peccata peccatis accumulant, & veniente Domino horâ qua non ſperat impius, æternis tormentis deputatur.

Denique quantum ad vltimam dignitatem in Chriſto agnoſcendam, eſt quod ſit Filius Dei, ab Angelis & hominibus vt Dei Filius adorandus & colendus: quam filiationem diuinam & naturalem,

etiam qua homò eſt, in eo agnoſcere debemus. *Multi enim nos Filij Dei*, inquit S. Hilarius l. 3. de Trinitate, *ſed non talis hic Filius eſt: hic enim & Verus & proprius eſt Filius, origine non adoptione, veritate non nuncupatione, nativitate non creatione.* Et lib. 7. *Igitur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum his modis nouimus, nomine, nativitate, naturâ, poteſtate, profeſſione, &c.* Quam filiationem naturalem Verbi fusè enucleat ibidem ſanctiſſimus conſubſtantialitatis filij aſſertor & defenſor. At hæc diuina filiatio non ita clarè in Chriſto homine poterat agnoſci, dum infans creſcit ætate, dum ſomno, ſopore, fame, & ſiti laborare cernitur; dum fatigari, triſtitia affici, ſputis fœdari, flagellis cædi, clauis transfigi eum videmus. Certè ſolum hominem in Chriſto hæc omnia erant conteſtatura: vnde exorat patrem vt ex his tenebris eruat tandem ſuam claritatem, & ſuam naturalem filiationem omnibus conſpicuam reddat. *Ego te clarificaui ſuper terram: opus conſummaui quod dediſti mihi vt faciam: & nunc clarifica me tu pater apud temetipſum, claritate quam habui priuſquam mundus fieret.* Ac ſi diceret: Agnoſce me vt Filium, ſicut te agnoui & faſſus ſum vt Patrem, ita vt Filium agnoſcas. *Equidem*, inquit S. Hilarius l. 3. *expoſtulatio clarificationis dandæ, vicißimque reddendæ, nec Patri quidquam adimit, nec infirmat Filium ſed eamdem diuinitatis oſtendit in vtroque virtutem, cum & clarificari ſe filius à Patre oret, & clarificationem pater non dedignetur à Filio: ſed hæc in patre & filio virtutis vnitatem per vicißitudinem dandæ & referendæ clarificationis oſtendunt, &c.* Ita Hilarius. Clarificatur per filium Pater, in eo quod ſit à nobis per filium intelligendus. *Itaque*, ait Hilarius, *cum omnia filius accepit, clarificatus à Patre eſt; & contra clarificatur Pater cum ſunt vniuerſa per filium: Et claritas accepta ſic redditur, vt quod claritatis in filio eſt, id totum claritas patris ſit: quia à patre accepit omnia, quia honor famulantis in honore mittentis eſt, vt honor gignentis in honore naſcentis eſt, &c.* Vnde rectè idem S. Hilar. l. 3. *Laus Patris omnis à Filio eſt, quia in quibus laudabitur Filius laus erit Patris. Conſummat enim quæ Pater voluit Dei Filius homo: homo naſcitur, ſed Dei, in partu Virginis, virtus eſt. Dei Filius homo cernitur, ſed Deus in operibus hominis exiſtit. Dei Filius in infernis eſt, ſed homo refertur ad cælum. In quantum hæc laudabuntur in Chriſto, tanto plus laudis, ex quo Chriſtus Deus eſt, conſequetur.* His igitur modis pater filium clarificat ſuper terram: rurſumque filius ignorationi gentium, & ſtultitiæ ſeculi, per virtutum ſuarum opera, eum ex quo eſt ipſe clarificat: operibus ergo filij clarificatus eſt pater, dum Deus eſſe intelligitur, dum Dei vnigeniti pater manifeſtatur, dum ad ſalutem noſtram filium ſuum, etiam ex virgine natum, eſſe hominem voluit.

Nunc autem, vt ait S. Hilarius l. 3. de Trinit. *quid eſt quod apud Patrem clarificationis profectum expectet? nempe hoc quod habuit apud Patrem, priuſquam mundus eſſet, habuit plenitudinem diuinitatis, atque habet: namque Dei Filius eſt. Sed qui erat Dei Filius, & hominis coperat eſſe Filius. Erat enim Verbum caro factum: non amiſerat quod erat, ſed coperat eſſe quod non erat: non de ſuo deſiderat, ſed quod noſtrum eſt acceperat.* Ita Hil. Igitur Filius caro factus erat, vt hoc Patri caro inciperet eſſe quod verbum, vt id quod de tempore erat: gloriam eius quæ ſine tempore eſt claritatis acciperet: *Vt in Dei virtutem, & ſpiritui incorruptionem tranſformata carnis corruptio abſorberetur*, vt loquitur S. Hilarius. Itaut in hac humanitate nihil infirmum, nihil imbecille, aut pudori & confuſioni, alterationi aut mutationi obnoxium appareat, ſed Chriſti humanitas Maieſtate, gloriâ, poteſtate, auctoritate planè diuinâ prædita, excipere valeat & admittere in ſe quidquid honoris, adorationis, laudis, obedientiæ ac ſubmiſſionis à creaturis exhiberi poteſt creatori vniuerſorum, & hominum redemptori, & glorificatori Angelorum & hominum, & vindici criminum.

At quæſo, in quo potiſſimum tempore hos honores excipiet, vt adimpleatur id quod Apoſtolus Paulus dixit ad Hebræos? *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei*; Et Iſaias prædixit c. 45. *In memetipſo iuraui, egredietur de ore meo iuſtitia Verbum, & non reuertetur; quia mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua.* Iam antequam conſedißet ad dexteram Patris, clarificatus fuerat, ſiue cum in baptiſmate vox de cœlis audita eſt: *Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi.* Luc. 3. Marci 1. ſiue cum in monte Thabor transfiguratus, eadem vox è nube intonuit: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite.* Matt. 17. *Accipiens* hoc modo, vt aie S. Petrus c. 1. *a Deo Patre honorem & gloriam*, itaut vera fuerit vox de cœlo facta: *Et clarificaui: & iterum clarificabo*, cum ad Patrem clamaret, Ioan. 12. *Pater ſaluifica me ex hac hora: ſed propterea veni in horam hanc. Pater clarifica nomen tuum.* Sed cum addat: *Et iterum clarificabo*: quando Pater exequetur hanc promiſſionem inquirendum. Num adimpleta fuit quando ſol lumen amiſit, terra contremuit, velum Templi ſciſſum eſt, Petræ diſruptæ, monumenta aperta, & cætera prodigia facta ſunt in eius morte? Propter quæ Centurio videns quod factum fuerat, glorificauit Deum dicens: *Verè hic homo iuſtus erat.* Luc. 23. Non enim ſol tantum amiſſione luminis, ſed reliqua mundi elementa interitum ſuum ſenſerunt, quin & virtutes cœlorum à ſuo munere ceſſarunt, ne adeſſent tam impio ſceleri hominum in auctorem vitæ ſæuientium; quin & terra ad crucis Domini in ligno pendentis contactum intremuit, eum qui moriturus erat intra ſe conteſtata non capere, *itaut*, inquit S. Hilarius, *creatura interceſſione huius miraculi liberaretur.* Soli homines tanti ſceleris rei conſtituuntur. Certè ex his omnibus minimè adimpleta fuit promiſſio, & hæc non ſufficiunt vt clarificetur. Quando igitur hanc claritatem accipiet? Dico eam accepturum in die iudicij vltimi: *Omne iudicium dedit filio. Vt omnes honorificent filium ſicut honorificant Patrem.* Ioan. 5. Quod ponderans S. Hilarius l. 7. de Trinitate ait: *Neque ademptum Patri iudicium poteſt videri, cum ipſe non iudicet; quia filij iudicium ex iudicio ſit paterno. Ab eo enim datum omne iudicium eſt: ſed dati iudicij cauſa non tacita. Sequitur etenim: ſed iudicium omne dedit filio, vt omnes honorificent filium ſicut honorificant Patrem.* Et paulo poſt: *Iudicij autem dati ea cauſa eſt, vt filius exæquatis honoris ad Patrem ſit, & inhonorificus filio, inhonorificus & Patri ſit.* Ita Hilar. *Hæc itaque*, vt ipſe ait l. 3. *oratio ad Deum eſt: hæc ad Patrem confeſtio, filij eſt: hæc carnis deprecatio eſt, in qua eam iudicij die compunctum, & de cruce recognitum vniuerſis, in qua præfiguratus in monte eſt, in qua eleuatus ad cœlos eſt, in qua Deo aſſedit à dextris.* Hæc Hilarius. Tunc iterum introducetur in orbem terræ, vt adorent eum omnes Angeli Dei. Licèt enim S. Tho. hunc locum exponens dicat: *Introduci dicitur, quia primò erat in mundo per potentiam diuinitatis inuiſibiliter; ſed iterum introducit eum in mundum, ſecundum præſentiam humanitatis viſibiliter.* Ita D. Tho. Itaut prima verbi introductio ſit in creatione, quia *per ipſum omnia facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*, vt cauſa efficiens, idealis & exemplaris rerum omnium, & propter continuum influxum, quo conſeruantur omnia in eſſe & operari: *In ipſo enim viuimus, mouemur & ſumus*; Secunda introductio ſit cum viſibilis apparuit: Tamen quia introductio vi-

Digitized by Google

detur dicere rem introductam eſſe è numero eorum inter quæ introduci dicitur; verbum autem non ſit pars vniuerſi, mundus eſt Archetypus, ab omnibus creatis, ob ſuam infinitam excellentiam, omnipotentiam, & maieſtatem ſegregatus: vt inter ea nec primum nec ſecundum locum obtinere dicatur, quia ſupra omnia eminet: non eſt enim ſimilis Deo in filiis Dei; ideo ſatius eſſe videtur dicere Verbum tũc fuiſſe introductum in orbem terrarum, ſiue cum intentio incarnationis Angelis fuit notificata; ſiue cum plenitudo temporis venit, in qua reipſa Verbum caro factum eſt: tunc enim dictum fuit Angelis vt adorarent eum, nempe in notificatione & reuelatione incarnationis: vt per hanc humiliationem & obedientiam Deo homini præſtitam, mererentur confirmationem in gratia, & gloriam: quod reuera executioni demandarunt, ſtatim atque fuit incarnatus, & Verbum caro factum inter res creatas, vt caput omnium & potiſſima pars, reponi & annumerari potuit. Secundò autem introducetur, cum in ſecundo aduentu viſibilis & conſpicuus apparebit in die iudicij & Angelis & hominibus, & omnibus erit perſpicuum quem locum gloriæ, & honoris inter res creatas obtineat. Nam cuncti videbunt eum ſupra Angelos & nobiliores creaturas exaltari. *Chriſtus*, inquit S. Tho. in 1. c. Epiſt. ad Hebræos lect. 3. *ſecundum humanam naturam duo habuit in vita iſta, ſcilicet infirmitas carnis, & ſic fuit minor: eum autem qui modico quàm Angeli minoratus eſt. Heb. 2. Item habuit gratiæ plenitudinem, & ſic etiam in humanitate maior fuit Angelis in gratia & gloria, Ioan. 1. Vidimus eum quaſi vnigenitum plenum gratia & veritatis: quæ gloria fide nunc tantum nobis conſpicua, ſenſibilibus ſignis manifeſtabitur in die iudicij, cum clare percipiemus omnia à Patre fuiſſe Chriſto ſubiecta, non autem Angelis. Non enim*, inquit S. Paulus Heb. 2. *Angelis ſubiecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur: teſtatus eſt autem in quodam loco quis dicens: Quid eſt homo, quod memor es eius, aut filius hominis quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulominus ab Angelis: gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum: omnia ſubieciſti ſub pedibus eius. In eo enim quod omnia ei ſubiecit, nihil dimiſit non ſubiectum ei. Nunc autem nec dum videmus omnia ſubiecta ei.* Hæc Apoſtol. Quando igitur videbimus ei ſubiecta eſſe omnia? Certè nunc per fidem ſcimus quod poſtea docet Apoſtolus: *Eum autem qui modico quàm Angeli minoratus eſt videmus Ieſum propter paſſionem mortis, gloriâ & honore coronatum: vt gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem, &c.* Hoc fide percipimus ſed ſenſibilibus ſignis & oculis corporeis hoc non videmus. Videbimus autem in die iudicij cum adimplebitur quod ait Apoſtolus 1. ad Corinth. 15. *Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur: vnuſquiſque autem in ſuo ordine: primitiæ Chriſtus, deinde ij qui ſunt Chriſti, qui in aduentu eius crediderunt. Deinde finis, cum tradiderit Regnum Deo & Patri, cum euacuauerit omnem principatum & poteſtatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius. Nouiſſima autem inimica deſtruetur mors: omnia enim ſubiecta ſub pedibus eius. Cum autem dicit omnia ſubiecta ſunt ei, ſine dubio præter eum qui ſubiecit ei omnia. Cum autem ſubiecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe filius ſubiectus erit ei qui ſubiecit ſibi omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus.* Ita Paulus. At in die iudicij perſpicietur & ſubiecta eſſe à Patre omnia, quia tunc adorabunt eum omnes Angeli Dei: tunc flectetur illi omne genu, omnes enim nullo excepto ſtabimus ante tribunal Chriſti.

Quod ſi hanc fidem gloriæ, & honoris Chriſti abjiciamus, in contemptum omnium donorum Spiritus ſancti, quæ benignè influit ad fidelium ſanctificationẽ incidemus: & cum triſtitia, & inuidentia, ac animi malignitate illa in aliis perſpiciemus, pleni malitiâ, oppleti iniquitate, & ſpurcitiâ, & cũ faſtidio & nauſeâ omnia dona ſpiritus reſpuemus. *Nam*, vt ait S. Paulus 1. ad Corinth. 16. *ſi quis non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema Maran-atha*, id eſt ex Ambroſio, *Dominus noſter venit: ſicut illis qui eum amant Redemptor venturus eſt Chriſtus, ita qui eum non amant anathema ſit, id eſt vt illos abominetur & perdat.* Ita Amb. Itaut amor Chriſti, & confeſſio gloriæ illius ſit verum ſignum, quo poſſumus dignoſcere aliquem ex Deo eſſe clarè ac dilucidè. Hoc tangit S. Ioannes 1. epiſt. c. 4. cum ait: *Chariſſimi, nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint: quoniam multi pſeudo-Prophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoſcitur ſpiritus Dei: omnis ſpiritus qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt; & omnis ſpiritus qui ſolvit Ieſum, ex Deo non eſt: & hic eſt Anti-Chriſtus, de quo audiſtis quoniam venit: & nunc iam in mundo eſt.* Si igitur abnegantes Chriſtum, & illum vt Deum agnoſcere & adorare nolentes, Anti-Chriſti ſunt; quomodo dona Spiritus ſancti poſſent admittere, qui datorem Spiritus ſancti non agnoſcunt? Et ſicut quiſquis confeſſus fuerit quoniam Ieſus eſt Filius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo, vt ait S. Ioannes 1. ep. c. 4. ita qui Chriſtum negat, à Deo alienus eſt, & ſeparatus; & ſicut *qui habet Filium Dei, habet vitam æternam*, vt ait idem Apoſtol. c. 5. Ita ex eodem, *qui non habet Filium Dei, vitam non habet.* Quem locum explanans S. Thomas ait: *Qui habet Filium credendo & imitando, habet vitam æternam, iam in ſpe, tandem in re: ſicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit filio, &c.* Ioan. 5. *E contra qui non habet filium, nec credendo nec imitando, non habet vitam, nec in ſpe habet, nec in re habebit*, Ioan. 3. *Qui incredulus eſt filio, non videbit vitam æternam: ſed ira Dei manet ſuper illum.* Ita S. Thom. in 1. ep. Ioan. 5.

Hæc ſunt igitur viginti vitia, ex quibus dico oriri hæreſes, quæ quàm ſint nociua explicat S. Ioannes, dum de quatuor Angelis ſub quibus deſignantur ait.

Qui parati erant in horam & diem, & menſem, & annum, vt occiderent tertiam partem hominum.

Quàm ſint nociua vitia, per quæ dæmones nos continuò ad errores impellunt. §. 6.

Quantopere dæmones appetunt nocere hominibus patet ex hoc, quod illos S. Ioannes inducit paratos ad occiſionem hominum, ſtatim atque permiſſum ipſis fuerit. Dicũtur autem parati in horam, & diem, & menſem & annum, vt ſignificet nullam ab eis fore prætermittendã nocendi occaſionem, & continuò abſque vlla intermiſſione eſſe nocituros. Et cum ad totum Eccleſiæ decurſum hæc pertineant, non admittimus illorum interpretationes, qui hæc ad ſola tempora Anti-Chriſti reſtringunt. *Per horam*, inquit S. Anſelmus, *accipimus dimidium annum; per diem, annum; per menſem, annum; per annum, idem: & ſic habemus tres annos & dimidium, ſcilicet tempus perſecutionis Anti-Chriſti.* Ita Anſel. Sic apud Dionyſ. Carthuſ. Haymo: *Per horam*, inquit, *intelligit medium annum, per alia tria tres annos, quibus Anti-Chriſti durabit tyrannis.* Ita Hay. ex Dyon.

At non video quàm congruè & aptè interpretatio ſymbolo conueniat: non enim abſque ratione fit, etſi nobis incognitâ, quod S. Ioannes hac loquendi formulâ vtatur. Meliùs igitur & aptiùs, vt mihi videtur, idem S. Anſelmus ait: *Vel per horam*

notemus quod continuè nocere quærebant, quia nec horam intermittebant: per cætera, quod diu hæc faciebant. Ita Anſel. & Dionyſ. Carthuſ. *id eſt indefeſſo animo parati erunt continuè ſeu omni temporis ſui ſpatio perſequi inſtos.* Ita Dion. Fauet Beda dum ait: *quod maligni ſpiritus ſingulis horarum & temporum momentis humanam eſuriunt mortem.*

Dæmones igitur ad vitia & errores & peccata inducent in horam, id eſt omnem tentandi ac impellendi in errores & peccata aſſumentes occaſionem; in diem, nec à malitia ceſſabunt, aut à nocendi cupiditate abſtinebunt: etiam ſi aliquando quis ambulet in die, in gratia Dei exiſtens, tentant enim iuſtos æquè ac peccatores; etiam ſi fides publicè ac manifeſtè in lumine prædicetur, iuxta illud: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis prædicate ſuper tecta.* Matth. 10. Et cum in menſibus viciſſitudo quædam temporum, ac rerum ritè ſignificetur, propter ſucceſſiuam quandam lunæ cum ſole proximitatem, elongationem, oppoſitionem, coniunctionem, ideo in menſem dicuntur parati, vt intelligamus quod quidquid contigerit, ſiue proſperi, ſiue aduerſi; ſiue quis in gratiæ ſtatu collocatus ſit, ſiue à gratia exciderit, hæc vitia à dæmonibus inſtigata homines propellent ad errores adinueniendos, propalandos aut fouendos. Denique cum annus pro toto ſumatur tempore, quo Sol luſtitiæ omnes effectus, ſiue bonitatis, ſiue iuſtitiæ exeret, ad hominum ſalutem procurandam, & electorum probationem, in annum dicuntur parati, vt ſciamus quod *diabolus tanquam ſe ratione vtens, ſemper aliquem quærens quem deuoret:* Vnde quandiu durabit: Chriſti regnum viſibile in terris (quod duraturum tempus per iſtum annum myſticum poteſt ſignificari), tandiu etiam durabunt diaboli impij conatus, vt veritatem ſubuertat, & errores ferat in mentes hominum, quibus à veritate deciduntur, à qua ſola à peccati & diaboli captiuitate liberari poſſent.

Occidunt autem tertiam partem hominum, nempe eos de quibus S. Ioannes ait: *Et nunc Anti-chriſti multi facti ſunt: vnde ſcimus quia nouiſſima hora eſt: ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis.* S. Ioannes 2. Cunctos enim mortales in tres ordines ſeu Claſſes diſtribuo: prima eſt eorum qui nunquam crediderant; ſecunda eſt fidelium; tertia eſt hæreticorum, qui fidem ſuſceptam abnegarunt. Hi ſunt quos occidunt dæmones, dum illi errores quos ſuggerant libenter ſuſcipiunt, eiſque firmiſſimè adhærent, Eccleſiæ doctrinam ac determinationes parui pendentes.

Et numerus equeſtris exercitus vicies millies, dena millia, & audiui numerum eorum.

Quanam ratione inducti ſumus ad hanc coniecturam, Viginti nempe vitia origines eſſe errorum & hæreſum. §. 7.

Tandem fuſè enucleauimus vnde hæreſes, quæ Eccleſiam diuexarunt, & vſque ad finem ſeculorum diuexare poterunt, oriri queant: quæ cum ferè ſint innumeræ, ideo S. Ioannes dixit: *Et numerus equeſtris exercitus vicies millies dena millia*, id eſt ducenti milliones. At quanam ratione dixerimus has hæreſes oriri ex viginti quibuſdam vitiis, nunc nobis eſt aperiendum.

Et Notandum ex Sancto Thoma in expoſitione in Apocalypſim nuper edita, non abſque ratione dici ſub tanta obſcuritate, quod manifeſtè dici potuit. Hoc enim fit primò, quod cum Apocalypſis liber ſit reuelationum, voluit diuina ſapientia, quæ omnia decenter ordinat, hæc obſcurè tradere; propter peruerſos, ſcilicet hæreticos, ne hæc peruertèrent ſi eſſent aperta. Secundò: Propter faſtidioſos, vt ſcilicet reuerentius, & gratantius accipiantur. Tertio: Per talem modum magis manifeſtatur diuina ſapientia, quæ ſic conuenienter ſua myſteria cælat.

Notandum, ſecundo ex eodem S. Thoma, in hæc verba (*Vidi equos in viſione*, quaſi dicat, ſecundum numerum equitum vidi numerum equorum) hoc intelligi de numero ſignante (id eſt aliquid ſignificante, ſeu ad aliquid ſignificandum aſſumpto & vſurpato) non de numero numerante, (id eſt vt tot ſint quod numerantur.) Quod ſi aliquis quærat quare potius agitur de numero ſignante, quàm de numero numerante, dicendum eſt quod cum liber iſte ſit de reuelationibus factis ad ædificationem Eccleſiæ, & numerus numerans non ſit ad ædificationem, ſed numerus ſignans, ideo hic numerus equeſtris exercitus ponderandus eſt, in quantum aliquid ſignificat, non præcisè ſecundum numerum qui hic ponitur ducentorum millionum, qui exprimitur per vicies millies dena millia. Quibus poſitis viam nobis parat ad noſtram coniecturam S. Thomas in ſua expoſitione, cum ait: *Per hoc quod dicuntur dena millia, oſtenditur ſimulatio perfectionis in obſeruantia decalogi, quæ ſimulatio eſt in hæreticis, procurantibus ipſis dæmonibus, qui inſident eis: per millenarium enim perfectio, per decem verò, decalogus præceptorum: & dicuntur dena millia, non propter perfectionem* obſeruantiæ decalogi, quæ ſit in hæreticis, ſed quam ſimulant ſecundum doctrinam *dæmonum, &c.* Et poſtea: *Per numerum verò additum, ſcilicet vicies millies, oſtenditur defectus perfectionis debitæ: quia vicenarius numerus, eoquod recedit à Denario, ſicut binarius ab vnitate, ſignat tranſgreſſionem decalogi, & omiſſionem perfectionis ſignificatæ per millies.* Ita S. Thomas. Et Beda idem ſentit, dum ait: *Hic numerus duplicitatem doloſam peruerſi deſignat dogmatis: quod alia tranſlatione, quæ dicit bis myriades myriadum, facilius ſentiri poteſt. Hunc autem numerum Euangelica quoque parabola opponis regi habenti decem millia, tanquam malorum duplicitas fidei chriſti reſiſtat, cui millia millium miniſtrant, & decies mille centena millia aſſiſtunt.* Ita Beda.

Habemus igitur ex Beda & S. Thoma numerum vigeſimum ſignare, ſeu ſignificare aliquem defectum: non malè itaque nos per viginti intelligimus quædam vitia, quæ ſint quaſi origines millium errorum, in dena millia actionum peruerſarum multiplicandorum. Omnis enim peccans actu eſt ſemper ignorans & errans: ſic namque per mille inſignis multiplicatio delignatur. Iſaiæ 60. *Minimus erit in mille: & parvulus in gentem fortiſſimam.* Viginti igitur ſignificant viginti defectus; millia, multiplicatio inſignis iſtorum defectuum: Innumeri namque ſunt errores ex vitiis prodeuntes, ex quibus erroribus, tanquam è fontibus, ſcaturiunt innumeræ actiones, quæ rationi repugnent, fidem oppugnare audeant, veritati cognitæ & apertæ contradicant. Vt nos igitur S. Ioannes ad conſiderandas hæreſum origines cueheret, numerum copioſiſſimum huius exercitus Eccleſiam diuexantis, non per centenos milliones, ſed per vicies millies dena millia expreſſit: vt ex numero vigeſimo, defectum perfectionis ſignante, conjiceremus vitia oppugnantia modos, quibus Deus optimus maximus ſuum in terris firmat imperium, & ex quibus errores poſſunt oriri, Eccleſiam crudeliter dilacerantes, eamque ſubuertere conantes.

Quænam autem poſſint eſſe iſta vitia, non melius, vt exiſtimo, conjici poteſt, quàm ſi conſideremus quæ media Chriſtus in Eccleſia regnans aſſu-

Digitized by Google

mat, vt regnum ſuum ſtabiliat; quaſnam operationes, dum inter homines conuerſatus eſt, voluit exercere, vt negotium ſalutis noſtræ inciperet: quarum virtutum potiſſimum exemplum præbere debebat in cruce moriens, vt quæ valdè conducibiles eſſent ad perfectionem Euangelicam conſequendam; quaſnam energias ſeu auxilia nobis præberet, nobiſcum exiſtens vſque ad conſummationem ſæculi in Sacramento altaris; quaſnam tandem dignitates obtineret ſedens ad dexteram Patris, propter quas illi omnem cultum & adorationem exhibeamus: quod fusè ſupra demonſtrauimus, Chriſtum Dominum per altare aureum deſignantes, cuius altaris cornua ſignificare diximus vel prædicta quatuor media, vel ſanctiſſimas eius operationes, vel inſignes illius virtutes, vel præſentiſſima auxilia, vel excellentiſſimas dignitates: ſecundum modum quo ipſum conſiderauimus, vel vt in Eccleſia regnantem, vel vt cum hominibus conuerſantem, vel in cruce morientem, vel in Sacramento Euchariſtiæ exiſtentem, vel vt in dextera Patris ſedentem. Quinquies autem quatuor faciunt viginti. Viginti igitur iſtis Chriſti ſeu mediis, ſeu operationibus, ſeu virtutibus, ſeu auxiliis, ſeu dignitatibus, ſi quædam vitia reperias iſtis oppoſita, ea conjicio eſſe errorum & hæreſum ſemina, vt ſupra vidimus. An autem noſtra coniectura ſatis ſit ſolida, benevoli Lectoris iudicio relinquo diſcutiendum: meliorem ſi inueniat & adducat, gratias agam. Vt autem hæc habeas ante oculos, hanc eorum ſynopſim accipe.

Chriſtus Dominus altare eſt aureum

- Vt in Eccleſia regnans.
- Vt inter homines degens.
- Vt in cruce pendens.
- Vt in Euchariſtia exiſtens.
- Vt in dextera Patris ſedens.

Vt in Eccleſia regnans habet quatuor cornua j. media ad tuendam veritatem, qua ſtabilitur regnum ipſius.

- Sacram Scripturam.
- Traditiones.
- Concilia legitima.
- Doctorum & Patrum vnanimem conſenſum.

Chriſtus verò vt in hac vita degens habet quatuor cornua, id eſt operationes.

- Prædicationes.
- Miracula.
- Virtuoſas actiones.
- Sanctas orationes.

Chriſtus vt in cruce pendens quatuor virtutes potiſſimum exercet, ad perfectionem maximè neceſſarias.

- Abnegationem ſui, cum abſtractione mentis ab omnibus rebus ſenſibilibus.
- Rectum de vnaquaque re iudicium.
- Puriſſimam intentionem placendi Deo Patri.
- Profundam ſui despicientiam, humilitate & obedientiâ teſtatam.

Chriſtus vt in Euchariſtia exiſtens habet quatuor cornua ſeu energias, quibus nobis auxilia præbet opportuna.

- Eſt holocauſtum, vt Deo ſummum honorem exhibere poſſimus.
- Eſt ſacrificium expiatorium, vt eius iuſtitiæ ſatisfacere valeamus.
- Eſt ſacrificium Euchariſticum, vt digne Deo gratias agere poſſimus.
- Eſt ſacrificium impetratorium, vt omnia bona à Deo impetrare valeamus.

Chriſtus vt ſedens in dextera Patris, habet quatuor cornua, id eſt dignitates, nempe

- Quod Dominus vitæ & mortis appareat.
- Quod inuiſibiliter Eccleſiam regat.
- Quod iudex ſit viuorum & mortuorum.
- Quod vt Filius Dei Patri conſubſtantialis agnoſcatur, & colatur ab Angelis & hominibus.



Vigeſimum igitur numerum adhibuit S. Ioannes vt ad inquiſitionem quorumdam defectuum, qui principia eſſent hæreſum & errorum, nos indiceret: quos prædictos eſſe conjicimus, propter quandam oppoſitionem ad omnia per quæ Chriſtus in Eccleſia regnat, vel eam olim dum viueret inſtruere voluit, vel ei perfectionis exemplum præbuit moriens, vel ei auxilia opportuna ſuppeditare intendit in Euchariſtia exiſtens, vel ab ea coli & adorari præcipit in dextera Patris ſedens. Huic autem numero vigeſimo milleſimum addit, vt comprehendat innumeros errores ex his fontibus ſcaturientes: qui errores cum ad tranſgreſſiones innumeras mandatorum Dei homines deducant, ideo ponit numerum decem millium, ac ſi vnus error millies conſurgeret contra vnumquodque mandatum, itaut vnum ex his vitiis mille pariat errores, vnus autem error decem mille tranſgreſſiones producat. Quam philoſophandi rationem habemus ex S. Auguſtino, cum parabolam exponit illius ſerui, cui millia talenta Dominus dimiſerat. Matt. 18.

Hæreſes autem quibus impugnanda eſt Eccleſia ſpeciatim deſignare, nec fuit neceſſarium, nec manifeſtati ſpiritus prophetici conueniens: ſufficit enim ſpiritui prophetico ſub pauciſſimis verbis multa inuoluere. Ideo S. Ioannes nec has nec illas hæreſes ſigillatim enumerauit, ſed omnes complecti voluit ſub vno ſymbolo: habent enim omnes hæreſes eaſdem proprietates, eadem damna & incommoda afferunt, ex eiſdem ſcaturiunt fontibus, eaſdem agnoſcunt origines quas ſupra attulimus.

Eſto autem quod fortè S. Ioanni reuelatæ fuerint A hæreſes, tamen Deus non voluit vt eas ſigillatim denotaret, vt clariùs appareret eas euomi ex ore draconis, nec diceretur hæreticos ex hac reuelatione illas hauſiſſe: ſufficit autem vt dixerit Petro: *Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*; & curam illi commiſerit paſcendi oues & agnos, ſpiritumque ſanctum Eccleſiæ dederit, qui omnem debeat docere veritatem: itaut neceſſe non fuerit, vt ab hæreſibus caueamus, illas in particulari deſignare; ſed tantum vt ab eis abſtineamus, illarum prauitatem, turpitudinem, nocumenta ob oculos proponat, illas ſuis coloribus depingendo in hoc eleganti ſymbolo equorum, & eorum qui ſedent ſuper eos. Sed fide opus eſt vt vetum à falſo diſcernamus: vnde non ſolum dixit S. Ioannes ſe vidiſſe equos, ſed numerum audiuiſſe, ac ſi diceret: Incredibile eſt quot errores veritatem oppugnare attentabunt: nunquam B id credidiſſem, ſi hæc mihi reuelata non fuiſſent,

Et ita vidi equos in viſione, &c.

Hæreticorum deſcriptio.

ANNOTAT. VI.

Cur hæretici per equos deſignantur. §. 1.

DE hæreticis hîc agi mens fuit S. Thomæ in ſua expoſitione, vt videre eſt, dum arma equitum vult eſſe ſententias erroris; dum pectoricas igneas, hyacinthinas & ſulphureas, vult ſignari mentes peruerſas & obſtinatas, quibus dæmones

Digitized by Google

dæmones roborant hæreticos contra fideles; dum ſedentes ſuper equos vult eſſe dæmones, qui dominabuntur hæreticis, & prauis hominibus, tempore Anti-Chriſti, & per quos, ſicut per equos eis ſubiectos, portabuntur ad alios expugnandos. Solum animaduertendum eſt nos ad quoſlibet hæreticos depingendos hoc ſymbolum accommodare, quod Sanctus Thomas ad eos qui erunt tempore Anti-Chriſti reſtringit. Primaſius etiam antea hoc ſymbolum intellexit: nam cum legat octoginta millia pro vicies millies dena millia, vt ſupra diximus, addit: *Idcirco & illos ſequitur, & octoginta ſunt concubinæ, tanquam non legitimo ſociatæ coniugio, ſed potius fraudulento: quod omnibus propriè hæreticis congruit, qui ſic temporalia fidei Sacramenta Chriſti nomine palliati pertractant, vt ſicut concubina non ſemper in domo manſuræ, ſic & illi momentaneum, vel commodum, vel principatum, vel humanæ laudis plauſum de Chriſti nomine habere deſiderent.* Ita Primaſ. At cur qui dicuntur? Primo, quia blandiuntur & hinniunt, vt decipiant ſimiles illis, de quibus Eccleſiaſtici 33. dicitur: *Equus emiſſarius, ſic & amicus ſubſannator; ſub omni ſupra ſedente hinnit.* Videntur ſe ſubdere, & iis quibus obedire fingunt, vt eos ſeducant, hinnitu arridere, ſed diſruptis habenis tandem illos ferunt in præcipitia, ſtatim atque præſentiunt & ſpetant frui concupitis. Secundo, propter propenſionem effrenatam ad libidinem, de quibus illud Ieremiæ dici poteſt: *Saturaui eos, & mœchati ſunt, & in domo meretricis luxuriabantur: equi amatores, & emiſſarij facti ſunt: vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat.* Vnde S. Hieronymus l. 9. in cap. 30. Eſaiæ, de hæreticis dixit: *Omnes hæretici, mendaces filij appellantur: ex nobis enim exierunt, ſed non fuerunt ex nobis: qui non audiunt interioris hominis auribus legem, & Eccleſiarum loquuntur Magiſtris: Nolite nobis videre quæ recta ſunt, nec gehennæ flammas commonemini, ſed promittite nobis regna cælorum, vt poſt luxuriam & delitias pandatur nobis paradiſus.* Ita Hieronymus rurſus hunc locum exponens: *Populus ad iracundiam prouocans eſt, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei.* Vides ne hæreticos poſt delitias & luxuriam tanquam equum emiſſarium hinnientem? *Per equos,* inquit Andreas Cæſarienſis, *hoc loco deſignari arbitramur homines, ventri luxuique deditos belluinamque vitam ducentes; aut dæmones ſanè, qui aliorum imperio veluti ſerui ſubiacent? Dæmones namque, vt capto apud ipſos more, non modò mutuas ſibi inuicem operas præſtant, verum prauis quoque hominibus famulari, iiſdem vicißim tanquam organis aliorum cognatorum hominum ad fraudem & inſidias vti ſolent.* Ita And. Cuius auctoritate non malè nunc per ſedentes ſupra equos, per quos hæreticos etiam intellexit Pineda in c. 41. Iob in interpretatione allegorica l. 1. 32. dæmones intelligimus, qui animas hominum effrenatorum, iugum præceptorum Dei & Eccleſiæ ſuccutientium, rationis imperium & regimen detrectantium, appetitui in omnibus obſequentium; qui denique ſuperbiâ elati, aut cupiditate ducti, nullis legibus coarctari volunt, miſere ad omnem errorem amplexandum, & quamlibet impietatem exercendam impellunt.

A cunt, & ſecum ducunt in perditionem, poſſunt optimè intelligere per ſedentes ſuper equos. Communior expoſitio eſt vt intelligamus dæmones, qui ſedent ſuper equos communes hæreticos & errantes, & præcipuè ſuper Hæreſiarchas. Ita Auguſtinus, ſeu Tichonius Homil. 7. in Apocalypſim, equos homines dicit, ſeſſores verò ſpiritus nequam. Hanc ſententiam ſequitur S. Thomas: *Et qui ſedebant ſuper eos, ſcilicet,* inquit, *dæmones, qui dominabuntur hæreticis & prauis hominibus tempore Anti-Chriſti, & per quos, ſicut per equos ei ſubiectos, portabuntur ad alios expugnandos.* Ita S. Tho. Et certè ſicut *Quicumque ſpiritu Dei aguntur, ij ſunt Dei.* Rom. 8. Ita *attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium* (de quibus Apoſtolus 1. ad Timoth. 4.) poſſunt dici filij diaboli, qui pater eſt mendacij: *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt & pater eius.* Ioan. 8. Igitur quia hæretici credunt mendacio, attendunt ſpiritui erroris, rectè dicuntur & filij diaboli, & ab eo regi & duci, vt quo voluerit eos impellat, itaut de omnibus hæreticis dicere poſſimus, quod S. Ignatius de Ebionitis aſſerit, Epiſt. ad Philadelphios: *Habent cohabitatorem draconem apoſtatam.* Nec mirum: Sicut enim Chriſtus Eccleſiæ ſponſæ ſpiritum veritatis donauit, quo regitur, & de omnibus edocetur, ita quia ab Eccleſia recedunt, ſpiritu mendacij reguntur: *Audiuimus dæmonem apertè fatentem*, inquit Caſſian. collat. 7. c. 32. *ſuggeſtiſſe Eunomio ſuas hæreſes & falſas opiniones.* Simon Magus, & alij hæreſiarchæ dæmones habuerunt, tanquam familiares. *Ophitæ*, vt ait S. Auguſt. Hæreſi 17. *à colubro nominati ſunt: coluber enim græcè ophis dicitur: hunc autem colubrum qui decepit Adam & Euam, Chriſtum arbitrantur: ſed habent etiam verum colubrum, quem nutriunt & venerantur, qui & incantante Sacerdote egreditur de ſpelunca, & aſcendit ſuper altare innixum ſpelunceæ, & oblationes eorum lambit, & innoluens ſe circa eas regreditur ad ſpelunçam, & ita confringunt oblationes ad Euchariſtiam, quas à ſerpente Chriſto ſanctificatas tradunt, &c.* Ita Aug. Quod reuera abſque magica arte non fiebat. Hi hæretici mundum fædarunt ſuis impietatibus, circa annum 145. ex Baronio. De diſcipulis hæreſiarchæ Elzei Nicephorus refert l. 5. c. 29. eos inuocatione dæmonum, & incantationibus fuiſſe inſignes, tertio nempe ſeculo poſt Chriſtum natum, quo tempore duo magicæ artis profeſſores Manis anteceſſores, Scythias ac Baddas illius ſeruus viguerunt. Legendi S. Cyrillus Catech. 6. & Epiphanius Hæreſi 66. & Socrates l. 1. c. 17. Itaut nullum ſeculum ferè reperias, in quo hæreticorum cum dæmonibus commercium animaduertere non valeas. De Berengario refert Baronius an. 1028. ex Vvilhel Malmesburgenſi de geſtis Anglorum. l. 3. ipſum à S. Fulberto Epiſcopo Carnotenſi fuiſſe illius iuſſu eiectum è camera ſua, quod iuxta eum dæmonem videret adſtantem, manu & adulatorio quodam ſibillo ſeu halitu multos ad ſe attrahentem. Quæ de Luthero referunt hiſtorici reperies apud Zachariam Bouerium in examine 3. Luther. & Caluin. de vnitate capitis viſibilis, vt optimè dixerit S. Hieronym. l. 11. Comm. in Ezechiel: *Quis enim hæreticorum, quorum princeps diabolus eſt, non quaſi tempeſtas venit contra Eccleſiam? Et nube verborum ſuorum ſimplices quoque credentium opprimere & operire feſtinat.* Ita Hieron. Sed ſi ſuper hæreticos quoſuis ſedet diabolus, maximè ſuper hæreſiarchas: nec enim tam multos deciperet, niſi quempiam reperiret qui eius voluntati obtemperaret. Nam, vt optimè Euſeb. Cæſarienſis l. 4. Eccleſ. Hiſt. c. 6. animaduertit; *Cum iam Eccleſiæ per orbem, inſtar ſtellarum illuſtriſſimæ ſplenderent, ac in vniuerſo genere humano fides in ſernato-*

Et qui ſedebant ſuper eos.

Sedentes ſuper equos potiſſimum ſunt dæmones. §. 2.

Sicut per equos Ambroſius intelligit populos inſanos, ita per ſeſſores equorum, principes terræ intelligit: *Per ſeſſores equorum principes terræ deſignãtur.* Iuxta hanc interpretationem, qui per equos intelligunt quoſuis hæreticos, hæreſiarchas qui alios ſedu-

tem, ac Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum floreret, dæmon ille omnis honeſti oſor, tanquam virtutis & humanæ ſalutis perpetuus & infeſtiſſimus inimicus, omnis generis machinationibus Eccleſiam oppugnans, cum olim externis perſecutionibus contra eam fuerit armatus, illo tempore biſce priuatus, verſutis ac præſtigiatoribus viris, quaſi quibuſdam inſtrumentis ad animarum exitium oppoſitis, & miniſtris perditionis vſus, aliis artibus bellum gerit; ac quamuis rationem excogitet, vt præſtigiatores illi & impoſtores, eadem nobiſcum appellatione Deum profitentes, fideles à ſe captos in profundum perditionis inducant, & ſimul fidei ignaros per ea quæ ipſi facere auſint, à via ad ſalutis doctrinam ducente auertant. Hæc Euſebius. Quin & antea Clemens l. 4. recognitionum, dixerat: *Metuens diabolus ne vnus & veri Dei reparetur religio vera, feſtinat continùo mittere in hunc mundum pſeudo-Prophetas, & pſeudo-Apoſtolos, falſoſque Doctores, qui ſub nomine quidem Chriſti loquerentur, dæmonis autem facerent voluntatem.* Ita Clem. Hi captiui ad ipſius dæmonis ſeu diaboli voluntatem, dæmones nuncupari poſſunt: quia ſicut Ioannes Elias dictus eſt, quia venit in ſpiritu Eliæ, ita iſti diaboli dici poſſunt, quia veniunt in diaboli ſpiritu, quo aguntur & impellun. tur. Sic enim Chriſtus primum hæreticum, nempe Iudam proditorem, diabolum vocauit: *Vnus ex vobis diabolus eſt.* Ioan. 6. De quo dixerat Chriſtus, loquens de vera corporis ſui manducatione: *Sed ſunt quidam ex vobis qui non credunt. Sciebat enim ab initio Ieſus quî eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum.*

Habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & ſulphureas. Quos prætextus aſſumant hæreſiarchæ, vt ſuos errores diſſeminent. §. 3.

Lorica propria eſt armatura ad ſui defenſionem; ideo loricis induuntur hæreſiarchæ, qui à peſſimo dæmone poſſidentur & aguntur: quia cum nouas afferunt doctrinas, & introducere conentur ſectas perditionis, cauſas ſeu prætextus ſuæ defectionis ac præuaricationis eos adducere oportet, ne omnino rejiciantur vt oſores Religionis iam receptæ & auitæ, propter antiquitatem venerandæ. Certè cum pietas firmas egit radices, & fons gratiarum Dei apertus mentes fidelium irrigauerit, de quo Zachariæ 13. *In die illa erit fons patens domus Dauid, & habitantibus Ieruſalem, in ablutionem peccatorum*, remiſſione peccatorum acceptâ in die illa, promittit Dominus quod diſperdet *nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltra: vt nulla ſit Religio*, ait S. Hieron. *niſi tantum nominis Chriſtiani: auferentur de terra pſeudo-Propheta, & ſpiritus immundus: itaut, inquit Propheta, cum prophetauerit quiſpiam vltra, dicent ei pater eius & mater eius, qui genuerunt eum: non viues, quia mendacium locutus es in nomine Domini, &c. id eſt*, inquit S. Hieron. *tam pia erunt omnium in Deum mentes, vt non expectetur publicum iudicium, ſed pereant qui tales ſunt ſententiâ propinquorum eorum.* Ita Hier. Cum igitur periculoſa ſit erroris propoſitio dum viget pietas, non ſtatim audent hæretici ſuas hæreſes & adinuentiones in lucem propalare. Habent enim hæretici, vt notat S. Hieronym. in 2. Habacuc, orgya ſua, & quaſi pro perfectis quibuſque diſcipulis tradunt abſcondita Sacramenta, quæ ſi ad lucem proceſſerint, ſtatim quod ficta ſunt arguuntur; nihil igitur eis proderit ſculptura & conflatio ſua. Sculptura, quæ refertur ad lapides, de dogmatibus intelligitur, quæ ſtultitiam prima fronte demonſtrant. Conflatio eſt ibi, vbi aliqua videtur eſſe ratio ſapientiæ ſecularis, & veluti quodam auro, ita diſciplinis philoſophorum & ſplendore eloquentiæ idolum conflatum eſt: ideo ne rejiciantur, oportet vt loricis induantur: quibus nouas ſuas opiniones poſſint defendere, contra eos qui veritatis iam receptæ propugnatores, eos mendacij & falſitatis conuincere enituntur; eos enim tantum poſſunt decipere, qui à doctrina iam recepta & à Deo Eccleſiæ reuelatæ ſe reſiliunt. Bene S. Hieron. in 7. Oſee hæc verba exponens (*Fur ingreſſus eſt, ſpolians latrunculus foris*) ait: *Non enim poſſunt expoliare veſte Chriſti* (hæretici nempe) *quos docuerunt, niſi eos foras eduxerint, & in peruerſa doctrinarum ſuarum via fecerint ambulare.* Ita Hieron. Hæretici igitur præſentientes peruerſam doctrinam, quam introducere cupiunt, fore rejiciendam, non apertè primùm inſiliunt, ſed pedetentim procedunt: vnde de his loquens S. Iudas vſus eſt vocabulo iſto: *Subintroierunt*, quaſi diceret: Priùs viſi ſunt omnia intus peruertentes, quàm illorum patuerit introitus: adeo fuit inſidioſus & occultus. *Hæreticorum corda*, inquit S. Hieron. in 7. caput Oſee, *diaboli igne ſuccenſa, vt in eis panes coquantur Anti-Chriſti, nemo ambigit: qui ideirco primum quieſcunt in Eccleſia, & loquuntur occultè, & omnia pacificare promittunt, vt cancer paulatim ſerpat in populos; & fermentum doctrinæ* (*quod & Dominus intelligens loquitur: Cauete à fermento phariſæorum*) *cum intumuerit in cordibus deceptorum, tunc in apertam prorumpût inſaniam: & impletur in eis quod à Ioanne Apoſtolo dicitur: Ex nobis exierunt, quia non erant ex nobis, &c.* Ita S. Hieron. Vt igitur hæretici faciliùs decipiant, cauſas quaſdam ſeu prætextus adducunt ſuæ defectionis, qui per colores loricarum hîc ſignificantur. Sunt enim igneæ, hyacinthinæ, & ſulphureæ. Quid autem ſignificent huiuſmodi colores, exquirendum. Alcazar qui de paſſionibus appetitus iraſcibilis hoc ſymbolum explicat, in lorica excuſationes & cauſas fucatas & inutiles, (quas adducunt ij qui iraſcuntur) intelligit; in colore hyacinthino, arrogantiam & faſtum: veri enim nobiles hyacinthinis indui ſolebant, Eccleſiaſ. 40. *Ab eo qui vtitur hyacintho, vſque ad eum qui operitur lino crudo*: In igne, itaſn ipſam; in ſulphure, materiam, iram veluti ignem alentem; alitur enim iracundia rationibus & excuſationibus, quibus extingui poſſe exiſtimaretur.

Ambroſius, qui per ſedentes ſuper equos intelligit principes perſecutores Eccleſiæ; per loricas, quæ ictus gladiorum à ſe repellunt, duritiam cordium reproborum deſignari vult; quæ ad corda eorum gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei, accedere non ſinit; quæ loricæ igneæ, hyacinthinæ & ſulphureæ eſſe dicuntur: per ignem planè crudelitas mentis perſecutorum; per hyacinthum, qui cæli figuram habet, honor Deitatis, quem Diis ſuis referebant, deſignatur; per ſulphur verò quod fætet, blaſphemiæ, quas in Chriſtum proferebant deſignantur.

Rupertus autem ait: *Habentes loricas: ſpiritus namque maligni, quorum cordibus præſident, eorum ſunt panis amicti, imo & quales efficiant eos quibus inſident, tales in præſenti viſione apparent. Quales autem efficiant niſi cupidos, ſuperbos, libidinoſos? Quid verò per ignem, niſi cupiditas? Quid per hyacinthum, qui color cæli faciem imitari dicitur, niſi ſuperbiam? Quid per ſulphur fœtidum, niſi libidinem, maximéque eam quæ contra naturam, intelligimus.* Ita Rup.

At propiùs ad mentem noſtram S. Thomas dum ait: *Habebant loricas, id eſt habebant obſtinatam peruerſitatem, ſine mentes induratas, non tantum in ſe, ſed & in hæreticis: quia procurabant quod hæretici ſint obſtinati, ita quod ſe vinci à Catholicis non permittant, vt peruerſitas obſtinata ſit eis quaſi lorica fortis. 1. Reg. 17. dicitur de Goliath, quòd lorica hamata induebatur; igneas, igne iræ ſine malitiæ, quia ſicut ipſi dæmones ſunt igne iræ accenſi, contra iuſtos, ita accendent magis ac magis hæreticos contra ipſos; hyacinthinas, id eſt coloratas ſimulatio-*

Digitized by Google

ne vitæ : *Hyacinthus enim eſt lapis pretioſus, habens colorem cæli, per quem ſignatur ſimilitudo vitæ ſanctæ cæleſtis ; Et ſulphureas, fatore doctrinæ : quia doctrina à mentibus hæreticorum, procurantibus dæmonibus, procedens fœtida eſt in conſpectu Dei & hominum fidelium : fœtida eſt autem ratione erroris : ſulphur enim fœtet. Hæc tria ſunt annexa mentibus eorum induratis. Vel loricæ poſſunt intelligi ſententiæ quibus dæmones muniunt hæreticos, quæ ſententiæ deſcribuntur multipliciter : quia dæmones per huius ſententias erroris, reddunt hæreticos munitos ad ſui defenſionem. Vnde dicit : Habebant loricas, id eſt ſententias fortes ſecundum apparentiam, quibus hæreticos muniens, ſub quibuſdam rationibus item acutis ad aliorum deceptionem ; igneas, quia accendunt hæreticos ad imbuendum alios, & etiam multos Catholicos inflammabunt ad conſenſum erroris : ſupra c. 8. cecidit de cælo ſtella magna ardens tanquam facula ; item cæcas apud ſe ; hyacinthinas, id eſt excæcantes eos & fumoſos reddentes : Hyacinthus eſt enim lapis fumidi coloris. Alia litera habet, fumidas. Iob. 11. De naribus eius procedit fumus. Item fœtidas apud Deum, & etiam apud fideles, per ipſam perfidiam, per blaſphemiam, per infamiam ; Et ſulphureas : & ideo dicitur infra : Pars illorum erit in ſtagno, igne & ſulphure: Vel expone de pœna æterna ſecundum Gloſſam.* Hæc S. Thom.

Dico igitur in loricis deſignari cauſas quas adducunt Hæreſiarchæ, cum à nobis exeunt, & ſectas nouas introducunt. Hæ autem cauſæ ſeu rationes, quibus ad diſceſſum inducuntur, poſſunt eſſe igneæ, id eſt zelo veritatis tuendæ, vel Eccleſiam reformandi, aut in iis quæ ad doctrinam ſpectant, aut in iis quæ ad mores ſeu diſciplinam pertinent ; vel etiam ad id inducuntur iracundiâ moti, quia ſe læſos eſſe dicunt in aliquo, quo exiſtiment ſe ſchiſma iuſtè inducere, per quod in hæreſes facilis eſt illapſus : vel ſunt hyacinthini coloris, quòd Dei honorem præ oculis habere ſe iactitent, vel quia per ſuperbiam & arrogantiam ſe dignitatibus Eccleſiaſticis dignos exiſtiment, à quibus repulſi non metuunt ſectas introducere, in quibus fumum, & vanitatem gloriæ mundanæ ſibi aſciſcant ; vel tandem ſunt ſulphureæ, id eſt infirmitati carnis ſeſe accommodare dicent, cuius iuſta non videntur omnimodè relinquenda, cum nullus carnem ſuam odio habeat, ſed eum potius foueat & nutriat.

Adeo verum eſt hæreticos cauſas prætendere quibus ſuas hæreſes defendant, vt ſi vna retundatur ad aliam recurrant. Hanc hæreticorum indolem rectè explicat S. Athanaſ. epiſtola de decretis Nicenæ Synodi, contra hæreſim Arrianam : *Verumtamen illi in commiſcendis litigationibus ; nihil alienum à prauitate ſua indolis faciunt : neque id mirum, quum tam vario ſint & verſipelli animo, quàm Chamæleontes ſunt in mutandis coloribus : quippe quibus tantiſper pudor adſit, dum refutantur inopia hæſitationeque reſpondendi ; ſed mox tamen reſumpta audaciâ, ad cauſificationes fingendas recurrunt : quos ſi denuo conuincas fruſtrantur illis quidem, Verùm non diutius, quàm vt denuo ea quæ nuſquam ſunt mendaciis fingant, & vt in pſalmis eſt, inania cogitent, non alia de cauſa quàm vt in ſua hæreſi ſeducant.* Ita Athanaſ.

Quod autem ſe zelo veritatis tuendæ duci prætendant, tantùm abeſt vt hoc non aſſerant, quod omnes, ex eodem S. Athanaſio, veritatem apud ſe habere proclament. *Quapropter*, inquit S. Athanaſ. Orat. 1. contra Arrianos ad Epiſcopos Ægypti & Libyæ, *Diabolus venit dicens in vnaquaque (videlicet hæreſi :) Ego ſum Chriſtus, & apud me eſt.* Atvt initio huius orationis S. Athanaſius optimè animaduertit, monet Chriſtus multos in nomine eius fore venturos, iactitantes ſeſe eſſe Chriſtum, quos ſequi prohibet. *Magnum beneficium quoddam*, inquit S. Athanaſius, *contulit nobis iſte ſermo, cuius operâ ſit vt non à ſpecie rerum quæ apparet decipiamur, ſed potius quæ vera ſunt, quantumcumque illa ſe oculis ingerat, diſcriminare tamen & internoſcere queamus, idque ſpiritus ſancti gratia : nam quia abominabilis eſt ſcelerum inuentor diabolus, immenſus calumniator, & vt ſemel viſus rejicitur ab omnibus, vt ſerpens, vt draco ; vt leo quærens quem rapiat & deuoret, ideo hoc ipſum quidem quod eſt diſſimulat & occultat, nomen vero quod ab omnibus deſideratur & expectatum eſt, callidè vt perſonam induit, vt ſpecie deceptos iam deinde ſuis vinculis perſtringat : non aliter quam plagiarius, qui auertere cupit alienos liberos, longe à parentibus ſuis peregre agentes, aſſimulat ſpeciem vultumque parentum : quos vbi deſiderio ſui captos deceptoſque longius abduxerit, iugulat & occidit. Eadem quoque ratione ſinuoſus ille, & mille doli fraudiſque magiſter diabolus, nihil ſibi fidens, vt poſte qui ſciat humani generis ad veritatem amores, veritatis ſpeciem, vultumque prætendit, ſuum tamen virus comitibus ſuis & aſſeclis inſpargit, &c.* Ita Athanaſ. Igitur loricam habet igneam Hereſiarcha : ſeu diabolus, quia veritatis lucem & facem ſe præferre iactat. At non tantum ſe afferre iactitat, ſed etiam doctrinæ ac morum reformationem deſiderare. Tales fuerunt ſectatores cuiuſdam Euſtachij, qui in Gangrenſi Concilio an. 324. condemnati ſunt : qui continentiam extollentes, nuptias accuſabant, & traditiones Eccleſiaſticas contemnebant, & multa alia aſſerebant pro ſuo arbitrio : & vnuſquiſque, prout ei videbatur, ad accuſationem Eccleſiæ nitebatur, tanquam in ea nullus eſſet rector, addentes vel minuentes decreta ad libitum.

Tales Ioannes Vviclef & Ioannes Hus, qui in Concilio Conſtantienſi damnati fuerunt, multa aſſerentes, ac ſi Eccleſia in errore fuiſſet ab eis deprehenſa, & ipſorum indigeret reformatione. Tales ſunt noſtri Nouatores, vt experientia docet, & eorum ſatis proclamat iactantia.

At non ſolum zelo veritatis tuendæ, aut reformationis inducendæ, tanquam lorica ſe defendunt, ſed audent etiam aſſerere ſe in iuſtam iracundiam prouocatos, quo ab Eccleſia diſcedant, ſchiſma conficiunt, & tandem ſchiſma in hæreſim vertunt. Huius rei exemplum habemus in Donatianis ſeu Donatiſtis : *Qui primum*, ait S. Auguſtinus, Hæreſi 69. de Hæreſ. to. 6. *propter Cæcilianum contra ſuam voluntatem ordinatum Eccleſiæ Carthaginenſis Epiſcopum, ſchiſma fecerunt : obijcientes ei crimina non probata, & maximè quod à traditoribus diuinarum ſcripturarum fuerit ordinatus : ſed poſt cauſam cum eo dictam atque finitam, falſitatis rei deprehenſi, pertinaci diſſentione firmatâ, in hæreſim ſchiſma verterunt.* Ita Aug.

Alij colore hyacinthino ſuas excuſationes induunt, dum quaſi honoris diuini zelo ducti, viſi ſunt mala repellere à diuina natura, duo principia conſtituentes boni & mali, vt Carpocratiani, Manichæi & Colathiani, qui dicebant Deum non facere mala, contra illud quod ſcriptum eſt : *Ego Deus creans mala* Auguſt. Hæreſi 65. Pari ratione alij viſi ſunt Chriſto honorem deferre, qui eum paſſibilem fuiſſe pernegabant. Talis fuit ille de quo S. Auguſt. Hæreſi 14. *Qui dicebat Chriſtum nos verè ſed putatiuè eſſe paſſum, vel vt antea Baſilidiani, qui non credebant à Iudæis Chriſtum crucifixum, ſed Simonem Cyrenenſem, qui angariatus ſuſtulit crucem eius.* Aug. Hæreſ. 4.

Alij eodem colore ſe hyacinthino induunt, vel quia aliis ſe putant doctiores aut ſanctiores : quales fuerunt Gnoſtici, qui propter excellentiam doctrinæ ſic ſe eſſe appellatos vel appellari debuiſſe gloriabantur. Auguſt. Hæreſ. 6. Quales fuerunt Cathari, qui ſeipſos iſto nomine, quaſi propter munditiam ſuperbiſſimè atque odioſiſſimè nominabant.

Auguſt. Hæreſi 38. Quales fuerunt Begardi & Beguinæ, mulieres Alemaniæ, quorum errores damnati fuerunt in concilio Viennenſi, ſub Clemente quinto. Qui aſſerebant quod homo in vita præſenti talem perfectionis gradum poterat acquirere, quod redderetur pœnitus impeccabilis, & alia abſurdiora afferebant, faſtum ac animi præſumptionem redolentia. Eodem etiam colore ſe induunt hi qui per ambitionem ab Eccleſia diſcedunt, vt fecit Aëtius, qui cum eſſet Præsbyteros, doluiſſe fertur quod non potuit ordinari Epiſcopus, & in hæreſim Arrianorum lapſus, propria quoque dogmata addidit, inter quæ hoc vnum fuit, Præsbyterum ab Epiſcopo nullâ differentiâ debere diſcerni.

Denique alij ſulphureâ loricâ ſe induunt, id eſt carni obſequi voluerunt, vt Simon Magus, qui docebat deteſtandam turpitudinem, indifferenter vti fœminis; & Nicolaitæ quibus placebat vſus indifferens fœminarum; & Carpocratiani, qui docebant omnem turpem operationem omnemque adinuentionem peccati, nec aliter euadi atque tranſiri principatus & poteſtates quibus hæc placent, vt poſſit ad cœlum ſuperius perueniri; & alij multi, de quibus agit S. Auguſt. de Hæreſibus. En loricæ ſeu defenſiones Hæreſiarcharum: vnde non mirum eſt ſi equi ſuper quos inſident, id eſt ſimplices hæretici, ex ore ignem, fumum & ſulphur euomant. Igitur à feſſoribus, ad equos reuertamur.

Et capita equorum tanquam capita Leonum: & de ore eorum procedit ignis, & fumus, & ſulphur: & ab his tribus plagis occiſa eſt tertia pars hominum, de igne, & de fumo, & ſulphure, quæ procedebant de ore ipſorum.

Quales exiſtunt damonibus & hæreſiarchis credentes § 4.

Igitur equitibus, inquit Rupertus, *(de quibus dixerat: habentes loricas igneas, & hyacinthinas & ſulphureas) equos ſuppares fuiſſe teſtatur, cum dicit: Et de ore ipſorum procedit ignis, & fumus, & ſulphur. Similes enim ſunt eiuſmodi malignis ſpiritibus inſeſſoribus atque habitatoribus ſuis, licet dæmones in hoc minus habeant, vt non actu, ſed tantùm voluntate libidinoſi ſint, quippe qui ſine carnibus ſunt.* Ita Rup.

Nec multùm laborandum in ſenſu huius loci exquirendo: ſufficit expoſitio S. Thomæ cum ait: *Erunt crudeles in actu perſequendi, & ſuperbi, & vitiis fœtidi. Leo eſt enim animal crudele & rugiens, & fœtorem habet in hiatu oris, &c. & de ore eorum, id eſt de eorum prædicatione, ſcilicet equorum, ſcilicet hæreticorum, qui portant dæmones ad homines decipiendos, &c. procedit ignis, doctrina eorum oſtenditur eſſe inflammatiua: vnde dicitur ignis, id eſt doctrina, alios accendens; quia noua placebunt hominibus, vnde accendentur corda hominum. Item comburentur igne deuorante per errorem. Item excæcatiua vt fumus, id eſt, doctrina fumoſa, excæcans. Item infelicua; Et ſulphureas, id eſt doctrina fœtens, & per hoc inficiens multos: Vel per hoc poteſt intelligi doctrina, quæ eſt eis & aliis cauſa pœnæ æternæ, vbi ſunt. Hæc tria Gloſſa, ſcilicet ignis excrucians, Iſa. vltimo: ignis eorum non extinguetur; Item caligo obtenebrans, vnde dicitur: Et fumus, Iſa. 34. Aſcendet fumus eius in generatione & generationem; Item fœtor penetrans; Et ſulphureas Pſ. Ignis & ſulphur, & ſpiritus procellarum, &c. Vel per ignem poteſt intelligi ſuggeſtio hæreticorum, vel ad auaritiam, vel cupiditatem, quæ eſt ignis accendens; per fumum, ſuggeſtio ad ſuperbiam, qua elenatur in altum, & excæcat, & euaneſcit vt fumus; per ſulphur, ſuggeſtio ad actionem prauam, quæ habet fœtorem in conſpectu Dei.* Ita S. Tho.

Et reuera hæretici Leonina habent capita, propter crudelitatem. De Arrianis dixit olim S. Athanaſ. Apologia de fuga ſua, quòd *eſſent ſitibundi, auidique ſanguinis humani, eorumque animos feris efferatiores, & Babyloniis crudeliores eſſe*; & Epiſtola ad ſolitariam vitam agentes, notat eos Ethnicis ipſis crudeliores: *Ego enim,* inquit, *à patribus audiui quum perſecutio eſſet nata ſub Maximiniano Conſtantij auo, Ethnicos homines fratres noſtros Chriſtianos, quam quærerentur, latebris abdidiſſe, eoſque ſæpe pecunia multatos & carceri mancipatos fuiſſe, non ob aliud quàm quod profugientes ad ſe prodere nollent, eoſque eadem fide, qua ſeipſos tuendos putarent; non veriti ob id ſeſe periculis obijcere. At nunc mirifici nouæ hæreſeos inuentores, nulla æque re vt inſidijs clari, omnia in contrarium faciant. Ipſi enim vltro carnifices effecti, & occultatos rimantur, vt eos latebris eruant, & occultatoribus inſidias nectunt, æque ſibi inimicum & occultatum & occultantem arbitrantes. Ita naturâ cruenti ſunt, & homicida, & ſcelerum æmuli.* Ita Athanaſ. Quod de Arrianis dixit famoſiſſimus ille fidei defenſor, hoc dic de omnibus. Conſule hiſtoricos huius ſeculi: diſces quanta crudelitate graſſati ſunt neoterici hæretici in Catholicos. Anglia ſola tot martyres proferet, vt ex his quæ in ea perfecta ſunt nota crudelitatis hæreticis foret inurenda. At Euangelium nec vi aut violentia debet annunciari nec tueri, cum doceat manſuetudine & patientia nobis eſſe cum mundo & diabolo decertandum; *Diabolus,* inquit S. Athanaſ. Epiſt. ad ſolitariam vitam agentes, *quia nihil veri habet, inſecuri & aſcia inuadens, concutit fores eorum à quibus recipitur. Saluator contra manſuetus eſt. Si quis, inquit, velit me ſequi, & meus eſſe diſcipulus, &c. docetque ſe quum ad quempiam venit non vi inſtare, ſed potius pulſare ac dicere: Aperi mihi ſoror mea ſponſa: Quod ſi aperiant, intratis ſin grauarentur aut nolint aperire, abſcedit: non enim gladiis aut iaculis, aut militari manu veritas prædicatur, ſed ſuadendo & conſulendo.* Ita Athanaſ. Rectè igitur dicuntur hæretici habere capita Leonina, propter feuitiem & crudelitatem; eoſque ore ignem euomere, propter minas & verba acerba quo proferunt irâ & excandeſcentiâ, quâ ſemper vtuntur in defenſione peruerſæ doctrinæ: quam cum tueri non poſſint ſolidis rationibus, clamoribus & contumeliis, & verbis dutis ac aſperis tueri conantur.

At non ſolum propter crudelitatem habent capita leonum, ſed etiam ob dominandi & imperandi cupiditatem. Fumum etiam euomunt, propter præſumptionem ſui eos excæcantem. *Quis non damnauerit,* inquit S. Athanaſ. orat. 1. contra Arrianos, *eorum audaciam? Pauci enim numero quum ſint, volunt tamen ſua præ omnibus valere, ea quæ ab ipſis in angulis conflata, ac proinde ſuſpecta, vana eſſe: ſummam vim adhibentes, vt diſſoluant & irritum faciant totius orbis ſedulum & ſyncerum Concilium.* Ita Athanaſ. Sulphur etiam vomunt, quia ſicut ſulphur facile ignem concipit, ita eorum doctrina talis eſt, vt ad modicam ſcintillam ignis concupiſcentiæ, in actus prauos & fœtidos erumpant. Hoc perpende in doctrina Nouatorum, qui obſeruationem mandatorum Dei impoſſibilem eſſe volunt, qui mercedis conſecutionem vſque ad diem iudicij differunt, qui pœnas inferni tantum imaginarias eſſe fingunt, qui bonorum operum dignitatem deprimunt, qui carnalia opera æquè ac cibum & potum eſſe neceſſaria prædicant: ſed hæc demonſtrare non eſt noſtri inſtituti. Conſule controuerſiarum ſcriptores, & quàm verum ſit eos ſulphurem ex ore emittere, quia doctrina eorum fœtidis carnis operibus pluri mum fauet, proculdubio perſpicies. Ad alia tranſeamus.

Digitized by Google

Et ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum, de igne, & de fumo, & de sulphure, quæ procedebant de ore ipsorum.

Quosnam potissimum hæretica prauitas corrumpat. §. 5.

In tres classes seu ordines cunctos homines in hac vita degentes commodè distribui posse iam diximus; in eos nempe qui fidem nunquam receperunt, vt Iudæi post Domini Ascensionem & Euangelij promulgationem, Pagani, Mahumetani, omnes nempe infideles siue negatiuè, siue positiuè fidei repugnantes; Secundò in eos qui fidem receperunt, eamque sartam tectamque contra cunctos errores seruare contendunt; Tertiò, in eos qui fide receptâ in Baptismo, eam deserunt, vt nouis doctrinis aurem præbeant. Hæc est tertia pars hominum, quæ ab his plagis occiditur, dum doctrinam hæreticorum admittunt, siue crudelitati eorum acquiescentes, siue superbiæ eorum consentientes, siue post carnis desiderta abeuntes. Neque enim Hæretici Paganos ad suam doctrinam attrahere contendunt: totus illorum conatus vt fideles peruertant, non autem vt infideles ad Dei agnitionem adducant; & cum hæreses à Deo permittantur vt probati manifesti fiant, certum est eorum conatus irritos esse in iis qui in fide stabiles reperiuntur. Igitur solum peruertunt & corrumpunt eos qui attendunt *spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum*, qui tertiam classem hominum quodammodo componunt. Vel si mauis, expositionem S. Thomæ accipe. *Tertia pars hominum, id est multitudo reproborum, quia boni non illo modo occidetur; quia in aduersis merebuntur.* Ro. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Reprobi dicuntur tertia pars, quia nec sunt in actiua vita, nec in contemplatiua: Vel quia non sunt in statu iustorum perfectorum, vel imperfectorum: Vel vna pars est quæ incepit pœnitentiam & complenit: huic statim redditur paradisus; alia quæ incepit, sed non complenit: huic debetur purgatorium; alia quæ nec incepit finaliter nec complenit, cui debetur infernus.* Ita S. Thom. Commodiorem tamen existimo (pace tanti Doctoris) nostram interpretationem; quia cum in numero reproborum multi & infideles & mali catholici reperiantur, qui fidem nunquam deseruerunt, vt eam deseruere hæretici, qui fidem non habuerunt, vt infideles sint etiam in reproborum numero reponendi, & tandem qui vsque ad vltimum vitæ halitum fidem seruarunt, sed charitatem amiserunt vt mali catholici; isti, infideles nempe & mali Catholici, non dicuntur occisi per suggestionem doctrinæ hæreticorum, quia vel fidem nunquam habuerunt, vel quia non fuerunt seducti per hæreticam prauitatem, quamuis propter charitatem deperditam damnentur, tantò infeliciores & maiori pœna digni, quod Domini voluntatem scientes, eam adimplere neglexerunt, & creatorem deserentes, creaturæ per amorem inordinatum adhæserunt: propter quod in æternum damnabuntur.

Potestas enim equorum in ore eorum est, & in caudis eorum: nunc caudæ eorum similes serpentibus, habentes capita: & in his nocent.

Duo in hæreticis cauenda, doctrina eorum, & illorum prauæ actiones, quibus ad defectionem à fide vi aut astutiâ, alios peruertere contendunt. §. 6.

Animaduertit Lud. ab Alcaz. furiosis his equis setarum vice in caudis attribui serpentes, cum quodam in rerum natura fundamento: quia setæ in aquam iniectæ ibique asseruatæ, facile conuertuntur in colubros. At bene S. Ioannes ait potestatem equorum in ore esse & in caudis, ac in his nocere: quia reuera *corrumpunt bonos mores colloquia prauа*, vt ait Apostolus, *sermoque eorum tanquam cancer serpit.* Cumque id ad quod omnis error mentis, & peruersitas voluntatis terminari potest, sint deprauatæ actiones externæ, actiones illæ, quæ consequuntur talem voluntatem errore deceptam, optimè significantur per caudas, quæ extremitates sunt animalium. At quàm noceant mala exempla, quàm cito inficiant, nemo non videt. Ideo optimè tales actiones similes dicuntur serpentibus, quin etiam capita habere: nam ita sunt extrema erroris ac peruersæ voluntatis, in iis à quibus procedunt, vt sint quasi capita & initia similium errorum, & actionum peruersarum in aliis, qui tales actiones imitantur: quæ cum ab hæreticis cum mala intentione alios seducendi exerceantur, ideo sunt quasi serpentes, id est, dolum, fucum, fallaciam & astutiam planè redolent: *& in his nocent*, tum quia & verbis ac doctrinis mendacibus, vanis, curiosis, carnalibus, & exemplo malarum actionum hi equi nociui sunt peruertentes, & ad errorem & peccata inducentes; tum quia initia dolorum sunt hæc. Siquidem in inferni pœnas credentes eis eorumque sectatores tandem perducunt. Aliam rationem adfert Rupertus, cur docens mendacium dicatur cauda: *Nam*, inquit, *Propheta docens mendacium, ait Esaias, ipse est cauda: Videlicet quia quodammodo protegit stercora, dum ipsum quod loquitur mendacium quanta potest veri similitudine perornat: Et postea: Caudæ eorum similes serpentibus: id est, imitantur malignos spiritus, suntque pleni spiritu mendacij, qui per serpentem, primum hominem decepit: habent capita, & in iis nocent, id est principibus & potentibus regibus, & imperatoribus adhærent, & eorum patrocinio fulti, quos seducere non valent premere prævalent, vt ipsorum vel inuiti sequantur errorem.* Ita Rupert.

S. Thomas: *In ore, id est in prædicatione seu suggestione eorum, quia dolosè & blandis verbis, & allectiuis rationibus suggerent errores hominibus, &c.* Et postea: *Et in caudis eorum, in occultis deceptionibus, qui astutè machinabuntur decipere, vel promissis vel minis.* Et post pauca: *Tales comparantur caudis, quia cauda non sic apparet vt facies, & iterum cooperit corporis turpitudinem, sic tales astutiam suam abscondunt, & turpitudinem erroris sui cooperiunt.* Et tandem in caudis S. Thomas intelligit eos, *qui sunt astuti, deceptibiles aliorum: ideo similes serpentibus, quia scilicet venenum erroris latet in eis, & astutè studeut ad immittendum: Et in sententiis varij sunt, quia multiplices sententias habent perfidiæ sicut serpens varium colorem: item, quia terrenis delectantur, sicut serpens terram comedit. Isa. 65. Serpenti puluis panis eius: alia litera habet, draconibus: qui scilicet occultè insidiantur, Isa. 55. Absorbuit me quasi draco: Habentes capita, scilicet ad modum serpentum, id est, principes & diuites, qui sunt aliis priores & altiores per potentiam, & mordentes fideles per sæuitiam: quia hæretici cum non poterunt per se decipere fideles, facient eos per alios maiores affligi, sicut insinuat Glossa.* Ita S. Thom. Lege Athanas. epist. ad solitariam vitam agentes. Vnde Gregorius: *Multi potentum studebant fideles sæuiendo & affligendo terrere*, vt ibid. notat S. Thom.

In his igitur habes hæreticorum indolem optimè adumbratam: sunt enim equi dolosè se submittentes, vt occasione nactâ fruendi iis ad quæ hinniunt, ad præcipitium erroris ferant eos quos vehere & portare videntur. Sunt equi emissarij ob libidinem effrenatam; dæmonibus adhærent, quia credunt mendaciis, obduratæ sunt mentis, varias cau-

Digitized by Google

ſas adducentes ſuæ diſceſſionis, nempe vel veritatis tuendæ, vel Eccleſiæ reformandæ, vel zeli diuini honoris, vel conſulendi infirmitati & imbecillitati humanæ, vel iræ iuſtæ conceptæ, vel vanitate ſcientiæ, vel præſumptione perfectionis, vel amore voluptatis: Habent capita Leonum, vel propter ſæuitiam & crudelitatem, vel quia regnare contendunt: vnde & ignem iracundiæ, & fumum vanæ gloriæ, & doctrinam concupiſcentiis fauentem, ex ore promunt. Et ſicut ex ore doctrinam emittunt nociuam, ita actiones eorum ab eis ordinantur, vt alios dolis ac fraudibus decipiant, & ad imitandum & ſectandum eos attrahant: & ſi dolus ac fucus nihil efficit, ad vim & violentiam recurrunt. Ideo principum & magnatum potentiâ freti, ſæpe ſæpius ſuas doctrinas ac errores propagarunt. Quod ſi vetera exquiras, patuit in Manichæis, in Arrianis; ſi noua, in Lutheranis & Caluinianis: & clarè perſpicitur in Anglia, in qua vis & violentia ac potentia fidem ac religionem auitam extinguere coacta eſt: & in tantam impietatem res adducta eſt, vt hoc anno 1633. dicatur ipſum Parlamentum ſui Regis interfectorem, vt Anti-Chriſtianum, ipſum diem Natiuitatis Chriſti expunxiſſe, & ne coleretur prohibuiſſe. Fauet Primaſius, dum ait: *Poteſtas equorum in ore & in caudis eorum, id eſt in ſermonis officio. Caudas enim prædicatores reprobos ponit: nam caudæ eorum erant ſimiles ſerpentibus, habentes capita draconum, de quibus nocebant. Bene hic, in ſimilitudinem præuaricationis antiquæ, ſerpentum meminit, cuius ſibilo mulier ſeducta audaciter inconceſſa egit, & iuſtè perdidit quod accepit. Sunt iſti capita draconum, id eſt mundi principes. Dracones enim animalia ſunt terrena, ſæpe in aquis habitantia, omnibus pene beſtiis grandiora. Principum ergo patrocinio noxia prædicantes, amplius nocent quàm ſi ſolo ſermone ſuaderent.* Ita Primaſius.

Sed vt, optime Lector, habeat non modò hæreſum originem, hæreticorum deſcriptionem, & pernicioſos effectus: ſi Deus vitam largiatur, tractatum adiungemus de quadam generali ratione conuincendi hæreticos modernos, R. P. Dionyſ. Vitienſis ordinis noſtris, Lectoris officio per plures annos cum laude perfuncti; & controuerſiarum prædicatoris, in celebertimo cænobio S. Audoëni in ciuitate Rothomag. munere, cum plurimorum ad fidem conuerſione item feliciter perfuncti; & alium ex noſtro de motiuis ad conuerſionem, exponendo parabolam filij prodigi, quam parabolam de hæretico homine eſſe intelligendam pro certo teneo, vt videbimus. Nunc, vt huic capiti nono finem imponamus, vltimam Annotationem damus in ſequentes verſiculos.

Et cæteri homines, qui non ſunt occiſi in his plagis, neque pœnitentiam egerunt de operibus manuũ ſuarum, vt non adorarent dæmonia & ſimulachra aurea, & argentea, & ærea, & lapidea & lignea, quæ neque videre poſſunt neque audire, neque ambulare: & non egerunt pœnitentiam ab homicidiis ſuis, neque à veneficiis ſuis, neque à fornicatione ſua neque à furtis ſuis.

Quinam pietatis nocent præter hæreticos.

ANNOTAT. VII.

SI ſoli hæretici damnationem incurrerent, & ad vltimũ & finalis impœnitentiæ peruenirent, nihil addendũ fuiſſet S. Ioanni his quæ hucuſq; deſcripſit: ſed quia duo genera hominum in numerum reproborum coaptari debent, ideo hæc adiicit, vt tam infideles quàm malos Chriſtianos cum hæreticis adiungat. Ait igitur: *Et cæteri homines, qui non ſunt occiſi, &c.* Ac ſi diceret: Quidam alij ſunt qui etiam nocent ore & opere, tam verbis quàm malis operibus, quæ alios ad mala perpetranda perducunt; & qui etiam, ſicuti hæretici, pœnitentiam non agent, qua poſſint ſaluari. Ideoque ad vltimum væ obduratæ mentis deuenient: quo propter finalem impœnit entiam ad inferna detrudentur: itaut copula (*Et*) exponi debeat ac ſi diceret, *etiam*. Nam Calepinus notat hanc coniunctionem poni interdum pro etiam, & citat Quintilianum: *Tametſi aduerſus te ipſe commiſit, ſit hoſtis & meus*; & Virgilium, *natus & ipſe Dea. Et cæteri homines* igitur, eſt, etiam homines infideles, (& mali Catholici nocent, vt ij de quibus modo egimus. Iſti enim non ſunt occiſi per hæreſim: nam infideles nunquam habuerunt fidem: Mali Catholici habitum fidei non amiſerunt, ſed iuxta illam non vixerunt: ideo non damnantur propter infidelitatem aut hæreſim, ſed quia mores non habuerunt fidei conformes, quæ illis & proximi dilectionem, & erga Deum pietatem, & corporis & animi munditiem, & omnimodam iuſtitiam ſuggerebat. Mentionem igitur facit S. Ioannes de infidelibus & de malis Catholicis, vt intelligamus tribus modis homines ad damnationem æternam peruenire, vel quia fidem receptam abnegarunt, vt hæretici; vel eam noluerunt amplecti, aut ſaltem eam non habuerunt, vt infideles, ſeu poſitiuè ſeu negatiuè: vel iuxta eam noluerunt mores componere, vt mali Catholici. Fauet Primaſius dum ait: *Quocirca ſicut his myriades myriadum hæreticis falſiſque Chriſtianis conuenit applicandum, ſic reſiduas malorum, quos etiam in gentibus eſſe ſuperior expoſitio continet, & ſubſequenti nunc ordine memoratur: vt ex iſtis omnibus perſonis diaboli corpus omne conſiſtat, imo conſiſtere demonſtretur, id eſt Iudæorum, & hæreticorum, & falſorum Chriſtianorum, & Gentilium. Poſt paululum denique ſequitur (ipſorum inſinuans gentilitatis errorum:) Et cæteri homines: & cætera; quibus oſtenditur in pleno circumſcriptum hîc inſinuare corpus omne malorum.* Ita Primaſ. Fauet etiam Beda: *Quia*, inquit, *falſos Chriſtianos & hæreticos deſcripſerat, nunc vt corpus omne diaboli circumſcribat, gentilium quoque commemorat errorem: quibus nihil prodeſt his plagis non occidi, cum conſtet eos in gentili tunc quoque perdurare malitia: neque enim in illa perſecutione cogentur gentiles ſupradictis conſentire, ſed in ſua incredulitate morientur: Et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis ſuis, &c. impiæ religioni improbos etiam mores adiungunt.* &c. Ita Beda. At ſicut *qui diligit proximum legem impleuit*, ita qui proximo nocet ſuæ vi, & aperte illum inuadendo, vt homicidæ, ſiue occultis & malis artibus, vt venefici, ſiue ad morum corruptionem illum inducendo, aut in morum corruptione ei fauendo, vt fornicatores; ſiue in bonis externis illi nocendo, vt fures, qui bona ſurripiunt, hic proximo nocens cenſetur omnium reus; & ita peccata malorum Catholicorum ad ea quæ proximo nocent reducuntur: quomodo tota ratio condemnationis ipſorum in vltimo iudicio, ſumitur ex eoquod opera miſericordiæ neglexerunt. Et hæc de capite nono ſatis.

Digitized by Google

DE MIRANDA AC TREMENDA DEI potentiâ, in executione prædeſtinationis electorum, & iuſtâ reproborum punitione.

CAPVT X.

SAPIENTISSIMVS & potentiſſimus Dominus, qui olim aiebat per ſuum Prophetam Iſa. 5. *Quid eſt quod debui vltra facere vineæ meæ & non feci ei?* tum operi ſuo vltimam manum imponere volet, demonſtrabit tandem quantùm Eccleſiæ ſuæ eius præſentia valeat, vt fortiter & conſtanter, inter tot mundi aduerſa, electi eius in bono perſeuerent, itaut eò plus illuſtriores reddantur, quò deprimi, conculcari & à reprobis oppugnari videntur: quin etiam iuſtam à reprobis exiget vindictam, qui tot tantiſque gratiis allici, nec tot flagellis eruditi, aut à peccandi libidine retardari aut impediri potuerunt. Itaque vt olim Deus deſcendiſſe dicitur, vt videret quanta eſſet hominum corruptio, propter quam hoc decretum emiſit: *Finis vniuerſæ carnis venit coram me*, ita Saluator qui Eccleſiam ſuam ſapientiſſimè ac potentiſſimè, tanquam Caput inuiſibile & immediatum gubernat, qui in carne deſcenderat, hominibus compatiens, deſcendet diſcuſſurus quonam modo homines ſe geſſerint, aut benè vel malè vſi fuerint tantâ gratiarum copiâ, aut prouidâ flagellorum immiſſione, vt à malis reſipiſcerent. Hunc eius inuiſibilem deſcenſum per viſibilem cuiuſdam Angeli, ipſum repræſentantis, apparitionem agnoui. *Vidi ſiquidem Angelum fortem deſcendentem de cælo, amictum nube: & iris in capite eius: & facies eius erat vt ſol: & pedes eius tanquam columnæ ignis.* In cuius intuitu Domini virtutum, Domini fortis & potentis in prælio recordatus ſum, qui nube humanitatis circumuolutus in nubibus veniet mundum diiudicaturus. Caput iride circumdatum habet: nam qui olim iride tantum ſmaragdino Eccleſiam ſuam circundabat, in ſignum reconciliationis ac propitiationis, & protectionis, nunc iride viridi, cæruleo ac roſeo corpus habet inuolutum: quia diuinæ ſuæ maieſtatis memor per cœruleum colorem deſignatæ, ex vna parte virorem ſempiterni gaudij electis elargietur, ex alia igneis flammis reproborum audaciam confringet. *Facies eius erat vt ſol*, quia omnia nuda & aperta iunt ei, & iuſtè iuſtis lumen gloriæ infundet & impertietur, & iuſtè iniuſtos ſuæ gloriæ contemptores ardoribus ſempiternis cruciandos in tartarum relegabit. *Pedes eius tanquam columnæ ignis:* quam enim zelo charitatis ſententiam proferet pro bonis, & quam zelo iuſtitiæ contra malos emittet, nullus immutare valebit, ſtabit enim, nec erit qui dicat: Quare ſic feciſti?

Habebat in manu ſua libellum apertum: & poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram: quia accederat cum determinatione mihi ſignificandi quæ mihi reuelande fuerant ad hunc finé. Eius enim intellectus libellus eſt, non clauſus aut ſignatus, ſed apertus: vt ab eo diſcerem totius operis & gubernationis Eccleſiæ cataſtrophem aut exitum. *Poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram*, quia ex imperſcrutabili iudiciorum ſuorum abyſſo, homines quoſdam peccatis obrutos, mutationibus variis obnoxios eligit, quos in æternum ſalare decreuit; ſuper quos pedem dextrum poſuit: Nam *firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc. Nouit Dominus qui ſunt eius*: vt diſcedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini; ſuper alios autem ſiniſtrum poſuit, ſuper eos, nempe, qui diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnentes, ignorantes quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam eos adducebat, ſecundum duritiam ſuam & impœnitens cor, theſaurizauerunt ſibi iram, in die iræ & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera eius.

Et clamauit voce magna quemadmodum cum Leo rugit: quia qui tanquam agnus olim in tertis apparuit, vt peccata mundi auferat, & ad pœnitentiam cunctos prouocabat, nunc tanquam Leo rugit & fortiter clamat, vt ſciant omnes nullum reperiri qui eius poſſit reſiſtere voluntati. *Et cum clamaſſet, locuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas*: ad cuius clamorem, tanquam eius clamoris repercuſſio, intonuerunt ſeptem tonitrua voces quaſdam, quæ diſtinctè exprimebant quid ſuo ingenti clamore intenderet: quæ ſcripturus eram, *Sed audiui vocem de cælo dicentem mihi: ſigna quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua, & noli ea ſcribere.* Iam multoties percepiſti, & nunc percipis quàm admirabiles Deus producat effectus, ſola verbi ſui prolatione, & poſtea alios percipies: ſed non expedit vt tanta myſteria ſint cunctis peruia, quæ de vocatione, gratiæ efficacia, Sacramentorum energia didiciſti, quæ nunc percipis de conſummatione operis ſuauiſſimæ prouidentiæ Dei, quæ de quorumdam ſpeciali ſanctitate, de aliorum ſummâ improbitate, de ſeuerâ quorumdam punitione percipies poſtea, adeo ſunt ſtupenda, vt licet hos effectus credi oporteat, modus tamen quo ea adimplentur, qui nunc tibi innotuit, omnibus pateſcere minime debeat: hoc Deo relinque, qui pro rerum exigentia, ſi opus fuerit, ea reuelabit.

Et Angelus quem vidi ſtantem ſuper mare & ſuper terram, id eſt, opus conſummationis ſanctorum & reiectionis malorum perficere deſiderans, *leuauit manum ſuam ad cælum*, vt oſtenderet ſe omnipotentiâ diuina præditum, vt opus conſummatet, quod à Patre ei creditum fuerat: *& iurauit per viuentem in ſæcula ſæculorum, qui creauit cælum, & ea quæ in eo ſunt, & terram & ea quæ in ea ſunt, & mare & ea quæ in eo ſunt*: quia dixerat olim: *De die autem illa nemo ſcit, neque Angeli cælorum, neque filius, niſi ſolus Pater*: & diſcedens à nobis inſuper dixerat: *Non eſt*

Et vidi alium Angelum fortem deſcendentem de cælo amictum nube & iris in capite eius: & facies eius erat vt ſol & pedes eius tanquam columnæ ignis, & habebat in manu ſua libellum apertum: & poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram: & clamauit voce magna quemadmodum cum leo rugit. Et cum clamaſſet locuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas:

Et cum locuta fuiſſent ſeptem tonitrua voces ſuas ego ſcripturus eram: & audiui vocem de cælo dicentem mihi: ſigna quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua & noli ea ſcribere.

Et Angelum quem vidi ſtantem ſuper mare & ſuper terram, leuauit manum ſuam ad cælum: & iurauit per viuentem in ſæcula ſæculorum.

Digitized by Google

Qui creauit cælum & ea quæ in eo sũt, & terram & ea quæ in ea sunt, & mare & ea quæ in eo sũt, quia tempus non erit amplius.

Sed in diebus vocis septimi Angeli cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, sicut Euangelizauit per seruos suos Prophetas.

Et audiui vocem de cælo iterum loquentem mecum & dicentem: Vade & accipe librũ apertum de manu Angeli stantis super mare & super terram, & abi ad Angelum dicens ei vt det mihi librũ. Et dixit mihi: accipe librum & deuora illum: & faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tanquam mel.

Et accepi librum de manu

Angeli & deuorani illum, & erat in ore meo tanquam mel dulce: & cum deuorassem eum amaricatus est venter meus. Et dixit mihi: oportet te iterum prophetare gentibus & populis & linguis & Regibus multis.

Summa & scopus Capituli.

vestrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate, cum de consummatione sæculorum hæc verba esset facturus, vt nemo dubitaret de veritate dicti sui, iurauit per eum cui futura sunt præsentia; cum viuat in sæcula sæculorum, cuius est arbitrij de futuris instruere quos voluerit, *Qui creauit cælum, & ea quæ in eo sunt*, vnde optimè nouit quando numerus electorum fuerit completus; *& terram, & ea quæ in ea sunt, & mare & omnia quæ in eo sunt*; Vnde optimè nouit se cuncta egisse, tum circa reprobos tum circa electos, quæ necessaria sunt ad misericordiæ suæ manifestationem, ac prædicatum esse Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus, sicut oportebat fieri, antequam veniret consummatio: quod cum in breui futurum esse, postea adimplendum fore prædixit. Ideo cum taliter iurasset, ait; *quia tempus non erit amplius. Sed in diebus septimi Angeli, cum cœperit tubâ canere, consummabitur mysterium Dei, sicut Euangelizauit per seruos suos Prophetas*, id est, tempore ad pœnitendum hominibus concesso, iam elapso. Canet Angelus septimus, vt ostendat eorum induratam malitiam; & totum diuinæ prouidentiæ opus circa hominum salutem consummabitur, cum factæ fuerint voces magnæ dicentes: *Factum est regnum huius mundi Domini nostri, & Christi eius: & regnabit in sæcula sæculorum. Amen.*

Hoc enim est mysterium Dei, vt cognoscamus Deum, & quem misit Dominum nostrum Iesum Christum. Hoc per Prophetas euangelisauit. Hoc in omni opere suo meditatus est. Propter hoc tantis nos gratiis cumulauit, tot flagellis erudiuit, vt hac ratione vitam haberemus æternam: à quâ iusto Dei iudicio excidunt, qui tot tantorumque donorum fuerunt contemptores.

At vt cognoscerem quam iustè omnia ista Deus exequeretur, eadem vox, quæ prohibuerat nè scriberem ea quæ locuta fuerant septem tonitrua, iterum me alloquens dixit: *Vade & accipe librum apertum de manu Angeli stantis super mare & super terram*, vt videas, ô Ioannes, quàm iustè omnia fuerim dispensatus. Habet ille Angelus, quem vides, electos & reprobos suæ potestati subiectos: omnia enim sub pedibus eius subiecta sunt, & calcat impios in furore suo, sicut in electis tuis requiescit. Habet insuper ille Angelus potestatem reuelandi tibi ea quæ à Deo accepit: ab eo accipies summam eorum omnium, quæ in libro sigillato, & ab agno aperto, continebantur, & quænam sint signa infallibilia eorum qui saluandi sunt: & perspicies quàm piè, quàm benignè, & quam iustè & æquè erga homines me habuerim. Cui cœlesti inspirationi obtemperans, *abij ad Angelum dicens vt daret mihi librum*, nempe vt me de his omnibus edoceret: & dixit mihi. Talis erit exitus totius gubernationis Ecclesiæ: talis erit omnium quæ voluit, quæ decreuit, quæ operatus est præpotens Deus, finis. Ex his vides quinam sint salutem adepturi, quàm pauci, & quod eos per multas tribulationes oportet intrare in regnũ Dei.

Deuora illum: quia non habeo in mandatis, vt nominatim & in indiuiduo qui futuri sunt electi tibi explicem, sed tantùm vt signa infallibilia, tum electionis, tum reprobationis ob oculos tibi ponam: quibus cognitis dolebis certè tam paucos fore electos, & reprobos ad tantum numerum excreuisse. Hinc *amaricari faciet ventrem tuum*, quamuis cognitio tam profundi mysterij, ad Dei gloriam manifestandam, sapida sit menti tuæ, ac dulcis tanquam mel.

Accepi igitur ab Angelo horum cognitionem: quod quidem fuit in ore meo tanquam mel. Siquidem vidi fore Deo digna, & altissimam eius maiestatem redolentia. Sed *cum deuorassem illum, amari-*

A *catus est venter meus.* Horum recordatione repletus sum amaritudine. Ex his enim vidi quam pauci hactenus fuerunt, quorum salus sperari posset: *Et dixit mihi: Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis.* Ne existimes ea quæ scripsisti hactenus, sufficere ad Ecclesiæ instructionem. Iam reuerà vidisti quæ Deus operatus est, vt homines ad salutem deduceret: adhuc oportet te prophetare de vltimo mundi excidio, & Ecclesiam ad gentes & regna diffusam instruere de omnibus, quæ illi agere conuenit, ne gratiis in eam collatis abutatur; de his quæ sufferenda sunt, vt Deo fidelis existat, ne in tot aduersis de Deo diffidat; insuper quænam supplicia & temporalia & æterna Deus ab impiis eius persecutoribus exigere intendat, &
B ad quantam gloriam tandem eam sublimabit.

IN CAPVT X. ANNOTATIONES.

Prologus in Cap. X.

QVIS *loquetur potentias Domini?* Quis adeo validus, vt eius possit resistere voluntati? Proculdubio adeo potens est, vt nullus ei resistere valeat; & licèt cunctæ creaturæ voluntati eius sese totis conatibus opponere auderent, prævalebit tamen; & incæptum opus gloriosè
C perficiet consummabitque. Hoc, ni fallor, S. Ioannes nobis manifestare intendit, per ea quæ decimo & vndecimo cap. ante oculos nostros proponit sub ænigmatibus quibusdam meditanda. At quodnam est opus Dei, nisi sanctificatio nostra, & clarificatio nominis sui in eadem sanctificatione?

Quàm amabilis sit virtus, quàm rara ac pretiosa in Deum & proximum pietas, quanto splendore emineat Christiana perfectio Deus manifestare desiderat: propter hoc Ecclesiam suam donis & gratiis innumeris decorauit: Propter hoc mortales, qui à recta virtutis semita sese retrahebant, pœnis ac castigationibus afflixit, ne eos abjicere & reprobare cogeretur. At plurimi nec bonis allecti, nec suppliciis deterriti, in malo obdurauerunt, piisque eius conatibus obsistentes locum dederunt
D iustitiæ diuinæ, seueritatis suæ in eos exercendæ. Et qui misericordiæ benignitatem respuerunt, in ordinem iustitiæ sunt subacti. Interim in aliis, nempe in electis, opus suum perficit, ac pietatis & iustitiæ Christianæ dignitatem ac pulchritudinem, & virtutis vim ac splendorem in eis ostendit.

Ad hanc virtutis ac iustitiæ Christianæ vim & energiam contemplandam nos euehere volens, videt sanctus Ioannes *Angelum fortem descendentem de cælo, clamantem voce magna.* Ingentis erat magnitudinis, quippe qui vno pede mare, altero terram attingebat: cuius pedes erant tanquam columnæ,
E non lapideæ, aut marmoreæ, vel cuiusuis alterius materiæ solidæ, sed columnæ igneæ: ad denotandum hos pedes obtinere non solum firmitatem columnarum, quia columnæ sunt, sed actiuitatem ignis, quia diuini affectus (quorum sunt symbola) constantes ac fortes, & plurimum efficaces sunt, vt faciant & exequantur quicquid voluerint. *Omnia* enim, *quæcumque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis.* Ideo columnæ dicuntur, propter firmitatem & constantiam, & igneæ sunt propter actiuitatem & celeritatem in operatione. Vno verbo dicam: nec impiorum contra sanctos insultus, nec illorum in malis obduratio ex certa malitia, diuini operis perfectionem impediet: eo illustrior erit virtus, eo splendidior sanctitas iustorum, quo fortius oppugnabuntur: eo

copiosius

copioſius cælum vicem gratiarum effundet, vt ad ſupremum gloriæ gradum perueniant (*Gloria enim & honor omni operanti bonum*) quo à peccatoribus impenſiùs deprimi videbantur. Nec mirum ſi gratia Dei in electis proficiat, etiam ſi inuoluantur ſæpius pœnis ac ſuppliciis, quibus Deus hominum ſcelera plectitur: virtus eorum in infirmitate perficitur, omnia eis, vt pote qui Deum diligunt, cooperantur in bonum: ſint ſi volueris, in medio nationis prauæ & peruerſæ, in qua vigeat craſſa rerum diuinarum ignorantia, lucebunt inter eos ſicut luminaria in mundo. Philipp. 2. Videant alios genio indulgentes, voluptatibus deditos, de vindicta inimicorum gloriantes; nec iſtis à virtutis ſtudio abſtrahentur, in memoriam reuocantes quod B cecinit Propheta Pſ. 36. *Noli æmulari in eo qui proſperatur in via ſua, in homine faciente iniuſtitias: deſine ab ira, & derelinquè furorem: noli æmulari vt malignetis. Quoniam qui malignantur, exterminabuntur; ſuſtinentes autem Dominum ipſi hæreditabunt terram.* Quod ſi plurimos videant à fide recta deficientes, dicent cum S. Ioanne: *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis permanſiſſent vtique nobiſcum; ſed vt manifeſti ſint, quoniam non ſunt omnes ex nobis.* 1. Ioan. 2. ſcientes quoniam *oportet & hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant.* Quod ſi bello, fame & peſte graſſantibus, illis aliquid pati contigerit, gaudebunt in tribulationibus, *ſcientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit,* Rom. 5. C

At non expedit vt omnia ſint in perpetuo motu: *tempus non erit amplius*: Oportet vt Deus operi prouidentiæ ſuæ vltimam manum imponat. Hinc fiet vt boni in gratia perſeuerantes coronari debeant, mali autem in peccatis obdurati digna factis ſuis ſupplicia recipiant: ſtatuit Deus diem, in quo manifeſta erit ſanctorum electio ad gloriam, & iuſta malorum reprobatio & præſcriptio ad pœnam: *qui olim*, inquit S. Iudas verſ. 4. *præſcripti ſunt in hoc iudicium.* Ac ſi Deus diceret: Vt homines à malis, & peccatis auerterem, omnem adhibui induſtriam: variis gratiarum effuſionibus eos allicere tentaui: vt D ſuperbiam retunderent, bella permiſi: vt voluptates frenarent, & auaritiam compeſcerent, immiſi famem & peſtem ſuper terram: ſenſerunt ſe priuatos lumi ne per ſubtractionem ſupernaturalium auxiliorum, itaut dicere poſſent: *Palpauimus ſicut cæci parietem, & quaſi abſque oculis aurectaximus: impegimus meridie quaſi in tenebris, in caliginoſo quaſi mortui.* Eſ. c. 5. vt ſuam ſentientes imbecillitatem ad me recurrerent, qui paratus eram illis auxilium ferre; hoc enim habent reſidui mortales cum ignorant quid agere debeant vt oculos ſuos ad me dirigant 2. Paralip. c. 20. Viam illorum muniui ſpinis, anguſtiis & animi angoribus eos vexari permiſi, vt à via ſua mala recederent; nec hâc ratione ſe à E peccandi libidine retrahere potuerunt. Eos certe vinculis allegabo æternis, itaut nihil deinceps agant, quod non iuxta meam voluntatem pœnas exigat de illorum pertinacia, & in peccatis obdurationè. Impietatis propriæ tortores euadent, dum mentem, & cogitationem ſuam à pœnis quas ſentient in æternum auocare non poterunt; ſicque eos tradam rudentibus inferni in tartarum cruciandos. 2. Petri c. 2. *Tempus non erit amplius* pœnitentiam de ſceleribus agendi, ſicut hucuſque illud conceſſi At quia in electis meis gratia mea vacua non fuit, quia tribulationes, perſecutiones propter iuſtitiam patientes toleraruntquia acquiſitioni virtutum gnauiter incubuerunt, quia in exercitio pietatis vſque ad vltimum vitæ halitum perſeuerarunt, ideo iuxta promiſſionem eos coronari oportet: Et educam iuſtitiam eorum tanquam meridiem, dum illis in extremis anguſtiis poſitis auxilia manifeſtè tribuam ad omnia mala patienter toleranda, & tandem in iudicij die eos regni cælorum digniſſimos eſſe proclamabo. *Tempus non erit amplius* ipſis tot mala tolerandi ac labores, ſed cum cæperit tuba ſeptimi Angeli canere, conſummabitur myſterium Dei. Cuius rerum omnium exitus ſigna dantur meditanda ſancto Ioanni, dum ei reuelantur in genere & in ſpecie quænam ſint ſigna electionis & reprobationis: quæ quidem cognitio (cùm totum hoc opus diuinæ prædeſtinationis ad ſummam cedat Dei gloriam) in ore fuit tanquam mel: ſed quia ex cognitione talium ſignorum, quàm pauci ſunt qui ſaluantur agnoſcit, ideo memoriâ eorum amaricatur venter eius, propter charitatem in proximum, quem dolet à gratia excidiſſe & Dei iram in ſe prouocaſſe.

Hæc ſumma eſt, hic ſcopus huius capitis decimi, in quo videbimus Deum electos ab omni iniquitate eripere, eoſque infallibili quadam ratione ad portum ſalutis æternæ deducere, laboribus eorum finem tandem imponere; à malis etiam pœnas exigere, tempore ad pœnitendum conceſſo iam elapſo; Reprobationis ſigna, in iudæis manifeſtata, gentibus proponenda; ne ſi gratiâ, vt Iudæi, abutantur, ſimiliter excidantur. Iudæi enim primitias ſpiritus acceperunt, ſed quia verbum Dei noluerunt recipere, ideo tranſlata eſt gratia ad gentes. Quod ſi Iudæi ob repulſam gratiæ; primi ſenſerunt flagella iam enumerata, & bello, fame, peſte, ignorantia, paſſionibus inordinatis, & peccatorum obruti multitudine, in errore & cæcitate mentis, & obdurationè voluntatis permanſerunt, vnde tempus pœnitendi per reprobationem ab eis ablatum eſt, idem timendum eſt gentibus, ad quos Euangelium peruenit. *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, time ne forte nec tibi parcat.* Rom. 11.

Aptiſſimo ſymbolo Deus manifeſtat magnitudinem potentiæ, qua vtitur in ſaluandis electis, & reprobis puniendis.

ANNOTAT. I.

Idea Symboli. §. 1.

VIDET ſanctus Ioannes Angelum, cuius magnitudo ſatis indicabat quantæ eſſet fortitudinis. Intuetur illum è cœlo prius deſcendentem, & apparuit nube amictus, habebatque caput iride redimitum, quæ irradiata claritate faciei eius, variis coloribus erat depicta: facies namque eius, vt ſol, radios vndequaque emittebat: tum firmis greſſibus in inferiora delapſus viam carpere videbatur, vt diceres illius crura & femora eſſe columnarum inſtar. Nec tamen ex mole gigantea tardè gradiebatur, aut groſſities tibiarum curſum impediebat: non enim ignis adeo celèriter vim ſuam in materiam diſpoſitam exerit, vt celer erat iſtius Angeli progreſſus. Videbatur exultare vt gigas ad carpendam & currendam viam, & quàm citiſſimè à terra ad mare proficiſci. Gerebat in manu ſua libellum apertum, quia veniebat vt reuelaret, quæ vſque huc abſconſa fuerant & incognita. Eius autem progreſſus erat à terra in mare, nam poſuit pedem dextrum in mari, qui prior mouetur, dum carpitur iter; & ſiniſtrum in terra conſiſtentem habebat. Pes autem quem fixit in mari, non aquis mergebatur, ſed in iis tanquam in ſolido pauimento conſiſtebat; Dum attentè S. Ioannes eum intuetur, audit ip-

ſum vocem magnam emittentem, clamantemque quemadmodum cum Leo rugit: ad cuius clamorem ſeptem tonitrua locuta ſunt, quorum voces prohibetur S. Ioannes cælitus in ſcriptis redigere, prout apud ſe ſtatuerat, ſed interim videt hunc Angelum, quem viderat deſcendentem, quem firmis ac citiſſimis greſſibus perſpexerat progredientem, ſtatim atque pedem fixiſſet in mari, & ſiniſtrum reliquiſſet adhuc in terra conſiſtentem, ſtare ſuper mare, & ſuper terram; ac in tali ſitu poſitum leuare manum ad cœlum, & iurare *per viuentem in ſecula ſeculorum, &c. quia tempus non erit amplius*, ſed conſummandum fore myſterium Dei, in diebus vocis ſeptimi Angeli. Interim audit S. Ioannes ſe cælitus moneri vt ad Angelum accedat, de cuius manu accipiat librum apertum, cui voci obſequitur, & petit ab Angelo librum, quem tradens præcipit non tantum vt illum accipiat, ſed vt eum cito deuoret: & prædicit quem effectum habere debebat eiuſmodi prompta libri comeſtio, nempe quod amaricaretur venter eius, poſt deglutionem: licèt in ore tanquam mel dulce experturus eſſet, ſicut illi fuerat prædictum. Cuius myſterij profunda cognitio Ioannem rurſus aptiorem reddidit, vt iterum Prophetare poſſit gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis. Nunc cuncta ſigillatim diſcutiamus.

Compendiaria huius ſymboli explicatio. §. 2.

Poſtquam Deus optimus maximus omnia media Eccleſiæ ſuæ ſponſæ ſuppeditauit, virtuti promouendæ, & ſaluti æternæ conſequendæ apprimè conuenientia, & omnibus viis conatus eſt homines à peccatorum perpetratione auocare, tandem videns virtutem continuè oppugnari, itaut periculum foret eam perpetuò exulare ab hominum conſortio, cum pauci reperirentur, qui eam colere & amare velint; maloſque perſpiciens in peius proficere, & in peccatis perſeuerare, è cœlo in terram deſcendere ſtatuit: tum quia effectus præſentiæ ſuæ, in electorum præſeruatione & ſalute procutanda, produceret euidentiſſimos; tum quia à reprobis vindictam ex poſcet ſcelerum, vt ſentiant illum in vlciſcendis criminibus præſentiſſimum. Hac de cauſa dicitur fortem deſcendere, quia in vtriſque effectibus ſigna edit manifeſtiſſima ſuæ potentiæ.

Nube amictus eſt, ſiue quia in humanitate, qua tanquam nube veſtitur, iudicium exercebit; tum quia in hac vita ſolùm per effectus protectionis & miſericordiæ erga electos, anticipatæ etiam vltionis erga reprobos, cognoſcitur: nec enim aliter in iudicio videbunt eum reprobi, quàm in humanitate, ac in nubibus venientem: *Nubes enim & caligo in circuitu eius*; nec aliter in præſenti vita, quàm per effectus cognoſcitur. Denique nube amictus dicitur, quia videmus nunc in ænigmate, & non in ſpecie, & ſub obſcuritate fidei diuina contemplamur.

Habet iridem caput circumdantem; vt in cæruleo colore, Verbi diuinitatem; in viridi, gloriæ ſpem; in rubeo, gehennæ timorem concipiamus.

Lucet facies eius vt ſol: quia omnia nuda & aperta ſunt ei; quia cum ex gloria capitis membrorum gloriam ſperare debeamus, fulgebunt electi aliquando vt ſol in conſpectu Patris eorum: quia ardore iræ ſuæ impios in tartarum projiciet igne cruciandos. At pedes eius tanquam columnæ ignis, ob firmitatem, conſtantiam, & ſummam in agendis promptitudinem ac efficaciam; ſiue per pedes viros Apoſtolicos per vniuerſum orbem verbum diuinum prædicantes intelligas, ſiue duas ſententias vltimi iudicij erga bonos & malos, quibus operi prouidentiæ ſuæ finem imponet. Duæ enim iſtæ ſententiæ pedes ſunt, quia vltimæ erunt actiones gubernationis vniuerſi; nihil de nouo peragetur in poſterum: Columnæ, quia immobiles & fixæ: ignea quia vel ex ardenti charitate erga electos ſuos, vel ex ira & furore contra impios, proferentur à ſupremo iudice.

Habebat libellum apertum in manu ſua; libellum, non librum; ſiue quia ſolùm continet numerum electorum, qui in comparatione reproborum puſillus eſt: ſiue quia tantum continet ſigna infallibilia, quibus diſcerni poſſunt electi à reprobis. Hunc librum apertum tenet, ſiue quia in Dei iudicio clarè cognoſcentur electi, ſiue quia paratus eſt reuelare S. Ioanni quibus indiciis ac ſignis poſſit electos à reprobis dignoſcere.

Ponit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiue quia ad gentes transfert candelabrum fidei, & regnum Dei relicta terrâ, id eſt relictis iudæis, terrenis affectibus implicatis: ſiue quia per mare electi intelliguntur: ſuper quos pedem dextrum figit, quia eos ſaluare infallibiliter decreuit, licèt peccato originali & actuali, tanquam aquis, fuerint ſubmerſi: licèt fluxa & labili voluntate, & ad Lunæ, id eſt imaginationis, influxum mutabili, ſint prædita; licèt ventis ſuperbiæ, procellis & turbinibus iracundiæ agitati, aut per fluxum aut refluxum diuerſorum lapſuum, & renouationis ad gratiam, modò à Deo receſſerint, modò ad illum redierint, hos nihilominus ſaluat, ex ſecreto & imperſcrutabili, & profundiſſimo prædeſtinationis conſilio & decreto: nemo enim poteſt rapere de manu eius quem ad vitam prærordinauerit æternam. In hoc quippe clarificatur nomen eius, vt vbi abundauerit delictum, ſuperabundet & gratia; quo maior ex ſurgit difficultas in executione cuiuſlibet decreti, eo laudibilior ſit conatus per quem ſuperatur; quò periculoſiora fuerint certamina, eò glorioſiores ſint victoriæ. Hac de cauſa eos ſæpe ad ſalutem adducit, qui indigniores exiſtimantur, eos cumulat donis auctioribus, qui ad eorum receptionem minus apti reputabantur. Ponit igitur pedem dextrum ſuper mare, id eſt ſuper electos, vt potentiæ ſuæ ſpecimè edat, dum gratiam efficacem, qua infallibiliter ad gloriam perueniant, eis confert; ſiniſtrum autem ponit ſuper terram, quia pedem iuſtitiæ ſuæ ſiſtit ſuper eos qui ob ſuum ſtatuerunt declinare in terram, & immobiles perſiſtere voluerunt in ſuis peccatis, nec ad auram gratiæ flecti in bonam partem elegerunt.

Et clamauit voce magna, quemadmodum cum Leo rugit. Terrere vult mortales, ideo clamat vt Leo. *Leo rugit, quis non timebit?* Clamat, vt diſcamus nullum eſſe præter Deum qui ſolo verbo omnia operetur: dicere enim, in Deo idem eſt ac facere. Cum igitur clamat, idem eſt ac ſi dicamus quamcumque difficultatem ſibi obſiſtentem ab eo diſſipari ſolo ſuo clamore, qui tam potens eſt, vt omnia contradicentia euertat. At quidnam operatur clamor adeo potens? Media efficacia, quibus quod primò intenditur, nempe electorum ſalutem, glorioſè perficiat.

Et cum clamaſſet, *locuta ſunt ſeptem tonitrua ſeptem voces.* Tam validus fuit iſte clamor, vt generarit ſeptem tonitrua diſtincta: vnumquodque enim proprium & ſpecialem habebat vocem, quam emittebat: per quas voces intelligi poterat quænam erant media efficacia, quibus Deus opus prouidentiæ ſuæ erat adimpleturus.

Manifeſtata fuerunt illa media ſancto Ioanni: & cum locuta fuiſſent ſeptem tonitrua voces ſuas, ſcripturus erat: ſed audiuit de cœlo vocem dicentem ſibi: *Signa quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua, & nolo*

Digitized by

ea ſcribere: vt iſta omnia Sacramenta, & myſteria eſſe ſciremus, quæ fide tantùm nobis ſunt percipienda; attamen adeo efficacia; vt tonitru aſſimilentur. Siue enim per hæc tonitrua ſeptem diuinæ prouidentiæ dotes, bonitatem, ſapientiam, iuſtitiam, potentiam, patientiam, longanimitatem, comminationibus teſtatam ſeueritatem intelligas: ſiue ſeptem Spiritus ſancti dona; ſiue ſeptem Eccleſiæ Sacramenta; ſiue beneficium vocationis, gratiæ efficaciam, in iis qui gratiæ cooperantur, efficaciam mediorum à Deo præſcriptorum vt illam ab eo impetremus, ſigna infallibilia conſummationis ſeculorum, præſeruationem à peccatis, qua perfectam conſequamur ſanctitatem, permiſſionem peccatorum, quæ vſque ad mentis, & voluntatis excæcationem, & obdurationem perueniat, ſiue ſeueritatem diuinæ iuſtitiæ erga creaturas adeo infirmas, vel quid aliud ſimile intelligamus, hæc omnia abſque reuelatione & fide percipi nequeunt. Ideo ſignantur, quia tantùm reuelatione dignoſcuntur, & ſub ſignis proponuntur. Quàm autem efficaciter hæc omnia ſaluti electorum cooperentur, vel adimpleantur, ex tonitrui ſimilitudine percipere licet. Siquidem dictum eſt iam, in Deo dicere & facere idem eſſe: clamare proinde eſſe perficere rem quamcumque, quacumque alia re obſiſtente. Tonare igitur, erit potentiſſimè & efficaciter omnia adimplere, admirabili quadam ratione intra nubes occultæ ſapientiæ Dei adinuentâ, vt mirentur omnes Dei omnipotentiam, opera ſua tam feliciter & facilitèr adimplentem, hoſteſque ſuos tanquam tonitru terrentem, & tanquam fulgure conſternantem.

Et Angelus, quem vidi ſtantem ſuper mare & ſuper terram, leuauit manum ſuam ad cælum: vt ſignificaret ſe operatutum præpotenti, id eſt cæleſti & diuina virtute. Sentient mortales Deum eſſe omnipotentem, ſiue in protegendis & in remunerandis ſeruis, ſiue in puniendis inimicis. *Et iurauit per viuentem in ſecula ſeculorum, qui creauit cælum, & ea quæ in eo ſunt; & terram, & quæ in ea ſunt: & mare, & ea quæ in eo ſunt, quia tempus non erit amplius.* Ac ſi diceret: ſatis temporis, mei fuerunt diuerſis tentationibus, perſecutionibus, afflictionibus probati, agitati, perculſi: nunc laboribus eorum finis eſt imponendus. Sat temporis patienter expectaui peccatores, vt pœniterent mens & voluntas eorum; immobiliter errori & peccato ad hærentes exigunt vt de eis tandem vltionem capiam. Per memetipſum, qui viuo in ſecula ſeculorum, iuro quia tempus non erit amplius. Oportet vt electi requieſcant ex laboribus ſuis: oportet vt reprobi, ne maiora ſibi accumulent ſupplicia, pœnas de iam vſque huc commiſſis, in æternum perſoluant.

Iurat per viuentem in ſecula ſeculorum, vt ſciamus ipſum eſſe moderatorem temporum, & in manu eius, propter ſuam æternitatem, eſſe menſuram temporis: vt ſicut ab eo primo motore initia ſumpſerunt, ita quando voluerit finiantur. Mentionem facit creationis cæli & terræ, vt exinde in ſpem erigamur: quia qui verbo ſuo omnia fecit; per idem verbum fortiter perficies, conſummabitque quæcumque incœperit. Eſt enim, &c. principium & finis: cælum creauit, & omnia quæ in eo ſunt; Eius igitur eſt in cælum introducere quos voluerit, & de bonis quæ in eo ſunt diſponere. Terram creauit; & omnia quæ in ea ſunt: omnes igitur homines opus ſunt manuum illius, vt ſperent quod operi manuum ſuarum porriget dexteram: itaut (licèt pondere mortalitatis oppreſſi) poſſit eos ad cælum euehere. Mare creauit & omnia quæ in eo ſunt, vt ſciamus quia qui dominatur poteſtati maris, & motum fluctuum eius mitigat, poterit electos ab omni tentatione eripere, & procellam laborum & amaritudinem dolorum, in auram & tranquillitatem pacis æternæ ſtatuere: vt ſileant omnes fluctus tentationum ad eius imperium. Iurat, inquam, per cælum, id eſt per omnia dona, quæ contulit Eccleſiæ ſuæ, quæ per cælum intelligitur; Iurat per terram, id eſt, per omnia quæ olim promiſerat per Prophetas ſuos Iudæis, & variis figuris prænunciauerat ſe fore adimpleturum: Vnde poſtea ait: *Conſummabitur myſterium Dei, ſicut euangelizauit per ſeruos ſuos Prophetas*, ſi volueris cum Aicazar, per terram, Iudaicum populum in terra promiſſionis introductum intelligere; *iurat per mare*, id eſt per imperſcrutabilia iudicia, & vias illas inueſtigabiles: in mari enim viæ eius, & ſemitæ illius in aquis multis: itaut veſtigia eius non cognoſcantur: per quas vias ambulans Iudaicum relinquit populum, vt ad gentes ſuum transferret imperium: & quoſdam reprobat, alios autem ad gloriam prædeſtinat: Iurat autem per hæc omnia ſupradicta, *quia tempus non erit amplius*: itaut ſi electi à laboribus ſuis requieſcant, & à gratia amplius excidere nequeant, nihilque de nouo mereri poſſint, tempore operandi meritoriè elapſo, reprobis omnis ſpes miſericordiæ præſcindatur: nec precibus ſanctorum qui in cælo ſunt iuuari poterunt, nec proderit eis quod illorum creator ſit & conditor, qui nihil odit eorum quæ fecit; nec ſapientiæ ſuæ profunda conſilia impendet ampliùs, vt adinueniat media, quibus à malis eripi queant: quin potius zelo honoris ſui armabit creaturam ſuam contra inſenſatos: & quidquid in cælo eſt, quidquid in terra, quidquid in mari, vltionem ſumet de hoſtibus eius; quin & ſapientia ipſius, media quibus arrogantiam ipſorum retundat, & debitis ac proportionatis pœnis ſcelera plectatur, adinueniet, iuxta ea quæ longe antea per Prophetas ſuos prædixit. *Tempus* igitur *non erit amplius, ſed in diebus vocis ſeptimi Angeli, cum cœperit tubâ canere, conſummabitur myſterium Dei*, nempe prædeſtinationis electorum, & reprobationis malorum. Profundum proculdubio myſterium, de quo ſanctus Apoſtolus ait. Rom. 11. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei! quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!*

Et audiui vocem de cælo iterum loquentem mecum, & dicentem: Vade & accipe librum apertum de manu Angeli ſtantis ſupra mare & ſuper terram. Librum apertum S. Ioannes præcipitur accipere, id eſt reuelationem ſpecialem de iis quæ continebantur in libro: ad hoc enim iſte Angelus habebat in manu, non librum ſignatum ſigillis, ſed apertum: quia intentio eius erat ea quæ in eo ſcripta erant reuelare, ita Deo præcipiente.

Et abij ad Angelum dicens ei vt daret mihi librum: & dixit mihi: Accipe librum & deuora illum: & faciet amaricari ventrem tuum, ſed in ore tuo erit dulce tanquam mel. Et accepi librum de manu Angeli, & deuorauí illum: & erat in ore meo tanquam mel dulce: & cum deuoraſſem eum, amaricatus eſt venter meus.

In hoc quippe libro ſcriptu vel nomina electorum, qui pauci ſunt in comparatione reproborum; vel ſigna efficacia ſeu infallibilia prædeſtinationis electorum: quibus cognitis potuit S. Ioannes conjicere quàm pauci ſaluabuntur: quo fit vt ſi ex cognitione rei adeo abſtruſæ aliquam percipiebat conſolationem, iſta tamen in memoriam reuocando, dolore & amaritudine mens eius implebatur, videns hominum nimiam erga Deum ingratitudinem, percipiens ingentem reproborum multitudinem, in quibus talia ſalutis ſigna reperiri non poterant. Nec enim credibile eſt indiuiduo numerum electorum aut reproborum fuiſſe reuelatum B. Euangeliſtæ,

Digitized by Google

ſed qua ratione vltimæ duæ ſententiæ, quæ in extremo iudicio proferentur, ſub quibuſdam capitibus complectuntur cauſas ſeu motiua, quibus electi ad gloriam vocantur, reprobi ad ignem æternum relegantur, eadem ratione S. Ioanni reuelantur quædam ſigna vniuerſalia, quibus in genere facilè conjici poteſt quid de iſtis aut iſtis hominibus ſperandum aut expectandum ſit, circa eorum ſalutem aut damnationem; qua ratione conjicere poterat numerum electorum pauciſſimum fore, & ingentem multitudinem reproborum eſſe futuram. Proinde illi dicitur vt deuoret librum: hac enim formula loquendi didicimus, non diſtinctè aut ſigillatim nomina electorum aut reproborum fuiſſe deſignata (hoc enim eſſet quaſi in particulas diſcinderet quicquid in hoc libro continebatur) ſed cum præcipitur ei vt deuoret librum, videmus eum tantùm cognouiſſe notitiâ confuſâ & vniuerſali, videlicet ſub quibuſdam ſignis aut indiciis vniuerſalibus: *Et dixit mihi: Oportet te iterum prophetare gentibus & populis, & linguis, & regibus multis.*

Et audini alium Angelum fortem deſcendentem de cœlo.

Angelus iſte Chriſtum repræſentat vt Eccleſiæ moderatorem.

ANNOTAT. II.

DEVS proculdubio non deeſt in neceſſariis. Eccleſia igitur corruptione morum valde laborans, & hæreſum multitudine innumerâ ferè continuò oppugnata deficeret, niſi præpotenti protectione Dei fulciretur. Ideo apparet Angelus fortis, de cœlo deſcendens, qui ei ſuppetias ferat, & ad anguſtias redactæ conſolationem infundat, tum ei reuelando finem dari laboribus ſuis, hoſteſque ſuos fore conterendos; tum etiam ei auxilia opportuna in extremis agenti ſuppeditando. Primum genus conſolationis tangitur in hoc capite, ſecundum videbimus in ſequenti capite. At quiſnam eſt ille Angelus conſolator & adiutor Eccleſiæ, fortis & potens, inquirendum.

Primaſius ait: *Vidi alium Angelum, Dominum noſtrum Chriſtum deſcendentem de cœlo, nube amictum; id eſt Eccleſiâ, ſiue nube carnis indutum: qua noua nupta alibi dicitur de cœlo deſcendere.* Idem cenſet Rupertus: *Quis eſt ille, ait, Angelus alius, niſi Angelus magni conſilij, Angelus teſtamenti Dei? &c.*

Concinit S. Thomas in expoſ. *Angelum ſcilicet Chriſtum, qui venit vt annunciaret hominibus quæ ſunt ſalutis, & ſua caritate impleret officium mediatoris: & ideo dicitur Angelus, quia quaſi nuncium Patris ſe nobis in prædictis exhibuit. Chriſtus autem dicitur Angelus in quantum homo, non in quantum Deus. Dicitur autem Angelus, non naturâ ſed officio, Iſ. 9. Secundum aliam literam: Et vocabitur nomen eius magni conſilij Angelus, &c.*

Meliùs, vt arbitror, hi qui dicunt Angelum iſtum non eſſe ipſum Dominum, ſed Angelum aliquem qui eius gerat perſonam, eius diuinas circa Eccleſiam operationes, figurâ, ſitu, voce & actione repreſentantem. Quod ſi iuxta Rupertum in cap. 1. duplex illius natura, diuina & humana repreſentata fuit, in ſimili filio hominis deambulante in medio ſeptem candelabrorum aureorum, hîc officium illius deſcribitur, nempe protectoris Eccleſiæ, ac ſupremi moderatoris & iudicis. *Ideirco*, inquit Rupertus, *& illic naturam vtramque vnius eiuſdemque Chriſti veſtè ſignificatam accipimus: hîc autem officium eius. Inde eſt quod illic filius hominis, quod naturâ eſt; hîc autem dicitur Angelus, quod officij eſt. Item illic caput eius ſcribitur præ canitie candidum, ſignificando diuinæ naturæ antiquitatem: hîc autem iris in capite eius, videlicet deſignando ſuſcepti officij miſericordiam & pietatem. Illic pedes, quæ ſunt infimæ partes cuiuſque corporis, dicti ſunt ſimiles aurichalco: quo ſignificatur inferior, id eſt humana Chriſti natura, permanente ſubſtantiâ, in auream tranſmutata eſſe gloriam diuinitatis: hîc autem pedes eius dicuntur tanquam columnæ ignis: quo dicto ſignificatur quod prædicatores eius, per quos venit ad nos, Spiritu ſancto firmati atque illuſtrati ſunt: ſunt enim pedes eius omnes Euangelij eius portitores, &c.* Ita Rupert. Quidquid ſit, repræſentetur ſecundum Rupertum iuxta duplicem in naturam in primo capite, iuxta Alcazar vt eſt in fidelibus, aut vt clarius dicam, iuxta quaſcumque operationes, quas in fidelibus ſuis per totum ſeculorum decurſum operaturus eſt; vſque ad vltimum diem extremi iudicij. Nunc cum plurima ſint, vt eſt Eccleſiæ moderator ſapientiſſimus & potentiſſimus, eius officia; quodnam potiſſimùm hic deſignetur inquirendum.

Dico primo: clarum eſt deſignari aliquod opus fortitudinis: dicitur enim Angelus fortis. *Angelus fortis*, inquit Ambroſius, *Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum deſignat, de quo dicit Pſalmiſta: Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.*

Dico ſecundo, Dominum noſtrum repræſentari vt fortem in hoc capite, quia vt ſupremus Eccleſiæ moderator, & caput eius inuiſibile, eâ in extremis agente & exiſtente, deſcendere debet propter eam: vt illam protegat contra vehementes hoſtium inſultas; vt quò magis fuerit oppugnata, eò fortius reſiſtat; quò magis videbitur proſtrata, eò glorioſiùs erecta videatur, victoriam reportando. Quod videbimus adimpleri, cap. ſequenti, vbi dicitur: *Factum eſt regnum huius mundi Domini noſtri, & Chriſti eius, & regnabit in ſæcula ſæculorum.* Deinde fortis dicitur, quia vt ſupremus iudex deſcendit, vt videat qualem fructum mortales tulerint, toto tempore illis ad pœnitendum & operandum opera ſalutis conceſſo: vnde vt ſupremus mundi gubernator, finem ſuæ gubernationi impoſit dicens: *Tempus non erit amplius.* Et dicitur in capite ſequenti accepiſſe virtutem ſuam magnam, & aduenisſe tempus mortuorum, iudicari, & reddere mercedem ſeruis ſuis, & exterminandi eos qui corruperunt terram. Vnde propter illos duos effectus, qui ſummam redolent potentiam, à 24. ſenioribus gratiæ illi referuntur in his verbis: *Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es: quia accepiſti virtutem tuam magnam, & regnaſti.* Deſcendit igitur fortis, vt protegat fideles eos remunerando; ac reprimat hoſtes, eoſque in vltimo iudicio conterat ſub pedibus ſuis iudex viuorum & mortuorum conſtitutus: ad quem attinet videre & examinare an benè, an malè homines vti fuerint tot donis & gratiis, quibus eos cumulare voluit, vt ad ſalutem poſſent peruenire æternam. Sic olim Geneſ. c. 11. Deus dicitur deſcendiſſe vt videret ciuitatem, & turrim quam ædificabant filij Adam; & c. 18. vt videret vtrum Sodomitæ & Gomorrhæi clamorẽ, qui ad eum venerat, opere compleuiſſent. Pari ratione deſcendet in fine ſeculorum, vt videat & iudicet de bonis & malis, quid agant, & qua ratione ſe gerant.

Differt autem hic Angelus fortis ab eo de quo agitur cap. 5. Quod conjicitur ex eo quod dicit S. Ioannes: *Vidi alium Angelum fortem*: Ac ſi diceret: Iam vnum vidi Angelum fortem, nunc alius ſeſe offert perſpiciendus. Primus aſſerit diuinæ prouidentiæ myſteria adeo eſſe occulta, vt nemo alius ab agno poſſit ea reſerare; iſte habet in manu libellum apertum, vt ſciamus myſteria in libello contenta ab ipſo poſſe reuelari cuicumque voluerit, iuxta Dei vo-

Digitized by Google

luntatem : vnde leuem coniecturam appellat Alcazar, quòd ex epitheto Fortis, Ribera collegerat hunc Angelum eumdem eſſe cum illo, de quo fit mentio cap. 5. Textus enim ipſe haud obſcurè innuit hunc eſſe longe diuerſum (*Vidi alium Angelum amictum nube, &c.*) quorum nihil congruit Angelo capitis quinti : nec etiam dubito Chriſtum in propria perſona minimè deſignari, quaſi qui appareat B. Ioanni in hac forma. Dum enim iurat per viuentem in ſecula ſeculorum, ſe non eſſe ipſum viuentem in ſecula ſeculorum manifeſtat : iuraret enim potius per ſemetipſum, vt iuraſſe dicitur Genſ. 22. *Per memetipſum iuraui, dicit Dominus, quia feciſti hanc rem, & non pepercifti filio tuo, &c.* At cum non per ſemetipſum iurat, ſed tantùm per viuentem in ſecula, &c. indicat ſe tantùm perſonam illius repræſentare qui fecit cœlum & terram, ipſumque in dictis & factis deſignare ſaluatorem.

Amictum nube, & iris in capite eius : & faciet eius erat vt ſol.

Apparet Angelus amictus nube, ad denotandum Dei protectionem, & gratiæ copioſam effuſionem ; nec non ad denotanda diuerſa ſupplicionum genera.

ANNOTAT. III.

AMBROSIVS cum aliis vult hunc Angelum nube eſſe amictum. *Quia*, inquit, *Dominus noſter veniens in mundum, carnem quæ per nubem deſignata eſt induit : vt per carnis aſſumptionem ſe hominibus conformaret, quos redimere veniebat.* Ita Amb. Quod quidem Rupertus etiam docuit, dum ait : *Quod erat Verbum in principio, caro factum eſt, non mutata in carnem diuinitate, ſed aſſumpta carne. Hoc eſt quod dicit amictum nube : nubes enim & hîc & in pleriſque ſcripturarum locis myſticis, carnem illam ſignificat, pulchrâ nimirum & congruâ conſideratâ ſimilitudine : quia videlicet ſicut ſol ſub nube tegitur & latet, & tamen ſcitur quia præſens eſt, dum ſuum orbem oſtendit, & tamen orbi vniuerſo diem facit : ſic in illa carne Deus & latuit, & præſens dignoſci potuit, dum diuinitatem ſuam, vt ſemper erat, inuiſibilem continuit, & tamen per opera viſibilia mundum vniuerſum illuminauit.* Ita Rup. Aliam interpretationem innenio Ticonij hom. 7. in Apocaly. inter opera S. Auguſt : *Amictus*, inquit, *nube, Dominus intelligitur amictus Eccleſiâ. Legimus enim ſanctos, nubes, ſicut Eſaias dicit : Qui ſunt hi qui vt nubes volant ? Indutam itaque nube ſpirituali, id eſt ſancto corpore, Chriſtum intellige.* Ita Aug. ſeu Tic. Idem cenſet Primaſius : *Amictum nube, id eſt Eccleſiâ &c.*

Dico nihilominus hunc Angelum Chriſtum Dominum repræſentarem non dici hîc amictum nube, vt in memoriam nobis reuocet myſterium incarnationis, ſed præſuppoſito hoc myſterio, fidem quâ credimus cum certitudine (licèt ſub obſcuritate fidem concomitante) omnia myſteria quæ Chriſtus Dominus ex officio Capitis Eccleſiæ & moderatoris adimplet, pro felici eius regimine, pro eius protectione, & pro conſummatione totius iſtius operis diuinæ prouidentiæ, in prædeſtinatione ſanctorum & reprobatione malorum. Morem enim ſcripturarum videtur ſequi S. Ioannes, quæ de Dei Maieſtate aut magnitudine verba faciens, hunc ſæpe ſæpius repræſentat ſub ſymbolo aut nubis, aut vaporis, aut caliginis, cum quadam admixtione ignis, claritatis aut ſplendoris. Hoc variis exemplis illuſtratur. In fœdere inito cum hominibus poſt diluuium Genſ. 9. *Arcum meum ponam in nubibus, &c.* In myſtico illo ſacrificio Abrahæ, cum Deus illi promiſit ſemen ſuum poſſeſſurum terram Chananæorum & Amorrhæorum, & pepigit pactum cum eo occumbente ſole, *Facta eſt caligo tenebroſa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis tranſiens inter diuiſiones hoſtiarum.* Genſ. 15. In admirabili illa columna de qua dicitur Pſal. 104. *Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem vt luceret eis per noctem*, quæ præcedebat populum die ac nocte Numero 14 & in qua Deus Moyſi apparuit c. 12. in nube lucida tres Apoſtolos obumbrante, in Transfiguratione Domini, Matt. 17. in nube Chriſtum ſuſcipiente in ſua Aſcenſione, Act. 1 cum quibus nubibus etiam veniet, Act. 1. His omnibus verum eſſe demonſtratur quod aſſerimus : hoc nempe congruit modo quo Deus in hac vita vult ab hominibus cognoſci, in qua, vt ait Apoſtolus. 1. ad Corinth. 15. *ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus.* In qua myſteriorum quidem certam habemus cognitionem : at illorum euidens cognitio cælo reſeruatur, in quo Deum videbimus facie ad faciem : nubes quippe vapor eſt ſpiſſus & condenſus, radiorũ ſolis in ſinu ſuſceptiuus : tamen quia nubes opaca eſt aërem contenebrans (3. Regum. 18. *Ecce cæli contenebrati ſunt, & nubes & ventus : & facta eſt pluuia grandis*) ideo obſcuritatis, quæ fidem concomitatas, & noſtræ imbecillitatis ad diuina clare percipienda, optimum eſt ſymbolum : itaut verè dixerit Propheta Pſ. 67. *Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis : date gloriã Deo ſuper Iſrael : magnificẽtia eius & virtus eius in nubibus.* Siquidem nihil de magnificentia eius ac magnitudine nobis proponitur cognoſcendum, niſi nubibus & ænigmatibus.

Diceres Deum Nauarchi perſonam gerere, & in nube quaſi in nauis puppi clauum tenere : vt opera ſua mutationi obnoxia, ſuper vndas tranſmutationum & viciſſitudinum, per ſummam prouidentiam ad finem præſcriptum feliciter deducat, nempe vt per ea eius gloria manifeſtetur hominibus : *Omnia enim propter ſemetipſum operatur, impium quoque ad diem malum.* Sic nauem Petri, nempe Eccleſiam Catholicam, ventis, turbinibus & procellis etiam agitatam, ſupra eam ſedens ad portum ſalutis deducit : deducit, inquam, eam *in abyſſis ſicut in deſerto*, vt notam faciat potentiam ſuam, vt de populo Iſraëlitico cecinit Dauid Pſ. 105. Clamat ad Dominum cum tribulatur, & de neceſſitatibus ſuis eam educit. *Et ſtatuit procellam eius in auram, & ſilenerunt fluctus eius : & lætati ſunt quia ſilenerunt, & deduxit eos in portum voluntatis eorum.* Pſ. 106. Naturæ ſponſum ſolem aliqui dixerunt, quem vt rerum Patrem, quæ in terra generantur, ſuſpiciunt. Sol enim, inquiunt, & homo generant hominem ; Et vt Matrem etiam agnoſcunt, quod foueat benigno calore ea quæ producuntur. Multo magis Deus & Pater & Mater rerum omnium nuncupari debet. Diceres Deum in nubibus tanquam in lectulo recumbentem, vt tore terram, gratiâ diuinâ Eccleſiam ſuam fœcundet, & diuino charitatis igne foueat & conſeruet. Deum hac de cauſa Philo. lib. de temulentia, vt rerum opificem, Patrem creaturæ, eiuſque ſcientiam earumdem matrem eſſe volebat ; & eadem ratione ab Orphæo apud Clem. Alexand. l. 5. ſtromatum, Mitropator indigitatur, vt qui ex abundanti bonitate omnibus cauſis vim ac energiam producendi effectus proprios impertitur, ſicut ex benignitate ſumma vim eiſdem tribuit, eoſdem effectus in eſſe producendi. Poriori iure igitur dicere poſſumus Deum in Eccleſia tanquam in thalamo recumbere : Eccleſia ſiquidem tanquam nubes in aëre ſublimatur per vocationem cæleſtem, vt nos ſpiritaliter regeneret, & diuino foueat calore in ea recumbens. *Genuit* enim *nos*, vt ait S. Iacobus c. 1. *Verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius,*

Digitized by Google

nempe cæli noui & terræ nouæ glorificationis ſanctorum, de quibus Apocalypſ. 21. dicitur: *Et vidi cælum nouum & terram nouam.* Primum enim cælum & prima terra non eſt: quod ſi Prophetæ Deum laudauerunt, quia nubes educit ab extremis terris, vt ait Dauid, & Ieremias c. 51. *Leuat nubes ab extremo terræ*; nec valeat quiſquam, quauis præditus induſtriâ, talem effectum præpedire, quantò magis laudabilis eſt, quod dæmonibus & peſſimis hominibus contradicentibus, Eccleſiam ſuam nihilominus ad ſuperna vocat, vt ſuſpendium ſibi pro hæreditate eligat, terrena deſpiciens, vt ad cælum continuò adſpiret.

Deum inſuper perſpiciens operi ſuo perficiendo intentiſſimum, diceres ipſum eſſe tanquam ſapientiſſimum artificem, in nubibus tanquam in ſede conſiſtentem, vt naturæ ac conditioni rerum mutabilium patientiſſimè ſe accommodet, qui in inſtanti omnia vno verbo poſſet perficere. At quod in effectibus naturæ perſpicimus, hoc clarius in Eccleſia innoteſcit in qua cum incredibili patientia ſedet, vt in hominibus ſuum opus perficiat; ſeu potius vt iudex ſedet in throno, tum in nubibus, tum in Eccleſia. *Ecce*, dicebat Eliu, Iob. 36. *Deus magnus, vincens ſcientiam noſtram: numerus annorum eius ineſtimabilis. Qui auferſ ſtillas pluuiæ, & effundit imbres ad inſtar gurgitum, qui de nubibus fluunt, quæ prætexunt cuncta deſuper. Si voluerit extendere nubes quaſi tentorium ſuum, & fulgurare lumine ſuo deſuper, cardines quoque maris operiet. Per hæc enim iudicat populos, & dat eſcas multis mortalibus.* Ita Eliu. Certè è nubibus emittit Deus rorem, pluuiam, & ingentes imbres, niuem, grandinem, lapides, tonitrua, fulgura, fulmina: vnde ſummæ beneficentiæ, & ſummæ ſeueritatis ſunt adminiſtræ. In nubibus igitur ſedens, ad portas cœli, vt olim iudices ſedebant in portis, videtur ſedere: vt modò gratias effundat, modò ſupplicia immittat. Sic thronus eius eſt in columna nubis, ex qua pluuiam voluntariam ſegregat hæreditati ſuæ, vt infirmetur, & perficiat eam: Ex eadem nube fulgura immittit, iuxta quod dicitur Pſ. 10. *Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.* Sic vnicuique tribuit quod iuſtum eſt. In nubibus igitur & in Eccleſia, quæ ad ſupernam vocationem adſpirat, ſedet vt Nauarchus, vt ſponſus, vt ſapientiſſimus artifex, vt iudex, quin etiam vt Rex magnificus, qui prouincias Regni ſui perluſtret. Sic enim *ponit nubem aſcenſum ſuum, & ambulat ſuper pennas ventorum*: qui ſibi ſubditos beneficiis cumulet, hoſtes proſternat, & de victoriis obtentis, in nube & in Eccleſia, quaſi in curru triumphali vectus, triumphos agat gloriosè.

At quia hæc omnia ſolùm ſub fidei obſcuritate contemplamur, ideo dicitur quod nubes & caligo in circuitu eius. O res non mediocri admiratione dignissima! Eccleſiam videbimus amictam ſole c. 12. nunc Angelum, Chriſti perſonam gerentem videmus amictum nube. Quare, obſecro, niſi quia conuentiones ſunt Matrimonij inter Chriſtum & Eccleſiam contracti, vt det Eccleſiæ ſuæ ſponſæ omnimodam gloriam, ſibi autem aſſumat ignominiam, eam amiciat veſtitu deaurato, & circumdet delectabili varietate, ipſe autem mortalitatis noſtræ diſciſſa & vili veſte induatur; illam ornet maieſtate, ipſe autem infirmitate opprimatur? Vno verbo dicam, eam ſole circumueſtit, ipſe nubibus amictus cernitur: vt ſciamus quod dum viſibiliter regnat in terris, Eccleſia ſuo diuina ſplendore colluſtratur: ipſe inuiſibiliter regnat in cordibus fidelium, iuxta quod dicitur: *Regnum Dei intra vos eſt.* Et dum Eccleſia à nobis ſignis viſibilibus poterit à cæteris congregationibus diſcerni, ipſe ſe nobis proponet ſub ænigmatibus & obſcuritate fidei ſolummodo intuendum.

Et reuera nubium ſymbolum iure optimo applicatur ad ea omnia quæ ſunt præſtantiſſima ſupernaturalis prouidentiæ, qua Deus Eccleſiam ſuam moderatur, inſtrumenta. Nube, Chriſti humanitas, ſub qua diuinitas verbi occulta apparuit præſens hominibus, ſignificatur. Symbolum eſt etiam fidei, quæ Dei gloriam & præſentiam manifeſtat in ipſa caligine, quam humanæ rationis oculis offundit, dum ea ipſa tegit quæ veriſſima eſſe confirmat: quæ vna ex parte nos conuincit, vt certiſſima ac plane diuinæ noſtræ fidei myſteria eſſe credamus, ex alia verò obſcuritate ſua ac maieſtate Dei, magnâ à nobis reuerentiâ & venerationem exigit, oculis tantorum myſteriorum fide velatis. Erit etiam Nubes Sacramentorum, quæ ſunt ſigna efficacia gratiæ interioris, ænigma ſacratiſſimum; in nubium inſuper denſitate, à quibus aliquando pruinæ, nix, grando defluunt, tribulationes ſub quibus Deus tegit conſolationes ſuas, & ſpem ingenerat vitæ æternæ poſſunt deſignari. Ab eis manna abſconditum fidelibus nutrictis emittitur, vt ſuper abundent etiam gaudio in omni tribulatione ſua, in fame & ſiti iuſtitiæ ſatietatem elargiens, in mortificatione membrorum, & ſenſuum, & appetituum, proprij iudicij ac propriæ voluntatis, & vitæ corporalis odio viam ad cæleſtem & ſempiternam patriam ſternens: ita ut in patientia noſtra ſemper poſſideamus animas noſtras. His etiam nubibus, Angeli, Apoſtolici viri ac Euangelij concionatores poſſunt deſignari, quia ſpiritu Dei tanquam vento nubes aguntur, quia emittunt doctrinæ cæleſtis vocem, ac pluuiam fœcundam ac pinguem, nec ad peculiarem aliquem locum conſtrictæ ſunt, vt ibi ſolum pluant, ſed quocumque eos Spiritus ſanctus impulerit, ibi ſuam pluuiam largè effundunt.

At non ad hos præcipuè effectus diuinæ prouidentiæ deſignandos, hic Angelus amictus nube cernitur, ſed ſpecialiter vt diuinam protectionem ſupra electos, in vltimis temporibus ad extremum reductos, polliceatur: & vt recordemur illius diei magni iudicij, cum tempus non erit amplius, & aduenient ira Dei, & tempus mortuorum, iudicari, & reddere mercedem ſeruis Dei Prophetis, & ſanctis, & timentibus nomen eius, puſillis & magnis: & exterminandi eos qui corruperunt terram. Tunc enim veniet in nubibus, cum poteſtate magna & maieſtate.

Nubes autem Angelum amiciens ad hæc ſpecialiter ſpectare conjicio, quia ſymbola aſſumuntur pro ratione materiæ, de qua agi debet in immediatè ſubſequentibus. At de protectione diuina, & diuino adiutorio, in capite ſubſequenti præcipuè agitur, dum de duobus teſtibus tanta, & tam mirabilia patraturis, de occiſione ſeptem millium hominum, euerſione partis decimæ ciuitatis, de erectione regni Chriſti fit mentio: quamuis atrium templi datum fuerit gentibus, & ciuitate ſancta derelicta fuerit ab ipſis calcanda. Vnde S. Tho. in expoſitione cap. 11. de illis duobus teſtibus loquens, ait: *Per eorum autem prædicationem conuertentur Iudæi, qui tunc erunt, & intelligent ſe fuiſſe deceptos, expectando ſuum Meſſiam: roborabuntur etiam per eos multi fideles in fide Eccleſiæ, vnde Beatus Gregorius: Temporibus Anti-Chriſti, gentibus ad plenum ſuſceptis, Helias & Enoch prædicantibus, quotquot ex plebe Iudaica fuerint inuenti conuertentur, & fideles quique roborati in ſoliditate ſanctæ Eccleſiæ perſiſtent.* Hæc S. Thomas. Agi autem de iudicio extremo & mercede ſanctorum, & exterminio iniquorum, clarum eſt ex fine capitis 11. Igi-

tur ratione materiæ ſubiectæ dicere debemus ſymbola ad hos effectus deſignandos præcipuè ſpectare. Sic igitur nubes Exod. 4. argumentum fuerunt inſigne præſentiæ, & prouidentiæ Dei, atque fauoris illius. Poſtquam omnia perfecta ſunt, *operuit nubes tabernaculum, & gloria Domini impleuit illud: nec poterat Moyſes ingredi, nube operiente omnia, & maieſtate Dei coruſcante: quia cuncta nubes operuerat.* Idem videtur 2. Paralip. 5. Et cum certum ſit & rorem & pluuiam emitti ſimiliter ab eiſdem, & lapides & fulgura eiaculari, rectè Chriſtus dicitur in extremo iudicio venire in nubibus, quia terrorem impiis & hilaritatem iuſtis adferet in ſuo aduentu, his ſupplicia, iſtis præmia immiſſurus.

Et iris in capite eius: & facies eius erat vt ſol.

Quid iris hic denunciet.

ANNOTAT. IV.

DE iride plura diximus in capite quarto. Hinc pauca nobis in hoc loco de eo differenda ſunt. Qui igitur apparet amictus nube tanquam quodam regali pallio, caput habet nube etiam circumdatum, at quæ pulchrior appareat aliâ qua amictus dicitur. Hæc enim nubes eſt veluti arcus cæleſtis, id eſt lumen in nubibus, propter variam radiorum ſuſceptionem, & reflexionem coloris variam: dum in nube rorida & in pluuiarum guttas iam iam diſtillari paratiſſima, ſol quaſi in ſpeculo ſeſe intuetur: vnde quot ſunt guttæ, tot videantur eſſe ſpecula imaginem ſolis ſuſcipientia. Sed quia ſi ex vna parte nubes ſit taliter diſpoſita, ex alia tamen adhuc eſt denſa & opaca, ideo radij ſolares reflecti coguntur, ex qua reflexione diuerſi colores efficiuntur; & in circumferentia ſeu peris, phæria arcus apparet cæruleus, in medio viridis, at in minori arculo rubeus. Nunc ſi interpretes conſulamus, iris in hoc loco pacis & reconciliationis ſignum erit, hominesque prouocat vt Deo reconcilientur. Ita Dionyſ. Carth. *Charitatis*, inquit, *& reconciliationis indicium atque clementiæ in ipſo apparuit.* Eadem Rupertus. *Arcus cæleſtis miſericordiam deſignat eiuſdem fortiſſimi: eſt enim ſignum, vel pro ſigno datur propitiationis.* Ita Rup. Conuenientiſſimum enim erat, vt qui terrere per verba comminatoria veniebat, dum tempus iurat non fore amplius, ne in deſperationem abeamus ſignum gerat clementiæ: ſi, dum tempus adhuc reſtat, velimus operari bonum, pœnitentiam agendo de peccatis. At ſi in viridi eius colore ſpem concipere poſſumus miſericordiæ, in cæruleo ſymbolum habemus diuinitatis, Eccleſiam per omnipotentiam ſuam protegentis; & in rubeo & igneo colore, diuinæ iracundiæ, impios quos à miſericordia repellet ſeuere punientis: ac ſi Deus, qui in principio naſcentis Eccleſiæ tot effuderat dona ſuper eam, propter ſuam infinitam miſericordiam, quaſi in vnum congerat omnia ſapientiæ ſuæ conſilia, vt videat qua ratione electis ſuccurrat in extremis laboribus conſtitutis; qualiter eos præmiis cumulet, pro laboribus fideliter exantlatis; qualiter tandem impios variis plectatur ſuppliciis, pro multitudine ſcelerum, quibus illum ad iracundiam prouocare non timuerunt.

Nec mirum ſi tot coloribus hic arcus depictus mirabiliter refulget (facies enim erat vt ſol relucens) qui ſuos in hanc nubem caput obuoluentem radios emittens, illam in iridem pulcherrimam transformabat. Dum enim Deus per omni potentiam ſuam electos protegit, impios contetit; illos remunerat, iſtos dignis afficit ſuppliciis, certè eius gloria & maieſtas omnibus erit conſpicua, & vt ſol refulgebit: quod proculdubio eueniet, dum operi prouidentiæ ſuæ vltimam manum imponet, ad electos dicens. *Venite benedicti patris mei: percipite regnum.* &c: & ad reprobos clamans: *Ite maledicti in ignem æternum.* Hi ſunt pedes tanquam columnæ ignis, quia ex igne Charitatis firmiter ſtabit electorum ad gloriam euectio, gaudium enim illorum nemo tollet abeis; & ex igne furoris ſtabit etiam reproborum electio, quia mittuntur in ignem æternam, & in tartarum à quo nulla eſt redemptio.

Et habebat in manu ſua libellum apertum.

Quod libellus iſte alius ſit à libro ſignato, & quid contineat.

ANNOTAT. V.

PER hunc librum S. Thomas intelligit ſacram ſcripturam. In hoc libro Primaſius nouum ſpecialiter intelligit teſtamentum. *Si*, inquit, *ſuperiùs in libro ſignato, veteris teſtamenti profunda cognoſcantur latuiſſe ſecreta, aptiùs hic in libro aperto, noui teſtamenti claruiſſe creditur gratia.*

Ambroſius cenſet eumdem librum eſſe cum libro ſignato, cum ait. *Hic liber ſuperiùs ſeptem ſigillis ſignatus fuiſſe deſcribitur*; & etiam cenſet per eum intelligi ſacram ſcripturam, dum addit: *Libellum igitur apertum in manu ſua Dominus noſter tenere viſus eſt, quia ſenſus diuinarum ſcripturarum doctoribus Eccleſiæ ipſe aperuit.* Ita Ambr. Dionyſius Carthuſianus per hunc librum præſcientiam Dei intelligens, eumdem librum eſſe vult cum ſigillato, ſed qui à Chriſto nunc fuerit reſeratus: *Vt pote*, inquit, *quia æterna Dei præſcientia de ſtatu, de curſu, tribulatione Eccleſiæ, latuis hominum, quouſque per Chriſtum eis eſt reſerata. Ideo quia iam de ſeptem ſigillorum libri apertione præhabitum eſt, meritò ſcribitur Angelus iſte libellum in manu apertum habere. Sed cum liber iſte ſit æternæ atque immenſæ præſcientiæ Dei deſignaturus, cur modo libellus vocatur? Reſpondendum quia per comparationem ad plenitudinem præſcientiæ, & notitiæ rerum in mente diuina, permodicum eſt quidquid hominibus reuelatur.* Ita Dionyſ.

Notat S. Thomas hunc librum Chriſtum habere in manu. *Quia*, inquit, *opere compleuit, quod docuit. Item per efficaciam paſſionis impleuit ſcripturam, quantùm ad pronunciationem humanæ redemptionis: & apertum eſſe ait propter tria; quia ipſe Dominus prædicando populis manifeſtauit ſecreta myſteria ſcripturæ; item in patibulo crucis impleuit ea, quæ de humana redemptione fuerant præfigurata & prædicta; item ſuis documentis aperuit diſcipulis ſcripturam, & per eos aliis.* Ita S. Tho.

Ego verò, cuius inſtitutum eſt non tam alias ſententias tantorum virorum rejicere aut refutare, quàm noſtra proponere, cum bona illorum venia, Dico primò libellum iſtum alium eſſe à libro ſignato. Liber ſignatus, abſolutè liber dicitur: ac ſi magnitudinem, ponderatione ſeu conſideratione dignam haberet: hic verò βιβλαρίδιον ſeu βιβλίδιον id eſt, libellus, aut libellulus dicitur. Liber ſignatus ſcriptus eſt intus & foris: de ſcriptura huius libelluli nulla fit mentio, itaut ſufficiat exiſtimare illum intus ſcriptum, non autem foris, vt libellus dicatur. Primus ſeptem ſigillis ſigillatus oſtenditur, nec eodem inſtanti aperitur, ſed cum quadam temporum intercapedine, prout res in eo contentæ adimplentur, vel manifeſtantur. Primus in manu dextera ſedentis in throno cuncta moderantis viſitur; iſte in manu Angeli exequentis quæ ſedens in throno imperat. Primus accipitur ab agno de dextera ſedentis in throno, vt illum aperiat; hic accipitur à S. Ioan.

Digitized by Google

ne vt illum deuoret. Talis eſt liber ſignatus, vt clamet Angelus fortis nullum eſſe dignum ipſum aperire. Iſte, vt non tantâ dignitate præditus, S. Ioanni ab Angelo forti proponitur deglutiendus. Cum igitur tanta ſit varietas ac diuerſitas inter iſtos libros, exiſtimo duos eſſe non vnum; & eumdem librum (licèt libellus hîc dici poſſit) aliqua eorum continere quæ in primo continentur: & reuera ea continet quæ inter potiora in primo libro contenta poſſunt numerari, exigit enim ſacræ ſcripturæ maieſtas vt omnia illius verba ponderentur, vt pote quæ nihil exprimat aut reticeat abſque alia rationabili cauſa, quippe quæ ſit à Spiritu ſancto ſpiritu ſapientiæ & veritatis, inſpirata. Vbi igitur variat in verbis & terminis, ea diuerſos ſenſus requirere videtur.

Dico igitur ſecundò: Sicut liber primus ſeptem ſigillis ſigillatus ſymbolum eſt intellectus creati humanitatis Chriſti, in quantum in eo ſunt omnia recondita, quæ debent Eccleſiæ reuelari, qualia ſunt ea quæ pro illius regimine adimplere intendit, & per quæ fideles ad eum finem deducere vult ad quem illos præ ordinauit; ita hic ſecundus libellus ſymbolum eſt mentis Angelicæ & humanæ, in quantum capaces exiſtunt à Verbo diuino illuminati & eleuati ad participationem illius cognitionis, quæ fuit Chriſti animæ infuſa: per quam perfectiſſimè cognoſcit ea omnia, quæ ad manifeſtationem paternæ gloriæ & ſui nominis exaltationem, prout illi promiſſum fuit, ſunt neceſſaria, vt humiliationis ſuæ profundiſſimæ condignam acc ipiat mercedem.

Dico tertio hunc libellum vel electorum nomina vel ſigna prædeſtinationis & reprobationis continere: ex quorum cognitione percipiet S. Ioannes verum eſſe illud, quod *multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Horum cognitio data primum fuit Angelo forti, & per eum datur S. Ioanni, iuxta id quod dicitur Apocalyp. c. 1. *Apocalypſis Ieſu Chriſti, quam dedit illi Deus palam facere ſeruis ſuis, quæ oportet fieri citò: & ſignificauit mittens per Angelum ſuum ſeruo ſuo Ioanni, &c.* Ideoque libellus dicitur, quia ex tot tantiſque myſteriis, quæ reſerata erant in libro ſigillato, hæc fuerant excepta, vt per hunc Angelum S. Ioanni manifeſtarentur. Notus erat Chriſto Domino quis erat finis congregationis fidelium, ſeu qua de cauſa Deus illos conuocaret in vnum ex omnibus terræ finibus, nempe vt Deus ab eis coleretur & adoraretur. Nota etiam illi erant omnia media, quæ præſcripta ſunt, vt per ea ex tanto numero eorum qui vocantur, quidam reperirentur, qui efficaciter finem conſequerentur. Nihil eum latebat eorum, quæ per totum regni ſui viſibilis in Eccleſia militante decurſum euentura erant, quibus æquitas iudiciorum ſuorum pateſceret cunctis, tam in effectibus miſericordiæ circa electos, quam in effectibus iuſtitiæ circa reprobos, qui media ad ſalutem conſequendam conducibilem reſpuerunt. Ex omnibus his Chriſtus Dominus per Angelum ſuum ea reuelauit S. Ioanni, quæ neceſſaria erant cognoſci ad inſtructionem & ædificationem Eccleſiæ ſuæ, ſub diuerſis ſymbolis: quæ in imaginatione ipſius depingebantur, vnum poſt aliud, ad reſerationem & apertionem ſigillorum, vt in eis mens eius intueretur veritates cognoſcendas: Vnum reſtabat S. Ioanni reuelandum, quem tandem exitum obtentura erant tot tantaque myſteria, & diuinæ prouidentiæ circa Eccleſiam opera, in quibus tantopere elucebant diuinæ maieſtatis Bonitas, ſapientia, virtus & æquitas. Cum igitur horum omnium exitus ſit vel electio ſanctorum ad gloriam, vel malorum reprobatio ad pœnam, hunc exitum cognouit S. Ioannes, vel nomina electorum percipiendo; vel, vt verius eſſe videtur, ſigna prædeſtinationis & reprobationis infallibilia perfectè cognouit, per quorum cognitionem, & paucitatem electorum & multitudinem reproborum cognouit, id eſt quinam eſſent lapides viui huius templi, & altaris myſtici, quæ menſurare debet in capite ſequenti: quinam eſſent in atrio reponendi, quod gentibus datum eſt ad calcandum, vt pote neglecti & in numerum reproborum reiiciendi. *Atrium autem,* inquit, *quod eſt foris templum, ejice foras, & ne metiaris illud.*

Et vt verum dicam, mens S. Ioannis remanſiſſet in motu deſiderij ſciendi ad quid tandem terminaretur tanta operationum, effectuum, & euentuum diuerſitas, quam ex tot reuelationibus vſque huc percepit; naturâ enim inditum eſt homini vt in aliquo termino quieſcat: oportuit igitur, ne in ſtatu violèto remaneret, vt clarè & diſtinctè cognoſceret finem ſeu terminum illarum rerum quas perceperat; & quia Deus ſecreta ſua communicare volebat, vt hæc communicatio, veluti cætera Dei opera, perfectionem ſuam obtineret, debuit percipere quidnam ex actionibus ſanctificationis & regimine Eccleſiæ, ex probatione iuſtorum, & ex ſuppliciis quæ etiam in hac vita malis inferuntur, erat obuenturum.

Quod ſi Andreas Cæſarienſis de hoc libello loquens dixit: *Libellus hic veluti parvus, magnuſque cum diminutione expreſſus, hominum inſigniter nequam & ſceleratorum nomina & acta continere videtur;* nihil abſurdi aſſerimus cum non malorum, ſed bonorum nomina continere cenſemus. Et cum audio Cornel. à Lapide dicentem: *Fortaſſe etiam in eo cognouit quinam eſſent in Eccleſiis Anti-Chriſto ceſſuri, ex Epiſcopis & viris ſanctis: & quibus illi eſſent panis plectendi, vt mentò dixerit v. 10. Et cum deuoraſſem eum amaricatus eſt venter meus.* Ita Cornel. æque credibile eſt ipſum continere vel nominà electorum, ex quorum cognitione hic liber mel eſt in ore, ſed ex conſideratione multitudinis reproborum amaricatur in ventre; vel iuſtas & rationabiles cauſas, propter quas Deus hos elegit, alios rejecerit.

Et poſuit pedem ſuum dexterum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram.

Inimicorum proſtratio, in opere firmitas, affectuum Miſericordiæ & iuſtitiæ demonſtratio, per pedes ſignificantur.

ANNOTAT. VI.

PES conſiderari poteſt, vel prout eſt demiſſior pars totius corporis, vel vt ſuper quem fulcitur & ſuſtentatur corpus, vel vt inſtrumentum inceſſus animalis. Hinc ad plura ſymbolicè deſignãda aptari poteſt; videlicet vt eſt extremitas corporis, ſignificat id quod eſt vltimum in executione cuiuſuis incæpti, vel in quacumque re humilius; vt eſt fulcimentum corporis, ſymbolum erit conſtantiæ & firmitatis inquauis operatione; vt eſt inſtrumentum inceſſus, affectiones quibus impellimur ad agendam deſignabit. In primo ſenſu, de Domino loquens Propheta regius ait: *Dixit Dominus Domino meo: ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Id eſt, donec eos deiecerim vſque ad id quod in te percipitur vt quid demiſſius, ſraut per humiliationem & depreſſionẽ tuam vſque ad mortem, & ignominiam crucis, eorum deprimatur arrogantia; & ita ſub te ſubjiciantur, ratione ignominiæ & opprobrij, ac pœnarum mortis tuæ, vt de eis ad libitum diſponere valeas. In ſecundo ſenſu accipio quod dicitur de femoribus, aut crucibus

Digitized by Google

ribus ſeu pedibus eius, tum Cantic. 5. *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas*; tum in hoc loco, vbi pedes eius dicuntur tanquam columnæ, ad denotãdum inſignem decretorum Dei immutabilitatem ac firmitatem, qui operatur omnia prout vult, nec aliquatenus decidit ab incæptis, aut ſua fraudatur intentione: vel, vt interpretatur hunc locum Dionyſ. Carthuſ. ad deſignandum in bono virtutis permanſionem. *Ideo*, inquit, *quoque Chriſti pedes quaſi columna ignis apparuerunt: quoniam ipſe in cunctis ſuis operibus immaculatus permanſit: nec terram calcando labem incurrit, imo in extremis ac infimis actibus ſuis corporalibus, ſicut ſunt manducare ac bibere, &c. in pleno charitatis feruore, ſapientia quoque ſplendore actualiter manſit ſtabilis indefinenter.* Ita Dionyſ. Cur in tertio ſenſu, per pedes intelligantur animæ affectiones, ex eodem Dionyſ. Carthuſ. *Per pedes*, inquit, *intelliguntur affectiones. Sanctæ autem & facundæ affectiones ſunt quaſi columnæ ignis: quoniam in ſe ardent, & aliis exemplariter lucent: quod Chriſto maximè competit.* Ita Dy. Nam ſicut corpus mouetur pedibus, ita anima affectibus. Quia igitur hic Angelus affectum Charitatis Chriſti erga electos, per mare deſignatos, vult manifeſtare, ideo pedem dextrum figit ſuper mare: & vt affectum itæ in reprobos deſignet, pedem ſiniſtrum ſuper terram ponere dicitur. Ponit igitur pedem dextrum ſuper mare, id eſt ſuper contritos corde, de quibus dici poteſt illud Thren. c. 2. *Magna eſt velut mare contritio tua*, ſiniſtrum ſuper terram, nempe ſuper eos qui in obſtinatione malitiæ & peccatorum permanentes, ſiccitatem & frigiditatem terræ videntur imitari. Et quia Deus, *iuſtitias dilexit & æquitatem vidit vultus eius*, ideo in extremis temporibus pedem dextrum ponet ſuper iuſtos, cum eos ad regnum vocabit; ſiniſtrum autem ſuper malos, cum eos ad inferna relegabit. Tunc requieſcet ſuper humiles, & contritos corde, & ſuam in eis firmabit dilectionem. Tunc conculcabit inimicos, & ſuper eos ſigna iracundiæ ſuæ obfirmabit. Veſtigia ſua figet in mutabili voluntate electorum, ne à gratia & gloria decidant, charitate cum eo inſeparabiliter coniuncti. In puluerem rediget impios, qui terrenis rebus inhærentes, illum contemnere auſi fuere. Sic nihil adeò leue, adeò inconſtans, quod non poſſit in bono obfirmare: nullus abyſſus errorum aut vitiorum reperiri poteſt, quem non poſſit expurgare: remanet autem eius ira in iis, qui eo neglecto, terram lacte & melle manantem, vini & olei abundantiam, vno verbo dicam, voluptates tantùm carnis, & terrena bona concupiſcunt. Sic Iudæos reliquit, vt in mari gentilium quieſceret, quos ad gloriam vocaret, & vt ait S. Hieronym. *elongatum eſt iudicium à Iudæis, quod gentibus nunciatum eſt: & non aprehendit eos iuſtitia, quæ à nationibus comprehenſa eſt.* Ita Hiero.

Per mare igitur, vt ait Dy. Carthuſ. *gentiles, in quibus erat profunditas ignorantiæ & errorum; per terram Iudæos qui per legem & prophetas erant exculti.* Ita Dy. Timendum nobis ne vlteriùs progrediatur, & quærat in aliis nationibus quod quæſiuit in gentilibus tempore naſcentis Eccleſiæ, relictis Iudæis, monente Paulo Rom. 11. *Tu autem fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat.* Quo enim maiora ſunt beneficia, eò iis contemptis ingratitudo culpabilior; & quo culpabilior, eo iuſtior ac ſeuerior eius punitio. Rectè enim Ribera: *Et poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, &c. ſignificat*, inquit, *hoc nihil eſſe tam diſtans ac remotum, vt Domini ſui pedes & conculcationem effugere poſſit. Itaque non ſolum habitantes in terra, ſed in inſulis etiam remotiſſimis degentes ſupplicia eius vitare non potuerunt. Sed cur dextrum pedem ſuper mare ponit, ſiniſtrum ſuper terram? pes dexter fortior eſt, in iis qui magis latent & remotiores ſunt, magis Chriſti pedis fortitudo, & ſupplicia eius oſtendentur, cum ne illi quidem qui in remotiſſimis inſulis viuebant, ab hominum conſortio ſegregati, liberari ab eius ira potuerunt magis quàm qui erant in terra.* Ita Ribera. Quod Ribera de ira dixit, hoc dicere poſſumus de eius charitate & amore, quod nullus eſt, nec vlla natio eſt adeo à gratia eius elongata per errores & vitia, in qua non poſſit pedem ſuum dextrum fortiùs figere, per diuinæ charitatis ſuæ præclaros & præcipuos effectus. Quod ſi ingrati fuerimus, timendum ne vlterius à nobis progrediatur propter ingratitudinem, & quærat remotiores à ſua cognitione, & in nobis potentiam & fortitudinem ſuam oſtendat, grauiora à nobis exigens ſupplicia, quo fueramus beneficiis ac donis maioribus præuenti.

Et clamauit voce magna, quemadmodum cum leo rugit. Et cum clamaſſet, locuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas.

Cur clamat Angelus voce magnâ; & quid voces ſeptem tonitruum ſignificent.

ANNOTAT. VII.

CLAMAVIT, inquit Ambroſius, *Chriſtus per legem, ſed non quemadmodum cum Leo rugit, quia in vna domo Iſraël. Vox eius tantummodo audita eſt. Clamauit poſtea per Euangelium, quemadmodum cum Leo rugit, quia in omnem mundum vox eius intonuit.* Ita Ambroſ. *Chriſtus enim affectuoſiſſimè prædicauit, dæmones impioſque perterruit, & cum ſumma ac efficacia eſt loquutus.* Ita Dionyſ. Carthuſ.

Prædicatio autem, inquit S. Thomas in expoſ. *dicitur clamor: quia vehementer debet animam excitare, & terrendo per comminationem, & alliciendo per promiſſionem, & diuinæ bonitatis manifeſtationem. Iſ. 41. Clama: ne ceſſes: quaſi tuba exalta vocem tuam. Vnde ſequitur, voce magnâ, id eſt de magnis agente, cum de præmiis loquitur & ſupplicia comminatur. Vnde quantùm ad comminationem, ponitur exemplum, quemadmodum cum Leo rugit, quaſi dicat: Dominus per ſuos prædicatores terret peccatores, comminatione ſupplitiorum, ſicut Leo ſuo rugitu animalia terret, vt tangit gloſſa. Timor enim pænæ primò terret peccatorem, deinde ſubtrahitur ad amorem. Amos 3. Leo rugit: quis non timebit?* Ita S. Thom. Alcazar autem: *Non ſolum per rugitum Leonis, vult innui Chriſti rugitum eſſe formidabilem dæmonibus, & ſupplicia interminantem Iudæis, ſed in eo etiam ſignificauit Chriſti Domini lætitiam & alacritatem, qua pro certo habebat cum per gentilitatem ipſe incederet, ipſam veræ religionis igne accenſum iri.* Ita Alcaz.

At Rupertus in rugitu Leonis videtur intelligere vim & energiam quandam, qua clamandi virtus tribuatur, dum ait: *Aiunt qui de naturis ſcripſerunt, quia ad vocem ſiue rugitum Leonis omnia contremiſcunt, & cuncta animantium natura: hinc eſt illud prophetæ: Leo rugit, quis non timebit? Am. tertio. Et ſtatim oſtendens quid per hanc ſimilitudinem velit intelligi: Dominus Deus, inquit, locutus eſt, & quis non prophetabit?* Ita Rup. Ad mentem Ruperti S. Thomas per ſeptem tonitrua intelligit vniuerſos prædicatores, aliis præcedentibus ſuccedentes, quaſi qui per clamorem Chriſti prædicandi vim acceperint: hi loquuntur, vocem ſuam, *id eſt*, inquit, S. Thomas, *ſuo tempori congruas; vel ſuas, id eſt quæ conueniunt ratione officij prædicationis, id eſt voces ſalutis, non fabularum & vanitatis: & vocantur tonitrua, non quia ſolum debeant*

Digitized by Google

comminari [illegible], cum ſit etiam vocare, præmia annunciare, & multiplex allicere: ſed quia non pauci ſunt, qui plus inducantur ab bonum timore pœnæ, quando prædicatores minantur, quàm amore gloriæ: & ideo ſic loquitur. Ita S. Tho.

At quænam ſunt illa ſeptem tonitrua? Alcazar ſatis concinnè vult illa eſſe velut Echo clamoris Chriſti, dicique poſſe eſſe Echo heptaphonam, qualem refert Plinius lib. 36. c. 15. veruntamen ſeptem tonitruorum voces nonnihil eſſe inter ſe diuerſas, id eſt non omnino ſimiles; Ioannemque cenſet ſupponere ſeptem eſſe aliqua tonitrua inſignia ac notabilia, ad quæ alluſionem faciat, ſicque alluſionem fieri ad ſeptem voces Domini, Pſ. 28. vbi ſepties repetitur: *Vox Domini.* Eſto, ei aſſentior, alluſionem fortaſſis fieri ad hunc Pſalmum non inficior. Exiſtimat tamen propiùs ſanctum Ioannem reſpicere ſeptem tonitrua, de quibus agit in ſua prophetia, ac voces illorum tonitruorum quædam eſſe in his myſteriis, de quibus agitur in his locis, quæ non erant adhuc propalanda, ſed Deo relinquenda, vt illa reuelet prout inſtructioni & ædificationi Eccleſiæ neceſſarium fore, pro ratione temporum videret; iuxta quod etiam olim Apoſtolis ſuis dicebat. *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. Cum autem venerit ille ſpiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Ioan. 16.

Quod autem ſeptem ſint tonitrua in hac reuelatione diſtincta, ad quæ reſpicere potuit ſanctus Ioannes, certum eſt.

Et primò, cap. 4. *Et de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua.*

Secundò, cap. 6. *Et audiui vnum de quatuor animalibus dicens, tanquam vocem tonitrui.*

Tertiò, cap. 8. *Et accepit Angelus thuribulum, & implenit illud de igne altaris, & miſit in terram: & facta ſunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræ motus magnus.*

Quartò in hoc 10. capite: *Locuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas.*

Quintò, cap. 14. *Et audiui vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni.*

Sextò, cap. 16. *Et exiuit vox magna de templo à throno dicens: Factum eſt. Et facta ſunt fulgura, & voces, & tonitrua: & terræ motus factus eſt magnus.*

Septimò, cap. 19. *Et audiui quaſi vocem turbæ magnæ, & ſicut vocem aquarum multarum, & ſicut vocem tonitruorum magnorum dicentium: Alleluia.*

Cum igitur ſepties tonitrua audiuntur in tota Apocalyſi, probabile eſt ſanctum Ioannem ad ea reſpicere, ac voces non alias eſſe quàm myſteria, de quibus agitur in his locis, verbi gratia, de beneficio vocationis in quarto capite; de efficacia gratiæ in ſexto capite; de mediis à Deo ordinatis, quibus gratia impetrari poſſit in 8. capite; de ſignis prædeſtinationis & reprobationis in 10. capite; De perſeuerantione à peccatis, per perfectam & abſolutam iuſtitiæ Chriſtianæ conſecutionem, in 14. capite; De ſeueritate iuſtitiæ diuinæ in punitione ſcelerum, in 19. capite. In quibus omnibus quædam ſunt, quæ quo ad ſubſtantiam cognoſci poſſunt, modus autem quo hæc adimplentur reticetur, & tantum iis quibus Deus voluerit illum reuelare innoteſcit, vt ſit in myſterio incarnationis, cuius ſubſtantia nobis nota eſt, cum credimus quod Verbum caro factum eſt; at modus eſt ineffabilis & incomprehenſibilis. Sic in myſterio Euchariſtiæ, credimus verè panem in corpus, & vinum in ſanguinem tranſubſtantiari, per verba conſecrationis: at qua ratione hoc fiat, mens non capit humana: Pari ratione ſcimus per verbi Dei prædicationem in toto orbe plurimos vocari ad fidem: ſed vnde fiat quod hi verbo credunt, alij illud rejiciant, quis quæſo nouit? Nemo certè, niſi is cui Deus reuelare voluerit. Fortè reuelatum fuit B. Ioanni, ſed præcipitur ei, vt hæc non ſcribat: non enim tempus eſt vt ſciamus quanta cum æquitate Deus ſua dona diſtribuit hominibus, vt hi neglecti videantur, iſti eligi & prærdinati ad vitam cernantur. Scimus etiam gratiam & veritatem per Ieſum Chriſtum eſſe factam, cuius diuinitas manifeſtatur ad apertionem primi ſigilli, Leone clamante tanquam voce tonitrui: at licet ſit auctor & conſummator fidei noſtræ, quis ad plenum percipere poteſt cur fides in iſtum, plenum effectum conſequatur, in plurimis qui eam in baptiſmate acceperunt, minimè? De hac re fortaſſis S. Ioannes rationes quaſdam percepit, ſed vetitum eſt illi ne eas ſcriberet: manifeſtabuntur fortè cum iudex de talentis fidei noſtræ commiſſis rationem expoſcet. Scimus Miſſæ ſacrificium infiniti eſſe valoris, Deum aures præbere precibus Eccleſiæ; ſanctos verbo & exemplo, & patratione miraculorum, ad conuerſionem animarum plurimum prodeſſe, ſed cur omnibus indifferenter non applicatur valor ſacrificij, cur plærumque orationes Eccleſiæ non admittuntur, nec ad ſalutem horum aut illorum vtiles inueniantur, & cur labores ſanctorum pro animarum conuerſione vani & inutiles appareant, quis rationes adinueniet congruentes? Hæ fortaſſis innotuerunt B. Ioanni, cui reuelatum eſt cur Deus aliquando ſacrificiis placari non poſſit, nec preces exaudiat, & cur in Capharnaum ſigna nihil efficiant, quæ ſi facta fuiſſent, in Tyro & Sylone, fortaſſè & Tyrij & Sydonij credidiſſent. Scimus à Deo aliquod tempus eſſe præſcriptum & conceſſum hominibus, vt operentur opera ſalutis, & pœnitentiam agant, & conuertantur & ſanentur, quo elapſo venit nox, in qua nemo poterit operari: ſed quis nouit quantum duret illud tempus, & quinam illi præſcribatur terminus? At probabile eſt ſanctum Ioannem de eo ſpecialem habuiſſe reuelationem, cum audiuit ab eo quod tempus non erit amplius. Scimus quoſdam eſſe, licet paucos, qui non inquinant veſtimenta ſua, ſed ea immaculata conſeruant, ſemper poſt primæ gratiæ ſuſceptionem ad perfectiora progredientes; ſed quibuſnam viis felicem illum curſum percurrant, vt à gratia non excidant, certè ignotum eſt. Has fortaſſe vias nouit ille ſanctus, qui ſanctos monet vt ſanctificentur adhuc. Scimus quoſdam eſſe tantâ nequitiâ repletos, vt mentis cæcitate & cordis obduratione tandem, abſque pœnitentia, in peccatis ſuis moriantur: at horrenda Dei iudicia, quibus permittit vt in hoc barathrum immergantur, quis noſſe poterit? Hoc fortè, quantum creaturæ licèt, perſpectum fuit B. Ioanni, cui & ſigna prædeſtinationis & reprobationis in libello aperto deſcripta deglutienda conceſſa fuerunt. Denique certum eſt Deum pœnas & ſupplicia à peccatoribus exigere, ſed cur in æternum cruciat eos qui in momentaneo vitæ tempore peccant, tantaque ſupplicia ab hominibus adeo fragilibus exigat, quis acumine mentis ſufficienter hoc penetrare poterit? Nemo, niſi is cui datur percipere quanta ſit Dei offenſi maieſtas, ſicut fortè percepit ſanctus Ioannes. Hæ ſunt voces tonitruorum quæ non ſcribuntur à B. Ioanne, qui certè audiuit quædam arcana, cum quæ audiebat, ſcribere paratus eſſet, niſi fuiſſet prohibitus: quia non expediebat vt hæc myſteria omnibus ſint peruia, vel quoad ſubſtantiam, vel quoad modum. Si quoad ſubſtantiam dicas, dicet Auguſtinus, Hom. 7. in Apocalyp. *Noli ea ſcribere, propter obtundendos, vt non paſſim omnibus (impiis) patrata*

Verba Dei; *alio denique loco, propter ſermos ſuos*: *ne ſignaueris, inquit, Verba Prophetiæ huius. Et oſtendit quibus ſignari inſſerat, & quibus non. Qui perſeueraueris, inquis, nocere nocebit*; *& qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. Hoc eſt*: *Propterea in ſimilitudinibus loquor illis, vt qui iuſtus eſt iuſtiora faciat*: *ſimiliter & ſanctus, ſanctiora*: *Hoc eſt*: *Veſtri felices oculi, quoniam vident, & aures quoniam audiunt. Iſtis enim non ſunt ſignata verba libri, malis autem ſignata ſunt.* Hæc Aug. ſeu Ticonius Hom. 7.

Ambroſius, per vocem de cœlo dicentem Ioanni: *Signa quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua, & noli ea ſcribere*; intelligit vocem prohibentem ſcribere, id eſt, prædicare, quia ſicut ſcripturâ atramento in volumine ſcribit vnde legentes excitentur, *ita & quilibet doctor verba Dei ſcribit, cum ea prædicando in cordibus audientium plantat. Prohibet igitur Eccleſia prædicare, quia in initio fidei prædicatores ſancti, videntes infirmitates gentium ad fidem venientium, non ſunt auſi eis auſteriora Chriſti præcepta committere, ne forte duritiâ præceptorum territi, non auderent ad fidem Chriſti ſuſcipiendam accedere: ſicut Paulus Apoſtolus diſcipulis ſuis ſcripſit: Tanquam parvulis in Chriſto, lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis, ſed nec adhuc quidem poteſtis: adhuc enim eſtis carnales. Sed & Apoſtoli qui erant Hieroſolymis eis qui ex gentibus crediderunt mandauerunt, dicentes: Placuit Spiritui ſancto & nobis nihil imponere vobis oneris, niſi vt abſtineatis vos ab eſcis, quæ idolis immolantur, & à fornicatione, & à ſuffocato & ſanguine. Vox ergo de cœlo Ioanni loquitur, ne ſeptem tonitrua ſcriberet, quia Apoſtoli, qui per cœlum deſignantur, primis prædicatoribus præceperant ne nouiter ad fidem venientes ſubito ad celſitudinem virtutum conſcendere cogerent, donec in fide confortati iam ad operationem virtutum tranſire poſſent.* Hæc Ambroſ. Sanctus Thomas in expoſitione, vult hanc prohibitionem ſcribendi ſeu prædicandi voces tonitruum, potiſſimum ſpectare vltima tempora. *Et cum locuta, &c. Habito*, inquit, *de regimine Domini, in Eccleſia, quantum ad ſtatum Eccleſiæ initialem vel medium, hic agitur de eodem, quantum ad ſtatum finalem ſiue vltimum: quia licet prædicatores illius temporis, ſcilicet ſub tempore Anti-Chriſti, ex zelo prædicare velint, tamen Dominus ſic reget ſtatum illum Eccleſiæ, quod ſubtrahet prædicationem, quia in de infideles in peius proficerent.* Ita S. Tho. Ideo præcipitur S. Ioanni: *ſigna, id eſt*, ait S. Tho. *hæc ſigilla: id eſt claude (ſicut illud quod ſub ſigillo abſconditur) quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua, id eſt, vel quæ prædicauerunt vniuerſi prædicatores, ſcilicet ea quæ dirigunt ad ſalutem, vt de vitiis cauendis de bonis agendis, de ſuppliciis, de præmiis, de bonitate & beneficiis Dei, & aliis multis. Gloſſ. ſigilla, vt amicis pateat & inimicis lateat. Iſ. 8. & vt dicit Apoſtolus II. ad Timotheum c. 4. ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacernabunt ſibi magiſtros prurientes auribus. Et ex his datur conſolatio, quia ſcilicet Chriſtus, qui ante cum expediebat, dedit doctrinam in ore prædicatorum, nunc eam ſubtrahet, quando non erit tempus congruum prædicationi publicæ, ſicut nunc ſit. Quaſi dicat: Tunc intelligitur diuina virtute quod prædicare non debeant: quia doctrina eorum non admitteretur, ſed conculcaretur. Matth. 7. Nolite ſanctum dare canibus, &c.* Ita S. Tho.

Ego autem exiſtimo ſanctum Ioannem ad totum durationis Eccleſiæ militantis decurſum reſpicere, eique præcipere vt æque fidelibus ac infidelibus, æque bonis ac malis occultaret quæ pro tunc ex vocibus ſeptem tonitruum didicerat per ſpecialem reuelationem; eique iuberi vt ea in mente ſeruaret, & nemini diceret (nam quæ ſignantur non poſſunt legi aut videri) & non tam ſubſtantiam myſteriorum ei reuelari, quæ iam ſciebat, & per ſymbola iam antea expreſſerat, ſed quoſdam ineffabiles modos, quos Deus incognitos eſſe vult communiter fidelibus, vt hæc myſteria in maiori habeant reuerentia, ac demiſſiori animo fidei obſequium præſtent? Nec ab hoc ſenſu diſſidet Primaſius, cum ait: *Locuta ſunt ſeptem tonitrua. Propter cognitam ſeptenarij numeri operationem, ſeptem tonitrua ſignificare puto omnifariam prædicationis Eccleſiaſticæ modificationem.* Ita Primaſ. Res enim prædicationis Eccleſiaſticæ habent modos quoſdam ineffabiles, per quos captum humanum à longè excedunt, nec abſque Dei reuelatione poſſunt comprehendi, quos tamen non expedit indifferenter cognoſci, vt fides maius habeat meritum, quo magis ea quæ apprehendit mentis comprehenſionem ſuperant. Non inquirant igitur curioſè cur hi vocentur, alij non; nec vacillet fides eorum tanto myſterio ſtupefacta: ne deſperent aut puſillanimes reddantur, cum audiunt in quibuſdam gratiam eſſe efficacem, in aliis minimè: ne torpeſcant, aut à bonorum operum exercitio deſiſtant, ſi aliquando per ſacrificia, aut per orationes impetrare nequeant quæ à Deo ſæpius poſtularunt: nec feruorem charitatis amittant, dum ſuam infirmitatem agnoſcunt, quia nequeunt ad ſummum perfectionis apicem peruenire, ſcientes quia *in domo Patris manſiones multæ ſunt*: ne animo deſpondeant propter peccata, quibus digni redduntur ſubtractione donorum cæleſtium, memores miſericordiarum Dei, quibus plærumque præueniuntur etiam deſperatiores peccatorum; nec ex certitudine grauium ſuppliciorum, quibus Deus ſcelera punit, ab eo auertantur: ament, & ſufficit. Deus nullum amantem à ſe rejicit: dicant cum beato Iob: *Quis det vt veniat petitio mea, & quod expecto tribuat mihi Deus? Et qui cœpit ipſe me conterat, ſoluat manum ſuam, & ſuccidat me. Et hæc mihi ſit conſolatio, vt affligens me dolore non parcat, nec contradicam ſermonibus ſancti.* 1. c. 6. Incomprehenſio horum myſteriorum nos humiliores reddit, torporem ac negligentiam repellit, dum neſciétes an odio vel amore digni ſumus, ſatagimus iuxta S. Pet ri monitum, vt per bona noſtra opera certam faciamus noſtram vocationem & electionem: vnde tempus mortis ac iudicij debet eſſe incertum, vt vigilantiores & attentiores ſimus ſuper noſtram cuſtodiam, Chriſtum monentem audientes: *Vigilate, quia neſcitis diem neque horam.* Ac ſi diceret: Nec tempus nec horam volo vobis reuelare, vt vigilantiores ſitis, nec deprehendamini imparati & incauti.

Et Angelus quem vidi ſtantem ſuper mare & ſuper terram, leuauit manum ſuam ad cœlum, & iurauit per viuentem in ſecula ſeculorum.

Cur Angelus leuat manum ſuam ad cœlum.

ANNOTAT. VIII.

AD maiorem elucidationem, & confirmationem eorum quæ iam diximus in compendiaria interpretatione textus, Notandum in aliis ſcripturæ locis ſcripturam vti hac forma loquendi, nempe (*Leuauit manum ſuam*) vt cæleſtem ac diuinam potentiam nobis ob oculos proponat. Ita deutero. 32. *Videte quod ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præterme. Ego occidam, & ego viuere faciam. Percutiã & ego ſanabo, & nõ eſt qui de manu mea poſſit eruere. Leuabo ad cœlum manum meam, & dicam: Viuo ego in æternum.* Pari ratione Iſ. 49. dum de potentia qua vſus eſt ad congregandas & conuocandas intra Eccleſiæ gremium nationes, loquitur: *Dices in corde tuo* (Eccleſiam alloquitur) *quis mihi genuit iſtos? ego ſterilis & non pariens, tranſmigrata & captiua; iſtos quis enutriuit? Ego deſtituta & ſola, & iſti vbi*

grant. Hæc dicit Dominus Deus. Ecce leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignum meũ, &c. Igitur leuare manum eſt ſignum edere potentiæ: Hinc leuare ad cœlum erit indicare potentiam quam impendit, omnino eſſe diuinam. Et apud Ezechielem c. 20. *Hæc dicit Dominus Deus: in die qua elegi Iſrael, & leuaui manum meum pro ſtirpe domus Iacob, & apparui eis in terra Ægypti, & leuaui manum meam pro eis dicens: Ego Dominus Deus veſter: in die illa leuaui manum meam pro eis: Vt educerem eos de terra Ægypti, &c.* Vides Dei potentiam ad liberandum extentam. Videas eam ad puniendum paratam, ibidem apud Ezechiel: *Ego*, inquit, *leuaui manum meam ſuper eos in deſerto, ne inducerem eos in terram, quam dedi eis, fluentem lacte & melle, præcipuam terrarum omnium, quia iudicia mea proiecerunt, &c.* Optimè igitur & accommodatè ad noſtram interpretationem S. Thomas: *Leuauit manum ſuam ad cœlum, id eſt: Chriſtus leuauit & offert auxilium ſuum per gratiam Eccleſia militanti, quæ cœlum eſt, per fidei & charitatis ac vitæ ſublimitatem & claritatem, vt perueniat ad ſtatum triumphantis, &c.* Ita D. Tho. Leuat itaque manum ſuam ad cœlum iſte Angelus fortis, vt demonſtret diuinam omnipotentiam paratam eſſe tum ad protegendum electos, tum ad retundendos inſultus impiorum, tum ad præmiandum ſuos liberaliſſime, tum ad detrudendum in infernum cœtum reproborum. Et ne quis de hac re dubitet, iurat *per viuentem in ſecula ſeculorum. Id eſt*, inquit S. Thomas, *per patrem & per ſe Deum, quaſi dicat, Virtute ſuæ diuinitatis, per quam ſuam carnem reſuſcitauit, faciens eam viuere in æternum, firmiter ſtatuit ſiue præordinauit illud quod ſequitur, ſcilicet præmium immutabile eſſe dandum electis, quia iurare Dei eſt firmiter ſtatuere, ſicut vult gloſſa: & per hoc quod dicit viuentem in ſecula ſeculorum, innititur quod ſicut ipſe non ſolum ex parte diuinitatis, ſed etiam humanitatis, vixit in æternum, ſic viuent & ſui.* Ita S. Tho. At cum dixerimus hunc Angelum eſſe non Chriſtum ipſum, ſed Angelum tantùm ea nunciantem, & ſignificantem S. Ioanni quæ Chriſtus ad protectionem & remunerationem iuſtorum & ad repreſſionem & punitionem malorum operaturus eſt, appoſitè non iurat per ſemetipſum, ſed *per viuentem in ſecula ſeculorum*, vt indicet ſeipſum non eſſe Chriſtum aut Deum, ſed à Deo miſſum. Nota quod hoc iuramentum *vixit Dominus*, frequentiſſimè vſurpatur ab antiquis, vt videre eſt in libris Regum, quod idem eſt ac iurare *per viuentem in ſecula ſeculorum*. Quod ita religioſè fiebat, vt prohibeat Deus Oſee 4. idolorum cultoribus, ne hoc vtantur iuramento: *Et ne aſcenderitis Bethauen, neque iuraueritis, vixit Dominus. Nolo enim*, inquit S. Hier. *per os veſtrum nominis mei fieri mentionem, quod idolorum recordatione pollutum eſt* Et rurſus: *Nec iuraueris per nomen Chriſti, cuius maieſtatem, miſcendo idolis, polluiſti.*

Quia tempus non erit amplius: ſed in diebus vocis ſeptimi Angeli, cum cœperit tubâ canere conſummabitur myſterium Dei, ſicut Euangelizauit per ſeruos ſuos Prophetas.

Tempus illud non amplius futurum, intelligitur de tempore ad bene operandum & ad pœnitentiam hominibus conceſſo: quod quidem finitur, cum tempus iudicandi homines aduenit.

ANNOTAT. IX.

DECET Deum æternum præſcribere tempora; & quantumuis immutentur ac perturbentur omnia, ipſum tamen (quippe qui in æternum viuit) ſtabilem ſemper firmumque perſiſtere. Iurat itaque, id eſt iuxta Rupertum, immutabili veritate firmat, quia tempus non erit amplius. At quodnam, quæſo, tempus? Andreas Cæſarienſis dicet: *Atque hoc vel in futuro ſeculo, in quo nullum extabit tempus, quod ſole hoc ſenſibili menſuretur, ſed vita æterna, quæ temporarium numerum excedit; aut certè longum poſt ſexti Angeli vocem non futurum, eoquod iam tum ad exitum tendant quæcumque ante prædicta erant.* Ita Andreas. De tempore vſque ad iudicium extremum intelligit Beda, quod ceſſabit adueniente iudicij tempore. *Erit*, inquit, *vtique vt Pſalmus ait, tempus impiorum in æternum: ſal mutabilis ſecularium temporum varietas in nouiſſima tuba ceſſabit. Canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti, & hæreditas eorum in æternum erit.*

At propius ad noſtram mentem Rupertus: *Quia tempus non erit amplius, ſubaudiatur pœnitentiæ, quemadmodum fuit hactenus, poſtquam anteriores tubis cecinerunt Angeli. Tunc conſummabitur myſterium Dei, id eſt ſecretum conſilium Dei, quo hactenus vſus eſt erga peccatores, flagellando, & inter flagella, longa illis ſpatia præſtando pœnitendi; in quo conſummabitur illud myſterium Dei, in eo nimirum quod ibunt impij in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam.* Ita Rup.

Hanc ſententiam amplector: exiſtimo enim hoc tempus intelligi debere de tempore conceſſo quibuſlibet hominibus, in qualibet differentia temporis exiſtentibus, vt pœnitentiam agant; iurareque Angelum hoc tempus eſſe elapſum. Vnde meritò qui illud ſine fructu elabi permiſerunt puniuntur, pœnaſque luunt ſuorum ſcelerum, ita tamen vt præcipue prophetia reſpiciat tempora vltima, in quibus reuera conſummabitur myſterium Dei; id eſt, totum opus gubernationis Eccleſiæ, ac prædeſtinationis iuſtorum, & reprobationis malorum, vltimum habebit complementum. Hoc ſubodoro & ſuſpicor ex clamore Angeli, vt rugitus Leonis. Talis enim clamor Deo propriè attribuitur in ſcriptura, maximè cum mentionem facit illius temporis, in quo Deus in iudicium adducit homines, vel de eorum ſceleribus pœnas exigit. Sic de iudicio ac ſupplicio Iudæorum agens Iſ. 5. *Rugitus eius vt Leonis, rugiet vt catuli Leonum, & frendet, frendet & tenebit prædam, & amplexabitur, & non erit qui eruat.* Ita Iſaias elegãti ſchemate punitione, à Deo immiſſas ineuitabiles eſſe demonſtrat, dum Deum repræſentat admodum leonis, prædâ vuguibus apprehendentis, & cruribus quaſi brachiis ſtrictè amplexantis, & rugitu frendentis, ne quis audeat accedere vt illam eripere attentet. Et Ieremiæ 25. *Dominus de excelſo rugiet, & de habitaculo ſancto ſuo dabit vocem ſuam: rugiens rugiet ſuper decorem ſuum:*) Id eſt ſuper templum ex Hieron.) *Celeuma*, id eſt, carnem lugubre ſecundum eumdem) *quaſi calcantium concinetur aduerſus omnes habitatores terræ: peruenit ſonitus vſque ad extrema terræ: quia iudicium Domino cum gentibus. Iudicatur ipſe cum omni carne.* Et Ioël. 3. *Populi, populi in valle conciſionis: quia iuxta eſt dies Domini in valle conciſionis. Sol & Luna obtenebrati ſunt, & ſtella retraxerunt ſplendorem ſuum: & Dominus de Sion rugiet, &c.* Quia igitur hic Angelus rugit, dum clamat tempus non fore amplius, certè probabile eſt ad illud tempus reſpicere, in quo *iudicium gentibus proferet*, tempore videlicet pœnitentiæ elapſo. Quod Alcazar reſtringit ad illud Dei iudicium erga Iudæos, quo iis derelictis Euangelium ad gentes tranſmigrauit. Illud nos extendimus ad iudicium quorumlibet impiorum, ſed præcipue quando in fine ſeculorum non ſolum ceſſabunt motus aſtrorum, ſed etiam finietur tempus vel merendi vel pœnitendi, aduentante in-

Digitized by Google

dice, qui à cunctis rationem eſt expoſtulaturus de omnibus operibus ſuis. Licèt enim verum omnino ſit improbis omnibus in huius vitæ decurſu ſpatium ſupereſſe & dari temporis, quo per auxilium Dei ſufficiens poſſint à ſuis flagitiis reſipiſcere, non tamen minus eſt certum peccatorem poſtquam à Deo fuit propter ſua ſcelera derelictus & obduratus, neutiquam fore amplius conuertendum. Tale inſtans datur, quia de facto ſunt plurimi qui non conuertuntur, quare ingens difficultas, quæ eſt in peccati obcæcati conuerſione, & certa Dei præſcientia quod nequaquam conuertetur (ſiquidem hoc ita eueniet quod non conuertetur ex propria malitia, quod Deum latere non poteſt, qui omnia futura qualia ſunt nouit) hæc, inquam ſufficiunt vt veriſſimè dicatur huiuſmodi ſceleratis hominibus finitum iam eſſe tempus, quo Deus ipſorum ſalutem efficaciter procurabat, quia efficaciter dabat auxilia de ſe ſufficientia ad conuerſionem. Ad hunc ergo infeliciſſimum ſtatum ſignificandum dicitur verè & ſignificanter (cum Deus peccatorem aliquem dereliquit ipſe antea derelictus, indurat & obcæcat, ſubtrahendo dona quia hanc demeretur ſubtractionem) huiuſmodi peccatori tempus non eſſe amplius.

An myſtice vel phyſicè tempus, hora, dies, menſis, annus, in hac Prophetia ſumantur?

ANNOTAT. X.

HÆC Annotatio eſt perutilis, & apprimè neceſſaria ad multas difficultates, quæ occurrunt in expoſitione huius prophetiæ, reſoluendas.

Dico igitur probabile eſſe myſticè ſumi, ſicut & tot tantaque quæ hic myſticè ſumuntur. Rem ita ſtabilio. Verum eſt nos à Saluatore moneri noſtrum non eſſe *noſſe tempora vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate.* Nihilominus reperio quoddam dari tempus in ſcriptura, quod non poteſt à nobis ignorari aut præteriri, quin ſtatim ipſe Dominus, propter noſtram inſcitiam & ignorantiam dum erat in hoc mundo, non fuerit ad lacrymas commotus. Ita olim *videns Ieruſalem fleuit ſuper illam, eoquod non cognouerit tempus viſitationis ſuæ.* Luc. 19.

Ex eo enim quod Ieruſalem tale tempus non cognouit, ideo fuit omnino euerſa. Huius temporis à Deo conceſſi, & à peccatoribus plærumque ſine fructu triſacta pulchram allegoriam dedit Chriſtus Dominus Luc. 13. *Arborem*, inquit, *ſici habebat quidam plantatam in vinea ſua: & venit quærens fructum in ea, & non inuenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres ſunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio. Succide ergo illam: vt quid etiam terram occupat? At ille reſpondens dicit illi: Dimitte illam & hoc anno, vſque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora. Et ſiquidem fecerit fructum; ſin autem, in futurum ſuccides eam*: Succiſio illa arboris ad eumdem ſcopum refertur illius ſententiæ, quæ ab Angelo profertur, *quia tempus non erit amplius.* Conceditur enim ſpatium ficui vnius anni, eoque peracto tempus illi non eſt amplius, id eſt vt conferantur peculiaria in eam beneficia, & interim non euellatur. Nihil igitur attentabimus contra Dominî monitum, ſi tale tempus cognoſcere attentauerimus. Siquidem illius cognitio adeo eſt nobis neceſſaria, ne illud elabi infructuosè ſinamus.

Notandum igitur primò, cum tempus definiatur numerus motus, ſecundum prius & poſterius, itaut mens in motu totali cœlorum diſcernat & conſtituat aliquod punctum ſiue inſtans à quo incipiat, & aliud in quo deſinat aliquis motus, tota intercapedo inter illa duo inſtantia erit tempus durationis, ſeu motus alicuius rei mobilis: v. g. mens concipit ſolem ab vno puncto progredientem, & ad illud reuertentem: totum illud ſpatium ſeu interuallum, quod impenditur, vt ad illud punctum à quo progreditur reuertatur, eſt numerus motus ſolis, ſeu tempus motus ipſius, de quo Sapiens, Eccleſ. c. 1. *Oritur ſol & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, ibique renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem.* Punctum autem à quo ſol concipitur motum ſuum incipere, videtur illud eſſe à quo in primo inſtanti creationis fuit ab autore naturæ poſitus, vt ſuum curſum inciperet peragere; ad quod cum reuertatur, vt rurſus eumdem curſum percurrat, totum illud interſtitium ſeu ſpatium poteſt dici motus ſolis: Simili modo philoſophandum de Luna, & aliis planetis, iuxta quod dicitur Geneſ. 1. *Dixit autem Deus: fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies & annos.* Qui anni à ſole, ab vno puncto progrediente & ad illud reuertente, deſignantur, vt dicitur Eccleſiaſt. c. 33. *Quare dies diem ſuperat, & iterum lux lucem, & annus annum à ſole.* Ita Sapiens. Ad cuius motum reduplicatum multoties cæteri motus aſtrorum & rerum mutationi obnoxiarum regulantur & menſurantur. Notandum ſecundo: ex his colligi annum tempus eſſe, quo durante ſol ſuum perficit curſum in Zodiaco, ad idem punctum reuertens à quo proceſſerat, vt curſum inciperet, videlicet in oriente, vel paradiſi terreſtris, in quo primus homo fuit poſitus; vel terræ ſanctæ in qua Saluator naſci habebat: qui annus in menſes diſſecatur, & menſes in dies, itaut duodecim menſes trecentos ſexaginta quinque dies conficiant: & annum ſolarem adimplent. Sic philoſophandum de luna, ita tamen vt annus lunaris minor ſit vndecim dierum anno ſolari, quo currente, duodecies cum ſole coniungitur.

Notandum tertio, certiſſimum eſſe in Apocalypſi, Cœlum, Solem, Lunam, & ſtellas myſticè accipi; Cœlum c. 4. *Oſtium apertum in cœlo: ſedes poſita in cœlo*; Tol. c. 1. *Facies eius ſicut Sol lucet in virtute ſua*; Luna & Stellæ c. 12. Luna ſub pedibus mulieris amicta Sole, & Stellæ duodecim in capite eius.

Notandum quarto certiſſimum etiam eſſe menſem myſtice accipi in Apocalypſi v. 9. c. 22. lignum vitæ afferens fructus duodecim per menſes ſingulos, reddens fructum ſuum. Si menſes ſunt ibi myſtici, ergo & dies: menſis enim ex diebus componitur. At quod myſticè accipi debeant menſes, clarum eſt: nam ibi agitur de cæleſti Hieruſalem & vita futura: & iam dixerat in c. 2. *Ciuitas illa non eget ſole neque lunâ.* Igitur menſes iſti diſtinguuntur, non ratione diuerſarum coniunctionum huius ſolis materialis cum Luna, ſed propter coniunctionem alterius generis ſeu ordinis lunæ myſticæ cum myſtico ſole. His præſuppoſitis,

Dico: Sicut cælum, ſol, luna, ſtellæ, menſes, dies myſticè accipiuntur, poſſunt etiam dari anni myſtici menſurabiles, non ad motum huius ſolis conſpicui oculis, ſed ad motum alterius ſolis myſtici, nempe illius qui viſitur ambulans inter ſeptem candelabra aurea, id eſt in medio Eccleſiæ, & qui eam circumueſtiat & illuminat: vnde dicitur tota amicta ſole: & optime vocatur ciuitas ſolis Iſ. c. 19. *In die illa*, inquit, *erunt quinque ciuitates in terra Ægypti loquentes linguâ Chanaan, & iurantes per Dominum exercituum. Ciuitas ſolis vocabitur vna.* Ac ſi diceret in tota gentilitate, in qua diſſeminabitur, Euangelium, quinque genera ſectarum futura, quæ cunctæ fatebuntur vnum eſſe Deum. At in vna earum,

ſola & vnica, vera & perfecta Dei cognitio repe-
rietur, quo vocabitur Ciuitas ſolis. Et vt verum
dicam, ſi quis attentè perſpexerit ſtatum gentilita-
tis poſt Euangelij promulgationem & Eccleſiæ fun-
dationem, quinque genera ſectarum videbimus, in
quibus Deus notus eſt, inter quas ſola Eccleſia Ca-
tholica, Apoſtolica, Romana, gaudere poteſt vera
Dei cognitione. Hæ autem ſunt Iudæorum ſecta,
Mahumætanorum. Hæreticorum, ſchiſmaticorum,
& vera Chriſti Eccleſia, cunctæ fatentur vnum eſſe
Deum, ſicque iurant per Dominum exercituum:
cunctæ loquuntur linguâ Chanaan, id eſt gentilita-
tis. Ex ſylua enim allegoriarum, Chanaan idem eſt
ac gentilis. Geneſ. 12. *Chananæus autem tunc erat in
terra*, id eſt gentilis; & Prouerb. 31. qui ad Eccle-
ſiam à gentilitate venit Chananæus vocatur. *Cingu-
lum tradidit Chananæo*, Id eſt gentili nouiter conuer-
ſo ad fidem, cui Eccleſia cingulum tradit militiæ
Chriſtianæ. Chanaan autem, vthoc obiter annotem,
ſignificat mercator, ſiue contritus, aut benè reſpon-
dens, aut rectè affligens, aut ex S. Hieron. *commo-
tus ſiue fluctuans*: quibus nominis ſtatus gentilitatis
graphicè deſcribitur. Homines enim ſunt ſuper vn-
das vitæ mutabilis fluctuantes. Si quis ex eis ad fi-
dem conuertitur, oportet quod ſit contritus: neceſ-
ſe eſt vt bene reſpondeat vocationi diuinæ; vt rectè
ſe affligat per opera pœnitentiæ; vt optimus ſit
mercator, qui per bona opera cœlum emat. Sed
ad propoſitum redeamus. Omnes iſtæ ciuitates lo-
quuntur linguâ Chanaan, id eſt gentilitatis, quæ
omnes populos & nationes complectitur: non enim
nunc Iudæum populum ab aliis ſeparatum cõſtituit,
cum ſit per cunctas nationes diſperſus: at vnica eſt
ciuitas ſolis, nempe ſancta Eccleſia, propter quam
ſol myſticus exultat vt gigas ad currendam viam, à
ſummo cœlo egreſſus.

Dico ſecundo, annum illius ſolis myſtici eſſe ro-
tum illud tempus, quod diuina prouidentia neceſ-
ſarium indicat impendi ad manifeſtandam diuinam
miſericordiam & iuſtitiam, vt in hominibus glorifi-
cetur. In hoc ſenſu S. Gregor. l. 4. moral. c. 11.
hunc locum exponens (*Non computatur in diebus anni,
nec numeretur in menſibus*) ait: *Annum prædicationem
ſuperna gratiæ non inconuenienter accipimus: quia ſicut
in anno congeſtis diebus tempus perficitur, ita & in ſuper-
na gratia, Virtutum multiplex vita completur.* Ita S. Gre-
gor. Quod quidem tempus plures annos ſolares,
iſtius nempe ſolis viſibilis, plærumque complectitur,
ita vt ille annus centum & plures annos complec-
ti valeat, antequam ſol ille myſticus curſum ſuum
perfecerit. Quod cum verum ſit, hinc naſcitur diffi-
cultas ſciendi quot anni inſumendi ſint ex annis ſo-
laribus, vt mille anni regni viſibilis Chriſti in terris
compleantur, cum totum hoc opus ſit conſilij diui-
ni, & à diuina pendeat voluntate.

Dico tertiò, totum illud tempus, quod à diuina
prouidentia inſumitur ad manifeſtandam miſeri-
cordiam & iuſtitiam ſuam, per annum in ſcripturis
deſignari. Hoc patet ex Iſac. 63. S. Hieron. inter-
prete qui hunc locum ponderans (*Dies enim Vltionis
in corde meo: annus redemptionis meæ venit*) ait: *De
quo & ſupra legimus: in bonam partem prædicate
annum Domini acceptum, & diem retributionis Deo
noſtro: & nunc tam in malam quàm in bonam: in
malum: dies enim Vltionis in corde meo; in bonam:
Annus redemptionis meæ venit: vt eo tem-
pore quo puniuntur aduerſarij, Dei populus liberetur,
imo redimatur pretioſo ſanguine agni, qui in Ioannis
Apocalypſi dicitur trucidatus*, &c. Ita Hier. Ex ope-
ribus quippe tum miſericordiæ, tum iuſtitiæ, ab
hominibus laudari vult, vt pote qui omnia ad ſui
nominis laudem & gloriam condiderit. Quod ſatis
A indicat Iſaias eodem c. 63. dum ait: *Miſerationum
Domini recordabor, laudem Domini ſuper omnibus quæ
reddidit nobis Dominus, & ſuper multitudinem bonorum
Domini Iſraël: largitus eſt eis ſecundum indulgentiam
ſuam, & ſecundum multitudinem miſerationum ſuarum.*
Ita Iſ. Mentem Prophetæ ſeptuaginta explicue-
runt, dum ita hunc locum exponunt; *Miſericordiæ
Domini recordatus ſum, Virtutes Domini recordabor, in
omnibus quæ reddidit nobis Dominus Iudeæ, bonus do-
mui Iſraël, quæ largitus eſt eis ſecundum miſericordiam
ſuam & ſecundum multitudinem inſtitiæ ſuæ.* Ita ſep-
tuag. Annum autem tribuit miſericordiæ, quia ſiue
Deus flagellis homines erudiat, ſiue eis dona con-
ferat, hoc totum fit vt eos à peccatis redimat: diem
B autem tantum tribuit iuſtitiæ, vt ſciamus Deum
non delectari pœnis ac ſuppliciis, quibus flagitia
hominum cogitur punire, ſed ægrè ad hoc eum in-
duci & inuitum prouocari.

Dico quarto: Sicut ſol typus eſt Chriſti, ita lu-
na typus eſt Eccleſiæ. Auctorem habeo ſanctum
Ambroſium, dum ait: *Ergo annunciauit luna myſte-
rium Chriſti; non mediocris, in qua ſignum poſuit ſuum;
non mediocris, quæ typum dilectæ habet Eccleſiæ: quod
ſignificat Propheta dicens: Orietur in diebus iuſtitia, &
abundantia pacis, donec extollatur luna; & in canticis
Dominus de ſua ſponſa ait: Quoniam eſt hæc perſpiciens tan-
quam dilucidum, ſpecioſa ſicut luna, electa vt ſol. Et me-
rito ſpecioſa ſicut luna Eccleſia, quæ toto mundo refulſit,*
C *& tenebras ſeculi huius illuminans dicit: Nox præceſſit,
dies autem appropinquauit. Pulchrè ait, proſpiciens, qua-
ſi ſuos de ſuperiore proſperitans, ſicut habes: Dominus de
cælo proſpexit ſuper filios hominum, &c.* Ita Amb. Ex
hoc autem concinnè & congruenter luna dicitur
typus Eccleſiæ, quod ſicut Eccleſia conſtat ex ho-
minibus nunquam in eodem ſtatu permanentibus,
luna patiens diuerſos luminis defectus, huius mu-
tationis & viciſſitudinis aptiſſimum eſt ſymbolum.
Vnde S. Ambroſius addit. *Proſpiciens ergo Eccleſia ſi-
cut Luna, defectus habes & ortus frequentes: ſed defe-
ctus ſuis creuit & his meruit ampliari, dum perſecutioni-
bus minuitur & martyrijs coronatur. Hæc eſt vera Luna,
quæ de fratris ſui luce perpetua, lumen ſibi immortalita-*
D *tis & gratiæ mutuatur. Fulget enim Eccleſia, non ſuo,
ſed Chriſti lumine, & ſplendorem ſibi accerit de ſole iuſti-
tiæ, vt dicat. Viuo autem, iam non ego: Viuit autem in
me Chriſtus. Beata planè, quæ tantum inſigne meruiſti,
vnde te non tuis ncomenis, ſed typo Eccleſiæ beatam di-
xerim. In illis enim ſeruis, in hoc diligeris.* Ita Ambroſ.

At non ſolum typus eſt Eccleſiæ, in quantum ra-
tione perſecutionum & afflictionum, ortus & occa-
ſus ſeu defectus habet frequentes, ſed etiam quia
poteſt per eoſdem defectus repræſentare fideles, in
quantum lumine diuino & diuina gratia priuari poſ-
ſunt, vel Deo lumen gratiæ ab eis iuſtè ſubtrahente,
quia ab eo diſcedunt, & ab eo elongantur, etiam
per interpoſitionem terrenarum affectionum: ſicut
E Luna hos defectus patitur, ſiue cum ſuperior illius
pars non illuminatur, ex oppoſitione ad ſolem, ſiue
propter interpoſitionem terræ inter ſolem & lu-
nam, quando hunt Eclypſes lunares; cum hac ta-
men diſtinctione, quod hi defectus in Luna minimè
ſint culpabiles, fidelibus autem in crimen vertantur:
quia voluntariè à Deo diſcedunt, à quo mens illo-
rum ſuperior deberet fulgere diuinis fulgoribus, ac
lumine, non exterioribus oculis conſpicuo, quo
fulget Luna dum ſoli opponitur, ſed cæleſti ac ſu-
pernaturali, oculis carnalibus minimè conſpicuo,
ad inſtar luminis quo fulget luna in ſuperiori par-
te dum ſibi coniungitur. Hinc optimè S. Ambroſ.
hos defectus hominum culpabiles ponderans ait.
lib. 4. c. 8. Hexaemeron. *Nam ſi Luna conſtat ex occa-
ſus, quæ ſe ſemper reparat ac reformat, multò magis con-*

zed by Google

triſtare te debet, ſi anima perfecta, virtutis impleta cum
fueris, poſtea per inconſtantiam mentis atque incuriam, à
ſuo deflexa propoſito ſtudia ſua ſæpe commutet, quod eſt
inſipientia & inſciſia. Aliud eſt enim fungi miniſterio, aliud
eſt circumferri ingenio, & ſenſus infirmitate fixam non
habere ſententiam. Luna propter te laborat, & propter
voluntatem Dei ſubdita eſt vanitati. Creatura enim ſubie-
cta eſt non ſponte, ſed propter eum qui ſubiecit in ſpe. Il-
la ergo non ſponte mutatur, tu ſponte mutaris. Illa con-
gemiſcit & comparituri in ſua mutatione, tu non intelli-
gis & gratularis frequenter. Illa tuam redemptionem ex-
pectat, vt à communi totius creaturæ ſeruitio liberetur,
in te tuæ redemptioni & illius libertati affers impedi-
mentum. Tua ergo non ſuæ ſtultitiæ eſt, quod dum tu ex-
pectaris & nec ſero converteris, adhuc & illa mutatur.
Ita Amb. Et optimè: nam dum in peccatis ſumus, nobis eſſet vtile vt luna mutari in melius, & redintegrari per pœnitentiam, ſicut illa deperdito lumine illud recuperat.

Dico quintò: Sicut à ſolis motu periodico annus deſcribitur, ita menſes à lunæ motu: itaut menſem appellemus totum illud temporis ſpatium, quod intercedit inter duo nouilunia proximiora, cum videlicet luna à ſole, continuo motu proprium curſum peragente recedens, curſu completo, ad eumdem regreditur, ſicque lunæ receſſu à ſole & ad ſolem acceſſu menſis abſoluitur, & dum ſol annuatim tantum duodecim ſigna zodiaci percurrit, luna duodecies in anno eadem ſigna tranſcurrit: Ita tamen vt non ſæpe ſub eodem ſigno ſub quo à ſole receſſerat, ad eum recurrat in proximiori cum ſole coniunctione: aliquando etiam & cum recedit, & cum accedit, hoc ſub vno & eodem perficit ſigno. Miræ illæ lunæ cum ſole coniunctiones & à ſole diſiunctiones, in rerum naturalium ordine. At mirabiliores Chriſti coniunctiones cum Eccleſia, aut Chriſti ab Eccleſia diſiunctiones: quibus fit vt ſicut multi ac varij ſunt effectus ex influentia aſtrorum in inferiora, propter illam diuerſitatem motuum, ita miri ac varij ſunt effectus Chriſti & Eccleſiæ in fideles Chriſtianos. Modò enim ſentiunt quantùm ipſe ſit miſericors; modò experiuntur quantâ ſeueritate vtatur erga peccatores. Varietatem talium effectuum ſupernaturalium, per comparationem ad ſolem & lunam, agnouerunt tum S. Hieronymus, tum S. Ambroſ. Hieron. in 4. Amos dum ait: *Et quomodo ſol iſte quem cernimus annuum curſum, donec ad priſtinam metam redeat, duodecim explet menſibus, qui ſingulis tricenis voluuntur diebus; & luna, &c. & ſolis illuſtratur radiis ab ea parte qua ei vicina eſt, vel plus vel minus pro varietate temporum lumen accipiens, ſic & Eccleſia veri ſolis ſplendore decorata implet Apoſtolorum numerum.* S. autem Ambroſius dum ait: *Minuitur luna vt elementa repleat: hoc eſt verè grande myſterium: donauit hoc ei, qui omnibus donauit gratiam: exinaniuit eam vt repleat, etiam qui ſe exinaniuit vt omnes repleret. Exinaniuit enim vt deſcenderet nobis: deſcendit nobis, vt aſcenderet omnibus. Aſcendit, inquit, ſuper omnes cœlos, vt impleret omnia: itaque qui exinanitus aduenerat, de plenitudine ſua Apoſtolos adimpleuit.* Ita Ambroſ. l. 4. Hexaem. c. 8. Igitur ſicut luna per receſſum à ſole minuitur in claritate, ita Eccleſia aliquando minuitur per afflictiones & perſecutiones, ſed vt fideles gratiâ repleantur. Et reuera ſicut ſol rerum ſublunarium Pater cognoſcitur, vt pote qui calori præ ſit, ſi cum lunâ in corpora humida dominante, & ſuo motu promptiſſimo materiam plures formas appetentem ſibi ſubdente, coniungatur, diuerſos producit effectus in corpora ſubiacentia: ita ſol myſticus qui ignem venit mittere in terram, iuxta modum quo Eccleſiæ coniungitur, diuerſos producit effectus: quæ diuerſitas non à Deo prouenit, cum ipſe ſit inuariabilis, immutabilis, ſed ex indigentia & conditione creaturæ, quæ totam diuinæ bonitatis, & perfectionis communicationem, iuxta quoſlibet modos exhaurire non poteſt, & in qua certæ quædam, ac determinatæ diſpoſitiones requiruntur, vt diuina in ſinu ſuo dona quandoque ſuſcipiat: ſicque Deus naturæ variabili & mutationi obnoxiæ potentiam ſuam ſapienter accommodans, non in eodem inſtanti quo poſſet, quæ vult in creatura adimplet, ſed pedentim & ſucceſſiuè; non eodem ſemper modo erga eam ſe habet, ſed diuerſimodè; vel in eam dona influit, vel eadem ab illa ſubtrahit, modò effectus benignitatis copiosè effundit, modò ſtillat ſigna iracundiæ; modò rore gratiarum terram ſ. fideles perfundit, modò omnes fluctus iratum ſuper capita eorum induxit: ſicque Eccleſiam ſuam nunquam deſerens, ſed eam cum ſumma prouidentia gubernans, multiplici & diuerſo genere effectuum, quaſi quoſdam menſes deſignat: in quibus vel miſericordia eius eniteat, vel iuſtitia illius appareat manifeſtè: ſicque anni redemptionis curſum integrum abſoluit, dum per tales diuerſos effectus totum opus prouidentiæ ſuæ mirabiliter perficit.

Dico ſexto, quod ſicut Deus fecit duo luminaria in firmamento cœli, & voluit vt diuiderent diem & noctem, & eſſent *in ſigna, & tempora, & dies & annos*, Geneſ. 1. quod exponens S. Auguſt. de Geneſ. ad literam l. vno c. 13. *Videtur*, inquit, *mihi hoc quod dixit, in ſignis, planum feciſſe illud quod dixit, in temporibus: ne aliud acciperentur ſigna, & aliud tempora. Hæc enim nunc dixit tempora, quæ internalloram diſtinctione æternitatem incommutabilem ſupra ſe manere ſignificant, vt ſignum, id eſt, quaſi veſtigium æternitatis tempus appareat. Item cum adiungit: Et in diebus & in annis, oſtendis quæ dixerit tempora: vt dies fiant conuerſione fixorum ſiderum: anni vero manifeſti, cum ſol ſigniferum circulum peragit, obſcurioris autem, cum id vnum quodque vagorum ſiderum in ſuis orbibus facit: non enim dixit, & menſibus: quia fortaſſis menſis eſt annus lunæ, ſicut duodecim lunæ anni, annus eſt eius ſideris, quod περιοδον græci vocant: & 30. ſolis anni, annus eſt eius ſideris quod ἐνιαυτὸν dicitur: & forſaſſe ita cum omnia ſidera ad idem redierint, annus magnus peragitur, de quo multi multa dixerunt; an in ſignis dixit, quibus certum iter ſignificatur nauigandi; in temporibus autem, velut eſt vernum tempus, æſtas & autumnus & hyems, quia & iſta circumactu ſiderum variantur, ſuaſque vices atque ordinem ſeruant. In diebus autem & in annis, ſicut expoſitum iam eſt, accipiendum.* Ita Aug.

Sicut igitur ſol & luna ſunt in ſigna, non prognoſtica aſtrologiæ iudiciariæ, ait Cornelius à Lapide, *quam condemnat ſcriptura, ſed pluuia, ſerenitatis, gelu, ventorum, ſerendi, plantandi, metendi, nauigandi, vindemiandi, dierum, menſium, annorum, ita hic eſt hendyadis, in ſigna & tempora, id eſt, in ſigna temporum, dierum, annorum; tempora, id eſt ver, æſtatem, hyemem, autumnum, ſicut calida, humida procelloſa, ſalubria, morbida; & dies & annos ſint indices dierum omnium, naturalium, artificialium, feſtorum, criticorum, forenſium, nundinarum, annorum quoque lunarium, ſolarium, magnorum criticorum, de quibus Cenſorinus & Macrobius.* Ita Cornel.

Ita dico Chriſti & Eccleſiæ coniunctiones, motus & circuitus & anfractus ſigna eſſe ſpiritalium quorumdam annorum, temporum, menſium, dierum, horarum, in quibus Deus modò pluuiam ſegregat hæreditati ſuæ ad perficiendam, modò benigno recreat lumine, modò premit afflictione, impellit inſpiratione, modò ad diuini verbi ſeminationem inuitat, modò ad acquirendas & radicandas virtutes animat, modò ad perquirendos fructus verbi ſeminati, coſque metendos inducit, modò ad vi-

Digitized by Google

demiandos pœnitentiæ fructus monet, modò ad A fortiter exantlanda quæuis pericula & ſuperandas mundi huius procellas confortat.

Hos autem ſpiritales annos, menſes, dies ac tempeſtates, ſeu tempora ſpiritalia cognouerant ſancti Patres. Vis annos ſpiritales? in memoriam reuoca quæ antea ex S. Gregorio l. 4. moral. c. 11. attulimus. Hunc annum ſpiritalem agnouit etiam Origenes, dum ponderans hunc locum Leuit. 25. (*Qui vendiderit domum intra vrbis muros, habebit licentiam redimendi donec vnus impleatur annus: ſi non redemerit, & anni circulus fuerit euolutus, emptor poſſidebit eum & poſteri eius in perpetuum, & redimi non poterit etiam in iubileo.*) *Quæ eſt ergo iſta domus*, inquit Origenes Hom. 15. in Leuiticum, *& quale ædificium Paulus exponit apertius, cum dicit: Domum habemus non manufactam in cælis æternam. Hæc eſt ergo domus quam ædificare nemo poteſt, niſi timeat Deum. Hæc eſt domus quam extruere vel habitare nemo poteſt, niſi in ſimplicitate mentis, & puritate cordis. Sed quoniam accidere ſolet, vt etiam qui bene ædificauerit domum ſibi cæleſtem, & bene viuendo ac recte credendo conſtruxerit, incurrat alicuius peccati debitum, & hanc crudeliſſimo fœneratori venundare cogatur, ac labores ſuos transfundere in alium, pietas & clementia legiſlatoris ſuccurrit, vt intra certum tempus redimi poſſit. Si tamen inuenerit, inquit, manus tua pretium quod reſtituas. Quale pretium? pœnitentiæ ſine dubio, lacrymis congregatum & manibus, id eſt labore boni operis inuentum. Annus autem iſte intelligi poteſt, quem venit vocare Dominus, annum acceptum, quo dimittit confractos in remiſſionem, & ſalutem delicta ſua confitentibus præbeat.* Ita Origenes. Sapientes erimus, ſi hunc annum elabi non ſinamus, ne æterna fraudemur hæreditate, poſtquam ſemel in peccatum incidimus. *Vides*, inquit Origenes in fine homiliæ ſupradictæ, *quia potes ſupra fundamentum Chriſti ædificare ligna, fœnum, ſtipulam, hoc eſt opera peccati: quæ qui ædificat, ſine dubio vendidit domum ſuam emptori peſſimo diabolo, à quo vnuſquiſque peccator peccati præmium conſequitur, ſatisfactionem deſiderij ſui. Hoc ſi forte incurrerit aliquis, quod abſit, citò reparet dum tempus eſt reparandi, dum pœnitentiæ locus eſt, deprecantes in commune, ne æternæ domus habitatione fraudetur, ſed digni habeamur recipi in æterna tabernacula per Chriſtum Dominum noſtrum, cui eſt gloria in ſecula ſeculorum. amen.* Ita Orig. Qui ponderans quod domus leuitarũ ſemper poterãt redimi, ait. *Perfectio in intellectu & opere, in fide & actibus, Sacerdos & Leuita accipiendus eſt. Huic itaque perfectæ menti, ſi acciderit aliquando domum quam habet non manufactam, æternam in cælis, vendere & in manus alterius dare, ſicut contigit aliquando magno Patriarchæ Dauid, cum de tecto ſuo Vriæ Hetbei aſpexit vxorem, ſtatim eam redimit, ſtatim reparat: ſtatim enim dicit, peccaui.* Et paulò poſt: *Veluti ſi diceres: charitas quæ perfecta eſt, omnia patitur, omnia ſuperat, omnia tolerat. Charitas nunquam cadit. Sic ergo & poſſeſſio ac domus ſanctorum nunquam cadit, nunquam aufertur, nunquam ab eorum iure ſeparatur.* Ita Orig.

Tempora etiam myſtica agnoſcunt ſancti Patres. Lege S. Greg. l. 12. moral. c. 2. vbi docet morem eſſe ſcripturarum ſacrarum in exordiis narrationum exprimere loca aut ſitus corporum, aut aëris ſeu temporum qualitates, vt ſic valeas conjicere quid de ventura actione ſubjiciant: ita S. Ioannes temporis hyemalis meminit, dum incredulitatem Iudæorum ſuggillare intendit. *Idcirco*, inquit, *hyemis curauit tempus exprimere, vt ineſſe auditorum cordibus malitia frigus indicaret. Hinc eſt quod de negatione Petri præmittitur, quia frigus erat, & ſtans ad prunas calefaciebat ſe. Iam namque intus à Charitatis calore torpuerat, & ad amorem præſentis vitæ, & quaſi ad perſecutorum prunas, infirmitate æſtuante recalebat.* Ita S. Greg. Ver & ætatem myſticè accipit S. Auguſtinus in Pſ. 73. *Æſtatem & ver tu feciſti ea: Feruentes ſpiritu æſtas eſt. Tu, inquam, feciſti ſpiritu feruentes. Tu feciſti & nouellos in fide. Verum eſt: æſtatem & ver tu feciſti ea: non glorientur quaſi non acceperint, tu feciſti ea.* Ita S. Aug. Ad autumnum ſpiritalem reſpicere videtur Micheas c. 7. cum ait: *Væ mihi, quia factus ſum ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ: non eſt botrus ad comedendum, præcoquas ficus deſiderauit anima mea. Periit fructus de terra, & rectus in hominibus non eſt*, &c. Sic enim autumnus repræſentat tempus colligendi fructus maturos, quos dũ non inuenit Propheta, ſe ſimilem eſſe ait ei qui tempore autumni in vinea ſua non inueniret copioſos fructus quos ſperabat. *Prædicta*, inquit S. Hieron. *captiuitate & decem tribuum, & duarum, plangit Propheta quod nullus è populo iuſtus inueniatur in terra, qui poſſit ire Dei reſiſtere, & medium ſe quaſi murum opponere. Fruſtra, inquit, locutus ſum: fruſtra volui iam vindemiatæ & perditæ ciuitatis quaſi extremos racemos requirere: & cum non ſit botrus ad comedendum, ſaltem immaturas ficus in cibo ſumere. Quaſi dicat: Non inuenies panem præ famis magnitudine, quiſquilias & furfures requiſiui. Periit ſanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt*, &c. Ita Hieron. Eſt igitur autumnus ſymbolum temporis colligendi ſpiritales fructus laborum & prædicationum, ſeu monitionum ſeruorum Dei. B

His igitur ſcripturæ & Patrum veſtigiis inſiſtentes, non mirum ſi annos, tempora, menſes, & horas, in Apocalypſi myſticos reponamus; præſertim cum hic liber ferè totus ſit myſticus; in annis totum tempus quod inſumitur à diuina prouidentia ad manifeſtationem diuinæ miſericordiæ & iuſtitiæ ſignificantes; in temporibus, ſtatus quoſdam animarum in gratia, aut in peccato longiuſculè commorãtium; in menſibus, diuerſitatem effectuum tum miſericordiæ tum iuſtitiæ; in diebus, gratiæ fulgorem & ſalutis conſequendæ ſpem refulgentem; in noctibus, eius abſentiam, & ſalutis conſequendæ deſperationem; in horis, occaſionem conuerſionis ſedulo arripiendam, ſeu opportunitatem auxilij diuini, cum gratia nobis offertur, ne eâ elapſâ propter incuriam & contemptum à nobis, aliâ vice ſubtrahatur. De qua hora in cap. 8. an. 4. §. 3. itaut vnus annus prædictus ſolis myſtici in medio ſeptem candelabrorum, id eſt Eccleſiæ militantis, deambulantis, plures annos ſolares huius ſolis viſibilis complectatur: ſicque oportet vt plures circulos & circuitus ſolis viſibilis perficiat, antequam abſoluatur integra & totalis prouidentiæ ordinatio circa manifeſtationem miſericordiæ diuinæ & iuſtitiæ, quæ à prima quadam gratia incipiens, ad hanc periodum perueniat, in qua Deus poſſit dicere: *Quid debui facere vineæ meæ, & non feci?* Sicque vel decem vel viginti, vel plures ſolares effluent, antequam hoc opus prouidentiæ ſupernaturalis perficiatur, iuxta diuinæ voluntatis determinationem, à cuius arbitrio hæc omnino dependent. Vnde fit vt in noſtra poteſtate non ſit dignoſcere *tempora, & momenta quæ pater poſuit in ſua poteſtate*, & difficillimum eſt conjicere quot annis mundus ſit in ſtatu in quo eſt duraturus; vel quandiu Regnum illud Chriſti viſibile, de quo dicitur: *Et regnabunt cum eo mille annis*, durabit: quia fortè in his annis myſticis, qui ad mille perueniunt, multo plures anni ſolares includuntur, antequam abſoluantur & compleantur: hoc nobis ignotum, niſi Deus reuelauerit, vel de iis iudicia aut ſigna edere voluerit. C D E

Quantum ad tempora, ver electorum erit fidei vigor, à qua viriditatem ſpes obtinet, folia optimæ conuerſationis per bonos mores prodeunt, flores etiam bonorum deſideriorum, quibus gratiæ Dei

cooperati

cooperari velint, procedunt. Æſtas eorum erit perfecta charitas, per quam Deo obſequium præſtant fidelissimum, eumque & ſacrificiis & orationibus colere ſatagunt, & zelo ſalutis animarum ardentiſſimo ad annuncianda Dei mirabilia mortalibus ſunt paratiſſimi. Autumnus electorum erunt fructus operum miſericordiæ, pacis, vnionis & concordiæ, & dilectionis proximi. Hyems eorum erit compaſſio erga mala animi ac corporis proximorum, fletus propter plurimorum damnationem. Patientia inuincibilis in aduerſis tolerandis, qua cunctas aduerſitates, tanquam cryſtallum etiam duriſſimas concoquunt, eaſque vt panis buccellas auidè propter Deum deglutiunt; nec non humilitas eorum & ſyncerita intentionis, ſub niue candida vitæ prioris, timentes etiam ſi eis videatur ſe omnia præſtitiſſe, quæ neceſſaria ſunt, vt Deo placeant, ne tandem à facie eius repellantur ex occulto quodam Dei iudicio, cuius iudicia abyſſus multa. *Nihil mihi conſcius ſum*, dicebat Apoſtolus, *ſed non in hoc iuſtificatus ſum*: qui & caſtigabat corpus ſuum, ne aliis prædicans ipſe reprobus euaderet.

Quantum ad reprobos, Deo contra illos irato, tempora eorum infructuoſa ſunt. In vere deperit fides, deficit ſpes, charitatem extinguit inſignis morum corruptio, qua omni ornatu ſpoliantur; nullum in eis boni deſiderij ſignum, quo ab eis vllus poſſit ſperari pœnitentiæ fructus. In æſtate ardor concupiſcentiarum & voluptatum immodicus; ſiccitas obdurationis in peccatis, animi ſolutio ad quodlibet bonum agendum, propter nimium caloris concupiſcentiæ peſſimum feruorem: vnde potius Dei iudicia irrident, quàm ex timore eorum à malis reſipiſcant. Autumnus erunt fructus pœnarum ac ſuppliciorum quos metunt (*Quæ enim ſeminauerit homo hæc & meſſet*) bella, fames, peſtes, quibus Deus eorum arrogantiam, auaritiam, & libidinem plectit. Hyems tandem eorum, erunt obſcuritas mentis per nebulas continuas, ignorantiæ rerum ad ſalutem conducentium; pruinæ, pluuiæ, grandines paſſionum rationem obnubilantium; niues hypocriſis & diſſimulationis, ſub qua occultantur aliquandiu plurima honeſtati, virtuti ac pietati contraria; tandem gelu, frigore adeo violento ita conſtringuntur per ſubtractionem auxiliorum Dei, vt in peccato ſuo tandem moriantur.

Quantum ad effectuum diuerſitatem, quibus menſes deſignari queant, hæc meditari licet, præſupponendo in quibuſdam effectibus diuinas virtutes aliquando dilucidius apparere, quamuis in cunctis Dei operibus permixtim reperiantur. Hoc præſuppoſito, dico primum menſem, per effectum in quo ſpecialius emineat Dei potentia, poſſe deſignari: talis eſt infuſio fidei. 2. in quo eluceat effectus bonitatis, qualis eſt zelus honoris diuini & ſalutis animarum. Tertius, in quo eluceat effectus iuſtitiæ, qualis eſt omnium rerum propter Deum contemptus & abdicatio, per Euangelicam paupertatem. Quartus, effectus ſapientiæ, qualis eſt vitæ præſentis contemptus propter Dei amorem, vt æternam conſequamur. Quintus effectus patientiæ, qualis videtur eſſe illa fiducia, qua fideles poſſunt orationibus & ſacrificiis ad Deum accedere, vt pro ſalute proximorum illum exorare queant. Sextus tandem, effectus longanimitatis, cum Deus ſpiritum prophetiæ dat ſeruis ſuis, vt comminationibus ſuppliciorum homines à malis auertant, vel cum eos per prædicationes ſeruorum monet, prouocat, vt ad ſe conuertantur. In his menſibus, id eſt per illos effectus, Deus videtur miſericordiam ſuam manifeſtare. Videamus nunc quibus effectibus iuſtitiam ſuam manifeſtat, quibus ſex alij menſes quodammodo diſtinguuntur, vt annus hic myſticus duodecim menſibus conſtare dicatur.

Pro primo menſe ſeueritatis diuinæ erit plaga famis. Pro 2. plaga belli. Pro tertio plaga peſtis. Pro quarto plaga ignorantiæ, ſeu cæcitatis mentis. Pro quinto plaga immodicarum & effrenatarum paſſionum appetitus tum concupiſcibilis tum iraſcibilis. Pro ſexto, plaga hæreſis, quibus ſeueritas diuina dignoſcitur. Impœnitentiam finalem inter plagas iſtas non reponimus, non quod plaga non ſit cæteris formidabilior, ſed quia amplius non pertinet ad illud tempus, quo durante ſtatuit Deus pœnitentiæ locum dare hominibus. Vnde in hoc capite dicitur, aduentante illa gratiarũ omnium actualium ſubtractione, quia *tempus non erit amplius*, Deo ſeuerè puniente hominum malitiam per hanc ſubtractionem, quia vocati toties, & toties admoniti & correcti, in peccatis ſuis nihilominus pemanſerunt obdurati.

Interim intra ſpatium horum menſium, in quibus Dei iuſtitiæ & ſeueritatis ſuæ effectus manifeſtare intendit, & peccatores ad ſe per flagella reducere ſatagit, quidnam, quæſo, Deus operatur in electis? Eos certè vel purgare vel probare & erudire per flagella, in quibus cum impiis ſæpius inuoluuntur intendit: & ſic dum famem immittit, ad abuſus abundantiæ bonorum temporalium puniendos, electi in tali penuria ſatietatem illam experiuntur, de qua Apoſtolus dicebat: *Scio & humiliari, ſcio & abundare, & in omnibus inſtitutus ſum & ſatiari & eſurire, & abundare & penuriam pati: omnia poſſum in eo qui me confortat.* Philipp. 4. Iſti operibus miſericordiæ vacant ſi facultas adſit; ſi bella permittat Deus ad puniendos abuſus donorum animi naturalium, animi tranquillitatem & pacem in eis ſeruant, itaut in exercitio pietatis ſedulò perſeuerent, omnem ſpem ſuam in Deo collocantes, & cum Dauid dicunt: *ſi exurgat aduerſum me prælium in hoc ego ſperabo*, &c. Si propter abuſus ſanitatis corporeæ, Deus peſtem immittat, in hoc relucet ſanctorum patientia, & animi demiſſio, vitam præſentem alacri animo amittentes, ſi hac plaga inuoluantur; aut eorum charitas ſplendet, dum libenter vitæ periculum ſubeunt, vt aliis poſſint ſuccurrere, non ſolum ſpiritualibus auxiliis, ſed etiam corporalibus, memores illius dicti S. Ioannes c. 3. *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Si propter faſtidium donorum ſpiritualium, & repulſam ac contemptum auxiliorum diuinorum, Deus permittit aliquando vt craſſa ignorantia inter fideles reperiatur, ingentem tantæ miſeriæ compaſſionem ingerit mentibus electorum, qua compulſi ad Deum exorandum gemitibus inenarrabilibus prouocantur, & cum ſuſpiriis ac lacrymis cum Hierem. Threno. c. 3. hanc deflent miſeriam dicentes: *Quomodo obtexit caligine in furore ſuo Dominus filiam Sion? Proiecit de cælo in terram inclytam Iſrael, & non eſt recordatus ſcabelli pedum ſuorum in die furoris ſui*; & aliorum mala tanquam ſua reputantes, cum eodem etiam dicunt: *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius: me minauit & adduxit in tenebras & non in lucem*; & ad ſacerdotium regale Chriſtianitatis pertinentes, dona & ſacrificia offerunt pro peccatis condolentes iis qui ignorant & errant, ſcientes quoniam & ipſi circumdati ſunt infirmitate. Quod ſi electis conuerſandum ſit cum his qui oderunt pacem, qui claritate priuati, & rationis iura paſſionibus poſtponentes, omnia agunt prout cupiditas impulerit, tunc electi pacifici remanebunt, dicti illius memores: *Nolite itaque amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis ne-*

ceſſaria eſt, vt voluntatem Dei facientes reportetis promiſſionem. Heb. 10. & illius etiam dicti ſaluatoris: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Et ſic licèt à malis perſequantur, conculcentur, à charitate Dei & proximi nunquam tamen auelli poterunt, in omnibus gratias agentes, repleti gaudio in omni tribulatione. Quod ſi non ſolum charitas deficiat, fides non vigeat, ſed morum corruptio omnes etiam inuaſerit, & hæreſes vndique pullulent & oriantur, mirum eſt quanto cum tremore electi Deo ſeruire ſatagunt, illius dicti Apoſtoli memores: *Itaque qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* 1. ad Corinth. 10. & ad Deum clamant: *Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui: Vide ergo*, vt aiebat Apoſtolus Rom. 11. *bonitatem & ſeueritatem Dei, in eos quidem qui ceciderunt ſeueritatem, in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate: alioquin & tu excideris.* In his duodecim effectibus bonitatis & ſeueritatis, aliqua ratione à ſe inuicem diſtinctis, completur annus myſticus, quaſi duodecim menſibus, quorum dies ſunt gratiæ ſplendor; nox, illius ſubtractio; hora, fidelis & præſens cooperatio gratiæ vel illius neglectus & repulſio.

Quænam autem iſta omnia operantur in reprobis non explicamus, quia propter illorum prauam mentis diſpoſitionem hæc omnia, quibus vel ad bonum allici, vel à peccatis dimoueri poſſunt, increduli, ingrati, temerarij, audaces, & iudiciorum Dei immemores reiciunt ac reſpuunt.

Totum autem hoc tempus neceſſarium eſt, vt Deus omnes effectus producat, qui producendi ſunt ad manifeſtandas diuinæ prouidentiæ dotes, & vt duodecies mens fidelis quaſi luna hunc curſum perficiat: ea enim antequam eueniant, de Deo credere par eſt, vt fides integra teneat, quod cum ſucceſſione temporum Deus manifeſtat, & Deo Optimo Maximo ſemper gratias agat, cum Propheta dicens: *Benedicam Dominum in omni tempore: ſemper laus eius in ore meo.* Sic decurrente ſole myſtico & ſuum annum perficiente, poterit eumdem curſum multoties peragere. Ex his omnibus videre licet, quomodo minimè recedentes à ratione patrum interpretandi ſcripturam, & annos, & menſes, & tempora, & dies & horas myſticas obſeruare licet in Apocalypſi, ſecundum quod Deus menſuret ſpatium illud temporis qnod inſumitur, dum ſol ille myſticus totum opus prouidentiæ adimplet. Nam ſicut Angeli ſuas actiones minime menſurant ad motum cælorum, ſed eas menſurant per alias actiones ſibi proprias & naturales, quo fit vt quælibet actio Angeli dicatur inſtans Angeli, tempus ab Angelo diſtinctum componens; Pari ratione tempus iſtud de quo agitur in hoc capite, menſurati non debet motu cælorum, ſed per actiones diſtinctas huius ſolis myſtici, ſuos varios effectus circa Eccleſiam docentis: & ſicut Angelus ſuammet actionem ita prolongare poteſt, vt toti ſpatio noſtri temporis reſpondeat, quo fit vt ad vnum inſtans Angelicum plures anni noſtri ſolares referantur; pari ratione ad hos annos, menſes & dies myſtice ſumptos, plures noſtri anni referri poſſunt, qui quidem elabuntur antequam onus ex his diebus aut menſibus, aut annis myſtici elabantur. Qua ratione, vt iam diximus, mille anni regni Chriſti in terris difficiliùs determinantur, & quando propriè, ſeu in quo puncto incipiant aut deſinant percipitur, quia in his myſtice ſumptis plures anni ſolares, includi poſſunt: & opera diuinæ gratiæ inſuper nobis ſunt abſconſa, viæ enim eius inueſtigabiles, & ſemitæ in aquis multis non cognoſcuntur.

A *Et audiui vocem de cælo iterum loquentem mecum, & dicentem: vade & accipe librum apertum de manu Angeli.*

Variæ auctorum expoſitiones.

ANNOTAT. XI.

AD maiorem huius textus explanationem, præter ea qua ſupra diximus, diuerſas quorumdam interpretum expoſitiones adducere libet: *Hæc vox*, inquit S. Thom. *eſt vox Angeli, qui Ioannem inſtruebat, vt librum acciperet de manu cuiuſdam Angeli,* B *quem prius videtat deſcendentem: & videbatur de cælo venire vox illa. Vnde audiuit de cælo: vel vox iſta eſt diuina admonitio, quæ loquitur de cælo, id eſt de celſitudine ſuæ bonitatis.* Ita D. Tho.

Accipe librum & deuora illum: Nihil myſterij in hoc verbo (deuora) ſe inuenire dicit Alcazar. *Mihi enim*, inquit, *idem eſt deuorare quod comedere & glutire: nam hoc proprie ſignificat verbum gracum καταπογεῖν*, Inuenerunt tamen in illo verbo myſterium alij, vt Ribera: *Deuoratio hæc*, inquit, *ſignificat omnia quæ in illo erant, in ventre memoriæ Apoſtoli reponenda, & ſeruanda eſſe. Beda 3. inſere tuis viſceribus, & deſcribe in latitudine cordis tui: Vult etiam vt intelligamus eum non ſigillatim omnia accepiſſe, ſed vniuerſa quaſi deuoraſſe,* C *donec poſtea ſingula cum dicturis videret.* Ita Ribera. Quæ expoſitio noſtram ſupra allatam illuſtrat. Addit Ribera: *Præterea vt ſciat auide excipiendas eſſe diuinas reuelationes, & in ventre internæ meditationis prius concoquendas quam in publicum proferantur: illa etiam quæ deuorantur, etſi noxia ſint, non continuo ſentiantur, donec concoctione vim ſuam exerant. Ita liber dulcis primò Apoſtolo fuit, poſtea quaſi concoctus, valdè amarus.* Ita Ribera.

Et faciet amaricari ventrem tuum: ſed in ore tuo erit dulce tanquam mel. Aduerte, inquit Alcazar, *quemadmodum os delectationem innuit cognitionis, quod intellectus ſit quaſi animæ oriſimiliter etiam per viſcera ſignificari ſolere affectus poſteriores, qui cognitionem conſequuntur:* D *Et in ſacris receptum eſt vt viſcera affectum commiſerationis ſignificent, &c. Et cum deuoraſſem eum: Id eſt*, inquit S. Thomas, *mente auide recondidiſſem, vel inquirendo ruminaſſem, vel operando compleſſem ad nutrimentum animæ; amaricatus, id eſt amara afflictione cruciatus; venter meus, id eſt ſenſualitas, quæ debilis eſt & infirma: quia dum verbum Dei conſideratur vel implendum in mortificatione carnis, vel denunciandum aliis, vnde quandoque timetur tribulatio, ſit in carne horror amarus. Item quando verbum impletur opere, licèt dulce ſit menti quantum ad rationem, amaritudinem tamen gignit in carne, propter grauitatem pœnitentiæ, quæ eſt in verborum impletione: quia ſpiritus quidem promptus eſt caro autem infirma.* j. S. Tho.

Dionyſ. Carthuſ. *Hoc quoque penſandum eſt, quod* E *cunctis deuotis verbum Dei in meditatione & auditione dulceſcit: ſed venter eorum, ac ſenſualitas amaricantur & affliguntur, dum ſecundum verba Dei operantur, & carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis, per abſtinentias, vigilias, diſciplinas, ſolitudines, lachrymas crucifigunt.* Ita Dionyſ. Propiùs tamen vt puto, verum ſenſum adeptus eſt: dum in hæc verba, *Faciet amaricari ventrem tuum*, ait, *id eſt memoriam tuam ſeu mentem, quæ animæ venter eſt, iuxta illud diuini eloquij: Fili accipe ſapientiam, quæ pulchra tibi erit cum in ventre tuo eam acceperis; & illud Ioannis. 7. Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. In reuelatione enim præfata cognouit Ioannes quanta paſſura eſſet Eccleſia: Idcirco ei compaſſus eſt, & amaritudine bona repletus, amaricata quoque eſt anima eius, quia tot Chriſtianos vidit in hæreſes & alia*

Digitized by Google

vitia ruituros. Ita Dion. Multò magis amaricati debuit, ſi in noſtra expoſitione vidit quam pauci ſint qui ſaluentur, & quàm multi ſint qui damnationem incurrant. Addit Dionyſ. in hæc verba, *Sed in ore tuo erit dulce ſicut mel, id eſt, in ipſa diuinorum reuelatione primò delectationem in intellectu habebis: veritatis namque conſideratio dulcis eſt ex ſua natura; nec delectationi, quæ eſt in conſiderando, opponitur triſtitia: delectabile eſt ergo animæ diuinitus illuſtrari, regi, doceri, ſed quia nonnunquam in tali reuelatione, ſeu conſideratione, monſtrantur dura & mala, idcirco in attendendo effectus qui conſequuntur, amaritudo ſeu dolor mox generatur.* Ita Dionyſ.

Andreas Cæſarienſis, qui voluit contenta in libro eſſe facta improborum, hunc ſenſum affert: *Cum*, inquit, *Euangeliſta vir magnæ ſanctitatis eſſet, improba facta per experientiam non guſtauerat: verum vbi librum, qui improborum & nequam hominum facta continebat, deuorauerat, edoctus eſt dulcedinem quam peccatum initio offert, poſt opus patratum, in amaritudinem, hoc eſt in pœnam & cruciatum verti.* Hoc And. Meliùs tamen, cum antea ait: *Suauis ſanè & iucunda futurorum cognitio: tibi attamen amarum reddet ventrem, hoc eſt cor tuum, hoc vnum enim ſpiritualium alimentorum capax eſt: ſauciaberis namque eorum commiſeratione, qui iuſto Dei iudicio, grauia diuinitusque illata flagella excipient;* Et in hæc verba (*Et erat in ore meo tanquam mel dulce*) *Dulcis apparebat liber in exordio, propter lata quæ tractabat, moleſtus autem & laborioſus ad finem, propter plagas quas interminabatur; quemadmodum peccatum quoque dulce eſt guſtus; & amarum ſortitur exitum nec coctu quoq; facile eſt. Cum autem ſancti ſint miſericordes, miſeriſque compati ſoleant, ſicuti cum gaudentibus gaudent, cum plorantibus & flentibus flent quoque & plorant.*

Primaſius: *Amaricari faciet ventrem tuum, id eſt, cum perceperis, oblectaberis diuini eloquij dulcedine, & ſpe ſalutis promiſſa, & diuinæ ſuauitate iuſtitiæ: ſed amaritudinem profectò ſenties, cum hoc & deuotis & indeuotis caperis prædicare. Audita enim prædicatione diuini iudicij, alij certè pœnitentiæ amaritudine in melius conuerſi mutantur, alij verò offenſi inſuper duruntur; & odia circa prædicatores acriter gerunt. Corripis, inquit, ſapientem & amabit te: coarguis inſipientem & adijciet odire te. Ex vtriſque autem prædicator amaritudinem ſumit, ſiue compaſſionis affectu, cum pœnitentibus communicans lacrymas; ſiue de illorum defectu amaritudinis capiens cruciatum. Hinc Apoſtolus dicit: Quia triſtitia eſt mihi magna; hanc nunc amaritudinem memorat. Quod ſi ex deuotis dulcedo, & ex indeuotis ſolis amaritudo tribuenda intelligitur, aptius æſtimo conuenire.* Ita Primaſius. Optimè & melius ad mentem noſtram Ribera, dum ait: *Cum acceperis, delectaberis diuina locutione, & tot tantarumque rerum futurarum cogitatione: ſed cum poſthæc cogitaueris iram Dei & ſupplicia maxima, & tot hominum damnationem, dolebis & amaritudine cruciaberis. Ita And. & Arethas. Ita ferè Tyconius, Hom. 8. Beda* A *& alij: conueniuntque cum expoſitione Hieron. in verba Ezechiel, c. 2. vbi eadem ſcripta ſunt.* Hæc Ribera.

Oportet te iterum prophetare gentibus, &c. Prophetauit, ait Ambroſius, *id eſt prædicauit per Euangelium ſuum, quod poſtea ſcripſit omnibus gentibus & linguis, & regibus multis, quia per omnes gentes diſperſum eſt, & in meditatione eius omnes terrarum populi regeſque multi proficiunt.* Prophetare idem etiam eſt S. Thomæ, quod prædicare iterum; *Prius enim ante relegationem prædicauerat, & ab exilio in quo hæc vidit & ſcripſit, liberandus erat, &c.* Et poſt pauca: *Beatus igitur Ioannes poſtquam rediit ab exilio, in Aſiam prædicauit multum: quia & Iudæis & gentilibus, tam regibus quàm ſubiectis; & hoc vel verbo, vel ſcripto. Cum enim rediit de Pathmos in Aſiam, inuenit Aſiam corruptam per hæreſes in multis: vnde inſtanter prædicauit, Euangelium* B *ſcripſit in quo errores deſtruxit, & in veritate inſtruxit.* Ita S. Tho.

Quidam apud Lud. ab Alcaz. ſibi perſuadent colligi ex hoc loco Ioannem adhuc eſſe ſuperſtitem, & vna cum Enocho & Elia, ſub Anti-Chriſti tempora ad prædicandum eſſe venturum; ſibi autem certum eſſe ait in hoc capite neutiquam agi de aduentu Ioannis, ſub Anti-Chriſti tempora, gentibus ac regibus prædicaturi. *Si enim*, inquit, *contextus cap. 10. referatur omnino ad Iudaici populi damnationem, & gentilis incrementum*, (vt exiſtimat ſe probauiſſe,) *quorſum hic ſermo de Ioanne ad mundi finem venturo?* Itaque cenſet legitimum ſenſum huius loci eſſe, ſcilicet Apocalypſim hactenus fuiſſe de Iudaico popu- C lo prophetiam; deinde ſequi prophetiam de populo gentilico, atque adeo de multis populis, gentibus, linguis, ac regibus. Sed cum hanc Alcazaris Apocalypſis acoluthiam non admittamus, horum verborum nempe (*Oportet te iterum Prophetare gentibus*) alium ſenſum eſſe exiſtimamus.

Diximus iamque quæ vſque huc dicta ſunt, ad populum Iudaicum minimè reſtringi, & ſanctum Ioannem deſcribere potiùs quibus donis Eccleſia Chriſtiana à principio vſque ad conſummationem, ſit ab eo cumulata & cumulanda, in ea thronum ſuum erigendo; & eam, throno ſemel erecto, poſtea illuminat, ſanctificat, perficit, probat, purgat, protegit, & in extremis laboribus & perſecutionibus ſuccurrit. Quo poſito,

D Dicimus in his verbis (*Oportet iterum prophetare gentibus*, &c.) Angelum monere ſanctum Ioannem, vt poſtquam deſcripſerit tanta Chriſti dona Eccleſiæ collata, nunc ſe accingat ad ea enucleanda, & populis ac regibus annuncianda, quibus Eccleſia demonſtrabit dilectioni ſponſi potentiſſimi velle ſe reciprocam impendere dilectionem, dum pro ſtabiliendo in tetris eius Regno multa prælia inibit, plures victorias obtentura eius freta auxilio; quas perſecutiones pro eius amore ſuſtinebit, quibuſnam piis exercitiis illum colere conabitur, vt ſuo quantum in ſe erit ſatisfaciat muneri.

DE SPECIALI DEI PROVIDENTIA ERGA Eccleſiam in extremo periculo conſtitutam, ac de fortitudine, ſanctitate, ſapientia, & eminente virtute electorum, in eiſdem periculis.

CAPVT XI.

MIHI igitur dictum fuit: *Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis & regibus multis*: Ac ſi diceretur: Satis non eſt quod vſque huc Eccleſiam per totam orbem diffuſam inſtruxeris de iis quæ de Chriſto Domino credenda & prædicanda ſunt, vt honor debitus ipſi ab omnibus reddatur: Satis non eſt quòd eius admirabiles operationes in fundatione, illuminatione, ſanctificatione & regimine eius explicueris: Satis non eſt quod diſſeruerís de iis quibus & Eccleſiam ſuam purgare ac probare, vt eius fides multo pretioſior auro appareat, ac perficere intendit; ſimulque enucleaueris quod multi in probatione deficient: Satis non eſt quod prophetaueris Deum tandem ſuo operi tempus certum ac determinatum deſignaſſe, quo adimpleto conſummatio myſterij diuinæ prædeſtinationis ac reprobationis aduenìat, in quo videbitur quoſnam tandem exitus habeat totius Eccleſiæ optima gubernatio, in ſaluatione paucorum electorum, quos oportet per multas tribulationes introire in regnum Dei: oportet nunc vt per te Eccleſia diſcat quænam euentura ſint in conſummatione tanti myſterij: In cuius rei cognitione optimè præſenties quanta fortitudine, ſapientia ac virtute Deus Eccleſiam ſuam muniuerit, & quænam auxilia illi præſtet, vt in extremis conſtitutâ, electos ſuos ab omni periculo damnationis eripiat: quibus cognitis nullus terrebitur, aut animum deſpondet, ob conflictus quos Eccleſia perpeſſura eſt ab initio vſq; ad finem. Oportebit enim ipſam manum conſerere cum perſecutoribus ſchiſmaticis, hæreticis, à carne & mundo oppugnari, & maximè multa pati à principibus & poteſtatibus huius ſæculi, & ab Anti-Chriſto potiſſimum; & nihilominus, omnia præſtare quæ ad cultum Dei promouendum, & Regnum Chriſti ſtabiliendum pertinent. Sed quamuis tot modis impugnanda ſit; ex victoria quam reportatura eſt in extremo periculo, quàm fœliciter ea omnia illi ſuccedere debeant clarum eſt perſpicere. Hæc omnia *oportet te iterum prophetare gentibus, &c.*

Et datus eſt mihi calamus ſimilis virgæ & dictum eſt mihi: ſurge & metire templum Dei & altare, & adorantes in eo: atrium autem quod eſt foris templum, ejice foras, & ne metiaris illud.

Quo audito *datum eſt mihi calamus ſimilis virgæ, & dictum eſt mihi: Surge & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo: atrium autem quod eſt foris templum ejice foras, & ne metiaris illud: quoniam datum eſt gentibus: & ciuitatem ſanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus.* Quaſi diceret: Sciendum tibi eſt quod Eccleſia ſancta Dei pedibus infidelium perfidorum ſit conculcanda. Spoliata enim externo ſuo ſplendore, publicus in ea Dei cultus amplius non apparebit. *Auferetur iuge ſacrificium, & ponetur abominatio in deſolationem. Nihilominus populus ſciens Deum ſuum obtinebit & faciet: Et docti in populo docebunt plurimos.* Quinam autem tales futuri ſint, qui docere poſſint & doceri, diſce ex his quæ iam tibi innotuerunt. Iam nouiſti deuorando librum quænam ſint vera & infallibilia ſigna electorum. Iam vidiſti ea ſigna veram exprimere Chriſti imaginem: eos enim dedit Deus *conformes fieri imaginis filij ſui.* Applica hanc cognitionem, tanquam regulam menſoriam; & quo propiùs aliquis acceſſerit ad hanc imaginem, eum exiſtima debitâ conſtantiâ ac in Deum fiduciâ præditum: vt in tempore tantæ oppreſſionis fidelis perſiſtat, & hanc habeat fiduciam de quâ Dominus aiebat: *In mundo preſſuram habebitis. Sed confidite, ego vici mundum. Metire igitur Templum & altare & adorantes in eo*, id eſt, omnes fideles; id eſt, vide quanta ſit eorum fides, ſpes, charitas, conſtantia, ac in Deum fiducia, qui per charitatem templum ſunt Spiritus ſancti, tam hi qui charitate habituali prædìti ſunt; quàm hi qui actu in Deum amore feruntur: eos autem qui ſunt ſpoliati charitate, & externis tantùm lineamentis membra ſunt Eccleſiæ, ſed moribus corrupti Deum à ſe & à mente ſuâ expulerunt, ne metiaris. Solâ tantum exteriori iunctura fidelibus charitate animatis coadunati ſunt. Igitur vt gratiâ Dei indigni, eiiciendi foras: nec tibi curæ ſit eos metiri, & examinare an Chriſto Crucifixo ſint conformes: ſatis enim apparet quod inimici ſunt Crucis Chriſti. Vnde quia gentium mores imitantur, ipſis gentibus eos annumerari equum eſt. Ab iis enim, ſicuti à gentibus, ciuitas ſancta calcabitur menſibus quadraginta duobus, per tres annos cum dimidio: quos explico per menſes, ob diuerſas ac frequentes rerum viciſſitudines, quibus tunc Eccleſia laborabit.

Quoniam datum eſt gentibus: & ciuitatem ſanctã calcabunt menſibus quadraginta duobus.

Sed in tantâ rerum perturbatione Eccleſiam meam non deſeram neque derelinquam: quin potius duos habebo teſtes, quibus dabo omnia quæ neceſſaria erunt ad hoſtes veritatis conuincendos, ad fideles in fide debiles confirmandos. *Et prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amictis ſaccis*; qui ad pœnitentiam peccatores prouocabunt veſtitu æquè ac ſermonibus, vt ſenſibiliter homines aduertant quo fine eos miſerim, nempe, vt pœnitentiam agant. Tempus autem prophetiæ ipſorum per dies explico, quia in tam tenebricoſo rerum ſtatu apud eos lux magna & continua erit, vt qui in tenebris exiſtunt lumen videant, ſi oculos apetire voluerint.

Et dabo duobus teſtibus meis: & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amictis ſaccis.

Hi ſunt duo oliuæ & duo candelabra in conſpectu Domini ſtantes: Nec enim mirum ſi ad pœnitentiam homines prouocent, cum corda habeant miſeriis ac imbecillitatibus hominum plurimum compatientia, nec lumen eorum poteſt deficere, quia bonis operibus ac pietate repleti, oleum habent, quo lumen

Hi ſunt duo oliuæ & duo candelabra, in conſpectu Domini ſtantes. Et ſi

Digitized by Google

indeficienter nutriant : nec à suo officio præpediri A mici eorum. O quantus in terrâ rumor, quantus
poterunt, fremat licet mundus. Nam *si quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum* : adeo erit eorum sermo efficax, vt vel conuertantur ad Deum omnimodè qui eos audierint, vel certè ad imperium eorum ignis descendet, vt cõsumat & auferat de terrâ contradictores : æquum enim est vt qui igne amoris diuini inflammari respuunt, nec tantam Dei charitatem erga se senserint, morte acriori & improuisâ subitò perimantur.

quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum. Et si quis voluerit eos ledere, sic oportet eum occidi.

At non minorem habent in cætera elementa potestatem. *Habent* siquidem *potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ eorum : Et potestatem habent super aquas, conuertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga quotiescumque voluerint.* Quæ B quidem reuera præstabunt, vt sciant homines quantâ torpeant stupiditate qui alium quàm Christum, quem prædicabunt (eius enim sunt testes) pro Saluatore ac Rege susceperunt. Et cum sufficiẽnter officium suum ac ministerium implecuerint, permittet Deus vt *bestia quæ ascendit de abysso*, de terra & mari, nempe Anti-Christus, qui ascendet & euchetur ad imperium, ex indurata cordis humani malitia, bellum cum eis habeat : quin etiam (mira hominum exœcatio) qui tot signis & portentis ad veritatis agnitionem adduci nequierunt passionibus suis ducti, odio, ira, indignatione, ac furore impulsi, quacũmque valuerint ratione illorum testimonium paruipendentes, argutiis validas eorum rationes in- C firmare attentabunt, veris signis ac miraculis, opponent Anti-Christi præstigia, & erroribus attendentes veritatis lumen non recipient : Et cum eo tempore potestas sit tenebrarum, vt homines credant mendacio, eos vincent ac morte afficient : vt qui Christi crucifixi in homines charitatem, tam efficaciter, tam luculenter inculcare voluerint, honore pro ipso patiendi minimè careant. Ea autem adimplebuntur in ea ciuitate quæ spiritualiter vocatur sodoma & Ægyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus est, nempe Hierosolymitanâ : quia non capit Prophetam perire extra Hierusalem. Ibi enim Anti-Christus sedebit, & à Iudæis tanquam Messias promissus recipietur : vnde necessarium fuit vt eam ciuitatem adirent, quo possent cum hoste congredi, & ei constanter & in facie resistere. D

Et cum finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso faciet aduersus eos bellum, & vincet illos & occidet eos. Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus est.

Sed Deo sic disponente, ipsis occisis corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis, quia nullus eorum, qui Anti-Christo adhærebunt, erit qui audeat erga eos aliquod pietatis signum exhibere. *Et videbunt de tribubus & populis, & linguis & gentibus, corpora eorum per tres dies & dimidium : & corpora eorum non sinent poni in monumentis*, adeo erunt homines irâ & odio inardescentes, vt velint ipsorum memoriam omnino extingui : Sed Deo ita permittente, fiet : vt quantò mors eorum certior apparebit, tantò eorum resurrectio non multò post futura glorioſior appareat, & timorem vehementiorem incutiant iis E qui viderint eos.

Et videbunt de tribubus & populis, & linguis & gentibus, corpora eorum per tres & dimidium : & corpora eorum non sinent poni in monumentis. Et inhabitãtes terram gaudebunt super illos, & incundabuntur & munera mittent inuicem : quoniam hi duo Prophetæ cruciauerunt eos qui habitabant super terram. Et post tres dies & dimidium spiritus vitæ à Deo intrauit in eos. Et steterunt super pedes suos : & timor magnus cecidit super eos qui viderunt eos.

Gaudebunt certè inhabitantes terram super illos, & more antiquorum Iudæorum, qui tempore Mardochei vlti sunt de inimicis suis : *mittent munera inuicem, quoniam hi duo Prophetæ cruciauerunt eos qui habitabant super terram. Sed gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Nam *post tres dies & dimidium*, nempe, circa horam meridianam, vt nullus quod viderit, denegare audeat, *Spiritus vitæ à Deo intrabit in eos, & stabunt super pedes suos.* Et timor magnus cadet super eos qui viderint eos, & cum eos omnes stupore attoniti resurrexisse viderint, ipsi audient vocem magnam de cœlo, eos ad præmia vocantem, & dicentem eis : Ascendite huc. Et ascendent in cœlum in nube, sicut olim Christus Dominus : & videbunt illos ini-

Et audierunt vocem magnam de cælo dicentem eis. Ascendite huc. Et ascenderũt in cælum in nube : & viderunt illos inimici eorum.

in omnibus tremor, cum terrâ ingenti motu concussâ in illa hora, decima pars ciuitatis corruet & septem hominum millia vno terræ hiatu absorbentur, quomodo reliqui non timerent ? Quomodo Deo cœli non darent gloriam, siue ad eum conuersi, siue à conatibus suis omnino desistentes ? Sic *timebunt qui ab occidente nomen Domini, & qui ab ortu solis gloriam eius, cum venerit quasi fluuius violentus quem spiritus Domini cogit ; & veniet Sion Redemptor, & eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob, dicit Dominus ?* Tunc adimplebitur mysterium hoc saluationis reliquiarum Israel, cum prostrato hoste, Christi potentiam & maiestatem præsentient. *Væ autem secundum abiit :* quia nulla post hoc tempus erit hæresis, nullus error, aut nulla, falsitas, quæ veritati opponatur ; vincet & prævalebit veritas in perpetuum ; & sola remanebit voluntatis obduratio in malum pro vltimo væ, quæ inferni pœnis plectenda veniet. *Væ secundum abiit & ecce væ tertium citò veniet.*

Et septimus Angelus tubâ cecinit : & factæ sunt voces magnæ in cælo dicentes : factum est regnum huius mundi Domini nostri, & Christi eius : & regnabunt in sæcula sæculorum Amen, &c. O stupenda humani cordis duritia ! Cum enim victoria fœliciter reportata, rumor tantæ victoriæ per vniuersum orbem percrebuerit, & Ecclesia ex tot angustiis erepta, Deo laudes & gratiarum actiones egerit, voce sonorâ vndique intonans : Iam consummata est omnis tentatio : iam innotuit quanta sit gratiæ Dei virtus, quæ nos ita fortes reddidit, vt tot tantaque mala tolerare potuerimus. Iam nullus erit qui regnare valeat in mundo : regnum mundi nunc regnum est non amplius Anti-Christi prævalentis, & se supra id omne quod dicitur Deus extollentis : sed regnum est veri Dei, summi Dei, & Christi eius : & regnabit in sæcula sæculorum Amen. Si enim in tot aduersis fideles inuenti sumus gratiâ adiuuante, multo magis regnabit super nos saluator mundi in sæcula sæculorum, cum ab obni perturbatione aut tentatione liberi erimus. Ita hæc obtinebunt omnes Ecclesiæ fideles. Sed & sancti & Ecclesiæ pastores qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, qui quamuis essent in ista persecutione tam atroci, coram mundanis hominibus, sua auctoritate ac dignitate spoliati, angustiati, afflicti, extorres & exules erant, nihilominus ante conspectum Dei ab eo positi vt eius regerent Ecclesiam, ceciderunt in facies suas & adorauerunt Deum dicentes : *Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es : quia accepisti virtutem tuam magnam, & regnasti. Potens es Domine & quis resistet tibi ?* O quantæ tibi debentur gratiæ, qui in manu forti & brachio extento nos è tanta afflictione eripuisti ? Gratias, ô Deus omnipotens, agimus tibi, qui tuam omnipotentiam manifestas, non solum in rerum creatione, non solum gratiâ tuâ decorando, qua & benè operari, & mereri, & tentationes superare potuimus, sed etiam inimicos nostros & gloriæ tuæ aduersarios fortiter debellando, qui nos protegis in aduersis contra impetus malorum, qui eras olim nostris infirmitatibus compatiens, qui nos tandem in gloriâ in corpore & animâ consummabis, qui Anti-Christianos è throno terrestri, & afflictas eius confudisti ; qui eras olim dæmones è paradiso dejiciens, qui in iudicio proximo futuro omnes gloriæ tuæ inimicos pones sub pedibus tuis.

Et septimus Angelus tubâ cecinit : & factæ sunt voces magnæ in cælo dicentes : Factum est regnum huius mundi Domini nostri, & Christi eius : & regnabit in sæcula sæculorum, Amen.

Et viginti quatuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, & adorauerunt Deum dicentes : Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es & qui eras, & qui venturus es : quia accepisti virtutem tuam magnam, & regnasti.

Ad has voces iratæ sunt gentes, nempe qui per totum orbem tunc erant reprobi ; vnde oportet vt aduenial ira tua ad eorum pertinaciam puniendam, *& tempus mortuorum, iudicare & reddere mercedem seruis tuis Prophetis & Sanctis, & timentibus no-*

Digitized by Google

Et irata sunt gentes : & aduenit ira tua, & tempus mortuorũ, iudicari & reddere mercedem seruis tuis prophetis, & sanctis, timentibus nomen tuum, pusillis & magnis ; & exterminandi eos qui corruperint terram. Et apertum est templum Dei in cælo, & visa est arca testamenti eius in templo eius : & facta sunt fulgura & voces, & terræ motus, & grando magna.

men tuum pusillis & magnis, & exterminandi eos qui corruperint terram. Et si cum septimus Angelus tubâ cecinerit, consummabitur mysterium Dei, cum indurata corda eorum qui conuerti noluerint post mortem Anti-Christi, licet mutire non audeant nec valeant contra Dei Ecclesiam, seueram à Deo exigent pœnam ; & constans electorum virtus reposita sibi coronas à Deo repetet. Sed interius apertum est templum Dei in Cœlo, quia publicus Dei cultus in Ecclesia adhuc vigebit, & integrum restituetur. *Et visa est arca testamenti eius in templo eius* ; quia adhuc ille qui aiebat : *ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi*, sub specie panis & vini publicè adorandus fidelibus in templis proponetur. Vt sicut olim deducta est arca in ciuitatem Dauid cum gaudio, & imposita in medio tabernaculi ; & sicut olim *postquam Salomon perfecit omne opus quod faciebat in domo Domini, intulerunt Sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, in oraculum templi, in Sanctum Sanctorum subtus alas Cherubin* ; ita postquam Dominus Iesus Christus perfecit omne opus suum, id est plenitudine gentium introducta, omnis Israël saluus fiet, sicut scriptum est : *Veniet ex Sion qui eripiat & auertat impietatem à Iacob : & hoc illis à me testamentum. Cum abstulero peccata eorum* ; & sic visa est arca testamenti in templo, id est, Iudæi videbuntur in sinu & gremio Ecclesiæ introducti, secundum testamentum & promissiones. O quàm stupenda tunc erit bonorum operum ac pietatis corruscatio ! Quæ & quantæ erunt voces Dei laudes celebrantes, & se ad Deum magnificandum inuicem prouocantes ? Quàm alia apparebit rerum facies, multis ad Deum per pœnitentiam conuersis, & Iudæis Christum adorantibus ! Quomodo mali & pertinaces velut grandine ferientur, cum maiestate & auctoritate Ecclesiæ planè restitutâ, non modo non resistere, sed aufugere cogentur in antris & cauernis, ac eius edicta & mandata consternati sustinere non valentes, dicent montibus : *Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni : quoniam venit dies magnus iræ ipsorum. Et quis poterit stare ?*

IN CAPVT XI. ANNOTATIONES.

Prologus in quo scopus huius Capitis vndecimi explicatur.

TRES potissimum inuenio huius rei sententias. Prima est eorum qui hæc omnia ad tempus Ecclesiæ primitiuæ referunt, & de Iudaici populi reprobatione, & ad gentes Euangelij transmigratione tractari autumant : inter quos Alcazar acerrimus est huius sententiæ assertor. Vnde Notatione septima Proœmiali, de argumento huius capitis agens, postquam pro Argumento decimi dixisset : *In ea persecutione effulgere capit diuini consilij arcanum, de diminutione Israëlis ad diuitias gentium, atque adeo ad magnam Ecclesiæ Christianæ felicitatem* ; Pro Argumento vndecimi capitis ait : *Et ipsis etiam prædestinati ex populo Iudæorum persecutio illa Iudaica mirificè profuit. Illuxit enim mirabilis doctrina & sanctitas seruorum Christi in media persecutione, procurantium salutem Iudæorum. Et licet paulisper visæ sunt prosterni & iacere, nihilominus surrexerunt victrices, & glorioſissimè de suis hostibus triumpharunt. Atque ex ipso rebellium Iudæorum numero, & ex ipsius perfida Hierosolymæ ciuibus, decimam partem Euangelio subiecerunt, Quemadmodum ab Isaia præditum erat c. 6. Reliqui verò Iudæi vltimâ tandem plagâ, id est horrenda obstinationis grandine percussi sunt omnes, vt sic tandem ad gentes fieret commigratio.* Ita Alcazar. Et in prologo huius capitis vndecimi ait : duas continere partes. *Primam*, inquit, *depingit quemadmodum Iudaici populi persecutione maximos Christiana Ecclesia fecerit in Dei gratia & vera pietate progressus, & glorioſum reportauerit triumphum. In secunda parte describitur septima plaga : nam quidquid in capite 10. & 11. antecedit, ad plagam attinere sextam iam diximus.* Ita Alcaz. qui primam huius capitis partem ad duo symbola reducit, quorum primus est calamus mensorius, alterum duo Christi testes, qui post prædicationem & passionem surrexerunt glorioſi. Sic enim symbolicè interpretatur illos duos testes, quos communior & receptior sententia Heliam & Enochum esse censet.

Alia sententia est Tichonij inter opera S. Augusti. Hom. 8. qui ad tempus præsens sanctum Ioannem respicere putat, siue dum ait : *Numerum nouissimæ persecutionis dixit & futuræ pacis, & totius temporis à Domini passione, quoniam vtrumque tempus totidem dies habet, quod suo loco dicetur* ; Et postea in hunc versiculum (*Hi habent potestatem*) &c. *Habent*, ait, *non habebunt : hoc ideo dicit, quia tempus quod nunc agitur significauit* ; & in alium versiculum (*Et cum finierint testimonium*) ait : *Aperte hæc omnia ostendit ante nouissimam persecutionem fieri, cum dicit : Cum finierint testimonium suum, vtique illud quod præbent vsque ad reuelationem Christi.*

Tertia sententia quam amplectimur, est vt primò & principaliter sanctus Ioannes respiciat ad tempus Anti-Christi. Quamuis possint eadem ad tempora decurrentia aliquando applicari. Sicut enim vnus est reuera Anti-Christus in extremis temporibus futurus, *& nunc*, inquit S. Ioannes, *Anti-Christi multi sunt : vnde scimus quia nouissima hora est* 1. c. 2. nomen veti Anti-Christi extendens ad eos qui veritatem impugnant, Christum negant ; pari ratione ea quæ tempore Anti-Christi euenient, ad similes propemodum euentus extendi possunt. In ea sunt sententia quotquot per duos Testes, Enochum & Eliam intelligunt, vt Primasius, Andr. Cæs. Dion. Carthus. Ribera. Hoc satis declarabit interpretatio huius capitis mox adducenda, quæ hic quæ dicta sunt vsque huc ità optimè connectitur, vt facile conjici possit germanum sensum huius capitis esse, si de iis, quæ euentura sunt in vltimis temporibus, caput istud exponamus. Postquam enim S. Ioannes docuit Deum tempus certum ac determinatum suo operi perficiendo designasse, quo adimpleto, consummatio mysterij diuinæ prædestinationis, ac reprobationis aduenîat, optimo ordine differit de fine & exitu totius operis regiminis Ecclesiæ, cui in extremis periculis agenti succurrit, specialem suam erga eam prouidentiam manifestans. Et hac ratione occurrimus difficultati quam adducit Alcaz. not. 1. in c. 10. & 21. Cur videlicet descriptio plagæ septimo ad v. 15. huius c. 11. distrahatur ; & an ea quæ in c. 10. & in hoc c. 11. vsque ad v. 15. in quo agitur de septima plaga, ad sextam plagam referenda sint : censet ille omnino referri, & 6. plagæ descriptionem ad cap. 10. & ad 11. vsque extendi : *Quod*, inquit, *illa persecutio triplici ratione concipi possit, respectu nempe Iudæorum ipsorum, qui Ecclesiam infestabantur, quorum respectu grauissima plaga est : quod c. 9. descriptum fuit. Secundò, respectu gentilium, quorum respectu fuit exordium maximæ felicitatis gentilium : quod cap. 10. tractatur ; & tandem respectu fidelium Iudæorum, qui adeo validè oppugnabantur, qui nihil detrimenti sed plurimum potius emolumenti ex ipsa persecutione perceperunt.* Talia docet Alcazar, qui cum ibidem doceat diuersos sensus in Apocalypsi cadere posse, atque etiam in eodem sensu per modum comparationis sub eadem litera diuersos sensus in Apocalypsi coniungi, nobis libertatem concedit ab eius sententia facilius

Digitized by Google

diſcedendi, vt communiori adhæreamus, quæ de vltimis mundi temporibus hoc agi exiſtimat, nec dirupto filo noſtræ interpretationis. Deſcriptâ ſiquidem ſextâ hæreſeos plagâ, quæ vltima eſt, Eccleſiæ probatio & impugnatio periculoſior ſatis conuenienter explicatur; Quem exitum tantum habeat totius Eccleſiæ gubernatio, nempe talem quod Eccleſia in extremis conſtituta, & clariora edat ſuæ virtutis argumenta, & Deus illi fortiora præbeat auxilia: quibus peractis optimo ordine ſeptima plaga deſcribitur, qua percuti eos dignum eſt qui tot auxilia diuina neglexerunt, quique de eminenti ſanctitate ac ſapientia Eccleſiæ nullum emolumentum percipere voluerunt. Sed hæc ex ſequenti annotatione certiora apparebunt.

Probatio tertiæ ſententiæ ſupra allatæ ſcopi huius capitis, nempe quod agitur in eo & in 20. Apocalypſis capite, de vltimis temporibus.

ANNOTAT. I.

MEMINISSE oportet nos pro octaua regula in proœmio poſuiſſe, in hac prophetia, in duobus capitibus de fine & conſummatione mundi mentionem fieri, itaut quæ Chriſtus Dominus parat auxilia Eccleſiæ in extremis laboranti, in hoc vndecimo capite perſpiciatur; quæ autem ipſa patratur, & quem exitum tandem obtineat Eccleſiæ patientia ad angustiam redactæ, ex cap. 20. videatur: Hanc regulam tanquam clauem omnino neceſſariam, ad verum huius reuelationis ſenſum referandum, exiſtimo. Acoluthiam j. ſeu conſecutionem igitur horum omnium primò expendamus; ſecundò integram deſcriptionem ipſorum ex 11. & 20. capite requiramus: qua ratione probata & oſtenſa erit ſententia, hîc agi de vltimis temporibus.

Quantum ad primum, poſtquam ſanctus Ioannes egit de plagis famis, belli & peſtis, quæ plagæ minoris ſunt momenti, vt quæ electis etiam aliquando ad purgationem & probationem, & ad cœli gloriam adipiſcendam, tanquam optima ad eam præparatio infligantur; his peractis tranſiuit ad deſcriptionem plagæ ignorantiæ, quam incurrunt ij qui de præteritis plagis nullum emolumentum percipere voluerunt; ex qua ignorantia ſi qui ex fidelibus ſeipſos eximere neglexerint, ea quæ ad ſalutem ſcitu ſunt neceſſaria diſcere contemnentes, formidabiliora proculdubio experientur ſupplicia: incident namque in deſideria multa nociua & inutilia, innumeris inuoluentur peccatis ex mero & deliberato conſilio cum vehementi animi perturbatione perpetratis, quibus cruciabuntur; lumine rationis, licèt obnubilato denſiſſimis ignorantiæ affectatæ tenebris, aliqua ratione in eis permanente, itaut ſapientes ſint ſapientia quadam terrena, animali, qua ſæpius vtuntur, vt ea quæ à dæmone ſuggeruntur perficiant, vigore etiam ſtimuli conſcientiæ ſeu ſyndereſis minimè extincto, habitudinibus fidei aut aliarum virtutum nondum omnino eradicatis, itaut occidi non dicantur ab his plagis, ſicut à peſte fame & bello mortem incurrũt corporalem, & per ignorantiam eorum, quæ ſcitu neceſſaria ſunt ad ſalutem mortem ſubeunt ſpiritalem. Præceptum enim eſt locuſtis illis myſticis, id eſt peccatis, ne læderent fœnum: naturales enim facultates, veluti ratio ac mens, non auferuntur à peccatoribus: tametſi fœnum ſunt, propter imbecillitatem rationis in exercitio ſeu vſu. Sicut enim fœnum herba eſt quæ citò deſiccatur, idoneum iumentis pabulum, & in ignem immiſſum citò conſumendum; ita ratio humana in peccatoribus, lumine ſupernaturali deſtituta, valde eſt imbecillis, appetitibus carnis facile obſequens, quæ ſenſualitatis iura potius tuetur, quàm eius titillationibus tantiſper contradicat. Præcipitur etiam ne lædant omne viride, id eſt ſyndereſim, quæ vt fuſius diximus, aliquando animum in ſceleribus dormientem excitare à ſomno conatur, ſpemque alicuius fructus boni operis poteſt ingerere, vt virides ſpicæ grana matura promittunt. Denique præcipitur ne lædant omnem arborem, id eſt quamlibet bonam habitudinem in mente aut voluntate radicatam: nec enim ſtatim atque quis corruptis moribus efficitur, habitudines virtutum eradicantur. Datum eſt illis igitur ne occiderent eos, ratione, ſyndereſi, fide permanentibus; ſed vt cruciarent menſibus quinque, ratione in ſtatu aliquo violento exiſtente, ſyndereſi idemtidem arguente, fide tremenda Dei iudicia fulgore ſuo aliquando proponente. Tandem dum legibus ac præceptis Eccleſiæ impediuntur ne genio indulgeant, ne deſideria ſua adimpleant, iugum ſuccutiunt, & omni rationis iudicio ablato, ſyndereſi ſuſurro quodam imperceptibili ob clamorem perturbationum animi vehementiorem obmurmurante, iis quæ à Deo per fidem reuelantur contemptis, amore proprio omnia pietatis monumenta in mente deuaſtante & exterminante, hæreſes & errores excogitantur actibus eorum pernicioſiſſimis fauentes, vt excuſationes quærant in peccatis: quibus, ſi quid vigeret in eis pietati ac virtuti inſeruiens omninò extinguitur. His ſociantur tum infideles tum mali Catholici, qui non dicuntur occiſi ab his plagis; v quia non ſubierunt mortem corporalem, ve quia nunquam habuerunt vitam (vt ſunt infideles, qui fidem ſupernaturalem nunquam habuerunt) vel quia in eis remanent quidam habitus fidei, aut aliarum virtutum, vt in malis Catholicis, qui nihilominus hæreticis & infidelibus coniunguntur, vt totam reproborum maſſam conficiant. *Declinantes* namque *in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.*

His effectibus ſeueritatis diuinæ ad purgandam probandamque Eccleſiam, poſt effectus diuinæ miſericordiæ in capitibus 4. 5. 6. & 7. explicatos, ita decurſis & enucleatis, cum ex regula 7. de ratione interpretandi hanc reuelationem, dixerimus Chriſtum ſuas partes agentem erga Eccleſiam ſponſam à capite 4 vſque ad vndecimum repræſentari; Eccleſiam verò à capite 12. vſque ad vigeſimum, ſponſo fidelitate ſua in tolerantia perſecutionum, congreſſu cum hoſtibus, victorijs reportatis eius ope & auxiliis, & gratijs munitam & optimè inſtructam, ac piis exercitijs, beneficijs ſibi collatis optimè reſpondentem deſcribi; ſanè conuenienti ordine in capite decimo ſanctus Ioannes, cum gubernatio Eccleſiæ non debeat eſſe in perpetuo motu, ſed finem aliquem ipſum conſequi oporteat, explicuit & oſtendit rem tandem eſſe abſoluendam, tempuſque venturum aliquando in quo laboribus finis imponeretur; & tempore pœnitentiæ elapſo, Deus ſignis euidentibus demonſtraret quinam ad eum pertineant. *Nouit* quippe *Dominus qui ſunt eius.* Vnde poſtquam relinquit Noe ad tempus cum improbis cõuerſantem, Loth cum Sodomitis ac Gomorrhæis commorantem, permiſit inſuper bonos & malos ſimul miſceri in hoc mundo. Tandem decreuit ſeparare Hebræos ab Ægyptiis, oues ab hædis, electos à reprobis, hincque mentem S. Ioannis inſtruxit, quantum fieri decet, de rationibus quibus ſapientiſſimâ & æquiſſimâ ordinatione ſuâ mouetur, vt hos eligat, alios rejiciat, dum illum libellum apertum deuorare iubet, in quo erant vera prædeſtinationis ſigna expreſſa. Qua cognitione præditus,

Digitized by Google

non mirum ſi valeat in capite vndecimo calamum ſimilem virgæ aſſumere, quo poſſit metiri templum & altare, & adorantes in eo, id eſt quanam animi virtute, fortitudine ac conſtantia prædíti ſint fideles, vt poſſint congredi cum Chriſti hoſtibus: qui non ſolum Enochum & Eliam Eccleſiam corroborantes è medio viuentium ſublaturi ſunt, ſed etiam doctrinam Eccleſiæ fideliumque ſanctitatem, omniaque opera vitæ contemplatiuæ & actiuæ impugnaturi ſunt. Sic enim dicitur: *Et cum finierint teſtimonium ſuum, beſtia quæ aſcendit de abyſſo faciet aduerſus eos bellum, & vincet illos & occidet eos*; Nec tamen ita mali victoriam obtinebunt, vt nulla ſpes remaneat Eccleſiæ, victoriæ in hoſtes, ac triumphi. Nam ſicut Deus Eliam & Enochum ſuſcitabit à mortuis, ita reuiuiſcet publicus pietatis cultus, omnibuſque conſpicuum erit gloriam cœleſtem illis præparari, qui in tentationibus firmi & conſtantes extiterunt in exercitio virtutum ac pietatis, ſeu in operibus iuſtitiæ Chriſtianæ. Quod & hiſtoria, ac ſub hiſtoria ſymbolicè docet ſanctus Ioannes, dum Enoch & Eliam repræſentat ſuſcitatos à morte, & in cœlum vocatos videntibus inimicis. *Et aſcenderunt in cœlum in nube, & viderunt illos inimici eorum.* Et poſtea dicit factum eſſe terræ motum magnum, & decimam partem ciuitatis cecidiſſe, & occiſa eſſe nomina hominum ſeptem millia, reliquis in timorem miſſis, dantibus cunctis gloriam Deo cœli. Conuertentur ſiquidem Iudæi, qui Anti-Chriſto fauebunt, quos ſanctus Ioannes, vt videbimus, ſub ſymbolo decimæ partis ciuitatis cadentis intelligit: quia pro numero reliquorum populorum qui Anti-Chriſtum ſequentur, Iudæi erant tantùm quaſi decima pars totius illius collectionis malorum Anti-Chriſto obſequentium. Occidentur etiam ſeptem millia, ſiue infidelium, ſiue malorum Chriſtianorum, qui Anti-Chriſti partes ſuſceperât, ſiue occiſione myſtica per conuerſionem aut reuerſionem ad fidem: qui per ſeptem millia deſignantur, vt intelligamus illos conuertendos ad eos pertinere qui ad vitam ſunt præordinati. Alludere enim videtur S. Ioannes ad illa ſeptem millia electorum, de quibus dicitur 3. Regum. 19. *Et derelinquam mihi in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incuruata ante Baal, &c.* Vel etiam ad literam decima pars ciuitatis Hieroſolymitanæ euerteretur funditus, fortaſſe illa in qua tunc erectus erit Anti-Chriſti thronus; & ſeptem millia virorum illum concomitantium occidentur verè & propriè, ſicut olim abſorpti fuerunt cum Core Dathan & Abiron illos concomitantes, & forte ex Iudæis, qui quo ſtrictius Anti-Chriſto adhærebunt Deo ingrati, eo ſeuerius puniri debebunt. Ex reliquis autem Iudæis diuina ſeueritas quaſi decimas accipiet in euerſione decimæ partis ciuitatis, cæteris aut non occiſis cum Anti-Chriſto, aut non pereuntibus, in euerſione illa ad Chriſtum conuerſis.

Hac ratione *Væ ſecundum abiit*: Pæualuit veritas, peccata innumera malitiæ, pietatem non ita extinxerunt, vt publicè deinceps non colatur; extinctæ ſunt hæreſes, ceſſant perſecutiones, Anti-Chriſto è medio ſublato, eiuſque aſſeclis vel occiſis vel conuerſis, vel ſaltem in timorem miſſis, vt amplius mutire non audeant, nec contradicere. *Væ* autem *tertium cito veniet*, pro iis nempe qui videntes & audientes regnum Chriſti præualuiſſe, nihilominus potius ad iram, & indignationem animos conuertent, quàm à ſceleribus ſuis abſtineant. Septimo ſiquidem Angelo tuba canente, & vocibus è cœlo auditis (clamantibus: *Factum eſt regnum huius mundi Domini noſtri, & Chriſti eius*) dicitur, quod iratæ ſunt gentes: vnde Deus ad iudicium properabit, tum vt A ſeruis ſuis mercedem reddat, tum vt exterminet eos qui corruperunt terram: qui videlicet poſt tot beneficia, poſt tot remedia ad reſipiſcendum adhibita, poſt tot prodigia conuerti noluerunt.

Quo autem ordine iſta in cap. 11. & 20. reperiantur, enucleandum.

In capite decimo clamat Angelus: *Quia tempus non erit amplius.*

In capite vigeſimo illud tempus ad mille annos extenditur, quibus decurrentibus regnant ſancti cum Chriſto mille annis.

At cum conſummati fuerint mille anni, *ſoluetur ſatanas de carcere ſuo, & exibit & ſeducet gentes quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ Gog & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus eſt ſicut arena* B *maris, & aſcenderunt ſuper latitudinem terræ, & circuierunt caſtra ſanctorum & ciuitatem dilectam*, cap. 20. ver. 7. & 8.

Eccleſiâ in hac extremitate poſitâ, quinam perſeuerent, quinam autem deficiant declaratur in initio capitis vndecimi, verſ. 1. & 2. in quibus dicitur: *Et datus eſt mihi calamus ſimilis virgæ, & dictum eſt mihi: Surge & metire templum Dei & altare, & adorantes in eo. Atrium autem quod eſt foris templum ejice foras, & ne metiaris illud: quoniam datum eſt gentibus & ciuitatem ſanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus.* Verſ. 1. & 2. capitis vndecimi.

At quam ſit Eccleſiæ fortitudo; & virtutis illius ſplendor, & quàm potenter Deus illi ſuppetias ferat in tanta extremitate conſtitutæ declarat S. Ioannes, dum cap. 11. de Enoch & Elia loquens ait: *Et* C *dabo duobus teſtibus meis & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis. Hi ſunt duæ olivæ, & duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantes. Et ſi quis voluerit eis nocere: ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum: & ſi quis voluerit eos ladere, ſic oportet eum occidi. Hi habent poteſtatem claudendi cælum, ne pluat diebus Prophetiæ eorum. Et poteſtatem habent ſuper aquas, conuertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga quotieſcumque voluerint. Et cum finierint teſtimonium ſuum, beſtia quæ aſcendit de abyſſo faciet aduerſum eos bellum, & vincet illos & occidet eos.* D *Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma, & Ægyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus eſt. Et videbunt de tribubus & populis, & linguis & gentibus corpora eorum, per tres dies & dimidios, & corpora eorum non ſinent poni in monumentis, & inhabitantes terram gaudebunt ſuper illos, & iucundabuntur & munera mittent inuicem, quoniam hi duo Prophetæ cruciauerunt eos, qui habitabant ſuper terram. Et poſt tres dies & dimidium ſpiritus vitæ à Deo intrauit in eos. Et ſteterunt ſuper pedes ſuos; & timor magnus cecidit ſuper eos qui viderunt eos: & audierunt vocem magnam de cælo dicentem eis: Aſcendite huc. Et aſcenderunt in cælum in nube, & viderunt illos inimici eorum.* cap. 11. à verſ. 3. vſque ad verſ. 13. excluſiuè.

E His ita peractis, tunc aduenier tempus interitus Anti Chriſti: & fiet quod capite 20. dicitur verſ. 9. *Et deſcendit ignis à Deo de cælo, & devoravit eos: & diabolus qui ſeducebat eos miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulphuris, vbi & beſtia & pſeudo-Prophetæ cruciabuntur die ac nocte in ſecula ſeculorum.* cap. 20. verſ. 9. & 10.

Quo Anti-Chriſto è medio ſublato, tunc quæ ſequuntur in cap. vndecimo euenient verſ. 13. & ſequentibus. *Et in illa hora, factus eſt terræ motus magnus: & decima pars ciuitatis cecidit, & occiſa ſunt in terræ motu nomina hominum ſeptem millia; & reliqui in timorem ſunt miſſi, & dederunt gloriam Deo cæli. Væ ſecundum abiit, & ecce Væ tertium veniet citò. Et ſeptimus Angelus tuba cecinit: & facta ſunt voces magnæ in cælo dicentes: Factum eſt regnum huius mundi Domini noſtri & Chriſti eius: & regnabit in ſecula ſeculorum, amen. Et*

viginti

viginti quatuor ſeniores, qui in conſpectu Dei ſedent in ſedibus ſuis, ceciderunt in facies ſuas: & adorauerunt Deum dicentes: Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, quis es, & qui eras, & qui venturus es: quia accepiſti virtutem tuam magnam & regnaſti. Et irata ſunt gentes: & aduenit ira tua, & tempus mortuorum, iudicare & reddere mercedem ſeruis tuis Prophetis, & ſanctis & timentibus nomen tuum, puſillis & magnis, & exterminandi eos qui corruperunt terram. Et apertum eſt templum Dei in cælo, & viſa eſt arca teſtamenti eius in templo eius. Et facta ſunt fulgura & voces, & terræ motus, & grando magna, cap. 11. à verſu 13. vſque ad vltimum.

Opere gubernationis hac ratione completo, veniet tandem iudicium: quod quidem deſcribitur cap. 20. dum verſ. 11. ait S. Ioannes: *Et vidi thronum, magnum candidum, & ſedentem ſuper eum, a cuius conſpectus fugit terra & cælum, & locus non eſt inuentus eis. Et vidi mortuos magnos & puſillos ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt: & alius liber apertus eſt qui eſt vitæ: & iudicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libris ſecundum opera ipſorum. Et dedit mare mortuos qui in eo erant: & mors & infernus dederunt mortuos ſuos qui in ipſis erant: & iudicatum eſt de ſingulis ſecundum opera ipſorum. Et infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis. Hæc eſt mors ſecunda. Et qui non inuentus eſt in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis*; cap. 20. à verſu 11. vſque ad vltimum.

Hæc eſt, vt opinor, optima connexio eorum omnium quæ S. Ioannes tetigit, de fine & conſummatione mundi, & totius gubernationis rerum, & præcipuè Eccleſiæ, in duobus capitibus ſuæ reuelationis, nempe vndecimo & vigeſimo. In vndecimo præſertim explicans præpotentis Dei auxilia Eccleſiæ præſtanda; in 20. Eccleſiæ conſtantiam cum ſe vndique oppugnatam præſentiet; in vndecimo, Eccleſiæ ſplendorem, in perſecutione etiam conſtitutæ; in vigeſimo, quanto tempore eius regnum ſit duraturum explicatur; in vndecimo, tempus iudicij affuturum, ob finalem impœnitentiam eorum qui poſt Anti-Chriſti necem in malis perſeuerabunt; in vigeſimo, actio illa inſignis, quæ omnibus operibus prouidentiæ finem imponet, nempe iudicium extremum deſcribitur.

CAP. XI.

Et datus eſt mihi calamus, &c.

Idea Symboli primæ partis huius Capitis.

VIDET ſe ſanctus Ioannes quaſi conſtitutum in quadam ſancta ciuitate, in qua erat templum Dei, in templo quoddam altare erectum cernit, plurimoſque perſpicit in templo coram altari adorantes. Ante fores templi porticus ſeu atrium ingens cernebatur. Interim dum hæc fixis oculis attentiſſimè intuetur, datur illi calamus ſimilis virgæ, & dictum eſt illi: *Surge & metire templum Dei & altare, & adorantes in eo. Atrium autem quod eſt foris templum, ejice foras, & ne metiaris illud; Quoniam datum eſt gentibus. Et ciuitatem ſanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus.* Hanc calcationem quaſi iam præſentem perſpiciens, ne omnia deſperata putaret, duos Dei teſtes in ciuitate fortiter contra prophanas illas gentes dimicantes proſpicit: quorum munus aſſerit eſſe prophetandi, quorum habitus deſcribit, nempe quod ſint amicti ſaccis; quorum ſanctitatem & doctrinam deſignat ſub ſymbolis oliuarum & candelabrorum: quorum poteſtatem ingentem prædicat, quia ignem habent ex ore exientem; quia habent poteſtatem claudendi cælum ne pluat, conuertendi aquas in ſanguinem, & percutiendi terram omni plaga: Quod cum perfecerint, eorum glorioſum exitum declarat. Occiduntur enim à Beſtia de abyſſo aſcendente, & contra eos dimicante: Iacentia illorum corpora cernit in plateis ciuitatis inſepulta, nec fas eſſe aſſerit cuiquam illa in ſepulchro condere, gaudentibus, iucundantibus, munera inuicem mittentibus inimicis: Quoniam hi duo Prophetæ cruciauerunt eos qui habitabant ſuper terram. Sed quale quæſo prodigium, tribus diebus cum dimidio elapſis? Luce meridianâ ſpiritus vitæ à Deo intrat in eos: ſtant erecti ſuper pedes, timor magnus cunctos inuadit, & ad vocem de cælo clamantem: *Aſcendite huc*, aſcendant illi in cælum in nube, videntibus & tabeſcentibus inimicis. Nec mora ab aſcenſu eorum, fit magnus terræ motus: decima pars ciuitatis cadit: occiſa videntur ſeptem millia ex terræ motu, & reliquis in timorem miſſis, dant cuncti pro modulo ſuo, iuxta ſuum ſtatum, & conditionem ſuam, gloriam Deo cæli. Et væ ſecundum abiiſſe cernitur: tertium reſtat malis & reprobis formidandum.

Et datus eſt mihi calamus ſimilis virgæ: & dictum eſt mihi: Surge & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo.

Quid per calamum intelligere oporteat?

ANNOTAT. II.

Variæ expoſitiones de calamo. §. 1.

RIBERÆ calamus eſt menſura ſex cubitorum & palmi. Ezechiel 40. *Et in manu viri calamus menſuræ ſex cubitorum & palmi, id eſt quatuor digitorum vt ibi exponit Hieronymus, qui Palmus παλαιστὴν dicitur.* Ita Riber.

Alcazar: *Manifeſtum*, inquit, *eſt de calamo menſorio eſſe ſermonem: atque ita pro calamo poſuit vulgatus menſuram arundineam. cap. 21. Vbi tamen in græco eadem eſt dictio. Menſura autem appellatur calamus, quo innititur dimenſionum diuiſiones in ea eſſe ſignatas, quemadmodum cannæ internodiis diſcriminantur.* Ita Alcazar. Qui etiam itidem vult fieri alluſionem ad locum Ezechiel. c. 40. quo templum & altare holocauſti dimenſa ſunt. *Quare calamus hic eiuſdem cum illo longitudinis eſſe debet, id eſt quæ hominis ſtaturam magnam adæquet, nempe Adami vel Noe, calamumque in ſex æquales diuidi partes, quæ cubiti vocantur. Denique ſimilem virgæ dici, quia non ſolum eſt menſorius, ſed etiam ad percutiendum deſtinatus: qui ab Angelo ſorti, ſancto Ioanni traditur, & ab eodem eidem dicitur: Surge & metire.* Ita Alcaz.

Ambroſius per calamum intelligit inſtrumentum ad ſcribendum idoneum. *Per calamum*, inquit, *quo antiqui ſcribere ſolebant.* Idem cenſet S. Thomas, vt videbimus infra. Etiam fuit mens Ruperti lib. 6. in Apocalyp. cuius hæc ſunt verba, ex quibus etiam videbimus quid myſterij in hoc calamo reperiat. *Calamus*, inquit, *ſimilis virgæ facultatem ſcribendi ſignificat, cum magiſterij auctoritate. Calamus namque ſcriptorum virga Magiſtrorum eſt. Et ſunt, vel fuerunt aliqui quibus calamus datus eſt, ſed non ſimilis virgæ, id eſt ſimilis facultas, ſed non cum magiſterij dignitate: vt de nulla eorum ſententia ſiue dictione liceat cuiquam Eccleſiaſtico dubitare. Hoc namque magiſterium tantummodo Prophetarum, & Apoſtolorum eſt: & illis ſolis hæc virga data eſt. Vnde in pſalmo ſic determinatum eſt: Dominus narrabit in ſcripturis populorum & principum, horum qui fuerunt in ea.* Ita Rup.

Ad hunc ſenſum reſpexit Victorinus, dum calamum explicat de poteſtate quam habuit ſanctus

Ioannes ſcribendi Euangelium, poſtquam ab exilio fuit reuocatus. *Nouiſſimam arundinem ſimilem virgæ*, inquit Victorinus, *vt metiretur Dei templum & aram, & adorantes in eo, poteſtatem dicit, quam dimiſſus poſtea exhibuit Eccleſiis. Nam Euangelium poſtea ſcripſit, cum eſſent Valentinus & Cherinthus, & Ebion, & cæteri ſchola ſatanæ, diffuſi per orbem, conuenerunt ad illum de finitimis prouinciis omnes, & compulerunt vt ipſe teſtimonium conſcriberet. Menſura autem filij Dei, mandatum Domini. Patrem confiteri omnipotentem dicimus, & huius filium Chriſtum, ante originem ſeculi ſpiritualem, apud Patrem genitum, hominem factum, & morte deuicta in cœlos cum corpore à Patre receptum, effudiſſe Spiritum ſanctum donum, & pignus immortalitatis, hunc per Prophetas prædicatum, hunc per legem conſcriptum, hunc eſſe mandatum Dei, & verbum Patris & conditorem orbis. Hæc eſt arundo & menſura fidei: & nemo adorat aram ſanctam, niſi qui hanc fidem confitetur.* Ita Victor. Qui per calamum intelligit poteſtatem ſcribendi Euangelij, ſeu annunciandi veram fidem de diuinitate Verbi, quia fides eſt quædam menſura eorum omnium quæ credenda ſunt, & veri Dei cultus. *Hæc*, inquit, *eſt arundo, & menſura fidei. Et nemo adoras aram ſanctam, niſi qui hanc fidem confitetur.*

Ambroſius per calamum Euangelium intelligit non multum à Victorino diſcedens, dum ait: *Per calamum quo antiqui ſcribere ſolebant, Euangelium quod et datum eſt à Domino, & quod poſtea ſcripſit, deſignatur; per virgam verò ſæpe diſciplina accipitur. Calamus igitur qui Ioanni datus eſt, ſimilitudinem virgæ habuit, auta diſciplina Chriſtianorum eſt Euangelium.* Ita Ambroſ.

S. Thomas in expoſitione aurea, in calamo diſcretionem intelligit. *Calamus*, inquit, *id eſt diſcretio: ſicut enim mediante calamo apto & diſpoſito benè ſcribitur, ſic mediante diſcretione conuenienter & ſalubriter ſcribitur verbum Dei in cordibus auditorum: quia non omnia omnibus conueniunt. Vnde Gregorius. Non vna eademque cunctis exhortatio conuenit, quia nec cunctos par morum qualitas aſtringit. Item ſicut calamus, niſi interius incauſtum habeat non ſcribit, ſic & diſcretio prædicatoris in intellectu, niſi repleatur gratia in affectu, vacua remanet nec affectum habet. Pſal. Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. Item ſicut calamo rectè menſuratur res ſic rectæ diſcretione menſurat prædicator hominum capacitatem & vitæ qualitatem. Vnde ſequitur Ezechiel 40. Calamus menſuræ in manu eius ſimilis virgæ, quia ſi vera eſt diſcretio recta eſt, & facit rectè docere, ſecundum conditionem rei, & perſonæ & temporis, & tunc ad modum virgæ recta eſt. Item virga eſt inſtrumentum regiminis, ſimiliter per diſcretionem alij docendo benè reguntur. Pſal. Virga directionis virga regni tui. Item facit reges eos qui bene & diſcrete alios docent, vnde hæc eſt virga, ſceptrum regale, vt gloſſa tangit.* Hæc S. Tho.

Dionyſius autem Carthuſ. per calamum, Dei prouidentiam deſignari docet. *Calamus*, inquit, *plura ſignificat, interdum enim accipitur pro menſura ſex cubitorum, vt apud Ezechiel. vbi Angelus templum menſurans, calamum fertur habuiſſe in manum, per calamum autem ibidem ſcientia ſua prouidentia Dei omnipotentis, qua cuncta in numero, pondere & menſura conſtituit, atque vniuerſa metitur, cunctorum actus meritaque perpendens ſignatur.* Ita Dion.

Alcazar menſuram huius capitis 11. vult eſſe menſuram afflictionum, quas pro Chriſto ſerui ipſius perpetiuntur, primamque horum laborum menſuram eſſe Chriſti paſſionem. Nam *quos præſcuit Deus & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui.* Ad Rom. 8. *Qua propter appoſitè eſt viſus Chriſtus ab Ezechiele menſuram manu tenens, id eſt reipſa menſuram afflictionum Eccleſiæ ſuſtinens. Quod autem menſura hæc poſtea Ioanni detur, indicat Chriſti paſſionem experimento ipſo ſentiendum Ioanni exhiberi, per paſſionis ipſius imitationem. Hoc enim eſt habere in manu menſuram, reipſa eandem paſſionem ſuſtinere; eandem, inquam, per imitationem: & poſtea docet hanc menſuram ſeu practicam cognitionem, quæ per menſuram in manu habitam & ad ædificium applicatam denotatur, non dari in manu Angeli, quia eos nulla aduerſa atque infeſta contingant, ſed dari Chriſti diſcipulo, qui videlicet experiri poterat adhuc afflictiones, & ærumnas huius vitæ, quibus conformis redderetur Chriſti paſſionibus, & hac de cauſa hic calamum non eſſe aureum, ſed ſolum virgæ ſimilem. Calamus autem c. 21. quo menſuranda erat ciuitas, & datur in manu Angeli, & aureus eſt: quia ſolis beatis, qui Dei fruuntur conſpectu, dignè poſſunt æſtimare atque perpendere immenſam illam gloriæ magnitudinem, quam Chriſtiana Eccleſia in cœlo poſſidebit: id quod ipſi deprehendunt, experimento illius gloriæ partis qua potiuntur. Hoc autem quod ipſi experiuntur ſignificatur apiè ab illis haberi in manibus, eoſque per gloriam illam qua fruuntur, metiri atque cognoſcere quanta erit felicitas tanta tamque innumerabilis Chriſtianorum multitudinis, quæ in cæleſtem regionem congregabitur, & meritorum varietate, & proportionis pulchritudine inſignis atque conſpicua, &c.* Hæc ſatis appoſitè docet Alcazar, niſi hæc conſtringeret ad tempus Iudaicæ perſecutionis, in primitiuis Eccleſiæ temporibus dum ait: *Templum quod Ioannes metiri iubetur, ſine dubio eſt tota Eccleſia primitiua: illa enim patiebatur Iudaicam illam perſecutionem, de qua agitur c. 9. & 10. & 11. cuius primitiuæ Eccleſiæ imitatio, perfecta eſt regularis vitæ inſtitutio, in Ezechielis templo ab vrbe ſeiuncto adumbrata.* Nam hæc intelligi volumus de vltima Eccleſiæ perſecutione ſub Anti-Chriſto, vt iam contra diximus, hæc duo capita 10 & 11. de vltimis temporibus eſſe interpretanda.

Et datus eſt mihi calamus ſimilis virgæ.

Quanam eſt illa menſura, qua cuiuſlibet electi virtus explorari debet, vt pro ratione virtutis tentationibus probetur §. 3.

Si ſancto Gregorio credimus, ſacra ſcriptura calamus ſeu menſura illa eſt, in quantum in ea occulta Dei diſpenſationes agnoſcimus circa hominum prædeſtinationem. Hanc interpretationem huius loci S. Paterius in ſua collectione excerpſit ex homilia S. Gregorij 13. in Ezechiel. longe ante medium & in expoſitione B. Iob. l. 28. c. 6. procul à principio. *Et datus eſt mihi calamus ſimilis virgæ. In carne*, inquit, *Dominus ad Eccleſiam venient menſuras eidem Eccleſiæ poſuit, & fines eiuſdem Eccleſiæ occulti iudicij ſubtilitate diſtinxit. Intra quos alij vocati retinentur, alij ne accedant arcentur. Sacra ſcriptura calamus menſoris eſt; quia in ſacro Dei eloquio quod nobis conſcriptum eſt, occultas eſſe diſpenſationes eius agnoſcimus. Nam per incomprehenſibile eius iudicium, in cœleſtem hominum alios à ſuis iniquitatibus educit, alios in ſua iniquitate derelinquit: alter intra menſuram electorum mittitur, & alter foris relinquitur, vt nullo modo ad electorum numerum pertinere mereatur. Sancto quippe Euangelio teſte didicimus, quod cuidam dicenti: Magiſter, ſequar te quocumque ieris; eiuſdem Magiſtri voce reſponſum eſt: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. Alij dicenti: Permitte me primum ire, & ſepelire Patrem meum; eiuſdem Magiſtri voce reſponſum eſt: Sine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos: tu autem ſequere me & annuncia regnum Dei. Ecce alius ſecuturum ſe promittit, & repellitur; alius relaxandum ſe poſtulat, & retinetur. Ille non ſuſcipitur, iſte nec ad horæ momentum ab obſequio relaxatur. Prædicatores quoque ſcientia, ſpiritu, in alias partes mundi vocabantur vt irent, ab aliis partibus arcebantur ne accederent. Paulus namque Apoſtolus cum Macedonia prædicare negligeret, per*

Digitized by Google

viſum apparuit illi Vir Macedo, qui diceret: Tranſiens in Macedoniam adiuua nos. At contra ſicut ſcriptum eſt, tentabant Apoſtoli ire per Bithiniam. Dum ergo & prædicatores ſancti vocantur ad Macedoniam, vbi fortaſſe pergere non cogitabant; & ab Aſia prohibentur, vbi pergere deſiderabant, iſte occultiorum menſurarum calamus illis ductus eſt hîc reductus; illic tenditur, vt Macedonia intra ſanctæ Eccleſiæ ſpatia colligatur, hinc attrahitur, vt extra fines fidei Aſia relinquatur. Erant quippe tunc in ea qui colligendi non erant, quibus iuxta meritum ſuum perditis, iam nunc Aſia intra menſuras Eccleſiæ Deo largiente ſuſcepta eſt. Intra has ergo menſuras ſunt omnes electi, extra has omnes reprobi, etiamſi intra fidei limitem eſſe videantur. Vnde bene ſancto Ioanni dicitur: Atrium quod foris templum eſt foras ejice, & ne metiaris illud. Quid enim atrium aliud quàm latitudinem ſignificat vitæ præſentis? Et recte foris ſunt qui ſignantur per atrium, atque ideo metiendi non ſunt: quoniam anguſta eſt porta quæ ducit ad vitam, & latitudo vitæ prauorum non admittitur ad menſuras & regulas electorum. Ita S. Greg.

Iubetur, inquit Ribera, ſcilicet S. Ioannes, *metiri templum, quod eſt quaſi numerare, & ſecernere electiſſima quæque Eccleſiæ membra, quæ non ſunt ſtudenda Anti-Chriſto, nec eius miniſtris.* Ita Ribera. At quanam quæſo menſurâ? Certè ponderatis omnibus, quæ de hoc calamo ſupra ex diuerſis auctoribus attulimus,

Dico illam menſuram debere eſſe aliquid quod in manu teneri poſſit: alias metiens metiri non poſſet metiendo. Ideo ad aliquid aliud quàm ad occultiſſima Dei iudicia nobis eſt recurrendum. Ea enim quis comprehendere poterit? Lumen in tanta obſcuritate mihi præbet Apoſtolus Paulus 2. ad Corinth. 1. dum ait: *Non enim volumus ignorare vos fratres, de tribulatione noſtra, quæ facta eſt in Aſia, quoniam ſupra modum grauati ſumus, ſupra virtutem itaut taederet nos etiam viuere. Sed ipſi in nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus, vt non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo qui ſuſcitat mortuos, qui de tantis periculis nos eripuit & eruit, in quem ſperamus, quoniam & adhuc eripiet, &c.* Videſne Apoſtolum in extremo poſitum, ad maximas redactum anguſtias, non de viribus propriis, non de virtute ſua fidentem, ſed totam ſuam ſpem ac fiduciam in Deo collocantem, itaut etiam ſi in manifeſto vitæ diſcrimine poneretur, nihilominus nunquam à ſpe ſua excideret? *De tantis*, inquit, *periculis nos eripuit & eruit, in quem ſperamus, quoniam & adhuc eripiet.* Menſuram certè habet ſuæ virtutis & fortitudinis ad omnia pericula fortiter ſubeunda, nempe in Deum fiduciam. Quantò enim eſt demiſſior virium noſtrarum diffidentia, non per puſillanimitatem, ſed per veram mentis humilitatem, tantò maior eſt noſtra virtus: & quantò maior eſt in Deum fiducia, tantò magis augetur in nobis ad omnia aduerſa fortiter toleranda & expugnanda animi fortitudo.

Dico igitur ſecundò calamum iſtum ſignificare ſpem ac fiduciam in Deum, quæ quò maior eſt, eò fortior ad pericula quæuis ſubeunda quiſque euadit. Vnde canebat Dauid, Pſ. 17. *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum & refugium meum, & liberator meus adiutor meus & ſperabo in eum, protector meus, & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus.* Fortitudo mea ad agendum, firmamentum dum concutior, refugium dum perſequor, liberator dum verſor in periculis, adiutor dum hoſtes aggredior, protector dum impugnor, cornu ſalutis dum opprimor, ſuſceptor meus dum abjicior, ideo *laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis ſalvus ero.* Et de hac in Deum ac in eius prouidentiam fiducia interpretor baculum in quo Iacob gloriabatur ſe tranſiſſe Iordanem, & in patriam reduci cum duabus turmis; nec alia ratione ſeu alio motiuo vtebatur apud Deum, vt illius protectionem ſibi conciliaret, contra fratris ſui potentiam, quàm ſe in Deum omnem ſpem ſuam collocaſſe; ſiue cum ſolus è patria exiens pertexerat in Meſopotamiam, ſiue cum Dei iuſſu cum duabus turmis reuertebatur in terram patrum ſuorum, dicente ſibi Domino: *Reuertere in terram patrum tuorum & ad generationem tuam, eroque tecũ.* Vnde formidine correptus occurrẽte ſibi in via Eſau fratre ſuo, clamabat ad Dominũ: *Deus patris mei Abraham, & Deus patris mei Iſaac, Domine qui dixiſti mihi: reuertere in terram tuam, & in locum natiuitatis tuæ, & benefaciam tibi. Minor ſum cunctis miſerationibus tuis, & veritate tua quam expleuiſti ſeruo tuo. In baculo meo tranſiui Iordanem iſtum, & nunc cum duabus turmis regredior. Erue me de manu fratris mei Eſau, quia valde eum timeo.* Geneſ. 32. Ac ſi diceret: Nulla alia ſpe fretus quam tui auxilij, baculum tantum in manu gerẽs tranſiui olim Iordanem iſtum, ac te in Deum elegi, ſi mihi adſtares, & neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem ſuppeditares, dicens: *Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via per quam ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reuerſuſque fuero proſpere ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum.* Geneſ. 28. Spes mea & fiducia mea non me fefellit: *minor ſum cunctis miſerationibus tuis.* Nam ecce dives & inclytus regredior, eodem baculo fiduciæ fretus: Tu enim ipſe dixiſti vt reuertar. Quæſo ne à ſpe & fiducia mea excidam. Ad beneficia iam præſtita, recentia adiunge: *erue me de manu fratris mei Eſau, quia valde eum timeo.*

Et reuera Eccleſia in extremis periculis conſtituta tempore Anti-Chriſti, nullum fortius virtutis ſuæ munimentum habere poterit, quàm ſi in Deum totam ſuam fiduuiam projiciat, propter vitia atque peccata & refrigeſcentem quotidie charitatem ei iraſcente Domino, vt ait S. Hieronymus hunc verſiculum c. 1. Zachar. exponens: (*Zelatus ſum Ieruſalem, & Sion zelo magno: & ira magnâ ego iraſcor ſuper gentes opulentas: quia ego iratus ſum parum, ipſi vero adiuuerunt in malum.*) *Eccleſiæ inquam, quæ per Ieruſalem intelligitur, iraſcens Dominus tradet eam perſecutoribus, vt quaſi in conflatorio mundum aurum appareat & argentum.* Ita Hieron. Sed quia plurimam in Deo habebit fiduciam, ideo non quaſi plumbum colliqueſcet, ſed vt aurum probabitur & illuſtrior euadet. *Propterea hæc dicit Dominus*, inquit Zachar. c. 1. *reuertar ad Ieruſalem in miſericordiis, & domus mea ædificabitur in ea, ait Dominus exercituum, & perpendiculum extendetur ſuper Ieruſalem.* Adhuc clariùs dicens: *Hæc dicit Dominus exercituum: adhuc affluent ciuitates meæ bonis, & conſolabitur adhuc Dominus Sion, & eliget adhuc Ieruſalem.* Quodnam quæſo eſt illud perpendiculum ſupra Ieruſalem extenſum, vt ædificetur, niſi hic calamus quo metiri debet Eccleſia, vt exploretur an illius in Deum fiducia tanta ſit, vt tot aduerſis abſque periculo ſubuerſionis exponi debeat? Quærit S. Hieronymus in cap. 1. Zachariæ, cur in paucis verſiculis, breuibus ſententiis, ſemper in Aggæo, & Zacharia additur (*dicit Dominus exercituum,*) *Eſt*, inquit Hierony. *Vt ſciant Dominum eſſe qui præcipit aduerſus regis imperium, & hoſtes circum frementes, & hac ad ædificationem templi fiducia conſtituatur.* Ita S. Hieron. Ita dico Eccleſiam omnem ſuam fiduciam in Deum collocare debere, nec ab incæpto Dei obſequio, quantum fas erit, ſeipſam retrahere, quia hæc mala Dominus prædixit, nec ſe tunc defuturum repromiſit, *In mundo*, inquit, *preſſuram habebitis: ſed confidite: ego vici mundum.* Ioan. c. 16. Vnde ſeptuaginta interpretes de Enoc loquentes, vbi Geneſ. 4. communis verſio habet: *Iſte cœpit invocare nomen Domini*, verterunt: *Hic ſperauit invocare nomen*

Domini, quaſi ſpem in Deum collocare ſignum ſit euidentiſſimum inſignis pietatis.

Hic autem calamus ſimilis virgæ dicitur, ſiue vt recordemur virgæ Moyſi, in qua tot prodigia perfecit, & populum Iſraëliticum in maximis ac variis periculis conſtitutum potenter eripuit, nec non Pharaonis potentiam & obduratam peruicaciam confregit; ſiue vt recordemur crucis, in qua Chriſtus peccatum & Diabolum ac mortem ſuperauit, vt ſic ſciamus & agnoſcamus nullam fore ſeculi poteſtatem adeo validam, vt ab illa vincamur; ſi ſub Dei protectione fiducialiter confugiamus; nec nos ita omnibus mediis ac auxiliis humanis deſtitui, vt ſi in eum ſpem noſtram collocauerimus, non ſtatim adſint vires quibus hoſtes ſuperemus. Nam nec Moyſes ob potentiam regis Ægyptiorum ab incæptis deſtitit, nec Chriſtus Dominus opus noſtræ ſalutis conſummandum derelinquit, quod fuerit ab omnibus derelictus, & omni humano ſolatio deſtitutus. *Maledictus*, dicebat Ieremias c. 17. *homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuũ & recedit à Domino cor eius. Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Et erit quaſi lignum quod tranſplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas, & non timebit cum venerit æſtus: & erit folium eius viride, & in tempore ſiccitatis non erit ſollicitum, nec aliquando deſinet facere fructum.* Ita Hierem. Quod ſole clarius apparebit in electis in vltima perſecutione: nam nec erroribus ſeduci poterunt propter fiduciam in Deum, nec à charitate Chriſti poterunt ſeparari. Nam, vt ait Sapiens, Sap. 3. *qui confidunt in illo intelligent veritatem, & fideles in dilectione acquieſcent illi: quoniam donum & pax eſt electis Dei*: electis inquam Dei, qui cum Pſalmiſta ad Deum clamant: *Miſerere mei Deus, quoniam in te confidit anima mea, & in vmbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas.* Pſ. 56. Illa inquam iniquitas, quæ quia tunc abundabit in multis refrigeſcet charitas; at non in electis, qui quo fortiùs tunc impugnabuntur, eo feruentiori charitate Deum proſequentur.

Igitur dum hic calamus ſimilis virgæ dicitur, & præcipitur S. Ioanni vt illo fideles metiatur, eſt quaſi diceret: Vide ſi tunc fideles, veluti Moyſes, ſint in diuinam prouidentiam omnem ſuam fiduciam collocaturi, in quacunque ponantur anguſtia, quibuſcumque ſe offerentibus inimicis. Vide ſi propterea quod Eccleſia erit quaſi derelicta, & omni humano auxilio deſtituta, an ſpem ſuam amittat, vel an Chriſti crucifixi memor, humanitate, infirmitate, & patientia ſua parata ſit contra hoſtes dimicare, ſciens quia *infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia.*

Idoneus fuit S. Ioannes ad metiendum Eccleſiæ virtutem, quia habuit ſigna prædeſtinationis electorum cognita, æque ac ſigna eorum qui reprobari merentur, vt conjiceret quinam poſſent per manere ad coronam, quinam poſſent in ſempiternum abire internum.

ANNOTAT. III.

OPVS prædeſtinationis opus certè eſt occultum: fit & executioni mandatur in nobis, neſcientibus nobis, quia neſcimus an effectus gratiæ qui in nobis producuntur, fiant ex efficaci intentione noſtræ ſalutis. Occultiſſima enim eſt hæc intentio: vnde licèt plærasque videamus in nobis, de ſe ad ſalutem conſequendam conducibilia, neſcimus tamen an verè & efficaciter ſalutem ſimus adepturi. Nam, vt ait S. Auguſt. in Pſ. 150. *Secundum propoſitum occultiſſimæ iuſtitiæ bonitatiſque ſuæ Deus quos prædeſtinauit illos & vocauit, & quos iuſtificauit, ipſos & glorificauit. Prædeſtinatio noſtra non in nobis facta eſt, ſed in occulto apud ipſum, in eius præſcientia: ſtria vero reliqua in nobis fiunt, vocatio, iuſtificatio & glorificatio. Vocamur prædicatione pœnitentiæ, ſic enim cœpit Dominus Euangelizare: Agite pœnitentiam: appropinquauit enim regnum cœlorum. Iuſtificamur in vocatione miſericordiæ, & timore iudicij: hinc eſt quod dicitur: Deus in nomine tuo ſaluum me fac, & in virtute tua iudica me. Non timet iudicari, qui impetrauit ante ſaluari. Vocati tenuntiamus diabolo per pœnitentiam ne ſub iugo eius remaneamus. Iuſtificati ſanamur per miſericordiam, ne iudicium timeamus. Glorificati tranſimus in vitam æternam, vbi Deum ſine fine laudamus.* Ita Aug. Sed quia, vt dixi, illi effectus ſiue vocationis, ſiue iuſtificationis, ita fiunt in nobis, vt neſciamus an efficaciter vltimus effectus glorificationis ſubſequatur vocationem & iuſtificationem, per perſeuerantiam in bonis operibus; ideo opus prædeſtinationis plærumque fit in nobis neſcientibus nobis: quia *nemo ſcit an odio vel amore ſit dignus.* In ipſis inimicis latent ciues futuri. In ipſis amicis latent qui poſtea caſuri erunt ſeparandi. Apud apertiſſimos aduerſarios, prædeſtinati amici latitant, adhuc ignoti etiam ſibi; apud ciues latitant qui foras erunt ejiciendi, iuxta illud: *Atrium autem quod foris templum, ejice foras.* Ciuitas quippe Dei quandiu peregrinatur in mundo, connexos habet communione Sacramentorum, nec ſecum futuros in æterna ſorte ſanctorum. *Perplexa quippe ſunt ciuitas Dei & ciuitas diaboli in hoc ſeculo, inuicemque permixtæ, donec vltimo iudicio dirimantur.* Auguſt. l. 1. de ciuitat. c. 35. Cuius diuiſionis & direptionis hic ſancto Ioanni ſymbolum datur, dum iuxta ſigna prædeſtinationis ſibi ſuperius notificata & ab eo cognita, dum librum apertum in quo erant deſcripta auidè deglutiuit, templum & altare & adorantes in eo dimetitur, & atrium à templo foras ejiciendum eſſe cognoſcit. Licèt enim, vt docet S. Auguſt. lib. de ouibus cap. 10. ſciat prædeſtinationè & præſcientia oues & hircos ille ſolus, qui prædeſtinare potuit, qui præſcire, & vt ipſe addit, *modò quia omnes ſub iugo Chriſti ſunt, & omnes ad gratiam Dei accedunt, autem te putas, hircum te forte Deus nouit*; Vnde nobis ſit incognitum quis ſit vt hircus expellendus, quis vt ouis in æterna paſcua colligendus, tamen Deus per ſpecialem reuelationem poteſt huius diſcriminis cognitionem quibuſdam infundere. Nam ſi propria alicuius prædeſtinatio, vt docent Theologi, ei aliquando innotuit ex ſpeciali Dei reuelatione, certitudine excludente omnem formidinem de oppoſito, vt patet ex Abrahamo Geneſ. 15. *Ego ſum merces tua magna nimis*, De Moyſe Exod. 33. *Oſtendam tibi omne bonum*, id eſt meipſum; de Hieremia c. 1. *Priuſquam te formarem in vtero noui te*; de Beata Virgine Luc. 1. *Beatam me dicent omnes generationes*; De Apoſtoli Luc. 10. *Gaudete autem, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* Lege Puteanum q. 23. ar. 1. dubitatione quarta; quin etiam cum certum ſit ex iiſdem Theologis, quemlibet certitudine morali poſſe aſſequi cognitionem ſuæ prædeſtinationis, ex ſignis & coniecturis quibuſdam deſtinatis & præſcriptis à Chriſto, aut etiam à patribus, ad hoc vt quis conjicere poſſit ſe eſſe prædeſtinatum, verbi gratia per acceptationem & profeſſionem fidei Catholicæ; auditionem diuini verbi cum affectu, adimpletionem mandatorum Dei; omnemque actionem propter quam quis in ſacris literis beatus vocatur; velut etiam conjici poteſt ex humilitate, charitate, patientia in tribulationibus; probabile eſt etiam quibuſdam Deo charis & acceptis cognitionem prædeſtinationis aut reprobationis aliorum dari poſſe, ſi hoc ad Dei gloriam & Eccleſiæ informationem

conducibile fuerit. Hinc,

Dico primò, nolle equidem Deum prædeſtinationem propriam nec aliorum de lege communi cuilibet innoteſcere certè ac indubitanter, quòd ſecuritas ſit mater ſuperbiæ, vt auctor eſt S. Auguſtinus c. 8. lib. de dono perſeuerantiæ: *Non expedit*, inquit, *in huius vitæ tentatione ſecuritas: reprimit enim ab elatione perniciosa illud Apoſtoli: qui videtur ſtare, videat ne cadat*; Lege Puteanum loco citato; at non ſolùm hæc ſecuritas mater eſſet ſuperbiæ, ſed & negligentiæ. Nam optimè Procopius Gazæ in c. 1. Geneſ. *Si quis præſciret ſe bonum futurum, & ſic permanſurum vſque ad finem, certè nequaquam magna promptitudine repugnaturus eſſet vitiis, quia certa perſuaſione freus ſciret ſe talem permanſurum. Præterea notandum cenſeo quamuis Deus nouerit eos bonos fore, attamen haud eum fugit quod exercitati variis certaminibus & luctationibus quas patienter tulerint, ad virtutem & bonitatem ſint euaſuri: Quapropter haud ab re Deus nos futuri creauit ignaros, ne ſcilicet quis præcognoſcens ſe virtute præditum fore, negligentiùs virtutis via inſiſtat, & præſcientia ſuperbus cum Deo pugnet, obtorpens ad virtutem capeſſendam. Eſſet enim impedimentum & obſtaculum virtutis paranda præſcientia.* Ita Procopius.

Dico tamen ſecundò, ex ſpeciali priuilegio poſſe quibuſdam aliorum etiam prædeſtinationem innoteſcere, vt dictum eſt quod in B. Ioanne aſſerimus factum. Nam cum mihi pro compertò ſit, in templo & altari, & adorantibus in eo, electos ſignificari, ſicut in atrio reprobos, vt patebit ex dicendis (agitur enim hîc vt diximus de fine ſeculorum quando dirimentur electi à reprobis) cum præcipitur B. Ioanni vt metiatur templum & altare, & adorantes in eo, nihil aliud illi præcipi cenſeo, quàm quod videat an ſigna prædeſtinationis illi perſpecta per reuelationem, ſpecialiter illis qui per templum & altare ſignificantur, conueniant. Phrygum enim eſſet iniquitas (qui aſſeuerabant inquit S. Athanaſius ſerm. 4. contra Arianos, neſciiſſe Prophetas, verbique miniſtros, quid facerent, aut de quibus annunciarent) aſſerere Beatum Ioannem neſciiſſe, quid per hæc ſymbola templi & altaris, & eorum menſurationem intelligi oporteret. Quid autem conjicere poſſumus per iſtam commenſurationem ſignificari, conjicere licet ex eo quod dicitur: *Atrium autem quod foris templum, ejice foras: & ne metiaris illud.* Si atrium non menſuratur, quia foras efficiendum, certè admittentur intus templum & altare, & in eo adorantes, qui metiuntur, id eſt, intrabunt in gloriam, in quibus ſigna prædeſtinationis deſcripta in libro deuorato iuxta menſuram debitam reperientur impreſſa. Ita enim decuit Chriſtum Dominum illud ſpecialis dilectionis ſignum erga ſanctum Ioannem exhibere, quia illum ſpecialius diligebat. Nam ſi inter amicitiæ teſtimonia Chriſtus reponit oſtenſionem ſecretorum, dum dixit Ioan. 15. *Iam non dicam vos ſeruos, quia ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius; vos autem dixi amicos: quia omnia quæcumque audiui à Patre nota feci vobis*; non mirum ſi ea quæ abſtruſioris conſilij ſunt reuelet ei quem ſpecialius diligebat. Ad quod reſpexiſſe videtur S. Ioannes, dum ſe dilectum aſſerens à Chriſto, vt hanc probaret dilectionem ait: *Qui & recubuit in cœna ſuper pectus eius, & dixit: Domine quis eſt qui tradet te?* Ioan. vltimo. Dum enim gloriatur ſe recubuiſſe ſupra pectus Domini, gloriari videtur de reuelatione ſecretorum, quæ Chriſtus gerebat in pectore recondita. Vnde in officio B. Ioannis cantat Eccleſia: *Iſte eſt Ioannes, qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit; beatus Apoſtolus cui reuelata ſunt ſecreta cœleſtia.* At dum addit: *Et dixit: Domine quis eſt qui tradet te?* hanc reuelationem videtur aſſerere talem fuiſſe, vt etiam per eam didicerit ea quæ ſunt abſtruſioris conſilij, quale eſt cognitio reprobationis alicuius: quam quidem cognitionem percepit, dum ad eius interrogationem Chriſtus reſpondens dixit: *Hic eſt qui intingit mecum manum in paropſide: Hic me traditurus eſt*: Dicere autem quod Iudas Chriſtum eſſet traditurus, erat reuelare illum eſſe damnandum; de eo enim qui eum erat traditurus, Chriſtus manifeſtè dixerat illum eſſe diabolum, & bonum fuiſſe ei ſi nunquam natus fuiſſet, illius maledictionem æternam, ex excluſione boni, denotans, non cauſaliter ſed conſequenter damnandus, quia natus fuiſſet; qui ſi non fuiſſet in mundum editus, Chriſtum non tradidiſſet, nec ſuæ damnationi cauſam dediſſet, per finalem impœnitentiam tam immenſi ſceleris. Vnde maledictionem ipſi interminauerat dicens: *Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur.* Marci c. 4. Nec ab hac reuelationis ſpecie diſſidet quod legimus in vita Seraphici Patris Franciſci, qui obnixe rogatus à quodam amico vt eum ſecurum redderet de ſua ſalute, diuina inſpiratione motus ad orationem confugit, in qua didicit hunc amicum eſſe de numero prædeſtinatorum: quod cum amico dixiſſet, hoc fama crebreſcente ad aures cuiuſdam Theologi peruenit, à quo ſeuerè reprehenſus quod talia aſſereret nuderet, interroganti Theologo irriſoriè à quo hæc didicerat, ſanctus vir Dei zelo commotus, reſpondit ab eo ſe didiciſſe, qui ſibi reuelauerat eumdem Theologum nocte præterità ſe ipſum graui crimine polluiſſe, propter quod religionis habitum erat dimiſſurus, & apoſtata miſerè moriturus. Ita referunt Chronicæ Minorum l. 1. c. 3.

Dico tertiò, conuenientiſſimum fuiſſe S. Ioannem ſcire in quibus ſigna prædeſtinationis reperirentur efficacia in fine ſeculorum, nempe in his qui pro tunc erant templum & altare, & adorantes in eo; vt fidelibus in tantis periculis conſtitutis conſolationem non modicam præbeat ea ſpe certa ſuæ ſalutis, ſi ſint templum, ſi ſint altare, ſi ſint ex numero adorantium, id eſt ſi ſint fideles Catholici, ſi in eis ignis charitatis vigeat, ſi actus fidei conformes eliciant; & opere & veritate, & non tantùm verbo, Deum ac proximum diligant: ne ſi Deus electos abſque ſpe certa ſalutis in tantis diſcriminibus relinqueret, eos deſerere videretur in tempore tribulationis & angustiæ, in quo omnibus temporalibus honoribus, ac dignitatibus mundi ſpoliabuntur, & variis tormentis ac cruciatibus ad negandum Chriſtum compellentur, totque prodigiis ac ſignis mendacibus incitabuntur, vt ſi fieri poſſet ſeducerentur etiam ipſi electi: ſola ſpes reſtabit afflictis, qua ſi ſpoliarentur, deſeri proculdubio viderentur.

Conuenienter igitur reuelatur B. Ioanni ſigna prædeſtinationis fore certiſſima in his qui pro tunc erant templum & altare, & è numero adorantium in eo. Hac de cauſa paſtores Eccleſiæ animum deſpondere non debebunt, ſcientes adhuc aliquos eſſe in quibus cura & tollicitudo eorum non erit inutilis. Hac de cauſa prædicatores à prædicando verbo Dei importunè & opportunè ceſſare non debebunt, certi aliquos eſſe in quibus Dei verbum non redibit vacuum, ſed fructum adferet. Hac ratione dignoſcere poterunt circa quos debeant occupari, ne operam perdant erga illos qui per atrium ſignificantur, quæ omnia corroborari poſſunt ex ſpecialibus reuelationibus, quæ aliquando ſanctis quibuſdam factæ fuerunt, vt circa hos operam impenderent, alios autem negligerent. Hoc ſenſu dicebat S. Paulus 1. ad Corinth. c. 6. *Oſtium mihi apertum eſt magnum & euidens*; & Epiſcopo Philadelphienſi dicitur in hac prophetia: *Ecce ego dedi oſtium apertum, quod*

nemo poteſt claudere: quibus verbis prouocantur tum Paulus, tum ille Epiſcopus, vt gnauiter operam darent verbum prædicandi, quia plurimi erant qui per eorum prædicationem tunc ſalutem erant conſequuturi.

Ad hunc finem etiam S. Paulus inſignem habuit viſionem Act. 16. vt iret in Macedoniam, & viſio per noctem Paulo oſtenſa eſt: *Vir Macedo quidam erat ſtans & deprecans eum, & dicens. Tranſiens in Macedoniã adiuua nos. Vt autem viſum vidit ſtatim quæſiuimus proficiſci in Macedoniam, certi factí quod vocaſſet nos Deus euangelizare eis.* Contra Deus aliquando reuelat ſanctis non eſſe eis curam impendendam circa aliquos, & laborem eorum incaſſum iri ſi aliquem inſumant. Sic dictum fuit Samuëli 1.Reg.16. *Vſquequo luges Saul, cum ego proiecerim eum ne regnet ſuper Iſraël?* Sic præceptum Apoſtolis Matt.10. *Et quicumque non receperint vos, neque audierint ſermones veſtros, exeuntes foras de domo vel ciuitate, excutite pulueremde pedibus veſtris.* Sic Paulus & Barnabas Iudæos deſerentes Act. 13. dixerunt. *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, ecce conuertimur ad gentes.* Sic denique præcipitur S. Ioanni vt atrium quod foris eſt foras ejiciat, & ne metiatur illud, vt pote reprobum & maledictum proximum; Et vt olim Noe à Deo dictum fuit: *Finis vniuerſæ carnis venit coram me: repleta eſt terra iniquitate à facie eorum: & ego diſperdam eos cum terra*; quin & Abrahæ reuelata fuit Sodomorum, & Gomorrhæorum perditio, Geneſ. 18. vt pote Deo amicillimo: *Num* inquiebat Dominus, *celare potero Abraham quæ geſturus ſum*; Et poſtea: *Dixit itaque Dominus: Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis*, &c. Ita S. Ioanni, vt diſcipulo chariſſimo, reuelatur in quibus, in futuris temporibus, ſigna prædeſtinationis, in quibus etiam ſigna reprobationis erunt notiſſima. Nam ex ſignis datis B.Ioanni, mens eius cognoſcere poterat facillimè quinam effectus prædeſtinationis ſperandi erant efficaces, ſeu ex quibus cõiecturis cõſici poterat aliquem eſſe prædeſtinatum. Vel dicendũ quod S.Ioannes certitudine phyſica ſcire potuit hos aut illos, qui tunc talibus nominibus indigitabantur, pertinere ad numerum prædeſtinatorum, ſi vt fieri potuit, hic liber quem deuorauit cõſcripta habuit nomina prædeſtinatorum, ſicuti Andreas Cæſarienſis exiſtimauit hunc librum conſtriptos habere actus nequiſſimos peruerſorum.

Surge & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo: atrium autem quod eſt foris templum, ejice foras, & ne metiaris illud.

De templo, altari & adorantibus in eo, & atrio foris ejiciendo.

ANNOTAT. IV.

Diuerſa auctorum expoſitiones de templo, & altari, & atrio. §. 1.

CONSIDERANDVM eſt, inquit Lud. ab Alcazar, *iuxta hanc rei viſionem, templum quoddam, & altare holocauſti, ſimilia prorſus templo atque altari, quæ deſcribuntur ab Ezechiele à c. 40. vſque ad 43.* Qui etiam docet fruſtra Villalpandum defudaſſe vt oſtenderet vniuerſas dimenſiones, de quibus Ezechiel loquitur, templo Salomonis aut altari holocauſti extructis conuenire, cum nec Salomonis templum nec Zorobabelis, nec Herodis, ad eam vnquam magnitudinem ac perfectionem peruenerint, quam Ezechiel depingit: id quod ita fieri maximè oportuit, vt animaduerteretur magnitudinem illam & ſplendorem Templi, quæ Ezechieli per viſum oſtenſa ſunt, non quidem corporeum eſſe ſed ſpiritualem: ad cuius perfectam repræſentationem nuſquam aut Salomonis aut hominis alterius fabrica peruenerit. Cui in hac re facillimè aſſentior; cum pro comperto & certiſſimo habeam in hac ciuitate, templo, & altari Ezechielis, ſtatum Eccleſiæ militantis præfigurari: quem obtinebit tandem cum populus Iſraëliticus in fine ſeculorum in Eccleſiæ Catholicæ gremio recipietur.

Templum autem illud Ezechielis exiſtimat Alcazar figuram eſſe cuiuſdam partis Catholicæ Eccleſiæ, nimirum Religionum. Et qua ratione templum Ezechielis ſymbolum eſt religioſæ vitæ: eadem ratione & templum Ezechielis, & templum perinde à S. Ioanne demetiendum, figura eſt ſtatus primæuæ Eccleſiæ. Nam temporalium rerum contemptus, à vanitate ſæculi animum abſtrahere, & perfectiſſimo Dei obſequio vacare, paupertate voluntariâ & rerum abdicatione vitam traducere, Chriſti ſectari veſtigia, & immaculatos ſe cuſtodire ab hoc ſeculo; hæc inquam omnia omnino ſapiunt generalem primigeniæ Eccleſiæ profeſſionem. Dum igitur Ezechiel adumbrat in ſuo templo religionum inſtitutum, adumbrat etiam ſtatum primigeniæ Eccleſiæ, in quo floruit potiſſimum quidquid perfectionis in religionibus reperitur. Ad mentem igitur Alcazar Templum à S. Ioanne dimetiendum ſignificat primæuam perfectionem fidelium in exordia naſcentis Eccleſiæ, quam certe reuiuiſcendam fore in electis exiſtimo in vltima Anti-Chriſti perſecutione.

Altare autem, inquit Alcazar, *holocauſti quod Ezechiel depingit (eſt autem ipſummet quod Ioannes dimetiri iubetur) meâ ſententiâ ſymbolum eſt deuotionis maximæ, qua primi illi fideles ſeſe in martyrium ſponte offerebant: quod nihil impedit quominus referatur etiam ad deuotionem religioſæ vitæ, ac prompti animi expeditionem, ad res perfectiſſimo Dei obſequio conducentes; quod ſecundum eſt martyrij genus.* Ita Alcazar. At dico, multò magis minimè impediet quominus referatur ad zelum Chriſtianorum, qui martyrium ſubire non dubitabunt ſub Anti-Chriſto.

Iubetur autem Ioannes dimetiri etiam ſtaturam Deum in eo templo adorantium, inquit Alcazar, *ad menſuram calami, qui magnitudinem ſtaturæ Adami adæquabat, eiuſque ſignificationem vult eſſe vt reſpiciat ſpiritalem Chriſti menſuram.*

Quantum autem ad atrium foras ejiciendum, docet Alcazar, *templi nomine complecti atrium Sacerdotum, & atrium Iſraëlis cum ſuis porticibus, quæ comprehendebantur intra murum quingentorum cubitorum in quadrum, quamuis Iſraëlis atrium vocetur exterius, ratione atrij Sacerdotum, fuiſſe autem extra murum, & ab eo ſeiunctam ingentem porticum latam triginta cubitos, quæ omni ex parte templum circuibat, quod communiter dici ſolebat atrium gentium, quia in hanc porticum ingredi gentibus licebat, non tamen in Iſraëlis atrium, quia columnæ aquis internallis diſpoſitæ præmonebant literis græcis & latinis alienigenas in locum ſanctum ingredi non poſſe*: Ad hoc atrium reſpicere ſanctum Ioannem aſſerit, & per illud ſignificari bona externa fidelium, illa inquam, quæ fidelibus & infidelibus ſolent eſſe communia, cuiuſmodi ſunt res familiaris, fortunæ, poſſeſſiones, & cætera temporalia commoda, quæ non minus Deus infidelibus ac gentibus quàm fidelibus & feruidis Chriſtianis elargitur. Ita Alcazar.

Rupertus: *Surge, inquam, & metire templum Dei, & altare, id eſt Chriſtum Dei filium, qui & templum Dei eſt, & altare ſanctæ Eccleſiæ, templum videlicet Dei, ſecundum corpus quod aſſumpſit ex Virgine; altare vero*

Digitized by Google

ſecundum dignitatem vtriuſque naturæ, diuinæ ſcilicet & humanæ. Corpus namque quod aſſumpſit templum Dei eſt, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: Propterea dixit: Soluite templum hoc, & ego in tribus diebus excitabo illud. Hoc autem dicebat de templo corporis ſui. Porro altare ſanctæ Eccleſia eſt eadem ſubſtantia iam glorificati corporis, ſimul cum illa, quæ habitat in eo, plenitudine diuinitatis, iuxta auctoritatem ſanctæ ac myſticæ legis, in qua Deus dicit: Altare de terra facietis mihi, id eſt Chriſtum verum Deum, verumque hominem terreno corpore incarnatum ſiue incorporatum; conſtentes veras hoſtias offeretis mihi: iſtud templum Dei, &c. Ita Rup. At de atrio loquens, ait poſtea: *Quod eſt illud atrium, quod iam foris eſt, niſi quodcumque conuenticulum hæreticorum, qui etſi ſæpe intus eſſe contendunt, nihilominus tamen foris ſunt, & in illud Dei templum, id eſt ad Chriſtum nequaquam pertinent, aut pertinuerunt. Illos ergo foras ejice, id eſt foris eſſe, foris exiſſe conuince; exempli gratia vt dicas: Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis.* Ita Rup.

Victorinus: *Aulam autem exteriorem ejice foras: Aula atrium dicitur vacua, inter parietes area. Hoc tales non neceſſarios ejici inſſit de Eccleſia, quia data eſt, inquit, calcari à gentibus, id eſt huiuſmodi, itaut à gentibus conculcetur.* Ita Victor.

Primaſius: *Metire templum & aram, & adorantes in eo. Eccleſiam iubet, id eſt templum Dei, præmiſſâ diuinorum menſurâ donorum ſpiritaliter informare, præcipuè in ara, id eſt in fide, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo.* Et paulò poſt: *Aliter in ara Sacerdotes, in templo fideles ſignificat. Multi enim ſuperficie tenus adorare videntur, & in libro non ſcribentur. Hoc ſignificans ſequitur: Aream autem, quæ eſt à foris templi, ne metiaris. Omnis enim gloria eius filiæ regis intrinſecus: Quoniam data eſt gentibus: & ciuitatem ſanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus. Credulitatis malæ doctrinam, & conſuetudinis fauſtæ contagia, in hæreticis, Iudæis & gentibus, foris iubentur expelli: quoniam ad ſancta ſanctorum tales indignum eſt properare. Quid enim mihi, ait Apoſtolus, de his qui foris ſunt iudicare? Omnes enim Iudæi, hæretici atque gentiles, Eccleſiam diuerſis modis indefinenter impugnando, quaſi conculcant.* Ita Primaſ.

S. Thomas in expoſitione: *Tria iubet metiri, ſcilicet templum, per quod intelligitur Eccleſia, item altare, quod eſt Chriſtus; Rurſus adorantes in templo, id eſt eos qui adorare debent in Eccleſia. Et de atrio loquens ait: Atrium autem, id eſt falſos Chriſtianos, qui filii ſunt, in malo indurati, ſimulantes ſe eſſe de Eccleſia, cum non ſint; hos comparat atrio, quia dicunt ſe adhærere Eccleſiæ, ſicut atrium adhæret templo: tamen non pertinent ad Eccleſiam, ſecundum veritatem, vnde dicuntur eſſe foris templum. Item quia ſicut atrium ſanctum eſt, tamen in eo ſepeliuntur cadauera, ita iſti fuerant aliquando ſacramentaliter ſanctificati per baptiſmum, cum intus fatent fatore vitiorum.* Ita D. Tho.

Auguſtinus autem, ſeu vt alij volunt Ticonius: *Surge, &c. excitatio non eſt Eccleſiæ: hic enim Ioannes audiebat: Metire templum & altare, & adorantes in eo. Eccleſiam iubet recenſeri, & præparari ad vltimum; & adorantes in ea. Sed quia non omnes qui videntur adorant, ideo dixit: atrium quod eſt foris templum ejice foras, & ne metiaris illud. Ipſi atrium ſunt, qui videntur in Eccleſia eſſe & foris ſunt, ſiue hæretici, ſiue male viuentes Catholici.* Ita Ticon.

Quid intelligant autores prædicti per menſurationem templi & altaris, & adorantium in ea, & de ejectione atrij abſque menſuratione §. 2.

Ludouico ab Alcaz. *Menſurare templum eſt per menſuram quam manibus tenet æſtimare ac ponderare copioſiſſimos fructus, quos percipit animus, ex multorum laborum pro Chriſto tolerantia, quæ permagni refert ad ſpiritalem Eccleſiaſticæ ſtructuræ magnitudinem: cum ad hoc magnopere conferant ingentes labores, & perſecutiones. Et ſane menſuræ ſymbolum huic ſignificationi eſt valde accommodatum. Etenim menſorium calamum mihi in manus tradi, perinde eſt quaſi pari quadam proportionalis mihi detur illius quod dimetiendum eſt: vt cum eam ad rem menſuratam applicem, ex perfecta menſura cognitione magnitudinem totius ædificij comprehendam. Dimetiri autem altare Ioannes iubetur, quaſi nobis dicatur quod Ioannes ipſe experimento ſolatij magni, quo Deus ipſum cumulabat, per occaſionem martyrij eidem in Iudaica illa perſecutione præparati, metitur magnitudinem altaris holocauſti primitiuæ Eccleſiæ, hoc eſt comprehendere hac ratione quanti ipſius Eccleſiæ interfuerit perſecutionis magnitudo, vt myſticum illud altare (id eſt ingens ea deuotio ad Martyrium) eſſet numeris omnibus abſolutum, ac proinde Deo gratiſſimum & Chriſtianæ Eccleſiæ glorioſiſſimum.*

Quantum autem ad adorantes, quos etiam dimetiri iubetur, ait Alcazar *nos admoneri in ea perſecutiones non ad Eccleſiæ ſolum caput, ſed ad ſingula etiam membra eſſe penitiles, quippe qui mediocri antea virtute præditi, per ipſas perſecutiones ex parua ſtatura ad magnam illam Chriſti virtutis conformem deuenerint.* Ita Alcazar, iuxta illud ad Epheſ. 4. *In menſuram ætatis plenitudinis Chriſti:* & verſu 16. *in menſuram vnius cuiuſque membri.*

Primaſio autem metiri templum & aram & adorantes in eo, eſt præmiſſâ diuinorum menſurâ donorum, Eccleſiam ſpiritaliter informare, præcipuè in ara, id eſt in fide, ſine qua *impoſſibile eſt placere Deo.*

At cuiuſnam myſterij fides præcipue eſt habenda, de quo informanda ſit Eccleſia? Si Victorino credimus, *eſt iuxta Chriſti Domini mandatum, patrem confiteri omnipotentem, & huius filium Chriſtum ante originem ſeculi ſpiritualem apud patrem genitum, hominem factum, & morte deſtructa in cælos cum corpore à patre receptum, effudiſſe Spiritum ſanctum, donum & pignus immortalitatis, hunc per Prophetas prædicatum, hunc per legem conſcriptum, hunc eſſe mandatum Dei & verbum Patris, & conditorem orbis. Hæc eſt arando & menſura fidei.* Ita Victor.

Sed quia tam ſublime myſterium vnicuique iuxta ſuam capacitatem eſt proponendum, ideo optimè Ambroſius ait: *Templum namque Dei & altare, atque adorantes in eo vnuſquiſque prædicator metitur, dum vnicuique ſecundum propriam capacitatem ſpiritalis gratiæ doctrinam adminiſtrat, aliter Paganis, aliter Chriſtianis, aliter Hæreticis, aliter Catholicis.* Ita Amb.

Rupertus autem qui Chriſtum in templo & altari ſignificari vult, ita iſtam menſurationem intelligit. *Tu ergo*, inquit, *metire, & menſuras eius (id eſt Chriſti) extende calamo iſto* nempe facultate ſcribendi cum principatu & omnimoda magiſterij auctoritate, vt antea dixit Rupertus, præſcribens quantæ longitudinis aut latitudinis ſit aut debeat eſſe longitudinem eius: *Supra extende: ſupra inquam, ante Mariam & ante Abrahæ, imo & ante Adam, ſed & ante cælum & terram, vſque ad antiquum dierum, vſque ad antiquitatem antiqui dierum, & dic: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum. Ita metire templum hoc & altare, & tam longe menſuras eius extende. Metire etiam adorantes in eo, id eſt oſtende cuius vel quantæ magnitudinis ſint, qui fideliter credentes bene ſentiunt de eo, verbi gratia ſic dicendo: quotquot autem receperunt dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Rup. l. 6. in Apoc. Sanctus Tho. *Metiri templum eſt per donum diſcretionis ſtatum Eccleſiæ prudenter conſiderare, ſecundum capacitatis diuerſitatem, vt prædicentur maiora proiectis, facilia vero ſimplicibus;* Item ſecundum vitæ qualitatem, & ſic iuxta capacitatem intelligentiæ,

Digitized by Google

& qualitatem, doctrinam miniſtrare, quia aliter eſt prædicandum iuſtis, aliter eis qui non rectè ambulare videntur, aliter ſecularibus, aliter religioſis, aliter clericis, aliter laicis, aliter ſuperbis, aliter voluptuoſis, aliter cupidis, aliter fidelibus, aliter in fidelibus: & ſic ſecundum D. Thomam prædicandum, vt Eccleſia magis ac magis ædificetur, vt ſit amplius templum Dei.

Metiri altare ex S. Thoma eſt conſiderare quæ ſunt dicenda de Chriſto, & ſic ea aliis proponere, quia non omnia quæ ſunt de Chriſto ſunt omnibus communiter prædicanda; quia vel non intelligerent, vel non inde proficerent; & poſtea: *quæ ſunt*, inquit, S. Thom. *Eccleſiæ prædicanda de Chriſto, ſic prædica: & prædicando fac vt Chriſtus ſit Eccleſiæ in altare, ſuper quo in templo Eccleſia offerre debemus munera noſtra, in quantum eſt Deus & Patri & Spiritui ſancto.*

Metiri tandem adorantes in templo, ſcilicet eos qui adoraturi ſunt, vel adorare deberent, eſt fidelium qui ſunt in Eccleſia capacitatem & vitæ qualitatem conſiderare, & ſic eos inſtruere qualiter Deum in vnitate Eccleſiæ venerentur, vel adorationem ſpeciali, vt cum quis ſe deuotè humiliat coram maieſtate diuina; Vel adoratione generali, ſecundum quod ſeruire Deo humiliter & deuote eſt ipſum adorare. Hoc autem habet fieri in templo, id eſt in Eccleſiæ vnitate. His conforme eſt quod ait Dionyſius Carthuſian. *Metire ſ. ſingulorum capacitatem, perfectionem, menſuram, conſidera vt vnicuique ſecundum ſuum capacitatem & modum, Dei verbum propenas.* Ita Dion. Ticonio ſeu Aug. *metiri templum & altare, & adorantes, eſt Eccleſiam recenſeri & præparari ad vltimum.*

Quid autem ſit atrium ejici foras, optime Alcazar ait, *eſſe ac ſi quis dicat: hoc extra educamus, id eſt extra rationem ſine computationem, videlicet ne numeretur, nec ad calculos reuocetur. Similiter ergo in menſuris. Ejice foras, idem eſt atque, ne cures eiuſmodi atrium metiri, contemne, pro nihilo ducito, repudia; & poſtea decet cum dicitur Ioanni, ne metiaris atrium quod de foris eſt quoniam datum eſt gentibus; perſpicuum eſſe Ioannem præſtari ſecurum ea omnia quæ menſurare iubetur in hoſtium manus non eſſe peruentura, aut ſaltem hoſtibus non fore poteſtatem ad ea dirimenda, aut dimouenda. Locutio quidem perinde eſt quaſi ageretur de aliquo gentium exercitu Hieroſolymam inuaſuro, & eam occupante, exceptâ tamen templi arce (hoc eſt quidquid muro quingentorum cubitorum cingitur, diuiditurque eodem muro inter ſanctuarium & vulgi locum interiecto) quam capiuti non erant nec quidquam eorum quæ includebantur intus, id eſt nec altare holocauſti nec candelabrum, nec dum ipſas perſonas quæ intra ea ſepta continerentur. Præterea vtrumque atrium, tam ſacerdotum quàm Iſraëlis, immune permanſurum. Cætera vero omnia quæ extra murum prædictum ſita erant, ab hoſtibus fuerant occupanda, atque adeo omnes porticus quæ extra prædictum murum cingebant templum. Hoc autem ſolet accidere interdum, vt hoſtes vi capiant vrbem aliquam, nec tamen arcem natura loci munitam expugnare poſſint.*

Denique cum atrium ſignificare intendat bona externa fidelibus & infidelibus communia, perſecutorum violentia ſubiecta, per hanc phraſin (Ejice foras, & ne metiaris illud) ſignificari vult, ne animus torqueatur horum externorum bonorum amiſſione optimum eſſe remedium omnia in primis renunciare atque a ſe ejicere, ante perfectionis tempus, totamque curam & ſolicitudinem impendere in veri templi dimenſione ac magnitudine: quippe hoc eſt quod ſolum integrum & illæſum, annuente Deo, eſt conſeruandum: neq; Eccleſiæ hoſtes poterunt id comminuere aut labefactare; cætera abijcere & dare peſſum congruentius eſt, vt quæ conſeruari minimè poſſint, id eſt rem familiarem, honores, Magiſtratus, ſalutem, vitam, aut denique quid-

quid profana violentia ſubiacet. Itaque verba illa: Ejice foras, magnam habent emphaſim, vt nuper dicebamus, ad ſignificandum rerum omnium, quas inimicorum impetus poteſt infringere, abdicationem: qua iuſti viri magnopere lætantur, & cum Paulo dicunt: Licèt is qui foris eſt noſter homo corrumpatur, tamen is qui intus eſt renouatur de die in diem. 2. ad Corinth. 4. Quapropter ſi applicitâ conſiderationis menſurâ reperiunt myſtici huius templi interiora cæleſtibus diuitiis & diuinis virtutum ſupellectile eſſe locupletata, libenter ſanè atque iucunde deſpiciunt exteriorum bonorum iactaram. Hæc Alcaz.

Rupertus: *Illud atrium; illos hæreticos (qui ſicut atrium templo quidem vicinum eſt, ſed in templo vel templum non eſt, ita ſunt habentes quidem ſpeciem pietatis virtutem autem abnegantes.) Ne metiaris; id eſt, nihil ad illos pertinere conteſteris menſuram illam, quæ data eſt his qui receperunt eum, qui credunt in nomine eius, ſcilicet poteſtatem filios Dei fieri? Quare? Quoniam, inquit, datum eſt gentibus: id eſt, quoniam gentiles reputantur, dicunt ſe Chriſtianos eſſe & non ſunt, ſed cum gentibus eodem malignitatis ſpiritu debacchantes, Chriſtianos perſequuntur.* S. Thomas: *Ejice foras, id eſt excommunicando oſtende eſſe foras, ſecundum gloſſam:* Et poſtea: *Illos qui ſunt falſi Chriſtiani, ſimulantes ſe eſſe veros filios Eccleſiæ, cum non ſint, quia vel fide carent, vel ſi fidem habent, in moribus prauis obſtinati ſunt, manifeſta eſſe extra Eccleſiam; vel excõmunicando, vel prædicando, &c. Et atrii quod eſt foris templũ dicitur ejici foras, id eſt ſecundũ veritatem præcipitur ejici quantum ad manifeſtationem. id eſt manifeſtari eſſe foras, quod fit excommunicando, vt dicit gloſſa, vel prædicando, vel qui ſunt extra Eccleſiam quantum ad communionem charitatis, quia non ſunt ſub vnitate gratiæ & charitatis cum fidelibus, præcipiuntur ejici per excluſionem à communione Chriſtianæ ſocietatis, quæ eſt in ſimul loquendo, bibendo, comedendo, & ſimul Sacramenta Eccleſiæ participando: quæ excluſio fit per excommunicationem.* Ita S. Tho.

Ita etiam ſentit Dionyſ. Carthuſ. *Atrium autem quod foris templum eſt, id eſt peccatores impœnitentes, præſertim hæreticos, qui vel mente vel fide ſunt extra Eccleſiam, nec Chriſto per charitatem ſunt incorporati, projice foras per excommunicationem & reprobationem, ſeu foris projiciendos declara.* Ita Dion. Carthuſ.

De curſis aliorum ſententiis, ad aperiendum mentem noſtram nunc propetemus.

Surge, & metire templum Dei, & altare &c.

Quid propriè per templum & altare, & adorantes in eo, hic ſignificari certemus? Quid ſit horum menſuratio & quid ſignificet atrium, & eius ejectio?

ANNOTAT. V.

NVNQVAM procul dubio fuit aut erit ad peccandum effrenatior & profuſior libido, quàm illa quæ in vltimis temporibus graſſabitur. Nunquam homines paſſionibus & concupiſcentiis ſuis inſectuentes, intenſiori conatu iuſtitiæ Chriſtianæ fulgorem impendite attentabunt, quàm tunc cum erunt variis erroribus implicati. Nunquam audaciùs diuini cultus exercitium euertere & euellere conabuntur, quàm cum omni iudiciorum Dei timore depoſito, ad ſua deſideria complenda tunc properabunt, dimiſſi à Deo, *ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis.* Pſ. 80.

Huius infelicis temporis imaginem nobis ob oculos proponit Apoſtolus, 2. ad Timot. 3. *Hoc autem ſcito, quia in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſint*

Digitized by Google

ſi, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, cæci & voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Ex tanta morum corruptione, nihil ad pietatem inſeruiens intactum relinquent, quin illud ſubuertere aut eradicare non conentur. *Quemadmodum autem*, inquit S. Paulus, *Ioannes & Mambre reſtiterunt Moyſi, ita & hi reſiſtunt Veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem: ſed vltra non proficient. Inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit.* Et reuera tunc, prophetante etiam hoc Chriſto Domino fides euaneſcet: *Veruntamen*, inquit, *filius hominis veniens, putas inueniet fidem ſuper terram?* Ac ſi diceret: In tam paucis refulget lumen fidei, vt vix fulgor illius debiles radios exterius emittat: refrigeſcet charitas ex abundantia iniquitatis, multis in errorem inductis & ſeductis à falſis Prophetis quibus totus orbis tunc opplebitur. *Et multi*, inquit, *pſeudo-Prophetæ ſurgent & ſeducent multos, & quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.* Impugnabitur veritas, quaſi non ſufficiat vnicuique ſi genio indulgeat, & mala deſideria adimpleat, niſi inſuper alios ad peccandum alliciat & impellat, ſiue ſignis & prodigiis fallacibus: *Surgent enim pſeudo Chriſti & pſeudo Prophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia: Itaut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam ipſi electi*: Siue perſecutionibus & tormentis innumeris, quibus fortiorum virtus conſtantior etiam excutietur. *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, vſque modo, neque fiet: & niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro: ſed propter electos breuiabuntur dies illi.* Matt. 24. Quis non videt neminem à ſubuerſione fore liberum, niſi ſpeciali Dei protectione fulciatur, totoque orbe virtutibus deſtituto, vitiis fædato, variis perturbationibus agitato, erroribus oppleto, opus eſſe in tot diſcriminibus & periculis, vt Deus neminem permittat ſupra vires tentari, ſed vt pro ratione virium partem tantarum perſecutionum vnicuique diſtribuat, iuxta illud Apoſtoli 1. ad Corinthios 10. *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere.* Deus ſiquidem is eſt qui vt ait Iob. c. 28. *fecit ventis pondus, & aquas appendit in menſura: quando ponebat pluuiis legem, viam procellis ſonantibus*, itaut licet nihil vento leuius ſit in rerum natura, modum tamen illi præſcribit, ne vehementius flet quàm par ſit. Diceres in vna lance vires rerum quas ventus vehementiori ſtatu concutere conatur, & vehementiam ſui impulſus in alia lance appendiſſe, ne adeo vehementer exſufflet vt poſſit euertere. Diceres illam menſuram in manu tenere, vt tantum aquæ hauriat, quantum requirat terræ ſiccitas vt fructifera reddatur, non autem inundationibus ſubmergatur: iuxta quam menſuram vapores eleuari è terræ ſinu decernat, quibus nubes efformentur, & pluuia irrigua terram fœcundans præparetur, vt modò huc modò illuc diſcurrentibus nubibus pluat ſupra vnam ciuitatem, non pluat ſupra aliam, pro abitrio ſupremi omnium moderatoris, omnia in ſtatera iuſta ponderantis, & in menſura æquiſſima diſtribuentis, iuxta illud Amos. c. 4. *Plui ſupra vnam ciuitatem, & ſuper alteram ciuitatem non plui: pars vna completa eſt, & pars ſupra quam non pluit aruit.* Pari ratione dicendum Deum ponderaturum ventos tentationum, & in menſura diſtributurum affectiones in fine & conſummatione ſeculi, pro ratione virium ſeruorum; nec ſtatim impios à ſe rejiciendos, & à ſua miſericordia excludendos fore, ſed pro menſura delictorum erit plagarum modus. Rectè enim ſapiens his verbis alloquitur Sapientiam, Sap. 11. de Dei hoſtibus, variiſque modis quibus eos Deus exterminare poteſt verba faciens. *Sed*, inquit, *& ſine his vno ſpiritu poterant occidi perſecutionem paſſi ab ipſis factis ſuis, & diſperſi per ſpiritum virtutis tuæ: ſed omnia in menſura, & numero & pondere diſpoſuiſti. Multum enim valere tibi ſoli ſuper erat ſemper: & virtuti brachij tui quis reſiſtet? Quoniam tanquam momentum ſtateræ ſic eſt ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris ante lucani, quæ deſcendit in terram: ſed miſereris omnium quia omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Ex hac iuſta ponderatione & menſuratione prouenit, vt quoſdam afflictionibus tantum & vexationibus exerceat, probet tentationibus, meritis cumulet, eas pro menſura virium vniuſcuiuſque diſtribuendo & immittendo; alios verò quaſi ſua cura & ſollicitudine indignos à ſe repellat, eoſque negligat vt ſibi inutiles, id eſt, illos vt templum, & altare, & adorantes metiatur, alios metiri prohibeat, vt foras ejiciendos.

Quod ſi ſeruos ſuos variis tentationibus aliquando exerceat, non ita eſt vt illos opprimere velit, ſed vt à malis coërceat, à peccandi libidine retrahat, & à pœnis æternis potenter eripiat, in eorumque patientia & fortitudine conſolationem puram & ſynceram ab omni fece & labe immunem accipiat. Vinum meri, id eſt purum & defecatum, eſt ei quidquid electi patienter ſuſtinent, eius gloriæ & honoris æmuli. *In die illa*, inquit Iſaias c. 27. *Vinea meri cantabit ei: Ego Dominus qui ſeruo eam, repente propinabo ei, ne forte viſitetur contra eum: nocte & die ſeruo eam: indignatio non eſt mihi. Quis dabit me ſpinam & veprem? In prælio gradiar ſuper eam: ſuccendam eam pariter? An potius tenebit fortitudinem meam, faciet pacem mihi, pacem faciet mihi?* Quaſi dicat: Vinea hæc Eccleſia mea, in qua meas repoſui putiſſimas delitias, quia in afflictionibus repoſita, æque ac ſi ſumma pace & tranquillitate frueretur, me honore ac amore proſequitur; hæc ad meas laudes properans talia in nomine meo cantat: Deus meus & Dominus eſt qui me ſeruat incolumem. Hic quidem de calice paſſionis ſuæ propinat potionem ebibendam: at quàm miſericorditer, quàm benignè (cum hoc fine illud faciat, ne in die viſitationis, & extremi iudicij cum reprobis ad pœnas æternas abigat) ideo & in nocte aduerſitatis ne ſuccumbam malis, ac in die proſperitatis ne extollar bonis, ſedulò cauet. Nam cum has immittit pœnas, hoc non facit indignatione commotus, ſed potius amore impulſus: itaut ſi ſemel inclinationibus malis, quibus ad peccandum inuitor, occurrere ſtatuerit, & mecum voluntati ſuæ repugnanti congredi voluerit, ne peccato conſentiam, multis ac variis ſtimulis ad compunctionem me prouocat, viam meam munit ſpinis, tot me pungit aculeis, vt pedem cogat referre cum ad peccandum propero. Si enim interiùs ſtimulando me inquietat, ſi exteriùs plurimas ingerat difficultates, ne quod auidè concupiſco adimpleam, optat ſe mihi eſſe ſpinam & veprem: non quod me conculcare exoptet, qui me ad ſe erigere deſiderat; non quod me conſumere aut in cinerem redigere ſtatuat, cum me in ſui ipſius amorem transformare vehementer deſideret, quo vnus cum eo fiam ſpiritus: ſed potius vt teneam fortitudinem eius. Siquidem ſi me fortiter verberet, fortiter ſufferam; ſi potenter me premat, conſtanti patientiâ ab ipſius fortitudine emanante omnia ſuſtinebo, & hac ratione facio pacem illi, quia ceſſat ab afflictionibus immittendis, cum me ſibi ſubditam & voluntati ſuæ omnimodè conſentientem reperit. Pacem facio illi, cum contra eius voluntatem nullus in me motus inſurgit deliberatus. *Non ſic impij, non ſic.* Nam ſi eos viſitare vo-

luerit, viſitat eos in gladio ſuo duro, & grandi & fortí, gladio inquam bis acuto, exacuato, diſcidente omnia, peruadente, tam grandi vt nulla ſit potentia quæ huic valeat obſiſtere. Fremant gentes, & conueniant in vnum, ſocietatem ineant, vt illi aduerſentur; ſe omnia eius conſilia, tanquam vectes fortiſſimos ſeu inſtrumenta idonea ad ſubuertendum euertendumque, ſuſtollere ſibi perſuadeant, vt vectes quibus clauduntur oſtia; omnem ad præſtandum adhibeant induſtriam; proſperum tamen curſum prouidentiæ diuinæ, cuius ſemitæ in aquis multis, non impedient; nec veluti ceti naues ſubuertunt vt in maris profundo ſubmergantur, eius conſilia confundent. *In die enim illa*, in qua Deus ſuos potenter etipiet ab vniuerſis malis, *Viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, & grandi & forti, Leuiathan ſerpentem vectem, & ſuper Leuiathan ſerpentem tortuoſum, & occidet cetum qui in mari eſt*, inquit Iſa. c. 27. Leuiathan autem interpretatur copulatio, ſocietas ſua, cæterum dæmonum repræſentantem, qui ſuam impendunt aſtutiam, vel vt euertant potentiã, vel vt impediant malitiã, vel vt tetardent peruicaciã, vel vt opprimant nequitiæ abundantiã iuſta Dei conſilia, pacificaſque cogitationes quas de nobis habet apud ſe, cum eas vident aut ſuſpiciuntur ad effectum reduci.

Eſto igitur quod Deus cibat nos pane lacrymarum, potumque nobis proponit in lacrymis in menſura, fecem relinquat integre peccatoribus hauriendam, dum erga ſuos ita ſe gerit vt hunc humiliet, hunc exaltet, *Quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto*, quo fit vt inclinet, ex hoc in hoc, quia in manibus habet poculum miſericordiã & iudicio temperatum, vnde non ſinit nos tentari ſupra id quod poſſumus, vires noſtras metitur ne fortior aut validior ſit virtute noſtrã tentatio; Nunc dicendum quid conſequenter ſignificet quod S. Ioanni dicatur: *Surge, & metire templum & altare, & adorantes in eo.* j. applicando mentem ad ea quæ tibi reuelata ſunt, de iis qui permanere debeant & pertinent ad coronam, & de iis qui abiiciendi ſunt propter finalem impœnitentiam. Explora quænam ſit illorum virtus, qui per templum, altare & adorantes in eo ſignificantur, vt pro modo virtutis tentationibus exponantur, in extremis & periculoſis temporibus vltimæ perſecutionis. Vt autem hoc intelligamus, notandum mentionem fieri in hoc capite cuiuſdam ciuitatis ſanctæ; *Et ciuitatem ſanctam*, inquit, *calcabunt*; Secundò templi Dei, quod abſque dubio intra mænia huius ciuitatis contineri æquum eſt conjicere; Tertiò altare in eo Dei erectum conſpici: Quartò adorantes in templo videri: Quintò atrium exterius conculcandum reliqui. His ſuppoſitis,

Dico primò per ciuitatem ſanctam, Eccleſiam militantem ſignificari, quæ ſancta dicitur, quia Dei obſequio mancipata, quia vtitur Sacramentis, legibus ac præceptis, nec non ceremoniis quæ ad ſanctitatem comparandam vel conſeruandam, aut ſaltem ſignificandam plurimùm conducant, licèt mixtos habeat electos ac reprobos: ſed à potiori, ſeu potiùs digniori parte denominatio ſanctitatis illi tribuitur.

Dico ſecundò, per templum ſignificari electos, qui ſunt in Eccleſia, ſicut templum intra ciuitatem includitur: qui electi cum in duplici ordine reponantur, tum eorum quorum ſanctitas eſt inſignis, conſpicua, in his qui cap. 7. ſigno Dei viui ſignantur adumbrata: tum eorum, quorum ſanctitas vera quidem eſt, ſed non adeo inſignis, ſignificata in his qui in eodem c. 7. dicuntur ſtantes ante thronum in conſpectu agni, amicti ſtolis albis, & palmas in manibus geſtantes, ideo primi per altare in hoc capite 11. ſignificari poſſunt, alij verò exprimuntur, dum S. Ioannes addit, *adorantes in eo*. Altare ſiquidem poteſt eſſe ſymbolum perfectę ſanctitatis, vnde Rupertus per altare Chriſtum vult intelligi, item & ſanctus Thomas, *altare* inquit, *quod eſt Chriſtus*.

Adorare autem, actus per quem quilibet fidelis Dei maieſtatem colere aſſeritur, licèt eius in bono perſeuerantia, & conſtantia non ita clarè exprimatur, quia ex templo poteſt exire; perfectorum conſtantia clarè inſinuatur, dum per altare, quod in templo fixum manet ſignificantur, ad hunc gradum ſanctitatis adducti, quem ſanctus & verus, *qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit*, promittit Angelo Philadelphiæ in his verbis: *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius: & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Ieruſalem, quæ deſcendit de cælo à Deo meo; & nomen meum nouum*. Quia autem ſimpliciter adorantes fingi poſſunt vel vt intrantes, vel etiam vt exeuntes, ideo minus perfectos in Eccleſia ſignificant, vel illos vt non adhuc perſeuerantiæ donum aſſecutos, licèt ratione præſentis iuſtitiæ ius habeant ad gloriam & ſancti ſint, iuxta illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 3. *Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos*. Vel dicendum per templum, altare & adorantes in eo, eoſdem electos ſignificari, ratione triplicis reſpectus, qui in eis cernitur. Primus eſt vt dicantur, & ſint membra corporis myſtici Eccleſiæ, de quo corpore ait S. Paulus 1. ad Corinth. 12. *Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro*, itaut vnumquodque membrum pro modulo ſuo ad corporis integritatem, incolumitatem, & ornamentum inſeruiat. *Non enim poteſt oculus dicere manui: opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus: non eſtis mihi neceſſarij.* 1. ad Cor. 12. Propter hunc reſpectum vnuſquiſque electorum in templo adumbratur. Secundus reſpectus eſt vt quilibet electus in ſua operatione, Dei gloriam ob oculos habeat, eumque in ſpiritu & veritate adorare ſtudeat, qui per altare Deo ſacratum exprimitur. Tertius reſpectus, vt hic honor Deo præſtitus & exhibitus, ad propriam ſalutem conſequendam conferat, quod exprimitur dum mentio fit adorantium in templo: per actus enim non per habitus meremur gloriam.

Dico tertiò per atrium eos deſignari qui quidem in Eccleſia ſunt, ſed ad ianuam & valuas ſubſiſtunt, nec in templum intrare dicuntur, quia opera ad ſalutem neceſſaria non exercent, ſolã connexione externã cum electis contenti, nec capiti myſtico copulantur per charitatem & gratiam, vnde internam ſanctificationem non obtinent: quo fit vt tanquam membra morbida, & putrida & ſicca abſcindi debeant: de quibus S. Paulus ad Titum c. 1. *Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinata ſunt eorum mens & conſcientia: confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant, cum ſint abominati & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.* Ad quos etiam pertinere arbitror ea quæ S. Hierony. docet in cap. 1. Sophoniæ hunc verſiculum exponens (*Et viſitabo omnem qui arroganter ingreditur ſuper limen in die illa*) *Porro*, inquit S. Hieron. *quia in eo vbi nos interpretati ſumus: qui arroganter ingrediuntur ſuper limen, poteſt intelligi ſecundum hebraicum, qui tranſiliunt limen, & hoc hiſtoricè ſentiendum eſt: Vindicabo ſuper eos.* Ita Hieron. Qui verſionem ſeptuaginta interpretum ponderans (quæ talis eſt: *Et vliſcar ſuper omnes manifeſtè, qui ſunt in veſtibulis, in die illa*) *hoc eſt*, inquit, *qui egreſſi ſunt de templo, Dei & cum deberent eſſe intrinſecus, propter peccata ſua egreſſi ſunt foras, & de Eccleſia Dei receſſerunt, adimplentes templum eius impieta-*

Digitized by Google

te & dolo. Hoc intellectum ſit in primo ſaluatoris aduentu. *Quia autem*, inquit Hieron. (appoſitè ad noſtram huius loci Apocalypſeos interpretationem) *de conſummatione mundi, & de die iudicij quem omnes diem interpretantur Domini, ſemel expoſuimus, ſcire debemus, quod illo tempore viſitet Dominus ſuper principes & ſuper paſtores, qui hæc de ouibus comedunt*, &c. Et paulò poſt: *Vindicabit quoque Dominus manifeſtiſſimè in aduentu ſuo, etiam ſuper eos quis cum bonis operibus in Eccleſia eſſe deberent, eiecerunt ſe ob conuerſationem peſſimam, & traditi ſatanæ verſantur in veſtibulis, ſed ante veſtibula, quod ſignificantiùs græcè dicitur ἐπὶ τὰ προπύλαια qui cum debuerint induti eſſe Chriſto, & ſemper verſari intrinſecus, variis ſe peccatorum operuerunt veſtimentis, & egreſſi de Eccleſia, id eſt congregatione ſanctorum, pro virtutibus implenerunt templum corporis ſui iniquitate & dolo.* Ita Hieron. Caueant igitur adorantes in templo ne egrediantur foras per peccata, ne in veſtibulo & atrio inuenti ejiciantur foras, iuxta illud Matt. 25. *Et inutilem ſeruum ejicite in tenebras exteriores; illic erit fletus & ſtridor dentium.*

Dico vltimò: Cum ſancto Ioanni dicitur: *Surge, metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo: atrium autem quod eſt foris templum ejce foras, & ne metiaris illud: quoniam datum eſt gentibus*, idem eſt ac ſi eidem iniungeret vt dimetiatur & dignoſcere ſtudeat virtutem & magnanimitatem eorum, qui in vltimis temporibus, & vltima perſecutione Anti Chriſti exiſtent; nam in tanta morum corruptioue, in tanta peccandi licentia, in tot ac tantis tentationibus, oportebit ſanè vt fides electorum ſolito viuidior, charitas feruidior, zelus conſtantior appareat, maiorique fiducia in Deũ ſpẽ ſuam collocent, quo plus alia ſubſidia ſibi deeſſe perſentient; Quamtumque tunc erit neceſſarium fidelibus bonis operibus vacare, à peccatis omnibus ſedulò abſtinere admonetur, iuxta illud Saluatoris Luc. 21. *Attendite autem vobis, ne forte grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, & ſuperueniat in vos repentina dies illa, tanquam laqueus enim ſuperueniet in omnes qui ſedent ſuper faciem omnis terræ. Vigilate itaque omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſtare ante filium hominis.* Nam ſi quis è templo foras exierit malis operibus vacando, is iam è templo eiectus, quia à gratia diuina exciſus tandem foras eiicietur, id eſt in numero reproborum reputabitur, & pars eius erit cum hypocritis & peccatoribus terræ, cæteriſque gentibus qui contra Chriſtum inſurrexerunt, nomine Chriſtiano plane indignus: vnde non mirum ſi tanquam plumbum in igne tentationis tales deficiant, & colliqueſcant, & non tanquam aurum in fornace probati inueniuntur, quia iam foras exierunt, per effrenatam peccandi licentiam. Vnde præcipitur S. Ioanni ne hos qui in atrio ſubſiſtunt metiatur, nec ſit ſollicitus ſi in numero gentium reducantur: hanc enim diuini auxilij ſubtractionem promeruerunt, propter innumera ſcelera, quibus Deum ad iracundiam prouocauerunt.

O quantâ animi fortitudine & præſtantiâ opus erit ad charitatem iuſtitiamque Chriſtianam ſartam tectamque ſeruandam, quantâ fide opus erit ad reſiſtendum diabolo, qui nos à Dei cultu, & obſequio auocare pertentabit? quanta puritate præditum eſſe oportebit, vt omnes carnis illecebras reſpuamus, quibus à virtutis & pietatis ſtudio retrahi poſſemus, præcipuè cum ciuitas ſancta calcabitur, id eſt cum Deus permittet Eccleſiam ſuam contemni & opprimi, itaut liberum illi non ſit Deum cultu manifeſto patenter colere? Nec mirum ſi Deus permittit eam conculcari: ſponſa eſt ſponſi crucifixi, corpus eſt capitis ſpinis coronati: ſi abiectus fuit ſponſus factus abiectio plebis, ſi tam clarum caput opprobriis obuolutum fuit, quid impediret quominus Eccleſia talia non patiatur. Eclypſim patietur Luna hæc pulcherrima, dum inter ſolem & ſeipſam terrena potentia ſeſe interponet; & externo ſplendore priuabitur, donec Chriſtus, à cuius conſpectu fugit cælum & terra, inimicos ſuos poſuerit ſub pedibus ſuis, ac benigno & pio lumine illam colluſtrare voluerit. Tandem mirandum non erit ſi per aliquod tempus decore ſuo ſpoliata fuerit; *Non eſt enim diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſeruus ſuper Dominum: ſufficit diſcipulo vt ſit ſicut magiſter eius, & ſeruus ſicut Dominus eius.*

Et ciuitatem ſanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus.

Quantum coarctabitur Eccleſia temporibus Anti-Chriſti; & de fiducia eius in Deum, & duratione perſecutionis Anti-Chriſti.

ANNOTAT. VI.

Eccleſia valde coarctata. §. 3.

ECCLESIAM adumbratam fuiſſe in ciuitate Hieroſolymitana, probatione non indiget. Hæc erat ciuitas quæ olim ſancta nuncupabatur, vt videre eſt, Matth. 4. *Aſſumpſit eum diabolus in* ſanctam ciuitatem: Et Eſdræ 2. cap. 11. *Vt tollerent vnam partem de decem, qui habituri eſſent in Ieruſalem ciuitate ſancta*: Siue qui Deus in ea habitare dicebatur, vnde ad eam Iſaias cap. 52. *Induere veſtimentis gloriæ tuæ Ieruſalem ciuitas ſancti.* In ea quippe erat templum, & in templo arca, Dei ſedes in terra. Rurſus illis erat primaria diuinæ religionis ſedes, diuinus ibi cultus in ea exercebatur, ſanctum enim dicitur quod diuinis vſibus deuotum, & conſecratum eſt. Denique Eccleſiæ ſanctæ erat typus, quin & fuit Eccleſiæ radix & fundamentum, dum in ea peractum fuit myſterium Redemptionis, & è Chriſti latere Eccleſia formata fuit: *Ex ſion* denique *exiuit lex, & verbum Domini de Hieruſalem*, poſtquam inſtitutis Sacramentis, Spiritu ſancto in Apoſtolos effuſo, Apoſtoli per totum orbem diſperſi Euangelium prædicauerunt, & Eccleſiam fundauerunt. Hinc de Eccleſia canit Propheta Pſ. 86. *Fundamenta eius in montibus ſanctis: diligit Dominus portas ſion ſuper omnia tabernacula Iacob. Gloriosa dicta ſunt de te ciuitas Dei*: At ciuitas tam dilecta, ſynagogæ prælata, calcanda tandem relinquitur. Hæc enim myſticè eſt ciuitas iſta de qua dicitur: *Et ciuitatem ſanctam calcabũt.* Id eſt, inquit Amb. *Eccleſiam Anti-Chriſtus & miniſtri eius calcabunt, id eſt perſequentur.* Quod latiùs exponens S. Thomas in expoſitione in Apocalypſim, *Ciuitatem ſanctam*, inquit, *ſcilicet Eccleſiam fidelium, quæ eſt ciuium vnitas, per fidei & charitatis* vniformitatem. Pſ. *Gloriosa dicta ſunt de te Ciuitas Dei quæ ſancta eſt coniunctione ad ſponſum, qui eſt ſanctus ſanctorum, ſanctificata ſanguine ſponſi.* Epheſ. 5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret. &c. Calcabunt*; ſcilicet gentiles, *id eſt perſequentur temporaliter & corporaliter, & dicit, calcabunt, non comminuent: ſed ſicut ſilex cum calcatur pedibus elimatur*, Ezechiel. 3. *Vt adamantem & ſilicem dedi te: proficiunt enim iuſti ex perſecutionibus &c.* Ita S. Thom. Addo, ac ſi diceret Ezechiel, Vel vt Adamas in nullo detrimentum patieris, vel ſi in aliquo diminutionem aliquam pati contigerit, erit vt maiori nitore fulgeas elimata, animi virtus inuicta remanebit, vt Adamas: detrimentum in temporalibus erit, vt Chriſtum lucrifacias, vt ditior ſis, & incrementa & ſplendorem habeas ex detrimentis. Licèt autem

proficiant, adeo grauis erit perſecutio, vt nulla valeat ei comparari. *Cum dixit*, inquit Rupertus l. 6. in Apocaly. *menſibus quadraginta duobus, qui menſes non ſunt amplius quam trium annorum & ſemiſſis, Videlicet propter intimandam magnitudinem perſecutionis Anti-Chriſti, quæ tanta erit vt pene ſola debeat cognoſci vel prænoſci, & pro cunctis perſecutionibus ſola computari, quaſi cætera perſecutiones illi comparatæ perſecutiones non ſint aut fuerint.* Ita Rupertus. Hoc fuſiùs addiſces ſi perlegeris ea quæ expoſitores cap. 11. & 12. Danielis dicunt, ex quibus videre licebit quantum Eccleſia coarctabitur in tempore illo. Deſcribit nempe Daniel ſub typo Antiochi, tempora Anti-Chriſti. S. Thomam in Danielem nunc præ manibus habeo: pauca ex multis ab eo accipe.

Præualebit Anti-Chriſtus per fraudulentiam, & obtinebit principatum, & brachia Romani populi expugnabit: & hoc quia ſimulabit ſe eſſe ducem fœderis, id eſt diuinæ legis: & obtinebit diuitias per falſas amicitias, & faciet quæ nullus præter eum, qui in toto orbe terrarum regnabit, & contra firmiſſimas cogitationes ſanctorum eriget ſe, & contra omne quod dicitur Deus; & hoc quandiu voluntas Dei eum facere iſta permittet. Præualebit etiam per violentiam, & tunc Eccleſia in ſumma anguſtia redigetur. Nam Anti-Chriſtus contra Dei cultum indignatus, cogitabit quomodo à ſuis cultoribus ſanctuarium deſeratur, & violenter opprimet, & finaliter in templo Dei ſtabit, & ſe faciet Deum, ac ſolicitè totisque viribus populum Chriſtianum à vera religione & fide Chriſti conabitur auertere, & variis generibus tormentorum atque panarum ſibi conſentientes premet atque affliget, aliquibus tamen reſiſtentibus, qui doctrina, & bonis exhortationibus aliis infirmioribus ſubſidio erunt; & veniet tempus quale non fuit, ex eo quo gentes eſſe cœperant vſque ad tempus Anti-Chriſti, id eſt maiori adiutorio indigebunt electi: quod exponit ſalnator de tempore Anti-Chriſti Matth. 14. dicens. Erit tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi vſque modo, nec fiet. Ita D. Tho. in cap 11. & 12. Danielis ſed de hoc iterum in cap. 20. Apocaly. Nunc hæc dicta ſufficiant, vt oſtendamus Eccleſiam in maximam deuenturam eſſe calamitatem: vnde apparet quantum erit neceſſarium vt pro tunc omnem ſuam fiduciam in Deum collocet, cum à nullo alio à tantis malis eripi valeat.

Nec ex eo quod videas Eccleſiam in tanta anguſtia redactam, dicas Deum incurioſum & quaſi negligentem humanorum actuum, omnia prætermittere: quia nec coërceat malos, nec tueatur bonos, relinquendo bonos in miſeria & abiectione, malos in ſumma proſperitate & dignitate. Animus ille per omnes mundi partes commeans atque diffuſus, ex quo omnia quæ naſcuntur animalia vitam capiunt, vt loquitur Pythagoras, apud Saluianum lib. 1. de prouidentia, ille omnium rerum moderator, vt loquitur Plato, gubernatoris vice, inquiebant Stoici, intra id quod regit ſemper manet: nunquam penitus curam ſuam tollit à mundo, multo minùs munus dignantiſſimæ viſionis auertet, nec regimen prouidentiæ ſuæ tollet, nec indulgentiam benigniſſimæ pietatis auferet, vt loquitur Saluianus, ab Eccleſia ſua ſponſa. *Et cum omnia ſentiat per ſubtilitatem, moneat per ſorsitudinem, regat per poteſtatem, & cuſtodiat per benignitatem*, vt idem ait, ſentiet proculdubio mala eorum quos vt pupillam oculi chariſſimè cuſtodit, Deuteron. 32. Et quaſi ſi pupilla oculi eius tangeretur, dum electis ſuis mala inferuntur, leuabit manum ſuam ſupra inimicos eorum, *dum ſpiritu oris ſui interficiet impium*, interim tamen vult Eccleſiam affligi, coarctari, vt electi deſiderij ſui ſint compotes. Quid enim ardentius exoptant ſancti fideles, quàm vt omnia detrimentum faciant, vt Chriſtum lucrifaciant cum Apoſtolo Paulo? Quid mirum ſi ad eorum deſiderium reſpiciens, illos omnibus bonis ſpoliari permittat? Nec inde ſunt miſeri. Rectè enim Saluianus lib. 1. de prouidentia: *Nemo aliorum ſenſu miſer eſt, ſed ſuo: nulli enim vt opinor, beatiores ſunt, quam qui ex ſententia ſua atque voto agunt. Humiles ſunt religioſi, hoc volunt; pauperes ſunt, pauperie delectantur; ſine ambitione, ambitum reſpuunt; in honori ſunt, honorem reſpuunt; lugent, lugere geſtiunt; infirmi ſunt, infirmitate lætantur: nequaquam nobis dolenda eſt afflictio infirmitatum, quam intelligimus materem eſſe virtutum. Inter quamcumlibet aſpera, nulli beatiores ſunt, quam qui hoc ſunt quod volunt. Turpia & obſcœna ſectantes, reipſa beati non ſunt, quia quod volunt nolle debuerunt. Religioſi autem* (dicamus præterea electi & fideles perfecti, qui erunt tempore Anti-Chriſti) *cunctis beatiores ſunt, quia & habent quod volunt, & meliora quam quæ habent omnino habere non poſſunt.* Ita Saluianus.

Equidem verum eſt decurrentibus ſeculis, & ad conſummationem operis diuinæ prouidentiæ & gubernationis properantibus, aliquando euenire vt boni in continua & ſtabili quadam gaudeant proſperitate, mali autem continuis præmantur angſtiis. Huius rei præclaram S.Chryſoſtom. affert rationem l. 1. de prouid. ad Stagyrium Monachi. *Cum*, inquit, *plures ſint qui futuri ſeculi ac reſurrectionis rationem admittere pertinaciter renuant, veluti in breui tabula hîc indicij futuri imaginem oſtendit, cum punit malos, bonos remunerat: quod cum in iudicio illo ſupremo generaliter futurum ſit, etiam nunc ex parte aliqua ideo fit, vt qui longinquum illud iudicium fore deſperant, vel his quæ in hoc ſeculo contingunt admoniti, manſuetiores atque meliores fiant. Sine enim nullus hic omnino puniretur malus, nulluſque honoraretur bonus, plurimi ex his quibus reſurrectionis ratio incredibilis videtur, virtutem veluti malorum cauſam aſpernarentur ac fugerent, vitioſitatem verò veluti bonorum laborumque omnium occaſionem perſequerentur: ſine rurſum hic ſinguli iuxta merita reciperent, ſuperfluam iam, falſamque exiſtimaſſent reſurrectionis rationem: Itaque ne huic non crederetur, vulgariſque turba ex contemptu deterior fieret, nonnullos hic peccatores vlciſcitur, quoſdamque pro recte factis in oculis omnium præmiis donat: vt ex eo quod non in omnibus facit, reſurrectionis aſſerat fidem; ex eo verò quod ante iudicium quoque malos aliquos ſupplicijs afficit, profundiſſimo quaſi ſomno ſepultos excitat. Nam & malorum quadam punitione plurimi timore corriguntur ne patiantur eadem; ex eo autem quod non omnibus pro merito hîc retribuitur, cogitare compelluntur huiuſmodi præmia in aliud tempus eſſe reſeruata. Nunquam enim, cum iuſtus ſit Deus, tot ſperneret ſine malos impunitos ex vita migrare, ſine bonos hîc innumeris incommodis & cruciatibus affici, ſi non vtriſque vera in futuro ſeculo præmia pro meritis paraſſet.* Ita Chryſoſt.

At cum operi ſuo Deus vltimam manum apponere voluerit, oportet vt corpus capiti conformetur: & ſicut Chriſtus Dominus opus ſuum conſummauit, ſiue ſeipſum ex nimia dilectione tradens diſcipulis ſi is comedendum in vltima cœna; ſiue ſeipſum morti tradendo in cruce exaltatus; ita oportet vt Eccleſia ſeipſam omnino quaſi comedendam exponat, dum diſpoſitioni voluntatis diuinæ omnimodè ſubmittitur, & ad omnia mala pro Chriſti gloria & nominis eius confeſſione toleranda ſe exhibet paratiſſimam, vt quanta fiducia in Deum prædita ſit manifeſtè appareat, dum in extremis angſtiis redacta & quaſi derelicta, de adimpletione promiſſionum nullam patietur diffidentiam; nec ob tanta mala à Dei cultu & obſequio auerti poterit. Ad hoc propoſitum digna ſunt ponderari, quæ fusè S.Chryſoſt. tractat. l. 1. de prouid. ad Stagy. dum ait: *Impoſſibile eſt mentiri Deum. Promiſit autem ille vitam æter-*

nam iſta relinquentibus. Reliquiſti tu omnia iſta & abieciſti. Quid igitur prohibet de huiuſmodi confidere promiſſione & eſſe ſecurum? Num ea quæ nunc probaris tentatio? Et hæc ad promiſſionem quid? Non hic æternam promiſit vitam. Imo verò ſi in terris quoque eiuſmodi promiſſio implenda eſſet, ne ſic quidem ægrè ferre debueras, quippe quod fidelem ac religioſum virum adeo conſtanter & firmiter promiſſa Dei tenere conuenit, vt quamcumlibet effectus contrarios aſpiciat, ne ſic quidem perturbetur, nec deſperet euentum. Ita Chryſ. Exemplo vtitur Abrahæ, qui cum tanta diſſonantia & repugnantia eſſet præcepti & promiſſi, in nullo penitus turbatus eſt, neque hæſitauit, neque aliquid huiuſmodi locutus eſt: *Quid hoc eſt? alia promiſit mihi Deus, alia facere iubet: ex puero iſto nepotum ingentem multitudinem mihi promiſerat, & hunc ipſum modo necare mihi præcepit. Quomodo igitur hoc erit exciſa radice? Fefellit me igitur atque deluſit, nihil prorſus huiuſmodi locutus ſed nec cogitauit quidem: & meritò ſanè. Cum enim Deus aliquid pollicitus fuerit, etiam ſi millia ſint, quæ pollicitationem huiuſmodi obtundant, atque intercipiant, turbari minimè conuenit, aut de fine dubitare. Hoc enim maximam Dei potentiam commendat, dum in rebus ambiguis finem certum atque exitum reperit, ſicut tunc beatus ſecum reputabat.* Et poſt pauca, ponderans quàm remota & aliena ſint quæ patimur, à vita æterna quæ nobis promittitur, his addit: *Huius ergo rei gratia hoc facit Deus, permittitque contraria promiſſis aduenire: non planè abſque ratione. Verùm ex hoc duo maxima bona elicit, dum ex altero certiſſimum potentiæ ſuæ argumentum capimus, quod ſcilicet poſſit deſperatiſſima promiſſa ſua ſpe atque opinione melius perficere; Ex altero autem noſtros animos erudit cuncta ſibi credere etſi dictis facta contraria videantur emergere: quippe ſpes virtus eiuſmodi eſt, vt eum qui ſyncerè ſuſtineat, nunquam confundi permittat. Si enim hi qui promiſſa in hoc ſeculo acceperunt, ita inſigniter effecti ſunt, quid nos facere neceſſe eſt, qui non in præſenti vita ſed in futuro ſeculo bona illa ſempiterna expectamus? In hoc enim ſeculo preſſuræ nobis, anguſtiæque promittuntur: quid ergo eſt quod te perturbet? Qua ratione induci potes, vt ſuſpecta habeas promiſſa Dei? Nempe enim cum dicis te negligi, cuius cauſa mundum omnem deſpexiſti, liquidò oſtendis te illi non credere, atque ſuſpectum habere, fallacemque promiſſionem eius exiſtimare. Id autem verè eſt à dæmone corripi, ac ſempiternos ignes promereri.* Hæc appoſitè S. Chryſ.

Eccleſia igitur erit, vt capiti conformetur, in fine ad extremas redacta anguſtias, ſed in extremis poſita, ſemper ſpes eius in Deum refulgebit: ſciet illa mala à Chriſto, & prophetis, & Apoſtolis fuiſſe longe antea prædicta; ſciet huius diſcriminis & conflictus cum Anti-Chriſto exitum glorioſum etiam eſſe prædictum: ſciet ſibi pro conſtantia, & laboribus æternam mercedem eſſe repromiſſam: vnde ſpe in Deum erigetur, qua ſpe & fiducia meiretur quanta ſit eius fortitudo & virtus, vt iuxta eam Deus illam affligi permittat. Nunc quanto tempore illa perſecutio perdurabit nobis eſt diſcutiendum.

Calcabunt menſibus quadraginta duobus.

De duratione vltimæ perſecutionis. §. 2.

Tria ad elucidationem potiſſimum ponderanda, primò an hi menſes ad tempus perſecutionis Anti-Chriſti pertineant: ſecundò an myſticè ſumi debeant, vel propriè accipi pro menſibus ex quibus anni ſolares componuntur: tertiò quare tempus quod conficiunt, non per annos aut dies, ſed per menſes exprimitur, ſeu quid myſtice ſignificent. Primaſius quantùm ad primum, per quadraginta duos menſes omne tempus Chriſtianitatis etiam deſignari vult: *Numerus autem*, inquit, *menſium, non nouiſſimam tantum perſecutionem ſignificat, ſed Chriſtianitatis tempus omne deſignat, propter ſex mundi ætates, & ſeptem dies, quibus præter currentibus & remeantibus omne tempus euoluitur: nam ſexies ſeptem, quadraginta & duo efficiunt, ſed ad vtrumque arbitror referendum.* Ita Primaſ.

Eſto ad vtrumque hoc referendum poſſit: non renuo. Sed potior ſenſus proculdubio eſt, vt vltimam perſecutionem tangat hîc ſanctus Ioannes, cum ad alia tempora proſpiciat veluti tantorum malorum præambula. Quod multorum eſſe ſententiam fatetur Alcazar comm. in hunc locum, qui non dubitant proprium ac literarium vndecimi huius capitis ſenſum eſſe de tempore perſecutionis Anti-Chriſti, quæ per tres annos cum dimidio duratura eſt: cui ſententiæ adſtipulor, licèt reclamet ipſemet Alcazar hac ratione: quod ſi hoc caput de Anti-Chriſti perſecutione intelligatur, neſciat ſeriem texere huius reuelationis. Huius verba hæc ſunt: *Mihi tamen adhuc licet dicere, ſi hanc de Anti-Chriſto perſecutionem explicationem, vt præcipuam in hoc capite Vndecimo aſſumam, me omino neſcire Apocalypſeos filum ducere, & conſequentem texere ſeriem. Quanti verò momenti ſit acoluthia & cohærens contextus in ſacra ſcripturæ explanatione, diximus in Prologom.* not. 8. Hæc Alcazar. Sed hæc ratio apud me nullius eſt momenti, vt propter eam à communi recedam ſententia: nam exiſtimo ſeriem huius reuelationis à nobis proponi ſatis textui conuenientem & cohærentem, itaut ea quam adducit Alcazar, facilè & meritò prætermitti poſſit. Quantum ad ſecundum, menſes quibus annus ſolaris conficitur, intelligendi ſunt non myſtici, vt alibi ratio eſt, quia cum de tempore perſecutionis Anti-Chriſti intelligi debeant, hi menſes quadraginta duo conficiunt præcisè tempus, quod ex communi Patrum ſententia huic perſecutioni attribuitur, & ſic conficiunt tres annos cum dimidio. Vnde Ambroſius: *Anti-Chriſti & Miniſtri eius perſequentur menſibus quadraginta duobus, qui faciunt tres annos & dimidium.* Et clare S. Thomas: *menſibus quadraginta duobus, id eſt tribus annis & dimidio ſecundum computationem anni ſolaris: nam tribus annis & dimidio regnabit Anti-Chriſtus, & per ſe & per ſuos Eccleſiam perſequetur, ſicut Chriſtus tanto tempore prædicauit, vt dicit gloſſa. Daniel. 7. Tradentur in manu eius vſque ad tempus & tempora, & dimidium temporis. Præterea ſicut populus Iſrael quadraginta duobus manſionibus peruenit ad terram promiſſionis, Num. 33. & in illis manſionibus multa mala priùs ſuſtinuit ab hoſtibus, ita Eccleſia per perſecutiones, quas in iſtis quadraginta duobus menſibus ſuſtinebit, perueniet ad terram viuentium: Omnia in figuram contingebant illis.* 1. ad Corinth. 10.

Objicies ex Alcazar *hos menſes ſumi debere myſticè: nam quemadmodum dimidia hora capitis octaui, & quinque menſes capitis noni non ſunt in ſenſu proprio deſumpta, ſed myſticè, ita etiam conuenienter ad Apocalypſeos contextum, accipiendi ſunt hi quadraginta duo menſes in ſenſu myſtico non proprio. Etenim accipere hos numeros dierum, menſium, annorum, vt ſonant, id quidem nequaquam ſtylo ænigmatico quadrat.* Hæc Alcazar. Reſpondeo nos ad ſenſum ænigmaticum recurrere, cum ſenſui literalis aliquam continet abſurditatem: ſed cum ſaluari poteſt ſenſus literalis, & optimè quadrat cum ænigmatico, tunc literalis non eſt rejiciendus. Hinc admittimus hîc literalem ſenſum in his menſibus, vt conuenientem hiſtorico ſenſui, qui iuxta communem patrum doctrinam talis eſt, vt tempus perſecutionis Anti-Chriſti dicat eſſe trium annorum cum dimidio, & ſatis ſtylus ſeruatur ænigmaticus, dum ſanctus Ioannes ſignificare volens

annos tres cum dimidio, vel illas exprimit per menſes vel per dies, vt eo ipſo quo ſecundum literalem ſenſum annos tres cum dimidio exprimit per menſes & dies, pro myſtico ſenſu requiramus cur per menſes aut dies totum hoc tempus deſignarit, cum ſimpliciori ac planiori ſtylo dicere æque potuiſſet tres annos cum dimidio. Hinc ad tertium hîc conſiderandum properamus, nempe tres annos cum dimidio perſecutionis Anti-Chriſti, quo tempore ciuitas ſancta calcabitur. *Per eos*, inquit Aug. ſeu Ticonius, *qui excludentur & quibus dabitur, vtrinque calcabunt eam.* Ita Ticon. id eſt gentiles, & excluſi. Cur inquam hoc tempus per menſes deſignatur? Ad quod dicimus quod operosè ſatis & ſubtiliter exquirit Rupertus in hunc locum rationem cur hîc Ioannes cum dicere potuiſſet: Et ciuitatem ſanctam calcabunt tribus annis & dimidio, dicere maluit, menſibus quadraginta duobus, quam vt exquirat ita procedit: Diuidit numeros imperfectos, qui ſuis partibus nec craſſantur abundantia, nec egent inopia; vt ſenarius cuius media pars tres; tertia, duo; ſexta vnum: quæ in vnum redactæ ſenarium tantum conficiunt; Et in numeros diminutos, cuius eodem modo compoſitæ partes pauciores ſunt, & eiuſdem numeri cuius erant partes multitudine ſuperantur, vt Octonarius, cuius partes ſunt, media, quatuor; quarta, duo; & octaua id eſt vna, quæ in vnum redactæ ſeptem tantum conficiunt; Et in numeros ſuperfluos, quorum partes vltra quam ſatis eſt ſeſe porrexerunt, vt duodenarius cuius medietas ſex; tertia pars, quatuor; quarta pars, tres; ſexta pars, duo; duodecima, vnum: quæ ſimul collectæ tedecim efficiunt. *Huius generis*, inquit Rupertus, *eſt numerus quadraginta duorum, cuius media pars eſt viginti vnum; tertia, quatuordecim; ſexta, ſeptem; ſeptima, ſex; quarta decima, tres; vigeſima prima, duo; quadrageſima ſecunda, vnum; quæ partes in vnum redactæ quinquaginta quatuor conficiunt.* Ita philoſophatur de diebus mille ducentis ſexaginta; quibus præſuppoſitis in hac ſuperfluitate numeri redundantis ſupra numerum quadraginta duorum, ex collectione partium eiuſdem numeri, tale exquirit myſterium. *Quia*, inquit Rup. *annunciante Chriſto Domino, hi qui credentes vel Chriſtiani dicerentur, multiplicandi eſſent ſuper numerii; & quia tempore perſecutionis, abundante iniquitate, & refrigeſcere haberet charitas multorum, benè ergo & numerus menſium quadraginta duorum ſatis ſuperfluus, & numerus dierum mille ducentorum ſexaginta multo maximè ſuperfluus: his ſequentibus offertur: Vt rerum que ſcilicet, & multiplicitas credentium ſiue profitentium, de qua dictum eſt: annunciauí & locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum; & abundantia iniquitatis, de qua ſcriptum eſt: & quoniam abundauit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum, pulchra & venerabili ſignificatione, myſterium regni noſſe merentibus ſignificetur.* Ita Rupertus.

Sed nos vt conſequenter ad ea quæ diximus loquamur, dicimus ideo S. Ioannem tres annos cum dimidio perſecutionis Anti-Chriſti per menſes exprimene, propter frequentiſſimas rerum mutationes & viciſſitudines, quas Eccleſia per lunam deſignata in his infeliciſſimis temporibus patietur, & propter diuerſitatem effectuum, ſiue miſericordiæ ſiue iuſtitiæ: quos effectus per menſes ſignificari diximus, ſupra in cap. 10. Nam ſi vnquam Dei bonitas electis gratiæ auxilia ſuppeditauerit, ſi eius ſapientia vnquam variis & admirandis modis ſaluti ipſorum media conuenientia inuenerit, ſi eius iuſtitia vnquam æqua lance fidelitatem ipſorum ponderauerit: ſi eius potentia vnquam potenter eos eripuerit è laqueo venantium, ſi quoſdam vnquam cum patientia ad pœnitentiam adduxerit, ſi denique vnquam fortiter comminationibus iudiciorum peccatores terrere tentauerit, hoc permixtim faciet, vt quam miſericorditer agat erga electos clare perſpiciatur. Sed quamuis tunc ſit poteſtas tenebrarum, tamen non eſt exiſtimandum Deum nullis pœnis hoſtes Eccleſiæ ſuæ afficere: hoc certè eſſet contra ea quæ in hoc capite vndecimo dicuntur, de poteſtate data duobus teſtibus, ex quorum ore exiet ignis, qui claudere cælum poterunt ne pluat diebus prophetiæ ipſorum; qui poteſtatem obtinebunt conuertendi aquas in ſanguinem, & percutiendi terram omni plaga quotieſcumque voluerint: & ſic non eſt dubitandum ob immenſa hominum ſcelera Deum vniuerſum orbem variis afflictionibus vexaturum, fame, bello, peſte; eruntque homines concupiſcentiis variis dediti, ignorantiâ, erroribus obcæcati, & in malitia obdurati: & ſic ſeueritas diuinæ iuſtitiæ manifeſtabitur in reprobis & obduratis, ſicut abundantia pietatis pateſcet in electis, qui per tranſeuntes per has omnes viciſſitudines, ad quietem tandem peruenient, ſicut olim Hebræi poſt quadraginta manſiones, in terram promiſſam tandem introducti fuerunt.

Et dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis.

Qua ratione Deus Eccleſiæ ſanctæ à gentibus oppreſſæ auxilia ſuppeditabit opportuna.

ANNOTAT. VII.

Paratum ſemper habet Deus pro ſua Eccleſia auxilium. § 1.

DEVS qui adiutor eſt in oportunitatibus, ſemper habuit & habebit auxilia, vt ſuos & conſoletur, & à periculis & malis in quibus verſantur eripiat. Hanc Dei prouidentiam agnoſcebant olim Leuitæ, qui ad benedicendum Domino populum prouocabant, Eſdræ 2. c. 9. & inter alia Dei beneficia, iſtius non obliuiſcuntur, his verbis: *Et dediſti eos in manu hoſtium ſuorum, & afflixerunt eos: Et in tempore tribulationis ſuæ clamauerunt ad te, & tu de cælo audiſti; & ſecundum miſerationes tuas multas, dediſti eis ſaluatores, qui ſaluarent eos de manu hoſtium ſuorum.* Hoc inductione totius hiſtoriæ Eccleſiaſticæ facillimum eſt probare. Collabeſcente iam in primis ſeculis pietate, Enos naſcitur, de quo dicitur: *Iſte cœpit inuocare nomen Domini.* Putant enim quidam apud Cornelium à Lap. iam tunc fuiſſe idololatriam introductam & grallantem, cui Enos ſe oppoſuit per introductionem publici cuiuſdam inſtituti ad colendum Deum, quod eius poſteri piè & religioſè obſeruauerûr. Terrâ malitiâ oppletâ & cogitationibus hominum ad malum propenſis omni tempore, itaut Deus homines delere tandem decreuerit, ecce Noe vir iuſtus cum Deo ambulans, in quo genus humanũ ab integra internecione ſeruatum eſt. Inualeſcentibus poſtea idololatriâ & magiâ, Chaldæis ſolem & ignem colentibus, & aſtrologiæ iudiciariæ libera Dei decreta, & hominum libertatem ad neceſſitatem cogenti, vacantibus, ecce Abraham egreditur de terra Chanaan iubente Domino, in quo benedictæ fuerunt omnes gentes & nationes, & qui quantum Dei prouidentiæ eſſet deferendum ſatis docuit, dum filium ſuum ſacrificare voluit, quamuis ex eo prolem innumeram ſperaret ex Dei promiſſis, & qui præcepit filiis ſuis & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodirent viam Domini, & facerent iudicium & iuſtitiam. Poſteritate Abrahæ à ſeruitute Ægyptiaca valde oppreſſâ, & à Dei cultu & obſequio valde diſtractâ, en ſeſe Moyſes

Digitized by Google

offert, populum ab ea ſeruitute Dei iuſſu liberans, & in deſertum ad ſacrificandum Deo deducens, eique legem præſcribens ex mandato Dei, quo exterius diſceret, id quod lex naturalis in corde ſcripſerat de Dei ac proximi dilectione.

Introducitur populus in terram promiſſionis ductore Ioſue. Populus iſte ſæpius in vitia & ſcelera prorumpit, traduntur in manus hoſtium ad vlciſcenda eorum peccata, & plurimam & frequentem idololatriam; ſed Deus promiſſis ſtans ſuſcitat plurimos liberatores ſeu ſaluatores, qui populum à deuaſtantibus eos liberauerunt, & ad cuſtodienda Dei mandata prouocauerunt: quorum hîc nomina ſeriatim recenſere, aut eorum hiſtoriam texere non eſt noſtri inſtituti, cum iſta ſcire cupienti ſint peruia ex libro iudicum. Heli magno ſacerdote & filiis eius indignè ſacra tractantibus, in periculum ſubuerſionis Dei cultus, Samuël ſuſcitatur ad illum cultum reſtaurandum; eligitur Saul ad Dei populum liberandum ab hoſtium infeſtationibus; ſed Saul præceptis diuinis non obtemperante ſubſtituitur Dauid, vir ſecundum cor Dei, & mittuntur Prophetæ, qui populum in Dei obſequio retinerent.

Suſcitantur Machabæi contra tyrannidem Regum, qui populum ad ritus gentiles adigere volebant. Et tandem venit Chriſtus Dominus, verus mundi ſaluator, qui Eccleſiam ſuam inſtituens eam regit, & per Paſtores in officio continet: quam nunquam deſeruit, ſed contra ſynagogæ inuidiam, tyrannorum perſecutionem, ſchiſmaticorum defectionem, hæreſum colluuiem, ſemper protexit; & pro rerum neceſſitate, hoc vel alio modo auxilium ei præſtitit; Paſtores principes pietate & doctrina conſpicuos, plurimos ſanctitate inſignes, principes ſeculi in fide feruentes ſuſcitando, quibus Eccleſiam ſuam fouet, contra athæos, idololatras, Iudæos, tyrannos, hæreticos, ſchiſmaticos, & quoſlibet alios hoſtes. Non igitur exiſtimandum eſt Eccleſiam fore relinquendam abſque ſpeciali auxilio temporibus Anti-Chriſti. At, inquies, quanam ratione ei præbebit auxilium. Reſpondeo: Habebit certe Deum adiutorem, Chriſtumque Dominum vindicem & vltorem omnium eam vaſtare cupientium, qui Enoch & Eliam mittet, ſicut olim Moyſen & Aaron. Hinc eſt quod hic dicitur: *Et dabo duobus teſtibus meis*, quos Enoch & Eliam eſſe aſſerimus: per quos electos, propter quos breuiabuntur dies perſecutionis Anti-Chriſti, tuebitur ab erroribus, ne ſeducantur; à morum corruptione, ne à charitate excidant; à metu perſecutionum, ne fiduciam in Deum amittant. Sed quia quidam per illos duos teſtes, aliquid aliud vel quoſdam alios quam Enochum aut Eliam intelligi volunt, de hoc pleniùs nobis eſt diſſerendum.

Varia de duobus teſtibus autorum ſententia. §. 2.

Quatuor vias aſſignat Lud. ab Alcaz. ſecundum quas auctores diuerſimodè interpretantur hunc locum à v. 3. vſque ad 13. Prima de duobus viris tempore Anti-Chriſti prædicaturis. Secunda de Anti-Chriſti quidem tempore, non tamen de duobus viris. Tertia de viris duobus, ſed non de tempore Anti-Chriſti. Quarta nec de duobus viris, nec de Anti-Chriſti tempore. Fuſiorem de his viis diſceptationem omitto, ne actum agam: eas apud Alcazarum ipſum explicatas perquire. Tria tantum agam: primum, inſtitui ſermonem de tempore Anti-Chriſti; Secundum, illos duos teſtes non debere intelligi de fictis perſonis per proſopopœiam, contra Alcazarum; Quartum probabilius eſſe veras perſonas, quæ hic intelliguntur eſſe Enoch & Eliam.

Primum ſatis conſtat ex opinione eorum qui Enochum & Eliam & Moſem venturos eſſe volunt ſub Anti-Chriſto prædicaturos. Qui Enochum & Eliam cenſent venturos eſſe, ſunt Aretas, Ambroſius, Haymo Richardus, Ansbertus, Hugo Cardinal. Thomas, Dionyſ. Clarius, Vatablus, Ribera, Viegas, Suarez, Pamelius in Tertull. Mendoza in quodlibet. Pererius in Daniel & Maluenda l. 9. de Anti-Chriſto; quin & Beda ait: *Quidam duos Prophetas Enoch & Eliam interpretantur, qui tribus ſemis annis prædicantes, contra mox ſecuturam Anti-Chriſti perfidiam fidelium corda confirment, &c.* Ita Beda. Sed à nobis diſſentit dum illos venturos ait ante Anti-Chriſtum quos dicimus ſuſcitandos contra illius præſentem perfidiam. Alij volunt illos duos viros eſſe Moyſen & Eliam. Citat Alcazar S. Ambroſ. in c. 9. Lucæ, S. Hilarium in c. 17. Matt. Abbatem Ioachimum, Catharinum, Arboreum, Gagneum, Maldonatum. Si tamen Hilarium attente legas, non de tempore perſecutionis Anti-Chriſti, ſed de iudicio eſt intelligendum, ait enim: *Quod autem Moyſes & Elias ex omni ſanctorum numero aſſiſtunt, medius inter legem & Prophetas Chriſtus in regno eſt. Cum his enim Iſraelem, quibus teſtibus prædicatus eſt iudicabit.* Ita Hilar. Et dum ait: *Quibus teſtibus prædicatus eſt*, hoc ita intelligo, Apoſtolos prædicaſſe Chriſtum iuxta legem & Prophetas, & pro gloria transfigurationis eius, eoſdem allegaſſe tanquam teſtes maieſtatis, in qua apparuit transfiguratus, & ſic non loquitur S. Hilarius de teſtimonio reddendo tempore Anti-Chriſti; de Elia tamen ait, in fine canonis iſtius in Matt. *Eliam eſſe venturum & reſtituere vniuerſa, id eſt reliquum quod deprehenderit ex Iſrael ad cognitionem Dei reuocaturum.* His addo Ticonium & Primaſium & Bedam, qui de tempore Anti-Chriſti agi volunt in hoc capite vndecimo: quod fuſiùs docuimus tum in prologo huius capitis, tum in ann. 1.

Ad ſecundum tranſeo. Ticonius fictas perſonas centere videtur dum expendens quod dicitur poſtea: *Et aſcenderunt in cælum in nube*, ex eo quod Apoſtolus dixerit. *Rapiemur in nubibus obuiam Chriſto*, colligit hos duos teſtes non eſſe duos viros. Ita enim ait: *Ante aduentum autem Domini, nulli hoc poſſe contingere ſcriptum eſt; initium Chriſtus, deinde hi qui ſunt Chriſti in aduentu eius. Vnde excluditur omnis ſuſpicio quorumdam, qui putant per hos duos teſtes duos viros eſſe, & ante aduentum Chriſti cælum in nubibus aſcendiſſe.* Ita Ticonius. At hæc ratio non cogit: nam dum Apoſtolus ait: *Initium Chriſtus*, iam in Aſcenſione Domini hoc adimpletum fuit, qui aſcendens in altum initiù dedit Aſcenſionis eorum qui poſt ipſum ſunt reſurrecturi, ſiue horum duorum teſtium qui reſurgere debent, & aſcendere viſibiliter ad confirmandos fideles, ex morte eorum pene conſternatos, & erigendam ſpem illorum qui pro tunc tantis calamitatibus opprimentur, ſiue cæterorum, qui ſunt in fine mundi reſurrecturi. Sententiam autem Ticonij, ſeu eorum qui volunt eſſe fictas perſonas, ſequuntur tum ij qui aſſerunt duos illos teſtes eſſe omnium temporum veritatis aſſertores, duobus teſtamentis ſubnixos (vt Pannonius) vel legem in Moſe denotari, Prophetiam in Elia; (vt Arias Montanus apud Alcazar) vel vt ipſemet Alcazar, magnam ſapientiam & magnam ſanctitatem miniſtrorum Euangelij, qui primeuæ Eccleſiæ tempeſtate Iudaico populo Chriſtianam fidem promulgarunt; & in Moſe doctrinam, in Elia vitæ ſanctitatem poſſe repræſentari: & S. Ioannem alludere ad ea, quæ extremis illis temporibus ſunt euentura: Rectè enim in aliquo ænigmate ſupponi poſſe hiſtoriam aliquam ſiue prophetiam, ad eamque alludi propter aliam rationem, Ioannique familiare eſſe per comparationem reſpicere ad Anti-Chriſti tempus, quan-

do de Ecclesiæ calamitatibus & persecutionibus agit. Denique Alcazar subtiliori magis, ni fallor, quam solidiori ratiocinatione ait, ne quispiam deciperetur dũ crederet in hoc de duobus testibus tractatu, nihil aliud inesse mysterij, quàm res sub Anti-Christo euenturas prædicere, congruentissimum fuisse hoc in loco Mosem pro Enocho substitui; quia hoc aptius erat ad ea quæ in hoc ænigmate erant significãda. Sed quia debili proculdubio nititur fundamẽto, ideo facile ab hac sententia discedimus. Fundamentum enim illius est quod dicit vers. 1. exponens, si hæc de Anti-Christi persecutione explicatio vt præcipua in hoc capite vndecimo assumatur, se omnino nescire Apocalypseos filũ ducere, & consequẽter texere seriem, quæ tamen acoluthia, & cohærens contextus, in sacræ scripturæ explanatione magni est momenti. Cui respondeo, Esto tu nescias, alius fortè erit, qui hoc caput intelligat de vltima persecutione Anti-Christi, & tamen consequentem texet seriem, & cohærentiam textus reperiet. Quod si quis hoc præstiterit, non erit cur à communi opinione recedamus, vt spiritali nimis interpretationi palmam concedamus. An autem hoc nos præstemus in ea quam assignamus serie, optimi Lectoris prudenti iudicio relinquo discernendum. Mihi tamen satis arridet, vt libenter Alcazari non assentiam.

Secundum illius fundamentum illius est, quod aptè & congruenter applicatio textus quã adducit, quadret ad Euangelij ministrorum sanctitatem, & sapientiam describendam, itaut figura eorum quæ dicuntur cum suo sensu apprimè cohæreat. *Quod si*, inquit, *ita esse non reperiatur examinanti, sponte profitetur supersedere tota hac expositione vt futili & inani.* In qua assertione suam expositionem valde dubiam relinquit perpendenti quàm dure, quàm subtiliter omnia exponat, vt patet in expositione ignis de ore duorum testium exeuntis, potestatis claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum, conuertendi aquas in sanguinem; in expositione bestiæ ascendentis de abysso, & cæterorum; itaut certe in quamdam violentam abstractionem mens se sentiat abductam, dum hanc expositionem assequi conatur. Sed hæc manifestiora erunt dum sigillatim singulos versus exponemus. Satis mihi est annotare hoc fundamentum satis valide concuti, ne dicam funditus euerti, si alia applicatio symbolorum & contextus afferatur, quæ magis quadret Enocho & Eliæ, temporibus Anti Christi prædicantibus, & vltimæ persecutioni Ecclesiæ, quàm iis quæ in primariæ Ecclesiæ temporibus peracta fuerunt. Quod si spiritalis & mysticus sensus, quem affert de doctrina, & sanctitate ministrorum Euangelij, optimè etiam conuenit duobus testibus in temporibus Anti-Christi prædicantibus, æque ac primis illis prædicatoribus & martyribus; insuper probabilissimum sit ad literam plurima quæ hic describuntur prodigia vt sonant fore perficienda, veluti quod ex mandato ipsorum ignis inimicos eorum deuoret, veluti quod conuertantur aquæ in sanguinem, & terra percutiatur omni plaga; cur ad solum mysticum sensum erit recurrendum, si cum mystico sensu etiam literalis possit reuera absque violentia, & dissonantia intelligi, & sensui mystico cohæreat?

Tertium illius fundamentum sumitur ex autoritate S. Hieronymi, epistol. 148. dicentis: *De Enoch & Elia, quos venturos Apocalypsis refert, & esse morituros, non est istius temporis disputatio, cum omnis ille liber aut spiritaliter intelligendus sit, vt nos existimamus, aut fabulis acquiescendum.* Ita Hierony

Vnde cum liber sit planè ænigmaticus, non debet sensus literalis perinde admitti. Ad quod respondeo 1. ex hoc loco S. Hierony. manifestum esse hanc sententiam de aduentu & morte Enoch & Eliæ iam fuisse tempore Hierony. à pluribus admissam & receptam. Secundo respondeo quamuis liber in plurimis sit ænigmaticus, nihilominus quædam reperiri historico sensu intelligenda, v. g. quod de seipso Ioannes dicit c. 1. *Ego Ioannes frater vester &c. fui in insula Patmos, &c.*; quæ de Antipa teste fideli ait c. 2, quæ de conscientia Episcoporum, ad quos scribit, asserit c. 2. quæ de ciuitate Hierosolymitana in hoc capite, de vrbe Roma in cap. 18. docet. Respondeo 3. Cornelium à Lapide aliosque interpretes asserere multa ad literam esse intelligenda, quæ ipse Alcazar mysticè tantùm interpretatur: vnde patet non omnium interpretum esse mentem, quòd omnia omnimodè mysticè sint intelligenda. 4. Respondeo, nec ipsum Alcazarum sibi constare, dum aliquando veras personas introduci & repræsentari vult, licet totus hic liber illi sit planè ænigmaticus; v. g. c. 5. per vnum è senioribus Lucam Euangelistam intelligit; c. 14. per Angelum volantem per medium cæli, ipsummet Ioannem Euangelistam; in Angelo dicentem: *Cecidit, cecidit Babylon illa magna*, S. Paulum; in alio item Angelo dicentem voce magna (*si quis adorauerit Bestiam*) S. Petrum; quin & Iobelem intelligit in Angelo exeunte è templo, & clamante: *Mitte falcem tuam* &c. nec ibi personas fictas intelligi vult, sed veras interpretari. Itaque miror cur tam ægrè consentiat communi sententiæ, quæ per duos testes veras personas intelligit, Enochum & Eliam videlicet, hac tantum ratione ductus, quòd liber hic spiritualiter sit intelligendus. Quintò respondeo, sanctum Ioannem sufficienter modum prophetandi tẽs futuras sub ænigmatibus conseruasse, dum illos duos testes nominatim non exprimit, durationemque Prophetiæ ipsorum per mille ducentos sexaginta dies proponit, illos oliuas nuncupat, candelabra esse dicit in conspectu Dei, dum denique ea omnia quæ etiam secundum literæ sonum de eis sunt intelligenda, mysticè etiam possunt explicari de iis quæ ab eis & in eis complebuntur, ac etiam in aliis qui per suam doctrinam & sanctitatem Ecclesiam fouebunt, sicut & per doctrinam suam & sanctitatem ipsi duo testes illam iuuabunt. Vnde licet veras personas intelligamus, non recedimus tamen à mystico & spiritali sensu, vt cum S. Hieronymo dicere valeamus librum hunc spiritualiter esse intelligendum.

Esto Theologia symbolica non sit argumentatiua ex Dionysio Areopagita, non tamen decipiuntur ij (meo saltem iudicio) vt putat Alcazar, qui ex hoc loco Apocalypseos deducunt certissimum esse Enochum & Eliam esse venturos ad prædicandum tempore Anti-Christi: neque enim ex symbolo rem istam conjiciunt, sed ex communi & recepta sententia. Vnde cum certum sit sanctum Ioannem prophetare infigniores euentus in Ecclesia futuros, inter quos certe reponenda est prædicatio Enoch & Eliæ: cum nullo alio in loco S. Ioannes dici possit de hac re aliquam facere mentionem, meritò dicere possumus hanc Ecclesiæ sententiam plurimum corroborari ex hoc loco huius prophetiæ, in quo tam graphicè describitur quidquid Enoch & Elias secundum Ecclesiæ traditionem peragere debent, dum ad prædicandum venerint tempus Anti-Christi. Nec quia etiam plurimi sunt auctores, qui hunc sensum Apocalypsis esse negant, à communiori recedimus, cùm ipsemet plures etiam adducat auctores qui hunc sensum Apocalypseos esse affirment. Nec cogi possumus Mosen pro Enoch reponere, ex eo quod dicatur: *Hi habent potestatem conuertendi aquas in sanguinem*: qua descriptione ad Moysem respicere videtur; sicut in eo quod dicitur:

Ignis

Ignis exiet de ore eorum, Elias deſignatur: nam hi effectus permixtim tribuũtur his duobus teſtibus. Ac ſi diceretur: Quidquid olim ab Elia & Moſe factum eſt, ad reuocandum populum ad verum Dei cultum, vel ad liberandum populum ex ſeruitute Ægyptiaca, & hoſtes eius conterendos, hoc præſtabunt hi duo teſtes: vnus enim & alter eamdem exercebunt poteſtatem, quam olim vel ipſe Elias, vel ipſe Moyſes exercuerunt, vt Dei cultum reſtituerent & propagarent. Vnde nihil cogit nos ad Moyſen confugere, & eum pro Enocho reponere. Concludimus igitur veras eſſe perſonas, non fictas, quæ per duos teſtes intelliguntur: quæ concluſio roborabitur ex ſequenti annotatione.

Probabilius eſt illas veras perſonas, eſſe Enochum & Eliam.

ANNOTAT. VIII.

QVOSDAM auctores citat Alcazar, qui volunt hic ſignificari Moſen & Eliam: inter quos primus eſt S. Ambroſ. in c. 9. Lucæ. At proculdubio expungendus eſt ab hoc numero: hæc enim ſunt eius verba, de Transfiguratione Domini loquens: *Apparent Moyſes & Elias, hoc eſt lex & Prophetæ cum Verbo, neque enim lex poteſt eſſe ſine Verbo, neque Prophetæ, niſi qui de Dei filio prophetant. Et illi quidem filij tonitrui corporali gloria Moyſen quoque & Eliam ſpeculati ſunt: ſed & nos quotidie videmus Moyſen & Eliam cum Dei filio. Videmus enim Moyſen in Euangelio, quam legimus: Diliges Dominum Deum tuum. Videmus Eliam cum Dei verbo, quum legimus: Ecce virgo in vtero accipiet.* Ita Ambroſius. Sed hæc aut ſimilia non video quomodo ad hunc locum Apocalypſeos pertineat: vnde libentius huic ſententiæ non adſtipulamur, quod à tanto doctore minimè aſſeritur, vt videre eſt per legenti S. Ambroſ. in c. 9. Luc. Et cum certum ſit Moyſen è viuis exceſſiſſe, omnino improbabile eſſe videtur vt anima iam beata corpus ſuum reſumat, in quo de nouo mortem ſubeat & occidatur, ſicut occidendi ſunt duo illi teſtes poſtquam ſuum reddiderint teſtimonium. Ideo dico certum eſſe Enochum & Eliam venturos eſſe tempore Anti-Chriſti, illorumque geſta inſignia, quibus Eccleſiæ auxilium & opem præſtabunt, hic rectiſſimè & graphicè deſcribi.

Primum patet 1. ex auctoritate grauiſſimorum auctorum. Methodius Patarenſis Epiſcopus in ſuis reuelationibus: *Cumque*, inquit, *multiplicata fuerit tribulatio dierum illorum à filio perditionis, non ſinet diuinitas aſpicere perditionem generis humani, quod redemit proprio ſanguine: continuò mittet ſuos famulos ſinceriſſimos atque chariſſimos, Enoch & Eliam, ad redarguendum eum, & palam omnibus gentibus corripient eius ſeductionem, & oſtendent eum mendacem coram omni homine, & nihil eſſe.* Ita Meth.

Andreas Cæſarienſ. *Per hos teſtes*, inquit, *plerique doctorum acceperunt Enoch & Eliam, qui ſub ſeculi finem à Deo accepturi ſunt trium annorum cum ſemiſſe ſpatium, quantum nimirum ex mille ducentis ſexaginta diebus numero conflatur, ad vaticinandum & prædicandum.*

Ambroſius teſtes duos Eliam & Enoch vocat, qui aduentum eius ſecundum præcurrent, ſicut Ioannes præcucurrit primum.

Dionyſius: *Et dabo duobus teſtibus meis, ſcilicet Enoch & Eliæ, copioſiſſima gratiæ dona, virtutem & conſtantiam, contra Anti-Chriſtum.* Dion. Carth.

S. Thomas: *Dabo duobus teſtibus meis, ſcilicet Eliæ & Enoch, vt dicit Gloſſa, qui nunc ſunt in paradiſo terreſtri, & tunc ſcilicet tempore Anti-Chriſti, venient in publicum, ad teſtificandam veritatem Catholicam. &c.*

Qui poſtea etiam citat S. Gregorium dicentem: *Temporibus Anti-Chriſti, gentibus ad plenum ſuſceptis, Elia & Enoch prædicantibus, quotquot ex plebe Iudaica fuerint inuenti conuertentur, & fideles quique roborati, in ſoliditate ſanctæ Eccleſiæ perſiſtent*, &c. Ita S. Tho. ex Greg.

Hanc ſententiam fusè probat Ribera, ad quem Lectorem remitto: qui multos citat auctores, & inter alios Aretham dicentem: *Fertur autem ex traditione præconum Chriſti, quod inuariabiliter in Eccleſia recipitur, ipſum quoq; Enoch venturum cum Elia Thesbite: venient enim ambo, vt proteſtentur iis qui tunc erunt, ne fallacibus Anti-Chriſti ſignis fidem adhibeant.* Ita Areth. apud Riberam.

Quæ cum ita ſint, vt hoc inuariabili traditione tenetur in Eccleſia, non mirum ſi quidam auctores illud vel eſſe de fide, vel proximum fidei aſſeruerint, vt Suarez 3. p. to. 2. diſputat. 55. apud Alcaz. vel diſput. 52. ſect. 1. apud Leonardum Coquæum. in lib. de Ciuit. Dei. Et Bellarminus to. 1. lib. 3. de Rom. Pontif. c. 6. *Nobis*, inquit, *non puerilis imaginatio, ſed veriſſima ſententia videtur Enoch & Eliam in ſuis perſonis venturos, & contrarium vel eſſe hæreſim, vel errorem hæreſi proximum.* Ita Bellar. quod fusè probat. Vnde certè non abſque temeritate (ſi dici liceat, de auctore alias commendatione digno) Alcazar vt ſenſum à ſe inuentum ſolum tueri poſſit, omnes locos ſacræ ſcripturæ de hoc loquentes ad alios ſenſus diſtrahere conatur. Deinde certum eſt de fide Enochum non eſſe mortuum, ex D. Paulo ad Hebræos 9. *Fide Enoch tranſlatus eſt, ne videret mortem*: vnde Eccleſiaſtici 49. hæc tranſlatio vt quoddam ſpeciale priuilegium reputatur, dum dicitur: *Nemo natus eſt in terra qualis Enoch, nam & ipſe receptus eſt à terra.* Et de Elia ſimiliter conſicitur non eſſe mortuum, ex eius tranſlatione & raptu 4. Regum. 2. At cum diuina prouidentia nihil agat fruſtra, ſed ſingulari plane conſilio omnia operetur, non videtur alium finem poſſe intendi conuenientiorem illo qui nobis ex traditione perantiqua, & communi ſententia, ab antiquis temporibus in populo Chriſtiano recepta innoteſcit: ea autem eſt quod ambo Anti-Chriſti tempore ad prædicandum ſint venturi, & tunc Martyrij palmam adepturi. Fauet S. Iuſtinus Martyr in explicationibus q.q. à gentibus Chriſtianis poſitarum, q. 32. *Si Deus mortalem naturam noſtram feciſſe dicis, cur Deum mortem non feciſſe dicis?* Reſpondet in explicatione Iuſtinus. *Non ſi quid eſt mortale natura id omnino mori neceſſe eſt. Argumento ſunt Enoch & Elias, qui cum natura mortales ſint, in immortalitate etiam manent ſuperiores, excelſioreſque effecti, quàm ad quos elogium illud pertineat: Terra es & in terram reuerteris. Verum eſt igitur naturam noſtram à Deo, factam eſſe mortalem, mortemque inuectam eſſe in mundum hominis inobedientiâ. Si enim Deus vt naturam fecit mortalem, ſic etiam mortem feciſſet, non inobedientia mortem induxiſſet; at ſi Deus inobedientiam non fecit, ne mortem quidem fecit.* Ita Iuſtinus.

Tertiò, hoc apud me certiſſimum eſt, propter Chriſti Domini verba Matt. 17. *Interrogauerunt eum diſcipuli: Quid ergo ſcribæ dicunt quod Eliam oportet primum venire? At ille reſpondens, ait: Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia. Dico autem vobis quod Elias iam venit, & non cognouerunt eum: ſed fecerunt in eum quæcumque voluerunt. Sic & filius hominis paſſurus eſt ab eis.* Quorum verborum ſenſus planiſſimus eſt, quod Chriſtus Dominus fateatur verum Elium venturum fore ante ſecundum aduentum, vt reſtituat omnia, prout de eo dicitur Eccleſiaſtici 48. *Qui receptus eſt in turbine ignis, in curru equorum igneorum, qui ſcriptus eſt in iudicijs temporum, lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & reſtituere tribus Iacob.*

328

Quod de Ioanne Baptiſta minimè dicitur, licet Angelus Luc. 1. dicat, quod, *multos filiorum Iſraël conuertet ad Dominum Deum ipſorum: & ipſe præcedet ante illum in ſpiritu, & virtute Eliæ: vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum, parare Domino plebem perfectam.* Hæc enim propriè pertinent ad ſpiritum & virtutem Eliæ. Vnde non mirum ſi ab Angelo hæc verba ex Malachia aſſumuntur, vt ſanctum Ioannem probet eſſe venturum in ſpiritu & virtute Eliæ. At non dicit ſanctum Ioannem reſtituturum eſſe tribus Iſraël: hoc enim proprium eſt veri Eliæ: quod etiam Chriſtus Dominus docere voluit, dum omiſſis cæteris, quæ de Elia dicuntur, tam in Eccleſ. c. 48. quàm apud Malachiam, ſolùm dicit, quod reſtiturus ſit omnia, vt pote opus ſibi proprium & ſingulare, non communicandum ſancto Ioanni, qui tantùm veniebat in ſpiritu eius, vt Chriſti Domini primum aduentum præcurreret. Quod autem S. Ioanni reſtitutio hæc non debebatur, patet ex 1. actuum, vbi adhuc interrogant diſcipuli, S. Ioanne iam è viuis ſublato, & functo ſuo munere: Domine, ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël? Ergo à Ioanne non fuerat reſtitutum: hoc enim ſeruatur (iuxta Domini verba) Eliæ, ad quem pertinet reſtituere tribus Iacob: dum ſcilicet filios Iſraël ſeu reliquias huius populi colliget in fine & conſummatione mundi. Vnde non eſt admittenda explicatio Alcazar, qui hæc Domini verba (*Elias quidem venturus eſt*) detorquet ad ſenſum & aduentum ſpiritalem. In hoc enim aduentu non poteſt verificari quod de eo tum Eccleſiaſt. 48. tum à Chriſto Domino prædicantur, nempe quod reſtiturus ſit omnia. Confirmatur ex Prophetia Malachiæ c. 4. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum: ne forte veniam & percutiam terram anathemate.* Nam licet ſanctus Hieronymus hunc locum exponat de omni prophetarum choro, reſtè tamen aduertit Ribera in hac expoſitione S. Hieronymum morem ſuum obſeruaſſe, explicandi ſpiritualiter verſionem ſeptuaginta interpretum, hiſtoriâ prius enarratâ aut præteritâ, ſi apertior eſt, vt hic fecit: nam quod S. Hieronymi mens & ſententia ſit Eliam venturum fore in vltimis temporibus, ſatis patet ex commentario in 17. Matth. vbi ait: *Ipſe qui venturus eſt in ſecundo ſaluatoris aduentu iuxta corporis fidem, nunc per Ioannem venit in virtute & ſpiritu.* Ita Hieron. & dum ait. in 4. Malach. *Mittet Dominus in Elia (qui interpretatur Deus meus) & eſt de oppido Thesbi) quod conuerſionem & pœnitentiam ſonat) omnem Prophetarum chorum.* Satis oſtendit in hiſtoria veri Eliæ ſenſum ſpiritalem exquirere, ſeruato ſemper hiſtorico ſenſu. Notat etiam Ribera, malè atque vitiosè in bibliis regiis, in tranſlatione ſeptuaginta ſcriptum eſſe: Ecce ego mittam vobis Eliam Propheram: cum dici debeat (*Eliam Thesbitem*) ne ſi videlicet Prophetam dixerit, de Ioanne Baptiſta primò & principaliter intelligatur. *Nullo modo enim dubitandum eſt*, inquit Ribera, *Propheram hanc non de Ioanne Baptiſta ſcribi. ſed de ipſo Elia Thesbite.* Ita Ribera. Legit etiam Eliam Thesbitem S. Auguſt. 20. de ciuit. c. 29. *Et ecce ego mittam vobis Eliam Thesbitem, &c. Per hunc*, inquit, *Eliam magnum mirabilemque Prophetam, expoſita ſibi lege. Vltimo tempore ante iudicium. Iudæos in Chriſtum verum, id eſt in Chriſtum noſtrum eſſe credituros, celebertimum eſt in ſermonibus, cordibuſque fidelium. Ipſe quippe ante aduentum iudicis ſaluatoris non immeritò ſperatur eſſe venturus, qui etiam nunc viuere non immeritò creditur, &c.* Ita Aug. Lege. Tertullianum lib. de anima c. 35. & cap. 50. *Tranſlatus eſt Enoch & Elias, nec mors eorum reperta eſt, dilata ſcilicet. Caterum morituri reſeruantur, vt Anti-Chriſtum ſuo ſanguine extinguant.* Ita Tertull. Hinc ſcriptus dicitur *in indicijs temporum lenire iracundiam Dei*, Eccleſiaſt. 48. quia in Dei præſcientia, in qua ſunt deſcripta omnia indicia ſeculorum, id eſt quæ decreta & determinata ſunt vt fiant in quouis ſeculo, inter alia ſcriptum reperitur Eliam mittendum eſſe, qui valeat Deo valde irato occurrere, eiuſque iracundiam mitigare. Et hæc de Eliæ aduentu ſatis. Quantum ad Enoch, de eo dicitur Geneſ. 5. *Ambulauitque cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus.* Vbi ſit tranſlatus, & ad quem finem, docet Eccleſiaſticus c. 44. *Enoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in paradiſum: vt det gentibus pœnitentiam.* Qua ratione autem pœnitentiam dabit gentibus, explicat S. Paulus, dum de ipſo agens ait, *Fide Enoch tranſlatus eſt ne videret mortem, & non inueniebatur, quia tranſtulit illum Deus. Ante tranſlationem enim teſtimonium habuit placuiſſe Deo: ſine fide autem impoſſibile eſt placere Deo: credere enim oportet quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Ac ſi diceret S. Paulus: Enoch habuit fidem, quia placuit Deo: nam ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Quid autem credidit potiſſimum vt placeret Deo? Credidit duo præcipuè, in quibus cætera implicitè continentur, nempe quod Deus ſit, ſecundò quod inquirentibus remunerator ſit. Vnde dabit gentibus pœnitentiam, cum hanc fidem prædicabit; & contra atheos & idololatras, vnius Dei veritatem demonſtrabit, vt pœniteant ſe ab eo receſſiſſe: eis autem qui Dei vnius veritatem agnouerunt, timorem iudiciorum Dei incutiet, bonoſque confirmabit, certitudinem præmiorum illis in memoriam reuocando, quia Deus inquirentibus ſe remunerator eſt. Si remunerator bonorum, ergo certè vindex erit malorum. Vnde S. Iudas in Epiſtola ſua de Enoch dicit: *Prophetauit autem & de his ſeptimus ab Adam Enoch dicens: Ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis, facere iudicium contra omnes impios, de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris quæ locuti ſunt contra Deum peccatores impij.* Hæc S. Iudas. Quibus patet quomodo dabit pœnitentiam gentibus, & documentum pœnitentiæ eſt ætatibus & generationibus ſecundùm textum græcum: quia & Prophetia ſua, & prædicatione ſua, iudiciorum Dei timorem inculcat nationibus, & potiſſimùm inculcabit cum veniet in fine ſeculorum. *Tranſlatus eſt*, inquit S. Ireneus l. 4. c. 30. *ſed & Enoch ſine circumciſione placens Deo, cum eſſet homo Dei legatione ad Angelos fungebatur, & tranſlatus eſt: & conſeruatur uſque nunc teſtis iuſti iudicij Dei, &c.* Quem locum expendens doctiſſimus Minorita Feuardentius, *Per Angelos*, ait, *intelligendos eſſe poſteros ſanctis viri Seth, qui laſciuiâ victi cum filiabus Cain congreſſi fuerunt.* Quod ſi intelligeret de immundis ſpiritibus; cum plærisque antiquis auctoribus, v. g. Iuſtino. Clem. Alexand. Tertulliano, &c. ſingularis eſt opinio, potius diſſimulanda eſt quam amplexanda, aut procaciter exagitanda: quâ dimanaſſe putarunt Tert. Orig. Auguſt. l. 15. de ciuit. c. 23. & hom. 28. in Numeror. ex libris Enoch nomine diuulgatis. Quidquid ſit, certè S. Ireneus Enochum, quem conſeruari dicit vt teſtis ſit iuſti iudicij Dei, cum Elia adhuc viuere & in paradiſum tranſlatum eſſe aſſerit, vbi erat Adam, lib. 5. c. 5. in quo oſtendit homines ad longæuam vitam conſeruari poſſe, & excitari poſſe, ad vitam æternâ. Sic igitur de Enoch & Elia loquitur: *Quoniam quidem Enoch placens Deo in quo placuit, corpore tranſlatus eſt, tranſlationem iuſtorum præmoſtrans. Et Elias ſicut erat in plaſmatis ſubſtantia aſſumptus eſt, aſſumptionem patrum prophetans: & nihil impedit eos corpus in tranſlatione & aſſumptione eorum. Per illas enim manus, per quas in initio plaſmati ſunt,*

Digitized by Google

per ipſas & aſſumptionem & tranſlationem acceperunt: Aſſueta enim erant in Adam manus Dei coaptare, & tenere, & baiulare ſuum plaſma, & ferre & ponere vbi ipſe vellent. Vbi ergo primus poſitus eſt homo, ſcilicet in paradiſo, quemadmodum ſcriptura dicit: Et plantauit Deus paradiſum in Eden contra Orientem, & poſuit ibi hominem quem plaſmauit; & inde proiectus in hunc mundum non obediens: Quapropter dicunt Presbyteri, qui ſunt Apoſtolorum diſcipuli, eos qui tranſlati ſunt illac tranſlatos eſſe, &c. Ita Ireneus: Qua de cauſa Feuardentius parum tutum eſſe cenſet aliter nunc ſentire, & Tertullianum adfert, qui lib. de reſurrectione carnis ait Enoch & Eliam hac ratione futuræ integritatis eſſe documenta: Et Epiphanium qui eos vocat duos primogenitos noſtræ reſurrectionis; & Clem. Roman. l. 7. conſtitut. c. 8. qui docet hac ratione Deum oſtendere potuiſſe ſi voluiſſet homines immortales ſeruare; & multos alios in lib 5. c. 5. S. Irenei, qui in lib. 4. c. 30. ait: *Huic ſententiæ eos ſuffragantur, vt ab ea diſcedere mihi religio ſit.* Certè cum Feuardentio dico ab ea ſententia non poſſe diſcedere & quod cum Elia venturus, ſit pugnaturus aduerſus Anti-Chriſtum, quo tandem nunc loco exiſtat, ſiue in paradiſo terreſtri ſiue alibi. De Enocho ſi plura requiras, lege S. Auguſt. l. 15. de ciuitate c. 10. cum Annotatione Leonardi coquæi de eius ſcriptis, eodem lib. 15. c. 23. cum eiuſdem Leonardi Annotat. & lib. 18. de ciuit. c. 38. Lege etiam annales Saliani, anno mundi primæ ætatis 688. & ann. 987, in quo, vitæ ſuæ anno. 365. tranſlatus eſt: vbi fuſè agit an ſit mortuus, vbi ſit tranſlatus, quid ſentiendum ſit de eius Prophetia, de modo quo Elias & Enoch vitam tranſigunt in loco in quo fuerunt tranſlati, iuxta ea quæ docet S. Auguſt. l. de peccatorum & remiſſione & meritis. Quæ quidem omitto, ne ieiunè attingam quæ fuſius ab aliis iam fuerunt enucleata. Et ſupradictis patet totam interpretationem Alcazaris, à capite 4. vſque ad vndecimum infirmari: nam ſi de Enocho & Elia intelligendum eſt, quod de duobus teſtibus dicitur c. 11. certè non video quomodo eius expoſitio poſſit eſſe germana & aliis ſolidior. Et cum myſticè velit exponi quod de illis duobus teſtibus dicitur, ne omnino propter veritatem ſenſus hiſtorici, illum ſenſum myſticum reiiciamus,

Dico non malè ſenſu literali & hiſtorico incolumi ſeruato, poſſe aliquem ſenſum myſticum in eorum perſonis requiri. Hoc enim etiam in aliis ſeruatur, v. g. in Adamo & Eua, quæ Chriſti & ſanctæ Virginis typus eſſe dicuntur; in Iſaac & Iſmael, Eſau & Iacob in quibus electi & reprobi ſunt adumbrati; in Sara & Agar, quæ typice ſynagogam & Eccleſiã Chriſtianã ſignificant; in Maria Magdalena & Martha, quæ vitam contemplatiuam & actiuam deſignant. Quod obſeruauit S. Paulus Rom. 9. dum agit de filiis promiſſionis. *Non*, inquit, *qui filij carnis, hi filij Dei, ſed qui filij ſunt promiſſionis æſtimantur in ſemine*, dum de Eſau & Iacob loquitur ibidem; *Iacob dilexi, Eſau odio habui*; & ad Galat. 4. vbi ait: *Scriptum eſt enim quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera, &c.* Sic Enoch & Elias typice poſſunt conſiderari. Hinc Procopius Gaza vitæ incorruptionem & immortalitatem in Enocho & Elia deſignari vult, dum ait in c. 4. Geneſ. *Cæterum nec Elias nec Enoch domuerunt mortem. Mortem vincere & penitus è medio tollere, Chriſti opus eſt; attamen Chriſtus naturam humanam reſtaurans. Illis qui naturâ erant mortales, immortalitatis munus elargitus eſt; quod nobis omnibus præſtat: necnon per illos reſurrectionem adumbrauit, vt illo exemplo confirmati pij homines non triſtitia afficerentur ob mortem, exemplo Enoch inſtruxit nos, vt nouerimus quo pacto in extremo die pij ab impijs A ſunt ſegregandi: Exemplum Eliæ docet, quo pacto corpora in aëra ſunt ſubuehenda.* Et in c. 5. Geneſ. Idem Procopius: *Illud verò ſpecta: Deus die ſeptimo quieti ſe tradidit, cum abſoluiſſet hoc vniuerſum mundi opificium. Et nunc ille idem Deus generatione ſeptima accipit ſymbolum conſummationis ſeculi Enoch, vt primitias rationalis creaturæ. Paulus inquit: & mors eius non inueniebatur: Hic verò nulla huius rei facta mentio. Qui fit: Fortaſſis propter intellectus profunditatem, à nemine eius mors comprehendi quiuit. Nam ſpiritualis à nemine diiudicatur. Cum principalis eius pars à Deo ad perfectionem & beatitudinem tranſponeretur.* Hæc Procop. S Auguſt. 15. de ciuit. c. 19. hunc ſenſum myſticum in Enoch requirit, dum ait: *Septimus enim ab illo (nempe Adam) natus eſt Enoch, quod interpretatur dedicatio, ſed ipſe eſt* B *qui tranſlatus placuit Deo, & inſigni numero inordine generationũ, quo Sabbathum conſecratum eſt, ſeptimo ſcilicet ab Adam. Ab iſto autem Patre iſtarum generationum, quæ diſcernuntur à propagine Cain, id eſt à Seth, ſextus eſt, quo die factus eſt homo, & conſummauit Deus omnia opera ſua. Sed huius Enoch tranſlatio, noſtræ dedicationis eſt præfiguratio, dilatio, quæ quidem iam facta eſt in Chriſto capite noſtro, qui ſic reſurrexit, vt non moriatur vlterius, ſed etiam ipſe tranſlatus eſt.* Lege Gregor. l. 16. Moral. c. 6. Iſidorum Hiſpalenſem, Commentario in Geneſ. c. 6. D. Thomam in Epiſt. ad Hebræos c. 11. lect. 2. *Datâ*, inquit, *ſententiâ mortis Dominus ducere* C *volens homines in ſpem vitæ, quod fecit in patribus vtriuſque ſtatus, ſcilicet naturæ, Legis, Gratiæ, vnde in primo ſtatu dedit ſpem euadendi neceſſitatem mortis, in Enoch; in lege, in Elia; in tempore gratiæ, in eo Chriſto, per quem datur nobis effectus buius promiſſionis.*

De Elia autem iam diximus ex S. Hieron. in 4. cap Malachiæ, in eo prophetiam ſeu prophetarum chorum deſignari. Eum Typum eſſe Chriſti vult S. Auguſt. contra Fauſtum Manicheum lib. 12. c. 34. *Paſcitur*, inquit, *Elias tempore famis, crucis mane afferentibus panem, & ad veſperam carnes; & Manichæi non intelligunt in illis libris Chriſtum, cui quodammodo ſalutem noſtram eſurientis confitentur peccatores fidem, primitias ſpiritus nunc habentes, in finem autem, velut ad veſperam ſeculi etiam carnis reſurrectionem.* Et Serm. 2. in 3. D Dominic. Poſt Trinit. ſeu 201. de tempore: *Et quid fuit, quod nulla Iudæorum vidua beato Eliæ cibum meruit miniſtrare, ſed ad viduam gentilem mittitur, vt ab ipſa paſcatur? Vidua enim iſta, ad quam propheta mittitur, typum Eccleſiæ gerebat, ſicut & eorum illi qui Eliæ miniſtrabant, figuram gentium habuerunt. Venit ergo Elias ad viduam, quia Chriſtus venturus erat ad Eccleſiam.* Ita Aug.

Alcazar Moſen Enocho ſubſtituens, in Moſe præſtantiſſimam ſapientiam, in Elia integerrimam vitæ ſanctimoniam deſignari vult. Ego vero abſque illa ſubſtitutione Enochum in ſuum locum reſtituens, Dico per Enochum fidei ſplendorem deſignari, (eum ſiquidem commendat S. Paulus ex fide) per E Eliam, zelum honoris diuini, ex charitate flagrantiſſima manantem. Ad hoc moueor ex verbis Domini: *Veruntamen filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?* Luc. 18. & aſſerentis Matt. 24. *Et multi Prophetæ ſurgent & ſeducent multos, & quoniam abundauit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.* Ex quibus Domini verbis vides duo præcipuè requiri ab iis, qui pro tunc Eccleſiæ opem & auxilium ſunt allaturi, nempe vt fidem pene extinctam accendant; Secundò vt charitatem refrigeſcentem priſtino calori reſtituant. Igitur cõuenienter Enoch ſeligitur ad fidem accendendam. Quis enim non videt teſtimonia Dei multum reddi credibilia, ex teſtimonio viri qui primum hominem ſuis manibus ſepeliuit, vt refert Salianus anno mundi 987. qui omnes in poſterum ætates, ac rerum viciſſitudines percucurrit, &

ante oculos habuit, vt ſciat ſeſe opponere omnibus mendaciis, quibus falſi Prophetæ conabuntur mentes fidelium ſeducere, fideliter & audacter enarrando quidquid in quolibet negotio peractum fuit in ſeculis præteritis; ſciat etiam falſi redarguere omnia quæ contra veritatem, & Eccleſiæ auctoritatem & doctrinam, à falſis Prophetis adducentur: quo fit vt in eo, omnes qui ſapientia & doctrina fidem ruebuntur optimè poſſint deſignari. Quod ſi de charitate, in qua conſiſtit vera ſanctitas, & de zelo diuini honoris ſermonem habeamus, qua charitate ſeu ſanctitate, & quo zelo reſtitui debent in integrum, quis ad hoc procurandum & ſignificandum aptior Elia de quo ſcriptura dicit? *Et ſurrexit Elias Propheta, quaſi ignis, & Verbum ipſius quaſi facula ardens.* Eccleſ. 48. Quod autem illorum geſta apprimè deſcribantur in hoc capite, hoc videbitur, ſingulos verſus ſubſequentes ſigillatim ex ponendo.

Et dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis.

Quid Deus daturus ſit duobus teſtibus, & de temporis ſpatio prophetiæ illorum, & quo fine apparerent amicti ſaccis?

ANNOTAT. IX.

QVANTVM ad primum, non abſque ratione minimè exprimit quid ſit daturus, vt cogitemus nihil eis defuturum. Tanto oneri magnum leuamen parandum. Tanto muneri & officio ritè ſubeundo ingens virtus ſuppeditanda. Tanto certamini obeundo arma conuenientia erunt tradenda. Nam vt Apoſtoli virtute debuerunt indui ex alto, vt opus euangelizandi aſſumerent, ſic iſti duo prophetæ vt Euangelij virtutem, penè euacuatam infidelitate & morum corruptione, redintegrent, magno egebunt auxilio. Olim Apoſtolus Paulus dicebat 2. ad Corinth. 3. *Fiduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum: non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti, non littera ſed ſpiritu.* Hoc verè iſti duos teſtes dicere poterunt, quod non eſſent ſufficientes ad ea omnia præſtanda, quæ neceſſaria erunt in tam periculoſis temporibus, niſi à Deo ad hoc munus idonei redderentur. Hac de cauſa dicitur: *Et dabo duobus teſtibus meis.* Ac ſi diceret: vos ex perantiqua traditione iam ſcitis mihi affuturos duos teſtes, qui de meo nomine teſtimonium reddent, cum ab omnibus ferè blaſphemabitur: in dubium reuocare non debetis, quod omnibus donis gratuitis replebuntur, itaut feliciter adimpleant omnia quæ ad cultum meum reſtaurandum & reſtituendum erunt neceſſaria. *Ita*, inquit S. Tho. in expoſit. *homines cuiuſlibet temporis dabunt teſtimonium Chriſto, & contradicent Anti-Chriſto, Enoch qui pertinet ad tempus ante legem, Elias qui eſt de tempore legis, & Chriſtiani prædicatores, qui erant tempore gratiæ.* Ita S. Thom.

Et dabo duobus teſtibus meis, id eſt, inquit Alcazar, *dabo vt prophetent, ſeu quod idem eſt, vt prædicent, aut forte per ſpecialem energiam dabo illis: nec tamen declarat quid ſit eis daturus, quod perinde eſt ac ſi dicat ſe daturum illis quæcumque ad prædicationis munus strenuè obeundum neceſſaria ſunt, id eſt ſpiritum, contentionem animi, mentis ardorem, nec non os & ſapientiam, quibus obſiſti non poſſit.* Ita Alcazar.

Vnde ait S. Thomas: *In hoc quod donum non exprimit, intelligitur magnitudo doni. Similiter dicit in Pſal. Donum in ſalutari: non dicitur quid ponet. Per hoc autem,* vt antea docet idem S. Doctor, *quod dicit, duobus; oſtendit ſufficientiam teſtium Matt. 18. in ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne Verbum; Vel duobus, quia de duobus teſtimonium per hibebunt de Chriſto, ſcilicet quod eſt Deus & homo; Vel de duobus, ſcilicet de magnificatione Chriſti, & reprobatione Anti-Chriſti. Teſtes autem Chriſti erunt hi duo; & in vita, recte viuendo & recte docendo; & in morte, pro Chriſto patiendo. Vnde & ſecundum Haymonem duplex martyrium erit in eis, alterum in mente, multa enim erit anguſtia eorum pro his quæ videbunt, & multa aduerſa ſuſtinebunt in carne.* Ita S. Tho.

Quantum ad ſpatium temporis quod inſument ad munus ſuum obeundum *Prophetabunt*, inquit, *mille ducentis ſexaginta diebus*, id eſt tribus annis & dimidio, ſicut Chriſtus prædicauit tanto tempore, vt dicit Gloſſa. Notat autem S. Thomas, *diei Viginti vnum deficere, ſicut & Chriſtus non compleuit dimidium annum prædicationis poſt tres annos, quibus prædicauerat: quia Chriſtus poſtquam fuit baptizatus ſuperuixit tribus annis & dimidio: non tamen integro: quia pro dimidio anno computatur tantum temporis, quantum de Epiphania Domini vſque ad Paſcha: tamen ſcriptura non facit vim ſæpe de minutiis: Vnde poſito maiori numero non fit vis de minori.* Ita S. Tho.

Myſterium in hoc numero exquirit Rupertus, & dicit partes illius numeri in vnum reductas tria millium centum & octo facere, ſicque excreſcere & effluere, vt abundantiam iniquitatis (quando refrigeſcet charitas multorum) innuat: ad quam reſcindendam, vt charitas recalcſcat, miniſterium illorum à Deo ordinatur.

Alcazar dicit tres annos cum dimidio exprimi per dies, *vt explicetur non eos ſolum feſtis illius temporis diebus, ſed omnibus etiam ſingulis concionaturos, quo denotatur perſeuerantia ingens atque conſtantia inſatigabilis.* Ita Alcazar.

His addo tempus Prophetiæ ipſorum per dies exprimi, vt denotetur hos Prophetas ſtatum aliquem obtinere impeccabilitatis, itaut in nullo per totum illud tempus deficiant, ſuo muneri digne obeundo plene ſatisfacientes, in eis nulla nox peccati, aut perturbationis animi, ſed ſemper erunt in luce gratiæ, & in fulgore mentis, ac ſumma animi pace & tranquillitate, in quouis ſint periculo conſtituti.

De toto hoc tempore, ſiue vt per annos computatum eſt, ſiue per menſes, ſiue per dies, ita Ribera: *Trium annorum & dimidij tempus ſignificat non expletum: nam ſi more Hebræorum numeremus menſes lunares, ex quibus alter habeat dies triginta, alter Viginti nouem, quadraginta duo menſes habent dies mille ducentos triginta nouem: atque ita plus quam tribus annis & dimidio prædicabunt. Sed quoniam Apoſtolus conuerſis ex gentibus ſcribebat, Veriſimilius eſt menſes numeraſſe iuxta Græcorum & Romanorum conſuetudinem: atque in menſibus quadraginta duobus dies inſunt mille ducenti octoginta, ex qua ſumma Viginti circiter dies deſunt tempori prædicationis Eliæ & Enoch. Gloſſa notat quod hi duo non perficiunt tres annos & dimidium, ſicut & Chriſtus non compleuit dimidium annum prædicationis. Et quoniam probabile eſt eodem tempore incepturos eſſe prædicationem, quo tyrannis Anti-Chriſti incipiet, quandoquidem quaſi in antidotum eius dati ſunt, occidentur ab eodem Anti-Chriſto Vigeſimo die ante conſummationem & mortem eius. Sed non ſine quæſtione prætereundum cur tempus prædicationis eorum diebus numeraverit, cum tempus Anti-Chriſti numeraverit menſibus. Simplex & plana reſponſio eſt tempus Anti-Chriſti non fuiſſe per annos numeratum, quod breuius erat & facilius, quoniam anni integri non erant; ſed per menſes, quoniam quadraginta duo integri dati ſunt perſecutioni Anti-Chriſti. Ita ergo tempus prædicationis duorum Prophetarum non computatur per annos, neque per menſes, quoniam nec anni integri futuri ſunt, nec menſes:*

Digitized by

atque idcirco reliquum erat vt per dies computaretur. Atque hoc ſæpe obſeruari videmus in ſcriptura, vt cum tempus exactiſſimè computandum eſt, per annos computatur, ſi integri ſint; aut per menſes: ſi autem neque menſes expleantur, per dies, vt Daniel. 8. Vſque ad veſperum & mane, duo millia trecenti; & mundabitur ſanctuarium. Et c. 12. Et à tempore, cum ablatum fuerit iuge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille ducenti nonaginta. Beatus qui expectat & peruenit vſque ad dies mille trecentos triginta quinque. Ita Ribera. Quam literalem expoſitionem libenter admitto: tamen in libro myſtico & ænigmatico, ſatis concinnè etiam myſticus ſenſus exquiritur, vt fecimus ſupra. Ambulabunt iſti duo Prophetæ, *vt filij lucis, in omni bonitate, & iuſtitia & veritate.* Ambulatibus in regione vmbræ mortis tanquam lux clariſſima apparebunt, & illuminabunt eos qui errorum tenebris obuoluti ſeducti fuerant à falſis Prophetis, & omnibus dicent: Nox diſceſſionis à Chriſto & Eccleſia præceſſit, dies ſalutis appropinquauit. *Leuate capita veſtra: ecce enim appropinquat redemptio veſtra.* Abiicite ergo opera tenebrarum, & induamini arma lucis: ſicut in die honeſtè ambulate. Et ſic perſeuerantes toto tempore ſuæ prædicationis abſque vlla macula aut peccato, rectè totum tempus prædicationis eorum per dies exprimitur, nec alicuius noctis aliqualis fit mentio.

Quantum ad tertium: *Amicti ſaccis. Amiciuntur,* inquit Andreas Cæſarienſ. *autem ſaccis, quo planum, faciant mœrorem & luctum, quo propter eos ſanciabuntur, qui tunc temporis in Anti-Chriſti errorem abducti comperientur.* Ita And.

Rupertus: *Sed quis non miretur teſtes iſtos tanta dignitatis ſacco debere amiciri? Attamen ita eſt. Horum namque eſt in ſacco & cinere peccata hominum lugere, & tanto magis coram Deo humiliari, quanto maior in ſuo tempore eſt abundantia iniquitatis.* Dionyſ. Carthuſ. *id eſt pœnitentialibus, aſperis, abiectis, humilibus indumentis, vt ſicut verbis, ita & habitu pœnitentiam prædicent.* Ita Dion.

Alcazar: *Id eſt pœnitentiam, & peccatorum deteſtationem prædicantes, & homines ad eam cohortantes.*

Amicti ſaccis. Hic inquit S. Thomas, *agitur de adiunctis prædicationi eorum, per quæ eorum prædicatio commendabilis reddetur. Extolluntur autem hîc quantum ad multa, quibus eorum prædicatio ſulcietur. Primum eſt humilitas auſtera pœnitentiæ; ſecundum eſt inunctio perfectæ gratiæ. Hi ſunt duo olivæ; tertium eſt diffuſio caritatis publicæ; & duo candelabra. Quartum, feruor affectionis deuotæ; in conſpectu. Quintum, virtus inuictæ conſtantiæ; Et ſi quis voluerit nocere. Sextum, pondus diuinæ benevolentiæ; Et ſi quis velit eos lædere. Hæc prædicta florebunt in eis: agent enim in corpore ingentem pœnitentiam: habebunt in anima perfectam gratiam: dabunt aliis claritatem apertam, verbo ſcilicet & exemplo. Habebunt ad Deum affectionem intimam, tenebunt ad perſecutores immobilem conſtantiam, & in his omnibus obtinebunt acceptabilitatem diuinam: quod patebit in pœna perſecutorum. Dicit igitur (amicti) quaſi dicat: Prædicabunt ipſi duo amicti, id eſt cooperti, ſiue induti ſaccis, id eſt vilibus pannis. In prædonibus enim ſecundi aduentus erit vilitas habitus exterioris, indicium humilitatis & ſanctitatis, ſicut in præcone primi aduentus, de quo Marci 1. Erat Ioannes veſtitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius. Prædicabunt enim Elias & Enoch pœnitentiam, & exemplo eam oſtendent, ſicut dicit Gloſſa. Item in hoc notatur quod vltimis temporibus Eccleſia reuertetur ad humilitatem primi ſtatus. Item per ſaccum intelligitur humilitas & auſteritas pœnitentiæ, quæ erit in Elia & Enoch, & qua vlterius debeat eſſe in vno pœnitente. Gregorius ſi abiectio vilis indumenti virtus non eſſet, Euangeliſta tã vigilanter non diceret de Ioãne Baptiſta: Erat indutus pilis cameli.*

Digreſſio de vilitate habitus Fratrum Minorum: Et quod probabile ſit in dumentum Enoch & Eliæ futurum eſſe indumento minorum conforme.

ANNOTAT. X.

NON mirum ſi S. Gregorius ſupra virtuti aſcribit abiectionem, quæ ex vilitate veſtimenti contrahitur, virtus enim in arduo conſiſtit. At, inquit S. Cyprianus Epiſt. ad Donatum, *quis pretioſa veſte conſpicuus, in auro, atque in purpura fulſit, ad plebeium ſe ac ſimplicem cultum quando deponit?* Ac ſi diceret: Hoc non fit niſi ratò, nec non abſque magna difficultate.

Fuerunt olim quidam cuiuſdam Euſtachij ſectatores, qui reprehenduntur à Patribus Concilij Gangrenſis in Paphlagonia, an. 324. quod veſtibus communibus ſpretis nouos etiam & inſolitos habitus aſſumebant, contra quos anathema fulminarunt. *Si quis,* inquiunt, *virorum propter continentiam, quæ putatur, amictu pallij vtitur, quaſi per hoc habere ſe iuſtitiam credens, & deſpicit eos qui cum reuerentia bonis & aliis communibus vtuntur, anathema ſit.* Sed mentem ſuam explicant prædicti patres, dum in fine canonum inter alia dicunt: *Diuitias cum iuſtitia & operibus bonis non ſpernimus, & habitum ſimplicem, ac veſtem viliorem pro corporis diligentia in fucatam laudamus, ſicut etiam ſolutas ac fractas in veſtibus proceſſiones reprobamus.* Ex quibus verbis patet vilitatem in veſtibus eos non damnare, ſed arrogantiam eorum qui ſub vilitate veſtium, ſingularitatem quamdam affectabant, & veræ iuſtitiæ fucum facere volebant, ſe aliis iuſtiores exiſtimantes, quod vilibus induerentur. Non hac ratione vilitatem in veſtibus hic approbare intendimus, ſed propter eumdem finem, propter quem hi duo teſtes celeberrimi nominis Chriſti amiciuntur ſaccis: quam vilitatem mundi contemptor B. P. Franciſcus ſuis fratribus ſeruandam tradidit, itaut nullam exinde aſſumerent gloriandi aut alios deſpiciendi occaſionem, dum in regula ait: *Et fratres omnes veſtimentis vilibus induantur, & poſſint ea repetiare de ſaccis & aliis petiis cum benedictione Dei; quos moneo & exhortor, ne deſpiciant neque iudicent homines, quos viderint mollibus & veſtimentis & coloratis indutos, vti cibis & potibus delicatis, ſed magis vnuſquiſque iudicet & deſpiciat ſemetipſum.*

Equidem nihil intactum relinquit, cordis humani ad maledicentiam propenſio: non defuerunt ſiquidem qui habitus vilitatem reprehenderint, auctoritate S. Hieronymi. ad Nepotianum abutentes, dum ait: *Ornatus & ſordes pari modo fugienda ſunt, quia alterum delitias, alterum gloriam redolet.* At non vident aliud eſſe ſordes in veſtibus affectare, aliud vilitatem in eis requirere; aliud eſſe ſingularitatem quamdam conditioni ac ſtatui inſuetam, ex vana gloria eligere, aliud mundi & ſui ipſius contemptum in vili habitu oſtendere. Nepotianum Clericum ac Sacerdotem ſordida veſtis non decebat, vilis autem Religioſo conuenientior videtur quàm pretioſior ac delicatior: quinimo etiam ſordida animi abiectionem quandoque declarat, ſi talis habitus ex vera humilitate aſſumatur, eodem ſancto Hieronymo teſte, epiſt. ad Ruſticum Monachum: *Sordes veſtium candidæ mentis indicia ſunt: Vilis tunica contemptum ſeculi probat.* Ita Hier. Hinc illud S. Hilarionis celebre dictum, *ſuperuacaneum eſſe munditiam in cilicio quærere*: Vnde ſaccum quo ſemel amictus eſt nunquam aut lauit aut mutauit. Sordidumne, quæſo, auderes dicere, quod Regula à ſancto

eoque Seraphico inſtituta, Chriſto auctore Chriſto eam dictante, præſcribit? indecens & inhoneſtum ne auderes aſſerere, quæ à conciliis etiam approbata tot pontificum ore ac ſcriptis laudata præcipit? Reclamarent certè Honorius 3. qui regulam hanc approbauit, Gregorius 9. qui ſanctum Franciſcum catalogo ſanctorum adſcripſit, Alexander quartus, qui in bulla quæ incipit, *Patris æterni benignitas*, ordinem tot laudibus celebrat, vt nihil addi queat; Paulus 2. Sixtus 4. Nicolaus 5. Clemens 5. Ioan. 22. inter quos omnes audiamus Gregorium 9. dicentem: *Sancta plantatio veſtri ordinis ſub beatæ memoriæ patre Franciſco incæpit, & mirabiliter profecit per gratiam Ieſu Chriſti, flores ſanctæ converſationis longè latèque proferens & odores, ita quod in deſerto huius mundi ſacræ religionis honeſtas ab eodem ordine procedere videatur.* Et Alexand. quartus: *Hi ſunt dilecti Deo & hominibus, fratres ordinis Minorum & prædicatorum, qui ſuum ſemper affectum ad amorem cæleſtium dirigentes, virtutem diuini nominis per orbem terrarum publicant, & Chriſtianæ religionis ampliando cultum vigili attentione deſudant. Hi ſunt qui vitam & merita beatiſſimi Pauli Apoſtoli contemplantes gloriantur in ſola cruce Domini, ſpernendo mundi ſolatia pro deliciis paradiſi. Hi ſunt qui hoſtes animæ per ſcutum fidei, loricam iuſtitiæ, gladium ſpiritus, ſalutis galeam, haſtam perſeuerantiæ debellantes, obtinere ſatagunt, vt Catholicis vniuerſis, fidei, ſpei, & charitatis augmenta perueniant, ac perfectis veritatis via patens, & hæreticæ prauitatis inſania euaneſcat.* Ita Alexander. Ac qui tales ſunt debent amiciri ſaccis, præcipiente Regula: *Fratres omnes veſtimentis vilibus induantur, & poſſint ea repetiare de ſaccis.* Nihil igitur in honeſtum gerunt, imo honeſtiſſimum eſt quod faciunt: nam ex fine quodlibet opus excellentiam ſuam & honeſtatem conquirit. *Hac enim ratione voluit B. Franciſcus,* inquit S. Bonauentura, *ſeculi ſtultitiam in fratrum habitu oſtendere,* ſiue in quantum inepta & conſiderata videtur mundanorum ſuperflua curioſitas, quæ ſerica, & bombycina indumenta auro intexunt, qui porphyriacis, & ſegmentatis veſtibus vtuntur, ſiue vt crucis ſtultitiam fratres imitentur, dum pro vili veſte à mundanis deridentur, quod honeſtiſſimũ eſt; ſiue dum alios à vanitate ſeculi cupis abſtrahere, ſiue Chriſti imitator & ſectator eſſe deſideres. Chriſtus enim totius honeſtatis origo eſt, de quo Eccleſiaſt. 24. dicitur. *Ego quaſi terebinthus extendi ramos meos, & rami mei honoris & gratiæ. Ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honeſtatis:* qua quidam ſuauitate Chriſtus habitu fratris Minoris indutus apparens cuidam Deum obnixè roganti vt qua via ipſi eſſet incedendum, vt ad perfectionis apicem perueniret, ſibi oſtenderet, ipſum ad ſe attraxit hæc illi inculcans. *Quicumque me ſequi cupit, veniat, & taliter mihi ſeruiat.* Ita refert Piſanus lib. conformit. 1. 2. p. fructu 9. Habitus autem Minoritani vilitas patet (ſi cuidam expoſitori regulæ, in ſpeculo Minorum, tract. 3. credas) ex cingulo qui eſt vilis funiculus, ex nuditate pedum & repetiatione ſaccina, quæ omnia ſunt pauperculorum, & ſecundum mundum ſummè vilium. Et reuera ſub groſſiori corda, veſtis vndulata aut bombycea eſſet indecens, nec nuditas pedum pannis mollioribus ſatis conuenit, & antiquus fuit mos, inquiunt Hugo de Dina, & Bartholomeus Piſanus, tunicas paupertimas habere, quas ſi contingat lacerari, non debent ſtatim nouæ procurari, ſed ipſæ debent repetiari de ſaccis, & aliis petiis, vt ipſe B. Franciſcus faciebat. At ſecundum S. Bonauenturam, hæc vilitas in tribus attenditur, ſcilicet in pretio, in colore, & ſuperadditis alterius panni aſſumentis, itaut (ſic vt dicebat Ioan. 22.) in veſtibus reluceat aſperitas, vilitas, paupertas. Hinc

A S. Thomas opuſculo 19. docet: *quod exemplo ſeruatis Baptiſtæ, qui pœnitentiam prædicat, habitum pœnitentiæ prætendit, nec ſeruus Dei debet habere veſtimentum ad decorem vel ad delectationem, ſed tantum ad tegendum nuditatem. Sic antiqui Prophetæ circuierunt in melotis, ſeu pellibus melis ſeu taxi, animalis valde hiſpidis, & pellibus caprinis; ſic veſtiebantur B. Hilarion & Arſenius, & alij Patres; ſicque veſtiuntur hi duo teſtes, vt doceant inanem gloriam reprimendam, indicium inſignis virtutis præbeant, & quomodo diuina miſericordia procuretur exemplo oſtendant: ſicut fecerunt Achab & Rex Niniuitarum, qui indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere: virtus ſiquidem moralis, qualis eſt humilitas, non ſolùm in interioribus actibus conſiſtit, ſed etiam in exterioribus. Vt igitur* B *homo contemnat ſeipſum per humilitatem, oportet quod contemptibilibus exterius vtatur: nec falſi Prophetæ vilitate veſtium malitiam ſuam obtegere ſatagerent, niſi vilitas veſtium ſpeciem boni haberet. Vnde oues non debent pelles ſuas deponere ſi lupi aliquando eas ſe contegant.* Hæc & ſimilia re peries in hoc D. Th. opuſculo 19. Certè qui primum parentem ſecuti ſumus in culpa, par eſt vt eum ſequamur in modo agendi pœnitentiam, de quo S. Ireneus l. 3. c. 37. *Etenim,* inquit, *per ſuccinctorium in facto oſtendit ſuam pœnitentiam, foliis ficularis ſemetipſum contegens, exiſtentibus & aliis foliis multis, quæ minus corpus eius vexare potuiſſent, condignum tamen inobedientiæ amiſſum fecit, conterritus timore Dei,* C *& retundens petulantem carnis impetum quoniam indolem & puerilem amiſerat ſenſum, & in cogitationem prioris veniebat. Frenum continentiæ ſibi & vxori ſuæ circumdedit, timens Deũ, & aduentum eius expectãs, velut tale quid ſignificans: quoniam, inquit, eam quam habui à ſpiritu ſanctitatis ſtolam amiſi per inobedientiam, & nunc cognoſco quoniam ſim dignus tali tegumento, quod delectationem quidem nullam præſtat, mordet autem & pungit corpus. Et hoc videlicet ſemper habuiſſet indumentum humilians ſemetipſum, niſi Dominus qui eſt miſericors, tunicas pelliceas pro foliis ficulneis induiſſet eos.* Hæc Iren. Ex quibus patet regulam S. Franciſci habitum ſuis filiis præſcribere valde conuenientem humilitati Chriſtianæ, & officio prædicatorum pœnitentiæ, & ſtatui eorum qui crucis ſtultitiam & ignominiam* D *exemplo & verbo in hominum memoriam reuocare debent, eoſque conformes in habitu his duobus teſtibus, ſicut ſunt in officio & munere prædicandi hominibus pœnitentiam, & paſſionis Domini imaginem repræſentandi.*

Hinc non abſurda eſſet coniectura, dicere habitum duorum teſtium etiam cruci debere eſſe conformem, ad modum habitus S. Franciſci. Nam ſi hac de cauſa ſaccis induantur, quia pœnitentiam exemplo & verbo hominibus prædicare debent; cum ſint Chriſti crucifixi teſtes, memoriamque paſſionis hominibus inculcare habeant contra tyrannidem Anti-Chriſti, qui ſignum crucis abolere tentabit, vt ſuum characterem imprimat in fronte & manibus hominum. Certè cum S. Franciſcus mundana abiecit indumenta coram Epiſcopo Aſſiſinate E diuinâ prouidentiâ factũ eſt vt ſagi paſtoritij vilitas, crucifque figura in eo inciſſa, perfectam Minoritani habitus formam deſcriberet. Paſtorum ſiquidem tunicæ rudes & hiſpidæ, caputium habent acuminatum ad veſtem conſutum, quo à ſuperueniente nimbo aut niue defenduntur. Tali Tunica cum caputio acuminato indutus eſt B. Franciſcus, vt crucis figuram in habitu geretet, ſicuti crucem in mente, & in carne gerere debebat impreſſam. Hanc figuram crucis habuiſſe habitum S. Francisci teſtantur auctores qui de hac re ex profeſſo tractarunt, vt videre eſt apud Vuadingum. to. 1. annalium an. 1027. & apud Zachariam Bouerium, qui ex profeſſo de hac re libellum edidit, in quo aſſerit illos falli qui di-

Digitized by Google

cunt S. Franciſcum nullam determinatam formam habitus ordini ſuo reliquiſſe; etenim credibile non eſt ordinem à ſummis Pontificibus fuiſſe confirmatum abſque determinatione formæ habitus, quo ab aliis ordinibus diſtingui valeret. Formam autem habitus talem ab initio fuiſſe probat, vt crucis figuram haberet, dum caputium acuminatum & pyramidale tunicæ aſſutum aſſignat: quod multis argumentis confirmat primo ex vero ſenſu verborum regulæ, vnicam tunicam cum caputio præſcribentis; ſecundò ex habitibus S. Franciſci & ſociorum eius, qui vſq; huc aſſeruantur, v. g. Florentiæ, Aſſiſij, tum in Conuentu Fratrum Conuentualium, tum in Conuentu Religioſarum S. Claræ; tertiò ex imaginibus antiquitus depictis, & aliis probationibus, quas apud auctorem legendas lectorem remitto, vt ad alia tranſeam. Hæc de his dicta ſufficiant, vt dicam habitum in figuram crucis, valde conuenientem eſſe iis qui crucifixi Domini memoriam renouare intendunt fidelibus. Vnde ſi talis forma habitus S. Franciſco conformis fuit ac decens, quia Chriſtum, hunc-que crucifixum prædicare debebat, quantò magis decebit eos, qui pro crucifixo contra Anti-Chriſtum tantopere laborare debent, vti hac forma indumenti. Erunt igitur hi duo teſtes amicti ſaccis, id eſt veſtibus ſaccinis, ad figuram crucis efformatis.

Certè cum illos duos intueor teſtes, auſteritate victus, aſperitate veſtis, & ſi volueris, vt probabile eſt, etiam in veſte figuram crucis geſtantes, contra inimicos crucis belligerantes, ſapientiamque huius mundi cornuto quodam indumento ventilantes, illos mihi videre videor ad Chriſtum, cuius ſunt teſtes dicentes, *Tu es ipſe Rex meus, & Deus meus: qui mandas ſalutes Iacob. In te inimicos noſtros ventilabimus cornu, & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis.* Pſ. 43. Vilitate, abiectione, infirmitate, ſtultitiâ crucis, omnes inimicos tuos tanquam puluerem ante faciem venti diſpergemus. In nomine tuo dimicamus, in nomine, inquam, tuo, in cuius certaminis figura olim dictum fuit in benedictione Patriarchæ Ioſeph: *Quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua Rhinocerotis cornua illius: in ipſis ventilabit gentes vſque ad terminos terræ.* Deuteron. 33. At quænam eſt pulchritudo primogeniti tauri? Ex Leuitico c. 1. accipe: *Si holocauſtum*, inquit facer textus, *fuerit eius oblatio, ac de armento maſculum immaculatum offerat ad oſtium tabernaculi teſtimonij, ad placandum ſibi Dominum, ponetque manum ſuper caput hoſtiæ: & acceptabilis erit, atque in expiationem eius proficiens.* Hæc eſt pulchritudo creaturæ rationalis, vt virili animo abſque macula peccati ſeipſam in holocauſtum & hoſtiam acceptabilem Deo offerat immolandum. Hac pulchritudine prædita erunt hi duo teſtes, exemplum Chriſti, qui ſemetipſum obtulit in ſacrificium Deo, ſectantes: nam & ipſi pro Dei honore mortem libenter ſubibunt: finito enim illorum teſtimonio, beſtia occidet eos: *Non enim eſt ſeruus maior Domino ſuo: ſufficit enim diſcipulo ſi ſit ſicut magiſter eius.*

At quomodo cornua illorum fortitudinem ipſorum deſignantia, erunt ſicut cornua Rhinocerotis? Certè quia eorum fortitudo erit infirmitas crucis. *Cornua Rhinocerotis*, inquit Lyranus, *cornua crucis ſignificant, de quibus Habacuc ait: Ibi abſcondita eſt fortitudo eius. Per infirmitatem namque cornis, quaſi Aries, illuſorum ſpinis coronatur: his cornibus hoſtis. Sed paſſionis incomparabili fortitudine vnicornis extitit mortis victor, & eius qui habebat mortis imperium: Vnde quod infirmum eſt Dei fortius eſt hominibus.* Ita Lyranus. Et certè ſi Iuſtino Martyri credimus, dialogo contra Tryphonem, hanc Prophetiam exponenti, cornua Rhinocerotis crucem nobis deſignat, quod cornu vnicornis ſit bifurcatum. Ita Genebrardus ex Iuſtino in Pſal. 28. & 77. inſuper ſicut ex medio frontis vnicornis cornu exſurgit, ita duobus lignis compactis ad crucem efformandam quacumque parte illam aſpicias, cornu exſurgere perſpicies, vt ſic crucis virtutem vndequaque diffundi cognoſcas: ad cælum attingit, abyſſos penetrat, in oriente ſita occidentem reſpicit, vt ad meridiem & ſeptentrionem brachia extendens, cunctos complectatur in ſuo ſinu.

At cur cornu Rhinocerotis, non autem tauri ſeu cerui eligitur, ad ſignificandam crucis virtutem? Quale ſit illud animal, ex hiſtoria naturali accipe. Animal terum & agreſte primo intuitu videtur, corpus ad equi magnitudinem & formam accedit, capite ceruino iubâ longiſſimâ cooperto, elephantino pede, caudâ aprinâ, colore nigro, velut alij volunt, ruſo aut cinereo, mugitu terrifico, cornu gerit duobus aut tribus cubitis oblongum præſentiſſimum contra venena antidotum. Ita deſcribunt auctores hoc animal. Plinius l. 8. c. 21. Ælianus, Paulus Iouius, Ludouicus Barthema in itinerario c. 17. Huic horrendo animali ſcriptura Chriſtum & Eccleſiam ſponſam comparat; Chriſtum Pſ. 28. *Et dilectus quemadmodum filius vnicornium*, Eccleſiam Pſ. 77. *Et ædificauit ſicut vnicornium ſanctificium ſuum in terra, quam fundauit in ſecula.* Primum enim locum de Chriſto interpretatur Genebrardus, *quòd pullus vnicornium robuſtus ſit & celer, ad euadenda ſyluarum diſcrimina; quòd cornu eius expetitur ad Medicinam, & ad opificia, quod cornu eius bifurcum ſit inſtar crucis, & Iuſtino contra Typh. quod exacuat pra mordicatione & pruritu cornu ſuum ad arbores, ita vehementer vt illas aliquando dejiciat*: Pari ratione De Eccleſia intelligit alium locum Pſal. 77. *Sanctuarium*, inquit, *ſuum ædificauit ſicut ædificium vnicornium, glorioſum ſcilicet & potentiſſimum, quomodo vnicornes, magnificas & inſignes ſibi manſiones præ cæteris animalibus conſtruunt.* Ita Geneb.

Quis Chriſtum in cruce videns ſpinis coronatum, faciem habentem ſputis conſpurcatam, ſanguine purpuratam; iam iam mortem proximum denunciatem, non primo adſpectu horrore concutietur? Omnium enim terribilium terribiliſſimum eſt mors. Ad eius adſpectum cælum horrore nigreſcit, terra concutitur lapides diſciduntur, totus orbis inſremuit. Qui inſuper videns propter delicta noſtra, eum tot pœnas ſubire, non ſtatim recordabitur dicti Prophetæ in nomine illius dicentis: *Vt iumentum factus ſum apud te*: & illius dicti Iſaiæ: *Poſuit in eo iniquitates omnium noſtrum?* Quis eum audiens in cruce clamantem, *Sitio*, non ſtatim ceruinum caput in eo agnoſcet, ad modum illius, qui veluti ceruus, ab inimicis tanquam à canibus infectatus, ſiti laborans clamabat: *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Pſ. 41. Quaſi diceret: Sicut ceruus vociferatur ad canales aquarum, curſu de fatigatus, ita vociferatur anima mea ad te. Nam, vt ait Genebrardus, *Inter omnia animalia cervus eſt maxime ſiticuloſus, quod veſcatur ſerpentibus: Vnde & Ixaque quaſi ab Ipſo ſerpente. Eius angetur ſitis, quando agitatur à canibus & venatoribus.* Ita Geneb. Deus bone! Chriſtus peccatoribus, quaſi cibis delicatiſſimis, ſeipſum pauerat: venerat enim peccatores ſaluos facere: ſiti laborat, ab inuidis Iudæis tanquam à canibus ad crucem actus. Non mirum ſi tanquam ceruus ſitibundus clamat in cruce, *ſitio*, non tam de inimicorum crudelitate conquerens, quàm ſalutem peccantium ſe ſitire ac deſiderare demonſtrans. Nonne igitur Chriſto in cruce pendenti caput ceruinum iure poterimus attribuere? Iuba eius, id eſt comæ capitis eius, quæ purpuræ regis in canticis aſſimilantur, iubar, eſt, id eſt ſtella, quæ ſolis ortum præcedit: quæ

iubar dicitur, quòd iubata appareat, vel quod ſplendor eius diffundat (in modum iubæ Leonis) radios. Nam quid aliud nobis promiſit Chriſtus patiens in cruce, niſi ortum ſolis, id eſt, diuinæ claritatis? Nonne ſplendor eius radios emittit, ad modum Leonis victoriam nobis de morte pollicentis? Chriſtus enim de ſe ait: *Ego ſum ſtella ſplendida & matutina*, Apocalyps. vltimo; & de eo dicitur Apocalyps. 5. *Ecce vicit Leo de tribu Iuda.* Iubam igitur ille ceruus, noſtram ſitiens ſalutem, habet longiſſimam; quia cogitationes eius cogitationes pacis, dum talia pati deſiderat vt æterna pace fruamur, & æternitatis gloriam conſequamur. Certè ſi quia inter iniquos & ſceleratos deputatus eſt, apri caudam in eo agnoſcas, pœnis nigrum, ſanguine rubrum, humilitate cinereum, pedes elephantinos intuere: quia fortiter omnes labores, ignominias & ſupplicia patienter tulit, vt te è diaboli laqueis eriperet. Et ſi mugitu terrifico clamat: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* quo magnitudinem doloris exprimat, vnde nobis pertimeſcendum foret; *quod ſi viridi ligno hæc fiunt, quid fiet in arido?* Recordemur tamen quia pro peccatoribus ſupplicat Patrem, *cum clamore valido & lacrymis* dicens: *Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quod faciunt*: vnde *exauditus eſt pro ſua reuerentia*; Recordemur illius virtutis & meriti. Cornu gerit in cruce, præſentiſſimum contra venena remedium, quia *Verbum crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt, iis autem qui ſalui fiunt, id eſt nobis, Dei virtus eſt* 1. Corinth. 1. Vicem Ethnicorum dolendum eſſe rectè dicebat S. Athanaſ. Alexandr. oratione contra idola, *quod quum cruci obtrectant, & pro conuicio obiiciunt, non animaduerterunt eum vim efficaciamque orbi terrarum repleuiſſe, & per eam opera Dei vnde Deum agnoſcas edita fuiſſe. Neque enim ſi ad cognoſcendam eius diuinitatem vitæ meritum applicuiſſent, rem tantam riſui haberent, ſed potius ſaluatorem vniuerſitatis, crucemque eius non noxam ſed remedium creaturarum fuiſſe agnoſcerent. Si enim poſt crucis aduentum omnis ſimulachrorum cultus ſummotus eſt, omniaque dæmonum præſtigia hoc ſigno propelluntur, ſoluſque Chriſtus in veneratione eſt, & per eum pater eius cognoſcitur & obtrectatores pudefiunt, & obloquentium mentibus quotidie latenter ſuum dogma inſinuat: qui fit (meritò enim quis eos ita alloqueretur) vt humanum negotium id opinentur, ac non potius agnoſcant, & Dei verbum & mundi ſeruatorem eſſe qui crucem aſcendit.* Ita Athanaſ. Origenes verò Homilia 4. in 7. Exodi, ponderans quod virga Moſis proiecta, facta fuerat draco vel ſerpens, in virga iſta crucem intelligens, & in ſerpente ſapientiam, ait: *Crux ergo Chriſti, cuius prædicatio ſtultitia videbatur, quam Moyſes id eſt lex continet, ſicut Dominus dixit: de me enim ille ſcripſit; hæc inquam crux, de qua Moyſes ſcripſit, poſtquam in terra proiecta eſt, id eſt poſtquam ad crudelitatem & fidem hominum venit, conuerſa eſt in ſapientiam, quæ omnem Ægyptiorum, id eſt huius mundi ſapientiam deuoraret.* Hæc Orig. O potentiſſima virtus, qua armati poſſumus omnia ſalutis diſcrimina celeriter effugere, qua peccatorum vulneribus medemur, qua cæleſte habitaculum in nobis Deo præparamus, qua poſſumus zelo honoris diuini, quaſi quodam pruritu impulſi, cedros etiam Libani concutere! Nam, inquit S. Paulus 2. ad Corinth. 10. *arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo, ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti, & in promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam, &c.* Hac ratione Chriſtus Dominus per manus Apoſtolorum & Paſtorum Eccleſiæ, & miniſtrorum verbi diuini, inſignem & excelſam ſibi ædificationem conſtituit in terris, Eccleſiam ædificans de qua dicitur Iſ. *Ponam te in ſuperbiam ſeculorum*, vt tandem domum non manu factam in cœlis ab initio præparatam adeamus.

Hac crucis virtute erunt induti duo illi teſtes, vt quæcumque vnquam ab antiquis Prophetis & Apoſtolis præſtita fuerunt ad Dei honorem promouendam, hæc iſti duo teſtes potenter adimpleant; & quia ad Anti Chriſti potentiam conterendam ordinantur, & à Deo mittuntur, ideo indumento cornuto amiciti debebunt, vt Chriſti crucifixi virtutem in cornu Rhinocerotis adumbratam repræſententes. Nam vt ait S. Baſilius in Pſ. 28. *Vnigenitus filius Dei dans mundo vitam, quandoquidem ſacrificium & oblationem ſeſe pro noſtris peccatis Deo offert, etiam agnus Dei nominatur & ouis: Ecce agnus Dei; Et rurſus: Vt ouis ad occiſionem ductus eſt: quando vero punire vitia, & potentiâ generi humano incumbentem efferatam illam & exaſperatam euertere oportet, tunc filius Vnicornium nominatur, vt eum in Iob didicimus. Vnicornis eſt animal inſuperabili virtute, hominibus minimè ſubiectum aut obtemperans: non enim loro ipſum aut vinculo ligabis, neque dormiet ad præſepe: & multa alia de ipſiuſmet animalis libertate & indocilitate ad parendum hominibus in ea prophetia parte dicuntur.* Hæc Baſil.

Hi ſunt duæ oliuæ & duo candelabra in conſpectu Domini ſtantes.

Quales ſe exhibebunt duo teſtes erga electos; & de inuocatione perfectæ gratiæ in eis, & diffuſione caritatis.

ANNOTAT. XI.

Hi ſunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conſpectu Domini ſtantes. Id eſt, hi ſtantes coram Domino ſunt, veluti duæ oliuæ, & duo candelabra: & rectè. Nam ſtare optimè dicuntur, qui nondum mortui; & coram Domino ſtare, quia in vita permanſerunt, vt ad opus ad quod aſſumi debent à Domino exequendum paratos ſe eſſe demonſtrent, eo temporis momento quod Dominus præſcripſerit.

Si Ticonio ſeu Aug. credas, hæ duæ oliuæ ſunt duo teſtamenta, & candelabra Eccleſiam ſignificãt. *Duo*, inquit, *candelabra Eccleſia eſt, ſed pro numero teſtamentorum dixit duo, ſicut quatuor Angelos dixit Eccleſiam, cum ſint ſeptem pro numero Angelorum terræ: ita & ſeptem candelabra, ſi vnum vel amplius pro totis nominet, tota Eccleſia eſt: nam Zacharias vnum candelabrum vidit ſeptiforme, & has duas oliuas, id eſt teſtamenta, infundere oleum candelabro, hæc eſt Eccleſia, ſicut ſunt ibidem ſeptem oculi, ſeptiformis gratia Spiritus ſancti, qui ſunt in Eccleſia inſpicientes totam terram.* Ita Tic.

At cum loquatur de duobus teſtibus, quos Enochum & Eliam eſſe diximus, alius horum verborum ſenſus eſt exquirendus. Oleum quidem præſtabunt Eccleſiæ hi duo teſtes ex duobus teſtamentis, quia vita & doctrina eorum ab vtriuſque teſtamenti legibus regulabitur, ſiue dum Iudæis prædicabunt omnes figuras veteris teſtamenti in Chriſto fuiſſe adimpletas, ſiue dum Chriſto in vita conformes, lex etiam vetus ſpiritaliter ab eis obſeruabitur, dum ſcilicet rectè ambulabunt ad Euangelij veritatem in omnibus actibus ſuis, nec ab eo ne latum quidem vnguem diſcedent.

Ambroſius per oleum ſapientiam ſpiritalem intelligit. *Vnuſquiſque enim oliua tunc eſt, quando apud ſe quieſcens per contemplationes gratiam, Deo deſeruire ſtudet. Candelabrum vero tunc ſit, quando illud implet quod Dominus dicit in Euangelio: Videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Duo igitur hi ſanctis*

ſancti modo oliuæ ſunt, cum in aliquo loco terræ poſiti, vbi eos maieſtas diuina commorari præcepit, per contemplationis gratiam Deo deſeruiunt. Candelabra tunc fient, cum ad explendum prædicationis ſuæ officiũ venerint, quando omnibus videlicet fidelibus & infidelibus Verbum Dei annunciabunt. Ambr. At dicendum eos dum ſuum explebunt officium, & oliuas & candelabra eſſe, ſiue quia multa præſtabunt, quæ in oliuæ ſymbolo deſignantur; ſiue quia etiam, licèt plurima opera bona exterius exerceant, mentem habent adeo ſublimem & in contemplatione exercitam, vt nunquam à contemplatione ſint receſſuri; & propter intentionis ſimplicitatem ac puritatem ſoli Deo placere deſiderabunt, itaut neſciat ſiniſtra eorum quid faciat dextra.

S. Thomas: *Hi ſunt duæ oliuæ id eſt duæ arbores ſpirituales, vnctionem gratiæ perfectæ in ſe habentes, & aliis myſteriaſiter dantes. Oliua eſt arbor in qua inuenitur oleum, quod ſupernatat aliis liquoribus: ſignatur gratia, & virtutes & dona, quia hæc omnibus bonis temporalibus & corporalibus ſuperminent, & animum inungunt & pinguem faciunt, &c. Duo candelabra, id eſt ſtantes aliis lumen, quaſi apertum & publicum, ſcilicet verbo & exemplo manifeſto, ſicut candelabrum manifeſtè lumen ſuum oſtendit, &c. in conſpectu Dei.* Hîc, addit S. Thomas, *oſtenditur feruor affectionis deuotæ: vnde dicit, ſtantes, per rectitudinem & promptitudinem affectionis & eleuationem mentis; in conſpectu Domini terræ, id eſt in conſpectu Dei, qui eſt dominator totius orbis terrarum:* quaſi dicat: *prompti erunt implere beneplacitum vniuerſalis dominationis; nec in ſua actione, niſi vt placeant diuino conſpectui, vel ſecundum Haymonem, ſanctis intima contemplationi conditoris inhærent: propter hæc omnia dicitur quod ſtabunt in conſpectu Dei.* Ita S. Tho.

Rupertus: *Hi ſunt duæ oliuæ &c. quaſi quæreres quis ex eo quod amiſſi ſacco prophetabunt, fructus ſperari deberet. Hi ſunt, inquit, duæ oliuæ, & duo candelabra: ac ſi dicat: quia ſic prophetabunt; idcirco erunt ſuo tempore arbores bonæ, arbores oliuæ, pulchræ, fructiferæ, feraces miſericordiæ de cælo impetratæ, vt propter eos breuientur dies illi, tam mali, tam calamitoſi. Ipſi namque ſunt electi illi, de quibus ipſe in Euangelio futura hæc pranuncians dicit: Et niſi breuiaſſet dies, non fuiſſet ſalua omnis caro: ſed propter electos, quos elegit, breuiantur dies. Itaque erunt oliuæ, id eſt cauſæ miſericordiæ tunc acceleranda. Oliua namque miſericordiam Domini ſolent in ſcripturis ſignificare, non ſolum modo pro ſimilitudine fructus, cum ſuaui & leni vulnera curantur vnctione, verum etiam pro ipſo ſuo nomine, quod tractum eſt à græco ἐλεᾶν, quod latinè dicitur miſericordia. Candelabra verò in quo ſunt? In eo videlicet, quod in illis diebus tam nigris, tam tenebroſis, clarâ prophetiâ ſiue prædicatione lucebunt, itaut fieri non poſſit vt in errore inducatur quiſpiam electorũ, cum videlicet erroris tantum erit periculum, vt dicere curauerit ipſe Dominus cuſtos electorum: ſurgent enim pſeudo Prophetæ &c.* Ita Rup. Hæc optimè & appoſitè ad miniſterium duorum teſtium: Sed hic addo ad plenioremhuius textus explicationem, non immeritò prius illi duo teſtes dici oliuæ quàm candelabra. Quærit S. Cyrillus lib. 7. in Leuiticum, ponderans illud capitis octaui, quod Moyſes induens pontificem tunicâ hyacinthinâ, & de ſuper humerale impoſuit, quod aſtringens cingulo aptauit rationale in quo erat doctrina & veritas, reſpondetque *hoc fieri, quia non ſufficit pontifici habere ſapientiam, & ſcire omnium rationem, niſi poſſit etiam populo manifeſtare quæ nouit; ideo ergo imponitur ei rationale & manifeſtatio, vt poſſit reſpondere omni poſcenti ſe rationem de fide & veritate. Ponitur autem & ſuper illud Veritas, vt non ille aſſtruat quæ proprio excogitare quiuit ingenio, ſed quæ veritas habet; nec vnquam à veritate diſcedat. Vt in omni ſermone eius ſemper veritas maneat.* Hæc. Cyrill. Ita dico, ſi per oleum ſapientia ſpiritalis ſignificatur, vt diximus ex Ambroſio, non ſufficit vt duo teſtes ſint oliuæ, ſed oportet etiam vt ſint candelabra, id eſt populo manifeſtare quæ nouerant; nec proprij ingenij inuenta proponent, quia candelabra ſunt in conſpectu Dei, qui eſt ſumma veritas, vnde nunquam à veritate diſcedent: Sed quia oliua non ſolum ſymbolum eſt ſapientiæ, ſed etiam bonorum operum, meritò prius dicuntur oliuæ quàm candelabra: prius enim quis bona opera exercere debet, quàm aliis poſſit eſſe candelabrum. Hac ratione ductus S. Cyrillus in 8. Leuit. l. 6. ponderans humerale prius imponi humeris pontificis, quàm ante pectus collocaretur rationale ait: *Non ante logium, & poſtea humerale, quia non ante ſapientia quàm opera, ſed prius opera haberi debent, & poſtea ſapientia quærenda. Tum deinde non ante manifeſtatio, quam rationale, quia non ante alios docere, quàm nos inſtructi & rationabiles eſſe debemus: ſuper hoc additur Veritas, quia Veritas eſt ſumma ſapientia.* Hæc Cyrillus. Igitur duo iſti teſtes, nempe Enoch & Elias, duæ ſunt oliuæ, duoque candelabra, quia vterque oliua eſt, vterque candelabrum, oliua, inquam, primò propter diuturnitatem vitæ longiſſimæ, quia tot ſecula percurrerunt. Eſt enim oliua aptiſſimum ad hoc ſignificandum ſymbolum: nam ex Theophraſto l. 4. c. 15. habemus: *Illud autem diuturniſſimum forſitan ſit, quod omnibus rebus durare queat, vt oleâ & radice, & germine laterali; nepotumque procreatione, atque etiam ſæpe incorrupta, vita vero vnius, in qua poſito caudice pro principio temporis, aut menſura debeat, annis maximè ducentis conſummari.* Secundò, quia ſicut oliua neque teredine neque tinea roditur, Theophraſt. teſte l. 5. c. 10. dum ait: *oliuas putredinem non experiri, quas amaritudinis cauſa neque teredo, neque tinea rodit;* ita eorum corpora poſt mortem ab Anti-Chriſto illatam, nullam ſentient putredinem, nec à vermibus corrodentur, poſt tres dies & dimidium gloriosè reſurrectura. *Et eſt,* inquit S. Thomas, *probabile quod fœtorem non dabunt, quia comedunt de fructibus paradiſi, qui ſunt virtutis conſeruatiuæ.* Ita S. Thom. in ver. 9. Tertiò, quia olea adusta, germinibus omnibus à locuſtis deroſis, & vbi cedri, & cypreſſi decacuminata & detracta coma, deciſoque cacumine, intereunt, nec quicquam germinant, oleæ & regerminant & meliores reduntur, vt notat Theophraſt. l. 2. c. 4. lib. 4. cap. 10. Pari ratione, licèt iſtæ duæ oliuæ zelo diuinis honoris tanquam igne tabeſcentes dicant cũ Propheta Pſ. 118. *Tabeſcere me fecit Zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei;* rurſus: *Nonne qui oderunt te oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?* Pſ. 138. licet à beſtia abyſſi, nempe locuſta occidantur, licèt mortitandem ſuccumbant vt cæteri hominum, tamen reſurgent & rurſus germinabunt, & facient fructum, per conuerſionem eorum qui videntes eos in cælum aſcendere, tandem reſipiſcent. Deinde ſi in oleavidemus in eodem tempore fructus matureſcentes, alios iam maturos, gemmas turgẽtes, pari ratione videres iſtas duas, dũ multa bona opera miſericordiæ exercent, alia diſponere, noua ſemper meditari: nec enim ceſſant ab exercitio quarumlibet virtutum. Denique dum legatione funguntur pro Chriſto, clamantes hominibus: *Reconciliamini Deo,* vetè ramum oliuæ in ore geſtant. De illis ſanctus Hieronymus à quibuſdam intelligi ait Zachariæ locum c. 4. (*Iſti ſunt duo filij olei, qui aſſiſtunt dominatori terræ.*) *Alij, inquit, Enoch & Eliam, quorum alter in præputio, alter in circumciſione placuit Deo, & cum corpore raptus in cælum eſt:* quem ſenſum amplectens Ribera, totum hoc caput Zachariæ exponit de Eccleſiæ progreſſu vſq; ad finem ſeculorum; in candelabro Eccleſiam deſignari, in lampade Chriſtum; *in ſeptem aliis lampadi-*

bus, ſanctos fideles & iuſtos; in ſeptem infuſoriis ad oleum infundendum in lampadibus, ſeptem Sacramenta; in duabus olivis, Enochum & Eliam; in monte magno deprimendo & in planum redigendo, Diabolum ſeu Anti-Chriſtum; in lapide primario Chriſtum qui uſque ad illud tempus Iudæis ad fidem in fine ſeculi convertendis erat abſconditus: & gratia quam Chriſtus effundet eo tempore in populum Iudæorum exæquabit gratiam, quam initio Eccleſiæ effuderat ſuper populos gentilium. Manus Zorobabel, addit Ribera, *id eſt poſteriorum eius, & populi ipſius fundaturum Eccleſiam, per domum quam nunc ædificatis ſignificatam, id eſt Apoſtoli & eorum diſcipuli ex Iudæis, & maximè Chriſtus, & manus eiuſdem poſteritatis & populi abſolvent ædificium: quoniam Enoch, & Elias in fine ſeculi convertent Iudæos, & ſtatim ex illis exurgeris novi prædicatores, & adiutores eorum prophetarum. Dies pauci, dies Anti-Chriſti, breviati propter electos: ſeptem oculi, ſeptem Angeli. Iſtæ duæ olivæ dicuntur ſpicæ olivarum, id eſt in vertice plenæ oleis, ſicut ſpicæ plenæ ſunt granis; quæ res ſignificabant olivas tunc demum fructum ſuum eſſe allaturas, cum ad lapidem illum, & ad finem pervenerint, id eſt cum proximæ eſſent mortis ſuæ & adventu Domini extremo.* Hæc Ribera.

Dicuntur autem iſtæ duæ oliuæ, filij olei, qua ratione quæſo, cum oleum ex oliua, non oliua ex oleo? Hoc tamen ita eſt: quia oliua non eſſent, niſi diuina miſericordia, quæ eo deſignatur, hominibus ſuccurrere voluiſſet. Quia igitur diuina miſericordia *illos* voluit eligere, quibus humano generi auxilia præbeat, vt à miſeria peccatorum liberentur, ideo dicuntur oliuæ filij olei: quicquid enim habent, hoc ab autore omnium bonorum & patre miſericordiarum & totius conſolationis accipiunt. Hinc optimè Euſeb. Cæſarienſ. lib. 4. demonſtrat. Euangel. c. 15. *Suprema atque ingenitæ eſſentiæ virtutem illam, quæ omnia valet, omne bonum præſtat, omnem pulchritudinem ſubminiſtrat, diuinus ſpiritus, proprio & conuenienti exemplo conferens atque accommodans, Dei oleum appellat: quare & Chriſtum, & Vnctum eum qui illius eſt particeps vocat.* Ita Euſeb.

Dicuntur autem candelabra, quia non ad alium finem tandiu fuerunt à diuina prouidentia ſeruati incolumes, non alia de cauſa tot gratiis & donis cumulantur, quàm vt luceant in domò Dei, & in medio nationis prauæ & peruerſæ, tanquam duo luminaria magna. *Non enim quis,* ait Dominus, *accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt.* Matt. 5. Nec enim Chriſtus lumen accendit in nobis propter nos tantùm, ſed etiam propter alios qui eadem luce potientur, vt nobis prælucentibus & ducentibus, viam veritatis inueniant. Candelabra inſuper dicuntur, vt ſciamus illos vitâ adeo virtutibus conſpicuâ inter homines converſaturos, vt nec maledictiones improborum poſſint eorum obumbrare fulgorem, imo potius ex fulgore virtutis conſpicuo, multi ad eorum imitationem ad Deum convertentur: nec ſolum corrigent homines rectè ſanctèque viuendo, verùm etiam glorificare Deum facient: plurima quippe erit in eis virtus, & maximè ingens in illis accendetur ignis, itaut ineffabile omnino lumen effulgeat. Et certè cum dicuntur candelabra in conſpectu Domini terræ, magnitudo ſplendoris & claritatis eorumdem deſignatur. Nam ſi rectè Origenes, Homil. 9. in Ezechielem dixit: *Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens, fuerit licet iuſtus Abraham, iuſtus Moſes, iuſtus vnuſquiſque illuſtriorum virorum, ſed ad comparationem Chriſti non ſunt iuſti: lux eorum cum eius luce compoſita tenebræ reperiantur. Et quomodo lumen lucernæ ad ſolis radios obſcuratur, & velut alia quadam cæca materies contenebreſcit, ſic licèt fulgeat iuſtorum omnium lumen ante homines, non tamen fulget ante Chriſtum. Luceat quippe lumen veſtrum, non ſimpliciter dictum eſt, ſed luceat ante homines: Ante Chriſtum non poteſt lumen fulgere iuſtorum; vt ſplendor Lunæ, & micantia cœli ſidera priuſquam ſol oriatur in ſtationibus ſuis tremulant, orto vero ſole abſconduntur: ſic lumen Eccleſiæ vt lumen lunæ, priuſquam oriatur lumen illud verum ſolis iuſtitiæ, reſplendet, & clarum eſt ante homines: cum autem Chriſtus venerit, ante eum contenebreſcet. Dicitur & alibi: lux in tenebris lucet. Quæ eſt illa lux, quæ lucet in tenebris? Iuſtorum lux in tenebris lucet. In quibus tenebris? Vbi eſt nobis certamen aduerſus rectores tenebrarum iſtarum.* Hæc Origenes. Igitur cum hæc duo candelabra dicuntur in conſpectu Dei, certè magnitudo claritatis ac ſplendoris deſignatur: idem enim eſt, ac ſi diceret: Non per comparationem ad ſupremum & ineffabile lumen, ad cuius comparationem cuncta obtenebreſcunt, ſed per approbationem luminis eorum, adeò verâ claritate ſplendeſcunt, vt etiam à ſuprema veritate approbentur, ab eo tanquam à ſole omne lumen ſuum haurientes. Ideo enim ſtant ante conſpectum Domini terræ, vt continuo influxu illius luminis collucentur. Vnde non mirum ſi tanto lumine fulgent, vt pote qui prædili ſunt iis omnibus virtutibus, quas S. Thomas prædicatori conuenire docet, expoſit. in Marc. Primum eſt ſtabilitas, vt non deuiet à veritate: ſecundum eſt claritas, vt non doceat cum obſcuritate: tertium eſt vtilitas, vt quærat Dei laudem & non ſuam: à prima ſiquidem luce, in cuius conſpectu ſtant, lucem accipientes ſtare dicuntur in lumine: nec enim fluctuabunt, vt modò hanc, modò illam doctrinam amplectantur, ſed veritati, quæ ſempiterno gaudet ſplendore, immobiliter adhærebunt. Et rectè comparantur luci ratione eſſentiæ, quia à cœlo lumen mutuâtur, & quia eorum converſatio erit cæleſtis, nec inquinabitur, ex converſatione cum hominibus; & originis ſuæ, nempe bonitatis diuinæ, naturam ſectando, lux eorum omnibus erit communicabilis; ratione etiam actus, qui ſecundum Baſilium eſt *tenebras illuminare, vias dirigere, latibula manifeſtare, differentias rerum oſtendere*; & ipſi prædicatores & teſtes Chriſti illuminabunt in credendis, dirigent in operandis, vitâ da manifeſtabunt, modò comminando modò exhortando; Tertio ratione efficaciæ, luci comparantur: quia lux ingerit delectationem, ipſi autem magnam fidelibus in tot angustiis poſitis magnam præbebunt conſolationem; quin & mundus eorum ædificabitur exemplo, inflammabitur doctrinis, fœcundabitur bonis operibus, alleuiabitur à peccatis, excitabitur à negligentiis, animabitur ad contemplationem cæleſtium, eripietur de poteſtate dæmonum; quæ omnia fieri à prædicatoribus & Apoſtolis, ad quos Chriſtus dixit (*Vos eſtis lux mundi*) docet ibid. S. Thomas. Erit in eis feruor ſpiritus interius, & lumen boni exempli exterius, nec doctrinam prædicationis ponent ſub modio timoris, vel commodo vitæ præſentis, ſed ſicut omnibus erit conſpicua, ita toti Eccleſiæ erit valde proficua & vtilis. Tales ſe exhibebunt hi duo teſtes, erga eos qui ad vitam ſunt prædeſtinati. Nunc videndum quales erunt erga Chriſti hoſtes, & in malum obduratos.

Et ſi quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum: Et ſi quis voluerit eos ladere, ſic oportet eum occidi.

Quales ſe exhibebunt illi duo teſtes erga Chriſti hoſtes?

ANNOTAT. XII.

TICONIVS de Eccleſia exponens duo candelabra, ita hæc verba conſequenter exponit.

Digitized by Google

Et ſi quis vult eos ladere, id eſt, ſi quis Eccleſiam vel ladit, vel ladere voluerit, precibus oris eius, diuino igne aut in præſenti ad correctionem, aut in futuro ſeculo ad damnationem conſumetur. Hom. 8. in Apocalyp.

Ambroſius de ſpiritali igne exponit dum ait: *Quia igitur Spiritus ſanctus loquitur per ora ſanctorum, ſicut Dominus dicit in Euangelio: Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis, non incongruè verba ſanctorum ignis vocantur, ſicut pſalmiſta dicit de Domino: ignitum eloquium tuum vehementer, & ſeruus tuus dilexit illud. Ignis igitur exiet de ore ſanctorum iſtorum, & deuorabit inimicos eorum, quia doctrina eorum ita errores Anti-Chriſti deſtruet, vt omnibus ſanam mentem poſſidentibus, nihil videatur eſſe quod aſſerere conabuntur Anti-Chriſtus & miniſtri eius.* Ita Ambr.

Dionyſ. Carthuſ. *Si quis voluerit eos nocere, id eſt, à prædicationis officio impedire, terrere, ligare; ignis, id eſt virtus, gratia, ſermo ignitus. Verbum igneæ prædicationis exiet de ore eorum, & deuorabit, id eſt rationabiliter ſuperabit, confundet, damnatos oſtendet.* Ita Dionyſ.

Primaſius non ſolum de igne vindicante, ſed etiam de igne in melius commutante exponit. *Et ſi quis, &c. Hoc eſt, ſi quis Eccleſiam ladere cupit, eiuſdem læſionis reciprocante iudicio, igne conſumitur condemnatus, hoc recipiens iuſtè quod ingerere affectat iniuſtè; ſiue in bono, precibus oris Eccleſiæ igne ſpiritaliter conſumitur in melius commutandus, quum errore pereunte homo ſaluatur ab errore converſus.* S. Thomas in expoſitione, in his verbis conſtantiam eorum deſignari vult: *Si qui, inquit, velint eos peruertere, per virtutem verbi diuini confutabunt ipſos, nec aliquatenus deſiſtent à propoſito: Vnde dicit: Et ſi quis de numero malorum voluerit nocere eis, ſcilicet ſpiritualiter, à propoſito reuocare: ignis, id eſt ſpiritualis virtus diuini verbi, qua comparatur igni, quia bonos accendit, & impios quaſi conſumit dum eos retundit & fefellit, exiet de ore eorum ad confutandum peruerſos; & deuorabit inimicos eorum, id eſt quaſi deuoratos reddet, dum eos refellet, & impotentes oſtendet ad reſiſtendum. Luc. 22. Dabo vobis os & ſapientiam, &c. Vel ignis, id eſt ſpiritualis ſententia de æterno ardore, exiet de ore eorum, comminando, vel eis prædicendo pœnam æternam conſtanter, ſicut legitur de multis martyribus: & deuorabit eos, id eſt damnandos eſſe oſtendet, quaſi dicat: perſuaſoribus pranitatis conſtanter comminabantur, vel prædicent pœnam æternam, nec aliquatenus acquieſcent.* Et poſt pauca: *Et ſi quis voluerit eos ladere, ſcilicet morte corporali, vt Anti-Chriſtus, quando inueniet eos inflexibiles; ſic, id eſt ſine ſententia, ſcilicet ſententia mortis, licet illa quam inferant ſit corporalis, illa quam ſuſtinebunt ſit ſpiritualis & æterna, oportet eum occidi ſcilicet morte æterna.* Ita S. Tho.

Rupertus: *Tota hæc teſtium dignitas cum ſcripturarum maieſtate procedit, & pulchrius quam verbis queat explicari, dum futuris & præſentibus intendit, præteritorum quoque memores nos eſſe compellit, ſi verum volumus eorum quæ dicitur ſenſum conſequi. Cum enim dicere ſic poſſet: ſi quis eos voluerint in errorem inducere, & prædicationem ſiue regulam veritatis, hæreticæ pranitatis turbinibus obruere, iudicium damnationis exiet de ore eorum, vt anathematizent eos, & Satanæ in æternum tradant interitum; cur ſic maluit intelligere: Et ſi quis eos voluerit nocere, ignis exiet de ore ipſorum, & deuorabit inimicos eorum? Cur inquam? Niſi quia poteſtatis eius in illo ſæpedicto Elia myſticum præceſſit exemplum, &c.* Et paulò poſt: *Nimirum quomodo tunc ignis de ore illius viſibilis exuit, & inimicos eius, Regis cum tumore mandata perferentes deuorauit, ſic de ore iſtorum ignis exiet inuiſibilis, id eſt iudicium damnationis: & deuorabit eos qui regibus impiis regumque impiorum capiti Anti-Chriſto adulantes, nocere illis, ſiue ladere illos voluerunt.* Ita Rupertus.

Ex quibus omnibus patet hunc locum, & myſticè, & prout verba ſonant ab auctoribus exponi; & ſiue myſticè ſiue literaliter illum intelligas, Deum in hac re ſuam benignitatem erga Eccleſiã oſtendere, dum tam potens illi ſuppeditat in his duobus teſtibus ſolamen & auxilium. Vnde meritò exclamat And. Cæſ. in hunc locũ: *O immenſam Dei benignitatem! Qui vulnerã inflicto efficacem ſtatim medicinam, in fuſoque veneno ſalutare mox antidotum adhibet, (Enochum & Eliam videlicet mittendo) nihil interim incommodi neque ab illo (nempe Anti-Chriſto) neque ab vllo alio, donec Prophetiam, miniſterium ſuum expleuerint, perpetiuntur.* Ita And.

Hunc igitur locum ad literam intelligendum exiſtimo, & in eo ſanctum Ioannem exprimere quales futuri ſunt illi duo teſtes erga reprobos & ſibi contradicentes. Nam ſicuti oliuæ ſunt, candelabra ſunt, ex quibus fideles ſolamen & lumen accipient, ita ignis ſunt pro iis qui ſibi contradicere audebunt, itaut multos hoſtes abſumant, & corporis vita priuent: ſicut fecit olim Elias, vt notauit Rupertus. Quamuis negare non velim etiam plurimos effectus ſpiritales in his ſignificari, nec vt literali ſenſu omnino abſtineamus ſatis valida eſt ratio Alcazaris, qui ex loco Lucæ c. 9. vbi cum Samaritani non reciperent Ieſum Iacobus & Ioannes dixerunt: *Domine, vis dicimus vt ignis deſcendat de cælo, & conſumat eos? Et conuerſus Ieſus increpauit illos dicens: Neſcitis cuius ſpiritus eſtis.)* intendit myſticum ſuum Moſem & Eliam non eo eſſe præditos ſpiritu, vt materiali igni vitam hominibus auferant, ſed potius vt peccatores diuini ſpiritus igne inflãment: ſatis enim iam expreſſit qua manſuetudine erunt prædiii, quoue ſpiritu animati, dum eos oliuas dicit, dum eos candelabra nuncupauit. Sed cum mittantur non tantùm ad ſolamen fidelium, & ſalutem electorum, ſed etiam vt audacter congrediantur viſibiliter & ſenſibiliter cum falſis Prophetis ſeductoribus, præſtigiatoribus, qui per præſtigia & falſa miracula veritatem & fidem debellare attentabunt, non mirum ſi tanta virtute ſint prædiii, vt ad eorum impetum ignis de cælo deſcendat ad deuorandum inimicos, quando illud neceſſarium erit vt veritatis hoſtes contundent. *Vir miſſimus erat Moyſes ſuper omnes homines qui morabãtur in terra*, vt dicitur Numero. 12. tamen Exodi 32. propter erectionem vituli aurei, & idololatriam populi, *reuerſus ad caſtra, ſtans in porta clamauit: Si quis eſt Domini iungatur mihi. Congregatique ſunt ad eum omnes filij Leui, quibus ait: Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: ponat vir gladium ſuper femur ſuum. Ite & redite de porta vſque ad portam per medium caſtrorum, & occidat vnuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum:* Vbinam quæſo iudicium manſuetudinis in Moſe, vt nec fratribus, & amicis & propinquis parcendum decernat? Certè vbi agitur de honore Dei, in cuius conſpectu omnes gentes pro nihilo reputantur, nulla cuiuſuis ratio eſt habenda. Non mirum igitur ſi iſti duo Prophetæ, quorum miſericordia [illegible] perientur fideles, hoſtes ſe acerrimos impiorum oſtendent, illos ſeuere plectendo dum ſuæ prædicationi ſefe opponere attentabunt, *donec impleatur tempus Prophetiæ eorum.* Erunt electis oliuæ pullulantes & germinantes, ignis erunt impiis, deuorans & omnia eradicans geniumna. Tunc enim fiet illa ſeparatio, quæ facta eſt tempore plagarum Ægypti inter Hebræos & Ægyptios, de qua Sapiens. c. 11. Sap. *Hos quidem tanquam pater clemens probaſti, illos autem tanquam durus Rex interrogans condemnaſti.* Et Sap. 12. *Cum ergo das nobis diſciplinam, inimicos noſtros multipliciter flagellas, vt bonitatem tuam cogitemus iudicantes, & cum de nobis iudicatur, ſperemus miſericordiam tuam.* Ita Sap. Dabunt diſciplinam hominibus Enoch & Elias, prædicantes gentibus pœnitentiam, & ad crucifixi lectan-

da veſtigiâ prouocantes; ſed eo ipſo tẽpore flagellabunt impios ſibi reſiſtentes. *Ignis enim exiet ex ore eorum & deuorabit eos*: Solis illis impiis *ſuper poſita erit grauis nox*; *imago tenebrarum, quæ ſuperuentura illis erat*, ſibique erunt grauiores tenebris, vt de Ægyptiis ait Sapiens c. 17. *ſanctis autem erit maxima lux*, vt de Hebræis idem ait. c. 18. Denique non mirum ſi prò impiis in malo obduratis nulla reperiatur miſericordia, ipſo ſapiente c. 19. dicente: *impiis autem vſque in nouiſſimum ſine miſericordia ira ſuperuenit*. Nec tamen abſque profectu iuſtorum mali interibunt: nam vt de plagis Ægyptiacis dixit Procopius Gazæus in 7. Exodi: *Duplex his verſabatur vtilitas, vna eorum qui puniebantur, altera eorum qui docebantur: nam vt Salomon monet, dum ſtultus caſtigatur, emendatur ſapiens*. Ita Procopius. Pari ratione duplicem ex hac ſeueritate ſanctorum iſtorum prophetarum, ipſi & fideles habebunt vtilitatem: nam fideles terrore concutientur ex plagis inflictis, vt liberius manus ſuum adimpleant, & impij ad emendationem & ad agendum pœnitentiam prouocabuntur.

Hi habent poteſtatem claudendi cælum, ne pluat diebus Prophetiæ ipſorum, & poteſtatem habent ſuper aquas conuertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga quotieſcumque voluerint.

De multiplici duorum teſtium virtute, ad patranda miracula, ad reſtaurandum Dei cultum, & hoſtes Chriſti conterendos neceſſaria.

ANNOTAT. XIII.

SI ſola prædicatio aut promulgatio Euangelij eſſet ſpectanda, ſalutifera tantum ſigna aut prodigia eſſent perficienda, vt factum fuit initio naſcentis Eccleſiæ: ſed quia manus ſunt conſerendæ cum hoſtibus, qui per præſtigia electos ſeducere conabuntur, quia cum Anti-Chriſto (vt olim Moſes cum Pharaone) eſt decertendum, ideo poteſtas patrandi miracula extendi debet ad ea etiam, quæ nocua & ingrata erunt Chriſtiani nominis inimicis. Nec vt diſcedam à literali ſenſu, quo hæc omnia vt ſonant accipiuntur & intelliguntur, me mouet ratio Alcazaris, *quod qui literaliter accipiunt, aduertere deberent ſenſum huiuſmodi eſſe ænigmaticum, nec cum ipſo contextu cohærentem: præſertim quia è diuinæ prouidentiæ ratione minimè eſt peculiari alicui ſancto tantum patrandi miracula copiam facere, vt pro libito toties quoties, vt aiunt, omnia illa Moſis miracula ſine diſcrimine edat*. Ita Alcazar. Ratio certè, vt mihi videtur, parui momenti: nam ad primum iam diximus non omnia eſſe ænigmatica in hoc libro an. 7. §. 2. ſed quædá hiſtorico ſenſu eſſe accipienda: Ad literam enim euerſio Babyloniæ, id eſt Romæ rebellis, eſt accipienda: Ad literam Eccleſiæ Paſtores, Dei & Chriſti ſunt Sacerdotes, *& regnabunt cum illo mille annis*. Ad ſecundum, ſatis cohæret cum ipſo contextu, quod poſteaquam ſanctus Ioannes verſu 4. expoſuit quales ſe exhibere debeant hi duo teſtes erga fideles, & v. 5. quales ſe exhibebunt erga rebelles, nunc in hoc verſ. 6. exponat qua patrandi miracula virtute ſint præditi, vt ſermoni ſuo auctoritatem concilient, & tot tantiſque præſtigiis ſe opponant, ne ſeducantur electi; quin & hoſtes & terrere & confundere valeant, ne prævaleat audacia, & veritati mendacium fucum facere audeat. Ad tertium dico non mirum eſſe, ſi quotieſcumque voluerint hi duo teſtes poſſint percutere terram omni plaga: nam proportionata debent eſſe auxilia periculis. Aduentus Anti-Chriſti (ſi vt par eſt, S. Paulo fidem adhibemus) erit *ſecundum operationem ſatanæ, in omni virtute, & ſignis & prodigiis mendacibus, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati* 2. ad Theſſalon. ſecundo. Quid igitur mirum ſi diuina velit prouidentia vt hi duo teſtes, ſecundum operationem diuini ſpiritus in eis habitantis, omni plaga percutiant terram, ſignis, & prodigiis veris, & à ſeductione reuocantibus, vt iis qui ſalui fiunt ſuccurrant, vt charitatem veritatis videlicet retineant, Deo illis mittente operationem veritatis, id eſt vera & non ficta miracula, vt veritati credant, nec iniquitati conſentiant? Nec iſtud quiſquam improbabile exiſtimabit, ſi cogitet quàm frequentia fuerint miracula in initio Eccleſiæ naſcentis: vnde cum orarent Apoſtoli Act. 4. hoc modo: *Et nunc Domine, reſpice in minas eorum, & da ſeruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum, in eo quod manum tuam extendas ad ſanitates, & ſigna, & prodigia fieri per nomen ſancti filij tui*, &c. poſtea dicitur: *Et virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti Domini noſtri: & gratia magna erat in omnibus illis*: Nec incredibile eſt vllo modo quod ad arbitrium eorum poſſint edi miracula, Deo illis cooperante; cum tantâ eminentiâ ſanctitatis effulgeant, vt nullus voluntatis motus inordinatus in ipſis debeat reperiri. Denique quidam fuerunt ſancti, qui nec ipſis de ea re cogitantibus potuerunt ædere miracula, vt pater ex quinto Actuum c. *Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum, ac mulierum: itaut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, vt veniente Petro, ſaltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis. Concurrebat autem & multitudo vicinarum ciuitatum Ieruſalem, afferentes ægros, & vexatos à ſpiritibus immundis, qui curabantur omnes*, Act. 5. Videſne plurimos ſanctum Petrum ſuâ vmbrâ ſanaſſe nihil ipſo de hac re cogitante? Quanto magis potuiſſent ſanari, ipſo Deum obnixè deprecante?

Dico igitur locum iſtum debere literaliter exponi, vt verba ſonant. Ita apud Dionyſ. Carthuſianum quidam auctores. *Non ergo*, inquit, *putandum eſt Eliam minorem virtutem habere, cum ad explendum ſuæ prædicationis officium venerit, quàm habuit eo tempore quo inter homines conuerſatus eſt, ſed potiorem. Ex quo ſequi videtur quod Elias & Enoch tunc miracula ſint facturi, quod & quidam concedunt*. Ita Dionyſ. poſt Ambroſium, à quo videtur verba tranſumpſiſſe & mutuaſſe.

S. Thomas: *Hi, ſcilicet Elias & Enoch, habent*, (loquitur pro tempore Anti-Chriſti, id eſt habebunt) *poteſtatem claudendi cælum, id eſt aërem, ad literam, ne pluat ſi ipſi noluerint, diebus Prophetiæ ipſorum, id eſt tempore eis dato ad prædicandum, ſcilicet tribus annis & fere dimidio. Hoc videtur intelligendum ad literam, quia & hoc legitur feciſſe Elias*, &c. *Et poteſtatem habent ſuper aquas conuertendi eas in ſanguinem. Hoc etiam*, inquit S. Thomas, *videtur intelligendum ad literam, ſicut factum eſt per Moyſem, Exodi 7.* &c. *percutere terram, id eſt habitatores terræ, omni plaga, quotieſcumque voluerint: forſitan ad literam intelligitur, ſicut legitur de Moſe*. Exod. 7. Myſticam interpretationem ſi volueris, illam habes ex Ruperto, dum docet hac loquendi formula ſanctum Ioannem vti cum dicere poſſet: *Hi habent poteſtatem ligandi in cælo & in terra, vt non veniat ſuper inimicos eorum propitiatio (vel peccatorum remiſſio, cunctis diebus miniſterij vel officij,) id eſt vſque in finem ſeculi, ſiue in ſempiternum; quia talis pluuiæ ſiue poteſtatis ad pluuiam huiuſmodi cohibendam, in eodem Elia claruit myſterium*: Et poſtea: *Sic*, inquit Rupertus, *profectò teſtes iſti aduerſariis ſuis inimicis Chriſti & hoſtibus veritatis, claudunt cælum, clauſa continent era*

ſua, qui ipſi ſunt cælum, ne pluuat ſuper eos verbum, nolentes effundere ſermonem vbi auditus non eſt &c. Deinde docet quod quomodo Moyſes & Aaron aquas Ægypti verterunt in ſanguinem, ſic iſtis iudicij diuini poteſtate ventibus, hæreticorum prauam doctrinam effundentium & omnium illis conſentientium conſcientiæ hic audiunt horridam & ſanguineam, quam ſunt bibituri, mortis æternæ damnationem. Denique docet quod ſicut Moyſes & Aaron terram Ægypti viſibiliter tot plagis percuſſerunt, ſic ſententiis multiplicibus terram, id eſt terrenos homines, inuiſibiliter percutiunt, donec deficiant rebelles, & vltima dampatione inuoluantur; quomodo illi viſibiliter terram Ægypti tandiu contriuerunt, donec vltima plaga percuſſi, Ægyptij cum rege ſuo deuoluerentur in maris profundum. Hæc eſt myſtica interpretatio Ruperti.

Dionyſius Carthuſianus hanc nobis proponit. *Alij*, inquit, *aſſerunt quod Eccleſia durante rabie Anti-Chriſti non coruſcabit miraculis; quod item Elias & Enoch tunc poteſtate hac non vtentur: ideo iſta ſpiritualiter interpretantur, vt dicantur poteſtatem habere claudendi cælum ne pluat ſuper terram: quoniam tanta virtutis & familiaritatis ſunt apud Deum, vt queant quibuſdam pluuiam gratiæ & rorem benedictionis cæleſtis orando acquirere, aliis autem iuſto zelo punitionem condignam deſuper imprecari. Rurſum per cælum Eccleſia deſignatur, quam poterunt claudere, ne documentorum fluenta influant habitatoribus terræ. Poterunt etiam aquas, id eſt riuos doctrinarum ſuarum, in ſanguinem, id eſt in peccatum conuertere, reprobis prædicando, qui ex prædicatione audita, dum eam non implent, grauius condemnentur: vel aquæ ſunt doctrinæ hæreticorum, iuxta illud: Aquæ furtiuæ dulciores ſunt: quas conuertent in ſanguinem, eorum errores reprobando, & morte æterna dignos minitando. Habent etiam poteſtatem percutere terram omni plaga, quotieſcunque voluerint, id eſt aduerſa & vltiones habitatoribus terræ diuinitus procurare, verbum prædicationis indignis ſubtrahere, ſicut ad Moyſen Dominus dixit: Conſtitui te Dominum Pharaonis. Denique Eccleſia virtute clauium poteſt claudere cælum ne pluat, quoniam dona gratiæ non infunduntur eis, quos Eccleſia iuſtè non abſoluendos iudicat: poteſtque terram percutere omni plaga, per excommunicationis ſententiam iuſtè prolatam.* Hæc Dionyſ.

Sed certè non video cur donum miraculorum ab Eccleſia ſit ſubtrahendum, eo præſertim tempore quo magis neceſſarium videtur, vt præſtigiis & falſis ſignis ſeſe opponat. Faciebant miracula etiam Martyres, dum olim torquebantur: viſum reſtituebant obcæcatis, vſumque membrorum reddebant eis qui illis vtebantur ad eorum vexationem, imo etiam mortuos ſuſcitabant, qui in vita illis inſultare cupiebant. Sic, vt refert S. Ambroſ. Epiſt. vltima lib. 4. precibus B. Agnetis iuuenis ille intemperans, præfecti filius, ab Angelo interfectus, quod illi vim inferre voluiſſet, ab Angelo fuit à mortuis reuocatus. Non igitur credendum eſt, licèt vi ac violentia Anti-Chriſtus Eccleſiæ ſplendorem & cultum Dei publicum offuſcare poſſit, illi erepturum eſſe arma, quibus à principio contra veritatis hoſtes potenter dimicauit, *Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Et quamuis admitti poſſit interpretatio S. Thomæ, quæ talis eſt: *In poteſtate eorum & voluntate erit prædicare, quando erit opportunam & congruam, & non prædicare, quando non erit congruum. Hæc autem gratia non ita datur aliis prædicatoribus, vt poſſint & ſciant prædicare quando eſt congruum; & tacere, quando non congruit prædicare.* Ita S. Tho. Non eſt tamen veriſſimile Chriſti Martyres & confeſſores ceſſare omnimode à prædicatione veritatis, ad quos dicitur: *Cum ſtetitis ante reges & præſides nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.* In eis & per eos Eccleſia ſemper loquetur, & rorem doctrinæ in terram effundet. Illa igitur pluuia, quæ prohibetur diebus prophetiæ ipſorum, abſque violentia non poteſt intelligi de pluuia ſanæ doctrinæ, quæ tanto plus erit infundenda, quod mendaciis & errotibus, Anti-Chriſti miniſtri conabuntur Chriſti fidem euertere, & errores ſuos mentibus inſerere. Vnde credibilius eſt hoc; de vera & naturali pluuia hîc intelligi, vt homines præſentiant auctorem naturæ improbare conatus impios Anti-Chriſti, & miniſtrorum eius, qui Chriſto redemptori gloriam adimere attentabunt. Et Dionyſius exponens quid velit S. Ioannes in his verbis: *Percutere terram omni plaga. id eſt* inquit, *aduerſa, & vltiones habitatoribus terræ diuinitus procurare*: cum hæc procuratio nulla alia ratione fieri poſſit, quam explicitâ aut implicitâ, per deſideria & ſuſpiria ad Deum, oratione; cum & prohibitio pluuiæ, & aquarum in ſanguinem conuerſio ſint vltiones & aduerſa, non video cur non poſſint æquè ad literam procurari ac alia, quibus habitatorum terræ peccata puniuntur. Imo potius cenſeo iſta eſſe cõuenientiora ſupplicia, quibus Deus debeat vlciſci omnem inobedientiam, & hominum potentiam aduerſus eum ſeſe extollentem: nam ſicut diluuio aquarum terra olim inundata fuit, quia *omnis caro corruperat viam ſuam*, vt pœna tantopere extenſa cum delictis ſeruaret proportionem, ita fide penè extincta, charitate ſublata, oportet vt pro morum & fidei corruptione adeo vniuerſali, ſupplicium vniuerſaliùs, & ad plures & plura ſe extendens immittatur: ex tantis enim ardoribus, & peſtes & morbi, & fames ac ſterilitas terræ inducitur. Deinde conueniens eſſe videtur vt tale ſupplicium ab eis exigatur, quod euitari aut ſubterfugi nequeat, & cui nec induſtria humana nec poteſtas diabolica occurrere aut mederi valeat, qualis eſt ille ordo rerum naturalium à Deo præſcriptus, qui nec ab hominibus nec à dæmonibus immutari poteſt: vnde quacumque diabolica poteſtate accinctus ſit Anti-Chriſtus, huic malo non poterit obuiare; vt iſtis ſenſibilibus ſignis etiam athei & infideles, & Anti-Chriſti ſectatores, poſſint animaduertere quandam eſſe potentiam prædominantem & vniuerſa moderantem pro arbitrio, cuius voluntati nullus contradicere poſſit, itaut dicunt cum maleficis Ægypti qui educere ſciniphes non potuerunt, *Digitus Dei eſt hîc.* Exod. 8. Igitur ſicut olim Deus *non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens de cælo, dans pluuias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda hominum*, Act. 14. Ita in tanta hominum peruerſitate, dimiſſis omnibus gentibus ingredi vias ſuas, & ambulare ſecundum adinuentiones & ſecundum deſideria cordis eorum, propter abundantiam iniquitatis ſubtractis diuinis auxiliis, conueniens eſt vt Deus non ſine teſtimonio ſemetipſum relinquat, ſed oportet vt ſentiant homines eſſe in cœlis vindicem ſcelerum: qui poſſit pluuias prohibere, caloribus & ardoribus nimiis cuncta exurere, qui cibo & potu horrorem incutiente non impleat lætitia corda eorum, ſed angore & triſtitia. Hac de cauſa dicuntur hi duo Prophetæ cruciare habitatores terræ, quia per hæc ſupplicia, valde hoſtes eorum cruciabuntur, Deo ſuâ ſpeciali prouidentiâ prouidente de iis quæ neceſſaria illis erunt, ſicut olim & Eliam & viduam ſuſtentauit, ſicut olim in plagis Ægyptiacis Hebræos ab his plagis immunes reddidit. Nec hîc immoror in plagis iſtis myſticè interpretandis, quod velim has plagas ad literam eſſe exponendas, vt ad libitum hac vel illa vtantur hi duo teſtes, vt autoritatem ſibi concilient, & fideles in officio contineant, rebelleſque deprimant.

Notandum autem indifferenter hanc poteſtatem

ſiue cœlum claudendi, ſiue aquas in ſanguinem conuertendi, dati duobus teſtibus, vt occaſio tollatur ſuſpicandi Moſen cum Elia eſſe venturum, ſi vnumquodque miraculum Eliæ & Moyſi proprium ab vno fieri & non ab altero diceretur. Hoc igitur voluit ſignificare Spiritus ſanctus, quod iſti duo teſtes ea poterunt præſtare, quæ olim præſtita ſunt ab Elia & Moſe ad cultum Dei reſtaurandum, & corda hominum ad Deum iterum conuertendum, vt olim fecit Elias; ad Anti-Chriſtum debellandum vt olim Pharaonem Moyſes debellauit.

Notandum denique ſupplicia hæc congruentia eſſe: nam quia homines tot rore gratiarum è cælo perfuſi, pluuiam hanc voluntariam à Deo ſegregaram ad eorum perfectionem neglexerunt, ideo meritò omnium gratiarum non ſolum denegatur influxus, ſed etiam pluuiæ naturales impediuntur: vt nec temporalibus & naturalibus bonis gaudeant, qui ſpiritalia contempſerunt. Optimè enim S. Paulus Heb. 6. *Terra enim ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem à Deo; proferens autem ſpinas & tribulos reproba eſt, & maledicto proxima, cuius conſummatio in combuſtionem.* Et inſuper quia carni & ſanguini acquieſcent, & ſanguinem fidelium impiè & crudeliter effundent, meritò ſanguis eis datur bibere, vt qui horrore crudelitatis a nece iuſtorum abſtinere non voluerunt, cum horrore aquas ebibant ad ſitim extinguendam, qua acrius propter nimios cœli ardores tunc laborabunt, itaut de hominibus huius temporis, ac pœnis illis immiſſis, eadem quæ de Ægyptiis dixit Procopius Gazæ in Exod. 7. dicere poſſumus. *Itaque*, inquit, *neceſſariò pœnarum mucro in hoc ſtringitur, qui reſpuerunt orationem mitescere & ſanari, pœnæ irrogantur numero decem: Denarius enim numerus eſt perfectus: ſic illi ad ſummum venerunt vitiorum; quare meritò tot ſubjiciuntur pœnis: verùm pœnæ à conjunctis differunt. Deus enim ſtatuit impiorum corrumpere terram, per elementa ex quibus conſtrictus eſt mundus, vt vel hinc intelligatur penes quem ſit ſumma rerum. Tres ſunt plagæ quas inuehere iubetur Aaron, eliciunturque ex denſiſſimis elementis, nempe terra & aqua. Tres plagas infert Moſes, quæ ſumuntur ex reliquis duobus elementis, ſcilicet ex aëre & igne. Septima communicat cum præditis virisque. Tres, quæ adhuc reſtant vt denarius expleatur, ſibi vendicat Deus: pœnæ quæ primo irrogantur petuntur ab elemento aqueo: ſiquidem Ægyptij maximis & diuinis honoribus coluerunt aquam, ſtatuentes ipſam eſſe principium huius vniuerſi: proinde aqua primò affliguntur, vt diſcant quam vana res ſeruiant, & ad veram religionem tunc correcti proficiſcantur. Vel fortaſſis hanc pœnam primò inducit, quod plurimum ſuo gaudebant & triumphabant flumine, quaſi ob id nec cœlo, nec aqua profluente opus haberent. Præterea cum in id mandauerint præcipitandos Hebræorum infantes & tandem diuina virtute verſum ſit in cruorem, ſatis redarguit, & in mentem illis renocat crudele & immane edictum. Deinde quia flumen infectum fuerat innoxio infantium cruore, meritò in ſanguinem mutatum eſt: nam ad Deum vociferabatur infantium ſanguis.* Ita Procopius. Pari ratione qui tantum ſanguinem effundent, ſanguinem bibere debebunt.

Et cum finierint teſtimonium ſuum, beſtia quæ aſcendit de abyſſo faciet aduerſus eos bellum, & vincet eos, & occidet eos.

De fine & felici conſummatione vitæ & miniſterij duorum teſtium.

ANNOTAT. XIV.

DIVERSÆ huius loci expoſitiones nobis ſunt adducendæ, vt ſi fieri poſſit veriorem amplectamur; & tria ſunt explicanda, quænam ſit beſtia, quæ aſcendit de abyſſo; quale bellum faciet aduerſus duos teſtes; quomodo illos vincet & occidet eos. Ticonius Hom. 8. per beſtiam intelligere videtur quemlibet Eccleſiæ perſecutorem. Aſſerere enim videtur totum hoc caput ſpectare ad quodlibet temporis ſpatium, quo decurrentibus ſeculis ſtat Eccleſia, cum ait: *Aperte hæc omnia oſtendit ante noviſſimam perſecutionem fieri, cum dicit: cum finierint teſtimonium ſuum; vtique illud quod præbent vſque ad reuelationem Chriſti:* Exinde hæc verba (*Et vincet eos, & occidet*) Interpretatur ſic: *Vincet in eis qui ſuccubuerint, occidet in eis qui confeſſi Deo fuerint.* Ita Ticon. At meo iudicio fallitur: nam hæc potiſſimum debent fieri in vltima perſecutione, de ea enim hic agi communis eſt ſententia, & ſecundum eumdem, non reſpectu diuerſorum dicitur vincere & occidere, quos enim vincet, eoſdem etiam & occidet.

Per beſtiam fere omnes Anti-Chriſtum intelligunt. Rupertus: *Igitur cum finierint teſtimonium ſuum, id eſt, non antequam finiant teſtimonium ſuum; beſtia, ſcilicet Anti-Chriſtus qui iam dudum, vt ait Apoſtolus, operatus eſt, & operatur miniſterium iniquitatis, faciet aduerſus illos bellum.* Ita Rup.

S. Thomas. *Beſtia, ſcilicet Anti-Chriſtus, beſtialiter viuens, & crudeliter contra fideles ſeuiens. Daniel. 7. Aſpiciebam, & ecce beſtia quarta terribilis atque mirabilis, & fortis nimis.* Ita etiam Primaſ. Dionyſ. Carthuſ. Ambroſ.

At quomodo aſcendat de abyſſo diuerſimode explicantur. Rupertus: *id eſt de occulto, nobisque incognito malitiæ, & tenebrarum profundo, vbi nunc eſt Diabolus Deo contrarius, antequam perditum illum hominem ingreſſus propriè dicatur, & ſit Anti-Chriſtus.* Primaſius: *id eſt ex lateboris nequitia cordis Iudaorum: de tribu enim Dan Anti-Chriſtus traditur naſciturus.*

Dionyſ. Carthuſ. *Id eſt tenebroſo ſuo latibulo, quo ſe bonum & iuſtum ſimulabit, vt pote de calliditate ſua atque hypocriſi, qui & naſcetur de execrato populo Iſrael, & de hoc ſeculo nequam, mari magno, aſcendet ad apertam tyrannidem, vſurpatumque regnum: ſed & abundantia impietatis ex diabolicæ cooperationis caligo abyſſus ſunt, vnde hæc beſtia.* Ita Dion.

S. Thomas: *id eſt aſcendet per ſuperbiam ad regnum ſine poteſtatem obſtinendum, de abyſſo, id eſt de Iudæis infidelitate profundis & tenebroſis, ſcilicet de tribu Dan. Geneſ. 41. Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita: per hoc quod dicitur colubet, notatur dolus Anti-Chriſti: per hoc quod dicitur ceraſtes, notatur potentia: Vel de abyſſo, id eſt per abyſſum, id eſt per homines tenebroſos & profundos erroribus & peccatis ſecundum Gloſſam, quia tales ipſum inuabunt. Vnde Gregorius: quicquid tunc Anti-Chriſtus ſuperbè exiolletur, etiam cum virtute patientiæ ſecularis exequetur.*

Alcazar hic ait per beſtiam à quibuſdam Romanum imperium figurari, cuius potentia Iudæi vtentes, in Pilato, Herode, Feſto, atque aliis ſcie Euangelio oppoſuerunt. Et hanc ſententiam rejiciens, per beſtiam intelligi hic locuſtas cap. 9. de puteo

abyſſi exeuntes, ſcripturam dum de locuſtis loquitur, de illis loqui in ſingulari numero, vt patet Exodi 10. *Ego inducam cras locuſtam*; & 3. Regum 8. verſ. 37. & Pſalm. 104. verſ 34. & Ioel cap. 1. & 2. beſtiæque nomen locuſtæ congruere, Sap. 16. Nam poſtquam dictum eſt: *Per multitudinem beſtiarum exterminati ſunt*; infra dicitur: *illos enim locuſtarum & muſcarum occiderunt morſus*, vocemque græcorum Σφὴξ reſpondentem beſtiæ ab Æliano tribui Araneo, a Dioſcoride Hypocrate, & Galeno lumbricis. Notum quoque apud Medicos eſſe quod ictus muſcæ venenum reliquit, vt faciunt locuſtæ Apocalypſeos, per eaſque locuſtas ſignificari Iudaici populi concupiſcentias.

A

At quodnam bellum ciet contra duo teſtes illa beſtia? Qui Anti-Chriſtum interpretantur dicunt: Faciet aduerſus illos bellum. *Quale bellum?* inquit Rupertus, *nimirum quale ſolet eſſe inter veritatem & mendacium. Iſti namque teſtes, contra quos ille facit vel faciet bellum, non ferro materiali, ſed tantùm verbo veritatis pugnare conſueuerunt. Bellum ergo faciet aduerſus illos, id eſt veritatem fortiter erecto impugnabit mendacio.* Ita Rup.

B

S. Thomas: *Faciet aduerſus illos bellum, ſcilicet diſputationibus, miraculorum operationibus, perſuaſionibus, & promiſſionibus, & corporalibus tormentis. Haymo: adhibebit diuerſa genera tormentorum, & quos non poterit vincere, conabitur doctrina ſuperare: dabit dona, promet verba ſuauia, adhibebit falſa miracula.* Ita S. Tho. & Hay. apud ipſum. Ambroſius: *Faciet bellum, quando perſequetur.* Alcazar: *Reges ſunt qui bella gerunt, non quidem per ſeipſos, ſed per ſuos milites, dum eis ſua iuſta & imperia indicunt. Eadem ergo ratione, qua Iudæis concupiſcentiæ imperitabant, dicuntur aptè intuliſſe bellum Chriſti teſtibus, videlicet ſubditam ſibi gentem in eos commouendo* &c. Ita Alcaz. Iuxta videlicet illud Iacobi c. 4. *Vnde bella & lites in vobis? Nonne hinc ex concupiſcentiis, quæ militant in membris veſtris?*

C

Quantum ad victoriam & occiſionem eorum, Primaſius, Ticonium ſupra allatum ſequutus, *Vincet eos*, dixit *in his qui ſuccubuerunt: occidit autem, illos ſignificans qui pro Chriſti nomine laudabili patientiâ fuerunt interempti.* Ita Primaſ.

D

Rupertus: *Et vincet illos, Id eſt penè vſque ad victoriam deprimet illos, ſicut illud quod alibi dictum eſt: Et impleuerunt ambas naviculas, itaut mergerentur, id eſſe oportet, ad ſubmerſionem premerentur. Exurgent enim, inquit Chriſtus, pſeudo Chriſti & pſeudo Prophetæ, & dabunt ſigna & portenta ad ſeducendos (ſi fieri poteſt) etiam electos. Tunc itaque pius Martyr inter tormenta ſigna non faciet, beſtia autem illa mendacia faciet ſigna per Prophetas ſuos, & in hoc videbitur ſuperior. Quid tandem? Ecce occidet illos, inquit. Quis occidet, niſi is qui occidere ſolet. Nam ipſe quidem in perſona ſua nondum venit qui proprie Anti-Chriſtus dicitur, & conſtat quia venturus eſt, ſed in ſpiritu eius. Iam venit Nero, & poſt eum cæteri, in quibus ille filius perditionis, qui in ſuo tempore reuelandus eſt, miniſterium iniquitatis iam diu multumque operatur.* Ita Ruper. Obiter tamen annotandum, veriſimile eſſe tempore Prophetiæ adhuc effluente Martyres ſicuti & teſtes miracula patraſſe: ceſſabit tamen patratio miraculorum, elapſo tempore prædicationis eorum: vnde victoriam Anti-Chriſtus & miniſtri eius reportaſſe videbuntur, dum falſa adhuc patrabunt miracula. Hoc fuſius infra. Et Rupertus inſuper videtur ad alia tempora, quàm ad tempus Anti-Chriſti hoc caput vndecimum extendere voluiſſe, quod an verum ſit iam antea diſcuſſimus; nec enim ad alia tempora extendi debet, niſi eo ſenſu quo ſanctus Ioannes dixit: *Et nunc Anti-Chriſti multi ſunt*; & quia omnes mali & reprobi, ſunt quidam Anti-Chriſti prodromi & prædeceſſores.

S. Thomas: *Et vincet illos corporali violentia, non ſpirituali victoria: quia non ſuccumbent, nec per erroris conſenſum, nec per defectum rationis. Non enim deerit eis qui dicit: Ego dabo vobis os & ſapientiam, &c. Luc. 21. Vnde ſequitur (& occidet eos) ad literam morte corporali: quam tamen libenter ſuſcipient, iuxta illud Matt. 10. Nolite timere eos qui corpus occidunt, Gregor in Moralib. Elias & Enoch ad medium reuocabantur, & crudelitatis eius ſæuitiam in ſua adhuc mortali carne patientur.* Ita S. Tho. Quæ omnia paucioribus verbis Ambroſius, dum ait: *Vincet verò illos, non ſuperando verbis, ſed interficiendo.* Ita Amb.

Alcazar in myſtico ſuo ſenſu perſeuerans ait. *Et vincet illos, & occidet eos, quando tyrannis & immanitas miniſtris Euangelij potentior eſt ac robuſtior, vt eos in exilium atque adeo infra mortuos amandet: tunc magna cum elegantia dicuntur veritas & ſanctitas vinci atque occidi. Et hac ratione loquitur Daniel c. 8. Proſternetur veritas in terra: Et Iſa. c. 59. Corruit in platea veritas.* Hæc ex auctoribus quos nunc præ manibus habeo accipe, interim mentem noſtram in mediam proferre libeat.

Et primò dico duabus de cauſis neceſſe eſſe vt duo teſtes finem ſuo teſtimonio imponant; Primò quia mortales; Secundò quia ex ſapiente omnia tempus habent, & vnicuique rei tempus certum ad determinatum eſt à Deo præſcriptum. *Et quidem homo*, vt docet S. Athanaſius de incarnat. verbi, *ſecundum naturam mortalis, vt qui ex non entibus creatus ſit: attamen ob eius cum Deo ſimilitudinem, retudiſſet ſuam naturalem corruptionem, incorruptibiliſque permanſiſſet, ſi eam ſimilitudinem Dei cognitione integram incolumemque ſeruaſſet: At*, vt poſtea idem Athanaſius ait, *homines contra auerſi ab æternis, & ad corruptibilia conuerſi, ſibi ſuæ corruptionis quæ in morte ſpectatur auctores fuere.* Deus hominem condidit ad immortalitatem, & ad imaginem æternitatis ſuæ: verùm inuidia diaboli factum eſt vt mors orbem terrarum inuaſerit: dum enim primus homo à Dei voluntate per mandati prævaricationem receſſit, ſententia mortis in illum lata, in omne genus humanum extenſa eſt. Hinc Paulus ait, Hebr. 9. *Statutum eſt hominibus ſemel mori.* Igitur neceſſe eſt duobus teſtibus, vt pote ab Adam progenitis; licèt vita eorum in longum protracta ſatis probet non per inuidiam Deus, ſed per iuſtitiæ amorem in Adam, & poſteros mortis tuliſſe ſententiam. Nec mirum ſi Deus illos tandiu ſeruauerit à lege mortis immunes: *Nam ſi Deus*, vt ait Procopius in 1. Geneſ. *poſt prævaricationem in 930. annos Adamo vitam prorogauit, volens genus mortalium conſtabilire & congregare*, multò magis vitam prorogare par eſt his duobus teſtibus, per quos fidem ſtabilire & electos diſperſos in vnum congregare ſtatuit. Proinde quoquomodo id præſtitum ſit, ſiue vt docet S. Auguſt. l. 1. de peccatorum meritis & remiſſ. c. 3. *neque enim Enoch & Elias per tam longam ætatem ſenectute marcuerunt, nec tamen credo eos in illam ſpiritalem qualitatem corporis commutatos, qualis in reſurrectione promittitur, quæ in Domino prima præceſſit, niſi quia iſti fortaſſe nec his cibis egent, qui ſui conſumptione reficiant, ſed ex quo tranſlati ſunt, ita viuunt vt ſimilem habeant ſatietatem illis quadraginta diebus, quibus Elias ex calice aquæ & ex collyride panis ſine cibo vixit: aut ſi ex his ſuſtentaculis opus eſt, ita fortaſſe in paradiſo paſcuntur, ſicut Adam priuſquam propter peccatum exinde exire meruiſſet. Habebat enim, quantum exiſtimo, & de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, & de ligno vitæ ſtabilitatem contra vetuſtatem.* Hæc Auguſt. Quod vltimum non ita incredibile videbitur attentè conſideranti Deum poſt peccatum Adamum expuliſſe è paradiſo, ea ratione motus ne comederet de ligno vitæ. *Nunc ergo*, inquit, *ne forte mittat manum ſuam,*

E

& ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in aternum. Et emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis. Geneſ. 3. Si ergo poſt peccatum hic fructus vitam potuiſſet prorogare, ſi hi duo teſtes eo aut ſimili veſcuntur cibo, quidni ille aut talis cibus poſſit illis vitam prorogare. Quod enim Deus prohibuit miſericorditer in Adamo (ne labores immenſos ſubire cogeretur ſi vita viueret longiori) ad pœnæ abbreuiationem, hoc ſapienter poteſt concedere iſtis duobus teſtibus, vt vſque ad tempus præſtitutum vita eis prorogetur ad Eccleſiæ ſuæ vtilitatem modo prædicto; vel vt S. Hieron. Epiſt. 61. ad Pammachium docet, *quod nos imitamur iciunio, illi poſſident Dei conſortio: veſcuntur cæleſti pane & ſaturantur omni verbo Dei, eumdem habentes Dominum quem & cibum.* Ita Hieron. Quidquid ſit, oportet vt Adæ debitum ſoluant, à quo nec Chriſtus filius hominis factus ſeipſum eximere voluit. *Morte enim,* inquit S. Athanaſius, de incarnat. Verbi, *opus fuit; & mortem pro omnibus inferri neceſſum erat: vt quod ab omnibus debitum erat ſolueretur.* Ita Athanaſ. *Nec enim,* inquit Procopius, *quaſi vitam homini Deus inuideret homo relegatus eſt: abſit. Quare enim poſtea Chriſtum è cælo miſiſſet, vt amiſſam nobis redderet vitam, ſi perpetuò mortem volebat dominari humano generi? Oportebat peccatum prius morte perimi, vt eo per mortem quaſi eliquato, homo deinceps degustaret vitam veram.* Ita Procop. in 2. Geneſ. Interim vnicuique morte occumbendum, & vt cæteri mortalium hæc lex ſubeunda eſt duobus iſtis teſtibus, licèt vitam vſque hac protraxerint. Vnde quia quamdam incorruptibilitatem quodammodo contraxerunt, ex vſu fructuum paradiſi, quo mors arceretur, ſicuti ex tali vſu S. Tho. in expoſ. Apocalypſ. fatorem ab eorum corporibus occiſis repellit, oportuit vi ac violentia vita illis eripiatur, qua Chriſto in morte fiant ſimiles, & ad menſuram plenitudinis eius perueniant, cuius mortis & reſurrectionis fuerant præcones.

At mors in illos poteſtatem non habuit, niſi expleto miniſterio: ſuoque non perfunctoriè, ſed perquàm efficaciter adimpleto officio. Rectè enim Rupertus: *Cum,* inquit, *finierint teſtimonium ſuum, nimirum cuique teſtium fidelium ſuum præfinitum eſt tempus ſuſque numerus, videlicet quouſque teſtificandi officio fungantur, vel quam vſque ad menſuram meritorum illorum cumulus ſit perficiendus. Hoc ignorantes ipſi, dum adhuc in corpore viuentes à Domino peregrinantur, feſtinantes nonnunquam cupient diſſolui & eſſe cum Chriſto, non attendentes præfeſtinatione deſiderij ſurſum ad Deum anhelantes, vtrum perfecerint teſtimonium ſuum, an non. Ille autem ſciens & præuidens quod vel quantum adhuc ſuperſit ad ipſorum profectum, differs complere deſiderium: quemadmodum & ipſe Ioannes, ſicut in geſtis eius legimus, cùm multoties rogaret quatenus hinc exire, & ad Chriſtū ſibi venire cōcederetur, refers reſpōſum fuiſſe ſibi: Expecta vt populum libeēs crediturum mihi. Item perſecutores impij, Verbi Dei profectum, & gloriam teſtimonij eius odientes, teſtes ſanctos auferre de terra feſtinant. Deus autem ſeruat illos & inſidiantium conatus præuenit & caſſat, donec illi teſtimonium ſuum finiant: ſic & ipſum regem fidelem, teſtiumque fidelium principem Chriſtum feſtinabat Herodes occidere, & permiſſus non eſt, donec ille teſtimonium ſuum finiret, quod ita S. Lucas refert: Acceſſerunt quidam Phariſeorum dicentes illi: Exi, vade hinc, quia Herodes vult te occidere. Et ait illis: Ite & dicite vulpi illi: ecce ejicio dæmonia & ſanitates perficio hodie & cras, & tertia die conſummor. Veruntamen oportet me hodie & cras, & ſequenti die ambulare, quia non capit Prophetam perire extra Hieruſalem. Igitur cum finierint teſtimonium ſuum, id eſt non antequam finiant teſtimonium ſuum, beſtia ſciliceet Anti-Chriſtus, qui iamdudum, vt ait Apoſtolus, operatus eſt & operatur miniſterium iniquitatis, facies aduerſus illos bellum.* Ita Rup. Iſtam temporum præfinitionem à Deo præſcriptam S. Athanaſius, apologia de fuga ſua, fusè proſequitur, & de Saluatore ipſo verba faciens, (qui dum quæreretur vt comprehenderetur, *nemo tamen miſit in eum manus; quia,* inquit S. Ioannes, *nondum venerat hora eius*) *Cæterum,* inquit S. Athanaſius, *cum iam tempus venuſſet, ita allocutus eſt ſuos diſcipulos: Dormite iam & requieſcite: Ecce venit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Ille enim quatenus Deus & Verbum Patris, nulli temporis additus erat, quum ſit ipſe temporis opifex: quemadmodum homo factus, hoc genere ſermonum vſus eſt. Tendit que vnicuique mortalium tempus dimenſum eſſe, nec tempus iſtud fortuito caſu, vt nonnulli Epicurorum fabulantur, ſed prout ipſe conditor pater, vnicuique definitum eſſe. Ita enim ſcriptum eſt & apud omnes conſtat, tametſi ignotum habeatur, & lateat omnes mortales, quomodo aut quantum vnicuique temporis dimenſum eſt, ſed tamen quiſque certum habet, vt veris, æſtatis, autumni, & hyemis ſua certa tempora. Ita quoque vt ſcriptum eſt, tempus viuendi moriendique eſſe.* Hæc Athanaſ. Itaque poſt tres annos & dimidium, quod ſpatium temporis duobus teſtibus conceſſum ſeu præſcriptum fuit ad explendum ſuum miniſterium, poſtquam bellum inierint cum Anti-Chriſto, & prædicatione verbi & operibus miraculoſis; tandem beſtia vincet & occidet illos; id eſt, vincet, quia Deus eos occidi permittet; vincet, quia ceſſabit prædicatio eorum, prædicantibus adhuc Anti-Chriſto & Miniſtris eius; ceſſabunt eorum miracula, Anti-Chriſto cum ſectatoribus adhuc prodigioſa opera facientibus: tandem vincet, quia cum poteſtas data fuerit Anti-Chriſto illos occidendi, adhuc ſuperſtes remanebit. Nec enim putandum eſt aliam victoriam poſſe obtinere, ac propter ſæuiſſimam Anti-Chriſti perſecutionem extinguendam prorſus Chriſti fidem & religionem, quod futurum credidit Dominicus Soto in l. 4. ſententiarum diſtinct. 46. q. 1. ar. 1. *Extincta,* inquit, *fide per diſceſſionem ab Apoſtolica ſede, totus mundus vanus erit, ac deinceps incaſſum proceſſurus.* Et infra: *Expaueſcant ergo mortales quam ſit peſtilens amor ſui. Inde enim dimanat elatio & ſuperbia, quæ ſub ductu tandem Anti-Chriſti ciuitatem Dei labefactabit.* Ita refert Bellarminus l. 3. de Rom. Pontifice c. 17. *At hac ſententia,* inquit Bellarminus, *meo iudicio defendi non poteſt: nam in primis repugnat Auguſtino, qui l. 20. de ciuitate Dei c. 11. dicit Eccleſiam ſemper inuictam contra Anti-Chriſtum futuram, nec militiam, inquit, ſuam deſeret, quæ vocabulo eſt appellata caſtrorum. Deinde repugnare mihi videtur etiam Euangelio: nam Matt. 16. legimus: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & porta inferi non præualebunt aduerſus eam. At quomodo non præualebunt ſi eam penitus extinguent? Item Matt. 24. Dominus ait de miniſtris Anti Chriſti: Dabunt ſigna magna, itaut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi. Vbi Dominus ſignificare voluit multos eo tempore futuros, qui Anti-Chriſti miraculis ſeduci ſe non patientur. Denique ſcriptores omnes, qui de Anti-Chriſti perſecutione loquuntur, vt Ezechiel, Daniel, Paulus, Ioannes, & patres omnes, victoriam illius belli ſeu perſecutionis penes Eccleſiam tandem futuram dicunt. Et ſane ratio ipſa id ipſum docet. Quis enim credat in eo prælio, in quo totis caſtris Deus & diabolus, Chriſtus & Anti-Chriſtus pugnabunt, Deum à Diabolo & Chriſtum ab Anti-Chriſto eſſe vincendum?* Ita ſapienter & verè Bellarminus: Cum igitur hi duo teſtes, caſtrorum Eccleſiæ anteſignani & prælati duces, vinci dicuntur, eſt quia in prælio occumbunt, ſicuti olim occubuerūt in prælio Ophni & Phinees Sacerdotes: at non capietur arca, quia Eccleſia in vera religione & fidei ſana permanebit in multis viſibiliter ab aliis diſtinctis, prædicatione, exemplo & operibus miraculoſis duorum teſtium ita con-

Ita confirmata & corroborata, vt nec minis, nec tormentis, nec promiſſis & adulationibus Anti-Chriſti, fideles acquieſcant; nec ex eius falſis miraculis ad ei conſentiendum & obtemperandum moueantur. Imo, etſi nulla tunc, ſi vis, edantur miracula, ex recenti memoria prodigiorum quæ edita fuerunt à duobus teſtibus, immobiles in fide fortiter reſiſtent, & totis conatibus ſe Anti-Chriſto opponent, ſpe erecti proximæ redemptionis, illius dicti ſaluatoris memores: *His autem fieri incipientibus leuate capita veſtra: ecce enim appropinquat redemptio veſtra.* Vnde S. Auguſt. l. 20. de ciuit. c. 12. ignem de cœlo deſcendentem (de quo Apocalyp. 20. dicitur: *Et deſcendit ignis à Deo de cœlo, & deuorauit eos*) interpretatur de firmitate ſanctorum. *Hic autem*, inquit, *bene intelligitur ignis de cœlo de firmitate ſanctorum, qua non ceſſuri ſunt ſæuientibus, vt eorum faciant voluntatem. Firmamentum enim eſt cœlum, cuius firmitate illi cruciabuntur ardentiſſimo zelo, quoniam non poterunt attrahere in partes Anti-Chriſti ſanctos Chriſti. Et ipſe erit ignis, qui comedet eos, & hoc à Deo, quia Dei munere inſuperabiles fiunt ſancti: vnde cruciabuntur inimici.* Ita Aug. Et licèt verius ſit hunc ignem non debere metaphoricè accipi, nam vbi ſcriptura ſacra patitur ſenſum proprium literalem, non eſt ad metaphoricum confugiendum, tamen mentem ſuam aperit S. Auguſt. & quid ſentiat de firmitate ſanctorum in illa perſecutione ſatis declarat, eoſque inſuperabiles fore aſſerit. Vnde dum dicitur: *Et vincet illos*, non de ceſſatione à fide & religione, aut verbi diuini prædicatione & cultu Dei hoc intelligendum eſt, ſed quia Deo permittente vt occidantur, Anti-Chriſto ſuperſtite adhuc remanente, victoria illi ceſſiſſe videbitur. Remanebunt adhuc caſtra ſanctorum, remanebit ciuitas dilecta, congregatis hoſtibus in prælium, quorum numerus eſt ſicut arena maris, quos tandem deuorabit ignis à Deo deſcendens de cœlo, vt videbimus c. 20.

Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma & Ægyptus, vbi & Dominus eorum crucifixus eſt.

Mors duorum teſtium omnibus debet eſſe conſpicua; quo certior appareat & glorioſior eorumdem reſurrectio.

ANNOTAT. XIII.

HIC cogitur Alcazar fictas perſonas relinquere, vt ad vera corpora martyrum recurrat. *Cum enim*, inquit, *martyrum corpora in media platea iacerent inſepulta, dicitur ſignificanter: Hic iacent veritas & ſanctitas.* Et poſtea: *Quo inuitur in media luce & Iudaici populi conſpectu atque conſenſu Martyres Chriſti Iudæorum manibus iugulatos iacere, quaſi perduellionis rei aut infames latrones eſſent: eo enim Iudaici populi iniquitas proceſſit, vt doctrinam viuam, vinumque exemplum, quæ ſeſe illic opponerent, minimè ſupereſſe paterentur.* Ita Alcazar. Vnde, vt verum fateat, illius expoſitio ingenioſior potius videtur quàm ſolidior, ſeu in ea potius ingenij ſui ſpecimen dediſſe, quàm veram nobis propoſuiſſe expoſitionem. Planior igitur eſt eorum interpretatio, & magis cohæret, qui ſicut in duobus teſtibus Enoch & Eliam intellexerunt, quos occidet Anti-Chriſtus, ita de eorum veris corporibus hunc locum exponunt. Ita S. Thom. dicit: *Igitur*, inquit, *& corpora eorum ſcilicet iam mortua iacebunt inhumata in plateis ciuitatis: nomen platearum in plurali accipitur pro ſingulari, propter magnitudinem platea; aut dicitur in plateis, quia in diuerſis locis interficientur, aut ab vna platea deportabuntur, vt plures videntes eos timeant imitari: ciuitatis magnæ, id eſt Hieruſalem, quæ dicitur magna propter abundantiam malitiæ*, Ierem. 6. *Hæc eſt ciuitas viſitationis omnis calumnia*, &c. Ita S. Thom.

A Sic videntur plærumque corpora eorum, qui odium publicum incurrerunt, poſt eorum necem & exhumari & per plateas cum ignominia raptari, itaut hic ſenſus literalis nullam abſurditatem contineat.

Duo tantùm inquirenda: 1. quænam eſt illa ciuitas magna: 2. cur vocetur Sodoma & Ægyptus.

Quantum ad primum, dico ciuitatem illam magnam eſſe ciuitatem Hieroſolymitanam. Hoc probat Alcazar in commentario, ex eo quod appellatio ciuitatis magnæ congruat Hieroſolymæ propter illud quod Ioſephus ſcribit l. 7. de bello c. 17. nimirum Paſchali quodam tempore numeratas fuiſſe Hieroſolymæ perſonas Paſchale Agnum edêtes, ad tricies centena millia, & millia itidem quater centum; deinde quod ex ſacris literis, ſpiritualis Sodoma vocetur, Ierem. 24. v. 14. Iſ. 1. & Iſ. 3. v. 9. Deuter. 32. v. 32. Denique ex hoc ſigno appoſito, *in qua Dominus eorum crucifixus eſt.*

B Bellarminus etiam fusè hanc veritatem explicat. l. 3. de Rom. Pontif. c. 13. & adfert Aretæ expoſitionem in hunc locum: *Corpora*, inquit Arethas, *ipſorum inſepulta projiciet in plateis Hieruſalem. In ea enim regnabit tanquam Rex Iudæorum.* Cætera vide apud ipſum auctorem, quo perſpicere queas, non abſq; fundamento nos cum iis autoribus exiſtimare per hanc ciuitatem magnam, intelligendum eſſe ciuitatem Hieroſolymitanam. *Non eſt ergo mirum*, inquit Beda, *ſi ciuitas impiorum, quæ Dominum crucifigere non timuit, ſeruos*

C *quoque ipſius ludibrio habeat etiam occiſos, qualia ſæpe facta hiſtoria Eccleſiaſtica refert.* Ita Beda. Nec ratio Ambroſij videtur admittenda: *Si*, inquit, *per ciuitatem magnam, Hieruſalem terreſtrem voluerimus intelligere, propter hoc quod dicit (vbi & Dominus eorum crucifixus eſt) a veritate aberrabimus, eo quod illa Hieruſalem vſque ad ſolum deſtructa ſit; & iſta quæ pro ea ædificata eſt, non in eo loco ſed in alio ſita eſſe dicatur; neque Sodoma & Ægyptus dicenda eſt, eo quod à Chriſtianis incolatur.* Ita Ambr. Notandum autem expungêdam eſſe particulam (Non) quæ reperitur in impreſſione Pariſienſi: alioquin auctor non ſibi conſtaret. Sed rationem eius expendamus ex deſtructione antiquæ & ædificatione nouæ

D Ieruſalem deſumptam. Ad quod reſp. non tantam eſſe diſtantiam inter locum in quo antiquitus erat ædificata, & locum in quo nunc eſt, vt pro eadem ciuitate agnoſcenda non ſit. Secundò ex Hyppolito martyre, in oratione de conſummatione mundi, templum conſtruet Anti-Chriſtus Hieroſolymis. Quod enim docet Sedulius in c. 2. ad Theſſal. c. 2. exponens locum iſtum (*itaut in templo Dei ſedeat*) *Templum*, inquit Sedulius, *Hieroſolymæ reficere tentabit*: & probabile eſt illud extructurum in eodem loco in quo erat antiquitus, vt reſtaurator, & reſtitutor eſſe priſtinæ & auitæ religionis faciliùs exiſtimetur à Iudæis. Vnde S. Ambr. in c. 21. Lucæ ait: *Verè Hieruſalem ab exercitu obſeſſa eſt, & expugnata à principe Romano: vnde & Iudæi putauerunt tunc factam abominationem deſolationis, eoquod caput porci in templum iecerint*

E *illudentes Romani Iudaica ritum obſeruantiæ. Quod ego nec fauens dixerim: abominatio enim deſolationis execrabilis aduentus Anti-Chriſti eſt, eoquod ſacrilegiis in ſanctis mentium interiora contaminabit, ſedens iuxta hiſtoriam in templo, vt ſibi diuina vendicet ſolium poteſtatis.* Ita S. Ambroſ. Et quoad ſecundum, propter Chriſtianos non dicitur Sodoma & Ægyptus, ſicut nec Roma Babylon vocatur à S. Petro propter Eccleſiam, quæ erat in Babylone, ſcribente: ſed Sodoma & Ægyptus vocatur propter Iudæos & gentes Anti-Chriſto fauentes, qui tunc cum eo erunt in ciuitate Hieroſolymitana. Fauet autem nobis And. Cæſ. *In plateis*, inquit, *ciuitatis magnæ veteris & iam euerſæ Ieroſolymæ, in qua Chriſtus Dominus noſter paſſus eſt, corpora iacta inſepulta relinquet, in hac namq; ciuitate ad imitationem Do-*

uid, regni ſedem, vt probabile eſt, conſtituet, in cuius confinio Ieſus Chriſtus Deus & Dominus noſter natus eſt ſecundum carnem: quo vel hac ratione fidem faciat, ſe verùm eſſe Chriſtum, implereque propheticum illud: Inſtaurabo tabernaculum Dei collapſum. Quod Iudæi errore decepti ad illius aduentum transierunt. Ita And.

Cur autem vocetur Sodoma aut Ægyptus inquirendum. Quæ vocatur ſpiritaliter Sodoma & Ægyptus, inquit Beda, id eſt muta & tenebroſa, nec lumen vllque fidei, nec confeſſionis habens vocem. At Sodoma vocatur ex Lud. ab Alcazar, primo quod ſicut terra Sodomitica olim erat vt paradiſus & fortunata, nunc exuſta; antiquitùs bonorum fructuum ferax, nunc videas renaſcentes in fructibus cineres; optimo & ſalubri aëre gaudebat, nunc aëre corrupto, vt omnia excepto auro, inquit Strabo, facilè rubiginem contrahant: Ita Iudæi antiquitùs Domini paradiſus, nihil nunc poſſident ſolidæ pietatis, omnia apud illos ficta & commentita, eorum commercium exitiale eſt, niſi religione probatis & perfectis: nullus in eis diuina ſit gratia particeps, ſicut mare mortuum, nihil viuens patitur in ſe demergi. Lege Ioſeph. hom. l. 5. de bello Iud. c. 7. Tacitum & Strabon. Vocati autem Ægyptum docet, ex eo quod cum duæ fuerint in primitiuis temporibus oppoſitiones, ne Chriſti fides incrementa caperet; prima à ſynagoga, ſecunda à Romano imperio, ſicut olim Iſraëliticus populus oppugnatus fuit ab Ægypto & Idumea, per Ægyptum Synagoga ſignificari debet, quia primò ſe oppoſuit Chriſtianæ religioni, ſicuti per Edom ſeu Idumæam, Romanum Imperium, de quibus tamen Eccleſia victoriam reportauit iuxta illud Ioëlis cap. 3. Ægyptus in deſolationem erit, & Idumea in deſertum perditionis. Hæc fuſius Alcazar in Notat. 6. in cap. 14. Apocalypſ.

Rupertus quidem per ciuitatem magnam intelligit ciuitatem diaboli, contrariam ciuitati, vel Eccleſiæ Dei, cuius primus ciuis & opifex fuit fratricida Cain, & exinde omnes filij ſuperbiæ: cuius vel quorum rex diabolus eſt. Ipſe enim (inquit Dominus ad beatum Iob) rex eſt ſuper omnes filios ſuperbiæ. Eiuſmodi ciuitatis ædificia ſunt vitia omnia, maximeque libido & ſuperbia: ideo nunc dicit, Quæ vocatur ſpiritaliter Sodoma & Ægyptus. Sodoma videlicet propter libidinem, maximè illam quæ eſt contra naturam, cuius Sodoma illâ localis in ſua pœna horrendum fuit exemplum; Ægyptus propter ſuperbiam, cuius quàm damnabilis ſit præſumptio, Ægyptij cum Rege ſuo in mare merſi cum curribus & equis, magnum & famoſum vniuerſo mundo præbuere exemplum. Hæc Rupertus, Qui ex Iſ. 1. probat Hieruſalem vocari Sodomam, & Ezechiel. c. 16. vocari Ægyptum, cum mater eius dicitur Cethæa. Amorrhæa enim, Cethæi & Ægyptij de poſteritate maledicti Cham fuere exorti. Hinc concludit: Ferat proinde opprobrium ſuum ciuitas illa, vbi Dominus iſtorum crucifixus eſt, vt vocetur ſpiritualiter Sodoma & Ægyptus, id eſt pars computetur magnæ ciuitatis diaboli, quæ iſtis nominibus denotatur. Hæc Rupertus.

Aliam rationem adfert S. Thomas, cur vocetur & Sodoma & Ægyptus: Ad oſtendendam, inquit, ciuitatis nequitiam, ſubdit quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma, quia muta, ſcilicet à laude Dei, vel propter abominationes quæ fient Hieruſalem, per quas Sodoma in culpa aſſimilatur. Iſ. 1. Audite verbum Domini principes Sodomorii, &c. Et Ægyptus, quia tenebroſa infidelitate, Pſ. Neſcierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant. Sodoma enim interpretatur muta, Ægyptus tenebræ: Vbi, id eſt, in qua ciuitate, ſcilicet Hieruſalem, Dominus eorum, ſcilicet Elias & Enoch, ſcilicet Chriſtus crucifixus eſt corporali crucifixione: & ita erũt ei cõformes, & morte, & mortis loco. Ita S. Th.

Ego autem exiſtimo hic Hieroſolymam ciuitatem magnam dici, quia olim ciuitas Dei erat: Ciuitas, inquam, Regis magni. Pſ. 47. & ciuitas ſancti vocabatur; dici verò nunc Sodomam à S. Ioanne, quia in ea cum Anti-Chriſto erunt perfidi Iudęi, & Aegyptum, ad denotandam gentilitatem, ſeu omnes alias nationes, quæ cum Iudæis Anti-Chriſtum ſequentur.

A At cur Iudæos ſiue Iſraëlitas per Sodomam ſignificamus? Primò: Propter peccatum ſuperbiæ qua Chriſtum eiecerunt, nec admittere voluerunt: nam, vt ait Origenes, Hom. 9. in Ezechielem, Sodomiticum peccatum eſt ſuperbiæ iniquitas. Ita Orig. iuxta illud Ezechielis c. 16. Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius & filiarum: & manum egeno & pauperi non porrigebant. Quod rectè Origenes ponit ibidem, tanquam ſuperbiæ euidentiſſimum ſignum, dum de diuite epulone agens ait: Sed ſi conſideres hoc quod in præſenti ſcriptum eſt, & illud quod in Euangelio dicitur, videbis quia & illius maximum peccatum inter vniuerſa peccata, ſuperbia fuerit: in ſaturitate panum, & in abundantia affluens, non habuit miſerationis affectum ad eum, B qui ante portas ſuas confectus vlceribus iacebat, ſed in tantam ſuperbiam elatus eſt deſpiciens pauperitatem, vt non computaret neque inferorum ſupplicia, neque communia humanitatis iura, quia oporteret hominem humana ſapere, & in alienis calamitatibus pro ſimili conditione ſui quodammodo miſereri. Hæc Orig. Secundo Sodomiticum peccatum ſatis notum eſt, pro quo igne de cælo immiſſo fuerunt conſumpti, ad quod peccatum proclives fuerunt, & probabiliſſimum eſt proclíuiores fore Iſraëlitas temporibus Anti-Chriſti. Nam quod olim proclives fuerint ad tam abominabile peccatum, patet ex 3. Regum c. 14. Sed & effeminati fuerunt in terra, fecerunt que omnes abominationes gentium. In verbo enim (effæminati) notatur libido & C pedecaſtra eorum qui ſcorta maſcula turpiter habebant, vt notat Cornel. in 3. Iſ. quod nefandum crimen in tantum excreuerat, vt effæminati ædiculas haberent in domo Domini, quas Ioſiam deſtruxiſſe narrat Regum hiſtoria l. 4. c. 23. quin & Mach. 2. c 4. legitur impium Iaſonem Oniæ ſummi ſacerdotis fratrem ambientem ſummum ſacer-dotium, optimos quoſque ephebotum in lupanaribus poſuiſſe. Quod igitur hoc vitium tam nefandum apud eos exerceretur, Hieruſalem dici potuit Sodoma. 3. Propter iactantiam: vnde Origenes Hom. 9. in Ezech. Et iactatio gloria Sodomiticum crimen eſt. Orig. Quod dictum Origenis ſatis confirmatur ex Iſ. 3. vbi de habitatoribus Ieruſalẽ dicitur: Aggitio vultus eorum reſpondit eis, D & peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt nec abſconderunt. Ad quam impudentiam deueniſſe eos qui occiderunt duos teſtes patet, cum hic dicitur: Et inhabitantes terram gaudebunt ſuper illos, & iucundabuntur, &c.

Cur autem Ægyptus vocetur, niſi ob inſignem idololatriam, quæ tunc erit, cum omnes nationes à cultu veri Dei recedentes adorabunt beſtiam, nempe Anti-Chriſtum? Nam cum in Ægypto idololatria maximè viguerit, adorabant enim ſelem, Simiam, Crocodilum, hircum, canem, vt notat Origenes l. 3. contra Celſum, quin etiam & ventris crepitus, vt idem Origenes docet l. 5. contra Celſum: Taceo, inquit, nũc eos Ægyptios, qui venerantur ventris crepitus, ad quorum imitationem ſi quis philoſophetur, ſeruando ritus patrios, ridiculus philoſophus erit, faciens quæ non decet philoſophum. E Ita Orig. Vnde ipſi Origeni, idololatriã deſerere, eſt Ægyptum derelinquere. Etenim, inquit, in qui nuper cupis, idololatriæ tenebris derelictis, ad audientiam diuinæ legis accedere, nunc primum Ægyptum derelinquis. Orig. Hom. 4. in Ioſue; ſicut & vitia à nobis auferre, eſt auferre à nobis Ægypti opprobrium. Si, inquit Origenes Hom. 1. in lib. Ioſue, abſcederis à te omne vitium træ, ſuperbiæ, inuidiæ, libidinis, auaritiæ, iniquitatis, cæterorumque ſimilium, tunc à te Ægypti abſtergentur opprobria, & tranſlatus in terram repromiſſionis, hæreditatem regni cæleſtis accipies. Ita Origenes. Igitur quia in ciuitate illa tunc abundabit iniquitas, quia in ea erit ſedes beſtiæ, quam adorabunt habitatores terræ, (iuxta illud Apocalypſis 13. Et admirata eſt vniuerſa terra poſt beſtiam, & adorauerunt draconem, qui dedit poteſtatem

Digitized by Google

beſtiæ, & adorauerunt beſtiam dicentes: Quis ſimilis beſtiæ, & quis poterit pugnare cum ea? Rectè Hieroſolymitana ciuitas, in qua ſedebit Anti-Chriſtus, Ægyptus nuncupatur: Anti-Chriſtum enim pro Deo colet, ſicut olim Ægyptij imperatorem Caium impiè Deum nuncupabant, vt refert Baronius an. 40.

In hac igitur ciuitate, in qua tot populi, totque nationes erunt tunc in vnum congregatæ, iacebunt corpora mortua duorum teſtium, vt omnes illorum morte certiores facti, in maiorem ducantur admirationem, cum illos reſurgere conſpicient gloria & honore circumdatos. Hinc dicitur: *Et videbunt de tribubus & populis, & linguis, & gentibus, corpora eorum, per tres dies & dimidium, &c.*

Et videbunt de tribubus, & populis, & linguis, & gentibus, corpora eorum, per tres dies & dimidium: & corpora eorum non ſinent poni in monumentis. Et in habitantes terram gaudebunt ſuper illos, & iucundabuntur, & munera mittent inuicem: quoniam hi duo prophetæ cruciauerunt eos qui habitabant ſuper terram.

Gaudium iſtud gentium non erit de morte myſtica doctrinæ aut pietatis, ſed ex vera morte corporali duorum teſtium.

ANNOTAT. XVI.

HÆC ad literam intelligenda ſunt, nempe per tres dies naturales cum dimidio, corpora duorum teſtium videnda fere ab omnibus tribubus Iudæorum, populis cunctarum orbis partium quocumque vtantur idiomate, cuiuſlibet ſint generis ſeu nationis, qui tanto odio inardeſcent in duos teſtes, vt eorum memoriam penitus extingui exoptent: vnde non ſinent corpora eorum poni in monumentis, ſed ad modum cadauerum canum & aſinorum, in mediis platearum ea projicient ab auibus & canibus diſcerpenda, niſi cælitus ab iis iniuriis vindicarentur. Et quia Iudæi inter omnes gentes Hieroſolymis commorantes erunt præcipui, vt pote qui Anti-Chriſto tanquam proprio regi famulabuntur & inſeruient, ideo cuncti populi cunctæque nationes ad eorum mores & ritus ſeſe componentes, non tantum gaudebunt, ſed etiam feſtiuis gaudiis, epulis ac conuiuiis, cum munerum diſtributionibus variis quanta alacritate affecti ſint demonſtrabunt, propter necem duorum prophetarum, à quibus tanta mala acceperunt, totque cruciatibus vexati fuerunt, ſiue per ſterilitatem, morboſque immiſſos, ſiue propter eos qui reuera ad eorum imperium fuerunt igne conſumpti. Ita enim factum eſt à Iudæis, cum ab inſidiis Aman liberati, in hoſtes ſuos ſæuire illis permiſſum eſt, vt refertur Eſther. 9. *Scripſit itaque Mardochæus omnia hæc, & literis comprehenſa miſit ad Iudæos, qui in omnibus regiis prouinciis morabantur, tam in vicino poſitis, quam procul, vt quartam decimam & quintam decimam diem menſis Adar pro feſtis ſuſciperent, & reuertente ſemper anno, ſolemni celebrarent honore: quia in ipſis diebus ſe vlti ſunt Iudæi de inimicis ſuis, & luctus atque triſtitia in hilaritatem gaudiumque conuerſa ſunt; eſſentque dies illi epularum atque lætitiæ, & mitterent ſibi inuicem ciborum partes, & pauperibus manuſcula largirentur. Suſceperunt que Iudæi in ſolemnem ritum cuncta quæ eo tempore facere cœperant, & quæ Mardochæus facienda mandauerat.* Hunc igitur ritum obſeruantes, non mirum ſi interfectis duobus teſtibus ac prophetis, qui tantis ſignis ac prodigiis ac verborum vi & efficacia Anti-Chriſti regnum impugnabant, non ſolum Iudæi ſed omnes aliæ gentes iudaizantes, A ſuam in extinctione eorum exhibeant lætitiam, eadem proculdubio ratione quam addiſcunt fuiſſe olim obſeruatam à patribus ſuis, ex ſuis hiſtoriis ac feſtis.

Ticonius quidem Hom. 8. in Apocalyp. ad totum Eccleſiæ ſtatus decurſum reſpiciens, hæc ita interpretatur: *Et corpora eorum, &c. Votum*, inquit, *eorum ad impugnationem dixit, non quo valeant facere ne ſit Eccleſia in memoria, ſicut & illud; Nec vos intratis, nec alios ſinitis intrare; cum multi introierint etiam illis impugnantibus. Sic ergo non ſinunt poni in monumentum. Et habitantes in terra gaudent ſuper eos, & epulantur & munera inuicem mittunt. Hoc ſemper factum eſt, & nunc inuicem mittunt; & nouiſſimè gaudebunt & epulabuntur.* B *Quotiens enim iuſti affliguntur, exultant iniuſti & epulantur: Quoniam hi duo Prophetæ cruciauerunt eos; per plagas quæ pro contemptu teſtamentorum Dei, humanum genus affligunt. Denique etiam ipſe viſus iuſtorum grauat iniuſtos, ſicut ipſi dicunt: Grauis eſt nobis ad videndum. Gaudebunt autem vbicumque, veluti iam nihil habuerint quod impatienter ferant, diſturbatis, & occiſis iuſtis, & eorum hæreditate poſſeſſa.* Ita Ticon.

Meliùs Ambroſius, dum hoc ſecundum hiſtoriam impleri ſuſpicatur. *Hoc*, inquit, *ſi ſecundum hiſtoriam impleatur, hominibus quidem incognitum, Deo autem nota ſunt omnia. Poſſumus autem & nos huic hiſtoriæ ſpiritalem intelligentiam adiungere, ſed temerarium videtur,* C *illam hiſtoriam quam intelligimus, ſpiritalibus ſenſibus velle adornare, nullam quippe domum extra poſitis interius ornare valemus. Sed ne omnino tacuiſſe videamus, pauca dicamus. Poſſumus per tres dies & dimidium tres annos & ſemis intelligere, quibus ij duo prophetæ prædicaturi ſunt; per monumenta verò mentes reproborum intelligere poſſumus. De iis monumentis Dominus loquitur dicens: Væ vobis Scribæ & Phariſæi, quia eſtis ſicut ſepulchra dealbata, quæ foris quidem videntur candida, intrinſecus autem plena ſunt omni immunditia & oſſibus mortuorum &c. in monumentis igitur, reprobi corpora ſanctorum non ſinent poni, quia doctrinam illorum à mentibus ſuis abjicient, &c.* Ita Ambr.

Optimè autem S. Thomas in expoſitione: *Videbunt de populis: quaſi dicat: Non omnes, ſed quidam de* D *populis: videbunt, inquam, quidam oculis, quidam fama: hæc autem quatuor quæ ponit poſſunt diſtingui ſecundum quadruplicem diuerſitatem, quæ eſt in hominibus: Eſt enim in hominibus diuerſitas loci, & ſic ſunt diuerſi populi: vnde dicit, de populis, id eſt quidam de diuerſis multitudinibus hominum, ſecundum loca diuerſa diſtinctis. Diuerſi enim populi ſunt diuerſæ multitudines, ſecundum diuerſa loca, ſiue regionum, ſiue ciuitatum, vel particularium habitationum diſtinctæ. Item eſt diuerſitas generis vnde dicit: & tribubus, id eſt diuerſis multitudinibus hominum, ſecundum diuerſas cognationes. Item eſt diuerſitas idiomatis: vnde ſequitur, & linguis, id eſt ex hominibus diuerſarum linguarum. Item eſt diuerſitas ritus ſiue actionis in cultu numinis, ſiue viri, ſiue fœminæ: vnde ſubdit, & gentibus, ſcilicet diuerſis ſecundum diuerſitatem* E *rituum: gentes enim propriè gentiles, & diuerſæ gentes ſunt diuerſi gentiles diuerſos ritus & cultus habentes. Diuerſi enim gentiles diuerſas ſectas habent. Per tres dies & dimidium, ad literam intelligitur, & exponitur hoc de Elia & Enoch: Et corpora eorum non ſinentur, id eſt, non permittentur poni in monumentis, id eſt in ſepulchris, vt ſcilicet hominibus ſint ſpectaculum & opprobrium, & ne eorum memoria habeatur, quia monumenta ſunt ad memoriam eorum, qui in eis humati ſunt; & vt alij terreantur ne eos imitentur: & eſt probabile quod fatarem non dabunt, quia comedunt de fructibus paradiſi, qui ſunt virtutis conſernatiuæ.* Ita S. Thom. *Cum corpora*, inquit Primaſius, *prohibentur locis debitis recolligi, dies memoriæ ipſorum non ſinunt ſacra viuentium celebritate ſignari, &c.* Ita Primaſ.

Ex hic relinquenda eſt myſtica expoſitio Alcazaris, de gaudio atque tripudio Iudæorum, ob proſtratam veritatem ac virtutem in perſona martyrum, qui in perſecutione prima à Iudæis contra Eccleſiam excitata, occubuerunt: nam nec ex hiſtoria Actuum Apoſtolorum poteris conjicere ex morte martyrum veritatem Euangelicam occubuiſſe, nec ex Ioſepho in his temporibus Iudæos gaudij ac tripudij aliquam materiam obtinuiſſe: imo potius ſi perſecutionem primam ſpectes, in qua ſanctus Stephanus occubuit, & Nicanor vnus ex ſeptem diaconis cum ducentis Chriſtianis eadem die interfectus eſt, non vtique hac ratione dicendum eſt veritatem & virtutem proſtratam fuiſſe: nam licet diſperſi fuerint Chriſtiani, cum S. Stephanus martyrio fuit coronatus, inuicta remanſit veritas & virtus in Apoſtolis, qui non fuerunt diſperſi. *Omnes*, inquit S. Lucas Act. 8. *diſperſi ſunt per regiones Iudeæ & Samariæ præter Apoſtolos*; & ex Hieroſolyma ab Apoſtolis miſſi ſunt Petrus & Ioannes ad Samaritanos, vt acciperent Spiritus ſanctum, eorum oratione & manuum impoſitione. *Et illi quidem teſtificati & locuti verbum Domini rediebant Ieroſolymam, & multis regionibus Samaritanorum euangelizabant.* Act. 8. Vbi igitur proſtrata fuit veritas aut virtus, quæ potius vires & incrementa ſumpſit ex illa perſecutione, & diſperſione, quàm decrementa? Sanguis enim paucorum Chriſtianorum pro Chriſto morientium ſemen erat pretioſum, quo tantò plures ad fidem conuertebantur, quantò hoſtes Chriſtianitatis crudeliùs in eos ſæuire geſtiebant, iuxta illud Iſ. c. 60. *Populus autem tuus, omnes iuſti in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum, minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortiſſimam. Ego Dominus: in tempore eius ſubito faciam iſtud. Habes*, inquit S. Athanaſ. homil. de ſemente, *in Actis Apoſtolorum, poſt lapidatum Stephanum Apoſtolos diſperſos, & quaſi diſſeminatos fuiſſe, non quod imbecillitate diſſecti, ſed fidei gratia ita diuiſi eſſent: ſed enim ita diſperſi vt ſeminatoris frumenta, effecti ſunt ad panem ſupercœleſtem, vniuerſumq; orbem peragrantes viuifica doctrina virtutes efficacius diſſeminarunt.* Ita Athan. Quæ quidem diſperſio Apoſtolorum non poteſt dici facta fuiſſe ſtatim poſt necem S. Stephani, itaut omnino à Ieruſalem exularent, vt patet ex hiſtoria actuum: vnde non fuit proſtrata virtus aut veritas ex perſecutione, vt per corpora mortua debeant deſignari, cum tantum vigorem obtinuerint, vt ex diſperſione eorum, qui tunc à Ieroſolyma diſceſſerunt, per vniuerſum fere orbem Euangelium fuerit diſſeminatum, remanentibus adhuc vſque ad tempus præfinitum Apoſtolis in Ieruſalem. *Omnes*, inquit S. Lucas, *diſperſi ſunt præter Apoſtolos.* Vnde S. Petrus ſcribit *electis aduenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ & Bithiniæ*, id eſt iis, qui in diſperſione diſcipulorum poſt ſancti Stephani mortem in has regiones demigrarunt. Et Baronius refert Eccleſiam ex hac diſperſione incrementa accepiſſe felicißima, in Phœnicia, Cypro, Antiochia, & maiori parte Aſiæ; & ex S. Gregorio Nyſſeno, orat. de S. Stephano, propagatam fuiſſe fidem apud Ægyptios, Sytios, Parthos, Meſoporamos, Italos, Illyricos, Macedones. Quomodo igitur dici poteſt veritas proſtrata & virtus, quæ in occumbentibus martyrio enitebat? Triumphat enim de mundo veritas, dum tàtopere dominatur in cordibus fidelium, vt mori potius quam eam deſerere eligant. Quomodo dici poteſt proſtrata virtus in illa perſecutione prima, quæ in animis Chriſtianorum tale ſibi vendicabat imperium, vt pluſquam quindecim millia proprios lares, chariſſimam patriam, prædia, & poſſeſſiones deſerere non dubitauerint, potius A quàm à Chriſtiana fide recederent? Quomodo ſuperata dici poteſt veritas aut virtus, quæ ad oculum, tabeſcentibus & frementibus inimicis, quotidie augebatur, ſiue dum per diſperſos Euangelium per Iudæam & Samariam & diuerſas prouincias diſſeminabatur; ſiue quia Apoſtolis in Hieroſolymitana ciuitate adhuc, Deo hic volente, permanentibus, multi proculdubio adhuc ad fidem per illorum prædicationem conuertebantur: multi etiam qui non receſſerant fortes in fide perſeuerabant? Multos enim fideles cum Apoſtolis remanſiſſe Hieroſolymis teſtatur Baronius, an. 35. vnde de Saule adhuc perſecutore dicitur Act. 8. *Saulus autem deuaſtabat Eccleſiam, per domos intrans, & trahens viros ac mulieres tradebat in cuſtodiam.* B Igitur cum ex morte S. Stephani aut aliorum propriè dici non poſſit veritatem aut virtutem periiſſe, abeat myſtica expoſitio, & in corporibus mortuis duorum teſtium viuant & triumphos agant veritas & virtus, quæ ex morte S. Stephani olim vim & efficaciam ſumpſerunt, & in ipſa martyrum morte clarius enituerunt. Iaceant corpora martyrum aut duorum teſtium inſepulta in plateis, quantùm volueris: non exinde proſtratæ iacent veritas aut virtus: nam triumphant potius in martyribus cum moriuntur pro defenſione veritatis, iuxta illud S. Pauli ad Coloſ. 2. de Chriſto Domino in cruce moriente: *Delens quod aduerſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis; & ipſum* C *tulit de medio, affigens illud cruci, & expolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo.* Pari ratione triumphant veritas & virtus, in Martyribus occiſis, de hoſtibus: dum Martyres tormenta contemnentes, pro tuitione veritatis nec mori pertimeſcunt. Vnde Martyres cum Apoſtolo dicere poſſunt: *Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco: quia Chriſti bonus odor ſumus Deo in iis qui ſalui fiunt, & in iis qui pereunt, aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam.* 2. ad Cor. 2. Itaque cum tanta incrementa Eccleſiæ ſole clarius oculis Iudæorum innoteſcerent, non video cur illi tantam lætiam concipere potuerint ex morte S. Stephani, aut quorumdam aliorum D Martyrum, quantam hic deſcribit S. Ioannes futuram in occiſione duorum teſtium: vnde potius ad iram & furorem & comminationes conuertebantur, & diſſecabantur cordibus, videntes conſtantiam Martyrum, fidei propagationem; & quo plus ſæuiebant, tanto magis Chriſtiana religio maxima obtinebat incrementa: vnde ad minas & cædes recurrebant, cùm Paulo adhuc perſecutore, de quo dicitur Act. 9. *Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos* &c. dum videbant Eccleſiam per totam Iudæam & Galilæam & Samariam habere pacem & ædificari, ambulantem in timore Domini, & conſolatione ſpiritus repleri, vt dicitur Act. 9. licet E tantam in eam concitaſſent perſecutionem. His adde quod nec ſub Pontio Pilato Præſide, nec ſub Petronio Syriæ Præſide, res Iudæorum in tanta fuerint felicitate, vt illis materia gaudij & tripudij plurima obtigeret, vt conjicere poſſumus ex Ioſepho, l. 18. antiq. c. 4. & 5. & cap. 11. Etſi enim Iudæi aliquantiſper reſpiraruntſub rege Agrippa, tamen illo mortuo ſemper res eorum in deterius verſæ ſunt, vſquequo funditus euerteretur Hieruſalem ſub Veſpaſiano & Tito Imperatoribus. Nec aliud myſterium requirere debemus in trium dierum ſpatio cum dimidio, quam breuiſſimam eſſe impiorum iucunditatem, & fidelibus in anguſtiis poſitis præſentiſſimum eſſe Dei auxilium. Ad literam enim pertres dies cum dimidio iacebunt in ſepulcra corpora duorum teſtium, interim gaudentibus, vt dictum eſt, eo-

Digitized by Google

um hoſtibus, quod tum acerrimos hoſtes deuictos existiment: *Sed gaudium Hypocritæ ad instar puncti*: nam poſt tres dies cum dimidio, id eſt citò, reſurgent incorrupti.

Et inhabitantes terram gaudebunt ſuper illos, & incundabuntur: Et munera mittent inuicem.

Quò magis res fidelium in deploratiori videntur ſtatu reducta, eo cuius feliciorem obtinent exitum; Et quò magis impij liberiùs gemo ſe poſſe indulgere exiſtimant, eò promptius inexitabili permuntur exitio.

ANNOTAT. XVII.

TRISTANTVR quidem ad tempus fideles, mundo gaudente, ſed eorum triſtitia vertitur in gaudium. In hac vita ambulant electi ac reprobi facie conuerſa ad mortem, electi plærumq; à ſiniſtris, reprobi à dextris, dum conuerſa facie ad æternitatem in ſeculo futuro ſimul ambulabunt, electi erunt à dextris, reprobi à ſiniſtris: & in hoc ſtatu ſemper permanebunt. Credibile eſt ex morte duorum teſtium fideles triſtitiâ afficiendos eſſe non modicâ: ſed cum videbunt illos poſt tres dies & dimidium reſurgere, ingenti certè perfundentur lætitiâ: nec in ipſa rerum angustia illis triſtari immodicè licebit, cum ſecuri eſſe debeant de Dei auxilio, qui in extremis laborantibus ſemper adeſt, ſi totam ſpem noſtram in eo, vt par eſt, collocemus. Hinc benè S. Auguſt. in Pſ. 48. conc. 2. hæc verba Apoſtoli (*Quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes*) exponens dicebat: *Triſtitia noſtra habet quaſi, gaudium noſtrum non habet quaſi: quia in ſpe certa eſt. Quia ſicut ſomnus tranſiet, & dominabuntur recti mane. Nouit enim Charitas veſtra, quia qui ſomnium indicat addit quaſi, quaſi dicebam, quaſi loquebar, quaſi prandebam, quaſi equitabam, quaſi diſputabam; Totum quaſi, quia cum euigilauerit non inuenit quod videbat: quaſi theſaurum inueneram, dixit mendicus, ſed quaſi non eſſet, ſed quia quaſi erat, mendicus eſt. Itaque modò qui ad lætitias ſeculares oculos aperiunt, & cor claudunt, tranſit quaſi eorum, & venit verum ipſorum: quaſi ipſorum felicitas eſt ſeculi, verum ipſorum pœna eſt: noſtrum autem quaſi triſtitia eſt: gaudium non eſt quaſi. Non enim ait Apoſtolus, quaſi gaudentes, ſemper autem triſtes; aut quaſi triſtes, & quaſi gaudentes; ſed ait, quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes.* Hæc Aug. *Gaudere nos & exultare voluit in perſecutionibus Dominus*, inquit S. Cyprianus epiſt. 63. ad Thibaritanos, *quia quando perſecutiones fiunt, tunc dantur coronæ fidei, tunc probantur milites Dei, tunc martyribus patent cæli.* Ita Cypria. Hinc enim dicetur duobus teſtibus de cælo: *Aſcendite huc. Et aſcendent in cælum in nube. Venit Anti-Chriſtus*, inquit Cyprianus, *ſed ſuperuenit & Chriſtus: graſſatur, & ſeuit inimicus, ſed & ſtatim ſequitur Dominus, paſſiones noſtras & vulnera vindicaturus. Iraſcitur aduerſarius & minatur, ſed eſt qui poſſit de manibus eius liberare, ille metuendus eſt cuius iram nemo poteſt euadere.* Ita Cyp Cum igitur fidelibus aduerſa contingunt, in deſperationem adduci minimè debent, ſed potius ſpes eorum in Deum eſt erigenda. Vnde Dominus prædicens futura mala quæ ſuperuenient vniuerſo orbi in fine ſeculorum, & mundi conſummatione, dicebat: *His autem fieri incipientibus, reſpicite & leuate capita veſtra: quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Luc. 21. Recordabuntur proculdubio fideles tunc temporis, eorum quæ temporibus Eſther & Mardochæi geſta fuerunt. Iam miſſæ erant per curſores regis ad prouincias literæ, vt occiderentur omnes Iudæi à puero vſque ad ſenem, paruuli ac mulieres, vno die. Feſtinabant curſores qui miſſi fuerant Regis imperium explere: in Suſan pendebat edictum, rege & Aman celebrantibus conuiuium, & cunctis Iudæis qui in vrbe erant flentibus & eiulantibus cum amaritudine. At ſtatim adfuit Dominus, & in illa die tenebrarum & diſcriminis, tribulationis & angustiæ, lux & ſol ortus eſt, & humiles exaltati ſunt & deuorauerunt inclitos. Nam & Aman ſuperbus citò periit ſuſpenſus, & hoſtes Iudæorum qui in hiabant ſanguinem eorum, ab ipſis interfecti ſunt. Sic dum fideles in maiori reducti erunt angustia propter mortem & occiſionem duorum teſtium, tunc ex eorum reſurrectione incipient meliora ſperare, & ciuitate dilectâ in arcto poſitâ, quia innumerabili exercitu erit circumdata, deſcendet ignis de cælo & deuorabit inimicos. Non igitur deſperandum eſt, in extremis angustiis, fidelibus: ſed fideliter & ſtrenue eſt illis decertandum, ad hoc nos facundè prouocante B. Cypriano epiſt. ad Thibaritanos, cuius verba non piget hic adducere. *Ad agonem*, inquit, *ſeculares & exercentur homines & parantur, & magnam gloriam computant honoris ſui, ſi illis ſpectante populo & imperatore præſente contigerit coronari. Ecce agon ſublimis & magnus, corona cæleſtis glorioſus præmio, vt ſpectet nos certantes Deus, & ſuper eos quos filios facere dignatus eſt, oculos ſuos pandens, certaminis noſtri ſpectaculo perfruatur. Præliantes nos & fidei congreſſione pugnantes ſpectat Deus, ſpectant Angeli eius, ſpectat & Chriſtus. Quanta eſt gloriæ dignitas, quanta felicitas, præſide Deo congredi, & Chriſto iudice coronari? Armemur, fratres dilectiſſimi, viribus totis, & paremur ad agonem mente incorrupta, fide integra, virtute deuota. Ad aciem qua nobis indicitur, Dei caſtra procedunt: Armentur integri, ne perdas integer quod nuper ſtetit. Armentur & lapſi, vt & lapſus recipiat quod amiſit. Integros honor, lapſos dolor ad prælium pronocet. Armari & parari nos Beatus Apoſtolus docet dicens. Epheſ. 6. Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem &c. Hæc arma ſumamus. His nos tuta mentis ſpiritalibus & cæleſtibus muniamur, vt in die nequiſſimo reſiſtere diaboli minis, & repugnare poſſimus. Induamur loricam iuſtitiæ, vt contra inimici iacula munitum ſit pectus & tutum. Calceati ſimus Euangelico magiſterio, & armati pedes, vt cum ſerpens calcari à nobis & obteri caperit, mordere & ſupplantare non poſſit. Portemus fortiter ſcutum fidei, quo protegente, quicquid iaculatur inimicus poſſit extingui. Accipiamus quoque ad tegmentum capitis, galeam ſalutarem, vt muniantur aures, ne audiant edicta feralia. Muniatur oculi, ne videant deteſtanda ſimulachra: muniantur frons, vt ſignum Dei incolume ſeruetur: muniatur os, vt Dominum ſuum Chriſtum victrix lingua fateatur. Armemur ad dexteram gladio ſpiritali, vt ſacrificia funeſta fortiter reſpuat, vt Euchariſtiæ memor qui Domini corpus accepit in ipſo Dominum ſuum complectatur, poſtmodum à Domino ſuo ſumpturus præmium cæleſtium coronarum. O dies ille qualis & quantus aduenit, fratres dilectiſſimi, cum caperit populum ſuum Dominus recenſere, & diuinæ cognitionis examine ſingulorum merita recognoſcere, mittere in gehennam nocentes, perſecutores noſtros flammæ panalis perpetuo ardore damnare, nobis vero mercedem fidei & deuotionis exoluere?* Et poſt pauca: *Quàm rei remanebunt & miſeri, qui Dei deſertores aut contra Deum rebelles voluntatem fecerunt diaboli, vt eos neceſſe ſit cum ipſo ſimul inextinguibili igne torqueri*, &c. Ita Cyprian. His & ſimilibus cogitationibus muniti fideles, cum mundani lætitia geſtient ob necem inſignium Chriſti teſtium; in tanta angustia poſiti, illorum reſurrectionem per hanc prophetiam repromiſſam ac præuiſam ſperantes & expectantes, mœrorem ſuum leuigare ſatagent, & in fide fortes perſeuerabunt, ſcientes Dei eſſe proprium ſuos è periculis eruere; & cum maiora exiterint, promptiora illis parare ſubſidia.

Simili modo dum mali genio indulgent, eo ruinæ propinquiores exiſtunt. *Ne*, inquit, *Zelaueris facientes iniquitatem: quoniam ſicut fœnum velociter arefcent, & quemadmodum olera herbarum cito decident.* Pſ. 36. Et certè multis de cauſis gaudium mũdanorum paruipendendum eſt, imo & odio, & abominatione proſequendum. 1. Quia gaudent de rebus peſſimis: *Lætantur*, inquit Sapiens, *cum malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Pro. 2. finem ſuum conſtituentes in vita voluptuoſa, emolumenta ſibi parantes & capientes ex pauperum oppreſſione iniuſta, gloriam aucupantes ex impia & violenta iuſtorum vſque ad mortem perſecutione. Illos audiamus, Sap. 2. dicentes: *Venite ergo, fruamur bonis quæ ſunt; & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter: vino pretioſo, & vnguentis nos impleamus, opprimamus pauperem iuſtum: & non parcamus viduæ, nec veterani reuereamur canos multi temporis. Sit autem fortitudo noſtra lex iuſtitiæ: quod enim infirmum eſt inutile inuenitur. Circumueniamus ergo virum iuſtum, quoniam inutilis eſt, & contrarius operibus noſtris: contumelias, & tormenta interrogemus eum: morte turpiſſima condemnemus eum.* Hac ratione lætantur nunc & iucundantur ob necem duorum teſtium: vnde quia de rebus abominandis lætitiam ſumunt, Origenes gaudium malorum vocat diabolicum. *Nam ſi*, inquit, Hom. 11. in cap. 13. Numetor. *gaudeam de rebus ſeculi, de honoribus, de diuitiis, falſa ſunt gaudia ex vanitatibus vanitatum: ſi verò in malis gaudeam, & exultem de aliorum ruinis, iſta iam non ſolùm vana, ſed & diabolica gaudia imo nec gaudia nominanda.* Ita Origenes. Quæ gaudia ſecundò paruipendenda ſunt, non ſolùm quia mala, ſed quia vana, & cito elabentia. Tam breue eſt gaudium impij, vt puncto aſſimiletur, cuius non eſt pars extra partem. Iob. c. 20. *Hoc ſcio à principio, ex quo poſitus eſt homo ſuper terram, quod laus impiorum brevis ſit, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti: ſi aſcenderit vſq; ad cœlum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderint dicent: vbi eſt? Velut ſomnium auolans non inuenietur, tranſiet ſicut viſio nocturna.* Et cap. 21. *Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad ſonitum organi: ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendent.* Vnde patet verum dixiſſe auctorem ſermonum ad fratres in Eremo Serm. 11. cum ait: *Scitote, fratres mei, quod poſt mundi gaudia ſequentur æterna lamenta. Certè de quocumque bono temporali gaudeamus, tranſitorium eſt.* Audiamus S. Auguſt. in Pſ. 143. *Si autem gaudeas in Domino Deo tuo, audies dicentem ſcripturam: Delectare in Domino. Tantò firmius gaudebis, quantò eſt ille certior in quo gaudebis. Si enim gaudes de nummo, times furem; ſi autem gaudes de Deo, quid times? Ne tibi quiſquam auferat Deum? Deum nemo tibi aufert, niſi eum dimiſeris.* Audias rurſum ipſummet Auguſt. Serm. 46. de ſanctis, monentem. *Verum gaudium in hoc mundo nec fuit, nec eſt, nec eſſe poterit: ſic enim ipſe Dominus in Euangelio ſuos diſcipulos admonuit dicens: in mundo preſſuram habebitis, &c.* Et poſt pauca: *Non ergo requiramus gaudium in hoc mundo, quia ſicut ſupradictum eſt, verum gaudium comparari hic poteſt, poſſideri non poteſt. Non quæras in via, quod tibi ſeruatur in patria. Et quia contra diabolum, Chriſto duce, quotidie tibi pugnare neceſſe eſt, præmium non requiras in prælio, quod tibi ſeruatur in regno: non quæras in pugna quod tibi ſeruatur in futuro, cum fuerit perfecta victoria, &c.* Ita Auguſtinus. Recordare Balthazarum conuiuantem eadem nocte peremptum, Aman è menſa Regis prodeuntem in patibulum ſuſpenſum, Herodem illum de quo Act. 12. qui concionante ipſo ad populum acclamantem Dei voces & non hominis, impios ſibi delatos honores non reſpuens percuſſus fuit ab Angelo, & conſumptus à vermis expirauit: Et perſpicies nos verum dixiſſe impios dum genio indulgent, inopinato certo & ineuitabili plærumque pœtimi exitu. Hoc maximè verificabitur in his gaudentibus de morte duorũ teſtiũ, & epulantibus. Nam vel è numero eorum erunt qui dicuntur occidendi: vel ſaltem timore correpti, quàm inaniter gauiſi fuerint de morte illorum, perſpicient.

Et poſt tres dies & dimidium, ſpiritus vitæ à Deo intrauit in eos, & ſteterunt ſuper pedes ſuos: & timor magnus cecidit ſuper eos qui viderunt eos.

Et audierunt vocem magnam de cœlo dicentem eis. Aſcendite huc. Et aſcenderunt in cœlum in nube: & viderunt eos inimici eorum.

De reſurrectione duorum teſtium, & affectibus eam ſubſequentibus.

ANNOTAT. XVIII.

CVM ad literam hæc ſint accipienda, paucis abſoluam horum verborum expoſitionem: ac ne quid abſque auctoritate adducere videamus, optimum habeo huiuſce expoſitionis auctorem, ſanctum videlicet Thomam, cuius auctoritas ſufficere debet vt nihil temerè aſſerere dicamur. Hic igitur tantus Doctor ita hunc locum exponit. *Poſt tres dies & dimidium ad literam, ſpiritus vitæ, id eſt anima æternaliter & eſſentialiter in ſe viuens, & viuificans corpus, à Deo intrauit in eos, id eſt, operante diuina virtute intrauit in corpora ipſorum. Ezechiel. 37. Ecce ingrediar in vos ſpiritum, & viuetis. Et ſteterunt ſuper pedes ſuos, ſcilicet virtute ſua, id eſt ſibi à Deo data; ſtabunt ſanctis incorruptibiles & immortales, non indigentes humano auxilio, ſed in ſe firmi, &c. Et timor magnus, ſcilicet Dei vel æterni ſupplicij, cecidit ſuper eos, id eſt cades vt pondus opprimens ſuper eos qui viderunt eos prius mortuos, & poſt glorificatos. Iob 31. Semper quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum. Sed quæritur vtrum Elias & Enoch reſurgant glorificati in corpore, aut iterum morituri vt Lazarus? Qui non iterum morituri videntur, quia martyrium ſuſtinuerunt prius, non videtur conueniens quod iterum tranſeant per mortis affectionem. Sed glorificati, quomodo videri poterunt oculo mortali? Item quæritur vnde erit quod reſurgent ante corpora aliorum? Reſpondeo: dicunt quod reſurgent non morituri ſed in corporibus glorificatis, quia propter ſpeciale teſtimonium Chriſto exhibitum priuilegiati erunt. Ad obiectum reſpondetur quod licet corpus glorificatum à mortalibus videri non poſſit, quantùm eſt ex parte mortalium, poteſtas tamen eſt ex parte corporis glorificati, quando vult & cui vult ſe manifeſtare, & viſibile exhibere. Ad aliud reſpondetur quod hoc erit quia nobilitabit eos Dominus hoc priuilegio, vt ante alios reſurgant, propter prærogatiuam gratiæ & meritorum, in ſpeciali teſtimonio, in vita, doctrina, & martyrio, ſub tempore tam acerba perſecutionis: ſicut & priuilegiati fuerunt prius in longitudine vitæ, & loco & modo viuendi. Et audierunt, &c. Hic agitur de gloriæ ſublimatione, quæ fit diuina virtute & voluntate, & ſequentur ad eam motus hominum: vnde primò oſtenditur gloriæ cauſa, quæ eſt diuina virtus, ſiue voluntas, quæ in illa voce intelligitur; ſecundò ipſa gloria ſiue corona: Et aſcenderunt. Tertiò eius ſequela: Et viderunt, &c. Dicit igitur: Et audierunt, &c. ſcilicet Elias & Enoch, vocem magnam, id eſt magnæ poteſtatis de cœlo, id eſt de celſitudine diuinæ maieſtatis; vel de cœlo, id eſt de Chriſto procedente, vel Archangelo: dicentem illis, ſcilicet Elia & Enoch: Aſcendite vos qui fuiſtis in valle humilitatis: aſcendite huc, ſcilicet ad conſortium ſanctorum. Luc. 23. Qui ſe humiliat exaltabitur. Forſitan ſicut quædam vox,*

Digitized by Google

ſcilicet vel ipſius Chriſti, vel Archangeli, Eliam & Enoch poſt ſuam reſurrectionem ſpecialem, vt aſcendant in cœlum ad gloriam ſanctorum, vel per hanc vocem ſignatur nutus vel reale imperium diuinæ voluntatis, cuius voluntatis efficacia ſiue nutu ſublimabuntur ad gloriam, quaſi dicat: percipient ſiue cognoſcent nutum diuinæ voluntatis de ſui ſublimatione ad cœlum: & ſic fiet quia aſcendent. Vnde ſequitur: & aſcenderunt, id eſt, aſcendent in cœlum, ſcilicet Empireum: In nube, poteſt de nube materiali intelligi. In hoc ſunt conformes Chriſto, de quo Act. 1. Et nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum; vel in nube, id eſt in corpore ſubtili & agili. Poteſt etiam ſecundum Gloſſam per nubem intelligi refrigerium gloriæ. Sic igitur iſta vox aut erit ad literam vox aliqua eos vocaliter vocans ad perceptionem gloriæ, aut ſi non erit vox ſenſibilis & corporalis, erit vox realis, ſcilicet nutus diuinæ voluntatis: & ſignatur per vocem, quam audiuit auditu interiori in ſua viſione Beatus Ioannes, dicentem quibuſdam teſtibus Dei: Aſcendite huc, &c. Et viderunt: Hic oſtenditur ſequela gloriæ ipſorum, quia cognitâ gloriâ Eliæ & Enoch, ſequetur magnum malum in multis, &c. Effectus autem ſequuturus in reprobis oſtenditur triplex, ſcilicet motus, caſus, & interitus. Motus eſt concitatio per malitiam; caſus eſt lapſus per culpam, quæ ſequetur ex illa concitatione: interitus autem obſtinatio per impœnitentiam. Dicit igitur: Et viderunt, id eſt videbunt eos, ſcilicet Eliam & Enoch aſcendentes ad locum gloriæ. Videbunt, inquam, vel oculo corporali, vel adſpectu interno per aliquod ſignum datum à Deo, vt miraculum vel aliquid aliud; inimici eorum, ſcilicet infideles, qui odio habent fideles. Prouerb. 19. Abominantur impij eos qui in recta ſunt via. Propter hoc dolebunt de eorum gloria, & procedent ad perſequendam Eccleſiam, &c. Hæc S. Thomas, cuius expoſitionem libenter amplector: ſolum hîc notandum in Aſcenſione Domini ſolos Apoſtolos & diſcipulos vidiſſe Dominum aſcendentem: at non modò fideles, ſed etiam infideles & hoſtes videbunt Eliam & Enoch aſcendentes, tum vt obſtinati confundantur, tum fortè vt plurimi hoc miraculo conuertantur.

Et in illa hora factus eſt terræ motus magnus. Et decima pars ciuitatis cecidit: & occiſa ſunt in terræ motu nomina hominum ſeptem millia, & reliqui in timorem ſunt miſſi, & dederunt gloriam Deo cœli.

Status tamen Eccleſiæ poſt mortem & reſurrectionem Enoch & Eliæ Chriſti teſtium.

ANNOTAT. XIX.

HIC myſticus ſenſus cum literali eſt coniungendus. Optimè enim conjicere poſſumus pro literali ſenſu terram motu inſolito concutiendam, in reſurrectione & aſcenſione in cœlum, duorum teſtium, ſicut factum eſt in reſurrectione Domini, vt refert S. Matth. cap. vltimo: *Et ecce terræ motus factus eſt magnus: Angelus enim Domini deſcendit de cœlo: & accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum. Erat autem adſpectus eius ſicut fulgur, & veſtimentum eius ſicut nix. Præ timore autem eius exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui.* Nemo certè dicet in his Euangeliſtæ verbis ſolum myſticum ſenſum eſſe exquirendum, ſed omnes verum intelligunt terræ motum, vero & ingenti tremore cuſtodes concuſſos fatentur: congruum igitur, vt qui Chriſti mortem & reſurrectionem ſunt imitati, illorum reſurrectio ſimiles producat effectus. Non occiduntur quidem cuſtodes ſepulchri Chriſti Domini, quia indecens erat vt reſurrectio Chriſti, in qua primitiæ dabantur omnium reſurgendorum, A mortem incuteret: fiunt tantum quaſi mortui, vt in his ex hoc ſtupore tandem expergefactis ſymbolum habeamus eorum, qui ſomno mortis correpti, per virtutem reſurrectionis Chriſti è mortis ſomno euigilabunt. At, reuera occidentur ex terræ motu plurimi in aſcenſione duorum teſtium in cœlum, quia iuſtum eſt eos tali ſupplicio affici, qui tam impiè gauiſi fuerant de eorum occiſione; eadem menſurâ quippe qua menſi fuerunt, remetietur eis. At quinam quæſo occidendi? Illi certe qui grauiori ſupplicio cenſebuntur tunc digniores, qui & ad antiqua & noua beneficia ingrati, quo ſtrictiori vinculo erunt cum Anti-Chriſto colligati, eo promptiori perimi debebunt exitio. Hinc Dion. Carth. B *Et decima pars cecidit. Quia*, inquit, *circa hoc tempus multi de Anti-Chriſti miniſtris ſimul cum ipſo peribunt.* Ita Dionyſ. Hi autem erunt Iudæi: quod quàm verum ſit, ex iis quæ docet Bellarm. de Rom. Pontific. c. 12. facile eſt conjicere. Ibi namque dicit duo de Anti-Chriſto eſſe certiſſima; vnum Anti-Chriſtum præcipuè propter Iudæos eſſe venturum, & ab eis tanquam Meſſiam recipiendum; alterum ex genere Iudæorum naſciturum & circumcidendum, & Sabbathum obſeruaturum ſaltem ad tempus. Illud primum habetur tum ex Euangelio Ioan. c. 5. vbi Dominus Iudæis dicit: *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepiſtis me. Si alius venerit in nomine ſuo, illum recipietis.* Quem locum de Anti- C Chriſto accipi debere, ſupra demonſtrauimus in ſecundo capite. Habetur etiam ex Apoſtolo 2. ad Theſſalon. 2. *Eo quod charitatem veritatis non receperunt vt ſalui fiant, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio.* Hunc locum Caluinus, & alij hæretici in commentariis horum verborum, de nobis exponunt quod quia non recipimus ipſorum Euangelium, ab Anti-Chriſto Romano ſeduci ſinimur. At in primis nullos proferunt teſtes: nos verò habemus à parte noſtra omnes interpretes, qui de Iudæis exponunt, Chryſoſt. Ambroſium, Theodoretum, Theophylact. Oecumenium. Præter hos ſic ait S. Hieron. q. 11. ad Algaſiam. *Faciet*, inquit, *hæc omnia Anti-Chriſtus, non cum virtute, ſed conceſſione Dei, propter Iudæos, vt quia noluerunt recipere charitatem veritatis, hoc eſt ſpiritum Dei per Chriſtum, vt ſaluatore ſuſcepto ſalui fierent, mittet illis Deus non operatorem, ſed ipſam operationem. Id eſt fontem erroris, vt credant mendacio*, &c. Et etiam ſine commentariis tot patrum, res ipſa clamat Apoſtolum loqui de Iudæis. Ipſe enim dicit mittendum Anti-Chriſtum ad eos qui Chriſtum recipere noluerunt. Qui ſunt autem qui magis debuerunt & noluerunt Chriſtum recipere quam Iudæi? Nam Anti-Chriſtus ſine dubio illis in primis ſe adiunget, qui parati ſunt eum recipere. At Iudæi ſunt eiuſmodi qui expectant Meſſiam regem temporalem, qualis erit Anti-Chriſtus: gentiles enim neminem ex- E pectant. Chriſtiani autem expectant quidem Anti-Chriſtum, ſed cum metu & tremore, non cum gaudio & deſiderio. Sicut ergo Chriſtus primum ad Iudæos venit quibus erat promiſſus, & à quibus expectabatur, & deinde adiunxit ſibi gentes, ita quoque Anti-Chriſtus ad Iudæis primum accedet, à quibus expectatur; & deinde paulatim omnes gentes ſibi ſubjiciet. Addit Bellarminus. *Iam verò quod Anti-Chriſtus ſit futurus Iudæus, & circumciſus, certum eſt, & deducitur primum ex dictis; nam Iudæi nunquam reciperent hominem non Iudæum, aut incircumciſum, pro Meſſia: immo etiam quia Iudæi expectant Meſſiam ex familia Dauid & tribu Iuda, ſine dubio Anti-Chriſtus, licèt verè ſit de tribu Dan, finget ſe eſſe de familia Dauid*, &c. Ita Bellar.

Ex quibus conjicio eos qui occidendi ſunt debe-

re eſſe Iudæos, qui Deo magis exiſtent ingrati, tum quia Chriſtum iam non receperunt, tum quia duobus teſtibus, ad eos colligendos præcipuè miſſis, fidem non adhibuerunt: ideoque deteriora meretuntur ſupplicia. Et ex hac interpretatione quid ſibi velit Iſa. c. 6. poteſt, ni fallor, intelligi, dum de excæcatione Iudæorum agens, ad hanc interrogationem Prophetæ: *Et dixi: Vſquequo Domine?* Id eſt quandiu hac pœnâ excæcationis Iudæi punientur? Reſpondetur illi: *Donec deſolentur ciuitates abſque habitatore, & domus ſine homine, & terra relinquetur deſerta. Et longe faciet Dominus homines: & multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terræ: & adhuc in ea decimatio, & conuertetur, & erit in oſtenſionem ſicut terebinthus, & ſicut quercus, quæ expandit ramos ſuos: ſemen ſanctum erit quod ſteterit in ea.* Hæc Iſ. Hæc enim ita ſumenda puto: Relinquentur Iudæi in ſua excæcatione, vſque ad deſolationem & vaſtitatem totius Iudææ, & cum à Iudæa fuerint expulſi, multiplicabuntur tamen per diuerſas orbis partes: At antequam in fine ſeculorum, in qua ſunt conuertendi ad Chriſti fidem, reuerâ conuertantur, quia plurimi eorum adhuc in perfidia perſiſtent adhærentes Anti-Chriſto, quamuis ab Enoch & Elia fuerint ad fidem amplectendam inuitati, decima pars eorum cadet, reliqui autem conuertentur, itaut de hac gente dicatur: Videte quomodo fuerint quaſi terebinthus & quercus, defluentibus foliis: & tamen (ô res mirabilis!) ſemen ſanctum in ea erit. Nam qui ab hac decimatione relinquentur immunes ſtabunt, & timore perculſi dabunt gloriam Deo cœli. Tunc enim omnis Iſraël ſaluus fiet, iuxta Apoſtolum: *Nolo*, inquit Apoſtolus, *enim vos ignorare fratres myſterium hoc, vt non ſitis vobis ipſis ſapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Iſraël, donec plenitudo gentium intraret: & ſic omnis Iſraël ſaluus fiet, ſicut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob.* Rom. 11.

Nihil igitur obſtat quominus licèt multi ex Iudæis fuerint per prædicatione Eliæ & Enoch iam conuerſi, plurimi adhuc in perfidia perſeuerent, & Anti Chriſto etiam illis occiſis adhæreant: ſed cum reſurrexerint, & in cœlum aſcenderint (Deo vlciſcente perfidiam cordis eorum, qui credere noluerunt his duobus teſtibus) cum euerſione decimæ partis ciuitatis, in qua fortaſſe erit ſedes Anti Chriſti, decima pars perfidorum in terræ motu intereat, & ad modum eorum qui core Dathan, & Abiron olim adhærentes terræ hiatu abſorpti ſunt, ita & hi abſorbeantur, & reliqui in timorem mittantur, & conuerſi dent gloriam Deo cœli.

Hæc autem occiſio per decimationem exprimitur, vt ſignificet Propheta diuinam ſeueritatem decimas ſibi reſeruare ex populo Iſraëlitico, ad præſentem iuſtitiæ vindicatiuæ manifeſtationem, reliquis ad ſalutem conuerſis: & ſicut decima pars fructuum reipublicæ pendi ſolita erat pro vectigali eorum agrorum, qui deſerti ad culturam redigebantur, vt ex Appiano l. 1. notat Alciatus, de verborum ſignific. v. noualis; ita diuina ſeueritas ex illa Iudæorum terra (quæ tandiu inculta remanſit) ad fructus pœnitentiæ dignos reducta, ſibi decimam partem reſeruat, vt ſe vindicem malorum eſſe temporaliter manifeſter: quæ decima pars ad ſeptem millia videtur reduci, id eſt ad numerum eorum qui olim à diuina benignitate fuerunt ad colendum Deum reſeruati in populo Iſraëlitico, cæteris relictis abire vias ſuas, & ambulare iuxta ſuas adinuentiones & deſiderta cordis. Etenim æquum eſt vt iuſtitia vindicatiua ſuas agês partes habeat ſubiectam materiam, Deo vlciſcente hominum ſcelera, & cordis eorum peruicaciam; ſicut diuina benignitas habuit in quibus ſeipſam manifeſtam redderet, Deo miſericorditer agente, & compatiente fragilitati humanæ: iuſtitia enim & miſericordia in Deo æqualia ſunt, vt pro temporum & rerum diuerſitate modò hæc, modò illa debeat manifeſtari.

An autem decima pars Iudæorum, qui tunc erunt dum hæc perficientur, ſit ad ſeptem millia reducenda, incertum eſt: ſufficit quod ex S. Thomas, *ſeptenarius ſignat vniuerſitatem, millenarius perfectionem, ſine in bono, & ſic frequenter accipitur; ſine in malo, ſecundum quod aliquis dicitur bonus vel perfectus latro: vnde per ſeptem millia ſignatur hic multitudo malorum, quæ finaliter tunc interibit morte finalis impœnitentiæ.* Ita D. Tho. Quæ multitudo ſignatur per ſeptem millia, vt fieret alluſio ad ſeptem millia qui non curuauerunt genu coram Baal, vt ſic conijceremus æqualitatem iuſtitiæ vindicatiuæ, cum miſericordia protegente. Reddit autem rationem S. Tho. cur dicitur: *Occiſa ſunt nomina. Quia*, inquit, *mali nomen habent, non rem nominis: ſupra cap. 3. Nomen habes quod viuas, & mortuus es. Hoc autem adiectiuum, occiſa, ſpicit ſubſtantiuum nomina, non quantum ad ſignificatum vocis, ſed quantum ad conſignatum, quia ſenſus eſt; nomina, id eſt homines habentes nomina ſola, &c.* Ita S. Tho. Nomine erant tantum Iudæi, reuera impij & legis diuinæ contemptores.

Hæc interpretationi libentius aſſentior, quòd videam, tempore excæcationis elapſo, fieri quod durante tempore excæcationis fieri denegabatur: *Excæca*, dicebat Dominus, *cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eum.* In quibus verbis videsconuerſionem huius populi denegari; tempore videlicet obcæcationis; at poſt decimationem dicitur, *& conuertetur*, ac ſi propheta diceret: Poſt decimationem qui erunt excæcati oculos aperient, & tunc conuertentur, & ſanabuntur: & licet ſint in oſtenſionem & deriſum, quia ſtultè nimis & inconſideratè Anti-Chriſto crediderunt, & quia ſua ſpe exciderunt ab eo deluſi, tamen *ſemen ſanctum erit id quod ſteterit in ea*: etenim qui reſidui erunt decimatione peracta, & conuertentur, & ſanabuntur.

Dices Cornelium à Lapide in 6. cap. Iſ. in hæc verba: *Et conuertetur, & erit in oſtenſionem*, notare Enallagen Hebraicam, qua verba, conuertor, reuertor, addo, adjicio; ponuntur pro aduerbiis, rurſum, iterum vltra. *Conuertetur*, ergo, *& erit in oſtenſionem*, id eſt iterum erit in oſtenſionem. Sic dicitur Pſ. 84. *Tu conuerſus viuificabis nos*, id eſt, tu iterum viuificabis nos. Et Pſ. 77. *Conuerſi ſunt & tentauerunt Deum*, id eſt iterum tentauerunt Deum. Eadem phraſis crebra eſt in pſalmis. Ita Forerius apud Corneli. Tamen à ſententia non dimoueor: licèt enim ita exponas, Populus Iudaicus, qui fuit olim in vaſtationem, in oſtenſum, & riſum, gentibus dicentibus: *Quare ſic fecit Dominus terræ huic? Quæ eſt hæc ira furoris eius immenſa? Et reſpondebunt: quia dereliquerunt pactum Domini*: Deuteron. 29. adhuc & iterum erit in oſtenſum & deriſum eiſdem gentibus: etiam talis expoſitio admitti poterit. Valde enim deridendi erunt Anti-Chriſto mendaci fidem adhibentes, dum nihil tale expectantibus corruet, & cum eo omnes quos diuina iuſtitia, ad ſuæ ſeueritatis manifeſtationem, vel terræ hiatu abſorberi, vel igne è cœlo immiſſo deuorari decernet, ſemine ſancto in ea gente ſtante, in eis qui tunc poſt decimationem conuertentur: ſemen enim ſanctum ſunt Iudæi in Chriſtum credentes, iuxta illud Iſ. c. 4. *In die illa erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ ſublimis, & exultatio his qui ſaluati fuerint de Iſraël: & erit, omnis qui relictus fuerit in Sion, & reſiduus*

reſiduum in Ieruſalem ſanctus vocabitur, omnis qui ſcriptus eſt in vita in Hieruſalem. Quæ ſanè intelligi non poſſunt verè adimpleti, niſi cum omnes Iudæi in fine conuerterentur. Nam licet quidam per Apoſtolorum prædicationem fuerint ad fidem conuerſi, non tamen omnes: & licet poſt euerſionem plurimi iterum fuerint qui Chriſti fidem ſunt amplexi, tamen non omnes. Cum igitur ſolum pro his vltimis temporibus hoc verificari poſſit, in quibus iuxta Apoſtolum *omnis Iſrael ſaluus fiet*, id eſt qui relicti, qui reſidui futuri ſunt poſt decimationem; optimo iure hunc locum Iſaiæ ad noſtrum propoſitum pro his temporibus intelligendum eſſe exiſtimamus. Tunc enim verè Dominus abluet ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Ieruſalem lauabit de medio eius, in ſpiritu B iudicij & ſpiritu ardoris. Tunc enim maiori cum gloria circa electos apparebit Dei protectio, quam cum Deus olim protexit populum, nube eos obumbrante per diem, vel columna ignis per noctem ſplendorem illis præbente: maiori etiam cum gloria electos proteget, quàm olim Moyſen & Aaron protexit, cum orta ſeditione propter mortem eorum qui Core adhæſerunt, Moyſes & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis, quod poſtquam ingreſſi ſunt operuit nubes, & apparuit gloria Domini, Num. 16. Ad quæ omnia reſpexiſſe videtur Iſaias, dum ait: *Et creabit Dominus ſuper omnem locum montis Sion & vbi inuocatus eſt, nubem per diem, & fumum & ſplendorem ignis flammantis in nocte: ſuper omnem enim gloriam protectio* C nempe illa quæ tunc apparebit in ſaluatione eorum, qui poſt decimationem ad Chriſtum conuerterentur: tunc enim Eccleſia ſancta erit tanquam tabernaculum *in vmbraculum diei ab æſtu, & in ſecuritatem, & abſconſionem à turbine & à pluuia.* Et hæc ſatis de literali ſenſu huius loci, quem literaliter poſſe exponi concedere videtur ſanctus Thomas dum ait: *Verum ad literam ita fiet, non ſatis certum videtur.* At etſi non ſatis certum, tamen non omnino certum eſt ſpiritualiter ſolùm debere intelligi.

Ambroſius autem nobiſcum hæc literaliter exponit: ſolùm in hoc differt quod decimationẽ pro ipſa Iudæorum ad Chriſtum conuerſione accipit. Eum D audiamus. *Et in illa hora factus eſt terræ motus magnus. Nunc*, inquit, *ad initium prædicationis Eliæ & Enoch reuertitur. Terræ motus, ſicut ſuperius iam diximus, motionem cordium ſolet deſignare: Terræ motus tunc fiet, cũ per prædicationem Eliæ & Enoch multi ad pœnitentiam, multi ad fidem conuertentur. Et decima pars ciuitatis cecidit: non ſanus ſenſus eſſe videtur, vt per ciuitatem, cuius decima pars cecidit, Eccleſiam intelligamus, eo quod hic ſermo ad ciuitatem magis diaboli quam ad ciuitatem Dei reſpiciat. Illius ergo ciuitatis in hoc loco decimam partem corruiſſe dicit, quam ſuperius ciuitatem magnam Sodomamque & Ægyptum vocauit, & in cuius platea corpora ſanctorum per tres dies & dimidium inſepulta iacere dicuntur. Et quia per denarium numerum ſæpe lex deſignatur, eo quod lex per decalogum ſit accepta, poſſumus per decimam partem quæ corruit, Iudæos obſeruatores legis intelligere, qui per prædicationem Eliæ fidem Chriſti ſuſcipientes, à ciuitate diaboli ruunt, & præcidentur. Et occiſa ſunt terræ motu ſeptem millia hominum, & reliqui in timorem ſunt miſſi: & dederunt gloriam Deo cæli. Sicut per denarium lex, ita & per ſeptenarium ſæpe gratia Euangelij accipitur: ecce pars decima, pars ciuitatis, quam non ex lapidibus ſed ex hominibus conſtare docuimus, cecidit: & non decem millia, ſed ſeptem millia mortua eſſe perhibentur. Denarius igitur numerus in ſeptenarium commutatus eſt: quia Iudæi obſeruationes legales reſpuentes, de-* E *Hinnam Euangely ſuſcipient, quæ propter ſeptem dona Spiritus ſancti per ſeptenarium numerum deſignatur. Septem ergo millia mortua eſſe deſcribuntur, quia moriuntur diabolo vt viuant Deo. Reliqui verò, qui in timorem ſunt miſſi, electos deſignant, qui videntes conuerſionem Iudæorum atque diuinam ſcripturam in illis eſſe completam, in timore Dei atque amore proficient, Denique pro eorum conuerſione laudare non deſiſtent.* Ita Ambroſ. Qui myſticum ſenſum cum literali coniungens nobiſcum ſentit, dum de conuerſione Iudæorum hîc agi exiſtimat ad literam, quamuis non omnia eodem modo exponat ac nos expoſuimus ſupra. Melior tamen videtur prior expoſitio de punitione Iudæorum, quàm hæc Ambroſij de eorum conuerſione, propter locum Iſaiæ (*& decimatio in eo*) quaſi dicat: Decima pars interibit, eorum reliquis ab interitu præſeruatis, qui in timorem mittentur, vt dent gloriam Deo cæli. Et reuera valde credibile eſt, quoquo modo hoc fiat, hîc agi de Iudæorum conuerſione: nam cum S. Ioannes inſigniores tangat euentus Eccleſiæ, omittere non debuit eos qui circa finem mundi & tempora Anti-Chriſti perficientur. Inter illos autem conuerſio Iudæorum meritò reponitur, quæ ab Ezechiele, & S. Paulo prædicta fuit. De ea enim Ezechiel agit c. 39. dum ait: *Nunc reducam captiuitatem Iacob, & miſereboromnis domus Iſrael, & æſtumam Zelum pro nomine ſancto meo, &c.* Qui in capitibus ſequentibus deſcribendo reædificationem ciuitatis & templi, altiſſimo & profundiſſimo ſpiritu prophetiæ deſcribit ſtatum Eccleſiæ poſt Anti-Chriſti perſecutionem, & vnionem populi Iudaici cum cæteris nationibus, in verò Chriſti Domini cultu & obſequio. De ea etiam S. Paulus ad Rom. c. 11. vt iam diximus. Illam etiam omittere non debet S. Ioannes, cui datum eſt præuidere inſigniores diuinæ prouidentiæ effectus circa Eccleſiam: vt certè niſi de ea conuerſione agat in hoc capite, nullum locum reperies in tota Apocalypſi, in quo dici poſſit de illa facere mentionem. Nè igitur tam inſignem effectum omiſiſſe dicatur, hic locus de hac conuerſione & reductione Iudæorum in conſummatione ſeculorum proculdubio exponendus eſt.

Si myſticum ſenſum requirat, Rupertum audi dicentem: *Nihil verius quàm quod in illa hora, quando reſurgent mortui, fiet terræ motus magnus, vt exigilent omnes, cum tali tamque profundo ſomno ſopiantur.* Ita Rupertus. Sed hæc dicit per anticipationem: nam certe adhuc non loquitur ſanctus Ioannes de reſurrectione mortuorum. Addit Rupertus: *Et reuera quæ dicitur ciuitas diaboli, non ciuitas eſt, ſed ruinæ ſunt magnæ & ſanctæ ciuitatis Hieruſalem cæleſtis, cuius nouem ſunt ordines Angelorum: & idcirco qui inde ceciderunt, & homines qui de illorum forte ſunt, rectè dicuntur decima pars, ruinoſa pars eiuſdem ciuitatis: vtique ceciderunt, id eſt cadent, videlicet in infernum (cum diabolo & Angelis eius) & homines ſequaces eius. Idcirco non fuit contentus dixiſſe: Et decima pars cecidit, ſed addidit: Et occiſi ſunt in terræ motu nomina hominum ſeptem millia: nam ſeptem millia hominum idem eſt ac ſi diceret Vniuerſitas hominum impiorum: maluit tamen dicere nomina hominum quàm ſimpliciter homines, per quod intelligimus nominatos in hoc ſeculo, &c. Et reliqui in timorem ſunt miſſi, &c. Qui ſunt vel erunt reliqui, niſi omnes electi qui ſtabunt à dextris? &c. Erit autem in eis aliquo modo tremor latus, ac timor ſecurus, quia & cæleſti gloriâ ſe remunerari certi erunt, & pro carnis infirmitate contremiſcent per tanti turbinis metum. Et dederunt, inquit, gloriam Deo cæli, videlicet admirantes virtutem fortiſſimi, qui tam fortem, tam ſuperbum, tam fortiter præcipitabit.* Ita Rup.

Alcazar per terræ motum intelligit mutationem

ingentem quæ Ieroſolymis accidit, quando poſt vniuerſale illud odium in Chriſti fidem conceptum, ſubſecuta fuit conuerſio magnæ Ieroſolymorum partis, & publica Chriſtianæ fidei confeſſio. Vel per terræ motũ vult intelligi Dei timorem, qui corda occupauit plurimorum, ex iis quos antea duros ac rebelles Euangelica prædicatio inuenerat, qui ingentem morum cõuerſionem effecit in Iudæis: in decimæ partis ciuitatis caſu, intelligit conuerſionem decimæ partis Iudæorum prænunciatam ab Iſaia c. 6. *Et adhuc in ea decimatio & conuertetur.* Verbumque, cadere, docet in ænigmate ad conuerſionem referri: quod ex ſylua allegoriarum, & ex patribus fusè probat; occiſionem etiam ſeptem millium accipi de myſtica vltione atque cæde, numeroſque hos in ænigmatica locutione non eſſe accipiendos, itaut ſonant; atque adeo cum dicitur, *occiſa ſunt ſeptem millia*, non ſignificari totidem fuiſſe homines, nec plures, nec pauciores ad Chriſtiana ſacra traductos, ſed cædem illam ſpiritalem in maxima hominum multitudine fuiſſe factam, qui ex ſpiritali idololatria euaſerunt, quique fuerunt præſignificati in ſeptem his millibus qui non curuauerunt genua ante Baal. *Et reliqui in timorem ſunt miſſi*, &c. *Huius*, inquit Alcazar, *locutionis figura deſumitur ex eo quod ſæpè videmus accidere, quando repentino aliquo terræ motu ædificium concidit, cuius ruinâ obruuntur alij, alij formidine & horrore paueſcunt. Quod ſi illi in myſtico terræ motu dicuntur occiſi atque oppreſſi, qui Chriſtianæ fidei ſacra ſuſceperunt, ſequitur eos, qui nec nomine occiſorum comprehenduntur, fidem amplexos non fuiſſe. Vnde difficultas exoritur: quoniam dicuntur timuiſſe Deum, & gloriam Deo dediſſe. Senſus non eſt illos Deo dixiſſe laudem, propterea quod eos à morte eripueris, hoc enim non eſt ad rem, ſed Iudæos qui in ſua obſtinatione perſtiterunt, Dei tamen gloriæ inſeruiſſe, quatenus confeſſi ſunt Deum iure optimo Chriſti nominis hoſtibus ſuccenſere, & ſeueriſſimè in eos animaduertere. Ad cuius ſenſus explicationem aduerto primò vſitatam eſſe ſcripturæ phraſim, qua aſſeritur homo impius ac ſceleratus, quando acriter punitur, Deo dare gloriam, dum confitetur ſe iuſtè pro ſuis ſceleribus plecti. Patet hoc Ioſue ſeptimo, vbi ait Ioſue ad Achan: Da gloriam Domino Deo Iſraël, & confitere mihi quid feceris.* Ita Alcazar. Cuius, vt verum fatear, expoſitio in hoc capite ſemper redolet quamdam ab eo ſenſu verborum (qui primo intuitu vltrò ſeſe menti offert, ſtatim atque verba leguntur) alienationem. Nec ad rem, vt mihi videtur, adducit locum Ioſue: dum enim Ioſue Achan ſic alloquitur: *Da gloriam Deo*, hæc verba non reſpiciunt eius ſupplicium aut pœnam, ſed peccati ſui manifeſtationem, ne Deum mendacij videretur arguere ſi denegaret facinus: dixerat enim Dominus illum qui ſorte deprehenſus fuiſſet in hoc facinore eſſe igni comburendum; ſors autem ceciderat ſuper Achan: quod ſi facinus denegaſſet, Deum qui per ſortem illius ſcelus reuelauerat, quaſi falſum illi impoſuiſſet, mendacij inſimulaſſet: vnde non dixit Ioſue: Da gloriam Domino Deo Iſraël & agnoſce iuſto iudicio te eſſe igni tradendum; ſed, *confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abſcondas*: quod confeſſionem criminis iuxta diuinam reuelationem directè reſpicit, non pœnæ ac ſupplicij approbationem: nec Achan aliud dixit quàm, *Verè ego peccaui Domino Deo Iſraël, & ſic & ſic feci*; de pœnâ ſibi infligendâ ne verbum quidem.

Optimè autem Andreas Cæſarienſis myſticum ſenſum cum literali coniungens, hunc locum ita exponit: *Et in illa hora factus eſt terræ motus magnus.* A *Iſthæc forſan ſenſibilis modo euenient, ſublimiori autem ſenſu, per terræ motum, rerum mobilium atque fluxarum ad ſtabiliorem firmioremque ſtatum tranſlatio deſignatur. Quod autem de decima ciuitatis parte eiuſdemque ruina hic dicitur, hoc ad impietatis caſum referendum videtur: quippe quæ nec admonitione, neque ſanctorum ad cælum raptu, ad ſanam mentem redire animum aliquando induxerit, cum cæteri tamen, vt paulò poſt innuitur, hac redierint. Septem denique millia occiſa eos ſignificare arbitramur, qui in ſeptima præſentis vitæ ætate obtorpeſcentes, ad octauam reſurrectionis non anhelant; quos proinde mortem ſecundam, hoc eſt æternum gehennæ ſupplicium ſubire neceſſe eſt: aut ſeptem illos forte denotant qui ex Iudæis Anti-Chriſto credidere. Et reliqui in timorem ſunt miſſi. Infidelibus cæſis, Chriſtique martyribus gloriâ donatis, quotquot ſalute non indigni comperti ſunt, inquit, omnes Deum laudibus extulerunt & glorificauerunt.* Ita And. B

Va ſecundum abiit: & ecce va tertium veniet cito.

Idæa ſecundæ partis cap. vndecimi, & de tertio va veniente cito.

MEMINISSE oportet vocis vnius Aquilæ volantis per medium cœli, dicentis voce magna: *Va, va, va habitantibus in terra, de cæteris vocibus trium Angelorum, qui erant tuba canituri.* In primo (væ) ſignificata fuit plaga peccatorum, ex malitia, & effrenatæ libidinis ad malum propenſione prodeuntium. In ſecundo (væ) plaga Hereſeon ſignificata fuit, quæ plaga vſque ad hanc impietatem mentes peruertet, vt Anti-Chriſtum pro Chriſto colant, & adorare non dubitent immanem hanc belluam pro vero Deo rerum omnium moderatore. Hoc væ abiit illo extincto: reſtat tertium væ, nempe præcipitationem malorum in ignem æternum, eorum ſcilicet, qui obdurata mente ad iram potius prouocabuntur extincto Anti-Chriſto (videntes Eccleſiæ ſplendorem, & poteſtatem ſummam, cui ſe opponere non poterunt) quàm à peccatis reſipiſcant. Ideo ad vocem ſeptimi Angeli duo nobis proponuntur, primum totius gubernationis Eccleſiæ fælix fauſtuſque ſucceſſus, dum nulla erit terrena poteſtas, quæ poſt Anti-Chriſti mortem regnum Chriſti viſibile in terris poſſit oppugnare: quo fit vt in gratiarum actiones vehementes, omnes Eccleſiæ Paſtores in viginti quatuor ſenioribus adumbrati prorumpant, frendentibus & ſtridentibus Eccleſiæ hoſtibus ob liuorem & maleuolentiam: quo fit vt iudicij dies acceleretur, & aduenia tita, & tempus mortuorum, iudicari, & reddere mercedem Dei ſeruis, prophetis, videlicet, & ſanctis, & timentibus nomen eius, puſillis & magnis, & exterminandi eos qui corruperunt terram. Secundum quod in fine capitis proponitur, eſt qua ratione ſenſibiliter cognoſcetur Chriſti regnum ad apicem gloriæ, ad quem deſtinatur, peruenisse poſt Anti-Chriſti necem, nempe quia apertum eſt templum Dei in cœlo, id eſt, publicus, liber ac patens erit in Eccleſia Dei cultus, nec non Eccleſiæ auctoritas & poteſtas talis & tanta erit, vt ipſi nulla via intercludatur decernendi, faciendi, exequendi quicquid ad Dei cultum & obſequium viſum fuerit aliquo modo conducere. Deinde viſa eſt arca teſtimonij eius in templo eius, ſiue quia rurſus Sacroſanctum Chriſti corpus in Sacramento altaris publico ritu liberè conficietur; ſiue quia arca teſtamenti, nempe Iudæi, in ſinu Eccleſiæ recipientur. Vnde fulgura fiunt & co- C D E

ruſcationes operum præcipuæ & inſignis ſanctitatis, & voces laudum, & iubilationis, & inſtructionis eorum qui ad fidem nouiter erunt reducti: multa enim, ex falſis doctrinis Anti Chriſti, erit in plurimis gentibus rerum diuinarum ignorantia, fide potiſſimum à cordibus tot populorum longius ablegatâ, & fiet terræ motus per mutationem morum inſignem, & grando magna comminationum pœnarum inferni, pro illis qui rectas iuſtitiæ ſemitas apprehendere noluerunt. Ex quibus patet Alcaz. vt ſcripturam ad ſuum inuentum accommodet, non rectè negare hæc verba, *tempus mortuorum iudicari, &c.* de extremo iudicio eſſe intelligenda, ſed de reſurrectione tantùm myſtica accipienda eſſe: quòd enim mordicus velit agi de perſecutione Iudaici populi in Eccleſiam commota, ideo omnia ita exponit vt ſuæ interpretationi poſſint inſeruire, & non abſque violentia detorquet ad ſenſus quoſdam myſticos, qui literalem verborum ſonum prima fronte videntur obliterare. Neſcio enim quibus verbis clarioribus de iudicio poſſet mentionem fieri. *Aduenit*, inquit, *tempus mortuorum, iudicari & reddere mercedem ſeruis tuis Prophetis, & ſanctis, & timentibus nomen tuum, puſillis & magnis, & exterminandi eos qui corruperunt terram.* Melius igitur cenſet Rupertus, dum ait: *Hoc nimirum eſt Vltimum Væ, & iſte cantus tubæ ſeptimæ de quo veraciter inquit iſte Angelus ſortis quia tempus amplius non erit: ſed in diebus Vocis ſeptimi Angeli conſummabitur myſterium Dei.* Hæc Rupert. qui antea dixerat: *Tuba hæc ſeptima, illa tuba nouiſſima eſt, cuius & Apoſtolus meminit, vbi ad Corinthios ſcribens ita dicit: Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur, in momento, in ictu oculi, in nouiſſima tuba, canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti. Itemque ad Theſſalonic. Quoniam ipſe Dominus in iuſſu, & in Voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo. Quis autem dubitet, ad cantum tubæ illius ſeptimæ ſine nouiſſimæ, reſurrectionem mortuorum pertinere?* Ita Rupertus.

Item Ambroſius: *Væ tertium ad ea mala, quæ per Anti-Chriſtum facturus eſt diabolus, ad diem iudicij pertinet*, &c. Et poſt pauca: *Et quia ante perſecutiones Anti-Chriſti, dies iudicij incipiet prædicari, eumdem diem iudicij Ioannes antea ponere voluit, quàm ad perſecutiones ipſius Anti-Chriſti narrando veniret.* Ita Ambroſius. In eo ſequendus quod dicat hæc ad diem iudicij pertinere; non in eo quod exiſtimat væ illud tertium ſignificare mala ab Anti-Chriſto illata: ſignificat enim vltimum malorum, nempe æternam damnationem, quam & Anti-Chriſtus & aſſeclæ eius incurrent, ob infidelitatem & impietatem, quâ vero Deo derelicto Anti-Chriſtus ſemetipſum *ſupra omne quod dicitur Deus* extulit, & eius ſectatores eum pro vero Chriſto coluerunt. Horum quidem damnationem S. Tho. in expoſitione ſub ſecundo (væ) comprehendi vult, dum ait: *Hoc autem Væ (nempe ſecundum) eſt damnatio Anti-Chriſti & ſuorum, quæ deſcripta eſt per hoc quod nequitia ipſorum, ratione cuius damnandi ſunt, abiit, ſcilicet quantum ad narrationem, quaſi dicat: Oſtenſum eſt ſecundum Væ, & ecce, nota eſt certitudinis.* Ita S. Tho. Sed nobiſcum ſenſit, dum tertium væ ad damnationem malorum pertinere vult, dum ait: *Væ tertium, id eſt damnatio malorum communis in iudicio, quæ eſt tertium Væ inter tria Væ præmiſſa; Veniet citò, & quantum ad narrationem, & ſecundum rem, quia poſt mortem Anti-Chriſti inſtabit iudicium.* Ita S. Tho.

Si hæc ita exponas, ni fallor, ceſſabit difficultas inueniendi rerum conſequentiam, quam in verſu 19. reperiri notat Alcazar, itaut cogamur dicere illa verba: (*Apertum eſt templum Dei in cælo*) non ad ſeptimam pertinere tubam, ſed ad aliam viſionem, quæ in capite 12. continetur. Satis enim cohærent omnia, ſi dicamus quod poſtquam ſeptimus Angelus tuba cecinit audiuntur voces in cœlo dicentes: *Factum eſt regnum huius mundi Domini noſtri, &c.* quaſi de victoria de Anti-Chriſto reportata, regni viſibilis Chriſti in terra gloria extollatur, propter quam gentes inuidiâ tabeſcentes, ad iram prouocatæ acceleration em iudicij extremi exigant, in qua merces dabitur ſanctis, & exterminabuntur impij: interim videatur templum Dei apertum in cælo, & arca teſtamenti in templo, veluti id quo antequam veniat dies iudicij videbitur vere Regnum Chriſti ad ſummum apicem honoris & gloriæ peruenisſe.

Et ſeptimus Angelus tuba cecinit: & factæ ſunt voces magnæ in cælo dicentes: Factum eſt regnum huius mundi Domini noſtri, & Chriſti eius, & regnabit in ſæcula ſæculorum. Amen.

Anti-Chriſti tyrannide ſublata, eoque extincto cum ſuis fautoribus horrendo Dei iudicio, ecce meritò ordo concionatorum in medium adducitur, qui Dei iudicia & impiorum æterna ſupplicia hominibus annuncient, clamantibus cunctis ab experientia ſatis cognoſci quanta ſit virtus & poteſtas Chriſti regis: à quo omnes ſunt iudicandi.

Et ſeptimus Angelus tuba cecinit.

Quid tuba ſua cauere debeat ſeptimus Angelus. §. 1.

EN ſeptimus ordo concionatorum, qui ſeriis cõminationibus iudiciorum Dei homines à pectis auertere percupientes, ex iis quæ circa Anti-Chriſtum peracta fuerunt, eos ad timorem iudiciorum Dei & æternorum ſuppliciorum adducere conabuntur, admonentes tempus iudicij inſtare: cum certum ſit omnia quæ illud præcedere debent eſſe completa, operique diuinæ prouidentiæ circa Eccleſiam vltimam manum eſſe imponendam. Conſurrexit gens in gentem, & regnum in regnum, peſtilentiæ & fames, & terræ motus fuerunt per loca. Prædicatum eſt Euangelium regni in vniuerſo orbe in teſtimonium omnibus gentibus, ex quo conjicitur cèrtiſſimè aduenturam eſſe citò rerum conſummationem. Venit illa diſceſſio, & ab imperio Romano, & totalis defectio ab auctoritate Pontificia à S. Paulo prædicta: reuelatus eſt homo peccati filius perditionis qui aduerſatus eſt, & ſeipſum extulit ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, licet non ſit verus Deus; ſedit in templo Dei oſtendens ſe quaſi eſſet Deus, ſicque viſa eſt abominatio deſolationis ſtans in loco ſancto. Ingens illa à Chriſto prædicta tribulatio iam tranſiit, abundauit iniquitas, fides in arcto fuit poſita: quia in paucis integra remanſit, & Pſeudo-Chriſtis & Pſeudo-Prophetis dantibus ſigna magna & prodigia ad ſeductionem electorum, ſi hoc fieri potuiſſet: interfectus eſt ille impius apoſtata ſpiritu oris Chriſti, & deſtructum eſt illius imperium; vnde illo extincto, *Factum eſt regnum huius mundi Domini noſtri & Chriſti eius, & regnabit in ſecula ſeculorum*, qua quidem ratione illuſtratur eius aduentus. In mundum venerat vt regnaret ſuper nos, & omnes gentes & nationes

ſuo ſubderet imperio. His omnibus ita peractis, quamuis de die illa & hora iudicij nemo ſciat, neque Angeli cœlorum, niſi ſolus pater, tamen quod inſtet non eſt in dubium reuocandum: & in vanum Chriſtus Dominus monuiſſet Luc. 21. *His autem fieri incipientibus leuate capita veſtra: ecce enim appropinquat redemptio veſtra*; ſi impoſſibile eſt & animaduertere huius redemptionis approximationem. Attendendum igitur hominibus ne grauentur corda eorum in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, nec tedeant ad crimina & ſcelera quæ diluuium adduxerunt ſuper terram: *Superueniet enim in illos tepentina dies illa: tanquam laqueus etiam ſuperueniet in omnes qui ſedent ſuper faciē omnis terræ. Sicut enim in diebus Noe ante diluuiū erant comedentes & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes, vſq; ad eum diem quo intrauit Noe in arcam, & non cognouerunt donec venit diluuium, & tulit omnes.* Ita Eccleſia ſumma pace & tranquillitate fruente, poſt tribulationem dierum Anti-Chriſti, ſtatim *ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum: & ſtellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur. Et tunc parebit ſignum filij hominis in cælis: & tunc plangent omnes tribus terræ. Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & maieſtate.* Et quia incertum eſt quantum temporis ſpatium intercedat, inter illam Anti-Chriſti tribulationem, & totius orbis ſeu vniuerſi turbationem, ob imminentem ſupremi iudicis aduentum, ideo vigilandum hominibus & omni tempore orandum, vt digni habeantur fugere iſta omnia quæ futura ſunt (ſupplicia videlicet æterna) & ſtare ante filium hominis.

Hic eſt ordo rerum, ni fallor, & hæc annunciabunt cōcionatores in ſeptimo Angelo deſignati, cum alta voce prædicabunt operi diuinæ prouidentiæ circa Eccleſiā extremam manum eſſe imponendam, cum Chriſti regnum viſibile in terris ſuam vltimam adeptum ſit perfectionem, Anti-Chriſto extincto, & nulla politica & terrena poteſtate amplius nec mutire nec reſiſtere audente contra externam omnium functionum Eccleſiaſticarum adminiſtrationem. His fauent S. Thomas & Ambroſius: ſic enim Ambroſius commentator Apocalypſ. *Per ſeptimum Angelum*, inquit, *ſicut diximus prædicatores ſancti qui in fine mundi naſcituri ſunt deſignantur: tuba canent cum verbum Dei annuntiabunt. Et facta ſunt voces magnæ in cælo dicentes. Poſſumus per cælum Eccleſiam, per voces verò magnas, ſanctorum verba intelligere, qui in aduentu Domini ad iudicium venientes exultabunt, ſicut Dominus dicit in Euangelio: Reſpicite & leuate capita veſtra, quia appropinquat redemptio veſtra.* Ita Amb. S. Thomas in expoſitione: *Et ſeptimus Angelus, id eſt ſeptimus ordo prædicatorum exiſtentium in ſeptimo ſtatu Eccleſiæ, ſcilicet poſt mortem Anti-Chriſti, & dicitur ſeptimus ordine narrationis & temporis, tuba cecinit id eſt canet, quia interfecto Anti-Chriſto prædicabunt fideles prædicatores.* Ita S. Thomas. Quid autem cogitare poſſumus illos eſſe prædicaturos, niſi ea quæ mox tetigimus, vt homines quos nec delitiæ paradiſi terre ſtris potuerunt in officio continere, quos tanta rerum experientia non potuit ſapientiores reddere, quos recens Anti-Chriſti & ſectatorum eius proſtratio non potuit à peccatis auertere, terrore finalis iudicij à peccatis auertant. At vt ea meliùs intelligamus, cum Deus diuerſimodè regnare dicatur, quomodo dicitur hic regnare in his verbis, *Factum eſt regnum huius mundi*, &c. nobis eſt diſquirendum.

Factum eſt Regnum huius mundi Domini noſtri & Chriſti eius, & regnabit in ſecula ſeculorum.

Cum Monarchia viſibilis Eccleſiæ poſt Anti-Chriſti mortem ſuam obtinebit perfectionem, tunc fiet Regnum huius mundi regnum Domini noſtri & Chriſti eius.

ANNOTAT. XX.

DEVM Optimum Maximum & Chriſtum eius Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum quatuor modis regnum poſſidere, dicere & aſſerere poſſumus. Primum eorum regnum, ſeu primus regnandi modus eſt ratione ſummi imperij, ſeu ſupremæ dominationis, quam habent in vniuerſas res creatas: nam ratione intrinſecæ dependentiæ in eſſe & operari, quam habent cunctæ creaturæ à Dei concurſu & influxu, & quia in poteſtate Dei eſt eiſdem creaturis vti ad libitum, Deus regnare dicitur abſolutè & ſimpliciter ſupra omnia quæ ſunt in cælo & in terra & in omnibus abyſſis. De hoc regno loquebatur Dauid Pſ. 88. *Tui ſunt cæli & tua eſt terra, orbem terræ & plenitudinem eius tu fundaſti: aquilonem & mare tu creaſti*; & Pſ. 23. *Domini eſt terra & plenitudo eius, orbis terrarum & vniuerſi qui habitant in eo.* Quàm abſolutè autem dominetur, & quàm independens ſit ab omnibus, ſiue ſuo ſummo regnandi iure vti valeat, exponit Sapiens, Sap. 12. *Quis enim dicet tibi: quid feciſti? aut quis ſtabit contra iudicium tuum? aut quis in conſpectu tuo veniet, vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit ſi perierint nationes quas tu feciſti? Non enim eſt alius Deus quàm tu, cui cura eſt de omnibus, vt oſtendas quoniam non iniuſtè iudicas iudicium, neque rex neque tyrannus in conſpectu tuo inquirent de his quos perdidiſti. Cum ergo ſis iuſtus, iuſtè omnia diſponis. Ipſum quoque qui non debet puniri condemnare, exterum eſtimas à tua virtute: virtus enim tua iuſtitiæ initium eſt: & ob quod omnium Dominus es, omnibus parcere facis: virtutem enim oſtendis tu qui non crederis eſſe in virtute conſummatus, & horum qui te neſciunt audaciam traducis. Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia diſponis nos: ſubeſt enim tibi cum voluerit poſſe.* Ita Sapiens. Cum igitur & cœlum & terra, & homines, Dei ſint, ac pleno & ſummo iure de iiſdem ad libitum diſponere valeat, quis non videat abſolutam illius in omnia dominationem. Huius regni & dominationis particeps facta eſt Chriſti Saluatoris humanitas, per poteſtatem excellentiæ, eo inſtanti ipſi collata in quo concepta fuit & vnita diuinitati in vtero virginali: hoc enim illi competit tanquam hæredi vniuerſorum, ratione filiationis naturalis. Hinc Paulus de eo ait, ad Hebræos c. 1. *Nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula.* Et paulo poſt: *Ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis; ad filium autem: Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi, &c.*

Alia ratione regnare dicitur in cœlis, dum mentes beatorum, cum Angelorum tum hominum lumine gloriæ colluſtrat, ad cuius regni adeptionem abiiſſe dicitur (dum terram deſerens cœlum in aſcenſione conſcendit) ſub parabola hominis in regionem longinquam abeuntis, regnum ſibi accipiendi causâ. De hoc regno rurſus, Ioannis 18. dicebat Chriſtus: *Regnum meum non eſt de hoc mundo; ſi regnum meum eſſet de hoc mundo, milites vtique mei decertarent, vt non traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non eſt hinc.* Huius regni participationem poſtulabat latro fide imbutus, dum Chriſtum in cruce pendentem ipſe cruci ſuſpenſus ſic exorabat:

Digitized by Google

Memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum. Hoc regnum petimus quotidie, dum dicimus: *Adueniat regnum tuum. Bene autem*, inquit S. Cyprianus, *regnum Dei petimus, id eſt regnum cæleſte, quia eſt & terreſtre regnum: ſed qui renunciauit iam ſeculo maior eſt honoribus eius & regno: Et ideo qui ſe Deo & Chriſto dicat, non terrena ſed cæleſtia regna deſiderat: continua autem oratione, & prece opus eſt, ne excidamus à regno cæleſti, ſicut Iudæi quibus hoc prius promiſſum fuerat exciderunt, Domino manifeſtante & probante: Multi, inquit, venient ab oriente & occidente, & accumbent cum Abraham & Iſaac & Iacob in regno cælorum; filij autem regni expellentur in tenebras exteriores: illic erit ploratio & ſtridor dentium. Oſtendit quia ante filij regni Iudæi erant, quando & filij Dei eſſe perſeuerabant: poſtquam ceſſauit circa illos nomen paternum, ceſſauit & regnum. Et ideo Chriſtiani qui in oratione appellare patrem Deum cæpimus, nos vt & regnum Dei nobis veniat oramus.* Cypria. de orat. Dominica. Ad hoc denique regnum pertinebunt omnes, ad quos dicet Chriſtus: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum, quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi.*

Vt autem hoc fiat, oportet vt nunc etiam regnet in nobis per gratiam iuſtificantem, & charitatem, de qua regnandi ratione loquitur S. Paulus. Rom. 14. *Non eſt*, inquit, *regnum Dei eſca & potus, ſed iuſtitia & pax, & gaudium in Spiritu ſancto. Qui enim in hoc ſeruit Chriſto, placet Deo, & probatus eſt hominibus.* De hoc etiam regno dicitur, Luc. 17. *Ecce enim regnum Dei intra vos eſt*: à quo non longe abfuiſſe teſtatur Chriſtus ſcribam illum fatentem, *quia vnus eſt Deus, & non eſt alius præter eum, & vt diligatur ex toto corde & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine, & diligere proximum tanquam ſeipſum maius eſt omnibus holocauſtomatibus & ſacrificiis.* Ad quem Chriſtus videns quod ſapienter reſpondiſſet, dixit illi: *Non es longe à regno Dei.* Marc. 12. nempe ab illo regno interno, quo in nobis per fidem & charitatem regnat.

Denique alia ratione dicitur Deus regnare, nempe per Monarchiam viſibilem Eccleſiæ: quod quidem conſtat ex illo præclaro ordine Hierarchico, quem à Domino poſitum & ſtabilitum videmus in terris, vt promoueat regnum ſpiritale in animis noſtris, quo tandem digni habeamur regni cæleſtis; nam ſi Eccleſiæ Prælatis, & vniuerſali illius Paſtori dignam exhibeamus obedientiam, ea credendo quæ proponunt, & faciendo quæ iniungunt & præſcribunt, gratiâ Dei efficiemur digni, qua regnum cæleſte poſſimus adipiſci. De hac viſibili Monarchia dicebat Chriſtus Iudæis: *Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Matt. 21. Quibus verbis Chriſtus Dominis prædicit Iudæis tranſlationem ſacerdotij eorum ac regni in regnum ſacerdotale legis Euangelicæ, cuius fructus eſt vt per hoc regimen exteriùs fideles ad fidem & charitatem Dei perueniant, & totam ſpem ſuam in eo collocent, vt digni efficiantur adeptionis gloriæ regni cæleſtis. De hoc regno agit Iſaias c. 60. & inter alia dicit: *Gens enim, & regnum quod non ſeruierit tibi, peribit.* Et poſtea: *Et vocabunt te ciuitatem Domini Sion, ſancti Iſrael, pro eo quod fuiſti derelicta & odio habita, & non erat qui per te tranſiret; ponam te in ſuperbiam ſeculorum, gaudium in generationem. Suges lac gentium, & mammilla Regum lactaberis, & ſcies quia ego Dominus ſaluans te, & redemptor tuus fortis Iacob.* Huius regni ſcopus eſt vt publico ritu Deus colatur, oratione, ſacrificio, pſalmis, & hymnis, & canticis, laudetur & glorificetur ab omnibus, aliiſque piis cæremoniis, Sacramentis, ac bonis operibus, quàm magnus & quàm laudabilis auctorque totius ſanctitatis à nobis habeatur teſtemus.

Hanc quadruplicem regnandi rationem in Deo agnoſcit S. Auguſt. primum apud Proſperum lib. ſent. Sententia 181. *Cum Saluator dicit vnum paſſerem non cadere in terram ſine voluntate Dei, & quod fœnum agri quod poſt paululum mittendum eſt in clibanum ipſe ſamen formet ac veſtiat, nonne confirmat non ſolùm iſtam mundi partem rebus mortalibus & corruptibilibus deputatam, verùm etiam vilißimas abiectißimaſque particulas diuina prouidentia regi, ne fortuitis perturbari motibus ea, quorum cauſas comprehendere non poſſumus, aſtimemus.* Ita apud Proſp. Aug. Quod quanta facilitate, præſtet Deus habetur Serm. 13. tom. 10. *Gubernat*, inquit, *quod fecit: ergo non ceſſat: ſed quanta facilitate gubernat? Nolite enim putare, fratres, quia non laborabat cum conderet & laborat quia regit: quomodo in naui laborant, qui fabricant nauem, laborant qui gubernant: homines enim ſunt: ille enim quanta facilitate dixit & facta ſunt, tanta facilitate & iudicio per Verbum gubernat omnia.* Ita Auguſt. Et lib. 83. quæſt. q. 82. Optimam ſanè adducit rationem, cur Deum curare res humanas dicere debeamus. *Dicendum*, inquit, *nullam fuiſſe futuram iuſtitiam in hominibus, ſi res humanas non curat Deus, quia omnis iſta hominum iuſtitia, quam & tenere animus humanus rectè faciendo poteſt, & peccando amittere, non imprimeretur animæ niſi eſſet aliqua incommutabilis iuſtitia, qua integra inueniretur à iuſtis, cum ad eam conuerterentur; integra relinqueretur à peccantibus, cum ab eius lumine auerterentur: qua iuſtitia incommutabilis vtique Dei eſt: nec eam porrigeret ad illuſtrandos ad ſe conuerſos, ſi res humanas non curaret.* Ita Aug. Cum igitur res humanas curet, de minimis etiam habeat curam, omnia regat, & gubernet cum facilitate, benè dixit S. Cyprian. ad Demetrianum dicentem mala ex Deorum falſorum neglecto cultu prouenire: *Cum ipſe ſit mundi Dominus & rector, & cuncta arbitrio eius & nutu gerantur: nec quicquam fieri poſſit, niſi quod aut fecerit, aut fieri ipſe permiſerit: vtique quando ea fiunt, quæ iram Dei indignantis oſtendunt, non propter nos fiunt à quibus Deus colitur, ſed delictis & meritis veſtris irrogantur, à quibus Deus omninò nec quæritur nec timetur.* Ita Cyp.

Regnum autem gratiæ & regnum gloriæ agnoſcit Auguſt. l. 83. quæſt. q. 69. hæc verba exponens: *Cum autem ei omnia ſubiecta fuerint, tunc & ipſe filius ſubiectus erit ei qui illi ſubiecit omnia. Nunc*, inquit, *enim per hoc regnat in credentibus, quo ſeipſum exinaniuit formam ſerui accipiens; tunc autem tradet regnum Deo & Patri, cum euacuauerit omnem principatum & poteſtatem, & virtutem. Vnde euacuauit, niſi humilitate & patientia & infirmitate? Quis enim principatus non euacuetur, cum filius hominis propterea regnat in credentibus, quia ita ſubiectus eſt poteſtatibus, vt diceret homini: Non haberes in me poteſtatem, niſi data tibi eſſet de ſuper? Quæ virtus non euacuetur, cum ipſe per quem cæli ſolidati ſunt ideo regnat in credentibus, quia vſque ad crucem infirmatus eſt? Hoc autem modo filius regnat propriè in fide credentium. Non enim Pater dici aut credi poteſt vel incarnatus, vel indicatus, vel crucifixus; per ſpeciem autem, qua æqualis eſt Patri, cum patre regnat in contemplantibus veritatem. Quod autem tradet regnum Deo & patri, à fide incarnationis ſuæ ad ſpeciem deitatis perducens eos qui ſibi nunc credunt, non ipſe amittit, ſed vterque ſe vnum ad fruendum contemplantibus præbet.* Ita Aug. Ecce igitur duplex regnum, vnum per fidem in hoc mundo, alterum per contemplationem ſummæ veritatis in patria cæleſti, quando à fide incarnationis perducemur ad ſpeciem deitatis; Regnum inſuper gratiæ agnouit, dum lib. vno de Serm. Domini in monte, de pacificis agens ait: *In pace perfectio eſt, vbi nihil repugnat: & ideo filij Dei pacifici, quoniam nihil in iſtis reſiſtit Deo, & vtique filij ſimilitudinem Patris habere debent. Pacifici autem in ſemetipſis ſunt, qui omnes*

Digitized by Google

animi ſui motus componentes, & ſubjicientes rationi, id eſt menti, & ſpiritui, carnaleſque concupiſcentias habentes domitas, fiunt regnum Dei, in quo ita ſunt ordinata omnia, vt id quod eſt in homine præcipuum & excellens, hoc imperet, cæteris non reluctantibus, quæ ſunt nobis beſtiisque communia; atque ideò ipſum quod excellit in homine, id eſt mens & ratio, ſubjiciatur potiori, quod eſt ipſa Veritas, vnigenitus filius Dei. Neque enim imperare inferioribus poteſt, niſi ſuperior ſeipſe ſubjiciat. Et hæc eſt pax quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis: hæc vita perfecti conſummatique ſapientis, &c. Per iſtud regnum pacatiſſimum & ordinatiſſimum perducimur ad regnum æternitatis firmitate ſecurum, dicente Auguſt. lib. 10. de ciuit. cap. 32. de religione Chriſtiana: *In qua ſola, hæc pax reperiri poteſt, hæc eſt quodammodo regalis via, quæ vna ducit ad regnum, non temporali faſtigio nutabundum, ſed æternitatis firmitate ſecurum.* Ita Aug. Hæc eſt ſecundum eumdem l. 17. de ciuit. c. 12. *domus Dei, vbi habitet in æternum populus, cum Deo, & in Deo ſuo, & Deus cum populo atque in populo ſuo. Itaut Deus ſit implens populum ſuum, & populus plenus Deo ſuo, cum Deus erit omnia in omnibus, ipſe in pace præmium, qui virtus in bello.* Ita Aug.

Agnoſcit denique ipſemet Auguſtinus Regnum Dei in Eccleſia militante l. 20. ciuit. cap. 9. in quo pluribus locis ſcripturæ oſtendit regnum cælorum dici & præſentis temporis Eccleſiam, in qua Chriſtus regnat cum ſanctis; & locum Apocalypſ. c. 20. (*Et vidi ſedes, & ſederunt ſuper eas*) exponit de iudicio, quod nunc exercent Prælati in Eccleſia, quibus à Chriſto datum eſt iudicium ligandi atque ſoluendi. *Non hoc*, inquit, *putandum eſt de vltimo iudicij die, ſed ſedes præpoſitorum, & ipſi præpoſiti intelligendi ſunt, per quos Eccleſia nunc gubernatur. Iudicium autem datum nullum melius accipiendum videtur, quàm id quod dictum eſt: Quæ ligaueritis in terra, ligata erunt in cælo, &c.* Hæc volui in medium proferre, ne abſque auctoritate quadruplicem Dei Optimi Max. regna, di rationem afferre viderer. Nunc de quanam regnandi ratione potiſſimùm ſeu primatiò debeat intelligi hic locus, diſquirendum.

Notandum autem hæc quatuor regna in quibuſdam differre, itaut quædam de vno dicuntur quæ de alio dici nequeunt, licèt in hoc vnum conſpirent, quod vnum & eumdem agnoſcunt principem, & Monarcham, cuius ſapientia gubernantur, cuius prouidentia reguntur & ad finem diriguntur. Differunt igitur primò ratione loci & extenſionis, finium quoque ſeu terminorum. Secundò ratione ſubditorum, qui ad vnumquodque ex his regnis pertinent. Tertiò, ratione finis immediati ſeu proximi ad quem ordinentur. Primi regni amplitudo maxima eſt: nec enim aliis concluditur finibus quàm totius orbis. Cœlos comprehendit, terram complectitur, abyſſos penetrat, ac ſubditi illius Monarchiæ ſunt innumeri. Adeam ſiquidem pertinent cunctæ creaturæ, tum ſpirituales, tum corporeæ, intellectuales & ſenſitiuæ, animatæ & inanimatæ, mali ac boni: & finis omnium vnus & idem eſt, nempe gloria auctoris (diuerſimodè attingenda, pro diuerſitate naturarum) qui omnia propter ſemetipſum operari dignatus eſt, *impium quoque ad diem malum*, & qui propter altitudinem ſuam multiplicauit filios hominum, vt ait propheta.

Secunda Monarchia, cœli Empyrei ambitu videtur contineri, in quo princeps ſeu Monarcha ſuam ſedem regiam collocaſſe videtur, in eoque præcipue habitare dicitur cum ſubditis talis regni. Ibi enim illos ad participationem vocat omnium bonorum ſuorum, dicente ipſo: *oſtendam omne bonum tibi.* Soli Angeli Beati, & homines ſancti ad illud regnum admittuntur: *Foris canes, & venefici, & qui amant & faciunt mendacium.* Finis proximus iſtius Monarchiæ eſt communicatio perfectiſſima diuinæ bonitatis erga creaturas intellectuales beatitudinis capaces, itaut ſicut in prima Monarchia animaduerti poſſunt omnes modi ſeu rationes, ſub quibus manifeſtari poſſunt diuinæ perfectiones, in hac ſecunda Monarchia conſideratur manifeſtatio dilectionis diuinæ erga electos ſeu prædeſtinatos.

Monarchia tertia in Eccleſia militante & patiente in purgatorio limitatur, quocumque tandem reperiantur illius ſubditi; non Angelos comprehendit, ſed homines in gratia exiſtentes, quique ſecundum præſentem iuſtitiam ius habeant ad gloriam, ſiue ab eo iure aliquando excidant, ſiue illud recuperent, ſiue tandem in eo perſeuerent, itaut mercedem regni cæleſtis conſequantur. Sufficit enim vt quis ad iſtud regnum pertineat, quod actu quis exiſtat in gratia. Finis huius Monarchiæ eſt hominum ſanctificatio, & diuinæ miſericordiæ exaltatio, qua plurimum conditioni humanæ compatitur.

Quarta Monarchia, tantùm in terra extenditur, in omnibus locis ac mundi regionibus in quibus militans Eccleſia ramos & palmites extendit. Illius Monarchiæ ſubditi ſunt cuncti fideles baptizati, boni & mali, ſiue in gratia Dei actu exiſtant, ſiue ab ea exciderint, modò exteriùs cum Eccleſia connectantur, ab eorum iuriſdictione dependentes, vt regantur & dirigantur, vel corrigantur. Finis proximus huius Monarchiæ eſt vt Dei notitia promoueatur, media ſalutis exhibeantur cunctis, & fiat publica profeſſio Deum colendi ritu debito, veluti naturæ auctorem, gratiæ largitorem, & glorificatorem eorum qui in eum ſperant, eius mandata obſeruant, ea exequendo fidelitèr quæ præſcripſit facienda, vt ſibi præſtetur obſequium.

His notatis, quærimus de qua regnandi ratione, ſeu de quo regno intelligendus ſit hic locus: *Factum eſt regnum huius mundi, &c.*

Perſpicuum eſt, inquit Alcæzar, *per mundi regnum denotari regnum vniuerſale; ſicut & dicere duraturum fore in ſæcula ſæculorum, indicat ipſius perpetuitatem: quaſi dicatur Chriſtiana Eccleſia eſſe Catholica & permanens, hoc eſt vniuerſas nationes complectens, & in æternum permanſura.* Ita Alcazar. Eſto, hoc ita ſit, vt per mundi regnum denotetur regnum vniuerſale, non tamen ab inchoatione tanti operis dici poteſt hoc iam factum eſſe. Puer ille, de quo dicetur infra c. 12. *Et peperit filium maſculum*, ſtatim atque natus eſt non dicitur regere omnes gentes, ſed recturum eſſe, oſtendens eminentem illius poteſtatem in exercitio & actu non eſſe ſpectandam ſtatim ab initio, & ab incunabulis primitiuæ Eccleſiæ parietis, ſed in fine & conſummatione tanti operis, cum pater æternus promiſſum in omnes gentes regnum filio ſuo dabit & elargietur: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Pſal. 2. Non igitur hic locus intelligi debet de eo ſtatu Eccleſiæ, in quo tantùm inchoatiuè exordium habuit Chriſti regnum in gentes, per tranſmigrationem Euangelij à Iudæis obſtinatis, ad gentes & diuerſas nationes; nec factum eſſet regnum huius mundi Domini noſtri & Chriſti, ſi cæteris nationibus Deum & Chriſtum eius colentibus, Iudæi adhuc in cæcitate & obdurationem permanerent. Ideo hunc locum intelligi debere exiſtimo de eo ſtatu Eccleſiæ, in quo & cunctæ nationes, & ipſe Iudaicus populus Chriſto colla ſubmittent, vt mox dicemus; non de primæuo Eccleſiæ ſtatu, vt cenſet Alcazar. Melius igitur Dionyſius Carthuſianus: *Factum eſt regnum huius mundi, id eſt multitudo hominum (in quibus tempore Anti-Chriſti regnauit diabolus, & erant filij huius mundi) nunc Anti-Chriſto oppreſſo cum multis ſuorum, ad Deum*

Digitized by Google

patrem, & Ieſum Chriſtum ab eo ſecundum naturam aſſumptam ſpiritaliter vnctum, converſa eſt, pertinetque ad Patrem & Filium; nec dubium quin æque ad Spiritum ſanctum. Et regnabit in eis Deus & Chriſtus eius in ſecula ſeculorum. Tunc enim totus penè mundus ad Chriſtum converteretur ſecundum Doctores: vnde Angelus loquitur Danieli: Regnum autem & poteſtas, quod eſt ſubter omne cœlum, tradetur populo ſanctorum, qui & obtinebunt illud vſque in ſecula ſeculorum. Ita Dionyſ.

Et reuera tria videntur requiri potiſſimùm, vt Chriſti regnum factum eſſe, id eſt perfectionem ſuam obtinere dicatur. Primum eſt vt omnes complectatur nationes, & cunctos orbis fines actu contineat. Hoc patet ex promiſſionibus Propheticis. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Pſ. 2. & Pſ. 71. *Et dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent. Reges Tharſis & inſulæ munera offerent. Reges Arabum & Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes ſeruient ei.* Quem locum expendens doctiſſ. Genebrardus, *Euphratem*, inquit, *intelligunt quouſque pertinebat regnum Dauidis & Salomonis. Hunc iam fluuium tranabit gloria & poteſtas Chriſti, vt ei ſubiiciatur orbis terrarum, ab oceano orientis ad oceanum occidentis, ab Indico ad Gaditanum, ab vno mari ad alterum oppoſitum. Demonſtratur vniuerſale Dominium Chriſti hominis ſuper omnem terram, intra terminos iſtos contentam, vt proinde magna inſula à veteribus Geographis appelletur.* Ita Genebrad. Qui per Tharſim in genere mare intelligit vel Indiam, & Ciliciam per inſulas, ſiue quæ ſunt in oceano Indico, & Eoo auriferas præter Peruanas, & Americanas. Deinde addit Genebrard. *Hoc ita propriè conuenit Chriſto, vt neque Salomoni, neque alij cuiquam vlla ratione congruere poſſit.* Ita Genebrard. Futurum autem eſſe, vt reuera omnis terra maieſtatem eius agnoſcat, prædicit Propheta, dum in fine Pſalmi ait: *Et benedictum nomen maieſtatis eius in æternum, & replebitur maieſtate eius omnis terra. Fiat: fiat.*

Secundum quod requiritur ad regni huius perfectionem, eſt vt ſit pacatiſſimum, nulluſq; reperiatur hoſtis qui audeat tantæ poteſtati ſeſe aliqua ratione opponere, omni ceſſata perſecutione, & contradictione, iuxta illud: *Lauda Hieruſalem Dominum: lauda Deum tuum Sion. Quoniam confortauit ſeras portarum tuarum: benedixit filiis tuis in te: qui poſuit fines tuos pacem. Ne eos*, inquit Genebrard. *quiſquam infeſtet, pace munuit, pacatos reddidit, ab hoſtium incurſibus victorias tribuens, vel vndique bella arcens.* Ita Genebrard. In cuius rei figura Regnum Salomonis fuit ſummè pacificum. *Habitabat Iuda & Iſraël abſque timore vllo, vnuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua, à Dan vſque Berſabea, cunctis diebus Salomonis* 3. Regum 4. & cap. 5. miſit Salomonem ad Hiram dicens: *Tu ſcis voluntatem Dauid Patris mei, & quia non potuerit ædificare domum nomini Domini Dei ſui propter bella imminentia per circuitum, donec daret Dominus eos ſub veſtigio pedum eius: nunc autem requiem dedit Dominus Deus mihi per circuitum, & non eſt Satan neque occurſus malus; quamobrem cogito ædificare templum, &c.* Aliquando igitur Eccleſia debebit eſſe pacifica etiam in terra, cum regnum Salomonis regni Chriſti etiam in Eccleſia adhuc militante regnantis figura fuerit.

Tertium quod requiritur ad regni Chriſti in terris perfectionem eſt, vt intrata plenitudine gentium omnis Iſraël tandem ſaluus fiat: quod agnouit S. Hilarius l. 11. de Trinitate dum ait: *Euacuatis itaque magiſtratibus & poteſtatibus, ſubjicientur ei ſub pedibus eius inimici eius; & quos inimicos intelligi oporteat idem Apoſtolus docuit dicens: ſecundum Euangelium quidem inimici propter vos, ſecundum dilectionem autem dilecti propter patres. Hos ergo inimicos crucis Chriſti meminerimus, ſed quia dilecti propter patres ſunt, ſcimus eos ſubiectioni reſeruatos, ſecundum quod dictum eſt: Nolo enim vos ignorare, fratres, Sacramentum hoc, vt non ſitis vobis ſapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Iſraël donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſraël ſaluus fieret. Inimici ergo ſubjicientur ſub pedibus eius, ſed ſubiectionem illam quid conſequatur intelligendum eſt, nempe illud: Nouiſſima deuicta eſt ab eo mors. Deuictio autem mortis nihil aliud eſt quàm reſurrectio ex mortui; cum interitus corruptione, vitæ iam cæleſtiſque naturæ conſtituetur æternitas.* Ita Hilarius. Tunc adimplebitur Prophetia Ezechielis cap. 37. *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego aſſumam filios Iſraël de medio nationum ad quas abierunt, & congregabo eos vndique: & adducam eos ad humum ſuam: & faciam eos in gentem vnam in terra, in montibus Iſraël: & rex vnus erit omnibus imperans: & non erunt vltra duæ gentes, nec diuidentur amplius in duo regna, neque polluentur vltra in idolis ſuis & abominationibus ſuis. Et ſaluos eos faciam de vniuerſis ſedibus, in quibus peccauerunt, & emendabo eos: & erunt mihi populus, & ego ero eis Deus: & ſeruus meus Dauid rex ſuper eos, & Paſtor vnus erit omnium eorum*, &c. Et certè non malè quis dixerit, in huius vnionis figuram, catenam qua S. Petrus ab Herode vinctus fuerat Ieroſolymis (ab Eudoxia Theodoſij iunioris vxore allatam, & ſummo Pontifici per Eudoxiam filiam tunc Romæ commorantem, delatam) cum ea qua ſub Nerone idem Apoſtolus conſtrictus fuerat miro modo connexam fuiſſe, ſtatim atque Pontifex eam cum illa quæ à Ieroſolyma allata fuerat contulit, itaut non duæ ſed vna catena ab eodem artifice confecta eſſe videretur: vt mens ſpectantium, & eamdem hiſtoriam legentium erigeretur ad contemplationem futuræ illius vnionis populi Iudaici cum aliis gentibus, qui ſub vno Paſtore iiſdem catenis, id eſt iiſdem legibus conſtringuntur & coadunantur.

At quis non videt hæc commode dici non poſſe perfici ante Anti-Chriſti perſecutionem? Non enim ante eius mortem Chriſtus Dominus per Eccleſiam Regibus cunctis pervniuerſum orbem actu dominabitur: ſemper erit inter reges & principes aliquis qui eius dominationem ſpernat & detrectet; imo ab eius imperio, & Eccleſiæ dominatione fiet vniuerſalis quædam diſceſſio ante Anti-Chriſtum; nec pax illa vera ante illius aduentum eſſe poterit, imo conſurget gens aduerſus gentem, & regnum aduerſus regnum: audituri enim ſumus prælia & opiniones præliorum: nec pax eſt expectanda, vbi continuus debet eſſe cum mundo conflictus. *Si mundus*, inquiebat Chriſtus, *vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret. Quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Ioan. 15. Denique certum eſt Iudæos ad fidem eſſe conuertendos tantùm poſt mortem Anti-Chriſti; igitur Chriſti regnum viſibile in terris ſuam perfectionem non obtinebit, niſi poſt mortem illius: & tunc verè per vniuerſas orbis partes extendetur Chriſti imperium, & omnes terræ reges ac imperatores fient Regnum Chriſti; & qui regnabant pro fine mundano, ſuamque omnem auctoritatem ad temporale commodum, ad terrenum honorem adipiſcendum tantum ordinabant, iſta omnia ad Chriſti Domini & Dei obſequia promouendum deſtinabunt: nullus erit Satan, nullus occurſus malus, nullū ſchiſma, nulla diuiſio, Iudæis in ſinu & gremio Eccleſiæ ſecundum prædictiones ſuſceptis. Fauet S. Thomas, in hunc locum. *Factum eſt Regnum, id eſt dominatio & imperium huius mundi; factum eſt, inquam, Dei noſtri, ſcilicet Patris, qui Deus inferorum dicitur, per deuo-*

tam dilectionem & humilem ſubiectionem ; Et Chriſti eius, id eſt filij qui eſt Chriſtus Patris, quia Chriſtus inquantum homo, nihil habet vel habuit, niſi quod Patris eſt: quia diabolus nihil habet in eo, ſed Pater. Ioan. 14. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam: Vel Chriſtus eius dicitur, id eſt vnctus ab eo, in quantum homo. Pſ. Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ: quaſi dicat: iam manifeſtatur id dilectione Anti-Chriſti, & ſuorum, & exultatione electorum, quod ad patrem & filium pertinet dominatio vniuerſalis omnium. Ex hoc enim quod iuſti poſt mortem Anti-Chriſti videbunt Deum deiecciſſe impios, qui ante perſequebantur Eccleſiam, quia interficiendo Anti-Chriſtum, manifeſtabitur eos vanè in eum ſperaſſe, videbunt etiam Deum ſuos de perſecutione impiorum liberaſſe, & pacem reddidiſſe. Iam in parte oſtenſum erit quod vniuerſalis dominatio ad ipſum pertinet. Rurſus quia ſperabunt iudicium in breui futurum, recte dicunt: Factum eſt regnum &c. Hac autem dominatio vniuerſalis ſemper durabit: Vnde ſequitur: Et regnabit, ſcilicet pater & filius, in ſecula ſeculorum hoc eſt in æternum. Amen, id eſt vere fiet quod dictum eſt; vel amen, hoc eſt, ita fiat. Ita S. Thomas.

Quin etiam Rupertus pro nobis eſſe videtur l. 6. in Apocalypſ. de Chriſto hunc v. Pſ. 8. (*Gloria & honore coronaſti eum*) exponens. *Iam*, inquit, *quidem regnat Dominus & Chriſtus eius, & præſens quoque Eccleſia regnum eius dicitur, & eſt: ſed ſunt adhuc multa in regno eius ſcandala, quæ canente nouiſſima tuba colligentur: quod cum factum fuerit, tunc demum pleno ore cantabitur: Factum eſt regnum huius mundi Domini noſtri & Chriſti eius: quia vinctis in carcere inferni cunctis hoſtibus, pacatum regnum, & in pace regnabunt in ſecula ſeculorum.* Ita Rup.

Ex his intelligimus quid voluerit Apoſtolus 1. ad Corinth. 15. *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & Patri, cum euacuauerit omnem principatum, & omnem poteſtatem & virtutem: oportet enim illum regnare donec ponat omnes inimicos ſuos ſub pedibus ſuis.* Quaſi diceret: Erit Deus omnia in omnibus. Ipſe enim eſt finis & conſummatio omnium. *Poſtquam tradiderit regnum Deo & Patri*, id eſt, vt interpretatur S. Auguſt. l. 83. 99. q. 69. *cum patrem regnare monſtrauerit, vt per ſpeciem, manifeſtationemque clareſcat quod nunc à fidelibus creditur, & ab infidelibus non putatur. Sic enim*, vt antea docet, *plarumque ſcriptura loquitur, vt quod ſemper eſt, tunc fieri dicatur in aliquo, cum in eo cognoſci ceperit.* Ita Aug. Hæc autem manifeſtatio non continget, niſi cum euacuauerit omnem principatum, &c. 1. *manifeſtando vtique regnum Patris, vt omnibus rerum ſit nullum principium & poteſtatum, ſiue cæleſtium ſiue terreſtrium per ſe habuiſſe aliquid principatus & poteſtatis; ſed ab illo ex quo ſunt omnia, non ſolum vt ſint, verum etiam vt ordinata ſint. In illa enim manifeſtatione nulli ſpes aliqua remanebit in quoquam principe aut in quoquam homine: quod etiam nunc Propheticè canitur: Bonum eſt ſperare in Domino, quàm ſperare in homine. Bonum eſt ſperare in Domino, quam ſperare in principibus: vt iſta meditatione anima iam in regnum Patris aſſurgat, nec cuiuſquam poteſtatem præter illam magnificiens, nec ſua ſibi ipſi pernicioſiſſimè blandiens.* Ita Aug. Secundò præter illam fidei reuelationem, per experientiam perſpicient omnes, omnem principatum & poteſtatem, & virtutem, Dei dominationi, poteſtati ac virtuti eſſe inferiorem, cum Anti-Chriſtum interficiet ſpiritu oris ſui, cum terræ motu inimicos ſub pedibus ſuis conteret, cum illos igni cæleſti tradet deuorandos: itaut & inimici eius fateri cogantur ipſum regnare, nullamque eſſe poteſtatem, quæ illi reſiſtere valeat. *Oportet* quippe *illum regnare*, id eſt tãquam aduerſus hoſtem exercitum ducere & belligerare, *donec ponat omnes inimicos ſuos ſub pedibus ſuis*, itaut planc proſtratis & contritis nullus rebellare poſſit, aut in aliquo Eccleſiæ pacem & tranquillitatem perturbare. Et hac ratione adimplebitur prophetia Danielis c. 7. *Et iudicium ſedebit, vt auferatur potentia, & conteratur, & diſpereat vſque in finem; Regnum autem & poteſtas & magnitudo regni, quæ eſt ſubter omne cælum, detur populo ſanctorum altiſſimi, cuius regnum, regnum ſempiternum eſt, & omnes reges ſeruient ei & obedient. Huc vſque finis verbi.* Ita Daniel. Ac ſi dicat: Nihil reſtat reuelandum aliud de his quæ euentura ſunt. Hoc enim eſt finis totius regiminis Eccleſiæ, vt Chriſtus ab omnibus colatur. Quid, quæſo, clariùs dici poteſt, vt qualis ſit rerum ſtatus poſt Anti-Chriſtum videamus? Nec enim de regno cæleſti poteſt hic locus interpretari, in quo illa magnitudo regni, quæ eſt ſubter omne cœlum, non datur populo ſanctorum, ſed altior & eminentior magnitudo, à longe omne terrenam, quæ ſub cœlo eſt, poteſtatem excedens: ſed cum dicitur magnitudinem regni, quæ eſt ſubter omne cœlum, dari populo ſanctorum, idem eſt ac dicere factum eſſe regnum huius mundi Domini noſtri, & Chriſti eius, cum quæcumque poteſtates quæ ſub cœlo ſunt, Chriſto tandem obſequentur & inſeruient. Mecum ſentire reperiri Cornel. à Lap. cum in Danielis c. 8. apud eum lego: *Porro hoc regnum inchoabit Chriſtus & ſancti in terra, mox poſt necem Anti-Chriſti; tunc enim Anti-Chriſti regno euerſo, Eccleſia vbique terrarum regnabit, & fiet tam ex Iudæis, quàm ex gentibus vnum vnile & vnus Paſtor. Et hoc innuitur hic cum ait, non (quæ eſt ſuper) ſed, quæ eſt ſubter omne cœlum, id eſt, quæ eſt in omni terra, ſiue in omni plaga cælo ſubiecta. Deinde paulo poſt: Hoc regnum confirmabitur & glorificabitur in cœlis, per omnem æternitatem.* Ita Cornelius. Vnde additur à S. Ioanne: *Et regnabit in ſæcula ſeculorum. Amen.*

Pro corollario accipe quæ addit S. Thomas ad duas quæſtiones reſpondens, nempe cur dicatur: *Factum eſt regnum, &c.* cum Deus ab initio mundi regnauerit? *Item cur non fit mentio de Spiritu ſancto? Reſpondeo ad primum quod Deus ſecundum rem Dominus fuit & Rex vniuerſorum ab initio mundi: Veruntamen quando impij dominari videbantur, impediendo eius cultum, & perſequendo cultores, non manifeſtabatur plenè plena dominatio Dei, ſicut manifeſtabitur poſt deſtructionem Anti-Chriſti, quando etiam expectabitur maior manifeſtatio in breui per iudicium futura, loquitur ergo quantum ad manifeſtationem. Ad aliud dicendum quod ea quæ dicuntur de Patre & Filio, quantum ad regnum dominationis, æquè conueniunt Spiritui ſancto: vnde etiam de ipſo ſunt æqualiter intelligenda. Vbicumque enim nominatur vna perſona, in his quæ ſunt eſſentialia, non perſonalia, vel vocationalia, intelliguntur alia perſona, ſicut dicit Aug. quia eſt vna trium eſſentia, virtus, & dominatio & maieſtas. In patre ergo & filio intelligitur Spiritus ſanctus, ſicut nexus & vnitas, & caritas amborum. Specialiter autem hic exprimitur Pater, quia ei appropriatur potentia: dominatio autem potentiam dicit: item exprimitur Filius & non Spiritus ſanctus, quia filius in paſſione viſibiliter in carne ſua fuit tractatus, & tempore Anti-Chriſti ſpecialiter eius nomen & dominationem perimere intendebant, impij: & ideo dominatio hic exprimitur ipſius.* Et de his ſatis.

Et viginti quatuor

Et 24. seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, & adorauerunt Deum dicentes: Gratias agimus tibi, Domine Deus noster, omnipotens, qui es, & qui eras, & qui venturus es: quia accepisti virtutem tuam magnam, & regnasti.

Post Anti-Christi mortem magna erit libertas Pastoribus Ecclesiæ suæ fungendi officio.

ANNOTAT. XXI.

SEX reperio adorationes viginti quatuor seniorum in hac reuelatione, quarum integram enodationem & explicationem remittimus in cap. 19. in quo vltima reperitur. Ne tamen aliquid intactum relinquamus, expositionem S. Thomæ ad nostrum propositum valde accommodam accipe. *Et viginti quatuor seniores. Per hoc*, inquit, *intelliguntur Patres & rectores aliorum, qui auctoritate officij, maturitate vitæ, & doctrina sapientiæ alios regunt.* Et paulò post reficiens Glossam, quæ ad Patres veteris testamenti etiam designandos, hanc visionem seniorum extendit, addit: *Tamen hîc videtur, propter illa quæ sequuntur, intelligi tantùm de patribus noui Testamenti, qui tunc erant in carne mortali, qui per hunc numerum signantur: duodenario enim, qui est numerus abundans, signatur perfectio, siue perfectio in Pastoribus, quæ duplex est, scilicet vitæ, quantum ad actus supererogationis, item Pastoralis curæ in diligentia perfecti reginiinis: vnde rectè duplicatur numerus, vt dicantur viginti quatuor scilicet propter perfectionem vitæ, & Pastoralis curæ: qui in conspectu Dei, id est considerantes quod placet Deo. In conspectu enim Dei stat, qui eius voluntatem considerat, promptus ad implendum, attendendo Deum vbique præsentem. Haymo*: *in conspectu Dei sedent, qui in cunctis quæ agunt Deum sibi præsentem attendunt. Sedent, id est præsident, vel iudicant: quia sedere quandoque importat auctoritatem & iudicium. Matt. 19. Sedebitis & vos super sedes. In sedibus suis, id est in officiis seu gradibus dignitatum: dignitas enim seu Pastorale officium, quasi sedes est eius qui præsidet: quia sedes quandoque dignitatem significat, sicut de Deo dicitur in Ps. Sedes tua Deus in seculum seculi. Vel in sedibus suis, id est in suis subditis, in quibus sicut in sedibus sedent, quando eis rectè præsident, & eos iudicant, id est disponunt & regunt conuenienter, &c.* Et post pauca: *Ceciderunt. j. cadent in facies suas j. intus in corda sua, quasi dicat: Boni pastores humiliabunt se in conspectu Dei, hoc est enim cadere in faciem. j. ipsum cor, quod dicitur facies, quia sicut homo per faciem cognoscitur, sic per voluntatem cognoscitur cor virum sit homo de omnibus Dei, &c. Et adorauerunt Deum, cui debetur soli adoratio latriæ, &c. dicentes: Gratias agimus tibi, &c. quia nos, aliis cadentibus, seruasti: quia inimicos fidei confudisti, & tuos exaltasti, & pacem eis dedisti. Erunt enim in magna quiete post mortem Anti-Christi, &c. Deum autem laudant, non solum per gratiarum actionem pro beneficiis*, ait S. Tho. *sed etiam propter sublimitatem naturæ infinitatem potentiæ, vniuersalitatem præsidentiæ*: & propter iustitiam naturamque diuinitatis decet magnificari, propter immutabilitatem & æternitatem, dum dicunt. *Qui es, qui eras*, quando adhuc mundus non erat. Et qui venturus es, &c. *Quia accepisti virtutem tuam magnam. j.* inquit S. Tho. *manifestasti potestatem tuam in dissipando hostes fidei, qui prius fideles premebant: multum enim manifestabitur potestas Christi, quando interficiet impium Anti-Christum, & fidelibus dabit magnam tranquillitatem, qui prius valde pressi fuerint. Dicitur autem Deus accipere virtutem suam, quando eam manifestat: quasi enim eam deposuisse videtur, quando cultum suum impediri, & impios regnare permittit. Sapient. 12. Virtutem ostendis, &c. Magnam, quia incomparabilem. Ps. Domine Deus virtutum, quis similis tibi? Et regnasti. j. te regnare, hoc est dominari ostendisti, supra impios, qui ante persequebantur fideles; & supra iustos, quia per operationem diuinæ potentiæ manifestatur dominatio eius. 1. Paralipom. vlt. Tuum Domine regnum, tu es super omnes principes. Vel accepisti virtutem à Patre, secundum humanitatem scilicet resurgendo, quam nunc manifestasti, & per hoc regnasti. j. te regnare ostendisti.* Ita S. Thomas. Quæ proculdubio ea quæ dicimus & illustrant, & corroborant.

Et irata sunt gentes, & aduenit ira tua, & tempus mortuorum, iudicari & reddere mercedem seruis tuis Prophetis, & sanctis, & timentibus nomen tuum, pusillis & magnis: & exterminandi eos qui corruperunt terram.

Iudicium accelerabitur propter ingratitudinem hominum, & vt citius electi corporis glorificationem obtineant.

ANNOTAT. XXII.

RECTE Rupertus hæc verba exponens: *Et irata sunt gentes, & aduenit ira tua. Hic est ordo iustitiæ legitimus, vt nulli Deus irascatur, nisi illi qui prior fuerat iratus, intumescendo, resistendo, suumque reatum in similitudinem prænaricationis Adæ defendendo. Vbi quis irascitur, & resistit, & contra sortem vitur sua vi, quæ non potest portari. Hinc Psalm. cum dixisset: tu terribilis es, & quis resistet tibi? Continuò subiunxit: Ex tunc ira tua. Ac si dicat: Non ex quo quis peccat, sed ex quo peccatum suum defendendo, tuæque iustitiæ resistendo, multiplicat; ex tunc ira tua, cui non est qui resistere valeat. Sicut alibi scriptum est: Deus cuius iræ nemo resistere potest. Hic & particulariter in singulis hominibus, & vniuersaliter in omni genere humano, iudicij ordo seruatur.* Ita Rup. S. Thomas: *De Dominatione Christi dolebunt impij, videntes suum principem virilitèr interfectum, & eius dominatum quem sequebantur periisse. Vnde sequitur: Et irata sunt gentes j. gentibus vincentes, scilicet de tuo regno j. de tua dominatione, per quam suam amiserunt qua quasi regnabant sub Anti-Christo. Ps. Dominus regnauit, irascantur populi. Et aduenit ira tua. j. instat vindicta tua, quæ est signum iræ contra eos qui de tuo regno irati sunt. Ecclesiastic. 5. Subito veniet ira illius &c. Quia autem tunc quasi præsens reputabitur iudicium, quia instabit, ideo dicitur aduenit: iam præsens factum est. j. cito veniet. Hoc dictum est quantum ad malos specialiter: quantum verò ad omnes communiter, subditur; & tempus mortuorum, iudicari quia tunc erunt mortui tam boni quam mali, vel omnes, vel maior pars, antequam fiat iudicium. Tempus, inquam, scilicet opportunitas, vel tempus à te præordinatum aduenit, iudicari. j. vt iudicentur iudicio discretionis, scilicet vt separentur mali à bonis; & iudicio retributionis, vt quilibet iudicetur ad pœnam vel gloriam secundum merita. Vel iudicium alia literâ, id est vt iudices eos, scilicet omnes. Ps. Iudicabit orbem terræ in æquitate, &c. Et reddere: Hîc agitur distinctè quantum ad bonos; & aduenit tempus reddere. j. vt reddas mercedem, scilicet æternam & infinitam, & ineffabilem, de qua Matt. 5. Gaudete & exultate: quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Per hoc autem quod dicitur, reddere, nota meritum ex parte iustorum, & iustitiam retribuentem ex parte Dei. 2. Ad Timot. 4. in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, &c. Seruis tuis, id est eis qui tibi seruierunt.* Ita S. Tho. Seruierunt per annunciationem veritatis, siue rerum futurarum, siue faciendarum; secundò inuitatione bonitatis & sanctitatis, & sine acceptione personarum illam annunciantes; pusillis, quan-

tùm ad ea quæ ſunt mundi ; & magnis. j. qui in his quæ ſunt mundi videntur magni, vt in nobilitate, vel dignitate, vel diuitiis, Sapient. 6. *Pusillum etiam & magnum ipſe fecit , & æqualiter eſt illa cura de omnibus.*

Andreas Cæſar. *Per Prophetas autem & ſanctos , & Deum timentes , tres , vt opinor , hominum ordines aſſignat: Vnum eorum qui centeſimum fructum reddiderent; alterum qui ſexageſimum; tertium & poſtremum , qui trigeſimum. E quibus Apoſtoli potiorem , citra controuerſiam , ſortem adepti ſunt , & ſedes præterea iudiciarias. Puſillos autem & magnos , minus magiſque ſanctos appellare putamus : aut paruos certè reiectaneos peccatores vocat, magnos autem , iuſtos & ſanctos.* Ita And. Cæſ.

Et exterminandi eos. j. extra terminum ponendi , ſcilicet ejiciendo eos conſortio ſanctorum , vt in perpetuum gloria priuentur ; & vanitate mundanorum quæ dilexerunt: vt in æternum crucientur. Matt. 3. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum , excidetur , & in ignem mittetur. Eos qui corruperunt terram , id eſt homines habitantes in terra. Corruperunt , inquam , per documenta , per exempla ſuos illi qui per hæreſes corrumpebant alios tempore Anti-Chriſti.* Ierem. 51. *Ecce ad te , mons peſtifer, qui corrumpis vniuerſam terram.* Ita S. Tho.

Hæc autem ad expoſitionem literæ ex his auctoribus adduximus. Quod autem iudicium accelerari debeat propter ingratitudinem hominũ , certè ſatis patet ex conſequentia rerum. Nam tunc, ſi vnquam, Deus dicere debet illud Iſ. c. 5. *Quid eſt quod debui vltra facere vineæ meæ , & non feci ei , an quod expectaui vt faceret vuas & fecit labruſcas?* Quod ſi pro tot beneficiis hominibus collatis iraſcantur gentes, quod videant Eccleſiam tanta poteſtate gaudentem , vt iplis nec licitum nec poſſibile ſit eius decretis obſiſtere, aut impunè non valeant crimina & ſcelera perpetrare , & ex tot prodigiis in nece Anti-Chriſti & punitione malorum , non velint ad pœnitentiam incitari , certè meritò Deus iraſcetur contra eos : & propter finalem impœnitentiam ad iudicium condemnationis eorum properabitur. Et quoad bonos, cum finis totiùs regiminis Eccleſiæ fuerit obtentus, quia Chriſtus regnabit ſuper omnes gentes , nihil reſtat niſi vt merces reddatur ſanctis plena & integra , reſumptis per reſurrectionem corporibus.

Et apertum eſt templum Dei in cælo : & viſa eſt arca teſtamenti eius in templo eius.

Qualis erit Eccleſiæ ſtatus , à nece Anti-Chriſti vſque ad diem iudicij.

Declarat ſanctus Propheta ſtatum Eccleſiæ , à tempore necis Anti-Chriſti vſque ad tempus iudicij, cuius tempus inſtare dixit, ſtatim atque pax reddita eſt Eccleſiæ , Deo nimirum ad iram prouocato contra gentes : quæ cum libenter ferre debuiſſent Eccleſiæ iugum , eiuſque præcepta (ipſa tunc cum ſumma auctoritate cuncta ordinante , quæ ad Dei cultum fideliter exhibendum iudicabit neceſſaria) potiùs in iram prouocantur, in ſignum imbecillitatis ſuæ : quia videlicet nullam tunc habebunt poteſtatem , quæ Eccleſiæ auctoritati opponi valeat.

Talis autem Eccleſiæ ſtatus exprimitur , dum ait : *Et apertum eſt templum*, &c. ac ſi diceret : licèt inſtet dies iudicij, quæres (quia aliquod tempus intercedet) quid interim fiet in mundo? Reſpondeo: Apertum erit templum Dei in cælo, id eſt in Eccleſia, quæ verè tunc cælum erit, propter copioſum regni cæleſtis expectationem , in omnibus , publicus liber apparens erit Dei cultus , qui temporibus Anti-Chriſti fuerat interclusus : & in hoc publico cultu admiſſi cernentur ipſimet Iudæi, qui antea ingenti odio ſub Anti-Chriſto Chriſtianos proſequẽbantur. Certum eſt enim religioſum Dei cultum in templo ritè figurari. *Templum Dei*, inquit S. Thomas, *id eſt occultum , ſine myſterium Dei dignum & venerandum , in quo conſiſtit virtus diuini cultus.* Ita S. Tho. Igitur dicere templum Dei apertum eſſe, eſt ac ſi diceret diuinum cultum non amplius in cryptis, & cauernis , & locis ſubterraneis exerceri, aut ianuis clauſis , ſed palam & publicè abſque vllo hoſtium timore. Sicut enim in primis Eccleſiæ temporibus cogebantur Chriſtiani in locis ſecretioribus myſteria diuina celebrare, ratione perſecutionum, vt notat Baron. an. 57. ita durante Anti-Chriſti perſecutione proculdubio in ſpeluncis & locis ſubterraneis myſteria diuina celebrabuntur : at eo occiſo reſtaurabitur publicus Dei cultus , & arca Dei in templo videbitur ; ſiue , vt diximus, per arcam teſtamenti Iudaicum populum Moſaicam legem profitentem ; ſiue per Arcam , ſanctam Chriſti humanitatem intelligas , in humanitate quippe Chriſti, eſt vrna aurea continens manna, id eſt, diuinitas humanitati eſt vnita , cuius eſt dulcedo ſuper mel & fauum. Eſt virga Aaron plenariæ poteſtatis , cuius eſt dominari in præſidendo , regere in informando , corrigere flagellando ; In eo ſunt tabulæ teſtamenti , tum per notitiam veteris & noui Teſtamenti , quam dat etiam fidelibus , tum quia vetus in ſe compleuit , & nouum inſtituit , vt habes apud S. Thomam in hunc locum. Hæc autem arca fuerat abſconſa , cum iuge ceſſauit ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti: Anti-Chriſtus enim , cum plenus erit Monarcha , auferet Sacrificium Euchariſtiæ, itaut nullus publicè hoc facere audeat : ac conſequenter tollet omnem publicum Dei cultum : quare fideles , vt dictum eſt , in ſpeluncis & locis abditis Euchariſtiam celebrabunt. At reddita Eccleſiæ pace , rurſus videbitur hæc ſanctiſſima arca in templo aperto , cum palam & publice celebrabitur hoc diuinum myſterium. Rectè etiam per arcam ſignificantur lex Moſaica , & populus huic legi ſubiectus: quæ verè in templo Dei videbitur ; cum quidquid in lege antiqua fuit præfiguratum , adimpletum eſſe cernetur : & populus ille , vt dictum eſt , in Eccleſiæ gremio admiſſus videbitur.

Et facta ſunt fulgura & voces , & terræmotus , & grando magna.

Eccleſiâ in tranquillo ſtatu conſtitutâ , ſanctis virtutibus refulgebunt , qui ſuaui prædicatione peccatores allicient, & in eis morum mutationem exoptabunt : & credere & conuerti nolentes comminationibus terrore conabuntur.

ANNOTAT. XXII.

EX S. Thoma , per fulgura miracula deſignantur ; per voces, exhortationes cum manſuetudine ; per terræ motus , motiones , quorumdam ad fidem , aliorum ad iram ; per grandinem , prædicationem malis eſſe intolerabilem, vel contumeliam & granitatem verborum & perſecutionum.

Ambroſius : *Per fulgura, miracula quæ per Chriſtum facta ſunt , per voces vero eius prædicatio deſignatur. Terræ motus autem motionem cordium ſignificant. Moti ſunt namque multi per prædicationem Chriſti , ad pœnitentiam de peccatis ſuis peragendam. Moti ſunt per fidelitatem ab infidelitate , moti ſunt de malo ad bonum per bonam conuerſionem. Et quia grando terram ſolet percutere , poſſumus per grandinem comminationes ignis æterni , quæ in Euangelio ſæpe inueniuntur , intelligere : quibus corda prauorum percutiuntur, vt reſipiſcant ab iniquitatibus ſuis.*

ita Ambroſ. Hæc ſi ad tempus Chriſti in mundo conuerſantis referas, vt videtur auctor referre, dum de miraculis per Chriſtum factis loquitur, erit ſenſus accommodatitius ; ſi ad vltima tempora referas, de quo eſt ſermo in hoc capite, optima erit expoſitio. Virtute enim Chriſti tunc edentur plurima miracula. Hinc Alcazaris interpretationem non admittimus (quia prima tempora Eccleſiæ reſpicit) qui in his Apoſtolorum prædicationem, exemplo & miraculis planè diuinis comitatam, deſignari vult, & ingentem nouitatem, & mutationem rerum, quæ tamen omnia in Iudæis tantam obſtinationem & obdurationem operatunt : per occaſionem enim redditi ſunt obſtinatiores, quæ obduratio in grandine denotatur.

A

Ad quam ſuauiter cunctos prouocabunt, propter ſpem ſalutis æternæ, quam concipere debemus ex Domini verbis, dicentis : *His autem fieri incipientibus, leuate capita veſtra : ecce appropinquat redemptio veſtra.* Luc. Per grandinem, intelligimus comminationes æterni ſupplicij grauiſſimas, imo etiam illam horrendam rerum omnium perturbationem, cum ſol obſcurabitur, luna non dabit lumen ſuum, ſtellæ cadent de cœlo, & cætera huiuſmodi : quæ perturbatio rerum fiet immediatè ante diem iudicij. Hæc enim magis appoſitè dicuntur, quàm ſi ad ſæcula præterita, inuersâ ſerie, & perturbato rerum ordine recurras.

At hi auctores nos ad priſtina tempora reuocant, cum vltimus rerum ſtatus potius hic ſit intelligendus. Vnde exiſtimo magis appoſitè nos non miracula per fulgura intelligere, quia miraculis tunc opus non erit, ſed colluſtrationem & ſplendorem inſignium virtutum, quibus refulgebunt fideles, qui tunc temporis Anti-Chriſto ſe opponent ; per voces, illorum admonitiones & exhortationes ad pietatem,

B

Hic ſiſtimus pauliſper ; & decurſis iis quæ à Chriſto Eccleſiæ fundatore, illuminatore, eamque ſanctificante, perficiente, purgante, probante, protegente, pro ſponſa chariſſima peragenda ſunt ; ad ea quæ Eccleſia perficit pro ſponſi gloria, pro eo dimicando, piis exercitiis eum colendo, mala plurima ad extremum vſque pro eo tolerando, nobis in alio volumine, ſi Deus conceſſerit, tranſeundum eſt : die SS. Apoſtolis Petro & Paulo dicatâ, an. 1644.

FINIS CAPITIS VNDECIMI.

APPLICATIO SYMBOLI HÆRETICORVM CAP. IX. APOCALYPSIS AD IANSENISTAS.

SVMMARIVM HVIVS TRACTATVS.

Ex optimis interpretibus, ex serie & connexione symbolorum Apocalypsis, ex conuenienti symboli applicatione ad hæreticos, patet hoc symbolum ad hæreticos pertinere: ergo Iansenistæ debent in hoc symbolo designari. Consequentia patet, quia Iansenistæ sunt damnati vt hæretici. Ac si diceretur: In hoc symbolo omnes hæretici designantur; at Iansenistæ sunt hæretici: ergo in hoc symbolo designantur: Quod si hoc symbolum illis omnibus non conueniat ratione morum, quia aliqui videntur probi, conuenit eis ratione doctrinæ, quæ proculdubio ad malos mores viam aperit, & ad omnem internecionem sanæ doctrinæ deducit. Et sicut de doctrina S. Ioannis S. Cyprianus dixit, Epistolâ 75. ad Magnum Filium. *Item*, inquit, *B. Ioannes Apostolus nec ipse vllam hæresim, aut schisma discreuit, aut aliquos separatos posuit; sed vniuersos, qui de Ecclesia exissent, quique contra Ecclesiam facerent, Anti-Christos appellauit, dicens 2. Ioannis primo. Audistis quia Anti-Christus venit, &c.* Ita dico, cum symbolum hæreticorum in medium profert, nullam hæresim discernit, aut aliquos separatos ponit: sed omnes hæreses, omnesque hæreticos complectitur. Si igitur constet Iansenistas à charitate atque vnitate Ecclesiæ recessisse, & in hæresim lapsos, eos proculdubio sub hoc symbolo cum aliis comprehendit.

MOTIVVM HVIVS TRACTATVS.

SI hostis ingruit, si lupus ouile inuadit; si vicini domus ardet, nullus est ciuium qui non capiat arma; nullus est ouium custos, qui non voce saltem arceat lupos; nullus est vicinus, qui ad aquam aut arenam non currat, vt ignem extinguat aut interimat; Hostis diabolus, mendaciorum fator; lupus, hæreticus, ouilis inuasor: ignis est pertimescendus omnis mentis error, quocumque velamine tectus. Egone in militiam Christianam adscriptus, vt Ecclesiæ filius per baptismum; Christi miles per confirmationem; ad vigilandum super gregem pro modulo constitutus, officio concionator; charitate cum cunctis fidelibus coniunctus, hostem videns malis artibus insidiantem & impetum in Ecclesiæ castra facientem, lupos cernens oues discerpere paratos, & errorem pessimum progressus facientem animaduertens, gladium verbi diuini non arripiam fide munitus? Calamum scribæ velociter scribentis, tanquam linguam non assumam zelo ductus? Et aqua illa, qua Deus irrigat credentium mentes per fusus, quantum in me erit, errorem extinguere non conabor? Non patiar, non feram. Loquar igitur ne in die iudicij voce lacrymabili dicere cogar, *Væ mihi quia tacui* Isaiæ 6. *quoniam vocem buccinæ audiuit anima mea clamorem prælij.* Ierem. 4. Audio namque noua hostium fidei agmina voce, scriptis, malis artibus Catholicam fidem lacessere, & audacter in certamen descendere; itaque mei officij esse existimo, si impiis eorum conatibus pro viribus obsistere tentem clypeo fidei Catholicæ munitus. Hostium non timeo impetus, & si eos tanquam hæreticos fugiendos esse proclamem, calumniatorem dici non pertimescam. Itaque optime lector, ne te suspensum longius teneam, breuiter mentem meam aperio: Vidisti A in expositione nostra capitis noni Apocalypsis, quomodo sub conuenienti symbolo propheta noster hæreticorum indolem nobis depinxerit. Equos illos esse ait, sedentes super eos habere loricas igneas, & hyacinthinas, & sulphureas asserit, capita equorum dicit esse tanquam capita leonum, *de quorum ore procedit ignis & fumus & sulphur, & quorum potestas in ore eorum est, & in caudis eorum: nam caudæ eorum similes serpentibus, habentes capita, & in his nocent.*

Hæc de quibuslibet hæreticis asserenda esse diximus. At ne existimes Nouatores istos (Iansenistas dico) oculum nostri sanctissimi Prophetæ fugisse: mei propositi est ostendere illos sub isto schemate, sicut & alios hæreticos, à S. Ioanne descriptos fuisse. Non eorum dogmata nisi per transennam confutare contendam: quæ à tot doctissimis vitis fuerunt impugnata, & felicissimè expugnata: eorum tantùm B indolem, qualem omnium hæreticorum, in hoc schemate descriptam esse ostendam, vt perspecta in his hæreticorum indole, nullus illis sociari velit; sed veluti ij qui morbo contagioso sunt infecti, fugiantur, & ab hac contagione simus immunes.

Olim S. Cyrillus Iqannem Antiochenum Episcopum Nestorio fauentem oratione Ephesi habita sic alloquebatur. *Si vniuersi seruatoris nostri omnium, ministri sumus, concreditum nobis est prædicationum ipsius ministerium. Ob quam causam non omnes cum illo sumus, vt quæ illius sunt velimus? Erexit, vt vides, draco ille multorum capitum caput prophanum ac sceleratum, vt in Ecclesiæ filios impietatis suæ venenum exputt: occurro illi nudatam habens sancti spiritus machæram, pugnoque aduersus hanc bestiam propter Christum, quamobrem non collaboras cum eo qui quod bonum est facere conatur? Quare non simul & ipse consistis in acie? Sternatur omnium manu, commune reputemus hoc certamen, vt & simul vincentes gratias referamus, Seruatori dicites: Contriuisti capita draco-*

nis. Hæc S. Cyril. homil. contra Ioan. Antiochenum Epheſi dicta. Talia certe in hiſce temporibus mihi S. Ioannis prophetiam elucidare conanti, dici poſſent ab his piis, ac dictis fidei propugnatoribus: Ecce nos omnes Chriſti omnium Redemptoris Miniſtri pro eius gloria arma ſumimus. Erectus eſt tanquam draco quidam de fide malè ſentiens, plurimos ſub ſpecie pietatis decipiens: Quare tu Religione Minoritanus, Capucinus, non ſimul & ipſe nobiſcum conſiſtis in acie? Decretum neſcis, aut ignorare ſimulas Patrum tuæ Congregationis editum an. 1650. Romæ die 25. in Capitulo generali aduerſus doctrinam Cornelij Ianſenij Iprenſis Epiſcopi, in libro qui dicitur Auguſtinus, huius tenoris:

Reuerentiam & obedientiam ſedi Apoſtolicæ in omni occurrentia profiteamur, inhærentes conſtitutionibus, decretis Vrbani VIII. felicis recordationis, & SS. Domini Innocentij decimi, mandamus noſtris omnibus, maximè Lectoribus & concionatoribus, vt doctrinam in libro Ianſenij Iprenſis Epiſcopi (cui titulus eſt Auguſtinus) traditam, à ſanctæ ſede Apoſtolicæ damnatam, & circumſcriptam, tueri ac docere non præſumant. Qui ſecus fecerint, præter pœnas in ipſis conſtitutionibus Apoſtolicis inflictas; ſi ſint ſuperiores, officio ſuo; ſi Lectores, facultate legendi; ſi prædicatores, concionandi poteſtate priuentur, & aliis pœnis ſubiaceant, arbitrio ſuperiorum infligendis. Datum Romæ die 25. Iunij an. 1650.

F. Fortunatus Miniſter generalis.
F. Marcus Antonius procurator generalis.
F. Simplicianus à Mediolano definitor generalis.
F. Carolus Bruxellenſis definitor generalis.
F. Ludouicus à Roſennaim definitor generalis.
F. Ioannes à Montealerio definitor generalis.
F. Bonauentura Tholoſas definitor generalis.

Si appoſite tibi loquendi datur facultas, ſi taceas, conſentire videberis. De hæreticis tractas, iſtorum verſutiam & indolem aperire debes ad Eccleſiæ vtilitatem, & fidelium in fide confirmationem, ne ab his ſubdolis, & ſub ouina pelle cum Catholicis conuerſantibus, veri fideles teducantur. Talibus monitis obtemperans hoc præſtare cupio in hoc tractatu, quem pro coronide expoſitionis capitis noni adjicere cupio.

Quod Ianſeniſtæ habendi ſunt Hæretici.

ARTICVLVS I.

IANSENISTAS pro Hæreticis eſſe habendos nemo iure dubitare debet, duabus rationibus inductus: hoc apud me certiſſimum eſt. Prima eſt quod eorum dogmata eadem ſunt quæ Caluini in his in quibus à nobis diſſentiunt; atqui in his in quibus à nobis diſſentiunt iam Caluinus tanquam hæreticus ab Eccleſia exploſus eſt. Igitur & Ianſeniſtæ tanquam hæretici ſunt ab Eccleſia explodendi: nam qui opiniones, iam ab Eccleſia condemnatas tanquam erroneas & hæreticas, tenent; cum proprio iudicio inhæreant contra Eccleſiæ fidem, meritò condemnandi cenſendi ſunt. Secunda ratio eſt quia ſummus Pontifex propoſitiones, quibus à nobis diſſentiunt, tanquam erroneas & hæreticas condemnauit, ergo qui illas tenere audent hæretici ſunt exiſtimandi.

Quantùm ad primam rationem, quod eorum dogma eadem ſunt quæ Caluini; hoc tam dilucidè oſtenderunt, qui contra Ianſeniſtas ſcripſerunt, quorum eruditioni impar ſum, vt actum fruſtra agerem; nec tam fælicitet iſtud præſtarem, vt iſti præſtiterunt; & lectori faſtidium parerem, ſi eadem recudere tentarem, præcipuè cum iſta apud eos perlegere & inuenire facillimũ ſit. Inter eos inſignes ſunt Alphonſus le Moyne Doctor Sorbonicus & Sacræ Theologiæ profeſſor de dono orandi. Antonius Richardus lib. 1. Et auctor Myſterij ſeu ſecreti Ianſeniſtarum, quiſquis ille ſit. De ſecunda ratione nobis eſt fuſius differendum in ſubſequenti articulo.

Vt Ianſeniſtæ cenſeantur Hæretici, ſufficit auctoritas ſummi Pontificis.

ARTICVLVS II.

CERTVM eſt quoſlibet fidei articulos ratiocinationis vim ita excedere, vt fieri non poſſit quod ratio humana argumentis valeat veritatis illorum euidentiam oſtendere, itaut clara & euident æquè ac certa ſit illorum ſcientia. Hinc eſt quod auctoritas ſummi pontificis ſit fide credendá: quod ita probatur: Quod inſtitutum eſt à Chriſto, eſt fide credendum; atqui hæc auctoritas ab humana inſtitutione originem non habet, ſed à Chriſto: ergo eſt fide credenda. Et confirmatur à ſimili. Nam Dei exiſtentia poteſt quidem humanis argumentis demonſtrari v. g. quod vnum debeat eſſe omnium rerum principium, ad quod omnia reducuntur, quòd omnes cauſæ ſecundæ primam habeant, à qua influxum & vim cauſandi accipiant; & huiuſmodi aliis argumentis: fide tamen opus eſt, vt de Deo talem qualem oportet habeamus cognitionem; ita poteſt fieri vt quibuſdam argumentis demonſtrati poſſit hunc eſſe Pontificem, verbi gratia, quod ritè & canonicè electus; quod ab omnibus illi obedientia præſtatur; at fide opus eſt vt auctoritatis illius maieſtatem & magnitudinem concipiamus. Quod autem illa à Chriſto originem habeat, audi Gerſonem, tractatu de ſtatibus Eccleſiaſticis, conſideratione prima, ſuper ſtatu ſummi Pontificis. *Status*, inquit, *Papalis inſtitutus eſt à Chriſto ſupernaturaliter & immediatè, tanquam primatum tenens Monarchicum & Regalem in Eccleſiaſtica Hierarchia; ſecundum quem ſtatum vnicum & ſupremum, Eccleſia militans dicitur vna ſub Chriſto; quem ſtatum quiſquis impugnare vel diminuere, vel alicui Eccleſiaſtico ſtatui particulari coæquare præſumit, ſi hoc pertinaciter faciat, hæreticus eſt, ſchiſmaticus, impius, atque ſacrilegus; cadit enim in hæreſim totiens expreſſe damnatam, à principio naſcentis Eccleſiæ vſque hodie, tam per inſtitutionem Chriſti de principatu Petri ſuper alios Apoſtolos, quàm per traditionem Eccleſiæ in ſacris eloquiis ſuis, & generalibus conciliis.* Ita Gerſon. 1. parte Pag. 186. Sicut igitur illa auctoritas humana inſtitutione, ſeu præſumptione non eſt inſtituta; ita nec deſtitui poteſt aliqua humana inſtitutione ſeu præſumptione; & qui ei derogaret pertinaciter, cenſendus eſſet iuxta ſacros canones, hæreticus atque ſacrilegus: quodꝫ ipſe Gerſon aſſerit de ſtatu ſummi pontificis, ac ſacri Collegij Dominorum Cardinalium collateralium, fundato in Eccleſiaſtica Hierarchia ſubcæleſti, immediatè à Chriſto, conſiderat. prima de ſtatu ſummi Pontificis, & dominorum S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium. Cum igitur hæc auctoritas naturali vel humana ſolum auctoritate non potuerit inſtitui; ſicut potuit ſtatus dominationis temporalis regiæ vel imperialis humanitùs & naturaliter ordinari; certè fides nobis eſt neceſſaria, vt tam excellens opus diuinæ prouidentiæ prout oportet concipiamus: rationibus enim non nititur humanis. Vnde qui de ea loqui volunt, præſumptione temeraria mouerentur, ſi illam argumentis & ratiocinationibus è morali & politica erutis, probare niterentur: Quis enim ex vna parte cognoſcens ad quæ ſe extendere debeat, pro fælici Eccleſiæ regimine, illa auctoritas; & ex alia parte ani-

Digitized by Google

maduertens quanta ſit cuiuſlibet hominis ad malum pronitas, ad verum cognoſcendum difficultas, & ad ferendum de qualibet re ſanum iudicium quanta occurrant impedimenta; argumentis demonſtrare poterit, hunc numero hominem talem eſſe, qui hoc onus Angelicis humeris impar dignè ferre valeat, & tantam habere in totam Eccleſiam auctoritatem, vt omnes alij Prælati & ſubditi, eius ſententiæ inhærere, eiuſque mandatis obtemperare debeant?

Hinc factum eſt vt erga ſedem Pontificiam male affecti hæreticas & erroneas de illa auctoritate habeant ſententias; vt qui eam non ponderant pondere ſanctuarij, ſcopum non attingant, ad quem fuit ordinata, illam tantum metientes menſurâ ratiocinationis politicæ artis: vnde quanta & qualis ſit, & ad quæ ſe extendat, non ſatis comprehendunt. Exinde igitur manat illa hæreſis Acephalorum, qui nullum in Eccleſia caput viſibile admittere volunt: de quibus Acephalis loquitur Almainus de auctoritate Eccleſiæ cap. 8. vbi ait *ex auctoritate Concilij Conſtantienſis ante & poſt electionem Martini 5. damnatam fuiſſe propoſitionem illam Ioannis Hus: Petrus nec eſt nec fuit caput Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ; & illam alteram: Non eſt ſcintilla apparentiæ, quod oportet eſſe vnum caput Eccleſiæ in ſpiritualibus regens Eccleſiam, quod ſemper cum ipſa Eccleſia militante conuerſetur.* Ita Almainus.

Hinc illorum error, qui duo capita in Eccleſia conſtituunt æqualis auctoritatis, in regimine Eccleſiæ.

Hinc originem ducit iſta propoſitio hæretica, Pontificem, etiam vt Pontificem, etiamſi cum generali Concilio definiret aliquid, poſſe eſſe hæreticum in ſe, & docere alios hæreſim; & de facto aliquando ita accidiſſe. Quæ ſententia planè eſt hæretica.

Hinc impia illa & execrabilis doctrinæ propoſitio libelli cuiuſdam, qui editus fuit poſt Bullam Innocentij 10. de quinque propoſitionibus ex Ianſenio collectis, cui titulus, *Sonus buccinæ*, quâ aſſeritur minus eſſe peccatum Eccleſias flammis addicere, Virginum Deo conſecratarum integritatem ſupra altaria corrumpere & violare, pedibus conculcare Ieſu Chriſti corpus adorandum, quàm docere parendum eſſe & obediendum ſeque ſubmittendum iudicio & decretis Papæ in materia fidei. Quid quæſo execrabilius dici poſſet? Laudandi ne ſunt ij, per quos talis libellus pernicioſiſſimus diuulgatus fuit Lutetiæ Pariſiorum? Non, proculdubiò. Ac iſtud crimen impingitur Ianſeniſtis, ex litera cuiuſdam Doctoris edita hoc anno 1655. pro reſponſione data literæ Domini Arnaldi, in qua pium ſacerdotem ſuggillat, quod non ſatis prudenter egiſſet, dum non ſine diligenti perquiſitione audet abſolutionem Sacramentalem dare cuidam inſigni viro, niſi à communione Ianſeniſtarum vellet abſtinere.

Quantùm ad alias opiniones, quæ ſufficientem auctoritatem Pontifici non tribuunt, dicendum illas procedere potius humanæ rationis ductu, quàm luminis fidei impulſu. Inter eas reponenda Almaini ſententia, dum ait: *Papa poteſt errare errore iudiciali.* Et addit: *Summus Pontifex poteſt errare ſententiando in materia fidei. Si enim errare non potuiſſet, fruſtra fuiſſent conuocata quatuor Concilia generalia principalia, contra quatuor Hæreſiarchas, puta Nicenum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe: ſufficiſſet enim ſolus Papæ deciſio.* Hæc Alm. Quæ ratio parùm ſolida eſt: nam vt probat Doctor bonæ memoriæ Du-Vallius, & poſtea fuſiùs dicemus, Concilia generalia potius conuocantur ad reprimendam contumaciam Hæreticorum, quam ad declarandum aliquos in hæreſim lapſos: ad quod indicandum, vt videbimus, ſufficit ſummi Pontificis auctoritas. Huic ſententiæ Almaini ſubſcribunt, apud Doctorem du Val, Richerius & Vigorius, qui ſcribunt Pontificem nulla in condendis fidei morumque decretis infallibilitate gaudere, eamque Concilio Oecumenico, quod Eccleſiam vniuerſalem repræſentat, dumtaxat conuenire. Ita And. Du Val, de infallibilitate ſupremi Pontif. parte 2. quæſt. 1.

Hæc ſententia ſi vera eſſet, ſequeretur Pontificem etiam vt Pontificem poſſe eſſe hæreticum, & docere hæreſim, ſi abſque generali Concilio definiat: & de facto hoc accidiſſe probare nititur Almainus, c. 10. de auctorit. Eccleſiæ, dum ait: *Duo ſummi Pontifices determinauerunt contraria, etiam in his quæ fidem tangunt; ergo alter eorum erranis errore iudiciali.* Ita Almain. Loquitur de Ioanne 22. & Nicolao. Hæc ſententia non eſt propriè hæretica: nam adhuc ab Eccleſia toleratur. Tamen videtur omninò erronea & hæreſi proxima, & ad errores facilè admittendos viam ſternens: vnde contra iſtas propoſitiones Bellarminus hanc ponit: *Summus Pontifex cum totam Eccleſiam docet in his quæ ad fidem pertinent, nullo caſu errare poteſt.* Quod licet Doctor du Vallius dicat non eſſe de fide, id tamen abſolutè certum eſſe & indubitatum aſſerit: ſiquidem ait: *Spiritus ſanctus, ne vel minimus error in definiendo obrepat, ipſi perpetuò adeſt.* Hæc ille. Vnde rejicienda omnino ratio inepta libri cui titulus *Sonus Buccinæ*, qua dicit Pontificem non poſſe aliquid certò definire in materia fidei: *Alias*, inquit, *dicendum eſſet illum ſpiritu Propheticò afflatum, quod credere abſurdum eſt; & ſpiritui particulari adhærendum*, quod cenſet periculoſum. Sed ad primum reſpondeo, nihil aſſeri abſurdi, dum ſummo Pontifici eamdem cæleſtis luminis præſentiam tribuimus in cunctis oraculis, quibus totam Eccleſiam inſtruere debet: quæ ei adfuit dum iſtud celebre oraculum edidit: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*, Matth. 16. quod diuino lumine colluſtratus protuliſſe aſſerit Chriſtus, dum ibidem ait: *Beatus es Simon Bariona quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cælis eſt*; & cum Deus etiam in naturalibus non deſit in neceſſariis per ſuauitatem diuinæ ſuæ prouidentiæ, deſereret ne homines in ſupernaturalibus quæ maioris ſunt momenti? Minimè. Ad ſecundum dico, ſummum Pontificem non promere oracula ſpiritu particulari impulſus, quia loquitur illo ſpiritu ductus qui *ſcientiam habet vocis*, qui promiſſus fuit à Chriſto Eccleſiæ. *Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Ioan. 14. Et cum ei iniunctum fuerit à Chriſto vt paſcat agnos, paſcat & oues, id eſt ſubditos, & alios paſtores ſibi inferiores, oportet vt Spiritus ſanctus ei omnem edoceat veritatem, ne fallantur dum audiunt paſtorem, quê audire tenentur. *Adhuc*, dicebat Chriſtus, *multa habeo vobis dicere, ſed nõ poteſtis portare modo. Cum autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à ſemetipſo; ſed quæcumque audiet loquetur: & quæ venturâ ſunt annunciabit vobis.* Ioan. 16. Loquitur autem ſpiritus ſanctus Eccleſiæ per os quod elegit, vt ſua promat oracula. At quodnam eſt illud os, quæſo? Audiamus Petrum in facie Eccleſiæ coadunatæ & congregatæ, vt dubium exortum de lege Moſaica, de cæremoniis legalibus ſolueret, dicentem: *Viri fratres, vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere.* Act. 15. Per os igitur Petri loquitur Spiritus ſanctus: ergo cum loquitur, non loquitur ex ſpiritu particulari, ſed ex ſpiritu qui totum Eccleſiæ corpus gubernat & regit.

Obmittendo igitur alia, ad quæ auctoritas Pontificia ſe extendere poteſt, quia non faciunt ad meum

Digitized by Google

inſtitutum, hanc Bellarmini, & Doctoris piiſſimi Domini du Val ſententiam certam & indubitatam eſſe mihi oſtendendum eſt, vt ſic videatur, quod non temerè dicam (poſt deciſionem Innocentij decimi de quinque propoſitionibus) ſi quis illas tenere pertinaciter voluerit, illum eſſe & dici poſſe hæreticum. Et tales dico optimè adumbrari in ſchemate S. Ioannis, quo nobis mores, & ingenium omnium hæreticorum depingit. Et certè tantò propenſiùs in hanc eo ſententiam, quod nemo negare poteſt quin hæc propoſitio, (quod Pontifex, vt Pontifex, contra fidem poſſit decernere) viam faciat ad inobedientiam, occaſionemque præbeat dubitandi de multis, quæ iam in toto orbe recepta ſunt, vt à Pontifice iudicata, & determinata: vnde non abſque temeritate illam quis vt veram defenderet.

Rationes quibus fulcitur ſententia, quæ aſſerit Pontificem, vt Pontificem, errare non poſſe in materia fidei.

ARTICVLVS III.

QVIDQVID ſit de aliis, dicam libenter quod ſentio. Exiſtimarem me in errore verſari, & hæreticæ fauere prauitati, ſi dicerem Pontificem, vt Pontificem, errare poſſe, dum aliquid toti Eccleſiæ proponit credendum. Rationes quæ me mouent ad hoc dicendum ſunt iſtæ.

Prima quod cui cura commiſſa eſt paſcendi gregem Chriſti, qui paſcitur inter lilia, lilia, non ſpinas dilacerantes Eccleſiæ membra, quales ſunt errores, in manibus habere debet. Dico in manibus, id eſt, vt illa præbere valeat in qualibet differentia temporis, & toties quoties neceſſitas ingruerit, neceſſitas poſtulauerit. At Petro commiſſa eſt cura paſcendi gregem, Ioan. 21. his verbis: *Paſce agnos meos: paſce oues meas*: ergo lilia, id eſt veritates fidei candidas, pulchras & ſuaues habere debet in manibus in quouis tempore: Atqui illa non haberet, ſi errare poſſet, ſi Concilium generale illi neceſſarium eſſet, cuius congregatio diuerſis, ac multiplicibus de cauſis fieret illi impoſſibilis, & tamen Agni & oues paſci poſtularent, ne veneno alicuius erroris paſci aut imbui cogerentur, malitia dæmonum & hæreticorum, qui ſubintroire ex more, malis artibus conarentur. Igitur vt ſecurè, & abſque vllo periculo incurrendi in errorem; ab eo veritates fidei exquirantur, oportet vt infallibiliter de quouis myſterio poſſit decernere: & ſic cum S. Hieronymo, ſi dubium oriatur eum his verbis compellare poſſimus: *A Paſtore præſidium ouis flagito, decerne ſi placet: non timebo tres hypoſtaſes dicere ſi iubebis.* Ep. ad Damaſum. Non enim exiſtimandum Spiritum ſanctum illi deeſſe, cum neceſſe eſt toti Eccleſiæ ſuccurrere, ne in errorem aliquem impingat: Deus namque nunquam deeſt in neceſſariis.

Secunda ratio: Oportet vt Eccleſia ſit ſemper lumine veritatis coruſcans: Eſt enim illa mulier amicta ſole. At ſi tantùm per Concilia generalia lumine veritatis colluſtraretur, plurima temporum curricula decurrerent in quibus tenebris alicuius erroris offuſcaretur. Rara enim ſunt generalia Concilia, & multę temporum intercapedines interſeruntur inter Concilia generalia, exſurgentibus nihilominus & pullulantibus diuerſis erroribus, & hæreſibus, quibus occurrere planè eſt neceſſarium ne fideles inficiant. Igitur neceſſe eſt vt aliquis ſit ſtans in ſole, qui lumen toti Eccleſiæ valeat, in qualibet differentia temporis, præbere. Is autem eſt ſummus Pontifex, quem in commentario dicimus eſſe Angelum ſtantem in ſole: itaut ſicut Chriſtus qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ille ipſe eſt ſimilis filio hominis, cuius facies ſicut ſol ſplendet, ambulans in medio ſeptem candelabrorum aureorum, vt interiori lumine fidei omnem Eccleſiam colluſtret, ita ſummus Pontifex ſit ille Angelus ſtans in ſole, qui exteriori prædicatione myſteriorum fidei, totam Eccleſiam illuminet, vt ſemper maneat in lumine amicta ſole. Nec Eccleſia Chriſtiana deterioris eſt conditionis antiquâ ſynagogâ, quæ hoc vnicum habebat in dubiis occurrentibus remedium, vt ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui eſſet illo tempore veniret, ad eum videlicet ſacerdotem, qui eo tempore miniſtraret Domino Deo, Deuteron. c. 17. Quorum ſententia ſequenda erat, quorum imperio obediendum ſub pœna mortiſſimo expreſſioribus promiſſis fulcitur, dum Petro dicitur: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.*

Tertia ratio: certum eſt Eccleſiam domum eſſe ſapiẽtis fundatam ſupra Petrã, de qua dicitur Matt. 7. *Et deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſuper petram.* At ſi Petrus, qui & Petra eſt, nutaret, ſi in errorem incideret, in ſe aut in ſuis ſucceſſoribus, corrueret tantam ædificium: ſupra enim hanc Petram ædificata eſt Eccleſia, dicente Domino: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Si igitur per errorem tale fundamentum diruatur, domum certè ruere neceſſe eſt.

Quarta ratio: Diuina prouidentia fraudari non poteſt à fine & ſcopo à ſe efficaciter intento in ſuis operibus: at fraudaretur ſi Petrus in errorem nationes poſſet inducere. Probatur, quia ordinauit Deus per os Petri ab æterno gentes audire verbum Dei & credere: ſi igitur os Petri falſum pro vero obtrudere poſſet, Deus non haberet intentum gentes namque proſide vera errorem reciperent: vnde B. Petrus dicebat eos tentare Deum, qui aliâ viâ, quàm ex ore ſuo, deciſionem dubij de cerẽmoniis legalibus expiſcari & quærere vellent.

Quinta ratio: Deus Apoſtolos idoneos fecit Miniſtros noui Teſtamenti, itaut ad quodcumque opus ſeu Miniſterium aſſumpti fuerint à Deo, hoc fælicirer & efficaciter perficere potuerunt. At Miniſterium ſpeciale Petri eſt vt fides Catholica ſarta tecta exiſtat: Ergo huius miniſterij idoneus debuit eſſe Miniſter: quod miniſterium à Chriſto non ab Eccleſia accepit, à Chriſto nempe fuit electus miniſter ad confirmandos fratres in fide ſua, id eſt in fide quam Petrus habebat, pro qua, ne deficeret, Dominus rogauit. Firmus itaque ſemper eſſe debet & immobilis in fide, vt ſupra eum, tanquam ſupra petram, Eccleſia firma conſiſtat.

Plures obiectiones affert Almainus, quibus probare nititur ad ſummum Pontificem minimè pertinere vltimam eorum quæ ſunt fidei deciſionem auctoritatiuam & iudicialem, & prima eſt:

Duo ſummi Pontifices determinauerunt contraria, etiam in his, quæ fidem tangunt, nempe Ioan. 20. & Nicolaus 4. quorum vnus determinauit iudicialiter, Chriſtum & Apoſtolos nihil habuiſſe in communi, nec in proprio; alter oppoſitum. Ita Alma. Reſpondeo primò Ioannem de Turrecremata lib. 2. ſummæ c. 112. hos Pontifices conciliare, vt animaduertit Bellarminus, lib. 4. de Romano Pontifice, quod tamen fieri poſſe in omnibus negat Bellarm. Et ideo alio modo reſpondet, oſtendendo, quod ſi quid contrarium doceant, quamuis vnius ſententia verior videatur quàm alterius, hoc non eſſe in re fidei; deinde aliquid non fuiſſe ab vno deciſum tanquam articulum fidei, quod fuerit directè ab alio

Digitized by Google

maduertens quanta ſit cuiuſlibet hominis ad malum pronitas, ad verum cognoſcendum difficultas, & ad ferendum de qualibet re ſanum iudicium quanta occurrant impedimenta; argumentis demonſtrare poterit, hunc numero hominem talem eſſe, qui hoc onus Angelicis humeris impar dignè ferre valeat, & tantam habere in totam Eccleſiam auctoritatem, vt omnes alij Prælati & ſubditi, eius ſententiæ inhærere, eiuſque mandatis obtemperare debeant?

Hinc factum eſt vt erga ſedem Pontificiam male affecti hæreticas & erroneas de illa auctoritate habeant ſententias; vt qui eam non ponderant pondere ſanctuarij, ſcopum non attingant, ad quem fuit ordinata, illam tantum metientes menſurâ ratiocinationis politicæ artis: vnde quanta & qualis ſit, & ad quæ ſe extendat, non ſatis comprehendunt. Exinde igitur manat illa hæreſis Acephalorum, qui nullum in Eccleſia caput viſibile admittere volunt: de quibus Acephalis loquitur Almainus de auctoritate Eccleſiæ cap. 8. vbi ait *ex auctoritate Concilij Conſtantienſis ante & poſt electionem Martini 5. damnatam fuiſſe propoſitionem illam Ioannis Hus: Petrus nec eſt nec fuit caput Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ; & illam alterum: Non eſt ſcintilla apparentiæ, quod oportet eſſe vnum caput Eccleſiæ in ſpiritualibus regens Eccleſiam, quod ſemper cum ipſa Eccleſia militante conuerſetur.* Ita Almainus.

Hinc illorum error, qui duo capita in Eccleſia conſtituunt æqualis auctoritatis, in regimine Eccleſiæ.

Hinc originem ducit iſta propoſitio hæretica, Pontificem, etiam vt Pontificem, etiamſi cum generali Concilio definiret aliquid, poſſe eſſe hæreticum in ſe, & docere alios hæreſim; & de facto aliquando ita accidiſſe. Quæ ſententia planè eſt hæretica.

Hinc impia illa & execrabilis doctrinæ propoſitio libelli cuiuſdam, qui editus fuit poſt Bullam Innocentij 10. de quinque propoſitionibus ex Ianſenio collectis, cui titulus, *Sonus buccinæ*, quâ aſſeritur minus eſſe peccatum Eccleſias flammis addicere, Virginum Deo conſecratarum integritatem ſupra altaria corrumpere & violare, pedibus conculcare Ieſu Chriſti corpus adorandum, quàm docere parendum eſſe & obediendum ſeque ſubmittendum iudicio & decretis Papæ in materia fidei. Quid quæſo execrabilius dici poſſet? Laudandi ne ſunt ij, per quos talis libellus pernicioſiſſimus diuulgatus fuit Lutetiæ Pariſiorum? Non, proculdubiò. Ac iſtud crimen impingitur Ianſeniſtis, ex litera cuiuſdam Doctoris edita hoc anno 1655. pro reſponſione data literæ Domini Arnaldi, in qua pium ſacerdotem ſuggillat, quod non ſatis prudenter egiſſet, dum non ſine diligenti perquiſitione audet abſolutionem Sacramentalem dare cuidam inſigni viro, niſi à communione Ianſeniſtarum vellet abſtinere.

Quantùm ad alias opiniones, quæ ſufficientem auctoritatem Pontifici non tribuunt, dicendum illas procedere potius humanæ rationis ductu, quàm luminis fidei impulſu. Inter eas reponenda Almaini ſententia, dum ait: *Papa poteſt errare errore iudiciali.* Et addit: *Summus Pontifex poteſt errare ſententiando in materia fidei. Si enim errare non potuiſſet, fruſtra fuiſſent conuocata quatuor Concilia generalia principalia, contra quatuor Hæreſiarchas, puta Nicenum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe: ſufficiſſet enim ſolus Papæ deciſio.* Hæc Alm. Quæ ratio parùm ſolida eſt: nam vt probat Doctor bonæ memoriæ Du-Vallius, & poſtea fuſiùs dicemus, Concilia generalia potius conuocantur ad reprimendam contumaciam Hæreticorum, quam ad declarandum aliquos in hæreſim lapſos: ad quod indicandum, vt videbimus, ſufficit ſummi Pontificis auctoritas. Huic ſententiæ Almaini ſubſcribunt, apud Doctorem du Val, Richerius & Vigorius, qui ſcribunt Pontificem nulla in condendis fidei morumque decretis infallibilitate gaudere, eamque Concilio Oecumenico, quod Eccleſiam vniuerſalem repræſentat, dumtaxat conuenire. Ita And. Du Val, de infallibilitate ſupremi Pontif. parte 2. quæſt. 1.

Hæc ſententia ſi vera eſſet, ſequeretur Pontificem etiam vt Pontificem poſſe eſſe hæreticum, & docere hæreſim, ſi abſque generali Concilio definiat: & de facto hoc accidiſſe probare nititur Almainus, c. 10. de auctorit. Eccleſiæ, dum ait: *Duo ſummi Pontifices determinauerunt contraria, etiam in his quæ fidem tangunt; ergo alter eorum erranit errore iudiciali.* Ita Almain. Loquitur de Ioanne 22. & Nicolao. Hæc ſententia non eſt propriè hæretica: nam adhuc ab Eccleſia toleratur. Tamen videtur omninò erronea & hæreſi proxima, & ad errores facilè admittendos viam ſternens: vnde contra iſtas propoſitiones Bellarminus hanc ponit: *Summus Pontifex cum totam Eccleſiam docet in his quæ ad fidem pertinent, nullo caſu errare poteſt.* Quod licet Doctor du Vallius dicat non eſſe de fide, id tamen abſolutè certum eſſe & indubitatum aſſerit: ſiquidem ait: *Spiritus ſanctus, ne vel minimus error in definiendo obrepat, ipſi perpetuò adeſt.* Hæc ille. Vnde rejicienda omnino ratio inepta libri cui titulus *Sonus Buccinæ*, qua dicit Pontificem non poſſe aliquid certò definire in materia fidei: *Alias*, inquit, *dicendum eſſet illum ſpiritu Prophetico afflatum, quod credere abſurdum eſt; & ſpiritui particulari adhærendum*, quod cenſet periculoſum. Sed ad primum reſpondeo, nihil aſſeri abſurdi, dum ſummo Pontifici eamdem cæleſtis luminis præſentiam tribuimus in cunctis oraculis, quibus totam Eccleſiam inſtruere debet: quæ ei adfuit dum iſtud celebre oraculum edidit: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*, Matth. 16. quod diuino lumine colluſtratus protuliſſe aſſerit Chriſtus, dum ibidem ait: *Beatus es Simon Bariona quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui in cælis eſt*; & cum Deus etiam in naturalibus non deſit in neceſſariis per ſuauitatem diuinæ ſuæ prouidentiæ, deſereret ne homines in ſupernaturalibus quæ maioris ſunt momenti? Minimè. Ad ſecundum dico, ſummum Pontificem non promere oracula ſpiritu particulari impulſus, quia loquitur illo ſpiritu ductus qui *ſcientiam habet vocis*, qui promiſſus fuit à Chriſto Eccleſiæ. *Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Ioan. 14. Et cum ei iniunctum fuerit à Chriſto vt paſcat agnos, paſcat & oues, id eſt ſubditos, & alios paſtores ſibi inferiores, oportet vt Spiritus ſanctus ei omnem edoceat veritatem, ne fallantur dum audiunt paſtorem, quē audire tenentur. *Adhuc*, dicebat Chriſtus, *multa habeo vobis dicere, ſed nō poteſtis portare modo. Cum autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à ſemetipſo; ſed quæcumque audiet loquetur: & quæ ventura ſunt annunciabit vobis.* Ioan. 16. Loquitur autem ſpiritus ſanctus Eccleſiæ per os quod elegit, vt ſua promat oracula. At quodnam eſt illud os, quæſo? Audiamus Petrum in facie Eccleſiæ coadunatæ & congregatæ, vt dubium exortum de lege Moſaica, de cæremoniis legalibus ſolueret, dicentem: *Viri fratres, vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere.* Act. 15. Per os igitur Petri loquitur Spiritus ſanctus: ergo cum loquitur, non loquitur ex ſpiritu particulari, ſed ex ſpiritu qui totum Eccleſiæ corpus gubernat & regit.

Obmittendo igitur alia, ad quæ auctoritas Pontificia ſe extendere poteſt, quia non faciunt ad meum

inſtitutum, hanc Bellarmini, & Doctoris piiſſimi Domini du Val ſententiam certam & indubitatam eſſe mihi oſtendendum eſt, vt ſic videatur, quod non temerè dicam (poſt deciſionem Innocentij decimi de quinque propoſitionibus) ſi quis illas tenere pertinaciter voluerit, illum eſſe & dici poſſe hæreticum. Et tales dico optimè adumbrari in ſchemate S. Ioannis, quo nobis mores, & ingenium omnium hæreticorum depingit. Et certè tantò propenſiùs in hanc eo ſententiam, quod nemo negare poteſt quin hæc propoſitio, (quod Pontifex, vt Pontifex, contra fidem poſſit decernere) viam faciat ad inobedientiam, occaſionemque præbeat dubitandi de multis, quæ iam in toto orbe recepta ſunt, vt à Pontifice iudicata, & determinata: vnde non abſque temeritate illam quis vt veram defenderet.

Rationes quibus fulcitur ſententia, quæ aſſerit Pontificem, vt Pontificem, errare non poſſe in materia fidei.

ARTICVLVS III.

QVIDQVID ſit de aliis, dicam libenter quod ſentio. Exiſtimaretem me in errore verſari, & hæreticæ fauere prauitati, ſi dicerem Pontificem, vt Pontificem, errare poſſe, dum aliquid toti Eccleſiæ proponit credendum. Rationes quæ me mouent ad hoc dicendum ſunt iſtæ.

Prima quod cui cura commiſſa eſt paſcendi gregem Chriſti, qui paſcitur inter lilia, lilia, non ſpinas dilacerantes Eccleſiæ membra, quales ſunt errores, in manibus habere debet. Dico in manibus, id eſt, vt illa præbere valeat in qualibet differentia temporis, & toties quoties neceſſitas ingruerit, neceſſitas poſtulauerit. At Petro commiſſa, eſt cura paſcendi gregem, Ioan. 21. his verbis: *Paſce agnos meos: paſce oues meas*: ergo lilia, id eſt veritates fidei candidas, pulchras & ſuaues habere debet in manibus in quouis tempore: Atqui illa non haberet, ſi errare poſſet, ſi Concilium generale illi neceſſarium eſſet, cuius congregatio diuerſis, ac multiplicibus de cauſis fieret illi impoſſibilis, & tamen Agni & oues paſci poſtularent, ne veneno alicuius erroris paſci aut imbui cogerentur, malitia dæmonum & hæreticorum, qui ſubintroire ex more; malis artibus conarentur. Igitur vt ſecurè, & abſque vllo periculo incurrendi in errorem; ab eo veritates fidei exquirantur, oportet vt infallibiliter de quouis myſterio poſſit decernere: & ſic cum S. Hieronymo, ſi dubium oriatur eum his verbis compellare poſſimus: *A Paſtore præſidium ouis flagito, decerne ſi placet: non timebo tres hypoſtaſes dicere ſi iubebis.* Ep. ad Damaſum. Non enim exiſtimandum Spiritum ſanctum illi deeſſe, cum neceſſe eſt toti Eccleſiæ ſuccurrere, ne in errorem aliquem impingat: Deus namque nunquam deeſt in neceſſariis.

Secunda ratio: Oportet vt Eccleſia ſit ſemper lumine veritatis coruſcans: Eſt enim illa mulier amicta ſole. At ſi tantùm per Concilia generalia lumine veritatis colluſtraretur, plurima temporum curricula decurrerent in quibus tenebris alicuius erroris offuſcaretur. Rara enim ſunt generalia Concilia, & multę temporum intercapedines interſeruntur inter Concilia generalia, exſurgentibus nihilominus & pullulantibus diuerſis erroribus, & hæreſibus, quibus occurrere planè eſt neceſſarium ne fideles inficiant. Igitur neceſſe eſt vt aliquis ſit ſtans in ſole, qui lumen toti Eccleſiæ valeat, in qualibet differentia temporis, præbere. Is autem eſt ſummus Pontifex, quem in commentario dicimus eſſe Angelum ſtantem in ſole: itaut ſicut Chriſtus qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ille ipſe eſt ſimilis filio hominis, cuius facies ſicut ſol ſplender, ambulans in medio ſeptem candelabrorum aureorum, vt interiori lumine fidei omnem Eccleſiam colluſtret, ita ſummus Pontifex ſit ille Angelus ſtans in ſole, qui exteriori prædicatione myſteriorum fidei, totam Eccleſiam illuminet, vt ſemper maneat in lumine amicta ſole. Nec Eccleſia Chriſtiana deterioris eſt conditionis antiquâ ſynagogâ, quæ hoc vnicum habebat in dubiis occurrentibus remedium, vt ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui eſſet illo tempore veniret, ad eum videlicet ſacerdotem, qui eo tempore miniſtraret Domino Deo, Deuteron. c. 17. Quorum ſententia ſequenda erat, quorum imperio obediendum ſub pœna mortis; imo expreſſioribus promiſſis fulcitur, dum Petro dicitur: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.*

Tertia ratio: certum eſt Eccleſiam domum eſſe ſapiętis fundatam ſupra Petrã, de qua dicitur Matt. 7. *Et deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſuper petram.* At ſi Petrus, qui & Petra eſt, nutaret, ſi in errorem incideret, in ſe aut in ſuis ſucceſſoribus, corrueret tantam ædificium: ſupra enim hanc Petram ædificata eſt Eccleſia, dicente Domino: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Si igitur per errorem tale fundamentum diruatur, domum certè ruere neceſſe eſt.

Quarta ratio: Diuina prouidentia fraudari non poteſt à fine & ſcopo à ſe efficaciter intento in ſuis operibus: at fraudaretur ſi Petrus in errorem nationes poſſet inducere. Probatur, quia ordinauit Deus per os Petri ab æterno gentes audire verbum Dei & credere: ſi igitur os Petri falſum pro vero obtrudere poſſet, Deus non haberet intentum gentes namque proſide vera errorem reciperent: vnde B. Petrus dicebat eos tentare Deum, qui aliâ viâ, quàm ex ore ſuo, deciſionem dubij de cęremoniis legalibus expiſcari & quærere vellent.

Quinta ratio: Deus Apoſtolos idoneos fecit Miniſtros noui Teſtamenti, itaut ad quodcumque opus ſeu Miniſterium aſſumpti fuerint à Deo, hoc fæliciter & efficaciter perficere potuerunt. At Miniſterium ſpeciale Petri eſt vt fides Catholica ſarta tecta exiſtat: Ergo huius miniſterij idoneus debuit eſſe Miniſter: quod miniſterium à Chriſto non ab Eccleſia accepit, à Chriſto nempe fuit electus miniſter ad confirmandos fratres in fide ſua, id eſt in fide quam Petrus habebat, pro qua, ne deficeret, Dominus rogauit. Firmus itaque ſemper eſſe debet & immobilis in fide, vt ſupra eum, tanquam ſupra petram, Eccleſia firma conſiſtat.

Plures obiectiones affert Almainus, quibus probare nititur ad ſummum Pontificem minimè pertinere vltimam eorum quæ ſunt fidei deciſionem auctoritatiuam & iudicialem, & prima eſt:

Duo ſummi Pontifices determinauerunt contraria, etiam in his, quæ fidem tangunt, nempe Ioan. 20. & Nicolaus 4. quorum vnus determinauit iudicialiter, Chriſtum & Apoſtolos nihil habuiſſe in communi, nec in proprio; alter oppoſitum. Ita Alma. Reſpondeo primò Ioannem de Turrecremata lib. 1. ſummæ c. 112. hos Pontifices conciliare, vt animaduertit Bellarminus, lib. 4. de Romano Pontifice, quod tamen fieri poſſe in omnibus negat Bellarm. Et ideo alio modo reſpondet, oſtendendo, quod ſi quid contrarium doceant, quamuis vnius ſententia verior videatur quàm alterius, hoc non eſſe in re fidei; deinde aliquid non fuiſſe ab vno deciſum tanquam articulum fidei, quod fuerit directè ab alio

Digitized by Google

impugnatum; & quantum ad id quod præcisè tangit Almainus, quod ad fidem pertinere videretur, non diſſentire Nicolaum & Ioannem: nam Nicolaus dicit aliquando Chriſtum perfectiſſimam illam paupertatem verbo & exemplo docuiſſe; aliquando autem paupertatem minus rigidam exemplo demonſtraſſe, tanquam communem omnium Patrem & Doctorem. Ioannes autem definit eſſe hæreticum aſſerere Chriſtum nihil vnquam his in terris habuiſſe proprij, nec in ſpeciali, nec in communi. Quæ duo non pugnant. Nam Nicolaus non negat Chriſtum aliquando habuiſſe aliquid proprij, ſaltem in communi, ſed negat ſemper talem vitam Chriſtum egiſſe: Ioannes quoque non negat Chriſtum aliquando nihil habuiſſe proprij, nec in ſpeciali nec in communi, ſed negat ſemper talem vitam Chriſtum egiſſe. Ita Bellar. Qui etiam probat vtrumque vitæ genus Chriſtum exemplo ſuo docuiſſe in diuerſis temporibus, vt omnibus daret exemplum, & viuendi normam præberet, pro diuerſitate ſtatus eorum, qui in Eccleſia illi miniſtraturi erant in propagatione fidei, & promulgatione Euangelij, & Sacramentorum adminiſtratione. Certè attentè legenti Ioannis 22. conſtitutiones, ad duo capita omnia reduci poſſe iudicabit, primum ad mores pertinet, ſecundum ad fidem.

Quantum ad primum, optimè ait noſter Hieronymus à Politio in expoſitione Regulæ FF. Minorũ: *Quandoquidem iſta ſunt inſtituta purè humana, ſicut vnus Papa vno inſtituit modo, poteſt alius Papa alio modo inſtituere deſtituendo primum.* Ita ille. Vnde mentem ſuam aperit Ioannes c. 3. dum ait: *Ad conditorem Canonum non eſt dubium pertinere, cum ſtatuta à ſe, vel prædeceſſoribus ſuis edita obeſſe percipit potius quàm prodeſſe, ne vlterius obeſſe valeant, prouidere.* Ita ille. Exiſtimauit igitur Ioannes quædam à Nicolao quarto edita fuiſſe ſub ſpe profectus alicuius, quæ obeſſe per experientiam ſibi perſuadet: vnde aliter eſſe prouidendum arbitratur. Nec cum Soto, lib. 4. de iuſtitia & iure q. 1. art. 1. dicere vellem *Ioannem hoc non feciſſe legitimè, (& ſifas eſt dicere) nec iuſtè, ſed certè in odium forſan Ochami & aliorum ſui ordinis, qui fuerunt ei infeſtiſſimi.* Ita Soto. Ipſe enim Ioannes multa adducit, quibus oſtendit fratres Minores ex ordinationibus Nicolai 4. non euaſiſſe, vt ſperabatur, altiſſimæ paupertatis magis obſeruatores; & Eccleſiæ Romanæ (quod quidem præuiſum non fuerat, nec enim omnia præuideri poſſunt) aliquid indecens obtigiſſe ex retentione Dominij rerum, quæ ad vſum prædictorum fratrum ipſis dantur: quod videlicet ſub nomine Romanæ Eccleſiæ multa repetenda forent, nunc in foro Eccleſiaſtico, nunc in ſeculari, interdum quoque coram Pedaneis iudicibus, & plærumque pro rebus paruis & vilibus, quod honori Eccleſiæ Romanæ officeret; & inſinuatione multorum Prælatorum, & Rectorum diuerſarum prouinciarum adhuc in curia exiſtentium, conſtare tales ordinationes ipſis Prælatis & Rectoribus graues & moleſtas exiſtere: vnde tali Dominio renunciabat, & ordinationes ſuper hoc factas pro non factis habere volebat. Eſto igitur malè fuerit informatus: tamen verum erit nihil iniuſtè feciſſe, dum pro meliori bono, iuxta ea quæ didicerat, fieri aliud quid, quàm prædeceſſor ordinauerat, ipſe conſtituit: non enim iniuſtè agit quilibet iudex, qui iuxta rerum exigentiam, & allegata & probata, aliquid conſtituit.

Quantùm ad ſecundum, nihil circa fidem contrarium decreuerunt iſti duo Pontifices. Nicolaus namque verum aſſerit, cum vult Dominum paupertatem duxiſſe aliquando, vt perfectæ abdicationis omnium rerum exemplum præberet; Nec Ioannes, cum erroneum & hæreticum eſſe ait, dicere Chriſtum & eius diſcipulos nihil habuiſſe, & in his quæ habuerunt nullum ius eis fuiſſe: nam ſatis patet ſi Chriſtus voluit abdicationis rerum perfectum dare exemplum, cum dixit: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Luc. 9. ſe tamen rerum Dominum profiteri, dum porcos terræ Geraſenorum tradidit dæmonibus in mari ſubmergendos, tanquam ſupremus omnium rerum Dominus; dum pullum & Aſinam ab Apoſtolis ſolui præcepit, & nihil aliud ipſis eſſe reſpondendum, ſi quis eos interrogaret cur ſoluerent, quam, *Dominus his opus habet*; Et dum dixit ſibi ſoluendum eſſe didrachma; non quaſi aliquid deberet, ſed ne ſcandalizarentur hi qui petebant, quippe qui nullum ſibi in Dominio ſuperiorem agnoſceret. Denique docuit ſe rerum Dominum, dum ſtaterem in ore piſcis inuentum non præcepit reſtitui ei cuius erat, quem tamen, aut eius hæredes non ignorabat, ſed pro ſe & Petro dari voluit didrachma exigentibus de illo ſtatere, tanquam de re propria diſponendo, vt pote omnium rerum Dominus, cuius Dominij participationem Petro, & aliis communicandum fore inſinuauit; dum pro Petro etiam illud ſolui præſcripſit, ac ſi innueret: Bona quæ mihi ſunt propria vt rerum Dominus, in tuo etiam erunt Dominio, vt de illis etiam diſponere poſſis. Vnde optimè Ioannes Pontifex oſtendit Nicolaum ſenſiſſe Dominum proprietatem habuiſſe in loculos; & reuera ſi Chriſtus & Apoſtoli nullum habuiſſent ius Dominij, per quod potuiſſent de rebus ſibi oblatis, & ad pedes diſcipulorum poſitis poſt aſcenſionem, prout vellent diſponere; nec ipſe ſummus Pontifex, qui Petri ſucceſſor eſt, poſſet ſibi vllum reſeruare Dominium earum rerum, quarum ſimplex vſus fratribus Minoribus relinquitur. Cum igitur Nicolaus non dixerit Chriſtum nullum vnquam habuiſſe ius aut Dominium in rem aliquam; ſed tantum in quibuſdam actibus oſtendiſſe perfectæ abdicationis exemplum; Ioannes autem tantùm dicat hæreticum eſſe aſſerere Chriſtum aut Apoſtolos nullum ius habuiſſe diſponendi de rebus ſibi oblatis; nihil contrarium docuerunt. Nihil quippe eſt in ſcriptura, quo explicitè aut implicitè probari poſſit Chriſtum aut Apoſtolos habuiſſe tantum ſimplicem vſum facti: & ipſe Nicolaus ſatis oſtendit ſe hoc non exiſtimare, cum præter actus perfectæ abdicationis rerum, docet Chriſtum habuiſſe loculos: & vtrumque egiſſe vt perfectis & imperfectis viam ſalutis perfectè vt pote ſemper perfectus oſtenderet.

Obiicit rurſus Almainus: Innocentius tertius, & Cæleſtinus determinauerunt contraria ſupra iſta propoſitione: Vno coniugum ad hæreſim tranſeunte, alter qui remanet in fide poteſt ad ſecunda vota tranſire. Determinatio Innocentij tertij, quod non poteſt, ponitur in c. Quando de diuortiis. Determinatio Cæleſtini, vt dicit Gloſſa, in eodem capite olim ponebatur in decretalibus, de conuerſione coniugatorum, in fine. Reſpondeo, decretum à Cæleſtino factum non eſſe planè Apoſtolicum, & ex Cathedra: vnde Innocentius dum aliter ſentit, cum dicit prædeceſſorem ſuum aliter ſenſiſſe, indicat in opinione rem totam adhuc poſitam fuiſſe: & conſtat multa eſſe alia in epiſtolis decretalibus, quæ non faciunt rem aliquam eſſe de fide, ſed ſolum opiniones Pontificum de ea re nobis declarant. Ita Bellarm. lib. 4. de Rom. c. 14. Reſpondeo ſecundò, tale decretum Cæleſtini nunc non reperiri in decreto: vnde de veritate illius plane non conſtat; ſed tantùm lib. 5. decret. ſub titulo de conuerſione infidelium, titulo 34. c. 1. ad petitionem quarumdam mulierum

Digitized by Google

mulierum Chriſtianarum quæ petebant diuortium à maritis Saracenis ad fidem conuerſis, quos compererant ſuos in bello antea occidiſſe viros ; fuiſſe autem à Cæleſtino reſponſum, quòd cum tales (nempe vxores) non procurauerint virorum interitum defunctorum, Matrimonium inter huiuſmodi perſonas licite poteſt contrahi, & taliter copulati diuortium nequeunt poſtulare. At iſtud non eſt determinare quodvno coniugum ad hæreſim tranſeunte, alter qui remanet in fide poſſit ad ſecunda vota tranſire. Vnde cum Innocentius dicit : *Cum inter fideles, verum & ratum Matrimonium exiſtat, quia Sacramentum fidei, quod ſemel eſt admiſſum, nunquam amittitur; ſed ratũ efficit coniugij Sacramentum, vt ipſum in coniugibus illo durante perduret.* Ita Innocentius ; inter duas illas determinationes nihil video eſſe contrarium. Vterque namque Pontifex declarat Matrimonium legitimè contractum eſſe indiſſolubile, nec diuortium pati poſſe : vnde probabile eſſe videtur eos qui Innocentium conſulebant malè expoſuiſſe ; & fallaciter (vt faciliùs diſpenſationem obtinerent) allegaſſe Cæleſtinum dicentem poſſe fieri vt vno coniugum ad hæreſim tranſeunte, alterum qui remanet in fide, poſſe ad ſecunda vota tranſire. Quod tanquam opinionem particularem rejicit Innocentius, & ſe aliter opinari declarat. Quidquid ſit, certum eſt has determinationes non eſſe ex cathedra, & deciſiones ad fidem pertinentes, de quibus eſt quæſtio.

Inſtat adhuc Almainus : *Aliqui ſtatuerunt contra Euangelium, vt Pelagius, qui fecit conſtitutionem quod omnes ſubdiaconi Siciliæ à ſuis vxoribus abſtinerent, quas in minoribus ordinibus duxerant, aut ab officio ceſſarent : quàm (quia erat iniqua & contra Euangelium) retractauit Gregorius primus eius ſucceſſor, vt patet 31. diſtinct. Curio. Ante triennium, in textu, & in gloſſa. Si enim potuerit iudicialiter ſtatuere contra Euangelium, ita & definire.* Ita Alm. Reſpondeo primo negando hanc conſequentiam : *Potuit iudicialiter ſtatuere contra Euangelium, ita & definire* : Nam per inaduertentiam poſſet aliqua ſententia emanare ab Apoſtolica ſede, in qua propter defectum diligentioris examinis aliquis error obreperet, qui defectus non eſt pertimeſcendus dum aliquid circa fidem & Euangelij veritatem definiendum eſt : tunc enim adhibet ſemper ſummus Pontifex omnem diligentiam requiſitam, vt quæ vera ſunt decernat, & in tali caſu habet promiſſionem infallibilitatis, vt fratres in veritate confirmet.

Reſpondeo ſecundò quærendam eſſe reſponſionem ab eodem S. Gregorio huic obiectioni, & negandum aliquid decreuiſſe Pelagium contra Euangelium : quod ita probatur : Si aliquid decreuiſſet Pelagius contra Euangelium, non eſſent laudandi, remunerandi, & vt in obſeruatione talis decreti, permanerent exhortandi, qui huic decreto obtemperaſſent. At dicit S. Grego. *Qui poſt eam prohibitionem, quæ ante triennium facta eſt, continenter cum ſuis vxoribus vixerunt, laudandi atque remunerandi ſunt, & vt in bono ſuo permanerent exhortandi.* Ergo S. Gregorius non exiſtimat Pelagij decretum fuiſſe contra Euangelium, vt temerè Almainus aſſerit, & Gregorio maior fides eſt adhibenda quàm Almaino, qui hanc Pelagij conſtitutionem iniquam vocat & contra Euangelium, quam tantum duram, & incompetentem vocat S. Gregorius. Et cum mos eſſet Romanæ Eccleſiæ vt ſubdiaconi nullatenus ſuis vxoribus miſcerentur ; hunc morem introducere voluit apud Siciliam Pelagius, ſed cum hi qui ſubdiaconatum ſuſceperant, non exiſtimaſſent tunc ſe ad Caſtitatem ſeruandam adſtrictos, hoc durum exiſtimat Gregorius, quod contra ſpem ab vxoribus abſtinerent. Hoc & incompetens etiam declarat, quoniam per hoc occaſio daretur vt quis deterius caderet. Vnde præcipit *vt deinceps nullus Epiſcopus Vllum ſubdiaconum facere præſumat, niſi qui ſe Victurum caſtè promiſerit*, vt ſic qui ſubdiaconatum ſuſcipere voluerit, ad caſtitatem ad altaris miniſterium neceſſariam ſponte & voluntariè adigatur, non coactè & per quamdam violentiam : *quia*, inquit S. Gregorius, *nullus debet ad miniſterium altaris accedere, niſi cuius caſtitas ante ſuſceptum miniſterium fuerit approbata.* S. Gregor. l. 1. Epiſt. 42.

Vrget Almainus : Si ſummus Pontifex non poſſit errare iudicialiter in his quæ ſunt fidei, ſequitur ſummum Pontificem non poſſe fieri hæreticum circa propoſitiones nondum determinatas, & ad quas credendas non tenetur aliquis explicitè, &c. Hoc totum concederet Albertus Pighius l. 4. Hierarch. Eccleſiæ c. 8. Vbi docet Pontificem non poſſe vllo modo eſſe Hæreticum, nec docere publicè Hæreſim, etiam ſi ſolus rem aliquam definiat. Quæ propoſitio probabilis videtur, & piè credi poteſt : & probatur ex ſuaui Dei prouidentia, & ex euentu, quia de facto nullus adhuc fuit, quidquid dicant Hæretici, quidquid ſchiſmatici exprobrent, quidquid quidam Doctores, vt hîc Almainus, in medium adducant : vt tanquam Cham, cui maledixit Noe, pudenda patrum, id eſt, quæ tanquam homines imperfecti habuerint aut commiſerint Pontifices, denudare ſtudeant. At, inquit Almainus, mirum eſt quod homini Hæretico ita aſſiſteret Spiritus ſanctus, quod non ſineret eum iudicare aut decidere eſſe vera quibus aſſentitur ; imo ad iudicandum oppoſitum compelleret. Eſto hoc mirum ſit, quod ſi fieri poſſet vt Hæreticus fieret perſona illa particularis ad Pontificatum euecta, ipſa nunquam falſum Eccleſiæ proponat : nonne admiranda ſunt diuinæ prouidentiæ ſeu gubernationis opera, ſicut mira ſunt opera creationis ? Nonne tanta eſt vis Cathedræ Petri, vt etiam aliquando malè ſentientes cogat benè dicere, quia videlicet Deus ab intento fine non deficit ; Voluit Dominus vt per hanc auctoritatem, & per miniſterium ſui Vicarij, veritas nuda, & aperta fidelibus proponatur vt credant. Quid mirum ſi non permittat vt qualiſcumque ſit Pontifex, nunquam mendacia Eccleſiæ obtrudat pro veritate, qui Caipham etſi, malum Pontificem, *quia Pontifex erat anni illius*, fecit veritatem edicere ?

Hinc parui momenti eſt Almaini inſtantia, c. 10. de auctoritate Eccleſiæ ; vltimam reſolutionem in his quæ fidei ſunt non ſpectare ad ſummum Pontificem, quòd non ſit veriſimile quod Deus commiſerit vltimam deciſionem homini potenti in his quæ fidei ſunt errare. Nonne ſiquidem vides, optime Lector virum eruditiſſimum ad tam fulgidum lumen cæcutire, quia obiectum fidei oculis humanæ ſapientiæ intuetur, quæ non poteſt ſcopum, pro quo auctoritas Pontificia fuit à Chriſto inſtituta, pertingere ? *Veriſimile*, inquit, *non eſt quod homini potenti in his quæ fidei ſunt errare, vltimam commiſerit Deus deciſionem.* Nego conſequentiam. Poterit errare, & tamen errorem non poterit intrudere. Hoc non probatur ratione, ſed fide creditur. Vnde quidam, inter quos Albertus Pighius lib. 4. Hierarch. Eccleſiaſt. c. 8. probabile putant, & piè credi poſſe affirmant, quod antea diximus, ſummum Pontificem non ſolùm vt Pontificem errare non poſſe, ſed etiam vt particularem perſonam hæreticum eſſe non poſſe, falſum aliquid contra fidem pertinaciter credendo. Quod ſi Ioannem 22. obtrudas, quem dicunt voluiſſe decidere animas beatitudine æterna non frui ante iudicium ; Reſpondeo : at non fecit, & ante mortem ab hoc errore mentis receſſit. Quod ſi

Digitized by Google

mens eius hoc dubio fuit agitata, nunquam fuit in errore pertinax: volebat enim tantùm hæc diſcuti & examinari, vt poſtea quid proponendum eſſet Eccleſiæ decideret. Et ſic nunquam fuit hæreticus: quia nihil contra fidem vniuerſalis Eccleſiæ volebat credere: Sed eſto, poſſit quis Pontifex perſonaliter errare: nego tamen conſequentiam, quod poſſit Eccleſiam in errorem inducere, ex ſuaui diſpoſitione diuinæ prouidentiæ; ſiue quia non permittit aliquem prouehi ad tantam dignitatem, qui non ſit pius & eruditus, & verè Catholicus; vel qui antequam aliquid decidat, rem non faciat ſeriò examinari; vel certè Deus morte proueniet eum, qui mente corruptus vellet Eccleſiæ illudere, & eam in aliquem errorem inducere. Et hoc eſt quod diuina prouidentia vult nos de ſua benignitate & fidelitate erga Eccleſiam credere, captiuantes intellectum in obſequium fidei in hac materia, ſicuti in alia materia, propter rei difficultatem minimè dicentes: quomodo poteſt hoc fieri? Vel non eſt veriſimile hoc poſſe fieri, non enim dormiet aut vnquam dormitabit qui cuſtodit Iſraël.

Quod credens firmiter Eccleſia confidenter dici apud Iſaiam c. 26. *Anima mea deſideranit te in nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. Cum feceris iudicia tua in terra, iuſtitiam diſcent habitatores orbis.* Ita Iſ. At ſi diceret: in nocte errorum, & tenebris ignorantiæ, anima mea deſiderio ardenti dicit: illumina vultum tuum ſuper nos; & ex intimo cordis, ſpiritus meus, mens mea vigilabit de mane ad te, ſpe erecta quod ſtatim atque clamauerit tu exaudies, & ſpiritum veritatis promiſſum mittes, qui doceat omnem veritatem: qua quidem ratione eueniet, vt cum feceris iudicia tua in terra, Pontifice veritatem exquirente, iuſtitiam diſcent habitatores orbis, dum quæ vera ſunt, quæ recta ſuggeret ſpiritus tuus bonus vt deducat nos in terram rectam. Hæc eſt virga vigilans quam videt Hieremias c. 1. nempe diuina prouidentia ſupra Eccleſiam inuigilans. *Et dixit ad me*, inquit Ieremias, *bene vidiſti, quia vigilabo ſuper verbo meo, vt faciam illud.* Non igitur dormitabit neque dormiet qui cuſtodit Iſraël Pſ. 120. Quæris igitur quomodo fiet iſtud? Reſpondeo quia Deus Petro iniunxit vt confirmet fratres ſuos, & vt, prout oportet, ſuo munere, & ſpeciali miniſterio ritè fungatur, auxilia habebit parata, vt ſemper abſque errore & infallibiliter vera credenda proponat. Non igitur auctoritatem ſummi Pontificis oculis prudentiæ carnis intueamur cum Almaino. Credimus vnam Eccleſiam Catholicam; igitur Eccleſia non debet intueri prout exteriùs apparet in hominibus qui illam componunt, ſed ſecundum aliquem ſtatum ſupernaturalem, qui ſit obiectum fidei noſtræ. Non enim de Eccleſia, veluti de Republica Venetorũ, aut Ducatu Moſchouitarum, aut Regno Chinenſi nobis eſt loquendum; ſed illam vt à Deo inſtitutam, & fundatam reſpicere debemus, & in ſtatu altiori, quàm naturali poſitam. Ita eodem oculo fidei ſummus Pontifex eſt conſpiciendus. Caput namque eſt homogeneum corpori: itaut ſicut totum corpus eſt fidei obiectum, ſecundum illum ſtatum ſupernaturalem, ita & caput ſit obiectum fidei, ſecundum ſuum miniſterium. Et ita ratio Almaini nihil concludit contra nos, cum ait: *Fatetur quilibet Chriſtianus ſe credere in vnam ſanctam Eccleſiam: & ſic ad eam eorum quæ ſunt fidei vltima deciſio ſpectabit: cum enim Papa fatetur ſe credere in vnam ſanctam Eccleſiam, non intelligit quod credat in ſemetipſum.* Ita Almai. c. 10. de auctor. Eccleſ. Reſpondeo: non intelligit quod credat in ſemetipſum, ſed benè intelligit quod credit auctoritatem qua fungitur, & miniſterium ad quod aſſumitur eſſe à Chriſto, & ordinis ſupernaturalis: vnde cum decidere vult aliquid ex illa fide ſperat à Deo aſſiſtentiam ſpecialem in tali negotio, quia Chriſtum credit fidelem in promiſſis, qui dixit: *Dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere omnes aduerſarij veſtri.* Inſurgant igitur dubia, errores diſſeminentur, non timet ſummus Pontifex. Hinc ſcit & pronunciat Petrus ex ore ſuo pendere, iuxta decretum dierum antiquorum, dubiorum ſolutionem, errorum diſſipationem, vt gentes ex ore ſuo audiant & credant quæ credenda eſſe oportet. *Vos ſcitis ab antiquis diebus, &c.*

At objicit rurſus Almainus, quòd *non pro perſona Petri ſola aut ſucceſſoribus orauit Chriſtus, ne deficeret fides eius, ſed pro vniuerſali Eccleſia per Petrum repræſentata; cum omnibus prædictis benè ſtat quod ſi ſummus Pontifex faceret quod in ſe eſt ad rectè determinandum, non permitteret Deus eum errare. Hoc dicit Aliſtiodorenſis, de vetula, quod nunquam permitteret Deus eam errare errore perſonali in his quæ ſunt fidei, ſi faciat quod in ſe eſt: ſed ſummus Pontifex poteſt ſententiare aliquid eſſe de fide, & non facere quod in ſe eſt ad rectè ſententiandum.* Ita Alm.

Hæc pulchra & ſolida videbuntur prima fronte, dignitati Pontificiæ inuidentibus: ſed ſi propiùs examinentur, nullius ponderis eſſe videbuntur. Et primò nego quod oratio Chriſti facta fuerit immediatè pro Eccleſia, imo pro Petro immediatè, ad Eccleſiæ tamen vtilitatem: non enim Eccleſia pro Petro, ſed Petrus pro Eccleſia, iuxta illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 3. *Omnia enim veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Cephas, ſiue mundus, ſiue vita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura: omnia enim veſtra ſunt; vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.* At ſi infallibilitas Petro promittitur propter Eccleſiam, quis ex hoc conjiciet hac de cauſa ipſum non eſſe infallibilem? Sol lumen habet ad illuminationem totius vniuerſi: ergo ſol in ſe non habet lucem? Quis hanc non derideret conſequentiam? Et certè pro vniuerſali Eccleſia rogat Dominus, dum rogat pro eo, cui curam committere volebat, vt confirmaret fratres in fide: nam ſtatim atque ille redditur infallibilis, Eccleſia ſecura eſt, dum audit Paſtorem nihil niſi verum & fide dignum ſibi proponentem, iuxta illud vulgatum S. Leonis in vniuerſ. aſſumpt. ſuæ: *Commune quidem erat omnibus Apoſtolis periculum: ſpecialis tamen à Domino Petri cura ſuſcipitur, & pro fide Petri proprie ſupplicatur; tanquam ſi aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Principis victa non fuerit. Ergo omnium fortitudo munitur, & ita gratiæ diuinæ ordinatur auxilium, vt firmitas quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis conferatur.* Ita S. Leo. Quomodo autem firmitatem tribueret, niſi ipſe immobilis in fide permaneret? Et pro hac interpretatione huius loci Doctor Du-Vallius citat auctorem qu. veteris & noui Teſtamenti, quæſt. 79. Ambroſium in Pſal. 83. Theophilact. in hunc locum Lucæ. Et quia non pro perſona Petri rogabat Dominus reduplicatiuè ſumpti, vt erat perſona ſingularis, ſed pro Petro tanquam vniuerſali Paſtore, & omnium Chriſtianorum Doctore, & in vtilitatem totius Eccleſiæ rogabat Dominus, vt non deficeret vnquam à fide; ideo ad ſucceſſores eius, qui in hoc munere illi legitimè ſuccedunt, tranſit illa infallibilitas, vt optimè conjicit Andreas du Val in 2. parte de poteſtate ſummi Pontificis, q. 2. Nec illa inſtantia Almaini, de vetula faciente quod in ſe eſt, ponderatione digna eſt: præſupponit enim quod Pontifex poteſt ſententiare aliquid eſſe de fide, & non facere quod in ſe eſt: quod falſum eſt, Deo non permittente vt Pontifex in tali & tanto negotio oſcitanter agat, & media non aſſumat neceſſaria ad veram de dubiis reddendam deciſionem, quando ad ipſum dubia referuntur decidenda: ad quod

Digitized by Google

neceſſe non eſt vt conuocet Concilium vniuerſale, cum in ſe habeat hanc auctoritatem definiendi ac decernendi, quod credendum eſt. Non enim Concilia generalia ad deciſionem dubiorum ſunt neceſſaria, ſed tantum vt rebelles & contumaces reprimantur, & in ordinem redigantur; v. g. iam de fide erat quod Paulus Iudæis inculcabat, nempe quod ceremoniæ legales abolendæ eſſent; ſed quia Iudæi contradicebant, ad Concilium Apoſtolorum recurrendum fuit, vt omnis diſceptatio finiretur. Vnde ſtatim atque Petrus ſententiam tulit, tacuit omnis multitudo, & ad alia tractanda factus eſt tranſitus, Iacobo interim poſtea agente, vt quod determinatum fuerat promulgaretur debito & conuenienti modo: quod prudens conſilium ſequuti ſunt Apoſtoli literas mittentes nomine totius Concilij, in quo Spiritu ſancto per os Petri loquente, quia Pontifex erat, dubium fuerat reſolutum. *Viſum eſt*, inquiunt, *Spiritui ſancto*, per os ſuum, nempe Petrum, *loquenti, & nobis, &c.* Vnde And. du Val part. 1. q. 2. ait: *Diligentiſſimè itaque obſeruandum eſt, vt aliquod dogma tanquam hæreticum habeatur, non eſſe neceſſariam Concilij generalis celebrationem, ſed ſufficere ſummi Pontificis condemnationem, cum acceptatione totius Eccleſiæ per orbem diffuſæ: Licèt enim decretum Pontificis, quatenus ab eo promanat, de fide non ſit, cum eius in decernendo infallibilitas fide Catholica minimè conſtet, nihilominus ſi hæc condemnatio ab vniuerſali Eccleſia, licèt diffuſa, & non coacta in Concilio, approbetur, iam nemo citra fidei detrimentum ei poteſt contradicere. Eſt enim de fide Eccleſiam non tantùm vt congregatam in Oecumenico Concilio, ſed vt diffuſam per orbem errare non poſſe.* Hæc ille. Eſto igitur non ſit decretum ſummi Pontificis, quatenus ab eo promanat, eſſe de fide, tamen cenſet iſte Doctor ſtatim atque acceptatur ab Eccleſia, illud eſſe tenendum de fide: At tale eſt decretum Innocentij 10. contra Ianſeniſtas: Cenſendi ſunt igitur hæretici qui huic decreto contradicent. Et eò facilius illos inter hæreticos deputo, quidquid cenſeant alij, quod apud me probabiliſſimum eſſe exiſtimo certum eſſe de fide, quod quidquid ſummus Pontifex ex Cathedra docet, tenendum eſt tanquam de fide, nihilque falſi poſſe decernere in materia fidei, quia tunc cum de hac materia illi tractandum eſt, habet infallibilitatis promiſſionem; & proinde cenſendos eſſe hæreticos qui eius determinationi contradicerent; taleſque eſſe Ianſeniſtas, poſt conſtitutionem Innocentij decimi ab Eccleſia potiſſimùm acceptatam, ſi in propoſito pertinaciter permaneant. Nec ipſis ad Concilium futurum prouocandum eſt: de illis enim dicendum eſſet quod de Pelagianis olim S. Auguſt. contra duas Epiſtolas Pelagij, lib. 4. c. 12. qui ab Innocentio condemnati ad Concilium prouocabunt. *Verùm*, inquit S. Aug. *iſtorum ſuperbia, quæ tantùm ſe extollit aduerſus Deum, vt non in illo velit, ſed poſſit in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare ſui ſligatur, vt propter illos orientis & occidentis ſynodus congregetur. Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis reſiſtente peruertere nequeunt, ſaltem commouere conantur; cum potius vigilantia & diligentiâ Paſtorali, poſt factum illis competens ſufficiensque iudicium, vbicumque iſti lupi apparuerint conterendi ſunt, ſiue vt ſanentur atque mutentur, ſiue vt ab aliorum ſalute atque integritate vitentur.* Ita Auguſt. Ita Ianſeniſtæ ab Innocentio 10. condemnati, ſi dicunt: Non dicendi ſumus ex hac conſtitutione hæretici: ad Concilium prouocamus. Explodendi ſunt, illiſque reſpondendum: iam competens ſufficiensque iudicium factum eſt: obedite conſtitutioni: obedite Dominorum Epiſcoporum Galliæ, huius conſtitutionis acceptationi: aliàs vos hæreticos eſſe clam & apertè dicemus. Sed quid moror eos hæreticos proclamare poſt conſtitutionem Innocentij decimi, poſt ipſius conſtitutionis ab Epiſcopis Galliæ ſuſceptionem & promulgationem inſtante apud eos Rege Chriſtianiſſimo vt eam & ſuſciperent & promulgarent. Si quis mihi ſuccenſere vellet, pro vnico clypeo, aſſumo Epiſtolam nomine Cardinalium, Archiepiſcoporum Galliæ ſanctiſſimo Patri Innocentio 10. ſummo Pontifici, à Petro de Marca Conſoranorum Epiſcopo, à Chriſtianiſſimo Francorum ac Nauarrorum Rege ad Archiepiſcopatum Toloſanum nominato, ſcriptam; quam repeties integram in Bibliotheca anti-Ianſeniana, in qua ſacri, antiſtites inter alia dicunt: *Neque verò*, inquiunt, *pœnæ decreuerunt aduerſus temerarios illius violatores, quæ à iure hæreticis infliguntur, quibus iuxta conſtitutionis tenorem, & Breue ſanctitatis veſtræ nobis directum, contumaces omnes, nullo conditionum, vel ſtatuum diſcrimine facto, perſtringemus: præſertim cum in Gallijs ad Epiſcopos in ſolidum iſthæc cura pertineat, vbi nullos hæreſeos prauitatis inquiſitores conſtituti patitur mos antiquus ex iure communi profectus, &c.* Ita Illuſtriſſimi Præſules, qui in eadem Epiſtola fatentur ex ſola auctoritate ſedis Apoſtolicæ, abſque Synodo Oecumenica, hæreſes poſſe damnari, dum dicunt: *Enimuero vetuſtæ illius ætatis Eccleſia Catholica, ſola Cathedræ Petri communione & auctoritate fulta, quæ in Decretali Epiſtola Innocentij ad Africanos data elucebat, quamque dein Zoſimi altera ad vniuerſos orbis Epiſcopos Epiſtola ſubſecuta eſt, Pelagianæ hæreſis damnationi abſque cunctatione ſubſcripſit. Perfectum enim habebat non ſolùm ex Chriſti Domini noſtri pollicitatione Petro facta, ſed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex anathematiſmis aduerſus Apollinarium & Macedonium, nondum ab vllo Synodo Oecumenica damnatos, à Damaſo Paulo antea factis, iudicia pro facienda regula fidei à ſummis Pontificibus lata ſuper Epiſcoporum conſultatione (ſiue ſuam in actis relationis ſententiam ponant, ſiue omittant, prout illis collaburit) diuina æquè ac ſumma per vniuerſam Eccleſiam auctoritate niti: cui Chriſtiani omnes ex officio, ipſius quoque mentis obſequium præſtare teneantur.* Ita illi. Quid igitur moror Ianſeniſtas contumaces hæreticos nominare, & vt tales à S. Ioanne vt alios hæreticos depingi aſſerere?

SYMBOLVM HÆRETICORVM EX IX. CAP. APOCALYPSIS.

Et ita vidi equos in viſione. Et qui ſedebant ſuper eos habebant loricas igneas, & hyacinthinas & ſulphureas: & capita equorum erant tanquam capita leonum: & de ore eorum procedit ignis, & fumus, & ſulphur. Et ab his tribus plagis occiſa eſt tertia pars hominum, de igne, & de fumo, & ſulphure, quæ procedebant de ore ipſorum. Poteſtas enim equorum in ore eorum eſt, & in caudis eorum: nam caudæ eorum ſimiles ſerpentibus, habentes capita: & in his nocent.

Ianſeniſtæ optimè per equos deſignantur.

ARTICVLVS I.

TRIA à nobis iam elucidata ſunt: primò, rationem reddidimus, qua inducimur ad hunc tractatum noſtro commentario adiungendum, ſecundò diximus Ianſeniſtas contumaces, poſt Bullam Innocentij 10. dicendos eſſe hæreticos, duabus de cauſis; tertiò vt tales habeantur ſufficere condemnationem à ſummo Pontifice latam, ad quem pertinet de rebus fidei infallibiliter decidere, nullo expectato particulari aut vniuerſali Concilio. Nunc nobis oſtendendum Ianſeniſtas, vt pote hæreticos, viuis

coloribus in ſchemate S. Ioannis depingi. Et primò,

Dico Ianſeniſtas optimè per equos deſignari. Monet S. Auguſt. lib. 3. de Doctrina Chriſtiana, in figuratis locutionibus eadem verba non ſemper eamdem habere ſignificationem; ſed aut contraria, aut tantummodo diuerſa ſignificare; contraria, vt frumentum, Leo, quæ in bonam & malam partem ſumuntur; diuerſa, vt aqua quæ modò Spiritum ſanctum, Ioan. 7. modò populos, Apocalyps. deſignat. Pari ratione, vox (Equos) in bonam & in malam partem ſumitur; in bonam, vt cum Pſalmiſta ait: *Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum*; in malam, vt Pſalmo 48. *Homo cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis.* Hic certum eſt equum non in bonam ſed in malam partem accipi. Cum igitur dicimus Ianſeniſtas per equos deſignari, eos laudare nolumus, quod ſint Deo & Eccleſiæ obedientes, ſed innuere (eo ipſo quod dicunt nos cum malè agimus neceſſariò male agere ex motu concupiſcentiæ, quæ, ſi abſit efficax gratia, abſolutam & antecedentem peccandi neceſſitatem affert) ipſos verè equos, qui homines iumentis inſipientibus ſimiles reddunt, dum honorem liberi arbitrij à Deo datum hominibus in modo operandi auferunt, vt neceſſitatem operandi præſcribant, dum vt bruta circa delectabilia, cum titillat concupiſcentia, abſque delectu & eligendi poteſtate feruntur. Quærit Albinus Caroli magni præceptos, quæſtionibus in Geneſim, cur homo ſuæ poteſtatis auctor eſt creatus? Et reſpondet, *Vt ſibi ipſe auctor eſſet ad vitam, ſiue ad mortem: ſi verò neceſſitate eſſet ſubiectus, tunc, nec boni operis haberet gloriam, nec mali panam, ſed eſſet quaſi vnum ex pecoribus.* Ita Albinus. Quid clarius? Ex Ianſeniſtis homo neceſſitati eſt ſubiectus; ergo quaſi vnum ex pecoribus. Verè equi inſipientes Ianſeniſtæ, qui homines neceſſitati, vt pecus, ſubjiciunt.

Certè, vt ipſe Albinus poſtea ait, ad iſtam interrogationem reſpondens: *Cur homo factus eſt in liberum arbitrium? Quia*, inquit, *noluit hominem cuiuſlibet creare ſeruum, quem imaginem ſuam fecit, quatenus ex voluntario bono laudabilis appareret, vel appetitu malo damnabilis.* Ita Albin. Certe cum carnis titillationes, & concupiſcentiæ motus ſint adeo frequentes & familiares, ſi eo ipſo quo pungunt & ſtimulant, neceſſariò ſit illis conſentiendum, nec liberum ſit illos motus compeſcere aut ſaltem reſpuere, quis nos à peccandi libidine retrahere poterit? *Equus indomitus*, inquit Sapiens Eccleſiaſt. 30. *euadit durus: & filius remiſſus euadet præceps.* Ita Sapiens. Proculdubio appetitus noſter erit ad omnia ſcelera præceps, ſi nullus ſit actionum ſuarum, & motuum concupiſcentiæ Dominus: erit quaſi equus indomitus voluntas hominis, & ad malum quodlibet perpetrandum dura & pertinax remanebit, ſi neceſſitas adſit peccandi, ſtatim atque exſurget in nobis concupiſcentiæ motus. Sapienter Arnob. in Pſ. 90. de libero arbitrio loquens ait: *Multi putant libertatem arbitrij eouſque ſibi poſſe ſufficere, vt ſeſe per ipſam libertatem ab hoſtibus inuiſibilibus eruere poſſe confidant. Libertatem autem arbitrij & negare periculum eſt, & nudare peccatum. Si enim negaueris, omnibus frena laxaſti; ſi nudaueris, decepiſti.* Ita Arnob. Vides negationem libertatis homines equos indomitos reddere, qui laxatis habenis ad perpetranda crimina præcipites currunt? Addit Arnobius: *Nam negas, ſi dixeris: Deus ſi vult, bonus ſum; ſi non vult, bonus non ſum; cum conſtet Deum velle omnes homines ſaluos fieri, & vnuſquiſque ſuo ſit iniquus arbitrio. Nudas autem, cum tantum ipſi arbitrio dederis, at eam rebus diuini adiutorij denudaris. Nam qui habitat in adiutorium altiſſimi, & qui in protectione Dei cali commoratur, Et dicit Domino: ſuſceptor meus es tu, & refugium meum, quia dicit: ſperabo in eum: quia ipſe liberabit me de laqueo dæmonum, & à verbo aſpero ſuggeſtionum eorum; ſi ita dixeris, ſi ita credideris, tum demum in ſcapulis ſuis obumbrabit te, & ſub pennis eius ſperabis: penne Dei Angeli ſunt, quorum cuſtodiæ mancipamur: Scuto circumdabit te veritas eius, ſcuto corporis, ſanguinis, Chriſmatis, quo ſcuto & defendimur, & coronamur.* Ita Arnobius. Hæc vltima Arnobij verba aliqualiter præter noſtrum inſtitutum videntur, ſed nihilominus notatu digniſſima. Ad noſtrum igitur redeamus propoſitum, & alia ratione videamus Ianſeniſtas optimè per equos deſignari.

Secunda ratio igitur eſt, quia ſi eorum dogmata aliqua veritate niterentur, non modo homines libertate priuarentur, qua priuatione ſimiles redderentur iumentis inſipientibus, ſed etiam vt equi in libidines præcipites impellerentur, ſicuti & alij hæretici, de quibus illud Ieremiæ dici poteſt, vt iam notauimus in commentario: *Saturati ſunt, & mechati ſunt, & in domo meretricis luxuriabantur. Equi amatores & emiſſarij facti ſunt: Vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat.* c. 5.

Dices hoc improbabile videri: nam Ianſeniſtæ apparent moribus præditi valdè compoſitis & honeſtis, & nihil minùs quam luxuriem redolentibus. Inſitum eſt, & fixum in mentibus eorum radicitus hoc præceptum, ex Epiſtola illa celebri circulari omnibus diſcipulis S. Auguſtini, id eſt ſectæ Ianſeniſtarum ſectatoribus, miſſa à famoſis portus Regalis Ianſeniſtis, inſerta in fine libri Domini de Marande, cui titulus eſt, *Inconueniens d'Eſtat procedans du Ianſeniſme*, Quænam videlicet inconuenientia oriantur ſtatui pernicioſa ex illa Ianſeniſtarum ſecta, ibi enim plura præſcribunt media, quibus bonam ſibi poſſint conciliare exiſtimationem, quorũ primum tale eſt, vt ſuam apud populos optimè ſtabiliant famam. *Primo expedit vt ſtudeant ſuos adeo benè componere mores, ſaltem quoad exterius, vt illorum vita exemplaris reddita præiudicium ingerat præſentiſſimum, & doctrinam eorum ſanam & bonam exiſtere, eoſque ſyncere ſe gerere.* Quod præceptum ipſos ſeruare notorium eſt & omnibus manifeſtum. Reſpondeo primò, de illorum vita dici poſſe illud à nobis alias prolatum ex Origine: *Quorum vita non tam Deus quàm diabolus inſtruxit.* Affectatio enim illa vitæ exemplaris ad hoc ordinatur, vt libentiùs illorum errores admittantur: qui ſi ſemel admiſſi fuerint, incredibile eſt quantam morum corruptionem inducere valerent. Et ſicut diabolus ſi veritatem aliquam proferat, non dicitur illuminare, quia mala intentione, vt decipiat, illum profert; ita nec iſti bonum proximis dant exemplum, quia ad errorem affectatum, per ea quæ agunt, alios volunt inducere. Hoc fuit ſemper & ſemper erit Diaboli artificium, vt ſub ouina pelle lupos in gregem immittat. Audiui ab eis qui noſtros recentiores hæreticos graſſari incipientes viderunt, eos viſos fuiſſe quandam affectare ſanctitatem. Crimen fuiſſet mulieribus & puellis ſi choreas ſeu ſaltationes exercerent; vitis, ſi aliud iuramentum vſurparent quàm *certè*, frigidè cum quadam grauitate prolatum. At cum hæreſis pedem fixit & radices egit, an tales perſtiterint mihi perſuadere non poſſum. Et experientia ſatis notum eſt quàm parumſtudioſi ſint puritatis, aut caſtitatis amatores & cultores: vnde ſi quis ex noſtris exeunt, *quia non erant ex nobis*, vt ad illos diuertantur, non alia ratione ad hoc inducuntur, quàm vt liberius luxuriæ & genio indulgeant. Nec ab hoc propoſito alienum erit referre quod audiui à viro quodam fide digno, & mihi olim, dum in viuis ageret, notiſſimo, vt callidas agendi artes dæmonis

Digitized by Google

melius percipiamus. Tantò magis erat fide dignus, quod de ſeipſo non de alio loquebatur. Cui hiſtoriæ recentiori fidem adhibere faciliùs poteris, ſi aliam vetuſtiorem legere volueris apud Baronium, anno 495. Vbi mentionem facit cuiuſdam Senecæ, qui vna eademque congregatione puellis ſacris miſcebat Monachos, tantam vim aſſerens homini, etiam ſine adiutorio Dei, ineſſe liberæ voluntatis, vt ſi vellet poſſet inter adoleſcentulas verſari, contrectare, & tamen nullatenus inquinari. Narrabat igitur, quod in iuuentutis flore ordinem Capucinorum ingreſſus, propter infimitatem egredi coactus, pietatis ſtudium non deſerens, inciderat ſub directione alicuius, qui vitæ cuiuſdam ſpiritalis, vt putabat, praxim edocebat. Non mediocris ſanctimoniæ ſpecie ſeductor ille & impoſtor præ ſe ferebat, ora B tioni vacare mentali potiſſimùm, iciunia quædã ſeruare, ſed cum vſu delicatiorum ciborum, quibus ieiunij tempore vti licet præcipiebat: & quia, vt tritum eſt, bonum vinum acuit ingenium, vino defecatiori vtendum eſſe volebat. Miſſam cum ſtudioſo apparatu celebrabat, cum ornamentis prætioſis, ſuſſimentis, quod quidem laudabile eſt, cum hæc ordinantur vt per exteriora mens ad ſpiritalia euehatur: ſed in homine ſenſuum oblectationes exoptante non laudabile exiſtimarem, vt qui in his conquieſceret, nec vltra in meliùs proficeret. Multos habuit ſectatores, quorum plures agnouĩ, qui ſe ab eius conſortio ſeperauerunt, fraude manifeſtatâ, & piè C poſtea in ſacerdotio quidam, in Religione alij vitam duxerunt: Permittebat ille vt puellæ iuniores cum adoleſcentibus ſimul in eodem lecto diſcumberent; Et in hoc perfectionis apicem collocabat, quod ita animus eſſet per orationem Deo coniunctus, vt ex illa tam periculoſa familiaritate nihil turpe poſſet contingere. Teſtabatur ille vir genere nobilis, pulchritudine corporis decorus, in dignitate Eccleſiaſtica cum iſta mihi narrabat conſtitutus, ſe iuxta præſcriptum iſtius impoſtoris inter duas adoleſcentulas pulcherrimas per ſex hebdomadas fere decubuiſſe abſque vllo motu libidinis, quaſi eum diabolus ſtupidum, & inſenſibilem prorſus ad tempus reddidiſſet: ſed Deus non permiſit vt eius ſimD plicitas deciperetur, & ſpeciali Dei prouidentia hæc congregatio diſſipata eſt. Heu, exclamabat ille, Deus Bone! in quodnam periculum imminens contrahendæ turpitudinis incidiſſem? Iam oſcula amicitiæ indicia, iam amplexus ſtrictioris charitatis ſigna apparebant quaſi honeſta & licita, & importunæ cogitationes malum ſuggerebant, & carnis motus inualeſcere incipiebant, ita cito citius peccatum fuiſſet perpetratum, ſi hæc congregatio diſſipata minimè fuiſſet. Videſne, optime lector, diaboli artes, ſatanæ altitudines, qui ſub ſpecie pietatis ad tantum nefas ſimplices animas adducere tentauit. *Sub vmbra dormit, in ſecreto calami, in locis humentibus.* Iob. 40. Dormiebat certe *ſub vmbra* E pietatis, cum illos quaſi inſenſibiles reddebat; *in ſecreto calami*, ſeu arundinis voluntatis eorum, vento tentationum diabolicarum obnoxiæ; *in locis humentibus*, corporum ſanguine concretorum, qui facile deſpumant in libidines. Addit Iob: *Protegunt vmbræ vmbram eius: circumdabunt eum ſalices torrentis. Ecce abſorbebit fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius.* Id eſt protegebant vmbræ & nebulæ ignorantiæ vmbram eius, nempe prætextus fucatæ pietatis; circumdabant eum ſalices torrentis, infructuoſæ arbores facultatum animæ, irrigatæ non à fonte aquæ Spiritus ſancti ſalientis in vitam æternam, ſed à torrente hypocriſis, & falſæ pietatis, quæ cito deſiccatur: vnde abſorbebat fluuium illum, de quo A Chriſtus Dominus Ioan. 7. *Si quis ſitit, veniat ad me & bibat: qui credit in me ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Crediderant in Chriſtum illæ ſimplices animæ, & deſiderata perfectionis & ſanctitatis conceperant, ſed illas abſorbere conabatur draco iſte. *Ecce abſorbebit fluuium, & non mirabitur.* Non enim illi mirum ſi decipiat filios Adam, qui Adamum primum hominem iuſtitia originali præditum decipere potuit: *Et habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius.* Vnde putat quod omnes qui Baptiſmate intinguuntur, poſſit etiam deglutire, & ad conſentiendum ſibi adducere: nam ex S. Gregorio l. 33. in Iob. c. 7. *ſignantur appellatione Iordanis, qui iam imbuti ſunt Sacramento Baptiſmatis*; & vt ipſe ait, c. 8. *pro magno non æſtimat cum eos deuorat qui per ipſa ſuæ vitæ ſtudia deorſum currunt, ſed illos magnopere rapere nititur, quos deſpectis terrenis ſtudiis iungi iam cæleſtibus contemplatur. Illos inquam*, addit Gregorius, c. 9. *inſidiando rapere appetit, quos pro amore ſuperna patriæ a præſenti vita gloria ſemetipſos deſiſtere agnoſcit; & calliditatis ſuæ inſidiis, eos etiam qui iam electi putantur, necat.* Ib. in fine c. 9.

In tali & tanto ſubuerſionis morum periculo, ſunt proculdubio Ianſeniſtæ: facilis enim eſt tranſitus à ſubuerſione veræ fidei ad ſubuerſionem integritatis morum: vnde ſi contumaces perſiſtant in Doctrina à ſummo Pontifice condemnata, ſciant *quia ſubuerſus eſt qui eiuſmodi eſt, & delinquit cum ſit proprio iudicio condemnatus*, vt loquitur S. Paulus ad Titum c. 3. & in manifeſtiori ſunt ſubuerſionis periculo, quod hæc doctrina, ſi radicata ſemel fuerit in mente, licèt prima fronte hoc non videatur, tandem ſuos ſectatores ad omnia illicita perpetranda reddet propenſiores. Etenim hæc ſunt illorum dogma in illa Encyclica Epiſtola, de qua ſupra, titulo in quo præſcribunt, quid indeuotis, & libertinis ſit inculcandum, vt eos ad ſuam ſectam amplexandam inducant.

Primò, inquiunt, *dicent indeuotis, & iis qui libertini dicuntur, & ad ſtudium omnia agendi ad libitum propendunt, quod Deus ab æterno determinauit noſtram ſalutem aut noſtram damnationem.*

Secundò, *dicent impoſſibile eſſe nobis hoc decretum immutare.*

Tertiò, *quod iſta Monarchorum præxes, iſtæ mortificationes animos diſcruciant & nihil efficiunt aut operantur, vt pote inutiles; nam ſi in gratia ſumus, gratia eſt, non autem opera, quæ omne noſtrum cauſat meritum (ſi meritum*, inquiunt, *dari aliquod poſſit:) quod ſi non ſimus in gratia, hæc bona opera non ſolùm ſunt inutilia, ſed quot ſunt opera, tot ſunt peccata mortalia.*

Quarto in ſexto articulo addunt, *quod Deus pro reprobis non eſt mortuus; quod illis Deus nullam confert gratiam, nec etiam ſufficientem, ex eo quod ſcit quod ea abuterentur.*

Hæc ſunt dogmata eorum, quibus adde quod volunt nos ex neceſſitate peccare, impulſu, & motu concupiſcentiæ. Certè ſi hæc vera credantur, quis non videt, cum nemo ſciat an odio an amore dignus ſit, magnam dari occaſionem ſenſibus indulgendi, & ſuccumbendi concupiſcentiæ motibus, vt qui nihil ſperant gaudij in futuro tempore, ſaltem his fruantur voluptatibus, & dicant quod malos dicere aſſerit Sapiens, Sap. c. 2. *Dixerunt enim cogitantes apud ſe non recte: Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis, &c. Venite ergo, & fruamur bonis quæ ſunt, &c. nemo noſtrum exors ſit luxuriæ noſtræ: vbique relinquamus ſigna lætitiæ: quoniam hæc eſt pars noſtra & hæc eſt ſors.* Ita Sapiens. Nonne qui tales ſunt, equi ſunt amatores & emiſſarij, hinnientes ad vxores proximorum, & ad quælibet turpia perpetranda procliues?

Digitized by Google

Et reuera ſi bona opera ſunt peccata mortalia, abſque gratia, quid intereſt illi qui neſcit an ſit in gratia vel non, vtrum det Eleemoſynam aut adulterium committat, ſi ſibi perſuadeat ſe non eſſe in gratia? Nam ſi quodlibet peccatum mortale damnatione æterna ſit plectendum, æque damnabor in tali ſtatu pro Eleemoſyna, quam pro adulterio. Erit mihi igitur igitur indifferens ſi turpiter agam, ac ſi me caſtè contineam. Deinde non mediocrites in ſpem erigitur quis inordinatos motus concupiſcentiæ compeſcendi, qui nos ſæpius moleſtant; (*caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum*, nec ab eius ſtimulis fuit immunis vas electionis, qui hoc ſatanæ ſpiritu ſe colaphizari conqueritur) ſi firmiter credat ſe dominum eſſe ſui actus, vt non conſentiat B prauis & illicitis concupiſcentiæ aculeis & punctionibus; vel ſi credat gratiam Dei illi præſto affuturam, ſi eam imploret, quam ſufficientem eſſe Paulo Chriſtus aſſerebat: *Sufficit tibi*, inquit, *gratia mea*. At qui credit ſe ad peccandum per concupiſcentiam adigi & neceſſitari, quamnam quæſo concipiet ſpem reſiſtendi? præcipuè quia ſpes etiam adimitur recipiendi gratiam neceſſariam & ſufficientem. At, inquies, datur efficax electis; reprobis denegatur. At ſi ita eſt, vel præſumptuosè credam me eſſe è numero electorum: (quod non præſumebat ille, qui licèt in cælum raptus caſtigabat corpus ſuum: & in ſeruitutem redigebat, ne fortè reprobus fieret, aliis prædicando, & qui aſſerebat ſe non exiſtimare iuſtificatum, quòd nihil ſibi conſcius eſſet) vt ita poſſim gratiam ſperare auxiliatricem: Vel ſi mihi perſuaſum fuerit me eſſe ex numero reproborum, nihil mihi curandum de inuocatione gratiæ Dei in auxilium; & neceſſitati ſuccumbens, quicquid ſenſus ſuggeſſerit, caro concupierit, perficiam. O lata & facilis ad perditionem via! Denique cum ſalus nobis ſolummodo ſperanda ſit ex morte redemptoris, quis ſperabit ſalutem, ſi Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe non credamus? Deſperatione igitur ductus agat quæcumque voluerit: ſiquidem neque bona opera minuere pænas, præmiaque augere poſſunt; neque mala augere pænas, præmiaque minuere valent, cum non interueniant niſi ſicut effectus D abſolutæ prædeſtinationis & reprobationis, imo æque prædefinita ac finis ipſe. Rejiciamus ergo tam periculoſam doctrinam, & locum honoris inter creaturas nobis datum ex innata libertate teneamus, ne ſimus *ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus*, ne tanquam Bruta & iumenta abeamus, poſt concupiſcentias noſtras. *Si enim*, inquit Sapiens, Eccleſiaſtici 18. *præſtes animæ tuæ concupiſcentias eius faciet te in gaudium inimicis tuis*. Et ne hoc eueniat, hanc orationem Deo offeramus cum Drogone Abbate S. Ioannis, Laudunenſi, deinde Hoſtienſi Epiſcopo, lib. de Sacram. Dominicæ Paſſionis. *Ne*, inquit, *pluas ſuper nos coturnices, Domine, deſideria carnis noſtræ: quæ non niſi duobus cubitis leuantur à terra, quia* E *non attingunt dona Spiritus ſancti. Ne pluas ſuper nos ſicut pulueremcarnes; quia caro puluis eſt, & in pulueremdeducit. Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur; talis eſt omnium voluptatum carnalium finis; & ſicut arena maris volatilia pennata: gaudet edacitas pennulas mouet, ſed mox in arenam maris conuertitur. Gaudet luxuria, modicum volitat, ſed mox in arenam maris tranſit: omnis dulcedo carnis in amaritudinem finit, modicum leuant infelicem animam, ſed mox aggranant in arenam. Tu autem, Domine, manna nimirum es, ſicut ſemen coriandri, quod fractum mola candorem producit & dulcedinem, quaſi panis oleati. Hic eſt panis Angelorum, quem manducauit homo.* Ita Drog. Verè Ianſeniſtæ ſunt coturnices, ad tres cubitos eleuationis à terra non perueniunt. Tres enim ſunt cognitionis ſpecies, A quibus eleuamur à terrena materia; ſenſitiua, rationalis, & ſupernaturalis fidei cognitio: Ad hanc tertiam non perueniunt Ianſeniſtæ: dulciloquio, & mitido ſcriptionis ſtilo aures & oculos demulcent, dialecticis ratiocinationibus fortiſſimis videntur inſtructi, ſed attende ad præmiſſa quibus illas inſtruant, ne decipiaris. At non attingunt vſque ad fidei eleuationem: vnde non mirum ſi eorum doctrina nos ad terram, imo ad ima tartara deprimat, dum nos eleuare ſtudet.

Ad tertiam rationem, propter quam Ianſeniſtæ dicimus per equos deſignari, veniamus.

Hinnit equus cum aſcenditur, quaſi adulari & gratulari velit aſcentori, & ſuper ſe inſidenti. *Equus emiſſarius*, inquit Sapiens Eccleſiaſtici 33. *ſic & amicus ſubſannator: ſub omni ſupra ſedente hinnit*. Tales ſunt Ianſeniſtæ. Emiſſarius equus dicitur Calepino, qui ad generandam ſobolem emittitur.

Quales quæſo debeant eſſe Ianſeniſtæ; qui alios ad ſuam ſectam adducere, & quaſi filios ſpurios ſancti Auguſtini generare contendunt? Percipe ex inſtructionibus datis in illa Epiſtola encyclica. Hinnitu videntur arridere, captata occaſione decipiendi: blandiuntur & arridentſacerdotibus, & aliis Eccleſiaſticis viris, dum in titulo de fine vnionis, aſſerunt *finem ſibi propoſitum eſſe vt illos reſtituant in populorum exiſtimationem, & directionem animarum, quam Monachi ipſis ſurripuerunt*. Arridentſibi ſuſpe- C ctis, *cum volunt eſſe agendum cum ipſis cum magna cautela, & circumſpectione*. Arridet Monachis: etenim quamuis odio acerbo Monachos proſequantur, vt dicemus ſuo loco, dicunt tamen *oportere palam profiteri, nullam bonis Monachis ſe velle inferre calumpniam vel moleſtiam*. Arridet Eccleſiæ Prælatis, cum diſcipulis vnitis ad doctrinæ ſuæ propagationem præſcribunt, *vt ſedulò curent & omnimodam adhibeant cautionem, vt cum Dominis Epiſcopis cum ſubmiſſionibus & demiſſionibus animi ſtudioſè ſemper omnia pertractentur, vt ſacerdotes etiam cum multa reuerentia & cordiali affectu honore proſequantur*: quæ omnia reuera laudabilia ſunt, ſed ex fine pertrahendi ad errores, mala fiunt: qui finis aperitur, dum dicunt taliter eſſe agen- D dum cum Prælatis & Sacerdotibus, vt animaduertere poſſint melius ipſos diſcernere quanta ſit dignitas ſacerdotalis, quàm eam Monachi agnoſcunt: ipſis præterea ſacerdotibus inculcantes Monachos illos habere contemptui; Et cum directio conſcientiarum, & prædicationis miniſterium de iure ipſis competat, ea munera à Monachis vſurpari. Quod tamen, quantùm ad prædicationis officium, vt hoc dicam per tranſennam, vir celebris & Doctiſſimus Andreas du Val negat, libro de lib. de ſuprema Romani Pontificis poteſtate parte 4. quæſtion. 3. *Quinam debeant ad Concilia vocari?* Ibi enim de Parœchis loquens ait, *quod quamuis per inſtructionem fidei, & per baptiſmi collationem filios pariant Eccleſia, non* E *propterea proprie & per ſe Eccleſiæ patres debent nominari: non ſunt etiam proprie Apoſtolorum ſucceſſores, qui Magiſtri & præcones fidei fuerunt, nullaque exteriori iuriſdictione in Eccleſiam gaudent, nec illis ex officio incumbit Euangelium prædicare, fidemque contra hæreticos propugnare & defendere, ſed tantùm prima doctrina Chriſtianæ rudimenta ſuos ſubditos docere, niſi ex priuilegio & auctoritate ab Epiſcopis aut ſummo Pontifice accepta*. Ita ille. Palpant igitur Ianſeniſtæ, ſacerdotes: arridentſubdole ipſis, cum dicunt *prædicationis miniſterium ipſis de iure competere*. Sed non mirum ſi fidelibus, quos ad ſe allicere pertentant, ſi Monachis, ſi Sacerdotibus, ſi Epiſcopis arrideant; cum & indeuotis & libertinis, qui iugum Dei & Eccleſiæ ſuccutiunt, quos durè increpare deberent (iuxta hoc Apoſtoli præceptum, de talibus loquens in perſona

Digitized by Google

Cretenſium, ad Titum c. 1. quos vere vocati aſſerit *ſemper mendaces, malas beſtias, ventres pigros: Quam ob cauſam*, inquit, *increpa illos durè, vt ſani ſint in fide.*) At iſti Ianſeniſtæ, vt libertinos, mundanos, & ingluuiei & luxuriæ deditos auertant à fide, & eis poſſint ſuos errores intrudere, placentia ipſis loquuntur, iuxta illud Iſaiæ 30. *Nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt: loquimini nobis placentia: videte nobis errores*; dum ſpem ſalutis adimunt, carnis mortificationes deprimunt, bona opera inutilia prædicant. Qua doctrina libertini à propoſito correctionis & melioris frugis auertuntur, vt genio ſuo indulgeant libentiùs. dum Deo deneganti gratiam, vt putant, & illius infallibili decreto & ineuitabili, non ſibi, tribuant quod damnationem incurrant. O verè olei venditores, qui vt ſeducant, placere ſtudent.

At dum Ianſeniſtæ in illa Epiſtola Encyclica, in titulo de diuerſis inſtructionibus, pro inſtituenda & propaganda doctrina prædeſtinationis, inter alia præſcribunt, *vt cum ſibi agendum erit cum ſuſpectis, dicant contentionem quæ exiſtit inter Ianſeniſtas & Moliniſtas nullam aliam habere cauſam, quàm quod vicißim non ſatis percipiant quanam vtrique ſentiant; ipſos diſputationes inſtituere de iis in quibus conſentiunt, & de quibus conueniunt; Neutram opinionem eſſe hæreticam; quæſtionem agitatam merè eſſe ſcholaſticam; videri tamen S. Auguſtini ſententiam melius aperire, & demonſtrare, quanta ſit Dei magnitudo; profitebuntur ſe eſſe pacis amatores, quin & ſe valde contriſtari dum audiunt rumores & ſcandala, quæ in Eccleſia ex tali contentione oriuntur*; vt hac arte à ſe amoueant ſuſpiciones quòd ſint præcipui auctores talis contentionis, proinde volunt *nec Ianſeniſtas, nec Moliniſtas de hac materia in concionibus aliquid tractare debere*: Nonne, dum talia præſcribunt, vides ipſos velle ſe gratos omnibus exhibere, & aliquali ratione ſimiles eſſe hæreticis à Rhetorio quodam Rhetorij dictis, qui in Ægypto & Alexandria viguerunt. Hic Rhetorius omnes laudabat hæreſes, dicens omnes benè ſentire, & neminem errare ex eis, ſed ambulare benè omnes illos, & male eos credere non ſentiebat, vt refert Philaſtrius lib. de hæreſibus, de Rhetorij hæreſi loquens, quaſi aliquod medium inter propoſitionem affirmantem & negantem, inter duas contradictorias, reperiri poſſet. Ad alias ſymboli partes Ianſeniſtis applicandas veniamus.

Et qui ſedebant ſuper eos habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & ſulphureas.

Quinam ſint equorum ſeſſores.

ARTICVLVS II.

QVALES appareant Ianſeniſtæ ex doctrina ſua enucleauimus, nempe iumenta ſine intellectu, cum libertatem negant, nec hominem volunt Dominum eſſe ſui appetitus, contra illud ſcripturæ: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Quaſi diceret*, inquit Albinus, in quæſtionibus in Geneſim: *Tu quia liberi es arbitrij, non habes peccatum ſuper te dominium, ſed tu ſuper illud: & in tua poteſtate eſt ſiue compeſcere, ſiue concupiſcere illud.* Ita Albinus. Vnde Philaſtrius l. de hæreſibus. hæreſi 80. rejicit hæreſim eorum qui in his verbis excuſare volebant Cain fratricidium, quaſi his verbis Deus declaraſſet ipſum eſſe Dominum fratris ſui. *Non ergo*, inquit Philaſtrius, *ita dicis ſcriptura dominari illum fratri ſuo, vt eum interficeret, ſed, dominaberis cogitationi tuæ, male vtique, quæ eſt in arbitrio tuo; vt cuiuſque hominis arbitrio atque voluntate, aut projiciat de corde ſuo malam cogitationem immiſſam à Diabolo, aut non projiciendo, crimen incurrat perpetuum.* Ita Philaſtr. Ergo concupiſcentia, quam S. Paulus vocat Angelum Satanæ, propter ſtimulum carnis, quo dæmon vtitur, vt nos ad peccandum inducat, non neceſſitas ad peccandum, cum ei reſiſtere & contradicere homo valeat, vt pote appetitus ſui dominus, quo honore illum ſpoliant, qui illum ſine libero arbitrio eſſe aſſerunt. Vidimus etiam ipſos, ſi doctrinæ ſuæ adhæreant, non modo eſſe vt bruta, quia libertate carent, ſed tanquam equos effrænes ad omnem libidinem propenſiores, denique illos hinnire, & eſſe amicos ſubſannatores, qui arridendo cunctis ipſos ad ſuos errores amplectendos inducere conantur. Et ita vidimus *equos in viſione.*

Nunc videndum quo ſpiritu agantur vt tales exiſtant. Certè ſpiritu proprij amoris, qui eſt ille Rex, *Angelus abyſſi, cui nomen Hebraicè Abaddon, græcè autem Apollyon, Latinè habens nomen, exterminans.* Ipſe certe amor eſt *Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*, intellectum ſeu mentem à ſuprema veritate reuelante myſteria independentem reddens, vt non captiuetur in obſequium fidei, & voluntatem ſub nullius iugo ſe ſubdentem, ſed prout libuerit, iuxta vias & adinuentiones ſuas ambulantem.

Diximus in commentatio dæmones vel Hæreſiarchas deſignati per ſedentes ſuper equos; nec ab hac infauſta ſeruitute Ianſeniſtas eximere velim. Omnes enim hæretici habent dæmonem ſeſſorem. Et cum Ianſeniſtæ in verba Ianſenij Iprenſis iurare notorium ſit, quem tot laudibus & præconiis in cælum extollunt, eum dicere poſſum ſuper ipſos equitare, quia in eam ducuntur ſententiam, quam ipſum habuiſſe intelligunt & autumant. Sed re attentiùs adhuc conſiderata, dico proprium amorem equitem eſſe, vnumquemque eorum quo ſibi libet ducentem. Nec à dæmone deciperentur, nec ab hoc errorum potiùs fautore & propugnatore quàm Autore (cum Caluini & aliorum hæreticorum inſiſtat veſtigiis) ſeduceretur, ſi non antea proprio iudicio iam firmiſſimè inhærerent, Apoſtolo dicente proprium hæreticorum iudicium ipſos cõdemnationi ſubjicere, ad Titum c. 3. ſi propriam voluntatem non ſequerentur, Eccleſiæ decretis & Paſtorum præceptis non obtemperando: viri vaniſſimi & filij Belial, quales appellat ſacra ſcriptura eos, qui contra Roboam legitimum Regem pro Ieroboam rebellarunt, 2. Paralip. 13. Belial. autem S. Hieronymo ſignificat, *abſque iugo*, iugum namque obedientiæ excutiunt, qui ſententiæ ſummi Pontificis propoſitiones Ianſenij proſcribentis & condemnantis acquieſcere abnuunt. Oquam malus ſeſſor, proprius amor! In quotnam præcipitia hominum mentes propellit? Quis illa dinumerare valeret? Tamen quæ ſufficiunt vt eius peruerſitas abhorreatur, enumerat S. Paulus 2. ad Timoth. 3. *Erunt*, inquit, *homines ſeipſos amantes*, non Deum, non proximum, ſed ſeipſos. Quid inde? Audi, quæſo, Apoſtolum ita proſequentem: *Cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſcelesti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Et hos deuita*, &c. Vides ne peſſimum ſeſſorem, omnem in mentem pietatem erga Deum & proximum exterminantem & in ſemetipſum ſæuientem, eo ipſo quo criminibus peſſimis ſe implicat: quibus tandem, tenebris obuoluetur æternis, iuxta illud Domini Matt. 25. *Et inutilem ſeruum ejicite in tenebras exteriores. Illic erit fletus & ſtridor dentium.* Hoc amore impelli Ianſeniſtas quis dubitaret? Ab effectibus cognoſceris eos. Quod ſi illos à quibuſdam vitiis à S. Paulo enumer-

Digitized by Google

ratis, quæ à proprio amore emanant & ſcaturiunt eximere poſſis, plura ſunt quæ illis impingi abſque calumnia poſſunt, quæ proprij amoris indicia erunt manifeſtiſſima, vt dicatur his perſpectis: iſti homines ſunt *ſeipſos amantes*; *Cupidi*, quia gloriolæ, famæ & exiſtimationis auidi aucupatores; *Elati*, quia ſupra alios ſe doctrinam S. Auguſtini optimè callere putant; *ſuperbi*, quia doctos haberi appetunt; *blaſphemi*, quia Chriſtum pro omnibus non eſſe mortuum affirmant, & meritis Chriſti ſic apertè derogant; *parentibus non obedientes*, quia Patri Patrum obedire recuſant; *ingrati*, quia nullam dari gratiam, præter illam quæ actu ſuum obtinet effectum, aſſerunt; *Sceleſti*, quia eorum doctrina ad omne flagitium & facinus viam aperit; *ſine affectione*, *ſine pace*, quia ſchiſmate vnitatem Eccleſiæ diſrumpunt; *Criminatores*, quia praxim Eccleſiæ vituperant, & Monachorum defectus publicare ſtudent, eorumque ſtatum falſis criminationibus odioſum reddere percupiunt; *Incontinentes*, quia etſi forte ſe contineant ex quodam amore honeſtatis, & ſtudio conſeruandæ exiſtimationis, tamen eorum doctrina magnam ad incontinentiam parat viam; *Inimites*, propter ſententiam poſitiuæ reprobationis; *Sine benignitate*, quia ſibi contradicentes qua poſſunt induſtria deprimendos eſſe præſcribunt; *proditores*, quia ſuam opinionem celare ad tempus præcipiunt, vt melius illam inculcare valeant, cum ſeſe occaſio obtulerit; *proterui*, quia audacter in Eccleſiæ conſuetudines laudabiliter admiſſas inſurgunt; *tumidi*, quia nullam pati volunt contradictionem, quin ſtatim per Apologias ſibi contradicentes confundere nitantur; *Voluptatum magis amatores quam Dei*, nam de ſola gratia, delectante loquuntur & gloriantur: de ea nihil dicunt per quam ſancti *fortes facti ſunt in bello*, *operati ſunt iuſtitiam*, *adepti ſunt repromiſſiones*, *qua ludibria & verbera experti*, *inſuper vincula*, *& carceres*, *lapidati ſunt*, *ſecti ſunt*, *tentati ſunt*, *in occiſione gladij mortui ſunt*: *circuierunt in melotis*, *in pellibus caprinis*, *egentes*, *anguſtiati*, *afflicti*, *&c.* Heb. 11. Dices hæc omnia fieri per gratiam delectantem; At cur ſolam delectationem extollunt, niſi quia illam tantummodo appetunt, non autem anguſtias & derelictiones pati pro Chriſto, cum Paulo, qui conſolationes diuinas reuera percipiebat; ſed ita tribulatus vt ſupra modum ſe grauatum fuiſſe aſſerat, ſupra virtutem, itaut tæderet eum etiam viuere 2. ad Corinth. 1. Amant certè cum Chriſto decumbere in Cana Galileæ, in fine conuiuij nuptiarum, vt bonũ bibant & epotent vinum, non cum eo in cruce ſitire, & potari aceto & vino felle mixto; gloriam vultus eius in monte Thabor iucundè intueri, & dicere: *bonum eſt nos hic eſſe*; & non cum eo in anguſtiis ita derelinqui, vt clamare cogantur: *Deus meus*, *Deus meus*, *vt quid dereliquiſti me?* Delicati milites ſpeciem tantùm pietatis præ ſe ferentes, veritatem autem illius abnegantes: quæ omnia fuſius ex dicendis innoteſcent. Antiqui vitæ ſpiritualis Doctores nihil aliud ſe ſcire gloriantur, quàm Chriſtum, & hunc crucifixum: nihil aliud prædicare ſolent. At iſti ex præſcripto Epiſtolæ Encyclicæ, niti debent doctos & ſcientes apparere, vt hanc ſibi comparare valeant opinionem. Cathedram aſcendentes, vel cum hominibus conuerſantes, multa de prædeſtinatione, multa de gratia S. Auguſtini, (ac ſi S. Auguſt. aliquam haberet gratiam, quæ non debeat eſſe Eccleſiæ) loquuntur: de quibus tamen ſapientiores parcè, & cum magna cautela & circumſpectione ſermonem inſtituunt. Audiamus ipſum Auguſtinum, quomodo ſobrie de prædeſtinatione ſit loquendum nos edocentem, de dono perſeuerantiæ lib. 2. cap. 22. tom. 7. quæ quia nimis longum eſſet hìc adducere, lectorem benevolum ad auctorem remitto.

Habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & ſulphureas.

Quinam ſint prætextus Ianſeniſtarum, propter quos à communi ſententia Eccleſiæ diſcedere volunt.

ARTICVLVS III.

ADEO turpe eſt quodlibet mendacium, quò decipiuntur quicumque ab Eccleſiæ doctrina recedunt, vt cauſas & prætextus quærere cogantur ſuæ defectionis: *In ventre Eccleſiæ*, inquit S. Auguſt. in Pſ. 57. *veritas manet: qui ab eo ſeparatur, neceſſe eſt vt falſa loquatur. Neceſſe eſt, inquam vt falſa loquatur quiſquis aut concipi noluit, aut quem conceptum mater excuſſit.* Ita Auguſt. Excuſſit Ianſeniſtas mater Eccleſia, dum eos cum aliis hæreticis anathemate ferit. Vnde neceſſe eſt vt falſa loquantur. At ne mendaces habeantur, quærunt *excuſationes in peccatis*: Loricis induuntur, quibus contra veritatis iacula muniantur, & obſtinati remaneant, dum iuſtis de cauſis ſe ita ſentire prætendunt. Et hac ratione loricæ ſignificant & mortua, & cauſas, quæ & quas proprius amor adducit vt ſe cooperiat, ne illius impietas ſeu iniuſtitia quam committit, dum ſeipſum Deo anteponit, dum *extollitur ſupra omne quod dicitur Deus*, aut Deo ſaltem ſe ſimilem dicit, appareat: deinde ſignificant animi hæreticorum pertinaciam, qui omnia reſpuunt, quibus mendacio argui & conuinci poſſunt. Et non ſolum auctoritates ſcripturæ, Patrum, Conciliorum, & Decretorum ſummorum Pontificum per pertinaciam retundunt, ſed etiam quos putant aduerſarios, maledictis, conuitiis, calumniis dilacerant. Vnde appoſitè Ambroſius Ansbertus lib. 4. in Apocalyp. aliam tranſlationem adducit, dum ait: *Quod verò alia tranſlatio ſpineas loricas adiecit, ad equos magis quam ad ſeſſores pertinet.* Ita Ansbertus. Non enim ſufficit hæreticis, & inter alios Ianſeniſtis, quòd prætextus adinueniant, ſub quibus proprius Amor turpitudinem ſuam abſcondat; quod conuinci de mendacio non poſſint propter pertinaciam; ſed ſi quis eos attrectare attentauerit, ſpinas dilacerantes inueniet. *Statim atque*, inquiunt, *quis repertus fuerit, qui in doctrinam aut perſonas aliqua ratione impegerit, præcipue ad Apologias recurrendum erit: quæ procedendi via duos obtinebit effectus valde vtiles. Primus erit aduerſarios deprimendi, ſecundus,* (vt aiunt) *nos ſupra eorum ruinas extollendi: vno, contradicentes adoriemur: alio, nos ab eorum impetu ſeruabimus.* Exemplum recens eſto Epiſtola Domini Arnaldi, in qua conqueritur abſolutionem fuiſſe malè denegatam cuidam illuſtri Domino, à quodam Sacerdote Parœchiæ S. Sulpitij Lutetiæ. Non enim anſam arripuit ex tali caſu prætenſo ſolummodo doctrinam & perſonas ſuæ ſectæ defendendi, ſed ſpineam oſtendit ſe habere loricam, dum inuehitur in Paſtorem ſapientiſſimum & vigilantiſſimum, quem ignorantia, temeritate, cæcitate, iniuſtitia, violentia, tyrannide & ſcandalo actiuo laborare prætendit. Et quia Monachos tanquam hoſtes reſpiciunt, parùm memores illius dicti Apoſtoli ad Rom. c. 12. *Non vosmetipſos defendentes, Chariſſimi, ſed date locum iræ: ſcriptum eſt enim: Mihi vindictam, & ego retribuam*, inter alia eorum præcepta, illud reponunt notatu digniſſimum: *Sollicitis erunt* (nempe prætenſi Auguſtini diſcipuli: *colligere quidquid vnquam ſcriptum fuerit in vituperium Monachorum, vt quacumque oblata occaſione, iis vituperiis vti poſſint: & paulatim nitentur populis ingerere notitiam ignorantiæ Monachorum,*

Digitized by Google

Monachorum, & defectionis ipſorum ab omni Regula & debito ordine: & ſi poſſibile ſit è cordibus fidelium eradicare conabuntur Venerationem qua illos colunt, dum patres Monachos nuncupant. Ita iſti Ianſeniſtæ. Nonne vides loricas ſpineas in his præceptis?

At dicet Ianſeniſta: *Medice cura teipſum: qui alios doces, teipſum non doces.* Qui prædicas non eſſe conuitiis agendum, conuiciaris, & tot maledicta in nos congeris & accumulas. Reſpondeo paucis: Spiritui ſancto hoc aſcribe, qui hæreticos ſub hoc ſchemate depingere voluit. Deſine à pertinacia, & hæreticus non eris, & iſta minime ad te pertinebunt. De contumacibus enim, & Bullæ Innocentij decimi non obtemperantibus hæc dico, non de Eccleſiæ filiis: qui ſtatim atque vocem Paſtoris audierunt, quamcumque habuiſſent circa propoſitiones condemnatas ſententiam deciſioni Pontificis repugnantem, illam ex animo omnino depoſuerunt. Reſpondeo ſecundo ex Hieronymo, Apologiâ adverſus Ruffinum: *Si aſperior ſum in hæreticos, & illorum in publicum ſtrophas profero, lætare inuectione mea, ne ſi doleueris, hæreticus eſſe videaris.* Ita S. Hieronymus. 3. Faxit Deus vt qui loricas ſpineas habent, quibus ſe tegant, conſcientiæ ſuæ ſpinis ſeu ſtimulis ita pungantur, vt ad ſe, & ad Deum reuerſi, Eccleſiæ vnitatem non dilacerent.

Sed iuxta vulgatam editionem dicamus Ianſeniſtas habere loricas igneas. Ignis in ſcripturis in bonam & malam partem aſſumitur; in bonam, vt cum dicitur. *Deus noſter ignis conſumens eſt*; in malam, vt cum peccata per ignem deſignantur: verbi gratia Eccleſiaſtici 8. *Non incendas carbones peccatorum arguens eos, & ne incendaris flammâ ignis peccatorum illorum.* Et cap. 16. *In Synagoga peccantium exardebit ignis: & in gente incredibili exardeſcet ira.* Ita Sap. Cum igitur ignis peccato attribuatur, nihil tunc boni deſignare poteſt. Loricas igneas habent Ianſeniſtæ contumaces, & Eccleſiæ rebelles. Ergo aliquod malum protendunt loricæ: & primo, quod ſicut Deus, bonus ignis, omnia peccata conſumit, ita hæreticus Ianſeniſta omem conſumit veram in cordibus pietatem, dum fidem exterminat, dum Doctrinam Eccleſiæ de meritis bonorum operum euertere, ſeu extirpare vult. Quod expreſsè ſignificant in Epiſtola Encyclica. *Ternum*, inquiunt, *medium, diuerſe meritorum doctrinam*; dum bona opera non ſolùm inutilia eſſe volunt ſed peccata mortalia eſſe aſſerunt. Si igitur dicas Ianſeniſtis: Cur cum Carthuſianis perpetuam obſeruare non vis à carnibus abſtinentiam? Cur cum Minimis ſancti Franciſci de Paula ſectatoribus, ab ouis, lacticiniis & carnibus non abſtines? Cur cum Religioſis S. Franciſci Aſſiſinatis alumnis, in lectiſternio, veſtitu, & victu, & diſciplinæ rigiditate, pedum nuditate, & aliis huius generis virtæ auſteritatibus, corpus caſtigare non ſatagis, ne reprobus fias? Cur Matrimonium virginitati æquiparas? Cur votorum prærogatiuam aliis ſine voto operibus præferre recuſas? Cur crucis Chriſti excellens meritum, ex fine, quia finem excellentiori modo & præſtantiori attingit; ex ſpecificatione operis, quia virtutes nobiliores præſupponit; cum eius cunabulis & facilioribus exercitiis comparas? Habebunt Ianſeniſtæ loricas ignias, ſua nempe dogmata, quibus proprium amorem contegant, & ne iaculis veritatum Euangelij confodiatur & intereat, ipſum protegunt dicent, v. g. *Hæc monachorum exercitia, iſta mortificationes excruciantes & torquentes conſcientias exiſtunt, & ad nihil inſeruiunt: ſi gratiam fuerimus adepti, gratia totum operatur meritum, opera ad illud nihil proſunt, (ſi aliquod,* inquiunt, *meritum habere poſſibile ſit:) quod ſi gratia abſit, hæc bona opera non modo ſunt inutilia, ſed quoi ſunt opera, tot ſunt peccata mortalia.* O loricæ igneæ! præclarum dogma! quo proprius amor carnis obtegitur, ne erubeſcat ſi ſub ſpinoſo capite velit delicate vivere. Chriſtus tamen non dixit, nec quiſpiam Prophetarum illius nomine prædixit: Cum ſemel fuero in cunabulis, cum puerulus matris cubiculum verrere, & à ſordibus expurgare incipiam, omnia traham ad meipſum; ſed per ſemetipſum dixit: *Cum exaltatus fuero*, videlicet in cruce, *omnia traham ad me. Sicut enim Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto*, vt ſanaret à ſerpentibus læſos ad necem, *ita exaltari oportet filium hominis*, vt mortuos in peccatis ſuſcitaret ad vitam. Hoc igitur dogma eſt loricæ igneæ, conſumens & exterminans crucis mortificationem, quam tantopere commendabat Apoſtolus his verbis 2. ad Corinth. 4. *Semper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris.* Suntne quæſo hæ mortificationes excruciantes? Suntne inutiles, quæ vitam Ieſus manifeſtant in corporibus noſtris? *Semper enim*, addit Paulus, *nos qui viuimus, in mortem tradimur propter Ieſum, vt vita Ieſu manifeſtetur in carne noſtra mortali.*

Viſne videre ſimiles alias loricas igneas? Eas animaduertes in quibuſdam propoſitionibus libelli, qui inſcribitur gallicè: *De la ſainſte Virginité*, à Sacra Facultate Theologiæ Pariſienſis cenſurâ grauiſſimâ damnatis, die prima Iulij an. 1638. à quibus licet autor earum exiſtimandus ſit planè receſſiſſe, cum in ſinu foueatur deuotiſſimæ & celebertimæ cuiuſdam congregationis, errores quoſlibet à ſe proſcribentis, quin & conſtitutionem Innocentij 10. qua poteſt reuerentia ſubmiſsè recipientis (ne ex his quæ dico quis exiſtimet me cum calumnia illos inuoluere velle aut intendere in numero Ianſeniſtarum, quos hic inſequi cupio) eas tamen adducere non piget, vt meliùs percipiamus, quidnam intelligamus per loricas igneas, nempe quoſlibet errores intellectus, ſpecie veri & recti mentes occupantes, quò fit vt voluntatis deordinata poſſit contegi, ac ſi eſſet rectiſſima & voluntati Dei conformis.

Prima autem propoſitio exprimitur in hac cenſura. *Hæc doctrina qua dicit eos qui viuntur tanquam non viantur, habere meritum virginum, & celibem vitam agentium; & eſſe non ſolùm æque ſanctos & æque perfectos, verùm etiam æque puros, & æque caſtos; hæreſim ſapit.* Ita cenſura. Videſne loricam proprium amorem contegentem; igneam, vt pote bonum & laudabile virginitatis propoſitum exurentem & conſumentem. Vnde meritò exploſa fuit etiam à Sacra Facultate alia doctrina huius libri pag. 59. verbis gallicè confignata: *L'action de la generation eſtoit en l'eſtat de la Iuſtice originelle, la plus ſainte & la plus parfaite dont l'homme euſt eſté capable (ie parle des actions exterieures) d'autant que c'etoit par elle que les hommes eſtoient ſanctifiez en meſme temps qu'engendrés: & ce qui ſe fait à preſent par nos Sacrements, ſe faiſoit alors par la generation, qui honoroit la fecondité diuine & la generation eternelle de la ſeconde perſonne de la Trinité.* Quod ita Latinè verti poteſt: *Actio generationis in ſtatu iuſtitiæ originalis & ſanctior & perfectior erat aliis actionibus quarum pro tunc homo capax fuiſſes (loquor de actionibus externis:) ratio eſt quia per eam homines ſanctificabantur eo momento quo generabantur: Et quod pro nunc præſtatur per Sacramenta noſtra, pro tunc per generationem adimplebatur, qua fecunditas diuina & generatio æterna ſecundæ perſonæ Trinitatis honorem accipiebant.* Ita doctrina hæc cenſuræ expoſita. Ingemiſcant certe procaces qui hæc legunt, quod iuſtitiam perdiderint originalem, qua potuiſſent cum tanto merito hac frui carnis voluptate. Vnde meritò hæc propoſitio exploſa etiam fuit hac ſapienti cenſura: *Hæc doctrina qua dicit æqualitatem efficientiæ futuram inter actum*

Digitized by Google

generandi, qui exerceretur in ſtatu innocentiæ, & inter Sacramentorum noſtrorum efficientiam, eſt ſcandaloſa, temeraria & Sacramentis nouæ legis contumelioſa. Ita Cenſura. Et meritò. Rectè enim S. Hieron. l. 1. aduerſus Iouinianum, animaduertens ipſum velle ita nuptias prædicare vt virginitati detraheret, dixit: *Quando enim minora maioribus coæquantur, infenoris comparatio ſuperiori iniuria eſt.* Ita S. Hier. Pari ratione exploſa fuit doctrina huius libri votis Monaſticis contraria, hac cenſura: *Hæc doctrina quam aſtruit in præiudicium votorum Monaſticorum, & depreſſionem ſtatus Regularium, præſertim qua aſſerit vota nihil addere perfectionis, eſſe tantùm imperfectorum, ſæpe eſſe impedimenta alio vocantis Dei; abuſiuè vocari conſecrationes; obedientiam non eſſe opus conſilij, & pauperiatem voluntariam ex voto excludi à pauperiate Euangelica; non tantùm eſt deſtructiua ſanctæ Regularium ſtatus, & auerſiua à propoſito laudabilis vitæ Cœnobiticæ, verùm etiam falſa, ſcandaloſa, temeraria & erronea.* Ita Cenſura. Lorica certè ignea hæc doctrina proprium amorem contegens, qui gaudet nullo ſe aſtringi vinculo, immemor illius dicti ſapientis: *Vincula illius alligatura ſalutis.* Eccleſiaſt. 6. Vnde antea dicebat: *Injice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum: ſubjice humerum tuum & porta illam, ne acedieris vinculis eius.* Ita Sapiens. Quod certè præſtant fideliſſimè qui ſeruitio & obſequio Dei ex voto ſe aſtringunt. Vnde iſtud dogma tanquam ignis conſumit omne bonum propoſitum conſilia Euangelica conſectandi. Hanc cenſuram Sacræ Facultatis, antequam prælo daretur, ego perlegi mihi oblatam à fælicis recordationis Domino Dautruy Doctore eximio, & Profeſſore Sorbonico in Theologia poſitiua, meo quondam in Philoſophia Magiſtro, cum his verbis: *Tu optimè noſti quod à multis annis libros Theologorum perlego. At certum eſt nunquam in manus meas librum de rebus Theologicis tractantem incidiſſe, qui fuerit editus ab auctore qui ſe Catholicum profiteretur, adeo pernicioſum, & erroribus apertis refertum.* Impreſſa fuit hæc cenſura poſtea Lutetiæ apud Adrianum Taupinart, in vico S. Iacobi, anno 1648. ad ſpheræ ſignum. In hoc libro erat clauſula quædam crucifixionis Chriſti excellens meritum imminuens, ad hunc videlicet finem vt amor proprius excuſationem haberet tanquam loricam, ſi auſterioris vitæ genus non amplecteretur. Ad quid enim vti oporteat comparatione inter Chriſtum verentem cubiculum mattis, & clamantem præ magnitudine & vehementia doloris in cruce vel, *Sitio*: vel. *Deus meus, Deus meus, quare dereliquiſti me?* Certum eſt, principium omnium operationum Chriſti, ſiue illæ fuerint in praxi faciles, ſiue difficiliores, fuiſſe immenſam charitatem illius: vnde dicebat: *Quæ placita ſunt Patri facio ſemper.* Sed hoc non impedit quin aliqua eius opera non fuerint maioris ſeu intenſioris charitatis indicia, genericè vel ſpecificè ſumpta: vnde dicebat: *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam ponat quis pro amicis ſuis.* Si maior quædam reperitur charitas, alia reperietur minor, ſecundum quod parua eſſet charitas qui amico porrigeret calicem aquæ frigidæ, vt illius extingueret ſitim, maior autem erit charitas ſi totum pro eo effundat ſanguinem, vt eum reuocare poſſit ad vitam: quod fecit Chriſtus, in hoc maioris charitatis indicia oſtendens, quàm dum cubiculi Matris puluerem verrebat.

Mixto ignem ſymbolum eſſe tum iracundiæ, tum zeli: vnde loricæ Ianſeniſtarum igneæ apparent, quia plæraque effutiunt ex motu iracundiæ, contra veritatis aſſertores, qualia fuerunt ea quæ Romæ, dum ſuas propoſitiones tueri contendebant, coram ſummo Pontifice & celebri Cardinalium cœtu, contra Ieſuiſtas, per duarum horarum ſpatium declamauerunt, vt notat Franciſcus Annatus c. 4. euaſionum Ianſeniſtarum; qualia etiam ſunt ea quæ reperiuntur in Epiſtola quadam ignibus & flammis referta, quam ſcripſerunt contra Illuſtriſſimum Vabrenſem Epiſcopum, quod perſuaſum haberent ipſum fuiſſe auctorem Epiſtolæ ab Illuſtriſſimis Epiſcopis Galliæ ad ſummum Pontificem ſcriptæ, qua poſtulabant declarationem Pontificis circa quinque propoſitiones poſtea condemnatas. Et cum ſe ad ſuam doctrinam propagandam moueri aſſerant vt tollant abuſus, qui intra Eccleſiam, vt volunt, irrepſerunt ex mala Monachorum directione, ſeu ob ardens deſiderium quo impelluntur Monachi, inolita quadam agendi ratione, vt habeant qui ipſorum ſint ſectatores in contemptum Parœchiarum, & naturalium & legitimorum Paſtorum, nonne clarum eſt ipſos zelo accendi? Dicam ne bono zelo, an malo? Bonus certe eſſe non poteſt, cum falſa Monachis impingunt: ergo malum eſſe illum zelum neceſſe eſt: Hunc morem hæreticorum animaduertit S. Gregorius lib. 12. in Iob. c. 14. in c. 15. *Iob*, inquit; *typus eſt ſanctæ Vniuerſalis Eccleſiæ: amici illius hæreticorum ſpeciem tenent, qui quaſi ex Domini verbis occaſionem ſtultæ locutionis inueniunt, & contumelioſa contra bonos verba iaculantur.* Et poſt pauca: *Ea etiam quæ ſe ſciunt contumelioſè dicere, ſtudent ſemper, vt dictum eſt, ex Domini defenſione palliare.* Ita Greg. *Cum enim vera mala*, vt poſtea addit, *hæretici contra bonos non inueniunt, fingunt qua redarguant, vt iuſti eſſe videantur: Et ſit plerumque vt ad aperta contumeliarum verba perueniant. Vnde adhuc ſubditur: Docuit enim iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam blaſphemantium, &c.* At dum S. Gregorius ait: *Fingunt qua redarguant, vt iuſti eſſe videantur*, nobis viam aperit, vt ad alium colorem loricarum tranſeamus, nempe hyacinthinum.

Et hyacinthinas, & ſulphureas.

Zelo falſo diuini honoris, & zelo propriæ exiſtimationis; quo facile in turpitudinem homines incidunt, accendunturque Ianſeniſtæ, igne inferni tandem puniendi.

ARTICVLVS IV.

DVPLICI zelo veſtitos eſſe Ianſeniſtas nemo qui eos attente perſpexit negare vnquam poterit, vno falſo & prætenſo honoris diuini, altero verò propriæ exiſtimationis.

Pontifex legis Moſaicæ olim, vt animaduertit S. Hieronymus, tunica hyacinthina vtebatur. *Poſt*, inquit, *femoralia & lineam tunicam, induimur hyacinthino veſtimento, & incipimus de terrenis ad alta conſcendere. Hæc ipſa hyacinthina tunica à ſeptuaginta vocatur id eſt ſubucula nominatur, & propriè Pontificis eſt, ſignificatque rationem ſublimium non patere omnibus, ſed maioribus atque perfectis. Hanc habuerunt Moyſes & Aaron, & Prophetæ omnes, quibus dicitur: In montem excelſum aſcende tu qui Euangelizas Sion.* Ita S. Hieron. Epiſtol. ad Fabiolam, de veſte Sacerdotali. Hunc colorem cæleſtem ſeu aërium, vel violaceum, vſurpant Ianſeniſtæ, dum quod ſummi Pontificis eſt, quod Paſtorum Eccleſiæ conciliariter congregatorum eſt, ſibi arrogant, nempe de rebus fidei ſententiam ferre, dum noua dogmata introducere attentant contra Pontificum decreta. Vnde ſapienter Franciſcus Annatus ſub nomine Vincentij Seuerini, in libello Catholicæ diſceptationis, de Eccleſia præſentis temporis, in eos inuehitur dum ait: *Quænam autem temeritas, velle Romanos Pontifices ignorantiæ doctrinæ S. Auguſtini prohibuiſſe fundamentales fidei veritates, ſicuti prohibuerunt Pontifices qui hæc propoſitiones damnarunt, vt*

iſti ſibi perſuadent, quia introductâ ſcholaſticorum doctrinâ hæ veritates obliteratæ ſcandalo eſſent, & quaſi Eccleſia ludum ageret, dum ad tempus errores admittendo, poſtea eoſdem reſiceret; & quaſi vnanimis doctorum conſenſio non eſſet vna ex Catholiciſmis notis Vincentij Lirinenſis, nempe vniuerſitate, antiquitate, conſenſione? Ita ille Autor. Certe magnam de ſe habent exiſtimationem Ianſeniſtæ, qui ſummos Pontifices (quorum proprium eſt indui tunica hyacinthina, id eſt rationem ſublimiùm veritatum percipere, in mõtem excelſum diuini luminis cum Moyſe aſcendere, illius effecti ſucceſſores cui ſoli dictum eſt: *Duc in altum.* id eſt, Ambroſio interprete; *in profundum diſputationem. Quid enim tam altum, quàm altitudinem diuitiarum videre; ſcire Dei filium, & profeſſionem diuinæ generationis aſſumere?* Ita Ambroſ. lib. 4. in c. 5. Lucæ) Petri inquam ſucceſſores audent ſuggillare, quaſi in doctrina S. Auguſtini cæcutientes. Vere vſurpant hanc tunicam hyacinthinam ſanctis & Prophetis propriam, qui omnes ſcholaſticos recentiores à vero aberrare exiſtimant, & ſe ſolos eſſe qui mentem ſancti Auguſtini fuerint conſecuti, vt hac ratione ſe cæleſtes, æëre ſeu inſpiratione Spiritus ſancti repletos, ad ſibi magnam exiſtimationem conciliandam profiteantur.

Certe de hæreticis dixit S. Gregorius l. 5. in 4. c. Iob. *Infra ſe cunctos reſpiciunt, quia ſe per ſapientiam tranſcendere omnes arbitrantur. Verbum abſconditum hæretici audire ſe ſimulant, vt auditorum mentibus quandam prædicationis ſuæ reuerentiam obducant: vnde & latenter prædicant, quatenus eorum prædicatio tantò ſancta quantò & occulta videatur. Communem autem ſcientiam habere refugiunt, ne cæteris æquales æſtimentur: occulta vel noua ſemper exquirunt, quæ dum alij neſciunt, apud imperitorum mentes ipſi de ſcientiæ ſingularitate gloriantur, quam occultam, vt diximus, inſinuant: quia ſcilicet vt admirationem oſtendere valeant, hanc ſe latenter percepiſſe confirmant. Vnde apud Salomonem hæreticorum ſpeciem mulier tenens dicit: Aquæ furtiuæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuauior. Vnde hic quoque ſubditur: Et quaſi furtiuè ſuſcepit auris mea venas ſuſurri eius. Furtiuè ſuſurri venas percipiunt, quia ſocialis ſcientiæ gratiam deſerentes, ad hanc nequaquam per oſtium ingrediuntur, Domino atteſtante, qui ait: Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro. Venas itaque diuini ſuſurri furtiuè ſuſcipit, qui ad percipiendam virtutis eius notitiam, deſerto publicæ prædicationis oſtio, prauæ intelligentiæ rimas quærit.* Ita S. Gregor. cap. 18. l. 5. in Iob. At quam benè iſta conueniant Ianſeniſtis, ex legibus quas ſibi præſcribunt in epiſtola illa encyclica intellige. Primò dicunt *finem principalem vnionis ad inuicem eſſe vt remedium adferant abuſibus; & plurimis rebus, quæ omnem in Eccleſia euertunt ordinem: quæ quidem omnia in Eccleſiam irrepſerunt à temporibus S. Auguſtini, propter ignorantiam eminentis doctrinæ ipſius.*

Secundò, *Monachis eſſe detrahendum, quia profitentur doctrinam falſam, erroneam, & contrariam ſenſui S. Auguſtini, circa materiam maioris momenti, quæ ad ſalutem pertineat, nempe prædeſtinationem & gratiam.*

Tertiò, *Caueant ſe dulò ne prima fronte apertè dicant quænam ſint indicia aut ſignà præſentiæ gratiæ victricis, & profitebuntur hanc cognitionem dari iis ſolùm qui ea notitia digni cenſentur, qui modus agendi validiſſimum inter alia medium eſt, quo populi alliciantur, vt in negotiis ſalutis velint nos conſulere.*

Quartò, *Si in quibuſdam aliqualis erga nouitatem propenſio ſeu amor percipiatur, ipſis doctrina proponenda vt noua, ſaltem reſpectu Eccleſiæ præſentis temporis, reſpectu doctorum ſcholaſticorum, imo reſpectu quorumdam Conciliorum, quæ poſt S. Auguſtini ætatem celebrata fuere.*

Quintò, *Cum his qui nec vnam ſententiam nec aliam amplectuntur, hoc modo agendum, vt tanquam Myſteria proponantur articuli ſententiæ ſeu opinionis noſtræ, vt melius curioſitas ipſorum alliciatur.*

Sextò, *Quod ſi Concilium Tridentinum aliquid contrarium proponat, dicendum non fuiſſe Oecumenicum, & tantùm fuiſſe conflatum ex Monachis quibuſdam, & ſimilibus.*

Septimò, *Quod qui maiori ſcientia ſunt præditi, & qui feliciora, ac meliora habent ingenia, ſunt Ianſeniſtæ.*

Octauò, *ſuam opinionem aperte non proferent: eam tantum proponent ſub quibuſdam terminis, quibus videbitur à communi opinione minimè diſcrepare, ne prima fronte deterreant mentes audientium, quas pedetentim adducere oportet ad ſenſum & ſententiam S. Auguſtini.* Hæc & ſimilia præſcribunt, quibus manifeſtum eſt ipſos arbitrari ſe omnes per ſapientiam tranſcendere, tum doctrinam proponunt nouam, vt putant, reſpectu præſentis temporis, & ſe ſapientiores putant tot Patribus, Epiſcopis & Doctiſſimis viris, qui Concilio Tridentino affuerunt: dum ſe occulta, & noua exquiſiuiſſe, ſe ſocialis ſcientiæ gratiam deſerere, & à doctrina ſcholaſticorum deſciſcere gloriantur, & deſerto publicæ prædicationis oſtio, prauæ intelligentiæ rimas quærere. Quod manifeſtum eſt etiam ex eo quod doctrinam de meritis vt intelligitur, & in praxim reducitur in Eccleſia, deſtruendam eſſe exiſtimant à diſcipulis S. Auguſt. vt pote mentes excruciantem ſub prærextu conſeruandæ libertatis; Præterea, quod hæc eorum doctrina Eccleſiæ praxim cauillationibus carpere audeat, quaſi laxiorem pluſquam oporteat, v. g. pœnitentias non fatis aſperas aut criminibus proportionatas iniungendo, nec praxi primitiuæ Eccleſiæ conformes; quod ſacro ſanctum Sacramentum potius prophanari contingat, quàm honorari, ex modo quo pro nunc ſacra communio frequentatur. Nonne vides eos de ſingularitate quadam propriæ opinionis gloriari, ac ſi apertè ab Hæreticis iſtis diceretur, (vt S. Gregorij verbis loquar, c. 19. lib. 5. in Iob.) *Cum homines inferiùs dormiunt, nos ad percipienda ſuperna vigilamus: quia ex nobis nota ſunt, ad quæ videlicet cognoſcenda cæterorum hominum corda torpentia non aſſurgunt. Ac ſi apertius dicant: In quibus intelligentia noſtra ſe erigit, reliquorum hominum ſenſus domit.* Ita S. Greg. Videſne ipſos tunicam hyacinthinam ſummi Pontificis & Paſtorum Eccleſiæ ſibi arrogare, qui & fidem Eccleſiæ oppugnare & praxim vituperare non pertimeſcunt? At alia ratione illos loricas hyacinthinas habere oſtendo, dum deuotionem quamdam ſibi, non cæteris Eccleſiæ fidelibus, notam habere gloriantur. *Feruentioribus*, inquiunt, *& deuotis demonſtrabunt ſolidiorem deuotionem eſſe, quæ eſt S. Auguſtini.*

Secundò, *Dari plures conditiones neceſſarias, vt pietatis actiones Deo reddantur acceptæ, inter quas gratia præcipuum obtinet locum, quæ ſi abſit, opera quæ videntur meliora, peccata ſunt.*

Tertiò, *Si de maiori hominis gloria, aut maiori ipſius virtute fiat ſermo, maior illius gloria, maiorque virtus eſt vt ſe ita dependentem à gratia teneat, vt ipſa in nobis ſine nobis omnia operetur.* Hæc Epiſt. Encycl.

Dum hæc audis, nonne diceres ipſos extra omnem naturæ ordinem poſitos, in cœlo iam eſſe collocatos, propria natura ſpoliatos? In quo tamen etſi gratia pleniſſimum obtineat effectum in nobis non tamen ſine nobis conſentientibus & operantibus. Dicebat Apoſtolus, *Gratia Dei ſum id quod ſum: non ego ſed gratia Dei mecum.* 1. ad Corinth. 15. Cœlum & terram admirabili quodam nexu iungit Apoſtolus. ima ſummis coniungens, cum non gratiam ſolam, ſed ſecum eam operari aſſerit. At iſti cæleſtes homunciones in diuinam quamdam naturam ita ſunt tranſformandi, vt gratia in ipſis, & ſine ipſis omnia operetur.

Digitized by Google

Tertiò, ex Ambroſio Ansberto hyacinthinas loricas pro fumeis intelligere debemus : *Ex igne enim fumus egreditur : hoc etiam ipſe color hyacinthinus indicat, qui ſpeciem veris tenet.* Ita Ansber. Quid magis appoſitè dici poſſet ad deſignandum duriſſimum ſpiritũ ſuperbiæ & cenodoxiæ, quo laborant, vt clarum eſt ex his præceptis Epiſtolæ circularis.

Primo : *Se inuicem ſtudiosè & impensè laudibus proſequuntur.*

Secundo : *Profitebuntur & aſſeuerabunt ſe doctrina non mediocri pollere. Et vt ſibi hanc concilient famam, & exiſtimationem, plurima dum aſcendent Cathedras, dum conuerſari cum aliis occaſio ſeſe obtulerit, loquentur de prædeſtinatione & de gratia S. Auguſtini.* Fœtet illa Epiſtola plurimis aliis inſtructionibus, quæ ſi attentè ponderantur, facilè videbitur quàm amatores ſint gloriæ : *Scientia*, dicit Apoſtolus, *inflat : charitas ædificat.* Vento ſuperbiæ inflati Ianſeniſtæ gloriam à ſe inuicem quærunt : nonne de ipſis dici poteſt illud Domini Ieſu Chriſti, Ioan. 5. *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt non quæritis?* Moyſem accuſaturum eſſe Iudæos dicebat Chriſtus, cuius ſe dicebant diſcipuli, quia ad gloriam magis quàm ad pietatem viuere volentes, in Chriſtum credere recuſabant. Ianſeniſtas S. Auguſtinus, cuius ſe iactant diſcipuli, accuſabit : quod propter appetitum gloriæ noua dogmata velint introducere, & hac inani gloriæ cupiditate, optimæ rei, fidei videlicet iacturam facere. *Quaſi enim naturâ*, inquit, S. Cyrillus c. 7. lib. 2. in Ioan. *neceſſarioque accidit omnibus qui gloriam humanam venantur, vt gloriam Dei amittant, & à ſolo Deo decidant.* Ita S. Cyrillus.

Sed dum video S. Propheram illis dare non modò loricas hyacinthinas, ſed & ſulphureas, neſcio quid fœtidi iam ſuboleo, nocturna quædam videlicet ſacra quæ dicebantur hyacinthina : nam facilis eſt ex ſuperbia in carnis ſpurcitias lapſus, Deo ſic vindicante mentis ſuperbiam per rebellionem carnis. Vnde ad quæſtionem. *Quare non erubeſcebant Adam & Eua, dum nudi erant?* Reſpondet appoſitè Albinus in Geneſim : *Quia nullam legem ſenſerunt in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ : nihil enim putabant velandum, quia nihil ſenſerant refrenandum. Nam in pœnam peccati euenit homini, vt ipſa ſua caro rebellis ei eſſet in moribus ſuis, quia ipſe rebellis erat creatori ſuo in actibus ſuis.* Et ad quæſtionem, *Quomodo potuit mulier credere ſerpentis ſermonibus, quod diuinitùs à re bona fuiſſet prohibita?* Reſpondet idem Albinus. *Quia fortè inerat menti illius ante amor quidam propriæ poteſtatis, & quædam de ſuperbia præſumptio, quæ per illam tentationem fuerat vincenda & humilianda.* Ita Albinus. Timeant Ianſeniſtæ, qui ſuperbia tument, ne Deus permittat vt iam induti loricis igneis zeli amari, & hyacinthinis elationis & ſuperbiæ, citò induantur ſulphureis vitiorum carnis : quod tantò magis illis eſt pertimeſcendum, quod ſi, vt diximus, eorum dogmata admittantur, ad peccata carnalia facilis erit tranſitus, vt iam monuimus, vt nocturna illa ſacra, hyacinthina dicta celebrare non pertimeſcant.

Quænam autem illa fuerint, ex S. Hieronymo conjicio, lib. 1. aduerſus Iouinianum c. 26. *Ariſtomenes Meſſenius vir iuſtiſſimus, victis lacedæmoniis, & quodam tempore nocturna ſacra celebrantibus, quæ vocantur hyacinthina, raptas de choris ludentium virgines quindecim.* Ita Hierony. Quo autem fine illas rapuerit, & ex quo ludo illas ereripuerit, accipe ex ſequentibus. Ita enim proſequitur S. Hierony. *Et tota nocte gradu contito fugiens exceſſit de finibus Spartanorum. Cumque eas comites eius vellent violare, monuit quantum potuit ne hoc facerent; & ad extremum quoſdam non parentes interfecit, cæteris metu coërcitis. Redempta poſtea à cognatis puellæ, cum Ariſtomenem viderent cædis reum fieri, tandiu ad patriam non ſunt reuerſæ, quandiu iudicum aduolutæ genibus, defenſorem pudicitiæ ſuæ cernerent abſolutum.* Ita Hieronymus. Eo igitur fine eas rapuit & eripuit, vt illarum integram ſeruaret pudicitiam. Duplici namque titulo hunc Ariſtomenem defenſorem pudicitiæ dici exiſtimo, & quod non permiſit à comitibus illas violari, & quod eas antea è choris ludentium rapuerit, qui hyacinthina celebrabant nocturno tempore ſacra, in quibus facile eſt credere Virginum pudicitiam parùm fuiſſe tutam inter iuuenes ludentes ſeu laſciuientes. Ea autem ſacra dicta fuiſſe hyacinthina, ex illo Hyacintho puero, cuius amore captus Apollo in Sparta fuerat, vel ex flore rubeo, ex ſanguine Adonidis Veneris amaſij nato, cum ab apro fuit ictus. Eſt enim hyacinthus ruber flos, vt notat Calepinus, ex herba eiuſdem nominis naſcens, à cuius ſimilitudine rubræ veſtes hyacinthinæ veſtes nominantur, hoc eſt, hyacintho flori ſimiles. Et ſatis veriſimile eſt gentiles memoriam huiuſmodi flagitiorum & amorum impudicorum Deorum ſuorum retricantes, fuiſſe ad libinoſos actus exercendos propenſiores : vnde illis virginibus, quibus pudicitia in prætio erat, gratum præbuit obſequium Ariſtomenes, cum illas è lupanari è medio iuuenum ludentium ſeu laſciuientium eripuit.

Quidquid ſit, timendum ſuperbis ne dum loricis hyacinthinis induuntur, mox ſulphureis etiam indui incipiant, id eſt ne in vitia carnis incidant, quæ per ſulphur deſignantur ob fœtorem ; quia facilis eſt ad carnis voluptates lapſus : ſicut enim ſulphur facilè ignem concipit, ita facilè caro titillationibus & ad libidinem propenſionibus acquieſcit.

Sed alia ratione dico Hæreticos ſulphureis indui loricis, quia dum peccant ex malitia & peruicacia, fiunt materia ignis temporanei & æterni. Sicut igitur ſulphur materia eſt aptiſſima ad concipiendum ignem, ita pertinacia & malitia hæretici eſt materia aptiſſima ad ignem : tali enim ſupplicio puniuntur peruicaces hæretici, vt emollire poſſit & penetrari mentis eorum duritia in præſenti tempore, iuxta illud Tertulliani in ſcorpione, c. 2. *Ad officium hæreticos compelli nonillici dignum eſt : duritiæ vincenda eſt, non ſuadenda.* Lege Alphonſum à Caſtro lib. 2. de iuſta hæreticorum punitione, c. 12. & 13. Videant igitur Ianſeniſtæ ne hanc pertinaciam contrahant, ne materia reddantur apta ad interitum carnis & ſpiritus, ob crimen læſæ Maieſtatis diuinæ & humanæ, ſi & decretis Pontificum, & edictis Regum obtemperare recuſent. Si igitur petas quidnam ſignificent loricæ ſulphureæ ; dico ſignificare hæreticorum pertinaciam & mentis obſtinationem, qua ſupplicio digni redduntur. Et ita in loricis igneis vidimus proprium amorem induere ſe igne vel iracundiæ, vel zeli amari ; in hyacinthinis, propriæ excellentiæ exiſtimatione ; in ſulphureis malitia & obſtinatione. Et quid non audebunt qui furore fuerint ſemel perciti, vel ſuperbia & arrogantia inflati, vel malitia obdurati? Qui tali ſpiritu aguntur, certè fiunt ad diaboli voluntatem captiui ; & ad omne bonum opus reprobi, vt patebit ex ſequentibus.

Et capita equorum tanquam capita leonum.

Damnationem æternam quorumlibet hæreticorum meditatur diabolus, dum illos ad hæreſes inducit ſub hos coloribus.

ARTICVLVS V.

POSTQVAM S. Ioannes oſtendit quo ſpiritu agantur hæretici, redit ad deſcriptionem ipſo-

rum dicens : *Et capita equorum erant tanquam capita leonum* : Quaſi dicat : In loricis igneis, hyacinthinis, & ſulphureis, animaduertere potuiſtis quo ſpiritu agantur, qui ab Eccleſiæ gremio recedunt, vt propriæ ſententiæ adhæreant. Nunc animaduertendum quid prætendat diabolus, dum & hæreſes ſuggerit, & motiua ſuppeditat, quibus hæretici obtegũtur, vt iuſtis de cauſis ſe ab Eccleſia diſceſſiſſe dicant. Leo eſt diabolus, qui *circuit quærens quem deuoret*, nihil niſi funeſtum & crudele ab eo expectare par eſt : *Quia*, inquit S. Gregorius lib. 5. in c. 4. Iob. c. 16. *natura vniuſcuiuſque rei ex diuerſitate componitur, in ſacro eloquio per rem quamlibet licitè diuerſa figurantur. Habet quippe Leo virtutem, habet & ſæuitiam. Virtute ergo Dominum, ſæuitiâ diabolum ſignat. Hinc enim de Domino dicitur : Vicit leo de tribu Iuda, Radix Dauid. Hinc de diabolo ſcriptum eſt : aduerſarius veſter ſicut leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Ita S. Greg. Perditionem autem & damnationem finem eſſe præcipuum hæreſum & errorum docet S. Petrus 2. c. 2. *Fuerunt verò & pſeudo-Prophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt Magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis, & eum qui emit eos Dominum negant, ſuper ducentes ſibi celerem perditionem.* Et poſtea addit S. Petrus : *Audaces, ſibi placentes, ſectas non metuunt introducere blaſphemantes, vbi Angeli fortitudine & virtute cum ſint maiores, non portant aduerſum ſe execrabilem iudicium : hi verò velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem & perniciem in his quæ ignorant blaſphemantes, in corruptione ſua peribunt, percipientes mercedem iniuſtitiæ*, &c. At quinam ſunt illi deploratiſſimi homines, niſi illi de quibus S. Iudas ait : *Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes?*

Sed audio quempiam me his verbis increpantem durè : Certè ridiculus es, ſi hæc ad Ianſeniſtas pertinere aliqua ratione exiſtimes, qui nihil aliud prædicant, quàm gratiam allicientem potentiſſimè, & victricem, qua ſalus æterna comparatur, cuius violentiis gratiſſimis reſiſtere non poſſumus. Taleſne exiſtimares pro fine habere perditionem? Taleſne dices irrationabilia pecora, in captionem & perniciem abeuntia, & peritura, qui tam ſubtiliter de prædeſtinatione & gratia diſputant & loquuntur, qui primitiuæ Eccleſiæ dogmata & oracula ſe tenere religioſè aſſeuerant, qui tam nitido eloquio & non vulgari eloquentia omnia exponunt? At Reſpondeo : Eſto hoc non animaduertant Ianſeniſtæ, hoc pro fine ſibi explicitè non præſcribant ; proculdubio in hoc ſunt irrationabilia pecora, ſi non videant ſe æternam perditionem conſecuturos, ſi ſuis dogmatibus adhæreant contra Eccleſiæ determinationem. Talia enim ſunt illorum dogmata, vt diaboli ſæuitia & crudelitas in ipſis appareat manifeſtè, itaut qui ea dogmata tenere, prædicare, inculcare voluerit, habeat certe Leonis caput : nam ſi quis illi adhæſerit, aut ei fidem adhibuerit, proculdubio cum ipſo æternam incurret damnationem. Quod quidem diabolus præcipuè intendit, dum tanquam organo aptiſſimo, ingenio audaci & ſuperbo cuiuſuis Ianſeniſtæ vtitur, vt mendacia & errores, quorum pater eſt, diſſeminet, ſectaſque introducat perditionis : v. g. dum Ianſeniſtæ affirmant quod cum homines in ſtatu naturæ lapſæ peccant, ipſi neceſſariò peccant ; & nihilominus verè ſunt pro his criminibus rei & culpandi, eoſque proinde cum iuſtitia à Deo puniri ; dum præterea docent Deum non eſſe iniuſtum, præcepta nobis dando pro ſtatu præſenti nobis impoſſibilia, ex eoquod in ſtatu innocentiæ vires dederat, quibus illa adimplere potuiſſemus, hancque impoſſibilitatem nos diſpenſare aut eximere non poſſe ab obedientia ſuis præceptis exhibenda, ex eoquod illam impoſſibilitatem contraximus ex peccato primi parentis. Quid quæſo Deo crudelius affingi poteſt? Quid quoad nos, magis à ratione alienum? Legendi auctores qui contra eos ex profeſſo de his propoſitionibus diſputant. Præterea dum docent Chriſtum non eſſe pro omnibus mortuum, nec Deum velle omnes homines ſaluos fieri, quid crudelius? Quid Dei bonitati magis iniuriоſum dici poſſet. Certè dum iſta effutiunt, habent capita leonum crudelitatem exhalantium, & ad deſperationem homines adducentium. Sed dum audis ipſos docere Deum ab æterno noſtram damnationem determinaſſe poſitiuo decreto, quod immutari non poteſt, nonne ſpirat tale dogma horrendam in Deo ſæuitiam? Nonne eum qui emit eos Dominum negant? Nonne in his quæ ignorant blaſphemant? Siquidem cauſa reprobationis, non eſt decretum antecedens culpæ præuiſionem, neque præuiſio culpæ, ſed præuiſio culpæ nunquam finiendæ propter finalem impœnitentiam.

At vt hanc perditionem inducat, nihil timet diabolus : vnde Leo dicitur propter audaciam, qua contra Dei propoſitum homines perdere conatur : *Non eſt ſuper terrã poteſtas quæ comparetur ei*, inquit Iob. c. 41. *qui factus eſt vt nullũ timeret : omne ſublime videt : ipſe eſt Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ.* Hunc imitantur propterea Ianſeniſtæ, & habent capita leonum : nam cum leo animal ſit audaciæ ac ferocitatis ſymbolum, audaces ſunt omnes qui poteſtatibus ſublimioribus ſubdi nolunt, qui dominationem ſpernunt : Tales autem eſſe Ianſeniſtas oſtendit Dominus de Marande, in ſuo libro, cui titulus eſt, *Inconueniens d'Eſtat procedans du Ianſeniſme.* Ibi enim docet talem eſſe nouatorem omnium indolem, vt Regum poteſtatem impetere audeant, à qua lege & conſuetudine Ianſeniſmus excipi non poteſt : nam poſtea quam indirectè ſanctiſſimæ ſedis poteſtatem impetiit, libello de duobus capitibus, quæ vnum tantum Eccleſiæ caput conſtituunt, auctoritatem & poteſtatem regum aggredi non timuit libello quodam Pariſiis impreſſo à duobus Doctoribus Ianſeniſtis approbato, vt optime Lector, apud ipſum Dominum de Marande legere poteris : quod ne actum agam, hic tranſcribere operæ pretium eſſe non puto. Et quis cernens Ianſeniſtam decilioni Pontificis, edicto Regis, acceptationi Bullæ Illuſtriſſimorum Præſulum non obtemperantem, non diceret eum propter audaciam leoninum caput habere?

Et de ore eorum procedit ignis, & fumus, & ſulphur. Et ab his tribus plagis occiſa eſt tertia pars hominum, de igne, & de fumo, & ſulphure, quæ procedebant de ore ipſorum.

Scopus dæmonis, dum errores diſſeminat, eſt animarum perditio, & ad hunc finem mouet hæreſum inuentores.

ARTICVLVS VI.

OMNE agens intellectuale ſemper quemdam ſibi præſcribit ſcopum, quo moueatur ad aliquid aggrediendum : alias irrationabiliter omnino ageret, & ad modum brutorum, quæ ſolo impetu naturali abſque delectu feruntur ad obiecta ſibi conuenientia proſequenda. Non eſt exiſtimandum dæmonem, qui pater eſt mendacij, & zizaniorum ſeu errorum in agro dominico ſator, dum in mentes hominum errores ſerit, hoc incogitanter ἀλόγως agere ; mortem non ſolum corporis, ſed etiam mentis & animæ hominis proculdubio meditatur, vt qui miſer effectus eſt dum *in veritate non ſtetit*, in ſuam miſeriam inuoluat hominem, cuius fælicitati inuidebat. *Vitæ exterminator*, vt ait S. Cyrillus l. 6. in

Digitized by Google

Ioan. c. 6. *quia & ipſe inuidit homini, & eum occidit, quia ex iuſto fecit peccatorem, ex immortali fecit mortalem, ex viuente per gratiam, mortuum per culpam.* Ita Cyrillus. Et certè à malignitate non receſſit, ſed ſemper eſt in inſidiis, vt fallat; ſemper quærit quem deuoret, id eſt in ſuam abſorbeat damnationem. Non mirum igitur ſi de ore eorum quos ſeduxit, *procedit ignis, & fumus, & ſulphur*, à quibus plagis tertia pars hominum occidatur: quia ſi ſemel quempiam nactus fuerit, qui eius ſuggeſtioni conſentiat, quantum in ſe erit illo tanquam organo idoneo vtitur ad aliorum perniciem. Et reuera, *cum loquitur mendacium*, vt ait Dominus, *ex propriis loquitur quia mendax eſt, & pater eius*: ſcilicet mendacij. *Plane*, inquit S. Cyrillus, *à ſemetipſo mendax, quia à nemine prius audiuit, nec didicit mendacium, ſed ipſe ſuum genuit mendacium. Homo verò*, vt poſtea Cyrillus addit, *quia non à ſe, ſed docente & ſuggerente diabolo mendacium didicit, cum loquitur mendacium, non ex propriis loquitur, ſed ex alieno, & quod aliunde accepit: neque pater mendacij eſt, ſed patris mendacy filius, quem per peccatum, à veritate, à Deo declinando, malitiæ aſſimilatione imitatur.* Ita Cyrillus. Qui igitur ſemel errotibus intus adhæſerit; *quia ex abundantia cordis os loquitur*, proferet certè verba ignea nouorum dogmatum, veram doctrinam interimentia, falſa & ſophiſtica argumenta mentes obnubilantia; & ſulphur fœtidum mendaciorum, quibus credulitas nimia incautè in via Dei ambulantium decipiatur, & in errorum diuerticula ipſi diuertantur: quibus tandem pertinaciter adhærenter, ignis æterni pabulum reddantur: Hic eſt ſcopus diaboli, qui ab initio eſt homicida, id eſt, *ab initio ſcilicet*, vt poſt Auguſtinum ait Cyrillus, *quoniam ab ipſo inceptis peccatum & prauaricatio; aut ab initio creationis humanæ & productionis mundi, corporis fuit homicida, quia tunc mortem humano generi intulit, nec vnquam deſtitit poſtea exitium & perniciem quibus potuit afferre.* Et vt ipſe Cyrillus adhuc paulo poſt ait, *ab ipſius peccati exordio (quod ab eo capit originem, nam ante illius lapſum non erat peccatum) prauaricatus eſt Dei legem, prolapſuſque à natiua bonitate ſua, & decidit in prauitatem a qua nunquam deſtitit, ſed in ea continuè perſtat, ſemper mala malis accumulans, & prana ſuggerens.* Ita S. Cyrillus l. 6. in Ioan c. 6. Hinc poſt Lutheri, Caluini peſtes, Ianſeniſtas excitauit ad Eccleſiæ vnitatem reſcindendam, qui dum zelum Dei ſe habere putant, à diabolo decepti, modò ignem, modò fumum, modò ſulphur ex ore euomant. Quid enim eſt aliud quàm ignem euomere, cum Eccleſiæ ptaxim receptam proſcindunt in Sacramentorum adminiſtratione, cum tam audacter & impudenter dicunt illam eſſe reſtaurandam, quaſi dirnta fuerit, quaſi non debeat eſſe perpetua, quaſi Eccleſia quæ nunc eſt non ſit æquè infallibilis ac primitiua? Quid enim eſt aliud quàm ignem euomere, cum præſcribunt vt quicquid contra honorem; ſeu in vituperium Monachorum vnquam ſcriptum fuit, ſtudiosè colligatur, & vndique corrodatur, vt occaſione oblata illa euomant, *Itaut*, inquiunt, *appareat ſolo zelo ad hoc impelli, non aliqua animoſitate?* Cum, inquam, præſcribunt vt *paulatim populis inculcetur Monachos ignorantia laborare, & deordinatè viuere; Et quod, ſi fieri poſſit, in cordibus fidelium deſtruatur illa qua ipſos colunt veneratio, dum illos patres nuncupant?* Quid aliud quam fumum euomunt, dum peruerſam illam doctrinam produnt, qua aſſerunt peccandi neceſſitatem, inobedientiam Adæ ſubſequentem, fructum eſſe accuratæ reuolutionis librorum, & quaſi quoddam ſectæ ipſorum myſterium aliis Theologis totaliter incognitum; cum ſe ſolos mentem S. Auguſtini eſſe aſſecutos gloriantur; cum auram popularem ſibi eſſe conciliandam præſcribunt, & alia ſimilia vanitatem ſed dolentia in illa Epiſtola circulari, certè fumum emittunt ex ore. At ſi iſta propoſitio: *Aliqua Dei hominibus iuſtis, volentibus & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant*; Temeraria, impia, blaſphemia, anathemate damnata, & hæretica eſt; Si illa etiam qua dicunt, *Chriſtum pro omnibus omninò hominibus non eſſe mortuum, aut ſanguinem fudiſſe, quaſi hoc aſſerere, ſcilicet pro omnibus eſſe mortuum, eſſet ſemipelagianoſum hæreſim aſſerere*, ſit opinio falſa, temeraria, ſcandaloſa, & intellecta eo ſenſu, *vt Chriſtus pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum mortuus ſit*, cenſenda ſit impia, blaſphema, contumelioſa, diuinæ pietati derogans, & hæretica; Nonne dum has propoſitiones emittunt, ac ſi eſſent veritates Catholicæ, ſulphur euomunt ex ore, fœtidum, ignibus concremandum? Quo igne, fumo, & ſulphure occiditur tertia pars hominum. Etenim in tres claſſes vniuerſum hominum genus diſtribui poteſt. Prima claſſis eſt infidelium, qui fidem nondum acceperunt. Secunda eſt fidelium Chriſtianorum, qui fidem recipientes poteſtatem habent filios Dei fieri. Tertia eſt eorum qui hanc fidem deſerunt, vt proprio iudicio adhæreant: hæc eſt tertia pars hominum, qui occiditur ab his plagis: *Oportet enim hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant.* Non autem requiritur vt tota hominum maſſa in tres turmas æquali numero diuidatur, vt ſi trigeſima inter decem diuiderentur, ſed ſufficit vt tres ordines conſtituantur, ſub quibus vnuſquiſque hominum collocari poſſit. Et ſic ſiue pauci, ſiue multi ſint qui qui adhæreant his igneis, fumeis, & ſulphureis propoſitionibus, quo fit vt illis adhærendo mortem incurrant, ſemper verum erit quod tertia pars hominum ab his plagis occidatur. Quamuis enim aliqui ſint hæretici qui his quinque propoſitionibus non adhæreant, per alias hæreſes quibus adhærent in hoc tertio ordine collocantur.

Tale igitur eſt caput Ianſeniſtæ, id eſt ſcopus illius doctrinæ, vt homines in interitum mergat: *Quia*, vt optimè Ambroſius Ansbertus lib. 4. in Apocalypſ. hunc locum exponens, *videlicet malorum prædicatio ſequacibus ſuis æterna ſupplicia præparat. Et non inconuenienter peruerſa prædicatio tormentum impiorum vocatur, per quam ad illud multitudo impiorum peruenit. Genus enim tropicæ locutionis eſt, ab eo quod procurat illud quod pronocatur oſtendens; ſicuti nos in manibus hominis plagas eſſe correctionis dicimus, per quam plagas accipiunt hi qui corrigantur. Illi etenim rectè introducuntur hæc habere, & ex ore proferre, quorum noxia prædicatione ſeducti interemt cruciandi igne, fumo, & ſulphure*, &c. Ita Ansbert. Hæc autem tria genera tormentorum, quibus cruciantur reprobi, exprimuntur Apocalypſ. c. 14. vt ipſe notat: *Si quis adorauerit beſtiam, &c. cruciabitur igni & ſulphure in conſpectu ſanctorum Angelorum, & in conſpectu agni: fumus tormentorum eorum in ſecula ſeculorum aſcendet. Quæ ſcilicet verba illos tantùm non deterrent, qui hæc aut ventura non credunt, aut certe non grauia ſed leuia putant. Cum autem illa incurrerint, tunc experientur quam amara mors ſit, ſemper igne cremari, nec ſunditùs mori, ſed ſemper fumum pati, lucem nunquam videre, ſemper fœtoribus repleri, ſuauitatis nil odorare. Horrenda ſunt prorſus peruerſa dogmata, quibus peruenitur ad talia.* Ita Ansbertus. Dic intrepidè: Horrenda ſunt Ianſeniſtarum dogmata, quibus peruenitur ad talia.

Poteſtas equorum in ore eorum eſt, & in caudis eorum : nam caudæ eorum ſimiles ſerpentibus, habentes capita : & in his nocent.

Quid per caudam & caput iſtorum equorum ſignificetur.

ARTICVLVS VII.

AD interpretationem huius loci neceſſarium eſt primò exponere quid ſanctiſſimus Propheta per caudam potiſſimùm intelligat. Capita equorum diximus ſignificare motiuum præcipuum, quo diabolus doli artifex inducitur, vt errores diſſeminet in cordibus fidelium, nempe animarum perditionem. Cauda igitur mihi videtur illud omne medium quo intentionem ſuam ad effectum deducere poteſt, ſiue vt qui primi virus illius hauriunt perditionem incurrant, ſiue vt alios ſecum ad ſimilem interitum incurrendũ propellere valeant, velut extremum totius ſatanicæ conſpirationis & machinationis, quo quid intendit ad effectum deducit. Sed antequã iſtud fuſiùs explicemus, dicendum ænigma exponi poſſe, vel de toto corpore hæreticorum ſiue Ianſeniſtarum, vt vnam faciant ſynagogam, ſiue de quolibet hæretico ſeu Ianſeniſta. Si de toto corpore Ianſeniſtarum ænigma exponamus, facilè eſt conjicere capita ſignificare illos præcipuos diſcipulos prætenſos ſancti Auguſtini, qui inſtructionem aliis dare per Epiſtolam Encyclicam voluerunt ad doctrinæ propagationem; illos etiam diſcipulos vnitos, quibus illæ inſtructiones communicari deberent, *qui diſperſi per oppida & ciuitates cum magna cautela & circumſpectione illas communicare debent iis tantùm, quos viderint in amore doctrinæ obfirmatos, & in odio aduerſariorum conſtanter permanſuros. Ex quorum numero paucos aliquos antiquiores poterunt ſeligere, qui ſimul congregati ſub ſpecie viſitationis & deambulationis colloqui ſeu collationes ad inuicem habere poſſint, de ſtatu, progreſſu, doctrina, aliiſque rebus ad eam pertinentibus. Qui fuerint inter eos acutioris ingenij, & eminentioris doctrinæ & capacitatis, aperiè doctrinam profitebuntur, & aperto marte cum aduerſariis congredi poterunt.* En capita illius prauæ ſynagogæ, ex quorum ore procedit ignis, fumus & ſulphur. Poteſtas enim equorum, id eſt quarumlibet congregationum hæreticorum, eſt in falſa doctrina hæreſiarcharum. *Alij*, inquiunt, *vocabuntur diſcipuli ſecreti, tales quales habuit Dei filius, qui eo modo agent, tanquam ſi neutram partem amplectantur; quinimo, ſi opus fuerit, dum conuerſari cum proximo contingerit, fingent ſe aduerſa parti conſentire, vt ſic facilius poſſint animaduertere, qualis ſit animus eorum cum quibus conuerſari licuerit circa doctrinam reijciendam aut recipiendam.* O caudæ ſerpentinæ, habentes capita in quibus noceant, illis perfidis Iudæis ſimiles, de quibus S. Cyrillus lib. 1. in Iſaiam hunc locum capitis noni Iſ. exponit: *Longanus & honorabilis ipſe eſt caput: Et propheta docens mendacium, ipſe eſt cauda. Caput*, inquit, *populi ſacerdos, quando velut de vno intelligitur corpore, auferendum*; *deinde ait: cum ſene, & propheram dicentem iniqua, quem dicit eſſe caudam, id eſt ſequentem. Erant enim quidam apud Iudæos, qui legem à ſapientiſſimo Moſe datam interpretati quidem ſunt, qui tamen id fecerunt, Moſaicis verbis intexentes parum rectè traditiones non ſcriptas, mandata hominum atque doctrinas. Hi Iudaicam plebem deceperunt, & vt propinquem cernicem contra Chriſtum eriperet effecerunt. Quoniam igitur ſequebantur hi quoque ſacerdotum ſententias, qui in ordine loco que capitis collocati, eos caudam nominauit: ham, vt dicebam, quando de vno intelligamus corpore, cauda ſemper caput ſubſequitur.* Hæc S. Cyrillus. Qui igitur doloſè, vt ſerpentes, fauent doctrinæ ab illis hæreſiarchis & inuentoribus mendaciorum inuentæ, caudæ ſunt *ſimiles ſerpentibus, habentes capita, in quibus nocent.*

Sed aliam expoſitionem ex Ambroſio Ansberto adducere non piget, ſatis conſonam, nec à Ianſeniſtarum moribus aliena. *In ore*, inquit, *namque Doctorum ſcientia; in cauda verò, vt ſupra meminimus, ſecularium potentia figuratur*, &c. Et poſt pauca: *Iſtis ergo equis, id eſt nequiſſimis prædicatoribus, vbique carnalis impulſu diſcurrentibus, in ore & in cauda poteſtas eſt: quia ipſi quidem peruerſa ſuadendo prædicant, temporalibus poteſtatibus fulti, per ea quæ retro ſunt exaltantur. Hinc eſt quod de eorum principe, id eſt Anti-Chriſto, per Pſalmiſtam dicitur: Sub lingua eius labor & dolor: & ſedet in inſidiis cum diuitibus in occultis. Propter peruerſa enim dogmata ſub lingua eius labor & dolor, quia in illo labore & cordis dolore ſatagit, vt plurimos peruerſa prædicatione decipere valeat. Miraculorum ſpecie in errorem conuertit, rectè in inſidiis ſedere dicitur: Et quia quos nec dogmatibus, nec miraculorum ſpecie decipere valet, potentia ſeculari conatur opprimere, benè cum diuitibus: quia vero ſimul & miraculorum fraude, & terrena poteſtate vtitur, & in occultis cum diuitibus ſedere perhibetur.* Ita Amb. Ansb. Summas ô Chriſte Rex Regum, & Domine Dominantium, tibi agere debemus gratias, quod ſub Chriſtianiſſimo Rege hæc hæreſis caput extollere attentauit, qui illud elidere potius quàm fouere deſiderat, vt clarum eſt & notorium. Nam ſi aditum apud ipſum aliquem habere potuiſſent Ianſeniſtæ, quàm libenter eius potentia freti omnem conculcaſſent pietatem, vt dogma ſuum ſtabilirent. Sed Deus nos ab hoc periculo liberauit, cum pietate qua Rex præditus, tum ſtudio & vigilantia piiſſimæ matris eius, quæ in hoc negotio fidele Deo & Eccleſiæ præſtitit obſequium, nunquam ſatis laudibus proſequendum. Sciunt omnes quod aliquos diuites & præpotentes ſeducere conati ſunt, quorum opibus vſi ſunt vt multos ad ſuam ſectam amplexandam adducerent: qua de cauſa hunc articulum poſuerunt in iſta famoſa Epiſtola: *Commune marſupium habere conabuntur, vt impenſis neceſſariis pro librorum impreſſione, & penſionibus, quas opus erit quibuſdam dare, qui alia ratione ad doctrinam allici non poſſent ſubueniri poſſit*, &c.

Sed ſi de quolibet Ianſeniſta fiat ſermo, dicendum quod ſicut caput ſignificat errorem, cuius diabolus eſt inuentor & ſator, & immiſſum à diabolo ſuggeſtore eo fine vt fallat & perdat, & admiſſum à ſeducto, à quo tanquam è quodam capite profluat deinceps in alios ſeducendos, quidquid taliter deceptus cogitat, loquitur, operatur, diabolo inſtigante, vt pote captiuus ad ipſius diaboli voluntatem; ita cauda erit illud extremum, quo diabolus ſua prima intentione, quæ tanquam caput eſt, peruerſæ ipſius machinationis de hominibus perdendis minimè fruſtretur, nempe prauum aliquod opus, quo alij etiam poſſint in errorem adduci, ratione cuius quis poſſit damnationem incurrere, & in cauſa eſſe vt alij eam incurrere valeant. Qua quidem de cauſa iſtæ caudæ dicuntur ſimiles ſerpentibus, & habere capita inquibus noceant, decipiendo & in errorem inducendo.

Videas Ianſeniſtam damnoſa quadam religione, vt eam vocat S. Cyrillus, à Miſſarum celebratione & communione abſtinentem? Cane, cauda eſt ſimilis ſerpenti: habet caput quo tanquam colubet in occulto mordeat; ſi poſſit hoc exemplo tibi perſuadere, ſub ſpecie humilitatis & maioris reuerentiæ, tibi licere, etiam cum Eccleſia communicandum eſſe præcipit, abſtinere à communione. Audias potius S. Cyrillum taliter de hac re diſſerentem, lib. 4. in Ioannem c. 17. *Nos verò ſi vitam æternam conſequi*

Digitized by Google

volumus, ſi largitorem immortalitatis habere in nobis deſideramus, ad recipiendum benedictionem libenter concurramus, caueamuſque ne loco laquei damnoſam religionem diabolus nobis prætendat. Recte, inquis, dicis; ſcriptum tamen eſſe non ignoramus iudicium ſibi comedere atque bibere illum qui de pane comedit, & de calice bibit indignè. Ego igitur probe metipſum, & indignum inuenio. Quando igitur, quicumque tu es qui iſta dicis, dignus eris? Quando Chriſto teipſum offeres? Nam ſi peccando indignus es, & peccare non deſinis (quis enim delicta intelligit, ſecundum pſalmiſtam) expers omnino eris viuifica huius ſanctificationis. Quare pias, quæſo, cogitationes ſuſcipias, ſtudioſè ſanctèque viuas, & benedictionem participes, quæ (mihi crede) non mortem ſolum verum etiam morbos omnes depellit: ſedat enim, quum in nobis maneat Chriſtus, ſauientem membrorum noſtrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, nec in quibus ſimus peccatis conſiderat, ſed ægrotos curat, colliſos redintegrat; & ſicut Paſtor bonus, qui animam ſuam pro ouibus poſuit, ab omni nos erigit caſu. Hæc S. Cyrill.

Certe hæc S. Cyrilli doctrina longe diſtat ab illa praxi, quam tanquam laudabilem proponit auctor libri de frequenti communione: *Sunt*, inquit, *quædam animæ, quæ inextaſim arriperentur, ſi Deo teſtificari poſſent quantum doloris conceperint, & adhuc retineant, (ex offenſis contra Deum) per dilationem communionis uſque ad finem vitæ.* Longe diſtat ab illa praxi (de qua conqueritur Illuſtriſſimus Epiſcopus Langtenſis) cuiuſdam Monialis, quæ per quinque menſes abſtinuit à communione, & communionem omiſit etiam in tempore paſchatis, contra Eccleſiæ præceptum: in quadam Epiſtola quæ diuulgata eſt circa annũ 1638. Rurſus ſi videas Ianſeniſtam largas eleemoſynas: diſtribuentem, caue: time ne eo fine tibi vel aliis diſtribuantur, vt ad doctrinam amplexandam alliciaris. Eo enim fine præſcribunt ſuis ſectatoribus, vt quædam opera exteriora pietatis, qualia ſunt, infirmantibus ac incarceratis ſubſidia præbere, exerceant; quam rationem agendi profuturam exiſtimant, vt perſuadeant ſibi fideles doctrinam quam prætendunt S. Auguſtini, non eſſe conformem doctrinæ Caluiniſtarum.

Hi equi, leonini capitis caudâ, id eſt operibus exterioribus ſic obtegere ſatagunt, more leonum, ſua veſtigia; vt propter aſtutiam & calliditatem, quæ in his operibus animaduertuntur, caudæ eorum dicantur ſimiles ſerpentibus. Habent etiam, & deſinunt in capita quibus noceant: nam percupiunt in aliis ſuam doctrinam propagare. Alij hæretici habent opera pernicioſa, quibus poſſunt nocere ratione mali exempli, dum luxuriosè viuunt, & gulæ indulgent: iſti ſubdoli hæretici tanquam ſerpentes decipiunt, dum & bona opera, quæ apparent, periculoſa ſunt intuentibus.

Poteſtas igitur eorum eſt in ore ipſorum, & in caudis eorum, dum illorum ſermones ignei, fumei, & ſulphurei, doctrinas continent erroneas, & illorum opera ad decipiendum alios ordinantur.

At ſanctus Cyrillus hunc locum Iſ. c. 9. exponens: *Et elevabit Dominus hoſtes Raſin ſuper eum, & inimicos eius in tumultum vertent, Syrium ab oriente, & Philiſtim ab occidente; & devorabunt Iſrael toto ore.* Poſt literalem expoſitionem de infeſtatione Iſraëlis, per Syros vicinos, & Damaſcenos, hanc ſpiritualem affert: *Devorant & alio modo Iſraëlem, idque quo pacto fieri eſt dicendum. Nam Poëta eorum, & Hiſtorici ad ſummum apicem facundiæ peruenientes, & dicendi facultate præſtantes, ac viri ſapientes, Iſraelem ſpiritualem, id eſt mentem contemplatricem Dei abripiunt; & eos qui iam in Chriſtum crediderunt ſeducunt, vt malint cum ipſis creaturam pro creatore adorare. Hi toto ore Iſraëlem deuorant; in quibus dictionis ſplendor, cum operibus quæ ipſi intuentur coniunctus, attendendus non eſt, ſed nerueſa, & demonſtrans ac Deo placens oratio: nuda autem & ſolitaria, quid aliud porro ſit, quàm (vt ſapientiſſimus Paulus ait) æs ſonans, & cymbalum tinniens.* Ita Cyrillus.

Quæ quidem mentem excitant vt dicam Ianſeniſtas caudas habere pernicioſas, flexuoſas vt ſerpentes, nempe libros innumeros callida arte compoſitos; vt vix comperias quo tendant, quid credant eorum auctores, ad ſummum tamen facundiæ apicem attingentes, dicendi facultate præſtantes, prudentiam quandam & ſagacitatem redolentes: qui reuera prima fronte ita mentes legentium præoccupant, vt qui fidem vſque huc ſyncerum tenuerint, ſeducantur: & hac ratione toto ore Iſraelem deuorant, omnem veritatis cognitionem abſorbent dictionis ſplẽdore, fucatis pietatis cuiuſdam operibus: quo fit vt plures naufragium in fide faciant, & aliquando etiam corporali morte intereant. S. Gregorius lib. 3. in 2. c. Iob, ponderans loca ex quibus exierant tres amici Iob, quibus hæreticorum actio & intentio exprimitur, Thema interpretatur, *Auſter*, calorem immoderatæ ſapientiæ deſignans; *Sui* autem dicitur *loquens: calorem quippe non vt bene viuant ſed vt elatè loquantur habere deſiderant. A Thema igitur & Sui, id eſt à calore & loquacitate venire referantur, quia per hoc quod ſcripturarum lectioni, ſe ſtudioſos exhibent, ſolius verbis loquacitatis, non autem viſceribus charitatis calent. Naama verò interpretatur decor: quia enim docti non eſſe, ſed videri appetunt; ex eruditionis verbis ſpeciem bene viuentium ſumunt: Et per calorem loquacitatis in ſe imaginem oſtendunt doloris, vt eò per decorem linguæ peruerſa facilè perſuadeant; quò ſuadent tem vitæ* (dicas, donec ſuos peſſimos fructus producat tandem Ianſeniſmus, qui nunc in peſſima doctrina tantùm delitescit) *ſuadentem doctrinæ ſenſus calliditate occultant. Sed neque ipſa locorum nomina inordinatè ſunt narratione diſtincta: prius enim Thema, poſtmodum Sui, ac deinde Naama ponitur: quia prius illos inordinatus calor accendit in corde, deinde nitor loquacitatis erigit, & tunc demum decoros hominibus hypocriſis oſtendit.* Ita S. Gregorius lib. 3. in 2. c. Iob. c. 18. O cauda ſerpentina, in quam deſinit error admiſſus in mente, qui non ſolum prorumpit in verba ignea, fumea, ſulphurea, ſed etiam in opera, quin & libros & ſcripta, quibus error exarari ſtudet, vt mordeat legentes, ſicut decipere poteſt verba hæc audientes. Habet enim cauda caput quo noceat, vt dum eſt cauda erroris admiſſi, fiat caput ſeu initium eiuſdem erroris admittendi. Laude digna immortali vigilantia ſummi Paſtoris Innocentij decimi, qui tales libros prohibuit, damnauit, & pro damnatis & prohibitis habere voluit, in congregatione generali ſanctæ Romanæ & vniuerſalis inquiſitionis, habita Feria 5. die 23. Aprilis an. 1554. Experientia enim didici quàm nociua ſaluti animæ & corporis ſit librorum huiuſmodi lectio aſſidua, ex hiſtoria ſeu re geſta certiſſima mihi & quàm plurimis notiſſima, quæ talis eſt. Noui virum genere nobilem, pietate inſignem, moribus probum, dignitate Eccleſiaſtica conſpicuum, plurimiſq; titulis commendandum & dignũ veneratione, cuius mortis deploratiſſimæ abſque lacrymis recordari non poſſum, qui facundia & eloquentia in ſcriptis, & ſimulata in eis pietate librorum iſtorum ad illorum lectionem allectus lectioni ipſorum ſedulò incumbebat. Accidit tandem, vt eſt vitæ iſtius miſeranda conditio, vt quamdam conciperet mœſtitiam, quam concepiſſe iuſtam ob cauſam diceres, ſi eam exprimere liceret. Interim febri corripitur quæ cerebrum occupat, & in quandam mentis alienationem eum deducit: cum morbus eſſet periculoſus, admonetur ſibi ad Sacramentum pœnitentiæ eſſe recurrendum.

Conſentit

conſentit ex innata & conſueta pietate; & aduocatur ad hoc, vt audiui, vir mihi notus, ſacerdos Religioſus. Sed, heu! ecce mens præoccupata lectione librorum Ianſeniſtarum, qui pro tunc non erant damnati & prohibiti, rimatur, apud ſe & curiosè ſcrutatur an habeat gratiam efficacem, an vnquam in quodam vitæ momento illam habuiſſet: dubitat, timet, & tandem exiſtimat ſe illam pro tunc non habere, nec habere poſſe; & ſic tenuit confiteri. Tempus magis commodum expectatur. Hoc febri ardenti tribuitur, non voluntariæ electioni, quod probabile eſt ex vita piè admodum anteacta; ſed interim in talem ſalutis deſperationem deducitur, vt clam abſentibus ſeruulis, qui illi miniſtrabant, ferreo ſtylo, qui fortè ſupra menſam lecto proximam poſitus fuerat, ſibi cor transfigit, & miſerè occubuit. O cauda ſerpentina, caput habens nocentiſſimum, huiuſmodi librorum editio! Si vir tantæ pietatis, quia quæ legerat menti occurrebant, amiſſa facultate, ob morbum, conſilij & deliberationis maturioris, in hoc periculum ſalutis incidit, quid erit de his qui legunt & eis fidem adhibent, & conſentiunt doctrinæ erroneæ & hæreticæ? Nonne decepti paratiſſimi erunt, vt qua pollent induſtria alios decipiant, & cum his intereant, iuxta diaboli ſcopum, qui per errores & ſchiſmata, homines in damnationem protrudere cupit.

Concluſio huius tractatus.

Cum tales ſint Ianſeniſtæ, meritò cenſendi ſunt ab vnitate Eccleſia reſciſſi.

ARTICVLVS VIII.

EA eſt modeſtia animi quorumdam Catholicorum pietate & doctrina inſignium, vt exiſtiment minimè dicendum eſſe Ianſeniſtas ab Eccleſia eſſe rejiciendos vt hæreticos. Primo, quod adhuc defenſioni ſuæ incumbant, pro explicatione punctorum de quibus eſt contentio; Secundò, quia nullus eorum in particulari condemnatus eſt ab Eccleſia, aut vt hæreticus ab ea præciſus, ſed ſolum quinque articuli, de quibus erat quæſtio, damnati ſunt vt hæreſim redolentes in ſenſu Ianſenij. At laudo illorum modeſtiam: ſed nihilominus aſſero quod ſi quis poſt deciſionem Innocentij 10. adhuc illas propoſitiones vt veras ſuſtinere vellet, quamuis talis non ſit adhuc nominatim excommunicatus, quãuis appareat adhuc exteriùs vnitati Eccleſiæ conjunctus, diuinis officiis ac miſſarum celebrationibus aſſiſtendo, Sacramenta exterius percipiendo, dico tamen iam eſſe ab intrinſeca vnitate ſeparatum. Hanc Concluſionem appono, hac S. Auguſtini doctrina, lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas c. 16. fretus. *Conſtituamus ergo*, inquit, *duos aliquos iſto modo; vnum eorum, v. g. id ſentire de Chriſto quod Photinus opinatus eſt, & in eius hæreſi baptizati, extra Eccleſiæ Catholicæ communionem; alium verò hoc idem ſentire, ſed in Catholica baptizari exiſtimantem hoc eſſe Catholicam fidem. Iſtum nondum hæreticum dico, niſi manifeſtata ſibi doctrina Catholicâ fidei reſiſtere maluerit, & illud quod tenebat elegerit, quod antequam fiat, manifeſtum eſt illum qui foris baptizatus eſt eſſe peiorem. Itaque in hoc ſola falſa opinio, in illo autem etiam ipſa diuiſio corrigenda eſt: ſed in neutro ipſorum Sacramenti Veritas repetenda. Quod ſi quiſque idem ſentiat quod illi, & noverit eſſe hæreſim ab vnitate Catholica ſeparatam, vbi hoc docetur & diſcitur, ſed alicuius ſecularis emolumenti cauſa in Catholica vnitate baptizari voluerit, vel in ea baptizatus propter hoc exire inde noluerit, non ſolum ſeparatus habendus eſt. Verùm etiam tantò ſceleratius, quantò magis errori hæreſis, & diuiſioni vnitatis, fallaciam ſimulationis adiungit.* Ita Auguſtin. Et lib. de vnitate Eccleſiæ vltimo. *Tunc enim quiſque infructuoſus, & nondum à radice præciſus eſt, cum mala cupiditate agit quidem illa opera, de quibus dictum eſt: Quoniam qui talia agunt regnum Dei non poſſidebunt: ſed cum pro ipſis operibus, etiam Veritati aperiſſimæ, qua redarguitur, reſiſtere caperit, tunc præciditur. Et multi tales ſunt in Sacramentorum communione, cum Eccleſia, & tamen iam non ſunt in Eccleſia: alioquin ſi tunc quiſque præciditur, cum viſibiliter excommunicatur, conſequens erit vt tunc rurſus inſeratur, cum viſibiliter communioni reſtituitur. Quid ergo ſi fictus accedat, atque aduerſus Veritatem & Eccleſiam cor inimiciſſimum gerit, quamuis peragatur in eo illa ſolemnitas? Nunquid reconciliatur? Nunquid inſeritur? Abſit. Sicut ergo iam denuò communicans, nondum inſertus eſt, ſic & antequam viſibiliter excommunicatur quiſquis contra Veritatem qua conuincitur & arguitur, inimicum geſtat animum, iam præciſus eſt.* Ita Aug. Iam igitur Ianſeniſta præciſus eſt, ſi contra veritatem à ſummo Pontifice declaratam. Inimicum gerat animum. An autem debeat exteriùs excommunicari, & ab Eccleſia expelli, vigilantiæ paſtorum & ſapientiæ Magiſtratuum relinquo iudicandum.

At dum hæc prælo mandanda propono, ecce affulget lumen quo perſpici valeat quid nobis ſit expectandum pro his, qui poſt conſtitutionem ſummi Pontificis Innocentij 10. poſt acceptationem Bullæ Illuſtriſſimorum Epiſcoporum Galliæ, vt patet ex Circulari littera ipſorũ data 28. Maij an. 1654. qua decernunt quinque illas propoſitiones ab Innocentio 10. damnatas verè eſſe à Ianſenio aſſertas, & in germano & proprio earumdem ſenſu, ex vi verborum quibus conſtantur, fuiſſe damnatas, qui ſenſus idem eſt in quo Ianſenius illas & docuit & expoſuit; qui, inquam, poſt iſta adhuc illis propoſitionibus aſſentiri vellent. Nam cenſura ſacræ Facultatis Theologicæ Pariſienſis lata in libellum cui titulus eſt: *Seconde Lettre de Monſieur Arnaud Docteur de Sorbonne, à vn Duc & Pair de France, pour ſervir de reſponſe à pluſieurs écrits qui ont eſté publiés contre ſa premiere lettre: ſur ce qui eſt arriué à vn Seigneur de la Cour, dans vne Paroiſſe de Paris, à Paris 1655.* id eſt: *Secunda littera Domini Arnaldi Doctoris Sorbonici, cuidam Ducis & Pari Franciæ: quæ locum tenet reſponſionis plurimis ſcriptis in publicum datis contra primam ſuam litteram, circa ea quæ euenerunt cuidam curiali Nobiliſſimo, in quadam Parochia Pariſienſi, an. 1655.* Hæc, inquam, cenſura, qua iſte Dominus Arnaldus à ſinu Facultatis repellitur, expungitur, reſecatur, niſi, intra diem præſcriptum in cenſura, mentem mutaret. Et cum facultate damnaret hanc propoſitionem: *Vni iuſto in perſona S. Petri, gratia ſine qua nihil fieri poteſt defuit in ea potiſſimùm occaſione, in qua dici non poteſt ipſum non peccaſſe*: Tanquam temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam & hæreticam: ſatis declarat quid ſentiendum ſit de his qui nunc vellent has propoſitiones aſſerere, nempe illos eſſe temerarios impios, blaſphemos, anathemate damnatos & hæreticos. Nemo igitur mihi ſuccenſeat, ſi in hoc tractatu Ianſeniſtas vt tales rejicio, & illis adhærere damnabile eſſe cenſeo. Nemo dicat ſæpiùs in peius abire, ſi hæ difficultates ventilentur, quàm ſi ſilentio ſupprimerentur; & facilius interire ex ſilentio quàm extingui ex refutatione. Nemo dicat dicendum non eſſe Ianſeniſtas eiiciendos eſſe ex Eccleſiæ gremio, tanquam hæreticos, quia adhuc ſit in via & procinctu defenſionis, pro explicatione punctorum de quibus eſt contentio: nec aliquem ex ipſis condemnatum eſſe ab Eccleſia in particulari, aut vt hæreticus ejectus, cum ſolum quinq; articuli, de quibus eſt quæſtio, damnati ſint

vt hæreſim redolentes in Ianſenij ſenſu. Nam dum ſacra Facultas expellit, reſecat ex ſuo ſinu Dominum Arnaldum : dum neminem vult admitti in ſuum gremium, niſi qui ſuæ cenſuræ ſubſcripſerit, dum repellit à facultate quemcumque qui Arnaldi doctrinam probare, aſſerere, docere, prædicare, ſcribere auſus fuerit, dum decreuit hanc ſuam cenſuram prælo mandandam & publicandam eſſe, vt omnes intelligant quantùm eadem facultas peſtilentem & exitialem illam doctrinam execretur ac deteſtetur : his, inquam, ſatis oſtendit ad quid inclinat ſapientiſſima illa Facultas Theologica, nempe illos eſſe ab Eccleſiæ gremio expellendos, expungendos & reſecandos, quos è ſinu ſuo expellit, expungit, & reſecat ipſa. Cuius ſacræ Facultatis decretum tanto firmius conſiſtere poteſt, quod latum ſit poſtquam auguſtiſſimus Senatus Pariſienſis querelam reiecit quorumdam Doctorum errori fauentium, qui vt hanc literam Domini Arnaldi ſecundam, ſartam tectam conſeruarent, recuſauerunt totum corpus ſorbonicum, & ab eius deciſionibus appellauerunt vt abuſiuè factis. Nam per arreſtum, vt vocant ſeu Senatuſconſultum, auguſtiſſimus Senatus illos ad proprium corpus remiſit : ad iudices ſuos nempe germanos & naturales, vt ſubiaceret iſta littera cum ipſis examini & cenſuræ ſacræ Facultatis, quin & rurſus hoc decretum plenum recipit robur, quod factum fuerit aſſiſtentibus congregationibus, quæ pro illo promendo factæ fuerunt, ducentis ferè Doctoribus, inter quos plurimi Epiſcopi Doctores ; & aſſiſtente denique Auguſtiſſimo Cancellario & Domino Seguier, peculiari Regis præcepto, vt prudentia & ſapientia ſua, qua plurimum pollet, moderaretur has congregationes, & libertas ſuffragiorum concederetur, quam Epiſcoporum veneranda præſentia obtinere non potuerat, obſtrepentibus vbique Ianſeniſtis : qui prolixioribus ſermonibus, confuſis clamoribus, impedire conabantur ne aliquid determinaretur & decideretur. Corruat igitur illa pernicioſa ſecta, tanquam Dagon coram arca, præciſo capite, truncatis manibus, ne reuiuiſcat, ne progreſſus faciat ; ſolus truncus remaneat, ſi adhuc ſuperſtites quidam illi adhærentes exiſtunt ; qui nec ſermonibus nec operibus, valeant illam fouere aut tueri. Ad hoc promouendum ſtrenuè laborant ſapientiſſimi Doctores Sorbonici, dum nolunt poſt editam ſupradictam cenſuram vllum vti functionibus doctoralibus, qui non eidem cenſuræ ſubſcripſerit : quod maximè innotuit dum celeberrimo Doctori Domino Sambouio, ſubſcribere recuſanti condemnationi doctrinæ Domini Arnaldi, interdixerunt cunctas doctoris functiones ; & in eius locum ſubſtituerunt, in Cathedra Regia controuerſiarum, Dominum Leſtocq Doctorem eiuſdem facultatis, cui præſcripſerunt & iniunxerunt vt opiniones Ianſeniſtarum confutaret potiſſimùm, die nempe 7. Martij S. Thomæ hæreticorum malleo dicata. Quod fœlix fauſtumque ſit. Vnde etiam ſapientiſſime illuſtriſſimus D. D. Epiſcopus Baiocenſis impediuit ne Theſis quædam, cuius propoſitiones erant de iis quæ à ſancta ſede damnatæ ſunt, & à Sorbona è ſchola Theologica eliminatæ, in diſputationem verteretur, in comitiis Prouincialibus Patrum Auguſtinianorum apud Baiocenſes congregatis. Ad quid enim in diſputationem vertere quod tanquam deciſum firmiter nunc tenendum ? Dices : quæritur an ſit Deus ? Multò tolerabilius eſt ſi aliæ quæſtiones in diſputationem ponantur. Reſpondeo diſparem eſſe rationem, quia nullum periculum eſt diſputare an Deus ſit, cum hoc conſtet apud omnes. At cum adhuc plures ſint qui non aſſentiant decretis ſummorum Pontificum, & ſacræ ſchola Theologicæ, nullo modo expedit iſtas propoſitiones ponere, ac ſi veritate aliqua niterentur ; quæ tanquam falſæ & hæreticæ ab omnibus ſunt rejiciendæ. At denique merito ſibilanda, & omnino rejicienda Epiſtola dedicatoria huiuſmodi theſis, dum pro deciſione controuerſiarum de gratia, non ad Eccleſiam, ſed ad S. Auguſtinum vult eſſe recurrendum ; quaſi Eccleſia non eſſet iudex Auguſtinianæ doctrinæ ; quaſi Romana Eccleſia nunc exiſtens alia eſſet, & aliter ſentiret quàm huc vſque ſenſerat : quaſi Roma in peſtilentem doctrinam fulmen ſuum torquens, illud in S. Doctoris doctrinam, tacito licet nomine, vibraret, quaſi non eſſet iuris Romanæ Eccleſiæ, & Auguſtino & cuiuis ſanctiſſimo & doctiſſimo viro, præſcribere quid ſentire debeat. Ita enim hæc Theſis : *Stupenda mutatio rerum ! Venichant olim ad Auguſtinum veri orthodoxi, vt ex eius magiſterio diſcerent quonam ordine hoſtes gratiæ & inflatores liberi arbitrij vincerentur. Nunc idem ipſe venit ad omnes vere orthodoxos, vt apud illos ſecuri aliquantulum protegatur, donec pertranſeat nonorum hominum furor, contra eum de eadem gratia Chriſti & libero arbitrio implacabiliter rixantium.* Ira Theſis. Quid vis, bone vir ? Nouus homo eſt Innocentius decimus, qui contra Auguſtinum laruatum inſurgens, nòn Auguſtinum ferit, ſed laruatum hominem deregit ? Furore agitur, dum zelo Catholicæ fidei veritatis, impias & blaſphemiæ plenas propoſitiones damnat, & damnandas eſſe decernit ? Cur S. Auguſtinum quiete in gremio Eccleſiæ, vt chariſſimum filium, conquieſcentem, querulis tuis vocibus inquietare contendis, dum illum ſic interpellas ? *Tu, in cuius doctrinam, tacito licet nomine, Roma nuper fulmen ſuum torſit, docens quid ſentire deberes.* Ita Theſis. Ignoras ne patres concilij Carthaginenſis, inter quos S. Auguſtinus, Epiſtola ad Innocentium Papam, quem beatiſſimum & honoratiſſimum vocant, fateri quod *impietas, quæ multos aſſertores habet per diuerſa loca diſperſos, autoritate Apoſtolicæ ſedis Anathematizanda eſt.* Quid igitur mali fecit Innocentius decimus, dum errorem, multos aſſertores habentem per diuerſa loca diſperſos, autoritate ſedis Apoſtolicæ profligauit ? Quid malefecerunt illuſtriſſimi Epiſcopi noſtræ Eccleſiæ Gallicanæ, ſi imitantes ſequenteſque veſtigia Patrum concilij Mileuitani, (inter quos S. Auguſtinus) ad Innocentium decimum recurrerunt, pro deciſione dubiorum emergentium in Eccleſia, quaſi illum his verbis compellarent, quibus antiquum Innocentium illi patres olim compellarunt ? *Quia te Dominus, gratia ſua præcipuo munere, in ſede Apoſtolica collocauit, talemque noſtris temporibus præſtitit, vt nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, ſi apud tuam venerationem, quæ pro Eccleſia ſuggerenda ſunt tacuerimus, quaſi ea tu poſſis vel faſtidioſe vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum membrorum Chriſti, paſtoralem diligentiam quæſumus adhibere digneris. Noua quippe hæreſis, & nimium pernicioſa tentat ſurgere, inimicorum gratiæ Chriſti, &c.* Hæc Patres Concilij Mileuitani, & recte. Hunc enim eſſe morem Eccleſiæ aſſerit ipſemet Beatiſſimus Papa Innocentius vt ad ſedem Apoſtolicam recurratur, Epiſtolà ad Epiſcopos Concilij Mileuitani. *Diligenter ergo & congrue*, inquit *Apoſtolico conſulitis honori, honori inquam illius, quem, præter illa quæ ſunt extrinſecus, ſollicitudo manet omnium Eccleſiarum, ſuper anxiis rebus, quæ ſit tenenda ſententia, antiquæ ſcilicet Regulæ formam ſequuti, quam toto ſemper ab orbe mecum noſtis eſſe ſeruatum. Verum hæc miſſa facio, neque enim hoc veſtram credo latere prudentiam. Quid id etiam actione firmaſtis, niſi ſcientes, quod per omnes prouincias, ab Apoſtolico fonte petentibus, reſponſa ſemper emanent ? Præſertim quoties fidei ratio venitatur, arbitror omnes fratres & coëpiſ-*

copos noſtros, non niſi ad Petrum, id eſt; ſui nominis & honoris autorem, referre debere (velut nunc retulit veſtra dilectio) quod per totum mundum poſſit omnibus Eccleſiis in commune prodeſſe. Hæc Innocent. Secta quædam S. Auguſtinum ad ſuas partes attrahere conatur, contra ſanam Eccleſiæ doctrinam & fidem. Ad quem quæſo fuit recurrendum, vt Auguſtinus veræ fidei aſſertor ab hac iniuria vindicaretur, niſi ad ſummum Pontificem, cuius eſt iudicare, quid fidei congruat, aut eam lædere poſſit? Dice igitur, quiſquis is huius Epiſtolæ ſcriptor, ex S. Thoma quodlibet 10. ar. 16: *magis ſtandum eſſe ſententiæ Papæ, ad quem pertinet determinare de fide, quam in iudicio profert, quàm quorumlibet ſapientium in ſcripturis opinioni.* Ita S. Tho.

Sit igitur certa & indubitata hæc propoſitio: *Pontificis Romani eſt fidei regulam præſcribere.* Ita ex Concilio Braccarenſi primo, ſub Theodomiro Sueuorum Rege, an. 563. tempore Ioannis 3. to. 2. Conciliorum parte 2. pag. 209. Lucretius namque Epiſcopus Braccarenſis Metropolitanus ita alios Epiſcopos alloquitur in initio Concilij: *Credo autem,* inquit, *veſtræ beatitudinis fraternitatem noſſe, quia eo tempore, quo in his regionibus nefandiſſimæ Priſcillianæ ſectæ venena ſerpebant, Beatiſſimus Papa vrbis Romæ Leo, qui quadrageſimus ferè Apoſtoli Petri ſucceſſor exuitit, per Turibium notarium ſedis ſuæ, ad Synodum Gallicia, cõtra impiam Priſcillianæ hæreſis ſectam ſcripta ſua direxit: Cuius etiam præcepto Tarraconenſes, & Carthaginenſes Epiſcopi, Luſitaniæ quoq; ac Baticæ, facto inter ſe Concilio, regulam fidei contra Priſcillianam hæreſim, cum aliquibus capitulis conſcribentes, ad Balicanum tunc huius Braccarenſis Eccleſiæ præſulem direxerunt; vnde, quia & ipſum præſcriptæ fidei exemplar cum ſuis capitulis hic habemus pro inſtructione ignorantium (ſi veſtræ placet reuerentiæ) recitetur. Omnes Epiſcopi dixerunt: Valde neceſſaria bonum capitulorum eſt lectio, vt dum ſimpliciorib⁹ quibuſque priſtina ſanctorum Patrum inſtituta panduntur, abominata iam olim à ſede Beatiſſimi Petri Apoſtoli, & damnata Priſcillianæ hæreſis figmenta cognoſcantur.* Ita Concil. Et ibidem refertur quomodo etiam aliqua Eccleſiaſticæ inſtitutionis obſequia renouarunt, iuxta præſcriptum ſedis Apoſtolicæ. Sic enim Lucretio proponenti ea eſſe innouanda, reſponderunt omnes Epiſcopi hoc neceſſarium eſſe & vtile: *Et idcirco,* inquiunt, *ſi quid eſt illud magnum vel paruum, quo variari videmur, ad vnam ſicut dictum eſt, formulam præfixis rationabiliter capitulis reuocetur; præcipuè cum & de certis quibuſdam cauſis inſtructionem apud nos ſedis Apoſtolicæ habeamus, quæ ad interrogationes ſuas quondam venerandæ memoriæ præceſſoris tui Proſuturi prudentia, ab ipſa Beatiſſimi Petri accepit Cathedra. Lucretius Epiſcopus dixit: Rectè fraternitas veſtra auctoritatem ſedis Apoſtolicæ recordatus eſt; quæ licet eodem tempore innotuerit, quo directa eſt, tamen pro firmitate teſtimonij & inſtructione multorum, ſi veſtræ vnanimitati complacet, quia præmanibus eſt, omnibus legatur. Omnes Epiſcopi dixerunt: iuſtum eſt, vt quia mentio ipſius auctoritatis eſt habita, quæ eſt eius doctrina à circumſtantibus audiatur,* &c. Ita Concil. Braccarenſi.

Damnata à ſede Apoſtolica iſti patres damnant; præſcriptæ fidei exemplar à ſede Apoſtolica miſſum recipiunt; Eccleſiaſticæ inſtitutionis obſequia renouant, iuxta præſcriptum ſedis Apoſtolicæ. Et tu, neſcio quo pulſus ſpiritu, cum Roma loquitur, cum Pontifex ſummus pronunciat anathema in Ianſeniſtarum doctrinam, illum carpere audes, qui ſi ſapere nec mutire quidem auderes. Caue ne incidas in Lutheri peruicaciam; & modeſtiam S. Auguſtini potius ſequi ſtudeas, quam Lutheri audaciam? quod de te ſpero. Nec enim puto perſeueras in hac ſententia, vt diſcedendum exiſtimes ne minimum quidem à Petri ſententia. Hoc pro te, hoc pro Ianſeniſtarum fautoribus, hoc pro ipſis humillimè à Dei bonitate oro: & ſupplico, vt omnes idipſum ſapiẽtes, eadem dicentes honorificemus Deum & Dominum Ieſum Chriſtum, in diuina charitate Spiritus ſancti radicati & fundati in æternum. Amen.

LIBELLVS CHARITATIVÆ prouocationis ad certamen: Simulatæ Synodo Quiuilianæ menſe Maij 1650. celebratæ; Et toti vniuerſaliter Hugnotiſmo, vbicumque ſui erroris venenum reſpergenti:

PER PATREM DIONYSIVM CAPVCINVM,
in Eccleſia S. Audoëni Rothomagenſis pro Controuerſiis prædicatorem, præſentatus.

PARISIIS,
Apud Ioannem Haudencum, prope Forum Maubertum anno præfato Typographatus.

Permiſſione & Approbatione, ſuo tanquam muri & antemuralis tutamine circumuallatus.

CAPVT PRIMVM.

Prolegomenicum, neceſſitatis, occaſionis & originis huiuſce Libelli prouocatorij declaratiuum.

QVANDIV peſtis hæreſeos per quancumque regionem virus ſuum effundens graſſatur, tandiu ſcriptorum & concionum promptis & ſpecificis remediis, antiquitas orthodoxa, gloriæ Dei & animarum ſalutis zelatrix occurrendum eſſe nos admonet, & exhortatur; ne ſilentium noſtrum rudibus videatur quaſi tacita erroris approbatio.

Atqui, ex ſex generalibus peſtiferis nouercis, à vulua vſque ad tumulum mundi, per temporum & ſucceſſionum vices cultum diuinum abolentibus, peſſima omnium ſemper iudicata fuit hæreticiſmus, vt ab enumeratione partium oſtendo. Nam prima omnium, (quæ fuit libertinorum parens, ab Adamo vſque ad diluuium,) nominatur Barbariſmus, quia deſideria carnis adimplere, toto conatu contendebat: Secunda verò, gyrouagorum mater, à Noë vſque ad longum rempus poſt ædificationem Babylonicam, fuit ſcytiſmus. Tertia autem à tempore Seruch, mater idololatriæ, Hugnotiſmi tritaua, fuit græciſmus, etiam ſectis diuerſis fæcundus: Etenim Pythagorica, ſiue Peripatetica, vnitatem, & prouidentiam, & ſacrificia Deo negabat: Item rerum animatarum vſum, & vini potum prohibebat; inſuper creaturas ſuperlunares eſſe immortales, ſublunares verò morti obnoxias aiebat: & tandem Metempſycoſim & quinquennale ſilentium docebat: huius ſectæ author Apotheoſim ambiuit: Platonica autem mulierum communitatem, & Deorum pluralitatem edocuit: ſed Stoica vnum corpus ex vniuerſo mundo à Deo animato, compoſitum eſſe ſomniauit: venit poſtea Epicuriana, ſummam in voluptate Felicitatem conſtituens, mundum ex Atomis componens, prouidentiam Dei è medio tollens, & in eius locum fatalitatem ſubſtituens.

Porrò quarta nouerca, fuit Iudaiſmus, etiam ſeptiſceps, videlicet, Scribis, Phariſæis, Saducæis, Hemerobaptiſtis, Oſſeneis, Nazaræis, & Herodianis monſtris prægnans. Quinta fuit Samaritiſmus, à Iudaiſmo, ante quam dogmata græciſmi nata fuiſſent exortus. Hic ſoli Pentatheuco adhærebat, reſurrectionem mortuorum inficiabatur, & Guortheniorũ, Sadducæorũ, Doſitheorum & Eſſeneorum paraſter extitit vt videre eſt in Anchorato Diui Epiphanij. Omnes igitur iſtæ nouercæ cum ſuis filiabus malignis, fuerunt quidem pernitioſæ; & veræ Religioni infeſtæ; ſed ſexta nouerca, quæ eſt hæreticiſmus, tantò illas in dolo & impietate ſuperat, quantò ab infernali abyſſo, Eccleſiam Dei impugnandi auidior erupit ac ſi Peloppidum genus in tantalo toram rabiem compingendo, per Etynim lugubriter iſtum inter calarem verſum repetens, in pelus nefas nepotum, lætaretur in maleficio.

Cæpit ſuam tyrannidem exercere in Chriſtianiſmum, ſtatim à tempore Chriſti, & in tantum excreuit, vt in quarto iam ſæculo diuus Epiphanius octoginta principales hæreſes cum ſuis ramis calculet. Quot ergo incrementa fecerunt ab illo tempore per alia duodecim intro ſæcula, cum etiam ex Lutheraniſmo & Caluiniſmo, Doctiſſimus Grauina pluſquam ducentas in hoc ſæculo emerſas cum ſuis Stholonibus, in ſuo libro de Controuerſiis enumeret; Et Iacobus Gualterius in ſua Chronologica, Caluiniſmum centum ex præcedentibus compactis & adauctis erroribus ſæcum enuntiet, quibus tanquam ab inferno emiſſariis, Eccleſiam cæleſtem triumphantem, & terreſtrem militantem, & ſubterraneam patientem opperit & inuadit? Quis ergo Chriſtianus pro virili parte, tanto furori Eccleſiæ Chriſti ferrum, flammam, ruinamque minitanti, ſe ſe opponere non conabitur, & gentem iſtam perfidam de finibus credentium auferre non ſtudebit, vt Chriſto laudes debitæ perſoluantur alacriùs?

Hinc eſt quod iſtam frementem & inania meditantem & aduerſus Chriſtum Dominum conuenientem audiens, quia conſtitutus in montem Sion, prædicans, præceptum Domini pro defenſione fidei, mea referre arbitratus ſum, os ſuperbiam & iniqua loquentium per iſtum ad conflictum inſcitatorium Libellum obſtruere debere. Neſciens igitur in conuenticulis Quiuilianis neſcio quem ſermones à noſtratibus pretio emptos debacchantem, plures

frigidos, curioſos & incautos Catholicos ad ſuum auditorium attrahere, conſulto cœlo iſtud antidotum, non innatum, non acquiſitum, ſed cælitus veluti infuſum, per notabiles Eccleſiaſticos Synodi Coriphæo offerendum eſſe didici. Iſta methodo digeſtum, vt nulla repulſæ miniſtro daretur occaſio. Accipe igitur illud, lege, reuolue; & quo conuincas in errore obſtinatiſſimos, paucis & facili methodo præ manibus habe.

CAPVT SECVNDVM.

De Theſibus Libelli, tam generali quàm particularibus.

Theſis generalis eſt iſta.

HVGNOTISMVS eſt euerſio & ruina totius Chriſtianiſmi. Per Hugnotiſmum autem intelligo omnes omnino ſectas huius ſæculi, ab Eccleſia Chriſti verâ, nempe Catholicâ, Apoſtolicâ, Romanâ, per Apoſtaſiam ſeparatas, & in illo ſolo puncto conuentes, vt Chriſtianiſmum è medio tollant. Quo notato, probatur Theſis. Primò: Quia contraria, inimica, & ſibi inuicem oppoſita, nec poſſunt in eodem ſubiecto exiſtere, nec de ſe inuicem prædicari: Alioquin eſſet, eſſe & non eſſe, quod implicat: Atqui Hugnotiſmus & Chriſtianiſmus ſunt eiuſmodi: Ergo implicat vnum de alio prædicari, & ſimul eſſe vera. Confirmatur, quia Achriſtus & Anti-Chriſtus non poteſt eſſe Chriſtianus, qui deriuat Achriſto ſicut riuus à fonte, & radius à ſole: Atqui profeſſor Hugnotiſmi eſt Achriſtus, & Anti-Chriſtus: quia, impugnat Chriſtum in vtroque corpore ſuo vero, ſcilicet naturali, & myſtico, in Sacramentis, in verbo & in tota Chriſtianiſmi œconomia. Ergo eſt Achriſtus & Achriſtianus, Anti-Chriſtus, & Anti-Chriſtianus. Quantam ergo Hugnotiſmus poſſet ſibi vindicare partem in Chriſtianiſmo?

Secundo: Probatur: quia ex partibus orthodoxis, Athanaſio, Cyrillo, Tertulliano & aliis, nullus hæreticus & Chriſtianus, quia non ſunt illi credita eloquia Dei, nec cum illo ex ſcripturis diſputandum, ſi quidem amandatur ab Eccleſiæ ſinu in Concilio Tridentino, ob dogmata ſua Chriſtianiſmo oppoſita. Ergo profeſſor Hugnotiſmi eſt Hæreticus & Anti-Chriſtianus, ab Eccleſia & Gallia reiectus, & duntaxat, donec conuertatur, toleratus. Ergo potiùs cum canibus timidæ venirent ad pocula Damæ; Lumen fieret potius tenebræ; frigus calor; mendacium veritas; & conuenirent Dagon cum arca, & cum Chriſto Belial, quàm poſſint concordare hæreticus & Chriſtianus; eſſet enim in loco ſancto ponere abominationem deſolationis, & in eodem templo thuradare Deo & dæmonio.

Tertiò: Probatur: quia vbi nulla vera fides, ibi nullus verus poteſt eſſe Chriſtianus, ſicut nullus infidelis poteſt eſſe fidelis; ſi quidem forma dat eſſe rei, ſed fides eſt forma fidelis & Chriſtiani, vt anima eſt forma hominis: ergo Chriſtianus ſine fide Chriſti, non eſt Chriſtianus: Sed omnis hæreticus eſt ſine fide Chriſti, & ſine Chriſtianitate, id eſt abſque vera ratione Chriſtiani: Itaque qui dicit hæreticum, dicit non Chriſtianum; & qui dicit Hugnotiſmum, qui eſt in ſupremo gradu hæreticus, dicit prorſus non Chriſtianum & non Chriſtianiſmum.

Quartò, probatur: iſto valido & peremptorio argumento, videlicet ex duobus Epithetis oppoſitis, quando vnum perimit ſubiectum, alterum nihil addit; & è conuerſo, quando vnum nihil addit, alterum perimit: Atqui verum & falſum ſunt duo Epitheta oppoſita, quorum vnum, nempe falſum, perimit ſubiectum: & alterum, nempe verum, nihil addit ſubiecto. Etenim, verbi gratia, falſum aurum non eſt aurum, & verum aurum non eſt niſi aurum: ita etiam falſa fides non eſt fides, & vera fides non eſt niſi fides; falſa Religio non eſt Religio, & vera Religio non eſt niſi Religio: ſimiliter, falſus Deus non eſt Deus, & verus Deus non eſt niſi Deus. Qui ergo diceret falſum Chriſtianum, non diceret Chriſtianum; vt qui diceret verum Chriſtianum, non diceret niſi Chriſtianum. Porro hæreticus non poteſt eſſe inſe falſus Chriſtianus, ergo eſt nullus Chriſtianus. Itaque Hugnotiſmus nullomodo poteſt eſſe Chriſtianiſmus, niſi transformetur infernus in paradiſum. Itaque probata ſufficienter remanet iſta noſtra Theſis generalis, vt inde deſinere diſcat eſſe Caluiniſta, qui voluerit incipere eſſe Chriſtianus.

De Theſibus minus generalibus, generalis confirmatiuis & diſtributiuis.

PRIMA THESIS.

QVEMADMODVM poſito vno abſurdo, ſequuntur alia multa, vt ait Philoſophus: ſic etiam ſuppoſitis Caluiniſmi principiis fundamentalibus abſurdis, ſequuntur infinita abſurda, impia, & dicta horribilia.

Hinc enim firmiſſimè teneo & intrepidè aſſero ac non clam ſed palam proclamo, & ſuſtinere polliceor, quod Caluiniſmus euertit, deſtruit & prorſus ad nihilum redigit Chriſtianiſmum: quia exinanit & euacuat penitùs meritum paſſionis, & mortis, & omnium actionum Chriſti: Caſſum reddit omnia Sacramentorum Euangelicorum vſum: Falſam facit & vanam, & fruſtraneam verbi Dei prædicationem, Euangelicam, Apoſtolicam & Chriſtianam: eneruat atque extirpat vniuerſam fidem, Religionem, & Eccleſiam Catholicam, quam Apoſtolus, Roman. primo: Vniuerſo mundo annuntiatam prædicat, & cui ibidem Diuus Chriſoſtomus ſubſcribit. Poſito ergo Caluiniſmo, iſta omnia tanquam aniles fabulæ erunt reputanda.

SECVNDA THESIS.

Poſito Caluiniſmo, euaneſcet doctrina & fides de cunctis quæ prædicantur de inferno, de Cacodæmonibus, de damnatis, & hominibus reprobis.

TERTIA THESIS.

Admiſſo Hugnotiſmo, eadem erunt ſortes iuſti & impij: eadem in lance ttutinandi prædeſtinatus & reprobus, Barbarus, Scyta, Græcus, Iudæus, Gentilis, Chriſtianus, Ethnicus, Catholicus & Hæreticus, cultore Dei & idololatra: Itaut Tros, rutulus ve fuat, nullo diſcrimine in ſtatera habendus: ſicque Deus non erit iudex iuſtus: qui crimina rogo digna laureabit, nec minùs mendax erit quàm filij hominum in ſtateris ſuis.

QVARTA THESIS.

Si Caluiniſmus poſſet eſſe verus, nullàtenus dubitarem affirmare nullum eſſe infernum, nec peccatum, nec diabolum, nec Apoſtaſiam, vel Angeli caſum, neque infidelitatem, neque hæreſim, & nunquam eſſe poſſe: ac proinde vanum & mendacium, eſſe quidquid dictum eſt per Patriarchas, Prophetas, Chriſtum Apoſtolos, omnes Doctores, Eccleſiam, Concilia, ſummos Pontifices, & per orthodoxam doctrinam, & per hiſtorias, ac communem hominum ſenſum, de iſtis, riſu dignum eſſet & abſciendum, tanquam hominum illuſorium & deceptoriù. Vide quid pariant dogmata caluiniſtica

QVINTA THESIS.

Conceſſo Caluiniſmo, dicendum eſt quod, ſi per

impossibile, verus esset, necessario & infallibiliter esset falsus, falsaque prætenta reformatio, falsa conuenticula, quia implicat in adiecto, nec magis posset esse vera Religio, quam possit esse dæmon bonus Angelus, supposito casu.

SEXTA THESIS.

Admisso deniq; Caluinismo, consequenter assero, audacter sustineo & acerrime defendo Synodum Quiuilianam, & alias similes esse falsas, inutiles, abusiuas, Satanæ Synagogam, imo & dæmonum turbas; quia supponeret auroritatem conuocandi, decidendi & confirmandi decreta, quod nullibi extra Ecclesiam Christi reperire est, cum soli Petro & successoribus dictum sit: *tibi dabo claues regni cælorum*, id est potestatem ligandi & soluendi: quæ authoritas non datur in destructionem, sed in ædificationem, vt fateri coguntur aduersarij per calamum Iacobi Bertelij in suis definitionibus Theologicis.

Hi sunt igitur partus infausti dogmatum Caluinismi. Hæc sunt monstra, quæ peperere impia istius Hæreticismi fundamenta.

CAPVT TERTIVM.

De rationibus fundamentalibus & fundatricibus prædictarum Thesium, ex principiis essentialibus Caluinismi nascentibus, in syllogismum reductis.

EX Aristotele, res non est nisi sua principia, vt patet ex maxima communi, & experientia in omni rerum genere: Nam, verbi gratia, homo in genere Physico non est nisi corpus & anima, in genere vero metaphysico, animal rationale: compositum naturale non est nisi materia & forma, sicut & omne totum nihil est aliud nisi partes vnitæ. Quid enim aliud est ædificium, quàm fundamentum, parietes, & tectum: &, ex Diuo Augustino, quid spirituale ædificium, in quo debet Spiritus sanctus habitare, nisi anima in fide fundata, in spe erecta, & in charitate completa? Ergo res non est nisi sua principia intrinsecè componentia.

Atqui hæc sunt principia præcipua, essentialia, & fundamentalia Caluinismi, quæ negare non potest, nisi velit contra naturam, agere, & exprimere semetipsum. Et sunt sex ista, videlicet

1. Quod sola fides iustificat, vt mordicùs tenet & Caluinismus, & Lutheranismus etiam simul cum toto Hugnotismo.

2. Quod quicumque semel habet istam fidem, quæ sola iustificat, nunquam potest illam amittere.

3. Quod talis habens fidem talem, inamissibilem, & quæ sola iustificat, est prædestinatus.

4. Quod tali fide donatus, non minùs est securus de paradiso post mortem obtinendo, quàm ipsemet Christus: ac proinde quilibet ob istam fidem debet sibi persuadere paradisum sibi, non minùs quàm Christo Deo, defuturum.

5. Quod infantes fidelium sunt in vtero matris sanctificati.

6. Et consequenter quod illi infantes possunt saluari sine Sacramento Baptismi.

Totus ergo Caluinismus debet in ista principia resolui; nec potest esse radicaliter, essentialiter, fundamentaliter, & principaliter aliud quàm ipsa; quibus sublatis, non ampliùs posset magis subsistere, quàm totum sine partibus, quàm mixtum sine elementis, quàm riui sine scaturigine, quàm arbor sine radice, quàm ædificium sine fundamento, quàm lineæ sine centro, quàm radij solares sine sole, quàm conclusiones sine præmissis, quàm scientia sine principiis: & denique quàm totum quodcumque sit, in quocumque genere, statu, aut ordine sit, sine suis partibus. Si ergo ista principia de medio tollas, Caluinismum proculdubio tollis.

CAPVT QVARTVM.

De confirmatione istorum Caluinismi principiorum.

QVICVMQVE huno inuitatorium Libellum legerunt, fatentur omnes, illum esse tam clarum, tam iustum, & tam potenter intellectus non passione aut obstinatione præoccupati illustratiuum & conuictiuum, vt nihil ampliùs ad eius complementum, approbationem & diuulgationem desideretur, quàm istorum principiorum Confirmatio: quâ datâ: patebunt theses cunctis etiam rudioribus. Ideoque quia vniuersis idiomatibus iam volat prælaudatus per prouincias, tum Catholicas, tum hæreticas, supererat vt isto Latino idiomate vestitus vbique posset esse peruius. Arrisit ergo ista de ipso confirmando postulatio; & cum ex duobus primis principiis cætera nascantur, satis est illa præcipue confirmare.

Primum ergo probatur de sola fide iustificante, ex articulo 20. Confessionis Caluinisticæ de nouo recusæ, in vltima Synodo aggregata Rupellæ, 13. Aprilis 1571. in qua sunt ipsissima verba. *Nos credimus quod facti sumus participes istius iustitiæ, per solam fidem, vt dictum est, quod passus est Christus, vt nobis acquireret salutem, vt quicumque credidens in eum, non pereat.*

Deinde est conclusio Lutheri, quam tam obstinatè sustinuit vt maluerit, potius quam se retractare, Diuum Iacobum in sua Epistola sexies sibi oppositum, deliramentis suggillare, dicens: *Iacobus delirat, cum ait fidem sine operibus esse mortuam.*

Idem Lutherus libro de captiuitate Babylonica, capite de baptismo, asserit quod Christianus, etiam si vellet, non posset tamen amittere salutem, per quæcumque & quantumcumque enormia peccata, nisi non velit credere, quia nullum peccatum illum damnare potest, nisi sola incredulitas. Ergo sola credulitas potest saluare & iustificare, sicque ex doctrinâ Lutheri sola fides iustificat.

Idem Lutherus in Epistola aduersus Cocleum, & in Epistola ad Melanchthonium docet, melius esse omittere baptismum, si infantes actu non credunt dum baptizantur: quia infans nullo modo iustificatur nisi actu credat. Ergo ex Lutheto, baptismus non iustificat, sed sola fides.

Idem Lutherus persistit in sua sententia super Epistolam ad Galatas, cui consentiunt, Brentius in suo Catechismo, Caluinus in Antidoto Concilij Tridentini, Buccerus, Melanchthonius, & alij multi. Nonne sufficiunt ista testimonia? Adde quod contra istud dogma de sola fide iustificante tractatus integros ediderunt Bellarminus, Bouerius, Coccius, Beccanus, & alij, Doctores Catholici.

Imo minister Vignerius in articulo 16. Suæ Apologiæ, istud dogma probat pluribus argumentis, faciens nobis aditum ad secundum principium, quod est de fidei semel habitæ inamissibilitate; & fundatur in articulo confessionis Caluinisticæ, in his verbis, videlicet, *Quod fides non datur solùm pro semel, & vna vice, electis, ad eos introducendos in via, sed vt faciat illos in ipso perseuerare vsque in finem.* Ita articulus Confess. iuxta mentem verbaque Caluini in 13. Matth. *Cordibus fidelium*, inquit, *semel infixa veritas nunquam effluit*: additque Beza, in confess. cap. 4. artic. 20. fidem ideo esse inamissibilem, quia est à dono perseuerantiæ indiuisibilis.

Viguerius loco citato confirmat, & Caluinus li-

Digitized by Google

bro tertio Inſtitutionum capite 2. §. 12. & 28. Igitur eſt dogma inter Caluiniſtas communiter receptum, quod fides ſemel habita ſit inamiſſibilis.

Tertium dogma ſiue principium Caluiniſticum ex duobus præcedentibus neceſſariò illatum, videlicet, quod habens fidem illam, ſolam iuſtificantem, & inamiſſibilem, eſt prædeſtinatus: & vice verſa, Quicumque eſt prædeſtinatus habet illam fidem inamiſſibilem; ex Caluino, Luthero, Beza & omnibus Hugnotiſmi profeſſoribus aſſertum eſt.

Iſta ergo tria prima fundamenta Caluiniſmi ædificij ſunt ſatis probata, & præſupponenda ad cætera omnia dogmata: ſicut fundamentum domus præcedit cæteras eius partes. Nam ex Hebræorũ 11. *Impoſſibile eſt ſine fide placere Deo; & accedentem ad Deum, credere oportet quia eſt.* Siquidem *fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum*; & ſupponitur ad prædicationem verbi Dei, & adminiſtrationem Sacramentorum: quæ ſunt veræ Eccleſiæ Caluiniſticæ notæ. Igitur iſta ſunt prima principia, in quæ Caluiniſmus debet vltimatè reſolui, ac proinde ex illis primò inſtitui, iuxta axioma Ariſtotelicum præfatum, res non eſt niſi ſua principia.

Quartum principium Caluiniſticum etiam infertur ex præcedentibus, & aſſeritur à Caluino libro quartò Inſtitutionum, capite 14. Nimirum quod habens fidem iuſtificantem inamiſſibilem, non minùs eſt ſecurus de paradiſo obtinendo, quàm ipſemet Chriſtus, vt tenet Lutherus locis citatis: & in hoc conſiſtit certa Caluiniſtica de ſalute perſuatio, ſuam reddens tranquillam conſcientiam.

Hinc Beza iſtam eliciebat conſequentiam, nempe, *Quantumuis fornicer, adulterer, occidam aut furer, non perdo tamen gratiam, non perdendo fidem*: quia, ex Luthero, ſola credulitas ſaluat, & ſola incredulitas damnat.

Quintum fundamentum, quo Caluiniſmus animas ſectariorum, in morte filiorum ſine baptiſmo morientium aſſecutat, eſt iſtud, videlicet quod infantes fidelium ſunt in vtero matris ſanctificati, ex Catechiſmo Caluiniſtico, in formula adminiſtrandi Baptiſmum, his verbis. *Non eſt dubium quin infantes noſtri ſint hæredes vitæ, quam nobis Chriſtus promiſit; quia ex Diuo Paulo ſanctificat eos in vtero matris, vt diſcernantur à filiis Ethnicorum & infidelium.* Et ibi allegatur textus Pauli ex ſeptimo capite prioris Corinthiorum, vbi habentur hæc verba huius dogmatis fundatricia: *Nam vir infidelis ſanctificatur per mulierem fidelem; & mulier infidelis ſanctificatur per virum fidelem: alioqui filij veſtri eſſent immundi, nunc autem ſunt ſancti.* Quaſi verò ſit ille ſenſus Apoſtoli ibidem, vbi nec dicit infantes ſanctificatos in vtero. Hinc tamen habemus iſtius principij ſufficientem confirmationem.

Sextum denique dogma ſiue fundamentum Hugnotiſmi eſt videlicet, quod baptiſmus non eſt ad ſalutem neceſſarius: Et ſequitur ex præcedentibus, & tota doctrina Caluiniſtica mordicùs aſſerente Sacramenta Euangelica non eſſe ſigna efficacia gratiæ, ſed duntaxat fidei præhabitæ teſtificationes. Sic docet Buccerus in 3. caput Matthæi: ſic & omnes Caluiniſtæ, ex eoquod Chriſtus dixit: *Sinite paruulos venire ad me.* Ergo ſaluantur ſine baptiſmo, vt aſſerit Beza in confeſſione, capite 4. articulo 20. contendens fidem ideo eſſe inamiſſibilem, quia eſt à dono perſeuerantiæ indiuiſibilis. Sic & dogmatizat Caluinus in 15. Mathæi. *Cordibus fidelium*, inquit, *ſemel inſixa veritas nunquam efflat, vſque in finem vigeat.* Ergo ſi ſola iuſtificet, ſaluat ſine baptiſmo quem præcedit. Item libro tertiò inſtitutionum, capite 2. & alibi. *Porrò*, inquit *vt nunquam extinguitur ſpiritus ille, ita & fidem quam ſemel inſculpſit eorum cordibus, euaneſcere & perire impoſſibile eſt.* Item Lutherus in 2. ad Galatas, *Sola fides Chriſti* inquit, *neceſſaria eſt Chriſtianis. Cætera omnia liberrima, neque præcepta amplius, neque prohibita.* Idem, libro de captiuitate Babylonica. *Baptiſmus*, inquit, *neminem iuſtificat, nec vlli prodeſt.* Itaque confirmata ſunt ex propriâ Hugnotiſmi doctrinâ ſex illa principia, Theſium noſtrarum fulcra & ſuppedanea.

CAPVT QVINTVM.

De conſequentiis neceſſariò illatis ex ſupradictis principiis, confirmatis per applicationem hypotheſeos ad Theſim.

ARGVMENTVM PRIMVM.

Quo inferuntur conſequentia ſiue Theſes ſupradictæ, ex dictis principiis.

SI ſola fides iuſtificat & eſt inamiſſibilis, & habens illam eſt prædeſtinatus: ergo non eſt infernus, nec diabolus, nec vllus damnatus, nec peccatum Angelicum in cœlo, nec humanum in mundo, nec vllus reprobus: ſed omnis creatura intellectualis indubitanter ſaluatur. Probatur conſequentia: Quia Deus condens naturam Angelicam, ſimul & illi toti largitus eſt gratiam, ex Diuo Aug. Et ex Theologis omnes Angeli ſunt creati in gratia; & ex Diuo Th. omnes meruerunt beatitudinem. Præterea, lapſus ſupponit ſtantem, & ſtatum iuſtitiæ & veritatis, & gratuitorum: quia Angelus non cecidit à naturalibus, quæ non amiſit; ergo à gratuitis; quæ omnes Angeli viatores habuerunt: Sed non habuerunt gratiam ſine fide, quam Hugnotiſmus non ſeparat à gratia & charitate; illa autem gratia fuit efficax & iuſtificans, cum per illam meruerint beatitudinem: Ergo omnes Angeli habentes illam gratiam iuſtificantem, etiam habuerunt fidem efficacem, iuſtificantem, & inamiſſibilem, à gratia inſeparabilem, datam electis & prædeſtinatis, aſſecurantem eos de ſua ſalute & beatitudine. Ergo ſi dogmata Hugnotiſmi ſunt vera, non cecidit Angelus, non eſt diabolus, neque damnatus, neque reprobus; non eſt tentatio Euæ per diabolum, nec lapſus hominis primi in paradiſo, nec tranſgreſſio præcepti, nec perpetratio peccati: ac proinde omnes Angeli, & omnes homines ſunt & erunt beati. Videſis in quæ & quot abſurda, deducunt & detrudunt, principia & dogmata impia Hugnotiſmi, flammis æcribus addicenda.

Nam ſi iſta ſic ſe habent, quid erit de dictis & factis Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Conciliorum, Doctorum, & ipſiuſmet Chriſti? Quid de Verbo Dei, de miraculis & viſionibus? Quid de meritis Chriſti? Quid denique de fide totius Chriſtianiſmi, ac proinde etiam de regula fidei Caluiniſticæ, quâ ſublatâ per ipſa mendacia & dogmata impia, peſſunderur etiam & corruat Caluiniſmus oportet, ſicque ſeipſum ſuo proprio gladio iugularet, & ſi, per impoſſibile, eſſet verus, neceſſariò eſſet falſus? Porro, ſi non eſt infernus, nec diabolus, nec peccatum, & omnes ſint ſecuri de ſalute, ad quid clamat prædicans Caluiniſta è ſuggeſtu, vt populus egrediatur de Babylone? Vt quid debacchatur tam inſolenter contra Papam, Purgatorium, inuocationem, imagines & reliquias ſanctorum, contra Sacrificium Miſſæ & tranſubſtantiationem, contra ſeptiformem gratiam ſeptem Sacramentorum, contra meritum bonorum operum; & denique contra cæremonias, & alia pietatis arma ad cultum diuinum pertinentia? Nam ſi, poſito Hu-

gnotismi dogmate, tot perniciosis illationibus fa-
to, corruat omne Religionis exercitium, tunc secure
Beza poterit indulgere genio, satisfacere veneri &
bacho, absque metu mortis & inferni, cum nusquam
possit esse sine munimine gratiæ, quandiu retinebit
fidem suam inamissibilem. Sanè Deus pluribus pla-
gis flagellabit Christianum non obsistentem pesti-
fero Hugnotismo, tale virus tam audaci temerita-
te eructanti. Apage igitur impie cæce, Hugnotisme,
qui sic stando corruis, & te ædificando destruis.

CAPVT SEXTVM.

De monito Caluinista facto ob periculum illi imminens, ex deductis per præcedens Argumentum.

ARGVMENTVM SECVNDVM.

MOS est errantibus vt dum deuitant vnum in-
conueniens, statim in plura labantur. Sic fit
apud Caluinistas, qui dum se in aprico & statione
fida suæ fidei iustificantis & inamissibilis quiescere
putabant, scopulos carinam infringentes nanciscantur; & dum persequuntur Ecclesiam Christi,
inuoluantur & pereant in vndis. Sic dolor eorum
conuertitur in caput eorum, & iste aman Caluinista
suspenditur patibulo, quod Christiano Mardochæo
parabat. Sic ad tanta incommoda deuenit, vt suos
de Hugnotisando Hugnotiset, de Caluinisando
Caluiniser, reformando deformet, stabiliendo de-
struat, reprobando prædestinet; instituendo infer-
num & Cacodæmones auferat, damnando saluet;
pollicendo paradisum, in infernum detrudat, tra-
dendo scripturam eripiat; & destruat fidem, præ-
dicando illam inamissibilem. Hi sunt stolones serpen-
tini, ex infausta arbore, & radicalibus Hugnotismi
principiis repullulascentes. Hæ sunt falsæ conclu-
siones ex tam impiis principiis illatæ: nec potest
alius expectari ex tam impia matre fœtus, quæ ad
instar viperæ non nisi pereundo patit. Suppositis
ergo Caluinismi fundamentis præfatis, nusquam à
dedalico Labyrintho se extricare quibis. Itaque va-
leat Caluinismus, vt vigeat Christianismus.

CAPVT SEPTIMVM.

De secundo Argumento ex præfatis principiis & dogmatibus deducto.

CONSTAT inter Caluinistas, & ostensum est
supra, quod sola fides iustificat; quod est ina-
missibilis; quod illâ donatus est prædestinatus, &
habet iam breue & Chirographum de paradiso si-
bi post mortem conferendo; quod fidelium proles
sit in vulua matris sanctificata; quod baptismus ne-
minem saluat: Atqui illinc istas conclusiones nefa-
rias necessariò eliciendas esse demonstro; nempe
quod omnes Angeli à Deo creati, sint in cœlo beati,
& nulli propter Apostasiam in inferni Barathrum
deiecti: quod nullum in cœlo peccatum perpetra-
tum sit, & nullum in terra per scytalem serpentem
primis parentibus suggestum: quod nullum sit ori-
ginale aut actuale; quod omnes homines sunt ad
gloriam prædestinati, nullique reprobi, nulli dam-
nati: quod aduentus Messiæ in carne passibili sit inu-
tilis, & totius vitæ atque passionis eius labor cassus;
quod nullo existente morbo, nullo etiam aut medi-
co aut Sacramentorum remedio opus est: quod
prædicatio Euangelica & omnes Christianismi ad
cultum Dei religiosæ praxes, sunt veluti narratæ fa-
bulationes mimi momique ludibria, & theatricæ pa-
rasitationes. Sequela est apud cæcos clarens, quia
sublatis inferno, diabolo, peccato, vt aliis eiusmo-
di, ob fidem iustificantem, inamissibilem, prædesti-
nationis tesseram, reprobationis obicem, de para-
diso obtinendo omnibus stipulatricem: amouendus
erit etiam casus Adæ: quia nulla fuit Luciferi insti-
gantis inuidia, nulla Euæ tentatio, nulla præcepti
transgressio, nulla peccati perpetratio, nullaque
parentum in posteros peccati traductio: Quidni
ergo omnes homines sint, sicut omnes Angeli, elec-
ti & prædestinati. Quidni æque Cain atque Abel,
æque Iudas traditor atque Petrus, æque Gentilis
atque Iudæus, æque Hæreticus atque Catholicus
saluarentur? Porro nostri primi parentes in statu
innocentiæ, & originalis iustitiæ, fide iustificante
inamissibili erant ornati, quæ prædestinationem
supponit, & reprobationem præcauet, & fidelem
de paradiso certificat. Igitur omnis Adæ progenies
erit prædestinata: sicque scriptura & orthodoxa
antiquitas aliter de istis loquens erunt obliuioni
danda & floccifacienda. Sed præstat sepulchrum
patens esse guttur tam impia dogmata eructantium,
& credendum esse magis tot oraculis, quàm tribus
nequam Apostatis, qui etiam Ecclesiam euertere
conantes, suam Synagogam in rudera & macerien
deducunt.

Consulite ergo, ô magistri Synodales, & Calui-
nistici prætorij præfecti, circa hoc: & videte quo
clauo istud foramen obturetis, quo medicamine
vulnus istud curetis: ne, si stent vestra fundamenta,
cadat vestræ fidei regula. Et discite illinc sapere,
vnde cæpistis stulteiscere.

CAPVT VIII. DE ARGVMENTO III.

Illatino absurdorum ex præfatis dogmatibus, ad Thesium iustificationem.

EX concessis supra, quòd primi parentes habue-
rint fidem iustificantem, à dono perseuerantiæ
inseparabilem, de prædestinatione testificantem, de
gloriæ promissione securantem: ex concessis etiam
de sanctificatione infantium fidelium in vtero ma-
tris: ego in legitima consequentia affero quòd vni-
uersum genus humanum, [illegible] minus quàm Angeli,
cum, saluum erit & prædes[illegible]tum, & de beatitu-
dine securum: quia vtrumque habuit fidem illam iu-
stificantem inamissibilem, &c. Sic luce clarius osten-
do consequentiam; quia omnes Adami & Euæ fili-
j erant in vtero matris sanctificati, vt pote paten-
tum fidelium filij, habebantque fidem iustificantem
& inamissibilem, qua sola iustificabantur: De-
inde Cainus Abel, & alij deinceps Adæ & Euæ filij
in vtero matris sanctificati, non potuerunt gignere
nisi filios sic semper successiuè in vtero matris, per
istam fidem inamissibilem, à principio mundi vsque
ad finem, sanctificatos & prædestinatos, & de bea-
titudine securos: sicque, quidquid dicitur de repro-
batione Caini, Esau, Pharaonis, & omnium infide-
lium Ethnicorum erit falsum, falsaque omnis scri-
ptura, historia, falsa omnium hominum recta ratio:
nec erit quod timeamus flammas gehennæ, aut iram
numinis offensi vltricem sublatis omnibus nobis no-
cendi instrumentis; sicque, si diis placet, doctrina
Caluinistica reformabit & immutabit quidquid ha-
ctenus Deus nobis per Prophetas & per filium suum
reuelauit: Aut dicant nobis si prima veritas simplex
aliam & aliam, de nobis ab Ecclesia ad credendum
propositis, habeat reuelationem, itaut in vna sit fi-
des iustificans fundata pro prædestinatis, & in alia
sit fides non iustificans pro reprobis. Aut dicant si
alia fuit fides de credendis fundata in reuelatione
facta Angelis bonis, & alia facta pro Angelis malis.

Aut

Digitized by Google

Aut dicant ſi ſit alia fides Angelorum & alia fides hominum, cum idem ſit vtrorumque fidei obiectum: Aut dicant ſi non ſit eadem fides veteris teſtamenti, cum fide noui teſtamenti. Si ergo vtrobique & ſemper fuerit eadem, ſic argumentor. Idem, quandiu idem, ſemper facit idem in ſubiecto eodem; atqui fides tunc & nunc ſemper fuit & eſt in ſuo proprio ſubiecto, nempe intellectu, tum Angelico tum humano, eadem ab eadem prima veritate idem & immutabile obiectum reuelante promanans, & ob eundem effectum à diuina bonitate gratis infuſa, & cordibus omnium Angelorum & omnium hominum infixa. Ergo eumdem effectum vbicumque ſit illa eadem fides debet ſortiri: & ſi in aliquibus ſit iuſtificans & inamiſſibilis, & de prædeſtinatione ac beatitudine teſtificans, quidni & in aliis? Soluat igitur, velim, illud argumentum tota ſimul aggregata Hugnotiſmi pſeudo-miniſtrorum colluuies, & erit mihi magnus Apollo.

Sed quantumuis multiplicet herbam Borith, & ſal nitrum, vt ſe ab iſta ſorde & ſordida macula, ex ſuis dogmatibus impiis contracta, lauet; ſemper tamen velut Æthyops nigreſcet, donec ſuam impietatem & falſam doctrinam retractet.

CAPVT NONVM.

De quarto Argumento illatiuo Theſium ſupradictarum, ex præfatis principiis.

TANDEM aliquando Caluiniſtæ furentes audaciâ, ſcelus anhelantes, ferrum flammamque Catholicis minitantes, ſe victos & conuictos eſſe fateantur oportet. Nam ſecundum eorum fidem & doctrinam, quicumque ſemel habet fidem, nunquam amittit illam: quia eſt inſeparabilis, vt aiunt, à dono perſeuerantiæ. Atqui, vt fatentur, Eccleſia Catholica, Apoſtolica, Romana, per pluſquam quingentos annos iſtam fidem iuſtificantem inamiſſibilem habuit. Ergo, ſi dogmata eorum valent, non amiſit & poſſedit adhuc; quia etiam per ſucceſſionem generationum, filij illorum parentum fidelium ſunt ſanctificati in vtero matris. Si ergo adhuc habet Eccleſia Chriſti & Romana fidem, vel aduerſarij non habent, & ſunt hæretici, ab Eccleſia veram fidem habente ſeparati; Vel etiam habent aduerſarij nobis oppoſiti, & tunc vel erit duplex vera fides diuerſa quod eſt impoſſibile: vel erit vna & eadem fides in vtraque parte oppoſita, quod etiam eſt impoſſibile, quia Deus ipſam fidem vel duplicem vel eandem reuelans, eſſet ſimul & mendax & verax, quod eſt impoſſibile: Præſtat ergo vt fides perſeueret ibi vbi fuit, à principio, ſicque iuxta verbum Chriſti, Matt. 16. Lucæ 22. & verbum Apoſtoli, 1. Timoth. 3. indefectibilis & infallibilis ſit Eccleſia, fundata ſupra firmam Petram, veritatis columna. Aut dicant mihi quo tempore defecit? An ſimul? An ſucceſſiue? Quia non omnes ſimul fideles peſſerunt. Aut ſi deſinendo in Eccleſia Romana, incæpit eſſe in Caluiniſtica? Et tunc non fuiſſet integra. Cum ergo non ſit aſſignare vllum tempus deſitionis, vanum eſt inſtruere Eccleſiæ deſolatæ reſuſcitationem: ac proinde ſic furens Hugnotiſmus repeſcat, neceſſe eſt, & euaneſcat in auras.

Argumentum aliud ſequens ex præcedenti.

Quicumque ſemel habet veram fidem iuſtificantem, amittere non poteſt ex conceſſis: atqui profeſſores Hugnotiſmi vel habent illam, vel non habent. Si autem habent, vt ſunt ab Eccleſia Romana ſeparati, quæ non amiſit illam, vt oſtenſum eſt, erunt duæ ſimul oppoſitæ Eccleſiæ veram fidem habentes: & ſic, vel erunt duæ veræ fides oppoſitæ, vel vna vera in duabus oppoſitis Eccleſiis, quod vtrumque eſt impoſſibile, niſi contra verbum Dei, ſenſum communè, admittatur duplex fides, duplex baptiſmus, duplex Deus, quod aſſerere impium eſt. Si verò non habent veram fidem, tota eorum turba ex infidelibus compoſita, erit Eccleſia malignantium. Videant ergo ad quas ſua dogmata illos redigant angustias.

CAPVT DECIMVM.

De Argumento quinto è ſupradictis eruto & inſolubili, Theſium tamen confirmatiuo.

QVIA otium eſt comes Apoſtatæ, ecce nodum Gordianum quem Caluiniſticis miniſtris tradio ſoluendum, ne rubigineſcant vitio quietis. Sic enim argumentor. Fides est veris Prophetis adhibenda: atqui Caluinos credidit, prædicauit, & ipſe ipſit Lutherum eſſe magnum à Deo miſſum Prophetam. Ergo fides eſt adhibenda Lutheranis & ſcriptis. Porro Lutherus dixit de Caluino Hugnotiſmi parente, quòd eſſet os diaboli, & animatum pectus ſuam venenicam cænam nomicida. Ergo credendum eſt Caluinum & ſectarios eſſe tales, quales proclamauit ille magnus Propheta Lutherus. Et ſic Caluiniſmus omnis erit Patris mendacij diaboli progenies mendax. Videant ergo ſi ſua cum Lutheri communio poſſit carere veneno.

CAPVT VNDECIMVM.

Reductiuum Hugnotiſmi ad Eccleſiam Chriſtianiſmi, quam deſeruit.

QVICVMQVE habet veram fidem inamiſſibilem, ipſam perdere non poteſt, ex conceſſis. Atqui Hugnotiſmus vel habet vel non habet. Si autem habet, non poteſt illam perdere redeundo ad girum Eccleſiæ Romanæ, à quâ apoſtatauit: aut mentitus eſt quando docuit eſſe inamiſſibilem, & eſt infidelis in doctrina & credulitate; ſet ſi vero non habet, neque etiam perdet fidem quam non habet: & ideo redeundo ad matrem Eccleſiam, recuperabit ipſam amiſſam per egreſſum ab illa matre, ſicque regreſſus iſte non poteſt eſſe niſi valde vtilis & ad ſalutem neceſſarius. His omnibus argumentis ſic deductis, ſatis patet veritas Theſium noſtrarum, nempe quod Hugnotiſmus deſtruit Chriſtianiſmum: & expoſitione fundamentalium principiorum eius actum eſt de fide Chriſtiana, de ſcriptura ſacra, de tota praxi & doctrina orthodoxa: & ideo quæ prima fronte videbantur adhuc incredibiles, quandiu erant propoſitiones duntaxat probandæ, nunc verò dum probatæ & demonſtratæ manent, deductæ ex falſis Hugnotiſmi dogmatibus, credibiles exiſtunt.

CAPVT DVODECIMVM.

De ampliori confirmatione Theſis generalis remouentis Hugnotiſmum à Chriſtianiſmo, & profeſſorem Hugnotiſmi àqualitate Chriſtiani.

NVLLITAS veræ fidei Chriſtianæ caſſum reddit Chriſtianiſmum: at qui Hugnotiſmus eſt in nullitate veræ fidei Chriſtianæ conſtitutus: ergo Hugnotiſmus caſſum reddit Chriſtianiſmum.

Maior ſyllogiſmi vera eſt: quia ſine fide Chriſtiana nemo poteſt eſſe Chriſtianus, vt ſine anima ra-

tionali nemo poteſt eſſe homo.

Minor verò probatur hoc argumento probante Hugnotiſmum eſſe atheiſmum, & tripiſtem eſſe apiſtem. Sed reduco ad formam ſyllogiſmi iſtam, ſic:

Triplicitas fidei, oppoſita vnitati fidei per verbum Dei aſſignatæ, eſt in nullitate veræ fidei Chriſtianæ: atqui Hugnotiſmus eſt in triplicitate fidei falſæ, vnitati veræ fidei per verbum Dei aſſignatæ, oppoſitæ: igitur Hugnotiſmus eſt in nullitate veræ fidei Chriſtianæ.

Maior huius ſyllogiſmi confirmatur alio ſyllogiſmo deducto ex Arithmetica in hunc modum.

Qui de tribus tria demit, manet zero, ſiue nullum; atqui Hugnotiſmus, ex ſua ſuppoſita falſa triplici fide, tria demit: ergo reſtat zero, ſiue nullum.

Maior autem huius ſyllogiſmi manet vera ſine contradictione, quia eſt principium Arithmeticum; ideoque minor probatur iſto ſyllogiſmo ex Chimia deducto, in hunc modum.

Sicut falſum aurum non eſt aurum; ita falſa fides non eſt fides; atqui triplex fides Hugnotiſmi æque eſt falſa fides, vt falſum aurum non eſt aurum; igitur triplex fides Hugnotiſmi eſt falſa fides, ac proinde nulla fides.

Maior huius ſyllogiſmi videns eſt, ideo minor probatur ab enumeratione & ſubiectione partium; quia triplex fides Hugnotiſmi eſt fides hiſtorica, fides miraculorum, & fides promiſſionum: Atqui Hugnotiſmus tenet fidem hiſtoricam, & fidem miraculorum, tanquam fidem laruatam, & veluti oſtentat vmbram fidei; En igitur ex triplici fide Caluiniſtica iam duplex fides exſufflata; reſtat igitur fides promiſſionum exſufflanda, quæ quidem non poteſt eſſe illa fides quæ declaratur in verbo Dei, & definitur à D. Paulo Hebræorum 11. quia differt à vera fide in nomine, definitione, ſubiecto, obiecto, & authoritate.

Primò differt quoad nomen, in Hebræo, Græco, Latino & Gallico idiomate: nam vera fides in Hebræo dicitur *Emunah*; in Græco dicitur *Piſtis*, in Latino dicitur *Fides*, in Gallico dicitur *Foy*. Fides autem Caluiniſtica dicitur in Hebræo *Bittachon*; in Græco dicitur *Parreſia*; in Latino dicitur *Fiducia*; & in Gallico dicitur *Fiance*. Ergo, quoad nomen, fides promiſſionum Caluiniſtica non eſt vera fides Chriſtiana declarata in verbo Dei, & à D. Paulo definita.

Deinde differt quoad definitionem: quia ex D. Paulo, Hebræorum 11 fides definitur *ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium*; Caluiniſta verò ſuam fidem definit fiduciam in miſericordia Dei; igitur fides promiſſionum Caluiniſtica non eſt vera fides Chriſtiana.

Item differt quoad ſubiectum: quia ſubiectum veræ fidei Chriſtianæ eſt intellectus, ſubiectum verò fidei Caluiniſticæ, quæ eſt fiducia ſpei annexa, eſt voluntas; ergo vera fides Chriſtiana, & fides promiſſionum Caluiniſtica differunt in ſubiecto.

Item differunt quoad obiectum: quia obiectum fidei eſt veritas, obiectum verò fiduciæ eſt bonitas: ergo fides promiſſionum Caluiniſtica differt à fide Chriſtiana quoad obiectum: vnde etiam differunt in ratione formali, & conceptu.

Denique differunt quoad authoritatem ſcripturæ ſacræ, Conciliorum, & doctrinæ orthodoxæ, quæ retinet ſolam fidem ſecundum nomen, definitionem, ſubiectum, obiectum, rationem formalem & authoritatem, vt diximus, improbatque fiduciam Hugnotiſmi: ac proinde Caluiniſta remanet tripiſta, apiſta, & Atheiſta, ac proinde ſine fide, & ſine Chriſtianitate: Ideoque, & ſi per impoſſibile Caluiniſmus eſſet verus, neceſſariò tamen eſſet falſus. Apage igitur hinc, impie Caluiniſme: alioquin niſi ſapias inde, vnde ſtultus factus es, qui habitat in cœlis te aliquando irridebit, & ſubſannabit, atque in ſuo furore conturbabit.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

Arguens tergiuerſationem miniſtri pro tota ſua ſynodo ſtipulantis, dum renuit agitare Theſes oblatas, prætextans non eſſe conſuetudinem diſputandi contra Theſes, aut contra argumenta, aut contra diſcurſum ex argumentis contextum.

RIDEBITIS ſanè inſaniam miniſtri noſtri, pro tota ſynodo ſtipulantis, prohibiti contra theſes ſibi oblatas argumentari, ſed potius euadere iuſſi, dicendo Theſes ſupradictas non eſſe Theſes. Vnde ſibillatus præ craſſa iſta ignorantia, aſſerens non diſputandum eſſe contra argumenta; ſed conuictus exemplis Iob nouies contra ſuorum amicorum valida argumenta diſputantis; & D. Auguſtini contra omnes hæreticos ſui ſæculi eminus & cominus linguâ & pennâ, tam doctè & egregiè decertantis, & ipſiuſmet Chriſti aduerſus ſcribas, Phariſæos, Saducæos, & alios inuadentes eum præliantis, ipſoſque inſolubilibus argumentis refutantis; & Salomonis in ſuo Eccleſiaſte libertinos ſapientiſſimè corrigentis; conuictus, inquam, illis exemplis pſeudo miniſter, aduertens ſe eſſe auditorij fabulam, inuite quidem ſed coactus pro ſexta vice confuſus, Proteſtatus eſt ſe nolle impugnare theſes, quas ſuo Mentio & manuali ſigno, cum ſuis ſectariis approbauit.

Sicia ergo non eſſe nouum & inauditum præſentare theſes, & ad illarum impugnationem etiam in re Religionis, laceſſere aduerſarios.

Sic enim Lutherus in ſuo libro de ſeruo & captiuo arbitrio, ſic & Melanchtonius iſtas proponunt, & tueri nituntur theſes, quibus Deum faciunt authorem peccati, ipſum ſua Deitate ſpoliantes: dum aſſerunt, *quod Deus non minus eſt author adulterij Danidis, & perfidæ traditionis Iudæ, quam D. Pauli vocationis.* Nonne, amabo vos, ſunt iſtæ Theſes, agitationi ad libitum cuiuſlibet impugnantis propoſitæ?

Sic Illiricus Centuriator, in ſuo libro de peccato originali, impias ſic ſuſtinet, iſtas nempe: *Quod peccatum eſt intima ſubſtantia animarum, quas poſt lapſum Adami, diabolus procreat, & in ſeipſum transformat: Vnde D. Chryſoſtomus dixit quod hæreticus eſt dæmon incarnatus, & ſumentum diaboli*; ſed eo ſenſu quo Chriſtus dixit de Iuda: *Vnus ex vobis diabolus eſt.* Ergo oblatio theſium non eſt res inaudita, vt prætendebat pſeudo-miniſter.

Verumtamen ex theſi Illirici ſequitur ſynodos Hæreticorum eſſe conuenticula dæmonum incarnatorum, omneſque pſeudo miniſtrorum prædicantium, baptizantium, cœnam miniſtrantium, matrimonia celebrantium, pſalmos canentium, & ſimilium actiones, eſſe tot actiones diabolicas, vt demonſtrabitur hoc argumento.

Forma dat eſſe rei, vt anima dat eſſe homini: atqui ſecundum Illiricum, à tempore lapſus Adami, forma hominis eſt diabolus procreans & transformans animas in ſeipſum: ergo ſecundum Illiricum acerrimum Hugnotiſmi defenſorem, omnes homines ſunt Dæmones incarnati: ac proinde omnes pſeudo-miniſtri tot dæmones incarnati, & omnes eorum actiones ſunt formaliter & perſonaliter actiones diabolicæ. Videte, quæſo, ad quantum abſurdorum gurgitem deducunt falſa & Atheiſtica

Digitized by Google

dogmata Hugnotiſmi, & quomodo qui videbatur paruus error in principio, euadat magnus in progreſſu & in fine.

Ecce adhuc theſes pſeudo-miniſtri Bucceri nimis audacter aſſerentis ſuper tertium caput D. Matthæi videlicet.

Quòd Baptiſmus Chriſti non eſt ad ſalutem neceſſarius: quia ſine ipſo, inquit, *prædeſtinati ſaluantur, & cum ipſo reprobati damnantur.* Ex quo impio dogmate naſcuntur omnia fere abſurda, in Theſibus præpoſitis & oblatis poſita: & hinc genius Hugnotiſmi eſt in propatulo. Hinc enim ſequitur aduentum Chriſti in carne paſſibili, & totam redemptionis humanæ œconomiam non eſſe ſaluti hominum neceſſariam; quia prædeſtinati ſine iſtis ſaluantur, & reprobi cum iſtis damnantur; ſicque eius qui me quærens fuit laſſus, qui me redimens crucem paſſus, tantus labor erit caſſus.

Sequitur hinc legem, Prophetas, totam ſcripturam, prædicationem, vſum Sacramentorum, laudes Dei, preces, bona opera, merita Chriſti, & alia ad cultum Dei & pietatem pertinentia, non eſſe ſaluti neceſſaria, ſed ſuperuacanea: quia ſine iſtis prædeſtinati ſaluantur, & cum iſtis reprobati damnantur. O impietas!

Sequitur omnia mandata Dei tam præceptiua, quàm prohibitiua, eſſe inutilia, & nemini curandum eſſe ſiue de obſeruatione, ſiue de ipſorum tranſgreſſione; ideoque hinc infert infamis Beſa, *ſiue quis fornicetur, ſiue adulteret, ſiue ſit vir ſanguinum & doloſus, aut quid aliud criminoſum & ſceleſtum perpetret, modo retineat fidem, nuſquam tamen amittit gratiam, manetque prædeſtinatus; quia prædeſtinati ſine ipſis vel cum ipſis ſaluabuntur, & reprobi cum ipſis vel ſine ipſis damnabuntur.*

Sequitur etiam neminem debere eſſe ſollicitum an ſit Barbarus, an Scyta, an Græcus, an Chriſtianus: quia prædeſtinati, quamuis tales ſint, ſaluabuntur; & reprobi, quamuis tales non ſint, damnabuntur.

Sequitur etiam omnem Religionem eſſe indifferentem, ſiue Mahumeticam, ſiue Iudaicam, ſiue Hæreticam, ſiue Catholicam, quia prædeſtinati in qualiber ſaluabuntur, & reprobi in qualiber damnabuntur.

Hinc etiam ſequitur ſuperfluam eſſe fidem Hugnoticam, & ad ſalutem nullo modo neceſſariam: quia prædeſtinati ſine ipſa ſaluabuntur, & reprobi cum ipſa damnabuntur. Ergò poſito illo Bucceri de prædeſtinatione principio, quod & alij ſecuti ſunt (licèt non tam audacter propalare auſi ſint) omnia Caluiniſticæ Religionis exercitia erunt mimica, momica, paraſitica, hiſtrionica, ad illuſionem ſimplicium inuenta.

Prodeat adhuc in medium alia Lutheri Theſis, Buccerianæ conformis; nempe *quos quis eſt ſceleſtior & peccatis enormibus grauior, eo etiam eſt gratiæ vicinior & propior*; ſicque Diuus Iacobus in ſua Epiſtola dicens: *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis*: Secundum aſſertionem Lutheri corrigendus erit, & ſi Diis placet, ſic legendum erit: *Elongemini à Deo, grauiſſima peccata perpetrando, & appropinquabit vobis.* Item Chriſtus docens fibulam vnionis animæ cum Deo eſſe gratiam, ſecundum Apoſtatam Lutherum corrigendus eſſet, cum non gratia, ſed peccatum, nos Deo coniungat, iuxta eiuſmodi impium. Ex cuius impiis dogmatibus ſequitur, perſeuerantes in criminibus magis proficere in via Dei, quàm pœnitentes; & fratricidam Caïnum fuiſſe viciniorem gratiæ, quàm iuſtum Abelem; ſicque de cæteris. Adde etiam Apoſtatas Angelos fuiſſe viciniores gratiæ, quàm perſeuerantes, & perfidum Iudam, cuius cor intrauit Satanas, fuiſſe viciniorem gratiæ, quàm diſcipulum dilectum ſupra pectus Chriſti recumbentem. O bone Deus! quid eſt hoc, niſi ex ſuperbia diabolica dicere bonum malum & malum bonum? Poſt hæc quis audebit aſſerere Caluiniſtam eſſe Chriſtianum? Nonne potiùs oportebit adhærere Luthero, in defenſione cænæ tomo 7. doctrinam Caluiniſticam vi impiam anathematiſanti, & in diſputatione contra Louanienſes, articulo tom. 2. ſic loquenti: *Æſtimamus hæreticos, & extrà Eccleſiam Dei, Iuuinglianos, & omnes Sacramentarios, negantes corpus & ſanguinem Chriſti ore carnali ſumi in Venerabili Euchariſtia.* Idem tomo 3. *Caluinus*, inquit, *fauens opinioni Arianorum, reuocauit in dubium & repudiauit plures de Biblia paſſus, quibus Patres diuinitatem Chriſti probarunt. Detuitabimus ergo eos, contradicemus, condamnabimus eſſe idololatras, corruptores Verbi Dei, blaſphemos, deſectores. Neque enim poſſumus nec debemus eorum blaſphemiis adhærere, nec approbare, nec de illis tacere.* Idem alibi apud Greſſerum, lib. 1. contra Carolſtadium capite 12. *Caluiniſta*, inquit, *ſunt phanatici, progenies viperarum, animarum ingulatores, carnifices, impij, blaſphemi, fallaces, viri ſanguinum, canes infernales, thuræ allemaniſati, nunij Sathanæ, & per eum obſeſſi, Mahumetani baptiſati, diabboliſati, ſuperdiabboliſati, tranſdiabboliſati, &c.* His poſitis vultis nunc adire cum Caluiniſtis? Poſſuntne velle Caluiniſtæ poſt hæc vnionem cum Lutheranis?

Audite etiam Iacobum Andream Smidelium Lutheranum Epiſtola ad Grineum: *Spiritus Caluiniſta*, inquit, *eſt mendax, occiſor, ater, fugax, lubricus, diabolicus, falſus, furioſus, garrulus, craſſus, cæcus. Caluiniſmus*, inquit, *Arianiſmus, & Mahometiſmus ſunt fratres & ſorores, & veluti tria caligarum paria ex eodem panno. Palus fœtida, ſentina multiarum hæreſium. Et vltima ira Sathanæ.* Iam nunc poſt Caluiniſmum, ſic benè ſuis coloribus depictum.

Auddite etiam Tilmanum Heſuuium, famoſum Lutheranum, libro de vera & ſana confeſſione præſentiæ corporis Chriſti in cæna Domini, qui execratur *impudentiam & maledicentiam Caluiniſtarum, qui alapas Eccleſiæ & Chriſto impingunt, & illi irriſorie dicunt: Prophetiſa quis te percuſſit.* O execrabilis malitia & impudentia Caluiniſtarum, quæ non poteſt exprimi! Profectò in hoc omnes ſuperant in malitia hæreticos. Hoccine commercium Caluiniſtarum cum Lutheranis efficiet communionem eorum eſſe ſine veneno?

Ex altera parte verò audite Caluinum in defenſione contra Vueſtfalum debaccantem contra Lutheranos; nempe *quod Lutherani Caluiniſtas tanto odio proſequuntur, quod potius quam pacem habere cum illis, mallent paciſci cum Thurcis & Papiſtis*; & in tractatu de cæna ait; *quod ſtabilire præſentiam circumſcriptam in loco, qua corpus Chriſti incluſum ſit in ſigno aut localiter coniunctum, non ſolum eſt delirium, ſed deteſtabilis error, gloriam Ieſu Chriſto furens.* Ita in Epiſtola 292. ait: *quod punctum tranſubſtantiationis euertit; quid credendum eſt de Chriſti præſentia humana, deſtruens principia fidei per mortales incantationes.* Quale ergo erit iſtud inter Lutheranos & Caluiniſtas connubium?

Audite adhuc Theodorum Beſam ſimilia loquentem in Epiſtola contra Almanos. *Punctum conſubſtantiationis*, inquit, *deſtruit naturam Ieſu Chriſti.*

Sed Caluinus contra Vueſtfalum in vltima admonitione, reddens Lutheranis iniuriam pro iniuria, ait quod *Lutherani ſunt beſtiæ, brutales, ignorantes pluſquam paruuli infantes, maligni vt canes, ſuperbi vt diaboli, pertinaces, neſcientes quid ſit cæna & virtus illius.*

His omnibus ità poſitis, quis non videt Caluiniſmum non poſſe eſſe Chriſtianiſmum: nec Caluiniſtam, Chriſtianum? Eſt ergo nunc pſeudo-miniſter Dailleus, & Delanglus, ea tota pſeudo-mini-

ſtrorum colluuies, contrahat matimonium cũm Lutheranis, dicat ſuam cum eis communionem non eſſe venenatam, cum potius in concordiam venirent infernus & paradiſus.

CAPVT VLTIMVM.

De Theſibus acromaticis, pro refutatione deblaterationum miniſtralium, in fuga diſputandi contra Theſes oblatas.

1. THESES prædictæ miniſtris oblatæ, ſunt veræ Theſes: primæ claſſis ſoli ignorantes cum Delanglo dubitant.

2. Æque negatiua ac affirmatiua earum iugulat Hugnotiſmum, ob præiacentes earum matres, quas non eſt negare aut affirmare, niſi deſtruendo Hugnotiſmum. Ergo optio datur miniſtris.

3. Caluiniſmus non poteſt eſſe verus quin ſit falſus: poſitio eius eſt depoſitio eius; eſſe eius eſt non eſſe eius.

4. Theſes ſupradictæ, præſuppoſitis ſuis fundamentis, & principiis Caluiniſticis, ſunt æque veræ ac iſta propoſitio Hypothetica. Si pſeudo-miniſter æque eſſet aſinus phyſicus, vt eſt aſinus moralis, quadrupedans quadrupes eſſet.

5. Conditionalis propoſitio, iuxta D. Thomam, poteſt eſſe vera, cuius antecedens & conſequens ſunt impoſſibilia; vt eſt illa D. Auguſtini: *Si Auguſtinus eſſet Deus, & Deus eſſet Auguſtinus; vellet Auguſtinus ceſſare eſſe Deus, vt Deus ceſſaret eſſe Auguſtinus, & eſſet Deus.*

6. Argumentari licet contra argumenta, & contra ratiocinationes & diſcurſus, velit, nolit pſeudo-miniſter Delanglus; nec eſt proponentis impugnare ſed defendere ſuas Theſes, contra quoſuis impugnantes.

7. Negare, affirmare, & diſtinguere, ſunt diſputationum praxes, ſed diuerſimode per arguentes & reſpondentes: quia ſimplex negatiua aut affirmatiua ſufficit reſpondenti, non vero argumentanti.

8. Theſis præſentata parti aduerſæ ad certamen & impugnationem prouocatæ, dum non impugnatur, videtur tacitè concedi ſuſtinenti.

9. Hugnotiſmus eſt Atheiſmus: nam ſi quælibet ex diuerſis ſectis conſtantibus illum, habet ſuum peculiarem Deum, ſicut habet ſuam peculiarem fidem & Religionem, Hugnotiſmus habebit 225. Deos, ſicuti habet 225. Sectas diuerſas, adhuc etiam ramificantes. Atqui habens 225. Deos, nullum Deum habet, & eſt Atheiſta: aut ſi vnum Deum omnes iſtæ ſectæ haberent, non eſſet Deus pacis, ſed diſſenſionis, ac proinde etiam ex hac parte non eſſet verus Deus. Si non verus, ergo falſus; ſed falſus Deus non eſt Deus, ac proinde nullum Deum Hugnotiſmus habet, ſicque eſt Atheiſmus. Porro pſeudo-miniſtri rodant vngues, iſtas ruminando theſes, & ad eos reſcindendos exciſoriis forcipibus non indigebunt.

CONCLVSIO.

Videant omnes ſectæ infauſtæ Hugnotiſmum componentes quo in ſtatu miſerrimo viuunt, & ad lumen ſibi per iſtum libellum factum aperiant oculi, & ad meliorem frugem quam primum, ſi ſapiunt, reuertantur; & deſinant ſeipſos gratis decipere, ſuoſque ſectarios in errore, ſub prætextu ſuæ fidei iuſtificantis & inamiſſibilis, retinere. Nam interrarem illos omnes, ſi cogerem vt mihi ſincerè dicerent quid per ſuam illam fidem intelligant: quia enim illam conſtituunt in perſuaſione, quæ eſt actus humanus, tranſiens & non permanens, non poteſt eſſe inamiſſibilis: & quia nolunt ſuam iuſtitiam eſſe inhærentem, nec proinde gratiam iuſtificantem internam, etiam non poſſunt habere fidem habitualem internam in intellectu reſidentem, nec proinde inamiſſibilem. Nam ſi iuſtificatio illorum eſt peccati non imputatio, ergo fides illa iuſtificans non erit quid poſitiuum intrinſecè permanens; ac proinde tranſiens erit & amiſſibilis.

Si autem fides iuſtificans eſt extrinſeca; quæro, dum dormiunt, aut ſæcularibus negotiis diſtracti ſunt, vbinam tunc inueniatur? Cuinam ſubiecto inhæreat, cum ſit accidens actuale & non habituale, tamdiu in eſſe durans quandiu durat illa perſuaſio?

Ad hæc profectò obmutescunt, nec quo ſe ab iſto laqueo expediant, habent.

Quæro adhuc quid ſentiant de fide Angelorum, an ſit eadem cum fide hominum, cum ſit ab eodem principio, & circa idem obiectum? Item, ſi fides à principio mundi ſit eadem cum fide quæ eſt nunc, & erit vſque in finem mundi, cum fides reſpiciat omnes temporis differentias, videlicet præteritum, præſens & futurum, qualis fuit fides Moſaica, qui fuit propheta de præterito, de præſenti & de futuro; cum etiam fides ſit de inuiſibilibus, & in quocumque ſit, circa idem obiectum tam materiale quàm formale verſetur, ideoque eadem in quolibet operari debeat? Quidni ergo in lapſis Angelis operata eſt ſicut in ſtantibus? Quidni in Iuda ſicut in Petro?

Quæro etiam ſi tres Apoſtatæ, Luthetus, Caluinus & Beſa, primi parentes Hugnotiſmi, putandi ſint magis illuminati quàm tota orthodoxa & ſancta antiquitas; & apoſtatando propter vinum & mulieres, meruerint ſuſcitari de nouo à Deo ad reparandam Eccleſiam collapſam & deſolatam, vt dicunt, relictis tot ſanctis in veritate & ſapientia conſummatis?

Quæro denique cur potius fides iuſtificans ſit inamiſſibilis, quàm Eccleſia infallibilis & indefectibilis, cum deficiente ſubiecto deficiat accidens? Sed congregatio fidelium, quæ eſt Eccleſia, eſt fidei ſubiectum: igitur lapſus Eccleſiæ erit lapſus fidei, & ſtatus fidei permanens eſt ſtatus Eccleſiæ firmus & inconcuſſus.

Nolite ergo errare, ſed ſtate verbis Chriſti ſuæ Eccleſiæ pollicentis quod portæ inferi, id eſt, hæreſes, aduerſus eam nunquam prævalebunt. Si plura alia lupara ori pſeudo-miniſtrorum à nobis indita cupias, videas opuſcula noſtra pro diuerſis temporum occaſionibus exarata. Sed chamus maxillas illorum fortius conſtringens eſt iſte Libellus, quem quicumque attentè legerit, niſi ſit in errore induratus, proculdubio ad veritatem Catholicam regredietur: & hoc eſt quod cupio, & gemitibus quotidianis à diuina miſericordia obtinere conor.

MOTIVA QVIBVS QVILIBET HÆRETICVS INDVCI poteſt ad reuerſionem, ex parabola filij prodigi, de Hæretico homine optima ratione interpretata.

HÆC motiua ad tria reduco. Primum A eſt conſideratio ſtatus miſerandi, in quo verſatur Hæreticus, dum ex domo paterna exiens j. ab Eccleſia diſcedens, in regionem longinquam impietatis extremæ per errores progreditur pedetentim. Secundum eſt benignitas, clementia, & miſericordia Patris, ad oſtium cordis eius pulſantis, & tam amoroſe reuertere cupienti obuiam occurrentis, & ſuauiter eum reuertentem ſuſcipientis. Tertium eſt quod reuertenti tanta dona reſtituantur, quæ per hæreſim illi fuerunt ablata, vt mirum ſit quomodo qui ingratitudine nimia Patrem contra ſe exacerbauerat, poſſit tot tantiſque donis cumulari. Hæc tria motiua haurire licet ex parabola filij prodigi, meritò de Hæretico homine interpretanda.

Parabola filij prodigi de Hæretico eſt exponenda.

ARTICVLVS I.

SVBLIME illud atque ſanctiſſimum nomen Iehoua ſcriptura ſacra vſurpat potiſſimum cum de Miſericordia Dei facienda eſt mentio, v. g. cum per effectum hoc ſuum nomen Deus Moyſi oſtendere voluit, quod non indicauerat antiquis patribus Abraham, Iſaac & Iacob. Hoc nomen vſurpat Exodi 34. quia reuera Deus tunc miſericordiæ effectum exhibebat, dum non renuit progredi cum populo duræ ceruicis, dum auferendo iniquitates & peccata huius populi illum vult poſſidere, iuxta Moyſis orationem, qui Deo ſibi apparente clamabat: *Deus miſericors, & clemens, patiens, & multæ miſerationis ac Verax, qui cuſtodis miſericordiam in millia.* Certè Chriſtus Dominus Deum ſe eſſe oſtendebat, & nomine Iehoua dignißimum, cum appropinquantes ſibi publicanos & peccatores benignè excipiebat, & cum eis manducabat, vt referunt Euangeliſtæ. *Communium eorum expetebat*, inquit S. Hieronymus, epiſtolâ 146. ad Damaſum, *vt in communio docerentur. Qui enim ſollicita mente Euangelia perlegerit percipiet quomodo & cibus eius, & potus, & deambulatio, & vniuerſa quæ geſſit in corpore, ſalutem hominum procurarint.* Ita Hier.

At ægrè ferunt Scribæ & Phariſæi Dominum tanta benignitate vti erga peccatores, & murmurabant dicentes: *Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Luc. 15. Quid ad hæc Dominus? Dicet ne non potuiſſe illis acceſſum prohibere, quamuis ſibi eſſet ingrata illorum conuerſatio, ſicut & mores eorum & actus plurimùm abhorrebat? Non certè: ſed tribus parabolis oſtendet nullum eſſe peccatorem, quem non benignè excipiat, ſi ad eum accedere voluerit. Rectè namque Philo Iudæus, libro, *Quod Deus ſit immutabilis*, ait, *Memor autem perfectißimæ ſuæ Bonitatis Deus, etiam ſi omnes homines, aut maxima eorum multitudo ſuapte culpa ruat in perniciem, tamen ſalutarem dexteram porrigens ſuſtentat & erigit, non ſinens vniuerſum genus deleri.* Et poſt pauca: *Nam ſi Deus mortalem iudicaret ſine miſericordia, atrum ferret calculum, cum nemo à natiuitate ad obitum vſque ſine lapſu percurrat vitæ ſtatium, ſed aliquando ſponte cadat, aliquando fallente veſtigio. Vt igitur genus maneat incolume, etiam ſi multa peſſum eant ſpecies, admiſcet miſericordiam, quam interdum etiam indignis exhibet, nunc præuenientem iudicium, nunc ſequentem. Antiquior enim apud eum eſt miſericordia quam iuſtitia.* Ita Philo. Hinc eſt quod nunc Dominus per tres parabolas docet nullum peccatorem à ſe repelli, qui pro omnibus ſaluandis venerat. *Non egent qui ſani ſunt medico; ſed qui malè habent: non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.* Luc. 5.

Prima parabola eſt ouis perditæ, *quam qui perdiderit homo vadit ad illam, donec inueniat illam. Et imponens in humeros ſuos gaudens venit domum.* In qua oue deſignari infideles exiſtimo, qui nondum fidem acceperunt, quibus Deus plurimum compatitur, ſuſtinens cum patientia cæcitatem cordis eorum, & ſollicitè curans vt intra ſuum ouile collocentur. B

Secunda parabola eſt de drachma perdita, quæ à muliere quadam intra domum quæritur, vt pote *non mediocris*, inquit S. Ambroſius, *inquæ Principis eſt figura, & ideo imago Regis eſt cenſus Eccleſiæ.* Ita Ambroſ. Per quam drachmam intelligo fidelem Chriſtianum intra Eccleſiam exiſtentem peccato mortali inquinatum, propter adhæſionem ad res temporales, vel ad affectus carnales, aut mundi puluerem & vanitatem. Hunc quærit mulier nempe Eccleſia, lucernâ accenſâ prædicationis, admonitionis, correctionis.

Tertia parabola eſt filij prodigi, in quo intelligo C hæreticum, qui in domo paterna exiſtens, j. in Eccſia, foràs egreditur: qui poſteaquam domum patriam deſerelinquens peregrè profectus eſt, cæpit egere: *Merito ergo*, ait S. Ambroſius l. 7. in 15. Luc. *prodegit patrimonium qui receſſit ab Eccleſia.* Ita Ambr. Quis autem eſt ille qui recedit ab Eccleſia, niſi hæreticus?

Itaque, inquit S. Ambroſ. *non otiosè S. Lucas ex ordine tres parabolas poſuit; ouis quæ perierat, & inuenta eſt; drachmæ quæ perierat, & inuenta eſt; filij qui erat mortuus; & reuixit: vt triplici remedio prouocati, vulnera noſtra curemus: ſpartum enim triplex non rumpitur: Qui ſunt iſti, pater, paſtor & mulier? Nonne Deus, Pater; Chriſtus, Paſtor: mulier, Eccleſia? Chriſtus te ſuo corpore vehit, qui tua in ſe peccata ſuſcepit: quæris Eccleſia, recipit pater. Quaſi paſtor venebit: quaſi mater, inquirit: quaſi pater, veſtit. Prima miſeratio, ſecunda ſuffragatio, tertia reconciliatio, ſingula ſingulis quadrant. Redemptor ſubuenit, Eccleſia ſuffragatur, auctor reconciliatur. Eadem diuini operis miſericordia, ſed diuerſa pro meritis gratia. Ouis à paſtore laſſa reuocatur: drachma quæ perierat inuenitur: ad Patrem filius ſuis veſtigiis reddit, & plenâ condemnati erroris regreditur pœnitentiâ.* Hæc Ambroſ. Quæ certè appoſitè ad noſtram mentem poſſunt applicari. At ſanctum Hieron. nobis fauentem audiamus, Epiſt. 146. ad Damaſum, dum ait: *Receſſit ergo iunior filius cum vniuerſa ſubſtantia, à Patre, & peregrè profectus eſt: Et Cain egreſſus à facie Domini habitauit in terra Naid, quod interpretatur fluctuatio. Quicumque à Deo recedit, ſtatim ſeculi fluctibus quatitur, & mouentur edus eius: nam poſtquam mori ſunt homines ab oriente & à vero lumine receſſerunt, tunc aduerſus Deum in ætatis ſuæ ædificauere turrim: tunc dogmatum ſuperbas confinxerunt, volentes curioſitate non licitâ in ipſis cœli alta penetrare. Et* D

vocatus eſt locus iſte Babel, id eſt confuſio. Ita S. Hier. Certè hæc ad hæreticos pertinere clarum eſt, qui à vero fidei lumine recedunt, qui dogmatum ſuperbias confingunt, qui curioſitate ducuntur, qui ſuperbè altiora myſteria penetrare conantur, qui in confuſione variarum opinionum commorantur.

Eſto, S. Hieronymus hanc parabolam de publicanis peccatoribus, qui à Domino ad pœnitentiam prouocabantur, intelligat, aut de futura vocatione gentium ſecundum myſticos intellectus, Prophetari velit; tamen eius verba optimè de hæreticis poſſunt intelligi. Omnia autem benè conueniunt. Ouis quæritur à paſtore, quia in infideli nihil eſt ſupernaturale, quo venire valeat ad ouile: Oportet vt vocetur exteriùs per prædicationem, interiùs per inſpirationem. Facilè fidelis fide imbutus, lucernâ accensâ ab Eccleſia ad ſe reuerti poteſt, & de Deo, & periculo ſalutis cogitare; poteſt contra diaboli iacula clypeum fidei opponere, & in fide fortis diabolo reſiſtere. At infidelis delectum non habet vt veniat: arma non habet, quibus ſe defendat: in humeris paſtoris eſt ad ouile portandus. At Hæreticus magno indiget gratiæ auxilio: oportet vt longè poſitus videatur à Patre, vt Pater occurrat, cadat ſupercollum eius, & ſtricto amplexu impediatur ne pedem retrahat, & aufugiat à Patre, gaudent Angeli in adductione ouis perditæ ad ouile: gaudent fideles & congratulantur Eccleſiæ Paſtoribus, in conuerſione peccatoris in peccato mortali exiſtentis. Sed cum Angelis & hominibus epulatur pius pater in reductione hæretici ad fidem: quia quo grauius eſt peccatum hæretici quàm infidelis, aut Catholici peccantis: eo maius debet eſſe gaudium: quia *mortuus erat & reuixit perierat & inuentus eſt.* Sed diſcutiamus ſingula, & ad primum motiuum conuerſionis propetemus, miſerandum ſtatum hæretici ponderantes.

Homo quidam habuit duos filios: & dixit illi adoleſcentior: Da mihi portionem ſubſtantiæ quæ me contigit. Et diuiſit illis ſubſtantiam.

Primus ad miſerandum ſtatum greſſus eſt libertatis abuſus

ARTICVLVS II.

DILVCIDE Propheta Dauid oſtendit quantum malum incurrunt qui Deum audire renuunt. Pſ. 80. *Audi populus meus, & conteſtabor te. Iſrael ſi audieris me non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.* At audire nolunt hæretici Deum, quia non audiunt eos ad quos dictum eſt: *Qui vos audit me audit.* Et ita Deos recentes, id eſt, nouas hæreſes adinueniunt, & pro vero Deo, quem oportet in ſpiritu & veritate adorare, adorant Deum alienum, nempe aliquod mendacium, & tantò magis in culpa ſunt quod facillimum erat illis in luce ambulare. Ait enim Dominus per Prophetam: *Ego enim ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti: dilata os tuum & implebo illam. Et non audiuit populus meus vocem meam, & Iſrael non intendit mihi.* Quid exinde mali obueniet? Addit Prophetа: *Et dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis?* Vides adoleſcentiorem filium portionem ſubſtantiæ ſumentem, vt peregre proficiſcens veniat in regionem longinquam impietatis, abutens libero arbitrio, vt credat & faciat quodcumque libuerit; De libero namque arbitrio interpretatur S. Hieron. Epiſt. 146. hanc portionem ſubſtantiæ, quam petit à Patre iunior filius. *Subſtantia*, inquit, *Dei eſt omne, quod viuimus ſapimus, cogitamus, in verba prorumpimus. Hac Deus æqualiter vniuerſis, & in communi largius eſt, Euangeliſta dicente: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Iſte eſt dexter oculus, qui à ſcandalis obſeruandus eſt; hæc lucerna corporis, hoc talentum quod non eſt in ſudario tolligendum, id eſt, delicatè otioſeque tractandum: nec in terra defodiendum, terrenis ſtultæ cogitationibus obſcurandum. Qui diuiſit eis ſubſtantiam. Significantiùs in græco legitur ὁ δοὺς λογικὰς τὴν ψυχὴν id eſt, dedit eis liberum arbitrium, dedit mentis propriæ libertatem, & vt viuerent vnuſquiſque non ex imperio Dei, ſed obſequio ſuo, id eſt, non ex neceſſitate, ſed ex voluntate: vt virtus haberet locum, vt à cæteris animantibus diſtaremus: dum ad exemplum Dei permiſſum eſt nobis facere quod velimus, vnde & in peccatores æquum iudicium, & in ſanctos & iuſtos iuſtum præmium retribueretur.* Ita S. Hieron. Hoc excellens naturæ donum agnouit. Philo Iudæus, libro, *Quod Deus ſit immutabilis. Bruta*, inquit, *animantes, quarum animabus non ineſt mens donata libertatis priuilegio, ſubiugata frenataque traduntur ad miniſterium hominum, tanquam heris mancipia: Homo autem liberam facultatem, & ſui iuris ſententiam ſortitus ea deſtinato plerumque faciens meritò vituperium incurrit, ſi prudens, ſcienſque peccat: ſicus è diuerſo laudem, quando ſua ſponte bene facit. Nam ſtirpium animalium quæ non virtus laudatur, nec ſi male prouenians vituperantur, quod vterque motus, & vtraque mutatio non eſt voluntaria. Sed ſola hominis anima, quæ accepit à Deo motum voluntarium, hactenus illi ſimilis, à molliſſima grauiſſimaque lata neceſſitate, quantùm licuit, manu miſſa iure accuſari ſi liberatorem ſuum non coleret, non cuſtura pœnam, quæ animaduerſis in libertorum ingratitudinem.* Ita Phil. His addit Philo: *Conſideraſti enim Deus hominem liberum, vt relictus voluntati propriæ, quidquid placeret ageret: idque hanc ob cauſam vt ſciens quid bonum ſit, quid malum, & quid interſit inter honeſta turpiaque reputans: quid item inter æqua & iniqua, & in vniuerſum virtutem inter & vitium, eligeret meliora, deteriora fugeret. In eam ſententiam & oraculum extat in Deuteronomio: Ecce poſui ante faciem tuam vitam & mortem, bonum & malum. Ergo vtrumque hinc diſcimus, quod & inſita ſit hominibus boni & mali ſcientia, & meliora deterioribus anteferre debeant, cum habeant deliberationem tanquam incorruptum iudicem, quæ reſtè rationis monitis pareat, reiectis contrariis ſuggeſtionibus.* Hæc Philo.

Hoc bonum volui ex his autoribus fuſiùs explicare, vt faciliùs perſpicianius ingratitudinem huius adoleſcentis, qui tanto ditatus bono poterat cœlum aſpicere, ſuos actus ad normam rationis dirigere, mei tum conquirere, & laudem de bono opere. At contra factum eſt, quia accepta hac ſubſtantia, ſui iuris effectus, iugum excutiens, Deo ſubjici nolens, (cui ſubjici parerat, vel impio Antiocho teſte, qui dicebat in anguſto poſitus: *Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non pata Deo ſentire* 2. Mach. c. 9.) abutendo ſua libertate omnem diſſipat ſubſtantiam.

Quid igitur facit adoleſcentior filius, dum hanc portionem ſubſtantiæ petit à Patre? Vult certè à Deo mentem, & voluntatem ſuam non dependere, vt cogitet, ſapiat, credat, & velit quod libuerit; & ſic libertas, quæ illi data erat in honorem, vertitur illi in contumeliam & dedecus; non intelligens quod honor creaturæ & rationalis in eo conſiſtit quod Deo adhæreat, ſicque illi ſubditus. Vnde dicebat Dauid: *Nonne Deo ſubiecta erit anima mea? Ab ipſo enim ſalutare meum.* Pſ. 61. Deo namque ſeruire regnare eſt. E contra iſte miſer adoleſcentulus cum in honore eſſet per ſubiectionem & adhæſionem ad Deum, *benedixit ſibi in corde ſuo dicens: pax erit mihi, & ambulabo in prauitate cordis mei & abſumat ebria ſortientem.* Deuter. 29.

Digitized by Google

Sic enim viuendo Luxuriosè, caro obria voluptatibus conſumpſit ſitientem, id eſt, totam ſubſtantiam pietatis in Deum, qua anima Deum ſitiens dicebat: *Sitiuit anima mea ad Deum viuum. Quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie Vbi eſt Deus tuus?* Qua ratione *comparatus eſt iumentis, & ſimilis factus eſt illis. Equidem* ſi bruta animantia honore carent, quia ſiunt naturaliter hominum mancipia, ob defectum ratiocinationis, deliberationis, & liberi arbitrij; cum illis hoc accidat abſque ſuo delectu, homo qui libere ſit captiuus, non hominum, ſed vitiorum, ſed dæmonum, dum à Deo dependere abnuit, ingenti vituperio dignus eſt, quod videlicet voluntariè ac ſponte fiat captiuus dominorum tam crudelium, qui non dabunt illi requiem, ſed ſeruiet eis die ac nocte. Beatus reuera qui dicere poteſt illud Sophoclis apud Philonem, (libro *Quod omnis probus eſt liber.*) *Deus mihi princeps, non vllus mortalium. Nam reuera ſolus liber eſt, qui ſolum Deum ſequitur. Imo, vt equidem ſentio, imperium habet in terreſtria, tanquam ſummi Regis mortalis Vicarius* Ita Philo. Quid dico illum habere dominium in terreſtria? *Indæorum legiſlator*, inquit Philo, *audet quidquam maius dicere, amore Dei correptum & eius ſolius cultui deditum pluſquam hominem pronunciare, videlicet hominum Deum.* Ita Philo, ad illud Exodi 7. reſpiciens: *Dixitque Dominus ad Moyſen: Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.*

E contra, quàm miſer & miſerabilis qui Deo ſeruire renuens, peccatorum, vitiorum & dæmonum fit ſeruus. Pecuniarum iactura, ignominia, exilium, verbera, ſimileſque iniuriæ non ſunt conferendæ cum vitiis & cæteris calamitatibus, quas vitia ſecum afferunt. At vulgus non animaduertens quàm perniciosa ſit animis rationis cæcitas, tantummodo externis angitur infortuniis, quando quidem eatet iudicio. Quod ſi poſſent viſum recipere, conſpicati tot inſipientiæ decipulas, tot damna accepta per ignauiam, debachationeſque luxuria, iniquitateſque iniuſtitia, ſummæ felicitatis amiſſa iacturam deplorarent ſerio, nec vllam in tanta calamitate conſolationem admitterent. Ita Philo. Sic dico: Si quis perpenderet in quantam incidit honoris & felicitatis iacturam, eo ipſo quo à Deo recedit, libero ſuo arbitrio vti volens, abſque vlla à Dei voluntate ſubordinatione & dependentia, hanc iacturam ſeriò deploraret, & vt hic filius prodigus, tandem ad pium & clementem Patrem redire ſeriò cogitaret.

Dixit illi adoleſcentior.

Qui duo filij? Qui maior, quive minor?

ARTICVLVS III.

HÆC quæſtio vna eſt ex his quæ factæ fuerunt à S. Damaſo Papa S. Hieronymo, pro interpretatione huius parabolæ. Ad quam reſpondeo. Primum: Duo filij non ſunt populus Iudaicus, qui ſit maior; populus gentilis, qui minor ſit filius. Ratio eſt quia de Baptizato intelligitur quod ait Pater: *Quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus eſt. Igitur* ait S. Ambroſius, *ille periit qui fuit: non enim poteſt perire qui non fuit. Itaque gentes non ſunt, Chriſtianus eſt.* Et paulò poſt: *Et ideo gentes non moriuntur, ſed mortuæ ſunt. Etenim qui in Chriſtum non credit, ſemper eſt mortuus. Et gentes quidem cum crediderint per gratiam viuificantur. qui vero lapſus fuerit, per pœnitentiam reuiviſcit.* Ita S. Ambroſ. Igitur filius minor non eſt populus gentilis; Nec populus Iudaicus eſt filius maior. Ad maiorem namque filium dicitur: *Tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt.* At certum eſt populum Iſraëliticum reiectum eſſe, eique regnum ablatum, iuxta verba ſaluatoris: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum illius.* Non eſt igitur ſemper cum Patre, nec ea quæ Patris ſunt, illius ſunt: & ita non poteſt dici, filium maiorem eſſe populum Iudaicum.

Dico ſecundò. Duo filij non ſunt iuſtus & peccator præcisè vt ſic, ſed iuſtus Chriſtianus, qui receptâ fide in baptiſmo, in ea perſeuerat ac permanet; & peccator, qui peccat non quacumque ratione, ſed deſerendo fidem. Et notandum de infideli per ouem perditam deſignato, & de fideli per drachmam etiam perditam item deſignato, non dici ipſos perijſſe, ſed perditos fuiſſe: quia in infideli non eſt poſitiua repugnantia ad fidem recipiendam; & remanente fide in fideli baptizato, etſi mortaliter peccet, itaut ſic perditionem incurrat, non tamen dicitur perijſſe. At perit hæreticus, quia poſitiuam habet ad fidem contradictionem; & ita,

Dico tertiò. Duo filij ſunt duo Baptizati, quorum Deus pater eſt per naturam in creatione, & per regenerationem in baptiſmo. Qui permanet in fide dicitur filius maior: qui deſerit fidem, dicitur filius adoleſcentior & minor. Ratio eſt, quia ſicut malum præſupponit bonum, ita mendacium præſupponit verum: ille igitur prior eſt qui adhæret veritati, & in ea ſtat & permanet: Ille minor qui non ſtat in veritate, & ab ea diſcedit, ſicut prior eſt veritas quàm mendacium, & mendacium eſt poſterius veritate. Vnde de diabolo Dominus dicit, Ioan. 8. quod *in veritate non ſtetit: quia non eſt veritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur: quia mendax eſt, & pater eius.* Non ita Chriſtus ex propriis loquitur, ſed à Patre in mundum miſſus dicebat: *Qui me miſit verax eſt, & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo.* Et rurſus: *A me ipſo facio nihil, ſed ſicut docuit me Pater, hæc loquor.* Ioan. 8. Chriſtum ſequitur, qui non ex ſanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri ſed ex Deo natus adhæret veritati, in ea ſtat & permanet: vnde non loquitur niſi quæ audit per fidem. At hæreticus, qui à patre petit portionem ſubſtantiæ quæ illi contigit, nempe liberum arbitrium eo vti volens independenter à Deo, loqui vult ex proprio, ad imitationem diaboli, veritatem quæ à Deo ſolo eſt deſerens, & videtur dicere: Per me hoc poſſum, mei ſum arbitrij, nullum agnoſco Dominum, qui me cogere aut neceſſitare valeat. Volo igitur cogitare, credere, agere & loqui quodcumque libuerit. Et ſic eſt filius minor, quia prior eſt veritas (cui filius maior adhæret) quàm mendacium, cui adhærere eligit hæreticus, proptio iudicio condemnatus.

Et non poſt multos dies, congregatis omnibus, adoleſcentior filius peregre profectus eſt in Regionem longinquam.

Quænam ſit illa regio longinqua, in quam proficiſcitur filius adoleſcentior diſcedens à Veritate, & hæreſim amplectens; vt proprio iudicio & electioni propriæ adhæreat?

ARTICVLVS IV.

STATIM atque ille adoleſcentior filius à Deo receſſit, fidei lumen deſerens, ſuperinduxit ſibi celerem perditionem. Totum enim naturæ bonum, ardens ingenium, mentis acumen, voluntatis rectitudinem, ſcientiam conquiſitam, facundè dicendi facultatem inſumit, vt in vanos errores peregrè proficiſcatur, vt tandem in regionem longitquam totius impietatis perueniat. Moritur, perit,

Digitized by Google

vt nulla spes reditus ad veritatis cognitionem in eo deinceps effulgere videatur.

Reiecta enim fide (quæ sola potest recta facere nostra vestigia, vt cecinit Aurelius Prudentius in præfatione suæ Apotheosis. *Fax*, inquit, *sola fides est præferenda gressibus, vt recta sint vestigia*) fit deinceps vt tanquam peregrini diuersa hospitia seu diuersoria subeunt, ac de vno in aliud transmigrant, in nullo pedem figentes aut commorantes, ita iste & cæteri hæretici modò vnum errorem amplectuntur, modo alium, donec tandem in foueam totius perditionis corruant.

Tam multa, ibidem, surgunt perfidorum compita
Tortis polita erroribus
Obliqua sese conserunt diuortia,
Hinc inde textis orbitis :
Quæ si quis errans, ac vagus sectabitur
Rectum relinquens tramitem
Scrobis latentis pronus in foueam ruet,
Quam fodit hostilis manus. Ita Prud.

Vno verbo dicam, non modò peregre proficiscitur, & de vna domo in aliam transit, id est, vanos amplectitur errores, sed abit in regionem longinquam totius iniquitatis.

Nam, quæso, quænam est illa regio longinqua? Fortè cœlum longe distans à terra? Sed qui à Patre recedit, qui in cœlis est, cœlum adire non potest. Fortè in abyssum, & infernum? Sed audio Prophetam dicentem: *Si ascendero in cœlum, tu illic es : si descendero in infernum, ades.* Forte in finibus terræ? Sed in manu Domini omnes fines terræ. Deinde, ait idem Propheta : *Si assumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* O quàm longinqua regio, quæ talis esse debet, vt Deus qui orbem replet maiestate sua, ibi esse non possit. Illa igitur regio nullibi est, vbi non est ille qui dicit : *Ego sum qui sum.* Est mendacium, error, falsitas, vbi non est Deus, qui est summa veritas; Est impietas & malitia, vbi non est Deus, qui est perfecta bonitas. Quomodo ergo recedit à Patre qui vbique est? Respondet S. Hieron. *Si Deus cœlum cenet palmo, & terram pugillo, & Hieremias dicit : Deus appropinquans, & non, Deus de longinquo : per Dauid quoque quia nullus absque eo locus sit prædicatur : quomodo filius peregrè proficiscitur, & à Patre discedit? Sciendum igitur non locorum spatiis, sed affectu, aut esse nos cum Deo, aut ab eo discedere.* Ita S. Hieron. Peregrè igitur, & extra domum, in qua Pater est, proficiscitur filius, cum adhæret errori, de Deo cogitans falsa & erronea. Abit in regionem longinquam, cum affectu & desiderio *dicit in corde suo insipiens : Non est Deus*; de Deo peregrina cogitans & erronea fit hæreticus : Deum non esse, affectu dicens, fit Atheus. Non enim ille insipiens potest facere quod Deus non sit vbique præsens, sed affectu potest velle vt non sit, ne impietatem suam debitis prosequatur pœnis. Narrant historici, temporibus Domitiani fuisse aliquos, qui acu infectâ veneno subtili & præsentissimo pungentes, mortem insensibiliter & absque dolore incurrendam inferebant, & hac ratione Commodum Imperatorem interiisse volunt. Certè si semel mentem error aliquis paruus mentem inuaserit, magnus tandem erit in fine; & nisi subitò excutiatur, ad innumeros errores, & ad interitum totius pientis errantem deducet. Ferunt in India reperiri serpentes adeo enormis magnitudinis, vt possint & cervos & tauros absorbere : quin & in Ponto Propè fluuium Rhyndacenum alios reperiri, qui halitu aues, etsi celeriter & altè volantes, ad se attrahunt vt eas absorbeant. Quidquid sit dico quod si quis, nolens adhærere veritati reuelatæ Ecclesiæ, arbitretur se promptiori A cursu ad mysteriorum cognitionem propria inquisitione & industria posse pertingere, si quis, vt taurus indomitus, nolit iugum Ecclesiæ subire, & eius parere decretis, absorbebitur. Quod si dixerit per superbiam : Validis meis argumentis ostendam meam sententiam talem esse, vt nemo valeat cogere vt ab ea vnquam discedam, & persuadeat contrariam : certè in barathrum Atheismi, & supplicio- B rum æternorum detrahetur.

Sed quia longum esset demonstrare quomodo hæreticus vel de Deo cogitat quæ non sunt, vel declinat in Atheismum, vt affectu velit quod Deus non sit, legat demonstrationes symbolorum veræ ac falsæ Religionis, Nostri R. P. Zachariæ Boverij lib. 4. Ibi inueniet Atheismos contra Dei essentiam, omnipotentiam, bonitatem, sanctitatem, sanctam Trinitatem, tresque diuinas personas, clarè & dilucidè demonstratos : vt actum agerem si, quæ cum tanta elocutione & validis argumentis ab eo demonstrantur, vellem iciunè & perfunctoriè hic tractare. Ad alia igitur mihi properandum.

Et ibi dissipauit substantiam suam, viuendo luxuriosè.

Quanta detrimenta patiatur in exercitio virtutum, qui veram fidem deseris, vt errori adhæreat.

C

ARTICVLVS V.

IN hac longinqua regione habitant homines stolidi, qui ea tantùm quæ sensibus percipiuntur credenda esse autumant (*In homine enim carnali, tota regula intelligendi est consuetudo cernendi*, ait S. August. serm. 147. de tempore :) qui Dei memoriam, & iudiciorum eius abiecerunt : *Non est Deus in conspectu eius : inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore. Auferuntur iudicia tua à facie eius.* Ps. 9. In quorum oculis non est Dei timor, quarum verba iniquitas & dolus, qui nolunt intelligere vt bene agant : iniquitatem meditantur in corde, adstant omni viæ non bonæ, malitiam odio non habent. Psal. 30.

D Qui vt genio liberiùs indulgeant, vellent Deum non esse, ne illum sentiant criminum vltorem. Qui scrutatores maiestatis, curiosè quæ Dei sunt inquirentes, opprimuntur à gloria. Denique & ipsi Politici, qui Religionem existimant adhibendam esse tantùm vt populi tranquille viuant, & Reges faciliùs populos in subiectione contineant, parati mutare Religionem, si hoc necessarium fuerit, vt suam autoritatem sartam tectamque conseruare possint, quia nullam reuera coram Deo cordium scrutatore habent Religionem, tales in hac regione commorantes, facilè totam dissipant substantiam, fidem, spem, charitatem, denique quidquid virtuti fauere potest, similes illi prodigo, qui, vt ait S. Hieron. E *acceperat à Patre facultates, vt inuisibilia eius, per ea quæ erant visibilia cognosceret, & ex pulchritudine creaturarum consequenter intelligeret creatorem : qui veritatem in iniustitia detinens, & pro Deo idola colens, naturæ bona vniuersa consumpsit, & consumptis omnibus, cæpit egere virtutibus, derelicto fonte virtutum.* S. Hieron. Epist. 146. *Viuendo luxuriosè.* Nam statim atque fides est extincta, idola & figmenta errorum coluntur, & facilè ad morum corruptionem fit transitus. Narrat alicubi Titus Liuius olim hoc decretum fuisse à Syracusanis editum, quod si quis tanquam Tyrannus occidi contigisset, quotquot illi erant consanguinitate propinqui, etiam & mulieres, protinus occiderentur : ne quis eorum ad tyrannidem aspiraret. Hoc in humanum decretum Satanas exercet erga eos quos infecit erroribus; non enim ei satis est si

iudicium

iudicium rationis, quo regi deberent omnes noſtri actus, interimat errore ſeductum, ſed ſi quid reſidui bonæ mentis remaneat, quoad bonum reduci poſſemus, hoc totum deleri ſatagit, & extingui ſollicitè curat.

Dices plurimos reperiri hæreticos, diſcretos, prudentes, plurima arte ſuauiter conuerſandi cum aliis pollentes, non mediocri ſcientiâ & rerum agendarum peritia ornatos, qui à malis moribus videntur abhorrere. Fateor: & hoc dolendum maximè quod multi reperiantur Catholici fide integra, ſed quibuſuis hæreticis, quoad mores incompoſitos, nequiores. Nihilominus aſſerere non dubito quod ſi hæreſis plenum ſemel obtineat imperium, abſque dubio deperibit integritas morum; itaut quemadmodum vt quis verè ſit Catholicus, oporteret vt inſigni virtute ac pietate eſſet præditus, quia tota doctrina Catholica in eo eſt, vt ad ſanctitatem ducat eam admittere volentes; ita ſi quis hæreticus viuat ſecundum principia ſuæ ſectæ, debet eſſe moribus inſigniter corruptus, vt vitam inſtituat doctrinæ conformem. Et ſic viuit luxuriosè, & ſuam diſſipat ſubſtantiam, itaut tandem ad egeſtatem omnium virtutum perueniat. *Luxuria*, inquit S. Hieron. *eſt inimica Deo, inimica virtutibus, perdit omnem ſubſtantiam Patris, & ad præſens voluptate deliniens, futuram non ſinit cogitare paupertatem.* Ita S. Hier. Ep. 146. Quod ita futurum oſtendi poteſt, quia ex doctrina hæreticorum, omnia ad virtutum exercitium incentiua obtunduntur. Et primò nihil magis accendit mentem vt aliquid aggrediatur honeſtum, quàm ſi illud vt poſſibile proponatur. Vnde Moyſes populum Iſraëliticum ad mandatorum Dei obſeruationem inducens, dicebat eis Deuteron. 30. *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non eſt ſupra te poſitum, nec procul poſitum, nec in cælo ſitum, vt poſſis dicere: Quis noſtrum valet ad cælum aſcendere, vt deferat illud ad nos, & audiamus atque opere compleamus? Neque tranſmare poſitum, vt cenſeris & dicas: Quis ex nobis poterit tranſfretare mare, & illud ad nos vſque deferre, vt poſſimus audire, & facere quod præceptum eſt? Sed iuxta te eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo vt facias illum.* Ita Moyſes. Quid clarius? Quis non erubeſcet non velle aggredi, vt Deo tam benefico Creatori cultum debitum reddat, quod tantopere facillimum eſt? Vnde non video cur Caluinus docet lib. 2. inſtit. c. 7. nam ſeu §. 4. *Itaque ſi legem duntaxat intuemur, nihil aliud poſſumus quam animum deſpondere, confundi ac deſperare, quam ex ea damnemur omnes, ac male dicamur; à beatitudine quam ſuis cultoribus proponit procul arceamur.* Et n. ſeu 5. probat ex profeſſo impoſſibilem eſſe legis obſeruationem, *quamuis vulgo abſurdiſſima ſententia videatur, vt Hieronymus*, inquit, *non dubitarit illi Anathema denunciare*; moxque ait: *impoſſibile appello quod nec fuit vnquam, & ne in poſterum ſit, Dei ordinatione & decreto impeditur.* Ita Caluinus. Et ſic in Deum impiè refundit omnem cauſam huius impoſſibilitatis, cum poſſibilitas Dei ordinatione ac decreto impediatur. Vnde non abſque cauſa ſummus Pontifex Innoc. 10. hanc ſanſeniſtarum propoſitionem, vt temerariam, impiam, blaſphemam, damnatam, & hæreticum declarauit & damnauit, nempe: *Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus & conantibus ſecundum præſentes quas habent vires ſunt impoſſibilia deeſt quoque illis gratia qua poſſibilia fiant.* Certè *Cornelius Ianſenius Caluini ſenſus in ore*, apparet, adeo congruè loquitur ad Caluini mentem.

At, ô fidelis Chriſtiane, ne animam deſpondeas. *Non* equidem, ait, S. Paulus, *auditores legis iuſti ſunt apud Deum ſed factores legis iuſtificabuntur.* At reperiuntur legis factores, vel ſancto Luca teſte, qui de parentibus S. Ioan. Baptiſta Zacharias Elizabeth ait quod *erant iuſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iuſtificationibus Domini ſine querela.* Quod in his Dei gratia operata eſt, hoc & in aliis operari poteſt. Vnde S. Baſilius ait, homiliâ in hæc verba: *Attende tibi: impium eſt aſſerere præcepta Spiritus ſancti impoſſibilia eſſe obſeruata.* Et Auguſt. ſerm. 191. de tempore: *Execramur blaſphemiam eorum qui aiunt impoſſibile aliquid homini à Deo eſſe præceptum.* Chriſti iugum ſuaue, Chriſti onus leue. Iugo colla ſubdamus. oneri humeros ſupponamus. Ipſe adiuuabit infirmitatem noſtram. Dicunt Decotarum Regem plures genuiſſe filios, vt vnus ſolus regnaret cæteros neci dedit. Si diabolus vnicum hunc errorem fouere poſſet in mente: impoſſibile eſt quod præcipitur, ne ſis ſollicitus de impletione præceptorum impoſſibilium; ſufficeret illi, vt deſperantem de mandatorum obſeruatione te captiuum ſuæ voluntatis ſemper detineret.

Aliud habemus ad virtutis exercitium incentiuum, ſpem mercedis citò recipiendæ, timorem gehennæ imminentis: *Facile eſt enim coram Deo in die obitus retribuere vnicuique ſecundum vias ſuas.* Eccleſ. 11. De primo Chriſtus, Apocalyp. 22. *Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt.* De ſecundo Iob. 21. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt, qui dixerunt Deo: Recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus. Quis eſt omnipotens vt ſeruamus ei, & quid nobis prodeſt ſi oraverimus eum?* Ita Iob. Tales ſunt qui in puncto ad inferna deſcendant. Cuius rei habemus in Euangelio exemplum, diuitem epulonem, qui mortuus ſepultus eſt in inferno, vbi clamare cogitur ex ſiti ardenti: *Crucior in hac flamma.* Et fatendum mentem non ita accendi ad bonum proſequendum ex retardatione mercedis (*ſpes enim quæ differtur affligit animam*, Prouerb. 13.) quàm ſi ſperet de bono opere celerem adeſſe remunerationem; Nec ita potenter à malo auerti, ſi cogitatio ſubeat ſupplicia non eſſe adeo formidabilia, quàm ſi Chriſto credentes pro certo teneamus æternam combuſtionem, fletum, & ſtridorem dentium ex ſenſu doloris, vermem corrodentem, flammam cruciantem. At non ita ſentiunt hæretici; & differunt mercedem, & imminuunt gehennæ timorem. De primo enim Caluinus lib. 3. Inſtitut. c. 25. n. 6. vbi fruitionem promiſſæ gloriæ expectandam eſſe ait cum Chriſtus apparuerit redemptor, reprobos autem catenis teneri, donec ad ſupplicium cui addicti ſunt trahantur: Ita Cal. Et de igne inferni ita Philoſophatur, in 30. c. If. *Incepti & ridiculi Sophiſtæ, qui de illius ignis natura, & qualitate ſubtilius differunt, atque in eo explicando varie ſe torquent. Explodendæ ſunt craſſæ huiuſmodi imaginationes, cum figuratè Prophetam loqui intelligamus.* Ita Cal. Et lib. 3. Inſtit. cap. vltimo §. vltimo, expreſsè vult tenebras, fletum, ſtridorem dentium, ignem inextinguibilem, vermem ſine fine corrodentem, ſolùm exprimi à Spiritu ſancto ad ſenſus omnes horrere conturbandos; & in terroribus quibuſdam reducit omne impiorum ſupplicium. Ex quibus patet mentem non adeo concitari ad malum fugiendum, quàm cum omnia quæ ſcriptura docet de grauitate ſupplicium, fideliter credimus talia eſſe, qualia illa eſſe proponit, nempe realia, & de facto incurrenda. Tertium incentiuum ad exercitium virtutum eſt, ſi cogitemus nos habere media efficaciſſima ad comparandam beatitudinem, nempe bona opera meritoria, in gratia Dei facta, quibus à Deo promittatur certiſſima merces, & corona iuſtitiæ pro legitimo certamine, itaut dicatur omnibus fidelibus quod olim dixit Azarias Propheta Aſa Regi Iuda, & Tribubus Iuda, & Beniamin 2. Paralip. 13. *Dominus vobiſcum, quia fuiſtis cum eo, &c.*

Vos ergo confortamini, & non diſſoluantur manus veſtræ : erit enim merces operi veſtro. Ita Azar. Et tot in locis Deus mercedem pro nittit bonis operibus, vt ſuperfluũ ſit in hoc probando diutius immorari. *De noſtro* quippe, inquit ſanctus Hilarius can. 6. in Matth. *eſt beata illa æternitas promerenda, præſtandumque eſt aliquid ex proprio, vt bonum velimus, malum omne vitemus.* Et Concilium Tridentinum, vt præſcribat quanti facere debeamus bona opera, ſeſſ. 6. c. 16. & c. 31. ait : *Si quis dixerit hominis iuſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, vt non ſint etiam bona ipſius iuſtificati merita; aut ipſum iuſtificatum, bonis operibus quæ ab eo per Dei gratiam, & Ieſu Chriſti meritum, cuius viuum eſt membrum, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ (ſi tamen in gratia Dei deceſſerit) conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, Anathema ſit. Quæ cum ita ſint,* inquit S. Cyprianus de opere & eleemoſ. *illa fratres Coangliſtæ operantium gloria, quam grandis & ſumma lætitia ! cum populum ſuum Dominus capere remuneratione & meritis atque operibus noſtris præmia promiſſa contribuens, pro terrenis cæleſtia ?* Ita Cyp. At iſta deſtruunt hæreticorum dogmata, quæ detrogant bonis operibus : & nulla prætendunt ipſa habere merita. Caluinus totus in eo eſt, lib. 3 Inſt. c. 15 vt probare contendat quæ de operum meritis iactantur, tam Dei laudem in conferenda iuſtitia, quam ſalutis certitudinem euertere. Ita titulus Capituli, longè à mente S. Petri, qui per bona opera cenſet nos facere certam noſtram vocationem electionem. Hinc in vocem meriti inuehitur Caluinus, hocque nomine abuſos fuiſſe veteres Eccleſiæ autores audet aſſerere, *& opera noſtra, ac ſi non eſſent peccata quot opera, eſſe immunditiæ plena, & nihil hominis aſſignandum, niſi quod ea ipſa, quæ bona erant, ſua impuritate polluit & contaminat.* Ita Cal. At quæſo, vbi erant iſta bona, vt eſſent bona, antequam ab homine, cuius ſunt opera, eliicerentur, & contaminarentur ?

Fortè in ideis Platonicis, quæ nullibi exiſtunt; aut in Deo eorum cauſa primaria, a quo omnia bona procedunt, qua de cauſa dicebat Iſaias. *Omnia opera noſtra operatus es nobis* : non tibi, quia bonorum noſtrorum non indiges, ſed nobis, quia illa opera facis ea intentione, vt propter illa apud te mereamur, bonis operibus per te abundantes, munerari. Eſtò, homo ſit imperfectus, nec ſit abſque macula ; prævalet tamen Dei opus, vt ſanctificet per gratiam bona opera, quæ ipſo inſpirante & cooperante, in nobis & per nos perficit & adimplet. *Eſt ſapiens qui nequiter humiliat ſe, & interiora eius plena ſunt dolo.* Talis eſt hæreticus : dum naturam deprimit, ad errorem nos inducere tentat. Hoc ſpiritu dicunt, Act. 9. Confeſſionis fidei : *Homo in peccatum lapſus ita à Deo elongatur, vt eius natura totaliter ſit corrupta, & mente cæcus, corde depranatus ita omnem amiſit integritatem, vt nihil boni ſit illi reſidui.* Ita iſti nebulones. Si hæc ita eſſent, nulla remaneret ſpes ſalutis. Non enim gratia defectus naturæ redintegrat, non aufert Baptiſmus animi & mentis imbecillitates ; ſcientiarum humanarum ignorantia per Baptiſmum non expellitur, & naturalis voluntatis mobilitas non auferturi gratia equidem perficit naturam : at ſi quid naturæ deeſt, iuxta principia conſtitutiua ipſius, quia non eam deſtruit, hoc gratia non largitur, iuxta doctrinam S. Thomæ in 2. ſentent. diſt. 31. q. 1. ar. 1. *Deus humanæ naturæ in ſuo principio, ſupra conditionem ſuorum principiorum contulerat, vt eſſet in ratione rectitudo quædam originalis iuſtitiæ, quam ſine aliqua reſiſtentia imprimere poſſet inferioribus viribus, quia hoc gratis collatum fuerat. Ideo iuſtè per inobedientiam inobedientiæ ſubtractum eſt ; vnde factum eſt vt primo homine peccante, natura humana, quæ in ipſo erat, ſibi ipſi conſiſteret, ſecundum conditionem, ſuorum principiorum.* Ita S. Thomas. Non eſt tamen hominis ita corrupta natura, non ita amiſit omnem integritatem vt nihil boni ſit in ea reſidui ; ſuum eſſe opus præſtantiſſimum Deus non diffitetur, dum ait : *Opus manuum mearum tu es, hæreditas mea Iſraël.* Et Moyſes in ſuo Cantico dicebat, Deuteron. 32. *Nunquid non ipſe eſt Pater tuus, qui poſſidebit te ; & fecit & creauit te?* Hæc cogitans dicas cum gratiarum actione : *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu, &c. Pelle & carnibus veſtiſti me ; oſſibus, & neruis compegiſti me. Vitam & miſericordiam tribuiſti mihi, & viſitatio tua cuſtodiuit ſpiritum meum.* Iob. 10. Et ſicut apud Deum agis, vt opera ſua non deſpiciat, ita nec tantum Dei opus temetipſum deſpicias, ſed cum timore & tremore ſaluum & incolume illud cuſtodire ſatage. Quod præſtabis, ſi mandata eius, quæ grauia non ſunt, ſeruare proponas ; ſi eum credas bonorum operum remuneratorem, criminum ſeuerum vindicem ; ſi in bonis operibus te exercere ſtudeas, ad eius nominis gloriam, nec ſic de eorum numero qui dixerant : *Deſperauimus : poſt cogitationes enim noſtras ibimus, & vnuſquiſque prauitatem cordis ſui mali faciemus.* Ierem. 8. De quibus etiam Apoſtolus, Epheſ. 4. *Hoc igitur dico & teſtificor in Domino, vt iam non ambuletis ſicut & gentes ambulant, in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alieni à vita Dei per ignorantiam, quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum ; qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ carnis, in auaritiam, &c.* Talis euadit, qui Eccleſiã relictã, quæ eſt domus Dei viuentis, deſerit fidem, & tanquam peregrinus tranſit de domo in domum, id eſt in diuerſos incidit errores ; vt tandem in regionem longinquam atheiſmi & impietatis perueniat.

Et ita vidimus quanta detrimenta patiatur in exercitio virtutum qui veram fidem deſerit, vt erroti adhæreat viuendo luxuriosè.

Et poſtquam omnia conſummaſſet, facta eſt fames valida in regione illa : Et ipſe capit egere.

Quam horrenda ſit fames hæreticorum, in quibus nulla ſpes certa ſalutis æternæ, nec gaudium in Spiritu ſancto, inter tot mundi angustias.

ARTICVLVS VI.

HÆRETICVS famem patitur : nam ſi ad Deum recurrat per orationem, non exaudietur : quia Deum per Eccleſiam loquentem audire non vult. *Qui declinat aures ſuas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* Pro. 28. Non reficitur pane ſuperſubſtantiali corporis Chriſti quia ieiunia tantum profitetur ſe habere ſigna. Sed ne in longum protrahatur oratio, in duobus dico illum validam pati famem : primò, quia nulla eſt illi certa ſpes ſalutis, vt inter tot ſæculi angustias ſpe futurorum aliquod poſſit habere ſolatium. *Spe gaudentes*, inquit Apoſtolus. Deinde quia nulla interna Spiritu ſancti conſolatione, inter aduerſa, potiri queat. Qui enim, vt ait Apoſtolus, Act. 14. *non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens de cælo, dans pluuias & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda noſtra*, multò magis impler gaudio mentes fidelium Quod experimento didicerat Paulus, qui dicebat : *Superabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.* At iſtâ Spiritus ſancti conſolatione caret hæreticus. Hæc duo nobis ſunt oſtendenda.

Quantum ad primum, certa ſpes ſalutis tribus modis concipi poteſt, prima, ex parte Dei, & vi &

efficacia Sacramentorum, certitudine namque fidei credere debemus, quod ſi quis rite, & vt oportet, Sacramenta ſuſceperit; vim habent & efficaciam illum iuſtificandi, ſi ex parte ſuſcipientis nullus obex intercedat. Vnde ſi quis reuelationem haberet à Deo, quod nullum obicem poſuiſſet in ſuſceptione alicuius Sacramenti rite adminiſtrati, certus proculdubio eſſet remiſſionis peccatorum ſuorum, ſuæque iuſtificationis. Hinc in Sacramentis Baptiſmi & Pœnitentiæ ſperant fideles remiſſionem tum peccati originalis, tum peccati actualis; in Sacramento Confirmationis, auxilia in certaminibus contra dæmones, & fidei perſecutores; in Matrimonio, auxilia contra infirmitates carnis, & mutuas anguſtias, quas poſſunt in mutua conuerſatione pati Matrimonio copulati; in Sacramento Ordinis, myſteriorum veritatem inconcuſſam; in Sacramento Euchariſtiæ, ſtrictam cum Deo vnionem, in Sacramento Extremæ-vnctionis, Deum tanquam Patrem, qui optimè nouit figmentum noſtrum, nobis fore propitium; & erga nos miſericordem. Hæc ſperant fideles, & per ſuſceptionem Sacramentorum, magnam concipiunt de certitudine ſuæ ſalutis ſpem & expectationem.

Alia eſt certitudo Moralis noſtræ ſalutis, ex parte noſtra, non ex ſola fide orta, ſed ex quadam fiducia, quam Spiritus ſanctus in nobis manens excitat; quæ tanta eſt, vt in mentibus piorum fidelium ſolidam quamdam ingerat conſolationem, pacem & tranquillitatẽ; *Fructus enim ſpiritus eſt Charitas, pax, gaudium, patientia, &c.* Ad Galat. 5. Quibus omnibus ſecuritatem quamdam concipiunt certi de ſua iuſtificatione, non fide diuina, ſed teſtimonio bonæ conſcientiæ, iuxta illud Apoſtoli 2. ad Corinth. 1. *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Et S. Ioannes Epiſt. 1. c. 3. *Si cor noſtrum non reprehendit nos, fiduciam habemus apud Deum.* Et rurſus S. Paulus 1. ad Timoth. 1. *Finis præcepti eſt charitas, de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.* Iuxta quæ dicebat S. Auguſt. contra Secundinum Manicheum c. 1. tom. 6. *Senti de Auguſtino quidquid libet: ſola me oculis Dei conſcientia non accuſet.*

Tertia certitudo oritur ex fide particulari, vt credat vnuſquiſque ſe eſſe iuſtum fide diuina, & charitatem poſſidere, & peccata ei eſſe remiſſa, abſque vllo timore, ſolo fidei merito. Quæ certitudo peſtifera eſt & perniciosa; tum quia bonis & malis indifferenter, præter Dei verbum tribuit reuelationes particulares; tum quia fidem particularem cauſſam exiſtimat eſſe iuſtificationis formalem; tum quia abſque Sacramentis hominem iuſtificari prætendit, denique quia timorem excludit, qui dicitur *initium ſapientiæ*, in ſacra ſcriptura. At reclamat Eccleſiaſtes c. 5. De propitiato *peccato noli eſſe abſque metu.* Reclamat Apoſtolus, qui dicebat 1. ad Corinthios 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.* Reclamat Conc. Trident. can. 13. *Si quis dixerit omni homini ad remiſſionem peccatorum aſſequendam neceſſarium eſſe vt credat certo, & abſque vlla hæſitatione propriæ infirmitatis & indiſpoſitionis, peccata ſibi eſſe remiſſa, anathema ſit*, Rationem reddit Concilium in c. 9. ſeſſ. 6. *Nam ſicut nemo pius de Dei miſericordia, de Chriſti merito, deque Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet: ſic quilibet dum ſeipſum, ſuamque propriam infirmitatem, & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare & timere poteſt, cum nullus ſcire valeat, certitudine fidei, cui nullum poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum.* Ita Conc.

Explosâ igitur iſta inanis hæreticorum fiducia, hæretici in mendacio ſpem ſuam ponunt, & mendacio proteguntur, reſtat vt fame pereant, id eſt, careant vera ſpe futurorum bonorum, & gaudio in Spiritu ſancto, quibus tantum mentes fidelium refici poſſunt inter huius mundi calamitates & cordis anguſtias. Nullam enim ex parte propriæ conſcientiæ poſſunt habere certam ſpem ſalutis; non ex parte Dei, quia ex ſeptem Sacramentis quinque reſcindunt, & duo quæ admittunt ita extenuant, vt ex eis aliquam certitudinem ſalutis haurire non poſſunt. Nam quoad Baptiſmum, illum non agnoſcunt neceſſarium, vt patet ex Synodo Nationali, in Britannia in pago Vitriaco celebrata, an. 1607. vt refert Autor libelli de illorum diſciplina Eccleſiaſtica dictus Dupras antea Miniſter, qui in Regis præſentia in ciuitate Rothomagenſi fuit Eccleſiæ reconciliatus, durante cætu notabilium. Nam c. 12. at. 6. decreuerunt, baptiſmum non eſſe celebrandum niſi Eccleſiâ congregatâ, veſtigiis Bezæ & miniſtrorum Baſileienſium & Tugurinorum inhærentes, qui quemdam Miniſtellum à miniſterio expulerunt, quod puerulum moribundum de nocte baptiſmo intinxiſſet, & tamen hoc Sacramentum eſſe abſolutè neceſſarium Eccleſia Catholica docet, teſte Auguſt. de anima & eius origine l. 3. c. 9. *Noli*, inquit credere, *noli dicere, noli docere infantes, antequam baptizentur morte præuentos, poſſe ad originalium indulgentiam peccatorum peruenire.* Vnde Concilium Trident. ſeſſ. 7. Can. 5. ait: *Si quis dixerit Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt non eſſe neceſſarium ad ſalutem, anathema ſit.*

Et cum Sacramentum Cœnæ, vt vocant, ita extenuerint, vt veritatem præſentiæ corporis Chriſti in eo reiiciant, quænam vera ſpes ſalutis ex parte Sacramentorum habere poſſint non video.

At non ex parte propriæ conſcientiæ poſſunt habere coniecturam aliquam moralem, qua ſecuri eſſe poſſint remiſſionis peccatorum, cum in formula orandi, quam ſibi præſcribunt, dicunt: *Peccatores ſumus, egentes, & pauperculi, concepti & nati in iniquitatibus, & corruptione, ad malum faciendum proni & inclinati, ad omne bonum inutiles: Et vitio noſtro, ſine fine aut intermiſſione, Dei mandata infringimus: Quæ agentes, iuſto iudicio ſupra capita noſtra perditionem & ruinam attrahimus.* Et in alia formula orandi dicunt: *Conſcientiæ noſtræ nos accuſant, & peccata noſtra contra nos teſtimonium reddunt. Scimus autem te eſſe iuſtum, qui non iuſtificas peccatores & iniquos; ſed peccata eorum, qui mandata tua tranſgreſſi ſunt, punis & caſtigas.* Ita iſti nebulones. Si ita eſt, quod Deus non iuſtificat peccatores, quare ergo per Prophetam ait: *Ego ſum, ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Iſ. 43.

At non mirum ſi ſemper hæreſim comitatur mala conſcientia, ſiue propter antipathiam veræ fidei cum malis moribus, qua fides ſemper arguit malè operantem; ſiue quia peccata connectuntur, & vnus aliud attrahit: *Abyſſus abyſſum inuocat*, ſiue quia liberum eſt hæretico viuere ad libitum, & ſecundum proprias concupiſcentias ambulare, *Qui*, vt ait S. Chryſ. in c. 1. ad Timoth. *ne futurorum metu, & expectatione crucientur, perſuadere ſibi conantur falſa eſſe omnia quæ noſtra Religio continet, nempe de peccato, reſurrectione, iudicio futuro, & ſimilibus.* Ita Chry. Fame igitur deperire debet qui nulla ſpe futurorum bonorum, nec conſolatione Spiritus ſancti ſatiari, aut refici poteſt. Sed vt adhuc hanc egeſtatem hæretici percipias, audi S. Ambroſium ita differentem: *Facta eſt*, inquit, *fames, non epularum, ſed bonorum operum, atque virtutum, quæ ſunt miſerabiliora ieiunia. Etenim qui cecidit à verbo Dei, eſurit: quia non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo Dei. Qui recedit à fonte, ſitit. Qui recedit à theſauro, eget. Qui recedit à ſapientia, hebetatur. Qui recedit à virtute, diſſoluitur. Meritò ergo iſte egere capit, qui theſauros ſapientiæ & ſcientiæ*

Digitized by Google

Dei, diuitiarumque cæleſtium altitudinem dereliquit. Egre re ergo ideo capit, & famem pati, quia nihil prodigæ ſatis eſt voluptati. Semper famem patitur ſui, qui alimentis perpetuis neſcit impleri. Ita S. Ambroſ. *Et vbi inueniret quo reficeretur, qui extra Deum eſt?* In hoc miſerando ſtatu redactus quo ſe vertet, ad quem ibit, videamus.

Et abiit, & adhæſit vni ciuium regionis illius. Et miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos. Et cupiebat implere ventrem ex ſiliquis, quas porci manducabant: & nemo illi dabat.

In quam miſerando ſtatu reducitur, qui ſpe æternorum, & gaudio, & pace charitatis priuatus eſt.

ARTICVLVS VII.

HEV! quomodo hæreticus ad extrema redigitur? Quanta eſt, & quàm valida illius fames, vt ad hoſtem, & vitæ illius inſidiantem recurrere cogatur? Speraſne, miſer, à tam crudeli & implacabili hoſte aliquod accipere ſolamen? Falleris. Quod porcis datur in cibum non audebis attingere, adeo crudelis eſt, vt laborem immenſum tibi imponat, & alimenta etiam viliora tibi dari non permittat.

Deſerto nutritio, inquit S. Hieron. *qui ad primam vocem bona ei fuerat cuncta largitus, iunxit ſe Principi huius mundi, id eſt diabolo, Rectori tenebrarum harum, quem nunc inimicum hominem, nunc iudicem iniquitatis, nunc Draconem, nunc Satan, nunc malleum, nunc perdicem, nunc Belial, nunc rugientem Leonem, nunc Leuiathan, nunc Thaninim, nunc Behemoth, & multis aliis, Vocabulis ſcriptura commemorat.* Ita S. Hieron. Et ſignanter S. Hieron. pro *Vni ciuium*, dicit, *Principi huius mundi.* Sicut diximus pro primo de animalibus aut ſenioribus, *Vnum ex animalibus, Vnus ex ſenioribus.* At quid vult ille princeps dæmoniorum? Primò haberi ſimilem altiſſimo; ſecundò homicida fuit ab initio; tertiò perſequi mulierem, vt filium eius deuoraret, id eſt, Eccleſiæ autoritatem conculcaret, ſtatim atque exerceri inciperet. Quid facit hæreticus ab Eccleſia diſcedens? Similis vult eſſe altiſſimo, per independentiam à quacumque autoritate: homicida eſt, dum errotibus decipere intendit, Eccleſiam vult oppugnare, autoritatem eius conculcare, & ita adhæret principi Dæmoniorum, qui hæc ſummopere adimplere deſiderat. Quod magis videbimus, ſi cuncta nomina, huic hoſti à S. Hieron. data percurramus. Dicitur diabolus, id eſt, calumniator: non enim timet Deum ipſum calumniis onerate, eumque mendacij & inuidiæ inſimulare: Quid facit hæreticus? In eamdem abit ſententiam, & dæmoniorum Principi adhæret: & vt ſui diſceſſus ab Eccleſia aliquam cauſam prætendat, eam maculis deturpatam eſſe calumniatur. Diabolus eſt ille homo inimicus, qui ſuper ſeminat zizania in agro. Hæreticus varios diſſeminat errores in agro Eccleſiæ. Diabolus iudex eſt iniquitatis, dum humanæ naturæ inuidens putat iniuriam ſibi irrogatam fuiſſe, quod Dei Verbum Angelicâ naturâ relictâ humanâ apprehenderit. Hæreticus eſt iniquus iudex, qui Eccleſiæ decreta & ſacras cæremonias ſuggillat, & irridere audet. Diabolus Draco eſt, aſpiciens: Hæretici ſe Gnoſticos, videntes, ſcientes prædicant. Draco namque dicitur ſerpens annoſus, qui multa ætate in inſolitam magnitudinem excreuit, qui acutiſſimi viſus eſſe dicitur. Diabolus præter innatam ſagacitatem, per multas experientias, inſignem ſibi comparauit aſtutiam. Hanc imitatur hæreticus, dum ex modijs cognitis, quibus hæreſes priores incrementa ſumpſerunt, ſtudet nouas introducere. Diabolus Satan eſt, id eſt aduerſarius: Hæreticus aduerſatur Eccleſiæ eiuſque Paſtoribus. Diabolus ille malleus eſt, de quo Iſaia. c. 44. *Quis formauit Deum, & ſculptile conflauit ad nihil vtile? Ecce omnes participes eius confundentur. Fabri enim ſunt ex hominibus, conuenient omnes, ſtabunt & pauebunt, & confundentur ſimul; Faber ferrarius limâ operatus eſt in prunis, & malleis formauit illud, & operatus eſt in brachio fortitudinis ſuæ, & deficiet: non bibet aquam, & laſſeſcet:* Hæreticus malleus eſt, quia ſicut Diabolus olim ſculptilia ad inuenit, vt homines ad idololatriam induceret, ad adoranda ſculptilia ad nihil vtilia, quibus participantes confundebantur, *Confundentur enim ab idolis quibus ſacrificauerunt.* Iſ. 1. & Ierem. 50. *Capta eſt Babylon: confuſus eſt Bel, victus eſt Merodach: confuſa ſunt ſculptilia eius: ſuperata ſunt idola eorum.* Ita Hæretici conflant ſculptile, id eſt errorem, quem confingunt ex prunis ambitionis, ita concupiſcentiæ, malleo pertinaciratis: quia nolunt Eccleſiam audire, Diaboli artem imitantes, eique adhærentes. Diabolus dicitur perdix, quia Dei filios furatur, vt eos ſecum faciat filios gehennæ. *Perdix*, inquit Hieremias, c. 17. *fouit quæ non peperit, fouit diuitias & non in iudicio, in dimidio dierum ſuorum derelinquet eas, & in nouiſſimo ſuo erit inſipiens.* Hæreticus ſtudet Eccleſiæ filios ſurripere vt ſuos faciat, quos cum ſe diuitem putat, cogitur in dimidio dierum ſuorum derelinquere: quia hæreſis non diu permanet, ſed ſtatim atque vna exorta eſt, alia ſubſequitur; nec ad perfectam prior exorta peruenit ætatem, cum à ſubſequenti propulſatur; & tandem inſipiens in fine apparet, à ſalute æterna & debito fine ſemota. Diabolus Belial eſt, id eſt peruerſus, ſeu abſque iugo, ſiue non aſcendens, quia videlicet à Deo auerſus eſt, & ideo peruerſus, iugum dependentiæ à Deo excuſſit: & vt putabat, non aſcendit, ſed rudentibus inferni detractus ad ima protruſus eſt: ita hæreticus Belial eſt, ab Eccleſia auerſus, & ſine iugo, ſchiſmate ab vnitate Eccleſiæ diſciſſus, cuius determinationi cedere non vult; & dum aſcendere cupit per præſumptionem, deſcendere cogitur, ab Eccleſia ſegregatus per excommunicationem. Diabolus Leo eſt, quærens quem deuoret: hæreticus ſemper in inſidijs, vt aliquem ad ſuâ ſententiam protrahat. Diabolus Leuiathan eſt, id eſt ſibimet traditus, dum proprio iudicio vti permittitur prout vult, *Ibunt enim in ad inuentionibus ſuis.* Diabolus Thaninim, quaſi mandantes humilia, quia à veritate dæmones nos inducunt ad mendacia amplectenda: hæretici Thaninim ſunt, quia quæ carni fauent, præſcribunt; & ad res terrenas proſequendas mentem deprimunt. Deniq; Diabolus Behemoth dicitur. Behemoth multitudinem animaliũ terreſtrium ſignificat: vnde plærumque pro Sataneæ potentia accipitur, Iob. 40. Hæreticus in ſua peruerſitate multas complectitur: vnde reuera dicere poſſumus, quod captiuus ad ipſius diaboli voluntatem ipſe omnem diaboli ſeu Sataneæ poteſtatem continet, vt Eccleſiæ ac Chriſto aduerſetur.

Quæ cum ita ſint, facilè eſt videre quomodo hæreticus Principi dæmoniorum adhæret. Nunc videndum quid mercedis accipiat, pro tam ſtricta adhærentia cum dæmone, & conſpiratione cum ipſo, ad regni Chriſti in Eccleſiã euerſionem. *Miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos*: id eſt, proprias concupiſcentias & malos appetitus foueat, quaſcumque paſſiones, ſiue iræ, ſiue vindictæ, ſiue ambitionis, ſiue gulæ, ſiue luxuriæ, ſiue vt aliorum concupiſcentiis obſequatur & inſeruiat, ſiue dæmonibus ipſis materiam præbeat gaudij: gaudent

Digitized by Google

enim dæmones, & trepidiant de perditione hominum; ſicut enim gaudent Angeli in inuentione ouis perditæ, id eſt, infidelis ad lumen fidei adducti; gaudent fideles coram Angelis, in inuentione drachmæ perditæ, id eſt, Chriſtiani à peccato reſipiſcentis, fitque conuiuium in inuentione filij in ſinum Patris redeuntis; ita gaudet infernus, cum princeps dæmoniorum, mittit hæreticum vt paſcat porcos, id eſt alios dæmones. *Sunt enim*, ait S. Ambroſius, *qui porcos accipiunt pro gregibus dæmonum. Porcus*, inquit S. Hieron. *animal immundum eſt, quod cano, & ſordibus delectatur. Talis eſt dæmonum multitudo, quæ per idola manu facta, cruore pendum, & victimis paſcitur: & nonniſimè ſaginatiore quadam hoſtia, ipſius hominis morte ſatiatur.*

Miſit ergo eum in poſſeſſionem ſuam, id eſt, ſuum effecit famulum, vt paſceret porcos, immolans ei animam ſuam. Ita Hieron. Tales porcos paſcit hæreticus: nam noua figmenta dogmatum adinueniens noua idola fabricat, quibus erroribus omnes adhærentes exemplo & ſermonibus tot occidit animas, quot in viam erroris ſecum trahit.

At quid mercedis ſperat à tam crudeli domino, pro fideli obſequio? *Cupiebat*, inquit ſacer textus, *implere ventrem ſuum de ſiliquis porcorum, & nemo illi dabat.*

Subſtantiam ſuam, inquit S. Hieron. *in regione Principis perdidit, & poſt perditas facultates miſſus ad porcos egeſtate contabuit. Dæmonum cibus eſt ebrietas, luxuria, fornicatio, & vniuerſa vitia. Hæc blanda ſunt, & laſciua, & ſenſus voluptate demulcent, ſtatimque vt apparuerint, ad vſum ſui prouocant: quibus ideo luxurioſus adoleſcens non poterat ſaturari, quia ſemper voluptas famem habet, & tranſacta non ſatiat; & Sathanas cum aliquem ſua arte deceperit, & proprium ei impoſuerit iugum, vltra ad abundantiam non procurat, ſciens eſſe iam mortuum: ſicut multos idololatras videmus panis miſeria & egeſtate confectos.* Ita S. Hieron.

Vt facilius iſta intelligamus, in memoriam reuocandum eſt quid per ſiliquas intelligitur. Siliqua folliculus eſt ſeu integumentum, cui grana leguminum includuntur, & ſiquid leguminibus eſt ſimile; vel ſiliqua κερατιον ſiue ſiliqua græca, fructus eſt arboris, quæ à Galerio κερατονια appellatur, ſiliquis rectus, humani digiti longitudine, iiſque prædulcibus, & ob id in cibus experitis, quum ſemen propter amaritudinem negligatur. Ita Calepinus poſt Plinium, lib. 15. c. 19.

Dico igitur hæreticum triplici cibo velle ſaturari, & nihilominus minimè expleri. Primò ſcientiâ ſcripturarum: ſed cum tantum corticem litteræ poſſit legere, & ad verum ſcripturæ ſenſum non poſſit penetrare, verè ſemper erit famelicus. De quibus S. Paulus 2. ad Timoth. 3. *Semper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes.* Nam, vt ait ipſe, *littera occidit, ſpiritus autem viuificat.* Videbis mulierculas etiam ſcripturas lectitantes, multa de ſcripturis memoriter recitantes, quæ non intelligunt: nam tantum habent integumenta, & corticem ſcripturæ, ſed ad ſenſum ſcripturarum nequeunt peruenire. Secundi cupiunt ſaturari delectationibus carnalibus, quia cum carent ſpe futurorum bonorum, & gaudio Spiritus ſancti, vt diximus, ad exteriores voluptates conuertuntur, & cum amatoribus huius ſeculi dicunt, Sap. 2. *Nemo noſtrum exors ſit luxuriæ noſtræ: vbique relinquamus ſigna lætitiæ: quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors.* Ita Sap. Et qua de cauſa, niſi quia *hæc cogitauerunt*, ait Sapiens, *& errauerunt: excæcauit enim illos malitia eorum, & neſcierunt ſacramenta Dei, neque mercedem ſperauerunt iuſtitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum ſanctarum: quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum. Inuidiâ autem diaboli mors intrauit in orbem. Imitantur autem illum qui ſunt ex parte illius.* At quinam ſunt ex parte illius, niſi qui illi conſentiunt, qui illi adhærere volunt, quibus tantum ſiliquas poteſt polliceri, ea tamen cupientibus contra Dei voluntatem, dare non poteſt, quia nec ſunt eius, ſed Dei qui omnia condidit? Denique cum ſancto Hieronymo poſſumus & aliter ſiliquas interpretari. *Dæmonum*, inquit, *cibus eſt carmina poetarum, ſecularis ſapientia, Rhetoricorum pompa verborum: Hæc ſuâ omnes ſuauitate delectant: & dum autem verſibus dulci modulatione currentibus capiunt, animam quoque penetrant, & pectoris interna demulcent: verùm vbi cum ſummo ſtudio fuerint, ac labore perfecta, nihil aliud niſi inanem ſonum, & ſermonum ſtrepitum, ſuis lectoribus tribuunt. Nulla ibi ſaturitas veritatis, nulla refectio iuſtitiæ reperitur: ſtudioſi earum in fame veri, & virtutum penuria perſeuerant.* Ita Sanctus Hieron. Nihil magis appoſite ad exprimendum genium & indolem noſtrorum Nouatorum, qui eloquentia & politè ſcribendi peritiâ maximè pollent. Tamen ſiliquæ ſunt, quæ nobis ex parte diaboli, proponunt Ianſeniſtæ, dum facetias ſuas ob oculos ponunt, vt bonos autores, & de Republica Chriſtiana bene meritos, dicteriis ſcommatibus antiquos & recentiores proſcindunt, parum curantes an ſcandala & ſchiſmata pariant; à quibus pij & ſapientes abſtinere debent, hanc Sancti Pauli ad Rom. c. 16. piam monitionem ponderantes. *Rogo autem vos, fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones & offendicula, præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt: & declinate ab illis. Huiuſcemodi enim Chriſto Domino noſtro non ſeruiunt, ſed ſuo ventri, & per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium.*

His de miſerando hæretici ſtatu, ſtatim atque ab Eccleſia diſceſſit, ita enucleatis, facile eſt ex conſideratione huius miſeriæ, motiua inuenire, quibus mens poſſit ad pœnitentiam inuitari. Ad ſecundum igitur motiuum tranſeamus, ex conſideratione diuinæ benignitatis, filium ad ſe reuertentem benignè excipientis.

In ſe autem reuerſus dixit: Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus? Ego autem hic fame pereo. Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui in cœlum & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut vnum de mercenariis tuis. Et ſurgens venit ad Patrem.

Ad conuerſionem monetur filius prodigus, ex conſideratione bonitatis & benignitatis Patris ſui. Secundum motiuum conuerſionis, quo hæreticus ad pœnitentiam prouocari poteſt.

ARTICVLVS VIII.

MVLTA certè dici poſſent in explicatione huius textus, de ſyndereſi, de gratia præueniente, & excitante, & cooperante, de contritione, confeſſione, ſatisfactione, de Dei patientia, ac benignitate, peccatorem expectantis ad pœnitentiam, iuxta illud Apoſtoli ad Rom. c. 2. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Sed hæc omnia integra poſtularent volumina. Ago potius expoſitorem quàm ſcholaſticum Theologum cuncta accuratè diſcutientem. Hinc ea tantùm quæ mentem excitare poſſunt, ad accumulanda ea quæ dici poſſent de conuerſione

peccatoris, ex consideratione bonitatis diuinæ, adducere lubet, neq; longiùs excurro.

Inescat diabolus peccatores hæreticos, & vt eos ad se alliciat, dat eis si liquas voluptatum, sed postquam illos miserè variis camis delectationibus decepit inuidus in omnibus, non modò eos spiritualis bonis priuate gaudet, sed etiam eos bonis concupitis frui multo tempore non permittit, imo ad summam plærumque adigit penuriam, vt siliquas concupiscant, id est, res delectabiles, & nemo ipsis illas suppeditet. Quod rectè animaduertit Iansenius Gandauensis, commentario in concordiam Euangelicam, c. 84. *Cum enim*, inquit, *perfectè hominem possident dæmones, inuident ei satietatem appetitus, quam tamen suppeditabant, priusquam illum sibi planè subiecissent.* Ita ille. Et sic plærumque & bonis temporalibus sicut & spiritualibus, spoliantur, vt ad meliorem frugem redeant. Quod notandum fuit, vt ad quam penuriem & egestatem deuenerit ille dissipator substantiæ paternæ faciliùs concipiamus. Habebat, dum luxuriosè viueret, quo genio indulgeret, & immensis sumptibus quæ ad lautè & opiparè viuendum, & se ornandum purpura & byssо suppeditare posset. At postquam inescatus est voluptatibus, & in eo diabolus omnem pietatis sensum extinxit, illumque ad pietatis & atheismi barathrum adduxit, subtrahit diabolus inuidiosè omnia illa bona externa, vt egenus & miser prorsus euadat.

Hic miserandus rerum suarum status illi occasio fuit, vt clementiæ & bonitatis paternæ memor ad eum redire cogitauerit, *In se*, inquit, *autem reuersus. Benè*, ait S. Ambrosius, *in se reuertitur qui à se recessit. Etenim qui ad Dominum regreditur, se sibi reddit, & qui recedit à Christo, se sibi abdicat.* Ita Ambros. Hoc est primum indicium benignitatis diuinæ, quod dum illam offendimus, tamen de nostra salute sollicita sit, non auferendo à nobis lumen rationis, per synderesim nos admonens periculosi status perdendæ salutis; & in memoriam reuocans, per gratiæ præuenientis illustrationem, quanta sit Dei benignitas erga omnes. Vnde in spem erigitur, si ad eum reuertatur, non se esse passurum repulsam, si cum humilitate illum adeat; vnde voluntas eius excitatur ad reditum.

At adhuc grandis restat via. Sed ecce adest secundum diuinæ bonitatis indicium. Nam Deus, qui lumen rationis impressit (signatum est enim super nos lumen vultus sui) quo benè, Deo præueniente, vsus est, fortiori lumine gratiæ alicuius interioris & actualis, fortioriq; motione voluntatis, (Deo cor eius tangente per Spiritus sancti illuminationem & motionem) in actum prorumpit, inspirationem illam recipiens quam & abjicere poterat: & cum Dei gratiâ mouet se ad iustitiam liberâ suâ voluntate: *Et surgens venit ad Patrem*, adimplens quod illi in mente venerat, cum tacitus dicebat apud se: *Surgam, & ibo ad Patrem meum.* Non enim sufficiebat vt diceret apud se: *Surgam & ibo ad Patrem*: nisi actu surgeret, nisi ad Patrem veniret, illum requireret vt eum inueniret, & verum dixisse Prophetam expertus est: *Quærite Deum, & viuet anima vestra* Ps. 68. *Accedite ad Deum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.* Ps. 33. Et rursus: *Et sperent in te qui nouerunt nomen tuum: quoniam non dereliquisti quærentes te Domine.* Ps. 9.

Cum enim adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, & misericordiâ motus est. Et accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum, exurge ergo, inquit S. Ambrosius, inuitans nos ad pœnitentiam exemplo illius adolescentis, *surre ad Ecclesiam: hic est pater, hic est filius, hic est Spiritus sanctus: Occurrit tibi qui audit te intra mentis secreta tractantem: Et cum adhuc longè sis, videt & accurrit, vides in pectore tuo, accurrit ne quis impediat, complectitur quoque in occursu præsentia est, in complexu Clementia, & quasi quodam Patrij amoris affectu supra collum cadit, vt iacentem erigat: & oneratum peccatis, atque in terrena deflexum reflectat ad cælum, in quo suum quæras auctorem. Cadit in collum tuum Christus, vt cerusicem iugo exuat seruitutis, & collo tuo iugum suaue suspendat.* Ita Ambr.

Dicitur autem videri à Patre cum adhuc longè esset, ad denotandum post primum actum fidei, quo peccator libenter mouetur in Deum adhuc multos restare actus eliciendos, vt perfectam obtineat iustificationem, quos non eliceret nisi Deus fixos teneret in eum oculos misericordiæ suæ: quo benigno intuitu confortatus, in primis considerat immensam Dei bonitatem, & liberalitatem, vt spem concipiat salutis. *Quanti mercenarij in domo Patris abundant panibus?* Secundò vt excitetur ad promptè citoque redeundum, considerat miseriam, in quam incidit sponte sua; *Ego autem hic fame pereo.* 3. in spem erigitur, cogitans quod non tam iudicem ac vindicem suorum delictorum adeat, quàm suauissimum Patrem, cui proprium est misereri & parcere. *Ibo*, inquit, *ad Patrem.* Quarto: Proponit non diffiteri culpam, nec excusationes quærere in peccatis: sed ea delere vult per ingenuam confessionem, *Et dicam*, inquit, *ei: Pater peccaui in cælum, & coram te.* Quinto indignitatem suam humiliter agnoscit. *Iam non sum dignus vocari filius tuus.* Sexto: At satisfaciendum iustitiæ Patris seipsum disponit, non vult vt filius delicatè tractari, sed vt mercenarius & conditicius seruus laboribus consumi. *Fac me sicut vnum de mercenariis tuis.* At quanta sit benignitas Patris attendite. Proposuerat filius illum tali affari sermone: *Pater peccaui in cælum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus. Fac me sicut vnum de mercenariis tuis.* Hoc vltimum non expectat pius Pater, sed qui postulabat haberi tanquam mercenarium, vt filius excipitur. *Dixit autem Pater ad seruos suos: citò proferte stolam primam, &c.* Ac si diceret: Sufficit, sufficit, charissime fili, vt te humiliatum & contritum videam: cor contritum & humiliatum non despicio sufficit, quod in domum meam redeuntem te cernam, mandata mea, & præcepta in posterum fideliter adimpleturus: filium te agnosco. Si per timorem seruus: in te gloriabor: si Mercenarius vis esse per laborem, copiosa erit merces tua. Amicus eris deinceps per virtutem, quem fateor filium per creationem, & per Baptismi regenerationem. Sed vt benignitatem Patris cognoscere possimus, ponderanda sunt S. Petri Chrysologi verba, antequam ad tertium conuersionis, motiuum transeamus. Sermone 3. de filio prodigo, *Mouetur*, inquit, *misericordiâ, qui loco non potest dimoueri. Accurrit non progressu corporis, sed pietatis affectu. Cecidit super collum eius, non lapsu viscerum, sed compassionis. Cecidit super collum eius, vt erigeret sic iacentem. Cecidit super collum eius, vt amoris onere onus tolleret peccatorum. Venite ad me omnes, &c. Videtis quia filius inuitatur, istius patris onere non grauatur. Cecidit super collum eius, & osculatus est eum. Sic Pater iudicat: sic emendat: sic peccanti filio dat osculum, non flagella: delicta non videt vis amoris; & ideo pater peccata filij redemit osculo, clausit amplexu, ne nudaret Pater filij crimina. Pater filium ne fadaret. Pater sic curat filij vulnera, ne filio cicatricem, nouum filio ne relinquat. Beati*, inquit, *quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Si adolescentis huius factum displicet, horret abscessus, à tali Patre nullatenus discedamus. Aspectus Patris fugat crimina, expellit noxam: cunctam nequitiam, & tentamenta propellit.* Certè si abscessimus, si substantiam Patris totam luxuriosè dispersimus, si quicquid vsquam commisimus faci-

noris & delicti : totam ſurgamus aliquando, & ad talem Patrem tali inuitati redeamus exemplo. *Cum autem videres eũ.* Rogo, quis hic deſperationis locus? Quæ hic excuſationis occaſio ? Hic ſimulatio quæ timoris ? Niſi fortè timetur occurſus, terret oſculum, turbat amplexus, & capere ad vindictam, non recipere ad veniam patet creditur, cum filium trahit manibus, claudit gremio, ligat lacertis. Sed hanc cogitationem debellatricem vitæ, ſalutis inimicam expugnat nimis, nimis auferunt quæ ſequuntur : *Dixit autem pater ad ſeruos ſuos : Citò proferte ſtolam primam.*

Dixit autem Pater ad ſeruos ſuos : Citò proferte ſtolam primam, & induite illum, & date anulum in manu eius, & calceamenta in pedes eius: Et adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat & reuixit, perierat & inuentus eſt : Et cæperunt epulari.

De tertio motiuo conuerſionis. Immenſa Dei liberalitas erga verè conuerſos & pœnitentes, quos in priſtinũ ſtatum reſtituit & redintegrat.

ARTICVLVS IX.

Ad quem pertineat hæreticum admittere in Eccleſiæ ſinum ? §. 1.

VT parabolæ ſenſum meliùs percipiamus, ſciendum eſt Chriſtum Dominum eſſe quidem caput immediatum, inuiſibile, principale, præcipuum, ac permanens in æternum, totius Eccleſiæ, verè eſſe paſtorem bonum, qui animam poſuit pro ouibus ſuis ; eſſe œconomum Patris familias, qui habet clauem domus Dauid, à quo omnia adminiſtrantur ; eſſe oſtium per quod intrare debemus in Eccleſiam, quæ eſt domus Dei viuentis : vnde dicebat : *Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit ſaluabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet* ; eſſe patrem futuri ſeculi, per quem hæreditatis æternæ ſumus participes, *qui voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ Dei.* Iacob. 1. Tamen non influit vt caput, non regit vt Paſtor, non diſpenſat ſeu adminiſtrat vt œconomus, non aperitur aut clauditur vt oſtium, non generat vt Pater, niſi per eos quos ipſe poſuit regere Eccleſiam Dei, qui miniſtri Chriſti ſunt, & diſpenſatores myſteriorum Dei 1. ad Corinth. 4. ad quos pertinet proinde aperire oſtium, id eſt, prædicare Chriſti fidem, & eius autoritate in ſuo nomine Sacramenta adminiſtrare, vt quis inter membra ſui corporis myſtici reponi & computari debeat. Hinc dico per iſtum Patrem, qui dicit ad ſeruos ſuos : *Citò proferte ſtolam primam*, intelligi Chriſtum Dominum per os Petri loquentem ; ſeu intelligi Chriſtum Dominum in perſona ſummi Pontificis, qui ab antiquis dictus eſt Pater Patrum, propter eminentem, quam habet in Eccleſia autoritatem. Vnde ad ipſum pertinet admittere aut excludere, quos dignos aut indignos iudicat eſſe admittendos, aut non admittendos.

Ex hac ſuprema autoritate emanauit Bulla, quam vocant *In cœna Domini*, in qua ſummus Pontifex excommunicat, & ab Eccleſiæ vnione ſeparat omnes hæreticos, eorumque fautores, legentes & retinentes hæreticorum libros, eos imprimentes aut defendentes ; cuius excommunicationis abſolutionem ſibi ipſi reſeruat adeo præcisè, vt nemini liceat illam impendere extra mortis periculum, abſque autoritate à Pontifice conceſſa, ſub pœna excommunicationis.

Quod quidem quid eſt aliud quàm hæreticum ab Eccleſiæ ingreſſu arcere : & eum redire volentem, vt admittatur præcipere, dicendo : Date illi ſtolam primam : Bona ſpiritualia, quibus per hæreſim ſpoliatus fuerat, reddite redeunti ad fidem. Quibus præſuppoſitis,

Dico primò : *Dixit Pater ad ſeruos ſuos*, id eſt, dixit Dominus Petro petenti: *Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei ? Vſque ſepties ? Non dico*, reſpondet Dominus, *vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties.* Matt. 18. id eſt, toties quoties ſpes erit emendationis.

Dico ſecundò : *Dixit Pater ad ſeruos*, id eſt, ſummus Pontifex ad ſuos delegatos, quibus ex plenitudine poteſtatis dat facultatem abſoluendi ab hæreſi, & reconciliandi hæreticos, dando illis verbum reconciliationis, id eſt, abſoluendi ab hæreſi poteſtatem.

Dico tertiò : *Dixit pater ad ſeruos*, id eſt, ad omnes quibus de iure aut conſuetudine competere poſſet abſolutionem dare hæreticis, quorum poteſtas reſtringi, aut ampliari poteſt à ſummo Pontifice, vt patet ex eoquod Concilium Tridentinum concedit tantum vt Epiſcopi in foro conſcientiæ poſſint hæreticos abſoluere ; & ex Bulla *In cœna Domini*, in qua ſummus Pontifex ſibi reſeruat hæreſis crimen, vt diximus, quæ reſeruatio fieri poteſt ex Concilio Tridentino, ſeſ. 14. de Sacramento pœnitentiæ c. 7. vbi docet *atrociora, & grauiora crimina non à quibuſuis, ſed à ſummis duntaxat ſacerdotibus abſoluenda eſſe, ſummumque Pontificem, pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia vniuerſa tradita, cauſas aliquas criminum graviores ſuo poſſe peculiari iudicio reſeruare.* Ita Concilium. At certum eſt hæteſim eſſe crimen atrocius, & grauius quocumque alio : eſt enim crimen læſæ maieſtatis diuinæ.

At dices : Si ita eſt, non conuenienter loqueretur Dominus cum ait : *Dixit pater ad ſeruos ſuos*, Epiſcopi namque non ſunt ſerui, ſed fratres, vocati in partem ſolitudinis. Ad hoc reſpõdeo præſupponendum eſſe Chriſtum eſſe Patrem, cuius omnes Epiſcopi, ſicut & ſummus Pontifex, ſunt miniſtri & ſerui : ita ut, *Dixit pater ad ſeruos*, idem ſit ac ſi diceretur : Dixit ſummus Pontifex, in nomine Chriſti, ad Eccleſiæ Paſtores, & miniſtros, qui ſerui ſunt Chriſti, vt hæreticos ad Eccleſiæ gremium redire volentes, benignè recipiant, coſque abſoluant : iuxta quod Apoſtolus Paulus 2. ad Corinth. 2. dicebat : *Cui autem aliquid donaſtis : & ego : nam & ego quod donaui propter vos, in perſona Chriſti, &c.* Ita ſi quid dicat Pontifex, hoc dicit in perſona Chriſti, cuius vices in terris gerit.

Secundò : Reſpondeo, hac loquendi formula doceri abſolutionem huius criminis videri præcipuè eſſe annexam autoritati ſummi Pontificis, cuius eſt confirmare fratres. Nam, ſicut dicebat S. Bernardus Epiſtola 190. ad innocent. *in eo planè Petri impletis vicem, cuius tenetis & ſedem, ſi veſtra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, ſi veſtra autoritate conterritis fidei corruptores, &c.* Et rurſus : *Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque ac ſcandala emergentia in regno Dei, ea præſertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, vbi non poſſit fides ſentire defectum.* Ita Ber. Ita dico, dignum eſſe videtur vt cui mandatum eſt in fide fratres confirmare, is præcipuè videat quis admittendus ſit in ouile, aut quis ab ouili repellendus, ne ſub ouina pelle lupus ingrediatur ; & vt oſtendatur poteſtatem abſoluendi hæreticos in aliis Eccleſiæ paſtoribus quamdam habere ſubordinatio-

nem ad plenitudinem poteſtatis, quæ eſt in ſummo Pontifice, quo fit vt eam poſſit reſtringere aut ampliare, prout vtilitas Eccleſiæ poſtulauerit. Hæc ſubordinatio exprimitur, dum ipſe pater dicitur, alij autem ſerui, dicuntur. Nec, quod notandum eſt præcipuè, nomen ſerui in hac materia promouendi ſalutem animarum aliquid vile & abiectum ſonat ſed valde honorificum. Vnde Chriſtus Dominus ſe tanquam ſeruum deſignat, cum ait: *Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat.* Luc. c. 22. Et S. Paulus hoc nomine gloriatur ad Rom. 1. *Paulus ſeruus Ieſu Chriſti.* Et Angelus S. Ioanni dicebat: *Conſeruus tuus ſum & fratrum tuorum.* Apocal. 19. & vlt. Quin & ſummus Pontifex ſe ſeruum ſeruorum profitetur. Cum igitur in parabola hoc nomen tribuitur Eccleſiæ Paſtoribus, non eſt ad deprimendum eorum miniſterium, ſed vt oſtendatur aliquam intercedere ſubordinationem inter plenitudinẽ poteſtatis ſummi Pontificis, & poteſtatem inferiorũ prælatorum, qui vocantur in partem ſollicitudinis, vt ipſe ſit totius miniſterij Eccleſiaſtici ſupremus moderator & diſpenſator, quippe cui Chriſti poteſtas in Petro conceſſa eſt. Quod optime Leo 6. imperator, in ſermone de S. Petro apud Zacharium Bouerium in ſuis demonſtrationibus agnouit, dum ait: *Tu me ſequere, id eſt, ſequere me hoc baculo paſtorali, & ſicut ego eum eram vobis cum vt Pater ac caput, & magiſter vigilans pro vobis: ſic tu eſto meo loco, & ſequere me principatu, ac poteſtate tua fratres tuos confirmans: te enim eſſe volo meo loco.* Hæc autem poteſtas non deſiit in Petro ſed in ſucceſſores eſt propagata vt fatetur Ignatius Conſtantinopolitanus ad Nicolaum Papam, ponderans Dominum Petro dixiſſe: *Tu es Petrus, &c. Tales enim beatas voces non ſecundum quamdam vtique ſortem Apoſtolorum Principi circumſcripſit & definiuit, ſed per eum ad omnes qui poſt illum, ſecundam ipſum, efficiendi erant ſummi Paſtores & diuiniſſimi factique Pontifices ſenioris Romæ tranſmiſit.* Ita Ignatius, Act. 3. octauæ ſynodi. Hinc Caſſiodorus libro vndecimo Epiſtola. Epiſt. ad Ioannem Papam: *Nolite in me tantùm rejicere ciuitatis illius curam, quæ potius veſtra laude ſecura eſt.*

Vos enim eſtis ſpeculatores, Chriſtiano populo præſidetis, vos Patris nomine vniuerſa diligitis. Securitas ergo plebis ad veſtram reſpicit famam, cui diuinitùs eſt commiſſa cuſtodia. Quapropter nos decet cuſtodire aliqua, ſed vos omnia. Paſcitis quidem ſpiritualiter commiſſum vobis gregem. Tamen nec iſta poteſtis negligere, quæ corporis videntur ſubſtantiam continere, &c. Et poſt pauca: *ſedes illa toto orbe mirabilis proprios tegat affectione cultores: quæ licèt generalis mundo ſit præſtita, vobis etiam cognoſcitur & localiter attributa, &c.* Ita Caſſiodor. Quid igitur ſummus Pontifex, qui (vt verbis Caſſidori vſus) Patris nomine vniuerſa diligit, dicit ad Eccleſiæ Paſtores per totum orbem diſperſos, qui ſerui ſunt Chriſti, & ſui eſſe dicuntur, propter communionem quam habent in fide & charitate, & obedientia cum ſupremo Eccleſiæ capite, dum aliquis hæreticus ad eos accedit? Nihil aliud quàm, Reſtituite illi omnia bona, quæ per hæreſim illi fuerunt ablata. Vnde dicitur: *Cito proferte ſtolam primam, &c.*

Cito proferte ſtolam primam.

Quæ dona hæretico reuertenti conferantur?

NON ita ſtolidi ſumus, vt velimus aſſerere hæreticos reuertentes ad Eccleſiam, perſonam ſummi Pontificis adire debere vt admittantur, qui eos remittat abſoluendos inferioribus paſtoribus. At quod volumus eſt, indicare hæreticum, cum accedit ad Eccleſiam, eo animo vt ſe ſubmittere velit legibus & ordinationibus obſeruandis in receptione hæreticorum (quæ vim & robur tantum habent ex præſcripto, & decretis canonum & ſummi Pontificis) poteſt dici adire Pontificem, cum illius decretis obedire non renuit, & Pontificem dicere ad Prælatos inferiores: *Cito proferte ſtolam primam,* &c. cum ipſimet iuxta illius decreta, recipiunt hæreticum. De qua formula recipiens hæreticos aliquid dicemus infra. Nunc diſcutiendum quænam ſint illa bona, quæ hæretico reſtituuntur in ſua reuerſione ad Eccleſiam illa autem ad quatuor reduco. Primum eſt gratia iuſtificans, quæ ſignificatur in ſtola prima. *Citò proferte ſtolam primam*; Secundum eſt fides, per charitatem operans, & perſeuerans vſque in finem, quæ perſeuerantia licèt non reperiatur in omnibus hæreticis qui conuertuntur, hîc tamen requiritur, vt concipiamus tantam gratiam conferri etiam hæreticæ prauitati, vt quamuis quis tantum crimen commiſerit, Deus tamen paratus ſit donum perſeuerantiæ illi tribuere. Huius fidei ſymbolum eſt annulus: *Et annulum,* inquit, *in manu eius.* Tertium bonum eſt alacritas, & facilitas in obſeruatione mandatorum, & in progreſſu virtutum, quia in via Dei non progredi, retrogradi eſt. Quod ſignificatur in calceamentis: *Et,* inquit, *calceamenta in pedes eius:* Quartum bonum eſt familiaris & ſtricta animi vnio cum Deo, quæ innuitur in conuiuio vituli ſaginati: *Et adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus.* Hæc ſunt bona hæretico reſtituenda, qui gratiam amiſerat, in quo fides perierat, qui vitiis & peccatis replebatur. Quia Deo erat aduerſus, & ab eo omnimode ſeparatus.

Quantum ad primum, ſi petas à S. Ambroſio quænam ſit ſtola dicet: *Stola eſt ſpiritale indumentum, & veſtimentum nuptiale.* Ita Ambr. Gratia namque datur tum in Sacramento Baptiſmi, in quo ſpiritale indumentum, accipimus. *Quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum* induiſtis. Ad Galat. 3. tum in Sacramento Pœnitentiæ, quæ lapſis poſt baptiſmum neceſſaria eſt, vt poſſimus ad prandiũ illud pro nuptiis filij Regis admitti, abſque periculo reiectionis. At cum illa ſtola dicatur prima, videtur parabolam reſpicere gratiam baptiſmalem, quæ profertur, cum verba abſolutionis in Sacramento Pœnitentiæ proferuntur, & ſacerdotes hæretico dicunt. *Abſolute.* Quid autem præſtat gratia prima baptiſmi? Primo omnia delet peccata, itaut ſicut omnes Ægyptij extincti fuerunt in mari rubro, iuxta illud Dauidis: *Et operuit aqua tribulantes eos vnus ex eis non remanſit*; Ita omnia peccata delentur in baptiſmo. *In vno eodemque vnde ſalutaris elemento,* inquit, Cæſar. Arelatenſis, in hunc Pſal. *tanquam Ægyptius peccator perit, tanquam hebræus iuſtitia tota permanſit. Reus diluitur, Reatus aboletur. Mira Domini Clementia, quæ irrenocabile ſcelus, & infectas criminum maculas renouat, & peccatorem peccato moriente viuificat.* Quod iſta præſtitit ſtola prima, hoc præſtat gratia, quæ reſtituitur vetè ad Deum conuerſo per pœnitentiam, quæ eſt ſecunda poſt naufragium tabula. Nam tanquam ignis omnia conſumit, ita charitas in Deum, animæ pœnitentis omnia conſumit peccata. *Remittuntur ei multa peccata quoniam dilexit multum*, dixit Dominus de Magdalena. Secundò gratia, ſeu ſtola prima, gratos & acceptos nos Deo reddit: nam in baptiſmo non modò peccata remittuntur, ſed etiam virtutes infunduntur, & ſpiritus ille, qui ornauit cœlos, ornat animas virtutibus, fide, ſpe & charitate, *Elegit enim nos in Chriſto ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate.* Epheſ. 1. Et vt poſtea ait: *In laudem gloriæ gratiæ ſuæ gratificauit nos in dilecto filio ſuo.* Hoc etiam præſtat gratia, quæ reſtituitur pœnitenti. Non enim Deus recordatur

Digitized by Google

datur peccatorum noſtrorum, ſed peccatis dimiſſis nos tanquam amicos tanquam filios chariſſimos intuetur. Denique prima gratia nos idoneos reddebat operandi meritoriè : hoc etiam præſtat gratia reſtituta pœnitenti, vt ſiue primam ſiue ſecundam gratiam accipias, dicere valeamus : *Nihil ergo damnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant, lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberat nos à lege peccati & mortis.* Rom. 8. Itaut eo ſpiritu vitæ animati fructus facimus dignos pœnitentiæ. Qui gratiæ effectus meliùs explicari non poſſunt, quàm verbis Apoſtoli ad Coloſ. c. 1. *Orantes & poſtulantes vt impleamini agnitione voluntatis eius, in omni ſapientia, & intellectu ſpirituali, vt ambuletis dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & creſcentes in ſcientia Dei, in omni virtute confortati, ſecundum potentiam claritatis eius, in omni patientia & longanimitate, cum gaudio gratias agentes Deo, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum, in lumine, qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ.* Ita S. Paulus. O quantùm diſtat feliciſſimus ille ſtatus gratiæ, a miſerando ſtatu in quo erat ille filius extra domum paternam poſitus. Egebat, fame laborabat, ſiliquas porcorum exoptabat, dæmoni ſeruiebat Deo exoſus ; & nunc impletus ſapientiâ Deo per omnia placet, partem habet ſortis ſanctorum, & transfertur in regnum filij dilectiſſimi : quia videlicet induit *nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis.* Epheſ. 4. Hæc eſt ſtola byſſina, qua, non à Pharaone ſed a Deo indutus eſt Ioſeph è carcere liberatus ; non vt dominetur ſupra Ægyptum, ſed vt mundum contemnat ad cælestia adſpirans. Hæc eſt ſtola lineæ, qua induebantur ſacerdotes, vt ſe Dei obſequio conſecratos ſcirent : & agnoſcerentur, eo ſine vt deinceps ſanctos ſe exhibeant, propter Deum cui ſeruire regnare eſt, quia Deus ſanctus eſt. Hæc eſt ſtola, quæ præualet ſtolis quas Ioſeph dedit ſingulis fratribus, & Beniamin fratri vterino, quia verbo & exemplo, & per mortificationem ſenſuum & appetituum, vita Chriſti manifeſtatur in vero pœnitente, & verè ad Deum conuerſo. Hæc eſt ſtola militaris, qua induebantur iuuenes temporibus Simeonis Machabæi, de quibus dicitur 1. ad Machab. 14 *Et iuuenes induebant ſe gloriam & ſtolas belli.* Ad quam induendam hortatur Apoſtolus, Epheſ. 6. *Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus diabolum : qua*, vt ipſe ait, *poſſimus reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare induti loricam iuſtitiæ*, quæ eſt virtus quædam generalis omnes alias complectens virtutes, ad perfectionem requiſitas, vt ſic tandem amicti ſtolis albis, ſtare poſſimus ante thronum, palmas in manibus pro victoria reportata tenentes. Quis videns Deum erga ſe percutorem tam liberalem, magno affectu ad tam pium parrem redire recuſabit? Sed adhuc maiora perpendamus.

Et date annulum in manu eius.

Secundum bonum. Fides per charitatem operans cum perſeuerantia.

Quod præſtabat olim Dominus corporibus, & permittebat Apoſtolis talia præſtituros, hoc quotidie facit & operatur in animabus noſtris. *In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis : ſerpentes tollent ; & ſi mortiferum quid biberint non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & bene habebunt*, Marci vlt. Hoc fundum ſacerdotes proferunt ſtolam primam, proferendo verba abſolutionis Sacramentalis, dum gratia Dei expellit dæmones, dum, per eamdem gratiam, qui loquebantur mendacia & vanitates, loquentur veritatem peccata ſua confitentes ; vt ſic ſerpentes, id eſt, peccata commiſſa auferant dum peruerſas doctrinas falſaq; dogmata quibus inebriati fuerant vt errori adhæreret, per veram fidei profeſſionem omnino rejicient, maloſque habitus, quibus tanquam infirmitatibus laborabant, eradicare conabuntur. Hæc operatur Dei gratia adueniens. Sed vt pleniùs dona ſpiritalia, quæ reſtituuntur vere pœnitenti & conuerſo videamus, Dicimus dari illi annulum in manu. S. Ambroſio annulus eſt ſinceræ fidei ſignaculum. *Qui autem*, inquit, *annulum habet, & patrem habet ex Filium & Spiritum ſanctum ; Qui ſignauit nos Deus, ad ius imago Chriſtus, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris, vt ſciamus hoc annuli ipſius qui in manu datur eſſe ſignaculum quo cordis interiora, factorumque noſtrorum munimenta ſignantur.* Ita Ambr.

Ianſenio Gandauenſi *Annulus eſt arrabo familiaritatis erga Deum, qui eſt Spiritus ſanctus. In hoc cognoſcimus, quod in eo manemus, & ipſe in nobis, quoniam de ſpiritu ſuo dedit nobis.* 1. Ioan. 4. Vnde Paulus : *in quem credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto.* Ita Ianſen. Et in hunc ſenſum Eccleſia S. Agnetem ſic loquentem inducit : *Annulo fidei ſuæ ſubarrhauit me Dominus Deus meus.* Ac ſi diceret : Fidem mihi Dominus dedit pro arrha familiaris amicitiæ, qua cum eo poſſum conuerſari. Aliis annulus eſt ſymbolum autoritatis. In hoc ſenſu accipi poteſt, dum Pharao tulit annulum de manu ſua, & dedit eum in manu Ioſeph, dicens ei : *Ecce conſtitui te ſuper vniuerſam terram Ægypti.* Geneſ. 41. Aliis eſt ſymbolum fidelitatis in promiſſis. Et in hoc ſenſu volunt. Thamat à Iuda annulum pro arrhabone hædi promiſſi poſtulaſſe, Geneſ. 38. At re attentiùs perſpectâ, vt appoſitè loquamur ad rem quæ agitur, cum hic mentio fiat hominis inſignis peccatoris, qui fregerat fidem & grauiter offenderat Patrem amantiſſimum, ſe ab eius ſubiectione, directione & obedientia ſubducens ac ſubtrahens, Dico in hoc annulo deſignari fidem charitate formatam, ſeu fidem viuam de qua Apoſtolus ad Galat c. 5. *Neque in Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides quæ per charitatem operatur.* Quæ talis ſit vt deinceps mandatis Dei fideliter obtemperet ac perſeuerantèr, itaut in poſterum nunquam ab eo diſcedat. Hoc enim requiritur ad veram peccatorum contritionem & pœnitentiam, vt quis firmum habeat propoſitum numquam peccandi, pro Dei amore, quem ſupra omnia diligere intendit, vt in fine vitæ dicere valeat cum S. Paulo 2. ad Timoth. 4. *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, &c.* Non modo gratiam amiſerat ille adoleſcentulus diſcedendo à patre, ſed etiam fidem, quia erroribus adhæſerat pertinaciter fidem abnegando : Ar, ó diuina bonitas! gratiam & charitatem recipit, & fidem tam inſignem charitate formatam, per charitatem operantem, non illam hæreticorum fidem, de quibus S. Hieronymus in 3. Micheæ dicit : *Si autem iuxta 70. quod dicitur de hæreticis volueris accipere (qui verè Pſeudo-Prophetæ ſunt, & dicunt : Hæc dicit Dominus & Dominus non miſit eos) non erubimus, illi enim populum Dei errore decipiunt, & hæc faciunt. Vt lucrandos eos, vel ſimpliciter in accipiendis muneribus, vel myſticè in occiſione animarum eorum, & promittant, eis pacem & regna cælestia, & dicunt non neceſſe eſt vt vitas continenter & ſanctè habeto fidem quam docemus, & omnia promiſſa Domini conſequeris. Quæ loquentes magis aduerſus eos iram Dei concitant. &c.* Ita S. Hieron. Non eſt talis fides, quæ reſtituit hæretico reuertenti, ſed fides quæ operibus comprobetur, de qua S. Gregor. Nyſſenus Horil. 8. in Eccleſiaſt. & S. Greg. Nazianz. orat. 28. Et hoc perſeuerantèr,

quod figura perfecta circularis annuli indicat, quæ capatior eſt cæteris, & ad punctum reuertitur, à quo initium ſumpſit; & ſicut à Deo omnia accepit, ita in Deum omnia refundit, iuxta illud S. Bernardi Ser. 2. in Pentecoſte: *Spiritus ſanctus donat animæ primò pignus ſalutis, ſcilicet teſtimonium quod ſimus filij Dei; ſecundum, robur vitæ, vt in laboribus, vigiliis & in omnibus obſeruantijs delectabiliter incedat; Tertio ſcientiæ lumen, vt cum omnia benefeceris, te ſeruum inutilem fatearis, & quidquid boni in te inueneris, illi tribuas à quo omne bonum eſt.* Ita Bernard.

Et calceamenta in pedes eius.

Tertium bonum reſtituendum verè pœnitenti eſt alacritas in via Dei progreſſus.

At non tantùm Deus gratiam inhærentem & iuſtificantem hæretico reuertenti reſtituit; non ſolùm fidem viuam per charitatem operantem, ſed etiam vult vt delectabiliter & abſque moleſtia incedat in via mandatorum Dei, iuxta illud: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.* Pſal. 118. Ideo dantur calceamenta in pedes, quibus eius affectus muniantur, ne aliquo lædantur offendiculo, vel retardari poſſint; ſed in eo adimpleatur illud Dauidis Pſ. 83. *Beatus vir cuius auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lachrymarum, in loco quem poſuit. Etenim benedictionem dabit legiſlator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion.* Hac ratione cognoſcet homo ſi verè ſit ad Deum conuerſus; ſi ita agatur à Deo, vt ſemper in melius proficiat. *Intelligunt*, inquit S. Auguſt. lib. de corrept. & gratia c. 2. *ſi filij Dei ſunt, ſe ſpiritu Dei agi, vt quod agendum eſt agant; & cum egerint, illi à quo aguntur gratias agant. Aguntur enim vt agant, non vt ipſi nihil agant: & ad hoc eis offenditur quid agere debeant, vt quando id agunt ſicut agendum eſt, id eſt cum dilectione & delectatione, ſuſtitia ſuauitatem, quam dedit Dominus vt terra eorum daret fructum ſuum, accepiſſe ſe gaudeant.* Ita Aug.

Hac ratione calceamenta dantur, & poteſt homo dignoſcere ſe inueniſſe gratiam coram Deo, & Deo reconciliatum eſſe in veritate. *Quæras*, inquit S. Bernardus, Serm. de quatuor modis orandi, *vnde aut quomodo noſſe poteris virum hanc conſecutus fueris indulgentiam. Sic nimirum conſeruanda humilitatis gratiâ diuina ſolet pietas ordinare, vt quanto quis plus proficit, eo minus ſe reputet profeciſſe, &c.* Et paulò poſt: *Tunc ait Dominus paralytico: Surge, tolle lectum tuum; & ambula. Et tu ergo, primò ſi iam ſurgis deſiderio ſupernorum: Secundò ſi grabatum tollis, corpus ſcilicet à terrenis elenans voluptatibus, vt iam non ſeratur anima concupiſcentiis eius, ſed magis ipſa, vt dignum eſt, regat illud, & ferat quo non vult. Tertiò ſi demum ambules, quæ retro ſunt obliuiſcens, & ad ea quæ ante ſunt te extendas, deſiderio & propoſito proficiendi, curatum te eſſe non dubites. Nec enim ſurgere poteras, ſi non aliquatenus onus eſſet alleuiatum: nec grabatum tollere, niſi ex oneratus magis: quia nec ambulare in feruore conuerſationis cum peccatorum grauis mole poſſibile eſt.* Ita S. Bernard.

De tali anima ſic optimè ad Deum conuerſa, & abſque offendiculo alacriter in via Dei ambulante, ac ſemper in melius proficiente, dicitur Cant. 7. *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia principis!* Ac ſi diceretur: Quam pulchrum eſt, & oculis mentis gratiſſimum, ô filia Principis, animam duertere quantum in via Dei, & exercitio virtutum proficias, fide viuâ illuminata, charitate verâ inflammata! Quo fit vt toto deſiderio ad cœlum tendas. Video Patrem benignum calceamenta dediſſe in pedes: nam ſi nudis pedibus ambulares, cum tibi per vias ſpinoſas, ſalebroſas & aſperas ſit ambulandum, timendum eſſet ne tui affectus, & mentis determinationes in proſecutione veri & boni læderentur: quæ è contra fide & charitate munitæ, ad ea quæ ſperas alacri greſſu properas, omniaque potes in eo qui te confortat. Qui cito reiteratis, & conciſis deambulationibus aliquod ſpatium breuioris itineris conficiunt, citius fatigantur, ex eo quod ſpiritus animales refrigeſcunt dum tantiſper liſtitur. Sic dum quædam intercedit mora in exercitio virtutum, boni affectus feruoris detrimentum patiuntur. At dum continuò, & nullâ morâ, interciſo minimè greſſu ad finem conſequendum properas, maior fit acceſſio feruoris, dum plures actus virtutum ſimul connectis, quo fit vt de te dicatur: *Iunctura femorum tuorum ſicut monilia.* Quam virtutum inter ſe connexionem S. Petrus docuit 2. Ep. c. 1. *Vos autem curam omnem ſubinferentes miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Hæc enim ſi vobiſcum adſint, & ſuperent, non vacuos nec ſine fructu vos conſtituent in Domini noſtri Ieſu Chriſti cognitione. Cui enim non præſto ſunt hæc, cæcus eſt, & manu tentans, oblionem accipiens purgationis ſuorum delictorum. Quapropter, fratres, magis ſatagite vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis. Hæc enim facientes non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini noſtri, & ſaluatoris Ieſu Chriſti.* Ad tam longum iter abſque moleſtia faciendum meritò requirebantur calceamenta. Refert Petrus Crinitus, de honeſta diſciplina l. 22. c. 10. Aurelianum Auguſtum deſideraſſe in ſuis militibus, primò arma omnia terſa, ferramenta famiata, id eſt acuminata, ex famiare, id eſt, acuere, denique calceamenta fortia. Habeat ſimiliter recenter conuerſus arma nitida, & acuminata per rectitudinem operis & intentionis; ſed inſuper calceamenta fortia, id eſt, affectus fide & charitate munitos, vt ſic inoffenſo pede incedat, & ad cœlum tandem perueniat, Ad quartum bonum conuerſo dandum veniamus.

Et adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus.

Quartum bonum reſtituendum verè pœnitenti eſt ſtricta mentis & voluntatis vnio cum Deo.

NON eſt dubitandum in manducatione corporis Chriſti Domini animam noſtram obtinere ſtrictam mentis & voluntatis cum Deo vnionem. Animarum ſiquidem noſtrarum vnio cum Deo fit per gratiam. At Chriſtus in hominem Sacramentaliter veniens vitam gratiæ operatur, ſecundum illud Ioan. 6. *Qui manducat me viuet propter me.* Non eſt igitur dubium animas noſtras ſtrictè vniri cum Deo, per perceptionem corporis Chriſti, per quam in nobis Chriſtus veniens vitam gratiæ operatur. *Viuificatiuum enim Dei verbum vniens ſeipſum propriæ carni fecit ipſam viuificatiuam*, vt ait Cyrillus apud S. Tho. 3. q. 79. art. 1. *Hoc pretioſo cibo non modò vitam accipimus, ſed etiam eo ſuſtentamur, augemur, reparamur, delectamur, & vita noſtra ſpiritualis perficitur, ad hoc nempe vt homo in ſeipſo perfectus exiſtat per coniunctionem ad Deum: & præcipuè quia non ſolum per hoc Sacramentum, quantum eſt ex ſui virtute, habitus gratiæ & virtutis confertur, ſed etiam excitatur in actum, ſecundum illud. 2. ad Corinth. 5. Charitas Chriſti vrget nos. Et inde eſt quod ex virtute huius Sacramenti anima ſpiritualiter reficitur, per hoc quod anima ſpiritualiter delectatur, &*

quodammodo inebriatur dulcedine bonitatis diuinæ, ſecundum illud Cant 5. Comedite amici & bibite, & inebriamini chariſſimi. Ita S. Tho. Si per manducationem corporis Chriſti vitam gratiæ, ſpiritualem refectionem, perfectionem vitæ delectationem inebriantem, & hac ratione ſtrictam cum Deo vnionem habeamus, optimè dicimus per vitulum ſaginatum occiſum & de quo fit conuiuium, bonum illud excellentiſſimum vnionis noſtræ cum Deo ſignificari. Ratio eſt, quia per illum vitulum, einſque mauducationem, interpretes intelligunt ſacroſanctum Chriſtum Domini corpus. Ita S. Ambroſius. *Occiditur*, inquit, *& Vitulus ſaginatus vt carnem Domini ſpiritalis optimam virtute, per gratiam Sacramenti myſteriorum conſortio reſtitutus epuletur.* Ita Ambroſ. Et S. Hieronymus. *Vitulus ſaginatus, qui ad pœnitentiæ immolatur ſalutem. Ipſe Saluator eſt: cuius quotidie carne paſcimur crore potamur:* Et poſtea: *Hoc conuiuium quotidie celebratur, quotidie pater filium recipit, ſemper Chriſtus credentibus immolatur.* Ita S. Hieron. & Nicolaus de Lyra: *Adducite vitulum ſaginatum, id eſt, Sacramentum Euchariſtiæ fidelibus adminiſtrate, in quo immolatur Chriſtus, qui eſt Vitulus ſaginatus propter gratiæ pinguedinem. Vt manducemus, quia in primitiua Eccleſia non ſolum Miniſtri Eccleſiæ ſumebant hoc Sacramentum, ſed etiam totus populus quotidie. Vt habetur Act. 2. & adhuc ſemel in anno quilibet Chriſtianus tenetur reſici hoc Sacramento: reficitur etiam quotidie, quia ſacerdos non ſolùm ſumunt Sacramentum pro ſe, ſed etiam pro populo.* Ita Nicolaus de Lyra.

Itaque ſi per vitulum ſaginatum intelligamus Sacramentum corporis Chriſti, rectè diximus in hoc vitulo deſignari quartum bonum hæretico reuertenti reſtituendum, qui à communione Eccleſiæ fuerat per excommunicationem ſeparatus.

Ait igitur parabola: *Adducite vitulum ſaginatum.* Videtur parabola facere alluſionem ad id quod dicitur Leuit. 4. cum de immolatione vituli fit mentio. Ibi enim dicitur, vel *Adducite illum ad oſtium tabernaculi*: vel *Adducetque eum ad oſtium tabernaculi.* Sed quia corpus Chriſti non eſt in Euchariſtia per adductionem, ac ſi pertranſito medio à dextris Patris veniret in manus ſacerdotis, interpretanda eſt iſta formula dicendi, *Adducite vitulum ſaginatum*, ac ſi diceretur: Per verba conſecrationis facite vt reuera corpus Chriſti fiat præſens in Euchariſtia, ac ſi de cœlo in terram adduceretur; vel, ſi iam conſecratæ ſunt ſpecies, Adducitè, id eſt, adminiſtrate & porrigite recenter cõuerſis, occidite, id eſt, ſacrificate, effundite ſanguinem eius, vt hæc occiſio vituli ſit ſacrificium, in commemorationem ſacrificij in cruce peracti: nec enim ſine ſanguinis effuſione fit peccatorum remiſſio, quæ promittitur in effuſione ſanguinis vituli myſtici, nẽpe Chriſti, his verbis Matth. 26. *Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Et ad hunc ſenſum S. Petrus Chryſologus ſerm. 3. ponderans illud Dauidis: *Et placebis Deo ſuper vitulum nouellum, &c. Occiditur*, inquit, *vitulus Patre iubente, quia Chriſtus Deus, Dei filius occidi ſine Patris voluntate non poterat. Audi Apoſtolum: Qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Hic eſt Vitulus, qui in epulum noſtrum quotidie ac iugiter immolatur.* Ita Chryſol. Immolatur, inquam, in memoriam Chriſti, facientes quod fecit Chriſtus, ſicut ipſe præcepit: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Vnde S. Cyprianus lib. 2. Epiſt. Epiſ. 3. ad Cæcilium fratrem. *Quia paſſionis eius mentionem in ſacrificiis omnibus facimus, (paſſio eſt enim Domini ſacrificium quod offerimus) nihil aliud, quam quod ille fecit facere debemus. Scriptura enim dicit: Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & Calicem Domini bibetis, mortem Domini annunciabitis, quoadusque veniat. Quotieſcumque ergo Calicem in commemorationem Domini & paſſionis eius offerimus, id quod conſtat Dominum feciſſe facimus.* Ita Cyprian.

Occiditur autem aliquo modo in conſecratione corpus Domini, quia datur nobis modo mortuo. Sicut enim corpus mortuum, nec per ſe mouetur, nec per ſenſus aliquid percipit; ita corpus Chriſti in Sacramento non mouetur motu proprio, ſed ad motum ſpecierum, vt ibi ſit vbi fuerint ſpecies conſecratæ. Naturalis quippe motus partium corporis exigit extenſionem ad locum, quæ hic non reperitur. Vnde ſi moueatur corpus Chriſti oportet vt ſit ad motum ſpecierum. Nec etiam habet actus ſenſuum: ſiquidem ſenſitiuæ potentiæ requirunt etiam extenſionem ad locum; quo fit vt in actus nec poſſint prorumpere, ſicut nec moueri motu naturali, niſi præſuppoſitâ abſolutâ Dei potentiâ, vel animâ Chriſti agente, vel per virtutem miraculorum operatricem in anima permanentem. Cum igitur mors nihil aliud ſit quàm priuatio ſenſus & motus, cum ſacerdotibus dicitur: occidite, facite, conſecrate, ſacrificate, hoc quidem corpus ſecundum eſſe proprium & naturale habet vitæ principium, motum & ſenſum, & actu poteſt moueri, & ſenſuum actus elicere. At cum per conſecrationem ſit præſens ſub ſpeciebus panis & vini, in iſto eſſendi modo Sacramentali licèt anima iuncta ſit corpori, tamen nullam functionem vitalem eliciet, ſed modo mortuo ibidem exiſtet, vt ſit nobis in alimentum.

At quæres, cum in veteri Teſtamento plura animalia occiderentur in figuram ſacrificij crucis, verbi gratia, oues, hirci, capræ, & hædi, cur potiùs aſſumitur figura vituli ſaginati quàm ouis & hirci? Reſpondeo tribus potiſſimum de cauſis hoc fieri. Primo Leuitici quarto præcipitur, vt pro peccato ſacerdotis, aut totius plebis, vituli hoſtia offeratur. *Si*, inquit, *ſacerdos, qui vnctus eſt, peccauit delinquere faciens populum, offeret pro peccato ſuo Vitulum immaculatum Domino, & adducet illum ad oſtium tabernaculi teſtimonij coram Domino.* Et poſtea etiam dicitur: *Quod ſi omnis turba Iſrael ignorauerit, & per imperitiam fecerit quod contra mandatum Domini eſt, & poſtea intellexerit peccatum ſuum, offeret pro peccato ſuo vitulum, adducetque eum ad oſtium tabernaculi.* Leuit. 4. Igitur pro peccato ſacerdotis, qui eſt perſona publica, & pro tota plebe peccante offertur vitulus. Talis hoſtia requiritur ad reconciliandum hæreticum: quia videlicet hæreſis eſt crimen publicum læſæ maieſtatis diuinæ, & Deum Regem Regum, qui eſt ſumma veritas, directè aggreditur; tum quia communi rati Eccleſiæ eſt valde nociuum. Secundò vitulus figura eſt beneficentiæ & abundantiæ, vt patet ex viſione Pharaonis; cum vidit ſeptem boues pulchras nimis, & obeſis carnibus, quæ fertilitatem magnam promittebant, interprete Ioſeph, Geneſ. 41. Vitulus igitur ſaginatus innuit maximè bonitatem, liberalitatem, & donorum ſpiritalium abundantiam, quam Deus manifeſtat maximè in reconciliatione hæretici, dum illum admittit ad participationem corporis Chriſti. Tertiò vitulus ex Pierio, lib. 3. Hieroglyphicorum, ſymbolum eſt gaudij & lætitiæ, quod etiam ex ſcriptura oſtendi poteſt, Ierem. c. 15. *Quoniam exultaſtis, & magnaloquimini diripientes hæreditatem meam: quoniam effuſi eſtis ſicut vituli ſuper herbam & mugiſtis ſicut tauri.* Et Pſal. 28. *confringet Dominus cedros libani, & comminuet eos tanquam vitulum libani*, id eſt, in particulas ſubſilientes, ſicut ſubſiliunt vituli paſcentes in monte libani. Sic Columella l. 7. apud Calepinum, verbo, *Laſciuio*, ait: *Saturate vernis pabuli pecudes exhilarata laſciuiunt.* Rectè igitur in hoc conuiuio gaudij & lætitiæ, ob reditum filij iuniotis,

pius pater adhibet vitulum, vt opere oſtendat quod ore promit : *Epulari autem & gaudere oportebat : quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit, &c.* Et ſe huic gaudio participare oſtendit pius pater, dum non ait, manducate & epulamini, ſed ait : *Manducemus, & epulemur.* Quod obſeruatione dignum exiſtimauit S. Hier. Epiſt. 146. ponderans verba ſenioris dicentis ad patrem : *Nunquam dediſti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer. Erras Iſrael. Dic potius, vt tecum epularer. Aut poteſt eſſe tibi aliqua iucunditas, niſi patre tecum celebrante conuiuium ? Saltem exemplo docere præſenti, reuerſo filio iuniore, & pater lætatur & pueri, Manducemus, ait, & epulemur : non, manducate & epulamini.* Ita S. Hieron. Et reuera manducat Dominus, quia cibus eius eſt ſalus noſtra. Cibus enim eius eſt vt faciat voluntatem Patris, & Pater vult omnes ſaluos fieri, iuxta illud S. Pauli 1. ad Timoth. 2. *Hoc enim bonum & acceptum coram ſaluatore noſtro Deo (nempe fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus) qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus, teſtimonium temporibus ſuis.* Ita S. Paulus. Manducemus & nos, de ſalute noſtra, & de proximi ſalute gaudentes.

Erat autem filius eius ſenior in agro. Et cum veniret & appropinquaret domui, audiuit ſymphoniam & chorum. Et vocauit vnum de ſeruis, & interrogauit quid hæc eſſent? Iſque dixit illi : Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum ſaginatum, quia ſaluum illum recepit. Indignatus eſt autem & nolebat introire.

Quid potiſſimùm parabola iſta doceat, in his quæ ſequuntur?

Si commentatori S. Lucæ, ſub nomine Titi Boſtrenſis Epiſcopi, ſententiæ inhærendum eſſe putaremus, nihil ampliùs in iſta parabola eſſet inquirendum. Monet namque ex S. Chryſoſt. non eſſe neceſſarium ſingula alicuius parabolæ membra ſigillatim, & quaſi ad verbum curiosè expendere, & inueſtigare : neque id commodè fieri quoque poteſt ; ſatque eſſe ſi ſcopum, propter quem proponitur, vtrumque perſpectum habeamus. fructumque nonnullum ex eo decerpamus, aliquid verò hoc ampliùs anxiè inquirere, id nullum eſt operæ pretium, eamdemque fuiſſe ſententiam S. Cyrilli, ne ſi ſubtiliter, & exquiſitè omnia diſcutiantur, nimiâ copiâ nauſea moueatur. Siſtendum ergo nobis eſſet, cum ſufficienter vt puto, ſcopum huius parabolæ tetigerimus, nempe peccatores redeuntes eſſe benigne recipiendos, vt notat etiam Nicolaus de Lyra. Tamen exiſtimo duo nobis in reliqua parte huius parabolæ doceri, primum quàm graue & enorme ſit crimen hæreſeos, quo magis eluceſcat benignitas Patris hæreticum benignè recipientis, vnde ſcopus parabolæ magis innoteſcit, nempe peccatores benignè eſſe recipiendos ; ſecundum, licèt hoc crimen ſit grauiſſimum, illud tamen eſſe condonandum, neminemque contra Eccleſiæ lenitatem meritò ſuccenſere debere.

Quod hæreſis ſeu apoſtaſia à fide ſit grauiſſimum crimen, quo ſit vt hæreticus non debeat admitti, niſi attentè ponderando vere an fictè ad Eccleſiam accedat : quia difficilis & rara eſt vera hæretici conuerſio.

VT grauitatem huius criminis ponderandum eſſe oſtendat parabola, appoſitè & ſapienter introducitur ſenior filius indignatione commotus, audiens fratrem ſuum iuniorem cum tanto gaudio fuiſſe à patre receptum. Quiſnam autem ſit ille filius ſenior, ſententiæ noſtræ inhærentes, qua volumus parabolam iſtam eſſe de hæretico intelligendam, Dicimus hunc filium ſeniorem non eſſe Iudaicum populum, ſed fidelem catholicum. Nec ab hac ſententia omnimode eſt alienus S. Hieron cum ait. *Hinc ad ſeniorem filium ſermo tranſgreditur, quem multi ſimpliciter ad omnium ſanctorum perſonam, multi propriè ad iudices referunt ; & de ſanctis quidem non difficilis interpretatio, in eo quod dicitur : Nunquam mandatum tuum præterii.* Ita Hieron. Dum igitur parabola Catholicum fidelem inducit indignatione commotum, ex receptione hæretici in Eccleſiæ filium, Patremque hanc indignationem non tam ſeuerè arguentem, quàm dulciter demulcentem & compeſcentem, occaſionem dat inquirendi quanam ratione pulſari poſſit vir Catholicus, vt indignatione moueatur, ſi hæreticus recipiatur ? Dices hoc fieri ex inuidia & liuore. Ita ſenſiſſe videtur S. Hieron. cum ait : *Legenti ſcrupulus commouetur, cur iuſtus ſaluti peccatoris in tantum inuidia repleatur, vt nec fratris miſericordia, nec patris precibus, nec totius domus iucunditate ſuperetur.* Ita S. Hieron. Tamen cum tanti Doctoris venia, liceat mihi dicere, oportere vt ex nobiliori & laudabiliori motiuo hæc indignatio procedat, quàm ex inuidia, quæ certe fuiſſet grauiter à Patre reprehendenda, vt charitati contraria. At pater egreditur obuiam filio ſenioti, at rogat, at ratione illum conuicit gaudendum eſſe de fratris iunioris receptione. Non ita ſe gerit erga operarios Pater familias, qui murmurabant quod licèt primi, non plus mercedis accipiebant quàm nouiſſimi, accipientes ſinguli pro mercede ſingulos denarios ; eos enim durè arguit : *Nonne ex denario conuenisti mecum? Tolle quod tuum eſt & vade. Volo autem & huic nouiſſimo dare ſicut & tibi. Aut non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* Matth. 20. Probabile videtur igitur indignationem illam patri non diſplicuiſſe, & ab eo tollerari & excuſari, quippe quæ potius procedebat ex zelo diuini honoris, quàm ex inuidentia fraterna ; & ex admiratione quadam quod Deus ſe oſtendat erga filium proteruum, & qui iugum obedientiæ excuſſerat, tam liberalem & munificum, vt ſeipſum illi tradat in alimentum, & erga Catholicum obedientem adeo parcum, vt ei nonpermittat ad libitum rebus ſenſibilibus vti, quas abundè etiam ſuppeditat brutis animantibus.

Quam cauſam indignationis, ex zelo & quadam admiratione procedentis, comicere poſſumus ex verbis filij ſenioris : *Nunquam dediſti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer : ſed poſtquam filius tuus hic, qui deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, venit, occidiſti illi vitulum ſaginatum.*

Dico igitur ſecundò : parabola inducit ſeniorem filium, id eſt, fidelem Catholicum indignatione commotum, vt ponderemus tantam eſſe malitiam criminis hæreſeos, & tam grauiter hoc crimine diuinam maieſtatem offendi, vt potius ſupplicio dignus videatur qui hoc crimen admiſit, quàm veniæ ;

& potius ab eo, quæ habet auferenda eſſe, quàm ei dona conferenda; quia talentum, quod ei datum fuerat, abſcondit, dum ob amorem terrenorum & carnalium, lumen fidei ſibi in baptiſmo datum inutile reddidit, iuxta parabolam talentorum, Matt. 23. in qua dicitur: *Omni habenti dabitur & abundabit;* Ei autem qui non habet, id eſt, qui ex talento dato nullum emolumentum attulit, & quod videtur habere, nempe fidem, auferetur ab eo. Et quia ſe inutilem ſeruum reddidit, dignus eſt vt ejiciatur in tenebras exteriores, vbi erit fletus & ſtridor dentium. Quis igitur ponderans ingratitudinem, malitiam, donorum Dei contemptum, in hæretico, non miretur eum ad participationem myſteriorum facilè admittit, ac ſi nunquam deliquiſſet.

Catholici igitur indignatio, in receptione hæretici, videtur procedere ex zelo, & odio iniquitatis, quo zelo commotus dicebat Dauid: *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.* Pſ. 118. Et rurſus: *Vidi prævaricantes, & tabeſcebam: quia eloquia tua non cuſtodierunt.* Et Pſal. 38. *Nonne qui oderant te Domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi.* Capitali, conſummato odio, & cui nihil accedere poſſit, inquit Genebrardus. *Hoc Zelo motus Sapiens dicit. Eccleſiaſt. 26. In duobus contriſtatum eſt cor meum, & in tertio iracundia mihi eſt: Vir bellator deficiens per inopiam, & Vir ſenſatus contemptus, & qui tranſgreditur à iuſtitia ad peccatum. Deus paratus eum ad rhombeam.* Ita Sap. Nonne igitur mirum eſt, vt qui paratus erat ad rhompheam, conuiuio lautiſſimo & ſplendido excipiatur? Certè & indignatio illa videtur toleranda, & tanto magis probanda, quod crimen hæreſis & apoſtaſiæ à fide alia antecedit crimina, & maiori odio eſt proſequendum. Quantum illud crimen abhorreret noſter propheta ſatis oſtendit, dum eodem balneo vti noluit quo vſus erat Cerinthus. Quantum S. Policarpus, dum obuianti ſibi Marcioni, & petenti: *Cognoſcisne nos?* Reſpondit: *Cognoſco primogenitum Diaboli.* Vnde (vt notat Bellarminus, de ſcriptoribus Eccleſiaſticis) S. Hieron. & S. Ambroſius timidè reprehendunt Luciferum Calaritanam, qui tanto odio proſequebatur Arrianos, vt à communione illorum abſtinuerit, qui ſub ſatisfactione & pœnitentia ſuſceperant eos qui in Concilio Ariminenſi incautè hæreſi Arrianæ conſenſerant. Ad oſtendendum igitur nonniſi cautè & circumſpectè Catholicos debere conuerſari cum hæreticis, licèt recenter conuerſis, parabola inducit ſeniorem filium vt nolentem intrare in domum, in qua audiebat hæreticum eſſe ingreſſum. Nec illud abſimile eſt iis quæ obſeruarunt antiqui fideles erga S. Paulum, cum quo timebant conuerſari, Act. 20. *Cum autem veniſſet in Ieruſalem tentabat ſe iungere diſcipulis, & omnes timebant eum, non credentes quod eſſet diſcipulus.* Si quisitaque audiens aliquem hæreticum eſſe conuerſum, timet ne adhuc hæreſi interius aſſentiat, non eſt ſeuere culpandus rara eſt enim hæretici conuerſio, quamuis ſit poſſibilis, quia *non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum.* Narrauit mihi quondam illuſtriſſimus Dominus & beatæ memoriæ Franciſcus de Sales Epiſcopus Genebenſis, ſiue Geneuenſis, quomodo inſignis ille hæreticus Beza ſtimulis conſcientiæ agitatus paratus fuerit hæreſim abiurare, ad id faciendum inuitatus à Clemente octauo ſummum Pontifice, Paſtore vigilātiſſimo, operâ & miniſterio ipſius ſanctiſſimi Epiſcopi. At tremendo Dei iudicio factum eſt vt morbo corriperetur, & morte è viuis ſublatus fuerit, cum tam laudabile propoſitum exequi paratus eſſet, Deo rationem redditurus de ſua in hæreſi per tantum temporis ſpatium pertinacia. Et ſatis nota eſt Berengarij hiſtoria, qui tot vicibus relapſus eſt, vt poſſimus dicere non leuiter credendum hæreticum eſſe verè conuertum. Rationem reddit S. Paulus ad Hebræos c. 6. *Impoſſibile eſt enim eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, guſtauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque ſæculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam, rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes: terra enim ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo; proferens autem ſpinas ac tribulos reproba eſt, & maledicto proxima, cuius conſummatio in combuſtionem.* Talis eſſe debet hæretici conſummatio, vt comburatur; hac namque pœna etiam leges hoc crimen puniunt. Lege Alphonſum à Caſtro, lib. 2. de iuſta hæreticorum punitione, & Reginaldum lib. 17. de ratione iudicandi de peccatis, q. 5. de ratione iudicandi de peccatis in ordine ad primum præceptum. Quod ſi effugiunt ignem temporalem, niſi pœniteant, vt filius prodigus, & ad Eccleſiam redierint: ſempiternos ignes non effugient: quia illuminati olim per baptiſmum, cum guſtauerint donum cæleſte per Euchariſtiæ perceptionem, quæ panis eſt de cœlo deſcendens, participes facti Spiritus ſancti per confirmationis Sacramentum, ſpe felicitatis æternæ allecti, & memores verbi iſtius boni: *Ego ero merces tua magna nimis:* ſeu, *Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum:* nec non ſcientes, & prævidentes virtutes ſæculi venturi, cum veniet Dominus cum virtute & poteſtate magna vniuerſum iudicare mundum, nihilominus iſta omnia ſpernentes prolapſi ſunt; certe tanta ingratitudo exigit vt illis ſit difficillimum renouari ad pœnitentiam, quia ad ſuipſius perniciem, Chriſtum Dominum rurſum per apoſtaſiam à fide crucifixerunt, & oſtentui habuerunt, & pro herba opportuna bonorum operum, errores, ſchiſmata, & mala opera protulerunt, Et certè timorè concutior, cum audio S. Paulum ita diſſerentem de iis, qui poſt acceptam notitiam veritatis voluntariè peccant. *Iam enim*, inquit, c. 10. *non relinquitur pro peccatis hoſtia, terribilis autem quædam expectatio iudicij & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt aduerſarios.* Ita Paulus. Et hæreticus valde ponderare debet verba Apoſtoli: *Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine vlla miſeratione, duobus vel tribus teſtibus moritur. Quanto magis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti, in quo ſanctificatus eſt, pollutum duxerit, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit. Scimus enim qui dixit: Mihi vindicta, & ego retribuam: & iterum: Quia iudicabit Dominus populum ſuum. Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.* At hæreticus filium Dei conculcat, cum verbum Dei corrumpit; ſanguinem teſtamenti pollutum ducit, cum Sacramenta Eccleſiæ rejicit aut contemnit; ſpiritui gratiæ contumeliam facit, cum paſtoribus Eccleſiæ, quos poſuit Spiritus ſanctus regere Eccleſiam Dei, obedire renuit. Qua ratione peior euadit quàm ſit infidelis, non ſolum quia infidelitas cauſatur ex cæcitate mentis, propter naturalem ignorantiam; hæreſis autem plærumque oritur ex cauſis turpibus, ex malitia, odio, ſuperbia, arrogantia, vindictæ appetita concupiſcentia; ſed maximè quia maiora detrimenta patitur Eccleſia ex hæreſi, quàm ex infidelitate. Vnde Apoſtolus permittit, 1. ad Corinthios 7. viro fideli habitare cum vxore infideli, & è contra mulieri fideli habitare cum viro infideli; at in Epiſtola ad Titum, præcipit vt hæreticum fugiamus. *Hæreticum hominem poſt vnam aut ſecundam correptionem deuita, ſciens quia ſubuerſus eſt.* Et S. Ioannes, Epiſto. 2. hæreticum nec recipi nec ſalutari

vult. *Si quis*, inquit, *venit ad vos, & hanc doctrinam non habet, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi aue, communicat operibus eius malignis.* Vnde S. Chrysosthom. Homil. 31. in 12. Matthæi, vult hæreticum esse illum hominem, *de quo diabolus ejectus, v. g. per baptismum, postea in eumdem redit, cum septem spiritibus nequioribus; & sunt nouissima illius peiora prioribus.* Et subdit: *Hæreticos gentibus esse peiores dubitat nemo. Primùm, quia gentiles per ignorantiam Christum blasphemant, hæretici autem scientes, Christi laniant veritatem; deinde quia in illis vel spes fidei est, in istis autem incessabilis pugna & discordia.* Ita Chrys.

Ex quibus omnibus patet condonandum esse aliquid seniori filio, id est, fideli Catholico, si ex zelo diuini honoris indignatur, si sibi persuadeat fratrem iuniorem in hæresim lapsum, id est, in crimen tam horrendum, benignius excipi quàm par sit; fideles que Catholicos existimare debere, cum vident Ecclesiæ pastores hæreticos admittere, ipsos sufficienter attendisse an verè ac syncerè accedant, & gaudere potius de conuersione fratris, quàm scandalizari de benignitate Ecclesiæ hæreticum benignè recipientis.

Pater ergo illius egrediens capit rogare illum. At ille respondens dixit patri suo: Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui: & nunquam dedisti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer. Sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum. At ipse dixit illi: Fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. Epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est.

Scopus tandem parabolæ aperitur, nempe nullum esse peccatorem repellendum, quamuis grauiori crimine reus sit; neminemque contra Dei & Ecclesiæ lenitatem meritò succensere debere.

VT scopus huius parabolæ aperiatur (qui in his vltimis verbis continetur: *Epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit, perierat & inuentus est*: ac si diceret: non modo peccatores non sunt repellendi, sed potius gaudendum de eorum reditu;) resumenda est expositio eorum quæ dicuntur de filio seniori, quæ facilior nunc est ex iis quæ diximus, si cuncta attentè consideremus.

Erat igitur senior in agro, Ager autem est mundus, vel Christo teste, Matth. 13. in hoc mundo est fidelis Catholicus, cum mente & cogitatione cogitat ea quæ mundi sunt, vel in eo sunt. Sic Genesis 24. dicitur de Isaac quod *egressus fuerat ad meditandum in agro.* Dum tam pio filius senior vacat exercitio, non modo meditatur in omnibus operibus creationis, & gubernationis rerum, sed vsque huc progreditur eius meditatio, vt veniat & appropinquet domui, id est, animaduertat inter opera excellentiora prouidentiæ diuinæ, & gubernationis rerum humanum, reponendam, esse Ecclesiam, quæ est domus Dei viuentis. Mente reuoluens excellentiam tanti operis, audiuit symphoniam & chorum, id est, fide percepit admirabilem illam harmoniam, quæ exoritur ex vnitate & communione fidelium & sanctorum ad inuicem, & strictam illorum cum Deo vnionem: qua fit vt in laudes Dei prorumpant assiduè. Et dum istam percepit vnionem & communionem, statim animaduertit nullum posse admitti in hanc domum paternam, nisi qui corde crediderit, ore confessus fuerit, opere complere decreuerit quæ credenda, speranda, & facienda præscribuntur, vt hæc harmonia & symphonia minimè turbetur; & proinde nullum hæreticum, ab Ecclesiæ vnitate & communione separatum per excommunicationem, posse in hanc domum admitti, quin eamdem perfiteretur fidem, & vnitati & communioni restitutus esset per absolutionem. At volens scire, ad quid necessaria esset ista communio & vnitas, interrogat vnum de seruis, id est, pastorem aliquem Ecclesiæ. Qui respondet hoc necessarium esse, vt quicumque venerit in domum paternam possit participeps esse epuli, & comedere valeat ex vitulo saginato, quem pater occidi voluit in gratiarum actionem salutis filij redeuntis in domum, qui perierat ab illa discedens. Quod audiens indignatione commouetur, recogitans apud se quisnam esset & qualis ille, qui venerat, qui se exhibuerat omnimodè iudignum tantæ benignitatis; & tam profundi consilij diuinæ misericordiæ non valens penetrare abyssum, à meditatione istorum desistere voluit. Sed Deus, qui laudari & magnificari vult in omnibus operibus suis, & nihilominus nostras non vult cogere aut necessitate voluntates, inducitur non præcipiens, sed rogans, vt tam præclarum opus diuinæ suæ benignitatis ponderemus, vt certò cognoscamus quàm pius & quàm misericors sit, qui nullum respuit peccatorem, si ad eum conuerti voluerit.

Et non solum interius illuminando, sed exterius docendo per tres istas parabolas, ouis, dra chmæ, & filij domum paternam deserentis, docet nullum esse peccatorem repellendum, si peccare desierit, & contritus & humiliatus ad Deum redire voluerit. Et sic non solùm Scribarum & Pharisæorum murmurationes retundit, qui dicebant: *Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis*, Sed per Ecclesiam, Nouatianorum hæresim, & Luciferianorum duritiem reiecit, qui pœnitentes recipere nolebant ad pœnitentiam. Et sanctus Cyprianus (qui fauebat aliquatenus indignationi filij senioris) dum inuehitur in quosdam sacerdotes, qui, non seruatis seruandis, aliquos lapsos receperant, Epistolâ ad Martyres 15. lib. 3. dicens: *Contra Euangelij legem, vestram quoque honorificam petitionem, ante actam pœnitentiam, ante exomologesim grauissimi atque extremi delicti factam, antę manum ab Episcopo & Clero in pœnitentiam impositam, offerre pro illis, & Eucharistiam dare, id est, sanctum Dei corpus profanare audeant, cum scriptum sit: Qui ederit panem, aut biberit Calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Et lapsis quidem potest in hoc venia concedi. Quis non mortuus viuificari properet? Quis non ad salutem suam venire festinet? Sed præpositorum est præceptum tenere, & vel properantes, vel ignorantes instruere: ne quis ouium Pastores esse debens, lanij fiant. Ea enim concedere, quæ in perniciem vertant, decipere est; nec erigitur sic lapsus, sed per Dei offensam magis impellitur ad ruinam.* Ita S. Cyp. Hic, inquam qui seniori conquerenti videtur fauere, tamen verè pœnitentem & conuersum vult recipiendum esse, dum Nouatum contrarium sentientem, Epist. 1. ad Cornelium vocat. *desertorem Ecclesiæ, misericordiæ hostem, interfectorem pœnitentiæ, doctorem superbiæ, veritatis corruptorem, perditorem charitatis.* Et Ep. 4. l. 4. Epist. ad Anton. ait: *Miror autem quosdam sic obstinatos esse, vt dandam lapsis non putent pœnitentiam, aut pœnitentibus existiment veniam denegandam: cum scriptum sit: Memento vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac, &c.*

Digitized by Google

Ecce tot annis ſeruio tibi, & nunquam mandatum tuum præterini: & nunquam dediſti mihi hædum, &c.

Nulla iuſta cauſa adduci poteſt, qua Eccleſiæ lenitas in receptione hæreticorum pœnitentium vituperari poſſit.

PAtri roganti filium ſeniorem vt intret, id eſt, vt piè mediteretur quanta ſit Dei miſericordia, vt nullum rejiciat peccatorem, explicat appoſitè parabola cauſam propter quam filius ſenior mentem applicare non velit ad huius operis meditationem, & potius indignatione moueatur, cum audit hoc de facto fieri & adimpleri, quàm pio in Deum moueatur affectu, dum illum ita reſpondentem Patri inducit. *Ecce tot annis ſeruio tibi, & nunquam mandatum tuum præterini: & nunquam dediſti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer. Sed poſtquam filius tuus hic, qui deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, venit, occidiſti illi vitulum ſaginatum.* Ac ſi diceret: Apud me rationem inuenire non valeo; nec poſſum vltra progredi in meditatione operum tuorum mirabilium, cum venio ad meditationem illius profundi conſilij infinitæ miſericordiæ, quo grauiter peccantes, ſceleſtos, ingratos, poſt agnitam veritatem ad peccata voluntariè redeuntes, dignos qui rhomphæa ſeueritatis reſcindantur è numero viuentium, benignè recipis, donis cumulas, ad participationem myſteriorum admittis, & ega filios tibi ſeruientes, tibi obedientes ita te geris, vt minora bona illis denegare velis. Miror, inquam (vt paucis abſoluam, & verbis vtar S. Hieronymi) quod *cum meretribus minora non dederis, immeritis maiora tribuiſti. Ecce tot annis ſeruio tibi*: Hic ſtatim atque ephebus, & ad ætatem competentem vt tibi obſequium præſtare poſſet adductus, à domo diſceſſit. *Ego nunquam mandatum tuum præterini*: Hic à die ſuæ diſceſſionis, vſque nunc, omnia mandata tua contempſit. Ego rei familiaris augendæ ſedulam nauaui operam, & ad hoc totam vitam meam & ſubſtantiam inſumpſi: Hic deuorauit omnem ſubſtantiam cum meretricibus. Et tamen non modo illum mihi æquiparas, ſed ac ſi maioris eſſet meriti, quàm ſim, nec hædum mihi concedis, & pro illo vitulum ſaginatum occidere non renuis. Ex reſponſione Patris rationem habebimus, propter quam, lenitatem Eccleſiæ in receptione hæreticorum improbandam non eſſe videbimus. *At ipſe dixit illi: Fili tu ſemper mecum es, & mea omnia tua ſunt: Epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat & reuixit, perierat & inuentus eſt.* Exiſtimat S. Hieronymus Patrem non confirmare vera eſſe quæ dixerat filius ſenior, cum dixit: *Mandatum tuum nunquam præterini*: non enim ait: Benè quidem dicis, & feciſti cuncta quæ iuſſeram; ſed; *mecum es*, inquit, *ſemper*. Quæ verba ita S. Hieron. Exponit: *Mecum es lege qua ſtringeris: mecum es, dum & in captiuitatibus erudiris,* (ad populum namque Iudaicum putat S. Hieron. hæc verba proferri) *Mecum es, non quia præcepta mea compleueris, ſed quod te in longam regionem abire non paſſus ſum; mecum es, ad extremum, ſecundum illud quod locutus ſum ad Dauid: Si dereliquerint, &c. dum peccans viſitatur in virga, & viſitato miſericordia non negatur.* Ita S. Hieron. At liceat mihi dicere, cum ſenior filius ex noſtra interpretatione non ſit populus Iudaicus, ſed fidelis Catholicus, Pater per iſtam formulam loquendi, *Mecum es*, conformat quæ dixerat filius, nempe: *Mandatum tuum nunquam præterini*; eadem ratione qua Dominus oſtendere volens ſe ſemper placita Patris adimplere, dicebat: *Qui me miſit mecum eſt, & non reliquit me ſolum, quia ego quæ placita ſunt ei facio ſemper.* Ioan. 8. Æquiualet namque quod filius ſit ſemper cum patre, aut quod pater ſit ſemper cum filio; quin & Dominus, Luc. 22. promittebat regnum diſcipulis, quia ſemper cum illo permanſerant: *Vos autem eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis: & ego diſpono vobis regnum, ſicut diſpoſuit mihi Pater, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* Luc. 22. Cum igitur Pater dicit: *Fili mi, tu ſemper mecum es*: Idem eſt ac ſi diceret: Noui opera tua, ſcio quia nunquam à me ſeparatus fuiſti per tranſgreſſionem alicuius mandati, ſeruaſti ſtolam tuam immaculatam, non inquinaſti veſtimenta tua. Quod bonum tam rarum ſi agnoſceres, non moleſtum tibi foret quod tibi non conceſſerim ea, quæ te impuliſſent in aliquem mandatorum tranſgreſſionem; dum tibi non dedi hædum edendum cum amicis tuis, id eſt, vſum ad libitum delectabilium, quę ſenſibus (cum quibus tantam contraxiſti amicitiam, & familiaritatem ab ineunte ætate) gratiſſima ſunt: eſt enim hædus delectabilium ſymbolum conueniens. *Hædus*, inquit Arias Montanus, lib. de Ioſeph, ſiue de arcanis, verbo hædus. c. 79. *meliori ac ſuauiori carne commendabilior eſt, quam capra aut hircus.* Vnde & ſplendidioribus conuiuiis adhibetur, ſicut ſcriptum eſt: *Et faciamus tibi hædum de capris.* Iud. 13. dicebat Manue ad Angelum Domini: & Rebecca volens delicatiorem cibum parare Patriarchæ Iſaac, præcepit Iacob vt afferret duos hædos optimos. Talem cibum non dat Chriſtus, vt aptos & idoneos nos reddat ad obſeruandum fideliter omnia Dei mandata. Vnde per Apoſtolum præcipiebat ad Coloſſ. 3. *Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam, quæ eſt ſimulachrorum ſeruitus, propter quæ venit ira Dei in filios incredulitatis.* Et optime Lector, obnixè rogo vt Apoſtolum conſulas. In hoc loco plane animaduertes hædum non eſſe dandum viro Catholico, vt omnia & in omnibus ſit Chriſtus: vt ſuper omnia charitatem habeamus, qua de reditu hæretici gaudeamus, qua pax Chriſti ita exultet in cordibus noſtris, vt iſta ſymphonia ſemper audiatur in Eccleſia, de qua ſupra; in qua vocamur in vno corpore, vt gratiſimus in gratia cantantes in cordibus noſtris: gratias agentes Deo & Patri per ipſum. Ecce quomodo Chriſtus non vult vt hædum comedamus cum amicis noſtris, hoc eſt, cum ſenſibus noſtris. *Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini. Si autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Quicumque enim ſpiritu Dei aguntur ij ſunt filij Dei.* Rom. 8.

Non igitur ægre ferre debet Catholicus, ſi Deus illi hædum non det comedendum in toto vitæ curriculo: oportet namque vt ſemper mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferamus, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris. *Semper enim nos qui viuimus in mortem tradimur propter Ieſum, vt & vita Ieſu manifeſtetur in carne noſtra mortali.* 2. ad Corinth. 4. Nulla namque fit Catholico iniuria, ſi illi non detur frui ad libitum delectationibus ſenſuum, vt Dei mandata infringere non valeat, cum mandatorum obſeruatio prætioſior ſit auro & topazio, dicente Propheta: *Ideo dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion*; & in qua conſiſtat abſoluta hominis perfectio, iuxta illud: *Time Deum, & mandata eius obſerua: hoc eſt enim omnis homo.* Eccl. 12. Et rectè S. Hieronymus querelam ſenioris fratris, vt ſine cauſa factam rejiciens, nempe: *Nunquam dediſti mihi hædum*; ait: *Nunquam pater deteriora dat munera: Habes vitulum immolatum: ingredere, manduca cum fratre. Quid hædum quæris, cui Agnus eſt miſſus? Et ne ſimules te neſcire quod miſſus eſt, Ioannes tibi eum in eremo demonſtrauit: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*

Digitized by Google

Ita S. Hieron. Et reuera ſenior filius poteſt animad- A uertere quantum nocuit fratri quod illi permiſſum fuerit vti ad libitum delectationibus ſenſuum. Hac enim de cauſa deuorauit omnem ſubſtantiam ſuam viuendo luxuriosè cum meretricibus; ſic enim declinans ad prauitates ſuas deductus eſt cum his qui operantur iniquitatem, Pſ. 124. iuxta Hebraicam verſ. Hieron. Nam adhæſit diabolo operanti iniquitatem.

Magnum itaque beneficium datum eſt ſeniori, quod denegatâ illi hac licentiâ, interger & ſanus in fide, & bonis moribus perſiſterit; & tanto magis, quod nec hac ratione fruſtratur licitis ac honeſtis, & ſemper poſſit habere quæ ad victum & veſtitum neceſſaria ſunt: quibus contentus eſſe debet, vnde addit Pius Pater: *Omnia mea tua ſunt.* Quid, ô fidelis, querimonias fundis, quod hædum non habeas? Non modum hædum habes, ſed omnia quæ in poteſtate Patris eſſe poſſunt tua ſunt; at Patris ſunt oues & boues, & pecora campi, & volucres cœli, & piſces maris. Hædum ne concupiſcas, cuius poſſeſſio te amplioribus & honoratioribus bonis ſpoliaret. Non igitur graue tibi ſit ſi Pius Pater non merenti dat dona tam pretioſa, ex profuſiſſima bonitate ſua, cum nihil tibi deſit, & omnia quæ habet in tua ſint poteſtate. Potius gaudendum eſt ex charitate, quæ non quærit quæ ſua ſunt; ſed quæ Ieſu Chriſti. Vnde addit: *Epulari autem & gaudere oportebat: quia frater tuus hic mortuus erat & reuixit: perierat, & inuentus eſt:* Et reuera vt fusè probat S. Cyprian. l. 4. Epiſt. 4. ad Antonian. *Si pœnitentes admittendi non eſſent, fruſtra peccatores ad pœnitentiam prouocarentur. Quod ſi, inuenimus à pœnitentia agenda neminem debere prohiberi, & deprecantibus atque exorantibus Dominii miſericordiam, ſecundum quod ille miſericors & pius eſt, per ſacerdotes eius pacem poſſe concedi, admittendus eſt plangentium gemitus, & pœnitentiæ fructus dolentibus non negandus.* Ita Cyp. Nec abſque cauſa ſcriptura Deum Patrem nominat. Sicut enim Pater filium ad ſe reuertentem non rejicit, *quanto magis*, ait S. Cyp. *Vnus ille Verus Pater, bonus, miſericors, pius, imo ipſe bonitas & miſericordia, & pietas, lætatur in pœnitentia filiorum ſuorum: nec iram pœnitentibus, aut plangentibus & lamentatibus pœnam comminatur, ſed veniam magis, & indulgentiam pollicetur.* Et paulò poſt: *Cuius pietatem & clementiam agitantes, non acerbi adeo ac duri, nec in fouendis fratribus inhumani eſſe debemus, ſed dolere cum dolentibus, & cum flentibus flere, & eos quantum poſſumus auxilio & ſolatio noſtra dilectionis erigere. Nec adeo immites & pertinaces ad eorum pœnitentiam retundendam, & iterum ſoluti & faciles ad communicationem temere laxandum. Facè enim ſanctus frater ab aduerſario in acie vulneratus, inde Diabolus conatur occidere quem vulneranit. Hinc Chriſtus hortatur ne in totum pereat quem redemit. Cui de duobus aſſiſtimus? In cuius parte ſtabimus? Vtrumne diabolo ſæuemus vt perimat, & ſemianimem fratrem iacentem, ſicut in Euangelio Sacerdos & Leuites, prætereamus? An vero vt Sacerdotes Dei & Chriſti, quod & Chriſtus docuit & fecit imitantes, vulneratum de aduerſarij faucibus rapimus, vt curatum Deo iudici reſeruemus?* Ita S. Cyprian. Hac ratione gaudendum & epulandum, id eſt, in Dei laudes prorumpere debemus, & in gratiarum actionem ad Sacrificium Miſſæ & ſanctum Communionem accedendum, cum aliquis ab hæreſi in Eccleſiæ gremium, Deo miſerante, reuertitur, B nec vlla cauſa cur de eius receptione doleamus.

Quomodo recipiendi ſunt hæretici cum reuertuntur?

Primo fideles Catholici de eius receptione conqueri non debent; nec illius apoſtaſia à fide illi eſt exprobranda, iuxta illud Leuit. 19. *Si aduena apud te moratus fuerit, non exprobretis ei.* Quantum autem attinet ad iudices Eccleſiaſticos, ſi iudices ſunt in foro exteriori, obſeruanda ſunt quæ ab Epiſcopis & inquiſitoribus fidei circa hæreticorum receptionem præſcribuntur. De quibus lege Alphonſum à Caſtro l. 1. de iuſta hæreticorum punit. c. 24; ſi in foro C interiori, quod ſpectat ad confeſſores, qui autoritatem habent legitimam abſoluendi ab hæreſi, oportet vt primo exigant ab eis hæriſis abiurationem C. ſi quis voluerit & C. ſalubberrimum 1. q. 7. Quæ abiuratio duo continet; primum, deteſtationem & anathematizationem errorum iuramento firmatam; ſecundum, promiſſionem etiam ſum iuramento de cætero ectinendi fidem Catholicam, iuxta formam abiurationis 1. q. 7. c. *Quones*, & c. *Ego Berengarius*, de conſecrat. diſt. 2.

Vel iuxta formam præſcriptam ex Concilio Tridentino. Abiuratione facta abſoluatur primò ab excommunicatione contracta ob hæreſim, ante- D quam Sacramentaliter à peccatis abſoluatur, quæ abſolutio ab excommunicatione, quantum fieri poteſt, fiat ſecundum formam iuris. Imponatur cum digna pœnitentia & ſatisfactio, & pro pœnis à iure impoſitis, vt eſt irregularitas, & inhabilitas ad officia & beneficia Eccleſiaſtica, petatur diſpenſatio vel à ſummo Pontifice, vel ab eo habente diſpenſandi poteſtatem. Sed de his ſatis. Non enim noſtrum eſt ea fuſiùs tractare, aut exponere.

FINIS PRIMI TOMI.



INDEX RERVM PRIMI TOMI.

A

PRO Abaddon, id eſt, iudicans, legendum Labaddo, id eſt, exterminans. Pagina. 614

Abnegatio affectuum carnalium præparat animos ad ſpirituales actiones. 33

Abyſſus eor hominis; puteus abyſſi ſenſus externi, per quos obiecta ad mentem ingrediuntur. 586

Achan dedit gloriam Deo, non dicendo pœnam impoſitam eſſe iuſtam, ſed confitendo peccatum ſuum, ne Deus videretur mendax, qui per ſortem illum manifeſtauerat. 726

Acoluthia libri Apocalypſis à Ludouic. ab Alcazar adducta, rejicitur, ex quo patet illius interpretationem non eſſe ſatis ſolidam & certam. 700

In actionibus humanis quatuor conſiderari debent. 128

In actionibus humanis Bonitas entitatiua, eſſentialis, moralis, meritoria. 129

Quænam conditiones requirantur vt actio ſit meritoria? 129

An requiratur, vt actio ſit meritoria, quod à Charitate imperetur? 129

Actiones humanæ indeliberatæ comparantur viridibus ficubus. 428

Actiones corpori fauentes longè diſſimiles ſunt ab eis, quæ rationi ſunt conformes. 410

Actuales notitiæ mentis quaſi decidunt, dum in culpas multiplices labimur. 428

In nomine Adam quatuor mundi partes græcè deſignantur. 386

Adam oſtendit ſuam pœnitentiam ex veſtimento, quod aſſumpſit poſt culpam. Duo Adami, quorum ſecundus, primi filius, ſit primi Pater. 140

Adamas Symbolum perfectæ cognitionis, dilectionis, imitationis, prædicationis Chriſti Domini. 82. 150

Admonitiones quæ fiunt in Epiſtolis ad vniuerſalem Eccleſiam, pertinent ad Paſtores & Eccleſias eorum. 41

Adoratio animalium & ſeniorum, oſtendit eos perfectè agnoſcere & fateri Chriſtum eſſe in altaris Sacramento. 309 & 310.

Hæ adorationes ſeniorum explicantur in cap. 19. 733.

Ægyptij adorabant ventris crepitus 718

Agimur à Deo, vt agamus. 119

Agnus tanquam occiſus ſignificat Chriſtum in Euchariſtia. 192

Agnus apparens quaſi Aries robuſtus, multa habens cornua. 277

Agnus excellentior figura Sacramenti Euchariſtiæ, ratione inſtitutionis, cibi, Sacrificij, & effectus. 300. & 301

Agnus Chriſtus, qui non ſolum ſanguine ſuo nos redemit, ſed & lanis operuit. 300

Agnus Chriſtus, propter facilitatem, teneritudinem, quam in Euchariſtia demonſtrat. 302

Agnus videtur ſtans, quaſi paratus iuuare certantes. 302

Agnus ſtans, quia hic ſitus corporis corpori immortali maximè conuenit. 302.

Agni acceſſus ad Thronum duobus modis exprimitur. 307

Agnus venit, quia ad hunc finem erat in medio Throni, vt accederet. 307

Agni aduentus in medio Throni non denotat eius aduentum in carne, nec ſumitur pro eo inſtanti quo cælum conſcendit, & ſedet ad dexteram Patris; nec pro aduentu viſibili in terris vniuerſali aut particulari apparitione; ſed de Chriſti Domini præſentia, quam acquirit poſt conſecrationem ſub ſpeciebus panis & vini in Euchariſtia. 308

Agnus prius aperit librum, quàm ſoluit ſignacula; quia prius exequitur quæ ſunt in libro, eaque proponit credenda, quam amouerat credendi difficultates, propter obſcuritatem myſteriorum. 325

Sub agni irati figura oſtenditur Chriſtum iuſtitiam & miſericordiam in Sacramento Pœnitentiæ copulare. 431

Alæ ſex in quatuor animalibus requiruntur pro particulari ſanctificatione; confeſſio peccati, ſatisfactio, mundicia cordis, puritas animi, dilectio proximi, dilectio Dei. 275

Aliæ ſex alæ à S. Bernardino numerantur. 275

Alexander magnus Alexandriam conſtruxit, & in ea ſepultus eſt. 256. & 257

Alexandri indoles per Leonem ſignificatur. 257

Alexandrina ſedes & ciuitas in Leonis figura deſignatur. 256. & 257

Alexandrina ſedes plurimum inſeruiuit ad tuendam Chriſti diuinitatem. 115

Alexander Epiſcopus Alexandrinus magnus S. Trinitatis propugnator. 258. & 438

Altare viſum in c. 6. ſignificat quodlibet altare, ſuper quod offertur Miſſæ Sacrificium. 398. & 401. & 552.

Altare iſtud ſignificat Ieſum, per quem conſecramur, & ſanctificamur. pag. 399. ſub hoc altari animæ ſanctorum, propter dependentiam à Chriſto. 401

Per altare aureum, cap. 9. & Chriſtus & Eccleſia deſignantur. 623. & 624

Sub altari aureo vox erumpit poſtulans vindictam de Chriſti & Eccleſiæ contemptu. 624

Altare Symbolum deuotionis. 690

Per altare, perfectos in bono perſeuerantes; per adorantes in eo, eos qui poſſunt intrare & exire in templo ſignificare dicimus. 699

Amantes, modica ſimilitudine, in rei amatæ apprehenſione mouentur. 590

Ambroſij fortitudo & conſtantia. 72 & 105

S. Ambroſius in cap. 9. Lucæ non loquitur de duobus teſtibus pro temporibus Anti-Chriſti. 702

Ambulandum ſemper in via Dei. 44. & 179. malè 173

Ambulandum in latitudine in via Dei 48

Ambulare in albis, Symbolum innocentiæ in hac vita, candoris gloriæ in alia. 134. 137

Amor diuinus inuitare videtur Patrem & filium ad reformationem operis, ad quod creandum Pater prouocauerat Filium & Spiritum ſanctum. 495.

Amoris diuini præclara victoria. 317

Amor diuinus cum amore proprio nequit conſiſtere. 122

Amoris proprij per rectam intentionem victoria, quanta ſit? 121

Qui eo morbo laborant, ſunt in periculo ſalutis, à Deo euomendi. 228

Amores diuerſi ſunt capita actuum malorum. 611

Amor proprius radix omnium malorum 614

Amor ſui ipſius cauſa cur culpam non agnoſcamus. 41.

Amori proprio rectè nomen Dæmonis imponitur. 614

Amor proprius Rex nuncupatur, propter arrogantem dominationem. 614

Amor proprius ciuitatem terrenam impiorum ædificat. 614

S. Andreas per Aſer ſignificatur. 508

Angeli illuminantur à Verbo per lumen gloriæ, & per ſpecialem reuelationem. 43

Angeli ſunt oculi, per quos Chriſtus Eccleſiam illuminat. 88

Angeli in circuitu Throni, quia Eccleſiæ cuſtodes. 195

Angelos Eccleſiam circumdare, protegere, ac cuſtodire certiſſimum eſt. 520. & 453

Ex Angelis & hominibus vna Eccleſia conſtituitur. 521

Angeli Deo laudes decantant, non iuxta Dei perfectiones, ſed ſecundum beneficia, quæ à Deo ſuſcipimus. 520

Angelus fortis clamans: Quis eſt dignus aperire librum; eſt Primitiua Eccleſia orans. 292

Angelus fortis Spiritus ſancti perſonam gerit, impellens Eccleſiam naſcentem ad orandum. 292. & 293

Angelus impellens Eccleſiam ad orandum, Fortis dicitur, quia adiuuat infirmitatem noſtram; quia oratio non debet eſſe languida; quia oratio hoſtes fortiſſimos ſuperat; quia reuelanda erant, fortia geſta ſaluatoris; quia Regni potentiſſimi deiderabant gloriam; quia potenter erant fideles orantes ad regni participationem eleuandi. 293

Angelus non habet poſteriora aut anteriora, aut intus & foris, Deo non abſimilis. 232

Angeli per ſpiritus & lampades intelliguntur. 232

Angeli ſpecialiter illuminantur, de Dei circa homines benignitate, ab ipſo Ieſu Saluatore. 242

Angelus aſcendens ab ortu ſolis deſignat Spiritum ſanctum regentem Eccleſiam, & ei damem Epiſcopos & Paſtores, ei deputantem Angelos Cuſtodes. 451

Angelus aſcendens ab ortu ſolis quibuſdam eſt Chriſtus, melius Spiritus ſanctus, qui alter Angelus miſſus dici poteſt. 466. & 467

Angelus aſcendens deſignat collectionem omnium, qui autoritate aut ſanctitate floruerunt, qui vnum tantum corpus myſticum componunt & efficiunt. 469

Angelus aſcendens dici poteſt deſignare Angelum tutelarem & protectorem Eccleſiæ. 469

Angelus iſte, Eccleſiæ protector S. Michaël; qui aſcendit, dum reuelato Chriſto contra Luciferum inſurrexit. 469

Angelus Michaël habet ſignum Dei viui, quia prior ſignum edidit gratiæ in ſe inhærentis. 469. toti Eccleſiæ præpoſitus. 458

Qua ratione S. Bonauentura dixerit. S. Franciſcum eſſe Angelum aſcendentem ab ortu ſolis? 469

Angeli liberrimè noſtræ ſaluti procurandæ inuigilant. 457. & 458

Quatuor Angeli tenentes ventos boni ſunt. 458

Sunt Angeli à Deo regimini hominum deputati: & vni cura multorum regnorum, aut prouinciarum multarum poteſt aſſignari, qui ſit aliis ſuperior. 458

421

Digitized by Google

Angeli in quatuor angulis terræ positi sunt quatuor primarij Angeli, quibus cura totius orbis demandata est. 459

Angeli in quatuor angulis ponuntur, vt ostendatur eos curam habere duorum Hæmisphæriorum totius orbis. 458

Per quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ Deus impedit potestates seculi, ne electis noceant in adeptione salutis æternæ. 451

Angeli boni, mundi gubernatores, impediunt potestates seculi, ne propter iram, aut concupiscentiam, aut præsumptionem, aut malitiam aut leuitatem aliquid agant, quo Dei opus retardari possit. 463

Angeli boni aliquando puniunt male agentes. 458

Angelos esse diuersos cognoscere non possumus, nisi ex diuersitate officiorum: proinde alios esse dicimus, qui ventos tenent, alios quibus prohibetur ne noceant. 463

Angelus, cui Princeps Persarum resistebat, erat Angelus tutelaris populi Iudaici 458

Anguli terræ, super quos stans quatuor Angeli, qua ratione possunt effingi? 459

Per septem Angelos, tubâ canentes designantur vel septem Angeli primores; vel vniuersitas Angelorum Custodum. 546

Per septem Angelos, etiam prædicatores & Ecclesiæ Doctores, & Pastores intelligi possunt. 549

Primores Angeli, & etiam Custodes, habent tubas, cum ad manum habent prædicatores, quibus suggerunt quæ fidelibus inculcanda sunt, vt conuertantur. 546

Priorum Angelorum officium videtur esse dare tubas; inferiorum, ea accipere instrumenta, eisque vti. 549

Angelus habens thuribulum aureum designat Christum primarium Sacerdotem, Michaelem vt Ecclesiæ protectorem, Angelum Sacerdoti, oranti & Sacrificanti assistentem, ipsum tandem Sacerdotem. 551 & 552

Angelus habens thuribulum aureum significat Sacerdotem, cum calice & patena ad Sacrificium properantem. 555

Angeli, tempore Sacrificij Missæ, adstant & pro nobis orant. 557

Boni Angeli nunquam alligari in scriptura dicuntur. 625

Quatuor Angeli, quos vox ab altari aureo. c. 9. prodiens clamat esse soluendos, sunt quatuor mali Angeli, homines in errores impellentes. 624. & 625

Angeli mali quomodo ligati intelliguntur? 626

Per istos Angelos aliqui intelligunt seculi principes, alij prauos animi affectus. 626

Angeli mali, vniuersas impulsiones ad malum significantes, dicuntur alligari in flumine magno Euphrate, id est in iustitia Christiana. 626

Angelorum malorum solutio, est permissio diuina dæmonibus facta sæuius grassandi in Ecclesiæ rebelles. 728. & 629

Angelus fortis cap. 10. designat Christum saluatorem. 664

Angelus fortis cap. 10. alius est ab Angelo forti cap. 5. 664

Angelus Cristum repræsentans videtur amictus nube, non solum vt Mysterij Incarnationis recordemur, sed etiam vt obscuritatis fidei symbolum habeamus. 665

Angelorum miseratio & humanitas erga homines. 578

Boni Angeli piorum animas in morte excipiunt. 133

Primus Angelus quomodo diuersis gemmis describitur ornatus? 380

Altissimo voluit esse similis in dominatione non in natura. 580

Angeli mali per stellam de cælo cadentem intelliguntur. 587

Angeli mali dicuntur cadere; quia, contra sententiam, dum ascendere desiderant, ad infernum detrusi fuerunt. 587

Angeli, licèt mali, stellæ dici possunt, quianaturalis cognitio in eis non est diminuta. 587

Anima non est Dei essentia; est enim alterabilis & mutabilis. 230

Anima habet spiritales volatus. 6

Anima Christi in Sacramento altaris constituta præsens, eadem cognitionis perfectione gaudet, quàm in cælo possidet. 309

Cum Anima Christi replicatur in Sacramento, actus intellectus, & voluntatis replicantur. 309

Animarum peccantium conuersio Deo gloriosa. 136. animæ in purgatorio iuuari possunt, bonis operibus viuentium. 409

Animarum saluti incumbentibus tria bona promittuntur, primum gaudium immensum, secundùm, diuitias immensas, tertium honor sublimis. 77. 78. 80. 83

Animi cum carne mira sympathia, quo fit vt carni æquè ac spiritui adhæreamus. 137

Quibus signis animus se à peccatis expurgatum esse animaduertere poterit? 127

Animalia quatuor videntur à S. Ioanne, quasi emergentia è mari mystico, sicut in creatione olim oues & pisces è mari dicuntur produci. 247

Animalia illa cuius figuræ debeant efformari aut effingi? 247

Animalia illa manus habere debent, quia repræsentantur tenentes phialas. 248

Animalia à S. Ioanne visa, non sunt eadem cum animalibus, quæ ab Isaia aut Ezechiele visa fuerunt: diuersas enim habent ideas; diuersa munia seu officio diuersa significant. 249

Animalia apud Ægyptios in Hieroglyphicis ponebantur pro literis vnde quatuor animalia sunt quasi quatuor literæ aliquem sensum exprimentia. 276. & 277

Vt eorum animalium significationem habeamus finis huius libri attendendus est, qui est de Christo testimonium reddere. 248

Decem interpretationes de istis animalibus. 249

Interpretatio de Angelis non est plena. 249

Animalia homines repræsentant, quia se dicunt redemptos, & cum senioribus concinunt. 249

Quatuor Animalia significant quandam autoritatem eminentem seu excellentem sanctitatem, quæ plurimum inseruire debebant ad Christi Domini notitiam. 250

Quatuor Animalia designant insuper quid de Christo credere debeamus; item quatuor sedes Patriarchales, Alexandrinam, Antiochensem, Hierosolymitanam, Romanam: Pastorum virtutes. 188

Cur plena oculis ante & retro? 188

Eorum Ad Deum gratiarum actiones. 189

Per quatuor Animalia de Christo annuncianda significantur. 251

Quatuor hæc animalia vnum habent officium, Christum annunciare. 251

Cur per quatuor Animalium figuram potestas & sanctitas designatur, per pulchra ratio adducitur. 251. quænam animalium facies vnicuique Euangelistarum sit tribuenda? 253

Quatuor Animalia conueniunt & Ciuitatibus, & Sedibus, & Euangelistis; & Euangelistæ ac Sedes cum Ciuitatibus conueniunt. 260

Quatuor Animalia perfectos & sanctos designant; Sex alæ quatuor animalium, zelus iustitiæ, affectus pietatis, & fraternæ compassionis, patientia, vitæ exemplaritas, circumspecta discretio, insignis erga Deum deuotio. 273. 274. 275

Animalia venenosa fulmine tacta vinenum amittunt. 212

Anteriora attendenda, non retro abeundum. 130

Antiochena ciuitas Bacis figuram sibi vendicat. 257

Antiochenses quemdam Triptolemum agriculturæ peritum colebant, eo quod agriculturæ potissimùm vacabant. 257

Antiochena sedes multùm inseruiuit ad tuendam fidem de Spiritus sancti diuinitate. 317

In Antiochena sede, præsentiæ Spiritus sancti effectus plurimùm innotuerunt. 317

Antipas Episcopus Pergami, testis fidelis. 72. & 73

Annulorum vsus & benedictio in nuptiis. 357

Quænam insculpi debebant in Annulis Matrimonialibus? 357

Annulus filio prodigo datus, est Charitas. 139

Anti-Christus ciuitatem Hierosolymitanam & Templum restituet in eodem loco, in quo erat antiquitus, vt facilius existimetur restaurator à vitæ Religionis. 727

Duo de Anti-Christo certissima; vnum, ipsum esse venturum propter Iudæos, & ab eis tanquam Messiam recipiendum; alterum, ex genere Iudæorum nasciturum. 723

Aperite librum est vel illum aliis legendum proponere, vel eius Prophetias reipsa complere. 324. & 290

Ad apertionem libri duo requiruntur, rerum executionem & euentum, & lumen diuinum ad ea credenda. 290

Appetitus duplex, concupiscibilis, & irascibilis. 584

In his Appetitibus vndecim motus diuersi considerantur. 584

Appetitus non semper à Dæmone mouetur, sed est connaturalis, cui liberè assensum præbemus. 416

Cum appetitibus fideliter est decertandum, nec motibus eorum inordinatis est obtemperandum. 417

Appetitus nihil aliud faciunt quàm sua desideria rationi exprimere, cuius est discernere. 417

Apocalypsis quid sit ex S. Dionysio? 181

Scopus Apocalypsis. 7. & 31

Apocalypsis commendatio, excellentia, finis. 1. & 185

De modo, tempore & loco, quo fuit facta. 2

Cur in Dominica die facta fuerit? 6. & 14

Apostoli aliquas ceremonias veteris legis seruauerunt, vt Synagogum cum honore sepelirent. 102

Apostolis datum est exercitium Pontificalis & Regiæ autoritatis, & potestatis Christi. 140

Apostoli per totum orbem pœnitentiam prædicauerunt. 164

Apostolicorum virorum proprium est extraordinarium verbi diuini fructum afferre. 152

Digitized by Google

Apoſtolis datum eſt, & viris Apoſtolicis datur, quod nec Principibus, nec Oratoribus, nec Magiſtratibus, nec Philoſophis, neque etiam Angelis, pro officio in cooperatione converſionis animarum. 156

Apoſtolos Chriſtus voluit relinquere ſollicitos de tempore reſtitutionis regni Iſraël. 291

Apoſtoli ex his, quæ à Chriſto didicerant, vehementer deſiderabant ſcire regni illius ſtatum, & progreſſum. 292

Apoſtoli per prædicationem genuerunt Eccleſias, non ſibi, ſed Chriſto. 219

Apoſtoli ſicut fulgur illuſtrarunt mundum. 224

Apoſtoli vtebantur chriſmate, quando ſigna viſibilia non exhibebantur miraculosè. 251

Apoſtoli in nominibus duodecim Patriarcharum, tanquam filij veri Iſraël Chriſti, & Eccleſiæ patres & principes deſignantur. 307

Per Aquilam deſignatur aduentus & deſcenſus Spiritus ſancti. 252

Aquila non debet collocari in vno angulo Throni, ſed vt ſupra Thronum volitans. 248

Aquila, dignitatis Regiæ ſymbolum, prouocat ad intuendum ſymbolum, ſub quo regia dominatio Chriſti in Sacramento ordinis innoteſcit. 319. & 380

Per Aquilam Romana ſedes deſignatur. 380

Etſi color pallidus equi quarti aliquid funeſtum protendat, figura Aquilæ prouocantis aliquid fauſtum promittit. 379. & 380

Aquila, quæ in medio animalium deſuper volat, clamans: *Bibibus triſtes dmnarvemo &c.* docet quid Eccleſia Romana præſcripſit Concilio Epheſino ſentiendum eſſe de incarnationis Myſterio. 443

Aquila volans per medium cæli, ſanctus Ioannes, vel aliquis ſanctus in fine mundi, vel ſummus Pontifex, qui per prædicatores ad hoc munus à ſe delegatos monet de his, quæ facienda ſunt, & Dei iudicia timenda eſſe denunciat. 578. & 579

Aquæ & ignis pulchra coniunctio, tum in eorum productione, tum in Eccleſiæ fundatione, cum effuſus eſt ſuper Apoſtolos Spiritus ſanctus. 241

Aquæ comeduntur, quia ipſi, qui eſt panis de cœlo deſcendens, ſub nomine Aquæ deſignatur. 249

Arca Teſtamenti viſa in cap. 11. eſt Sacrum Chriſti corpus publicè conſecratum, nullo contradicente, & populus Iudaicus in ſinu Eccleſiæ receptus in fine ſeculorum. 726

Arcus Smaragdinus ſignificat Spiritum ſanctum bellum cum mundo gerere. 207. Deſignat veritatis manifeſtationem. 207. eſt Symbolum manifeſtationis rerum futurarum. 207. Significat teſtimonium quod Spiritus ſanctus reddit de Chriſto. 207

Arcus ſignum Clementiæ, & teſtamenti Dei. 207

Arcus cæleſtis, Symbolum crucis. 208. & 343

Deſignat noſtram cum Deo reconciliationem. Ibidem. Eſt etiam Symbolum infuſionis gratiarum, donorum, & perſeuerantiæ. 208. Deſignat denique vltimum iudicium. 209

Arcus in manu ſedentis ſuper equum album, prædicationem verbi, Sacram ſcripturam, iudicium extremum, inuiſibilem Dei virtutem ſignificat. 341. & 343

Arcus iſte ſignificat effectus, per quos qui in equo ſedet ſuam præſentiam manifeſtat. 340

Arcus Symbolum boni operis. 342

Quomodo fugiendum à facie Arcus iræ Dei? 344

Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia. 166

Arma Paſtorum contra diabolum ſunt veritates reuelatæ. 166

In Arreptitiis ratio ligata & conſtricta operâ dæmonis tollit culpæ reatum. 416

Artifices magiſtris credunt, vt in arte conſummari valeant. 329

In Aſcenſione ſua Chriſtus oſtendit ſe eſſe Dominum vitæ & mortis, & ſpem nobis dedit noſtræ reſurrectionis. 645

In ſex Articulis fidei Deus maieſtatem ſuam manifeſtat, & in ſex aliis illam occultat. 141. & 142

Arabum corrupti mores. 174

Sicut ex Arabia incenſum & myrrha oriuntur, ita ex animabus vt arabia ſterilibus Deus procreat aliquando odoriferas virtutes. 175

Aſtra non ſunt cauſa peccatorum. 416

Quidquid Aſtra agant in appetitum, voluntas non cogitur. 416

Aſtra nullam motionem imprimere poſſunt directè in voluntatem. 416

Aſtra nihil imprimunt immediatè in intellectum. 416

Aſtra fiſtunt ſuam operationem in phantaſia & organis corporeis, nec vltra progrediuntur. 416

Argentum & aurum Eccleſiæ, iuſtitia. 72

Attendere ſibi, quid ſignificet? 50

Hæc attentio omnibus neceſſaria. 50

Arrogantia eſt agere propter proprium intereſſe, cum ſolum propter Deum agere debeamus. 166

Aurum ignitum, probatum; charitas, ſapientia ex charitate orta. 164

Nihil excellentus inter Dei opera autoritate ordinata ad animarum ſanctificationem. 376

S. Anathaſius ſpatio 45. annorum cum hoſtibus diuinitatis verbi congreſſus eſt. 258

Sanctum Anathaſium tanti faciebat Iulianus Apoſtata, vt illum ſuperare voluiſſet potius quam cæteram Chriſtianorum nationem. 258

Per Atrium ſignificantur illi, qui ſolùm exteriori connexione fidelibus & Chriſto connectuntur. 694

Athenienſium vultus impudentiam præ ſe ferebat, vnde prouerbium, Vultus atticus, pro impudente. 604

Auricalcum quid ſignificet? 88

Quodnam Aurum à Chriſto emendum? 120

Aurium apertio ad ſuſceptionem Baptiſmi. 628. & 629

Auxilium dici paratum, ſi bonum velimus. 148

B

Balſami vnctio ſignificat vnguento delibutos debere exemplo & doctrina alios ad Chriſtum adducere. 351

Balſami cum oleo mixtio in confirmatione, ſignificat regiam & Sacerdotalem gloriam. 351

Baptiſmus eſt Sacramentum illuminationis: vnde eius effectus, quamuis ſit communis S. Trinitati, attribuitur Filio. 338. & 339

Vnum eſt Baptiſma, quia vnus eſt qui baptizat, Chriſtus. 339

Baptiſmi encomia. 335. & 337

Baptiſmus, veſtimentum candidum. 337

Baptiſmus ianua aliorum Sacramentorum. 395

Baptiſmus venter Eccleſiæ. 524

Baptiſmus inſtar eſt veteri virginalis. 331

Baptiſterium mater adoptionis vocatur. 331

Baptiſmus per piſcinam figuratus. 326

Baptiſmus cum formatione hominis confertur. 331

Baptiſmus cum myſterio incarnationis confertur. 331

Baptiſmus ſigillum rectè nuncupatur. 327

Baptiſmus ſigillum dicitur, quia ſignat quod Chriſti ſumus, & in eius protectione poſiti. 327

Baptiſmus, cum ſit omnibus neceſſarius, debuit in re communiſſima (vt eſt aqua) inſtitui. 327

Baptiſmus ſignificatur per mare vitreũ ac ſi aquâ eſſet repletum. 244

Baptiſmus & alia Sacramenta dicuntur in conſpectu Throni; quia nullus ex illis fructum obtinebit, niſi qui fuerit ab Eccleſia approbatus. 247

Baptiſmi gratia quid præſtet? 337

Baptizati recipiunt veram iuſtitiam. 112

Baptiſmi præclari effectus. 335

Per Baptiſmum, cum Chriſto ſepelimur, vt cum eo reſurgamus. 337

Baptizandi debent inſtrui & catechizari, ſi ſint adulti. 332

Baptizandus Adultus dolorem habeat omnium peccatorum, & promittat obſeruationem mandatorum Dei. 332

Baptizandus renuntiare debet ſatanæ. 332

Baptizandus cruce ſignandus, pluries illi manus imponendæ: ſal ei præbendum, deguſtandum, ſaliuâ extremis digitis illitis aures & nares Catechumeni tanguntur. 333

Baptizandus debet facere fidei profeſſionem, & interrogari ne ficto accedat animo. 334

Baptizandus vocatur ad certamina per vnctionem in pectore, vt Chriſtum amet; inter ſcapulas, vt eum ſequatur, à Chriſto conſolationes expectans in laboribus. 334

Baptizati vertex linitur chriſmate, propter regiam dignitatem, & ad cultum Dei conſecrationem. 335

Baptiſmus fit vel per effuſionem aquæ in caput, vel per trinam immerſionem in fontem; ad ſignificandam mortis, & ſepulturæ Chriſti imitationem. 334

Baptizatus alba veſte induitur, propter nouitatem vitæ ſpiritalis tranſigendæ in poſteram, vnde & cereus ardens ei datur. 334

Baptiſmi gratiam pauci conſeruant. 110

Semel Baptizatus non debet iterum Baptizari. 347

In Baptiſmo præclara eſt Chriſti Domini operatio. 331. & 332

Per Baptiſmum Dei omnipotentia elucefcit. 335

Baptiſmus eſt Sacramentum, ſub quo latet grande Myſterium, nempe victoria de hoſtibus Chriſti per fidem. 326

S. Bartholomæus per Simeonem Patriarcham deſignatur. 508. & 509

Beatus qui legit & audit verba Prophetiæ huius. 1.

Beatitudo quomodo acquiritur. 29

Ad Beatitudinem quatuor requiruntur, viſio beatifica, nullus illam attendi metus, corporis renouatio, humanitatis Chriſti viſio. 27. 28. & 29

Ad Beatitudinem tria requiruntur, Bonorum abundantia, ſecuritas, conſolatio: quæ tria S. Ioannes tangit. c. 7

In Beatitudinibus, quas Chriſtus do-

Digitized by Google

cuit, duo genera actuum exprimuntur, meritorum & præmiorum. 517
Beatitudinum actus sunt signa prædestinationis. 481
Beatitudo includit satietatem, omnium miseriarum ablationem, Dei visionem, Dei filiationem, vt actus præmiorum beatitudinem. 518. & 519
Ad octo Beatitudines referuntur omnia indicia sanctitatis, quæ in sanctis canonizandis requiruntur; quin & dona & fructus Spiritus sancti, & petitiones orationis dominicæ, & virtutum actus. 516
Beatitudinum actuum præmia promittuntur in Epistolis ad septem Episcopos Asiæ. 519. & 520
Quilibet Beatus considerari potest vel vt consignans, vel vt consignatus, vel vt effectus consignationis adeptus. 514
Triplex Benedictio necessaria, gratia præueniens cooperans, & donum perseuerantiæ. 177
Ad Bellum spirituale ineundum alio modo procedendum, quàm ad bellum inter homines. 60
In Beatis tria considerantur, beatitudo essentialis beatitudo accidentalis, & honor externus. 421
Qui octo Beatitudinum actus elicere & exercere paratus est, Aser, id est, Beatus dici potest. 511
Bonitatis diuinæ communicationes duo potissimùm commendant, eminens sanctitas, & eminens quædam autoritas. 497
Bonus bonum producere debet, non semel aut bis, sed toties quoties producit. 475
Quanta Bona Deus homini contulerit? 420
Bilibris, mensura est, quam frumento plenam vnus homo quotidie absumere potest. 363
Per Bilibrem signatur Ecclesiastica congregatio, veriusque Testamenti doctrina imbuta, gemina charitate fundata, duobus ex populis adunata. 366
Bonitatis diuinæ suauitas in allicien-dis ad se hominibus. 180
Bonitas diuina flagranti desiderio exoptanda. 203
Boni aliquando stabili gaudent prosperitate; vt virtus non censeatur malorum causa, si nullus bonus honoraretur in terra. 696
Bonum ex integra causa. 126
Bonorum laus, quod inter malos boni persistunt. 72
Bonum deserere error grauissimus. 48
Quænam Bona spiritualia possint remanere post charitatis & gratiæ amissionem? 181
Omnia illa Bona tandem depereunt per continuationem in peccatis. 221
Bona externa & temporalia parui-pendenda, modo religio & pietas illæsa remaneant. 692
Bouis figura, symbolum abstinentiæ & sobrietatis; in Angelis significat robur & vigorem. 268
Boum cornua significant in Angelis vim inuictam; in prælatis, mortificationem appetituum, & sensuũ. 268
Bouis figurâ bonus pastor ritè repræsentatur, quia bonitatis est symbolum. 268
Figura Bouis adhibetur ad proclamandum Sacramenti Confirmationis effectum, quia est beneficentiæ symbolum. 316

C

CAput Christi quodnam sit, & quid significans eius capilli? 14. & 15
Propter Calumnias non est à virtutis tramite recedendum. 36
Candelabrum moueri, est aut Pastoris amotio, aut gregis perturbatio, aut Sedis Pontificalis translatio. 49
Carcer pro Christo gloriosus. 65
In Carne non est gloriandum, nisi dum pro Christo patitur. 72
Caro & Sanguis non reuelat mysteria. 226
Caro nostra capax est donationis Christi & resurrectionis: quia sanguine & corpore Christi nutritur & augetur. 301
Calix Domini sic bibentes inebriat, vt sobrios faciat. 302
Canticum nouum cantant Angeli & homines, & omnis creatura: quia omnia renouata in Christo; & ob nouitatem beneficij, quod se det ad manducandum. 311
Calumniatorem S. Ioannes arguit. 404
In carne nostra non habitat bonum necessarium videlicet vt se ipsam contineat intra limites suæ subordinationis. 419
Non est ambulandum secundum carnem, sed secundum legem spiritus. 419
Ad Canonizationem alicuius sancti quænam requirantur? 515
Vt quis Canonizetur, sufficit vt Charitatis & iustitiæ opera suo statui conformia exercuerit. 515
In bulla Canonizationis S. Francisci reperiri possunt vera indicia sanctitatis. 515
Canonizandi sanctos forma & regula datur in his, quæ S. Ioannes narrat in septimo capite. 523
Cauteriatam habere conscientiam, est habere conscientiam ad bonum inconuertibilem, nihil sentientem, fœtidam, corruptos mores cuomentem. 641
Cælum liber est, in quo legere possumus miranda Dei opera. 428
Cælum recedit sicut liber inuolutus, propter subtractionem gratiarum, & luminis à Deo infusi. 428
Cæremoniæ in Baptismo. Vide Baptizandus. 628
Cæcitas cordis qua ratione incurritur? 574
Calamus datus ad mensurandum c. 11. est agnitio signorum, quibus dignoscitur an simus Christo conformes, quo inimici Christi non mensurantur, sed foras ejiciuntur. 680
Calamus c. 12. est prouidentia Dei cunctorum merita & actus perpendens. 686
Calamus est passio Christi mensuram afflictionum Ecclesiæ metiens, quam habet S. Ioannes in manu, quia passionem pro Christo sustinuit. 686
Calamus sunt occultæ Dei dispensationes quas continet Sacra Scriptura. 686. & 687
Calamus in manu est agnitio virtutis nostræ veram in Deum fiduciam inducens, quæ quo maior est, eo fortior ad subeunda pericula. 687
Calamus similis virgæ, ad reuocandum in memoriam Moysis virgam, & crucem. 688
Character est quædam potentia spiritualis, permanens, ordinata ad ea quæ sunt diuini cultus. 235
Character se tenet ex parte agentis principalis. 231
Charitas prima, propriæ salutis studium, non est intelligenda de actionibus præcisè ad munus pastorale pertinentibus. 44. & 47
Charitatis feruor qua ratione foueri possit? 46
In Charitate veræ animi diuitiæ. 61
Charitas virtutum Regina. 62
Charitatis encomia, ex S. Zenone & ex S. Prospero. 63
Charitas totam Trinitatis potentiam ad se conuertit. 65
Charitas plenitudo legis. 109
Charitas proximi in exercitium redacta fortitudinem contra tentationes parit, aut a tentationibus liberationem. 114
Cedar lætissimi campi, inter ciuitatem & cedar vrbem. 360
Cedar significat nigredinem & tristitiam. 360
In Certamine spirituali quid nobis superandum, & quo ordine in certaminibus nostris sit procedendum? 108
Censuræ Ecclesiasticæ, per gladium, famem, mortem, & bestias terræ designantur. 394. & 395
Castè viuentes non debent vituperare Matrimonium. 370
Cithara Symbolum Christi patientis, bonæ voluntatis, sonum boni operis edentis; animæ virtutibus ex ornatæ. 310
Comparatur cum Tonitruo. 226
Charitas, quam dedit Christus Apostolis, fuit quod ipsi possint nobis Christum exhibere præsentem, per consecrationem sui corporis. 641
Clauis abyssi, liberum arbitrium. 588
Clementia Dei nunquam est mundo defutura. 208
Per Cælestinum Papam, auxilium præbente Cyrillo, orientales Ecclesiæ gemina peste hæresis purgatæ sunt. 238
Cognitio diuinorum optimè comparatur vi Tonitrui. 226
Cum cognitione rerum diuinarum pij affectus sunt adiungendi. 273
Præter cognitionem totius Trinitatis in lege Christiana, Christi cognitio inculcatur, & ad eum omnia referuntur. 277
Christo probè cognito perfectè illuminamur. 277
Prima Cognitio necessaria, est cognitio peccatorum; secunda remediorum; tertia rerum diuinarum; quarta eorum quæ corpus possunt mortificare, quinto earum quæ passiones reprimunt, sexta eorum quæ sensus à malo abstrahunt. 365
Quàm vtilis sit diuinorum cognitio? 365
Cognitio Christi mediatoris signum exhibet præsentissimum spiritus gratiæ in nobis inhabitantis. 511
Cognitio Christi nos ad bona opera inducit, vt post exordia diuinæ cognitionis, perfectio sequatur actionis. 511
Quis tanquam Columna in templo Dei? 115
Comæ capitis Christi elatæ palmarum, nigræ sicut Coruus: quia licet eius cogitationes deprimi videantur, fælicem tamen tandem obtinent effectum. 361
Comminationum diuinarum contemptus in peccatoribus obduratis. 322. Aliquando necessario adhibendæ. 75
Communio sanctorum est mysterium sub sigillo quinto contentum: vnde reponitur inter articulos fidei. 396 & 397
Communio Sanctorum opus præclarum diuinæ omni potentiæ. 397. & 400
Communio sanctorum est præclarus orationis Christi fructus. 398. & 400
Communio sanctorum complectitur Ecclesiam Triumphantem, Militantem, Patientem in purgatorio. 398
Communionem sanctorum quænam bona consequantur? 398
Communio sanctorum magnam affert fidelibus consolationem. 397
Communicant ad inuicem sancti, quia sub eodem capite reponuntur; in cuius protectione sunt, vbicumque existunt. 399

Communionis ſanctorum Sacramentum eſt Euchariſtia. 399
Communicant ad inuicem ſancti: quia Chriſtus idem eſt in omnibus, à quibus recipitur, qui eos in ſe vnum quid efficit. 399
Communio corporis Chriſti diuinam in nobis morum ſimilitudinem ingenerat. 399
Communionis ſanctorum myſterium ætia requirit, vnionem ad inuicem, dependentiam ab vno, & bonorum communicationem. 410
Communio ſanctorum pluribus cæremoniis in Miſſæ ſacrificio deſignatur, ex modo incenſandi, ex pacis oſculo, ex recitatione nominum ſanctorum. 400
Concionatores non debent de ſpiritu ſuo loqui, ſed ad modum Aſinæ Balaam, diuina quadam ratione quæ dicunt proferre. 256
Chriſti dignitates ex Iſaia. 31
Chriſtus agnoſcendus verus Dei filius origine non adoptione, veritate non nuncupatione, natiuitate non creatione. 648
Chriſtus filiationem ſuam fieri conſpicuam & manifeſtari poſtulabat. 648
Ad clarificationem filiationis Chriſti ſufficientia non fuerunt prodigia in morte, vere autem clarificabitur in die iudicij quando ſubiecta erunt ei omnia. 648. & 649.
Chriſtus iudex viuorum, & mortuorum oſtendet ſe cum Patre eamdem habere poteſtatem 647
Chriſtus Iudex iuſtus. 39. & 85. omnes iudicabit etiam fideles. 640. inflexibilis iudex. 90. teſtis fidelis & verus. 119. 122. 1. & 19
Chriſtus, α & ω. 2. 5. & 12
Chriſtus Primus & Nouiſſimus. 34. 54. & 55. hoc ſcire ad perſeuerantiam inducit. 56
Chriſtus admirabilis recte vocatur. 56
Chriſtus dicitur conſiliarius. 69
Chriſto nullus eſt ſimilis in legiſlatoribus. 70
Chriſtus ſanctus & verus. 111. ratione diuinæ originis. 140
Chriſtus Pater futuri ſeculi ſeu omnium electorum parens. 113. & 140
Chriſtus Princeps pacis nuncupatur 118. & 119.
Chriſtum omnium virtutum exemplar. 119
Chriſtus principium creaturæ Dei. 119
Chriſtus ſtella matutina. 104. charitas aquila, gallina, paſtor bonus. 278
Chriſtus via veritas & vita. 106
De Chriſto quatuor annunciari debent quod ſit verus Deus, quod ſit verus homo, quod ſit ſummus ſacerdos, quod ſit Rex & legifer noſter. 251
Chriſtus præferendus Angelis in dignitate Moyſi in famulatu & Apoſtolatu Aaroni in ſacerdotio. 278
Chriſtus Dominus eſt ſol oriens, cuius natiuitas ſeu generatio æterna præſupponitur proceſſioni Spiritus ſancti, & temporalis promeruit miſſionem Spiritus ſancti vnde Spiritus ſanctus dicitur Angelus aſcendens ab ortu ſolis. 470
Chriſtus oriens dicitur, non ſolum quia vt ſurculus germinat in terra, vt vult Ribera, ſed etiam, quia vt ſol oritur ſuper nos. 470. & 471
Cum Chriſtum Patres dixerunt orientem attenderunt potius eius generationem æternam, quam temporalem, & in modo excellentiori temporalem exprimere voluerunt, dum non vt ſurculum, ſed vt ſolem eum oriri voluerunt. 471
Chriſtus Rex & verus agricola. 100. Principale caput Eccleſiæ. 99. gubernator & Medicus. 99. Rex & Sacerdos. 378. verus Mediator. 78. ad huius poteſtatis manifeſtationem peruenit per humiliationem. 378
Chriſti gratia.
Chriſtus fons & origo gratiæ & meriti. 109.
In Chriſto plenitudo omnium gratiarum & donorum de quo accipimus tanquam ex fonte inexhauſto. 241. & 124.
Chriſtus habet gratiam ſecundum perfectiſſimum modum quo haberi poteſt. 241
Cum Chriſtus ſit caput Angelorum & hominum de eius: plenitudine & Angeli & homines recipiunt. 241
In Chriſto totum noſtrum bonum conſiſtit. 110
Quænam bona nobis obuenient ſi Chriſto adhæreamus. 99
Cum Chriſto Dei filio ſocietatem habemus & eius gratiæ participes efficimur, cum pater diligit nos, quia in nobis filium ſuum inuenit, dum filium diligimus quem ipſe pater diligit. 167
Chriſti ſcientia.
Chriſtus habuit ſcientiam creatam propter perfectionem naturæ. 279
Chriſtus habuit plures ſcientias Beatorum, infuſam, acquiſitam. 279
Chriſtus per ſcientiam beatorum non comprehendit diuinam eſſentiam. 279
Chriſtus quid cognoſcat per ſcientiam infuſam. 279
Chriſtus per ſcientiam acquiſitam ſcivit omnia illa, quæ ſciri poſſunt per actionem intellectus agentis. 280
Chriſtus ſcientiam ab hominibus non accepit. 280
Chriſti ſcientia quantum ad multitudinem cognitorum, & certitudinem excellentior eſt ſcientia Angelica quantum ad modum cognoſcendi qui naturalis eſt animæ non eſt excellentior. 280
Chriſtus liber dicitur, quia eius ſcientia conſideratur, non in quantum per eum ſit cognoſcens, ſed in quantum cognoſcit, quæ Eccleſiæ revelare debebat. 281
Chriſtus liber ſcriptus intus propter generationem, foris propter opera ad extra. 281
Chriſtus potius dicitur liber ſcriptus propter ſcientiam creatam, quam propter increatam. 282
Chriſtus nihilominus dici poteſt ſcriptus intus, propter increatam occultam, foris propter creatam, ſecundò propter perfectionem vtriuſque ſcientiæ, tertio propter ſortem electorum, & reproborum, quarto propter quædam media, quibus ad Dei cognitionem euehimur, quorum quædam ſunt occulta vt myſteria alia manifeſta, vt naturæ opera. 28. 3.
Chriſtus denique liber ſcriptus intus propter. gratiam, & effectus Sacramentorum; foris propter Sacramenta, ſecundo propter ſenſum ſpiritualem, & hiſtoricum ſacræ ſcripturæ, tertiò propter charitatem internam, & propter labores, quarto propter ſpecies intelligibiles, & propter phantaſmata. 284
Chriſtus vt liber doctrina ſua illuminat, vt Agnus operibus ſuis lumen præſtat, tenebras fugando, vt Leo ad doctrinam admittendam, & opera credenda adinuat, nobis totus factus eſt qui fecerat totum. 178
Chriſtus qua ratione reuelauit myſteria B. Ioanni. 1
Chriſtus exemplar.
Chriſtus radix dicitur propter humilitatem & manſuetudinem quam nos imitari deſiderat, radix Dauid. 196
Chriſtus in cruce oſtendit quanto in pretio habere debemus, quæ docuit verbo & exemplo. 657
Chriſtus quandiu fuit in mundo lux mundi. 206
Chriſtus ponitur pro Eccleſia j. caput pro corpore ad erigendos animos eorum qui pedes dicerétur inter Eccleſiæ membra. 212
Chriſtus in medio Eccleſiæ ambulat vt præbeat exemplum. 44
Chriſtus exemplar totius perfectionis mors eius fuit, ob oculos proponenda, vt in quo conſiſteret perfectio clarius dignoſcamus vnde ſub mortis figura debuit apparere. 387
Chriſtus vt operans in Eccleſia ſeu infidelibus.
Chriſtus ſub diuerſis ſymbolis in ſcriptura exprimitur & diuerſis nominibus vt multiplices ſuæ virtutis effectus facilius concipiamus. 197. & 140
Ad Chriſtum pertinet ædificare Eccleſiam. 144
Chriſtus vt caput Angelorum & hominum autoritates ſacras inſtituit in Eccleſia militante. 646
Chriſtus habet poteſtatem regiam, id eſt independentem diſpoſitionem, & diſpenſationem omnium. 112
Chriſti poteſtas per clauem Dauid deſignatur & ad quoſnam effectus extendatur. 115. 143. 144. 145. 146. 147. 148. 151.
Chriſtus omnia adminiſtrat, & ordinat ad iuſtificationem, ſanctificationem, & glorificationem electorum. 115
Qui finis actionum ſacerdotij eius. 115
Chriſti poteſtas maximè eminet in conuerſione peccatorum. 117
Chriſtus Leo dicitur, quia agitur de effectione rerum quæ in libro continentur, ad quam Leonis fortitudo requiritur, & aliis de cauſis. 196. & 197
Chriſtus mediator Dei & hominum eſt in medio Eccleſiæ vt eor. 300
Chriſtus in medio Eccleſiæ ambulat vt dona diſtribuens, infirmitatibus noſtris compatiens, auxilia ſuppeditans. 43. & 33.
Dicere Chriſtum hebere ſeptem ſtellas in manu eſt ac ſi diceretur ipſum habere omnem poteſtatem in cœlo & in terra. 43. habet ſeptem ſpiritus Dei tribus modis. 133
Chriſtus dirigit & conſeruat Eccleſiæ Paſtores. 42. ſedet ſuper tertium equum per autoritatem datam Paſtoribus. 362
Chriſtus reconciliauit nos ſibi æque ac pani. 198
Chriſtus adiuuat laborantes in Euangelio. 152
Chriſtus per aquam & ſanguinem de ſeipſo reddit teſtimonium. 102
Chriſtus ad modum agricolæ ſentes exurit & ſpinas peccatorum, vt terra id eſt cor hominis aptum reddat receptioni ſeminis diuini. 242
Chriſtus altare dicitur, quia quotidie ſeſe offert pro nobis, eoquod ſempiternum habet ſacerdotium. 644
Chriſtus videtur amictus nube, Eccleſia ſole amicta, quia ſibi aſſumpſit ignominiam vt Eccleſiæ daret gloriam. 666
Chriſtus ponit pedem dextrum ſuper electos ſiniſtrum ſuper reprobos. 659
Chriſtus apparuit S. Ioanni cum libello aperto quia veniebat vt doceret eum de fine gubernationis totius Eccleſiæ. 658
Chriſtus veniet diſcuſſurus an homines benè aut malè vſi ſunt gratiarum copia, aut flagellorum immiſorum vt reſipiſcerent. 659. In executione iudicij non dat niſi quæ decreta ſunt ratione meritorum. 149

Digitized by Google

Chriſtus in cruce ſiti noſtræ ſalutis laborabat, vt ſitiens cernus. 707
Chriſtus duabus tantum vicibus in Euangelio dicitur iratus, duo opera miſericordiæ exercere volens. 430. & 431
Chriſtus nec totus homo nec totus Deus, ſed Deus & homo, ideo mors & vita ſimul in eo coniunguntur, & per mortem vita de omnibus trophæo reportauit. 446
Chriſti poteſtas per mortis figuram repræſentatur, quia rebelles pœna mortis plectitur, & quos vult à morte poteſt liberare. 380
Chriſtus eſt qui baptizat. 519
Chriſtus in medio Throni exiſtens mira operatur. 361
Chriſtus ſub nomine mortis ſedet ſuper eos quos vocat ad ſecum commoriendum. 319
Sine Chriſto nihil fit. 325
Chriſtus per crucem victoriam reportauit 343. Clemens erga peccatores 145. & 146
Chriſtus tentationes vicit vt noſtras ſuperaret. 345
Chriſti benignitas erga electos. 42. quomodo Chriſtus exiuit vincens vt vinceret. 345
Chriſto coronato Eccleſia coronatur 344. Chriſtus Eccleſiam à metu eximit. 3. & 4
Chriſtus diuerſimode conſiderandus vel vt in Eccleſia regnans, vel vt inter homines conuerſatus, vel vt in cruce pendens, vel vt in Sacramento altaris, exiſtens vt in dextera patris ſedens.
Chriſtus in Eccleſia regnans veritatis hoſtes profligat per Sacram ſcripturam, per traditiones, per concilia legitima, per vnanimem conſenſum Patrum & Doctorum. 630. 631. 632
Chriſti in his contemptus inducit ad quatuor vitia, ad curioſitatem, & inordinatum appetitum omnia ſciendi, ad animi leuitatem, nouis opinionibus facilè ad hærendo, impugnationem veritatis agnitæ, inordinatum amorem proprij ſenſus, ſeu complacentiam in adinuentionibus propriis. 630. 631. 632
Chriſtus cum hominibus conuerſatus quatuor modis quaſi quatuor cornibus hoſtes veritatis profligauit, prædicationibus, miraculis, exemplo actionum, orationibus. 633
Chriſti in his contemptus inducit ad fluctuationes, & in fide dubietates, animi ſluporem blaſphemiæ, ſpiritum, in mendaciis complacentiam, ſeu mendacij ſpiritum. 634. 635. 636
Chriſtus in cruce habet quatuor cornua quibus hoſtes pietatis profligat, abſtractionem mentis à rebus ſenſibilibus, rectũ de omnibus iudicium, recta Deo placendi intentio, humilis obedientia ex ſuimetipſius deſpicientia. 638, & 651
Chriſti contemptus in iſtis ad quatuor inducit vitia, ad inordinatum amorem voluptatum carnis, ad cupiditates diuitiarum, ad gloriæ appetitum, ad mentis arrogantiam. 638. & 639
Chriſtus vt in Sacramento Euchariſtiæ exiſtens habet quatuor cornua contra hoſtes diuini honoris, quod ſit holocauſtum, quod ſit Sacrificium expiatorium, quod ſit Sacrificium Euchariſticum, quod ſit Sacrificium impetratorium. 639
Chriſti contemptus vt eſt in altari inducit ad mentis inquietudinem ad rerum ſpiritualium inſenſibilitatem, ad ſchiſmata, ad hypocriſim & diſſimulationem. 639. 641. 642
Chriſti contemptus vt eſt in altari maximam hominum ingratitudinem oſtendit quia tantum eſt beneficium vt nunquam ſatis pro eo Deo poſſimus grates rependere. 640
Chriſtus vt ſedens ad dexteram patris habet quatuor cornua id eſt quatuor dignitates ad debellandos veritatis hoſtes, prima quod ſit Dominus vitæ & mortis, ſecunda quod ſit Rex Regum, tertia quod ſit iudex viuorum & mortuorum, quarta quod adoretur vt Patris æqualis. 644. & 645
Ex Chriſti contemptu in dextera Patris inducitur ſalutis deſperatio, Paſtorum contemptus, obliuio iudiciorum Dei, conculcatio donorum Spiritus ſancti. 651. & 652
Dominationis Chriſti contemptus inducit in contemptum Paſtorum quos ipſe conſtituit, quod proprium eſt hæreticorum. 646
Chriſtus ſpecialiter conſideratur vt eſt in Euchariſtia.
Chriſtus faciens ſeu conſecrans corpus ſuum maius opus facit, quam ſi mortuos ſuſcitaret: facit quippe opus ſimile operibus patris ipſum in terras mittentis. 640
Chriſtus in Sacramento exiſtens videri non poteſt oculo corporeo, niſi ſupernaturaliter, vt eſt luminoſum ratione beatitudinis. 309
Corpus Chriſti in Euchariſtia diuinus carbo, ſuſcipiendum antiquitus manibus in formam crucis compoſitis; carbunculus & ignis diabolum fugans. 556. & 557. lignum vitæ. 54
Ex participatione corporis Chriſti eueniunt bonis bona, malis mala per tonitrua voces & fulgura, & terræ motus ſignificata. 557. & 558
Corporis Chriſti Sacrificium inducit admirationem diuinæ potentiæ, gratiarum quæ in eo continentur elucidationes, multorum miraculorum prædicationes, inſignem in bonis vitæ in bonum mutationem, in malis duritiem cordis. 558
Symbolum Chriſti vt eſt in Sacramento Euchariſtiæ eſt agnus ſtans tanquam occiſus ſeptem habens cornua. 303
Chriſtus apparet agnus tanquam occiſus propter modum quo conſtituitur præſens, quia vi verborum tantum corpus conſecratur, & quia ſecundum modum quo exiſtit in Sacramento naturaliter non elicit ſenſuum operationem. 303
Cornua agni id eſt Chriſti, coronam deſignant ſeptem radiis compactam; cornu, namque, corona, radius pro eodem ſumuntur. 303
Agni Cornua ſignificant Regna poteſtatis Chriſti in cruce, & ſeptem modos quibus eius omnipotentia in hoc Sacramento elucet. 303. 304. 305
Chriſtus per Sacramentum Euchariſtiæ illuminans Eccleſiam apparet ſupremus illius in illuminatione Hierarcha. 307
Chriſtus dicitur venire in medio Throni, quia cum non eſſet in aliquo altari vi verborum conſecrationis producitur idem corpus. 308
Qua ratione idem Corpus poteſt eſſe in pluribus locis, modus huiuſce operationis explicatur. 308
Qua ratione Chriſtus in Sacramento exiſtens accipit librum de dextera ſedentis in Throno. 308
Chriſtus Sacramentum conficiens accipit librum: quia ſuæ dilectionis antea incognitæ manifeſtiſſimum edidit ſignum. 308
Chriſtus toties accipit librum, quoties per ſummam Dei potentiam corpus & anima reproducuntur in Sacramento. 309
Chriſti corona, dignitas regia, poteſtas dominatiua, beatitudo completa, fidelium multitudo. 344
Chriſtus honorandus.
Quænam cognoſcenda & prædicanda de Chriſto vt ab hominibus honorari ſe exiſtimet. 31
Chriſti gloria propter quam eſt honorandus manifeſtata eſt in transfiguratione. 25
Clarificationem & gloriam Chriſtus promeruit, & accepit per ſuam humiliationem, & infirmitatum noſtrarum participationem. 32. & 33. & 42
Forma ſub qua Chriſtus apparuit S. Ioanni quæ explicatur indicat eum eſſe honorandum. 2. 3. 4. & 7. & 15. Et cum veniet in nubibus 2. & 5. & 21.
Chriſtus vt glorificetur tribus modis annunciatur, doctrina, autoritate, eorum quæ docentur & præcipiuntur executione. 253
Chriſtus vt ſol dat virtutem producendi qui eum honorent & colant. 473
Chriſti amor, & conſeſſio gloriæ ipſius, verum ſignum quo poſſumus dignoſcere aliquem eſſe ex Deo. 649
Dilectionis Chriſti nullum ſignum expreſſius quam animarum curam ſuſcipere. 221
Chriſti valida dilectio nos ad moriendum pro eo impellit. 387
Chriſtus honoratur per autoritatem datam Paſtoribus, propter quam ſedet ſuper tertium, & quum 362. ad cuius participationem vult ſacerdotes peruenire per participationem infirmitatum ſuorum. 378
Chriſtus per mortis figurã repræſentatus, quia orbis totius dominationem propter quam colendus, adeptus eſt per prædicationem crucis in qua mortem pertulit, 387. cum ſit vita mors dicitur. 380
Chriſtianorum antiquorum quanta erat charitas. 93
Chriſtiani cibus eſt contemplatio veritatis & carnis mortificatio. 318
Chriſtianus verus carnem domat ne contra ſpiritum recalcitret. 316
Veri Chriſtiani perfecta obedientia mandatis diuinis. 317
Chriſtianus libenter ſubiectus eſt omni creaturæ propter Deum. 317
Chriſtiani reſponſum mortis in ſemetipſis accipiunt ſtatim atque vocantur ad Chriſtianiſmum.
Chriſtianus ad cæleſtia ſemper adſpiret. 333
Chriſtianiſmi indicium eſt agnoſcere ſe nihil egiſſe, etſi multa bona quis peregerit. 268
Chriſtiani participes ſiunt per regenerationem, regni & ſacerdotalis dignitatis Chriſti. 140
Chriſti dignitates.
Chriſtus fidelis & verus propter ſuam generationem, propter rerum productionem, & quia idea eſt & exemplar rerum creatarum. 257
Chriſti diuinitas per Leonem deſignatur; quia fortis venit debellare fortem. 242
Chriſtus principium creaturæ Dei non ſolum antiquæ, naturalis, ſed nouæ ſupernaturalis gratiæ. 128
Chriſtus habuit gratiam non ſolum pro ſe, ſed vt multos adduceret in gloriam. 160
Per Chriſtum omnia, non quia ſeruili fungatur miniſterio, ſed quia æqualis eſt potentiæ & operationis cum patre. 260
Chriſtus princeps pacis, quia poſſidet gratiam ſecundum omnem ſuam ple-

nitudinem, qua cum Deo amicitiam primus. 161
Christi scientia.
Christus speculum voluntarium, ea tantum quæ vult revelat scientiam habet infusam. 190
Christus liber dicitur, quia eius scientia est eorum quæ aliis revelare debebat. 190
Christus liber signatus, quia eius scientia est eorum quæ mentem nostram excedunt. 190
Ad Christum pertinet revelare mysteria Ecclesiæ. 191
Christus operans.
Christus habet clauem Dauid; primo quia Pastores constituit. 144. Secundo quia peccata remittit 145. Tertio quia pœnas & labores prout opus est, & vires suppetunt distribuit 146. Quarto quia diuinorum consiliorum suos amicos facit participes 147. Quinto quia distributor est præmiorum & suppliciorum 148. Sexto quia ad ipsum pertinet peccatorum conuersio. 151
Christus in Eucharistia.
Per Christi Domini præsentiam in Sacramento Eucharistiæ Deus illuminat Ecclesiam. 161
Conciliorum Oecumenicorum necessitas non est simpliciter absoluta, quia quæstiones, quæ moueri possent ex iam decisis in quatuor primis Conciliis possent determinari. 450
De Conciliis per quæ veritates in Ecclesia firmari debent agitur in sexto capite. 435
Quatuor prima Concilia veneranda sicut quatuor libri Euangeliorum venerandi, Nicenum Constantinopolitanum, Ephesinum Chalcedonense. 437
Concilij Niceni determinatio de diuinitate filij prædicitur in primo sigillo. 438
Concilij Constantinopolitani determinatio prædicitur sub secundo sigillo. 438. & 439
Si Christus Ecclesiæ Christianæ institutor filius Dei agnoscitur, nemo eius doctrinæ aduersari attentabit, aut eius præceptis obtemperare recusabit. 438
In Concilio Chalcedonensi errores Eutychetis fuerunt condemnati. 444
Ad apertionem sigilli quarti in quo agitur de Concilio Chalcedonensi aquila prouocat ad videndum quia ipsa symbolum est Romanæ Ecclesiæ in qua Regia Christi potestas elucet. 444. & 445
Nullum Concilium Oecumenicum potest absque autoritate summi pontificis conuocari. 445
In Concilio Chalcedonensi maximè regia dignitas Christi quæ exercetur per eius Vicarium in terris fuit manifestata vt latè differitur. 445
Concilium Chalcedonense adeo fuit insigne vt Ecclesia orientalis festum instituerit in eius memoriam, quod festum Papa Leo appellat secundum post Domini aduentum festiuitatem. 445
Concilium falsum Constantinus Copronymus Constantinopoli congregauit in qua est decretum imagines tanquam idola esse euertendas, nullumque sanctorum esse inuocandum quæ falsa synodus rescissa fuit sub Irene & Constantino in concilio celebrato in Nicea Bithiniæ. 447. & 448
Concupiscentiarum abyssus pertimescendus. 586
In concupiscentiæ vulnere magis apparet vulnus ex peccato originali causatum. 586
Confessionis peccatorum necessitas. 538
Confessio peccatorum, & nihilitatis nostræ, & confessio nominis Dei & beneficiorum eius optimum prædestinationis signum. 510
Confessionis speciem dæmon extorquebat ab Indis. 538
A Confessione Christi propter timorem malorum non est discendendum. 72
Confirmationis Sacramentum recte sigillum & signaculum dicitur. 345. & 346
Ex Confirmationis Sacramento Christus sigillum immotum & motum dicitur sub diuersa ratione. 345
Confirmationis Sacramentum vocatur Chrisma & manuum impositio. 346
Confirmationis Sacramenti institutor Christus in die cœnæ: eius materia Chrisma & vnctio. 347
Confirmationis Sacramentum significatur per mare vitreum, ac si esset oleo, vel balsamo repletum. 344
Confirmationis Sacramentum ordinatur ad perficiendam fidem in Baptismo acceptam, eamque coram tyranno profitendam. 347
Confirmationem recipere debent fideles vt plene Christiani inueniantur. 347. & 350
Confirmationis præclari effectus. 316
Confirmationis ordinarius minister Episcopus 347. Extraordinarius simplex sacerdos ex concessione summi pontificis. 352
Confirmationis gratia est potestas ad quasdam actiones sacras nempe ad pugnam contra hostes visibiles, & inuisibiles fidei. 349
Confirmationis Sacramento homo accipit perfectam ætatem spiritualis vitæ 349. & plenitudinem Spiritus sancti. 316
Tria necessaria in Sacramento Confirmationis ad robur spiritualis pugnæ causa conferens S. Trinitas; illud robur; & signum quo possit miles ab aliis secerni. 352
Per Sacramentum Confirmationis Christianus alius euadit. 349
In Confirmatione crux ponitur in fronte in manifesto & Christianus charitate accensus bellum indicit omnibus rebus vt sibi internam concilier pacem. 353
Coniugium non est Virginitati præferendum nec secundæ nuptiæ condemnandæ. 318
Conscientiæ nostræ bonum testimonium imbecillitatem nostram corroborat. 44
Conscientia viuat iuxta quod loquitur lingua. 224
A Consensione vnanimi Patrum non est leuiter discedendum. 253
Conuersionem peccatorum tria impediunt 117. diligit Deus qui eorum student conuersioni. ibidem.
Cor dilatandum in via Dei. 49
Corda duriora Deus penetrat. 116. 152
Corona per agonem conquisita pretiosior & magis diligenda. 46
Corpus vt materiale peccatum producere non potest. 418
Corpus aggrauans animam voluntatem ad peccandum non cogit vt expectentia docet. 418
Corpus inquantum est sedes animæ sensitiuæ, & appetituum sic non potest esse causa peccati cum sit opus præclarum optimi artificis. 418
Corpus glorificatum quando vult & cui vult se manifestat. 722
Cordi humano necessarium est habere centrum grauitatis id est humillimæ demissionis, vt in centro magnitudinis id est in Deo conquiescat. 641
Creaturæ videntur in Deo duobus modis. 644
Criminum publicorum omnes procurare possunt vltionem. 90
In Cruce Christi omnium leuatur infirmitas. 333
Crucis signum quid significet dum pluribus in partibus corporis adhibetur Baptizando. 333. nota Christiani. 473
Crucis prædicatio summa Euangelij. 343
Vis Crucis totum repleuit orbem. 708. fugat dæmones. 473
Crux Christi stultitiæ reputata per credulitatem & fidem est conuersa in sapientiam. 708. discernet fideliter ab infidelibus tempore Anti-Christi. 474
Curiosi Deo odibiles. 330
Curiosos esse non debemus sed potius diuinæ cedere voluntati. 337
Cherubim quadriformes sunt imagines dispositionis Dei. 252
Calidus & frigidus imperfectionem significant in tepidis. 182
Calceamenta facilitatem in progressu boni designant. 137
Charitas.
Charitas aurum probatum. 112
In quo consistat Charitatis perfectio. 130. duplex regula ad eam inquirendam. 130
Charitatis præclara encomia. 130
Charitas præponitur spei. 131
Charitatis entitas præferenda entitati aliarum virtutum. 131
Actus visionis beaticæ est perfectior in entitate actu Charitatis viatoris. 132
Ablata Charitate homo est tanquam symbolum tinniens quidquid boni operari valeat. 132
Charitas dicitur agri potentia. 171
Carni non est obtemperandum. 137
Quid sit Collyrium quo mentis oculos debemus inungere. 121
Collyrium mentis meditatio, tribulatio, bonorum temporalium contemptus, passionum mortificatio Christi egestas, cognitio humiliationis nostræ, melius omnia media quibus cognoscere possumus paupertatem nostram. 172. & 173
Cognitio non est sufficiens nisi in praxim reducamus ea quæ scimus. 171
Quis columpna in templo Dei. 154. & 155
Coralium arabiæ significat animas pœnitentes. 175
Cooperatio gratiæ Dei quantos fructus afferre potest. 178
Conscientiarum septem genera. 163. & 164
Conscientia erronea culpabilis si ex crassa ignorantia talis est. 165
Conscientia est applicatio proprij iudicij, ad iudicandum & discernendum. 165
Conscientiæ redargutio fit tribus modis. 165
Consilium proprium Lepra fœdissima. 168
Conciliorum celebrandorum forma describitur & insinuatur. 190
Conuenientiæ infusionis gratiæ cum creatione. 159
In Cælo empyreo omnia resecta & aperta. 195
Per Coronas opera gloria & honore digna significantur, 219. item charitatem. 221. item sacerdotium regale. 219. item sapientiam Sacerdotibus necessariam. 220, item merita esse in tuto posita. 220
Tres Coronæ Pastoribus assignari possunt institiæ Sacerdotij, & politici regiminis. 220
Creatio proprium opus Dei. 158
Credere Deum quid sit 2. credere quod

Digitized by Google

remunerator ſit 3. quod amari & timeri debeat, non credere aut non adimplere eſt percutere tertiam partem ſolis, id eſt notitiæ intellectualis. 575
Credere Eccleſiam eſſe à Deo vocatam, credere Paſtorum Eccleſiæ autoritatem, at nolle obedire Eccleſiæ eſt percutere tertiam partem lunæ, id eſt eorum quæ de Eccleſia credere debemus. 576
Credere ſanctos eſſe Deo gratos, ſecundo eos Dei amicitiam contraxiſſe per obſeruationem mandatorum Dei, at nolle eos honorare quos ſcimus aut ſcire debemus eſſe honorandos eſt percutere tertiam partem ſtellarum, id eſt notitiæ quam de ſanctis quos ſtellas vocamus habere debemus. 576
Tria Credenda de Chriſto qui ſol eſt, quod ſit mediator, quod ſit autor gratiæ & gloriæ, quod inſtituerit media efficacia ad gratiam conſequendam, ſi hæc media contemnamus percutimus tertiam partem ſolis. 576
Tria Credere debemus de qualibet anima ſancta, quod ſit per gratiam membrum Chriſti, quod à Chriſto omnia accipiat, quod ad Chriſti ſimilitudinem debeat peruenire, percutitur tertia pars lunæ id eſt animæ ſanctæ, ſi vitam ſanctorum calumniis impetamus. 576
Tria credere debemus de mandatis Dei, Data fuiſſe à Deo, ad vitam æternam conſequendam eſſe neceſſaria, tertio eſſe poſſibilia & facilia: ſi illa dicamus impoſſibilia percutimus tertiam partem ſtellarum. 576

D

CVR Tribus Dan omittitur in enumeratione duodecim tribuum. 503
Deus pretioſa ſub vilibus contegit, decorem ſub vili amictu. 360
Decreta Dei immutabilia. 669
Dei ſapientia ſeu cognitio.
Deo omnia noſtra opera ſunt manifeſtiſſima. 32
Deus omnia noſcens, eius eſt de omnibus iudicare. 89
Deo omnia notiſſima, etiam futura. 124
Deo indifferens eſt ſi dies ſit aut nox vt videat. 125
Deus non indiget teſtibus vt iudicet. 125
Deus ſapienter mala ordinat & applicat ad ea quæ fieri determinat. 622
Deus ex ſapientiſſima ordinatione ſua multa producit in rerum natura, quæ homines euenire fortuito plærumq; exiſtimant, vt eos admoneat ſeueritatis iudiciorum ſuorum. 429. & 430
Deus neminem poſitiuè ordinat vt peccet. 421
Deus ſapienter non debuit hominem cogere vt ſemper bonum operaretur, ne libertas ab eo auferretur. 241
Deus creando hominem debuit illi legem imponere ſeruandam, quamuis ſciret ipſum peccaturum. 421
Dei operationes ad extra ordinantur ad manifeſtationem miſericordiæ, & iuſtitiæ eius. 209
Quænam aptos nos reddant ad Dei ſecreta percipienda? 6
Facilius eſt Deum amare agnitum quam ad eius cognitionem deuenire. 348
Omne Datum & donum à Deo. 110
Quinam ſit ſcopus donorum Dei & diuinarum profuſionum. 11
Dei dignatio & pietas, erga iuſtos. 42
Deus ex malis noſtris bona elicit. 46
Deus eſt immutabiliter bonus: vnde dici non poteſt nunc malum, nunc bonum producere. 415
Deus eſt adiutor in opportunitatibus & parata habet auxilia vt ſuos conſoletur, & à malis eripiat: probatur inductione. 698. & 699
Deus quomodo ad ianuam ſtare aut pulſare dicitur. 177
Deus pro ratione infinitæ ſuæ Bonitatis & Maieſtatis vult vt ſtatim eius inſpirationibus obediamus 173. malè. 172
Deus per auxilia opportuna occurrit noſtris malis & infirmitatibus. 525
Deus tria media adhibet vt homines auertat à peccatis, verbi prædicationem, orandi facultatem, Miſſæ Sacrificium. 545
Deus antequam ſupplicia inferat, à malis nos reuocat per comminationem ſuppliciorum. 540
Dei bonitatis eſt nos vocare, noſtrum eſt credere. 574
Deus abſque iniuria ſuæ Bonitatis peccata permittit, abſque læſione ſuæ manſuetudinis illa punit, abſque violatione legum æquitatis illa remittit. 423
Deus rerum parens ignis & aquæ commercio nos generat. 241
Deus ita bonus & ſanctus eſt vt eum qui bonus & ſanctus eſſe nolit à ſe rejiciat. 249
Deus patitur totum te & propter te. 297
Deus à morte & peccato nos liberat. 7
Deus nullam difficultatem in operibus reperit quam non vincat, & quodcumque opus excelſum poteſt perficere. 3
Deus Dominus vineæ pro malis agricolis bonos inſtituit. 76
Deus ponderat in iuſta ſtatera omnia noſtra. 363
Dei potentia magis elucet in conuerſione peccatoris, quam in creatione mundi. 108
Deus ſua potentia omnia aufert conuerſionis obſtacula. 113
Dei potentia non habet limites. 113
Deus in ſuis effectibus impediri non poteſt. 116
Deus à rebus terrenis veram aufert pacem. 353
Quomodo dicitur claudere & aperire. Ibidem.
Solus Deus dat incrementum. 152
Deus ſe ſolo non producit actiones voluntatis. 176
Deus duos effectus producit nempe miſericordiæ & iuſtitiæ ad quos cæteri reducuntur. 187. & 189
Deus pœnitentiam ſuam noſtro arbitrio derelinquit, vt noſtra voluntas præmium conſequatur. 574
Deus manifeſtat magnitudinem potentiæ ſuæ in ſaluandis electis, & reprobis puniendis. 661. 662. 665
Dei dominatio in mundo non manifeſtabitur plene niſi poſtquam potentiæ ſuæ lignum dederit in nece Anti-Chriſti. 732
Diſtributio dignitatum in Eccleſia eſt opus totius Trinitatis. 144
Dei eſſentia quaſi columna firmiſſima in qua ſubſiſtere prima dicitur perſona. 203
Deus pater gloriæ appellatur propter gengrationem verbi diuini: pater Domini noſtri Ieſu Chriſti propter humanitatem. 278
Deus dicitur Deus viuus propter generationem filij qui ſolus eſt perfecta Dei imago. 474. Deus pater non dat filio ſpiritum ad menſuram. 110
Diuinitatis tria ſunt attributa ad quæ cæteræ reducuntur, intellectualitas, amor & omnipotentia. 475
Dei perfectiones aliis ſunt odor vitæ in vitam, aliis ſunt odor mortis in mortem. 420
Dei diuinitas locuples noluit paucos ad ſe attrahere ſed cunctas nationes. 361
Deus cum dicitur non poteſt dici, cum definitur ipſa definitione creſcit. 198
Deus quantumuis præſens ad oſtium cordis quomodo extra eſſe dicitur. 176
Deus inuiſibilis per ſimilitudines colorum & proprietatum adumbratur vt per effectus eum contemplemur. 201
Deus ſub quacumque figura apparere dicatur, duobus tantum adumbratur coloribus. 201
Vt eam quam de Deo habere poſſumus cognitionem habeamus multis ſymbolis opus eſt. 201
Deus in nulla forma determinata apparet S. Ioanni, quia quoſlibet effectus in Eccleſia eſt operaturus. 187
Deus ea ſpecie videtur, quam voluntas elegerit non natura formauerit. 200
Quomodo Deus ſedere dicitur, quamuis in humana non appareat figura. 199
Deus in nulla forma apparet S. Ioanni quia quoſlibet effectus in Eccleſia eſt operaturus. 187
Deo ſedenti in Throno nulla ſimilitudo aſſingitur, primo vt idem qui erat in ſynagoga nunc eſſe in Eccleſia dicatur. 19. ſecundo vt intelligamus fide opus eſſe ad intelligenda quæ Deus operatur in Eccleſia, tertio propter multiplicitatem effectuum, quæ operaturus eſt. Ibidem.
Deum colere debemus mente & corpore quia vnicum eſt principium animæ & corporis. 59
Deus ore confitendus ſicut corde credendus. Ibidem.
Deum habet qui eum credit & confitetur. 73
Sicut omnia dedit, ita omnia ad illius obſequium ſunt impendenda. 72
Deus vult nos & proſperitates, & aduerſitates à ſua manu ſuſcipere, & ad ſuam gloriam ordinare, & ſiue lumine fidei nos illuminet, ſiue lumine rationis acquiſita, vult, vt opere, & recta intentione iuxta fidem reuelatam & lumen datum honeſtè ambulemus. 577
Dei memoria omnem repellit timorem. 465
Deo tantum ſacrificandum. 383
Dei cognitionem altiorem habemus per gratiam quam per naturalem ratiocinationem. 200
Glorificat Deus eos qui illam honorant & negligit qui eum contemnunt. 42
Denarium ſignificat vitam æternam. 442. & pretium ſanguinis Chriſti. 365
Deſperationi non eſt dandus locus. 42. 108. 139. & 645
Deuorare librum eſt illum in memoria ſeruare, omnia ſimul percipere, auidè excipere. 679
Determinationes ad malum poſt conſenſum in peccatum, fumo comparantur, quia ex fornace concupiſcentiæ prodeunt, quia lumen diuinum non admittunt, quia mentem tenebris obuoluunt. 599. quia tanquam fumus euaneſcunt. 601
Diſceptatio de vero ſenſu c. 9. 382. & 383
Diſſimilitudinibus vtendum in propoſitione rerum diuinarum, vt in his minimè immorantes ad ſacra meditanda promptius euolemus. 379
Diſciplina Domini aperit aures. 224

Diuitiarum contemptus eſt Spiritus ſancti doctrina. 351
Diuinarum rerum expreſſio fit duobus modis, ex conſentaneis, & diſſimilibus. 378
S. Dionyſius præfert modum expreſſionis ex diſſimilibus alteri modo ex conſentaneis. 379
Dilectio proximorum, & maximè inimicorum hominem aptiorem reddit ad onus Paſtorale obeundum. 817
Diuitiæ veræ ſanctorum. 35

Dæmon, & Diabolus.

Dæmon habet clauem abyſſi, quia & ſenſus mouendi, & phantaſiam turbandi, & paſſiones excitandi vim habet & facultatem. 591
Dæmonum operationes variæ in ſenſibus internis & externis. 591. & 592
Dæmon per omnes ſenſus, conatur nos ad malum & peccatum inducere. 592
Dæmon phantaſmata mouet vel mediatè vel immediatè iuxta humorum, & qualitatum complexionum qualitatem quibus mens in diuerſas cogitationes abit, modo ad hoc modo ad illud vitium inclinatur. 592
Dæmon poteſt operari ad hoc quod imaginationi aliquæ formæ imaginariæ præſententur. 592
Dæmon inducit ad peccatum per commotionem paſſionum. 592. & 593
Dæmones parati ſunt tentare in horam, quia nullam occaſionem prætermittant; in diem quia tentant iuſtos, in menſem quia in aduerſis & proſperis, in annum, quia per totum tempus conceſſum hominibus vt pœnitentiam agant. 650
Dæmones occidunt tertiam partem hominum qui diſtribuuntur in fideles in infideles in hæreticos qui illam tertiam partem adimplent. 650
Diabolus fugiendus, qui ex peccatorum calamitate nutritur. 332
Diabolus duobus modis primos parentes decepit nimia ſciendi appetentia, & per illecebras rerum ſenſibilium. 336
Diabolus ab initio eſt homicida. 754
Diabolus hæreſes diſſeminans hominum incendit damnationem. 753. & 754
Diabolus omnis mali ferè author. 592
Diabolus ſeptemplici modo tentat homines: vnde ſub variis imaginibus beſtiarum deſcribitur, vt ſit muſca, vulpes, pardus, ſerpens, leo, auis. 593. 594. 595. & 596
Diabolus vt muſca importunis cogitationibus; vt vulpes tricis, ambagibus ambiguitatibus; vt pardus ſubitis aggreſſionibus, vt ſerpens occultis deceptionibus, vt leo violentis tentationibus, vt draco fraudibus & callidis machinationibus; vt auis inſperatis & non præuiſis machinamentis nos exagitat. 594. 595. 596
Diaboli mille nocendi artes explicantur. 597
Qua ratione Diabolus extorquet noſtrum conſenſum iuxta modum quo primum decepit hominem. 597
Contra Diaboli tentationes remedia opportuna. 598
Ex Diaboli ſuggeſtione duplici interiori & exteriori malum proſequimur, & bonum reſpuimus. 598
Cum Diabolo tentanti conſenſum præbuimus quænam eueniant nempe mentis obcæcatio, & voluntatis libertas aliqualiter captiuatur. 599
Diabolum imitatur qui non vult Deum peccata poſſe dimittere toties quoties ingemiſcere vult peccator. 433
Diabolus gloriæ hominis æmulus ægrè ferens naturam humanam fuiſſe à Deo aſſumptam, per bellum contra ſanctiſſimæ Trinitatis perſonalis fidem Incarnationis auferri tentauit. 403
Diabolus bona opera calumniatur vt frui boni exempli impediat. 404
In Dæmonibus nulla eſt eſſentia, natura, poteſtas, qualitas, aut actio quæ directè per ſe producat malum, in eis aut in aliis creaturis. 415
In Dæmonibus malum eſt tantum diſceſſiſſe à bono per deprauationem, imbecillitas & priuatio. 415
Dæmon non poteſt nobis adimere libertatem ex obiectis allicientibus quæ proponit. 416
Dæmoni tentandi homines permiſſio conceſſa. 58
Diabolus tentans homines eſt ſtella cadens è cælo. 588
Diabolus impugnat homines, eoſque tentat, quod conditioni humanæ conuenit vt poſſit ab aliis creaturis vel iuuari, vel impediri. 590
Diabolus impugnat dupliciter, vel inſtigando ad peccatum, Deo permittente, vel puniendo, ad id à Deo miſſus ex iuſtitia, quod tamen ipſe facit ex odio. 590
Diaboli præſentia, lites, bella, & diſſidia cauſat. 565
Diabolus principe ambitioſo tanquam apto inſtrumento vtitur, vt bellis mundum diuexet. 565
Diabolus non eſt cauſa peccati directè, vel ſufficienter, ſed per modum perſuadentis, & proponentis appetibile. 590
Doctores per quatuor animalia deſignantur. 254. & 256
Septem Dona Spiritus ſancti per ſeptem ſpiritus, & per 7. lampades ſignificantur. 239
Dona Spiritus ſancti bene diſponunt hominem ad Deum. 239
Qui hæc Dona recipit lampas dicitur. 239
Donorum Spiritus ſancti nouem genera ſub quæ reponi poſſunt ſancti homines tanquam ſub diuerſis ordinibus. 506
Hæc nouem genera Donorum proportionem habent cum nouem ordinibus Angelorum. 506
Ad nouem genera Donorum tria adduntur, eorum qui plurimum inſeruierunt ad Dei ſapientiam manifeſtandam, alij qui ad Dei amorem acquirendum inſtantius aſpirarunt, alij qui Dei potentiam extulerunt ſecundum tria attributa intellectualitatis, amoris, potentiæ. 507
Duodenarius numerus adhibendus fuit numero donorum nouem vt noſtra cooperatio ſignificaretur, quæ ſit ſi per ſeptem dona Spiritus ſancti vel per gratiam ſacramentorum infirmitati quinque ſenſuum ſuccurramus. 506

E

ECCLESIÆ definitio. 182
Eccleſia ſacer ordo. 182
Eccleſiæ viſibilis perpulchra deſcriptio. 8
In Eccleſiæ fundatione tres diuinæ perſonæ debent deſignari, vt ipſam eſſe opus S. Trinitatis profiteamur. 102
Idem Eccleſiam fundauit qui cælum & terram creauit. 203
Eccleſiæ autoritas non humani eſt conſilij ſed plane diuini. 218
Eccleſia eſt domus Dei. 141
Eccleſia ſicut terra eſt quaſi centrum vniuerſi: omnia enim propter electos. 141
Eccleſia totà per ſeptem Eccleſias Aſiæ deſignantur. 6. & 7. & qua de cauſa ſeptem Eccleſiæ vna Eccleſia. 15
Eccleſia quomodo ædificanda? 76
Ad ædificandam Eccleſiam quinam operam præſtent? 77
Ad Eccleſiæ fundationem quænam neceſſaria exiſtant? 114
Eccleſiæ fundatio pro ſcopo habet vt Deus in nobis habitet. 145
Eccleſiæ nouum nomen quo tanquam medio finis Apocalypſis obtinetur qui eſt Chriſti ſplendor cognitus, quod vocetur Chriſtiana. 181
Eccleſiæ Chriſtianæ fundamentum in vera fide quatuor veritatum. 435
Vt quis Eccleſiæ ſit membrum tria requiruntur, vt Baptizetur, vt obediat legi Chriſtianæ, vt capiti Eccleſia ſit ſubditus. 395
Eccleſia regnum cælorum quia è cælo nata. 194
Eccleſiæ autoritatis firmitas maximè relucet in ſede Petri. 196
Eccleſiæ ſtatus deſcribitur prout à ſynagoga diſtinguitur. 196
Eccleſia Romana duobus modis poteſt conſiderari vel in quantum eſt ſedes Apoſtolica in quacumque loco ſit, vel in quantum eſt Romæ fixa. 26
Eccleſiæ dignitatis gradus eximios ex communicatione cum Chriſti paſſione, Paſtorum regimine, & verbi diuini adminiſtratione. 25
Tria media quibus præcipuè ſanctificatur. 14
Eccleſia illuminatur per hanc prophetiam. 7. & 8. illuminatur per Chriſtum. 190
Eccleſiæ magnus honor, & magna gloria ex cognitione Chriſti. 181
In Eccleſia quidquid eſt boni Chriſto vt capiti tribuendum. 181
Eccleſiæ honor & fælicitas, eſt quod ex ea gloria obueniat. 181
Eccleſiæ progreſſus admirabiles. 71. malè. 59. & 359
Eccleſiæ cum ſynagoga repudiata pulchra antitheſis. 96
Eccleſia ſtans & progrediens non iacens & proſtrata deſcribitur. 96
Eccleſiæ decurſus tres ſtatus comprehendit. 100
Eccleſia ſicut terra in medio ætris eſt immobilis. 142
Eccleſia nullum habet motum directum præſumptionis. 142
Item non mouetur motu circulari opinionum phantaſticarum. 142
Nullum habet motum naturalem diſcedendi à ſtatu ſubmiſſionis diuinæ voluntati. 143
Non patitur motum violentum ſecundum omnes partes. 143
Eccleſia ad modum terræ habet quandam rotunditatem, & quomodo? 143
Eccleſia oculus cæcis, pes claudicantibus. 75

Eccleſiæ neceſſaria eſt diuina ſapientia & cæleſtis doctrina ad hæreſes confutandas. 28
Eccleſia à Chriſto non deſeritur. 76
Fulgor temporalis Eccleſiæ optime in Elia adumbratur, 26
Eccleſia licet videatur nigra habet tamen eloquia pulchritudinis. 317 horrida exterius, interius pulchra. 369
Eccleſia firmioribus quam cælum ipſum radicibus defixa hæret. 455
Eccleſia perſecutionibus incrementa ſibi comparauit, nihilque timet malorum huius vitæ. 456
Eccleſia tribus modis ſpectari poteſt vel quantum in ea eſt quædam eminens authoritas, vel in quantum eſt quoddam mare, in quo omnes gratiæ profluunt, vel in quantum in ea electi ſunt radicati. 464
Eccleſia propter firmitatem inconcuſſam terræ aſſimilatur. 464
Eccleſia propter gratiarum abundantiam mari comparatur. 464
Eccleſiæ fideles iuſti per arbores ſignificantur. 464
Eccleſiæ nihil eſt timendum poſitæ ſub Dei protectione. 456
Eccleſia orientalis nunquam tot fuit nobilitata Martyribus, quam cum ab Iconoclaſtis ingens multitudo occiſa eſt. 449
Eccleſiæ autoritas in tribus relucet, in his qui ſcripto, & verbo Chriſtum annunciant, in his qui Eccleſiam regunt, in his qui ſancti ſunt. 252
Eccleſiæ columna & firmamentum eſt Euangelium. 252
De Eccleſia militante non de Triumphante agitur in c. 4. 194
Eccleſia per nubem adumbratur. 194
Quæ in Eccleſiis celebrantur ſimulachra ſunt eorum, quæ in cælis celebrantur. 236
In prima fundatione Eccleſiæ Catholicæ ſpiritus fertur ſuper aquas ſicut olim in rerum creatione. 140
Eccleſia ciuitas in quadro poſita: pulchræ de hac rationes. 255
Eccleſia mel cum lacte miſcet quia verbo Dei ſimpliciter credit. 336
Eccleſiæ fides & Religio oppugnabitur, ſed non expugnabitur ab Anti-Chriſto, Eccleſia ſemper remanente, & victoriam de tanto hoſte reportante. 716
Eccleſiæ fælicißimus ſtatus poſt necem Anti-Chriſti. 726. 681. & 682
Qualis erit hic ſtatus exprimitur. 734
Eccleſia in tranquillo ſtatu conſtituta, ſancti virtutibus peccatores allicient ad morum mutationem, conuerti nolentes comminationibus terrere conabuntur. 734. & 735
De Eccleſiæ perſecutione, probatione, protectione agitur pro temporibus Anti-Chriſti in cap. vndecimo. 682 683. & 684
Futurum eſt vt Eccleſia pedibus infidelium conculcetur quia publicus Dei cultus in ea non apparebit. 680
Eccleſia non derelinquetur. 680
Eccleſia in Deum omnem ſuam fiduciam collocare debet. 687
Eccleſia in magnis anguſtiis tempore Anti-Chriſti vt capiti ſuo fiat conformis. 695. & 696
Eccleſiæ militantis ſtatus cum in fine ſæculorum Iudæi in Eccleſiæ gremio recipientur, adumbratur in Ciuitate & templo Ezechiel. pag. 690
In primitiua Eccleſia floruit quidquid perfectionis in Religionibus, quæ per templum & altare Ezechielis &, S. Ioann. ſignificantur. 690
Eccleſia eſt ciuitas quæ intelligitur in cap. 21. quæ dicitur ſancta. 694. & 695
Eccleſia aliarum rerum quæ contrarietatem patiuntur, conditionem indoit, hinc malo culpæ quod abſolutè malum dicitur, oppugnatur. 621. & 622
Eccleſiæ ſtatus calamitoſus deſcribitur. 525
Eccleſiæ prærogatiuæ ex donis ſibi datis conjicitur. 499
Eccleſiæ nihil eſt timendum poſitæ ſub Dei protectione. 465
Eccleſia reuertetur ad humilitatem primam. 705
Eccleſia eſt altare habens quatuor cornua per quæ veritatem tuetur, libros legales, hiſtoriales, ſapientiales, prophetiales vtriuſque Teſtamenti, quatuor Euangelia Totam ſcripturam, traditiones Concilia legitima, vnanimum patrum conſenſum, quorum contemptu fit ſolutio Angelorum. 628
Eccleſiæ iudicium requiritur vt dicamus aliquam actionem in particulari eſſe indicium certum prædeſtinationis. 514
Vt agnoſcamus quænam ſint actiones, quas Eccleſia cenſet eſſe indicia prædeſtinationis, vt prudenter agat in canonizatione ſanctorum conſulendæ ſunt Bullæ Canonizatorum. 514. & 515
Eccleſia debet eſſe parata ad omnia ſufferenda vt capiti conformetur & ſuam fiduciam in Deum oſtendat. 696
Quid ſit non egredi foras, victoriam reportanti. 114.
Effectus ſenſibiles Dei virtutes non adæquant. 201
Electi conſiderari poſſunt diuerſimodè. 491
Electi quales ſunt extra ſtatum peccati ſpoſiti 492. Electi ex omnibus proficiunt quia Deum diligenti omnia cooperantur in bonum. 661
Electi non repræſentantur in cap. 7. vt ſtatum gloriæ adepti. 492. & 493
Electi repræſentantur in cap. 7. non vt certantes ſed vt in gratia perſeuerantes. 492
Electi in aliquo vitæ ſuæ momento talem gratiam recipiunt vt ab ea excidere non valeant. 492
Electi conſiderantur in c. 7, vt in puncto gratiæ finalis per donum perſeuerantiæ. 492
Ab Electis Deus amouet impedimenta conſequendæ gloriæ. 116
Electos non deſerit Chriſtus in ſtatu periculo. 174
Elias viſus eſt puer pro lacte ignem fugere. 62
Eliæ zelus contra peccatores. 145
Energumeni tempore ſacrificij adducebantur, vt ſacrificio & orationis ſanctorum iuuarentur. 557
Epiſcopi Angeli dicuntur 42. per ſtellas ſignificantur 43. tanquam Angeli deſtinantur in opus miniſterij 43
Epiſcopi quales eſſe debeant? 228
Sine Epiſcopo nihil faciendum. 258
Epiſcoporum vox quare dicitur eſſe tanquam aquarum multarum, & tanquam tonitrui magni & tanquam citharedorum. 499
Epiſcopus habet rationem medici. 220
Epiſcopi ſyncera intentione gaudere debent. 218
Epiſcoporum poteſtas per ſpiritum exprimitur. 233
Epiſcopi quia reuelata facie gloriam Domini ſpeculantur ſunt lampades. 233
Per lampades ſignificantur vt ſciant ſibi ardendum, & aliis lucendum. 234
Ab Eccleſiæ Epiſcopis gratia & pax merito exoptatur. 234
Epiſcopo non ſufficit bonum eſſe pro ſeipſo, niſi & aliis bonus exiſtat. 73
Quanta ſit obligatio Epiſcopi per ſe vel per alium, verbum Dei prædicandi 73. quantum periculum ſalutis incurrunt qui hoc negligunt. 74
Epiſcopi in cauſa fidei de Imperatoribus iudicant. 103
Epiſcopus Sardenſis quali vitio laborabat. 136
Epiſcopus Philadelphiæ exhortatur ne derelinquat ſedem ſuam vt honorem non perdat debitum, laboranti ad conuerſionem animarum. 148
Non perdat debitum laboranti conuerſioni animarum. 148
Epiſtolarum ad ſeptem Epiſcopos optima ſeries. 38
Cur Epiſtola ad Epiſcopum Sardenſem reponatur inter Epiſtolas ad Epiſcopos Smyrnenſem, & Thyatirenſem præcedentes & Epiſtolam ad Philadelphium ſubſequentem. 108
Epiſtolarum totali pauca ſunt verba res maioris momenti ſignificantia. 123
In Epheſino Concilio ſub Cæleſtino Papa, præſidente Cyrillo anathema fuit pronunciatum contra eos qui dicerent Emmanuël non eſſe verum Deum & hominem, Mariam Virginem non fuiſſe Dei matrem. 400
Equi pulchra deſcriptio. 330. & 331
Equus aliquando ſymbolum animi laſciui. 330
Equi quatuor videntur cap. 6. quos quidem accipiendos in malam partem, alij & melius in bonam 324
Equi non habent ſeſſorem diabolum vel hypocritas, vel hæreticum, ſed eumdem habent ſeſſorem Chriſtum Dominum. 324
Equus albus eſt primitiuorum electorum numerus ab omnibus peccatis in vnda baptiſmatis purificatus. 343.
Equus albus ſignificat etiam Apoſtolos & prædicatores 330. & fidelem quemque Baptizatum album per puritatem cordis. 337
Equitis figura reticetur vt inuiſibilem Deum, inuiſibilem ſpiritum, inuiſibilem Chriſti virtutem meditemur. 339
Cum figura Equitis ſedentis reticetur fidei natura quod ſit obſcura innuitur. 339
Eques quamuis dicatur habere arcum aut ſtateram, aut gladium, nihilominus inuiſibilis eſt. 340

Digitized by Google

Equus rufus significat Christianum supra omnia diligentem. 348
Supra Equum insidens est sapientissima Dei permissio, quæ per tentationes seruos Dei probari sinit. 348. Est etiam Christus, qui per suum spiritum, fidelem charitate accensum regit. 350
Est etiam S. Spiritus per quem impellimur ad agendum. Ibidem.
Sub Equo secundo Sacramenti Confirmationis effectus describitur, quod Sacramentum solus Episcopus ordinariè administrat, sicut solus benedicit virgines, solus consecrat. 375
Sub tertio Equo Christianus describitur vt sedulus mandatorum Dei obseruator & ad Dei nutum mobilis. 359
Significat expressius obedientiam quam coniungati exhibent Ecclesiæ, & Deo, in Matrimonio. 371
Equi tertij nigredo significat modestiam quæ requiritur inter coniugatos in mutua conuersatione, habitu, & gestu. 371
Equus seu eques sigilli quarti non est intelligendus de Mahomete (contra Pererium) sed in bonam partem accipiendus. 379. & 380. & 381.
In Equo quarto effectus Sacramenti ordinis describitur, in cuius administratione Ecclesia Latina explicatius quam Græca voluit & signa adhibere potestatis quæ in ordinatione conferitur. 374. & 381. & 382.
Equi quarti eques Christus, cuius personam gerunt Ecclesiæ pastores. 381. & 382.
Equus pallidus in symbolo, sub quo Regia dignitas Christi designatur quia per mortem equo insidentem Christus manifestationem suæ autoritatis & dignitatis regiæ promeruit. 446
Euangelium est disciplina Christianorum. 686
Eucharistia est Sacramentum Sacramentorum, id est præstantissimum. 297.
Eucharistia complectitur summam eorum quæ in singulis Sacramentis peraguntur. 297
Eucharistia modo perfectiori nos illuminat: quia animam cum Deo, qui lux est, intimè coniungit. 297
Qui Eucharistiæ mysterium credit, facilè omnibus aliis mysteriis fidei assensum præbebit. 298
Eucharistia omnipotentiam Dei manifestat. 299
Eucharistia sacrificium vere propitiatorium. 300
Emolumenta seu effectus præsentiæ Christi in Sacramento Eucharistiæ. 309. & 191.
Primus effectus perfecta verbi incarnati cognitio. 309
Secundus effectus est quod tanto adiuti auxilio ad perfectam mandatorum Dei obseruantiam peruenire possumus. 310
Tertius effectus est quod per hoc diuinum mysterium Deo laudes reddantur, perfectiori modo. 310
Quartus effectus, quod in hoc Sacramento tanquam in quadam recapitulatione habent Angeli & homines vnde agnoscant quam benigna sit Dei prouidentia circa cunctas creaturas. 311
In Eucharistiæ Sacramento parauit nobis Deus mensum aduersus tribulantes nos. 320
Omnes fideles ab Eucharistia dependent in quantum est sacrificium. 403
Eucharistiæ sacrificium institutum fuit quia alia ratione non possumus dare sufficienter Deo gratiarum actiones. 642.
Eucharistiæ Sacramentum significatur per mare vitreum, ac si esset vitro repletum. 245
Eucharistiæ Sacramentum rectè sigillum dicitur, vt alia Sacramenta. 396
Eucharistiæ Sacramentum multis nominibus in digitatur, tria autem nomina potissimum illi tribuuntur secundum triplicem eius significationem, nempe sacrificium, synaxis, & viaticum. 396
Eucharistia summum eorum, quæ in singulis Sacramentis peraguntur, complectitur. 399
Eucharistia symbolum vnitatis & charitatis. 400
Eucharistia sub duabus rationibus essentialiter diuersis consideratur, Sacramenti nempe & sacrificij. 412
Ab Eucharistia sub ratione Sacramenti consideratæ omnes electi dependèt, tum ratione obligationis percipiendi Eucharistiam, tum ratione significationis. 402
Eucharistiæ digna perceptio quæ bona offerat.
Eucharistia fructus arboris vitæ. 54

De Enocho & Elia.

Enoch veniet daturus gentibus pœnitentiam, cum prædicabit Deum esse, & ipsum esse remuneratorem. 702
Eliæ proprium est vt veniat restituturus omnia in fine seculorum, nec hoc S. Ioanni Baptistæ conuenit, qui veniet tantum in spiritu Eliæ, vt primum Christi præcurrat aduentum. 701. & 702.
Ex Enoch, & Elia adhuc viuentibus patet Deum posse ad longum tempus quantum voluerit prorogare vitam. 702. & 703.
In personis Enoch & Eliæ potest aliquis sensus mysticus reperiri, vt in Adamo & Eua, Isaac, & Ismaele. 703.
In Enoch & Elia Procopius vult designari incorruptionem & immortalitatem. 703
In Enoch, qui interpretatur dedicatio, habemus nostræ dedicationis præfigurationem, in Elia designatur Prophetarum chorus. 703
In Enocho fidei splendor designatur, in Elia zelus honoris diuini. 703
Enoch & Elias commendabiles ob multa. 703
Quid Enocho & Eliæ Deus daturus sit non exprimitur, vt cogitemus nihil eis defuturum. 704
Enoch & Elias duæ oliuæ, duo candelabra stant, quia non mortui ante Dominum, quia ad eius voluntatem exequendam parati. 708
Enoch & Elias oleum præstabunt Ecclesiæ, quia vita, & doctrina eorum ab vtriusque legibus regulabitur. 708.
Enoch & Elias vterque oliua, vterque candelabrum, prius oliuæ quam candelabra: quia bona opera prius exercere debent quàm aliis prælucere possint. 709
Vterque oliua propter diuturnitatem vitæ, quia putredinem occisi non sentient, qua rursus germinabunt resurgentes, quia prædicabunt misericordiam Dei erga homines. 709
Dicuntur filij olei, quia à diuina misericordia electi vt hominibus auxilium præbeant. 710. dicuntur candelabra quia electi vt luceant in domo Dei, ante conspectum Dei ob magnitudinem claritatis quam à Deo mutuantur. 710
Enoch & Elias præditi virtutibus ad prædicationem necessariis, vnde verè lucebunt aliis. 710
Quales se exhibebunt Enoch & Elias erga Ecclesiæ hostes? 710
In eorum missione Deus suam benignitatem ostendet. 711
Mysticè & ad literam dicuntur ignem ex ore euomere. 711
Sicut mites erunt erga fideles, acerrimi erunt hostes aduersus impios. 711
Eutyches vnam tantum agnoscebat in Christo naturam. 444
Euphrates fluuius designat iustitiam Christianam, extra quam egredi non licet. 627
Quatuor sunt tantum recepta Euangelia. 255. & 256
Euangelistæ animalia, non homines, propter subiectionem & dependentiam: quia nihil scripserunt nisi quod spiritus eis dictauerit, & quia Ecclesiæ est secernere verum Euangelium. 252. & 255
Euentus salutares prædici in sexto capite conjicitur, quia flere S. Ioannes prohibetur. 437
Euentus quidam insignes futuri prædicuntur in sexto sigillo. 449
Exemplum bonum antecedere debet lucem verborum, sicut fulgur prius oculis videtur quam tonitru auribus percipitur. 223
Enoch & Elias patrabunt miracula non solum salutaria fidelibus, sed etiam nociua Christiani nominis hostibus. 712.
Ad libitum patrabunt miracula vt se opponant Anti-Christo, qui venit secundum operationem Satanæ in omni virtute. 712
Ad literam impedient né pluat, & aquas conuertent in sanguinem. 712
Cum dicitur illos habere potestatem claudendi cœlum ne pluat, non est hoc intelligendum de pluuia sacræ doctrinæ, quæ pro tunc erit valde necessaria, sed de vera & naturali pluuia. 713
Enoch & Elias supplicia immittèt vniuersaliter, & quæ nulla vi, aut arte humana, aut diabolica euitari possint. 713
Quomodo vita prolongata fuit Enoch & Eliæ vsque ad Anti-Christi tempora. 715
Credibile est eos vesci de ligno vitæ. 716.
Mors in illos potestatem non habebit nisi expleto ministerio. 716
Corpora Enoch & Eliæ verè iacebunt insepulta post occisionem. 717
Expositio mystica Ludouici ab Alcazar parum firma & solida videtur in caput 11. Apocalypsis vnde tota eius expositio parum certa esse perhibetur. 720. & 726

F

FIDEI definitio optimè explicatur. 339
Fides habitus mentis faciens intellectum assentire non apparentibus. 226
Fides est gratia deducens nos ad id, quod est simplex & vniuersalius. 329
Fides est primaria quædam basis scientiæ. 330
Fides non proponit voluntati suum obiectum vt quid visum, sed vt bonum sperandum. 339

Digitized by Google

Fidei obiectum diuiditur in duodecim articulos, ſicut zodiacus in duodecim ſigna. 141
Ex Fide quod Deus creauit hominẽ ad imaginem ſuam facile conjici poteſt Deum velle illum euehere ad quemdam honoris apicem, modus tamen quo hoc fuit per Chriſti mortem adimpletum, omnem excedit rationem. 376
Fides de verbi Diuinitate neceſſaria pro ſtabilitate Chriſtianæ Religionis. 435
Fides de Diuinitate Spiritus ſancti, vt Eccleſiæ moles & ædificium optimo ſtabiliretur fundamento, fuit omnino neceſſaria. 436
Fides Myſterij Incarnationis, quã credimus Ieſum non fuiſſe purum hominem, ſed Deum & hominem, fuit neceſſaria ad Eccleſiæ fundationem. 436
Fides tandem qua profitemur humanitatem ea ratione eſſe eleuatam ad vnionem diuinitatis vt non amittat ſuas proprietates, ad fundationem Eccleſiæ Chriſtianæ neceſſaria. 436. & 437
Fidei plenitudo crux Chriſti. 342
Fides & Charitas inuicem ſibi iuuamen & lumen ſunt. 342
Fides operibus & ore debet comprobari. 342. & 72
Fides eſt prima operatio Chriſti in Eccleſia circa fideles. 326. & eius præclariſſimum opus. 301
Fides eſt voluntaria anticipatio, quia voluntarium requirit aſſenſum, nec ſinit nos cogitare prout eligimus ſeu volumus. 328
Fidei obediendum, & ſubditum eſſe oportet, multi enim ſunt qui ſimulantes fidem, non ſunt ſubditi fidei. 319
Fide deſtitutus, eſt vt equus indomitus, & quaſi onager ſtans in rupibus, & draco ventum attrahentes. 329
Per Fidem Chriſtus dominatur in nobis. 336
Fides abſque ſpe & charitate mortua 111
Fidem retinere tempore perſecutionis heroica virtus. 72
Fide opus eſt vt futura à Deo nobis reuelari poſſint. 287
Quinam ſint veri Fideles? 345
Verus Fidelis omnia credit. 337
Vt quiſque fidelis per equum album deſignari poſſit, quatuor dotibus exornari debet, fortitudine, obedientia, juſtitia, magnanimitate, ſecundum quatuor equi proprietates 330. & 331.
Fidelis verbis ſuis facit ſtateram, qui de rebus fidei loquitur prout determinauit Eccleſia. 362
Fideles vno vitio ſuperato debent ad aliud vitium ſuperandum preparare. 345
Fidelis Chriſtianus auctoritatem Chriſti adumbrat paſſiuè & actiuè. 379
Fideles moriuntur peccatis, vitiis, paſſionibus, vt à Chriſto ſeparari non poſſint. 384
Fideles ad inuicem connectuntur vt humero vno & labio vno Deo obſequium præſtent. 397
Fideles admonentur de malis futuris vt cautiores reddantur. 449
Fdeles conſiderari debent non vt terrenos homines ſed vt cæleſtes. 187
Fidelitas in Dei obſequio in quo conſiſtat? 118
Tantam Fiduciam in Deum, & in eius promiſſa habere debemus, vt etſi videatur non adimplere promiſſa ea tamen adimplenda certo credamus. 697
Fideles inter aduerſa gaudent, mundani inter oblectamenta angoribus diſcruciantur. 353
Filius Dei eſt imago Patris non ſolum ſecundum attributum intellectualitatis, ſed etiam ſecundum attributum amoris, omnipotentiæ. 475. & 476
Filius Dei ſecundum tria attributa intellectualitatis, voluntatis, & potentiæ poteſt dici ſignum Dei viui. 476
De Filio tria ex ſcripturis poſſunt dici eo ipſo quo filius dicitur, quod ſit ſimilis patri, quod eum imitetur, quod ſit hæres bonorum Patris. 476. & 477
Filius eſt ſimilis patri, quia filius, quia ſeu definitio, dicitur, quia verbum, id eſt notitia ſeu cognitio patris. 476. & 477
Filius Dei, vt pater, primus & nouiſſimus. 55
Filius imitatur Patrem, quia operatur & vult eadem intentione quæ vult pater & facit. 477
Filius Dei imitari dicitur Patrem ratione humanitatis. 477
Cum Filius Dei dicit quæcumque ille fecerit hæc & filius ſimiliter facit intelligit ſe per humanitatem facturum opera, quæ ſolus Deus facere poteſt. 477
Filius Dei vt filius eſt hæres bonorum Patris hinc tempori non adſtringitur in ſuam operationẽ; dominatio eius nullis locis limitatur, aut perſonis. 477. & 478
Ad Filium pertinet propriè eſſe perfectam imaginem patris. 478
Filius Dei ſub ſymbolo manus aut brachij deſignatur, quia Deus ſapientiã ſibi connaturali vtitur in rerum creatione nullã alibi conquiſitã arte aut potentiã. 476
Qua ratione Filius Dicitur principium? 302
Filius ſecunda perſona Trinitatis in Sardio deſignatur. 102
Figuras aurium, & oculorum, Templis deuouebant antiqui; & qua de cauſa. 125
Pluribus Figuris Euchariſtia olim præfigurata. 300
Fletu, diuinorum cognitio eſt poſtulanda. 190
Ex Flagellis à Deo immiſſis vtilitatem capere debemus. 578
Fortitudo manifeſtatur in Eccleſiæ profectione, bonorum retributione, & malorum punitione. 564
Fornicatio diligenter fugienda. 369
Fœnum eſt turba promiſcua, quæ ſuperfluum ornatum in veſtibus exquirit. 371
Fortitudo quid ſit? 265
Qui vere Fortis eſt, nec temere audet, nec inconſultè timet. 265
Fortitudinis ſymbolum leo. 265
Qui Fortitudine præditi ſunt vere Reges ſunt, & cum Angelis obtinent principatum. 266
Quomodo Fortes Deo ſimiles efficiuntur. 266
Formæ ſub qua Chriſtus S. Ioanni apparuit per pulchra expoſitio. 13
S. Franciſcus deſiderio, & ſtigmatum receptione Martyr. 13
S. Franciſcus quanta bona ſpiritalia ex amore paupertatis adeptus fuerat. 62
S. Franciſcus ſpiritum paupertatis hauſit ex mammis Eccleſiæ SS. Petro & Paulo. 62
S. Franciſci humilitas. 168
Fulgur quid ſit. 221
Fulgura pro fulminibus nonnunquam vſurpantur. 222
Fulgur opera exteriora ſanctorum ſignificat. 224
Fulgura in pluuiam Deus facit, cum quorumdam in præſenti vita correptionem manifeſtam ordinat in aliorum ſalutem. 226
Fulguris, & tonitrui ſymbolum non ſeruat ordinem generationis ſed modi quo ſenſibus fulgur & tonitruum percipiuntur 228
Fluminis impetus lætificans ciuitatem Dei, ſunt Cherubim & Seraphim. 233
In Frumento intelligimus omnes veritates quæ mentem dulcedinẽ ſua reficiunt. 364
Frumentum ſignificat corpus Chriſti. 442
Fructus præſentiæ Spiritus ſancti ad exercendos actus octo beatitudinum ordinantur. 490
Quo ordine Futura in fine mundi deſcribantur à S. Ioanne in duobus capitibus vndecimo, & vigeſimo? 684. & 685
Futura in cauſis contingentibus ad effectum determinatis videntur ſcientia viſionis, in cauſis iſtis non determinatis non videntur per iſtam ſcientiam. 115
Futura videntur ratione coëxiſtentiæ cum Deo, cuius æternitas eſt indiuiſibilis. 115
Futura cur Deus reuelat ſuis amicis? 147
Futura videntur à B. Ioanne, non vt imperfecta, ſed vt perfectionem adepta. 214

G

Gaudium ſanctorum non habet quaſi, quia verum, & permanens gaudium. 721
Gaudium mundanorum paruipendendum, imo & odio dignum, quia gaudet de rebus peſſimis, quia cito elabitur, & lamenta æterna illud ſubſequuntur. 722
Verum Gaudium in mundo nec fuit, nec eſt, nec eſſe poterit. 722
Gaudebunt Iudæi in nece duorum Teſtium, ſicutolim gauiſi ſunt cum liberati ab inſidiis Aman. 719
Gemmæ colorum varietate diſtinctas ſpecies gemmarum denotant. 348
Æquiparare Generationis actum in ſtatu innocentiæ cum efficientia Sacramentorum nouæ legis, eſt ſcandaloſum, temerarium, & Sacramentis nouæ legis contumelioſum. 750
Gladius quo Chriſtianus hoſtes vicit eſt verbum Dei. 316
Gladius verbum Dei (poteſtatem habens coërcendi, & puniendi malos, & permiſſionem qua Deus permittit malis peruerſè vti ſua poteſtate) ſignificat. 316
Gloria cæleſtis amœnis coloribus depingitur. 138
Gloriæ lumen accommodatur pro ratione meritorum. 149
Ad Gloriam comparandam pulchra Clementis Alexandrini prouocatio. 150
Gloriam propriam quærit, qui ex ſeipſo aliquid boni cogitare, dicere, aut agere exiſtimat. 166
Gratia.
Gratia eſt qualitas realis, per quam noua creatura nuncupamur. 180
Gratia inhæret in animæ ſubſtantia. Ibidem.
Gratiæ plenitudo. Ibidem.
Quænam bona Gratis comprehendat, 10.
Gratiam pro gratia id eſt vita æterna, pro gratia in præſenti vita. 159
Gratia effectus Dei ſolius. 158
Gratia ex nihilo, ſicut creatio. 159
Gratia præſupponitur omnibus bonis actionibus. 159

Digitized by Google

Gratia per Chriſtum, ſicut per verbum omnia creata ſunt. 159
Varia & diuerſa Gratiarum diſtributio ſit, vt probetur liberi arbitrij noſtri determinatio. 153. & 154
Gratia cum peccato fœdus inire non poteſt. 152
Abſque Gratia Spiritus ſancti locupletari non poſſumus meritis. 167
Gratia non operatur ſine nobis. 177
Qui Gratiam ſunt adepti mendicitatem ſuam debent confiteri. 167
Gratiam Dei non debemus in vanum recipere. 179. malè. 173
Gratiæ donum eſt à Deo. 392
In infuſione Gratiæ noſtrum eſt remouere prohibens nempe peccatum. 392
Quis Gratiam Dei in vanum recipit? 52
Qui in Gratia ſe eſſe exiſtimat videat ne cadat. 168
Gratia amiſſa, per fidem & pœnitentiam recuperari poteſt. 109
Qua via Gratia recuperari poteſt? 111
Gratia abundat vbi abundauit delictum. 113
Ex communicatione Gratiæ maior Deo obuenit gloria, quam ex cuiuſuis alterius rei communicatione. 10
Gratia non reddit nos impeccabiles. 137
Cur Gratia plærumque cito amittitur? 138
Gratia ſe ſubducit vt maiori ſtudio inquiratur. 138
De Gratia agitur in cap. 7. vt poteſt eſſe in hac vita in gradu inamiſſibili, qualis eſt in puncto in quoquis obtinet perſeuerantiæ donum. 434
Gratiæ conſeruatio per charitatem in omnes, ponderatione rerum tranſeuntium cum æternitate gloriæ, iuſtitiæ Chriſtianæ amore: obliuione peccatorum, & cunctorum quæ nos à Deo auellere poſſent: orationis ſpiritu, exercitio bonorum operum. 512. & 513
Gratiæ inhabitantis effectus, ſpes mercedis, Dei manſio in nobis, incrementa fidei, & aliarum virtutum. 513
Gratia qua vel ſancti ſumus, vel quandam autoritatem & poteſtatem ſpiritualem habemus, à plenitudine Chriſti hauritur. 481
Gratia in Chriſto ad omnes omnino ſuos extendit effectus. 242
Gratia in Chriſto quomodo infinita & tamen quaſi in vaſe aliquo poſita dicatur? 242
Gratiarum actio reddenda Chriſto pro perenni influxu donorum ſuorum. 243
Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti non eſt conſideranda vt in eo præciſè, ſed vt effectus meritorum eius à nobis participari poſſunt. 243
Abundantia Gratiæ per mare ſignificatur. 243
Ob Gratiam Chriſti terra inundatur ſcientiâ Domini. 243
Gratiæ dicuntur ſimiles cryſtallo propter donum perſeuerantiæ. 247
Gratia Sacramentalis addit ſuper gratiam communiter dictam, & ſuper virtutes & dona, quoddam diuinum auxilium ad conſequendum Sacramenti finem. 237
Gratiæ ſpeciales Sacramentorum explicantur. 237
Effectus Gratiæ ſpecialis Sacramentorum ſpiritus nuncupari poſſunt, & rite per lampades ſignificantur. 237. & 238
Gratia gratis data ad conuerſionem peccatorum ſignum ſpeciale diuinæ dilectionis. 114
Gratia Chriſti præſtat quod lex Moyſis iubebat. 124
In hac Prophetia Gratia optata ſignificat diuinam protectionem. 10
Gratia & pax à quibus expectanda. ſpeciali ratione à Chriſto. 10
Ex Gratia gloria, ex pace imperium Deo obueniunt. 1

H

HABITATIO Dei ſuper nos Dei viſionem inſinuat. 519
Qua natione ei qui abet dandum & ei qui non habet auferendum. 75
Hæreſes oriuntur ex contemptu Altaris aurei nempe Chriſti & Eccleſiæ. 524
Hæreſes non fuit neceſſarium S. Ioanni ſpeciatim deſignare: ſufficit vt ſub vno ſymbolo omnium hæreſum proprietates, damna, & origines comprehendantur. 652
Hæreſes ſigillatim non adducuntur, vt appareat eos ex ore Draconis prodiiſſe nec ab hac reuelatione fuiſſe hauſtas. 652
Nullus poteſt Hæreſim ſtruere, niſi qui ardentis ingenij ſit & habeat dona naturæ quibus abutitur. 637
Ex vna Hæreſi alia pullulat. 99
Hæreſum viginti fontes, & origines. 581
Hæreſes potiſſimum ex ſuperbia, & cupiditate oriuntur. 615. & 616
Hæreſis eſt pœna peccati. 615. & 616
Hæreſes inter opera carnis reponuntur. 616
Hæreſim deſcriptio genuina. 582
Hæreſes debuerunt à S. Ioanne prædici, vt grandiores Eccleſiæ aduerſitates. 618
Hæreſes prædicantur vt ſciamus omni ſpiritui non eſſe credendum & ne terreamur. 618. & 619
Hæreſes permittuntur vt pulchritudo Eccleſiæ in fide & moribus reddatur illuſtrior, vt electi à Diaboli ira aliquo modo protegantur. 619
Vt Deus oſtendat quantum Eccleſiam diligat, vt ex punctionibus ſpinarum, & perſecutionum, maiorem virtutis odorem Eccleſiâ emittat. 620. vt probati manifeſti fiant. 621
Quatuor Hereſes fuerunt debellandæ in initio naſcentis Eccleſiæ. 435
Ab Hæreſi facilis fit ad vitam luxurioſam tranſitus. 92
Hæretici ſuas hæreſes adinuenerunt ſuis moribus & ſtudiis fauentes. 516. & 656
Hæretici appetunt ſingulares videri. 616
Hæretici non debent dici Chriſtiani 616. & 617
Hæretici dæmoni aſſentiunt, noua dogmata, inueniunt idololatræ ſunt Deum non habent vt athæi. 617
Hæretici ex operibus cognoſcuntur. 618
Hæretici per equos deſignantur, quia blandiuntur, quia ad libidinem propenſi. 653
Hæretici habent dæmones ſeſſores, & cum diabolo magnum habent commercium, ſuntque dæmones illis familiares, & maximè hæreſiarchis. 653
Hæretici diaboli ſunt quia veniunt in ſpiritu diaboli. 654
Hæretici maxime hæreſiarchæ induuntur loricis, id eſt, aſſumunt quoſdam prætextus ſuæ defectionis. 654
Hæreticorum prætextus ſunt, vel cupiditas vel libido, vel ſuperbia, vel ira, vel ſimulatio, & hypocriſis, vel doctrina fœtida dum doctos videri appetunt, vel zelus prætenſus veritatis tuendæ, vel zelus honoris diuini, vel quia ſe putant aliis doctiores aut ſanctiores, vel ambitio. 655
Hæretici habent capita leonum propter crudelitatem, & ob dominandi & imperandi cupiditatem, leonum vomunt, propter excandeſcentiam qua ſemper vruntur in defenſione doctrinæ ſuæ, fumum propter ſuam præſumptionem, ſulphur propter doctrinam carni fauentem. 656
Hæretica prauitas tertiam partem hominum occidit, nempe eos, qui poſt Baptiſmum attendunt ſpiritibus erroris. 657
Hæreticorum poteſtas eſt in ore & in caudis, quia ſermone, & malo exemplo actionum nocent. 657
Caudæ Hæreticorum ſimiles ſunt ſerpentibus habentes capita, quia actio mala, cuius cauſa eſt error, initium dat erroti, & aliis actionibus malis. 657
Hæretici habent in caudis capita, qua ſit aliquando vt principes ſæculi fautores ſint hæreſum, & errorum. 657. & 658
Hæretici non ſunt menſurandi cum templo & altari, quia cum gentibus reputandi, vera fide priuati, & ſunt falſi Chriſtiani. 690. & 691
Homines tribus modis damnationem incurrunt, vel quia non habuerunt fidem nec eam recipere voluerunt, vel quia fidem receptam negarunt vt hæretici, vel quia male vixerunt, vt mali catholici. 658
Hypocritæ facilè in hæreſes & errores inducuntur. 642
Inſignior Hæreſum abominatio erit Anti-Chriſto fidem adhibere. 726
Hæreticorum ſymbolum applicatur ad Ianſeniſtas. 736
Hæretici gypſum cum lacte miſcent, id eſt, venenum curioſitatis humanæ cum ſana doctrina. 336
Hæreticorum ora obturanda. 74
Hæretici ſunt lupi ab Eccleſia ejiciendi. 74
Cum Hæreticis aperto Marte eſt decertandum. 75
Certamen cum Hæreticis non eſt timendum. 84
Quam periculoſa ſit cum Hæreticis conuerſatio. 93
Hæretici quamuis probi videantur & optimos proferre ſermones, ſunt fugiendi. 94
Nec ſub ſpe conuerſionis, eorum affectanda eſt conuerſatio. 95
Conuerſio Hæreticorum miraculum quoddam. 95
Hæretici ex verbis & locis ſcripturæ malè coniunctis falſus componunt ſententias, & pro regia imagine veritatis, vulpinam erroris & fallaciæ inducunt. 94
Qui cum Hæreticis familiariter conuerſatur inimicus Chriſti efficitur. 95
Hierarchia quid ſit ex S. Dionyſio? 181. & 212
Hierarchiam cæleſtem in Trinitate negat S. Thomas, eam admittit S. Bonauentura. 183
Hierarchiæ definitio optimè applicatur Eccleſiæ. 173
Autor Hierarchiæ Deus. 183
Hierarchiæ principium Trinitas. 183
Hierarcha eioſdem naturæ cum Eccleſia eſt Chriſtus. 183
Hierarchia ſuperiores & inferiores includere qui Eccleſiam componant. 212
Omnis Hierarchia ad Chriſtum terminatur, & vnaquæque in ſuo pontifice abſoluitur. 498
Omnis Hierarchiæ ratio diuiditur in diuina myſteria, & ſacra. 496
Omnis Hierarchia diuiditur in eos qui diuina myſteria, & Sacra aliis enunciant, & in eos qui ab aliis initian-

Digitized by Google

Hierarchia ſunt tria genera ſanctionum ſacrarum, quædam ad expiationem, quædam ad illuminationē, quædam ad perficiendum: ideo ſunt tres poteſtates, expiandi, illuminandi, perficiendi; & qui ſunt purgandi illuminandi, & perficiendi? 496

S. Hieronymus arguit ſeuerè Ioannem Epiſcopum Hieroſolymitanum quod faueret Origeniſtis. 405

In Hieroſolyma ciuitate adimplebuntur quæ prædicuntur in c. 11. 681. eſt ciuitas magna. 717

Hieroſolyma dicta fuit ciuitas ſancta. 695

Hieroſolymitana ciuitas Sodoma, & Ægyptus conuenienter vocatur, ex pæderaſtia, & idololatria. 718

Hieroſolymitana ciuitas in medio populorum ſita. 256

Hieroſolymitana ſedes per hominis figuram deſignatur. 256

In ſede Hieroſolimitana poſt Iacobum & Simeonem quindecim Epiſcopi Iudæorum aſſumpti in veneratione adueniens Meſſiæ. 257

Hieroſolimitana ſedes Cæſarienſi fuit ſubiecta, vt melius exprimeret humiliationem humanitatis Chriſti. 262

Per centum triginta & octo annos Hieroſolyma non habuit ſacerdotem niſi ex circumciſione. 262

Si qui Hæretici fuerunt in ſede Hieroſolymitana, ſicut & in Alexandrina, & Antiochena, hoc non impedit quominus hæ ſedes plurimum profuerint ad fidem manifeſtandam. 261

Homines facti ſunt non Dei imago, ſed ad Dei imaginem. 475. & 478

Homo operationis ſapientiæ, & virtutis Dei receptaculum, 21. creatus vt omnia Dei beneficia exciperet. 104

In Hominis formatione & compoſitione mira & ſapientiſſima corporis & animæ vnio ſympathia & harmonia. 583

Hominis corpus factum eſt rectum ad cælum contemplandum, & apte compoſitum ad honeſtatem. 254

Homo medium tenet inter res creatas 256

Homo ἄνθρωπος Græcè quod ſurſum ſpectet ab humo ſubleuatus. 269

Homo bene ſe habens circa rationem propriam per virtutes morales & intellectuales optimè erit diſpoſitus ad hoc quo bene ſe habet in ordine ad Deum per receptionem donorum. 239

Homo maximum conſequitur honorem per mortem Chriſti & per huius mortis participationem. 376

Homo quomodo debito modo colit & veneratur Deum? 582

Homines à Dei voluntate omnino dependent; quę dependentia innoteſcit non tantum qua homines poteſt interficere, ſed multo magis, quia quos vult poteſt à morte liberare. 380.

Hominum iudicia falluntur facillime 405

Homo iura carnis æquè ſibi eſſe ruenda exiſtimat quam animi ſeu ſpiritus cum ſit ſuppoſitum vtriuſque, 414

Hæc de cauſa homo difficulter agnoſcit peccatum ſuum, & ſide illi opus eſt vt plene agnoſcat defectum ſuum eſſe voluntarium peccatum. 419

Homo animalis exiſtimare non poteſt Deum debuiſſe legem dare hominibus quam ſeruare potlint, quia piget eſt laboris. 422

Ex humana imbecillitate perſpecta homines non exiſtimant Deum velle cum tanta ſeueritate punire peccata. 422

Homines mundi amatores quatuor impulſionibus potiſſimum paſſionis præſumptionis ſpiritus, boni & æqui auerſionis & inconſtantiæ animi agitantur. 462

Homo carnalis non percipit diuina myſteria. 328

Homo duobus modis perficitur quantum ad propriam perſonam, & reſpectu ad totam communitatem. 325

Homines indigent ſignis vt illuminentur, Angeli minimè. 184

Homo peccator fidelitatem Deo ſeruare non poteſt. 166

Primus Homo in monte Caluariæ ſepultus eſt. 256

Quibus modis Homo ſe in hoſtiam & holocauſtum Deo offerre valeat. 352

Hominis figura ponitur inter figuras animalium, non prout homo eſt rationalis, ſed prout in animalitate conuenit cum brutis. 254

Hominis figura adhibetur ad excitandum nos vt intueamur Sacramenti Matrimonij vim & efficaciam. 317. 318

Hominis effigies adhibetur ad excitandum nos ad contemplationem Myſterij Incarnationis, quia Hieroſolymis verbum caro factum innotuit. 318. & 440

Conuenienter Hominis figura adhibetur in tertio ſigillo, quia naturaliter homines in Matrimonium propendunt, cuius gratia oſtenditur in hoc tertio ſigillo. 356. & quia legis imperium & Dominatio, quæ nihil eſt aliud quam recta ratio, in hoc Myſterio innuitur. 357

Hominibus non eſt aſſuetum diu in ſtatu gratiæ conſiſtere. 346

Honorem mundanum paruipendat qui Dei honorem promouere ſtudet. 63

Honor promittitur ſaluti animarum incumbentibus. 83

Hora mortis, & iudicij cur in cognita? 133

Huius horæ ignorantia negligentiam fugant. 133 & 134

Per Horam ſignificatur totum tempus conceſſum ad pœnitentiam. 544

Per Horam intelligitur tempus opportunum vt Dei vocationi cooperemur. 544

Hora in duas partes diuiditur vt intelligamus gratiæ Dei nobis eſſe cooperandum. 544

Hora non eſt completa ſi dum Deus gratiam offert mortales illam reſpuunt. 544

Hæc hora deſignat totum tempus Regni Chriſti in duas partes diuiſum prima pars pro effectibus miſericordiæ: ſecunda pars pro effectibus iuſtitiæ. 545

Hora dimidiata ſilentio tribuitur, quia tempus miſericordiæ eſt iam elapſum nec reſtat aliud tempus quam illud quod ſeueritati eſt deſtinatum. 545

Hora dimidiata ſignificat abbreuationem temporis afflictionis. 545

Hoſtiæ conſecratæ ſunt carbones ardentes qui mittuntur in terram, dum in Sacra communione diſtribuuntur fidelibus. 556

Humiliatio verbi diuini nobis plurima contulit bona. 440

I

SANCTVS Iacobus Alpheus à S. Petro fuit electus & conſecratus in Epiſcopum Hieroſolymitanum. 262

S. Iacobus Alphæi per Iſſachar ſignificatur. 509

S. Iacobus maior ſeu frater S. Ioannis per Gad ſignificatur. 507

Iacob iuſte diligebat Ioſeph plus cæteris. 87

Iactantia indicium eſt hominem ſuam propriam quærere. 120

Iactantia Deo diſplicet. 166

Ianſeniſtæ habendi ſunt hæretici. 737

Vt Ianſeniſtæ cenſeantur hæretici ſufficit autoritas ſummi Pontificis. 1737

Per Equos optimè deſignantur. 743. 744

Ianſeniſtica ſecta ſtatui politico perniciosa. 744

Affectatam habent exemplaris vitæ rationem. 744

Ianſeniſtæ pernicioſa dogmata ad morum corruptionem inducentia. 745

Ianſeniſtarum ars adulatoria. 746. & 747

Ianſeniſtæ cum magno ſtudio conantur omnes ad ſuam ſectam adducere. 746

Ianſeniſtæ quo ſpiritu agantur? 747

In Ianſeniſtis peruerſitas amoris proprij potiſſimum percipitur. 747

Ianſeniſtæ delectationem extollunt, non Chriſti angustias. 346

Ianſeniſtis ſicut & aliis hæreticis proprium eſt pretextus ſuæ diſceſſionis adferre, pertinaces eſſe, aduerſarios maledictis laceſſere. 748

Ianſeniſtæ dolere non debent ſi dicantur habere conditiones hæreticorum, cum hoc totum ſibi aſcribere debeant, de iis enim tantum loquimur, qui decretis ſummorum Pontificum pertinaces obedire nolunt. 749

Ianſeniſtæ igneas loricas habent dum bona opera inutilia prædicant. 749

Ianſeniſtæ irâcundia mouentur in pluribus contra veritatis aſſertores. 750

Ianſeniſtæ veſtimenta hyacinthina Pontificum vſurpant, dum de rebus fidei ſententiam ferre audent. 750

Ianſeniſtarum ſicut & aliorum hæreticorum eſt putare ſe ſapientia tranſcendere omnes. 751

Ianſeniſtæ de ſingularitate propriæ opinionis gloriantur. 751

Ianſeniſtis timendum ne propter ſuperbiam per fæditatem morum digni reddantur punitionis ignis temporalis, quæ hæreticis à iure debetur, igne æterno, niſi reſipiſcant, proculdubio puniendi. 752

Ianſeniſtæ habent capita leonina, dum quædam dogmata produnt quæ Deum crudelem efficiunt, & alia quæ arrogantiam eorum manifeſtant. 753

Ianſeniſtæ habent caudas tanquam ſerpentes habentes capita in librorum compoſitione. 756

Ianſeniſtarum liber Innocentius decimus prohibuit. 758

Iaſpis non modo ſublimem Dei naturam, non modo eram creatione denotat, ſed etiam productionem rerum ſupernaturalium. 210

Per Iaſpidem opera miſericordiæ; per ſardium opera iuſtitiæ, & potiſſimum extrema animarum & corporum glorificatio, retributio bonorum, malorum punitio. 210

Icones ſeu imagines venerandæ ex Synodo in Nicea Bithyniæ. 448

Iconoclaſtarū hæreſis fautor Leo Iſauricus. 447. cuius hæreſis origo fuit à maleficis & præſtigiatoribus. 447

Ieſus autor gratiæ, & ſpiritualis legis perfectio & finis. 124

Ieſus ſupremus hierarcha Angelos etiam præſtantiores ſuo lumine illuſtra. 183

Ieſus ianua patens ad plenam Myſteriorum cognitionem. 186

Ieſus Chriſtus perfectum exemplar ſimilitudinis Dei. 495

Cooperatores Chriſti Ieſuitæ dici poſſunt. 144. & 155

Ignis Charitatis & Spiritus ſancti ſymbolum. 353

Ignis punitorius. 553
Ignorantia rerum diuinarum ſub ſymbolo percuſſionis tertiæ partis ſolis Lunæ & ſtellarum optimè deſcribitur. 574. & 575
Ignorantia non quarumlibet rerum, ſed credendorum, ſperandorum, faciendorum periculoſa ad ſalutem. 575
Ignorantia ſui ipſius quoddam genus improbitatis vniuerſæ. 166
Qui Imaginationi ſuæ multum deferũt, rationi locum non concedunt vt exeat in actum. 600
Qui Impietatis, & infidelitatis labem contraxerunt, morbi grauitatem non perſentiunt, & remedia medici reſpuentes nouam ægritudinem contrahunt. 330
Imitatio Chriſti quam ſit vtilis. 121
Impiorum contra ſanctos inſultus: nec illorum in malis obduratio diuini operis perfectionem impediet. 660
Impudens eſt qui panem de cœlo accipiens à Deo fratribus negat panem de terra. 604
Improperia pro Chriſto honorem conciliant. 65
Incarnatio verbi diuini, & cum hominibus illius conuerſatio donum ineffabile, & ſumma Dei dignatio erga nos. 633
Incarnationis Chriſti dignitas oſtenditur ac redemptionis. 613
In incarnatione duo conſideranda, diuinæ perſonæ demiſſio, & noſtræ naturæ exaltatio. 444
Increduli idem definiunt corpus & eſſentiam: ea tantum credunt, quæ palpant. 319
Increpatio quando vtiliter exerceatur. 46
Infernus ſequitur ſeſſorem figura mortis indutum, tum quia Chriſtus deſcendit ad inferos poſt mortem, potentiæ ſuæ ſigna edens; tum quia prædicatores inferni pœnas comminari debent iis qui paſſionis Chriſti participes eſſe noluntſ. 388. & 392
Contra infirmitates noſtras tria remedia, Angelorum inſpirationes, Sacrificium Miſſæ, Sacramentum Extremæ vnctionis. 526
Ingratitudo donorum Dei periculum ſalutis inducit. 548
Incenſa multa ſignificant præcepta Euangelij, orationes ſanctorum, bona opera, denique quidquid Deo offertur in Sacrificium v.g. materiâ panis & vini ad conficiendum Chriſti corpus & ſanguinem. 553. & 556. Inſipiens eſt qui Deum cognoſcens ei dare gloriam renuit. 174
Vt Inſpirationibus diuinis poſſimus obedire Deus paratã habet auxilia. 359
Inſpirationibus diuinis eſt obediendum. 175. & 176
Interpretatio agni de Chriſto in Euchariſtia eſt plane litteralis 199
In interpretandis ſymbolis non eſt procedendum ab euidentibus ad incognita, ſed ab obſcuris & occultis ad rei veritatem per ſymbolum ſignificatæ.
Variæ Interpretationes capitis ſexti non ſibi cohærentes noſtram conſtantem, & ſibi cohærentem ſtabiliunt. 434
Interpretationes variæ fumi fornacis magnæ, ſolis & aëris c. 9. 596
Qui per puritate intentionis ſpernit proprium honorem, à Deo honorem conſequetur. 179. malè 173
Malè Intentionatos ſeu peruerſa intentione ambulantes Deus rejicit. 162. propriam gloriam quærunt. 163. Deo Infideles functin vanum laborant. 163
Intentionem noſtram Deus ſummopere exoptat ad ſe dirigi. 32
Syncera Intentio in bono opere perſeuerantiam & prudentiam parit, & prauorum pertinaciam vincit. 33
Intentio recta nos Deo gratiſſimos reddit. 114
Intentio eſt quaſi facies agentium intellectualium. 189
S. Ioannes particeps fuit tribulationis & & regni patientiæ Chriſti. 13
S. Ioannes tantum reſpicit ad ea quæ facta fuerunt in ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio in cap. 5. 292
S. Ioannes flevit propter ardens deſiderium ſciendi quæ ratione agendum foret vt Chriſtus coleretur. 294
S. Ioannes in myſteriis ſub ſymbolis exponendis eadem ratione vtitur, qua vſus eſt Angelus Gabriel ad virginem Miſſus. 298
S. Ioannes in hac prophetia diuina myſteria proponit in eo gradu ſummo ad quem pertingere poſſunt. 386
S. Ioannes in viſionibus ſuis proponendis optimum ſeruauit ordinem ad explicandam Hierarchiæ Eccleſiaſticæ naturam. 184
S. Ioannes in c. 4. non deſcribit ſtatum Eccleſiæ triumphantis ſed militantis. 195
S. Ioannes futura non quaſi imperfecta ſed in termino ſuæ perfectionis repræſentat. 214
Cur S. Ioanni facies aquilæ tribuitur. 253
S. Ioannes per Ruben ſignificatur. 507
Quanam ratione S. Ioannes de Chriſto teſtimonium reddit. 4
Quænam ſcribenda S. Ioanni præcipiuntur. 3
Cur magna voce vocatus fuerit ad audiendum. 6
Cur in enumeratione 12. tribuum nomen Ioſeph exprimitur tacito nomine Ephraim. 505
Ira Dei pietate plena. 174
Iratus mala cogitat & diabolo pandit oſtium cordis. 600
Duplex ira Dei, vna exterminans, alia cum miſericordia coniuncta. 431
Iræ Dei magnitudinem per leonem, celeritatem per pardum, implacabilitatem per vrſum ſcripturæ deſcribit. 431
Iris eſt perfectiſſimum ſymbolum naturæ principij & perſonæ Spiritus ſancti. 203
Iris quia eſt ſemi circulus incomprehenſibilitatem Spiritus ſancti deſignat. 205
Iudas frater Iacobi deſignatur per Ioſeph. 510
Iudæorum excidium à Chaldæis prædicit Ezechiel. 250
Iudæorum converſatio nociua erat primis Chriſtianis, & periculoſa. 39
Iudæi, quibus rationibus Chriſtianos ſeducere conabantur. 93
Quanto odio Chriſtianos proſequebantur. 93
Iudæorum punitio æquitatem iudiciorum Dei manifeſtat. 97
Iudæi inter obſtinatos obſtinatiores. 114
Iudæi primitiuam Eccleſiam zelo amaro multimode perſeruti ſunt. 151
Iudæi ſecundum carnem quomodo mentiebantur dicentes ſe eſſe Iudæos.
Iudex aliorum debet eſſe ab omni culpa immunis. 85
Optimi Iudicis præclaræ virtutes. 40
Iudex nec amore nec odio flecti debet. 90
Iudices analogice dij ſunt. 217
Iudicandi poteſtas cæteras omnes poteſtates aut autoritates quodammodo præſupponit. 217
Iudicia Dei timorem incutiunt ea contemplantibus. 3
Iudicium in finem reſeruatur. 11
Iudicia Dei tremenda qui iuſtos ſtrictè diiudicat. 38
Iudicij exercitium à patre æterno filio tribuitur. 85
Iudicij diuini claritas & vtilitas. 86
Iudicij diuini ſeueritas. 87
Iudicij diuini diſtricta quorumlibet actuum diſcuſſio. 86
Iudicium diuinum præueniendum delictorum confeſſione ſpontanea. 88
Iudicij vltimi ſententiæ irreuocabiles & cur? 89
A Chriſti iudicio nec boni nec mali prouocare poterunt. 90
Iudicium exercetur à Patre & Spiritu ſancto per Chriſti humanitatem tanquam per inſtrumentum ſeparatum: à Chriſto Deo & homine tanquam per inſtrumentum coniunctum. 148. & 149
Qui Iuſticiarium Dei ſunt memores non deſinquunt, qui ſunt immemores totius rectitudinis obliuiſcuntur, contemnunt præceptum quia non vident iudicium. 647
Iuſti iniuſtos & iniuſti iuſtos interficiunt varia ratione. 353
Functiones Iuriſdictionis Eccleſiæ in foro externo ad quatuor reducuntur. 393
Per functiones ſalutares Iuriſdictionis in foro externo paſtores myſticè occidunt fideles, gladio, fame, morte & beſtiis terræ. 393
Iuſtitiæ duæ acceptiones prima legalis, ſecunda prout æqualitatem conſtituit in his quæ ſunt ad alterum, conſtans & perpetua voluntas reddendi vnicuique quod ſuum eſt. 268. & 269
Iuſtitiæ partes aliæ ſubiectiuæ, aliæ integrales, aliæ potentiales. 269
Iuſtitiæ partes ſubiectiuæ, iuſtitia commutatiua, & diſtributiua. 269
Iuſtitiæ partes integrales declinare à malo, & facere bonum. 269
Iuſtitiæ partes potentiales vndecim. 269
Iuſtitiæ actus aliis ſunt Prælatorum alij ſubditorum. 269
Iuſtitiæ optimum ſymbolum figura hominis. 269
Iuſtitia per flouium Euphratem deſignatur. 270
Nullo magis quam Iuſtitia homo delectatur. 270
Iuſtitia thronus regum fulcitur. 270
Iuſtitiæ vindicatiuæ manifeſtatio eſt intelligenda præſuppoſitâ culpâ. 421
Iuſtitia Chriſtiana ponitur pro limitibus Eccleſiæ, quia ea ſola perfectum opus habet. 627
Vera Iuſtitia ſibi abundat ad gloriam. 64
Iuſtitia Dei in arcu Sardinis deſignatur. 187
Iuſtitiæ fames & ſitis habet difficultatem ſola Dei gratia ſuperandam. 489
Iuſtitiam iuſtè adminiſtrare difficillimum. 489
De aliis Iudicare eſt ſuperbiæ. 168
Iuſtificamur per fidem & quomodo? 159
In iuſtificatione ſicut & in creatione, ſpiritus Domini fertur ſuper aquas. 173
Iuſtificationis cauſæ. 118

L

LAODICEA interpretatur fuerunt in vomitu. 118
Leonis rugitus innuit Chriſti vocem in omnem mundum intonuiſſe, affectuoſiſſimam & efficacem, formidabilem dæmonibus & malis, quin & alacritatem indicantem. 669
Figura Leonis adhibetur ad proclamandum baptiſmi effectum. 313
Leo primus ex animalibus clamat vt accedamus ad fidem, quia propoſitio rerum fidei terret & timorem incutit credentibus. 328
Leonis rugitus Deo tribuitur cum in iudicium adducit homines, & præcipuè quando appropinquabit vltimum iu-

Digitized by Google

dicium. 672
Nec Leporem, nec hyenem comedere debemus. 569
Leuare manum eſt locutio diuinam potentiam indicans ſiue ad protegendum ſiue ad retundendum impiorum inſultus ſiue ad præmiandum, ſiue ad puniendum. 672
Lectio librorum hæreticorum, quam ſit pernicioſa vt cuiuſdam exemplo oſtenditur. 756
Lex diuina cauet ne vinum ſeueritatis per nimiam indulgentiam ledatur, nec oleum clementiæ per vinum nimiæ ſeueritatis imminuatur. 367
Legis diuinæ imperium iuſtitiam cum miſericordia temperat. 367
Lex diuina maximum exercet imperium in appetitus hominum, quod patet ex his quæ præcipiuntur maritatis. 368. 370. vnde vis eius in Matrimonij Sacramento maxime elucet. 318
Legis diuinæ potens imperium ſupra liberum arbitrium eſt myſterium incluſum ſub ſigillo Sacramenti Matrimonij. 356 & 358
Legis diuinæ auſteritas, 361
Lex diuina quamuis dura, & infractoribus graues pœnas decernat, dari tamen debuit. 358
Lex Moſaica exterius exprimit, quod lex naturalis in corde dictabat. 102
Legis antiquæ onus ablatum. 40
Lex Euangelica quomodo dici poteſt antiqua. 100
Lege Euangelica data, non eſt alia lex mundo expectanda. 100
Lex Euangelica eſt lex amoris, quæ eſt immutabilis. 101
Lex Euangelica optimè dicitur conſummatio abbreuationis inundans iuſtitiam. 107
Lex Euangelica figuras veteris implet, & liberat nos à iugo ſeueritatis legis veteris. 102
Lex Ieſu Chriſti perficit quæ lex Moyſis iniungebat. 114
Lex Euangelica duratura eſt vſque ad iudicium. 103
Lex Chriſtiana nigra ſiue ratione ſermonis ſimplicis, ſiue ratione auſteritatis. 360. & 361
Lex Rex eſt omnium mortalium, & immortalium. 363
Legis imperium oſtenditur, quod malis aliquando Paſtoribus obedire cogamur. 363
Legis Chriſtianæ cultor qualis eſſe debeat. 358
Lex Matrimonij pluribus modis aperit quantam autoritatem ſibi arrogat lex diuina in hominum libertatem. 367
Lex Matrimonij hoſtem diuinæ legis occultè inſidiantis manifeſtat. 367
Lex Matrimonij prohibet ne actus Matrimonij exerceatur tempore menſtruo, & vxore prægnante, propter bonum prolis. 368
Eadem lex prohibet ne exerceatur in quolibet loco & tempore propter honeſtatem. 368
Tanto iuſtius Deus leges hominibus præſcribit, & pro earum tranſgreſſione pœnas exigit, quando facilius obſeruari poſſunt, quod inductione probatur legis naturalis, Moſaicæ, & Euangelij. 422
Lex Euangelica facilius ſeruatur, & cælum acquiritur, quam ſeruatur virtus politica, & honores ac magiſtratus acquiruntur. 422
Liber ſcriptus intus & foris duobus modis efformari poteſt. 253
Liber dicitur quaſi viſus ſcriptus intus, & foris, per quandam anticipationem, quia ſtatim atque reſerata ſunt ſigilla talis viſus eſt. 276
Liber dicitur ſigillatus ſigillis ſeptemid eſt ſeptem characteribus, quorum ſignificatio omnino eſſet ignota cuilibet intellectui creato. 276
Liber ſcriptus eſt Chriſtus illuminans Eccleſiam vt ſummus eius Hierarcha Pontifex & legislator. 278
Rurſus Liber quomodo ſcriptus intus quomodo ſcriptus foris? 280. & 283
Liber in dextera ad deſignandum ea quæ in eo ſcripta ſunt fortiter eſſe adimplenda. 298
Liber datur B. Ioanni deuorandus quia nomina electorum, aut reproborum non illi reuelabantur, ſed in genere ſigna prædeſtinationis, aut reprobationis. 660
Liber eſt dulcis in ore, amarus in corde quia cognitio diuinæ Maieſtatis dulciſſima, ſed amaritudinem parit recordatio paucitatis electorum, & multitudinis reproborum. 660
Libellus apertus c. 10. alius eſt à libro ſignato ſcripto intus & foris. 667
Sicut Liber ſignatus erat ſymbolum intellectus creati humanitatis Chriſti omnia ſcientis, libellus iſte capitis decimi ſymbolum eſt intellectus Angelici & humani in quantum ſuſcipere poſſunt reuelationem de iis quæ ſcripta ſunt in libro ſigillato. 668
Libellus cap. 10. continet aut electorum nomina aut rationes ſeu ſigna prædeſtinationis & reprobationis. 668
Liber vitæ præſcientia diuina. 138
Secundum præſentem iuſtitiam aliquis dicitur ſcriptus in libro vitæ, aut ab eo deletus. 138
Liberum hominis arbitrium etiam in fide acceptanda. 46
Libertas non eſt ablata per peccatum ſed tantum debilitata. 137
Semper permanet ſiue peccemus ſiue ſimus in gratia. 138
Libertas non plena, & integra, quia ratio ligatur & impeditur in ſua actione, tollit rationem peccati, quia tunc non eſt voluntarium. 418
Si Libertas ablata fuiſſet ab homine, quanta damna & mala exinde proueniſſent. 421
Libertas Chriſtiana in quo conſiſtat? 41
Liberorum procreatio expetenda in Matrimonio. 368
Libidinoſi actus immoderati in commoda & ægritudines. 368
Linguæ Hebraicæ elementa in ſua connexione habent quandam ſignificationem. 276
Ligni vitæ fructus quanta erat energia. 53
Liquor maris viſi à S. Ioanne ſimilis vitro liquefacto non exprimitur, vt omnes liquores quibus eius gratia ſignificari poteſt cogitemus. 244
Liquor non naturalis ſed artificialis pro ſymbolo aſſumitur. 246
Locuſtæ capitis 9. quibuſdam ſunt veræ & animatæ, quibuſdam ſunt tantum ſymbolicæ. 602
Locuſtæ quibuſdam dæmones ſignificãt, aliis hæreticos, aliis homines barbaros & feroces, aliis dæmonum machinationes, aliis concupiſcentias. 602
Locuſtarum naturalium natura. 602
Locuſtarum ſymbolicarum S. Ioannis deſcriptio prodigioſa. 603
Longanimitatis diuinæ ſymbolum. 322
S. Lucas cur ſub vituli figura deſignatur? 254
Luctus pro Dei offenſa vel pœnis mundo inflictis in vindictam malorum, vel pro deſiderio æternorum, requirit donum gratiæ. 488
Luciferi arrogantia deſcribitur, & exaggeratur. 469
Lumen intellectuale eſt quædam participata ſimilitudo luminis in creati. 589
Lumen gloriæ, & quodcumque lumen intellectuale verbo appropriatur. 644
Lumen infinitum verbi ſe accommodat capacitati ſuſcipientium: vnde Chriſtus accinctus dicitur & tranſire dum illud beatis communicat lumen gloriæ infundendo. 644
Lumen ſupernaturale intus requiritur vt viſiones quæ exterius fiunt intelligantur. 291
Luna ſymbolum eſt voluntatis, quæ à ſole lumen recipit, & velocem habet motum, ſic voluntas ab intellectu lumen recipit, & in diuerſa velociter fertur. 427
Luna typus eſt Eccleſiæ. 674
Miræ Lunæ cum ſole coniunctiones & à ſole diſcceſſiones & diſiunctiones, at mirabiliores ſunt Chriſti coniunctiones cum Eccleſia, aut Chriſti ab Eccleſia diſiunctiones 674. & 675
Lupus ingreſſus Aureliani Cathedralem Eccleſiam campanæ cordam attrahens ſonum edere fecit: infauſtum prognoſticum futuri incendij. 74
Lux in tenebris lucet, & quomodo. 123

M

MALA pro Chriſto ferre timere non debemus. 65
Mala pœnæ habet Chriſtus in manu quæ pro menſura delictorum debet eſſe plagarum modus. 147
Mala pœnæ etiam in manu habet ad probationem pro menſura virtutis. 147
Malum naturæ omni contrarium eſt & repugnans, proinde corpus pars compoſiti non eſt cauſa peccati. 418
Malæ quæ prohibentur ab Angelo clamante, *Nolite nocere terræ & mari*, &c. non ſunt effectus nociui cauſarum naturalium, ſed quatuor deprauati affectus ad quos dæmones principes ſeculi impellunt. 478. & 479
Quatuor hæc Mala ſunt cordis perueſitas, menſis diſſolutio ad omnia illicita, aliorum ad malum prouocatio, denique ad malum perpetrandum coactio. 478. & 479
Malum in eſſentiis, virtutibus & facultatibus rerum creatarum nihil eſt reale aut exiſtens, ſed tantum abſentia alicuius boni conuenientis. 415
Mandatorum Dei obſeruatio neceſſaria. 99. maximè ad Chriſti imitationem. 171
Mandatorum Dei obſeruatio indicium eſt cognitionis & dilectionis, Dei. 357
Mandatorum Dei perfecta obſeruatio cum denario vitæ æternæ ponderatur. 364
Manna promiſſum delectationes ſunt omnes ſenſuum oblectationes ſuperantes. 78
Manna abſconditum corpus Chriſti in Sacramento. 78
Item Spiritus ſanctus. 79
Manſuetudo vera abſque gratia obtineri non poteſt. 487. & 488
S. Marco Euangeliſtæ leonis figura tribuitur. 253
Græce ſcripſiſſe ſuum Euangelium quidam dicunt. 260
Tribus Manaſſe non exprimitur in enumeratione 12. tribuum à S. Ioanne, & cur? 505
Manuum impoſitio eſſentialis in ordinatione ſacerdotis & diaconi. 240
Maris vitrei idea. 240
Mare vitreum præſens ſeculum, firmamentum, virtutum multitudinem, ſcripturam ſanctam, Baptiſmi ſiue Pœnitentiæ Sacramentum deſignat ſecundum

eundum diuersos interpretes? 241
Mare vitreum significat plenitudinem gratiæ & veritatis in Christo: de cuius plenitudine omnes accipiunt. 241
Mare vitreum ac si esset plenum lacte significat Matrimonij Sacramentum. 245
Mare vitreum meritorum Christi symbolum, vitreum dicitur, quia opus redemptionis, & sanctificationis hominum; in vitri confectione, siue ignem spectes, quo conficitur, siue materiam, siue modum efficiendi, ritè & pulchrè adumbratur. 246
Martyrij desiderio flagrarunt serui Dei insigniores. 13
Martyrum langvis fuit semen Christianorum. 71. malè 59
Martyrium etsi occultè subeas Deus coronam non denegabit. 73
Martyres innumeri ab Iconoclastis. 449
Martyres potissimum dicuntur interfecti propter verbum Dei & testimonium quod habebant. 403
In Matrimonio, propter multas leges quæ illud respiciunt, ostenditur quomodo Deus velit homines adigere sub sarcina mandatorum suorum. 356
Matrimonij Sacramentum rectè sigillum nuncupatur propter matrimonialem annulum signo aliquo insculpeum, propter difficultatem credendi gratiam dati in actu matrimonij. 357
Quænam Matrimonium reddant honorabile & laude dignum? 357
Matrimonium non est contrahendum propter solam voluptatem. 368
Matrimonij definitio. 370. & 371
Matrimonium conuenientiam seruat cum vnione Christi cum Ecclesia. 370. & 317
Matrimonij spiritualis inter Deum, & animam formula. 370
Secunda conuenientia inter Matrimonium spirituale & carnale. 370
Tertia conuenientia inter hæc duo Matrimonia. 371
In actu Matrimonij seruanda est modestia. 371
Etsi in actu Matrimonij nullum sit peccatum, colaphizatur tamen animus. 372
Actus Matrimonij, est actus noctis, quod nigredo in equo videtur designare. 372
In Matrimonio multa ponderanda. 372
Matrimonium fidelium quatuor malis occurrit, quæ ex peccato originali nuptiæ contraxerunt. 372
Matrimonium signum est duplicis Christi cum Ecclesia coniunctionis, quarum cognitio per bilibrem frumenti significatur. 383
In Matrimonio ponderanda bona, quæ odia restringunt, quæ immunditiam expellunt, quæ temperantiam inducunt, quasi tres bilibres hordei. 373
Matrimonij status non est præferendus castitati, quæ Sacramento ordinis & sacerdotio annectitur. 571
Qui Matrimonium anteponeret castitati sacerdotij, læderet vinum Sacramenti Altaris, & oleum infinitæ misericordiæ Dei, qui solus potest dare continentiam. 371
Matrimonium non est concedendum omnibus, nec secundæ nuptiæ vitu perandæ. 373
Matrimoniales causæ spectant ad iudices Ecclesiasticos. 372. & 318
Matrimonio iuncti parum habeant affectum, vt casti coniugij cum Christo sint perfectum symbolum. 318
Sancto Mathæo facies hominis tribuitur. 253
S. Mattheus per Leui designatur. 509
S. Matthias per Beniamin designatur. 510
Sicut Medici corporum honore digni sunt, ita medici animarum, qui beneficiis & dulcibus sermonibus animarum morbis medentur. 153
Mel symbolum cognitionis diuinitatis. 336
Mel cum lacte miscere est diuinitatis cognitionem cum simplicitate coniungere. 336
Mentis obscuratio ex peccato proueniens. 426
Mens lumine non est absolutè priuata ob peccatum, sed valde impeditur vt aprehendat proprium obiectum nempe veritatem, obuoluta ignorantiæ tenebris. 426. & 426
Mens sub symbolo solis dicitur inuoluta facco cilino, id est ignorantia, ex cogitationibus, & determinationibus carnalibus & terrenis causata. 427
Quinque menses, inquibus peccata cruciant homines, denotant vel breuitatem temporis, vel omne tempus præsentis vitæ, quæ in quinque sensibus agitur vel tempus durationis quinque Monarchiarum, quæ vsque ad Christum fuerunt, in quibus totus orbis fuit oppressus idolatria. 606. & 607
Quinque Menses, inquibus locustæ mysticæ cruciant homines, tempus designat inquo vigent adhuc in nobis vitia repurganda, antequam mentis tranquillitatem possimus adipisci. 607. & 608
Quinque Menses, per quos peruenimus ad sextum mensem obdurationis, in quo tempus non erit amplius sperandæ misericordiæ. 608
Mens humana omnium cognitionum capax, puteum habet quo coarctatur, quia quærit suas cogitationes ex sensibus, quia iudicium rationis sequitur plærumque motus appetitus, & passio illam inclinat, vel corporali immutatione. 587
Clauis huius putei est propositio obiectorum sensibilium, siue quæ allicium vt ea prosequamur, siue quæ terrent vt fugiantur. 589
Merces non in terra sed in cælo reddenda. 460
Merces quæ promittitur legem Euangelicam nunciantibus. 103
Mercedis magnitudo ponderanda, ne deficiamus in laboribus. 149
Si Mercedem petamus, meritum nostrum ponderandum, non quod Deus absolutè potest. 150
Mercedem mundani expectare non debent, quia sunt tantum spectatores non certatores. 491
Meritum in actionibus nostris procedit ex motiuo super naturali. 175
Merita infinita Christi per mare vitreum designantur. 288
Meritorum Christi excellentia patet quod non sibi soli meruit sed nobis. 311
Expectare alium à Christo Messiam est fornicari, & idolum colere. 92
Metiri templum & altare, & adorantes in eo est videre quanta sit virtus, & magnanimitas eorum, qui in vltimis temporibus Anti-Christi existent. 691
Non Metiri atrium indicat subtractionem demeritam auxiliorum Dei. 695
Militia est vita hominis super terram, multo magis Christiani. 341
Olim dicebatur militibus Romanis: Ægyptum caue; militibus Christianis dicendum est: delitias caue. 350
Militia Christiana æquè ac militia huius mundi delitias refugit. 63
Ministri malitia aut bonitas nihil confert ad effectum sacramentorum si legitima autoritate ritè fungatur. 145
Ministrantium sacris 7. ordines per 7 spiritus & 7. lampades designantur 235
Valde congruum erit miracula fieri temporibus Anti-Christi. 713
Miraculorum patratio cessabit post necem Eliæ & Enoch, at non fructus prædicationis & miraculorum, quia fideles, eorum memores, fortes ac constantes permanebunt in fide. 716. 717
Miraculum visibile ad illuminationem inuisibile illuminat. 105
Miracula per fulgura designantur. 224
Misericordia Dei in arcu Smaragdino designatur.
Misericordia Dei melior super vitas. 112
Misericordiæ affectus requisitus, vt quis misericors dici possit, difficilis absque diuino auxilio. 489
Missæ Sacrificio syncero corde adesse debemus. 643
Missæ Sacrificio adstandum, vt Deo gratias agamus. 642
Missæ Sacrificium symbolum est communionis sanctorum. 642
Mortificationi corporis & appetituum incumbendum. 366
Mortis & vitæ admiranda in Christo coniunctio. 446
Mors est incerta, sicut & mundi consummatio est incognita. 132
In articulo Mortis nemo arcere potest Angelum animam eripientem. 133
Mortis memoria quosnam effectus pariat in bonis & in malis? 134
Mors regenerat. 140
Per Mortem Christus iustificat & glorificat homines, in quo suprema eius dominatio agnoscitur. 319
Mors in humanitate Christi sedens victoria est de morte & inferno gloriosè triumphans. 320
Quantum in morte, diuina sapientia reluceat. 320
Mors conuenientissimum medium quo summa Christi potestas manifestatur per suos effectus. 382. & 183
Mors Christi est causa gratiæ. 383
Mortis nomen & figura significant effectus quibus ad vitam æternam potenter per Christum eochimur. 384
Mors assumitur à Christo, vt medium quo exeat in actus præclaros eius summa potestas, sic nos separat à carne, à mundo à malè viuentibus & à cunctis quæ diligere contingeret præter Christum. 385
Mortis mysticæ duo genera per famem & gladium designata. 393
Morum corruptio ad apostasiam à fide inducit. 38
Motus terræ causa, signa, & effectus 425
Hic motus terræ significat totius hominis interioris perturbationem, & actionum exteriorum omnimodam inordinationem. 424
Motus magnus factus post resurrectionem Enoch & Eliæ ad literam est mystice est intelligendus. 723
Moyses cur in transfiguratione apparuit? 25
Per Moysen vita æterna optimè adumbratur 27. nullo modo probabile Moysen mortuum resurrecturum vt moriatur cum Elia. 601
Mundities cordis quocumque modo sumatur indiget gratia Dei. 490
In Mundo nihil quo cordis tranquillitas conciliari possit. 353

Mundus non staret si Deus concursum subtraheret. 230
Cum Mundo nulla potest esse Christiano concordia. 353
Mundi administrandi ratio diuinæ prouidentiæ admiranda. 354
Mundus verus carcer. 65
De Mundi fine & consummatione agitur à S. Ioanne in duobus capitibus 11. & 20. 682. 683. 684
Mysteria diuina non debent esse cunctis peruia. 659
Mysteria vnicuique secundum propriam capacitatem proponenda. 691. & 692
Mysteria Trinitatis, Incarnationis & alia per tonitruum significantur. 227
Mysterium Dei est cognitio Dei & Christi &c. 660
In Mysteriis diuinis quædam sunt quæ quoad substantiam agnosci possint, quoad modũ incomprehẽsibilia. 670
Mysteria diuina nec scribenda nec prædicanda nisi prout Deus, & quando Deus præscripserit. 671
Mysteria diuina non expedit indifferenter cognosci, vt fides maius habeat meritum & humiliores simus & vigilantiores. 671
Mysteriũ contentum sub sigillo quarto est potestas excellentiæ quæ data est naturæ humanæ in Christo, &c. 375

N

NEBVLA matutina quid sit. 9
Nephtali dans eloquia pulchritudinis, quid sit. 360
Nestorius Christum Deum esse negabat quandiu mansit in vtero Virginis. 258
Nigredo Ecclesiæ illam reddit formosam. 359
Nigredo Ecclesiæ non ex internis principiis oritur, sed externis, ex splendore solis iustitiæ. 360
Nigredo hæc contrahitur ex laboribus & angoribus quos tolerare cogitur pro Christo. 360
Nigro vestimento antiqui vtebantur. 361
Nomen baptizati petitur, & scribitur in tabulis, vt in libro vitæ scribatur: & in hoc adumbratur beneficium vocationis. 332
Nomen quod nemo scit nisi qui accipit, quid significet. 83
Significat specialiter aureolam Doctoris. 84
Nominis Dei & nouæ Hierusalem, & nominis Christi Domini inscriptio quid sit. 117. & 118
Nomina panca, pro, *homines panci*, & cur? 134
Nomina duodecim Patriarcharum adhibentur vt ex illis concipiamus diuersitatem donorum, & qua via ad cælum perueniendum. 452
Ista Nomina à S. Ioanne ordine nondum seruato in scriptura sacra ponuntur, & qua de causa? 452
Nominum istorum significatio docet viam qua ad cælum peruenire possumus. 452
In istis Nominibus duodecim Apostoli designantur. 452. & 453
Nomen debet exprimere id quod in re quaque est excellentius, & quod ei conuenit pro quacumque differentia temporis & quocumque respectu. 472
Nomen oriens significat totum id, quod germinatio alicuius plantæ, & aliquid addit excellentius. 472
Ad interpretationem nominum duodecim Patriarcharum est recurrendum vt habeamus sensum mysticum. 503
Per interpretationem istorum nominum, expositores Augustinum imitantes sensum exquisierunt. 504
Nominũ 12. Patriarcharum series immutata à S. Ioanne, vt agnoscatur quanta sit distantia inter exortum naturæ culpabilis & ordinis gratiæ salutaris. 510
Nouatianus nolebat pœnitentes qui semel veniam acceperant post lapsum ad pœnitentiam recipi. 423
Nubes torida Spiritus sancti personam designat. 201
Nubium symbolum applicatur ad ea omnia quæ sunt præstantissima supernaturalis prouidentiæ erga Ecclesiam instrumenta. 666
Nubes significãt Christi humanitatem, fidem, sacramenta, Angelos, viros Apostolicos, prædicatores. 666
Nubes Angelum fortem amiciens in cap. 6. significat Christum esse Ecclesiæ protectorem in aduersis. 666
In Nubibus Deus sedere dicitur vt Nauarcha, vt sponsus, vt sapientissimus artifex, vt iudex, vt rex regnum perlustrans, vt in curru militari contra hostes decertans, vt in curru triumphantis de victoria reportata triumphum agens. 665. & 666
Pulchra Numerorum ad septem Sacramenta appropriatio. 411
Numerus 144. millium significat copiosam meritorum abundantiam, perfectam mundatorum Dei obseruantiam, & in bono perseuerantiam. 452
Numerus 144. millium eligitur propter mysterium, ad designandos signatos in fronte. 500
Numerus 114. mille significat vniuersitatem, siue integram & perfectam fidelium multiplicationem. 501
De Numero 144. mille subtilis Ruperti indagatio. 501
In Numero equestris exercitus c. 9. non habenda est ratio numeri numerantis, sed numeri signantis seu significantis. 650
Numerus ducentorum milliorum exprimitur per vicies millies decia millia propter significationem expressiorem. 650
Numerus decem millia significat simulationem perfectionis in obseruatione decalogi, in hæreticis. 650
Numerus vicies millies significat defectum perfectionis debitæ. 650
Per viginti millia intelligimus quædam vitia quæ sunt quasi origines millium errorum, in dena millia actionum peruersarum multiplicandorum. 650
Numerus istorum vitiorum conjicitur ex mediis quibus Christus vtitur ad salutem hominum procurandam, vt sunt opposita operationibus, virtutibus, auxiliis dignitatibus Christi. 651. & 652
Millesimus Numerus additur vigesimo ad designandos innumeros errores ex vitio ortos, & decem mille millesimo ad designandas mandatorum transgressiones ex errore prodeuntes. 652
Numerus mensium 42. in 11. capite non sumitur mystice sed ad literam: quia conuenit historiæ, & salustur satis ænigmatica locutio cũ tres anni cum dimidio significantur per hunc numerum potius quam distincte exprimantur. 698. & per menses exprimuntur tres anni cum dimidio propter frequentissimas rerum mutationes temporibus Anti-Christi aliam rationem mysticam affert Rupertus. 698
Numerus mensium 42. in vndecimo capite totum tempus Christianitatis potest designare, sed magis propriè tangit vltimam persecutionem. 697

O

OBEDIENDVM inspirationibus diuinis ac præceptis Dei & Ecclesiæ ad nutum. 359
Obedientia superioribus exhibenda. 259
Obedientia legibus, & mandatis Dei remedium præsentissimum contra obcæcationem passionum. 615
Obedientiæ iugum excutientes facilè labuntur in errores. 615
Obediendum in aduersis æquè ac in prosperis. 359
Obliuio diuinorum quasi liber inuolutus. 428
Oculus seu adspectus Hebræis ponitur pro colore & specie. 200
Oculus fidei ille est qui sponsum vulnerat. 336
Oculus est rei alicuius talis qualis tenera est ostensio. 305
Oculi Agni seu Christi existentis in Sacramento sunt septem dona Spiritus sancti, quibus apparent ornati qui dignè hoc Sacramentum percipiunt. 306
Oculi agni sunt septem prouidentiæ virtutes quæ apparent elucere in hoc Sacramento.
Oculus pro intentione sumitur. 306. hinc septem oculi agni sunt ea omnia, quæ intendit Christus cum hoc Sacramentum instituit. Ibidem
Oculi septem sunt septem potissimum causæ seu motiua institutionis huius Sacramenti. 306
Oculi in 4. animalibus significant illa animalia susceptiua esse luminis diuini, & illustrationis tam interius, quam exterius. 273
In his Oculis duo intelligi debent, primum circumspectio & vigilantia, secundum conueniens dispositio ad diuinorum luminum susceptionem. 273
Oculi prouidentiam, cognitionem vigilantiam & animi affectum designant. 305
Per oculos septem spiritus Christi, seu septem dona Spiritus sancti, Angelicas mentes, septem Ecclesiarum Asiæ Angelos, perfectionem cognitionis Christi significari volunt. 304
Odium voluptatum carnis, optima ad exercitium virtutis dispositio. 51
Officina Medica Dei Ecclesia. 643
Oleum non lædere est gloriam misericordiæ non auferre, nam cum iustitiæ satisfactum fuerit, misericordiæ licet delicta condonare. 443
Olei vnctio in confirmatione significat confirmatos debere sibi & aliis prodesse. 352
Omnipotentiæ filij Dei symbolum. 315
Bonorum operum laus vtilis ad proficiendum & ad repellenda tædia in exercitio virtutum. 45
Opera bona quomodo optimè fiant coram hominibus? 64
Opera bona non sunt plena absque charitate. 109. & 128
Operum bonorum plenitudo in quo consistat? 118. & 130
Operationis diuinæ scopus est Dei imitatio & similitudo, & cum eo vnio. 453
Oratio inuectiua dicebatur olim stilematica. 155
Oratio valde necessaria ad diuinorum mysteriorum cognitionem. 290
Orandum maximè cum de rebus diuinis instrui cupimus. 295
Oratio est cordis clamor propter contentionem & feruorem. 294
Orandum voce, cum quæ iusta sunt, & non erubescenda petimus. 294
Oratio Ecclesiæ primitiuæ est exudita

Digitized by Google

dum Deus prouidit illi de ſummo Pontifice, qui dubia reſolueret. 295
Oratio Eccleſiæ impedit ne Deus ad noſtra peccata reſpiciat. 554
Quantum poſſit oratio Eccleſiæ apud Deum patet in Sacramento Extremæ vnctionis. 554
Oratio ſufficienter ſignificat id omne quod oleum ſignificare poteſt in Sacramento Extremæ-Vnctionis. 554
Vis orationis apud Deum melius exprimitur per orationem quæ exauditur à Deo, licet orans ſit illi inuiſus, quam cum exaudit hominem ſibi gratũ. 555
Orationibus nobis eſt ad Deum recurrendum: contra errorem Cyrenaicorum qui hoc negabant. 642
Noſtræ orationes in nomine Chriſti offerri debent. 642
Ordo, rerum quæ fient in toto decurſu regiminis Eccleſiæ, deſignatur. 727.
Cur ordinem enumerandi nomina 12 Patriarcharum in diuerſis locis ſcripturæ ſeruatum prætermiſit S. Ioannes & ſpecialem ſeruauit. 502. & 503
Ordo immutatur vt diuerſitas donorum ſignificetur, vel vt generatio ſpiritalis fidelium ad Apoſtolos referatur. 502. 503. 504. 505. 507. 508. & 509
Ordo à S. Ioanne obſeruatus rigoroſè eſt obſeruandus, vt eius mentem capere valeamus. 504
Ordinem ſeruauit S. Ioannes qui aptus eſſet ad deſignanda ea quæ in electis adimplentur, vnde quædam nomina omiſit, alia ſubſtituit. 504
Ordo Carmelitarum, ſub quo reponi poſſunt qui ſolitudines quærunt, per figuram hominis adumbratur. 263
Ordo Auguſtinianorum, ſub quo reponuntur docentes contra hæreſes, per leonis figuram deſignatur. 263
Ordo S. Benedicti, ſub quo reponuntur Pſalmodiæ & contemplationi vacantes, per figuram vituli propter laudabilem vſum rerum temporalium ſpiritui inſeruientem. 263
Ordo S. Franciſci temporalia deſerens, alta petens, ſedi Romanæ innixus, per aquilam deſignatur. 263
Ordinis ſacramentum eſt quoddam ſignaculum quo ſpiritalis poteſtas traditur ordinato in ordine ad ſacroſanctus corpus Domini conſecrandum & quodammodo ſpiritaliter enecandum. 319
Ordinis Sacramentum optimè dicitur ſignum, ſigillum, & ſignaculum. 374
Ordinis Sacramenti definitio, neceſſitas, materia remota, & proxima. 374
Ordinis Sacramẽti forma & miniſter. 375
In Sacramento ordinis tactus materiæ videtur eſſe de eſſentia Sacramẽti. 374
In Sacramento Ordinis datur gratia vt homo dignè Sacramenta diſpenſet, & imprimitur character ad omnes ordines. 375
In Sacramento Ordinis triplex autoritas vna quæ refertur ad confectionem & adminiſtrationem Sacramentorum; ſecunda quæ iuriſdictionem quandam interiorem includit; tertia quæ exterius regimen Eccleſiæ reſpicit. 388
Hæ autoritates ſeu poteſtates Sacramenti Ordinis explicantur. 389
Qui in Sacramento Ordinis conſtituti ſunt figuram mortis gerere poſſunt, propter caſtitatem ordini connexam, propter baptiſmum quo cum Chriſto tanquam mortui ſepelimur, propter conſecrationem corporis Chriſti in memoriam mortis eius: quia Epiſcopus præparat nos ad moriendum in Confirmationis Sacramento, quia per ordinationem à ſeculo auellimur, & propter oleum, & Chriſma infirmorum. 389. & ſequentibus.
Sacramentum Ordinis duas potiſſimùm complectitur poteſtates quarum intuitu aliæ ſibi competunt nempe poteſtas conſecrandi & poteſtas ligandi & ſoluendi. 395
Septem Ordinum officia & munia exprimuntur. 234
Hi Ordines ſpiritus dicuntur ratione finis. 234
Qui ad Ordines promouentur, Spiritus ſancti inſtinctu ad tale munus ordinari debent. 235
Ordinandorum mores pondetari debent, & de illis fideles conſulendi. 235
Ordines per lampades ſignificantur propter ignis actiuitatem, luminis claritatem; & quia Sacramentum altaris ad quod ordinantur alia, illuminat, vel necat & vrit. 236
Ordines lampadibus ſignificantur, quia Angeli adſtant ſacrificio altaris, cui celebrãdo alij ordines inſeruiunt. 237
Cuiuſlibet Ordinis ſacri functiones docent quibus vitiis nobis ſit moriendum. 390
Functio Oſtiarij moriendum eſſe indicat infidelitati. 391
Functio lectoris moriendum eſſe mentis ſtupiditati. 291
Functio exorciſtæ nobis eſſe moriendum omni operationi Sathanæ. 391
Functio Acolythi moriendum nobis eſſe docet omni inclinationi ſenſuum & appetitum per lumen rationis & fidei. 391
Subdiaconi officium nos monet moriendum eſſe omni ſuperbiæ vitæ. 391
Diaconi officium, monet nos vt intellectus ſeruiat voluntati, vt perfectè ſe Deo confeceret & deuoueat. 391
Sacerdotis officium monet nos vt noſtram voluntatem in holocauſtum Deo offeramus. 391
Ordo Pontificum ſuperior eſt ordine ſacerdotum, & ſacerdotis ordo eſt illi ſubiectus. 496
Ordines ſuperiores continent vim inferiorum, inferiores autem non debent ſibi arrogare quæ ſuperiorum ſunt propria. 496
Quid ſit oſtiũ aperire aut clauderet 113
Oſtium apertum, eſt multa reperiri corda ad audiendum & obediendum aperta. 151

P

PACIFICVS eſſe non poteſt niſi qui pacem habet, quam Deus ſolus dare poteſt. 490
Panem Angelorum in cœlo ſine Sacramento manducamus. 195
Parricidæ quanã pœna plectebantur? 90
Paſtor Eccleſiæ Chriſtum repræſentans habet ſtateram in manu, quia proponit credenda, & imperat facienda pro modulo eorum quos regit. 318
Paſtores. Vide ſacerdotes. 319
Paſtores induunt figuram mortis propter iuriſdictionem fori exterioris, dum per eam nos ſeparant à multis illicitis. 292
Paſtores Eccleſiæ per patientiam veſtigia ſua occultantes, ſibi autoritatem conciliant. 266
Paſtores habent ſignum in manu per exercitium poteſtatis datæ illis ad animarum ſanctificationem. 495
Quænam virtutes in Paſtoribus ſint laudabiles? 32. & 34. 45. Reprehenſibiles ſunt paſtores qui gladio verbi diuini non vtuntur cum opus fuerit. 37
Paſtor ſeu Prælatus debet eſſe ambidexter. 51
Minuſcula imperfectio in Paſtoribus non modicum adfert boni ſpiritalis detrimentum in ſe & in ſubditis. 49
Paſtorum Eccleſiæ autoritas adumbratur. 188
Paſtorum Eccleſiæ virtutes & qualitates in 24. ſenioribus deſcribuntur. 214
Paſtores ſeu Prælati cum magna ſpe & fiducia verbo Dei vti debent. 70
Quibuſdam Prælatis vitio diuina eſt pertimeſcenda. 76
Quanta debet eſſe Paſtorum ſeu Prælatorum perfectio. 126
Paſtores aliquando ſtellis non planetis comparantur 15. ſunt tamen in manu Chriſti non tantum vt ſtellæ in genere, ſed vt ſeptem planetæ, per quæ Deus fidelibus influit gratiam & pacem. 15. & ſequentibus.
Paſtores ſunt in manu Chriſti quaſi planeta ſolis 17. quaſi planeta lunæ propter prudentiam 18. quaſi planeta Saturni propter pœnitentiæ adminiſtratione 18. quaſi planeta Iouis propter Sacramenti Euchariſtiæ adminiſtrationem 19. Quaſi planeta Martis ptopter Confirmationis Sacramentum quod adminiſtrant 20. quaſi planeta Veneris propter vtilitates benedictionis nuptiarum in Sacramento Matrimonij, & abſolutionem morientium in Sacramento Extremæ-Vnctionis 20. denique quaſi planetum Mercurij propter adminiſtrationem Sacramenti Ordinis. 21
Paſtores qui zelo ducti ſeſe opponunt cum vitæ periculo iniquis conatibus principum ſeculi, deſignantur in Angelo clamante, *Nolite nocere terræ & mari*, &c. 479
Paſtoribus Eccleſiæ poſt mortem Anti-Chriſti magna libertas erit ſuo fungendi officio. 733
Qui malis Paſtoribus obedit propter Chriſtum, proprium iudicium, & propriam voluntatem deponendo, occiditur myſticè per beſtias terræ. 393
Magno præmio Deus remunerabit bonos Paſtores. 221
Non eſt ſiſtendum in paſſionum meditatione: ſed gloria & merces per paſſiones acquirenda attendẽda. 149
Paſſiones inordinatæ multa mala afferunt. 580
Paſſionum ſubſequentium determinationem ad malum deſcriptio, & quàm ſint nociuæ. 580. 581. & 583
Cum paſſiones dominarum obtinent, Dei conſilia non audiuntur. 582
Paſſionum radix & origo. 583
Paſſiones tribus modis conſiderãtur. 583
Paſſiones quæ præueniunt iudicium rationis non fuiſſent in ſtatu iuſtitiæ originalis. 584. & 585
Paſſio eſt motus cuiuſlibet appetitus concupiſcibilis aut iraſcibilis. 580
Paſſiones ex ſe ſunt indifferenter à ratione regendæ. 583
Ad perfectionem humani boni pertinet quod paſſiones regulentur per rationem. 585
Paſſiones malæ ſunt, ſi à ratione non regulentur. 585
In paſſione, concupiſcentiæ peccati malitia completur. 585
Paſſiones aſſumptæ à mala voluntate vt malitiæ inſtrumenta ſunt peſſimæ, illæque ſunt, quæ à S. Ioanne deſcribuntur in 9. capite.
Grauiùs peccat qui ex paſſione conſequente peccat, quàm qui ex antecedente. 586
Paſſiones validæ, cum protectionem inueniunt apud rationem quæ eas deberet reprimere. 610
Paſſionis Chriſti participatio per tribulationes per mare vitreum ac ſi eſſet plenum ſanguine ſignificatur. 245
Paſſio Chriſti antonomaſticè tribulatio dicitur. 10
Pater 1. perſona Trinitatis in Iaſpide adumbratur. 102. Prima perſona diuina non abſoluta concipitur ſed relatiua, ob fœcunditatem & communicabilitatem. 204

Patientia diuinam protectionem attrahit. 152
Patientiæ bona. 152
Patientia vera eſt longanimis ſuſtinentia laborum. 152
Patientia maximè neceſſaria eſt iis qui conuerſioni peccatorum ſtudent. 153
Vera Patientia virtus Chriſtianorum. 153
Patientia Chriſti patientia conſummata quam debemus imitari. 153
Patientia & miſericordia Dei magis relucet in pœnitentiæ Sacramento, quam in Baptiſmo. 412
S. Paulus per Beniamin adumbratur. 510
S. Paulus tuba Euangelij quia ſegregatus fuit Antiochiæ inſpirante Spiritu ſancto vt per Eccleſias iam fundatas prædicaret 550. Quomodo S. Paulus ſeptem tantum dicitur ſcripſiſſe epiſtolas. 154
Paulus Samo ſatenus negabat Chriſtum vnquam Deum fuiſſe. 256
Paupertatis ſpiritus vtilis ad tolerantiam tribulationum pro Chriſto. 58
Per paupertatis ſpiritum Deo reddimur acceptabiles. 58
Opportunus eſt ad Chriſtum ſequendum, & perfectionem adipiſcendam. 58
Per paupertatis ſpiritum mens ampliſſima redditur, vt Dei ſit tanquam cœlum domicilium. 58
Per ſpiritum paupertatis mens fit luciditima. 59
Pauper ſpiritu animæ paſſiones habet bene ordinatas. 59
Per paupertatis ſpiritum animi motus optimè ordinantur ad modum motus cælorum. 59. & 60
Prærogatiuæ ſpiritus paupertatis. 60
Spiritus Paupertatis anima velocius fertur in Deum. 61
Status Paupertatis encomia. 61
Vt Paupertatis ſpiritum habeamus gratia neceſſaria. 487
Veræ Pacis deſcriptio. 10
Pax à Chriſto præſtantior cæteris. 10
Pax in hac prophetia optata ſignificat externam tranquillitatem. 10
Quænam ſit vera pax creaturæ cum creatore. 110
Pax tantum vmbratilis, & fucata, quando abeſt charitas. 352. & 353
Aliud eſt pacem turbare aliud eam de terra ſumere. 348
Pacem Deus de terra ſumit quando iuſtos ab impiis ſeparat mente non corpore. 353
Pacifici beati. 353
Peccator cum iuſto non habet pacem, nec cum peccato iuſtus, ſibique aduerſantur ex morum diſſimilitudine. 354
Pax dicitur donum, ſeu dari quia gratis & libere à Deo confertur. 354
Pacis præclari effectus. 354
Peccatum per ſanguinem deſignatur. 216
Peccatum quid ſit. 90
Peccati malignitas vno peccato admiſſo ad aliud inclinante. 12. 7. 128. & 131
Peccatum tria bona in baptiſmo collata aufert, quæ per pœnitentiam reparantur. 139
Per peccatum apparet quam inordinatus ſit hominis appetitus à ſtatu gratiæ in peccatum incidens. 325
Per peccatum ita perturbatur peccatores vt remedia reſpuant. Status peccati ſymbolum. 321. & 322
Status peccati ſymbolum, eſt etiam ſymbolum pœnarum quas Deus immittit in mundum propter peccatum. 322.
Peccandi libido quam fœtida 603. nunquam ſaturatur. 611
Peccandi libidine feruntur homines in innumera peccata, quorum fœtore totus inficitur mundus. 604
Peccator peccans ex malitia fœtet. 604
Peccata peccatis connectuntur. 605
Qui Peccata peccatis connectunt ab eis extricari nequeunt, nec eiſdem ſatiari. 603
Si ſemel in aliquod peccatum graue incidimus facillimus eſt in alia peccata lapſus. 428
Peccans ex libidine equo aſſimilatur quia cum impetu ad obiecta illicita currit, quia audax, quia minax, &c. 611
Peccati crudelitas & fœuitia. 612
Peccatum eſt veluti Tyrannus qui potitus victoria cuncta deuaſtat. 609
Peccata multiplicantur nimis in iis qui ſunt audaces ad peccandum. 604. & 605
Vt videamus peccatum eſſe contra naturam, actibus peccatorum datur poteſtas cruciandi conſcientiam. 605
Peccata etiam remiſſa perturbant propter propitatem quam relinquunt. Ibid.
Peccato conſentire non conciliat pacem.
Quænam poſt peccatum commiſſum maximè torqueant. 606
Deus vult vt peccatum lædat animam per ſtimulos, at non vult vt occidantur homines, vt habeant tempus reſipiſcendi. 606
Peccata cruciant non occidunt, quia licet peccatis obtuamur, tanquam diluuio, tamen viuit ſemper lumen iudicatorium conſcientiam torquens ac crucians. 608
Peccatum cruciat vt cruciatus ſcorpij quia torquet, cauda ſcilicet, poſt conſenſum ad quem blandè nos allicit. 609
Plaga formidabilis ſunt actus peccatorum ex concupiſcentia conſequente rationis imperium, & pronitas ad peccandum ex libidine inſatiabili. 610
Ad exponendum profundum Dei conſilium in permiſſione & remiſſione peccatorum nihil melius fieri poteſt quamſi exponatur peccati malignitas ſecundum omnem ſuam extenſionem. 424
Tanto maior peccati malignitas apparet quanto remedium melius cognoſcitur, & tamen reſpuitur. 424
Quænam mala ex peccatis cauſata per terræ motus ſignificantur. 425
Peccatum commouet conſcientiam ad modum terræ motus, vel ad pœnitentiam, vel perturbat per motiones illicitas appetituum. 425
Ex peccato malæ commotiones oriuntur ex igne ſulphureo concupiſcentiæ. 425. & 426
Peccati calamitates. 426
Peccati malignitas dignoſcitur ex corruptione rectitudinis & ſyncritatis intentionum voluntatis. 427
Peccato longiuſcule commorante debilitatur mentis vigor. 428
Per peccatum veritates notiores ſunt nobis quaſi liber inuolutus & clauſus. 428
Propter multiplicationem peccatorum Deus detideriis noſtris in exorabilem ſe reddit. 429
Perturbatio rerum naturalium in punitionem peccatorum eſt malignitatis peccati effectus. 429. & 430
Peccati malignitas maximè manifeſtatur quod pœnitentiam preſens contra peccatum remedium peccator reiiciat. 493
Peccator impudens eſt qui nec Deum nec hominem reueretur. 604
Peccatores concupiſcentiæ ſuæ angores exeutere nequeunt, quacumque parte ſe vertant. 609
Peccator etiã laudibus mundanorum extollatur, non poteſt intrinſecus mitigare angores. 609
A Peccatoribus fugit mors, quia non poſſunt extinguere lumen rationis ſcelera improperans, & rurſus quia etiam quando deſiderarent mori anguſtiis oppreſſi non moriuntur donec veniat hora à Deo præſcripta. 610
Peccator imbecillem habet rationis viam. 611
Peccatoris pertinacia. 612
Peccator pertinax contemnit ſuperiores & legesblaſphemiis contra Deũ, contumeliis contra proximum inſurgit per ſuperbiam. 612. & 613
Peccans ex ſuperbia & cupiditate aſſimilatur in ſtrepitu curribus equorum currentium in bellum. 613
Peccator alios eſt ſcandalo, & peſſimo exemplo alios ad peccandum trahit. 613
Peccati horror quæ bona afferat. 212
Peccati permiſſio, & illius remiſſio myſterium eſt abſconditum ſub ſigillo Sacramenti pœnitentiæ. 412
Peccati remiſſio fidei articulum conſtituens indicat opus eſſe lumine fidei ad hoc myſterium cognoſcendum. 412
Peccatorum remiſſio difficulter creditur propter ignorantiam naturæ peccati. 413
Peccatum vix cognoſcitur niſi adſit legis cognitio. 413. & 414
Ad Peccati cognitionem auxilio eſt iudicij prædicatio in quo ſumus de actibus noſtris rationem reddituri. 413
Peccatum grauiſſimum nempe idololatriam homines vix agnoſcunt. 413
Peccata ſua homines confiteri nolunt, primo propter opinionem magnam de ſe conceptam, ſecundo propter inordinatum ſui ipſius amorem 414. Quænam alia impediant hanc confeſſionem? 127
Peccati confeſſio ſignum eſt noſtræ ſubiectionis erga eum cui obedire debemus. 414
Peccatum non eſt à Deo, nec Deus eſt cauſa peccati. 414
Duo principia pugnantia non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto ſeruata pace & beatitudine. 413
Cum peccatum nihil ſit aliud, quam auerſio à Deo, Deus non poteſt illud cauſare. 413
Peccatum non habet aliquam cauſam naturalem. 415
Quænam motiua poſſunt inducere vt cauſa peccati in corpus rejiciatur. 417
Peccandi libertas pœna peccati præcedentis. 316
Peccatorum cauſa integra & totalis non eſt reiicienda in corporis materiam, neque in carnis grauitatem, neque in motus & inſultus appetituum. 417
Cum peccatum in Angelis reperiatur corpus non poteſt dici cauſa peccati. 417
Actus peccaminoſi delendi vt ſcribantur actus virtutum. 606
Peccata eleemoſynis redimenda ne incidamus in abyſſum concupiſcentiarum. 586
Qua ratione peccator gloriam dat virtutibus diuinæ prouidentiæ. 112
Perfectionis ſtudium ſerio amplectendum. 50

A ſtudio perfectionis receſſus ignominiam parit, & ſibi & aliis eſt nociuus 30. & 33. ad perfectionem acquirendam quo ordine procedendum. 363
Perſeuerantia neceſſaria eſt vt fructum ex laboribus capiamus. 153
Siue gratia detur abſque labore præuio, ſiue cum labore vendatur, perſeuerantia neceſſaria eſt. 154
Perſeuerantia donum eſt ſpeciale ex diuina miſericordia, & in quo conſiſtat? 66. & 67
Qua ratione de congruo poteſt mereri? 68. promittitur in c. 7. ad conſolationem electorum. 457
Perſeueranti & non timenti perſecutiones quale præmium? 68
Perſeuerandum ne corona nobis auferatur. 114
Perſeuerantia in bono difficilis. 137
Nec Chriſtus nec aliquis ſanctus apparent S. Ioanni, ſed tantum Angelorum miniſterio ſymbola illorum. 551
In perſecutione prima Eccleſiæ à Iudæis nec veritas, nec virtus proſtrata fuit, imo potius ex illa perſecutione incrementa ſumpſerunt. 720 perſecutiones pro iuſtitia nemo poteſt tolerare niſi diuino fretus auxilio. 490
Pes ſecundum diuerſas conſiderationes eſt ſymbolum vel vltimi in executione cuiuſque incæpti, vel conſtantiæ & firmitatis, vel affectus ad agendum mouentis. 668. & 669
Pes dexter ſuper electos, quos in fine Deus in dilectione confirmabit: pes ſiniſter ſuper impios ſuper quos ſigna iracundiæ ſuæ obfirmabit. 669
Pedes Chriſti affectus ſunt iuſtitiæ & miſericordiæ: ſimiles ſunt aurichalco & cui? 89
S. Petrus initium dedit quatuor ſedibus Patriarchalibus quæ per quatuor animalia deſignantur. 262. & 253
S. Petri Catenæ ad inuicem connexæ ſignificant populum Iudæorum, & gentilem tandem ſimul fore vnciendos. 731
S. Petrus eſt ſenior qui docuit ad quem pertineret aperire librum. 295
S. Petrus tantum inſeruiuit ad Chriſti cognitionem vt infideles dicerent Chriſtum per Petri maleficia ab hominibus coli. 295
Petrus Moyſi ſucceſſit qui nouam Eccleſiam Chriſto verumque ſacerdotium erexit Chriſti fundatoris Eccleſiæ inſtrumentum. 296
S. Petrus per Iudam adumbratur. 307
S. Petrus eſt primus ſeniorum qui B. Ioannem interrogat. c. 7. 521
Petri autoritas ad iudicandum de actionibus fidelium magis eluceat, dum iudicat hanc & illam actionem eſſe meritoriam, quam ſi diceret, Vt aliqua actio meritoria ſit has & illas habeat conditiones. 521
Petro & ſucceſſoribus eius data fuit autoritas iudicandi de actionibus in particulari vt per exempla ſanctorum propoſita ad bene agendum prouocemur. 521
Petri autoritas plurima complectitur ſanctorum Canonizationem, Ordinum Religioſorum Cõfirmationem, dubiorum determinationes, legis diuinæ interpretationem, condendi leges poteſtatem. De actibus in particulari iudicandi, quorum omnium ſpecimen dedit B. Petrus in initio naſcentis Eccleſiæ. 521. 522. 523. & 453
Quæ à B. Petro facta fuerunt poſſunt fieri à Pontificibus eius ſucceſſoribus. 523
Cur petro, & ſummis Pontificibus nomen Domini tribuitur. 523. ſedes Petri Eccleſiæ columna. 198
S. Petrus Alexandrinus finis Martyrum ſicut S. Petrus fuit primus Apoſtolorum. 258
Ei Deus reuelauit Arij perfidiam. ibidem.
Petrus ſpeciali prouidentia cum S. Ioanne miſſus ad Samaritanos vt Spiritum ſanctum acciperent. 348
Phantaſmata aliquando formantur diuinitus, magis exprimentia diuina, quam ea quæ naturaliter à ſenſibus accipimus. 200
Philoſophi antiqui capere non potuerunt quomodo corpus & anima vnam, & eamdem haberent cauſam nempe omnium creatorem. 420
Phialæ ſymbolum vberioris doctrinæ, & doctorum, ſacrificij, & oblationis ſanguinis Chriſti & orationis. 310
S. Philippus per Nephtali ſignificatur. 508.
Plagæ quibus Deus punit malitiam enumerantur. 610
Plagæ ad ſeptem reducuntur, quibus homines vel probantur, vel corriguntur vel puniuntur. 559. & 560
Plagæ quædam ſunt, quæ non euenire permittuntur, niſi ex graui Dei iracundia. 559
Plagæ temporales quædam ad probationem, quædam ad reprimendam audaciam malorum eorumque punitionem. 559
Plaga famis deſcribitur ſub ſymbolo grandinis & ignis cum ſanguine mixti. 560. & 561
Hac plaga percutitur tantum tertia pars terræ, quia immittitur, vel ad probationem perfectorum, vel ad purgationem proficientium, vel ad punitionem Reproborum qui ſoli per hanc plagam pereunt. 561. & 562
Hac plaga omne fœnum comburitur quia caro omnium tam perfectorum quam proficientium quam reproborum per famem affligitur. 562
Plaga belli ſub ſymbolo montis magni, igne ardentis in mari miſſi deſcribitur. 563
In hac plaga deſignanda mons magnus ſignificat Diabolum, mare autem vitam præſentem omnium gentium, & populorum. 563. 564. 565.
In hac plaga mons magnus non ſolum literaliter accipiendus, ſed myſticus eſt intelligendus: quamuis fieri poſſit vt verus mons in fine mundi mittatur in mare. 563. & 564
In plaga belli tertia pars interit, quia alij ſunt victores, alij ſeruantur, alij vincuntur occiſi pereunt. 566
Plaga peſtis per ſtellam magnam de cœlo cadentem in flumina & fontes deſcribitur. 567
Vt plagam peſtis Deus immittat vtitur ſuis inſtrumentis, Angelorum miniſterio, influxu ſtellarum, corruptione aëris. 567. & 568
Peſtis cauſa ſubiectiua. 569
Plagæ peſtilentiarum per Angelos tum bonos tum malos pulchrè hiſtoriæ. 568
Plagæ peſtis efficiens quomodo poteſt eſſe diabolus. 569
Peſtilentiæ effectus per abſynthium ſignificantur. 569. & 570
Peſtilentiæ effectus per ſagittam ebibentem ſpiritum, quia reuera ebibit ſpiritum vitalem & animalem, exprimitur. 570
Huius plagæ inflictio iuſtis non debet eſſe amara. 570
Contra plagam peſtis remedium præſentiſſimum eſt ad Deum orationibus publicis & priuatis recurſus, inuocatio S. Sebaſtiani, & B. Virginis interceſſio ſpecialis, vt ex hiſtoriis patet. 574
Non dolendum de morte eorum qui hoc malo decedunt, ſed debemus eſſe conformes diuinæ voluntati. 572.
Quarta plaga ignorantia, & cæcitas mentis deſcribitur ſub ſymbolo percuſſionis ſolis, lunæ, & ſtellarum, & obſcuratio, ſicut & percuſſio tertiæ partis eorum. 572
Percuſſionem ſolis & aliqui litteraliter, alij melius myſticè exponunt, & variæ de hac percuſſione ſententiæ. 572. & 573.
Quarta plaga eſt ignorantia eorum quæ ad ſalutem conſequendam neceſſaria ſunt. 573
Plagis ac pœnis Deus nos ſeparat ab affectu rerum, quia eſt Deus zelotes, qui non poteſt pati conſortem. 573
Plaga quibus Deus mundi peccata punit prædicantur, & prædicuntur antequam immittantur, ex ſuaui Dei prouidentia. 558
Plaga hæreſis formidabilis quia eſt peccatum infidelitatis poſitiuæ. 616
Plagæ hæreſis ſymbolum, eius naturam proprietates & effectus continens apparet ſexto Angelo tuba canente. 623
Pontifices cæleſtium virtutum adminiſtris Angelorum proprietatibus participant, dij ſunt alioſque efficiunt. 236
Pontifex ſummus Thronus eſt autoritatis firmitate, Cherub veritatis cognitione, Seraphardentiſſima charitate. 225
Viginti octo Pontifices Romani ſucceſſiuè martyrium ſubierunt. 59. non eſt expectanda vita futura vt cum Angelis ſtare dicantur Pontifices: hanc & nunc obtinent dignitatem. 236
Poteſtas promiſſa cuſtodientibus opera Chriſti vſque in finem eſt poteſtas iuriſdictionis ſeu poteſtas quædam iudiciaria. 105
Poteſtas Sacramenti ordinis per ſpiritus Dei exprimitur, quia pro obiecto requirit hominem ſpiritalem. 236
Ad peccatorum remiſſionem magna requiritur poteſtas quæ in Sacramento ordinis confertur. 376
Hanc poteſtatem voluit Chriſtus per miraculum comprobare, de hac gloriatur. 377
Poteſtas in Sacramento ordinis collata eſt imago poteſtatis Chriſti: & vtraque poteſtas per mortis figuram poteſt deſignari. 382. & 388
Poteſtatis Chriſti effectus, in quantum per eos redimi, ſanctificari & perfici in Dei gratia valemus, morte adumbrantur. 382
Omnes ſæculi poteſtates diuinæ ordinationi ſunt ſubiectæ, itaut ea tantum poſſint quæ Deus ad ſui gloriam, & electorum probationem permittere voluerit. 455
Petro claues traditæ, & per Petrum Eccleſiæ, ſigna ſunt excellentiſſimæ poteſtatis quam Chriſtus Dominus Petro & Eccleſiæ contulit. 412
Populi diuerſi dicuntur, ſiue diuerſitate loci, ſiue diuerſitate generis, vel idiomatis, vel actionis in cultu numinis. 719
Qui porcorum more viuunt in eos diabolus exercet poteſtatem. 565
Quid ſit: *Non mittam ſuper vos aliud pondus.* 93. malè 94
Quantumuis multa & grauia ſint peccata delentur per pœnitentiam. 146
Ad pœnitentiam recurrendum ſtatim atque peccatum eſt commiſſum ſiue illud procedat ex ignorantia ſiue ex voluntate electorum. 128
Per pœnitentiam quis poteſt parem comparare gratiæ gradum ad quem

peruenire poteſt qui nunquam peccauit. 110
Pœnitentiæ Sacramentum manifeſtat quanta ſit Dei patientia in tolerandis peccatis, & clementia in condonandis. 424. & 525.
Pœnitentiæ Sacramentum ſignificatur per mare vitreum ac ſi eſſet aquis redundans. 244
Pœnitentiæ Sacramentum continetur ſub ſexto ſigillo, & quibus de cauſis? 411
Pœnitentiæ Sacramentum rectè ſigillum dicitur. 411
Pœnitentiæ Sacramenti ſigillum alia ratione exponitur quam alia ſigilla aliorum Sacramentorum. 424
In Pœnitentiæ Sacramento ira Dei cum miſericordia exercetur. 432
Pœnitentiæ Sacramentum eſt Thronus agni irati, thronus & tribunal iudicis. 432
Pœnitentia eſt baptiſmus laboriоſus. 413.
Pœnitentiæ Sacramentum eſt reconciliatio cum Deo, pacem & conſolationem animi inducens. 433
In Pœnitentiæ Sacramento multa occurrunt facienda, quæ Dei & agni iram contra peccatum manifeſtant 431
Pœnam differt Deus ob ſpem correctionis. 95
Pœnæ ab Eccleſia inflictæ peccantibus rité per gladium, famem, mortem & beſtias terræ deſignantur. 594
Pœnæ purgatorij dilucidè explicantur & quod reſtat purgandum animabus in purgatorio eſt propter reſpectum converſionis quam habuerant ad creaturas. 407
Ab his pœnis clamant petentes liberari 325
Quidquid præcipitur à Deo honeſtum eſt. 370
Prædeſtinationis actus cum ſit immanens, per effectus tantum dignoſcitur. 484
Prædeſtinationis effectus cognoſcere eſt difficile. 484
Prædeſtinationis effectus plures habet conditiones. 484. & 485
Prædeſtinationis effectus in cap. ſeptimo deſcribuntur. 485
Prædeſtinationis effectus quænam ſunt ſigna & notæ quibus Eccleſia poteſt decernere & declarare aliquem eſſe de numero beatorum. 485
Quænam ſint prædeſtinationis ſigna quibus morali certitudine ſciri poteſt aliquem eſſe de numero prædeſtinatorum. 486
Prædeſtinationis ſigna nulla meliora dari poſſunt, quam quæ à Chriſto proponuntur nempe octo genera actuum, octo videlicet beatitudinum. 486. & 487
Actus Præmiorum qui reſpondent ad actus beatitudinum qui ſunt ſigna prædeſtinationis exprimuntur à S. Ioanne. 518. & 519
Prædeſtinationis ſignum eſt ſpeciale ſi parati ſimus in omnibus faciendi Dei voluntatem. 511
Optimum medium ad prædeſtinationis executionem eſt præcatio ſeu oratio, & charitas ad omnes ſe extendens. 511
Prædeſtinatio manifeſtatur per Martyrium & per miracula. 513
Prædeſtinatorum inſignia in fronte eorum ſcripta. 216
Prædeſtinationis opus occultum, quia quæ fiunt à nobis bona occultum eſt an fiant ex intentione vt per ea ſalutem efficaciter ſimus adepturi. 688
Licet ille ſolus qui prædeſtinate potuit ſciat oues & hircos, tamen Deus per ſpecialem reuelationem poteſt huius diſcriminis cognitionem quibuſdam infundere. 688
Propria prædeſtinatio poteſt alicui reuelari. 688
Prædeſtinationis propriæ ordinariè non datur reuelatio. 688
Ex ſpeciali Priuilegio prædeſtinatio aliorum poteſt quibuſdam innoteſcere. 689
Conuenienter reuelata fuerunt B. Ioanni ſigna prædeſtinationis ad ſpem electorum erigendam & paſtores & prædicatores confortandos ne à ſalute aliorum procuranda deſiſtant. 689
A Prædicatione non eſt deſiſtendum, tum ſpe diuini auxilij 151. tum quia tandem aliquando effectum ſuum obtinet. 156
Prædicatio verbi diuini nullo humano fulta præſidio effectum ſuum obtinuit. 156
Prædicator qui fructum non obtinet mercede tamen non priuabitur. 156
Ex negligentia Prædicandi verbum Dei multorum exoritur ſubuerſio. 74
Prædicatione Deus vtitur tanquam medio aptiſſimo vt peccatores à peccandi libidine auertat. 549
Prædicatores ſancti aliquãdo poſt mortem perficiunt, exemplis oratione, miraculis quod in vita perficere non potuerunt. 156
Prædicatores à bonis Angelis inſpirati homines auertere cupiunt à concupiſcentia mundi, à ſuperbia vitæ à concupiſcentia carnis à cæcitate mentis. 526
Prædicatores quatuor genera ſupplicium comminantur induratis, famem, bellum, peſtem, cæcitatem. 526. & 527.
Prædicatores ſunt in conſpectu Dei quia ad obediendum parati. 549
Prædicatores qui à ſummo Pontifice aut ab Epiſcopis mittũtur ordinariè, ſpecialius deſignantur in ſeptem Angelis c. 8. 549
Quænam potiſſimum in Eccleſia debent annunciare prædicatores? 550
Prædicatores verbo Dei corda feriunt hominum. 224
Prædicatores verbi per equos c. 6. deſignantur 341. alios regunt in virga ferrea. 104
Prædicatores, & promulgatores legis diuinæ deſpicabiles apparuerunt 361. ſunt pedes Chriſti. 88
Prædictio falſa Paganorum de duratione Eccleſiæ. 295. & 296
Ad Prædicandum pro Chriſto pulchra S. Cypriani prouocatio. 710
Præmia meritorum in manu Dei. 116.
Principum conatus tenet Deus in manu, ne Eccleſiæ firmitatem, gratiarum profuſionem, & electorum prædeſtinationem impediant. 466
Principum fortitudo titioni fumiganti comparatur, quia citò extinguenda. 465
Principes mali ad malum inducentes & cogentes ſunt Anti-Chriſti prodromi. 479
Proceſſio filij & proceſſio Spiritus ſancti. 203
Promiſſa Dei fallacia exiſtimare eſt à dæmoni corripi ac ſempiternos ignes promereri. 697
Prophetiæ munus eſt non modo futura prædicere, verum & præſentia dicere. 235
Protectionis diuinæ duo effectus, à perſecutionibus hominum, & à diaboli tentionibus. 461
Quibus mediis vtitur diuina prouidentia vt opus ſalutis hominum perficiat? 39
Prouidentia Dei operi ſuo vltimam manum imponere par eſt, malos puniendo, bonos coronando 661. & eadem potentia qua protegit bonos malos conterendo. 667
Pulcher progreſſus diuinæ prouidentiæ in Eccleſiæ regimine deſcribitur. 683. & 684
Diuina prouidentia nunquam curam ſuam tollit à mundo, multo minus eam tollit ab electis. 696
Prouidentiæ diuinæ dotes per ſpiritus & lampades deſignantur. 240
Prouidentia diuina per bona malaque alternantia exercet mundum. 559
Parat auxilia pro quacumque neceſſitate. 411
Pulchra prouocatio ad bene agendum 524. non progredi in via Dei vitupetio dignum. 47
Proximorum converſio cum patientia procuranda. 254
Prophetat S. Ioannes ſub hiſtoria rei præteritæ, qua ratione ſummi Pontifices & Eccleſia dubiis emergentibus occurrere debent. 296
Prophetia hæc multa docet ſeruanda. 4.
Prophetiæ huius lectio vtilis. 4
Prudentia inter virtutes morales reponitur. 268. & 270
Prudentia eſt recta ratio agibilium ſeu ratio directiua actionum. 270
Prudentiæ multæ definitiones. 270
Prudentiæ plures partes integrales potentiales, ſubiectiuæ. 270
Prudentia octo requirit, quæ ſunt partes eius integrales. 270
Prudentiæ partes potentiales tres. 271
Prudentiæ partes ſubiectiuæ quinque. 271
Prudentia Prælatis & ſubditis neceſſaria. 271
Prudentia monaſtica quænam ſit. 272
Prudentia œconomica in Prælatis præſupponenda. 272
Habere debent politicam 271. etiam & militarem. 272
Prudentiæ quænam ſunt contrariæ 272. & 266
Prudentiæ aptiſſimum ſymbolum aquila. 272
Prudentia magna opus eſt in gubernandis hominibus. 46
Pudendum, quia hæc corporis pars cum maximo pudore vtendam eſt. 369
Pulchritudo creaturæ rationalis eſt vt virili animo abſq; peccati macula ſe Deo offerat in holocauſtum. 707
Puro purum fas eſt tangere. 364
Puſillanimitas ſuperatur cum magno emolumento. 37
Puteus abyſſi appetitus humanus. 580
Pythagoræ dictum eſt, Muſas Sirenibus eſſe præferendas, id eſt ſimplex veritas. 334

R

CVM Rationis vigor per vehementiam paſſionis obtunditur, mens agit quaſi poteſtas naturalis, & brutorum agendi rationem induit. 600
Ratio non eſt ſufficiens ad cognoſcendum noſtram ab vltimo fine auerſionem abſque gratiæ auxilio. 336
Ratio humana inducens ad credendum diminuit meritum fidei. 336
Redemptionis primus effectus vocatio; vltimus, luminis gloriæ infuſio, & corporis reſurrectio. 35
Regimen Paſtorum aſſimilatur virgæ amygdalinæ. 105
Regnum cælorum quomodo dicitur vim pati? 223
Regnum Dei & Chriſti eius 4. modis ſumitur. 728
Primus modus regnandi eſt rationis ſupremæ dominationis quam Deus

Christus habeat in res creatas. 728
Secundus modus est Regnum in cælo, cum Angelorum & hominum mentes lumine gloriæ colluſtrat. 728. & 729
Tertius modus Regnandi est regnum in nobis per gratiam iuſtificantem & charitatem. 729
Quartus Regnandi modus est per Monarchiam viſibilem Eccleſiæ. 729
Hanc quadruplicem Regnandi rationem agnoſcit ſanctus Auguſtinus. 729. & 730
Hæc quatuor Regna in quibuſdam differuntſicet vnum, & eumdem agnoſcant Monarcham. 730
Primum Regnum totum complectitur orbem. Secundum cælum empyreum, tertium Eccleſiam militantem & patientem 4. ſolam Eccleſiam militantem in omnibus terræ partibus diffuſam. 730
Regnum mundi, de quo c. vndecimo, S. Ioannes intelligit pro ſtatu Eccleſiæ poſt necem Anti-Chriſti. 730
Tria requiruntur vt Regnum Chriſti in mundo ſit perfectum. 1. complectatur omnes nationes, & orbis fines, ſecundo vt ſit omnino pacatiſſimum, tertio vt intrata plenitudine gentium omnis Iſrael ſaluus fiat. 730
Regna aliquando oriuntur vt venti ex calidis exhalationibus cupiditatum & ex occultis quibuſdam cauſis. 460
Regna aſſimilantur ventis, quia ſicut in ventis maxima inuenitur mutatio, ita in regnis, & imperiis.
Alia Regna ſunt vt venti quia pereunt & ſunt peritura: regnum Chriſti Thronus eſt quia permanet in æternum. 462
Quidam regna vſurpare voluerunt ſolo iure ſuæ potentiæ. 460. & 461
Regula qua dijudicari poteſt de veritate interpretationum ſymboli 4. animalium. 152
Per Rhinocerotis cornu virtus crucis deſignatur. 707
Rhinoceros Chriſtum in cruce pendentem optimè deſignat. 707
Religioſorum ordines quatuor optimè per quatuor animalia deſignantur. 263
Religioſi optimè calumnias in eorum ſtatum laudabilem illatas retundere & purgare contendunt. 405
Remiſſio peccatorum eſt quoddam myſterium fide apprehendendum. 423
Remittendi peccata poteſtatem dedit Chriſtus Eccleſiæ Paſtoribus. 423
Remiſſio peccatorum datur timentibus Deum & in eum ſperantibus. 145
Remunerationes promiſſæ Epiſcopis habent nomina conuenientia, & appoſita. 106
Per Renes peccata abſcondita ſignificantur, per corda cogitationes. 97
Reprehenſiones Dei ſalutares. 173
Reprehenſionum varij modi. 173
Reprehenſiones Dei fiunt pluribus ex cauſis. 174
Fructus diuinarum reprehenſionum eſt ſalutaris pœnitentia, & emendatio vitæ. 174
Reprobationem Iudæorum prævidit Iſaias. 250
Reproborum notæ ad quatuor reducuntur. 516
Reproborum duritia, qui ex potenti Eccleſiæ ereptione à perſecutione Anti-Chriſti in iram conuertentur: vnde Deus ad eos puniendos ad iudicium properabit. 682
Res naturales appoſitè aſſumuntur ad ſignificationem rerum ſupernaturalium. 228
Reſurgent Enoch & Elias non morituri iterum ſed in corporibus glorificatis priuilegiati propter ſpeciale teſtimonium Chriſto exhibitum. 722
Reuelatio myſteriorum penes Deum. 176
Reuelatio particularis requiritur vt dicamus aliquam actionem in particulari eſſe indicium certum prædeſtinationis. 514
Romanum Imperium quamuis inter alia regna & imperia firmitatem præ cæteris videatur obtinuiſſe, magnis tamen mutationibus vt venti fuit obnoxium. 461
Romanum imperium & Romana ciuitas per aquilam adumbrantur. 257
Romana ſedes rectè per aquilam deſignatur. 260
Romanæ ſedi incumbit vt Chriſtus Rex Regum & Dominus dominantium ab omnibus agnoſcatur. 260

S

SACERDOTIS optimi pulchra deſcriptio. 51
Sacerdotium in rerum cælestium ordinem reponendum. 217
Sacerdotalis Ordo maximè cooperatur ad ſanctitatem inducendam, & cultum Dei promouendum. 235
Sacerdotis Miſſam celebrantis ſymbolum. 36
Sacerdotis officium eſt munus Spiritus ſancti in ſoluendis, ligandiſque criminibus. 468. & 469
Sacerdotium non erat per mortem Chriſti extinguendum: ideo viſibile Eccleſiæ debuit relinquere ſacrificium. 301
Sacerdotes ſiue corpus Chriſti conſecrent, ſiue illud offerant, ſiue illud adminiſtrent, ſiue peccata remittant, ſiue ea retineant, ſiue aliquid præcipiant, optimè gerunt figuram mortis. 319
Sacerdotio mortis figura conuenit propter mortem myſticam, quam inducit in nobis per iuriſdictionem foris interioris, dum peccato morimur vt iuſtitiæ viuamus. 392
Sacerdotes debent eſſe ad veniam procliues. 424
Sacerdotij effectus Chriſto non conuenit, quia primum agens eſt, influens non recipiens. 384
Sacerdotalis ordo deſignatur ſpecialius in 144. millibus ſignatis. 497. & 499
Non de omnibus Sacerdotibus loquitur S. Ioannes in his 144. millibus, ſed de his qui ſanctitatem dignitati congruam habuerunt, electi. & Eccleſiæ propagationi vtiles fuerunt. 498
Sacerdotes & ſancti iuxta determinationes Epiſcoporum debent Deo laudes concinere. 500
Sacerdotale officium illuſtre redditum fuit in ſede Antiochena. 259
Sacerdotalis ordinis quanta ſit dignitas fuſe docet S. Chryſoſt. 377
Sacerdotum poteſtas ad quæ ſe extendat 377. Sacerdotum poteſtas animam reſpicit. 217
Sacramenta quo ordine explicari & tractari debeant, ſecundum S. Thomam, per reſpectum ad ſuſcipientes. 325
De Sacramentis agit S. Ioannes ſecundum ordinem conuenientem inſtitutori Sacramentorum, qui ſit vel ſicut rex potentiſſimus exercitum inſtruens, vel ſicut Reipublicæ, & ciuitatis fundator ſapientiſſimus. 326
Sacramenta ſigna parua, ſed magna efficiunt, licet non videantur. 327
Sacramentum ſigillum nuncupatur, propter Dominationis ſignificationem. 328
Quia neceſſitas Sacramenti Pœnitentiæ eſt tantum præſuppoſitionis, & neceſſitas Sacramenti Extremæ Vnctionis non eſt ſimpliciter abſoluta, de illis S. Ioannes agit poſtquam egit de aliis. 411
De Sacramentis agere S. Ioannem in cap. 6. probatur pluribus rationibus. 323
Sacramenta ſunt diuidua ſigna. 323
Sacramentorum definitiones. 324
Sacramentorum effectus vnionem cum Deo & vitam æternam inducunt. 453. & 454.
Sacramentorum partes eſſentiales licet ſint res phyſicæ, tractantur tamen modo morali. 374
Cum Sacrificium Miſſæ effectum obtineat quia impetratoriũ eſt, & Sacramentum Extremæ-Vnctionis adminiſtretur per verba deprecatoria, rectè poſſunt in eodem ænigmate deſignari. 535
Cum S. Paulus tam diffusè egit de efficacia Sacrificij in epiſt. ad Hebræos & S. Iacobus vim Sacramenti Extremæ-Vnctionis promulgauit ſigillum ſeptimum aperuit Chriſtus. 534. & 535
Sacrificium internum & externum Deo offerendum. 382
Sacrificio indiget homo propter tria, ad remiſſionem peccati, ad conſeruationem gratiæ, ad perfectam cum Deo vnionem. 383
Vis Sacrificij Chriſti in nobis: non pro ſe ſatisfecit diuinæ juſtitiæ. 84
Sacrificij Chriſti effectus vt in noſtram ceſſant vtilitatem per mortis figuram ſignificantur. 385
Quinam ſint effectus Sacrificij. 526
Sacrificium Miſſæ eſt teſtimonium quod habent omnes ſancti, quia illud omnes Deo offerunt. 403
Sacrificium Miſſæ eſt holocauſtum, Euchariſticum, Propitiatorium, & Impetratorum. 532
Sacrificium Miſſæ à tribus offertur; à Chriſto, ab Eccleſia, à ſacerdote. 533
Sacrificium Miſſæ vim non obtinet præcipuè ex opere operantis, ſed ex natura ipſius operis nempe ſacrificij. 533
Sacrificium Miſſæ non producit ſuum effectum ſecundum modum ſacramentis proprium, ſed per modum impetrationis. 533
Sacrificium Miſſæ induit rationem ſacrificij propitiatorij ratione rei, quam impetrat. 533
Sacrificij Miſſæ miniſter etſi aliquando ſit Deo inuiſus principalis offerens Chriſtus eſt Deo gratiſſimus. 533
Sacrificij Miſſæ valor eſt finitus & limitatus. 534
Sacrorum ſcriptorum ſcripta virga nominantur, quia tanquam magiſtri loquuntur quod Prophetarum, & Apoſtolorum proprium eſt. 685. & 686
Sadai nomen ad Deum ſolum pertinet. 167
Salutis propriæ zelus non debet in nobis tepeſcere. 32
Qui Salutem conſequantur Dij ſunt. 163
Salus æterna, miſericordia, vocatio. 210
Tria ad Salutem obtinendam neceſſaria. 51
Salutem proximorum ingenti ſtudio ſancti & ſerui Dei promouere ſtudent. 37

Digitized by Google

Sancti appellatio denotat in Christo dignitatem Pontificalem. 139
Sanctificatio requirit excellentem Dei potestatem. 113
Sancti dicuntur columnæ, quia in eis diuina beneficia videntur insculpta. 155
Sancti dicuntur columnæ, tum propter suam perseuerantiam tum quia alios sustentant. 155
Sancti stant in Ecclesia militante, sedent in triumphante. 195
Sancti ante Thronum, quia Ecclesia militans eos intuetur vt exemplaria. 195
Sanctitas ministerij nõ personæ requiritur, vt quis ad Thronum Ecclesiæ dicatur pertinens. 169
Sancti eminentiores per quatuor animalia Throni figurantur 254. præcipue qui incubuerunt saluti aliorum procurandæ. 263
Sancti habent signum in manu per opera, in quibus Christum imitantur. 495
Sanctorum firmitas non euertetur ex persecutione Anti-Christi. 717
Sanctitas in suo conceptu continet aliquid eminens & heroicum. 311
Quænam ad sanctitatem potissimum requiruntur? 312
Sancti per tres vitas ambulauerunt purgatiuam, illuminatiuam vnitiuam. 453. eorum virtutes in 24. senioribus significantur. 224
Sancti huiusmodi sunt serui summi Regis ministri supremi imperatoris, amici charissimi omnium moderatoris, Dei filij amantissimi. 31
Sanctorum etiam in hac vita degentium eminens sanctitas, singularis dignitas, & tandem immensa potestas. 311
Sanctorum dignitas, & autoritas duplici modo consideranda, secundum se vel ratione ministerij. 312
Sancti sunt regale Christi sacerdotium 312
Sanctorum potestas eminens in tribus consistit, quod sint Dei cooperatores in salute hominum promouenda, quod per orationes eorum multa bona nobis obuenerunt, quod maxima possunt edere miracula. 313. & 314
Sanctorum innumera multitudo quibus insignibus suam sanctitatem indicant. 453
Sancti vnum sint per participationem vnius boni. 400. & 401
Omnes Sancti dicuntur interfecti propter verbum Dei, & testimonium quod habebant, characterem nempe Christiani. 403
Sancti propter sanctitatem digni sunt laude. 312
Sanctitatem in pretio haberi pietati plurimum prodest. 406
Hinc Sancti in hac vita petunt à calumniis liberari, ne fides ac pietatis progressus impediatur. 404
Sancti iam Beati petunt vindictam de sua morte, & calumniis, vt eorum vita & mors aliis fidelibus prodesse possit. 406
Conuenienter Sancti Deum vocant sanctum, & verum, quia de sanctitate tuenda, eorum est oratio. 406
Sanctorum animæ sunt sub altari, id est sub Christo. 320
Sancti sibi mutuò auxilium præstant sub eodem capite constituti, & inter se vniti. 320
Sancti sunt inuocandi cum tam mira possint. 314
Cum animæ Sanctorum in purgatorio petunt vindicari eorum sanguinem, petunt liberari à pœna sensus, quæ infligitur propter adhæsionem in vita alicui rei creatæ. 407
Sancti aptè petentes vindictam de iniuriis sibi illatis ab Iconoclastis, Deum sanctum & verum nuncupant 488. sunt etiam iudices. 216
Stolæ sanctis datæ insignia sunt confessionis, & agnitionis sanctitatis ipsorum, & gloriæ exinde comparatæ 448. quænam dantur stolæ. 317
Stolæ albæ quæ sanctis dantur in c. 6. sunt pro Beatis Martyribus honores externi, pro animabus in purgatorio existentibus emundationes à maculis, pro sanctis in hac vita adhuc degentibus approbationes bonorum operum per fructum boni exempli, vel per miracula siue per Canonizationem solemnem postmortem, vel in vita reuelationem gloriæ æternæ. 409. & 410
Stola candida sanctorum præfigurata fuit in stola quæ data fuit à Pharaone Ioseph. 410
Stolæ illæ repræsentantur in albis vestibus quibus induuntur sacerdotes in festo omnium sanctorum. 460
Honor Sancti debitus ablatus in falsa synodo Constantinopolitana, illis fuit restitutus in synodo œcumenica in Nicæa Bithyniæ 448. seu cum Ecclesia decreuit illos esse colendos contra Iconoclastas. 321
Sanctas agnoscitur virtute morum, & veritate signorum. 315
Sanctitatis notæ ad quatuor reducuntur. 516
Sanctificatio nostra nomine mortis significatur. 384
Sanctorum exemplo prouocamur ad benè operandum. 524
Sancti in 144. millibus signatis designati in 12. classes secundum nomina 12. Patriarcharum distribuuntur ad donorum diuersitatem designandam. 506
Ad Sanctitatem Christianorum duo requiruntur, corporis mortificatio, & velox rerum cælestium desiderium. 225
Sanctorum vita per lucem adumbratur. 223
Sanctorum potestas ad conterendos aduersarios per fulgur designatur. 225
Ad Sanctitatem necessaria sunt dominatus in passiones, animi fortitudo timorem expellens modestia, cordis dilatatio per desiderium diuinorum, diligentia in acquirendis virtutibus, contemplatio, iustitia. 150. & 151
Sapiens nemo esse poterit nisi audierit. 333
Sapientia cælestis promissa laborantibus pro salute fidelium. 81
Quam necessaria fuit Ecclesiæ? 82
Quantas hæc Sapientia spirituales diuitias contineat? 82
Sapienti autem est à Christo emendum. 120
Sapientia emitur, Charitas dari dicitur. 170
Sapientia thesaurus desiderabilis. 170
Ex hac sapientia tria bona insignia emanent, nempe innocentiæ recuperatio, bonorum operum vestimentum, ingratitudinis præteritæ obliuio. 171
Sapientia necessaria Episcopo ad docendum & regendum populos. 220
Sapientia diuina emenda per Christi imitationem. 170
Sarantapechys, seu Serantapictus inauus maleficus Gizidum Arabum principem decepit promissione 30. aut 40. annorum vitæ vt imagines Christianorum euerteret? 447.
Sardius iustitiæ symbolum. 211
Satanæ altitudines quænam sunt? malè 94
Scientia sanctorum quantum sit necessaria? 575
Scriptura facta eisdem verbis & signis plura exprimit. 201
Scripturarum mos Deum repræsentare sub nube cum quadam claritate. 665
Scriptorum sacrorum scriptura virga nuncupatur, quia tanquam magistri loquuntur quod Prophetarum & Apostolorum proprium est, 685. & 685.
De tertio Scrutinio ad præparandos catechumenos ad receptionem baptismi, quod scrutinium vocabant in apertione aurium. 628. & 629
Secretum de causa malorum aperitur, cum pro peccatis supplicia inferenda esse homines admonentur. 535
Sedes Romana in quantum Apostolica est Thronus in cælo positus. 203
Sedes quatuor Patriarchales, in quibus manifesta est eminens Ecclesiæ autoritas. 257
Sedes Romana habet quidquid per partes aliis distribuitur. 217
Sedilia in quibus sancti in terra sedere dicuntur diuersi sunt meritorum gradus, quos in terris adipiscuntur in gratia perseuerantes. 217
Senectus optimum symbolum sanctitatis ac muneris Pastoralis. 215
Senectus venerabilis, quæ non crimis, sed meritis albescit. 216
Senex sedens iudicem repræsentat. 216
Seniorum 24. numerus non est accipiendus secundum personas, sed secundum officium. 212. & 213
Seniores non significant patres veteris testamenti. 213
Per Seniores significantur omnes qui officio seniorum quodcumque illud sit, perfuncturi sunt. 218
Per Seniores potissimùm intelliguntur qui præcipua autoritate aut sanctitate in Ecclesia vigent. 214. 288. & 289
Inter seniores summus reponendus. 214
Cum Seniores dicuntur iudices, idem est ac dicere, eos omnem habere in Ecclesia autoritatem. 217
Seniores induti albis indicant se Deo sincere seruire. 218
Ex sensibilibus non potest tota Dei virtus cognosci. 200
Sensitiua pars hominis suam beatitudinem obtinebit cum corpus gloriosum habuerit, in quo exerceat suas functiones cum delectatione. 410
Cum Sensus literalis potest cum mystico cohærere, non est ad solum sensum mysticum recurrendum. 700
Sensus Apocalypsis non est ita mysticus, vt multa non sint quæ ad literam sunt accipienda. 700
Optima Series eorum quæ dicta sunt in tribus primis capitibus & sequentibus. 186
Seueritas diuina liberè suos producit effectus. 257
Sigillorum apertio res magni momenti qua de causa fusè de illis agimus. 446
In apertione quatuor primorum sigillorum equi apparent, quia de victoria reportanda contra hostes Christianæ veritatis erat tractandum quæ tales sunt vt si eas admittat vt admittendæ sunt facilè ad aliarum rerum diuinarum fidem euehi poteris. 447
Horum equorum sessores non debent videri vt eum inuisibilis Diuinitatis effectibus proportionem seruent. 338
Sessores equorum primus Christus, secundus sanctus Spiritus, tertius Pastor quilibet Ecclesiæ, quartus summus Pontifex. 336

Sigillorum

Sigillorum duæ potiſſimum interpretationes prima de effectibus Sacramentorum ſecunda de inſignioribus quibuſdam euentibus. 325. & 324
Septem ſigilla ſunt occultationes quibus Deus ſcientiam totius ſtatus Eccleſiæ ab oculis viatorum abſcondit. 324
Sigilla ſunt difficultates, quæ reſpectu humani intellectus reperiuntur in myſteriis ipſis reuelatis vt ea credamus 324. ſeu ſunt difficultates legendi & intelligendi librum ſignatum. 285
Sigilli reſeratio eſt ablatio difficultatis. 285
Sigilla apponuntur in libro ſignato ad confirmationem eorum, quæ deſcripta ſunt in libro. 285
Sigilla ſunt impreſſiones quibus diuinus ſpiritus penetrans profunda Dei haurit diſpoſitionem & ordinem rerum. 285
Sigilla diuerſimodè aſſignantur pro diuerſitate interpretationum libri ſignati. 286
Quænam ſunt ſigilla, dum de Chriſto liber ſcriptus intelligitur? 286
Quænam ſunt ſigilla, dum de ſacra ſcriptura liber ſcriptus intelligitur? 286
Sigilla ſeptem myſteria quæ celarunt Chriſti Deitatem & ſapientiam. 286
Quænam ſunt ſigilla, ſi Chriſtum in Euchariſtia exiſtentem ſpectemus? 286
Quænam ſunt ſigilla ſi ſpectemus Chriſtum vt Eccleſiam illuminantem, gubernantem? 287
Septem ſigilla ſunt ſeptem incognita cuilibet creaturæ libera Dei decreta, futura à cauſis contingentibus & liberis dependentia hominum determinationes ipſis nolentibus eas notificare, tota œconomia ſeu diſpenſatio Myſterij Incarnationis in diſtributione donorum, ordo quem Deus & Chriſtus decreuit pro exteriori Eccleſiæ regimine, Reprobatio malorum, prædeſtinatio electorum. 287. 288. & 289.
Si ſigilla de Sacramentorum effectibus explices, ſeptem difficultates credendi Sacramenta auferendæ; ſi de quibuſdam credendis quæ toti Eccleſiæ proponuntur credendæ, ſeptem aliæ; ſi de virtutibus diuinæ prouidentiæ, ſeptem aliæ amouendæ, quæ exponuntur. 289. & 291
Sub ſigillo ſexto non prædicitur aliqua Synodus. 449
Quid Symbolum ſexti ſigilli prædicit exponitur. 449. & 450
Cur de apertione Sigilli ſeptimi quo Sacramentum Extremæ-Vnctionis ſignificatur, non agatur niſi in initio cap. 8. 528. & 529
Dilatio apertionis Sigilli ſeptimi eſt etiam ratione ſacrificij Miſſæ de quo ſub eo fit mentio. 529. & 532
Myſterium contentum ſub ſigillo ſeptimo eſt abyſſus iudiciorum Dei ſuper homines, quia nullam culpam relinquit impunitam, quia electos etiam pœnis ſubiacere finit, quia homines in cæcitatem mentis cadere permittit. 529. & 530
Sub ſigillo ſeptimo agitur de medio quo Deus vtitur ad auertendos homines à peccatis, nempe de comminationibus ſuppliciorum. 534
De Sigillo ſeu ſigno, inſculpto in Fronte ſignatorum.
Variæ ſunt ſigilla, inquibus reperiri poteſt diuina ſimilitudo. 482
Sigillum primum imprimit quamdam ſimilitudinem naturalem, nempe lumen rationis. 482
Secundum ſigillum eſt ſimilitudo quædam ſupernaturalis per gratiam. 483
Tertium Sigillum eſt cum ſigna damus exteriora interioris ſignaculi gratiæ. 483
Quartum Sigillum ſunt ſigna exteriora, quibus fidem, ac religionem profitemur, vt eſt ſignum circumciſionis, vt ſunt Sacramenta. 483
Quintum Sigillum eſt cum ſignum ſpeciale recipimus, quo poteſtas aliqua nobis datur, & ab aliis diſtinguimur, vt in Ordinis Sacramento. 483
Denique ſigillum ſeu ſignaculum in ſcripturis ſumitur pro ſignis & notis prædeſtinationis. 484
Signum quo ſignantur electi tale eſſe debet, vt ex eo prudenter & circumſpecte conjici poſſit aliquem ante mortem, gratiam finalem habuiſſe, quale eſt martyrium. 494
Signum debet eſſe etiam aliquid, quo deſignetur aliquam poteſtatem datam electis, vt eſſent Dei cooperatores in opere redemptionis. 494
Signa quædam alia pro perfectis, alia pro minus ſanctis. 494
Signum quod apparere debet in frontibus eſt nomen agni, propter imitationem eius; & nomen patris, propter autoritatem eius participatam. 494
Signum in frontibus eſt quod ſenſibiliter nos deducere poteſt in cognitionem perfectæ imitationis, vt ſtigmata S. Franciſci; ſeu autoritatis participatæ. 495
Spiritus ſanctus habet ſignum in manu: quia cauſa noſtræ redemptionis reducitur in amorem. 495
Sigillum in manu Angeli aſcendentis debuit habere figuram crucis impreſſam quam imprimeret. 472
Signum Dei viui in nobis debet eſſe gratia, per quam obiectum iſtud excellentius & amabilius actu cognoſcere & diligere poterimus. 474
Signum in manu Angeli eſt verbum diuinum ſeipſum accommodans operationi diuini amoris, ac miniſterio ſuæ creaturæ vt in nobis ſuam imprimat ſimilitudinem. 475
Signatio ſeruorum Dei in fronte dici poteſt ſenſibilis. 479. & 480
Hæc Signatio quotidie fit in Eccleſia, in Sacramentorum quæ imprimunt characterem adminiſtratione. 480
Hæc Signatio intelligitur præcipuè de charactere confirmationis & ordinis. 480
Signatio in fronte denotat ſpecialem quandam autoritatem, ſanctitatem & cum Deo ſimilitudinem. 482
Centum quadraginta quatuor millia ſignati, non debent ſimpliciter intelligi de his qui ſecundum carnem ex 12. tribus Iſrael orti ſunt, ſed de his qui ſecundum promiſſionem ſunt filij Abrahæ. 500
Signa externa ad libitum in ſtatu innocentiæ erant adhibenda ad Dei cultum. 383
In Statu naturæ lapſæ Deus colendus per ſigna ab ipſo præſcripta, & quæ aliquid onoroſum contineant. 383
Silentij diuerſi modi reformidandi. 525
Qua de cauſa Silentium de rebus diuinis per ſemi horam duraſſe dicitur. 325
Quid ſit ſilentium de quo agit S. Ioannes in c. 8. 535. & 536
Silentium generatim ſumptum deſignat ſtatum hominum peccatorum proſperè agentium, & abſque vlla contradictione liberè omnia quæ volunt perficientium. 536
Silentium primum eſt ſyndereſis quædam extinctio. 536
Quam pernicioſum ſit iſtud ſilentium? 536
Secundum ſilentium eſt nolle ore confiteri peccatum ſuum, cum vix poſſit quis effugere teſtimonium conſcientiæ ſuæ. 537
Quam neceſſarium ſit ſilentium iſtud infringere per confeſſionem? 536. & 538
Tertium Silentium eſt non recurrere ad Deum per orationem. 539
Qui orationem negligunt in peccatis obdurantur. 539
Quartum Silentium eſt cum magiſtratus non puniunt ſcelera. 539
Per iſtud Silentium iudices deuorantur, & in ſtuporem abeunt. 539. & 540
Quintum Silentium eſt ceſſatio à prædicatione verbi diuini. 540
Propter hoc Silentium ignorantia rerum ad ſalutem neceſſariarum inducitur, abundat iniquitas, veritas deliteſcit, vitia ſuccreſcunt. 540
Sextum ſilentium eſt impunitas criminum ſeu retardatio vindictæ. 541
Septimum ſilentium ex ſex præcedentibus conflatur cum propter illa homo liberè agit quæcumque voluerit abſque timore, concupiſcentiis ſuis obtemperans, & fræna laxans. 541
Cum his Silentiis plagæ deſcriptæ conueniunt, & ad hæc habent relationem; & aduenit ſtatus rerum miſerandus, cum per peccatorum multiplicationem anima ad malum obduratur, itaut tandem incurrat damnationem. 543
Silentium prædictum quidam intelligunt de admiratione ſanctorum, ſiue clementiæ, & diuinæ benignitatis, ſiue profundi iudicij quo Deus pœnis iuſtos, & iniuſtos exercet. 543. & 544
S. Simeon per Zabulon deſignatur. 508
Similitudo paſſiua debet eſſe in omnibus ſanctis, at actiua per quam poſſunt ſanctitate eminenti, vel autoritate pontificia aut ſacerdotali alios ad Chriſti ſimilitudinem efformare, non eſt omnibus communis. 497
Similitudo Dei in nobis poteſt eſſe imperfectè aut perfectè. 454
Similitudines, quas per gratiam habemus cum Chriſto ad tria attributa, intellectualitatis, amoris & potentiæ reducuntur. 481
Similitudinem intellectualem obtinemus per gratiæ infuſionem. 481
Similitudinem moralem obtinemus per Chriſti imitationem. 481
Similitudinem potentiæ habemus, cum verbum nos ſuæ potentiæ facit participes. 481
Similitudo per gratiam præſupponenda, vt quis ſit de numero ſignatorum. 481
Similitudo cum vi & virtute producendi quæ apud patrem eſt, eſt in filio non in Spiritu ſancto: vnde Spiritus ſanctus non dicitur imago patris, quia non procedit vt verbum cum virtute ſpirandi actiua ad intra. 475.
Cum in diuinis de ſimilitudine fit mentio, potiùs reſpicimus verbum quam Spiritum ſanctum: ſpiritui enim ſancto diuina eſſentia cõmunicatur non ſub ratione ſimilitudinis, ſed ſub ratione dilectionis & amoris, vnde non dicitur imago patris. 474. & 475
Similitudo inter diuinas perſonas non accipitur ſecundum proprietates notionales, vnde Patet Filius non eſt. 475
Spiritus ſanctus habet perfectiſſimam ſimilitudinem cum Patre & Filio, ra-

Digitized by Google

tione identitatis, & eiusdem naturæ. 475
Similitudo ortus solis magis exprimit Christi Natiuitatem quam germinis aut surculi, quia existit antequam appareat. 471. & 472
Simplicitas requiritur in credente, non modo per synceram intentionem in mandatorum obseruatione, sed etiam vt credat simpliciter quæ à Deo reuelantur. 336
Sol typus est Christi. 674
Spes erigenda in Deum in aduersis. 721
Spiritus vt ad deitatem aut tertiam S. Trinitatis personam pertinet.
Spiritus Dei vnicus quomodo multiplex dicitur. 4
Nomen Spiritus communis est toti Trinitati. 230
Spiritus Dei virtus diuina, qua cuncta moderatur. 229
Spiritus natura diuina, omnia implens, nec tamen inclusa, super omnia effluens, nec tamen exclusa. 231
Spiritus sancti diuinitatis determinatio quosnam præclaros habeat effectus? 319
Spiritus sanctus multos habuit aduersarios pneumatomachos dictos, inter alios Eunomium, & Macedonium. 438
Qui dicebant Spiritum sanctum esse Angelum de nihilo creatum impiè blasphemabant. 439
De Spiritu sancto dicuntur quæ de Patre & Filio dicuntur, quantum ad regnum Dominationis. 732
Spiritus sanctus non dicitur imago Patris. Spiritus sanctus tertia Trinitatis persona in Lapide Smaragdino designatur. 103
Spiritus sanctus imperialem habet potestatem. 354
Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis: sed nescis vnde veniat aut quo vadat. 224
Septem spiritus Dei sunt septem diuinæ prouidentiæ virtutes: denotant Spiritum sanctum septem donorum largitorem, septem Angelos diuinæ prouidentiæ administros, & vniuersitatem Angelorum, vniuersos Pastores in numero septenario designatos. 229. & 110
Spiritum sanctum mitti opportuit vt fides nostra maiorem haberet exercitij occasionem. 467
Spiritus sancti officia præclara & insignia beneficia. 468
Spiritus sancti proprium est interius fideles gubernare. 467
Spiritui sancto operationes sanctificationis tribuuntur. 464
Spiritus sanctus ad nos aduolare debet quasi columba, vt nos virtutum actibus repleat. 467.
Spiritus sanctus rectè & pulchrè pluuiæ comparatur in suis operationibus 349
Spiritus sanctus doctor Ecclesiæ. 206
Spiritus sancti præsentia quantis donis Ecclesiam cumulat? 205
Spiritus sanctus potentissimus auxiliator. 351
Spiritus sanctum pacem sibi vendicat tanquam rem sibi propriam. 353
Spiritus sancti filij sunt bonæ actiones, & honesti sermones. 467
Spiritus sanctus dicitur Angelus ascendens, quia nos ascendere facit. 467
Spiritus sanctus est Angelus ascendens ab ortu solis, dum Pastores, & prædicatores constituit, & mittit, & auctoritatem eis præbet pro regimine fidelium. 468
Spiritus sanctus, qui admirabili ratione operatur in humanitate Saluatoris, operatur etiam in Ecclesia, quam formar, cui dat esse & plenitudinem gratiæ sufficientis, quam ad agendum impellit, in qua operatur opera sanctitatis & autoritatis. 468
Spiritus sanctus qui olim ferebatur super aquas super res fluctuantes, immobilis stat & fixat super Apostolos, quia perennis est gratiæ influxus à Christo. 243
Spiritus sanctus arguit mundum duobus modis, infusione luminis, & predicationis. 206
Spiritus sanctus noluit nomine 12. Patriarcharum exponere, vt liberè possimus omnem veritatem per ea significatam inquirere. 504
Spiritus sancti vnctio facit vt bellum geramus cum cæteris rebus, vt cum Deo pacem habeamus. 316
Spiritus sanctus opera salutis nostræ ipsemet perficere vult, & sua nos præsentia nobilitat. 438
Effectus præsentiæ sancti Spiritus in Ecclesia præcipue innotuerunt in sede Antiochena, vnde vituli figura, secundo sigillo aperiendo proponitur, quæ figura erat hieroglyphicum huic ciuitati. 419
Spiritus sancti effectus in secundo sigillo adumbrantur vt charitas, pax, gladius verbi in manu. 43. & 440

De Spiritu Creato.

Spiritus pneuma quasi omnis motus. 230
Spiritus significat virtutem incorpoream, inuisibilem, inuisilem, vitalem, ad nutum mobilem, intima penetrantem, ad operandum paratissimam. 229. & 230
Spiritualis viri pulchra descriptio. 270
De bonis Spiritibus intelligere debemus hæc verba, *qui sunt septem spiritus Dei.* 229
Spiritus malus quomodo dici potest spiritus Dei. 229
Spiritus malus non est formidandus quia nihil nisi permissus valet. 429
Spiritus compunctionis ventus est vrens, quo Christus in nobis interficit peccatum. 380
Spiritus suum imperium in carnem & appetitus & passiones seruare potest si ipsi libuerit. 418
Spiritus secundum suam naturam non est causa peccati, quia creatus est bonus. 419
Spiritus & carnis conflictus. 355
Spiritus & caro se inuicem interficiunt. 4
Status Ecclesiæ prout à Christo institutus describitur. 215
Statera in manu sedentis super equum tertium, seu in manu Pastoris, est mens fidelis Christiani, qui iuxta decreta Pastorum actiones & verba, & sensus suos debet ponderare. 362
In Statera appendere frumentum cum denario est dicere Christi corpus addignitatem verbi diuini euehi. 442
In Statera appendere hordeum cum denario est dicere Christi dolores ad rigorem iustitiæ diuinæ satisfacere, propter dignitatem verbi in carne patientis. 442. & 443
Stella matutina promissa prædicatoribus est Christi fides & notitia prima in mentibus genita per eorum ministerium. 106
Successio interrupta Episcoporum Alexandrinorum, & Antiochienium non impedit quominus dicamus has sedes plurimum inseruisse ad Christi cognitionem propagandam. 261
Superbia multa mala secum trahit, lætibulum est diaboli. 166
Superbiæ tria genera. 167
Per Superbiam ab omni virtute, & merito spoliamur. 168
Per superbiam mens est quædam ciuitas prædæ exposita. 165
Superbia putredinis consumptione deprimitur. 169
Ad euersionem Superbiæ pulchra documenta. 167
Supplicia quæ immittent Enoch & Elias erunt conuenientia sceleribus impiorum. 714
Syndereſis audienda. 163
Per Symbola & simulachra absurda Deus sui trophæi effectus adumbrare voluit. 319
Symbola videt S. Ioannes visione imaginaria, sed & intelligit visione intellectuali. 325
In Symbolis spectandum non est quod natura rerum exigit, sed quod gratum est Symbolo vtenti vt mentem suam explicet. 248
In Symbolorum huius libri interpretatione spectanda non sunt naturalia sed supernaturalia. 249
Eadem res assumpta in Symbolum potest diuersa significari, & hæ similitudines secundum circumstantias exponendæ. 395
Synagogæ antiquæ repudiatio. 39
Ex hac Synagogæ repudiatione facilè dignoscitur Christum esse iudicem. 41
Cur Synagoga Iudæorum designetur nomine Iezabel? 40. & 41
Eius Societas fugienda. 41
Synagoga à Deo repudiata vt sterquilinium & exinde quid sit dispergere stercus solemnitatum super vultum. 91
Quantum Synagoga Iudæorum contradixerit promulgationi Euangelij? 92
Quid sit Synagogam Iudæorum mitti in lectum? 96
Synodus quinta non fuit de rebus fidei, sed de personis: vnde de ea non datur specialis Prophetia. 449
Synodus sexta Constantinopoli celebrata fuit de re iam condemnata: vnde de ea non datur specialis Prophetia. 449

T.

TABERNACVLA Cedar exterius deformia & nigra, interius pulchra, & deaurata. 360.
Temperantia necessaria Pastoribus & sanctis quid sit? 266
Temperantia occupatur primo circa moderationem delectationum tactus, & secundario circa delectationes gustus obfactus & visus. 267
Temperantiæ partes subiectiuæ, & potentiales. 267
Temperantia per Bouis symbolum designatur. 267
Templum in c. 11. significat electos qui sunt in Ecclesia. 698
Tempus prædicationis duorum testium est trium annorum cum dimidio, quod tempus exprimitur per dies mille ducentos sexaginta: vt denotatur hos testes, fore semper in die, propter donum impeccabilitatis. 704
De hoc Tempore non contemnenda Riberæ speculatio. 704. & 703
Temporis vltimi descriptio, in quo & charitas refrigescet & fides vix inuenietur, & veritas oppugnabitur prodigiis fallacibus & persecutionibus. 692. & 693.
Tempore ad pœnitentiam concesso elapso dicitur tempus non fore amplius. 660
Tempus non erit amplius reprobis agendi pœnitentiam, electis mala tolerandi. 661
Tentationes Deus ponderabit in fine seculi pro ratione vitiorum seruorum suorum.

Tentationibus Deus ſuos exercet, non vt eos opprimat, ſed vt à peccatis liberet, & à pœnis æternis eripiat. 693
Deus non ſinit nos tentari ſupra id quod poſſumus. 147. & 694. 116
Tentatio eſt experimentum ſumere de aliquo, vt quid velit aut poſſit ſciamus, bono aut malo fine. 589
Tentat Deus ad probationem, diabolus ad perditionem. 589
Propter Tepiditatem à Deo rejicimur 119. & 120
Quid propriè ſit Tepiditas. 122
In quo conſiſtat Tepiditas: vbi pulchra & notatu digniſſima iſtorum verborum (*Vtinam frigidus eſſes aut calidus &c.*) expoſitio. 161. & 162
Terræ motus motionem cordis deſignare ſolet. 725
Vetus Teſtamentum duobus modis ſumi poteſt, primo pro antiquo, ſecundo pro attrito, ſub qua ratione lex Euangelica noua dicitur. 100
Triplex Teſtis dignitatis Chriſti, vniuerſitas ſanctorum, omnis Angelorum chorus, omnis creaturæ vniuerſitas. 311
Duo teſtes de quibus fit mentio in vndecimo Apocalypſis ſunt referendi ad tempus Anti-Chriſti. 696
Duo illi teſtes non ſunt fictæ perſonæ, ſed veræ. 699
Duo illi Teſtes non ſunt myſticè accipiendi, cum Ludouico ab Alcazar, pro ſanctitate, & ſapientia. 700
Duo Teſtes ſunt Enoch & Elias. 700 701. & 702
Duorum Teſtium qui mittuntur vt Eccleſiæ ſuccurrant, vetitus, qualitates, fortitudo, poteſtas in elementa, occiſio, reſurrectio. 680. & 681
Dicere Enoch & Eliam non eſſe duos teſtes eſt temerarium, & hæreſim redolens. 701
Duorum Teſtium habitus erit conformis cruci, vt probabile eſt, ad modum habitus S. Franciſci: quia quantum in eis erit contra Anti-Chriſtum crucis gloriam prædicare debent. 706. & 707.
Vox cuius auditu reſurgent duo teſtes, erit ad literam vox aliqua ſenſibilis aut ſaltem realis nutum diuinæ voluntatis indicans & ſignans. 723
Hi duo teſtes occidentur ab Anti-Chriſto. 714
Eorum corpora ad literam iacebunt inſepulta per tres dies & dimidium & reſurgent. 719
Duo ſunt Tribunalia Chriſti, vnum in quo ioſtitia cũ miſericordia exercetur, alterum inquo iudicium abſque miſericordia. 431
Tribulationes dicuntur buccellæ nutrientes & ſaginantes. 247
Tribulatio quid ſit? 16
Tribulatio medium quo Deus vtitur vt gratiam & pacem largiatur fidelibus. 16
Tribulationis bonum. 56
Tribulatio ſplendorem virtutis manifeſtat. 35
Tribulationem pati eſt primus modus ferendi crucem. 56
Tres excellentiæ tribulationum. 56
Tribulatio compendiaria via eſt ad gloriam. 57
Per Tribulationes diuitias virtutum, & meritorum comparamus. 57
Tribulatos Deus libenter intuetur.
S. Trinitas in Iaſpide, Sardio, & Iride Smaragdino adumbratur. 187. & 188
Trinitatis fidem ſanctus Ioannes inculcat in initio ſuarum reuelationum ſuarum, ſicut olim Moyſes eam deſignat in initio creationis rerum. 201
Sancta Trinitas de Chriſto teſtimonium reddit in hac Prophetia. 102
Tubæ datæ Angelis ſeu Epiſcopis ſunt prædicatores quibus prædicandi munus concedunt. 526

V

TRIA væ reformidanda paſſiones ignominiæ, plaga hæreſis, reprobus ſenſus. 580. & 726
Vltimum væ eſt tempus iudicij futuri. 727
Per quatuor Ventos intelliguntur ſeculi poteſtates. 456
Hi Venti nullam habent poteſtatem quæ non ſit data deſuper. 456
Quatuor Ventos S. Ioannes ſimul complectitur, vt oſtendat ſe loqui de omnibus ſeculi poteſtatibus quæ ſunt ſuper terram. 457
Etſi Venti naturales poſſint dirigi ab Angelis, de iis tamen præcipuè non agit S. Ioannes qui ſupernaturalia reſpicit. 459. & 460
Quatuor Venti non ſignificant quatuor Angelos. 460
Venti terræ intelliguntur regna quæ ſua poteſtate vtuntur, non pro cælo, ſed pro terrenis affectibus. 460
Pulchra cum Ventis poteſtatum ſeculi comparatio. 461. & 462
Venti duobus modis nocent, primo per malaciam ſeu flatus ceſſationem, ſecundo per vehementem impetum, & hoc modo nocere præcipuè dicuntur in c. 7. 463
Verbum incarnatum in equo nigro ſignificatur propter pœnarum & mortis tolerantiam. 441
Verbi incarnati humanitas ſtatera dicitur in manu patris æterni, aut in manu ipſius verbi 441 & 442
In Verbi humanitate tamquam in ſtatera in cruce ponderantur peccata noſtra cum diuina miſericordia, & pœnas quas Chriſtus pertulit cum pœnis quibus erant peccata noſtra punienda. 441 & 318
Verbum diuinum per quod omnia fiunt ad extra, exprimit in effectibus quos producit id omne quod de Deo cognoſci poteſt per effectus cauſam adumbrantes & repræſentantes, ſicut ad intra vera, & naturalis eſt patris imago. 476
Verbum non eſt Dei verbum eo modo quo verbum hominis eſt in homine, ſed eſt Deus verbum. 440
Verbum Dei eſt adiutor in quo ponenda noſtra fiducia. 171
Verbum Dei medium eſt quo Deus fidelibus largitur gratiam & pacem. 21
Verbum Dei pluribus ſymbolis in ſcriptura ſignificatur, per lumen, per panem, per gladium, per ſemen. 21 & 22
Verbi Dei efficacia per gladium ſignificatur. 22. 69
Efficax eſt in ſcriptis. 22
Efficax eſt prædicatum. 22
Efficax eſt à Deo inſtitutum ad quoſlibet effectus. 23
Verbi diuini efficacia. 36. & 37
Cur ancipiti gladio aſſimilatur 38. tum quia ad bonum conuertit, tum quia punit. 611
Verbi diuini præclari effectus 70, quàm celeriter totum peruaſit orbem 71. malè 59. eius vis per fulgur deſignatur. 224
Verbi diuini prædicatio quibus eſt aliquando ſubtrahenda? 73
Quibus competit hoc Verbum vſurpare eoque vti? 23
De diſpoſitione requiſita in ſuſcipientibus Verbum diuinum. 24
Verbum Dei in ore, id eſt, in intellectu dulce propter cognitionem veritatis; amarum in corde, quia vel erit de operibus pœnitentiæ vel de preſſura Eccleſiæ, de pœnis, & afflictionibus, de lapſu in errores & hæreſes, de flagellis illatis ex iuſto Dei iudicio. 679
Verbum vindicare duo habet ſignificata vel vindictam ſonat vel liberationem. 404
Verbo ſolo quaſi gladio ſancti Dei hoſtes interficiunt. 355
Verecundia locum tenet rationis in actu Matrimonij. 372
Duplex Veritatis modus: quædam vera humanam rationem excedunt, quædam ſunt ad quæ ratio attingere poteſt. 375
Quatuor Veritates Religionis Chriſtianæ fundamenta, diuinitas Chriſti, diuinitas Spiritus ſancti à Patre & Filio Miſſi, verbi vnio cum carne in vnitate perſonæ: duæ naturæ in vna perſona impermixtæ. 435
Has Veritates quatuor hæretici impugnarunt, Arrius, Macedonius, Neſtorius, Eutyches. 435
Veritas requirenda ex ore ſummi ſacerdotis. 329
Veritates reuelatæ videntur eſſe eiuſdem ſeu æqualis certitudinis. 141
Vermis conſcientiæ non moritur. 608
Verum in ſcriptura non ſemper opponitur falſo ſed imperfecto. 139
Nuncupatio Veri denotat in Chriſto regiam dignitatem. 249
Veſtimenta candida Baptiſmi conſeruanda. 335
Veſtimenta ſignificant innocentiam Baptiſmalem, & virtutes ſumuntur etiam pro corpore. 134
Veſtimenta alba ſanctorum Paſtorum quid ſignificent? 218
Veſtimenta illa indicia ſunt honoris quo Deus honorat ſanctos in vita & poſt mortem. 219
Veſtimenti vilitas virtuti aſcribitur. 705
In ſola Veſtimenti vilitate non conſiſtit virtus. 705
Veſtimentum cornutum indicat reponi in abiectione. 707
Veſtibus vilibus vti voluit S. Franciſcus ſuos ſectatores. 705
Contra Veſtium vilitatem malè adducitur S. Hieronymus. 705
Veſtis S. Franciſci vilis non ſordida. 707. & 706
Veſtimenti huius vilitas conſiſtit, in pretio, in colore, in ſupra additis alterius panni aſſumentis. 706
Veſtis vilis conuenit humilitati Chriſtianæ, & prædicantibus pœnitentiam & crucem. 706
Quid ſit vigilare? 132
Vinum ſignificat ſanguinem Chriſti. 442
Nemo melius vincit quam qui vindictæ appetitum reprimit. 112
Vinum non lædere eſt ſanguinis Filij Dei valorem non adimere. 443
Vinculum indiſſolubile Matrimonij indicat nos ad ſemper, & pro ſemper Dei obſequio mancipari debere. 371
Vinum, nec oleum lædit qui veritatem humanæ carnis, nec vnionem diuinæ naturæ cum humana non denegat. 443. & 444
Virga ferrea quid ſit? 105
Virginitatis doctrina eſt Spiritus ſancti 351. Matrimonio præferenda. 749
Virtus diuina de tribus perſonis diuinis indiuiſibiliter ad extra operantibus intelligi debet. 231
Virtus diuina ſimplex eſt, quia non aliud quam quod habet eſt, nec in aliquid eorum quæ operatur mutatur, multiplex ratione effectum. 232

Digitized by Google

Virtutis diuinæ effectus multiplices per ſeptem ſpiritus deſignantur. 232
Virtutum infuſarum neceſſitas, vt ordinemur ad beatitudinem ſupernaturalem. 238
Virtutes Theologicæ tres, fides, ſpes, charitas. 238
Virtutes intellectuales ſpeculatiuæ, ſcientia, ſapientia, intellectus morales, prudentia, iuſtitia, fortitudo, temperan[illegible], neceſſariæ vt intellectus, & voluntas hominis magis diſponantur, itaut virtutes Theologicæ tendant ad bonum ſupernaturale. 238
Virtutes intellectuales, & morales, per ſpiritus, & lampades deſignantur. 238. & 239
Virtutes autoritati aut ſanctitati congruentes per ſymbola animalium deſignari poſſunt. 264
Virtutes quæ deſtinantur ad appetitus iraſcibilis regimen per leonem deſignantur. 264
Virtutes quatuor Cardinales, quia ſicut in Cardine ianua vertitur, claditur, & aperitur; ſic in iis virtutibus cor hominum vertitur, vt vitiis claudatur & bonis actibus aperiatur. 268
Virtutes morales quæ voluntatem exornant 12. numerantur. 208
Virtutes plures intellectum tam ſpeculatiuum quam practicum perficiunt. 270
Qui virtuti ſerio incumbunt magnam percipiunt voluptatem. 33
Virtutis fucatæ ſectatoris exitus tandem infauſtus. 48
Virtus moralis non totaliter tollit paſſiones, ſed eas ordinat. 583
Virtus & veritas triumphant in morte martyrum. 710
Vitæ inæqualitas non eſt idonea ad recipiendam Dei operationem. 178
Nomen Vitæ, ſeu gradus vitæ attribuitur filio. 442
Vita æterna præferenda eſt vitæ temporali. 335
Vitæ purgatiuæ actus ad tres beatitudines primas reductæ à S. Ioanne exprimuntur c. 7. 517
Vitæ illuminatiuæ actus ad quartam, & quintam beatitudinem reductæ, à S. Ioanne exprimuntur c. 7. 517
Vitæ vnitiuæ actus ad ſextam & ſeptimam beatitudinem exprimuntur c. 7. 517. & 518
Vita perfecta myſticè deſignatur in functionibus quorumlibet ordinum. 390
Vituli figura adhibetur in ſecundo ſigillo aperiendo: quia inuitamur vt nos offeramus per charitatem hoſtiam Deo, & vt moriamur pro illo. 349
Vituperia malorum non timenda. 63. & 64
Vnctio in Baptiſmate & Confirmatione debet fieri in modum crucis. 352
Vnctionis Extremæ Sacramentum eſt medela ſpiritualis vitam ſpiritualem præſupponens. 528
Vnctionis Sacramentum Ordinatur ad auferendas reliquias peccatorum. 529. non eſt abſolutæ neceſſitatis 529 quibus malis, & defectibus medetur 532. ceremoniæ in eius adminiſtratione. 532
Medium à Deo inſtitutum vt Clementiæ illius effectus ſentiamus 553
Vnctionis Extremæ Sacramentum, ſigillum, eius inſtitutio, vſus, materia, forma, finem vitæ tanquam firmum præſidium muniens. 531
Quomodo optime adumbratur in ſymbolo Angeli habentis thuribulum aureum? 553
Pro Vocatiuis nominatiui ponuntur atticè. 404
Vocatio Dei quantum ſit bonum? 9
Quænam illa ſit? 9
Vocatio gentium ad fidem dicitur miſericordia 9. tanto maius beneficium quanto gratuitum. 9
Vocatio gentium ex reprobatione Iudæorum magis elucеſcit. 9
Voluntas diuina duplici ratione regula eſt actionum noſtrarum. 130
Voluntas noſtra à Deo dependet in eſſentia, exiſtentia & operatione. 176
Voluntas mutationi obnoxia 118. per charitatem firmatur opus Chriſti glorioſum. 348
Voluntas bonitatem non obtinet niſi mediante intellectu. 165
Voluntas propria Deo odibilis, ceſſet, & non eſſet infernus. 168
Voluntas propria ſuperbia: quia Deo ſe ſubdere non vult. 368
Voluntatem propriam habere ſolius Dei eſt. 168
In Voluntate color ſanguineus deſignat voluntatis peruerſitatem qua nihil aliud ſpirat quam carnem aut ſanguinem. 427
Voluntatis libertas alligatur, cum deliberatio ſeu attentio mentis abſtrahitur. 600
Voluntatis ad malum propenſio. 358
Ab omni turpi voluptate abſtinendum. 369
Voluptas venerea nec exerceri nec expeti debet extra legitimum Matrimonij vſum. 369
Voluptates contineri, ventri dominari eſt maximi imperij. 369
Voluptatis amor pietatem interimit. 52
Qui carnis Voluptatem fugiunt maxima fruuntur animi voluptate. 53
Dicere Vota nihil addere perfectionis, eſt temerarium. 750
Vota ſanctorum pro diuerſitate ſtatus eorum. 404
Vota animarum in purgatorio exiſtentium pro liberatione perpulchrè exprimuntur. 408
Vox Dei quam ſit efficax? 187
Voces exeuntes è throno ſunt diuinæ promiſſiones, & Dei mandata. 225
Vox in medio 4. animalium idem dicentium, eſt conſenſio in fide & doctrina Paſtorum Eccleſiæ. 369
Vox de medio animalium, id eſt, vox animalium medij, ſeu in medio exiſtentis. 443
Cum vxore maritis honeſtas ſeruanda. 369
Vxorem habet pro meretrice, qui eâ vitur quaſi alienâ. 369
Vxores geſtabant annulos, non tantùm ad ornatum, ſed ad obſignandum ea quæ domi erant. 357

Z

ZACHARIÆ locus cum S. Ioanne confertur. 456
Zacharias per ventos intelligit ſucceſſionem quatuor Monarchiarum, Chaldæorum, Medorum, Græcorum, Romanorum. 457
Zona aurea iuſtitiam Chriſtianam deſignat. 7
Cur hæc Zona dicitur ad mamillas pectus Chriſti conſtringens? 14

FINIS.

ROTHOMAGI,
Ex Typographia LAVRENTII MAVRRY junioris,
Impenſis SEBASTIANI & GABRIELIS CRAMOISY Fratrum, Bibliopolarúmque Pariſienſium.

M. DC. LVII.

Digitized by Google

Accurata Erratorum obseruatio quæ irrepserunt in impreßione huius voluminis, ad quam Be-Lector recurrat, ne dum occurrerint ingrata illi reddatur Lectio.

PAgina 7. col.2. linea 10. continuerunt, lege continuerint. p.8. c. 2. l. 64. subiectiuè l. subiectione. p. 9. c mia l. præmia. p.13. c. 1. l. 30. incerto l. inserto. p.18. c. 2. ad marg. nullus sit linur enim amittendi, l. n cam amittendi. p. 19. c. 1. l. 27. vtantur l. vtuntur, & l. 52. castus l. æstus. p. 20. c. 1. l. 57. minitabunt l. r col. 2. l. 27. domus l. domui. p. 21. c. 2. l. 46. liis l. hic. p. 24. c. 2. l. 2. siue l. sine. p.27. c. 1. l. 46. fine placere l. placare. p. 28. c. 1. l. penultima, quædam l. quodam. p. 29. c. 1. l. 13. cognoscit l. cognosci. set l. possunt. p. 32. c. 1. l. 5. instruar l. instruam. l. 9. clarificatione l. clarificationem. c. 2. l. 25. offic., ... p.34. c.1. l. 37. animam l. animæ c. 2. l. 52. fute l. fictè, p.35. c. 1. l. 3. in ormam l. infirmam. c. 2. l. 31. ad l. à l. 33. occisiones l. occasiones, l. 35. sic te vt te l. sic vt te. p. 36. col. 2. l. 48. dele adinuentione. p. 37. c. 1. l. 64. nequeat l. queat. c.2. l.4. sterioræ l. stercora. p. 40. c. 2. l. 45. rectitudine l. rectitudinis. p. 41. c. 1. l. 31. contubenio l. contubernio. l. 40. exoptauem l. exoptaueram. p.42. c.2. l.21. successionem l. susceptionem. p. 45. c. 1. l. 50. desoluimus l. dissoluimus. c. 2. l.58. phineos l. phinees. p. 50. c.2. l.33. ignarum l. ignauum. p. 51. c. 2. l. 4. iniuriosè l. incuriosè. p. 52. c. 2. l. 68. diotus & ignauios l. idiotas & ignauos. p.53. c. 2. l. 3. in armis l. in animis. l. 28. exaltabitis l. exultabitis. l. 60. lorum l. illorum. p. 57. c.1. l.7. despui l. despici. l.31. rogat l. regat. p.59. c.1. l. 5. hominem l. ordinem. l. 27. vt digus sit l. digna sit. l. 51. propriæ l. proprio. p.60. c.2. l. 45. exædificandæ l. ex ædificandis. p. 61. c. 1. l. 66. dicatur l. ditatur. p.62. c.2. l. 36. animis l. amicis. p. 65. c. 2. l. 14. scio l. suo. l.18. decemni l. decem. l. 53. stadia l. studia. p. 66. c. 1. l. 24. vitium l. vitrum. l. 64. siquitem l. siquidem. l. vlt. magna l. manet. p. 67. c. 1. l.50. imprudenter l. impudenter. p. 68. c.1. l. 65. dele non. p. 69. c.2. l. 49. referat l. resecat. l. 58. referat l. resecat. l.59. hæc l. hac. p.72. c. 1. l.vlt. accipitium l. aucupium. p. 77. c.2. l. 10. meorum l. mearum. p. 77. c. 2. l. 68. mysterium l. mysticum. p. 79. c. 1. l.42. Christus l. charitas. c.2. l. 44. pœnis l. pennis. p. 80. c.1. l. 32. calculam l. calculum. l. 23. callistianum l. callistratum. p. 84. c.2. l.26. ipsemea l. ipsemet. l.55. adde descendere. p. 86. c. 1. l. 2. iudicij l. iudicis. c. 2. l. 64. minotem l. minoem. p. 87. c.1. l. 30. lineolum l. lineolam. l. 49. impio l. impiè & adde eum c. 2. l. 55. tastigari l. castigari. p. 88. c. 2. l.14. participans l. participant. l.23. plendissima l. splendissima. p. 89. c. 2. l. 39. adde audebunt. p.91. c.2. l.18. quo l. quod. l.28. abominos l. abominor. p. 97. in titulo Annot.7. studiam l.studium. p 98.c.2.l.66.inuoluta adde erroribus. p 99. c.1. l.51. mendaciem l. mendacium. p. 104. c.1. l.42. palpati l. palpat. p.105. c.1. l. 58. impecatoribus l. imperatoribus. l. 61. municas l. manicas. c.2. l. 23. principiis l. præcipuis. p.108. c. 2. l. vltima, cum l. quam. p.110. c.1. l. 44. reperiantur l. reperiuntur. l. 47. primum l. prima. l. 57. meri l. meis. c. 2. l.27. saluti l. salutis. l. 42. mysterium l. mysteriorum. l.44. liberi l. libere. l. 55. pœniteret l. pœniteres. p.124. c.1. l.70. tentationes l. tentationis. p.122. c.1. l.56. id l. in. c.2. l.9. rigunt l. regunt. impetior l. impertior. l.11. quia l. qui. l.28. titillatus l. titillatum. p. 123. c.1. l. 18. stelli l. stellæ. Episcopis l. Episcopi. p. 124. c. 1. l. 47. & l. lex. p. 125. c. 1. l. 70. obiectu l. obiectum. p. 126. c. 1. l. 37. malo l. malum. l. 69. adde ad. p. 127. c. 1. l. 50. respiciuntur l. despiciuntur. p.128. c. 2. l. 13. late l. luto. l. 13. fædunt l. fædant. p. 129. c. 1. l. 57. aliquis l. aliquid. c. 2. l. 14. motis l. mortis. p. 130. c. 1. l.7. bonorum l. bonarum. c. 2. l. 2. perfectu l. perfectius. p. 131. c. 1. l.38. grates l. gratos. l. 35. excedisti à gaatia l. excidisti à gratia. l.38. scondalis l. scandalis. p.132. c. 1. l. 1. perfectionem l. perfectiorem. l.45. opere l. opera. l. 47. gnitiem l. segnitiem. p. 133. c. 1. l. 50. acturos l. victuros. p.137. c. 2. l. 41. proprij l. proprio. l.47. raro l. caro. p. 141. c.2. l. vlt. mentione l. creatione. p. 143. c. 1. l. 68. credendi l.credendum. p. 144. c. 1. l. 15. seu l. sex. l. 40. animus conuertereo l. animos conuertere. l. 69. virtutem l. vnitatem. p.146. c. 2. l. 41. perciciet l. percipiet. l. 44. tangantur. l. tanguntur. his l. hic. p.147. c.2. l. 55. amicos l. animos. p. 148. c. 2. l. 57. secundano l. secundario. l. 65. tum l. trium. p. 149. c. 1. l. 68. amicto l. amictu. p. 150. c.1. l. 34. filio l. filios. p.156. c.1. l.41. faciet l. fauet. l. 51. fides l. fideles. p. 158. c. 1. l. 52. dele il. l. 61. le l. ille. p. 159. c. 1. l. 58. hominum l.hominem. creatarum l. creaturam. p.163. c.2. l.55. fusias l. fusius. l. 61. vocantes l. vacantes. p. 168. c. 1. l. 12. nec l. nos. l.28 studij l. stadij. l. 45. præterito l. præterire. c. 2. l. vlt. & l. ei. p. 169. c. 2. l. 1. κυφος l. τυφος. p. 170. c.2. l.45. cognationem l.cognitionem. p.178. c.1. l.11. mentis l. meritis. l.33. condidam l. candidam. l.63. reddunt l.redduntur. c.2. l.67. pigritem l. pigritantem. p.182. c.1. nomine l.nominis. p. 184. c.1. l.58. imaginam l. imaginem. p.185. c.1 l.10. istorum l. istarum. p.188. c.2. l.50. duas l. alias. l. 51. ipsarum l. ipsorum. p. 190. c.1. l. 25. adde nisi. p. 192. c. 1. l. 30. triangularem tamen fuisse sedem non est Cornelij sed mens autoris. c.1. l.42. interiori l.anteriori. c.2. l.52. Domino l. duo. p. 194. c. 1. l. 26. videntes l.videntur. p 195. c.2.l.27. quo l. quæ. p.199. c.1. l.42. dedeat l. dederat. p.200. c. 2. l. 43. philosophias l. philosophis. p.201. c.2. l. 50. hæc interpretatur l. & cum interpretatur hæc verba. p. 206. c. 2. l.16. damnationem l. dominationem l. 36. timo l. optimo. p.209. c.1. l.9. cam ei se l. cum ei & dele se. p.209. c.2. l.32. aduerbis l. ad verba. p 213. c.1.l.55. munerus l. numerus. p.215. c.2. l.50. princepe l. principes. p.225. c.1. l.30. fit l. sic. c.1. l.32. confingendor l. confringendo. p.231. c.2.l.45. diuersione l.diuisione. l.68. perductus l. productus. p.233. c.1. l.12. nubilis l. nobilis. p.234. c.1. l.64. dele virgulam post ei, & repone ante sibi. p.235. c.2. l.32. adeo l. à Deo. l.34. talis l. tali. p.244. c.1. l.21. digam l. dictum. p. 246. c. 2. l. 54. præcipiis l. præcipuis. p.250. c.2. l.39. carnibus l. cornibus. p.256. c.1. l. 18. hostis l. hostia. p.265. c.2. l.11. spanosum l. spaciosum. p. 269. c.1. l.27. luditur l. læditur. p. 270. c. 2. l. 13. rectio l. ratio. c.2. l.70. nobilissima l. nouissima. p.279. c.1. l.10. Iouiam l. Ioniam. d.282. c.2. l.4. dignificari l. significari. p.283. l.35. quam ponebat sententiam aliis l.sententiam alias. p.296. c.1. l. tolleretur l.coleretur. l.57. liberi l. liber. c.2. l.5. agitat l. agitatum. p.300. c.1. l.23. sub sacris vel auribus l. sacris velaminibus. p. 301. c.2. l.46. limitus l. linitur. p.304. c.2. l.63. limine l. lumine. p.311. c.2. l.51. dignatas l.dignitas. p.315. c.2. l.8. elarguit l.elargiatur. p.328. c.2. l.51. intellegere l. intellige. p.330. c.2. l.61. potea l. postea. p.334. c.1. l.67. Dei l.fidei. p.336. c.1.l.46. adde eique. l.36. loquitur l. loquimur. p.351. c.2. l.22. delibatos l. delibutos. p 353. c.1. l.6. materiæ l. maceriæ. p. 355. c.2. l. 27. sapturam l.saphiram. p.361. c.1. l.17. lepidique l. lepido. c.2. l.65. obiectionibus l. abiectionibus. p.361. c.2. l.vlt. sectores l. sectatores. p 380. c.1. l.66. Diaconum l.Draconum. c 2. l.26. vorticce l. vertice. p 382. c 2. l.57. æternum l.externum. p.397. c.1. l.36 à Deo l.adeo. p.408. c.12. l.30. munerns l. numerus. p. 413. c. 2. l.34. eaque l. ea quæ. p. 416. c 1. l.9. pollicentia l. pellicentia. p.423. c.2. l.3. densio l. derisio. p.428. c.1. l.41. vt l. vi. p.428. c.2. l.21. excutiantur l.excutiuntur. p 429. c.1. l.64. cupiant l. capiant. p.447. c.2. l 32. serantaprium l serantapicum. p.448. c.2. l.19. siphon l. sophon. p. 448. c.2. l. 30. contrarium & verum l contrariam & veram. p 451. c 1. l 29. Angelos l. angulos, p 454. c 1. l 6, conformatis l. conformitatis, l 69. adeo l. à Deo, p 475. c 2. l penult. infirmitas l. infinitas, p 491. c 2. l 49. quo l. quæ, item tenebras l. tenebas, p 491. c 2. l. 22. studium l stadium, c 2. l 47. homines l. honores, p 496. c 1. l 6. Pontifici l. Pontifice, p 499. c 2. l 64. voluntatis l. voluptatis, c 1. l 49. consistens l. consistentes, p 501. c 2. l 46. cuius l.crucis, p 502. c 2. l 36. dele nam si, p 503. c 1. l. penult. voluerunt l. noluerunt, p 504. c 1. l 68. v g. l. og. p 614. c 1. l 35. hierarchizatos l. hierachizantes, p 526. c 1. l 37. accendi l. accedendi, p 526. c 1. l 48. respicentes l. respuentes, p 526. c 1. l 18. fertilissimis l. frequentissimis, p 528. c 2. l 20. imitationem l. inuocationem, p 553. c 2. l 29. reuocari l. reuocare, p 557. c 2. l vlt. communicatio l. comminatio, p 558. c 1. l 48 inhæsione l. inhæsionis, p 563. c 1. l 45. appositum l apposité, p 573. c 2. l 18 effectu l. affectu. p 574. c 2. l 37. permissionem l. percussionem, l 60. æpuleius l. apuleus, l 64. eleasynis l. eleusynis, p 577. c 2. l 39. prosperitatis l. aduersitatis, p 594. c 1. l 5. vanarum l. variarum. p 597. c 1. l 50. curentibus l. carentibus. p 615. c 2. l 57. potius. l. potitus. p 626. c 2. l 27. conuersum l. concursum. p 627. c 2. l 68. aureum l.aurium. p 637. c 2. l 3. pedæ l. pede. l 10. ad ipsum l ad hoc ipsum. p 638. c 1. l 19. doceat l. docent. p 639. c 1. l 42. impulis l. impulsi. c 2. l 17. imposor l. impostor. l 43. quod l quid. p 641. c 1. l 32. potestationem l protestationem, p 642. c 2. l 47. sectorem l. sectatorem, p 643. c 1. l 52 nostro l.nostra, p 644. c 2 l 43. laudi l. laudis, p 646. c 2. l 60. emonitis l. eius monitis, p 653. c 1. l 20. qui l. equi, p 659. c 1. l penult. reuelando l reuelanda. c 2. l 7. salare l.saluare, p 660 c 1. l 4. diei l. dicti, p 661. c 2. l 44. fortitudines l fortitudinis, p 662. c 1. l 51. nabes l. nubes, p 667. c 1. l 32. perisphænis l.perisphæria, p 678. c 1. l 56. docentis l. elicientis, p 680. c 2. l 29. equum l. æquam est, p 682. c 2. l 42. hic l. his, p 688. c 1. l 49. humanitate l. humilitate, p 692. c 2. l 55. impendire l. impedire, p 693. c 1. l 60. statu l flatu, p 693. c 1. l 68. affectiones l.afflictiones, c 2. l 45. abigat l abigar, l 47. extollat l. extollar, p 694 c 1. l 9. ad præstandum l ad hoc præstandum, p 695. c 2. l.24. qui l. quia, p 700. c 2. l 64. tempus l.tempore, p 701. c 1. l 36. fefellit l. refellit. p 714. c 2. l.37. explicantur l. explicant, p 718. c 2. l 30. pede castra l. pæderastia, p 719. c 2. l 6. ea l. &. l 45. graduplicem l quadruplicem, p 720. c 1. l 1. hic l his, p 721. c 1. l 1. tum l. tam.

435 FINE

Digitized by Google

Digitized by Google